SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

Accurante M****, Cursuum completorum Editore.

TOMUS SEXTUS.

PARISIIS

VENIT APUD EDITOREM IN VICO DICTO MONTROUGE, JUXTA *PORTAM INFERNI*,

GALLICE : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER.

1841.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC SEXTO TOMO CONTINENTUR.

CONTENTA IN APPENDICE.

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO MONTROUGE,
Juxta portam Inferni Parisiorum, Gallice : *près la barrière d'Enfer de Paris.*

IN SEXTUM TOMUM

Præfatio.

Exhibentur hoc sexto volumine Opuscula varia Augustini, quæ conducunt ad informandos mores : præclara quidem illa, et ingentis per se pretii, sed ordinis melioris accessione habitura splendorem hic novum ac lucem. Nempe istæ lucubrationes in editionibus ante vulgatis sic distractæ erant, ut quædam in tomo secundo ac tertio inter exegeticos libros, quædam vero inter polemicos tomo sexto, tomo nono aliæ post Tractatus in Joannem legerentur : quam dispositionem Erasmi olim cura institutam, tametsi postea recepta est a Lovaniensibus Theologis, mutare hac nova editione decrevimus ; ut quæ ejusdem generis aut similis argumenti sunt, ea continenter ac ordinate perlecta et intelligantur melius a studiosis, et eorum altius animis mentibusque mandentur.

Principio damus Quæstionum libros quosdam, in quibus sunt nominandi præ cæteris libri ad Simplicianum, Augustino jam episcopo cum illos edidit, quam dignissimi. Nam qui prius de fidei et gratiæ donis non recte senserat in scriptionibus aliquot suis, hoc in opere sub exordium episcopatus sui scripto resipiscens emendavit, abjecitque errorem suum, *apostolico præcipue*, sicuti in libro de Prædestinatione sanctorum profitetur, *convictus testimonio*, ex I Cor. IV, 7 : quod nihilominus divino muneri ac revelationi tribuendum Vir sanctus ibidem agnoscit. Quanquam ergo illa ad Simplicianum disputatione rem alicubi verset in utramque partem, dubitanti parum dissimilis (quod profecto disputandi genus lectorem postulat sagacem vigilantemque) ; attamen se jam tum *antequam Pelagiana hæresis appareret*, sic disseruisse dicit de dono perseverantiæ scribens, ut neque *remanserit aliquid quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari, et satis egerit etiam initium fidei esse donum Dei*, utque *ex iis quæ ibi dicta sunt, consequenter eluceat, etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum et gloriam.*

Finitis Quæstionibus, series incipit Opusculorum quæ ad mores magis attinent. Primum ex his librum de Fide rerum quæ non videntur, restitutum imus Augustino, cui perperam fuerat Erasmi et Lovaniensium Theologorum sententia ereptus. Subsequitur opusculum de Fide et Symbolo, quod Hipponensis consilii episcopis acceptum referre debemus, quorum jussione Augustinus episcopalibus nondum infulis exornatus id argumenti tractavit in illo totius Africæ plenario consessu ; quem etiam tractatum amicis studiosissime instantibus in librum redigere compulsus est. Proxime adjungitur liber de Fide et Operibus, in eos publicatus, qui sentiebant et omnes citra discrimen admittendos ad Baptismum, et præcepta morum nonnisi post Baptismum tradenda, et demum baptizatos christianæ fidei merito salvandos esse, etiamsi mores quantumlibet iniquos nunquam mutarint. Quam tertiam opinionem cum perniciosissimam judicaret S. Doctor, convellendam suscepit non semel, sed manu amica semper et pacifica ; quia profectam ab auctoribus haud dubie catholicis ac piis : quibus dum occurrit in lib. 21 de Civitate Dei, cap. 17, *Nunc jam*, ait, *cum misericordibus nostris agendum esse video et pacifice disputandum.* Hinc longe abesse non oportuit Enchiridion, quo doctrina traditur de Fide, Spe et Charitate : opus vere aureum, nocturna et diurna manu versandum. Liber de Agone Christiano eodem fere spectat, fidei Regulam continens et præcepta vivendi. Hos de Fide libros excipit opus de Catechizandis rudibus, editum rogatu diaconi Carthaginensis Deogratias, ad quem sæpius primis fidei elementis imbuendi deducebantur sacrarum litterarum rudes. Succedunt simul cum tractatu de Continentia, quæ materiæ et argumenti sui affinitate conjunctæ sunt inter se lucubrationes, de Bono conjugali, de sancta Virginitate, de Bono Viduitatis, de Conjugiis adulterinis. Postea de Mendacio, et contra Mendacium : ac, ne singula persequamur, ordine omnia certo proprioque sunt collocata.

Verum, quod rei caput existimamus, criticorum in ipsa Opuscula judicium, si quis forte injecit de auctore scrupulum, ad examen vocatur : quædam quæ pro nothis haberi volebant, genuina esse monstrantur ; alia e contrario quæ solebant genuinis adjungere, vel repudiantur ut notha, vel aliquo discrimine separantur ut dubia. Hujus posterioris generis sunt tractatus de Symbolo ad Catechumenos, et alii quidam ex tomo nono translati huc libelli sive Sermones, quos in extrema voluminis parte minutioribus typis excusos repræsentamus.

In adornanda quoque Appendice nec exigua cura , nec inanis labor impensus est. Opusculorum subditiorum quæsiti sunt et reperti plerumque auctores. Hugoni Victorino vindicatur libellus de Substantia dilectionis ; eidemque ipsi redditur opus de septem Vitiis, et septem Donis Spiritus sancti. Liber de Scala Paradisi restituitur Guigoni Carthusiano : de Cognitione veræ vitæ, Honorio Augustodunensi : de Vita christiana, Fastidio Britoni : Paulino Aquileiensi, de salutaribus Documentis , de Conflictu vitiorum et virtutum , Ambrosio Autperto : de Rectitudine catholicæ conversationis, ac proinde etiam de Vanitate sæculi , Eligio Noviomensi : de Bono disciplinæ , Valeriano Cymelensi episcopo , etc. Libellus de Amicitia ex Aelredo

abbate Rhievallensi, Expositio cantici Magnificat ex Hugone Victorino, ex Anselmo liber de Contritione cordis, et tractatus de Antichristo ex Alcuino decerptus ostenditur : ne quid hic addamus de iis opusculis quæ suo loco observamus ex Augustino aliisque scriptoribus delibata conflataque; quædam auctore forte Joanne abbate Fiscannensi, puta Meditationes, etc.; quædam autem Alchero monacho Cisterciensi, aut non multum antiquiore consarcinatore, scilicet de Spiritu et Anima, Manuale, ac de Diligendo Deo, etc. Præfixis demum Admonitionibus in Opuscula, quid probum, quid eruditum, quid lectu dignum sit indicamus.

Vide præterea librum 1, *cap.* 26, *t.* 1, Retractationum, *col.* 624, *a verbis,* Est etiam inter illa quæ scripsimus, *usque ad col.* 630, *verbis,* Utrum anima a se ipsa sit. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS LXXXIII

Liber unus (a).

QUÆSTIO PRIMA. *Utrum anima a se ipsa sit.*

Omne verum a veritate verum est; et omnis anima eo anima est, quo vera anima est. Omnis igitur anima a veritate habet ut omnino anima sit. Aliud autem anima est, aliud veritas. Nam veritas falsitatem nunquam patitur, anima vero sæpe fallitur. Non igitur, cum a veritate anima est, a se ipsa est. Est autem veritas Deus : Deum igitur habet auctorem ut sit anima.

II. *De libero arbitrio.*

Omne quod fit, ei a quo fit par esse non potest. Alioquin justitia, quæ sua cuique tribuere debet, de rebus auferatur necesse est. Hominem ergo Deus cum fecit, quanquam optimum fecerit; non tamen id fecit quod erat ipse. Melior autem homo est qui voluntate, quam qui necessitate bonus est. Voluntas igitur libera danda homini fuit.

III. *Utrum Deo auctore sit homo deterior.*

Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parva ista culpa est, imo tanta est, quæ in sapientem quemvis [1] hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente præstantior. Multo minus igitur Deo auctore fit homo deterior. Multo enim præstantior Dei voluntas, quam hominis sapientis est. Illo autem auctore cum dicitur, illo volente dicitur. Est ergo vitium voluntatis quo est homo deterior : quod vitium si longe abest a Dei voluntate, ut ratio docet, in quo sit quærendum est.

[1] Editi Rat. Er. et libri aliquot Mss., *quamvis.* Sic etiam Ven. M.

(*a*) Inchoatus sub finem anni 388.

IV. *Quæ sit causa ut sit homo deterior.*

Ut sit homo deterior aut in ipso causa est, aut in alio aliquo, aut in nihilo. Si in nihilo, nulla causa est. Aut si ita accipitur in nihilo, quod homo ex nihilo factus est, vel ex iis quæ ex nihilo facta sunt; rursum in ipso erit causa, quod ejus quasi materies est nihilum. Si in alio aliquo, utrum in Deo, an in quolibet alio homine; an in eo quod neque Deus, neque homo sit. Sed non in Deo; bonorum enim Deus causa est. Si ergo in homine, aut vi, aut suasione. Sed vi nullo modo, ne sit Deo valentior. Siquidem Deus ita optime hominem fecit, ut si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur. Suasione autem alterius hominis si concedimus hominem depravari, rursum quærendum erit, suasor ipse a quo depravatus sit. Non enim potest pravus non esse talium suasor. Restat nescio quid, quod nec Deus, nec homo sit : sed tamen hoc quidquid est [1], aut vim intulit, aut suasit. De vi hoc respondetur quod supra : de suasione autem quidquid est, quia suasio non cogit invitum, ad ejusdem hominis voluntatem causa depravationis ejus redit, sive aliquo, sive nullo suadente depravatus sit.

V. *Utrum animal irrationale beatum esse possit.*

Animal quod caret ratione, caret scientia. Nullum autem animal quod scientia caret, beatum esse potest. Non igitur cadit in animalia rationis expertia ut beata sint.

[1] Er. et octo Mss., *sed etiam hoc quidquid est.* — Sic Lugd. et Ven. M.

ADMONITIO PP. BENEDICTORUM.

Recognitus est de novo (præsens Liber de Diversis Quæstionibus LXXXIII) ad codices Mss. quindecim, scilicet ad Romanos bibliothecæ Vaticanæ duos, ad Parisienses Regiæ bibliothecæ unum, collegii Navarrici duos, Sorbonici unum, Augustinianorum majoris conventus unum, abbatiæ Genovefæanæ unum, Germanensis nostri cœnobii unum, item ad S. Mauri Fossatensis, S. Benigni Divionensis, S. Michaelis in Periculo maris unum, ad duos Cistercienses, et ad unum illustrissimi domini D. de S. Georges episcopi Claromontani. Adhibitæ sunt etiam variantes lectiones, quas ejusdem opusculi castigandi studio Theologi Lovanienses collegerunt ex Belgicis quinque Mss. Postremo collatæ antiquiores editiones, Rat. id est quæ Augustini Ratisponensis cura Lugduni per Joan. Treschel excusa est, anno 1497; Er. quam recensuit Desiderius Erasmus et Frobeniano prelo edi curavit Basileæ, an. 1528, et editio Lov. quæ ex Lovaniensium Theologorum recensione Antuerpiæ impressa est Plantinianis typis, an. 1576.

Præterea comparavimus eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

VI. *De malo.*

Omne quod est, aut est corporeum, aut incorporeum. Corporeum sensibili, incorporeum autem intelligibili specie continetur. Omne igitur quod est, sine aliqua specie non est. Ubi autem aliqua species, necessario est aliquis modus, et modus aliquid boni est. Summum ergo malum nullum modum habet; caret enim omni bono. Non est igitur; quia nulla specie continetur, totumque hoc nomen mali de speciei privatione repertum est.

VII. *Quæ proprie in animante anima dicatur.*

Anima aliquando ita dicitur, ut cum mente intelligatur; veluti cum dicimus hominem ex anima et corpore constare: aliquando ita, ut excepta mente dicatur. Sed cum excepta mente dicitur, ex iis operibus intelligitur quæ habemus cum bestiis communia. Bestiæ namque carent ratione, quæ mentis semper est propria.

VIII. *Utrum per se anima moveatur.*

Moveri per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem. Nam si volumus, non alius de nobis vult. Et iste motus animæ spontaneus est; hoc enim ei tributum est a Deo: qui tamen motus, non de loco in locum est, tanquam corporis. Localiter enim moveri corporis proprium est. Et cum anima voluntate, id est, illo motu qui localis non est, corpus suum tamen localiter movet, non ex eodem monstratur et ipsa localiter moveri. Sicut videmus a cardine moveri aliquid per magnum spatium loci, et tamen ipsum cardinem[1] non moveri loco.

IX. *Utrum corporeis sensibus percipi veritas possit.*

Omne quod corporeus sensus attingit, quod et sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur (*a*): velut cum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in juventam efflorescit, perpetuo id fit, nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest: illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis. Sed ne quis dicat esse aliqua sensibilia eodem modo semper manentia, et quæstionem nobis de sole atque stellis afferat, in quibus facile convinci non potest; illud certe nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sensibile quod non habeat simile falso, ita ut internosci non possit. Nam ut alia prætermittam, omnia quæ per corpus sentimus, etiam cum ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tanquam prorsus adsint, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur, omnino utrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibilium sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilium falsæ, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, et nihil percipi potest nisi quod a falso discernitur, non est judicium veritatis constitutum in sensibus. Quamobrem saluberrime admonemur averti ab hoc mundo, qui profecto corporeus est et sensibilis, et ad Deum, id est veritatem, quæ intellectu et interiore mente capitur, quæ semper manet et ejusdem modi est, quæ non habet imaginem falsi, a qua discerni non possit, tota alacritate converti.

X. *Utrum corpus a Deo sit.*

Omne bonum a Deo: omne speciosum bonum, in quantum speciosum est; et omne quod species continet, speciosum est. Omne autem corpus, ut corpus sit, specie aliqua continetur. Omne igitur corpus a Deo.

XI. *Quare Christus de femina natus sit.*

Deus cum liberat, non partem aliquam liberat; sed totum liberat, quod forte in periculo est. Sapientia ergo et Virtus Dei, qui dicitur unigenitus Filius, homine suscepto liberationem hominis indicavit. Hominis autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo, quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est.

XII. *Sententia cujusdam sapientis* (*a*).

Agite, o, inquit, miseri mortales, hoc agite ne unquam polluat hoc domicilium malignus spiritus; ne sensibus immixtus incestet animæ sanctitatem, lucemque mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus sensuales; dat se figuris, accommodat coloribus, adhæret sonis, latet in ira, in fallacia sermonis, odoribus se subjicit, infundit saporibus, ac turbidi motus illuvie tenebrosis affectibus tenebrat sensus[1], quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis solet. Et quia radius æthereæ lucis est, in eoque speculum divinæ præsentiæ: in hoc enim Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc recte facti meritum relucet: Deus ubique præsens est; tunc autem unicuique nostrum simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in ejus præsentia se esse putaverit. Ut enim visus oculorum, si fuerit vitiatus, quidquid videre non potuerit, adesse non putat; frustra enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit: ita etiam Deus qui nusquam deest, frustra pollutis animis præsens est, quem videre mentis cæcitas non potest.

XIII. *Quo documento constet homines bestiis antecellere.*

Inter multa quibus ostendi potest hominem ratione bestiis antecellere, hoc omnibus manifestum est, quod belluæ ab hominibus domari et mansuefieri possunt, homines a belluis nullo modo.

XIV. *Non fuisse corpus Christi phantasma.*

Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus: et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus.

XV. *De intellectu.*

Omne quod se intelligit, comprehendit se. Quod

(*a*) I Retract. cap. 26.

[1] Hic Rat. et tres Mss. addunt, *siquidem impartibilem.*

[1] Er. et septem Mss., *tenebrati sensus.*

(*a*) Fontei scilicet Carthaginensis, de mente mundanda ad videndum Deum. I Retract. cap. 26.

autem se comprehendit, finitum est sibi. Et intellectus intelligit se. Ergo finitus est sibi. Nec infinitus esse vult, quamvis possit; quia notus sibi esse vult, amat enim se.

XVI. *De Filio Dei.*

Deus omnium quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est: nec unquam Deus sine sapientia sua. Igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna: nec tempore prior est quam sua sapientia. Deinde si Patrem sempiternum esse inest Deo, nec fuit aliquando non Pater, nunquam sine Filio fuit.

XVII. *De scientia Dei.*

Omne præteritum jam non est; omne futurum nondum est: omne igitur et præteritum et futurum deest. Apud Deum autem nihil deest: nec præteritum igitur nec futurum, sed omne præsens est apud Deum.

XVIII. *De Trinitate.*

Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa igitur creatura si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, causam quoque ejus trinam esse oportet; qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit. Creaturæ autem causam, id est, auctorem Deum dicimus. Oportet ergo esse Trinitatem, qua nihil præstantius, intelligentius et beatius invenire perfecta ratio potest. Ideoque etiam cum veritas quæritur, plus quam tria genera quæstionum esse non possunt; utrum omnino sit, utrum hoc an aliud sit, utrum approbandum improbandumve sit.

XIX. *De Deo et creatura.*

Quod incommutabile est, æternum est: semper enim ejusdem modi est. Quod autem commutabile est, tempori obnoxium est: non enim semper ejusdem modi est, et ideo æternum non recte dicitur. Quod enim mutatur, non manet: quod non manet, non est æternum. Idque inter immortale et æternum interest, quod omne æternum immortale est, non omne immortale satis subtiliter æternum dicitur: quia etsi semper aliquid vivat, tamen si mutabilitatem patiatur, non proprie æternum appellatur, quia non semper ejusdem modi est; quamvis immortale, quia semper vivit, recte dici possit. Vocatur autem æternum interdum etiam quod immortale est. Illud vero quod et mutationem patitur, et animæ præsentia, cum anima non sit, vivere dicitur, neque immortale ullo modo, et multo minus æternum intelligi potest. In æterno enim, cum proprie dicitur, neque quidquam præteritum quasi transierit, neque quidquam futurum quasi nondum sit, sed quidquid est, tantummodo est.

XX. *De loco Dei.*

Deus non alicubi est. Quod enim alicubi est, continetur loco: quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est corpus: non igitur alicubi est. Et tamen quia est, et in loco non est, in illo sunt potius omnia, quam ipse alicubi. Nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus: locus enim in spatio est quod longitudine et latitudine et altitudine corporis occupatur; nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, et locus non est. Locus tamen Dei abusive dicitur templum Dei, non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit. Id autem nihil melius quam anima munda intelligitur.

XXI. *Utrum Deus auctor mali non sit.*

Quisquis omnium quæ sunt auctor est, et ad cujus bonitatem id tantum pertinet ut sit omne quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit, ab eo quod est esse deficit, et tendit in non esse. Esse autem et in nullo deficere bonum est, et malum est deficere. At ille ad quem non esse non pertinet non est causa deficiendi, id est, tendendi ad non esse; quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est: et propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium quæ sunt auctor est: quia in quantum sunt, in tantum bona sunt (*a*).

XXII. *Deum non pati necessitatem.*

Ubi nulla indigentia, nulla necessitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas.

XXIII. *De Patre et Filio.*

Omne castum castitate castum est, et omne æternum æternitate æternum est, et omne pulchrum pulchritudine, et omne bonum bonitate. Ergo et omne sapiens sapientia, et omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur: vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate quam gignit, et cui principium atque causa est ut sit; aliter autem cum participatione castitatis quidque castum est, quod potest aliquando esse non castum; atque ita de cæteris intelligendum est. Nam et anima æternitatem vel intelligitur vel creditur consequi, sed æterna æternitatis participatione fit. Non autem ita æternus Deus, sed quod ipsius æternitatis est auctor. Hoc et de pulchritudine et de bonitate licet intelligi. Quamobrem cum sapiens Deus dicitur, et ea sapientia sapiens dicitur, sine qua eum vel fuisse, aliquando, vel esse posse nefas est credere, non participatione sapientiæ sapiens dicitur, sicuti anima, quæ et esse et non esse sapiens potest: sed quod ipse eam genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam (*b*). Item illa quæ participatione sunt vel casta, vel æterna, vel pulchra, vel bona, vel sapientia, recipiunt, ut dictum est, ut possint nec casta esse, nec æterna, nec pulchra, nec bona, nec sapientia: at ipsa castitas, æternitas, pulchritudo, bonitas, sapientia, nullo modo recipiunt aut corruptionem, aut, ut ita dicam, temporalitatem, aut turpitudinem, aut malitiam. Ergo etiam illa quæ participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem: at ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit ut cum similitudo Patris Filius dicitur, quia ejus participatione similia sunt quæcumque sunt vel inter se vel Deo similia (ipsa est

(*a*) 1 Retract. cap. 26.
(*b*) 1 Retract. cap. 26, et lib. 6, de Trinit. cap. 2.

enim species prima, qua sunt, ut ita dicam, speciata, et forma qua formata sunt omnia); ex nulla parte Patri potest esse dissimilis. Idem igitur quod Pater, ita ut iste Filius sit, ille Pater, id est, iste similitudo, ille cujus similitudo est; iste substantia, ille substantia[1], ex quo una substantia. Nam si non una est, recipit similitudinem similitudo; quod fieri posse omnis verissima negat ratio.

XXIV. *Utrum peccatum et recte factum in libero sit voluntatis arbitrio.*

Quidquid casu fit, temere fit : quidquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur. Si non providentia universus mundus administratur, est ergo aliqua natura atque substantia quæ ad opus providentiæ non pertineat. Omne autem quod est, in quantum est, bonum est. Summe enim est illud bonum, cujus participatione sunt bona cætera. Et omne quod mutabile est, non per se ipsum, sed boni immutabilis participatione, in quantum est, bonum est. Porro illud bonum, cujus participatione sunt bona cætera quæcumque sunt[2], non per aliud, sed per se ipsum bonum est, quam divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. Hoc constituto, consequens videtur ut quidquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partim nostra voluntate. Deus enim quovis homine optimo et justissimo longe atque incomparabiliter melior et justior est. Justus autem regens et gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari. Meritum autem pœnæ, peccatum; et meritum præmii, recte factum est. Nec peccatum autem, nec recte factum imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio.

XXV. *De cruce Christi.*

Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda non metuere. Mors autem metuenda non est. Oportuit ergo idipsum illius hominis quem Dei Sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem, ut ipsa mors metuenda non est, ita nullum genus mortis bene et recte viventi homini metuendum est. Nihilominus igitur hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere exsecrabilius et formidolosius.

XXVI. *De differentia peccatorum.*

Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiæ, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sint peccata venialia. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur et hic et in futuro sæculo. Quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur; et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per pœnitentiam.

XXVII. *De providentia.*

Fieri potest ut per malum hominem divina providentia et puniat et opituletur. Nam Judæorum impietas et Judæos supplantavit[1], et Gentibus saluti fuit. Item fieri potest ut divina providentia per hominem bonum et damnet et adjuvet, sicut ait Apostolus : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 16). Sed cum omnis tribulatio aut pœna impiorum sit, aut exercitatio justorum; quia eadem tribula et paleas concidit, et frumenta paleis exuit, unde tribulatio nomen accepit; rursus, cum pax et quies a molestiis temporalibus et bonos lucretur, et corrumpat malos : omnia hæc divina providentia pro meritis moderatur animarum. Sed tamen non sibi eligunt boni ministerium tribulationis, nec mali amant pacem. Quare ipsi quoque, per quos id agitur quod ignorant, non justitiæ quæ refertur ad Deum, sed malevolentiæ suæ mercedem accipiunt. Quemadmodum nec bonis imputatur, quod ipsis prodesse volentibus nocetur alicui, sed bono animo benevolentiæ præmium tribuitur : ita etiam cætera creatura pro meritis animarum rationalium vel sentitur vel latet, vel molesta vel commoda est. Summo enim Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est, sive scientibus sive nescientibus nobis. Sed in parte offenditur anima peccatrix : tamen quia pro meritis ibi est, ubi talem esse decet, et ea patitur quæ talem pati æquum est, universum regnum Dei nulla sua fœditate deformat. Quamobrem, quoniam non omnia novimus quæ de nobis bene agit ordo divinus, in sola bona voluntate secundum legem agimus; in cæteris autem secundum legem agimur, cum lex ipsa incommutabilis maneat, et omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderetur. *Gloria* igitur *in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14).

XXVIII. *Quare Deus mundum facere voluerit.*

Qui quærit quare voluerit Deus mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Sed omnis causa efficiens est. Omne autem efficiens majus est quam id quod efficitur. Nihil autem majus est voluntate Dei. Non ergo ejus causa quærenda est.

XXIX. *Utrum aliquid sit sursum aut deorsum in universo.*

Quæ sursum sunt sapite (*Coloss.* III, 2). Ea quæ sursum sunt sapere jubemur, spiritualia scilicet, quæ non locis et partibus hujus mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellentiæ suæ; ne in ejus mundi parte figamus animum nostrum, quo universo

[1] Isthæc verba, *iste substantia*, *ille substantia*, absunt a novem Mss.

[2] Rat. et octo Mss., *quantumcumque sunt*. Alii quatuor, *quantacumque sunt*.

[1] Er. et undecim Mss., *Judæos supplantavit*. — Sic etiam Lugd. M.

nos debemus exuere. Sursum autem ac deorsum in hujus mundi partibus est. Nam universitas nec ipse habet sursum aut deorsum. Corporeus est enim; quia omne visibile corporeum est. Nihil autem in universo corpore sursum aut deorsum est. Cum enim in sex partes motus fieri videatur, qui rectus dicitur, id est, qui circularis non est, in anteriora et posteriora, in dexteriora et sinisteriora, in superiora et inferiora; nulla omnino ratio est cur universo corpori ante ac post nihil sit, et dextera ac leva, sit autem sursum ac deorsum. Sed eo considerantes decipiuntur, quod sensibus et consuetudini difficile obsistitur. Non enim tam facilis est nobis conversio corporis, quæ fit, si quis capite deorsum moveri velit, quam facilis est a dextra in levam, vel ab anteriore in posteriorem partem. Quamobrem remotis verbis secum ipsi animo satagendum est, ut hoc cernere valeat.

XXX. *Utrum omnia in utilitatem hominis creata sint.*

Ut inter honestum et utile interest, ita et inter fruendum et utendum. Quanquam enim omne honestum utile, et omne utile honestum esse, subtiliter defendi queat: tamen quia magis proprie atque usitatius honestum dicitur quod propter se ipsum expetendum est, utile autem quod ad aliud aliquid referendum est: secundum hanc differentiam nunc loquimur, illud sane custodientes, ut honestum et utile nullo modo sibimet adversentur. Adversari enim hæc sibi aliquando imperite ac vulgariter existimantur. Frui ergo dicimur ea re de qua capimus voluptatem. Utimur ea quam referimus ad id unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti. Fruendum est autem honestis, utendum vero utilibus. Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus; utilitatem autem, divinam providentiam. Quapropter quanquam sint multa pulchra visibilia, quæ minus proprie honesta appellantur; ipsa tamen pulchritudo, ex qua pulchra sunt quæcumque pulchra sunt, nullo modo est visibilis. Item multa utilia visibilia; sed ipsa utilitas, ex qua nobis prosunt quæcumque prosunt, quam divinam providentiam dicimus, visibilis non est. Notum sane sit visibilium nomine omnia corporalia contineri. Oportet ergo frui pulchris invisibilibus, id est, honestis: utrum autem omnibus, alia quæstio est; quanquam fortasse honesta non nisi quibus fruendum est, dici deceat. Utilibus autem utendum est omnibus, ut quoque eorum opus est. Et frui quidem cibo et qualibet corporali voluptate non adeo absurde existimantur et bestiæ: uti autem aliqua re non potest nisi animal quod rationis est particeps. Scire namque quo quidque referendum sit, non datum est rationis expertibus, sed neque ipsis rationalibus stultis. Nec uti quisque potest ea re quæ quo referenda sit nescit; nec quisquam potest scire nisi sapiens. Quare abuti rectius dici solent, qui non bene utuntur. Non enim cuiquam prodest id quo male utitur; et quod non prodest, non utique utile est. Utile autem quidquid est, utendo est utile: ita nemo utitur nisi utili. Non ergo utitur, quisquis male utitur. Perfecta igitur hominis ratio, quæ virtus vocatur, utitur primo se ipsa ad intelligendum Deum, ut eo fruatur a quo etiam facta est. Utitur autem cæteris rationalibus animantibus ad societatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam etiam suam ad id refert, ut fruatur Deo: ita enim beata est. Ergo et se ipsa utitur; quæ profecto inchoat miseriam per superbiam, si ad se ipsam, non ad Deum referatur. Utitur etiam corporibus quibusdam vivificandis ad beneficentiam; sic enim utitur suo corpore: quibusdam assumendis vel respuendis ad valetudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad justitiam, quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum: utitur etiam iis a quibus se abstinet, ad temperantiam. Ita omnibus et sensis et non sensis utitur; nec aliquid tertium est. Judicat autem de omnibus quibus utitur: de solo Deo non judicat, quia secundum Deum de cæteris judicat; nec eo utitur, sed fruitur. Neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est. Quoniam omne quod ad aliud referendum est, inferius est quam id ad quod referendum est. Nec est aliquid Deo superius, non loco, sed excellentia suæ naturæ [1]. Omnia ergo quæ facta sunt, in usum hominis facta sunt, quia omnibus utitur judicando ratio [2], quæ homini data est. Et ante lapsum quidem non utebatur tolerandis, nec post lapsum utitur nisi conversus, et quanquam ante mortem corporis, jam tamen quantum potest Dei amicus, quia libenter servus.

XXXI. *Sententia Ciceronis, quemadmodum virtutes animi ab illo divisæ ac definitæ sint* (Cic. lib. 2 de Invent.).

1. Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Quare omnibus partibus ejus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia [3]. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur antequam factum est. Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab natura profectum: deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res et ab natura profectas et ab consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit. Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est quæ superioris cujus-

[1] Er. et plures Mss., *sed excellentia substantiæ*. — Sic etiam Lugd. et Ven. M.
[2] Gallicani Mss., *judicando ratio*.
[3] Nonnulli Mss. ut apud Ciceronem, *rerum bonarum et malarum et utrarumque scientia*.

dam naturæ, quam divinam vocant, curam cærimoniamque affert. Pietas, per quam sanguine conjunctis patriæque benevolens officium, et diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum et officiorum, alterius memoria, et alterius[1] remunerandi voluntas continetur. Vindicatio, per quam vis aut injuria, et omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Observantia, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam et honore dignamur. Veritas, per quam immutata ea quæ sunt aut fuerunt aut futura sunt dicuntur. Consuetudine autem jus est quod aut leviter a natura tractum[2] aluit, et majus fecit usus, ut religionem; et si quid eorum quæ ante diximus, a natura profectum, majus factum propter consuetudinem videmus: aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit. Quod genus pactum est, par, lex[3], judicatum. Pactum est quod inter aliquos convenit. Par, quod in omnes æquale[4] est. Judicatum, de quo alicujus aut aliquorum jam sententiis constitutum est. Lege jus est, quod in eo scripto, quod populo expositum est ut observet, continetur. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio[5] atque administratio. Fidentia est per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. Patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Ejus partes, continentia, clementia, modestia. Continentia est per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium alicujus illecti concitatique comitate retinentur[6]. Modestia, per quam pudor honestus claram[7] et stabilem comparat auctoritatem.

2. Atque hæc omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut monstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate præcipiendi remotum est. Propter se autem vitanda sunt, non ea modo quæ iis contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et justitiæ injustitia; verum etiam illa quæ propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime. Quod genus fidentiæ contrarium est diffidentia, et ea re vitium est: audacia, non contrarium, sed appositum ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum, ut audacia quæ fidentiæ, pertinacia quæ perseverantiæ finitima est, superstitio quæ religioni propinqua est; aut sine ullo certo nomine: quæ omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus vitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est. Nunc de eo in quo utilitas quoque adjungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur.

3. Sunt igitur multa quæ nos, cum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt. Quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicujus honesta[1] et cultu et honore et verecundia digna auctoritas. Amplitudo est potentia, aut majestas[2], aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa quem diligit, cum ejus pari voluntate. Hic quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur, ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimaverint reprehendant[3]. Quanquam sunt qui propter utilitatem modo petendam putent amicitiam, sunt qui propter se solum, sunt qui et propter se et propter utilitatem. Quorum quid verissime statuatur, alius locus erit considerandi.

XXXII. *Utrum rem ullam alius alio magis intelligat, atque ita ejusdem rei per infinitum eat intelligentia.*

Quisquis ullam rem aliter quam ea res est intelligit, fallitur: et omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter quam est intelligit, non eam intelligit. Non ergo potest quidquam intelligi, nisi ut est. Nos autem aliquid non ita ut est intelligimus, velut hoc ipsum nihil intelligi, quod non ita ut est intelligitur. Quare non est dubitandum esse perfectam intelligentiam, qua præstantior esse non possit; et ideo non per infinitum ire quod quæque res intelligitur, nec eam posse alium alio plus intelligere.

XXXIII. *De metu.*

Nulli dubium est non aliam metuendi esse causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. Quare quisquis hoc ipsum non metuere amaverit atque habuerit, quis metus est ne id possit amittere? Multa enim quæ amamus et habemus, metuimus amittere; ita ea custodimus metu: non metuere autem nemo potest custodire metuendo. Item quisquis amat non metuere, atque id nondum habet, speratque se habiturum, non eum oportet metuere ne non adipiscatur. Hoc enim metu nihil aliud metuitur quam idem metus. Porro metus omnis aliquid fugit, et nulla res se ipsam fugit. Non igitur metuitur metus. Sed si quis existimat non recte dici quod

[1] Hic deerat, *alterius;* restituitur ex Mss. et ex Cicerone.
[2] Editi, *jactatum.* At Mss. quidam et Ciceroniani libri, *tractum.*
[3] Vox, *lex*, abest a Rat. et tribus Mss.
[4] Aliquot Mss. et Cicero, *æquabile.*
[5] Editi, *cogitatio.* Ast Mss. potiores et Cicero, *agitatio.*
[6] Aliquot Mss. et Cicero, *in odium alicujus invectionis concitati comitate retinentur.*
[7] Rat. et tres Mss., *charam.*

[1] Er. et Lov. *alicujus honestatis.* At Rat. et aliquot Mss. cum Cicerone, *honesta.* Michaelinus codex, *honestate.* — Lugd. et Ven., *alicujus honestatis*, ut Er. et Lov. M.
[2] Aliquot Mss. et Ciceroniani libri, *potentiæ aut majestatis.*
[3] In Mss. quibusdam et in Ciceronianis libris, *de omni amicitia dicere existimant, reprehendere incipiant:* et infra habent, *constituatur;* loco, *statuatur.*

metus aliquid metuat, cum anima potius ipso metu metuat; aliud attendat, quod cognitu facile est, nullum metum esse nisi futuri et imminentis mali. Necesse est autem ut qui metuit, aliquid fugiat. Quisquis itaque metuere metuit, est profecto absurdissimus, qui fugiendo habet idipsum quod fugit. Nam quoniam non metuitur nisi ne aliquid mali accidat, metuere ne accidat metus, nihil aliud est nisi amplecti quod respuis. Quod si repugnans est, sicuti est, nullo prorsus modo metuit, quisquis nihil aliud amat quam non metuere. Et propterea nemo potest hoc solum amare, et non habere. Utrum autem hoc solum amandum sit, alia quæstio est. Jam quem non exanimat metus, nec cupiditas eum vastat, nec ægritudo macerat, nec ventilat gestiens et vana lætitia. Si enim cupit, quia nihil aliud est cupiditas nisi amor rerum transeuntium, metuat necesse est, ne aut amittat eas cum adeptus fuerit, aut non adipiscatur. Non autem metuit : non ergo cupit. Item si angitur animi dolore, necesse est etiam metu agitetur : quoniam quorum malorum præsentium est anxietudo, eorum est et imminentium metus. Metu autem caret : ergo et anxietudine. Item si lætetur inaniter, de iis rebus lætatur, quas potest amittere : quare metuat necesse est ne amittat. Sed nullo modo metuit : nullo modo igitur lætatur inaniter.

XXXIV. *Utrum non aliud amandum sit, quam metu carere.*

Si vitium est non metuere, non est amandum. Sed nemo beatissimus metuit, et nemo beatissimus in vitio est. Non est itaque vitium non metuere. At audacia vitium est. Non ergo quisquis non metuit, audax est; quanquam omnis qui audet, non metuat. Item cadaver omne non metuit. Quapropter cum commune sit non metuere beatissimo et audaci et cadaveri, sed beatissimus id habeat per tranquillitatem animi, audax per temeritatem, cadaver quia omni sensu caret; neque non amandum est non metuere, quoniam beati esse volumus; neque solum amandum, quoniam audaces et inanimes esse nolumus.

XXXV. *Quid amandum sit.*

1. Quoniam quidquid non vivit non metuit, neque vita carendum quisquam persuaserit, ut metu etiam carere possimus, amanda est sine metu vivere. Sed rursus quia vita metu carens, etiam, si intelligentia careat, non est appetenda; amandum est sine metu cum intellectu vivere. Idne solum amandum? an amor quoque ipse amandus est? Ita vero, quando sine hoc illa non amantur. Sed si propter alia quæ amanda sunt amor amatur, non recte amari dicitur[1]. Nihil enim aliud est amare, quam propter se ipsam rem aliquam appetere. Num igitur propter se ipsum amor appetendus est, cum quando desit quod amatur, ea sit indubitata miseria? Deinde cum amor motus quidam sit, neque ullus sit motus nisi ad aliquid, cum quærimus quid amandum sit, quid sit illud ad quod moveri oporteat, quærimus. Quare si amandus est amor, non utique omnis amandus est. Est enim et turpis, quo animus se ipso inferiora sectatur, quæ magis proprie cupiditas dicitur, omnium scilicet malorum radix. Et ideo non amandum est, quod manenti et fruenti amori[1] auferri potest. Cujus ergo rei amor amandus est, nisi ejus quæ non potest deesse dum amatur? Id autem est, quod nihil est aliud habere quam nosse[2]. Porro aurum et omne corpus non hoc est habere quod nosse : non itaque amandum est. Et quoniam potest aliquid amari, nec haberi, non solum ex his quæ amanda non sunt, ut pulchrum aliquod corpus, sed etiam eorum quæ amanda sunt, ut beata vita; et rursus potest aliquid haberi, nec amari, ut compedes : jure quæritur utrum possit quispiam id quod habere nihil est nisi nosse, non amare cum habeat, id est, noverit. Sed cum videamus nonnullos non ob aliud, verbi gratia, discere numeros, nisi ut eadem disciplina pecuniosi fiant, aut hominibus placeant; quam cum didicerint, ad eumdem finem referunt, quem sibi cum discerent, proposuerant; neque ullam disciplinam aliud sit habere quam nosse : fieri potest ut habeat quisque aliquid, quod habere, hoc sit quod nosse, neque amet tamen. Quanquam bonum quod non amatur, nemo potest perfecte habere vel nosse. Quis enim potest nosse quantum sit bonum, quo non fruitur? Non autem fruitur, si non amat : nec habet igitur quod amandum est, qui non amat, etiam si amare possit, qui non habet. Nemo igitur beatam vitam novit, et miser est : quoniam si amanda est, sicuti est, hoc est eam nosse quod habere (*a*).

2. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim, de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest : idque ipsum est quod nihil sit aliud habere quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est : et propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur; nullumque bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur. Neque ut sola mens potest cognoscere, ita et amare sola potest. Namque amor appetitus quidam est : et videmus etiam cæteris animi partibus inesse appetitum, qui si menti rationique consentiat, in tali pace et tranquillitate vacabit mente contemplari quod æternum est. Ergo etiam cæteris suis partibus amare animus debet hoc tam magnum quod mente cognoscendum est. Et quoniam id quod amatur, afficiat ex se amantem necesse est; fit ut sic amatum quod æternum est, æternitate animum afficiat. Quocirca ea demum vita beata, quæ æterna est. Quid vero æternum est, quod æternitate animum afficiat, nisi Deus? Amor autem rerum amandarum, charitas vel dilectio melius dicitur. Quare omnibus cogitationis viribus considerandum est saluberrimum illud præceptum, *Diliges Dominum*

[1] Sic Bad. et octodecim Mss. At Er. et Lov., *non recte amari dicitur*. — Lugd. et Ven., *amari*. M.

[1] Lov. et octo Mss., *amatori*.

[2] Omnino Mss. cum Eugyp., *quam sicut noscendum est nosse*. Et editi, *Nemo habet beatam vitam sicut noscenda est, nosse*. Additamentum sumptum est ex 1 Retract. cap. 26.

(*a*) I Retract. cap. 26.

Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua (*Matth.* XXII, 37); et illud quod ait Dominus Jesus, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3).

XXXVI. *De nutrienda charitate.*

1. Charitatem voco, qua [1] amantur ea quæ non sunt præ ipso amante contemnenda : id est, quod æternum est, et quod amare ipsum æternum potest. Deus igitur et animus quo amatur [2], charitas proprie dicitur purgatissima et consummata, si nihil aliud amatur (*a*) : hanc et dilectionem dici placet. Sed cum Deus magis diligitur quam animus, ut malit homo ejus esse quam suus, tunc vere animo summeque consulitur, consequenter et corpori, nobis id non curantibus aliquo appetitu satagente, sed tantum prompta et oblata sumentibus. Charitatis autem venenum est, spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas. Signum profectus ejus, imminutio timoris; signum perfectionis ejus, nullus timor : quia et *radix est omnium malorum cupiditas* (1 *Tim.* VI, 10); et, *consummata dilectio foras mittit timorem* (1 *Joan.* IV, 18). Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas, amor adipiscendi aut obtinendi temporalia. Hujus minuendæ initium est, Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Ad sapientiam enim tenditur, et nihil verius eo quod dictum est, *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I, 16). Nemo est quippe qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem : quandoquidem videmus etiam immanissimas bestias a maximis voluptatibus absterreri dolorum metu ; quod cum in earumdem consuetudinem verterit, domitæ et mansuetæ vocantur. Quapropter quoniam inest homini ratio, quæ cum servit cupiditati perversione miserabili, ut homines non timeantur, suggerit latere posse commissa, et ad tegenda occulta peccata astutissimas fallacias comparat; eo fit ut homines quos nondum delectat pulchritudo virtutis, nisi pœnis a peccando deterreantur, quæ verissime per sanctos et divinos viros prædicantur, et quod celant hominibus, Deo celari non posse consentiant, difficilius domentur quam feræ. Ut autem timeatur Deus, divina providentia regi universa persuadendum est; non tam rationibus, quas qui potest inire, potest jam et pulchritudinem sentire virtutis, quam exemplis vel recentibus, si qua occurrunt, vel de historia, et ea maxime quæ ipsa divina providentia procurante, sive in Vetere, sive in Novo Testamento excellentissimam auctoritatem religionis recepit. Simul autem agendum est et de pœnis peccatorum, et de præmiis recte factorum.

2. Jam vero cum aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit; incipiat gustari dulcedo pietatis, et commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat. Tunc jam persuadendum est fidelibus præcedentibus regenerationis Sacramentis, quæ necesse est plurimum moveant, quid intersit inter duos homines, veterem et novum, exteriorem et interiorem, terrenum et cœlestem; id est, inter eum qui bona carnalia et temporalia, et eum qui spiritualia et æterna sectatur : monendumque ne peritura beneficia et transeuntia exspectentur a Deo, quibus et improbi homines abundare possunt ; sed firma et sempiterna, pro quibus accipiendis omnia quæ in hoc mundo bona putantur et mala, penitus contemnenda sunt. Hic præstantissimum illud et unicum exemplum Dominici hominis proponendum est [1], qui cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret, et ea sprevit quæ magna bona, et ea sustinuit quæ magna mala imperiti putant : quos mores et disciplinam, ne tanto minus quisquam aggredi audeat, quanto illud magis honorat, et de pollicitationibus atque hortationibus ejus, et de imitantium multitudine Apostolorum, martyrum, sanctorumque innumerabilium, quam non sint illa desperanda ostendendum est.

3. At ubi fuerint carnalium voluptatum illecebræ superatæ, cavendum est ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam sive patientiam, aut per aliquam largitionem, aut nomine scientiæ vel eloquentiæ : in eo genere est et cupiditas honoris. Contra quæ omnia proferantur ea quæ scripta sunt de laude charitatis, et de inanitate jactantiæ; doceaturque quam sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, et nihil magnum est a malis laudari ; aut boni sunt, et eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt : virtus autem non appetit quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem; qui malos, non dignus est laude. Si autem placere hominibus ideo vis, ut eis prosis ad diligendum Deum; non jam hoc, sed aliud cupis. Qui autem placere cupit, necessarium adhuc habet timorem : primum, ne occulte peccando inter hypocritas a Domino computetur; deinde, si benefactis placere appetit, ne hanc mercedem aucupans perdat quod daturus est Deus.

4. Sed devicta ista cupiditate, cavenda superbia est. Difficile est enim ut dignetur consociari hominibus, qui eis placere jam non desiderat, et plenum se virtutibus putat. Itaque adhuc necessarius est timor, ne illud etiam quod videtur habere, auferatur ab eo (*Matth.* XXV, 29); et manibus ac pedibus ligatis mittatur in tenebras exteriores (*Id.* XXII, 13). Quapropter Dei timor non solum inchoat, sed etiam perficit sapientem. Is est autem qui summe diligit Deum, et proximum tanquam se ipsum. Quæ autem in hoc iti-

[1] Ita Mss. At editi, *Charitatem voco motum animi quo*, etc.

[2] Quidam Mss., *quo amantur.*

(*a*) I Retract. cap. 26.

[1] Eugypius in duobus Mss., *exemplum Domini proponendum est* : loco scilicet ad lib. 1 Retract. cap. 19, emendato; ubi Augustinus Christum a se aliquando dictum esse hominem Dominicum non probat.

nere pericula difficultatesque metuendæ sint, et quibus remediis uti oporteat, alia quæstio est.

XXXVII. *De semper nato.*

Melior est semper natus, quam qui semper nascitur. Quia qui semper nascitur, nondum est natus; et nunquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc nunquam filius, si nunquam natus: filius autem quia natus, est semper filius: semper igitur natus.

XXXVIII. *De conformatione animæ.*

Cum aliud sit natura, aliud disciplina, aliud usus, et hæc in una anima intelligantur nulla diversitate substantiæ: item cum aliud sit ingenium, aliud virtus, aliud tranquillitas, similiter unius ejusdemque substantiæ: et cum anima sit alterius substantiæ, quam Deus, quanquam ab illo facta; ipsa autem Deus sit sacratissima illa, et multis verbo, re paucis cognita Trinitas: diligentissime investigandum est, quod ait Dominus Jesus, *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit* (*Joan.* VI, 44); et, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Id.* XIV, 6); et, *Ipse vos in omnem veritatem inducet* (*Id.* XVI, 13).

XXXIX. *De alimentis.*

Quid est quod accipit eam rem, quam commutat? ut animal cibum. Quid est quod accipitur, et commutatur? ut idem cibus. Quid est quod accipitur, et non commutatur? ut oculis lux, et sonus auribus. Sed hæc per corpus accipit anima: quid est autem quod per se ipsam accipit, et commutat in se? ut aliam animam, quam recipiendo in amicitiam sui similem facit. Et quid est quod per se ipsam accipit, et non commutat? ut veritatem. Quare cognoscendum est et quid sit Petro dictum, *Macta et manduca* (*Act.* X, 13); et quid in Evangelio, *Et vita erat lux hominum* (*Joan.* I, 4).

XL. *Cum animarum natura una sit, unde hominum diversæ voluntates?*

Ex diversis visis diversus appetitus animarum est, ex diverso appetitu diversus adipiscendi successus, ex diverso successu diversa consuetudo, ex diversa consuetudine diversa est voluntas. Diversa autem visa ordo rerum facit occultus quidem, sed sub divina providentia certus tamen. Non itaque ob hoc putandum est diversas esse naturas animarum, quia diversæ sunt voluntates, cum etiam unius animæ voluntas pro temporum diversitate varietur. Siquidem alio tempore dives esse cupit, alio tempore, contemptis divitiis sapiens esse desiderat: et in ipso temporalium appetitu alio tempore uni homini negotiatio, et alio tempore militia placet.

XLI. *Cum omnia Deus fecerit, quare non æqualia fecerit.*

Quia non essent omnia, si essent æqualia: non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur universitas, primas et secundas, et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens creaturas; et hoc est quod dicitur, omnia.

XLII. *Quomodo Christus, et in utero matris fuerit et in cœlis.*

Quomodo verbum hominis, quod etsi multi audiunt, totum audiunt singuli.

XLIII. *Quare Filius Dei in homine apparuit, et Spiritus sanctus in columba?*

Quia ille venit, ut exemplum vivendi demonstraret hominibus; iste, ut donum ipsum, quo bene vivendo pervenitur, significaret, apparuit. Utrumque autem visibiliter factum est propter carnales, ab iis quæ oculis corporeis cernuntur, ad ea quæ mente intelliguntur, sacramentorum gradibus transferendos. Nam et verba sonant et transeunt; nec tamen ea quæ verbis significantur, cum aliquid divinum atque æternum loquendo exponitur, similiter transeunt.

XLIV. *Quare tanto post venit Dominus Jesus Christus, et non in principio peccati hominis?*

Quia omne pulchrum a summa pulchritudine est, quod Deus est: temporalis autem pulchritudo rebus decedentibus succedentibusque peragitur. Habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas ab infantia usque ad senectutem. Sicut ergo absurdus est, qui juvenilem tantum ætatem vellet esse in homine temporibus subdito; inviderct enim cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt: sic absurdus est, qui in ipso universo genere humano unam ætatem desiderat; nam et ipsum tanquam unus homo ætates suas agit. Nec oportuit venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis (*a*). Ad hoc valet quod Apostolus dicit, sub lege tanquam sub pædagogo parvulos custoditos (*Galat.* III, 23, 24), donec veniret cui servabatur, qui per Prophetas promissus erat. Aliud enim est quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tanquam publice consulit [1]. Nam et quicumque singuli ad certam sapientiam pervenerunt, nonnisi eadem veritate suarum singillatim ætatum opportunitate illustrati sunt: a qua veritate, ut populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.

XLV. *Adversus mathematicos.*

1. Non eos appellarunt mathematicos veteres, qui nunc appellantur; sed illos qui temporum numeros motu cœli ac siderum pervestigarunt, de quibus rectissime dicitur in Scripturis sanctis: *Iterum nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum; quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt* (*Sap.* XIII, 8, 9)? Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus se ipsam esse meliorem. Quæ tamen cum etiam se propter defectum profectumque in sapientia fatetur esse mutabilem, invenit supra se esse incommutabilem veritatem: atque ita adhærens post ipsam, sicut dictum est, *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9); beata efficitur, intrinsecus inveniens etiam omnium visibilium Creatorem atque Dominum; non quærens extrinsecus visibilia, quamvis cœlestia: quæ aut non inveniuntur, aut cum magno labore frustra inveniuntur, nisi ex eorum quæ foris sunt pulchritudine,

[1] Plures Mss., *temporali populo in medio Deus consulit.*

(*a*) II Retract. cap. 26.

Inveniatur artifex qui intus est, et prius in anima superiores, deinde in corpore inferiores pulchritudines operatur.

2. Adversus eos autem qui nunc appellantur mathematici, volentes actus nostros corporibus cœlestibus subdere, et nos vendere stellis, ipsumque pretium, quo vendimur, a nobis accipere, nihil verius et brevius dici potest, quam eos non respondere, nisi acceptis constellationibus. In constellationibus autem notari partes, quales [1] trecentas sexaginta dicunt habere signiferum circulum : motum autem cœli per unam horam fieri in quindecim partibus, ut tanta mora quindecim partes oriantur, quantam tenet una hora. Quæ partes singulæ sexaginta minutas habere dicuntur. Minutas autem minutarum jam in constellationibus, de quibus futura prædicere se dicunt, non inveniunt ; conceptus autem geminorum quoniam uno concubitu efficitur, attestantibus medicis, quorum disciplina multo est certior atque manifestior, tam parvo puncto temporis contingit, ut in duas minutas minutarum non tendatur. Unde ergo in geminis tanta diversitas actionum, et eventuum, et voluntatum, quos necesse est eamdem constellationem conceptionalem habere, et amborum unam constellationem dari mathematico [2], tanquam unius hominis? Si autem ad genitales [3] constellationes se tenere voluerint, ipsis geminis excluduntur, qui plerumque ita post invicem funduntur ex utero, ut hoc temporis intervallum rursus ad minutas minutarum revertatur, quas tractandas in constellationibus nunquam accipiunt, nec possunt tractare. Cum autem multa vera eos prædixisse dicatur, ideo fit, quia non tenent homines memoria falsitates erroresque eorum : sed non intenti, nisi in ea quæ illorum responsis provenerint, ea quæ non provenerint obliviscuntur : et ea commemorant, quæ non arte illa, quæ nulla est, sed quadam obscura rerum sorte contingunt. Quod si peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificiose divinare etiam mortuas membranas scriptas quaslibet, de quibus plerumque pro voluntate sors exit. Quod si non arte de codicibus exit sæpe versus futura prænuntians, quid mirum si etiam ex animo loquentis, non arte, sed sorte exit aliqua prædictio futurorum?

XLVI. *De ideis.*

1. Ideas Plato primus appellasse perhibetur (*a*) : non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectæ ; sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei incognitæ [4], quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem ; aut istas quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse : siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis gentibus sapientes : quod etiam Plato ipse non solum peregrinando sapientiæ perficiendæ gratia satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo, si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortasse eas nomine vocaverint. Sed de nomine hactenus dictum sit : rem videamus, quæ maxime consideranda atque noscenda est, in potestate constitutis vocabulis, ut quod volet quisque, appellet rem quam cognoverit.

2. Ideas igitur latine possumus vel formas vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus ; rationes enim græce [illegible] appellantur, non ideæ : sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, a re ipsa non aberrabit [1]. Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant ; secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. Anima vero negatur eas intueri posse, nisi rationalis, ea sui parte qua excellit, id est ipsa mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis et quælibet, sed quæ sancta et pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea : id est, quæ illum ipsum oculum quo videntur ista, sanum, et sincerum, et serenum, et similem his rebus quas videre intendit, habuerit. Quis autem religiosus et vera religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, imo non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem, ordinemque ipsum quo ea quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici vel credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita. Nec eadem ratione homo, qua equus : hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat : nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse ; atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato : non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent ; quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquomodo est. Sed

[1] Sic Mss. Editi vero, *partes æquales*, etc.
[2] Ita in Mss. At in excusis, *dare mathematicos*.
[3] Duo Mss., *ad nati[illegible]*.
[4] Quatuor Mss., *cognitæ*.
(*a*) Lib. 7 de Civit. Dei, cap. 28.

[1] Omnes prope Mss., *abhorrebit*.

anima rationalis inter eas res quæ sunt a Deo conditæ, omnia superat; et Deo proxima est, quando pura est; eique in quantum charitate cohæserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodam modo et illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale, quo excellit, id est per intelligentiam suam, istas rationes, quarum visione fit beatissima. Quas rationes, ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare, et multis conceditur appellare quod libet [1], sed paucissimis videre quod verum est.

XLVII. *Utrum aliquando cogitationes nostras videre possimus.*

Quæri solet quomodo post resurrectionem atque immutationem corporis, quæ sanctis promittitur, cogitationes nostras videre possimus. Conjectura itaque capienda est ex ea parte corporis nostri, quæ plus habet lucis; quoniam angelica corpora, qualia nos habituros speramus, lucidissima atque ætherea esse credendum est (*a*): si ergo multi motus animi nostri nunc agnoscuntur in oculis, probabile est quod nullus motus animi latebit, cum totum fuerit corpus æthereum, in cujus comparatione isti oculi caro sunt.

XLVIII. *De credibilibus.*

Credibilium tria sunt genera. Alia sunt quæ semper creduntur, et nunquam intelliguntur: sicut est omnis historia, temporalia et humana gesta percurrens. Alia quæ mox, ut creduntur, intelliguntur: sicut sunt omnes rationes humanæ, vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium, quæ primo creduntur, et postea intelliguntur: qualia sunt ea quæ de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde; quod fit præceptis servatis, quæ de bene vivendo accipiuntur.

XLIX. *Quare filii Israel sacrificabant visibiliter pecorum victimas?*

Quia sunt etiam sacra spiritualia, quorum imagines carnalem populum celebrare oportebat, ut præfiguratio novi populi servitute veteris fieret (*b*). Quorum duorum populorum differentiam etiam in unoquoque nostrum licet advertere, cum quisque ab utero matris veterem hominem necesse est agat, donec veniat ad juvenilem ætatem; ubi jam non est necesse carnaliter sapere, sed potest ad spiritualia voluntate converti, et intrinsecus regenerari. Quod ergo in uno homine recte educato, ordine naturæ disciplinaque contingit [2], hoc proportione in universo genere humano fieri per divinam providentiam, peragique pulcherrimum est.

L. *De æqualitate Filii.*

Deus, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit (nihil enim Deo melius), generare debuit æqualem. Si enim voluit, et non potuit, infirmus est: si potuit, et non voluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium.

LI. *De homine facto ad imaginem et similitudinem Dei.*

1. Cum exteriorem et interiorem hominem divina Scriptura commemoret, et in tantum eos discernat, ut ab Apostolo dictum sit, *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16); quæri potest utrum unus horum factus sit ad imaginem et similitudinem Dei. Nam illud stultum est quærere, si unus, quis horum? Quis enim dubitat eum potius qui renovatur, quam eum qui corrumpitur, dicere? Utrum autem ambo, magna quæstio est (*a*). Nam si exterior homo est Adam, et interior Christus, bene ambo intelliguntur. Sed cum Adam, sicut a Deo factus est, bonus non manserit, et diligendo carnalia carnalis effectus sit, non absurde videri potest, hoc ipsum ei fuisse cadere, imaginem Dei [1] et similitudinem amittere. Ac per hoc ipse renovatur, et ipse est interior: quomodo ergo est ipse et exterior? An secundum corpus; ut interior sit secundum animam, et interioris sit [2] resurrectio et renovatio, quæ nunc fit secundum mortem prioris vitæ, id est peccati, et secundum regenerationem novæ vitæ, id est justitiæ? Quos item duos homines sic appellat, ut unum veterem, quem debemus exuere, alterum novum, et eum induendum commemoret (*Coloss.* III, 9, 10): quorum rursus illum appellat imaginem terreni hominis, quia secundum peccatum primi hominis geritur, qui est Adam; alterum imaginem cœlestis hominis (I *Cor.* XV, 49), quia secundum justitiam secundi hominis geritur, qui est Jesus Christus. Exterior autem homo, qui nunc corrumpitur, futura resurrectione renovabitur, cum istam mortem persolverit, quam naturæ debet, lege illa quæ in paradiso data est [3].

2. Quomodo autem non sit incongruum, quod dicitur etiam corpus factum ad similitudinem Dei, facile intelligit qui diligenter attendit quod dictum est, *Et fecit Deus omnia bona valde* (*Gen.* I, 31). Nemo enim dubitat quod sit ipse primitus bonus. Multis enim modis dici res possunt similes Deo: aliæ secundum virtutem et sapientiam factæ, quia in ipso est virtus et sapientia non facta; aliæ in quantum solum vivunt, quia ille summe et primitus vivit; aliæ in quantum sunt, quia ille summe et primitus est. Et ideo quæ tantummodo sunt, nec tamen vivunt aut sapiunt, non perfecte, sed exigue sunt ad similitudinem ejus: quia et ipsa bona sunt in ordine suo, cum sit ille super omnia bonus, a quo omnia bona procedunt. Omnia vero quæ vivunt et non sapiunt, paulo amplius participant similitudinem. Quod enim vivit, etiam est: non autem quidquid est, etiam vivit. Jam porro quæ sapiunt, ita illi similitudine sunt proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Quod enim participat sa-

[1] Sic plerique Mss. Editi autem, *et multis conceditur appellare nominibus, sed*, etc.

[2] Fossatensis codex, *naturæ disciplinæque agit*. Alii quidam, *naturæ disciplinæque contingit*.

(*a*) I Retract. cap. 26, et lib. 22, de Civit. Dei, cap. 29.

(*b*) Lib. 10 de Civit. Dei, capp. 5, 6.

[1] Sic Mss. At editi, *hoc ipsum ei fuisse carere imagine Dei*.

[2] Er. et Lov., *interior sit*. Melius Bad. et Mss., *interioris*. — Lugd. et Ven., *interior sit*, ut Er. et Lov. — M.

[3] Hic editi addunt, *per præceptum*. Navarricus codex, *post præceptum*, quod a cæteris fere Mss. abest.

(*a*) Lib. 11 de Trinit. cap. 1.

pientiæ, et vivit et est : quod autem vivit, necesse est ut sit, non necesse est ut sapiat. Quare cum homo possit particeps esse sapientiæ secundum interiorem hominem, secundum ipsum [1] ita est ad imaginem, ut nulla natura interposita formetur; et ideo nihil sit Deo conjunctius. Et sapit enim, et vivit, et est : qua creatura nihil est melius.

3. Quod si exterior homo vita illa accipitur, qua per corpus sentimus quinque notissimis sensibus, quos cum pecoribus habemus communes : nam et ipsa molestiis sensibilibus, quæ persecutionibus ingeruntur, corrumpi potest : non immerito et iste homo particeps dicitur similitudinis Dei; non solum quia vivit, quod etiam in bestiis apparet; sed amplius quod ad mentem convertitur se regentem, quam [2] illustrat sapientia, quod in bestiis non potest ratione carentibus. Corpus quoque hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora, non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile, sed ad intuendum cœlum erectum, quod est principium visibilium; quanquam non sua, sed animæ præsentia vivere cognoscatur : tamen non modo quia est, et in quantum est, utique bonum est : sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium factum jure videri potest. Tamen quia homo sine vita non recte appellatur (*a*); non corpus solum homo exterior, neque sola vita quæ in sensu est corporis, sed utrumque simul rectius fortasse intelligitur.

4. Neque inscite distinguitur, quod aliud sit imago et similitudo Dei, qui etiam Filius dicitur; aliud ad imaginem et similitudinem Dei, sicut hominem factum accipimus (*b*). Sunt etiam qui non frustra intelligant duo dicta esse, ad imaginem et similitudinem : cum si una res esset, unum nomen sufficere potuisse asserunt. Sed ad imaginem mentem factam volunt, quæ nulla interposita substantia ab ipsa veritate formatur, qui etiam spiritus dicitur : non ille Spiritus sanctus, qui est ejusdem substantiæ, cujus et Pater et Filius, sed spiritus hominis. Nam ita hos discernit Apostolus : *Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis; et nemo scit quid agatur in Deo, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 11). Item de spiritu hominis dicit : *Salvum faciat spiritum vestrum, et animam et corpus* (I *Thess.* V, 23). Et iste enim factus est a Deo, sicut et cætera creatura. Scriptum est enim in Proverbiis hoc modo : *Scito quoniam Dominus corda hominum novit; et qui finxit spiritum omnibus, ipse scit omnia* (*Prov.* XVI, 2). Ergo iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis : hæret enim veritati nulla interposita creatura. Cætera hominis ad similitudinem facta videri volunt; quia omnis quidem imago similis est, non autem omne quod simile est, etiam imago proprie, sed forte abusive dici potest. Sed cavendum in talibus ne quid nimis asseverandum putetur, illa re sane salubriter custodita, ne quoniam corpus quodlibet per localia spatia porrectum est, aliquid tale credatur esse substantia Dei. Nam res quæ in parte minor est quam in toto, nec dignitati animæ convenit; quanto minus majestati Dei?

LII. *De eo quod dictum est*, Pœnitet me fecisse hominem (*Gen.* VI, 6, 7).

Divinæ Scripturæ a terreno et humano sensu ad divinum et cœlestem nos erigentes, usque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam utitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noster patitur, quas longissime a Deo esse sejunctas jam qui melius sapit intelligit, non dubitaverunt illi viri per quos locutus est Spiritus sanctus, opportunissime in libris ponere. Ut, verbi gratia, quoniam difficillimum est ut homo aliquid vindicet sine ira, vindictam Dei quæ omnino sine ista perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt (*a*). Item quia conjugis castitatem zelando viri custodire consueverunt, illam Dei providentiam per quam præcipitur atque agitur ne anima corrumpatur, et deos alios atque alios sequens quodam modo meretricetur, zelum Dei appellaverunt. Sic et manum Dei, vim qua operatur; et pedes Dei, vim qua in omnia custodienda [1] et gubernanda pertendit; et aures Dei vel oculos Dei, vim qua omnia percipit atque intelligit; et faciem Dei, vim qua se manifestat atque dignoscitur; et cætera in hunc modum, propterea scilicet quia nos ad quos sermo fit, et manibus solemus operari, et pedibus incedere, et quo fert animus pervenire, et auribus atque oculis cæterisque sensibus corporis corporalia percipere, et facie innotescere : et si quid aliud ad hanc tanquam regulam pertinet. Hoc modo igitur, quoniam mutare cœptum aliquod et in aliud transferre non facile solemus [2] nisi pœnitendo, quanquam divina providentia serena mente intuentibus appareat cuncta certissimo ordine administrare, accommodatissime tamen ad humilem humanam intelligentiam [3] ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt, quasi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.

LIII. *De auro et argento quod Israelitæ ab Ægyptiis acceperunt.*

1. Quisquis duorum Testamentorum dispensationes, pro temporum congruentia, generis humani diligenter ætatibus distributas intuetur, satis, quantum existimo, intelligit quid proprie priori ætati generis humani, quid posteriori conveniat. Divina enim providentia pulchre omnia moderante, ita universa generationum series ab Adam usque ad finem sæculi administratur, tanquam unius hominis a pueritia usque ad senectutem temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. Et ideo virtutum etiam gradus in mori-

[1] Editi, *secundum se ipsum*. At Mss., *secundum ipsum*; id est, hominem interiorem.
[2] Lov., *convertit se regentem, quem*, etc.; dissentientibus editis aliis et Mss.
(*a*) I Retract. cap. 26.
(*b*) Lib. 7 de Trinit., cap. 6, n. 12, et I Retract. cap. 26.

[1] Rat. et septem Mss., *constituenda*.
[2] Duo Mss., *non fere solemus*.
[3] In aliquot Mss., *ad humilem hominum intelligentiam*.
(*a*) Lib. 15 de Civit. Dei, cap. 25.

bus, donec veniatur ad summam humanæ perfectionisque virtutem, oportet eum distinguere, qui divinis lectionibus pium animum adhibet: ne forte cum invenerit aliquando per varios gradus aliquando majora majoribus imperari, reputet ex comparatione majorum[1] peccata esse illa quæ minora sunt, non arbitretur decuisse ut talia Deus hominibus imperaret. Sed nunc de virtutum gradibus aliud longum est disputare. Veruntamen quod ad præsentem quæstionem discutiendam satis est, quantum ad decipiendum attinet, summa et perfecta virtus est neminem decipere, atque illud exhibere quod dictum est, *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non* (*Matth.* v, 37). Sed quia hoc eis imperatum est, quibus jam regnum cœlorum promissum est; magna autem virtus est hæc implere majora, quibus debetur hoc præmium: *Regnum enim cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Id.* xi, 12): quærendum est quibus gradibus ad istam summitatem perfectionis atque veniatur: in quibus utique gradibus inveniuntur illi, quibus adhuc terrenum regnum promittebatur, quo promisso tanquam parvuli præluderent, et ab uno Deo[2], qui est omnium Dominus, interim terrenis gaudiis, quibus adhuc inhiabant, impetratis, inde proficientes et spiritu crescentes[3] auderent etiam sperare cœlestia. Sicut ergo summa et prope divina virtus est, neminem decipere; sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Ab hoc ultimo vitio ad illam summam virtutem tendentibus gradus est, neminem quidem vel amicum, vel ignotum, sed tamen inimicum aliquando decipere. Unde etiam illud a poeta dictum prope jam proverbii consuetudinem obtinuit:

> Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
> (*Æneid.* lib. 2 v. 390.)

Sed quoniam et ipse hostis potest plerumque injuste decipi, veluti cum pactum aliquod fit de temporali pace, quas inducias vocant, et non servatur fides, et cætera talia; multo est purgatior summæque illi virtuti propinquior, qui quamquam velit hostem decipere, non eum tamen decipit nisi auctoritate divina. Deus enim novit vel scire, vel certe longe excellentius quam homines atque sincerius, qua quisque pœna præmiove sit dignus.

2. Quapropter Deus quidem per seipsum neminem decipit; est enim Pater Veritatis, et Veritas, et Spiritus Veritatis: dignis tamen digna distribuens (quoniam hoc quoque pertinet ad justitiam et veritatem), utitur animis pro meritis et dignitatibus, quæ sunt in gradibus earum, ut si quisquam dignus est decipi, non solum per se ipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem, qui jam convenienter diligit, et custodire perstat, *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non*; neque per angelum, cui non convenit personæ fallacia; sed aut per talem hominem, qui nondum se hujusmodi cupiditatibus exuit, aut per talem angelum, qui pro suæ voluntatis perversitate vel ad vindictam peccatorum, vel ad exercitationem purgationemque eorum qui secundum Deum renascuntur, in infimis naturæ gradibus ordinatus est. Legimus enim deceptum regem (*a*) falso vaticinio pseudoprophetarum: et ita legimus, ut neque sine divino judicio factum inveniamus, quoniam dignus erat ille sic decipi; neque per eum angelum, quem deceptionis officium suscipere non deceret; sed per angelum erroris, qui sibi ultro tales partes imponi cum lætitia postulavit (III *Reg.* xxii, 6-36). Quibusdam enim Scripturarum locis apertius aliquid exponitur, quod diligens et pius lector etiam in aliis locis, in quibus minus apertum, intelligat. Deus enim noster sic ad salutem animarum divinos libros Spiritu sancto moderatus est, ut non solum manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet. Ex hac igitur ineffabili atque sublimi rerum administratione, quæ fit per divinam providentiam, quasi transcripta est naturalis lex in animam rationalem, ut in ipsa vitæ hujus conversatione moribusque terrenis homines talium distributionum imagines servent. Hinc est quod judex damnatum percutere indignum sua persona et nefarium judicat: ejus tamen jussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio, ut percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere. Nam neque per se ipsum hoc judex facit, neque per principem vel advocatum, aut aliquem in officio suo, cui tale ministerium non convenienter imponitur. Hinc est etiam quod irrationalibus animantibus utimur ad eas res quas per homines agi nefarium est. Nam utique dignus est fur morsu lacerari: id tamen homo non per se ipsum agit, aut per filium, aut per domesticum, aut etiam per famulum suum; sed per canem, quam bestiam talia facere pro naturæ suæ gradibus decet. Cum igitur quosdam pati aliquid deceat, quod alios facere non deceat; ministeria quædam sunt media, quibus digna injunguntur officia; ut eis utens ipsa justitia, non solum talia pati quæque imperet, qualia pati eum decet, sed etiam iis facientibus, quos talia facere non minus decet. Quapropter cum et Ægyptii deceptione digni essent, et populus Israel pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indigne hostem deciperet; factum est ut juberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea et argentea, quibus adhuc terreni regni[1] appetitores inhiabant, et peterent ab Ægyptiis non redditi, et acciperent quasi redditi (*Exod.* iii, 22). Quam et mercedem tam diuturni laboris atque operis pro talium animarum gradu non injustam Deus esse voluit, et pœnam illorum quos digne fecit amittere id quod reddere debuerunt. Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium et impium esse quis non intelligat? sed meritorum et personarum justissimus distributor, faciens quædam per se ipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli

[1] [illegible]
[2] [illegible]
[3] [illegible]

(*a*) scilicet Achab.
[1] Sic Bad. et Am. At Er. et Lov., *terrenæ rei*. — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

conveniunt; sicuti est illuminare animas, et se ipsum eis ad perfruendum præbendo sapientes beatasque præstare: alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens, usque ad passerum administrationem, sicut Dominus in Evangelio dicit, et usque ad feni decorem, usque ad numerum etiam capillorum nostrorum divina providentia pertendente atque veniente (*Matth.* x, 29, 30, *et Luc.* xii, 27, 28). De qua etiam dictum est: *Pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* viii, 1).

3. Quod autem per animarum ministeria suis legibus servientia Deus puniat, et digne digna supplicia retribuat, cum ipse tranquillissimus maneat, apertissime ita scriptum est: *Ipsum quoque qui puniri non debeat, condemnare, exterum æstimas*[1] *a tua virtute. Virtus enim tua justitiæ initium est; et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim tu ostendis, qui non crederis esse in virtute consummatus, sed in iis qui sciunt audaciam traducis. Tu autem Dominus virtutum, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos* (*Id.* xii, 15-18).

4. Item quod primo in terrenis rebus fit gradus ad cœlestem justitiam, quæ jam firmioribus[2] imperatur, Dominus ostendit, cum ait: *Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit vobis* (*Luc.* xvi, 12)? Et quod pro suis gradibus animæ doceantur, et ipse Dominus demonstrat dicens: *Multa habeo vobis dicere; sed nunc non potestis portare illa* (*Joan.* xvi, 12). Et Apostolus, cum ait: *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Lac vobis potum dedi, non escam; neque enim poteratis: sed neque adhuc potestis; adhuc enim estis carnales* (I *Cor.* iii, 1, 2). Quod enim in istis secundum gradus suos actum est, hoc in universo genere humano agi cognoscimus, ut alia carnali populo, alia spirituali, pro temporum congruentia juberentur. Non ergo mirum si hostem decipi dignum[3] decipere jussi sunt, qui erant adhuc digni hostem decipere. Non enim jam erant idonei quibus diceretur, *Diligite inimicos vestros*; sed tales erant quibus tantummodo dici oporteret[4], *Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum* (*Matth.* v, 44, 43). Adhuc enim ille proximus quam late intelligendus esset, non erat temporis tradere. Inchoatio ergo quædam facta est sub pædagogo, ut magistro perfectio servaretur: cum tamen idem Deus, et pædagogum parvulis dederit, legem illam scilicet per famulum suum; et magistrum grandioribus[5], id est, Evangelium per Unicum suum.

LIV. *De eo quod scriptum est,* Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* lxxii, 28).

Omne quod est, aut eodem modo semper est, aut non. Et omnis anima omni corpore melior est. Melius est enim omne quod vivificat, quam id quod vivificatur: corpus autem ab anima vivificari, non a corpore animam, nemo ambigit[1]. Quod autem corpus non est, et tamen aliquid est, aut anima est, aut ea melius aliquid. Deterius enim omni corpore nihil est: quia et si materiam quis dixerit, unde ipsum corpus fit; recte, quoniam caret omni specie, nihil dicitur. Rursus inter corpus et animam, quod melius sit corpore, deterius anima, non invenitur. Si quid enim esset medium, aut vivificaretur ab anima, aut vivificaret animam, aut neutrum: aut vivificaret corpus, aut vivificaretur a corpore, aut neutrum. At quidquid vivificatur ab anima, corpus est: si quid autem vivificat animam, melius est quam anima. Rursum quo vivificatur corpus, anima est: quod vivificatur a corpore, nihil est. Neutrum vero, id est, nullius vitæ indigens[2] nullamque vitam tribuens, aut omnino nihil est, aut aliquid et corpore et anima melius. Sed utrum quid tale sit in rerum natura, alia quæstio est. Nunc interim ratio comperit nihil inter corpus et animam esse, quod sit corpore melius, anima deterius. Quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus (*a*); cui, quisquis eum intelligit, junctus est. Quod enim intelligitur verum est, nec omne quod creditur verum est. Quidquid autem verum est, atque a sensibus et a mente sejunctum est, credi tantum, non tamen sentiri aut intelligi potest. Deo igitur junctum est quod intelligit Deum. Intelligit autem rationalis anima Deum. Nam intelligit quod semper ejusmodi est, neque ullam patitur mutationem. At et corpus per tempus et locos, et anima ipsa rationalis, quod aliquando sapiens, aliquando stulta est, mutationem patitur. Quod autem semper eodem modo est, melius profecto est quam id quod non ita est. Nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus. Cum igitur intelligit aliquid quod semper eodem modo sese habet, ipsum sine dubio intelligit. Hæc autem est ipsa veritas; cui quia intelligendo anima rationalis jungitur, et hoc bonum est animæ, recte accipitur id esse quod dictum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

LV. *De eo quod scriptum est,* Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, et adolescentulæ quarum non est numerus (*Cant.* vi, 7).

Denarius numerus potest significare universitatis scientiam. Quæ si ad interiora et intelligibilia referatur, quæ senario numero significantur, fit quasi decies sexies, quod est sexaginta: si ad terrena et corruptibilia, quæ octonario numero significari pos-

[1] Rat. et Lov., *qui puniri debeat, condemnas, et exterum existimas.* Emendatur ad Er. et ad Mss.

[2] Er. et Lov., *quæ jam infirmioribus.* Verius aliquot Mss., *quæ jam firmioribus.* At [illegible] quidam codex, *non infirmioribus imperatur.*—Lugd. et Ven., *infirmioribus.* M.

[3] Rat. et plerique Mss., *deceptione dignum.*

[4] Er. et Lov., *dici potuerat.* At Rat. et plerique Mss., *dici oporteret.*

[5] Er. et Lov., *magisterium grandioribus.* Reponimus, *magistrum,* ex Rat. et nonnullis Mss.—Lugd. et Ven., *magisterium grandioribus,* ut Er. et Lov. M.

[1] [illegible] *ab anima vivificatur, non a corpore anima. Ut igitur melior sit omni corpore anima, nemo ambigit.*

[2] Lov., *intelligens*: corrupte ac repugnantibus editis aliis et Mss.

(*a*) [illegible] Retract. cap. 25.

sunt, fiunt decies octies, quod est octoginta. Reginæ ergo, sunt animæ regnantes in intelligibilibus et spiritualibus. Concubinæ, quæ mercedem accipiunt terrenorum, de quibus dictum est, *Acceperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). Adolescentulæ quarum non est numerus, quarum non est determinata scientia, et diversis dogmatibus periclitari possunt : ut numerus, quod dictum est, significet certam et indubitatam confirmationem scientiæ.

LVI. *De annis quadraginta sex ædificati templi.*

Sex, novem, duodecim, decem et octo, hæc in unum fiunt [1] quadraginta quinque. Adde ergo ipsum unum, fiunt quadraginta sex : hoc sexies, fiunt ducenta septuaginta sex. Dicitur autem conceptio humana sic procedere et perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem et octo diebus formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum, et hinc jam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Quadraginta ergo quinque diebus addito uno, quod significat summam : quia sex et novem et duodecim et decem et octo in unum coactis, fiunt quadraginta quinque : addito ergo, ut dictum est, uno, fiunt quadraginta sex. Qui cum fuerint multiplicati per ipsum senarium numerum, qui hujus ordinationis caput tenet, fiunt ducenti septuaginta sex : id est, novem menses et sex dies, qui computantur ab octavo calendas aprilis, quo die conceptus Dominus creditur, quia eodem die etiam passus est, usque ad octavum calendas januarias, quo die natus est. Non ergo absurde quadraginta sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significabat (*Joan.* II, 20, 21) : ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione (*a*).

LVII. *De centum quinquaginta tribus piscibus.*

1. *Omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei* (I *Cor.* III, 22, 23). Si a capite numerentur, inveniuntur unum, duo, tria, quatuor. Item : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* (*Id.* XI, 3). Si eodem modo numerentur, inveniuntur similiter unum, duo, tria et quatuor. Porro unum et duo et tria et quatuor simul ducta fiunt decem. Quapropter disciplinam, quæ insinuat conditorem Deum et conditam creaturam, recte significat denarius numerus. Et cum corpus perfectum atque inexterminabile subditur animæ perfectæ atque inexterminabili, rursusque ipsa subditur Christo, et ille Deo, non tanquam dissimilis aut alterius naturæ, sed tanquam Patri Filius, hoc totum eodem numero denario recte significatur, quod post resurrectionem corporis speratur futurum in æternum. Et fortasse propterea qui conducuntur ad vineam, denarium accipiunt mercedis nomine (*Matth.* XX, 2). Sicut autem unum et duo et tria et quatuor simul decem fiunt, sic unum et duo et tria et quatuor quater ducta quadraginta fiunt.

2. Si autem quaternarius numerus recte corpus significat, propter quatuor notissimas naturas, quibus constat, siccam et humidam, frigidam et calidam ; et quod progressio a puncto ad longitudinem, a longitudine ad latitudinem, a latitudine ad altitudinem, soliditatem corporis facit, quæ rursus quaternario numero continetur : non absurde intelligitur quadragenarius numerus temporalem dispensationem significare, quæ pro salute nostra gesta est, cum Dominus corpus assumpsit, et visibiliter hominibus apparere dignatus est. Unum enim et duo et tria et quatuor, quæ significant Creatorem et creaturam, quater ducta, id est, per corpus temporaliter demonstrata, fiunt quadraginta. Nam inter quatuor et quater hoc interest, quod quatuor in statu sunt, quater in motu. Ergo ut quatuor referuntur ad corpus, ita quater ad tempus : insinuaturque sacramentum corporaliter et temporaliter gestum, propter eos qui corporum amore implicati erant, et temporibus subditi [1]. Quadragenarius ergo numerus, ut dictum est, temporalem ipsam dispensationem non incongrue significare creditur. Et fortasse hoc est quod quadraginta dies Dominus jejunavit (*Matth.* IV, 2), sæculi hujus, quod motu corporum et temporibus agitur, ostendens inopiam : et quadraginta dies post resurrectionem cum discipulis fuit, hanc ipsam illis, credo, dispensationem temporalem, quam pro salute nostra gessit, insinuans. Quadragenarius autem numerus, partibus suis, quæ illum metiuntur, computatis, usque ad quinquagenarium numerum pervenit, idipsum commendans ; quandoquidem ipsæ partes, quæ illum metiuntur, æquales inter se sunt : quia cum æquitate administrata corporalis et visibilis temporaliter actio perfectionem homini comparat. Quæ perfectio, sicut dictum est, denario numero significatur : sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus in summam redactis denarium numerum parit, quoniam ad quinquagenarium, sicut supra dictum est, pervenit. Unum enim quod habent quadraginta quadragies, et duo quod habent vicies, et quatuor quod habent decies, et quinque quod habent octies, et octo quod habent quinquies, et decem quod habent quater, et viginti quod habent bis, simul ducta fiunt quinquaginta. Nullus enim alius numerus metiri per partes æquales quadragenarium numerum potest, præter hos quos enumeravimus, et computatos ad quinquagenarium numerum perduximus. Peractis ergo Dominus quadraginta diebus post resurrectionem cum discipulis suis, id est, commendans eis quod pro nobis temporaliter gestum est, ascendit in cœlum : et post alios decem dies misit Spiritum sanctum (*Act.* I, 3, 9, *et* II, 1-4), quo perficerentur spiritualiter ad invisibilia capienda, qui visibilibus temporalibusque crediderant. Ipsis videlicet decem diebus post quos misit Spiritum sanctum, eamdem perfectionem quæ per Spiritum san-

[1] Editi, *hæc in universo fiunt.* At plerique Mss., *hæc in unum.*

(*a*) Lib. 4 de Trinit., cap. 5.

[1] Plures Mss. *et temporalibus subditi.*

ctum confertur denario numero indicans, quem quadragenarius computatis æqualibus partibus suis edit, et fit quinquagenarius : sicut temporali dispensatione cum æquitate administrata pervenitur ad perfectionem, quam denarius numerus significat, qui denarius simul cum quadragenario quinquagenarium facit. Ergo quoniam perfectio quæ fit per Spiritum sanctum, quamdiu adhuc in carne ambulamus, quamvis non vivamus carnaliter, cum ipsa dispensatione temporali copulatur, recte videtur quinquagenarius numerus ad Ecclesiam pertinere, sed jam purgatam atque perfectam, quæ temporalis dispensationis fidem atque æternitatis futuræ spem charitate amplexatur [1], id est, quasi quadragenarium numerum denario numero copulans. Hæc autem Ecclesia, ad quam pertinet quinquagenarius numerus, sive quia ex tribus generibus hominum eligitur, Judæis, et Gentibus, et carnalibus Christianis, sive quia sacramento Trinitatis imbuitur, numero quo significatur ter ducto, ad centenarium et quinquagenarium pervenit. Quinquaginta enim ter ducta fiunt centum quinquaginta. Quo cum addideris ipsa tria, quia insigne et eminens debet esse quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti lavacro regenerationis abluitur (*Matth.* XXVIII, 19), fiunt centum quinquaginta tres. Qui numerus piscium invenitur, quia in dexteram partem missa sunt retia ; et ideo magnos (*Joan.* XXI, 6, 11), id est, perfectos et regno cœlorum aptos habet. Nam illa similitudo reticuli non in dexteram missi, simul cepit bonos et malos, qui separantur in littore (*Matth.* XIII, 48). Nunc enim intra retia præceptorum et Sacramentorum Dei, in Ecclesia quæ nunc est, simul boni malique versantur. Fit [2] autem separatio in fine sæculi, tanquam in fine maris, id est, in littore ; cum regnant justi primo temporaliter, sicut in Apocalypsi scriptum est, deinde in æternum in illa civitate quæ ibi describitur (*Apoc.* XXI), ubi jam conquiescente dispensatione temporali, quæ quadragenario numero significatur, denarius remanet, quam mercedem sancti qui operantur in vinea percepturi sunt.

3. Potest etiam, si numerus iste consideretur, occurrere ad Ecclesiæ sanctitatem, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum facta est : ut quoniam septenario numero creatura constat, cum ternarius animæ et quaternarius corpori tribuitur, susceptio ipsa hominis ducatur ad tria septies. Quia et Pater misit Filium, et Pater in Filio est, et dono Spiritus sancti de virgine natus est. Et hæc sunt tria, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Septies autem, ipse homo temporali dispensatione susceptus [3], ut fieret sempiternus. Fit ergo summa numeri viginti unum, id est, tria septies. Hæc autem hominis susceptio ad liberationem valuit Ecclesiæ, cui caput est (*Ephes.* v, 23) ; ut ipsa Ecclesia, propter animam et corpus, in eodem septenario numero reparetur [4]. Ducuntur itaque viginti unum septies, propter eos qui per Dominicum hominem liberantur, et fiunt simul centum quadraginta septem. Cui additur senarius numerus, signum perfectionis, quia partibus suis, quæ illum metiuntur, constat, ita ut nihil minus nihilque amplius inveniatur. Metitur quippe illum unum, quod habet sexies, et duo, quæ habet ter, et tria, quæ bis habet ; quæ simul ducta, unum et duo et tria, sex fiunt. Quod fortasse ad illud etiam sacramentum pertinet, quod Deus sexta die perfecit omnia opera sua (*Gen.* II, 2). Ad centum ergo et quadraginta septem cum sex addideris, quod est signum perfectionis, fiunt centum quinquaginta tria : qui numerus piscium invenitur, posteaquam jussu Domini in dexteram partem missa sunt retia, ubi peccatores qui ad sinistram pertinent, non inveniuntur.

LVIII. *De Joanne Baptista.*

1. Joannes Baptista, considerata scriptura quæ de illo in Evangelio legitur, multis probabilibus documentis non absurde creditur prophetiæ gestare personam, et eo maxime quod de illo Dominus dicit, *Plus quam propheta* (*Matth.* XI, 9). Hic siquidem totius prophetiæ, quæ ab exordio generis humani usque ad adventum Domini de Domino facta est, imaginem gestat. Est autem Evangelii persona in ipso Domino, quæ per prophetiam prænuntiabatur, cujus augetur prædicatio per universum orbem terrarum ab ipso Domini adventu : prophetia autem minuitur postquam id quod prænuntiabat advenit. Itaque Dominus dicit : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem Baptistam ; abhinc regnum Dei prædicatur* (*Luc.* XVI, 16). Et Joannes ipse : *Illum*, inquit, *oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III, 30). Quod et diebus quibus nati sunt, et mortibus quibus passi sunt, figuratum est. Nascitur namque Joannes ex quo dies incipiunt minui : nascitur Dominus ex quo dies incipiunt crescere. Capite ille minuitur, dum occiditur : hic vero attollitur in cruce. Postquam ergo prophetia ipsa in Joanne constituta digito ostendit præsentem, quem venturum ab exordio generis humani cecinerat, incipit minui, atque inde crescere prædicatio regni Dei. Et ideo baptizavit Joannes in pœnitentiam (*Matth.* III, 11) : finitur enim vetus vita usque ad pœnitentiam, atque inde incipit nova.

2. Non autem tantum in iis qui proprie Prophetæ appellati sunt, sed in ipsa Veteris Testamenti historia prophetia non silere colligitur ab eis qui pie quærunt, et ad hæc investiganda divinitus adjuvantur. Maxime tamen illis evidentioribus rerum figuris apparet : quod Abel justus a fratre interficitur (*Gen.* IV, 8), et Dominus a Judæis : quod arca Noe, tanquam in diluvio sæculi Ecclesia gubernatur (*Id.* VII, 1) : quod Isaac immolandus Deo ducitur, et aries pro illo in sentibus tanquam crucifixus agnoscitur (*Id.* XXII, 3-13) : quod in duobus Abrahæ filiis, uno de ancilla, altero de libera, duo Testamenta intelliguntur (*Galat.* IV, 22-24) : quod duo populi in geminis, Esau scilicet et Jacob, præmonstrantur (*Gen.* XXV, 23) : quod Joseph a fratribus persecutionem passus, ab alienis

[1] Navarricus Ms., *spe et charitate amplexatur.*
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *Fiet.* M.
[3] Editi, *susceptus est.* Verbum, *est,* non exstat in Mss.
[4] Ita in Mss. At in excusis, *cui caput est Christus. Et ipsa Ecclesia, propter animam et corpus, in eodem septenario numero reperitur.*

honoratur (*Gen.* XXXVII-XLI), sicut Dominus Judæis persequentibus, apud Gentes clarificatus est. Longum est omnia commemorare singula, cum ita concludat Apostolus et dicat : *Hæc autem in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). Finis autem sæculorum tanquam senectus veteris hominis, cum totum genus humanum tanquam unum hominem constituens, sexta ætate agitur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in uno homine : infantia, pueritia, adolescentia, juventus, gravitas, et senectus. Prima itaque generis humani ætas est ab Adam usque ad Noe. Secunda, a Noe ad Abraham : qui articuli sunt evidentissimi et notissimi. Tertia, ab Abraham usque ad David : sic enim Matthæus evangelista partitur (*Matth.* I, 17). Quarta, a David usque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta, a transmigratione in Babyloniam usque ad adventum Domini. Sexta, ab adventu Domini usque in finem sæculi speranda est : qua exterior homo tanquam senectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur, et interior renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16). Inde requies sempiterna est, quæ significatur sabbato. Huic rei congruit quod homo sexto die factus est ad imaginem et similitudinem Dei (*Gen.* I, 27). Nemo autem ignorat hominum vitam quamdam aliquid administrantem, cognitione et actione fulciri. Nam et actio temeraria est sine cognitione, et sine actione ignava cognitio. Sed prima vita hominis, cui nulla administratio recte creditur, quinque sensibus corporis dedita est ; qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Et ideo duæ primæ ætates generis humani denis generationibus definiuntur, tanquam infantia et pueritia ; quinario scilicet geminato, quoniam generatio utroque sexu propagatur. Sunt ergo generationes decem ab Adam usque ad Noe, et inde usque ad Abraham aliæ decem ; quas duas ætates infantiam et pueritiam generis humani esse diximus. Adolescentia vero et juventus et gravitas, id est, ab Abraham usque ad David, et inde usque ad transmigrationem in Babyloniam, et inde usque ad adventum Domini, quaternis denis generationibus figurantur, septenario geminato ad eamdem generationem [1] utriusque sexus, cum senario qui est in sensibus corporis, actio et cognitio addita fuerit. Senectus autem solet etiam tantum tenere temporis, quantum reliquæ omnes ætates. Nam cum a sexagesimo anno senectus dicatur incipere, et possit humana vita usque ad centum viginti annos pervenire, manifestum est solam senectutem posse tam longam esse, quam omnes ætates cæteræ priores sunt. Ætas igitur ultima generis humani, quæ incipit a Domini adventu, usque in finem sæculi, quibus generationibus compleatur incognitum est : et hoc utiliter latere, sicut in Evangelio scriptum est (*Matth.* XXIV, 36), et Apostolus attestatur, dicens diem Domini tanquam furem in nocte esse venturum (I *Thess.* V, 2).

3. Sed tamen etiam in hac visitatione qua genus humanum humili Domini adventu, superius distinctis generationibus edocetur. Qua visitatione incœpit manifestari prophetia, quæ superioribus quinque ætatibus latuit : cujus prophetiæ personam quoniam Joannes gestabat, ut supra dictum est, ideo ex senibus parentibus nascitur, tanquam senescente sæculo prophetia illa innotescere incipiat; et quinque mensibus se occultat mater ejus, sicut scriptum est, *Occultabat se Elisabeth mensibus quinque.* Sexto autem mense visitatur a Maria matre Domini, et exsultat infans in utero, tanquam primo adventu Domini quo in humilitate [1] apparere dignatus est, prophetia manifestari incipiat : sed tanquam in utero, id est, nondum tam evidenter, ut omnes sicut in luce manifestam esse fateantur; quod futurum credimus secundo adventu Domini, quo in claritate venturus est; cujus adventus præcursor speratur Elias, sicut hujus Joannes fuit. Et ideo dicitur a Domino : *Elias jam venit, et multa ei homines fecerunt; et si vultis scire, ipse est Joannes Baptista, qui venturus est* (*Matth.* XVII, 12, *et* XI, 14). Quia in eodem spiritu et in eadem virtute, tanquam præcedentis præconis officio et hic jam venit, et ille venturus est. Propterea et istum Joannem per spiritum quo pater ejus vates impletus est, dicitur præcursorem Domini futurum esse in spiritu et virtute Eliæ. Peractis autem Maria cum Elisabeth mensibus tribus, discedit (*Luc.* I). Quo numero mihi videtur significari fides Trinitatis, et Baptisma in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quo per humilem Domini adventum genus humanum imbuitur, et futuro adventu claritatis ejus extollitur [2] (a).

LIX. *De decem virginibus.*

1. Inter parabolas a Domino dictas solet quærentes multum exercere ista, quæ de decem virginibus posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt, quæ non sunt præter fidem : sed quomodo partibus omnibus ejus conveniat expositio, id elaborandum est. Legi etiam in quadam scriptura, ex earum genere quæ apocryphæ nominantur, non quod sit [2] contra catholicam fidem; sed huic loco mihi minus congruere visa est, consideranti omnes hujus simulitudinis partes. De qua tamen expositione temere nihil audeo judicare, ne forte non ejus inconvenientia mihi angustias fecerit, sed mea tarditas in ea convenientiam non invenerit. Quid autem mihi videatur non absurde hoc loco accipi, quantum potero breviter et diligenter exponam.

2. Interrogatus igitur Dominus noster secreto a discipulis de consummatione sæculi, inter multa alia quæ locutus est, hoc quoque dixit : *Tunc simile æstimabitur regnum cælorum decem virginibus, quæ acceperunt lampades suas, et exierunt obviam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum : prudentes autem acceperunt oleum*

[1] Edit. et aliquot Mss., ad eamdem generationem.

[1] Navarrensis liber, in humilitate.

[2] Ita Er. et undecim Mss., exoritur. Alter e Vaticanis, excedit de fide. — Lugd., credatur. M.

[3] Nonnulli Mss., quod fuerit.

(a) De sex ætatibus vide lib. 1 de Genesi contra Manich., cap. 23, n. 35-41.

secum in vasis suis cum lampadibus. Tardante autem sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, surgite obviam ei. Tunc surrexerunt virgines illæ, et aptaverunt lampades suas. Et dixerunt illæ stultæ ad sapientes : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. Responderunt autem sapientes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Et dum irent emere, venit sponsus ; et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime autem veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate ergo, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV, 1-13). Decem utique virginum quod quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum et malorum discretionem significat [1]. Quapropter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisque commune est? Deinde quid sibi vult numerus in utraque parte quinarius? Quid autem significat oleum, mirum videtur. Item quod sapientes petentibus non communicant : cum et invidere fas non sit eas quæ ita perfectæ sunt, ut a sponso recipiantur, quo nomine nullo dubitante Dominus noster Jesus Christus significatur ; et misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo quod habent, præscribente illa sententia ejusdem Domini dicentis, *Omni poscenti te, tribue* (*Luc.* VI, 30). Quid est autem quod possit dando non sufficere utrisque? Hæc maxime augent quæstionis difficultatem : quanquam et cætera diligenter considerata, ut omnia in unam rationem concurrant, nihilque in unam partem dicatur quod impediat aliam, magna cautio adhibenda est.

3. Videntur itaque mihi quinque virgines significare quinquepartitam continentiam a carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate aurium, a voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ; partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur; quinque dicuntur sapientes, et quinque stultæ : utræque tamen virgines, quia utraque continentia est, quamvis diverso fomite gaudeat. Lampades autem sunt, quia manibus gestantur, opera quæ secundum continentiam istam fiunt. Dictum est autem, *Luceant opera vestra coram hominibus* (*Matth.* V, 16). Omnes vero *acceperunt lampades suas, et venerunt obviam sponso.* Intelligendum est ergo Christi nomine censeri de quibus agitur. Non enim possunt qui christiani non sunt, sponso Christo venire obviam. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum.* Multi enim quamvis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent, dum continenter vivunt [2], nisi in laudibus hominum. Non ergo habent oleum secum. Nam ipsam lætitiam oleum significare arbitror. *Propterea unxit*, inquit, *te Deus, Deus tuus oleo exsultationis* (*Psal.* XLIV, 8). Qui autem non propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum. *Prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*, id est, lætitiam bonorum operum in corde atque in conscientia posuerunt, sicut Apostolus monet : *Probet autem se homo*, inquit, *et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero* (*Galat.* VI, 4). *Tardante vero sponso dormitaverunt omnes*, quia ex utroque genere continentium hominum, sive eorum qui coram Deo exsultant, sive eorum qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc intervallo temporis, donec sub adventu Domini fiat resurrectio mortuorum. *Media autem nocte*, id est, nullo sciente aut sperante; quippe cum ipse Dominus dicat, *De die autem illa et hora nemo scit* (*Matth.* XXIV, 36) : et Apostolus, *Dies Domini tanquam fur in nocte, ita veniet* (I *Thess.* V, 2) : ex quo significatur omnino latere, cum veniet : *clamor factus est, Ecce sponsus venit, surgite obviam ei.* In ictu oculi et in novissima tuba omnes resurgemus (I *Cor.* XV, 52). *Ergo surrexerunt omnes virgines illæ, et aptaverunt lampades suas*, id est, rationes reddendas operum suorum. Oportet enim nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque quod gessit in corpore, sive bonum, sive malum (II *Cor.* V, 10). *Et dixerunt stultæ ad sapientes : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Quorum enim facta alienis laudibus fulciebantur, eadem subtracta deficiunt; et de consuetudine id semper inquirit [1], unde gaudere animus solet. Itaque hominum, qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. Sed quid responderunt sapientes? *Ne forte non sufficiat nobis et vobis.* Unusquisque enim pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quisquam adjuvatur apud Deum, cui secreta cordis apparent : et vix sibi quisque sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua. Quis enim gloriabitur mundum se habere cor (*Prov.* XX, 9)? Inde est quod Apostolus ait : *Mihi autem minimum est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque memetipsum judico* (I *Cor.* IV, 3). Quapropter cum de seipso quisque aut non omnino aut vix possit veram ferre sententiam, quomodo potest de alio judicare, cum sciat nemo quid agatur in homine, nisi spiritus hominis (*Id.* II, 11)? *Ite magis ad vendentes, et emite vobis.* Non consilium dedisse putandæ sunt, sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim oleum adulatores, qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas in errorem mittunt, et eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando, aliquam de his mercedem, sive ciborum, sive pecuniæ, sive honoris, sive alicujus commodi temporalis accipiunt, non intelligentibus [2] quod dictum est, *Qui vos felices*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic exhibent hunc locum : *Decem utique numerus virginum quarum quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum et malorum significationem significat.* M.

[2] Er. et Lov., *non vivunt.* Expungenda negatio, quæ abest a Bat. et MSS.—Lugd., *non vivunt.* Ven., *Multa enim.... non vivunt.* M.

[1] Editi, *inquirunt.* At MSS., *inquirit.* Refertur ad animum.

[2] Er. et Lov., *non intelligentes.* Melius Bat. et MSS., *non intelligentibus* [illegible], a quibus mercedem accipiunt adulatores. —Lugd. et Ven., *non intelligentes*, ut Er. et Lov. M.

dicunt, in errorem vos mittunt (*Isai.* III, 12). Melius est autem objurgari a justo, quam a peccatore laudari. *Emendabit me*, inquit, *justus in misericordia, et arguet me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL, 5). *Ite ergo magis ad vendentes, et emite vobis*; id est, videamus nunc quid vos adjuvent, qui vobis laudes vendere consueverunt, et vos in errorem inducere, ut non coram Deo, sed ab hominibus gloriam quæreretis. *Euntibus autem illis emere, venit sponsus*; id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt et solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non noverant, venit ille qui judicat: *et quæ paratæ erant*; id est, quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat, *intraverunt cum eo ad nuptias*; id est, ubi munda animo puro et perfecto sempiternoque Dei Verbo fecundanda[1] copulatur. *Et clausa est janua*, id est, receptis illis qui sunt in angelicam vitam immutati[2]. *Omnes enim*, inquit, *resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I *Cor.* XV, 51): clausus est aditus ad regnum cœlorum. Non enim post judicium patet precum aut meritorum locus. *Novissime autem veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.* Non dictum est quod emerint oleum; et ideo intelligendæ sunt, nullo jam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustiis et magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei. Sed magna est ejus severitas post judicium, cujus ante judicium ineffabilis misericordia prærogata est. Itaque respondens ait, *Amen dico vobis quod nescio vos*: ex illa scilicet regula, qua non habet ars Dei, hoc est sapientia Dei, ut intrent in gaudium ejus, qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus, visi sunt aliquid secundum præcepta ejus operari. Atque ita concludit: *Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam.* Non modo illius ultimi temporis, quo venturus est sponsus, sed suæ quisque diem dormitionis et horam nescit. Quisquis autem paratus est usque ad somnum, id est, usque ad mortem quæ omnibus debetur, paratus etiam invenietur cum illa vox media nocte sonuerit, qua omnes evigilaturi sunt.

4. Quod vero sponso dixit obviam venire virgines, sic intelligendum puto, ut ex ipsis virginibus constet ea quæ dicitur sponsa: tanquam si omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus filii ad matrem concurrere dicantur, cum ex ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater. Nunc enim desponsata est Ecclesia, et virgo est ad nuptias perducenda, id est, cum se continet a corruptione sæculari: illo autem tempore nubet, cum universa mortalitate in ea pereunte[3], immortali conjunctione fruetur[4]. *Desponsavi*, inquit, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2). *Vos*, inquit, *virginem*; a plurali ad singularem concludens. Ideo et virgines dici possunt, et virgo. Cur autem quinque dictæ sint, ut mihi videtur expositum est. Sed videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; et nunc ex parte, tunc autem ex toto (I *Cor.* XIII, 12). Ipsum autem in ænigmate et ex parte nunc in Scripturis aliquid cernere, quod tamen sit secundum catholicam fidem, ex illo pignore contingit, quod accepit virgo Ecclesia humili adventu sponsi sui, quæ illi ultimo adventu[1] cum veniet in claritate nuptura est, cum jam facie ad faciem contuebitur. Dedit enim nobis pignus Spiritum sanctum, sicut dicit Apostolus (II *Cor.* V, 5). Et ideo ista expositio nihil certum intuetur, nisi ut secundum fidem sit; neque aliis præjudicat, quæ nihilominus secundum fidem esse potuerint.

LX. De die autem illo et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius hominis, nisi Pater solus (*Matth.* XXIV, 36).

Sicut scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum* (*Deut.* XIII, 3). Non enim sic dictum est hoc, quasi nesciat Deus: sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint; quod, nisi tentationibus quæ accidunt, non plene ab hominibus agnoscitur. Et ipsum *Tentat*, pro eo positum est, quod tentari sinit. Sic et cum dicitur nescire, aut pro eo dicitur, quod non approbat; id est, in disciplina et doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est, *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12): aut pro eo quod utiliter nescientes facit, quod scire inutile est. Ideo bene accipitur, id quod dictum est, solum scire Patrem, si dictum esse quia facit Filium scire: et quod dictum est, nescire Filium, sic dictum esse quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent.

LXI. *De eo quod scriptum est in Evangelio, turbas Dominum in monte pavisse de quinque panibus.*

1. Quinque panes hordeacei, quibus in monte Dominus turbas pavit, significant veterem legem: sive quia nondum spiritualibus, sed adhuc carnalibus data est, id est, quinque corporis sensibus deditis; nam et ipsæ turbæ quinque millia hominum fuerunt (*Joan.* VI, 9-13): sive quia per Moysen lex ipsa data est; Moyses enim quinque libros scripsit. Et quod hordeacei erant panes, bene significant, vel ipsam legem, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur; hordei enim medulla tenacissima palea tegitur: vel ipsum populum nondum exspoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat, id est, nondum corde circumcisum, ita ut nec iteratione tribulationum, cum per deserta quadraginta annis duceretur, intellectu revelato carnalia integumenta deponeret, sicut nec hordeum areæ tritura illo paleæ tegmine exuitur. Itaque illi populo congruenter lex talis data est.

2. Duo autem pisces, qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas videntur significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas conciliorum moderamen acciperet; regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat (a): quarum

[1] Sic potiores Mss. Editi vero, *fecundata*.
[2] Er. et Lov., *immutandi*. At Bat. et aliquot Mss., *immutati*. Lugd. et Ven., *immutandi*. M.
[3] Mss. [illegible]
[4] [illegible]

[1] Bat. et Mss., *illo ultimo adventu*.
(a) I Retract. cap. 26.

officium erat procellis ac fluctibus populorum nunquam frangi atque corrumpi, et violentas turbarum contradictiones tanquam adversantes undas sæpe disrumpere, interdum eis custodita sua integritate cedere; prorsus more piscium tanquam in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione versari. Quæ tamen duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant. Ambas enim solus ille sustinuit, et non figurate, sed proprie solus implevit. Nam et rex noster est Dominus Jesus Christus, qui nobis pugnandi et vincendi demonstravit exemplum; in carne mortali peccata nostra suscipiens, tentationibus inimici neque illecebrosis neque terribilibus cedens: postremo exuens se carne, principatus et potestates exspolians [1] fiducialiter, et triumphans eas in semetipso (*Coloss.* II, 15). Itaque ipso duce ab oneribus et laboribus hujus peregrinationis nostræ tanquam ab Ægypto liberamur, et persequentia nos peccata sacramento Baptismatis nobis evadentibus obruuntur: et quamdiu in spe sumus ejus promissionis, quam nondum videmus, tanquam per deserta ducimur, consolante nos in sanctis Scripturis verbo Dei, sicut illos manna de cœlo; et eodem ipso duce in Jerusalem cœlestem, tanquam in terram promissionis introduci nos posse præsumimus, et in æternum ibi regente [2] ipso et custodiente servari. Ita Dominus noster Jesus Christus ostenditur rex noster. Ipse est etiam sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 4), qui se ipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit; ut illud quod Melchisedech obtulit Deo (*Gen.* XIV, 18), jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri. Ergo quoniam rex noster peccata nostra suscepit, ut nobis pugnandi et vincendi demonstraret exemplum, eorumdem peccatorum susceptionem regiamque personam Matthæus evangelista significans, generationem ejus quæ est secundum carnem ab Abraham suscipiens, qui pater est populi fidelis, et successionem prolis deorsum versus enumerans pervenit ad David, in quo regni stabilimentum manifestissimum apparet; atque inde per Salomonem, natum de illa in qua pater ejus peccaverat, stirpem regiam prosecutus usque ad generationem Domini perducit (*Matth.* I, 1-17). Lucas vero alius evangelista, quoniam et ipse generationem Domini, quæ secundum carnem est, sed in sacerdotali persona explicandam suscepit, ad quam personam pertinet mundatio et abolitio peccatorum, non a principio libri, sicut Matthæus, sed ab illo loco ubi baptizatus est Jesus, ubi peccatorum nostrorum mundationem præfiguravit, incipit parentum ejus originem gradatim prosequi; neque deorsum versus, sicut ille qui eum ad susceptionem peccatorum tanquam descendentem ostendebat, sed sursum versus, tanquam is qui eum post abolitionem peccatorum tanquam ascendentem insinuabat; nec eos parentes, quos ille nominans (*Luc.* III, 23-38). Alia enim erat origo sacerdotali, quia per matrem ex filiis David, sicut dici solet, de tribu sacerdotali matrimonium sortientium, effecerat ut Maria de utraque tribu, id est, de regia et sacerdotali cognationem duceret. Nam et quando censiti sunt Joseph et Maria, scriptum est quia fuerint de domo, id est de genere David (*Id.* II, 4). Et Elisabeth, quæ nihilominus cognata Mariæ scribitur, erat de tribu sacerdotali (*Id.* I, 36, 5). Sicut autem Matthæus, qui tanquam descendentem ad suscipienda peccata nostra regem Christum insinuat, per Salomonem a David descendit, quia Salomon de illa in qua David peccaverat, natus est; ita Lucas, qui tanquam ascendentem post abolitionem peccatorum sacerdotem Christum insinuat, per Nathan ascendit ad David; quia Nathan propheta missus fuerat, cujus correptione David ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetravit (II *Reg.* XII, 1, 13) (a). Itaque posteaquam transiit Lucas per nomen David, non dissonat a Matthæo in nominibus generationum. Nam eos [1] nominat ascendens a David usque ad Abraham, quos ille descendens ab Abraham usque ad David. A David enim in duas familias, regiam et sacerdotalem, origo illa distributa est, quarum duarum familiarum, sicut dictum est, regiam descendens Matthæus, sacerdotalem ascendens Lucas secutus est: ut Dominus noster Jesus Christus rex et sacerdos noster, et cognationem duceret de stirpe sacerdotali, et non esset tamen de tribu sacerdotali, hoc est, de tribu Levi; sed esset de tribu Juda, hoc est, de tribu David, ex qua tribu nemo intendit altari. Ideo et filius David maxime dicitur secundum carnem, quia et Lucas ascendens, et Matthæus descendens, in David sibi obviam facti sunt. Oportebat enim ut evacuaturus sacrificia, quæ secundum ordinem Aaron in levitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Levi, ne ad ipsam tribum, et ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: et holocausti ejus imaginem [2] ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, ut esset sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech (*Hebr.* VI, 20). Cujus rei sacramentum diligentius adhuc considerari potest. Sed propter duos pisces, in quibus duas personas, regiam et sacerdotalem figuratas esse diximus, hactenus hinc tractatum esse sufficiat.

3. Quod autem super fenum turba illa discubuit, significat eos qui Testamentum Vetus acceperant; quia regnum eis temporale et Jerusalem temporalis promittebatur, in spe carnali collocatos fuisse. *Omnis enim caro fenum, et claritas hominis ut flos feni* (*Isai.* XL, 6). Quod autem de reliquiis fragmentorum duodecim cophini buccellarum repleti sunt, significat

[1] Plures Mss., *exemplans.*
[2] Sic Mss. Editi autem, *regnante.*

[1] In plerisque Mss., *generationum. Nam eas,* etc.
[2] Tres Mss. Regius, Navarricus et Michaelinus, *magnitudinem et imaginem.* Quanquam ibi Michaelinus caret copulativa particula, *et.*
(a) I Retract. cap. 26.

de ipsius Legis adapertione et disputatione, quam Judæi relinquerant et deseruerant. Et erant illis cum discipulis Domini, in quibus duodenarius numerus principatum tenet. Nondum enim erat scriptura Novi Testamenti, quando Dominus, quasi frangendo et aperiendo quod durum et clausum erat in Lege, discipulos implevit, cum eis post resurrectionem aperuit Scripturas veteres, incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretans illis in omnibus quæ scripta erant de ipso. Nam et tunc eum duo illorum in panis fractione cognoverunt (*Luc.* xxiv, 27-31).

4. Et ideo secunda pastio populi, quæ de septem panibus facta est, ad Novi Testamenti prædicationem recte intelligitur pertinere. Non enim ab aliquo evangelista dictum est quod isti panes hordeacei fuerint, sicut de illis quinque dixit Joannes. Hæc ergo pastio de panibus septem ad gratiam pertinet Ecclesiæ, quæ notissima illa septenaria sancti Spiritus operatione refecta[1] cognoscitur. Et ideo non hic duo pisces fuisse scribuntur, sicut in veteri lege, ubi duo soli ungebantur, rex et sacerdos; sed pauci pisces, id est, qui primi Domino Jesu Christo crediderunt, et in ejus nomine uncti sunt, et missi ad prædicandum Evangelium, et ad sustinendum turbulentum mare hujus sæculi, ut pro ipso magno pisce, id est, pro Christo legatione fungerentur, sicut Paulus apostolus dicit (II *Cor.* v, 20). Neque et ipsa turba quinque millia hominum fuerunt, sicut illic, ubi carnales legem accipientes, id est, quinque sensibus carnis dediti significantur; sed quatuor millia potius, quo numero significantur spirituales, propter quatuor animi virtutes, quibus in hac vita spiritualiter vivitur, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum; secunda, refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant: tertia, firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt; quarta, quæ per cæteras omnes diffunditur, dilectio Dei et proximi.

5. Sane et ibi quinque millia hominum, et hic quatuor millia exceptis mulieribus et pueris fuisse memorantur (*Matth.* xv, 38). Quod mihi videtur ad hoc pertinere, ut intelligamus et in populo Veteris Testamenti fuisse quosdam infirmos ad implendam justitiam quæ secundum legem est, in qua justitia apostolus Paulus sine querela se conversatum esse dicit (*Philipp.* iii, 6); fuisse item alios qui facile seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est, infirmitatis et erroris, mulierum et puerorum nominibus figurata sunt. Infirmus est enim muliebris sexus ad actionem, et puerilis ad lusum paratus. Quid autem lusui puerili tam consonat, quam idola colere; quando et Apostolus ad hoc genus refert hujus superstitionis, cum ait, *Neque idololatræ efficiamini, quemadmodum quidam eorum, sicut scriptum est, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (I *Cor.* x, 7)? Mulieribus autem similes erant, qui in Domini expectatione, non usque ad promissam terram pervenirent, non viriliter perseverantes tentaverunt Deum: pueris autem, qui sederunt manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Non solum autem ibi, sed etiam in populo Novi Testamenti qui non perdurant occurrere in virum perfectum (*Ephes.* iv, 13), vel infirmitate virium, vel mentis levitate, mulieribus et pueris comparandi sunt. Nam illis dicitur, *Si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus* (*Hebr.* iii, 14); illis autem, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia infantes estote, ut sensibus perfecti sitis* (I *Cor.* xiv, 20). Et ideo neque in Vetere, neque in Novo Testamento tales admittuntur ad numerum; sed sive ibi quinque millia, sive hic quatuor millia, exceptis mulieribus et pueris fuisse dicuntur (*Matth.* xiv, 21, et xv, 38).

6. Quamvis vero et illic et hic propter ipsum Christum, qui assidue in Scripturis mons appellatur, ut congruenter in monte uterque populus pasceretur; hic tamen non in feno discumbitur, sed in terra. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines et Jerusalem terrenam carnali spe et desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali, convivas Novi Testamenti, spei permanentis firmamentum, tanquam ipsius montis soliditas, nullo feno interposito continebat.

7. Et quoniam rectissime dicit Apostolus, *Prius autem quam veniret fides, sub Lege custodiebamur* (*Galat.* iii, 23); hoc significare videtur et Dominus, cum dicit de his quos quinque panibus pasturus erat, *Non opus habent ire; sed date illis vos manducare* (*Matth.* xiv, 16). Sub his autem verbis figuraliter tanquam custodiendi[1] detinentur, cum hoc admonuissent discipuli, ut dimitteret eos. Hujus vero turbæ, quæ ad septem panes pertinet, ultro se misereri dixit, quod jam tertius dies esset, ex quo ei jejuni hæsissent. In toto enim sæculo generis humani tertium tempus est, quo fidei christianæ gratia data est. Primum est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub Gratia. Et quoniam quartum adhuc restat, quo ad plenissimam pacem Jerusalem cœlestis venturi sumus, quo tendit quisquis recte credit in Christum; propterea se dicit turbam illam reficere Dominus, ne deficiant in via. Ista enim dispensatio[2], qua nobis Dominus temporaliter et visibiliter in homine apparere dignatus est, et dedit nobis pignus Spiritum sanctum, cujus operatione septenaria vegetaremur, apostolica auctoritate quasi paucorum piscium sapore condita: hæc ergo dispensatio quid aliud agit, nisi ut ad palmam supernæ vocationis sine defectu virium perveniri possit? *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (II *Cor.* v, 6, 7). Et ipse apostolus Paulus nondum se dicit comprehendisse regnum Dei, *Sed unum, quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor*, inquit, *ad palmam supernæ vocationis. Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus* (*Philipp.* iii, 13-16); quia ter-

[1] Verbum, *refecta*, restitutum hic est ex aliquot Mss.

[1] Sic plerique Mss. At editi, *tanquam custodiendi*.
[2] [illegible] *ista enim dispensatio*. — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

tio die Domino adhærentes et ab illo pasti, non deficiemus in via.

8. Etiam hic sane perveniri ad comedendi finem non potuit, sed relictæ sunt escæ. Non enim frustra de futuro dictum est, *Putasne, veniens Filius hominis inveniet*[1] *fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Et credo ita futurum, propter mulieres et pueros. Sed tamen septem sportas reliquiæ fragmentorum impleverunt, ad quas Ecclesia septiformis, quæ in Apocalypsi etiam describitur (*Apoc.* I, 4), pertinet, id est, omnis qui perseveraverit usque in finem. Ille enim qui dixit, *Putasne, veniens Filius hominis inveniet fidem super terram?* significavit quidem in extremo convivii[2] relinqui posse et deseri escas suas : sed quoniam ipse item dixit, *Qui perseveraverit usque in finem*[3], *hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13); significavit non defuturam Ecclesiam, quæ septenario numero eosdem septem panes abundantius recipiat, et latitudine cordis[4], quæ ipsam perseverantiam in sportis videtur significare, contineat.

LXII. *De eo quod scriptum est in Evangelio*, Quia baptizabat Jesus plures quam Joannes; quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus (*Joan.* IV, 1, 2).

Quæritur utrum qui baptizati sunt illo tempore quo scriptum est Dominum per discipulos suos baptizasse plures quam Joannes, acceperint Spiritum sanctum. Alio enim loco Evangelii sic dicitur : *Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Id.*, VII, 39). Et facillime quidem ita respondetur, quod Dominus Jesus, qui etiam mortuos suscitabat, poterat neminem illorum mori sinere, donec post ejus clarificationem, id est, resurrectionem a mortuis et ascensionem in cœlum, acciperent Spiritum sanctum. Sed occurrit animo latro ille cui dictum est, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso;* qui nec ipsum Baptismum acceperat (*a*). Quanquam Cornelius, et qui cum eo ex Gentibus crediderant, Spiritum sanctum etiam priusquam baptizarentur acceperint (*Act.* X, 44, 47) : non tamen video quomodo et ille latro sine Spiritu sancto dicere potuerit, *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 43, 42). *Nemo* enim *dicit, Dominus Jesus*, ait Apostolus, *nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). Cujus fidei fructum ipse Dominus monstravit dicens, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei[5] atque justitia deputatum est etiam Baptisma credenti latroni, et pro accepto habitum in animo libero, quod in corpore crucifixo accipi non poterat[6] sic etiam Spiritus sanctus latenter dabatur ante Domini clarificationem; post manifestationem autem divinitatis ejus manifestius datus est. Et hoc dictum est, *Spiritus autem nondum erat datus*, id est, nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse faterentur. Sicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, sed tamen clarificatio ejus æterna nunquam esse desivit. Sicut et adventus ejus ea ipsa dicitur demonstratio in carne mortali. Nam illuc venit, ubi erat; quia *in sua propria venit*, et, *in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I, 11, 10). Sicut ergo Domini adventus intelligitur demonstratio corporalis, tamen ante hanc demonstrationem ipse in omnibus Prophetis sanctis tanquam Dei Verbum et Dei Sapientia locutus est : sic et adventus Spiritus sancti demonstratio Spiritus sancti est ipsis etiam oculis carneis, quando visus est ignis divisus super eos, et cœperunt loqui linguis (*Act.* II, 3, 4). Nam si non erat in hominibus Spiritus sanctus ante Domini visibilem clarificationem, quomodo dicere potuit David, *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L, 13)? Aut quomodo impleta est Elisabeth et Zacharias vir ejus ut prophetarent, et Anna, et Simeon, de quibus omnibus scriptum est quod impleti Spiritu sancto, illa quæ in Evangelio legimus dixerint (*Luc.* I, 41-45, 60-79, et II, 25-38)? Ut autem quædam latenter, quædam vero per creaturam visibilem visibiliter Deus operetur, pertinet ad gubernationem providentiæ, qua omnes divinæ actiones locorum temporumque ordine[1] ac distinctione pulcherrima peraguntur, cum ipsa divinitas nec teneatur nec migret locis, nec tendatur varieturve temporibus. Quomodo autem ipse Dominus secum habebat utique Spiritum sanctum in ipso homine quem gerebat, quando ut baptizaretur venit ad Joannem, et tamen posteaquam baptizatus est, descendere in eum Spiritus sanctus visus est in columbæ specie (*Matth.* III, 13-16) : sic intelligendum est et ante manifestum et visibilem adventum Spiritus sancti quoscumque homines sanctos eum latenter habere potuisse. Ita sane hoc diximus, ut intelligamus etiam ista ipsa visibili demonstratione Spiritus sancti, qui adventus ejus dicitur, ineffabili modo largius in hominum corda vel etiam incogitabili plenitudinem ejus infusam.

LXIII. *De Verbo.*

In principio erat Verbum (*Joan.* I, 1). Quod græce λόγος dicitur, latine et rationem et verbum significat. Sed hoc loco melius verbum interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operativa potentia. Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, recte ratio dicitur.

LXIV. *De muliere Samaritana.*

1. Evangelica sacramenta in Domini nostri Jesu Christi dictis factisque signata non omnibus patent, et ea nonnulli minus diligenter minusque sobrie interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, et pro cognitione veritatis errorem : inter quæ illud est sacramentum, quod scriptum est, Dominum

[1] Rat. ac plures Mss., *Putasne veniet Filius hominis et inveniet*. Sic rursum infra.
[2] Editi, *convivio*. At Mss. plerique, *convivii*.
[3] Plerique Mss., *Beatus qui perseveraverit usque in finem.*
[4] Editi, *latitudinem cordis*. Concinnius Mss., *latitudine cordis*. Sed ex his plures sic prosequuntur : *quæ ipsa perseverantia in sportis videtur significari, contineat.*
[5] In aliquot Mss. omittitur, *Dei*.
[6] Septem Mss., *non potest*.
(*a*) I Retract. cap. 26.

[1] Editi, *ordines* : pro quo Vaticani codicis auctoritate reponimus, *ordine*.

hora diei sexta venisse ad puteum Jesum, eumque ab itinere fatigatum sedisse, et a muliere Samaritana potum petisse, et cætera quæ in eodem Scripturarum loco discutienda et pertractanda dicuntur. De qua re id primum tenendum est, quod in omnibus Scripturis summa vigilantia custodiri oportet, ut secundum fidem sit sacramenti divini expositio.

2. Hora igitur diei sexta venit ad puteum Dominus noster. Video in puteo tenebrosam profunditatem. Admoneor ergo intelligere mundi hujus infimas partes, id est, terrenas, quo venit Dominus Jesus hora sexta, id est, sexta ætate generis humani, tanquam in senectute veteris hominis, quo jubemur exui, ut induamur novo, qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV, 22-24). Nam sexta ætas senectus est; quoniam prima, infantia; secunda, pueritia; tertia, adolescentia; quarta, juventus; quinta, gravitas. Veteris itaque hominis vita, quæ secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta ætate senectute[1] concluditur. Qua senectute, ut dixi, humani generis Dominus noster et creator nobis et reparator advenit; ut moriente scilicet vetere homine, novum in se constitueret, quem exutum labe terrena in cœlestia regna transferret. Ergo nunc puteus, ut dictum est, mundi hujus terrenum laborem et errorem tenebrosa profunditate significat[2]. Et quoniam exterior est homo vetus, et novus interior; dictum est enim ab Apostolo, *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem*: rectissime omnino (quoniam omnia visibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus christiana disciplina renuntiatur) hora sexta venit Dominus ad puteum, id est, medio die, unde jam incipit sol iste visibilis declinare in occasum: quoniam et nobis vocatis a Christo visibilium delectatio minuitur, ut invisibilium amore homo interior[3] recreatus, ad interiorem lucem quæ nunquam occidit, revertatur, secundum apostolicam disciplinam, non quærens *quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* (II *Cor.* IV, 16, 18).

3. Quod autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatem carnis significat; quod sedit, humilitatem: quia et imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo hominibus tam humiliter apparere dignatus est. De hac infirmitate carnis propheta dicit: *Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem* (*Isai.* LIII, 3). De humilitate vero Apostolus loquitur dicens: *Humiliavit se, factus subditus usque ad mortem* (*Philipp.* II, 8). Quanquam illud quod sedit, quoniam solent sedere doctores, possit alio intellectu non humilitatis modestiam, sed magistri demonstrare personam.

4. Sed quæri potest quare a muliere Samaritana, quæ hydriam aqua replendi gratia venerat[4], bibere postulaverit, cum ipse postea spiritualis fontis affluentiam se petentibus dare posse prædicaverit? Sed scilicet sitiebat Dominus mulieris illius fidem, quæ quoniam Samaritana erat, et solet Samaria idololatriæ imaginem sustinere: ipsi enim separati a populo Judæorum, simulacris mutorum animalium, id est, vaccis aureis animarum suarum decus addixerant: venerat autem Dominus noster Jesus, ut gentium multitudinem, quæ simulacris serviebat; ad munimentum[1] fidei christianæ et incorruptæ religionis adduceret. *Non est enim*, inquit, *opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12). Eorum ergo fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit. Dixit ergo ad eam Jesus: *Mulier, da mihi bibere.* Et ut noveris quid sitiebat Dominus noster, post paululum veniunt discipuli ejus, qui perrexerant in civitatem ut cibos emerent, et dicunt ei: *Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego habeo escam manducare, quam vos nescitis. Dicunt ergo discipuli ejus ad alterutrum: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dixit eis Jesus: Cibus meus est ut faciam ejus voluntatem qui me misit, et ut perficiam opus ejus.* Numquid hic intelligitur alia voluntas Patris, qui eum misit, et opus ejus quod se perficere velle respondit, nisi ut nos ad fidem suam a pernicioso mundi errore converteret? Qualis est ergo cibus ejus, talis et potus. Quapropter hoc in illa muliere sitiebat, ut faceret in ea voluntatem Patris, et perficeret opus ejus. Sed carnaliter intelligens respondit: *Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere petis, cum sim mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Cui Dominus noster dixit: *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu magis petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*: ut hinc ei ostenderet, non se talem aquam petisse, qualem ipsa intellexerat; sed quia ipse sitiebat fidem ejus, eidemque sitienti Spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, sicut ipse ait, *Si scires donum Dei.* Et sicut idem Joannes evangelista testatur alio loco dicens: quod *stabat Jesus, et clamabat, Si quis sitit, veniat et bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Consequenter omnino, *Qui credit*, inquit, *in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: quia prius credimus, ut hæc dona mereamur. Hæc ergo flumina aquæ vivæ quæ illi mulieri volebat dare, merces est fidei quam prius in illa sitiebat. Cujus aquæ vivæ interpretationem ita subjicit: *Hoc autem*, inquit, *dicebat de Spiritu quem accepturi erant hi qui in eum credituri erant. Nondum autem erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat clarificatus* (*Joan.* VII, 37-39). Hoc itaque donum Spiritus sancti est, quod post suam clarificationem dedit Ecclesiæ, sicut alia Scriptura dicit: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII, 19, *Ephes.* IV, 8).

5. Sed adhuc illa mulier carnaliter sapit; sic enim respondit: *Domine, neque haustorium habes, et pu-*

[1] Sic Mss. At editi, *ætate senectutis.*
[2] Editi, *profunditate et obscuritate significat.* Abest, *et obscuritate*, a Mss.
[3] Er. et Lov., *exterior*: repugnantibus Mss. et Lat. — Lugd. et Ven., ut Er. et Lov.
[4] Aliquot Mss., *quæ aquæ hauriendæ gratia venerat.*

[1] Mss. aliquot, *ad monumentum.* Et quidam, *ad monimentum.*

teus altus est; unde mihi habes dare aquam vivam? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis hunc puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus? Nunc vero jam Dominus exponit quid dixerit. *Omnis*, inquit, *qui biberit de aqua ista, sitiet iterum : qui autem biberit de aqua quam ego dedero, non sitiet in sempiternum; sed aqua illa quam dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sed adhuc mulier prudentiam carnis amplectitur. Quid enim respondit? *Domine, da mihi hanc aquam, ut neque sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Cum sciret eam virum non habere, cur hoc dixerit, quæritur. Namque cum mulier dixisset, *Non habeo virum;* dicit ei Jesus, *Bene dixisti non habere te virum : quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir; hoc verum dixisti.* Sed non sunt hæc carnaliter accipienda, ne huic ipsi adhuc mulieri Samaritanæ similes esse videamur. Sed de illo dono Dei si aliquid jam gustavimus, spiritualiter ista tractemus.

6. Quinque viros, quinque libros qui per Moysen ministrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum est, *Et nunc quem habes, non est tuus vir;* de se ipso Dominum dixisse intelligunt, ut iste sit sensus : Primo quinque libris Moysi, quasi quinque viris servisti; nunc autem quem habes, id est, quem audis, qui loquitur tecum, non est tuus vir [1], quia nondum in eum credidisti. Sed quoniam nondum credens Christo, adhuc utique illorum quinque virorum, id est quinque librorum copulatione tenebatur, potest movere quomodo dici potuerit, *Quinque viros habuisti*, quasi nunc eos jam non haberet, cum adhuc utique ipsis subdita viveret. Deinde cum quinque libri Moysi nihil aliud quam Christum prædicent, sicut ipse ait, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; ille enim de me scripsit* (*Joan.* V, 46); quomodo potest intelligi a quinque illis libris recedere hominem, ut ad Christum transeat, cum ille qui credit in Christum, non relinquendos quinque illos libros, sed spiritualiter intelligendos, multo avidius amplectatur?

7. Est ergo alius intellectus, ut quinque viri intelligantur quinque corporis sensus : unus qui ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem et quoslibet colores formasque corporum cernimus; alter aurium, quo vocum et omnium sonorum momenta sentimus; tertius narium, quo varia odorum suavitate delectamur; quartus in ore gustus, qui dulcia et amara sentit, et omnium saporum habet examen; quintus per totum corpus tangendo dijudicat calida et frigida, mollia et dura, levia et aspera, et quidquid aliud est quod tangendo sentimus. Istis itaque carnalibus quinque sensibus prima hominis ætas imbuitur necessitate naturæ mortalis qua ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddita luce mentis, carnalibus sensibus subditi, carnalem vitam sine ulla veritatis intelligentia transeamus. Tales necesse est esse infantes et parvulos pueros, qui nondum possunt accipere rationem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam ætatem regunt, et Deo artifice nobis tributi sunt, recte dicuntur viri, id est mariti, tanquam legitimi, quoniam non eos error vitio proprio, sed Dei artificio natura contribuit. Cum autem quisque venerit ad eam ætatem, ut jam possit capax esse rationis, si veritatem statim comprehendere potuerit, non jam illis sensibus rectoribus utetur; sed habebit virum, spiritum rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat, servituti subjiciens corpus suum, cum anima non jam quinque viris, id est quinque corporis sensibus subdita est, sed Verbum divinum habet legitimum virum, cui copulata et inhærens, cum et ipse spiritus hominis hæserit Christo, quia caput viri Christus est (I *Cor.* XI, 3), amplexu spirituali æterna vita sine ullo separationis timore perfruitur. Quis nos enim separare poterit a charitate Christi (*Rom.* VIII, 35)? Sed quoniam illa mulier errore tenebatur qui [1] significabat multitudinem sæculi vanis superstitionibus subjugati, post tempora illa quinque carnalium sensuum, quibus prima ætas, ut diximus, regitur, non eam Verbum Dei acceperat in conjugium [2], sed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam esse carnalem, id est, carnaliter sapere : *Vade, voca virum tuum, et veni huc;* id est, remove te ab affectione carnali, in qua nunc constituta es, unde non potes intelligere quæ loquor : *et voca virum tuum,* id est, spiritu intelligentiæ [3] præsens esto. Est enim animæ quasi maritus quodam modo spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam conjugem regit. Non ille Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio incommutabilis manet, et dignis animis incommutabiliter datur : sed spiritus hominis, de quo Apostolus dicit, *Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis.* Nam ille Spiritus sanctus, Spiritus Dei est; de quo iterum dicit sic : *Et quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 11). Hic ergo spiritus hominis cum præsens est, id est, intentus, et se pietate subjicit Deo, intelligit homo quæ spiritualiter dicuntur. Cum autem diaboli error, tanquam absente intellectu, in anima dominatur, adulter est. *Voca* ergo, inquit, *virum tuum*, id est, spiritum qui in te est, quo potest homo intelligere spiritualia, si eum lux veritatis illustret; ipse adsit, cum loquor tibi, ut spiritualem possis accipere aquam. Et cum illa diceret, *Non habeo virum; Bene*, inquit, *dixisti : quinque enim viros habuisti*, id est quinque sensus carnis, qui te in prima ætate rexerunt; *et nunc quem habes, non est tuus vir*, quia non est in te spiritus, qui intelligit Deum, cum quo legitimum possis habere connubium; sed error diaboli potius dominatur, qui te adulterina contaminatione corrumpit.

[1] Rat. et plures Mss. *quem audis, non est tuus vir*, omisso, *qui loquor tecum.*

[1] Rat. et plerique Mss., *quæ*. Tumque ex his codex Vaticanus, *significat multitudinem pravorum sæculi.* Navarricus, *multitudinem puerorum.*

[2] Er. et Lov., *in conjugem.* At Rat. et Mss., *in conjugium.* — Lugd. et Ven., *in conjugem.* M.

[3] Aliquot Mss., *intelligente.*

8. Et fortasse ut intelligentibus indicaret, quinque memoratos corporis sensus quinque virorum nomine significasse, post quinque responsiones carnales ista mulier sexta responsione nominat Christum. Nam prima ejus responsio est, *Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere petis?* Secunda, *Domine, neque hauritorium habes, et puteus altus est.* Tertia, *Domine, da mihi hanc aquam, ut neque sitiam, neque veniam huc haurire.* Quarta, *Non habeo virum.* Quinta, *Video quia propheta es: patres nostri in monte hoc adoraverunt.* Nam et ista responsio carnalis est. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus, ubi orarent: spirituales autem in spiritu et veritate oraturos Dominus dixit. Quod posteaquam locutus est, sexta mulieris responsio Christum fatetur omnium istorum esse doctorem: dicit enim, *Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus: cum venerit, ipse nobis annuntiabit omnia.* Sed adhuc errat, quia eum quem venturum sperat, venisse non videt. Verumtamen misericordia[1] Domini nunc error iste tanquam adulter expellitur. Dicit enim ei Jesus: *Ego sum qui tecum loquor.* Quo audito illa non respondit, sed statim relicta hydria sua abiit in civitatem festinans, ut Evangelium et Domini adventum, non tantum crederet, sed etiam prædicaret. Nec hoc quod relicta hydria discessit, negligenter prætereundum est. Hydria enim fortasse amorem sæculi hujus significat, id est, cupiditatem, qua sibi homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est, de terrena conversatione hauriunt voluptatem: qua percepta iterum in ejus appetitum inardescant, sicut *de aqua illa qui biberit,* inquit, *sitiet iterum* (*Joan.* IV, 5-34). Oportebat autem ut Christo credens, sæculo renuntiaret, et relicta hydria cupiditatem sæcularem se reliquisse monstraret; non solum corde credens ad justitiam, sed etiam ad salutem ore confessura et prædicatura quod credidit (*Rom.* X, 10).

LXV. *De resurrectione Lazari.*

Quanquam secundum evangelicam historiam resuscitatum Lazarum plena fide teneamus; tamen et in allegoria significare aliquid non dubito. Neque cum res factæ allegorizantur, gestæ rei fidem amittunt. Sicut duorum filiorum Abrahæ allegoriam Paulus exponit duo esse Testamenta (*Galat.* IV, 22-24); numquid ideo, aut Abraham non fuit, aut illos filios non habuit? Ergo et in allegoria accipiamus Lazarum in monumento, animam terrenis peccatis obrutam, id est, omne humanum genus: quam alio loco Dominus per ovem perditam significat, propter quam liberandam relictis nonaginta novem in montibus, descendisse se dicit (*Luc.* XV, 4). Quod autem interrogat dicens, *Ubi eum posuistis?* vocationem nostram quæ fit in occulto, arbitror significare. Prædestinatio enim vocationis nostræ occulta est: cujus secreti signum est interrogatio Domini quasi nescientis, cum ipsi nesciamus, sicut dicit Apostolus, *Ut cognoscam ego, sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII, 12). Vel quod ignorare se peccatores alio loco Dominus ostendit dicens, *Non novi vos* (*Matth.* VII, 23): quod significabat Lazarus sepultus; quia in disciplina et præceptis ejus non sunt peccata. Huic interrogationi simile est illud in Genesi, *Adam ubi es* (*Gen.* III, 9)? Quoniam peccaverat, et se absconderat a facie Dei. Quam occultationem hic sepultura significat: ut peccantis habeat similitudinem moriens; sepultus, absconditi a facie Dei. *Auferte* autem *lapidem*, quod ait, illos puto significare, qui venientibus ad Ecclesiam ex Gentibus onus circumcisionis imponere volebant; contra quos multipliciter scribit Apostolus (*Galat.* II): vel eos qui in Ecclesia corrupte vivunt, et offensioni sunt credere volentibus. Dicit illi Martha: *Domine, jam quarta dies est, et putet.* Ultimum quatuor elementorum terra est: significat ergo putorem terrenorum peccatorum, id est cupiditatum carnalium. *Terra es*, inquit Adæ Dominus, cum peccasset, *et in terram ibis* (*Id.* III, 19). Et sublato lapide exiit de monumento involutus manibus et pedibus, et facies ejus tecta erat sudario. Quod autem exiit de monumento, animam significat recedentem a carnalibus vitiis. Quod vero institis obvolutus, hoc est, quod etiam a carnalibus recedentes et mente servientes legi Dei, adhuc tamen in corpore constituti alieni a molestiis carnis esse non possumus, dicente Apostolo, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25). Quod autem facies ejus sudario tecta erat, hoc est, quod in hac vita plenam cognitionem habere non possumus, sicut Apostolus dicit: *Nunc videmus per speculum in ænigmate, postea autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Et dixit Jesus: *Solvite eum, et sinite ire* (*Joan.* XI, 1-44): hoc est, quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem quem Dei Sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et cæteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur; id est, etiam renata anima nisi resolutione corporis libera ab omni peccato et ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum et in ænigmate videt Dominum: illius autem[1] linteamina et sudarium, qui peccatum non fecit, et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt (*Id.* XX, 7). Ipse enim solus in carne non tantum monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur (*Isai.* LIII, 9), sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.

LXVI. *De eo quod scriptum est*, An ignoratis, fratres (scientibus enim Legem loquor), quia Lex dominatur homini, in quantum tempus vivit? *usque ad eum locum in quo scriptum est*, Vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis (*Rom.* VII-VIII, 11).

1. Apostolus in hac similitudine, in qua de viro et muliere loquitur, quoniam mulier tenetur lege viri, tria quædam consideranda commendat; mulierem, virum, et legem: mulierem scilicet subjugatam viro per quamdam legem, quæ morte viri liberatur,

[1] [illegible] Vat., [illegible] Messiam venturum [illegible], memorabat. tamen misericordia, etc.

[1] Lat. et Tr., in ænigmate videt. Domini autem.

ut cui vult nubat. Sic enim dicit : *Mulier enim sub viro, viro marito, juncta est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, evacuata est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Hucusque similitudo est. Deinde incipit rem loqui, cui explanandæ ac probandæ similitudinem induxit. In qua etiam re tria similiter attendenda sunt ; homo, peccatum, lex. Tamdiu enim dicit sub lege esse hominem, quamdiu vivit peccato ; quemadmodum tamdiu mulier sub lege viri est, quamdiu vivit vir [1]. Hoc autem peccatum hic intelligendum est, quod accessit per legem. Quod peccatum dicit supra modum esse ; quoniam cum jam appareat esse peccatum, fit tamen, et adjuncta prævaricatione cumulatur [2]. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15). Et hoc est quod dicit, *Ut fiat supra modum peccator, aut peccatum* [3] *per mandatum.* Quapropter legem, quamvis a peccando prohibeat, non tamen sic dicit datam, ut liberaret a peccato ; sed ut demonstraret peccatum, cui serviens anima debet se ad gratiam Liberatoris convertere, ut a peccato liberetur. *Per legem enim cognitio peccati* (*Id.* III, 20). Et alio loco dicit : *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Ubi ergo non est gratia Liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima se ipsam non sibi sufficere ad extrahendum se de servitute peccati ; atque hoc modo detumescente atque exstincta omni superbia, subdatur Liberatori suo, sinceriterque homo dicat, *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9) : quod est jam non esse sub lege peccati, sed in lege justitiæ. Lex autem peccati dicitur, non quia lex ipsa peccatum est, sed quia peccatoribus imponitur. Ideo etiam lex mortis, quia *stipendium peccati, mors* (*Rom.* VI, 23) ; *aculeus mortis, peccatum ; virtus autem peccati, lex* (I *Cor.* XV, 56). Peccando enim ad mortem labimur. Vehementius enim peccamus lege prohibente, quam si nulla lege prohiberemur. Accedente autem gratia, idipsum quod lex onerose jusserat, jam sine onere ac libentissime implemus. Lex ergo peccati et mortis, id est, quæ imposita est peccantibus atque morientibus, jubet tantum ne concupiscamus, et tamen concupiscimus. Lex autem spiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, et liberat a lege peccati et mortis, facit ut non concupiscamus, et impleamus jussa legis, non jam servi legis per timorem, sed amici per charitatem, et servi justitiæ unde illa lex promulgata est. Justitiæ autem non serviliter, sed liberaliter serviendum est, id est, charitate potius quam timore. Ideoque verissime dictum est, *Legem ergo evacuamus per fidem? Absit : sed legem statuimus* (*Rom.* III, 31). Hoc enim efficit fides, quod lex jubet. Statuitur ergo lex per fidem ; quæ fides si non sit, jubet tantum lex, et non implentes punit, reos facit, ut ingemiscentes et non valentes implere, supplices fiant, ad gratiam Liberatoris deprecando conversi.

2. Cum ergo tria quædam in illa similitudine videamus, mulierem, virum, et legem, et tertium in hac re propter quam similitudo adhibita est, tria, animam, peccatum, et legem peccati : hoc solum hic diversum est, quod in illa similitudine vir moritur, ut nubat mulier cui voluerit, et a lege viri solvatur ; hic autem ipsa anima moritur peccato, ut nubat Christo ; cum autem moritur peccato, moritur etiam legi peccati. *Itaque*, ait, *fratres mei, et vos mortui estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne,* inquit, id est, carnalibus desideriis obstricti teneremur, *passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti.* Aucta concupiscentia, quam lex prohibet [1], ubi non erat fides, et ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen est adjectum ; quia *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Has dicit passiones, quæ per legem sunt, operatas [3] in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Sub istis passionibus, tanquam sub viro dominante, agebat anima antequam veniret gratia per fidem. His ergo passionibus moritur, qui jam servit mente legi Dei ; quamvis ipsæ passiones nondum mortuæ sint, quamdiu carne servit legi peccati. Restat ergo adhuc aliquid ei qui est sub gratia, quod eum non vincat, nec captivum ducat, donec mortificetur totum quod consuetudine prava roboratum est et unde corpus etiam nunc mortuum esse dicitur, quamdiu non perfecte servit spiritui. Continget autem ut perfecte serviat, cum fuerit et ipsum mortale corpus vivificatum.

3. Ex quo comprehendimus quatuor esse differentias etiam in uno homine, quibus gradatim peractis in vita æterna manebitur. Quia enim oportebat atque id justum erat, ut posteaquam natura nostra peccavit, amissa beatitudine spiritaali, quæ paradisi nomine significatur, animales carnalesque nasceremur ; prima est actio ante Legem, secunda sub Lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante Legem actio est, cum peccatum ignoramus, et sequimur carnales concupiscentias. Sub Lege est actio, cum jam prohibemur a peccato, et tamen consuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissime credimus Liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur ; sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quamvis ei non tradamur. Quarta est actio, cum omnino nihil est in homine quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer juncta et connexa unum

[1] Rat. et quatuor Mss., *viro.*
[2] Sic potiores Mss. At editi, *cumulatum* : vel *cumulatius.*
[3] Editi, *aut peccans peccatum.* Verbum, *peccans*, a Mss. abest, et a græco textu Apostoli.

[1] Aliquot Mss., *prohibebat.*
[2] Cæteri Mss. [illegible] morti *auctam concupiscentiam* [illegible] quam vero, *prohiberet.*
[3] Er. et Lov., *operatæ.* Melius Mss., *operatas.* — Lugd. et Ven., *operatæ*, ut Er. et Lov. M.

aliquid firma pace custodiunt : quod fiet mortali corpore vivificato, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* xv, 54, 55).

4. Ad primam actionem demonstrandam ista testimonia interim occurrunt : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et sic per omnes homines pertransiit, in quo omnes homines peccaverunt. Usque ad legem enim peccatum in hoc mundo fuit. Peccatum autem non deputabatur, cum lex non esset* (*Rom.* v, 12, 13). Et iterum : *Sine lege enim peccatum mortuum est; ego autem vivebam aliquando sine lege.* Quod enim hic dicit, *mortuum est*; hoc est quod superius dicit, *non deputabatur*, id est, latebat. Quod manifestat in consequentibus dicens, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem* : id est, per legem; quia bona est lex, si quis ea legitime utatur (I *Tim.* I, 8). Si ergo hic ait, *ut appareat peccatum;* manifestum est quod superius ideo dicebat mortuum et non deputari, quia non apparebat antequam lege prohibente ostenderetur.

5. Ad secundam actionem ista testimonia conveniunt : *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20). Accessit enim et prævaricatio, quæ non erat. Et illud quod jam commemoratum est : *Cum essemus enim in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti.* Et illud : *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit : sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et paulo post : *Adveniente,* inquit, *mandato peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Peccatum enim occasione accepta per mandatum, fefellit me, et per illud occidit.* Quod ergo ait, *Mortuus sum*; vult intelligi, mortuum me esse cognovi : quia jam etiam prævaricatione peccat, qui videt per legem quid facere non debeat, et tamen facit. Quod autem ait, *Fefellit me peccatum, occasione accepta per mandatum :* sive quia suasio delectationis ad peccatum vehementior est, cum adest prohibitio; sive quia etiam si quid homo fecerit secundum jussa legis, si adhuc non sit fides, quæ in gratia est, vult sibi hoc tribuere, non Deo, et superbiendo plus peccat. Sequitur ergo, et dicit : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit : sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccator, aut peccatum delinquens per mandatum. Scimus autem quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*, id est, carni consentio, nondum spirituali gratia liberatus (*a*) : *venumdatus sub peccato*, id est, peccans pretio temporalium voluptatum. *Quod enim operor, ignoro* : id est, non agnosco esse in præceptis veritatis, ubi est vera scientia. Secundum hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus, *Non novi vos.* Non enim eum aliquid latet, sed quia peccata non inveniuntur in regulis præceptorum, quas habet veritas, ideo ipsa Veritas peccatoribus dicit, *Non novi vos.* Sicut enim tenebræ oculis non videndo, ita peccata mente ignorando sentiuntur. Ex ista locutione dictum arbitror in Psalmis, *Delicta quis intelligit* (*Psal.* XVIII, 13)? *Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, hoc ago, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, hoc facio; jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Invenio ergo legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Huc usque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia; qui etiamsi nolit peccare, vincitur a peccato. Invaluit enim consuetudo carnalis et naturale [1] vinculum mortalitatis, quo de Adam propagati sumus. Imploret ergo auxilium, qui sic positus est, et noverit suum fuisse quod cecidit, non suum esse quod surgit. Jam enim liberatus agnoscens gratiam Liberatoris sui dicit : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

6. Et incipiunt jam verba dici hominis sub gratia constituti, in actione quam tertiam demonstravimus, quæ habet quidem reluctantem mortalitatem carnis, sed non vincentem atque captivantem ad consensionem peccandi. Sic enim dicit : *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis. Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*, id est, per desideria carnalia : ideo enim non implebatur lex, quia ipsius justitiæ nondum erat charitas, quæ interiore delectatione teneret mentem [2], ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur. Ergo infirmabatur lex per carnem, id est, non efficiebat justos dedítos carni. Sed *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Non enim caro peccati erat, quæ non de carnali delectatione nata erat; sed tamen inerat ei similitudo carnis peccati, quia mortalis caro erat : mortem autem non meruit Adam nisi peccando [3]. Sed quid fecit Dominus? *De peccato damnavit peccatum in carne* : id est, suscipiendo carnem hominis peccatoris, et docendo quemadmodum viveremus, peccatum in ipsa carne damnavit, ut æternorum charitate spiritus flagrans non duceretur captivus in consensionem libidinis. *Ut justitia*, inquit, *legis impleretur in nobis,*

(*a*) I Retract. cap. 26.

[1] Aliquot Mss., *valide*.
[2] Sic Er. et quatuor Mss. Alii cum Lat., *interiore dilectione teneret mentem.* At Lov., *dilectione teneret interiora mentis.*
[3] Mss., *peccato*.
(*a*) I Retract. cap. 26.

qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Itaque præcepta legis per charitatem impleta sunt, quæ per timorem non poterant. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt :* id est, carnalia bona pro summis bonis concupiscunt. *Qui autem secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. Prudentia enim carnis mors est : prudentia autem spiritus vita et pax. Quia prudentia carnis inimica est in Deum.* Ipse ostendit quid dixerit, *inimica :* ne quis putaret ex adverso aliud venire principium. Subjungit enim, et dicit, *Legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest.* Ergo facere contra legem, hoc est inimicum esse in Deum : non quia Deo aliquid nocere potest, sed sibi nocet quisquis resistit voluntati Dei : hoc est enim adversus stimulum calces mittere, ut Paulo apostolo, cum adhuc Ecclesiam persequeretur, divinitus dictum est (*Act.* IX, 5). Sic est autem dictum, *Legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest :* tanquam si diceretur, Nix non calefacit; nec enim potest. Quamdiu enim nix est, non calefacit : sed resolvi potest et fervere, ut calefaciat; sed cum hoc facit, jam nix non est. Sic et prudentia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit. Quamdiu enim appetitus talis inest animæ, legi Dei subjecta esse non potest; id est, non potest implere quæ lex jubet. Sed cum spiritualia bona desiderare cœperit, et temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, et spiritui non resistet. Eadem namque anima cum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur; cum superiora, prudentiam spiritus : non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur anima vel exuitur; sed ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, cum se totam ad superna converterit. *Qui autem in carne sunt,* inquit, *Deo placere non possunt :* id est, qui voluptatibus[1] carnis acquiescunt. Ne quis enim de his dictum putaret, qui de hac vita nondum excesserunt, opportunissime subjunxit : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Utique adhuc in hac vita constitutis loquitur. In spiritu enim erant, quia in fide et spe et charitate spiritualium rerum acquiescebant[2]. *Si tamen,* inquit, *Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam.* Mortuum corpus dicit, quamdiu tale est, ut indigentia rerum corporalium molestet animam (*a*), et quibusdam motibus ex ipsa indigentia venientibus, ad appetenda terrena sollicitet. Quibus tamen quamvis existentibus mens ad illicita facienda non consentit, quæ jam servit legi Dei, et sub gratia constituta est. Ad hoc enim valet quod supra dictum est, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et ille homo nunc describitur esse sub gratia, qui nondum habet perfectam pacem, quæ corporis resurrectione et immutatione est futura.

7. Restat ergo ut de ipsa pace dicat resurrectionis corporis, quæ quarta est actio, si tamen eam actionem dici oportet, quæ summa requies est. Sequitur enim, et dicit : *Si ergo Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VII-VIII, 11). Hic et de resurrectione corporis evidentissimum testimonium est, et satis apparet quamdiu in hac vita sumus, non deesse molestias per mortalem carnem, neque titillationes quasdam delectationum carnalium. Quamvis enim non cedat, qui sub gratia constitutus mente servit legi Dei, tamen carne servit legi peccati. His gradibus homine perfecto, nulla substantia invenitur malum : neque Lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis jaceat, ut per fidem implorato Liberatoris auxilio, et solvi, et erigi, et firmisse constitui mereatur. In prima ergo actione, quæ est ante Legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi : in secunda, quæ sub Lege est, pugnamus, sed vincimur : in tertia pugnamus et vincimus : in quarta non pugnamus, sed perfecta et æterna pace requiescimus. Subditur[1] enim nobis quod inferius nostrum est, quod propterea non subdebatur, quia superiorem nobis deserueramus Deum.

LXVII. *De eo quod scriptum est*, Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis; *usque ad id quod dictum est*, Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 18-24).

1. Hoc capitulum obscurum est, quia non satis hic apparet quam nunc vocet creaturam. Dicitur autem secundum catholicam disciplinam creatura, quidquid fecit et condidit Deus Pater, per unigenitum Filium, in unitate Spiritus sancti. Ergo non solum corpora, sed etiam animæ nostræ ac spiritus creaturæ nomine continentur. Sic autem dictum est, *Ipsa creatura liberabitur a servitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei :* quasi nos non simus creatura, sed filii Dei, in quorum gloriæ libertatem liberabitur a servitute creatura. Item dicit, *Scimus enim quia omnis creatura congemiscit et dolet usque adhuc; non solum autem illa, sed et nos ipsi :* tanquam aliud simus nos, aliud omnis creatura. Totum ergo capitulum particulatim considerandum est.

2. *Existimo enim*, inquit, *quod indignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis :* hoc manifestum est. Dixerat enim superius, *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quod fieri non potest sine molestia, cui patientia necessaria est. Quo pertinet et quod paulo ante ait, *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (*Ibid.* 13, 17). Quod itaque ait, *Nam exspectatio creaturæ revela-*

[1] Sex Mss., *voluntatibus.*
[2] Duo Mss., *fidei, spei et charitati spiritualium rerum acquiescebant.* Alter e Navarricis, *in fide et spe et charitate spiritualibus rebus acquiescebant.*
(*a*) I Retract. cap. 26.

[1] Rat. et plerique Mss., *Subjungitur;* et infra, *non subjungebatur.* Alii duo libri, *Subjugatur;* et post, *non subjugabatur.*

tionem filiorum Dei exspectat. Hoc ita puto dictum esse. Nam et hoc in nobis quod modo dolet, cum facta carnis mortificamus, id est, cum esurimus aut sitimus per abstinentiam, dum frenamus delectationem concubitus per castitatem, dum injuriarum lacerationes et contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus, dum neglectis atque rejectis voluptatibus nostris pro fructu matris Ecclesiæ laboramus; quidquid in nobis in hac atque hujusmodi attritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus et anima, quæ utique creatura est, et exspectat revelationem filiorum Dei; id est, exspectat quando appareat quod vocatum est, in ea gloria ad quam vocatum est. Quia enim Filius Dei unigenitus non potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia quæcumque Deus fecit, distincte etiam nos vocamur creatura ante illam evidentiam gloriæ, et distincte vocamur filii Dei, quamvis hoc adoptione mereamur: nam ille unigenitus natura Filius est. Ergo *exspectatio creaturæ*, id est, exspectatio nostra, *revelationem filiorum Dei exspectat*; id est, exspectat quando appareat quod promissum est, quando re ipsa manifestum sit quod nunc spe sumus. *Filii enim Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Ipsa est revelatio filiorum Dei, quam nunc exspectat exspectatio creaturæ: non quod creatura revelationem exspectet alterius naturæ, quæ non sit creatura; sed ipsa qualis nunc est, exspectat quando sit qualis futura est: tanquam si diceretur, Operante pictore subjectis sibi coloribus et ad opus ejus paratis, exspectatio colorum manifestationem imaginis exspectat: non quia tunc sunt alii, et alii erunt, aut non colores erunt; sed tantum quod aliam dignitatem habebunt.

3. *Vanitati enim*, inquit, *creatura subjecta est*. Hoc est illud: *Vanitas vanitantium*¹, *et omnia vanitas. Quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laboret sub sole* (*Eccle.* I, 2, 3)? Cui dictum est, *In labore vultus tui manducabis panem tuum* (*Gen.* III, 19). *Vanitati ergo creatura subjecta est, non sponte*. Bene additum est, *non sponte*. Homo quippe sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. Peccatum itaque fuit spontaneum, contra præceptum facere veritatis; poena est autem peccati, subjici fallaciæ. Non ergo sponte creatura subjecta est vanitati: *sed propter eum qui subjecit in spe*; id est, propter ejus justitiam atque clementiam, qui neque impunitum reliquit peccatum, neque insanabilem voluit esse peccantem.

4. *Quia et ipsa creatura*, id est, ipse homo, cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura (*a*): *et ipsa* itaque *creatura*, id est, et quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantum vocatur creatura, *liberabitur a servitute interitus*. Quod itaque ait, *et ipsa liberabitur*, hoc intelligi, *et ipsa*, quemadmodum et nos, id est, et de eis non est desperandum, qui nondum vocantur filii Dei, quia nondum crediderunt, sed tantum creatura: quia et ipsi credituri sunt, et liberabuntur a servitute interitus, quemadmodum nos qui jam filii Dei sumus, quamvis nondum apparuerit quid erimus. Liberabuntur ergo a servitute interitus, *in libertatem gloriæ filiorum Dei*; id est, et ipsi erunt ex servis liberi, et ex mortuis gloriosi in vita perfecta, quam habebunt filii Dei.

5. *Scimus enim quia omnis creatura congemiscit et dolet usque adhuc.* Omnis creatura in homine numeratur, non quod in eo sint omnes Angeli, et supereminentes Virtutes ac Potestates, aut cœlum et terra et mare et omnia quæ in eis sunt; sed quia omnis creatura partim spiritualis est, partim animalis, partim corporalis. Quod ut ab inferioribus consideremus, corporalis creatura per loca tenditur; animalis autem vivificat corporalem; spiritualis animalem regit, et tunc bene regit, cum ipsa regendam se subjicit Deo: cum autem transgreditur præcepta ejus, laboribus et ærumnis per eadem ipsa quæ regere poterat implicatur. Qui ergo vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur: carnalis, quia carnalia sectatur; animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia animæ suæ, quam non regit spiritus, neque coercet intra metas naturalis ordinis; quia et ipse se non subdit regendum Deo. Qui autem spiritu animam regit, et per animam corpus (quod facere non potest, nisi Deum habeat et ipse rectorem, quoniam sicut caput mulieris vir, ita caput viri Christus est [I *Cor.* XI, 3]), vocatur spiritualis. Quæ vita cum aliqua molestia nunc agitur, post autem nullam patietur. Et quoniam summi Angeli spiritualiter vivunt, infimi autem animaliter (*a*), bestiæ vero et omnia pecora carnaliter, corpus autem non vivit, sed vivificatur; omnis creatura in homine est, quia et intelligit spiritu, et sentit anima, et localiter corpore movetur. Omnis itaque creatura in homine congemiscit et dolet. Non enim totam, sed omnem dixit: tanquam si quis dicat, quod solem omnes homines vident qui sunt incolumes, sed non toti vident, qui tantum oculis vident: ita in homine omnis creatura est, quia et intelligit et vivit et corpus habet; sed non tota creatura in ipso est, quia sunt præter ipsum et Angeli, qui intelligant et vivant et sint, et pecora quæ vivant et sint, et corpora quæ tantummodo sint: cum ipsum vivere magis sit, quam non vivere, et ipsum intelligere magis sit, quam sine intellectu vivere. Cum ergo miser homo congemiscit et dolet, omnis creatura congemiscit et dolet usque adhuc. *Usque adhuc* autem recte dixit: quia etiam si sunt aliqui jam in sinu Abrahæ (*Luc.* XVI, 23), et latro ille cum Domino in paradiso constitutus (*Id.* XXIII, 43), ab eo die quo crediderunt, dolere destiterunt; tamen usque adhuc omnis creatura congemiscit et dolet, quia in eis qui nondum liberati sunt, omnis est, propter spiritum et animam et corpus.

¹ Edit., *vanitas vanitatum*. Sic ubi quando se in Latinis libris legisse testatur Augustinus, lib. I Retract., cap. 7.

(*a*) I Retract. cap. 26.

(*a*) I Retract., cap. 26.

6. *Non solum autem*, inquit, omnis creatura congemiscit et dolet, *sed et nos ipsi* : id est, non solum in homine corpus et anima et spiritus simul dolent ex difficultatibus corporis, sed et nos ipsi, exceptis corporibus, *in nobis ipsis congemiscimus, primitias habentes spiritus*. Et bene dixit, *primitias habentes spiritus* : id est, quorum jam spiritus tanquam sacrificium oblati sunt Deo, et divino charitatis igne comprehensi sunt. Hæ sunt primitiæ hominis; quia veritas primum spiritum nostrum obtinet, ut per hunc cætera comprehendantur. Jam ergo habet primitias oblatas Deo, qui dicit : *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25). Et qui dicit : *Deus cui servio in spiritu meo* (*Id.* I, 9). Et de quo dicitur : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). Sed quoniam adhuc dicit, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? et adhuc talibus dicitur, *Vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum manentem in vobis* (*Id.* VIII, 11); nondum est holocaustum : erit autem, cum absorbebitur mors in victoriam; cum ei dicetur, *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (*I Cor.* XV, 54, 55)? Nunc ergo, inquit, non solum omnis creatura, id est, cum corpore, *sed etiam nos ipsi primitias habentes spiritus* : id est, nos animæ, quæ jam primitias mentes nostras obtulimus Deo, *in nobis ipsis congemiscimus*, id est, præter corpus : *adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri*, id est, ut et ipsum corpus accipiens beneficium adoptionis filiorum, qua vocati sumus, totos nos liberatos, transactis omnibus molestiis, ex omni parte Dei filios esse manifestet. *Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes*. Tunc ergo erit res quæ nunc spes est, *cum apparuerit quid erimus*; id est, *similes illi, quoniam videbimus eum sicuti est*.

7. Hoc capitulum si hoc modo, ut tractatum est, aperiatur, non incidimus in illas molestias, quibus plerique homines dicere coguntur, omnes Angelos sublimesque Virtutes in dolore et gemitibus esse, antequam nos penitus liberemur, quoniam dictum est, *Omnis creatura congemiscit et dolet*. Quamvis enim adjuvent nos pro sua sublimitate [1], dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere, tamen sine gemitu et doloribus id facere credendi sunt, ne miseri existimentur, feliciorque sit de numero nostro Lazarus ille qui jam in Abrahæ sinu requiescit. Præsertim quia dixit, eamdem creaturam quæ congemiscit et dolet, vanitati esse subjectam; quod de summis et excellentibus Virtutum Potestatumque creaturis nefas est credere. Deinde liberandam eam dixit a servitute interitus; quo illos cecidisse, qui in cœlis agunt vitam beatissimam, non possumus credere. Quare nihil temere contemnendum est, sed pia diligentia etiam atque etiam verba divina tractanda sunt; ne forte quæ congemiscit et dolet et vanitati subjecta est, possit aliquo modo alio intelligi, ut de summis Angelis, quamdiu nostræ infirmitati per Dominum nostrum copulantur, non impie possit existimari. Sed sive illa quam exsecuti sumus, sive alia quæpiam hujus capituli expositio proferatur, id tantum cavendum est, ne violet aut vulneret catholicam fidem. Scio enim Vatios [1] hæreticos de hoc capitulo multa impia et inepta protulisse.

LXVIII. *De eo quod scriptum est* : O homo, tu quis es, qui respondeas Deo (*Rom.* IX, 20)?

1. Cum videatur Apostolus compressisse curiosos, dicendo, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* de hoc ipso illi quæstionem movent, et in ea sententia non desinunt esse curiosi, qua objurgata est ipsa curiositas : et impii quidem cum contumelia, ut dicant Apostolum in solvenda quæstione defecisse, et objurgasse quærentes, quia non poterat quod quærebatur exponere. Nonnulli autem (a) hæretici qui non decipiunt, nisi cum scientiam quam non exhibent pollicentur, et adversantes Legi et Prophetis, quæcumque de illis Apostolos sermoni suo inseruit, falsa et a corruptoribus immissa esse criminantur, etiam hoc inter ipsa quæ interpolata dicunt, numerare maluerunt, et negare Paulum dixisse, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Quoniam si ipsis dicatur ad decipiendos homines calumniantibus, procul dubio tacebunt, nec audebunt ullam de voluntate omnipotentis Dei imperitis quos decipere cupiunt, scientiam polliceri. Quidam autem bona et pia mente Scripturas legentes quærunt quid hic possit vel maledicentibus vel calumniantibus responderi. Sed nos et auctoritati apostolicæ salubriter inhærentes, et libros quos catholica disciplina custodit falsatos [2] esse nequaquam existimantes, sentiamus quod verum est, indignos et infirmos esse [3] ad intelligenda divina secreta quibus ista clauduntur : et eis murmurantibus et indignantibus quod consilia Dei non discunt, cum dicere cœperint, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat. Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit* (*Ibid.* 18, 19)? cum his ergo verbis aut calumniari Scripturas, aut latebram peccatorum suorum quærere cœperint, ut præcepta contemnant, quibus ad vitam bonam pervenitur [4], respondeamus fidentissime, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Nec eos reveriti sanctum canibus demus, aut projiciamus margaritas nostras ante porcos (*Matth.* VII, 6) : si tamen jam ipsi canes et porci non sumus, et de meritis animarum revelante Spiritu sancto, sublime aliquid et a vulgari conjectura remotissimum, vel ex parte atque in ænigmate suspicemur.

2. Non enim Apostolus hoc loco sanctos prohibuit a quærendo, sed eos qui nondum sunt in charitate radicati et fundati, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, et cætera quæ in eodem loco exsequitur (*Ephes.* III, 18, 19). Non ergo prohibuit a

[1] Sic Rat. Er. et undecim Mss. At Lov., *per suas sublimitates*.

[1] [illegible] vetus, *varios*.

[2] Mss., [illegible].

[3] Er. et Lov., [illegible] *nos et infirmos esse*. Abest, *nos*, a Rat. et Mss. — [illegible] Ven. [illegible] Er. et Lov. M.

[4] [illegible] *bonam*. Cæteri fere Mss. [illegible], *invitantur*.

(a) Manichæi.

quærendo, qui dicit, *Spiritualis autem omnia judicat; ipse autem a nemine judicatur*: et illud præcipue, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 15, 12). Quos ergo prohibuit, nisi luteos atque terrenos, qui nondum intrinsecus regenerati atque nutriti, imaginem illius hominis portant, qui primus factus est de terra terrenus (*Id.* XV, 47, 49)? Et quia ei a quo factus est, noluit obtemperare, in id lapsus est unde factus est, meruitque post peccatum audire, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Talibus igitur hominibus dicit Apostolus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti?* Quamdiu ergo figmentum es, nondum perfectus filius, quia nondum hausisti plenissimam gratiam qua nobis data est potestas filios Dei fieri (*Joan.* I, 12), quo possis audire, *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Id.* XV, 15); *tu quis es, qui respondeas Deo*, et velis Dei nosse consilium? qui si hominis tibi æqualis nosse voluisses, impudenter faceres [1], nisi prius in amicitiam reciperaris. Sicut ergo portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (I *Cor.* XV, 49), exuentes nos veterem hominem et induentes novum (*Coloss.* III, 9, 10), ut non dicatur nobis quasi luteo figmento: *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti?*

3. Et ut manifestum sit, non sanctificato spiritui, sed carnali luto ista dici, vide quid sequitur: *Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Rom.* IX, 21)? Ex quo ergo in paradiso natura nostra peccavit, ab eadem divina providentia, non secundum cœlum, sed secundum terram, id est, non secundum spiritum, sed secundum carnem mortali generatione formamur, et omnes una massa luti facti sumus, quod est massa peccati. Cum ergo meritum peccando amiserimus, et misericordia Dei remota nihil aliud peccantibus nisi æterna damnatio debeatur, quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat et dicat, *Quare me sic fecisti?* Si vis ista cognoscere, noli esse lutum, sed efficere filius Dei per illius misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus; non autem, quod tu cupis, antequam credant, divina nosse cupientibus [2]. Merces enim cognitionis meritis redditur; credendo autem meritum comparatur. Ipsa autem gratia quæ data est per fidem, nullis nostris meritis præcedentibus data est. Quod est enim meritum peccatoris et impii? Christus autem pro impiis et peccatoribus mortuus est (*Id.* V, 6), ut ad credendum non merito, sed gratia vocaremur, credendo autem etiam meritum collocaremus [3]. Peccatores igitur credere jubentur, ut a peccatis credendo purgentur [4]. Nesciunt enim quid recte vivendo visuri sint. Quapropter cum videre non possint, nisi recte vivant, nec recte vivere valeant, nisi credant; manifestum est a fide incipiendum, ut præcepta quibus credentes a sæculo hoc avertuntur, cor mundum faciant, ubi videri Deus possit. *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8): et per prophetiam [1] canitur, *In simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* I, 1). Quapropter recte dicitur hominibus in vetustate vitæ manentibus, et propterea tenebrosum oculum animæ gerentibus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Expurga vetus fermentum, ut sis nova conspersio (I *Cor.* V, 7), et in ea ipsa non adhuc parvulus in Christo ut lacte potandus sis (*Id.* III, 2); sed perveni ad virum perfectum, ut sis inter illos de quibus dicitur, *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*Id.* II, 6). Tum demum recte et non præpostere audies, si qua sunt de animarum occultissimis meritis, et de gratia vel justitia, secreta omnipotentis Dei.

4. Nam de Pharaone facile respondetur, prioribus meritis quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet [2]. Ex eadem ergo massa, id est, peccatorum, et vasa misericordiæ protulit, quibus subveniret, cum eum deprecarentur filii Israel; et vasa iræ, quorum supplicio illos erudiret, id est, Pharaonem et populum ejus: quia quamvis essent utrique peccatores, et propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant qui uni Deo ingemuerant. *Pertulit* ergo *in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Et eo ipso quo ait, *in multa patientia*, satis significavit priora eorum peccata, in quibus eos pertulit; ut opportune tunc vindicaret, quando de illorum vindicta subveniendum erat his qui liberabantur. *Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Hic fortasse conturbatus ad illam quæstionem redis, *Cujus vult miseretur, et quem vult obdurat. Quid adhuc conqueritur? voluntati enim ejus quis resistit* (*Rom.* IX, 18-23)? Prorsus cujus vult miseretur, et quem vult obdurat; sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis; quia et ipsi peccatores cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione; et item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sint obtusione [3]. Habes eumdem apostolum alibi dicentem, *Quoniam non probaverunt Deum habere in notitia, dedit illos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I, 28). Quod eos dedit in reprobum sensum, hoc est, quod induravit cor Pharaonis (*Exod.*

[1] Bat. et Mss. plerique, *imprudenter faceres*.
[2] Locum istum ad Mss. corrigimus, quem in excusis vidimus corruptum hocce modo: *Non enim, quod tu cupis, antequam credant, divina debent nosse cupientibus*.
[3] Aliquot Mss., *compararemus*.
[4] Novem Mss., *et a peccatis credendo purgantur*.

[1] Mss. plerique, *Et per prophetiam*.
[2] Duo Mss. hic et infra, n. 5, pro, *crederet*, habent, *cederet*.
[3] Bat. et Mss., *obtunsione*. Et infra, *obtunsionis*, pro, *obtusionis*.

IV, 21) : quod autem illi non probaverunt Deum habere in notitia, hoc est, quod digni exstiterunt qui darentur in reprobum sensum.

5. Tamen verum est quia *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). Quia etiamsi levioribus quisque peccatis, aut certe quamvis gravioribus et multis, tamen magno gemitu et dolore pœnitendi, misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur : sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit (*a*) ; quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia; efficitur ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis (*Philipp.* II, 13). Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur (*Luc.* XIV, 16-26). Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt : nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea et si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1). Ad misericordiam pertinet vocatio : ad judicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, et supplicium eorum qui venire noluerunt. Numquid ergo latebat Pharaonem quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joseph (*Gen.* XLI)? Illius ergo rei gestæ cognitio, vocatio ejus fuit, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eis quibus humanitas et misericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor, et tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot et tantis tamque manifestis Dei signis non crederet; quo posset ejus supplicio, sive obdurationis, sive ultimæ visibilis submersionis, erudiri populus, cujus afflictione ille, et occultæ obtusionis, et manifestæ submersionis meritum sibi compararet (*Exod.* V-XIV).

6. Hæc autem vocatio, quæ sive in singulis hominibus, sive in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ et profundæ ordinationis est. Quo pertinet etiam illud, *In utero sanctificavi te* (*Jerem.* I, 5) ; et, *Cum esses in renibus patris tui, vidi te* (*b*) ; et, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I, 2, 3) : cum dictum sit antequam nascerentur. Nec comprehendi potest, nisi forte ab eis qui diligunt Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente sua, et diligunt proximos suos tanquam se ipsos (*Matth.* XXII, 37, 39). Tanta enim charitate fundati, possunt jam fortasse cum sanctis comprehendere longitudinem, latitudinem, altitudinem et profundum (*Ephes.* III, 18). Illud tamen constantissima fide retinendum, neque quidquam Deum injuste facere, neque ullam esse naturam quæ non Deo debeat id quod est : quia Deo debetur omne decus et pulchritudo et congruentia partium ; quam si penitus persecutus fueris [1], et usque ad omnes reliquias de rebus detraxeris, remanet nihil.

(*a*) I Retract. cap. 26.
(*b*) Ibid.

LXIX. *De eo quod scriptum est* : Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia (I *Cor.* XV, 28).

1. Qui Filium Dei Patri æqualem non esse contendunt, solent usurpare familiarius hoc testimonium, ubi ait Apostolus, *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Non enim posset eis error oboriri palliatus nomine christiano, nisi de Scripturis non intellectis. Dicunt enim, Si æqualis est, quomodo subjectus erit ei? Quod utique simile est illi evangelicæ quæstioni, Si æqualis est, quomodo major est Pater? Ipse enim Dominus ait, *Quoniam Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Regula autem catholicæ fidei sic se habet, ut cum aliqua in Scripturis dicuntur de Filio, quod sit minor Patre, secundum susceptionem hominis intelligantur : cum vero ea dicuntur quibus demonstratur æqualis, secundum id quod Deus est accipiantur. Apparet ergo quemadmodum dictum sit, *Pater major me est*; et, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30) : et, *Deus erat Verbum*; et, *Verbum caro factum est* (*Id.* I, 1, 14) : et, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Sed quoniam multa etiam secundum proprietatem personæ, excepto quod attinet ad susceptionem hominis, de illo ita dicuntur, ut Patrem non aliud quam Patrem, et Filium non aliud quam Filium intelligi oporteat, putant hæretici in iis quæ ita dicuntur atque intelliguntur, æqualitatem esse non posse. Scriptum est enim, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3), utique per Filium, hoc est, per Verbum Dei : a quo, nisi a Patre? Nusquam autem scriptum est quod Filius per Patrem aliquam creaturam operatus sit. Item scriptum est quod imago Patris sit Filius (*Coloss.* I, 15); nusquam autem scriptum est quod imago Filii sit Pater. Deinde quod ille genitor, ille genitus; et cætera hujuscemodi, quæ non ad æqualitatem substantiæ, sed ad proprietatem pertinent personarum : in quibus illi æqualitatem cum dicunt esse non posse, quoniam ad hæc penetranda crassiores [2] mentes adhibent, pondere auctoritatis urgendi sunt. Si enim in his non posset intelligi æqualitas ejus per quem facta sunt omnia et ejus a quo facta sunt, imaginis et ejus cujus imago est, geniti et geni-

[1] Sic Mss. Editi autem, *prosecutus fueris*.
[2] Rat. Er. et Mss., *grossiores*.—Sic etiam Lugd. et Ven. M

toris; nullo modo Apostolus contentiosorum hominum ora concludens ipsum etiam verbum poneret[1], dicens : *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.*

2. Cum ergo ea quæ ad distinctionem Patris et Filii scripta sunt, partim propter personarum proprietates, partim propter susceptionem hominis, ita scripta sint; dum tamen divinæ substantiæ Patris et Filii deitas et unitas et æqualitas maneat : recte quæritur in hoc loco, utrum secundum personarum proprietates, an secundum hominis susceptionem Apostolus dixerit, *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia.* Solet circumstantia Scripturæ illuminare sententiam, cum ea quæ circa scripta sunt, præsentem quæstionem contingentia, diligenti discussione tractantur. Invenimus itaque ita ventum esse ad hunc locum, ut supra diceret, *Nunc autem Christus surrexit a mortuis, primitiæ dormientium.* Agebat enim de resurrectione mortuorum, quod in Domino secundum susceptionem hominis factum est; quanquam apertissime sequatur et dicat : *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine : initium Christus; deinde ii qui sunt Christi, in præsentia* (παρουσίᾳ) *ejus; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis. Novissima*[2] *inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dixerit quod omnia subjecta sunt, manifestum est quia præter eum qui subjecit illi omnia. Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* xv, 20-28). Manifestum est ergo hoc secundum susceptionem hominis dictum.

3. Sed alia in hoc capitulo, cujus totum textum commemoravi, solent habere quæstionem : primo quod dictum est, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri;* quasi nunc non teneat regnum Pater. Deinde quod dictum est, *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis;* quasi postea non sit regnaturus, et ad hoc valeat quod supra dictum est, *Deinde finis.* Quod sacrilega opinione sic accipiunt, quasi finem dixerit consummationem regni ejus, cum scriptum sit in Evangelio, *Et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33). Postremo quod dictum est, *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia;* sic volunt intelligi, quasi nunc aut aliquid Filio non sit subjectum, aut Patri non sit ipse subjectus.

4. Genere igitur locutionis solvitur quæstio. Sic enim plerumque Scriptura loquitur, ut quod semper est, tunc fieri dicatur in aliquo, cum in eo[3] cognosci cœperit. Ita enim dicimus in oratione, *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9) : quasi aliquando sanctum non sit. Ergo sicut *sanctificetur,* est sanctum esse innotescat; ita quoque, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri,* id est, cum Patrem regnare monstraverit, ut per speciem manifestationemque clarescat, quod nunc a fidelibus creditur et ab infidelibus non putatur. Evacuabit autem omnem principatum et potestatem, manifestando utique regnum Patris, ut omnibus notum sit, nullum principum et potestatum, sive cœlestium, sive terrestrium, per se habuisse aliquid principatus et potestatis, sed ab illo ex quo sunt omnia, non solum ut sint, verum etiam ut ordinata sint. In illa enim manifestatione nulli spes aliqua remanebit in quoquam principe, aut in quoquam homine. Quod etiam nunc prophetice canitur : *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in homine; bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII, 8, 9) : ut ista meditatione anima jam in regnum Patris assurgat, nec cujusquam potestatem præter illum magni faciens, nec sua sibi ipsi perniciosissime blandiens[1]. Tradet ergo regnum Deo et Patri, cum per illum per speciem cognoscetur Pater. Regnum enim ejus sunt in quibus nunc regnat per fidem. Aliter enim dicitur regnum Christi secundum potestatem divinitatis, secundum quod ei cuncta creatura subjecta est; et aliter regnum ejus dicitur Ecclesia, secundum proprietatem fidei quæ in illo est, secundum quod orat qui dicit, *Posside nos* (*Isai.* XXVI, 13, *sec.* LXX). Neque enim non ipse possidet omnia. Secundum quod dicitur etiam illud : *Cum servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ* (*Rom.* VI, 20). Evacuabit ergo omnem principatum et omnem potestatem et virtutem, ut nulli Patrem intuenti per Filium opus sit aut libeat in cujusquam creaturæ vel in sua conquiescere potestate.

5. *Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis :* id est, oportet regnum ejus in tantum manifestari, donec omnes inimici ejus ipsum regnare fateantur. Hoc enim intelligitur, sub pedibus ejus futuros inimicos. Quod si de justis acceperimus, ideo dictum est, *inimicos,* quia ex injustis justificantur, et ei credendo subduntur. De injustis autem qui ad justorum beatitudinem futuram non pertinent, sic accipiendum est, quoniam et ipsi eum regnare ipsa regni ejus manifestatione confusi fatebuntur. Ergo, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis,* non ita dictum est, quasi cum posuerit inimicos suos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus : sed, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis;* oportet eum, inquit, ad tantam evidentiam regnum suum perducere, donec inimici ejus nullo modo audeant negare quod regnet. Nam scriptum est, *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* (*Psal.* CXXII, 2) : nec ideo tamen, cum misertus nostri fuerit, oculos ab eo debemus avertere. In tantum enim est beatitudo nostra,

[1] [illegible] codices, *verbum æqualitatis poneret.*

[2] [illegible] Mss plerique.

[3] Mss., *de eo.*

[1] Rat. Fr. et plures Mss., sed *ipsa perniciosissime blandiens.* — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

in quantum ejus contemplatione perfruimur. Sic ergo et hoc dictum est. Oculorum nostrorum intentio ad Dominum non porrigitur, nisi usque ad impetrationem misericordiæ ipsius, non ut postea inde avertatur, sed ut nihil inde amplius requirat. *Donec* ergo pro eo positum est, ut non amplius, intelligas. Quo enim amplius, id est, usque ad quam majorem manifestationem manifestabitur regnum Christi, nisi quousque omnes inimici eum regnare fateantur? Aliud est ergo non amplius manifestari, aliud non amplius permanere. Non amplius manifestari, est non fieri manifestius : non amplius permanere, non fieri perseverantius. Quando autem manifestius erit regnum Christi, quam cum omnibus claruerit inimicis?

6. *Novissima inimica destruetur mors.* Non enim erit aliud quod destruatur, posteaquam mortale hoc induerit immortalitatem. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus :* hoc est, ut etiam mortem destruat. *Cum autem dixerit quia omnia subjecta sunt* (dixit utique propheta in Psalmis (*Psal.* VIII, 8), *manifestum est quia præter eum qui subjecit illi omnia :* Patrem vult intelligi omnia Filio subjecisse, sicut multis locis idem Dominus in Evangelio commendat et prædicat, non solum propter formam servi, sed etiam propter principium de quo est, et quo æqualis est ei de quo est. Amat enim ad unum principium referre omnia, tanquam imago ejus, sed in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis (*Coloss.* II, 9).

7. *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia.* Non quasi modo non ita sit, sed tunc manifestum erit, secundum locutionem superius tractatam. *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Ipse est finis, quem superius commemoravit, cum totum primo breviter vellet concludere, deinde quasi membratim explicare et exponere. Loquebatur enim de resurrectione, ubi ait, *Initium Christus ; deinde ii qui sunt Christi in præsentia ejus ; deinde finis.* Ipse scilicet finis est, *ut sit Deus omnia in omnibus.* Aliter enim dicitur finis qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem. Aliter enim finitur tunica texendo, aliter cibus comedendo. Deus autem omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum qui ei cohærent, amet adversus eum suam propriam voluntatem, manifestumque sit omnibus quod idem Apostolus alio loco dicit, *Quid autem habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7) ?

8. Sunt item qui sic intelligant hunc locum, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis,* ut sub alia significatione positum hic dicant *regnare ;* non sub ea qua positum est, *regnum,* de quo ait, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri :* ut illud sic appellaverit, *regnum,* quo universam creaturam Deus regit ; hoc autem sic appellaverit, *regnare,* ut intelligatur tanquam adversus hostem exercitum ducere, vel defendere civitatem : ut ideo dixerit, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis ;* quia talis regni, quale habent principes armatorum, nulla erit causa, hoste ita subjecto ut rebellare non possit. Nam utique dictum est in Evangelio, *Et regni ejus non erit finis,* secundum quod regnat in æternum : secundum autem id quod adversus diabolum sub eo militatur, tamdiu erit utique ista militia, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis, postea vero non erit, cum pace perpetua perfruemur.

9. Hæc autem ita dicta sunt, ut noverimus diligentius etiam illud considerari oportere, secundum quid regnet nunc Dominus, dispensatione sacramenti sui per incarnationem atque passionem. Non secundum id quod Verbum Dei est, tam sine fine quam sine initio et sine intermissione est regnum ejus. Secundum id autem quod Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), cœpit regnare in credentibus per fidem incarnationis suæ. Unde est etiam illud : *Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* XCV, 10). Hinc autem evacuavit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem, dum non per claritatem ejus, sed per humilitatem salvi fiunt credentes in eum. Hoc est absconditum a sapientibus et prudentibus, et revelatum parvulis (*Matth.* XI, 25) : quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (I *Cor.* I, 21). Neque quidquam se inter parvulos scire dicit Apostolus, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (*Id.* II, 2). Qua prædicatione tamdiu opus est, donec ponantur omnes inimici sub pedibus ejus : id est, ipsi humilitati ejus, quam pedum nomine significari arbitror, cedat atque subdatur omnis superbia sæcularis ; sicut ex maxima parte jam factum est, et quotidie fieri videmus. Sed quo fine ista fiunt? Ut tradat regnum Deo et Patri, id est, ut nutritos fide incarnationis suæ, perducat ad speciem qua æqualis est Patri. Jam enim eis qui crediderant, loquebatur, cum diceret : *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis* [1] ; *et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Regnum enim tradet Patri, cum per id regnabit in contemplantibus veritatem, quo æqualis est Patri, et per se unigenitum per speciem faciet videri Patrem. Nunc enim per hoc regnat in credentibus, quo se ipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philipp.* II, 7). Tunc autem tradet regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Unde evacuabit [2], nisi humilitate, et patientia, et infirmitate? Quis enim principatus non evacuetur, cum Filius Dei [3] propterea regnat in credentibus, quia eum principes sæculi judicaverunt? Quæ potestas non evacuetur, cum ipse per quem facta sunt omnia, propterea regnat in credentibus, quia ita subjectus est potestatibus, ut diceret homini, *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset desuper* (*Joan.* XIX, 11)? Quæ virtus non evacuetur, cum ipse per quem cœli solidati sunt, ideo regnat in credentibus, quia usque ad crucem mortemque infirmatus est? Hoc autem modo Filius proprie regnat in fide credentium. Non enim Pa-

[1] Rat. et plerique Mss., *eritis.*

[2] Sic Rat. et Mss. At Er. et Lov., *evacuavit.* — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

[3] [illegible] *[illegible] hominis* : quibus Mss prope omnes dissentiunt.

ter dici aut credi potest vel incarnatus, vel judicatus, vel crucifixus. Per speciem autem, qua æqualis est Patri, cum Patre regnat in contemplantibus veritatem. Quod autem tradet regnum Deo et Patri, a fide incarnationis suæ ad speciem deitatis perducens eos qui sibi nunc credunt, non ipse amittit, sed uterque se unum ad fruendum contemplantibus præbet. Tamdiu autem opus est ut in hominibus nondum valentibus æqualitatem Patris et Filii perspicua mentis luce contueri, per hoc regnet Christus, quod tales capere possunt, et quod proprie ipse suscepit, id est, incarnationis humilitatem, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis : id est, donec omnis superbia sæcularis incarnationis ejus humilitati subdatur.

10. Sane quod dictum est, *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia ;* quamvis secundum susceptionem hominis dicatur, quia inde est quæstio nata, cum ageret de resurrectione mortuorum : tamen recte quæritur utrum secundum ipsum tantum dictum sit, quod est caput Ecclesiæ (*Ephes.* v, 23) ; an secundum universum Christum, annumerato corpore et membris ejus. Cum enim ait ad Galatas, *Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis ; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus ;* ne ipsum hoc loco solum intelligeremus Christum, qui de Maria virgine est natus, postea dicit, *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis* (*Galat.* III, 16, 28, 29). Et ad Corinthios cum de charitate diceret, de membris corporis similitudinem ducens : *Sicut enim corpus unum est,* inquit, *et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus ; ita et Christus.* Non dixit, ita et Christi ; sed, *ita et Christus,* ostendens Christum recte appellari etiam universum, hoc est, caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. Et multis Scripturarum locis invenimus Christum etiam hoc modo appellari, ut cum omnibus suis membris intelligatur, quibus dictum est, *Vos estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 12, 27). Non ergo absurde sic intelligimus, *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia ;* ut Filium non solum caput Ecclesiæ, sed et omnes cum eo sanctos intelligamus, qui sunt unum in Christo, unum semen Abrahæ : subjectum autem secundum contemplationem sempiternæ veritatis, ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte corporis resistente ; *ut* in illa vita nemine amante propriam potestatem, *sit Deus omnia in omnibus.*

LXX. *De eo quod Apostolus dicit :* Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus vero peccati lex (I *Cor.* XV, 54-56).

Mortem significari arbitror[1] hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectatione[2] temporalium fruendorum. Non enim diceretur? *Ubi est, mors, contentio tua?* si non restitisset et repugnasset. Ipsius contentio etiam illo loco describitur : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem sibi resistunt et adversantur , ut non quæ vultis illa faciatis* (*Galat.* v, 17). Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato et vivificato, id est, bonæ voluntati subjiciatur. Et sicut nunc videmus multis puerilibus delectationibus nos carere, quæ nos pueros, si denegarentur, acerrime cruciabant : ita credendum est de omni carnali delectatione futurum esse, cum perfecta sanctitas totum hominem reparaverit. Nunc autem quamdiu est in nobis quod resistat bonæ voluntati, auxilio Dei per bonos homines et bonos Angelos indigemus, ut donec sanetur vulnus nostrum, non ita molestet[1], ut perimat etiam bonam voluntatem. Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat ante omni modo in libero arbitrio, cum in paradiso nullus dolor denegatæ delectationis[2] voluntati bonæ hominis resistebat, sicuti nunc. Verbi gratia, si quisquam existat quem nunquam delectavit venatio, omni modo liber est utrum venari velit an nolit, nec eum cruciat quisquis hoc prohibet. At si ista libertate male usus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim subrepens delectatio mortificat animam, ut si se abstinere velit, absque molestia et sine angore non possit, cum id ante tota sanitate non ageret. Ergo *aculeus mortis peccatum est ;* quia peccato facta est delectatio, quæ jam possit resistere bonæ voluntati[3], et cum dolore cohiberi. Quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, jure mortem vocamus. *Virtus autem peccati lex est ;* quia multo sceleratius et flagitiosius quæ lex prohibet committuntur, quam si nulla lege prohiberentur. Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfecta delectatione spiritualium delectatio carnalis obruetur.

LXXI. *De eo quod scriptum est :* Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2).

1. Quia Veteris Testamenti custodia timorem habebat, non potuit apertius significari Novi Testamenti donum esse charitatem, quam hoc loco, ubi Apostolus dicit, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Hanc enim Christi legem dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcepit ut nos invicem diligamus, tantum in ea sententia præcepti pondus constituens, ut diceret : *In hoc cognoscetur quoniam discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34, 35). Hujus autem dilectionis officium est, invicem onera nostra portare. Sed hoc officium, quod sempiternum non est, perducet sane ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt nostra onera, quæ invicem

[1] In editis quæstio septuagesima sic incipiebat : *Quæri solet quid sit, Mors per illud quod scriptum est : Absorpta est mors in victoriam, etc. Mortem significari arbitror,* etc. Correximus ex Mss.
[2] In editis additur, *bonorum*, quæ vox abest a Mss.

[1] Sexdecim Mss., *molestetur*.
[2] Sic Bat. et Mss. At Er. et Lov., *denegata delectatione*. — Sic etiam Lugd. et Ven. M.
[3] Omnes pene Mss., *resistere voluntati ;* omissa voce, *bonæ*.

portare jubeamur. Nunc vero cum in hac vita, id est, in hac via sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam quæ caret omni onere pervenire possimus. Sicut enim de cervis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum quæ gestant in cornibus super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem cervice projecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse qui cæteros præcedens, non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; ut lassatus sui capitis onere ille qui præcedit, post omnes recedat [1], et ei succedat cujus ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem (*Plin. lib.* 8, *cap.* 32). Istam fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait, *Cervus amicitiæ et pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum* (*Prov.* v, 19, *sec.* LXX). Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.

2. Nec tamen invicem onera nostra portaremus, si unum tempus esset infirmitatis amborum, qui onera sua sustinent, aut unum infirmitatis genus : sed diversa tempora et diversa genera infirmitatis faciunt ut onera nostra portare invicem valeamus. Verbi gratia, iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris ; ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate sua supportet. Hoc exemplum ad id pertinet, cum diversa sunt tempora portantium onera sua, quamvis ipsa diversa non sit infirmitas : in ambobus enim ab invicem ira portatur. Ad diversum autem infirmitatis genus aliud exemplum videndum est : veluti si quis loquacitatem in se vicerit, et pertinaciam nondum vicerit, alius vero adhuc loquax, sed jam pertinax non sit; debet ille hujus loquacitatem et iste illius pertinaciam, donec illud in illo et hoc in isto sanetur, charitate portare. Par quippe infirmitas in duobus si uno accidat tempore, tolerare se invicem non valent, cum adversum se intenditur. Nam adversus aliquem tertium, et duo irati sibi conveniunt, et se tolerant : quanquam nec tolerare se invicem dicendi sunt, sed potius se invicem consolari. Sicut et tristes de re una, magis se portant et quasi incumbunt sibi, quam si unus tristis esset et alius gauderet : si autem adversus se tristes sint, prorsus se tolerare non possunt. Et ideo in hujusmodi affectionibus suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo, de qua vis alium per te liberari ; et sic suscipienda, ut ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat : quemadmodum se inclinat, qui manum jacenti porrigit. Non enim se projicit, ut ambo jaceant ; sed incurvat tantum, ut jacentem erigat.

3. Neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Hinc enim admonens Apostolus ait : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum factus obediens* [1] *usque ad mortem, mortem autem crucis.* Superius enim dixerat, *Non quæ sua sunt unusquisque intendens, sed ea quæ aliorum* (*Philipp.* II, 4-8). Huic sententiæ contexuit quod dictum est, nam ita sequitur : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* Ad hoc duntaxat, ut quemadmodum ille in eo quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14), et sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendit sua, sed nostra ; ita et nos libenter, ad ejus imitationem, invicem onera nostra portemus.

4. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio, quia ille suscepit hominem, nos autem homines sumus : et considerare debemus quod ægritudinem sive animi, sive corporis, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuerimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si forte nos in ea essemus, et ipse non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (I *Cor.* IX, 22) : cogitando scilicet in eo vitio etiam se esse potuisse, unde cupiebat alium liberare. Compatiendo enim potius id agebat, non mentiendo, sicut quidam suspicantur, et hi maxime qui suis mendaciis defendendis, quæ negare non possunt, alicujus magni exempli patrocinium quærunt.

5. Deinde etiam illud cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet, ne arbitreris quoniam tua quædam bona eminent et apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, et fortassis majoris ponderis bona quibus te superat nescientem. Non enim falli [2] nos, aut adulatione potius uti, Apostolus jubet, cum dicit, *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis alter alterum existimantes superiorem sibi* (*Philipp.* II, 3). Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus ; sed vere existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam, et acuentes charitatem [3], faciunt onera fraterna invicem, non solum æquo animo, sed etiam libentissime sustineri. Nullo modo autem de quoquam homine incognito ferenda sententia est : et nemo nisi per amicitiam cognoscitur. Et ideo amicorum mala firmius sustinemus, quia bona eorum nos delectant et tenent.

6. Nullius itaque repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam ; non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque ita tractetur, ut recipi possit. Illum enim receptum in amicitiam

[1] Er. Rat. et Mss., *redeat.*— Sic etiam Lugd. et Ven. M.

[1] Lov., *obediens Patri.* Abest, *Patri,* ab editis aliis et Mss.
[2] Sic plerique Mss. At editi, *fallit.*
[3] Tres Mss., *augentes charitatem.*

possumus dicere, cui omnia consilia nostra refundere audeamus. Et si quisquam est qui se non audet ingerere ad amicitiam faciendam, cum aliquo nostro temporali honore aut dignitate revocetur, descendendum est ad eum, et offerendum illi quadam comitate et submissione animi, quod petere per se ipse non audet. Sed quamvis rarius, tamen aliquoties accidit ut ejus quem volumus in amicitiam recipere, prius nobis innotescant mala quam bona, quibus offensi et quodam modo repercussi relinquimus eum, et ad bonorum ejus[1], quæ forte occultiora sunt, indagationem non pervenimus. Admonet itaque Dominus Jesus Christus, qui nos vult effici imitatores suos, ut ejus infirma toleremus, ut ad quædam sana, in quorum delectatione acquiescamus, per charitatis tolerantiam perducamur. Ait enim : *Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus* (*Matth.* IX, 12). Ideoque, si propter Christi charitatem etiam eum qui omni ex parte fortassis ægrotat[2], repellere ab animo non debemus, quoniam sanari potest per Verbum Dei ; quanto minus eum qui propterea nobis videri potest totus ægrotus, quia quædam ejus saucia in primo ingressu amicitiæ non potuimus sustinere, et quod est gravius, cum offensione animi de toto homine ausi sumus temerariam præjudicii ferre sententiam, non timentes quod dictum est, *Nolite judicare, ut non judicemini*; et, *In qua mensura mensi fueritis, in eamdem remetietur vobis* (*Id.* VII, 1, 2). Sæpe autem illa quæ bona sunt, prius apparent : in quibus etiam temerarium benevolentiæ judicium cavendum est, ne cum totum bonum putaveris, ea quæ postea mala apparuerint, securum et imparatum te inveniant, et gravius offendant ; ut eum quem temere dilexeras acerbius oderis, quod nefas est. Quia etiamsi nulla ejus bona præcederent, et hæc quæ postea apparuerunt mala, prius eminerent, toleranda tamen erant, donec omnia cum illo ageres, quibus talia sanari solent : quanto magis cum ea bona præcesserunt, quæ tanquam pignora nos debent ad posteriora toleranda constringere?

7. Ipsa est ergo lex Christi, ut invicem onera nostra portemus. Christum autem diligendo, facile sustinemus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter bona sua diligimus. Cogitamus enim quia ille quem diligimus, Dominus propter eum mortuus est. Quam charitatem apostolus Paulus nobis ingessit, cum diceret : *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est* (I *Cor.* VIII, 11)! Ut si illum infirmum propter vitium quo infirmus est, minus diligimus, illum in eo consideremus, qui mortuus est propter illum. Christum autem non diligere, non infirmitas, sed mors est. Quapropter ingenti cura et implorata Dei misericordia vigilandum est, ne Christum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Christum.

¹ Sic plerique MSS., *et ad bona ejus* ; paulòque post, *investigationem*.
² Editi, *qui ex parte non omnes fortassis ægrotat* ; [illegible] *qui omni ex parte fortassis ægrotat* [illegible] *qui propterea nobis videri potest*.

LXXII. *De temporibus æternis.*

Quæri potest quomodo ab ipso apostolo Paulo dictum sit, *Ante tempora æterna* (*Tit.* I, 2). Si enim tempora, quomodo æterna? Nisi forte ante omnia tempora intelligi voluit. Quia si dixisset, *ante tempora*, neque addidisset, *æterna* ; posset accipi, ante quædam tempora, quæ ante se haberent alia tempora. Æterna autem maluit dicere quam omnia, fortassis ideo, quia tempus non cœpit ex tempore. An tempora æterna ævum significavit ; inter quod et tempus, hoc distat, quod illud stabile est, tempus autem mutabile (*a*)?

LXXIII. *De eo quod scriptum est :* **Et habitu inventus ut homo** (*Philipp.* II, 7).

1. Multis modis habitum dicimus : vel habitum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ perceptio, usu roborata atque firmata ; vel habitum corporis, secundum quem dicimus alium alio esse succulentiorem et validiorem, quæ magis proprie habitudo dici solet ; vel habitum eorum quæ membris nostris accommodantur extrinsecus, secundum quem dicimus vestitum, calceatum, armatum, et si quod ejusmodi est. In quibus omnibus generibus (si quidem nomen hoc ductum est ab illo verbo, quod est habere) manifestum est in ea re dici habitum, quæ accidit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Nam et doctrina accidit animo, et succus ac robur corpori ; et vestis atque arma, non dubium est quin accidant membris nostris : ita ut et imperitus possit esse animus, si ei doctrina non accideret ; et exile atque languidum corpus, sine succo viscerum et robore ; et nudus sine veste, et inermis sine armis, et pede nudo sine calceamentis esse homo potest. Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Verumtamen hoc interest, quod quædam eorum quæ accidunt nobis, ut habitum faciant, non mutantur a nobis, sed ipsa nos mutant in se, ipsa integra et inconcussa manentia : sicuti sapientia, cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam vero sic accidunt, ut et mutent et mutentur : sicuti cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur ; et nos refecti cibo, ab exilitate atque languore in robur atque valentiam commutamur. Tertium vero genus est, cum ipsa quæ accidunt, mutantur ut habitum faciant, et quodam modo formantur ab eis quibus habitum faciunt, sicuti est vestis : nam cum reposita[1] vel projecta est, non habet eam formam, quam sumit cum induitur atque inducitur membris. Ergo induta accipit formam quam non habebat exuta ; cum ipsa membra, et cum exuuntur, et cum induuntur, in suo statu permaneant. Potest esse et quartum genus, cum ea quæ accidunt, ad faciendum habitum, nec ea mutant quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur : sicuti annulus digito, si non nimis subtiliter attendatur. Verumtamen hoc genus aut nullum est, si diligenter discutias, aut omnino rarissimum.

¹ [illegible] *deposita*.
(*a*) Lib. 12 de Civit. Dei, cap. 16.

2. Cum ergo Apostolus de unigenito Dei Filio loqueretur, quantum pertinet ad ejus divinitatem, secundum id quod verissimus Deus est, *æqualem* dixit esse *Patri*, quod *non* ei fuit tanquam *rapinam*, id est, quasi alienum appetere, si semper manens in ea æqualitate, nollet homine indui, et hominibus ut homo apparere: sed *semetipsum exinanivit*, non formam suam mutans, sed *formam servi accipiens*, neque conversus aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed quanquam [1] verum hominem suscipiendo, ipse susceptor, *in similitudinem hominum factus*, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit, *habitu inventus est ut homo* (*Philipp.* II, 6, 7); id est, habendo hominem, inventus est ut homo. Non enim poterat inveniri Deus [2] ab iis qui cor immundum habebant, et Verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo quod possent videre, et per quod ad illud lumen interius ducerentur. Iste autem habitus non est ex primo genere; non enim manens in se natura hominis naturam Dei commutavit: neque ex secundo; non enim et mutavit homo Deum, et mutatus est ab illo: neque ex quarto; non enim sic assumptus est homo, ut neque ipse mutaret Deum, nec ab illo mutaretur: sed potius ex tertio; sic enim assumptus est, ut commutaretur in melius, et ab eo formaretur ineffabiliter excellentius atque conjunctius quam vestis, cum ab homine induitur. Hoc ergo habitus nomine satis significavit Apostolus quemadmodum dixerit, *in similitudinem hominum factus;* quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est homine, quem sibi uniens quodammodo atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. Sed illum habitum, qui est in perceptione sapientiæ et disciplinæ, Græci ἕξιν vocant: hunc autem, secundum quem dicimus vestitum vel armatum σχῆμα potius vocant. Ex quo intelligitur de isto genere habitus locutum Apostolum; quandoquidem in græcis exemplaribus σχήματι scriptum est, quod nos in latinis *habitu* habemus. Quo nomine oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicuti nec membra veste induta mutantur: quanquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit: sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanæ fragilitatis assumptione [3], electum est ut græce σχῆμα, et latine diceretur habitus illa susceptio.

LXXIV. *De eo quod scriptum est in Epistola Pauli ad Colossenses: In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 14, 15).

Imago et æqualitas et similitudo distinguenda sunt. Quia ubi imago, continuo similitudo, non continuo æqualitas: ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago: ubi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas. Ubi imago, continuo similitudo, non continuo æqualitas: ut in speculo est imago hominis, quia de illo expressa est; est etiam necessario similitudo, non tamen æqualitas, quia multa desunt imagini, quæ tamen insunt illi rei de qua expressa est. Ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago: velut in duobus ovis paribus, quia inest æqualitas, inest et similitudo; quæcumque enim adsunt uni, adsunt et alteri; imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Ubi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas: omne quippe ovum omni ovo, in quantum ovum est, simile est; sed ovum perdicis, quamvis in quantum ovum est, simile sit ovo gallinæ, nec imago tamen ejus est, quia de illo expressum non est; nec æquale, quia brevius est, et alterius generis animantium. Sed ubi dicitur, Non continuo, utique intelligitur quia esse aliquando potest. Potest ergo esse aliqua imago in qua sit etiam æqualitas: ut in parentibus et filiis inveniretur imago et æqualitas et similitudo, si intervallum temporis defuisset; nam et de parente expressa est similitudo filii, ut recte dicatur imago, et potest esse tanta, ut recte etiam dicatur æqualitas, nisi quod parens tempore præcessit. Ex quo intelligitur et aliquando æqualitatem non solum similitudinem habere, sed etiam imaginem; quod in superiori exemplo manifestum est. Potest etiam aliquando similitudo esse et æqualitas, quamvis non sit imago; ut de duobus ovis paribus dictum est. Potest etiam similitudo et imago esse, quamvis non sit æqualitas; ut in speculo ostendimus. Potest et similitudo esse, ubi et æqualitas et imago sit; sicut de filiis commemoravimus, excepto tempore, quo præcedunt parentes. Sic enim æqualem syllabam syllabæ dicimus; quamvis altera præcedat, altera subsequatur. In Deo autem, quia conditio temporis vacat; non enim potest recte videri Deus in tempore generasse Filium, per quem condidit tempora: consequens est ut non solum sit imago ejus, quia de illo est, et similitudo, quia imago (*Coloss.* I, 15); sed etiam æqualitas tanta, nec temporis quidem intervallum impedimento sit.

LXXV. *De hæreditate Dei.*

1. Sicut Apostolus ad Hebræos dicit, *Testamentum testatoris morte firmatur* (*Hebr.* IX, 17); propterea mortuo pro nobis Christo, Novum Testamentum firmatum esse asserit: cujus similitudo Vetus Testamentum erat, in quo mors testatoris per victimam præfigurabatur. Si ergo quæratur quomodo simus, secundum ejusdem Apostoli verba, *cohæredes Christi*, et *filii* atque *hæredes Dei* (*Rom.* VIII, 17); cum etiam hæreditas morte decessoris firma teneatur, nec ullo alio modo possit hæreditas intelligi: respondetur, ipso quidem mortuo factos nos esse hæredes, quoniam filii ejus etiam dicti sumus. *Non jejunant*, inquit, *filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus* (*Matth.* IX, 15). Hæredes ergo ejus [1] dicimur, quia reliquit nobis pacis ecclesiasticæ possessionem per fidem temporalis dispensationis, quam in hac vita possidemus, quod testatus est dicens, *Pacem meam do vobis, pacem*

[1] Sic Mss. octo. At editi, *sed tanquam*.
[2] Cisterciensis codex omittit, *Deus;* cujus vocis loco plures Mss. habent, *ut homo*.
[3] Rat. Er. et plerique Mss., *assumptor*. — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

[1] Vox, *ejus*, abest a Rat. et pluribus Mss.

relinquo vobis (*Joan.* XIV, 27). Cohæredes autem ejus efficiemur, cum in fine sæculi mors absorbebitur in victoriam (I *Cor.* XV, 54). Tunc enim similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Quam hæreditatem non ejus Patris morte adipiscimur, qui mori non potest; quandoquidem ipse fit hæreditas nostra, secundum illud quod scriptum est, *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV, 5) : sed quoniam, cum vocati sumus adhuc parvuli, et ad spiritualia contemplanda minus idonei, usque ad humillimas nostras cogitationes se divina miseratio porrexit, ut quomodocumque cernere niteremur, quod non evidenter atque perspicue cernebamus, idipsum moritur quod in ænigmate cernebamus, cum facie ad faciem cernere cœperimus. Convenienter ergo dicitur moriturum esse quod auferetur : *Cum autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est* (I *Cor.* XIII, 10). Ita nobis quodam modo moritur Pater in ænigmate, et idem ipse fit hæreditas, cum facie ad faciem videtur [1]; non quia ipse moritur, sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur : et tamen nisi illa prior nos nutriret, ad aliam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei.

2. Quod si etiam de Domino Jesu Christo, non secundum Verbum in principio Deum apud Deum (*Joan.* I, 1), sed secundum puerum, qui proficiebat ætate ac sapientia (*Luc.* II, 40), pius intellectus admittit, propria illa susceptione servata, quæ communis ei cum cæteris hominibus non est, cujus tanquam morte possideat hæreditatem, manifestum est. Non enim nos cohæredes ejus esse possumus, nisi et ipse hæres sit. Si autem pietas hoc non admittit, ut primo ex parte videret homo Dominicus (*a*), deinde ex toto quanquam in sapientia proficere dictus sit; in corpore suo intelligatur hæres, id est Ecclesia, cujus cohæredes sumus : quemadmodum filii ejus matris dicimur, quamvis ex nobis constet.

3. Sed rursum quæri potest, cujus morte facti simus etiam nos hæreditas Dei, secundum illud, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam* [2] (*Psal.* II, 8) : nisi forte hujus mundi, quo prius tanquam dominante tenebamur. Post autem cum dicimus, *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14); possidet nos Christus, mortuo illo qui nos possidebat : cum ei renuntiamus morimur illi, et ipse nobis.

LXXVI. *De eo quod apostolus Jacobus dicit :* Vis autem scire, o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est *(Jacobi* II, 20)?

1. Quoniam Paulus apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiamsi male operarentur, et facinorose flagitioseque viverent, salvos se esse posse per fidem : locus iste hujus Epistolæ eumdem sensum Pauli apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit (*Jacobi* II, 17-24). Ideoque magis Abrahæ utitur exemplo, vacuam esse fidem, si non bene operetur [1]; quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus apostolus usus est, ut probaret justificari hominem per fidem sine operibus Legis (*Rom.* IV, 2). Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit Paulum apostolum non ita per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari; sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum [2] operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide. In hoc enim se Gentibus in Christum credentibus Judæi præferre cupiebant, quod dicebant se meritis bonorum operum quæ in Lege sunt, ad evangelicam gratiam pervenisse : ideoque scandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quod incircumcisis Gentibus Christi gratia traderetur. Unde apostolus Paulus dicit posse hominem sine operibus, sed præcedentibus, justificari per fidem. Nam justificatus per fidem quomodo potest nisi juste deinceps operari, quamvis antea nihil operatus juste, ad fidei justificationem pervenerit, non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quæ in illo jam vacua esse non potest [3] cum jam per dilectionem bene operatur? Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit [4], justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur. Unde manifestum est, quod Paulus apostolus dicit, *Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus* (*Id.* III, 28), non ita intelligendum esse, ut accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum, etiamsi male vixerit. Ideo exemplo Abrahæ et apostolus Paulus utitur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est; et Jacobus, quia fidem ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit quod Paulus apostolus prædicavit.

2. Nam qui putant istam Jacobi apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco : *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*Id.* II, 13). Et alio loco : *Sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). Et iterum : *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VIII, 13). Quæ sint autem facta carnis, quæ operibus spiritualibus mortificanda sunt, alio loco demonstrat, dicens : *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, commessationes,*

[1] Bat. Fr. et viginti Mss., *possidetur*. — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

[2] Fr. et Lov. post, *hæreditatem tuam*, repetebant, *Hæreditatem autem tuam*, quod abest a Bat. et Mss. — Lugd. et Ven. habent eamdem lectionem ac editiones Fr. et Lovaniensium. M.

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 8.

[1] Duo Mss. cum Bat., *fidem sine operibus, quoniam*, etc.

[2] Editi cum aliquot Mss. addunt hic, *bonorum*.

[3] Sex Mss., *sed gratia Dei, quæ vacare in illo non potest*.

[4] Totidem Mss., *discesserit*.

et his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt (*Galat.* v, 19-21). Et ad Corinthios ait : *Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (*I Cor.* vi, 9-11). Quibus sententiis manifestissime docet non eos præterito bono opere ad fidei justificationem pervenisse; nec meritis eorum istam gratiam datam, quando dicit, *Et hæc quidem fuistis :* sed cum dicit, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt;* satis ostendit, jam ex quo crediderunt, bene operari debere. Quod et Jacobus dicit, et multis omnino locis idem apostolus Paulus satis aperteque prædicat, recte vivendum omnibus qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perveniant. Quod et ipse Dominus commemorat, dicens : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* vii, 21). Et alibi : *Utquid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico vobis* (*Luc.* vi, 46)? Et, *Omnis qui audit verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam supra petram*, etc. *Et qui audit verba mea hæc et non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam*, etc. (*Matth.* vii, 24-27). Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum apostolorum sententiæ, Pauli et Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit inanem esse fidem sine operibus : quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur; sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.

LXXVII. *De timore, utrum peccatum sit.*

Omnis perturbatio, passio; omnis cupiditas, perturbatio : omnis igitur cupiditas, passio. Omnis autem passio, cum est in nobis, ipsa passione patimur; et in quantum passio est, patimur : omnis igitur cupiditas, cum est in nobis, ipsa cupiditate patimur; et in quantum cupiditas est, patimur. Omnis autem passio, in quantum ipsa passione patimur, non est peccatum : sic et si patimur timorem, non est peccatum. Tanquam si diceretur, Si bipes est, non est pecus. Si ergo propterea hoc non est consequens, quia multa sunt pecora bipedia; propterea et illud non est consequens, quia multa sunt peccata quæ patimur. Hoc enim contra dicitur, non esse consequens ut si patimur timorem, ideo non sit peccatum. Tu autem dicis consequens esse ut si patimur timorem, non sit peccatum; cum tamen concedas [1] aliqua esse peccata quæ patimur.

LXXVIII. *De pulchritudine simulacrorum.*

Ars illa summa omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta sunt omnia, quæ etiam sapientia ejus dicitur, ipsa operatur etiam per artifices, ut pulchra atque congruentia faciant; quamvis non de nihilo, sed de aliqua materia operentur, velut ligno, aut marmore, aut ebore, et si quod aliud materiæ genus manibus artificis subditur. Sed ideo isti non possunt de nihilo aliquid fabricare [1], quia per corpus operantur; cum tamen eos numeros, et lineamentorum convenientiam, quæ per corpus corpori imprimunt, in animo accipiant ab illa summa sapientia, quæ ipsos numeros et ipsam convenientiam longe artificiosius universo mundi corpori impressit, quod de nihilo fabricatum est : in quo sunt etiam corpora animalium, quæ jam de aliquo, id est, de elementis mundi fabricantur; sed longe potentius excellentiusque, quam cum artifices homines easdem figuras corporum et formas in suis operibus imitantur. Non enim omnis numerositas humani corporis invenitur in statua; sed tamen quæcumque ibi invenitur [2], ab illa sapientia per artificis manum trajicitur [3], quæ ipsum corpus humanum naturaliter fabricat. Nec ideo tamen pro magno habendi sunt, qui talia opera fabricant, aut diligunt; quia minoribus rebus intenta anima, quas per corpus corporaliter facit, minus inhæret ipsi summæ sapientiæ, unde istas potentias habet : quibus male utitur, dum foris eas exercet; illa enim in quibus eas exercet, diligens, interiorem earum formam stabilem negligit, et inanior infirmiorque efficitur. Qui vero talia opera etiam coluerunt [4], quantum deviaverint a veritate, hinc intelligi potest, quia si ipsa animalium corpora colerent, quæ multo excellentius fabricata sunt, et quorum sunt illa imitamenta, quid eis infelicius diceremus?

LXXIX. *Quare magi Pharaonis fecerunt quædam miracula sicut Moyses famulus Dei* (*Exod.* vii, viii)?

1. Omnis anima partim privati cujusdam juris sui potestatem gerit, partim universitatis legibus sicut publicis coercetur et regitur. Quia ergo unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur, de ea re cui præposita est, aliter quasi privato jure agit, aliter tanquam publice agere cogitur. Potentior est enim parte universitas; quoniam illud quod ibi privatim agit, tantum agere sinitur, quantum lex universitatis sinit. Sed unaquæque anima tanto est pietate purgatior, quanto privato suo minus delectata, legem universitatis intuetur, eique devote ac libenter obtemperat. Est enim lex universitatis divina sapientia. Quanto autem amplius privato suo gaudet, et neglecto Deo, qui omnibus animis utiliter ac salubriter præsidet, ipsa sibi vel aliis quibus potuerit, vult esse pro Deo, suam potius in se vel in alios, quam illius in omnes diligens po-

[1] Rat. et sex Mss., *cum tamen constet.*

[1] Multis in libris verbum istud cum passiva terminatione, sicuti frequens apud Ciceronem, adhibetur tanquam deponens; proque, *fabricare*, reperitur, *fabricari :* et paulo post, *fabricata est*, pro, *fabricatum est*, etc

[2] Er. et Lov., *inveniuntur;* et infra, *trajiciuntur*. Sed verius Rat. et Mss., *invenitur.... trajicitur*. Subaudi, numerositas. Lugd. et Ven. ut Er. et Lov. M.

[3] Mss. quinque, *per artificis animum trajicitur*. Tres vero alii, *per artificis voluntatem trajicitur.*

[4] Plures Mss., *colunt.*

testatem, tanto est sordidior, tantoque magis pœnaliter divinis legibus, tanquam publicis servire cogitur. Quanto igitur etiam humana anima deserto Deo, suis honoribus vel sua potestate fuerit delectata, tanto magis subditur talibus potestatibus, quæ privato suo gaudent, et honorari ab hominibus sicut dii cupiunt: quibus divina lege sæpe conceditur, ut eis quos sibi secundum eorum merita subjugaverint, privato illo jure etiam miraculorum aliquid præstent, in his rebus exhibendorum, quibus sunt infimo, sed tamen ordinatissimo potestatum gradu præpositæ. Sed ubi divina tanquam publica lex jubet, vincit utique privatam licentiam: quanquam et ipsa privata licentia, nisi universalis potestatis divinæ permissione, nulla esset. Ideoque fit ut sancti Dei servi, quando hoc donum eos habere utile est, secundum publicam et quodammodo imperialem legem, hoc est, summi Dei potestatem imperent infimis potestatibus ad quædam visibilia miracula facienda: in illis enim Deus ipse imperat, cujus templum sunt, et quem contempta sua privata potestate ardentissime diligunt. In magicis autem imprecationibus [1], ad illecebram deceptionis, ut sibi subjugent eos quibus talia concedunt, præstant effectum precibus et ministeriis [2] eorum, privato illo jure largientes, quod sibi licet largiri honorantibus se, sibique servientibus, et quædam secum in sacramentis suis pacta servantibus. Et quando videntur imperare [3] magi, per sublimiorum nomina inferiores terrent; et nonnulla visibilia, quæ propter infirmitatem carnis magna videntur hominibus non valentibus æterna contueri, quæ per seipsum præstat dilectoribus suis verus Deus, mirantibus exhibent. Hæc autem permittit Deus juste omnia moderans, ut pro cupiditatibus et electionibus suis servitutes eorum libertatesque distribuat. Et si quando invocatione summi Dei, aliquid pro suis malis cupiditatibus impetrant, vindicta est illa, non gratia. Non enim frustra dicit Apostolus, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* (*Rom.* I, 26). Quorumdam enim peccatorum perpetrandorum facilitas pœna est aliorum præcedentium.

2. Quod autem Dominus dicit, *Non potest satanas satanam excludere* (*Marc.* III, 23): ne forte quisquam utens nominibus aliquarum infimarum potestatum, cum dæmonium excluserit, falsam putet esse istam Domini sententiam; ad hoc intelligat dictum, quia hoc modo satanas, etiamsi corpori aut corporis sensibus parcit, ideo parcit, ut ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majore dominetur. Hoc autem modo non exit satanas, sed potius in intima ingreditur, ut in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus, *Secundum principem potestatis aeris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2). Non enim sensus corporis eorum turbabat atque torquebat, aut corpora collidebat, sed in eorum voluntate, vel potius cupiditate regnabat.

3. Quod autem dicit pseudoprophetas multa signa et prodigia facturos, ita ut fallant etiam, si fieri potest, electos (*Matth.* XXIV, 24): admonet utique ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum esse arbitrandi sunt. Non enim acceptiores erant Deo, quam populus Israel, magi Ægyptiorum, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant; quamvis Moyses in virtute Dei majora potuerit (*Exod.* VII-VIII). Sed ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere discipulos, cum ait: *Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subjiciuntur; sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 20).

4. Cum ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed et diverso fine et diverso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, isti quærentes gloriam Dei: et illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia vel veneficia [1]; isti autem publica administratione, jussu ejus cui cuncta creatura subjecta est. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter eum tradit emptori, vel cuilibet donat aut commodat. Et quemadmodum plerique mali milites quos imperialis disciplina condemnat, signis imperatoris sui nonnullos possessores territant, et ab eis aliquid, quod publice non jubetur, extorquent: ita nonnunquam mali christiani, vel schismatici, vel hæretici per nomen Christi aut verba aut sacramenta christiana exigunt aliquid a potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est. Cum autem malis jubentibus cedunt, voluntate ad seducendos homines cedunt, quorum errore lætantur. Quapropter aliter magi faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali christiani: magi per privatos contractus, boni christiani per publicam justitiam, mali christiani per signa publicæ justitiæ. Nec mirum est quod hæc signa valent, cum ab eis adhibentur; quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Ex quibus fuit ille, de quo discipuli Domino nuntiaverunt, quod in nomine ejus ejiceret dæmonia, quamvis cum eis eum non sequeretur (*Id.* IX, 49). Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum atque utile judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere: contremiscunt enim hæc, ubicunque illa conspexerint. Sed nescientibus hominibus aliud jubetur divinitus, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi; sicut de Scevæ filiis in Actibus Apostolorum legimus, quibus ait immundus spiritus, *Jesum scio, et Paulum novi*:

[1] [illegible] Mss. [illegible] Michaelinus codex, [illegible]
[2] [illegible] Mss., *ministeriis*.
[3] Duo Mss., *imperitare*.

[1] [illegible] et [illegible] Mss. [illegible] et alii codices, *beneficia* — sic etiam [illegible] et [illegible] M.

vos autem, qui estis (*Act.* XIX, 14, 15)? vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide, atque ista non jactanter, sed utiliter possint, vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ, sicut Apostolus ait, *Numquid omnes virtutes? numquid omnes habent dona curationum* (I *Cor.* XII, 30)? Propter has igitur causas plerumque, ut dictum est, nescientibus hominibus jubetur divinitus, id est, ut his signis adhibitis hujusmodi potestates voluntati hominum non obtemperent.

5. Ut autem mali bonis sæpe temporaliter noceant, potestatem in eos accipiunt, ad majorem bonorum utilitatem[1], propter exercitationem patientiæ. Itaque anima christiana semper invigilet in tribulationibus suis sequi voluntatem Domini sui, ne ordinationi Dei resistendo acquirat sibi gravius judicium. Quod enim ipse Dominus agens hominem Pontio Pilato dixit, hoc et Job diabolo posset dicere: *Non haberes in me potestatem, nisi data esset tibi desuper* (*Joan.* XIX, 11). Non ergo ejus voluntas cujus malitiæ potestas in bonos datur, sed ejus voluntas a quo hæc potestas datur, debet nobis esse charissima. *Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5).

LXXX. *Adversus Apollinaristas.*

1. Cum quidam hæretici, qui Apollinaristæ ex Apollinari quodam auctore suo dicti esse perhibentur, assererent Dominum nostrum Jesum Christum, in quantum homo fieri dignatus est, non habuisse humanam mentem, inhærentes eis nonnulli, et eos studiose audientes, delectati sunt quidem ea perversitate, qua ille hominem in Deo minuebat, dicens eum non habuisse mentem, hoc est rationalem animam, qua homo a pecoribus secundum animum differt. Sed cum secum ipsi cogitarent, fatendum esse, si ita est, ut unigenitus Dei Filius, Sapientia et Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, belluam quamdam cum figura humani corporis suscepisse credatur; displicuerunt sibi, non tamen ad correctionem, ut redirent ad veritatis viam, totumque hominem a Sapientia Dei susceptum esse confiterentur, nulla diminutione naturæ: sed ampliore usi audacia, ipsam etiam animam totumque utile hominis alienantes ab eo[2], solam carnem humanam eum suscepisse dixerunt, adhibentes etiam testimonium ex Evangelio; imo illam sententiam non intelligendo, perversi confligere audent adversus catholicam veritatem, dicentes scriptum esse, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Sub his enim verbis ita Verbum volunt carni esse copulatum atque concretum, ut nulla ibi non solum mens, sed nec anima humana intersistat.

2. Quibus primo respondendum est, ideo sic esse illud in Evangelio positum, quia usque ad visibilem carnem assumptio illa humanæ naturæ a Domino facta est, atque in tota illa unitate susceptionis principaliter Verbum est, extremum autem atque ultima caro. Volens itaque Evangelista commendare pro nobis dejectionem[1] humilitatis Dei, qui se humiliaverit, et quousque humiliaverit exprimens, Verbum carnemque commemoravit, prætereundo animæ naturam, quæ Verbo inferior est, carne vero præstantior. Magis enim commendat humilitatem, quia dictum est, *Verbum caro factum est*, quam si diceretur, Verbum homo factum est. Nam si minus[2] hæc attendantur verba, potest aliquis eorum nimium perversitate his verbis ita calumniari fidei nostræ, ut dicat ipsum Verbum conversum et commutatum esse in carnem, et Verbum esse desiisse, quia scriptum est, *Verbum caro factum est*: sicut caro humana, cum fit cinis, non est caro et cinis, sed ex carne cinis. Et secundum loquendi modum consuetudinemque loquentium, quidquid fit quod non erat, desinit esse quod erat. Nec tamen ita hæc verba intelligimus, sed etiam ipsi nobiscum ita intelligunt, ut manente Verbo quod est, ex eo quod accepit formam servi, non ex eo quod in illam formam aliqua mutatione conversum est, dictum sit, *Verbum caro factum est.* Deinde si ubicumque caro fuerit nominata et anima tacita, sic intelligendum est ut anima ibi non esse credatur, nec illi habebunt animam, de quibus dictum est, *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Isai.* XL, 5; *Luc.* III, 6); et illud in Psalmo, *Exaudi preces meas; ad te omnis caro veniet* (*Psal.* LXIV, 3); et illud in Evangelio, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* XVII, 2). Unde intelligitur, solere homines per nominationem solius carnis significari, ut secundum hanc locutionem etiam illud possit intelligi; ut quod dictum est, *Verbum caro factum est*, nihil sit dictum, nisi, Verbum homo factum est. Sicut enim a parte totum plerumque nominata sola anima homo intelligitur, sicut est illud, *Tot animæ descenderunt in Ægyptum* (*Gen.* XLVI, 22, 27): sic rursus a parte totum, etiam nominata sola carne homo intelligitur, sicut sunt ista quæ posuimus.

3. Proinde, quemadmodum nos huic objectioni eorum, quam ex Evangelio proponunt, ita respondemus, ut nullus hominum ita desipiat, ut putet nos per hæc verba cogi ad credendum et confitendum, quod Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5) animam humanam non habuit; sic quæro quomodo ipsi respondeant tam manifestis objectionibus nostris, quibus ostendimus per innumerabiles locos evangelicæ Scripturæ narratum de illo ab Evangelistis, quod in his affectionibus fuerit, quæ sine anima esse non possunt. Non enim ea profero, quæ ipse Dominus tam multa commemorat: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38); et, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18); et, *Majorem dilectionem nemo habet*,

[1] Editi, *potestatem in eos accipientes, ad majorem fit bonorum utilitatem.* At Mss. carent verbo, *fit*; et loco, *accipientes*, habent, *accipiunt.*

[2] Plerique Mss., *sed ampliore ipsi audacia etiam animam totumque utile hominis alienante, ab eo.* Fossatensis liber, *sed ampliore sibi audacia etiam animam totam, quam habent alii homines, alienantes ab eo.*

[1] [illegible], *dilectionem*; pro quo melius tres Mss., *dejectionem.*

[2] Septem Mss., *si minus*

quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* xv, 13) : quæ mihi pervicax contradictor potest dicere figurate a Domino dicta ; sicut multa in parabolis eum locutum esse manifestum est. Nam etsi ista non ita sunt, non tamen opus est pugnaciter agere, ubi habemus Evangelistarum narrationes, per quas eum et natum de Maria virgine cognovimus, et comprehensum a Judæis, et flagellatum, et crucifixum atque interfectum, et sepultum in monumento; quæ omnia sine corpore intelligere facta nemo potest. Nec ficte aut figurate accipienda quisquam vel dementissimus dixerit; cum dicta sint ab eis qui res gestas, ut meminerant, narraverunt. Sicut ergo ista corpus eum habuisse testantur, sic eum indicant habuisse animam affectiones illæ, quæ non possunt esse nisi in anima : quas nihilominus eisdem Evangelistis narrantibus legimus. Et miratus est Jesus (*Matth.* viii, 10), et iratus (*Joan.* xi, 15), et contristatus (*Marc.* iii, 5), et exhilaratus (*Joan.* xi, 15), et multa talia innumerabilia. Sicut etiam illa quæ conjuncta simul officia et corporis et animæ ostendunt : sicut sunt quod esurivit (*Matth.* iv, 2), quod dormivit (*Id.* viii, 24), quod fatigatus ab itinere sedit (*Joan.* iv, 6), et alia hujuscemodi. Non enim possunt dicere, etiam in veteribus Libris dictam esse iram Dei et lætitiam, et nonnullos hujus generis motus, nec ideo tamen esse consequens ut Deum habuisse animam credendum sit. Dicta sunt enim illa propheticis imaginationibus, non narratoria manifestatione. Nam et membra Dei dicta sunt, et manus, et pedes, et oculi, et facies, et similia : et quemadmodum ista non indicant eum habere corpus, sic nec illa animam. Quemadmodum autem narratum aliquid, ubi nominata sunt manus Christi et caput, et cætera quæ indicant ejus corpus; ita etiam quæ de animæ affectionibus eodem narrationis tenore nominata sunt, indicant ejus animam. Stultum est autem credere narranti evangelistæ quod manducaverit, et non ei credere quod esurierit. Etsi enim non est consequens ut omnis qui manducat esuriat; nam et angelum legimus manducasse (*Gen.* xviii, 8, 9, *et Tob.* xii, 19), sed esurisse non legimus : neque ut omnis qui esurit manducet, si aut officio aliquo se cohibeat, aut desit ei cibus facultasque manducandi : tamen cum utrumque narrat evangelista (*Matth.* iv, 2, *et* ix, 11), utrumque credendum est; quia utrumque sicut rerum gestarum index factum gestumque conscripsit. Sicut autem quia manducavit, sine corpore intelligi non potest; sic quia esurivit, sine anima fieri non potuit.

4. Nec illa nos terret inanis atque inepta calumnia, qua invidiose resistentes aiunt : Ergo sub necessitate positus fuit, si has affectiones animi veras habuit. Facile quippe respondemus : Ergo sub necessitate positus fuit, quia comprehensus, flagellatus, crucifixus et mortuus est : ut tandem sine pertinacia, si volunt, intelligant sic eum passiones animi, hoc est affectiones, voluntate dispensationis [1], veras tamen, ut placuit, suscepisse, quemadmodum passiones corporis eadem dispensationis voluntate sine ulla necessitate suscepit. Quemadmodum nos non voluntate morimur, sic et non voluntate nascimur : ille autem voluntate utrumque, ut oportebat, exhibuit, et tamen verissime exhibuit. Sicut ergo necessitatis nomine nec nos nec illos quisquam avellit a fide verissimæ passionis, per quam corpus ejus ostenditur : sic et nos ipso nomine necessitatis nemo deterret a fide verissimæ affectionis, per quam animam ejus agnoscimus; nec ipsos debet deterrere a consentiendo catholicæ fidei, si non eos deterret exitiabilis pudor mutandæ, quamvis falsæ, diu tamen et cum temeritate defensæ sententiæ.

LXXXI. *De Quadragesima et Quinquagesima.*

1. Omnis sapientiæ disciplina, quæ ad homines erudiendos pertinet, est Creatorem creaturamque dignoscere, et illum colere dominantem, istam subjectam fateri. Est autem creator Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* xi, 36), et ideo Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Creatura vero partim est invisibilis, sicut anima; partim visibilis, sicut corpus. Invisibili ternarius numerus tribuitur; quare diligere Deum tripliciter jubemur, *ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente* (*Matth.* xxii, 37) : corpori quaternarius numerus, propter evidentissimam naturam ejus, id est, calidam et frigidam, humidam et siccam. Universæ ergo creaturæ tribuitur septenarius. Quapropter omnis disciplina dignoscens et discernens Creatorem atque creaturam, denario numero insinuatur : quæ disciplina, quamdiu corporeis motibus temporaliter significatur, credendo constat, et rerum gestarum venientium atque transeuntium auctoritate quasi lacte parvulos nutrit; ut idoneos faciat contemplationi, quæ non venit et transit, sed semper manet : in qua quisque narratis sibi rebus divinitus temporaliter pro salute hominum gestis, sive gerendis quæ adhuc futura prædicantur, si permanserit in fide et promissa speraverit, et quæ divina auctoritas præcipit infatigabili charitate implere curaverit, recte aget vitam hujus necessitatis et temporis, quæ numero quadragenario commendatur. Quoniam denarius numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus, id est, numero qui corpori tribuitur multiplicatus, quia per motum corporalis [1] administratio geritur, qua dictum est fidem constare, quadragenarium numerum conficit. Ita impetrat etiam stabilem et nullius temporis indigentem sapientiam, quæ denario numero commendatur, ut ad quadraginta addantur decem; quia et partes æquales quadragenarii numeri simul ductæ ad quinquaginta perveniunt. Partes autem æquales habet quadragenarius numerus, primo quadraginta in singulis, deinde viginti in binis, decem in quaternis, octo in quinis, quinque in octonis, quatuor in denis, duas in vicenis. Unum ergo et duo et quatuor et quinque et octo et decem et viginti simul ducta efficiunt quinquaginta. Quapropter sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus computatis parit amplius denarium, et fit quinquagenarius : sic

[1] Sic decem Mss. Editi autem hoc tantum loco, *voluntatis dispensatione.*

[1] Tres Mss., *per motus corporales.* Paulo post Rat. et duodecim Mss., *quam dictum est fide constare.* Er., *quo dictum est vitam constare.* — Sic etiam Lugd. et Ven. M.

tempus fidei rerum pro salute nostra gestarum et gerendarum cum æquitate vitæ actum impetrat intellectum stabilis sapientiæ; ut non solum credendo, sed etiam intelligendo disciplina firmetur.

2. Et ideo ea quæ nunc est Ecclesia, quamvis filii Dei simus, ante tamen quam appareat quid erimus, in laboribus et afflictionibus agit, et in ea justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). *Nisi* enim *credideritis*, inquit, *non intelligetis* (*Isai.* VII, 9). Et hoc est tempus quo ingemiscimus et dolemus, exspectantes redemptionem corporis nostri (*Rom.* VIII, 23), quod Quadragesima celebratur. *Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2): cum addetur denarius quadragenario, ut non solum credere quæ pertinent ad fidem, sed etiam perspicuam veritatem intelligere mereamur. Talis Ecclesia, in qua nullus erit mœror, nulla permixtio malorum hominum, nulla iniquitas, sed lætitia et pax et gaudium, Quinquagesimæ celebratione præfiguratur. Propterea, posteaquam Dominus noster resurrexit a mortuis, quadraginta diebus peractis cum discipulis suis, eadem ipsa scilicet per hunc numerum insinuata temporali dispensatione, quæ ad fidem pertinet, ascendit in cœlum (*Act.* I, 3, 9), et decem aliis diebus peractis misit Spiritum sanctum (*Id.* II, 1-4): id est, ut non ad humana et temporalia, sed ad divina et æterna contuenda quodam amoris et charitatis spiramento et incendio, quadragenario denarius adderetur. Et ideo jam hoc totum, id est, quinquagenarius numerus dierum, lætitiæ celebratione, signandus est.

3. Hæc autem duo tempora, id est, unum laboris et sollicitudinis, alterum gaudii et securitatis, etiam retibus missis in mare Dominus noster significat. Nam ante passionem de reticulo dicitur misso in mare, quia tantum piscium ceperunt, ut vix ad littus trahendo perducerent, et ut retia rumperentur (*Luc.* V, 6, 7). Non enim missa sunt in dexteram partem; habet enim multos malos Ecclesia hujus temporis: neque in sinistram; habet enim etiam bonos: sed passim, ut permixtionem bonorum malorumque significaret. Quod autem rupta sunt retia, charitate violata multas hæreses exiisse significat. Post resurrectionem vero, cum vellet Ecclesiam futuri temporis præmonstrare, ubi omnes perfecti atque sancti futuri sunt, jussit mitti retia in dexteram partem; et capti sunt ingentes pisces centum quinquaginta tres, mirantibus discipulis quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta (*Joan.* XXI, 6, 11). Horum magnitudo magnitudinem sapientiæ justitiæque significat; numerus vero, ipsam disciplinam et temporali dispensatione et æterna regeneratione perfectam, quam diximus quinquagenario numero commendari. Quia enim tunc non erit opus corporalibus adjumentis, et animo continebitur fides atque sapientia; quia animo ternarium numerum tributum diximus, quinquaginta ducimus ter, et fiunt centum quinquaginta; cui numero trinitas additur, quia omnis illa perfectio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti consecrata est: ita fiunt centum quinquaginta tres, qui numerus piscium ad dexteram partem captorum invenitur.

LXXXII. *De eo quod scriptum est:* Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6).

1. Multi murmurantes sub disciplina Dei, quæstionem movent, cum vident justos sæpe graves molestias secundum hanc vitam pati: quasi propterea nihil eis prosit quod Deo serviunt, quia vel communes labores, atque indifferenter corporum atque damnorum et contumeliarum cæterorumque omnium, quæ mala mortales putant, vel etiam cæteris ampliores patiuntur propter verbum Dei atque justitiam, quæ onerosa peccantibus in ejus prædicatores tumultuosas seditiones aut insidias aut odia concitat. Quibus respondetur, quia si vita ista sola esset hominum, aut nihil prodesse, aut etiam nocere justa vita non usquequaque absurde videretur. Quanquam non defuerint qui justitiæ suavitatem et internum ejus gaudium cum corporalibus omnibus laboribus et molestiis, quas genus humanum pro conditione suæ mortalitatis patitur, cum omnibus etiam quæ propter ipsam justititiam in eos qui juste vivunt, injuriosissime cogitantur [1], ita compensarent, ut sequestrata spe futuræ vitæ jucundius et lætius præ amore veritatis torquerentur, quam luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur.

2. Sed iis tamen qui putant injustum Deum, cum justos in doloribus et laboribus vident, aut certe si non audent injustum Deum dicere, vel res humanas non curare arbitrantur, vel semel statuisse necessitates fatorum, contra quas nec ipse aliquid facit, ne ordinem rerum a se dispositum inconstantia turbare credatur; aut aliquid aliud opinantur, quod Deus in aliquo invalidus non possit a justis ista mala prohibere: dicendum est nullam fuisse futuram justitiam in hominibus, si res humanas non curaret Deus. Quia omnis ista hominum justitia, quam et tenere animus humanus recte faciendo potest, et peccando amittere, non imprimeretur animæ, nisi esset aliqua incommutabilis justitia, quæ integra inveniretur a justis, cum ad eam converterentur; integra relinqueretur a peccantibus, cum ab ejus lumine averterentur. Quæ justitia incommutabilis utique Dei est [2], nec eam porrigeret ad illustrandos ad se conversos, si res humanas non curaret. Si vero propterea gravia perpeti justos sineret [3], quia contra ordinem rerum a se dispositum nollet venire, nec ipse justus esset; non quia dispositionem suam servare vult, sed quia ita disposuit ipsum ordinem rerum, ut immeritis pœnis justi affligantur. In aliquo autem Deum esse invalidum ad repellenda mala quæ justi patiuntur, quisquis opinatur, ideo desipit, quia non intelligit, sicut nefas est injustum Deum dicere, ita nefas esse omnipotentem negare.

3. Quibus pro tempore susceptæ quæstionis breviter constitutis, quia et ipsum Deum et justum atque omnipotentem esse, perniciosissimæ iniquitatis est

[1] Tres Mss., *concitantur*.
[2] Tres Mss, *Deus est*.
[3] Er. et Lov. *non sineret*; et infra, *servare non vult*: quibus duobus locis particula negans a multis Mss. abest et a Rat. — Quam habent Er. Lov. Lugd. et Ven., ut Er. et Lov. M.

dubitare ; nulla causa probabilior occurrit, cur justi homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit. Alia est enim quæ nunc est justitia hominum ad recipiendam sempiternam salutem, alia tunc in paradiso constituti hominis esse debuit ad retinendam et non amittendam eamdem sempiternam salutem. Sicut enim justitia Dei est utilia præcipere, et inobedientibus pœnas, obedientibus autem præmia distribuere ; ita justitia est hominis, præceptis utilibus obedire. Sed quemadmodum sanitas est in animo beatitudo, ut in corpore sanitas : quemadmodum in ipso corpore alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia vero, ut amissa recuperetur ; sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur, ut eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis medici, quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut sanari possit ; quæ sæpe non sufficiunt, si talis est morbus, nisi adhibeantur a medico quædam adjutoria, plerumque aspera et dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam salutem ; unde fit ut homo, quamvis jam obtemperans medico, patiatur tamen adhuc dolores, non solum de ipso morbo nondum sanato, verum etiam de adjutorio medicinæ : ita homo per peccatum lapsus in hujus vitæ morbidam et calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accepit, quibus obtemperans jam quidem non absurde dicitur juste vivere, sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur quod scriptum est, *Quem enim diligit Dominus, corripit ; flagellat autem omnem filium quem recipit*. Qui vero non obtemperantes præceptis saluberrimis inique vivunt, augent etiam atque etiam morbos suos : et aut ex ipsis patiuntur innumerabiles miseriarum labores doloresque etiam in hac vita ; aut pœnis quoque adhibitis, ut quod sanum non est, tangatur et doleat, in quo malo sint, misericorditer admonentur, ut ad medicinam conversi per gratiam Dei sani fiant. Quæ omnia si contempserint, id est præcepta verborum [1] et dolorum, justam post hanc vitam sempiternam damnationem merebuntur. Ideoque ille potest dicere injuste ista fieri, qui solam vitam mortalem, quam nunc agimus, esse existimans, quæ divinitus prædicta sunt futura non credit, pensurus gravissima supplicia perseverantiæ peccatorum atque infidelitatis suæ.

[1] Ad marginem Lat., *verberum*.

LXXXIII. *De conjugio, in eo quod Dominus ait : Si quis dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, etc.* (*Matth.* v, 32).

Si Dominus dimittendæ conjugis solam causam fornicationis admittit, et paganum conjugium dimitti non prohibet, consequens est ut paganismus fornicatio deputetur [1]. Solam autem fornicationis causam exceptam facere Dominum, cum de dimittenda conjuge loquitur in Evangelio, manifestum est. Paganum vero conjugium hinc non prohibetur dimitti, quia cum Apostolus de hac re consilium daret, ut fidelis volentem secum esse conjugem infidelem, non dimittat, ait, *Ego dico, non Dominus* : ut Dominus intelligatur, non quidem jubere ut dimittatur, ne contra jussum ejus consilium dare videatur Apostolus, sed tamen permittere, ut nemo in ea re jussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat. Verumtamen si quisquam asserat solam illam fornicationem Dominum admittere ad causam relinquendæ conjugis, quæ vulgo dicitur fornicatio, id est quæ concubitu illicito perpetratur : hoc potest dicere, Dominum, cum de hac re loqueretur, de utroque fideli dixisse, et marito et uxore, ut si ambo fideles sint, neutri liceat alterum relinquere, nisi causa fornicationis ; ubi non potest paganismus intelligi, quia uterque fidelis est. Sic enim et Apostolus videtur distinguere, cum ait : *His autem qui in conjugio sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; quod si recesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Ubi etiam intelligitur quod si una illa causa, qua sola rejectio conjugii permittitur, mulier a viro recesserit, innupta perseverare debet : aut si se non continet, viro potius reconciliari vel correcto vel certe tolerando, quam alteri nubere. Sequitur autem, et dicit, *Et vir uxorem non dimittat* : breviter eamdem formam intimans in viro, quam præcipiebat in femina. Quibus ex præcepto Domini insinuatis ita sequitur : *Cæteris autem ego dico, non Dominus, Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam : et mulier si habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* (I *Cor.* vii, 10-13). Ubi dat intelligi Dominum de his locutum, ut neuter alterum dimitteret, si fideles ambo essent.

[1] Editi, *dimitti prohibet, consequens est ut paganismus fornicatio* (vel, *fornicationi*) *non deputetur*. Sed melior eorumdem aliquot Mss. lectio, negante particula verbo *prohibet* præfixa, non verbo *deputetur*.

DE SUBSEQUENTI OPERE [(a)]

Vide t. 1, *lib.* 2, Retractationum, *cap.* 1, *a verbis*, Librorum quos episcopus, *col.* 629, *usque ad verba*, Gratissimam plane, *col.* 631. M.

EX LIBRO DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM, CAP. IV.

« Videtis certe quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda gratia Dei laborarem [(b)] : in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam

(a) Episcopus [illegible] labente anno 395. Ambrosius autem obiit die 4 aprilis anni 397. Ita subsequens opus ad [illegible] scriptum, pertinet ad annum 397.

(b) In Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos, tom. 3.

in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, sancti Ambrosii successorem, in ipso exordio episcopatus mei. »

Ibid. infra : — « Ecce quare dixi superius, hoc apostolico præcipue testimonio (I *Cor.* IV, 7) etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem ; quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit. »

EX LIBRO DE DONO PERSEVERANTIÆ, CAP. XX

« Plenius sapere cœpi in ea disputatione quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum, episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei episcopatus exordio, quando et initium fidei donum Dei esse cognovi et asserui. »

Ibid. cap. 21 : — « Videant utrum in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos mei episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi, remanserit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari : et utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei ; et utrum ex iis quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum et gloriam. »

EX II TOMO EPISTOLA XXXVII

« Domino beatissimo et venerabiliter sincerissima charitate amplectendo patri SIMPLICIANO AUGUSTINUS, in Domino salutem.

1. « Plenas bonorum gaudiorum litteras, quod sis memor mei, meque, ut soles, diligas, magnæque gratulationi tibi sit quidquid in me donorum suorum Dominus conferre dignatus est misericordia sua, non meritis meis, missas munere Sanctitatis tuæ accepi : in quibus affectum in me paternum de tuo benignissimo corde non repentinum et novum hausi, sed expertum plane cognitumque repetivi, domine beatissime et venerabiliter sincerissima charitate amplectende.

2. « Unde autem tanta exorta est felicitas litterario labori nostro, quo in librorum quorumdam conscriptione sudavimus, ut a tua Dignatione legerentur? nisi quia Dominus, cui subdita est anima mea, consolari voluit curas meas, et a timore recreare, quo me in talibus operibus necesse est esse sollicitum, necubi forte indoctior vel incautior, quamvis in planissimo campo veritatis, offendam. Cum enim tibi placet quod scribo, novi cui placeat ; quoniam quis te inhabitet novi. Idem quippe omnium munerum spiritualium distributor atque largitor per tuam sententiam confirmabit obedientiam meam. Quidquid enim habent illa scripta delectatione tua dignum, in meo ministerio dixit Deus, Fiat, et factum est ; in tua vero approbatione vidit Deus quia bonum est.

3. « Quæstiunculas sane, quas mihi enodandas jubere dignatus es, etsi mea tarditate implicatus non intelligerem, tuis meritis adjutus aperirem. Tantum illud quæso, ut pro mea infirmitate depreceris Deum ; et sive in iis quibus me exercere benigne paterneque voluisti, sive in aliis quæcumque nostra in tuas sanctas manus forte pervenerint, quia sicut Dei data, sic etiam mea errata cognosco, non solum curam legentis impendas, sed etiam censuram corrigentis assumas. Vale. »

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
De Diversis Quæstionibus
AD SIMPLICIANUM
LIBRI DUO [1] (a).

LIBER PRIMUS.

In quo Simpliciani quæstiones ex Epistola Pauli ad Romanos duæ tractantur.

PRÆFATIO. — Gratissimam plane atque suavissimam interrogationum tuarum dignationem mihi, pater Simpliciane, misisti : quibus nisi respondere conarer, non solum contumax, verum etiam ingratus existerem. Et

[1] Titulus in antiquissimo Corbeiensi libro est : *Aurelii Augustini ad interrogata Simpliciani.*

(*a*) Scripti circiter anno 397.

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigati sunt (hi duo libri) ad Corbeiensem codicem perquam egregium ante mille annos descriptum, ad veterem librum Andegavensis Ecclesiæ, ad Genovefæanum, Victorinum, Sorbonicum, ad tres Vaticanos, ad lectiones variantes trium vel quatuor Belgicorum collectas per Lovanienses Theologos : necnon ad antiquiores editiones, Am. Er. et Lov., id est Joannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, et Lovaniensium Theologorum opera studioque concinnatas.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retractationum, *tom.* 1, *memoratas.* M.

illa quidem quæ de Paulo apostolo dissolvenda proposuisti, jam a nobis erant utcumque discussa litterisque mandata [1]. Sed tamen eadem ipsa verba apostolica tenoremque sententiarum, non contentus inquisitione atque explicatione præterita, ne quid in ea negligentius præterissem, cautius attentiusque rimatus sum. Non enim tu ea percontanda censeres, si eorum intellectus facilis atque expeditus foret.

QUÆST. PRIMA. — 1. *Lex ad quid data. Concupiscentia aucta per legem. Peccatum quomodo mortuum erat sine lege. Quomodo revixit. Lege quis male utitur. Lex nonnisi a spiritualibus impletur. Carnales dupliciter dicti. Originalis peccati pœna. Lex peccati in membris quid. Loci in quibus lex videri possit dici mala. Legem esse bonam. Manichæorum error de veteri lege. Explicantur testimonia, quibus lex videri possit non bona.* Nam ex eo loco ubi scriptum est, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit;* usque ad eum locum, ubi ait, *Igitur lex volenti mihi bonum est;* et cætera, credo usque ad illud, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 7-25) : primam nos voluisti enodare quæstionem. Quo loco videtur mihi Apostolus transfigurasse in se hominem sub lege positum, cujus verbis ex persona sua loquitur. Et quia paulo ante dixerat, *Evacuati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ*, atque ita per hæc verba quasi reprehendisse legem posset videri; subjecit statim, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

2. Hic rursus movet, Si lex non est peccatum, sed insinuatrix [2] peccati, nihilominus his verbis reprehenditur. Quare intelligendum est, legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, neque ut exstirparetur, sed tantum ut demonstraretur, quo animam humanam quasi de innocentia securam ipsa peccati demonstratione ream faceret : ut quia peccatum sine gratia Dei vinci non posset, ipsa reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur. Itaque non ait, Peccatum non feci, nisi per legem; sed, *Peccatum non cognovi, nisi per legem.* Neque rursus ait, Nam concupiscentiam non habebam, nisi lex diceret, Non concupisces; sed ait, *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces.* Unde apparet concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam.

3. Consequens autem erat ut quoniam nondum accepta gratia concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam; quia majores vires habet concupiscentia crimine prævaricationis adjuncto, cum etiam contra legem facit, quam si nulla lege prohiberetur. Consequenter itaque subjungit, *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Erat enim et ante legem, sed non omnis erat, quando crimen prævaricationis adhuc deerat. Unde alio loco dicit : *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15).

4. Quod autem adjungit, *Sine lege enim peccatum mortuum est;* pro eo positum est, ac si diceret, Latet, hoc est, mortuum putatur : quod paulo post evidentius dicturus est. *Ego autem*, inquit, *vivebam sine lege aliquando :* id est, nulla ex peccato morte terrebar [1]; quia non apparebat, cum lex non esset, *Adveniente autem mandato, peccatum revixit;* hoc est, apparuit. *Ego autem mortuus sum :* id est, mortuum me esse cognovi; vel quia reatus prævaricationis certum mortis supplicium comminatur. Sane quod ait, *Peccatum revixit adveniente mandato*, satis significavit hoc modo aliquando vixisse peccatum, id est notum fuisse [2], sicut arbitror, in prævaricatione primi hominis, quia et ipse mandatum acceperat (*Gen.* II, 17). Nam et alio loco dicit, *Mulier autem seducta in prævaricatione facta est* [3] (I *Tim.* II, 14) : et iterum, *In similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma futuri* (*Rom.* V, 14). Non enim potest reviviscere, nisi quod vixit aliquando. Sed mortuum fuerat, id est occultatum, cum mortales nati sine mandato legis homines viverent, sequentes concupiscentias carnis sine ulla cognitione, quia sine ulla prohibitione. Ergo, *Ego*, inquit, *vivebam sine lege aliquando.* Unde manifestat, non ex persona sua proprie, sed generaliter ex persona veteris [4] hominis se loqui. *Adveniente autem mandato peccatum revixit. Ego autem mortuus sum; et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem.* Mandato enim si obediatur, utique vita est. Sed inventum est esse in mortem, dum fit contra mandatum, ut non solum peccatum fiat, quod etiam ante mandatum fiebat, sed hoc abundantius et perniciosius, ut jam a sciente et prævaricante peccetur.

5. *Peccatum enim*, inquit, *occasione accepta per mandatum, fefellit me, et per illud occidit.* Peccatum non legitime utens (a) lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcius factum est, et ideo fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines consequuntur. Quia ergo ab hominibus nondum spiritualem gratiam percipientibus suavius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine. Quia vero etiam accedit reatus prævaricationis, occidit.

6. *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Jubenda enim jubet, et prohibenda prohibet. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* In male utente quippe vitium est, non in mandato ipso, quod bonum est. Quoniam bona est

[1] Post, *litterisque mandata*, Victorinus codex solus hæc addit : *ut quemadmodum exposita sunt præter libelli hujus textum, sicut jam prælata erant mea, consideranda prudentiæ tuæ.* Tum prosequitur : *Sed tamen*, etc.

[2] Am. et Er. *insinuatrix*. Favet Corbeiensis vetustissimus codex, qui habet, *insenuatrix*.

[1] Sex Mss., *tenebar*.

[2] Corbeiensis Ms., *natum fuisse*.

[3] Ita Mss. juxta græcum. At editi, *Mulier autem in prævaricatione seducta fuit*.

[4] Abest, *veteris*, a Victorino codice et vetustissimo Corbeiensi.

(a) Forte, *utenti*.

lex, si quis ea legitime utatur (I *Tim.* I, 8). Male autem utitur lege, qui non se subdit Deo pia humilitate, ut per gratiam lex possit impleri. Itaque ad nihil aliud accepit legem, qui non ea legitime utitur, nisi ut peccatum ejus quod latebat ante prohibitionem, apparere incipiat per prævaricationem. Et hoc *supra modum*; quia jam non solum peccatum fit, sed etiam contra mandatum. Sequitur ergo, et adjungit: *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Unde manifestat quo sensu dixerit superius, *Sine lege enim peccatum mortuum est*; non quia non erat, sed quia non apparebat: et quomodo dictum sit, *Peccatum revixit*; non ut esset quod erat et ante legem, sed ut appareret, quoniam fiebat contra legem: quandoquidem hoc loco ait, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Non enim ait, ut sit peccatum; sed, *ut appareat peccatum.*

7. Deinde subjungit causam, cur ita sit: *Scimus enim*, inquit, *quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum.* In quo satis ostendit non posse impleri legem nisi a spiritualibus, qui non fiunt nisi per gratiam. Spirituali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis et ipse in spiritualem surgit affectum, tanto eam magis implet; quia tanto magis ea delectatur, jam non sub ejus onere afflictus, sed ejus lumine vegetatus: quia præceptum Domini lucidum est illuminans oculos, et lex Domini immaculata convertens animas (*Psal.* XVIII, 8, 9); gratia donante peccata, et infundente spiritum charitatis, quo et non sit molesta, et sit etiam jucunda justitia. Sane cum dixisset, *Ego autem carnalis sum;* contexuit etiam qualis carnalis. Appellati sunt enim ad quemdam modum carnales, jam etiam sub gratia constituti, jam redempti sanguine Domini, et renati per fidem, quibus idem apostolus dicit: *Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* III, 1, 2). Quod dicens, utique ostendit jam renatos fuisse per gratiam, qui erant parvuli in Christo et lacte potandi, et tamen eos adhuc carnales vocat. Qui autem nondum est sub gratia, sed sub lege, ita carnalis est, ut nondum sit renatus a peccato, sed venumdatus sub peccato [1]; quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam qua fallitur, et delectatur etiam contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minus licet. Qua suavitate frui non potest quasi pretio conditionis suæ, nisi cogatur tanquam emptum mancipium servire libidini. Sentit enim se servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, et se recte prohiberi cognoscit, et tamen facit.

8. *Quod enim operor*, ait, *ignoro.* Non ita hic dictum est, *ignoro*, quasi peccare se nesciat. Nam contrarium erit quod dixit, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem;* et illud superius, *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem.* Quomodo enim apparet, aut quomodo cognovit quod ignorat? Sed ita dictum est, quomodo dicturus est Dominus impiis, *Non novi vos* (*Matth.* XXV, 12). Neque enim aliquid Deum latet, quando *vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 17). Sed dicimur aliquando ignorare quod non approbamus. Ita ergo ait, *Quod enim operor, ignoro;* id est, non approbo. Quod consequenter ostendit, dicens, *Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.* Quod ergo ait, *odi*, hoc ait, *ignoro*: quia et quibus dicturus est Dominus, *Non novi vos;* de his illi dicitur, *Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal.* V, 7).

9. *Si autem quod nolo, hoc facio; consentio legi, quoniam bona est.* Hoc enim non vult, quod et lex: nam hoc vetat lex. Consentit ergo legi, non in quantum facit quod illa prohibet, sed in quantum non vult quod facit. Vincitur enim nondum per gratiam liberatus, quamvis jam per legem et noverit se male facere, et nolit. Quod vero sequitur, et dicit, *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum;* non ideo dicit, quia non consentit ad faciendum peccatum, quamvis legi consentiat ad hoc improbandum. Loquitur enim adhuc ex persona hominis sub lege constituti (*a*), nondum sub gratia, qui profecto trahitur ad male operandum concupiscentia dominante atque fallente dulcedine peccati prohibiti, quamvis ex parte notitiæ legis hoc improbet. Sed propterea dicit, *Non ego operor illud*, quia victus operatur. Cupiditas quippe id operatur, cui superanti ceditur. Ut autem non cedatur, sitque mens hominis adversus cupiditatem robustior, gratia facit, de qua post dicturus est.

10. *Scio enim*, inquit, *quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Ex eo quod scit, consentit legi: ex eo autem quod facit, cedit peccato. Quod si quærit aliquis unde hoc scit, quod dicit habitare in carne sua non utique bonum, id est peccatum: unde, nisi ex traduce mortalitatis et assiduitate voluptatis [1]? Illud est ex pœna originalis peccati, hoc est ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur, hoc vivendo addimus. Quæ duo, scilicet, tanquam [2] natura et consuetudo, conjuncta, robustissimam faciunt et invictissimam cupiditatem, quod vocat peccatum, et dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quemdam et quasi regnum obtinere. Unde est illud in Psalmo, *Elegi abjici in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11); quasi non habitet, quamvis ibi sit, qui abjectus ibi [3] est, ubicumque sit: unde insinuat habitationem cum quodam principatu intelligendam. Si autem per gratiam fiat in nobis quod alio loco dicit, *Ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12), jam nec habitare proprie

[1] Editi, *sub lege a peccato.* At Mss., *sub peccato;* vel, *sub peccatum.*

[1] Mss. Sorbonicus et Corbeiensis, *voluntatis.*
[2] Er. omittit, *tanquam.*
[3] Tres Vaticani codices carent particula, *ibi.*
(*a*) I Retract. cap. 1.

dicitur.

11. *Velle enim*, inquit, *adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* [1]. His verbis videtur non recte intelligentibus velut auferre liberum arbitrium. Sed quomodo aufert, cum dicat, *Velle adjacet mihi?* Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet nobis : sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non enim est hæc prima natura hominis, sed delicti pœna, per quam facta est ipsa mortalitas, quasi secunda natura, unde nos gratia liberat Conditoris subditos sibi per fidem. Sed istæ nunc voces sunt sub lege hominis constituti, nondum sub gratia. Non enim quod vult facit bonum, qui nondum est sub gratia; sed quod non vult malum, hoc agit, superante concupiscentia, non solum vinculo mortalitatis, sed mole consuetudinis [2] roborata. Si autem quod non vult, hoc facit; jam non ipse operatur illud, sed quod habitat in eo peccatum : sicut superius dictum est et expositum.

12. *Invenio ergo*, inquit, *legem mihi volenti facere bonum, quoniam mihi malum adjacet* : id est, invenio legem bonum mihi esse, cum volo facere quod lex habet (a), quoniam mihi malum adjacet, ad facile faciendum. Quia superius quod ait, *Velle adjacet mihi*, ad facilitatem dixit. Quid enim facilius homini sub lege constituto, quam velle bonum et facere malum? Nam et illud sine difficultate vult, quamvis non tam facile faciat, quam facile vult; et hoc quod odit facile habet, quamvis id nolit : sicut præcipitatus sine difficultate venit in profundum, quamvis id nolit atque oderit. Hoc dixi propter verbum quod ait, *adjacet*. Perhibet igitur testimonium legi, quod bona sit, homo sub ea positus et nondum gratia liberatus; perhibet omnino eo ipso quod se reprehendit facere contra legem : et invenit eam bonum sibi esse [3], volens facere quod illa jubet, et concupiscentia superante non valens; atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.

13. *Condelector enim*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem* : ei utique legi, quæ dicit, *Non concupisces*. *Video autem*, inquit, *legem aliam in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.* Legem appellat in membris suis, onus ipsum mortalitatis, in quo ingemiscimus gravati (II *Cor.* v, 4). Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Per quod fit etiam sæpe ut invicte delectet quod non licet [4]. Quam sarcinam prementem et urgentem ideo legem appellat, quia jure supplicii divino judicio tributa et imposita est ab eo qui præmonuit hominem, dicens : *Qua die manducaveritis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17). Hæc lex repugnat legi mentis dicenti, *Non concupisces* : cui condelectatur homo secundum interiorem hominem; et antequam sit quisque sub gratia, ita repugnat, ut et captivet eam sub lege peccati, id est sub semetipsa. Cum enim dicit, *quæ est in membris meis*; hanc ostendit eamdem esse de qua superius ait, *Video aliam legem in membris meis.*

14. Hoc autem totum ideo dicitur, ut demonstretur homini captivo non esse præsumendum de viribus suis. Unde Judæos arguebat tanquam de operibus legis superbe gloriantes, cum traherentur concupiscentia ad quidquid illicitum est, cum lex de qua gloriabantur, dicat, *Non concupisces*. Humiliter ergo dicendum est homini victo, damnato, captivo, et nec saltem accepta lege victori, sed potius prævaricatori, humiliter exclamandum est, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum cujus dono eam possit implere.

15. In hac ergo tota, quam tractavimus, apostolici contextione sermonis, quisquis putat sensisse Apostolum quod mala sit lex, quoniam dicit, *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20); et, *Ministratio mortis in litteris figurata lapideis* (II *Cor.* III, 7); et, *Virtus peccati lex* (I *Cor.* XV, 56), et, *Mortui estis legi per corpus Christi ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit*; et, *Passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti; nunc vero evacuati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ* (*Rom.* VII, 4-6); et alia si qua hujusmodi Apostolum dixisse invenimus, attendat ideo esse ista dicta, quia lex auget concupiscentiam ex prohibitione, et reum obligat ex prævaricatione, jubendo quod implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant. Et ideo sub illa esse dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur, quos punit : punit autem prævaricatores omnes. Porro qui acceperunt legem, prævaricant eam [1], nisi per gratiam consequantur posse quod jubet. Ita fit ut non dominetur eis qui jam sub gratia sunt, implentibus eam per charitatem [2], qui erant sub ejus timore damnati.

16. Nam si illa quæ dicta sunt, movent, ut putetur Apostolus legem reprehendere; quid agimus de eo quod dicit, *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem?* Hoc enim dicens, legem utique laudat. Quod cum illi audiunt, respondent, hoc loco Apostolum de alia lege dicere; id est, de lege Christi, non de illa quæ data est Judæis. Quærimus ergo ab eis de qua lege dicat, *Lex autem subintravit ut abundaret delictum?* Respondent, de illa procul dubio, quam Judæi acceperunt. Vide ergo utrum ipsa sit, de qua dicitur, *Occasione accepta, peccatum per manda-*

[1] Verbum, *invenio*, abest a Mss.
[2] Sic Er. et potiores Mss. At Lov., *mole consuetudinis*.
[3] Lov., *invenit eam bonum sibi esse*. At Am. Er. et Mss., *invenit eam bonam sibi esse*.
[4] Lov., *invicte delectet quod licet*. Locum partim ad alias editiones restituimus, partim ad Mss.
(a) Forte, *jubet*.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *prævaricantur eam*.
[2] Ita in Mss. At in editis, *per gratiam*.

tum operatum est in me omnem concupiscentiam. Quid est etiam aliud, *operatum est in me omnem concupiscentiam*; quam id quod ibi est, *ut abundaret delictum?* Vide quoque utrum consonet etiam illa sententia, *ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Hoc est enim, *ut fiat supra modum peccatum*; quod est, *ut abundaret delictum.* Si igitur ostenderimus bonum esse mandatum, unde occasione accepta peccatum operatum est omnem concupiscentiam, ut fieret supra modum; simul ostendemus bonam esse legem, quæ subintravit ut abundaret delictum, id est, ut operaretur peccatum omnem concupiscentiam, et fieret supra modum. Audiant ergo eumdem apostolum dicentem, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit.* Hoc, inquiunt, de lege Christi dictum est; hoc est, de lege gratiæ. Respondeant itaque de qua intelligant illud quod sequitur: *Sed ego peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ecce verborum ipsa contextio satis indicat de qua lege dixerit, *Lex peccatum est? Absit.* De illa scilicet, per cujus mandatum occasio fuit peccato, ut operaretur omnem concupiscentiam. De illa ergo quæ subintravit ut abundaret delictum, quam putant illi malam. Sed quid apertius, quam id quod paulo post ait, *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum?* Hoc rursus dicunt non de illa lege quæ Judæis data est, sed de Evangelio dictum est. Manichæorum est enim tam ineffabiliter cæca ista perversitas. Non enim attendunt quod apertissimum et manifestissimum sequitur, *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum*: hoc est, per mandatum sanctum, et justum, et bonum; quod tamen subintravit ut abundaret peccatum, hoc est, ut fieret supra modum.

17. Cur ergo *ministratio mortis* dicitur, si bona est lex? Quia *peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Nec mireris, cum de ipsa prædicatione Evangelii dictum sit: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem* (II Cor. II, 15, 16). Ad Judæos enim dicta est lex ministratio mortis, ad quos et in lapide scripta est ad eorum duritiam figurandam; non ad eos qui legem per charitatem implent. *Plenitudo enim legis, charitas.* Ipsa enim lex, quæ in litteris est figurata lapideis, dicit, *Non adulterabis, Non homicidium facies, Non furaberis, Non concupisces*, etc. Quam legem dicit Apostolus impleri per charitatem, ita loquens: *Qui enim diligit alterum* [1], *legem implevit. Nam, Non adulterabis, Non homicidium facies, Non furaberis, Non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (Rom. XIII, 9, 10): quia et hoc in eadem lege scriptum est. Cur *virtus peccati lex*, si lex bona est? Quia peccatum per bonum operatum est mortem, ut fiat supra modum, hoc est, majores vires ex prævaricatione conciperet. Cur *mortui sumus legi per corpus Christi*, si bona est lex? Quia mortui sumus legi dominanti [1], liberati ab eo affectu quem lex punit et damnat. Usitatius enim vocatur lex, quando minatur et terret et vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex est, amantibus gratia est. Inde est illud in Evangelio: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (Joan. I, 17). Eadem quippe lex quæ per Moysen data est, ut formidaretur, gratia et veritas per Jesum Christum facta est, ut impleretur. Sic ergo dictum est, *Mortui estis legi*, ac si diceretur, Mortui estis supplicio legis, *per corpus Christi*, per quod sunt delicta donata, quæ legitimo supplicio constringebant. Cur *passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*, si lex bona est? Quia illas hic voluit intelligi peccatorum passiones, de quibus jam sæpe dictum est, augmentum concupiscentiæ de prohibitione, et reatum pœnæ de prævaricatione: hoc est, quia *per bonum operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Cur *liberati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ*, si lex bona est? Quoniam lex littera est eis qui non eam implent per spiritum charitatis, quo pertinet Testamentum Novum. Itaque mortui peccato liberantur a littera, qua detinentur rei qui non implent quod scriptum est. Lex enim quid aliud quam sola littera est eis qui eam legere noverunt, et implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis quibus conscripta est: sed quoniam in tantum nota est, in quantum scripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil est aliud talibus nisi littera; quæ littera non est adjutrix legentium, sed testis peccantium. Ab ejus ergo damnatione [2] liberantur qui per spiritum innovantur, ut jam non sint obligati litteræ ad pœnam; sed intellectui per justitiam copulati. Inde est et illud, *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II Cor. III, 6). Lex enim tantummodo lecta et non intellecta vel non impleta, utique occidit: tunc enim appellatur *littera. Spiritus autem vivificat*; quia *plenitudo legis est charitas*, quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Rom. V, 5).

QUÆST. II. — *Argumentum Epist. ad Rom. Gratia fidei præcedit bona opera. Gratia fidei minor in catechumenis, major in renatis. Scopus Apostoli in exempla Jacob et Esau. Bona opera ex gratia, non gratia ex operibus. Quomodo justa electio Jacob et reprobatio Esau. Electio Jacob an ex præscientia futuræ fidei. Electio ex gratia et proposito Dei. An fides inter dona gratiæ numeretur. Quomodo justa reprobatio Esau.*

[1] Editi, *proximum*. At Mss., *alterum*; juxta græc., *ton eteron*.

[1] Er. et plerique veteres codices, *dominanti*. Tum infra, loco, *minatur*, quinque ex iisdem Mss. habent, *dominatur*.
[2] Er. ac tres Mss., *dominatione*.

Fides donum Dei miserentis. Cur donum fidei subtractum ab Esau. An ex præscientia futuræ voluntatis improbatus Esau et approbatus Jacob. Bona voluntas in nobis fit operante Deo. Vocatio an sit effectrix bonæ voluntatis. Vocatio congrua. Cur Esau non congruenter vocatus. Obduratio Dei quæ sit. Solutio quæstionis de reprobatione Esau. Omnes homines una massa peccati. Quomodo Esau Deus odio habuit, qui nihil odit eorum quæ fecit. Peccatum quid. Vasa perditionis ad usum correctionis aliorum fiunt. Vocati non omnes, sed ex omnibus et Judæis et Gentibus. Intentio Apostoli in Epistola ad Romanos. Electio gratiæ quam occulta.

1. Sed jam, ut arbitror, tempus est ad aliam transire quæstionem, quam sic proposuisti, ut ab eo quod scriptum est, *Non solum autem* [1], *sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati essent, neque aliquid egissent bonum aut malum;* usque ad id quod scriptum est, *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* (*Rom.* IX, 10-29) : tota ipsa contextio disseratur ; et profecto est latebrosior. Sed certe, qualem te erga me novi, jubere mihi ut aperirem ista non posses [2], nisi a Domino deprecareris ut possem. Quod adjutorio fidentior factus, aggredior.

2. Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam Epistolam viget, tenebo, quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servissent, et ex hoc evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant eamdem gratiam dari Gentibus, tanquam indignis nisi Judaica sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio in Apostolorum Actibus solvitur (*Act.* XV). Non enim intelligebant, quia eo ipso quo gratia est evangelica, operibus non debetur : *alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* XI, 6). Et multis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præponens operibus, non ut opera exstinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia : ut scilicet non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est ; sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione sacramentorum gratia plenior et evidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis et orationibus dignum se præberet cui angelus mitteretur (*Act.* X, 1-4) : sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset ; nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum ; sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi et sancto Dei templo deputentur. *Templum enim Dei sanctum est*, inquit Apostolus, *quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Et ipse Dominus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5). Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes : non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil tamen horum sine gratia misericordiæ Dei : quia et opera si qua sunt bona, consequuntur, ut dictum est, illam gratiam, non præcedunt.

3. Quam rem persuadere Apostolus volens, quia sicut alio loco dicit, *Gratia enim Dei salvi facti sumus; et* [1] *non ex nobis, sed Dei donum est : non ex operibus, ne forte quis extollatur* (*Ephes.* II, 8, 9); de his qui nondum nati erant, documentum dedit. Nemo enim posset dicere quod operibus promeruerat Deum Jacob nondum natus, ut divinitus diceretur, *Et major serviet minori*. Ergo, *Non solum*, inquit, Isaac promissus est, cum dictum est, *Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius* : qui utique nullis operibus promeruerat Deum, ut nasciturus promitteretur, ut in Isaac vocaretur semen Abrahæ ; id est, illi pertinerent ad sortem sanctorum quæ in Christo est, qui se intelligerent filios promissionis, non superbientes de meritis suis, sed gratiæ vocationis [2] deputantes quod cohæredes essent Christi ; cum enim promissum est ut essent, nihil utique meruerant qui nondum erant : *sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri*. Vigilantissime ait, *ex uno concubitu* (gemini enim concepti erant) : ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam forte diceret, Ideo talis natus est filius, quia pater ita erat affectus illo in tempore quo eum sevit in utero matris ; aut ita erat mater affecta, cum eum concepit. Simul enim ambos uno tempore ille sevit, eodem tempore illa concepit. Ad hoc commendandum ait, *ex uno concubitu;* ut nec astrologis daret locum, vel eis potius quos genethliacos appellaverunt, qui de natalibus nascentium mores et eventa conjectant. Quid enim dicant, cur una conceptione sub uno utique temporis puncto, eadem dispositione cœli et siderum, ut diversa singulis annotari omnino non possent, tanta in illis geminis diversitas fuerit, prorsus non inveniunt : et facile animadvertunt, si volunt, responsa illa quæ miseris venditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione proferri. Sed ut de re quæ agitur potius loquamur, ad frangendam atque dejiciendam superbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, et audentium gloriari de meritis suis, ista commemorantur. *Cum enim nondum nati fuissent,*

[1] Editi cum Vulgata consentientes : *Non solum autem illa.* At Mss. convenientes cum græca lectione nullum addunt, *illa*. Cujus quidem vocis loco in antiquis latinis Bibliis reperire est, *illi* : sed neutram vocem legisse videtur Augustinus, qui [illegible] propositionem : *Non solum autem*, [illegible] Isaac promissus est.
[2] Sic Mss. Editi vero, *possem*.

[1] Isthæc verba : *Gratia enim Dei salvi facti sumus, et*, desunt in [illegible] et plerisque Mss.
[2] [illegible] Mss., *gratiæ vocationi*.

neque aliquid egissent bonum vel malum, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori. Vocantis est ergo gratia; percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet; nec ideo bene currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est : sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest juste vivere, qui non fuerit justificatus? quomodo sancte vivere, qui non fuerit sanctificatus? vel omnino vivere [1], qui non fuerit vivificatus? Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere juste. Prima est igitur gratia, secunda opera bona [2] : sicut alio loco dicit, *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* (*Rom.* IV, 4). Sicut illa immortalitas post opera bona, si tamen vel ipsa ex debito poscitur : sicut idem ait, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (II *Tim.* IV, 7, 8). Forte enim quia dixit, *reddet*, jam fit ex debito [3]. Cum vero *ascendens in altum captivavit captivitatem*, non reddidit, sed *dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV, 8). Unde enim ipse Apostolus tanquam debitum reddi sibi præsumeret, nisi prius indebitam gratiam percepisset, qua justificatus bonum agonem certaret? Fuit enim blasphemus et persecutor et injuriosus; sed misericordiam consecutus est, ut ipse testatur (I *Tim.* I, 13) : credens utique in eum qui justificat, non pium, sed impium (*Rom.* IV, 5), ut justificando pium faciat.

4. *Non ex operibus*, inquit, *sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori.* Ad hoc pertinet quod ait, *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum aut malum;* ut posset dici, *Non ex operibus, sed ex vocante.* Unde occurrit animo quærere, cur dixerit, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret?* Quomodo est enim justa, aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob nondum natus et nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla existente differentia qua eligeretur. Item si nullo merito improbatus est Esau, quia et ipse nondum natus et nihil operatus erat, cum diceretur, *Et major serviet minori;* quomodo ejus improbatio justa dici potest? Qua ergo discretione, quo æquitatis examine quod sequitur intelligimus, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui?* Quod quidem scriptum est in propheta qui longe posterior prophetavit, quam illi nati et mortui sunt : sed tamen illa sententia videtur commemorata, qua dictum est, *Et major serviet minori;* et antequam nati et aliquid operati essent. Unde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis nondumque aliquid operatum, ut esset omnino meritorum? An forte sunt aliqua naturarum? quis hoc intelligat, ex uno patre, ex una matre, ex uno concubitu, ex uno creatore? An quemadmodum ex eadem terra [1] idem creator produxit diversa animantium atque germinantium genera, ita ex eodem hominum conjugio atque complexu produxit in geminis diversam prolem, unam quam diligeret, alteram quam odisset? Nulla ergo electione [2], antequam esset quod eligeretur. Si enim bonus factus est Jacob, ut placeret, unde placuit antequam fieret, ut bonus fieret? Non itaque electus est ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.

5. An ideo *secundum electionem*, quia omnium Deus præscius etiam futuram fidem vidit in Jacob nondum nato; ut quamvis non ex operibus suis justificari quisque mereatur, quandoquidem bene operari nisi justificatus non potest, tamen quia ex fide justificat gentes Deus (*Galat.* III, 8), nec credit aliquis nisi libera voluntate, hanc ipsam fidei voluntatem futuram prævidens Deus, etiam nondum natum præscientia, quem justificaret, elegerit? Si igitur electio per præscientiam, præscivit autem Deus fidem Jacob; unde probas quia non etiam ex operibus elegit eum? Si propterea quia nondum nati erant, et nondum aliquid egerant bonum seu malum; ita etiam nondum crediderat aliquis eorum. Sed præscientia vidit crediturum [3]? Ita præscientia videre poterat operaturum : ut quomodo dicitur electus propter fidem futuram, quam præsciebat Deus, sic alius possit dicere, propter futura opera potius electum, quæ nihilominus præsciebat Deus. Quapropter unde ostendit Apostolus non ex operibus dictum esse, *Major serviet minori?* Si quoniam nondum nati erant [4]; non solum non ex operibus, sed nec ex fide dictum est, quia utrumque deerat nondum natis. Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret. Volens enim ostendere non ex operibus factam, propterea intulit, dicens, *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum seu malum.* Alioquin poterat ei dici : Sed jam sciebat Deus quis quid esset acturus. Quamobrem unde illa electio facta sit quæritur : quia si non ex operibus, quæ non erant in nondum natis; nec ex fide, quia nec ipsa erat : unde igitur?

6. An dicendum est quod nulla electio fuerit, non existente aliqua diversitate in utero matris vel fidei, vel operum, vel quorumlibet omnino meritorum? Sed dictum est, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et ideo quærimus, quia dictum est. Nisi forte sic est distinguenda sententia, non ut intelligamus tanquam ideo *non ex operibus, sed ex vocante dictum* esse, *Major serviet minori, ut secundum electionem propositum Dei maneret :* sed ita potius, ut ad hoc de

[1] Mss. Corbeiensis et Victorinus : *Quomodo nec sancte vivere, qui non fuerit sanctificatus; nec omnino vivere*, etc.

[2] Lov., *secunda operatio bona.* At Em. Er. et Mss., *secunda opera bona.*

[3] In B., *jam sit ex debito.* Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

[1] Vaticani Mss.: *Nam quemadmodum ex una terra.*

[2] Sic Mss. At editi, *electio est.*

[3] Editi : *Sed sicut præscientia vidit crediturum.* Mss. tres Vaticani : *Si præscientia* etc. Corbeiensis et Genovefæanus : *Sed præscientia vidit crediturum?* omisso, *sicut.*

[4] Lov.: *Sed si quoniam nondum nati erant.* Am. et Er.: *Sed quoniam*, etc.; omisso, *si.* At Mss.: *Si quoniam* omisso, *sed.*

nondum natis et non lum aliquid operatis exemplum datum accipitur, ne aliqua electio hic possit intelligi. *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent sive bonum sive malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret*; id est, neque aliquid egissent bonum aut malum, ut propter ipsam actionem electio aliqua fieret ejus qui bene egerat: cum ergo nulla esset electio bene agentis, secundum quam maneret propositum Dei, *non ex operibus, sed ex vocante*, id est, ex eo qui vocando ad fidem gratia justificat impium, *dictum est ei, Quia major serviet minori*. Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum. Nam nisi esset electio, non essent electi, nec recte diceretur, *Quis accusabit adversus electos Dei* (*Rom.* VIII, 33)? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, Quia *elegit nos Deus ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4); non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori*; non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. *Gratia enim Dei salvi facti sumus; et hoc non ex nobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne forte quis extollatur* (*Id.* II, 8, 9).

7. Quæritur autem, utrum vel fides mereatur hominis justificationem; an vero nec fidei merita præcedant misericordiam Dei, sed et fides ipsa inter dona gratiæ numeretur. Quia et hoc loco cum dixisset, *Non ex operibus*; non ait, sed ex fide *dictum est ei, Quia major serviet minori*: ait autem, *sed ex vocante*. Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens; quia merita fidei sequuntur vocationem potius, quam præcedunt. *Quomodo* enim *credent, quem non audierunt? et quomodo audient sine prædicante* (*Rom.* X, 14)? Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari, et accipere facultatem bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia. Etenim *Christus pro impiis mortuus est* (*Id.* V, 6). Ex vocante igitur minor accepit, non ex ullis meritis operum suorum, ut major ei serviret: ut etiam quod scriptum, *Jacob dilexi*, ex vocante sit Deo, non ex operante Jacob.

8. Quid deinde Esau, quod servit minori, et quod scriptum est, *Esau autem odio habui*, quibus malis suis hoc meruit, cum et ipse nondum natus fuisset, neque aliquid egisset boni aut mali, quando dictum est, *Et major serviet minori*? An forte quemadmodum illud de Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esau nullis meritis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit ut serviret minori; propterea prædestinavit et Jacob ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est jam quod ait, *Non ex operibus*. Si autem verum est quod non ex operibus, et inde hoc probat, quia de nondum natis nondumque aliquid operatis hoc dictum; unde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat: quo merito Esau odio habetur antequam nascatur? Quod enim fecit Deus ea quæ diligeret, nulla quæstio est. Si autem dicamus eum fecisse quæ odisset, absurdum est, occurrente alia Scriptura et dicente, *Neque enim odio habens aliquid constituisses, et nihil odisti horum quæ fecisti* (*Sap.* XI, 25). Quo enim merito sol factus est sol, aut quid offendit luna ut tanta illo inferior, vel quid promeruit ut sideribus cæteris tanto clarior crearetur? Sed hæc omnia bona creata sunt quæque in genere suo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi, lunam autem odio habui; aut, Lunam dilexi, stellas autem odio habui: sicut dixit, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Sed illa omnia dilexit, quamvis excellentiæ diversis gradibus ordinata; quoniam vidit Deus quia bona sunt, cum dicto ejus sunt instituta (*Gen.* I). Ut autem odisset Esau, nisi injustitiæ merito, injustum est. Quod si concedimus, incipit et Jacob justitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est quod non ex operibus. An forte ex justitia fidei? Quid ergo te adjuvat, *Cum enim nondum nati fuissent?* quandoquidem in nondum nato nec justitia fidei poterat esse.

9. Vidit itaque Apostolus quid ex his verbis posset animo audientis vel legentis occurrere, statimque subjecit: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud Deum? Absit*. Et quasi docens quomodo absit: *Moysi enim dicit*, inquit, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero*. Quibus verbis solvit quæstionem, an potius arctius colligavit? Idipsum est enim quod maxime movet, si miseretur cui misertus erit, et misericordiam præstabit cui misericors fuerit, cur hæc misericordia defuit Esau, ut etiam ipse per illam esset bonus, quemadmodum per illam bonus factus est Jacob. An ideo dictum est, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero*, quia cui misertus erit Deus ut eum vocet[1], miserebitur ejus ut credat; et cui misericors fuerit ut credat, misericordiam præstabit, hoc est faciet eum misericordem, ut etiam bene operetur? Unde admonemur, nec ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari et extolli, quod eis quasi suis Deum promeruerit; quandoquidem ut haberet ipsam misericordiam ille præstitit, qui misericordiam præstabit cui misericors fuerit. Quod si eam credendo se meruisse quis jactat, noverit eum sibi præstitisse ut crederet, qui miseretur inspirando fidem, cujus misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret. Jam enim discernitur fidelis ab impio. *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)?

10. Recte quidem hoc; sed cur hæc misericordia

[1] [illegible] Abest, *misericors*, [illegible]

subtracta est ab Esau, ut non sic vocaretur, ut et vocato inspiraretur fides [1], et credens misericors fieret ut bene operaretur? An forte quia noluit? Si ergo Jacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, et habuit aliquid quod non accepit. An quia nemo potest credere nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare ut vocetur, vocando Deus præstat et fidem; quia sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus? *Quomodo* enim *credent, quem non audierunt? aut quomodo audient sine prædicante?* Nemo itaque credit non vocatus; sed non omnis credit vocatus. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* xx, 16): utique ii qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt; volentes autem sic dubio crediderunt. Quid est ergo quod sequitur, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei?* An quia nec velle possumus nisi vocati, et nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus? Opus est ergo velle et currere. Non enim frustra diceretur, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14); et, *Sic currite ut comprehendatis* (I *Cor.* IX, 24). *Non* tamen *volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut quod volumus adipiscamur, et quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau et non cucurrit: sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus. Ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere, et semper beate vivere. Verumtamen Esau nondum natus, nihil horum posset velle seu nolle. Cur ergo in utero positus improbatus est? Reditur enim ad illas difficultates, non solum sua obscuritate, sed etiam nostra tam multa repetitione molestiores.

11. Cur enim est improbatus Esau nondum natus, qui nec credere poterat vocanti, nec contemnere vocationem [2], nec boni vel mali aliquid operari? Si præscientia Dei futuræ malæ voluntatis ejus, cur non et Jacob præscientia Dei approbatus est futuræ bonæ voluntatis ejus? Quod si semel concesseris, potuisse quemquam vel approbari vel improbari ex eo quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat; conficitur eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quamvis nondum esset aliquid operatus; et omnino te nihil adjuvabit quod nondum nati erant, cum dictum esset, *Et major serviet minori*, ut hinc ostendas non ex operibus dictum, quia nondum quidquam erat operatus.

12. Illa etiam verba si diligenter attendas, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei;* non hoc Apostolus propterea tantum dixisse videbitur, quod adjutorio Dei ad id quod volumus pervenimus; sed etiam ex illa intentione qua et alio loco dicit, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 12, 13). Ubi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam si propterea solum dictum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia voluntas hominis sola non sufficit ut juste recteque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei; potest et hoc modo dici, Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus. *Deus enim est qui operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate.* Nam si quæramus utrum Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non igitur ideo dictum putandum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione non volumus.

13. Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit, *Multi vocati, pauci electi?* Quod si verum est, et non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut non [1] obtemperet in ejus est positum voluntate, recte etiam dici potest, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis; quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit, *Multi vocati, pauci electi;* ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; et illud non minus verum sit, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem? Ad alios autem vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere [2] apti essent, vocati quidem dici potuerunt sed non electi: et non jam similiter verum est, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo, *Multi vocati, pauci electi.*

[1] Unus e Vaticanis Mss. hic addit, *ut crederet.*
[2] Sorbonicus Ms., *vocantem.*

[1] Hic Mss. auctoritate revocavimus negantem particulam, quæ in ante editis exciderat.
[2] Sic Mss. At editi, *ut eam capere.*

Illi enim electi, qui congruenter vocati[1]: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*; quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.

14. Hic dicet aliquis: Cur ergo Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire? Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moveri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum Jesum Christum adhuc infantem parvulum credidit, Spiritu ei revelante cognoscens (*Luc.* II, 25). Nathanael ad unam sententiam, quam ab illo audivit, *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub arbore fici, vidi te*; respondit, *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (*Joan.* I, 48, 49). Quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire quod beatus sit, et quod ei darentur claves regni cœlorum (*Matth.* XVI, 16-19). Miraculo facto in Cana Galilææ, quod initium signorum Jesu Joannes evangelista commemorat, aqua in vinum conversa, crediderunt in eum discipuli ejus (*Joan.* II, 11). Multos loquendo incitavit[2] ad fidem: multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce atque morte ejus conterriti etiam discipuli titubarunt; et tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem (*Luc.* XXIII, 40-42). Unus etiam de numero discipulorum post ejus resurrectionem, non tam viventibus membris, quam recentibus cicatricibus credidit (*Joan.* XX, 27): multi ex eorum numero a quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserant discipulis eum prædicantibus et in nomine ejus talia facientibus crediderunt (*Act.* II-IV). Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio[3]; quæritur utrum de divina pœna sit ipsa duritia, cum Deus deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest. Quis enim dicat modum[4] quo ei persuaderetur ut crederet, etiam Omnipotenti defuisse?

15. Sed quid hoc quærimus, cum ipse subjungat Apostolus, *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra?* Hoc autem subjecit Apostolus documentum, quo probaret quod supra dixerat, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Tanquam enim ei diceretur, Unde hoc doces? *Dicit enim Scriptura*, inquit, *Pharaoni, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra*. Utique hinc ostendens quod *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Concluditque ita, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*; cum superius non utrumque dictum sit. Neque enim quomodo dictum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*; sic etiam dictum est, non nolentis[1] neque contemnentis, sed obdurantis est Dei. Unde datur intelligi, quod infra utrumque posuit, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*, ita sententiæ superiori posse congruere, ut obduratio Dei sit nolle misereri: ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur. Quod si fit nulla distinctione meritorum, quis non erumpat in eam vocem, quam sibi ipse objecit Apostolus? *Dicis itaque mihi: Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, sicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos, quod nolint credere et recte vivere. Unde fideles et facientes voluntatem Dei conversari dicuntur sine querela (*Luc.* I, 6), quod de illis non queratur Scriptura. Sed, *Quid conqueritur*, ait? *nam voluntati ejus quis resistit*, quando *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat?* Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus.

16. Ait enim paulo ante, *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente sobria pietate atque stabili in fide[2], quod nulla est iniquitas apud Deum: atque ita tenacissime firmissimeque credatur idipsum quod Deus *cujus vult miseretur et quem vult obdurat*, hoc est, cujus vult miseretur et cujus non vult non miseretur, esse alicujus occultæ atque ab humano modulo investigabilis æquitatis, quæ in ipsis rebus humanis terrenisque contractibus animadvertenda est; in quibus nisi supernæ justitiæ quædam impressa vestigia teneremus, nunquam in ipsum cubile ac penetrale sanctissimum atque castissimum spiritualium præceptorum nostræ infirmitatis suspiceret atque inhiaret intentio. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V, 6). In ista igitur siccitate vitæ conditionisque mortalis, nisi aspergeretur desuper velut tenuissima quædam aura justitiæ, citius aresceremus, quam sitiremus. Quapropter cum dando et accipiendo inter se hominum societas connectatur, dentur autem et accipiantur vel debita vel non debita; quis non videat iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur, exegerit? nec eum certe, qui quod ei debetur, donare voluerit? hoc autem non esse in eorum qui debitores sunt, sed

[1] Lov. Vaticani codices, *qui congruebant vocationi*.
[2] Er. et plerique Mss., *monuit*.
[3] Codices aliquot Mss., *diverso*. Vaticanus, *adversio*.
[4] Editi, *Cum enim Deus deserit... quis etiam dicat modum*, etc. Corbeiensis codex, *Cum enim Deus deserit*, etc. Tum etiam alii Mss., *quis enim dicat modum*.

[1] Sic Er. et aliquot Mss. At Lov., *non volentis*.
[2] Editi, *stabili fide*; omissa particula, *in*, quam ex Corbeiensi Ms. revocavimus.

in ejus cui debetur arbitrio? Hæc imago, vel, ut supra dixi, vestigium negotiis hominum de fastigio summo[1] æquitatis impressum est. Sunt igitur omnes homines (quandoquidem, ut Apostolus ait, *In Adam omnes moriuntur* [I *Cor.* xv, 22], a quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei) una quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæque justitiæ, quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, et quibus donandum sit, superbe judicant debitores: quemadmodum conducti ad illam vineam injuste indignati sunt, cum tantumdem aliis donaretur, quantum illis redderetur (*Matth.* xx, 11). Itaque hujus impudentiam quæstionis ita retundit Apostolus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Sic enim respondet Deo, cum ei displicet quod de peccatoribus conqueritur Deus, quasi quemquam Deus peccare cogat, si tantummodo[2] quibusdam peccantibus misericordiam justificationis suæ non largiatur, et ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent. Eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam, æquitate occultissima et ab humanis sensibus remotissima judicat. Inscrutabilia enim sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius (*Rom.* xi, 33). Conqueritur autem juste de peccatoribus, tanquam de his quos peccare ipse non cogit. Simul etiam ut hi quorum miseretur, hanc quoque habeant vocationem; ut dum conqueritur Deus de peccatoribus, compungantur corde, atque ad ejus gratiam convertantur. Juste ergo conqueritur, et misericorditer.

17. Sed si hoc movet, quod voluntati ejus nullus resistit, quia cui vult subvenit, et quem vult deserit; cum et ille cui subvenit, et ille quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum, et quamvis debeat uterque supplicium, ab uno tamen exigatur, alteri donetur: si hoc ergo movet; *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Arbitror enim sub eadem significatione positum, quod dictum est, *homo*; sub qua et illud dicitur, *Nonne homines estis, et secundum hominem ambulatis?* Ibi enim carnales et animales notantur hoc nomine, quibus dicitur, *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*; et illud, *Nondum enim poteratis: sed neque adhuc potestis, adhuc enim estis carnales* (I Cor. iii, 1-4), et illud, *Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (*Id.* ii, 14). His ergo dicitur, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti, ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Eo ipso fortasse satis ostendit se homini carnali loqui; quoniam hoc limus ipse significat, unde primus homo formatus est: et quia *omnes*, ut jam commemoravi, secundum eumdem Apostolum *in Adam moriuntur*, unam dicit esse conspersionem omnium. Et quamvis aliud vas fiat in honorem, aliud in contumeliam, tamen et illud quod fit in honorem, necesse est ut carnale esse incipiat, atque inde in spiritualem consurgat ætatem[1]. Quandoquidem jam in honorem facti erant, et in Christo jam nati erant: sed tamen quoniam parvulos adhuc alloquitur, etiam ipsos carnales appellat, dicens: *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; neque enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales.* Quamvis ergo carnales eos esse dicat; tamen jam in Christo natos, et in illo parvulos, et lacte potandos. Et quod adjungit, *Nec adhuc quidem potestis*, ostendit proficientes futurum esse ut possint; quia jam in eis spiritualiter renatis gratia fuerat inchoata[2]. Ergo jam vasa erant in honorem facta, quibus adhuc tamen recte diceretur, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et si talibus recte dicitur, multo rectius eis qui vel nondum ita regenerati sunt, vel etiam in contumeliam facti. Illud tantummodo inconcussa fide teneatur, quod non sit iniquitas apud Deum: qui sive donet, sive exigat debitum, nec ille a quo exigit, recte potest de iniquitate ejus conqueri, nec ille cui donat, debet de suis meritis gloriari. Et ille enim, nisi quod debetur, non reddit: et ille non habet, nisi quod accepit.

18. Sed enitendum est hoc loco, si Dominus adjuvet, videre quemadmodum et illud verum sit, quod scriptum est, *Nihil odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* xi, 25); et illud, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* i, 2, 3). Si enim propterea Esau odio habuit, quia vas factum erat in contumeliam, et aliud vas in honorem, aliud in contumeliam idem figulus fecit, quomodo *nihil odisti eorum quæ fecisti*? Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in contumeliam. Qui nodus ita solvitur, si intelligamus omnium creaturarum esse artificem Deum. Omnis autem creatura Dei bona est (I *Tim.* iv, 4); et omnis homo in quantum homo est, creatura est, non in quantum peccator est. Est ergo creator Deus et corporis et animi humani. Neutrum horum malum, et neutrum odit Deus: nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore; Deus vero et animo et corpore, utriusque effector et conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio atque perversitas; id est, a præstantiore Conditore aversio, et ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. Sicut dicitur de Domino, *In sua propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* i, 11): quibus item ipse dicit, *Vos propterea non auditis, quia non estis ex Deo* (*Id.* viii, 47). Quomodo *sui*, quomodo *non ex Deo*: nisi quia illud dictum est de hominibus, quos ipse Dominus fecerat; illud de peccatoribus, quos ipse Dominus arguebat? iidem tamen ipsi et homines et peccatores; sed homines Dei conditione, peccatores

[1] Tres Vaticani Mss., *summæ*. Pauloque post iidem libri habent, *a quo universum genus humanum originem ducit offensionis Dei*.

[2] Mss., *sed tantummodo*. Atque unus ex his Genovefæus proxime ante addit, *cum ipse neminem peccare cogat*. Alius autem ex Vaticanis infra, pro *largiatur* et *dicatur*, habet *largitur* et *dicitur*.

[1] Quatuor Mss., *gratiam*.

[2] Victorinus codex, *inchoatam*.

propria voluntate. Quod ergo Jacob dilexit, numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat. Nam et Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* v, 6) : non tamen ut impii permanerent [1], sed ut justificati ab impietate converterentur [2], credentes in eum qui justificat impium (*Id.* iv, 5); odit enim Deus impietatem. Itaque in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per justificationem, quemadmodum ipse judicat esse faciendum illis judiciis inscrutabilibus. Et quod ex numero impiorum, quos non justificat, facit vasa in contumeliam, non hoc in eis odit quod facit : quippe in quantum impii sunt, exsecrabiles sunt; in quantum autem vasa fiunt, ad aliquem usum fiunt, ut per eorum ordinatas pœnas vasa quæ fiunt in honorem proficiant. Non itaque odit Deus, nec in quantum homines sunt, nec in quantum vasa sunt; id est, nec quod in eis facit creando, nec quod in eis facit ordinando : nihil enim odit eorum quæ fecit. Sed tamen quod vasa eos facit perditionis, ad usum correctionis aliorum facit. Odit enim in eis impietatem [3], quam ipse non fecit. Sicut enim judex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum; illud enim fur, hoc judex facit : ita Deus quod ex conspersione impiorum facit vasa perditionis, non odit quod facit, id est, opus ordinationis suæ in pœna debita pereuntium [4], in qua occasionem salutis illi quorum miseretur, inveniant. Sic Pharaoni dictum est, *Ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Hæc demonstratio potentiæ Dei, et annuntiatio nominis ejus in universa terra prodest eis ut timeant, et vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit. Sic consequenter dicit : *Si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem* : subauditur, *Tu quis es, qui respondeas Deo?* ut recurrente sententia ad verba superiora, iste sit sensus : Si volens Deus ostendere iram, attulit vasa iræ; tu quis es, qui respondeas Deo? Non autem solum *volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem*; sed etiam quod sequitur, *ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Quid enim prodest vasis perfectis in perditionem, quod ea patienter Deus sustinet, ut ordine disperdat [5], utaturque illis ad instrumentum salutis aliorum, quorum miseretur? Sed illis utique prodest, ad quorum salutem istis sic utitur; ut sicut scriptum est, justus manus lavet in sanguine peccatoris (*Psal.* lvii, 11), id est, mundetur ab operibus malis per timorem Dei, cum videt supplicia peccatorum. Quod ergo *volens ostendere iram, attulit vasa iræ*, valet ad utilem aliis præstandum timorem, *et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Etenim obduratio illa impiorum utrumque demonstrat, et quid timendum sit, ut quisque pietate convertatur ad Deum; et quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna quid aliis donet ostendit. Si autem illa, quam de aliis exigit, non est justa pœna; nihil donat aliis, a quibus eam non exigit. Quia vero illa justa est, et nulla est iniquitas apud vindicantem Deum, quis sufficiat agere gratias ei qui hoc remittit, quod si vellet exigere, nemo se recte diceret non debere?

19. *Quos et vocavit nos*, inquit, *non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus* : id est, vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. Non enim omnes Judæos, sed ex Judæis : nec omnes omnino homines Gentium, sed ex Gentibus. Una est enim ex Adam massa peccatorum et impiorum, in qua et Judæi et Gentes remota gratia Dei ad unam pertinent conspersionem. Si enim figulus luti ex eadem conspersione facit aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam; manifestum est autem quod et ex Judæis sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam, sicut ex Gentibus : sequitur ut ad unam conspersionem omnes pertinere intelligantur. Deinde incipit reddere attestationes Prophetæ [1] singulis generibus converso ordine. Prius enim dixit *ex Judæis* [2], posterius *ex Gentibus* : prius autem reddit testimonium pro Gentibus, deinde pro Judæis. *Etenim sicut Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam : et erit in loco ubi dictum est, Non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi* : De Gentibus intelligitur dictum, quia non habebant destinatum unum sacrificiorum locum, sicut Judæi in Jerusalem. Missi sunt autem ad Gentes Apostoli, ut in loco suo quique crederent, et ubicumque credidissent, ibi sacrificium laudis offerrent quibus dedit potestatem filios Dei fieri (*Joan.* i, 12). *Isaias autem*, inquit, *clamat pro Israel.* Ne rursus omnes Israelitæ in perditionem isse credantur [3], docet et inde facta alia vasa in honorem, alia in contumeliam. *Si fuerit*, inquit, *numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Cætera ergo turba, vasa perfecta ad perditionem. *Verbum enim consummans et brevians*, inquit, *faciet Dominus super terram* : id est, ut compendio fidei per gratiam salvos faciat credentes, non per innumerabiles observationes, quibus illa multitudo serviliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans et brevians fecit super terram, dicens : *Jugum meum lene est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* xi, 30). Quod et paulo post hic dicitur : *Prope te* [4] *est verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo quia Dominus est Jesus et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis*

[1] Editi, ut tamen essent permanerent. Abest, manerent, a Mss.
[2] Mss., [illegible].
[3] In Mss. [illegible] tamen ut vasa eos facit perditionis, ad usum correctionis aliorum, odit in eis impietatem, etc.
[4] [illegible] Mss. [illegible]
[5] [illegible] Mss. [illegible]

[1] Mss., prophetiæ.
[2] Editi, conversos ex Judæis. Abest, conversos, a Mss. plerisque.
[3] Lov., in perditionem missi credantur. At melius Am. Er. et nostri Mss., in perditionem isse credantur.
[4] [illegible] vetustissimus Corbeiensis codex [illegible]

salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 8-10). Hoc est verbum consummans et brevians, quod fecit Deus super terram, qua consummatione atque breviatione [1] latro justificatus est, qui defixis in cruce omnibus membris, et habens libera hæc duo, corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem, statimque audire meruit, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Consequerentur enim bona opera ejus, si percepta gratia diu inter homines viveret. Sed tamen non ea præcesserant, ut eamdem gratiam mereretur, ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradisum translatus. *Et sicut prædixit*, inquit, *Isaias, Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.* Quod hic ait, *reliquisset nobis semen*; hoc ibi, *reliquiæ salvæ fient.* Cæteri autem tanquam perditionis vasa debito supplicio perierunt. Et ut non omnes perissent sicut in Sodoma et Gomorrha, non meritum eorum fecit, sed gratia Dei relinquentis semen, unde alia messis toto orbe consurgeret. Hoc et paulo post: *Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est; cæteri vero excæcati sunt* (*Rom.* XI, 5-7). Consecuta sunt vasa misericordiæ, excæcata sunt vasa iræ: ex eadem tamen conspersione, sicut in plenitudine Gentium.

20. Est locus quidam Scripturæ ad rem de qua nunc agimus, maxime necessarius, eadem quæ tractata sunt, mira contestatione confirmans, in eo libro qui ab aliis Jesus Sirach, ab aliis Ecclesiasticus dicitur, in quo ita scriptum est: *Et omnes homines de solo, et ex terra Adam* [2] *creatus est. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, et immutavit vias eorum. Et ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex his sanctificavit et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit et humiliavit: et convertit illos ad dissensionem illorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus; sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum judicium suum. Contrarium malo bonum est, et contra mortem vita est; sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: duo, duo* [3]*; unum contra unum.* Primo hic commendata est disciplina Dei: *In multitudine*, inquit, *disciplinæ Dominus separavit eos*: unde, nisi a beatitudine paradisi? *Et immutavit vias eorum*, ut jam tanquam mortales viverent. Tunc facta est una massa omnium, veniens de traduce peccati [4] et de pœna mortalitatis, quamvis Deo formante et creante quæ bona sunt. In omnibus est enim species et compago corporis in tanta membrorum concordia, ut inde Apostolus ad charitatem obtinendam similitudinem duceret (I *Cor.* XII, 12, etc.). In omnibus est etiam spiritus vitalis terrena membra vivificans, omnisque natura hominis dominatu animæ et famulatu corporis conditione mirabili temperata: sed concupiscentia carnalis de peccati pœna jam regnans, universum genus humanum tanquam totam et unam conspersionem originali reatu in omnia permanante confuderat. Et tamen sequitur, *Ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit et humiliavit, et convertit illos in dissensionem ipsorum*: tanquam Apostolo dicente, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ideoque illud quod contexitur, nec ab ipsa similitudine vacat: *Quasi lutum*, inquit, *figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus; sic homo in manu illius qui se fecit.* Sed quia dicit Apostolus, *Numquid iniquitas apud Deum?* vide et hic quid adjungat: *Reddet illi*, inquit, *secundum judicium suum.* Sed cum damnatis justa tribuantur supplicia; tamen quia hoc ipsum in usum convertitur, quo illi proficiant quibus præbetur misericordia, attende reliqua: *Contrarium*, inquit, *malo bonum est, et contra mortem vita; sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: duo, duo; unum contra unum*: utique ut ex deteriorum comparatione emineant proficiantque meliora. Quæ tamen quoniam per gratiam meliora sunt, tanquam diceret, *Reliquiæ salvæ fient* [1]; sequitur et dicit ex persona reliquiarum, *Et ego novissimus vigilavi, et quasi qui racematur post vindemiatores.* Et unde probat, quia non ex meritis suis, sed ex misericordia Dei? *In benedictione*, inquit, *Domini et ipse speravi, et quasi qui vindemiat, replevi torcular* (*Eccli.* XXXIII, 10-17). Quamvis enim novissimus vigilaverit; tamen quia erunt, ut dictum est, novissimi primi (*Matth.* XX, 16), in benedictione Domini sperans ex reliquiis Israel racematus populus implevit torcular ex ubertate vindemiæ, quæ toto orbe terrarum provenit.

21. Nulla igitur intentio tenetur Apostoli, et omnium justificatorum per quos nobis intellectus gratiæ demonstratus est, nisi ut qui gloriatur, in Domino glorietur (II *Cor.* X, 17). Quis enim discutiet opera Domini, ex eadem conspersione unum damnantis, alterum justificantis? Liberum voluntatis arbitrium plurimum valet; imo vero est quidem, sed in venumdatis sub peccato (*Rom.* VII, 14) quid valet? *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis* (*Galat.* V, 17). Præcipitur ut recte vivamus, hac utique mercede proposita, ut in æternum beate vivere mereamur: sed quis potest recte vivere et bene operari, nisi justificatus ex fide? Præcipitur ut credamus, ut dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus: sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione

[1] Er. et Mss., *brevitate.*

[2] In editis, *ex terra unde Adam.* Particula, *unde*, abest a Mss. et a textu græco apud LXX.

[3] Editi, *duo contra duo.* Abest, *contra*, a veteribus libris.

[4] Victorinus Ms., *veniens de radice peccati.*

[1] Mss., *reliquiæ salvæ fiunt.*

tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. Petere jubemur ut accipiamus, et quærere ut inveniamus, et pulsare ut aperiatur nobis (*Matth.* VII, 7). Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla [1], imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus, jubet? *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* quandoquidem nec velle nec currere, nisi eo movente atque excitante, poterimus.

22. Quod si electio hic fit aliqua, ut sic intelligamus quod dictum est, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5); non ut justificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur qui justificentur: certe ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit; aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus, (nam nullis quis potest?) et acer ingenio, et liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, et stulta mundi ut confundat sapientes (I *Cor.* I, 27), ut eum intuens et pudore correctus, ego irrideam multos et præ quibusdam peccatoribus castiores, et præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne advertimus multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam hæreticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, et tamen vel hæreticos vel paganos, vel etiam in vera fide et vera Ecclesia sic tepidos, ut eos miremur meretricum et histrionum subito conversorum, non solum patientia et temperantia, sed etiam fide, spe, charitate superari? Restat ergo ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi invadere, trahere, vincire, necare Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cæca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est (*Act.* VIII, 3, *et* IX, 1). Et tamen quid dicemus? *Numquid iniquitas est apud Deum*, exigentem a quo placet, donantem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. *Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Quare tamen huic ita, et huic non ita? *O homo, tu quis es?* Debitum si non reddis, habes quod gratuleris: si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantum, etsi capere non valemus, quoniam qui universam creaturam et spiritualem et corporalem fecit et condidit, omnia in numero et pondere et mensura disponit (*Sap.* XI, 21). Sed inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI, 33). Dicamus Alleluia, et collaudemus canticum, et non dicamus, Quid hoc? vel, quid hoc? Omnia enim in tempore suo creata sunt (*Eccli.* XXXIX, 19, 26).

[1] Lov., *plene nulla*. At Am., Er. et Mss., *pene nulla*.

LIBER SECUNDUS.

In cæteras quæstiones quinque vel sex a Simpliciano propositas ex libris Regum.

PRÆFATIO. Satis jam de Apostolo me ad proposita respondisse existimo: nunc ad ea quæ de libris Regnorum requisisti aliud volumen aggrediar; quæ, sicut multa et prope omnia veterum Librorum, figuratiora sunt, et mysteriorum velaminibus involuta. Quamvis autem ex eo quod transierimus ad Christum, auferatur velamen (II *Cor.* III, 16): tamen videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem [1]. Velamen quippe omni modo intercludit aspectum; ænigma vero, tanquam per speculum, sicut idem apostolus ait, *Videmus nunc per speculum et in ænigmate* (I *Cor.* XIII, 12), nec evidentissimam detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem. Aggrediar ergo [1] et ista, duce Domino, tuis potius sublevatus orationibus, quam jussionibus aggravatus. Præsertim quia ex epistola tua non [2] hoc

[1] Vetustissimus liber Corbeiensis, *faciem ad faciem*; juxta græcum.

[1] In veteribus libris, *aggrediamur ergo*; et eorum [illegible] plurali numero, [illegible]

[2] [illegible] *in quo revera obtemperarem, nisi mihi esset* [illegible]*mum*.

te intellexi quærere, quid hæc in prophetia significent: in quo revera obtemperare mihi esset difficillimum, quia et de tota eorumdem contextione librorum ducenda esset intentio, et si esset promptior intellectus, magnitudo tamen operis impediret, quæ si subeunda est, prolixius otium tempusque flagitat: sed nunc ipsas rerum proprietates gestarum, quæ his verbis quorum a te facta commemoratio est, significantur, quomodo intelligerem nosse dignatus es et meis litteris aperiri.

QUÆSTIO PRIMA. — *Spiritu Dei diverso modo afficiuntur prophetæ. Prophetia habitu perpetuo, et affectu transitorio. Spiritus Dei sine additamento intelligitur bonus. An eodem nomine intelligendus Spiritus sanctus Patri et Filio consubstantialis. Spiritus Dei in Saüle bonus et malus quomodo. Saül persequens Davidem spiritu prophetico et bono correptus. Munera quædam Spiritus sancti haberi sine charitate. Sine charitate munera alia Spiritus sancti nihil prosunt. An prophetia habeatur sine charitate. Hæreticos et schismaticos habere alia dona Spiritus sancti præter charitatem. Spiritus malus cur dictus spiritus Domini.*

1. Et primum quidem quod de primo Regnorum libro jussisti ut exponerem, quomodo dictum sit, *Et insiluit spiritus Domini in Saül* cum alibi dicat, *Et spiritus Domini malus in Saül* (I *Reg.* XVI, 14). Ita enim scriptum est: *Et factum est cum converteret humerum suum, ut iret a Samuel, convertit Deus in Saül cor aliud, et venerunt omnia signa illa die: et venit inde in collem, et ecce chorus prophetarum in obviam illi, et insiluit in illum spiritus Dei, et prophetavit in medio eorum* (*Id.* X, 9, 10). Prædixerat enim hæc illi Samuel, cum eum jussus unxisset. Et hoc quidem non puto habere aliquid quæstionis. Spiritus enim ubi vult spirat (*Joan.* III, 8): et spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus. Attingit enim ubique propter suam munditiam (*Sap.* VII, 24). Afficit autem non omnes eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorumdem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines; alios per fructum mentis ad intelligentiam; alios utraque inspiratione; alios etiam nescientes. Sed per informationem spiritus duobus modis: aut per somnium, sicut non solum plerique sancti, sed et Pharao et Nabuchodonosor rex vidit quod nemo eorum intelligere valebat, sed tamen videre uterque potuerat (*Gen.* XLI, *et Dan.* II-IV): aut per demonstrationem in ecstasi, quod nonnulli Latini stuporem [1] interpretantur; mirum si proprie, sed vicine tamen, cum sit mentis alienatio a sensibus corporis, ut spiritus hominis divino spiritu assumptus capiendis atque intuendis imaginibus vacet; sicut Danieli demonstratum est quod non intelligebat, et Petro illud vas submissum de cœlo quatuor lineis [2] (*Act.* X, 11): nam et ipse quid illa demonstratio figuraret postea cognovit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam uno modo, cum hæc ipsa quæ demonstrantur imaginibus quid significent et quo pertineant revelatur; quæ certior prophetia est, cum magis ipsam vocat Apostolus prophetiam (I *Cor.* XIII, 2); sicut Joseph meruit intelligere, quod Pharao non nisi videre [1], et Daniel exposuit regi, quod ille cernit et nesciit. Cum vero ita mens afficitur, ut non rerum imagines conjecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur, sicut intelligitur sapientia et justitia omnisque incommutabilis et divina species, ad prophetiam de qua nunc agimus non pertinet. Utroque autem munere prophetæ donantur hi qui et rerum imagines in spiritu vident, et quid valeant simul intelligunt, aut certe manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quædam exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut Caiphas cum esset pontifex prophetavit de Domino quod expediret unum mori pro tota gente (*Joan.* XI, 49, 50), cum aliud in verbis quæ dicebat attenderet; quæ non se a se ipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis Libris exempla; et res prudentiæ tuæ notissimas loquor. Non enim ista dicis ex me, sed in eis me percontando probas, et cognoscere cupiens proficientem, et corrigere paratus errantem. Hoc autem verbo, quod positum est, *Et insiluit in eum spiritus;* tanquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significatur afflatus. Horum igitur modorum quonam potius affectum esse intelligamus Saül, satis apparet ex eo quod ibi scriptum est, *Convertit Deus in Saül cor aliud.* Sic enim aliam cordis affectionem significat, quam [2] convertendo fecit Deus ut imaginum significantium et præfigurantium capax fieret, ad propheticam divinationem.

2. Tantum autem distat inter prophetiam prophetarum, sicut Isaias, sicut Jeremias, et cæteri hujusmodi fuerunt, atque istam transitoriam quæ in Saül apparuit, quantum distat inter loquelam humanam, cum loquuntur homines, et cum eadem loquela propter necessarium prodigiam asina locuta est, in qua sedebat Balaam propheta (*Num.* XXII, 28). Accepit enim hoc ad tempus illud jumentum, ut Deus quod statuerat demonstraret, non ut habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur. Aut si hoc exemplum majore differentia remotum est; multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momentum temporis affectu transitorio prophetiam, quando ille dederat, qui et asinam cum voluit loqui fecit. Magis enim distat pecus ab homine, quam homo reprobus ab electis, sed tamen hominibus. Non enim si quisquam dixerit aliquid quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existimandus est. Sic nec quisquam, si aliquando prophetaverit, jam inter prophetas numerabitur: cum et Dominus in Evangelio dicat quosdam cum gaudio verbum excipere, et radicis altitudinem non habere, sed esse temporales (*Matth.* XIII, 20, 21). Ideoque sicut consequens indicat lectio, factum est in parabolam, *Si et Saül inter prophetas* [3] (I *Reg.* X, 12)? Hoc igitur mirari desinamus, cum in hominibus apparet divinitus aliquid, quorum vel meritum

[1] Octo Mss., *pavorem.*
[2] Sic præcipui Mss. At editi, *linteis.*
(*a*) Forte, *ductum,* vel, *provectum.*

[1] Lov., *quod Pharao non potuit nisi videre.* At editi alii et Mss. non habent, *potuit;* quia subauditur, meruit.
[2] Editi, *quia.* Cujus loco Mss., *quam*
[3] Ita Mss. At editi, *sic et Saül inter prophetas?*

vel habitum excedit, cum forte vult Deus cujusdam significationis gratia tale aliquid demonstrari.

3. Si autem hoc movet, quod postea Saul malo spiritu invadente præfocabatur, qui prius propheticum spiritum acceperat; neque hoc mirandum est. Illud enim factum est ex dispensatione aliquid significandi, hoc ex merito vindicandi. Nec movere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili; præsertim eo tempore quo caro corruptibilis mortalisque portatur. An non videmus in ipso Petro, quantum indicat Evangelium, exstitisse tantam confessionem, ut audire meruerit, *Beatus es Simon Bar Jona, quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est*: et paulo post tam carnaliter eum de Domini passione sensisse, ut statim audierit, *Vade post me, Satana, scandalum mihi es; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI, 17, 23)? Et fortasse [1] aliquanto interius intelligentibus tantum valet ad visa illa mentis hæc differentia, qua Petrus primo intellexit Deo Patre revelante, quod Filius Dei esset Christus, et postea ne moreretur extimuit; quantum valet ad distinguenda visa, quæ in spiritu hominis alienata mente imaginarie fiunt, revelatio prophetiæ qua primo afflatus est Saül, et commixtio spiritus mali quo postea premebatur.

4. Jamvero illud, quod etiam malus appellatus est spiritus Domini, sic intelligitur, quomodo dictum est, *Domini est terra* (*Psal.* XXIII, 1): tanquam creatura et in ejus posita potestate. Aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia terra non est mala; omnis enim creatura Dei bona est (*I Tim.* IV, 4): illud congruat, quod ipse Saül jam reprobus et scelestus atque ingratus sancto David, persecutor etiam ejus, cum sævissimæ invidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Christus Domini dicebatur; sicut cum appellavit ipse David, cum vindicavit exstinctum (II *Reg.* I, 14, 15). Sed magis arbitror malignum spiritum a quo vexabatur Saül, ideo dictum spiritum Domini, quod occulto Domini judicio Saülem vexabat. Utitur enim Deus ministris etiam spiritibus malis [2] ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem; alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamvis enim inde sit quisque malignus spiritus [3], quia mala voluntate nocere appetit; tamen nocendi potestatem non accipit, nisi ab illo sub quo sunt omnia certis et justis meritorum gradibus ordinata. Quia sicut non est mala voluntas a Deo, sic non est potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII, 1). Quamvis enim sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusque potestate quid possit vel facere cuiquam vel a quoquam pati. Nam et ipse Filius unicus Dei passurus ad tempus humiliter homini superbe loquenti et dicenti quod potestatem haberet occidendi eum vel dimittendi: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data tibi esset desuper* (*Joan.* XIX, 11). Diabolus etiam volens nocere justo viro Job, nocendi quidem voluntas diabolo erat [1], sed tamen a Domino Deo potestatem petebat, dicens, *Mitte manum tuam, et tange carnem ejus* (*Job* II, 5): quamvis hoc esset, si permitteretur, ipse facturus. Ipsam enim permissionem petebat hoc modo, et manum Domini appellabat permissam a Domino manum suam, id est, ipsam potestatem quam volebat accipere. Cui congruit illud in Evangelio, quod Dominus discipulis ait, *Hac nocte postulavit satanas vexare vos sicut triticum* (*Luc.* XXII, 31). Dictus est ergo spiritus Dei malus, hoc est minister Dei ad faciendum in Saul [2] quod eum pati judex omnipotentissimus judicabat. Quoniam spiritus ille voluntate qua malus erat, non erat Dei: creatura vero qua conditus erat, et potestate quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. Verba etiam ipsa Scripturarum ita se habent: *Et perrexit*, inquit, *Samuel, et abiit in Ramatha; et spiritus Domini recessit a Saul, et comprehendit eum spiritus malignus a Domino* [3], *et suffocabat eum. Et dixerunt pueri Saül ad eum: Ecce Spiritus Domini malignus suffocat te* (I *Reg.* XVI, 13-15). Hoc igitur a pueris ejus quomodo sit dictum, *spiritus Domini malignus*, superiora verba indicant narrantis Scripturæ et dicentis, *Spiritus malignus a Domino*. Secundum enim hoc *Domini* [4], quod *a Domino*. Quia per se ipsum velle nocere habebat, id est, comprehendere Saül; posse autem non habebat, nisi summa justitia sineretur. Si enim juste vindicat Deus, quemadmodum ipse dicit Apostolus, cum tradit homines in concupiscentias cordis eorum (*Rom.* I, 24); non mirum si nihilominus juste vindicans tradit eos etiam in concupiscentias aliorum nocere volentium, sua semper incommutabili æquitate servata.

5. Animadvertendum sane est, cum additamento dici, *spiritus Dei malus*. Cum autem tantummodo dicitur, *spiritus Dei*, etiamsi non addatur bonus, ex hoc intelligitur bonus. Unde apparet bonum spiritum secundum substantiam, malum autem secundum ministerium dici spiritum Dei. Quanquam quæri adhuc possit utrum cum spiritus Dei dicitur, et ex hoc ipso jam, etsi nihil addatur, intelligitur bonus, ille intelligatur qui est in Trinitate consubstantialis Patri et Filio Spiritus sanctus, de quo dicitur, *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17), et iterum, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*; et illud, *Sic et quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 10, 11). Et multis locis hoc modo dicitur Spiritus Dei, et intelligitur Spiritus sanctus, etiamsi non addatur: quoniam ea quæ circumstant, satis indicant de quo dicatur; ita ut aliquando nec Dei addatur, et intelligatur tamen ille Spiritus Dei principaliter sanctus. Nam quem alium commemorat, ubi dicit, *Ipse Spiritus testimonium dat spiritui nostro, quia sumus filii Dei*; et, *Ipse Spiritus adjuvat*

[1] In antiquissimo Corbeiensi Ms., *et fors.*

[2] Aliquot Mss., *immundis*.

[3] Lov., *spiritus Domini*. Abest, *Domini*, ab Er. et a Mss.

[1] Er. ac tres Mss., *voluntate diabolus erat*.

[2] Editi, *ad faciendum malum in Saul*. Abest, *malum*, a Mss.

[3] Vaticani libri, *spiritus malus a Domino*.

[4] Editi, *secundum enim hoc, inquit, a Domino*. Emendantur ex Mss.

infirmitatem nostram (*Rom.* VIII, 16, 26), et, *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singula unicuique*[1] *prout vult*; et, *Divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus* (I *Cor.* XII, 11, 4)? In his enim omnibus sententiis, nec Dei, nec sanctus est additum, et tamen ipse intelligitur. Sed nescio utrum manifesto aliquo exemplo probari possit, alicubi spiritum Dei dictum sine additamento, ubi Spiritus ille sanctus non significetur, sed aliquis quamvis bonus, creatus tamen et conditus. Quæ proferuntur enim dubia sunt, et indigent clariore documento, sicut illud quod scriptum est, *Spiritus Dei superferebatur super aquam*[2] (*Gen.* I, 2). Nam et ibi Spiritum sanctum accipere quid impediat, non invenio. Cum enim aquarum nomine illa materies insinuetur informis[3], quæ de nihilo facta est, unde omnia fierent; quid prohibet intelligere Spiritum sanctum Conditoris, quod superferebatur huic materiæ, non locorum gradibus intervallisque spatiorum, quod nequaquam de ulla re incorporea recte dicitur, sed excellentia et eminentia dominantis super omnia voluntatis, ut omnia conderentur? Præsertim cum ea locutio, sicut illarum Scripturarum mos est, etiam propheticum quiddam sonet, mysteriumque futuri Baptismatis ex aqua et Spiritu sancto nascituri populi præfiguret[4]. Non ergo cogit quod dictum est, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam*, illum intelligere spiritum, sicut nonnulli volunt, quo mundi moles universa ista corporea velut animatur, ad ministerium quorumque gignendorum, et in sua specie continendarum corporalium creaturarum. Creatura est enim quidquid est tale. Illud etiam quod scriptum est, *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I, 7), non desunt qui eumdem spiritum velint accipi, invisibilem scilicet creaturam cuncta visibilia universali quadam conspiratione vegetantem atque continentem. Sed neque hic video quid impediat intelligere Spiritum sanctum, cum ipse Deus dicat apud prophetam, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24). Non enim sine suo Spiritu sancto implet Deus cœlum et terram. Quid ergo mirum si de Spiritu sancto ejus dictum est, *Replevit orbem terrarum?* Aliter enim replet sanctificando, sicut de Stephano dicitur, *Repletus est Spiritu sancto* (*Act.* VI, 5, *et* VII, 55); et de cæteris talibus: aliter ergo replet sanctificante gratia[5], sicut quosdam sanctos; aliter attestante atque ordinante præsentia[6], sicut omnia. Quamobrem nescio utrum certo aliquo documento Scripturarum possit ostendi, cum sine ullo additamento dicitur spiritus Dei vel spiritus Domini, aliquid aliud significari quam Spiritum sanctum. Sed etsi est forte quod in præsentia non occurrat, illud certe arbitror non temere dici, quoties in sanctis eloquiis commemoratur spiritus Dei, neque additur aliquid, sive ille Patri et Filio consubstantialis Spiritus sanctus, sive aliqua creatura invisibilis intelligatur, malum tamen non posse intelligi, nisi addatur etiam malus. Malo enim quia bene utitur Deus ad ministerium judicii sui, appellatur etiam ipse spiritus Dei, ad vindictam malorum et disciplinam vel probationem bonorum.

6. Nec illud movere jam nos debet, quod postea scriptum est, eumdem Saulem spiritu Dei super se facto prophetasse, quomodo post bonum spiritum spiritus malus, et rursum post malum bonus. Hoc enim fit, non mutabilitate Spiritus sancti, qui est incommutabilis cum Patre et Filio, sed mutabilitate animi humani, Deo cuncta distribuente, sive malis pro merito damnationis vel emendationis, sive bonis pro largitate gratiæ suæ. Quanquam videri possit etiam idem fuisse Dei spiritus semper in Saul; malus autem illi, quod ejus sanctitatis[1] capax non esset. Sed non recte hoc videtur. Tutior est enim ille sensus et verior, ut pro mutabilitate affectionis humanæ Spiritus Dei bonus bene afficiat, vel ad prophetiam, vel ad opus quodlibet aliud in munere divino; afficiat autem malus male, qui propter ministerium divinæ æquitatis omnia distribuentis et omnibus recte utentis dicitur et ipse spiritus Dei: præsertim quia dictum est, *Recessit ab eo Spiritus Dei, et comprehendit eum spiritus malignus a Domino.* Nullo enim pacto potest idem videri recessisse et apprehendisse. Porro autem in nonnullis exemplaribus, et eis maxime quæ de lingua hebræa ad verbum videntur expressa, invenitur Spiritus Dei sine additamento positus; et intelligitur malus ex eo quod arripiebat Saül, et reficiebat eum David tangendo citharam. Manifestum est tamen, ideo non additum malus, quia paulo superius jam dictum erat, et de vicinitate Scripturæ subaudiri et intelligi poterat. Ita enim in hujusmodi exemplaribus legitur: *Igitur quandocumque spiritus Domini arripiebat Saül, tollebat David citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saül, et levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Sive ergo quod hic non est dictum, spiritus Dei; sed tantummodo, spiritus malus: quod ibi minus dictum erat, tanquam redditum apparet, sive quia superius ita positum erat, *Et dixerunt servi Saül ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te; jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, et levius feras* (I *Reg.* XVI, 23, 15, 16); non opus erat, cum rursum diceretur, *quandocumque spiritus Dei arripiebat Saül*, addere malum, quia notum erat de quo tunc diceretur.

7. Verumtamen illa quæstio major est, et non transitoria animi intentione rimanda, quod cum Saül persequeretur David innocentem, plenus invidia et

[1] Editi cum Vulgata, *singulis*. At vetustissimus Ms. Corbeiensis, *unicuique*; quod plenius respondet græco *idia ecastô*. pro quo Augustinus interdum, *propria unicuique*. Sic infra, n. 7.

[2] Sic Mss. juxta græcum LXX. At editi, *ferebatur super aquas*.

[3] Corbeiensis et Vaticanus Mss., *insinuaretur informis*.

[4] Sic Mss. Editi vero, *quoddam sonet mysterium, quo futuri baptismatis ex aqua et Spiritu sancto nascituri populi præfiguraretur*.

[5] Sic Mss. At editi, *aliter autem replet sanctificante gratia*.

[6] Sex Mss., *præscientia*.

[1] Veteres libri, *sancte*: forte pro, *sancti*.

livore vesanus, *factus est super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat*. Non enim potest hic nisi spiritus bonus intelligi, per quem sancti Prophetæ futurarum rerum imagines et visa cernebant; non ex eo tantum quia dictum est, *Et prophetabat*: nam in exemplaribus quæ sunt ex hebræo, hoc quoque invenitur de spiritu malo dictum ita, *Post diem autem alterum invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ* (I *Reg*. XVIII, 10). Et in aliis divinarum Scripturarum locis sæpe invenitur quod prophetia non tantum bona, sed et mala dicatur; et prophetæ dicti sunt Baalim (III *Reg*. XVIII, 19, 22, 25, 40); et exprobratum est quibusdam quia prophetabant in Baal (*Jerem*. II, 8). Non ergo necesse est intelligi propterea bonum spiritum, qui factus est super Saül postea, quia dictum est, *et ambulabat ingrediens, et prophetabat*: sed quia sine additamento positum est, *Et factus etiam est super eum Spiritus Dei*. Non enim sicut in illo loco dictum erat supra, *Spiritus Dei malus*; ut ex hoc posset etiam in consequentibus subaudiri: quin imo superiora magis magisque attestantur illum spiritum Dei bonum fuisse et vere propheticum. David enim erat cum Samuele, et misit Saül nuntios qui apprehenderent David. Quando autem Samuel erat inter prophetas et cœtum prophetarum, qui illo tempore prophetabant, nuntii qui missi sunt, accepto eodem spiritu prophetaverunt, missisque aliis hoc contigit, et tertiis nihilominus: postea cum et ipse Saül venisset, *factus est etiam super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat*. Cum enim dicitur, *Factus est etiam super ipsos Spiritus Dei, et prophetabant et ipsi*; idem utique erat spiritus, qui erat in prophetis, inter quos et Samuel inventus est (I *Reg*. XIX, 20-23): ex hoc itaque necesse est intelligi illum spiritum bonum. Atque ideo quæstio diligenter discutienda est, quomodo et illi cum missi essent ad tenendum hominem et ad necem adducendum, tali spiritu affici meruerunt, et Saül ipse qui miserat, veniens et ipse, et sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit illum spiritum, et prophetare.

8. Hic nimirum occurrit illud, quod apostolus Paulus apertissime exponit, supereminentem viam demonstrans: *Si linguis hominum loquar*, inquit, *et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam*[1], *et sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnem substantiam meam, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Quo in loco manifestum est eum munera illa commemorasse, quæ Spiritus sancti divisionibus dantur, sicut superius dicit: *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem; alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri autem fides in eodem Spiritu; alii donatio curationum in uno Spiritu; alii operationes virtutum, alii prophetia, alii dijudicatio spirituum, alteri genera linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult*. Satis ergo apparet inter dona Spiritus sancti esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, et charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur fieri posse ut quidam etiam indigni vita æterna regnoque cœlorum, aspergantur tamen quibusdam Spiritus sancti muneribus non habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut jam demonstratum est, non perducit ad regnum Dei: charitas vero sine prophetia utique perducit. Cum enim loquens de membris Christi ait, *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ?* indubitanter ostendit etiam eum qui prophetiam non habet, posse in membris Christi numerari: ubi quem locum haberet, si charitatem, sine qua homo nihil est, non haberet? Nullo autem modo ita diceret, quando de membris agebat quibus Christi corpus impletur, Numquid omnes habent charitatem? quemadmodum dixit, *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes virtutes? numquid omnes dona habent curationum* (I *Cor*. XII, 7-11, 29, XIII, 3)? et cætera hujusmodi.

9. Sed dicit aliquis posse quidem fieri ut prophetiam quisque non habeat, et tamen habeat charitatem, atque ideo Christi membris annumeratus inhæreat: sed fieri non posse ut prophetiam habeat, et non habeat charitatem; nihil enim est homo habens prophetiam sine charitate. Ita fortasse, quemadmodum possumus dicere, nihil esse hominem habentem animam sine mente: non quia potest inveniri homo qui mentem non habeat habens animam; sed quia nihil esset, si inveniri posset. Sic etiam dici potest, Si corpus figuram habeat, colorem non habeat, videri non potest: non quia est corpus cui desit color; sed quia si esset, cerni non posset. Ita fortasse dictum est quod si quis habeat prophetiam, et charitatem non habeat, nihil est: non quia potest in quoquam esse prophetia sine charitate; sed quia si esset, prodesse non posset. Opus est igitur ad solvendam istam quæstionem, ut ostendamus aliquem reprobum hoc donum habuisse prophetiæ: quod si neminem invenieremus, hoc iste ipse Saül satis ostenderet. Sed tamen ille etiam Balaam reprobus apparet; non enim eum tacet Scriptura divino judicio esse damnatum: et tamen prophetiam habebat; et quia charitas ei deerat, inerat voluntas maledicendi populo Israel, quam hostis pretio comparaverat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat; dono tamen illo prophetandi, quo aspergebatur, benedicebat invitus (*Num*. XXII-XXIV). Nec verba illa parum attestantur huic sententiæ, quæ in Evangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die, *Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus*[1], *et in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtu-*

[1] Lov., *et si habuero prophetiam omnem*. Abest, *omnem*, ab editis aliis et Mss.

[1] Editi, *coram te manducavimus*. At Mss., *in nomine tuo manducavimus*; quomodo postea Augustinus in libro de Catechizandis rudibus, cap. 16, et alibi sæpe.

tes multas fecimus : quibus tamen dicturus est, *Non novi vos; recedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 22, 23). Non enim eos mentientes putamus ista dicturos in illo judicio, ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam vocem talium legimus, dicentium, Dileximus te. Poterunt ergo dicere, *In nomine tuo prophetavimus*, cum sint improbi et reprobi : non autem poterunt dicere, Dilectionem quam mandasti, tenuimus. Nam si dicent [1], non eis respondebitur, *Non novi vos*. *In hoc enim cognoscetur*, inquit, *quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 35).

10. Exemplum itaque hujus Saul resistit superbis nonnullis hæreticis, qui aliquid boni de muneribus sancti Spiritus negant posse dari eis qui ad sortem sanctorum non pertinent : cum eis dicimus habere illos posse sacramentum Baptismi, quod cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis ullo modo violandum, aut quasi non habeant tradendum; sed tamen eos non ideo saluti debere confidere, quia non improbamus quod illos accepisse concedimus; sed oportere cognoscere unitatis societatem vinculo charitatis ineundam, sine qua omnino quidquid habere potuerint, quamvis per se sanctum ac venerandum, ipsi tamen nihil sunt, tanto indigniores effecti vitæ æternæ præmio, quanto illis donis non bene usi sunt, quæ in hac vita, quæ transitoria est [2] acceperunt. Non autem bene utitur, nisi charitas; et charitas omnia tolerat (I *Cor.* XIII, 7), atque ideo non scindit unitatem, cujus ipsa est fortissimum vinculum. Non enim et servus ille non accepit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum quam munus aliquod utique divinum : sed, *Qui habet, dabitur ei; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XXV, 29). Quod non habet auferri non potest; sed aliud non habet, ut merito auferatur quod habet : non habet charitatem utendi, ut auferatur quidquid aliud habet, quod sine charitate non prodest.

11. Non igitur mirum est, regem Saül et eo tempore quo primum unctus est, accepisse spiritum prophetandi, et postea cum esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo spiritu Domini arreptum esse maligno spiritu a Domino : qui etiam spiritus Domini appellatus est propter ministerium; quia omnibus etiam spiritibus malis bene utitur Dominus, vel ad damnationem quorumdam, vel ad emendationem, vel ad probationem : et quamvis non sit malignitas a Domino, non est tamen potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII, 1). Dictusque est etiam sopor Domini, qui occupaverat milites ejusdem Saül, cum David hastam et scyphum abstulisset a capite dormientis (I *Reg.* XXVI, 12) : non quia tunc sopor in Domino erat, ut ipse dormiret; sed quia ille sopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infusus, ne David servi ejus [3] in eo loco præsentia sentiretur.

[1] *Dicunt*, juxta Er. M.
[2] Plerique Mss., *transitura est*.
[3] Editi, *ne David et servorum ejus*. At Mss., *ne David servi ejus*. Forte legendum, *ne David et servi ejus;* scilicet ipsius Abisai, qui cum David ad Saül in castra descenderat, ex lib. 1 Reg., cap. 26, ỳ. 6.

Neque illud mirum est, rursum eumdem Saul accepisse spiritum prophetiæ, cum persequeretur justum, et eum comprehensurus et necaturus venisset in locum ubi erat congregatio prophetarum. Sic enim satis demonstratum est neminem de tali munere jam securum esse debere, tanquam sit acceptissimus Deo, si non habeat charitatem : quandoquidem illud donum et Sauli dari potuit, propter arcanum quidem alicujus sacramenti; sed tamen dari potuit reprobato, et invido, et ingrato, et reddenti mala pro bonis, et ne post ipsam quidem acceptionem spiritus correcto in melius atque mutato.

QUÆST. II. — *De Deo nihil dignum dicitur. Præscientia an proprie sit in Deo. Scientia quid, et quomodo in Deo. Ira, misericordia, et zelus Dei quo sensu dicitur. Rebus divinis vocabula humana tribuuntur, sed ibi remotis imperfectionibus intelligenda. Sapientia et scientia unde differunt. Pœnitere quomodo convenit Deo. Pœnitentia et zelus cur minus videantur Deo congruere quam præscientia, ira et similia.*

1. Age, jam videamus quomodo dictum sit, *Pœnitet me quod constituerim regem Saül* (I *Reg.* XV, 11). Quæris enim, non utique in talium verborum intellectu rudis, sed rudimenta explorans mea paterno studio et benigna cura, quomodo pœniteat aliquid Deum, in quo sit omnis præscientia. Ego vero, cum hoc de Deo dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer, si aliquid dignum inveniretur quod de illo diceretur. Cum vero verba omnia, quibus humana colloquia conseruntur [1], illius sempiterna virtus et divinitas mirabiliter atque incunctanter excedat, quidquid de illo humaniter dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur, ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quam divinæ sublimitati; ac per hoc etiam ipsa transcendenda esse sereniore [2] intellectu, sicut ista qualicumque transcensa sunt.

2. Quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente, pœnitentiam esse non posse? Et certe tamen hæc duo verba sunt, pœnitentia et præscientia, quorum quia unum congruere credimus Deo, id est præscientiam, negamus in eo esse pœnitentiam. Cum vero alius liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, et invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longe lateque superari; non miratur utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongrue diceretur. Quid est enim præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet [1], non sunt ei futuræ, sed præ-

[1] Sic Mss. Editi autem, *conferuntur :* et infra loco *humaniter*, habebant, *humanitus*.
[2] In editis, *saniore ;* pro quo in Mss., *sereniore*.
[1] Sic Mss. excepto uno e Vaticanis qui cum ante editis ferebat, *in scientia res ipsas habet.*

sentes, ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo; bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei [1]; quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest quæ ventura prænoscit nosse cum venerint; nisi bis innotescant [2], et prænoscendo antequam sint, et cognoscendo cum jam sunt. Ita fit ut (quod longe a veritate seclusum est) temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, cum temporalia quæ præsciuntur etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsciebantur. Si vero etiam cum venerint, quæ præsciebantur esse ventura, nihil novi accedet scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat etiam priusquam venirent quæ præsciebantur; quomodo jam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Jam enim præsentia sunt quæ futura cernebat, et paulo post erunt præterita. Præteritorum autem rerum, sicut præsentium, nullo modo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id, ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia: et cum ea quæ præscientia erat prius, postea scientia fiat in Deo, admittit mutabilitatem et temporalis est; cum sit Deus, qui vere summeque est, nec ulla ex parte mutabilis, nec ullo motu novitio temporalis. Placet ergo ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam: quæramus et hoc quomodo. Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoria retinemus; cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, ut id cum volumus recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit proprie dici, Intelligit et intellexit, sentit et sensit; admittit tempus, et subrepit nihilominus illa mutabilitas, quæ longe a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus, et præscit Deus ineffabili modo. [illegible] Cum ergo scientia Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque tamen scientia vocatur: et hæc quidem humana talis est, ut dicat de illa Apostolus etiam, *Scientia destruetur* (I *Cor.* XIII, 8), quod nullo modo recte de scientia Dei dici potest. Sic et ira hominis turbulenta est et non sine cruciatu animi: ira vero Dei, de qua dicitur in Evangelio, *Sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III, 36); et Apostolus, *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem* (*Rom.* I, 18); illa in tranquillitate judicante, in creaturam [illegible] exercet [illegible]. Misericordia quoque hominis habet quamdam cordis miseriam, unde etiam in latina lingua nomen accepit [illegible] quod non solum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus [illegible] Apostolus (*Id.* XII, 15). Quis autem sano capite dixerit, ulla miseria tangi Deum? quem tamen ubique Scriptura misericordem esse testatur. Ita zelum humanum non sine peste livoris intelligimus: zelantem vero Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.

3. Longum est percurrere cætera, et sunt innumerabilia quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari quibus humana, cum incomparabili diversitate sejuncta sint: nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula, nisi quia hæc cognita quæ in quotidiana consuetudine versantur, et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam. Cum enim dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus; unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam (I *Cor.* XIII, 9): cum ergo hæc cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta lustrantis [1]; imo non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero; insinuatur mihi utcumque scientia Dei: quod tamen nomen, ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune. Quanquam et in ipsis hominibus solet discerni a sapientia scientia, ut etiam Apostolus dicit, *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum* (*Id.* XII, 8): in Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum. Et in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent, ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia vero ad ea quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diversa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sane si ita est, ut nomen scientiæ rebus quas per sensus corporis experimur, deputatum sit; nulla est omnino scientia Dei. Non enim Deus per se ipsum ex corpore et anima constat, sicut homo. Sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, et non ejusdem generis, cujus ista est quæ hominum dicitur: sicut etiam idipsum quod Deus dicitur, longe aliud est, quam quemadmodum dictum est quia *stetit in synagoga deorum* (*Psal.* LXXXI, 1). Tamen ad non latere quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor; atque ita utcumque assurgo in notitiam illius quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem, cum eo quem miseraris, participatæ miseriæ [2], ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi et a miseria liberandi, insinuatur divinæ misericordiæ qualiscumque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus et aspernemur, cum scriptura

[1] [illegible]

[2] [illegible]

[1] Sic probabiliores MSS. At Editi, [illegible]

[2] [illegible] ; pro *participatus es miseriæ*, corrupte, ut liquet ex MSS.

invenimus [1] : sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, et morbidam perturbationem animi; remaneatque illud solum judicium, quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, et assurgimus ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei.

4. Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem, *Pœnitet me;* consideremus quod esse soleat in hominibus opus pœnitendi. Procul dubio reperitur voluntas mutandi [2] : sed in homine cum dolore animi est; reprehendit enim in se quod temere fecerat. Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat : sic potest aliquantum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quod pœnitet Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat ut esset : sed tamen et cum ita esset, ita esse debebat; et cum ita esse jam non sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit.

5. Sed quoniam præscientiam et scientiam cum laude solemus in hominibus appellare, iramque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere [3] potius quam reprehendere, congruenter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, et quem aliquid pœnitet, quoniam vel culpari solet, vel in se culpam corrigere, atque ideo cum reprehensione ista de hominibus dici; propterea movet, cum legimus esse aliquid in Deo ejusmodi. Sed illa Scriptura omnibus consulens, propterea magis et ista ponit, ne illa quæ placent sic intelligantur in Deo, quomodo consueverunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, cum ea non audemus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque convenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet; non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est, *Non enim est illis commutatio* (*Psal.* LIV, 20). Item sunt quædam quæ in homine laudabilia sunt, in Deo autem esse non possunt : sicut pudor, quod ætatum viridiorum magnum est ornamentum : sicut timor Dei, non enim tantum in veteribus Libris laudatur, sed Apostolus etiam dicit, *Perficientes sanctificationem in timore Dei* (II *Cor.* VII, 1); qui utique in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non recte dicuntur in Deo; sic quædam culpabilia hominum recte intelliguntur in Deo : non ita ut in hominibus, sed vocabulis tantummodo communibus, longe alia ratione et modo. Nam paulo post idem Samuel, cui dixerat Dominus, *Pœnitet me quod constituerim regem Saül*, ipsi Saüli ait de Deo, *Quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum* (I *Reg.* XV, 29) : ubi videlicet satis ostendit etiam cum Deus dicit, *Pœnitet me;* non humano more accipiendum esse, sicut jam quantum valuimus disputavimus.

QUÆST. III. — *Samuel per pythonissam evocari quomodo potuerit. Samuelis forte phantasma fuit, non spiritus. Dæmones quomodo norint futura.*

1. Item quæris utrum spiritus immundus qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saüle videretur et loqueretur cum eo (I *Reg.* XXVIII, 7-19). Sed multo majoris miraculi est quod ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, et petere tentandum Job justissimum virum (*Job.* I, 11) : qui etiam tentandos Apostolos petiit (*Luc.* XXII, 31). Aut si hoc non ideo habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus : interest enim quid loquatur; quia et imperator multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem; et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici : si ergo hinc propterea nulla quæstio est; nulla sit quæstio quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis Deus creator et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justi, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis evocare [1]; nonne magis mirandum est quod satanas ipsum Dominum assumpsit et constituit super pinnam templi (*Matth.* IV, 5)? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri; sicut ab ipsis Judæis, quanquam perversis atque immundis et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi atque interfici passus est : non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et pythonissam illam et Saülem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, a malis vivis evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam; cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, et agant cum eis quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiis pro rerum præsentium vel usu vel necessitate tractatis?

2. Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed ali-

[1] Sic Fr. et nostri MSS. At Lov., *inveniamus.*
[2] Editi : *Consideremus quid esse soleat. In hominibus opus pœnitendi est, cum procul dubio reperitur voluntas mutandi.*
[3] MSS., *tremere.*

[1] Editi, *revocare.* At MSS., *evocare* : et sic in libro ad Dulcitium.

quod phantasma, et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materie metalli aut ligni, vel cujusque [1] rei aptæ ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in somnis, et omnes fere imagines, earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis est enim qui hominem pictum dubitet vocare hominem? Quandoquidem et singulorum quorumque picturam cum aspicimus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus: velut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: cum aliud nihil sint quam pictæ imagines. Unde Cherubim cum sint cœlestes potestates, ficta tamen [2] ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam Testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim illa quoque figmenta vocitantur (*Exod.* XXV, 18). Item quisquis videt somnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani; sed, Vidi Augustinum aut Simplicianum: cum eo tempore quod tale aliquid vidit, nos ignoraremus; usque adeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somnis et boves (*Gen.* XLI, 17-28), non spicarum aut boum imagines. Si igitur liquido constat nominibus earum rerum quarum imagines sunt, easdem imagines appellari; non mirum est quod Scriptura dicit Samuelem visum, etiamsi forte imago Samuelis apparuit, machinamento ejus qui transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos velut ministros justitiæ (II *Cor.* XI, 14, 15).

3. Jamvero si illud movet, quomodo et a maligno spiritu Saüli vera prædicta sunt; potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverint Christum (*Matth.* VIII, 29), quem Judæi non agnoscebant. Cum enim vult Deus etiam per infimos infernosque spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia duntaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, et non incongruum, ut omnipotens et justus ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur, ut malum quod eis impendet, antequam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu ministeriorum [3] suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit. Unde etiam spiritus pythonius [4] in Actibus Apostolorum attestatur Paulo apostolo, et evangelista esse conatur (*Act.* XVI, 17). Miscent tamen isti fallacias, et verum quod nosse potuerint, non docendi magis quam decipiendi fine prænuntiant. Et forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saülem prædiceret moriturum, dixit etiam secum futurum: quod utique falsum est. Magno quippe intervallo post mortem separari bonos a malis in Evangelio legimus, cum Dominus inter superbum illum divitem, cum jam apud inferos tormenta pateretur, et illum qui ad ejus januam ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur (*Luc.* XVI, 26). Aut si propterea Samuel Saüli dixit, *Mecum eris*, ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat; perspicit, quantum opinor, prudentia tua, secundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem qui non sit contra fidem: nisi forte profundiore et perplexiore [1] inquisitione, quæ vel virium mearum vel temporis excedit angustias, inveniatur ad liquidum, vel posse vel non posse animam humanam, cum ex hac vita migraverit, magicis carminibus evocatam vivorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed et agnosci. Et si potest, utrum etiam justi anima, non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi occultioribus imperiis summæ legis obtemperans: ut si fieri non posse claruerit, non uterque sensus in hujus Scripturæ tractatione atque expositione admittatur, sed illo excluso, imaginaria simulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia satanæ atque imaginum simulandarum callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis invigilat, pedetentim quidem, ne [2] inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid factum maligno pythonissæ illius ministerio, quamdiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

QUÆST. IV. — *Quo situ corporis orandum.*

Quod autem quæris, quid sit quod scriptum est, *Intravit rex David, et sedit ante Dominum* (II *Reg.* VII, 18): quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini; sive ubi erat arca Testamenti, per quam sacratior et commendatior quædam præsentia Domini accipi potest; sive quia oraturus sedit, quod non fit recte nisi in conspectu Dei, hoc est in intimis cordis? Potest enim et sic accipi quod dictum est, *ante Dominum*; ubi nullus esset hominum, qui audiret orantem. Sive ergo propter arcam Testamenti, sive propter secretum locum semotum ab arbitris, sive propter intimum cordis ubi erat orantis affectus, convenienter dictum est, *Sedit ante Dominum*. Nisi forte quod sedens oravit, hoc movet; cum et sanctus Elias hoc fecerit, quando pluviam orando impetravit (III *Reg.* XVIII, 42-45). Quibus admonemur exemplis, non esse præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum,

[1] Editi, *cujuscumque*; pro quo Augustinus, *cujusque*, quod hic Mss. constanter habent, solet usurpare.

[2] Corbeiensis Ms.: *Unde Cherubim, cum sint cœlestes potestates*, *ficta tamen*, etc. In editis legebatur, *ficta*: in quibus [illegible] *Cherubim illæ quoque effigies*, ubi Mss. et [illegible] habent, *illa quoque figmenta*.

[3] Editi, *ministeriorum* [illegible] Mss., *ministeriorum*, [illegible]

[4] Editi, *pythonicus*. Mss. vero, *pythonius*, vel, *pythonis*.

[1] Aliquot Mss., *prolixiore*.

[2] Particula, *ne*, restituitur hic ex Mss. Confer librum de octo Dulcitii quæstionibus, in fine quæstionis 6.

dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam et stantes oramus, sicut scriptum est, *Publicanus autem de longinquo stabat* (*Luc.* xviii, 13); et fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus (*Act.* vii, 59, *et* xx, 36); et sedentes, sicut ecce David, et Elias. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis, *Lavabo per singulas noctes lectum meum; in lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* vi, 7). Cum enim quisque orationem quærit, collocat membra, sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis [1] ad movendum animum. Cum autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est, cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus quo secedamus [2], aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinem, et sæpe etiam obliviscitur [3] vel ad quam cœli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus invenerit.

QUÆST. V. — *In verba Eliæ querentis Deo de morte filii viduæ.*

In verbis autem beati Eliæ, quibus ait, *O Domine, testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu male fecisti ut occideres filium ejus;* nihil moveret, si vera pronuntiatio servaretur. Vox est enim non credentis quod tam male faceret Deus cum ea vidua, quæ tam pie Prophetam susceperat, eo præsertim tempore quo ibi erat, cui protulerat illa totum victum suum tam exiguum in tam magna et summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret, *O Domine, testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tune male fecisti ut occideres filium ejus?* ut subintelligatur quod utique Dominus testis cordis illius mulieris, ubi videbat quanta esset pietas, unde etiam Eliam ipse ad eam miserat, non malefaciendi causa mortificaverat filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo tantum Prophetam [4] et tunc viventibus et posteris commendaret: sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in Filio suo (*Joan.* xi, 4). Et ideo consequentia probant, et ipsa etiam fiducia qua credidit Elias, non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu hospita ejus affligeretur: sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ qualem Dei famulum suscepisset. Sequitur Scriptura, et dicit [5]: *Et insufflavit puero ter, et invocavit Dominum, et dixit, Domine Deus meus, revertatur nunc anima pueri hujus in eum. Et factum est sic.* Hæc ergo deprecatio, qua petiit Elias tam breviter et tam fidenter ut resurgat puer, satis indicat quo affectu dicta sint superiora. Et ipsa mulier ostendit ad hoc mortificatum filium suum fuisse, ad quod Elias factum esse præsumpserat, cum illa verba non confirmando, sed tremendo enuntiaverat. Cum enim vivum recepisset filium suum, ait, *Ecce cognovi quoniam homo Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo certissimum* (III *Reg.* xvii xx, 21 24). Multa sunt autem in Scripturis, quæ nisi illo modo pronuntientur, in contrariam sententiam recidunt: sicuti est, *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat* (*Rom.* viii, 33), si quasi confirmans respondeas, vides quanta perversitas oriatur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceretur, Deus est qui justificat? ut subaudiatur, Non utique. Ac per hoc apertam puto esse illam Eliæ sententiam, quam non servata pronuntiatio faciebat obscuram.

QUÆST. VI. — *De spiritu mendacii misso ad decipiendum Achab.*

De spiritu vero mendacii [1], per quem deceptus est Achab (III *Reg.* xxii, 20-23), hoc intelligamus, quod jam superius satis aperte tractatum arbitror: Deum scilicet omnipotentem et justum distributorem pœnarum præmiorumque pro meritis, non solum bonis et sanctis ministris uti ad opera congrua, sed etiam malis ad opera digna; cum illi pro sua perversa cupiditate [2] nocere appetant, sinantur autem tantum quantum ille judicat, qui omnia in mensura et pondere et numero disponit (*Sap.* xi, 21). Dixit autem hoc Michæas propheta quomodo sibi fuerit demonstratum. Occulta enim res et nimis secreta ita demonstratur prophetis, sicut potest capere sensus humanus, cum etiam rerum imaginibus in revelatione tanquam verbis instruitur. Nam quomodo Deus hæc agat, ubique totus ac semper præsens; et quomodo ejus simplicem et incommutabilem æternamque veritatem consulant sancti Angeli, omnesque ab eodem Deo creati sublimes et mundissimi spiritus, atque id quod in eo sempiterne justum vident, pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragant: quomodo etiam lapsi spiritus, qui in veritate non steterunt, propter immunditiam et infirmitatem concupiscentiarum et pœnarum suarum non valentes præsentem intrinsecus contueri et consulere veritatem, signa forinsecus per creaturam exspectent, eisque moveantur sive ad faciendum aliquid, sive ad non faciendum; quove modo cogantur æterna lege. qua universitas regitur, vincti atque constricti, vel sinentem Deum operiri, vel cedere jubenti; et complecti arduum, et explicare longissimum est [3]. Vereor autem ne ista ipsa quæ sunt a me dicta, et non satisfecerint exspectationi, et tædio fuerint gravitati tuæ; quandoquidem cum tu ex omnibus quæ interrogasti, unum a me libellum mitti velles, ego duos libros eosdemque longissimos misi, et fortasse quæstionibus tuis nequaquam diligenter expediteque re-

[1] Sic Mss. At editi, *positi corporis.*
[2] Editi, *quo sedeamus.* At Mss., *quo secedamus.* Forte addendum hic, *et ubi sedeamus.*
[3] Editi, *obliviscitur se.* Abest, *se,* a Mss.
[4] Mss., *qua tantum Prophetam.*
[5] Plures et meliores Mss., *Et ideo consequentia probant. Ex ipsa enim fiducia qua..... suscepisset, sequitur Scriptura et dicit.* Forte legendum: *Et id consequentia probant,* etc.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. et Lov. quæstio sexta non separatim a quinta tractatur. Pro: *De spiritu vero mendacii,* legitur simpliciter, *De spiritu mendacii,* totusque liber, conjunctis quinta sextaque quæstionibus, quinque solum quæstiones comprehendit. M.
[2] Sic Mss. At editi, *pro sua perversitate.*
[3] Ita melioris notæ Mss. Editi autem, *vel sinente Deo operari, vel cedere jubenti et compellenti; arduum et explicare longissimum est.*

spondi. Quamobrem preces tuas pro peccatis meis multas et assiduas peto fieri: sententiam vero de hoc opere tuam brevissimam, sed gravissimam flagito; et dum sit verissima, severissimam non recuso.

ADMONITIO
IN LIBRUM DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS.

De Dulcitio primum, qui libri hujus scribendi argumentum Augustino præbuit, nulli dubitamus quin ille ipse sit tribunus et notarius in libro 2 Retractationum, cap. 59, laudatus, qui circiter annum 420, sicuti ex eodem loco intelligitur, in Africa agebat, datis ab imperatore Honorio contra Donatistas legibus exsequendis præfectus. Ad eumdem, cum edoceri cuperet quid hæreticis illis respondere oporteret, scripta fuit Augustini epistola 204, cui titulus, « Domino eximio, et honorabili filio Dulcitio, » præfigitur. Mercatorem porro, cui per Albinum Romanæ Ecclesiæ acolythum ex Africa proficiscentem litteras, hoc in opere ad quæstionem 3 citatas, misit Augustinus, Dulcitio notissimum credebat: Laurentium vero, cui urbis Romæ primicerio inscribitur libellus dictus Enchiridion, Dulcitii fratrem hic ad quæstionem 1 respondens appellat.

Jam de subsequentis operis ætate, id omnino constat, editum esse post Christi annum 419, imo post 420; quandoquidem citatus in 1 quæstione liber Enchiridion anno (uti suo dicturi sumus loco), non prius 421 prodiit. Aliud etiam non minus liquet, perfectum scilicet fuisse aliquanto ante annum 430; quippe cum in Retractationum libris anno fere 427 absolutis recenseatur. Quapropter haud immerito censent corrigendam hic in exordio consignatam (tametsi codices excusi et scripti eamdem omnes habeant) notam Paschatis, cujus Dominicum eo anno quo librum hunc concinnavit Augustinus, in tertium calendas aprilis incidisse ferunt. Id siquidem per episcopatum Augustini non contigit unquam, nisi annis 419 et 430, quibus istud opusculum assignari non posse facile concedimus. Erit igitur pro III cal. legendum, ut quidam volunt, VII cal. aprilis, ut opus ad 422 annum pertineat; aut certe reponendum XI cal. aprilis, quo die Pascha anno 425 celebratum a quibusdam Latinorum fuisse asserit Bucherius.

In librum de octo Dulcitii Quæstionibus, *vide lib.* 2, *cap.* 63, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 636, *a verbis*, Liber quem pernotavi, *usque ad verba*, Fili Dulciti. M.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE OCTO
DULCITII QUÆSTIONIBUS
Liber unus (a).

Præfatio. Quantum mihi videtur, dilectissime [1] fili Dulciti, non tardavi respondere interrogationibus tuis. Per Pascha quippe hoc anno, quo Dominicus [2] ejus fuit tertio calendas aprilis, a Carthagine mihi missas litteras tuæ dilectionis accepi. Post eos autem dies sanctos confestim Carthaginem sum profectus: in qua

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hunc de octo Dulcitii quæstionibus emendandum librum adhibiti sunt veteres Vaticani tres libri, Corbeienses duo, totidem Victorini, codex Regius, Sorbonicus, Thuaneus, Michaelinus, et unus Ecclesiæ Laudunensis; lectiones etiam variantes Lovaniensium ex belgicis Mss. quatuor; ac tandem editiones Bad. Am. Er. et Lov., id est Augustini de Ratispona, Joannis de Amerbach, Desiderii Erasmi, et Theologorum Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Aliquot Mss., *dulcissime.*
[2] In plerisque Mss., *Dominicum.*
(a) Scriptus forte an. 422, aut 425.

civitate nihil me dictare permisit occupationum, quæ ibi non potest deesse, nimia multitudo. Sed posteaquam inde regressus sum, peractis apud nostros quindecim diebus, qui me post absentiam diuturnam curare alia compulerunt (nam post tres menses redire permissus sum), rescribere ista non distuli, et abs te missis quæstionibus, quæ a me per diversa opuscula mea jam fuerant pertractatæ, ex eisdem opusculis reddere vel solutionem vel certe disceptationem meam. Denique illud tantummodo, ubi quæris quare dixerit Dominus nimirum præscius futurorum, *Elegi David secundum cor meum* (III *Reg.* VIII, 16), cum ille talia et tanta commiserit, ubi tractaverim, et quomodo id exposuerim, non potui reperire, et utrum sit in aliquo libro meo vel epistola nescio. Ac per hoc quoniam mihi de hoc intulisti novæ disputationis necessitatem, in hac mea rescriptione id ultimum feci, prius volens ea ponere quæ habebam in aliis meis voluminibus præparata : ut nec studio tuæ sanctitatis deessem[1], quod mihi est gratissimum; nec alio modo eadem dicere cogerer, quod mihi esset laboriosissimum, nec te aliquo amplius adjuvaret.

QUÆSTIO PRIMA. — *An baptizati peccatores exituri sint de gehenna. Locus Apostoli difficilis male intellectus. Refutatur opinio existimantium fidem sine operibus prodesse ad salutem. Locus Apostoli, quomodo intelligendus. Alius Apostoli locus frustra ab iis adductus, qui fidem sine operibus salvare docent. Chananææ fides qualis laudata est. Opinio quorumdam, fideles baptizatos, quantumvis peccatores, salvandos esse per ignem. Ignis cujusque opus probans in hac vita. Purgatorius ignis post hanc vitam.*

1. Prima itaque propositio tua est, « Utrum aliquando, qui sunt post Baptismum peccatores, exeant de gehenna. Aliquantorum namque super hoc, inquis, diversa sententia est, respondentium, sicut justorum præmium, ita peccatorum finem non habere tormenta. Asseverare etenim cupiunt tam perpetem vindictam manere, quam præmium. Quibus contra præscribitur evangelica illa sententia, quæ ait, *Non inde exies, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 26). Superest ergo ut hoc reddito possit exire. Credimus hoc et Apostoli definitione dicentis, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 15). Sed quoniam alibi legimus, inquis, *Et non cognovit eam, donec peperit* (*Matth.* I, 25), quod ita interpretari non possumus; idcirco de hoc cupimus fieri certiores. » Huc usque est propositio tua.

2. Cui respondeo ex libro meo, qui inscribitur, de Fide et Operibus, ubi de hac re ita locutus sum : « Jacobus, inquam, tam vehementer infestus est eis qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet, dicens, *Tu credis, quoniam unus est Deus : bene facis; et dæmones credunt, et contremiscunt.* Quid brevius, verius, vehementius dici potuit, cum et in Evangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum Filium Dei confiterentur, et ab illo corriperentur (*Marc.* I, 24, 25), quod in Petri confessione laudatum est (*Matth.* XVI, 16, 17)? *Quid proderit*, ait Jacobus, *fratres mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Dicit etiam, quia *fides sine operibus mortua est* (*Jacobi* II, 19, 14, 20). Quousque ergo falluntur, qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?

3. « Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia, plane ad intelligendum difficilis, ubi ait : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestabitur. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus arserit, damnum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 11-15). Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei quæ in Christo est, bona opera adjiciunt; illi autem fenum, ligna, stipulam, qui cum eamdem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti.

4. « Hoc si ita est, fatemur istos laudabili charitate conari, ut omnes indiscrete admittantur ad Baptismum, non solum adulteri et adulteræ, contra sententiam Domini falsas nuptias prætendentes; verum etiam publicæ meretrices in turpissima professione perseverantes, quas certe etiam nulla negligentissima Ecclesia consuevit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione liberatas. Sed ista ratione cur non omnimodo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eas posito fundamento, licet ligna, fenum et stipulam congerant, aliquanto certe diuturniore igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt illa, quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent : *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*Id.* XIII, 2); et, *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Falsum erit et illud : *Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque fures, neque avari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (*Id.* VI, 9, 10). Falsum et illud : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* v, 19-21). Falsa erunt hæc. Si enim tantummodo credant et baptizentur, quamvis in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem : atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt, regnum Dei posside-

[1] Potiores Mss., deesset.

bunt. Frustra autem dicetur, *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis* (I *Cor.* vi, 11) : quando et abluti hæc sunt. Inaniter etiam illud a Petro dictum videbitur, *Sic et vos simili forma Baptisma salvos facit; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio* (I *Petr.* iii, 21) : si quidem et habentes pessimas conscientias omnium flagitiorum et scelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen Baptisma salvos facit : propter fundamentum enim quod in eodem Baptismate ponitur, licet per ignem, salvi erunt. Illud quoque non video cur Dominus dixerit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata* (*Matth.* xix, 17), et commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent ; si etiam his non servatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ *sine operibus mortua est*. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est dicet : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus?* Quos non increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos, *Domine, quando te vidimus* illa et illa patientem, *et non ministravimus tibi?* qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei in se ipsos immisericordes fuerunt ; quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo, *Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* xiii, 3) : aut diligat quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6). Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam : per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem ; ut videlicet ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eis æterna : cum et hoc prævidens Dominus, tanquam Dominus, sententiam suam ita concluserit, dicens, *Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 41, 44, 46). Erit ergo æterna combustio, sicut ignis ; et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

5. « Si ergo hæc omnia, et cætera quæ innumerabilia per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt ; poterit verus esse ille intellectus de lignis, feno et stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christo fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista et vera, et clara sunt ; procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines pervertere ad proprium suum interitum (II *Petr.* iii, 16), ut contra evidentissima testimonia Scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequitiæ suæ pertinacissime cohærentes, nec emendando aut pœnitendo mutatos.

6. « Hic a me fortasse quæratur, de ipsa Pauli apostoli sententia quid ego sentiam, et quonam modo intelligendam putem. Fateor, hinc mallem audire intelligentiores atque doctiores, qui sic eam exponant, ut illa omnia vera et inconcussa permaneant, quæ supra commemoravi, et quæcumque alia non commemoravi, quibus apertissime Scriptura testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit Apostolus, id est, *quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6) ; sine operibus autem salvare non posse, neque præter ignem, neque per ignem : quia si per ignem salvat, ipsa utique salvat. Absolute autem dictum est et aperte, *Quid prodest, si dicat quis se fidem habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Dicam tamen, quam brevissime potero, etiam ipse quid sentiam de illa sententia Pauli apostoli ad intelligendum difficili ; dummodo illud, quod ad meam professionem attinet, præcipue teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus est in structura architecti sapientis ; hoc expositione non indiget : aperte enim dictum est, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Si autem Christus, procul dubio fides Christi : per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem apostolus dicit (*Ephes.* iii, 17). Porro si fides Christi, illa utique quam definivit Apostolus, *quæ per dilectionem operatur*. Non enim fides illa dæmonum, cum et ipsi credant et contremiscant, et Filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in fundamento. Quare, nisi quia non est fides quæ per dilectionem operatur, sed quæ exprimitur per timorem? Fides itaque Christi, fides gratiæ christianæ, id est, ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit. Sed quid sit ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, et ligna, fenum, stipulam, si subtilius disserere coner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio : enitar tamen, quantum Dominus adjuvat, et breviter, et quantum potero, dilucide expedire quod sentio. Ecce ille qui quæsivit a magistro bono, quid boni faceret, ut haberet vitam æternam ; et audivit, si ad vitam venire vellet, servanda sibi esse mandata : et cum quæreret quæ mandata, dictum est ei, *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem tuam ; et, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum*. Hæc faciens in fide Christi, teneret procul dubio fidem quæ per dilectionem operatur. Neque diligeret proximum tanquam se ipsum, nisi recepta dilectione Dei, sine qua non diligeret se ipsum. Porro si faceret etiam quod Dominus addidit, dicens, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me* (*Matth.* xix, 16-21) ; ædificaret super illud

fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos non enim cogitaret, nisi quomodo placeret Deo, et hæc cogitationes sunt, quantum existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi. Porro si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur (alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret), sed propter carnalem, ut dixi, quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset; ædificaret super fundamentum illud ligna, fenum, stipulam: maxime si et uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, nec huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tanto est quisque securior, quanto ea vel minus amaverit, vel tanquam non habens habuerit. Qui vero propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, et similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquebitur.

7. « Quamobrem et illud quod dicunt, veluti probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit, *Quod si infidelis discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater vel soror in hujusmodi* (I *Cor*. VII, 15); id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro christiano, propter hoc quia christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hoc uxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad Baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat. Quemcumque autem in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis sustinebit, hoc est detrimentum quod patietur, hic est ignis per quem feno ardente ipse salvabitur. Si autem jam sic habebat uxorem tanquam non habens, non propter concupiscentiam, sed propter misericordiam, ne forte eam salvam faceret, reddens potius quam exigens debitum conjugale; profecto nec dolebit carnaliter, cum ab illo tale connubium separabitur: neque enim in ea cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo (I *Cor*. VII, 29-34). Ac per hoc in quantum aurum, argentum, et lapides pretiosos illis cogitationibus superædificabat, in tantum detrimentum nullum pateretur, in tantum ejus structura, quæ non erat fenea, nullo incendio cremaretur.

8. « Sive ergo in hac tantum vita ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujusce sententiæ. Verumtamen etiam si est alius, qui mihi non occurrit, potius eligendus, istum quamdiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei (I *Tim*. I, 9-11): Si tantummodo in Christum credatis, et sacramentum Baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis.

9. « Unde nec illa nobis mulier Chananæa præscribit, quia Dominus ei quod petebat dedit, cum ante dixisset, *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus;* quia ille cordis inspector mutatam vidit, quando laudavit. Et ideo non ait, O canis, magna est fides tua! sed, *O mulier, magna est fides tua* (*Matth*. XV, 26, 28)! Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus, id est, fidem non talem quæ jam per dilectionem posset operari, fidem mortuam, et quod Jacobus dicere minime dubitavit, fidem non Christianorum, sed dæmonum. Postremo si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo et corripiendo redarguit: quoscumque invenerint tantummodo credere, vitam vero inquinatissimam, nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri, ac nolle mutare; sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Chananææ mulieris; non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant membra meretricis» (*De fide et Operibus, cap*. 14-16).

10. Item in eo libro cui titulus est, de Fide, Spe, et Charitate, quem scripsi ad filium meum fratrem tuum Laurentium, ista de hac re verba mea sunt: « Creduntur, inquam, a quibusdam, etiam hi qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniti. Sed qui hoc credunt, et tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur: nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione conscripsi, cujus titulus est, de Fide et Operibus; ubi secundum Scripturas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus, dicens: *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet*,

neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6). Si autem male, et non bene operatur, procul dubio, secundum apostolum Jacobum, *mortua est in semetipsa*. Qui rursus ait : *Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* Porro autem si homo autem sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum quod ait beatus Paulus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit quod dixit ejus coapostolus Jacobus : falsum erit et illud quod idem ipse Paulus, *Nolite*, inquit, *errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

11. « Sed quia hæc apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt; illud quod obscure dictum est, de his qui superædificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fenum, stipulam (de his enim dictum est quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt), sic intelligendum, est ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et fenum et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut ei nihil anteponatur, et malit homo qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit, carere, quam Christo; per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, eum in fundamento non habuit; quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio non sit aliquid prius fundamento. Ignis enim, de quo eo loco locutus est apostolus Paulus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant; id est, et qui *ædificat super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos*, et qui *ædificat lignum, fenum, stipulam.* Cum enim hoc dixisset, adjunxit : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus exustum fuerit, damnum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non ergo unius eorum, sed utriusque opus ignis probabit.

12. « Est quidam ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* xxvii, 6). Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, alteri autem cogitanti ea quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, id est, ædificanti super idem fundamentum ligna, fenum, stipulam : illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur, exuritur autem opus hujus, quoniam sine dolore non pereunt quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius carere mallet quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat dum amittit; *salvus est* quidem, *sic tamen quasi per ignem* : quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum; sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

13. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit, quæri potest : et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari; non tamen tales, de quibus dictum est quod *regnum Dei non possidebunt*, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænuntiet Dominus dextris, et earum tantummodo sterilitatem sinistris; quando his dicturus est, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* : illis autem, *Ite in ignem æternum* (*De Fide, Spe et Charitate*, *cap.* 67-69). » Hæc de duobus opusculis meis satis puto quæstioni tuæ fuisse responsa.

14. De illa vero sententia Domini, *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*; respondere mihi necesse non fuit, quoniam tu ipse quæstionem simili ex Evangelio locutione [1] solvisti ubi scriptum est, *Non cognovit eam, donec peperit.* Sane ut non te celem de hac re cogitationem meam, vellem si fieri posset; imo vero volo, si fieri potest, in hac quæstione veritate superari. Illud enim quod dicitur, quandoque, etsi post plurimum temporis [2], eos qui in catholica communione moriuntur, quamvis usque in finem vitæ hujus flagitiosissime et sceleratissime vixerint, de pœnis ultricibus exituros, familiarius meum tangit affectum, quem habemus erga eos qui nobiscum corporis et sanguinis Christi Sacramenta communicant; quamvis eorum mores perditos oderimus, quos disciplina ecclesiastica emendare non possumus, aut a mensa dominica separare : sed ea veritate [3] vinci volo, quæ sacris Litteris apertissimis non resistit. Non enim quæ resistit, dicenda est ulla ratione veritas, vel putanda. Sed interim donec audiamus tale aliquid aut legamus, auscultemus ei qui dicit, *Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes*, etc., *regnum Dei possidebunt.* Quia si talia sunt, quæ contra dicuntur, ut horum verborum apostolicorum manifestationem in alios sensus ducere nequeant, profecto adversus ea nos instruxit, et paratos esse voluit idem apostolus dicens : *Hoc autem scitote intelligentes, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei, nemo vos seducat inanibus verbis* (*Ephes.* v, 5, 6). Cum ergo audiremus quosdam fornicatores, et immundos, et ava-

[1] Sic meliores Mss. At editi; *similem ex Evangelii lectione.*

[2] Editi, *et si plurimi temporis*. Emendantur ex Mss.

[3] Sic Mss. Editi autem, *a veritate vinci* : et infra loco, *apertissimis*, habebant, *apertissime*.

ros per ignem salvari, ut habeant hæreditatem in regno Christi et Dei, non obsurdescamus contra istum reclamantem et dicentem, *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Christi et Dei*; et ne acquiescamus illis verbis [1] contra continuo subjicientem, *Nemo vos seducat inanibus verbis.*

QUÆST. II. — *An mortuis prosit oblatio, quæ fit pro ipsis. Animarum ante resurrectionem receptacula.*

1. Secunda tua quæstio est, « Utrum oblatio quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus; cum evidenter nostris aut sublevemur actibus, aut gravemur : si quidem legamus, quod in inferno nemo jam possit Domino confiteri. Ad quod multi dicunt quod si aliquis beneficii in hoc locus [2] possit esse post mortem, quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigerium, sua per se illic confitendo peccata, quam in eorum refrigerium ab aliis oblatio procuratur? »

2. Dixi aliquid de hac re in eo libro quem nuper ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum scripsi, cum me consuluisset utrum sepultura quæ fit in memoriis martyrum, prosit aliquid spiritibus mortuorum. Inde est hoc, quod his ad te litteris insero : « Diu, inquam, Sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline, rescriptorum debitor fui, ex quo mihi scripsisti per homines filiæ nostræ religiosissimæ Floræ, quærens a me utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepelitur. Hoc enim abs te vidua memorata petierat, pro defuncto in eis partibus filio suo, et rescripseras consolans eam, idque etiam nuntians de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno et pio affectu desideravit, esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur. Qua occasione factum est ut per eosdem perlatores litterarum tuarum etiam mihi scriberes, ingerens hujuscemodi quæstionem; atque ut responderem quid mihi exinde videretur exposcens, nec tacens ipse quid sentias. Nam dicis videri tibi non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam, vacare non posse quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit : ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita sanctorum.

3. « Sed cum hæc ita sint, quomodo huic opinioni contrarium non sit, quod ait Apostolus, *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* v, 10), non te satis videre significas. Hæc quippe apostolica sententia ante mortem admonet fieri quod possit prodesse post mortem; non tunc quando jam recipiendum est quod quisque gesserit ante mortem. Verum hæc ita solvitur quæstio, quorum quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos : ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos omnino nihil adjuvant ista; sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint, quæcumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesia, vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat, et tamen ferat unusquisque secundum ea quæ gessit per corpus, sive bonum, sive malum, reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita est acquisitum, quam gessit in corpore » (*De Cura pro Mort. ger.*, *cap.* 1).

4. Dixi etiam tale aliquid ad Laurentium, quod ita se habet : « Tempus autem, inquam, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem; nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem : est vero talis in bono, ut his non requirat; est et rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam possit relevari quispiam, vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est, *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum;* quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt; et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio » (*Enchir.*, *capp.* 109, 110).

QUÆST. III. — 1. *Utrum in adventu Domini mox*

[1] Editi, *ne acquiescamus illius verbis*. Concinnius duo Mss., *ne acquiescamus illis verbis*; vel, ut alii cum editione Rat., *ne acquiescamus illis verbis*.

[2] Plerique Mss., *aliquid beneficii in hoc loco.*

futurum sit judicium, ante illi morituri sint, qui rapientur in nubibus obviam Domino. Symbolum regula fidei.

1. Tertia tua quæstio est, « Utrum statim in adventu Domini credendum sit futurum esse judicium, an spatio interpositi temporis. In cujus diebus adventus, quoniam legimus, inquis, quod qui superabunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino futuri sunt; nosse desidero, utrum mox judicium comitetur adventum; et ii qui rapientur in nubes, an solvantur in mortem: nisi forte ad vicem mortis ipsam immutationem debeamus accipere. »

2. Huic interrogationi tuæ, qua quæris utrum in adventu Domini mox credendum sit futurum esse judicium, puto quod sufficiat fides Symboli, qua confitemur Christum a Patris dextera esse venturum ad vivos et mortuos judicandos. Cum ergo ipsa sit ei causa veniendi, quid aliud acturus est mox ut venerit, nisi propter quod veniet? De illis autem qui rapientur in nubibus, in quadam epistola quam scripsi ad filium meum nomine Mercatorem [1], procul dubio notissimum vobis, cum me consuluisset de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant mortem peccato esse retributam, quatenus disputaverim, in subditis lege: « Illi autem, inquam, de quibus dixit Apostolus, cum loqueretur de resurrectione mortuorum, *Et nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera; et ita semper cum Domino erimus*; afferunt quidem aliquid quæstionis, sed per se ipsos [2], non propter istos: nam et si non sunt etiam ipsi morituri, quid istos adjuvent omnino non video, cum talia de his dici possint, qualia de illis dicta sunt duobus, Enoch scilicet et Elia. Sed revera, quantum ad verba beati Apostoli pertinet, videtur asserere quosdam in fine sæculi adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos, in illam immortalitatem, quæ sanctis etiam cæteris datur, repente mutandos, et simul *cum illis rapiendos*, sicut dicit, *in nubibus*: nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare.

3. « Sed vellem hinc potius audire doctiores; ne illis etiam qui putant aliquos morte non præcedente vivificatos, ad vitam perpetuam transituros, dicere inveniatur Apostolus, *Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur* [3]. Nam et illud quod in plerisque codicibus legitur, *Omnes resurgemus* (I *Cor.* XV, 36, 51), unde fieri poterit, nisi omnes moriamur? Resurrectio quippe, nisi mors præcesserit, nulla est. Et quod nonnulli codices habent, *Omnes dormiemus*, multo facilius et apertius id cogit intelligi; et si quid aliud tale in sanctis Litteris invenitur, ad id videtur impellere, ut nullus hominum existimetur immortalitatem, nisi mors præcesserit, adepturus. Proinde ubi dixit Apostolus, *Et nos viventes qui reliqui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui ante dormierunt. Ipse enim Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui in Christo resurgent primo* [1]*: deinde nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera; et ita semper cum Domino erimus* (I *Thess.* IV, 14-16); vellem, sicut dixi, de his verbis audire doctiores; et si mihi potuerint hæc ita exponi, ut in eis possit intelligi omnes homines qui vivunt, vel post nos victuri sunt, esse morituros, corrigerem [2] quod hinc aliquando aliter sensi. Neque enim debemus esse indociles doctores: et certe melius homo corrigitur pravus [3], quam frangitur durus; cum iis quæ scribimus, ita nostra vel aliorum exerceatur et erudiatur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur auctoritas.

4. « Si autem in his verbis Apostoli nullus alius sensus poterit reperiri, et hoc eum intelligi voluisse claruerit, quod videntur ipsa verba clamare; id est, quod futuri sint in fine sæculi et adventu Domini, qui non exspolientur corpore, sed superinduantur immortalitate, ut absorbeatur mortale a vita (II *Cor.* V, 4): huic sententiæ procul dubio conveniet quod in regula fidei confitemur, venturum Dominum, judicaturum vivos et mortuos; ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos autem injustos, quamvis judicandi sint justi et injusti; sed vivos quos nondum exiisse, mortuos autem quos jam exiisse de corporibus, adventus ejus invenerit. Quæ si ita esse constiterit, illa verba excutienda erunt, quomodo sic accipiamus, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur*; et, *Omnes resurgemus*, sive, *Omnes dormiemus*, ut non adversentur huic sententiæ, qua quidam creduntur etiam cum suis corporibus in æternum non gustata morte victuri.

5. « Sed utrumlibet horum veracior et perspicacior intellectus inveniatur [4], quid ad causam pertinebit istorum, sive omnes debita morte plectantur, sive aliquibus ab hac [5] conditione parcatur; cum tamen constet non solum mortem animæ, verum etiam corporis secuturam non fuisse, si peccatum non præcessisset; et gratiæ mirabiliore virtute justos a morte ad æternam beatitudinem reviviscere, quam in mortis experientiam non venire? Hæc propter illos, de quibus mihi scripsisti, satis dicta sint; quamvis eos jam non existimem dicere, etiam si non peccasset Adam, fuisse vel corpore moriturum.

6. « Cæterum quod attinet ad quæstionem resurrectionis, propter illos qui creduntur non esse morituri, sed ex hac mortalitate ad immortalitatem sine morte media transituri, inquisitio diligentior adhibenda est; et si quid hinc absolutum ac definitum disputatione rationabili atque perfecta vel audisti, vel legisti, vel etiam ipse adhuc audire aut legere aut excogitare potueris, peto mihi mittere non graveris. Ego enim, quod confitendum est Charitati tuæ, plus

[1] Editi, *ad filium meum Mercatorem, quæ meruit: procul dubio notissimam vobis.* [illegible]

[2] [illegible] Mss. [illegible]

[3] Editi, [illegible] Mss. et a græco textu [illegible].

[1] Edite, *primi*. At Mss., *primo*: juxta græc., *prôton*.

[2] [illegible] Mss. At editi, *corrigere quod hinc aliquando*

[3] Aliquot Mss., [illegible]

[4] Nonnulli Mss., *poterit*.

[5] Hic editi addunt, *exceptis*, quod a Mss. abest.

amo discere quam docere : nam hoc admonemur etiam dicente apostolo Jacobo, *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Jacobi* i, 19). Ut ergo discamus, invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis : ubi potius optandum est [1] ut transeat ista necessitas qua hominem docet aliquid homo, et simus omnes docibiles Dei [2]; quamvis et hoc simus, cum ea quæ ad veram pietatem pertinent discimus, etiam quando illa docere videtur homo. Quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* iii, 7). Cum itaque si Deus incrementum non daret, nihil essent Apostoli plantatores et rigatores; quanto magis ego vel tu, vel quilibet hujus temporis homines, quando nobis videmur esse doctores » (*Epist.* 193, *cap.* 4, *n.* 9-13)?

QUÆST. IV. — *Quomodo justorum filiis in Psalmo benedicitur.*

1. Quarta tua quæstio est, « Quare dixerit David, *Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* cxi, 2); cum sciamus justorum filios et fuisse et esse maledictos, et injustorum et fuisse et esse benedictos. »

2. Huic quæstioni de Psalmi ipsius expositione respondeo, quem cum in populo tractarem dixi : « *Beatus* enim *vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Viderit Deus, qui solus et veraciter et misericorditer judicat, quantum iste proficiat in mandatis ejus. Quoniam *tentatio est vita humana super terram*, sicut sanctus Job dicit (*Job* vii, 1). Et iterum scriptum est : *Quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* ix, 15). Qui autem judicat nos, Dominus est : nec ante tempus judicare debemus, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo (I *Cor.* iv, 4, 5). Viderit ergo ille quantum quisque proficiat in mandatis ejus : tamen volet nimis qui pacem illius coædificationis adamaverit; nec jam desperare debet, quoniam *in mandatis ejus volet nimis*, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* ii, 14).

3. « Inde, *Potens in terra erit semen ejus*. Semen futuræ messis, opera esse misericordiæ Apostolus testis est, qui dicit, *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim proprio metemus* [3] (*Galat.* vi, 9) : et iterum, *Hoc autem*, inquit, *qui parce seminat, parce et metet* (II *Cor.* ix, 6). Quid autem, fratres, potentius, quam ut regnum cœlorum, non solum Zachæus emat dimidio rerum suarum (*Luc.* xix, 8), sed et vidua duobus minutis (*Marc.* xii, 42), et tantumdem ibi uterque possideat? quid potentius, quam ut idem regnum et thesauris diviti, et calice aquæ frigidæ pauperi valeat? Sunt autem qui ista faciant dum terrena conquirunt, aut hic mercedem sperantes a Domino, aut hominibus placere cupientes : sed, *Generatio rectorum benedicetur*, id est, opera eorum quorum bonus Deus Israel, qui recto sunt corde; rectum autem cor est, non resistere patri emendanti, et credere pollicenti : non eorum quibus commoventur pedes, et effunduntur gressus atque labuntur, sicut in alio psalmo canitur, dum zelant in peccatoribus pacem peccatorum videntes, et putant perire opera sua, quia non eis merces redditur peritura (*Psal.* lxxii, 1-14). At iste vir qui timet Dominum, et in templum sanctum Dei conversione recti cordis aptatur, nec gloriam hominum quærit, nec terrenas divitias concupiscit; et tamen, *Gloria et divitiæ in domo ejus*. Domus enim ejus cor ejus est; ubi, Deo laudante, opulentius habitat cum spe vitæ æternæ, quam, hominibus adulantibus, in marmoratis laqueatisque tectis cum timore mortis æternæ. Hujus enim *justitia manet in sæculum sæculi* : ipsa ejus gloria, ipsæ divitiæ. Illius autem purpura et byssus et epulæ splendidæ, et cum præsto sunt, transeunt; et cum ad finem venerint, aquæ guttam ex digito stillante desiderans, ardens lingua clamabit » (*Luc.* xvi, 19-24). [Hæc sunt quæ in dicto psalmo exposuisse me memini (*Enarr. in Psal.* iii, *nn.* 2, 3), et ad quæstionis tuæ quarto loco propositæ solutionem satis esse nunc existimo [1]]. Quinto autem loco id proposuisti, unde post omnia disputaturum me esse promisi (*a*).

QUÆST. VI. — *Utrum Samuel per pythonissam vere fuerit de inferno evocatus. Samuelis forte phantasma, non spiritus apparuit. Dæmones quomodo norint futura.*

1. Sexta tua propositio est, « Utrum juxta historiam libri Regnorum pythonissa ipsum prophetam Samuelem de inferno evocaverit » (I *Reg.* xxviii, 7-19).

2. Hoc a me beatæ memoriæ Simplicianus Mediolanensis episcopus aliquando quæsivit. Quid ergo ei responderim [2], subditum lege : « Item quæris, inquam, utrum spiritus immundus qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saüle videretur et loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est quod ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, et petere tentandum Job justissimum virum (*Job* i, 11) : qui etiam tentandos Apostolos petiit (*Luc.* xxii, 31). Aut si hoc non ideo habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus : interest enim quid loquatur; quia et imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem; et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici : si ergo hinc propterea nulla quæstio est; nulla sit quæstio quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis Deus creator et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justi, et tanquam de abditis mortuorum re-

[1] Sic Mss. Editi autem, *orandum est.*
[2] Mss., *docibiles Deo.*
[3] Editi renitentibus Mss. addunt, *non deficientes.*

[1] Quæ ansulis hic distinguuntur, absunt a quinque Mss.
[2] Mss., *rescripserim.*
(*a*) Vide quæstionem V infra, col. 168, tractatam. M.

ceptaculis evocare; nonne magis mirandum est quod satanas ipsum Dominum assumpsit et constituit super pinnam templi (*Matth.* IV, 5)? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri; sicut ab ipsis Judæis, quanquam perversis atque immundis et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et pythonissam illam et Saülem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, a malis vivis evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam; cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, et agant cum eis quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiis pro rerum præsentium vel usu vel necessitate tractatis?

3. « Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma, et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materie metalli aut ligni, vel cujusque rei aptæ ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in somnis, et omnes fere imagines, earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis est enim qui hominem pictum dubitet vocare hominem? Quandoquidem et singulorum quorumque picturam cum aspicimus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus: velut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil sint quam pictæ imagines. Unde Cherubim cum sint cœlestes potestates, ficta tamen ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam Testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim illa quoque figmenta vocitantur (*Exod.* XXV, 18). Item quisquis videt somnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani; sed, Vidi Augustinum aut Simplicianum: cum eo tempore quo tale aliquid vidit, nos ignoraremus; usque adeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somnis et boves (*Gen.* XLI, 17-24), non spicarum aut boum imagines. Si igitur liquido constat nominibus earum rerum quarum imagines sunt, easdem imagines appellari: non mirum est quod Scriptura dicit Samuelem visum, etiamsi forte imago Samuelis apparuit, machinamento ejus qui transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos velut ministros justitiæ (II *Cor.* XI, 14, 15).

4. « Jamvero si illud movet, quomodo et a maligno spiritu Sauli vera prædicta sunt; potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverint Christum (*Matth.* VIII, 29), quem Judæi non agnoscebant. Cum enim vult Deus etiam per infimos infernosque spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia duntaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, et non incongruum, ut omnipotens et justus ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur, ut malum quod eis impendet, antequam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu ministeriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit. Unde etiam spiritus pythonius in Actibus Apostolorum attestatur Paulo apostolo, et evangelista esse conatur (*Act.* XVI, 17). Miscent tamen isti fallacias, et verum quod nosse potuerint, non docendi magis quam decipiendi fine prænuntiant. Et forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saülem prædiceret moriturum, dixit etiam secum futurum: quod utique falsum est. Magno quippe intervallo post mortem separari bonos a malis in Evangelio legimus, cum Dominus inter superbum illum divitem, cum jam apud inferos tormenta pateretur, et illum qui ad ejus januam ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur (*Luc.* XVI, 26). Aut si propterea Samuel Saüli dixit, *Mecum eris*, ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat; perspicit, quantum opinor, prudentia tua, secundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem, qui non sit contra fidem: nisi forte profundiore et perplexiore inquisitione, quæ vel virium mearum vel temporis excedit angustias, inveniatur ad liquidum, vel posse vel non posse animam humanam, cum ex hac vita migraverit, magicis carminibus evocatam vivorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed et agnosci. Et si potest, utrum etiam justi anima, non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi occultioribus imperiis summæ legis obtemperans: ut si fieri non posse claruerit, non uterque sensus in hujus Scripturæ tractatione atque expositione admittatur, sed illo excluso, imaginaria simulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia satanæ atque imaginum simulandarum callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis invigilat, pedetentim quidem, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid factum maligno pythonissæ illius ministerio,

quamdiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur» (*Quæstionum ad Simplicianum lib.* 2, *quæst.* 3).

3. Hæc sunt quæ tunc de pythonissa et Samuele scripsi [1]. Sed quam non frustra dixerim, pedetentim nos in hac re gesta simulatam [2] Samuelis imaginem maligno pythonissæ ministerio præsentatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus; mea posterior inquisitio declaravit, quando inveni in libro Ecclesiastico, ubi Patres laudantur ex ordine, ipsum Samuelem sic fuisse laudatum, ut prophetasse etiam mortuus diceretur (*Eccli.* XLVI, 23). Sed si et huic libro ex Hebræorum, quia in eorum non est canone, contradicitur; quid de Moyse dicturi sumus, qui certe et in Deuteronomio mortuus (*Deut.* XXXIV, 5), et in Evangelio cum Elia qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus (*Matth.* XVII, 3)?

QUÆST. VII. — *Quomodo stuprum Abimelech et Pharaonis effugit Sara.*

1. Septima tua propositio est, «Qualiter satisfaciendum sit eis qui dicunt Saram stuprum non effugisse, cum dicant Abimelech ab ejus conventione somnio esse revocatum (*Gen.* XX), et immissum in ejus copulam Pharaonem (*Id.* XII)?»

2. Quomodo dicant immissum in ejus copulam Pharaonem [3], non video; cum ad hoc credendum Scriptura non cogat. Accepit enim eam quidem in uxorem, continuoque ditatus est Abraham multis Ægyptiorum muneribus propter illam: sed non scriptum est, quod cum ea Pharao dormierit, eique permixtus sit; quoniam Deus eum multis magnisque cladibus affligendo id facere non permisit. Non enim placitæ regibus ad conjugium feminæ mox etiam carne copulabantur. Sed sicut legimus in libro qui prænotatur Esther, per aliquot menses, imo per totum annum, unguentis, pigmentis [4], aromatibus accurabantur earum corpora, priusquam corpori regio miscerentur (*Esther* II, 12). Hoc ergo spatio facta sunt illa quæ scripta sunt, donec Pharao contritus et exterritus malis restituisset uxorem. Abimelech autem quoniam somnio est ab ejus commixtione prohibitus, ideo qui Saram stuprum non vitasse contendunt, putant utique regem, ut somniaret, nonnisi post ejus concubitum dormire potuisse. Quasi vero, ut omittam tempus quo accurabantur, ut supra dixi, ad voluptatem regiam corpora feminarum, non potuerit Deus, priusquam convenirent, eum mergere in somnum, et admonere per somnium.

3. Dicam quod factum est in Mauritania Sitifensi. Neque enim Deus sanctorum Patrum, non ipse est etiam Deus noster. Viduam in proposito continentiæ constitutam Celticius [5] quidam catechumenus juvenis rapuit, ut haberet uxorem. Antequam concumberent, pressus somno et territus somnio, Sitifensi episcopo eamdem vehementissime requirenti, revocavit intactam. Vivunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus et ipso in se facto miraculo conversus ad Dominum, ad episcopatum venerabili probitate pervenit; illa in sancta viduitate persistit.

4. Quid autem dixerim contra Faustum Manichæum, cum calumniaretur patri Abrahæ, quod uxorem suam duobus regibus ad concubitum venditasset, indicant quæ subjeci [1]: «Quod autem justum, inquam, et fidelem virum matrimonii sui infamissimum nundinatorem appellans [2], avaritiæ ac ventris causa duobus regibus, Abimelech ac Pharaoni, diversis temporibus Saram conjugem suam sororem mentitum, quia erat pulcherrima, in concubitum asserit venditasse; non ore veridico a turpitudine separat honestatem, sed ore maledico totum vertit in crimen. Hoc enim Abrahæ factum lenocinio simile videtur, sed non valentibus ex illius æternæ legis lumine a peccatis recte facta discernere, quibus et constantia, pertinacia videri potest; et virtus fiduciæ, vitium putatur audaciæ; et quæcumque similiter objiciuntur quasi non recte agentibus a non recte cernentibus. Neque enim Abraham flagitio consensit uxoris, ejusque vendidit adulterium: sed sicut illa famulam suam non libidini mariti permisit, sed officio generandi ultro intulit, nequaquam turbato ordine naturali, ubi ejus potestas erat jubens potius obedienti, quam cedens concupiscenti; sic et ipse conjugem castam, et casto corde sibi cohærentem, de cujus animo, ubi pudicitiæ virtus habitat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorem, dixit sororem, ne se occiso ab alienigenis atque impiis captiva possideretur; certus de Deo suo quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides ac spes fefellit. Namque Pharao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, ubi ejus esse uxorem divinitus didicit, illæsam cum honore restituit: Abimelech autem somnio commonitus et edoctus, similiter fecit» (*Contra Faustum lib.* 22, *cap.*, 33).

QUÆST. VIII. — *Denique de Spiritu Dei qui super ferebatur super aquam, an ipse sit Spiritus sanctus.*

1. Novissime exponendum poscis de spiritu Dei qui superferebatur super aquam. «Quidam enim asseverant, inquis, Spiritum sanctum; alii mundanum spiritum dicunt, dicentes quia non potuit historiographus cum creaturis enumerare Creatorem, nec huic locum aliquem deputare, qui ubique sit totus, cum Patre videlicet atque Filio.»

2. Quid ergo istorum ego senserim, ex primo libro eorum quos de Genesi duodecim, sicut potui, non secundum allegorias, sed secundum rerum gestarum fidem scripsi, in hoc opusculum transtuli. «Inest,

[1] Rat. Am. Er. et e Vaticanis Mss. duo prætereunt sequentes tredecim versus, atque ad verbum, *scripsi*, proxime subjungunt, *Septima tua propositio est.*

[2] Sic potiores Mss. At editi, *in hoc genere simulatam.*

[3] Ex Mss. restituuntur isthæc verba: *Quomodo dicant immissum in ejus copulam Pharaonem.*

[4] In melioris notæ Mss. loco, *pigmentis*, legitur, *lomentis*. In aliis, *linimentis*. In Vaticanis duobus, *fomentis aromatum.*

[5] Rat. Am. et Sorbonicus Ms., *Celcichius*. Vaticani codices duo, *Celitichius*. Corbeiensis et Floriacensis, *Celticius*. Germanensis denique, *Cletitus*. In Carthaginensis Concilii epistola ad Cœlestinum, undecimus inter episcopos Celticius nominatur.

[1] Sic aliquot Mss. Alii cum editis, *indignansque subjeci.*

[2] Sic Mss. At editi, *matrimonii sui infamosissimum nundinatorem appellans.*

inquam, Deo benignitas summa, et sancta, et justa; et quidem, non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Propterea priusquam scriberetur, *Dixit Deus, Fiat lux*, præcessit Scriptura, dicens, *Et spiritus Dei superferebatur super aquam*. Quia sive aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret unde facta et formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concrescere; sive spiritualem vitam quamdam ante formam conversionis quasi fluitantem: superferebatur utique Spiritus Dei; quia subjacebat scilicet bonæ voluntati Creatoris, quidquid illud erat, quod formandum perficiendumque inchoaverat: ut dicente Deo in Verbo suo, *Fiat lux;* in bona voluntate, hoc est, in beneplacito ejus, pro modo sui generis maneret quod factum est; et ideo rectum est quod placuerit Deo, Scriptura dicente, *Et facta est lux; et vidit Deus lucem quia bona est*. Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cœli et terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur Creatoris (nam dicente Scriptura, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, intelligimus Patrem in Dei nomine, et Filium in principii nomine, qui non Patri, sed per se ipsum creatæ primitus, ac potissimum spirituali creaturæ, et consequenter etiam universæ creaturæ principium est: dicente autem Scriptura, *Spiritus Dei superferebatur super aquam*, completam commemorationem Trinitatis agnoscimus); ita et in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuetur: Verbum Dei scilicet, et Verbi Generator, cum dicitur, *Dixit Deus;* et sancta Bonitas; in qua Deo placet quidquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur, *Vidit Deus quia bonum est*.

3. « Sed cur commemorata prius, quamvis imperfecta creatura, postea commemoratur Spiritus Dei, prius dicente Scriptura, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum;* ac deinde inferente, *Et spiritus Dei superferebatur super aquam* (*Gen.* I, 1-4)? An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur; propterea cum commemoraretur Spiritus Dei, in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne facienda opera sua, per indigentiæ necessitatem potius quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur? Cujus rei memor Apostolus dicturus de charitate, supereminentem viam demonstraturum se ait (I *Cor.* XII, 31): et alio loco, *Supereminentem*, inquit, *scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* III, 19). Cum ergo sic oporteret insinuari Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est, ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur; non autem loco, sed omnia superante ac præcellente potentia » (*De Genesi ad litteram, lib.* 1, *cap.* 5-7, *n.* 11-13).

QUÆST. V (*quæ novissimo loco tractatur*). — *Quomodo electus David secundum cor Dei. Christus David appellatus.*

1. Jam nunc illud quod disserendum distuleram, paulisper intende. Quæris enim « Quare dixerit Dominus, nimirum præscius futurorum, *Elegi David secundum cor meum* (III *Reg.* VIII, 16); cum talia tantaque ipse homo commiserit. »

2. Quod quidem, si de ipso David, qui reprobato Saule et exstincto fuit rex Israël, dictum intelligamus; magis quia Deus præscius futurorum est, prævidit in eo tantam pietatem tamque veracem pœnitentiam, ut esset in eorum numero de quibus ipse dicit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI, 1, 2). Cum ergo præsciret eum Deus peccaturum, et peccata sua pia humilitate et sincera pœnitentia deleturum, cur non diceret, *Inveni David secundum cor meum;* cui non erat imputaturus peccatum tam multa bona facienti, et cum tanta pietate viventi, et ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter hæc omnia verissime dictum est, *Inveni David secundum cor meum*. Quia licet secundum cor Dei non esset, quod ille peccavit; tamen secundum cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit. Hoc solum ergo in illo secundum cor Dei non fuit, quod illi Deus non imputavit. Hoc itaque ablato, id est non imputato, quid remansit, nisi unde verissime diceretur, *Inveni David secundum cor meum?*

3. Si autem hoc prophetice dictum de Christo velimus accipere, nullus nodus quæstionis occurret; nisi forte ut quæratur a nobis quomodo Christum recte isto nomine vocare potuerit. Sed respondemus propter semen David, ex quo carnem Christus assumpsit. Nec sine exemplo rationem hujus in Christo nominis reddimus. Invenimus quippe apertissime Jesum Christum apud prophetam Ezechielem David esse appellatum, ubi legitur ex persona Dei Patris: *Et suscitabo super pecora mea pastorem unum qui pascat ea, servum meum David; et ipse pascet ea, et ipse erit his in pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum*. Et alio loco: *Et rex*, inquit, *unus erit omnibus imperans, et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna, neque polluentur ultra in idolis suis et abominationibus suis et in cunctis iniquitatibus suis: et salvos eos faciam de universis sedibus suis*[1] *in quibus peccaverunt, et mundabo eos. Et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus; et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum* (*Ezech.* XXXIV, 23, 24, *et* XXXVII, 22-24). Osee quoque propheta, cum prænuntiaret tempus Judæorum, quale nunc habent, et in Christum eos postea credituros, eumdem Christum David nomine prophetavit, dicens: *Quoniam diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestatio-*

[1] Unus e Vatic. MSS., sedibus. Apud LXX est, *monion*.

nibus. Sic nunc esse Judæos ambigit nemo. Sed quod ait apostolus Paulus, Gentibus loquens, *Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate; sic et isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur* (*Rom.* XI, 30 *et* 31); hoc propheta iste tanto ante prædicens, secutus adjunxit, *Et postea revertentur filii Israel, et inquirent Dominum Deum suum et David regem suum, et stupescent in Domino et in bonis ipsius in novissimis diebus*. (*Osee* III, 4, 5). Ecce et hic per David nomen prophetatus est Christus; quoniam quando ista prophetabantur, ille David rex Israel jam olim ante dormierat: Dominus autem Jesus ex ejus semine fuerat in carne venturus; propter quod prophetico loquendi modo appellabatur David. Videtur autem apostolus Paulus hoc testimonium ita posuisse in Actibus Apostolorum, ut non nisi de illo rege David qui Sauli successit possit intelligi. Nam inter cætera, *Et exinde*, inquit, *postulaverunt regem, et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. Et amoto illo suscitavit illis David regem, cui et testimonium perhibens dixit, Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Sed quoniam secutus adjungit et dicit, *Hujus Deus ex semine, secundum promissionem, adduxit Israel Salvatorem Jesum* (*Act.* XIII, 21-23), altius significavit in Domino Jesu potius esse intelligendum illud testimonium, qui vere fecit omnes voluntates Dei Patris, quam in illo rege David: qui licet secundum superiorem disputationem, remissis peccatis et non imputatis, propter ipsam quoque piam pœnitentiam, non immerito dici possit inventus secundum cor Dei; tamen omnes voluntates Dei quomodo fecit? Qui cum excellentissime laudaretur, quando ejus tempora et facta Scriptura narravit, notatus est tamen quod non destruxit excelsa, ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, qui tantummodo in tabernaculo testimonii sibi sacrificari jusserat; quamvis et in eisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo: quæ postmodum excelsa ex ipsius David semine propagatus rex Ezechias, cum testimonio magnæ suæ laudis evertit (IV *Reg.* XVIII, 4).

4. Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de istis rebus invenisti melius, sive invenire potueris, gratissimum habebimus si nos feceris nosse. Ego enim, quod et supra de me commemoravi, magis amo discere quam docere.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Augustino restituendum curavimus opusculum subsequens, quod quidem a Lovaniensibus Theologis abjudicatum ipsi, et amandatum in Appendicem fuerat, præfixa illa, quam ab Erasmo mutuati sunt, censura: *Libellus hic ex diversis Augustini epistolis consarcinatus est, maxime quod ad sententias attinet.* Addebat Erasmus, probabile videri opus esse Hugonis Victorini: quam ejus conjecturam refellit vel sola ejusdem libri scriptura in Gemmeticensi codice ante Hugonis ætatem exarata, et gerens in fronte nomen Augustini. Res etiam ac phrasis non Hugonem refert, sed prorsus Augustinum; qui postremo, quod Erasmum fugiebat, in Epistola 231, ad Darium comitem, post Frobenianam editionem reperta, et in Plantiniana Lovaniensium primum vulgata, suum esse Librum contestatur his verbis, n. 4: *Misi et alios libros, quos non petisti, ne hoc tantummodo facerem quod petisti, de Fide rerum quæ non videntur, de Patientia, de Continentia, de Providentia, et unum grandem de Fide et Spe et Charitate.* Is haud dubie locus præteriit etiam Bellarminum, qui Lovanienses secutus, hunc librum spuriis accensendum eo lubentius volebat, quod notatus non inveniatur in Retractationibus: libros tamen ipse nunc laudatos, de Patientia et de Continentia, quamvis nulla ibidem facta sit de illis mentio, pro genuinis habens, quia a Possidio et a Beda vulgato citantur. Hæc nimirum opuscula ex iis sunt Tractatibus popularibus, qui Augustino, sicuti ad Quodvultdeum in epistola 224, n. 2, scribit, post absoluta jam duo de librorum suorum recensione volumina, retractandi cum Epistolis restabant. Nobiscum vero consentit Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano; et titulum qui in editis præfixus erat, de Fide rerum invisibilium, emendandum haud immerito censet; quando de fide hic agitur, non earum tantummodo rerum quæ corporeis oculis attingere nunquam licet, sed quarumdam etiam quæ iis si præsentes exhiberentur, videri possent. Opusculum post annum 399, quo leges ab Honorio contra idola datæ sunt, collocandum esse ex iis quæ n. 10 de idolorum subversione leguntur, nemo non agnoscet.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE FIDE RERUM QUÆ NON VIDENTUR,

LIBER UNUS [a].

In quo demonstratur nos in christiana religione, non culpabili temeritate, sed laudabili fide credere res quas oculis nostris non videmus.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Etiam in rebus humanis multa credi quæ non cernuntur oculis. Voluntas amici bona non videtur, sed creditur. Amici etiam probati benevolentiæ nobis non constat sine aliqua fide.* Sunt qui putant christianam religionem propterea ridendam potius quam tenendam, quia in ea, non res quæ videatur ostenditur, sed fides rerum quæ non videntur, hominibus imperatur. Nos ergo ad hos refellendos, qui prudenter sibi videntur nolle credere quod videre non possunt, etsi non valemus humanis aspectibus monstrare divina quæ credimus, tamen humanis mentibus etiam illa quæ non videntur credenda esse monstramus. Ac primum isti, quos oculis carneis sic stultitia fecit obnoxios, ut quod per eos non cernunt, non sibi existiment esse credendum, admonendi sunt quam multa non solum credant, verum etiam sciant, quæ talibus oculis videri non possunt. Quæ cum sint innumerabilia in ipso animo nostro, cujus invisibilis est natura, ut alia taceam, fides ipsa qua credimus, sive cogitatio qua nos vel credere aliquid, vel non credere novimus, cum prorsus aliena sit ab istorum conspectibus oculorum, quid tam nudum, tam clarum, quid tam certum est interioribus visibus animorum? Quomodo ergo credendum non est quod corporeis oculis non videmus, cum vel credere nos, vel non credere, ubi corporeos oculos adhibere non possumus, sine ulla dubitatione videamus?

2. Sed, inquiunt, ista quæ in animo sunt, cum possimus ipso animo cernere, non opus habemus per oculos corporis nosse: quæ autem dicitis vos ut credamus, nec foris ostenditis, ut ea per oculos corporis noverimus; nec intus in animo nostro sunt, ut ea cogitando videamus. Sic ista dicunt, quasi quisquam credere juberetur, si jam sibi præsentatum posset videre quod creditur. Ideo utique debemus credere nonnulla etiam temporalia, quæ non videmus, ut æterna etiam mereamur videre, quæ credimus. Sed quisquis es, qui non vis credere nisi quod vides, ecce præsentia corpora corporeis oculis vides, præsentes voluntates et cogitationes tuas, quia in animo tuo sunt, ipso animo vides: dic mihi, obsecro te; amici tui erga te voluntatem quibus oculis vides? nulla enim voluntas corporeis oculis videri potest. An vero etiam hoc vides animo tuo, quod in animo agitur alieno? Quod si non vides, quomodo amicali [1] benevolentiæ vicem rependis, si quod non potes videre, non credis? An forte dicturus es, alterius voluntatem per ejus opera te videre? Ergo facta visurus, et verba es auditurus, de amici autem voluntate id quod videri et audiri non potest crediturus. Non enim voluntas illa color est aut figura ut oculis ingeratur; vel sonus aut cantilena, ut auribus illabatur; aut vero tua est, ut tui cordis affectione sentiatur. Restat itaque ut nec visa, nec audita, nec apud te intus conspecta [2] credatur, ne tua vita deserta sine ulla amicitia relinquatur, vel impensa tibi dilectio vicissim abs te non rependatur. Ubi est ergo quod dicebas, te credere non debere, nisi quod videres aut extrinsecus corpore, aut intrinsecus corde? Ecce ex corde tuo, credis cordi non tuo; et quo nec carnis nec mentis dirigis aciem, accommodas fidem. Amici faciem cernis corpore tuo, fidem tuam cernis animo tuo: amici vero non abs te amatur fides, si non in te mutuo illa sit fides, qua credas quod in illo non vides. Quamvis homo possit et fallere fingendo benevolentiam, tegendo malitiam: aut si nocere non cogitat, tamen exspectando a te aliquam commoditatem, simulat, quia charitatem non habet.

3. Sed dicis, ideo te credere amico, cujus videre cor non potes, quia in tuis tentationibus eum probasti, et cujusmodi animum erga te haberet in tuis periculis, ubi te non deseruit, cognovisti. Numquid ergo, ut amicorum probetur erga nos charitas, videtur tibi nostra optanda calamitas? Nec quisquam erit ex amicis

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Emendatus est Liber de Fide rerum quæ non videntur, ad Mss. Sorbonicos duos, ad Vaticanum unum, et ad Gemmeticensem, præterea ad editiones Amerbachii, Erasmi et Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas*. M.

(a) Scriptus post annum 399.

[1] Aliquot Mss., *amicabili*.

[2] Sic Mss. Editi vero, *conscripta*.

certissimis felix, nisi fuerit adversis rebus infelix: ut videlicet explorato alterius amore non fruatur, nisi suo dolore vel timore crucietur. Et quomodo in habendis veris amicis optari ea, non potius timeri, felicitas potest, quam probare nisi infelicitas non potest? Et tamen verum est haberi posse amicum etiam in rebus prosperis, probari autem certius in rebus adversis.

CAPUT II. — *Fide de rebus humanis sublata, quam horrenda confusio sequeretur.* Sed utique ut eum probes, periculis tuis nec te committeres, nisi crederes: ac per hoc cum te committis ut probes, credis antequam probes. Certe enim si rebus non visis credere non debemus, quandoquidem et nondum certius probatis amicorum cordibus credimus [1]; et cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potius, quam videmus: nisi quia tanta fides est, ut non incongruenter quibusdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus; cum propterea credere debeamus, quia videre non possumus.

4. Si auferatur hæc fides de rebus humanis, quis non attendat quanta earum perturbatio, et quam horrenda confusio subsequatur? Quis enim mutua charitate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis ipsa dilectio, si quod non video, credere non debeo? Tota itaque peribit amicitia, quia non nisi mutuo amore constat. Quid enim ejus poterit ab aliquo recipere, si nihil ejus creditum fuerit exhiberi? Porro amicitia pereunte, neque connubiorum neque cognationum et affinitatum vincula in animo servabuntur; quia et in his utique amica consensio est. Non ergo conjugem conjux vicissim diligere poterit, quando se diligi, quia ipsam dilectionem non potest videre, non credit. Nec filios habere desiderabunt, quos vicissim sibi reddituros [2] esse non credunt. Qui si nascantur et crescant, multo minus ipsi parentes suos amabunt, quorum erga se amorem in eorum cordibus, quia est invisibilis, non videbunt; si ea quæ non videntur, non laudabili fide, sed culpabili temeritate creduntur. Quid jam de cæteris necessitudinibus dicam, fratrum, sororum, generorum atque socerorum, et qualibet consanguinitate et affinitate junctorum, si charitas incerta, voluntasque suspecta est, et filiis parentum, et parentibus filiorum, dum benevolentia non redditur debita [3]; quia nec deberi putatur, quando in alio quæ non videtur, esse non creditur? Porro si non ingeniosa, sed odiosa est ista cautela, ubi nos amari non credimus, quod amorem amantium non videmus, vicemque non rependimus, quibus eam nos debere mutuam non putamus: usque adeo res humanæ perturbantur, si quod non videmus, non credamus, ut omnino funditus evertantur, si nullas credamus hominum voluntates, quas utique videre non possumus. Omitto dicere quam multi sint, qui nos reprehendunt, quia credimus quæ non videmus, credant famæ et historiæ, vel de locis ubi ipsi non fuerunt, nec dicant, Non credimus, quia non vidimus. Quoniam si hoc dicant, coguntur fateri incertos sibi esse parentes suos: quia et hinc aliis narrantibus, nec tamen quia jam præteritum est id ostendere valentibus, crediderunt, nullum retinentes illius temporis sensum, et tamen aliis inde loquentibus sine ulla dubitatione consensum, quod nisi fiat, incurratur necesse est adversus parentes infidelis impietas, dum quasi vitatur in his quæ videre non possumus credendi temeritas.

CAPUT III. — *Indicia quæ confirmant fidem. Prophetiæ de Ecclesia impletæ.* Si ergo non credentibus nobis quæ videre non possumus, ipsa humana societas, concordia pereunte, non stabit: quanto magis est fides, quamvis quæ non videntur, rebus adhibenda divinis; quæ si non adhibeatur, non amicitia quorumlibet hominum, sed ipsa summa religio violatur, ut summa miseria consequatur?

5. Sed amici hominis, inquies, erga me benevolentiam quanquam videre non possum, multis tamen indiciis indagare possum: vos autem quæ vultis ut non visa credamus, nullis indiciis potestis ostendere. Interim non parum est, quod fateris quorumdam indiciorum perspicuitate res aliquas, etiam quæ non videntur, credi oportere: etiam sic enim constat, non omnia quæ non videntur, non esse credenda; jacetque illud abjectum atque convictum, quod dicitur, ea quæ non videmus, non debere nos credere. Multum autem falluntur qui putant nos sine ullis de Christo indiciis credere in Christum. Nam quæ sunt indicia clariora, quam ea quæ nunc videmus prædicta et impleta? Proinde qui putatis nulla esse indicia cur de Christo credere debeatis quæ non vidistis [1], attendite quæ videtis. Ipsa vos Ecclesia ore maternæ dilectionis alloquitur: Ego, quam miramini per universum mundum fructificantem atque crescentem, qualem me conspicitis aliquando non fui. Sed, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Quando Deus Abrahæ benedicebat, me promittebat: per omnes enim gentes in Christi benedictione diffundor. Semen Abrahæ Christum succedentium generationum ordo testatur. Quod ut breviter colligam, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit duodecim filios, ex quibus ortus est populus Israel. Jacob quippe ipse appellatus est Israel. In his duodecim filiis genuit Judam, unde nomen est Judæorum, ex quibus nata est virgo Maria, quæ peperit Christum. Et ecce in Christo, id est in semine Abrahæ, benedici omnes gentes videtis et stupetis; et adhuc in eum credere timetis, in quem non credere potius timere debuistis! An credere dubitatis vel recusatis virginis partum, cum magis credere debeatis, sic decuisse nasci hominem Deum? Et

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic legunt hunc locum: *Certe enim si rebus non visis credere, non debemus quandoque et nondum certius probatis amicorum cordibus credere.* Morel, Elem. Crit. pag. 367, 368, sic legendum putat: *Certe enim si rebus non visis credere non debemus, quomodo et nondum certius probatis amicorum cordibus credimus? et cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potius, quam videmus?* M.

[2] Codex Vaticanus, *credituros.*

[3] Plures Mss., *dum benevolentiæ non redditur debitum.*

[1] Aliquot Mss., post. *quæ non vidistis*, addunt, *aut non videtis.*

hoc namque accipite per prophetam fuisse prædictum: *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14). Non ergo dubitabitis virginem parientem, si velitis credere Deum nascentem; mundi regimen non relinquentem, et ad homines in carne venientem; matri fecunditatem afferentem, integritatem non auferentem. Sic hominem nasci oportebat, etsi semper erat Deus [1], ex quo nascendo fieret nobis Deus. Hinc de eo rursus [2] propheta dicit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis.* Ista unctio spiritualis est, qua Deus unxit Deum, Pater scilicet Filium: unde appellatum a chrismate, id est, ab unctione novimus Christum. Ego sum Ecclesia de qua illi in eodem psalmo dicitur, et tanquam factum quod futurum fuerat prænuntiatur: *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate*, id est, in sacramento [3] sapientiæ, linguarum varietate decorata. Ibi mihi dicitur, *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: quia concupivit rex speciem tuam; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi: adducentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, et in sæculum sæculi* (*Psal.* XLIV, 7-18).

6. Si hanc reginam non videtis, jam etiam regia prole fecundam. Si non videt impletum quod audivit esse promissum, cui dictum est, *Audi, filia, et vide.* Si non reliquit ritus pristinos mundi, cui dictum est, *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Si non ubique Christum Dominum confitetur, cui dictum est, *Concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus.* Si non videt civitates gentium Christo preces fundere, et munera offerre, de quo illi dictum est, *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Si non etiam superbia deponitur divitum, et ab Ecclesia deprecantur auxilium, cui dictum est, *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Si non agnoscit filiam regis, cui dicere jussa est, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9); et in sanctis suis in interiore homine renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16), de qua dictum est, *Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus*: quamvis et oculos extraneorum fulgentes (a) fama prædicatorum suorum in diversitate linguarum velut in fimbriis aureis et vestis varietate perstringat. Si non posteaquam diffamatur in quocumque loco odore bono ejus, etiam consecrandæ virgines adducuntur ad Christum, de quo dicitur, et cui dicitur, *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi.* Et ne quasi captivæ in aliquem velut carcerem viderentur adduci, *Adducentur*, inquit, *in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis.* Si non parit filios, ex quibus habeat tanquam patres, quos constituat sibi ubique rectores, cui dicitur, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*: quorum se orationibus mater et prælata et subjecta commendat; unde subjunctum est, *Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generatione.* Si non propter eorumdem patrum prædicationem, in qua nominis ejus sine intermissione meminerunt, tam magnæ in ea multitudines congregantur, eique laudem gratiæ sine fine linguis propriis confitentur, cui dicitur, *Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, et in sæculum sæculi.*

CAPUT IV. — *Ad credenda quæ non vidimus movere debent quæ nunc impleta conspicimus.* Si non ista ita demonstrantur esse perspicua, ut non inveniant oculi inimicorum in quam partem avertantur, ubi non eadem perspicuitate feriantur, ut ex ea fateri manifeste [1] cogantur: merito fortasse dicitis quod nulla vobis ostendantur indicia, quibus visis credatis etiam ista quæ non videtis. Si vero hæc quæ videtis, et longe ante prædicta sunt, et tanta manifestatione complentur; si se ipsa veritas et præcedentibus vobis et consequentibus declarat effectibus, o reliquiæ infidelitatis, ut credatis quæ non videtis, iis erubescite quæ videtis!

7. Me attendite, vobis dicit Ecclesia; me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judæa terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem, ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta præsentes præsentia didicerunt. Hæc vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo hæc aspicite, in hæc intendite, hæc quæ cernitis cogitate, quæ vobis non præterita narrantur, nec futura prænuntiantur, sed præsentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod prædictum et impletum est de humana Christi nativitate, *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium*: sed videtis quod prædictum et impletum est ad Abraham Dei verbum, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Non vidistis quod de mirabilibus Christi prædictum est, *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram* (*Psal.* XLV, 9): sed videtis quod prædictum est, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 7 et 8).

[1] In Mss.: *sic hominem nasci oportebat, si semper erat Deus.*
[2] Aliquot Mss.: *Huic Deo rursus.*
[3] [illegible] *sacrario.*
(a) [illegible], *frequentia.*

[1] In Mss., *manifesta.*

Non vidistis quod prædictum est et impletum de passione Christi, *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me ; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* : sed videtis quod in eodem psalmo prædictum est, et nunc apparet impletum, *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium ; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI, 17-19, 28, 29). Non vidistis quod de resurrectione Christi prædictum atque completum est, loquente Psalmo ex persona ejus prius de traditore et persecutoribus ejus : *Egrediebantur foras, et loquebantur simul in unum ; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi ; verbum iniquum disposuerunt adversum me.* Ubi, ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait : *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ?* Et paulo post cum de ipso suo traditore per eamdem prophetiam prædixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est, *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum ;* hoc est, conculcavit me : continuo subdidit, *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et reddam illis* (*Psal.* XL, 7-11 ; *Joan.* XIII, 18). Impletum est hoc, dormivit Christus, et evigilavit, hoc est, resurrexit : qui per eamdem prophetiam in alio psalmo ait, *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III). Verum hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam, de qua similiter dictum et impletum est, *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas.* Hoc certe sive velitis seu nolitis, aspicitis : ut si adhuc [1] aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem; certe tamen innumeros gentium populos relictis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus audistis dicere, *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas : si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii* (*Jerem.* XVI, 19, 20). Nec putetis autem ad unum aliquem Dei locum gentes prædictas fuisse venturas, quoniam dictum est, *Ad te gentes venient ab extremo terræ.* Intelligite, si potestis, ad Deum Christianorum, qui summus et verus est Deus, non ambulando venire gentium populos, sed credendo. Nam res eadem ab alio propheta sic prænuntiata est : *Prævalebit*, inquit, *Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium terræ ; et adorabunt eum unusquisque de loco suo omnes insulæ gentium* (*Sophon.* II, 11). Quod ait ille, *Ad te omnes gentes venient ;* hoc ait iste, *Adorabunt eum unusquisque de loco suo.* Ergo venient ad eum non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo. Non vidistis quod prædictum et impletum est de ascensione Christi, *Exaltare super cœlos, Deus :* sed videtis quod continuo sequitur, *Et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* CVII, 6). Illa de Christo jam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista præsentia in ejus Ecclesia videre vos non negatis. Utraque vobis prædicta monstramus : utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectum præterita non valemus.

CAPUT V. — 8. *Præsentium exhibitio astruit fidem præteritorum et futurorum.* Sed quemadmodum voluntates amicorum quæ non videntur, creduntur per indicia quæ videntur; sic Ecclesia quæ nunc videtur, omnium quæ non videntur, sed in eis litteris ubi et ipsa est prædicta monstrantur, et index est præteritorum, et prænuntia futurorum. Quia et præterita quæ jam non possunt videri, et præsentia quæ nec possunt videri omnia [1], cum prænuntiarentur, nihil horum poterat tunc videri. Cum ergo fieri prædicta cœperunt, ex illis quæ facta sunt usque ad ista quæ fiunt, de Christo et Ecclesia quæ prædicta sunt ordinata serie cucurrerunt : ad quam seriem pertinent de die judicii, de resurrectione mortuorum, de impiorum æterna damnatione cum diabolo, et de piorum æterna remuneratione cum Christo, quæ similiter prædicta ventura sunt. Cur ergo res primas et novissimas quas non videmus non credamus, cum testes utrarumque res medias quas videmus habeamus, atque in propheticis libris et primas et medias et novissimas vel audiamus prænuntiatas antequam fierent, vel legamus? Nisi forte arbitrantur homines infideles a Christianis illa esse conscripta, ut ista quæ jam credebant majus haberent pondus auctoritatis, si antequam venirent, putarentur esse promissa.

CAPUT VI. — 9. *Judæorum codices fidei nostræ astipulantur. Judæorum secta quare non prorsus deleta.* Quod si suspicantur, inimicorum nostrorum Judæorum codices perscrutentur. Ibi legant ista quæ commemoravimus, prænuntiata de Christo in quem credimus, et Ecclesia quam cernimus ab initio laborioso fidei [2] usque ad sempiternam beatitudinem regni. Sed cum legunt, non mirentur quod ista illi quorum codices sunt, propter inimicitiarum tenebras non intelligunt. Nam eos non intellecturos ab eisdem Prophetis ante prædictum est : quod ut cætera oportebat impleri, et occulto justoque judicio Dei meritis eorum pœnam debitam reddi. Ille quippe quem crucifixerunt, et cui fel et acetum dederunt, quamvis in ligno pendens, propter eos quos fuerat in lucem de tenebris educturus, dixerit Patri, *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34) ; tamen propter cæteros, quos occultioribus causis fuerat deserturus, per prophetam tanto ante prædixit, *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto : fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et in retributionem et in scandalum; obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum illorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 22-24). Cum causæ itaque nostræ præclarissimis te-

[1] Sic Sorbonicus Ms. [*etiam si adhuc.*]

[1] Mss., *quæ nunc possunt videri, omnia cum,* etc.
[2] Mss. Vaticani et Gallicani, *fidei quam tenemus.* Et ex his quidam, *ab initio laboriosæ fidei.*

stimoniis circumquaque ambulant oculis obscuratis, ut per eos hæc probentur, ubi et ipsi reprobantur. Ideo factum est, ne sic delerentur, ut eadem secta omnino nulla esset [1], sed dispersa est super terras, ut portans in nos collatæ gratiæ prophetias ad convincendos firmius infideles, nobis ubique prodesset. Et hoc ipsum quod dico, accipite quemadmodum fuerit prophetatum: *Ne occideris eos*, inquit, *ne quando obliviscantur legem tuam; disperge eos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 12). Non sunt ergo occisi, in eo quod non sunt quæ apud eos legebantur et audiebantur obliti. Si enim Scripturas sanctas, quamvis eas non intelligant, penitus obliviscerentur, in ipso Judaico ritu occiderentur; quia cum Legis et Prophetarum nihil nossent Judæi, prodesse non possent. Ergo occisi non sunt, sed dispersi: ut quamvis in fide [2], unde salvi fierent, non haberent, tamen unde nos adjuvaremur, memoria retinerent, in Libris suffragatores, in cordibus nostri hostes, in codicibus testes.

CAPUT VII. — 10. *Totius mundi fides in Christum mirabiliter concitata.* Quanquam etiam si de Christo et Ecclesia testimonia nulla præcederent, quem non movere deberet ut crederet, repente illuxisse divinam humano generi claritatem, quando videmus relictis diis falsis, et eorum confractis usquequaque simulacris, templis subversis, sive in usus alios commutatis, atque ab humana vetustissima consuetudine tot vanis ritibus exstirpatis, unum verum Deum ab omnibus invocari? Et hoc esse factum per unum hominem ab hominibus illusum, comprehensum, vinctum, flagellatum, expalmatum [3], exprobratum, crucifixum, occisum: discipulis ejus, quos idiotas, et imperitos, et piscatores, et publicanos, per quos ejus magisterium commendaretur, elegit, annuntiantibus ejus resurrectionem, ascensionem, quam se vidisse dixerunt, et impleti Spiritu sancto, hoc Evangelium linguis omnibus, quas non didicerant, sonuerunt. Quos qui audierunt, partim crediderunt, partim non credentes prædicantibus ferociter restiterunt. Ita fidelibus usque ad mortem pro veritate, non mala rependendo, sed perpetiendo certantibus, nec occidendo, sed moriendo vincentibus; sic in istam religionem mutatus est mundus, sic ad hoc Evangelium corda conversa mortalium, marium et feminarum, parvulorum atque magnorum, doctorum et indoctorum, sapientium et insipientium, potentium et infirmorum, nobilium et ignobilium, excelsorum et humilium, et per omnes gentes Ecclesia diffusa sic crevit, ut etiam contra ipsam catholicam fidem nulla secta perversa, nullum genus exoriatur erroris, quod ita reperiatur christianæ veritati adversari, ut non affectet atque ambiat Christi nomine gloriari: quod quidem non sineretur pullulare per terram, nisi exerceret sanam et ipsa contradictio disciplinam. Quando tantum crucifixus ille potuisset, nisi Deus hominem suscepisset, etiamsi nulla per Prophetas futura talia prædixisset? Cum vero tam magnum pietatis sacramentum habuerit antecedentes vates suos [1] atque præcones, quorum divinis vocibus est prænuntiatum, et ita venerit quemadmodum est prænuntiatum, quis ita sit demens, ut dicat Apostolos de Christo finxisse mentitos, quem sic venisse prædicaverunt, quemadmodum eum venturum Prophetæ ante prædixerunt, qui nec de ipsis Apostolis vera futura tacuerunt? De his quippe dixerant: *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4 et 5). Quod certe in orbe videmus impletum, etsi in carne nondum vidimus Christum. Quis itaque nisi mirabili dementia cæcatus, aut mirabili pertinacia durus ac ferreus, nolit habere sacris Litteris fidem, quæ totius orbis prædixerunt fidem?

CAPUT VIII. — 11. *Ad fidei immobilem observantiam cohortatio.* Vos autem, charissimi, qui hanc fidem habetis, vel qui nunc novam habere cœpistis, nutriatur et crescat in vobis. Sicut enim venerunt temporalia tanto ante prædicta [2], venient et sempiterna promissa. Nec vos decipiant vel vani Pagani, vel falsi Judæi, vel fallaces hæretici, nec non in ipsa Catholica mali Christiani, tanto nocentiores, quanto interiores inimici. Quia et hinc ne perturbarentur infirmi, prophetia divina non tacuit, ubi loquens in Cantico canticorum sponsus ad sponsam, id est, Christus Dominus ad Ecclesiam: *Sicut lilium*, inquit, *in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum* (*Cant.* II, 2). Non dixit, in medio extranearum; sed, *in medio filiarum. Qui habet aures audiendi, audiat*: et dum sagena quæ missa est in mare, et congregat omnia genera piscium, sicut sanctum loquitur Evangelium, trahitur ad littus, id est, ad sæculi finem, secernat se a piscibus malis, corde, non corpore; mores malos mutando, non retia sancta rumpendo: ne qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non vitam, sed pœnam [3] reperiant sempiternam, cum cœperint in littore separari (*Matth.* XIII, 9, 47-50).

[1] Sic potiores Mss. At editi, *ut eadem secta omnino nulla essent.*
[2] Codex Vaticanus, *ut quamvis fidem.*
[3] Editi, *conspuitum.* At Mss. *expalmatum*; quod verbum familiare est Augustino.

[1] Editi, *atque præcedentes vates suos.* Castigantur auxilio manuscriptorum.
[2] Mss., *sed ante prædicta*; omisso, *ante*.
[3] Sic aliquot codices, *ut qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non pœnam, sed vitam.*

In librum de Fide et Symbolo *vide lib.* 1, *cap.* 17, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 612, *a verbis*, Per idem tempus, *usque ad verba col.* 613, Quoniam scriptum est. M

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE ET SYMBOLO
Liber unus [a].

Symboli capita singula studiose explicantur, cum hæreticorum fidei catholicæ adversantium, et maxime Manichæorum reprehensione.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Quæ causa et scopus operis præsentis.* Quoniam scriptum est et apostolicæ disciplinæ robustissima auctoritate firmatum, *Quia justus ex fide vivit* (*Habac.* II, 4 ; *Galat.* III, 11) ; eaque fides officium a nobis exigit et cordis et linguæ ; ait enim Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10) : oportet nos esse et justitiæ memores et salutis. Quandoquidem in sempiterna justitia regnaturi, a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem quam corde gestamus : quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cautaque vigilantia providendum est. Est autem catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quanta res passa est brevitate sermonis : ut incipientibus atque lactentibus, eis qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima et spirituali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam certa humilitatis atque charitatis firmitate surgentibus. Sub ipsis ergo paucis verbis in Symbolo constitutis, plerique hæretici venena sua occultare conati sunt : quibus restitit et resistit divina misericordia per spirituales viros, qui catholicam fidem, non tantum in illis verbis accipere et credere, sed etiam Domino revelante intelligere atque cognoscere meruerunt. Scriptum est enim, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Sed tractatio fidei ad muniendum Symbolum valet : non ut ipsa pro Symbolo gratiam Dei consequentibus memoriæ mandanda et reddenda tradatur ; sed ut illa quæ in Symbolo retinentur, contra hæreticorum insidias auctoritate catholica et munitiore defensione custodiat.

CAPUT II. — 2. *Quod nulla fuerit natura coæterna Deo, ex qua mundum fecerit. Quomodo mundus ex nihilo, si ex materia informi factus.* Conati sunt enim quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem : non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulchre ordinatum [1] esse concedunt ; ita omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quæ jam fuerat, et quam ipse non fecerat, uteretur : carnali scilicet consuetudine videndi fabros et domorum structores et quoslibet opifices, qui nisi adjuventur parata materia, ad effectum suæ artis pervenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse omnipotentem, si [2] mundum fabricare non posset, nisi eum aliqua non ab illo fabricata natura, tanquam materies, adjuvaret. Aut si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quæ fecit. Non enim aliquid esse potest, cujus creator non esset, cum esset omnipotens. Quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem de limo, non utique fecit ex eo quod ipse non fecerat ; quia terram unde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum cœlum et terram, id est, mundum et omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est, *Qui fecisti mundum ex materia invisa* (*Sap.* XI, 18), vel etiam *informi*, sicut nonnulla exemplaria tenent ; nullo modo credendum est illam ipsam materiam de qua factus est mundus, quamvis informem, quamvis invisam, quocumque modo esset, per se ipsam esse potuisse, tanquam coæternam et coævam Deo : sed quemlibet modum suum, quem habebat, ut quoquomodo esset, et distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente Deo, cujus beneficio est res non solum quæcumque formata, sed etiam quæcumque formabilis. Inter formatum autem et formabile hoc interest, quod formatum jam accepit formam, formabile autem potest accipere. Sed qui præstat rebus formam, ipse præstat etiam posse formari : quoniam de illo et in illo est omnium speciosissima species incommutabilis ; et ideo ipse unus est qui cuilibet rei, non solum ut pulchra sit,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Librum de Fide et Symbolo castigavimus subsidio veterum exemplarium ex bibliothecis variis Gallicanis ; scilicet ex Colbertina, ex bibliotheca abbatiæ S. Victoris Parisiensis, item collegii Sorbonici, collegii Navarrici, monasterii S. Germani a Pratis, S. Remigii Remensis, S. Michaelis in periculo maris, S. Arnulphi Metensis, Laudunensis Ecclesiæ, et duorum e Vaticana bibliotheca : juvantibus etiam variis lectionibus Belgicorum duorum manuscriptorum quos Theologi Lovanienses viderunt ; necnon editionibus ante vulgatis, Frobeniana Erasmi, et Plantiniana Lovaniensium.

Comparavimus prœterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scriptus anno 393.

[1] Editi habent, *ornatum.* At Mss., *ordinatum.*

[2] Mss. duo, *qui.*

sed etiam ut pulchra esse possit attribuit. Quapropter rectissime credimus omnia Deum fecisse de nihilo : quia etiam si de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei munere prima [1] capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quæcumque formata sunt. Hoc autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi esse divinarum Scripturarum sententias, quoniam et omnia Deum fecisse de nihilo scriptum est, et mundum esse factum de informi materia.

3. Credentes itaque in Deum Patrem omnipotentem, nullam creaturam esse quæ ab omnipotente non creata sit, existimare debemus. Et quia omnia per Verbum creavit, quod Verbum et Veritas dicitur (*Joan.* XIV, 6), et Virtus et Sapientia Dei (I *Cor.* I, 24), multisque aliis insinuatur vocabulis qui [2] nostræ fidei Jesus Christus Dominus commendatur, liberator scilicet noster et rector [3] Filius Dei ; non enim Verbum illud per quod sunt omnia condita, generare potuit nisi ille qui per ipsum condidit omnia.

CAPUT III. — *Verbum quare dictum de Filio Dei. Quod Verbum sit idipsum quod Pater.* Credimus etiam in Jesum Christum Filium Dei, Patris unigenitum, id est unicum, Dominum nostrum. Quod tamen Verbum non sicut verba nostra debemus accipere, quæ voce atque ore prolata verberato aere transeunt, nec diutius manent quam sonant. Manet enim illud Verbum incommutabiliter : nam de ipso dictum est, cum de Sapientia diceretur, *In se ipsa manens innovat omnia* (*Sap.* VII, 27). Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad cognitionem alterius proferatur : sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater [4], Verbum ejus convenientissime nominatur.

4. Inter animum autem nostrum et verba nostra, quibus eumdem animum ostendere conamur, plurimum distat. Nos quippe non gignimus sonantia verba, sed facimus ; quibus faciendis materia subjacet corpus. Plurimum autem interest inter animum et corpus. Deus vero cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit ; neque de nihilo, neque de aliqua jam facta conditaque materia ; sed de seipso id quod est ipse. Hoc enim et nos conamur, cum loquimur, si diligenter consideremus nostræ voluntatis appetitum ; non cum mentimur, sed cum verum loquimur. Quid enim aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum et perspiciendum animo auditoris inferre : ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec recedamus a nobis, et tamen tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus ; ut, quantum facultas conceditur [1], quasi alter animus ab animo per quem se indicet proferatur ? Id facimus conantes et verbis [2], et ipso sono vocis, et vultu, et gestu corporis, tot scilicet machinamentis id quod intus est demonstrare cupientes : quia tale aliquid proferre non possumus, et ideo non potest loquentis animus penitus innotescere ; unde etiam mendaciis locus patet. Deus autem Pater, qui verissime se indicare animis cognituris et voluit et potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit : qui etiam Virtus ejus et Sapientia dicitur, quia per ipsum operatus est et disposuit omnia ; de quo propterea dicitur, *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1).

CAPUT IV. — 5. *Filius Dei non factus nec minor a Patre. Creare et condere idem. Filius Dei cur factus homo. Contra Manichæorum hæresim. Totus homo susceptus a Verbo. Nativitas Christi ex femina. Contra Manichæos.* Quamobrem unigenitus Filius Dei, neque factus est a Patre ; quia sicut dicit evangelista, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3) : neque ex tempore genitus : quoniam sempiterne [3] Deus sapiens, sempiternam secum habet sapientiam suam : neque impar est Patri, id est, in aliquo minor ; quia et Apostolus dicit, *Qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6). Hac igitur fide catholica et illi excluduntur qui eumdem dicunt Filium esse qui Pater est ; quia et hoc Verbum apud Deum esse non posset nisi apud Patrem Deum, et nulli est æqualis qui solus est. Excluduntur etiam illi qui creaturam esse dicunt Filium, quamvis non talem, quales sunt cæteræ creaturæ. Quantamcumque enim creaturam dicant, si creatura est, condita et facta est. Nam idem est condere, quod creare : quanquam in latinæ linguæ consuetudine dicatur aliquando creare, pro eo quod est gignere ; sed græca discernit. Hoc enim dicimus creaturam, quod illi κτίσμα vel κτίσιν vocant : et cum sine ambiguitate loqui volumus, non dicimus, creare ; sed, condere. Ergo si creatura est Filius, quamlibet magna sit, facta est. Nos autem in eum credimus per quem facta sunt omnia, non in eum per quem facta sunt cætera : neque enim hic aliter accipere possumus omnia, nisi quæcumque sunt facta.

6. Sed quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14) ; eadem Sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari [4]. Quo pertinet illud, *Dominus creavit me in principio viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). Viarum enim ejus principium caput est Ecclesiæ, quod est Chri-

[1] Mss. quatuor, *primo*.
[2] Mss. quinque, *quibus*.
[3] Ms. Colbertinus, *creator*.
[4] Am. et Lov., *innotescit animus secretissimus Patris*. Er., *innotescit dignis secretissimus Pater*. Mss. sex, *innotescit dignis animis secretissimus Pater*. Hanc lectionem esse veriorem, id partim persuasit quod inferius, n. 4, dicitur, *se indicare animis*, etc., partim quod in cæteris Mss. post verbum, *innotescit*, habetur, *dignis animi* ; aut, *dignis animis*.

[1] Aliquot Mss., *concedit*.
[2] Mss. tres melioris notæ, *conante facta verba*. Forte legendum, *conantes factis verbis*. — Morel, Elem. crit., p. 94, legit *sonantia facta verba*. M.
[3] Edit., *sempiternus*. At Mss. omnes, *sempiterne*.
[4] Ms. Remigianus, *in omnibus* ; id est, inter omnia quæ facta sunt ; nec male.

stus [1] homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est via certa [2] qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus, sicut dictum est primæ nostræ creaturæ, *Gustate, et eritis tanquam dii* (*Gen.* III, 5). Hujus igitur humilitatis exemplum, id est, viæ qua redeundum fuit, ipse Reparator noster in se ipso demonstrare dignatus est, *qui non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7); ut crearetur homo in principio viarum ejus, Verbum per quod facta sunt omnia. Quapropter secundum id quod unigenitus est, non habet fratres : secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes qui post ejus et per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur [3] per adoptionem filiorum (*Luc.* VIII, 21), sicut apostolica disciplina [4] commendat (*Hebr.* II, 11). Naturalis ergo Filius de ipsa Patris substantia unicus natus est, id existens quod Pater est [5]; Deus de Deo, Lumen de Lumine : nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo Lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus. *Erat* enim, inquit, *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Addimus itaque fidei rerum æternarum etiam temporalem dispensationem Domini nostri, quam gerere nobis et ministrare pro nostra salute dignatus est. Nam secundum id quod unigenitus est Dei Filius, non potest dici, Fuit et Erit; sed tantum, Est : quia et quod fuit, jam non est; et quod erit, nondum est. Ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum et varietate. Nec aliunde arbitror manare illud quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuavit. Nam cum ab eo quæreret, si se populus ad quem mittebatur contemneret, a quo se diceret esse missum; responsum dicentis accepit, *Ego sum qui sum.* Deinde subjunxit, *Hæc dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14).

7. Ex quo jam spiritualibus animis patere confido, nullam naturam Deo esse posse contrariam. Si enim ille est, et de solo Deo proprie dici potest hoc verbum (quod enim vere est, incommutabiliter manet; quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est, et erit quod nondum est), nihil ergo habet Deus contrarium. Si enim quæreretur a nobis quid sit albo contrarium, responderemus nigrum : si quæreretur quid sit calido contrarium, responderemus frigidum : si quæreretur quid sit veloci contrarium [6], responderemus tardum; et quæcumque similia. Cum autem quæritur quid sit contrarium ei quod est, recte respondetur quod non est.

8. Sed quoniam per temporalem, ut dixi, dispensationem, ad nostram salutem et reparationem, operante Dei benignitate, ab illa incommutabili Dei Sapientia natura mutabilis nostra suscepta est, temporalium rerum salubriter pro nobis gestarum adjungimus fidem, credentes in eum Dei Filium qui natus est per Spiritum sanctum ex virgine Maria. Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deserens [1]. Cui temporali dispensationi multis modis insidiantur hæretici. Sed si quis tenuerit catholicam fidem, ut totum hominem credat a Verbo Dei esse susceptum, id est corpus, animam, spiritum, satis contra illos munitus est. Quippe cum ista susceptio pro salute nostra sit gesta, cavendum est ne cum crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem. Et cum homo excepta forma membrorum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est, non distet a pecore nisi rationali spiritu, quæ mens etiam nominatur; quomodo sana est fides qua creditur quod id nostrum susceperit Dei Sapientia quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit quod illustratur luce sapientiæ, et quod hominis proprium est?

9. Detestandi autem etiam illi sunt, qui Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant, cum illa dispensatio utrumque sexum, et masculinum et femininum honoraverit, et ad curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina. Nec nos ad negandam Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est. *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Sed admonet potius ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est; et illa erat hora, quæ nondum venerat, quando dictum est, *Mihi et tibi quid est? nondum venit hora mea*, id est, qua te cognoscam. Tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, et dilectissimo discipulo humanissime commendavit (*Id.* XIX, 26, 27). Nec illud nos moveat, quod cum ei nuntiaretur mater ejus, et fratres, respondit, *Quæ mihi mater, aut qui fratres*, etc. (*Matth.* XII, 48)? Sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, parentes cum impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisque putaverit non eum habuisse matrem in terris, quia dixit, *Quæ mihi mater?* cogatur necesse est et Apostolos negare habuisse patres in terris, quoniam præcepit eis dicens : *Nolite vobis patrem dicere in terris; unus est enim Pater vester qui in cœlis est* (*Id.* XXIII, 9).

[1] Sic Mss. At editi, *principium et caput Ecclesiæ est Christus.*
[2] Editi, *hæc est via certa.* Mss. vero, *hoc est via certa.* Tum ex iis quatuor, *via recta.*
[3] Er., *post ejus primitias in Dei gratia nascimur.*
[4] Editi, *doctrina* : pro quo Mss., *disciplina.*
[5] Sic Mss. At vulgati, *idem existens quod Pater Deus.*
[6] In B., *si quæreretur quid veloci contrarium.* Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

[1] Emmanuel Sa putavit legendum, *deferens.* Verum codices omnes habent, *deserens;* quo verbo significatur Christi nativitate detractum nihil esse Virginis matris integritati.

10. Nec nobis fidem istam minuat cogitatio muliebrium viscerum, ut propterea recusanda videatur talis Domini nostri generatio, quod eam sordidi sordidam putant. Quia et *stultum Dei sapientius esse hominibus* (I *Cor.* I, 25), et *omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15), verissime Apostolus dicit. Debent igitur intueri, qui hoc putant, solis hujus radios, quem certe non tanquam creaturam Dei laudant, sed tanquam Deum adorant (*a*), per cloacarum fetores et quæcumque horribilia usquequaque diffundi, et in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior: quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de femineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis fragilitate [1] secretius? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cum regit corpus atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur. Quod si animæ maculas illi vitare vellent, hæc mendacia potius et sacrilegia formidarent.

CAPUT V. — 11. *Passio Christi et sepultura. Resurrectio Christi.* Sed parva erat pro nobis Domini nostri humilitas in nascendo: accessit etiam ut mori pro mortalibus dignaretur. *Humiliavit enim se, factus subditus usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 8); ne quisquam nostrum etiamsi mortem posset non timere, aliquod genus mortis, quod homines ignominiosissimum arbitrantur, horreret. Credimus itaque in eum qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et sepultus. Addendum enim erat judicis nomen, propter temporum cognitionem. Sepultura vero illa cum creditur, fit recordatio novi monumenti [2], quod resurrecturo ad vitæ novitatem præberet testimonium, sicut nascituro uterus virginalis. Nam sicut in illo monumento nullus alius mortuus sepultus est (*Joan.* XIX, 41), nec ante, nec postea; sic in illo utero nec ante, nec postea, quidquam mortale conceptum est.

12. Credimus etiam illum tertio die resurrexisse a mortuis, primogenitum consecuturis fratribus, quos in adoptionem filiorum Dei vocavit (*Ephes.* I, 5), quos comparticipes et cohæredes suos esse dignatus est.

CAPUT VI. — 13. *Ascensus in cœlum.* Credimus in cœlum ascendisse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens, *Erunt sicut Angeli in cœlis* (*Matth.* XXII, 30), in illa civitate, quæ est mater omnium nostrum Jerusalem æterna in cœlis (*Galat.* IV, 26). Solet autem quosdam offendere vel impios Gentiles vel hæreticos, quod credimus assumptum terrenum corpus in cœlum. Sed Gentiles plerumque philosophorum argumentis nobiscum agere student, ut dicant terrenum aliquid in cœlo esse non posse. Nostras enim Scripturas non noverunt, nec sciunt quomodo dictum sit, *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Non enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in spiritum, et spiritus fiat; quia et nunc corpus nostrum quod animale dicitur, non in animam versum est et anima factum. Sed spirituale corpus intelligitur, quod ita spiritui subditum est [1], ut cœlesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem puritatem et stabilitatem mutata atque conversa. Hæc est immutatio, de qua item dicit Apostolus: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quam immutationem non in deterius, sed in melius fieri docet idem, cum dicit, *Et nos immutabimur* (I *Cor.* XV, 44, 51, 52). Sed ubi et quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum et supervacaneum est quærere; tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia et honesta sentire.

CAPUT VII. — 14. *Sessio ad dexteram Patris.* Credimus etiam quod sedet ad dexteram Patris. Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat; aut idipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo exsecratur Apostolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis (*Rom.* I, 23). Tale enim simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare; multo magis in corde nefarium est, ubi vere est templum Dei, si a terrena cupiditate atque errore mundetur. Ad dexteram ergo intelligendum est sic dictum esse, in summa beatitudine, ubi justitia et pax et gaudium est: sicut ad sinistram hædi constituuntur (*Matth.* XXV, 33), id est in miseria, propter iniquitates, labores [2] atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem, qua illa majestas nunquam caret, semper digna dignis tribuendo; quamvis in extremo judicio multo manifestius inter homines unigeniti Filii Dei judicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata futura sit [3].

CAPUT VIII. — 15. *Adventus ad judicium.* Credimus etiam inde venturum convenientissimo tempore, et judicaturum vivos et mortuos. Sive istis nominibus justi et peccatores significentur; sive quos tunc ante mortem [4] in terris inventurus est appellati sint vivi, mortui vero qui in ejus adventu resurrecturi sunt: hæc dispensatio temporalis, non tantum est, sicut illa generatio secundum Deum; sed etiam fuit, et erit. Nam fuit Dominus noster in terris, et nunc est in cœlo, et erit in claritate judex vivorum atque mor-

[1] Sic Lov. et [illegible] Mss. [illegible], *ad humani corporis fragilitate* [illegible].
[2] Editi, [illegible]. Veteres Mss., *monumenti*.
(*a*) Manichæi.

[1] Er. et tres Mss., *quod ita* [illegible] *est*.
[2] Tres Mss., [illegible].
[3] Sic in Mss. At in excusis, *futura sit*.
[4] Hic editi addunt, *nostram*; renitentibus Mss.

tuorum. Ita enim veniet, sicut ascendit, secundum auctoritatem quæ in Actibus Apostolorum continetur (*Act.* I, 11). Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsi, ubi scriptum est : *Hæc dicit qui est, et qui fuit, et qui venturus est* [1] (*Apoc.* I, 8).

CAPUT IX. — 16. *De fide in Spiritum sanctum. Trinitatis mysterium. Similitudinibus explicatur. Professio christianæ fidei. De Spiritu sancto opinio quorumdam, quod sit ipsa deitas Patris et Filii : Sanctitas a sanciendo.* Digesta itaque fideique commendata et divina [2] generatione Domini nostri et humana dispensatione, adjungitur confessioni nostræ, ad perficiendam fidem quæ nobis de Deo est, Spiritus sanctus, non minore [3] natura quam Pater et Filius, sed, ut ita dicam, consubstantialis et coæternus; quia ista Trinitas unus est Deus : non ut idem sit Pater qui et Filius et Spiritus sanctus; sed ut Pater sit Pater, et Filius sit Filius, et Spiritus sanctus sit Spiritus sanctus, et hæc Trinitas unus Deus, sicut scriptum est, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Tamen si interrogemur de singulis, et dicatur nobis, Deus est Pater? respondebimus, Deus. Si quæratur utrum Deus sit Filius, hoc respondebimus. Nec, si fuerit de Spiritu sancto talis interrogatio, aliud eum esse debemus respondere quam Deum : vehementer caventes sic accipere, quomodo de hominibus dictum est, *Dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6). Non enim sunt naturaliter dii, quicumque sunt facti atque conditi ex Patre per Filium dono Spiritus sancti. Ipsa enim significatur Trinitas, cum Apostolus dicit, *Quoniam ex ipso, et in ipso, et per ipsum sunt omnia* (*Rom.* XI, 36). Quanquam ergo de singulis [4] interrogati respondeamus Deum esse de quo quæritur, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum; non tamen tres deos a nobis coli quisquam existimaverit.

17. Nec mirum quod hæc de ineffabili natura dicuntur, cum in iis etiam rebus quas corporeis oculis cernimus, et corporeo sensu dijudicamus, tale aliquid accidat. Nam cum de fonte interrogati, non possimus dicere quod ipse sit fluvius; nec de fluvio interrogati possimus eum fontem vocare; et rursum potionem quæ de fonte vel fluvio est, nec fluvium possimus appellare nec fontem : tamen in hac trinitate aquam nominamus, et cum de singulis quæritur, singillatim aquam respondemus. Nam si quæro utrum aqua in fonte sit, respondetur aqua; et si quæramus utrum aqua sit in fluvio, nihil aliud respondetur, et in illa potione non poterit esse alia responsio : nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. Sane cavendum est ne quisquam ineffabilem illius majestatis substantiam sicut fontem istum visibilem atque corporeum vel fluvium vel potionem cogitet. In his enim aqua illa quæ nunc in fonte est, exit in fluvium, nec in se manet; et cum de fluvio vel de fonte in potionem transit, non ibi permanet, unde sumitur. Itaque fieri potest ut eadem aqua nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc ad fluvii, nunc ad potionis : cum in illa Trinitate dixerimus non posse fieri ut Pater aliquando sit Filius, aliquando Spiritus sanctus; sicut in arbore non est radix nisi radix, nec robur est aliud quam robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere : non enim quod dicitur radix, id potest dici robur et rami; nec lignum quod pertinet ad radicem, potest aliquo transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, sed tantummodo in radice : cum illa regula nominis maneat, ut radix lignum sit, et robur lignum, et rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed unum. Aut si hæc habent aliquam dissimilitudinem, ut possint non absurde tria ligna dici, propter firmitatis diversitatem; illud certe omnes concedunt, si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici, sed omnino unam aquam; quanquam de singulis poculis interrogatus in quolibet horum aquam esse respondeas : quamvis nullus hic transitus fiat, sicut de fonte in fluvium dicebamus. Sed hæc non propter illius divinæ naturæ similitudinem, sed propter visibilium etiam unitatem corporalia exempla data sunt, ut intelligeretur fieri posse ut aliqua tria non tantum singillatim, sed etiam simul unum singulare nomen obtineant; nec quisquam miretur et absurdum putet quod Deum dicimus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, nec tamen tres deos in ista Trinitate, sed unum Deum unamque substantiam [1].

18. Et de Patre quidem ac Filio multis libris disseruerunt docti et spirituales [2] viri, quibus quantum homines hominibus poterant, et quemadmodum non unus esset Pater et Filius, sed unum essent; et quid proprie Pater esset, et quid Filius insinuare conati sunt : quod ille genitor, hic genitus; ille non de Filio, hic de Patre; hujus ille principium, unde et caput Christi dicitur (I *Cor.* XI, 3), quamvis et Christus principium (*Joan.* VIII, 25), sed non Patris; hic vero illius imago (*Coloss.* I, 15), quamvis nulla ex parte dissimilis et omnino indifferenter æqualis. Tractantur hæc latius ab eis qui non tam breviter quam nos, totius christianæ fidei professionem volunt explicare. Itaque in quantum Filius est, de Patre accepit ut sit, cum ille de Filio id non acceperit : et in quantum hominem mutabilem scilicet creaturam in melius commutandam, ineffabili misericordia, temporali dispensatione suscepit, multa de illo in Scripturis inveniuntur ita dicta, ut impias hæreticorum mentes prius volentes docere quam nosse, in errorem miserint, ut putarent eum non æqualem Patri, nec ejusdem esse substantiæ, qualia sunt illa, *Quoniam Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* (I *Cor.* XI, 3); et, *Tunc ipse*

[1] Editi, *qui futurus est*. At Mss., *qui venturus est*. Græce, *o erchomenos*.
[2] Sic in Mss. At apud Lov., *fide atque commendata divina*.
[3] Er., *non de minore*. Forte legendum, *non minor*.
[4] Sic melius Mss. At editi, *Quodcumque ergo de singulis interrogati*.

[1] Mss., *sed unum colamus unamque substantiam*.
[2] In vulgatis, *religiosi*. Cujus loco in Mss., *spirituales*.

subjectus erit ei qui illi subjecit omnia (I *Cor.* XV, 28) ; et, *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17) ; et nonnulla hujusmodi : quæ omnia posita sunt, non ut naturæ atque substantiæ inæqualitatem significent, ne falsa sint illa, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30) ; et, *Qui me vidit, vidit et Patrem meum* (*Id.* XIV, 9) ; et, *Deus erat Verbum* ; non enim factus est, cum omnia per ipsum facta sint (*Id.* I, 1, 3) : et, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* ; et cætera talia : sed illa posita sunt, partim propter administrationem suscepti hominis, qua dicitur, *Semetipsum exinanivit* (*Philipp*, II, 6) ; non quia mutata est illa Sapientia, cum sit omnino incommutabilis ; sed quia tam humiliter hominibus innotescere voluit : partim ergo propter hanc administrationem illa ita scripta sunt, de quibus hæretici calumniantur ; partim propter hoc, quia Filius Patri debet quod est, hoc etiam debens utique Patri quod eidem Patri æqualis aut par est ; Pater autem nulli debet quidquid est.

19. De Spiritu sancto autem nondum tam copiose ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit et ejus proprium, quo proprio fit ut eum neque Filium neque Patrem dicere possimus, sed tantum Spiritum sanctum ; nisi quod eum donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non se ipso inferius donum dare. Servant tamen ut non genitum Spiritum sanctum tanquam Filium de Patre prædicent ; unicus enim est Christus : neque de Filio tanquam nepotem summi Patris : nec tamen id quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia ; ne duo constituamus principia sine principio, quod falsissimum est et absurdissimum, et non catholicæ fidei, sed quorumdam hæreticorum errori proprium. Ausi sunt tamen quidam ipsam communionem Patris et Filii, atque, ut ita dicam, deitatem, quam Græci θεότητα appellant, Spiritum sanctum credere : ut, quoniam Pater Deus et Filius Deus, ipsa deitas, qua sibi copulantur et ille gignendo Filium et ille Patri cohærendo, ei a quo est genitus æquetur. Hanc ergo deitatem, quam etiam dilectionem in se invicem amborum charitatemque volunt intelligi, Spiritum sanctum appellatum dicunt, multisque Scripturarum documentis adsunt huic opinioni suæ ; sive illo quod dictum est, *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5) ; sive aliis multis talibus testimoniis ; et eo ipso quod per Spiritum sanctum reconciliamur Deo, unde etiam cum donum Dei dicitur, satis significari volunt charitatem Dei esse Spiritum sanctum. Non enim reconciliamur illi, nisi per dilectionem, qua etiam filii [1] appellamur (I *Joan.* III, 1) : non jam sub timore tanquam servi, quia consummata dilectio foras mittit timorem (*Id.* IV, 18) ; et Spiritum libertatis accepimus, *in quo clamamus, Abba Pater* (*Rom.* VIII, 15). Et quia reconciliati et in amicitiam revocati per charitatem (*Id.* V, 8-10) poterimus omnia Dei secreta cognoscere, propterea de

[1] In vulgatis additur, *Dei* ; quod abest a Mss.

Spiritu sancto dicitur, *Ipse vos inducet in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Propterea et confidentia prædicandæ veritatis, qua impleti sunt in adventu ejus Apostoli (*Act.* II, 4), recte charitati tribuitur ; quia et diffidentia timori datur, quem consummatio charitatis excludit. Ideo etiam donum Dei dicitur (*Ephes.* III, 7), quia eo quod quisque novit non fruitur, nisi et id diligat. Frui autem sapientia Dei, nihil est aliud quam ei dilectione cohærere : neque quisquam in eo quod percipit permanet, nisi dilectione ; et ideo Spiritus sanctus dicitur, quoniam ad permanendum sanciuntur quæcumque sanciuntur [1], nec dubium est a sanciendo sanctitatem vocari. Maxime autem illo testimonio utuntur assertores hujus sententiæ, quod scriptum est, *Quod natum est de carne, caro est ; et quod natum est de Spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 6) : *quoniam Deus Spiritus est* (*Id.* IV, 24). Hic enim regenerationem nostram dicit [2], quæ non secundum Adam de carne est, sed secundum Christum de Spiritu sancto. Quapropter si Spiritus sancti hoc loco facta est commemoratio, cum dictum est, *Quoniam Deus Spiritus est* : animadvertendum dicunt, non dictum esse, Quoniam Spiritus Deus est [3] ; sed, *Quoniam Deus Spiritus est* ; ut ipsa deitas Patris et Filii hoc loco dicta sit Deus, quod est Spiritus sanctus. Huc accedit aliud testimonium quod dicit Joannes apostolus, *Quoniam Deus dilectio est* (I *Joan.* IV, 16). Etiam hic enim non ait, Dilectio Deus est ; sed, *Deus dilectio est* ; ut ipsa deitas dilectio intelligatur. Et quod in illa enumeratione connexarum sibi rerum, ubi dicitur, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* (I *Cor.* III, 22, 23) ; et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus*, nulla fit commemoratio Spiritus sancti ; ad hoc pertinere dicunt, quia non fere in iis quæ sibi connexa sunt numerari solet ipsa connexio. Unde in illo etiam loco Trinitatem ipsam videntur agnoscere qui legunt attentius, cum dicitur, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36). *Ex ipso*, tanquam ex eo qui nulli debet quod est ; *per ipsum*, tanquam per mediatorem ; *in ipso*, tanquam in eo qui continet, id est, copulatione conjungit.

20. Huic sententiæ contradicunt, qui arbitrantur istam communionem, quam sive deitatem sive dilectionem sive charitatem appellamus, non esse substantiam : quærunt autem secundum substantiam sibi exponi Spiritum sanctum, nec intelligunt non aliter potuisse dici, *Deus dilectio est*, nisi esset dilectio substantia. Ducuntur quippe consuetudine rerum corporalium ; quoniam si duo sibi corpora copulentur, ita ut juxta invicem collocentur, ipsa copulatio non est corpus ; quandoquidem, separatis illis corporibus quæ copulata fuerant, nulla invenitur : nec tamen quasi discessisse et migrasse intelligitur, sicut illa corpora. Sed hi tales cor mundum faciant, quan-

[1] Editi, *sanctificantur*. At Mss. constanter, *sanciuntur*.
[2] Ita Mss. Editi vero : *Hoc enim ... dicunt*.
[3] Editi et aliquot Mss., *Spiritus Dei est*. Itidemque paulo post, *non ait*, *Dilectio Dei est*. Alii codices utroque loco, *Deus est* : nec minus bene.

tum possunt, ut videre valeant in Dei substantia non esse aliquid tale, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiæ, et non sit substantia; sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est. Verum hæc dici possunt facile, et credi: videri autem nisi corde puro quomodo se habeant, omnino non possunt. Quapropter sive ista vera sit sententia, sive aliud aliquid sit, fides inconcussa tenenda est, ut Deum dicamus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; neque tres deos, sed istam Trinitatem unum Deum; neque diversos natura, sed ejusdem substantiæ; neque ut Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiritus sanctus; sed Pater semper Pater, et Filius semper Filius, et Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Nec temere de invisibilibus aliquid affirmemus tanquam scientes, sed tanquam credentes; quoniam videri nisi mundato corde non possunt: et qui ea videt in hac vita ex parte, ut dictum est, atque in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12), non potest efficere ut et ille videat cui loquitur, si cordis sordibus impeditur. *Beati* autem *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Hæc fides est de Deo conditore et renovatore nostro.

21. Sed quoniam dilectio non tantum in Deum nobis imperata est, cum dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*; sed etiam in proximum; nam, *Diliges*, inquit, *proximum tuum tanquam te ipsum* (*Luc.* X, 27): si autem ista fides congregationem societatemque hominum non teneat, in qua fraterna charitas operetur, minus fructuosa est.

CAPUT X. — *Ecclesia catholica. Remissio peccatorum. Totius hominis in melius commutatio resurrectione perficienda. Carnis resurrectio. Resurrectionis futuræ veritas confirmatur.* Credimus et sanctam Ecclesiam [1], utique catholicam. Nam et hæretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum; et ideo peccatis proximi facile ignoscit, quia sibi precatur ignosci ab illo qui nos reconciliavit sibi, delens omnia præterita, et ad vitam novam nos vocans: quam vitam donec perfectam capiamus, sine peccatis esse non possumus: interest tamen qualia sint.

22. Nec de peccatorum differentia modo tractandum est, sed credendum omnino, nullo modo nobis ignosci ea quæ peccamus, si nos inexorabiles ad ignoscenda peccata fuerimus (*Matth.* VI, 15). Itaque credimus et remissionem peccatorum.

23. Et quoniam tria sunt quibus homo constat, spiritus, anima et corpus: quæ rursus duo dicuntur, quia sæpe anima simul cum spiritu nominatur; pars enim quædam ejusdem rationalis, qua carent bestiæ, spiritus dicitur: principale nostrum spiritus est; deinde vita qua conjungimur corpori, anima dicitur; postremo ipsum corpus quoniam visibile est, ultimum nostrum est. Hæc autem omnis creatura [1] ingemiscit et parturit usque nunc (*Rom.* VIII, 22): dedit tamen primitias spiritus, quia credidit Deo, et bonæ jam voluntatis est. Hic spiritus etiam vocatur mens, de quo dicit Apostolus, *Mente servio legi Dei* (*Rom.* VII, 25). Qui item alio loco dicit, *Testis est enim mihi Deus, cui servio in spiritu meo* (*Id.* I, 9). Anima vero cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur. Pars enim ejus quædam resistit spiritui [2], non natura, sed consuetudine peccatorum. Unde dicitur, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quæ consuetudo in naturam versa est secundum generationem mortalem peccato primi hominis. Ideoque scriptum est, *Et nos aliquando fuimus naturaliter filii iræ* [3] (*Ephes.* II, 3), id est vindictæ, per quam factum est ut serviamus legi peccati. Est autem animæ natura perfecta, cum spiritui suo subditur, et cum sequitur sequentem Deum. Ideo *animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 14). Sed non tam cito anima subjugatur spiritui ad bonam operationem, quam cito spiritus Deo ad veram fidem et bonam voluntatem: sed aliquando tardius ejus impetus, quo in carnalia et temporalia defluit, refrenatur. Sed quoniam et ipsa mundatur, recipiens stabilitatem naturæ suæ dominante spiritu, quod sibi caput est, cui ejus capiti caput est Christus, non est desperandum etiam corpus restitui naturæ propriæ: sed utique non tam cito quam anima, sicut neque anima tam cito quam spiritus; sed tempore opportuno in novissima tuba, cum *mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Et ideo credimus et carnis resurrectionem; non tantum quia reparatur anima, quæ nunc propter carnales affectiones caro nominatur; sed hæc etiam visibilis caro quæ naturaliter est caro, cujus nomen anima non propter naturam, sed propter affectiones carnales accepit: hæc ergo visibilis, quæ proprie dicitur caro, sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus apostolus eam tanquam digito ostendere, cum dicit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Cum enim dicit, *hoc*, in eam quasi digitum intendit. Quod autem visibile est, id potest digito ostendi: quoniam posset etiam anima corruptibilis dici; nam vitiis morum ipsa corrumpitur. *Et mortale hoc induere immortalitatem* (*Id.* XV, 52 *et* 53), cum legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam identidem velut digitus intenditur. Potest enim et anima sicut corruptibilis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. Mors quippe animæ est apostatare a Deo (*Eccli.* X, 14): quod primum ejus peccatum in paradiso sacris Litteris continetur.

24. Resurget igitur corpus secundum christianam

[1] Tres Mss., *in sanctam Ecclesiam*, etc.; et aliquanto post, *in remissionem peccatorum.* Sic etiam inferius, *in carnis resurrectionem.*

[1] Sic Mss. At editi: *Hoc autem omnis creatura.*
[2] Quatuor probæ notæ Mss., *nominatur et resistit spiritui;* omisso, *pars ejus quædam.*
[3] Aliquot Mss., *fuimus natura filii iræ.*

fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis nunc sit caro attendit, qualis autem futura sit non considerat: quia illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus. Cum enim de carne Apostolus loqueretur, *Alia*, inquit, *caro pecorum, alia volucrum, alia piscium, alia serpentum; et corpora cœlestia, et corpora terrestria.* Non enim dixit, et caro cœlestis; dixit autem, *et cœlestia et terrestria corpora.* Omnis enim caro etiam corpus est, non autem omne corpus etiam caro est: primo in istis terrestribus, quoniam lignum corpus est, sed non caro: hominis autem vel pecoris et corpus et caro est: in cœlestibus vero nulla caro, sed corpora simplicia et lucida, quæ appellat Apostolus spiritualia; nonnulli autem vocant ætherea. Et ideo non carnis resurrectioni contradicit illud quod ait, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt;* sed quale futurum sit quod nunc caro et sanguis est, prædicat (*a*). In qualem naturam quisquis hanc carnem converti posse non credit, gradibus ducendus est ad fidem. Si enim ab eo quæras utrum terra in aquam possit converti; propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rursum si quæras utrum aqua possit in aerem; neque hoc absurdum esse respondet; vicina enim sunt sibi. Et de aere si quæratur utrum in æthereum corpus, id est, cœleste possit mutari; jam ipsa vicinitas persuadet. Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, ut terra in corpus æthereum convertatur, cur non accedente Dei voluntate, qua corpus humanum supra aquas potuit ambulare, celerrime id fieri posse, quemadmodum dictum est, *in ictu oculi*, sine ullis talibus gradibus credit, sicut plerumque fumus in flammam mira celeritate convertitur? Caro enim nostra utique ex terra est: philosophi autem, quorum argumentis sæpius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum esse posse terrenum corpus in cœlo, quodlibet corpus in omne corpus converti et mutari posse concedunt. Qua corporis resurrectione facta, a temporis conditione liberati, æterna vita ineffabili charitate atque stabilitate sine corruptione perfruemur[1]. Tunc enim fiet illud quod scriptum est: *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua* (I *Cor.* xv, 39, 40, 50-54)?

25. Hæc est fides quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

(*a*) I Retract. cap. 17.

[1] Aliquot Mss., *corpus a temporis conditione liberatum æterna vita ineffabili charitate perfruetur.*

ADMONITIO
IN LIBRUM DE FIDE ET OPERIBUS.

Ad initium anni 413 referendus est iste liber. In eo enim Augustinus librum de Spiritu et Littera, qui sub anni 412 finem prodiit, a se paulo ante scriptum commemorat capite 14: *Modo*, ait, *de hac quæstione prolixum librum edidi, qui inscribitur, de Littera et Spiritu.* Propterea in Retract. 2 recensito eodem libro de Spiritu et Littera, mox in eum qui de Fide et Operibus est, retractationem subjecit in hæc verba: *Interea missa sunt mihi a quibusdam fratribus.... scripta nonnulla:* ea nimirum quæ refellenda hic suscepit.

Scripta vero illa eruditus Garnerius in append. ad 1 part. Oper. M. Mercatoris, pag. 117, censet non alia fuisse, quam quæ Hieronymus sive in Isaiam edidit, sive in Epistolas Pauli; et sumptas ab Hieronymo arbitratur quæstiones illas tres, quas hic Augustinus, tacito nomine, *præ reverentia*, inquit, *tanti viri*, tractat et refellit. Opinionem hanc nos confirmare non audemus. Nam quod spectat quæstionem primam, quæ est de omnibus citra discrimen admittendis ad Baptismum, ita ut adulteri nec ipsi repellantur noti ac pertinaces, qui vitam mutare nolunt, nihil in Hieronymo consentaneum huic errori deteximus. Ad secundam vero quæstionem, qua perversum ac præposterum dicebatur, prius morum Christianorum doctrinam tradere, ac deinde baptizare; id posset facile pertrahi quod Hieronymus in Matth. cap. 28 scripsit: *Ordo præcipuus jussit Apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento, et post fidem ac Baptisma, quæ essent observanda præciperent.* Quanquam forte pius interpres minime curabat ne Baptismo præmitteretur, sed tantum ne omnino prætermitteretur morum doctrina, tradenda certe vel post Baptismum, et baptizatis observanda. Pro tertia demum quæstione, quæ fuit de baptizatis, etiamsi mores quantumlibet improbos emendare noluerint, per fidem salvandis, profertur illud ex ejus dialogo 1 adversus Pelag.: *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui et diabolum et satellites ejus omnesque impios et prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Et ex Commentariis in Isai. ult., *Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo*, Non est Deus (*Psal.* xiii, 1), *credimus æterna tormenta; sic peccatorum atque impiorum, et tamen christianorum, quorum opera in igne probanda atque purganda sunt, moderatam arbitramur et mixtam clementiæ sententiam judicis.* Hæc tamen theologi alii, et similia si qua sunt loca, eo pacto explicant, ut ab illo errore, qui graviter itidem in Enchiridio, libroque de Civitate Dei 21 confutatur, defendant Hieronymum. Cui nec nos putamus tribuenda omnia argumenta quæ in præsenti opere diluuntur, et

quidem prætermissa ab Augustino ista Scripturæ testimonia, quibus Hieronymus in Isaiam observat uti eos qui volunt peccatorum aliquando finiri supplicia.

Libri de Fide et Operibus meminit Augustinus in Enchiridio, cap. 67; in libro de octo Quæstionibus Dulcitii, quæst. 1, n. 2; et in epistola 205, ad Consentium, n. 18.

In librum de Fide et Operibus *vide lib* 2, *cap.* 38, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 646, *a verbis*, Interea missa sunt, *usque ad verba*, Quibusdam videtur. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE FIDE ET OPERIBUS

LIBER UNUS (a).

Refellitur error quorumdam triplex, et contra demonstratur : 1, Non omnes indiscrete admittendos ad Baptismum, sicque esse tolerandos in Ecclesia malos, ut non negligatur ecclesiastica disciplina ; 2, Baptizandis non solius fidei, sed vitæ etiam christianæ tradendas esse regulas ; 3, Baptizatos demum, nisi vitam malam mutarint, nunquam ad salutem æternam fide sola perventuros.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Error quorumdam triplex. Omnes ad Baptismum citra discrimen admittendos sentiunt.* Quibusdam videtur indiscrete omnes admittendos esse ad lavacrum regenerationis, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, etiamsi malam turpemque vitam facinoribus et flagitiis evidentissimis notam[1] mutare noluerint, atque in ea se perseveraturos aperta etiam professione declaraverint[2]. Verbi gratia, si quisquam meretrici adhæret, non ei prius præcipiatur ut ab ea discedat, et tunc veniat ad Baptismum, sed etiam cum ea manens mansurumque se confidens[3], seu etiam profitens, admittatur et baptizetur, nec impediatur fieri membrum Christi, etiamsi membrum meretricis esse perstiterit (I *Cor.* VI, 15) : sed postea doceatur quam sit hoc malum, jamque baptizatus de mutandis in melius moribus instruatur. Perversum enim putant atque præposterum, prius docere quemadmodum debeat vivere christianus, et deinde baptizari. Sed censent præcedere debere Baptismi sacramentum, ut deinde sequatur vitæ morumque doctrina : quam si tenere et custodire voluerit, utiliter fecerit; si autem noluerit, retenta fide christiana, sine qua in æternum periret, in quolibet scelere immunditiaque permanserit, salvum eum futurum tanquam per ignem, velut qui ædificaverit super fundamentum quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fenum, stipulam (I *Cor.* III, 11-15) ; id est, non justos castosque mores, sed iniquos et impudicos.

2. *Morum doctrinam censent nonnisi post Baptismum esse tradendam.* Ad hanc autem disputationem videntur impulsi, quod eos moverit[1] non admitti ad Baptismum qui dimissis uxoribus alias duxerint, vel feminas quæ dimissis viris aliis nupserint; quia hæc non conjugia, sed adulteria esse Dominus Christus sine ulla dubitatione testatur (*Matth.* XIX, 9). Cum enim negare non possent esse adulterium, quod Veritas adulterium esse sine ambage confirmat[2], eisque suffragari vellent ad accipiendum Baptismum, quos hujusmodi laqueo ita captos viderent, ut si non admitterentur ad Baptismum, sine ullo sacramento mallent vivere vel etiam mori, quam disrupto adulterii vinculo liberari : humana quadam miseratione commoti sunt ad eorum causam sic suscipiendam, ut omnes cum eis facinorosos et flagitiosos, etiam nulla prohibitione correptos, nulla instructione correctos, nulla pœnitentia mutatos ad Baptismum admittendos esse censerent; existimantes eos, nisi fieret, in æternum esse perituros; si autem fieret, etiam in illis malis perseverantes salvos per ignem futuros.

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Ad emendandum librum de Fide et Operibus, usi sumus codicibus Mss. Vaticanis tribus, et tredecim Gallicanis, uno videlicet bibliothecæ Regiæ, uno Sorbonicæ, alio Augustinianorum majoris conventus Parisiensis, alio collegii Parisiensis Bernardinorum, item alio Ecclesiæ Remensis, Ecclesiæ Laudunensis, abbatiæ Corbeiensis, bibliothecæ S. Audoeni, Metensis S. Arnulphi, S. Michaelis in periculo maris, Casalis Benedicti, Divionensis S. Benigni, et Cisterciensis. Adhibuimus etiam lectiones variantes a Lovaniensibus decerptas ex Mss. tribus Belgicis; necnon antiquiores editiones Am. Er. et Lov., id est, Joannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, et Theologorum Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Unus e Vaticanis Mss., *deditam.*
[2] Sic Mss. At editi, *aperta etiam confessione declaraverint.*
[3] Am. et Er., *manens mansurusque confidens.* Lov., *manens mansurumque se confitens.*
(a) Scriptus circa initium anni 413.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *noverint.*
[2] Plerique Mss., *sine ambiguitate.*

CAPUT II. — 3. *Propter fidem christianam salvandos esse baptizatos, etiamsi mores quantumlibet malos non correxerint. Mali in Ecclesia sic tolerandi, ut non omittatur correptio et disciplina.* Quibus respondens, hoc primum dico, ne quis ea testimonia Scripturarum, quæ commixtionem bonorum et malorum in Ecclesia vel præsentem indicant, vel futuram prænuntiant, sic accipiat, ut disciplinæ severitatem sive diligentiam solvendam omnino atque omittendam, non illis edoctus Litteris, sed sua opinatione deceptus existimet. Neque enim, quia illam primi populi permixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicavit. Et Phinees sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit (*Num.* xxv, 5-8). Quod utique degradationibus et excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. Nec, quia beatus Apostolus inter falsos fratres tolerantissime congemiscit (II *Cor.* xi, 26), et quosdam etiam diabolicis invidentiæ stimulis agitatos, Christum tamen prædicare permittit (*Philipp.* i, 15-18); ideo parcendum censet illi qui uxorem patris sui habuit; quem præcipit congregata Ecclesia tradendum satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu (I *Cor.* v, 1-5): aut ideo ipse alios non tradidit satanæ, ut discerent non blasphemare (I *Tim.* i, 20): aut frustra dicit, *Scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exire: nunc autem scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum hujusmodi nec cibum quidem sumere. Quo enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? De his autem qui foris sunt Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis* (I *Cor.* v, 9-13). Ubi quidem aliqui id quod dictum est, *ex vobis ipsis*, ita intelligunt, ut ex se ipso unusquisque auferat malum, hoc est, ut ipse sit bonus. Sed utrolibet modo intelligatur, sive ut severitate Ecclesiæ mali excommunicationibus corripiantur, sive ut se quisque corripiendo et corrigendo a se ipso auferat malum; illud tamen quod supra dictum est, non habet ambiguitatem, ubi præcipit non commisceri eis fratribus qui in aliquo supra dicto vitio nominantur, id est, noti famosique sunt.

CAPUT III. — *Quo animo peccantes corripiendi. Domini præceptum de corrigendis malis.* Quo autem animo et qua charitate misericors ista severitas adhibenda sit, non solum eo loco ubi ait, *ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu*; sed alibi quoque evidenter ostendit dicens, *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo, ut erubescat; et non ut inimicum existimetis, sed corripite ut fratrem* (II *Thess.* iii, 14, 15).

4. Et ipse Dominus exemplum singulare patientiæ, qui etiam in duodecim Apostolis usque ad passionem diabolum pertulit; et qui ait, *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne forte dum vultis colligere zizania, simul eradicetis et triticum* (*Matth.* xiii, 29, 30); retiaque illa in similitudine Ecclesiæ usque ad littus, hoc est usque ad sæculi finem, bonos et malos pisces habitura prædixit; et cætera, si qua de permixtione bonorum et malorum sive aperte sive per similitudines locutus est: non ideo tamen omittendam censuit Ecclesiæ disciplinam; imo vero admonuit adhibendam, quando ait: *Attendite vobis; si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si audierit te, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit te, assume tecum unum vel duos, ut in ore testium duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Deinde ipsius severitatis terrorem gravissimum adjecit etiam eo loco, dicens: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo, et quæ ligaveritis in terra, ligata erunt et in cœlo* (*Id.* xviii, 15-18). Prohibet etiam sanctum dari canibus (*Id.* vii, 6). Nec contrarius est Apostolus Domino, quia dicit, *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant* (I *Tim.* v, 20); cum ille dicat, *Corripe eum inter te et ipsum.* Utrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diversitas admonet eorum quos utique non perdendos, sed corrigendos curandosque suscepimus; et alius sic, alius autem sic sanandus est. Ita etiam est ratio dissimulandi et tolerandi malos in Ecclesia: et est rursus ratio castigandi et corripiendi, non admittendi vel a communione removendi.

CAPUT IV. — 5. *Errores non servantium modum in Scripturis intelligendis. Donatistarum errori alius error contrarius ex Scripturis perperam acceptis.* Errant autem homines, non servantes modum; et cum in unam partem procliviter ire cœperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, et in ea quæ ex utrisque temperata est veritate ac moderatione consistere: nec in hac re tantum, de qua nunc quæstio est, sed etiam in aliis multis. Nam quidam intuentes divinarum testimonia Litterarum, quibus unus Deus colendus insinuatur, eumdem Patrem qui est Filius, sanctumque Spiritum putaverunt; alii rursus veluti morbo contrario laborantes, cum attenderent ea quibus Trinitas declaratur, nec valerent intelligere quomodo sit unus Deus, cum et Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater, nec Spiritus sanctus aut Filius aut Pater, diversitates etiam substantiarum asserendas putaverunt. Quidam intuentes in Scripturis sanctæ virginitatis laudem, connubia damnaverunt: quidam rursus ea testimonia consectantes quibus casta conjugia prædicantur, virginitatem nuptiis æquaverunt. Quidam cum legerent, *Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum* (*Rom.* xiv, 21), et nonnulla similia; creaturam Dei et, quas voluerunt, escas immundas esse senserunt: quidam vero legentes, *Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* iv, 4), in voracitatem vinolentiamque collapsi sunt; non sibi valentes auferre vitia, nisi eis e contrario vel tanta vel majora succederent.

6. Sic etiam in hac causa, quæ habetur in manibus, quidam intuentes præcepta severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut ethnicum habere Ecclesiæ contemptorem, a compage corporis membrum quod scandalizat avellere; ita perturbant Ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare zizania, atque hoc errore cæcati ipsi potius a Christi unitate separentur. Qualis nobis causa est adversus schisma Donati. Et hoc non cum illis qui noverunt Cæcilianum, non veris, sed calumniosis criminibus appetitum, et perniciosam sententiam suam mortifero pudore non deserunt; sed cum illis quibus dicimus : Etiamsi mali fuissent propter quos in Ecclesia non estis, vos tamen eos ferendo quos emendare aut segregare minime poteratis, in Ecclesia permanere debuistis. Quidam vero e contrario periclitantes, cum bonorum malorumque commixtionem in Ecclesia demonstratam vel prædictam esse perspexerint, et patientiæ præcepta didicerint (quæ ita nos firmissimos reddunt, ut etiam si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediatur aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus), destituendam putant Ecclesiæ disciplinam [1], quamdam perversissimam securitatem præpositis tribuentes, ut ad eos non pertineat nisi dicere quid cavendum quidve faciendum sit, quodlibet autem quisque faciat non curare.

CAPUT V.—7. *Sana doctrina est ut nec propter malos recedatur ab Ecclesia, nec in malos ipsos negligatur disciplina.* Nos vero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utrisque testimoniis vitam sententiamque moderari [2], ut et canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, et canibus sanctum, ubi pax Ecclesiæ tuta est, non demus. Cum ergo sive per negligentiam præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in Ecclesia malos, quos ecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus; tunc (ne ascendat in cor nostrum impia et perniciosa præsumptio, qua existimemus nos ab his esse separandos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur veluti mundos sanctosque discipulos, ab unitatis compage quasi a malorum consortio segregatos) veniant in mentem illæ de Scripturis similitudines et divina oracula vel certissima exempla, quibus demonstratum et prænuntiatum est, malos in Ecclesia permixtos bonis usque in finem sæculi tempusque judicii futuros, et nihil bonis in unitate ac participatione Sacramentorum qui eorum factis non consenserint obfuturos. Cum vero eis per quos Ecclesia regitur, adest salva pace Ecclesiæ potestas disciplinæ adversus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus, ne socordia segnitiaque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad severitatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, ut gressus nostros in via Domini ex utrisque testimoniis illo duce atque adjutore dirigentes [1], nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæviamus.

CAPUT VI. — 8. *Ad Baptismum an admittendus adulter et peccator non correctus. An præcepta bene vivendi non prius tradenda quam Baptismus.* Hac ergo secundum sanam doctrinam moderatione servata, videamus unde agitur, id est, utrum ad percipiendum Baptismum sic admittendi sunt homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur; usque adeo ut nec apertissimi adulterii perpetratores et ejus perseverantiæ professores a Sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi : quo sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis et veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos. Quo modo igitur ad illa sancta recusans correctionem adulter admittitur, quo recusans observationem non admittitur conjugatus?

9. Sed prius, inquiunt, baptizetur; deinde doceatur quid ad bonam vitam moresque pertineat. Fit hoc ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat; ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat a reatu præteritorum omnium peccatorum. Si autem sanus petit, spatiumque discendi est, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat quemadmodum fidelis fieri ac vivere debeat, quam illud cum attentiore animo atque ipsa religione suspenso saluberrimæ fidei Sacramentum petit? An usque adeo dissimulamus a sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur quam fuerimus attenti atque solliciti quid nobis præciperent a quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur; vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo studio ferveant, qua cura pendeant? Si tunc tempus non est discendi [2], quæ vita congruat tanto, quod accipere desiderant, Sacramento; quando erit? An vero cum acceperint, in tantis criminibus permanentes etiam post Baptismum, non novi homines, sed rei veteres? ut videlicet perversitate mirabili prius eis dicatur, Induite hominem novum; et cum induti fuerint, postea dicatur, Exuite veterem : cum Apostolus sanum ordinem tenens dicat, *Exuite veterem, et induite novum* (*Coloss.* III, 9, 10); et ipse Dominus clamet, *Nemo assuit pannum novum vestimento veteri, et nemo mittit vinum novum in utres veteres.* (*Matth.* IX, 16, 17). Quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum et nomen tenent, nisi ut audiant quæ fides et qualis vita debeat esse christiani; ut cum se ipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducent, et de calice bibant? Quoniam *qui manducat et bibit indigne, judi-*

[1] Ita Mss. Editi autem, *instituendam putant esse et Ecclesiam et disciplinam.*

[2] Am. et Er., *tutam sententiam moderari.*

[1] Mss., *atque utore.*

[2] Mss., *dicendi.*

cium sibi manducat et bibit. (I *Cor.* XI, 28, 29.) Quod autem fit per omne tempus, quo in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes catechumenorum gradus excipiat [1]; hoc fit multo diligentius et instantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum Baptismum sua nomina jam dederunt.

CAPUT VII. — 10. *Virgo quæ nesciens nupsit alieno viro, an censenda sit adultera. Apostolorum exemplo et litteris nil juvari qui volunt baptizandos de sola fide, baptizatos vero de moribus admonendos.* Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera: si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum, tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur. Absit ergo ut sensu plane non humano, sed plane vano sic doleamus cum flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur: maxime in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (*Psal.* XLVII, 2, 3), hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere; quod in republica tunc Romana, non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur (*Plutarch. in Catone minore*). Neque hinc diutius modo disputare opus est, cum et illi quibus respondeo non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque negent esse adulterium, ne ipsi Domino sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere. Sed cum eis placet primum admittendos esse tales ad percipiendum Baptismi sacramentum et ad Dominicam mensam, etiamsi correctionem voce manifestissima recusaverint; imo vero nihil eos de hac re prorsus admoneri oportere, sed postea doceri; ut si præcepti observationem receperint, culpamque correxerint, habeantur in tritico; si autem contempserint, inter zizania tolerentur: satis ostendunt non se crimina ista defendere, aut quasi levia vel nulla sint agere. Quis enim adulterium bonæ spei christianus nullum seu parvum crimen existimet?

11. Ordinem tamen quo hæc in aliis vel corrigantur vel ferantur, de Scripturis sanctis se proferre arbitrantur, cum dicunt Apostolos sic egisse; et de Litteris eorum quædam testimonia proferunt, ubi reperiuntur prius insinuasse doctrinam fidei, ac deinde morum tradidisse præcepta. Atque hinc intelligi volunt, fidei tantummodo regulam baptizandis esse insinuandam [2], postea vero jam baptizatis etiam vitæ in melius mutandæ præcepta tradenda: quasi aliquas Apostolorum Epistolas legant ad eos qui baptizandi sunt datas, ubi de sola fide disputaverunt, et alias ad baptizatos, quibus præcepta de malis cavendis bonisque instituendis moribus continentur. Cum igitur eos ad Christianos jam baptizatos dedisse Litteras constet, cur utroque sermone contextæ sunt, et eo scilicet qui ad fidem, et eo qui ad vitam bonam pertinet? An forte jam placet ut baptizandis utrumque non demus, et baptizatis utrumque reddamus? Quod si absurde dicitur, ergo fateantur Apostolos doctrinam suam ex utroque perfectam suis Epistolis indidisse; sed propterea plerumque insinuasse prius fidem, ac deinde quod ad vitam bonam pertinet subjecisse, quia et in homine ipso nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit. Quidquid enim homo veluti recte fecerit, nisi ad pietatem quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet. Quod si arbitrarentur aliqui stulti et nimis imperiti Apostolorum Epistolas ad catechumenos datas, profecto etiam ipsi faterentur, nondum baptizatis præcepta morum qui fidei congruant, simul cum fidei regulis intimanda: nisi forte ad hanc necessitatem sua nos isti disputatione compellunt, ut primas partes Epistolarum apostolicarum ubi de fide loquuntur, catechumenis legendas velint; posteriores autem fidelibus, ubi jam præcipitur quemadmodum Christiani vivere debeant. Quod si stultissimum est dicere; nullum ergo documentum est hujus opinionis ex Epistolis Apostolorum, cur ideo arbitremur baptizandos de sola fide, baptizatos autem de moribus admonendos, quia illi primis partibus Litterarum suarum commendaverunt fidem, ac postea consequenter ut bene a fidelibus viveretur hortati sunt. Quamvis enim illud prius, hoc posterius, sæpissime tamen una contextione sermonis utrumque catechumenis, utrumque fidelibus, utrumque baptizandis, utrumque baptizatis, sive ut instruantur, sive ne obliviscantur, sive ut profiteantur, sive ut confirmentur, doctrina sanissima et diligentissima prædicandum est. Epistolæ itaque Petri, Epistolæ Joannis, de quibus quædam testimonia commemorant, addant et Pauli et aliorum Apostolorum; ea ratione accipiendum est quod advertebunt prius de fide ac postea de moribus dici, quam, nisi fallor [1], apertissime exposui.

CAPUT VIII. — 12. *A Petro non sola fides, sed et pœnitentia baptizandis prædicata. Pœnitentia indicta, non solius infidelitatis, sed vitæ veteris mutandæ in novam.* Sed in Actibus Apostolorum Petrus, inquiunt, sic allocutus est illos qui verbo audito baptizati sunt uno die tria millia, ut eis solam fidem, qua in Christum crederent, prædicaret. Qui cum dixissent, *Quid faciemus?* respondit eis, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Cur ergo non advertunt quod dictum est, *Agite pœnitentiam?* Ibi est enim vitæ veteris exspoliatio, ut nova induantur qui baptizantur. Cui autem fructuosa est pœnitentia, quæ agitur de mortuis operibus, si in adulterio perseveret aliisque sceleribus, quibus dilectio mundi hujus involvitur?

[1] Editi, *accipiunt.* Concinnius Mss., *excipiat*: ipse scilicet gradus catechumenorum eos qui ad Christi nomen accedunt.

[2] Sic Mss. At editi, *intimandam.*

[1] Editi, *quod, nisi fallor.* At Mss., *quam, nisi fallor.* Subaudi, rationem.

13. Sed infidelitatis, inquiunt, tantummodo, qua in Christum non crediderunt, eos volunt agere pœnitentiam. Mira præsumptio (nolo quidquam gravius dicere), quando eo audito quod dictum est, *Agite pœnitentiam*, solius infidelitatis acta dicitur, cum vita mutanda ex vetere in novam doctrina evangelica traderetur, ubi utique et illud est quod in ea sententia ponit Apostolus, *Qui furabatur, jam non furetur* (*Ephes.* IV, 28); et cætera, quibus exsequitur quid sit deponere veterem hominem et induere novum. In his autem ipsis verbis Petri habent unde admoneri potuissent, si diligenter attendere voluissent. Cum enim dixisset, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Nobis enim hæc est promissio et filiis nostris, et omnibus qui sunt longe quoscumque advocaverit Dominus Deus noster*; continuo subjecit qui librum scripsit, atque ait: *Et cæteris verbis pluribus testificabatur, dicens, Eripite vos a sæculo hoc pravo. At illi avidissime capientes exceperunt verba, et crediderunt, et baptizati sunt; et adjectæ sunt illa die tria millia animæ* (*Act.* II, 38-41). Quis hic non intelligat, cæteris pluribus verbis, quæ a scriptore propter longitudinem reticentur, id egisse Petrum, ut eriperent se ab hoc sæculo pravo; quandoquidem ipsa sententia breviter indita est, cui persuadendæ verbis pluribus Petrus instabat. Ipsa quippe summa posita est, cum dictum est, *Eripite vos a sæculo hoc pravo*. Verbis autem pluribus, ut hoc fieret, testificabatur Petrus. In his verbis erat mortuorum operum condemnatio, quæ nequiter agunt hujus sæculi dilectores, et commendatio vitæ bonæ, quam teneant atque sectentur qui se ab hoc pravo sæculo eripiunt. Jam itaque, si placet, affirmare conentur, cum se eripere ab hoc sæculo pravo, qui tantummodo credit in Christum, etiamsi in flagitiis quibus voluerit perseveret usque ad professionem adulterii. Quod si dicere nefas est, audiant baptizandi non solum quid credere debeant, sed etiam quemadmodum se ab hoc pravo sæculo eripiant. Ibi enim necesse est ut audiant quemadmodum credentes vivere debeant.

CAPUT IX. — 14. *Spadonis post fidei professionem statim baptizati exemplo male uti adversarios.* Spado, inquiunt, ille quem Philippus baptizavit, nihil plus dixit, quam, *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*; et in hac professione continuo baptizatus est. Num ergo placet ut hoc solum homines respondeant, et continuo baptizentur? nihil de Spiritu sancto, nihil de sancta Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum, postremo de ipso Domino Jesu Christo nihil nisi quia Filius Dei est, non de incarnatione ejus ex virgine, non de passione, de morte crucis, de sepultura, de tertii diei resurrectione, de ascensione ac Sede ad dexteram Patris aliquid dicendum est catechizanti, ac profitendum credenti? Si enim Spado cum respondisset, *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*, hoc ei sufficere visum est, ut continuo baptizatus abscederet; cur non id sequimur? cur non imitamur, atque auferimus cætera quæ necesse habemus, etiam cum ad baptizandum temporis urget angustia, exprimere interrogando, ut baptizandus ad cuncta respondeat, etiamsi ea memoriæ mandare non vacavit [1]? Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda dimisit cætera, quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo quod ait, *Baptizavit eum Philippus* (*Act.* VIII, 35-38), intelligi volunt impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda; pari modo etiam in eo quod scriptum est evangelizasse Philippum Spadoni Dominum Jesum, nullo modo dubitandum est et illa in catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresque pertinent ejus qui credit in Dominum Jesum. Hoc est enim evangelizare Christum, non tantum dicere quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ observanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi: imo vero cuncta dicere quæ sunt credenda de Christo, non solum cujus sit filius, unde secundum divinitatem, unde secundum carnem genitus, quæ perpessus et quare, quæ sit virtus resurrectionis ejus, quod donum Spiritus promiserit dederitque fidelibus; sed etiam qualia membra, quibus sit caput, quærat, instituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam honoremque perducat. Hæc cum dicuntur, aliquando brevius atque constrictius, aliquando latius et uberius, Christus evangelizatur; et tamen non solum quod ad fidem, verum etiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur.

CAPUT X. — 15. *Locus Pauli se nihil scire præter Christum Jesum profitentis. Præcepta duo de dilectione Dei et proximi male referri, alterum ad baptizandos, alterum ad baptizatos.* Hoc intelligi potest etiam in eo quod commemorant dixisse apostolum Paulum, *Nihil me duxi scire in vobis, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (I *Cor.* II, 2). Quod illi putant ita dictum, tanquam nihil aliud eis insinuatum esset; ut primitus [2] crederent, ac deinde baptizati quidquid ad vitam moresque pertinet discerent. Hoc inquiunt, Apostolo satis superque suffecit, qui eis dixit quod et si multos pædagogos haberent in Christo, sed non multos patres, quia eos in Christo Jesu per Evangelium ipse genuisset (*Id.* IV, 15). Si ergo ille qui per Evangelium genuit, quamvis gratias agat quod neminem ipsorum baptizaverit nisi Crispum et Gaium, et Stephanæ domum (*Id.* I, 14, 16), nihil eos amplius docuit quam Christum crucifixum; quid si dicat aliquis, nec resurrexisse Christum eos audisse, quando per Evangelium geniti sunt? Unde est igitur quod eis dicit, *Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas* (*Id.* XV, 3, 4), si nihil nisi crucifixum docuerat? Si autem non ita intelligunt, sed hoc quoque ad Christum crucifixum pertinere con-

[1] Editi, *memoriæ mandare non valuit;* et paulo post, *intelligenda admisit.* Melius Mss., *non vacavit..... intelligenda dimisit.*

[2] Editi, *nisi ut primitus.* Abest, *nisi*, a Mss.

tendunt [1]; sciant in Christo crucifixo multa homines discere, et maxime quod *vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato* (*Rom.* VI, 6): unde etiam de se ipso dicit, ***Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*** (*Galat.* VI, 14). Proinde attendant, et videant quemadmodum doceatur atque discatur Christus crucifixus, et ad ejus crucem noverint pertinere quod etiam nos in ejus corpore crucifigimur mundo; ubi intelligitur omnis coercitio malarum concupiscentiarum: ac per hoc fieri non potest ut eis qui cruce Christi formantur [2], professa adulteria permittantur. Nam et apostolus Petrus de sacramento ipsius crucis, hoc est passionis Christi, admonet, ut qui ea consecrantur peccare desinant, ita loquens: *Christo ergo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini*; ***quia qui mortuus est carne, desiit peccare, ut jam non hominum desideriis, sed voluntate Domini Dei reliquum in carne vivat*** (I *Petr.* IV, 1, 2); et cætera, quibus consequenter ostendit, eum pertinere ad Christum crucifixum, hoc est, per carnem passum, qui in ejus corpore crucifixis [3] carnalibus desideriis bene vivit per Evangelium.

16. Quid, quod etiam duo illa præcepta, in quibus Dominus ait totam Legem Prophetasque pendere, huic suæ opinioni suffragari arbitrantur? et sic ea commemorant, ut quoniam primum præceptum dictum est, ***Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo***, *et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Matth.* XXII, 37-40); primum credant pertinere ad baptizandos [4], ubi dilectio Dei præcipitur, secundum autem ad baptizatos, ubi videntur esse mores conversationis humanæ: sic obliti quod scriptum est, *Si fratrem tuum quem vides non diligis, Deum* ***quem non vides quomodo diligere poteris*** (I *Joan.* IV, 20)? et illud aliud in eadem Epistola Joannis, ***Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in illo*** (*Id.* II, 15). Quo autem pertinent omnia flagitia morum malorum, nisi ad mundi hujus dilectionem? Ac per hoc illud primum præceptum, quod ad baptizandos pertinere arbitrantur, sine bonis moribus observari nullo pacto potest. Nolo pluribus immorari: nam diligenter considerata ista duo præcepta, ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit proximum, nec dilectio proximi, si non diligit Deum. Sed ad rem quæ nunc agitur, quod de his duobus præceptis diximus sufficit.

CAPUT XI. — 17. *Objectio, quod Israelitæ prius mare transierint et post legem acceperint.* At enim populus Israel primum per mare Rubrum ductus est, quo significatur Baptismus; et postea legem accepit, ubi disceret quemadmodum viveret. Cur ergo baptizandis vel Symbolum tradimus, reddendumque reposcimus? Nihil enim tale factum est erga illos quos per mare Rubrum Deus ab Ægyptiis liberavit. Si autem recte intelligunt hoc significari præcedentibus mysteriis de sanguine ovis postibus illito, et de azymis sinceritatis et veritatis (*Exod.* XII-XIV); cur non etiam illud consequenter intelligunt, ipsam ab Ægyptiis separationem significare discessionem a peccatis, quam baptizandi profitentur? Ad hoc enim pertinet quod a Petro dictum est, ***Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi:*** tanquam diceret, Recedite ab Ægypto, et per mare Rubrum transite. Unde et in Epistola quæ ad Hebræos inscribitur, cum eorum qui baptizantur commemorarentur initia, posita est ibi pœnitentia a mortuis operibus. Sic enim dicit: ***Ideo remittentes initia Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ a mortuis operibus, et fidei in Deum, lavacri doctrinæ, impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum et judicii æterni*** (*Hebr.* VI, 1, 2). Hæc igitur omnia pertinere ad initia neophytorum satis aperteque Scriptura testatur. Quid est autem a mortuis operibus pœnitentia, nisi ab his quæ oportet mortificari, ut vivamus? quæ si adulteria fornicationesque non sunt, quid jam inter opera mortua nominandum est? Sic autem non sufficit professio recessionis a talibus, nisi etiam lavacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut persequuntur, peccata deleantur, sicut non suffecit Israelitis recedere ab Ægypto, nisi ea quæ insequebatur hostium multitudo ejusdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo transituro liberandoque patuerunt. Qui ergo profitetur ab adulterio nolle se mutare, quomodo per mare Rubrum ducetur, cum ab Ægypto adhuc recuset abscedere? Deinde non attendunt in ea lege, quæ post transitum maris Rubri illi populo data est, primum esse præceptum, ***Non erunt tibi alii dii præter me. Non facies tibi idola, neque ullum simulacrum, quæcumque in cælo sunt sursum***, *et quæcumque in terra deorsum, et quæcumque in aqua et sub terra; non adorabis ea, neque servies eis* (*Exod.* XX, 4, 5); et cætera ad hoc præceptum pertinentia. Affirment itaque isti, si volunt, contra ipsam suam assertionem, etiam de unius Dei cultu cavendaque idololatria, non adhuc baptizandis, sed jam baptizatis esse prædicandum: et non jam dicant, eis qui Baptismum percepturi sunt, fidem tantum quæ in Deum est intimandam, et post ejus Sacramenti perceptionem de moribus vitæ tanquam de secundo præcepto eos quod ad dilectionem proximi pertinet instruendos. Utrumque enim lex continet, quam post mare Rubrum tanquam post Baptismum populus accepit; nec ita facta est distributio præceptorum, ut ante illius maris transitum de cavenda idololatria plebs doceretur, et posteaquam transierunt, audirent honorandum patrem et matrem, non mœchandum, non occidendum, et cætera bonæ atque innocentis conversationis humanæ.

[1] Sic Mss. At editi, *concedunt*.

[2] Lov., *in cruce Christi informantur*. Abest, *in*, ab editis aliis et a Mss., quorum præcipui loco, *informantur*, habent, *formantur*.

[3] Lov., *crucifixus*. Emendatur ex editis aliis et Mss.

[4] Editi, *primum pertinere ad baptizandum*, omisso verbo, *credant*, quod restituitur ex Mss.

CAPUT XII. — 18. *Incommodum grave in adversa sententia.* Si ergo ita quisque veniat ad sancti lavacri petitionem, ut profiteatur se ab idolorum sacrificiis non recessurum, nisi forte postea quando placuerit, Baptismum tamen jam jamque deposcat, templumque Dei vivi se fieri flagitet, non solum cultor idolorum, verum etiam in aliquo tam nefario sacerdotio [1] perseverans; quæro ab istis utrum eum faciendum vel catechumenum censeant: quod procul dubio fieri non debere clamabunt. Neque enim aliud de illorum corde sentiendum est. Reddant itaque rationem secundum testimonia Scripturarum, quæ sic intelligenda putant, quo modo huic audeant contradicere, nec admittendum esse confirment reclamantem atque dicentem: Didici et veneror Christum crucifixum, credo Filium Dei esse Christum Jesum; non me ultra differas, nihil amplius jam requiras. Quos per Evangelium generabat Apostolus, nihil eos nosse tunc amplius quam Christum crucifixum volebat; post vocem Spadonis, qua se credere Jesum Christum Filium Dei esse respondit, continuo Philippus eum baptizare non distulit: quid me ab idolorum cultu prohibes, nec ad sacramentum Christi admittis, priusquam inde discessero? Illud a pueritia didici, consuetudine ibi gravissima premor: faciam cum potuero, cum commodum fuerit; quod etsi non faciam, non tamen sine Christi sacramento hanc vitam finiam, ne Deus exigat animam meam de manibus tuis. Quid huic respondendum existimant? An placet ut admittatur? Absit: nullo modo crediderim in tantum eos progredi. Quid ergo respondebunt hæc dicenti, et addenti quod nihil sibi de idololatria relinquenda saltem dici debuit ante Baptismum, sicut nihil inde ante mare Rubrum populus ille primus audivit, quoniam lex hoc habet, quam ex Ægypto jam liberatus accepit. Profecto dicturi sunt homini: Templum Dei futurus es, cum Baptismum acceperis; dicit autem Apostolus, *Quæ compositio templo Dei cum idolis* (II *Cor.* VI, 16)? Quare ergo non vident similiter esse dicendum: Membrum Christi futurus es, cum acceperis Baptismum; non possunt membra Christi esse membra meretricis? Quia et hoc Apostolus dicit: qui et alio loco, *Nolite*, inquit, *errare; neque fornicatores*, *neque idolis servientes*, et cætera quæ illic enumerat, *regnum Dei possidebunt.* Cur ergo ad Baptismum idolis servientes non admittimus, et fornicatores admittendos putamus, cum et his et cæteris malis dicat, *Et hæc quidam fuistis*, *sed abluti estis*, *sed sanctificati estis*, *sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi et in spiritu Dei nostri* (I *Cor.* VI, 15, 9, 10, 11)? Quid igitur causæ est ut cum potestas pateat utrumque prohibendi, venientem ad Baptismum permittam fornicarium permanere, et non permittam idolis servientem; cum et illis et illis dici audiam, *Et hæc quidam fuistis*, *sed abluti estis?* Sed eo moventur isti, quia putant esse in tuto salutem eorum, quamvis per ignem, qui in Christum crediderint, Sacramentumque ejus acceperint, id est baptizati fuerint, etiamsi morum corrigendorum ita negligentes sint, ut nequiter vivant. Unde mox videbo, si Deus juverit, quid secundum Scripturas sentiendum sit.

CAPUT XIII. — 19. *Baptizandis præcepta morum a Joanne tradita. Ad consequendam vitam æternam præcepta servari jussit Christus.* Nunc in hac quæstione adhuc versor, in qua eis videtur baptizatos admonendos esse de moribus ad christianam vitam pertinentibus, baptizandis autem solam insinuandam fidem. Quod si ita esset, præter tam multa quæ diximus, non Joannes Baptista venientibus ad baptismum suum diceret, *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* (*Matth.* III, 7, 8); et cætera, quæ utique non de fide, sed de bonis operibus admonet. Unde et militibus dicentibus, *Quid faciemus?* non dixit, Interim credite et baptizamini, post audietis quid facere debeatis; sed ante dixit, ante præmonuit, ut venturo Domino in cor eorum tanquam præcursor mundaret viam: *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Similiter publicanis quærentibus quid facere deberent, *Nihil amplius* inquit, *exigatis præter quam constitutum est vobis* (*Luc.* III, 12-14). His breviter commemoratis, Evangelista (non enim totos catechismos inserere debuit) satis significavit pertinere ad eum a quo baptizandus catechizatur, docere et monere de moribus. Quod si respondissent Joanni, Prorsus non faciemus fructus dignos pœnitentiæ, calumniaturi sumus, concussuri sumus, ea quæ nobis non debentur exacturi sumus, et nihilominus eos post hanc professionem baptizaret; nec sic tamen dici posset, unde modo quæstio est, non esse temporis cum quisque baptizandus est, ut prius illi sermo fiat quemadmodum vitam bonam agere debeat.

20. Quid ipse Dominus, ut alia omittam, cum ab eo dives ille quæreret quid boni faceret ut vitam æternam consequeretur; recolant quid responderit: *Si vis venire*, inquit, *ad vitam*, *serva mandata.* At ille, *Quæ?* Tunc Dominus commemoravit præcepta Legis, *Non occides*, *Non mœchaberis*, et cætera. Ubi cum ille respondisset hæc se fecisse a juventute sua, addidit etiam perfectionis præceptum, ut venditis suis omnibus et in pauperum eleemosynas erogatis haberet thesaurum in cœlo, et eumdem Dominum sequeretur (*Matth.* XIX, 17-21). Videant igitur non ei dictum esse ut crederet et baptizaretur, quo solo adjutorio putant isti venire hominem ad vitam; sed morum præcepta homini data, quæ utique sine fide custodiri observarique non possunt. Nec tamen quia hic de insinuanda fide Dominus videtur tacuisse, præscribimus nos atque contendimus, morum tantummodo præcepta dicenda esse hominibus ad vitam pervenire cupientibus. Utraque enim mutuo connexa sunt, sicut ante dixi; quia neque dilectio Dei potest esse in homine qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo qui non diligit Deum. Ideo aliquando alterum sine altero, sive

[1] Sic melioris notæ Mss. Quidam addunt, *sacrilego*: alii autem pro, *sacerdotio*, habent, *scelere*. At editi, *sacrilegio*.

illud, sive illud, pro plena doctrina invenitur Scriptura commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse : quia et qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus; et qui propterea facit quia præcepit Deus, necesse est ut credat Deo.

CAPUT XIV. — 21. *De tertia quæstione : quod fides ad salutem non sufficit sine operibus.* Quamobrem jam illud videamus, quod excutiendum est a cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere fidem putaverint, bene autem vivere et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententiis apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona* (*Rom.* III, 8); quia dixerat, *Lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* (*Rom.* v, 20). Quod ideo verum est, quia legem accipientes homines qui de suis viribus superbissime præsumebant, nec divinum adjutorium vincendarum malarum concupiscentiarum recta fide impetrantes, pluribus gravioribusque delictis etiam lege prævaricata onerati sunt : ac sic magno reatu compellente confugerunt ad fidem, qua misericordiam indulgentiæ mererentur, et auxilium a Domino qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXX, 2); ut diffusa per Spiritum sanctum charitate in cordibus suis (*Rom.* v, 5), cum dilectione agerent quæ contra sæculi hujus concupiscentias juberentur, secundum id quod prædictum fuerat in Psalmo : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt* (*Psal.* XV, 4). Cum ergo dicit Apostolus arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus legis (*Rom.* IV); non hoc agit, ut percepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum. Unde in præsenti opere non opus est latius disputare; præsertim quia modo [1] de hac quæstione prolixum librum edidi, qui inscribitur, de Littera et Spiritu. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ Epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer astruant fidem sine operibus non prodesse : sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt : *Et fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6). Unde illam fidem quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat : *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (I *Cor.* XIII, 1). Ubi autem fidelis charitas operatur [2], sine dubio bene vivitur. *Plenitudo* enim *legis charitas* (*Rom.* XIII, 10).

22. Unde evidenter in secunda Epistola sua Petrus, cum ad vitæ et morum sanctitatem hortaretur, mundumque istum transiturum prænuntiaret, cœlos vero novos et terram novam exspectari, quæ justis inhabitanda traderetur, ut ex hoc attenderent qualiter eos oporteret vivere, ut habitatione illa digni fierent; sciens de apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem, ut tanquam securi de salute quæ in fide est, bene vivere non curarent, commemoravit quædam ad intelligendum difficilia esse in Epistolis ejus, quæ homines perverterent, sicut et alias Scripturas, ad proprium suum interitum : cum tamen et ille apostolus de salute æterna, quæ nisi bene viventibus non daretur, eadem sentiret, quæ cæteri apostoli. Sic itaque Petrus : *His ergo*, inquit, *omnibus pereuntibus, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes ad præsentiam diei Domini, per quam cœli ardentes solventur, et elementa ardore ignis decoquentur? novos vero cœlos et terram novam secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia inhabitat. Quapropter, charissimi, hæc exspectantes satagite inviolati et immaculati apud eum reperiri in pace, et Domini nostri patientiam salutem existimate. Sicut et dilectissimus frater noster Paulus secundum eam, quæ data est illi, sapientiam scripsit vobis, ut et in omnibus Epistolis, loquens in eis de his : in quibus sunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti et instabiles pervertunt, sicut et cæteras Scripturas, ad proprium suum interitum. Vos igitur, amantissimi, præscientes, cavete ne infaustorum* [1] *errore seducti decidatis a corroboratione vestra : crescite vero in gratia et intellectu Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria, et nunc et in diem æternitatis* (II *Petr.* III, 11-18).

23. Jacobus autem tam vehementer infestus est eis qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet, dicens : *Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis; et dæmones credunt, et contremiscunt.* Quid brevius, verius, vehementius dici potuit, cum et in Evangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum Filium Dei confiterentur, et ab illo corriperentur (*Marc.* I, 24, 25), quod in Petri confessione laudatum est (*Matth.* XVI, 16, 17)? *Quid proderit*, ait Jacobus, *fratres mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Dicit etiam, *Quia fides sine operibus mortua est* (*Jacobi* II, 19, 14, 20). Quousque ergo falluntur, qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?

CAPUT XV. — 24. *Locus Apostoli difficilis, male intellectus. Refutatur opinio existimantium fidem sine operibus prodesse ad salutem.* Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia, plane ad intelligendum difficilis, ubi ait : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem*

[1] Sex Mss. in quibus est Corbeiensis ante mille annos descriptus, particulam, *modo*, prætereunt.

[2] Casalinus liber, *Ubi autem fides est et charitas operatur.*

[1] Sic tredecim Mss. At editi, *infaustorum.* Forte pro, *insulsorum*, quod melius respondet Vulgatæ, *insipientium.* Sed in græco textu est, *athesmôn*, *nefariorum.*

superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestabitur. Dies enim[1] *declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus arserit, damnum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem* (I Cor. III, 11-15). Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei quæ in Christo est, bona opera adjiciunt; illi autem fenum, ligna, stipulam, qui cum eamdem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti.

25. Hoc si ita est, fatemur istos laudabili charitate conari ut omnes indiscrete admittantur ad Baptismum, non solum adulteri et adulteræ, contra sententiam Domini falsas nuptias prætendentes; verum etiam publicæ meretrices in turpissima professione perseverantes, quas certe etiam nulla negligentissima Ecclesia consuevit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione liberatas. Sed ista ratione cur non omni modo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eas posito fundamento, licet ligna, fenum et stipulam congerant, aliquanto certe diuturniore igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt illa, quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent: *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum*; et, *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Falsum erit et illud: *Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque fures, neque avari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I Cor. VI, 9, 10). Falsum et illud: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Galat. V, 19-21). Falsa erunt hæc. Si enim tantummodo credant et baptizentur, quamvis in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem: atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Frustra autem dicitur, *Et hæc quidam fuistis*[2], *sed abluti estis* (I Cor. VI, 11); quando et abluti hæc sunt. Inaniter etiam illud a Petro dictum videbitur, *Sic et vos simili forma Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio* (I Petr. III, 21); siquidem et habentes pessimas conscientias omnium flagitiorum et scelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen Baptisma salvos facit propter fundamentum enim quod in eodem Baptismate positum, licet per ignem, salvi erunt. Illud quoque non video cur Dominus dixerit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata*, et commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent (Matth. XIX, 17-19), si etiam his non servatis ad vitam veniri potest per solam fidem quæ *sine operibus mortua est*. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est dicet: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus?* Quos non increpat[1] quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, vitam promitteret æternam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis[2] utebantur, ut appareat eos illi dicturos, *Domine, quando te vidimus illa et illa patientem, et non ministravimus tibi?* qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei in seipsos immisericordes fuerunt; quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo, *Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I Cor. XIII, 3): aut diligat quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam* (Psal. X, 6). Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam[3]: per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem; ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna: cum et hoc prævidens Dominus, tanquam Dominus, sententiam suam ita concluserit, dicens, *Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (Matth. XXV, 32, 33, 41-46). Erit ergo æterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

26. Si ergo hæc omnia, et cætera quæ innumerabilia per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt; poterit verus esse ille intellectus de lignis, feno et stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christum fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista et vera, et clara sunt; procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu, quæ[4] non debent homines pervertere ad proprium suum interitum, ut contra evidentissima testimonia Scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequitiæ suæ per-

[1] Editi, *dies enim Domini*. Abest, *Domini*, a Mss. et a græco textu Apostoli.

[2] Editi, *Et hæc quidem fuistis*. At melioris notæ Mss., *quidam*; juxta græcum, *tines*. Sic olim in latinis Bibliis editionis Vulgatæ, emendatum fuisse liquet ex Luca Brugensi, Lib. de locis Romanæ correctionis jussu Sixti V.

[1] Plerique Mss., *Quibus non increpat*; vel, *increpitat*.

[2] Tres melioris notæ Mss., *pastoribus*.

[3] In Mss. plerisque, *pœnam æternam*. At in editis, *combustionem æternam*.

[4] Mss., *quam*.

tinacissime cohærentes, nec emendando aut pœnitendo mutatos.

CAPUT XVI. — 27. *Locus Apostoli quomodo intelligendus. Alius Apostoli locus frustra ab iis adductus, qui fidem sine operibus salvare docent. Chananææ fides qualis laudata est.* Hic a me fortasse quæratur, de ipsa Pauli apostoli sententia quid ego sentiam, et quonam modo intelligendam putem. Fateor, hinc [1] mallem audire intelligentiores atque doctiores, qui sic eam exponant, ut illa omnia vera et inconcussa permaneant, quæ supra commemoravi, et quæcumque alia non commmemoravi, quibus apertissime Scriptura testatur nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit Apostolus, id est, *quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6); sine operibus autem salvare non posse, neque præter ignem, neque per ignem: quia si per ignem salvat ipsa utique salvat. Absolute autem dictum est et aperte, *Quid prodest, si dicat quis se fidem habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Dicam tamen, quam brevissime potero, etiam ipse quid sentiam de illa sententia Pauli apostoli ad intelligendum difficili; dummodo illud, quod ad meam professionem attinet [2], præcipue teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus est in structura architecti sapientis; hoc expositione non indiget: aperte enim dictum est, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Si autem Christus, procul dubio fides Christi: per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem apostolus dicit (*Ephes.* iii, 17). Porro si fides Christi, illa utique quam definivit Apostolus, *quæ per dilectionem operatur.* Non enim fides illa dæmonum, cum et ipsi credant et contremiscant, et Filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in fundamento. Quare, nisi quia non est fides quæ per dilectionem operatur, sed quæ exprimitur per timorem? Fides itaque Christi, fides gratiæ christianæ, id est, ea fides quæ per dilectionem operatur posita in fundamento neminem perire permittit. Sed quid sit ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, et ligna, fenum, stipulam, si subtilius disserere coner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio: enitar tamen, quantum Dominus adjuvat, et breviter, et quantum potero, dilucide expedire quod sentio. Ecce ille qui quæsivit a magistro bono, quid boni faceret, ut haberet vitam æternam; et audivit, si ad vitam venire vellet, servanda sibi esse mandata: et cum quæreret quæ mandata, dictum est ei, *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem tuam; et, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum.* Hæc faciens in fide Christi, teneret procul dubio fidem quæ per dilectionem operatur. Neque enim diligeret proximum tanquam se ipsum, nisi recepta dilectione Dei, sine qua non diligeret se ipsum. Porro si faceret etiam quod Dominus addidit, dicens, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (*Matth.* xix, 16-21); ædificaret super illud fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: non enim cogitaret, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo; et hæ cogitationes sunt, quantum existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi Porro si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur (alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret), sed propter carnalem, ut dixi, quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset; ædificaret super fundamentum illud ligna, fenum, stipulam: maxime si et uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tanto est quisque securior, quanto ea vel minus amaverit, vel tanquam non habens habuerit. Qui vero propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, et similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquebitur.

28. Quamobrem et illud quod dicunt, veluti probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit, *Quod si infidelis discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater vel soror in hujusmodi* (I *Cor.* vii, 15); id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro christiano, propter hoc quia christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat [1], quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hoc uxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad Baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat. Quemcumque autem in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis sustinebit, hoc est detrimentum quod patietur, hic est ignis per quem feno ardente ipse salvabitur. Si autem jam sic habebat uxorem tanquam non habens, non

[1] Apud Fr. Lugd. Ven. Lov., *hic.* M.
[2] Editi, *quod ad meam promissionem attinet.* Concinnius Mss., *quod ad meam professionem attinet.*

[1] Remensis Ms., *virum agere noverat.*

propter concupiscentiam, sed propter misericordiam, ne forte eam salvam faceret, reddens potius quam exigens debitum conjugale; profecto nec dolebat carnaliter, cum ab illo tale connubium separabatur: neque enim in ea [1] cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo (*Ibid.* 29-34). Ac per hoc in quantum aurum, argentum, et lapides pretiosos illis cogitationibus superædificabat, in tantum detrimentum nullum pateretur, in tantum ejus structura, quæ non erat fenea, nullo incendio cremaretur.

29. Sive ergo in hac tantum vita ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujusce sententiæ. Verumtamen etiam si est alius, qui mihi non occurrit, potius eligendus; istum quamdiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei (I *Tim.* I, 9-11): Si tantummodo in Christum credatis, et sacramentum Baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis.

30. Unde nec illa nobis mulier Chananæa præscribit, quia Dominus ei quod petebat dedit, cum ante dixisset, *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus;* quia ille cordis inspector mutatam vidit, quando laudavit. Et ideo non ait, O canis, magna est fides tua! sed, *O mulier, magna est fides tua* (*Matth.* XV, 26, 28)! Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus; id est, fidem non talem quæ jam per dilectionem posset operari, fidem mortuam, et quod Jacobus dicere minime dubitavit, fidem non Christianorum, sed dæmonum. Postremo si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo et corripiendo redarguit: quoscumque invenerint tantummodo credere, vitam vero inquinatissimam, nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri, ac nolle mutare; sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Chananææ mulieris; non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant membra meretricis. Illud sane non absurde intelligunt, eum peccare in Spiritum sanctum, et esse sine venia reum æterni peccati, qui usque in finem vitæ noluerit credere in Christum: sed si recte intelligerent, quid sit credere in Christum. Non enim hoc est habere dæmonum fidem, quæ recte mortua perhibetur; sed fidem quæ per dilectionem operatur.

CAPUT XVII. — 31. *Argumentum frustra ductum ex parabolis zizaniorum et adductorum ad convivium pro obstinatis in peccato admittendis ad Baptismum Similitudo servi nolentis erogare talentum ad eamdem rem inutilis.* Quæ cum ita sint, quando tales ad Baptismum non admittimus, non ante tempus zizania evellere conamur, sed nolumus insuper, sicut diabolus, zizania seminare; nec ad Christum volentes venire prohibemus, sed eos ad Christum venire nolle, ipsa sua professione convincimus; nec vetamus Christo credere, sed demonstramus eos nolle Christo credere, qui vel adulterium dicunt non esse quod ille adulterium dicit esse, vel credunt adulteros ejus membra posse esse, quos per Apostolum dicit regnum Dei non possidere, et sanæ doctrinæ adversari, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei. Unde non sunt isti inter eos deputandi, qui ad convivium nuptiarum venerunt; sed inter eos qui venire noluerunt. Cum enim ipsi doctrinæ Christi audent apertissime contradicere, et sancto adversari Evangelio, non venientes repelluntur, sed venire contemnunt. Qui autem sæculo saltem verbis, etiamsi non factis, renuntiant, veniunt quidem, et inter triticum seminantur, et in aream congeruntur, et ovibus aggregantur, et retia subeunt, et convivantibus admiscentur; sed intus sive lateant, sive pareant, tunc erit ratio tolerandi si potestas nulla est corrigendi, nec debet esse præsumptio separandi. Absit autem ut sic intelligamus quod scriptum est, ad convivium nuptiarum adductos, *quos invenerunt bonos et malos* (*Matth.* XXII, 2-10), ut eos adduxisse credantur, qui se malos perseveraturos professi sunt. Alioquin ipsi servi patrisfamilias zizania seminaverunt, falsumque erit illud. *Inimicus autem qui ea seminavit, diabolus est* (*Id.* XIII, 39). Sed quia hoc falsum esse non potest, adduxerunt *servi bonos et malos,* sive qui laterent, sive qui jam adducti, et intromissi apparerent; sive *bonos et malos* dictum est secundum quamdam humanam conversationem, in qua etiam ii qui nondum crediderunt, vel laudari vel vituperari solent. Unde est etiam et illud quod Dominus monet discipulos, quos ad Evangelium prædicandum primitus mittit, ut in quamcumque venerint civitatem, quærant quis illic dignus sit, ut apud eum habitent, donec inde proficiscantur (*Id.* X, 11). Profecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suorum civium bonus habebitur? et quis indignus, nisi qui eis malus innotuerit? Ex hoc utroque genere veniunt ad Christi fidem, et sic adducuntur boni et mali: quia et illi mali a mortuis operibus pœnitentiam non recusant. Si autem recusant, non intrare cupientes repelluntur, sed ab introitu ipsi aperta contradictione discedunt.

32. Erit ergo et servus ille securus, nec inter pigros damnabitur, quod dominicum talentum noluerit erogare; quandoquidem illi noluerunt quod erogabat accipere. Propter illos enim hæc similitudo proposita est. (*Id.* XXV, 14-30), qui nolunt suscipere in Ecclesia dispensatoris officium, desidiosam prætendentes excusationem, nolle se rationem reddere de peccatis alienis; qui audiunt et non faciunt, id est, accipiunt et non reddunt. Cum vero dispensator fidelis et diligens, in erogando paratissimus, et

[1] Sic Mss. At editi, *tali conjugio separabitur : neque enim in eo.*

lucrorum dominicorum avidissimus, dicit adultero, Noli esse adulter, si vis baptizari; crede Christo, qui hoc quod facis dicit esse adulterium, si vis baptizari; noli esse membrum meretricis, si vis fieri membrum Christi: ille autem respondet, Non obedio, non facio: ipse non vult veram pecuniam dominicam accipere, sed suam potius adulterinam vult thesauris dominicis importare. Si autem se facturum profiteretur, nec faceret, nec postea quolibet modo corrigi posset; inveniretur quid de illo fieret, ne aliis inutilis esset, qui sibi utilis esse non posset: ut si intra retia Domini bona piscis malus esset, non tamen pisces Domini sui malis retibus irretiret; hoc est, ut si haberet in Ecclesia vitam malam, non tamen illic institueret doctrinam malam. Cum enim tales facta sua talia defendunt, vel in eis se perseveraturos apertissime profitentes admittuntur ad Baptismum; nihil videtur aliud prædicari [1], nisi fornicatores et adulteros etiam usque in vitæ hujus finem in ea nequitia permanentes, regnum Dei possessuros, et merito fidei, quæ sine operibus mortua est, ad vitam æternam salutemque venturos. Hæc sunt mala retia, quæ cavere debent præcipue piscatores: si tamen illa evangelica similitudine piscatores episcopi, vel inferioris ordinis Ecclesiarum præpositi intelligendi sunt; quia dictum est, *Venite, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Retibus enim bonis capi possunt pisces et boni et mali; retibus autem malis capi non possunt pisces boni. Quoniam in doctrina bona et bonus potest esse qui audit et facit, et malus qui audit et non facit: in doctrina vero mala, et qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est; et qui obtemperat, pejor est.

CAPUT XVIII.—33. *Prohiberi pertinaces malos a Baptismo non novum.* Illud sane mirabile est, quod fratres qui aliter sapiunt, cum debeant ab ista vel nova vel vetere, perniciosa tamen opinione discedere, ipsi insuper dicunt novam esse doctrinam, qua nequissimi homines in suis flagitiis se perseveraturos in propatulo profitentes non admittuntur ad Baptismum: quasi nescio ubi peregrinentur, quando meretrices et histriones, et quilibet alii publicæ turpitudinis professores, nisi solutis aut disruptis talibus vinculis, ad christiana sacramenta non permittuntur accedere; qui utique secundum istorum sententiam omnes admitterentur, nisi antiquum et robustum morem sancta Ecclesia retineret, ex illa scilicet liquidissima veritate venientem, qua certum habet, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* V, 19-21, et I *Cor.* VI, 9, 10). Et nisi egerint ab his mortuis operibus pœnitentiam, accedere ad Baptismum non sinuntur: si autem subrepserint, nisi vel postea mutati egerint [2], salvi esse non possunt. Sed ebriosi, avari, maledici, et si qua alia vitia damnabilia apertis factis convinci redarguique non possunt; præceptis tamen et catechismis validissime flagellantur, atque omnes tales mutata in melius voluntate ad Baptismum videntur accedere. Sed si forte adulteros, quos non lex humana, sed divina condemnat, id est, qui alienas uxores tanquam suas habent, vel feminas quæ alienos maritos, alicubi negligentius admitti solere adverterunt; ex illis rectis debent conari ista corrigere, hoc est, ut etiam isti non admittantur; non ex his pravis illa recta depravare, ut neque de morum correctione catechizandos esse censeant Competentes; et consequenter omnes etiam illarum publicarum turpitudinum et scelerum professores, hoc est, meretrices, lenones, gladiatores, ac si quid hujusmodi est, etiam in illis malis permanentes, admitti oportere arbitrentur. Omnia quippe illa quæ Apostolus enumerat, concludens, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt;* qui vehementius agunt, manifestata sibi congruenter increpant [1], et resistentes atque in eis se permansuros profitentes ad accipiendum Baptismum non admittunt.

CAPUT XIX.—34. *Tria flagitia etiam benigniorum hominum consensu mortifera et excommunicatione punienda. Unde factum ut de adulterinis conjugiis non ageretur in catechismis. Matrimonium cum infidelibus.* Qui autem opinantur cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant et excommunicationibus punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Neque nunc opus est quærere qualis sit eorum ista sententia, et utrum corrigenda, an approbanda, ne opus susceptum mittamus in longum propter eam quæstionem, quæ huic absolvendæ [2] minime necessaria est. Sufficit enim, quia si omnia non sunt admittenda ad Baptismi sacramentum, inter hæc omnia est adulterium: si autem tria illa sola excipienda sunt, etiam in his tribus est adulterium, unde ista disputatio nata est [3].

35. Sed quoniam malorum christianorum mores, qui fuerunt antea etiam pessimi, habuisse non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, aut alienis viris feminæ nuberent; inde fortasse apud quasdam Ecclesias negligentia ista subrepsit, ut in catechismis Competentium nec quærerentur nec percuterentur [4] hæc vitia; atque inde factum est, ut inciperent et defendi: quæ tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo non densa [5] faciamus. Talem quippe in quibusdam negligentiam, in aliis imperitiam, in aliis ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi ait: *Cum autem dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania* (*Matth.* XIII, 25). Hinc autem existimandum est non ea primum apparuisse in moribus quamvis malorum christianorum, quoniam beatus Cyprianus in epistola de Lapsis, cum deplorando et arguendo multa commemoraret, quibus merito dicit indignationem Dei fuisse commotam, ut intolerabili

[1] Ita Mss. Editi autem, *nihil videntur aliud prædicare.*
[2] Apud Fr. Lugd. Ven. et Lov., *egerint pœnitentiam.* M.

[1] Plerique Mss., *manifesta sibi congruenter increpant.*
[2] Am. Er. et duo Mss., *absolvendo.*
[3] Sic Mss. Editi vero, *nata est.*
[4] Sic Mss. At editi, *reperenderentur.*
[5] Editi, *defensa.* Erratum corrigunt veteres libri.

persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, hæc ibi omnino non nominat : cum etiam illud non taceat, et ad eosdem mores malos pertinere contineat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, nihil aliud esse asserens, quam prostituere Gentilibus membra Christi : quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata; quoniam revera in Novo Testamento nihil inde præceptum est, et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum. Sicut etiam illud ambiguum est, utrum Herodes mortui duxerit, an vivi fratris uxorem (*a*) : et ideo non ita claret, quid Joannes ei non licere dicebat (*Matth.* xiv, 3, 4). De concubina quoque, si professa fuerit nullum se alium cognituram, etiamsi ab illo cui subdita est dimittatur, merito dubitatur utrum ad percipiendum Baptismum non debeat admitti. Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, et aliam duxerit, non videtur æquandus eis qui excepta causa adulterii dimittunt et ducunt : et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. Quamobrem quæ manifesta sunt impudicitiæ crimina, omni modo a Baptismo prohibenda sunt, nisi mutatione voluntatis et pœnitentia corrigantur ; quæ autem dubia, omni modo conandum est ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factæ fuerint, nescio utrum ii qui fecerint, similiter ad Baptismum non debere videantur admitti.

CAPUT XX.—36. *Ordo curationis erga baptizandos tenendus.* Quantum attinet igitur ad doctrinam salubrem veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentiosissima tribuatur auctoritas, iste curationis ordo est, ut baptizandi credant in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, eo ritu quo Symbolum traditur; et a mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumque se omnino præteritorum remissionem in Baptismo accepturos esse non dubitent : non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat; ut sit facti remissio, non permissio faciendi. Tunc vere dici potest, etiam spiritualiter, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare* (*Joan.* v, 14) : quod Dominus de corporali sanitate ideo dixit, quoniam sciebat ei quem salvum fecerat, meritis peccatorum illum etiam carnis accidisse languorem. Hi autem ei homini qui et baptizandus adulter ingreditur, et baptizatus adulter egreditur, miror quomodo dici existiment, *Ecce sanus factus es.* Quis enim gravis et exitiabilis morbus erit, si adulterium sanitas erit?

CAPUT XXI.—37. *Apostolorum factum non iis favere qui volunt adulteros admitti ad Baptismum. Perperam dici Judæos propter solam infidelitatem deletos. Regnum cœlorum vim pati non dictum de fide sine charitate.* Sed in tribus millibus, inquiunt, quos uno die Apostoli baptizarunt, et in tot millibus credentium, in quibus Apostolus ab Jerusalem usque in Illyricum Evangelium replevit (*Rom.* xv, 19), erant utique aliqui alienis uxoribus copulati, vel feminæ alienis maritis : in quibus regulam Apostoli constituere debuerunt, quæ deinceps in Ecclesia servaretur, ut tales non admitterentur ad Baptismum, nisi illa adulteria correxissent. Quasi non similiter adversus eos dici possit quod non inveniunt aliquem commemoratum, qui cum talis esset, admissus est. Aut vero possunt singulorum hominum crimina, quod infinitum erat, commemorari; cum generalis illa regula satis superque sufficiat, ubi Petrus pluribus verbis testificans baptizandis ait, *Eripite vos ab hoc sæculo pravo* (*Act.* ii, 40, 41). Quis enim dubitet ad hujus sæculi pravitatem adulteria pertinere, et illos qui elegerint in eadem iniquitate persistere? Similiter autem dici potest publicas meretrices, quas utique ad Baptismum, nisi ab illa turpitudine liberatas, nulla admittit Ecclesia, potuisse inveniri in tot millibus tunc credentium per tot gentes, et de his suscipiendis vel prohibendis constituere Apostolos exempla debuisse. Verumtamen de quibusdam minoribus possumus conjectare majora. Si enim ad baptismum Joannis venientes publicani prohibiti sunt aliquid amplius exigere, quam quod eis fuerat constitutum (*Luc.* iii, 13); miror si venientibus ad baptismum Christi posset permitti adulterium.

38. Commemoraverunt etiam Israelitas multa mala et gravia perpetrasse, et effudisse multum sanguinem prophetarum, nec tamen ex his factis penitus meruisse deleri, sed ex infidelitate sola, qua in Christum credere noluerunt : non intuentes quia peccatum eorum non hoc solum fuit, quia in Christum non crediderunt, verum etiam quia Christum occiderunt ; quorum unum pertinet ad crimen incredulitatis, alterum ad crimen crudelitatis. Illud ergo est contra fidem rectam, istud contra bonam vitam. Utroque autem vitio caret qui fidem Christi habet, non sine operibus mortuam, quæ etiam in dæmonibus invenitur (*Jacobi* ii, 20, 19) ; sed fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6).

39. Hæc est fides de qua dicitur ; *Regnum cœlorum intra vos est* (*Luc.* xvii, 21). Hoc enim diripiunt[1] qui vim faciunt credendo, impetrantes Spiritum charitatis, ubi est plenitudo legis (*Rom.* xiii, 10), sine qua lex in littera reos faciebat etiam prævaricationis. Non itaque putandum est ideo dictum, *Regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Matth.* xi, 12) ; quia etiam mali tantummodo credendo et pessime vivendo perveniunt in regnum cœlorum : sed quia reatus ille prævaricationis, quem sola lex, id est, littera sine spiritu jubendo faciebat, credendo solvitur, et violentia fidei Spiritus sanctus impetratur ; per quem diffusa charitate in cordibus nostris (*Rom.* v, 5), lex non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur.

(*a*) Fratris viventis uxorem duxisse tradit Josephus, Antiq. Jud. lib. 18, cap. 7; idque in celebritate Decoll. S. Joannis canitur in Breviario Romano.

[1] In editis, *Hanc enim diripiunt.* At in Mss., *Hoc enim diripiunt.*

CAPUT XXII. — 40. *Cognitio Dei quænam vera et ad vitam æternam conducens. Indulgentia non obstinatis, sed a peccato recedentibus speranda.* Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide mortua, hoc est, sine bonis operibus confiteatur, more dæmonum; et ideo se jam non dubitet ad vitam æternam esse venturam, quia Dominus dicit, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est, *In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servemus. Qui dicit, Quia cognovi eum, et mandata ejus non servat, mendax est, et in hoc veritas non est* (I *Joan.* II, 3, 4). Et ne quisquam existimet mandata ejus ad solam fidem pertinere: quanquam dicere hoc nullus est ausus, præsertim quia *mandata* dixit, quæ ne multitudine cogitationem spargerent [1], *In illis duobus tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40): licet recte dici possit ad solam fidem pertinere Dei mandata, si non mortua, sed viva illa intelligatur fides, quæ per dilectionem operatur; tamen postea Joannes ipse aperuit quid diceret, cum ait: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, et diligamus invicem* (I *Joan.* III, 23).

41. Hoc itaque prodest, in Deum recta fide credere, Deum colere, Deum nosse, ut et bene vivendi ab illo sit nobis auxilium, et si peccaverimus, ab illo indulgentiam mereamur; non in factis quæ odit securi perseverantes, sed ab eis recedentes, eique dicentes, *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5): quod non habent cui dicant, qui non in eum credunt; et frustra dicunt qui cum tam longe ab illo sint, a gratia Mediatoris alieni sunt. Hinc illa verba sunt in libro Sapientiæ, quæ nescio quomodo intelligit perniciosa securitas: *Et si peccaverimus, tui sumus*; quoniam scilicet bonum et magnum Dominum habemus, qui et velit atque possit pœnitentium peccata sanare, non qui minime audeat permanentes in malignitate disperdere. Denique cum dixisset, *tui sumus*; addidit, *scientes potentiam tuam*: utique potentiam, cui se subtrahere nequeat aut occultare peccator. Ideoque secutus adjunxit: *Non peccabimus autem, scientes quoniam tui sumus deputati* (*Sap.* XV, 2). Quis enim digne cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundum propositum vocati sunt, non enitatur ita vivere, ut tali habitationi congruat? Quod ergo et Joannes dicit, *Hæc scripsi vobis, ut non peccetis; et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est exoratio pro peccatis nostris* (I *Joan.* II, 1, 2): non id agit [2], ut cum securitate peccemus; sed ut recedentes a peccato, si quod admissum est, propter illum advocatum, quem non habent infideles, minime de indulgentia desperemus.

CAPUT XXIII. — 42. *Locus Apostoli ab adversariis male intellectus. Judicium in Scripturis pro æterna damnatione. An soli fideles mali intelligendi sint ituri in resurrectionem judicii, ut judicium non sit æterna damnatio.* Nec de his igitur verbis mitior ulla conditio promittenda est, sic in Deum credere volentibus, ut permaneant in perditis moribus: multo minus de illis ubi Apostolus ait, *Qui sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt; qui autem in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12); tanquam hoc loco aliquid distet inter perire et judicari, cum alio verbo hoc idem significatum sit. Solent enim Scripturæ judicium etiam pro æterna damnatione ponere: sicut in Evangelio Dominus loquitur, *Veniet hora, in qua omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus; et procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ; qui autem male egerunt in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28, 29). Neque hic [1] dictum est, Hoc qui crediderunt, illud autem qui non crediderunt; sed, Hoc *illi qui bene egerunt*, illud *qui male egerunt*. Inseparabilis est quippe bona vita a fide quæ per dilectionem operatur; imo vero ea ipsa est bona vita. Videmus itaque resurrectionem judicii dixisse Dominum pro resurrectione damnationis æternæ. De omnibus quippe resurrecturis (ubi procul dubio erunt etiam ii qui omnino non credunt; neque enim ipsi non sunt in monumentis) duas partes fecit, alios in resurrectionem vitæ, alios in resurrectionem judicii resurrecturos esse declarans.

43. Quod si dicunt non ibi intelligendos etiam eos qui omnino non credunt, sed eos qui per ignem salvi erunt, quia crediderunt, etiamsi male vixerunt, ut eorum transitoriam pœnam judicii nomine significatam arbitrentur. Quanquam hoc impudentissime dicatur, cum omnino Dominus omnes resurrecturos, in quibus sine dubio et increduli erunt, in duo diviserit, *vitam* et *judicium*; ita volens judicium æternum intelligi, quamvis hoc non addiderit, sicut et vitam. Neque enim ait, in resurrectionem vitæ æternæ; cum aliud utique intelligi noluerit. Videant tamen quid responsuri sunt, ubi ait, *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Id.* III, 18). Nam hic procul dubio, aut judicium pro pœna æterna positum intelligunt, aut per ignem salvos futuros etiam incredulos dicere audebunt; quoniam, *Qui non credit*, inquit, *jam judicatus est*, hoc est, jam judicio destinatus: et non erit quod pro magno beneficio polliceantur credentibus nequiterque viventibus, quando et ii qui non credunt non erunt perdendi, sed judicandi. Quod si dicere non audent, non audeant aliquid mitius polliceri eis de quibus dictum est, *per Legem judicabuntur*; quia constat judicium etiam pro æterna damnatione solere nominari. Quid, quod invenimus non solum minime mitioris, verum etiam deterioris conditionis esse illos qui scientes peccant? Hi sunt enim maxime qui legem acceperunt. Nam sicut scriptum est, *Ubi lex non est, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15). Hinc est et illud, *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione itaque accepta,*

[1] Sic Mss. Editi vero, *cogitationes parerent*.
[2] Editi, *ait*; pro quo Mss., *agit*.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov.: *Neque illud*. M.

peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam (*Rom.* VII, 7, 8); et alia multa quæ de hac re idem apostolus dicit. Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus sancti per Jesum Christum Dominum nostrum, quæ diffusa charitate in cordibus nostris donat justitiæ delectationem [1], qua immoderatio concupiscentiæ superetur. Hinc itaque confirmatur non solum nihil mitius, sed gravius aliquid intelligendum, de quibus dictum est, *Qui in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur;* quam de illis qui sine Lege peccantes sine Lege peribunt: nec pro pœna transitoria hoc loco dictum judicium, sed pro ea qua etiam non credentes judicabuntur.

44. Nam qui hac utuntur sententia ad promittendam salutem per ignem, illis qui etiam credentes pessime vivunt, ut eis dicant, *Qui sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt; qui autem in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur*, tanquam dictum sit, non peribunt, sed per ignem salvi erunt; nec illud attendere potuerunt, hoc Apostolum de illis qui sine Lege et illis qui in Lege peccaverunt dixisse, cum de Gentibus et de Judæis ageret: ut non tantum Gentibus, sed utrisque gratiam Christi, qua liberentur, necessariam demonstraret: quod tota [2] ipsa Epistola ad Romanos evidenter ostendit. Jam ergo etiam Judæis in lege peccantibus, de quibus dictum est, *per Legem judicabuntur*, non eos liberante gratia Christi, promittant, si placet, per ignem salutem; quoniam de his dictum est, *per Legem judicabuntur*. Quod si non faciunt, ne contra se ipsos veniant [3], qui eos gravissimo infidelitatis crimine obstrictos esse dicunt: utquid transferunt ad infideles et fideles in eo quod ad fidem Christi attinet, illud quod dictum est de iis qui sine Lege et iis qui in Lege peccaverunt, cum de Judæis et de Gentibus ageretur, ut ad Christi gratiam utrique invitarentur?

CAPUT XXIV. — *Libertas fidei non sit fidelibus velamen malitiæ.* Neque enim dictum est, Qui sine fide peccaverunt, sine fide peribunt; qui autem in fide peccaverunt, per fidem judicabuntur: sed, *sine Lege* dictum est, et, *in Lege;* ut satis appareret illam causam tangi, quæ inter Gentes et Judæos agebatur, non quæ inter bonos malosque Christianos.

45. Quanquam si illo loco legem pro fide accipi volunt, quod nimis importunum et absurdum est, etiam hinc apertissimam possunt legere sententiam apostoli Petri, qui cum loqueretur de iis qui in occasionem carnis acceperant, et in velamentum malitiæ, quod scriptum est, *nos* ad Novum Testamentum pertinentes, *non ancillæ* filios esse, *sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit* (*Galat.* IV, 31); et putaverant hoc esse libere vivere, ut tanquam de tanta redemptione securi, quidquid liberet licere sibi arbitrarentur, non intuentes quod dictum est, *Vos in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis* (*Id.* V, 13); unde et ipse Petrus dicit, *Liberi, non sicut velamentum malitiæ habentes libertatem* (I *Petr.* II, 16): ait de illis et in secunda Epistola sua, *Hi sunt fontes sicci, et nebulæ a turbine exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservata est: superba enim vanitatis loquentes illiciunt in concupiscentiis carnis impudicitiæ eos qui paululum effugerunt, in errore conversati, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri et conservatoris Jesu Christi, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentes retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato. Contigit enim illis res veri proverbii, Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabris carni.* Quid adhuc promittitur contra istam manifestissimam veritatem conditio melior iis qui cognoverunt viam justitiæ, hoc est, Dominum Christum, et perdite vivunt, quam si [1] omnino non cognovissent; cum apertissime dicatur, *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentes retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato?*

CAPUT XXV. — 46. *Sanctum mandatum quid, idque cognoscentes ac transgredientes quæ pœna maneat. Pœna transitoria baptizatis scelerate viventibus non promittenda.* Neque enim illud hoc loco intelligendum est sanctum mandatum, quo præceptum est ut in Deum credamus; quanquam eo ipso totum continetur, si eam intelligamus fidem credentium, quæ per dilectionem operatur: sed aperte expressit quid diceret sanctum mandatum, id est, quo præceptum est ut ab hujus mundi coinquinationibus recedentes casta conversatione vivamus. Sic enim ait: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri et conservatoris Jesu Christi, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus.* Non ait, refugientes ignorantiam Dei, aut refugientes infidelitatem sæculi, vel tale aliquid; sed, *coinquinationes mundi*, in quibus est utique omnis immunditia flagitiorum. Nam de his superius loquens, dixit, *Coepulantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii et indesinentis peccati* (II *Petr.* II, 13-22). Ideo etiam fontes siccos eos appellat: fontes videlicet, quod acceperint agnitionem Domini Christi; siccos autem, quia non congruenter vivunt. De talibus quippe etiam Judas apostolus loquens, *Ii sunt*, inquit, *qui in dilectionibus vestris maculati coepulantur, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua* (*Judæ* I, 12); et cætera. Quod enim Petrus ait, *Coepulantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii;* hoc Judas, *In dilectionibus vestris maculati coepulantur.* Mixti sunt enim bonis in epulis Sacramentorum et dilectionibus plebium. Et quod Petrus ait, *Fontes sicci;* hoc Judas, *Nubes sine aqua;* hoc Jacobus, *Fides mortua* (*Jacobi* II, 20).

47. Non itaque promittatur pœna ignis transitoria turpiter scelerateque viventibus, quia viam justitiæ

[1] Nonnulli codices, *dilectionem*.
[2] Sic Mss. At editi, *totum*.
[3] Editi omissa particula, *ne*, habent, *contra se ipsos veniunt*. Emendantur a Mss.

[1] In excusis, *quasi*. Verius in Mss., *quam si*.

cognoverunt, quibus melius erat non cognoscere, sicut veracissima Scriptura testatur. De talibus quippe etiam Dominus ait, *Et erunt novissima illius hominis pejora quam erant prima* (*Matth.* XII, 45); quoniam purgationis suæ habitatorem Spiritum sanctum non recipiens, fecit in se immundum spiritum multipliciorem redire. Nisi forte ideo sunt isti, de quibus agitur, meliores habendi, quia non redierunt ad immunditiam adulteriorum, sed ab ea non recesserunt; nec purgati se rursus inquinaverunt, sed purgari recusaverunt. Neque enim, ut relevata conscientia intrent ad Baptismum, dignantur saltem vomere pristinas immunditias, quas canum more iterum sorbeant; sed in lavacri ipsius sanctitate pertinaciter crudo pectore indigestam nequitiam tenere contendunt: nec occultant eam pollicitatione vel ficta, sed impudentia professionis eructant: nec exeuntes de Sodomis more uxoris Loth, in præterita iterum attendunt (*Gen.* XIX, 26), sed omnino de Sodomis dedignantur exire; imo ad Christum cum Sodomis conantur intrare. Paulus apostolus dicit, *Qui prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I *Tim.* I, 13): et istis dicitur, Tunc potius misericordiam consequemini, si scientes male vixeritis in ipsa fide. Nimis longum est, et pene infinitum omnia testimonia Scripturarum velle colligere, quibus appareat non solum non esse mitiorem causam eorum qui scientes, quam qui nescientes vitam nequissimam et iniquissimam ducunt, verum etiam hoc ipso esse graviorem: proinde ista suffecerint.

CAPUT XXVI. — 48. *Baptismo nisi vita respondeat, non obtinebitur regnum cœlorum. Peccata triplicis generis triplici remedio sananda.* Caveamus ergo diligenter in adjutorio Domini Dei nostri non facere homines male securos, dicentes eis quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternam esse venturos: ne sic faciamus Christianos, quomodo Judæi proselytos, quibus Dominus ait, *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui circumitis mare et terram, facere unum proselytum; cum autem feceritis, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos estis* (*Matth.* XXIII, 15). Sed potius sanam doctrinam Dei magistri in utroque teneamus; ut sancto Baptismo consona sit vita christiana, nec cuiquam homini, si utrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*[1], *non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5); ipse etiam dixit, *Nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* V, 20). De illis quippe ait: *Scribæ et Pharisæi super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim et non faciunt* (*Id.* XXIII, 2, 3). Ergo justitia eorum est, dicere et non facere: ac per hoc nostram esse voluit abundantem super illorum, dicere et facere, quæ si non fuerit, non intrabitur in regnum cœlorum. Non quia quisquam ita debet extolli, ut, non dicam apud alios jactare, sed apud se ipsum putare audeat se in hac vita esse sine peccato: sed nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, *Congregatis vobis et meo spiritu tradere ejusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu* (I *Cor.* V, 4, 5). Unde etiam dicit: *Ne lugeam multos, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditiam et fornicationem quam gesserunt* (II *Cor.* XII, 21). Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: *Corripe eum inter te et ipsum solum; et si te audierit, lucratus es fratrem tuum* (*Matth.* XVIII, 15). Postremo nisi essent quædam sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Id.* VI, 12).

CAPUT XXVII. — 49. *Epilogus prædictorum.* Jam satis, quantum arbitror, de tota illa opinione quid mihi videretur exposui, ubi tres quæstiones moverunt: unam de permixtione in Ecclesia bonorum et malorum, tanquam tritici et zizaniorum: ubi cavendum est, ne ideo putemus esse propositas istas similitudines, vel hanc, vel de immundis in arca animalibus, vel quæcumque alia idem significant, ut dormiat Ecclesiæ disciplina, de qua in figura illius mulieris dictum est, *Severæ sunt conversationes domus ejus* (*Prov.* II, 18, sec. LXX); sed ut non eo usque progrediatur dementiæ potius temeritas, quam severitas diligentiæ, ut quasi bonos a malis per nefaria schismata separare præsumat. Neque enim per has similitudines et prænuntiationes consilium desidiæ datum est bonis, qua negligant quod prohibere debent; sed patientiæ, qua perferant salva doctrina veritatis quod emendare non valent. Nec quia scriptum est introisse ad Noe in arcam etiam immunda animalia (*Gen.* VII, 2), ideo præpositi vetare non debent, si qui immundissimi ad Baptismum velint intrare saltantes, quod est certe mitius quam mœchantes: sed per hanc figuram rei gestæ prænuntiatum est immundos in Ecclesia futuros propter tolerantiæ rationem, non propter doctrinæ corruptionem, vel disciplinæ dissolutionem. Non enim quacumque libuit intraverunt immunda animalia arcæ compage confracta, sed ea integra per unum atque idem ostium, quod artifex fecerat. Altera quæstio est, in qua eis visum est fidem solam baptizandis esse tradendam, postea vero jam baptizatos docendos esse de moribus. Sed satis demonstratum est, nisi fallor, tunc magis pertinere ad curam speculatoris, cum omnes qui fidelium competunt Sacramentum, omnia quæ dicuntur intentius et sollicitius audiunt, non tacere de pœna quam male viventibus Dominus comminatur; ne in ipso Baptismo rei sint gravissimorum criminum, quo veniunt ut remittatur[1] reatus omnium peccato-

[1] Veteres libri, *ex spiritu sancto*, omisso, *aqua et*.

[1] Plures Mss., *remittantur*.

rum. Tertia quæstio est periculosissima, quia parum considerata, et non secundum divinum eloquium pertractata, tota illa opinio mihi videtur exorta, in qua promittitur scelestissime turpissimeque viventibus, etiamsi eo modo vivere perseverent, et tantummodo credant in Christum, ejusque Sacramenta percipiant, eos ad salutem vitamque æternam esse venturos : contra apertissimam Domini sententiam, qui desideranti vitam æternam respondit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata* ; et commemoravit quæ mandata (*Matth.* XIX, 17-19), ubi ea scilicet peccata vitantur, quibus nescio quomodo salus æterna promittitur propter fidem sine operibus mortuam. De his tribus quæstionibus satis, quantum existimo, disputavi : demonstravique sic tolerandos in Ecclesia malos, ut non negligatur ecclesiastica disciplina ; sic catechizandos eos qui Baptismum petunt, ut non solum audiant atque suscipiant quid credere, verum etiam qualiter vivere debeant ; sic promitti fidelibus vitam æternam, ut non etiam per fidem mortuam, quæ sine operibus salvare non potest, ad eam se quisque pervenire posse arbitretur, sed per illam fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur. Non itaque culpentur dispensatores fideles, non sua negligentia vel pigritia, sed quorumdam potius contumacia, qui pecuniam dominicam recusant accipere, et adulterinam suam cogunt servos dominicos erogare, dum nolunt saltem tales esse mali, quales sanctus Cyprianus commemorat (*Serm. de Lapsis*), sæculo verbis solis et non factis renuntiantes ; quando nec verbis renuntiare diaboli operibus volunt, cum se in adulterio permansuros voce apertissima profitentur. Si quid ab eis dici solet, quod forte disputando non attigi, tale esse arbitratus sum, cui mea responsio necessaria non fuisset ; sive quod ad rem de qua agitur, non pertineret, sive quod tam leve esset, ut a quolibet redargui facillime posset [1].

[1] In veteribus libris. additur, *Deo gratias.*

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Enchiridion ad Laurentium inter postremas suas lucubrationes recensuit Augustinus in libro Retractationum secundo, postque sex contra Julianum libros, qui ad annum circiter 421 pertinent, collocavit. Hunc certe librum labente anno 420 nondum perfecerat. Nam Hieronymum, qui anno eodem 420, juxta Prosperum, pridie calendas octobris obiit, jam morte functum laudabat cap. 87, in hæc verba : *Sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit.*

Laurentius porro, cui scriptus liber, frater Dulcitii appellatur in libro de octo Dulcitii Quæstionibus, quæst. 1, n. 10 ; quia propinquitate et cognatione, uti arbitramur, naturali, non christiana tantum Dulcitio conjunctus erat. Virum ab eruditione et a piis studiis egregie commendat, sed a laicorum fidelium grege nihilo secernit Augustinus, qui et Operis initio filium ipsum vocat, et in fine eum sibi in Christi membris dilectum dicit. Neque Laurentii dignitas explorata est et probata satis ex vulgato libri titulo. Quippe codices nostri antiquiores habent tantum, *Incipit Enchiridion :* qui vero *Ad Laurentium primicerium* addunt, aliquanto recentiores sunt, atque isti secum invicem haud omnino consentientes. Carcassonensis præfert, *Ad Laurentium primicerium notariorum urbis Romæ.* Unus e Vaticanis in fronte Operis, *Ad Laurentium primicerium Romanæ Ecclesiæ ;* et ad calcem habet, *Ad Laurentium primicerium Ecclesiæ urbis Romanæ.* Cisterciensis et alii quidam Mss. *ad Laurentium primicerium :* Regius, etc., *ad Laurentium*, nihilque supra ; quomodo etiam editiones Amerbachii et Erasmi. At Lovaniensium editio titulo addidit, *primicerium urbis Romæ.* In vetere libro Compendiensi legitur, *Ad Laurentium notarium urbis Romæ.* In altero e Colbertinis, *Ad Laurentium diaconum.*

Tametsi vero liber recte appelletur Enchiridion ipsius concessu Augustini in cap. 122, quia scilicet Enchiridion postulaverat Laurentius, id est, opusculum mole exiguum de ejus manibus non recessurum : ibidem tamen Augustinus, itemque in Retractationibus, in libro de octo Dulcitii Quæstionibus, et in Epistola 251, ad Darium constanter vocat librum de Fide, Spe et Charitate ; nec aliter Possidius Indic. cap. 6. Ad hæc enim tria commodum visum est S. Doctori revocare Laurentii quæstiones omnes, qui sapientiæ studio incensus, ac nostræ, quam profitebatur, amore religionis, volebat in primis certum propriumque fidei catholicæ fundamentum, totius christianæ doctrinæ summam, et universim quidquid orthodoxa fide ac religione a primo ad ultimum teneretur, ab Augustino accipere, eoque magistro institui et muniri contra diversas hæreses ea tempestate grassantes.

Prima quidem et quam maxima libri parte Augustinus quæ credenda sint docet, servato Symboli ordine, ac varias hæreses Manichæorum, Apollinaristarum, Priscillianistarum, Arianorum, præcipueque Pelagianorum, tacito earum nomine, passim refellit. Secundam partem, de iis quæ ad Spem pertinent, in dominicæ orationis expositione quam brevissima impendit. Tertiam postremo, nec eam prolixam, adjungit de Charitate.

Opus in scriptis codicibus capitulationes et sectiones non easdem sortitum est. In quibusdam centum triginta quatuor, aut centum viginti sex, vel, ut in editis, centum viginti duas; in aliis septuaginta et unam, in nonnullis quinquaginta quatuor, aut rariores habet, et in quibusdam nullas.

In Enchiridion *vide lib.* 2, *cap.* 63, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 655, *a verbis*, Scripsi etiam librum, *usque ad verba*, Tua eruditione delecter. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ENCHIRIDION

AD LAURENTIUM

SIVE

DE FIDE, SPE ET CHARITATE

LIBER UNUS [(a)].

CAPUT PRIMUM. — 1. *Sapientiæ veræ donum exoptat Laurentio.* Dici non potest, dilectissime fili Laurenti, quantum tua eruditione delecter, quamque te cupiam esse sapientem : non ex eorum numero de quibus dicitur, *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (I Cor. I, 20)! sed ex eorum de quibus scriptum est, *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap.* VI, 26); et quales vult Apostolus fieri, quibus dicit, *Volo autem vos sapientes quidem esse in bono, simplices autem in malo* (*Rom.* XVI, 19). [Sicut autem nemo a se ipso esse potest; ita etiam nemo a se ipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est, *Omnis sapientia a Deo est*[1] (*Eccli.* I, 1)].

CAPUT II. — *Sapientia hominis, pietas.* Hominis autem sapientia pietas est. Habes hoc in libro sancti Job : nam ibi legitur, quod ipsa Sapientia dixerit homini, *Ecce pietas est sapientia* (*Job* XXVIII, 28). Si autem quæras quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in græco reperies θεοσέβειαν, qui est Dei cultus. Dicitur enim græce pietas et aliter, id est εὐσέβεια quo nomine significatur bonus cultus, quamvis et hoc præcipue referatur ad colendum Deum. Sed nihil est commodius illo nomine, quo evidenter Dei cultus expressus est, cum quid esset homini sapientia diceretur. Quærisne aliquid dici brevius, qui petis a me ut breviter magna dicantur? An hoc ipsum tibi fortasse desideras breviter aperiri, atque in sermonem colligi brevem, quonam modo sit colendus Deus?

CAPUT III. — *Deum coli fide, spe et charitate.* Hic si respondero, fide, spe, charitate colendum Deum; profecto dicturus es, brevius hoc dictum esse quam velles : ac deinde petiturus ea tibi breviter explicari, quæ ad singula tria ista pertineant; quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit. Quod cum fecero, ibi erunt omnia illa quæ in epistola tua quærendo[1] posuisti : cujus exemplum si est penes te, facile est ut ea revolvas et relegas[2]; si autem non est, commemorante me recolas.

CAPUT IV. — *Quæstiones Laurentii. Responsiones Augustini.* Vis enim tibi, ut scribis, *librum a me fieri, quem Enchiridion (ut dicunt) habeas, et de tuis manibus non recedat : continens postulata, id est, quid sequendum maxime, quid propter diversas principaliter hæreses sit fugiendum; in quantum ratio pro religione contendat, vel quid in ratione, cum fides sit sola, non conveniat*[3]; *quid primum, quid ultimum teneatur, quæ totius definitionis summa sit; quod cer-*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Enchiridion, seu librum de Fide, Spe et Charitate recognovimus ad veteres codices triginta sex; nimirum ad Romanos Vaticanæ bibliothecæ quatuor, ad Parisienses viginti duos, ad Ms. V. C. Antonii Faure, doctoris Theologi Facultatis Parisiensis, et ad alios infra recensitos col. 275, nota 5. Item ad lectiones variantes duorum Belgicorum a Lovaniensibus vulgatas : et demum ad editiones Am. Er. Lov. Dan. et Arn., id est Joannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, Theologorum Lovaniensium, Lamberti Danæi et Antonii Arnaldi.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Hac sententia, quæ uncis continetur, carent veteres codices Mss.

(a) Scriptus anno 421, aut paulo post.

[1] Ita Lov. et Arn. At Am. Er. et Dan. ac plures Mss., *quærenda.*

[2] Am. Er. Dan. et tres Mss., *ut eam revolvas et relegas.*

[3] Vetus codex Germanensis, *in religione cum fides sit*

tum propriumque fidei catholicæ fundamentum. Hæc omnia quæ requiris procul dubio scies, diligenter sciendo quid credi, quid sperari debeat, quid amari. Hæc enim maxime, imo vero sola in religione [1] sequenda sunt. His qui contradicit, aut omnino a Christi nomine alienus est, aut hæreticus. Hæc sunt defendenda ratione, vel [2] a sensibus corporis inchoata, vel ab intelligentia mentis inventa. Quæ autem nec corporeo sensu experti sumus, nec mente assequi valuimus aut valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus, a quibus ea quæ divina vocari jam meruit, Scriptura confecta est : qui ea sive per corpus, sive per animum, divinitus adjuti, vel videre, vel etiam prævidere potuerunt.

CAPUT V. — *Responsio ad q. 3 et ad q. 4.* Cum autem initio fidei quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis et perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas. Hoc est nimirum quod requiris, *quid primum, quid ultimum teneatur* : inchoari fide, perfici specie. Hæc etiam totius definitionis est summa. Certum vero propriumque fidei catholicæ fundamentum Christus est : *Fundamentum enim aliud*, ait Apostolus, *nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Neque hoc ideo negandum est proprium fundamentum esse fidei catholicæ, quia putari potest aliquibus hæreticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quæ ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se christianos vocari volunt; re ipsa vero non est apud eos. Quod ostendere nimis longum est ; quoniam commemorandæ sunt omnes hæreses, sive quæ fuerunt, sive quæ sunt, sive quæ potuerunt [3] esse sub vocabulo christiano, et quam sit hoc verum per singulas quasque monstrandum. Quæ disputatio tam multorum est voluminum, ut etiam infinita videatur.

CAPUT VI. — *Quod mole exiguum possit manu contineri.* Tu autem *Enchiridion* a nobis postulas, id est, *quod manu possit astringi* [4], *non quod armaria possit onerare.* Ut igitur ad illa tria redeamus, per quæ diximus colendum Deum, fidem, spem, charitatem; facile est ut dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit : sed quemadmodum adversus eorum qui diversa sentiunt calumnias defendatur, operosioris uberiorisque doctrinæ est : quæ ut habeatur, non brevi enchiridio manus debet impleri, sed grandi studio pectus accendi.

CAPUT VII. — 2. *Symbolum et oratio dominica complectuntur fidem, spem et charitatem.* Nam ecce tibi [1] est Symbolum et dominica oratio, quid brevius auditur aut legitur? quid facilius memoriæ commendatur? Quia enim de peccato, gravi miseria premebatur genus humanum, et divina indigebat misericordia, gratiæ Dei tempus propheta prædicens ait, *Et erit ; omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel* II, 32) : propter hoc oratio [2]. Sed Apostolus cum ad ipsam gratiam commendandam hoc propheticum commemorasset testimonium, continuo subjecit, *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt* (*Rom.* X, 14)? propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere : fides credit, spes et charitas orant. Sed sine fide esse non possunt ; ac per hoc et fides orat. Propterea quippe dictum est, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?*

CAPUT VIII. — *Generalis explicatio fidei, spei et charitatis, et earum nexus.* Quid autem sperari potest quod non creditur? Porro aliquid etiam quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum? nec sperat tamen, et quisquis eas imminere sibi credit ac fugaci motu animi exhorret, rectius timere dicitur quam sperare. Quæ duo quidam distinguens [3] ait :

> Liceat sperare timenti.
> (*Lucanus*, *Pharsal. lib.* 2, *v.* 15.)

Non autem ab alio poeta, quamvis meliore, proprie dictum est :

> Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.
> (*Virgil.*, *Æneid. lib.* 4, *v.* 419.)

Denique nonnulli in arte grammatica verbi hujus utuntur exemplo ad ostendendam impropriam dictionem, et aiunt, *Sperare* dixit pro timere. Est itaque fides et malarum rerum, et bonarum : quia et bona creduntur, et mala; et hoc fide bona, non mala. Est etiam fides et præteritarum rerum, et præsentium, et futurarum. Credimus enim Christum mortuum ; quod jam præteriit ; credimus sedere ad dexteram Patris ; quod nunc est : credimus venturum ad judicandum [4] ; quod futurum est. Item fides et suarum rerum est, et alienarum. Nam et se quisque credit aliquando esse cœpisse, nec fuisse utique sempiternum; et alios, atque alia [5] : nec solum de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent [6], verum etiam

sola, non veniat. Melius Colbertinus, *in rationem, cum fides sit sola, non veniat.* Cui lectioni favent Regius, Carnutensis, Gemmeticensis et alii duo Mss. habentes, *in ratione, cum fides sit sola, non veniat.* Compendiensis vero pro, *non veniat* ; habet, *inveniat.* Alter Colbertinus et unus e Vaticanis ferunt, *in ratione, cum fides sit sola, conveniat.* Antonius Arnaldus restituendum censuit, *in ratione, cum fides, si sit sola, non conveniat.* Audacior Lamb. Danæus absque auctoritate restituit, *in ratione cum fide non conveniat* ; rejectis verbis, *sit sola.*

[1] Am. Er. et Dan., *sola religione* ; omisso, *in.*

[2] Am. Er. Dan. et quatuor Mss., *quæ vel.*

[3] Sic Dan. et plerique Mss. At Am. Er. Lov. et Arn., *poterant.*

[4] Editi, *quod manibus possit astringi.* At Mss., *quod manu possit astringi.* Et ex his plures loco, *astringi*, habent, *teneri* ; et quidam, *portari.*

[1] Aliquot Mss., *Nam ecce ibi.* Quidam, *Nam ecce et ibi.*

[2] Editi, *dominica oratio.* Abest, *dominica*, a plerisque Mss.

[3] In excusis, *Lucanus distinguens.* Non nominatur *Lucanus* in Mss., sed ejus nominis loco habetur, *quidam.*

[4] Editi, post, *venturum ad judicandum*, addunt, *vivos et mortuos.*

[5] Editi, *et alia atque alia.* At Mss., *et alios* (supple, homines), *atque alia* (scilicet rerum genera esse cœpisse, nec fuisse sempiterna).

[6] Istud, *quæ ad religionem pertinent*, reperitur in omnibus libris scriptis et excusis. Glossema esse volebat Lamb. Danæus, qui hunc et alios quamplures locos animo vexavit minime æquo et liberali.

de angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cum ita sint, propter has causas distinguenda erit fides ab spe[1], sicut vocabulo, ita et rationabili differentia. Nam quod attinet ad non videre, sive quæ creduntur, sive quæ sperantur, fidei speique commune est. In Epistola quippe ad Hebræos, qua teste usi sunt illustres catholicæ Regulæ[2] defensores, fides esse dicta est *Convictio rerum quæ non videntur* (*Hebr.* XI, 1). Quamvis quando se quisque non verbis, non testibus, non denique ullis argumentis, sed præsentium rerum evidentiæ credidisse, hoc est, fidem accommodasse dicit, non ita videtur absurdus[3], ut recte reprehendatur in verbo, eique dicatur, Vidisti, ergo non credidisti : unde putari potest non esse consequens ut non videatur res quæcumque creditur. Sed melius hanc appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quæ non videntur. De spe quoque ait Apostolus : *Spes quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur. Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero esse sine amore non potest. Denique, ut ait Apostolus Jacobus, *Et dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jacobi* II, 19) : nec tamen sperant vel amant; sed potius quod speramus et amamus credendo venturum esse formidant. Propter quod apostolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur, approbat atque commendat (*Galat.* V, 6), quæ utique sine spe non potest esse. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.

CAPUT IX.— 3. *Quid credendum, servato Symboli ordine, deinceps explicatur. Non opus esse curiosa inquisitione rerum naturalium. Christiano sufficere si credat a summe bona Trinitate omnia creata esse, eaque bona.* Cum ergo quæritur quid credendum sit quod ad religionem pertineat, non rerum natura ita rimanda est, quemadmodum ab eis quos physicos Græci vocant : nec metuendum est[4], ne aliquid de vi et numero elementorum, de motu atque ordine et defectibus siderum, de figura cœli, de generibus et naturis animalium, fruticum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de spatiis locorum et temporum, de signis imminentium tempestatum, et alia sexcenta de iis rebus quas illi vel invenerunt vel invenisse se existimant, christianus ignoret; quia nec ipsi omnia repererunt tanto excellentes ingenio, flagrantes studio, abundantes otio, et quædam humana conjectura investigantes, quædam vero historica experientia perscrutantes, et in eis quæ se invenisse gloriantur, plura opinantes potius quam scientes. Satis est christiano rerum creatarum causam, sive cœlestium sive terrestrium, sive visibilium sive invisibilium, non nisi bonitatem credere Creatoris, qui est Deus unus et verus; nullamque esse naturam quæ non aut ipse sit, aut ab ipso : eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet, et Filium a Patre genitum, et Spiritum sanctum ab eodem Patre procedentem[1], sed unum eumdemque Spiritum Patris et Filii.

CAPUT X. — *Contra Manichæorum hæresim de origine mali.* Ab hac summe[2] et æqualiter et immutabiliter bona Trinitate creata sunt omnia, et nec summe, nec æqualiter, nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula : simul vero universa valde bona (*Gen.* I, 31) ; quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo.

CAPUT XI. — *Mala cur esse sinat Deus. Malum nihil aliud nisi privatio boni.* In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas (*Virgil.*, *Æneid. lib.* 10, ỳ. 100), cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo[3]. Quid est autem aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis et vulneribus affici, quam sanitate privari (neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, ut mala ista quæ inerant, id est, morbi ac vulnera recedant hinc, et alibi sint; sed utique ut non sint. Non enim ulla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus aut morbus : cum caro sit ipsa substantia, profecto aliquod bonum[4] cui accidunt ista mala, id est privationes ejus boni quod dicitur sanitas) ; ita et animorum quæcumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum : quæ cum sanantur, non aliquo transferuntur ; sed ea quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.

CAPUT XII. — 4. *Creaturæ omnes bonæ, sed quia non summe bonæ, ideo corruptibiles.* Naturæ igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium Conditor summe bonus est, bonæ sunt : sed quia non sicut earum Conditor summe atque incommutabiliter bonæ sunt, ideo in eis et minui bonum et augeri potest. Sed bonum[5] minui malum est; quamvis, quantumcumque minuatur, remaneat aliquid necesse est (si adhuc natura est) unde natura sit. Neque enim, si qualiscumque et quantulacumque natura est, consumi bonum quo[6] natura est, nisi et ipsa consu-

[1] Plures Mss., *distinguenda erat fides ab spe.*
[2] Quatuor Mss., *catholicæ fidei ac regulæ.* Apud Augustinum Regula fidei solet dici symbolum, ut infra in cap. 56.
[3] Sic meliores Mss. Editi vero, *absurdum.*
[4] Hic apud Am. Er. Lov. et Mss. additur, *quemadmodum ab eisdem*, quod glossema non habent veteres libri.

[1] Duo ex Vaticanis Mss., *et Filio procedentem.*
[2] Lov. et Mss., *summa*. Aptius editi alii et Mss., *summe.* Et sic in 1 Sent. d. 46, c. *Est enim.*
[3] Apud Am. Er. et Lomb. hæc additur hoc loco : *Et bene nolens Deus facere vel ipse Deus bene facit, reformando aut puniendo quod male fit, et per hoc ergo malum nec vitium erit, quia ita ab est cum exsequitur*, ineptum glossema.
[4] Editi, *bonum est*. Verbum, *est*, expunximus auctoritate manuscriptorum plurium et meliorum.
[5] Vetustissimus liber Colbertinus, *bono.*
[6] Ita unus ex Vaticanis. At Mss. alii et editi, *quod.*

matur, potest. Merito quippe natura incorrupta laudatur: porro si et incorruptibilis sit, quæ corrumpi omnino non possit, multo est procul dubio laudabilior. Cum vero corrumpitur, ideo malum est ejus corruptio, quia eam qualicumque privat bono; nam si nullo bono privat, non nocet: nocet autem; adimit igitur bonum [1]. Quamdiu itaque natura corrumpitur, inest ei bonum quo privetur: ac per hoc si naturæ aliquid remanebit quod jam corrumpi nequeat, profecto natura incorruptibilis erit, et ad hoc tam magnum bonum corruptione perveniet [2]. At si corrumpi non desinet, nec bonum habere utique desinet, quo eam possit privare corruptio. Quam si penitus totamque consumpserit, ideo nullum bonum inerit, quia natura nulla erit. Quocirca bonum consumere corruptio non potest, nisi consumendo naturam. Omnis ergo natura bonum est; magnum, si corrumpi non potest; parvum, si potest: negari tamen bonum esse, nisi stulte atque imperite prorsus non potest. Quæ si corruptione consumitur, nec ipsa corruptio remanebit, nulla ubi esse possit subsistente natura [3].

CAPUT XIII. — *Nullum malum, nisi quod et bonum sit.* Ac per hoc nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum. Sed bonum omni malo carens, integrum bonum est; cui verum inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est. nec malum unquam potest esse ullum, ubi bonum est nullum. Unde res mira conficitur, ut quia omnis natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum vitiosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est: nec malum esse, nisi quod bonum est; quoniam omnis natura bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est, natura non esset. Non igitur potest esse malum, nisi aliquod bonum. Quod cum dici videatur absurde, connexio tamen ratiocinationis hujus velut inevitabiliter nos compellit hoc dicere. Et cavendum est, ne incidamus in illam propheticam sententiam, ubi legitur: *Væ iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum; qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras; qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce* (*Isai.* v, 20). Et tamen Dominus ait: *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (*Matth.* XII, 35). Quid est autem *malus homo*, nisi mala natura; quia homo natura est? Porro si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est; sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit, Malum est hominem esse; aut, Bonum est iniquum esse: ipse incidit in propheticam illam sententiam, *Væ iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum.* Opus enim Dei culpat, quod est homo; et vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura, etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est, mala est.

CAPUT XIV. — *Bonum et malum, licet contraria, simul in eadem re esse posse. Ex bonis mala, et in bonis.* Quapropter in his contrariis quæ mala et bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim aer simul est et tenebrosus et lucidus; nullus cibus aut potus simul dulcis et amarus; nullum corpus simul ubi album, ibi et nigrum; nullum simul ubi deforme, ibi et formosum. Et hoc in multis ac pene in omnibus contrariis reperitur, ut in una re simul esse non possint. Cum autem bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed mala [1] omnino sine bonis et nisi in bonis esse non possunt: quamvis bona sine malis possint. Potest enim homo vel angelus non esse injustus; injustus autem non potest esse nisi homo vel angelus: et bonum quod homo, bonum quod angelus; malum quod injustus. Et hæc duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset in quo malum esset [2], prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur; quod nisi bonum esset, nec corrumperetur; quoniam nihil est aliud corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, et nisi in aliquibus bonis non sunt: nec erat alias unde oriretur ulla mali natura. Nam si esset, in quantum natura esset, profecto bona esset: et aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio.

CAPUT XV. — *Quomodo intelligendum illud*, Non potest arbor bona, *etc.* Sed cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc dominicæ sententiæ refragari, qua dixit, *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Non potest enim, sicut Veritas ait, colligi uva de spinis (*Matth.* VII, 18, 16), quia non potest nasci uva de spinis; sed ex bona terra et vites nasci posse videmus et spinas. Et eodem modo tanquam arbor mala fructus bonos, id est, opera bona non potest facere voluntas mala: sed ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala; nec fuit prorsus unde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex angeli et hominis natura bona. Quod et ipse Dominus eodem loco, ubi de arbore et fructibus loquebatur, apertissime ostendit: ait enim, *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum* (*Id.* XII, 33): satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse; ex ipsa tamen terra cui loquebatur, utramque arborem posse.

CAPUT XVI. — 5. *Rerum causas nosse an pertineat*

[1] Editi, *nocet autem adimendo bonum*. Castigantur ex veteribus libris.
[2] Am. Er. et Lov., *corruptio non perveniet*. Aliquot Mss., *incorruptione perveniet*. Verius Arn., *corruptione perveniet*.
[3] Locus ex Mss. castigatus. Nam alias Am. Er. et Lov., *ubi nulla esse possit, subsistente natura*: male. Nec melius Danæus correxerat, addita negante particula sic, *ubi nulla esse possit, non subsistente natura*.

[1] Editi, *sed etiam mala*. Abest, *etiam*, a plerisque Mss.
[2] PP. BB. non ferunt, *malum*, in textu; sed in margine vocem hanc supplendam adnotant. Apud Fr. Lugd. Ven. Lov. in textu ipso legitur, nosque eorum lectionem secuti sumus. M.

ad felicitatem. Quæ cum ita sint, quando nobis Maronis ille versus placet,

> Felix qui potuit rerum cognoscere causas.
> (*Georg. lib.* 2, *v.* 490.)

non nobis videatur ad felicitatem consequendam pertinere, si sciamus causas magnarum in mundo corporalium motionum, quæ abditissimis naturæ sinibus occuluntur;

> Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant,
> Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.
> (*Ibid.*, *vv.* 479, 480.)

et cætera hujusmodi: sed bonarum et malarum rerum causas nosse debemus, et id hactenus, quatenus eas homini in hac vita erroribus ærumnisque plenissima, ad eosdem errores et ærumnas evadendas nosse conceditur. Ad illam quippe felicitatem tendendum est, ubi nulla quatiamur ærumna, nullo errore fallamur. Nam si causæ corporalium motionum noscendæ nobis essent, nullas magis nosse quam nostræ valetudinis deberemus. Cum vero eis ignoratis, medicos quærimus, quis non videat quod de secretis cœli et terræ nos latet, quanta sit patientia nesciendum?

CAPUT XVII. — *Error quid sit. Non omnis error noxius. Augustini error felix in bivio.* Quamvis enim error quanta possumus cura cavendus sit, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari; non est tamen consequens ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum. Nam in una eademque re et nescienti sciens, et erranti non errans, recta ratione præponitur. In diversis autem rebus, id est, cum iste sciat alia, ille alia; et iste utiliora, ille minus utilia, vel etiam noxia: quis non in eis quæ ille scit, ei præferat nescientem? Sunt enim quædam quæ nescire quam scire sit melius. Itemque nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. Nam nobis ipsis accidit ut in quodam bivio falleremur, et non iremus per eum locum ubi opperiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat (*a*): atque ita factum est ut eo quo tendebamus, per devium circuitum veniremus; cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo. Quis ergo viatorem sic errantem sic non erranti latroni præponere dubitaverit? Et fortasse ideo apud illum summum poetam loquens quidam miser amator,

> Ut vidi (inquit), ut perii, ut me malus abstulit error!
> (*Virgil. Eclog.* 8, *v.* 41.)

quoniam est et error bonus, qui non solum nihil obsit, verum etiam prosit aliquid. Sed diligentius considerata veritate, cum aliud nihil sit errare, quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum, sive sit verum; idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo, *Est, est, Non, non* (*Matth.* v, 37): profecto et ob hoc ipsum est vita misera ista qua vivimus, quod ei nonnunquam, ut non amittatur, error est necessarius. Absit ut talis sit illa vita, ubi est animæ nostræ ipsa veritas vita: ubi nemo fallit, fallitur nemo. Hic autem homines fallunt atque falluntur; miserioresque sunt cum mentiendo fallunt, quam cum mentientibus credendo falluntur. Usque adeo tamen rationalis natura refugit falsitatem, et quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere. Non enim sibi qui mentitur videtur errare, sed alium in errorem mittere credentem sibi. Et in ea quidem re non errat quam mendacio contegit, si novit ipse quid verum sit: sed in hoc fallitur, quod putat sibi suum non obesse mendacium; cum magis facienti quam patienti obsit omne peccatum.

CAPUT XVIII. — 6. *Mendacium omne est peccatum, sed aliud alio gravius. Non mentiri qui nesciens falsum dicit, sed potius qui verum dicit quod putat falsum.* Verum hic difficillima et latebrosissima gignitur quæstio, de qua jam grandem librum, cum respondendi necessitas nos urgeret, absolvimus: utrum ad officium hominis justi pertineat aliquando mentiri. Nonnulli enim eo usque progrediuntur, ut et pejerare, et de rebus ad Dei cultum pertinentibus ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonum piumque opus esse contendant (*a*). Mihi autem videtur peccatum quidem esse omne mendacium, sed multum interesse quo animo et quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur: aut vero [1] tantum nocet qui viatorem mentiendo in diversum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mendacio fallente depravat. Nemo sane mentiens judicandus est, qui dicit falsum quod putat verum: quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet. Potiusque e contrario, quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum ejus attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur esse quod dicit: nec ullo modo liber est a mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit. Ille namque non aliud habet in animo, aliud in verbo: huic vero qualecumque per se ipsum sit quod ab eo dicitur,

(*a*) Circumcelliones armati contra Augustinum vias aliquoties obsederant, teste Possidio in ejus Vita, cap. 12; ubi hujus etiam meminit periculi, quod humanas ductoris errore evasit Augustinus.

[1] Am. Er. Lov. et Dan., *Haud vero.* At Mss. et Arn., *aut vero*: commodius quidem, sed eodem sensu; nam a sententia præcedente vis huc usque porrigitur particulæ negantis.

(*a*) Priscillianistæ redarguuntur.

aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est; quod malum est proprium mentientis. In ipsarum autem quæ dicuntur consideratione rerum tantum interest, qua in re quisque fallatur sive mentiatur, ut cum falli quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem; tamen longe tolerabilius sit in his quæ a religione sunt sejuncta, mentiri, quam in iis sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli [1]. Quod ut illustremus exemplis, intueamur quale sit, si quispiam dum mentitur, vivere nuntiet aliquem mortuum; et alius dum fallitur, credat iterum Christum post quamlibet longa tempora moriturum : nonne illo modo mentiri quam isto modo falli incomparabiliter præstat, multoque minoris mali est in illum errorem aliquem inducere, quam in istum ab aliquo induci?

CAPUT XIX. — *Error alius quidem alio perniciosior, sed semper est malus.* In quibusdam ergo rebus magno, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam nonnullo etiam bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo, cum hoc non credit quod ad vitam ducit æternam, vel hoc credit quod ad mortem ducit æternam. Parvo autem malo fallitur, qui falsum pro vero approbando incidit in aliquas molestias temporales, quibus tamen adhibita fidelis [2] patientia convertit eas in usum bonum. Velut si quisquam bonum hominem putando qui malus est, aliquid ab eo patiatur mali. Qui vero malum hominem ita bonum credit, ut nihil ab eo patiatur mali, nullo malo [3] fallitur : nec in eum cadit illa prophetica detestatio, *Væ iis qui dicunt quod malum est bonum.* De ipsis enim rebus quibus homines mali sunt, non de hominibus dictum intelligendum est. Unde qui adulterium dicit bonum, recte arguitur illa voce prophetica. Qui vero ipsum hominem dicit bonum, quem putat castum, nescit adulterum, non in doctrina rerum bonarum et malarum, sed in occultis humanorum fallitur morum; vocans hominem bonum, in quo putat esse quod esse non dubitat bonum [4], et dicens malum adulterum et bonum castum : sed hunc bonum dicens, nesciendo adulterum esse, non castum [5]. Porro si per errorem evadit quisque perniciem, sicut superius dixi nobis in itinere contigisse, etiam boni aliquid homini errore confertur. Sed cum dico in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli; non ipsum errorem dico nullum malum vel nonnullum bonum; sed malum quo non venitur, vel bonum quo venitur errando, id est, ex ipso errore quid non eveniat vel quid proveniat. Nam ipse per se ipsum error aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget, approbare falsa pro veris aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis? Sed aliud est bonum hominem putare qui malus est, quod est erroris; et aliud est ex hoc malo aliud malum non pati, si nihil nocet homo malus, qui est putatus bonus. Itemque aliud est ipsam viam putare, quæ non est ipsa; et aliud est ex hoc erroris malo aliquid boni consequi, velut est ab insidiis malorum hominum liberari.

CAPUT XX. — 7. *Non omne genus erroris esse peccatum. Academicos refellit, qui ut error vitetur, omnem assensionem suspendi volunt.* Nescio sane utrum etiam hujusmodi errores [1] : cum homo de malo homine bene sentit, qualis sit nesciens; aut pro eis quæ per sensus corporis capimus, occurrunt similia, quæ spiritu tanquam corpore, aut corpore tanquam spiritu sentiuntur; quale putabat esse apostolus Petrus, quando existimabat se visum videre, repente de claustris et vinculis per angelum liberatus (*Act.* XII, 9) : aut in ipsis rebus corporeis lene putatur esse quod asperum est, aut dulce quod amarum est, aut bene olere quod putidum est, aut tonare cum rheda transit, aut illum esse hominem cum alius sit, quando duo simillimi sibi sunt, quod in geminis sæpe contingit; unde ait ille,

> Gratusque parentibus error :
> (*Virgil., Æneid. lib.* 10, *v.* 392.)

et cætera talia etiam peccata dicenda sint. Nec quæstio nodosissima, quæ homines acutissimos, Academicos torsit, nunc mihi enodanda suscepta est; utrum aliquid debeat sapiens approbare, ne incidat in errorem, si pro veris approbaverit falsa, cum omnia, sicut affirmant, vel occulta sint, vel incerta. Unde tria confeci volumina in initio conversionis meæ, ne impedimento nobis essent, quæ tanquam in ostio contradicebant [2]. Et utique fuerat removenda inveniendæ desperatio veritatis, quæ illorum videtur argumentationibus roborari. Apud illos ergo error omnis putatur esse peccatum, quod vitari non posse contendunt, nisi omnis suspendatur assensio. Errare quippe dicunt eum quisquis assentitur incertis : nihilque certum esse in hominum visis [3], propter indiscretam similitudinem falsi, etiamsi quod videtur, forte sit verum, acutissimis quidem, sed impudentissimis conflictationibus disputant. Apud nos autem, *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). At si tollatur assensio, fides tollitur; quia sine assensione nihil creditur. Et sunt vera quamvis non videantur, quæ nisi credantur, ad vitam beatam, quæ non nisi æterna est, non potest perveniri. Cum istis vero utrum loqui debeamus ignoro, qui, non victuros in æternum, sed in præsentia se vivere nesciunt : imo nescire se dicunt, quod nescire non possunt. Neque enim quisquam sinitur nescire se vivere : quandoquidem si

[1] Hic in editis Am. Er. et Dan. additur, *ut in pluribus a perquirente lucidius investigabitur.*

[2] Am. Er. Dan. et plures potioresque Mss., *fideli.*

[3] Sic Dan. Arn. et aliquot Mss. At Am. Er. et Lov., *nullo modo :* mendose.

[4] Plures Mss., *quod novit bonum.*

[5] Locus veterum librorum ope liberatus a glossemate. Sic in ante editis habebat : *sed hunc bonum dicens, nesciendo adulterum esse; illum malum, nesciendo castum.*

[1] Am. Er. Dan., *hujusmodi error est.* Mss. duo, *hujus sit modus erroris.* Melius Lov., *ejusmodi errores.* Refer ad illud infra, *peccata dicenda sint.*

[2] Plures Mss., *esset, quæ tanquam in ostio contradicebat :* subintellige, quæstio.

[3] Sic aliquot Mss. Editi autem, *visu.*

non vivit, non potest aliquid vel nescire [1]; quoniam non solum scire, verum etiam nescire viventis est. Sed videlicet non assentiendo quod vivant, cavere sibi videntur errorem: cum etiam errando convincantur vivere; quoniam non potest qui non vivit errare. Sicut ergo nos vivere non solum verum, sed etiam certum est; ita vera et certa sunt multa, quibus non assentiri, absit ut sapientia potius quam dementia nominanda sit.

CAPUT XXI. — *Error non semper peccatum, sed semper malum.* In quibus [2] autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur, an non; vel utrum vera sive sint sive putentur, an falsa: in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse atque levissimum. Postremo, qualecumque illud et quantumcumque sit, ad illam viam non pertinet, qua imus ad Deum: quæ via fides est Christi, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6). Neque enim ab hac via deviabat in geminis filiis gratus ille parentibus error: aut ab hac via deviabat apostolus Petrus, quando se existimans visum videre, aliud pro alio sic putabat, ut a corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur, vera in quibus erat corpora non dignosceret, nisi cum ab illo angelus, per quem fuerat liberatus, abscessit: aut ab hac via deviabat Jacob patriarcha, quando viventem filium a bestia credebat occisum (*Gen.* xxxvii, 33). In his atque hujusmodi falsitatibus, salva fide, quæ in Deum nobis est, fallimur, et via non relicta quæ ad illum ducit, erramus: qui errores etiamsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt, quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam veram certamque ad æternam beatitudinem tendimus [3]; ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo vel animi vel corporis sensu, si jam vera illa atque perfecta felicitate frueremur.

CAPUT XXII. — *Omne mendacium esse peccatum.* Porro autem omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solum quando scit ipse quod verum sit, sed etiam si quando errat et fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit; sive illud verum sit, sive putetur et non sit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat [4]. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim et furando [1], si pauper cui palam datur, sentit commodum, et dives cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus et adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, et si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Si autem merito nobis placet castitas, quid offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, et violetur ista mentiendo [2]? Plurimum quidem ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: sed in eorum tali profectu merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur sat est, non ut etiam prædicetur, maxime in hæredibus Testamenti Novi, quibus dicitur, *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non: quod enim amplius est, a malo est* (*Matth.* v, 37). Propter quod malum, quia subrepere in hac mortalitate non desinit, etiam ipsi cohæredes Christi dicunt, *Dimitte nobis debita nostra* (*Id.* vi, 12).

CAPUT XXIII. — 8. *Causa rerum bonarum, bonitas Dei; malarum, voluntas deficiens boni mutabilis.* His itaque pro hujus brevitatis necessitate tractatis, quoniam causæ cognoscendæ sunt rerum bonarum et malarum, quantum viæ satis est quæ nos perducat ad regnum, ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas: nequaquam dubitare debemus, rerum quæ ad nos pertinent bonarum causam non esse nisi bonitatem Dei; malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius angeli, hominis postea.

CAPUT XXIV. — *Secundæ malorum causæ, ignorantia et concupiscentia.* Hoc primum est creaturæ rationalis malum, id est, prima privatio boni: deinde jam etiam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia noxiarum; quibus comites subinferuntur error et dolor: quæ duo mala quando imminentia sentiuntur, ea fugitantis animi motus vocatur metus. Porro animus cum adipiscitur concupita, quamvis perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit, vel delectatione morbida vincitur, vel [3] vana etiam lætitia ventilatur. Ex his morborum, non ubertatis, sed indigentiæ tanquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat.

CAPUT XXV. — *Pœnæ peccatis irrogatæ.* Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. Verum hæc communia mala sunt et hominum et angelorum pro sua malitia Domini justitia damnatorum. Sed homo habet et pœnam propriam, qua etiam corporis morte punitus est. Mortis ei quippe supplicium Deus comminatus fuerat, si peccaret: sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen

[1] Editi, *sine*, *vel nescire*. Et paulo post, *nonnisi viventis est*. [illegible]

[2] [illegible] *in quibus enim* [illegible]

[3] [illegible] *æternam beatitudinem* [illegible]

[4] [illegible] *perferat*.

[1] Editi, post, *possumus enim et furando*, addunt, *aliquando alicui prodesse*, sed superflue.

[2] Hoc loco in editis inserta hæc erant: *Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute* [illegible] *est, sed veniale,* [illegible] *fallacia damnat*: quæ verba ab omnibus prope Mss. absunt.

[3] Hic Mss. [illegible] et aliquot Mss. omittunt, *vel*.

regeret imperio, terreret exitio; atque in paradisi felicitate tanquam in umbra vitæ, unde justitia custodita in meliora conscenderet, collocavit (*Gen.* II, 17, 15).

CAPUT XXVI. — *Peccati Adæ pœna in tota ipsius stirpe. Contra Pelagianos.* Hinc post peccatum exsul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis et damnationis [1] obstrinxit : ut quidquid prolis ex illo et simul damnata per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus angelis vitiatoribus et possessoribus et consortibus suis sine fine supplicium. Sic *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v, 12). Mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum genus humanum.

CAPUT XXVII. — *Hominis conditio post Adæ peccatum. Hominis reformatio ex sola Dei misericordia.* Ita ergo se res habebat : jacebat in malis, vel etiam volvebatur, et de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata; et adjuncta parti eorum qui peccaverant angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet justam, quidquid cæca et indomita concupiscentia faciunt libenter mali, et quidquid manifestis opertisque [2] pœnis patiuntur inviti : non sane Creatoris desistente bonitate et malis angelis subministrare vitam vivacemque potentiam, quæ subministratio si auferatur, interibunt [3]; et hominum, quamvis de propagine vitiata damnataque nascentium, formare semina et animare, ordinare membra [4], per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere. Et si quidem in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est angelorum, nonne merito fieret, ut natura quæ Deum deseruit, quæ præceptum sui Creatoris, quod custodire facillime posset, sua male utens potestate calcavit atque transgressa est, quæ in se sui Conditoris imaginem ab ejus lumine contumaciter aversa violavit, quæ salubrem servitutem ab ejus legibus male libero abrupit arbitrio, universa in æternum desereretur ab eo, et pro suo merito pœnam penderet sempiternam? Plane ita faceret, si tantum justus, non etiam misericors esset, suamque indebitam misericordiam multo evidentius in indignorum potius liberatione monstraret [5].

CAPUT XXVIII. — 9. *Dejectis desertoribus angelis, cæteri in beatitudine permanent.* Angelis igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum, et in hujus aeris imam caliginem de superna cœlesti habitatione dejectis, residuus numerus angelorum in æterna cum Deo beatitudine et sanctitate permansit. Neque enim ex uno angelo lapso atque damnato cæteri propagati sunt, ut eos sicut homines originale malum obnoxiæ successionis vinculis obligaret, atque universos traheret ad debitas pœnas; sed eo qui diabolus factus est, cum sociis impietatis elato, et ipsa [1] cum eis elatione prostrato, cæteri pia obedientia Domino cohæserunt, accipientes etiam, quod illi non habuerunt, certam scientiam, qua essent de sua sempiterna et nunquam casura stabilitate securi.

CAPUT XXIX. — *In locum angelorum ejectorum succedit pars hominum reparata.* Placuit itaque universitatis creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret; quæ autem cum Deo illa deserente perstiterat, de sua certissime cognita semper futura felicitate [2] gauderet : alia vero creatura rationalis quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis et originalibus et propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleretur [3]. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt æquales angelis Dei (*Luc.* xx, 36). Ita superna Jerusalem mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum [4] numerositate fraudabitur, aut uberiore [5] etiam copia fortasse regnabit (*a*). Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctæ matris [6], quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt (*Rom.* IV, 17), atque in mensura et numero et pondere cuncta disponit (*Sap.* XI, 21).

CAPUT XXX. — *Non meritis, nec libero arbitrio reparari homines, sed gratia.* Verum hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit æternum, numquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operatur perditus [7], nisi quantum fuerit a perditione liberatus? Numquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit : nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum.

[1] Sic Am. Er. Dan. et plures Mss. At Lov. et Arn., *damnatione*.

[2] Am. Er. Dan. et fere omnes Mss., *apertisque*.

[3] Plures Mss, *intercidit*; vel, *intercidet* : et quidam, *intercidunt*.

[4] Editi, *et ordinare membra*. Abest, *et*, a plerisque Mss.; atque ex iis plures post, *ordinare membra*; prosequuntur sic : *per locorum ætates, per temporum spatia*. Cisterciensis et Fuliensis, *per locorum varietates*.

[5] Danæus auctoritate veteris cujusdam exemplaris emendari vult, *non monstraret*. Sufficit tamen particula negans quæ membro proxime antecedenti præfigitur, neque hic repetitur in nostris Mss.

[1] Lov. et Arn., *et in ipsa*. Abest, *in*, ab omnibus prope Mss. et ab editis Am. Er. Dan.

[2] Hic editi addunt, *secura*; quæ vox in melioribus Mss. non habetur.

[3] Ita Am. Er. Dan. et plerique Mss. At Lov. et Arn., *suppleret*.

[4] Mss. *nulla civium numerositate*, omisso, *suorum*.

[5] Sic Am. Er. Dan. et Mss. At Lov. et Arn., *sed uberiore*.

[6] Editi, *sanctæ matris Ecclesiæ*. Abest, *Ecclesiæ*, a Mss.

[7] Editi, *operari potest perditus*. At Mss., *operatur perditus*. Atque ex iis codices decem prosequuntur, *nisi quando fuerit*. Unus e Vaticanis, *nisi quando vel quantum fuerit*. Pluresque loco, *liberatus*; habent, *reparatus*.

(*a*) Vid. lib. 22 de Civit. Dei, cap. 1.

Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum poterit resuscitare cum occiderit : ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium. *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (II *Petr.* II, 19). Petri certe apostoli est ista sententia : quæ cum vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiam[1], simul et pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat cujus illa vox est, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36)? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? quam cohibet Apostolus dicens, *Gratia salvi facti estis per fidem.*

CAPUT XXXI. — *Fides et opera bona ex Dei dono.* Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem apostolus alio loco dicit, se ut fidelis esset misericordiam consecutum (I *Cor.* VII, 25); hic quoque adjunxit, atque ait, *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur.* Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adjecit : *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II, 8-10). Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus nos fingit, id est, format et creat, non ut homines, quod jam fecit; sed ut boni homines[2] simus, quod nunc gratia sua facit : ut simus in Christo Jesu nova creatura (*Galat.* VI, 15), secundum quod dictum est, *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 12). Neque enim cor ejus, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus[3].

CAPUT XXXII. — *Bona voluntas a Deo.* Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium, bene operandi ipsa libertas; audiat eumdem gratiæ præconem dicentem, *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13). Et alio loco, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). Cum procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit (*Philipp.* III, 14). Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, nisi quia et ipsa *voluntas*, sicut scriptum est, *a Domino præparatur* (*Prov.* VIII, 35, *sec.* LXX)? Alioquin si propterea dictum est, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis, et misericordia Dei; ut sic dictum accipiamus, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, tanquam diceretur, Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei : non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis : ac per hoc si recte dictum est, *Non volentis* hominis, *sed miserentis est Dei*, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non et e contrario recte dicitur, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere christianus audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat ut propterea recte dictum intelligatur, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia : quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis; et, *Misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11); et, *Misericordia ejus subsequetur me* (*Psal.* XXII, 6). Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris (*Matth.* V, 44), utique nolentibus pie vivere, nisi ut Deus in illis operetur et velle[1]? Itemque cur admonemur petere ut accipiamus (*Id.* VII, 7), nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit et nos : oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos.

CAPUT XXXIII. — 10. *Homines natos omnes iræ filios egisse reconciliatore Christo. Ira Dei quid.* Tenebatur itaque justa damnatione genus humanum, et omnes erant iræ filii. De qua ira scriptum est : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus; anni nostri sicut aranea meditabuntur* (*Psal.* LXXXIX, 9). De qua ira dicit etiam Job : *Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ et plenus iræ* (*Job* XIV, 1). De qua ira dicit et Dominus Jesus : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem non credit in Filium, non habet vitam*[2], *sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III, 36) : non ait, veniet; sed, *manet.* Cum hac quippe omnis homo nascitur. Propter quod dicit Apostolus : *Fuimus enim et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). In hac ira cum essent homines per originale peccatum, tanto gravius et perniciosius, quanto majora vel plura insuper addi-

[1] Sic Am. Er. Dan. Arn. et aliquot Mss. Alii plerique cum Lov., *propter recte facti licentiam.* Nonnulli, *propter recte faciendi licentiam.* Legendum videtur, *propter recte facti libentiam.*

[2] Vox, *homines*, hinc abest in aliquot manuscriptis.

[3] Apud Lov. additur, *sed [illegible] in corde [illegible].* [illegible] glossema, quod ex[illegible] [illegible] in [illegible], et editionem Am. Er. [illegible] Arn.

[1] Sic Am. Er. Dan. et Mss. At Lov. et Arn., *nisi Deus in illis operetur ut velint.*

[2] Editi, *non habet vitam æternam.* At Mss. Evangelio consentiunt, nec repetunt hoc loco, *æternam* : ex his etiam nonnulli futuro tempore ferunt, *non habebunt vitam.*

derant, necessarius erat mediator, hoc est reconciliator, qui hanc iram sacrificii singularis, cujus umbræ omnia sacrificia Legis et Prophetarum, oblatione placaret. Unde dicit Apostolus : *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati nunc in sanguine ejus salvi erimus ab ira per ipsum* (*Rom.* v, 10, 9). Cum autem Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis, sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, iræ nomen accepit. Quod ergo per mediatorem reconciliamur Deo, et accipimus Spiritum sanctum, ut ex inimicis efficiamur filii : *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Id.* viii, 14) : hæc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT XXXIV. — *Christus mediator ineffabili Verbi incarnatione natus ex Maria. Contra Apollinaristas.* De quo mediatore longum est, ut quanta dignum est, tanta dicantur, quamvis ab homine dici digne [1] non possint. Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* i, 14), ut crederemus in Dei Patris omnipotentis unicum Filium natum de Spiritu sancto et Maria virgine? Ita quippe Verbum caro factum est, a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate mutata. Carnem porro hic hominem debemus accipere, a parte totum significante locutione : sicut dictum est, *Quoniam ex operibus Legis non justificabitur omnis caro* (*Rom.* iii, 20), id est omnis homo. Nam nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse; sed naturæ ab omni peccati nexu omni modo liberæ : non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cujus reatus regeneratione diluitur; sed qualem de virgine nasci oportebat, quem [2] fides matris, non libido conceperat : quo si vel nascente corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine nasceretur; eumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia; quæ imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus, et virgo est. Lege, si placet, de virginitate sanctæ Mariæ meas litteras [3] ad illustrem virum, quem cum honore ac dilectione nomino Volusianum (*Epist.* 137).

CAPUT XXXV. — *Christus Deus simul et homo. Contra errorem qui Leporii, et postea Nestorianorum fuit.* Proinde Christus Jesus Dei Filius, est et Deus et homo [4]. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum; *Deus* enim *erat Verbum* (*Joan.* i, 1) : homo autem, quia in unitatem [5] personæ accessit Verbo anima rationalis et caro.

[1] In plerisque Mss., *digna*.
[2] Lov. et Arn., *quam*. At Mss., *quem*. His accedunt eo loci Am. Er. et Dan.; sed mox recedunt a Mss. habentque cum Lov. et Arn., *Quod si vel per nascentem*.
[3] Editi, *meas litteras missas*. Abest, *missas*, a Mss.
[4] Am. Er. Lov. Arn. *Dei Filius est, et Deus, et homo est*. Mutamus interpunctionem vocum deleto altero, *est*, auctoritate quorumdam manuscriptorum.
[5] Aliquot Mss. hic et infra, *in unitate*. Sed concinnior vulgata lectio, *in unitatem*.

Quocirca in quantum Deus est, ipse et Pater unum sunt (*Joan.* x, 30) : in quantum autem homo est, Pater major est illo (*Id.* xiv, 28). Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est et hominis filius; idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus. Quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, quod natura erat, id est, *esse æqualis Deo. Exinanivit* autem *se, accipiens formam servi* (*Philipp.* ii, 6 *et* 7), non amittens vel minuens formam Dei. Ac per hoc et minor est factus, et mansit æqualis, utrumque unus, sicut dictum est : sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem : propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor. Unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius : non duo filii Dei Deus et homo, sed unus Dei Filius; Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus.

CAPUT XXXVI. — 11. *Gratia commendata in homine Christo ad dignitatem Filii Dei nullis meritis erecto.* Hic omnino granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promereretur Deum [1]? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo [2] quam Dei Filius; et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus : ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria [3], nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum? Sic et ejus matrem angelus salutavit, quando ei futurum annuntiavit hunc partum : *Ave*, inquit, *gratia plena*. Et paulo post : *Invenisti*, ait, *gratiam apud Deum* (*Luc.* i, 28 *et* 30). Et hæc quidem gratia plena, et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, imo omnium Domini mater esset. De ipso autem Christo Joannes evangelista cum dixisset, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*. Quod ait, *Verbum caro factum est*; hoc est, *plenum gratiæ* : quod ait, *gloriam unigeniti a Patre*; hoc est, *plenum veritatis*. Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei Filius, non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta

[1] Sic optimæ notæ Remigianus codex et Colbertini duo cum uno e Vaticanis. Alii vero Mss. cum ante editis habent, *ut singulariter promereretur Deum*.
[2] Hic vox, *homo*, non est in Am. Er. Dan. et pluribus Mss.
[3] Fuliensis Ms., *tanta gratia*.

unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis filius.

CAPUT XXXVII. — *Nativitas Christi eo quod est de Spiritu sancto, gratiam demonstrat.* Idem namque Jesus Christus Filius Dei unigenitus, id [1] est unicus, Dominus noster, natus est de Spiritu sancto et virgine Maria. Et utique Spiritus sanctus Dei donum est, quod quidem et ipsum est æquale donanti : et ideo Deus est etiam Spiritus sanctus, Patre Filioque non minor. Ex hoc ergo quod de Spiritu sancto est secundum hominem nativitas Christi, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur? Cum enim virgo quæsivisset ab angelo, quomodo id fieret quod ei nuntiabat, quandoquidem illa virum non cognosceret ; respondit Angelus : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Et Joseph cum vellet eam dimittere, suspicatus adulteram, quam sciebat non de se gravidam, tale responsum ab angelo accepit : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20): id est, quod tu esse de alio viro suspicaris, de Spiritu sancto est.

CAPUT XXXVIII. — 12. *Christus de Spiritu sancto non ut de patre natus, sed de Maria ut de matre.* Numquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris filius secundum Verbum, et Spiritus sancti filius secundum hominem ; quod eum Spiritus sanctus [2] tanquam pater ejus de matre virgine genuisset ? Quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando quanta alia sequantur absurda, cum hoc ipsum jam ita sit absurdum, ut nullæ fideles aures id valeant sustinere. Proinde, sicut confitemur, Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu sancto et virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu sancto, si non eum genuit Spiritus sanctus? An quia fecit eum? Quoniam Dominus noster Jesus Christus in quantum Deus est, *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3) : in quantum autem homo est, et ipse factus est, sicut Apostolus dicit : *Factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Sed cum illam creaturam quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit ; neque enim separabilia sunt opera Trinitatis ; cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur ? Ita vero est, et exemplis doceri potest. Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud enim movet quomodo dictum sit, Natus de Spiritu sancto, cum filius nullo modo sit Spiritus sancti. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo ; sed factum, vel creatum, vel conditum, vel institutum ab illo, vel si quid hujusmodi recte possumus dicere. Hic ergo, cum confiteamur natum de Spiritu sancto et virgine Maria, quomodo non sit filius Spiritus sancti, et sit filius virginis Mariæ, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut de patre, sic autem de illa ut de matre natus est.

CAPUT XXXIX. — *Non quidquid ex aliquo nascitur, ejus filius dicendus.* Non igitur concedendum est quidquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum [1], lumbricum, quorum nihil est filius : ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur ; certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu sancto, non aquæ filios eos rite dixerit quispiam : sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto natus est filius Dei Patris, non Spiritus sancti. Nam et illud quod de capillo et de cæteris diximus, ad hoc tantum valet, ut admoneamur non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium ejus de quo nascitur posse dici. Sicut non omnes qui dicuntur alicujus filii, consequens est ut de illo etiam nati esse dicantur ; sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati, sicut filii regni qui [2] præparantur in regnum.

CAPUT XL. — *Modus quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuat gratiam unionis hypostaticæ.* Cum itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo ut sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus cujus dicitur filius ; profecto modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Deo [3] copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui filius Dei : ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ [4] nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum (*Act.* VIII, 20). Unde sufficienter loqui [5] (si tamen id fieri potest), valde prolixæ disputationis est.

CAPUT XLI. — 13. *Christus sine peccato, sed peccatum factus.* Nulla igitur voluptate carnalis concupiscentiæ seminatus sive conceptus, et ideo nullum peccatum originaliter trahens ; Dei quoque gratia Verbo Patris unigenito, non gratia Filio, sed natura,

[1] Sic plures Mss. cum Am. Er. et Dan. At Lov. et Arn., *idem*.
[2] Editi, *quod quasi cum Spiritus sanctus*. Vox, *quasi*, non est in Mss.

[1] Antiquiores codices, *peduculum*.
[2] Pronomen, *qui*, abest a quatuor Vaticanis et ab antiquioribus Gallicanis.
[3] Sic meliores Mss. At editi, *Verbo Dei*.
[4] Germanensis codex, *qui*. Alii duo Mss., *qua*.
[5] Hic Am. Er. Lov. et Arn. addunt, *perlongum esset* : quod abest a Mss.

in unitate personæ [1] modo mirabili et ineffabili adjunctus atque concretus, et ideo nullum peccatum et ipse committens; tamen propter similitudinem carnis peccati in qua venerat (*Rom.* VIII, 3), dictus est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis (*Osee* IV, 8): quod vere iste factus est cujus umbræ erant illa. Hinc Apostolus cum dixisset, *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo*; continuo subjunxit atque ait: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 20, 21). Non ait, ut in quibusdam mendosis codicibus legitur, Is qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit; tanquam pro nobis Christus ipse peccaverit: sed ait, *Eum qui non noverat peccatum*, id est Christum, *pro nobis peccatum fecit* Deus, cui reconciliandi sumus, hoc est, sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit: ut quoniam peccatum ei non inerat, ita quodam modo peccato moreretur, dum moritur carni [2], in qua erat similitudo peccati; et cum secundum vetustatem peccati nunquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reviviscentem vitam novam [3] sua resurrectione signaret.

CAPUT XLII. — *Baptismus datur, ut moriamur, et reviviscamus.* Ipsum est quod in nobis celebratur, magnum Baptismatis sacramentum, ut quicumque ad istam pertinent gratiam, moriantur peccato, sicut ipse peccato mortuus dicitur, quia mortuus est carni, hoc est, peccati similitudini: et vivant a lavacro renascendo, sicut ipse a sepulcro resurgendo, quamlibet corporis ætatem gerant.

CAPUT XLIII. — *In Baptismo omnes peccato mori, et parvulos, et majores.* A parvulo enim recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibendus a Baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in Baptismo: sed parvuli tantum originali, majores autem etiam iis omnibus moriuntur peccatis, quæcumque male vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt.

CAPUT XLIV.—*Figura, ἑτέρωσις, qua numerus accipitur pro numero.* Sed ideo etiam ipsi peccato mori plerumque dicuntur, cum procul dubio non uni, sed multis peccatis omnibusque moriantur, quæcumque jam propria commiserunt, vel cogitatione, vel locutione, vel opere; quia etiam per singularem numerum pluralis numerus significari solet: sicut ait ille, « Uterumque armato milite complent » (*Virgil. Æneid, lib.* 2, ℣. 20); quamvis hoc multis militibus fecerint. Et in nostris Litteris legitur, *Ora ergo ad Dominum, ut auferat a nobis serpentem* (*Num.* XXI, 7, *sec.* LXX); non ait serpentes, quos patiebatur populus, ut hoc diceret: et innumerabilia talia. Cum vero et illud originale unum plurali numero significatur, quando dicimus in peccatorum remissionem baptizari parvulos, nec dicimus in remissionem peccati; illa est e contrario locutio, qua per pluralem [1] significatur numerus singularis. Sicut in Evangelio Herode mortuo dictum est, *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri* (*Matth.* II, 20): non dictum est, mortuus est. Et in Exodo, *Fecerunt*, inquit, *sibi deos aureos*; cum unum vitulum fecerint, de quo dixerunt, *Hi sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII, 31, 4): et hic pluralem ponentes pro singulari.

CAPUT XLV. — *In primo hominis peccato plures peccati species.* Quamvis et in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, et in omnes homines pertransiit (*Rom.* V, 12), propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se præcipitavit in mortem; et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est; et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; et avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit appetivit: et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.

CAPUT XLVI. — *Peccatis parentum non tantum primorum obligari filios, probabile est.* Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia, *Reddam peccata patrum in filios* (*Deut.* V, 9); tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum Novum incipiant pertinere. Quod Testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam illam: *Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* [2] (*Ezech.* XVIII, 1-20). Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ male agendo postea committuntur, possunt et pœnitendo sanari, sicut etiam post Baptismum fieri videmus. Ac per hoc non [3] est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio; usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat, *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea me in utero aluit* (*Psal.* L, 7). Neque hic dixit, In iniquitate, vel peccato, cum et hoc recte dici posset: sed iniquitates et peccata dicere maluit. Quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut eo [4] mutaretur

[1] Nonnulli Mss., *in unitatem personæ*.
[2] Sic Am. Er. Dan. et plerique Mss. At Lov. et Arn., *carne*.
[3] Editi, *nova*. Melius Mss., *novam*: jungendo, *ad vitam*; quo stet antithesis ad præcedentia verba, *ex morte veteri*.

[1] Am. Er. Lov. et Arn. hoc loco addunt, *locutionem*: superfluo; nam in Mss. melius subauditur, numerum.
[2] Antiquiores Mss., *obstipuerunt*: ductum verbum a stipite.
[3] Editi, *Ac per hoc non ob aliud*. Mss. omittunt, *ob aliud*.
[4] Editi, *ut in eo*. Abest, *in*, a Mss.

et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata, et alia parentum, quæ etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat.

CAPUT XLVII. — *Quousque parentum peccata propagentur in filios, non temere definiendum.* Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam usque ad patrem suum progeneratoribus suis quisque succedit, non immerito disceptari potest : utrum omnium malis actibus et multiplicatis delictis originalibus qui nascitur implicetur, ut tanto pejus quanto posterius quisque nascatur ; an propterea Deus in tertiam et quartam generationem de peccatis parentum eorum posteris comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis suæ ; ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, et pœnas pro eis debitas pendere : an aliud aliquid de re tanta, Scripturis sanctis diligentius perscrutatis atque tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temere affirmare non audeo.

CAPUT XLVIII. — 14. *Peccatum originale non aboletur nisi per Christum.* Illud tamen unum peccatum, quod tam magnum in loco et habitu tantæ felicitatis admissum est, ut in uno homine originaliter, atque, ut ita dixerim, radicaliter totum genus humanum damnaretur, non solvitur ac diluitur nisi per unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum (I *Tim.* II, 5), qui solus potuit ita nasci, ut ei non opus esset renasci.

CAPUT XLIX. — *Baptismo Joannis non fiebat regeneratio. Christus cur baptizari a Joanne voluit.* Non enim renascebantur, qui baptismate Joannis baptizabantur (*Matth.* III, 13), a quo et ipse baptizatus est : sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat, *Parate viam Domino* (*Luc.* III, 4), huic uni in quo solo renasci poterant parabantur. Hujus enim baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Joannis, verum etiam in Spiritu sancto (*Marc.* I, 8) ; ut de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus generatus [1] regeneratione non eguit. Unde vox illa Patris quæ super baptizatum facta est, *Ego hodie genui te*[2] (*Psal.* II, 7; *Hebr.* V, 5) ; non unum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illum hominem ad Unigeniti personam pertinere monstraret. Ubi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est. In aqua ergo baptizari voluit a Joanne, non ut ejus iniquitas ulla dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret, invenit ; ut diabolus veritate justitiæ, non violentia potestatis oppressus et victus, quoniam ipsum sine ullo peccati merito iniquissime occiderat, per ipsum justissime amitteret quos peccati merito detinebat. Utrumque igitur ab illo, id est, et baptismus et mors, certæ dispensationis causa, non miseranda necessitate, sed miserante potius voluntate susceptum est ; ut unus peccatum tolleret mundi, sicut unus peccatum misit in mundum, hoc est, in universum genus humanum.

CAPUT L. — *Per Christum tolli non tantum originale peccatum, sed et cætera superaddita.* Nisi quod ille unus unum peccatum misit in mundum, iste vero unus non solum illud unum, sed cuncta simul abstulit quæ addita invenit. Unde dicit Apostolus : *Non sicut per unum peccantem*[1], *ita est et donum : nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Quia utique illud unum quod originaliter trahitur, etiam si solum sit, obnoxios damnationi facit : gratia vero ex multis delictis justificat hominem, qui præter illud unum quod communiter cum omnibus originaliter traxit, sua quoque propria multa commisit.

CAPUT LI. — *A damnatione Adæ nemo liberatus nisi in Christo renatus.* Verumtamen quod paulo post dicit, *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ* (*Rom.* V, 16, 18) ; satis indicat, ex Adam neminem natum nisi damnatione detineri, et neminem nisi in Christo renatum a damnatione liberari.

CAPUT LII. — *Baptismus mortis ac resurrectionis Christi similitudo in parvulis perinde ac in majoribus.* De qua per unum hominem pœna et per unum hominem gratia cum locutus fuisset, quantum illi Epistolæ suæ loco sufficere judicavit, deinde sacri baptismatis in cruce Christi grande mysterium commendavit eo modo, ut intelligamus nihil aliud esse in Christo baptismum, nisi mortis Christi similitudinem ; nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem : ut quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum ; et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio. Ait enim, *Quid ergo dicemus ? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet ?* Dixerat enim superius, *Ubi, enim abundavit peccatum, superabundavit gratia* (*Ibid.* 20). Et ideo quæstionem sibi ipse proposuit, utrum propter abundantiam gratiæ consequendam in peccato sit permanendum. Sed respondit, *Absit* : atque subjecit, *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo ?* Deinde ut ostenderet nos mortuos esse peccato : *An ignoratis*, inquit, *quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ?* Si ergo hinc ostendimur mortui esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus ; profecto et parvuli qui baptizantur in Christo, peccato moriuntur, quia in morte ipsius

[1] Lov., *regeneratus*. Verius Am. Fr. Dan. et potiores Mss., *generatus*.

[2] Non sic in Evangelio ; unde hic audacter Danæus absque codicum auctoritate addit, *Tu es Filius meus*.

[1] Am. et sex Mss., *per unum peccatum*. Retinuimus antiquam lectionem respondentem græcæ, *di'enos amarthèsantos*, quam sequi solet Augustinus.

baptizantur. Nullo enim excepto dictum est, *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et ideo dictum est, ut probaretur mortuos nos esse peccato. Cui autem peccato parvuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt? Ac per hoc etiam ad ipsos pertinet quod sequitur dicens : *Consepulti sumus ergo*[1] *illi per Baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus : hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo : scientes quia Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate mortuos quidem vos esse peccato, vivere*[2] *autem Deo in Christo Jesu* (*Rom.* VI, 1-11). Hinc enim probare cœperat non esse nobis permanendum in peccato, ut gratia abundet ; et dixerat, *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo ?* Atque ut ostenderet mortuos nos esse peccato, subjecerat[3], *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Sic itaque totum locum istum clausit, ut cœpit. Mortem quippe Christi sic insinuavit, ut etiam ipsum mortuum diceret esse peccato. Cui peccato, nisi carni[4], in qua erat, non peccatum, sed similitudo peccati, et ideo nomine appellata est peccati? Baptizatis itaque in morte Christi, in qua non solum majores, verum etiam parvuli baptizantur, ait, *Sic et vos*, id est quemadmodum Christus, *sic et vos existimate vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu.*

CAPUT LIII. — *Crux Christi, sepultura, resurrectio*, etc., *figura vitæ christianæ*. Quidquid igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in ascensione in cœlum, in sede ad dexteram Patris ; ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita christiana quæ hic geritur. Nam propter ejus crucem dictum est : *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus*[5] *et concupiscentiis* (*Galat.* V, 24). Propter sepulturam : *Consepulti sumus Christo per Baptismum in mortem*. Propter resurrectionem : *Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus*. Propter ascensionem in cœlum sedemque ad dexteram Patris : *Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram : mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

CAPUT LIV. — *Judicium ultimum pertinens ad res in fine sæculi gerendas*. Jam vero quod de Christo confitemur futurum, quoniam de cœlo venturus est, vivos judicaturus ac mortuos, non pertinet ad vitam nostram quæ hic geritur, quia nec in rebus gestis ejus est, sed in fine sæculi gerendis. Ad hoc pertinet quod Apostolus secutus adjunxit : *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria* (*Coloss.* III, 1-4).

CAPUT LV. — *Judicare vivos et mortuos, dupliciter modo intellectum.* Duobus autem modis accipi potest quod vivos et mortuos judicabit : sive ut vivos intelligamus, quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes inventurus est ejus adventus ; mortuos, autem qui de corpore, prius quam veniat, exierunt vel exituri sunt : sive vivos justos, mortuos autem injustos ; quoniam justi quoque judicabuntur. Aliquando enim judicium Dei ponitur in malo ; unde illud est, *Qui autem male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 29) : aliquando et in bono, secundum quod dictum est, *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me* (*Psal.* LIII, 3). Per judicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorumque discretio, ut liberandi a malo, non perdendi cum malis, boni ad dexteram segregentur (*Matth.* XXV, 32, 33). Propter quod ille clamabat, *Judica me, Deus :* et quid dixerat velut exponens, *Et discerne*, inquit, *causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1).

CAPUT LVI. — 15. *De Spiritu sancto et Ecclesia recto ordine dictum in Symbolo. Ecclesia cœlestis terrenæ opitulatur.* Cum autem de Jesu Christo Filio Dei unico Domino nostro, quod ad brevitatem Confessionis pertinet, dixerimus, adjungimus sic credere nos[1] et in Spiritum sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quæ Deus est : deinde sancta commemoratur Ecclesia. Unde datur intelligi rationalem creaturam ad Jerusalem liberam pertinentem (*Galat.* IV, 26), post commemorationem Creatoris, id est summæ illius Trinitatis, fuisse subdendam. Quoniam quidquid de homine Christo dictum est, ad unitatem personæ Unigeniti pertinet. Rectus itaque Confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, et Deo templum suum, et conditori civitas sua. Quæ tota hic accipienda est, non solum ex parte qua[2] peregrinatur in terris, a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini (*Psal.* CXII, 3), et post captivitatem vetustatis cantans canticum novum ; verum etiam ex illa quæ in cœlis semper, ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit, et suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulatur ; quia utraque una erit con-

[1] Sic antiquiores Mss. juxta græcum. At editi, *Consepulti enim sumus*.
[2] Aliquot Mss., *viventes*.
[3] Ita Mss. Editi vero, *subjecit*.
[4] Editi, *carnis*. At Mss. plures, *carni*. Nonnulli vero eam vocem prætereunt.
[5] Editi, *cum vitiis*. Præcipui Mss., *cum passionibus ;* juxta græcum, *sun tois pathêmasi*.

[1] Plures Mss., *adjungimus his credere nos*. Nonnulli vero, *adjungimus, ut convenit, sic credere nos*. Quidam denique, *adjungimus, ut scis, credere nos :* non minus bene.
[2] Am. Er. Dan. et plures Mss., *quæ*.

sortio æternitatis, et nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum Deum. Unde nec tota, nec ulla pars ejus vult se coli pro Deo, nec cuiquam esse Deus pertinenti ad templum Dei, quod ædificatur ex diis quos facit non factus Deus. Ac per hoc Spiritus sanctus si creatura, non creator, esset, profecto creatura rationalis esset; ipsa est enim summa creatura[1]. Et ideo in Regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia et ipse ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte quæ in cœlis est. Nec haberet templum, sed etiam ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit Apostolus : *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?* De quibus alio loco dicit : *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi* (I *Cor.* vi, 19, 15)? Quomodo ergo Deus non est, qui templum habet? aut minor Christo est, cujus membra templum habet? Neque enim aliud templum ejus, aliud templum Dei est, cum idem dicat Apostolus, *Nescitis quia templum Dei estis* : quod ut probaret, adjecit, *Et Spiritus Dei habitat in vobis* (*Id.* iii, 16). Deus ergo habitat in templo suo, non solum Spiritus sanctus, sed etiam Pater et Filius, qui etiam de corpore suo, per quod factus est caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est, *ut sit ipse in omnibus primatum tenens* (*Coloss.* i, 18), ait, *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud* (*Joan.* ii, 19). Templum ergo Dei, hoc est totius summæ Trinitatis, sancta est Ecclesia, scilicet universa in cœlo et in terra.

CAPUT LVII. — *Stabilitas Ecclesiæ cœlestis.* Sed de illa quæ in cœlo est, affirmare quid possumus, nisi quod nullus in ea malus est, nec quisquam deinceps inde cecidit aut casurus est, ex quo Deus *angelis peccantibus non pepercit*, sicut scribit apostolus Petrus ; *sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos reservari* (II *Petr.* ii, 4)?

CAPUT LVIII. — *Angelorum quæ sint differentiæ, et an Angeli sint sidera, incertum.* Quomodo autem se habeat beatissima illa et superna societas, quæ ibi sint differentiæ præpositurarum[2], ut cum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur (sicut in Epistola ad Hebræos legimus : *Cui enim Angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis* (*Hebr.* i, 13)? hoc quippe modo significavit omnes universaliter Angelos dici), sint tamen illic Archangeli : et utrum iidem Archangeli appellentur Virtutes ; atque ita dictum sit, *Laudate eum, omnes Angeli ejus ; laudate eum, omnes Virtutes ejus* (*Psal.* cxlviii, 2) : ac si diceretur, Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Archangeli ejus : et quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo, *Sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates* (*Coloss.* i, 16), dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt : ego me ista ignorare confiteor. Sed ne illud quidem certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol et luna et cuncta sidera : quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia, videantur (a).

CAPUT LIX. — *Angelorum qualia sint in quibus apparuerunt corpora, difficile explicatur.* Itemque angeli quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, ut non solum cernerentur, verum etiam tangerentur ; et rursus non solida corpulentia, sed spirituali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritualibus, vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis[1], etiam ipsi ibidem constituti : sicut scriptum est in Prophetarum libro, *Et dixit mihi angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* i, 9) : non enim ait, qui loquebatur ad me ; sed, *in me*. Vel appareant et in somnis, et colloquantur more somniorum : habemus quippe in Evangelio, *Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis, dicens* (*Matth.* i, 20). His enim modis velut indicant se angeli contrectabilia corpora non habere : faciuntque difficillimam quæstionem, quomodo patres eis pedes laverint (*Gen.* xviii, 4, et xix, 2), quomodo Jacob cum angelo tam solida contrectatione luctatus sit (*Id.* xxxii, 24). Cum ista quæruntur, et ea sicut potest, quisque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est ut hæc atque hujusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?

CAPUT LX. — 16. *Artes satanæ transfigurantis se ut angelum lucis, utilius dignoscuntur.* Magis opus est dijudicare atque dignoscere, cum se satanas transfigurat velut angelum lucis (II *Cor.* xi, 14), ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem vero non movet a vera rectaque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum : vel cum se bonum fingens, ea facit sive dicit, quæ bonis angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non est error christianæ fidei periculosus aut morbidus. Cum vero per hæc aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna et necessaria vigilantia est. Sed quotusquisque hominum idoneus est omnes mortiferos ejus dolos evadere, nisi regat atque tueatur Deus? Et ipsa hujus rei difficultas ad hoc est utilis, ne sit spes sibi quisque, aut homo alter alteri, sed Deus suis omnibus. Id enim nobis potius expedire prorsus piorum ambigit nemo.

CAPUT LXI. — *Ecclesia in Angelis et in hominibus. Christus pro angelis non est mortuus. Angelos quomodo spectat hominum redemptio.* Hæc ergo quæ in sanctis Angelis et Virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cum ei conjuncti

[1] Sic Mss. At editi, *Ipsa enim esset summa creatura.*
[2] Editi, *personarum*. At Mss. plerique, *præpositurarum* ; et nonnulli, *præpositorum*.

[1] Mss. *sed intus animæ hominis.*
(a) Vid. lib. ad Orosium contra Priscillianistas, cap. 11.

fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis notior est, quod in illa sumus, et quia hominum est, quod et nos sumus. Hæc sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta est peccato, ejusque vox est, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 31, 32). Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, post inimicitias quas inter homines et sanctos Angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur.

CAPUT LXII. — *Quomodo in Christo instaurantur omnia, et pacificantur.* Et utique noverunt Angeli sancti docti de Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis exspectet. Propter hoc ait Apostolus *instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, in ipso* (*Ephes.* I, 10). Instaurantur quippe quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. Ac sic per illud singulare sacrificium in quo Mediator est immolatus, quod unum multæ in Lege victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus, et terrestria cum cœlestibus. Quoniam sicut idem apostolus dicit, *In ipso complacuit omnem plenitudinem* [1] *inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis* (*Coloss.* I, 19 *et* 20).

CAPUT LXIII. — *Pax regni cœlestis, quomodo præcellit omnem intellectum.*—*Pax* ista *præcellit*, sicut scriptum est, *omnem intellectum* (*Philipp.* IV, 7); neque sciri a nobis, nisi cum ad ea venerimus, potest. Quomodo enim pacificantur cœlestia nisi nobis [2], id est, concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax, et inter se universis intellectualibus creaturis, et cum suo Creatore. Quæ *pax præcellit*, ut dictum est, *omnem intellectum*; sed utique nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Nos autem, quantuscumque sit in nobis intellectus humanus, ex parte scimus, et videmus nunc per speculum in ænigmate: cum vero æquales Angelis Dei fuerimus (*Luc.* XX, 36); tunc quemadmodum et ipsi, videbimus facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12); tantamque pacem habebimus erga eos, quantam et ipsi erga nos; quia tantum eos dilecturi sumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia et nostra talis ac tanta erit, nec præcellet tunc intellectum nostrum: Dei vero pax quæ illic est erga eos, et nostrum et illorum intellectum sine dubitatione præcellet. De ipsa quippe beata est rationalis creatura, quæcumque beata est, non ipse de illa. Unde secundum hoc melius accipitur quod scriptum est, *Pax Dei quæ præcellit omnem intellectum*: ut in eo quod dixit *omnem*, nec ipse intellectus sanctorum Angelorum esse possit exceptus [1], sed Dei solius. Neque enim et ipsius intellectum pax ejus excellit.

CAPUT LXIV. — *Remissio peccatorum expressa in Symbolo. Sancti omni vita non sunt sine peccato.* Concordant autem nobiscum Angeli etiam nunc, cum remittuntur nostra peccata. Ideo post commemorationem sanctæ Ecclesiæ in ordine Confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est: per hanc non perit quod perierat et inventum est (*Luc.* XV, 24). Excepto quippe Baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus; ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fecunditate justitiæ, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14); sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore (*Sap.* IX, 15), tanquam filii hominum quibusdam [2] humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideo peccent. Interest quidem quantum: neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam quamdiu in hac mortali [3] vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: *Peccatum* autem *si dixerimus quia non habemus*, ut ait tantus apostolus [4], *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8).

CAPUT LXV. — *Crimina quælibet in Ecclesia remitti per pœnitentiam. Extra Ecclesiam non remittuntur peccata.* Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est [5], ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit; cum

[1] Hic editi addunt, *divinitatis*; quod plerique ac potiores Mss. non habent.

[2] Editi, *nisi in nobis*. Abest, *in*, a Mss.

[1] Editi, *exemptus*. Melius Mss., *exceptus*.

[2] Mss., *tanquam filii hominis in quibusdam*, etc.

[3] Editi, *in hac morte*. At Mss., *in hac mortali*: supple, *vita*.

[4] Editi, *sanctus apostolus*. Sed Mss. aptius ad rem cum emphasi confirmandam, *tantus apostolus*.

[5] In editis, *ubi tale crimen commissum est*. Abest, *crimen*, a Mss.

sit coram illo cui dicitur, *Gemitus meus a te non est absconditus* (*Psal.* XXXVII, 10) : recte constituuntur ab iis qui Ecclesiis [1] præsunt tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata ; extra eam quippe non remittuntur. Ipsa namque proprie Spiritum sanctum pignus accepit (II *Cor.* I, 22), sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam æternam.

CAPUT LXVI. — *Remissio peccatorum fit propter futurum judicium.* Magis enim propter futurum judicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita usque adeo valet quod scriptum est, *Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccli.* XL, 1) ; ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari : ut intelligamus, totum quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere. Multa etiam hic videntur ignosci et nullis suppliciis vindicari ; sed eorum pœnæ reservantur in posterum. Neque enim frustra ille proprie dicitur dies judicii, quando venturus est judex vivorum atque mortuorum. Sicut e contrario vindicantur hic aliqua, et tamen si remittuntur, profecto in futuro sæculo non nocebunt. Propterea de quibusdam temporalibus pœnis, quæ in hac vita peccantibus irrogantur, eis quorum peccata delentur, ne reserventur in finem, ait Apostolus : *Si enim nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur : cum judicamur autem a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* (I *Cor.* XI, 31 et 32).

CAPUT LXVII. — 18. *Refelluntur qui putabant fideles omnes, quantumlibet scelerate vixissent, salvandos per ignem.* Creduntur autem a quibusdam [2] (a) etiam ii qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem ; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniri [3]. Sed qui hoc credunt, et tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur : nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione conscripsi, cujus titulus est, de Fide et Operibus ; ubi secundum Scripturas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi, eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus, dicens : *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). Si autem male et non bene operatur, procul dubio, secundum apostolum Jacobum, *mortua est in semetipsa.* Qui rursus ait : *Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum* (*Jacobi* II, 17, 14) ? Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum quod ait beatus Paulus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* ; poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit quod dixit ejus coapostolus Jacobus : falsum erit et illud quod idem ipse Paulus dixit, *Nolite*, inquit, *errare ; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* VI, 9, 10). Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt ?

CAPUT LXVIII. — *Locus Apostoli de salvandis per ignem ut intelligendus. Ignis quidam in hac vita, per quem salvantur ædificantes ligna.* Sed quia hæc apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt ; illud quod obscure dictum est de iis qui superædificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fenum, stipulam (de his enim dictum est quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt), sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et fenum et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut ei nihil anteponatur, et malit homo qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit magis carere quam Christo; per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, cum in fundamento non habuit ; quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim, de quo eo loco est locutus Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant : id est, et qui *ædificat super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos*, et qui *ædificat ligna, fenum et stipulam.* Cum enim hoc dixisset, adjunxit : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus autem exustum fuerit, damnum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*Id.* III, 11-15). Non ergo unius eorum, sed utriusque opus ignis probabit. Est quidam [1] ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 6). Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accidat [2] duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei

[1] Sic Mss. Editi vero, *Ecclesiæ*.
[2] Mss., *creduntur a quibusdam*, omisso, *autem*.
[3] Nonnulli codices, *punituri*. Forte reponendum, *puniri*, vel, *puniendi*.
(a) Ex eorum numero, quos aliquoties reprehendit Augustinus, non tantum libro de Fide et operibus, sed etiam lib. 21 de Civitate Dei, cap. 17, et sequentibus, præter Origenem semper. Hæc vero cum scriberet, intendisse in Hieronymum creditur a Joanne Garnerio in Appendice prima ad priorem partem Mercatoris, pag. 117. Vide supra Admonitionem in librum de Fide et Operibus.

[1] Sic Mss. Editi vero, *quidam*.
[2] Lov. et Mss., *accedat*. Alii codices, *accidat*.

sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christum fundamentum [1], aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri autem cogitanti ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori (I *Cor.* VII, 32, 33), id est, ædificanti super idem fundamentum ligna, fenum, stipulam: illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit quorum amissione crucietur; exuritur autem hujus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius carere mallet quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit, *salvus est* quidem, *sic tamen quasi per ignem*: quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum; sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

CAPUT LXIX. — *Ignis etiam purgatorius quidam post hanc vitam.* Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quæri potest: et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari; non tamen tales de quibus dictum est, quod *regnum Dei non possidebunt*, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænuntiet Dominus dextris, et earum tantummodo sterilitatem sinistris; quando his dicturus est, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*: illis autem, *Ite in ignem æternum* [2] (*Matth.* XXV, 34, 41).

CAPUT LXX. — 19. *Crimina eleemosynis non redimi, nisi vita mutetur.* Sane cavendum est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. *Nemini* enim *dedit laxamentum peccandi* (*Eccli.* XV, 21): quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

CAPUT LXXI. *Oratione Dominica expiari leviora peccata.* De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui es in cœlis*, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu [3] (*Joan.* III, 5). Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 9, 12): id est, si [1] fiat quod dicitur, quia et ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

CAPUT LXXII. — *Eleemosynarum genera multa.* Ac per hoc ad omnia quæ utili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Non solum ergo [2] qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique [3] necessarium est indigenti; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat; et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat; quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi quos inimicos putant; et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala christianus non debeat nec pro malis. Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nostra peccata.

CAPUT LXXIII. — *Eleemosynæ genus maximum, parcere inimicis.* Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multo grandius et magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cum possis [4], audiens dicentem Deum, *Diligite inimicos vestros, bene facite eis qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur* (*Matth.* V, 44). Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* procul dubio verba sponsionis hujus implentur, si homo qui nondum ita profecit, ut jam [5] diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei

[1] Quidam Mss., *super Christi fundamentum.*

[2] Lov., *percipite regnum Dei; illis autem, Ite, maledicti, in ignem æternum.* Voces, *Dei*, et, *maledicti*, absunt a Mss.

[3] Editi hic et simili loco infra, cap. 75, addunt, *sancto:* quæ vox a Mss. abest et a græco textu Evangelii Joannis, cap. 3, ℣. 5, in quem respiciebat Augustinus.

[1] Abest, *si*, a Mss. et ab Am. Er. Dan.

[2] Ita Mss. At editi, *non solum autem.*

[3] Plures Mss., *quodcumque.*

[4] Plerique Mss., *quod possis.* Moxque prosequuntur, *audiens dicentem Deum;* vel, *audiens dicentem Jesum*, quæ etiam lectio est Am. Er. Dan. necnon 3 Sent., dist. 30, cap. *Hic solet.* At Lov. et Arn. post verba, *cum possis*, hæc subjiciunt: *Illius memor exempli, qui in cruce pendens pro suis exorat persecutoribus, suosque admonuit dicens*: *Diligite.* etc.

[5] Duo e Vaticanis Mss., *ut etiam.*

dimittat, dimittit ex corde: quia etiam sibi roganti utique vult dimitti, cum orat et dicit, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; id est, Sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut et nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

CAPUT LXXIV. — *Peccata non dimittenti non dimittuntur a Deo.* Jam vero qui eum, in quem peccavit, hominem rogat, si peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti et peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet a Domino sua peccata dimitti; quoniam mentiri veritas non potest. Quem vero lateat Evangelii auditorem sive lectorem, quis dixerit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6)? Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendavit, dicens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra* (*Matth.* VI, 14, 15). Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: et tamen potens est ille etiam mortuos suscitare.

CAPUT LXXV. — 20. *Eleemosyna sceleratos et infideles non mundat, nisi mutentur.* Sane qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur, quoniam Dominus ait, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Hoc enim quam late pateat, non intelligunt. Sed ut intelligant, attendant quibus dixerit. Nempe in Evangelio sic scriptum est: *Cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se; et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos, Pharisæi, quod de foris est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod deforis est, etiam id quod intus est fecit*[1]*? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 37-41). Hanc hoc intellecturi sumus, ut Pharisæis non habentibus fidem Christi, etiamsi non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua et Spiritu, munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant? cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est, *Mundans fide corda eorum* (*Act.* XV, 9); et dicat Apostolus, *Immundis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia* (*Tit.* I, 15). Quomodo ergo Pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent et fideles non essent? Aut quomodo fideles essent, si in Christum credere atque in ejus renasci gratia noluissent? Et tamen verum est quod audierunt, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.*

CAPUT LXXVI. — *Prima eleemosyna, animæ suæ misereri et recte vivere.* Qui enim[1] vult ordinate dare eleemosynam, a se ipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ; verissimeque dictum est, *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna, quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros[2] per miserantis Dei misericordiam requisivimus, justum judicium ejus confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus, *Judicium quidem ex uno in condemnationem*: et magnæ charitati ejus gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator, *Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* V, 16, 8, 9); ut et nos veraciter de nostra miseria judicantes, et Deum charitate[3] quam donavit ipse diligentes, pie recteque vivamus. Quod judicium et charitatem Dei cum Pharisæi præterirent, decimabant tamen propter eleemosynas quas faciebant etiam quæque minutissima fructuum suorum: et ideo non dabant eleemosynas a se incipientes, secumque prius misericordiam facientes[4]. Propter quem dilectionis ordinem dictum est, *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Luc.* X, 27). Cum ergo increpasset eos quod forinsecus se lavabant, intus autem rapina et iniquitate pleni erant, admonens quadam eleemosyna[5], quam sibi homo debet primitus dare, interiora mundari: *Verumtamen*, inquit, *quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Deinde ut ostenderet quid admonuisset, et quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent eorum eleemosynas ignorare: *Sed væ vobis*, inquit Pharisæis: tanquam diceret, Ego quidem commonui vos eleemosynam dandam, per quam vobis munda sint omnia; *Sed væ vobis qui decimatis mentam et rutam et omne olus*; has enim novi eleemosynas vestras, ne de illis me nunc vos admonuisse arbitremini: *et præteritis judicium et charitatem Dei*; qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, ut vobis munda essent et corpora quæ lavatis: hoc est enim *omnia*, et interiora scilicet et exteriora; sicut alibi legitur, *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*Matth.* XXIII, 26). Sed ne istas eleemosynas, quæ fiunt de fructibus terræ, respuisse videretur, *Hæc*, inquit, *oportuit facere*, id est, judicium et charitatem Dei, *et illa non omittere* (*Luc.* XI, 42), id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

CAPUT LXXVII. — *Iniquitas deserenda, ut prosit eleemosyna.* Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in fa-

[1] [illegible] addebant: *videte ut etiam id quod intus est mundum fiat*; quod ab editis [illegible] abest, [illegible] ab Evangelio [illegible]tato.

[1] Sic Mss. Editi vero, *qui enim*.

[2] Tres Mss., *nos ipsos merito miseros*.

[3] Editi, *et Dei charitate*. Castigatur ex Mss.

[4] Am. Er. Lov. post, *facientes*, addebant, *sicut isti eas dandas putant*. Verba sunt ex superiore capite male huc translata.

[5] Am. Er. Lov. et Arn., *admonens quamdam eleemosynam*: et [illegible] post, *dare*, habebant, *et interiora mundare*. Emendantur hic ex Mss.

cinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendi: non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent, tantum si possint impune, versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6); et qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis: diligendo eam quippe secundum sæculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda omnia, odisset eam secundum sæculum, et diligeret secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam qualemlibet, nisi unde det ab illo accipiat qui non eget. Ideo dictum est, *Misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11).

CAPUT LXXVIII. — 21. *Peccata quædam sunt, quæ humano judicio non esse putarentur.* Quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est quod venerabilis [1] Paulus conjugibus ait, *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum ad idipsum estote* [2], *ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram*: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium* (I *Cor.* VII, 5, 6). Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate, fateatur [3]? Tale quiddam est, ubi dicit: *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Et paulo post: *Sæcularia igitur judicia si habueritis*, inquit, *eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate* [4]. *Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrem suum judicare? sed frater cum fratre judicatur, et hoc apud infideles!* Nam et hic posset putari judicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret: *Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum* (I *Cor.* VI, 1-7). Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se judicum sententia removeri; continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait, *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi et pallium* (*Matth.* V, 40), et alio loco, *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere* (*Luc.* VI, 30). Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. Tamen cum sinit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat; manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi peccata, et alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum et cogitationum offensionibus, apostolo Jacobo confitente ac dicente, *In multis enim offendimus omnes* (*Jacobi* III, 2); oportet ut quotidie crebroque oremus Dominum, atque dicamus, *Dimitte nobis debita nostra*; nec in eo quod sequitur mentiamur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12).

CAPUT LXXIX. — *Quæ levia videntur, esse interdum gravissima.* Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, *Fatue*, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? Cui tamen vulneri subjecit continuo medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adjungens: mox quippe ait, *Si ergo offers* [1] *munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te*, etc. (*Matth.* V, 22, 23). Aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit, dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait, *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Galat.* IV, 11)?

CAPUT LXXX. — *Peccata horrenda, usu videntur levia.* Huc accedit [2] quod peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur; usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur* (*Psal.* IX, 24). Talis in divinis Libris iniquitas clamor vocatur. Sicut habes apud Isaiam prophetam de vinea mala: *Exspectavi*, inquit, *ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem* [3], *et non justitiam, sed clamorem* (*Isai.* V, 7). Unde est et illud in Genesi: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est* (*Gen.* XVIII, 20). Quia non solum jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum etiam publice veluti lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa

[1] Vox, *venerabilis*, deest in uno tantum e Vaticanis Mss.

[2] Editi, *ad ipsum revertimini*. At plerique ac meliores Mss., *ad idipsum* (vel, *ad ipsum*) *estote*. Hanc lectionem sequi solet Augustinus in Epistola 262, in Sermone 351, n. 3, in lib. 5 contra Faustum, cap. 9; eademque lectio apud Origenem adhibita fuit in homilia in Numeros vigesima tertia: quasi pro *sunerchesthe*, legerent olim, *ginesthe*. In fine ejusdem sententiæ, loco, *incontinentiam*; nonnulli codices ferunt, *intemperantiam*.

[3] In editis, *apostolica auctoritas fateatur*. At in melioris notæ Mss., *apostolica auctoritate fateatur*: id est, ab Apostolo dari veniam, secundum illud paulo ante dictum, *ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa*.

[4] Editi addunt, *ad judicandum*. Sed hoc nec Mss. habent, nec textus græcus Apostoli. Rursum infra consentientes græco veteres codices sequimur, relictis editis, qui ferebant, *inter fratrem et fratrem judicare, sed frater cum fratre judicio contendit*.

[1] In Mss., *offeres*. Græce est, *prospherês*.

[2] Lov. et Am. *Hinc accedit*: minus bene.

[3] Veteres Mss. duo, *fecit autem facinus*.

mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus, *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis*; exclamare compulsus sum: « Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant regnum Dei [1], sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur! atque utinam, o Domine, non omnia quæ non potuerimus [2] prohibere, faciamus » (*Expos. Epist. ad Galat. n.* 55)! Sed videro utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit dicere.

CAPUT LXXXI. — 22. *Peccati causæ duæ, ignorantia et infirmitas, quas nemo vincit nisi divinitus adjutus.* Hoc nunc dicam, quod quidem et in aliis opusculorum meorum locis sæpe jam dixi. Duabus ex causis peccamus; aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit: sed profecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate [3] delectatio justitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus; jam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis prævaricatores, cum id non facimus quod faciendum, vel facimus quod non faciendum esse jam scimus. Quapropter non solum si peccavimus ut ignoscat, propter quod dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; verum etiam ne peccemus ut regat, propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 12, 13); ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo, *Dominus illuminatio mea et salus mea* (*Psal.* XXVI, 1); ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

CAPUT LXXXII. — *Pœnitentia Dei donum.* Nam et ipsa pœnitentia, quando digna causa est secundum morem Ecclesiæ cur agatur, plerumque infirmitate non agitur; quia et pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quam justitia qua se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam* (II *Tim.* II, 25). Et ut Petrus amare fleret, præmisit evangelista, et ait: *Respexit eum Dominus* (*Luc.* XXII, 61).

CAPUT LXXXIII. *Peccatum in Spiritum sanctum.* Qui vero in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. De qua quæstione difficili in quodam propter hoc solum conscripto libello enucleatissime, quantum potui, disputavi (*a*).

CAPUT LXXXIV. — 23. *De carnis resurrectione.* Jam vero de resurrectione carnis, non sicut quidam revixerunt, iterumque sunt mortui, sed in æternam vitam, sicut Christi ipsius caro resurrexit, quemadmodum possim breviter disputare, et omnibus quæstionibus quæ de hac re moveri assolent, satisfacere non invenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus.

CAPUT LXXXV. — *Fetus abortivi an resurgent.* Unde primo occurrit de abortivis fetibus quæstio, qui jam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita ut jam possent renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus; de iis qui jam formati sunt, tolerari potest utcumque quod dicitur: informes vero abortus [1] quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quiquid formæ defuit impleatur? Atque ita non desit perfectio, quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia quæ accesserant tempore: ut neque in eo quod aptum et congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur; neque in eo quod adversum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur; sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum (*b*).

CAPUT LXXXVI. — *Fetus in utero quando vivere incipiat.* Ac per hoc scrupulosissime quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere; utrum sit quædam vita et [2] occulta, quæ nondum motibus viventis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur et ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matres quoque si mortua ibi relinquantur occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus vero, ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.

CAPUT LXXXVII. — *Monstrosi fetus quomodo resurrecturi.* Neque enim et monstra quæ nascuntur et vivunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita [3] resurrectura credenda

[1] Paulo alia lectio est Expositionis Epistolæ ad Galatas, ubi habetur, n. 55: *usitata vero pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamlibet magna sint, et omnino claudi contra se faciant regnum Dei*. M.

[2] Editi, *potuimus*. Melius Mss., *potuerimus*. Nam sic Expositio citata Epistolæ ad Galatas.

[3] Unus e Vaticanis vetustissimus codex, *accedente suavitate*. ... Aptius tamen Mss. cæteri et edit., *accedente sanitate*, quæ scilicet peccatum ... infirmitatis.

[1] Decem Mss., *abortivos*.

[2] Am. Er. Dan. Arn. et pauci Mss. omittunt, *et*.

[3] Hic Am. Er. et Dan. addunt, *vitiata*, quæ vox abest a Mss.

(*a*) Non alio, credimus, libello, nisi sermone nunc 71, qui olim de Verbis Domini fuit 11.

(*b*) Vide lib. 22 de Civitate Dei, capp. 12, 13.

sunt, ac non potius correcta emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo et fratres fidelissimi quod eum viderint retulerunt, et sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit (*a*); absit, inquam, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera quæ singuli quique partus vel amplius vel minus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione revocabuntur; ita ut singulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus etiam quæcumque cohærentia nata fuerant, sed seorsum sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.

CAPUT LXXXVIII. — *Instauratio carnis quocumque modo perierit.* Non autem perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit [1], quæ illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit.

CAPUT LXXXIX. — *Superflua quomodo redibunt ad corpus.* Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod toties dempsit exsectio; immoderata et indecens cogitantibus, et ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cujuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare; nihil interesset ad ejus integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra constiterat, eam mirabili et ineffabili celeritate restituet; nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant et ungues ad ungues, an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, et in partes alias corporis revocetur, curante artificis providentia ne quid indecens fiat (*b*).

CAPUT XC. — *In statura et effigie corporis nihil erit indecorum.* Nec illud est consequens, ut ideo diversa sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio Creatoris, ut in effigie sua cujusque proprietas et discernibilis similitudo servetur, in cæteris autem corporis bonis [1] æqualia cuncta reddantur; ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat, et quod alicui defuerit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur; hoc fiet cuique de materie corporis sui, quod et hominem reddat [2] angelicis cœtibus, et nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit; sed quidquid futurum est, hoc decebit; quia nec futurum est, si non decebit.

CAPUT XCI. — *Resurgent piorum corpora quo ad substantiam carnis, sed sine omni vitio.* Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas [3], quanta felicitas erit. Propter quod et spiritualia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est; ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen, non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam (*Sap.* IX, 15), et ad vitia, quibus caro adversus spiritum concupiscit (*Galat.* V, 17), tunc non erit caro, sed corpus; quia et cœlestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt:* et tanquam exponens quid dixerit, *neque corruptio*, inquit, *incorruptionem possidebit* (I *Cor.* XV, 50). Quod prius dixit, *caro et sanguis;* hoc posterius dixit, *corruptio:* et quod prius, *regnum Dei:* hoc posterius, *incorruptionem.* Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod et post resurrectionem corpus Christi, caro appellata est (*Luc.* XXIV, 39). Sed ideo ait Apostolus, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44): quoniam tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.

CAPUT XCII. — *Corpora damnatorum qualia resurgent.* Quicumque vero ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum Mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, in requirendo laborare quid opus

[1] Lov., *reddit.*

(*a*) Hieronymus, in Epistola ad Vitalem: « Num quia nostra, inquit, ætate duplex Lyddæ natus est homo, duorum « capitum, quatuor manuum, uno ventre et duobus pedibus, « omnes homines ita nasci necesse est? » Confer. lib. 16 de Civitate Dei, cap. 8.

(*b*) Vid. lib. 22 de Civitate Dei, cap. 19.

[1] Ex Vaticanis Mss. unus habet, *corporeis membris.*

[2] Apud Am. Er. Dan et Lov., *reddat æqualem.* Abest, *æqualem*, a Mss. et ab editione Arnaldi.

[3] Am. Er. et tres Mss., *facilitas resurgendi.* Minus recte:

est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat, quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit; aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis Scripturis, *secunda mors* dicitur (*Apoc.* II, 11, *et* XX, 6, 14).

CAPUT XCIII. — *Quorum damnatorum futura sit mitissima pœna.* Nec prima tamen qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda qua pœnale corpus anima[1] relinquere non permittitur, homini accidisset, si nemo peccasset. Mitissima sane omnium pœna erit eorum qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: et in cæteris qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem.

CAPUT XCIV. — 24 *In vita æterna sancti plenius cognoscent quid eis contulerit gratia.* Remanentibus itaque angelis et hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient plenius quid boni eis contulerit gratia. Tunc rebus ipsis evidentius apparebit quod in Psalmo scriptum est, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1); quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, et nisi per debitum judicium nemo damnatur.

CAPUT XCV. — *Tunc revelabuntur occulta judicia Dei in hominum prædestinatione. Voluntas Dei efficacissima.* Tunc non latebit quod nunc latet, cum de duobus parvulis unus esset assumendus per misericordiam, alius per judicium relinquendus, in quo, is qui assumeretur, agnosceret quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret; cur ille potius quam iste fuerit assumptus, cum causa una esset ambobus: cur apud quosdam non factæ sint virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam[2], et factæ sint apud eos qui non fuerant credituri. Apertissime namque Dominus dicit: *Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI, 21). Nec utique Deus injuste noluit salvos fieri, cum possint salvi esse, si vellent[3]. Tunc in clarissima sapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit: quamque sit verum quod in Psalmo canitur, *Deus autem noster in cœlo sursum*[1]; *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, fecit* (*Psal.* CXIII, 11). Quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit; et, quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.

CAPUT XCVI. — *Deus facit bene, etiam sinendo fieri male.* Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit; et profecto bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona; tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono: cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ Confessionis[2] initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

CAPUT XCVII. — *Voluntas Dei salvare volentis an impediatur humana voluntate.* Quamobrem videndum est quemadmodum sit de Deo dictum, quia et hoc verissime Apostolus dixit, *Qui omnes homines vult salvos fieri* (I *Tim.* II, 4). Cum enim non omnes, sed multo plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa cur non omnes salvi fiant, responderi solet quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem dici de parvulis non potest, quorum nondum est velle, seu nolle. Nam quod infantili[3] motu faciunt, si eorum voluntati judicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cum resistunt quantum possunt, etiam nolentes eos salvos fieri diceremus. Sed apertius Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem, *Quoties*, inquit, *volui*

nam de facultate agendi potius hæc interpretanda sententia est.

[1] Lov. et Arn., *animam*. Editi alii et Mss., *anima*.

[2] Septem Mss., *egissent utique illi homines pœnitentiam*.

[3] Veteres codices [illegible] bibliothecæ Vaticanæ duo, et Parisienses [illegible] [illegible] Contra editi, [illegible] vellent, si vellent [illegible] cumque illis convenerunt hi subsequentes undecim manuscripti, unus et alter Vaticanus, Colbertini tres, Regius unus, Antiqui [illegible] Doctoris Theologi Facultatis Parisiensis unus, [illegible] Victorinus, Carcassonensis et Lemovicensis unus: quanquam in isto Lemovicensi, ut alio ex recensitis Colbertinis, itaque uno ex Vaticanis [illegible] litera [illegible], ut legeretur *vellet*. Lovanienses Theologi in sua operum Augustini editione scripserunt ad marginem [illegible], *vellet*, [illegible] sic legendum [illegible] Guillelmus Estius in Sent. 1, dist. 46, parag. 2: ac sic [illegible] Petrus Lombardus in Sent. 1, dist. 45, cap. [illegible]

[1] Er. Lov. et Arn. omittunt, *in cœlo sursum*. Habent editi alii et Mss. hic et in Enarr. in Psal. 113.

[2] Editi, *nostræ fidei confessionis*. Abest, *fidei*, a Mss. [illegible] est vox, *Confessionis*, loco [illegible]

[3] [illegible] Dan. et aliquot Mss. At Lov. et Arn., *infantili*.

colligere filios tuos sicut gallina pullos suos, et noluisti (*Matth.* XXIII, 37)! tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, et infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia, qua *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, fecit*, si colligere filios Jerusalem voluit, et non fecit? An potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit? quia *in cœlo et in terra*, non quædam voluit et fecit, quædam vero voluit et non fecit, sed *omnia quæcumque voluit, fecit*.

CAPUT XCVIII. — 25. *Deus etsi potest convertere quos voluerit, non tamen inique facit, cum alios convertit, alios non convertit. Originale vinculum damnationis.* Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit: cum autem non facit, per judicium non facit. Quoniam *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*. Quod ut diceret [1] Apostolus, gratiam commendabat: ad cujus commendationem de illis in Rebeccæ utero geminis fuerat jam locutus, quibus nondum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, *ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori.* Propter quod adhibuit alterum propheticum testimonium, ubi scriptum est, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permovere eos qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, *Quid ergo dicemus?* ait: *numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Iniquum enim videtur, ut sine ullis bonorum malorumve operum meritis, unum Deus diligat, oderit alterum. Qua in re si futura opera vel bona hujus vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, *non ex operibus*: sed diceret, ex futuris operibus; eoque modo istam solveret quæstionem; imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem. Nunc vero cum respondisset, *Absit*, id est, absit ut sit iniquitas apud Deum; mox ut probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit: *Moysi enim dicit, miserebor cujus misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive judicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno? Denique infert, et dicit, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur (*Ephes.* II, 3), nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, *Miserebor cujus misertus ero* [2], Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate; quia *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Altissimo quippe atque saluberrimo sacramento universa facies, atque, ut ita dixerim, vultus sanctarum Scripturarum, bene intuentes id admonere invenitur, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31).

CAPUT XCIX. — *Ut magna bonitate miseretur Deus, ita nulla iniquitate obdurat. Apostolica ratio.* Cum autem Dei misericordiam commendasset in eo quod ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; deinde ut etiam judicium commendaret (quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed judicium; non est quippe iniquitas apud Deum), continuo subjunxit, atque ait: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam* [1] *meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Quibus dictis ad utrumque concludens, id est, et ad misericordiam et ad judicium: *Ergo*, inquit, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis. Hoc autem qui eo modo audit, ut dicat, *Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* tanquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*: absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (*Rom.* IX, 11-21)? Hoc loco enim quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, *O homo, tu quis es?* Et in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi [2], sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim hæc non capit, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit, magis non invenit quid respondeat. Videt enim, si capit, universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam; et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret: ut volentium de suis meritis gloriari, *omne os obstruatur* (*Id.* III, 19); et *qui gloriatur, in Domino glorietur*.

[1] Editi, *quod cum diceret*. At Mss., *quod ut diceret*. Eodem sensu infra, in capite 103, legitur, *ut hoc diceret*.

[2] Editi post, *misertus ero*, adduut, *et misericordiam præstabo, cui misericors fuero*, quod hoc loco non reperitur in Mss.

[1] Aliquot Mss., *fortitudinem*.

[2] Nonnulli Mss.: *Et ut in talibus.... revocaret hominem, verbo quidem brevis, sed re*, etc.

CAPUT C. — 26. *Nihil fieri præter voluntatem Dei, etiam dum fit contra ejus voluntatem.* Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2) : et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit : bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt : quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem fecerunt ejus, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus;* ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret : nec utique nolens sinit, sed volens; nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene.

CAPUT CI. — *Voluntas Dei bona per bonas æque et malas voluntates hominum semper impletur.* Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius multoque certius voluntate : nam illius mala voluntas esse nunquam potest. Tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona : velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste vero id vult quod vult et Deus : et tamen bonæ Dei voluntati pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam hujus idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut probetur aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas, utique bonas implet per malorum hominum voluntates malas : sicut per Judæos malevolos bona voluntate Patris pro nobis Christus occisus est; quod tantum bonum factum est, ut apostolus Petrus quando id fieri nolebat, satanas ab ipso qui occidi venerat diceretur (*Matth.* XVI, 23). Quam bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant apostolum Paulum Jerusalem pergere, ne ibi pateretur mala, quæ Agabus propheta prædixerat (*Act.* XXI, 10-12)? et tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuntianda fide Christi, exercens martyrem Christi. Neque istam [1] bonam voluntatem suam implevit per Christianorum voluntates bonas, sed per Judæorum malas : et ad eum potius pertinebant qui nolebant quod volebat, quam illi per quos volentes factum est quod volebat; quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.

CAPUT CII. — *Voluntas Dei invicta semper, et nunquam mala, sive misereatur, sive obduret.* Sed quantælibet sint voluntates vel angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas semper invicta est : quæ mala esse nunquam potest; quia etiam [1] cum mala irrogat, justa est, et profecto quæ justa est [2], mala non est. Deus igitur omnipotens sive per misericordiam cujus vult misereatur, sive per judicium quem vult obduret, nec inique aliquid facit, nec nisi volens quidquam facit, et omnia quæcumque vult, facit.

CAPUT CIII. — 27. *Excutitur dictum Apostoli ad Timotheum,* « Qui vult omnes homines salvos fieri. » Ac per hoc cum audimus et in sacris Litteris legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare; sed ita intelligere quod scriptum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri*, tanquam diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit : non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quod nullus fiat, nisi quem velit; et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus, et quod in Evangelio scriptum est, *Qui illuminat omnem hominem* (*Joan.* I, 9) : non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certe sic dictum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri;* non quod nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset : sed ut *omnes homines* omne genus humanum [3] intelligamus per quascumque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum et conscientiarum varietate innumerabili constitutos, et si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per Unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, et ideo faciat [4], quia omnipotens velle inaniter non potest quodcumque voluerit? Præceperat enim Apostolus ut oraretur *pro omnibus* [5] *hominibus*, et specialiter addiderat *pro regibus et iis qui in sublimitate sunt*, qui putari poterant, fastu et superbia sæculari a fidei christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens, *Hoc enim bonum est coram salvatore nostro Deo*, id est, ut etiam pro talibus oretur : statim ut desperationem tolleret, addidit, *Qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis ve-*

[1] Sic Mss. At Lov. et Am., *neque enim iste*.

[1] Quidam libri, *quæ etiam*.
[2] Lov., *quia justa est*. Alii codices, *quæ justa est*.
[3] Nonnulli Mss. omittunt, *hominum*; et quædam cum editione Dan. ejus loco habent, *hominum*.
[4] Duo e Vaticanis Mss., *fiat*.
[5] Am. Er. Dan. et Lov., *pro singulis*. Verius Mss. magno consensu, *pro omnibus*. Sic enim Apostolus, loco citato.

nire (I *Tim.* II, 1-4). Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium : quod utique jam videmus impletum. Isto locutionis modo et Dominus est usus in Evangelio, ubi ait Pharisæis, *Decimatis mentam, et rutam, et omne olus* (*Luc.* XI, 42). Neque enim Pharisæi et quæcumque aliena et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic *omne olus*, omne olerum genus ; ita et illic *omnes homines*, omne hominum genus intelligere possumus : et quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse ; qui sine ullis ambiguitatibus, si *in cælo et in terra*, sicut eum veritas[1] cantat, *omnia quæcumque voluit, fecit*, (*Psal.* CXIII, 11), profecto facere noluit quodcumque non fecit.

CAPUT CIV. — 28. *Quæ fuerit voluntas Dei erga Adamum, quem peccaturum præsciebat.* Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi jam non solum peccatum non[2] committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est peccaturum esse præsciebat, ad hoc potius præparavit voluntatem suam, ut bene ipse faceret etiam de male faciente, ac sic hominis voluntate mala non evacuaretur, sed nihilominus impleretur omnipotentis bona.

CAPUT CV. — *Voluntas hominis ad bonum et malum aliter libera in primo statu, aliter in ultimo.* Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut et bene velle posset, et male ; nec gratis, si bene ; nec impune, si male : postea vero sic erit, ut male velle non possit ; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nunc nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere quam bonum sit animal rationale quod etiam non peccare possit[3], quamvis sit melius quod peccare non possit : sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam non mori, quamvis major futura sit in qua non possit mori.

CAPUT CVI. — *Libero arbitrio gratia necessaria in primo et secundo statu.* Illam (*a*) natura humana perdidit per liberum arbitrium ; hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum ; quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit, nemo est enim qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere ; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum sive quorumcumque tutaminum desint : sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret. Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando et ipsum arbitrium[1] liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur ; ut voluntas ipsa, sicut scriptum est, a Domino præparetur (*Prov.* VIII, 35, *sec.* LXX), qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum.

CAPUT CVII. — *Vita æterna merces et tamen gratia. Voluntas Dei de homine peccante impleta.* Unde et ipsam vitam æternam, quæ certe[2] merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat Apostolus : *Stipendium enim*, inquit, *peccati mors ; gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VI, 23). Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur : ideo dixit, *Stipendium peccati mors ;* ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret. Gratia vero nisi gratis est, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera ; quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur (*Joan.* I, 16) ? Sic ergo factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio divino, et suo fieri perversus arbitrio. Utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. Proinde quia suam maluit facere quam Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam (*Rom.* IX, 21) : in honorem, per misericordiam ; in contumeliam, per judicium : ut nemo glorietur in homine ; ac per hoc, nec in se.

CAPUT CVIII. — *Ex Deo salus nostra, ita ut nec per Christum liberaremur, si non esset Deus.* Nam neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum (I *Tim.* II, 5), nisi esset et Deus. Sed cum factus est Adam, homo scilicet rectus, mediatore non opus erat[3]. Cum vero

[1] Sic Mss. Editi vero, *sicut et veritas.*

[2] Abest, *non*, ab omnibus prope Mss.

[3] Am. Er. Dan. et Lov., *quod etiam peccare possit ;* et infra, *in qua posset etiam mori :* omissa negante particula ; quam utroque loco in plerisque Mss. reperimus, necnon in editione Arnaldi.

(*a*) Frustra monet Lambertus Danæus ut *Illam* referamus ad voluntatem hominis, de qua superiori capite. Verior Petri Lombardi interpretatio sic locum citantis in 2 sent., dist. 29, cap. 1 : « Illam, inquit, immortalitatem in qua « poterat non mori natura humana, perdidit per liberum « arbitrium : hanc vero in qua non poterit mori, acceptura « est per gratiam. »

[1] In excusis, *liberum arbitrium.* Abest, *liberum*, a Mss.

[2] Am. Er. Dan. et aliquot Mss., *certa.*

[3] Aliquot Mss. : *Mediator ei non opus erat.*

genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per Mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, occisus est, reconciliari nos oportebat Deo usque ad carnis resurrectionem in vitam æternam : ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanaretur, et demonstraretur homini quam longe a Deo recesserat, cum per incarnatum Deum revocaretur, et exemplum obedientiæ per hominem Deum contumaci homini præberetur ; et Unigenito suscipiente formam servi, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur ; et carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso Redemptore præmonstraretur ; et per eamdem naturam quam se decepisse lætabatur, diabolus vinceretur ; nec tamen homo gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur : et si quid aliud de tanto Mediatoris sacramento a proficientibus videri et dici potest, aut tantum videri, etiamsi dici non potest.

CAPUT CIX. — 29 *Animarum receptacula ante resurrectionem.* Tempus autem quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne cum viveret.

CAPUT CX. — *Sacrificium altaris et eleemosynæ pro defunctis, quatenus et quibusnam prosint.* Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possint prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem : nec tam malus ut non ei prosint ista post mortem : est vero talis in bono, ut ista non requirat ; et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit [1], adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexerit [2], cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est, *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (*Rom.* XIV, 10, *et II Cor.* V, 10) ; quia etiam hoc meritum sibi quisque dum in corpore viveret comparavit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt : et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore ? Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt ; pro non valde malis propitiationes sunt ; pro valde malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat [1] ipsa damnatio (*a*).

CAPUT CXI. — *Duæ civitates post judicium in æterna vel beatitudine vel miseria.* Post resurrectionem vero facto universo completoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ, una scilicet Christi, altera diaboli ; una bonorum, altera malorum ; utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi ; istis in æterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate [2] durantibus, quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio præstabilius, in miseria vero illi alius alio tolerabilius permanebunt.

CAPUT CXII. — *Pœnam damnatorum æternam fore.* Frustra itaque nonnulli, imo quam plurimi, æternam damnatorum pœnam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt [3] ; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quæque molliendo, et in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius [4] esse dicta, quam verius (*b*). *Non* enim *obliviscetur*, inquiunt, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas* (*Psal.* LXXVI, 10). Hoc quidem in psalmo legitur sancto ; sed de his sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur posse finiri eorum de qui-

[1] Am. Er. et quidam Mss., *cum hac vita transierit.*

[2] Plures [illegible] *quod hic neglexerit*, [illegible] tur se, *cum obierit Dominum promereri*, omissis, *apud.*

[1] Mss. plures omittunt, *fiat* ; cujus loco nonnulli habent, *sit.*

[2] Unus e Vaticanis et alius e Colbertinis, *sine moriendi necessitate.*

[3] Aliquot Mss., *atque ita futuros esse non credunt.*

[4] Plures Mss., *putant in eis terribilius*

(*a*) Damnationem hic [illegible] post purgatorii pœnas salvandi sunt, acerrime tenebat doctus Albertus Magnus, in 4 Sent., dist. 45, art. 5, ad 1 ; [illegible] tationem probarunt Magistri deinceps in eumdem Sententiarum locum. Attamen Petrus Lombardus eo loci dist. 45, cap. *Neque negandum est*, [illegible] qui nunquam liberandi sunt, [illegible] inde concludens dixit : [illegible] ad pœnæ mitigationem. [illegible] quæst. 13, cap. *Tempus*, hæc apposita est : [illegible] Alberto Magno [illegible] codice pervetusto exstat [illegible] in qua [illegible] Deus, qui [illegible] vivificare ; dedu- [illegible] et vocas ea quæ [illegible] in cœlo et in terra, et in mari et in [illegible] ad Deum [illegible] non mereren- [illegible] cantarentur a [illegible]

(*b*) Vid. de Civitate Dei lib. 21, capp. 18, 24.

bus dictum est, *Et ibunt isti in supplicium æternum :* ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus e contrario dictum est, *Justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 46). Sed pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus [1] mitigari. Etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei (*Joan.* iii, 36), hoc est ipsa damnatio (hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio), ut in ira sua, hoc est manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas; non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus. Quia nec Psalmus ait, Ad finiendam iram suam, vel, post iram suam; sed, *in ira sua*. Quæ si sola esset quanta ibi minima cogitari potest; perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei quam abscondit timentibus se (*a*), perfecit autem sperantibus in se (*Psal.* xxx, 20), tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari, si illa sit æterna, ista autem sint quamlibet multis sæculis longa.

CAPUT CXIII. — *Mors impiorum, ut vita piorum, perpetua.* Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, quælibet [2] homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur : sicut manebit communiter omnium vita æterna sanctorum, qualibet bonorum distantia concorditer fulgeant.

CAPUT CXIV. — 30. *Exposita fide, agit de spe : quæ huc pertinent contineri oratione dominica. Spem in se ipso ponens maledictus.* Ex ista fidei confessione, quæ breviter Symbolo continetur, et carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritualiter autem considerata atque tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui charitas sancta comitatur. Sed de iis omnibus quæ fideliter sunt credenda, ea tantum ad spem pertinent quæ oratione dominica continentur. *Maledictus* enim *omnis*, sicut divina testantur eloquia, *qui spem ponit in homine* (*Jerem.* xvii, 5) : ac per hoc et in se ipso qui spem ponit, hujus maledicti vinculo innectitur. Ideo non nisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos vel pro [3] bonis operibus adepturos.

CAPUT CXV. — *Orationis dominicæ apud Matthæum petitiones septem.* Proinde apud evangelistam Matthæum septem petitiones continere dominica videtur oratio : quarum tribus æterna poscuntur, reliquis quatuor, temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (quod non absurde quidam intellexerunt, in spiritu et corpore), omnino sine fine retinenda sunt : et hic inchoata [1], quantumcumque proficimus, augentur in nobis, perfecta vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod vero dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, Et ne nos inferas in tentationem, Sed libera nos a malo* (*Matth.* vi, 9-13), quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna ubi nos semper speramus futuros, et nominis Dei sanctificatio, et regnum ejus, et voluntas ejus in nostro spiritu et corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus est quia hic est necessarius, quantus animæ carnique tribuendus est, sive spiritualiter, sive carnaliter, sive utroque intelligatur modo. Hic est etiam quam poscimus remissio, ubi est commissio peccatorum; hic tentationes quæ nos ad peccandum vel alliciunt vel impellunt; hic denique malum unde cupimus liberari : illic autem nihil istorum est.

CAPUT CXVI. — *Petitiones tantum quinque apud Lucam, qui cum Matthæo conciliatur.* Evangelista vero Lucas in oratione dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est : nec ab isto utique discrepavit, sed quomodo istæ septem sint intelligendæ [2], ipsa sua brevitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodam modo repetitionem, magis eam prætermittendo facit intelligi. Deinde tres alias adjungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda (*Luc.* xi, 2-4). At vero quod ille in ultimo posuit, *Sed libera nos a malo;* iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *Sed libera;* non ait, Et libera, tanquam unam petitionem esse demonstrans (noli hoc [3], sed hoc) : ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem.

CAPUT CXVII. — 31. *De charitate quæ cum fide ac spe adesse debet.* Jam porro charitas, quam duabus istis, id est, fide ac spe majorem dixit Apostolus (I *Cor.* xiii, 13), quanto in quocumque major est, tanto melior est in quo est. Cum enim quæritur, utrum quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui recte amat, procul dubio recte credit et sperat : qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit; inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ sperat : nisi et hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest ut id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire. Tanquam si speret vitam æternam, (quam quis non

[1] Quidam Mss., *aliquantum*.
[2] Sic Mss. At editi, *quamlibet :* qui et infra, *bonorum*, pro, *honorum*.
[3] Particula, *pro*, abest a pluribus Mss.
(*a*) Lambertus Danæus loco *timentibus*, substituit *temnentibus*, non veterum librorum auctoritate, sed postulante, uti se dicit conjectare, [illegible] membrum *sperantibus in se :* sed mala conjectura, ut patet ex Enarratione in Psal. 30, et ex lib. 21 de Civitate Dei, capp. 18, 24.

[1] Plerique Mss., *et hic inchoantur quantumcumque proficimus.*
[2] Am. Er. et Mss., *sed quomodo ista septem sunt intelligenda.*
[3] Sic Mss. Editi autem, *non hoc.*

amat [1]) et non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6), et quod in dilectione [2] nondum habet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei (*Matth.* vii, 7). Fides namque impetrat quod lex imperat. Nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* v, 5), jubere lex poterit, non juvare; et prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.

CAPUT CXVIII. — *Status vel ætates hominis quatuor, ante Legem, sub Lege, sub gratia, et in pace.* Sed cum in altissimis ignorantiæ tenebris nulla resistente ratione secundum carnem vivitur, hæc sunt prima hominis. Deinde cum per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, et sciens peccat, peccatoque subditus servit: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (II *Petr.* ii, 19); id agente scientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adjecto, atque ita quod scriptum est impleatur, *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20). Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, et agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis (*Galat.* v, 17); ut quamvis adhuc sit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat (*Rom.* i, 17), justeque vivat, in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione [2] justitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei hominis; in quibus si pia perseverantia quisque proficiat, postrema pax restat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum prima est ante Legem, secunda sub Lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta. Sic est et Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura et numero et pondere cuncta disponit (*Sap.* xi, 21). Nam fuit primitus ante Legem; secundo sub Lege, quæ data est per Moysen; deinde sub gratia, quæ revelata est per primum Mediatoris adventum (*Joan.* i, 17). Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus eam oportuit impertiri, quamvis pro temporis dispensatione velata et occulta. Neque enim antiquorum quicumque justorum præter Christi fidem salutem potuit invenire, aut vero nisi et illis cognitus fuisset [3], potuisset nobis per eorum ministerium alias apertius, alias occultius prophetari.

CAPUT CXIX. — *Regeneratio peccata abolet universa in quavis ætate. Servitus sub Lege nonnullis inexperta.* In quacumque autem quatuor istarum velut ætatum singulum quemque hominem gratia regenerationis invenerit, ibi ei remittuntur præterita universa peccata; et reatus ille nascendo contractus, renascendo dissolvitur. Tamque multum valet quod *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* iii, 8), ut quidam secundam illam servitutem sub Lege non noverint [1], sed cum mandato incipiant adjutorium habere divinum.

CAPUT CXX. — *Regenerati morientes ante usum rationis non pereunt.* Antequam possit autem homo capax esse mandati, secundum carnem vivat necesse est: sed si jam Sacramento regenerationis imbutus est, nihil ei oberit si tunc ex hac vita migraverit. Quia ideo *Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur* (*Rom.* xiv, 9); nec tenebit regnum mortis eum, pro quo mortuus est ille liber in mortuis (*Psal.* lxxxvii, 6).

CAPUT CXXI. — 32. *Charitas finis omnium præceptorum.* Omnia igitur præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* i, 5). Omnis itaque præcepti finis est charitas; id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris (*Rom.* v, 5), nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est et proximi: et utique *in his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* xxii, 40). Adde Evangelium, adde Apostolos: non enim aliunde vox ista est, *Finis præcepti est charitas*; et, *Deus charitas est* (I *Joan.* iv, 16). Quæcumque ergo mandat Deus, ex quibus unum est, *Non mœchaberis* (*Exod.* xx, 14; *Matth.* v, 27); et quæcumque non jubentur, sed spirituali consilio monentur [2], ex quibus unum est, *Bonum est homini mulierem non tangere* (I *Cor.* vii, 1): tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum, et in hoc sæculo, et in futuro; nunc Deum per fidem, tunc per speciem, et ipsum proximum nunc per fidem. Non enim scimus mortales corda mortalium, tunc autem *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* iv, 5): quia id laudabitur et diligetur a proximo in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo. Minuitur [3] autem cupiditas charitate crescente, donec veniat hic [4] ad tantam magnitudinem, qua major esse non possit: *Majorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv, 13). Ubi autem quis explicet quanta charitas erit

[1] Editi Am. Er. Dan. et aliquot Mss., *quamvis non habeat, et non amet justitiam*. Lov. et Arn., *quamvis non amet justitiam*, omisso, *non habeat*: et Emendantur auxilio veterum librorum.

[2] Lov. et Arn., *dilectione*; dissentientibus editis aliis et omnibus fere Mss.

[3] Sic Mss. Editi autem: *Aut vero nisi et illis cognitus fuisset, non potuisset nobis*, etc.

[1] Editi, *secundum illam servitutem sub lege esse non noverint*. Verius Mss., *secundam*, absque verbo, *esse*. Nempe secundam hanc appellat servitutem sub lege, quam præcessit servitus sub peccato.

[2] In Mss., *moneantur*.

[3] Lov. cum aliquibus editis aliis et Mss., *minuetur*.

[4] Unus Germanensis Ms. omittit, *hic*, quam particulam loco movit Arnaldus, et illuc transtulit: *Majorem enim hic charitatem*, etc.

ubi cupiditas quam vel coercendo superet nulla erit? quoniam summa [1] sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.

CAPUT CXXII. — 33. *Libri conclusio.* Sed sit aliquando hujus voluminis finis, quod ipse videris utrum Enchiridion vel appellare debeas, vel habere. Ego tamen cum spernenda tua in Christo studia non putarem, bona de te credens in adjutorio nostri Redemptoris ac sperans [1], teque in ejus membris plurimum diligens, librum ad te, sicut valui, utinam tam commodum quam prolixum, de Fide, Spe et Charitate conscripsi.

[1] Sic plerique Mss. Alii quidam cum Dan., *quam summa.* Lov. et Arn., *quando summa.*

[1] Editi, *bona de te credens, in adjutorio nostri Redemptoris confidens ac sperans.* Verbum, *confidens*, abest a Mss. plerisque, et alia in eis est vocum interpunctio, ut sensus sit, *bona credens ac sperans de te.*

ADMONITIO
IN LIBRUM DE AGONE CHRISTIANO.

Adscribendus iste liber anno Domini supra trecentesimum aut nonagesimo sexto, aut nonagesimo septimo. Nam tertio loco positus in Retractationum libro secundo reperitur, inter illa opuscula quæ Augustinus post susceptum episcopatum (quod munus exeunte anno 395 indeptus est) prima confecit. Enim vero in capite 29, ubi Christianos deterret atque avocat a Donatistarum schismate, quod varias in partes discissum merito fuisse observat, ut quomodo Christum dividere conatus erat, sic ipse a suis Donatus quotidiana concisione divideretur: illic tamen ad causæ utilitatem non trahit, quod Prætextatum et Felicianum Donatistæ, utrumque propter scelera a se perecelebri sententia concilii Bagaiensis ejectum, recepissent postea in suam communionem; tametsi isthæc receptio circa initium anni 397 contigerit. Neque vero parum id momenti habet ad roborandam opinionem quam in tomi 2 præfatione, cum de ætate Epistolæ 31, ad Paulinum scriptæ diceremus, liberam esse voluimus de libris ad Simplicianum, quos referre solent ad annum 397, ut eos scilicet libros (quandoquidem in Retractationibus ante opus de Agone recensentur) ad annum 396 revocare liceret.

De Agone Christiano librum appellavit Augustinus, quia Christianos ad pugnandum cum diabolo erudit. Invisibilem hostem debellari docet recta fide et probis moribus. Quapropter monet inprimis, ut contra cupiditates decertemus, et corpus nostrum servituti, nosque ipsos Deo subjiciamus. Deinde vero quia subjici Deo per fidem incipimus, ad catholicæ fidei Regulam, rejectis contrariis hæresibus, tenendam cohortatur. Præcipuas quasdam hæreticorum sectas hic nominat; sed contra Manichæos præsertim fecisse librum videtur, ut ab illa stolida æque ac sacrilega hæresi plebem averteret. In eos est non tantum prima pars libri, qua explodit horum somnia de pugna gentis tenebrarum rebellantis adversus Deum; sed altera etiam pars, qua fidei christianæ, quam hæretici iidem irridebant, simplicitatem et sinceritatem commendat.

Hujus operis meminit Cassiodorus senator in libro de Institutione divinarum Litterarum, cap. 16: *Ejusdem*, ait, *Augustini liber unus, quem de Agone Christiano composuit, maxime vobis necessarius, qui calcato sæculo desudatis in certamine christiano.*

In librum de Agone Christiano *vide lib.* 2, *cap.* 3, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 631, *verbis*, Liber de Agone, *usque ad verba*, Corona victoriæ. M.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE AGONE CHRISTIANO
LIBER UNUS (a).

Hortatur et instituit ad decertandum christiana pugna cum diabolo. Hunc vinci a nobis ac subigi, quando vincuntur cupiditates et corpus in servitutem redigitur; ipsum vero corpus servituti subjici docet, si nos ipsos subjiciamus Deo, cui creatura omnis aut voluntate servit aut necessitate. Subsidio fidei munitam esse humanam imbecillitatem, eique per Filium Dei carnem factum quam opportuno remedio subventum esse ostendit. Postea catholicæ fidei capita singula symbolo comprehensa percurrens, exortas varias in eam hæreses detegit et vitari jubet.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Corona vincentibus promissa. Adversarius diabolus auxilio Christi vincitur.* Corona victoriæ non promittitur nisi certantibus. In divinis autem Scripturis assidue invenimus promitti nobis

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Ad emendandum librum de Agone Christiano, subsidio fuerunt Mss. præter tres Vaticanos, Gallicani septemdecim, unus in primis laudandus codex, quem Germanensi nostræ bibliothecæ dono dedit illustrissimus Dominus D. Dux Noaliensis, codex item collegii Navarrici Parisiensis, codex abbatiæ Victorinæ, Germanensis, Corbeiensis, Remensis S. Remigii, Vindocinensis, Lyrensis, Uticensis S. Ebrulphi, S. Michaelis in Periculo maris, Andegavensis S. Albini, et Andegavensis S. Sergii, Casalis Benedicti, duo Floriacensis bibliothecæ, ac totidem Colbertinæ, qui alias Thuanæ fuerunt et collegii Fuxensis; Lovaniensium quoque variantes lectiones ex tribus Belgicis Mss. collectæ; ac editiones veteres Parv., id est, Joannis Parvi, an. 1513, Am. Amerbachii, Er. Erasmi, et Lov. Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scriptus anno 396, aut paulo post.

coronam, si vicerimus. Sed ne longum sit multa commemorare, apud apostolum Paulum manifestissime legitur : *Opus perfeci, cursum consummavi, fidem servavi; jam superest mihi corona justitiæ* (II *Tim.* IV, 7, 8). Debemus ergo cognoscere quis sit ipse adversarius, quem si vicerimus coronabimur. Ipse est enim quem Dominus noster prior vicit, ut etiam nos in illo permanentes vincamus. Et Dei quidem Virtus atque Sapientia, et Verbum per quod facta sunt omnia, qui Filius Dei unicus est, super omnem creaturam semper incommutabilis manet. Et quoniam sub illo est creatura etiam quæ non peccavit, quanto magis sub illo est omnis creatura peccatrix? Ergo quoniam sub illo sunt omnes sancti Angeli, multo magis sub illo sunt omnes prævaricatores angeli, quorum diabolus princeps est. Sed quia naturam nostram deceperat, dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsâ diabolus vinceretur, et quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret. Ipsum significat dicens : *Princeps hujus mundi missus est foras* (*Joan.* XII, 31). Non quia extra mundum missus est, quomodo quidam hæretici putant : sed foras ab animis eorum qui cohærent verbo Dei, et non diligunt mundum, cujus ille princeps est; quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc mundo visibili continentur : non quia ipse dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit; ut ei subjaceant qui negligunt æternum Deum, et diligunt instabilia et mutabilia. *Radix enim est omnium malorum cupiditas; quam quidam appetentes, a fide erraverunt, et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.* VI, 10). Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, et cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps est hujus mundi, cum renuntiatur corruptelis, et pompis, et angelis ejus. Ideoque ipse Dominus jam triumphantem naturam hominis portans, *Scitote*, inquit, *quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33).

CAPUT II. — 2. *Quomodo vincitur diabolus. Vincuntur invisibiles potestates, ubi vincuntur cupiditates.* Multi autem dicunt : Quomodo possumus vincere diabolum quem non videmus? Sed habemus magistrum, qui nobis demonstrare dignatus est quomodo invisibiles hostes vincantur. De illo enim dicit Apostolus : *Exuens se carne, principatus et potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eos in semetipso* (*Coloss.* II, 15). Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates : et ideo quia in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus et illum qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est diabolo, *Terram manducabis*; dictum est peccatori, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 14, 19). Datus est ergo in cibum diabolo peccator [1]. Non simus terra, si nolumus manducari a serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundum corpus hoc efficiatur quod nos sumus : sic malis moribus per nequitiam et superbiam et impietatem hoc efficitur quisque quod diabolus, id est, similis ejus; et subjicitur ei, sicut subjectum est nobis corpus nostrum. Et hoc est quod dicitur, manducari a serpente. Quisquis itaque timet illum ignem qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41), det operam triumphare de illo in semetipso. Eos enim qui foris nos oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiscentias per quas nobis dominantur. Et quos invenerint sui similes, secum ad pœnas trahunt.

CAPUT III. — 3. *Dæmones quomodo in cœlestibus sunt, et rectores tenebrarum.* Sic et Apostolus dicit, quod in semetipso pugnat adversus potestates exteriores. Ait enim : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates hujus mundi, rectores harum tenebrarum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Cœlum enim dicitur et iste aer, ubi venti et nubes et procellæ et turbines fiunt; sicut etiam Scriptura dicit multis locis, *Et intonuit de cœlo Dominus* (*Psal.* XVII, 14); et, *aves cœli* (*Psal.* VIII, 9); et, *volatilia cœli* (*Matth.* VI, 26); cum manifestum sit aves in aere volare. Et nos in consuetudine hunc aerem cœlum appellamus : nam cum de sereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus, Qualis est aer? aliquando, Quale est cœlum? Hoc dixi, ne quis existimet ibi habitare mala dæmonia, ubi solem et lunam stellas Deus ordinavit. Quæ mala dæmonia ideo Apostolus appellat spiritualia, quia etiam mali angeli in Scripturis divinis spiritus appellantur. Ideo autem rectores harum tenebrarum eos dicit, quoniam peccatores homines tenebras appellat, quibus isti dominantur. Ideo et alio loco dicit, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8) : quia ex peccatoribus justificati erant. Non ergo arbitremur in summo cœlo habitare diabolum cum angelis suis, unde lapsum esse credimus.

CAPUT IV. — 4. *Manichæorum error de gente tenebrarum contra Deum rebellante.* Sic enim erraverunt Manichæi, qui dicunt ante mundi constitutionem fuisse gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellavit : in quo bello credunt miseri omnipotentem Deum non sibi aliter potuisse succurrere, nisi partem suam contra eam mitteret. Cujus gentis principes, sicut illi dicunt, devoraverunt partem Dei, et temperati sunt ut posset mundus de illis fabricari. Sic dicunt Deum pervenisse ad victoriam cum magnis calamitatibus et cruciatibus et miseriis membrorum suorum : quæ membra dicunt esse commixta tenebrosis visceribus principum illorum, ut eos temperarent, et a furore compescerent. Et non intelligunt tam sacrilegam esse suam sectam, ut credant omnipotentem Deum non per creaturam quam fecerit, sed per ipsam naturam suam bellasse cum tenebris : quod nefas est credere. Neque hoc solum, sed etiam illos qui victi sunt, factos esse meliores, quia furor eorum compressus est. Deum autem naturam quæ vi-

[1] Plerique Mss., *diaboli*.

cit, factam esse miserrimam. Dicunt etiam eam per ipsam commixtionem perdidisse intellectum et beatitudinem suam, et magnis erroribus et cladibus esse implicatam. Quam si aliquando vel totam purgari dicerent, magnam tamen impietatem contra omnipotentem Deum affirmarent, cujus partem crederent tanto tempore in erroribus et pœnis esse jactatam sine aliquo peccati crimine. Nunc vero infelices audent adhuc dicere nec totam posse purgari; et ipsam partem quæ purgari non potuerit, proficere ad vinculum, ut inde involvatur et alligetur malitiæ sepulcro [1]; et sic ibi semper sit pars ipsa Dei misera, quæ nihil peccavit, et affligatur in æternum carcere tenebrarum [2]. Hoc illi dicunt, ut simplices animas fallant. Sed quis tam simplex est, ut ista non sentiat esse sacrilega, quibus affirmant omnipotentem Deum necessitate oppressum esse, ut partem suam bonam et innocentem tantis cladibus obruendam et tanta immunditia inquinandam daret, et non totam liberare posset; et quod liberare non potuerit, æternis vinculis colligaret? Quis ergo ista non exsecretur? quis non intelligat impia esse et nefanda? Sed illi quando capiunt homines, non ista prius dicunt; quæ si dicerent, riderentur, aut fugerentur ab omnibus [3]: sed eligunt capitula de Scripturis, quæ simplices homines non intelligunt; et per illa decipiunt animas imperitas, quærendo unde sit malum. Sicut in isto capitulo faciunt, quod ab Apostolo scriptum est, *Rectores harum tenebrarum, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Quærunt enim deceptores illi, et interrogant hominem Scripturas divinas non intelligentem, unde sint in cœlo rectores tenebrarum: ut cum respondere non potuerit, traducatur ab eis per curiositatem; quia omnis anima indocta curiosa est. Qui autem fidem catholicam bene didicit, et bonis moribus et vera pietate munitus est, quamvis eorum hæresim nesciat, respondet illis tamen. Nec enim decipi potest, qui jam novit quid pertineat ad christianam fidem, quæ catholica dicitur, per orbem terrarum sparsa, et contra omnes impios et peccatores, negligentes autem etiam suos [4], Domino gubernante secura.

CAPUT V. — 5. *Spiritualia nequitiæ in cœlestibus, quo sensu dictum.* Quoniam ergo dicebamus apostolum Paulum dixisse habere nos colluctationem adversus rectores tenebrarum et spiritualia nequitiæ in cœlestibus; et probavimus etiam istum aerem terræ proximum cœlum vocari: oportet credere adversum diabolum et angelos ejus nos dimicare, qui gaudent perturbationibus nostris. Nam et ipse Apostolus alio loco diabolum principem potestatis aeris hujus appellat (*Ephes.* II, 2). Quamvis ille locus, ubi ait, *Spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, possit et aliter intelligi, ut non ipsos prævaricatores angelos in cœlestibus esse dixerit, sed nos potius, de quibus alio loco dicit, *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philipp.* III, 20): ut nos in cœlestibus constituti, id est, in spiritualibus præceptis Dei ambulantes, dimicemus adversus spiritualia nequitiæ, quæ nos inde conantur abstrahere. Magis ergo illud quærendum est, quomodo adversus eos quos non videmus, pugnare possimus, et vincere, ne putent stulti adversus aerem nos debere certare.

CAPUT VI. — 6. *Corpus castigandum, ut diabolus et mundus vincantur.* Docet itaque Apostolus ipse, dicens: *Non sic pugno, quasi aerem cædens; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar* (I *Cor.* IX, 26, 27). Item dicit: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*Id.* XI, 1). Quare intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat (II *Cor.* II, 14, *et Coloss.* II, 15), cujus se imitatorem esse profitetur. Imitemur ergo et nos illum, sicut hortatur, et castigemus corpus nostrum, et in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Quia per illicitas delectationes suas et pompas et perniciosam curiositatem nobis dominari potest hic mundus, id est, ea quæ in hoc mundo perniciosa delectatione colligant amatores rerum temporalium, et diabolo atque angelis ejus servire cogunt: quibus omnibus si renuntiavimus, redigamus [1] in servitutem corpus nostrum.

CAPUT VII. — 7. *Ut corpus nobis subjiciatur, subjiciamus nos ipsos Deo, cui omnis creatura servit, velit nolit. Justorum et injustorum in hujus vitæ bonis et malis discrimen.* Sed ne quis forte hoc ipsum quærat, quomodo fiat ut corpus nostrum servituti subjiciamus; facile intelligi et fieri potest, si prius nos ipsos subjiciamus Deo, bona voluntate et sincera charitate. Nam omnis creatura, velit nolit, uni Deo et Domino suo subjecta est. Sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro. Quoniam justus liberaliter servit, injustus autem compeditus servit. Omnes tamen divinæ providentiæ serviunt: sed alii obediunt tanquam filii, et faciunt cum ea quod bonum est; alii vero ligantur tanquam servi, et fit de illis quod justum est. Ita Deus omnipotens, Dominus universæ creaturæ, qui *fecit omnia*, sicut scriptum est, *bona valde* (*Gen.* I, 31), sic ea ordinavit, ut et de bonis et de malis bene faciat. Quod enim juste fit, bene fit. Juste autem sunt beati boni, et juste mali pœnas patiuntur. Ergo et de bonis et de malis bene facit Deus, quoniam juste omnia facit. Boni sunt autem, qui tota voluntate Deo serviunt; mali autem necessitate serviunt: nemo enim leges Omnipotentis evadit. Sed aliud est facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet. Quapropter boni secundum leges

[1] Omnes Mss., *sepulcrum.*

[2] Nonnulli Mss., *affigatur* (vel, *affigitur*) *in æternum carceri tenebrarum.*

[3] Sic Parv. et plures Mss. At editiones aliæ, *fugarentur ab omnibus.* Tres Mss., *fugarentur ab hominibus.*

[4] Editi Am. Er. et Lov., *negligentes autem sui.* Melius Parv. cui septem Mss. suffragantur, *negligentes autem etiam suos.* Nempe *suos*, contra quos negligentes securam fidem dicit, intelligimus catholicos fideles. Quatuor Mss. habent *de negligentibus autem suis*; sed male.

[1] Editi, *si renuntiamus, redigimus.* At Mss. omnes *redigamus*: et ex iisdem plures, *renuntiavimus.*

faciunt, mali secundum leges patiuntur.

8. Nec nos moveat quod in hac vita secundum carnem quam portant, justi multa gravia et aspera tolerant. Nihil enim mali patiuntur, qui jam possunt dicere quod ille vir spiritualis exsultat et prædicat Apostolus, dicens : *Gloriamur in tribulationibus ; scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v, 3-5). Si ergo in hac vita, ubi tanta tormenta sunt, possunt boni et justi viri, cum talia patiuntur, non solum æquo animo tolerare, sed etiam in Dei charitate gloriari [1] ; quid cogitandum est de illa vita, quæ nobis promittitur, ubi nullam de corpore molestiam sentiemus? Quoniam non ad hoc resurget corpus justorum, ad quod resurget corpus impiorum : sicut scriptum est, *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et ne quisquam putet non justis immutationem istam promitti, sed potius injustis, et eam existimet esse pœnalem, sequitur et dicit : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (I *Cor.* xv, 51, 52). Quicumque ergo mali sunt, sic ordinati sunt : quia et unusquisque sibi, et omnes invicem sibi nocent. Hoc enim appetunt quod perniciose diligitur, et quod eis facile auferri potest ; et hoc sibi auferunt invicem, quando se persequuntur. Et ideo cruciantur quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea : illi autem qui auferunt, gaudent. Sed talis lætitia cæcitas est, et summa miseria : ipsa enim magis implicat animam, et ad majora tormenta perducit. Nam gaudet et piscis, quando hamum non videns, escam devorat : sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo ; deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se putant : hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur ; veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint. Et ideo bonis nihil nocent ; quia hoc eis auferunt quod non diligunt : nam quod diligunt, et unde beati sunt, auferre illis nemo potest. Cruciatus vero corporis malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat. Sic fit ut et malus homo et malus angelus divinæ providentiæ militent ; sed nesciunt quid boni de illis operetur Deus. Non itaque pro meritis officii, sed pro meritis malitiæ stipendiantur.

CAPUT VIII. — 9. *Omnia divina providentia gubernari.* Sed ut hæ animæ, quæ habent voluntatem nocendi et rationem cogitandi, sub divinis legibus ordinatæ sunt, ne aliquid injustum quisque patiatur ; ita omnia et animalia et corporalia in genere suo et in ordine suo divinæ providentiæ legibus subdita administrantur. Ideo Dominus dicit : *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus eorum non cadit in terram sine voluntate Patris vestri* (*Matth.* x, 29) ? Hoc enim dixit, volens ostendere quidquid vilissimum homines putant, omnipotentia Dei gubernari. Sic enim et volatilia cœli ab eo pasci, et lilia agri ab eo vestiri, Veritas loquitur (*Matth.* vi, 26, 28, 29, 30), quæ capillos etiam nostros numeratos esse dicit (*Id.* x, 30). Sed quoniam mundas animas rationales per se ipse Deus curat, sive in optimis et magnis Angelis, sive in hominibus tota sibi voluntate servientibus ; cætera vero per ipsos gubernat ; verissime dici potuit etiam illud ab Apostolo, *Non enim de bobus cura est Deo* (I *Cor.* ix, 9). In Scripturis enim sanctis Deus homines docet quomodo cum hominibus agant, et ipsi Deo serviant : quomodo autem agant cum pecoribus suis, ipsi sciunt, id est, quomodo salutem pecorum suorum gubernent usu et peritia et ratione naturali ; quæ quidem omnia de magnis sui Creatoris opibus acceperunt. Qui ergo potest intelligere quomodo universæ creaturæ conditor Deus gubernet eam per animas sanctas, quæ ministeria [1] ejus sunt in cœlis et in terris ; quia et ipsæ sanctæ animæ ab ipso factæ sunt, et in ejus creatura primatum tenent : qui ergo potest intelligere, intelligat, et intret in gaudium Domini sui (*Matth.* xxv, 21).

CAPUT IX. — 10. *Hortatio ad gustandam dulcedinem Dei.* Si autem hoc non possumus, quamdiu sumus in corpore, et peregrinamur a Domino (II *Cor.* v, 6), gustemus saltem quam suavis est Dominus, (*Psal.* xxxiii, 9) quia dedit nobis [2] pignus Spiritum (II *Cor.* i, 22, *et* v, 5), in quo sentiamus ejus dulcedinem : et desideremus ipsum vitæ fontem, ubi sobria ebrietate inundemur et irrigemur, sicut lignum quod plantatum est secundum decursus aquarum, et dat fructum in tempore suo, et folia ejus non decident (*Psal.* i, 3) ? Dicit enim Spiritus sanctus : *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt : inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* xxxv, 8-10). Talis ebrietas non evertit mentem, sed tamen rapit sursum, et oblivionem præstat omnium terrenorum : sed si possumus toto affectu jam dicere, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* xli, 2).

CAPUT X. — 11. *Filius Dei propter nos homo factus. Liberum arbitrium.* Quod si forte adhuc propter ægritudines animæ, quas de sæculi amore concepit, nec gustare sumus idonei quam dulcis est Dominus, vel credamus divinæ auctoritati, quam voluit esse in Scripturis sanctis de Filio suo, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, sicut Apostolus loquitur (*Rom.* i, 3). *Omnia enim per ipsum facta sunt*, sicut in Evangelio scriptum est, *et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* i, 3). Qui nostræ imbecillitatis misertus est ; quam imbecillitatem non ejus opere, sed nostra voluntate meruimus. Nam Deus hominem inexterminabilem fecit (*Sap.* ii, 23), et ei liberum voluntatis arbitrium dedit. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret.

[1] Sic Parv. et Mss. At Am. Er. Lov., *charitate in Deo gloriari.*

[1] Sic Parv. cum Mss. Editi vero alii, *mysteria.*
[2] Parv. et plerique Mss., *Dominus, qui dedit nobis.*

Facile est omnino, quantum existimo, quod intelligere nolunt, qui catholicam deseruerunt fidem, et christiani vocari volunt. Nam si nobiscum fatentur naturam nostram non sanari nisi recte faciendo, fateantur eam non infirmari nisi peccando. Et ideo non est credendum animam nostram hoc esse quod Deus est: quia si hoc esset, nec sua voluntate, nec aliqua necessitate in deterius mutaretur [1], quoniam omni modo incommutabilis intelligitur Deus, sed ab eis qui non in contentione et æmulatione et vanæ gloriæ cupiditate amant loqui quod nesciunt, sed humilitate christiana sentiunt de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærunt eum (*Sap.* I, 1). Hanc ergo imbecillitatem nostram suscipere dignatus est Filius Dei, *et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14) : non quia æternitas illa mutata est, sed quia mutabilem creaturam mutabilibus hominum oculis ostendit, quam incommutabili majestate suscepit.

CAPUT XI. — 12. *Modus liberandi hominem per Filium Dei incarnatum quam conveniens.* Sunt autem stulti qui dicunt, Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus : Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. Si enim non appareret oculis peccatorum, lumen ejus æternum utique, quod per interiores oculos videtur, inquinatis mentibus videri non posset. Nunc autem quia visibiliter nos commonere dignatus est, ut ad invisibilia præpararet, displicet avaris, quia non aureum corpus habuit; displicet impudicis, quia de femina natus est (multum enim oderunt impudici, quod concipiunt et pariunt feminæ); displicet superbis, quod contumelias patientissime pertulit; displicet delicatis, quia cruciatus est; displicet timidis, quia mortuus est. Et ut non vitia sua videantur defendere, non in homine dicunt sibi hoc displicere, sed in Filio Dei. Non enim intelligunt quid sit æternitas Dei, quæ hominem assumpsit; et quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem revocabatur, ut disceremus, docente ipso Domino, infirmitates quas peccando collegimus, recte faciendo posse sanari. Ostendebatur enim nobis ad quam fragilitatem homo sua culpa pervenerit, et ex qua fragilitate divino auxilio liberetur. Itaque Filius Dei hominem assumpsit, et in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si charitate Filii Dei non sanatur? Postremo quæ timiditas sanari potest, si resurrectione corporis Christi Domini [2] non sanatur? Erigat spem suam genus humanum, et recognoscat naturam suam; videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipsos contemnere, viri; Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere, feminæ; Filius Dei natus ex femina est. Nolite tamen amare carnalia, quia in Filio Dei nec masculus nec femina sumus. Nolite amare temporalia, quia si bene amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias et cruces et mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei. Hæc omnis hortatio, quæ jam ubique prædicatur, ubique veneratur, quæ omnem obedientem animam sanat, non esset in rebus humanis, si non essent facta illa omnia quæ stultissimis displicent. Quem dignatur imitari vitiosa jactantia, ut ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum de quo dictum est antequam nasceretur, quod Filius Altissimi vocabitur (*Luc.* I, 32), et per omnes jam gentes, quod negare nemo potest, Filius Altissimi vocatur? Si multum de nobis sentimus, dignemur imitari eum qui Filius Altissimi vocatur : si parum de nobis sentimus, audeamus imitari piscatores et publicanos, qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem! Quis jam se extollat contra Filium Dei? Quis de se desperet, pro quo tam humilis esse voluit Filius Dei? Quis beatam vitam esse arbitretur in iis quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? Quibus adversitatibus cedat, qui naturam hominis tantis [1] persecutionibus custoditam credit in Filio Dei? Quis sibi esse clausum regnum cœlorum putet, qui cognoscit publicanos et meretrices imitatos esse Filium Dei [2] (*Matth.* XXI, 31)? Qua perversitate non careat, qui facta et dicta intuetur et diligit et sectatur illius hominis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei?

CAPUT XII. — 13. *Christiana fides ubique viget et vincit.* Itaque jam et masculi et feminæ, et omnis ætas, et omnis hujus sæculi dignitas ad spem vitæ æternæ commota est [3]. Alii neglectis temporalibus bonis convolant ad divina. Alii cedunt eorum virtutibus qui hæc faciunt, et laudant quod imitari non audent. Pauci autem adhuc murmurant, et inani livore torquentur; aut qui sua quærunt in Ecclesia, quamvis videantur catholici, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici, aut peccatum impietatis suæ defendere cupientes Judæi, aut curiositatem vanæ licentiæ [4] perdere timentes Pagani. Sed Ecclesia catholica per totum orbem longe lateque diffusa, impetus eorum prioribus temporibus frangens, magis magisque roborata est; non resistendo, sed perferendo. Nunc vero insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit, intelligentia dissolvit : criminatores palearum suarum non curat;

[1] Omnes fere Mss., *moveretur.*
[2] Editi Parv. Am. Er. et Mss. omittunt, *Christi Domini.* Unus tamen codex ejus loco habet, *Filii Dei.*

[1] Editi, *a tantis.* Sed omnes Mss. carent præpositione, *a.*
[2] Parv. et aliquot Mss., *imitatores esse Filii Dei.*
[3] Lov., *commutata est.* Melius editi alii et Mss., *commota est.*
[4] Unus e Vaticanis Mss., *scientiæ*

(Dix.)

quia tempus messis, et tempus arearum, et tempus horreorum caute diligenterque distinguit: criminatores autem frumenti sui, aut errantes corrigit, aut invidentes inter spinas et zizania computat.

CAPUT XIII. — 14. *Fides recta sit, et actio bona. Mens veritatis capax non est, nisi vitiis libera. Fides Ecclesiæ de Trinitate.* Subjiciamus ergo animam Deo, si volumus servituti subjicere corpus nostrum, et de diabolo triumphare. Fides est prima quæ subjugat animam Deo; deinde præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, et nutritur charitas, et lucere incipit quod antea tantummodo credebatur. Cum enim cognitio et actio beatum hominem faciant [1]; sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere, et ea quæ nascuntur et transeunt, pro magno habere; et ea concupiscere, et pro his laborare, ut acquirantur; et lætari, cum abundaverint; et timere, ne pereant; et contristari, cum pereunt. Talis vita non potest puram illam et sinceram [2] et incommutabilem videre veritatem, et inhærere illi, et in æternum jam non moveri [3]. Itaque priusquam mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus; quoniam verissime dictum est per prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX).

15. Fides in Ecclesia brevissime traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi a carnalibus nondum possunt; et temporalia præterita et futura, quæ pro salute hominum gessit et gestura est æternitas divinæ providentiæ. Credamus ergo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum: hæc æterna sunt et incommutabilia, id est, unus Deus, unius substantiæ Trinitas æterna; Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* XI, 36).

CAPUT XIV. — 16. *Non audiendi qui tres personas negant.* Nec eos audiamus, qui dicunt Patrem tantummodo esse, nec habere Filium, nec esse cum eo Spiritum sanctum; sed ipsum Patrem aliquando appellari Filium, aliquando Spiritum sanctum. Nesciunt enim Principium ex quo sunt omnia, et Imaginem ejus per quam formantur omnia, et Sanctitatem ejus in qua ordinantur omnia.

CAPUT XV. — 17. *Nec audiendi qui inducunt tres deos.* Nec eos audiamus, qui indignantur et stomachantur, quia non tres deos colendos dicimus. Nesciunt enim quid sit una eademque substantia; et phantasmatibus suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcumque corpora tria locis suis esse separata: sic putant intelligendam substantiam Dei: et multum errant, quoniam superbi sunt, et non possunt discere, quia nolunt credere.

CAPUT XVI. — 18. *Nec illi qui negant æqualitatem et æternitatem personarum.* Nec eos audiamus, qui Patrem solum verum Deum et sempiternum esse dicunt; Filium autem non de ipso genitum, sed ab ipso factum de nihilo, et fuisse tempus quando non erat, sed tamen primum locum tenere in omni creatura; et Spiritum sanctum minoris majestatis esse quam Filium, et ipsum factum esse post Filium; et horum trium diversas esse substantias, tanquam aurum et argentum et æramentum. Nesciunt enim quid loquantur, et de his rebus quas per oculos carneos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt. Quia revera magnum est mente conspicere generationem, quæ non fit ex aliquo tempore, sed æterna est; et ipsam Charitatem et Sanctitatem, qua Generator et Generatus ineffabiliter sibi copulantur: magnum et difficile est hæc mente conspicere, etiamsi pacata et tranquilla sit. Non potest ergo fieri ut illi hæc videant, qui terrenas generationes nimis intuentur, et ad istas tenebras addunt adhuc fumum, quem sibi contentionibus et certaminibus quotidianis excitare non cessant; habentes animas carnis affectibus diffluentes [1], tanquam ligna humore saginata, in quibus ignis fumum solum vomit [2] et habere flammas lucidas non potest. Et hoc quidem de omnibus hæreticis rectissime dici potest.

CAPUT XVII. — 19. *Fides incarnationis Christi. Negantes Christum esse Deum, non audiendi.* Credentes ergo incommutabilem Trinitatem, credamus etiam dispensationem temporalem pro salute generis humani [3]. Nec eos audiamus, qui Filium Dei Jesum Christum nihil esse aliud quam hominem dicunt, sed ita justum, ut dignus sit appellari Filius Dei. Et hos enim catholica disciplina misit foras; quoniam vanæ gloriæ cupiditate decepti, contentiose disputare voluerunt, antequam intelligerent quid sit Dei Virtus et Dei Sapientia (I *Cor.* I, 24), et *in principio Verbum*, per quod *facta sunt omnia*, et quomodo *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 3, 14).

CAPUT XVIII. — 20. *Nec audiendi negantes Christum habuisse verum corpus.* Nec eos audiamus, qui non verum hominem suscepisse dicunt Filium Dei, neque natum esse de femina, sed falsam carnem et imaginem simulatam corporis humani ostendisse videntibus. Nesciunt enim quomodo substantia Dei administrans universam creaturam inquinari omnino non possit: et tamen prædicant istum visibilem solem radios suos per omnes fæces et sordes corporum spargere, et eos mundos et sinceros ubique servare. Si ergo visibilia munda a visibilibus immundis contingi possunt, et non inquinari; quanto magis invisibilis et incommutabilis Veritas per spiritum animam, et per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit? Itaque magnas patiuntur angustias, et cum timent, quod fieri non potest, ne

[1] Editi, *et actio bona sunt vera, et beatum hominem faciunt.* At Mss. [illegible]
[2] [illegible] Mss., *non videt illam sinceram*, omisso, *puram et*.
[3] Plerique Mss., *non moveri*.

[1] Sic Mss. Editi vero, *diffluentes*.
[2] [illegible]
[3] Hic editi addunt, *et credamus Deum*; quod a Mss abest.

humana carne Veritas inquinetur, Veritatem dicunt esse mentitam. Et cum ille præceperit, dicens, *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non* (*Matth.* v, 37), et Apostolus clamet, *Non erat in illo Est et Non, sed Est in illo erat* (II *Cor.* I, 19); isti totum corpus ejus falsam carnem fuisse contendunt, ut non sibi videantur imitari Christum, si non suis auditoribus [1] mentiantur.

CAPUT XIX. — 21. *Nec negantes Christum habuisse mentem hominis.* Nec eos audiamus, qui Trinitatem quidem in una æterna substantia confitentur; sed hominem ipsum, qui temporali dispensatione susceptus est, audent dicere non habuisse hominis mentem, sed solam animam et corpus. Hoc est dicere, Non fuit homo, sed membra corporis habebat humana. Animam enim et corpus habent et bestiæ, sed rationem non habent, quæ mentis est propria. Sed si exsecrandi sunt illi qui eum negant humanum corpus habuisse, quod est infimum in homine; miror quod isti non erubescunt, qui hoc eum negant habuisse quod est optimum in homine. Multum enim lugenda est mens humana, si vincitur a corpore suo: si quidem in illo homine non reformata est, in quo ipsum corpus humanum jam dignitatem formæ cœlestis accepit. Sed absit ut hoc credamus, quod confinxit temeraria cæcitas et superba loquacitas.

CAPUT XX. — 22. *Nec dicentes illum hominem non aliter susceptum a Sapientia Dei ac cæteros sanctos, qui sapientes fiunt.* Nec eos audiamus, qui sic dicunt ab illa æterna Sapientia susceptum esse hominem, qui de virgine natus est, quomodo et alii homines ab ea sapientes fiunt, qui perfecte sapientes sunt. Nesciunt enim proprium illius hominis sacramentum, et putant hoc solum eum plus habuisse inter cæteros beatissimos, quod de virgine natus est. Quod ipsum si bene considerent, fortassis credant ideo illum hoc præter cæteros meruisse, quod aliquid proprium præter cæteros habet etiam ista susceptio. Aliud est enim sapientem tantum fieri per Sapientiam Dei, et aliud ipsam personam sustinere Sapientiæ Dei. Quamvis enim eadem natura sit corporis Ecclesiæ, multum tamen distare inter caput et membra cætera quis non intelligat? Si enim Ecclesiæ caput est homo ille, cujus susceptione *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* membra cætera sunt omnes sancti, quibus perficitur et completur Ecclesia. Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat et vivificat, sed in capite et vivendo sentit, et audiendo, et odorando, et gustando, et tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantum; et ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum; quia ipsius animæ, quæ consulit corpori, quodam modo personam sustinet caput; ibi enim omnis sensus apparet: sic universo populo sanctorum tanquam uni corpori caput est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Et propterea Sapientia Dei, et Verbum in principio per quod facta sunt omnia, non sic assumpsit illum hominem ut cæteros sanctos, sed multo excellentius, multoque sublimius; quomodo ipsum [1] solum assumi oportuit, in quo Sapientia [2] hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi. Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel possunt, et aliter ille unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui Sapientiæ ipsius per quam sapientes fiunt quicumque homines, non solum beneficium habet, sed etiam personam gerit. De cæteris enim sapientibus et spiritualibus animis recte dici potest, quod habeant in se Verbum Dei per quod facta sunt omnia; sed in nullo eorum recte dici potest, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; quod in solo Domino nostro Jesu Christo rectissime dicitur.

CAPUT XXI. — 23. *Nec audiendi qui solum corpus a Verbo susceptum dicunt.* Nec eos audiamus, qui solum corpus humanum susceptum esse dicunt a Verbo Dei, et sic audiunt quod dictum est, *Et Verbum caro factum est*, ut negent illum hominem vel animam vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam. Errant enim multum; nec intelligunt ideo carnem solam nominatam esse in eo quod dictum est, *Verbum caro factum est*, quia hominum oculis, propter quos facta est illa susceptio, caro sola potuit apparere. Nam si absurdum est et valde indignum ut humanum spiritum homo ille non habuerit, sicut superius tractavimus; quanto magis absurdum et indignum est ut nec spiritum, nec animam habuerit, et hoc solum habuerit quod etiam in pecoribus vilius est et extremius, id est corpus? A nostra ergo fide etiam ista impietas excludatur, totumque hominem atque perfectum a Verbo Dei susceptum esse credamus.

CAPUT XXII. — 24. *Nec qui corpus Christi negant formatum de femina, et dicunt sic factum, ut illud quo Spiritus apparuit in columba. Per feminam mors, per feminam vita.* Nec eos audiamus, qui tale corpus Dominum nostrum habuisse dicunt, quale apparuit in columba quam vidit Joannes Baptista descendentem de cœlo et manentem super eum in signo Spiritus sancti. Ita enim persuadere conantur Filium Dei natum non esse de femina: quia si carnalibus oculis eum oportebat ostendi, potuit, inquiunt, sic assumere corpus, quomodo Spiritus sanctus. Non enim et columba illa de ovo nata est, aiunt; et tamen humanis oculis potuit apparere. Quibus primum illud respondendum est, quod ibi legimus in specie columbæ apparuisse Joanni Spiritum sanctum (*Matth.* III, 16), ubi legimus etiam Christum natum esse de femina (*Id.* I, 20, 25); et non oportet in parte credere Evangelio, et in parte non credere. Unde enim credis in columbæ specie demonstratum esse Spiritum sanctum, nisi quia in Evangelio legisti? Ergo et ego inde credo Christum natum de virgine esse, quia in Evangelio legi. Quare autem Spiritus sanctus non est na-

[1] Nonnulli codices, *suis auctoribus.* Male: nam reprehenduntur istic Manichæi, in quibus erant alii Electi, alii Auditores.

[1] Sic Mss. Editi vero, *quoniam ipsum.*

[2] Editi, [illegible] *ei* [illegible]*is*, a Mss.

tus de columba, quemadmodum Christus de femina, illa causa est, quia non columbos liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam et amorem spiritualem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est. Dominus autem Jesus Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus et mares et feminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit; nec feminas, quia de femina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur : ut de utraque natura, id est feminina et masculina, victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione lætabatur; cui parum fuerat ad pœnam si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur. Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum sanctum autem fallaciter apparuisse oculis hominum : sed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus sanctus : sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliorum columborum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare; cum natura corporea [1] et in visceribus feminæ ad formandum hominem, et in ipso mundo ad formandam columbam imperio Domini voluntatique serviret. Sed stulti homines, et miseri, quod aut ipsi facere non possunt, aut in vita sua nunquam viderunt, etiam ab omnipotente Deo fieri potuisse non credunt.

CAPUT XXIII. — 25. *Non audiendi, qui Filium Dei creaturam dicunt, quia passus est. Filium Dei sine divinitatis mutatione passum esse.* Nec eos audiamus qui propterea volunt cogere ut inter creaturas Filium Dei numeremus, quia passus est. Dicunt enim : Si passus est, mutabilis est; et si mutabilis est, creatura est, quia Dei substantia non potest immutari. Cum quibus etiam nos dicimus et Dei substantiam commutari non posse, et creaturam esse mutabilem. Sed aliud est esse creaturam, et aliud suscipere creaturam. Filius ergo unigenitus Dei, qui est Virtus et Sapientia Dei, et Verbum per quod facta sunt omnia, quia immutari non potest omnino, suscepit humanam creaturam, quam lapsam erigere, atque inveteratam renovare dignatus est. Nec in ea per passionem ipse in deterius commutatus est, sed eam potius per resurrectionem in melius commutavit. Nec propterea Verbum Patris, id est unicum Dei Filium, per quem facta sunt omnia, negandum est natum et passum esse pro nobis. Et martyres enim passos dicimus et mortuos propter regna cœlorum; nec tamen in ea passione et morte animæ eorum occisæ sunt. Dicit enim Dominus : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem nihil possunt facere* (*Matth.* x, 28). Sicut ergo martyres passos et mortuos dicimus in corporibus quæ portabant, sine animarum interfectione vel morte; sic Filium Dei passum et mortuum dicimus in homine quem portabat, sine divinitatis aliqua commutatione vel morte.

CAPUT XXIV. — 26. *Non audiendi, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale fuerat sepultum.* Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis : ***Palpate, et videte, quoniam spiritus ossa et carnem*** [1] ***non habet, sicut me videtis habere*** (***Luc.*** xxiv, 39). Sacrilegum est enim credere Dominum nostrum, cum ipse sit Veritas, in aliquo fuisse mentitum. Nec nos moveat quod clausis ostiis subito eum apparuisse discipulis scriptum est (*Joan.* xx, 26), ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus esse per clausa ostia intrare. Omnia enim possibilia sunt Deo (*Matth.* ix, 26). Nam et ambulare super aquas contra naturam hujus corporis esse manifestum est; et tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulavit, sed etiam Petrum ambulare fecit (*Id.* xiv, 25, 29). Ita ergo et post resurrectionem de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud sicut splendorem solis (*Id.* xvii, 2); quare non potuit et post passionem ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare?

CAPUT XXV. — 27. *Nec negantes corpus Christi sublatum in cœlum.* Nec eos audiamus, qui negant ipsum corpus secum levasse in cœlum Dominum nostrum, et commemorant in Evangelio quod scriptum est, ***Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit*** (***Joan.*** iii, 13); et dicunt, quia corpus non descendit de cœlo, non potuisse ascendere in cœlum. Non enim intelligunt, quoniam corpus non ascendit in cœlum : Dominus enim ascendit, corpus autem non ascendit, sed levatum est in cœlum illo levante qui ascendit. Si enim quis descendat, verbi gratia, de monte nudus, cum autem descenderit, vestiat se, et vestitus iterum ascendat, recte utique dicimus, Nemo ascendit, nisi qui descendit : nec vestem consideramus quam secum levavit, sed ipsum qui vestitus est, solum dicimus ascendisse.

CAPUT XXVI. — 28. *Nec negantes Christum sedere ad dexteram Patris. Dextera et sinistra Dei quid sit.* Nec eos audiamus, qui negant ad dexteram Patris sedere Filium. Dicunt enim : Numquid Deus Pater habet latus dextrum aut sinistrum, sicuti corpora? Nec nos hoc de Deo Patre sentimus : nulla enim forma corporis Deus definitur [2] atque concluditur. Sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis promittitur [3]; sicut sinistra ejus rectissime dicitur miseria perpetua, quæ impiis datur : ut non in ipso Deo, sed in creaturis hoc modo, quo diximus, intelligatur dextera et sinistra. Quia et corpus Christi, quod est Ec-

[1] Parv. et Bon., [illegible]

[1] Parv., *ossa et nervos*. Sic etiam plerique Mss., et ex his plures infra loco, *sacrilegum*, habent, *sacrilegum*.
[2] Aliquot Mss., *finitur*.
[3] Edd. [illegible] Mss., *promittitur*.

clesia, in ipsa dextera, hoc est in ipsa beatitudine futurum est, sicut Apostolus dicit, quia *et simul nos suscitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* ii, 6). Quamvis enim corpus nostrum nondum ibi sit, tamen spes nostra jam ibi est. Propterea et ipse Dominus post resurrectionem jussit discipulis quos piscantes invenit, ut in dexteram partem mitterent retia. Quod cum fecissent, ceperunt pisces, qui omnes magni erant (*Joan.* xxi, 6-11), id est, justos significabant, quibus dextera promittitur. Hoc significat, quod etiam in judicio dixit se agnos ad dexteram, hædos autem ad sinistram esse positurum (*Matth.* xxv, 33).

CAPUT XXVII. — 29. *Nec audiendi negantes judicium futurum.* Nec eos audiamus, qui negant diem judicii futurum, et commemorant quod in Evangelio scriptum est, eum qui credit in Christum, non judicari; qui autem non credit in illum, jam judicatum esse (*Joan.* iii, 18). Dicunt enim: Si et ille qui credit, non veniet in judicium, et ille qui non credit, jam judicatus est; ubi sunt quos judicaturus est in die judicii? Non intelligunt sic loqui Scripturas, ut præteritum tempus pro futuro tempore insinuent: sicut supra diximus, quod Apostolus dixit de nobis, quod *simul nos sedere fecit in cœlestibus*, nondum factum est; sed quia certissime est futurum, ita dictum est quasi jam factum sit. Sicut et ipse Dominus discipulis dixit, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Id.* xv, 15): et paulo post dicit, *Multa habeo vobis dicere; sed non potestis illa portare modo* (*Id.* xvi, 12). Quomodo ergo dixerat, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*, nisi quia illud quod per Spiritum sanctum certissime facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est? Sic ergo cum audimus, *Qui credit in Christum, non veniet in judicium*; intelligamus quia non veniet ad damnationem. Dicitur enim judicium pro damnatione, sicut dicit Apostolus, *Qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* xiv, 3): id est, non de illo male existimet. Et Dominus dicit; *Nolite judicare, ne judicetur de vobis* (*Matth.* vii, 1). Non enim tollit nobis intelligentiam judicandi, cum et propheta dicat, *Si vere justitiam diligitis, recta judicate, filii hominum* (*Psal.* lvii, 2); et ipse Dominus dicat, *Nolite judicare personaliter, sed justum judicium judicate* (*Joan.* vii, 24). Sed illo loco ubi vetat judicare, illud admonet, ne damnemus aliquem, cujus vel cogitatio nobis non est aperta, vel nescimus qualis postea sit futurus. Sic ergo cum dixit, *ad judicium non veniet*; hoc dixit, quia non veniet ad damnationem. *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Id.* iii, 18); hoc dixit, quia jam damnatus est præscientia Dei, qui novit quid immineat non credentibus.

CAPUT XXVIII. — 30. *Nec qui dicunt Spiritum promissum venisse in Paulo, aut Montano, etc.* Nec eos audiamus, qui dicunt Spiritum sanctum, quem in Evangelio Dominus promisit discipulis, aut in Paulo apostolo venisse, aut in Montano et Priscilla, sicut Cataphryges dicunt, aut in nescio quo Manete vel Manichæo, sicut Manichæi dicunt. Tam enim cæci sunt isti, ut Scripturas manifestas non intelligant, aut tam negligentes salutis suæ, ut omnino non legant. Quis enim, cum legerit, non intelligat vel in Evangelio quod post Domini resurrectionem scriptum est, dicente Domino, *Ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete hic in civitate, quousque induamini virtute ex alto* (*Luc.* xxiv, 49)? Et in Actibus Apostolorum, posteaquam Dominus ascendit a discipulorum oculis in cœlum, decem diebus peractis, die Pentecostes non attendunt apertissime venisse Spiritum sanctum; et cum essent illi in civitate, sicut eos ante monuerat, implevisse illos, ita ut loquerentur linguis. Nam diversæ nationes quæ tunc aderant, unusquisque audientium suam linguam intelligebant (*Act.* ii, 1-11). Sed isti homines decipiunt eos qui negligentes catholicam fidem [1], et ipsam fidem suam quæ in Scripturis manifesta est, nolunt discere [2], et quod est gravius et multum dolendum, cum in Catholica [3] negligenter versentur, hæreticis aurem diligenter accommodant.

CAPUT XXIX. — 31. *Nec audiendi Donatistæ negantes Ecclesiam per orbem esse diffusam. Donatus ipse a suis divisus. Donatus Romæ cum Cæciliano causam dicens, nihil probat. Donatistæ Baptismum nisi ipsi dederint, inanem esse volunt.* Nec eos audiamus, qui sanctam Ecclesiam, quæ una catholica est, negant per orbem esse diffusam, sed in sola Africa, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt adversus prophetam dicentem, *Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* ii, 7, 8). Et alia multa, sive in Veteris, sive in Novi Testamenti libris, quæ scripta sunt, ut apertissime declarent Ecclesiam Christi per orbem terræ esse diffusam. Quod cum eis objicimus, dicunt jam ista omnia fuisse completa, antequam esset pars Donati, sed postea totam Ecclesiam perisse, et in sola Donati parte reliquias ejus remansisse contendunt. O linguam superbam et nefariam! nec si vere sic viverent, ut vel inter se pacem postea custodirent. Nunc autem non attendunt jam in ipso Donato completum fuisse quod dictum est, *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Matth.* vii, 2). Sicut enim Christum dividere conatus est, sic ipse a suis quotidiana concisione dividitur. Ad hoc etiam pertinet illud quod Dominus dicit, *Qui enim gladio percusserit, gladio morietur* (*Id.* xxvi, 52). Gladius enim illo loco, siquidem in malo positus est, discordiosam linguam significat, qua tunc ille infelix Ecclesiam percussit, sed non occidit. Non enim dixit Dominus, Qui occiderit gladio, gladio morietur; sed, *Qui gladio usus fuerit*, inquit, *gladio morietur*. Ergo ille percussit Ecclesiam lingua litigiosa, qua nunc ipse conciditur, ut omnino dispereat atque moriatur. Et tamen illud tunc

[1] Editi, *qui negligentes sunt in catholica fide*. At Mss., *qui negligentes catholicam fidem*; vel, *qui negligentes in catholicam fidem*.

[2] Sic Parv. et plures Mss. At Am. Er. Lov., *dicere*.

[3] Editi addunt, *fide*: cujus loco subaudiri potest, *Ecclesia*.

apostolus Petrus, non superbia sua, sed quamvis carnali, tamen amore Domini percussit. Hic autem admonitus recondidit gladium; iste autem non victus hoc fecit. Siquidem cum episcopo Cæciliano causam cum diceret, audientibus episcopis Romanis, quos ipse petiverat, nihil eorum quæ intenderat potuit probare, et sic remansit in schismate, ut suo gladio moreretur. Populus autem ipsius, quando non audit Prophetas et Evangelium, in quibus apertissime scriptum est Ecclesiam Christi per omnes gentes esse diffusam, et audit schismaticos, non Dei gloriam quærentes, sed suam, satis significat servum se esse, non liberum, et aurem dexteram se habere præcisam. Petrus etiam errans in amore Domini, servi, non liberi, aurem dexteram præcidit. Ex quo significatur, eos qui gladio schismatis feriuntur, et servos esse carnalium desideriorum, nondum eductos in libertatem Spiritus sancti, ut jam non confidant in homine; et non audire quod dextrum est, id est, Domini gloriam per catholicam Ecclesiam latissime propagatam, sed audire sinistrum humanæ inflationis errorem. Sed tamen cum Dominus dicat in Evangelio, cum per omnes gentes Evangelium fuerit prædicatum, tunc finem esse futurum (*Matth.* XXIV, 14); quomodo isti dicunt quod jam cæteræ omnes gentes recesserunt a fide, et in sola parte Donati remansit Ecclesia, cum manifestum sit, ex quo ista pars ab unitate præcisa est, nonnullas gentes postea credidisse, et adhuc esse aliquas quæ nondum crediderunt, quibus quotidie non cessatur [1] Evangelium prædicari? Quis non miretur esse aliquem qui se christianum dici velit, et adversus Christi gloriam tanta impietate rapiatur, ut audeat dicere omnes populos gentium, qui modo adhuc accedunt Ecclesiæ Dei, et in Dei Filium festinanter credunt, inaniter facere, quia non eos aliquis donatista baptizat? Sine dubio isti exsecrarentur homines, et eos sine dilatione relinquerent, si Christum quærerent, si Ecclesiam diligerent, si liberi essent, si aurem dexteram integram retinerent.

CAPUT XXX. — 32. *Non audiendi Luciferiani, qui licet non rebaptizent, præciderunt se ab Ecclesia, quia resipiscentes ab Ariana hæresi recipiebat.* Nec eos audiamus, qui quamvis neminem rebaptizent, præciderunt se tamen ab unitate, et Luciferiani magis dici quam Catholici maluerunt. In eo enim quod intelligunt baptisma Christi non esse repetendum, recte faciunt. Sentiunt enim Sacramentum sancti lavacri nusquam esse, nisi ex catholica Ecclesia; sed eam formam secum habere sarmenta præcisa, quam in ipsa vite, antequam præciderentur, acceperant. Hi sunt enim de quibus Apostolus dicit: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (II *Tim.* III, 5). Est enim magna virtus pietatis, pax et unitas; quia unus est Deus. Hanc illi non habent, quia præcisi ab unitate sunt. Itaque, si qui ex ipsis ad Catholicam veniunt, non iterant speciem pietatis quam habebant, sed accipiunt virtutem pietatis quam non habebant. Nam et amputatos ramos denuo posse inseri, si non permanserint in incredulitate, apertissime Apostolus docet (*Rom.* XI, 23). Quod cum Luciferiani intelligunt, et non rebaptizant, non improbamus: sed quod etiam ipsi præcidi a radice voluerunt, quis non detestandum esse cognoscat? Et ideo maxime, quia hoc eis displicuit in Ecclesia catholica, quod vere catholicæ sanctitatis est. Nusquam enim tam vigere debent viscera misericordiæ, quam in catholica Ecclesia, ut tanquam vera mater nec peccantibus filiis superbe insultet, nec correctis difficile ignoscat. Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt (*Matth.* XVI, 19). Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur, *Amas me? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Debet ergo Ecclesia catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam ejus gestanti, et cum in mari titubasset (*Matth.* XIV, 30), et cum Dominum carnaliter a passione revocasset (*Id.* XVI, 22), et cum aurem servi gladio præcidisset, et cum ipsum Dominum ter negasset (*Id.* XXVI, 51, 70-74), et cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset (*Galat.* II, 12), videamus veniam esse concessam, eumque correctum atque firmatum usque ad dominicæ passionis gloriam pervenisse. Itaque post persecutionem quæ per Arianos hæreticos facta erat, postquam pax, quam quidem Catholica in Domino tenet, etiam a principibus sæculi reddita est, episcopi qui perfidiæ Arianorum in illa persecutione [1] consenserant multi correcti redire in Catholicam delegerunt, damnantes sive quod crediderant, sive quod se credidisse simulaverant. Hos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tanquam eumdem post pravam simulationem Pauli voce correctum. Hanc illi matris charitatem superbe accipientes, et impie reprehendentes, quia Petro post galli cantum surgenti non gratulati sunt (*Matth.* XXVI, 75), cum Lucifero, qui mane oriebatur, cadere meruerunt (*Isai.* XIV, 12).

CAPUT XXXI. — 33. *Nec audiendi Cathari negantes Ecclesiam posse omnia peccata dimittere, et vetantes viduas nubere.* Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, et super doctrinam apostolicam se prædicant esse mundiores (I *Tim.* V, 14). Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mundos vocarent. Nolentes enim, si peccaverint, corrigi, nihil aliud elegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua sanitate [2] custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam, et viduis suis uri cogunt, quas nubere non permittunt. Non enim prudentiores habendi sunt,

[1] Unus e Vaticanis Mss., *non cessat.*

[1] Nonnulli codices, *perturbatione.*
[2] Duo Mss., *sanctitate.*

quam Paulus apostolus, qui maluit eas nubere, quam uri (I *Cor.* VII, 9).

CAPUT XXXII. — 34. *Nec qui resurrectionem carnis negant.* Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, et commemorant quod ait apostolus Paulus, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*; non intelligentes quod ipse dicit Apostolus, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Cum enim hoc factum fuerit, jam non erit caro et sanguis, sed cœleste corpus (a). Quod et Dominus promittit, cum dicit, *Neque nubent, neque uxores ducent, sed erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* XXII, 30). Non enim jam hominibus, sed Deo vivent, cum æquales Angelis facti fuerint. Immutabitur ergo caro et sanguis, et fiet corpus cœleste et angelicum. *Et mortui enim resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (I *Cor.* XV, 50-53): ut et illud verum sit, quod resurget caro; et illud verum sit, quod *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.*

CAPUT XXXIII. — 35. *Fidei simplicitate lactari oportet, cum parvuli sumus. Charitas perfecta nec cupiditatem sæculi compatitur, nec timorem. Cognitio veritatis in corde mundato.* Ista fidei simplicitate et sinceritate lactati nutriamur in Christo; et cum parvuli sumus, majorum cibos non appetamus, sed nutrimentis saluberrimis crescamus in Christo, accedentibus bonis moribus et christiana justitia, in qua est charitas Dei et proximi perfecta et firmata: ut unusquisque nostrum de diabolo inimico et angelis ejus triumphet in semetipso in Christo quem induit. Quia perfecta charitas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi; id est, nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ne amittat res temporales. Per quas duas januas intrat et regnat inimicus, qui primo Dei timore, deinde charitate pellendus est. Debemus itaque tanto avidius appetere apertissimam et evidentissimam cognitionem veritatis, quanto nos videmus in charitate proficere, et ejus simplicitate [1] cor habere mundatum, quia ipso interiore oculo videtur veritas: *Beati enim mundo corde,* inquit, *quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). *Ut in charitate radicati et fundati prævaleamus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum; scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei* (*Ephes.* III, 17-19): et post ista cum invisibili hoste certamina, quoniam volentibus et amantibus jugum Christi lene est, et sarcina ejus levis (*Matth.* XI, 30), coronam victoriæ mereamur.

(a) II Retract., cap. 3.

[1] Editi, *in ejus simplicitate*. Abest, *in*, a Mss.

In subsequentem librum De catechizandis Rudibus, *vide lib.* 2, *cap.* 14, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 635, *a verbis*, Est etiam liber noster, *usque ad verba*, Frater Deogratias. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

CATECHIZANDIS RUDIBUS

LIBER UNUS (a).

Rogatus Augustinus a diacono Carthaginensi, catechizandi artem docendam suscipit: ac primo præcepta tradit, ut id officii non tantum certa methodo atque idonea ratione, sed etiam sine tædio et cum hilaritate impleatur. Postea revocatis ad usum præceptis, profert ipse in exemplum sermones, ad eum erudiendum qui christianus esse velit, comparatos duos, longiorem unum, alterum brevissimum.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Rogatus a diacono Carthaginensi scribit de catechizandis rudibus.* Petisti me, frater Deogratias (b), ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti enim quod sæpe apud Carthaginem, ubi diaconus es, ad te adducuntur, qui fide christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem, et doctrina fidei et suavitate sermonis [1]: te autem pene semper angustias pati, idipsum quod credendo christiani sumus, quo

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Libri de Catechizandis Rudibus contulimus codices manuscriptos quatuordecim: Corbeiensem perquam egregium annorum 800, alium Ecclesiæ Laudunensis annorum 700, Divionensem abbatiæ S. Benigni, Pratellensem, Fiscannensem, Michaelinum, Cisterciensem, Floriacenses duos, totidem Victorinos, Sorbonicum et duos Vaticanos; lectiones variantes ex tribus Belgicis cura Lovaniensium decerptas; et postremo editiones primarias Amerbachii, Erasmi ac Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scriptus circiter annum 400.

(b) Idem ille forsitan est Deogratias, cui presbytero Augustinus, post annum Christi circiter 406, ad quæstiones Paganorum ab eo sibi Carthagine missas respondet epistola nunc ordine 102.

[1] Lov., *et doctrinam fidei et suavitatem sermonis.*

pacto commodius intimandum sit; unde exordienda, quousque sit perducenda narratio: utrum exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an praecepta sola, quibus observandis cui loquimur noverit christianam vitam professionemque retineri [1]. Sæpe autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo et tepido tibi ipse vilesceres essesque fastidio, nedum illi quem loquendo imbuebas, et cæteris qui audientes aderant: eaque te necessitate fuisse compulsum, ut ea me quam tibi debeo charitate compelleres, ne gravarer inter occupationes meas tibi de hac re aliquid scribere.

2. Ego vero non ea tantum quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesiæ universaliter debeo, charitate ac servitute compellor, si quid per operam meam quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus quos mihi fratres fecit, adjuvari jubet, nullo modo recusare, sed potius prompta et devota voluntate suscipere. Quanto enim cupio latius erogari [2] pecuniam dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facile atque expedite possint, quod impigre ac studiose volunt.

CAPUT II. — 3. *Sermo sæpe qui audienti placet, displicet dicenti: unde id contingat. Qui sermonem habet, curet ut sine fastidio et hilariter dicat.* Sed quod ad tuam proprie considerationem pertinet, nolim te moveri ex eo quod sæpe tibi abjectum sermonem fastidiosumque habere visus es. Fieri enim potest ut ei quem instruebas non ita sit visum, sed quia tu aliquid melius audiri desiderabas, eo tibi quod dicebas videretur indignum auribus aliorum. Nam et mihi prope semper sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo sæpe fruor interius, antequam eum explicare verbis sonantibus cœpero: quod ubi minus quam mihi notus est evaluero, contristor linguam meam cordi meo non potuisse sufficere [3]. Totum enim quod intelligo, volo ut qui me audit intelligat; et sentio me non ita loqui, ut hoc efficiam: maxime quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum; illa autem locutio tarda et longa est, longeque dissimilis: et dum ista volvitur, jam se ille in secreta sua condidit: tamen quia vestigia quædam miro modo impressit memoriæ, perdurant illa cum syllabarum morulis; atque ex eisdem vestigiis sonantia signa peragimus, quæ lingua dicitur vel latina, vel græca, vel hebræa, vel alia quælibet, sive cogitentur hæc signa, sive etiam voce proferantur: cum illa vestigia nec latina, nec græca, vel hebræa, nec cujusque alterius gentis sint propria, sed ita efficiantur in animo, ut vultus in corpore. Aliter enim latine ira dicitur, aliter græce, aliter atque aliter aliarum diversitate linguarum: non autem latinus aut græcus est vultus irati. Non itaque omnes gentes intelligunt, cum quisque dicit, Iratus sum, sed Latini tantum: at si affectus excandescentis animi exeat in faciem, vultumque faciat (a), omnes sentiunt qui intuentur iratum. Sed neque ita licet educere et quasi exprimere in sensum audientium per sonum vocis illa vestigia, quæ imprimit intellectus memoriæ, sicut apertus et manifestus est vultus: illa enim sunt intus in animo, iste foris in corpore. Quapropter conjiciendum est quantum distet sonus oris nostri ab illo ictu intelligentiæ, quando ne ipsi quidem impressioni memoriæ similis est. Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus: et quia non succedit, angimur, et velut frustra operam insumamus, tædio marcescimus; atque ex ipso tædio languidior fit idem sermo, et hebetior quam erat, unde perduxit ad tædium.

4. Sed mihi sæpe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, ut videtur mihi: et eos inde aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco; mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur. Sic et tu, eo ipso quod ad te sæpius adducuntur qui fide imbuendi sunt, debes intelligere non ita displicere aliis sermonem tuum ut displicet tibi: nec infructuosum te debes putare, quod ea quæ cernis non explicas ita ut cupis; quando forte ut cupis nec cernere valeas. Quis enim in hac vita nisi in ænigmate et per speculum videt (I *Cor.* XIII, 12)? Nec ipse amor tantus est, ut carnis disrupta caligine penetret in æternum serenum, unde utcumque fulgent etiam ista quæ transeunt. Sed quia boni proficiunt de die in diem ad videndum diem sine volumine cœli et sine noctis incursu, quem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Id.* II, 9); nulla major causa est cur nobis in imbuendis rudibus noster sermo vilescat, nisi quia libet inusitate cernere, et tædet usitate proloqui. Et re quidem vera multo gratius audimur, cum et nos eodem opere delectamur: afficitur enim filum locutionis nostræ ipso nostro gaudio, et exit facilius atque acceptius. Quapropter non arduum est negotium, ea quæ credenda insinuantur, præcipere unde et quousque narranda sint; nec quomodo sit varianda narratio, ut aliquando brevior, aliquando longior, semper tamen plena atque perfecta sit; et quando breviore, et quando longiore sit utendum: sed quibus modis faciendum sit, ut gaudens quisque catechizet (tanto enim suavior erit, quanto magis id potuerit), ea cura maxima est. Et præceptum quidem rei hujus in promptu est. Si enim in pecunia corporali, quanto magis in spirituali hilarem datorem diligit Deus (II *Cor.* IX, 7)? Sed hæc hilaritas ad horam ut adsit, ejus est misericordiæ qui ista præcepit. Itaque prius de modo narrationis quod te velle cognovi, tum de præcipiendo atque cohortando, postea de hac hilaritate comparanda, quæ Deus suggesserit, disseremus.

[1] Sic in Mss. At in editis, retinere.
[2] Editi, erogare. At Mss., erogari.
[3] [illegible]

(a) Forte, *efficiat*.

CAPUT III. — 5. *Narratio plena quæ sit adhibenda catechizando. Ad charitatis finem dirigenda narratio. Scripturæ veteres propter commendandum Christi adventum, cujus finis charitas.* Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur ab eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1), usque ad præsentia tempora Ecclesiæ. Non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totosque Judicum et Regnorum et Esdræ [1] libros, totumque Evangelium et Actus Apostolorum, vel, si ad verbum edidicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus narrando evolvere et explicare; quod nec tempus capit, nec ulla necessitas postulat: sed cuncta summatim generatimque complecti, ita ut eligantur quædam mirabiliora quæ suavius audiuntur, atque in ipsis articulis constituta sunt (*a*), ut ea [2] tanquam in involucris ostendere, statimque a conspectu abripere non oporteat, sed aliquantum immorando quasi resolvere atque expandere, et inspicienda atque miranda offerre animis auditorum; cætera vero celeri percursione inserendo contexere. Ita et illa quæ maxime commendari volumus, aliorum submissione magis eminent; nec ad ea fatigatus pervenit, quem narrando volumus excitare; nec illius memoria confunditur, quem docendo debemus instruere.

6. In omnibus sane non tantum nos oportet intueri præcepti finem, quod est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (I *Tim.* I, 5), quo ea quæ loquimur cuncta referamus; sed etiam illius quem loquendo instruimus, ad id movendus [3] atque illuc dirigendus aspectus est. Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia quæ in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, et futura præsignaretur Ecclesia, id est, populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus; adjunctis atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Sicut enim Jacob manum prius, dum nasceretur, emisit ex utero, qua etiam pedem prænascentis fratris tenebat, deinde utique secutum est caput, tum demum necessario membra cætera (*Gen.* XXV, 25); sed tamen caput non tantum ea membra quæ secuta sunt, sed etiam ipsam manum quæ in nascendo præcessit, dignitate ac potestate præcedit; et quamvis non tempore apparendi, tamen naturæ ordine prius est: ita et Dominus Jesus Christus etsi antequam appareret in carne, et quodam modo ex utero secreti sui ad hominum oculos Mediator Dei et hominum homo procederet, qui est super omnes Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5), præmisit in sanctis Patriarchis et Prophetis quamdam partem corporis sui, qua velut manu se nasciturum esse prænuntians, etiam populum præcedentem superbe, vinculis Legis tanquam digitis quinque supplantavit [1] (quia et per quinque temporum articulos prænuntiari venturus prophetarique non destitit, et huic rei consonans per quem Lex data est, quinque libros conscripsit: et superbi carnaliter sentientes, et suam justitiam volentes constituere (*Rom.* X, 3), non aperta manu Christi repleti sunt benedictione, sed constricta atque conclusa retenti sunt; itaque illis obligati sunt pedes, et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus [*Psal.* XIX, 9]): quamvis ergo, ut dixi, præmiserit Dominus Christus quamdam partem corporis sui in sanctis, qui eum nascendi tempore præierunt; tamen ipse est caput corporis Ecclesiæ (*Coloss.* I, 18); illique omnes eidem corpori cujus ille caput est cohæserunt, credendo in eum quem prænuntiabant. Non enim præcurrendo divulsi sunt, sed adjuncti potius obsequendo. Nam etsi manus a capite præmitti potest, connexio tamen ejus sub capite est. Quapropter omnia quæ ante scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt (*Rom.* XV, 4), et figuræ nostræ fuerunt, et *in figura contingebant in eis* [2]; *scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11).

CAPUT IV. — 7. *Præcipua causa adventus Christi, charitatis commendatio. Ad dilectionem referenda esse quæ de Christo ex Scripturis narrantur in catechismo.* Quæ autem major causa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer? quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* V, 6-9). Hoc autem ideo, quia finis præcepti et plenitudo legis, charitas est (I *Tim.* I, 5, *et Rom.* XIII, 10): ut et nos invicem diligamus, et quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic et nos pro fratribus animam ponamus (I *Joan.* III, 16); et ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos (*Id.* IV, 10), et Filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (*Rom.* VIII, 32), si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat [3]. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando; et nimis durus est animus qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Quod si in ipsis flagitiosis et sordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere qui amari vicissim volunt, nisi ut documentis quibus valent aperiant et ostendant quantum ament; eamque imaginem justitiæ prætendere affectant, ut vicem sibi reddi quodam modo flagitent ab eis animis quos illecebrare moliuntur; ipsique ardentius æstuant, cum jam moveri eodem igne etiam illas mentes quas appetunt sentiunt: si ergo et animus qui torpebat, cum se amari senserit excitatur, et qui jam fervebat, cum se redamari didicerit magis accenditur; manifestum est nullam esse majorem causam qua vel inchoetur vel augeatur amor, quam cum amari se cognoscit qui

[1] In Mss., *Ezræ*.

[2] Er. et Lov., *et ea*. At Am., *ut ea*. Et sic potiores Mss. ex quibus postea corrigimus, *non oporteat*; ubi editi ferebant, *non oportet*.

[3] Ita Mss., Editi vero, *monendus*.

(*a*) Articuli temporum quinque notantur infra, n. 5 et n. 39.

[1] Aliquot Mss., *supplantaret*.

[2] Editi, *contingebant eis*: omissa particula, *in*, quæ tamen hic reperitur in Mss. et in græco textu Apostoli.

[3] Am. Er. et Mss., *saltem redamare non pigeat*; omisso, *nunc*.

nondum amat, aut redamari se vel posse sperat, vel jam probat qui prior amat. Et si hoc etiam in turpibus amoribus, quanto plus[1] in amicitia? Quid enim aliud cavemus in offensione amicitiæ, nisi ne amicus arbitretur quod eum vel non diligimus, vel minus diligimus quam ipse nos diligit? Quod si crediderit, frigidior erit in eo amore quo invicem homines mutua familiaritate perfruuntur: et si non ita est infirmus, ut hæc illum offensio faciat ab omni dilectione frigescere; in ea se tenet, qua non ut fruatur, sed ut consulat diligit. Operæ pretium est autem animadvertere, quomodo, quanquam et superiores velint se ab inferioribus diligi, eorumque in se studioso[2] delectentur obsequio, et quanto magis id senserint, tanto magis eos diligant, tamen quanto amore exardescat inferior, cum a superiore se diligi senserit. Ibi enim gratior amor est, ubi non æstuat indigentiæ siccitate, sed ubertate beneficentiæ[3] profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia. Jam vero si etiam se amari posse a superiore desperabat inferior, ineffabiliter commovebitur in amorem, si ultro ille fuerit dignatus ostendere quantum diligat eum qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo judicante, et quid desperatius homine peccante? qui se tanto magis tuendum et subjugandum superbis potestatibus addixerat, quæ beatificare non possunt, quanto magis desperaverat posse sui curam geri ab ea potestate quæ non malitia sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est.

8. Si ergo maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus; et ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem a quo prior dilectus est, inardesceret, proximumque illo jubente et demonstrante diligeret, qui non proximum, sed longe peregrinantem diligendo factus est proximus; omnisque Scriptura divina quæ ante scripta est, ad prænuntiandum adventum Domini scripta est; et quidquid postea mandatum est litteris et divina auctoritate firmatum, Christum narrat, et dilectionem monet: manifestum est non tantum totam Legem et Prophetas in illis duobus pendere præceptis dilectionis Dei et proximi (*Matth.* XXII, 40), quæ adhuc sola Scriptura sancta erat cum hoc Dominus diceret, sed etiam quæcumque posterius salubriter conscripta[4] sunt memoriæque mandata divinarum volumina Litterarum. Quapropter in Veteri Testamento est occultatio Novi, in Novo Testamento est manifestatio Veteris. Secundum illam occultationem carnaliter intelligentes carnales, et tunc et nunc pœnali timore subjugati sunt. Secundum hanc autem manifestationem spirituales, et tunc quibus pie pulsantibus etiam occulta patuerunt, et nunc qui non superbe quærunt, ne etiam aperta claudantur, spiritualiter intelligentes donata charitate liberati sunt. Quia ergo charitati nihil adversius quam invidentia, mater autem invidentiæ superbia est: idem Dominus Jesus Christus, Deus homo, et divinæ in nos dilectionis indicium est, et humanæ apud nos humilitatis exemplum, ut magnus tumor noster majore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. Hac ergo dilectione tibi tanquam fine proposito, quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.

CAPUT V. — 9. *Accedens ad catechismum scrutandus quo fine velit fieri christianus.* De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est; ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, ejusque in se dilectioni, etiamsi impune posset, tamen displicere vereatur. Rarissime quippe accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offensionem aut inimicitias reformidat, vult fieri christianus; non fieri vult potius quam fingere. Fides enim non res est salutantis[1] corporis, sed credentis animi. Sed plane sæpe adest misericordia Dei per ministerium catechizantis, ut sermone commotus jam fieri velit quod decreverat fingere: quod cum velle cœperit, tunc eum venisse deputemus. Et occultum quidem nobis est quando[2] veniat animo, quem jam corpore præsentem videmus: sed tamen sic cum eo debemus agere, ut fiat in illo hæc voluntas, etiamsi non est. Nihil enim deperit, quando si est, utique tali nostra actione firmatur, quamvis quo tempore, vel qua hora cœperit, ignoremus. Utile est sane ut præmoneamur antea, si fieri potest, ab iis qui eum norunt, in quo statu animi sit, vel quibus causis commotus ad suscipiendam religionem venerit. Quod si defuerit alius a quo id noverimus, etiam ipse interrogandus est, ut ex eo quod responderit ducamus sermonis exordium. Sed si ficto pectore accessit, humana commoda cupiens, vel incommoda fugiens, utique mentiturus est: tamen ex eo ipso quod mentitur, capiendum est principium; non ut refellatur ejus mendacium, quasi tibi certum sit, sed ut si dixerit eo proposito se venisse quod vere approbandum est, sive ille verum sive falsum dicat, tale tamen propositum quali se venisse respondit, approbantes atque laudantes, faciamus eum delectari esse se talem, qualem videri cupit. Si autem aliud dixerit, quam oportet esse in animo ejus qui christiana fide imbuendus est; blandius et lenius reprehendendo tanquam rudem et ignarum, et christianæ doctrinæ finem verissimum demonstrando atque laudando breviter et graviter, ne aut tempora futuræ narrationis occupes, aut eam non prius collocato animo audeas imponere, facias eum velle quod aut per

[1] Plerique Mss., portus? Am. et Mss. Vaticani, gloriosus?
[2] Sic Mss. At editi, studiosi.
[3] Veteres libri, benevolentiæ.
[4] Am. Er. et plures Mss., conscriptæ. At duo Mss., conscripta.

[1] Edit. Er. et Lov., salutandi. Nonnulli codices, salutis. [illegible], salutantis; sed plerique ac meliores notæ Mss. cum [illegible] Mss., salutantis, id est, salutem sive assensum gestu significantis.
[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., quo.

errorem aut per simulationem nondum volebat.

CAPUT VI. — 10. *Exordium catechismi, et narratio ab historia creationis mundi usque ad præsens tempus Ecclesiæ.* Quod si forte se divinitus admonitum vel territum esse responderit, ut fieret christianus, lætissimum nobis exordiendi aditum præbet, quanta Deo sit cura pro nobis. Sane ab hujusmodi miraculorum sive somniorum, ad Scripturarum solidiorem viam et oracula certiora transferenda est ejus intentio ; ut et illa admonitio quam misericorditer ei prærogata sit, noverit antequam Scripturis sanctis inhæreret. Et utique demonstrandum est ei quod ipse Dominus non eum admoneret aut compelleret fieri christianum et incorporari Ecclesiæ, seu talibus signis aut revelationibus erudiret, nisi jam præparatum iter in Scripturis sanctis, ubi non quæreret visibilia miracula, sed invisibilia sperare consuesceret, neque dormiens, sed vigilans moneretur, eum securius et tutius carpere voluisset. Inde jam exordienda narratio est, ab eo quod fecit Deus omnia bona valde (*Gen.* I), et perducenda, ut diximus, usque ad præsentia tempora Ecclesiæ : ita ut singularum rerum atque gestorum quæ narramus, causæ rationesque reddantur, quibus ea referamus ad illum finem dilectionis, unde neque agentis aliquid neque loquentis oculus avertendus est. Si enim fictas poetarum fabulas, et ad voluptatem [1] excogitatas animorum quorum cibus nugæ sunt, tamen boni qui habentur atque appellantur grammatici, ad aliquam utilitatem referre conantur, quanquam et ipsam vanam et avidam saginæ sæcularis ; quanto nos decet esse cautiores, ne illa quæ vera narramus, sine suarum causarum redditione digesta, aut inani suavitate, aut etiam perniciosa cupiditate credantur ? Non tamen sic asseramus has causas, ut relicto narrationis tractu, cor nostrum et lingua in nodos difficilioris disputationis excurrat ; sed ipsa veritas adhibitæ rationis [2], quasi aurum sit gemmarum ordinem ligans, non tamen ornamenti seriem ulla immoderatione perturbans.

CAPUT VII. — 11. *Resurrectio, judicium et alia quædam post narrationem intimanda.* Narratione finita, spes resurrectionis intimanda est, et pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo, adversus vanas irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, et futuri ultimi judicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes ; commemoratisque cum detestatione et horrore pœnis impiorum, regnum justorum atque fidelium et superna illa civitas ejusque gaudium cum desiderio prædicandum est. Tum vero instruenda et animanda est infirmitas hominis adversus tentationes et scandala, sive foris sive in ipsa intus Ecclesia : foris adversus Gentiles vel Judæos vel hæreticos ; intus autem adversus areæ dominicæ paleam. Non ut contra singula perversorum genera disputetur, omnesque illorum pravæ opiniones, propositis quæstionibus refellantur, sed pro tempore brevi demonstrandum est ita esse prædictum, et quæ sit utilitas tentationum erudiendis fidelibus, et quæ medicina in exemplo patientiæ Dei, qui statuit usque in finem ista permittere. Cum vero adversus eos instruitur, quorum perversæ turbæ corporaliter implent ecclesias, simul etiam præcepta breviter et decenter commemorentur christianæ atque honestæ conversationis, ne ab ebriosis, avaris, fraudatoribus aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, spectaculorum amatoribus, remediorum sacrilegorum alligatoribus, præcantatoribus, mathematicis, vel quarumlibet artium vanarum et malarum divinatoribus, atque hujusmodi cæteris ita facile seducatur, et impunitum sibi fore arbitretur, quia videt multos qui christiani appellantur, hæc amare, et agere, et defendere, et suadere, et persuadere. Quis enim finis præstitutus sit in tali vita perseverantibus, et quam sint in ipsa Ecclesia tolerandi, ex qua in fine separandi sunt, divinorum Librorum testimoniis edocendum est. Prænuntiandum est etiam inventurum eum in Ecclesia multos christianos bonos, verissimos cives cœlestis Jerusalem, si esse ipse cœperit. Ad extremum ne spes ejus in homine ponatur, sedulo monendus est : quia neque facile ab homine judicari potest quis homo sit justus ; et si facile posset, non ideo nobis proponi exempla justorum, ut ab eis justificemur, sed ut eos imitantes ab eorum justificatore nos quoque justificari sciamus. Hinc enim fiet, quod maxime commendandum est, ut cum ille qui nos audit, imo per nos audit Deum, moribus et scientia proficere cœperit, et viam Christi alacriter ingredi, nec nobis id audeat assignare, nec sibi ; sed et se ipsum, et nos, et quoscumque alios diligit amicos, in illo et propter illum diligat, qui eum dilexit inimicum, ut justificans faceret amicum. Hic jam non te puto præceptore indigere, ut cum occupata sunt tempora, vel tua, vel eorum qui te audiunt, breviter agas ; cum autem largiora, argius eloquaris : hoc enim nullo admonente ipsa necessitas præcipit.

CAPUT VIII. — 12. *Eruditi quomodo catechizandi.* Sed illud plane non prætereundum est, ut si ad te quisquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus, qui jam decreverit esse christianus, et ideo venerit ut fiat, difficillimum omnino est ut non multa nostrarum scripturarum litterarumque cognoverit, quibus jam instructus ad Sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora qua christiani fiunt, sed ante solent omnia diligenter inquirere, et motus animi sui, cum quibus possunt, communicare atque discutere. Cum his itaque breviter agendum est, et non odiose [1] inculcando quæ norunt, sed modeste perstringendo ; ita ut dicamus nos credere quod jam noverint illud, atque illud ; atque hoc modo cursim enumerare omnia quæ

[1] Am. et plerique Mss., *voluntatem.*
[2] Sic vetus codex Corbeiensis. At Victorinus, *adhibitæ narrationis.* Editiones Am. et Er., *adhibita rationi.* Denique Lov., *adhibita rationis.*

[1] Aliquot Mss., *otiose.*

rudibus indoctisque inculcanda sunt : ut etsi quid novit eruditus iste, non tanquam a doctore audiat ; et si quid adhuc ignorat [1], dum ea commemoramus quæ illum nosse jam credimus, discat. Nec ipse sane inutiliter interrogatur, quibus rebus motus sit ut velit esse christianus : ut si libris ei persuasum [2] esse videris, sive canonicis, sive utilium tractatorum, de his aliquid in principio loquaris, collaudans eos pro diversitate meritorum canonicæ auctoritatis et exponentium [3] solertissimæ diligentiæ ; maximeque commendans in Scripturis canonicis admirandæ altitudinis saluberrimam humilitatem, in illis autem pro sua cujusque facultate aptum superbioribus, et per hoc infirmioribus animis, stilum sonantioris et quasi tornatioris eloquii [4]. Sane etiam exprimendum de illo est ut indicet quem maxime legerit, et quibus libris familiarius inhæserit, unde illi persuasum est ut sociari vellet Ecclesiæ. Quod cum dixerit, tum si nobis noti sunt illi libri, aut ecclesiastica fama saltem accepimus a catholico aliquo memorabili viro esse conscriptos, læti approbemus. Si autem in alicujus hæretici volumina incurrit, et nesciens forte quod vera fides improbat, tenuit animo, et catholicum esse arbitratur ; sedulo edocendus est, prælata auctoritate universalis Ecclesiæ aliorumque doctissimorum hominum et disputationibus et scriptionibus in ejus veritate florentium. Quanquam et illi qui catholici ex hac vita migrarunt, et aliquid litterarum christianarum posteris reliquerunt, in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel sicuti est humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, et veri similitudine aberrantes a veritate, præsumptoribus et audacibus fuerunt occasioni ad aliquam hæresim moliendam atque gignendam. Quod mirum non est, cum de ipsis canonicis Litteris, ubi omnia sanissime dicta sunt, non quidem aliter accipiendo quædam, quam vel scriptor sensit, vel se ipsa veritas habet ; (nam si hoc solum esset, quis non humanæ infirmitati ad corrigendum paratæ libenter ignosceret ?) sed id quod perverse ac prave opinati sunt, animositate acerrima et pervicaci arrogantia defensitantes, multi multa perniciosa dogmata, concisa communionis unitate pepererunt. Hæc omnia cum illo qui ad societatem populi christiani, non idiota, ut aiunt, sed doctorum libris expolitus atque excultus accedit, modesta collatione tractanda sunt : tantum assumpta præcipiendi auctoritate, ut caveat præsumptionis errores ; quantum ejus humilitas quæ illum adduxit, jam sentitur admittere. Cætera vero secundum regulas doctrinæ salutaris, sive de fide, quæcunque narranda vel disserenda sunt, sive de moribus, sive de tentationibus, eo modo percurrendo quo dixi, ad illam supereminentiorem viam omnia referenda sunt.

CAPUT IX. — 13. *Grammatici et oratores quomodo tractandi. Vox ad aures Dei, animi affectus.* Sunt item quidam de scholis usitatissimis grammaticorum oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. His ergo qui loquendi arte cæteris hominibus excellere videntur, cum veniunt ut christiani fiant, hoc amplius quam illis illitteratis impertire debemus, quod sedulo monendi sunt ut humilitate induti christiana, discant non contemnere quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare ; et cordi casto linguam exercitatam nec conferre [1] audeant, quam etiam præferre consueverant. Maxime autem isti docendi sunt Scripturas audire divinas, ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum ; neque arbitrentur carnalibus integumentis involuta atque operta dicta vel facta hominum, quæ in illis libris leguntur, non evolvenda atque aperienda ut intelligantur, sed sic accipienda ut litteræ sonant ; deque ipsa utilitate secreti, unde etiam mysteria vocantur, quid valeant ænigmatum latebræ ad amorem veritatis acuendum, decutiendumque [2] fastidii torporem, ipsa experientia probandum est talibus, cum aliquid eis quod in promptu positum non ita movebat, enodatione allegoriæ alicujus eruitur. His enim maxime utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit ut ita malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. Noverint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum : ita enim non irridebunt, si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis et solœcismis Deum invocare, vel eadem verba quæ pronuntiant non intelligere, perturbateque distinguere. Non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id quod plane intelligit, dicat Amen ; sed tamen pie toleranda sunt ab eis qui didicerint, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnunquam forte bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest. De Sacramento autem quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire quid res illa significet : cum tardioribus autem aliquanto pluribus verbis et similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident.

CAPUT X. — 14. *Item de hilaritate comparanda. Causæ sex tædium afferentes catechizanti. Remedium contra primam causam tædii.* Hic tu fortasse exemplum aliquod sermonis desideras, ut ipso tibi opere ostendam quomodo facienda sint ista quæ monui. Quod quidem faciam, quantum Domino adjuvante potuero : sed prius de illa hilaritate comparanda, quod pollicitus sum, dicere debeo. Jam enim de ipsis præceptis explicandi sermonis, in catechizando eo qui sic venit ut christianus fiat, quantum satis visum est, quod promiseram exsolvi. Indebitum quippe est, ut

[1] Editi, *et si quid forte adhuc ignorat*. Abest, *forte*, a Mss.
[2] Mss., *ut si libris eum persuasum*.
[3] Plures codices, *et ad exponendum*.
[4] Lov., *ornatioris eloquii*.

[1] Plerique Mss., *linguam exercitatam nec conferre*.
[2] Sic plures Mss. At editi, *discutiendumque*.

etiam ipse faciam in hoc volumine, quod fieri oportere præcipio. Si ergo fecero, ad cumulum valebit : cumulus autem quo pacto a me superfundi potest, antequam mensuram debiti explevero? Neque enim te maxime conqueri audivi, nisi quod tibi sermo tuus vilis abjectusque videretur, cum aliquem christiano nomine imbueres. Hoc autem scio, non tam rerum quæ dicendæ sunt, quibus te satis novi paratum et instructum, neque ipsius locutionis inopia, sed animi tædio fieri; vel illa causa quam dixi, quia magis nos delectat et tenet, quod in silentio mente cernimus, nec inde volumus avocari ad verborum longe disparem strepitum; vel quia etiam cum sermo jucundus est, magis nos libet audire aut legere quæ melius dicta sunt, et quæ sine nostra cura et sollicitudine promuntur, quam ad alienum sensum repentina verba coaptare incerto exitu, sive utrum occurrant pro sententia, sive utrum accipiantur utiliter; vel quia illa quæ rudibus insinuantur, eo quod nobis notissima sunt, et provectui nostro jam non necessaria, piget ad ea sæpissime redire, nec in eis tam usitatis et tanquam infantilibus cum aliqua voluptate jam grandiusculus animus graditur. Facit etiam loquenti tædium auditor [immobilis vel quia non movetur affectu, vel quia nullo motu corporis indicat se intelligere vel sibi placere quæ dicuntur[1]] : non quia humanæ laudis nos esse avidos decet, sed quia ea quæ ministramus Dei sunt; et quanto magis diligimus eos quibus loquimur, tanto magis eis cupimus ut placeant quæ ad eorum porriguntur salutem : quod si non succedit, contristamur, et in ipso cursu debilitamur et frangimur, quasi frustra operam conteramus. Nonnunquam etiam cum avertimur ab aliqua re quam desideramus agere, et cujus actio aut delectabat nos, aut magis nobis necessaria videbatur, et cogimur aut jussu ejus quem offendere nolumus, aut aliquorum inevitabili instantia catechizare aliquem; jam conturbati accedimus ad negotium, cui magna tranquillitate opus est, dolentes quod neque ordinem actionum nobis conceditur tenere quem volumus, nec sufficere omnibus possumus : atque ita ex ipsa tristitia sermo procedens minus gratus est, quia de ariditate mœstitiæ minus exuberat. Aliquando item ex aliquo scandalo mœror pectus obsedit[2], et tunc nobis dicitur, Veni, loquere huic; christianus vult fieri. Dicitur[3] enim ab ignorantibus quid nos clausum intus exurat : quibus si affectum nostrum aperire non oportet, suscipimus ingratius quod volunt[4]; et profecto languidus et insuavis ille sermo erit per venam cordis æstuantem fumantemque trajectus. Tot igitur ex causis, quælibet earum serenitatem nostræ mentis obnubilet, secundum Deum sunt quærenda remedia, quibus relaxetur illa contractio, et fervore spiritus exsultemus et jucundemur in tranquillitate boni operis. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7).

15. Si enim causa illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, a cujus cacumine quodammodo descendentes cogimur in syllabarum longe infra distantium tarditate demorari, et curam gerimus quemadmodum longis et perplexis anfractibus procedat ex ore carnis, quod celerrimo haustu mentis imbibitur, et quia multum dissimiliter exit, tædet loqui, et libet tacere; cogitemus quid nobis prærogatum sit ab illo qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus (I *Petr.* II, 21). Quantumvis enim differat articulata vox nostra ab intelligentiæ nostræ vivacitate, longe differentior est mortalitas carnis ab æqualitate Dei. Et tamen cum in eadem *forma esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, etc., usque ad (a) *mortem crucis* (*Philipp.* II, 6-8). Quam ob causam, nisi quia factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrificaret (I *Cor.* IX, 22)? Audi ejus imitatorem alibi etiam dicentem : *Sive enim mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis. Charitas enim Christi compellit nos, judicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est* (II *Cor.* V, 13 *et* 14). Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum (*Id.* XII, 15), si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, tanquam nutrix fovens filios suos (I *Thess.* II, 7). Num enim delectat, nisi amor invitet, decurtata et mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant : et suavius est matri minuta mansa inspuere parvulo filio, quam ipsam mandere ac devorare grandiora. Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fetus operit, et susurrantes pullos confracta voce advocat; cujus blandas alas refugientes superbi, præda fiunt alitibus (*Matth.* XXIII, 37). Si enim intellectus delectat in penetralibus sincerissimis, hoc etiam intelligere delectat, quomodo charitas, quanto officiosius descendit in infima, tanto robustius recurrit in intima per bonam conscientiam nihil quærendi[1] ab eis ad quos descendit, præter eorum sempiternam salutem.

CAPUT XI.—16. *Remedium contra secundam tædii causam.* Si autem magis appetimus, ea quæ jam parata sunt et melius dicta legere vel audire, et ideo piget incerto exitu ad tempus coaptare quæ loquimur : tantum a veritate rerum non aberret animus, facile est ut si in verbis auditorem aliquid offenderit, ex ipsa occasione discat quam sit re intellecta contemnendum, si minus integre, aut si minus proprie sonare potuit, quod ideo sonabat ut res intelligeretur. Quod si humanæ infirmitatis intentio etiam ab ipsa rerum veritate aberraverit; quanquam in catechizandis rudibus, ubi via tritissima tenenda est, difficile potest accidere : tamen ne forte accidat ut etiam hinc offendatur auditor, non aliunde nobis debet videri accidisse, nisi quia Deus experiri nos voluit, utrum cum

[1] Verba hic uncis inclusa absunt a plerisque Mss. et ab Am. Er.
[2] Editi, *obsidet*. At Mss., *obsedit*.
[3] Sola editio Lov., *nescitur*.
[4] Plures Mss., *suscipimus ingrati quod volunt*.

[1] Sic Mss. Editi vero, *nihil quærendo*.
(a) Istæ voces, etc., *usque ad*, librarii sunt prætereuntis, ut solet, verba intermedia citati loci.

mentis placiditate corrigamur, ne in defensionem nostri erroris majore præcipitemur errore. Quod si nemo nobis dixerit, nosque et illos qui audierunt omnino latuerit, nullus dolor est, si non fiat iterum. Plerumque autem nos ipsi recolentes quæ diximus, reprehendimus aliquid, et ignoramus quomodo cum diceretur acceptum sit; magisque dolemus, quando in nobis fervet charitas, si cum falsum esset, libenter acceptum est. Ideoque opportunitate reperta, sicut nos ipsos in silentio reprehendimus, ita curandum est ut etiam illi sensim corrigantur, qui non Dei verbis, sed plane nostris in aliquam lapsi sunt falsitatem. Si vero aliqui livore vesano cæci errasse nos gaudent, susurrones, detractores, Deo odibiles (*Rom.* I, 30); præbeant nobis materiam exercendæ patientiæ cum misericordia, quia et patientia Dei ad pœnitentiam eos adducit. Quid enim est detestabilius, et quod magis thesaurizet iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Id.* II, 4 *et* 5), quam de malo alterius mala[1] diaboli similitudine atque imitatione lætari? Nonnunquam etiam, cum recte omnia vereque dicantur, aut non intellectum aliquid, aut contra opinionem et consuetudinem veteris erroris ipsa novitate asperum, offendit et perturbat audientem. Quod si apparuerit, sanabilemque se præbet, auctoritatum rationumque copia sine ulla dilatione sanandus est. Si autem tacita et occulta offensio est, Dei medicina opitulari potest. At si resiluerit[2], et curari recusaverit, consoletur nos dominicum illud exemplum, qui offensis hominibus ex verbo suo, et tanquam durum refugientibus, etiam iis qui remanserant ait, *Numquid et vos vultis ire* (*Joan.* VI, 68)? Satis enim fixum atque immobile debet corde retineri, Jerusalem captivam ab hujus sæculi Babylonia decursis temporibus liberari, nullumque ex illa esse periturum; quia qui perierit, non ex illa erat. *Firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: novit Dominus qui sunt ejus; et recedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini* (II *Tim.* II, 19). Ista cogitantes, et invocantes Dominum in cor nostrum, minus timebimus incertos exitus sermonis nostri propter incertos motus auditorum; delectabitque nos etiam ipsa perpessio molestiarum pro misericordiæ opere, si non in eo nostram gloriam requiramus. Tunc enim est vere opus bonum, cum a charitate jaculatur agentis intentio, et tanquam ad locum suum rediens, rursus in charitate requiescit. Lectio vero quæ nos delectat, aut aliqua auditio melioris eloquii, ut eam promendo, sermoni nostro præponere volentes, cum pigritia vel tædio loquamur, alacriores nos suscipiet, jucundiorque præstabitur post laborem; et majore fiducia deprecabimur ut loquatur nobis Deus quomodo volumus, si suscipiamus hilariter ut loquatur per nos quomodo possumus: ita fit ut diligentibus Deum omnia concurrant in bonum (*Rom.* VIII, 28).

CAPUT XII. — 17. *Remedium contra tertiam causam tædii.* Jam vero si usitata et parvulis congruentia sæpe repetere fastidimus; congruamus eis per fraternum, paternum, maternumque amorem, et copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur. Tantum enim valet animi compatientis affectus, ut cum illi afficiuntur nobis loquentibus, et nos illis discentibus, habitemus in invicem; atque ita et illi quæ audiunt quasi loquantur in nobis, et nos in illis discamus quodam modo quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cum loca quædam ampla et pulchra, vel urbium vel agrorum, quæ jam nos sæpe videndo sine aliqua voluptate prætermittimus, ostendimus eis qui antea nunquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur? Et tanto magis, quanto sunt amiciores; quia per amoris vinculum in quantum in illis sumus, in tantum et nobis nova fiunt quæ vetera fuerunt. Sed si in rebus contemplandis aliquantum profecimus, non volumus eos quos diligimus lætari et stupere, cum intuentur opera manuum hominum; sed volumus eos in ipsam artem[1] consiliumve institutoris attollere, atque inde exsurgere in admirationem laudemque omnicreantis Dei, ubi amoris fructuosissimus finis est: quanto ergo magis delectari nos oportet, cum ipsum Deum jam discere homines accedunt, propter quem discenda sunt quæcumque discenda sunt; et in eorum novitate innovari, ut si frigidior est solita[2] nostra prædicatio, insolita eorum auditione fervescat? Huc accedit ad comparandam lætitiam, quod cogitamus et consideramus, de qua erroris morte in vitam fidei transeat homo. Et si vicos usitatissimos cum benefica hilaritate transimus, quando alicui forte qui errando laboraverat, demonstramus viam: quanto alacrius et cum gaudio majore in doctrina salutari, etiam illa quæ propter nos retexere non opus est, perambulare debemus; cum animam miserandam et erroribus sæculi fatigatam per itinera pacis, ipso qui nobis eam[3] præstitit jubente[3], deducimus?

CAPUT XIII. — 18. *Remedium contra quartam causam fastidii. A diu vel audiendo vel stando fatigatus, quomodo recreandus. Usus audiendi verbum Dei sedendo, in quibusdam Ecclesiis receptus.* Sed revera multum est perdurare in loquendo usque ad terminum præstitutum, cum moveri non videmus audientem quod sive non audeat, religionis timore constrictus, voce aut aliquo motu corporis significare approbationem suam, sive humana verecundia reprimatur; sive dicta non intelligat, sive contemnat: quandoquidem nobis non cernentibus animum ejus incertum est, omnia sermone tentanda sunt, quæ ad eum excitandum et tanquam de latebris eruendum possunt valere. Nam et timor nimius atque impediens declarationem judicii ejus, blanda exhortatione pellendus est, et insinuando fraternam societatem verecundia temperanda, et interrogatione quærendum utrum intelligat, et danda fiducia, ut si quid ei contradicendum vide-

[1] Ita in Mss. At in editis, *mera*.
[2] Editi, *resilierit*. Præstat quod habent Mss., *resiluerit*.

[1] Editi, *partem*. At tres Mss., *artem*.
[2] Sic Vat. et plerique Mss. At Er. et Lov., *solito*.
[3] [illegible]

tur, libere proferat. Quærendum etiam de illo utrum hæc aliquando jam audierit, et fortassis eum tanquam nota et pervulgata non moveant, et agendum pro ejus responsione, ut aut planius et enodatius loquamur, aut opinionem contrariam refellamus, aut ea quæ illi nota sunt non explicemus latius, sed breviter complicemus, eligamusque aliqua ex his quæ mystice dicta sunt in sanctis Libris, et maxime in ipsa narratione, quæ aperiendo et revelando noster sermo dulcescat. Quod si nimis tardus est, et ab omni tali suavitate absurdus et aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis cæteris, ea quæ maxime necessaria sunt, de unitate Catholicæ [1], de tentationibus, de christiana conversatione propter futurum judicium terribiliter inculcanda sunt, magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dicenda.

19. Sæpe etiam fit ut qui primo libenter audiebat, vel audiendo vel stando fatigatus, non jam laudans, sed oscitans labia diducat, et se abire velle etiam invitus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare oportet ejus animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum et aptum rei quæ agitur, vel aliquid valde mirandum et stupendum, vel etiam dolendum atque plangendum; et magis de ipso, ut propria cura punctus evigilet; quod tamen non offendat ejus verecundiam asperitate aliqua, sed potius familiaritate conciliet; aut oblata sessione [2] succurrere; quanquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat; longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus a saluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere. Et tamen multum interest, si se quisquam de magna multitudine subtrahat ad reparandas vires, qui jam sacramentorum societate devinctus est; et si ille discedat (quod plerumque inevitabiliter urgetur, ne interiore defectu victus etiam cadat) qui primis sacramentis imbuendus est: et pudore enim non dicit cur eat, et imbecillitate stare non sinitur. Expertus hæc dico: nam fecit hoc quidam, cum eum catechizarem, homo rusticanus, unde magnopere præcavendum esse didici. Quis enim ferat arrogantiam nostram, cum viros [3] fratres nostros, vel etiam quod majore sollicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus; et ipsum Dominum nostrum, cui assistunt Angeli, sedens mulier audiebat (*Luc.* x, 39)? Sane si aut brevis sermo futurus est, aut consessui locus non est aptus, stantes audiant; sed cum multi audiunt, et non tunc initiandi [4]. Nam cum unus, aut duo, aut pauci, qui propterea venerunt ut christiani fiant, periculose loquimur stantibus. Tamen si jam sic cœpimus, saltem animadverso auditoris tædio, et offerenda sessio est, imo vero prorsus urgendus ut sedeat, et dicendum aliquid quo renovetur, quo etiam cura, si qua forte irrepserat, cedere cogatur, fugiat ex animo. Cum enim incertæ sint causæ cur jam tædeat stare et audire, jam sedenti aliquid adversus incidentes cogitationes sæcularium negotiorum dicatur, aut hilariter, ut dixi, aut tristiter; ut si ipsæ sunt quæ mentem occupaverunt, cedant quasi nominatim accusatæ; si autem ipsæ non sunt, et audiendo fatigatus est, cum de illis tanquam ipsæ sint (quandoquidem ignoramus), inopinatum aliquid et extraordinarium, eo modo quo dixi, loquimur, a tædio renovatur intentio. Sed et breve sit, maxime quia extra ordinem inseritur, ne morbum fastidii cui subvenire volumus etiam augeat ipsa medicina, et accelerandasunt cætera, et promittendus atque exhibendus finis propinquior.

CAPUT XIV. — 20. *Remedium adversus quintam causam tædii. Remedium contra sextam causam tædii. Item adversus eamdem sextam.* Si autem confregit animum tuum alterius actionis, cui tanquam magis necessariæ jam suspensus eras, omissio, et propterea tristis insuaviter catechizas; cogitare debes, excepto quod scimus misericorditer nobis agendum esse quidquid cum hominibus agimus, et ex officio sincerissimæ charitatis; hoc ergo excepto, incertum esse quid utilius agamus, et quid opportunius aut intermittamus, aut omnino omittamus. Quia enim merita hominum pro quibus agimus, qualia sint apud Deum non novimus, quid eis ad tempus expediat aut nulla aut tenuissima aut incertissima conjectura suspicamur potius, quam comprehendimus. Quapropter res quidem agendas pro nostro captu ordinare debemus: quas eo modo quo statuimus, si peragere potuerimus, non ideo gaudeamus quia nobis, sed quia Deo sic eas agi placuit: si autem aliqua inciderit necessitas, qua noster ille ordo turbetur; flectamur facile, ne frangamur; ut quem Deus nostro (a) præposuit, ipse sit noster. Æquius est enim ut nos ejus, quam ut ille nostram voluntatem sequatur. Quia et ordo agendarum rerum, quem nostro arbitrio tenere volumus, ille utique approbandus est, ubi potiora præcedunt. Cur ergo nos dolemus homines a Domino Deo tanto potiore præcedi, ut eo ipso quo nostrum amamus ordinem, inordinati esse cupiamus? Nemo enim melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere quod humana cogitatione meditatur. Quia *multæ cogitationes sunt in corde viri*, *consilium autem Domini manet in æternum* (*Prov.* XIX, 21).

21. Si vero ex aliquo scandalo perturbatus animus non valet edere serenum jucundumque sermonem, tantam esse charitatem oportet in eos pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errorum sæcularium morte redimere; ut hoc ipsum quod nobis tristibus nuntiatur, præsto esse aliquem qui desideret fieri christianus, ad consolationem illius resolutionemque tristitiæ valere debeat, sicut solent lucrorum gaudia dolorem lenire damnorum. Non enim scandalum nos contristat alicujus, nisi quem

[1] Lov., *Catholicæ fidei*. Editi vero alii et plerique Mss. non habent, *fidei*: pro quo subaudiri debet, Ecclesiæ.

[2] Apud Lov. additur, *studeat*, sed subaudiendum, *oportet*.

[3] Nonnulli Mss., *veros*.

[4] Sola editio Lov., pro, *tunc*, habet, *sunt*.

(a) Subaudiendum, *ordini*.

perire aut per quem perire infirmum vel credimus vel videmus. Ille igitur qui initiandus advenit, dum speratur posse proficere, dolorem de illis absterget. Quia et si timor ille suggeritur, ne fiat proselytus filius gehennæ (*Matth.* xxiii, 15), dum multi tales versantur ante oculos, ex quibus oriuntur ea quibus urimur scandala, non ad retardandos nos pertinere debet, sed magis ad excitandos et acuendos: quatenus quem imbuimus moneamus, ut caveat imitationem eorum qui non ipsa veritate, sed solo nomine christiani sunt; nec eorum turba commotus, aut sectari velit eos, aut Christum nolit sectari propter eos; et aut nolit esse in Ecclesia Dei ubi illi sunt, aut talis ibi velit esse quales illi sunt. Et nescio quomodo in hujusmodi monitis [1] ardentior sermo est, cui fomitem subministrat præsens dolor: ut non solum pigriores non simus, sed eo ipso dicamus accensius atque vehementius, quod securiores frigidius et lentius diceremus; gaudeamusque nobis occasionem dari, ubi motus animi nostri sine fructificatione non transeat.

22. Si autem de aliquo errato nostro vel peccato nos mœstitudo comprehendit, non tantum meminerimus sacrificium Deo spiritum esse contribulatum (*Psal.* l, 19), sed etiam illud, *Quia sicut aqua ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* iii, 33); et, *Quia misericordiam*, inquit, *volo quam sacrificium* [2] (*Osee* vi, 6). Sicut ergo si periclitaremur incendio, ad aquam utique curreremus, quo posset exstingui, et gratularemur si quis eam de proximo offerret; ita si de nostro feno aliqua peccati flamma surrexit [3], et propterea conturbamur, data occasione misericordissimi operis, tanquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud quod exarserat opprimatur. Nisi forte tam stulti sumus, ut alacrius arbitremur cum pane currendum, quo ventrem esurientis impleamus, quam cum verbo Dei, quo mentem istud edentis [4] instruamus. Huc accedit, quia si tantummodo prodesset hoc facere, non facere autem nihil obesset; infeliciter in periculo salutis, non jam proximi, sed nostræ, oblatum remedium sperneremus. Cum vero ex ore Domini tam minaciter sonet, *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis* (*Matth.* xxv, 26, 27); quæ tandem dementia est, quoniam peccatum nostrum nos angit, ideo rursus velle peccare, non dando pecuniam dominicam volenti et petenti? His atque hujusmodi cogitationibus et considerationibus depulsa caligine tædiorum, ad catechizandum apta fit intentio, ut suaviter imbibatur, quod impigre atque hilariter de charitatis ubertate prorumpit. Hæc enim non tam ego tibi, quam omnibus nobis dicat [5] ipsa dilectio, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5).

CAPUT XV. — 23. *Pro personarum diversitate temperanda oratio.* Sed nunc etiam illud quod priusquam promitterem non debebam, jam fortasse debitum flagitas, ut aliquod sermonis exemplum, tanquam si ego aliquem catechizem, non me pigeat explicare, et intuendum tibi proponere. Quod priusquam faciam, volo cogites aliam esse intentionem dictantis, cum lector futurus cogitatur; et aliam loquentis, cum præsens auditor attenditur: et in eo ipso aliam in secreto monentis, dum nullus alius qui de nobis judicet præsto est, aliam palam docentis aliquid, cum dissimiliter opinantium circumstat auditus: et in hoc genere aliam, cum docetur unus, cæteri autem tanquam judicantes aut attestantes quæ sibi nota sunt audiunt; aliam cum omnes communiter quid ad eos proferamus exspectant: et rursus in hoc ipso aliam, cum quasi privatim considetur, ut sermocinatio conseratur; aliam, cum populus tacens unum de loco superiore dicturum suspensus intuetur: multumque interest, et cum ita dicimus, utrum pauci adsint an multi; docti an indocti, an ex utroque genere mixti; urbani an rustici, an hi et illi simul; an populus ex omni hominum genere temperatus sit. Fieri enim non potest, nisi aliter atque aliter afficiant locuturum atque dicturum, et ut sermo qui profertur, affectionis animi a quo profertur, quemdam quasi vultum gerat, et pro eadem diversitate diverse afficiat auditores, cum et ipsi se ipsos diverse afficiant invicem præsentia sua. Sed quia de rudibus imbuendis nunc agimus, de me ipso tibi testis sum, aliter atque aliter me moveri, cum ante me catechizandum video eruditum, inertem, civem, peregrinum, divitem, pauperem, privatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius ætatis aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut illo vulgari errore venientem: ac pro diversitate motus mei sermo ipse et procedit, et progreditur, et finitur. Et quia cum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina: ipsa item charitas alios parturit, cum aliis infirmatur; alios curat ædificare, alios contremiscit offendere; ad alios se inclinat, ad alios se erigit; aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater. Et qui non expertus est eadem charitate quod dico, cum videt nos, quia facultas aliqua nobis donata delectat laudabiliter innotescere in ore multitudinis, inde nos beatos putat: Deus autem, in cujus conspectum intrat gemitus compeditorum (*Psal.* lxxviii, 11), videat humilitatem nostram et laborem nostrum, et dimittat omnia peccata nostra (*Psal.* xxiv, 18). Quamobrem si quid tibi in nobis placuit, ut aliquam observationem sermonis tui a nobis audire quæreres, melius videndo et audiendo nos cum hæc agimus, quam legendo cum hæc dictamus, edisceres.

CAPUT XVI. — 24. *Formula orationis catechistæ. [illegible] a [illegible] proposito suscipiendæ christianæ religionis, propter futuram requiem. Requies in rebus [illegible]. Non in divitiis, nec in*

[1] Editi, *motu*: quam vocem [illegible] Mss., plures [illegible] autem ejus loco habent, *monitis*. Paulo post, ex [illegible] *subministrat*, sive [illegible] *sumministrat*, [illegible]
[2] Editi, *volo misericordiam quam sacrificium*. At Mss., [illegible] præferunt, *magis*.
[3] Apud Er., Lugd. Ven. Lov., *surrexerit*. M[illegible]
[4] Sic Mss. Editi vero, *mentem audientis*.
[5] Editi loco [illegible], *dictat*.

honoribus. Requiem quærentes in oblectamentis carnis et in spectaculis. Sed tamen fac eamus aliquem venisse ad nos, qui vult esse christianus, et de genere quidem idiotarum, non tamen rusticanorum, sed urbanorum, quales apud Carthaginem plures experiri te necesse est : interrogatum etiam utrum propter vitæ præsentis aliquod commodum, an propter requiem quæ post hanc vitam speratur, christianus esse desiderat, propter futuram requiem respondisse : tali fortasse a nobis instrueretur alloquio. Deo gratias, frater : valde tibi gratulor, et gaudeo de te, quod in tantis ac tam periculosis hujus sæculi tempestatibus de aliqua vera et certa securitate cogitasti. Nam et in hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt et securitatem, sed pravis cupiditatibus non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis et non permanentibus : et quia illæ tempore subtrahuntur et transeunt, timoribus et doloribus eos agitant, nec quietos esse permittunt. Sive enim in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quam securus. Annon videmus quam multi eas subito perdiderint, multi etiam propter illas perierint, aut cum eas habere cupiunt, aut cum eis oppressis a cupidioribus auferuntur [1]? Quæ si etiam per totam vitam cum homine permanerent, et non desererent dilectorem suum, ipse illas sua morte desereret. Quanta est enim vita hominis, etiamsi senescat? Aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem? Sic et honores hujus sæculi, quid sunt nisi typhus, et inanitas [2], et ruinæ periculum? Quia sic Scriptura sancta dicit : *Omnis caro fenum, et claritas hominis ut flos feni. Fenum aruit, flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai* XL, 6-8). Ideo qui veram requiem et veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus et prætereuntibus, et eam collocare in verbo Domini; ut hærens ei quod manet in æternum, etiam ipse cum illo maneat in æternum.

25. Sunt etiam homines qui nec divites quærunt esse, nec ad vanas honorum pompas ambiunt pervenire : sed gaudere et requiescere volunt in popinis et in fornicationibus, et in theatris atque spectaculis nugacitatis quæ in magnis civitatibus gratis habent. Sed sic etiam ipsi aut consumunt per luxuriam paupertatem suam, et ab egestate postea in furta et effracturas, et aliquando etiam in latrocinia prosiliunt, et subito multis et magnis timoribus implentur; et qui in popina paulo ante cantabant, jam planctus carceris somniant. Studiis autem spectaculorum fiunt dæmonibus similes, clamoribus suis incitando homines ut se invicem cædant, secumque habeant contentiosa certamina qui se non læserunt, dum placere insano populo cupiunt : quos si animadverterint esse concordes, tunc eos oderunt et persequuntur, et tanquam collusores ut fustibus verberentur exclamant, et hanc iniquitatem facere etiam vindicem iniquitatis judicem cogunt. Si autem horrendas adversus invicem inimicitias eos exercere cognoverint, sive sinthæ qui appellantur [1], sive scenici et thymelici, sive aurigæ, sive venatores, quos miseros non solum homines cum hominibus, sed etiam homines cum bestiis in certamen pugnamque committunt; quo majore adversus invicem discordia furere senserint, eo magis amant et delectantur, et incitatis [2] favent, et faventes incitant, plus adversus se ipsos insanientes ipsi spectatores alter pro altero, quam illi quorum insaniam insani provocant, sed insaniendo [3] spectare desiderant. Quomodo ergo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordiis et certaminibus pascitur? Qualis enim cibus sumitur, talis valetudo consequitur. Postremo quamvis insana gaudia non sint gaudia, tamen qualiacumque sint, et quantumlibet delectet [4] jactantia divitiarum, et tumor honorum, vorago popinarum, et bella theatrorum [5], et immunditia fornicationum, et prurigo thermarum; aufert omnia ista una febricula, et adhuc viventibus totam falsam beatitudinem subtrahit : remanet inanis et saucia conscientia, Deum sensura judicem, quem noluit habere custodem; et inventura asperum Dominum, quem dulcem patrem quærere et amare contempsit. Tu autem quia veram requiem quæ post hanc vitam Christianis promittitur quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus qui eam promisit præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores esse justitiæ fructus quam iniquitatis, et verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias; quia non sic venisti conjungi Ecclesiæ Dei, ut ex ea temporalem aliquam utilitatem requiras.

CAPUT XVII.—26. *Reprehenditur qui velit esse Christianus propter commodum temporale. Christianus vere est, qui religionem profitetur propter futuram requiem. Transit ad narrationem eorum quæ credenda sunt. Filius Dei cur homo factus.* Sunt enim qui propterea volunt esse christiani, ut aut promereantur homines a quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt quos timent. Sed isti reprobi sunt : et si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet; si non se correxerint, et propter futuram sempiternam requiem christiani esse cœperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur quod in area possunt esse cum frumento Dei : quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinantur [6] (*Matth.* III, 12). Sunt etiam

[1] Plerique Mss., *aut ut eis oppressis a cupidioribus auferrentur.*

[2] Sic plerique Mss. At editi omittunt, *et inanitas* : cujus loco nonnulli Mss., *et vanitas.*

[1] Lov., *sint athletæ qui appellantur.* At plerique ac melioris notæ Mss., *sinthæ qui appellantur.* Vox erat forsitan apud Afros tunc vulgaris. In Corbeiensi codice scribitur, *sinthæ.* In Mss. quibusdam et apud Am. legitur, *sint æqui appellantur.* Apud Er., *sint qui appellantur.*

[2] Am. Er. et aliquot Mss., *et incitati.* Alii plures Mss., *et incitantes.*

[3] Sic Mss. At editi, *provocant, et insaniendo.*

[4] Er. et Lov., *delectent.* At Am. et Mss., *delectet.*

[5] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *theatricorum.*

[6] Lov., *destinabantur.* At Am. Er. et Mss. habent præsenti tempore, *destinantur.*

alii, minore quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, et non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita exspectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi qui non colunt Deum : ideoque cum viderint quosdam sceleratos et impios ista sæculi [1] prosperitate pollere et excellere, se autem vel minus habere ista vel amittere, perturbantur tanquam sine causa Deum colant, et facile a fide deficiunt.

27. Qui autem propter beatitudinem sempiternam et perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo (*Matth.* xxv, 34, 41, 46), vere ipse christianus est, cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis, et in abundantia bonorum terrenorum modestus et temperans, et in tribulationibus fortis et patiens. Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam : ut etiamsi dicat illi Deus, Utere deliciis carnalibus sempiternis, et quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris ; exhorrescat, et omnino non peccet, non jam ut in illud quod timebat non incidat, sed ne illum quem sic amat offendat : in quo uno est requies [2], quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus eum (I *Cor.* II, 9).

28. De qua requie significat [3] Scriptura, et non tacet, quod ab initio mundi ex quo fecit Deus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, sex diebus operatus est, et septimo die requievit (*Gen.* I, *et* II, 1-3). Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere. Non autem laboraverat, ut requiesceret, quando, *Dixit, et facta sunt ; mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5) : sed ut significaret, quia post sex ætates mundi hujus, septima ætate tanquam septimo die requieturus est in sanctis suis ; quia ipsi in illo requiescent post omnia bona opera, in quibus ei servierunt, quæ ipse in illis operatur, qui vocat, et præcipit, et delicta præterita dimittit, et justificat eum qui prius erat impius. Sicut autem cum illi ex dono ejus bene operantur, recte dicitur ipse operari ; sic cum in illo requiescunt [4], recte dicitur ipse requiescere. Nam quod ad ipsum attinet, pausationem non quærit, quia laborem non sentit. Fecit autem omnia per Verbum suum ; et Verbum ejus ipse Christus, in quo requiescunt Angeli et omnes cœlestes mundissimi spiritus in sancto silentio. Homo autem peccato lapsus perdidit requiem quam habebat in ejus divinitate, et recipit eam [5] in ejus humanitate : ideoque opportuno tempore, quo ipse sciebat oportere fieri, homo factus et de femina natus est. A carne quippe contaminari non poterat, ipse carnem potius mundaturus. Ipsum antiqui sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, et prophetaverunt ; et sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi efficimur credendo quia venit : ut diligeremus Deum, qui sic nos dilexit, ut unicum Filium suum mitteret, qui humilitate [1] nostræ mortalitatis indutus, et a peccatoribus et pro peccatoribus moreretur. Jam enim olim ab initio sæculorum mysterii hujus altitudo præfigurari prænuntiarique non cessat.

CAPUT XVIII. — 29. *De hominis et rerum aliarum creatione quid credendum. Homo in paradiso constitutus. Cur creatus qui præsciebatur peccaturus. Lapsus hominis et angeli nihil Deo nocuit.* Quoniam Deus omnipotens, et bonus et justus et misericors, qui fecit omnia bona, sive magna sive parva, sive summa sive infima ; sive quæ videntur, sicuti sunt cœlum et terra et mare, et in cœlo sol et luna, et cætera sidera, in terra autem et mari arbores et frutices et animalia suæ cujusque naturæ, et omnia corpora vel cœlestia vel terrestria ; sive quæ non videntur, sicuti sunt spiritus quibus corpora vegetantur et vivificantur : fecit et hominem ad imaginem suam ; ut quemadmodum ipse per omnipotentiam suam præest universæ creaturæ, sic homo per intelligentiam suam, qua etiam Creatorem suum cognoscit et colit, præesset omnibus terrenis animalibus. Fecit illi etiam adjutorium feminam : non ad carnalem concupiscentiam, quandoquidem nec corruptibilia corpora tunc habebant, antequam eos mortalitas invaderet pœna peccati ; sed ut haberet et vir gloriam de femina, cum ei præiret ad Deum [2], seque illi præberet imitandum in sanctitate atque pietate ; sicut ipse esset gloria Dei, cum ejus sapientiam sequeretur.

30. Itaque constituit eos in quodam loco perpetuæ beatitudinis, quem appellat Scriptura paradisum ; præceptumque illis dedit, quod si non transgrederentur, in illa semper immortalitatis beatitudine permanerent : si autem transgrederentur, supplicia mortalitatis expenderent. Præsciebat autem Deus eos transgressuros : sed tamen quia conditor est et effector omnis boni, magis eos fecit, quando fecit et bestias, ut impleret terram bonis terrenis. Et utique melior est homo etiam peccator, quam bestia. Et præceptum quod non erant servaturi, magis dedit, ut essent inexcusabiles, cum in eos vindicare cœpisset. Quidquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum : si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum ; si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum ; si peccata confessus ad recte vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccaturum prænosceret, cum et stantem coronaret, et cadentem ordinaret, et surgentem adjuvaret, semper et ubique ipse gloriosus bonitate, justitia, clementia? maxime quia et illud præsciebat, de propagine mor-

[1] Am. Er. et tres Mss., *sæculari*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *in quo uno est requies*.
[3] Lov. Er. et ... Mss., *De qua re significat*.
[4] Ita Mss. At editi, *si cum illi requiescunt*.
[5] Sic Mss. At editi, *et recepit eam*.

[1] Am. et Er., *humanitate*.
[2] Er., *dominum*. Editi alii, *Dominum*.

talitatis ejus futuros sanctos, qui non sibi quærerent, sed Creatori suo gloriam darent, et eum colendo ab omni corruptione liberati, cum Angelis sanctis semper vivere et beate vivere mererentur? Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam Angelis. Et ideo nec angelus, qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, et diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi : novit enim Deus ordinare deserentes se animas (a), et ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis et congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare[1]. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, quia vel ipse lapsus est, vel hominem seduxit ad mortem : nec ipse homo in aliquo minuit veritatem aut potestatem aut beatitatem[2] Conditoris sui, quia conjugi suæ seductæ a diabolo, ad id quod Deus prohibuerat, propria voluntate consensit. Justissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem pœnæ (*Gen.* II, III) : ut et homo a suo Creatore aversus victus diabolo subderetur, et diabolus homini ad Creatorem suum converso vincendus proponeretur ; ut quicumque diabolo usque in finem consentirent, cum illo irent in æterna supplicia ; quicumque autem humiliarent se Deo, et per ejus gratiam diabolum vincerent, æterna præmia mererentur.

CAPUT XIX. — 31. *In Ecclesia boni et mali, in fine separandi. Civitates duæ ab initio generis humani. Diluvium et arca sacramentum. De Abrahamo et Israelitico populo. Horum dicta et facta, prophetia fuit.* Neque hoc nos movere debet ; quia multi diabolo consentiunt, et pauci Deum sequuntur : quia et frumentum in comparatione palearum valde pauciorem habet numerum. Sed sicut agricola novit quid faciat de ingenti acervo paleæ, sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui novit quid de illis agat, ut administratio regni ejus ex nulla parte turbetur atque turpetur. Nec ideo putandus est vicisse diabolus, quia secum plures, cum quibus a paucis vinceretur, attraxit. Duæ itaque civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem sæculi perducuntur, nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die vero judicii etiam corpore separandæ. Omnes enim homines amantes superbiam et temporalem dominationem cum vano typho et pompa arrogantiæ, omnesque spiritus qui talia diligunt, et gloriam suam subjectione hominum quærunt, simul una societate devincti sunt ; sed et si sæpe[3] adversum se pro his rebus dimicant, pari tamen pondere cupiditatis in eamdem profunditatem præcipitantur, et sibi morum et meritorum similitudine conjunguntur. Et rursus omnes homines et omnes spiritus humiliter Dei gloriam quærentes, non suam, et eum pietate sectantes, ad unam pertinent societatem. Et tamen Deus misericordissimus, etiam super impios homines patiens est, et præbet eis pœnitentiæ atque correctionis locum.

32. Nam et quod omnes diluvio delevit, præter unum justum cum suis, quos in arca servari voluit, sciebat quidem quod non se essent correcturi : sed tamen cum per centum annos arca fabricaretur, prædicabatur utique eis ira Dei ventura super eos (*Gen.* VI, VII) : et si converterentur[1] ad Deum, parceret eis, sicut pepercit postea Ninivitæ civitati agenti pœnitentiam, cum ei per prophetam futurum exitium prænuntiasset (*Jonæ* III). Hoc autem facit Deus, etiam illis quos novit in malitia perseveraturos, dans pœnitentiæ spatium, ut nostram patientiam exerceat et informet exemplo suo ; quo noverimus quantum nos oporteat tolerabiliter malos sustinere, cum ignoremus quales postea futuri sint, quando ille parcit et sinit eos vivere, quem nihil latet futurorum. Prænuntiabatur tamen etiam diluvii sacramento, quo justi per lignum liberati sunt, futura Ecclesia, quam rex ejus et Deus Christus mysterio suæ crucis ab hujus sæculi submersione suspendit. Neque enim Deus ignorabat quod etiam ex illis qui fuerant in arca servati, nascituri erant mali, qui faciem terræ iniquitatibus iterum implerent : sed tamen et exemplum futuri judicii dedit, et sanctorum liberationem ligni mysterio prænuntiavit. Nam et post hæc non cessavit repullulare malitia per superbiam et libidines et illicitas impietates, cum homines deserto Creatore suo, non solum ad creaturam quam Deus condidit lapsi sunt, ut pro Deo colerent quod fecit Deus ; sed etiam ad opera manuum hominum et ad fabrorum artificia curvaverunt animas suas, ubi de illis turpius diabolus et dæmonia triumpharent ; quæ se in talibus figmentis adorari venerarique lætantur, dum errores suos humanis erroribus pascunt[2].

33. Neque tunc sane defuerunt justi qui Deum pie quærerent, et superbiam diaboli vincerent, cives illius sanctæ civitatis, quos regis sui Christi ventura humilitas per Spiritum revelata sanavit. Ex quibus Abraham pius et fidelis Dei servus electus est (*Gen.* XII), cui demonstraretur sacramentum Filii Dei, ut propter imitationem fidei omnes fideles omnium gentium filii ejus futuri dicerentur. Ex illo natus est populus a quo unus Deus verus coleretur qui fecit cœlum et terram, cum cæteræ gentes simulacris et dæmoniis servirent. In eo plane populo multo evidentius futura Ecclesia figurata est. Erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebat Deum. Erant ibi autem pauci futuram requiem cogitantes et cœlestem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei, regis et Domini nostri Jesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia et tumore sanarentur. Horum sanctorum, qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita, et conjugia, et filii, et facta, prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem

[1] Sola editio Lov., *ordinare*.
[2] Plerique Mss. omittunt, *aut beatitatem*.
[3] Mss., *devincti sunt, et si sæpe* ; omisso, *sed*.
(a) II Retract. cap. 14.

[1] Fr. et Lov., *ut si converterentur*. Am. et Mss., *et si converterentur*.
[2] Floriacensis quidam Ms., *miscent*.

passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. Per illos sanctos Patriarchas et Prophetas carnali populo Israel, qui postea etiam Judæi appellati sunt, et visibilia beneficia ministrabantur quæ carnaliter a Domino desiderabant, et coercitiones pœnarum corporalium quibus pro tempore terrerentur, sicut eorum duritiæ congruebat. Et in his tamen omnibus mysteria spiritualia significabantur, quæ ad Christum et Ecclesiam pertinerent : cujus Ecclesiæ membra erant etiam illi sancti, quamvis in hac vita fuerint antequam secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale et coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tanquam totius corporis caput esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiamsi manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta atque compacta est, quemadmodum etiam nonnulli in ipsis Patriarchis ad hujus ipsius rei signum manu præmissa nati sunt (*Gen.* XXV, 25) : ita omnes sancti qui ante Domini nostri Jesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est [1], sub capite cohæserunt.

CAPUT XX. — 34. *Israelitarum servitus in Ægypto, et liberatio viaque per mare Rubrum. Baptismus figuratus. Ovis immolatio passionis Christi figura. Lex scripta digito Dei. Jerusalem typus civitatis cœlestis.* Populus ergo ille delatus in Ægyptum, servivit regi durissimo; et gravissimis laboribus eruditus, quæsivit liberatorem Deum : et missus est eis unus de ipso populo, sanctus Dei servus Moyses, qui in virtute Dei magnis miraculis terrens tunc impiam gentem Ægyptiorum, eduxit inde populum Dei per mare Rubrum ; ubi discedens aqua viam præbuit transeuntibus : Ægyptii autem cum eos persequerentur, redeuntibus in se fluctibus demersi exstincti sunt. Ita quemadmodum per diluvium aquis terra purgata est a nequitia peccatorum, qui tunc in illa inundatione deleti sunt, et justi evaserunt per lignum : sic ex Ægypto exiens populus Dei, per aquas iter invenit, quibus ipsorum hostes consumpti sunt. Nec ibi defuit ligni sacramentum. Nam virga percussit Moyses, ut illud miraculum fieret. Utrumque signum est sancti Baptismi, per quod fideles in novam vitam transeunt, peccata vero eorum tanquam inimici delentur atque moriuntur. Apertius autem Christi passio in illo populo figurata est, cum jussi sunt ovem occidere et manducare, et de sanguine ejus postes suos signare, et hoc celebrare omni anno, et appellare Pascha Domini. Manifestissime quippe prophetia [2] de Domino Jesu Christo dicit, quia *tanquam ovis ad immolandum ductus est* (*Isai.* LIII, 7). Cujus passionis et crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur.

35. Inde per desertum populus ille ductus est, per quadraginta annos accepit etiam legem digito Dei scriptam (*Exod.* I-XX, XXXII, XXXIV; *Num.* XIV, 33, *et Deut.* XXIX, 5), quo nomine significatur Spiritus sanctus, sicut in Evangelio manifestissime declaratur (*Luc.* XI, 20). Neque enim Deus forma corporis definitus est, nec sic in illo membra et digiti cogitandi sunt, quemadmodum videmus in nobis : sed quia per Spiritum sanctum dona Dei sanctis dividuntur, ut cum diversa possint, non tamen discedant a concordia charitatis, in digitis autem maxime apparet quædam divisio, nec tamen ab unitate præcisio; sive propterea, sive propter aliam quamcumque causam Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei, non tamen, cum hoc audimus, humani corporis forma cogitanda est. Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam in tabulis sane lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum, quod legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona desiderantes a Domino, magis carnali timore quam spirituali charitate tenebantur : legem autem non implet nisi charitas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo servili jugo premerentur, in observationibus ciborum et in sacrificiis animalium, et in aliis innumerabilibus : quæ tamen signa erant rerum spiritualium ad Dominum Jesum Christum et ad Ecclesiam pertinentium ; quæ tunc a paucis sanctis et intelligebantur ad fructum salutis, et observabantur ad congruentiam temporis, a multitudine vero carnalium tantummodo observabantur, non intelligebantur.

36. Per multa itaque et varia signa rerum futurarum, quas longum est omnes commemorare, et eas nunc in Ecclesia videmus impleri, perductus est ille populus ad terram promissionis, ubi temporaliter carnaliterque regnaret pro modo desiderii sui : quod tamen regnum terrenum regni spiritualis imaginem gessit. Ibi Jerusalem condita est famosissima civitas Dei, serviens in signo liberæ civitatis, quæ cœlestis Jerusalem dicitur (*Galat.* IV, 25, 26), quod verbum est hebræum, et interpretatur Visio pacis. Cujus cives sunt omnes sanctificati homines qui fuerunt, et qui sunt, et qui futuri sunt ; et omnes sanctificati spiritus, etiam quicumque in excelsis cœlorum partibus pia devotione obtemperant Deo, nec imitantur impiam diaboli superbiam et angelorum ejus. Hujus civitatis rex est Dominus Jesus Christus, Verbum Dei quo reguntur summi Angeli, et Verbum hominem assumens ut eo regerentur et homines, qui simul omnes cum illo in æterna pace regnabunt. Ad hujus regis præfigurationem in illo terreno regno populi Israel maxime eminuit rex David, de cujus semine secundum carnem veniret verissimus rex noster Dominus Jesus Christus, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Multa in illa terra promissionis gesta sunt in figuram venturi Christi et Ecclesiæ, quæ in sanctis Libris paulatim discere poteris.

CAPUT XXI. — 37. *Captivitas Babylonica et in ea gesta quid significent. Post captivitatem Babylonicam libertas qualis reddita.* Post aliquot tamen generationes ostendit alium typum ad rem maxime pertinentem. Nam captivata est illa civitas, et multa pars ejus edu-

[1] Aliquot Mss., cujusque ille caput est.
[2] Sic in Mss. Editi, propheta.

eta in Babyloniam. Sicut autem Jerusalem significat civitatem societatemque sanctorum, sic Babylonia significat civitatem societatemque iniquorum, quoniam dicitur interpretari Confusio. De quibus duabus civitatibus, ab exordio generis humani usque in finem sæculi permixte[1] temporum varietate currentibus, et ultimo judicio separandis, paulo ante jam diximus (*Cap.* 19). Illa ergo captivitas Jerusalem civitatis, et ille populus in Babyloniam ductus ad servitutem ire jubetur a Domino per Jeremiam illius temporis prophetam. Et exstiterunt reges Babyloniæ, sub quibus illi serviebant, qui ex eorum occasione commoti quibusdam miraculis cognoscerent et colerent et coli juberent unum verum Deum, qui condidit universam creaturam (*Dan.* II-VI, XIV). Jussi sunt autem et orare pro eis a quibus captivi tenebantur, et in eorum pace pacem sperare, ad gignendos filios, et domos ædificandas, et plantandos hortos et vineas. Post septuaginta autem annos promittitur eis ab illa captivitate liberatio (*Jerem.* XXV, XXIX). Hoc autem totum figurate significabat Ecclesiam Christi in omnibus sanctis ejus, qui sunt cives Jerusalem cœlestis, servituram fuisse sub regibus hujus sæculi. Dicit enim et apostolica doctrina, ut *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit;* et ut reddantur *omnibus omnia; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* (*Rom.* XIII, 1, 7); et cætera quæ salvo Dei nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddimus; quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est (*Matth.* XVII, 26). Jubentur autem etiam servi christiani et boni fideles dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire (*Ephes.* VI, 5): quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint; aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si et illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum, quod significant septuaginta anni, ab istius sæculi confusione tanquam de captivitate Babyloniæ, sicut Jerusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione ipsi etiam terreni reges desertis idolis, pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum et Christum Dominum cognoverunt et colunt, pro quibus apostolus Paulus jubet orari, etiam cum persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit: *Obsecro itaque primum fieri deprecationes, adorationes*[2], *interpellationes, gratiarum actiones, pro regibus, pro omnibus hominibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut securam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et charitate*[3] (I *Tim.* II, 1, 2). Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quamvis temporalis, tranquillitas temporalis[4] ad ædificandas spiritualiter domos et plantandos hortos et vineas. Nam et ecce te modo per istum sermonem ædificamus atque plantamus. Et hoc fit per totum orbem terrarum cum pace regum christianorum, sicut idem dicit apostolus: *Dei agricultura, Dei ædificatio estis* (I *Cor.* III, 9).

38. Et post annos quidem septuaginta, quos mystice prophetaverat Jeremias, ut finem temporum præfiguraret, tamen ut ipsa figura integraretur, facta est in Jerusalem restitutio ædificationis templi Dei; sed quia totum figurate agebatur, non erat firma pax ac libertas reddita Judæis. Itaque postea a Romanis victi sunt, et tributarii facti. Ex illo sane tempore ex quo terram promissionis acceperunt, et reges habere cœperunt, ne in aliquo regum suorum completum esse arbitrarentur quod eis liberator Christus promittebatur, apertius per multas prophetias prophetatus est Christus; non solum ab ipso David in libro Psalmorum, sed etiam a cæteris et magnis et sanctis prophetis, usque ad tempus captivitatis in Babyloniam: et in ipsa captivitate fuerunt prophetæ, qui venturum Dominum Jesum Christum liberatorem omnium prophetarent. Et posteaquam templum transactis septuaginta annis restitutum est, tantas pressuras et calamitates a regibus Gentium Judæi perpessi sunt, ut intelligerent nondum venisse liberatorem, quem non spiritualiter liberaturum intelligebant, sed pro liberatione carnali desiderabant.

CAPUT XXII. — 39. *Ætates mundi sex. Sexta ætas ex adventu Christi. Christus Novum Testamentum sempiternæ hæreditatis manifestans, terrena contemnere exemplo docet. Nativitas ejus, vita et mors.* Peractis ergo quinque ætatibus sæculi, quarum prima est ab initio generis humani, id est, ab Adam, qui primus homo factus est, usque ad Noe, qui fecit arcam in diluvio (*Gen.* VI); inde secunda est usque ad Abraham, qui pater dictus est[1] omnium quidem gentium (*Id.* XVII, 4), quæ fidem ipsius imitarentur; sed tamen ex propagine carnis suæ[2] futuri populi Judæorum: qui ante fidem christianam gentium, unus inter omnes omnium terrarum populus unum verum Deum coluit, ex quo populo salvator Christus secundum carnem veniret. Isti enim articuli duarum ætatum eminent in veteribus Libris: reliquarum autem trium in Evangelio etiam declarantur, cum carnalis origo Domini Jesu Christi commemoratur (*Matth.* I, 17). Nam tertia est ab Abraham usque ad David regem: quarta a David usque ad illam captivitatem qua populus Dei in Babyloniam transmigravit: quinta ab illa transmigratione usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi; ex cujus adventu sexta ætas agitur: ut jam spiritualis gratia, quæ paucis tunc Patriarchis et Prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus: ne quisquam Deum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ et præsentis vitæ felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans; ut hac sexta ætate mens humana renovetur ad imaginem Dei, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei (*Gen.* I, 27). Tunc enim et lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium,

[1] Sic Mss. At editi, *permixta.*
[2] Lov., *orationes.* Editi autem alii et Mss., *adorationes.* Græce est, *proseuchas.*
[3] Vulgata, *castitate:* juxta græcum, *semnotêti.*
[4] Sic Mss. Editi vero, *temporis.*

[1] Mss., *electus est.*
[2] Mss., *ex progenie carnis suæ.*

sed charitate illius qui praecepit, fiunt quaecumque praecepit. Quis autem non redamare afficiet justissimum et misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos et superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia, qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solum cum eis vivere, sed etiam pro eis et ab eis posset occidi?

40. Itaque novum testamentum haereditatis sempiternae manifestans, in quo renovatus homo per gratiam Dei ageret novam vitam, hoc est vitam spiritualem; ut vetus ostenderet primum, in quo carnalis populus agens veterem hominem, exceptis paucis intelligentibus Patriarchis et Prophetis et nonnullis latentibus sanctis, carnaliter vivens carnalia praemia desiderabat a Domino Deo, et in figura spiritualium bonorum accipiebat: omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; et omnia terrena sustinuit mala, quae sustinenda praecipiebat: ut neque in illis quaereretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre quae quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis exclusit. Natus etiam in civitate Bethlehem, quae inter omnes Judaeae civitates ita erat exigua, ut hodieque villa appelletur, noluit quemquam de cujusquam terrenae civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cujus sunt omnia, et per quem creata sunt omnia; ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri; quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo [1] superbia separaverat: quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit, qui omnes pascit; sitivit, per quem creatur omnis potus, et qui spiritaliter panis est esurientium fonsque sitientium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in coelum: velut obmutuit et obsurduit coram conviciantibus, per quem mutus locutus est et surdus audivit: vinctus est, qui de infirmitatum vinculis solvit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit: mortuus est, qui mortuos suscitavit. Sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere, quasi nunquam victurus [2].

CAPUT XXIII. — 41. *Spiritus sanctus die quinquagesima post resurrectionem Christi missus. Judaei praedicatione Apostolorum conversi, vitae evangelicae studio flagrantes. Ecclesiae apud Gentes per Paulum constitutae.* Inde confirmatis discipulis, conversatus cum eis quadraginta diebus, eisdem spectantibus ascendit in coelum; et completis a resurrectione quinquaginta diebus misit eis Spiritum sanctum (promiserat enim), per quem diffusa charitate in cordibus eorum, non solum sine onere, sed etiam cum jucunditate legem possent implere. Quae data est Judaeis in decem praeceptis, quod appellant decalogum. Quae rursus ad duo rediguntur, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; et diligamus proximum sicut nos ipsos. Nam in his duobus praeceptis totam Legem Prophetasque pendere, ipse Dominus et dixit in Evangelio (*Matth.* XXII, 37-40), et suo manifestavit exemplo. Nam et populus Israel ex die quo primum pascha in imagine celebrarunt, ovem occidentes et manducantes, cujus sanguine postes eorum ad salutis tutelam signati sunt (*Exod.* XII); ex ipso ergo die quinquagesimus dies impletus est, et legem acceperunt scriptam digito Dei (*Id.* XIX, XX), quo nomine jam diximus significari Spiritum sanctum (*Supra, cap.* XX, *n.* 35); sicut post Domini passionem et resurrectionem, quod est verum pascha, quinquagesimo die ipse Spiritus sanctus discipulis missus est: non jam lapideis tabulis corda dura significans; sed cum essent unum in locum congregati in ipsa Jerusalem, factus est subito de coelo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visae sunt illis linguae divisae quasi ignis, et coeperunt linguis loqui, ita ut omnes qui ad illos venerant, suam linguam quisque cognosceret (ad illam enim civitatem ex omni terra conveniebant Judaei, quacumque dispersi erant, et diversas linguas gentium diversarum didicerant [*Act.* II, 1-11]): deinde cum tota fiducia Christum praedicantes, in ejus nomine multa signa faciebant, ita ut quemdam mortuum transeunte Petro umbra ejus tetigerit, et resurrexerit (*Id.* V, 15).

42. Sed cum viderent Judaei tanta signa fieri in ejus nomine, quem partim per invidiam, partim per errorem crucifixerunt, alii irritati sunt ad persequendos praedicatores ejus Apostolos, alii vero idipsum amplius admirantes, quod in ejus nomine, quem veluti a se oppressum et victum riserant, tanta miracula fierent, poenitendo conversi crediderunt in eum millia [1] Judaeorum. Non erant jam illi temporalia beneficia terrenumque regnum desiderantes a Deo, nec promissum regem Christum carnaliter exspectantes: sed immortaliter intelligentes et diligentes eum qui pro ipsis ab ipsis tanta mortaliter pertulit, et eis usque ad sui sanguinis [2] peccata donavit, et immortalitatem a se sperandam et desiderandam exemplo suae resurrectionis ostendit. Itaque jam veteris hominis terrena desideria mortificantes, et spiritualis vitae novitate flagrantes, sicut praeceperat in Evangelio Dominus, vendebant omnia quae habebant, et pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponebant, ut ipsi distribuerent unicuique, sicut cuique opus erat (*Id.* II, 44, *et* IV, 34): viventesque in christiana dilectione concorditer, non dicebant aliquid suum, sed erant illis omnia communia, et anima et cor unum in Deum (*Id.* IV, 32-35). Deinde etiam ipsi a Judaeis car-

[1] Sic Mss. At editi, ab eo.

[2] Aliquot fere omnes Mss., futurus. Unus Vaticanus Ms., resurrecturus.

[1] Lov., post crediderunt in eum millia, addiderunt, multa, ex uno codice Ms.

[2] In melioribus Lov. additum fuerat, *effusionem*: minus bene

mortalibus civibus carnis suæ persecutionem passi atque dispersi sunt, ut latius Christus eorum dispersione prædicaretur, et imitarentur etiam ipsi patientiam Domini sui: quia qui eos [1] mansuetus passus fuerat, mansuefactos pro se pati jubebat.

43. Ex ipsis sanctorum persecutoribus fuerat etiam apostolus Paulus, et in Christianos maxime sæviebat: sed postea credens et apostolus factus, missus est ut Gentibus Evangelium prædicaret, graviora perpessus pro nomine Christi, quam fecerat contra nomen Christi. Ecclesias autem constituens per omnes gentes qua Evangelium seminabat, impense præcipiebat, ut quoniam ipsi ex idolorum cultu venientes, et ad unum Deum colendum rudes, non facile poterant rebus suis venditis et distributis servire Deo, oblationes facerent in pauperes sanctorum qui erant in Ecclesiis Judææ, quæ Christo crediderant: ita illos tanquam milites, illos autem tanquam stipendiarios provinciales apostolica doctrina constituit; inserens eis Christum velut lapidem angularem, sicut per prophetam prænuntiatus erat, in quo ambo quasi parietes de diverso venientes, de Judæis videlicet atque Gentibus, germana charitate copularentur (*Psal.* CXVII, 22, *et Isai.* XXVIII, 16). Sed postea graviores et crebriores persecutiones ex incredulis gentibus adversus Christi Ecclesiam surrexerunt, et implebatur in dies singulos verbum Domini prædicentis, *Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum* (*Matth.* X, 16).

CAPUT XXIV. — 44. *Ecclesia quasi vitis pullulat, et putatur. Ex iis quæ videntur impleta, credantur prædicta quæ restant implenda, præsertim judicium futurum.* Sed illa vitis quæ per orbem terrarum, sicut de illa prophetatum, et ab ipso Domino prænuntiatum erat, fructuosos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius, quanto uberiore [2] martyrum sanguine rigabatur. Quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus, etiam ipsa persequentia regna cesserunt, et ad Christum cognoscendum atque venerandum fracta superbiæ cervice conversa sunt. Oportebat autem ut eadem vitis, sicut a Domino identidem prædictum erat, putaretur, et ex ea præciderentur infructuosa sarmenta (*Joan.* XV, 2), quibus hæreses et schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quærentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur Ecclesia, et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia.

45. Omnia ergo hæc, sicut tanto ante prædicta legimus, sic et facta cognoscimus: et quemadmodum primi christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent; sic nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut ea in Libris legimus, qui longe antequam hæc implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et præsentia jam videntur, ædificamur ad fidem, ut etiam illa quæ restant, confidentes et perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Siquidem adhuc tribulationes futuræ in eodem [3] plures leguntur, et ipse ultimus judicii dies, ubi omnes cives ambarum illarum civitatum receptis corporibus resurrecturi sunt, et rationem vitæ suæ ante tribunal Christi judicis reddituri. Veniet enim in claritate potestatis, qui prius in humilitate humanitatis venire dignatus est; et omnes pios ab impiis segregabit: non tantum eos qui in eum credere omnino noluerunt, sed etiam eos qui frustra et infructuose crediderunt in eum; illis daturus regnum secum æternum, illis autem pœnam æternam cum diabolo. Sed sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

CAPUT XXV. — 46. *Fides resurrectionis suadetur. Mors perpetua in tormentis. Vita æterna [illegible]. Cavendum non tantum a Paganis, Judæis, et hæreticis, sed etiam a malis Christianis. Scandala [illegible]; non tamen spes in ipsis ponitur.* Itaque, frater, confirma te ipsum in ejus nomine atque adjutorio cui credis, adversus linguas eorum qui fidem nostram irrident, de quibus diabolus seductoria verba loquitur, maxime volens irridere fidem resurrectionis. Sed ex te ipso crede futurum te esse cum fueris, quando cum ante non fueris, nunc esse te vides. Ubi enim erat ista moles corporis tui et ista forma membrorumque compago ante paucos annos, priusquam natus, vel etiam priusquam in matris utero conceptus esses? ubi erat hæc moles et hæc statura corporis tui? Nonne de occultis hujus creaturæ secretis, Domino Deo invisibiliter formante, processit in lucem, certisque ætatum incrementis in istam magnitudinem formamque surrexit? Numquid ergo difficile est Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, et contegit cœlum in ictu temporis, reddere istam quantitatem corporis tui sicut erat, qui eam facere potuit sicut non erat [1]? Crede ergo fortiter et inconcusse quia omnia quæ videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahi, salva et integra sunt omnipotentiæ Dei; qui ea cum voluerit, sine ulla mora et difficultate reparabit, ea duntaxat quæ justitia ejus reparanda esse judicat: ut in his corporibus reddant homines factorum suorum rationem, in quibus ea fecerunt; et in his mereantur aut commutationem cœlestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut corruptibilem [2] corporis conditionem pro meritis iniquitatis, non quæ morte solvatur, sed quæ materiam sempiternis doloribus præbeat.

47. Fuge ergo per immobilem fidem et mores bonos [3], fuge, frater, illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur; quibus sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. Et exardesce amore atque desiderio sempiternæ vitæ sanctorum,

[1] Am. et Er., *qui ante eos*. Lov., *qui pro eis*. Aliquot Mss. *qui per eos*; et quidam, *qui propter eos*; plerique ʘ ʿ *qui eos*.
[2] Am. et Er., *teneriore*.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *potuit cum non erat*. Corbeiensis codex a secunda manu, *sic cum non erat*.
[2] Aliquot Mss., *corruptibilis*.
[3] Sic Mss. Editi vero, *ad mores bonos*.

ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa; laus erit Dei sine fastidio, sine defectu: nullum in animo tædium, nullus labor in corpore; nulla indigentia, nec tua cui subveniri desideres, nec proximi cui subvenire festines. Omnes deliciæ Deus erit et satietas[1] sanctæ civitatis in illo et de illo sapienter beateque viventis. Efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus et exspectamus, æquales Angelis Dei (*Luc.* xx, 36), et cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus (II *Cor.* v, 7). Credimus enim quod non videmus, ut ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus et inhærere mereamur; ut æqualitatem Patris et Filii et Spiritus sancti, et ipsius Trinitatis unitatem, quomodo sint hæc tria unus Deus, non jam verbis fidei et strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissima et ardentissima in illo silentio sorbeamus[2].

48. Hæc tene fixa in corde tuo, et invoca Deum cui credis, ut tueatur te adversus tentationes diaboli: et esto cautus, ne tibi aliunde hostis ille subrepat, qui ad solatium malevolentissimum damnationis suæ, cum quibus damnetur inquirit. Non enim per eos solos qui christianum nomen oderunt, et dolent eo nomine occupatum esse orbem terrarum, et adhuc simulacris et dæmoniorum curiositatibus servire desiderant, audet ille tentare christianos: sed etiam per eos quos paulo ante commemoravimus, de unitate Ecclesiæ, velut putata vite, præcisos, qui hæretici vel schismatici dicuntur, conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur et per Judæos tentare, atque seducere. Sed maxime cavendum est ne per homines qui sunt in ipsa catholica Ecclesia, quos velut paleam usque ad tempus ventilationis suæ sustinet, unusquisque tentetur et decipiatur. Propterea enim Deus patiens est in illos, ut et suorum electorum fidem atque prudentiam per illorum perversitatem exercendo confirmet; et quia de numero eorum multi proficiunt, et ad placendum Deo miserati[3] animas suas, magno impetu convertuntur. Non enim omnes sibi per patientiam Dei thesaurizant iram in die iræ justi judicii ejus: sed multos eadem Omnipotentis patientia perducit ad saluberrimum pœnitentiæ dolorem (*Rom.* II, 5, 4). Quod donec fiat, exercetur per eos illorum qui jam rectam viam tenent, non solum tolerantia, sed etiam misericordia. Multos ergo visurus es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligantes, præcantatoribus et mathematicis vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadversurus etiam quod illæ turbæ impleant ecclesias per dies festos Christianorum, quæ implent et theatra per dies solemnes Paganorum; et hæc videndo ad imitandum tentaberis. Et quid dicam, videbis, quod etiam nunc jam utique nosti? non enim nescis multos qui appellantur christiani, hæc omnia mala operari, quæ breviter commemoravi. Et aliquando[1] fortasse graviora facere homines non ignoras, quos nosti appellari christianos. Sed si hoc animo venisti, ut quasi securus talia facias, multum erras: nec tibi proderit nomen Christi, cum cœperit ille severissime judicare, qui prius dignatus est misericordissime subvenire. Prædixit enim ista, et ait in Evangelio: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed is qui facit voluntatem Patris mei. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus* (*Matth.* VII, 21, 22). Omnibus ergo qui in talibus operibus perseverant, damnatio finis est. Cum ergo videris multos non solum hæc facere, sed etiam defendere atque suadere, tene te ad legem Dei, et non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.

49. Conjungere bonis, quos vides amare tecum regem tuum. Multos enim inventurus es, si et tu talis esse cœperis. Nam si in spectaculis cum illis esse cupiebas et eis inhærere[2], qui tecum vel aurigam, vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant; quanto magis te delectare debet eorum conjunctio, qui tecum amant Deum, de quo nunquam erubescet amator ejus, quia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet invictos? Nec tamen etiam in ipsis bonis, qui te vel præcedunt vel tibi comitantur ad Deum[3], spem tuam collocare debes, quia nec in te ipso debes quantumcumque profeceris, sed in illo qui eos et te justificando tales facit. Securus es enim de Deo, quia non mutatur: de homine autem nemo prudenter securus est. Sed si illos qui nondum justi sunt, amare debemus ut sint; quanto ardentius qui jam sunt, amandi sunt? Sed aliud est diligere hominem, aliud spem ponere in homine; tantumque interest, ut illud Deus jubeat, hoc prohibeat. Si autem aliquas vel insultationes vel tribulationes pro nomine Christi passus non defeceris a fide, nec a bona via[4] deviaveris, majorem mercedem accepturus es: qui autem in his diabolo cesserint, etiam minorem perdunt. Sed humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.

CAPUT XXVI. — 50. *Initiatio catechumeni, cum expositione signorum. Sermo quandoque brevior adhibendus. Incipit sermo alius brevior. Filius Dei immissus, ut a morte quæ per Adamum intravit, liberaremur.* His dictis, interrogandus est an hæc credat atque observare desideret. Quod cum responderit, solemniter utique signandus est et Ecclesiæ more tractandus. De sacramento sane (*a*) quod accipit[5], cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; nec sic habendam esse illam speciem benedictione sancti-

[1] Editi, *societas*. Aptius forte quinque Mss., *satietas*.
[2] Sic duo Mss. At editi, *sorbeamur*.
[3] Lov., *miserentur*. Melius Am. Er. et aliquot Mss., *miserati*. Alludit ad illud Ecclesiastici, cap. 30, v. 24: *Miserere animæ tuæ placens Deo*.

[1] Mss., *aliquanto*.
[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov.: *Nam si in spectaculis et vanitatibus insanorum certaminum illis cupiebas inhærere*.
[3] Er. Lugd. Ven. Lov. omittunt, *tibi*. M.
[4] Am. Er. et plures Mss., *vita*.
[5] Sic Mss. At editi, *accepit*.
(*a*) Forte, *salis*.

ficatam, quemadmodum habetur in usu quodlibet : dicendum etiam quid significet et sermo ille quem audivit, quid in illo condiat [1], cujus illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in Scripturis audiat quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque vitam pertineat. Hoc autem ita breviter discit [2], ut quidquid audierit ex Libris canonicis quod ad dilectionem æternitatis et veritatis et sanctitatis, et ad dilectionem proximi referre non possit, figurate dictum vel gestum esse credat ; atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat dilectionem. Ita sane ut proximum non carnaliter intelligat, sed omnem qui cum eo in illa sancta civitate potest esse, sive jam, sive nondum appareat : et ut de nullius hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt vivere, non ob aliud, sicut Apostolus ait, nisi ut adducatur ad pœnitentiam (*Rom.* II, 4).

51. Si longus tibi videtur iste sermo, quo tanquam præsentem rudem hominem instruxi, licet ea tibi dicere brevius, longiorem tamen esse debere non puto : quanquam multum interest quid res ipsa, cum agitur, moneat, et quid auditorum præsentia non solum ferre, sed etiam desiderare se ostendat. Cum autem celeritate opus est, vide quam facile explicari tota res possit. Fac rursus adesse aliquem, qui velit esse christianus : ergo et interrogatum, illud quod superior respondisse ; quia et si non hoc respondet, hoc eum respondere debuisse dicendum est. Deinde hoc modo et cætera contexenda.

52. Vere, frater, illa magna et vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis promittitur. Omnia vero visibilia transeunt, et omnis hujus sæculi pompa et deliciæ et curiositas interibunt, et secum ad interitum trahunt amatores suos. A quo interitu, hoc est, pœnis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum, hoc est, Verbum suum æquale sibi, per quod condidit omnia. Et manens quidem in divinitate sua, et non recedens a Patre, nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem, et in carne mortali [3] hominibus apparendo venit ad homines : ut quemadmodum per unum hominem qui primus factus est, id est Adam, mors intravit in genus humanum, quia consensit mulieri suæ seductæ a diabolo, ut præceptum Dei transgrederentur ; sic per unum hominem qui etiam Deus est Dei Filius, Jesum Christum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur (*Id.* v, 12-19).

[1] Er. et Lov., *condatur*. Verius Mss. et Am., *condiat*. Nam agitur hic de sacramento salis, quo catechumenus initiatur. Huc pertinet illud Augustini lib. 1 Confess., cap. 11 : « Et « signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale, « jam inde ab utero matris meæ. » Ipsa est quam hic dixit *speciem benedictione sanctificatam* : adeoque paulo supra loco, *sane* ; legendum videtur, *salis*.

[2] Sic Mss. Editi vero, *discet*.

[3] Aliquot Mss., *mortalis*.

CAPUT XXVII. — 53. *Prophetias Veteris Testamenti impletas cerni in Ecclesia. Hinc firmata fides eorum quæ ventura restant, judicii ultimi et resurrectionis. Cavendæ tentationes a malis etiam in Ecclesia repertis. Societas cum bonis. Spes omnis in Deo.* Omnia enim [1] quæ nunc vides in Ecclesia Dei, et sub Christi nomine per totum orbem terrarum geri [2], ante sæcula jam prædicta sunt, et sicut ea legimus, ita et videmus ; et inde ædificamur in fidem. Factum est aliquando diluvium per totam terram, ut peccatores delerentur : et tamen illi qui evaserunt in arca, sacramentum futuræ Ecclesiæ demonstrabant, quæ nunc in fluctibus sæculi natat, et per lignum crucis Christi a submersione liberatur. Prædictum est Abrahæ fideli servo Dei, uni homini, quod de illo esset populus nasciturus, qui coleret unum Deum inter cæteras gentes quæ idola colebant : et omnia quæ illi populo ventura prædicta sunt, sic evenerunt ut prædicta sunt. Prophetatus est in illo populo etiam Christus rex omnium sanctorum et Deus venturus ex semine ipsius Abraham secundum carnem, quam assumpsit, ut omnes etiam filii essent Abrahæ, qui fidem ejus imitarentur ; et sic est factum : natus est Christus de Maria virgine, quæ ex illo genere fuit. Prædictum est per Prophetas quod in cruce passurus esset ab eodem populo Judæorum, de cujus genere secundum carnem veniebat ; et sic est factum. Prædictum est quod resurrecturus esset ; resurrexit : et secundum ipsa prædicta Prophetarum ascendit in cœlum, et discipulis suis Spiritum sanctum misit. Prædictum est non solum a Prophetis, sed etiam ab ipso Domino Jesu Christo, quod Ecclesia ejus per universum orbem terrarum esset futura, per sanctorum martyria passionesque disseminata ; et tunc prædictum, quando adhuc nomen ejus et latebat gentes, et ubi notum erat irridebatur : et tamen in virtutibus miraculorum ejus, sive quæ per se ipse, sive quæ per servos suos fecit, dum annuntiantur hæc et creduntur, jam videmus quod prædictum est esse completum, regesque ipsos terræ, qui antea persequebantur Christianos, jam Christi nomini subjugatos. Prædictum est etiam quod schismata et hæreses ex ejus Ecclesia essent exituræ, et sub ejus nomine per loca ubi possent, suam, non Christi, gloriam quæsituræ ; et ista completa sunt.

54. Numquid ergo illa quæ restant non sunt ventura ? Manifestum est quia sicut ista prædicta venerunt, sic etiam illa ventura sunt : quæcumque tribulationes justorum adhuc restant ; et judicii dies, qui separabit omnes impios a justis in resurrectione mortuorum ; et non solum eos qui sunt extra Ecclesiam, sed etiam ipsius Ecclesiæ paleas, quas oportet usque ad novissimam ventilationem patientissime sufferat, ad ignem debitum segregabit. Qui autem irrident resurrectionem, putantes quod caro ista quia putrescit, resurgere non potest, ad pœnas in ea resurrecturi sunt : et ostendet eis Deus quia qui potuit

[1] Corbeiensis Ms., *Omnia ergo*.

[2] Abest, *geri*, a Mss.

hæc corpora facere antequam essent, potest ea in momento restituere sicut erant. Omnes autem fideles regnaturi cum Christo, ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam : ut fiant æquales Angelis Dei, sicut Dominus ipse promisit (*Luc.* xx, 36) ; et laudent eum sine aliquo defectu et sine aliquo fastidio, semper viventes in illo et de illo, cum tali gaudio et beatitudine, quali nec dici [1] nec cogitari ab homine potest.

33. Tu itaque credens ista, cave tentationes (quia diabolus quærit qui secum pereant) : ut non solum per eos qui extra Ecclesiam sunt, sive Pagani, sive Judæi, sive hæretici, non te hostis ille seducat ; sed etiam quos in ipsa Ecclesia catholica videris male viventes, aut immoderatos [2] voluptatibus ventris et gutturis, aut impudicos, aut vanis curiositatibus vel illicitis deditos, sive spectaculorum, sive remediorum [3] aut divinationum diabolicarum, sive in pompa et typho avaritiæ atque superbiæ, sive in aliqua vita quam lex [4] damnat et punit, non eos imiteris : sed potius conjungaris bonis, quos inventurus es facile, si et tu talis fueris ; ut simul colatis et diligatis Deum gratis : quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa vita [5] bonitate ejus et pulchritudine perfruamur. Sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis ; sed sicut amatur sapientia, et veritas, et sanctitas, et justitia, et charitas [1], et si quid aliud tale dicitur : non quemadmodum sunt ista in hominibus ; sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis et incommutabilis sapientiæ. Quoscumque ergo videris hæc amare, illis conjungere, ut per Christum qui homo factus est, ut esset Mediator Dei et hominum, reconcilieris Deo. Homines autem perversos, etiamsi intrent parietes ecclesiæ, non eos arbitreris intraturos in regnum cœlorum ; quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutaverint. Homines ergo bonos imitare, malos tolera, omnes ama ; quoniam nescis quid cras futurus sit qui hodie malus est. Nec eorum ames injustitiam ; sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam : quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxii, 37-40). Quam non implet nisi qui donum [2] acceperit Spiritum sanctum, Patri et Filio utique æqualem ; quia ipsa Trinitas Deus est : in quo Deo spes omnis ponenda est. In homine non est ponenda, qualiscumque ille fuerit. Aliud est enim ille a quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum et dolorum et ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, et pro spe vitæ æternæ, et permanens toleraverit, major ei merces dabitur : quod si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant a Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possunt sustinere (I *Cor.* x, 13).

[1] Sic Mss. At editi, *qualis nec dici*.
[2] Mss., *immoderatis* : fortasse pro, *in immoderatis*.
[3] Editi, *sive remediorum sacrilegorum*. Abest, *sacrilegorum*, a Mss., ut illa quæ post adhibetur, vox, *diabolicarum*, et ad *divinationum* refertur, et ad *remediorum*.
[4] Corbeiensis Ms., *lex Dei* : sed additum, *Dei*, a secunda manu.
[5] Editi, *in illa æterna vita*. Abest, *æterna*, a Mss.

[1] Mss. omittunt, *et sanctitas, et justitia, et charitas*.
[2] Sola editio Lov. pro, *donum*, habet, *Domini*.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Librum de Continentia suum ipse agnoscit Augustinus in Epistola 262, ad Darium comitem. Ejusdem operis meminit Possidius in Indiculo, cap. 10, et nonnulla ex eodem libro excerpta in suis collectaneis profert Beda seu Florus, et qui ab Augustini tempore propius distat Eugyppius. Hinc censura refellitur Desiderii Erasmi, quam in fronte Libri præfixit, videri sibi esse Hipponensis, et phrasim arguere quod non sit Augustini. Stilus et dictio, nostro quidem judicio, similis omnino est multorum Augustini Sermonum, eorum præsertim quos primis annis dixit sive dictavit. Hunc vero Librum Sermonem quemdam esse, quem idcirco in librorum suorum Retractationibus prætermisit, ipso satis exordio declaratur. Sic vero appellant veteres libri, necnon Possidius, Eugyppius et Florus. Commode etiam in primis sermonibus ipsius revocari nemo negaverit ; quandoquidem et longior Sermo est, et magnam partem contra Manichæos, quorum hæresim Augustinus maxime initio suæ conversionis insectari solebat.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CONTINENTIA

LIBER UNUS [a].

Explicat versiculos duos Psalmi 140 : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea ; ne declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis.* Cujusque inde sermonis argumento docet Continentiæ virtutem pro suo officio coercendas habere libidines et corporis et animi, atque universim delectationes concupiscentiæ, quæ delectationi sapientiæ adversantur, cohibendas invigilare. Jubet ne de propriis viribus confidamus pugnantes contra concupiscentiam, quæ per legem quidem cognoscitur, sed non vincitur nisi per gratiam. Superbos reprehendit excusationes varias in peccatis afferentes : quo in genere imprimis Manichæos, qui peccata sua ex mali natura in se ipsis insitam referebant, operosius refellit, et locum Apostoli ad Galat. v, 17, *Caro enim concupiscit adversus spiritum*, etc., quo demonstratas duas boni et mali naturas volebant, perperam ab iis hæreticis intellectum esse ex apostolo eodem evincit.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Continentia a libidine carnis Dei donum. Continentia oris et ipsa donum Dei. Os corporis et os cordis.* De virtute animæ, quæ Continentia nominatur, satis convenienter et digne disputare difficile est : sed exiguitatem nostram sub tanti ponderis sarcina ille cujus hæc virtus magnum munus est, adjuvabit. Nam qui eam donat continentibus fidelibus suis, ipse dat sermonem de illa loquentibus ministris suis. Denique de re tanta, quod ipse dederit locuturi, Dei donum esse continentiam primum dicimus et probamus. In libro Sapientiæ scriptum habemus, nisi Deus det, continentem esse neminem posse (*Sap.* VIII, 21). Dominus autem de ipsa majore et gloriosiore continentia, qua a conjugali vinculo continetur [1], ait : *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est* (*Matth.* XIX, 11). Et quoniam ipsa quoque castitas conjugalis, nisi contineatur ab illicito concubitu, non potest custodiri; utrumque Apostolus donum Dei esse prædicavit, cum de vita utraque, id est, et conjugali, et ea quæ est sine conjugio, loqueretur dicens : *Vellem omnes homines sic esse sicut me ipsum : sed unusquisque proprium donum habet a Deo; alius sic, alius autem sic* (I *Cor.* VII, 7).

2. Et ne in sola inferiorum partium carnis libidine continentia necessaria videretur a Domino speranda, etiam in Psalmo canitur, *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea.* In hoc autem divini eloquii testimonio, si os intelligamus sicut intelligere debemus, ibi posita continentia quantum sit Dei munus agnoscimus. Parum est quippe os corporis continere, ne aliquid inde quod non expedit per sonum vocis erumpat. Intus est enim os cordis, ubi sibi custodiam et ostium continentiæ poni desideravit a Domino, qui verba illa dixit, nobisque dicenda conscripsit. Multa enim corporis ore non dicimus, et corde clamamus : nullum autem procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. Inde igitur quod non emanat, foris non sonat : quod vero emanat inde, si malum est, etsi non moveat linguam, inquinat animam. Ibi ergo ponenda est continentia, ubi et tacentium loquitur conscientia. Fit enim per ostium continentiæ, ut non inde exeat quod etiam clausis labiis carnis vitam polluat cogitantis.

CAPUT II. — 3. *Os cordis, quo consensus tanquam verbum interius exprimitur. Cordis continentia nomine oris commendata a Christo. Continentiam cordis interdum violari non violato corpore. Continentia cordis retenta non peccari contra continentiam corporis.* Denique ut apertius os interius, quod per illa verba significavit, ostenderet, cum dixisset, *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea;* continuo subdidit, *Ne declines cor meum in verba maligna* (*Psal.* CXL, 3, 4). Declinatio cordis quid est, nisi consensio? Nondum enim dixit, quisquis in corde occurrentibus suggestionibus quorumque visorum nulla cordis declinatione consensit. Si autem consensit, jam corde dixit, etiamsi ore non sonuit : etiamsi manu vel qualibet corporis parte non fecit, fecit tamen quod cogitatione faciendum sibi esse jam statuit; divinis legibus reus, quamvis humanis sensibus absconditus; verbo in corde dicto, nullo facto per corpus admisso. Nequaquam vero membrum foris movisset in facto, cujus facti initium non intus præcessisset in verbo. Neque enim mendaciter scriptum est, initium omnis operis, verbum. Multa quippe homines faciunt ore clauso, quieta lingua, voce frenata : sed tamen nihil agunt corporis opere, quod non prius

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Continentia correctus est ad vetus exemplar Ecclesiæ Remensis, ad Metense abbatiæ S. Arnulphi, ad Cisterciense, ad Fuxense nunc Colbertinum, ad Fuliense cœnobii Parisiensis S. Bernardi, ad Genovefæanum, ad Michaelinum, et ad Vaticana tria ; necnon ad lectiones variantes trium Belgicorum quibus usi sunt Lovanienses; et ad editiones Desiderii Erasmi ac Lovaniensium Theologorum.

Comparavimus prætcrea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Cisterciensis Ms., *qua conjugale vinculum contemnitur.*

(*a*) Scriptus circiter Christi annum 395, Augustino presbytero aut recens episcopo.

dixerint corde. Ac per hoc quoniam multa sunt peccata in interioribus dictis, quæ non sunt in exterioribus factis; nulla sunt autem in exterioribus factis, quæ non præcedant in interioribus dictis [1]: erit ab utrisque puritas innocentiæ, si circum interiora labia ponatur ostium continentiæ.

4. Propter quod etiam ipse ore proprio Dominus ait: *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*Matth.* XXIII, 26). Itemque alio loco cum Judæorum stultiloquia refutaret, quia calumniabantur discipulis ejus non lotis manibus manducantibus: *Non quod intrat in os*, inquit, *coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Quæ sententia si tota de ore corporis accipiatur, absurda est. Neque enim quem non coinquinat cibus, coinquinat vomitus. Cibus quippe in os intrat, vomitus ex ore procedit. Sed procul dubio priora verba pertinent ad os carnis, ubi ait, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem;* posteriora vero ad os cordis, ubi ait, *sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Denique cum ab illo apostolus Petrus expositionem velut parabolæ hujus exquireret, ille respondit: *Adhuc et vos sine intellectu estis? non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Hic certe in quod intrat cibus, os carnis agnoscimus. In his vero quæ adjungit, ut agnosceremus os cordis, non sequeretur nostri tarditas cordis, nisi et cum tardis ambulare Veritas dignaretur. Ait enim, *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt;* tanquam diceret, Cum audis *de ore*, de corde intellige. Utrumque dico; sed alterum ex altero expono. Habet os interius homo interior, et hoc discernit auris interior: de hoc ore quæ procedunt, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. Deinde jam relicto oris nomine, quod potest et de corpore intelligi, apertius quid dicat ostendit: *De corde enim exeunt*, inquit, *cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Id.* XV, 11-20). Nihil est certe istorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, et coinquinet hominem, etiamsi aliquid impediat ne subsequantur opera flagitiosa et facinorosa membrorum. Si enim quia potestas non datur [2], vacat manus ab hominis interfectione, numquid ideo mundum est ab scelere cor homicidæ? Aut si rem subripere alienam, non ut quis vult potest, numquid ideo in ipsa voluntate fur non est? Aut si casta est, quam vult adulterare non castus, ideo eam non est in corde mœchatus? Aut si meretrix non invenitur in fornice, ideo qui eam quærit, non fornicatur in mente? Aut si cupienti per mendacium lædere proximum, tempus vel locus desit, ideo falsum testimonium non ore interiore jam dixit? Aut si quisquam homines timens, non audeat lingua carnis sonare blasphemiam, ideo non est hujus criminis reus, qui dicit in corde suo, *Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1)? Ita cætera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ nescit ullus corporis sensus, reos suos occultos habent; quos etiam solus inquinat in cogitatione consensus, id est, oris interioris verbum malignum. In quod timens ille declinari cor suum, ostium continentiæ circum labia oris hujus poni poscit a Domino, quod contineat cor, ne declinetur in verba maligna: contineat autem, non sinendo cogitationem procedere in consensionem; sic enim secundum præceptum apostolicum, non regnat peccatum in nostro mortali corpore, neque exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato (*Rom.* VI, 12, 13). A quo præcepto implendo utique alieni sunt, qui ob hoc ad peccandum membra non movent, quia potestas nulla permittitur: quæ si adsit, protinus ex membrorum velut armorum motibus, quis in eis intus regnet, ostendunt. Proinde quantum in ipsis est, membra sua exhibent arma iniquitatis peccato; quia hoc volunt, quod propterea non exhibent, quia non possunt.

5. Ac per hoc illa quæ genitalibus membris pudicitia refrenatis, solet maxime ac proprie continentia nominari, nulla transgressione violatur, si superior continentia, de qua jamdiu loquimur, in corde servetur. Propterea Dominus cum dixisset, *De corde enim exeunt cogitationes malæ;* deinde quid pertineat ad cogitationes malas secutus adjunxit, *homicidia, adulteria*, et cætera. Nec dixit omnia; sed quibusdam exempli gratia nominatis et alia intelligenda commonuit. Quorum nihil est quod fieri possit, si mala cogitatio non præcesserit, qua intus instituitur [1] quod foris agitur; et ex ore cordis procedens, jam coinquinat hominem, etiamsi nulla facultate permissa foris per membra corporis non agatur. Posito igitur ostio continentiæ in ore cordis, unde cuncta exeunt quæ coinquinant hominem, si nil tale inde permittatur exire, sequitur munditia qua possit jam gaudere conscientia; quamvis nondum sit illa perfectio, ubi non luctabitur cum vitio continentia. Nunc autem quamdiu concupiscit caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* V, 17), sat est nobis non consentire malis quæ sentimus in nobis. Cum autem fit ista consensio, tunc exit ex ore cordis quod coinquinat hominem. Cum vero per continentiam consensio non tenetur [2], malum concupiscentiæ carnalis, contra quod pugnat concupiscentia spiritualis, nocere non sinitur.

CAPUT III. — 6. *Continentiæ pugna contra libidines quamdiu sumus in hac vita. Pugna interna concupiscentiarum non experta nisi bellatoribus virtutum. Concupiscentia per legem cognoscitur, nonnisi per gratiam vincitur. Pugnandum ne peccati concupiscentia regnet. Opera carnis mortificanda.* Sed aliud est bene pugnare, quod nunc est, quando mortis contentioni resistitur [3]; aliud adversarium non habere, quod tunc erit,

[1] Sic aliquot Mss. Editi vero, *procedant ab interioribus dictis*.
[2] Er. et Mss. *Si enim potestas non datur*; omisso *quia*.

[1] Michaelinus Ms., *constituitur*.
[2] Duo Vaticani Mss. et Tulensis, *consensio tenetur*; omisso, *non*.
[3] Michaelinus codex, *mortis contentione resistitur*. Vaticani duo, *mentis intentione resistit*. Male; nam alludit Augustinus ad illud Apostoli ad Corinth., XV, 55: *Ubi*

quando mors novissima inimica destruetur (I *Cor.* XV, 25, 26). Nam et ipsa continentia cum frenat cohibetque libidines, simul et appetit bonum ad cujus immortalitatem tendimus, et respuit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix et spectatrix [1], hujus vero et hostis et testis est; et decus appetens, et dedecus fugiens. Non utique in cupiditatibus frenandis continentia laboraret, si nihil nos contra quod decet liberet [2], si nihil nostræ bonæ voluntati ex mala concupiscentia repugnaret. Clamat Apostolus: *Scio*, inquit, *quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Nunc enim fieri bonum potest, ut malæ concupiscentiæ non consentiatur; perficietur autem bonum, quando ipsa mala concupiscentia finietur. Itemque idem doctor Gentium clamat: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 18, 22, 23).

7. Hanc pugnam non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum debellatoresque vitiorum: nec expugnat concupiscentiæ malum, nisi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæcitate servientes, insuper etiam beatos se putant, satiando eas potius quam domando. Qui vero per legem cognoverunt eas (*Per legem enim cognitio peccati* [*Id.* III, 20]; et, *Concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*, [*Id.* VII, 7]), et earum tamen oppugnatione vincuntur, quia sub lege vivunt, qua jubetur quod bonum est, non et datur; non vivunt sub gratia, quæ dat per Spiritum sanctum quod per legem jubetur: his ideo subintravit lex, ut in eis abundaret delictum (*Id.* V, 20). Auxit prohibitio concupiscentiam, eamque fecit invictam; ut accederet prævaricatio, quæ sine lege non fuit, etiamsi peccatum fuit [3]. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Id.* IV, 15). Ita lex gratia non juvante, prohibens peccatum, virtus est insuper facta [4] peccati: unde ait Apostolus, *Virtus peccati lex* (I *Cor.* XV, 56). Nec mirandum est quod humana infirmitas etiam de lege bona vires malo addidit, dum ad ipsam legem faciendam de suis viribus fidit. Ignorans quippe Dei justitiam, quam dat infirmo, et suam volens constituere, qua caret infirmus, justitiæ Dei non est subjectus, reprobus et superbus (*Rom.* X, 3). Si autem lex factum prævaricatorem, tanquam ad hoc gravius vulneratum ut desideret medicum, tanquam pædagogus perducit ad gratiam; contra suavitatem noxiam qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam qua delectet [1] amplius continentia, et terra nostra dat fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13), quo pascitur miles, qui debellat Deo juvante peccatum.

8. Tales milites apostolica tuba isto modo accendit in prælium: *Non ergo regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* VI, 12-14). Et alio loco: *Ergo*, inquit, *fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Id.* VIII, 12-14). Id ergo nunc agitur, quamdiu est mortalis hæc vita nostra sub gratia, ne peccatum, id est, concupiscentia peccati (hanc enim hoc loco peccati nomine appellat), regnet in nostro mortali corpore. Tunc autem regnare ostenditur, si desideriis ejus obeditur. Est ergo in nobis peccati concupiscentia, quæ non est permittenda regnare: sunt ejus desideria, quibus non est obediendum, ne obedientibus regnet. Propter quod membra nostra non sibi usurpet concupiscentia, sed sibi vindicet continentia; ut sint arma justitiæ Deo, ne sint iniquitatis arma peccato: sic enim nobis peccatum non dominabitur. Non enim sumus sub lege, bonum quidem jubente, non tamen dante: sed sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare.

9. Itemque cum hortatur ut non secundum carnem vivamus, ne moriamur, sed spiritu facta carnis mortificemus, ut vivamus; tuba utique quæ canit, bellum in quo versamur ostendit, et ut acriter dimicemus et hostes nostros mortificemus, ne ab eis mortificemur, accendit. Qui sint vero isti hostes, satis evidenter expressit. Quos enim a nobis voluit mortificari, ipsi sunt, scilicet opera carnis. Sic enim ait: *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et ista quæ sint ut sciamus, eumdem itidem audiamus ad Galatas scribentem et dicentem: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ipsum enim etiam ibi bellum, ut hæc diceret ostendebat, et ad hos hostes mortificandos eadem cœlesti et spirituali tuba Christi milites excitabat. Supra enim dixerat: *Dico autem, spiritu ambulate, et desideria carnis ne perfeceritis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Ergo sub gratia constitutos vult istum adversus opera carnis habere conflictum. Et hæc opera carnis ut demonstraret, adjunxit quæ su-

est, mors, contentio tua? Ita nempe citare solet hunc locum, qui pro, *contentione*; modo, *victoriam*, habet in Vulgata: quia græcum *neicos* cum diphthongo scriptum, contentionem; secus vero, victoriam significat.

[1] Vaticani Mss., *appetitrix*. Forte legendum, *exspectatrix*.

[2] Er. et Lov., *nos contra quod contenderet, detineret*. At Mss., *nos contra quod decet* (vel, *deceret*) *liberet*. Sic passim Augustinus verbum, *libet*, quod jungi dativo solet, jungit accusativo.

[3] Lov., *non fuit*. Abest, *non*, ab editione Erasmi et a Mss.

[4] Ex Mss. restituimus verbum, *facta*, omissum in editis. Ejus tamen loco nonnulli Mss. habent, *facti*.

[1] Ita Cisterciensis Ms. At editi, *delectetur*.

pra commemoravi : *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes*, et cætera, sive quæ commemoravit, sive quæ intelligenda commonuit, maxime adjiciens, *et his similia*. Denique in hoc prælio adversus carnalem quodam modo exercitum velut aliam producens aciem spiritualem : *Fructus autem spiritus est*, inquit, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia : adversus hujusmodi non est lex*. Non ait, adversus hæc, ne sola esse putarentur : quamvis et si hoc diceret, omnia deberemus intelligere, quæ ejusdem generis bona cogitare possemus : sed ait, *adversus hujusmodi* ; et hæc scilicet et quæcumque similia. Verumtamen quod in eis bonis quæ commemoravit, ultimo loco posuit continentiam, de qua nunc disputare suscepimus, et propter quam multa jam diximus, præcipue voluit eam nostris mentibus inhærere. Ipsa quippe in hoc bello valet plurimum, in quo adversus carnem spiritus concupiscit ; quoniam ipsas carnis concupiscentias quodam modo crucifigit. Unde cum hæc dixisset Apostolus, continuo subjecit, *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis* (*Galat.* v, 16-24). Hæc est actio continentiæ : sic opera [1] carnis mortificantur. Mortificant vero eos, quos deficientes a continentia ad consensionem perpetrandorum talium operum trahit concupiscentia.

CAPUT IV.—10. *Ut continentia servari possit, cavenda præsumptio de propriis viribus. Vivere secundum hominem, et vivere secundum carnem, idem est.* Ut autem a continentia non deficiamus, adversus illas præcipue diabolicarum suggestionum insidias vigilare debemus, ne de nostris viribus præsumamus. *Maledictus* enim *omnis qui spem suam ponit in homine* (*Jerem.* xvii, 5). Et quis est iste, nisi homo [2] ? Non potest ergo veraciter dicere non se spem ponere in homine, qui eam ponit in se. Nam et hoc secundum hominem vivere, quid est nisi secundum carnem vivere ? Audiat ergo qui tali suggestione tentatur, et si ullus ei christianus sensus est, contremiscat : audiat, inquam, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

11. Sed quispiam dicturus est mihi aliud esse secundum hominem, aliud secundum carnem vivere : quia homo videlicet rationalis creatura est, et in eo rationalis est animus, quo distat a pecore ; caro autem est infima et terrena pars hominis, et ideo secundum eam vivere vitiosum est : propter quod ille qui secundum hominem vivit, non utique secundum carnem, sed potius secundum eam partem hominis vivit qua homo est, hoc est, secundum spiritum mentis, quo pecoribus præeminet. Verum hæc disputatio valet fortassis aliquid in scholis philosophorum : nos autem ut intelligamus Apostolum Christi, libri christiani quemadmodum loqui soleant, debemus advertere. Fides certe omnium nostrum est, quibus Christus vivere est [3], hominem a Verbo Dei assumptum, non utique sine anima rationali, sicut quidam hæretici volunt, et tamen legimus, *Verbum caro factum est* (*Joan.* i, 14). Quid hic caro intelligenda est, nisi homo ? *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* iii, 6) ; quid potest intelligi, nisi, omnis homo ? *Ad te omnis caro veniet* (*Psal.* lxiv, 3) ; quid est, nisi, omnis homo ? *Dedisti ei potestatem omnis carnis* (*Joan.* xvii, 2) ; quid est, nisi, omnis hominis ? *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro* (*Rom.* iii, 20) ; quid est, nisi, nullus justificabitur homo ? Quod idem apostolus alibi exprimens manifestius, *Non*, inquit, *justificabitur homo ex operibus legis* (*Galat.* ii, 16). Corinthios quoque increpat dicens : *Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* iii, 3) ? Cum carnales eos dixisset, non ait, secundum carnem ambulatis ; sed, *secundum hominem* : quia et hoc quid voluit intelligi, nisi, secundum carnem ? Nam utique si culpabiliter quidem secundum carnem, laudabiliter autem secundum hominem ambularetur, id est, viveretur, non exprobrans diceret, *secundum hominem ambulatis*. Agnoscat homo opprobrium [1], mutet propositum, vitet interitum. Audi, homo ; noli ambulare secundum hominem, sed secundum eum qui fecit hominem : ab eo qui fecit te, noli deficere nec ad te. Homo enim dicebat, qui tamen non secundum hominem vivebat : *Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobismetipsis ; sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* iii, 5). Vide si secundum hominem vivebat, qui veraciter ista dicebat. Admonens ergo Apostolus hominem, ne vivat secundum hominem, hominem Deo reddit. Qui autem non vivit secundum hominem, sed secundum Deum, profecto non vivit etiam secundum seipsum ; quia homo est et ipse. Sed ideo dicitur etiam secundum carnem vivere, cum ita vivit ; quia et carne sola nominata intelligitur homo, quod jam ostendimus : sicut sola anima nominata intelligitur homo ; unde dictum est, *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit* (*Rom.* xiii, 1), id est, omnis homo ; et, *Septuaginta quinque animæ descenderunt in Ægyptum cum Jacob* (*Gen.* xlvi, 27), id est, septuaginta quinque homines. Noli ergo vivere secundum te ipsum, o homo : inde perieras, sed quæsitus es. Noli, inquam, vivere secundum te ipsum : inde perieras, et inventus es [2]. Noli carnis accusare naturam, quando audis, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Sic enim dici potuit, et verissime potuit, Si secundum vos vixeritis, moriemini. Nam diabolus non habet carnem, et tamen quia secundum se ipsum vivere voluit, *in veritate non stetit*. Quid ergo mirum [3] si secundum se ipsum vivens, *cum loquitur mendacium, de suo loquitur* (*Joan.* viii, 44) ? quod verum de illo Veritas dixit.

CAPUT V.—12. *Non fidat de se qui vult peccata concu-*

[1] Cisterciensis Ms., *Hæc est actio continentiæ*, si opera.
[2] Idem, nisi *ipse homo*. Abest vox, *ipse*, a Mss.
[3] Tres Mss., *nostrum est, et Christus venerit, et hominem a Verbo*, etc. Germovetanus codex, *nostrum est, et Christus venerit, hominem a Verbo*, etc.

[1] Sola editio Lov.: *Agnoscat homo opprobrium*.
[2] Sic habent aliquot Mss. At Er., *sed perieras, inventus es*. Lov., *sed perieras, inventus es*.
[3] Ita plures Mss. At editi, *quid ergo verius* : et iidem infra pro, *quod verum*, habent, *quod vere*.

piscentiam vincere. Excusatio peccatorum cohibenda per continentiam. Excusationes in peccatis duplices. Fati accusatio, fortunæ, diaboli, Dei vero ipsius a Manichæis. Cum ergo audis, *Peccatum vobis non dominabitur*; noli de te fidere, ut peccatum tibi non dominetur; sed de illo cui dicit orans quidam sanctus, *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, et non dominetur mihi omnis iniquitas* (*Psal.* CXVIII, 133). Etenim ne forte, cum audissemus, *Peccatum vobis non dominabitur*, nos ipsos extolleremus, et viribus nostris hoc tribueremus, statim hoc vidit Apostolus, atque subjecit, *Non enim estis sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* VI, 14). Gratia itaque facit ut peccatum tibi non dominetur. Noli ergo de te fidere, ne multo amplius inde tibi dominetur. Et cum audimus, *Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*; non hoc tantum bonum spiritui nostro, quasi per se ipsum possit ista, tribuamus. Nam ne istum carnalem sensum spiritu mortuo potius quam mortificante[1] saperemus, illico addidit, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Id.* VIII, 13, 14). Itaque ut spiritu nostro opera carnis mortificemus, Spiritu Dei agimur qui dat continentiam, qua frenemus, domemus, vincamus concupiscentiam.

13. In hoc tam magno prælio, in quo vivit homo sub gratia, et cum bene pugnat adjutus, exsultat in Domino cum tremore, non desunt tamen etiam strenuis bellatoribus, et operum carnis quamvis invictis mortificatoribus, aliqua vulnera peccatorum, propter quæ sananda quotidie veraciter dicant, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12): contra eadem vitia, et contra diabolum principem regemque vitiorum, multo vigilantius et acrius ipsa oratione certantes, ne valeant aliquid mortiferæ suggestiones ejus, quibus instigat insuper peccatorem ad sua excusanda potius quam accusanda peccata: ac sic illa vulnera non modo non sanentur, verum etiam, etsi mortifera non erant, graviter et lethaliter infligantur. Et hic ergo cautiore opus est continentia, qua cohibeatur superbus hominis appetitus, quo placet sibi et non vult culpabilis inveniri, dedignaturque cum peccat, convinci quod ipse peccaverit; non salubri humilitate suscipiens accusationem sui, sed excusationem potius ruinosa elatione conquirens. Ad hanc superbiam coercendam, continentiam petivit a Domino ille, cujus superius verba jam posui, et sicut potui, commendavi. Namque cum dixisset, *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea; ne declines cor meum in verba maligna*; unde hoc diceret evidentius explicans, *ad excusandas*, inquit, *excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL, 3, 4). Quid enim malignius his verbis, quibus malus malum se negat, etiam de opere malo convictus quod negare non valeat? Et quoniam factum non potest tegere, nec benefactum potest dicere, et a se factum videt patere, quærit in alium referre quod fecit, tanquam inde possit auferre quod meruit. Nolens se esse reum, addit potius ad reatum et excusando non accusando peccatum, quo sibi non removet, sed aufert veniam. Apud homines enim judices, quos falli possunt, quamlibet velut purgationem fallacia quod per peccatum factum est, prodesse aliquid videtur ad tempus: apud Deum autem, qui falli non potest, non est adhibenda fallax defensio, sed vera confessio peccatorum.

14. Et alii quidem qui sua consueverunt excusare peccata, fato se ad peccandum queruntur impelli, tanquam hoc decreverint sidera, et cœlum prius talia decernendo peccaverit, ut homo postea talia committendo peccaret. Alii fortunæ volunt imputare quod peccant; qui omnia fortuitis casibus agitari putant; nec tamen hoc se fortuita temeritate, sed perspecta ratione sapere atque asseverare contendunt. Qualis ergo dementia est, disputationes suas rationi tribuere, et actiones suas casibus subjugare? Alii totum quod male faciunt, in diabolum referunt; nec volunt cum illo habere vel partem, cum illum sibi occultis suggestionibus mala suasisse suspicari possint, se autem illis suggestionibus, undecumque fuerint, consensisse dubitare non possint. Sunt etiam qui excusationem suam extendunt in accusationem Dei, divino judicio miseri, suo autem furore blasphemi. Etenim adversus eum ex contrario principio inducunt mali substantiam rebellantem, cui non potuisset resistere, nisi substantiæ naturæque suæ partem eidem rebellanti contaminandam corrumpendamque misisset: et tunc se peccare dicunt, quando natura mali prævalet naturæ Dei. Hæc Manichæorum est immundissima insania, quorum machinamenta diabolica facillime veritas indubitata subvertit, quæ Dei naturam incontaminabilem atque incorruptibilem confitetur. Quid autem flagitiosæ contaminationis et corruptionis de istis merito non creditur, a quibus Deus, qui summe atque incomparabiliter bonus est, contaminabilis et corruptibilis creditur?

CAPUT VI. — 15. *Contra alios qui ut se excusent, dicunt placere Deo peccata. Deus et de malis facit bona. Homo cum potestate peccandi factus, pro præmio accepturus non posse peccare.* Sunt et qui eo modo in excusatione peccatorum suorum accusant Deum, ut dicant ei placere peccata. Nam si displicerent, inquiunt, nullo modo ea fieri omnipotentissima utique potestate permitteret. Quasi vero peccata Deus impunita esse permiserit, etiam in eis quos a supplicio sempiterno remissione liberat peccatorum. Nullus quippe debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem quam debebat, solverit pœnam: atque ita impartitur largitas misericordiæ, ut non relinquatur etiam justitia disciplinæ. Nam et peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam, ut nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat, aut cæcitate non doleat. Sicut ergo tu dicis, Cur permittit ista, si displicent? ita ego dico, Cur punit ista, si placent? Ac per hoc sicut ego confiteor quod omnino ista non fierent, nisi ab Omnipotente permitterentur; ita tu confitere facienda non esse quæ a justo puniantur: ut non faciendo quæ

[1] Sic Mss. At editi, *vivificante*.

punit, mereamur ab eo discere cur permittit esse quæ puniat. *Perfectorum est* enim, sicut scriptum est, *solidus cibus* (*Hebr.* V, 14) : in quo hi qui bene profecerunt, jam intelligunt ad omnipotentiam Dei potius id pertinuisse, ut ex libero arbitrio voluntatis venientia mala esse permitteret. Tanta quippe [1] est omnipotens ejus bonitas, ut etiam de malis possit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitates piorum coaptando atque vertendo, sive etiam justissime vindicando. Omnia namque ista bona sunt, et Deo bono atque omnipotente dignissima : nec tamen fiunt nisi de malis. Quid igitur melius, quid omnipotentius eo qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit? Clamant ad eum qui male fecerunt, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12) : exaudit, ignoscit. Nocuerunt sua mala peccantibus : subvenit eorum medeturque languoribus. Sæviunt suorum hostes : de illorum sævitia facit martyres. Postremo etiam condemnat eos quos damnatione judicat dignos : sua licet illi mala patiantur, facit tamen ille quod bonum est. Non potest enim bonum non esse, quod justum est : et utique sicut injustum est peccatum, ita justum est peccati supplicium.

16. Non autem potestas Deo defuit, talem facere hominem qui peccare non posset : sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare, si vellet; non peccare, si nollet : hoc prohibens, illud præcipiens : ut prius illi esset bonum meritum non peccare, et postea justum præmium non posse peccare. Nam etiam tales sanctos suos in fine facturus est, qui omnino peccare non possint. Tales habet quippe etiam nunc Angelos suos, quos in illo sic amamus, ut de nullo eorum ne peccando fiat diabolus formidemus. Quod de nemine homine justo in hujus vitæ mortalitate præsumimus. Tales autem omnes futuros in illius vitæ immortalitate confidimus. Omnipotens enim Deus qui operatur bona etiam de nostris malis, qualia dabit bona, cum liberaverit ab omnibus malis? Multa de bono usu mali copiosius possunt et subtilius disputari : sed neque hoc isto sermone suscepimus, et ejus nimia vitanda est longitudo.

CAPUT VII. — 17. *Continentiæ et justitiæ officia pariter tendunt ad pacem. Contra Manichæorum insaniam de duabus naturis inter se confligentibus. Bellum inesse in homine ex languore per culpam contracto, pacem sanato languore futuram esse.* Nunc ergo ad illud, propter quod diximus ista, redeamus. Continentia nobis opus est, et eam divinum esse munus cognoscimus, ne declinetur cor nostrum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis. Cui autem peccato cohibendo non habemus necessariam continentiam, ne committatur, quando et hoc ipsa cohibet, ne commissum si fuerit nefaria superbia defendatur? Universaliter ergo continentia nobis opus est, ut declinemus a malo. Ut autem faciamus bonum, ad aliam videtur virtutem, hoc est, ad justitiam pertinere. Hoc nos admonet sacer Psalmus, ubi legimus, *Declina a malo, et fac bonum*. Quo autem fine ista faciamus, mox addidit, dicens : *Quære pacem, et sequere eam* (*Psal.* XXXIII, 15). Pax enim perfecta tunc erit nobis, quando natura nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis. Hoc et ipse Salvator voluit, quantum mihi videtur, intelligi, ubi ait : *Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes* [1]. Quid est lumbos accingere? Libidines coercere, quod est continentiæ. Lucernas vero ardentes habere, est bonis operibus lucere atque fervere, quod est justitiæ. Neque hic tacuit quo fine ista faciamus, addendo atque dicendo : *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis* (*Luc.* XII, 35, 36). Cum enim venerit, nos remunerabit, qui continuimus nos ab his quæ [2] cupiditas, et ea quæ imperavit charitas fecimus : ut in ejus perfecta et sempiterna pace, sine ulla mali contentione et cum summa boni delectatione, regnemus.

18. Omnes ergo qui credimus in Deum vivum et verum, cujus summe bona immutabilisque natura nec mali aliquid facit, nec mali aliquid patitur, a quo est omne bonum, quod etiam minui potest [3], et qui suo bono quod ipse est omnino minui non potest, cum audimus Apostolum dicentem, *Spiritu ambulate, et concupiscentias carnis ne perfeceritis : caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim invicem sibi adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis* (*Galat.* V, 16, 17) ; absit ut credamus, quod Manichæorum credit insania, duas hic demonstratas esse naturas ex contrariis inter se principiis confligentes, unam boni, alteram mali. Prorsus ista duo ambo sunt bona : et spiritus bonum est, et caro bonum; et homo qui ex utroque constat, uno imperante, alio serviente, utique bonum est, sed mutabile bonum : quod tamen fieri non posset [4], nisi ab incommutabili bono, a quo est omne bonum creatum, sive parvum, sive magnum; sed quamlibet parvum, a magno tamen factum; et quamlibet magnum, nullo modo tamen factoris magnitudini comparandum. Verum in hac bona hominis et bene a bono condita institutaque natura nunc bellum est, quoniam salus nondum est. Languor sanetur, pax est. Languorem autem istum culpa meruit, natura non habuit. Quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit; sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit. In tali autem pugna sanitas erit tota victoria : nec temporaria sanitas, sed æterna; ubi non solum finiatur hic languor, verum etiam deinceps nullus oriatur. Propter quod alloquitur animam suam justus, et dicit : *Benedic, anima mea, Dominum, et noli oblivisci omnes retributiones ejus : qui propitius fit omnibus iniquitati-*

[1] Mss., *tam quippe*.

[1] Unus e Vaticanis Mss. addit *in manibus vestris* : quod nec editi, nec alii codices habent Mss. Id etiam a græco textu Evangelii abest; imo et a latino, in antiquis Corbeiensibus Bibliis.

[2] Cisterciensis codex addit, *suggerebat*. Vaticani autem, *instigavit*. Sed subauditur, *imperavit*.

[3] Lov., *non potest*. Male, et repugnantibus editis aliis ac Mss.

[4] Editi, *fieri non posse constat*. At Mss., *fieri non posset*, omisso, *constat*.

bus tuis, qui sanat omnes languores tuos (*Psal.* CII, 2 *et* 3). Propitius fit iniquitatibus, cum peccata dimittit : sanat languores, cum desideria prava compescit. Propitius fit iniquitatibus, dando indulgentiam : sanat languores, dando continentiam. Illud factum est in Baptismate confitentibus, hoc fit in agone certantibus; in quo a nobis noster per ejus adjutorium vincendus est morbus. Etiam nunc illud fit, cum exaudimur dicentes, *Dimitte nobis debita nostra* : hoc autem, cum exaudimur dicentes, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 12, 13). *Unusquisque* enim *tentatur*, sicut ait apostolus Jacobus, *a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*Jacobi* I, 14). Contra quod vitium medicinale poscitur adjutorium ab illo qui potest omnes hujuscemodi sanare languores, non a nobis alienæ separatione [1], sed in nostræ reparatione naturæ. Unde et prædictus apostolus non ait, *Unusquisque tentatur a concupiscentia*; sed addidit, *sua* : ut qui hoc audit intelligat quomodo clamare debeat, *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Non enim sanatione indiguisset, nisi se ipsa peccando vitiasset, ut adversus eam caro sua concupisceret, id est, ipsa sibimetipsi ex ea parte qua in carne infirmata est repugnaret.

CAPUT VIII. — 19. *Caro adversus spiritum concupiscit, non quia inimica natura, sed quia vitiata. Carnis concupiscentias ex vitio esse, easque hic minui quidem posse, non penitus auferri nisi in altera vita. Concupiscentia carnis hic pœna peccati, carne sanata in beatis non erit.* Caro enim nihil nisi per animam concupiscit; sed concupiscere caro adversus spiritum dicitur, quando anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur. Totum hoc nos sumus : et caro ipsa quæ discedente anima moritur, nostra pars infima, non fugienda dimittitur, sed recipienda deponitur, nec recepta ulterius relinquetur. *Seminatur* autem *corpus animale, resurget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44). Tunc jam caro nihil concupiscet adversus spiritum, quando et ipsa spiritualis vocabitur, quoniam spiritui non solum sine ulla repugnantia, verum etiam sine ulla corporalis alimenti indigentia in æternum vivificanda subdetur. Hæc igitur duo, quæ nunc invicem adversantur in nobis, quoniam in utroque nos sumus, ut concordent oremus et agamus. Non enim alterum eorum putare debemus inimicum, sed vitium quo caro concupiscit adversus spiritum : quod sanatum, nec ipsum erit, et substantia utraque salva erit, et inter utramque nulla pugna erit. Audiamus Apostolum : *Scio*, inquit, *quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Hoc utique ait, quia vitium carnis in re bona non est bonum : quod cum esse destiterit, caro erit, sed jam vitiata vel vitiosa non erit. Quam tamen ad nostram pertinere naturam, idem doctor ostendit, prius dicendo, *Scio quia non habitat in me* : quod ut exponeret, addidit, *hoc est in carne mea, bonum.* Se itaque dicit esse carnem suam. Non ergo ipsa est inimica nostra : et quando ejus vitiis resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V, 29), sicut ipse Apostolus dicit. Et alio loco ait, *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Audiant qui aures habent : *Igitur ipse ego, ego mente, ego carne*; sed *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quomodo *carne legi peccati*? numquid concupiscendo consentiendo carnali? Absit; sed motus desideriorum illic habendo, quos habere nolebat, et tamen habebat. Sed eis non consentiendo mente serviebat legi Dei, et tenebat membra, ne fierent arma peccati.

20. Sunt ergo in nobis desideria mala, quibus non consentiendo non vivimus male : sunt in nobis concupiscentiæ peccatorum, quibus non obediendo non perficimus malum, sed eas habendo nondum perficimus bonum. Utrumque ostendit Apostolus, nec bonum hic perfici, ubi malum sic concupiscitur; nec malum hic perfici, quando tali concupiscentiæ non obeditur. Illud quippe ostendit ubi ait, *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non* (*Rom.* VII, 18, 25) : hoc vero, ubi ait, *Spiritu ambulate, et concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Neque ibi enim dicit non sibi adjacere facere bonum; sed, perficere : neque hic dicit, *Concupiscentias carnis* ne habueritis; sed, *ne perfeceritis.* Fiunt itaque in nobis concupiscentiæ malæ, quando id quod non licet libet : sed non perficiuntur, cum legi Dei mente serviente libidines continentur. Et bonum fit, cum id quod male libet, vincente bona delectatione non fit : sed boni perfectio non impletur, quamdiu legi peccati carne serviente [1] libido illicit, et quamvis contineatur, tamen movetur. Non enim opus esset ut contineretur, nisi moveretur. Erit quandoque etiam perfectio boni, quando consumptio mali : illud summum, hoc erit nullum. Quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur. Tunc enim erit, quando mors non erit; et ibi erit, ubi vita æterna erit. In illo enim sæculo et in illo regno erit bonum summum, malum nullum; quando erit et ubi erit sapientiæ amor summus, continentiæ labor nullus. Non igitur mala est caro, si malo careat, id est, vitio quo vitiatus est homo, non factus male, sed ipse faciens. Ex utraque enim parte, id est, et anima et corpore a bono Deo factus bonus, ipse fecit malum quo factus est malus. A cujus mali reatu jam etiam solutus per indulgentiam, ne leve existimet esse quod fecit, adhuc cum suo vitio pugnat per continentiam. Absit autem ut insint ulla vitia in illa quæ futura est pace regnantibus; quandoquidem in isto bello quotidie minuuntur in proficientibus, non peccata solum, sed ipsæ quoque concupiscentiæ, cum quibus non consentiendo confligitur, et quibus consentiendo peccatur.

21. Quod ergo caro concupiscit adversus spiritum, quod non habitat in carne nostra bonum, quod lex in membris nostris repugnat legi mentis, non est duarum naturarum ex contrariis principiis facta com-

[1] Editi, *aliena separatione.* Verius Mss., *alienæ separatione* : supple, *naturæ.*

[1] Editio Lov., *in carnis serviente.* Emendatur ex editis aliis et ex Mss. quorum plurimi postea ferunt, *libido illicita, quamvis contineatur*, etc.

mixtio, sed unius adversus se ipsam propter peccati meritum facta divisio. Non sic fuimus in Adam, antequam natura sua deceptore audito ac secuto, suum contempsisset atque offendisset auctorem : non est ista prior vita creati hominis, sed posterior pœna damnati. Ex qua damnatione per Jesum Christum gratia liberati, cum pœna sua dimicant liberi, nondum salute plena, sed jam pignore salutis accepto : non liberati autem, et peccatis[1] rei sunt, et suppliciis implicati. Post hanc vero vitam reis manebit in æternum pœna pro culpa ; liberis non remanebit in æternum nec culpa, nec pœna : sed permanebunt in æternum substantiæ bonæ spiritus et caro ; quas Deus bonus et immutabilis bonas, quamvis mutabiles, condidit. Permanebunt autem in melius commutatæ, nunquam jam in deterius mutandæ ; consumpto penitus omni malo et quod homo fecit injuste, et quod passus est juste. Quibus duobus malis generibus omnino pereuntibus, quorum est unum præcedentis iniquitatis, alterum consequentis infelicitatis, erit hominis sine ulla pravitate voluntas recta. Ibi omnibus erit clarum atque perspicuum, quod nunc a fidelibus multis creditur, a paucis intelligitur, malum non esse substantiam ; sed sicut vulnus in corpore, ita in substantia[2] quæ se ipsam vitiavit, esse cœpisse peste inchoata, atque ibi esse desinere sanitate perfecta. Omni ergo malo exorto a nobis, et perdito in nobis, bono etiam nostro usque ad culmen felicissimæ incorruptionis et immortalitatis aucto atque perfecto, qualis erit utraque nostra substantia ? Quandoquidem nunc in ista corruptione et mortalitate, cum adhuc *corpus corruptibile aggravat animam* (*Sap.* IX, 15), et quod Apostolus dicit, *corpus mortuum est propter peccatum* (*Rom.* VIII, 10), tale tamen testimonium perhibet idem ipse carni nostræ, id est parti nostræ infimæ atque terrenæ, ut dicat quod paulo ante commemoravi, *Nemo unquam carnem suam odio habuit* ; statimque subjungat, *sed nutrit eam et fovet, sicut et Christus Ecclesiam ?*

CAPUT IX. — 22. *Carnem natura non esse malam, cum ejus exemplo diligendas uxores hortetur Apostolus. Tres copulæ insinuatæ ab Apostolo, omnes bonæ, quarum tertia est carnis et spiritus. Mulieri subjectionis exemplum a carne cur non datum.* Quo igitur, non dico, errore, sed prorsus furore, Manichæi carnem nostram nescio cui fabulosæ genti tribuunt tenebrarum, quam volunt suam sine ullo initio malam semper habuisse naturam : cum verax doctor viros diligere uxores suas exemplo suæ carnis hortetur, quos ad hoc ipsum Christi quoque et Ecclesiæ hortatur exemplo ? Totus denique ipse apostolicæ Epistolæ locus, unde ad rem pertinens, recordandus est : *Viri*, inquit, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo ; ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi ; sed ut sit sancta et immaculata. Ita*, inquit, *et viri debent diligere uxores suas, sicut corpora sua. Qui diligit uxorem suam, se ipsum diligit* (*Ephes.* v, 25 29). Deinde subjunxit, quod jam commemoravimus : *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Quid ad hæc dicit immundissimæ impietatis insania ? Quid ad hæc dicitis, Manichæi? qui nobis velut ex apostolicis Litteris duas sine initio naturas, unam boni, alteram mali, conamini inducere ; et apostolicas Litteras, quæ vos ab ista sacrilega perversitate corrigant, non vultis audire. Sicut legitis, *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* v, 17) ; et, *Non habitat in carne mea bonum* : ita legite, *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Sicut legitis, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 18, 23) : ita legite, *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, ita et viri debent diligere uxores suas, sicut sua corpora.* Nolite in illis sanctæ Scripturæ testimoniis esse insidiosi, in his surdi ; et eritis in utrisque correcti. Hæc enim si accipiatis ut dignum est, conabimini et illa intelligere ut verum est.

23. Tres quasdam copulas nobis insinuavit Apostolus, Christum et Ecclesiam, virum et uxorem, spiritum et carnem. Horum priora posterioribus consulunt, posteriora prioribus famulantur. Omnia bona sunt, cum in eis quædam ordinis pulchritudinem excellenter præposita, quædam decenter subjecta custodiunt. Vir et uxor, quales secum esse debeant, præceptum accipiunt et exemplum. Præceptum est : *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino ; quia vir caput mulieris est* ; et, *Viri, diligite uxores vestras.* Exemplum autem datur mulieribus de Ecclesia, viris de Christo : *Sicut Ecclesia*, inquit, *subdita est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* Similiter et viris dato præcepto, ut uxores suas diligant, adjecit exemplum, *Sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Sed viros et a re inferiore adhortatus est, id est, a corpore suo ; non tantum a superiore, id est, a Domino suo. Non enim solum ait, *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, quod est a superiore ; verum etiam dixit, *Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua* (*Ephes.* v, 22 28), quod est ab inferiore : quia et superiora et inferiora bona sunt omnia. Nec tamen mulier a corpore vel carne accepit exemplum, ut ita esset subdita viro, sicut spiritui caro : sed aut consequenter Apostolus intelligi voluit, quod dicere prætermisit ; aut forte quia caro concupiscit adversus spiritum in hujus vitæ mortalitate atque languore, ideo de illa noluit mulieri exemplum subjectionis adhibere. Viris autem ideo voluit, quia etsi concupiscit spiritus adversus carnem, etiam in hoc ipso consulit carni : non sicut caro concupiscens adversus spiritum, nec spiritui consulit tali repugnatione[1], nec sibi. Non tamen et spiritus bonus, sive ejus naturam per providentiam nutriendo ac fovendo, sive ejus vitiis per continentiam resi-

[1] [illegible] Mss. [illegible] et alii quidam, non [illegible]
[2] [illegible] Mss. [illegible] ... ntiam

[1] Sic Mss. Editi vero, *talis repugnatio*.

stendo, consuleret, nisi utraque substantia utriusque artificem Deum, etiam decore sui hujus ordinis indicaret. Quid est ergo quod vos vera dementia et christianos esse jactatis, et contra Scripturas christianas oculis clausis, vel potius exstinctis, tanta perversitate contenditis, et[1] Christum asserentes in falsa carne apparuisse mortalibus, et Ecclesiam in anima ad Christum, in corpore ad diabolum pertinere, et sexum virilem atque muliebrem diaboli opera esse, non Dei, et spiritui carnem tanquam malam substantiam bonæ substantiæ cohærere?

CAPUT X. — 24. *Manichæorum hæresis negat fuisse in Christo carnem veram. Dicit animas ad Christum, corpora ad diabolum pertinere, et sexum utrumque esse ex diabolo.* Si parum vobis videntur respondere[2] quæ de apostolicis commemoravimus Litteris, audite adhuc alia, si aures habetis. Quid de carne Christi dicit insanissimus Manichæus? Quod non fuerit vera, sed falsa. Quid ad hoc dicit beatus Apostolus? *Memor esto Christum Jesum surrexisse a mortuis ex semine David, secundum evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). Et ipse Christus Jesus, *Palpate*, inquit, *et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Quomodo est in eorum doctrina veritas, quæ prædicat quod in carne Christi erat falsitas? Quomodo in Christo non erat ullum malum, in quo erat tam grande mendacium. Quia videlicet hominibus nimium mundis malum est caro vera, et non est malum falsa pro vera : malum est caro vera nascentis ex David semine, et non est malum lingua falsa dicentis, *Palpate*, *et videte quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere!* De Ecclesia quid dicit deceptor hominum in mortifero errore? Quod ex parte animarum pertineat ad Christum, ex parte corporum ad diabolum. Quid ad hæc dicit Doctor Gentium in fide et veritate? *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi* (I *Cor.* VI, 15)? De sexu masculi et feminæ quid dicit filius perditionis? Quod uterque sexus non ex Deo sit, sed ex diabolo. Quid ad hæc dicit Vas electionis? *Sicut*, inquit, *mulier ex viro*, *ita et vir per mulierem; omnia autem ex Deo* (*Id.* XI, 12). De carne quid dicit per Manichæum spiritus immundus? Quod sit mala substantia, nec Dei, sed inimici creatura. Quid ad hæc dicit per Paulum Spiritus sanctus? *Sicut enim corpus unum est*, inquit, *et membra habet multa*, *omnia autem membra corporis cum sint multa*, *unum est corpus; ita et Christus*. Et paulo post : *Posuit*, inquit, *Deus membra*, *singulum quodque*[3] *eorum in corpore*, *prout voluit*. Item paulo post : *Deus*, inquit, *temperavit corpus*, *ei cui deerat majorem honorem dans*, *ut non essent scissuræ in corpore, sed idem ipsum ut pro invicem sollicita sint membra : et sive patitur unum membrum*, *compatiuntur omnia membra; sive glorificatur unum membrum*, *congaudent omnia membra* (*Id.* XII, 12-26). Quomodo est mala caro, quando ipsæ animæ pacem membrorum ejus ut imitentur, monentur? Quomodo est inimici creatura, [illegible] corpora regit, ut inter se [illegible] non habeant, exemplum de membris corporis sumens, ut quod præstitit Deus corpori per naturam, habeant et ipsi hoc habere per gratiam? Merito ad Romanos cum scriberet, *Obsecro*, *inquit*, *vos*, *fratres*, *per misericordiam Dei*, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam*, *sanctam*, *Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). [illegible] non[1] tenebras lucem, et lucem [illegible], si hostiam vivam, [illegible] Deo placentem de gente tenebrarum corporibus exhibemus.

CAPUT XI. — 25. *Caro et Ecclesiæ concupiscentia in quibus consistat.* Sed, inquiunt, quomodo caro per quamdam similitudinem comparatur Ecclesiæ? Numquid Ecclesia concupiscit adversus Christum; cum idem apostolus dixerit, *Ecclesia subdita est Christo* (*Ephes.* V, 24)? Plane Ecclesia subdita est Christo : quia ideo spiritus concupiscit adversus carnem, ut omni ex parte Christo subdatur Ecclesia; caro autem concupiscit adversus spiritum, quia nondum pacem, quæ perfecta promissa est, accepit Ecclesia. Ac per hoc Ecclesia subdita est Christo ex pignore salutis, et caro concupiscit adversus spiritum ex infirmitate languoris. Neque enim non Ecclesiæ membra erant illi, quibus ista dicebat : *Spiritu ambulate*, *et concupiscentias carnis ne perfeceritis. Caro enim concupiscit adversus spiritum*, *et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur; ut non ea quæ vultis*, *faciatis* (*Galat.* V, 16, 17). Hæc utique Ecclesiæ dicebantur, quæ si Christo subdita non esset, non in ea spiritus adversus carnem per continentiam concupisceret. Propterea quod poterant quidem concupiscentias carnis non perficere, sed carne concupiscente adversus spiritum non poterant ea facere quæ volebant, id est, etiam ipsas carnis concupiscentias non habere. Deinde, cur non confiteamur in hominibus spiritualibus Ecclesiam subditam Christo, in carnalibus autem adhuc concupiscere adversus Christum? An adversus Christum non concupiscebant, quibus dicebatur, *Divisus est Christus* (I *Cor.* I, 13)? et, *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus*, *sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi*, *non escam; nondum enim poteratis : sed ne nunc quidem potestis; adhuc enim estis carnales. Cum enim sint in vobis æmulatio et contentio*, *nonne carnales estis* (*Id.* III, 1-3)? Adversus quem concupiscit æmulatio et contentio, nisi adversus Christum? Has enim carnis concupiscentias Christus in suis sanat, sed in nullis amat. Unde sancta Ecclesia quamdiu habet etiam membra talia, nondum est sine macula et ruga. Huc accedunt et illa peccata, pro quibus quotidiana vox totius Ecclesiæ est, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12) : a quibus ne spirituales putaremus alienos, non quoscumque carnales, nec ipsorum quoscumque spiritualium, sed qui super pectus Domini discumbebat, et quem præ cæteris diligebat (*Joan.* XIII, 23),

[1] Er. et Ven. omittunt voculam, *et*. M.
[2] Aliquot Mss. : *si parvum vobis videtur respondere.*
[3] Sic Mss. At editi, *singula quæque*.

[1] Sic Mss. At editi pro, *non*, habent, *enim*. Minus bene.

Si dixerimus, inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). In omni autem peccato, plus in majore, minus in minore, tamen contra justitiam concupiscitur. Et de Christo scriptum est : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* (I *Cor.* I, 30). In omni igitur peccato contra Christum sine dubio concupiscitur : sed qui sanat omnes languores nostros (*Psal.* CII, 3), cum perduxerit Ecclesiam ad promissam languoris sanitatem, tunc in nullo membrorum ejus quamlibet minima erit ulla macula aut ruga. Tunc nullo modo caro adversus spiritum concupiscet ; et ideo nulla erit causa cur adversus carnem etiam spiritus concupiscat. Tunc finem accipiet omnis hæc pugna, tunc amborum substantiarum erit summa concordia : tunc usque adeo ibi nullus erit carnalis, ut etiam caro ipsa sit spiritualis. Quod ergo nunc agit cum carne sua quisque secundum Christum vivens, cum et concupiscit adversus ejus malam concupiscentiam, quam [1] sanandam continet, quam nondum sanatam tenet ; et tamen ejus bonam nutrit naturam fovetque, quoniam *nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V, 29) : hoc etiam agit cum Ecclesia Christus, quantum fas est comparare minora majoribus. Nam et correptionibus eam reprimit, ne impunitate inflata dissiliat [2] ; et consolationibus erigit, ne gravata infirmitate succumbat. Hinc est illud Apostoli : *Si enim nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur : cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* (I *Cor.* XI, 31 *et* 32). Et illud in Psalmo : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ jucundaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII, 19). Tunc ergo speranda est carnis nostræ sine ulla repugnatione perfecta sanitas, quando erit Ecclesiæ Christi sine ullo timore certa securitas.

CAPUT XII. — 26. *Continentia Manichæorum et aliorum quorumdam, præsertim hæreticorum, falsa. Continentia item quorumdam immunda, ut per magicas artes perveniant ad uxores alienas.* Hæc adversus Manichæos fallaciter continentes, pro veraci continentia disputasse sufficerit, ne continentiæ fructuosus et gloriosus labor, partem infimam nostram, id est, corpus, quando ab immoderatis et illicitis voluptatibus cohibet et refrenat, non salubriter castigare, sed insectari credatur hostiliter. Corpus quippe ab animi est quidem natura diversum, sed non est a natura hominis alienum. Non enim animus constat ex corpore ; sed tamen homo ex animo constat et corpore : et utique Deus quem liberat, totum hominem liberat. Unde totum hominem etiam Salvator ipse suscepit, dignatus in nobis totum liberare quod fecit. Qui contra istam sentiunt veritatem, quid eis prodest libidines continere ? si tamen aliquas continent. Quid in eis per continentiam potest fieri mundum, quorum continentia talis immunda est ? quæ nec continentia nominanda est. Sentire quippe quod sentiunt, virus est diaboli ; continentia vero munus est Dei. Sicut autem non omnis qui aliquid patitur, aut quoslibet dolores tolerantissime patitur, habet eam virtutem, quæ similiter Dei munus est, et patientia nuncupatur : multi enim tolerant multa tormenta, ne in suis criminibus prodant aut male sibi conscios, aut se ipsos ; multi pro explendis ardentissimis libidinibus, et obtinendis, vel non relinquendis eis rebus quibus vinculo pravi amoris obstricti sunt ; multi pro diversis et perniciosis, quibus vehementer tenentur, erroribus ; quos omnes absit ut veram dicamus habere patientiam : ita non omnis qui aliquid continet, vel ipsas etiam carnis aut animi libidines mirabiliter continet, istam continentiam, de cujus utilitate et decore disserimus, habere dicendus est. Quidam enim, quod mirum dictu videri potest, per incontinentiam se continent ; velut si se mulier contineat a marito, quia hoc juravit adultero. Quidam per injustitiam, velut si miscendi sexus non reddat conjux conjugi debitum, quia ipse vel ipsa jam potest vincere talem corporis appetitum. Item quidam continent decepti fide falsa, et vana sperantes, et vana sectantes : in quibus sunt omnes hæretici, et quicumque sub nomine religionis aliquo errore falluntur ; quorum continentia vera esset, si esset et fides vera : cum vero illa propterea nec fides sit appellanda, quia falsa est, sine dubio et ista continentiæ nomine indigna est. Numquid enim continentiam [1], quam munus Dei verissime dicimus, dicturi sumus esse peccatum ? Absit a nostris cordibus tam detestanda dementia. Beatus autem Apostolus ait, *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23). Quæ igitur non habet fidem, nec continentia nominanda est.

27. Sunt etiam qui aperte malignis serviendo dæmonibus, a corporis voluptatibus continent, ut per eos expleant nefarias voluptates, quarum impetum ardoremque non continent. Unde ut aliquid dicam, et cætera propter sermonis longitudinem taceam ; quidam non attingunt etiam uxores suas, dum quasi mundi per magicas artes pervenire ad uxores volunt alienas. O mirabilem continentiam, imo vero nequitiam atque immunditiam singularem ! Si enim vera esset continentia, magis ab adulterio, quam propter adulterium perpetrandum, carnis concupiscentia deberet a conjugio continere. Hanc quippe concupiscentiam carnis relaxare solet continentia conjugalis, ejusque frenis hactenus moderamen imponere, ut nec in ipso conjugio immoderata licentia diffluatur [2], sed custodiatur modus, aut infirmitati conjugis debitus, cui hoc non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus (I *Cor.* VII, 6) ; aut filiis procreandis accommodatus, quæ una fuit causa miscendæ invicem carnis et patribus quondam et matribus sanctis. Id autem faciens continentia, id est, moderans et quodam modo limitans in conjugibus carnis concupiscentiam, et ejus inquietum atque inordinatum motum certis quodam modo finibus ordinans, bene utitur hominis malo, quem fa-

[1] Duo Mss., *continet*. Er., *quando*.
[2] Aliquot Mss., *dissiliret*.

[1] Editi, *continentiam fidei*. Abest, *fidei*, a Mss.
[2] Duo Mss., *et fluat*.

cit et vult perficere bonum : sicut Deus utitur etiam hominibus malis, propter eos quos perficit bonos.

CAPUT XIII. — 28. *Continentia non tantum libidines corporis, sed et animi cupiditates coercet et regit. Motus animæ pravi continentia cohibendi, negato consensu et rejecta vel cogitationis delectatione.* Absit ergo ut continentiam, de qua Scriptura dicit, *Et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum* (*Sap.* VIII, 21), etiam eos habere dicamus, qui continendo, vel erroribus serviunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur. Ea vero quæ vera est desuper veniens continentia, non aliis malis mala premere alia, sed bonis mala sanare vult omnia. Cujus ut breviter complectar actionem; omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ adversantur delectationi sapientiæ, coercendis atque sanandis invigilat officium continentiæ. Unde angustius eam sine dubitatione metiuntur, qui solas libidines corporis cohibere definiunt : melius profecto illi, qui non addunt corporis, sed generaliter libidinem sive cupiditatem regendam dicunt ad continentiam pertinere. Quæ cupiditas in vitio ponitur, nec tantum est corporis, verum et animi. Etenim si cupiditas corporis est in fornicationibus et ebrietatibus, numquid inimicitiæ, contentiones, æmulationes, postremo animositates, in corporis voluptatibus, ac non potius in animi motibus et perturbationibus exercentur? Carnis tamen opera hæc omnia nuncupavit Apostolus, sive quæ ad animum, sive quæ ad carnem proprie pertinerent, ipsum scilicet hominem nomine carnis appellans (*Galat.* v, 19-21). Opera quippe hominis sunt quæ non dicuntur Dei; quoniam homo qui hæc agit, secundum se ipsum vivit, non secundum Deum, in quantum hæc agit. Sunt autem alia opera hominis, quæ magis dicenda sunt opera Dei. *Deus est enim*, inquit Apostolus, *qui operatur in vobis et velle et operari*, *pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13). Inde est et illud : *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14).

29. Spiritus itaque hominis adhærens Spiritui Dei, concupiscit adversus carnem, id est, adversus se ipsum; sed pro se ipso, ut motus illi sive in carne, sive in anima, secundum hominem, non secundum Deum, qui sunt adhuc per acquisitum languorem, continentia cohibeantur, propter acquirendam salutem : ut homo non secundum hominem vivens, jam possit dicere, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Ubi enim non ego, ibi felicius ego; ut quando secundum hominem reprobus ullus motus exsurgit, cui non consentit qui mente legi Dei servit, dicat etiam illud, *Jam non ego operor illud* (*Rom.* VII, 17). Talibus quippe et illa dicuntur, quæ sicut eorum socii participesque debemus audire : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo : cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria.* Quibus loquatur intelligimus, imo vero attentius audiamus. Nam quid hoc planius? quid apertius? Eis certe loquitur, qui consurrexerant cum Christo, nondum utique carne, sed mente, quos mortuos dicit, et magis hinc vivos : nam *vita vestra*, inquit, *abscondita est cum Christo in Deo*. Talium mortuorum vox est : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quorum ergo vita erat abscondita in Deo, admonentur et exhortantur ut membra sua mortificent quæ sunt super terram. Id enim sequitur : *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram.* Et ne quisquam nimis tardus membra ista visibilia corporis mortificanda putaret a talibus, continuo quid dicat aperiens : *Fornicationem*, inquit, *immunditiam*, *perturbationem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus.* Itane vero credendum est quod isti qui jam mortui erant, eorumque vita abscondita erat cum Christo in Deo, adhuc fornicabantur, adhuc in moribus immundis operibusque vivebant, adhuc perturbationibus concupiscentiæ malæ atque avaritiæ serviebant? Quis demens ista de talibus senserit? Quid ergo vult ut mortificent, opere scilicet continentiæ, nisi motus ipsos adhuc in sua quadam interpellatione, sine nostræ mentis consensione, sine membrorum corporalium operatione viventes? Et quomodo isti mortificantur opere continentiæ, nisi cum eis mente non consentitur, nec exhibentur eis arma corporis membra; et quod est majus, atque vigilantia continentiæ majore curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, quamvis eorum quodam modo suggestione et quasi susurratione tangatur, tamen ab eis ne oblectetur avertitur, et ad superna delectabilius cogitanda convertitur; ob hoc ea nominans in sermonibus, ne habitetur in eis, sed fugiatur ab eis? Quod fit, si efficaciter audiamus, ipso adjuvante qui hoc per Apostolum suum præcipit : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

CAPUT XIV. — 30. *Fidem sine operibus non salvare. Vitia carnis constanter debellanda. In continentiæ prælio vires et victoria referenda in Deum.* Cum autem mala illa commemorasset, adjunxit atque ait : *Propter quæ venit ira Dei in filios infidelitatis.* Utique salubriter terruit, ne putarent fideles propter solam fidem suam, etiamsi in his malis viverent, se posse salvari; apostolo Jacobo contra istum sensum voce manifestissima reclamante ac dicente, *Si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum* (*Jacobi* II, 14)? Unde et hic Doctor Gentium propter illa mala venire iram Dei dixit in filios infidelitatis. Cum autem dicit, *In quibus et vos aliquando ambulastis, cum viveretis in illis;* satis ostendit quod in illis jam non viverent. His quippe mortui erant, ut eorum vita in Deo cum Christo esset abscondita. Cum ergo jam in illis non viverent, mortificare jam talia jubebantur. Ipsis quippe in eisdem non viventibus illa vivebant; sicut paulo ante jam ostendi : et membra dicebantur ipsorum, ea videlicet vitia quæ in membris habitabant ipsorum,

modo locutionis [1] per id quod continet id quod continetur: sicut dicitur, Totum forum inde loquitur, cum homines loquantur qui sunt in foro. Ipso locutionis modo in Psalmo canitur, *Omnis terra adoret te* (*Psal.* LXV, 4); id est, omnes homines qui sunt in terra.

31. *Nunc autem deponite*, inquit, *et vos universa* (*Coloss.* III, 8), et commemorat plura hujusmodi mala. Sed quid est, quod ei non suffecit dicere, *Deponite vos universa*; sed addita conjunctione dixit, *et vos*? Nisi ne propterea se putarent hæc mala facere, atque impune in eis vivere, quia fides eorum liberaret eos ab ira, quæ venit in filios infidelitatis ista facientes, et in his sine fide viventes. Deponite, inquit, et vos illa mala propter quæ venit ira Dei in filios infidelitatis; nec vobis eorum impunitatem propter fidei meritum promittatis. Non autem diceret, *Deponite*, eis qui jam deposuerant ex ea parte qua talibus vitiis non consentiebant, nec sua membra eis arma peccati dabant, nisi quia in hoc facto est, et in hac adhuc operatione versatur, quamdiu mortales sumus, vita sanctorum. Dum enim spiritus concupiscit adversus carnem, hæc magna intentione res agitur [2], delectationibus pravis, libidinibus immundis, motibus carnalibus atque turpibus, suavitate sanctitatis, amore castitatis, spirituali vigore, et continentiæ decore resistitur: sic deponuntur ab eis qui mortui sunt eis, nec consentiendo vivunt in eis. Sic, inquam, deponuntur, dum continuata continentia, ne resurgant, premuntur. Quisquis quasi securus ab hac eorum depositione cessaverit, illico in arcem mentis prosilient, eamque inde ipsa deponent [1], atque in suam redigent servitutem, turpiter deformiterque captivam. Tunc regnabit peccatum in hominis mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; tunc sua membra exhibebit arma iniquitatis peccato (*Rom.* VI, 12), et erunt novissima illius pejora prioribus (*Matth.* XII, 45). Multo est enim tolerabilius certamen hujusmodi non cœpisse, quam cœptum reliquisse conflictum, et factum ex bono præliatore vel etiam ex victore captivum. Unde Dominus non ait, Qui cœperit; sed, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Id.* X, 22).

32. Sive autem ne vincamur acriter confligentes, sive aliquoties vel etiam insperata vel inopinata facilitate vincentes, ei qui nobis dat continentiam demus gloriam. Meminerimus quemdam justum dixisse in abundantia sua, *Non movebor in æternum*; demonstratumque illi esse quam temere hoc dixerit, tanquam suis viribus tribuens, quod ei desuper præstabatur. Hoc autem ipso confitente didicimus: mox enim adjunxit, *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 7, 8). Per medicinalem providentiam paululum desertus est a rectore, ne per exitialem superbiam desereret ipse rectorem. Sive ergo hic, ubi cum vitiis nostris domandis minuendisque confligimus; sive ibi, quod in fine futurum est, ubi omni hoste, quia omni peste [2] carebimus: id nobiscum salubriter agitur, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31).

[1] Sic plerique Mss. Quidam vero addunt, *quo exprimitur*. Editi autem, *quo significatur*.
[2] Cisterciensis Ms., *ac magna intentione delectationibus pravis*; omisso, *hæc res agitur*.

[1] Sic Mss. At editi, *ipsum deponent*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *ubi omni hoste et omni*.

ADMONITIO

IN LIBRUM DE BONO CONJUGALI (*a*).

Liber iste cum altero proxime sequenti pariter est contra reliquias quasdam hæresis Joviniani. Hanc hæresim suo tempore natam commemorat Augustinus in libro 2 de Nuptiis et Concupiscentia, cap. 23: « Jovinianus, ait, qui paucos ante annos novam conatus est hæresim condere, Manichæis patrocinari « dicebat Catholicos, quod adversus eum sanctam virginitatem nuptiis præferebant. » Et in libro de Hæresibus, cap. 82: « A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus. » Additque fuisse illam cito oppressam et exstinctam, puta circiter annum Christi 390; Romæ primum damnatam, tum deinde Mediolani: qua de re extant Siricii papæ ad Mediolanensem Ecclesiam litteræ, et quæ ad ipsum a synodo Mediolanensi Ambrosio præside redditæ sunt, a Baronio ad prædictum annum 390 relatæ. Confutaverat Jovinianum Hieronymus, sed excellentiæ virginalis defensionem nonnisi damnatione nuptiarum tentasse ferebatur, adeoque Manichæis hæreticis incaute favisse. Ne similem calumniam sive querelam pateretur Augustinus, antequam de virginitatis præstantia diceret, scribendum de conjugii bono judicavit: quod opus circiter annum 401 perfecisse, non modo ex Retractationum serie intelligitur, sed etiam ex libris de Genesi ad litteram, eo fere anno 401 inchoatis. Nempe in libro nono de Genesi, cap. 7, ubi conjugii bonum commendat: « Hoc autem, ait, tripartitum est; fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne « præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne « nutriatur, religiose educetur: in sacramento autem, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa « nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecun- « ditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Unde quia satis disseruimus in eo libro quem de Bono Conjugali « nuper edidimus, ubi et continentiam vidualem, et excellentiam virginalem pro sui gradus dignitate

(*a*) *In librum* de Bono conjugali, *vide præterea lib.* 2, *cap.* 22, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 639, *a verbis* Joviniani hæresis, *usque ad verba col.* 640, Humani generis pars est. M.

« distinximus, diutius hic noster stilus non est occupandus. » Hoc ipsum opus notatur in lib. 1 de Peccatorum meritis et remissione, cap. 29.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE BONO CONJUGALI

LIBER UNUS [(a)].

In quo docet Augustinus nuptias multis nominibus esse honorabiles, et non tantum in fornicationis remedium, sed et proprio genere bonas ac de se ab omni peccato immunes. Continentiam vero longe esse præstantiorem [illegible] que nuptias, quas olim necessarias ad propagandum Dei populum, per quem Christus pro [illegible] habere sancti debuerunt, nunc temporis postquam dictum est, *Qui potest capere, capiat*, non [illegible] se continere non valent. Cæterum continentes nostros antiquis illis conjugatis, Abrahamo nominatim [illegible] tione conferri, nedum iis præferri posse; quippe qui et continentiæ virtutem in animi habitu tenuerint [illegible], et obedientiæ laude, qua tanquam matrice virtutes omnes continentur, quam maxime excelluerint.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Prima societas viri et uxoris.* Quoniam unusquisque homo humani generis pars est, et sociale quiddam est humana natura, magnumque habet et naturale bonum, vim quoque amicitiæ; ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanæ societatis copula vir et uxor est. Quos nec ipsos singulos condidit Deus, et tanquam alienigenas junxit: sed alteram creavit ex altero; signans etiam vim conjunctionis in latere, unde illa detracta, formata est (*Gen.* II, 21, 22). Lateribus enim sibi junguntur, qui pariter ambulant, et pariter quo ambulant intuentur. Consequens est connexio societatis in filiis, qui unus honestus fructus est, non conjunctionis maris et feminæ, sed concubitus. Poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis amicalis quædam et germana conjunctio.

CAPUT II. — 2. *De propagatione filiorum, si homo non peccasset, diversæ sententiæ.* Nec nunc opus est ut scrutemur, et in ea quæstione definitam sententiam proferamus, unde primorum hominum proles posset existere, quos benedixerat Deus, dicens, *Crescite, et multiplicamini, et implete terram*, si non peccassent; cum mortis conditionem corpora eorum peccando meruerint, nec esse concubitus nisi mortalium corporum possit. Plures enim de hac re sententiæ diversæque exstiterunt; et si examinandum sit, veritati [1] divinarum Scripturarum quænam earum potissimum congruat, prolixæ disputationis negotium est. Sive ergo sine coeundi complexu alio aliquo modo, si non peccassent, habituri essent filios ex munere omnipotentissimi Creatoris, qui potuit etiam ipsos sine parentibus condere, qui potuit carnem Christi in utero virginali formare, et ut etiam ipsis infidelibus loquar, qui potuit apibus prolem sine concubitu dare: sive ibi multa mysticè ac figurate dicta sint, aliterque sit intelligendum quod scriptum est, *Implete terram, et dominamini ejus* (*Gen.* I, 28), id est, ut plenitudine et perfectione vitæ ac potestatis id fieret, ut ipsum quoque incrementum et multiplicatio qua dictum est, *Crescite, et multiplicamini*, provectu mentis et copia virtutis intelligatur, sicut in Psalmo positum est, *Multiplicabis me in anima mea virtute* [1] (*Psal.* CXXXVII, 3); nec data sit homini prolis successio, nisi posteaquam causa peccati, futura erat in morte decessio: sive corpus non spirituale illis hominibus, sed primo animale factum erat, ut obedientiæ merito postea fieret spirituale, ad immortalitatem capessendam, non post mortem, quæ invidia diaboli intravit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24) et facta est pœna peccati; sed per illam commutationem quam significat Apostolus, ubi ait, *Deinde nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in aera* (I *Thess.* IV, 16): ut illa corpora primi conjugii et mortalia fuisse intelligamus prima conformatione, et tamen non moritura nisi peccassent, sicut minatus erat Deus: tanquam si vulnus minaretur, quia vulnerabile corpus erat; quod tamen non accidisset, nisi fieret quod ille vetuisset. Ita ergo possent etiam per concubitum talium corporum generationes subsistere, quæ usque ad certum modum,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Bono Conjugali ad Romanos quinque Vaticanæ bibliothecæ codices recognitus est, et ad Gallicanos undecim: scilicet ad vetustissimum Corbeiensem ante mille annos scriptum, ad Germanensem, Cisterciensem, Michaelinum, Sorbonicum, ad Thuanos seu Colbertinos duos, ad codicem Bibliothecæ Regiæ, Augustiniensium majoris conventus Parisiensis, Remensis Ecclesiæ, v. c. Emerici Bigot Rotomagensis; ad lectiones variantes trium Mss. Belgicorum apud Lov. et ad editiones Erasmi et Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Sic Mss. Editi autem, *veritate*.

(a) Scriptus circiter annum Christi 401.

[1] Editi omittunt, *me*: et loco, *virtute*, habent, *virtutem*. At Augustinus legere solet: *Multiplicabis me in anima mea virtute*, juxta LXX: et ita hic Mss., nisi quod antiquissimus Corbeiensis pro, *virtute*, habet, *in virtutem*.

haberent incrementum, nec vergerent tamen in senium; aut usque in senium [1], nec tamen in mortem, donec illa benedictionis multiplicatione terra impleretur. Si enim vestibus Israelitarum præstitit Deus per annos quadraginta sine ullo detrimento proprium statum (*Deut.* XXIX, 5); quanto magis præstaret corporibus obedientium præcepto suo felicissimum quoddam temperamentum certi status, donec in melius converterentur, non morte hominis qua corpus ab anima deseritur, sed beata commutatione a mortalitate ad immortalitatem, ab animali ad spiritualem qualitatem!

CAPUT III. — *Bonum conjugii multiplex. Primum et secundum conjugii bonum. Tertium conjugii bonum.* Harum sententiarum quæ vera sit, vel si alia vel aliæ possunt adhuc ex illis verbis exsculpi, quærere ac disserere longum est.

3. Illud nunc dicimus, secundum istam conditionem nascendi et moriendi, quam novimus, et in qua creati sumus, aliquid boni esse conjugium masculi et feminæ: cujus confœderationem ita divina Scriptura commendat, ut nec dimissæ a viro nubere liceat alteri, quamdiu vir ejus vivit; nec dimisso ab uxore liceat alteram ducere, nisi mortua fuerit quæ recessit. Bonum ergo conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solum quia prohibuit dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis (*Matth.* XIX, 9), sed etiam quia venit invitatus ad nuptias (*Joan.* II, 2), cur sit bonum merito quæritur. Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non jam diceretur conjugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bono licet annoso conjugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculum et feminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum et uxorem: quia quanto meliores sunt, tanto maturius a commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt; non ut necessitatis esset postea non posse quod vellent, sed ut laudis esset primum noluisse quod possent. Si ergo servatur fides honoris et obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus et prope cadaverinis utriusque membris, animorum tamen rite conjugatorum tanto sincerior, quanto probatior, et tanto securior, quanto placidior castitas perseverat. Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. Deinde quia reprimitur, et quodam modo verecundius æstuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam gravitas fervidæ voluptatis [2], cum in eo quod sibi vir et mulier adhærescunt, pater et mater esse meditantur.

CAPUT IV. — 4. *Quartum conjugii bonum. Adulterium quid sit. Fides in rebus etiam abjectis servanda et vitæ huic præponenda.* Huc accedit quia in eo ipso quod sibi invicem conjuges debitum solvunt, etiamsi id aliquanto intemperantius et incontinentius expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantum juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellaret, dicens: *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (I *Cor.* VII, 4). Hujus autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur: atque ita frangitur fides; quæ in rebus etiam corporeis et abjectis magnum animi bonum est; et ideo eam saluti quoque corporali qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi. Etsi enim exigua palea præ multo auro pene res nulla est; fides tamen cum in negotio paleæ, sicut in auro sincera servatur, non ideo minor est quia in re minore servatur. Cum vero ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est: verumtamen qualiscumque sit, si et contra ipsam fit, pejus fit; nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem ac legitimam redeatur, id est, ut peccatum emendetur, voluntatis pravitate correcta. Tanquam si quis cum hominem solus exspoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, et cum eo paciscatur ut simul id faciant spoliumque partiantur, quo facinore commisso totum solus auferat. Dolet quidem ille, et fidem sibi servatam non esse conqueritur; verum in ipsa sua querela cogitare debet, potius in bona vita ipsi humanæ societati fuisse servandam, ne præda inique ex homine fieret, si sentit quam inique sibi in peccati societate servata non fuerit. Ille quippe utrobique [1] perfidus, profecto sceleratior judicandus est. At si id quod male fecerant ei displicuisset, et propterea cum participe facinoris prædam dividere noluisset, ut homini cui ablata fuerat, redderetur, eum perfidum nec perfidus diceret. Ita mulier si fide conjugali violata fidem servet adultero, utique mala est: sed si nec adultero, pejor est. Porro si eam flagitii pœniteat, et ad castitatem rediens conjugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit.

CAPUT V. — 5. *Conjunctio viri et feminæ quandonam sit connubium, quando non.* Solet etiam quæri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed propter incontinentiam solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alterius eorum [2] id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Cæterum si vel utrumque vel unum horum desit, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi

[1] Sola editio Lov. omittit, *aut usque in senium.*
[2] Fossatensis Ms., *voluptati.*

[1] In Corbeiensi codice vetustissimo, *utrumubique.*
[2] Er. et Mss., *si usque ad mortem alicujus eorum.*

vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus suis inveniat, quam comparem ducat; ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium. Unde et ipsa hoc sciens ac volens, impudice utique miscetur ei, cum quo non habet fœdus uxorium. Veruntamen si ei thori fidem servet, et cum ille uxorem duxerit, nubere ipsa non cogitet, atque a tali prorsus opere continere se præparet, adulteram quidem fortassis facile appellare non audeam; non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus uxor non est, misceri sciat? Jamvero si ex illo concubitu, quantum ad ipsam attinet, non nisi filios velit, et quidquid ultra causam procreandi patitur invita patiatur: multis quidem ista matronis anteponenda est; quæ tametsi non sunt adulteræ, viros tamen suos plerumque etiam continere cupientes ad reddendum carnale debitum cogunt, non desiderio prolis, sed ardore concupiscentiæ ipso suo jure intemperanter utentes: in quarum tamen nuptiis bonum est hoc ipsum quod nuptæ sunt. Ad hoc enim nuptæ sunt, ut illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis et dissoluta fluitaret, habens de se ipsa irrefrenabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem; de se ipsa progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi. Etsi enim turpe est libidinose uti velle marito [1]; honestum est tamen nolle misceri nisi marito, et non parere nisi de marito.

CAPUT VI. — *De conjugalis debiti exactione ac redditione.* Sunt item viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidum gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum.

6. Jam in ipsa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur; etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodam modo servitutem; ut etsi alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Et ad hoc enim *uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (I *Cor.* VII, 4-6): ut et quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non sibi alterutrum negent; ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante satana, propter incontinentiam, vel amborum, vel cujusquam eorum. Conjugalis enim concubitus generandi gratia, non habet culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter thori fidem, venialem habet culpam: adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam. Ac per hoc melior est quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi.

CAPUT VII. — *Fœdus nuptiale separatione conjugum non fit irritum. An dimissa adultera liceat alteram ducere. Uxorem superducere vetitum more Romano. Divortio lex fœderis nuptialis non aboletur inter Christianos.* Sed quia illa continentia meriti amplioris est, reddere vero debitum conjugale, nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis, fornicari vero vel mœchari, puniendi criminis; cavere debet charitas conjugalis, ne dum sibi quærit unde amplius honoretur, conjugi faciat unde damnetur. *Qui enim dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* V, 32). Usque adeo fœdus illud initum nuptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem vivente viro, et a quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit; et ille hujus mali causa est qui reliquit.

7. Miror autem si quemadmodum licet dimittere adulteram uxorem, ita liceat ea dimissa alteram ducere. Facit enim de hac re sancta Scriptura difficilem nodum, dicente Apostolo, ex præcepto Domini mulierem a viro non debere discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari (I *Cor.* VII, 10, 11): cum recedere utique et manere innupta, nisi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo qui adulter non est, faciat eum mœchari. Reconciliari autem viro vel tolerando, si se ipsa [1] continere non potest, vel correcto, forsitan juste potest. Quomodo autem viro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cum mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum conjugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Possit [2] enim homo dimittere sterilem uxorem, et ducere de qua filios habeat: et tamen non licet; et nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut amplius habeat quam unam vivam: et utique relicta adultera vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut divina regula præscribere videtur; quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post

[1] Mss., *uti vel marito.*

[1] Sola fere editio Lov., *seipse.*

[2] *Posset*, juxta Lugd. M.

suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (*Psal.* XLVII, 2), talis est causa cum uxore.

CAPUT VIII. — *Repudii usus qualis apud Gentiles, et qualis apud Judæos. Conjugium bonum est prorsus, non autem solum comparatione fornicationis.* Cæterum aliter se habere jura Gentilium, quis ignorat; ubi interposito repudio, sine reatu aliquo ultionis humanæ, et illa cui voluerit nubit, et ille quam voluerit ducit? Cui consuetudini simile aliquid, propter Israelitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello repudii (*Deut.* XXIV, 1; *Matth.* XIX, 8). Qua in re exprobratio quam approbatio divortii magis apparet.

8. *Honorabiles* ergo *nuptiæ in omnibus, et torus immaculatus* (*Hebr.* XIII, 4). Quod non sic dicimus bonum, ut in fornicationis comparatione sit bonum; alioquin duo mala erunt, quorum alterum pejus: aut bonum erit et fornicatio, quia est pejus adulterium; pejus est enim alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere: et bonum adulterium, quia est pejor incestus; pejus est enim cum matre quam cum aliena uxore concumbere: et donec ad ea perveniatur, quæ, sicut Apostolus ait, *turpe est etiam dicere* (*Ephes.* V, 12), omnia bona erunt in comparatione pejorum. Hoc autem falsum esse quis dubitet? Non ergo duo mala sunt connubium et fornicatio, quorum alterum pejus; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius. Sicut ista temporalis sanitas et imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus; sed ista sanitas et immortalitas duo bona sunt, quorum alterum melius. Item scientia et vanitas non duo mala sunt, quorum vanitas pejus; sed scientia et charitas duo bona sunt, quorum charitas melius. Namque *scientia destruetur*, ait Apostolus; et tamen huic tempori necessaria est: *charitas autem nunquam cadet* (I *Cor.* XIII, 8). Sic et mortalis ista generatio, propter quam fiunt nuptiæ, destruetur: ab omni autem concubitu immunitas, et hic angelica meditatio est, et permanet in æternum. Sicut autem jejuniis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum; ita nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur impiarum [1]. Veruntamen neque ibi prandium jejunio, sed justitia sacrilegio; neque hic nuptiæ virginitati, sed fides impietati præfertur. Ad hoc enim justi cum opus est prandent, ut tanquam boni domini quod justum et æquum est servis corporibus præbeant: ad hoc autem sacrilegi jejunant, ut dæmonibus serviant. Sic ad hoc nubunt fideles, ut maritis pudice copulentur: ad hoc autem sunt virgines impiæ, ut a vero Deo fornicentur. Sicut ergo bonum erat quod Martha faciebat, occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria soror ejus sedens ad pedes Domini, et audiens verbum ejus [2] (*Luc.* X, 39-42): ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus (*Dan.* XIII), sed tamen ei bonum viduæ Annæ (*Luc.* II, 36, 37), ac multo magis Mariæ virginis anteponimus (*Luc.* I, 27). Bonum erat quod faciebant, quæ de substantia sua Christo ac discipulis ejus necessaria ministrabant; sed melius qui omnem suam substantiam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur. In his autem binis bonis, sive quæ isti, sive quæ Martha et Maria faciebant, fieri non posset quod melius est, nisi altero prætermisso aut relicto. Unde intelligendum est non ideo malum putandum esse nuptias, quia nisi ab eis abstineatur, non potest haberi vidualis castitas aut virginalis integritas. Neque enim ideo malum erat quod Martha faciebat, quia nisi inde abstineret soror ejus, non faceret quod melius erat: aut ideo malum est suscipere justum aut prophetam in domum suam, quia nec domum habere debet, ut quod melius est faciat, qui vult ad perfectionem Christum sequi.

CAPUT IX. — 9. *Conjugium bonum est non nisi propter aliud expetendum. Conjugio uti debuisse sanctos primis temporibus: nunc præferendam esse continentiam.* Sane videndum est, alia bona nobis Deum dare, quæ propter se ipsa expetenda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia; alia quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, potus, somnus, conjugium, concubitus. Horum enim quædam necessaria sunt propter sapientiam, sicut doctrina; quædam propter salutem, sicut cibus, et potus, et somnus; quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ vel concubitus: hinc enim subsistit propagatio generis humani, in quo societas amicalis magnum bonum est. His itaque bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc utitur propter quod instituta sunt, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero eis propter hoc utitur, propter quod data sunt, bene facit. Cui ergo non sunt necessaria, si non eis utitur, melius facit. Proinde ista bona cum opus habemus, bene volumus: sed melius ea nolumus quam volumus; quia tunc melius nos habemus, cum ea necessaria non habemus. Ac per hoc bonum est nubere, quia bonum est filios procreare, matremfamilias esse (I *Tim.* V, 14): sed melius est non nubere, quia melius est ad ipsam humanam societatem hoc opere non egere. Ita enim jam sese habet humanum genus, ut aliis qui se non continent, non solum per nuptias occupatis, sed multis etiam per illicitos concubitus luxuriantibus, bono Creatore de malis eorum faciente quod bonum est, non desit numerositas prolis et abundantia successionis, unde sanctæ amicitiæ conquirantur. Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maxime propter Dei populum propagandum, per quem et prophetaretur et nasceretur Princeps et Salvator omnium populorum, uti debuisse sanctos isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessario bono nuptiarum: nunc vero cum ad ineundam sanctam et sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritualis cognationis exuberet, etiam propter solos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur admonendi sunt.

CAPUT X. — 10. *Objectio contra continentiam. Non omnes conjugari debent, qui se non continent. Nuptias non esse peccatum. Nuptialis concubitus solus*

[1] Lov., *impiorum*, dissentientibus editis aliis et Mss.
[2] Hic sola editio Lov. addit, *cum eum ambæ hospitio recepissent.*

ille est qui fit causa generandi. Sed novi qui murmurent : Quid si, inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere, unde subsistet genus humanum ? Utinam omnes hoc vellent, duntaxat in charitate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (I *Tim.* I, 5) : multo citius Dei civitas compleretur, et acceleraretur terminus sæculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolum, ubi ait, cum inde loqueretur, *Vellem omnes esse sicut me ipsum ?* Aut illo loco : *Hoc autem dico, fratres : tempus breve est ; reliquum est ut et hi qui habent uxores, tanquam non habentes sint ; et qui flent, tanquam non flentes ; et qui gaudent, tanquam non gaudentes ; et qui emunt, tanquam non ementes ; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse.* Deinde subjungit : *Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino. Qui autem matrimonio conjunctus est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Et divisa est mulier innupta et virgo* [1] : *quæ innupta est, sollicita est ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu ; quæ autem nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Unde mihi videtur hoc tempore solos eos qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam ejusdem apostoli sententiam : *Quod si se non continent, nubant ; melius est enim nubere quam uri.*

11. Nec ipsis tamen peccatum sunt nuptiæ, quæ si in comparatione fornicationis eligerentur, minus peccatum essent quam fornicatio, sed tamen peccatum essent. Nunc autem quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis : *Quod vult faciat ; non peccat, si nubat* ; et, *Si acceperis uxorem, non peccasti ; et si nupserit virgo, non peccat* (I *Cor.* VII, 7, 28-36). Hinc certe jam dubitare fas non est nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus : nam quis ambigat absurdissime dici non eos peccasse quibus venia datur ? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, et aliquando nulla causa procreandi ; quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant : si tamen non ita sit nimius, ut impediat quæ seposita esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam, de quo Apostolus tacere non potuit, cum de corruptelis nimiis immundorum et impiorum hominum loqueretur (*Rom.* I, 26, 27). Concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis et solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quam quod inhonestum est, id est, quod est nuptiarum, quam id quod non est nuptiarum, hoc eis auctore Apostolo secundum veniam conceditur : cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non a se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus ut orationibus vacent, et per hanc abstinentiam sicut per jejunia commendent preces suas, vel immutando naturalem usum in eum usum qui est contra naturam, quod damnabilius fit in conjuge.

CAPUT XI. — 12. *Usus contra naturam exsecrabilior in uxore, quam in meretrice. Innuptarum amplior sanctitas commendata, non negata sanctitas nuptarum.* Nam cum ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis ; iste qui est contra naturam, exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabilius in uxore. Tantum valet ordinatio Creatoris et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in eis [1] quæ concessa non sunt, vel unus vel rarus excessus. Et ideo in re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam quod longe minus peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quam vel rarissimus ad fornicationem. Cum vero vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor si in se, quam si in alia fieri permiserit. Decus ergo conjugale est castitas procreandi, et reddendi carnalis debiti fides : hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus dicendo, *Et si acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo, non peccat* ; et, *Quod vult faciat ; non peccat, si nubat.* Exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressio, propter illa quæ supra dixit, conjugibus secundum veniam conceditur.

13. Quod ergo ait, *Quæ innupta est, cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu*, non sic accipiendum est, ut putemus non esse sanctam corpore christianam conjugem castam. Omnibus quippe fidelibus dictum est, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (I *Cor.* VI, 19). Sancta sunt ergo etiam corpora conjugatorum, fidem sibi et Domino servantium. Cui sanctitati cujuslibet eorum, nec infidelem conjugem obsistere, sed potius sanctitatem uxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli uxori, idem apostolus testis est, dicens, *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore* [2], *et sanctificata est mulier infidelis in fratre* (*Id.* VII, 14). Proinde illud dictum est secundum ampliorem sanctitatem innuptarum quam nuptarum, cui merces etiam debetur amplior secundum quod isto bono illud est melius : quia et hoc solum cogitat [3], quo-

[1] Lectio hæc est omnium fere veterum Mss. explicata ab Augustino in libro de sancta Virginitate, cap. 22, et in libro de Bono Viduitatis, cap. 2 ; quæ quidem in libris ante editis male emendata fuerat hunc in modum : *Divisa est mulier nupta, et virgo quæ non nupta est.* In isto loco Apostoli dissonantiam codicum latinorum notavit Hieronymus in lib. 1 contra Jovinianum.

[1] Mss., *in ea.*

[2] Editi, *in uxore fideli* : et iidem infra, *in fratre fideli.* Vox, *fideli*, utroque loco abest a Mss. et a græco textu Apostoli, soletque præteriri ab Augustino, ut lib. 1 de sermone Domini in monte, cap. 16.

[3] Lov., *cogitat femina.* Abest, *femina*, ab Er. et Mss.

modo placeat Domino. Neque enim femina fidelis, servans pudicitiam conjugalem, non cogitat quomodo placeat Domino, sed utique minus; quia cogitat etiam quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Hoc enim de illis dicere voluit, quod [1] possunt habere quodam modo de necessitate connubii, ut cogitent quæ sunt mundi, quomodo placeant viris suis.

CAPUT XII. — 14. *Nuptas non cogitantes nisi quomodo placeant Deo perraras esse.* Quod utrum de omnibus nuptis dixerit, an de talibus quales ita multæ sunt, ut pene omnes putari possint, non immerito dubitatur. Neque enim et illud quod de innuptis ait, *Quæ innupta est, cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu*, ad omnes innuptas pertinet; cum sint quædam viduæ mortuæ, quæ in deliciis vivunt (I *Tim.* v, 6). Verumtamen quod attinet ad quamdam distinctionem et quasi proprietatem innuptarum atque nuptarum; sicut nimium detestanda est, quæ continens a nuptiis, id est a re concessa, non continet a delictis, vel luxuriæ, vel superbiæ, vel curiositatis et verbositatis: ita rara nupta est, quæ in ipso quoque obsequio conjugali non cogitat nisi quomodo placeat Deo, ornando se, non intortis crinibus, aut auro et margaritis et veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bonam conversationem (*Id.* II, 9 *et* 10). Talia quippe conjugia Petrus quoque apostolus præcipiendo describit: *Similiter*, inquit, *mulieres obaudientes maritis suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine loquela lucrifieri possint, videntes timorem et castam conversationem vestram: ut sint non quæ a foris ornantur capillorum incrispationibus, aut circumdatæ auro, aut veste decora; sed ille absconditus cordis vestri* [2] *homo in illa perpetuitate quieti et modesti spiritus, qui et apud Dominum locuples est. Nam sic quædam sanctæ mulieres quæ in Dominum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis; quomodo Sara obaudiebat Abrahæ, dominum illum vocans; cujus factæ estis filiæ benefacientes, et non timentes ullum vanum timorem. Viri simili ratione concordes et caste viventes cum uxoribus vestris, et tanquam vasi infirmiori et subjecto tribuite honorem, quasi cohæredibus gratiæ, et videte ne impediantur* (a) *orationes vestræ* (I *Petr.* III, 1-7). Itane vero conjugia talia non cogitant ea quæ sunt Domini, quomodo placeant Domino? Sed perrara sunt. Quis negat? et in ipsa raritate pene omnes qui tales sunt, non ut tales essent conjuncti sunt, sed jam conjuncti tales facti sunt.

CAPUT XIII. — 15. *Nuptias nunc solis non continentibus, olim vero etiam continentibus amplectendas fuisse. Uti conjugio sola prolis causa, quam rarum.* Qui enim nostri temporis homines Christiani nuptiarum vinculo liberi valentes ab omni concubitu se continere, cum jam *tempus* esse perspicerent, sicut scriptum est, *non amplectendi, sed abstinendi ab amplexu* (*Eccle.* III, 5), non potius eligerent vel virginalem vel vidualem continentiam conservare, quam tribulationem carnis, sine qua conjugia esse non possunt (ut alia taceantur a quibus parcit Apostolus), nullo jam cogente humanæ societatis officio sustinere? Sed cum dominante concupiscentia fuerint copulati, si eam postea vicerint, quia non ita licet dissolvere conjugium, sicut licebat non colligare, fiunt tales quales profitetur forma nuptiarum; ita ut vel pari consensu ascendant celsiorem sanctitatis gradum, aut si non ambo sunt tales, erit qui talis est non exactor, sed redditor debiti, servans in omnibus castam religiosamque concordiam. Illis vero temporibus, cum adhuc propheticis sacramentis salutis nostræ mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales erant, officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti pietate: quibus si optio talis daretur, qualis revelato Novo Testamento data est, dicente Domino, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12); non eos dubitat etiam cum gaudio suscepturos fuisse, qui diligenter intentus legit quomodo conjugibus utebantur, cum et plures habere uni viro licebat, quas castius habebat [1] quam nunc unam quilibet istorum, quibus videmus quid secundum veniam concedat Apostolus (I *Cor.* VII, 6). Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desiderii sicut gentes quæ ignorant Deum (I *Thess.* IV, 5). Quod tam magnum est, ut multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi, nisi prolis causa, si matrimonio copulentur. Nempe multos habemus fratres et socios cœlestis hæreditatis utriusque sexus continentes, sive expertos nuptias, sive ab omni tali commixtione integros; nempe innumerabiles sunt: quem tandem audivimus inter familiaria colloquia, sive eorum qui conjugati sunt, sive qui fuerunt, indicantem nobis nunquam se conjugi esse commixtum, nisi sperando conceptum? Quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum: quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.

CAPUT XIV. — 16. *Uti concubina propter filios majus peccatum, quam uxore uti propter incontinentiam.* Itaque si forte, quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri non posse existimo; sed tamen si forte ad tempus adhibita concubina filios solos ex eadem commixtione quæsiverit: nec sic ista conjunctio vel earum nuptiis præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid enim sit nuptiarum, considerandum est, non quid sit nubentium et immoderatius nuptiis utentium. Neque enim si agris injuste ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat: neque si alius ruri paterno vel juste quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet; nec

[1] Sic Mss. Editi vero, *quæ*.
[2] Sola editio Lov., *nostri*.
(a) Non sic Vulgata in textu Biblius, sed habet, *tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur.*

[1] Lov., *habebant*. Er. et Mss., *habebat*.

vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate injuste uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt.

17. Posse sane fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est.

CAPUT XV. — *Connubium non posse dissolvi ob sterilitatem. An liceat uxoris voluntate aliam adhibere ut communes filii nascantur, non audet definire.* Semel autem initum connubium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest nisi alicujus eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur : ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem conjuges manent. Plane uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos patres fas erat : utrum et nunc fas sit, non temere dixerim. Non est enim nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, quando et parientibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem superducere licebat, quod nunc certe non licet. Nam tantum affert opportunitatis ad aliquid juste agendum seu non agendum temporum secreta distinctio, ut nunc melius faciat, qui nec unam duxerit, nisi se continere non possit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant, et qui se multo facilius continere possent, nisi aliud pietas illo tempore postularet. Sicut enim sapiens et justus, qui jam concupiscit dissolvi et esse cum Christo, et hoc magis optimo delectatur (*Philipp.* I, 23), jam non hic vivendi cupiditate, sed consulendi officio sumit alimentum, ut maneat in carne, quod necessarium est propter alios : sic misceri feminis jure nuptiarum officiosum fuit tunc sanctis viris, non libidinosum.

CAPUT XVI. — 18. *In concubitu ac in cibi usu similis ratio virtutis et vitii.* Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis : et utrumque non est sine delectatione carnali; quæ tamen modificata, et temperantia refrenante in usum naturalem redacta, libido esse non potest (*a*). Quod est autem in sustentanda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris et gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo satius est emori fame, quam idolothytis vesci (*b*); ita satius est defungi sine liberis, quam ex illicito coitu stirpem quærere. Undecumque autem nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura est, et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem filii boni adulterorum, nulla defensio est adulteriorum; sic mali conjugatorum, nullum crimen est nuptiarum. Proinde sicut patres temporis Novi Testamenti ex officio consulendi alimenta sumentes, quamvis ea cum delectatione naturali carnis acciperent, nullo modo tamen comparabantur delectationi eorum qui immolatitio vescebantur (I *Cor.* VIII, 7), aut eorum qui quamvis licitas escas, tamen immoderatius assumebant; sic patres temporis Veteris Testamenti, consulendi officio concumbebant, quorum delectatio illa naturalis nequaquam usque ad irrationalem aut nefariam libidinem relaxata, nec turpitudini stuprorum nec conjugatorum intemperantiæ conferenda est. Eadem quippe vena charitatis, nunc spiritualiter, tunc carnaliter propter illam matrem Jerusalem propagandi erant filii : sed diversa opera patrum non faciebat nisi diversitas temporum. Sic autem necesse erat ut carnaliter coirent, etiam non carnales Prophetæ; sicut necesse erat ut carnaliter vescerentur, etiam non carnales Apostoli.

CAPUT XVII. — 19. *Nubentes hujus temporis non conferendi nubentibus sanctis primi temporis. Uni viro plures uxores habere aliquando licuit, nunquam uni feminæ plures viros.* Quotquot ergo nunc sunt quibus dicitur, *Si se non continent, nubant* (*Id.* VII, 9); non comparandæ sunt tunc etiam nubentibus sanctis. Ipsæ quidem nuptiæ in omnibus gentibus eadem sunt filiorum procreandorum causa, qui qualeslibet postea fuerint, ad hoc tamen institutæ sunt nuptiæ, ut ordinate honesteque nascantur. Sed homines qui se non continent, tanquam ascendunt in nuptias gradu honestatis : qui autem se sine dubio continerent, si hoc illius temporis ratio permisisset, quodam modo descenderunt in nuptias gradu pietatis. Ac per hoc quamvis utrorumque nuptiæ in quantum nuptiæ sunt, quia procreandi causa sunt, æqualiter bonæ sint, hi tamen homines conjugati illis hominibus conjugatis non sunt comparandi. Habent enim isti quod illis propter honestatem nuptiarum, quamvis ad nuptias non pertineat, secundum veniam concedatur; id est, progressum illum qui excedit generandi necessitatem [1], quod illi non habebant. Sed neque hi, si qui forte nunc inveniuntur, qui non quærunt in connubio nec appetunt, nisi propter quod institutæ sunt nuptiæ, coæquari possunt illis hominibus. In istis enim car-

(*a*) II Retract. cap. 22, n. 2.

(*b*) Sic ad Publicolæ quæstionem de viatore christiano, victo famis necessitate, si nihil uspiam invenerit, nisi cibum in idolio positum, ubi nullus alius est hominum, utrum ei satius sit fame emori, quam illud in alimentum sumere, respondet Augustinus in epistola nunc ordine 47, n. 6 : « Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, « aut ignoratur : si ergo certum est esse, melius christiana « virtute respuitur; si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis « assumitur. »

[1] Lov., *generandi causam vel necessitatem.* At Fr. et Mss. non habent, *causam vel.*

nale est ipsum desiderium filiorum; in illis autem spirituale erat, quia sacramento illius temporis congruebat. Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere nisi spiritualiter quærit: tunc vero ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare; quia illius populi generatio nuntia futurorum erat, et ad dispensationem propheticam pertinebat.

20. Ideoque non sicut uni viro etiam plures habere licebat uxores, ita uni feminæ plures viros, nec prolis ipsius causa, si forte illa parere posset, ille generare non posset. Occulta enim lege naturæ amant singularitatem quæ principantur: subjecta vero non solum singula singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neque enim sic habet unus servus plures dominos, quomodo plures servi unum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus servisse sanctarum; plures autem feminas uni viro legimus (*a*), cum gentis illius societas sinebat, et temporis ratio suadebat: neque enim contra naturam nuptiarum est. Plures enim feminæ ab uno viro fetari possunt; una vero a pluribus non potest (hæc est principiorum vis [1]): sicut multæ animæ uni Deo recte subduntur. Ideoque non est verus Deus animarum nisi unus, una vero anima per multos [2] falsos deos fornicari potest, non fecundari.

CAPUT XVIII. — 21. *Sacramentum nuptiarum nunc ad unum virum et ad unam uxorem reductum. Episcopum nisi unius uxoris virum ordinare non licet.* Sed quoniam ex multis animis una civitas futura est habentium animam unam et cor unum in Deum (*Act.* IV, 32); quæ unitatis nostræ perfectio post hanc peregrinationem futura est, ubi omnium cogitationes nec latebunt invicem, nec inter se in aliquo repugnabunt: propterea Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum et unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum (I *Tim.* III, 2, *et Tit.* I, 6). Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt (*b*). De Sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit, *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat*; et, *Quod vult faciat, non peccat, si nubat* (I *Cor.* VII, 28, 36): satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter Sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurde visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam Sacramenti amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo: ita noster antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo; quæ tunc perficietur, cum revelaverit occulta tenebrarum, et manifestaverit cogitationes cordis, ut tunc laus sit unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 5). Nunc autem sunt manifestæ, sunt latentes dissensiones [1], etiam salva charitate, inter eos qui unum et in uno futuri sunt: quæ tunc utique nullæ erunt. Sicut ergo Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus; sic Sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una cœlesti civitate. Itaque sicut duobus pluribusve servire, sic a viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit. Apostatare quippe ab uno Deo, et ire in alterius adulterinam superstitionem, semper est malum. Nec causa ergo numerosioris prolis fecerunt sancti nostri, quod Cato dicitur fecisse Romanus (*a*), ut traderet vivus uxorem etiam alterius domum filiis impleturam. In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri.

22. Si ergo et illi qui propter solam generationem, propter quam sunt institutæ nuptiæ, conjunguntur, non comparantur patribus, multo aliter ipsos filios quam isti quærentibus; quandoquidem filium immolare jussus Abraham, intrepidus ac devotus, quem de tanta desperatione susceperat, unico non pepercit, nisi eo prohibente manum deponeret, quo jubente levaverat (*Gen.* XXII, 12).

CAPUT XIX. — *An saltem continentes nostri comparandi sint antiquis sanctis conjugatis.* Restat ut videamus utrum saltem continentes nostri conjugatis illis patribus comparandi sint; nisi forte jam isti præferendi sunt eis, quibus nondum quos conferamus invenimus. Majus enim bonum erat in illorum nuptiis, quam est bonum proprium nuptiarum, cui procul dubio bonum continentiæ præferendum est; quia non tali officio quærebant illi filios ex nuptiis, quali ducuntur isti, ex quodam sensu naturæ mortalis successionem decessioni requirentis [2]. Quod quisquis bonum negat, ignorat Deum omnium bonorum a cœlestibus usque ad terrena, ab immortalibus usque ad mortalia creatorem. Hoc autem sensu generandi nec bestiæ penitus carent, et maxime aves, quarum in promptu est cura nidificandi, et quædam conjugiorum similitudo ad simul procreandum atque nutriendum. Sed illi homines istius naturæ mortalis affectum, cujus in suo genere castitas accedente Dei cultu, sicut

[1] Hic editi addunt, *ut plures feminæ uni viro sint*: quæ verba absunt ab omnibus Mss.

[2] Lov., *post multos*. Er. et Mss., *per multos*.

(*a*) Subaudi, *servisse*.

(*b*) Hoc insinuavit sanctus Ambrosius in epist. ad Vercellensem Ecclesiam, [illegible]

[illegible]

a [illegible]

[1] Sic Mss. At editi: *Nunc autem manifeste sunt latentes dissensiones*.

[2] [illegible] *decessioni* [illegible] *requirentes*.

(*a*) Cato Uticensis, apud Plutarch.

quidam intellexerunt, in tricenario fructu ponitur (a). Longe sanctiore mente superduxerunt, qui de nuptiis filios propter Christum quaerebant, ad genus ejus secundum carnem distinguendum ab omnibus gentibus: sicut Deo disponente placuit, ut hoc prae caeteris ad eum prophetandum valeret, quod praenuntiabatur ex quo etiam genere et ex qua gente esset in carne venturus. Valde ergo nostrorum fidelium castis nuptiis amplius bonum erat, quod pater Abraham in suo femore noverat, cui manum subdere famulum jussit, ut de uxore quae a filio esset ducenda juraret (*Gen.* XXIV, 2-4). Ponens enim manum sub femore hominis, et jurans per Deum coeli, quid aliud significabat, nisi in ea carne, quae ex illo femore originem duceret, Deum coeli esse venturum? Bonum ergo sunt nuptiae, in quibus tanto meliores sunt conjugati, quanto castiores ac fideliores Deum timent, maxime si filios quos carnaliter desiderant, etiam spiritualiter nutriant.

CAPUT XX. — 23. *Ex lege purificationis post concubitum, non ostendi illum esse peccatum. An continentes nunc aliqui conferri possint antiquis Patribus conjugatis.* Nec quod purificari Lex hominem et post conjugalem concubitum jubet, peccatum esse declarat; si non est ille qui secundum veniam conceditur, qui etiam nimius impedit orationes. Sed sicut multa Lex ponit in sacramentis et umbris futurorum; quaedam in semine quasi materialis informitas, quae formata corpus hominis reddatura est, in significatione posita est vitae informis et ineruditae: a qua informitate quoniam oportet hominem doctrinae forma et eruditione mundari, in hujus rei signum illa purificatio praecepta est post seminis emissionem. Neque enim et in somnis peccato fit [1]; et tamen etiam ibi praecepta est purificatio. Aut si et hoc peccatum quisquam putat, non arbitrans accidere nisi ex aliquo hujusmodi desiderio, quod procul dubio falsum est; numquid et solita menstrua [2] peccata sunt feminarum? a quibus tamen eas eadem Legis vetustas praecepit expiari (*Levit.* XV); non nisi propter ipsam materialem informitatem, quae facto conceptu tanquam in aedificationem corporis additur: ac per hoc cum informiter fluit, significari per illam lex voluit animum sine disciplinae forma indecenter fluidum ac dissolutum; quem formari oportere significat, cum talem fluxum corporis jubet purificari. Postremo numquid et mori peccatum est, aut mortuum sepelire non etiam bonum opus humanitatis est? et tamen purificatio etiam inde mandata est (*Num.* XIX, 11); quia et mortuum corpus vita deserente, peccatum non est, sed peccatum significat animae desertae a justitia.

24. Bonum, inquam, sunt nuptiae, et contra omnes calumnias possunt sana ratione defendi. Nuptiis tamen sanctorum patrum, non quas nuptias, sed quam continentiam continentium comparem quaero: imo non nuptias nuptiis, nam par in omnibus donum est mortali homini naturae datum; sed homines qui his nuptiis utuntur, aliis hominibus qui longe aliter nuptiis usi sunt quos conferam quoniam non invenio, quomodo continentes [1] illis conjugatis conferendi sint requirendum est. Nisi forte Abraham continere se non poterat a nuptiis propter regnum coelorum, qui unicum pignus, propter quod nuptiae charae erant, potuit intrepidus immolare propter regnum coelorum.

CAPUT XXI. — 25. *Distinguenda continentia ut et aliae virtutes, in habitu et in opere. Virtutem in habitu esse posse etiamsi non sit in opere, docetur exemplo Christi.* Continentia quippe, non corporis, sed animi virtus est. Virtutes autem animi aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent, sicut martyrii virtus eminuit apparuitque tolerando passiones: sed quam multi sunt in eadem virtute animi, quibus tentatio deest, qua id quod intus est in conspectu Dei, etiam in hominum procedat, nec tunc esse incipiat, sed tunc innotescat? Jam enim erat in Job patientia, quam noverat Deus, et cui testimonium perhibebat; sed hominibus innotuit tentationis examine; et quod latebat intrinsecus, per ea quae forinsecus illata sunt, non natum, sed manifestatum est (*Job* I). Habebat utique et Timotheus virtutem continendi a vino, quam non ei abstulit Paulus, monendo ut vino modico uteretur propter stomachum et frequentes suas infirmitates (I *Tim.* V, 23); alioquin perniciose docebat, ut propter salutem corporis fieret in animo damnum virtutis: sed quia poterat ea virtute salva fieri quod monebat, ita relaxata est corpori utilitas bibendi, ut maneret in animo habitus continendi. Ipse est enim habitus, quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non opus est. Hunc habitum circa continentiam quae fit a concubitu non habent illi quibus dicitur, *Si se non continent, nubant* (I *Cor.* VII, 9). Hunc vero habent quibus dicitur, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12). Sic usi sunt perfecti animi bonis terrenis ad aliud necessariis per hunc habitum continentiae, quo eis non obligarentur, et quo possent eis etiam non uti, si non opus esset. Nec quisquam eis bene utitur, nisi qui et non uti potest. Multi quidem facilius se abstinent ut non utantur, quam temperent ut bene utantur: nemo tamen eis potest sapienter uti, nisi qui potest et continenter non uti. Ex hoc habitu et Paulus dicebat, *Scio et abundare et penuriam pati* (*Philipp.* IV, 12). Penuriam quippe pati, quorumcumque hominum est; sed scire penuriam pati, magnorum est. Sic et abundare quis non potest? scire autem et abundare, non nisi eorum est quos abundantia non corrumpit.

26. Verum ut apertius intelligatur quomodo sit virtus in habitu, etiamsi non sit in opere, loquor de exemplo de quo nullus dubitat catholicorum Christianorum. Dominus enim noster Jesus Christus, quod in veritate carnis esurierit ac sitierit, manducaverit et biberit, nullus ambigit eorum qui ex ejus Evange

[1] Sic potiores Mss. At editi, *peccatum fit*.
[2] Mss., *et solita mensium*; sive ut in vetustissimis scribi consuevit, *mensuum*. Hinc forte factum ut in editione Erasmi legeretur, *et solita menstruum*.
(*a*) Vid. lib. de Virginitate, cap. 45.

[1] Sic Mss. At editi, *quomodo continentes*.

lio fideles sunt. Num igitur non erat in illo continentiæ virtus a cibo et potu, quanta erat in Joanne Baptista? *Venit enim Joannes non manducans neque bibens; et dixerunt, Dæmonium habet: venit Filius hominis et manducans et bibens; et dixerunt, Ecce vorax et potator vini*[1], *amicus publicanorum et peccatorum.* Numquid non talia dicuntur in domesticos ejus, patres nostros, ex alio genere utendi terrenis quantum ad concubitum pertinet: Ecce homines libidinosi et immundi, amatores feminarum et lasciviarum? Et tamen sicut in illo illud non erat verum; quamvis verum esset, quod non sicut Joannes abstineret a manducando et bibendo; ipse enim apertissime verissimeque ait, *Venit Joannes non manducans, neque bibens; venit Filius hominis manducans et bibens:* sic nec hoc in illis patribus verum est; quamvis venerit modo Apostolus Christi non conjugatus nec generans, quem dicant Pagani, Magus erat; venerit autem tunc Propheta Christi nuptias faciens et filios procreans, quem dicant Manichæi, Mulierosus erat: *Et justificata est*, inquit, *sapientia a filiis suis* (*Matth.* XI, 18, 19). Quod Dominus ibi subjecit, cum de Joanne ac de se illa dixisset: *Justificata est*, inquit, *sapientia a filiis suis.* Qui vident continentiæ virtutem in habitu animi semper esse debere, in opere autem pro rerum ac temporum opportunitate manifestari: sicut virtus patientiæ sanctorum martyrum in opere apparuit, cæterorum vero æque sanctorum in habitu fuit. Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, et in Joanne qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Joanne qui nullas expertus est nuptias (*a*), et in Abraham qui filios generavit. Et illius enim cælibatus, et illius connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Joannes et in opere, Abraham vero in solo habitu habebat.

CAPUT XXII.—27. *Continentia in antiquis habitu, nunc autem opere tenenda. Jovinianistarum percontatio exploditur.* Illo itaque tempore cum et lex, dies Patriarcharum subsequens, maledictum dixit, qui non excitaret semen in Israel (*Deut.* XXV, 5-10), et qui poterat non promebat, sed tamen habebat. Ex quo autem venit plenitudo temporis (*Galat.* IV, 4), ut diceretur, *Qui potest capere, capiat;* ex illo usque adhuc, et deinceps usque in finem, qui habet operatur; qui operari noluerit, non se habere mentiatur. Ac per hoc ab eis qui corrumpunt bonos mores colloquiis malis (I *Cor.* XV, 33), inani et vana versutia dicitur homini christiano continenti et nuptias recusanti, Tu ergo melior quam Abraham? Quod ille cum audierit, non perturbetur; nec audeat dicere, Melior, nec a proposito delabatur: illud enim non vere dicit, hoc non recte facit. Sed dicat, Ego quidem non sum melior quam Abraham, sed melior est castitas cælibum quam castitas nuptiarum: quarum Abraham unam habebat in usu, ambas in habitu. Caste quippe conjugaliter vixit: esse autem castus sine conjugio potuit, sed tunc non oportuit. Ego vero facilius non utor nuptiis quibus est usus Abraham, quam sic utar nuptiis quemadmodum est usus Abraham: et ideo melior sum illis qui per animi incontinentiam non possunt quod ego, non illis qui propter temporis differentiam non fecerunt quod ego. Quod enim ego nunc ago, melius illi egissent, si tunc agendum esset: quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, et si nunc agendum esset. Aut si talem se iste sentit et novit, ut salva et permanente in habitu animi sui virtute continentiæ, si ad usum nuptiarum ex aliquo religionis officio descendisset, talis maritus et talis pater esset, qualis fuit Abraham; audeat plane respondere illi captioso interrogatori, et dicere, Non sum quidem melior quam Abraham, in hoc duntaxat genere continentiæ, qua ille non carebat, etsi non apparebat; sed sum talis, non aliud habens, sed aliud agens. Dicat plane ista: quia et si voluerit gloriari, non erit insipiens; veritatem enim dicit. Si autem parcit, ne quis eum existimet super id quod eum videt, aut audit aliquid ex illo (II *Cor.* XII, 6); auferat a persona sua nodum quæstionis, et non de homine, sed de re ipsa respondeat, et dicat, qui tantum potest, talis est qualis fuit Abraham. Potest autem fieri ut minor sit continentiæ virtus in animo ejus qui non utitur nuptiis, quibus est usus Abraham: sed tamen major est[1], quam in animo ejus qui propterea tenuit conjugii castitatem, quia non potuit ampliorem. Sic et femina innupta, quæ cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu (I *Cor.* VII, 34), cum audierit impudentem illum percontatorem dicentem, Tu ergo melior quam Sara? respondeat, Ego melior sum, sed iis quæ virtute hujus continentiæ carent, quod de Sara non credo: fecit ergo illa cum ista virtute quod illi tempori congruebat, a quo ego sum immunis, ut in meo etiam corpore appareat quod illa in animo conservabat.

CAPUT XXIII.—28. *Continentia melior castitate conjugali: sed possunt conjugati esse continentibus meliores. Obedientiæ bonum majus quam continentiæ. Obedientior conjugata minus obedienti virgini præponenda. Obedientia mater omnium virtutum.* Res ergo ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ quam castitatem nuptialem, cum tamen utrumque sit bonum: homines vero cum comparamus, ille est melior qui bonum amplius quam alius habet. Porro qui amplius ejusdem generis habet, et id quod minus est habet: qui autem tantummodo quod minus est habet, id quod est am-

[1] Antiquissimus Corbeiensis codex cum Egotiano Ms., *et vinaria*. Editio Er. cum nonnullis Mss., *et vinarius*: ad marginem vero habet, e Mss., *vinanonus*, forte pro, *vinbibonus*.

(*a*) Sequitur Hieronymum, qui in libro adversus Jovinianum primo scribit Joannem perpetuo virginem fuisse, necnon exstitisse causam cur a Domino cæteris Apostolis plus amatus sit. Virginem enim ab eo repertum ac pene puerum Hieronymus contendit, probatque, quia, inquit, manifestissime docent ecclesiasticæ historiæ, quod usque ad Trajani vixerit imperium, id est, post passionem Domini sexagesimo octavo anno dormierit. Confer Augustinum in Joannem Tractatum 124, n. 7.

[1] Hic apud Lov. additur, *in opere ejus*; quod ab Er. et Mss. abest.

plius non utique habet. In sexaginta enim sunt et triginta, non in triginta sunt et sexaginta. Non operari autem ex eo quod habet, in distributione officiorum positum est, non in egestate virtutum: quia nec bono misericordiae caret, qui non invenit miseros quibus possit misericorditer subvenire.

29. Huc accedit quia non recte comparantur homines hominibus ex uno aliquo bono. Fieri enim potest ut alius non habeat aliquid quod alius habet, sed aliud habeat quod pluris aestimandum est. Majus enim bonum est obedientiae quam continentiae. Nam connubium nusquam nostrarum Scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia vero nusquam absolvitur. Si ergo proponatur virgo permansura, sed tamen inobediens, et maritata quae virgo permanere non posset, sed tamen obediens, quam meliorem dicamus? Minus laudabilem quam si virgo esset, an damnabilem sicut virgo est? Ita si conferas ebriosam virginem sobriae conjugatae, quis dubitet eamdem ferre sententiam? Nuptiae quippe et virginitas duo bona sunt, quorum alterum majus: sobrietas autem et ebriositas, sicut obedientia et contumacia, illa bona sunt, hæc mala. Melius est autem habere omnia bona vel minora, quam magnum bonum cum magno malo: quia et in corporis bonis melius est habere Zachæi staturam cum sanitate, quam Goliæ cum febre.

30. Recte plane quæritur, non utrum omnimodis inobediens virgo conjugatæ obedienti, sed minus obediens obedientiori comparanda sit; quia et illa nuptialis castitas est, et ideo bonum est, sed minor quam virginalis. Tanto ergo minor in bono obedientiæ, quanto major in bono castitatis, si altera alteri comparetur, quæ præponenda sit judicat, qui primo ipsam castitatem et obedientiam comparans, videt omnium virtutum quodam modo matrem esse obedientiam. Ac per hoc ideo potest esse obedientia sine virginitate, quia virginitas ex consilio est, non ex præcepto. Obedientiam vero illam dico, qua præceptis obtemperatur. Ideoque obedientia præceptorum sine virginitate quidem potest, sed sine castitate esse non potest. Ad castitatem namque pertinet non fornicari, non mœchari, nullo illicito concubitu maculari: quæ qui non observant, contra præcepta Dei faciunt, et ob hoc extorres sunt a virtute obedientiæ. Virginitas autem propterea potest esse sine obedientia, quia potest femina consilio virginitatis accepto, et custodita virginitate, præcepta contemnere: sicut multas sacras virgines novimus verbosas, curiosas, ebriosas, litigiosas, avaras, superbas; quæ omnia contra præcepta sunt, et sicut ipsam Evam inobedientiæ crimine occidunt. Quapropter non solum obediens inobedienti, sed obedientior conjugata minus obedienti virgini præponenda est.

31. Ex hac obedientia pater ille qui sine uxore non fuit, esse sine unico filio et a se occiso paratus fuit (*a*). Unicum enim non immerito dixerim, de quo audivit a Domino, *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI, 12). Quanto ergo citius, ut etiam sine uxore esset, si hoc placeret, audiret? Unde non frustra sæpe miramur nonnullos utriusque sexus ab omni concubitu continentes, negligenter obedire præceptis, cum tam ardenter arripuerint non uti concessis. Unde quis dubitat et excellentiæ sanctorum illorum patrum atque matrum filios generantium non recte comparari mares et feminas nostri temporis, quamvis ab omni concubitu immunes, in virtute obedientiæ minores, etiamsi illis hominibus et in habitu animi defuerit, quod in istorum opere manifestum est? Sequantur ergo Agnum pueri cantantes canticum novum, sicut in Apocalypsi scriptum est, *qui cum mulieribus se non contaminaverunt* (*Apoc.* XIV, 4), non ob aliud nisi quia virgines permanserunt. Nec ideo se arbitrentur meliores esse primis patribus sanctis, qui nuptiis, ut ita dicam, nuptialiter usi sunt [1]. Earum quippe usus ita se habet, ut si quid in eis per carnis commixtionem, quod excedat generandi necessitatem, quamvis venialiter factum fuerit, contaminatio sit. Nam quid expiat venia, si omnino nihil contaminat illa progressio? A qua contaminatione mirum si immunes essent pueri sequentes Agnum, nisi virgines permanerent.

CAPUT XXIV. — 32. *Nuptiarum bonum apud Christianos triplex. Conjugati antiqui obedientiam in opere, continentiam in habitu tenuerunt.* Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsa causa pariendi; quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt solvitur vinculum nuptiale nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. Generationis itaque causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: *Volo*, inquit, *juniores nubere.* Et quasi ei diceretur, Ut quid? continuo subjecit, *filios procreare, matresfamilias esse* (I *Tim.* V, 14). Ad fidem autem castitatis illud pertinet: *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* Ad Sacramenti sanctitatem illud: *Uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: et vir uxorem non dimittat.* Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt [2]; proles, fides, Sacramentum. Nec prolem autem carnalem jam hoc tempore quærere, ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quamdam perpetuam retinere, atque uni viro Christo spiritualiter subdi, melius est utique et sanctius: si tamen ea vacatione sic utantur homines, quomodo scriptum est, ut cogitent quæ sunt Domini, quomodo placeant

(*a*) II Retract. cap. 22, n. 2.

[1] Vid., *non nuptialiter usi sunt*: reluctantibus editis aliis et Mss.

[2] In Mss., *bonum sunt.*

Deo (I *Cor.* VII, 5, 10, 11, 32): id est, ut perpetuo cogeret continentia, ne quid minus haberet obedientia: quam virtutem tanquam radicalem, atque ut dici solet, matricem, et plane generalem, sancti antiqui patres in opere exercuerunt; illam vero continentiam in animi habitu tenuerunt. Qui profecto per obedientiam qua justi et sancti erant, et ad omne opus bonum semper parati, etiamsi ab omni concubitu abstinere juberentur, efficerent. Quanto enim facilius possent vel jussione, vel exhortatione Dei non concumbere, qui prolem cui uni propagandæ concumbendo serviebant, obediendo poterant immolare.

CAPUT XXV. — 33. *Manichæorum de Patribus Veteris Testamenti calumniæ refutatur.* Quæ cum ita sint, hæreticis quidem sive Manichæis, sive quicumque alii patribus Veteris Testamenti de pluribus calumniantur uxoribus, hoc esse argumentum deputantes, quo eorum convincant incontinentiam, satis superque responsum est: si tamen capiunt non esse peccatum, quod neque contra naturam committitur, quia non lasciviendi, sed gignendi causa illis feminis utebantur; neque contra morem, quia illis temporibus ea factitabantur; neque contra præceptum, quia nulla lege prohibebantur. Illos vero qui illicite feminis usi sunt, vel arguit in Scripturis illis divina sententia, vel nobis lectio judicandos atque vitandos, non approbandos imitandosve proponit.

CAPUT XXVI. — 34. *Continentes hujus temporis non abjecte sentiant de sanctis Patribus conjugatis. Virginitas humilitate tuenda.* Nostros autem qui conjuges habent, quantum possumus, admonemus, ne secundum suam infirmitatem de illis sanctis patribus audeant judicare; comparantes, ut ait Apostolus, semetipsos sibimetipsis (II *Cor.* X, 12); et ideo non intelligentes quantas vires habeat animus justitiæ contra libidines serviens, ne carnalibus hujuscemodi motibus acquiescat, eosque in concubitum ultra generandi necessitatem prolabi aut progredi sinat, quantum ordo naturæ, quantum morum consuetudo, quantum legum scita præscribunt. Hoc quippe ideo de illis patribus homines suspicantur, quia ipsi per incontinentiam vel nuptias elegerunt, vel conjugibus intemperanter utuntur. At vero continentes vel mares qui defunctis uxoribus, vel feminæ quæ defunctis viris, vel utrique qui pari consensu continentiam Deo voverunt, sciant sibi quidem mercedis amplius deberi, quam conjugalis castitas poscit: sed sanctorum patrum nuptias, qui prophetice conjungebantur, qui neque in concubitu nisi prolem, neque in ipsa prole nisi quod in carne venturo Christo proficeret requirebant, non solum præ suo proposito non contemnant, verum etiam suo proposito sine dubitatione præponant.

35. Pueros quoque ac virgines integritatem ipsam Deo dicantes, multo maxime commonemus ut tanta norint humilitate tuendum esse quod in terra interim vivunt, quanto magis cœli est quod voverunt. Nempe scriptum est: *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus* (*Eccli.* III, 20). Nostrum ergo est de magnitudine eorum aliquid dicere, illorum de magna humilitate cogitare. Exceptis igitur quibusdam illis conjugatis patribus et matribus sanctis, quibus ideo isti meliores non sunt, quamvis conjugati non sint, quia si conjugati essent, pares non essent; cæteros omnino hujus temporis conjugatos, vel post expertum concubitum continentes, a se superari non dubitent: non quantum ab Anna, Susanna; sed quantum ambæ a Maria superantur. Quod ad ipsam pertinet sanctam carnis integritatem, loquor: nam quæ alia sint Mariæ merita, quis ignorat? Mores itaque congruos huic tanto proposito adjungant, ut de præpollenti præmio certam securitatem gerant: scientes sane sibi atque omnibus fidelibus dilectis et electis Christi membris multis ab oriente et occidente venientibus, etsi inter se distante pro meritis gloriæ luce fulgentibus, hoc tamen magnum in commune præstari, ut cum Abraham et Isaac et Jacob recumbant in regno Dei (*Matth.* VIII, 11), qui non propter hoc sæculum, sed propter Christum conjuges, propter Christum patres fuerunt.

In subsequentem librum de Sancta Virginitate, *vide lib.* 2, *cap.* 23, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 640, *a verbis*, Posteaquam scripsi, *usque ad verba*, Nuper edidimus. M.

Hujus libri meminit præterea sanctus Augustinus in proxime secuturo libro de Bono Viduitatis, capp. 15 et 23; necnon in libro 1 de peccatorum Meritis et Remissione, cap. 29.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE
SANCTA VIRGINITATE
LIBER UNUS [a].

Dicit primum de præstantia sacræ ac Deo dicatæ virginitatis, cui fecunditatem conjugalem jam non posse ullam comparari demonstrat. Duobus deinde occurrit contrariis erroribus; altero culpantium nuptias, altero eas æquantium virginitati: [illegible] ad Corinthios, *Tribulationem tamen*

(a) Scriptus circiter annum 401.

carnis habebunt hujusmodi ; ego autem vobis parco ; [illegible] vero, quia ad eosdem [illegible], *Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem ;* contendentium perpetuam continentiam propter [illegible], non propter futuram commendat. Postea Christi virgines humilitatem, qua tam excellens conservatur earum munus, habere jubet, atque ad eam quam maxime sectandam multa et gravi oratione adhortatur.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Virgines conjugatos sanctos patres non contemnant.* Librum de Bono Conjugali nuper edidimus, in quo etiam Christi virgines admonuimus atque monemus, ne propter excellentiam muneris amplioris quod divinitus acceperunt, contemnant in sui comparatione patres et matres populi Dei; hominesque illos quos tanquam olivam commendat Apostolus, ne superbiat insertus oleaster (*Rom.* XI, 17, 18), qui venturo Christo etiam filiorum propagatione serviebant, ideo meriti inferioris esse arbitrentur, quia jure divino continentia connubio, et nuptiis pia virginitas anteponitur. In illis quippe parabantur et parturiebantur futura, quæ nunc impleri mirabiliter et efficaciter cernimus, quorum etiam vita conjugalis prophetica fuit : unde non consuetudine humanorum votorum atque gaudiorum, sed valde profundo consilio Dei, in quibusdam eorum fecunditas honorari, in quibusdam etiam fecundari sterilitas meruit. Hoc vero tempore quibus dictum est, *Si se non continent, nubant* (I *Cor.* VII, 9) ; non adhibenda est exhortatio, sed consolatio. Quibus autem dictum est, *Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX, 12) ; exhortandi sunt ne terreantur, et terrendi ne extollantur. Non solum ergo prædicanda est virginitas, ut ametur ; verum etiam monenda, ne infletur.

CAPUT II. — 2. *Virginis filius et virginum sponsus Christus. Ecclesia sicut Maria, et mater et virgo est.* Hoc isto sermone suscepimus : adjuvet Christus Virginis filius, et virginum sponsus, virginali utero corporaliter natus, virginali connubio spiritualiter conjugatus. Cum ipsa igitur universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit Apostolus (II *Cor.* XI, 2) ; quanto digna sunt honore membra ejus, quæ hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide? quæ imitatur matrem viri sui et domini sui. Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cujus enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cujus prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput hujus corporis peperit : Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fecunditatem non impedit : in utraque fecunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu ; quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu ?

CAPUT III. — 3. *Cognatio spiritualis cum Christo propinquitati ejus carnali præponenda.* Scriptum est in Evangelio, quod mater et fratres Christi, hoc est consanguinei carnis ejus, cum illi nuntiati fuissent, et foris exspectarent, quia non possent eum adire præ turba, ille respondit : *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait : Hi sunt fratres mei, et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, et mater, et soror est* (*Matth.* XII, 46-50). Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præponere ; nec inde beatos esse homines, si justis et sanctis carnis propinquitate junguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam et dicenti cuidam, *Beatus venter qui te portavit* ; ipse respondit, *Imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt* (*Luc.* XI, 27, 28). Denique fratribus ejus, id est secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.

CAPUT IV. — 4. *Virginitas Mariæ voto dicata Deo antequam de concipiendo Christo audisset.* Ipsa quoque virginitas ejus ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba quæ sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco* (*Luc.* I, 34)? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat. Quanquam etiamsi hoc solum dixisset, *Quomodo fiet istud?* nec addidisset, *quoniam virum non cognosco* ; non quæsisset utique, promissum sibi filium quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat et juberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo acciperet : sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid esset conceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto ; amore eligendi, non necessitate serviendi. Ita Christus nascendo de virgine, quæ antequam sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. Ac sic etiam in ipsa femina in qua formam servi accepit, virginitatem esse liberam voluit.

CAPUT V. — 5. *Virginum omnium decus est unius Virginis partus. Virgines et ipsæ spiritu matres Christi.* Non est ergo cur Dei virgines contristentur, quod etiam ipsæ virginitate servata matres carnis esse non

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Librum de Sancta Virginitate emendavimus ad Colbertinos veteres codices duos, ad Corbeiensem vetustissimum, ad Bigotianum, Pratellensem, Michaelinum, Cisterciensem, ad Ms. Remensis Ecclesiæ, ad alium Ecclesiæ Laudunensis, ad Vaticanos quatuor ; ad lectiones variantes Lovaniensium ex tribus Belgicis Mss., et demum ad editiones Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

possunt. Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. Verumtamen ille unus sanctæ Virginis partus omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsæ cum Maria matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. Hinc enim et Maria laudabilius atque beatius Christi mater est, secundum supra memoratam ejus sententiam: *Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, et soror, et mater est.* Has sibi omnes propinquitates, in populo quem redemit, spiritualiter exhibet: fratres et sorores habet sanctos viros et sanctas feminas, quoniam sunt illi in cœlesti hæreditate cohæredes. Mater ejus est tota Ecclesia, quia membra ejus, id est, fideles ejus per Dei gratiam ipsa utique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus fecundissima charitate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur (*Galat.* IV, 19). Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror et mater.

CAPUT VI. — 6. *Sola Maria corpore ac spiritu simul virgo et mater.* Ac per hoc illa una femina, non solum spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est; quia omnes qui in eum crediderint, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi appellantur (*Matth.* IX, 15): sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus; quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius capitis membra sunt: corpore vero ipsius capitis mater. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. Sola ergo Maria et spiritu et corpore mater et virgo; et mater Christi, et virgo Christi: Ecclesia vero in sanctis regnum Dei possessuris, spiritu quidem tota mater Christi est, tota virgo Christi; corpore autem non tota, sed in quibusdam virgo Christi, in quibusdam mater, sed non Christi. Et conjugatæ quippe fideles feminæ et virgines Deo dicatæ, sanctis moribus et charitate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (I *Tim.* I, 5), quia voluntatem Patris faciunt, Christi spiritualiter matres sunt. Quæ autem conjugali vita corporaliter pariunt, non Christum, sed Adam pariunt, et ideo currunt [1] ut Sacramentis imbuti Christi membra fiant partus earum, quoniam quid pepererint norunt.

CAPUT VII. — 7. *Virginitati nulla fecunditas conjugalis comparanda.* Hoc dixi, ne forte audeat fecunditas conjugalis cum virginali integritate contendere, atque ipsam Mariam proponere, ac virginibus Dei dicere: Illa in corpore duas res habuit honorandas, virginitatem et fecunditatem, quia et integra permansit et peperit: hanc felicitatem quoniam totam utræque habere non potuimus, partitæ sumus, ut vos sitis virgines, nos simus matres, vobis quod debit [2] in prole, consoletur servata virginitas, nobis prolis lucro amissa compensetur integritas. Hæc vox fidelium conjugatarum ad sacras virgines utcumque ferenda esset, si christianos corpore parerent; ut hoc solo esset Mariæ fecunditas carnis excepta virginitate præstantior, quod illa ipsum caput horum membrorum, hæ autem membra illius capitis procrearent: nunc vero etiamsi tales hac voce contendant, quæ ob hoc tantum viris junguntur atque miscentur, ut filios habeant, nihilque aliud de filiis cogitant, nisi ut eos Christo lucrentur, atque id mox ut potuerint faciunt; non tamen christiani ex earum carne nascuntur, sed postea fiunt, Ecclesia pariente per hoc quod membrorum Christi spiritualiter mater est, cujus etiam spiritualiter virgo est. Cui sancto partui cooperantur et matres, quæ non christianos corpore pepererunt, ut fiant quod se corpore parere non potuisse noverunt: per hoc tamen cooperantur, ubi et ipsæ virgines matresque Christi sunt (*a*), in fide scilicet quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6).

CAPUT VIII. — 8. *Virginitas inde honorata, quia Deo dicata.* Nulla ergo carnis fecunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest. Neque enim et ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur. Ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet [1] et servat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia; ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. Porro autem si pudicitia conjugalis, quamvis custodiatur in carne, animo tamen, non carni tribuitur, quo præside atque rectore, nulli præter proprium conjugium caro ipsa miscetur; quanto magis quantoque honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi Creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, servatur?

CAPUT IX. — 9. *Virginitas amissa nulla carnis fecunditate compensatur.* Nec illarum ergo fecunditas carnis, quæ hoc tempore nihil aliud in conjugio quam prolem requirunt, quam mancipent Christo, pro amissa virginitate compensari posse credenda est. Prioribus quippe temporibus venturo secundum carnem Christo ipsum genus carnis in ampla quadam et prophetica gente necessarium fuit: nunc autem cum ex omni hominum genere, atque omnibus gentibus ad populum Dei et civitatem regni cœlorum membra Christi colligi possint, sacram virginitatem qui potest capere, capiat (*Matth.* XIX, 12); et ea tantum quæ se non continet, nubat (I *Cor.* VII, 9). Quid enim si aliqua mulier dives multam pecuniam huic bono operi impendat, ut emat ex diversis gentibus servos quos faciat christianos; nonne uberius atque numerosius quam uteri quantalibet feracitate Christi membra gignenda curabit? Nec ideo tamen pecuniam suam comparare muneri sacræ virginitatis audebit. At si propter faciendos qui nati fuerint christianos, fecunditas carnis pro amissa virginitate merito compensabitur,

[1] Nonnulli MSS., *currant.*

[2] Editi, *dedit.* At MSS., *debit*: quo verbo sæpe utitur Augustinus.

[1] Sola editio Lov., *fovet.*

(*a*) [illegible] *matres Christi sunt*; expuncta particula, *quæ* [illegible]

fructuosius erit hoc negotium, si magno pecuniario pretio virginitas amittatur, quo pretio faciendi christiani multo plures emantur, quam unius utero quamlibet fertili nascerentur.

CAPUT X. — *Nec virginitati conferendum conjugium quia virgines parit.* Quod si stultissime dicitur, habeant fideles nuptæ bonum suum, de quo in alio volumine quantum visum est disseruimus; et honorent amplius sicut rectissime consueverunt, in sacris virginibus melius earum, de quo isto sermone disserimus.

10. Nam ne illo quidem debent continentium meritis se conferre conjugia, quod ex eis virgines procreantur : hoc enim non conjugii bonum est, sed naturæ; quæ sic divinitus instituta est, ut ex quolibet humano utriusque sexus concubitu, sive ordinato et honesto, sive turpi et illicito, nulla femina nisi virgo nascatur, nulla tamen sacra virgo nascitur : ita fit ut virgo nascatur etiam de stupro, sacra autem virgo nec de conjugio.

CAPUT XI. — 11. *Virgines ideo laudatæ, quia Deo dicatæ.* Nec nos hoc in virginibus prædicamus, quod virgines sunt; sed quod Deo dicatæ pia continentia virgines. Nam, quod non temere dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier quam virgo nuptura : habet enim jam illa quod ista adhuc cupit, præsertim si nondum vel sponsa cujusquam sit. Illa uni studet placere, cui data est : hæc multis, incerta cui danda est ; hoc uno pudicitiam cogitationis defendit a turba, quod non adulterum, sed maritum quærit in turba. Illa igitur virgo conjugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini se amandam proponit, cum amorem unius ex multitudine inquirit; nec se uni jam componit invento, cogitans quæ sunt mundi, quomodo placeat viro (I *Cor.* VII, 34); sed speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3) sic amavit, ut quia eum sicut Maria concipere carne non posset, ei corde concepto etiam carnem integram custodiret.

CAPUT XII. — *Virgines sacræ non corporali, sed spirituali fecunditate Ecclesiæ nascuntur. Bonum conjugii quam inferius bono sanctæ virginitatis.* Hoc genus virginum nulla corporalis fecunditas protulit : non est hæc proles carnis et sanguinis. Si harum quæritur mater, Ecclesia est. Non parit virgines sacras nisi virgo sacra, illa quæ desponsata est uni viro casta exhiberi Christo (II *Cor.* XI, 2). Ex illa non tota corpore, sed tota virgine spiritu, nascuntur sanctæ virgines et corpore et spiritu.

12. Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter, procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant.

CAPUT XIII. — *In eos qui putant continentiam non prodesse nisi ad præsentem vitam.* Hæc tamen omnia humani officii sunt munera : virginalis autem integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis : illa non est in potestate, illa non est in æternitate; fecunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cœlum. Profecto habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne.

13. Unde mirabiliter desipiunt, qui putant hujus continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens sæculum; quod scilicet conjugia terrenis curis pluribus atque arctioribus distenduntur, qua molestia virgines et continentes carent : quasi ob hoc tantum melius sit non conjugari, ut hujus temporis relaxentur angustiæ, non quod in futurum sæculum aliquid prosit. Hanc vanam sententiam ne cordis proprii[1] vanitate protulisse videantur, adhibent ex Apostolo testimonium ubi ait : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut fidelis essem. Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, quia bonum est homini sic esse* (I *Cor.* VII, 25, 26). Ecce, inquiunt, ubi manifestat Apostolus hoc propter præsentem necessitatem bonum esse, non propter futuram æternitatem. Quasi præsentis necessitatis rationem haberet Apostolus, nisi providens[2] et consulens in futurum; cum omnis ejus dispensatio non nisi ad vitam æternam vocet.

CAPUT XIV. — 14. *Virginitas non præcepto, sed consilio commendata ad promerendam singularem gloriam in vita futura.* Præsens ergo est vitanda necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum : qua necessitate vita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeat vir uxori, vel uxor viro. Non quod ea separent a regno Dei, sicut sunt peccata, quæ ideo præcepto, non consilio cohibentur, quia Domino præcipienti non obedire damnabile est : sed illud quod in ipso Dei regno amplius haberi posset si amplius cogitaretur quomodo placendum esset Deo, minus erit utique cum hoc ipsum minus conjugii necessitate cogitatur. Ideo, *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo.* Præcepto enim quisquis non obtemperat, reus est et debitor pœnæ. Proinde quia uxorem ducere vel nubere peccatum non est, si autem peccatum esset, præcepto vetaretur; propterea præceptum Domini de virginibus nullum est. Sed quoniam devitatis remississve peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis : *Consilium*, inquit, *do*, *tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut fidelis essem.* Neque enim invidere debeo fidele consilium, qui non meis meritis, sed Dei misericordia sum fidelis. *Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessi-*

[1] Sic aliquot Mss. Editi vero, *propria.*
[2] Editi, *non providens.* At Mss., *nisi providens.*

[illegible] Hoc, inquit, unde præceptum Domini non habeo, sed consilium do, hoc est de virginibus, existimo bonum esse propter præsentem necessitatem. Novi enim quid præsentis temporis, cui conjugia serviunt, necessitas cogat, ut ea quæ Dei sunt minus cogitentur, quam sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium, quamvis in æterna vita ac salute manentium. *Stella enim ab stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41, 42). *Bonum est* ergo *homini sic esse.*

CAPUT XV.—15. *Consilium datur non nubendi, non præceptum.* Deinde adjungit idem apostolus et dicit: *Alligatus es uxori, ne quæsieris solutionem; solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem.* Horum duorum quod prius posuit, ad præceptum pertinet, contra quod non licet facere. Non enim licet dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis, sicut in Evangelio ipse Dominus dicit (*Matth.* XIX, 9). Illud autem quod addidit, *Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem*, consilii sententia est, non præcepti: licet itaque facere, sed melius est non facere. Denique continuo subjecit: *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Illud autem prius cum dixisset, *Alligatus es uxori; ne quæsieris solutionem*; numquid addidit, Et si solveris, non peccasti? Jam enim supra dixerat, *His autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: fieri enim potest ut non sua culpa, sed mariti discedat. Deinde ait, *Et vir uxorem ne dimittat* (I *Cor.* VII, 27, 28, 10, 11): quod nihilominus ex præcepto Domini posuit, nec ibi addidit, Et si dimiserit, non peccat. Præceptum est enim hoc, cui non obedire peccatum est; non consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis. Propterea cum dixisset, *Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem*; quia non præcipiebat ne malum fieret, sed consulebat ut melius fieret; continuo subjunxit, *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.*

CAPUT XVI.—16. *Tribulatio carnis in conjugio, quæ sit.* Addidit tamen, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco*: hoc modo exhortans ad virginitatem continentiamque perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam deterreret, modeste sane, non tanquam a re mala et illicita, sed tanquam ab onerosa ac molesta. Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant. Sed pro habendo conjugio jam hoc tempore, quo non per carnis propaginem venturo Christo ipsius prolis propagatione servitur, istam tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandam perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus, ne tentante satana in peccata damnabilia laberentur. Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quam cum noluisse aperire et explicare verbis eamdem ipsam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus et mœroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cum se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimavit Apostolus.

CAPUT XVII.—17. *In eos qui ab Apostolo damnatas ibi nuptias putant. Scripturæ aliquod mendacium tribuere quam perniciosum.* Tantum per hoc quod breviter posui, cautum fieri lectorem oportuit adversus eos qui in hoc quod scriptum est, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco*, nuptiis calumniantur, quod eas ex obliquo sententia ista damnaverit; velut ipsam damnationem noluerit dicere, cum ait, *Ego autem vobis parco*: ut videlicet cum istis parcit, animæ suæ non pepercerit, si mentiendo dixit, *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Quod qui de sancta Scriptura credunt vel credi volunt, tanquam viam sibi muniunt ad mentiendi licentiam, vel ad defensionem suæ perversæ opinionis, ubicumque aliud sentiunt quam sana doctrina postulat. Si quid enim manifestum de divinis Libris prolatum fuerit, quo eorum confutentur errores, hoc ad manum habent velut scutum, quo se adversus veritatem quasi tuentes, nudent a diabolo vulnerandos, ut dicant hoc auctorem libri non verum dixisse, alias ut infirmis parceret, alias ut contemptores terreret; sicut occurrerit causa, qua eorum perversa sententia defendatur: atque ita dum ea quæ opinantur, defendere quam corrigere malunt, Scripturæ sanctæ auctoritatem frangere conantur, qua una omnes cervices superbæ duræque franguntur.

CAPUT XVIII.—18. *Virginitas sic præferatur, ut non nuptiæ damnentur.* Unde sectatores et sectatrices perpetuæ continentiæ et sacræ virginitatis admoneo, ut bonum suum ita præferant nuptiis, ne malum judicent nuptias: neque fallaciter, sed plane veraciter ab Apostolo dictum noverint, *Qui dat nuptum, bene facit; et qui non dat nuptum, melius facit. Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Et paulo post: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meam sententiam.* Et ne humana sententia putaretur, adjungit: *Puto autem, et ego Spiritum Dei habeo.* Hæc dominica, hæc apostolica, hæc vera, hæc sana doctrina est, sic eligere dona majora, ne minora damnentur. Melior est in Scriptura Dei veritas Dei, quam in cujusquam mente aut carne virginitas hominis. Quod castum est sic ametur, ut quod verum est non negetur. Nam quid mali non possunt etiam de sua carne cogitare, qui credunt apostolicam linguam in eo ipso loco ubi virginitatem corporis commendabat, a corruptione mendacii virginem non fuisse? Primitus ergo ac maxime, qui bonum virginitatis eligunt, Scripturas sanctas firmissime teneant nihil esse mentitas; ac per hoc etiam illud verum esse quod dictum est, *Et si acceperis uxo-*

rem, non peccasti ; et si nupserit virgo, non peccat. Nec putent minui tam magnum integritatis bonum, si nuptiæ non erunt malum. Imo vero hinc sibi potius majoris gloriæ palmam præparatam esse confidat, quæ non damnari, si nuberet, timuit ; sed honoratius coronari, quia non nuberet, concupivit [1]. Qui ergo sine conjugio permanere voluerint, non tanquam foveam peccati nuptias fugiant : sed tanquam collem minoris boni transcendant, ut in majoris continentiæ monte requiescant. Ea quippe lege collis iste inhabitatur, ut non cum voluerit quis emigret. *Mulier enim alligata est, quamdiu vir ejus vivit* (I *Cor.* VII, 38 40). Verumtamen ad continentiam viduatem ab ipso tanquam gradu conscenditur : propter virginalem vero vel declinandus est non consentiendo petitoribus, vel transiliendus præveniendo petitores.

CAPUT XIX. — 19. *Errores duo contrarii de virginitate et conjugio.* Ne quis autem putaret duorum operum boni atque melioris æqualia fore præmia, propterea contra eos disserendum fuit, qui quod ait Apostolus, *Existimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessitatem*, ita interpretati sunt, ut non propter regnum cœlorum, sed propter sæculum præsens virginitatem utilem dicerent ; tanquam in illa vita æterna nihil cæteris amplius habituri essent, qui hoc melius elegissent. In qua disputatione cum ad illud veniremus quod idem apostolus ait, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco* ; in alios litigatores incurrimus, qui non æquales perpetuæ continentiæ nuptias facerent, sed eas omnino damnarent. Nam cum error uterque sit, vel æquare sanctæ virginitati nuptias, vel damnare : nimis invicem fugiendo [2], duo isti errores adversa fronte confligunt, quia veritatis medium tenere noluerunt ; quo et certa ratione, et sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.

CAPUT XX. — *Apostoli dictum*, Ego autem vobis parco, *perperam trahi ad nuptiarum damnationem.* Alii quippe appetendo virginitatem, nuptias tanquam adulterium detestandas esse putaverunt : alii vero defendendo connubium, excellentiam perpetuæ continentiæ nihil mereri amplius quam conjugalem pudicitiam voluerunt ; quasi vel Susannæ bonum, Mariæ sit humiliatio ; vel Mariæ majus bonum, Susannæ debeat esse damnatio.

20. Absit ergo ut ita dixerit Apostolus nuptis sive nupturis, *Ego autem vobis parco* ; tanquam noluerit dicere quæ pœna conjugatis in futuro sæculo debeatur. Absit ut a Daniele de temporali judicio liberatam Paulus mittat in gehennam. Absit ut maritalis thorus ei pœna sit ante tribunal Christi, cui fidem servando elegit sub falsa accusatione adulterii vel periclitari, vel mori. Quid egit vox illa, *Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei* (*Dan.* XIII, 23), si Deus eam liberat, non quia pudicitiam nuptialem servabat liberaturus, sed quia nupserat damnaturus ? Et nunc quoties castitas conjugalis adversus calumniatores criminatoresque nuptiarum Scripturæ sanctæ veritate munitur ; toties a Spiritu sancto contra falsos testes Susanna defenditur, toties a falso crimine liberatur, et multo majore negotio. Tunc enim uni conjugatæ, nunc omnibus ; tunc de occulto et falso adulterio, nunc de vero et manifesto connubio crimen intenditur. Tunc una mulier ex eo quod iniqui seniores dicebant, nunc omnes mariti et uxores ex eo quod Apostolus dicere noluit, accusantur. Damnationem quippe vestram, inquiunt, tacuit, cum ait, *Ego autem vobis parco.* Quis hoc ? Nempe ille qui superius dixerat : *Et si acceperis uxorem, non peccasti ; et si nupserit virgo, non peccat.* Cur igitur in eo quod modeste tacuit, conjugiorum suspicamini crimen ; et in eo quod aperte dixit, conjugiorum non agnoscitis defensionem ? An eos damnat tacitus, quos locutus absolvit ? Nonne jam mitius accusatur Susanna, non de conjugio, sed de ipso adulterio, quam doctrina apostolica de mendacio ? Quid in tanto periculo faceremus, nisi tam certum apertumque esset pudicas nuptias non debere damnari, quam certum apertumque est sanctam Scripturam non posse mentiri ?

CAPUT XXI. — 21. *Virginitatis laudem et meritum esse majus, cum nuptiæ non tanquam malæ devitantur.* Hic dicet aliquis : quid hoc pertinet ad sacram virginitatem, vel perpetuam continentiam, cujus prædicatio isto sermone suscepta est ? Cui respondeo primo, quod superius commemoravi, ex hoc gloriam majoris illius boni esse majorem, quod ejus adipiscendæ causa bonum conjugale transcenditur, non peccatum conjugii devitatur. Alioquin perpetuæ continentiæ [1] non præcipue laudari, sed tantum non vituperari sufficeret ; si propterea teneretur, quoniam nubere crimen esset. Deinde quia non humana sententia, sed divinæ Scripturæ auctoritate ad tam excellens donum homines exhortandi sunt, non mediocriter neque prætereunter agendum est, ne cuiquam ipsa divina Scriptura in aliquo mentita videatur. Dehortantur enim potius quam exhortantur virgines sacras, qui eas sic permanere nuptiarum damnatione compellunt. Unde enim confidant verum esse quod scriptum est, *Et qui non dat nuptum, melius facit* ; si falsum putant esse quod juxta superius nihilominus scriptum est, *Et qui dat virginem suam, bene facit ?* Si autem loquenti Scripturæ de nuptiarum bono indubitanter crediderint, eadem cœlestis eloquii veracissima auctoritate firmatæ ad melius suum ferventi ac fidenti alacritate transcurrent. Unde jam satis pro suscepto negotio diximus, et quantum potuimus demonstravimus, nec illud quod ait Apostolus, *Existimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessitatem*, sic esse accipiendum, tanquam in hoc sæculo meliores sint sacræ virgines fidelibus conjugatis, in regno au-

[1] Sola editio Lov., *confidant, quæ non damnari si nuberent timuerunt, sed honoratius coronari, quia non nubere concupierunt.*

[2] Editio Lovaniensium omittit, *nimis* : et loco, *fugiendo*, habet cum Er., *fugiendi.* Emendatur ex Mss.

[1] Editi, *continentiæ bonum.* Abest, *bonum*, a Mss.

tem cœlorum atque in futuro sæculo pares sint; nec illud ubi ait de nubentibus, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco* (I *Cor.* VII, 38, 26, 28), ita intelligendum, tanquam nuptiarum peccatum et damnationem maluerit tacere quam dicere. Harum quippe duarum sententiarum singulas, duo errores sibimet contrarii non eas intelligendo tenuerunt. Illam enim de præsenti necessitate illi pro se interpretantur, qui nubentes non nubentibus æquare contendunt : hanc vero ubi dictum est, *Ego autem vobis parco*, illi qui nubentes damnare præsumunt. Nos autem secundum Scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nuptias, et earum tamen bonum non solum infra virginalem, verum etiam infra vidualem continentiam constituimus; præsentemque necessitatem conjugatorum, non quidem ad vitam æternam, verumtamen ad excellentem gloriam et honorem qui perpetuæ continentiæ reservatur, impedire eorum meritum dicimus; neque hoc tempore nisi eis qui se non continent nuptias expedire, tribulationemque carnis ex affectu carnali venientem, sine quo nuptiæ incontinentium esse non possunt, nec tacere voluisse Apostolum vera præmonentem, nec plenius explicare hominum infirmitati parcentem.

CAPUT XXII. — 22. *Virginitas non propter hanc vitam, sed propter futuram diligenda ostenditur ex Apostolo.* Nunc jam Scripturarum divinarum evidentissimis testimoniis, quæ pro nostræ memoriæ modulo recordari valuerimus, clarius appareat non propter præsentem hujus sæculi vitam, sed propter futuram quæ in regno cœlorum promittitur, perpetuam continentiam diligendam [1]. Quis autem hoc non advertat in eo quod paulo post idem apostolus ait : *Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino; qui autem matrimonio junctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Et divisa est mulier innupta et virgo : quæ innupta est* [2], *sollicita est quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu; quæ autem nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* (I *Cor.* VII, 32-34)? Non utique ait, Cogitat ea quæ securitatis sunt in hoc sæculo, ut sine gravioribus molestiis tempus transigat; neque ad hoc divisam dicit innuptam et virginem ab ea quæ nupta est, id est distinctam atque discretam, ut innupta in hac vita secura sit propter temporales molestias evitandas, quibus nupta non caret : sed, *Cogitat*, inquit, *quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, et sollicita est quæ sunt Domini* [3], *ut sit sancta et corpore et spiritu.* Nisi forte usque adeo quisque insipienter contentiosus est, ut conetur asserere, non propter regnum cœlorum, sed propter præsens sæculum Domino placere nos velle, aut propter vitam istam, non propter æternam esse sanctas et corpore et spiritu. Hoc credere, quid est aliud, nisi miserabiliorem esse omnibus hominibus? Sic enim Apostolus ait : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I *Cor.* XV, 19). An vero qui frangit panem suum esurienti, si tantum propter hanc vitam facit, stultus est; et ille erit prudens, qui castigat corpus suum usque ad continentiam, qua nec conjugio misceatur, si ei nihil proderit in regno cœlorum?

CAPUT XXIII. — 23. *Idipsum probatur ex verbis Domini.* Postremo ipsum Dominum audiamus evidentissimam hanc sententiam proferentem. Nam cum de conjugibus non separandis nisi causa fornicationis divine ac terribiliter loqueretur, dixerunt ei discipuli : *Si talis est causa cum uxore, non expedit nubere.* Quibus ille : *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc. Sunt enim spadones qui ita nati sunt; sunt autem alii qui ab hominibus facti sunt; et sunt spadones qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum : qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 10-12). Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus et Sapientia Dei dicit, eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare se ipsos propter regnum cœlorum; et contra humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugalium devitare, in regno autem cœlorum amplius quidquam cæteris non habere?

CAPUT XXIV. — 24. *Item ex verbis Isaiæ. Ecclesia regnum cœlorum cur appellata.* De quibus autem spadonibus loquitur Deus per Isaiam prophetam, quibus se dicit daturum in domo sua et in muro suo locum nominatum, meliorem multo quam filiorum atque filiarum, nisi de his qui se ipsos castrant propter regnum cœlorum? Nam illis quibus ipsum virile membrum debilitatur, ut generare non possint, sicut sunt eunuchi divitum et regum, sufficit utique cum christiani fiunt, et Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sunt, ut conjuges si potuissent haberent, cæteris in domo Dei conjugatis fidelibus adæquari, qui prolem licite pudiceque susceptam in Dei timore nutriunt, docentes filios suos ut ponant in Deo spem suam; non autem accipere meliorem locum quam est filiorum atque filiarum. Neque enim uxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Contendat sane qui voluerit de his Prophetam spadonibus hoc prænuntiasse, qui corpore abscisi sunt : iste quoque error causæ quam suscepimus suffragatur. Neque enim spadones istos eis qui in domo ejus nullum habent locum prætulit Deus, sed eis utique qui in filiis generandis conjugalis vitæ meritum servant. Nam cum dicit, *Dabo eis locum multo meliorem*, ostendit et conjugatis dari, sed multo inferiorem. Ut ergo concedamus in domo Dei prædictos futuros eunuchos secundum carnem, qui in populo Israel non fuerunt; quia et ipsos videmus cum Judæi non fiant, tamen fieri christianos; nec de illis dixisse Prophetam, qui

[1] Sic editi. At Mss., *diligendam*.
[2] Er., *Et divisa est mulier innupta, et virgo quæ innupta est : sollicita est quæ sunt Domini.* [illegible]
[3] In Mss. omittitur, *quomodo placeat Domino, et sollicita est quæ sunt Domini.*

proposito continentiæ conjugia non quærentes, se ipsos castrant propter regnum cœlorum? itane tanta dementia quisquam est contrarius veritati, ut in carne factos eunuchos meliorem quam conjugatos[1] locum in domo Dei habere credat, et pio proposito continentes, corpus usque ad contemptas nuptias castigantes, se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cœlestem et angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat; et Christo laudanti eos qui se ipsos castraverunt, non propter hoc sæculum, sed propter regnum cœlorum, christianus contradicat, affirmans hoc vitæ præsenti esse utile, non futuræ? Quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum cœlorum ad hanc temporalem vitam, in qua nunc sumus, asserant pertinere? Cur enim non et in hanc insaniam progrediatur cæca præsumptio? Et quid hac assertione furiosius? Nam etsi regnum cœlorum aliquando Ecclesia etiam quæ hoc tempore est, appellatur; ad hoc utique sic appellatur, quia futuræ vitæ sempiternæque colligitur. Quamvis ergo promissionem habeat vitæ præsentis et futuræ (I *Tim.* IV, 8); in omnibus tamen bonis operibus suis non respicit *quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* IV, 18).

CAPUT XXV. — 25. *Isaiam loqui de æterno præmio spadonibus promisso.* Nec sane Spiritus sanctus tacuit quod contra istos impudentissime ac dementissime pervicaces apertum atque inconcussum valeret, eorumque belluinum impetum ab ovili suo inexpugnabili munitione repelleret. Cum enim dixisset de spadonibus, *Dabo eis in domo mea et in muro meo locum nominatum, meliorem multo quam filiorum atque filiarum;* ne quis nimium carnalis existimaret aliquid in his verbis temporale sperandum, continuo subjecit, *Nomen æternum dabo eis, nec unquam deerit* (*Isai.* LVI, 4, 5) : tanquam diceret, Quid tergiversaris impia cæcitas? quid tergiversaris? Quid serenitati veritatis nebulas tuæ perversitatis offundis? quid in tanta Scripturarum luce tenebras unde insidieris inquiris? Quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis? *Nomen æternum dabo eis.* Quid ab omni concubitu immunes, et eo quoque ipso quo hinc sese abstinent, ea quæ sunt Domini cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? *Nomen æternum dabo eis.* Quid regnum cœlorum, propter quod se ipsos castraverunt sancti spadones, in hac tantum vita intelligendum esse contendis? *Nomen æternum dabo eis.* Et si forte hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, *Nec unquam deerit.* Quid quæris amplius? quid dicis amplius? Æternum hoc nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod utique gloriam quamdam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno et in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis et nomen dictum est, quod eos quibus datur, distinguat a cæteris.

CAPUT XXVI. — 26. *Objectio de denario omnibus reddendo, contra diversitatem præmiorum.* Quid sibi ergo vult, inquiunt, ille denarius, qui opere vineæ terminato æqualiter omnibus redditur, sive iis qui ex prima hora, sive iis qui una hora operati sunt (*Matth.* XX, 9)? Quid utique, nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit? *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* : hic est ille denarius, merces omnium. *Stella* tamen *ab stella differt in gloria; sic et resurrectio mortuorum :* hæc sunt merita diversa sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse omnibus est commune sideribus? Et tamen *alia est gloria solis, alia gloria lunæ, alia stellarum* (I *Cor.* XV, 53, 41, 42). Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cum recte valemus, omnibus membris communis est sanitas, et ipsa si usque ad mortem permaneat, pariter et æqualiter omnibus inest? Et tamen *posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit* (*Id.* XII, 18), ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum odoratus; et quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis æqualiter habeat cum omnibus sanitatem. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est; quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem (*Joan.* XIV, 2) : ac per hoc in denario quidem non impari, non vivit alius alio prolixius; in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.

CAPUT XXVII. — 27. *Virginum gloria futura major et propria quædam in cœlis gaudia. Sequi Agnum quocumque ierit proprium est virginum.* Pergite itaque, sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac feminæ, cælibes et innuptæ[1]; pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum, quando veniat a nuptiis (*Luc.* XII, 35, 36). Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris[2]. Non utique tale quale cantat universa terra, cui dicitur, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, universa terra* (*Psal.* XCV, 1); sed tale quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus ab Agno qui discumbere super pectus ejus solitus erat, et bibebat et eructuabat[3] mirabilia super cœlestia Verbum Dei. Ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorum citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde : et quia se-

[1] In Mss., *quam conjugati.*

[1] Sola editio Lov., *et nuptæ.*
[2] Duo Vaticani Mss. addunt, *hoc est in cordibus dicatis laudibus.* Vaticanus alius, *hoc est in cordibus vestris.*
[3] Sola editio Lov., *et biberat et eructabat.*

quimini Agnum quocumque ierit, scriptum est de vobis (*Apoc.* XIV, 2-4). Quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos? Quo putamus eum ire? in quos saltus et prata? Ubi credo sunt gramina gaudia[1], non gaudia sæculi hujus vana, et insaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Ite in hæc, sequimini Agnum, quia et agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus et natus. Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis, quocumque ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari? Quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, sicut ait apostolus Petrus, *ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur: non in quantum ille Filius Dei est unus, per quem facta sunt omnia; sed in quantum filius hominis, quæ oportebat, in se præbuit imitanda: et multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis non omnibus; non enim habent quid faciant ut virgines sint, in quibus jam factum est ut virgines non sint.

CAPUT XXVIII. — 28. *Quousque sequi Agnum omnes possunt.* Sequantur itaque Agnum cæteri fideles qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quousque ipsi potuerint. Possunt autem ubique, præter cum in decore virginitatis incedit. *Beati pauperes spiritu;* imitamini eum, qui propter vos pauper factus est, cum dives esset (II *Cor.* VIII, 9). *Beati mites;* imitamini eum qui dixit, *Discite a me quoniam mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). *Beati lugentes;* imitamini eum qui flevit super Jerusalem (*Luc.* XIX, 41). *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam;* imitamini eum qui dixit, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* IV, 34). *Beati misericordes;* imitamini eum qui vulnerato a latronibus et in via jacenti semivivo desperatoque subvenit (*Luc.* X, 30-35). *Beati mundicordes;* imitamini eum *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I *Petr.* II, 22). *Beati pacifici;* imitamini eum qui pro suis persecutoribus dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciant* (*Luc.* XXIII, 34). *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V, 3-10); imitamini eum qui *pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Hæc qui imitantur, in his Agnum sequuntur. Sed certe etiam conjugati possunt ire per ista vestigia, etsi non perfecte in eadem forma ponentes pedem, verumtamen in eisdem semitis gradientes.

CAPUT XXIX. — 29. *Quo eum sequantur solæ virgines. Invidentia in cœlis propter præmiorum differentiam nulla.* Sed ecce ille Agnus graditur itinere virginali: quomodo post eum ibunt qui hoc amiserunt quod nullo modo recipiunt? Vos ergo, vos ite post eum, virgines ejus; vos et illuc ite post eum, quia propter hoc unum[2] quocumque ierit sequimini eum: ad quodlibet enim aliud sanctitatis donum quo eum sequantur, hortari possumus conjugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. Vos itaque sequimini eum tenendo perseveranter quod vovistis ardenter. Facite cum potestis, ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest: videbit, nec invidebit; et collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit; audire autem poterit, et delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui et dicetis et audietis, quia et hoc quod dicetis a vobis audietis, felicius exsultabitis, jucundiusque regnabitis. De majore tamen vestro gaudio nullus mœror erit quibus hoc deerit. Agnus ille quippe, quem vos quocumque ierit sequimini, nec eos deseret qui eum quo vos non valent sequi. Omnipotentem Agnum loquimur. Et vobis præibit, et ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28). Et qui minus habebunt, a vobis non abhorrebunt. Ubi enim nulla est invidentia, concors est differentia. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vovetis et redditis Domino Deo vestro vota (*Psal.* LXXV, 12) perpetuæ continentiæ, non propter præsens sæculum, sed propter regnum cœlorum.

CAPUT XXX. — 30. *Hortatur ad virginitatem ut ad opus supererogationis, non præcepti.* Vos etiam qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere, capite (*Matth.* XIX, 12); perseveranter currite, ut comprehendatis (I *Cor.* IX, 24). Tollite hostias quisque suas, et introite in atria Domini (*Psal.* XCV, 8), non ex necessitate, potestatem habentes vestræ voluntatis. Neque enim sicut, *Non mœchaberis, Non occides* (*Exod.* XX, 13, 14), ita dici potest, Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur: nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis (*Luc.* X, 35). Cogitate, quidquid illud est, in muro ejus locum nominatum meliorem multo quam filiorum atque filiarum. Cogitate illic nomen æternum (*Isai.* LVI, 5). Quis explicat quale nomen erit? Quodcumque tamen erit, æternum erit. Hoc credendo et sperando et amando, potuistis conjugia non devitare prohibita, sed transvolare concessa.

CAPUT XXXI. — 31. *Humilitas maxime virginibus commendanda. Humilitatis mensura cuique data. Superbia mater invidentiæ.* Unde hujus muneris magnitudo, ad quod capessendum pro nostris viribus hortati sumus, quanto est excellentius atque divinius, tanto magis admonet sollicitudinem nostram, non solum de gloriosissima castitate, verum etiam de tu-

[1] Editio Lov. pro, gramina, habet, gaudia, vel gaudibus Mss. et Er.

[2] Editi, *bonum unum*. Abest, *bonum*, a Mss.

tissima humilitate aliquid loqui. Cum ergo perpetuæ continentiæ professores se conjugatis comparantes, secundum Scripturas compererint eos infra esse, et opere et mercede, et voto et præmio, statim veniat in mentem quod scriptum est, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III, 20). Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est: cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Hanc sequitur invidentia, tanquam filia pedissequa: eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole atque comite. Quibus duobus malis, hoc est superbia et invidentia, diabolus est [1]. Itaque contra superbiam matrem invidentiæ maxime militat universa disciplina christiana. Hæc enim docet humilitatem, qua et acquirat et custodiat charitatem: de qua cum dictum esset, *Charitas non æmulatur;* velut si causam quæreremus, unde fiat ut non æmuletur, continuo subdidit, *Non inflatur* (I *Cor.* XIII, 4): tanquam diceret, Ideo non habet invidentiam, quia nec superbiam. Doctor itaque humilitatis Christus primo *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 7, 8). Ipsa vero doctrina ejus, quam attente insinuet humilitatem atque huic præcipiendæ vehementer insistat, quis explicare facile possit, atque in hanc rem demonstrandam testimonia cuncta congerere? Hoc facere conetur vel faciat, quisquis seorsum de humilitate voluerit scribere: hujus autem operis aliud propositum est, quod de tam magna re susceptum est, ut ei maxime sit cavenda superbia.

CAPUT XXXII. — 32. *De humilitate præcepta Domini et exempla.* Proinde pauca testimonia, quæ Dominus in mentem dare dignatur, ex doctrina Christi de humilitate commemoro, quæ ad id quod intendi fortasse sufficiant. Sermo ejus, quem primum prolixiorem ad discipulos habuit, inde cœpit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3): quos sine ulla controversia humiles intelligimus. Fidem Centurionis illius ideo præcipue laudavit, nec se invenisse in Israel dixit tantam fidem, quia ille tam humiliter credidit, ut diceret, *Non sum dignus ut sub tectum meum intres* (*Id.* VIII, 5-10). Unde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad Jesum, cum apertissime Lucas insinuet quod non ad eum ipse venerit, sed amicos suos miserit (*Luc.* VII, 6, 7), nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quam illi quos misit. Unde et illud propheticum est, *Excelsus est Dominus, et humilia respicit; excelsa autem a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII, 6): utique tanquam non accedentia. Hinc et illi mulieri Chananææ dicit, *O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis:* quam superius canem appellaverat, nec ei panem filiorum projiciendum esse responderat. Quod ille humiliter accipiens dixerat, *Ita, Domine; nam et canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ac sic quod antea clamore non impetraverat, humili confessione promeruit (*Matth.* XV, 22-28). Hinc et illi duo proponuntur orantes in templo, unus pharisæus, et alter publicanus, propter eos qui sibi justi videntur, et spernunt cæteros, et enumerationem meritorum præferunt confessioni peccatorum. Et utique Deo gratias agebat pharisæus ex bonis in quibus sibi multum placebat: *Gratias, inquit, tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut et publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, nec oculos ad cœlum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Sequitur autem divina sententia: *Amen dico vobis, descendit justificatus de templo publicanus magis quam ille pharisæus.* Deinde causa ostenditur, cur hoc justum sit: *Quoniam is qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 10-14). Fieri ergo potest ut quisque et mala vera devitet, et vera bona in se consideret, et de his Patri luminum gratias agat, a quo descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jacobi* I, 17); et tamen elationis vitio reprobetur, si aliis peccatoribus maximeque peccata in oratione confitentibus, vel sola cogitatione quæ coram Deo est, superbus insultet, quibus non exprobatio cum inflatione, sed miseratio sine desperatione debetur. Quid illud quod quærentibus inter se discipulis quisnam eorum major esset, puerum parvulum constituit ante oculos eorum, dicens: *Nisi fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 1-3)? nonne humilitatem maxime commendavit, et in ea meritum magnitudinis posuit? Vel cum filiis Zebedæi latera ejus in sedium sublimitate concupiscentibus, ita respondit, ut passionis ejus calicem bibendum potius cogitarent (*Id.* XX, 21, 22), in quo se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 8), quam superbo appetitu præferri cæteris postularent; quid ostendit, nisi eis se futurum altitudinis largitorem, qui eum doctorem humilitatis antea sequerentur? Jam vero quod exiturus ad passionem lavit pedes discipulis, monuitque apertissime ut hoc facerent condiscipulis atque conservis, quod eis fecisset Magister et Dominus (*Joan.* XIII, 1-17); quantum commendavit humilitatem? Cui commendandæ etiam tempus illud elegit, quo eum proxime moriturum cum magno desiderio contuebantur; hoc utique præcipue memoria retenturi, quod Magister imitandus ultimum demonstrasset. At ille hoc fecit illo tempore, quod utique potuit et aliis ante diebus, quibus cum eis fuerat conversatus: quando si fieret, hoc ipsum quidem traderetur, sed utique non sic acciperetur.

CAPUT XXXIII. — 33. *Humilitas Christianis, sed maxime virginibus custodienda.* Cum ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem a Christo Christiani appellantur, cujus Evangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem hu-

[1] Sic Mss. At Er., *superbia et invidentia diabolus præest.* Lov., *superbiæ et invidentiæ diabolus præest.*

militatis inveniat; tum maxime virtutis hujus sectatores et conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, ut magnopere curent illud quod primitus posui: *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III, 20). Proinde quia perpetua continentia, maximeque virginitas, magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cavendum est ne superbia corrumpatur.

34. Curiosas et verbosas malas innuptas Paulus apostolus notat, et hoc vitium venire dicit ex otio. *Simul autem*, inquit, *et otiosæ discunt circumire domos*[1]; *non solum autem otiosæ, verum etiam curiosæ et verbosæ, loquentes quæ non oportet.* De his superius dixerat, *Juniores autem viduas evita. Cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt; habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*: id est, in eo quod primo voverant, non steterunt.

CAPUT XXXIV. — *Innuptas viventes contra propositum non spectat præsens adhortatio ad humilitatem.* Nec tamen ait, nubunt; sed, *nubere volunt.* Multas enim earum revocat a nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens et ipse de superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, et ideo non nubunt quia impune non possunt, quæ melius nuberent quam urerentur, id est, quam occulta flamma concupiscentiæ in ipsa conscientia[2] vastarentur, quas pœnitet professionis, et piget confessionis; nisi correctum cor dirigant, et Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt, sive in deliciis agant; unde dicit Apostolus, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* (I *Tim.* V, 13, 11, 12, 6); sive in laboribus atque jejuniis, nulla cordis correctione superfluis, et magis ostentationi quam emendationi[3] servientibus. Non ego talibus magnam curam humilitatis ingero, in quibus superbia ipsa confunditur, et conscientiæ vulnere cruentatur. Nec ebriosis, aut avaris, aut alio quolibet damnabilis morbi genere[4] jacentibus, cum habeant corporalis continentiæ professionem, moribusque perversis a suo nomine dissonent, hanc magnam sollicitudinem piæ humilitatis impono: nisi forte in his malis etiam ostentare se audebunt, quibus non sufficit quod eorum supplicia differuntur. Nec de his ago in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiore vestitu quam tantæ professionis necessitas postulat, aut capitis ligamento notabili, sive prætumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris[5], ut retiola subter posita appareant: his nondum de humilitate, sed de ipsa castitate vel integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his et hujusmodi omnibus carentem vitiis et maculis morum; huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quo magis inest unde sibi placeat, eo magis vereor ne sibi placendo illi displiceat, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6).

CAPUT XXXV. — 35. *Humilitatem Christus a se disci jubet.* Certe præcipuum magisterium et virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est. Quid ergo amplius continentibus de humilitate præcipiam, quam quod ille qui omnibus dicit, *Discite a me quoniam mitis sum et humilis corde?* cum magnitudinem suam supra commemorasset; et idipsum volens ostendere[1], quantus propter nos quantillus effectus est: *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater*[2], *Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum est coram te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo cognoscit Filium, nisi Pater; et nemo cognoscit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 25-29). Ille, ille cui omnia tradidit Pater, et quem nemo agnoscit nisi Pater, et qui Patrem solus agnoscit, et cui voluerit revelare, non dicit, Discite a me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed, *quia mitis sum et humilis corde.* O doctrinam salutarem! o Magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est! Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bone Jesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi tanquam in concione generis humani clamantem ac dicentem, *Venite ad me, et discite a me.* Quid, obsecro te, per quem facta sunt omnia, Fili Dei, et idem qui factus es inter omnia, Fili hominis; quid ut discamus a te, venimus ad te? *Quoniam mitis sum*, inquit, *et humilis corde.* Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te (*Coloss.* II, 3), ut hoc pro magno discamus a te, quoniam mitis es et humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi a te qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? Ita plane. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

CAPUT XXXVI. — 36. *Humilitatis doctrina facile audita a peccatoribus. Virginibus multo magis audienda.* Audiant te, et veniant ad te, et mites atque humiles esse discant a te, qui misericordiam et veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, tibi, non sibi. Audiat hoc laborans et oneratus, qui sarcina premitur, ut oculos ad cœlum levare non audeat, percutiens pectus ille peccator et propinquans de longinquo (*Luc.* XVIII, 13). Audiat Centurio, non dignus cujus tectum subires (*Matth.* VIII, 8). Audiat Zachæus major publicanorum, quadrupla restituens lucra damnabilium peccatorum (*Luc.* XIX, 2, 8). Audiat mulier in civi-

[1] Mss., *curiosæ esse discunt, circumire domos.*
[2] Sic plures Mss. At editi, *in ipsa concupiscentia.*
[3] [illegible]
[4] Mss., [illegible]
[5] Editi, *ita teneris utuntur.* Abest, *utuntur*, a Mss.

[1] Nonnulli Mss., *commemorasset, idipsum volens ostendere*, omissa particula, *et.*
[2] In Mss. deest vox, *Pater*; et paulo post omittitur, *et prudentibus.*

tate peccatrix, tanto lacrymosior pedibus tuis, quanto fuerat alienior a vestigiis tuis (*Luc.* VII, 37, 38). Audiant meretrices et publicani, qui Scribas et Pharisæos præcedunt in regnum cœlorum (*Matth.* XXI, 31). Audiat omne genus ægrorum, cum quibus tibi pro crimine sunt objecta convivia, videlicet quasi a sanis qui medicum non quærebant, cum tu non venires vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam (*Id.* IX, 11-13). Hi omnes cum convertuntur ad te, facile mitescunt et humiliantur coram te, memores iniquissimæ vitæ suæ, et indulgentissimæ misericordiæ tuæ; quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia* (*Rom.* V, 20).

37. Sed respice agmina virginum, puerorum puellarumque sanctarum : in Ecclesia tua eruditum est hoc genus; illic tibi a maternis uberibus pullulavit, in [1] nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum velut lac infantiæ suæ suxit infusum. Non potest quisquam ex hoc numero dicere, *Qui prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I *Tim.* I, 13) : imo etiam quod non jussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti, dicens, *Qui potest capere, capiat*, arripuerunt, voverunt; et propter regnum cœlorum se ipsos, non quia minatus es, sed quia hortatus es, castraverunt (*Matth.* XIX, 12).

CAPUT XXXVII. *Humilitatis exemplum in ipso Domino propositum virginibus.* His inclama, hi te audiant, quoniam mitis es et humilis corde. Hi quanto magni sunt, tanto humilient se in omnibus, ut coram te inveniant gratiam. Justi sunt : sed numquid sicut tu justificans impium [2]? Casti sunt : sed eos in peccatis matres eorum in uteris aluerunt (*Psal.* L, 7). Sancti sunt : sed tu etiam sanctus sanctorum. Virgines sunt : sed nati etiam ex virginibus non sunt. Et spiritu et carne integri sunt : sed Verbum caro factum non sunt. Et tamen discant, non ab eis quibus peccata dimittis, sed a te ipso Agno Dei, qui tollis peccata mundi (*Joan.* I, 14, 29), quoniam mitis es et humilis corde.

38. Non ego te, anima pie pudica, quæ appetitum carnalem nec usque ad concessum conjugium relaxasti, quæ decessurum corpus nec successori propagando indulsisti, quæ fluitantia membra terrena in cœli consuetudinem suspendisti : non ego te, ut discas humilitatem, ad publicanos et peccatores mitto, qui tamen in regnum cœlorum præcedunt superbos; non te ad hos mitto; indigni sunt enim qui ab immunditiæ voragine liberati sunt, ut ad eos imitandos mittatur illibata virginitas : ad Regem cœli te mitto, ad eum per quem creati sunt homines, et qui creatus est inter homines propter homines; ad speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3), et contemptum a filiis hominum pro filiis hominum, ad eum qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus est servire mortalibus. Eum certe humilem non iniquitas, sed charitas fecit; *charitas* quæ *non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt* (I *Cor.* XIII, 4, 5) : quia et *Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum de illo est, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Rom.* XV, 3). Vade, veni ad illum, et disce quoniam mitis est et humilis corde. Non ibis ad eum qui oculos ad cœlum levare non audebat onere iniquitatis; sed ad eum qui de cœlo descendit pondere charitatis (*Joan.* VI, 38). Non ibis ad eam quæ Domini sui pedes lacrymis rigavit, quærens indulgentiam gravium peccatorum, sed ibis ad eum qui cum daret indulgentiam omnium peccatorum, lavit pedes suorum servorum (*Id.* XIII, 5). Novi dignitatem virginitatis tuæ : non tibi propono imitandum publicanum humiliter accusantem delicta sua; sed timeo tibi pharisæum superbe jactantem merita sua (*Luc.* XVIII, 10-14). Non dico, Esto qualis illa de qua dictum est, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; sed metuo ne cum tibi modicum dimitti putas, modicum diligas (*Id.* VII, 38, 47).

CAPUT XXXVIII. — 39. *Timor ipsis virginibus necessarius, non timor sæcularis aut servilis, sed timor Dei castus.* Metuo, inquam, tibi vehementer, ne cum te Agnum quocumque ierit secuturam esse glorieris, eum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis. Bonum est tibi, o anima virginalis, ut sic quomodo virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias tamen a timore Domini et parturias spiritum salutis (*Isai.* XXVI, 18). *Timor* quidem *non est in charitate, sed perfecta*, sicut scriptum est, *charitas foras mittit timorem* (I *Joan.* IV, 18) : sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI, 20). Ama Dei bonitatem, time severitatem : utrumque te superbam esse non sinit. Amando enim times, ne amatum et amantem graviter offendas. Nam quæ gravior offensio, quam ut superbia (*a*) illi displiceas, qui propter te superbis displicuit? Et ubi magis esse debet *timor* ille *castus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10), quam in te, quæ non cogitas quæ sunt mundi, quomodo placeas conjugi; sed quæ sunt Domini, quomodo placeas Domino (I *Cor.* VII, 32)? Ille alius timor non est in charitate : iste autem castus non recedit a charitate. Si non amas, time ne pereas : si amas, time ne displiceas. Illum timorem charitas foras mittit : cum isto intro currit. Dicit apostolus etiam Paulus : *Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timorem* [1]; *sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15). Illum cum timorem credo dicere, qui datus erat in Vetere Testamento, ne amitterentur temporalia bona, quæ Deus promiserat nondum sub gratia filiis, sed sub Lege adhuc servis. Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ charitatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. Aliæ vo-

[1] Sola editio Lov. omittit particulam, *in*.
[2] Er. et nonnulli Mss. *justificant impium*.

[1] Editi, *in timore*. Veteres autem libri, *in timorem* : juxta græcum, *eis phobon*; cui concordat Vulgata in antiquis Bibliis Corbeiensibus.
(*a*) Forte, *superba*.

ces sunt, *Quo abibo ab spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam* (*Psal.* CXXXVIII, 7)? et aliæ voces sunt, *Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus*[1]; et, *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* XXVI, 4, 9); et, *Desiderat et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3). Illas voces habuerit[2], qui oculos non audebat levare in cœlum; et quæ rigabat lacrymis pedes ad impetrandam veniam gravium peccatorum: has autem tu habeto, quæ sollicita es ea quæ sunt Domini, ut sis sancta et corpore et spiritu. Illis vocibus comitatur timor qui tormentum habet, quem perfecta charitas foras mittit: his autem vocibus comitatur timor Domini castus permanens in sæculum sæculi. Et utrique generi dicendum est, *Noli altum sapere, sed time;* ut homo nec de peccatorum suorum defensione, nec de justitiæ præsumptione se extollat. Nam et ipse Paulus, qui dicit, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem:* tamen timore comite charitatis ait, *Cum timore et tremore multo fui ad vos* (I *Cor.* II, 3); et ea sententia quam commemoravi, ne adversus fractos oleæ ramos insertus superbiret oleaster, ipse usus est, dicens, *Noli altum sapere, sed time:* ipse omnia membra Christi generaliter admonens, ait, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 12, 13); ne ad Vetus Testamentum videatur pertinere quod scriptum est, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11).

CAPUT XXXIX. — 40. *Spiritus sancti locus cor humiliatum. Justis ex cadendi periculo ratio sese humiliandi.* Et quæ magis membra corporis sancti, quod est Ecclesia, curare debent, ut super ea requiescat Spiritus sanctus, quam virginalem profitentia sanctitatem? Quomodo autem requiescit ubi non invenit locum suum? quid aliud quam cor humiliatum quod impleat, non unde resiliat; quod erigat, non quod deprimat? cum apertissime dictum sit, *Super quem requiescet Spiritus meus? Super humilem et quietum et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2). Jam juste vivis, jam pie vivis, pudice, sancte, virginali castitate vivis: adhuc tamen hic vivis, et non humiliaris audiendo, *Numquid non tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1)? Non te a præfidentia elati ne reverberat, *Væ mundo ab scandalis* (*Matth.* XVIII, 7)? Non contremiscis, ne deputeris in multis quorum refrigescit charitas, quoniam abundat iniquitas (*Id.* XXIV, 12)? Non percutis pectus cum audis, *Qui se putat stare, videat*[3] *ne cadat* (I *Cor.* X, 12)? Inter hæc divina monita et humana pericula, itane adhuc virginibus sanctis humilitatem persuadere laboramus?

CAPUT XL. — 41. *Justis miscentur casuri, ut ex horum casu timor augeatur. Justus non putet modicum sibi dimissum, ut modicum diligat. Dimissum sibi putet quidquid mali a se non est commissum.* An vero propter aliud credendum est, permittere Deum ut misceantur numero professionis vestræ multi et multæ casuri et casuræ, nisi ut his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur; quam sic odit Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliaret Altissimus? Nisi forte revera ideo minus timebis, magisque inflaberis, ut modicum diligas eum qui te tantum dilexit, ut traderet semetipsum pro te (*Galat.* II, 20), quia modicum tibi dimisit, viventi videlicet a pueritia religiose, pudice, pia castitate[1], illibata virginitate. Quasi vero non tu multo ardentius diligere debeas eum, qui flagitiosis ad se conversis quæcumque dimisit, in ea te cadere non permisit? Aut vero ille pharisæus, qui propterea modicum diligebat, quia modicum sibi dimitti existimabat (*Luc.* VII, 36-47), ob aliud hoc errore cæcabatur, nisi quia ignorans Dei justitiam, et suam quærens constituere, justitiæ Dei subjectus non erat (*Rom.* X, 3)? Vos autem genus electum, et in electis electius, virginei chori sequentes Agnum, etiam vos *gratia salvi facti estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II, 8-10). Ergone hunc quanto ejus donis ornatiores estis, tanto minus amabitis? Averterit tam horrendam ipse dementiam! Proinde quoniam verum Veritas dixit, quod ille cui modicum dimittitur, modicum diligit; vos ut ardentissime diligatis, cui diligendo a conjugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tanquam omnino dimissum, quidquid mali a vobis non est illo regente commissum. *Oculi enim vestri semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes vestros* (*Psal.* XXIV, 15): et, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilavit qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Et de ipsa continentia loquens Apostolus ait: *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet a Deo; alius sic, alius autem sic* (I *Cor.* VII, 7). Quis ergo donat ista? quis distribuit propria unicuique sicut vult (*Id.* XII, 11)? Nempe Deus, apud quem non est iniquitas (*Rom.* IX, 14). Ac per hoc qua æquitate ille faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse aut impossibile, aut omnino difficile est: quin tamen æquitate faciat, dubitare fas non est. *Quid itaque habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)? aut qua perversitate minus diligis, a quo amplius accepisti?

CAPUT XLI. — 42. *Prima humilitatis cogitatio, virginitatem haberi ex Dei dono. Præcepta non fieri nisi eo dante qui præcipit. Obedientia et pœnitentia pariter dona Dei.* Quapropter hæc prima sit induendæ humilitatis cogitatio, ne a se sibi putet esse Dei virgo quod talis est, ac non potius hoc donum optimum desuper descendere a Patre luminum, apud quem non

[1] Editio, protegar a templo ejus. At Mss. hic et in Enarratione Psalmi [illegible] et hic, protegar [illegible]; plerique habent [illegible]
[2] Editi, [illegible] Mss.
[3] In Mss., caveat.

[1] sola editio Lov., pie, caste.

est transmutatio, nec momenti obumbratio (*Jacobi* I, 17). Ita enim non putabit modicum sibi esse dimissum, ut modicum diligat, et ignorans Dei justitiam, ac suam volens constituere, justitiæ Dei non subjicitur. In quo vitio erat Simon ille, quem superavit mulier cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Sed cautius et verius cogitabit, omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, a quibus Deus custodit ne committantur. Testes sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, quibus ostenditur, ea ipsa quæ præcipiuntur a Deo, non fieri nisi dante atque adjuvante qui præcipit. Mendaciter enim petuntur, si ea non adjuvante ejus gratia facere possemus. Quid tam generaliter maximeque præcipitur, quam obedientia qua custodiuntur mandata Dei? Et tamen hanc invenimus optari: *Tu*, inquit, *præcepisti mandata tua custodiri nimis*. Deinde sequitur: *Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas: tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 4-6). Quod Deum præcepisse supra posuit, hoc ut a se impleretur [1] optavit. Hoc fit utique ne peccetur: quod si peccatum fuerit, præcipitur ut pœniteat; ne defensione et excusatione peccati pereat superbiendo qui fecit, dum non vult pœnitendo perire quod fecit. Etiam hoc a Deo petitur, ut intelligatur non fieri, nisi eo præstante a quo petitur. *Pone*, inquit, *Domine*, *custodiam ori meo*, *et ostium continentiæ circum labia mea: ne declines cor meum in verba maligna*, *ad excusandum excusationes in peccatis*, *cum hominibus operantibus iniquitatem* (*Psal.* CXL, 3, 4). Si ergo et obedientia qua ejus mandata servamus, et pœnitentia qua peccata nostra non excusamus, sed accusamus, optatur et petitur; manifestum est quia cum fit, illo dante habetur, illo adjuvante completur. Apertius etiam dicitur propter obedientiam, *A Domino gressus hominis diriguntur*, *et viam ejus volet* (*Psal.* XXXVI, 23): et de pœnitentia dicit Apostolus, *Ne forte det illis Deus pœnitentiam* (II *Tim.* II, 25).

43. De ipsa etiam continentia nonne apertissime dictum est: *Et cum scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det*, *et hoc ipsum erat sapientiæ*, *scire cujus esset hoc donum* (*Sap.* VIII, 21)?

CAPUT XLII. — *Continentia item et sapientia nonnisi a Deo præstantur.* Sed forte continentia donum Dei est, sapientiam vero sibi ipse homo præstat, qua illud donum non suum, sed Dei esse cognoscat. Imo, *Dominus sapientes facit cæcos* (*Psal.* CXLV, 8); et, *Testimonium Domini fidele*, *sapientiam præstat parvulis* (*Psal.* XVIII, 8); et, *Si quis indiget sapientia*, *postulet a Deo*, *qui dat omnibus affluenter*, *et non improperat; et dabitur ei* (*Jacobi* I, 5). Sapientes autem esse virgines decet, ne lampades earum exstinguantur (*Matth.* XXV, 4). Quomodo sapientes, nisi *non alta sapientes, sed humilibus consentientes* (*Rom.* XII, 16)? *Dixit* enim *homini* ipsa Sapientia, *Ecce pietas est sapientia* (*Job* XXVIII, 28). Si ergo nihil habes quod non accepisti, *noli altum sapere*, *sed time* (*Rom.* XI, 20). Et noli modicum diligere, quasi a quo tibi modicum dimissum est; sed potius multum dilige, a quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatum est ne redderet; quanto magis debet diligere, cui donatum est ut haberet? Nam et quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur; et quisquis ex impudico pudicus fit, ab illo corrigitur; et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur. Hoc autem ille occulto judicio facere potest, iniquo non potest: et fortasse ideo latet, ut plus timeatur, et minus superbiatur.

CAPUT XLIII. — 44. *De ipso Dei dono ne se extollant virgines.* Deinde jam sciens homo, gratia Dei se esse quod est, non incidat in alium superbiæ laqueum, ut de ipsa Dei gratia se extollendo spernat cæteros. Quo vitio alius [1] ille pharisæus, et de bonis quæ habebat Deo gratias agebat, et tamen se super publicanum peccata confitentem extollebat (*Luc.* XVIII, 10-14). Quid igitur faciat virgo, quid cogitet, ne se extollat super eos vel eas quæ hoc tam magno dono carent? Neque enim simulare debet humilitatem, sed exhibere: nam simulatio humilitatis major superbia est. Idcirco Scriptura volens ostendere veracem humilitatem esse oportere, cum dixisset, *Quanto magnus es*, *tanto humilia te in omnibus;* mox quoque subdidit, *et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III, 20): utique ubi se fallaciter humiliare non posset.

CAPUT XLIV. — 45. *Quid cogitandum virgini*, *ut veraciter se non audeat mulieri vel conjugatæ præferre.* Proinde quid dicemus? Estne aliquid quod virgo Dei veraciter cogitet, unde se fideli mulieri, non tantum viduæ, verum etiam conjugatæ præferre non audeat? Non ego reprobam dico: nam quis nesciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam? Sed cum ambæ sunt obedientes præceptis Dei, itane trepidabit sanctam virginitatem etiam castis nuptiis et continentiam præferre connubio, fructum centenum præire triceno? Imo vero non dubitet hanc rem illi rei præponere. Hæc tamen vel hæc virgo obediens et Deum timens, illi vel illi mulieri obedienti et Deum timenti se anteferre non audeat: alioquin non erit humilis, et *Deus superbis resistit* (*Jacobi* IV, 6). Quid ergo cogitabit? Occulta scilicet dona Dei, quæ nonnisi interrogatio tentationis, etiam in semetipso, unicuique declarat [2]. Ut enim cætera taceam; unde scit virgo, quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino (I *Cor.* VII, 32), ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondum sit matura martyrio, illa vero mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis amatoribus sublimitatis opposuit (*Matth.* XX, 22)? Unde, inquam, scit, ne forte ipsa nondum sit Thecla, jam sit illa Crispina (*a*)?

[1] Sic Mss. At editi, *ut in se impleretur*.

[1] Nonnulli Mss., *alter*.

[2] Editi, *quæ nonnisi interrogatione tentationis etiam semetipsum sibi ipsi declarant*. Castigantur ex Mss.

(*a*) Thecla virgo [illegible], præside Nerone ignes pro Christo ac bestias vicit. Crispina vero mulier Thagarensis

CAPUT XLV. — *Fructus centenus, sexagenus et tricenus varie intellectus.* Certe nisi adsit tentatio, nulla doni hujus fit demonstratio.

46. Hoc autem tam magnum est, ut eum fructum centenum quidam intelligant (a). Perhibet enim præclarissimum testimonium ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco martyres, et quo defunctæ sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur (b). Sed quid significet fecunditatis illa diversitas, viderint qui hæc melius quam nos intelligunt; sive virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem conjugalis: sive centena fertilitas martyrio potius imputetur, sexagena continentiæ, tricena connubio; sive virginitas accedente martyrio centenum fructum impleat, sola vero in sexageno sit, conjugati autem tricenum ferentes ad sexagenum perveniant si martyres fuerint: sive quod probabilius mihi videtur, quoniam divinæ gratiæ multa sunt munera, et est aliud alio majus ac melius, unde dicit Apostolus, *Æmulamini*[1] *autem dona meliora* (I *Cor.* XII, 31); intelligendum est plura esse, quam ut in tres differentias distribui possint. Primum, ne continentiam vidualem aut in nullo fructu constituamus, aut ad conjugalis pudicitiæ meritum deponamus, aut virginali gloriæ coæquemus; aut coronam martyrii vel in habitu animi, etiamsi desit tentationis examen, vel in ipsa passionis experientia constitutam, cuilibet illarum trium castitati sine ullo incremento fertilitatis accedere existimemus. Deinde, ubi ponimus quod multi ac multæ ita custodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant quæ Dominus ait, *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21); nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, sed sunt eis omnia communia (*Act.* II, 44, *et* IV, 32): nihilne putamus fructificationis accedere virginibus Dei, cum hoc faciunt? aut sine ullo fructu esse virgines Dei, etiamsi hoc non faciunt?

CAPUT XLVI. — *Vita communis sanctimonialium excellentior.* Multa ergo sunt dona, et aliis alia clariora ac superiora, singulis singula. Et aliquando alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus; alter inferioribus, sed pluribus. Et quemadmodum inter se vel coæquentur vel distinguantur in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat judicare? dum tamen constet et multa esse ista diversa, et non ad præsens tempus, sed in æternum prodesse meliora. Sed Dominum tres arbitror voluisse fructificationis commemorare differentias (*Matth.* XIII, 8), cæteras intelligentibus reliquisse. Nam et alius evangelista solum commemoravit centuplum (*Luc.* VIII, 8): numquid ideo putandus est alia duo vel improbasse vel ignorasse, ac non potius intelligenda reliquisse?

47. Sed ut dicere cœperam, sive centenus fructus sit Deo devota virginitas, sive alio aliquo modo, vel quem commemoravimus, vel quem non commemoravimus, sit illa fertilitatis intelligenda distantia; nemo tamen, quantum puto, ausus fuerit virginitatem præferre martyrio, ac nemo dubitaverit hoc donum occultum esse, si examinatrix desit tentatio.

CAPUT XLVII. — *Ut non infletur virgo, cogitet se forte non posse pro Christo pati, quod possit conjugata.* Habet itaque virgo quod cogitet quod ei prosit ad servandam humilitatem, ne violet illam quæ supereminet donis omnibus charitatem, sine qua utique quæcumque alia vel pauca vel plura vel magna vel parva habuerit, nihil est. Habet, inquam, quod cogitet ut non infletur, non æmuletur; ita se scilicet bonum virginale conjugali bono multo amplius et melius profiteri, ut tamen nesciat utrum illa vel illa conjugata jam pati pro Christo possit, adhuc vero ipsa non possit, et in hoc ei parcatur, quia infirmitas ejus tentatione non interrogatur. *Fidelis enim Deus*, ait Apostolus, *qui non vos permittet tentari super id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* X, 13). Fortassis ergo illi vel illæ conjugalis vitæ retinentes in suo genere laudabilem modum, jam possint contra inimicum ad iniquitatem cogentem etiam laniatu viscerum et effusione sanguinis dimicare; illi autem vel illæ a pueritia continentes, seque castrantes propter regnum cœlorum, nondum tamen valeant talia vel pro justitia vel pro ipsa pudicitia sustinere. Aliud est enim pro veritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti atque ferienti. Latent ista in facultatibus et viribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur[1]. Ut ergo quisque non infletur, ex eo quod se pervidet posse, humiliter cogitet quod ignorat aliquid præstantius se fortasse non posse; aliquos autem qui illud quo sibi gloriose notus est, nec habent nec profitentur, hoc quod ipse non potest posse. Ita servabitur non fallaci, sed veraci humilitate, *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII, 10); et, *Alter alterum existimantes superiorem sibi* (*Philipp.* II, 3).

CAPUT XLVIII. — 48. *Alia humilitatis occasio, quod nullus hic sit sine peccato.* Quid jam dicam de ipsa cautela et vigilantia non peccandi? *Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 9)? Integra est quidem ab utero matris sancta virginitas: sed *nemo*, inquit, *mundus in conspectu tuo, nec infans cujus est unius*

[1] Omnes Mss., *Imitamini.*

(sic ejus Acta in Theodericensi Ms. forte pro *Thagastensis*, vel *Thaguriensis*) gladio percussa est Thebestæ in Africa sub Diocletiano et Maximiano, Anulino proconsule. Inde rursum in sermone 354, ad Continentes, n. 5: « Cogitate, ait, persecutionis tempore non solum Agnen fuisse coronatam « virginem, sed et Crispinam mulierem; et forte, quod non « dubitatur, aliqui tunc de continentibus defecerunt, et « multi de conjugatis pugnaverunt atque vicerunt. »

(a) Hanc sententiam refert Hieronymus, sed aliam ipse in lib. 1 contra Jovinianum, et in Matth. cap. 13 eligit, quæ videlicet centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, et trigesimum castis conjugatis deputat.

(b) Huc pertinet illud in sermone 159, n. 1: « Martyres « eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; « pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. »

[1] Er. et aliquot Mss., *tentata panduntur, experta propalantur*

dei vita super terram (*Job.* XXV, 4). Servatur et in fide inviolata quædam castitas virginalis, qua Ecclesia uni viro virgo casta coaptatur : sed ille unus vir, non tantum fideles mente et corpore virgines, sed omnes omnino Christianos ab spiritualibus usque ad carnales, ab Apostolis usque ad ultimos pœnitentes, tanquam a summis cœlorum usque ad terminos eorum (*Matth.* XXIV, 31), docuit orare, et in ipsa oratione dicere admonuit, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Id.* VI, 12) : ubi per hoc quod petimus, quid etiam nos esse meminerimus ostendit. Neque enim pro eis debitis, quæ totius præteritæ vitæ in Baptismo per ejus pacem nobis dimissa esse confidimus, nos præcepit orare, dicentes, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* alioquin hanc orationem catechumeni potius usque ad Baptismum orare deberent. Cum vero eam baptizati orant [1], præpositi et plebes, pastores et greges; satis ostenditur in hac vita, quæ tota tentatio est (*Job.* VII, 1), neminem se tanquam ab omnibus peccatis immunem debere gloriari.

CAPUT XLIX. — 49. *Virgines irreprehensibiles purgatione peccatorum et humili confessione. Mortifera securitas peccandi spe veniæ confitentibus promissæ.* Proinde etiam virgines Dei irreprehensibiles quidem sequuntur Agnum quocumque ierit, et peccatorum purgatione perfecta, et virginitate servata, quæ non rediret amissa : sed quia eadem ipsa Apocalypsis, ubi tales tali revelati sunt, etiam hinc eos laudat, quod in ore eorum non sit inventum mendacium (*Apoc.* XIV, 4, 5); meminerint etiam in hoc esse veraces, ne se audeant dicere non habere peccatum. Idem quippe Joannes qui illud vidit, hoc dixit : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis peccata nostra, et purget nos ab omni iniquitate. Quod si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem faciemus eum, et verbum ejus non erit in nobis.* Hoc certe non illis aut illis, sed Christianis omnibus dicitur, ubi et virgines se debent agnoscere. Sic enim erunt sine mendacio, quales in Apocalypsi apparuerunt. Ac per hoc quamdiu nondum est in cœlesti sublimitate perfectio, invituperabiles facit in humilitate confessio.

50. Sed rursus, ne per occasionem hujus sententiæ quisquam cum mortifera securitate peccaret, seque trahendum permitteret, tanquam mox delendis facili confessione peccatis, continuo subjecit, *Filioli mei, hæc scripsi vobis, ut non peccetis : et si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum; et ipse propitiator est peccatorum nostrorum* (I *Joan.* I, 8-II, 2). Nemo itaque a peccato tanquam rediturus abscedat, nec se hujusmodi quasi societatis pacto cum iniquitate constringat, ut eam confiteri quam cavere delectet.

CAPUT L. — *Peccata parva quæ subrepunt vigilantibus, superbia crescunt, humilitate perimuntur. Si quis forte hic sine peccato, quanto magnus est, tanto magis humiliat.* Sed quoniam etiam satagentibus vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodam modo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla, eadem ipsa fiunt magna et gravia, si eis superbia incrementum et pondus adjecerit : a sacerdote autem quem habemus in cœlis, si pia humilitate permaneant, tota facilitate purgantur.

51. Sed non contendo cum eis qui asserunt hominem posse in hac vita sine ullo peccato vivere : non contendo, non contradico. Fortassis enim ex nostra miseria magnos metimur, et comparantes nosmetipsos nobismetipsis (II *Cor.* X, 12), non intelligimus. Unum scio, quod isti magni, quales non sumus, quales nondum experti sumus, quanto magni sunt, tanto humiliant se in omnibus, ut coram Deo inveniant gratiam. Quamlibet enim magni sint, *non est servus major domino suo, vel discipulus magistro suo* (*Joan.* XIII, 16). Et utique ille est Dominus qui dicit, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo :* et ille est Magister qui dicit, *Venite ad me, omnes qui laboratis, et discite a me.* Et tamen quid discimus? *Quoniam mitis sum*, inquit, *et humilis corde* (*Matth.* XI, 27-29).

CAPUT LI. — 52. *Virginitatis custos Deus qui eam dedit, apud humiles quiescit.* Hic dicet aliquis : Non est hoc jam de virginitate, sed de humilitate scribere. Quasi vero quæcumque virginitas, ac non illa quæ secundum Deum est, a nobis prædicanda suscepta est. Quod bonum quanto magnum video, tanto ei, ne pereat, furem [1] superbiam pertimesco. Non ergo custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit : et Deus charitas est (I *Joan.* IV, 8). Custos ergo virginitatis charitas : locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit super humilem et quietum et trementem verba sua requiescere Spiritum suum (*Isai.* LXVI, 2). Quid itaque alienum feci, si bonum quod laudavi, volens tutius custodiri, curavi etiam locum præparare custodi? Fidenter enim dico, nec mihi ne irascantur timeo, quos ut mecum sibi timeant sollicitus moneo : facilius sequuntur Agnum, etsi non quocumque ierit, certe quousque potuerint, conjugati humiles, quam superbientes virgines. Quomodo enim sequitur, ad quem non vult accedere? Aut quomodo accedit, ad quem non venit ut discat, *Quoniam mitis sum et humilis corde?* Illos proinde sequentes, Agnus quocumque ierit ducit, in quibus prius ipse ubi caput inclinet invenerit. Nam et quidam superbus et dolosus hoc ei dixerat : *Domine, sequar te quocumque ieris :* cui respondit, *Vulpes foveas habent, et volatilia cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum inclinet* (*Matth.* VIII, 19 *et* 20). Arguebat nomine vulpium astutam dolositatem, et nomine volucrum ventosam elationem, in quo ubi requiesceret piam non inveniebat humilitatem. Ac per hoc nusquam omnino secutus est Dominum, qui se promiserat, non usque ad quemdam profectum, sed omnino quocumque ierit secuturum.

CAPUT LII. — 53. *Humilitas virginibus qua ratione exercenda.* Quapropter hoc agite, virgines Dei, hoc

[1] Sola editio Lov. : *Cum vero jam baptizati orant.*

[1] Editi, *futurum.* Emendantur ex Mss.

pergite : sequimini Agnum quocumque ierit. Sed primum ad eum quem sequamini, venite, et discite quoniam mitis est et humilis corde. Humiliter ad humilem venite, si amatis; et ne discedatis ab illo, ne cadatis. Qui enim timet ab illo discedere, rogat et dicit : *Non veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* XXXV, 12). Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad jacentes. Dona ejus illi servanda committite, fortitudinem vestram ad illum custodite (*Psal.* LVIII, 10). Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tanquam remissum ab illo deputate : ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis, et tundentes pectora publicanos ruinosa jactantia contemnatis. De viribus vestris expertis cavete, ne quia ferre aliquid potuistis inflemini : de inexpertis autem orate, ne supra quam potestis ferre tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cum aliorum bona, forte ignota vobis, benigne creduntur a vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur : et quæ forte adhuc desunt, tanto dantur facilius, quanto desiderantur humilius. Perseverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum; cadentes autem augeant timorem vestrum. Illud amate, ut imitemini; hoc lugete, ne inflemini. Justitiam vestram nolite statuere, Deo vos justificanti subdite. Veniam peccatis donate alienis, orate pro vestris : futura vigilando vitate, præterita confitendo delete.

CAPUT LIII. — 54. *Virgines quanto sanctiores, tanto sint humiliores.* Ecce jam tales estis, ut professæ atque servatæ virginitati cæteris etiam moribus congruatis. Ecce jam non solum homicidiis, sacrificiis diabolicis et abominationibus, furtis, rapinis, fraudibus, perjuriis, ebriositatibus, omnique luxuria et avaritia, simulationibus, æmulationibus, impietatibus, crudelitatibus abstinetis : verum etiam illa quæ leviora vel sunt vel putantur, non inveniuntur nec oriuntur in vobis; non improbus vultus, non vagi oculi, non infrenis lingua, non petulans risus, non scurrilis jocus, non indecens habitus, non tumidus aut fluxus incessus : jam non redditis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto (I *Petr.* III, 9); jam postremo illam mensuram dilectionis impletis, ut ponatis animas pro fratribus vestris (I *Joan.* III, 16). Ecce jam tales estis, quia et tales esse debetis. Hæc addita virginitati, angelicam vitam hominibus, et cœli mores exhibent terris. Sed quanto magni estis, quicumque ita magni estis, tanto humiliate vos in omnibus, ut coram Deo inveniatis gratiam, ne superbis resistat, ne se exaltantes humiliet, ne inflatos per angusta [1] non trajiciat : quanquam superflua sit sollicitudo, ne ubi fervet charitas, desit humilitas.

CAPUT LIV. — 55. *Sponsum toto corde ament.* Si ergo nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum : vacat vobis, liberum est cor a conjugalibus vinculis. Inspicite pulchritudinem amatoris vestri : cogitate æqualem Patri, subditum et matri; etiam in cœlis dominantem, et in terris servientem; creantem omnia, creatum inter omnia. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quam pulchrum sit : internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis.

CAPUT LV. — *Quanta felicitate ac securitate amatur sponsus.* Hæc quanti valeant cogitate, hæc in statera charitatis appendite; et quidquid amoris in nuptias vestras [1] impendendum habebatis, illi rependite.

56. Bene quod interiorem vestram pulchritudinem quærit, ubi vobis dedit potestatem filias Dei fieri (*Joan.* I, 12) : non quærit a vobis pulchram carnem, sed pulchros mores, quibus frenetis et carnem. Non est cui de vobis quisquam mentiatur, et faciat sævire zelantem. Videte cum quanta securitate ametis, cui displicere falsis suspicionibus non timetis. Vir et uxor amant se, quoniam vident se; et quod non vident, timent in se : nec certi gaudent ex eo quod in manifesto est, dum in occulto suspicantur plerumque quod non est. Vos in isto quem oculis non videtis, et fide conspicitis, nec habetis verum quod reprehendatis, nec eum metuitis ne de falso forsitan offendatis. Si ergo magnum amorem conjugibus deberetis, eum propter quem conjuges habere noluistis, quantum amare debetis? Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis est fixus in cruce : totum teneat in animo vestro, quidquid noluistis occupari connubio. Parum vobis amare non licet, propter quem non amastis et quod liceret. Sic amantibus mitem et humilem corde nullam vobis superbiam pertimesco.

CAPUT LVI. — 57. *Conclusio operis.* Pro modulo itaque nostro et de sanctitate qua Sanctimoniales proprie dicimini, et de humilitate qua conservatur quidquid magnum dicimini, satis locuti sumus. Dignius autem illi tres pueri, quibus refrigerium in igne præbebat, quem corde ferventissimo diligebant, vos de hoc opusculo nostro, verborum quidem numero longe brevius, sed pondere auctoritatis multo grandius, in hymno quo ab eis Deus honoratur, admonent. Nam sanctitati humilitatem in Dei laudatoribus conjungentes, apertissime docuerunt ut tanto quisque caveat ne superbia decipiatur, quanto sanctius aliquid profitetur. Proinde vos quoque laudate eum qui vobis præstat ut in ardore medio sæculi hujus, quamvis conjugio non copulemini, non tamen uramini; et orantes etiam pro nobis, *Benedicite, sancti et humiles corde, Dominum; hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula* (*Dan.* III, 87).

[1] Sola editio Lov., per *angustam portam*.

[1] Sic Mss. At editi, *nuptiis vestris*; omisso, *in*.

ADMONITIO IN OPUSCULUM DE BONO VIDUITATIS.

Desiderius Erasmus nititur adimere hoc opusculum Augustino, et adversario ipsius Juliano dare. Quæ affert in Juliani gratiam argumenta, piget refellere. Contra Augustinum nihil fere obtendit nisi dictionis facilitatem : sed hæc ipsa facilitas dictionis clamitat opus esse Augustini. Jacobus Pamelius in Notis ad Tertulliani librum contra Hermogenem, cap. 1, n. 7, id operis citans hisce verbis, *Auctor opusculi de Bono Viduitatis inter lucubrationes D. Augustini*, significat putare se illud minime ab Augustino confectum. Pro qua opinione Lindanus in Panoplia, lib. 4, cap. 98, argumentum existimat non leve sibi suppetere ex concilii Carthaginensis quarti, cui subscripsisse Augustinus legitur, canone 104, quo statutum est ut viduæ quæ se Domino devoverant suscepto religioso habitu, si ad nuptias sæculares sive secundas postea transierint, *sine Christianorum communione maneant, et crimine adulterii notentur*. Nempe contra, subsequentis libri auctor, capp. 10 et 11, eos redarguit qui putant *lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, sed adulteria, et eas volunt a maritis separatas reddere continentiæ*. Verum nihil hic Augustinus ab illo canone dissentit, qui talium quidem nuptias non patitur censeri adulteria, sed ipsos tamen a proposito sancto lapsus adulteris pejores dicit. Itaque non prohibet quominus nubentes post votum aliqua excommunicationis pœna multentur perinde atque adulteræ, dummodo earum nuptiæ, postquam celebratæ sunt, non rescindantur. Nihil aliud adversus lapsarum nuptias præceptum reperitur antiquiorum conciliorum decretis. In hanc rem celebris est canon sextus decimus Chalcedonensis concilii aliquot annis post Augustini obitum sic definientis : *Si qua virgo se dedicaverit Deo, similiter et monachus, non licere eis jungi nuptiis. Si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus vero posse in eis fieri humanitatem, si ita probaverit loci episcopus.* Cæterum Augustini doctrinæ, quam hic de nuptiis post votum, itemque in lib. de Sancta Virginitate, cap. 34, et in epist. 220 ad Bonifacium comitem, n. 12, tradit, nonnihil favet Cyprianus in epist. 62 ad Pomponium, Epiphanius in hæresi 61, quæ est Apostolicorum, etc. Neque porro desunt, quibus concilium supra laudatum Carthaginense, quod in codice canonum Ecclesiæ Africanæ cum cæteris Carthaginensibus ejus temporis conciliis non exstat, dubiæ fidei videatur. Concilio Augustinus, quamvis id anno habitum consignetur 398, quo ille tempore juvenis et recens erat episcopus, subscripsit secundus ab Aurelio. Hinc forte errandi occasio data Lindano, qui subscripsisse Augustinum senem affirmat.

Subsequentis opusculi mentionem in Retractationum libris non fecit Augustinus, quia epistolæ forma conscriptum est. Id propterea Possidius cap. 7 inter Epistolas recenset hoc titulo : *Julianæ de Sancta Viduitate*. Citat et fere totum transcribit Florus seu Beda vulgatus ad I Cor. II et VII, ad Philipp. IV, et ad I Tim. V. Augustinum refert inscriptio epistolæ in omnibus antiquis codicibus præfixa, et se ipse ostendit cap 15, commemorans libros a se editos de Bono Conjugali, de Sancta Virginitate, et adversus Faustum, necnon cap. 23, epistolam Probæ scriptam de orando Deo. Pertinet Viduitatis liber ad annum circiter 414 ; scriptus videlicet post Demetriadis virginis consecrationem, laudatam hic cap. 19, tanquam recentem, *quod modo cœpit :* hanc sub finem anni 413 factam observavimus tomo 2, ad epistolam 150 Probæ et Julianæ directam. In capite 17 a Pelagianorum errore, quem serpere cœpisse dicit, tacito eorum nomine, cavere jubet. De hac ipsa forte admonitione Juliana gratias agit Augustino litteris citatis in epistola 188 ad eamdem Julianam missa, ubi ejus hæc verba refert Augustinus : *Sane quod me hortatur Reverentia vestra, ne aures indulgeam his hominibus, qui pravis tractatibus venerandam fidem sæpe corrumpunt, gratias uberes ago tam piæ admonitioni.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE BONO VIDUITATIS [1]
LIBER
SEU
EPISTOLA [(a)] AD JULIANAM VIDUAM.

Viduas hic docet et exhortatur. Primum docendo probat sanctæ viduitatis professionem nuptiis anteponendam ; nuptias tamen secundas, imo et tertias et quotaslibet licitas esse, nec unquam malas : et nubentes quidem post votum viduas sive

(a) Scripta forte circa annum 414.

[1] Titulus in quibusdam Mss. est : *De professione Viduitatis ;* aut : *De professione sanctæ Viduitatis*. Apud Er. et Lov. : *De bono sive perfectione Viduitatis.*

virgines merito damnari; ipsas autem earum nuptias nec haberi pro adulteriis, nec dirimi oportere. Merita viduarum ex ipso numero [illegible] pensari vult; [illegible] viduæ aliquando jure præferri demonstrat. Postea exhortatur [illegible], ut in primis continentiam suam beneficio Dei tribuat, caveatque ab sermonculis, qui serpere cœperunt, [illegible] inimicorum gratiæ Christi. Jubet ut suam omne studium cum filia virgine et cum socru [illegible] Deo: delicias spirituales habeant carnalium deliciarum loco; et famam denique suam custodire non negligant.

AUGUSTINUS Episcopus, servus Christi, servorumque Christi [1], religiosæ famulæ Dei JULIANÆ, in Domino dominorum salutem.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Rogatus a Juliana scribit de professione viduitatis. Apostoli de hac re doctrinam exponet.* Ne petitioni tuæ et in Christo dilectioni [2] diutius essem debitor promissionis meæ, arripui utcumque inter alias urgentissimas occupationes meas de professione sanctæ viduitatis aliquid ad te scribere: quoniam et præsentem me rogando onerasti [3], et cum tibi hoc non potuissem negare, sæpe meum promissum litteris flagitasti. In quo sane opere nostro cum aliqua legeris ad tuam vel ad vestram, quæ simul in Christo vivitis, personam minime pertinere, nec admonitioni vitæ vestræ proprie necessaria, non ideo debebis [4] superflua judicare. Istæ quippe litteræ quamvis ad te, non tamen tantummodo tibi scribendæ fuerunt: sed ut aliis per te quoque prodessent, non utique a nobis negligendum fuit. Quidquid ergo hic inveneris, quod vobis necessarium vel nunquam fuerit, vel jam non sit, et tamen aliis esse perspexeris, nec habere te pigeat, nec dare legendum; ut et tua charitas sit utilitas aliorum.

2. Cum igitur in omni quæstione quæ ad vitam moresque pertinet, non sola doctrina, verum etiam exhortatio sit necessaria; ut doctrina quid agendum sit noverimus, exhortatione autem excitemur, ne pigeat agere quod agendum esse jam novimus: quid ego amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus *sapere plus quam oportet sapere; sed sapiamus*, ut ipse ait, *ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei* (*Rom.* XII, 3). Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi doctoris exponere, et de iis quod Dominus dederit disputare.

CAPUT II. — 3. *Innuptæ apud Apostolum non solæ virgines, sed etiam viduæ.* Ait itaque Apostolus, doctor Gentium, vas electionis: *Dico autem innuptis et viduis, bonum esse illis si sic permanserint, sicut et ego.* Hæc verba ita intelligenda sunt, ut non existimemus viduas non oportere innuptas dici, quia nuptias videntur expertæ: innuptarum enim nomine illas significat, quæ non sunt nuptiis alligatæ, sive fuerint, sive non fuerint. Quod alio loco aperit, ubi ait: *Divisa est mulier innupta et virgo.* Quando utique et virginem adjungit, quid mulierem innuptam, nisi viduam vult intelligi? Unde etiam deinceps uno innuptæ nomine professionem utramque complectitur dicens: *Quæ innupta est, sollicita est ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino; quæ autem nupta est, sollicita est ea quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* (I *Cor.* VII, 8, 34). Innuptam certe non eam tantum intelligi voluit, quæ nunquam nupsit; sed etiam eam quæ nuptiarum vinculo per viduitatem liberata, nupta esse destitit: nam ideo et nuptam non dicit, nisi eam quæ virum habet; non etiam eam quæ habuit, et non habet. Quapropter vidua omnis innupta est: sed quia non omnis innupta vidua est; sunt enim et virgines; ideo hic utrumque posuit, ubi ait, *Dico autem innuptis et viduis:* tanquam diceret, Quod dico innuptis, non eis solis dico quæ virgines sunt, sed etiam eis quæ viduæ sunt; *bonum esse illis si sic permanserint, sicut et ego.*

CAPUT III. — 4. *Bonum viduitatis majus quam conjugii, quod tamen vere bonum. Conjugii fides, et alia ejus bona, licet viduitate minora.* Ecce est bonum tuum ei bono comparatum, quod dicit Apostolus suum, si fides adest; imo quia fides adest. Brevis est ista doctrina, nec ideo contemnenda, quia brevis: sed ideo facilius et charius tenenda, quia in brevitate non vilis. Non enim qualecumque bonum hic commendaret Apostolus, quod fidei nuptarum sine ulla ambiguitate præposuit. Quantum autem bonum habeat nuptarum fides, id est, christianarum et religiosarum conjugatarum, hinc intelligi potest, quod cum de fugienda fornicatione præciperet, ubi utique et conjugatos alloquebatur, *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi* (*Id.* VI, 15). Tantum ergo bonum est fidelis conjugii, ut etiam ipsa membra sint Christi. Hoc autem bono quoniam [1] melius est bonum continentiæ vidualis, non hac professione id agitur, ut aliquid plus sit catholica vidua quam membrum Christi; sed ut meliorem quam conjugata locum habeat inter membra Christi. Dicit quippe idem apostolus: *Sicut enim in uno corpore*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

In libri hujus recognitione contulimus cum Erasmi ac Lovaniensium editis veteres codices Gallicanos duodecim, Regium, Sorbonicum, Victorinum, Augustiniensem, id est e bibliotheca Augustinianorum Paris., Carnutensem abbatiæ S. Petri, Laudunensem Ecclesiæ majoris, Cisterciensem, [illegible], Beccensem, Michaelinum, Audoenensem, et vetustissimum [illegible], aut [illegible], [illegible] Germanensem; necnon Romanos Vaticanos tres, ac variantes lectiones quatuor Belgicorum quæ exstant apud Lovanienses.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Sic Er. et nonnulli Mss. At Lov., *servus servorum Christi.* Vetustissimus Corbeiensis codex, *servus Christi, servorum Christi.*

[2] [illegible], *tuæ in Christo dilectionis.*

[3] Sic Mss. Editi vero, *honorasti.*

[4] Sic Er. et Mss. [illegible] *debebis.*

[1] Editi, *quo.* Melius Mss., *quoniam.*

multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra [1]: *habentes dona diversa secundum gratiam quæ data est nobis* (*Rom.* XII, 4-6).

5. Ideo etiam cum moneret conjugatos, ne debito carnalis commixtionis fraudarent invicem, et per hoc alter eorum negato sibi debito conjugali, per intemperantiam suam tentatus a satana, in fornicationem prolaberetur: *Hoc autem dico*, inquit, *secundum veniam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines* [2] *esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet a Deo; alius quidem sic, alius vero sic* [3].

CAPUT IV. — *Viduitatis professione non damnari secundas nuptias. Cataphrygarum et Novatianorum error a Tertulliano propalatus.* Vides etiam conjugalem pudicitiam et thori christiani matrimonialem fidem donum esse, et hoc a Deo: ut illud quod ultra liberorum procreandorum necessitatem modum concumbendi aliquatenus concupiscentia carnalis excedit, non nuptiarum sit hoc malum, sed veniale sit propter nuptiarum bonum. Non enim de conjugio, quod copulatur liberorum procreandorum causa, et fide pudicitiæ conjugalis, et indissolubili, quamdiu ambo vivunt, matrimonii sacramento, quæ omnia bona sunt; sed de illo immodico carnis usu, qui in infirmitate conjugum agnoscitur, et interventu boni nuptialis ignoscitur, ait Apostolus, *Secundum veniam dico, non secundum imperium.* Item cum dicit, *Mulier alligata est* [4], *quamdiu vir ejus vivit; quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium;* satis ostendit beatam esse in Domino etiam post mortem viri iterum nubentem fidelem, sed in eodem Domino viduam beatiorem: hoc est, ut Scripturarum non tantum verbis, verum etiam exemplis loquar, beatam esse Ruth, sed Annam beatiorem.

6. Quapropter hoc primum oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari. Nam sicut bonum sanctæ virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas; sic nec viduitas tua, cujusquam secundas. Hinc enim maxime Cataphrygarum ac Novatianorum hæreses tumuerunt, quas buccis sonantibus, non sapientibus, etiam Tertullianus inflavit, dum secundas nuptias tanquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit. Ab hac sanitate doctrinæ, nullius indocti, nullius docti disputatione movearis; nec ita extollas bonum tuum, ut quod malum non est, tanquam malum crimineris alienum: sed tanto magis gaude de tuo bono, quanto magis vides non tantum illo devitari mala, sed quædam bona etiam superari. Mala sunt enim adulterium vel fornicatio.

CAPUT V. — *Honestum dici viduitatis bonum quia honestius, non ut turpe putetur conjugium.* Ab his autem illicitis valde longe est quæ voti libertate se obstrinxit, et sibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, sed consilio charitatis effecit. Et bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni submissione honoratur: non illud bonum melioris hujus laude damnatur.

7. Quod autem Apostolus, cum cælibum et innuptarum commendaret fructum, quia cogitant quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo, subjecit et ait, *Hoc autem ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam*, id est, non ut vos cogam; *sed ad id quod honestum est:* non quia innuptarum bonum honestum dixit, ideo putare debemus turpe esse vinculum conjugale; alioquin etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cataphryges, nec Novatiani, nec disertissimus eorum astipulator Tertullianus turpes ausus est dicere. Sed quemadmodum cum ait, *Dico autem innuptis et viduis, bonum esse illis si sic permanserint;* utique bonum posuit pro meliore, quoniam omne quod bono comparatum melius dicitur, etiam hoc procul dubio bonum est: nam quid est aliud quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est? nec ideo consequenter eum sensisse arbitramur, malum esse si nupserint, quoniam dixit, *bonum esse illis si sic permanserint:* ita etiam cum ait, *sed ad id quod honestum est;* non matrimonium turpe esse monstravit, sed quod honesto erat honestius generalis honesti nomine commendavit. Quia honestius quid est, nisi quod magis honestum est? Magis autem honestum utique honestum est. Aperte quippe declaravit hoc esse bono illo melius, ubi ait, *Qui dat nuptum, bene facit; et qui non dat nuptum, melius facit:* et hoc illo beato beatius, ubi ait, *Beatior autem erit, si sic permanserit* (I *Cor.* VII, 5-8, 35-40). Sicut ergo bono melius et beato beatius, sic honesto honestius est, quod honestum voluit appellare. Absit enim ut turpe sit unde loquens apostolus Petrus ait: *Viri, uxoribus vestris tanquam vasi infirmiori et subjecto tribuite honorem, quasi cohæredibus gratiæ.* Et illas alloquens, subditas esse viris suis exemplo Saræ adhortatur: *Nam sic quædam*, inquit, *sanctæ mulieres, quæ in Deum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis: quomodo Sara obediebat Abrahæ, dominum illum vocans, cujus factæ estis filiæ benefacientes, et non timentes ullam perturbationem* (I *Petr.* III, 5-7).

CAPUT VI. — 8. *Nuptas etiam corpore sanctas esse, licet minus quam innuptas. Bonum viduitatis non minuitur laudato bono conjugii, sed augetur. An beatior Anna vidua, quam Ruth bis nupta.* Unde et illud quod de innupta Paulus apostolus dixit, *Ut sit sancta et corpore et spiritu* (I *Cor.* VII, 34), non sic accipiendum est, quasi nupta fidelis et casta, et secundum Scripturas subdita viro, non sit sancta corpore, sed tan-

[1] Editi, *alter alterius sunt membra.* Abest, *sunt*, a Mss.
[2] In editis omissum erat, *homines;* quod in Mss. habetur.
[3] Mss., *alius sic, alius quidem sic.*
[4] Non additur, *legi:* vox ex Epistola ad Romanos, cap. 7, ℣. 2, petita; quæ hoc loco nunc in Vulgata legitur, sed abest a Bibliis scriptis Corbeiensibus et Germanensibus.

tummodo spiritu. Fieri enim non potest ut sanctificato spiritu, non sit sanctum etiam corpus, quo sanctificatus utitur spiritus. Sed ne cuiquam nos potius argumentari, quam hoc divino eloquio probare videamur; quoniam Petrus Saram commemorans, *Sanctæ*, inquit, *mulieres* tantummodo; non ait, *et corpore* : illud ejusdem Pauli consideremus, ubi prohibens fornicationes ait, *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Audeat ergo aliquis dicere membra Christi sancta non esse : aut vero audeat a membris Christi fidelium conjugatorum corpora separare. Unde etiam paulo post ait : *Corpus vestrum templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo : et non estis vestri; empti enim estis pretio magno* (I *Cor.* VI, 15, 19 *et* 20). Corpus fidelium et membra Christi esse dixit, et templum Spiritus sancti, ubi profecto utriusque sexus fideles intelliguntur. Ibi ergo sunt nuptæ, ibi et innuptæ, sed distinctæ meritis, et tanquam membris membra prælata, quorum tamen neutra sint a corpore separata. Quod igitur de innupta loquens ait, *Ut sit sancta et corpore et spiritu*; ampliorem innuptarum et in corpore et in spiritu sanctificationem intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione privavit.

9. Disce itaque bonum tuum, imo memento quod didicisti, bonum tuum plus laudari, quia est aliud bonum quo sit hoc melius, quam si aliter hoc bonum esse non posset, nisi illud malum esset, aut omnino non esset. Habent oculi in corpore magnum honorem, sed minorem haberent, si soli essent et alia minoris honoris membra non essent. In cœlo ipso sua luce sol lunam superat, non vituperat : et stella ab stella differt in gloria (*Id.* XV, 41), non dissidet in superbia. Ideo *fecit Deus omnia, et ecce bona valde* : non tantum bona, sed etiam valde; non ob aliud, nisi quia omnia. Nam et per singula opera dicebatur, *Vidit Deus quia bonum est*. Ubi autem *omnia* nominata sunt, additum est *valde*; et dictum est, *Vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde* (*Gen.* I). Meliora enim quædam in singulis, in omnibus singula : sed meliora simul omnia quam quælibet singula. Christi itaque doctrina sana in ejus corpore sanum te faciat per ejus gratiam, ut id quod aliis melius habes in corpore et spiritu, idem ipse spiritus tuus qui corpori dominatur, nec extollat insolenter, nec discernat inscienter.

10. Nec quia dixi Ruth beatam, Annam beatiorem, cum illa bis nupserit, hæc uno viro cito viduata diu vixerit, continuo etiam te meliorem putes esse quam Ruth.

CAPUT VII. — *Sanctæ feminæ tempore Legis non concupiscentia, sed obedientia compellente nubebant.* Alia quippe propheticis temporibus sanctarum feminarum dispensatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiscentia compellebat, ut propagaretur populus Dei, in quo præmitterentur Prophetæ Christi : cum et ipse populus per ea quæ in figura contingebant in illis (I *Cor.* X, 11), sive in iis qui sciebant, sive in iis qui illa nesciebant, nihil aliud esset quam propheta Christi, ex quo nasceretur etiam caro Christi. Ut ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis sententiam qui non suscitaret semen in Israel (*Deut.* XXV, 5-10). Unde et sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, sed pietate pariendi, ut rectissime credantur coitum non fuisse quæsituræ, si proles posset aliter provenire. Et viris usus plurimarum vivarum concedebatur uxorum : cujus rei non concupiscentiam carnis, sed providentiam generationis fuisse causam illud ostendit, quod sicut viris sanctis habere plures uxores vivas, non ita etiam sanctis feminis licebat misceri maritis pluribus vivis; quoniam tanto essent turpiores, quanto magis appeterent unde non essent fecundiores. Proinde sancta Ruth, cum semen quale illo tempore necessarium fuit in Israel non haberet, mortuo viro quæsivit alterum de quo haberet. Hac itaque bis conjugata ideo Anna univira vidua [1] beatior fuit, quia et prophetissa Christi esse meruit; quam credendum est, etiamsi filios nullos habuit, quod quidem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo Spiritu prævidisse Christum ex virgine proxime esse venturum, quo potuit agnoscere et parvulum : unde merito etiam sine filiis, si tamen eos non habuit, secundas nuptias recusavit; quia noverat jam tempus esse quo Christo non officio pariendi, sed studio continendi, nec conjugalibus fetandis visceribus, sed castificandis [2] vidualibus moribus, melius serviretur. Si vero etiam sciebat Ruth per suam carnem propagari semen, unde Christus carnem fuerat habiturus, et huic scientiæ nubendo exhibuit ministerium, non audeo jam dicere beatiorem fuisse Annæ viduitatem quam illius fecunditatem.

CAPUT VIII. — 11. *Nuptiæ et secundæ et primæ hoc tempore, nisi incontinentia sit impedimento, contemnendæ. Nuptiæ olim legis obsequium, nunc infirmitatis remedium, et humanitatis solatium.* Tu autem quæ et filios habes, et in eo sæculi fine vivis, quo jam tempus est non mittendi lapides, sed colligendi; non amplectendi, sed continendi ab amplexu (*Eccle.* III, 5); cum clamet Apostolus, *Hoc autem dico, fratres : tempus breve est; reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint* : profecto si secundas nuptias appetisses, nullum prophetiæ vel legis obsequium, nullum prolis saltem carnale desiderium, sed solius incontinentiæ fuisset indicium. Fecisses enim quod ait Apostolus, cum dixisset, *bonum esse illis si sic permanserint sicut et ego* : continuo quippe addidit, *Quod si se non continent, nubant : malo enim eas nubere quam uri* (I *Cor.* VII, 29, 8 *et* 9). Hoc enim dixit, ut effrenatæ libidinis malum non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cum exciperetur honestate nuptiarum. Gratias autem Domino, quoniam peperisti quod esse noluisti, et virginitas prolis tuæ compensavit dispendium virginitatis tuæ. Nam diligenter interrogata doctrina christiana, et primas nuptias jam hoc tempore, nisi incontinentia sit impedimento,

[1] Sic Er. et potiores Mss. At Lov., *uno viro viduata*.
[2] Nonnulli Mss., *castigandis*.

contemnendas esse respondet. Qui enim dixit, *Si se non continent, nubant* : potuit dicere, Si filios non habent, nubant; si post resurrectionem [1] prædicationemque Christi, quando jam omnibus gentibus filiorum spiritualiter gignendorum tanta suppetit copia, tale officium esset ex carne filios propagare, quale primis temporibus fuit. Et quod alibi dicit, *Volo igitur juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse* : nuptiarum bonum apostolica sobrietate et auctoritate commendat; non procreandi officium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obsequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cum adjungit et dicit, *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia; jam enim quædam conversæ sunt retro post satanam* : ut his verbis ejus intelligamus, eas quas nubere voluit, melius potuisse continere quam nubere; sed melius nubere quam retro post satanam ire, id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo, cadere et interire. Proinde quæ se non continent, nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant : quod nisi reddant, jure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit, *Cum enim in deliciis egerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem quoniam primam fidem irritam fecerunt* : id est, voluntatem ad nuptias a proposito continentiæ deflexerunt [2]. Irritam quippe fecerunt fidem, qua prius voverant quod perseverantia implere noluerunt (I *Tim.* v). Nuptiarum igitur bonum semper est quidem bonum : sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium; nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum feminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus : etiam ipsum tamen laudabilius transcendit et vincit cœlestia cogitans animus christianus.

CAPUT IX. — 12. *Nubere post continentiæ votum, damnabile est : non tamen damnandæ tales nuptiæ.* Sed quoniam, sicut ait Dominus, *Non omnes capiunt verbum hoc* (*Matth.* XIX, 11) : quæ potest ergo capere, capiat; et quæ se non continet, nubat : quæ non cœpit, deliberet; quæ aggressa est, perseveret : nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio [3]. In conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur : sed in viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua expetita et electa et voti debito oblata [4], jam non solum capessere [5] nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait, *Cum in deliciis egerint in Christo,* nubunt; sed, *nubere volunt : habentes,* inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*, etsi non nubendo, tamen volendo : non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicentur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore : postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod ut breviter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post amplioris sanctitatis propositum nubunt (non quia non damnantur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur) : sed cum dixisset, *nubere volunt*, continuo addidit, *habentes damnationem*. Et dixit quare, *quoniam priorem fidem irritam fecerunt* : ut voluntatem quæ a proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive subsequantur nuptiæ, sive desint.

CAPUT X. — 13. *In eos qui lapsarum a sancto proposito nuptias adulteria esse dicunt. Ecclesia tota virgo.* Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant : fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere quæ christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes : Si viro suo vivo quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit (*Matth.* XIX, 9); vivo ergo Christo, cui mors ultra non dominatur (*Rom.* VI, 9) [1], quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acute quidem moventur; sed parum attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cum enim laudabiliter etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam femina Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente marito nubit. Deinde cum primæ nuptiæ melioris sint meriti quam secundæ, absit ut sanctarum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur quasi secundus maritus. Ipsum enim habebant et antea, quando viris suis fideliter serviebant subditæ, non carnaliter, sed spiritualiter virum : cui Ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjux est; quæ fidei, spei, charitatis integritate, non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis et conjugatis fidelibus, tota virgo est. Universæ quippe Ecclesiæ, cujus illa omnia membra sunt, Apostolus dicit : *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2). Novit autem ille conjugem virginem sine corruptione fetare, quem in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores quasi adulteræ sint, non uxores; et cum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros [1], cum suis uxoribus vivis alteras duxerint.

[1] Sic Mss. Editi vero, *sed post resurrectionem;* et paulo post, *tale officium cesset.*
[2] Plures Mss., *voluntate ad nuptias a proposito continentiæ defluxerunt.*
[3] Probæ notæ Mss., *nulla Christi subtrahatur oblatio.*
[4] Aliquot Mss., *et voti debito oblato.* Beda seu Florus in Paulum, *et voto devoto oblata.*
[5] Editi, *non capessere.* Abest, *non,* a Mss. et a Beda seu Floro.

[1] Er. et plerique Mss., *viros.*

CAPUT XI. — 14. *Lapsus a sancto proposito malus, nuptiæ tamen lapsarum bonæ.* Quapropter non possum quidem dicere, a proposito meliore lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse, non conjugia: sed plane non dubitaverim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cum membrum ejus fidem non servat marito; quanto gravius offenditur, cum illi ipsi non servatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cum enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit; tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi necessitatem. Hæc ideo disputo, ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse [1]. Non itaque illas abs te damnatas velis esse, sed spretas. Bonum ergo continentiæ vidualis luculentius decet, cum pro illo vovendo et profitendo possunt contemnere feminæ quod et libet et licet. Sed post voti professionem perseveranter frenandum et vincendum est quod libet, quia jam non licet.

CAPUT XII.—15. *Nullas quotaslibet nuptias damnandas esse.* De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitas hujus responsionis meæ forte displiceat, uberius disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim affert aliquam rationem, quare secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur. Nam ego, sicut in exordio sermonis hujus admonui, non audeo plus sapere quam oportet sapere (*Rom.* XII, 3). Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim: *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit.* Non dixit, primus; aut, secundus; aut, tertius; aut, quartus [2]: sed, *Mulier*, inquit, *alligata est, quamdiu vir ejus vivit: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit* (I *Cor.* VII, 39, 40). Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro. Deinde ipsum quoque Apostolorum ac nostrum Magistrum et Dominum audio Sadducæis respondentem, cum proposuissent mulierem non univiram vel biviram, sed, si dici potest, septiviram, in resurrectione cujus futura esset uxor. Increpans enim eos, ait: *Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent: non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* XXII, 29 *et* 30). Eorum itaque resurrectionem commemoravit, qui resurgent ad vitam, non qui resurgent ad pœnam. Potuit ergo dicere, Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, in illa enim resurrectione multinubæ istæ esse non poterunt: deinde addere, quia nec aliqua ibi nubit. Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum mulierem ulla suæ sententiæ significatione damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis nubat femina: nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ auctoritatem quotaslibet [1] nuptias audeo condemnare. Quod autem dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ: beatior eris, si sic permanseris.

CAPUT XIII. — 16. *Viduam biviram aliquando esse præferendam univiræ. Viduarum merita ex ipsius continentiæ viribus pensanda.* Nam et illud non insipienter proponi solet, ut dicat qui potest, quænam vidua meritis præferenda sit: utrum univira, quæ cum vixisset diutius cum marito, filiis procreatis salvisque viduata, continentiam professa est; an ea quæ adolescentula intra duos annos amissis duobus viris, nullis ad consolationem exstantibus liberis, continentiam Deo vovit, et in ea perseverantissima sanctitate consenuit. Hic se exerceant, si possunt, disputando, et nobis aliquid demonstrando, qui de numero virorum, non de ipsius continentiæ viribus pensant merita viduarum. Si enim dixerint, illi biviræ illam univiram esse præferendam; nisi attulerint specialem aliquam rationem vel auctoritatem, profecto invenientur virtuti animi non majorem virtutem animi, sed carnis felicitatem anteponere. Ad felicitatem quippe carnis pertinuit, et diu cum viro vivere, et filios procreare. Sed si non eam ob hoc præponunt, quia filios habuit; idipsum certe quod diu cum viro vixit, quid aliud quam carnis felicitas fuit? Meritum porro Annæ illius eo maxime commendatur, quia cum tam cito extulisset virum, per prolixam ætatem suam diu cum carne conflixit, et vicit. Sic enim scriptum est: *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua; et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die* (*Luc.* II, 36, 37). Vides quemadmodum sancta vidua non solum eo prædicatur quod univira fuerit, verum etiam quod paucos annos cum marito vixerit a virginitate sua, et vidualis continentiæ munus usque ad tantam senectutem tanta pietatis servitute perduxerit.

CAPUT XIV. — 17. *Comparatio alia inter triplices viduas. Julianæ viduæ tria exoptat quæ Annæ fuerunt bona.* Constituamus igitur ante oculos nostros viduas tres, habentes singula eorum quæ huic inerant omnia: unam ponamus univiram, cui desit et tanta prolixitas viduitatis, quod diu cum marito vixerit, et tantum studium pietatis, quod non ita jejuniis et obsecrationibus serviat: alteram, quæ post prioris mariti brevissimam vitam, etiam secundum cito amiserit, et diuturna ætate sit vidua, sed etiam ipsa non tantam det operam jejuniorum et obsecrationum religiosissimæ servituti: tertiam, quæ non solum duos viros habuerit, sed etiam cum ambobus singillatim, vel

[1] Hæc verba, *vel quascumque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse*, desunt a plerisque Mss.

[2] Libri quidam, *aut quotuslibet*.

[1] Sic Mss. At editi, *quantaslibet*.

cum aliquo eorum diutius vixerit, et posteriore ætate viduata, in qua quidem si nubere voluisset, posset et filios procreare, susceperit continentiam vidualem; sed plus intenta in Deum, plus sit sollicita quæ illi placeant actitare, die ac nocte sicut Anna jejuniis et obsecrationibus serviens. Si contendatur quænam istarum sit meritis potior, quis non videat in hoc certamine palmam dandam esse majori ferventiorique pietati? Ita et si tres aliæ constituantur, quibus illorum [1] trium bona insint, singula desint; quis dubitet eas meliores fore, quibus præpollentius fuerit in suis bonis duobus pia humilitas, ut alta sit pietas?

18. Nulla quidem istarum sex viduarum tuæ normæ adæquatur. Tu enim si hoc votum ad senectutem usque perduxeris, omnia tria potes habere, quibus Annæ meritum excelluit. Nam et unum virum habuisti, et non diu tecum vixit in carne: ac per hoc si exhibueris obedientiam verbis Apostoli dicentis, *Quæ autem vere vidua est et desolata, speravit in Dominum, et persistit* [2] *in orationibus nocte ac die*; atque illud quod sequitur sobria vigilantia devitaveris, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* (I *Tim.* v, 5, 6): omnia illa tria bona quæ Annæ fuerunt, et tua erunt. Tibi autem sunt et filii, quos forte illa non habuit: nec ideo laudanda es, quia eos habes, sed quia pie nutrire atque educare studes. Ut enim tibi nascerentur, fecunditatis; ut vivant, felicitatis est: ut autem sic instituantur, voluntatis et potestatis. In illis tibi homines gratulentur [3], in hoc te imitentur. Anna per propheticam [4] scientiam cognovit apud matrem virginem Christum; te evangelica gratia fecit matrem virginis Christi. Illa itaque sancta virgo, quam Christo volentem et petentem obtulistis, vidualibus aviæ matrisque meritis addidit aliquid de merito virginali (*a*). Non enim nihil inde habetis, quæ hanc habetis: et in illa estis, quod in vobis non estis. Nam ut sancta virginitas adimeretur nubentibus vobis, ideo factum est, ut nasceretur ex vobis.

CAPUT XV. — 19. *Epilogus superiorum.* Hæc itaque de meritis diversis conjugatarum diversarumque viduarum hoc opere non disputarem, si id quod ad te scribo, tibi tantummodo scriberem. Sed quoniam sunt quædam in hoc genere sermonis difficillimæ quæstiones, aliquid amplius quam quod ad te proprie pertinet, dicere volui, propter quosdam qui sibi docti non videntur, nisi alienos labores non judicando conentur discutere, sed lacerando conscindere: deinde ut etiam tu ipsa non solum serves quod vovisti, et in eo bono proficias; verum etiam diligentius firmiusque noveris, idem bonum tuum non a malo nuptiarum distingui, sed bono nuptiarum anteponi. Nam qui viduatarum feminarum nuptias damnant, etiamsi continentiam earum multarum, quibus tu uteris, rerum abstinentia tam dulciter et ferventer exerceant, non ideo te seducant, ut credas quod sentiunt, etiamsi facere non possis quod faciunt. Nemo enim vult esse phreneticus, etiamsi videat phrenetici vires viribus sanorum esse fortiores. Præcipue igitur doctrina sana bonitatem propositi et ornet et muniat. Inde est quippe quod catholicæ feminæ etiam sæpius nuptæ, non solum univiris viduis, sed et virginibus hæreticorum justo judicio præferuntur. Multi sunt quidem de his tribus rebus, conjugii, viduitatis et virginitatis, quæstionum sinus, multæ perplexitates: quibus disputando penetrandis vel dissolvendis, et majore cura opus est, et copiosiore sermone; ut vel in omnibus eis recte sapiamus, vel si quid aliter sapimus, id quoque nobis Deus revelet. Verumtamen, quod etiam illic consequenter dicit Apostolus, *In quod pervenimus, in eo ambulemus* (*Philipp.* III, 15, 16). Pervenimus autem, quod ad hanc rem, de qua loquimur, attinet, ut continentiam conjugio præponamus, sanctam vero virginitatem etiam continentiæ viduali; et ne aliquas nuptias, quæ tamen non adulteria, sed nuptiæ sunt, cujuslibet nostri nostrorumve propositi laude damnemus. Multa alia de istis rebus dicta sunt a nobis in libro de Bono Conjugali, et in alio libro [1] de Sancta Virginitate; et in opere quod adversus Faustum Manichæum quanto potuimus labore conscripsimus: quoniam Patriarcharum et Prophetarum casta conjugia mordacissime reprehendendo scriptis suis, quorumdam indoctorum animos a fidei sanitate detorsit.

CAPUT XVI. — 20. *Pars opusculi secunda pertinens ad exhortationem. Continentiam esse donum Dei.* Proinde quoniam in exordio hujus opusculi duo quædam necessaria proposueram, et exsequenda pollicitus eram; unum quod ad doctrinam, alterum quod ad exhortationem pertinet; et priori parti, ut potui, pro suscepto negotio non defui: ad exhortationem veniamus, ut quod bonum prudenter scitur, etiam diligatur ardenter. Qua in re prius illud moneo, ut quantamcumque tibi inesse sentis piæ continentiæ dilectionem, beneficio Dei tribuas, eique gratias agas, qui de Spiritu suo tibi tantum largitus est, ut ejus in corde tuo charitate diffusa, licitæ rei licentiam tibi amor melioris boni auferret. Donavit enim ne liberet nubere cum liceret, ut jam non liceret [2] etiamsi liberet; et ex hoc firmius non liberet, ne fieret quod non liceret, quod factum non est etiam cum liceret: tantumque merereris vidua Christi, ut filiam quoque [3] videres virginem Christi: dum enim tu oras sicut Anna, facta est illa quod Maria. Hæc dona Dei esse quanto magis nosti, tanto magis es eisdem donis beata: imo aliter non es, nisi quod habes noris a quo habeas. Attende enim quid de hac re Apostolus dixit: ***Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; ut sciamus quæ a Deo donata sunt***

[1] In Mss., *illarum*.
[2] Sic potiores Mss. juxta græcum, *élpiken epì tòn Theòn, kaì prosménei*. At editi, *sperabit in Dominum, et persistet*.
[3] Sola editio Lov., *gratulantur*.
[4] Editi, *prophetiæ*. Aptius Mss., *propheticam*.
(*a*) Virgo Demetrias, cujus avia Proba Faltonia, mater Juliana. Adi epistolas Augustini 130 et 150.

[1] Editio Er. sola omittit, *de Bono Conjugali et in alio libro*.
[2] Mss., *cum liceret, et ut jam non liceret*.
[3] Sic plerique Mss. At Lov., *tantaque merereris, ut te existente vidua Christi, filiam quoque*, etc. Vaticani libri, *ut te existente vidua Christi, virgo etiam fieret tua filia Christi*.

nobis (I *Cor.* II, 12). Multi quippe habent multa Dei dona, et nesciendo a quo habent, impia vanitate jactantur. Nemo est autem donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus. Quia et illud quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valemus, quo jubente admonemur : et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono sursum levati cordis, non nobis gloriam quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc justum est. Recordaris [1] hæc verba unde sint, intus qua sanctione et quanta sanctitate commendentur agnoscis. Tene igitur et habe quod accepisti, et datori gratias age. Quamvis enim accipere et habere tuum sit, id tamen habes, quod accepisti : quia et isti superbienti, et ex eo quod habebat, quasi a se ipso haberet, impie glorianti Veritas per Apostolum dicit, *Quid enim habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)?

CAPUT XVII. — 21. *Contra Pelagianos, liberum arbitrium sic defendentes, ut negent Dei gratiam.* Hæc me admonere compellunt cavendi atque devitandi quorumdam sermonculi, qui per aures ad animos multorum serpere cœperunt, quod cum lacrymis dicendum est, inimici gratiæ Christi, per quos suadetur, ut nec oratio nobis ad Dominum necessaria videatur, ne intremus in tentationem. Sic enim conantur defendere hominis liberum arbitrium, ut eo solo, etiam Dei gratia non adjuti, valeamus, quod divinitus jubetur, implere. Ac per hoc sequitur ut frustra Dominus dixerit, *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI, 41) : et frustra quotidie in ipsa dominica oratione dicamus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Id.* VI, 13). Si enim nostræ tantummodo potestatis est ne tentatione superemur, utquid oramus ne intremus vel inferamur in eam ? Faciamus potius quod nostri est liberi arbitrii atque absolutissimæ potestatis ; et irrideamus Apostolum dicentem, *Fidelis Deus, qui non vos permittet tentari super id quod potestis* (I *Cor.* X, 13) : et resistamus ei dicentes, Utquid peto a Domino, quod in mea posuit potestate ? Sed absit ut hoc sapiat, qui sanum sapit. Proinde petamus ut det, quod ut habeamus jubet. Ad hoc enim quod nondum habemus jubet ut habeamus, ut admoneat quid petamus; et cum nos quod jusserit [2], posse invenerimus, etiam hoc unde acceperimus intelligamus ; ne inflati et elati hujus mundi spiritu, nesciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando Dei gratiam qua ipsum adjuvatur arbitrium, non superbia negamus ingrata, sed grata potius pietate prædicamus. Nostrum enim est velle ; sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. Nam si nos non vellemus, nec nos utique acciperemus ea quæ dantur, nec nos haberemus. Quis enim haberet continentiam, ut inter cætera Dei dona ipsam potius loquar, de qua ad te loquor : quis, inquam, haberet continentiam nisi volens ? quia et nemo acciperet nisi volens. Sed a quo detur, ut nostra voluntate accipi et haberi possit, si quæris, attende Scripturam ; imo quia nosti, recole quod legisti : *Cum scirem*, inquit, *quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum* (*Sap.* VIII, 21). Magna ista sunt duo munera, sapientia et continentia ; sapientia scilicet qua in Dei cognitione formamur, continentia vero qua huic sæculo non conformamur. Jubet autem nobis Deus ut et sapientes et continentes simus, sine quibus bonis justi perfectique esse non possumus. Sed oremus ut det quod jubet adjuvando et inspirando, qui commonuit quid velle debeamus præcipiendo et vocando. Quidquid hinc dedit [1], ut conservet oremus ; quod autem nondum dedit, ut suppleat oremus ; tamen oremus et gratias agamus de acceptis ; et quod nondum accepimus, eo ipso quod de acceptis ingrati non sumus, nos accepturos esse fidamus. Qui enim dedit conjugatis fidelibus ut contineant ab adulteriis et fornicationibus, ipse dedit sanctis virginibus et viduis ut contineant ab omni concubitu ; in qua virtute jam proprie vel integritas vel continentia nominatur. An forte ab illo quidem accepimus continentiam, sed a nobis habemus sapientiam ? Quid est ergo quod Jacobus apostolus dicit, *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat ; et dabitur illi* (*Jacobi* I, 5) ? Sed de hac quæstione, et in aliis jam opusculis nostris, quantum adjuvit Dominus, multa diximus ; et alias, quantum per ipsum potuerimus, data opportunitate dicemus.

CAPUT XVIII. — 22. *Exhortationis vires esse ex gratia.* Nunc inde aliquid ideo dicere volui, propter quosdam fratres nostros amicissimos et dilectissimos nobis, nec malitiose quidem errori huic implicatos, sed implicatos tamen ; qui putant cum aliquos ad justitiam pietatemque exhortantur, vires non habituram exhortationem suam, nisi totum illud, quod ut agat homo, agunt cum homine, in hominis constituant potestate, non adjuta Dei munere, sed solo arbitrio liberæ voluntatis exserta : quasi possit esse ad perficiendum opus bonum voluntas libera, nisi Dei munere liberata. Nec attendunt idipsum etiam se ipsos Dei dono habere, quod ea facultate exhortantur, ut ad capessendam vitam bonam hominum voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent. Sic enim possunt [2] persuadere quod suadent. Aut si hæc in voluntatibus humanis non agunt, quid agunt ? utquid loquuntur ? Dimittant eas potius arbitrio suo. Si au-

[1] Sic plerique Mss. At editi, *hoc justum est vero dari.* [illegible]

[2] Sic aliquot Mss. Alii vero cum editis, *et quod nos cum jusserit.*

[1] Sic Mss. At editi, *Hic dedit.* Et infra, *ut expleat oremus.*

[2] Editi, *et persuadere possent.* Abest, *non*, a Mss. qui et loco, *si*, habent, *sic*.

tem in eis hæc agunt, itane tandem homo in hominis voluntate tanta agit loquendo, et Deus illic non agit aliquid adjuvando? Imo vero, quantalibet homo sermonis facultate præpolleat, ut solertia disputandi et suavitate dicendi in hominis voluntate inserat veritatem, nutriat charitatem, docendo tollat errorem, exhortando torporem : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. III, 7). Frustra quippe operarius omnia moliretur extrinsecus, nisi Creator intrinsecus latenter operaretur. Spero ergo has litteras meas merito Excellentiæ vestræ cito in manus etiam talium esse venturas : ideo nonnulla hinc dicenda arbitratus sum. Deinde ut tu ipsa et quæcumque aliæ viduæ ista legerint, vel cum leguntur audierint, noveritis vos ad diligendum et habendum continentiæ bonum plus proficere orationibus vestris, quam exhortationibus nostris : quoniam si quid vos adjuvat, quod vobis etiam nostra ministrantur alloquia, totum illius gratiæ tribuendum est, *in cujus manu sunt*, sicut scriptum est, *et nos et sermones nostri* (Sap. VII, 16).

CAPUT XIX. — 23. *Exhortatur ad viduitatis bonum. Ut tota intentio Julianæ viduæ sit ad placendum Deo. Demetriadis virginis aviæque ipsius, perinde atque matris, vult esse unum studium Deo placendi.* Si ergo nondum Deo vovisses continentiam vidualem, exhortaremur profecto ut voveres : quia vero jam vovisti, exhortamur ut perseveres. Talia mihi tamen video esse dicenda, quibus eam diligant et arripiant et quæ adhuc nubere cogitabant. Aurem igitur inclinemus Apostolo : *Quæ innupta est*, inquit, *sollicita est ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu; quæ autem nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* (I Cor. VII, 34). Non ait, Sollicita est ea quæ sunt mundi, ut sancta non sit : sed certe minor est ea conjugalis sanctitas [1], ex ea parte curarum qua mundana cogitatur voluptas. Quidquid itaque intentionis animi etiam his rebus impenderetur quibus placendum esset viro, colligere quodam modo et redigere debet innupta christiana in eam intentionem qua placendum est Domino. Et vide [2] cui placeat, quæ Domino placet : et utique tanto est beatior, quanto plus placet ei; quanto autem magis cogitat ea quæ sunt mundi, tanto minus placet. Placete itaque tota intentione specioso forma præ filiis hominum. Ejus enim gratia illi placetis, quæ diffusa est in labiis ejus. Placete illi ea quoque parte cogitationis, quæ occuparetur mundo, ut placeretur viro. Placete illi qui displicuit mundo, ut placentes ei liberarentur ex mundo. Hunc enim speciosum forma præ filiis hominum viderunt homines in cruce passionis; et *non habuit speciem neque decorem, sed facies ejus abjecta, et deformis positio ejus* (Isai. LIII, 3). Ex hac tamen deformitate Redemptoris vestri, manavit pretium decoris vestri, sed decoris interioris. *Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus* (Psal. XLIV, 3, 14). Hac pulchritudine illi placete. Hanc pulchritudinem studiosa cura et sollicita cogitatione componite. Non amat ille fucos mendaciorum; Veritas delectatur; et ille, si quod legistis agnoscitis, Veritas vocatur. *Ego sum*, inquit, *via et veritas, et vita* (Joan. XIV, 6). Currite ad illum per illum, placete illi ex illo, vivite cum illo, in illo, de illo. Affectibus veris et sanctissima castitate a viro tali amari amate.

24. Audiat hæc virginis etiam sanctæ prolis tuæ auris interior. Videro [1] quantum te præcedat in regno Regis illius : alia quæstio est. Invenistis tamen, mater et filia, cui contemptis nuptiis, illa omnibus, tu secundis, pulchritudine castitatis simul placere debeatis. Certe si mariti essent quibus placendum esset, jam te fortasse cum filia puderet ornari : nunc non pudeat agere quibus simul ornemini; quia non est criminosum, sed potius gloriosum, ut ab illo uno simul amemini. Simulatum autem candorem ac ruborem et pigmentis illitum non adhiberetis, etiamsi viros haberetis; non putantes dignos quos falleretis, nec vos quæ fallere deberetis : nunc ergo illi Regi, qui unicæ sponsæ, cujus membra estis, speciem concupivit, veraciter simul placete, simul inhærete; illa integritate virginali, tu continentia viduali, ambæ pulchritudine spirituali. In qua pulchritudine etiam illius avia, socrus tua, quæ jam certe senuit, est pulchra vobiscum (*a*). Vigorem quippe hujus pulchritudinis dum extendit in anteriora charitas, rugam in ea non facit annositas. Habetis vobiscum anum sanctam et in domo et in Christo, quam de perseverantia consulatis; quomodo cum illa vel illa tentatione [2] pugnandum sit, quid agendum ut facile superetur, quod muniimentum sumendum, ne facile rursus insidietur : et si quid hujusmodi est, docet vos diuturnitate jam certa, amore benevola, pietate sollicita, ætate secura. Tu præcipue, tu consule in talibus eam, quæ experta est quod experta es. Nam proles vestra illud canticum cantat, quod in Apocalypsi nisi virgines cantare non possunt (Apoc. XIV, 3, 4). Pro ambabus tamen vobis sollicitius orat quam pro se ipsa : sed magis pro nepte sollicita est, cui vincendarum tentationum spatium plus restat annorum : te autem videt ævo suo viciniorem, et ejus filiæ matrem, quam si nuptam, quod jam non licet, atque absit, vidisses, puto quod parere cum illa erubuisses. Quantum est ergo quod jam tibi periculosæ restat ætatis, quæ ideo non diceris avia, ut sanctarum cogitationum et operum fetibus cum filia possis esse fecunda? Non itaque immerito magis pro illa sollicita est avia, pro qua et tu mater : quia et majus est quod vovit, et totum ei restat quod modo cœpit [3]. Exaudiat Dominus preces ejus, ut sanctæ [4] obsequamini meritis ejus, quæ car-

[1] Omnes prope Mss. et Florus, *sed certe minor est divina sanctitas.*
[2] Sic Mss. At editi, *et videat.*

[1] Editi, *quæ vero.* At Mss., *videro;* omisso, *quæ.* Unus Augustinensium habet, *videre.*
[2] Sic Mss. uno excepto Augustinensium, qui habet, *cum illa belluina tentatione.* At editi, *cum illa contra bella tentatoris.*
[3] Corbeiensis vetustissimus et alii tres Mss., *quod modico cœpit.*
[4] Probatiores Mss., *et sanctæ.*
(*a*) Proba Demetriadis avia, socrus Julianæ.

nem viri tui (a) in juventa peperit, cor filiæ tuæ in senecta parturit. Omnes itaque pariter atque concorditer univiro unius conjugis, in cujus corpore uno spiritu vivitis, placete moribus, instate orationibus.

CAPUT XX. — 25. *Illecebræ sæculares quæ tam cito deficiunt, contemnendæ.* Præteritus dies non revertitur in futurum, et post hesternum pergit hodiernus, et post hodiernum perrecturus est crastinus : et ecce omnia tempora et temporalia transeunt, ut veniat mansura promissio ; et *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Si mundus jam perit, nupta cui parit? Aut corde paritura, et carne non paritura, cur nubit? Si autem adhuc duraturus est mundus, cur non magis amatur per quem factus est mundus? Si jam deficiunt illecebræ sæculares, non est quod christianus animus cupiditate conquirat : si autem adhuc manebunt, est quod sanctitate contemnat. Horum duorum in altero spes nulla libidinis, in altero major est gloria charitatis. Quot aut quanti[1] sunt ipsi anni, quibus videtur vigere flos carnalis ætatis? Nonnullæ feminæ nuptias cogitantes et ardenter optantes, dum spernuntur aut differuntur, repente senuerunt, ut eas nubere jam puderet amplius quam liberet. Multæ autem nuptæ recentissima sua conjunctione in longinqua profectis viris suis, reditum eorum exspectando grandævæ factæ sunt, et tanquam cito viduatæ aliquando nec remeantes saltem senes suos anus suscipere meruerunt. Si ergo vel spernentibus vel tardantibus sponsis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiscentia potuit contineri ne stuprum aut adulterium committeretur, cur contineri non potest ne sacrilegium committatur? Si repressa est cum ferveret dilata, cur non opprimitur cum friguerit amputata? Plus enim ardentem[2] ferunt libidinem, quæ non desperant ejusdem libidinis voluptatem. Quæ autem innuptarum castitatem Deo vovent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est. Unde facilius concupiscentia refrenatur, quæ nulla exspectatione succenditur : contra quam tamen nisi oretur, ut superetur, ipsa illicita exoptatur ardentius.

CAPUT XXI. — 26. *Deliciæ spirituales viduis sint loco carnalium.* Deliciæ igitur spirituales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant ; lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri sæculi, et cor sursum : atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, a quo sine ulla dubitatione omne datum optimum et omne donum perfectum, Scriptura teste, descendit (*Jacobi* I, 17). Nam quando pro deliciis nuptarum quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tanquam in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ sequantur mala, cum breviter Apostolus dixerit, viventem mortuam esse viduam quæ in deliciis vivit (I *Tim.* v, 6)? Absit autem a vobis ut divitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, et in cordibus vestris nummus viri amori succedat. Intuentes enim hominum conversationem, sæpe experti sumus, in quibusdam lascivia compressa crevisse avaritiam. Nam sicut in ipsis sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, et tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt qui oculis utuntur ; ubi intelligitur ex uno aditu, id est, luminum, repressa intentione sentiendi, eam se in alios sensus promptiorem[1] dignoscendi acumine exserere, tanquam ex altero conetur implere quod negatur in altero : ita etiam sæpe carnalis cupiditas a concumbendi voluptate cohibita, majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, et illinc aversa, huc se impetu ardentiore convertit. In vobis autem amor divitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum ; et pius usus rerum quas possidetis, ad spirituales delicias conferatur, ut liberalitas vestra magis ferveat adjuvandis egenis quam ditandis avaris. In thesaurum quippe cœlestem non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adjuvant viduarum. Jejunia quoque ac vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo, et in lege Dei meditando insumantur, in delicias spirituales etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur. Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. Et vide quam pudendum et dolendum sit, si delectat labor ut fera capiatur, ut cupa et sacculus impleatur, ut pila jaciatur, et non delectat ut Deus acquiratur.

CAPUT XXII. — 27. *Famæ bonæ cura.* In omnibus sane spiritualibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conversatio cauta etiam debet esse ; ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt, sive viri sancti, sive feminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter[2] solum, verum etiam crudeliter contemnentes ; cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis quæ casta est displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit : quisquis autem etiam famam, et in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra : et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus : *Providemus*, inquit, *bona, non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus* (II *Cor.* VIII, 21). Item dicit :

[1] Sic Mss. At editi, *quot autem et quanti.*
[2] Lov., *ardenter.* Editi alii cum Mss., *ardentem.*
(a) Obbrui ex Hieron. epist. 8 ad Demetr.

[1] Sic Mss. At editi, *repressa intentione, sentiendi vim in alios se sus promptiorem.* Er. et [illegible] Mss., *in alios sensus promptiorem.*
[2] Plures Mss., *impudenter.*

Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant (I *Cor.* x, 33). In quadam etiam exhortatione dicit: *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque justa, quæcumque casta, quæcumque charissima, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me* (*Philipp.* iv, 8 *et* 9). Cernis quemadmodum inter multa quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere, *quæcumque bonæ famæ*; duobusque verbis cuncta concluserit, ubi ait, *si qua virtus, si qua laus.* Ad virtutem namque pertinent quæ antea memoravit bona; fama vero, ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus, alio loco dicens, *Mihi autem minimum est ut a vobis dijudicer, aut ab humano die* (I *Cor.* iv, 3); et alibi, *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* i, 10); et iterum, *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* i, 12). Sed illorum duorum, id est, bonæ vitæ et bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis et laudis, unum propter se ipsum sapientissime retinebat, alterum propter alios misericordissime providebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra quidquid recte possumus fecerimus, si aliqui de nobis vel mala fingendo[1], vel male credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, planeque etiam gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen justeque viventibus (*Matth.* v, 11, 12). Illa enim merces tanquam stipendium est militantium, per arma justitiæ, non solum dextera, verum et sinistra; per gloriam scilicet et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam (II *Cor.* vi, 7, 8).

CAPUT XXIII. — 28. *Continentes perseverent, et aliis persuadeant continentiam. Conclusio.* Agite itaque cursum vestrum, et perseveranter currite, ut comprehendatis; et exemplo vitæ exhortationisque sermone rapite in eumdem cursum vestrum quascumque potueritis. Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum excitatis, frangat querela vanorum, qui dicunt: Quomodo subsistet genus humanum, si omnes fuerint continentes? Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille sanctorum, quo citius impleto, profecto nec terminus sæculi differetur. Nec illud vos retardet ab studio persuadendi aliis bonum vestrum, si dicatur vobis: Cum et nuptiæ bonæ sint, quomodo erunt omnia bona in Christi corpore, et majora scilicet et minora, si omnes continentiæ laude atque amore[1] imitentur? Primo, quia conando ut omnes sint continentes, tunc erunt vel pauci. *Neque enim omnes capiunt verbum hoc.* Sed quoniam scriptum est, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* xix, 11, 12); tunc capiunt quæ possunt, si nec illis quæ non capiunt taceatur. Deinde, nec timere debemus ne forte omnes capiant, et aliquid de minoribus bonis, id est conjugalis vita[2], Christi desit in corpore. Si enim omnes audierint et omnes ceperint, intelligere debemus hoc ipsum fuisse prædestinatum, ut conjugalia bona in illorum numero membrorum jam sufficiant, quæ tam multa ex hac vita transierunt. Neque enim nunc, si omnes fuerint continentes, honorem continentium daturi sunt eis qui tricenarium fructum, si in conjugali bono ipse intelligitur[3], jam dominicis horreis intulerunt (*Id.* xiii, 8). Habebunt ergo illic omnia ista bona suum locum, etiamsi deinceps nulla velit nubere, vel nemo ducere uxorem. Secure itaque instate quibus potestis, ut fiant quod vos estis: et orate vigilanter atque ferventer, ut adjutorio dexteræ Excelsi et abundantia misericordissimæ gratiæ Domini, et perseveretis in eo quod estis, et proficiatis ad id quod eritis.

29. Deinde obsecro vos per illum a quo et hoc donum accepistis, et hujus doni præmia speratis, ut me quoque orationibus vestris memineritis inserere cum tota domestica vestra Ecclesia. Ordinatissime quippe provenit ut matri vestræ jam grandævæ de oratione epistolam scriberem (*a*); ad ipsam quippe maxime pertinet orando concertare pro vobis, quæ de se minus sollicita est quam de vobis: et ut ad te potius quam ad illam hoc de continentia viduali opusculum facerem; quia tibi superare adhuc restat, quod jam ætas illius superavit. Virgo autem sancta proles vestra, si aliquid de sua professione desiderat ex laboribus nostris, habet grandem librum de Sancta Virginitate, quem legat. De quo legendo etiam te commonueram, quoniam multa continet utrique necessaria castitati, hoc est, virginali atque viduali, quæ hic propterea partim tenuiter attigi, partim omnino prætermisi, quia ibi copiosius disputavi. Perseveres in gratia Christi.

[1] Editi, *vel male fingendo.* Meliores Mss., *mala.*

[1] Sic Mss. At editi, *laudem atque amorem.*
[2] Er. et plures Mss., *vitæ.*
[3] Ita Mss. At editi, *qui conjugali bono inesse intelligitur.*
(*a*) Epistola 130, ad Probam.

In libros de Conjugiis Adulterinis *vide lib.* 2. *cap.* 57, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 653, *verbis*, Scripsi duos libros, *usque ad verba*, Mihi scripseras. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CONJUGIIS ADULTERINIS

AD POLLENTIUM

Libri Duo [a].

LIBER PRIMUS.

In quo tractantur quæstiones potissimum duæ. Prima est in illud ad Corinthios, *His autem qui sunt in conjugio præcipio... mulierem... si discesserit, manere innuptam*, etc., quod Apostoli præceptum Pollentio quidem videbatur pertinere ad mulieres recedentes a viris præter fornicationis causam, hisque solis prohibere nubere alteri viro: contra autem Augustinus eas tantum spectare contendit, quæ a viris fornicationis causa recesserint, atque præter hanc causam recedere non permissum. Secunda quæstio est circa illud item ad Corinthios, *Cæteris autem ego dico, non Dominus*, etc. Hoc non mandando dictum ab Apostolo docet Augustinus, ut scilicet fideles conjuges in rebus præceptis infidelibus permissa licentia non utantur: Pollentius contra sentit vetitum ibi esse a Paulo, ne conjuges etiam infideles dimittantur a fidelibus. Attingitur postremo quæstio de catechumenis in ultimo vitæ constitutis, an iis nec petentibus, nec pro se respondere valentibus prosit baptizari.

CAPUT PRIMUM. — 1. *In loco Pauli dissensus Pollentii et Augustini. An citra causam fornicationis discedere liceat conjugi sine nuptiis manere volenti.* Prima quæstio est, frater dilectissime Pollenti, earum quas ad me scribens, tanquam consulendo tractasti, quod ait Apostolus, *His autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: et vir uxorem non dimittat* (I *Cor.* VII, 10 *et* 11), utrum ita sit accipiendum, ut eam prohibuisse nubere intelligatur, quæ sine causa fornicationis discessit a viro; id enim sentis: an sicut ego sensi in eis libris quos ante plurimos annos de sermone evangelico scripsi, quem secundum Matthæum habuit Salvator in monte, illas innuptas manere præceperit, quæ a viris suis ea causa recesserint quæ sola permissa est, id est, fornicationis. Videtur enim tibi tunc a viro discedentem feminam nubere non debere, si nulla viri fornicatione compulsa discesserit. Nec attendis, si nullam vir ejus causam fornicationis habuerit, non eam discedentem manere innuptam, sed omnino discedere non debere. Nam utique cui præcipitur, ut si a viro discesserit innupta permaneat, non discedendi aufertur licentia, sed nubendi. Quod si ita est, datur ergo licentia feminis quæ continentes esse voluerint, nullum maritorum exspectare consensum, ut quod dictum est, *mulierem a viro non discedere*, eis præceptum esse videatur; quæ possent eligere, non continentiam, sed tale divortium quo liceret eis in aliorum nuptias convenire. Proinde quæ dilexerint nullum desiderare concubitum, nullum ferre connubium, licebit eis viros suos etiam sine ulla fornicationis causa relinquere, et innuptas secundum Apostolum permanere. Et viri similiter (quoniam par forma est in utrisque), si continentes esse voluerint, etiam uxoribus non consentientibus deserent eas, et sine ullis nuptiis permanebunt. Tunc enim eis, ut putas, alia conjugia liceret inquirere, si fornicationis causa divortium nasceretur. Cum vero ista causa non est, superest, secundum id quod existimas, ut aut conjux non discedat a conjuge, aut si discesserit, sine conjugio maneat, aut ad pristinum conjugium revertatur. Nulla ergo existente causa fornicationis, cuilibet conjugi licebit unum de tribus eligere: aut non discedere a conjuge; aut si discesserit, sic manere; aut si non sic manserit, non alterum quærere, sed priori se reddere.

CAPUT II. — 2. *Non licere conjugi discedere nisi ex fornicationis causa.* Et ubi est quod idem apostolus, nec ad tempus, ut vacetur orationi, nisi ex consensu, voluit conjuges carnali fraudare invicem debito? Quomodo salvum erit quod ait, *Propter fornicationes autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (I *Cor.* VII, 2-5)? Hoc quomodo verum erit, nisi quia nolente conjuge, non licet conjugi continere? Nam si licet mulieri sic dimittere virum, ut maneat innupta, non vir habet, sed ipsa sui corporis potestatem: quod etiam de viro intelligitur.

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Libri de Conjugiis adulterinis recogniti sunt denuo ad Mss. Regium, Germanensem, Bigotianum, Pratellensem, Michaelinum, Floriacensem, Corbeiensem optimæ notæ, ad tres Vaticanos, ad lectiones variantes Belgicorum apud Lov. et ad editiones Erasmi et Lovaniensium; necnon denuo ad Amerbachianam editionem, quæ concordat cum Erasmiana.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scripti circiter annum Christi 419. In Retractationum libro secundo, proxime post opus de Origine animæ, quod anno Christi 419 conscriptum est, collocantur. Possidius in Ind. c. 6, appellat De incompetentibus Nuptiis.

Deinde cum dictum est, *Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* V, 32), quomodo dictum intellecturi sumus, nisi prohibitum esse hominem dimittere uxorem, si nulla causa fornicationis exstiterit? Et dictum est quare, ne scilicet faciat eam mœchari, utique ideo, quia etiamsi non ipsa dimiserit, sed dimissa fuerit, erit mœcha, si nupserit.

CAPUT III. — *Locus Apostoli de muliere quæ a viro fornicante discedit, intelligendus.* Propter hoc ergo tam magnum malum, non licet homini dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis. Tunc enim non ipse dimittendo facit adulteram, sed dimittit adulteram. Quid si ergo dicat, Dimitto quidem uxorem meam sine ulla causa fornicationis, sed continens permanebo? ideone dicemus eum impune fecisse quod fecit? Quis hoc dicere audebit, qui voluntatem Domini hæc dicentis intelligit? Quoniam nec continentiæ causa dimitti conjugem voluit, qui solam causam fornicationis excepit.

3. Redeamus igitur ad ipsa Apostoli verba dicentis, *His autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam*; et eum velut interrogemus, et tanquam præsentem quodam modo consulamus: Cur dixisti, Apostole, *quod si discesserit, manere innuptam*? Licetne discedere, an non licet? Si non licet, cur præcipis discedenti ut maneat innupta? Si autem licet, profecto est aliqua causa qua liceat. Hæc autem inquisita non invenitur, nisi quam solam Salvator excepit, id est, causa fornicationis. Ac per hoc non præcepit Apostolus mulierem, si discesserit, manere innuptam, nisi quæ illa causa discedit a viro, qua sola ei licitum est discedere a viro. Ubi enim dicitur, *Præcipio non discedere; quod si discesserit, manere innuptam*; absit ut contra hoc præceptum faciat, quæ sic discedit ut innupta permaneat. Nisi ergo illa intelligatur cui licet discedere (non autem licet nisi viro fornicante), quomodo jubetur innupta, si discesserit, permanere? Quis est qui dicat: Si discesserit mulier a viro non fornicante, innupta permaneat, cum ei nisi a viro fornicante discedere omnino non liceat? Sensus itaque iste tuus quantum adversetur vinculo conjugali, ubi Dominus nec continentiam voluit suscipi, nisi pari concordique consensu, puto quod jam intelligas.

CAPUT IV. — 4. *Apostolus male intellectus de muliere ob continentiæ placitum discedente.* Sed rem ipsam paulo apertius proloquamur, et quasi constituamus ante oculos. Ecce placuit continentia mulieri, viro non placuit: discessit ab eo mulier, et cœpit vivere continenter, ipsa scilicet casta mansura, sed factura, quod Dominus non vult, adulterum virum; qui cum se non continuerit, alteram quæret. Quid sumus dicturi mulieri, nisi quod dicit Ecclesiæ sana doctrina? Redde debitum viro, ne dum tu quæris unde amplius honoreris, ille unde damnetur inveniat. Hoc enim et illi diceremus, si te nolente continere voluisset. Non enim habes potestatem corporis tui, sed ille: sicut nec illa habet potestatem corporis sui, sed tu. Sed te invito fraudatus non se continens. Cum hæc ei jam locuti et plura quæ ad hoc pertinent dixerimus, putasne illi ut nobis mulier ex sua illa ratione respondeat? Ego Apostolum audio dicentem, *Præcipio mulierem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: ecce discessi, nolo reconciliari viro, sed innupta permaneo. Non enim ait, Si discesserit, manere innuptam, donec viro suo reconcilietur, sed, *manere*, inquit, *innuptam, aut viro suo reconciliari*. Hoc, inquit, faciat, aut illud: unum e duobus eligendum permisit; non autem in horum alterum compulit. Manere innupta eligo, ac sic præceptum impleo. Corripe, argue, increpa, utere qua volueris severitate, si nupsero.

CAPUT V. — 5. *Refutatur illa interpretatio Apostoli.* Quid huic contradicam; nisi, Apostolum non bene intelligis? Neque enim ille præcepisset, si a viro discesserit, innuptam manere mulierem, nisi eam cui discedere licuisset, illa una videlicet causa, quæ tibi propterea tacita est, quia notissima est, hoc est, fornicationis. Hanc enim solam Deus magister excepit, cum de dimittenda loqueretur uxore; deditque intelligi talem formam etiam in viro esse servandam: quoniam non solum mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; sed similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Cum ergo tuum maritum arguere de fornicatione non possis, quomodo putas quod ab eo discedis non nubendo excusare, a quo tibi non licet omnino discedere? Cum hæc a nobis mulier audierit, puto quod nolis eam sic respondere, ut dicat propterea se manere innuptam, quia sine ulla viri fornicatione discessit; nam si ille fornicatus esset, non solum sibi discedere, verum etiam nubere licuisset.

CAPUT VI. — 6. *Pollentii sententia, mulieri ab adultero discedenti nuptias cum alio non esse præcepto vetitas, sed tantum propter opprobrium vitandas.* Nequaquam hoc illa diceret, cum et ipse sis verecundatus istam mulieribus dare licentiam. Dixisti enim: « Si « vir uxorem adulteram dimiserit, et aliam duxerit, « mulier tantum opprobrium habebit. Si autem mu« lier supra dicta causa virum dimiserit, et alii nu« pserit, non vir tantum, sed et mulier opprobrium « habebit. » Cujus sententiæ tuæ rationem reddens: « Dicent enim, inquis, eam ideo discessisse, ut alium « virum sibi conjungeret, etsi talis forte fuerit qua« lis a quo discessit; perquam facile enim viris « est, in hoc morbi vitium irruere. Si autem et ip« sum dimiserit, et alii nupserit, magis magisque « dicent eam numerositatem virorum appetisse. » Hac reddita ratione concludis, et dicis: « His ergo « pertractatis vel etiam discussis, oportet mulierem « virum tolerare, aut innuptam manere. » Bonum plane dedisti consilium mulieribus, ut cum sciant sibi esse permissum, si adulteros viros dimiserint, aliis conjugari, non tamen faciant propter opprobrium; sed potius tolerent etiam adulteros viros, ne videantur hac occasione multis velle misceri, eo quod

difficile sit ut non talem inveniat mulier cui nubat, qualis fuerit quem dimisit, quoniam valde in hunc morbum sunt proclives viri. Cum ergo nos dicimus etiam illi mulieri, quæ virum fornicantem dimiserit, alteri nubere non licere, tu autem dicis licere quidem, sed non expedire: utrique procul dubio dicimus eam quæ fornicantem virum dimittit, nubere non debere. Verum hoc interest, quod nos, quando conjuges ambo christiani sunt, mulieri, si a viro fornicante discesserit, dicimus non licere alteri nubere, a viro autem non fornicante non licere omnino discedere: tu vero dicis, si mulier a viro non fornicante discesserit, non ei licere alteri nubere, propter præceptum; si autem a fornicante discesserit, non ei expedire nubere propter opprobrium. Mulierem itaque non nupturam discedere a viro, sive fornicante, sive non fornicante, permittis.

CAPUT VII. — 7. *Præcipi ut innupta maneat etiam quæ ab adultero discedit.* Porro beatus Apostolus, imo per Apostolum Dominus, quia mulierem non permittit a viro non fornicante discedere; restat ut eam prohibeat, si discesserit, nubere, quam permittit a fornicante discedere. De qua enim dicitur, Si a viro discesserit, non nubat; ea conditione discedere permittitur, ut non nubat. Si ergo elegerit non nubere, non est cur prohibeatur discedere. Sicut illa de qua dicitur, Si se non continet, nubat (I *Cor.* VII, 9); hac utique conditione non continere permittitur, ut tamen nubat. Si ergo elegerit nubere, cogi non potest continere. Sicut ergo ista incontinens compellitur nubere, ut possit quod non continet non esse damnabile: sic a viro illa discedens, innupta compellitur permanere, ut possit quod discedit non esse culpabile. Culpabiliter autem a viro non fornicante discedit, etiamsi innupta permanserit. Illa ergo innupta manere præcipitur, si discesserit, quæ a fornicante discedit. Quæ cum ita se habeant, si eo modo intellexerimus Apostolum, ut mulieribus dicamus, Ita nolite discedere a viris vestris etiam pudicis, ut si discedere volueritis, innuptæ maneatis; omnes quibus placuerit continentia, etiam non consentientibus viris, existimabunt sibi licere discedere. Quod procul dubio quia permittere non debemus, restat ut quod dictum est, *si discesserit, manere innuptam*, de illa dictum docere debeamus, cui licere discedere, non utique nisi a fornicante, didicimus. Ne si aliter docuerimus, obtentu continentiæ perturbemus christiana conjugia, et contra misericordissimum Domini præceptum dimissos a continentibus mulieribus incontinentes viros, vel a continentibus viris incontinentes mulieres in adulteria compellamus.

CAPUT VIII. — 8. *Parem esse in ea re formam viri et mulieris.* Illud ergo quod Dominus, non quidem in sermone ipso qui exponebatur a nobis, sed tamen alibi ait, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ex causa fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur* (*Matth.* XIX, 9), si hoc modo intelligendum est, ut quicumque causa fornicationis dimiserit et aliam duxerit, non mœchetur; non videtur in hac causa par forma esse mariti et uxoris: quandoquidem mulier etiamsi causa fornicationis discesserit a viro et alii nupserit, mœchatur; vir autem si eadem causa uxorem dimiserit et aliam duxerit, non mœchatur. At si par forma est in utroque, uterque mœchatur, si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit. Parem vero esse formam in hac causa viri atque mulieris, ibi ostendit Apostolus (quod sæpe commemorandum est), ubi cum dixisset, *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir*; adjecit atque ait, *Similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.*

CAPUT IX. — 9. *Objectio Pollentii ex loco Matthæi. Refellitur ex simili loco Jacobi. Peccata ignorantium. Ex Marco et Luca Matthæus intelligendus.* « Cur ergo, inquis, interposuit Dominus causam fornicationis, et non potius generaliter ait, Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur; si et ille mœchus est [1], qui dimissa fornicante muliere alteram ducit? » Credo, quia illud quod majus est, hoc Dominus commemorare [2] voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante dimissa alteram ducere, quam si fornicantem quisque dimiserit, et tunc alteram duxerit? Non quia et hoc adulterium non est; sed quia minus est, ubi fornicante dimissa altera ducitur. Nam simili locutione usus etiam Apostolus Jacobus ait: *Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (*Jacobi* IV, 17). Numquid ideo non peccatum est illi etiam qui nescit bonum facere, et ideo non facit? Utique peccatum est; sed hoc gravius, si etiam sciat et non faciat: nec illud ideo nullum, quia minus. Ut ergo eodem modo utrumque dicamus: sicut quicumque dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur; ita quicumque scit bonum facere, et non facit, peccat. Sed quemadmodum hic recte dici non potest, Ergo si nescit, non peccat; sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium: ita nec illic recte dici potest, Ergo si causa fornicationis dimiserit, et aliam duxerit, non mœchatur; est enim mœchatio eorum etiam, qui alias ducunt, rejectis propter fornicationem prioribus; sed utique minor quam eorum qui non propter fornicationem dimittunt, et alteras ducunt. Potest quippe, sicut dictum est, *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi*; eodem modo et illud dici, Dimittenti uxorem sine causa fornicationis, et aliam ducenti, mœchatio est illi. Quemadmodum igitur si dixerimus, Quicumque mulierem a marito præter causam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mœchos esse minime dubitamus: ita eum qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum qui propter causam fornicationis dimiserit, et alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Am-

[1] Mss., *si et ille mœchatus est.*
[2] In Mss., *commendare.*

bos enim, licet alterum altero gravius, mœchos tamen esse cognoscimus. Neque enim quisquam ita est absurdus, ut mœchum neget esse qui duxerit eam quam maritus propter causam fornicationis abjecit, cum mœchum dicat eum qui duxerit eam quæ præter causam fornicationis abjecta est : sic ergo isti ambo sunt mœchi. Unde cum dicimus, Quicumque mulierem præter causam fornicationis a viro dimissam duxerit, mœchatur ; de uno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo mœchari negamus eum qui eam duxerit, quam propter causam fornicationis maritus dimiserit : ita cum ambo sint mœchi, et ille scilicet qui dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis et aliam duxerit, et ille qui propter causam fornicationis uxore dimissa se alteri copulaverit ; profecto quando de uno eorum legimus, non ita intelligere debemus, quasi ex hoc alter mœchus negatus sit, quod alter expressus sit.

10. Sed si hoc evangelista Matthæus, quia expressa una specie alteram tacuit, facit ad intelligendum difficile ; numquid non alii generaliter idipsum ita complexi sunt, ut de utroque posset intelligi? Nam secundum Marcum sic scriptum est : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et alteram duxerit, adulterium committit super eam ; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur* (*Marc.* x, 11 *et* 12). Secundum Lucam sic : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur ; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur* (*Luc.* XVI, 18). Qui ergo nos sumus, ut dicamus, Est qui mœchatur, uxore sua dimissa alteram ducens, et est qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit? Proinde si quicumque hoc fecerit, id est, omnis qui hoc fecerit, ut uxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur ; sine dubitatione ibi sunt ambo, et qui præter causam fornicationis, et qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, *Quicumque dimiserit :* hoc est, *Omnis qui dimittit.*

CAPUT X. — 11. *Matthæi locus tractatus in libris quos legit Pollentius, quomodo habeat.* Non autem (sicut nescio quare tibi visum est), cum Evangelii secundum Matthæum verba proferrem, prætermisi quod scriptum est, *et aliam duxerit;* et sic dixi, *mœchatur :* sed ea verba posui quæ in sermone illo prolixo leguntur, quem Dominus habuit in monte. Hunc enim tractandum susceperam, quæ verba illic ita leguntur ut posui, id est, *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari ; et qui solutam a viro duxerit, mœchatur.* Ubi etsi nonnulla exemplaria verbis diversis eumdem sensum habent interpretatum, non tamen ab eo quod intelligitur discrepant. Alia quippe habent, *Quicumque dimiserit :* alia, *Omnis qui dimiserit.* Itemque alia, *excepta causa fornicationis :* alia, *præter causam fornicationis :* alia, *nisi ob causam fornicationis.* Item alia, *qui solutam a viro duxerit, mœchatur :* alia, *qui dimissam a viro duxerit, mœchatur.* Ubi puto quod videas nihil interesse ad unam eamdemque sententiam. Quamvis illud ultimum, id est, *qui dimissam a viro duxerit, mœchatur ;* in eo sermone quem Dominus fecit in monte, nonnulli codices et græci et latini non habeant. Credo propterea, quia et ibi explicatus hic sensus putari potuit, in eo quod superius dictum est, *facit eam mœchari.* Quomodo enim dimissa fit mœcha, nisi fiat qui eam duxerit mœchus?

CAPUT XI. — 12. *Alius Matthæi locus subobscurus, sed ab evangelistis aliis explanatus.* Verba vero quæ ipse posuisti, unde tibi visum est non mœchari eum qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, obscure quidem posita sunt. Unde non miror in eis intelligendis laborare lectorem : sed non sunt in eo sermone Domini, qui tunc a me tractabatur, quando illa conscripsi, quæ cum legeres te moverunt. Alibi quippe idem Matthæus ea Dominum dixisse narravit, non cum illum prolixum faceret in monte sermonem, sed cum interrogatus esset a Pharisæis utrum liceret ex quacumque causa dimittere uxorem. Sec quod minus intelligitur apud Matthæum, apud alios evangelistas intelligi potest. Quapropter cum legerimus in Evangelio secundum Matthæum, *Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem,* aut quod magis in græco legitur, *præter causam fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur :* non debemus continuo putare illum non mœchari, qui propter causam fornicationis dimiserit, et aliam duxerit; sed adhuc ambigere, donec Evangelium secundum alios evangelistas a quibus hoc narratum est, consulamus. Quid si enim secundum Matthæum, non quidem quod ad hanc rem pertinet dictum est totum, sed ita pars dicta est, ut intelligeretur a parte totum, quod tanquam explanantes Marcus et Lucas, ut clareret plena sententia, totum dicere maluerunt ? Cum itaque primum non dubitantes verum esse quod apud Matthæum legitur, *Quicumque dimiserit uxorem suam propter causam fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur ;* quæsierimus utrum tantum iste mœchetur ducendo alteram uxorem, qui præter causam fornicationis priorem dimiserit, an omnis qui dimissa uxore alteram duxerit, ut ibi sit etiam ille qui fornicantem dimiserit : nonne secundum Marcum respondebitur nobis, Quid quæritis utrum ille sit mœchus, et ille non sit? *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit.* Nonne etiam secundum Lucam dicetur nobis, Quid ambigitis utrum ille qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit, et aliam duxerit, non mœchetur? *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur.* Ac per hoc, quoniam fas non est ut Evangelistas, quamvis diversis verbis de una re loquentes, ab uno sensu eademque sententia dissentire dicamus; restat ut Matthæum intelligamus a parte totum significare voluisse, eamdem tamen tenuisse sententiam, ut dimittens uxorem et alteram ducens, non quidam mœchetur, id est, qui præter fornicationem dimiserit, quidam vero non mœchetur, id est, qui propter fornicationem dimiserit, sed omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchari minime dubitetur.

CAPUT XII. — 13. *Mulier ob fornicationem dimissa non cessat esse uxor ejus qui dimisit.* Nam et illud quod etiam secundum Lucam sequitur, *Qui dimissam a viro ducit, mœchatur*, quomodo est verum? Quomodo mœchatur, nisi quia illa quam duxit, eo vivente a quo dimissa est, adhuc uxor aliena est? Si enim jam suæ, non alienæ miscetur uxori, utique non mœchatur : mœchatur autem ; aliena est ergo cui miscetur. Porro si aliena est, hoc est, ejus a quo dimissa est ; etiamsi propter fornicationis causam dimissa est, nondum dimittentis uxor esse cessavit. Si autem illius esse cessavit, jam hujus est cui alteri nupsit : et si hujus est, non mœchus judicandus est, sed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, sed mœchum ; adhuc illa illius est, a quo etiam causa fornicationis abjecta est. Et ideo quicumque etiam ipse illa dimissa ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera est. Unde autem fieri potest ut adulter etiam ipse non sit, cum constet adulterare quam duxit?

CAPUT XIII. — 14. *Dimittere infideles conjuges non licere sentit Pollentius; licere, sed non expedire dicit Augustinus.* Jam nunc illud videamus quod ait Apostolus, *Cæteris autem ego dico, non Dominus :* ad imparia scilicet, hoc est, ubi non ambo christiani fuerant, conjugia loquitur. Quod mihi visum est eum monendo dixisse. Quia enim conjux fidelis relinquere conjugem licite potuit infidelem, ideo fieri hoc non Dominus, sed Apostolus prohibet. Quod enim Dominus prohibet, fieri omnino non licet. Monet ergo Apostolus, quo possit esse multorum occasio lucrandorum, ut fideles conjuges in relinquendis infidelibus permissa licentia non utantur. Tibi autem videtur infideles quoque dimitti a fidelibus non licere, quia hoc vetat Apostolus : cum ego dicam licere, quia hoc non vetat Dominus ; non tamen expedire, quia hoc ne fiat, monet Apostolus : qui reddit etiam rationem cur fieri non expediat, quamvis liceat. *Quid enim scis*, inquit, *mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si uxorem salvam facies?* Cum etiam superius dixisset, *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore*[1], *et sanctificata est mulier infidelis in fratre*, hoc est, in christiano : *alioquin filii vestri*, inquit, *immundi essent ; nunc autem sancti sunt* (I *Cor.* VII, 12-16). Sic ad lucrandos conjuges et filios Christo, etiam exemplis quæ jam provenerant, videtur hortatus. Cur ergo non expediat etiam infideles conjuges dimitti a fidelibus, causa evidenter expressa est. Non enim propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur in Christum[2], recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat.

CAPUT XIV. — 15. *Multa non jussa præscripto legis, facienda sunt consilio charitatis.* Multa sunt autem facienda non jubente lege, sed libera charitate : et ea sunt in nostris officiis gratiora, quæ cum liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Unde prior ipse Dominus, cum se tributum non debere monstrasset, solvit tamen, ne scandalizaret eos quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat (*Matth.* XVII, 23-26). Jam vero Apostolus quemadmodum ista commendet, ejus verba testantur, ubi dicit : *Cum enim liber sim ex omnibus, omnium servum me feci, ut plures lucrifacerem.* Cum paulo superius dixisset : *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus licentiam sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? An ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantavit vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit?* Et paulo post : *Si alii*, inquit, *potestatis vestræ participant, non magis nos? Sed non sumus usi hac potestate, sed omnia toleramus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi.* Deinde post pauca : *Quæ ergo*, inquit, *mihi merces erit? Ut evangelizans sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio* (I *Cor.* IX, 4-19). Continuoque subjungit quod paulo ante commemoravi : *Cum enim liber sim ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* Item alio loco de quibusdam quæ ad escam pertinent : *Omnia*, inquit, *mihi licita sunt, sed non omnia expediunt : omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri et venter escis, Deus autem et hunc et has evacuabit* (*Id.* VI, 12 et 13). Item alibi de hoc ipso : *Omnia mihi*[1] *licita sunt, sed non omnia expediunt : omnia mihi licita sunt, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed id quod alterius est.* Atque ut ostenderet unde loqueretur : *Omne*, inquit, *quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* (*Id.* X, 22-25). Et tamen alibi dicit : *Non manducabo carnem in æternum, ut non fratrem meum scandalizem* (*Id.* VIII, 13). Itemque alibi : *Omnia quidem munda, sed malum est homini qui per offensionem manducat* (*Rom.* XIV, 20). Quod est, *Omnia licita sunt*; ipsum est, *Omnia quidem munda* : et quod est, *sed non omnia expediunt*; ipsum est, *sed malum est homini qui per offensionem manducat.* Ita ostendit ea quæ licita sunt, id est, nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit potius esse tractanda, non præscripto legis, sed consilio charitatis. Hæc sunt quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est (*Luc.* X, 33-35). Et ideo dicuntur non a Domino præcipi, quamvis Domino[2] moneantur afferri ; ut tanto intelligantur esse gratiora, quanto magis ostenduntur indebita.

CAPUT XV. — 16. *Licita quædam quæ non expediunt.* Sed ea quæ in his talia sunt, ut quamvis sint licita non expediant, non in eis dici potest, Bonum est hoc, sed illud melius : sicut dictum est, *Qui dat nuptum, bene facit ; et qui non dat nuptum, me-*

[1] Lov., *in uxore fideli*. Abest, *fideli*, ab editis aliis et Mss.

[2] Sola editio Lov., *acquirantur Christo.*

[1] Particula, *mihi*, hoc et proximo infra loco abest a Mss.

[2] Sic Mss. At editi, *a Domino* : minus bene.

lius facit (I *Cor.* VII, 38). Ibi enim utrumque licet, et hoc aliquando, aliquando illud expedit. Nam illis quæ se non continent, utique expedit nubere; et quod licet, expedit : quæ autem voverunt continentiam, nec licet, nec expedit. Porro discedere ab infideli conjuge licet, sed non expedit : manere autem cum illo, si cohabitare consentit, et licet et expedit; quia si non liceret, expedire non posset. Potest ergo aliquid licere et non expedire : expedire autem quod non licet non potest. Ac per hoc non omnia licita expediunt, omnia autem illicita non expediunt. Sicut enim omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est; non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est : ita omne quod non licet non expedit, nec tamen omne quod non expedit etiam non licet. Sunt quippe licita quæ non expediunt, sicut Apostolo teste didicimus.

CAPUT XVI. — 17. *Licitum quod non expedit, differt ab illicito, ita ut illud si fiat, non sit peccatum, quamvis non sit faciendum.* Sed inter id quod illicitum est et ideo non expedit, atque id quod licitum est nec tamen expedit, quid intersit, aliqua universali regula definire difficile est. Citius enim quisque dixerit : Omne quod fieri non expedit, peccatum est; omne autem peccatum illicitum est : omne ergo quod non expedit, illicitum est. Et ubi erunt illa quæ licita esse, sed non expedire, Apostolus dixit, si omne quod non expedit, licitum non est? Quapropter quia verum dixisse Apostolum dubitare non possumus, et aliqua peccata esse licita dicere non audemus; restat ut dicamus, fieri aliquid quod non expediat, et tamen si licitum est, non esse peccatum [1], quamvis quoniam non expedit, non sit utique faciendum. Quod si absurdum videtur, ut aliquid fiat quod non expedit, et dicatur non peccasse qui fecerit; intelligendum est hoc ex consuetudine sermonis absurdum : quæ ita late patet, ut etiam jumenta, quamvis sint rationis expertia, tamen plerumque dicamus debere vapulare cum peccant; peccare autem proprie non est nisi ejus qui utitur rationali voluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus non nisi homini est divinitus attributum. Sed aliud est cum proprie loquimur, aliud cum verba ex aliis rebus transferendo vel abutendo mutuamur [2].

CAPUT XVII. — 18. *Unde differt id quod licet et non expedit, ab eo quod ideo non expedit quia non licet. Dimittere conjugem infidelem, nec vetat nec jubet Christus, monet Paulus ne fiat.* Ut igitur, si possumus, enitamur, inter id quod licet et non expedit, et id quod non licet atque ideo non expedit, aliquo certo fine distinguere; ea mihi videntur licere et non expedire, quæ per justitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur, sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur a salute, vitanda sunt; ea vero non licere, et ideo nec expedire, quæ sic ipsa justitia vetantur, ut facienda non sint, etiamsi ab eis quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur. Quod si ita est, ideo non nisi illicita prohibentur a Domino, ut ea quæ licita sunt et non expediunt, non legis vinculo, sed liberæ dilectionis beneficentia caveantur.

19. Quoniam si dimittere infidelem conjugem non liceret, hoc fieri Dominus prohiberet, neque id Apostolus prohibens diceret, *Ego dico, non Dominus* (I *Cor.* VII, 12). Nam si propter fornicationem carnis permittitur homo a conjuge separari, quanto magis in conjuge mentis fornicatio detestanda est? id est, infidelitas [1], de qua scriptum est, *Quoniam ecce qui longe se faciunt a te, peribunt; perdidisti omnem qui fornicatur abs te* (*Psal.* LXXII, 27).

CAPUT XVIII. — *Cur sicut Israelitis uxores alienigenas, non ita Christianis infideles jubetur deserere. Consilium Pauli tanquam Christi accipiendum. Id quod licet, quandoque expedit, quandoque non. Discessio ab infideli conjuge non prohibita præcepto legis, sed consilio charitatis.* Sed quia ita licitum est, ut non expediat : ne propter conjugum separationes offensi homines, ipsam doctrinam salutis, qua illicita prohibentur, exhorreant, ac sic pejores atque perituri in eadem infidelitate remaneant; intercedit Apostolus, et monendo fieri vetat quod ita licitum est ut non expediat. Sic enim recedere ab infidelibus uxoribus vel maritis, fideles viri vel feminæ non prohibentur a Domino, ut neque jubeantur. Nam si dimittere tales conjuges juberentur, nullus esset locus consilio monentis Apostoli ne hoc fieret. Nullo modo enim quod Dominus jubet, servus bonus fieri prohiberet.

20. Namque hoc Dominus aliquando per Esdram prophetam jussit, et factum est : dimiserunt Israelitæ uxores alienigenas, quicumque tunc habere potuerunt (I *Esdr.* X, 11, 12), per quas fiebat ut et ipsi ad alienos seducerentur deos, non ut illæ per maritos vero acquirerentur Deo. Nondum enim tanta gratia Salvatoris illuxerat, et promissis temporalibus Veteris Testamenti adhuc inhiabat illius populi multitudo. Et propterea cum bona terrena, quæ pro magno exspectabant a Domino, viderent etiam his abundare qui multos falsos colebant deos, blanditiis uxorum prius eos reverebantur offendere, deinde inducebantur et colere. Unde jusserat Dominus per sanctum Moysen, ne quis uxorem alienigenam duceret (*Deut.* VII, 3). Merito ergo, quas duxerant Domino prohibente, Domino jubente dimiserunt. Cum vero cœpisset Gentibus Evangelium prædicari, jam conjunctos Gentiles Gentilibus comperit conjuges : ex quibus si non ambo crederent, sed unus aut una infidelis cum fideli consentiret habitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec juberi : ideo scilicet non prohiberi, quia justitia permittit a fornicante discedere, et infidelis hominis fornicatio est major in corde; nec vera ejus pudicitia cum conjuge dici potest, quia *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23) : quamvis veram fidelis habeat pudicitiam etiam cum infideli conjuge,

[1] Sola editio Lov., *et tamen sit licitum : nec esse peccatum.*

[2] In sola editione Lov., *mutamus.*

[1] Mss., *infidelitatis.*

qui non habet veram. Ideo autem nec juberi debuerunt fideles ab infidelibus separari, quia non contra jussionem Domini Gentiles fuerant ambo conjuncti.

21. Quoniam ergo ab infideli fidelem discedere nec prohibet nec jubet Dominus, ideo ut non discedat, Apostolus dicit, non Dominus: habens utique Spiritum sanctum, in quo dare posset utile et fidele consilium. Unde cum dixisset de muliere, cujus vir mortuus fuerit, *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium*; ne quis hoc consilium tanquam humanum, non divinum, contemnendum putaret, adjecit, *Puto autem, et ego Spiritum Dei habeo*. Proinde intelligendum est, etiam ipsa quæ non a Domino jubentur, sed a sancto ejus famulo utiliter suadentur, eodem Domino inspirante suaderi. Absit enim ut quisquam catholicus dixerit, quando suadet Spiritus sanctus, non Dominum suadere; cum et ipse Dominus sit, et inseparabilia sint opera Trinitatis. Dicit tamen, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Non ut hoc consilium alienum existimemus a Domino, cum continuo sequatur et dicat: *tanquam misericordiam consecutus a Domino ut fidelis essem* (I *Cor.* VII, 40, 25). Secundum Deum ergo dat fidele consilium in eo Spiritu, de quo ait: *Puto autem, et ego Spiritum Dei habeo*.

22. Verumtamen aliud est Domini jubentis imperium, aliud conservi secundum misericordiam charitatis, quæ est illi a Domino inspirata atque donata, fidele consilium. Ibi aliud facere non licet, hic autem licet: ita sane ut ipsum licitum partim quidem expediat, partim vero non expediat. Expedit tunc, quando non solum per justitiam, quæ coram Domino est, permittitur, sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur: velut cum dat consilium non nubendi Apostolus virgini, unde præceptum Domini se non habere testatur; licet aliud facere, id est, nubere, et minus quam continentiæ, bonum tamen tenere nuptiarum. Ipsumque licitum etiam expedit: quoniam in vetita et illicita ruituram carnis infirmitatem sic excipit honestate nubendi, ut neminem impediat ad salutem; quamvis magis expediret, magisque honestum esset, si virgo consilium, quo præceptum eam non compellit, arriperet. Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis. Sicut est, unde jam diu loquimur, discessio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est; sed prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi; verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur [1].

[1] Aliquot MSS., *ab infidelitate difficillime resolvuntur*. Alii meliores notæ codices cum editis consentiunt.

CAPUT XIX. — 23. *Consilium non nubendi, de eo esse quod amplius expedit; at consilium non dimittendi infidelem, de eo esse cujus contrarium non expedit.* Ideo hic, ubi id quod licet non expedit, non potest dici, Si dimiserit infidelem, bene facit; si non dimiserit, melius facit: sicut dictum est, *Qui dat nuptum, bene facit; et qui non dat nuptum, melius facit*. Quoniam illud non solum utrumque pariter licet; unde ad nihil horum præcepto Domini quisque compellitur: sed etiam utrumque expedit, aliud minus, aliud amplius; unde ad id quod amplius expedit, consilio Apostoli, quicumque potest capere, provocatur. Hoc autem ubi de dimittendo vel non dimittendo infideli conjugio quæritur, utrumque quidem pariter licitum est per justitiam quæ coram Domino est, et ideo nihil horum Dominus prohibet: sed non utrumque expedit, propter infirmitates hominum, et ideo id quod non expedit, Apostolus prohibet; dante sibi Domino liberum prohibendi locum, quia neque id quod monet Apostolus, prohibet Dominus, neque id quod prohibet Apostolus, jubet Dominus. Quod nisi ita esset, neque contra prohibitionem Domini Apostolus aliquid moneret, neque contra jussionem ejus aliquid prohiberet. Proinde in his duabus causis, una de nubendo vel non nubendo, altera de infideli conjuge dimittendo vel non dimittendo, aliquid simile est in verbis Apostoli, aliquid dissimile. Simile quidem illud quod et ibi dicit, *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; et hic dicit, *Ego dico, non Dominus*. Quale est enim, *Præceptum Domini non habeo*; tale est, *Non dicit Dominus*: et quale est, *consilium do*; tale est, *ego dico*. Illud autem dissimile est, quia de nubendo et non nubendo potest dici, hoc bene fieri, illud melius; quoniam utrumque expedit, minus aliud, magis aliud: at vero de conjuge infideli dimittendo vel non dimittendo, quoniam unum horum non expedit, aliud expedit, dici non oportet, Qui dimittit, bene facit; et qui non dimittit, melius facit: sed dici oportet, Non dimittat; quia etsi licet, non expedit. Sic ergo possumus dicere melius esse infidelem conjugem non dimittere, quamvis liceat et dimittere; quemadmodum recte dicimus melius esse quod et licet et expedit, quam id quod licet, nec expedit.

CAPUT XX. — 24. *De conjugibus infidelibus non dimittendis consilium Apostoli est, non præceptum. Monitum hic loci de re libera esse, alia tamen esse monita Apostoli de re imperata.* His de causis factum est ut exponens Domini sermonem, quem prolixum in monte habuit, ubi ventum est ad quæstionem de conjugibus dimittendis vel non dimittendis, adhibitis etiam apostolicis testimoniis, dicerem consilium esse Apostoli, non præceptum Domini, ubi ait, *Cæteris autem ego dico, non Dominus*, monens eos qui haberent conjuges infideles, ut consentientes habitare secum non dimitterent. Quod utique ideo monendum, non jubendum fuit, quia non tanto pondere prohibendi sunt homines facere licita, quamvis non expediant, quanto pondere prohibentur illicita. Si autem alicubi Apostolus etiam illa quæ jubenda sunt, mo-

nere dignatus est, hoc fecit parcendo [1] infirmitati, non præjudicando jussioni. Unde si dixit, *Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo* (I *Cor.* IV, 14); quid habet quæstionis, ubi ait, *Ego dico, non Dominus?* Item ubi ait, *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V, 2); numquid etiam hic dixit, *Ego dico, non Dominus?* Non sunt itaque ista similia, quia etiam illa quæ jubet Dominus, non est indignum neque contrarium, si eadem monet Apostolus. Monemus enim quos charos habemus, ut faciant Domini præcepta, vel jussa. Cum vero ait, *Ego dico, non Dominus;* satis ostendit Dominum non prohibere quod ipse prohibebat. Prohibuisset autem Dominus, si esset illicitum. Ergo secundum ea quæ supra diu diximus, multumque versavimus, licitum erat per justitiam; sed etiam licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam.

CAPUT XXI. — 25. *De conjugiis cum infidelibus, Pollentii sententia discutitur. Aliam esse quæstionem de jam conjunctis, aliam de conjungendis. De jam conjunctis, non de jungendis agi in loco Apostoli citato. Illicita et vetita a Domino nunquam expedit facere.* Tu autem cui placet, ita non licere quod non vetat Dominus, sed Apostolus, quemadmodum non licet quod vetat Dominus, cum exponere voluisses quid sibi vellet quod ait, *Ego dico, non Dominus*, cum alloqueretur fideles quibus essent conjuges infideles; dixisti, « Quia Dominus jussit ne conjugia sibimet « diversæ religionis copularentur: » et ipsum adhibuisti testimonium Domini dicentis, *Non accipies uxorem filio tuo a filiabus alienigenarum, ne traducat eum post deos suos, et pereat anima ejus* (*Deut.* VII, 3, 4). Addidisti etiam verba Apostoli, ubi dixit, *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino* (I *Cor.* VII, 39): quod ita exposuisti, ut adjungeres, « Id est christiano [2]. » Deinde secutus es, et aisti: « Hoc est ergo Domini præceptum tam in « Veteri quam in Novo Testamento, ut non nisi « unius religionis et fidei conjugia sibi maneant co- « pulata. » Si hoc ergo est Domini præceptum tam in Veteri Testamento quam in Novo, et hoc jubet Dominus, hoc docet Apostolus, ut non nisi unius religionis et fidei maneant copulata conjugia; quare contra hoc Domini jussum, contra doctrinam suam, contra præceptum Testamenti Veteris et Novi, jubet Apostolus ut diversæ fidei conjugia maneant copulata? « Quia Paulus, inquis, Gentium prædicator et « apostolus, jam in conjugio positos, non solum « monet, sed etiam jubet, ut si unus aut una a con- « jugibus credidisset, alterum vel alteram non cre- « dentem, secum tamen habitare consentientem, non « dimitteret. » His verbis tuis aliud hoc, aliud esse illud, satis evidenter ostendis. Illud enim de his conjugiis agitur, quæ sibi primitus copulantur, ne nubat femina non suæ religionis viro, vel vir talem ducat uxorem. « Id enim, » ut dicis, « jubet Deus, docet « Apostolus, utrumque præcipit Testamentum. » Hoc autem diversum esse quis abnuat, ubi agitur non de conjungendis, sed de conjunctis? Ambo quippe unius ejusdemque infidelitatis fuerunt quando conjuncti sunt; sed Evangelium cum venisset, alter sine altera, vel altera sine altero credidit. Si ergo aliud est hoc, quod sine scrupulo ullius dubitationis apparet, cur fidelem cum infideli in conjugio permanere, non et Dominus sicut Apostolus jubet? Nisi forte isto loco vacat, quod tam fidenter ipse ait: *An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Et utique Dominus est Christus. Intelligisne quid dicam? An in hoc explanando aliquanto diligentius immorabor?

26. Attende, ut rem ipsam tanquam in conspectu considerandam planiore sermone ponamus. Ecce conjuges duo, unius infidelitatis; ita fuerunt quando conjuncti sunt: nulla de his quæstio est, quæ pertineat ad illam Domini jussionem doctrinamque apostolicam et præceptum Testamenti Veteris et Novi, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare conjugium. Jam sunt conjuges, et adhuc ambo sunt infideles; adhuc tales sunt quales fuerunt antequam jungerentur, qualesque conjuncti sunt. Venit Evangelii prædicator, credidit eorum aut unus, aut una; sed ita ut infidelis cum fideli habitare consentiat. Jubet fideli Dominus ne infidelem dimittat, an non jubet? Si dixeris, Jubet; reclamat Apostolus, *Ego dico, non Dominus.* Si dixeris, Non jubet; causam requiro. Neque illam mihi responsurus es, quam tuis litteris indidisti, « Quia Dominus prohibet fideles infidelibus « jungi. » Hic enim nullo modo est ista causa: de jam junctis loquimur, non de jungendis. Si ergo tu causam non invenisti cur non vetet Dominus quod vetat Apostolus; cernis enim jam, ut existimo, non esse ipsam quam esse putaveras: vide ne forte illa sit quæ mihi visa est, et tunc proferenda, et nunc defendenda; ut scilicet illud intelligamus dicere Dominum, quod habet coram illo nullo modo transgredienda justitia, id est, quod ita jubet aut vetat, ut aliud facere omnino non liceat: quod autem volentis potestati ita permittit, ut nec agatur nec prætermittatur illicite; ibi servorum suorum consilio locum dare, ut id potius suadeant quod viderint expedire.

27. Teneatur hic ergo primitus ac maxime, ne committantur illicita. Ubi autem aliquid ita licitum est, ut aliud facere non sit illicitum, fiat quod expedit, vel quod magis expedit. Illa igitur quæ Dominus ita dicit ut Dominus, id est, non monentis consilio, sed dominantis imperio, non facere non licet [1], et ideo nec expedit. Dominus itaque præcipit, *Mulierem a viro non discedere; quod si discesserit,* ea utique causa qua discedere licitum est, *manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (I *Cor.* VII, 10 *et* 11). *Mulier* enim *sub viro, vivo marito, juncta est legi;* et *vivente*

[1] Duo Mss., *parcendo.*
[2] Sola editio Lov., *idque christiano.*

[1] Sic Mss. At editi, *facere non licet,* omisso, *non*, ante, *facere.*

viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro (*Rom.* VII, 2, 3); quoniam *mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit* (I *Cor.* VII, 39). Unde, *Si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mœchatur* (*Marc.* X, 12); et, *Qui dimissam a viro duxerit, mœchatur* (*Matth.* XIX, 9). Ideoque ex eodem præcepto Domini, *Et vir uxorem ne dimittat* (I *Cor.* VII, 11): quoniam *qui dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* V, 32). Sed si propter hanc causam dimiserit, etiam ipse sic maneat: *Omnis enim qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur* (*Luc.* XVI, 18).

CAPUT XXII. — *Dimissa adultera alteram ducens, ut christianam faciat, mœchatur.* Hæc constituta Domini sine ulla retractatione servanda sunt. Habet enim hæc justitia quæ coram illo est, sive approbent, sive improbent homines: et ideo dici non oportet, propter offensiones hominum, aut ne impediantur homines ab ea salute, quæ in Christo est, non esse servanda [1]. Quis enim christianus audeat dicere: Ne homines offendam, aut ut homines Christo acquiram, faciam mœchari uxorem meam, aut ego ipse mœchus fiam?

28. Potest enim fieri ut cum adulteram uxorem quisque dimiserit christianus, ita tentetur, ut aliqua femina quæ nondum credidit, cupiens in ejus nuptias convenire, promittat se futuram esse christianam, non fallaciter, sed si ei nupserit hoc omnino factura. Huic itaque hoc connubium recusanti poterit suggerere ille tentator: Dominus dixit, *Quicumque dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur*; tu autem qui dimisisti propter causam fornicationis uxorem, si aliam duxeris, non mœchaberis. Huic talia suggerenti, erudito corde respondeat, mœchari quidem illum gravius qui præter causam fornicationis uxore dimissa alteram duxerit; sed etiam illum qui uxore fornicante dimissa sibi aliam copulavit, non ideo non mœchari, quia fornicantem reliquit: sicut mœchatur qui eam quæ præter causam fornicationis dimittitur, duxerit; nec ideo non mœchatur qui eam ducit, quam dimissam propter causam fornicationis invenerit. Et propterea quod subobscure apud Matthæum positum est, quoniam [2] totum a parte significatum est, expositum esse apud alios [3], qui totum generaliter expresserunt, sicut legitur apud Marcum, *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit*: et apud Lucam, *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur.* Non enim alios dixerunt mœchari, alios non mœchari, qui dimissis uxoribus suis duxerint alteras; sed, *Quicumque dimiserit*: id est, omnem prorsus qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchari eum sine ulla exceptione dixerunt.

CAPUT XXIII. — 29. [illegible], *ut feminam fiat christianam*, [illegible] illi christianus responderit tentatori, intelligens licuisse quidem sibi dimittere adulteram, sed aliam ducere non licere: quid, si dicat ille tentator, Committe hoc peccatum, ut acquiras animam Christo in morte infidelitatis positæ feminæ, quæ parata est, si tibi nupserit, fieri christiana? quid aliud christianus respondere ad ista debet et dicere, nisi se non posse, si hoc fecerit, evadere judicium, quod commemoravit Apostolus ubi ait, *Et sicut dicunt quidam nos dicere, Faciamus mala, ut veniant bona; quorum judicium justum est* (*Rom.* III, 8)? Quomodo autem poterit esse salubriter christiana, quæ cum illo a quo ducitur erit adultera?

CAPUT XXIV. — 30. *Continentiæ votum nulla spe compensationis rumpendum.* Non solum autem mœchandum non est, quod facit, non quidam, sed omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, etsi propterea duxerit ut faciat christianam; sed etiam quisquis non alligatus uxori continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam, quia promisit quæ nuptias ejus appetit, futuram se esse christianam. Quod enim cuique antequam vovisset licebat, cum id se nunquam facturum voverit, non licebit: si tamen id voverit quod vovendum fuit, sicuti est perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia solutis a vinculo conjugali, vel ex consensu voventibus et carnalia debita sibi invicem relaxantibus fidelibus castisque conjugibus; quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vovere fas non est. Hæc ergo, et si qua alia sunt quæ rectissime voventur, cum homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt. Quia et hoc Dominum præcepisse intelligendum est, ubi legitur: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV, 12). Unde Apostolus de quibusdam quæ continentiam vovent, et postea nubere volunt, quod eis antequam vovissent utique licebat: *Habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt* (I *Tim.* V, 12).

31. Nihil ergo expedit quod illicitum est, et nihil quod prohibet Dominus licitum est.

CAPUT XXV. — *Consilium Apostoli in iis quæ præcepta non sunt, audiendum. Quæstio de conjugiis difficillima. Alia quæstio Pollentii.* Quæ autem nullo Domini constringente præcepto in potestate dimissa sunt, in his audiatur Apostolus, in Spiritu sancto monens et consulens ut vel meliora capiantur, vel ea quæ non expediunt caveantur. Ibi audiatur dicens, *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; et, *Ego dico, non Dominus.* Ibi si meliora elegerit, qui audit, *Solutus est ab uxore, non quærat uxorem*, quia *et si acceperit uxorem, non peccat*: ibi virgo non nubat. *Qui enim non dat nuptum, melius facit*; *et qui dat nuptum, bene facit.* Ibi beatior sit mulier sic permanendo, quæ mortuo viro suo in potestate habet, cui vult nubere, *tantum in Domino.* Quod duobus modis accipi potest, aut christiana permanens, aut christiano nubens. Nam eo tempore revelati

[1] [illegible]
[2] [illegible]
[3] [illegible]

Testamenti Novi, in Evangelio vel ullis apostolicis Litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi. Quamvis beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere Gentilibus membra Christi (*a*). Sed quia de iis qui jam conjuncti sunt alia quæstio est; audiatur et hic Apostolus dicens: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam : et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* (I *Cor.* VII, 12, 13, 25, 27, 38, 39). Et sic audiatur, ut quamvis fieri licitum sit, quia hoc non dicit Dominus; non tamen fiat, quia non expedit. Non enim omnia expedire quæ licita sunt, apertissime docet Apostolus (*Id.*, X, 22), sicut supra jam ostendimus. Propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi et infidelitas intelligitur, et dimisso viro non licet alteri nubere, et dimissa uxore non licet alteram ducere : quoniam Dominus nulla exceptione facta dicit, *Si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur;* et, *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur*.

32. His ita pro meo modulo pertractatis atque discussis, quæstionem tamen de conjugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus ejus, vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicasse, vel jam posse, si urgear, explicare. Illud autem unde me itidem in alia scheda consulendum existimasti, seorsum etiam ego enodare curarem, si mihi aliud quam tibi visum est, videretur : cum vero eadem sit etiam nostra sententia, non hinc opus est diutius disputare.

CAPUT XXVI. — 33. *Catechumenis in ultimo vitæ an dandus Baptismus non petentibus, nec pro se respondere valentibus. Opinio quorumdam negans rejicitur, nec tamen damnatur.* Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum vel ad interrogata respondere non possint; prosit eis quod eorum in fide christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit (*b*). Non tamen propterea damnare debemus eos qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conservo credita improbius quam cautius judicare voluisse judicemur. Satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli, ubi dicit : *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo* (*Rom.* XIV, 12). Non ergo amplius invicem judicemus. Sunt enim qui vel in his, vel etiam in aliis observandum putant, quod dixisse Dominum legimus, *Nolite sanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Et ideo Salvatoris verba referentes [1], baptizare non audent eos qui pro se respondere nequiverint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est usus. Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle; verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.

CAPUT XXVII. — 34. *Ut intelligendum dictum Domini, Ne detur sanctum canibus.* Si autem Dominus, ubi ait, *Nolite dare sanctum canibus*, hoc quod isti cavendum putant, vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset quod in suam ille perniciem, sine culpa dantis, cum dignis indignus accepit. Unde cum hoc diceret Dominus, credendum est significare voluisse quod lucem intelligentiæ spiritualis immunda corda non portant. Et si portanda doctor ingesserit, quæ non recte accipiunt, quia non capiunt, vel reprehensionis morsibus lacerant, vel contemnendo conculcant. Si enim beatus Apostolus, quamvis in Christo jam renatis, tamen adhuc parvulis, lac dicit se dedisse, non escam : *Necdum enim poteratis*, inquit, *sed nec adhuc quidem potestis* (I *Cor.* III, 2); si denique ipse Dominus electis Apostolis dixit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* (*Joan.* XVI, 12) : quanto minus possunt ferre, quæcumque de incorporea luce dicuntur, immundæ mentes impiorum?

CAPUT XXVIII. — 35. *Baptismus in casu proposito dandus catechumenis etiam adulterina conjugia retinentibus. Reconciliationis pœnitenti dandæ in periculo mortis eadem ratio.* Sed ut sermo noster ad hoc potius claudatur, unde sumpsit exordium, ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore [2] non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerunt, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.

(*a*) Cyprianus, lib. de Lapsis.
(*b*) Vid. lib. 4 Confess., cap. 4, n. 8.

[1] Aliquot Mss., *reverentes*.
[2] Hic in editis superfluo fuerat additum, *in his permanentes :* itemque post, *tamen si desperati*, in iis legebatur, *et intra se pœnitentes ;* quæ verba veterum librorum auctoritate expunximus.

LIBER SECUNDUS.

Redarguitur Pollentius, adulterio putans perinde atque morte solvi conjugium, eoque trahens illud Apostoli ad Corinthios, *Quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est*; ut mortuum hoc loco velit etiam adulterum intelligi. Argumenta deinde ejus reliqua diluuntur, et varia quæ suboriri timet incommoda, nisi repudiata adultera ducere alteram viro liceat, refutantur.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Hujus libri occasio*, Ad ea quæ mihi scripseras, frater religiose Pollenti, jam rescripseram non parvum volumen, de iis qui viventibus conjugibus suis aliis copulantur. Quod cum innotuisset Dilectioni tuæ, addidisti aliqua ad libellum tuum, etiam his me respondere desiderans: sed cum facere disponerem, addendo et ego ad meum, ita ut unus liber esset etiam responsionis meæ, repente illud editum est quod absolveram prius, flagitantibus fratribus, et nescientibus nostris [1] quod adhuc aliquid esset addendum. Hinc factum est ut altero seorsum opusculo, ad ea quæ addidisti, respondere compellerer. Non autem quæ addidisti, adjuncta sunt fini opusculi tui; sed, ubi visum est, ejus interjecta sunt corpori.

CAPUT II. — 2. *Pollentii sententia, nubere alteri vetitum esse conjugi, si a non fornicante, non autem si a fornicante discesserit. Mortuum in loco Pauli intelligendum etiam fornicantem sentit.* Horum primum illud est, cui quidem arbitror me respondere debere, quod in his Apostoli verbis, ubi ait, *Cæteris autem ego dico, non Dominus, mulierem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, non putas ita dictum esse, *si discesserit*, ut a viro fornicante discessisse intelligatur, qua sola causa discedere licitum est; sed potius existimas a pudico, et ideo jussam manere innuptam, ut posset ei reconciliari, si continere ille noluisset, ne virum ad fornicandum, id est, ad aliam se vivente ducendam, ipsa non reconciliata compelleret. Cæterum si a viro fornicante discesserit, putas ei non præcipi ut innupta permaneat: sed hoc eam facere, si continens esse voluerit; non ut præcepti violatrix inveniatur esse, si nupserit. Quæ tibi videtur forma et a viro esse servanda, ut uxorem non dimittat, excepta causa fornicationis; si autem dimiserit, maneat sine conjugio, ut pudicæ reconciliari possit uxori, nisi forte continentiam illa delegerit; ne uxoris castæ reconciliationem refugiens, ipse illam cogat mœchari, si sese non continens vivente illo nupserit alteri: si autem fuerit ab uxore fornicante disjunctus, jam eum nullo præcepto ut se contineat detineri, nec omnino mœchari, si viva illa alteram duxerit: quoniam id quod ait idem apostolus, *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit; quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat* (I Cor. VII, 10, 11, 39); sic intelligendum existimas, ut si vir fuerit fornicatus, pro mortuo deputetur, et uxor pro mortua; et ideo liceat cuilibet illorum, tanquam post mortem, ita post fornicationem conjugis alteri copulari.

CAPUT III. — 3. *Refellitur Pollentius.* Quibus tuis sensibus consideratis, abs te quæro, utrum quicumque duxerit mulierem quæ viro alligata esse destiterit, adulter habendus sit? Quod tibi existimo non videri. Ideo enim mulier *vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*; quoniam *alligata est, quamdiu vir ejus vivit*. Hoc autem vinculum si ei cum viro vivente non esset, sine ullo adulterii crimine alteri nuberet. Proinde si alligata est quamdiu vir ejus vivit, nullo modo nisi viro mortuo soluta dicenda est ab hoc vinculo. Porro si morte cujuslibet eorum inter maritum et uxorem hoc vinculum solvitur, et pro morte habenda est, sicut dicis, etiam fornicatio, procul dubio erit ab hoc et mulier soluta, quando fuerit fornicata. Neque enim dici poterit hæc alligata viro, quando ab illa fuerit vir solutus. Ac per hoc posteaquam fornicando alligata viro esse destiterit, quisquis eam duxerit, adulter non erit.

CAPUT IV. — *Fornicationem pro morte conjugale vinculum solvente deputare, quam absurdum.* Et vide quam sit absurdum, ut ideo non sit adulter, quia duxit adulteram. Imo vero, quod est monstruosius, nec ipsa mulier erit adultera: quoniam non erit posteriori viro uxor aliena, sed sua. Soluto enim per adulterium priore conjugali vinculo, cuicumque jam nupserit conjugem non habenti, non adultera cum adultero, sed uxor erit potius cum marito. Quomodo ergo erit verum, *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit?* Ecce vir ejus vivit, quia nec de corpore excessit, nec fornicatus est, quod pro morte vis deputari; et tamen ei mulier alligata jam non est. Nonne attendis quam sit hoc contra Apostolum dicentem, *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit?* An forte dicturus es: Vivit quidem, sed vir ejus jam non est; quoniam tunc esse destitit, quando illa per adulterium conjugale vinculum solvit? Quomodo igitur *vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*: quandoquidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculo per mulieris adulterium jam soluto? Quo enim vivente viro, nisi suo, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro? At si vir ejus esse ille jam destitit; non utique vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; sed nullum habens virum nubendo erit cum suo viro. Hoc qui sentit, nonne cernis quam contra Apostolum sentiat? Quod quidem non ipse sentis, sed hoc sequitur illa quæ sentis. Muta ergo antecedentia, si vis cavere sequentia; et noli dicere, mortuum virum vel mortuam uxorem hoc loco debere intelligi etiam fornicantem.

[1] Editi, *flagitantibus fratribus nostris et nescientibus*. At Mss. vocem, *nostris*, collocant post, *et nescientibus*; ut in his quidem domesticos et convictores, in *flagitantibus fratribus* vero extraneos intelligamus.

4. Quamobrem secundum doctrinam sanam *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit*, id est, nondum e corpore abscessit. *Mulier enim sub viro, vivo marito, juncta est legi*; hoc est, in corpore constituto. *Si autem mortuus fuerit*, hoc est, de corpore exierit, *evacuata est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege* [1], *ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro* (*Rom.* VII, 2 *et* 3). Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.

CAPUT V. — *Conjugii vinculum morte resolvi, non autem fornicatione et separatione conjugum.* Sicut enim manente in se Sacramento regenerationis, excommunicatur cujusquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo : ita manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. Reus vero excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis Sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque ut, si sapere secundum Apostolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, et ideo licere uxori ejus alteri nubere. Quamvis enim sit mors adulterium, non corporis, sed quod pejus est, animæ : non tamen et de ista [2] morte, loquebatur Apostolus, cum dicebat, *Quod si mortuus fuerit vir ejus, cui vult nubat;* sed de illa sola qua de corpore exitur. Quoniam si per conjugis adulterium conjugale solvitur vinculum, sequitur illa perversitas, quam cavendam esse monstravi, ut et mulier per impudicitiam solvatur hoc vinculo : quæ si solvitur, libera erit a lege viri; et ideo, quod insipientissime dicitur, non erit adultera si fuerit cum alio viro, quia per adulterium liberata est a priore viro. Quod si ita est a veritate devium, ut nullus id, non dico christianus, sed humanus sensus admittat; profecto *mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit :* quod ut apertius dicam, quamdiu vir ejus in corpore est. Pari ergo forma et vir alligatus est, quamdiu mulier ejus in corpore est. Unde si vult dimittere adulteram, non ducat alteram, ne quod in illa culpat, ipse committat. Similiter et mulier si dimittit adulterum, non sibi copulet alterum : alligata est enim, quamdiu vir ejus vivit; nec a lege viri nisi mortui liberatur, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

CAPUT VI. — 5. *Reconciliatio post adulterium cum conjuge resipiscente quam conveniens christiano.* Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel Baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos? Hæc crimina in vetere Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ Novi Testamenti sanguine sine dubitatione mundantur [1] : et ideo tunc omni modo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem; quamvis David Saulis filiam, quam pater ejusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam Novi Testamenti præfigurator sine cunctatione receperit (II *Reg.* III, 14) : nunc autem posteaquam Christus ait adulteræ, *Nec ego te damnabo; vade, deinceps noli peccare;* quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum?

CAPUT VII. — 6. *Mariti sævientes in uxores adulteras, cum sint et ipsi adulteri.* Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicæ fidei vel potius inimici veræ fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis (*a*) : quasi permissionem peccandi tribuerit qui dixit, *Jam deinceps noli peccare;* aut ideo non debuerit mulier a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani. Neque enim quibus illud factum Domini displicet, ipsi pudici sunt, et eos severos castitas facit : sed potius ex illo sunt hominum numero, quibus Dominus ait, *Qui sine peccato est vestrum, prior in eam lapidem jaciat.* Nisi quod illi conscientia territi recesserunt, et tentare Christum atque adulteram persequi destiterunt (*Joan.* VIII, 7-11); isti autem et ægroti medicum reprehendunt, et in adulteras adulteri sæviunt : quibus si diceretur, non quod illi audierunt, *Qui sine peccato est;* quis enim sine peccato? sed, Qui sine isto peccato est, *prior in illam lapidem mittat;* tum vero forsitan cogitarent, qui indignabantur quod adulteram non occiderent, quanta illis Dei misericordia parceretur, ut adulteri viverent.

CAPUT VIII. — 7. *Viri adulteri gravius puniendi quam adulteræ uxores. Lex Antonini, viros impudicos*

[1] Editi, *liberata est a lege viri.* Vox, *viri,* hoc loco non repetitur in Mss.

[2] Sic codices Mss. At editi, *non tamen de ista.*

[1] Sic editio Er. nostris ibi plerisque ac melioribus Mss. consentiens. At Lov., *quæ Novi Testamenti in sanguine Christi sine dubitatione mundantur.*

(*a*) In græcis plerisque exemplaribus non legebatur historia de adultera muliere. Ejus nulla mentio in commentariis Chrysostomi et Theophylacti in Evangelium Joannis : tametsi alibi Chrysostomus, scilicet in homilia 60, eam historiam agnoscat. Hieronymus, in dialogo adversus Pelagianos secundo, meminit illius in hæc verba : « In Evangelio, « ait, secundum Joannem in multis et græcis et latinis co- « dicibus invenitur de adultera muliere quæ accusata est « apud Dominum. » Eusebius Cæsariensis, Ecclesiasticæ historiæ lib. 3, hanc de adultera historiam Joanni additam dicit ex Evangelio quod inscribitur secundum Hebræos. Fieri potuit tamen quod Augustinus suspicatur, ut quod primum in Joannis verioribus exemplaribus exstabat, detractum sit hominum imprudentium temeritate, ne mulieribus adulteris, in quas erant severiores sæculares leges, peccandi licentia et impunitas in Evangelio data putaretur.

æque ac mulieres damnari volentis. Virorum impudicitiæ pœnam. Sed cum hæc eis dicimus, non solum nihil volunt detrahere severitati; sed irascuntur insuper veritati, et loquuntur atque respondent: Sed nos viri sumus; an vero sexus nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut cum aliis feminis præter uxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frenare, quia viri sunt? quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt? quasi non propterea minus debeant a libidine superari, quia viri sunt? quasi non propterea minus debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt? Et tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere, et exemplo regere feminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, *Caput mulieris vir* (*Ephes.* v, 23): ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere: et ideo cavendum viro illac ire vivendo, qua timet ne uxor sequatur imitando. Sed isti quibus displicet ut inter virum et uxorem par pudicitiæ forma servetur, et potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura forensia non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere; legant quid imperator Antoninus [1], non utique christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambo pariter impudicos conflictus ipse convicerit. Nam supra dicti imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur (a): *Sane*, inquit, *meæ litteræ nulla parte causæ præjudicabunt. Neque enim si penes te culpa fuit ut matrimonium solveretur, et secundum legem Juliam Eupasia uxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet: quæ res potest et virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere.* Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis; quanto castiores quærit cœlestis patria et societas Angelorum? Quæ cum ita sint, numquid ideo minor est, ac non potius major et pejor virorum impudicitia, quia inest illis superba et licentiosa jactantia? Non igitur exhorreant viri quod adulteræ Christus ignovit: sed potius agnoscant suum periculum, et sanati morbo libidinis ad medicum Salvatorem supplici pietate confugiant: et quod in illa factum legunt, etiam sibi necessarium esse fateantur, adulteriorum suorum medicinam suscipiant, adulterare jam desistant, laudent in se Dei patientiam, agant pœnitentiam, sumant indulgentiam, mutent de pœna feminarum et de sua impunitate sententiam.

CAPUT IX. — 8. *Nolens reconciliari adulteræ uxori non potest alteri nubere.* Quibus consideratis atque tractatis, si communis conditio, commune malum, commune periculum, commune vulnus, communis salus, fideliter et humiliter cogitetur; non erit turpis, neque difficilis, etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves regni **cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum**: non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. Verum ecce non fiat, nemo compellit, quia forte lex aliqua hujus sæculi vetat secundum terrenæ civitatis modum, ubi cogitata non est abolitio criminum per sanguinem sanctum. Suscipiatur ergo continentia, quam nulla lex prohibet; in alia non eatur adulteria. Et quid ad nos, si nec saltem divina miseratione mundata marito reconcilietur [1] adultera, dum tamen non reconciliatis adulteris, non alia fiant quasi connubia, quæ convincuntur esse adulteria? *Mulier enim alligata est, quamdiu vir ejus vivit* (I *Cor.* vii, 39). Ergo consequenter et vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hæc alligatio facit ut aliis conjungi sine adulterina copulatione non possint. Unde necesse est ex duobus conjugibus quatuor adulteros fieri, si et illa alteri nupserit, et ille alteram duxerit [2]. Quamvis enim sceleratius mœchetur, qui non causa fornicationis uxore dimissa alteram ducit; quod genus adulterii commemoravit Matthæus: tamen non solum ipse mœchatur, sed, sicuti est apud Marcum, *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur* (*Marc.* x, 11 *et* 12); et sicuti est apud Lucam, *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur* (*Luc.* xvi, 18). De quibus testimoniis jam satis in libro superiore disserui.

CAPUT X. — 9. *Incontinentium querelas adversus legem Christi vetantis alteri nubere dimissa adultera, frustra objectari. Si incontinentium querelæ admittantur, permittenda adulteria in multis casibus. Justior videbitur querela mulieris præter fornicationem dimissæ et nubere alteri cupientis.* Sed respondes mihi: «Continenter vivere paucorum est: et ideo qui fornicantes conjuges dimiserunt, quoniam non possunt reconciliari, tantum se vident periclitari, ut legem Christi non humanam, sed feralem pronuntient.» O frater, quantum ad incontinentes pertinet, multas querelas habere possunt, quibus, ut dicis, legem Christi feralem pronuntient, non humanam. Et tamen non propter illos Evangelium Christi perver-

[1] [illegible] *Antoninus*: [illegible]

(a) [illegible] Gregorianum [illegible] Augustinum [illegible]

[1] Editi, *reconcilietur*. At Mss. [illegible] *a Deo.*

[2] Sola editio Lov., *Si et illa adultero nupserit, et ille adulteram duxerit.*

tere, vel mutare debemus. Te quippe sola eorum querela permovet, qui conjuges causa fornicationis intercedente dimittunt, si alias ducere non sinantur : quoniam continere paucorum est, atque ad id debent laude adhortari, non lege compelli. Itaque si dimissa adultera non ducatur altera, justam querelam, sicut putas, habebit hominum incontinentia. Sed attende quam plura sunt, ubi si querelas incontinentium velimus admittere, necesse nobis erit adulteria facienda permittere[1]. Quid si enim aliquo diuturno et insanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impeditur (a)? quid, si captivitas, vel vis aliqua separet, ita ut sciat vivere maritus uxorem, cujus sibi copia denegatur? censesne admittenda incontinentium murmura, et permittenda adulteria? Quid in hoc ipso unde interrogatus est Dominus, responditque fieri non debere, sed ad duritiam cordis illorum Moysen permisisse dari libellum repudii, et quacumque causa dimittere conjugem? nonne lex Christi incontinentibus displicet, qui uxores litigiosas, injuriosas, imperiosas, fastidiosas, et ad reddendum debitum conjugale difficillimas, repudio interposito abjicere volunt, et alteras ducere? Jam ergo, quia istorum incontinentia legem Christi horruit, ad eorum lex Christi arbitrium commutanda est?

10. Jam porro si maritum relinquat uxor, vel maritus uxorem, non causa fornicationis, sed potius continentiæ, sitque incontinens cui repudium propter hoc datur; quæro utrum non erit adulter vel adultera, si alteri copuletur? Si, Non erit, dicitur; Domino contradicitur, cujus hæc verba sunt : *Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat* (*Matth.* v, 31 *et* 32). Ecce dimissa est, non dimisit; et quia continere paucorum est, incontinentiæ cessit et nupsit; et tamen adulter adulteram duxit. Ambo rei, ambo damnandi sunt; et quæ nupsit vivo marito, et qui duxit eam cujus vivit maritus. Numquid hic legem Christi dicimus inhumanam, qua constituitur rea tanti criminis atque punitur, quam vir nulla ejus præcedente fornicatione dimisit, et quia paucorum est continere, dimittendo compulit nubere? Cur non hic dicimus habendum esse pro mortuo, qui male dimittendo prior conjugale vinculum rupit? Nam qua ratione dicturus es eum rupisse vinculum conjugale, qui licet sit mœchus, non dimisit uxorem; et eum non rupisse, qui etiam castam dimisit uxorem? Ego autem dico in utroque manere hoc vinculum, quo mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit, sive continens, sive mœchus : et ideo mœchari eam quæ dimissa nupserit, et mœchari eum qui dimissam duxerit, sive a mœcho, sive a continente dimissa sit; quoniam *mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit*. Sed nunc de querelis incontinentium disputamus. Quid enim videtur justius hujus mulieris querela, quæ dicit : Dimissa sum, non dimisi; et quoniam continere paucorum est, non me continui, ne fornicarer nupsi, et dicor mœchata, quia nupsi? Numquid propter hujus quasi justam querelam, legem censebimus mutandam esse divinam, ut istam non judicemus adulteram? Absit. Sed respondebis non eam debuisse dimitti, quia fornicationis nulla causa præcesserat. Verum dicis : nam peccatum mariti ejus Dominus expressit, ubi ait, *Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari*. Sed numquid ista ideo nubendo postea non peccavit, quia prius dimittendo ille peccavit? Quid ergo ei prodest, quod de lege Christi mulier incontinens queritur, nisi ut murmurans puniatur?

CAPUT XI. — 11. *Objectio alia Pollentii ut saltem filiorum gignendorum causa liceat alteram ducere dimissa adultera.* Jam nunc etiam illa videamus quæ alio loco interponens addidisti, neque ad ea respondere voluisti : ubi te movet, et miseraris hominem qui cubare cum adultera, etiamsi non incontinentia, certe filiorum procreandorum necessitate compellitur, si non ei licet sic eam dimittere, ut ea vivente alteram ducat. Unde recte movereris, si adulterium non esset, quamvis adultera viva uxore, alteram ducere. Si autem adulterium est, ut ea quæ sunt disputata docuerunt, quid obtenditur procreandorum causa filiorum? Non enim propterea flagitiorum est permittenda licentia : aut vero[1] tam cavendum est sine posteris mori, quam eligendum in posterum vivere? quod non sinentur adulteri, quos necesse est post primam mortem secundæ mortis æternitate damnari. Nam procreandorum filiorum ista causatio, etiam non adulteras, sed castissimas feminas, si forte sint steriles, cogit dimitti, et alteras duci : quod tibi existimo non placere.

12. Quapropter si causa incontinentiæ non sunt excusanda adulteria, quanto minus excusantur procreandorum causa filiorum?

CAPUT XII. — *Nuptias hoc tempore filiorum causa iis tantum eligendas esse, qui se continere non possunt.* Illi quippe infirmitati, hoc est, incontinentiæ voluit Apostolus subveniri honestate nuptiarum. Non enim ait, Si filios non habet, nubat; sed, *Si se non continet, nubat* (I *Cor.* VII, 9). Filiorum quidem propagine compensatur quod incontinentiæ nubendo ceditur. Nam utique incontinentia vitium est, conjugium autem non est vitium; et ideo fit per hoc bonum, ut illud veniale sit malum. Cum sint ergo nuptiæ causa generandi institutæ, ea causa fiebant a Patribus, qui tantum officio generandi feminis, sed non illicite, miscebantur. Erat enim tunc quædam propagandi necessitas, quæ nunc non est : quoniam *tempus amplectendi*, sicut scriptum est, quod utique tunc fuit; *et tempus continendi ab amplexu* (*Eccle.* III, 5),

[1] Sola editio Lov., *adulteria fienda permittere.*

(a) Frustra opponitur Gregorii II rescriptum ad Bonifacium Epistola 13, sive inter Bonifacianas 126, et male alias Gregorii III quarta : quod quidem Gratianus in quæst. 2, cap. 32, *Quod proposuisti*, rejicit ut « evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus adversum; » Baronius vero ad an. 726, accipit in meliorem partem, nec Augustino contrariam.

[1] Lov. *aut viro.* Cæteri codices, *aut vero.*

quod nunc est. De quo tempore Apostolus loquens ait : *De cætero, fratres, tempus breve est ; reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint* (I *Cor.* VII, 29). Unde nunc rectissime dicitur, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12) : qui autem se non continet, nubat. Tunc ergo etiam continentia propter propagationem filiorum in nuptias descendebat officio [1] : nunc autem vinculum nuptiale incontinentiæ subvenit vitio; ut ab eis qui se non continent, non per turpitudinem stuprorum, sed per honestatem conjugiorum, fiat propagatio filiorum. Cur ergo non dixit Apostolus, Si filios non habet, nubat? Quia scilicet hoc tempore continendi ab amplexu, non est necesse filios propagare. Et quare dixit, *Si se non continet, nubat?* Utique propterea, ne per incontinentiam [2] cogatur adulterare. Si ergo se continet, nec nubat, nec generet. Si autem se non continet, licite nubat, ne turpiter generet, aut turpius concumbendo non generet. Quanquam hoc quod ultimum dixi, nonnulli faciant etiam licite conjugati. Illicite namque et turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod faciebat Onan filius Judæ, et occidit illum propter hoc Deus (*Gen.* XXXVIII, 8-10). Propagatio itaque filiorum, ipsa est prima et naturalis et legitima causa nuptiarum : ac per hoc qui propter incontinentiam conjugantur, non sic debent temperare malum suum, ut bonum exterminent nuptiarum, id est, propaginem filiorum. De incontinentibus quippe loquebatur Apostolus, ubi ait : *Volo igitur juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim conversæ quædam sunt retro post satanam* (I *Tim.* V, 14 *et* 15). Cum itaque dicebat, *Volo juniores nubere ;* hoc utique monebat propter ruinam incontinentiæ fulciendam. Sed ne forte ab eis sola carnalis concupiscentiæ cogitaretur infirmitas, cui tantummodo esset opere connubii serviendum, nuptiarum autem vel contemneretur vel negligeretur bonum; continuo subjunxit, *filios procreare, matresfamilias esse.* Qui vero eligunt continere, aliquid utique melius eligunt quam est nuptiarum bonum, hoc est, generatio filiorum. Unde si eligitur continentia, ut bono nuptiarum melius aliquid capessatur; quanto potius custodienda est, ut adulterium caveatur? Cum enim dixisset Apostolus, *Quod si se non continet, nubat : Melius est enim*, inquit, *nubere quam uri* (I *Cor.* VII, 9). Non dixit, Melius est mœchari quam uri.

CAPUT XIII. — 13. *Nolentes reconciliari conjugibus adulteris, continentiam custodiant.* Non est igitur ad quod exhortemur eos qui reconciliari timent conjugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendam continentiam. Quoniam mulier alligata quamdiu sive mœchus sive castus vir ejus vivit, mœchatur si alteri nupserit; et vir alligatus quamdiu sive mœcha sive casta uxor ejus vivit, mœchatur si alteram duxerit. Hæc namque alligatio quando quidem non solvitur, etiamsi per repudium conjux a casto conjuge [1] separetur; multo minus solvitur, si non separata mœchetur. Ac per hoc non eam solvit, nisi mors conjugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, et ei reconciliari non vult, maneat innupta ; et si dimiserit vir adulteram mulierem, et eam non vult recipere nec post pœnitentiam, custodiat continentiam : etsi non ex voluntate eligendi potioris boni, certe ex necessitate vitandi perniciosi mali. Ad hoc exhortarer, etiamsi uxor esset in languore insanabili atque diuturno, etiamsi alicubi esset corpore separata, quo maritus non posset accedere : postremo ad hoc exhortarer, etiamsi mulier volens vivere continenter, quamvis contra disciplinam, quia non ex consensu, tamen pudicum pudica dimitteret. Puto enim christianum neminem reluctari, adulterum esse qui vel diu languente, vel diu absente vel continenter vivere cupiente sua uxore, alteri commixtus est feminæ. Sic ergo et dimissa adultera, adulter est cum altera : quoniam non ille, aut ille ; sed, *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur* (*Luc.* XVI, 18). Quapropter si a conjugali vinculo immunis minus appetitur vita sanctorum, exhorreatur pœna mœchorum ; et timore saltem frenetur concupiscentia, si amore non eligitur continentia. Si enim ubi est timor, operetur labor ; ubi erat labor, erit et amor. Non enim confidendum est de nostris viribus; sed oratio adjungenda conatibus, ut impleat bonis, qui deterret a malis.

CAPUT XIV. — 14. *Objectio alia, hac sententia excludi benignitatem, ut mariti velint puniri adulteras, quibus mortuis ducere alias possint.* Respondeamus etiam ad illud, ubi putas maritos ad puniendas adulteras sine ulla miseratione compelli ; cum volunt eas mori, si eis viventibus non licet eis alteras ducere. Quam crudelitatem volens exaggerare dixisti : *Non mihi videtur, amantissime pater, hic divinus esse sensus, ubi benignitas et pietas excluditur.* Ita istud dicis, quasi propterea mariti parcere debeant adulteris feminis, quia licet eis alteras ducere ; ut si non licet, non parcant ut liceat. Quinimo propterea debent peccatricibus præbere misericordiam, ut et ipsi pro suis peccatis misericordiam consequantur. Et multo magis hoc eis faciendum est, qui dimissis uxoribus adulteris cupiunt vivere continenter. Tanto quippe debent esse misericordiores, quanto volunt esse sanctiores : ut et ad castitatem in se ipsis servandam divinitus adjuventur, dum castitatem ab uxoribus violatam nec ipsi humanitus ulciscuntur. Et maxime vox illa dominica est eis in memoriam revocanda : *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem jaciat* (*Joan.* VIII, 7). Non, Qui sine ipso peccato est, quoniam loquimur de pudicis viris [2] ; sed, *Qui sine peccato est* : quod si esse se

[1] Germanensis MS., *in nuptias non descendebat officium.*
[2] Corbeiensis codex, *ne per* [illegible]

[1] Sic meliores notæ MSS. At Lov., *conjux a casto conjuge.* Er., *conjux casto corpore.*
[2] Sic [illegible] MSS. At [illegible], *quoniam loquimur de pudicis viris.*

dixerint, se ipsos seducunt, et veritas in eis non est (I *Joan.* I, 8). Porro si non se seducunt, et est in eis veritas, non erit in eis cruenta severitas. Scientes enim se non esse sine peccato, dimittunt ut dimittatur eis; nec ab eis benignitas et pietas excluditur [1]. Magis enim hæc excluduntur, si peccatis conjugum ab eis impetret veniam licentia libidinis, non cura pietatis; id est, ut propterea parcant quia licet eis alteras ducere, et non potius propterea quia volunt et sibi Dominum parcere.

15. Quanto itaque melius, et honestius, christiana denique professione dignius, ut parcant adulterarum sanguini uxorum, quod scriptum est eis dicimus, *Dimitte injustitiam proximo tuo, et tunc precanti tibi peccata solventur. Homo homini conservat iram, et a Domino quærit medelam? Super hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Cum ipse caro sit, conservat iracundiam? quis propitiabitur peccatis illius* (*Eccli.* XXVIII, 2-5); et de Evangelio, *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 37); ut possimus dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12); et de Apostolo, *Nulli malum pro malo reddentes* (*Rom.* XII, 17): et si qua sunt hujusmodi in Scripturis sanctis, quibus, ad ulciscendum quando humanus animus excitatur, quia christianus est, mitigatur?

CAPUT XV. — *Mariti ad parcendum adulteris uxoribus, non licentia libidinis, sed cura pietatis adducantur.* Quanto, inquam, melius ista dicimus, quam ut dicamus, Tantum adulteras istas dimittite, et earum nolite sanguinem quærere; quidquid doloris ex earum flagitiis habetis, consolabuntur vos aliæ quas duxeritis: merito enim velletis istas de viventium numero auferre, si earum vita impedimento esset, quominus alias duceretis; nunc vero, etiam istis viventibus cum liceat alia vobis matrimonia providere, quid eas tantopere vultis occidere? Hæc si dicimus, nonne attendis quam nostra suasio longe sit a charactere christiano [2]: quia et falsum dicimus, eis licere quod non licet, hoc est, istis viventibus ut aliis copulentur; et si propterea illis pepercerint, non parcent propter pietatem, sed propter aliarum nuptiarum liberam potestatem. Postremo quæro abs te, utrum marito christiano liceat vel secundum veterem Dei legem, vel Romanis legibus adulteram occidere [3]? Si licet, melius est ut ab utroque se temperet, id est, et a licito illa peccante supplicio, et ab illicito illa vivente conjugio. Quod si alterutrum eligere perseverat, satius est ei facere quod licet, ut adultera puniatur, quam id quod non licet, ut ipsa viva ille mœchetur. Si autem quod verius dicitur, non licet homini christiano adulteram conjugem occidere, sed tantum dimittere; quis est tam demens qui ei dicat, Fac quod non licet, ut tibi liceat quod non licet? Cum enim utrumque secundum legem Christi illicitum sit, sive adulteram occidere, sive illa vivente alteram ducere, ab utroque abstinendum est, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, et non faciat homicidium, ut vivente uxore alteram ducat, et non humanum sanguinem fundat. Quod si est utrumque nefarium, non debet alterum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare.

CAPUT XVI. — 16. *Objectatur incontinentem, si adulteræ uxori suæ mortem accusando procurarit, veniam accepturum per Baptismum aut reconciliationem, quæ sibi alioquin perpetuo adultero denegarentur.* ***Graviora contra Pollentii opinionem excogitari*** *posse, quam quæ ab illo objectantur incommoda.* Hic video quid dici ab incontinentibus possit: quod videlicet qui dimittit et vivere permittit adulteram, si alteram duxerit, quamdiu prior illa vivit, perpetuus adulter est, nec agit pœnitentiam fructuosam a flagitio non recedens; nec si catechumenus est, ad Baptismum admittitur, quoniam ab eo quod impedit non mutatur; nec reconciliari pœnitens potest in eadem nequitia perseverans: si autem accusando adulteram occiderit, hoc peccatum quoniam transactum est, et in eo non permanet, et si a catechumeno factum est, Baptismate abluitur; et si a baptizato, pœnitentia et reconciliatione sanatur. Sed numquid propterea dicturi sumus adulterium non esse adulterium, quod sine dubio committitur, si conjuge adultera vivente altera ducitur? Sed hoc adulterii genere excepto, nempe non dubitas esse adulterium, si quisquam ducat viventis uxorem a viro suo per libellum repudii sine ulla mulieris fornicatione dimissam. Quid ergo, cum viderit se nec ad Baptismum admitti, si catechumenus, nec utiliter agere pœnitentiam, si baptizatus hoc fecit, non corrigendo et relinquendo quod fecit, si cum voluerit et potuerit occidere cujus duxit uxorem, ut hoc scelus vel Baptismate diluatur, vel pœnitendo solvatur, atque ita etiam illud adulterium non permaneat, evacuata muliere a lege viri post mortem viri, sed de transacto quod factum est, per pœnitentiam satis fiat, vel regeneratione deleatur; numquid propterea est accusanda lex Christi, tanquam compulerit fieri homicidium, cum sine crimine fornicationis repudiatam ducere, dicit esse adulterium?

17. Hic enim, si parum quid loquamur attendimus, multo graviora dici possunt quam ipse dixisti. Nam tu dum non vis esse adulteria, si aliæ ducantur dimissis adulteris, hoc invenisti: *Quoniam si hæc adulteria dixerimus, cogentur mariti occidere adulteras, quarum vita impediuntur alteras ducere.* Atque ut hoc exaggerares, dixisti: *Non mihi videtur, amantissime pater, hic divinus esse sensus, ubi benignitas et pietas excluditur.* Si ergo quispiam nolens credere esse adulterium quando a marito sine fornicationis crimine repudiata ab altero ducitur, et hoc contra te inveniat, quia ista ratione suadetur hominibus homicidia perpetrare, et earum maritos, quas eo modo repudiatas duxerint, vel insidiis quibus potuerint, vel calumniis appetere, vel aliquibus

[1] Lov., *ne ab eis benignitas et pietas excludatur.* Cæteri vero codices, *nec ab eis*, etc., et ex his quidam habent, *excludantur*; alii cum Am. et Er. *excluditur.*

[2] Corbeiensis codex, *charitate Christi.*

[3] Sic omnes Mss. At editi, *vel Romanas leges adulteram occidere.*

veris criminibus accusare et occidere, ut eis mortuis esse possint conjugia, quæ vivis fuerant adulteria; nonne id exaggerando tibi dicturus est, Non mihi videtur, amantissime frater, hic divinus esse sensus, ubi non solum benignitas et pietas excluditur, sed etiam ingens malignitas et impietas excitatur? Quandoquidem multo est levius et tolerabilius, ut adulteras mariti, quam ut maritos adulteri occidant. Placetne tibi, ut propter vanissimam invidiam, dominicæ defensionem sententiæ deseramus, vel eam insuper accusemus, dicentes non debere adulterium vindicari [1], etiamsi præter causam fornicationis repudiata a viro alteri conjugetur, ne maritum ejus a quo dimissa est compellatur occidere, dum adulterium in connubium cupit viri prioris morte convertere? Scio hoc tibi non placere, ut propter hanc vanissimam invidiam, lex Christi, cum vera inveniatur et sana, dura et inhumana dicatur. Sic itaque non tibi debet videri ideo negandum esse adulterium, quando uxore adultera vivente altera ducitur, quia potest maritus per hoc cogi adulteram occidere, dum cupit sibi licere illa exstincta alteram ducere, si hoc ea vivente non licet facere. Quid si enim et illud dicant christianæ fidei detractores, cogi homines occidere uxores suas insidiarum sceleribus, quas molestas ferre non possunt, sive diuturno languore laborantes et pati concubitum non valentes, sive pauperes, sive steriles, sive deformes, aliarum spe ducendarum, sanarum, opulentarum, fecundarum, pulcherrimarum; quia eas quas perpeti nolunt, præter causam fornicationis repudiare non licet et alteras ducere, ne perpetuo devincti adulterio, nec baptizari possint, nec pœnitendo sanari? Numquid propterea ne ista homicidiorum scelera perpetrentur, dicturi sumus, non esse adulteria, repudiatis præter causam fornicationis uxoribus, sibi alteras copulare?

CAPUT XVII. — 18. *Incommodum aliud contra Pollentii sententiam.* Jam vero ex hoc quod sapis non esse adulterium, si vir uxorem causa fornicationis abjecerit, et alteram duxerit; nonne arbitraris cavendum, ne discant viri uxores suas, quas propter alias innumerabiles causas ferre non possunt, mœchari cogere, ut ab eis vinculo conjugali per fornicationem, sicut putas, soluto, liceat eis alteras ducere; et ex eo quod illas mœchari coegerunt, aut Baptismate ablui, aut pœnitendo sanari, quoniam illis et gratia et medicina negabitur quamdiu cum adulteris vivent, si prioribus præter causam fornicationis repudiatis alteras duxerint? Nisi forte quis dicat, neminem posse uxorem suam mœchari facere, si pudica est: et tamen Dominus, *Omnis qui dimiserit*, inquit, *uxorem suam, præter causam fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* v, 32). Utique propterea, quia cum esset pudica cum viro, tamen dimissa cogitur per incontinentiam vivo priore alteri copulari, et hoc est mœchari. Quod si hoc ista non fecerit, tamen ille quantum in ipso est facere compulit; et hoc ei Deus peccatum, etiamsi illa casta permaneat, imputabit. Sed quis nesciat quam sint rarissimæ, quæ ita pudice vivant cum viris, ut etiamsi ab eis dimittantur, alios non requirant? Incomparabiliter quippe numerus est amplior feminarum, quæ cum pudice adhæreant maritis, tamen si dimissæ fuerint a maritis, non differunt nubere. Cum ergo crediderint homines Domino dicenti, *Omnis qui dimiserit uxorem suam, præter causam fornicationis, facit eam mœchari*; si crediderint et tibi dicenti, muliere fornicante licere viro ejus alteram ducere; quisquis voluerit propter alias quaslibet molestias carere uxore cui junctus est, prius eam mœchari faciat, sine fornicatione dimittendo, ut tunc ducat alteram, cum fuerit illa mœcha nubendo: ac sic a priore peccato quo eam mœchari fecit, sive per Baptismum, sive per pœnitentiam liberatus, sine suo adulterio sibi habere videatur, quam post prioris adulterium, tanquam hinc soluto matrimonii vinculo, alteram duxerit. Quod quidem si fuerit machinatus, et uxorem suam mœcham faciet, et ipse quamvis post adulterium conjugis aliam ducendo mœchus erit; nihilque illi proderit quod tibi credidit, et non ei potius qui nullo excepto ait, *Omnis qui reliquerit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur* (*Luc.* xvi, 18).

CAPUT XVIII. — 19. *Continentia servanda aut conjugalis aut excellentior.* Quibus omnibus consideratis atque tractatis restat ut ab eis qui hæc fideliter audiunt, dicatur nobis quod Domino dictum est: *Si talis est causa cum uxore, non expedit nubere.* Quibus et nos quid respondeamus, nisi quod ipse respondit? *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat* (*Matth.* xix, 10-12). Ergo qui potest capiat, quod non omnes capiunt. Possunt autem capere hi quibus hoc præstat Dei misericordia occulta, sed justa [1]. Sed in his omnibus qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, alii sunt qui in utroque sexu concubitum nescierunt, alii qui experti et aversi sunt, partim quidem illicite, partim vero licite experti. Porro in his qui licite experti sunt, quidam sunt qui non nisi licite, quidam et illicite et licite. Sunt quippe in eis qui conjugia sua tantum sciunt; sunt autem qui et alias feminas ac stupra quælibet. Sed qui post concubitum conjugum se ipsos castrant propter regnum cœlorum, aut morte amittunt conjuges, aut ex consensu cum eis continentiam profitentur, aut ex necessitate divortiorum, ne vivis conjugibus se aliis copulando adulteria perpetrent, castrant se ipsos propter regnum cœlorum, non ut clariores ibi esse possint, sed quod aliter ibi esse non possint: nam qui non ista necessitate se continent, sed boni appetitione melioris, possent ibi esse etiam servata pudicitia conjugali, quamvis in præmiis minoribus, tamen intus. Qui vero propterea se continent, quia prioribus conjugibus vivis timent aliis conjugari, majorem curam debent gerere pro salute, quam gesserunt illi a quibus continentia pro

[1] Michaelinus codex, *judicari*.

[1] Lov. *sed non injusta*. Editi alii et Mss., *sed justa*.

munere delecta est [1] ampliore. Tunc quippe ibi erunt, si adulteri non erunt. Si autem non continent, adulteri erunt; quia viventibus conjugibus prioribus, non conjugibus alteris, sed adulteris adhærebunt. Et si a regno cælorum aberunt, ubi erunt, nisi ubi salvi non erunt?

CAPUT XIX. — 20. *Conjuges divortio separatos a conjugibus hortatur ad continentiam.* Hos igitur alloquor, ut quod facere deberent, si haberent conjuges diuturno languore marcescentes, vel loco sibi inaccessibili absentes, vel animositate illicita continentes, hoc faciant, si habuerint conjuges adulterina inquinatione sordentes, et propter hoc a suo consortio divortiantes [2], non alia quærant conjugia, quia non erunt conjugia, sed adulteria. Cum enim par forma sit in hoc vinculo viri et uxoris, sicut uxor *vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro* (*Rom.* VII, 3), ita et vir vivente uxore vocabitur adulter, si fuerit cum alia muliere. Etsi enim gravius qui præter causam fornicationis, *omnis* tamen *qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur.* Non eos terreat sarcina continentiæ: levis erit, si Christi erit; Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat a jubente quod jusserit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis: quia et illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis; quoniam jam sine damnatione ab illa deviare non possunt: et qui in eam necessitate contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis, si non de se ipsis, sed de illo a quo est bonum omne confidunt. Illi ad eam conscenderunt causa majoris gloriæ, ut aliquid amplius invenirent; isti ad eam confugerunt cura salutis novissimæ, ne perirent: utrique permaneant, utrique in quod pervenerunt ambulent usque in finem, ferveant studiis, supplicent votis quia et illis salus cogitanda est, ut ab eo quod voluntas arripuit cadere timeant; et istis gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere deligant [3]. Fieri enim potest ut Deo terrente et hortante, convertente et implente, humanus in melius mutetur affectus; atque ita voveant sine conjugiis et sine ullo concubitu atque immunda libidinis attrectatione perseverantissime vivere, ut etiamsi separata conjugia locum ducendi alias moriendo aperuerint, claudatur ex voto quod patet ex licito, et quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum. Talibus profecto id retribuetur, quod illis qui vel pari consensu cum conjugibus hoc voverunt, vel nullis conjugiis alligati propter majus bonum continentiam delegerunt. Si autem ita se continent, ut si moriantur quarum vita conjugari impediuntur, alias ducere cogitent; profecto etiamsi prius ipsi in tali continentia de corpore abscedant, non eis imputatur nisi ad pudicitiam conjugalem, propter quam non faciunt quod facerent si liceret. Hac quippe intentione continenter vivere, parum est ad accipienda illius quæ liberius eligitur continentiæ præmia, sed sufficit ad cavenda adulteria.

CAPUT XX. — 21. *Viri mulieribus pares in pudicitia debent. Continentiam clericorum qui electi sunt inviti proponit viris nolentibus in divortio se continere.* Hæc autem me de utroque sexu commemorare decere, sed maxime propter viros, qui propterea se feminis superiores esse arbitrantur, ne pudicitia pares esse dignentur: in qua etiam præire debuerunt, ut eos illæ tanquam sua capita sequerentur. Quando autem lex prohibet adulterio, si obtentu incontinentiæ carnalis infirmitatis admittatur excusatio, multis sub nomine falsæ impunitatis pereundi aperitur occasio. Neque enim carnem non habent feminæ, quibus viri aliquid tale nolunt licere, quasi eis, quia viri sunt, liceat. Sed absit ut melioris sexus [1] tanquam honori debeatur, quod pudori detrahitur; cum honor justus virtuti, non vitio debeatur. Quinimo cum a feminis utique habentibus carnem, tantam flagitant castitatem, ut quando ab uxoribus diutissime peregrinantur, velint eas ab adulterino concubitu incontaminatas fervorem transigere juventutis (et plurimæ pudicissime transigunt, et maxime Syræ, quarum mariti negotiandi quæstibus occupati, juvenes adolescentulas deserunt, et vix aliquando senes ad aniculas revertuntur); eo ipso evidentius convincuntur non esse impossibile quod se non posse causantur. Si enim hoc non posset infirmitas hominum, multo minus id posset sexus infirmior feminarum.

22. Unde istos qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis conjugiis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid si et vos ad hoc subeundum populorum violentia caperemini? nonne susceptum caste custodiretis officium, repente conversi ad impetrandas vires a Domino, de quibus nunquam antea cogitastis? Sed illos, inquiunt, honor plurimum consolatur. Respondemus: Et vobis timor multo amplius moderetur [2]. Si enim hoc multi Dei ministri repente atque inopinate impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere; quanto magis vos adulteria cavendo, vivere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in gehenna ignis ardere? Hæc atque hujusmodi eis ut possumus dicimus, qui quoquo modo a se discedentibus vel propter adulterium dimissis conjugibus suis, alias volunt ducere, et cum prohibentur, infirmitatem nobis carnis opponunt. Sed jam liber etiam iste claudendus est, et rogandus Deus ut aut eos tentari non sinat separationibus conjugum; aut ita sinat, ut timor periclitantis salutis fiat illis amplioris sive probatioris occasio castitatis.

[1] Er. et Mss., *dilecta est.*
[2] In Mss., *divortientes.*
[3] Er. et Mss., *diligant.*

[1] Sola editio Lov.: *Sed absit hoc a meliori sexu, ut tanquam,* etc.
[2] Sola editio Lov.: *Et vos timor amplior moderetur.*

In librum de Mendacio, *vide lib.* 1, *cap. ultimum*, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 630, *verbis*, Item de Mendacio, *usque ad verba*, Quæstio est de Mendacio. M.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE MENDACIO
LIBER UNUS [a].

In quo quid sit mendacium, et utrum aliquando admittendum sit, exemplis momentisque rationum in utramque partem libratis disquiritur. Mendaciorum afferuntur octo genera, iisque discussis et omnino rejectis statuitur nunquam esse mentiendum.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Materiæ pertractandæ difficultas.* Magna quæstio est de mendacio, quæ nos in ipsis quotidianis actibus nostris sæpe conturbat: ne aut temere accusemus mendacium, quod non est mendacium; aut arbitremur aliquando esse mentiendum, honesto quodam et officioso ac misericordi mendacio [1]. Quam quæstionem tam sollicite pertractabimus, ut quæramus cum quærentibus: utrum autem aliquantum inveniamus, nihil nobis temere affirmantibus, lectori bene attendenti satis indicabit ipsa tractatio: latebrosa est enim nimis et quibusdam quasi cavernosis anfractibus sæpe intentionem quærentis eludit; ut modo velut elabatur e manibus quod inventum erat, modo rursus appareat, et rursus absorbeatur. Ad extremum tamen sententiam nostram velut certior indago comprehendet. In qua si ullus error est, cum ab omni errore veritas liberet, atque in omni errore falsitas implicet; nunquam errari tutius existimo, quam cum in amore nimio veritatis et rejectione nimia falsitatis erratur. Qui enim severe reprehendunt, hoc nimium dicunt esse: ipsa autem veritas fortasse adhuc dicat, Nondum est satis. Sane quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum legeris; atque ita minus reprehendes. Eloquium noli quærere: multum enim de rebus laboravimus, et de celeritate absolvendi tam necessarii quotidianæ vitæ operis; unde aut tenuis, aut prope [2] nulla fuit nobis cura verborum.

CAPUT II. — 2. *Joci non sunt mendacia.* Exceptis igitur jocis, quæ nunquam sunt putata mendacia: habent enim evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis: quo genere utrum sit utendum perfectis animis, alia quæstio est, quam modo enodandam non suscepimus: exceptis ergo jocis, prius agendum est, ne mentiri existimetur qui non mentitur.

CAPUT III. — 3. *Quid sit mendacium. Ad mendacium an in loquente voluntas fallendi requiratur vel sufficiat.* Quapropter videndum est quid sit mendacium. Non enim omnis qui falsum dicit mentitur, si credit aut opinatur verum esse quod dicit. Inter credere autem atque opinari hoc distat, quod aliquando ille qui credit, sentit se ignorare quod credit, quamvis de re quam se ignorare novit omnino non dubitet, si eam firmissime credit [1]; qui autem opinatur, putat se scire quod nescit. Quisquis autem hoc enuntiat quod vel creditum animo, vel opinatum tenet [2], etiamsi falsum sit, non mentitur. Hoc enim debet enuntiationis suæ fidei [3], ut illud per eam proferat, quod animo tenet, et sic habet ut profert. Nec ideo tamen sine vitio est, quamvis non mentiatur, si aut non credenda credit, aut quod ignorat nosse se putat, etiamsi verum sit: incognitum enim habet pro cognito. Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus quam veram esse vel scit vel putat, et non profert; altera ejus rei quam pro ista profert sciens falsam esse vel putans. Ex quo fit ut possit

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Mendacio repurgatus est ope Ms. Colbertini annorum circiter octingentorum, Germanensis et Corbeiensis ætate æqualium Colbertino, et veteris codicis Regii, Sorbonici, Victorini, Ergotiani, Michaelini, Fratellensis, Ebrulphensis, Regiomontensis, Vaticani, et Belgicorum quinque, sive lectionum variantium quas ex iis hauserunt Lovanienses; necnon auxilio et comparatione editionum Erasmi ac Lovaniensium.

Comparavimus prætcrea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Pertinet liber de Mendacio ad annum circiter 395; quandoquidem ultimum locum obtinet in primo Retractationum libro, quo recensentur opuscula ab Augustino edita ante episcopatum, quem sub finem anni 395 adeptus est. Liber in editis inscriptus, « De Mendacio, ad Consentium: » at in scriptis codicibus nomen Consentii, qui tandem post annos Augustinum super eadem re contra Priscillianistas consuluit, non prior iste, sed alius tantum, qui hunc subsequitur, contra Mendacium liber, titulo inscriptum gerit.

[1] Sic Mss. Editi autem, *et officioso ad misericordiam mendacio.*

[2] Habent sic nonnulli Mss. Alii vero, *unde hactenus propriæ.* Editi, *unde hactenus ac prope.*

[1] Mss., *sic enim firme credit.*

[2] In Mss., *vel putatum tenet.*

[3] Ita Mss. At editi, *enuntiationi suæ fidei.*

falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit; et ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse et pro vero enuntiat, quamvis revera ita sit ut enuntiat. Ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate vel falsitate mentiens aut non mentiens judicandus est. Potest itaque ille qui falsum pro vero enuntiat, quod tamen verum esse opinatur, errans dici et temerarius : mentiens autem non recte dicitur; quia cor duplex cum enuntiat non habet, nec fallere cupit, sed fallitur. Culpa vero mentientis est, in enuntiando animo suo fallendi cupiditas; sive fallat cum ei creditur falsum enuntianti; sive non fallat, vel cum ei non creditur [1], vel cum verum enuntiat voluntate fallendi, quod non putat verum. Quod cum ei creditur, non utique fallit, quamvis fallere voluerit : nisi hactenus fallit, quatenus putatur ita etiam nosse vel putare ut enuntiat.

4. Quanquam subtilissime quæratur utrum cum abest voluntas fallendi, absit omnino mendacium.

CAPUT IV. — *Mentiri num aliquando prosit aut liceat.* Quid enim si quisque falsum loquens, quod falsum esse existimat, ideo tamen facit, quia putat sibi non credi, ut eo modo falsa fide absterreat eum cui loquitur, quem sentit sibi nolle credere? Hic enim studio non fallendi mentitur, si mendacium est enuntiare aliquid aliter quam scis esse vel putas : si autem mendacium non est nisi cum aliquid enuntiatur voluntate fallendi, non mentitur iste, qui propterea falsum loquitur, quamvis noverit vel putet falsum esse quod loquitur, ut ille cui loquitur non ei credendo non fallatur, quia eum sibi non crediturum vel scit vel putat. Unde si appareat fieri posse ut aliquis propterea falsum dicat, ne fallatur ille cui dicitur; existit aliud e contrario genus, propterea verum dicentis ut fallat. Qui enim verum ideo loquitur, quia sentit sibi non credi, ideo utique verum dicit ut fallat : scit enim vel existimat propterea falsum putari posse quod dicitur, quoniam ab ipso dicitur. Quamobrem cum ideo verum dicit ut falsum putetur, ideo verum dicit ut fallat. Quærendum ergo est, quis potius mentiatur : utrum ille qui falsum dicit ne fallat, an ille qui verum dicit ut fallat; cum et ille sciat vel putet falsum se dicere, et iste sciat vel putet verum se dicere. Jam enim diximus eum qui nescit falsum esse quod enuntiat, non mentiri, si hoc putat verum; eumque potius mentiri, qui etiam verum enuntiat, cum falsum putat : quia ex animi sui sententia judicandi sunt. De illis itaque non parva quæstio est, quos proposuimus : unum qui scit aut putat se falsum dicere, et ideo dicit ne fallat; velut si aliquam viam noverit obsideri a latronibus, et timens ne per illam pergat homo cujus saluti prospicit, et eum scit sibi non credere, dicat eam viam non habere latrones, ad hoc ut illac non eat, dum ideo credit latrones ibi esse, quia ille dixit non ibi esse, cui non credere statuit, mendacem putans : alterum autem qui sciens aut putans verum esse quod dicit, ad hoc tamen dicit ut fallat; tanquam si homini non sibi credenti dicat latrones in illa via esse, ubi revera eos esse cognovit, ut ille cui dicit per illam viam magis pergat, atque ita in latrones incidat, dum putat falsum esse quod ille dixerit. Quis ergo istorum mentitur; ille qui elegit falsum dicere ne fallat, an ille qui elegit verum dicere ut fallat? ille qui falsum dicendo egit ut verum sequeretur cui dixit, an iste qui verum dicendo egit ut falsum sequeretur cui dixit? An forte ambo mentiti sunt; ille quia voluit falsum dicere, iste quia voluit fallere? An potius neuter eorum mentitus est; ille quia voluntatem habuit non fallendi, et ille quia voluntatem habuit verum dicendi? Non enim nunc agitur quis eorum peccaverit, sed quis mentitus sit. Cito enim videtur ille peccasse, qui verum dicendo egit ut homo incideret in latrones : ille autem non peccasse, vel etiam bene fecisse, qui falsum dicendo egit ut homo perniciem devitaret. Sed possunt exempla ista converti, ut et ille aliquid gravius eum pati velit quem falli non vult; multi enim vera quædam cognoscendo sibi intulerunt perniciem, si talia fuerunt ut eos latere debuerint : et iste aliquid commodi velit adipisci eum quem vult falli; nonnulli enim qui sibi mortem intulissent, si aliquid mali quod vere contigerat de charis suis cognovissent, falsum putando sibi pepercerunt; atque ita falli eis profuit, sicut aliis obfuit vera cognoscere. Non ergo id agitur, quo animo consulendi aut nocendi, vel ille falsum dixit ne falleret, vel iste verum dixit ut falleret : sed exceptis commodis aut incommodis eorum quibus locuti sunt, quantum ad ipsam veritatem falsitatemque attinet, quæritur quis eorum, an uterque, neuterve mentitus sit. Si enim mendacium est enuntiatio cum voluntate falsum enuntiandi, ille potius mentitus est qui falsum dicere voluit, et dixit quod voluit, quamvis ne falleret dixerit : si autem mendacium est quælibet enuntiatio cum voluntate fallendi, non ille, sed iste mentitus est, qui etiam verum dicendo fallere voluit : quod si mendacium est enuntiatio cum voluntate alicujus falsitatis, ambo mentiti sunt; quia et ille suam enuntiationem falsam esse voluit, et iste de vera sua falsum credi voluit : porro si mendacium est enuntiatio falsum enuntiare volentis ut fallat, neuter mentitus est; quia et ille habuit voluntatem falsum dicendo verum persuadere, et iste, ut falsum persuaderet, verum dicere. Aberit igitur omnis temeritas atque omne mendacium, si id quod verum credendumve cognovimus, cum opus est enuntiamus, et id volumus persuadere quod enuntiamus. Si autem vel quod falsum est verum putantes, vel quod incognitum est nobis pro cognito habentes [1], vel quod credendum non est credentes, vel cum id non opus est enuntiantes, tamen non aliud quam id quod enuntiamus persuadere conamur; non abest quidem temeritatis error [2], sed abest omne mendacium. Nulla enim definitionum illarum timenda est, cum bene sibi conscius est animus, hoc se enuntiare

[1] Mss., *sive fallat, sive non, vel cum ei creditur, vel cum verum*, etc., omissis verbis, *cum ei creditur falsum enuntianti*.

[1] Plures Mss., *vel quod incognitum est nobis cognitum habentes*.
[2] Sic Mss. At editi, *temeritas et error*.

quod verum esse aut novit, aut opinatur, aut credit, neque velle aliquid, nisi quod enuntiat, persuadere.

5. Sed utrum sit utile aliquando mendacium, multo major magisque necessaria quæstio est. Utrum ergo mentiatur quisquis fallendi non habet voluntatem, vel etiam id agit ne fallatur cui aliquid enuntiat, quamvis enuntiationem ipsam falsam habere voluerit, quia ideo voluit ut verum persuaderet, et utrum mentiatur quisquis etiam verum volens enuntiat causa fallendi, dubitari potest. Nemo autem dubitat mentiri eum qui volens falsum enuntiat causa fallendi : quapropter enuntiationem falsam cum voluntate ad fallendum prolatam, manifestum est esse mendacium. Sed utrum hoc solum sit mendacium, alia quæstio est.

CAPUT V. — *Opinio affirmans mentiendum esse nonnunquam. Opinio negans esse unquam mentiendum. Exempla pro mendacio ex Veteri Testamento allata discutiuntur. Mentiendi exemplum ex Testamento Novo nullum suppetere. Timothei circumcisio non per simulationem facta. Petrus libenter correctus a Paulo. Auctoritatem mentiendi non magis communis vitæ quam Scripturarum exemplis astrui posse.* Interim de hoc genere, in quod omnes consentiunt, inquiramus : utrum aliquando sit utile falsum aliquid enuntiare cum voluntate fallendi. Nam qui hoc sentiunt, adhibent testimonia sententiæ suæ, commemorantes Saram cum risisset, angelis negasse quod riserit (*Gen.* XVIII, 15); Jacob a patre interrogatum, respondisse quod ipse esset Esau major filius ejus (*Id.* XXVII, 19); Ægyptias quoque obstetrices, ne infantes Hebræi nascentes interficerentur, etiam Deo approbante et remunerante mentitas (*Exod.* I, 19, 20) ; et multa ejusmodi exempla eligentes, eorum hominum mendacia commemorant, quos culpare non audeas, atque ita fatearis aliquando esse posse non solum reprehensione non dignum, sed etiam dignum laude mendacium. Addunt etiam, quo non solos premant divinis Libris deditos, sed etiam omnes homines sensumque communem, dicentes : Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit a morte liberari, non es mentiturus? Si aliquid ægrotus interroget quod ei scire non expedit, qui etiam te non respondente possit gravius affligi ; audebis ne aut verum dicere in perniciem hominis, aut silere potius quam honesto et misericordi mendacio valetudini ejus opitulari? His atque talibus copiosissime se arbitrantur urgere, ut si consulendi causa exigit, aliquando mentiamur.

6. Contra, illi quibus placet nunquam mentiendum, multo fortius agunt, utentes primo auctoritate divina, quoniam in ipso Decalogo scriptum est, *Falsum testimonium ne dicas* (*Id.* XX, 16) ; quo genere complectitur omne mendacium : quisquis enim aliquid enuntiat, testimonium perhibet animo suo. Sed ne quis contendat non omne mendacium falsum testimonium esse appellandum ; quid dicturus est ad id quod scriptum est, *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11)? quod ne quis arbitretur exceptis aliquibus mentientibus posse intelligi, alio loco legat, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7). Unde ore suo ipse Dominus : *Sit*, inquit, *in ore vestro, Est, est ; Non, non : quod autem amplius est, a malo est* (*Matth.* V, 37). Hinc et Apostolus cum exuendum veterem hominem præciperet, quo nomine omnia peccata intelliguntur, consequenter ait, in primis ponens, *Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem* (*Ephes.* IV, 25).

7. Nec illis quæ de veteribus Libris mendaciorum exempla prolata sunt, terreri se dicunt ; ubi quidquid gestum est, figurate accipi potest, quamvis revera contigerit : quidquid autem figurate fit aut dicitur, non est mendacium. Omnis enim enuntiatio, ad id quod enuntiat, referenda est. Omne autem figurate aut factum aut dictum hoc enuntiat quod significat eis quibus intelligendum prolatum est. Unde credendum est illos homines qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis, prophetice gessisse atque dixisse : nec minus prophetice eis accidisse, quæcumque sic acciderunt, ut eodem prophetico Spiritu memoriæ litterisque mandanda judicarentur. De obstetricibus autem, quia non eas possunt dicere prophetico Spiritu significandi futuri veri gratia, aliud pro alio renuntiasse Pharaoni, etiamsi aliquid ipsis nescientibus quod per eas actum est significavit, pro gradu suo dicunt approbatas et remuneratas a Deo. Qui enim nocendi causa mentiri solet, si jam consulendi [1] causa mentiatur, multum profecit. Sed aliud est quod per se ipsum laudabile proponitur, aliud quod in deterioris comparatione præponitur. Aliter enim gratulamur cum sanus est homo, aliter cum melius habet ægrotus. Nam in Scripturis ipsis justificata etiam Sodoma dicitur in comparatione scelerum populi Israel (*Ezech.* XVI, 52). Et ad hanc regulam dirigunt omnia mendacia quæ proferuntur de veteribus Libris, nec reprehensa inveniuntur, vel reprehendi non possunt, ut aut indole proficientium et spe approbentur, aut significationis alicujus causa non sint omnino mendacia.

8. Et ideo de libris Novi Testamenti, exceptis figuratis significationibus Domini, si vitam moresque sanctorum et facta ac dicta consideres, nihil tale proferri potest, quod ad imitationem provocet mentiendi. Simulatio namque Petri et Barnabæ non solum commemorata, verum etiam reprehensa atque correcta est (*Galat.* II, 12, 13). Non enim, ut nonnulli putant, ex eadem simulatione etiam Paulus apostolus aut Timotheum circumcidit, aut ipse quædam ritu Judaico sacramenta celebravit (*a*) ; sed ex illa libertate sententiæ suæ, qua prædicavit nec Gentibus prodesse circumcisionem, nec Judæis obesse. Unde nec illos astringendos ad consuetudinem Judæorum, nec illos a paterna deterrendos censuit. Unde illa verba ejus sunt : *Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium. In præputio quis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est ; sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua voca-*

[1] Hic in editis additur, *vel proficiendi* ; quod a Mss. abest.

(*a*) Hieronymus, epistola 75 inter Augustinianas, n. 9-11.

tione vocatus est, in ea permaneat (I *Cor.* VII, 18-20). Quomodo enim potest adduci præputium quod præcisum est? Sed *non adducat* dixit, non ita vivat, quasi præputium adduxerit; id est, quasi in eam partem quam nudavit, rursus tegmen carnis attraxerit, et quasi Judæus esse destiterit: sicut alibi dicit, *Circumcisio tua præputium facta est* (*Rom.* II, 25). Et hoc non tanquam cogens dixit Apostolus, aut illos manere in præputio, aut Judæos in consuetudine patrum suorum: sed ut neutri in alteram cogerentur[1]; potestatem autem haberet quisque manendi in sua consuetudine, non necessitatem. Neque enim si vellet Judæus, ubi nullum perturbaret, recedere a Judaicis observationibus, prohiberetur ab Apostolo; quandoquidem consilium in eis permanendi ad hoc dedit, ne superfluis perturbati Judæi, ad ea quæ saluti essent necessaria non venirent. Neque ab illo prohiberetur si vellet quisquam Gentilium ideo circumcidi, ut hoc ipsum ostenderet non se detestari quasi noxium, sed indifferenter habere tanquam signaculum, cujus utilitas jam tempore præterisset: non enim, si salus ex eo jam nulla esset, etiam exitium inde metuendum fuit. Ideoque et Timotheus cum in præputio vocatus esset, tamen quia de Judæa matre ortus erat, et ostendere cognatis suis debebat ad eos lucrifaciendos, non hoc se didicisse in disciplina christiana, ut illa sacramenta quæ Legis veteris essent abominaretur, circumcisus est ab Apostolo (*Act.* XVI, 1 *et* 3): ut hoc modo demonstrarent[2] Judæis, non ideo Gentes non ea suscipere, quia mala sunt et perniciose a patribus observata; sed quia jam saluti non necessaria post adventum tanti sacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa Scriptura propheticis figurationibus parturivit. Nam et Titum circumcideret, cum hoc urgerent Judæi, nisi subintroducti falsi fratres ideo fieri vellent, ut haberent quod de ipso Paulo disseminarent, tanquam eorum veritati cesserit, qui spem salutis evangelicæ in circumcisione carnis atque ejusmodi observationibus esse prædicarent, et sine his nemini Christum prodesse contenderent (*Galat.* II, 3, 4): cum contra nihil prodesset Christus eis qui eo animo circumciderentur, ut ibi esse salutem putarent; unde est illud, *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit* (*Id.* V, 2). Ex hac igitur libertate Paulus paternas observationes observavit, hoc unum cavens et prædicans, ne sine his salus christiana[3] nulla putaretur. Petrus autem simulatione sua, tanquam in Judaismo salus esset, cogebat Gentes judaizare: quod verba Pauli ostendunt dicentis, *Quomodo gentes cogis judaizare* (*Id.* II, 14)? Non enim cogerentur, nisi viderent eum sic eas observare, quasi præter illas salus esse non posset. Petri ergo simulatio libertati Pauli non est comparanda. Et ideo Petrum amare debemus libenter correctum, non autem astruere etiam de Pauli auctoritate mendacium: qui et Petrum coram omnibus in rectum viam revocavit, ne Gentes per eum judaizare cogerentur; et ipse suæ prædicationi attestatus est, qui cum putaretur hostis paternarum traditionum, eo quod nolebat eas imponere Gentibus, non aspernatus eas ipse more patrio celebrare, satis ostendit hoc in eis Christo adveniente remansisse, ut nec Judæis essent perniciosæ, nec Gentibus necessariæ, nec jam cuiquam hominum salutares.

9. Quod si auctoritas mentiendi nec de antiquis Libris proferri potest, vel quia non est mendacium quod figurate gestum dictumve recipitur, vel quia bonis ad imitandum non proponitur quod in malis, cum proficere cœperint, in pejoris comparatione laudatur; nec de Novi Testamenti libris, quia correctio potius quam simulatio, sicut lacrymæ potius quam negatio Petri est imitanda.

CAPUT VI. — *Mendacium esse iniquitatem, et mortem animæ afferre, nec proinde admittendum pro cujusquam salute temporali.* Jam illis exemplis, quæ de communi vita proferuntur, multo confidentius asserunt non esse credendum. Prius enim docent iniquitatem esse mendacium, multis documentis Litterarum sanctarum, et eo maxime quod scriptum est: *Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7). Aut enim, ut solet Scriptura, sequenti versu exposuit superiorem; ut quoniam latius solet patere iniquitas, intelligamus nominato mendacio tanquam speciem[1] iniquitatis significare voluerit: aut si aliquid interesse arbitrantur, tanto pejus est mendacium, quanto gravius positum est *perdes*, quam *odisti*. Forte enim odit aliquem Deus aliquanto mitius, ut eum non perdat: quem vero perdit, tanto vehementius odit, quanto severius punit. Odit autem omnes qui operantur iniquitatem: at omnes qui loquuntur mendacium etiam perdit. Quo constituto, quis eorum qui hæc asserunt commovebitur illis exemplis, cum dicitur: Quid si ad te homo confugiat, qui mendacio tuo possit a morte liberari? Illa enim mors quam stulte timent[2] homines, qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit, sicut Dominus in Evangelio docet; unde præcipit ne ipsa timeatur (*Matth.* X, 28): os autem quod mentitur, non corpus, sed animam occidit. His enim verbis apertissime scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Quomodo ergo non perversissime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori? Nam et ipsa dilectio proximi ex sua cujusque[3] terminum accepit. *Diliges*, inquit, *proximum tuum tanquam te ipsum* (*Levit.* XIX, 18, *et Matth.* XXII, 39). Quomodo ergo quisque diligit tanquam se ipsum, cui ut præstet vitam temporalem, ipse amittit æternam? quandoquidem si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut se ipsum, sed plus quam se ipsum: quod sanæ doctrinæ regulam excedit. Multo minus igitur æternam suam pro

[1] Nonnulli Mss., *sed ut neuter in alteram cogeretur.*
[2] Sic Mss. At editi, *ut hoc modo demonstraret.*
[3] In sola editione Lov., *christiano.*

[1] Ita Mss. At editi, *quam speciem.*
[2] Duo Mss., *quam stulti timent.*
[3] Editi, *ex sua cujusque dilectione.* Abest, *dilectione,* a Mss.

alterius temporali mentiendo amissurus est. Temporalem plane vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit christianus amittere : hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim et ait *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem sicut et ego dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* XV, 12, 13). Non enim quisquam est ita desipiens, ut dicat aliud quam saluti sempiternæ hominum consuluisse Dominum vel faciendo quod præcepit, vel præcipiendo quod fecit. Cum igitur mentiendo vita æterna amittatur, nunquam pro cujusquam temporali vita mentiendum est. Enimvero isti qui stomachantur et indignantur, si nolit aliquis mendacio perimere animam suam, ut alius senescat in carne; quid, si etiam furto nostro, quid, si adulterio liberari possit aliquis de morte? ideone furandum est, aut mœchandum? Nesciunt enim ad hoc se cogere, ut si laqueum ferat homo et stuprum petat, confirmans quod sibi collum ligabit, nisi ei concedatur quod petit, consentiatur propter animam, sicut ipsi dicunt, liberandam. Quod si absurdum et nefarium est, cur animam suam quisque mendacio corrumpat, ut alter vivat in corpore; cum si suum corpus propterea corrumpendum daret, omnium judicio nefariæ turpitudinis damnaretur? Proinde non est in ista quæstione attendendum, nisi utrum iniquitas sit mendacium. Quod cum supra commemoratis documentis asseratur, videndum est ita quæri utrum pro alterius salute mentiri aliquis debeat, ac si quæreretur utrum pro alterius salute iniquus esse aliquis debeat. Quod si respuit animæ salus, quæ non potest nisi æquitate servari, et se ut præponamus non solum alterius, sed etiam nostræ saluti temporali jubet; quid restat, inquiunt, quo dubitare debeamus nunquam omnino esse mentiendum? Non enim dici potest esse aliquid in temporalibus commodis, salute ac vita corporali majus aut charius. Unde si nec ipsa præponenda est veritati, quid objici potest propter quod mentiendum esse contendant, qui aliquando putant oportere mentiri?

CAPUT VII. — 10. *Nec pudicitiæ corporalis causa mentiendum. Libido quid sit.* Pudicitiæ[1] quippe corporis, quia multum honorabilis persona videtur occurrere, et pro se flagitare mendacium, ut si stuprator irruat qui possit mendacio devitari, sine dubitatione mentiendum sit : facile responderi potest, nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate animi pendeat; qua disrupta cadat necesse est, etiamsi intacta videatur; et ideo non in rebus temporalibus esse numerandam, quasi quæ invitis possit auferri. Nullo modo igitur animus se mendacio corrumpit pro corpore suo, quod scit manere incorruptum, si ab ipso animo incorruptio non recedat. Quod enim violenter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potius quam corruptio nominanda est. Aut si omnis vexatio corruptio est, non omnis corruptio turpis est; sed quam libido procuraverit, aut cui libido consenserit. Quanto autem præstantior est animus corpore, tanto sceleratius corrumpitur. Ibi ergo servari potest pudicitia, ubi nulla nisi voluntaria potest esse corruptio. Certe enim si stuprator corpus invaserit, qui nec vi contraria possit, nec ullo consilio vel mendacio devitari, necesse est fateamur, aliena libidine pudicitiam non posse violari. Quapropter quoniam nemo dubitat meliorem esse animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda est, quæ in æternum servari potest. Quis autem dixerit integrum animum esse mentientis? Etenim libido quoque ipsa recte definitur, Appetitus animi quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Nemo itaque potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto a veritate discedit[1]; absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum quod non complectatur veritas, non erit verum : et ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est; ut eam non solum magis quam corpus, sed etiam magis quam se ipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior et castior, cum ejus potius immutabilitate, quam sua mutabilitate perfruetur[2]. Si autem Loth cum ita justus esset, ut angelos etiam hospites suscipere mereretur, stuprandas filias Sodomitis obtulit, ut feminarum potius ab eis corpora quam virorum corrumperentur (*Gen.* XIX, 8); quanto diligentius atque constantius animi castitas in veritate servanda est, cum verius ipse corpori suo, quam corpus virile femineo corpori præferatur?

CAPUT VIII. — 11. *Neque mentiendum studio servandi alios ad vitam æternam.* Quod si quisquam putat, ideo cuiquam pro alio esse mentiendum, ut interim vivat, aut in his rebus quas multum diligit non offendatur, quo possit ad æternam veritatem pervenire discendo : non intelligit primo nullum esse flagitium, quod non eadem conditione suscipere cogatur, sicut jam superius demonstratum est; deinde ipsius doctrinæ auctoritatem intercipi et penitus interire[3], si eis quos ad illam perducere conamur, mendacio nostro persuademus aliquando esse mentiendum. Cum enim doctrina salutaris, partim credendis, partim intelligendis rebus constet; nec ad ea quæ intelligenda sunt perveniri possit, nisi prius credenda credantur : quomodo credendum est ei qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte et tunc mentiatur cum præcipit ut credamus? Unde enim sciri potest utrum et tunc habeat aliquam causam, sicut ipse putat, officiosi mendacii, existimans falsa narratione hominem territum posse a libidine cohiberi, atque hoc modo etiam ad spiritualia se consulere mentiendo arbitretur? Quo

[1] Sic Mss. *Pudicitia.* Et infra plerique cum editione Er. habent, *honorabilis persona.* Alii vero Mss., *honorabili persona.* [illegible] *pudicitia quippe corporis, quasi multum*

[1] Sic Mss. At editi, *quanto a veritate discedat : qui autem mentitur, a veritate discedit : absurdissimum est*, etc.

[2] Sic Mss. At editi, *sua mobilitate perfruetur.*

[3] Editio Er. [illegible] *penitus interire.* Lov., *incipiet penitus interire.* Corrigimus ex Mss.

genere admisso atque approbato, omnis omnino fidei disciplina subvertitur; qua subversa, nec ad intelligentiam pervenitur, cui capiendæ ista parvulos nutrit: atque ita omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso [1] alicunde penetrandi aperitur locus. Aut enim temporalia commoda, vel propria vel aliena, veritati præponit, quicumque mentitur; quo quid fieri potest perversius? aut cum veritati adipiscendæ opitulante mendacio vult facere idoneum, intercludit aditum veritati; volens enim cum mentitur esse aptus [2], fit cum verum dicit incertus. Quamobrem aut non est credendum bonis, aut credendum est eis quos credimus debere aliquando mentiri, aut non est credendum bonos aliquando mentiri: horum trium primum perniciosum est, secundum stultum; restat ergo ut nunquam mentiantur boni.

CAPUT IX. — 12. *Mendacium censent quidam adhibendum quo removeat homo stuprum quod ipse ab alio pateretur. Refellitur argumentum illorum, et exemplum. Aliena peccata non ei imputanda qui illa posset leviore suo peccato impedire. Peccantibus non consentire qui eos non vult peccando cohibere. Vitare peccatum quisque debet levius potius quod suum, quam quod gravius alienum. Annon mentiendum ut vitetur immunditia corporalis. Mendacia quæ alios lædunt, non admittenda ut immunditia corporalis vitetur.* Sic ista quæstione ex utraque parte considerata atque tractata, non tamen facile ferenda sententia est: sed adhuc diligenter audiendi qui dicunt, nullum esse tam malum factum, quod non in pejoris devitatione faciendum sit; pertinere autem ad facta hominum, non solum quidquid faciunt, sed quidquid etiam cum consensione patiuntur. Unde si exstitit causa ut eligeret christianus thurificare idolis, ne consentiret stupro quod persecutor ei, nisi faceret, minabatur; recte videntur quærere cur non etiam mentiretur, ut tantam illam turpitudinem devitaret. Ipsam enim consensionem, qua se stuprum pati mallet, quam thurificare idolis, non passionem dicunt esse, sed factum: quod ne faceret, elegit thurificare. Quanto igitur mendacium proclivius elegisset, si mendacio posset a sancto corpore tam immane flagitium removere?

13. In qua propositione ista sunt quæ merito quæri possunt: utrum talis consensio pro facto habenda sit; aut utrum consensio dicenda sit quæ non habet approbationem; aut utrum approbatio sit, cum dicitur, Expedit hoc pati potius quam illud facere; et utrum recte ille fecerit thurificare quam stuprum pati; et utrum mentiendum esset potius, si ea conditio daretur, quam thurificandum. Sed si talis consensio pro facto habenda est, homicidæ sunt etiam qui occidi maluerunt quam falsum testimonium dicere; et quod est homicidium gravius, in se ipsos. Cur enim hoc pacto non dicatur, quod ipsi se occiderint; quia elegerunt hoc in se fieri, ne facerent quod cogebantur? Aut si gravius putatur alium occidere quam se ipsum, quid si hæc conditio martyri proponeretur, ut si nollet de Christo falsum testimonium dicere atque immolare dæmonibus, ante oculos ipsius alius non quilibet homo, sed pater ejus occideretur, rogans etiam filium ne id perseverantia sua fieri permitteret? Nonne manifestum est, illo in testimonii fidelissimi sententia permanente, solos homicidas futuros fuisse, qui patrem ejus occiderent, non illum etiam parricidam? Sicut ergo hujus tanti sceleris particeps iste non esset, cum elegisset patrem suum potius ab aliis interfici, etiam sacrilegum, cujus anima raperetur ad pœnas, quam fidem suam falso testimonio violare: sic talis ille consensus non eum faceret tanti flagitii participem, si male facere ipse nollet, quidquid alii propterea fecissent, quia ipse non faceret. Quid enim tales persecutores dicunt, nisi, Fac male, ne nos faciamus? Qui si vere, nobis facientibus, non fecissent, nec sic eis nostro scelere suffragari deberemus. Nunc vero quando jam faciunt, cum ista non dicunt [1], cur nobiscum potius, quam soli turpes atque nocentes sint? Non enim consensus ille dicendus est; quia non approbamus quod faciunt, semper optantes, et quantum in nobis est prohibentes ne faciant, factumque ipsorum non solum non committentes cum eis, sed etiam quanta possumus detestatione damnantes.

14. Quomodo, inquis, non cum eis facit, quando illi hoc non facerent, si ipse illud faceret? Hoc modo frangimus januam cum effractoribus, quia si non eam clauderemus, illi non frangerent: et occidimus homines cum latronibus, si scire contingat hoc eos esse facturos; quia si nos prævenientes eos occideremus, illi non occiderent alios. Aut si fateatur nobis aliquis parricidium se facturum, nos cum eo facimus, si cum possumus eum priusquam faciat, non interficimus, quando aliter eum vel cohibere vel impedire non possumus. Totidem enim verbis dici potest: Fecisti cum eo, quia hoc ille non fecisset, si tu illud fecisses. Ego utrumque malum fieri nollem: sed id tantum cavere potui ne fieret, quod erat in mea potestate; alterum autem alienum, quod meo præcepto exstinguere non potui, meo malefacto impedire non debui. Non ergo peccantem approbat, qui pro alio non peccat; et neutrum placet ei qui utrumque nollet admitti: sed illud quod ad se pertinet, etiam potestate non perpetrat; quod autem ad alterum, sola voluntate condemnat. Et ideo proponentibus illam conditionem atque dicentibus, Si non thurificaveris, hoc patieris; si respondisset, Ego neutrum eligo, utrumque detestor, ad nihil horum vobis consentio: inter hæc verba atque talia, quæ certe quoniam vera essent, nulla ejus consensio, nulla approbatio teneretur; quæcumque ab eis passus esset, illi deputaretur injuriarum acceptio, illis commissio peccatorum. Debuitne igitur, ait quispiam, stuprum perpeti potius quam thurificare? Si quæris quod debuerit, neutrum debuit. Si enim

[1] In Mss., *velut officioso*.

[2] Nonnulli Mss., *apertus*. Forte legendum, *opertus*.

[1] Sic melioris notæ Mss. At editi, *cum ista dicunt*; omisso, *non*.

dixero aliquid horum debuisse; aliquid horum approbabo, cum improbem utrumque. Sed si quæritur quod horum potius debuit evitare, qui utrumque non potuit, sed alterutrum potuit : respondebo, suum peccatum potius quam alienum ; et levius potius quod suum, quam gravius quod alienum. Ut enim salva diligentiore inquisitione interim concedam gravius esse stuprum quam thurificationem : illa tamen ipsius erat, illud alienum factum, quamvis id ipse perpeteretur ; cujus autem factum, ejus et peccatum. Quamvis enim gravius sit homicidium quam furtum ; pejus est tamen facere furtum, quam pati homicidium. Itaque si cuiquam proponeretur, ut si furtum facere nollet, interficeretur, hoc est, committeretur in eum homicidium ; quia utrumque evitare non posset, id evitaret potius quod suum peccatum esset, quam quod alienum. Nec ideo et illud ejus fieret, quia in eum committeretur, et quia id posset evitare, si suum vellet admittere.

15. Totus itaque hujus quæstionis nodus ad hoc adducit, ut quæratur utrum alienum nullum peccatum, quamvis in te commissum, tibi imputetur, si leviore tuo peccato id possis evitare, nec facis [1]; an excepta est omnis immunditia corporalis. Nemo enim aliquem immundum fieri dicit, si occidatur, aut mittatur in carcerem, aut in vinculis habeatur, aut flagelletur, cæterisque tormentis et cruciatibus affligatur, aut proscribatur damnisque afficiatur gravissimis usque ad ultimam nuditatem, aut exspolietur honoribus atque ingentes accipiat contumelias per quæcumque convicia : quidquid horum quisque injuste passus fuerit, nemo est tam demens qui eum immundum fieri dicat. At si fimo perfundatur [2], aut si tale aliquid ei per os infundatur vel inculcetur, patiaturve muliebria ; omnium fere sensus abhorret, et conspurcatum [3] atque immundum vocant. Ita igitur concludendum est, ut quæcumque aliena peccata, exceptis iis quæ immundum faciunt in quem committuntur, non evitet quisque peccatis suis, neque pro se, neque pro quoquam, sed ea sufferat potius fortiterque patiatur ; et si nullis peccatis suis ea debet evitare, neque mendacio : illa vero quæ ita committuntur in hominem, ut eum faciant immundum, etiam peccatis nostris evitare debeamus ; ac per hoc nec peccata dicenda sint, quæ propterea fiunt ut illa immunditia devitetur. Quidquid enim ita fit, ut nisi fieret, juste reprehenderetur, non est peccatum. Ex quo conficitur ut nec illa immunditia vocanda sit, quando evitandi eam nulla facultas est : habet enim etiam tunc quod recte agat qui ea patitur, ut patienter ferat quidquid non potest evitare. Nullus autem recte agens immundus fieri potest quolibet contagio corporali. Immundus est enim ante Deum omnis iniquus. Mundus ergo est omnis justus ; etsi non ante homines, tamen ante Deum, qui sine errore judicat. Proinde nec cum ea patitur, data evitandi potestate, contactu ipso immundus fit ; sed peccato, quo ea cum posset [1] noluit evitare. Nullum enim peccatum esset, quidquid propter illa evitanda factum esset. Propter hæc igitur evitanda quisquis mentitus fuerit, non peccat.

16. An aliqua etiam mendacia excipienda sunt, ut satius sit hanc pati, quam illa committere? Quod si ita est, non quidquid factum fuerit ut illa immunditia evitetur, non est peccatum : quandoquidem sunt quædam mendacia quæ gravius sit admittere, quam illa pati. Nam si aliquis ad stuprum quæratur, qui possit occultari mendacio, quis audet dicere nec tunc esse mentiendum? At si tali mendacio possit latere, quod alterius famam lædat, ejus immunditiæ falso crimine ad quam patiendam ille quæritur ; tanquam si dicatur quærenti, nominato aliquo casto viro atque ab hujusmodi flagitiis alieno, Vade ad illum, et ipse tibi procurabit quo libentius utaris, novit enim tales et diligit ; atque ita iste ab eo quem quærebat, posset averti : nescio utrum alterius fama mendacio violanda sit, ne alterius corpus aliena libidine violetur. Et omnino nunquam pro aliquo mentiendum est, eo mendacio quod alterum lædat ; etsi levius læditur, quam ille, nisi ita mentireris, læderetur. Quia nec panis alienus invito, quamvis valentiori, auferendus est, ut alatur infirmior ; nec innocens invitus virgis cædendus est, ne alius occidatur. Plane si velint fiat ; quia nec læduntur, cum ita volunt.

CAPUT X. — *Mendacium in doctrina religionis nunquam adhibendum.* Sed utrum etiam volentis fama falso stupri crimine lædenda sit, ut ab alterius corpore stuprum avertatur, magna quæstio est. Et nescio utrum facile reperiatur quomodo justum sit volentis famam falso stupri crimine maculari, quam ipso stupro corpus inviti.

17. Sed tamen si talis optio proponeretur ei qui thurificare idolis, quam muliebria perpeti maluit, ut si illud vellet evitare, famam Christi aliquo mendacio violaret ; insanissimus esset, si faceret. Plus etiam dico, quia insanus esset, si alienæ libidinis evitandæ causa, ne id in eo fieret quod nulla sua libidine pateretur, Christi Evangelium falsis Christi laudibus infalsaret ; magis evitans alienam corruptionem in corpore suo, quam in doctrina sanctificationis animarum atque corporum corruptionem suam. Quamobrem a doctrina religionis, atque ab eis omnino enuntiationibus, quæ propter doctrinam religionis enuntiantur, cum illa docetur et discitur, omnia penitus mendacia removenda sunt. Nec ulla omnino causa inveniri posse credatur, cur in rebus talibus mentiendum sit : quando nec ideo in ea doctrina mentiendum est, ut ad eam ipsam quisque facilius perducatur. Fracta enim vel leviter diminuta [2] auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt : quæ nisi vera credantur, teneri certa non possunt. Licet igitur vel dissertori ac disputatori atque prædicatori rerum æternarum, vel narratori vel pronuntiatori rerum temporalium ad ædificandam religionem atque pietatem pertinentium,

[1] Sic Mss. At editi, *ne facias.*
[2] Plerique Gallicani Mss., *At si fieri dicat, aut si tale*, etc. Paulo post unus e Vaticanis, *vel inculcetur. Sed si patiatur muliebria, quod omnium fere sensus abhorret.*
[3] In Mss., *constupratum.*

[1] In Mss., *sed peccato dum ea cum posset.*
[2] Aliquot Mss., *demota.* Alii, *deminuta.*

occultare in tempore quidquid occultandum videtur: mentiri autem nunquam licet; ergo nec occultare mentiendo.

CAPUT XI. — 18. *Mendacia etiam removenda quæ aut alteri obsunt, aut ipsi mentienti. Mentiens et mendax differunt.* Hoc primitus et firmissime constituto, de cæteris mendaciis secundus quæritur. Sed consequenter etiam videndum est, removenda esse etiam omnia mendacia quæ aliquem lædunt injuste: quia nulli est injuria vel levior inferenda, ut ab alio gravior repellatur. Nec illa sunt admittenda mendacia, quæ quamvis non obsint alteri, nulli tamen prosunt, et obsunt eis ipsis qui gratis mentiuntur. Ipsi enim proprie mendaces dicendi sunt. Interest enim inter mentientem atque mendacem. Nam mentiens est etiam qui mentitur invitus: mendax vero amat mentiri, atque habitat animo in delectatione mentiendi [1]. Juxta ponendi sunt et qui de mendacio volunt placere hominibus, non ut alicui faciant injuriam vel inferant contumeliam; jam enim supra hoc genus removimus; sed ut suaves sint in sermonibus suis. Isti ab illo genere in quo mendaces posuimus, hoc differunt, quod illos mentiri delectat, gaudentes de ipsa fallacia: istis autem placere libet de suaviloquio, qui tamen veris mallent placere; sed quando non facile inveniunt vera quæ grata sint audientibus, mentiri eligunt potius quam tacere. Difficile est tamen ut isti totam narrationem falsam aliquando suscipiant; sed plerumque veris falsa contexunt, ubi suavitas eos deserit. Hæc autem duo genera mendaciorum non obsunt credentibus, quia nihil de doctrina religionis veritatisque falluntur, aut de ullo commodo vel utilitate sua. Sufficit enim eis ut judicent fieri potuisse quod dicitur, et fidem habeant homini quem non debent temere existimare mentientem. Quid enim obest, si credat patrem aut avum alicujus virum bonum fuisse, etiamsi non fuit; aut usque ad Persas militando pervenisse, etiamsi a Roma nunquam recessit? Ipsis autem mentientibus valde obsunt: illis quidem, quia sic deserunt veritatem, ut fallacia lætentur; istis, quia se malunt placere, quam verum [2].

CAPUT XII. — 19. *Mendacium quod et nulli obest et alicui prodest an adhibendum. An mendacia quædam honesta, quæ nonnulli prosunt et nulli obsunt. Mentiri annon semper sit falsum testimonium dicere.* Istis generibus sine ulla dubitatione damnatis, sequitur genus mendacii tanquam gradatim ad meliora surgentibus, quod benevolis et bonis vulgo tribui solet, cum ille qui mentitur, non solum alteri non obest, sed etiam prodest alicui. De isto genere est tota contentio, utrumne sibi obsit, qui sic prodest alteri, ut faciat contra veritatem. Aut si veritas illa sola dicenda est, quæ ipsas mentes intimo atque incommutabili lumine illustrat; facit certe contra aliquod verum, quia etsi falluntur corporis sensus, contra verum tamen facit, qui dicit aliquid ita esse, vel non ita, quod ei nec mens nec sensus nec opinatio sua fidesve renuntiat. Utrum ergo non sibi obsit, qui hoc modo alteri prodest; an illa compensatione non obsit sibi, quia prodest alteri, magna quæstio est. Si ita est, consequenter etiam sibi prodesse debet per mendacium quod nulli obest. Sed ea connexa sunt, et his concessis necessario trahuntur quæ multum conturbant. Si enim quæratur quid obest homini copiis superfluis redundanti, si de innumeris millibus frumentorum amittat unum modium, qui tamen indigenti possit ad necessarium victum prodesse furanti; consequens erit ut et furtum sine reprehensione fieri possit, et falsum testimonium sine peccato dici. Quo quid dici potest perversius? An vero si alius furatus esset illum modium, et tu videres, interrogatusque esses, mentireris honeste pro paupere, et si id pro tua paupertate facias, culpaberis? quasi amplius alium quam te diligere debeas. Utrumque ergo turpe atque vitandum est.

20. Sed fortassis exceptionem addendam quis putet, ut sint quædam honesta mendacia, quæ non solum nulli obsunt, sed etiam nonnulli prosunt, exceptis his quibus crimina occultantur et defenduntur: ut ideo sit illud turpe mendacium, quod quamvis nulli obsit, et prosit pauperi, furtum tamen occultat; si autem ita nulli obesset et prodesset alicui, ut etiam nullum peccatum occultaret atque defenderet, turpe non esset. Velut si quispiam pecuniam suam te vidente absconderet, ne per furtum aut vim amitteret, atque inde interrogatus mentireris; neque obesses cuiquam, et ei prodesses cui opus erat illud occultum [3], et nullum peccatum mentiendo texisses. Non enim quisquam peccat abscondendo rem suam, quam timet amittere. Sed si propterea non peccamus mentiendo, quia nullius peccatum tegentes, et nulli obsumus, et alicui prosumus, quid agimus de ipso peccato mendacii? Ubi enim positum est, *Ne furtum feceris*; ibi positum est, *Ne falsum testimonium dixeris* (*Exod.* xx, 15, 16). Cum ergo singula prohibeantur, cur falsum testimonium tunc est culpabile, si furtum tegat, vel aliquod aliud peccatum; si autem nulla defensione peccati per se ipsum fiat, non est culpabile, cum ipsum furtum per se culpabile sit, et cætera peccata? An occultare peccatum [4] non licet, facere licet?

21. Quod si absurdum est, quid dicemus? An falsum testimonium non est, nisi cum quisque ita mentitur, ut aut crimen confingat in aliquem, aut alicujus crimen occultet, aut quoquo modo quemquam in judicio premat? Videtur enim testis judici necessarius ad causæ cognitionem. Sed si hactenus testem Scriptura nominaret, non diceret Apostolus, *Invenimur et falsi testes Dei, si testimonium diximus adversus Deum, quia excitaverit Christum, quem non excitavit* (I *Cor.* xv, 15). Ita enim ostendit falsum testimonium esse mendacium, etiamsi in cujusquam falsa laude dicatur.

CAPUT XIII. — *An mentiendum ne prodatur vel homicida, vel innocens quæsitus ad mortem. Firmus*

[1] Aliquot Mss., *in dilectione mentiendi.*
[2] Sola editio Lov., *placere hominibus, quam verum dicere.*

[3] Quidam Mss., *occultari.*
[4] Hic editi et quidam Mss. addunt, *mentiendo.*

episcopus Thagastensis, nec vult mentiri, nec ut hominem quæsitum prodat tormentis adigi potest. Quid respondeat interrogatus et sciens ubi sit ille qui ad mortem quæritur. An forte tunc dicit falsum testimonium qui mentitur, cum aut peccatum alicujus vel fingit vel tegit, aut alicui obest quoquo modo? Si enim mendacium quod adversus vitam cujusquam temporalem dicitur detestabile est; quanto magis quod adversus vitam æternam? sicuti est omne mendacium, si in doctrina religionis fiat. Et ideo falsum testimonium vocat Apostolus, si quis de Christo, etiam quod ad ejus laudem videtur pertinere, mentiatur. Si autem mendacium sit, quod neque cujusquam peccatum aut confingat aut tegat, nec a judice quæratur, et nulli obsit et prosit alicui; nec falsum testimonium esse, nec reprehensibile mendacium?

22. Quid ergo, si ad christianum homicida confugiat, aut videat quo confugit; et de hac re interrogetur ab eo qui ad supplicium quærit hominem hominis interfectorem? mentiendum est? Quomodo enim non tegit peccatum mentiendo, cum ille pro quo mentitur, peccatum sceleratum admiserit? An quia non de peccato ejus interrogatur, sed de loco ubi lateat? Ergo mentiri ad tegendum cujusquam peccatum, malum est; mentiri autem ad tegendum peccatorem, non est malum? Ita sane, ait quispiam: non enim tunc peccat quisquam, cum evitat supplicium; sed cum facit aliquid dignum supplicio. Pertinet autem ad disciplinam christianam, ut neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. Quid, si ad judicem ductus de ipso loco ubi se ille occultet interrogeris? dicturus es, aut, Non ibi est, ubi eum scis esse; aut, Non novi et non vidi, quod nosti et vidisti? Dicturus ergo es falsum testimonium, et occisurus animam tuam, ne occidatur homicida? An usque ad conspectum judicis mentieris, judice autem quærente jam verum dices, ne sis falsus testis? Ipse igitur hominem proditione occisurus es. Etiam proditorem quippe divina Scriptura detestatur. An forte proditor non est, qui judici interroganti verum indicat; esset autem proditor, si quemquam ad exitium ultro deferret? Quid, si de justo atque innocente ubi lateat sciens a judice interrogeris, qui tamen ad mortem a majore potestate jussus est rapi, ut ille qui interrogat exsecutor sit legis, non conditor? an ideo non erit falsum testimonium quod pro innocente mentieris, quia nec ille judex, sed exsecutor interrogat? Quid, si ipse conditor legis interroget, aut quilibet judex iniquus ad supplicium quærens innocentem? quid facies? falsus testis, an proditor eris? An ille erit proditor, qui justo judici latentem homicidam ultro detulerit; et ille non erit, qui judici injusto ubi lateat innocens quem quærit occidere, interroganti indicaverit eum qui se fidei ejus commiserat? An inter crimen falsi testimonii et proditionis dubius incertusque remanebis? An tacendo, vel profitendo te non esse dicturum, certus utrumque vitabis? Cur ergo non hoc facias, priusquam ad judicem venias, ut caveas etiam mendacium? Evitato enim mendacio, omne testimonium falsum effugies; sive omne mendacium sit falsum testimonium, sive non omne: evitato autem falso testimonio quod tu esse intelligis, non effugies omne mendacium. Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices: Nec prodam, nec mentiar?

23. Fecit hoc episcopus quondam Thagastensis[1] Ecclesiæ, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cum ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia quanta poterat occultabat; respondit quærentibus nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque tam multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores christiani), permansit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipse homini quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius? Sed ait quisquam timidior: Paratus esse possum ad quælibet ferenda tormenta, vel etiam mortem obeundam, ne peccem: cum autem peccatum non sit ita mentiri, ut neque cuiquam obsis, neque falsum testimonium dicas, et prosis alicui; stultum est et grave peccatum, voluntaria frustra sustinere tormenta, et fortassis utilem salutem ac vitam incassum sævientibus projicere. A quo quæro cur timeat quod scriptum est, *Falsum testimonium non dices* (*Exod.* XX, 16); et non timeat quod Deo dictum est, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7)? Non, inquit scriptum est, Omne mendacium: sed ita intelligo, ac si sit scriptum, Perdes omnes qui loquuntur falsum testimonium. At nec ibi dictum est, Omne falsum testimonium. Sed ibi positum est, inquit, ubi cætera quæ omni modo mala sunt. Numquid et illud quod ibi est, *Non occides* (*Exod.* XX, 13)? Quod si omni modo malum est, quomodo ab hoc crimine excusabuntur justi, qui post legem datam multos occiderunt? Sed respondetur quod non ipse occidat, qui justi alicujus præcepti minister est. Horum ergo timorem sic accipio, ut tamen illum laudabilem virum, qui nec mentiri voluit, nec hominem prodere, et melius arbitrer intellexisse quod scriptum est, et intellectum fortiter implevisse.

24. Sed venitur aliquando ad hujusmodi articulum, ut non interrogemur ubi sit ille qui quæritur, neque cogamur ut eum prodamus, si sic occultatus est, ut inveniri facile nisi proditus nequeat: sed quæritur a nobis utrum illo loco sit, an non sit. Ubi si eum esse scimus, tacendo eum prodimus; vel etiam dicendo nequaquam nos esse dicturos, utrum ibi sit, an non sit: ex hoc enim colligit ille qui quærit, ibi eum esse, ubi si non esset, nihil aliud ab eo qui mentiri nollet, nec hominem prodere, nisi eum non ibi esse responderetur. Ita per nostram vel taciturnitatem vel talia verba homo proditur, ut intret qui quærit, si potestatem habet, et inveniat eum: qui tamen ab ejus inventione mendacio nostro posset

[1] In veteri Germanensi codice, *Thagarensis*. In Colbertino, *Tegasensis*.

averti. Quapropter si nescis ubi sit, nulla est causa occultandæ veritatis, sed te nescire fatendum est. Si autem scis ubi sit, sive ibi sit ubi quæritur, sive alibi; non est dicendum, cum quæsitum fuerit utrum ibi sit, an non sit, Non dico quod quæris: sed dicendum, Scio ubi sit, sed nunquam monstrabo. Nam si de uno loco non respondeas, et te non esse proditurum fatearis; tale est ac si eumdem locum digito ostendas: movetur enim certa suspicio. Si autem primo fatearis te scire ubi sit, sed non dicere; potest fortasse ab illo loco inquisitor averti, et tibi jam incumbere, ut ubi est a te prodatur. Pro qua fide atque humanitate quidquid fortiter tuleris, non solum non culpabile, sed etiam laudabile judicatur: exceptis duntaxat his quæ si passus fuerit homo, non fortiter, sed impudice ac turpiter pati dicitur. Hoc est enim ultimum mendacium, de quo diligentius tractandum est.

CAPUT XIV. — 25. *Mendaciorum octo genera.* Nam primum est ad evitandum capitale mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis: ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Secundum autem, ut aliquem lædat injuste: quod tale est, ut et nulli prosit, et obsit alicui. Tertium, quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum, quod fit sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaviloquio. His omnibus penitus evitatis atque rejectis, sequitur sextum genus, quod et nulli obest, et prodest alicui: velut si quispiam pecuniam alicujus injuste tollendam, sciens ubi sit, nescire se mentiatur quocumque interrogante. Septimum, quod et nulli obest, et prodest alicui: excepto si judex interrogat: velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur; non solum justum atque innocentem, sed et reum; quia christianæ disciplinæ sit, ut neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur[1]. De quibus duobus generibus, quæ solent habere magnam controversiam, satis tractavimus, et quid nobis placeret ostendimus: ut suscipiendis incommoditatibus, quæ honeste ac fortiter tolerantur, hæc quoque genera devitentur a fortibus et fidelibus et veracibus viris ac feminis. Octavum est genus mendacii, quod et nulli obest, et ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur, duntaxat ea quam superius commemoravimus. Nam etiam non lotis manibus manducare, immunditiam putabant Judæi (*Matth.* xv, 2, 20). Aut si et hanc quisquam immunditiam vocat; non tamen talem, pro qua evitanda mentiendum sit. Si autem mendacium tale est, quod alicui faciat injuriam; etiamsi ab hac immunditia, quam omnes homines abhorrent ac detestantur, muniat hominem; utrum et hoc genere mentiendum sit, si talis fiat injuria per mendacium, quæ non sit in eo genere immunditiæ, de quo nunc agimus, alia quæstio est: non enim jam de mendacio quæritur, sed quæritur utrum alicui facienda sit injuria etiam non per mendacium, ut illi ab altero immunditia depellatur. Quod nullo modo putaverim: quanquam proponantur levissimæ injuriæ, veluti est illa quam de uno modio amisso supra commemoravi; et multum perturbent, utrum non debeamus facere cuiquam vel talem injuriam, si ea potest alius, ne stuprum patiatur, defendi aut muniri. Sed, ut dixi, alia quæstio est.

CAPUT XV. — *Auctoritates divinæ, quibus mendacium prohibetur, aliaque præcepta ex factis sanctorum intelligenda. Præceptum præbendi alteram maxillam percutienti. Præceptum non jurandi omnino. Præceptum non cogitandi de crastino. Præceptum ne Apostoli secum aliquid portent in via.* Nunc illud quod instituimus, peragamus: utrum mentiendum sit, si etiam inevitabilis conditio proponatur, ut aut hoc faciamus, aut stuprum patiamur, vel aliquam exsecrabilem inquinationem; etiamsi mentiendo nulli faciamus injuriam.

26. De qua re patebit aliquis considerationi locus, si prius divinas auctoritates, quæ mendacium prohibent, diligenter discutiamus: si enim ipsæ nullum dant locum, frustra quærimus qua exeamus; tenendum est enim omni modo præceptum Dei, et voluntas Dei in iis quæ tenendo præceptum ejus passi fuerimus, æquo animo sequenda: si autem relaxatur aliquis exitus, non est in tali causa recusandum mendacium. Propterea divinæ Scripturæ non solum præcepta Dei continent, sed etiam vitam moresque justorum; ut si forte occultum est, quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur, in factis justorum intelligatur. Exceptis itaque his factis quæ potest quisque ad allegoricam significationem referre, quamvis gesta esse nemo ambigat, sicuti sunt fere omnia in libris Veteris Testamenti: quis enim ibi aliquid audeat affirmare non pertinere ad figuratam prænuntiationem? Quippe cum Apostolus etiam filios Abrahæ, quos utique naturali ordine propagandi populi editos esse atque vixisse facillime dicitur (non enim monstra et prodigia nata sunt, ut ad significationem aliquam ducant animum), duo tamen Testamenta significare asserat (*Galat.* iv, 22-24); et beneficium illud mirabile, quod Deus populo Israel præstitit ad eruendos eos de servitute, qua in Ægypto premebantur, pœnamque vindictæ, cum in itinere peccassent, in figura contigisse dicat (I *Cor.* x, 1-11): quæ facta invenies, quibus istam regulam deroges, et affirmare præsumas ad figuram aliquam non esse redigenda? His ergo exceptis, ea quæ in Novo Testamento a sanctis facta sunt, ubi morum imitandorum[1] evidentissima commendatio est, valeant ad exempla intelligendarum Scripturarum, quæ in præceptis digesta sunt.

27. Velut cum legimus in Evangelio, *Accepisti alapam, para alteram maxillam* (*Matth.* v, 39). Exem-

[1] Lugd. omittit, *Excepto si judex interrogat*, et uncis concludit verba sequentia, quæ Erasmus præterit omnino: *Velut si nolens hominem..... pœnitendi aditus intercludatur.* M.

[1] Plures Mss., *emendatorum.*

plum autem patientiæ nullum quam ipsius Domini potentius et excellentius invenimus : at ipse cum alapa percussus esset, non ait, Ecce altera maxilla; sed ait, *Si male dixi, exprobra de malo; si autem bene, quid me cædis* (*Joan.* XVIII, 23)? Ubi ostendit, illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quod etiam apostolus Paulus utique noverat : nam et ipse cum esset alapa percussus ante Pontificem, non ait, Percute maxillam alteram; sed, *Percutiet te Dominus*, inquit, *paries dealbate : et tu sedes judicare me secundum legem, et contra legem jubes me percuti* (*Act.* XXIII, 3) : altissime intuens sacerdotium Judæorum jam tale factum fuisse, ut nomine forinsecus niteret, intrinsecus autem luteis concupiscentiis sorderet; quod transiturum esse vindicta Domini videbat in spiritu, cum illud diceret : sed tamen cor paratum habebat, non solum ad alias alapas accipiendas, sed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda, cum eorum dilectione a quibus illa pateretur.

28. Scriptum est etiam, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Juravit autem ipse Apostolus in Epistolis suis (*Rom.* IX, 1; *Philipp.* I, 8, *et Galat.* I, 20). Et sic ostendit quomodo accipiendum esset quod dictum est, *Dico vobis, non jurare omnino* : ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur. Et ideo non invenitur jurasse, nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Et hoc utique a malo, sicut dictum est, *Quod autem amplius est, a malo est* (*Matth.* V, 34, 37) : non tamen suo, sed eorum infirmitatis, quibus etiam sic fidem facere conabatur. Nam quod loquens jurasset, dum non scriberet, nescio utrum aliqua de illo Scriptura narraverit. Et tamen Dominus ait, *omnino non jurare* : non enim concessit ut id liceret scribentibus. Sed quia præcepti violati reum Paulum, præsertim in Epistolis conscriptis atque editis ad spiritualem vitam salutemque populorum nefas est dicere; intelligendum est illud quod positum est, *omnino*, ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum.

29. Sicut illud, *Nolite cogitare de crastino* ; et, *Nolite itaque cogitare quid manducetis, et quid bibatis, et quid induamini* (*Matth.* VI, 34, 25). Cum tamen videamus et ipsum Dominum habuisse loculos, quo ea quæ dabantur, mittebantur, ut servari possent ad usus pro tempore necessarios (*Joan.* XII, 6); et ipsos Apostolos procurasse multa fratrum indigentiæ, non solum in crastinum, sed etiam in prolixius tempus imminentis famis, sicut in Actibus Apostolorum legimus (*Act.* XI, 28-30) : satis elucet illa præcepta sic intelligenda, ut nihil operis nostri temporalium adipiscendorum amore vel timore egestatis tanquam ex necessitate faciamus.

30. Item dictum est Apostolis, ut nihil secum portantes in via, ex Evangelio notum est. Et quodam loco etiam ipse Dominus significavit cur hoc dixerit, cum addidit, *Dignus est enim operarius mercede sua* (*Luc.* X, 4, 7, *et Matth.* X, 10) : ubi satis ostendit permissum hoc esse, non jussum : ne forte qui hoc faceret, ut in opere prædicationis verbi aliquid ab eis quibus prædicaret, in usus vitæ hujus sumeret, illicitum aliquid se facere arbitraretur. Posse tamen laudabilius non fieri, in apostolo Paulo satis demonstratum est : qui cum diceret, *Communicet autem qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis* (*Galat.* VI, 6); et multis locis id salubriter fieri ab eis quibus verbum prædicaret, ostenderet : *Sed tamen ego*, inquit, *non sum usus hac potestate* (I *Cor.* IX, 12). Potestatem ergo dedit Dominus, cum ista diceret, non imperio constrinxit. Ita pleraque in verbis intelligere non valentes, in factis sanctorum colligimus quemadmodum oporteat accipi, quod facile in aliam partem duceretur, nisi exemplo revocaretur.

CAPUT XVI.— 31. *Os duplex, vocis et cordis : de quo ore dictum sit,* Os quod mentitur, *etc. Os cordis etiam in Evangelio monstratum. An vetitum id tantum mendacium, quo alicui detrahitur. Sensus triplex in loco Ecclesiastici* (*cap.* 7, ℣. 11). Sic ergo quod scriptum est, *Os autem quod mentitur, occidit animam;* de quo ore dixerit, quæritur. Plerumque enim Scriptura cum os dicit, conceptaculum ipsum cordis significat, ubi placet et decernitur quidquid etiam per vocem, cum verum loquimur, enuntiatur : ut corde mentiatur, cui placet mendacium; possit autem non corde mentiri, qui per vocem aliud quam est in animo ita profert, ut majoris mali evitandi causa malum se admittere noverit, cui tamen utrumque displiceat. Et qui hoc asserunt, ita dicunt etiam illud intelligendum quod scriptum est, *Qui loquitur veritatem in corde suo* (*Psal.* XIV, 3) : quia semper in corde veritas loquenda est; non autem semper in ore corporis, si aliqua causa cavendi majoris mali aliud quam in animo est, voce proferri exigat. Et esse quidem os cordis, ex hoc jam intelligi potest, quod ubi locutio est, ibi os non absurde intelligitur : nec recte diceretur, *Qui loquitur in corde suo* ; nisi et os in corde recte intelligeretur. Quanquam et eo ipso loco, ubi scriptum est, *Os autem quod mentitur, occidit animam* ; si circumstantia lectionis consideretur, non accipiatur fortasse aliud quam os cordis. Obscurum enim responsum ibi est, ubi homines latet, qui os cordis, nisi os corporis consonet, audire non possunt. Illud autem os dicit in eo loco Scriptura pervenire ad auditum Spiritus Domini, qui replevit orbem terrarum : ita ut etiam labia et vocem et linguam commemoret in eo loco; nec tamen omnia sinat intellecius nisi de corde accipi, quia Dominum dicit non latere quod dicitur : quod autem sono isto ad aures nostras pertinente dicitur, nec homines latet. Ita quippe scriptum est : *Humanus est enim Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis ejus : quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est et verus, linguæ illius auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod*

continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, sed nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit; sermonum autem illius auditio a Domino veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione linguæ parcite; quoniam responsum obscurum in vacuum non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I, 6-11). Videtur ergo his minari, qui obscurum putant et secretum esse quod corde agitant atque versant. Tam vero clarum ostendere voluit hoc esse auribus Dei, ut etiam tumultum eum appellaverit.

32. Manifeste etiam in Evangelio invenimus os cordis; ut uno loco et corporis et cordis os Dominus commemorasse inveniatur, ubi ait: *Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur; quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem? De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* XV, 16-20). Hic si unum os, quod est corporis, intellexeris, quomodo intellecturus es, *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt*; cum et sputus[1] et vomitus de ore procedant? Nisi forte tunc quisque non coinquinatur, cum edit aliquid immundum; coinquinatur autem, cum id evomit. Quod si absurdissimum est, restat ut os cordis intelligamus a Domino expositum, cum ait, *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt*. Nam et furtum cum possit, et sæpe ita fiat, in silentio corporalis vocis atque oris perpetrari; dementissimum est sic intelligere, ut tunc putemus quemquam peccato furti contaminari, cum id fatetur aut indicat; cum autem id tacite committit, incoinquinatum arbitrari. At vero si ad os cordis quod dictum est referamus, nihil omnino peccati tacite committi potest: non enim committitur, nisi ex ore illo interiore procedat.

33. Sicut autem quæritur de quo ore dixerit, *Os autem quod mentitur, occidit animam*; ita quæri potest, de quo mendacio. Videtur enim de illo proprie dicere, quo cuiquam detrahitur. Ait enim: *Abstinete ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione linguæ parcite.* Fit autem ista detractio per malevolentiam, cum quisquam non solum ore ac voce corporis profert quod confingit in aliquem, sed etiam tacitus talem vult credi; quod est utique ore cordis detrahere: quod dicit obscurum et occultum Deo esse non posse.

34. Nam quod alio loco scriptum est, *Noli velle mentiri omne mendacium*; non ad hoc volunt valere, ut nullo mendacio quisquam mentiatur. Itaque cum alius dixerit, ex isto Scripturæ testimonio usque adeo generaliter omne mendacium esse detestandum, ut etiam si quis mentiri velit, etiamsi non mentiatur, jam voluntas ipsa damnanda sit; atque ad hoc interpretum, quod non dictum est, Noli mentiri omne mendacium, sed, *Noli velle mentiri omne mendacium*; ut non solum mentiri, sed nec velle mentiri quisque audeat ullo mendacio.

CAPUT XVII. — [illegible] tripliciter *quoque intellectus. Præceptum vetans falsum testimonium dici, quomodo intelligendum.* Dicit alius, Imo quod ait, *Noli velle mentiri omne mendacium*, de ore cordis exterminandum atque alienandum esse mendacium voluit: ut a quibusdam mendaciis ore corporis abstinendum sit, sicut illa sunt maxime, quæ pertinent ad doctrinam religionis; a quibusdam vero non sit ore corporis abstinendum, si majoris mali evitandi causa exigit; ore autem cordis ab omni mendacio penitus abstinere debeamus. Ubi oportet intelligi quod dictum est, *Noli velle*: voluntas quippe ipsa quasi os cordis accipitur, ut non pertineat ad os cordis, cum majus malum caventes mentimur inviti. Est et tertius intellectus, quo sic accipias, *Noli omne*, ut exceptis aliquibus mendaciis mentiri te sinat. Tanquam si diceret, Noli velle credere omni homini: non utique ut nulli crederetur moneret; sed ut non omnibus, aliquibus autem crederetur. Et id quod sequitur, *Assiduitas enim ejus non proficiet ad bonum* (*Eccli.* VII, 14), ita sonat, quasi non a mendacio, sed ab assiduo mendacio, id est, a consuetudine atque amore mentiendi prohibere videatur. Quo profecto delabetur quisquis vel omni mendacio putaverit abutendum, (ita enim nec illud cavebit, quod in doctrina pietatis et religionis; quo sceleratius quid facile invenias, non inter omnia mendacia, sed inter omnia peccata?) vel alicui mendacio, quamvis facili, quamvis innoxio, nutum voluntatis accommodaverit: ut non invitus evadendi majoris mali causa, sed volens libensque mentiatur. Ita cum tria sint quæ in hac sententia intelligi possint: aut, Omne mendacium non solum mentiri noli, sed nec velle mentiri[1]; aut, noli velle, sed vel invitus mentire, cum fugiendum est aliquid gravius; aut, noli omne, ut exceptis aliquibus mendaciis cætera permittantur: unum hic pro his quibus mentiri nunquam placet, duo pro illis qui aliquando putant esse mentiendum, inveniuntur. Sed tamen quod sequitur, *Assiduitas enim ejus non proficiet ad bonum*, nescio utrum possit primæ harum trium sententiæ suffragari: nisi forte ita ut perfectorum præceptum sit, omnino nunquam non solum mentiri, sed vel velle mentiri; assiduitas vero mentiendi nec proficientibus permittatur. Tanquam si cum præciperetur, nunquam prorsus non solum mentiendum, sed nec voluntatem habendam esse mentiendi, contradiceretur exemplis, quod aliqua sunt etiam magna auctoritate approbata mendacia: responderetur autem, illa quidem esse proficientium, quæ habent secundum hanc vitam qualecumque officium misericordiæ; sed usque adeo esse omne mendacium malum, et perfectis atque spiritualibus animis omni modo fugiendum, ut nec ipsis proficientibus assiduitas ejus permittenda sit. Dictum est enim jam de obstetricibus Ægyptiis, quod de indole ad melius pro-

[1] Lov., *sputum*. At Er. et Mss., *sputus*.

[1] Mss., *sed vel velle mentiri*.

ficiendi mentientes approbatæ sunt : quia nonnullus gradus est ad diligendam veram ac sempiternam salutem, cum quisque misericorditer etiam pro alicujus quamvis mortali salute mentitur (*Supra*, *cap.* 5, *n.* 5-7).

35. Item quod scriptum est, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium :* alius dicit nullum hic exceptum esse mendacium, sed omne damnatum. Alius dicit : Ita vero, sed qui loquuntur ex corde mendacium, secundum superiorem disputationem; nam veritatem loquitur in corde, qui odit mentiendi necessitatem, quam pœnam hujus vitæ mortalis intelligit. Alius dicit : Omnes quidem perdet Deus qui loquuntur mendacium, sed non omne mendacium : est enim aliquod mendacium quod tunc insinuabat Propheta, in quo nulli parcatur; id est, si peccata sua quisque confiteri detrectans, defendat ea potius, et nolit agere pœnitentiam; ut parum sit quia operatur iniquitatem, nisi etiam justus videri volens medicinæ confessionis non succumbat : ut et ipsa verborum distinctio non aliud intimare videatur, *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal.* v, 7); sed non perdes, si pœnitendo in confessione veritatem loquantur, ut faciendo istam veritatem veniant ad lucem; sicut in Evangelio secundum Joannem dicitur, *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem* (*Joan.* III, 21). *Perdes* autem *omnes qui*, non solum operantur [1] quod odisti, sed etiam *loquuntur mendacium;* falsam justitiam prætendendo, nec in pœnitentia confitendo peccata.

36. Nam de falso testimonio, quod in decem præceptis Legis positum est, nullo modo quidem contendi potest dilectionem veritatis in corde servandam, et proferendum falsum ad eum apud quem dicitur testimonium. Cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda est : cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum est; quia homo non est cordis inspector. Sed plane de ipso testimonio non absurde quæritur apud quem quisque testis sit. Non enim apud quoscumque loquimur, testes sumus; sed apud eos quibus expedit et debetur per nos cognoscere aut credere veritatem : sicuti est judex, ne in judicando erret; aut qui docetur doctrina religionis, ne erret in fide, aut ipsa doctoris auctoritate dubius fluctuet. Cum autem ille te interrogat, aut vult ex te aliquid nosse, qui eam rem quærit quæ non ad eum pertineat, aut quam ei nosse non expedit; non testem, sed proditorem requirit. Itaque si ei mentiaris, a falso fortasse testimonio alienus eris, sed a mendacio profecto non eris.

CAPUT XVIII. — *Quomodo accipiendus alius Scripturæ locus. Disquisitione præcedenti in utramque partem quid hactenus inventum. Error mala metuens ex cupiditate et ex consuetudine. Vita nostra duplex. Peccata minora et si non propter utilitatem temporalem, an saltem propter sanctitatem servandam admitti possint.* Salvo igitur eo quod falsum testimonium dicere nunquam licet, quæritur utrum liceat aliquando mentiri. Aut si falsum testimonium est omne mendacium, videndum est utrum admittat compensationem, ut dicatur vitandi majoris peccati gratia : sicut illud quod scriptum est, *Honora patrem et matrem* (*Exod.* xx, 16, 12), rapiente officio potiore [1] contemnitur; unde ultimum sepulturæ honorem patri prohibetur exsolvere, qui ab ipso Domino ad regnum Dei annuntiandum vocatur (*Matth.* VIII, 22).

37. Item quod scriptum est, *Verbum excipiens* [2] *filius a perditione longe aberit : excipiens autem excipit illud sibi, et nihil falsi de ore ipsius procedit* (*Prov.* XXIX, 27) : dicit aliquis, non aliud hic accipiendum esse quod positum est, *Excipiens verbum filius*, nisi verbum Dei, quod est veritas. Ergo, *Excipiens veritatem filius a perditione longe aberit*, refertur ad illud quod dictum est, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Quod vero sequitur, *Excipiens autem excipit illud sibi,* quid aliud insinuat, nisi quod Apostolus dicit, *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero* (*Galat.* VI, 4)? Qui enim excipit verbum, id est veritatem, non sibi, sed ut hominibus placeat, non eam custodit, cum eis videt placeri posse mendacio. Qui autem excipit sibi, nihil falsum de ore ipsius procedit; quia etiam cum placet hominibus mendacium, non mentitur ille qui veritatem, non de qua illis, sed de qua Deo placeret, excepit sibi. Itaque non est cur hic dicatur, Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium, sed non omne mendacium : quando universaliter omnia mendacia circumcisa sunt in eo quod dictum est, *Et nihil falsi de ore ipsius procedit.* Sed dicit alius ita esse accipiendum, sicut accepit apostolus Paulus quod ait Dominus, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* (*Matth.* v, 34). Nam et hic omnis juratio circumcisa est; sed ab ore cordis, ut nunquam voluntatis approbatione fieret, sed necessitate infirmitatis alterius, id est, a malo alterius, cui non aliter videtur persuaderi posse quod dicitur, nisi jurando fides fiat; aut ab illo malo nostro, quod hujus mortalitatis adhuc pellibus involuti, cor nostrum non valemus ostendere : quod utique si valeremus, juratione opus non esset. Quanquam etiam in hac tota sententia, si quod dictum est, *Excipiens verbum filius a perditione longe aberit*, de ipsa dictum est Veritate per quam facta sunt omnia, quæ incommutabilis semper manet; quoniam doctrina religionis ad eam contemplandam perducere nititur, potest videri ad hoc esse dictum, *Et nihil falsi de ore ipsius procedit*, ut nihil falsi quod ad doctrinam pertinet dicat. Quod mendacii genus nulla omnino compensatione subeundum, penitusque ac præcipue devitandum est. Aut si quod dictum est, *nihil falsi*, absurde accipitur, si non ad omne mendacium referatur [3]; quod dictum est, *de ore ipsius*, secundum superiorem disputationem os cordis accipiendum esse contendit, qui aliquando putat esse mentiendum.

[1] Hic editi addunt, *iniquitatem*; quæ vox abest a Mss.

[1] Aliquot Mss., *fortiore*.

[2] Probæ notæ Mss. habent, *custodiens*, hoc tantum et altero loco infra post, *Quanquam etiam in hac tota sententia*, etc. Apud LXX, in Proverbiis, cap. 24, legitur, *phulassomenos*.

[3] Sola ed. Lov.: *Et sicut post dictum est, nihil falsi, absurde accipitur, si non ad omne mendacium referatur; sic quod dictum est*, etc., minus bene.

38. Hæc certe omnis disputatio quamvis alternet, aliis asserentibus nunquam esse mentiendum, et ad hoc divina testimonia recitantibus; aliis contradicentibus, et inter ipsa verba divinorum testimoniorum mendacio locum quærentibus : nemo tamen potest dicere, hoc se aut in exemplo aut in verbo Scripturarum invenire, ut diligendum vel non odio habendum ullum mendacium videatur; sed interdum mentiendo faciendum esse quod oderis, ut quod amplius detestandum est devitetur. Sed in hoc errant homines, quod subdunt pretiosa vilioribus. Cum enim concesseris admittendum esse aliquod malum, ne aliud gravius admittatur; non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum; et id putat gravius, quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius revera fugiendum est. Hoc totum ab amoris perversitate gignitur vitium. Cum enim duæ sint vitæ nostræ; una sempiterna, quæ divinitus promittitur; altera temporalis, in qua nunc sumus : cum quisque istam temporalem amplius diligere cœperit, quam illam sempiternam, propter hanc quam diligit, putat esse omnia facienda; nec ulla æstimat graviora peccata, quam quæ huic vitæ faciunt injuriam, et vel ei commoditatis aliquid [1] inique et illicite auferunt, aut eam penitus illata morte adimunt. Itaque fures, et raptores, et contumeliosos, et tortores atque interfectores magis oderunt, quam lascivos, ebriosos, luxuriosos, si nulli molesti sint. Non enim intelligunt, aut omnino curant, quod isti Deo faciant injuriam; non quidem in illius aliquod incommodum, sed in suam magnam perniciem; cum dona ejus in se corrumpunt, etiam temporalia, atque ipsis corruptionibus aversantur æterna : maxime si jam templum Dei esse cœperunt; quod Christianis omnibus Apostolus ita dicit : ***Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*** (I *Cor.* III, 16 *et* 17).

39. Et omnia quidem ista peccata, sive quibus injuria fit hominibus in ipsis vitæ hujus commodis [2], sive quibus se ipsi homines corrumpunt, et nulli invito nocent : omnia ergo ista peccata, etiamsi huic temporali vitæ ad aliquam delectationem vel utilitatem videntur consulere (nam nullus aliquid horum alio proposito ac fine committit); tamen ad illam vitam, quæ sempiterna est, implicatos omnibus modis impediunt. Horum autem alia sunt quæ solos facientes impediunt, alia quæ eos etiam in quibus fiunt. Nam illa quæ utilitatis ad hanc vitam pertinentis gratia servantur, cum auferuntur ab injuriosis; illi soli peccant, et a vita æterna impediuntur, qui ea faciunt, non ii quibus faciunt. Itaque etiamsi ea sibi auferri quisque consentiat, vel ne faciat aliquid mali, vel ne in his ipsis majus aliquid incommodi patiatur; non solum non peccat, sed illud fortiter et laudabiliter, hoc utiliter et inculpabiliter facit. Quæ autem sanctitatis religionisque causa servantur, cum hæc violare injuriosi voluerint, etiam peccatis minoribus, non tamen injuriis aliorum, si conditio proponitur et facultas datur, redimenda sunt. Et tunc jam illa desinunt esse peccata, quæ propter graviora vitanda suscipiuntur. Sicut enim in rebus utilibus, velut in pecuniario aliove aliquo commodo corporali [1], non vocatur damnum, quod propter majus lucrum amittitur; sic et in rebus sanctis non vocatur peccatum, quod ne gravius admittatur, admittitur. Aut si et illud damnum dicitur, quod aliquis perdit ne amplius perdat; vocetur et hoc peccatum, dum tamen suscipiendum esse, ut amplius evitetur, ita nemo dubitet, sicut nemo dubitat cavendi majoris damni causa patiendum esse quod minus est.

CAPUT XIX. — 40. *Tria servanda sanctitatis causa : pudicitia corporis, castitas animi, et veritas doctrinæ.* Ista sunt autem quæ sanctitatis causa servanda sunt : pudicitia corporis, et castitas animæ, et veritas doctrinæ. Pudicitiam corporis, non consentiente ac permittente anima nemo violat. Quidquid enim nobis invitis nullamque tribuentibus potestatem majore vi contingit in nostro corpore, nulla impudicitia est. Sed permittendi potest esse aliqua ratio, consentiendi autem nulla. Tunc enim consentimus, cum approbamus et volumus : permittimus autem etiam non volentes, evitandæ alicujus majoris turpitudinis gratia. Consensio sane ad impudicitiam corporalem, etiam castitatem animi violat. Animi quippe castitas est in bona voluntate et sincera dilectione, quæ non corrumpitur, nisi cum amamus atque appetimus quod amandum atque appetendum non esse veritas docet. Custodienda est ergo sinceritas dilectionis [2] Dei et proximi; in hac enim castitas animi sanctificatur : et agendum quibus possumus viribus, et pia supplicatione, ut cum violanda appetitur pudicitia corporis nostri, nec ipse animæ sensus extremus, qui carni implicatus est, aliqua delectatione tangatur; si autem hoc non potest, vel mentis in non consentiendo castitas conservetur. Custodienda est autem in animi castitate, quod ad dilectionem proximi pertinet, innocentia et benevolentia : quod autem ad Dei, pietas. Innocentia est, qua nulli nocemus; benevolentia qua etiam prosumus cui possumus; pietas, qua colimus Deum. Veritas autem doctrinæ, religionis atque pietatis, nonnisi mendacio violatur; cum ipsa summa atque intima veritas, cujus est ista doctrina, nullo modo possit violari : ad quam pervenire, atque in illa omni modo manere, eique penitus inhærere non licebit, nisi cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53). Sed quia omnis in hac vita pietas, exercitatio est, qua in illam tenditur, cui exercitationi ducatum præbet ista doctrina, quæ humanis verbis et corporeorum sacramentorum signaculis ipsam insinuat atque intimat veritatem : propterea et hæc quæ per mendacium corrumpi potest, maxime incorrupta servanda est; ut si quid in illa castitate animi fuerit violatum, habeat unde reparetur. Corru-

[1] Mss., *et vel ejus commoditati aliquid.*
[2] Sic Mss. At editi, *incommodis.*

[1] Ita legendum cum Mss. Editi, *sicut in pecunia aliove commodo corporali* [*velut in pecuniario aliove commodo corporali.*]
[2] Ita Mss. At editi, *sinceriter dilectio.*

pta enim auctoritate doctrinæ, nullus aut cursus aut recursus esse ad castitatem animi potest.

CAPUT XX. — 41. *Pudicitiæ corporalis causa non mentiendum. Fides unde dicta. Castitas animi.* Conficitur ergo ex his omnibus hæc sententia, ut mendacium quod non violat doctrinam pietatis, neque ipsam pietatem, neque innocentiam, neque benevolentiam, pro pudicitia corporis admittendum sit. Et tamen si quisquam proponeret sibi sic amandam veritatem, non tantum quæ in contemplando est, sed etiam in vero enuntiando quod in suo quoque rerum genere verum est; et non aliter proferendam ore corporis[1] sententiam, quam in animo concepta atque conspecta est; ut fidei veridicam pulchritudinem non solum auro, et argento, et gemmis, et amœnis prædiis, sed et ipsi universæ temporali vitæ omnique corporis bono præponeret; nescio utrum sapienter a quoquam errare diceretur. Et si hoc suis omnibus talibus rebus recte anteferret, plurisque penderet; recte etiam temporalibus rebus aliorum hominum, quos innocentia benevolentiaque sua servare atque adjuvare deberet. Amaret enim perfectam fidem, non solum bene credendi ea quæ sibi excellenti et fide digna auctoritate dicerentur, sed etiam fideliter enuntiandi quæ ipse dicenda judicaret, ac diceret. Fides enim appellata est in latina lingua ex eo quia fit quod dicitur: quam manifestum est non exhibere mentientem. Quæ et si minus violatur, cum ita quisque mentitur, ut ei nullo incommodo nullaque pernicie credatur, addita etiam intentione vel salutis tuendæ, vel pudicitiæ corporalis; violatur tamen, et res violatur in animi castitate atque sanctitate servanda. Unde cogimur, non opinione hominum quæ plerumque in errore est, sed ipsa quæ omnibus supereminet atque una invictissima est veritate, etiam pudicitiæ corporis perfectam fidem anteponere. Est enim animi castitas, amor ordinatus non subdens majora minoribus. Minus est autem quidquid in corpore, quam quidquid in animo violari potest. Certe enim cum pro pudicitia corporali quisque mentitur, videt quidem corrumpendo corpori suo, non suam, sed alienam imminere libidinem; cavet tamen, ne saltem permittendo sit particeps. Permissio vero illa ubi nisi in animo est? Etiam corporalis ergo pudicitia corrumpi nisi in animo non potest: quo non consentiente, neque permittente, nullo modo recte dicitur violari pudicitia corporalis, quidquid in corpore fuerit aliena libidine perpetratum. Unde colligitur, multo magis animi castitatem servandam esse in animo, in quo tutela est pudicitiæ corporalis. Quamobrem quod in nobis est, utrumque sanctis moribus et conversatione muniendum est atque sepiendum, ne aliunde violetur. Cum autem utrumque non potest, quid pro quo sit contemnendum quis non videat? cum videat quid cui sit præponendum, animus corpori, an corpus animo; animi castitas pudicitiæ corporis, an pudicitia corporis castitati animi; et quid magis in peccatis cavendum, permissio facti alieni, an commissio facti tui.

CAPUT XXI. — 42. *Epilogus prædictorum. Mentiendum nunquam ullo mendacii genere ex octo recensitis. Defensores mendacii quam cæci.* Elucet itaque discussis omnibus, nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi nunquam esse omnino mentiendum: quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus factisque sanctorum inveniantur; quod ad eas attinet Scripturas, quæ ad nullam figuratam significationem referuntur, sicuti sunt res gestæ in Actibus Apostolorum. Nam Domini omnia in Evangelio, quæ imperitioribus mendacia videntur, figuratæ significationes sunt. Et quod ait Apostolus, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (I *Cor.* IX, 22): non eum mentiendo, sed compatiendo fecisse recte intelligitur; ut tanta charitate cum eis liberandis ageret, ac si ipse in eo malo esset, a quo illos sanare cupiebat. Non est igitur mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim scelus est, et primum genus detestabilis mendacii. Non est mentiendum secundo genere; quia nulli facienda est injuria. Non est mentiendum tertio genere; quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere; quia nec ipsa veritas fine placendi hominibus enuntianda est: quanto minus mendacium, quod per se ipsum, quia mendacium est, utique turpe est? Non est mentiendum sexto genere; neque enim recte etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur. Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Non enim malis convertentium moribus ad bonos mores convertendus est: quia si erga illum faciendum est, debet etiam ipse conversus facere erga alios; atque ita non ad bonos, sed ad malos mores convertitur, cum hoc ei præbetur imitandum converso, quod ei præstitum est convertendo. Neque septimo genere mentiendum est; non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est. Nec si quisquam in recte factis nostris tam male movetur, ut fiat etiam animo deterior longeque a pietate remotior, propterea recte facta deserenda sunt: cum id nobis præcipue tenendum sit, quo vocare atque invitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus; fortissimoque animo bibenda est apostolica illa sententia: *Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem; et ad hæc quis idoneus* (II *Cor.* II, 16)? Nec octavo genere mentiendum est; quia et in bonis castitas animi, pudicitia corporis; et in malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri sinimus majus est. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat cum mentitur, quanto emergit ad octavum; tanto amplius, quanto devergit ad primum[1]. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

[1] Sic in Mss. At in editis, *motu corporis*.

[1] Mss. Corbeiensis, Regius et Sorbonicus, *quanto mergit ad primum*. Regio-montensis, *mergitur*. Germanensis, Ebrulphensis et Pratellensis, *emergit*. Vaticanus, *demergit*

43. Tanta porro cæcitas hominum animos occupavit, ut eis parum sit si dicamus quædam mendacia non esse peccata, nisi etiam in quibusdam peccatum dicant esse, si mendacium recusemus; eoque perducti sunt defendendo mendacium, ut etiam primo illo genere, quod est omnium sceleratissimum, dicant usum fuisse apostolum Paulum. Nam in Epistola ad Galatas, quæ utique sicut cæteræ ad doctrinam religionis pietatisque conscripta est, illo loco dicunt eum esse mentitum, ubi ait de Petro et Barnaba, *Cum vidissem quia non recte ingrediuntur ad veritatem Evangelii*. Cum enim volunt Petrum ab errore, atque ab illa in quam inciderat, viæ pravitate defendere; ipsam religionis viam, in qua salus est omnibus, confracta et comminuta Scripturarum auctoritate, conantur evertere. In quo non vident, non solum mendacii crimen, sed etiam perjurii se objicere Apostolo in ipsa doctrina pietatis, hoc est, in Epistola in qua prædicat Evangelium: ibi quippe ait priusquam ista narraret, *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior* (*Galat.* II, 14, *et* I, 20). Sed jam sit hujus disputationis modus, in cujus tota consideratione et pertractatione nihil præ cæteris cogitandum atque orandum est, quam illud quod idem apostolus dicit: *Fidelis Deus, qui non vos sinet tentari supra quam potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* x, 13).

In librum Contra Mendacium *vide lib.* 2, *cap.* 60, Retractationum, *t.* 1, *col.* 654, *verbis*, Tunc et contra Mendacium scripsi (*a*), *usque ad verba*, Legenda misisti. M.

(*a*) Hinc intelligimus subsequentem librum scriptum esse circiter annum Christi 420. Nam recensitis libris contra adversarium Legis et Prophetarum, qui ad initium anni 420 pertinent, memoratisque proximo infra loco aliis, qui « per idem « tempus » conscripti notantur, contra Gaudentium libris, fit continuo istius operis mentio in hæc verba: « Tunc et contra « mendacium scripsi librum. » De hoc ipso libro intelligendus Augustinus in Enchiridio, cap. 18, ubi de difficillima et latebrosissima quæstione mendacii « grandem librum, cum respondendi necessitas urgeret, se jam absolvisse » testatur. Consentium quod spectat, ad quem liber dirigitur, ejus est, nisi fallimur, epistola ad Augustinum 119, et ad ipsum sunt epistolæ Augustini 120 et 205. Vide notam ad epist. 205 in præfat. tom. 2.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA MENDACIUM

AD CONSENTIUM

LIBER UNUS[a].

Respondet Augustinus ad scripta quæ ipsi consideranda misit Consentius, de adhibendo usu mendacii ad detegendos latentes Priscillianistas, qui se catholicos mentiuntur: docetque nec mendaces per mendacia, nec blasphemos per blasphemias quærendos esse. Refellit Priscillianistarum errorem illum, in Dictinii præsertim libro, cui titulus Libra, repertum, quo ipsi dogmatizant, « ad occultandam religionem religiosos debere mentiri. » Quæ ex divinis Libris in hujus erroris sui patrocinium testimonia proferunt et exempla, contendit partim non esse mendacia, partim etiam quæ sunt, non esse imitanda. Solvit difficultatem de compensativis peccatis, ipsum quoque improbans mendacium, quod ad tuendam salutem cujusquam seu temporalem seu æternam utile ac necessarium videatur. Denique nunquam omnino mentiendum, in iis maxime rebus quæ ad doctrinam religionis pertinent, inconcusse tenere Consentium jubet et adversus hæreticos defendere.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Mendaciis qui abutuntur ut lateant, non esse de latebris suis eruendos nostris mendaciis.* Multa mihi legenda misisti, Consenti frater charissime, multa mihi legenda misisti[1]: quibus rescripta dum præparo, et aliis atque aliis magis urgentibus occupationibus distrahor, emensus est annus, atque in eas me detrusit angustias, ut quomodocumque rescriberem, ne arridente jam tempore navigandi, perlatorem remeare cupientem diutius detinerem. Itaque omnibus quæ mihi Leonas Dei famulus abs te attulit, et mox ut ea sumpsi, et postea cum hæc dictare jam vellem, evolutis atque perlectis, et quanta potui consideratione perpensis; valde sum tuo delectatus eloquio, et sanctarum memoria Scripturarum, ingeniique solertia, et dolore quo negligentes[1] catholicos mordes, et zelo quo adversus etiam latentes

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber contra Mendacium emendatus est ad veteres codices Vaticanos duos, et ad Gallicanos undecim: scilicet, Regium annorum circiter 900, Sorbonicum, Victorinum, Carnotensem abbatiæ S. Petri, Divisionensem S. Benigni, Sagiensem S. Martini, Pratellensem, Fiscannensem, Michaelinum, Cygirannensem, et ad Cenomanensem abbatiæ de Cultura; ad lectiones variantes Lov. ex quinque Belgicis Mss. necnon ad editiones Amerbachii, Erasmi, ac Lovaniensium Theologorum.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scriptus circiter annum 420.

[1] Hic aliquot Mss. prætereunt, *multa mihi legenda misisti.*

[1] Unus e Vaticanis Mss., *et ardore quo negligentes.*

hæreticos frendes. Sed non mihi persuadetur eos de latebris suis nostris esse mendaciis eruendos. Utquid enim eos tanta cura vestigare atque indagare conamur, nisi ut captos in apertumque productos, aut etiam ipsos veritatem doceamus, aut certe veritate convictos nocere aliis non sinamus? ad hoc ergo, ut eorum mendacium deleatur, sive caveatur, Dei autem veritas augeatur. Quomodo igitur mendacio mendacia recte potero persequi? An et latrocinio latrocinia et sacrilegio sacrilegia, et adulterio sunt adulteria persequenda? *Si autem veritas Dei in meo mendacio abundabit*, numquidnam et nos dicturi sumus, *Faciamus mala, ut veniant bona* (*Rom.* III, 7 et 8)? Quod vides quemadmodum detestetur Apostolus. Quid est enim aliud, Mentiamur, ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus; nisi, *Faciamus mala, ut veniant bona?* An aliquando bonum est mendacium, vel aliquando mendacium non est malum? Cur ergo scriptum est, ***Odisti, Domine omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium*** (***Psal.*** v, 7)? Non enim aliquos excepit, aut indefinite dixit, *Perdes loquentes mendacium;* ut quosdam, non omnes intelligi sineret: sed universalem sententiam protulit, dicens, ***Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*** An quia non dictum est, Perdes omnes qui loquuntur omne mendacium, vel, qui loquuntur quodcumque mendacium; ideo putandum est locum alicui relaxatum esse mendacio: ut scilicet sit aliquod mendacium, quod qui loquuntur, non eos Deus perdat; sed eos omnes perdat qui loquuntur injustum mendacium, non quodcumque mendacium, quia invenitur et justum, quod utique laudis debet esse, non criminis?

CAPUT II. — 2. *Priscillianistarum error de mendacii usu ad latendum alienis. Sententia hac Priscillianistarum auferri omnino martyria.* Nonne cernis quantum adjuvet hæc disputatio eos ipsos, quos pro magna venatione mendaciis nostris capere molimur? Priscillianistarum est enim, sicut ipse monstrasti, ista sententia: cui comprobandæ adhibent testimonia de Scripturis, exhortantes suos ad mentiendum tanquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Angelorum; non dubitantes addere etiam ipsum Dominum Christum, nec se aliter arbitrantes veracem suam ostendere falsitatem, nisi Veritatem dicant esse mendacem. Redarguenda sunt ista, non imitanda: nec in eo malo debemus Priscillianistarum esse participes, in quo cæteris hæreticis convincuntur esse pejores. Ipsi enim soli, vel certe maxime ipsi reperiuntur, ad occultandam suam quam putant veritatem, dogmatizare mendacium: atque hoc tam magnum malum ideo justum existimare, quia dicunt in corde retinendum esse quod verum est; ore autem ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum; et hoc esse scriptum, *Qui loquitur veritatem in corde suo* (*Psal.* XIV, 3): tanquam hoc satis sit ad justitiam, etiamsi loquatur quisque in ore mendacium, quando non proximus, sed alienus hoc audit. Propterea putant etiam apostolum Paulum, cum dixisset, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem*, statim addidisse, *unusquisque cum proximo suo, quia sumus invicem membra* (*Ephes.* IV, 25). Ut videlicet cum eis qui nobis in societate veritatis proximi non sunt, neque, ut ita dicam, commembres nostri sunt, loqui liceat oporteatque mendacium.

3. Quæ sententia sanctos martyres exhonorat, imo vero aufert sancta omnino martyria. Justius enim sapientiusque facerent, secundum istos, si persecutoribus suis non se confiterentur esse christianos, nec eos sua confessione facerent homicidas: sed potius mentiendo et negando quod erant, et ipsi salvum haberent carnis commodum cordisque propositum, et illos conceptum animo scelus implere non sinerent. Non enim proximi eorum erant in fide christiana, ut cum eis deberent loqui veritatem in ore suo, quam loquebantur in corde suo; sed ipsius veritatis insuper inimici. Si enim Jehu, quem sibi inter cæteros ad exemplum mentiendi prudenter videntur intueri, servum Baalis se esse mentitus est, ut servos ejus occideret: quanto justius secundum istorum perversitatem, tempore persecutionis servos dæmonum se mentirentur servi Christi, ne servi dæmonum servos occiderent Christi; et sacrificarent idolis ne interficerentur homines, si sacrificavit ille Baali ut interficeret homines? Quid enim eis obesset, secundum egregiam doctrinam mendaciloquorum, si diaboli cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus servabatur in corde? Sed non sic intellexerunt Apostolum martyres veri, martyres sancti. Viderunt quippe tenueruntque quod scriptum est, ***Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem*** (*Rom.* x, 10); et, *In ore eorum **non est inventum mendacium*** (*Apoc.* XIV, 5): ac sic irreprehensibiles abierunt, ubi tentari a mendacibus ulterius non cavebunt; quia mendaces amplius in suis cœlestibus cœtibus vel alienos vel proximos non habebunt. Illum vero Jehu mendacio impio et sacrificio sacrilego occidendos impios et sacrilegos inquirentem non imitarentur, nec si de illo qualis fuisset eadem Scriptura tacuisset. Cum vero scriptum sit eum rectum cor non habuisse cum Deo; quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit (IV *Reg.* x)? Ad sententiam potius veridicam martyrum defendendam te, frater, exhortor, ut sis adversus mendaces, non mendacii doctor, sed veritatis assertor. Nam diligentius, obsecro, attende quod dico, ut invenias quam sit cavendum, quod zelo quidem laudabili adversus impios, ut possint comprehendi et corrigi vel vitari, sed tamen incautius docendum putatur.

CAPUT III. — 4. *Mendacium Catholicorum ut hæreticos capiant, perniciosius fore quam hæreticorum ut Catholicos lateant. Exemplo res demonstratur. Priscillianistas capere per mendacium velle, est cum ipsis depravari.* Mendaciorum genera multa sunt, quæ quidem omnia universaliter odisse debemus. Nullum est enim mendacium quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux et tenebræ, pietas et impietas, justitia et iniquitas, peccatum et recte factum, sanitas et imbecil-

litas, vita et mors; ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria. Unde quanto amamus istam, tanto illud odisse debemus. Verumtamen sunt quaedam mendacia, quae credere nihil obsit: quamvis etiam tali mentiendi genere fallere voluisse, mentienti sit noxium, non credenti. Tanquam si frater ille servus Dei Fronto in iis quae tibi indicavit, quod absit, aliqua mentiretur; sibi nocuisset profecto, non tibi, quamvis tu omnia credidisses sine tua iniquitate narranti. Quoniam sive illa ita gesta sint, sive non ita; non habent tamen aliquid, quod si quis crediderit ita esse gestum, etiamsi non ita sit gestum, regula veritatis et doctrina salutis æternæ judicetur esse culpandus. Si autem hoc quisque mentiatur, quod si quis crediderit, adversus doctrinam Christi hæreticus erit, tanto est nocentior mentiens, quanto miserior credens. Vide ergo quale sit, si adversus doctrinam Christi mentiti fuerimus, quod quisquis crediderit interibit, ut inimicos ejusdem doctrinæ capiamus, quos ad veritatem, dum nos ab ea recedimus, adducamus; imo vero cum mendaces mentiendo capimus, mendacia pejora doceamus. Aliud est enim quod dicunt quando mentiuntur, aliud quando falluntur. Nam cum hæresim suam docent, ea dicunt in quibus falluntur: quando autem se dicunt sentire quod non sentiunt, vel non sentire quod sentiunt, ea dicunt in quibus mentiuntur. Quod eis quisquis credit, etsi eos non invenit, ipse non perit. A regula quippe catholica non recedit, qui hæreticum catholica dogmata mendaciter profitentem, catholicum credit: ac per hoc non est ei perniciosum: quia in hominis mente de qua latente non potest judicare, non in Dei fallitur fide quam debet insitam custodire. Porro autem quando hæresim suam docent, quisquis eis crediderit putando veritatem, erit particeps, ut erroris, ita et damnationis illorum. Sic fit ut cum illi sua nefaria dogmata fabulantur, in quibus mortifero errore falluntur, tunc quisquis crediderit, pereat: nos autem quando catholica dogmata prædicamus, in quibus rectam fidem tenemus, tunc si crediderit, inveniatur quicumque perierat. Quando vero, cum sint Priscillianistæ, ut sua venena non prodant, nostros se esse mentiuntur; quisquis nostrum eis credit, etiam illis latentibus, ipse catholicus perseverat: nos contra, ut ad eorum perveniamus indaginem, si Priscillianistas nos esse mentimur; quia eorum tanquam nostra sumus dogmata laudaturi, quisquis ea crediderit, aut confirmabitur apud eos, aut transferetur ad eos interim statim: quid autem hora superventura pariat, utrum inde postea liberentur vera dicentibus nobis, qui decepti sunt fallentibus nobis; et utrum audire velint docentem, quem sic experti sunt mentientem, quis noverit certum? quis hoc esse ignoret incertum? Ex quo colligitur, perniciosius, aut ut mitius loquar, periculosius mentiri Catholicos ut hæreticos capiant, quam mentiuntur hæretici ut Catholicos lateant. Quoniam quisquis credit Catholicis mentiendo tentantibus, aut efficitur, aut confirmatur hæreticus: quisquis autem credit hæreticis mentiendo sese occultantibus, non desinit esse catholicus. Quod ut fiat planius, aliqua exempli gratia proponamus, et ex eis potissimum scriptis, quæ mihi legenda misisti.

5. Ecce constituamus ante oculos callidum exploratorem accedere ad eum quem Priscillianistam esse præsenserit, et Dictinii episcopi (a), vel cogniti vitam, vel incogniti famam laudare mendaciter: est hoc tolerabilius adhuc, quia ille putatur fuisse catholicus, atque ex illo errore correctus. Deinde Priscillianum (hoc enim sequitur in arte mentiendi) venerabiliter commemoraturus est, hominem impium et detestabilem, et pro suis nefariis sceleribus criminibusque damnatum. In qua ejus venerabili commemoratione, si forte ille, cui retia tenduntur hujusmodi, firmus Priscillianista non fuerat, hac ejus prædicatione firmabitur. Cum autem ad cætera explorantis sermo processerit, et dicentis misereri se eorum quos tantis errorum tenebris tenebrarum auctor involverit, ut honorem animæ suæ et claritatem divinæ prosapiæ non agnoscant; tum deinde Dictinii librum, cujus nomen est Libra, eo quod pertractatis duodecim quæstionibus velut unciis explicatur, tantis extulerit laudibus, ut talem Libram, qua horrendæ blasphemiæ continentur, multis librarum auri millibus pretiosiorem esse testetur: nempe hæc astutia mentientis, animam credentis interficit, aut jam interfectam in eadem morte demergit, ac deprimit. Sed, inquies, postea liberabitur. Quid, si non fiat, sive aliquo interveniente impedimento ne cœpta compleantur, sive obstinatione mentis hæreticæ rursus eadem negantis, etiamsi aliqua jam cœperat confiteri? præsertim quia si cognoverit se ab alieno fuisse tentatum, eo ipso audacius illa quæ sentit, studebit occultare mendacio; quando id inculpate fieri multo certius didicerit, etiam exemplo ipsius sui tentatoris. Hoc quippe in homine, qui veritatem[1] tegendam putat esse mentiendo, qua tandem fronte culpabimus, et damnare audebimus, quod docemus?

6. Remanet igitur, ut quod sentiunt Priscillianistæ secundum hæresis suæ nefariam falsitatem, de Deo, de anima, de corpore, et de cæteris rebus, non dubitemus veraci pietate damnare; quod autem sentiunt, ut veritas occultetur esse mentiendum, sit nobis, et illis, quod absit, dogma commune. Hoc tam magnum malum est, ut etiamsi conatus hic noster,

[1] Quatuor Mss.: *Hoc quippe in homine, quod veritatem.*

(a) In editis, *et dictum episcopi.* Itemque paulo post legebatur, *deinde dictum librum, cujus nomen est Libra.* His locis, nec non infra, capite 17, restituimus veterum librorum auctoritate nomen Dictinii. Fuit Dictinius episcopus Asturicensis, « cui, » ut Idatius in Chronico scribit, « ob « Priscilliani hæresim, quam profitebatur, ejecto cum aliis « ejusdem sectæ episcopis, successit Turribius. » Ipsum tamen postea damnato suo errore resipiscentem ab Ecclesia receptum esse testatur Innocentius Papa I, in epistola ad synodum Toletanam. Ejus quoque correctionem laudat Leo Papa I, in epistola 15 ad Turribium Asturicensem, cap. 16; improbans « quod Dictinii tractatus, quos secundum Pri- « scilliani dogma conscripsit, a multis cum veneratione « legerentur: cum si aliquid, ait, memoriæ Dictinii tribuen- « dum putarit, reparationem ejus magis debeant ama- « re quam lapsum. » Cæterum Dictinii memoriam anniversaria festivitate in Hispania colit Asturicensis Ecclesia, die 2 junii. Vide Ferrarium in Catalogo generali sanctorum.

quo eos per mendacium capere cupimus et mutare, ita procuretur, ut eos explanemus atque mutemus, nullis tamen comprehensis hoc illis demus, quibus et nos cum ipsis pro illorum correctione depravamur. Per hoc namque mendacium et nos erimus ex ea parte perversi, et illi semicorrecti: quandoquidem istud, quod putant esse pro veritate mentiendum, non in eis corrigimus; quia idem nos didicimus[1] et docemus, et fieri oportere censuimus, ut ad eos emendandos pervenire possimus. Quos tamen non emendamus, quibus mendum[2], quo verum tegendum existimant, non auferimus; sed nos potius inemendamur, cum per tale mendum eos quærimus: nec invenimus quemadmodum eis conversis credere valeamus, quibus perversis mentiti sumus; ne forte quod ut caperentur sunt passi, faciant capti; non solum quia fecere consueverunt, sed quia et in nobis, ad quos veniunt, hoc inveniunt.

CAPUT IV. — 7. *Mentienti in uno, non haberi fidem in aliis.* Et quod est miserabilius, etiam ipsi jam quasi nostri effecti, quemadmodum nobis credant, reperire non possunt. Si enim suspicentur, etiam ipsa catholica dogmata nos mendaciter loqui, ut nescio quid aliud occultemus quod verum putamus; certe tam suspicanti dicturus es, Hoc tunc ideo feci, ut caperem te: sed quid respondebis dicenti, Unde igitur scio utrum etiam nunc id facias, ne capiaris a me? An vero cuiquam persuaderi potest hominem non mentiri ne capiatur, qui mentitur ut capiat? Videsne quo tendat hoc malum? ut scilicet non solum nos illis, ipsique nobis, sed omnis frater omni fratri non immerito videatur esse suspectus. Atque ita dum per mendacium tendatur ut doceatur fides, id agitur potius[3] ut nulli habenda sit fides. Si enim et contra Deum loquimur, cum mentimur, quid tantum mali poterit in ullo mendacio reperiri[4], quod tanquam scelestissimum omni modo devitare debeamus?

CAPUT V. — 8. *Priscillianistas tolerabilius mentiri occultando hæresim suam, quam catholicum occultando veritatem. Catholici si se mentiantur esse priscillianistas, pejus faciunt quam priscillianistæ se catholicos esse mentientes.* Sed nunc adverte quam tolerabilius Priscillianistæ in nostra comparatione mentiantur, quando se fallaciter loqui sciunt, quos nostro mendacio liberandos putamus ab eis falsis in quibus errando falluntur. Priscillianista dicit quod anima sit pars Dei, et ejusdem cujus est ille naturæ atque substantiæ. Magna hæc est et detestanda blasphemia. Sequitur enim ut Dei natura captivetur, decipiatur, fallatur, conturbetur atque turpetur, damnetur atque crucietur. At si hoc et ille dicit, qui de tanto malo liberare cupit hominem per mendacium, videamus quid intersit inter utrumque blasphemum. Plurimum, inquis: nam hoc priscillianista dicit ita etiam credens; catholicus autem non ita credens, quamvis ita loquens. Ille ergo blasphemat nesciens, iste autem sciens: ille contra scientiam, iste contra conscientiam: ille habet cæcitatem falsa sentiendi, sed in eis habet saltem voluntatem vera dicendi; iste latens videt vera, et volens loquitur falsa. Sed ille, inquies, hoc docet, ut erroris sui faciat furorisque participes: iste autem hoc dicit, ut ab illo errore ac furore liberet homines. Jam quidem supra ostendi quantum et hoc noceat, quod creditur profuturum: verum interim si appendamus in his duobus mala præsentia (quoniam bona futura quæ catholicus de corrigendo hæretico inquirit, incerta sunt), quis peccat gravius; utrum qui hominem decipit nesciens, an qui Deum blasphemat sciens? Profecto quid sit pejus intelligit, qui homini Deum sollicita pietate præponit. Huc accedit, quia si blasphemandus est Deus, ut ad eum laudandum homines adducamus; procul dubio non solum ad laudandum, verum etiam ad blasphemandum Deum, exemplo et doctrina nostra homines invitamus: quoniam quos ad Dei laudes per Dei blasphemias molimur adducere, utique si adduxerimus, non solum laudare discent, verum etiam blasphemare. Hæc illis beneficia conferimus, quos non ignoranter, sed scienter blasphemando ab hæreticis liberamus. Et cum Apostolus homines tradiderit etiam ipsi satanæ, ut discerent non blasphemare (I *Tim.* I, 20): nos conamur homines eruere satanæ, ut discant non per ignorantiam, sed per scientiam blasphemare; nobisque ipsis magistris eorum hoc tam magnum imputamus exitium, ut propter hæreticos capiendos prius efficiamur, quod certum est, Dei blasphematores, quo possimus propter eos, quod incertum est, liberandos, veritatis ejus esse doctores.

9. Cum igitur blasphemare Deum doceamus nostros, ut eos Priscillianistæ credant suos; videamus quid mali dicant ipsi, quando propterea mentiuntur, ut eos nostros esse credamus. Anathematizant Priscillianum, et ad nostrum arbitrium detestantur; dicunt animam creaturam Dei esse, non partem; exsecrantur Priscillianistarum falsa martyria; catholicos episcopos, a quibus illa hæresis nudata, oppugnata, prostrata est, magnis efferunt laudibus, et cætera hujusmodi. Ecce ipsi vera dicunt quando mentiuntur, non quo sit aut possit hoc ipsum verum esse quod mendacium est; sed in alio quando mentiuntur, in alio vera dicunt: quando enim nostros se esse mentiuntur, de fide catholica vera dicunt. Ac per hoc ipsi, ne Priscillianistæ inveniantur, loquuntur mendaciter vera: nos autem, ut eos inveniamus, non solum mendaciter loquimur, ut ad illos pertinere credamur; sed etiam falsa loquimur, quæ ad illorum errorem pertinere cognovimus. Itaque illi quando nostri putari volunt, et falsum est ex parte, et verum est ex parte quod dicunt. Falsum est enim eos nostros esse, verum est autem animam partem Dei non esse: nos vero quando ad eos pertinere putari volumus, falsum est utrumque quod dicimus, et Priscillianistas nos esse, et animam partem Dei esse. Illi itaque Deum laudant, non blasphemant, quando se occultant; et

[1] Sic plures Mss. At editi, *dicimus*.
[2] Aliquot Mss. hic et infra hoc, *mendum*, habent, *mendacium*.
[3] Lov., *id est potius*. Aliquot Mss., *captius*.
[4] Plures Mss., *poterit in illo mendacio reperiri*.

quando se non occultant, sed sua proferunt, blasphemare se nesciant. Ideo si ad fidem catholicam convertantur, consolantur semetipsos, quia possunt dicere quod Apostolus, qui cum inter cætera dixisset, *Prius fui blasphemus, Misericordiam*, inquit, *consecutus sum, quia ignorans feci* (I *Tim.* I, 13). Nos contra, ut se nobis aperiant, si hoc quasi justum mendacium fallendis eis capiendisque proferimus, profecto et ad blasphematores Priscillianistas pertinere nos dicimus, et ut nobis credant, sine excusatione ignorantiæ blasphemamus. Neque enim catholicus, qui blasphemando vult hæreticus credi, potest dicere, *Ignorans feci*.

CAPUT VI. — 10. *Negare Christum coram hominibus vel mendaciter et ficte, numquam licet. Objectio.* **Responsio.** *Confutantur iisdem quæ objectori possunt. Corde credere non sufficit, nisi et ore non negetur Christus. Ut intelligendus Psalmus 14, v. 3, ubi laudatur loquens veritatem in corde. Item Apostolus præcipiens ut loquamur veritatem cum proximo.* ***Veritatem non veritate prædicantes tolerati**, non falsitatem annuntiantes.* Semper, frater, in talibus causis cum timore recolendum est, *Quicumque me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* X, 33). An vero Christum coram hominibus non negat, qui eum coram Priscillianistis negat, ut eos latentes blasphemo mendacio nudet et capiat? Quis autem dubitat, obsecro te, negari Christum, cum sicuti est verus, ita non esse dicitur; et sicut eum priscillianista credit, ita esse dicitur?

11. Sed occultos lupos, inquies, indutos pellibus ovium et dominicum gregem latenter graviterque vastantes, aliter invenire non possumus. Unde ergo innotuerunt Priscillianistæ, priusquam hujus mendacii fuisset excogitata venatio? unde ad ipsius auctoris illorum, profecto astutioris, et ideo tectioris, cubile perventum est? unde tot tantique manifestati atque damnati, et cæteri innumerabiles partim correcti, partim velut correcti, et in Ecclesiam miserantem collecti sunt? Multas enim vias dat Dominus, quando miseretur, quibus ad eorum perveniatur indaginem : quarum duæ sunt aliis feliciores [1]; ut vel ab eis quos seducere voluerunt, aut ab eis quos jam seduxerant, resipiscentibus conversisque monstrentur. Quod facilius fit, si nefarius eorum error, non mendacibus captationibus, sed veracibus disputationibus evertatur. Quibus conscribendis operam te oportet impendere, quoniam Dominus donavit ut possis : quæ scripta salubria quibus eorum perversitas insana destruitur, cum magis magisque innotuerint, et a Catholicis vel antistitibus qui loquuntur in populis, vel a quibusque studiosis zelo Dei plenis, fuerint usquequaque diffusa; hæc erunt sancta retia, quibus capiantur veraciter, non mendaciter inquirantur. Sic enim capti, aut ultro quid fuerint fatebuntur, et alios quos in sua mala societate noverunt, vel concorditer corrigent, vel misericorditer prodent : aut si eos pudebit fateri quod diuturna simulatione texerunt, occulta manu Dei mediante sanabuntur.

12. Sed multo tardius, inquies, eorum latebras penetramus, si quod sunt nos esse mentiamur. Hoc si liceret aut expediret, poterat Christus præcipere ovibus suis, ut lupinis amictæ pellibus ad lupos venirent, et eos hujus artis fallaciis invenirent : quod eis non dixit, nec quando eas in medium luporum se missurum esse prædixit (*Matth.* X, 16). Sed dices : Non erant tunc inquirendi, cum essent apertissimi lupi, sed eorum morsus et sævitia perferenda. Quid, cum tempora posteriora prænuntians, in vestitu ovium dixit rapaces lupos esse venturos? nonne ibi erat locus ut hæc moneret et diceret : Et vos ut eos inveniatis, assumite vestitum luporum, intrinsecus autem oves manete? Non hoc ait : sed cum dixisset, *Multi ad vos venient in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*; non addidit, Ex mendaciis vestris, sed, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Id.* VII, 15, 16). Veritate sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia. Absit ut blasphemias ignorantium, scienter blasphemando vincamus : absit ut mala fallacium imitando caveamus. Quomodo enim cavebimus, si ut caveamus, habebimus? Si enim ut capiatur qui blasphemat nesciens, blasphemabo sciens, pejus est quod ago, quam quod capio. Si ut inveniatur qui Christum negat nesciens, ego Christum negabo sciens; ad perditionem me secuturus est quem sic invenero : si quidem ut illum inveniam, prior pereo.

13. An forte qui eo modo Priscillianistas invenire molitur, ideo non negat Christum, quia ore depromit quod corde non credit? Quasi vero (quod et paulo ante jam dixi) cum dictum esset, *Corde creditur ad justitiam;* incassum est additum, *ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10)? Nonne pene omnes qui Christum coram persecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt; et tamen ore ad salutem non confitendo perierunt, nisi qui per pœnitentiam revixerunt? Quis ita evanescat [1], ut existimet apostolum Petrum hoc habuisse in corde quod in ore, quando Christum negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, et foris mendacium proferebat. Cur ergo lacrymis diluit quod ore negaverat (*Matth.* XXVI, 69-75), si saluti sufficiebat quod corde credebat? cur loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu punivit mendacium quod ore deprompsit, nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad justitiam, sed ore non confessus est ad salutem?

14. Quapropter illud quod scriptum est, *Qui loquitur veritatem in corde suo ;* non sic accipiendum est, quasi retenta in corde veritate, loquendum sit in ore mendacium. Sed ideo dictum est, quia fieri potest ut loquatur quisque ore veritatem, quæ nihil ei prosit, si eam in corde non teneat, id est, si quod loquitur ipse non credat : sicut hæretici, maximeque iidem Priscillianistæ faciunt, cum catholicam veritatem non quidem credunt, sed tamen loquuntur, ut nostri esse

[1] Sola editio Lov., *faciliores*.

[1] Cygirannensis Ms., *vesane sciat*. Forte pro, *vesane sentiat*.

credantur. Loquuntur ergo veritatem in ore suo, non in corde suo. Propterea distinguendi erant ab illo de quo dictum est, *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Hanc autem veritatem catholicus sicut in corde loquitur, quia ita credit; ita et in ore debet, ut ita prædicet : contra istam vero nec in corde nec in ore habeat falsitatem, ut et corde credat ad justitiam, et ore confessionem faciat ad salutem. Nam et in illo psalmo cum dictum esset, *Qui loquitur veritatem in corde suo*; mox etiam hoc additum est, *Qui non egit dolum in lingua sua* (*Psal.* XIV, 3).

15. Et illud quod Apostolus ait, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quia sumus invicem membra* (*Ephes.* IV, 25); absit ut sic intelligamus, tanquam loqui mendacium permiserit cum eis qui nondum sunt nobiscum membra corporis Christi. Sed ideo dictum est, quia unusquisque nostrum hoc debet quemque deputare, quod eum vult fieri, etiam si nondum factus est : sicut Dominus alienigenam Samaritanum proximum ejus ostendit, cum quo misericordiam fecit (*Luc.* X, 30-37). Proximus ergo habendus est, non alienus, cum quo id agendum est, ne remaneat alienus : et si propter id quod nondum est fidei nostræ sacramentique particeps factus, aliqua illi occultanda sunt vera, non tamen ideo dicenda sunt falsa.

16. Fuerunt enim etiam temporibus Apostolorum, qui veritatem non veritate [1], id est, non veraci animo prædicarent : quos dicit Apostolus Christum annuntiasse non caste, sed per invidiam et contentionem. Ac per hoc etiam tunc nonnulli tolerati sunt annuntiantes non casto animo veritatem : non tamen ulli laudati sunt tanquam annuntiantes casto animo falsitatem. Denique de illis dicit, *Sive occasione, sive veritate Christus annuntietur* (*Philipp.* I, 15-18) : nullo modo autem diceret, ut postea Christus annuntietur, prius negetur.

17. Quocirca multis quidem modis possunt latentes hæretici vestigari, nec catholica fide vituperata, nec hæretica impietate laudata.

CAPUT VII. — *Mendacium nulla velut bona intentione admittendum. Facta alia ex fine vel bona vel mala redduntur, alia sunt per se peccata : hæc nullo quasi bono fine facienda.* Sed si aliter omnino non posset educi de cavernis suis hæretica impietas, nisi a tramite veritatis lingua catholica deviaret; tolerabilius illa occultaretur, quam ista præcipitaretur; tolerabilius in suis foveis delitescerent vulpes, quam propter illas capiendas in blasphemiæ foveam caderent venatores; tolerabilius perfidia Priscillianistarum veritatis velamine tegeretur, quam fides Catholicorum ne a Priscillianistis mentientibus laudaretur, a Catholicis credentibus negaretur. Nam si propterea justa sunt, non qualiacumque, sed blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt ut occulti hæretici detegantur; poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria. Quid si enim ex numero Priscillianistarum impudicarum aliqua femina injiciat oculum in catholicum Joseph, eique promittat prodituram se latebras eorum, si ab illo impetraverit stuprum, certumque sit eam, si ei consensum fuerit, quod pollicita est impleturam? faciendumne censebimus? an intelligemus nequaquam tali pretio merces ejusmodi comparandas? Cur ergo non eruimus [1] capiendos hæreticos carne in adulterium defluente, et eruendos putamus ore in blasphemia fornicante [2]? Aut enim licebit utrumque pari ratione defendere, ut ideo hæc non esse dicantur injusta, quia ea facta sunt intentione qua deprehenderentur injusti : aut si sana doctrina nec propter inveniendos hæreticos vult nos cum feminis impudicis saltem corpore, non mente, misceri, profecto nec propter inveniendos hæreticos vult a nobis saltem voce, non mente, aut immundam hæresim prædicari, aut castam catholicam blasphemari. Quia et ipsum mentis imperium, cui debet omnis inferior motus hominis obedire, digno non carebit opprobrio, quando fit, quod fieri non oportet, seu membro, seu verbo. Quanquam etiam cum verbo fit, membro fit : quoniam lingua membrum est qua fit verbum : nec ullum factum nostrum membro ullo paritur, nisi quod prius corde concipitur; vel potius intus cogitando et consentiendo jam partum, foras editur faciendo per membrum. Non itaque animus a facto excusatur, quando dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamen non fieret, nisi animus faciendum esse decerneret.

18. Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat : sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, sicut causas habuerint bonas, seu malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per se ipsa peccata : sicut victum præbere pauperibus, bonum opus est, si fit causa misericordiæ cum recta fide; sicut concubitus conjugalis, quando fit causa generandi, si ea fide fiat ut gignantur regenerandi. Hæc atque hujusmodi secundum suas causas opera sunt bona vel mala; quia eadem ipsa si habeant malas causas, in peccata vertuntur : velut si jactantiæ causa pauper pascitur; aut lasciviæ causa cum uxore concumbitur; aut filii generantur, non ut Deo, sed ut diabolo nutriantur. Cum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cætera talia; quis est qui dicat causis bonis esse facienda, ut vel peccata non sint, vel, quod est absurdius, justa peccata sint? Quis est qui dicat : Ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus; aut, testimonia falsa vendamus, maxime si non inde innocentes læduntur, sed nocentes potius damnaturis judicibus eruuntur? Duo enim bona fiunt hujus venditione mendacii, ut et pecunia sumatur unde inops alatur, et judex fallatur ne homo puniatur. Testamenta etiam si possimus, cur non vera supprimimus, et falsa supponimus, ut hæreditates vel legata non habeant indigni, qui nihil ex eis operantur boni; sed hi potius

[1] Sic Mss. Editi autem, *non veraciter*.

[1] Am. et Mss., *non emimus* : et infra loco, *eruendos*, habent, *emendos*.

[2] Aliquot Mss., *in blasphemiam fornicante*.

a quibus esurientes pascuntur, nudi vestiuntur, peregrini suscipiuntur, captivi redimuntur, ecclesiæ construuntur? Cur enim non fiant illa mala propter hæc bona, si propter hæc bona nec illa sunt mala? Jam vero si aliquæ immundæ et divites feminæ videantur amatores et stupratores suos insuper ditaturæ; cur non et has partes atque artes suscipiat vir misericors, quibus pro tam bona causa utatur, ut habeat unde indigentibus largiatur; nec audiat Apostolum dicentem, *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operans manibus suis bonum, ut habeat unde tribuere* [1] *cui opus est* (*Ephes.* IV, 28)? Si quidem non solum ipsum furtum, verum etiam falsum testimonium, et adulterium, et omne opus malum non erit malum, sed bonum, si ea causa perpetretur, ut sit unde fiat bonum. Quis ista dicat, nisi qui res humanas omnesque conatur mores legesque subvertere? Quod enim sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri recte atque juste; nec impune tantum, verum etiam gloriose, ut in eo perpetrando, non solum supplicia nulla timeantur, sed sperentur et præmia: si semel concesserimus in omnibus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat esse quærendum; ut quæcumque propter bonas causas facta inveniuntur, nec ipsa mala esse judicentur? At si justitia merito punit furem, etiam qui dixerit et ostenderit ideo se subtraxisse superflua diviti, ut præberet necessaria pauperi; si merito punit falsarium, etiam qui se ideo testamentum alienum corrupisse docuerit, ut ille hæres esset qui facturus inde fuerat eleemosynas largas, non ille qui nullas; si merito punit adulterum, etiam qui demonstraverit misericordia se fecisse adulterium, ut per illam cum qua fecit, de morte hominem liberaret; postremo, ut ad rem de qua quæstio est propius accedamus, si merito punit eum qui feminæ alicui Priscillianistarum turpitudinis consciæ, propterea se adulterino concubitu miscuit, ut ad eorum latebras perveniret: obsecro te, cum dicat Apostolus, *Nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 13); et ideo nec manus, nec corporis genitalia, nec alia membra flagitiis exhibere debeamus, ut Priscillianistas invenire possimus; quid nos lingua, quid totum os nostrum, quid organum vocis offendit, ut hæc exhibeamus arma peccato, tantoque peccato, ubi Deum nostrum, ut Priscillianistas apprehensos ab ignorantiæ blasphemiis eruamus [2], sine excusatione ignorantiæ blasphememus?

CAPUT VIII. — 19. *Peccatum esse ex intentione aliud alio levius; non tamen faciendum levius, quod sæpe alterius generis peccato gravius est.* Dicet aliquis: Ergo æquandus est fur quilibet ei furi qui misericordiæ voluntate furatur? Quis hoc dixerit? Sed horum duorum non ideo est quisquam bonus, quia pejor est unus. Pejor est enim qui concupiscendo, quam qui miserando furatur: sed si furtum omne peccatum est, ab omni furto est abstinendum. Quis enim dicat esse peccandum, etiamsi aliud sit damnabile, aliud veniale peccatum? Nunc autem quærimus, si hoc aut illud quisque fecerit, quis non peccabit, sive peccabit; non quis gravius leviusve peccabit. Nam et ipsa furta levius utique puniuntur lege, quam stupra: sunt autem utraque peccata, quamvis alia leviora, alia graviora; ita ut levius habeatur furtum quod concupiscendo, quam stuprum quod subveniendo committitur. In suo quippe genere aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti; cum tamen et ipsa alterius generis peccatis ipso suo genere levioribus inveniantur esse graviora. Gravius est enim avaritia, quam misericordia furtum facere; itemque stuprum gravius est luxuria, quam misericordia perpetrare: et tamen gravius est adulterare misericordia, quam furari avaritia. Neque nunc agitur quid sit levius sive gravius, sed quæ sint peccata vel non sint. Nemo enim dixerit debuisse peccari, ubi constat esse peccatum: sed debere dicimus, si ita vel ita peccatum est, ignosci vel non ignosci.

CAPUT IX. — 20. *Peccata compensativa nec ipsa admittenda esse. Factum Loth offerentis filias suas constupratoribus Sodomitis. Exemplum Loth timore tunc perturbati non imitandum. Nec exemplum David præ ira jurantis. Quid David, quidve ipsi Loth faciendum fuerat. Loth a peccato defendi quomodo vix possit. Facta a sanctis non omnia in mores transferenda.* Verum, quod fatendum est, ita humanos animos quædam compensativa peccata perturbant, ut etiam putentur debere laudari, ac potius recte facta dicantur. Quis enim dubitet esse grande peccatum, si pater filias suas prostituat fornicationibus impiorum? Et tamen exstitit causa qua hoc vir justus debere se facere existimaret, quando Sodomitæ nefario libidinis impetu hospitibus ejus irruebant. Ait enim: *Sunt mihi duæ filiæ quæ non cognoverunt virum: producam illas ad vos, et utimini eis quomodo placuerit vobis; tantum in viros istos ne faciatis iniquum, propterea quia intraverunt sub tectum tignòrum meorum* (*Gen.* XIX, 8). Quid hic dicemus? Nonne ita illud scelus quod Sodomitæ hospitibus illius viri justi facere conabantur horremus, ut quidquid fieret ne hoc fieret, arbitremur fuisse faciendum? Movet etiam maxime persona facientis, quæ merito justitiæ liberabatur a Sodomis: ut quoniam minus malum est feminas quam viros perpeti stuprum, etiam hoc ad justitiam justi illius pertinuisse dicatur, quod in filiabus hoc maluit fieri quam in hospitibus suis; non tantum id volens animo, verum et offerens verbo, et si illi assensi fuissent impleturus et facto. Sed si hanc peccatis aperuerimus viam, ut committamus minora ne alii majora committant; lato limite, imo nullo limite, sed convulsis et remotis omnibus terminis infinito spatio cuncta intrabunt atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius; profecto et furtis nostris stupra cavebuntur aliena, et incesta stupris; et si qua impietas visa fuerit etiam pejor incestis, incesta quoque facienda dicentur a nobis, si eo modo agi potuerint, ut illa impietas non

[1] Sic Mss. Editi vero, *unde tribuat*.
[2] Soli editi, *servemus*.

committuntur ab aliis: et in singulis quibusque generibus peccatorum, et furta pro furtis, et stupra pro stupris, et incesta pro incestis, et sacrilegia pro sacrilegiis facienda putabuntur: nostra pro alienis, non solum minora pro majoribus, verum etiam si ad ipsa summa et pessima veniatur, pauciora pro pluribus; si ita se rerum verset incursus, ut aliter alii non se abstineant a peccatis, nisi nos non aliquanto, sed tamen paucioribus faciamus; ita ut omnino ubi dixerit inimicus (a) qui habuerit hujusmodi potestatem [1], Nisi tu sceleratus fueris, ego sceleratior ero, aut nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam, scelus nobis videamur admittere, si velimus ab scelere temperare. Hoc sapere quid est, nisi desipere, vel potius insanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, sive in me, sive in alios perpetrata, mihi est cavenda damnatio. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4).

21. Si ergo peccare, ne gravius vel in nos vel in quoslibet alii peccent, procul dubio non debemus; considerandum est in eo quod fecit Loth, utrum exemplum sit quod imitari, an potius quod vitare debeamus. Magis enim videtur intuendum et notandum, cum tam horrendum malum ex impietate flagitiosissima Sodomitarum suis impenderet hospitibus, quod cuperet depellere, nec valeret, sic etiam justi animum potuisse turbari, ut vellet facere quod non humani timoris nebulosa tempestas, sed divini juris tranquilla serenitas, si consulatur a nobis, faciendum non esse clamabit; et jubebit potius ut sic nostra peccata caveamus, ne ullorum prorsus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir justus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus etiam facienda credamus; ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. An vero quia juravit David se occisurum esse Nabal, et clementia consideratione [2] non fecit (I *Reg.* XXV, 22-35), propterea illum imitandum esse dicemus, ut temere juremus nos esse facturos, quod non esse faciendum postea videamus? Sed sicut illum timor, ut prostituere filias vellet; sic istum, ut temere juraret, ira turbavit. Denique si de ambobus interrogando ut dicerent cur hæc fecerint, fas nobis esset inquirere, posset ille respondere, *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV, 6), posset etiam dicere iste, *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8): ut non miraremur vel illum in timoris tenebris, vel istum oculo turbato non vidisse quod videndum fuit, ne facerent quod faciendum non fuit.

22. Et sancto quidem David justius dici potuit quod nec irasci debuit, quamvis ingrato et reddenti mala pro bonis; sed etsi ut homini ira subrepsit, non utique tantum debuit prævalere, ut se facturum juraret, quod aut sæviendo faceret, aut pejerando non faceret. Illi autem inter libidinosas insanias Sodomitarum constituto quis auderet dicere, Etiamsi tui hospites in tua domo, quo eos intrare humanitate violentissima compulisti, ab impudicis apprehensi et oppressi muliebria patiantur, nihil timeas, nihil cures, non expavescas, non horrescas, non contremiscas? quis hæc vel illorum sceleratorum socius hospiti pio dicere auderet? Sed plane rectissime diceretur, Age quidquid potes, ne fiat quod merito times: sed non te timor iste compellat, ut facias quod in se filiæ tuæ fieri si voluerint, facient cum Sodomitis te auctore nequitiam; si autem noluerint, patientur a Sodomitis te auctore violentiam. Noli facere magnum scelus tuum, dum majus [1] horrescis alienum: quantumlibet enim distet inter tuum et alienum, hoc erit tuum, illud alienum. Nisi forte pro defensione hujus viri in eas se quispiam coarctet angustias, ut dicat: Quoniam accipere quam facere præstat injuriam, hospites autem illi non erant utique facturi injuriam, sed passuri; maluit vir justus filias suas injuriam pati, quam hospites suos, eo jure quo filiarum dominus erat; et noverat non eas peccare, si id fieret, quia peccantes potius, quibus non consentirent, sine peccato proprio sustinerent. Denique non se ipsæ stuprandas, quamvis pro masculis feminas, pro illis hospitibus obtulerunt, ne reas eas faceret non perpessio libidinis alienæ, sed suæ consensio voluntatis. Nec pater earum hoc in se fieri permittebat, cum hoc facere conarentur quibus hospites non prodebat; quamvis minus mali esset quod in uno, quam si fieret in duobus: sed quantum poterat resistebat, ne ipsum quoque ullus proprius macularet assensus, quem libidinosus furor etiamsi prævaluisset corporis viribus, tamen non consentientem non maculasset alienus. In filiabus autem non peccantibus nec ipse peccabat, quia non eas peccare si opprimerentur invitæ, sed peccantes ferre faciebat: tanquam si ab improbis ut sui servi cæderentur offerret, ne hospites ejus paterentur cædis injuriam. De qua re non disputabo, quia longum est, utrum vel dominus jure suæ potestatis recte sic utatur in servo, ut servum suum cædi faciat innocentem, ne amicus ejus etiam ipse innocens in domo ejus a violentis improbis vapulet. Sed certe David nullo modo recte dicitur jurare debuisse se esse facturum, quod postea cerneret se facere non debere. Unde constat quod non omnia quæ a sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores; sed etiam hinc discere quam late pateat, et ad quos usque perveniat quod Apostolus ait: *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI, 1). Præoccupationes enim sunt istæ in quibus delinquitur, dum quid faciendum sit aut ad horam non videtur, aut et qui videtur vincitur; ut scilicet fiat peccatum, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas.

CAPUT X. — 23. *Exempla pro mendacio quæsita in Scripturis expendenda. Aliud est occultare veritatem, aliud proferre mendacium.* **Abraham et Isaac de-**

[1] [illegible] codices, *[illegible]*.
[2] Sic Mss. At editi, *clementiæ consideratione*.
(a) Forte, [illegible].

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *magis*.

fenduntur a mendacio. Factum Jacob non esse mendacium. Tropi non sunt mendacia. Metaphora. Antiphrasis. Tropi in Scripturis quare. In omnibus autem actibus nostris maxime etiam bonos turbant compensativa peccata; ita ut nec peccata existimentur, si habeant tales causas propter quas fiant, et in quibus videatur peccari potius si non fiant. Et præcipue de mendaciis hoc in hominum opinione prævaluit, ut peccata non putentur illa mendacia, quinimo et recte facta esse credantur, quando quisque pro ejus cui falli expedit utilitate mentitur, aut ne aliis noceat qui nociturus videtur, nisi mendaciis evitetur. Ad hæc mendaciorum genera defendenda, plurima de Scripturis sanctis suffragari putantur exempla. Non autem hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occulimus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus, ubi ait: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* (*Joan.* XVI, 12). Vera tacuit, non falsa locutus est; quibus veris audiendis eos minus idoneos judicavit. Quod si eis hoc ipsum non indicasset, id est, non eos posse portare quæ dicere noluit, occultaret quidem nihilominus aliquid veritatis, sed posse hoc recte fieri forsitan nesciremus, aut non tanto firmaremur exemplo. Unde qui asserunt aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit, Non est uxor mea; sed dixit, *Soror mea est:* quod erat revera tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod et postea jam sibi ab illo qui abduxerat ea reddita confirmavit, respondens illi et dicens, *Et vere soror mea est de patre, non de matre* (*Gen.* XX, 2, 12): hoc est de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc et filius ejus fecit Isaac: nam et ipsum novimus propinquam suam conjugem fuisse sortitum (*Id.* XXVI, 7, *et* XXIV). Non est ergo mendacium cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum.

24. Jacob autem quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia: quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam; ita ut et ipsa quæ appellatur metaphora, hoc est de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam canitiem; procul dubio fluctus, gemmas, florem, nivem, quia in his rebus non invenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus, ab istis mendacia putabuntur. Et petra Christus (I *Cor.* X, 4), et cor lapideum Judæorum (*Ezech.* XXXVI, 26); item leo Christus (*Apoc.* V, 5), et leo diabolus (I *Petr.* V, 8), et innumerabilia talia dicentur esse mendacia. Quid quod hæc tropica locutio usque ad eam pervenit, quæ appellatur antiphrasis, ut dicatur abundare quod non est, dicatur dulce quod acerbum est, lucus quod non luceat, Parcæ quod non parcant. Unde illud est in Scripturis sanctis, *Si non in faciem benedixerit tibi* (*Job* II, 5): quod diabolus ait Domino de sancto Job, et intelligitur, Maledixerit. Quo verbo et Naboth falsum crimen a calumniantibus nominatum est. Dictum est enim quod benedixerit regi (III *Reg.* XXI, 13), hoc est, maledixerit. Hi omnes modi locutionum mendacia putabuntur, si locutio vel actio figurata in mendacio deputabitur. Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur; profecto non solum id quod fecit aut dixit Jacob patri ut benediceretur, sed neque illud quod Joseph velut illudendo locutus est fratribus (*Gen.* XLII), neque quod David simulavit insaniam (I *Reg.* XXI, 13), nec cætera hujusmodi mendacia judicanda sunt, sed locutiones actionesque propheticæ ad ea quæ vera sunt intelligenda referendæ. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum pie quærentis exerceant, et ne nuda ac prompta vilescant. Quamvis quæ aliis locis aperte ac manifeste dicta didicimus, cum ea ipsa de abditis eruuntur, in nostra quodam modo cognitione renovantur, et renovata dulcescunt. Nec invidentur discentibus, quod his modis obscurantur: sed commendantur magis, ut quasi subtracta desiderentur ardentius, et inveniantur desiderata jucundius. Tamen vera, non falsa dicuntur; quoniam vera, non falsa significantur, seu verbo seu facto: quæ significantur enim, utique ipsa dicuntur. Putantur autem mendacia, quoniam non ea quæ vera[1] significantur, dicta intelliguntur; sed ea quæ falsa sunt, dicta esse creduntur. Hoc ut exemplis fiat planius, idipsum quod Jacob fecit, attende. Hædinis certe pellibus membra contexit: si causam proximam requiramus, mentitum putabimus; hoc enim fecit ut putaretur esse qui non erat: si autem hoc factum ad illud propter quod significandum revera factum est referatur; per hædinas pelles peccata, per eum vero qui eis se operuit, ille significatus est qui non sua, sed aliena peccata portavit. Verax ergo significatio nullo modo mendacium recte dici potest. Ut autem in facto, ita et in verbo. Nam cum ei pater dixisset, *Quis es tu, fili?* ille respondit, *Ego sum Esau primogenitus tuus* (*Gen.* XXVII, 18-19). Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur: si autem ad illud propter quod significandum ista gesta dictaque conscripta sunt, ille est hic intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re loquens ait, *Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente et occidente et aquilone et austro, et accumbent in regno Dei: et ecce sunt novissimi*

[1] Sola editio Lov., *vere.*

qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi (*Luc.* XIII, 28-30). Sic enim quodam modo minor majoris primatum frater abstulit atque in se transtulit fratris. Cum igitur tam vera tamque significentur veraciter, quid hic debet putari factum dictumve mendaciter? Cum enim quæ significantur, non utique non sunt in veritate, sed sunt seu præterita, seu præsentia, seu futura; procul dubio vera significatio est, nullumque mendacium. Sed nimis longum est in hac significatione prophetica enucleate cuncta rimari, in quibus palmam veritas habet, quia ut significando prænuntiata sunt, ita consequendo claruerunt.

CAPUT XI. — 25. *Tripartita ratio disputandi adversus eos qui Scripturas divinas mendaciis suis adhibere patronas volunt.* Neque id isto sermone suscepi, quod ad te magis pertinet, qui Priscillianistarum latebras aperuisti, quantum ad eorum attinet dogmata falsa atque perversa; ne ita investigata videantur quasi docenda fuerint, et non redarguenda. Magis ergo [1] fac ut expugnata jaceant, quæ fecisti ut prodita pateant: ne dum volumus ad indaginem hominum fallacium pervenire, ipsas falsitates sinamus tanquam insuperabiles permanere; cum potius debeamus et in latentium cordibus destruere falsitates, quam parcendo falsitatibus invenire fallaces. Porro inter illa dogmata eorum, quæ subvertenda sunt, etiam hoc est utique quod dogmatizant, ad occultandam religionem religiosos debere mentiri, in tantum ut non solum de aliis rebus ad doctrinam religionis non pertinentibus, sed de ipsa quoque religione mentiendum sit, ne patescat alienis; ut videlicet negandus sit Christus, quo possit inter inimicos suos latere christianus. Etiam hoc, obsecro te, dogma impium nefariumque subverte, propter quod astruendum argumentantes de Scripturis colligunt testimonia, quibus videantur non solum ignoscenda vel toleranda, verum et honoranda mendacia. Ad te igitur pertinet, sectam detestabilem cum refellis, sic accipienda monstrare ista testimonia Scripturarum, ut vel doceas non esse quæ putantur esse mendacia, si eo modo intelligantur, quo intelligenda sunt; vel imitanda non esse etiam quæ manifestum est esse mendacia; vel certe ad extremum de his saltem rebus quæ ad doctrinam religionis pertinent, nullo modo esse mentiendum. Sic enim vere funditus evertuntur, dum evertitur ubi delitescunt: ut eo ipso minime sectandi et maxime cavendi judicentur, quo se ad occultandam hæresim suam profitentur esse mendaces. Hoc in eis est primitus expugnandum, hoc eorum velut idoneum munimentum veritatis ictibus feriendum atque dejiciendum. Nec eis quam non habebant, alia latebra quo confugiant est præbenda: ut si forte ab his produntur, quos conati fuerunt seducere, nec potuerunt, dicant, Tentare illos voluimus, quoniam prudentes catholici docuerunt ad inveniendos hæreticos id esse faciendum. Sed aliquanto commendatius oportet ut dicam, cur ista mihi videatur tripartita ratio disputandi adversus eos qui patronas mendaciis suis volunt adhibere divinas Scripturas: ut prius ostendamus nonnulla quæ ibi putantur esse mendacia, non esse quod putantur, si recte intelligantur; deinde, si qua ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non esse; tertio, contra omnes omnium opiniones, quibus videtur ad viri boni officium pertinere aliquando mentiri, omni modo tenendum, in doctrina religionis nullo modo esse mentiendum. Hæc enim tria tibi [1] exsequenda paulo ante commendavi, et quodam modo injunxi.

CAPUT XII. — 26. *Exempla mentiendi quædam ex veteribus Scripturis vere talia, ex Novo autem Testamento nulla proferri. Simulatio Petri et Barnabæ merito reprehensa a Paulo. Non mendaciter observatæ a Paulo Legis quædam cæremoniæ. Paulus non mentiendo, sed compatiendo omnibus omnia factus. Mendacium quid sit.* Ad ostendenda ergo quædam quæ putantur in Scripturis esse mendacia, non ea esse quod putantur, si recte intelligantur; non tibi parum adversus istos valere videatur, quod non de apostolicis, sed de propheticis Litteris inveniunt velut exempla mentiendi. Illa quippe omnia quæ nominatim commemorant ubi sit quisque mentitus, in eis Libris leguntur, in quibus non solum dicta, verum etiam facta multa figurata conscripta sunt [2], quia et figurate gesta sunt. In figuris autem quod velut mendacium [3] dicitur, bene intellectum verum invenitur. Apostoli vero in Epistolis suis aliter locuti sunt, aliterque conscripti Actus Apostolorum, jam videlicet revelato Testamento Novo, quod illis figuris propheticis velabatur. Denique in tot Epistolis apostolicis, atque in ipso tam grandi libro in quo actus eorum canonica veritate narrantur, non invenitur talis aliquis mentiens, ut de illo ab istis ad mentiendi licentiam proponatur exemplum. Quandoquidem illa Petri et Barnabæ simulatio qua Gentes judaizare cogebant, merito reprehensa atque correcta est, et ne tunc noceret, et ne posteris ad imitandum valeret. Cum enim vidisset apostolus Paulus quia non recte ingrediuntur ad veritatem Evangelii, dixit Petro coram omnibus: *Si tu cum sis Judæus, Gentiliter et non Judaice vivis; quomodo Gentes cogis judaizare* (*Galat.* II, 13, 14)? Id autem quod ipse fecit, ut quasdam observationes legitimas judaica consuetudine retinendo et agendo non se inimicum Legi Prophetisque monstraret, absit ut mendaciter eum fecisse credamus. De hac quippe re satis est ejus nota sententia, qua fuerat constitutum, nec Judæos qui tunc in Christum credebant prohibendos esse a paternis traditionibus, nec ad eas Gentiles cum Christiani fierent, esse cogendos: ut illa sacramenta quæ divinitus præcepta esse constaret, non tanquam sacrilegia fugerentur; nec tamen putarentur sic necessaria jam Novo Testamento revelato, tanquam sine iis quicumque converterentur ad Deum salvi esse non possent. Erant enim qui hoc putabant atque prædicabant, quamvis jam recepto Christi Evangelio, et eis simulate consenserant Petrus et Barnabas, ideoque cogebant Gentes judai-

[1] Sic omnes Mss., *et non* [illegible], etc.

[1] Lov., [illegible]. Alii codices, *tria*.

[2] Duo Mss., [illegible] sunt.

[3] [illegible] mendacium.

zare. Id erat enim cogere, sic ea necessaria prædicare, tanquam et recepto Evangelio nulla sine illis salus esset in Christo. Hoc error quorumdam putabat, hoc timor Petri simulabat, hoc libertas Pauli redarguebat. Quod ergo ait, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem*; compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam ille cui vult subvenire, quando tanta misericordia subvenit, quanta sibi subveniri vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum, sed quia se cogitat sicut illum. Unde illud est ejus apostoli, quod jam supra commemoravi : *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). Nam si propterea quia dixit, *Factus sum Judæis tanquam Judæus, et iis qui sub Lege erant, tanquam sub Lege* (I *Cor.* IX, 20-22); ideo putandus est mendaciter suscepisse Legis veteris sacramenta : debuit et Gentium idololatriam eodem modo mentiendo suscipere, quia dixit etiam iis qui sine Lege erant tanquam sine Lege se factum, ut eos lucrifaceret : quod utique non fecit. Non enim alicubi sacrificavit idolis, aut adoravit illa figmenta; ac non potius libere tanquam martyr Christi detestanda et vitanda monstravit. De nullis igitur apostolicis actibus sive sermonibus isti proferunt imitanda exempla mentiendi. De propheticis ergo factis seu dictis ideo sibi videntur habere quod proferant, quia figuras prænuntiativas putant esse mendacia, eo quod mendaciis sint aliquando similia (*a*). Sed cum referuntur ad eas res propter quas significandas ita facta vel dicta sunt, reperiuntur significationes esse veraces, ac per hoc nullo modo esse mendacia. Mendacium est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi. Non est autem falsa significatio, ubi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si recte intelligatur.

CAPUT XIII. — 27. *Discutiuntur loca Evangelii quæ videntur patrocinari mendacio. Christus figurate nescire se finxit quod sciebat. Item prophetice et figurate se finxit longius ire.* Sunt quædam ejusmodi etiam Salvatoris in Evangelio, quia et ipse Dominus Prophetarum Propheta esse dignatus est. Talia sunt illa, ubi de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait, *Quis me tetigit* (*Luc.* VIII, 45)? et de Lazaro, *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34)? Sic quippe interrogavit, quasi nesciens quod utique sciebat. Ac per hoc nescire se finxit, ut aliquid aliud illa velut ignorantia sua significaret : quæ significatio quoniam verax erat, mendacium profecto non erat. Eos namque significabant, sive illa fluxum sanguinis patiens, sive ille mortuus quatriduanus, quos etiam qui cuncta sciebat quodam modo nesciebat. Nam et illa typum gerebat plebis Gentium, unde præmissa fuerat prophetia, *Populus quem non cognovi, servivit mihi* (*Psal.* XVII, 45) : et Lazarus remotus a viventibus tanquam ibi jacebat per significativam similitudinem, ubi ille cujus vox est, *Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal.* XXX, 23). Et ideo tanquam nesciretur a Christo, et illa quæ fuerit, et iste ubi positus fuerit, verbis interrogantis est figuratum, et omne vitatum veraci significatione mendacium.

28. Hinc est etiam illud quod commemorasti eos dicere, Dominum Jesum, posteaquam resurrexit, ambulasse in itinere cum duobus discipulis; et propinquantibus eis castello quo ibant, illum longius se ire finxisse : ubi evangelista dicens, *Ipse autem se finxit longius ire* (*Luc.* XXIV, 28); etiam ipsum verbum posuit, quo mendaces nimium delectantur, ut impune mentiantur : quasi mendacium sit omne quod fingitur, cum veraciter aliud ex alio significandi causa tam multa fingantur. Si ergo nihil aliud significasset Jesus in eo quod longius ire se finxit, merito judicaretur esse mendacium : porro autem si bene intelligatur, et ad id quod voluit significare referatur, invenitur esse mysterium. Alioquin erunt cuncta mendacia, quæ propter quamdam rerum significandarum similitudinem, cum gesta non sint, tanquam gesta narrantur. Unde est illa de duobus unius hominis filiis, majore qui mansit apud patrem suum, et minore qui longe peregrinatus est, tam prolixa narratio (*Id.* XV, 11-32). In quo genere fingendi humana etiam facta vel dicta irrationalibus animantibus et rebus sensu carentibus homines addiderunt, ut ejusmodi fictis narrationibus, sed veracibus significationibus, quod vellent commendatius intimarent. Nec apud auctores tantum sæcularium litterarum, ut apud Horatium, mus loquitur muri, et mustela vulpeculæ, ut per narrationem fictam ad id quod agitur, vera significatio referatur (*Horat. Serm. lib.* 2, *sat.* 6; *et Epist. lib.* 1, *epist.* 7); unde et Æsopi tales fabulas ad eum finem relatas, nullus tam inerudítus fuit, qui putaret appellanda mendacia : sed in Litteris quoque sacris, sicut in Libro Judicum ligna sibi regem requirunt, et loquuntur ad oleam, et ad ficum, et ad vitem, et ad rubum (*Judic.* IX, 8-15). Quod utique totum fingitur, ut ad rem quæ intenditur, ficta quidem narratione, non mendaci tamen, sed veraci significatione veniatur. Hæc dixi propter id quod scriptum est de Jesu, *Et ipse se finxit longius ire* : ne quisquam ex hoc verbo, sicut Priscillianistæ, licitum volens habere mendacium, insuper etiam Christum contendat fuisse mentitum. Quisquis autem vult intelligere illud fingendo quid præfigurarit, attendat quid agendo perfecerit. Longius namque postea profectus super omnes cœlos, non tamen deseruit discipulos suos. Propter hoc significandum futurum divinitus factum, ad præsens illud est humanitus fictum. Et ideo significatio verax in illa est fictione præmissa, quia in hac profectione illius est significationis veritas subsecuta. Ille igitur contendat Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum quod significavit implevisse faciendo.

CAPUT XIV. — 29. *Exempla Scripturæ veteris, si quæ ibi narrantur hominum mendacia, non esse imitanda. Ut non imitanda Judæ fornicatio, ita nec mendacium Thamar.* Quia ergo non inveniunt mendaces hæretici

(*a*) Forte legendum, *eo quod mendaciis sint aliqua non dissimilia.*

in Testamenti Novi litteris imitanda exempla mendacii, copiosissimos se esse existimant in hac disputatione, qua opinantur esse mentiendum, cum de veteribus propheticis libris, quia non illic apparet nisi intelligentibus paucis quo referantur significativa dicta vel facta veracia, multa sibi videntur invenire ac proferre mendacia. Sed habere cupientes quibus se tueantur velut imitanda exempla fallendi, se ipsos fallunt, et mentitur eorum iniquitas sibi (*Psal.* XXVI, 12). Illæ autem personæ, quas credendum non est prophetare voluisse, si quid faciendo vel dicendo finxerunt voluntate fallendi; quamvis ex his quoque factis earum sive dictis aliquid propheticum possit exsculpi, per illius omnipotentiam præseminatum atque dispositum, qui bene uti novit etiam malis hominum; tamen quantum ad ipsas attinet, sine dubitatione mentitæ sunt. Sed non ideo debent imitanda existimari, quia in eis reperiuntur Libris qui sancti et divini merito nominantur. Habent enim conscripta et mala hominum et bona; illa vitanda, ista sectanda: et quædam ita posita ut de illis etiam prolata sit sententia, quædam vero tacito ibi judicio nobis judicanda permissa; quoniam non solum nos nutriri manifestis, verum et exerceri oportebat obscuris.

30. Cur autem isti imitandam sibi Thamar existimant mentientem, et imitandum Judam non existimant fornicantem (*Gen.* XXXVIII, 14-18)? Et enim utrumque legerunt: et nihil horum Scriptura illa sive culpavit, sive laudavit; sed tantummodo utrumque narravit, et judicandum nobis utrumque dimisit: sed mirum si aliquid horum imitandum impune permisit. Quod enim Thamar non meretricandi libidine, sed concipiendi voluntate mentita sit, novimus. Verum et fornicatio, etiamsi Judæ talis non fuit, potest esse cujuspiam qua faciat ut homo liberetur, sicut illius mendacium fuit ut homo conciperetur: numquid propterea etiam fornicandum est, si propter illud putatur fuisse mentiendum? Non de solo itaque mendacio, sed de omnibus operibus hominum in quibus exsistunt velut compensativa peccata, considerandum est quam sententiam proferre debeamus, ne aperiamus aditum non tantum parvis quibusque peccatis, verum etiam sceleribus cunctis, nullumque remaneat facinus, flagitium, sacrilegium, in quo causa non possit existere qua recte videatur esse faciendum, universamque vitæ probitatem opinio ista subvertat.

CAPUT XV. — 31. *Mendacium semper esse injustum, cum sit peccatum et veritati contrarium. In Hebræis obstetricibus et in Raab non remunerata fallacia, sed benevolentia.* Nihil autem judicandus est dicere, qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per hoc aliqua justa esse quæ injusta sunt: quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum, nisi quia justitiæ contrarium est? Dicantur ergo alia magna, alia parva esse peccata; quia verum est, nec auscultandum Stoicis qui omnia paria esse contendunt: dicere autem quædam injusta, quædam justa esse peccata, quid est aliud quam dicere quasdam esse injustas, quasdam justas iniquitates? cum dicat apostolus Joannes, *Omnis qui facit peccatum, facit et iniquitatem; et peccatum iniquitas est* (I *Joan.* III, 4)? Non ergo potest justum esse peccatum, nisi cum peccati nomen in alia re ponimus, in qua quisque non peccat, sed aut facit aliquid aut patitur pro peccato. Nam et sacrificia pro peccatis peccata appellata sunt, et pœnæ peccatorum dicuntur aliquando peccata. Hæc plane possunt intelligi justa peccata, cum justa dicantur sacrificia, vel justa supplicia. Ea vero quæ contra legem Dei fiunt, justa esse non possunt. Dictum est autem Deo, *Lex tua veritas* (*Psal.* CXVIII, 142). Ac per hoc quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse mendacium omne? Nullum ergo justum esse potest mendacium. Item cui non clareat ex veritate esse omne quod justum est? Clamat autem Joannes, *Omne mendacium non est ex veritate* (I *Joan.* II, 21). Omne ergo mendacium non est justum. Quapropter quando nobis de Scripturis sanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse dum non intelliguntur; aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.

32. Sed quod scriptum est bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus (*Exod.* I, 17-20), et cum Raab Jerichuntina meretrice (*Josue* II *et* VI, 25), non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque non esset si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere; ita mirandum non est quod uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, factumque fallaciter, et bonum remuneravit, et propter hoc bonum malum illud ignovit. Si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam, non propter misericordiam fiunt, propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur; cur non merito misericordiæ dimittuntur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? Gravius est enim peccatum quod animo nocentis, quam quod animo subvenientis efficitur. Ac per hoc si illud deletur opere misericordiæ postea subsequente, cur hoc quod est levius, non deletur ipsa hominis misericordia, et præcedente ut peccet, et comitante cum peccat? Ita quidem videri potest: veruntamen aliud est dicere, Peccare quidem non debui, sed opera misericordiæ faciam, quibus deleam quod ante peccavi; et aliud est dicere, Peccare debeo, quia non possum aliter misereri. Aliud est, inquam, dicere, Quia jam peccavimus, benefaciamus; et aliud est dicere, Peccemus, ut benefaciamus. Ibi dicitur, Faciamus bona, quia fecimus mala: hic autem, *Faciamus mala, ut veniant bona* (*Rom.* III, 8). Ac per hoc ibi exhaurienda est sentina peccati, hic cavenda est doctrina peccandi.

33. Restat itaque ut intelligamus illis mulieribus, vel in Ægypto, vel in Jericho, pro humanitate et misericordia redditam fuisse mercedem utique temporalem, quæ quidem et ipsa æternum ali-

quid etiam illis nescientibus prophetica significatione figuraret. Utrum autem sit aliquando vel pro cujusquam salute mentiendum, cum quæstio sit in qua dissolvenda etiam doctissimi fatigantur, valde illarum muliercularum in illis populis constitutarum et illis moribus assuetarum excedebat modum. Itaque hanc earum ignorantiam, sicut aliarum rerum quas pariter nesciebant, sed sciendæ sunt a filiis non hujus sæculi, sed futuri, Dei patientia sustinebat : qui tamen eis pro benignitate humana, quam famulis ejus impenderant, quamvis cœleste aliquid significantia, præmia terrena reddebat. Et Raab quidem ex Jericho liberata, in Dei populum transitum fecit, ubi proficiens posset ad æterna et immortalia munera pervenire, quæ nullo sunt quærenda mendacio.

CAPUT XVI. — *Sitne boni hominis aliquando mentiri pro alterius salute.* Tunc tamen quando illud opus bonum et pro suæ vitæ conditione laudabile Israelitis exploratoribus præstitit, nondum erat talis ut ab ea exigeretur, *Sit in ore vestro*, *Est, est; Non, non* (*Matth.* v, 37). Obstetrices autem illæ quamvis Hebrææ, si secundum carnem tantummodo sapuerunt, quid aut quantum est quod eis profuit remuneratio temporalis, quia fecerunt sibi domos, nisi proficiendo pertinuerint ad eam domum de qua Deo cantatur, *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5) ? Multum autem fatendum est propinquare justitiæ, et quamvis re ipsa nondum, jam tamen spe atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, qua vult prodesse alicui, nocere autem nemini. Sed nos cum quærimus sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Jericho, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Jerusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis; sed de cive illius civitatis quæ sursum est et libera mater nostra æterna in cœlis (*Galat.* IV, 25, 26). Et respondetur quærentibus nobis : *Omne mendacium non est ex veritate.* Filii autem illius civitatis, filii sunt utique veritatis. Ejus civitatis filii sunt de quibus scriptum est, *In ore eorum non est inventum mendacium* (*Apoc.* XIV, 5) : ejus civitatis filius est de quo item scriptum est, *Verbum suscipiens filius a perditione longe aberit : excipiens autem excepit illud sibi, et nihil falsi ex ejus ore procedit* (*Prov.* XXIX, 27). His filiis supernæ Jerusalem et sanctæ civitatis æternæ si quando ut hominibus obrepit qualecumque mendacium, poscunt humiliter veniam, non inde quærunt insuper gloriam.

CAPUT XVII. — 34. *Obstetrices Hebrææ et Raab num fecissent melius, nolendo mentiri. Regula ad quam redigenda quæ ex Scripturis proferuntur velut exempla mentiendi.* Sed dicet aliquis : Ergone obstetrices illæ atque Raab melius fecissent, si nullam misericordiam præstitissent, nolendo mentiri ? Imo vero illæ mulieres Hebrææ, si essent tales de qualibus quærimus utrum sit eis aliquando mentiendum, nec aliquid falsi dicerent, et fœda ministeria de parvulis occidendis liberrime recusarent. Sed, inquies, ipsæ morerentur. At vide quid sequatur. Morerentur cum cœlestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quam domus illæ quas sibi fecerunt in terra esse potuerunt : morerentur futuræ in æterna felicitate, mortem perpessæ pro innocentissima veritate. Quid illa in Jericho ? numquid hoc posset ? Nonne si quærentibus cives mentiendo non falleret, verum dicendo latentes hospites proderet ? An posset interrogantibus (*a*) dicere : Scio ubi sunt, sed Deum timeo, non eos prodo ? Posset hoc quidem dicere, si jam esset vera Israelitis in qua dolus non esset (*Joan.* I, 47) : quod futura erat per misericordiam Dei transiens ad civitatem Dei. Verum illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum scrutarentur. Sed numquid consequens erat ut illos etiam quos diligenter occultaverat invenirent ? Præviderat enim cautissima mulier, et ibi eos posuerat ubi latere potuissent, si illa mentienti credituri non fuissent. Ita et illa, si tamen a suis civibus esset occisa pro misericordiæ opere, vitam istam finiendam [1] pretiosa in conspectu Domini morte finisset (*Psal.* CXV, 15), et erga illos ejus beneficium inane non fuisset. Sed, inquies, quid, si et ad illum locum ubi eos occultaverat, illi a quibus quærebantur, perscrutando omnia pervenissent ? Isto modo dici potest : Quid, si mulieri vilissimæ atque turpissimæ, non solum mentienti, verum etiam pejeranti credere noluissent ? Nempe etiam sic consecutura fuerant quæ timendo mentita est. Et ubi ponimus voluntatem ac potestatem Dei ? An forte non poterat, et illam nec civibus suis mentientem nec homines Dei prodentem, et illos suos ab omni pernicie custodire ? A quo enim et post mulieris mendacium custoditi sunt, ab eo potuerunt, etsi illa mentita non esset, utique custodiri. Nisi forte obliti sumus hoc fuisse in Sodomis factum, ubi masculi in masculos nefanda libidine accensi, nec ostium domus in qua erant quos quærebant, invenire potuerunt ; quando vir justus in causa omnino simillima pro suis hospitibus mentiri noluit, quos esse angelos nesciebat, et vim morte pejorem ne paterentur timebat. Et certe poterat talia respondere quærentibus, qualia in Jericho mulier illa respondit. Nam prorsus similiter et illi interrogando quæsierunt. Sed homo justus noluit pro corporibus hospitum animam suam suo mendacio maculari, pro quibus voluit corpora filiarum alienæ libidinis iniquitate vim perpeti (*Gen.* XIX, 4-11). Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest : cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit quod non recte faciat. Proinde Raab in Jericho, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos ubi potuit occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Jerusalem civibus imitanda laudetur.

[1] Aliquot Mss., *finiens.*

(*a*) Forte legendum, *an non posset interrogantibus.*

Quod autem mentita est, etiamsi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur : quamvis Deus illa bona memorabiliter honoraverit, hoc malum clementer ignoverit.

35. Quæ cum ita sint, quoniam nimis longum est omnia pertractare, quæ in illa Libra Dictinii sunt posita velut imitanda exempla mentiendi : ad hanc regulam mihi videntur non solum ista, verum etiam si qua sunt talia redigenda, ut aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium ; sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum ; sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genus figuratorum vel dictorum vel factorum abundat in propheticis Litteris : aut quæ convincuntur esse mendacia, non esse imitanda monstrentur, et si qua nobis ut alia peccata subrepserint, non eis tribuendam justitiam, sed veniam postulandam. Hoc quidem mihi videtur ; et ad istam sententiam me superius disputata compellunt.

CAPUT XVIII. — 36. *An mentiendum ut ægro celetur, quod ei mortem afferret. Non timendum ne homicida dicatur veritas. Permisso mendacio in proposito casu, quam difficile mendaciis fines figuntur ne succrescant usque ad perjuria et blasphemias. Acute contra mendacii doctores.* Verum quia homines sumus, et inter homines vivimus, fateorque me nondum esse in eorum numero quos compensativa peccata non turbant ; sæpe me in rebus humanis vincit sensus humanus, nec resistere valeo cum mihi dicitur : Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus et charissimus filius nuntietur ; a te quærit an vivat, quem vitam finisse tu nosti ; quid respondebis, quando quidquid aliud dixeris præter unum de tribus ; aut, Mortuus est ; aut, vivit ; aut, nescio ; nihil aliud credit ille quam mortuum ; quod te intelligit timere dicere, et nolle mentiri ? Tantumdem valet, etiamsi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falsa sunt, Vivit ; et, nescio ; nec abs te dici possunt nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse, si dixeris, et perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus esse clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes quantum sit mali salubre mendacium devitari, et homicidam diligi veritatem ? Moveor his oppositis vehementer, sed mirum si etiam sapienter. Cum enim proposuero ante qualescumque oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritudinem, de cujus ore falsi nihil procedit ; quamvis ubi radians magis magisque clarescit veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas : tamen sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quæ inde me revocant humana contemnam. Sed multum est ut iste in tantum perseveret affectus, ne in tentatione desit effectus. Nec me movet contemplantem luminosum bonum, in quo mendacii tenebræ nullæ sunt, quod nobis mentiri nolentibus et hominibus vero audito morientibus homicida dicitur veritas. Numquid enim si stuprum expetat impudica, et te non consentiente, sævo amore perturbata moriatur, homicida erit et castitas ? An vero quia legimus, *Christi bonus odor sumus in omni loco, et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt ; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem* ; etiam odorem Christi pronuntiabimus homicidam? Sed quia homines sumus, et nos in hujusmodi quæstionibus et contradictionibus plerumque superat aut fatigat sensus humanus, ideo mox et ille subjecit, *Et ad hæc quis idoneus* (II *Cor.* II, 15 *et* 16) ?

37. Huc accedit, ubi miserabilius ejulandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus fuisse mentiendum, ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum, et brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitus inveniri, ubi tantæ pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti. Unde providentissime scriptum est : *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX, 1). Quid, quod vitæ hujus tales amatores, ut eam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, imo ut homo quandoque moriturus aliquanto serius moriatur, non tantum mentiri, sed etiam pejerare nos volunt ; ut videlicet ne aliquanto citius transeat vana salus hominis, nomen Domini Dei nostri accipiamus in vanum ? Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figant finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis, fontes lacrymarum ? Et quid faciemus ? quo ibimus ? ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria ? Viderint enim assertores defensoresque mendacii quale genus vel qualia genera mentiendi eos justificare delectet : saltem in Dei cultu concedant non esse mentiendum ; saltem sese a perjuriis blasphemiisque contineant ; saltem ubi Dei nomen, ubi Deus testis, ubi Dei sacramentum interponitur, ubi de divina religione sermo promitur sive conseritur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat et præcipiat, nemo justum dicat esse mendacium : de cæteris mendaciorum generibus eligat sibi quod putat esse mitissimum atque innocentissimum mentiendi genus, cui placet esse mentiendum. Hoc scio, quod etiam qui docet oportere mentiri, verum docere se vult videri. Nam si falsum est quod docet, quis falsæ velit studere doctrinæ, ubi et fallit docens, et fallitur discens ? Si autem ut aliquem possit invenire discipulum, docere se asserit verum, cum doceat esse mentiendum ; quomodo erit illud ex veritate mendacium, Joanne Apostolo reclamante, *Omne mendacium non est ex veritate* (I *Joan.* II, 21) ? Non est ergo verum, aliquando esse mentiendum : et quod non est verum, nemini est omnino suadendum.

CAPUT XIX. — 38. *Ut periclitanti subveniatur si non committendum stuprum, ita nec loquendum mendacium. Si aliquo modo permittuntur mendacia, metuendum ne usque ad perjuria et blasphemias progrediantur. Pejerare et blasphemare qua ratione differant.* Sed agit partes suas infirmitas et ea causam invincibilem faventibus turbis se habere proclamat. Ubi contradicit, et dicit : Quomodo apud homines, qui procul dubio si

falluntur, avertuntur a pernicie vel aliena vel sua, periclitantibus subvenitur hominibus, si nos humanus ad mentiendum non inclinet affectus? Si patienter me audiat turba mortalitatis, turba infirmitatis, respondebo aliquid pro negotio veritatis. Certe pia, vera, sancta castitas non nisi ex veritate est : et quisquis adversus eam facit, profecto adversus veritatem facit. Cur ergo et si non possit aliter periclitantibus subveniri, non committo stuprum, quod ideo est contrarium veritati, quia contrarium est castitati ; et ut periclitantibus subveniatur, loquor mendacium, quod ipsi apertissime est contrarium veritati? Quid nos tantum promeruit [1] castitas, et offendit veritas? cum omnis ex veritate sit castitas, et sit non corporis, sed mentis castitas veritas, atque in mente habitet etiam corporis castitas [2]. Postremo, quod et paulo ante dixi et iterum dico, quisquis mihi pro persuadendo et defendendo ullo mendacio contradicit, quid dicit, si verum non dicit? Si autem propterea est audiendus quoniam verum dicit, quomodo me vult facere verum dicendo mendacem? Quomodo mendacium patronam sibi adhibet veritatem? An adversario suo vincit, ut a se ipsa vincatur [3]? Quis hanc absurditatem ferat? Nullo ergo modo dixerimus, eos qui asserunt aliquando esse mentiendum, id asserendo esse veraces ; ne, quod est absurdissimum et stultissimum credere, veritas nos doceat esse mendaces Quale est enim, ut esse adulterandum nemo discat a castitate, Deum offendendum nemo discat a pietate, cuiquam nocendum nemo discat a benignitate, et esse mentiendum discamus a veritate? Porro si hoc non docet veritas, non est verum : si non est verum, non est discendum : si non est discendum, nunquam est igitur mentiendum.

39. *Sed perfectorum est*, ait aliquis, *solidus cibus* (*Hebr* v, 14). Multa enim secundum veniam relaxantur infirmitati, quamvis sincerissimæ nequaquam placeant veritati. Dicat hoc quisquis non metuit quæ consequentia metuenda sunt, si fuerint aliquo modo aliqua permissa mendacia. Nullo modo tamen in tantum sunt permittenda conscendere, ut ad perjuria blasphemiasque perveniant : nec aliquam causam prorsus oportet obtendi, cur debeat pejerari, vel quod est exsecrabilius, cur Deus debeat blasphemari. Non enim quia per mendacium blasphematur [4], ideo non blasphematur. Potest quippe hoc modo dici, non pejerari, quia per mendacium pejeratur. Quis enim per veritatem possit esse perjurus? Sic etiam [5] per veritatem nullus potest esse blasphemus. Sane mitius falsum jurat, qui falsum nescit esse, et verum putat esse quod jurat : sicut et Saulus excusabilius blasphemavit, quia ignorans fecit (I *Tim*. I, 13). Ideo autem pejus est blasphemare quam pejerare, quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Tanto est autem quisque inexcusabilior [1] sive perjurus sive blasphemus, quanto magis ea quæ pejerando vel blasphemando asserunt, falsa noverunt esse vel credunt [2]. Quisquis itaque dicit pro periclitantis hominis salute temporali vel vita esse mentiendum, nimis ipse ab itinere exorbitat æternæ salutis et vitæ, si dicit in ea causa etiam jurandum per Deum, vel etiam blasphemandum Deum.

CAPUT XX. — 40. *An saltem pro æterna hominis salute mentiendum. In salutis æternæ periculo, sicut non debet homini subveniri per stuprum, ita nec per mendacium, quod vere peccatum est.* Sed aliquando nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur, quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur : velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. Ab hoc invidiosissimo [3] clamore, quo cogimur non pro cujusquam opibus vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quo confugiam, nisi ad te, Veritas? Et mihi abs te proponitur castitas. Cur enim si custodes isti, ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illici possunt, non facimus contraria castitati, et si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati? cum procul dubio nulli esset fideliter amabilis castitas, si non eam præciperet veritas. Proinde ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur, esse mentiendum, si non jubet castitas, ut homo baptizetur, esse mœchandum? Cur autem hoc non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Si ergo, nisi quod veritas docet, facere non debemus; cum veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium est castitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem quod ipsi est contrarium veritati? Sed sicut oculi ad intuendum solem parum firmi, ea tamen quæ a sole illustrantur, libenter intuentur; sic animæ jam valentes delectari pulchritudine castitatis, non tamen continuo per se ipsam considerare veritatem unde lucet castitas possunt, ut cum ventum fuerit ad aliquid faciendum quod adversum est veritati, ita refugiant et exhorreant, quemadmodum refugiunt et exhorrent, si faciendum aliquid proponatur quod adversum est castitati. Ille autem filius qui verbum suscipiens a perditione longe aberit, et nihil falsi ex ejus ore procedit (*Prov*. XXIX, 27), tam sibi clausum deputat, si ad subveniendum homini per mendacium, quam si per stuprum transire cogatur. Et Pater exaudit orantem, ut valeat sine mendacio subvenire, cui vult Pater ipse, cujus inscrutabilia sunt judicia, subve-

[1] Editi : *Quid apud nos tantum promeruit?* Abest, *apud*, a Mss.
[2] Ita Mss. At editi, *mentis castitas, veritasque in mente habitet, sicut etiam corporis castitas.*
[3] Sola fere editio Lov., *ut a se ipso vincatur.*
[4] Am. et Lov., *quia per mendacium non blasphematur.* Abest hoc loco, *non*, a Mss. et ab Er., debetque abesse.
[5] Ita Mss. At editi, *si etiam.*

[1] Am. Er. et quatuor Mss., *quisque inexcusabilius.*
[2] Duo codices Vaticani, *vel blasphemando asserit, falsa noverit esse vel credit.*
[3] In sola editione Lov., *insidiosissimo.*

est. Talis ergo filios dei eximit a mendacio, sicut a peccato. Nam et aliquando [illegible] nomen pro peccati nomine ponitur: unde [illegible], *Omnis homo mendax* (*Psal.* cxv, 11). Sic enim dictum est, tanquam diceretur, Omnis homo peccator. Et illud: *Si autem veritas Dei in meo mendacio abundavit* (*Rom.* III, 7). Ac per hoc cum [illegible] ut homo, peccat ut homo, et ea sententia tenebitur qua dictum est, *Omnis homo mendax*; et, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Cum vero nihil [illegible] ex ejus [illegible] procedit, secundum eam gratiam sic erit de qua dictum est: *Qui natus est ex Deo, non peccat* (*Id.* III, 9). Hæc enim nativitas si sola esset in nobis, nemo peccaret: et quando sola erit, nemo peccabit. Nunc autem adhuc trahimus quod corruptibiles nati sumus: quamvis secundum id quod renati sumus, si bene ambulamus, de die in diem renovamur intus (*II Cor.* IV, 16). Cum vero et corruptibile hoc induerit incorruptionem, vita totum absorbebit, et nullus mortis aculeus remanebit. Aculeus autem mortis est peccatum (*I Cor.* xv, 53-56).

CAPUT XXI. — 41. *Epilogus*. Aut ergo vitanda mendacia recte agendo, aut confitenda sunt pœnitendo: non autem cum abundant infeliciter vivendo, augenda sunt et docendo. Sed eligat, qui hoc putat, unde subveniat periclitanti homini ad quamlibet salutem qualiacumque mendacia; dum tamen et apud tales Christianos, nulla causa [illegible] ad pejerandum et blasphemandum [illegible]. [illegible] vel ampliora [illegible] judicentur. Namque cogitandum est, [illegible] homines, de quarum adulterio suspicantur, ad jusjurandum provocare conjuges suas: quod utique non facerent, nisi crederent etiam illas quæ non timuerant perpetrare adulterium, timere posse perjurium. Quia et revera nonnullæ impudicæ quæ non timuerunt illicito concubitu viros fallere, eisdem viris quos fefellerant timuerunt Deum testem fallaciter adhibere. Quid igitur causæ est ut homo castus et religiosus homini baptizando nolit adulterio subvenire, et perjurio velit, quod solent et adulteri formidare? Porro si nefas est hoc agere pejerando, quanto potius blasphemando? Absit ergo ut christianus neget atque blasphemet Christum, quo possit alium facere christianum; et pereundo quærat inveniendum, quem si talia docet, perdat inventum. Sic ergo librum, cui nomen est Libra, te oportet refellere atque destruere, ut caput ejus quo dogmatizant exaltandæ religionis causa esse mentiendum, prius esse noveris amputandum; ita ut illa testimonia quibus sanctos Libros mendaciis suis patronos adhibere moliuntur, partim non esse mendacia, partim etiam quæ sunt, non esse imitanda demonstres: et si tantum sibi usurpat infirmitas, ut ei aliquid venialiter permittatur quod improbat veritas; tamen ut inconcusse teneas et defendas in divina religione nunquam omnino esse mentiendum: latentes vero sicut nec adulteros per adulteria, nec homicidas per homicidia, nec maleficos per maleficia; ita nec mendaces per mendacia, nec blasphemos per blasphemias esse quærendos; secundum ea quæ tam multa in hoc volumine disputavimus, ut vix ad ejus terminum, quem loco isto fiximus, veniremus.

In librum de Opere Monachorum, *vide lib.* 2, *cap.* 21, Retractationum, *col.* 638, *verbis*, Ut de Opere Monachorum scriberem (*a*), *usque ad verba col.* 639, Sancte frater Aureli. M.

(*a*) Librum hunc in Retractationibus Augustinus collocat proxime ante opus de Bono conjugali, quod circiter annum 401 perscriptum esse supra monuimus.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE OPERE MONACHORUM

LIBER UNUS (a).

[illegible] Carthaginensi [illegible] monachorum causam qui se suis manibus transigebant, defendit adversus illos [illegible], ut nihil operantes, [illegible]. Ac primum, demonstrat apostolum Paulum [illegible], quo victum et vestitum sibi procurarent. Deinde, [illegible] fovebant, [illegible]. Ad extremum, crinitos monachos reprehendit, atque ut ne comam [illegible] exhortatur.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Ad scribendum hoc opus impulsus est ab Aurelio. Monachorum qui operari nolunt,* [illegible] *de sensu Apostoli jubentis operari. Opponunt Evangelii præceptum de non curando corporali victu.*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

[illegible] Calli[illegible] [illegible] conventus [illegible]

[illegible] *omnes editiones initio* [illegible] *memoratas.* M.

(*a*) [illegible]

Apostoli præceptum de opere spirituali accipi volunt. Arbitrantur se non operantes obedire Apostolo et Evangelio. Jussioni tuæ, sancte frater Aureli, tanto devotius obtemperare me oportuit, quanto magis mihi quis ex te jusserit, claruit. Dominus enim noster Jesus Christus habitans in interiori tuo [1], ubique sollicitudinem paternæ et fraternæ charitatis inspirans, utrum filiis et fratribus nostris monachis, qui beato Paulo apostolo obedire negligunt dicenti, *Qui non vult operari, non manducet* (II *Thess.* III, 10), permittenda sit ista licentia, voluntatem ac linguam tuam assumens in opus suum, imperavit mihi ex te, ut hinc ad te aliquid scriberem. Adsit itaque ipse etiam mihi, quo ita paream, ut et me parere ex ejus munere ipsa utilitate fructuosi laboris intelligam.

2. Primum ergo videndum quid dicant illius professionis homines qui operari nolunt: deinde, si eos non recte sentire invenerimus, ad eorum correctionem quid dicendum. Non, inquiunt, de hoc opere corporali, in quo vel agricolæ vel opifices laborant, præcepit Apostolus, cum diceret, *Qui non vult operari, non manducet.* Neque enim Evangelio posset esse contrarius, ubi ait ipse Dominus: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum? Conspicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent; dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit autem Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia hæc apponentur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI, 25-34). Ecce, inquiunt, ubi nos Dominus jubet de victu et tegumento nostro esse securos: quomodo ergo Apostolus sentire adversus Dominum posset, ut nos præciperet ita esse debere sollicitos quid manducemus et quid bibamus et quo operiamur, ut nos etiam opificum artibus, curis, laboribus oneraret? Quapropter in eo quod ait, *Qui non vult operari, non manducet;* opera spiritualia, inquiunt, debemus accipere: de quibus alio loco dicit, *Unicuique sicut Dominus dedit: ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit;* et paulo post, *Unusquisque suam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus cooperarii; Dei agricultura, Dei ædificatio estis: secundum gratiam quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui* (I *Cor.* III, 5-10). Sicut ergo Apostolus operatur plantando, rigando, ædificando, et fundamentum ponendo, ita qui non vult operari, non manducet. Quid enim prodest manducando spiritualiter pasci verbo Dei [1], si non inde operatur aliorum ædificationem? Sicut illi pigro servo quid profuit accipere talentum, et abscondere, nec operari lucra dominica? An et ei adimetur quod habet, et ipse in exteriores tenebras mittetur (*Matth.* XXV, 24-30)? Sic, inquiunt, et nos facimus. Legimus cum fratribus, qui ad nos ab æstu sæcularis vitæ fatigati, ut apud nos in verbo Dei et in orationibus, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus requiescant. Alloquimur eos, consolamur, exhortamur, ædificantes in eis, si quid eorum vitæ pro suo gradu deesse perspicimus. Talia opera si non faceremus, periculose a Domino alimenta ipsa spiritualia sumeremus. Hoc enim dixit Apostolus, *Qui non vult operari, non manducet.* Ita se isti arbitrantur apostolicæ et evangelicæ obtemperare sententiæ, cum et Evangelium credunt de non curanda corporali et temporali vitæ hujus indigentia præcepisse, et Apostolum de cibo et opere spirituali dixisse, *Qui non vult operari, non manducet.*

CAPUT II. — 3. *Refellantur, quia ut sensum Evangelii ex aliis ejus verbis Domini habent, ita locum Apostoli ex aliis ejus dictis intelligendum esse non attendunt.* Nec attendunt quia si alius diceret, Dominum quidem in parabolis et in similitudinibus loquentem de victu et tegumento spirituali monuisse, ut non inde sint solliciti servi ejus (sicut dicit, *Cum vos attraxerint ad judicia, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* [*Matth.* X, 19 *et* 20]. Sermo quippe sapientiæ spiritualis est, de quo illos noluit cogitare, promittens quod eis nihil inde sollicitis præstaretur;) Apostolum autem jam more apostolico apertius disserentem, et magis proprie quam figurate loquentem, sicut multa ac pene omnia sese habent in Epistolis apostolicis, proprie de opere corporali ciboque dixisse, *Qui non vult operari, non manducet:* redderetur illis dubia sententia eorum, nisi cætera dominica verba considerantes, invenirent aliquid unde probarent eum de victu et vestitu corporali non curando [2] locutum fuisse, cum diceret, *Nolite solliciti esse quid manducetis*, *et quid bibatis, et quo vestiamini;* velut si animo adverterent quod ait, *Hæc enim omnia Gentes inquirunt:* ibi enim ostendit de ipsis corporalibus et temporalibus se dixisse. Ita ergo, si hoc solum de hac re dixisset Apostolus, *Qui non vult operari, non manducet;* possent hæc verba in aliam traduci sententiam: cum vero multis aliis locis Epistolarum suarum, quid hinc sentiat, apertissime doceat; superfluo conantur, et sibi et cæteris caliginem obducere, ut quod utiliter illa charitas monet non solum facere nolint, sed nec intelligere ipsi, aut ab aliis intelligi velint, non timen-

[1] Sola editio Lov., *in interiori homine tuo.*

[1] Sic in MSS. At editi, *manducare spiritualiter, id est, pasci verbo Dei.*

[2] In editione Lov. male omissum est, *curando;* quod verbum in editis aliis legitur et in Mss.

tes quod scriptum est, *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4).

CAPUT III. — 4. *Pauli præceptum de corporali opere esse probatur ex circumstantia lectionis. Exemplo suo Paulus docuit quid præceperit.* Prius ergo demonstrare debemus beatum apostolum Paulum opera corporalia servos Dei operari voluisse, quæ finem haberent magnam[1] spiritualem mercedem, ad hoc ut ipso victu et tegumento a nullo indigerent, sed manibus suis hæc sibi procurarent : deinde ostendere evangelica illa præcepta, de quibus nonnulli non solum pigritiam, sed etiam arrogantiam suam fovent, apostolico præcepto et exemplo non esse contraria. Videamus itaque unde ad hoc venerit Apostolus, ut diceret, *Si quis non vult operari, non manducet;* et quid deinde contexat, ut ex ipsa circumstantia lectionis appareat declarata sententia. *Denuntiamus*, inquit, *vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inquiete ambulante, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis quomodo oporteat imitari nos; quia non fuimus inquieti inter vos, neque panem ab aliquo gratis manducavimus, sed in labore et fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus : non quia non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis, qua nos imitaremini. Nam et cum apud vos essemus, hoc vobis præcipiebamus, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui ejusmodi sunt, præcipimus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent* (II *Thess.* III, 6-12). Quid ad hæc dici potest, quandoquidem ne cuiquam postea liceret hoc pro voluntate, non pro charitate interpretari, exemplo suo docuit quid præceperit? Illi enim tanquam Apostolo prædicatori Evangelii, militi Christi, plantatori vineæ, pastori gregis constituerat Dominus ut de Evangelio viveret; et tamen ipse stipendium sibi debitum non exegit, ut se formam daret eis qui exigere indebita cupiebant : sicut ad Corinthios dicit, *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit?* Ergo quod sibi debebatur, noluit accipere, ut exemplo ejus coercerentur, qui sibi non ita ordinatis[2] in Ecclesia talia deberi arbitrabantur. Quid est enim quod ait : *Neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus : non quia non habuerimus potestatem, sed ut nos formam daremus vobis, qua nos imitaremini?* Audiant ergo quibus hoc præcepit, id est, qui non habent hanc potestatem quam ille habebat, ut tantummodo spiritualiter operantes manducent panem a corporali labore gratuitum : et quemadmodum dicit, *Præcipimus et obsecramus in Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent*, non disputent contra manifestissima verba Apostoli; quia et hoc pertinet ad silentium, cum quo debent operantes manducare panem suum.

CAPUT IV. — 5. *Pauli sententia ex aliis ejus Epistolis declarata.* Enucleatius autem et diligentius adhuc ista verba considerarem atque tractarem, nisi haberem alia loca Epistolarum ejus multo manifestiora, quibus collatis et ista liquidius manifestantur, et si ista non essent, illa sufficerent. Ad Corinthios enim scribens de hac eadem re, ita dicit : *Non sum liber? non sum apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Si aliis non sum apostolus, vobis verumtamen sum. Signaculum enim apostolatus mei vos estis in Domino. Mea defensio ad eos qui me interrogant hæc est. Numquid non habemus potestatem*[1] *manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas* (I *Cor.* IX, 1-7). Vide quemadmodum primum ostendat quid sibi liceat, et ideo liceat quia apostolus est. Inde enim cœpit : *Non sum liber? non sum apostolus?* Et probat se apostolum esse, dicens : *Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino?* Quo probato ostendit sibi licere quod cæteris Apostolis; id est, ut non operetur manibus suis, sed ex Evangelio vivat, sicut Dominus constituit, quod in consequentibus apertissime demonstravit : ad hoc enim et fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis, et ministrabant eis de substantia sua, ut nullius indigerent horum quæ ad necessaria vitæ hujus pertinent[2]. Quod beatus Paulus licere quidem sibi demonstrat, sicut et cæteri Apostoli faciebant, sed ea potestate se uti noluisse postea commemorat. Hoc quidam non intelligentes, non *sororem mulierem*, cum ille diceret, *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* sed *uxorem* interpretati sunt. Fefellit eos verbi græci ambiguitas, quod et uxor et mulier eodem verbo græce dicitur. Quanquam hoc ita posuerit Apostolus, ut falli non debuerint : quia neque *mulierem* tantummodo ait, sed *sororem mulierem* (a); neque *ducendi*, sed *circumducendi*. Verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, et *mulierem*[3], non *uxorem*, interpretati sunt.

CAPUT V. — 6. *Apostolis permissum mulieres sibi ministrantes secum habere exemplo Christi.* Quod quisquis putat non potuisse ab Apostolis fieri, ut cum eis sanctæ conversationis mulieres circuirent, quacumque Evangelium prædicabant, ut eis de sua substantia ministrarent necessaria, Evangelium audiat, et cognoscat quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, et loculos habebat, quo mitteretur pecunia, quæ conferebatur utique a bonis fidelibus eorum victui necessaria : quos loculos Judæ commendavit, ut etiam fures si evitare non possemus, tolerare in Ecclesia disceremus. Ille enim *ea quæ mittebantur*, sicut

[1] Mss., *haberent in magnam.*
[2] Ed. et plerique Mss., *ordinati.*

[1] In Mss. plerisque, *licentiam*; loco, *potestatem.*
[2] Omnes prope Mss., *ad substantiam vitæ hujus pertinent.*
[3] Sola editio Lov. habet, *quia sororem mulierem.*
(a) [illegible] *adelphen gunaica periagein.*

de illo scriptum est, *auferebat* (*Joan.* XII, 6). Et mulieres voluit ut se ad præparanda et ministranda necessaria sequerentur, ostendens quid evangelistis et ministris Dei tanquam militibus, a plebibus Dei tanquam provincialibus deberetur; ut si quis eo quod sibi deberetur, uti nollet, sicut Paulus apostolus noluit, amplius impenderet Ecclesiæ, non exigendo stipendium debitum, sed quotidianum victum de suis laboribus transigendo. Audierat enim stabularius, ad quem vulneratus ille perductus est : *Si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi* (*Luc.* x, 35). Amplius ergo erogabat apostolus Paulus, qui suis, ut ipse testatur, stipendiis militabat (I *Cor.* IX, 7-15, *et* II *Cor.* XI, 7). In Evangelio enim scriptum est : *Deinceps et ipse iter faciebat per civitates et castella prædicans et evangelizans regnum Dei; et duodecim cum illo, et mulieres aliquæ quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus : Maria quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia septem exierant*[1], *et Joanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant eis de facultatibus suis* (*Luc.* VIII, 1-3). Hoc exemplum Domini imitabantur Apostoli, ad accipiendum sibi debitum cibum; de quo idem Dominus apertissime loquitur : *Euntes*, inquit, *prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia ejicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus est enim operarius cibo suo* (*Matth.* x, 7-10). Ecce ubi constituit Dominus quod idem apostolus commemorat. Ad hoc enim dixit illa omnia ne portarent, ut ubi opus esset, ab eis acciperent quibus annuntiabant regnum Dei.

CAPUT VI. — 7. *De Evangelio vivere non solis Apostolis, sed et aliis concessum a Christo.* Ne quis autem arbitretur solis duodecim hoc fuisse concessum; vide etiam quid Lucas narret : *Post hæc*, inquit, *designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci : rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua* (*Luc.* x, 1-7). Hic apparet non esse illa jussa, sed permissa; ut quisquis uti vellet, eo uteretur quod sibi liceret ex Domini constitutione; si quis autem uti nollet, non contra jussum faceret, sed de suo jure cederet misericordius et laboriosius conversatus[2] in Evangelio, in quo et debitam mercedem nollet accipere. Alioquin contra jussum Domini fecit Apostolus, qui posteaquam ostendit sibi licere, statim subjecit : *Sed tamen ego non sum usus hac potestate.*

CAPUT VII. — 8. *Potestatem non operandi datam Apostolis, esse intelligendam de opere corporali.* Sed ad ordinem redeamus, ac totum ipsum Epistolæ locum diligenter consideremus. *Numquid*, inquit, *non habemus licentiam manducandi et bibendi? Numquid non habemus licentiam sororem mulierem circumducendi?* Quam licentiam dixit, nisi quam Dominus dedit eis quos ad prædicandum regnum cœlorum misit, dicens, *Ea quæ ab ipsis*[1] *sunt manducate : dignus est enim operarius mercede sua*; et se ipsum proponens ad ejusdem potestatis exemplum, cui fidelissimæ mulieres talia necessaria de suis facultatibus ministrabant? Amplius autem fecit apostolus Paulus, ut de coapostolis suis documentum adhiberet hujus licentiæ a Domino permissæ. Neque enim reprehendens subjecit, *Sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas*; sed ut hinc ostenderet hoc se accipere noluisse, quod ei licere accipere cæterorum etiam commilitonum ejus more probaretur. *An ego solus et Barnabas non habemus potestatem non operandi?* Ecce abstulit omnem dubitationem etiam tardissimis cordibus, ut intelligant de qua operatione dicat. Utquid enim ait, *An ego solus et Barnabas non habemus potestatem non operandi?* nisi quia omnes evangelistæ et ministri verbi Dei habebant potestatem a Domino acceptam, ut non operarentur[2] manibus suis, sed ex Evangelio viverent, operantes tantummodo spiritualia in prædicatione regni cœlorum, et ædificatione pacis Ecclesiæ. Neque enim quisquam potest dicere de ipsa spirituali operatione dixisse Apostolum, *An ego solus et Barnabas non habemus potestatem non operandi?* Hanc enim potestatem non operandi omnes illi habebant : dicat ergo qui conatur præcepta apostolica in sententiam suam depravare atque pervertere; dicat, si audet, omnes evangelistas a Domino accepisse potestatem non evangelizandi. At si hoc absurdissimum et insanissimum est dicere, cur nolunt intelligere quod omnibus pateat, accepisse quidem illos potestatem non operandi, sed opera corporalia quibus victum quærerent, quia *dignus est operarius cibo suo et mercede sua*, sicut Evangelium loquitur? Non ergo soli Paulus et Barnabas habebant potestatem non operandi; sed omnes pariter habebant hanc potestatem, qua isti non utebantur, amplius impendendo Ecclesiæ, sicut in illis locis ubi evangelizabant, infirmis congruere judicabant. Et ideo, ne coapostolos suos reprehendisse videretur, subjungit et dicit : *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit? Numquid secundum hominem hæc loquor? An Lex non hæc dicit? In lege enim Moysi scriptum est : Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus pertinet ad Deum? An propter nos omnino dicit? Propter nos enim scriptum est, quia debet in spe*

[1] Sic Mss. Editiones vero, *dæmonia septem ejecerat.*
[2] Sic Mss. At editi, *conversaretur.*

[1] Editi, *apud ipsos.* At Mss., *ab ipsis.* Græce est, *par' autôn.*
[2] Verbum, *operarentur*, abest a plerisque Mss.

qui arat arare, et triturans in spe fructus participandi [1]. His verbis satis indicat apostolus Paulus, non sibi aliquid usurpasse ultra debitum coapostolos suos, quia non operabantur corporaliter, unde haberent huic vitæ necessaria [2], sed, sicut Dominus constituit, ex Evangelio viventes panem gratuitum manducarent ab eis quibus gratuitam gratiam prædicabant. Stipendium enim suum tanquam milites accipiebant, et de vineæ per eos plantatæ fructu, quod opus erat, libere decerpebant; et de gregis quem pascebant, lacte potabant; et ex area quam triturabant, cibum sumebant.

CAPUT VIII. — 9. *Apostolum manifeste loqui de opere manuum.* Apertius autem cætera connectit, et omnino aufert omnes dubitationis ambages. *Si nos vobis*, inquit, *spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus?* Quæ sunt spiritualia quæ seminavit, nisi verbum et mysterium [3] sacramenti regni cœlorum? Quæ autem carnalia quæ sibi licere metere dicit, nisi hæc temporalia, quæ vitæ atque indigentiæ carnis indulta sunt? Hæc autem sibi debita se ab eis non quæsisse nec accepisse manifestat, ne quod impedimentum daret Evangelio Christi. Quid restat, ut intelligamus eum operatum esse unde victum haberet, nisi corporale opus corporalibus et visibilibus manibus suis? Nam si de spirituali opere victum et tegumentum quæreret, id est, ut ab eis hæc acciperet, quos in Evangelio ædificabat, non consequenter diceret: *Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos? Sed non sumus usi hac potestate; sed omnia toleramus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi.* Qua potestate se dicit non usum, nisi quam habebat in eos a Domino acceptam, ut eorum carnalia meteret, ad victum vitæ hujus, quæ in carne agitur? cujus potestatis participes erant etiam alii, qui non eis primo Evangelium annuntiaverunt, sed ad eorum Ecclesiam idipsum prædicantes postea venerunt. Ideo cum dixisset, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* adjecit, *Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos?* Et cum demonstrasset quid eis potestatis esset: *Sed non sumus usi*, inquit, *hac potestate; sed omnia toleramus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi.* Dicant ergo isti, quomodo de opere spirituali carnalem victum habebat Apostolus, cum aperte ipse dicat non se usum esse hac potestate. At si de opere spirituali carnalem victum non habebat, restat ut de opere corporali habuerit, et inde dicat: *Neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quia non habuerimus potestatem, sed ut nos formam daremus vobis, qua nos imitaremini* (II *Thess.* III, 8, 9). *Omnia*, inquit, *toleramus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi.*

CAPUT IX. — 10. *Apertius et clarius id esse ex consequentibus.* Et redit rursus, modisque omnibus etiam atque etiam commendat quid sibi liceat, et tamen non faciat. *Nescitis*, inquit, *quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt? qui altario deserviunt, altario compartiuntur* [1]*? Sic et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullius horum usus sum.* Quid hoc apertius? quid clarius? Vereor ne forte cum dissero volens id exponere, obscurum fiat quod per se lucet et claret [2]. Qui enim hæc verba non intelligunt, aut se non intelligere fingunt, mea multo minus intelligunt vel se intelligere profitentur: nisi forte propterea cito intelligant nostra, quia conceditur eis intellecta deridere, de Apostoli autem verbis non idem conceditur. Propterea ubi aliter ea secundum suam sententiam interpretari non possunt, etiam clara et manifesta, obscura et incerta esse respondent, quia prava et perversa non audent. Clamat homo Dei, *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere; ego autem nullius horum usus sum;* et conatur caro et sanguis recta depravare, aperta claudere, serena obnubilare. Spirituale, inquit, opus faciebat, et inde vivebat. Si ita est, de Evangelio vivebat: cur ergo dicit, *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere; ego autem nullius horum usus sum?* Aut si et hoc ipsum quod hic dictum est *vivere*, secundum spiritualem vitam volunt interpretari, nullam spem habebat Apostolus ad Deum qui de Evangelio non vivebat, quia dixit, *Nullius horum usus sum.* Quapropter ut spes illi certa esset vitæ æternæ, de Evangelio utique spiritualiter vivebat Apostolus. Quod ergo ait, *Ego autem nullius horum usus sum*, de vita ista quæ in carne agitur sine dubitatione facit intelligi, quod dixit Dominum ordinasse iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, id est, vitam istam cui opus est victu et tegumento de Evangelio transigere; sicut superius de suis coapostolis dixit: unde ipse Dominus ait, *Dignus est operarius cibo suo*; et, *dignus est operarius mercede sua.* Hunc itaque cibum et hanc mercedem sustentandæ hujus vitæ debitam evangelistis [3], ab eis quibus evangelizabat non accepit Apostolus, verum dicens, *Ego autem nullius horum usus sum.*

CAPUT X. — 11. *Ex Evangelio cur non vivit Paulus.* Et sequitur, et adjungit, ne forte quisquam arbitretur ideo eum non accepisse, quia illi non dederant: *Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me; bonum est mihi magis mori, quam gloriam meam quisquam inanem faciat.* Quam gloriam, nisi quam habere voluit apud Deum, in Christo compatiens infirmis; sicut mox apertissime dicturus est? *Si enim evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit;* id est, sustentandæ vitæ hujus. *Væ enim erit mihi*, inquit, *si non evangelizavero:* id est, malo meo

[1] Mss., in spe participandi; omissa voce, *fructus*.
[2] [illegible], unde haberent *victui necessaria*.
[3] [illegible] *ministerium*.
[4] [illegible] quasi, *pro*, quia. [illegible] Vorel, Elem. Crit. p. 104. M.

[1] Cisterciensis codex, *comparticipantur*.
[2] Er. et plures Mss., *clamat*.
[3] Edd., *cur debitam concessam evangelistis*. Abest, *concessum*, a Mss., et ex his nonnulli habent, *debitam*.

non evangelizabo, quia fame cruciabor, et unde vivam non habebo. Nam sequitur, et dicit : *Si enim volens hoc facio, mercedem habeo*. Volentem se dicit facere, si nulla vitæ hujus fulciendæ necessitate compulsus facit; et ob hoc habere mercedem, utique apud Deum gloriæ sempiternæ. *Si autem invitus*, inquit, *dispensatio mihi credita est* : id est, si necessitate transigendæ hujus vitæ invitus cogor evangelizare, *dispensatio mihi credita est*; ut scilicet ex dispensatione mea, quia Christum, quia veritatem[1] prædico, quamvis ex occasione, quamvis mea quærens, quamvis terreni emolumenti necessitate compulsus, alii proficiant, ego autem apud Deum mercedem gloriosam illam sempiternamque non habeam. *Quæ ergo*, inquit, *merces mihi erit?* Interrogans dixit : propterea suspendenda est pronuntiatio, donec respondeat. Quod ut facilius intelligatur, tanquam nos eum interrogemus, Quæ ergo tibi merces erit, Apostole, quando mercedem istam terrenam etiam evangelistis bonis debitam, non propter hoc evangelizantibus, sed tamen consequentem et oblatam ex Domini ordinatione sumentibus, tu non accipis? quæ ergo tibi merces erit? Vide quid respondeat : *Ut evangelizans*, inquit, *sine sumptu ponam Evangelium*; id est, ut non sit credentibus sumptuosum Evangelium, ne putent ad hoc sibi evangelizari, ut id evangelistæ quasi vendere videantur. Et tamen redit etiam atque etiam, ut ostendat quid sibi jure dominico liceat, et ipse non faciat : *Ut non abutar*, inquit, *potestate mea in Evangelio*.

CAPUT XI.—12. *In hac re, ut in aliis, Paulus ex compassione se infirmis accommodat. Quomodo sine fictione et fallacia factus est quasi sub lege et quasi sine lege. Timet ne Evangelium, si ex eo vivat, venale putetur ab infirmis.* Jam vero quia infirmitati hominum compatiens id faciebat, audiamus sequentia : *Cum enim liber sim*, inquit, *ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem : iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege, cum non sim ipse sub Lege, ut eos qui sub Lege erant lucrifacerem; iis qui sine Lege sunt, quasi sine Lege, cum sine lege Dei non sim, sed sim in lege Christi, ut lucrifacerem eos qui sine Lege sunt*. Quod non simulandi versutia faciebat, sed compatiendi misericordia; id est, non quasi ut se fingeret Judæum, sicut nonnulli putaverunt, quia legitima vetera Jerosolymis observavit (*a*). Fecit enim hoc secundum liberam et manifestam sententiam suam, in qua dicit, *Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium*[2]; id est, non sic vivat, quasi præputium adduxerit, et id quod nudaverat texerit : sicut alio loco dicit, *Circumcisio tua præputium facta est* (*Rom*. II, 25). Secundum hanc ergo sententiam suam, qua dicit, *Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium. In præputio quis vocatus est? non circumcidatur* (I *Cor*. VII, 18); fecit illa quæ non intelligentibus et parum attendentibus finxisse putatus est; Judæus enim erat et circumcisus vocatus; noluit adducere præputium, id est, noluit sic vivere quasi circumcisus non esset. Hoc enim jam in potestate habebat. Et sub Lege quidem non erat, sicut illi qui eam serviliter operabantur; sed tamen in Lege Dei et Christi. Non enim alia lex erat illa, et alia lex ista, sicut perditi Manichæi solent dicere. Alioquin si cum illa [illegible], fingens putandus est; finxit et [illegible], quia dicit factum se fuisse eis qui sine Lege sunt quasi sine Lege. Quos [illegible] Gentiles, quos Paganos dicimus, vult intelligi. Aliud est ergo esse sub Lege, aliud in Lege, aliud sine Lege. Sub Lege carnales Judæi; in Lege spirituales, et Judæi et Christiani, unde illi servaverunt morem illum patrium, sed onera insolita credentibus Gentibus non imposuerunt; et ideo et illi[1] circumcisi sunt : sine Lege autem Gentes quæ nondum crediderunt, quibus tamen se Apostolus congruisse testatur per misericordem compassionem, non per versipellem simulationem; id est, ut eo modo subveniret carnali Judæo vel Pagano, quo modo sibi ipse, si hoc esset, subveniri voluisset : portans utique eorum infirmitatem in compassionis similitudine, non fallens in mendacii fictione; sicut continuo sequitur, et dicit, *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem* (I *Cor*. IX, 1-22). Hinc enim loquebatur, ut etiam omnia illa diceret. Sicut ergo quod factus est infirmis infirmus, non erat mendacium; sic et cætera illa superius. Quam enim dicit infirmitatem suam erga infirmos fuisse, nisi compatiendi eis, in tantum ut, ne videretur venditor Evangelii, et verbi Dei cursum apud imperitos in malam suspicionem decidens impediret, nollet accipere quod jure dominico debebatur? Quod si vellet, non utique mentiretur, quia vere debebatur : et, quia noluit, non utique mentitus est. Neque enim dixit non sibi deberi : sed deberi ostendit, et debito se usum non esse, nec omnino uti velle professus est, eo ipso factus infirmus, quo potestate sua uti noluit; tam misericordi scilicet indutus affectu, ut cogitaret quemadmodum secum agi vellet, si et ipse ita infirmaretur, ut posset de illis per quos sibi Evangelium prædicaretur, si eos videret sumptus accipere, quasi mercimoniorum nundinas suspicari.

CAPUT XII. — 13. *Infirmorum periculis tremefactus eligit laborare, quam de Evangelio vivere*. De hac infirmitate sua dicit alio loco : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos*. Nam ejus circumstantia lectionis hoc indicat : *Neque enim*, inquit, *aliquando in sermone adulationis fuimus, sicut scitis; neque in occasione cupiditatis, Deus testis est; neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis; cum possemus oneri vobis esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum; tanquam si nutrix foveat filios suos* (I *Thess*. II, 5-7). Quod ergo ad Corinthios dicit, habere se potestatem apostolatus sui, sicut et cæteri Apostoli, qua potestate usum se non esse testatur; hoc etiam in isto loco ad Thessalonicenses ait, *Cum possemus oneri vobis esse, ut Christi Apostoli* : secundum quod Dominus dicit,

[1] Plures Mss., *qua Christum, qua veritatem*.
[2] Hoc et proximo loco vox, *præputium*, a Mss. abest, uti et a græco textu Apostoli.
(*a*) Hieron. in epist. inter Augustinianas 75, n. 9-11.

[1] Editi, *nec illi*. At Mss. habent, *et illi* : scilicet, spirituales Judæi qui servarunt morem patrium.

Dignus est operarius mercede sua. Nam hinc eum dicere, illud indicat quod supra posuit : *Neque in occasione cupiditatis, Deus testis est.* Per hoc enim quod jure dominico debebatur bonis evangelistis, non propter hoc evangelizantibus, sed quærentibus regnum Dei, ut hæc omnia apponerentur eis, inveniebant alii occasionem, de quibus idem dicit, *Neque enim isti Deo serviunt, sed suo ventri* (*Rom.* XVI, 18). Quibus hanc occasionem amputare volebat Apostolus, ut etiam quod sibi juste debebatur, omitteret. Aperte quippe hoc ipse ostendit in secunda ad Corinthios, ab aliis Ecclesiis suppletas dicens necessitates suas. Venerat enim, sicut apparet, ad tantam indigentiam, ut de longinquis Ecclesiis ei necessaria mitterentur, dum tamen ab eis apud quos erat [1] nihil tale acciperet. *Numquid peccatum,* inquit, *feci, me ipsum humiliando, ut vos exaltaremini, quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? Alias Ecclesias exspoliavi accipiens stipendium ad vestram ministrationem; et cum apud vos fuissem et egerem, nemini gravis fui. Nam id quod deerat mihi adimpleverunt fratres qui venerunt a Macedonia, et in omnibus ingravate me vobis custodivi, et custodiam. Est veritas Christi in me, quia gloria hæc non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quare? quia non vos diligo? Deus scit. Quod autem facio et facturus sum, ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos* (II *Cor.* XI, 7-12). De hac igitur occasione quam hic se dicit amputare, voluit intelligi quod ibi ait, *Neque in occasione cupiditatis, Deus testis est.* Et quod hic dicit, *Me ipsum humiliando, ut vos exaltaremini* : hoc in prima ad eosdem Corinthios, *Factus sum infirmis infirmus;* hoc ad Thessalonicenses, *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Proinde attende sequentia : *Ita,* inquit, *desiderantes vos, placet impertire vobis non solum Evangelium Dei, verum etiam animas nostras; quoniam charissimi nobis facti estis. Recordamini enim, fratres, laborem nostrum et ærumnam, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus* (I *Thess.* II, 8, 9). Hoc enim superius ait, *Cum possemus oneri vobis esse, ut Christi Apostoli.* Infirmorum igitur periculis, ne falsis suspicionibus agitati odissent quasi venale Evangelium, tanquam paternis maternisque visceribus tremefactus hoc fecit. Sic etiam in Actibus Apostolorum idem loquitur, cum a Mileto mittens Ephesum vocasset inde presbyteros Ecclesiæ, quibus inter multa : *Argentum,* inquit, *et aurum vel vestem nullius concupivi, ipsi scitis, quoniam necessitatibus meis et eorum qui mecum fuerunt, hæ manus servierunt. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet juvare infirmos, memores etiam verbi Domini Jesu, quia ipse dixit : Beatius est magis dare quam accipere* (*Act.* XX, 33-35).

CAPUT XIII. — 14. *Quod erat opus corporale Apostoli. Opera honesta ad victum comparandum.* Hic fortasse aliquis dicat : Si corporale opus operabatur Apostolus, unde victum istum sustentaret; quod erat ipsum opus, et quando ei vacabat et operari et Evangelium prædicare? Cui respondeo : Puta me nescire; corporaliter tamen operatum esse, et inde in carne vixisse, non autem usum potestate quam Dominus Apostolis dederat, ut Evangelium annuntians de Evangelio viveret, ea quæ supra dicta sunt sine ulla dubitatione testantur. Neque enim aut uno loco aut breviter dictum est, ut possit cujusvis astutissimi tergiversatione in aliam traduci pervertique sententiam. Cum igitur tantæ auctoritatis tam magnis et crebris molibus contradicentium conteratur adversitas; quid a me quærunt, vel quale opus faciebat vel quando faciebat? Unum scio, quia nec furta faciebat, nec effractor aut latro erat, nec auriga, aut venator, aut histrio, nec turpilucrus : sed innocenter et honeste quæ apta sunt humanis usibus operabatur; sicut sese habent opera fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum, et his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod reprehendit superbia eorum qui honesti vocari amant, sed esse non amant. Non igitur dedignaretur Apostolus sive rusticanum opus aliquod aggredi, sive in opificum labore versari. Qui enim ait, *Sine offensione estote Judæis, et Græcis, et Ecclesiæ Dei* (I *Cor.* X, 32), quos in hac causa revereri posset ignoro. Si Judæos dixerint; Patriarchæ pecora paverunt : si Græcos, quos etiam Paganos dicimus; etiam philosophos multum sibi honorabiles sutores habuerunt : si Ecclesiam Dei; homo ille justus et ad testimonium conjugalis semper mansuræ virginitatis electus, cui desponsata erat virgo Maria, quæ peperit Christum, faber fuit (*Matth.* XIII, 55). Quidquid ergo horum cum innocentia et sine fraude homines operantur, bonum est. Nam præcavet hoc et ipse Apostolus, ne quisquam ex necessitate sustentandæ vitæ in mala opera dilabatur. ***Qui furabatur,*** **inquit,** ***jam non furetur : magis autem laboret manibus suis bonum, ut habeat unde tribuere cui opus est*** (*Ephes.* IV, 28). Hoc ergo scire sufficit, quia et in ipso opere corporali id quod bonum est operabatur Apostolus.

CAPUT XIV. — 15. *Quando soleret Apostolus operari. Monachorum otium.* Quando autem soleret operari, id est, quibus temporum spatiis, ne ab evangelizando impediretur, quis possit comprehendere? Sane quia et diurnis et nocturnis horis operabatur, ipse non tacuit (I *Thess.* II, 9, *et* II *Thess.* III, 8). Veruntamen isti, qui tanquam multum negotiosi et occupati de tempore operationis inquirunt, quid agunt? Numquid ipsi ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum terras Evangelio repleverunt? aut quidquid gentium barbararum remansit adhuc obeundum et implendum de pace Ecclesiæ susceperunt? Novimus eos in quamdam sanctam societatem otiosissime congregatos. Mirandam rem fecit Apostolus, qui revera in tanta sollicitudine omnium Ecclesiarum, et propagatarum et propagandarum, ad ejus curam laboremque pertinentium, etiam manibus operabatur : propterea tamen, cum apud Corinthios esset et egeret, nemini quidem eorum apud quos erat, gravis fuit; sed plane quod illi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt ex Macedonia (II *Cor.* XI, 9).

[1] Quidam Mss., *prædicabat.*

CAPUT XV. — 16. *Paulus præcipiens operari servos Dei, non vult tamen eorum necessitates minus curari a fidelibus. Labor servis Dei eligendus qui animo libero exerceatur, sine cura et cupiditate.* Nam et ipse propter ejusmodi necessitates sanctorum, qui quamvis præceptis ejus obtemperent, ut cum silentio operantes suum panem manducent, possunt tamen multis ex causis indigere supplemento aliquo talium sustentationum, cum dixisset talia docens et præmonens, *His autem qui ejusmodi sunt, præcipimus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent*; ne illi qui habebant unde necessaria servis Dei præberent, hac occasione pigrescerent, providens continuo subjecit, *Vos autem, fratres, nolite infirmari benefacientes* (II *Thess.* III, 12, 13). Et ad Titum cum scriberet, dicens, *Zenam legisperitum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit*; ut ostenderet unde illis nihil deesse deberet, continuo subjunxit, *Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad necessarios usus, ne sint infructuosi* (*Tit.* III, 13, 14). Timotheum etiam, quem dicit germanissimum filium, quoniam sciebat corpore infirmum, sicut ostendit, monens eum ne aquam biberet, sed modico vino uteretur, propter stomachum et frequentes suas infirmitates (I *Tim.* V, 23); quia in opere corporali laborare non poterat, ne forte cum indigere nollet victu quotidiano ab eis quibus Evangelium ministrabat [1], aliqua sibi negotia quæreret, quibus animi ejus implicaretur intentio (aliud est enim corpore laborare animo libero, sicut opifex, si non sit fraudulentus et avarus, et privatæ rei avidus; aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecuniæ, sicut sunt vel negotiatores, vel procuratores, vel conductores: cura enim præsunt, non manibus operantur, ideoque ipsum animum suum occupant habendi sollicitudine): Timotheum ergo, ne in talia incideret, quia per infirmitatem corporis manibus operari non poterat, sic exhortatur, monet et consolatur: *Labora*, inquit, *sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat cui se probavit. Nam qui in agone contendit, non coronatur nisi legitime certaverit.* Hic ne ille pateretur angustias, dicens, *Fodere non possum, mendicare confundor* (*Luc.* XVI, 3); adjunxit, *Laborantem agricolam primum oportet de fructibus percipere* (II *Tim.* II, 6): secundum illud quod ad Corinthios dixerat, *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? Fecit ita securum castum evangelistam, non ad hoc evangelizantem ut venderet Evangelium, sed tamen huic vitæ necessaria suis sibi exhibere manibus non valentem; ut intelligeret, quod necessarium sibi sumebat ab eis quibus tanquam provincialibus militabat, et quos tanquam vineam cultura exercebat vel tanquam gregem pascebat, non esse mendicitatem, sed potestatem.

CAPUT XVI. — 17. *Paulus vult a fidelibus suppleri necessitates servorum Dei, qui victum sibi propter occupationes vel infirmitates comparare non valent. Ministerium in sanctos, quo supplentur eorum inopiæ a quibus vicissim accipiuntur spiritualia. Paulo obediunt et servi Dei laborando; et boni fideles eorum necessitates supplendo.* Propter has igitur vel occupationes servorum Dei, vel infirmitates corporales, quæ omnino deesse non possunt, non solum permittit Apostolus sanctorum indigentias suppleri a bonis fidelibus, sed etiam saluberrime hortatur. Excepta enim illa potestate, qua se dicit ipse non usum, cui tamen serviendum esse a fidelibus præcipit, dicens, *Communicet qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis* (*Galat.* VI, 6): excepta ergo hac potestate, quam verbi prædicatores habere in eos quibus prædicant, sæpe testatur, etiam sanctis qui omnia sua vendita distribuerant, et Jerosolymis habitabant in sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, quibus erant omnia communia, et anima et cor unum in Deum (*Act.* II, 44, *et* IV, 32); ab Ecclesiis Gentium necessaria conferri præcipit et hortatur. Inde est et illud ad Romanos: *Nunc igitur pergam Jerusalem ministrare sanctis. Placuit enim Macedoniæ et Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt Jerusalem. Placuit enim illis, et debitores eorum sunt. Si enim spiritualibus eorum communicaverunt Gentes, debent et in carnalibus ministrare eis* (*Rom.* XV, 5, 27). Hoc simile est illi quod ait ad Corinthios: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus* (I *Cor.* IX, 11)? Item ad Corinthios in secunda: *Notam autem*, inquit, *vobis facimus, fratres, gratiam Dei quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quia in multa probatione tribulationis* [1], *abundantia gaudii eorum et profunda paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum; quia secundum vires, testimonium perhibeo* [2], *et supra vires voluntarii fuerunt, cum multis precibus obsecrantes nos gratiam et communionem ministrationis quæ fit in sanctos: et non quomodo speravimus, sed se ipsos tradiderunt primum Domino, et nobis per voluntatem Dei, ad deprecandum Titum, ut quomodo cœpit, sic et consummet in vos etiam gratiam istam. Sed quomodo semper abundatis* [3] *in omnibus fide, et verbo, et scientia, et omni studio, et ea quæ ex vobis est in nos charitate, ut et in hac gratia abundetis. Non secundum imperium dico, sed propter aliorum studium et vestræ charitatis charissimum* [4] *probans. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate vos ditaremini. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis prodest, qui non solum facere, sed etiam velle cœpistis ab anno priore;*

[1] Editi, *cum indigeret et nollet uti victu quotidiano*, etc. At Mss., *cum indigere nollet victu quotidiano*, etc., quibusdam tamen exceptis qui habent, *cum indigeret et nollet victu quotidiano ab eis quibus Evangelium ministrabat sustentari.*

[1] Plerique ac potiores Mss., *in multa tribulatione probationis.*

[2] Editi, *perhibeo illis.* Abest, *illis*, a Mss. et a græco textu Apostoli.

[3] Vindocinensis Ms., *super abundatis.*

[4] Unus et alter codex, *ingenium charissimum.*

nunc autem et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod quisque habet. Si enim promptus est animus, secundum id quod habet acceptabilis est, non secundum id quod non habet. Non enim ut aliis sit refectio, vobis autem angustia, sed pro æqualitate in hoc tempore, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, ut et illorum abundantia fiat ad vestram inopiam, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est, Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non defuit ei. Gratias autem Deo, qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi, quia consolationem quidem suscepit; studiosior autem cum esset, sponte exiit ad vos. Misimus autem cum eo fratrem, cujus laus in Evangelio est per omnes Ecclesias. Non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis[1] *comes peregrinationis nostræ, cum hac gratia quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam et promptum animum nostrum* (a)*: devitantes hoc, ne quis nos reprehendat in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* In his verbis apparet, quantum non solum curam sanctarum plebium esse voluerit, ministrare necessaria sanctis Dei servis, consilium in hoc dans, quia hoc magis ipsis qui hæc faciebant proderat, quam illis erga quos faciebant (illis enim aliud proderat, id est, hoc erga se obsequio fratrum suorum sancte uti, nec propter hoc Deo servire, nec ista sumere nisi ad supplendam necessitatem, non ad pascendam pigritiam); sed etiam suam curam beatus Apostolus tantam dicit in hac ministratione, quæ nunc per Titum transmittebatur, ut comitem peregrinationis suæ propter hoc commemoret ordinatum ab Ecclesiis, bonum te timoratum hominem Dei, *cujus laus*, inquit, *in Evangelio est per omnes Ecclesias*. Et ad hoc dicit illum ordinatum comitem sibi, ut devitaret hominum reprehensiones, ne sine testimonio sanctorum in hoc ministerio sociorum, tanquam sibi accipere, et in sinus suos[2] convertere ab infirmis et imperitis putaretur, quæ accipiebat ad supplendas necessitates sanctorum per se afferenda vel distribuenda indigentibus.

18. Et paulo post dicit: *Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum esse animum vestrum, de quo glorior pro vobis apud Macedonas; quoniam Achaia parata est ab anno priore, et quæ ex vobis est æmulatio irritavit plures. Misimus autem fratres, ne gloria nostra quam habemus in vobis, evacuetur in hac parte, ut, sicut dixi, parati sitis: ne cum venerint mecum Macedones, et invenerint vos imparatos, confundamur nos, ut non dicam vos, in hac substantia. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, et præparent jam pridem repromissam hanc benedictionem vestram, ut sit parata, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam. Hoc autem*[3], *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictione, in benedictione et metet. Unusquisque secundum quod proposuit corde, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundantem facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum: sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Qui autem subministrat semen seminanti, et panem in escam subministrabit, et multiplicabit seminationem vestram, et augebit crescentes fruges justitiæ vestræ, ut in omnibus ditati*[1] *in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo: quoniam ministerium functionis hujus non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed et abundare facit per multorum gratiarum actionem Deo, per probationem ministrationis hujus glorificantes Deum in obsequio confessionis vestræ in Evangelium*[2] *Christi, et simplicitate communicationis in illos et in omnes, et in ipsorum precatione pro vobis, desiderantium vos propter excellentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus* (II Cor. VIII *et* IX). Quanta pinguedine sanctæ lætitiæ sit perfusus Apostolus, dum loquitur de alterno supplemento indigentiæ militum et provincialium Christi, hinc de rebus carnalibus in illos, inde autem de spiritualibus in istos; ut exclamaret, et tanquam sanctorum gaudiorum sagina eructuaret, dicens, *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus?*

19. Sicut ergo non cessavit Apostolus, imo Spiritus Dei possidens et implens et agens cor ejus, exhortari fideles qui haberent hujusmodi[3] substantiam, ut nihil deesset necessitatibus servorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesia tenere voluerunt, ut spei sæcularis vincula cuncta præciderent, et animum liberum divinæ militiæ dedicarent: sic debent et ipsi præceptis ejus obedire, ut compatiantur infirmis, et amore privatæ rei non illigati manibus suis in commune laborare[4], præpositis suis sine murmure obtemperare; ut hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus et aliquid unde victum transigant operantibus, propter infirmitates tamen corporales aliquorum, et propter ecclesiasticas occupationes vel eruditionem doctrinæ salutaris, deesse putaverint[5].

CAPUT XVII. — 20. *Obtendunt pigri vacare se orationi, psalmis, lectioni et verbo Dei. Inter laborandum licere psallere. Lectionem non prodesse, nisi fiat quod legitur.* Quid enim agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent scire desidero. Orationibus, inquiunt, et psalmis, et lectioni, et verbo Dei. Sancta plane vita et Christi suavitate[6] laudabilis: sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsæ escæ quotidie præparandæ, ut possint apponi

[1] Mss., *ordinatus ab Ecclesiis*, omisso, *est*, quod etiam a græco abest.
[2] [illegible] *in suos usus*.
[3] Edd., *hoc autem dico*. Abest, *dico*, a Mss. et a græco textu Apostoli.
(a) Forte, *vestrum*.

[1] Editi, *ditati abundetis*. Verbum, *abundetis*, non est in Mss., nec exprimitur in græco.
[2] Editi, *in* [illegible]; dissentientibus Mss.
[3] [illegible] *modi*.
[4] [illegible] *in* [illegible] *labore*.
[5] [illegible], *pate*[illegible]*it*. Unus e Vaticanis Mss., *patuerit*.
[6] Editi, *et in Christi suavitate*. Abest, *in*, a Mss.

et assumi. Si autem ad ista vacare servos Dei certis intervallis temporum, ipsius infirmitatis necessitas cogit, cur non et apostolicis præceptis observandis aliquas partes temporum deputamus? Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. Cantica vero divina cantare, etiam manibus operantes facile possunt, et ipsum laborem tanquam divino celeumate consolari (a). An ignoramus, omnes opifices quibus vanitatibus et plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda et linguas suas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari (*Psal.* I, 2), et psallere nomini Domini Altissimi (*Psal.* XII, 6): ita sane ut ad ea discenda, quæ memoriter recolat, habeat seposita tempora? Ad hoc enim et illa bona opera fidelium, subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, ut horæ quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non possint, non opprimant [1] egestate. Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inveniunt quod præcipit Apostolus? Quæ est ista ergo perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare; et ut quod bonum est diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur? Quis enim nesciat tanto citius quemque proficere cum bona legit, quanto citius facit quod legit?

CAPUT XVIII. — 21. *Erogandi verbi Dei obtentu nolentes laborare castigantur. Paulus ad erogandum verbum certa tempora constituit, et alia ad laborandum. Optima gubernatio, ut omnia ex ordine gerantur.* Si autem alicui sermo erogandus est, et ita occupat ut manibus operari non vacet; numquid hoc omnes in monasterio possunt, venientibus ad se ex alio genere vitæ fratribus, vel divinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæstionibus salubriter disputare? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quanquam etsi omnes possent, vicissitudine facere deberent [2]; non solum ne cæteri a necessariis operibus occuparentur, sed etiam quia sufficit ut audientibus pluribus unus loquatur? Deinde ipsi Apostolo quomodo vacaret operari manibus suis, nisi ad erogandum verbum Dei certa tempora constitueret? Neque enim et hoc Deus latere nos voluit. Nam et cujus artis opifex fuerit, et quibus temporibus vacaret dispensando Evangelio, sancta Scriptura non tacuit. Nam cum eum dies profectionis urgeret in Troade constitutum, etiam in una sabbati congregatis fratribus ad frangendum panem, tanta fuit intentio et tam necessaria disputatio, ut sermo produceretur usque ad medium noctis (*Act.* XX, 7), tanquam excidisset eis quod eo die non esset jejunium: quando autem in aliquo loco immoratus [3] quotidie disputabat, quis dubitaverit horas eum habuisse ad hoc officium deputatas? Namque apud Athenas cum esset, quia studiosissimos rerum inquisitores invenerat, ita de illo scriptum est: *Disputabat igitur cum Judæis in synagoga et Gentilibus incolis in foro* [1] *per omnem diem ad eos* [2] *qui aderant.* Non enim in synagoga per omnem diem, ubi mos erat sabbato sermocinari, sed *in foro*, inquit, *per omnem diem*, propter studia utique Atheniensium. Sic enim sequitur: *Quidam vero Epicureorum et Stoicorum philosophorum conferebant cum illo.* Et paulo post dicit: *Athenienses autem et advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, quam dicere aliquid novi, aut audire* (*Act.* XVII, 17, 18, 21). Putemus Apostolum illis omnibus diebus quibus fuit Athenis, non fuisse operatum; propter hoc enim et ex Macedonia supplebatur ejus indigentia, sicut dicit in secunda ad Corinthios (II *Cor.* XI, 9): quanquam et aliis horis et noctibus poterat, quia ita valebat et animo et corpore. Sed cum Athenis exisset, videamus quid dicit Scriptura: *Disputabat*, inquit, *in synagoga per omne sabbatum*: hoc apud Corinthum. In Troade vero, ubi necessitate imminentis profectionis usque ad medium noctis sermo protractus est, una sabbati erat, qui dies dominicus dicitur: unde intelligimus eum non fuisse cum Judæis, sed cum Christianis; quando etiam dicit ipse narrator ad frangendum panem fuisse collectos. Et ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent.

CAPUT XIX. — 22. *Operatum esse Paulum opus vere corporale.* Ibi etiam dicitur quid operabatur Apostolus. *Post hæc*, inquit, *egressus ab Athenis venit Corinthum; et cum invenisset quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, recens advenientem ab Italia, et Priscillam uxorem ipsius, propterea quod jussisset Claudius discedere omnes Judæos Roma, accessit ad illos, et propter artis similitudinem mansit apud illos opus faciens: erant enim tabernaculorum artifices* (a) (*Act.* XVIII, 1-4). Hoc si conati fuerint allegorice interpretari, ostendunt quomodo proficiant in ecclesiasticis litteris, quibus se vacare gloriantur. Et certe illa quæ supra dicta sunt, *Numquid ego solus et Barnabas non habemus potestatem non operandi?* et, *Non sumus usi hac potestate* (I *Cor.* IX, 6, 12); et, *Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli* (I *Thess.* II, 7); et, *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus* (II *Thess.* III, 8); et, *Dominus ordinavit eis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere; ego autem nullius horum usus sum* (I *Cor.* IX, 14 *et* 15): et cætera hujusmodi, aut exponant aliter, aut si præclarissima luce veritatis urgentur, intelligant et obediant: aut si obedire vel nolunt vel non possunt, saltem illos qui volunt, meliores, qui autem et possunt, feliciores esse fateantur. Aliud est enim corporis infirmitatem, vel veram allegare, vel

[1] Plures Mss., *opprimantur*.
[2] Sic Mss. At editi, *vicissim facere deberent*.
[3] Nonnulli Mss., *in alio loco immoratus*: et plerique, *immoraturus*.
(a) *Keleuma*, cantus nautarum et remigum, quo se mutuo ad laborandum excitant.

[1] Lov., *gentibus in vinculis et foro*. Er., *gentibus singulis in foro*. Nonnulli Mss., *gentibus in viculis, in foro*. Verius Floriacensis vetus codex, *gentibus incolis in foro*.
[2] Editi, *ad omnes*. Aliquot Mss., *ad eos*.
(a) Græce, *skênopoioi*.

falsam prætendere : aliud autem sic decipi, et sic decipere, ut insuper ideo videatur in servis Dei major esse justitia, quia potuit inter imperitos regnare pigritia. Qui enim veram corporis ostendit infirmitatem, humane tractandus est; qui autem falsam prætendit et convinci non potest, Deo dimittendus est : neuter tamen eorum perniciosam regulam figit[1]; quia bonus servus Dei et manifeste infirmo fratri suo servit, et fallenti cum credit, quia malum eum non putat, non imitatur ut malus sit; et si non ei credit, fallacem putat, ac nihilominus non imitatur. Ab illo vero qui dicit, Hæc est vera justitia, ut nihil corporaliter operando imitemur volatilia cœli, quoniam qui tale aliquid fuerit operatus contra Evangelium facit : quisquis animo infirmus hoc audit et credit, non quia sic vacat, sed quia sic errat, lugendus est.

CAPUT XX. — 23. *Objectio, an cæteri Apostoli non laborantes ac de Evangelio viventes peccarint. Responsio. Præceptum operandi eos spectare qui non evangelizant.* Hinc exoritur altera quæstio : fortasse enim dicat, Quid ergo? cæteri Apostoli et fratres Domini et Cephas, quia non operabantur, peccabant? aut afferebant impedimentum Evangelio, quia dicit beatus Paulus, ideo se non usum hac potestate, ne quod impedimentum daret Evangelio Christi? Si enim peccaverunt, quia non operati sunt, non ergo acceperant potestatem non operandi, sed de Evangelio vivendi. Si autem acceperant hanc potestatem, ordinante Domino ut qui Evangelium annuntiarent, ex Evangelio viverent, et dicente, *Dignus est operarius cibo suo* (*Matth.* x, 10); qua potestate Paulus amplius aliquid erogans uti noluit : non utique peccaverunt. Si non peccaverunt, nullum impedimentum dederunt. Neque enim nullum peccatum est, impedire Evangelium. Quod si ita est, et nobis, inquiunt, liberum est, et uti et non uti hac potestate.

24. Hanc quæstionem breviter solverem, si dicerem, quia et juste dicerem, credendum esse Apostolo. Ipse enim sciebat cur in Ecclesiis Gentium non oporteret portari venale Evangelium, non culpans coapostolos suos, sed distinguens ministerium suum : quia ita inter se distribuerant, procul dubio admonente Spiritu sancto, evangelizandi provincias, ut Paulus et Barnabas ad Gentes irent, illi autem in circumcisionem (*Act.* XIII, 2, *et Galat.* II, 9). Hoc tamen eum præcepisse iis qui non habebant ejusmodi potestatem, ea quæ jam multa dicta sunt manifestant.

CAPUT XXI. — *Qui vacare volunt, ii plerique ex inope ac laboriosa vita conversi sunt.* Isti autem fratres nostri temere sibi arrogant, quantum existimo, quod ejusmodi habeant potestatem. Si enim evangelistæ sunt, fateor, habent : si ministri altaris, dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed plane vindicant potestatem.

25. Si saltem habebant aliquid in hoc sæculo, quo facile sine opificio sustentarent istam vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispertiti sunt, et credenda est eorum infirmitas et ferenda. Solent enim tales, non melius, sicut multi putant, sed quod est verum, languidius educati, laborem operum corporalium sustinere non posse. Tales fortasse multi erant in Jerosolyma. Nam et scriptum est quod prædia sua vendiderint, et pretia eorum ante pedes Apostolorum posuerint, ut distribueretur unicuique sicut opus erat (*Act.* II, 45, *et* IV, 34). Quia prope inventi sunt, et utiles fuerunt Gentibus[1], quæ ab idolorum cultu ex longinquo vocabantur, secundum illud quod dictum est, *Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini ex Jerusalem* (*Isai.* II, 3) : debitores eorum dixit Apostolus ex Gentibus Christianos, *Debitores eorum*, inquit, *sunt*; et addidit quare, *Si enim spiritualibus eorum*, inquit, *communicaverunt Gentes, debent et in carnalibus ministrare eis* (*Rom.* XV, 27).

CAPUT XXII. — *Contra otiosos et verbosos, qui exemplo et verbo alios avocant a labore.* Nunc autem veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei et ex conditione servili, vel etiam liberti, vel propter hoc a dominis liberati sive liberandi, et ex vita rusticana, et ex opificum exercitatione et plebeio labore, tanto utique felicius quanto fortius educati : qui si non admittantur, grave delictum est. Multi enim ex eo numero vere magni et imitandi exstiterunt. Nam propterea *et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; et stulta mundi elegit, ut confunderet sapientes; et ignobilia mundi, et ea quæ non sunt, tanquam sint, ut ea quæ sunt evacuentur : ut non glorietur omnis caro coram Deo* (I *Cor.* I, 27-29). Hæc itaque pia et sancta cogitatio facit ut etiam tales admittantur, qui nullum afferant mutatæ in melius vitæ documentum. Neque enim apparet utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem et laboriosam fugientes vacui, pasci atque vestiri voluerint, et insuper honorari ab eis a quibus contemni conterique consueverant. Tales ergo quoniam se quo minus operentur, de infirmitate corporis excusare non possunt; præteritæ quippe vitæ consuetudine convincuntur; umbraculo malæ disciplinæ se contegunt, ut ex male intellecto Evangelio præcepta apostolica pervertere meditentur : vere volatilia cœli, sed per superbiam in altum se extollendo; et fenum agri, sed carnaliter sentiendo.

26. Contingit enim eis quod in viduis junioribus indisciplinatis cavendum idem apostolus dicit : *Simul autem et otiosæ esse discunt; non solum autem otiosæ, sed etiam curiosæ et verbosæ, loquentes quæ non oportet* (I *Tim.* v, 13). Hoc ille de malis feminis dicebat, quod nos etiam in malis viris dolemus et plangimus, qui adversus eum ipsum, in cujus Epistolis ista legimus, otiosi et verbosi, quæ non oportet loquuntur. Et si qui sunt inter eos, qui eo proposito ad sanctam militiam venerint, ut placeant cui se probaverunt (II *Tim.* II, 4), cum ita vigeant viribus corporis et integritate valetudinis, ut non solum erudiri, sed

[1] Sic meliores Mss. At Lov., *fingit*. Er., *fingit*. Nonnulli Mss., *fingit*.

[1] Ita Mss. At editi : *Quapropter inventi sunt fideles, et utiles fuerunt Gentibus*.

etiam secundum Apostolum operari possunt, exceptis istorum otiosis corruptisque sermonibus, quos judicare per imperitum tirocinium non valeant, in eamdem labem pestifera contagione mutentur [1]; non solum non imitantes obedientiam sanctorum quiete operantium, et aliorum monasteriorum in saluberrima disciplina secundum apostolicam normam viventium, sed etiam insultantes melioribus, tanquam conservatricem Evangelii prædicantes pigritiam, tanquam prævaricatricem accusantes misericordiam. Multo enim misericordius operatur erga animas infirmorum qui bonæ famæ servorum Dei consulit, quam erga corpora egentium qui panem esurientibus frangit. Quapropter utinam isti qui vacare volunt manibus, omnino vacarent et linguis. Neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis non tantum exempla pigra, sed etiam muta proponerent.

CAPUT XXIII. — 27. *Evangelium non recte intellectum a pigris. Jocose deridentur ignari. Monachi sese includentes, ut a nullo videantur per multos dies. Evangelicum præceptum non cogitandi de crastino concordare cum Apostolo.* Nunc vero contra Apostolum Christi recitant Evangelium Christi. Ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, ut impediri velint Evangelio, quod Apostolus ideo præcepit et fecit, ne impediretur ipsum Evangelium. Et tamen si eos ex ipsis Evangelii verbis secundum eorum intellectum vivere cogamus, priores nobis suadere conabuntur, quam non ita sint intelligenda ut intelligunt. Certe enim propterea se dicunt operari non debere, quia nec volucres cœli seminant, neque metunt, de quibus nobis Dominus similitudinem dedit, ne de talibus necessariis cogitemus. Cur ergo non attendunt quod sequitur? Neque enim tantummodo hoc dictum est, quia *non seminant, neque metunt*; sed adjectum est, *neque congregant in apothecas* (*Matth.* VI, 26). Apothecæ autem, vel horrea, vel verbum ex verbo [2], repositoria [3] dici possunt. Cur ergo isti manus otiosas et plena repositoria volunt habere? Cur ea quæ sumunt ex laboribus aliorum, recondunt et servant unde quotidie proferatur? Cur denique molunt et coquunt? Hoc enim aves non faciunt. Aut si reperiunt quibus hoc opus quoque persuadeant, ut eis per singulos dies escas afferant præparatas; saltem sibi aquam vel de fontibus afferunt, vel de cisternis aut puteis hauriunt et reponunt: hoc volatilia non faciunt. Sed si hoc placet, studeant etiam boni fideles et Regis æterni devotissimi provinciales, fortissimis ejus militibus usque ad ista servire, ut sibi nec aquam implere cogantur, si jam etiam illos qui tunc erant Jerosolymæ novo gradu justitiæ supergressi sunt. Nam illis fame imminente, et per Prophetas qui tunc erant ante prædicta, boni fideles ex Græcia frumenta miserunt (*Act.* XI, 28-30); ex quibus credo quod illi panem sibi fecerunt, aut certe faciendum curaverunt: quod aves non faciunt. Sed si jam isti, ut dicere cœperam, etiam illos aliquo gradu justitiæ transcenderunt, et omnino in iis quæ ad transigendam vitam istam pertinent, sicut volucres agunt; ostendant nobis homines servire volucribus, sicut sibi serviri volunt, nisi captis et inclusis, quibus fides non habetur, ne volantes non redeant: et tamen illæ malunt frui libertate, et ex agris quantum satis est capere, quam ab hominibus apposita et apparata sumere.

28. Proinde rursus istos alio sublimiore gradu justitiæ superabunt, qui se ita instituerint, ut quotidie in agros tanquam in pastum pergant, et quo tempore [1] invenerint carpant, ac sopita fame [2] revertantur. Sed plane propter agrorum custodes quam bonum esset, si etiam pennas largiri Dominus dignaretur, ut servi Dei in agris alienis inventi non tanquam fures comprehenderentur, sed tanquam sturni fugarentur. Nunc vero ille quantum poterit, imitabitur avem, quem [3] capere venator non poterit. Sed ecce concedant omnes servis Dei, ut cum volunt in eorum agros exeant, atque inde securi refectique discedant: sicut populo Israel per legem præceptum est ut in agris suis furem nullus teneret, nisi qui secum aliquid vellet auferre; nam qui nihil aliud attigisset quam id quod comedisset, liberum impunitumque abire sinerent (*Deut.* XXIII, 24, 25). Unde etiam spicas vellentibus discipulis Domini, de sabbato potius quam de furto Judæi calumniati sunt (*Matth.* XII, 1, 2). Sed quid erit agendum de his temporibus anni, quibus esca quæ statim sumi possit, in agris non invenitur? Quisquis aliquid domum quod sibi coquendo præparet auferre tentaverit, secundum istorum intellectum audiet ex Evangelio: Pone; hoc enim aves non faciunt.

29. Verum et hoc concedamus, toto vertente anno posse in agris reperiri vel ex arbore vel ex herbis, vel ex quibusque radicibus quod in escam sumi possit incoctum, aut certe tanta exercitatio corporis adhibeatur, ut ea quæ coquenda sunt, etiam cruda assumpta non noceant, possitque etiam hiemalibus quibuslibet asperitatibus ad pabula procedi; atque ita fiat ut nihil præparandum auferatur, nihil in crastinum reponatur: non poterunt ista servare qui se per multos dies a conspectu hominum separatos, et nulli ad se præbentes accessum, includunt se ipsos viventes in magna intentione orationum. Hi enim facillima quidem atque vilissima, secum tamen alimenta includere consuerunt [4], quæ in illos dies quibus a nullo videri statuerunt, sufficiant: quod aves non faciunt. Et horum quidem exercitationem in tam mirabili continentia, quandoquidem habent otium quo hæc agant, seque imitandos non superba [5] elatione, sed misericordi sanctitate proponant, non solum non reprehendo, sed quantum dignum est laudare non

[1] Sic Mss. At editi, *imitantur*: minus bene.
[2] Editi, *verbum ex verbo græco*. Abest, *græco*, a Mss.
[3] In plerisque Mss., *repostoria*.

[1] Casalensis vetus codex, *et quod pro tempore*.
[2] Cisterciensis Ms., *posita fame*.
[3] Editi, *quam*. At Meliores Mss., *quem*. Et Vaticani duo habent, *vinitor*, loco, *venator*.
[4] Juxta Ven., *consuescunt*. M.
[5] Plures Mss., *quo hæc agant, imitandam non superba*.

possum. Quid tamen de his dicimus, secundum istorum intellectum ex evangelicis verbis? An forte quo sunt sanctiores, eo sunt volucribus dissimiliores, quia nisi reponant sibi escas in plurimos dies, includere se ita, ut faciunt, non valebunt? Et utique nobiscum audiunt, *Nolite ergo cogitare in crastinum* (*Matth.* VI, 34).

30. Quapropter, ut breviter complectar, isti qui ex Evangelii perverso intellectu tam manifesta apostolica præcepta pervertere moliuntur, aut non cogitent in crastinum, sicut volatilia cœli; aut obtemperent Apostolo, sicut filii dilecti: imo utrumque faciant, quia utrumque concordat. Neque enim contraria Domino suo moneret Paulus servus Christi Jesu (*Rom.* I, 1). Hoc enim istis aperte dicimus: Si volatilia cœli sic intelligitis in Evangelio, ut nolitis operando manibus vestris victum tegumentumque procurare; nihil etiam reponatis in crastinum, sicut nihil reponunt volatilia cœli. Si autem aliquid reponere in crastinum, potest non esse contra Evangelium ubi dictum est, *Respicite volatilia cœli, quia neque seminant, neque metunt, neque congregant in apothecas*; potest etiam non esse contra Evangelium nec contra similitudinem volatilium cœli, vitam istam carnis corporalis operationis labore transigere.

CAPUT XXIV. — 31. *Aliquid in crastinum reponere non prohiberi per Evangelium.* Si enim urgeantur ex Evangelio, ut nihil reponant in crastinum; rectissime respondent: Cur ergo ipse Dominus loculos habuit, ubi pecuniam collectam reponeret (*Joan.* XII, 6)? Cur tanto ante, fame imminente[1], frumenta sanctis patribus missa sunt (*Act.* XI, 28-30)? Cur Apostoli sic indigentiæ sanctorum necessaria procurarunt, ne deesset in posterum, ut beatissimus Paulus ad Corinthios in Epistola scriberet: *De collectis autem in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite: secundum unam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat*[2], *thesaurizans quod ei placuerit; ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem advenero, quoscumque probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt* (I *Cor.* XVI, 1-4)? Hæc et alia multa copiosissime et verissime proferunt. Quibus respondemus: Videtis ergo, quamvis Dominus dixerit, *Nolite cogitare in crastinum*; non vos tamen istis verbis cogi ut nihil in crastinum reservetis: cur ergo iisdem verbis vos cogi dicitis, ut vacetis? Cur volatilia cœli non vobis sunt exemplo ad nihil reservandum, et vultis ut sint exemplo ad nihil operandum?

CAPUT XXV. — 32. *Negotia priora reliquisse quid prosit, si adhuc laborandum. Communis vitæ charitas. Operari decet etiam qui ex vita excelsiore convertuntur, sed multo magis qui ex vita humiliore.* Dicet aliquis: Quid ergo prodest servo Dei, quod prioribus actibus quos in sæculo habebat relictis, ad hanc spiritualem vitam militiamque convertitur, si eum adhuc oportet, tanquam opificis[1], exercere negotia? Quasi vero facile possit verbis explicari, quantum prosit quod Dominus diviti consilium capiendæ vitæ æternæ requirenti ait ut faceret[2], si vellet esse perfectus; ut venditis quæ habebat, et indigentiæ pauperum distributis, eum sequeretur (*Matth.* XIX, 21). Aut quis tam expedito cursu secutus est Dominum, quam ille qui ait, *Non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboravi* (*Philipp.* II, 16)? qui tamen opera ista et præcepit, et fecit. Hoc nobis tanta auctoritate doctis et informatis sufficere debuit ad exemplum derelinquendi[3] pristinas facultates, et manibus operandi. Sed et nos ab ipso Domino adjuti, possumus fortasse utcumque cognoscere, etiam sic operantibus servis Dei, priora tamen negotia reliquisse quid prosit. Si enim ad hanc vitam ex divite quisquam convertitur, et nulla infirmitate corporis impeditur, itane desipimus a sapore Christi, ut non intelligamus quantus superbiæ prioris tumor sanetur, cum circumcisis superfluis, quibus ante animus exitiabiliter inflammabatur[4], ad modica quæ restant huic vitæ naturaliter necessaria etiam opificis humilitas minime recusetur? Si autem ad hanc vitam ex paupertate convertitur, non putet se id agere quod agebat, si ab amore vel augendæ quantulæcumque[5] rei privatæ, jam non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi (*Ibid.* 21), ad communis vitæ se transtulit charitatem, in eorum societate victurus, quibus est anima una et cor unum in Deum, ita ut nemo dicat aliquid proprium, sed sint illis omnia communia (*Act.* IV, 32). Si enim hujus terrenæ reipublicæ antiqui principes præclarissimo litteratorum suorum eloquio prædicari solent, quod rem communem universi populi suæ civitatis privatis suis rebus sic anteponebant, ut quidam eorum Africa edomita triumphator, quid nubenti filiæ daret non habuerit, nisi ex senatusconsulto de publico dotaretur (*a*): quo animo debet esse in rempublicam suam civis æternæ illius civitatis Jerusalem cœlestis, nisi ut illud ipsum quod propriis manibus elaborat, in commune habeat cum fratre, et si quid ei defuerit, de communi suppleat; dicens cum illo cujus præceptum exemplumque secutus est, *Quasi nihil habentes et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10)?

33. Quamobrem etiam illi qui relicta vel distributa, sive ampla, sive qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Christi pia et salubri humilitate numerari voluerunt; si corpore ita valent, et ab ecclesiasticis occupationibus vacant (quanquam eis tam magnum animi sui documentum afferentibus, et ejusdem societatis indigentiæ de his rebus quas habebant, vel plurimum vel non parum conferentibus, vicem sus-

[1] Aliquot Mss., *famem imminentem*. Et infra duo Vaticani, *sanctis fratribus missa sunt*.
[2] Sic Mss. At editi, *reponat*.

[1] Sic Mss. At editi, *opificem*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *ut quod faceret*.
[3] Duo Vaticani Mss. *Hoc nobis tanta auctoritate doctis et informatis sufficere debuit ad derelinquendi*. [illegible]
[4] Plures Mss., *inflabatur*.
[5] Sic Mss. At editi, *quantulæcumque*.
(*a*) Scipio, apud Valer. lib. 4, cap. 4, et Zon. 2, et Senec. ad Albinam, cap. 12.

tentandæ vitæ eorum res ipsa communis et fraterna charitas debeat), tamen si et ipsi manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore et ob hoc exercitatiore venientibus auferant excusationem; multo misericordius agunt, quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolint, quis audeat cogere? Quibus tamen invenienda sunt opera in monasterio, etiamsi a corporali functione liberiora, sed vigilanti administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam communis jam factus est, gratis manducent (*a*). Nec attendendum est in quibus monasteriis, vel in quo loco, indigentibus fratribus quisque id quod habebat impenderit. Omnium enim Christianorum una respublica est. Et ideo quisquis Christianis necessaria ubilibet erogaverit, ubicumque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit [1]. Quia ubicumque et ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit? Illi autem qui etiam præter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad monasteria veniunt, quia et in ipso humano genere plures sunt; si nolunt operari, nec manducent. Neque enim propterea in militia christiana ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur. Nullo modo enim decet ut in ea vita ubi fiunt senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; et quo veniunt relictis deliciis suis qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.

CAPUT XXVI. — 34. *Quomodo intelligendum præceptum illud, ut ne solliciti simus de cibo et vestitu. Quomodo accipiendum illud, de volatilibus cœli et liliis agri.* At enim Dominus ait: *Nolite solliciti esse animæ quid manducetis, neque corpori quid vestiamini.* Recte, quoniam supra dixerat: *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Qui enim propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat unde manducet, et unde vestiatur, simul se putat et Deo servire, quia Evangelium prædicat; et mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat: quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille qui propter ista Evangelium prædicat, non Deo, sed mammonæ servire convincitur; etsi Deus illo ad aliorum provectum, quomodo ipse nescit, utatur. Nam huic sententiæ subjungit, dicens, *Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ quid manducetis, neque corpori quid vestiamini*: non ut ista non procurent, quantum necessitati satis est [2], unde honeste potuerint; sed ut non ista intueantur, et propter ista faciant quidquid in Evangelii prædicatione [3] facere jubentur. Eam quippe intentionem quare quid fiat, oculum vocat: unde paulo superius loquebatur, ut ad hoc descenderet, et dicebat, *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si vero oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*, id est, talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua cur ea facias. Et ad hoc enim ut veniret, supra de eleemosynis præceperat, dicens, *Nolite condere vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur. Recondite vero vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque rubigo exterminat, et ubi fures non perfodiunt et furantur. Ubi enim erit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum.* Deinde subjunxit, *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (*Matth.* VI): ut illi scilicet qui eleemosynas faciunt, non ea faciant intentione, ut vel hominibus velint placere, vel in terra sibi quærant rependi quod faciunt. Unde et Apostolus cum Timotheo divites monendos præciperet, *Facile*, inquit, *tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 18 et 19). Cum ergo in futuram vitam direxerit oculum Dominus eleemosynas facientium, et in cœlestem mercedem, ut possint et ipsa facta esse lucida, cum simplex oculus fuerit (in illam quippe novissimam retributionem valet quod alibi ait, *Qui vos excipit, me excipit; et qui me excipit, excipit eum qui me misit. Qui excipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui excipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: et qui potum dederit uni ex istis minimis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non peribit merces ejus* [*Matth.* X, 40-42]); ne forte corrupto oculo eorum qui necessaria impendunt indigentibus et prophetis et justis et discipulis Domini, ipsorum oculus depravaretur in quos ista fierent ut propter ista accipienda vellent Christo militare: *Nemo*, inquit, *potest duobus dominis servire.* Et paulo post: *Non potestis*, inquit, *Deo servire et mammonæ.* Statimque contexuit: *Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ quid manducetis, neque corpori quid vestiamini.*

35. Et quod sequitur de volatilibus cœli et de liliis agri, ad hoc dicit, ne quisquam Deum putet servorum suorum necessaria non curare; cum ejus sapientissima providentia usque ad ista creanda [1] et gubernanda perveniat. Neque enim non ipse pascit et vestit etiam eos qui manibus operantur. Sed ne christianam militiam ad hoc detorqueant ut ista conquirant, hoc servos suos Dominus præmonet, ut in eo ministerio quod Sacramento ejus debetur, non ista, sed regnum ejus et justitiam cogitemus: et hæc omnia apponentur nobis sive per manus operantibus, sive infirmitate corporis impeditis, sive ipsius militiæ tali occupatione districtis ut nihil aliud agere valeamus.

CAPUT XXVII. — *Utendum industria nostra, ne Deum tentare videamur.* Neque enim quia dixit Deus, *Invoca me in die tribulationis, et eximam te, et glorificabis me* (*Psal.* XLIX, 15), propterea non debuit fugere Apostolus, et per murum in sporta submitti, ut manus persequentis evaderet (*Act.* IX, 25), sed exspectare potius ut comprehenderetur, et eum sicut

[1] Vox, *bonis*, ex auctoritate Er. Lugd. Ven. Lov. restituta est. PP. Benedictini, ea in textu omissa, addunt in margine: « Supple, *rebus*. » M.

[2] Mss., *quantum necessitatis est.*

[3] Sic Mss. At editi, *præconio.*

(*a*) Huc spectat illa B. Benedicti præceptio in Regulæ capite 18, de Opere manuum: « Fratribus infirmis vel delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec « violentia laboris opprimantur, ut effugentur: quorum « imbecillitas ab abbate consideranda est. »

[1] Probæ notæ Mss., *recreanda.*

tres pueros de mediis ignibus liberaret (*Dan.* III, 50). Aut propter hoc nec Dominus dicere debuit, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23); quia ipse dixit, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XVI, 23). Sicut ergo quisquis persecutionem fugientibus discipulis Christi objiceret hujusmodi quæstionem, cur non stetisset potius, et invocato Deo per ejus mirabilia sic eruerentur, ut Daniel a leonibus (*Dan.* VI, 22, *et* XIV, 40), ut Petrus ex vinculis (*Act.* XII, 7); responderent non se oportuisse tentare Deum, sed tunc eum talia si vellet esse facturum, cum ipsi quid facerent non haberent; cum vero eis fugam in potestatem dedisset, etiamsi per illam liberarentur, non nisi ab ipso liberari: sic etiam Dei servis vacantibus et valentibus exemplo et præcepto apostolico manibus suis victum transigere, si quis ex Evangelio moverit quæstionem de volatilibus cœli, quæ non seminant, neque metunt, neque congregant in apothecas, et de liliis agri, quia non laborant, neque nent; facile respondebunt, Si et nos per aliquam vel infirmitatem vel occupationem non possimus operari, sic ille nos pascet et vestiet, quemadmodum aves et lilia, quæ nihil operantur hujuscemodi: cum autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum; quia et hoc quod possumus, ejus munere possumus, et cum hinc vivimus, illo largiente vivimus, qui largitus est ut possimus. Et ideo de istis necessariis solliciti non sumus; quia cum hæc possumus agere, ille nos pascit et vestit, a quo pascuntur homines et vestiuntur: cum vero hæc non possumus agere, idem ipse nos pascit et vestit, a quo aves pascuntur et lilia vestiuntur; quoniam nos pluris sumus illis. Quapropter in ista militia nostra, nec in crastinum cogitamus; quia non propter ista temporalia, quo pertinet crastinus, sed propter illa sempiterna, ubi semper hodiernus est, nos illi probavimus, ut ei nullis negotiis sæcularibus implicati placeamus (II *Tim.* II, 4).

CAPUT XXVIII. — 36. *Graphice describit monachos otiosos et vagos.* Quæ cum ita sint, sine me paululum, sancte frater (dat enim mihi Dominus per te magnam fiduciam), eos ipsos alloqui filios et fratres nostros, quos novi quanta nobiscum dilectione parturias, donec in eis apostolica disciplina formetur. O servi Dei, milites Christi, itane dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem, ne dicant animæ bonæ, *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3), et sic laqueos ejus evadant, omni modo cupiens obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; alii fimbrias et phylacteria sua magnificant; alii parentes vel consanguineos suos in illa vel in illa regione se audisse vivere, et ad eos pergere mentiuntur; et omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis: cum interea ubicumque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare. Nonne ergo inflammamini zelo Dei? Nonne concalescit cor vestrum intra vos, et in meditatione vestra exardescit ignis (*Psal.* XXXVIII, 4), ut istorum mala opera bonis operibus persequamini, ut eis amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus existimatio vestra læditur, et infirmis offendiculum ponitur? Miseremini ergo et compatimini, et ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed per angustam et arctam viam hujus propositi, regnum Dei quærere. Eadem vobis causa est quæ Apostolo fuit, ut amputetis occasionem iis qui quærunt occasionem (II *Cor.* XI, 12), ut qui illorum putoribus præfocantur, in odore vestro bono reficiantur.

CAPUT XXIX. — 37. *Occupationes Augustini. Mallet more Monachorum operari certis horis.* Non alligamus onera gravia; et vestris humeris imponimus quæ nos digito attingere nolumus (*Matth.* XXIII, 4). Quærite, et agnoscite labores occupationum nostrarum, et in aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates, et Ecclesiarum quibus servimus talem jam consuetudinem, ut nos ad illa opera, ad quæ vos hortamur, vacare non sinant. Quanquam enim dicere possimus, *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? Tamen Dominum Jesum, in cujus nomine securus hæc dico, testem invoco super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari (a), et cæteras horas[1] habere ad legendum et orandum, aut aliquid de divinis Litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos molestiis idem affixit[2] apostolus, non utique suo, sed ejus qui per eum loquebatur arbitrio, quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus. Alter enim se habebat[3] apostolatus ejus discursus. Nec dixit, *Sæcularia igi-*

[1] Aliquot Mss., *et cæteras horas.*
[2] Plures Mss., *afflixit.*
[3] In Mss. multis, *se habebant.*
(a) Hinc a B. Benedicto constitutum in Regula, cap. 48: « Certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina. » Eundem vivendi modum servabat Augustini sectator Fulgentius, de quo Ferrandus in ejus Vita, cap. 14: « Manibus propriis, sicut debet, utiliter operabatur. Nam et scriptoris arte laudabiliter utebatur, et ex palmarum foliis flabella sive [illegible] contexebat. [illegible] operi, etiam circa [illegible] in monasterio vacabat. Lectioni autem in cellula frequenter [illegible] insistebat. » Et cap. 17: « [illegible] fratres et opera carnalia [illegible] virtutis expertes, lectionis autem studium non habentes, minus diligebat, nec honore maximo dignos judicabat. »

tur judicia si habueritis, ad nos deferte; aut, nos constituite ad judicandum: sed, *eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos*, inquit, *collocate. Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare? Sed frater cum fratre judicatur, et hoc apud infideles* (I *Cor.* VI, 4-6)! Sapientes ergo qui in locis consistebant fideles et sanctos, non qui hac atque hac propter Evangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit. Unde nunquam de illo scriptum est quod aliquando talibus vacaverit, a quibus nos excusare non possumus, etiamsi contemptibiles simus; quia et hos collocari voluit, si sapientes defuissent, potius quam ut negotia Christianorum deferrentur in forum. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerantia. Servi enim sumus ejus Ecclesiæ, et maxime infirmioribus membris, qualialibet[1] in eodem corpore membra simus. Omitto alias innumerabiles ecclesiasticas curas, quas fortasse nemo credit, nisi qui expertus est. Non ergo alligamus onera gravia, et humeris vestris imponimus quæ nos digito non tangimus; quandoquidem si officii nostri salva ratione possemus (videt ille qui probat corda nostra), mallemus hæc agere, quæ ut agatis hortamur, quam ea quæ nos agere cogimur. Sane omnibus et nobis et vobis pro nostro gradu et officio laborantibus et arcta via est in labore et ærumna; et tamen in spe gaudentibus jugum ejus lene est et sarcina levis, qui nos vocavit ad requiem, qui prior transitum fecit a convalle plorationis, ubi nec ipse sine pressuris fuit. Si fratres, si filii nostri estis, si conservi, vel potius in Christo servi vestri sumus; audite quæ monemus, agnoscite quæ præcipimus, sumite quæ dispensamus. Si autem Pharisæi sumus alligantes onera gravia et imponentes humeris vestris; quæ dicimus facite, etiamsi quæ facimus improbatis (*Matth.* XXIII, 3). Nobis autem minimum est ut a vobis dijudicemur, aut ab humano die (I *Cor.* IV, 3). Quam germana charitate sit nobis cura de vobis, ille inspiciat qui dedit quod inspiciendum ejus oculis offeramus. Postremo quod vultis sentite de nobis: Paulus apostolus vobis præcipit et obsecrat in Domino, ut cum silentio, id est, quieti et obedienter ordinati operantes, vestrum panem manducetis (II *Thess.* III, 12). Nec de illo, ut arbitror, aliquid mali creditis, et in illum qui per eum loquitur credidistis.

CAPUT XXX. — 38. *Timet ne desidia malorum pigrescentes boni corrumpantur.* Hæc, mi charissime, et in Christi visceribus venerande frater Aureli, quantum donavit ut possem, qui per te mihi jussit ut facerem, de opere monachorum non distuli scribere; id maxime curans, ne boni fratres apostolicis præceptis obedientes, a pigris et inobedientibus etiam prævaricatores Evangelii dicerentur: ut qui non operantur, saltem illos qui operantur sibi anteponendos esse non dubitent. Cæterum quis ferat homines contumaces saluberrimis Apostoli monitis resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut etiam sanctiores prædicari, ut monasteria doctrina saniore fundata, gemina illecebra corrumpantur, et dissoluta licentia vacationis, et falso nomine sanctitatis? Sciant ergo etiam cæteri fratres et filii nostri, qui favere talibus, et hujusmodi præsumptionem per ignorantiam defendere consueverunt, se potissimum corrigendos, ut illi corrigi possint, non ut infirmentur, benefacere. Sane in eo quod servis Dei prompte atque alacriter necessaria subministrant, non solum non reprehendimus, sed etiam suavissime amplectimur: sed ne perversa misericordia magis eorum futuræ vitæ noceant, quam præsenti subveniant.

39. Minus enim peccatur, si non laudetur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicatur (*Psal.* IX, 24).

CAPUT XXXI. — *In Monachos crinitos.* Quid autem iniquius, quam velle sibi obtemperari a minoribus, et nolle obtemperare majoribus? Apostolo dico, non nobis, in tantum ut etiam comam nutriant: unde ille nec disputari omnino voluit, dicens, *Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio:* ut scilicet non disserentis solertia requiratur, sed præcipientis auctoritas attendatur. Nam et hoc quo pertinet, quæso, tam aperte contra Apostoli præcepta comari[1]? An ita vacandum est, ut nec tonsores operentur? An quia evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint? Vereor in hoc vitium plura dicere, propter quosdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa et pene omnia veneramur. Sed quo magis eos in Christo diligimus, eo sollicitius admonemus. Neque enim metuimus ne humilitas eorum respuat admonitionem nostram; quandoquidem et nos a talibus, ubi forte titubamus aut aberramus, cupimus admoneri. Hoc ergo admonemus tam sanctos viros, ne stultis vanorum argumentationibus moveantur, et eos in hac perversitate imitentur, quibus sunt in cæteris longe dissimiles. Illi enim venalem circumferentes hypocrisim, timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas quam comata, ut videlicet qui eos videt, antiquos illos quos legimus cogitet, Samuelem et cæteros qui non tondebantur (*Num.* VI, 5). Nec cogitant quid intersit inter illud propheticum velamentum, et hanc Evangelii revelationem, de qua dicit Apostolus: *Cum transieris ad Christum, auferetur velamen* (II *Cor.* III, 16). Quod enim significabat velamen interpositum inter faciem Moysi et aspectum populi Israel (*Exod.* XXXIV, 33), hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam idem apostolus etiam comam pro velamento esse dicit, cujus auctoritate isti urgentur. Aperte quippe ait: *Vir quidem si comatus sit, ignominia est illi.* Ipsam ignominiam, inquiunt, suscipimus merito peccatorum nostrorum: ad hoc obtendentes simulatæ humilitatis umbraculum, ut sub eo

[1] Sic Mss. Editi vero, *quantalibet*.

[1] Aliquot Mss., *comari*. Plures alii, *vacare*, aut *vacare*

proponant venalem typhum[1]: quasi Apostolus superbiam doceat, cum dicit, *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, confundit caput suum*; et, *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei* (I *Cor.* XI, 4-16). Qui ergo dicit, *non debet*, nescit forte docere humilitatem. Sed si hanc ignominiam tempore Evangelii, quod erat sacramentum tempore prophetiæ, pro humilitate isti appetunt; tondeant, et cilicio caput velent. Sed non erit tunc species illa venalis, quia Samson non cilicio, sed coma velabatur (*Judic.* XVI, 17).

CAPUT XXXII. — 40. *Perversa interpretatio Scripturæ per crinitos monachos. Paulus apostolus summam castitatem professus. Præceptum viris de non velando capite. Mens per virum, concupiscentia per mulierem figurata.* Jam illud, si dici potest, quam luctuose ridiculum est, quod rursus invenerunt ad defensionem crinium suorum. Virum, inquiunt, prohibuit Apostolus habere comam: qui autem se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12), jam non sunt viri. O dementiam singularem! Merito qui hoc dicit, adversus sanctæ Scripturæ manifesta præconia consilio nefandæ impietatis armatur, et perseverat in itinere tortuoso, et pestiferam doctrinam conatur inducere, quia non est *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). Nam si in lege Dei meditaretur die ac nocte, illic inveniret ipsum apostolum Paulum, qui certe summam castitatem professus dicit, *Vellem autem omnes homines esse sicut me ipsum* (I *Cor.* VII, 7): et tamen se virum ostendit non solum ita vivendo, sed etiam ita loquendo. Ait enim: *Cum essem parvulus, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus cogitabam; cum autem vir effectus sum, evacuavi ea quæ parvuli erant* (*Id.* XIII, 11). Sed quid Apostolum commemorem, cum de ipso Domino et Salvatore nostro nesciant quid sentiant, qui hæc dicunt. Nam de quo alio dicitur, *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; ut ultra non simus parvuli jactati et circumlati omni vento doctrinæ, in illusione hominum, in astutia ad machinationem erroris* (*Ephes.* IV, 13 *et* 14)? Qua illusione isti decipiunt imperitos, qua astutia et machinamentis inimici et ipsi circumferuntur, et in sua circumlatione cohærentes sibi animos infirmorum quodam modo rotare conantur, ut pariter nesciant ubi sint. Audierunt enim vel legerunt quod scriptum est, *Quicumque enim baptizati estis in Christo, Christum induistis: ubi non est Judæus, neque Græcus; non servus, neque liber; non masculus, neque femina* (*Galat.* III, 27 *et* 28): et non intelligunt secundum[2] carnalis sexus concupiscentiam hoc esse dictum, quia in interiore homine, ubi renovamur in novitate mentis nostræ (II *Cor.* IV, 16), nullus sexus hujusmodi est. Non ergo propterea se negent viros, quia masculino sexu nihil operantur. Nam et conjugati christiani qui hoc operantur, non secundum hoc utique christiani sunt, quod habent commune cum cæteris non christianis, et cum ipsis pecoribus. Aliud est enim quod vel infirmitati conceditur, vel mortali propagationi persolvitur; aliud autem quod ad capessendam incorruptam et æternam vitam fideli professione significatur[1]. Illud ergo quod de non velando capite viris præcipitur, in corpore quidem figuratur, sed in mente agi, ubi est imago et gloria Dei, verba ipsa indicant: *Vir quidem*, inquit, *non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei*. Ubi autem sit hæc imago ipse declarat, cum dicit: *Nolite mentiri invicem; exspoliantes autem vos veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III, 9 *et* 10). Quis dubitet hanc renovationem in mente fieri? Sed et qui dubitat, audiat apertiorem sententiam. Eadem quippe admonens ita dicit alio loco: *Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem, eum qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis; renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, eum qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV, 21-24). Quid ergo? mulieres non habent hanc innovationem mentis, ubi est imago Dei? Quis hoc dixerit? Sed corporis sui sexu non eam significant: propterea velari jubentur. Illam quippe significant partem, eo ipso quo mulieres sunt, quæ concupiscentialis dici potest, cui mens dominatur, etiam ipsa subdita Deo suo, quando rectissime et ordinatissime vivitur. Quod ergo est in uno homine mens et concupiscentia (illa enim regit, hæc regitur; illa dominatur, hæc subditur), hoc in duobus hominibus, viro et muliere, secundum sexum corporis figuratur. De quo sacramento loquens Apostolus dicit, virum non debere velari, sed debere mulierem. Tanto enim gloriosius mens ad superiora promovetur, quanto diligentius ab inferioribus concupiscentia cohibetur; donec totus homo cum ipso etiam mortali nunc et fragili corpore in resurrectione novissima incorruptione atque immortalitate induatur, et absorbeatur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54).

CAPUT XXXIII. — 41. *Bonos quosdam crinitos rogat ut capillos radant.* Quapropter qui recta facere nolunt, desinant saltem docere perversa. Sed alii sunt, quos isto sermone corripimus[2]: illos autem qui hoc uno vitio capillorum contra præceptum apostolicum demissorum offendunt et perturbant Ecclesiam: quia cum alii nolentes de illis mali aliquid sentire, coguntur manifesta verba Apostoli in perversam detorquere sententiam, alii sanum intellectum Scripturarum defendere malunt, quam quoslibet homines adulari[3]; existunt inter fratres infirmiores et firmiores amarissimæ et periculosissimæ contentiones: quod illi forte si scirent, hoc quoque sine dubitatione corrigerent, quorum cætera miramur et amamus: illos ergo

[1] Plures Mss., typum.
[2] Lov., non secundum. Abest, non, ab editione Er. et a plerisque manuscriptis.

[1] In Mss., signatur.
[2] Mss., corripiemus.
[3] Sic Mss. At Lov., quibuslibet hominibus adulari.

non corripimus, sed rogamus et obsecramus per divinitatem et humanitatem Christi, et per charitatem Spiritus sancti, ne ultra jam ponant hoc offendiculum infirmis, pro quibus Christus mortuus est, et dolorem cruciatumque nostri cordis exaggerent, cum cogitamus quanto proclivius hoc malum ad decipiendos homines imitari possint mali, cum in eis hoc vident quos propter alia tanta bona debitis officiis christianæ dilectionis honoramus. Quod si post hanc admonitionem vel potius obsecrationem nostram in eo sibi perseverandum esse putaverint, nihil aliud faciemus quam dolebimus et gememus. Hoc noverint, sufficiat eis: servi Dei sunt, misereantur; si non misereantur, nolo quidquam gravius dicere. Hæc itaque omnia in quibus fortasse loquacior fui quam vellent occupationes et tuæ et meæ, si approbas, fac innotescere fratribus et filiis nostris, propter quos mihi est hoc onus dignatus imponere; si autem aliquid retrahendum vel emendandum videtur, rescriptis tuæ Beatitudinis noverim.

In librum de Divinatione Dæmonum, *vide lib.* 2, *cap.* 30, Retractationum, *col.* 643, *verbis*, Per idem tempus accidit mihi ex quadam disputatione necessitas (a), *usque ad verba*, Diebus sanctis Octavarum. M.

(a) Sic indicat Augustinus pertinere hunc librum ad illud idem tempus quo vulgavit opuscula contra Donatistas a se proxime ante recensita, quæ temporis sunt Collationem Carthaginensem aliquanto præcedentis, inter annum scilicet 406 et 411 collocanda.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DIVINATIONE DÆMONUM

LIBER UNUS (a)

Divinationes dæmonum et quæ ad eorum cultum pertinent, non ideo recte fieri, quia nisi Deo sinente non fiunt. Unde sint illæ dæmonum divinationes, curve interdum veræ, licet plerumque falsæ.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Occasio scribendi hujus libri. Non statim rectum quod Deus permittit. In rebus etiam ad religionis cultum pertinentibus permitti a Deo quæ ipsi displicent.* Quodam die in diebus sanctis Octavarum (b), cum mane apud me adessent multi fratres laici Christiani, et in loco solito consedissemus, ortus est sermo de religione Christiana adversus præsumptionem et tanquam miram et magnam scientiam Paganorum; quem recordatum atque completum litteris mandandum putavi, non expressis contradicentium personis, quamvis Christiani essent, et magis contradicendo quærere viderentur quid Paganis responderi oporteret. Cum ergo de divinatione dæmonum quæreretur, et affirmaretur prædixisse nescio quem, eversionem templi Serapis, quæ in Alexandria facta est; respondi, non esse mirandum si istam eversionem templi et simulacri sui imminere [1] dæmones, et scire et prædicere potuerunt, sicut alia multa, quantum eis nosse et prænuntiare permittitur.

2. Et cum mihi referretur, Non ergo sunt malæ divinationes hujusmodi, nec Deo displicent; alioquin omnipotens et justus ista fieri non permitteret, si mala et injusta essent: respondi, non ideo hæc videri justa debere, quod ea fieri permittit omnipotentissimus et justissimus Deus: nam et alia multa manifestissime injusta fieri, sicut homicidia, adulteria, furta, rapinas, et cætera hujusmodi, quæ quamvis justo Deo, eo quod injusta sunt, sine dubitatione displiceant; idem tamen omnipotens ea fieri certa judicii sui ratione permittit; non utique impune, sed ad eorum damnationem, a quibus fiunt quæ displicent justo.

3. Et cum e contrario diceretur, non quidem esse dubitandum quod omnipotens et justus sit Deus: sed hæc humana peccata, quæ contra societatem hominum fierent, non eum curare dum fierent, propterea ea posse fieri; quæ utique fieri non possent, si omnipotens non sivisset: illa vero quæ ad ipsum religionis cultum pertinent, nullo modo ab eo credendum esse contemni; ac per hoc fieri non potuisse, nisi ei placuissent, et ideo ea mala putari non oportere: ad hoc quoque respondi: Nunc ergo ei displicent, cum templa et simulacra evertuntur, et illa Gentium sacrificia, si facta fuerint, puniuntur. Sicut enim dicitur non ea fieri potuisse, nisi Deo placuissent, et ideo bona putanda, quoniam justo placent; ita dici potest non ea prohiberi, everti, puniri potuisse, nisi Deo displicerent: ac per hoc si tunc ideo recte fiebant, quia

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Divinatione Dæmonum recognitus est ad exemplaria Vaticana tria, et ad Gallicana septem, duo scilicet Dominicanorum Parisiensium via Jacobea, Navarrici gymnasii unum, item Regium, Remigianum, Michaelinum, et Floriacense; ad lectiones variantes trium Belgicorum apud Lov. et ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *t.* 1, *memoratas*, M.

(a) Scriptus inter annum 406 et 411.
(b) Octavas baptizatorum solemnes in Paschate aliis memorat [illegible] ad sermonem 260, tom. 5.
[1] Sic Mss. At editi, *eversionem templi simulacris suis imminere*.

justo Deo placere hinc ostendebantur, quod ab illo fieri sinebantur; ideo nunc inique fiunt, quia Deo displicere hinc ostenduntur, quod ea vel jubet vel permittit everti.

CAPUT II. — 4. *Sacrificia Paganorum non ideo putanda bona, quia ea fieri Deus non impedivit. Permissa esse ab omnipotente, quæ ab eodem justo improbarentur. Pontificales libri sacrorum profanorum. Quid hactenus compertum, quid tractandum deinceps.* Contra hoc dictum est, injusta quidem esse nunc ista, non tamen mala; et ideo injusta, quia contra leges quibus prohibentur fiunt; ideo autem non mala, quia si mala essent, nunquam Deo utique placuissent: porro si nunquam placuissent, nunquam et facta essent, illo non sinente qui omnia potest, et qui talia non contemneret; quando tam magna sunt, ut contra ipsam religionem qua Deus colitur fierent, si male fierent. Hic ego: Si propterea, inquam, mala non sunt, quia Deo placere hinc probantur, quod ea fieri sinit omnipotens; quomodo erit bonum quod fieri prohibentur et evertuntur? Si autem bonum non est quod evertuntur quæ Deo placent, hoc fieri non sineret omnipotens; quia et hoc contra religionem fit qua colitur Deus, si ea quæ Deo placent ab hominibus evertuntur. Si autem hoc ut male fiat permittit omnipotens, non ideo putanda sunt illa bona quod ea fieri permisit omnipotens.

5. Dictum contra est, concedendum esse nunc ista recte non fieri, imo ideo prorsus jam non fieri, quod omnipotenti nunc displiceant; verumtamen placuisse cum fierent: nos enim nescire unde tunc placuerint, nunc autem unde displiceant; dum tamen certum sit, nec tunc fieri potuisse nisi placuissent omnipotenti, nec nunc cessasse nisi displicuissent omnipotenti. Ad hoc ego: Cur ergo, inquam, et nunc talia clanculo fiunt, quæ vel perpetuo delitescunt, vel deprehensa puniuntur, si nihil horum fieri sinit omnipotens, nisi quod ei justo placet, cum justo quod injustum est placere non possit? Contra hoc dictum est, nunc omnino talia non fieri: Sacra enim illa, inquit, non fiunt, quæ pontificalibus conscripta sunt libris: ea quippe tunc recte fiebant, ea tunc Deo placere demonstrabantur, eo ipso quod ab omnipotente ac justo fieri sinebantur: si quid autem nunc prohibitorum sacrificiorum fit occulte atque illicite, non est illi pontificali sacrificiorum generi comparandum, sed in eo deputandum, quod etiam nocturno fit tempore; cum hæc omnia illicita ipsis pontificalibus libris certum sit prohiberi atque damnari. Hic respondi: Cur ergo vel talia permittit Deus fieri, si nihil horum malefactorum contemnit quæ contra religionem fiunt; cum præsertim hæc etiam curare hunc etiam cogantur concedere qui pontificales libros magni æstimant, quod ea quæ his libris prohibentur, utique prohiberi divinitus asserunt? Quomodo ergo divinitus prohibentur, nisi quia displicent Deo, qui ea utique prohibendo non solum sibi displicere, verum etiam curare se ostendit, neque omnino contemnere? Unde colligitur quod Deus aliquid et improbet justus, et tamen permittat omnipotens.

6. Hæc cum dicta essent, concessum est non ideo putandum aliquid juste ac bene fieri, quia hoc omnipotens, quamvis ei displiceat, fieri tamen sinit [1]; fatendumque esse etiam illa mala quæ contra religionem qua colitur Deus fiunt, et displicere Deo justo, et ratione judicii ejus ab omnipotente permitti: sed aliud jam esse tractandum, unde sint divinationes vel dæmonum, vel quilibet illi sint quos deos Pagani vocant: videndum enim esse ne forte, non quidem propterea hæc bona putanda sint, quia ea fieri permittit omnipotens; sed ideo quia tam magna sunt, ut non nisi Dei potentiæ tribuenda esse videantur. Ad hoc me postea responsurum esse promisi, quoniam tunc hora prodeundi ad populum jam nos urgebat: nec distuli, cum spatium datum est scribendi [2], et illa retexere, et ista subtexere.

CAPUT III. — 7. *Dæmonum divinatio tribus ex causis. Acrimonia sensus, celeritate motus, et diuturna rerum experientia præpollent. Non ideo dæmones præponendos esse hominibus.* Dæmonum ea est natura, ut aerii corporis sensu terrenorum corporum sensum facile præcedant; celeritate etiam propter ejusdem aerii corporis superiorem mobilitatem non solum cursus quorumlibet hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus quantum ad aerium corpus attinet præditi, hoc est, acrimonia sensus et celeritate motus, multa [3] ante cognita prænuntiant vel nuntiant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam potest hominibus propter brevitatem vitæ provenire. Per has efficacias [4] quas aerii corporis natura sortita est, non solum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa mira faciunt. Quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus serviant et quibus divinos honores deferant, arbitrantur, instigante maxime vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ et excellentiæ temporalis [5]. Qui autem se ab his cupiditatibus mundant, nec eis se fallendos capiendosque [6] permittunt, sed inquirunt et amant aliquid quod eodem modo semper est, cujus participatione beati sunt; primum considerant non ideo sibi præponendos esse dæmones, quod acriore sensu corporis prævalent, aerii scilicet, hoc est subtilioris elementi: quia nec in ipsis terrenis corporibus bestias sibi præponendas putant, quæ acrius multa præsentiunt; velut sagacem canem, quia latentem feram olfactu acerrimo sic invenit, ut ad eam capiendam ducatum quemdam homini præbeat, non utique pruden

[1] Duo Mss., *quia id Deus, licet sit justus et omnipotens, fieri tamen sinit.*

[2] In Mss., *scribendo.*

[3] Sic Mss. Editi autem, *multo.*

[4] Aliquot Mss., *efficientias.*

[5] Plerique Mss., *instigante maximo vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ excellentiæ temporalis* [illegible] *et*

[6] Plerique Mss., *fallendos rapiendosque.*

tiore intellectu animi, sed acutiore corporis sensu; vel vulturem, quia projecto cadavere ex improvisa longinquitate advolat; nec aquilam, quia sublimiter volans de tanto intervallo sub fluctibus natantem piscem dicitur pervidere, et graviter aquis illisa exertis pedibus atque unguibus rapere: nec alia multa animantium genera, quæ inter herbas saluti suæ noxias pascendo circumerrant, nec aliquid eorum quo lædantur attingunt; cum eas homo vix experiendo cavere didicerit, et multa innoxia quod sint inexperta formidet. Unde conjicere facile est, quanto possit in aeriis corporibus sensus acrior esse: nec ideo tamen dæmones, qui eo præditi sunt, bonis hominibus præponendos prudens quisque censuerit. Hoc et de corporum celeritate dixerim: et hac enim præstantia, non solum a volucribus homines, verum etiam a multis quadrupedibus ita superantur, ut in eorum comparatione plumbei deputandi sint; nec tamen ideo sibi hæc animantium genera existimant præponenda, quibus capiendis, mansuefaciendis, atque in suæ voluntatis usum commodumque redigendis, non vi corporis, sed rationis imperitant.

CAPUT IV. — *Mira quædam etsi dæmones faciunt, contemnendi.* Illam vero tertiam dæmonum potentiam, quod diuturna rerum experientia quemadmodum prænoscant atque prænuntient multa didicerunt, ita contemnunt qui hæc vigilanter curant a verissimæ lucis veritate discernere, ut nec malos senes plura expertos, et ob hoc quasi doctiores, ideo probi adolescentes sibi antecellere existiment; nec medicos, nec nautas, nec agricolas, quos pravæ voluntatis et iniquis moribus viderint, ideo sibi putent esse præferendos, quod illi de valetudinibus, illi de tempestatibus, illi de arbustorum frugumque generibus multa ita prænuntiant, ut harum rerum inexperto divinare videantur.

8. Quod vero non solum dæmones quædam futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipsa utique sui corporis excellentia, cur non contemnatur a prudentibus, cum plerumque iniqui ac perditi homines ita exerceant corpora sua, tantaque diversis artibus possint [1], ut ea qui hæc nesciunt nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant? Quam multa funambuli cæterique theatrici artifices, quam multa opifices maximeque mechanici miranda fecerunt? Num ideo meliores sunt bonis et sancta pietate præditis hominibus? Quæ ideo commemoravi, ut qui hæc sine pervicacia et sine vana resistendi animositate considerat, simul cogitet, si de subjacente crassiore materia vel sui quisque corporis, vel terræ et aquæ, lapidum atque lignorum metallorumque variorum, tanta quidam homines possunt, ut eos illi qui hæc non possunt, plerumque stupendo, in sui comparatione divinos vocent, cum quidam illorum sint artibus potentiores, quidam istorum moribus meliores; quanto majora et mirabiliora pro subtilissimi corporis, id est, aerii facultate ac facilitate dæmones possint, cum tamen sint voluntatis pravitate, maximeque superbiæ fastu et invidentiæ malitia [1] spiritus immundi atque perversi? Quantum autem valeat aeris elementum, quo eorum corpora prævalent, ad multa visibilia invisibiliter molienda, movenda, mutanda atque versanda, longum est nunc demonstrare, et puto quod vel mediocriter consideranti facile occurrat.

CAPUT V. — 9. *Unde dæmones prænuntient ventura.* Quæ cum ita sint, primum sciendum est, quoniam de divinatione dæmonum quæstio est, illos ea plerumque prænuntiare quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem et morbos immittere, et ipsum aerem vitiando morbidum reddere, et perversis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere; de quorum moribus certi sunt quod sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent autem miris et invisibilibus modis, per illam subtilitatem suorum corporum corpora hominum non sentientium penetrando, seseque cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, sive vigilantium sive dormientium. Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt. Neque enim quia prævidet medicus quod non prævidet ejus artis ignarus, ideo jam divinus habendus est. Quid autem mirum, si quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie seu bonas seu malas futuras prævidet valetudines; sic dæmon in aeris affectione atque ordinatione sibi nota, nobis ignota [2], futuras prævidet tempestates? Aliquando et hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt (*a*): atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur: ita non debet esse incredibile, si etiam leniores [3] cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso [4] sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt.

CAPUT VI. — 10. *Divinatio dæmonum quam distans ab altitudine prophetiæ divinæ. Dæmones plerumque falli et fallere. Quomodo falluntur. Quomodo fallunt.* Hac atque hujusmodi facultate multa dæmones prænuntiant; cum tamen ab eis longe sit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per sanctos Angelos suos et Prophetas operatur. Nam si quid de illa Dei dispositione prænuntiant, audiunt ut prænuntient; et cum ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt neque falluntur: veracissima enim sunt angelica et prophetica oracula. Sic autem indignanter accipitur [5], quod aliqua etiam talia dæmones audiant et prædicant,

[1] Editi, *artibus agere possint*. Abest, *agere*, a Mss.

[1] Ita Mss. At editi, *et evidenti malitia*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *sibi notas, nobis ignotas*.
[3] Ven., *leviores*. M.
[4] In Mss., *obtunso*.
[5] Ita Mss. At Am. et Er., *Sic autem non indignanter accipiatur*. Lov., *Non autem indignanter accipiatur*.
(*a*) II Retract. cap. 30. Confer etiam lib. 1 contra Academicos, capp. 6 et 7, n. 16-21.

quasi aliquid indignum sit ut quod ideo dicitur ut hominibus innotescat, hoc non solum boni, verum etiam mali non taceant: cum in ipsis hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videamus pariter a justis perversisque cantari; nec obesse aliquid, imo etiam prodesse ad majorem notitiam famamque veritatis, cum de illa etiam hi quidquid noverunt dicunt, qui ei perversis moribus contradicunt. In cæteris autem prædictionibus suis dæmones plerumque et falluntur et fallunt. Falluntur quidem, quia cum suas dispositiones prænuntiant, ex improviso desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet. Velut si aliquid disponant quilibet homines quibuslibet potestatibus subditi, quod non prohibituros suos præpositos arbitrentur, idque facturos se esse promittant; at illi, penes quos major potestas est, ex alio superiore consilio hoc totum dispositum atque præparatum repente prohibeant. Falluntur etiam cum causis naturalibus aliqua, sicut medici, aut nautæ, aut agricolæ, sed longe acutius longeque præstantius pro aerii corporis sensu solertiore et exercitatiore prænoscunt: quia et hæc ab Angelis Deo summo pie servientibus alia dispositione ignota dæmonibus ex improviso ac repente mutantur. Tanquam si ægro aliquid extrinsecus [1] accidat, quo moriatur, quem medicus veris salutis præcedentibus signis victurum esse promiserat; aut si aeris qualitate prævisa, diu flaturum illum ventum nautarum aliquis prædixisset, cui Dominus Christus cum discipulis navigans ut quiesceret imperavit, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 26); vel si agricola illo anno fructificaturam vitem aliquam polliceatur, naturam utique terræ et numeros seminum callens, quo tamen anno eam vel improvisa cœli intemperies arefaciat, vel aliqua jussio potentioris eradicet: ita multa etiam ad præscientiam prædictionemque dæmonum pertinentia, quæ minoribus et usitatioribus causis futura prævidentur, eadem majoribus et occultioribus causis impedita mutantur. Fallunt autem etiam studio fallendi et invida voluntate, qua hominum errore lætantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt, ut interpretibus suis signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint vel mentiti [2].

11. Quid ergo mirum, si jam imminente templorum aut simulacrorum eversione, quam Prophetæ Dei summi tanto ante prædixerant, Serapis dæmon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodidit, ut suam quasi divinitatem recedens vel fugiens commendaret?

CAPUT VII. — *Cur dæmones ipsorum mala vel sileant, vel prædicant interdum.* Fugantur enim isti, vel etiam jussis superioribus colligati abstrahuntur et alienantur a locis suis, ut de rebus quibus dominabantur quibusque colebantur, fiat voluntas Dei, qui hoc tanto ante per omnes gentes futurum esse prædixit, et ut per suos fideles fieret imperavit. Cur autem hoc non sineretur dæmon prædicere, cum sibi jam prænosceret imminere? cum hæc prædictio et Prophetis [1] attestaretur, a quibus sunt ista conscripta, et prudentibus daretur intelligi quam vigilanter esset dæmonum cavenda fallacia cultusque fugiendus; qui cum ante per tam longum tempus in templis suis hæc futura tacuissent, quæ per Prophetas prædicta ignorare non possent, posteaquam appropinquare cœperunt, voluerunt ea quasi prædicere, ne ignari victique putarentur. Cum igitur tam longe ante prædictum esset atque conscriptum, ut alia interim taceam, illud quod Sophonias propheta dicit, *Prævalebit Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium terræ; et adorabunt eum, unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium* (*Sophon.* II, 11); aut non credebant ista sibi eventura, qui in templis gentium colebantur, et ideo hæc per suos vates ac fanaticos frequentare noluerunt: sicut eorum poeta Junonem inducit non omni modo credentem, quæ de Turni morte Jupiter dixerat. Juno autem ab istis potestas aeria prædicatur, quæ apud Virgilium sic loquitur:

> Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri
> Vana feror: quod ut o potius formidine falsa
> Ludar; et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
> (*Æneid. lib.* 10, v. 650-652.)

Aut ergo ista sibi, quæ per Prophetas prædicta noverant, posse accidere dæmones, hoc est potestates aeriæ, dubitabant, et propterea prædictionem eorum celebrare noluerunt, et hinc intelligendum est quales sint: aut cum ea ventura certissime scirent, ideo per sua templa tacuerunt, ne jam tunc inciperent ab hominibus intelligentibus deseri atque contemni, quod de templorum atque simulacrorum suorum futura eversione eis Prophetis [2] attestarentur qui eos coli prohibebant. Nunc vero posteaquam tempus advenit quo complerentur vaticinia Prophetarum Dei unius, qui istos deos falsos dicit, et ne colantur vehementissime præcipit; cur non hoc etiam ipsi compertum prædicere sinerentur, ut inde clarius appareret eos hæc antea vel minime credidisse, vel suis cultoribus enuntiare timuisse; in fine autem, tanquam nihil habentes amplius quod agerent, etiam ibi voluisse suam ostentare divinationem, ubi jam produntur diu simulasse divinitatem?

CAPUT VIII. — 12. *Dæmones prædicere quædam vera ex oraculis Prophetarum potuisse, nihil tamen ausos dicere contra Deum verum.* Quod autem dicunt reliqui eorum cultores, etiam suorum quibusdam libris hæc præcognita contineri, quanquam ex rebus impletis conficta putanda sint quæ in eorum templis tam longo antea tempore populis eorum si vera essent innotescere debuerunt, sicut nostra non solum in Ec-

[1] Sola editio Lov., *intrinsecus.*

[2] Hic editi addunt, *Nonnunquam vero ipsi maligni spiritus et illusores hominum atque invasores salutis eorum, solent prædicere defectum cultorum suorum et idolorum suorum m. [illegible] prævidentur, quod in [illegible] reddat, aut locis venturum sit, et quod adversus [illegible] fallendi, [illegible] quæ pos- [illegible], quod etiam illi qui gentilium historias legunt, non ignorant.* Absunt hæc ab omnibus Mss.

[1] Sic Mss. At editi, *a Prophetis*: minus bene.

[2] Editi, *Prophetæ.* Emendantur ex Mss.

clesiis nostris, verum etiam, quod ad gravius testimonium contra omnes inimicos valet, in Judæorum synagogis antiquissima et notissima recitantur: tamen nec ista ipsa quæ ab eis vix raro et clanculo proferuntur, movere nos debent, si cuiquam dæmonum extortum est id prodere cultoribus suis, quod didicerat ex eloquiis Prophetarum vel ex oraculis Angelorum. Quod cur non fieret, cum et ista non sit oppugnatio, sed attestatio veritatis? Illud enim quod solum ab eis flagitandum est [1], nec unquam antea protulerunt, nec unquam postea, nisi forte confictum, proferre conabuntur, aliquid deos suos per vates suos contra Deum Israel ausos prædicere fuisse aut dicere. De quo Deo doctissimi eorum auctores, qui omnia illa legere ac nosse potuerunt, magis quæsierunt quis Deus esset, quam Deum negare potuerunt. Porro autem Deus iste, quem nullus eorum negare ausus est verum Deum, qui et si negaret, non solum subjaceret debitis pœnis, verum etiam certis convinceretur effectibus; iste ergo Deus, quem nemo, ut dixi, illorum ausus est negare verum Deum, illos falsos esse deos et omnino deserendos, eorumque templa et simulacra et sacra evertenda per suos vates, hoc est Prophetas, aperta denuntiatione prædixit, aperta potestate præcepit, aperta veritate complevit. Unde quis usque adeo desipiat, qui non potius eum colendum eligat, quem coli non prohibent quos et colebat? Quem procul dubio cum colere cœperit, illos utique non est culturus, quos prohibet coli quem colit.

CAPUT IX. — 13. *Dæmonum cultus unius Dei cultui cessuros prædictum a Prophetis.* Quod autem ipsum essent culturæ gentes exterminatis diis falsis quos antea colebant, a Prophetis ejus esse prædictum paulo ante commemoravi, et nunc repeto: *Prævalebit*, inquit, *Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium terræ, et adorabunt eum, unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium.* Neque solæ insulæ, sed ita omnes gentes, ut etiam omnes insulæ gentium; quandoquidem alibi non insulas nominat, sed universum orbem terrarum, dicens: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ; et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Hæc autem per Christum fuisse complenda, et aliis pluribus testimoniis, et in eodem ipso psalmo unde hoc commemoravi, satis apparet. Cum enim paulo superius futuram passionem suam per Prophetam ipse loqueretur, dicens, *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI, 28, 29, 17, 18, 19); paulo post infert illud quod posui, *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ*, etc. Quanquam et per illud testimonium quod prius adhibui, ubi dictum est, *Prævalebit Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium terræ;* in eo quod positum est, *Prævalebit*, satis ostenditur hoc etiam prænuntiatum, quod Pagani prius oppugnaturi essent Ecclesiam, nomenque Christianum quantum valerent persecuturi, ut si fieri posset omnino de terra deleretur: et quia eos patientia martyrum et magnitudine miraculorum erat superaturus, et consequente fide populorum, ideo sic dictum est, *Prævalebit Dominus adversus eos.* Non enim diceretur, *Prævalebit adversus eos*, nisi oppugnando illi resisterent. Unde et in Psalmo ita prophetatum est: *Utquid fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Et paulo post dicit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 1, 2, 7). Ecce unde dictum est et in alio psalmo quod superius interposui, *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* His atque hujusmodi propheticis documentis prædictum ostenditur, quod videmus impleri per Christum, futurum fuisse ut Deus Israel, quem unum verum Deum intelligimus, non in una ipsa gente quæ appellata est Israel, sed in omnibus gentibus coleretur, et omnes falsos deos Gentium et a templis eorum et a cordibus cultorum suorum demoliretur [1].

CAPUT X. — 14. *Paganorum reliquiæ frustra jactant doctrinam et sapientiam suam.* Eant nunc isti, et adhuc contra christianam religionem et contra verum Dei cultum vanitates pristinas defensitare audeant, ut cum strepitu pereant. Nam et hoc de illis prædictum est in Psalmo, dicente Propheta: *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem. Increpasti gentes, et periit impius; nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi. Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum permanet* (*Psal.* IX, 5-8). Necesse est ergo ut impleantur omnia hæc: nec quod adhuc audent ipsi pauci qui remanserunt, vaniloquas suas ostentare doctrinas, et Christianos tanquam imperitissimos irridere, moveri debemus, dum in eis impleri ea quæ prædicta sunt videamus. Ipsa quippe velut imperitia et stultitia Christianorum, quæ humilibus [2] et sanctis ejusque diligenter studiosis apparet excelsa et sola vera sapientia; ipsa, inquam, velut stultitia Christianorum eos ad istam paucitatem redegit, quoniam, sicut dicit Apostolus, *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.* Deinde subjungit rem mirabilem, si quis intelligat, et ita sequitur: *Nam quoniam in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam quidem Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam. Quoniam quod stultum est Dei, sapientius est homini-*

[1] Sic Mss. At editi, *ab ipsis fanaticis flagitandum est.*

[1] In Mss., *amoliretur.*

[2] Editi, *in humilibus.* Abest, *in*, a Mss.

bus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I, 20-25). Irrideant ergo, quantum possunt, tanquam imperitiam et stultitiam nostram, et jactent doctrinam et sapientiam suam. Illud scio, quod isti irrisores nostri pauciores sunt hoc anno, quam fuerunt priore anno. Ex quo enim fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus, quando ab eis fundebatur sanguis sanctorum et vastabatur Ecclesia, usque ad hoc tempus et deinceps quotidie minuuntur. Nos autem adversus eorum opprobria et superbas irrisiones fortissimos reddunt oracula Dei nostri, quæ de hac quoque re videmus et gaudemus impleri. Sic enim nos alloquitur per prophetam: *Audite me, qui scitis judicium, populus meus, in quorum corde lex mea est: opprobrium hominum nolite metuere, et detractione eorum ne superemini; nec quod nunc vos spernunt, magni duxeritis. Sicut enim vestimentum, ita per tempus absumentur, et sicut lana a tinea comedentur: justitia autem mea in æternum manet* (*Isai.* LI, 7 *et* 8). Legant tamen hæc nostra, si dignentur; et cum ad nos contradictiones eorum pervenerint, quantum Dominus adjuvat, respondebimus.

In librum de Cura pro Mortuis gerenda (*a*), *vide lib.* 2 Retractationum, *cap.* 64, *t.* 1, *col.* 655, *verbis*, Librum de Cura, *usque ad verba col.* 656, Venerande Pauline. M.

(*a*) Quo tempore librum hunc scripserit, conjectare licet ex Retractationum serie, ubi hunc eumdem librum proximo loco ponit post Enchiridion ad Laurentium, quod quidem opus non ante annum 421 perfecit. Vide supra, col. 229-230, Admonitionem eidem operi præfixam, necnon Admonitionem aliam, col. 147-148, ad librum octo Quæstionum Dulcitii, cui scilicet libro, quæst. 2, inseruit Augustinus initium subsequentis libri sui ad Paulinum.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CURA PRO MORTUIS GERENDA

AD PAULINUM

LIBER UNUS (a).

Interrogatus a Paulino episcopo Nolano, utrum sepultura quæ fit in memoriis martyrum, spiritibus mortuorum aliquid prosit, ostendit in primis nihil mortuis ipsis obesse, etiamsi eorum corporibus omnino negetur sepultura. Locum autem sepulturæ non per se prodesse quidquam, sed per occasionem duntaxat, dum ex illius recordatione movetur et crescit affectus precantium pro defunctis. Curam sepulturæ ex humani cordis ad carnem suam affectu venire, eamque merito a sanctis martyribus, cum ad felicitatem aut miseriam nihil intersit, contemptam fuisse. Hinc de mortuis dicit, qui narrantur viventibus apparuisse, ut suis corporibus sepultura præberetur. Quomodo visa illa fiant, docet variis exemplis. Ad extremum, inquirit an mortui curent interesse ac rebus humanis.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Paulini quæstio, an mortuo prosit quod apud sancti alicujus memoriam sepelitur. Sententia ipsius est prodesse. Difficultas contra ab eodem proposita discutitur. Ex genere vitæ quam quisque gesserit, effici ut prosint vel non prosint quæ fiunt pro defunctis.* Diu Sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline, rescriptorum debitor fui, ex quo mihi scripsisti per homines filiæ nostræ religiosissimæ Floræ, quærens a me utrum prosit cuique post mortem quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepelitur. Hoc enim abs te vidua memorata petiverat pro defuncto in eis partibus filio suo, et rescripseras consolans eam: idque etiam nuntians de cadavere fidelis juvenis Cynegii [1], quod materno et pio affectu desideravit, esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur. Qua occasione factum est, ut per eosdem perlatores litterarum tuarum etiam mihi scriberes, ingerens hujuscemodi quæstionem, atque ut responderem quid inde mihi videretur, exposcens, nec tacens ipse quid sentias. Nam dicis videri tibi non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit: ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita sanctorum

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Cura pro Mortuis gerenda correctus de novo est collatis Mss. Gallicanis quindecim; duobus videlicet Colbertinis, Pratellensibus totidem, uno Corbeiensi annorum fere 900, et uno Ecclesiæ Remensis, alio Ecclesiæ Laudunensis, item Regio, Bigotiano, Victorino, Fossatensi abbatiæ S. Mauri, Metensi S. Arnulphi, Divionensi S. Benigni, Uticensi S. Ebrulphi, Michaelino, et Romanis insuper Vaticanæ bibliothecæ quatuor; necnon variantibus lectionibus Belgicorum quinque apud Lov. cum primariis editionibus Bad., id est, Joannis Badii apud Joannem Parvum, Parisiis, an. 1502; Am. Joannis Amerbachii, Er. Erasmi, ac Lov. Lovaniensium Theologorum.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess. *tom.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scriptus circiter annum Christi 421.

[1] Uticensis abbatiæ codex, *Cynegii*.

2. Sed cum hæc ita sint, quomodo huic opinioni contrarium non sit, quod dicit Apostolus, *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat*[1] *unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* v, 10), non te satis videre significas. Hæc quippe apostolica sententia ante mortem admonet fieri quod possit prodesse post mortem; non tunc, quando jam recipiendum est quod quisque gesserit ante mortem. Verum hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos; ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos nihil omnino adjuvant ista; sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint, quæcumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis[2] impendat; et tamen ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum, reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore.

3. Poterat inquisitioni tuæ sufficere mea brevis ista responsio; sed quæ alia moveant, quibus respondendum existimo, parumper attende. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium (II *Machab.* xii, 43). Sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas[3], ubi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

CAPUT II. — ***Quid conferat honos sepulturæ. Sepultura corporum Christianis si fuerit negata, nihil adimit.*** Sed utrum aliquid prosit animæ mortui locus corporis sui, operosius inquirendum est. Ac primum utrum intersit aliquid ad inferendam vel augendam miseriam post hanc vitam spiritibus hominum, si eorum corpora sepulta non fuerint, non secundum opinionem utcumque vulgatam, sed potius secundum religionis nostræ sacras Litteras est videndum. Neque enim credendum est, sicut apud Maronem legitur, insepultos a navigando atque transeundo inferno amne prohiberi: quia scilicet

> Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
> Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
> (*Æneid. lib.* 6, *vv.* 327, 328.)

Quis cor christianum inclinet his poeticis fabulosisque figmentis, cum Dominus Jesus, ut inter inimicorum manus, qui eorum corpora in potestate haberent, securi occumberent Christiani, nec capillum capitis eorum asseverat periturum, exhortans ne timeant eos qui cum corpus occiderint, amplius non habent quid faciant? Unde in primo libro de Civitate Dei satis, quantum existimo, sum locutus, ut eorum dentem retunderem, qui barbaricam vastitatem, præcipue quam nuper Roma perpessa est, christianis temporibus imputando, etiam id objiciunt, quod suis illic non subvenerit Christus. Quibus cum responsum fuerit animas fidelium pro fidei suæ meritis ab illo fuisse susceptas, insultant de cadaveribus insepultis. Totum itaque istum de sepultura locum verbis talibus explicavi.

4. « At enim in tanta, inquam, strage cadaverum nec sepeliri potuerunt? Neque istud pia fides nimium reformidat, tenens prædictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. Nec ullo modo diceret Veritas, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*; si quidquam obesset vitæ futuræ quidquid inimici de corporibus occisorum facere voluissent. Nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendat eos qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant; et timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non sinant. Falsum est ergo quod ait Christus, *Qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant* (*Matth.* x, 28, 30; *Luc.* xii, 4, 7); si habent tanta quæ de cadaveribus faciant? Absit ut falsum sit quod Veritas dixit. Dictum est enim aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo; postea vero nihil habere quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit: sed nullum eorum quisquam a cœlo et terra separavit, quam totam implet præsentia sui, qui novit unde resuscitet quod creavit. Dicitur quidem in Psalmo, *Posuerunt mortalia servorum tuorum escam volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret* (*Psal.* lxxviii, 2, 3); sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem qui ista perpessi sunt. Quamvis enim hæc in conspectu hominum dura et dira videantur, sed *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* cxv, 15). Proinde ista omnia, id est, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exsequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exsequias in conspectu hominum purpurato illi diviti turba exhibuit famulorum: sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum; qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt (*Luc.* xvi, 19-22). Rident hæc illi, contra quos defendendam suscepimus Civitatem Dei: verumtamen sepulturæ curam etiam eorum philosophi contempserunt; et sæpe universi exercitus, dum pro terrena patria morerentur,

[1] Sic Mss. At editi hoc loco, *referat*: qui tamen infra cum Mss. habent, *et tamen ferat*.
[2] Unus e Vaticanis Mss., *religiosius*.
[3] Editiones Bad. Am. et Er., *non parva hæc consuetudine claret auctoritas*: reluctantibus Mss. et Lov.

ubi postea jacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curaverunt; licuitque poetis de hac re plausibiliter dicere,

Cœlo tegitur, qui non habet urnam (*a*).

quanto minus debent de corporibus insepultis insultare Christianis, quibus et ipsius carnis membrorumque omnium reformatio, non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda et redintegranda promittitur? »

CAPUT III. — 5. *Funeris et sepulturæ cura quare laudabilis.* « Nec ideo tamen contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum ac fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera sancte usus est spiritus [1]. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exsequiæ celebratæ, et sepultura provisa: ipsique cum viverent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt (*Gen.* XXIII, XXV, 9, 10, *et* XLVII, 30). Et Tobias [2] sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste angelo commendatur (*Tob.* II, 9, *et* XII, 12). Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit (*Matth.* XXVI, 7-13): et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum, diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt (*Joan.* XIX, 38). Verum istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei providentiam (cui placent etiam talia pietatis officia) corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Ubi et illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus et sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur. Sunt quidem et alia quæ sancti Patriarchæ de corporibus suis vel condendis vel transferendis prophetico spiritu dicta intelligi voluerunt (*Gen.* XLVII, 30, *et* L, 24); non autem hic locus est ut ea pertractemus, cum sufficiant ista quæ diximus. Sed si ea quæ sustentandis viventibus sunt necessaria, sicut victus et amictus, quamvis cum gravi afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatam [3] faciunt fecundiorem; quanto magis cum desunt ea quæ curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros, in occultis piorum sedibus jam quietos? Ac per hoc, quando ista cadaveribus Christianorum in illa magnæ urbis, vel etiam aliorum oppidorum vastatione defuerunt, nec vivorum culpa est, qui non potuerunt ista præbere; nec mortuorum pœna, qui non potuerunt ista sentire (*De Civitate Dei, lib.* 1, *capp.* 12 *et* 13). » Hæc est mea de sepulturæ causa atque ratione sententia. Quam propterea ex alio libro meo in istum transtuli, quia facilius hoc a me recenseri potuit, quam idipsum alio modo eloquendum fuit.

CAPUT IV. — 6. *Sepulturæ locus mortuo non per se, sed per occasionem prodest, dum admonet ut oretur pro illo.* Quod si verum est, profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memorias sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est ut sepeliantur, non potest nulla esse quando ubi sepeliantur attenditur. Sed cum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sunt adjumenta mortuorum, nisi ad hoc ut dum recolunt ubi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent. Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent. Sed non ob aliud vel Memoriæ vel Monumenta dicuntur ea quæ insignita [1] fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, et admonendo faciunt cogitari: nam et Memoriæ nomen id apertissime ostendit, et Monumentum eo quod moneat mentem, id est, admoneat, nuncupatur. Propter quod et Græci μνημεῖον vocant, quod nos Memoriam seu Monumentum appellamus; quoniam lingua eorum memoria ipsa qua meminimus μνήμη dicitur. Cum itaque recolit animus ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Verum et si aliqua necessitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi. Si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt recta fide ac pietate pro mortuis, puto quod nihil prodesset spiritibus eorum quamlibet in locis sanctis exanima corpora ponerentur.

CAPUT V. — 7. *Locus per occasionem quantum*

[1] Sic Mss. At editi, *sanctus usus est spiritus*.
[2] In antiquis Mss., *Tobis*.
[3] Editi, *excitatam*. Melius Mss., *exercitatam*; et sic in libro primo de Civitate Dei.
(*a*) Lucanus, in lib. 7, v. 819, de occisis Pharsalica pugna.

[1] Utrique Mss., *insigniter*. Alii quidam, *insignite*.

prosit. Cum ergo fidelis mater fidelis filii defuncti corpus desideravit in basilica martyris poni, si quidem credidit ejus animam meritis martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit, et hæc profuit, si quid profuit. Et quod ad idem sepulcrum recurrit animo, et filium precibus magis magisque commendat; adjuvat defuncti spiritum, non mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus matris affectus. Simul enim et quis et cui commendatus [1] sit, non utique infructuose religiosam mentem precantis attingit. Nam et orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: sed hinc magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis qui eos fecit augetur: ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit. Veruntamen si eo modo quisque teneatur, vel etiam ligetur, ut hæc de suis membris facere nequeat, non ideo non orat interior homo, et ante oculos Dei in secretissimo cubili, ubi compungitur, sternitur. Ita etiam cum plurimum intersit ubi ponat corpus mortui sui, qui pro spiritu ejus Deo supplicat, quia et præcedens affectus locum elegit sanctum, et illic corpore posito recordatus locus sanctus eum qui præcesserat renovat et auget affectum: tamen etiamsi non possit, ubi religiosus animus [2] elegit, humare quem diligit, nullo modo debet a supplicationibus necessariis in ejus commendatione cessare. Ubicumque enim jaceat vel non jaceat defuncti caro, spiritui requies acquirenda est: qui cum inde exiret, secum abstulit sensum, quo interesse possit quomodo quisque sit, sive in bonis, sive in malis: nec ab ea carne exspectat adjuvari vitam suam, cui præbebat ipse vitam, quam detraxit excedens, et redditurus est rediens; quoniam non caro spiritui, sed spiritus carni etiam ipsius resurrectionis meritum comparat, utrum ad pœnam, an ad gloriam reviviscat.

CAPUT VI.—8. *Corpora martyrum exusta, et cineres Rhodano inspersi.* Legimus in Ecclesiastica Historia, quam græce scripsit Eusebius, et in latinam linguam vertit Ruffinus, martyrum corpora in Gallia canibus exposita, canumque [3] reliquias atque ossa mortuorum usque ad extremam consumptionem ignibus concremata; eosdemque cineres fluvio Rhodano, ne quid ad memoriam qualemcumque relinqueretur, inspersos (*a*). Quod non ob aliud credendum est divinitus fuisse permissum, nisi ut discerent Christiani, in confitendo Christum, dum contemnunt hanc vitam, multo magis contemnere sepulturam. Hoc enim quod ingenti sævitia de corporibus martyrum factum est, si eis quidquam noceret, quo minus beate [1] requiescerent eorum victoriosissimi spiritus, non utique fieri sineretur. Re ipsa ergo declaratum est, non ideo dixisse Dominum, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant* (*Luc.* XII, 4), quod non esset permissurus aliquid eos facere de suorum corporibus mortuorum [2]: sed quoniam quidquid facere permissi essent, nihil quo minueretur christiana defunctorum felicitas fieret, nihil inde ad sensum post mortem viventium perveniret; nihil ad detrimentum saltem ipsorum corporum, quo minus integra resurgerent, pertineret.

CAPUT VII. — 9. *Cura sepulturæ ex naturali affectu erga corpus.* Et tamen ex illo humani cordis affectu, quo nemo unquam carnem suam odio habet (*Ephes.* V, 29), si cognoscant homines aliquid post mortem suam suis corporibus defuturum [3], quod in sua cujusque gente vel patria poscit solemnitas sepulturæ, contristantur ut homines; et quod ad eos post mortem non pertinet, ante mortem suis corporibus timent: ita ut inveniatur in Regnorum libris Deus per prophetam minari alteri prophetæ, qui ejus transgressus est verbum, quod non inferretur cadaver ejus in sepulcrum patrum ejus. Quæ Scriptura sic habet: *Hæc dicit Dominus, Quoniam inobediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum* (III *Reg.* XIII, 21 *et* 22). Quanti hæc pœna pendenda sit, si secundum Evangelium cogitemus, ubi post corpus occisum nihil metuendum esse didicimus ne membra exanima patiantur, nec pœna dicenda est. Si autem humanum erga suam carnem consideremus affectum, potuit inde terreri vel contristari vivus, quod sensurus non erat mortuus: et hæc erat pœna, quoniam dolebat animus id de suo corpore futurum, quamvis cum fieret non doleret. Hactenus enim voluit Dominus servum suum plectere, qui non sua contumacia spreverat præceptum ejus implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum ejus deinde anima raperetur: quandoquidem ipsum ejus corpus idem leo qui occiderat custodivit, jumento etiam quo vehebatur illæso, et simul cum illa immani fera intrepida præsentia ad sui domini funus astante. Quo mirabili signo apparet hominem Dei coercitum potius tempo-

[1] Bad. Am. Er., *commendandus.*
[2] Sic Mss. Editi vero, *amicus.*
[3] Unus e Vaticanis Mss., *carniumque.* Cæteri codices manuscripti et excusi, *canumque reliquias;* id est, relictas a canibus.
(*a*) Horum Lugdunensium martyrum corpora sex dies continuos sub dio jacuisse narrat Eusebius, lib. 5, cap. 1, posteaque cremata et in Rhodanum projecta.

[1] In quibusdam Mss., *beati.*
[2] Aliquot probæ notæ Mss., *martyrum.*
[3] Sic Mss. At Lov., *suis corporibus defunctis deesse.* Am. et Er., *suorumque defunctorum deesse.*

raliter usque ad mortem, quam punitum esse post mortem. De qua re Apostolus, cum propter quasdam offensas commemorasset infirmitates mortesque multorum: *Si enim nos ipsos*, inquit, *judicaremus, a Domino non judicaremur. Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur* (I *Cor.* xi, 31 *et* 32). Eum sane ipse qui deceperat in monumento proprio satis honorifice sepelivit, seque sepeliendum juxta ossa ejus curavit: ita sperans parci posse quoque ossibus suis, cum veniret tempus quando secundum illius hominis Dei prophetiam Josias rex Juda in illa terra multorum eruit ossa mortuorum, eisdemque ossibus sacrilega altaria, quæ sculptilibus constituta fuerant, funestavit. Pepercit quippe illi monumento ubi jacebat Propheta, qui ante annos amplius quam trecentos ista prædixerat; et propter ipsum nec illius qui eum seduxerat, sepultura violata est (III *Reg.* xiii, 24-32, *et* IV *Reg.* xxiii, 16-18). Affectu namque illo, quo nemo unquam carnem suam odio habet, providerat cadaveri suo, qui occiderat mendacio animam suam. Ex hoc igitur quod carnem suam quisque naturaliter diligit, et illi pœna fuit addiscere non eum futurum in sepulcro patrum suorum; et huic cura prospicere, ut parceretur ossibus suis, si juxta eum jaceret, cujus sepulcrum nemo violaret.

CAPUT VIII. — 10. *Martyres sepulturæ curam contempserunt.* Hunc affectum martyres Christi pro veritate certantes vicerunt: nec mirum quia contempserunt quod non fuerant peracta morte sensuri, qui non potuerunt eis, quos viventes sentiebant, cruciatibus vinci. Poterat utique Deus, qui leonem Prophetæ corpus, quod ipse occiderat, ulterius non permisit attingere, et fecit de peremptore custodem; poterat, inquam, a suorum interfectis corporibus canes quibus fuerant projecta prohibere; poterat et ipsorum hominum innumerabilibus modis terrere sævitiam, ne cadavera incendere, ne cineres dispergere auderent: sed hoc quoque experimentum multiplici varietati tentationum deesse [1] non debuit, ne fortitudo confessionis, quæ immanitati persecutionis pro corporis salute non cederet, pro sepulcri honore trepidaret; postremo, ne fides resurrectionis consumptionem corporum formidaret. Debuerunt ergo et ista permitti, ut etiam post hæc tanti horroris [2] exempla martyres in Christi confessione ferventes, hujus quoque testes fierent veritatis, in qua didicerant, eos a quibus sua corpora interficerentur, postea nihil habere quod facerent: quoniam quidquid mortuis corporibus facerent, utique nihil facerent, quando in carne omni vita carente, nec aliquid sentire posset qui inde migravit, nec aliquid inde perderet qui creavit. Sed inter hæc quæ fiebant de corporibus occisorum, cum martyres ea non metuentes magna fortitudine paterentur, tamen apud fratres luctus ingens erat, quod nulla dabatur potestas sanctorum funeribus justa persolvere, nec occulte subtrahere aliquid, sicut eadem testatur historia, crudelium custodum vigiliæ permittebant (*Euseb. Hist. Eccl. lib.* 5, *cap.* 1). Ita cum illos qui occisi fuerant, in dilaceratione membrorum suorum, in conflagratione ossium, in dispersione cinerum, miseria nulla contingeret; istos tamen qui nihil eorum sepelire poterant, magna misericordia cruciabat; quia in nullo modo sentientibus [1] ipsi quodam modo sentiebant, et ubi jam illorum nulla erat passio, erat istorum misera compassio.

CAPUT IX. — 11. *Officium sepulturæ cur laudatum in Scripturis.* Secundum istam quam dixi miseram compassionem laudantur illi, et a rege David benedicuntur, qui Saulis et Jonathæ ossibus aridis sepulturæ misericordiam præstiterunt (II *Reg.* ii, 5). Quæ tandem misericordia præstatur nihil sentientibus? An forte hoc revocandum est ad illam opinionem, quod infernum [2] fluvium insepulti non poterant transmeare (*Æneid. lib.* 6, vv. 327, 328)? Absit hoc a fide christiana: alioquin pessime actum est cum tanta martyrum multitudine, quorum non potuerunt corpora sepeliri, et fallaciter eis Veritas dixit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant;* si eis tanta mala facere potuerunt, quibus impedirentur ad loca exoptata transire. Sed quia hoc sine ulla dubitatione falsissimum est, nec aliquid obest fidelibus negata eorum corporibus sepultura, nec aliquid si exhibeatur infidelibus prodest: cur ergo illi qui Saülem et filium ejus sepelierunt, misericordiam fecisse dicuntur, et ob hoc a rege pio benedicuntur; nisi quia bene afficiuntur corda miserantium, quando ea dolent in mortuorum corporibus alienis, quæ illo affectu, quo nemo unquam carnem suam odio habet, nolunt fieri post mortem suam corporibus suis: et quod sibi exhiberi volunt quando sensuri non sunt, aliis non sentientibus curant exhibere dum ipsi sentiunt?

CAPUT X.— 12. *Mortui quidam apparent, ut sibi sepultura præbeatur: quomodo hæc visa contingant.* Narrantur visa quædam, quæ huic disputationi non negligendam videantur inferre quæstionem. Feruntur quippe mortui nonnulli vel in somnis, vel alio quocumque modo apparuisse viventibus atque ubi eorum corpora jacerent inhumata nescientibus, locisque monstratis admonuisse ut sibi sepultura quæ defuerat præberetur. Hæc si falsa esse responderimus, contra quorumdam scripta fidelium, et contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. Sed respondendum est, non ideo putandum esse mortuos ista sentire, quia hæc dicere vel indicare vel petere videntur in somnis. Nam et viventes apparent sæpe viventibus dormientibus, dum se ipsi nesciant [3] apparere (*a*); et ab eis hæc quæ somniaverint audiunt dicentibus, quod eos in somnis agentes aliquid vel loquentes viderint. Si ergo me potest aliquis in somnis videre, sibi aliquid quod factum est indicantem, vel etiam

[1] Sic Mss. Am. et Er., *experimentum multiplicium tentationum deesse.*
[2] In Mss. Arn. et Er., *timoris.*

[1] Editi, *miseria cruciabat: quia nullo modo illis sentientibus*, etc., minus bene et dissentientibus Mss.
[2] Sola fere editio Lov., *inferum.*
[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *nesciunt.* M.
(*a*) Vid. sermones 322 et 323.

quod futurum est prænuntiantem; cum id ego prorsus ignorem, et omnino non curem, non solum quid ille somniet, sed utrum dormiente me vigilet, an vigilante me dormiat, an uno eodemque tempore vigilemus ambo sive dormiamus, quando ille somnium videt in quo me videt : quid mirum si nescientes mortui nec ista sentientes, tamen a viventibus videntur in somnis, et aliquid dicunt, quod evigilantes verum esse cognoscant? Angelicis igitur operationibus fieri crediderim, sive permittatur desuper, sive jubeatur, ut aliquid dicere de sepeliendis corporibus suis videantur in somnis, cum id penitus nesciant quorum illa sunt corpora. Id autem aliquando utiliter fit, sive ad vivorum qualecumque solatium, ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines somniantibus; sive ut his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas : quæ licet defunctis non opituletur, culpanda tamen irreligiositate negligitur. Aliquando autem fallacibus visis homines [1] in magnos mittuntur errores, quos talia perpeti justum est. Velut si quisquam videat in somnis, quod Æneas vidisse apud inferos poetica falsitate narratur : et ei cujuspiam non sepulti appareat imago, loquaturque talia, qualia fertur illi locutus fuisse Palinurus (*Æneid. lib.* 6, v. 337-383); et cum evigilaverit, ibi corpus ejus inveniat, ubi jacere inhumatum cum somniaret audivit, admonitus et rogatus ut sepeliret inventum; et quia id verum esse comperit, credat ideo mortuos sepeliri, ut eorum animæ ad loca transeant, unde insepultorum animas inferna prohiberi lege somniavit : nonne ista credens [2], plurimum a tramite veritatis exorbitat?

CAPUT XI. — 13. *Visorum in somnis exempla duo. Pater defunctus apparet filio. Augustinus ipse in vivis agens apparet in somnis Eulogio rhetori, et locum Ciceronis exponit.* Sic autem infirmitas humana sese habet, ut cum in somnis quisque viderit mortuum, ipsius animam se videre arbitretur; cum autem vivum similiter somniaverit, non ejus animam, neque corpus, sed hominis similitudinem sibi apparuisse non dubitet : quasi non possint et mortuorum hominum eodem modo nescientium, non animæ, sed similitudines apparere dormientibus. Pro certo [3], cum Mediolani essemus, audivimus quod cum debitum repeteretur a quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente a patre jam fuerat persolutum, contristari homo gravissime cœpit, atque mirari quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater ejus in somnis, et ubi esset recautum quo [4] illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam propulsavit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia. Hic itaque putatur anima hominis curam gessisse pro filio, et ad eum venisse dormientem, ut doceret quod ignorabat, a magna eum molestia liberaret. Sed eodem ipso ferme tempore quo id audivimus, idem nobis apud Mediolanum constitutis, Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquam in Africam remeavimus, retulit, cum rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem quam postridie fuerat traditurus, quemdam locum offendit obscurum : quo non intellecto, vix potuit dormire sollicitus; qua nocte somnianti ego illi quod non intelligebat exposui; imo non ego, sed imago mea, nesciente me, et tam longe trans mare aliquid aliud sive agente, sive somniante, et nihil de illius curis omnino curante. Quomodo fiant ista, nescio : sed quomodolibet fiant, cur non eodem modo fieri credimus, ut in somnis quisque videat mortuum, quomodo fit ut videat et vivum? ambobus utique nescientibus, neque curantibus quis vel ubi vel quando eorum imagines somniet.

CAPUT XII. — 14. *Visa phreneticorum. Visum Curmæ curialis.* Similia sunt autem somniis nonnulla etiam visa vigilantium, qui turbatos habent sensus, sicut phrenetici, vel quocumque furentes modo : nam et ipsi loquuntur secum quasi vere præsentibus loquantur, et tam cum absentibus quam cum præsentibus, quorum imagines cernunt, sive vivorum [1], sive mortuorum. Sed quemadmodum ii qui vivunt, ab eis se videri, et cum eis se colloqui nesciunt; neque enim revera ipsi adsunt, aut ipsi sermocinantur, sed turbatis sensibus homines talia visa imaginaria patiuntur : eo modo et ii qui ex hac vita migrarunt, sic affectis hominibus videntur quasi præsentes, cum sint absentes, et utrum aliquis eos imaginaliter videat, omnino nescientes.

15. Huic rei simile est etiam illud, cum homines altius quam si dormirent, subtrahuntur corporis sensibus, et occupantur talibus visis. Et his enim apparent imagines vivorum atque mortuorum; sed cum fuerint sensibus redditi, quoscumque mortuos vidisse se dixerint, vere cum eis fuisse creduntur : nec attendunt, qui hæc audiunt, similiter ab eis absentium atque nescientium quorumdam etiam imagines visas esse vivorum. Homo quidam Curma nomine [2], municipii Tulliensis, quod Hipponi proximum est, curialis pauper, vix illius loci duumviralitius (*a*) et simpliciter rusticanus, cum ægrotaret, ablatus a sensibus [3],

[1] Bad. Am. et Er., *hi homines.*

[2] Bad. Am. Er. et Vaticani duo Mss., *nonne ita credens.*

[3] Duo Mss., *Porro certe.* Septem alii, *Porro;* omisso, *certe.*

[4] Bad. Am. et Lov., *repositum quod.* Melius Er. et Mss., *recautum quo;* id est scriptum quo illa cautio revocata, sive ut hic dicitur, vacuata fuerat.

[1] Octo Mss., *Nam et ipsi loquuntur sæpe cum vere præsentibus, loquuntur etiam cum absentibus quasi cum præsentibus quorum imagines cernunt.*

[2] Bad. et Lov., *de turma Curina nomine.* Et infra constanter habent, *Curina.* At Mss. ubique fere, *Curma :* quibus hac in re consentiunt Am. et Er.; sed editiones etiam istæ duæ post, *Homo quidam,* addunt *de turma :* quod abest a Mss. videturque irrepsisse e margine, in qua forte fuerat annotatum, « De Curma. »

[3] Sic potiores Mss. At editi, *ablatis sensibus.*

(*a*) *Duumviralitius* idem sonat quod duumviralis, hoc est, qui duumviratum gessit. Duumviri magistratus municipales appellabantur, quod duo essent, ait Brissonius.

pene mortuus jacuit aliquot diebus : tenuissimus flatus in naribus, qui manu admota utcumque sentiebatur et erat exiguum viventis indicium [1], sepeliri ut exanimem non sinebat. Nullos artus movebat, nulla sumebat alimenta ; nihil oculis, nihil ullo alio sensu corporis qualibet impacta molestia sentiebat. Videbat tamen multa velut in somnis, quæ tandem aliquando post dies plurimos quasi evigilans, visa narravit. Ac primum, mox ut aperuit oculos : Eat aliquis, inquit, ad domum Curmæ fabri ferrarii, et videat quid ibi agatur. Quo cum itum esset, inventus est mortuus eo momento, quo iste fuerat sensibus redditus, et pene a morte revixerat. Tunc intentis qui aderant, illum exhiberi jussum esse quando ipse dimissus est, indicavit ; seque illic unde redierat dixit audisse, quod non Curma curialis, sed Curma faber ferrarius ad loca illa mortuorum præceptus fuisset adduci. In illis ergo visis, tanquam somniis suis, inter eos [2] defunctos, quos videbat pro meritorum diversitate tractari, agnovit etiam nonnullos quos noverat vivos. Ipsos autem vere [3] forsitan credidissem, si non inter illa quasi somnia sua vidisset etiam quosdam qui nunc usque adhuc vivunt, clericos videlicet aliquos regionis suæ, a quorum ibi presbytero audivit, ut apud Hipponem baptizaretur a me, quod et factum esse dicebat. Viderat itaque in illa visione presbyterum, clericos, me ipsum, nondum scilicet mortuos, in qua postea vidit et mortuos. Cur non etiam illos sicut nos vidisse credatur, utrosque scilicet absentes atque nescientes ; ac per hoc non ipsos, sed similitudines eorum, sicut etiam locorum ? Nam et fundum vidit ubi erat ille cum clericis presbyter, et Hipponem ubi a me quasi baptizatus est : in quibus locis profecto non erat, quando illic sibi esse videbatur. Nam quid ibi ageretur eo tempore, nesciebat : quod procul dubio sciret, si vere ibi esset. Visa sunt igitur ista, quæ non præsentantur [4] in ipsis rebus ut sunt, sed in quibusdam rerum imaginibus adumbrantur. Denique post multa quæ vidit, etiam in paradisum se introductum esse narravit, dictumque sibi esse, cum inde dimitteretur rediturus ad suos : Vade, baptizare, si vis esse in isto loco beatorum. Deinde ut a me baptizaretur admonitus, jam factum esse respondit. Cui rursus ille qui cum eo loquebatur : Vade, inquit, vere baptizare ; nam illud in visione vidisti. Post ista convaluit, perrexit Hipponem. Pascha jam propinquabat, dedit nomen inter alios Competentes, pariter cum plurimis incognitus nobis ; nec illam mihi visionem, nec cuiquam nostrorum indicare curavit. Baptizatus est, peractis diebus sanctis remeavit ad propria. Biennio vel amplius transacto, ego cuncta hæc cognovi : primo per quemdam meum ejusque amicum in convivio meo, dum quædam talia loqueremur : deinde institi ac feci ut hæc mihi præsens ipse narraret, attestantibus honestis civibus suis, et de mirabili ejus ægritudine, ut jacuerit pene mortuus per dies plurimos, et de illo alio Curma fabro ferrario, quod commemoravi superius, et de his omnibus quæ cum mihi diceret, etiam tunc ab illo se audisse recolebant atque firmabant. Quamobrem sicut vidit baptismum suum, et me ipsum, et Hipponem, et basilicam, et baptisterium, non in rebus ipsis, sed in quibusdam similitudinibus rerum ; ita et alios quosdam vivos, eisdem nescientibus vivis :

CAPUT XIII. — *Mortuorum animæ non intersunt rebus viventium.* Cur non ergo ita et illos mortuos, eisdem nescientibus mortuis ?

16. Cur non istas operationes angelicas credimus [1], per dispensationem providentiæ Dei bene utentis et bonis et malis, secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum ? sive instruantur hinc mentes mortalium, sive fallantur, sive consolentur, sive terreantur : sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda vindicta, ab illo cui misericordiam et judicium non inaniter cantat Ecclesia (*Psal.* C, 1). Ut volet accipiat quisque quod dicam. Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, et ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis ; ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est ut mecum viveret. Absit enim ut facta sit vita feliciore crudelis, usque adeo ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unice, quem nunquam voluit mœstum videre. Sed profecto quod sacer Psalmus personat, verum est : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me* (*Psal.* XXVI, 10). Si ergo dereliquerunt nos parentes nostri, quomodo nostris curis et rebus intersunt ? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum qui noverint quid agamus, quidve patiamur ? Isaias propheta dicit : *Tu es enim pater noster ; quia Abraham nescivit nos, et Israel non cognovit nos* (*Isai.* LXIII, 16). Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex his procreatum ageretur ignoraverunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est ; quomodo mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis adjuvandisque miscentur ? Quomodo dicimus eis fuisse consultum, qui obierunt antequam venirent mala quæ illorum obitum consecuta sunt, si et post mortem sentiunt quæcumque in vitæ humanæ calamitate [2] contingunt ? An forte nos errando ista dicimus, et hos putamus quietos, quos inquieta vita vivorum sollicitat ? Quid est ergo quod piissimo regi Josiæ pro magno beneficio promisit Deus, quod esset ante moriturus, ne videret mala quæ ventura illi loco et populo minabatur ? Quæ Dei verba ista sunt : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Verba mea quæ audisti, et veritus es a facie mea cum audisti, quæ locutus sum de isto loco, et qui commoran-*

[1] Lov., *indicium quod illum sepeliri.* Expunximus, *quod illum*, quod superfluo additum est, nec reperitur in Mss.

[2] Editi, *fuit inter eos.* Abest, *fuit*, a pluribus Mss.

[3] In editis, *vere mortuos.* Redundat vox, *mortuos*, nec est in Mss.

[4] Sic Mss. At editi, *præstantur*

[1] Unus e Vaticanis Mss., *credimus fieri per dispensationem*

[2] Unus e Vaticanis Mss., *in vita humana calamitates.*

tur in eo, ut desceratur et in maledicto sit ; et conscidisti vestimenta tua, et flevisti in conspectu meo, et ego audivi, dixit Dominus sabaoth : non sic, ecce ego apponam te ad patres tuos, et apponeris cum pace ; et non videbunt oculi tui omnia mala quæ ego induco[1] *in locum hunc, et qui commorantur in eo* (IV *Reg.* XXII, 18 20). Territus iste Dei comminationibus fleverat, et sua vestimenta consciderat ; et fit omnium malorum futurorum de properatura morte securus, quod ita requieturus esset in pace, ut illa omnia non videret. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcumque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus. Quomodo ergo vident tumulos suos, aut corpora sua, utrum abjecta jaceant, an sepulta ? Quomodo intersunt miseriæ vivorum, cum vel sua ipsi mala patiantur, si talia merita contraxerunt ; vel in pace requiescant, sicut huic Josiæ promissum est, ubi mala ulla nec patiendo nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis quæ patiendo et compatiendo, cum hic viverent, sustinebant ?

CAPUT XIV. — 17. *Objectio adversus superiora.* Dixerit aliquis : Si nulla est mortuis cura de vivis, quomodo ille dives qui apud inferos torquebatur, rogabat Abraham patrem, ut mitteret Lazarum ad quinque fratres suos nondum mortuos, et ageret cum eis ne venirent et ipsi in eumdem tormentorum locum ? Sed numquid quia hoc ille dives dixit, ideo quid fratres agerent vel quid paterentur illo tempore, scivit ? Ita illi fuit cura de vivis, quamvis quid agerent omnino nesciret ; quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. Nam si nihil de mortuis curaremus, non utique pro illis Deo supplicaremus. Denique Abraham nec Lazarum misit, et Moysen[2] ac Prophetas hic eos habere respondit, quos audire deberent, ut ad illa supplicia non venirent. Ubi rursus occurrit quomodo quid hic ageretur Abraham pater ipse nesciebat, ubi sciebat esse Moysen et Prophetas, id est, libros eorum, quibus homines obediendo tormenta inferna[3] evitarent : ubi denique noverat divitem illum in deliciis, pauperem vero Lazarum in laboribus doloribusque vixisse. Nam et hoc illi ait : *Memento, fili, quia percepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala.* Sciebat ergo hæc, quæ utique apud vivos, non apud mortuos gesta fuerant. Verum non cum agerentur in vivis, sed eis mortuis potuit Lazaro indicante cognoscere, ne falsum sit quod ait propheta, *Abraham nescivit nos.*

CAPUT XV. — 18. *Mortui quomodo sciant quid hic agatur.* Proinde fatendum est nescire quidem mortuos quid hic agatur, sed dum hic agitur : postea vero audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt ; non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse ; et quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt et ab Angelis, qui rebus quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat cui cuncta subjecta sunt. Nisi enim essent Angeli qui possent interesse et vivorum et mortuorum locis, non dixisset Dominus Jesus : *Contigit autem mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ* (*Luc.* XVI, 22 29). Nunc ergo hic, nunc ibi esse potuerunt, qui hunc illuc quem Deus voluit abstulerunt. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur quæ necessarium est eos nosse, et quos necessarium est ea nosse[1], non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura Spiritu Dei revelante cognoscere : sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic viverent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia judicabat. Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, sicut e contrario Paulus ex vivis in paradisum raptus est, divina Scriptura testatur (II *Cor.* XII, 2). Nam Samuel propheta defunctus vivo Sauli etiam regi futura prædixit (I *Reg.* XXVIII, 7-19) : quamvis nonnulli non ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illius existiment similitudinem figurasse (*a*) : cum liber Ecclesiasticus, quem Jesus filius Sirach scripsisse traditur, et propter eloquii nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiatur (*b*), contineat in laude patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetaverit (*Eccli.* XLVI, 23). Sed si huic libro ex Hebræorum (quia in eorum non est) canone contradicitur ; quid de Moyse dicturi sumus, qui certe et in Deuteronomio mortuus (*Deut.* XXXIV, 5), et in Evangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus (*Matth.* XVII, 3) ?

CAPUT XVI. — 19. *Martyres adesse nonnullis adjuvandis. Quomodo martyres adsint periclitantibus, negat se posse definire.* Hinc et illa solvitur quæstio, quomodo martyres ipsis beneficiis quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant vivi. Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem, cujus inquilinatum pie diligis[2], cum a Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verum ista divinitus exhibentur, longe aliter quam sese habet usitatus ordo singulis creaturarum generibus attributus. Non enim quia in vinum aqua, cum voluit Dominus, repente conversa est (*Joan.* II, 9), ideo non debemus, quid aqua valeat in elementorum ordine proprio, ab istius divini operis raritate vel potius singularitate discernere : nec quoniam Lazarus resurrexit (*Id.* XI, 44), ideo mortuus omnis quando vult surgit, aut eo modo exanimis a vivente, quomodo a vigilante dormiens excitatur. Alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum ; alia sunt

[1] Sola fere editio Lov., *inducam*.
[2] Sic juxta Bad. Am. Er. et plerosque manuscriptos. [*nec Lazarum misit, sed Moysen.*]
[3] Sola editio Lov., *inferni*.

[1] Sic præstantiores Mss. At editi, *et quæ necessarium non est eos non nosse.*
[2] Lov., *apparuisse felicem civibus vel inquilinis pie a se dilectis :* minus bene et reluctantibus editis aliis et plerisque Mss.
(*a*) Vid. supra, lib. 2 ad Simplicianum, quæst. 4.
(*b*) II Retract. cap. 4; et de Doctrina Christiana, lib. 2, cap. 8, n. 13.

quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt: quamvis et naturæ Deus adsit ut sit, et miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est quod per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.

20. Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur martyres iis quos per eos certum est adjuvari; utrum ipsi per se ipsos adsint uno tempore tam diversis locis, et tanta inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum memoriæ, sive præter suas memorias ubicumque adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conversatione remotis, et tamen generaliter orantibus pro indigentiis supplicantum (sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint vel quid agant scimus), Deus omnipotens qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens martyrum preces, per angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda; et suorum merita martyrum ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cujus illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendet. Res hæc altior est quam ut a me possit attingi, et abstrusior quam ut a me valeat perscrutari: et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo; mallem a scientibus ista perquirere. Neque enim nemo est qui hæc sciat, non qui sibi scire videatur et nesciat: dona enim Dei sunt, his alia, et illis alia largientis, secundum Apostolum, qui dicit unicuique dari manifestationem Spiritus ad utilitatem: *Alii quidem*, inquit, *datur per Spiritum sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri autem fides in eodem Spiritu; alteri donatio curationum in uno Spiritu; alii operationes virtutum; alii prophetia; alii dijudicatio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 7-11). Horum omnium spiritualium donorum, quæ commemoravit Apostolus, cuicumque data est dijudicatio spirituum, ipse scit ista sicut scienda sunt.

CAPUT XVII. — 21. *De Joanne monacho*. Talem fuisse credendum est illum Joannem monachum, quem de belli civilis eventu major Theodosius consuluit imperator: habebat quippe etiam prophetiam. Neque enim singulos singula munerum istorum, sed etiam plura unum habere posse non ambigo. Joannes ergo iste, quadam muliere religiosissima impatienter eum videre cupiente, atque ut hoc impetraret per maritum suum vehementer instante, cum ille nollet, quoniam id nunquam permiserat feminis: Vade, inquit, dic uxori tuæ, videbit me nocte proxima, sed in somnis. Et factum est: monuitque illam quidquid fidelem conjugatam moneri oportebat. Quæ cum evigilasset, talem se vidisse hominem Dei viro suo, qualem ille eum noverat, et quid ab illo audierit, indicavit. Qui hoc ab eis comperit, retulit mihi, vir gravis et nobilis, et dignissimus credi. Sed si illum sanctum monachum ipse vidissem, quia, sicut fertur, patientissime interrogabatur et sapientissime respondebat, quæsissem ab eo quod ad istam pertinet quæstionem, utrum ipse ad illam feminam venisset in somnis, id est, spiritus ejus in effigie corporis sui, sicut nos ipsos in effigie corporis nostri somniamus; an ipso aliud agente, vel, si dormiebat, aliud somniante, sive per angelum, sive quocumque alio modo in mulieris somnio talis facta sit visio; atque id futurum, ut ipse promitteret, prophetiæ Spiritu revelante præsciverit. Si enim ipse interfuit somnianti, mirabili gratia utique id potuit, non natura; et Dei munere, non propria facultate. Si autem ipso aliud agente, sive dormiente et visis aliis occupato, eum mulier vidit in somnis; profecto tale aliquid factum est, quale illud est quod in Actibus Apostolorum legimus, ubi Dominus Jesus loquitur Ananiæ de Saulo, et indicat ei quod Saulus vidit ad se venientem Ananiam, cum hoc Ananias ipse nesciret (*Act.* IX, 10-15). Quodlibet horum mihi responderet ille homo Dei, et de martyribus ab illo pergerem quærere, utrum ipsi adsint in somnis, vel quocumque alio modo videntibus eos in qua figura voluerint; et maxime quando ab eis se torqueri dæmones in hominibus confitentur, et rogant eos ut parcant sibi: an ista fiant Dei nutu per angelicas potestates, in honorem commendationemque sanctorum ad utilitatem hominum, illis in summa quiete positis, et ad alia longe meliora visa vacantibus seorsum a nobis, orantibusque pro nobis. Nam Mediolani apud sanctos Protasium et Gervasium martyres, expresso nomine, sicut defunctorum quos eodem modo commemorabant, adhuc vivum dæmones episcopum confitebantur Ambrosium, atque ut sibi parceret obsecrabant, illo aliud agente, atque hoc cum ageretur omnino nesciente. An vero aliquando per ipsam præsentiam martyrum fiant, ista aliquando per Angelorum; et utrum possint, vel quibus signis possint a nobis duo ista discerni; an ea sentire ac dijudicare non valeat, nisi qui habet illud donum per Dei Spiritum dividentem propria unicuique prout vult: dissereret mihi, ut arbitror, ipse Joannes hæc omnia, sicut vellem; ut aut eo docente discerem, et ea quæ audirem vera et certa esse cognoscerem; aut ego crederem quæ nescirem, illo dicente quæ sciret. Quod si mihi forsitan de sancta Scriptura responderet ac diceret, *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper* (*Eccli.* III, 22); id etiam gratanter acciperem. Non enim parvus est fructus, si aliqua obscura et incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum sal-

tem certumque sit nobis non esse quærenda, et quod unusquisque vult discere, putans prodesse si sciat, discat non obesse si nesciat.

CAPUT XVIII. 22. *Obsequia solemnia defunctorum, altaris, orationum et eleemosynarum sacrificia. Sepulturæ officium.* Quæ cum ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus : quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantum quibus dum vivunt comparatur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint et debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt. Diligentius tamen facit hæc quisque pro necessariis suis, quo pro illo fiant similiter a suis. Corpori autem humando quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundum affectum quo nemo unquam carnem suam odio habet (*Ephes.* v, 29). Unde oportet ut quam potest pro carne proximi curam gerat, cum ille inde recesserit qui gerebat [1]. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt, ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo et in æternitatem mansuro impensum ejusmodi officium, sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium? Quod vero quisque apud memorias martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.

23. Habes ad ea quæ a me putasti esse quærenda, qualem potui reddere responsionem meam : quæ si ultra quam satis est prolixa est, da veniam ; id enim factum est amore diutius loquendi tecum. Hunc ergo librum quemadmodum acceperit venerabilis Dilectio tua, peto rescriptis tuis noverim, quem tibi perlator ejus faciet sine dubio gratiorem, frater scilicet et compresbyter noster Candidianus, quem per tuas litteras cognitum toto corde suscepi, invitusque dimisi. Multum enim nos in charitate Christi sua præsentia consolatus est, et, quod fatendum est, ejus instantia tibi parui. Nam cor meum tanta distendunt, ut nisi ipso assidue commonente me non sinerer oblivisci, profecto interrogationi tuæ mea responsio defuisset.

[1] Sic Mss. Editi vero, *regebat.*

ADMONITIO IN LIBRUM DE PATIENTIA.

Suum Erasmus de opusculi hujus auctore judicium tulit in hæc verba : *Augustini non esse phrasis arguit, congruens cum ea quam habent libelli superiores.* Porro libelli superiores in Erasmiana editione sunt, de Continentia, de Substantia dilectionis, de Fide rerum invisibilium, etc., quos ipse libellos perinde ob phrasim rejiciendos et Hugoni Victorino tribuendos censuit. Stilus quidem hujus opusculi idem est, fatemur, ac libri de Continentia, et sententiæ ac loca passim sunt quam simillima. At certe prædictum de Continentia librum, cui opusculum de Patientia apud Erasmum proxime subjungitur, Augustini esse demonstratur supra, in Admonitione præfixa eidem libro, col. 347-348. Quod ibi observamus, librum de Continentia sermonem quemdam esse, id etiam juvat annotare de subsequente opusculo, sub cujus initium Augustinus ita loquitur, cap. 1 : *Nunc itaque humana patientia, quam capere possumus et habere debemus, cujus modi sit..... quantum patitur brevitas præsentis sermonis expediam.* Et infra, cap 3 : *Intueamur ergo, charissimi,* etc. Hinc intelligitur quare ejusmodi opuscula in eos quos habemus Retractationum libros non retulerit Augustinus, qui videlicet aliud Retractationum opus ad recensendos Sermones suos et Epistolas meditabatur. Qua de re in epistola 224 ad Quodvultdeum, n. 2, scribit : *Duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis,* etc. *Restabant epistolæ, deinde tractatus populares, quas Græci homilias vocant.* Verum opusculum utrumque de Continentia et de Patientia memorat Augustinus, suumque esse agnoscit in epistola 231, n. 7, ad Darium. Hoc maxime testimonium Augustini ipsius prohibet ne in dubiis opusculis numeremus subsequentem librum, in cujus stilo nos revera non parum movebat genus orationis, quæ desinit plerumque ac studiose admodum terminatur simili verborum sono. Exemplo sit illud ex capite 12, ubi cum Adam Job ita comparatur : *Cautior fuit iste in doloribus, quam ille in nemoribus : ille victus est in deliciis, iste vicit in pœnis ; consensit ille oblectamentis, non cessit iste tormentis.*

Cæterum hic liber doctrinam Augustini germanam refert, nihilque penitus habet aut contrarium aut minus ei consentaneum. In capite 13, Donatistæ sibi ipsis mortem afferentes tacito eorum nomine reprehenduntur : quo loco si quidem non respondetur ad Raziæ exemplum, quod ex libro Machabæorum secundo proferre illi cœperunt anno 420, conjectare hinc licet habitum esse sermonem ante id tempus. Postea etiam in capite 15, ubi contra divinæ gratiæ adversarios disputatur, parcitur adhuc Pelagianorum nomini ; quos quidem ab anno 418 solet Augustinus palam et nominatim arguere.

In capite 26, hæsitare quosdam intelligimus, quia dicitur laudanda schismatici patientia, qui non ex charitate, sed ex timore gehennæ patitur, ne Christum neget, atque hæc putatur ipsi nonnihil profutura, ut tolerabilior sit ejus damnatio. Sed hoc profecto nequaquam alienum est ab Augustino, qui de ipso infideli Fabritio in lib. 4 contra Julianum, cap. 3, dicit : *Minus enim Fabritius quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, et minus impius quam Catilina Fabritius, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.* Et lib. de Spiritu et Littera, cap. 27, explicans locum Apostoli ad Romanos, cap. 2, ỳ 14 : *Si autem,* inquit, *hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus : quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur,* etc.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE PATIENTIA

LIBER UNUS [a].

Principio distinguit Augustinus patientiam veram a falsa. Hortatur deinde ad eam quæ vera est, per quam pro æterna vita et ex Dei amore mala sufferuntur, patientiam amplectendam. Docet postremo hanc patientiæ virtutem, non liberi arbitrii viribus, sed divinæ gratiæ adjutorio tribuendam esse.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Patientia Dei qualis.* Virtus animi quæ Patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius qui nobis eam largitur, qua malos ut corrigantur exspectat, patientia prædicetur. Ita quamvis Deus nihil pati possit [1], patientia vero a patiendo nomen acceperit, patientem tamen Deum non modo fideliter credimus, verum etiam salubriter confitemur. Sed Dei patientia qualis et quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, imo etiam patientissimum dicimus, verbis explicare quis possit? Ineffabilis est ergo illa patientia [2], sicut zelus ejus, sicut ira ejus, et si quid hujusmodi est. Nam si tanquam nostra ista cogitemus, in illo nulla sunt. Nihil enim horum nos sine molestia sentimus : absit autem ut impassibilem Dei naturam perpeti ullam molestiam suspicemur. Sicut autem zelat sine aliquo livore, irascitur sine aliqua perturbatione, miseretur sine aliquo dolore, pœnitet eum sine alicujus suæ pravitatis correctione : ita est patiens sine ulla passione. Nunc itaque humana patientia, quam capere possumus, et habere debemus, cujusmodi sit, quantum Dominus tribuit, et quantum patitur brevitas præsentis sermonis expediam.

CAPUT II. — 2. *Patientia recta quænam et quam utilis.* Patientia hominis, quæ recta est atque laudabilis et vocabulo digna virtutis, ea perhibetur qua æquo animo mala toleramus, ne animo iniquo bona deseramus [3], per quæ ad meliora perveniamus. Quapropter impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt ut a malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, et leviora faciunt quæ [4] per patientiam patiuntur, et pejora evadunt quibus per impatientiam mergerentur [1]. Bona vero æterna et magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibusque non cedunt : quoniam *non sunt condignæ passiones hujus temporis*, sicut Apostolus dicit, *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Et iterum ait : *Quod est temporale et leve tribulationis nostræ, in incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur nobis* [2] (II *Cor.* IV, 17).

CAPUT III. — 3. *Patientia iniquorum quanta.* Intueamur ergo, charissimi, quanta in laboribus et doloribus homines dura sustineant, pro rebus quas vitiose diligunt, et quanto se his feliciores fieri putant, tanto infelicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris [3] affectionibus periculosissima et molestissima patientissime tolerantur! Pecuniæ, gloriæ, lasciviæ cupidos videmus, ut ad desiderata perveniant, adeptisque non careant, soles, imbres, glacies, fluctus, et procellosissimas tempestates, aspera et incerta bellorum, immanium plagarum ictus, et vulnera horrenda, non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre. Verum hæ licitæ quodam modo videntur insaniæ.

CAPUT IV. — *Hæc a vanis laudatur.* Namque avaritia, ambitio, luxuria, et variorum oblectamenta ludorum, nisi propter illa facinus aliquod admittatur, sive flagitium quod legibus prohibetur humanis, putantur ad innocentiam pertinere : imo etiam qui sine fraude cujusquam, aut pro habenda vel augenda pecunia, aut pro adipiscendis vel retinendis honoribus, aut in agone certando seu venando, seu theatricum aliquid plausibiliter exhibendo magnos labores doloresque pertulerit, parum est quod populari vanitate nullis reprehensionibus cohibetur, sed insuper extol-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Patientia recensitus est in Mss. Gallicanis quindecim; Colbertino, Sorbonico, Victorino, Augustinensi Fremitarum majoris conventus Parisiensis, Cisterciensi, Regio-montensi, Floriacensi, Vindocinensi, Pratellensi, Michaelino, Audoenensi, Divionensi S. Benigni, Andegavensi S. Albini, Metensi S. Arnulphi, et codice abbatiæ Casalis Benedicti; in Romanis quatuor biblioth. cæ Vaticanæ, cum quibus etiam collatæ sunt lectiones variantes Belgicorum quatuor Mss. quos viderunt Lovanienses, necnon primariæ editiones Fr. et Lov.

Compararimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas*. M.

[1] Duodecim Mss., *nihil mali pati possit.*
[2] Hic undecim Mss. addunt, *non tamen nulla.*
[3] Lov. cum uno tantum Ms., *nec animo iniquo bona desideramus*. minus bene.
[4] Lov., *quam ,tur*. Abest, *quam*, ab editis aliis et Mss.
(a) scriptus forte ante annum 418.

[1] Duo Mss., *evadunt quæ per impatientiam mererentur.*
[2] Editi, *in nobis*. Abest, *in*, a Mss., et a græco textu Apostoli.
[3] Vaticani duo Mss., *lubricis.*

litur laudibus : *Quoniam laudatur*, sicut scriptum est, *peccator in desideriis animæ suæ* (*Psal.* IX, 3). Vis enim desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum : et nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Sed istæ, ut dixi, cupiditates, propter quas explendas qui eis flagrant, multa dura et acerba patientissime sustinent, licitæ existimantur legibusque concessæ.

CAPUT V. — 4. *Immanis tolerantia Catilinæ ac latronum.* Quid quod etiam pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed ut perpetrent, multa homines gravissima perferunt? Nonne de quodam nobilissimo patriæ parricida sæcularium litterarum loquuntur auctores, quod famem, sitim, frigus ferre poterat, ejusque erat corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuiquam credibile est (*Sallust.*, *Catil. cap* 5)? Quid de latronibus dicam, quorum omnes [1] cum insidiantur viatoribus, noctes perpetiuntur insomnes, atque ut transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cœli asperitate nocentem animum corpusque defigunt? Quid in vero eorum invicem torquere perhibentur, ita ut exercitatio contra pœnas nihil distet a pœnis. Non enim tantum fortassis excruciantur a judice ut a dolentibus veritas inquiratur, quantum a suis sociis ut a patientibus non prodatur [2]. Et tamen in his omnibus miranda est potius quam laudanda patientia : imo nec miranda nec laudanda, quæ nulla est ; sed miranda duritia, neganda patientia : nihil autem illic jure laudandum, nihil utiliter imitandum [3] ; tantoque rectius majore supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiis subdit instrumenta virtutum. Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ : patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ.

CAPUT VI. — 5. *Patientiam veram a falsa distinguit causa patiendi.* Cum ergo videris quemquam patienter aliquid pati, noli continuo laudare patientiam, quam non ostendit nisi causa patiendi. Quando illa bona est, tunc ista vera est : quando illa non polluitur cupiditate, tunc a falsitate ista distinguitur. Cum vero illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim sicut omnes qui sciunt sunt participes scientiæ, ita omnes qui patiuntur sunt participes patientiæ : sed qui passione recte utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur.

CAPUT VII. — 6. *Pro æterna salute quanta sufferre debent pii, si tanta pro temporali vita patiuntur mali. Non animæ tantum, sed ipsi quoque corpori consulitur ferendo mortem et dolores.* Verumtamen cum pro libidinibus, vel etiam sceleribus, cum denique pro ista temporali vita ac salute multa homines horrenda mirabiliter sufferunt ; satis nos admonent quanta sufferenda sint pro vita bona, ut etiam postea possit esse æterna, et sine ullo temporis termino, sine utilitatis ullius detrimento vera felicitate secura. Dominus ait, *In vestra patientia possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19) : non ait, villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed, *animas vestras*. Si ergo tanta suffert anima ut possideat unde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? Deinde, ut illud dicam quod culpabile non est, si tanta suffert pro salute carnis suæ inter manus secantium sive urentium medicorum, quanta debet sufferre pro salute sua [1] inter furores quorumlibet inimicorum? Cum medici, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant ; inimici autem pœnas et mortem corpori comminando, ut anima et corpus in gehenna occidatur impellant.

7. Quanquam et ipsi corpori tunc providentius consulatur, si temporalis salus ejus pro justitia contemnatur, et pœna vel mors ejus patientissime pro justitia sufferatur. De corporis quippe redemptione quæ in fine futura est, loquitur Apostolus, ubi ait : *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem filiorum* [2] *exspectantes redemptionem corporis nostri.* Deinde subjunxit : *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid et sperat* [3]*? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 23-25).

CAPUT VIII. — *Patientiæ usus in animo et in corpore.* Cum ergo torquent aliqua mala, sed non extorquent opera mala, non solum anima per patientiam possidetur ; verum etiam cum per patientiam corpus ipsum ad tempus affligitur vel amittitur, in æternam stabilitatem salutemque resumitur, et ei per dolorem et mortem inviolabilis sanitas et felix immortalitas comparatur. Unde Dominus Jesus ad patientiam exhortans martyres suos, etiam ipsius corporis integritatem futuram sine cujusquam, non dicam membri, sed capilli amissione, promisit. *Amen dico vobis*, inquit, *capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* XXI, 18). Ut quoniam *nemo unquam*, sicut Apostolus dicit, *carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V, 29), magis homo fidelis per patientiam quam per impatientiam pro statu suæ carnis invigilet, et futuræ incorruptionis inæstimabili lucro quantalibet ejus præsentia damna compenset.

8. Quamvis autem patientia virtus sit animi, partim tamen ea utitur animus in se ipso, partim vero in corpore suo. In se ipso utitur patientia, quando illæso et intacto corpore aliquid quod non expediat vel non deceat, facere aut dicere quibuslibet adversitatibus aut fœditatibus rerum seu verborum stimulis incitatur [4], et patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid opere vel ore committat.

CAPUT IX. — *Patientia animi.* Per hanc patientiam sustinemus, etiam dum corpore sani sumus, quod inter hujus sæculi scandala beatitudo nostra differtur : unde dictum est quod paulo ante commemoravi, *Si quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Hac patientia sanctus David con-

[1] Tres tantum Mss., *qui omnes.*
[2] Sic Mss. At editi, *prodantur.*
[3] Nonnulli Mss., *laudandum ubi nihil utiliter imitandum.*

[1] Editi omittunt, *pro salute sua.* Restituitur ex Mss.
[2] In editis, *filiorum Dei.* Abest, *Dei*, a Mss.
[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *quid sperat ?* M.
[4] Mss., *seu verborum quasi stimulis incitatur.*

vicianlis opprobria toleravit, et cum facile posset ulcisci, non solum non fecit, verum et alium pro se dolentem commotumque compescuit (II *Reg.* XVI, 5-12); et potestatem regiam magis adhibuit prohibendo, quam exercendo vindictam [1]. Neque tunc ejus corpus aliquo morbo affligebatur aut vulnere, sed humilitatis tempus agnoscebatur, ac ferebatur [2] voluntas Dei, propter quam patientissimo animo amaritudo contumeliæ bibebatur. Hanc patientiam Dominus docuit, quando commotis [3] zizaniorum permixtione servis, et volentibus ea colligere, dixit respondisse patremfamilias, *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII, 30). Oportet enim patienter ferri, quod festinanter non oportet auferri. Hujus et ipse patientiæ præbuit et demonstravit exemplum, quando ante passionem corporis sui, discipulum [4] Judam priusquam ostenderet traditorem, pertulit furem (*Joan.* XII, 6, *et* XIII, 29); et ante experimentum vinculorum et crucis et mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis (*Matth.* XXVI, 29). Hæc omnia, et si qua alia sunt quæ commemorare longum est, ad eum patientiæ modum pertinent, quo animus non sua peccata, sed quæcumque extrinsecus mala patienter sustinet in se ipso, suo prorsus corpore illæso.

CAPUT X. — *Patientia in externis incommodis. Utraque patientia in Martyribus. Patientiæ majus certamen diabolo sæviente.* Alius est autem patientiæ modus, quo idem ipse animus quæcumque molesta et gravia in sui corporis passionibus perfert; non sicut stulti vel maligni homines, propter adipiscenda vana vel scelera perpetranda; sed sicut a Domino definitum est, *propter justitiam* (*Matth.* V, 10). Utroque modo sancti martyres certaverunt. Nam et impiorum opprobriis saturati sunt, ubi animus corpore intacto quasdam veluti plagas suas integer sustinet; et in corporibus vincti sunt, inclusi sunt, fame ac siti affecti sunt, torti sunt, secti sunt, dilaniati sunt, incensi sunt, trucidati sunt: et pietate immobili [5] subdiderunt Deo mentem, cum paterentur in carne quidquid exquirenti crudelitati venit in mentem.

9. Majus sane patientiæ certamen est, quando non visibilis inimicus persequendo atque sæviendo urget in nefas, qui palam et aperte a non consentiente vincatur; sed ipse diabolus, qui etiam per filios infidelitatis, tanquam per sua vasa, filios lucis insequitur, per se ipsum occultus impugnat, sæviendo instans ut contra Deum fiat aliquid vel dicatur.

CAPUT XI. — *Patientia sancti Job.* Talem illum Job sanctus expertus est, utraque tentatione vexatus, sed in utraque stabili patientiæ robore et armis pietatis invictus. Nam prius illæso corpore cuncta quæ habebat amisit, ut animus ante suæ carnis cruciatum, subtractis rebus quas magni pendere homines solent, frangeretur, et adversus Deum loqueretur aliquid, his amissis propter quæ illum colere putabatur. Percussus est etiam omnium subita orbitate filiorum, ut quos singillatim susceperat, simul perderet, tanquam eorum numerositas, non unde felicitas ornaretur exstiterit, sed unde calamitas augeretur. Ubi autem ista perpessus in Deo suo mansit immobilis, ejus affixus est voluntati, quem non posset amittere nisi propria voluntate; et pro iis quæ perdidit eum qui abstulit tenuit, in quo inveniret quod nunquam periret. Neque enim ille abstulerat qui nocendi habuit voluntatem, sed ille qui dederat potestatem.

CAPUT XII. — *Job cautior Adamo.* Aggressus est inimicus et corpus, nec ea quæ homini extrinsecus inerant, sed ipsum jam hominem in qua potuit parte percussit. A capite usque ad pedes ardebant dolores, scatebant vermes, sanies defluebat: manebat in putri corpore animus integer, horrendosque cruciatus carnis contabescentis inviolata pietate et incorrupta patientia perferebat. Aderat uxor, nec ferebat opem aliquam viro, sed in Deum blasphemiam suggerebat. Non enim eam diabolus, cum etiam filios abstulisset, tanquam nocendi imperitus reliquerat; quæ quantum esset necessaria tentatori, jam in Eva didicerat (*Gen.* III, 1-6). Sed modo alterum Adam, quem per mulierem caperet, non invenerat. Cautior fuit iste in doloribus, quam ille in nemoribus: ille victus est in deliciis, iste vicit in pœnis; consensit ille oblectamentis, non cessit iste tormentis. Aderant et amici, non ut in malis consolarentur, sed ut malum suspicarentur. Neque enim eum qui tanta patiebatur, innocentem esse credebant, nec tacebat eorum lingua quod illius conscientia non habebat; ut inter immanes cruciatus corporis, etiam falsis animus cæderetur opprobriis. At ille sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, conjugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam, servabat ubique patientiam.

CAPUT XIII. — 10. *Impatientia Donatistarum sibi manus afferentium, quando a Catholicis quæruntur.* Hunc intueantur, qui sibi ingerunt mortem, quando quæruntur ad vitam; et sibi auferendo præsentem, abnegant et futuram. Qui si ad Christum negandum, vel aliquid contra justitiam faciendum, sicut veri martyres, cogerentur, omnia potius patienter ferre, quam sibi impatienter mortem inferre debuerant. Quod si fugiendorum malorum causa recte fieri posset, Job sanctus se ipse perimeret, ut tanta mala in rebus suis, in filiis suis, in membris suis, diabolicæ crudelitatis effugeret. Non autem fecit. Absit enim ut in se committeret ipse vir sapiens, quod nec mulier suggessit insipiens. Quia et si suggessisset, merito et hic illud audisset, quod audivit suggerendo blasphemiam: *Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Job.* I, II, *etc.*)? Et ipse [1] quippe patientiam perdidisset, sive blasphemando, sicut illa voluerat,

[1] Casalianus Ms., *exserendo vindictam.*
[2] Sola editio Lov., *referebatur.*
[3] Lov., *quando commoniti de*. Er., *quando commotis.* Castigatum ex Mss.
[4] Gallicani septem Mss., *diabolum.* Vaticani tres, *diabolus.*
[5] Casalianus Ms., *pietate immobilem.*

[1] Novem Mss., *Et ipsam.*

sive se interficiendo, quod nec illa ausa fuerat dicere, moreretur : atque esset inter illos de quibus dictum est, *Væ iis qui perdiderunt patientiam* (*Eccli.* II, 16) ! et augeret potius quam evaderet pœnas, qui post sui corporis mortem, sive ad blasphemorum, sive ad homicidarum, vel etiam plus quam parricidarum supplicia raperetur. Si enim parricida eo sceleratior est quam quilibet homicida, quia non tantum hominem, verum etiam propinquum necat ; inque ipsis parricidis, quanto propinquiorem quisque peremerit, tanto judicatur immanior : sine dubio pejor est qui se occidit ; quia nemo est homini se ipso propinquior. Quid ergo miseri faciunt, qui cum et hic sibimet ingestas, et postea non solum impietatis adversus Deum, sed etiam ipsius quam in se exercuerunt crudelitatis luant debitas pœnas, insuper quærunt et martyrum glorias ? cum etiamsi pro vero Christi testimonio persecutionem paterentur, et se interficerent, ne aliquid a persecutoribus paterentur, recte illis diceretur, *Væ iis qui perdiderunt patientiam!* Quomodo enim justum [1] præmium patientiæ redditur, si et impatiens passio coronatur? Aut quomodo innocens judicabitur, cui dictum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XIX, 19), si homicidium committit in se ipso, quod committere prohibetur in proximo?

CAPUT XIV. — 11. *Patientia bonorum.* Audiant ergo sancti de Scripturis sanctis præcepta patientiæ : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem : deprime cor tuum, et sustine; ut crescat in novissimis vita tua. Omne quod tibi supervenerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis* (*Eccli.* II, 1-5). Et in loco alio legitur : *Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab illo increparis. Quem enim diligit Dominus, corripit ; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 11 *et* 12). Quod hic positum est, *filium quem recipit;* hoc in supra dicto testimonio est, *homines receptibiles.* Hoc enim justum est, ut qui de pristina felicitate paradisi propter contumacem deliciarum appetentiam dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur : fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo ; ibi contra justitiam facientes, hic pro justitia patientes.

CAPUT XV. — 12. *Patientia non venit ex liberi arbitrii viribus, sed ex divino adjutorio.* Sed vera patientia quæ hujus est nomine digna virtutis, quærendum est unde sumatur. Sunt enim qui eam tribuant viribus voluntatis humanæ, non quas habent ex divino adjutorio, sed quas ex libero arbitrio. Error autem iste superbus est : eorum est enim qui abundant, de quibus dicitur in Psalmo : *Opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis* (*Psal.* CXXII, 4). Non ergo est ista *patientia pauperum*, quæ *non perit in æternum* (*Psal.* IX, 19). Hi enim pauperes ab illo eam divite accipiunt, cui dicitur, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2), a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jacobi* I, 17); ad quem clamat egenus et pauper, qui laudat nomen ejus, et petendo, quærendo, pulsando, dicit : *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu legem prætereuntis et iniqui ; quoniam tu es patientia mea, Domine, spes mea a juventute mea* (*Psal.* LXX, 4, 5). Isti autem qui abundant, et egere ad Deum dedignantur, ne ab illo accipiant veram patientiam, de sua falsa gloriantes, consilium inopis volunt confundere, quoniam Dominus spes ejus est (*Psal.* XIII, 6). Nec attendunt cum homines sint, et sua, id est, humanæ voluntati tantum tribuunt, in illud se incurrere quod scriptum est : *Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine* (*Jerem.* XVII, 5). Unde etiamsi eis contingat ut aliqua dura et aspera, vel ne displiceant hominibus, vel ne graviora patiantur, vel sibi placendo et amando præsumptionem suam, eadem ipsa superbissima voluntate sustineant ; hoc illis dicendum est de patientia, quod de sapientia beatus Jacobus apostolus dicit : *Non est ista sapientia desursum descendens ; sed terrena, animalis, diabolica* (*Jacobi* III, 15). Cur enim non sit superborum falsa patientia, sicut superborum est falsa sapientia (a)? A quo est autem vera sapientia, ab illo est et vera patientia. Huic enim cantat ille spiritu pauper : *Deo subjecta est anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea* (*Psal.* LXI, 6).

CAPUT XVI. — 13. *Objectio : cur voluntatis vires non sufficiunt ad patiendum pro justitia, sicut pro injustitia.* Sed respondent et loquuntur dicentes : Si voluntas hominis sine ullo Dei adjutorio viribus liberi arbitrii tam multa gravia et horrenda perfert, sive in animo, sive in corpore, ut mortalis vitæ hujus et peccatorum delectatione perfruatur ; cur non eodem modo eadem ipsa voluntas hominis eisdem viribus liberi arbitrii, non ad hoc exspectans se divinitus adjuvari, sed sibi naturali possibilitate sufficiens, quidquid laboris vel doloris ingeritur, pro justitia et vita æterna patientissime sustinet? An vero, inquiunt, idonea est iniquorum voluntas, Deo non adjuvante, ut se ipsi in cruciatibus pro iniquitate, et antequam ab aliis crucientur, exerceant ; idonea est voluntas moras vitæ hujus amantium, ut Deo non adjuvante, inter atrocissima et longa tormenta in mendacio perseverent, ne sua facinora confitentes, jubeantur occidi ; et non est idonea justorum voluntas, nisi eis vires desuper suggerantur, quaslibet pœnas, vel ipsius decore justitiæ, vel æternæ vitæ amore perferre?

CAPUT XVII. — 14. *Solutio : iniquos duritiem ex cupiditate, pios fortitudinem ex charitate habere. Patientiæ falsæ sufficit voluntas humana, non autem veræ.* Qui hæc dicunt, non intelligunt et quemque iniquorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda duriorem, quanto in eo major est cupiditas mundi ; et quemque justorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est major charitas

[1] Ita MSS. At editi, *justo.*

(a) Cyprianus, in lib. de Bono patientiæ : « Si sapientia « illic vera non est, esse non potest et vera patien- « tia. »

Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis : *Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris*, non utique ex nobis, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Proinde ab illo est patientia justorum, per quem diffunditur charitas eorum [1]. Quam charitatem laudans atque commendans Apostolus, inter cætera ejus bona dixit eam et cuncta sufferre. *Charitas*, inquit, *magnanima est*. Et paulo post ait : *Omnia tolerat* (I *Cor.* xiii, 4 *et* 7). Quanto ergo major est in sanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur, et quanto major est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo quod concupiscitur, omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientia vera justorum, unde est in eis charitas Dei; et inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi. Propter quod dicit Joannes Apostolus : *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso : quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est* (I *Joan.* ii, 15 *et* 16). Hæc igitur concupiscentia quæ non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior et ardentior, tanto fit quisque pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum dolorumque patientior. Idcirco, sicut supra diximus, non est ista patientia desursum descendens : patientia vero piorum desursum est, descendens a Patre luminum. Itaque illa terrena est, ista cœlestis; illa animalis, ista spiritualis; illa diabolica, ista deifica. Quoniam concupiscentia, qua fit ut peccantes omnia pertinaciter patiantur, ex mundo est; charitas autem, qua fit ut recte viventes omnia fortiter patiantur, ex Deo est. Et ideo illi falsæ patientiæ potest sine adjutorio Dei voluntas humana sufficere; tanto durior, quanto cupidior; et eo tolerabilius mala sustinens, quo ipsa fit pejor : huic autem, quæ vera patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper adjuta et inflammata, non sufficit, quia Spiritus sanctus est ignis ejus; quo nisi accensa diligat impassibile bonum, ferre non potest quod patitur malum.

CAPUT XVIII. — 15. *Ut charitas ex Deo, ita ex ipso patientia vera quæ manat a charitate.* Sicut enim divina testantur eloquia, *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in illo manet* (I *Joan.* iv, 16). Quisquis ergo contendit haberi posse Dei charitatem sine Dei adjutorio, quid aliud contendit, nisi haberi Deum posse sine Deo? Quis autem hoc dicat Christianus, quod nullus dicere audeat insanus? Exsultans ergo apud Apostolum vera, pia, fidelisque patientia, dicit ore sanctorum [2] : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, deputati sumus sicut oves victimæ. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos* : non per nos, sed *per eum qui dilexit nos*. Deinde sequitur et adjungit, *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* viii, 35-39). Hæc est illa *charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris* : non ex nobis, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Malorum autem *concupiscentia*, propter quam in eis est falsa patientia, *non est ex Patre*, sicut dicit apostolus Joannes, *sed ex mundo est*.

CAPUT XIX. — 16. *Si cupiditas ex mundo, quomodo ex humana voluntate. Quod quis non sit ex mundo, non naturæ est, sed gratiæ.* Hic dicet aliquis : Si ex mundo est concupiscentia malorum, per quam fit ut mala omnia pro eo quod ab illis concupiscitur perferant, quo modo ex eorum dicitur voluntate? Quasi vero non et ipsi ex mundo sint, cum ab eis diligitur mundus, deserto eo [1] per quem factus est mundus. *Serviunt enim creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* i, 25). Sive itaque mundi vocabulo Joannes apostolus dilectores significaverit mundi, voluntas quæ ex ipsis est, utique ex mundo est : sive mundi nomine cœlum et terram et quæcumque in eis sunt, hoc est, universam complexus sit creaturam, voluntas procul dubio creaturæ, quæ non est Creatoris, ex mundo est. Propter quod talibus Dominus dicit : *Vos de deorsum estis, ego de sursum sum : vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo* (*Joan.* viii, 23). Apostolis autem dicit : *Si de mundo hoc essetis, mundus quod suum est diligeret*. Sed ne sibi amplius arrogarent, quam eorum mensura poscebat, et hoc quod eos non esse dixit ex mundo, naturæ putarent esse, non gratiæ : *Quia vero*, inquit, *de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*Id.* xv, 19). Ergo de mundo erant [2] : nam ut de mundo non essent, electi sunt de mundo.

CAPUT XX. — 17. *Electio gratiæ prævenit omnia merita bona. Gratia dat merita, non meritis datur. Prævenit fidem.* Hanc autem electionem non præcedentium in bonis operibus meritorum, sed electionem gratiæ demonstrans Apostolus, sic inquit : *Et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* xi, 5 *et* 6). Hæc est electio gratiæ, id est, electio qua per Dei gratiam homines eliguntur. Hæc est, inquam, electio gratiæ, qua omnia bona merita præveniuntur humana. Si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur; ubi *merces*, sicut idem dicit apostolus, *non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* (*Id.* iv, 4). Si autem ut vera sit gratia, id est, gratuita, nihil invenit in homine, cui merito debeatur; quod bene intelligitur et in eo quod dictum

[1] Duo Mss., *in cordibus eorum*.
[2] Casalinus Ms., *patientia sanctorum dicit*; omisso, *ore*.

[1] Editi, *deserentes eum*. At Mss., *deserto eo* : præter unum Metensem codicem, qui habet, *deserente eo*.
[2] Lov., *non erant*. Abest, *non*, ab Er. et a pluribus Mss.

est, *Pro nihilo salvos facies eos* (*Psal.* LV, 8) : profecto ipsa dat merita, non meritis datur. Prævenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt. *Justus enim*, sicut scriptum est, *ex fide vivit* (*Habac.* II, 4). Porro autem gratia non solum adjuvat justum, verum etiam justificat impium. Et ideo etiam cum adjuvat justum, et videtur ejus meritis reddi, nec sic desinit esse gratia ; quoniam id adjuvat quod ipsa est largita. Propter hanc itaque gratiam, quæ cuncta bona merita humana præcedit, non solum Christus ab impiis occisus est, verum etiam *pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Et antequam moreretur, non utique justos, sed justificandos elegit Apostolos, quibus ait, *Ego vos de mundo elegi*. Quibus enim dixit, *De mundo non estis* ; et ne putarent se nunquam fuisse de mundo, mox addidit, *sed ego vos de mundo elegi* : profecto ut de mundo non essent, ipsius in eos electione collatum est. Quocirca si per suam justitiam, non per gratiam ejus eligerentur, non de mundo electi essent : quoniam de mundo jam non essent, si jam justi essent. Deinde si propterea sunt electi, quia jam justi erant ; ipsi priores jam Dominum elegerant. Quis enim potest esse justus, nisi eligendo justitiam ? *Finis autem legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Id.* X, 4). *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio : ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 30, 31). Ipse est ergo nostra justitia.

CAPUT XXI. — 18. *Gratiæ et fidei dono etiam antiqui ante incarnationem justificati sunt. Sine fide nullus unquam justus fuit.* Unde et antiqui justi ante incarnationem Verbi, in hac fide Christi, et in hac vera justitia, quod est nobis Christus, justificati sunt ; hoc credentes futurum quod nos credimus factum : et ipsi gratia salvi facti per fidem, non ex se ipsis, sed Dei dono ; non ex operibus, ne forte extollerentur (*Ephes.* II, 8, 9). Bona quippe opera eorum non prævenerunt misericordiam Dei, sed subsecuta sunt. Ipsi quippe audierunt, ipsi scripserunt longe antequam Christus venisset in carne : *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* E quibus Dei verbis, tanto post apostolus Paulus diceret, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Exod.* XXXIII, 19, *et Rom.* IX, 15, 16). Ipsorum etiam vox est longe antequam Christus venisset in carne : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11). Quomodo autem possent alieni esse a fide Christi, quorum charitate etiam nobis prænuntiatus est Christus ; sine cujus fide quisquam mortalium nec fuit, nec est, nec esse aliquando poterit justus ? Si ergo jam justi a Christo eligerentur Apostoli, prius illum ipsi elegissent, ut justi eligi possent ; quia sine illo justi esse non possent. Sed non ita factum est : ipse quippe illis ait, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Unde dicit apostolus Joannes, *Non quod dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 10).

CAPUT XXII. — 19. *Ante gratiæ electionem injusti omnes.* Quod cum ita sit, quid est homo utens in hac vita propria voluntate, antequam eligat et diligat Deum, nisi injustus et impius ? Quid est, inquam, homo aberrans a Creatore creatura, nisi Creator ejus memor sit ejus (*Psal.* VIII, 5), et eligat eum gratis, et diligat gratis ? Quia ipse non potest eligere vel diligere, nisi prius electus dilectusque curetur, qui cæcitate eligenda non cernit, et languore diligenda fastidit. Sed forte quis dicat : Quomodo Deus prius eligit et diligit iniquos, ut justificet eos, cum scriptum sit, *Odisti, Domine, omnes operantes iniquitatem* (*Psal.* V, 7) ? Quomodo putamus, nisi miro et ineffabili modo ? Et tamen etiam nos possumus[1] cogitare, quod medicus bonus ægrotum et odit et diligit : odit enim, quia ægrotat ; diligit, ut ægritudinem pellat.

CAPUT XXIII. — 20. *Quomodo charitas veræ patientiæ, ita cupiditas fons malæ patientiæ.* Hæc propter charitatem dicta sint, sine qua in nobis non potest esse vera patientia : quia in bonis charitas Dei est, quæ tolerat omnia, sicut in malis mundi cupiditas. Sed hæc charitas per Spiritum sanctum est in nobis, qui datus est nobis. Unde a quo nobis est charitas, ab illo est patientia. Mundi autem cupiditas, quando patienter sustinet onera cujuslibet calamitatis, gloriatur de viribus propriæ voluntatis, tanquam de stupore morbi, non de robore sanitatis. Insana[2] est ista gloriatio ; non est patientiæ, sed dementiæ. Voluntas ista tanto videtur patientior acerborum malorum, quanto est avidior temporalium bonorum, quia inanior æternorum.

CAPUT XXIV. — 21. *Voluntatem malam esse posse etiam sine spiritus mali instigatione.* Quod si eam exagitat et inflammat fallacibus visis[3] et suasionibus immundis diabolicus spiritus[4] et maligna conspiratione sociatus, efficit hominis voluntatem, vel errore dementem, vel appetitu cujuslibet mundanæ delectationis ardentem : quæ cum videtur[5] intolerabilia mirabiliter sustinere, non tamen ideo etiam voluntas mala sine instigatione alterius immundi spiritus, sicut voluntas bona sine adjutorio sancti Spiritus non potest esse. Nam esse posse voluntatem malam etiam sine aliquo spiritu vel seducente vel incitante, in ipso diabolo satis ostenditur, qui per nullum alium diabolum, sed propria voluntate factus diabolus invenitur. Voluntas itaque mala sive cupiditate rapiatur, sive timore revocetur, sive lætitia diffundatur, sive tristitia contrahatur, atque in his omnibus perturbationibus animi quæcumque sunt aliis vel alio tempore[6] graviora contemnat et perferat ; potest et sine

[1] Ita duo Vaticani Mss. Alii vero plerique cum editis, *non possumus*.

[2] Sic Mss. At editi, *Insania*.

[3] Plures Mss., *visibus*. In persimili loco libri de Continentia, cap. 2, n. 5, legitur : « Quisquis in corde occurrentibus « suggestionibus quorumque visorum..... consensit. »

[4] Aliquot Mss., *immundis et diabolicus spiritus*. Et mox Vaticani duo, *ei maligna conspiratione sociatus*.

[5] Sic probæ notæ Mss. At editi, *quæcumque videntur*.

[6] Plerique Mss., *vel eo tempore*.

alterius spiritus instinctu se ipsa seducere, et defectu a superioribus in inferiora lapsando, quanto jucundius æstimaverit, quod adipisci appetit, vel amittere metuit, vel adeptum gaudet, vel amissum dolet, tanto tolerabilius pro eo ferre quod sibi minus est ad patiendum, quam illud ad fruendum. Quidquid enim illud est, ex creatura est, cujus nota voluptas est[1]. Quodam modo enim familiari contactu atque connexu ad experiendam ejus suavitatem adjacet amanti creaturæ amata creatura.

CAPUT XXV. — 22. *Bona voluntas non nisi ex Deo.* Voluptas autem Creatoris, de qua scriptum est, *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9), longe alterius generis est : neque enim, sicut nos, creatura est. Nisi ergo amor ejus detur inde nobis, non est unde esse possit in nobis. Ac per hoc voluntas bona, qua diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur et velle (*Philipp.* II, 13). Hæc igitur voluntas bona, id est, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni ardoris accensa, voluntas quæ diligit Deum et proximum propter Deum ; sive amore, de quo respondet apostolus Petrus, *Domine, tu scis quia amo te* (*Joan.* XXI, 15) ; sive timore, de quo dicit apostolus Paulus, *in timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Philipp.* II, 12) ; sive gaudio, de quo dicit, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12) ; sive tristitia, qualem se dicit magnam habuisse pro fratribus suis (*Id.* IX, 2) : quæcumque amara et aspera sufferat, charitas Dei est, quæ omnia tolerat (I *Cor.* XIII, 7), quæ non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5).

CAPUT XXVI. — *Piorum patientia Dei donum. Schismaticorum patientia pro Christo an laudanda.* Unde nequaquam dubitante pietate, sicut charitas sancte amantium, ita patientia pie tolerantium Dei donum est. Neque enim divina Scriptura fallit aut fallitur, quæ non solum in veteribus Libris habet hujus rei testimonia, cum Deo dicitur, *Patientia mea tu es* (*Psal.* LXX, 5) ; et, *Ab ipso est patientia mea* (*Psal.* LXI, 6) ; et ubi alius propheta dicit, accipere nos Spiritum fortitudinis : verum etiam in apostolicis Litteris legitur, *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed ut etiam patiamini propter eum* (*Philipp.* I, 29). Non ergo quasi de proprio faciat animum elatum quod sibi audit esse donatum.

23. Si quis autem non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem spiritus et vinculum pacis, quo catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, et ignis æterni ; nullo modo ista culpanda sunt, imo vero et hæc laudanda patientia est. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo ; sed existimandum est fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando cuncta illa vitaret : ut illud quod ait Apostolus, *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3) ; nihil prodesse intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius supplicium subeundum.

CAPUT XXVII. — 24. *An hæc eorum patientia sit Dei donum.* Sed merito quæri potest utrum et ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisque ab Ecclesia separatus, non pro errore qui eum separavit, sed pro veritate sacramenti seu verbi quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales. Cavendum est enim ne forte, si Dei donum istam patientiam dixerimus, hi quibus inest, etiam ad regnum Dei pertinere credantur : si autem illam donum Dei esse negaverimus, cogamur fateri, sine adjutorio et munere Dei in voluntate hominis esse posse aliquid boni. Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, et pro ista fide qualecumque supplicium perferat et contemnat humanum.

25. Proinde sicut negandum non est hoc esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra.

CAPUT XXVIII. — *Dona filiorum hæredum et dona filiorum exhæredatorum diversa.* (Hæc sunt enim quodam modo hæreditaria, in quibus sumus *hæredes Dei, cohæredes autem Christi*) ; alia vero quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales et schismatici vel hæretici comparantur. Quamvis enim scriptum sit, *Ejice ancillam et filium ejus, neque enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gal.* IV, 26, 30, *et Gen.* XXI, 10) : et Abrahæ dixerit Deus, *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI, 12, *et Rom.* IX, 7 *et* 8) : quod sic est Apostolus interpretatus, ut diceret, *Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed filii promissionis deputantur in semine* ut intelligeremus semen Abrahæ secundum Isaac propter Christum ad Dei filios pertinere, qui sunt corpus Christi et membra, id est, Ecclesia Dei una, vera, germana, catholica, tenens piam fidem ; non eam quæ per elationem vel timorem, sed eam quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6) : tamen etiam filios concubinarum quando a filio suo Isaac dimisit[1] Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omni modo inanes, non ut tenerentur hæredes. Sic enim legimus : *Dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo ; et filiis concubinarum suarum dedit Abraham munera, et dimisit eos ab Isaac filio suo* (*Gen.* XXV, 5, 6). Si ergo filii sumus liberæ Jerusalem, alia dona exhæredatorum, alia intelligamus hæredum. Illi enim hæredes sunt, quibus dicitur : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timo-*

[1] Editi, *voluntas est*. Verius Mss., *voluptas est*.

[1] Editi hoc et proximo loco, *divisit*. At Mss. constanter habent *dimisit*, juxta græcam LXX, Genes. cap. 25, ℣. 6, *kai exapesteilen autous*. Hebræum verbum sonat, *emisit*.

rem; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater (*Rom.* VIII, 14-17).

CAPUT XXIX. — 26. *Patientiæ pauperum Christi merces æterna.* Clamemus ergo spiritu charitatis, et donec veniamus ad hæreditatem in qua semper maneamus, liberali amore simus, non servili timore patientes[1]. Clamemus, quamdiu pauperes sumus, donec illa hæreditate ditemur. Magna quippe inde pignora accepimus, quod ad nos ditandos pauper factus est Christus, quo in supernas divitias exaltato, missus est qui sancta desideria nostris cordibus inspiraret Spiritus sanctus. Horum pauperum adhuc credentium, nondum contemplantium; adhuc sperantium, nondum tenentium; adhuc desiderio suspirantium, nondum felicitate regnantium; adhuc esurientium et sitientium, nondum satiatorum: horum ergo *pauperum patientia non peribit in æternum* (*Psal.* IX, 19): non quia et illic patientia erit, ubi quod toleretur non erit, sed *non peribit*, dictum est, quia infructuosa non erit. Fructum autem habebit æternum, ideo non peribit in æternum. Qui enim laborat inaniter, cum eum spes fefellerit, propter quam laborabat, merito dicit, Perdidi tantum laborem: quisquis vero ad sui laboris promissa pervenerit, gratulans dicit, Non perdidi laborem meum. Dicitur ergo labor non perire, non quia manet perpetuus, sed quia non est inaniter fusus. Sic et patientia pauperum Christi, sed ditandorum hæredum Christi, non peribit in æternum: non quia et illic patienter ferre jubebimur, sed quia pro iis quæ hic patienter pertulimus, æterna beatitudine perfruemur. Non dabit finem sempiternæ felicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati: quia utrumque munus donatæ donatum est charitati.

[1] In omnibus prope Mss., *patientes*; sed in quibusdam sic verba interpuncta sunt: *non servili timore. Patientes clamemus*, etc. In editis autem cum eadem verborum interpunctione legitur, *Patienter*, etc.

ADMONITIO

IN SERMONES DE SYMBOLO AD CATECHUMENOS.

Quatuor isti sermones conjunctim vulgati alias fuerunt in tomo nono, et apud veteres codices Mss. perinde atque apud excusos appellantur de Symbolo libri quatuor, tribuunturque Augustino. Primus quidem sermo Augustinum omnino refert: non ita vero tres alii. Quippe in his tribus dicendi genus incultum et abjectum, non habet satis ingenii et gravitatis, sicuti videre est in sermone secundo, ubi legitur, capite 2: *Habemus et nos spiritualem nostrum aurigam, sanctum prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus tantum cucurrit, ut metas prenderet cœli.* Scripturæ loca peregrinis verbis citantur interdum et explicantur eo modo ac sensu, quem Augustino adscribere non audemus, ut in ejusdem sermonis capite 5, nn. 13 et 14. Hunc præterea sermonem tempore persecutionis Vandalicæ, demortuo jam Augustino habitum, cum Ariani Catholicos modis omnibus tentarent, beneficiis æque ac injuriis avocantes a fide, suspicamur ex illis in fine verbis: *Hæreticus Arianus non insultet Ecclesiæ. Lupus est, agnoscite: serpens est, ejus capita conquassate. Blanditur, sed fallit: multa promittit, sed decipit*, etc. In sermone tertio et quarto morantur nos causæ dubitandi etiam bene multæ, neque leviores. Possidius in Indiculo, cap. 10, recenset de Symbolo tractatus tres: sed hos in superiore tomo Sermonum habes, ordine 212, 213, sqq.

Sub finem tomi item noni editionis per Lovanienses adornatæ referuntur quatuordecim tractatus, quos paucis exceptis dubios habemus ac subdititios. Horum quidam in Appendicem rejecti sunt, quidam vero hic suo loco typis minutioribus impressi, ut sermo de quarta Feria, seu de Cultura agri dominici, in cujus capite 3 locus Actuum, I, 18, et in capite item 6 locus Joannis, VI, 51, citantur haud satis accurate: præterquam quod in capite 7 persecutio Vandalica notata videtur. Sermo etiam de Cataclysmo, ubi cap. 2 dicitur, Baptismo *restauratum corpus ad priorem statum primi hominis ante peccatum.* Et Sermo de Tempore Barbarico, qui capite præsertim 4 nonnulla continet minus consentanea sacræ Bibliorum historiæ, necnon exhortationem in fine ad roborandos Catholicos contra persecutionem Arianorum. Stylus certe horum trium æque rudis ac demissus minimeque Augustinianus. Denique eumdem auctorem sapiunt tum isti sermones, tum alii supra de Symbolo tres recensiti, aliquem forte ex discipulis Augustini, cujus sententias interdum, tacito S. Doctoris nomine, profert; veluti illam in sermone de Cataclysmo, cap. 3, *Tolle verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*: quæ nimirum ducta est ex Tractatu 80 in Joannem, n. 3. Hæsimus etiam aliquantum circa sermonem de Cantico novo, nec sine aliqua cunctatione passi sumus, cum nomine Augustini, quod olim gerit, rursum excudi. In capite 3 plures habet sententias ex sequente paulo post sermone de utilitate Jejunii, cap. 3, desumptas, scilicet, *Si.... jumento insideres, quod te gestiendo vellet præcipitare*, etc., inque ejus fine concionator ad baptizandos, *Merces*, inquit, *nostra est, ut in illo sancto fonte adjuvetis nos orationibus vestris*; quod sermonis proxime subsequentis auctor non absimiliter exposcit a baptizandis, *Pro nostra mercede, in illo sacratissimo fonte pro nobis orate*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE SYMBOLO

SERMO AD CATECHUMENOS [a].

SERMONES

CAPUT PRIMUM. — 1. *Symbolum regula fidei. Symbolum ex Scripturis collectum est. Deus omnipotens. Parvuli exsufflantur et exorcizantur.* Accipite, filii, regulam fidei, quod Symbolum dicitur. Et cum acceperitis, in corde scribite, et quotidie dicite apud vos : antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit : sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Quod audituri estis, hoc credituri ; et quod credideritis, hoc etiam lingua reddituri. Ait enim Apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10). Hoc est enim Symbolum, quod recensuri estis et reddituri. Ista verba quæ audistis, per divinas Scripturas sparsa sunt : sed inde collecta et ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret ; ut omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit. Numquid enim modo solummodo audistis quia Deus omnipotens est ? Sed incipitis eum habere patrem, quando nati fueritis per Ecclesiam matrem.

2. Inde ergo jam accepistis, meditati estis, et meditati tenuistis, ut dicatis : Credo in Deum Patrem omnipotentem. Deus omnipotens est, et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest ; et, quod ait Apostolus, *negare se ipsum non potest* (II *Tim.* II, 13). Quam multa non potest, et omnipotens est : et ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens ; si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens : quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens. Prorsus omnipotens Pater noster peccare non potest. Facit quidquid vult : ipsa est omnipotentia. Facit quidquid bene vult, quidquid juste vult : quidquid autem male fit, non vult. Nemo resistit omnipotenti, ut non quod vult faciat. Ipse fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, invisibilia et visibilia : invisibilia, sicut sunt in cœlis Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli, si bene vixerimus, cives nostri. Fecit in cœlo visibilia ; solem, lunam, stellas. Suis animalibus terrestribus ornavit terram, implevit aerem volatilibus, terram ambulantibus et serpentibus, mare natantibus : omnia implevit suis creaturis propriis. Fecit et hominem ad imaginem et similitudinem suam in mente : ibi est enim imago Dei ; ideo mens ipsa non potest comprehendi nec a se ipsa, ubi est imago Dei. Ad hoc facti sumus, ut creaturis cæteris dominemur : sed per peccatum in primo homine lapsi sumus, et in mortis hæreditatem omnes devenimus. Facti sumus humiles mortales, impleti sumus timoribus, erroribus : hoc merito peccati ; cum quo merito et reatu nascitur omnis homo (*Gen.* I-III). Ideo sicut vidistis hodie, sicut nostis, et parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exsufflatur : sed ille sub quo sunt omnes qui cum peccato nascuntur ; est enim princeps peccatorum. Ac per hoc propter unum qui lapsus est et omnes misit in mortem, missus est unus sine peccato qui omnes in se credentes perducat ad vitam, liberans eos a peccato.

CAPUT II. — 3. *Filium Dei Dominum nostrum vere esse Deum et omnipotentem. Pater et Filius non dii duo, sed unus Deus. Filius omnipotens et æqualis a Patre genitus.* Ideo credimus et in Filium ejus, id est, Dei Patris omnipotentis, unicum, Dominum nostrum. Quando audis unicum Dei Filium, agnosce Deum. Non enim Filius Dei unicus posset esse non Deus. Quod est, hoc genuit ; etsi non est quem genuit. Si verus est autem Filius, hoc est quod Pater : si hoc non est quod Pater, non est verus Filius. Mortales et terrenas creaturas attendite : quod est res quæque, hoc generat. Non generat homo bovem, non generat ovis

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

De Symbolo ad Catechumenos sermonem contulimus cum ad Divionensem abbatiæ S. Benigni codicem annorum circiter 800, ad Germanensem [illegible], ad manuscriptum Ecclesiæ Laudunensis, ad manuscriptum PP. Fuliensium cœnobii S. Bernardi Parisiensis, et ad editiones Er. et Lov. Idem sermo repertus etiam est in Andegavensi manuscripto S. Albini annorum 500 ; tres vero [illegible].

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, *memoratas.* M.

(a) Alias, *Liber primus* in [illegible] editis, tom. 9.

canem, nec canis ovem. Quidquid est quod generat, id quod est generat. Tenete ergo fortiter, firmiter, fideliter, quia hoc genuit Deus Pater, quod est ipse omnipotens. Creaturæ istæ mortales per corruptionem generant. Numquid sic Deus generat? Mortalis natus id quod est generat, immortalis quod est generat: corruptibilis corruptibilem generat, incorruptibilis incorruptibilem; corruptibilis corruptibiliter, incorruptibilis incorruptibiliter: usque adeo hoc quod est, ut unus unum, ideo unicum. Scitis quoniam cum vobis pronuntiarem Symbolum sic dixi, et sic credere debetis: quia credimus in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum. Jam quando unicum, crede [1] omnipotentem: non enim Deus Pater facit quod vult, et Deus Filius non facit quod vult. Una voluntas est Patris et Filii, quia una natura. Nec enim voluntas Filii potest a Patris voluntate aliquantulum segregari. Deus et Deus, ambo unus Deus: omnipotens et omnipotens, ambo unus omnipotens.

4. Non introducimus duos deos, quomodo quidam introducunt, et dicunt: Deus Pater et Deus Filius, sed major Deus Pater, minor Deus Filius. Ambo quid? Duo dii? Erubescis dicere, erubesce credere. Dominus Deus Pater dicis, et Dominus Deus Filius: et dicit ipse Filius, *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). In familia ipsius sic erimus, ut, quomodo in domo magna ubi est paterfamilias et habet filium, dicamus et nos: Dominus major, Dominus minor? Aversamini talem cogitationem. Si vobis talia feceritis in corde, idola ponitis in anima una. Prorsus repellite. Prius credite, postea intelligite. Cui autem donat Deus, ut cum crediderit, cito intelligat; Dei donum est, non humana fragilitas. Tamen si nondum intelligitis, credite: Deus unus Pater, Deus Christus Filius Dei. Ambo quid? Unus Deus. Et quomodo ambo unus Deus dicitur? Quomodo? miraris? In Actibus Apostolorum, *Et erat*, inquit, *credentium anima una et cor unum* (*Act.* IV, 32). Multæ animæ erant, fides easdem unam fecerat. Tot millia animarum erant; amaverunt se, et multæ sunt una: amaverunt Deum in igne charitatis, et ex multitudine ad pulchritudinis unitatem venerunt. Si tam multas animas fecit animam unam charitas; qualis charitas est apud Deum, ubi nulla diversitas, sed integra æqualitas? Si in terris et in hominibus potuit esse tanta charitas, ut de tot animabus faceret unam animam; ubi semper inseparabilis fuit Pater a Filio, Filius a Patre, potuerunt ambo esse nisi Deus unus? Sed illæ animæ, et multæ animæ dici potuerunt, et anima una: Deus autem, ubi est ineffabilis et summa conjunctio, unus Deus dici potest, non dii duo.

5. Facit quod vult Pater, facit quod vult Filius. Nolite putare omnipotentem Patrem et non omnipotentem Filium: error est, delete hoc in vobis, non hæreat in memoria vestra, non bibatur in fide vestra, et si forte aliquis vestrum biberit, vomat. Omnipotens est Pater, omnipotens Filius. Si omnipotens non genuit omnipotentem, non verum filium genuit. Quid enim dicimus, fratres, si Pater major minorem filium genuit? Quid enim dixi [2], genuit? Homo enim major generat filium minorem, verum est; sed quia senescit ille, crescit iste, et ad formam patris sui vel crescendo pervenit. Filius Dei si [2] non crescit, quia nec potest Deus senescere; perfectus natus est. Perfectus quidem natus, si non crescit, et minor non remansit; æqualis est. Nam ut sciatis omnipotentem de omnipotente natum, ipsum audite qui Veritas est. De se quod dicit Veritas, hoc est verum. Quid ait Veritas? quid ait Filius, qui est Veritas? *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (*Joan.* V, 19). Omnipotens est Filius, omnia faciendo quæ voluerit. Nam si facit aliqua Pater quæ non facit Filius, falsum dixit Filius: *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius facit similiter*. Sed quia verum dixit Filius: credite, *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius facit similiter*; et credidistis in Filium omnipotentem. Quod verbum etsi in Symbolo non dixistis, tamen hoc est quod expressistis, quando in unicum ipsum Deum credidistis. Habet aliquid Pater quod non habet Filius? Hoc Ariani hæretici blasphemi dicunt, non ego. Sed ego quid dico? Si habet aliquid Pater, quod non habet Filius; mentitur Filius, qui dicit, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Id.*, XVI, 15). Multa et innumerabilia sunt testimonia quibus probetur quia Filius verus Dei [3] Patris est Filius, et Pater Deus verum genuit Filium Deum, et Pater et Filius unus est Deus.

CAPUT III. — 6. *Filii Dei nativitas humana ex virgine. Passio sub præside Pilato. Nativitas Christi æterna de Patre. Crucis supplicium cur electum a Christo. Patientiæ merces non temporalis in præsenti, sed æterna speretur in futuro sæculo.* Sed iste Filius unicus Dei Patris [4] omnipotentis videamus quid fecit propter nos, quid passus est propter nos. Natus de Spiritu sancto et virgine Maria. Ille Deus tantus æqualis Patri, natus de Spiritu sancto et virgine Maria humilis, unde sanaret superbos. Exaltavit se homo, et cecidit: humiliavit se Deus, et erexit. Humilitas Christi quid est? Manum Deus homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille descendit: nos jacebamus, ille se inclinavit. Prendamus et surgamus, ut non in pœnam cadamus. Ergo inclinatio ipsius hæc est, Natus est de Spiritu sancto et virgine Maria. Et ipsa nativitas humana, humilis et excelsa. Unde humilis? Quia homo natus est ex hominibus. Unde excelsa? Quia de virgine. Virgo concepit, virgo peperit, et post partum virgo permansit.

7. Quid deinde? Passus sub Pontio Pilato. Præsidatum agebat, et judex erat ipse Pontius Pilatus, quando passus est Christus. Judicis nomine signata sunt tempora, quando passus est, sub Pontio Pilato; quando passus est, crucifixus, mortuus [5], et sepul-

[1] Sic Mss. Editi vero, *Jamque unicum crede*.

[1] In Mss., *dicitur*.
[2] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *Filius Dei non crescit*; omisso, *si*. M.
[3] Mss., *Deus*.
[4] Lov., *Deus Dei Patris*, etc. Abest, *Deus*, ab editis aliis et Mss.
[5] Verbum, *mortuus*, hoc et proximo loco abest a Mss.

tus. Quis? quid? pro quibus? Quis? Filius Dei unicus, Dominus noster. Quid? Crucifixus, mortuus, et sepultus. Pro quibus? Pro impiis et peccatoribus. Magna dignatio! magna gratia! *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* cxv, 12)?

8. Natus est ante omnia tempora, natus ante omnia sæcula. Natus ante. Ante quid, ubi non est ante? Prorsus nolite cogitare aliquod tempus ante nativitatem Christi, qua natus est de Patre: de ipsa nativitate loquor, qua est Filius Dei omnipotentis unicus Dominus noster; de ipsa prius loquor. Nolite cogitare in hac nativitate initium temporis; nolite cogitare ullum spatium æternitatis, quando erat Pater et non erat Filius. Ex quo Pater, ex eo Filius. Et quid est, ex quo, ubi non est initium? Ergo semper Pater sine initio, semper Filius sine initio. Et quomodo, inquies, natus est, si non habet initium? De æterno coæternus. Nunquam fuit Pater et non erat Filius, et tamen Filius a Patre est genitus. Unde datur qualiscumque similitudo? In rebus terrenis sumus, in creatura visibili sumus. Det mihi similitudinem terra: non dat. Det mihi aliquam similitudinem undarum elementum: non habet unde. Det mihi similitudinem aliquod animal: nec hoc potest. Animal quidem generat, et quod generat, et quod generatur: sed prior est pater, et postea nascitur filius. Inveniamus coævum, et credamus coæternum. Si potuerimus invenire patrem coævum filio suo, et filium coævum patri suo; credamus Deum Patrem coævum Filio suo, et Deum Filium coæternum Patri suo. In terra possumus invenire aliquem coævum, non possumus invenire aliquem coæternum. Intendamus coævum, et credamus coæternum. Intentos vos faciet forte aliquis et dicet[1]: Quando potest inveniri pater coævus filio suo, aut filius coævus patri suo? Ut generet pater, antecedit ætate; ut nascatur filius, sequitur ætate: sed hic coævus pater filio, vel filius patri, quomodo potest esse? Occurrat vobis ignis pater, splendor filius; ecce invenimus coævos. Ex quo ignis esse cœpit, continuo splendorem gignit: nec ignis ante splendorem, nec splendor post ignem. Et si interrogemus, quis quem generat, ignis splendorem, aut splendor ignem; continuo vobis occurrit sensu naturali, prudentia insita mentibus vestris, omnes clamatis: Ignis splendorem, non splendor ignem. Ecce pater incipiens, ecce filius simul, nec antecedens, nec sequens. Ecce ergo pater incipiens, ecce filius simul incipiens. Si ostendi vobis patrem incipientem, et filium simul incipientem; credite Patrem non incipientem, et cum illo Filium nec ipsum incipientem; illum æternum, illum coæternum. Si proficitis, intelligitis: date operam proficere. Nasci habetis, sed et crescere debetis; quia nemo incipit a perfecto. Dei Filio licuit nasci perfectum; quia natus est sine tempore, coæternus Patri, antecedens omnia, non ætate, sed æternitate. Iste ergo natus Patri coæternus, de qua generatione dixit propheta, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? natus de Patre sine tempore, natus est ex virgine in plenitudine temporis. Istam nativitatem antecesserant tempora. Opportunitate temporis quando voluit, quando sciebat, tunc natus est: non enim nolens natus est. Nemo nostrum quia vult nascitur, et nemo nostrum quando vult moritur: ille quando voluit natus est, quando voluit mortuus est; quomodo voluit natus est de virgine, quomodo voluit mortuus est in cruce. Quidquid voluit fecit: quia sic erat homo, ut lateret Deus; susceptor Deus, susceptus homo, unus Christus Deus et homo.

9. De cruce ipsius quid loquar? quid dicam? Extremum genus mortis elegit, ne aliquod genus mortis ejus martyres formidarent. Doctrinam ostendit in homine, exemplum patientiæ demonstravit in cruce. Ibi opus, quia crucifixus: exemplum operis, crux; præmium operis, resurrectio. Ostendit nobis in cruce quid tolerare, ostendit in resurrectione quid sperare debeamus. Prorsus tanquam agonotheta summus dixit: Fac, et tolle; fac opus, et accipe præmium; certa in agone, et coronaberis. Quod est opus? Obedientia. Quod est præmium? Resurrectio sine morte. Quare addidi, sine morte? Quia surrexit Lazarus, et mortuus est: resurrexit Christus, *jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9).

10. Scriptura dicit: *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis* (*Jacobi* v, 11). Job quanta pertulerit, cum legitur et exhorretur, expavescitur, contremiscitur[1]. Et quid recepit? Dupla quam perdiderat. Ergo ne homo propter præmia temporalia velit habere patientiam, et dicat sibi: Tolerem damnum, reddet mihi Deus filios duplos; Job omnia dupla recepit, et tot filios genuit, quot extulerat. Non ergo dupla sunt? Prorsus dupla sunt, quia et illi vivebant. Ne quis dicat, Feram mala, et reddet mihi Deus quemadmodum reddidit Job: ut jam non sit patientia, sed avaritia. Nam si patientiam ille sanctus non haberet, nec ea quæ contingebant fortiter sustineret: testimonium quod ei Dominus reddidit, unde haberet? *Animadvertisti*, ait Dominus, *ad puerum meum Job? Non enim est illi similis quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor*. Quale, fratres, testimonium hic sanctus vir a Domino meruit? Et tamen eum sua persuasione mala mulier decipere voluit, habens et hæc figuram illius serpentis, qui sicut in paradiso decepit hominem primum factum a Deo (*Gen.* III, 1-6), ita etiam nunc blasphemiam suggerendo putavit posse decipere placentem hominem Deo. Quanta passus est, fratres! Quis potest tanta pati in re sua, in domo sua, in filiis suis, in carne sua, in ipsa quæ remanserat tentatrice uxore sua? Sed etiam ipsam quæ remanserat, olim auferret, nisi adjutricem sibi servasset: quia primum hominem per Evam debellaverat, Evam servaverat. Quanta ergo passus est! Perdidit omnia quæ habebat, domus ipsius cecidit; utinam sola! oppressit et filios. Et quia in illo patientia magnum locum

[1] Mss., *Intentos vos faciet forte aliquis dicit.*

[1] Sic legendum juxta Er. Lugd. et Ven., *Job quanta pertulerit, legitur et horretur, expavescitur, contremiscitur*; juxta Lov., *Job quanta pertulerit cum legitur, exhorretur, expavescitur, contremiscitur.* M.

tenuerat, quid responderit ille, audite : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Abstulit quæ dedit, numquid periit qui dedit ? Abstulit quæ dedit. Tanquam diceret : Abstulit omnia, auferat omnia, nudum dimittat me, et servet mihi se. Quid enim mihi deerit, si Deum habuero ? aut quid mihi alia prosunt, si Deum non habuero ? Accessum est ad carnem, percussus est vulnere a capite usque ad pedes ; sanie diffluebat, vermibus scatebat , et se in Deo suo immobilem demonstrabat atque figebat. Voluit illi mulier, diaboli adjutrix, non mariti consolatrix, persuadere blasphemiam : *Quamdiu*, inquit, *ista et ista pateris ? Dic aliquod verbum in Dominum, et morere.* Ergo quia humiliatus erat , exaltandus erat. Et fecit hoc Dominus, ut ostenderet hominibus : nam ipse servo suo in cœlo majora servavit. Ergo humiliatum Job exaltavit, elatum diabolum humiliavit : quia *hunc humiliat, et hunc exaltat* (*Psal.* LXXIV, 8). Ne quis autem , fratres charissimi, quando aliquas ejusmodi patitur tribulationes, hic exspectet mercedem : verbi gratia, si damna aliqua patiatur, ne forte eo animo dicat, *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum*, ut duplum accipiat. Patientia Deum laudet, non avaritia. Si ea quæ perdidisti, dupla quæris recipere, et ideo Deum laudas ; de cupiditate laudas, non de charitate. Non tibi occurrat ipsius sancti viri exemplum : fallis te. Quando Job omnia tolerabat, dupla non sperabat. Et in prima ejus confessione quando damna pertulit et filios extulit, et in secunda cum jam tormenta vulnerum pateretur in carne, potest adverti quod dico. Prioris ejus confessionis hæc verba sunt : *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Poterat dicere : Dominus dedit, Dominus abstulit ; potest iterum dare qui abstulit, potest plura revocare quam tulit. Non hoc dixit, sed, *sicut Domino placuit*, inquit, *ita factum est :* quia ei placet, placeat mihi ; quod placuit bono Domino, non displiceat subdito servo ; quod placuit medico, non displiceat ægroto. Aliam ipsius audi confessionem : *Locuta es*, inquit uxori suæ, *tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala quare non sustinebimus* (*Job.* I et II) ? Non addidit, quod si diceret, verum diceret, Potens est Dominus et meam carnem in pristinum revocare, et quod nobis abstulit multiplicare : ne ista spe illa tolerasse videretur. Ista non dixit, ista non speravit. Sed ut nos doceremur , non speranti Dominus præstitit, quo nos doceremur, quia Deus illi adfuit : quia si et illa illi non redderet, occultam coronam ejus videre minime poteramus. Et ideo quid ait Scriptura divina, exhortando ad patientiam et spem futurorum, non mercedem præsentium ? *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis.* Quare *patientiam Job*, et non, Finem ipsius Job vidistis? Fauces aperires ad dupla ; diceres, Deo gratias, sustineam, duplum recipio sicut Job. *Patientiam Job , finem Domini.* Patientiam Job novimus, et finem Domini novimus. Quem finem Domini ? *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2) ? Verba sunt Domini pendentis in ligno. Quasi reliquit illum ad præsentem felicitatem, sed non eum reliquit ad æternam immortalitatem. Ibi est finis Domini. Tenent Judæi, insultant Judæi, ligant Judæi, spinis coronant , sputis dehonestant , flagellant , opprobriis obruunt, ligno suspendunt, lancea fodiunt, postremo sepeliunt : quasi relictus est. Sed quibus ? Illis insultantibus. Ideo ergo habeto patientiam, ut resurgas et non moriaris, id est, nunquam moriaris, sicut Christus. Sic enim legimus : *Christus surgens ex mortuis, jam non moritur* (*Rom.* VI, 9).

CAPUT IV. — 11. *Sedere ad dexteram Patris, quid sit. Dextera Patris, beatitudo.* Ascendit in cœlum : credite. Sedet ad dexteram Patris : credite. Sedere , intelligite habitare : quomodo dicimus de quocumque homine, In illa patria sedit per tres annos. Dicit illud et Scriptura, sedisse quemdam in civitate tantum tempus (III *Reg.* II, 38, *sec.* LXX). Numquid sedit , et nunquam surrexit? Ideo hominum habitationes sedes dicuntur (*a*). Ubi habentur sedes, numquid semper sedetur? non surgitur, non ambulatur, non jacetur? et tamen sedes vocantur. Sic ergo credite habitare Christum in dextera Dei Patris : ibi est. Nec dicat vobis cor vestrum, Quid agit? Nolite quærere quod non licet invenire : ibi est ; sufficit vobis. Beatus est, et a beatitudine, quæ dextera Patris vocatur, ipsius beatitudinis nomen est , dextera Patris. Nam si carnaliter acceperimus ; quia sedet ad dexteram Patris, ille erit ad sinistram. Numquid fas est ut sic illos componamus, Filium ad dexteram, Patrem ad sinistram? Ibi omnis dextera est , quia nulla ibi est miseria.

12. Inde venturus judicare vivos et mortuos. Vivos, qui superfuerint ; mortuos, qui præcesserint. Potest et sic intelligi : Vivos, justos; mortuos, injustos. Utrosque enim judicat , sua cuique retribuens. Justis dicturus est in judicio : *Venite, benedicti Patris mei*, *percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi.* Ad hoc vos parate, hæc sperate, propterea vivite, et sic vivite, propterea credite, propterea baptizamini, ut possit vobis dici : *Venite, benedicti Patris mei , percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Sinistris quid ? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Sic judicabuntur a Christo vivi et mortui. Dicta est prima sine tempore nativitas Christi, dicta est alia in plenitudine temporis de virgine nativitas Christi, dicta est passio Christi, dictum est judicium Christi. Totum dictum est, quod dicendum erat de Christo , Filio Dei unico , Domino nostro : sed nondum perfecta est Trinitas.

CAPUT V. — 13. *Spiritum sanctum esse Deum.* Sequitur in Symbolo, Et in Spiritum sanctum. Ista Trinitas unus Deus, una natura , una substantia, una potentia , summa æqualitas, nulla divisio, nulla di-

(*a*) Confer serm. 214, n. 8, tom. 5.

versitas, perpetua charitas. Vultis nosse quod Deus est Spiritus sanctus? Baptizamini, et templum ejus eritis. Apostolus dicit, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (I *Cor.* VI, 19)? Templum habet Deus : nam et Salomon rex et propheta jussus est ædificare templum Deo. Si ædificaret templum soli, aut lunæ, aut stellæ alicui, aut alicui angelo, nonne damnaret illum Deus? Quia ergo templum ædificavit Deo, ostendit se colere Deum. Et unde ædificavit? De lignis et lapidibus : quia dignatus est Deus facere sibi per servum suum domum in terra, ubi rogaretur, ubi memoraretur [1]. Unde dicit beatus Stephanus : *Salomon ædificavit illi domum, sed Altissimus non in manu factis templis inhabitat* (*Act.* VII, 47 *et* 48). Si ergo corpora nostra templum est Spiritus sancti, qualis Deus est qui ædificavit templum Spiritui sancto? Sed Deus. Si enim templum Spiritus sancti sunt corpora nostra, ille Spiritui sancto ædificavit templum, qui et corpora nostra. Attendite Apostolum dicentem, *Deus temperavit corpus, ei cui deerat majorem honorem dans* (I *Cor.* XII, 24); cum loqueretur de diversis membris, ut non essent scissuræ in corpore. Deus creavit corpus nostrum. Herbam Deus creavit, corpus nostrum quis creavit? Unde probamus quia herbam Deus creat? Qui vestit, ipse creat. Evangelium lege. *Si ergo fenum agri*, ait, *quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit* (*Matth.* VI, 30). Ille ergo creat, qui vestit. Et Apostolus : *Stulte, quod seminas non vivificatur, nisi moriatur* [2] : *et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut forte tritici, aut alicujus cæterorum; Deus autem illi dat corpus quomodo voluerit, et unicuique seminum proprium corpus* (I *Cor.* XV, 36-38). Si ergo Deus corpora nostra ædificat, si Deus membra nostra ædificat, et corpora nostra templum sunt Spiritus sancti; nolite dubitare Deum esse Spiritum sanctum. Et nolite addere quasi tertium Deum; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus. Sic credite.

CAPUT VI. — 14. *De sancta Ecclesia.* Sequitur post Trinitatis commendationem, sanctam Ecclesiam. Demonstratus est Deus et templum ipsius. *Templum enim Dei sanctum est*, ait Apostolus, *quod estis vos* (*Id.* III, 17). Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans : pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa : ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam (*Matth.* XVI, 18).

CAPUT VII. — 15. *Peccata etiam immania dimittuntur in Baptismo; et levia, in oratione dominica. Pœnitentia publice acta propter immania peccata, non propter levia.* Remissionem peccatorum. Habetis Symbolum perfecte in vobis, quando baptizamini. Nemo dicat : Illud feci, forte non mihi dimittitur. Quid fecisti? quantum fecisti? Dic immane aliquid quod commisisti, grave, horrendum, quod etiam cogitare horres : quidquid vis feceris, numquid Christum occidisti? Non est isto facto aliquid pejus, quia et Christo nihil est melius. Quantum nefas est occidere Christum? Judæi tamen cum occiderunt, et multi in eum postea crediderunt, et biberunt ejus sanguinem : dimissum est illis peccatum quod commiserunt. Cum baptizati fueritis, tenete vitam bonam in præceptis Dei, ut Baptismum custodiatis usque in finem. Non vobis dico quia sine peccato hic vivetis; sed sunt venialia, sine quibus vita ista non est. Propter omnia peccata Baptismus inventus est; propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Id.* VI, 12). Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est ut a Christi corpore separemini : quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania : inde agunt pœnitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana oratio delenda sufficeret.

CAPUT VIII. — 16. *Peccata tribus modis dimittuntur.* Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia; in Baptismate, in oratione, in humilitate majore [1] pœnitentiæ : tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis. Ipsa peccata quæ primum dimittit, non nisi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur. Peccata quæ postea orantibus dimittuntur, et pœnitentibus, quibus dimittit, baptizatis dimittit. Nam quomodo dicunt, *Pater noster*, qui nondum nati sunt? Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt omnia peccata eorum. Si catechumeni, quanto magis Pagani? quanto magis hæretici? Sed hæreticis Baptismum non mutamus. Quare? Quia sic habent Baptismum, quomodo desertor habet characterem : ita et isti habent Baptismum; habent, sed unde damnentur, non unde coronentur. Et tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, numquid audet quisquam ei characterem mutare?

CAPUT IX. — 17. *De resurrectione carnis in vitam æternam.* Credimus etiam resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo : ut hoc etiam speret corpus, quod præcessit in capite. Caput Ecclesiæ Christus, Ecclesia corpus Christi (*Ephes.* V, 23). Caput nostrum surrexit, ascendit in cœlum : ubi caput, illic et membra. Quomodo carnis resurrectionem? Ne forte putet aliquis quomodo Lazari, ut scias non sic esse, additum est, In vitam æternam. Regeneret vos Deus, conservet et tueatur vos Deus; in se, qui est ipsa vita æterna, perducat vos Deus. Amen.

[1] Aliquot Mss., *moraretur.*
[2] Editi, *prius moriatur*. Abest, *prius*, a Mss.

[1] Sic Mss. Editi vero, *majoris.*

Sequuntur alii de Symbolo sermones tres, Augustinum, cui hactenus adscripti in ante editis fuerunt, haudquaquam nobis repræsentantes, sed oratorem genere dicendi, eruditione et ingenio multo inferiorem.

DE SYMBOLO

SERMO (a) AD CATECHUMENOS.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Sacramenta celebrata circa catechumenos. Crucis signum. Examen et scrutinium. Arma contra diabolum, Symbolum et Crux. Professio catechumenorum, renuntiare se diabolo et pompis ejus. Arma diaboli, voluptas et timor. Arma nostra spiritualia, timor Dei castus et fides orationis.* Sacramentorum rationem, sive transactæ noctis, sive præsentis sancti Symboli exponendam suscepimus Sanctitati vestræ, donante illo *qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (*Jacobi* I, 5). *Dives* est enim *in omnibus qui invocant illum* (*Rom.* X, 12). Ipse quippe potest adjuvare intentionem nostram, acceptabilem pro nobis faciens orationem vestram. Accipite itaque vos qui fide desideratis verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum quidem adhuc per sacrum Baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero sanctæ matris Ecclesiæ jam concepti estis. Agat itaque hæc mater congruis alimentis potius pascere quos portat, ut post partum lætetur se tales suscepisse quos spiritualiter nutriat. Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? Quid est quod hac nocte circa vos actum est, quod præteritis noctibus actum non est; ut ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliata quæ male fuerat antea exaltata, in humilitate pedum cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis exstirparetur diabolus superbus, dum super vos invocatus est humilis altissimus Christus? Omnes itaque humiles eratis, humiliterque petebatis, orando, psallendo atque dicendo, *Proba me, Domine, et scito cor meum* (*Psal.* CXXXVIII, 23). Probavit, examinavit, corda servorum suorum suo timore tetigit; diabolum sua virtute fugavit, atque ab ejus dominio suam familiam liberavit. Non aliter hic actus est [1] pauper, aliter dives, aliter dominus, aliter servus : quia *unus est omnibus introitus ad vitam* (*Sap.* VII, 6); et si sic ad hanc fragilem atque caducam, quanto magis ad illam immortalem atque sempiternam?

2. Purgata itaque familia Redemptoris, posteaquam cantavit canticum salutis, accepit Symboli remedium contra serpentis [2] venenum : ut si quando voluerit adversarius diabolus denuo insidiari, noverit redemptus cum Symboli sacramento et crucis vexillo ei debere occurri; ut talibus armis indutus facile vincat christianus, de cujus oppressione male antea triumphaverat nequissimus diabolus. Ex qua re nobis factus est adversarius diabolus, nisi ex hac, quia videt liberos quos tenebat ante captivos, quia videt sanos quos suis jaculis prostraverat vulneratos, quia videt vestiri denuo immortalitate quos nudaverat propinando iniquitatem; quia *muscipulæ ejus comminutæ sunt, et nos eruti sumus : adjutorium nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII, 7, 8)? Si adjutorium nostrum in nomine ejus est; renuntiemus diabolo, pompis et angelis ejus. Hoc audistis, hoc et vos professi estis, renuntiare vos diabolo, pompis et angelis ejus. Videte, dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelicam : nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, sed a superiore cœlitus potestate. Optimi jam tirones Dei, fortes milites Christi, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam adversus diabolum indicitis : dum ejus operibus renuntiatis, vehementius in vos ejus furias provocatis. Sed non metuat miles Christi : induimini enim ipsum Christum, ut per eum velociter superetis adversarium diabolum. Quibus armis pugnat et ille? Illecebrosis et subdolis. Duo sunt genera armorum ejus valde fortia, contra quæ vigilanter ac fortiter stare debet omnis miles Christi, qui triumphare cupit et superare virtutem diaboli. Quæ sunt ista duo genera armorum? Voluptas et timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur et nostra acies, proferantur arma spiritualia. Contra timorem diaboli adsit *timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10). Contra voluptatem turpissimæ delectationis, non desit fides orationis. Et quid metuat christianus, quando admonetur sic orare, sic præsumere, sic fidere, ut dicat : *Dominus mihi adjutor est, et ego despiciam inimicos meos* (*Psal.* CXVII, 7). Plures tamen noveritis, dilectissimi, capere adversarium per voluptatem, quam per timorem. Nam quare quotidie muscipulam spectaculorum, insaniam studiorum ac turpium voluptatum proponit, nisi ut his delectationibus capiat quos amiserat, ac lætetur denuo se invenisse quos perdiderat?

CAPUT II. — 3. *Spectacula circi fugienda : alia esse quæ in Ecclesia cernuntur, spectacula salubria. Deterret a theatro Scandalistæ. Amphitheatri cruenta certamina. Venatores cum ursis certantes.* Quid nobis [1] ire per multa? Breviter admonendi estis quid spernere, et quid diligere debeatis. Fugite, dilectissimi, spectacula, fugite caveas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Sed si oblectandus est animus, et spectare delectat; exhibet vobis sancta mater Ecclesia veneranda ac salubria spectacula, quæ et mentes vestras oblectent sua delectatione, et in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem. Amator est quispiam circi? Quid delectat in circo? Aurigas videre certantes [2], populos insana furia anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, adversarii sui equum frangentem. Ista est omnis delectatio, clamare, quia vicit quem diabolus vicit; exsultare et insultare, quod adversa pars perdiderit equum, cum is qui tali spectaculo delectatur, vanum [3] perdiderit animum. Vide contra nostra sancta, sana, suavissima spectacula. Intuere in libro Actuum Apostolorum, claudum ex utero matris nunquam ambulantem quem Petrus fecit currentem; vide subito sanum, quem antea intuebaris infirmum (*Act.* III, 2-8) : et si est in te sanitas mentis, si in te fulget ratio æquitatis ac delectatio salutis, vide quid debeas exspectare, vide ubi debeas exclamare; illic ubi equi sani franguntur, an hic ubi homines fracti salvantur? Sed si te pompa illa, figura ea equorum [4], compositio curruum, ornatus et aurigæ superstantis, equos regentis, vincere cupientis; si hæc te, ut dixi, pompa delectat : nec hanc tibi denegavit, qui pompis diaboli renuntiare præcepit. Habemus et nos spiritualem nostrum aurigam sanctum prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus, tantum cucurrit, ut metas prenderet cœli (IV *Reg.* II, 11). Et si adversarios, quos et vera virtus vicit, et quos ille volando transiit, atque ex quorum victoria palmam supernæ celsitudinis accepit,

[1] Sola editio Lov., *exactus est*.
[2] Apud Lov. additur, *antiqui*.
(a) Alias, *Liber secundus*, in ante editis. tom. 9.

[1] Hic editi addunt, *opus est*.
[2] Editio Lov. ad marginem habet : « Alias, *currentes*. »
[3] Sic Mss. At editi loco, *vanum*, habent, *jam*.
[4] In Mss., *figuræ equorum*.

videre desideras : *Currus Pharaonis et omnem virtutem ejus projecit in mare* (*Exod.* xv, 4).

4. Alius fortassis theatri amator admonendus sit, quid fugiat, et quo delectetur; ac sic voluntatem spectandi non perdet, sed mutet. In theatris labes morum, discere turpia, audire inhonesta, videre perniciosa. Sed adjuvante Domino ea ex cordibus vestris firmiter repellamus. Singula singulis comparemus. Illic intuentur spectatores propositum nescio quem confictum deum Jovem, et adulterantem, et tonantem : hic respicimus verum Deum Christum, castitatem docentem, immunditiam destruentem, salubria prædicantem. Illic fingitur quod idem Jovis Junonem habeat sororem et conjugem : hic prædicamus sanctam Mariam matrem simul et virginem. Illic stupor ingeritur visui, ex usu hominem in fune ambulantem : hic magnum miraculum, Petrum mare pedibus transeuntem (*Matth.* xiv, 29). Illic per mimicam turpitudinem castitas violatur : hic per castam Susannam castumque Joseph libido comprimitur (*Gen.* xxxix, *et Dan.* xiii), mors contemnitur, Deus amatur, castitas exaltatur. Chorus illic et cantio pantomimi illicit auditum, sed expugnat sanum affectum : et quid tale nostro cantico comparandum sit, in quo dicit qui amat et cantat, *Narraverunt mihi peccatores delectationes suas, sed non ita ut lex tua, Domine; omnia mandata tua veritas* (*Psal.* cxviii, 85 *et* 86)? Nam illic universa fingit vanitas. Scandalistarum quis illic forte peritiam admiretur, videre parvulos in arca ludentes, diversas historias exhibentes. Sed videte nostrorum lusus infantum. In utero Rebeccæ duo certant infantes : procedente majore, minoris manu emissa ex utero, planta majoris apprehensa est (*Gen.* xxv, 22, 25). In quorum certamine magni sacramenti figura monstrata est, ut minor supplantaret majorem, eique postmodum primatum atque benedictionem auferret. In quibus parvulis quasi ludentibus, et sacramentum, ut dixi, magnum exhibentibus, et reprobi in Esau demonstrantur Judæi, et prædestinati in Jacob apparent Christiani. Ille enim Jacob unus parvulus sic garriens, multos in se prædestinatos etiam parvulos demonstrabat infantes, qui ex utero matris suscipiuntur manibus fidelium, nec eos sic excutiunt, ut in aere pendeant, sed ut renati in cœlo vivant. His igitur oblectamentis mens delectetur, pascatur anima christiana; hanc sobrietatem retinens mentis, fugiat ebrietatem diaboli.

5. Nec amphitheatri certamina seducant aut pertrahant christianum : quo quidem tanto avidius curritur, quanto tardius exhibetur. Sed etiam ibi quid non periculosum ingeritur aspectibus, quid non cruentum? ubi, sicut ait beatissimus Cyprianus, voluntas noxia ad feras homines nullo crimine damnat (*Cypr. in epist.* 2 *ad Donat.*). Non ergo vos, dilectissimi, illud spectaculum crudele invitet intueri, novem ursis duos altercantes venatores : sed delectet videre unum nostrum Danielem orando superantem septem leones. Discerne spiritualis amator certamina : vide duos noxios voluntate [1], vide unum innocentem ac plenum fide. Vide illos pro præmio terreno suas animas bestiis obtulisse : vide istum in oratione clamantem, *Ne tradideris bestiis animas confitentes tibi* (*Psal.* lxxiii, 19). In illo spectaculo contristatur editor, si venator evadat illæsus, qui et plures bestias interemit : in isto nostro sine ferro pugnatur, nec Daniel læditur, nec fera occiditur, et sic vincitur, ut rex miretur atque mutetur, et populi pertimescant, et inimici dispereant (*Dan.* xiv, 30-42). Admirabile spectaculum nostrum, plane mirabile, in quo Deus adjuvat, fides vires impertiat, innocentia pugnat, sanctitas vincit, præmium consequitur tale, quod et ille qui vicerit accipiet, et qui deseruerit nihil amittet. Istud spirituale munus (a) [illegible] [illegible], et hæc intuendo et cum omni securitate spectando alacriter ad ecclesiam convenite, ab omni cupiditate carnali propositum cordis revocate, omnem sollicitudinem vestram Deo gubernandam committite : ut adversarius revereatur, nihil in vobis inveniens suum; vosque illum repudiantes, ejusque pompis renuntiantes, posteaquam ab ejus insidiis vestra fuerit eruta libertas, ne vos inveniat vacuos ille nefarius, quem novimus etiam non suos tenere cupientem.

CAPUT III. — 6. *Omnipotentia Dei probatur ex creatione rerum de nihilo. Trinitas. Filium quoque esse Deum omnipotentem, æternum et æqualem Patri.* Fideliter credite in Deum Patrem omnipotentem. Omnipotentem Deum credimus, qui omnia faciens factus non est : et ideo omnipotens est, quia de nihilo fecit quæcumque fecit. Non enim eum aliqua materies adjuvit, ex qua demonstraret artis suæ potentiam : sed ex nihilo, ut dixi, cuncta creavit. Hoc est enim esse omnipotentem, ut non solum fabrica ipsa, sed etiam materies ab illo inveniatur esse, qui non habuit initium ut esset; et is qui semper æternus est, crearet, non id quod ipse esset, sed ut ab illo esset quod jam accepisse [1]. Omne enim quod est, ab illo est : ipse autem a seipso est, qui non ab aliquo factus est. Fecit ergo facta non factus, creavit creaturam non creatus : qui etiam ipsi creaturæ convenientibus gradibus per diversas ordinationes constituit potestates. Potest quippe secundum datam potestatem quilibet angelus vel homo dici potens; sed numquid potest dici omnipotens? Potest dici rex vel imperator, quod multa quæ velit possit : non tamen eum qui sanum sapit, audebit dicere omnipotentem; nam si voluerit eum adulando ita laudare, incipit et illum et se ipsum fallendo decipere. Quomodo enim audebit dicere omnipotentem, quem videt multum velle vivere et vitam succedente morte finire? Si omnipotens est, non moriatur, a morte excludatur [2]. Si autem ei mors terminum dabit, omnipotentem eum non fuisse ipsa mors demonstrabit. Non ergo quispiam audebit quamlibet creaturam, sive cœlestem sive terrestrem, dicere omnipotentem, nisi solam Trinitatem; Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum.

7. Non enim, cum dicimus nos credere in Deum Patrem omnipotentem, sicut hæretici Ariani, negamus Filium omnipotentem, aut Spiritum sanctum negamus omnipotentem. Si Filium negaveris omnipotentem, negabis et Patrem omnipotentem. Sed major est, inquiunt, Pater, minor est Filius. Hoc in hominibus, hoc in omnibus, et tu in omnibus perturbaris. Divinam naturam considera, Deum attende, sempiternum cogita : nam vane conturbaris. Si sempiternus est Pater, sempiternus est utique et Filius. Si enim fuit Filius quando non fuit Filius, fuit et Pater quando non fuit Pater : quod si fuit aliquando Pater non Pater, non fuit omnipotens; minus enim habuit in eo quod postea effectus est Pater. Si das initium Filio, das initium et Patri. Pater enim a Filio appellatus est Pater. Si autem semper fuit Pater, semper fuit et Filius. Et si Deus est Pater, Deus est et Filius : non enim aliud potuit procedere de Deo quam Deus. Quod si Deus est Pater, Deus est et Filius; et si sempiternus est Pater, sempiternus est et Filius : quem non præcessit ætate nec dignitate, non eum [3] minuit æqualitate. Apostolum audi quid de Deo Filio dicat : *Cum in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* ii, 6). Non rapuit, quia naturaliter habuit. Omnipotentia itaque Patris in Filio, omnipotentia Filii in Patre; quia neque aliquando Pater sine Filio, neque aliquando Filius sine Patre. Divinam illam nativitatem qua Filius processit ex Patre, qua natus est Deus de Deo, sine initio, sine tempore, sine matre, sine aliqua fragilitate, sine ulla sui diminutione, non possumus explicare : *Nativitatem autem ejus*, ait propheta, *quis enarrabit* (*Isai.* liii, 8)? Et revera

[1] [illegible] [illegible]

(a) [illegible]

[1] Locus perplexus, in quo Fuldensium codex omittit, *sed ut ab illo esset, jam accepisse*.

[2] [illegible]

[3] [illegible] *etiam* [illegible] Tr. quæ deinde sola prosequitur, *minuit æqualitatem*.

quis comprehendere vel dicere potest quomodo natus sit, qui semper est in Patre, et nunquam recedit a Patre? Digne, ut dixi, non possumus enarrare: sed debemus corda nostra ipsi Filio præparare, ut illuminando et per fidem gubernando perducat nos ad speciem veritatis suæ, ne remaneamus in tenebris infidelitatis nostræ, ne aliud æstimando de Filio quam quod est Pater, ipse Filius non docendo, sed increpando nos admoneat sicut Philippum, dicens, *Philippe, qui vidit*[1] *me, vidit et Patrem. Annon agnoscis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 9, 10)? Sicut ergo Deus de Deo natus est, et lux de lumine, et dies ex die; ita et Omnipotens ex omnipotente. In ista enim mortali nostra generatione qui est pater, aliquando non fuit pater; et qui est filius, non semper est filius: quia et ipse filius cum accessu temporis patrem amiserit, conjugem acceperit, prolemque susceperit, non erit filius, sed ipse vocabitur pater, et quilibet pater antequam suscipiat filium, non vocabitur pater. Accedit ergo aliquid tempore, quod præcedat tempore. Non ergo æstimemus hoc in illa divinitatis esse substantia, in illa generatione sempiterna. Non enim illic deficiendo moritur Pater, ut Filius crescendo perveniat ad Patris dignitatem; aut sunt ibi tempora, quia per ipsum facta sunt tempora.

CAPUT IV. — 8. *Idem contra Arianos confirmatur. Trinitatem totam esse Deum omnipotentem. Trinitas judex. Tota Trinitas omnipotens, immortalis et invisibilis. Idola cordium.* In quo autem tu, hæretice, audes dicere Filium minorem, quem nos confitemur æqualem? In ætate? Non ibi sunt tempora. In divinitate? Deus est Pater, Deus est et Filius. In opere? Omnia per Filium facta sunt. Dicit quidem Scriptura, quod Deus fecerit mundum, sicut scriptum est in libro Geneseos, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1): sed nos audientes Deum Patrem, cognoscimus Filium et Spiritum sanctum. Tu forsitan dicis, Deus Pater fecit mundum. Sed audi quid Joannes evangelista dicat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1, 2). Ecce, sine Filio dicit nihil esse factum; quoniam *omnia per ipsum facta sunt.* Si sine Filio factum est nihil, quid fecit Pater quod non fecit Filius, de quo dicit Evangelista quod sine Filio factum est nihil? Si autem, sicut vera fides catholica habet, in Filio operante constituas Patrem, et in Patre operante constituas Filium, quoniam Filius in Patre est et Pater in Filio, omnipotens invenietur Filius, si in ipso omnipotens est Pater: si autem non est omnipotens Filius, ut prædicat hæreticus arianus, non est in illo omnipotens Pater, falsumque erit secundum ipsos quod ipse Filius ait, *Ego in Patre, et Pater in me est.* Absit autem ut falsum sit quod Veritas dicit: confundatur arianus, qui veritati contradicit.

9. Demonstremus tamen ex Scripturis dictum Filium omnipotentem sicut et Patrem, ut non solum ratio vera, sed etiam divina testimonia hæreticorum frontem percutiant impudentem. Dictus est Pater omnipotens, propheta dicente, *Hæc dicit Dominus omnipotens* (I *Cor.* VI, 18). Dictus est et Filius omnipotens, Joanne apostolo in Apocalypsi dicente, *Ab Jesu Christo Domino nostro, qui est, et qui fuit, et qui venturus est omnipotens* (*Apoc.* I, 5, 8). Dictus est et Spiritus sanctus omnipotens, Salomone prophetante, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et is qui continet omnia, scientiam habet* (*Sap.* I, 7). Annon est omnipotens qui continet omnia? Dicit enim Scriptura quod Deus judex sit, dicente Apostolo, *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* V, 10). Sed nos quando audimus Deum judicem, totam intelligimus Trinitatem. Tu autem, hæretice, dic quis sit iste Deus judex; Pater, an Filius? Si dixeris, Pater est; negas Filium judicem, quem in Symbolo etiam tu confiteris venturum vivos mortuosque judicaturum. Contradicis etiam Evangelio dicenti, *Cum Filius hominis venerit in claritate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut separat pastor oves ab hædis.* In quo loco ab Evangelista expressius judex demonstratus est Filius, ut etiam ejusdem judicii sententia panderetur, dicentis, *Ibunt impii in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 31, 32, 46). Quod si nolens obsistere tantæ auctoritati, dixeris Filium judicem, Patrem ergo negabis judicem? Non, inquis, nego Patrem judicem. Quomodo non negas? Quia Pater, inquis, potestatem dedit, Filius accepit. Video quidem, hæretice, quo trahas callida latebra, quo perversæ mentis aciem intentionis dirigas. Recitaturus enim mihi es ex Evangelio et dicturus: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22). In eo, inquis, quod Pater dedit, Filius accepit, major est utique qui dat, quam qui accipit: major est Pater, minor est Filius. Non ex hac sententia glorietur tua vanitas; quoniam ex ipsa te nunc divina convincet auctoritas. *Pater*, inquis, *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Cognoscimus: novit quippe sana fides quomodo hæc intelligat. Homo enim ille susceptus, qui etiam ipse appellatus est Dei Filius, accepit potestatem, sed dante Patre et Filio; quoniam Filius in Patre est, et Pater in Filio. Cæterum si tu, hæretice, secundum illam perversam vestram doctrinam illi hoc volueris assignare divinitati, qua Filius æqualis est Patri, quæro abs te diligentius, et ut mihi respondeas celeriter insisto, quis est ille qui in libro Deuteronomii Moysi dicebat, *In die judicii reddam illis.* Non potes dicere, Pater est; quoniam secundum Evangelii sententiam a te prolatam, *Pater non judicat quemquam.* Ergo Filius est qui dicebat, *In die judicii reddam illis.* Filius est? Responde, quid dubitas? Filius hoc dixit, annon? Non est quod dicas nisi Filium dixisse, *In die judicii reddam illis*; quoniam *Pater non judicat quemquam.* Sed vide sequentia libri hujus, quemadmodum te provocet, quemadmodum convincat. Cum enim dixisset, *In die judicii reddam illis;* post paululum secutus adjunxit, *Videte, videte,* inquit, *quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Deut.* XXXII, 35, 39). Quid agis, ariane? Non est qua exeas. Dic, si audes, Filium solum hoc dixisse, et negabis Patrem, nec Deum esse, nec judicem. Depone vel nunc convictus animositatem, audi veritatem, intellige Deum judicem Trinitatem. Audi quod et Spiritus sanctus judex sit. Ipse Dominus in Evangelio ait: *Cum venerit Paracletus, ipse arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio* (*Joan.* XVI, 8). Quid quæris amplius? Item demonstrat Scriptura divina quod simul habitet Pater et Filius et Spiritus sanctus in homine, tanquam in templo suo. In Evangelio Filius, *Si quis me*, inquit, *diligit, diligetur a Patre meo; et veniemus ad eum ego et Pater, et mansionem apud illum faciemus* (*Id.* XIV, 23). Ecce Pater et Filius: quid Spiritus sanctus? Apostolum audi: *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? Item demonstratur quod simul deserat impios Pater et Filius et Spiritus sanctus. Salomon propheta, *Perversæ*, inquit, *cogitationes separant a Deo.* Ecce Deus Pater deserens perversas cogitationes. Quid Deus Filius? Sequitur: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia.* Christus est enim Dei Virtus et Dei Sapientia (*Id.* I, 24). Ecce et Filius deserit malevolam animam, in qua sunt perversæ cogitationes, quas deseruit Pater. Restat de Spiritu sancto. Audi post paululum quid sequatur: *Sanctus*, inquit, *Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I, 3-5). Audi, sine intellectu deserere hominem Spiritum sanctum. Quando ista idem ipse Spiritus sanctus per Prophetam dicebat, vos prævidebat. Ecce jam illa inseparabilis Trinitas testimoniis divinarum Scripturarum demonstratur, quod simul habitet, simul regnet, simul possideat, simul deserat: quam vos, Ariani, separando et per diversos gradus Filio et Spiritui sancto injurias irrogando, non in vobis habitare

[1] Sic melioris notæ Mss. juxta græcum. At editi bis, *videt*.

sinitis[1] : quoniam et Deus Pater aufert se a cogitationibus perversis quæ sunt in vobis : et in malevolam animam non introibit sapientia; quia per vestræ animæ malignitatem sicut Filium a Patre, ita et legem separatis a suimet positore : et Spiritus sanctus effugiet fictum, id est, fictionem perversæ vestræ doctrinæ, in qua demonstratum est, nec Patrem, nec Filium, neque manere Spiritum sanctum.

10. Quoniam igitur de unitate agitur Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, quam unitatem non audemus dicere tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres invisibiles, nec tres immortales, sed unum Deum, de quo dicit Apostolus, *Immortali, invisibili, incorruptibili soli Deo honor et gloria* (I *Tim.* I, 17) : non ergo nobis ipsis fingimus Patris et Filii et Spiritus sancti diversas dignitates, separabiles et inæquales ætates, ampliores et infirmas potestates, ne quod ipse Dominus Salvator noster virtute ac majestate sua idola eradicavit et templa, rursus in cordibus Christianorum diabolus fabricet idola. Fides itaque catholica hæc est : Omnipotentem, immortalem, atque invisibilem credere Deum Patrem : omnipotentem, immortalem, atque invisibilem credere Deum Filium, secundum divinam nativitatem; visibilem autem, mortalem, minoremque angelis factum secundum susceptam humanitatem : omnipotentem, immortalem atque invisibilem credere Spiritum sanctum secundum æqualem divinitatem; visum autem in specie columbæ propter Filii attestationem (*Matth.* III, 16). Et hæc est Trinitas simplex unitas, inseparabilis, inenarrabilis, semper manens, semper præsens, ubique regnans, unus Deus, de quo propheta David dicit : *Tu es solus Deus magnus* (*Psal.* LXXXV, 10).

CAPUT V. — 11. *Nativitas Filii ex virgine. Signa in Christi nativitate. Infanticidium. Puer Jesus in medio doctorum inventus. Aquæ in vinum conversio.* Credimus in Filium ejus Jesum Christum, natum de Spiritu sancto ex virgine Maria. Hanc nativitatem, incredule, quid expavescis? Noli credere, si tantum homo erat qui natus est : si autem Deus homo erat, de qua voluit natus est, quia sicut voluit natus est. Illud potius mirare, quia Verbum suscepit carnem : nec est mutatum in carnem, quia manens Deus suscepit hominem. Cæterum quid miraris, quia genitrix suum genuit genitorem, quia creavit creatura factorem? Sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem. Portabat filium mater intacta, mirabatur et ipsa in aspectu suæ prolis, quam amplexus non strinxerat maritalis. Sed, incredule, audi prædictum, cognosce impletum. David propheta dicit, *Mater Sion, dicet homo : et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Ipse qui fundavit eam Altissimus, ipse in ea factus est homo : Altissimus, quia talem matrem creavit; Altissimus, quia sic se in ea formavit, ut procedens ex ejus utero, et filium ejus redderet, et integritatem non corrumperet. Quæ est gratia matris hujus et virginis? Quæ est gratia hujus feminæ, quæ virum nesciens filium portat? Quæ est gratia? Audite Gabrielem angelum eam salutantem : *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28). Quando Angelus istam virginem sic salutavit, tunc eam Spiritus sanctus fecundavit : tunc illa femina virum sine viro concepit, tunc repleta est gratia, tunc Dominum suscepit, ut esset in ea qui fecerat eam. Neque enim, dilectissimi, credendum est, quod illo jam præsente ac protegente poterat illi feminæ dominari corruptio, in qua non erat ardoris libido.

12. Noverit tamen quem portavit Virgo mater, noverit, stupor abscedat, fides accedat. Ecce quem portat nascatur; nondum loquatur, et totum commovit mundum. Clamat cœlum, novi sideris radians fulgore : clamat terra, turbata per Herodem; veniunt Magi admoniti, inquirunt Judæi turbati, quærunt ubi esset qui ubique totus est, quærunt in mundo fabricatorem mundi. Ad hoc autem quærebatur, non ut agnosceretur, sed ut occideretur (*Matth.* II) : quia *mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). O munde immunde, venit qui te redimat, et turbaris; et tunc eum vis perdere, quando ille te disposuit liberare? O Judæorum terra impia, non congruis cœlo. Cœlum demonstrat, ut adoretur : tu quæris, ut infans necetur. Hæc tibi annuntiat Deum hominem suscepisse pro te, et tu vis perdere eum qui venit redimere te. Exspecta paululum : ad hoc quidem venit, ut tuam etiam pessimam impleat voluntatem : sed sustine, ut suam ille colligat hæreditatem. Collige, collige, Redemptor : non glorietur dispersor. Vindica in eos qui te parvulum persequuntur, parvuli ipsorum pro te moriantur. Si ipsi in te crudeles existunt, parvuli ipsorum pro te moriantur. Vindica, sic vindica. Insultent illi parentibus nondum loquentes, convincant sævientes : infantes dicant testimonium de tua innocentia, quia non est in te ulla malitia; et ii qui te volunt innocentem occidi, hoc eis proveniat, ut suos parvulos ab eis facias separari. Lugeatis licet Judæi atque plangatis filios vestros, non illi moriuntur, quia a vita suscipiuntur : vobis irrogatur pœna orbitatis, cæterum illis gloria offertur immortalitatis. Nuntiastis Herodi ubi occidendus inveniri potest Filius Dei : sed ille filios vestros occidens pro Filio Dei, et vos orbitatis pœna nesciens punit tanquam proditores, et filios vestros Dei fecit hæredes. Sic vos irridebat ille, ille qui habitans in cœlo, jacebat in terra : sic furias vestras vestrique regis subsannabat, quando mala vestra in vos retorquebat, et de malis vestris multa ille bona faciebat.

13. Agnovisti, Virgo mater, filii tui infantiam, agnosce et pueritiam. Evangelium loquitur : *Perrexerunt*, ait, *cum puero Jesu parentes ejus in Jerusalem, ut pro eo offerrent sacrificium secundum legem. Et factum est revertentibus illis, puer Jesus remansit in templo : et erat disputans cum senioribus et scribis; et mirabantur omnes in sapientia quæ erat in eo, et turbabat multos. Sed cum reversi essent quærentes illum, invenerunt illum sedentem in medio seniorum, interrogantem et respondentem illis. Et ait illi illa mater : Fili, quid fecisti nobis? Ecce enim solliciti et anxii quærebamus te. Tunc ille : Quid sollicita eras*, inquit? *nescis quia oportet me in his quæ Patris mei sunt operari* (*Luc.* II, 43-49)? Quando talia mater a puero filio audivit, corde expavit : non enim patrem nominabat ille quem nesciebat in terra, sed illum qui fecit cœlum et terram.

14. Agnoscat et ejus adolescentiam, videat multa et magna miracula, conversionem aquarum in vinum. In quo primo miraculo tentavit illa femina jubere se filio posse tanquam mater domina quæ se agnoscebat ancillam. *Fili*, ait, *deficit illis vinum, fac rursus ut aquæ convertantur in vinum.* Et ille ut distingueret inter Deum et hominem, quia secundum hominem minor erat, secundum hominem subditus erat, secundum Deum autem supra omnes erat (*Joan.* II, 3, 4) : *Quid mihi et tibi*, inquit, *mulier? needum venit hora mea.* Tanquam ei diceret : Veniet hora, quando id quod natum est de te in cruce pendens agnoscat te, et discipulo dilecto commendet te, in hoc autem miraculo quid mihi et tibi? Non enim hoc processit ex te, sed ex eo qui fecit te[1] : non competit tibi ut jubeas Deo, competit autem ut subdita sis Deo. Sed pia mater quæ non ægre tulit admonitionem filii dicentis, *Quid mihi et tibi?* videat in cæteris miraculis Deum operantem, quem intuebatur filium adolescentem, videat cæcorum illuminationem, leprosorum mundationem, claudorum cursus, surdorum auditus, dæmonum fugationes; et quod majus his omnibus, mortuorum resurrectionem. Sed adhuc agnoscat hæc mater, et expavescat filii sui etiam juventutem.

CAPUT VI. — 15. *De passione et resurrectione Christi.* Quid restat juveni, nisi ut procedat velut sponsus de thalamo suo? Accipiat sponsus sponsam,

[1] Mss., *non in vobis habitat.*

[1] Sic Fuliensium codex. At Divionensis, *sed in eo fecit te.* Editi vero, *sed in eo qui fecit te.*

quæratur, inveniatur quæ ei conjungatur. Non est solus homo, sed Deus est et homo : quæratur quæ ei conjungatur. Qualis est de qua natus est, talis ei inveniatur, quæ et matrem reddat fecundam, et virginem servet intactam. Filius permanentis virginis, virginem permansuram accipiat. Ecce tempus est : modo Judæi suam impleant voluntatem, quando dignatur ipse dare potestatem. Agite, Judæi, nescientes nuptias Agni, date pretium pecuniæ malo nebuloni Judæ : agite ut ille qui natus est de virgine, a Pontio Pilato suspendatur in cruce. Ascendat sponsus noster thalami sui lignum, ascendat sponsus noster thalami sui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur ejus latus, et Ecclesia prodeat virgo : ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis, ita et Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. Percussum est enim ejus latus, ut Evangelium loquitur, et statim manavit sanguis et aqua (*Joan.* XIX, 34), quæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta. Aqua, in qua est sponsa purificata : sanguis, ex quo invenitur esse dotata. In isto sanguine sancti martyres amici sponsi stolas suas laverunt, candidas eas fecerunt, ad nuptias Agni invitati venerunt, ab sponso calicem acceperunt, biberunt, eique propinaverunt. Sanguinem ejus biberunt, sanguinem suum pro illo fuderunt. Quid egit vesana impietas Judæorum, quia invitati non solum venire noluerunt, sed insuper sponsum occiderunt? Quid egit iniquitas Judæ qui eum vendidit, a quo redimi debuit? Ecce nec Judas tenuit pretium, nec Judæi quem comparaverant Christum. Illi dico, Ubi est quod accepisti? Judæo dico, Ubi est quod emisti? Illi dico, quando vendidisti, tunc te decepisti : isti dico, Quod emisti, possidere non potuisti. Exsulta, Christiane; in commercium inimicorum tuorum tu vicisti : quod Judas vendidit et Judæus emit, tu acquisisti. Exsulta, exsulta, sponsa Ecclesia, quia nisi ista in Christo facta essent, tu ab illo formata non esses. Venditus redemit te, occisus dilexit te : et quia te plurimum dilexit, mori voluit propter te. O magnum sacramentum hujus conjugii! O quam magnum mysterium hujus sponsi et hujus sponsæ! non explicabitur digne humanis verbis. De sponso sponsa nascitur, et ut nascitur, statim illi conjungitur; et tunc sponsa nubit, quando sponsus moritur; et tunc ille sponsæ conjungitur, quando a mortalibus separatur : quando ille super cœlos exaltatur, tunc ista in omni terra fecundatur. Quid est hoc? Quis est iste sponsus absens et præsens? Quis est iste sponsus præsens et latens, quem sponsa Ecclesia fide tantum concipit[1], et sine ullo amplexu membra ejus quotidie parit? Quis est iste qui sic natus est, sic crevit, sic mortuus est? Quis est iste qui infans regem terruit, puer Judæos convicit, juvenis Pontium Pilatum turbavit? Quis est iste? Vultis nosse? *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 10). Si Dominus virtutum ipse est rex gloriæ : ergo nec Judæos timuit quando armati venerant, nec judicem injuste judicantem, nec milites irridentes, nec inimicos subsannantes, nec coronam spineam imponentes, nec sua vestimenta dividentes, nec fel, nec acetum, nec crucem, nec lanceam, nec mortem. Quando enim ista Judæi Pontiusque Pilatus[2] faciebant, Dominus virtutum negotium nostrum agebat; quæ non rapuerat, tunc reddebat. Non rapuit iniquitatem, et pro iniquis suscepit mortem : ut impleretur quod de eo scriptum est, *Quæ non rapueram, tunc reddebam* (*Psal.* LXVIII, 5). Denique ut noveritis pro nobis reddidisse quod non debebat (*Christus* enim *pro impiis mortuus est* [*Rom.* V, 6]), mox ut sæculum carnis suæ in crucis ligno solvit[3], et pretium nostrum exactori reddidit; ibi statim illum latronem fecit confessorem (*Luc.* XXIII, 42), ut per eum impiorum restauraret ruinam. Videte redemptum quem diabolus possederat homicidam : videte Dominum virtutum et in ipsa morte miracula facientem. Tunc latro confitebatur, quando Petrus turbabatur; tunc iste agnovit, quando ille negavit. Sed numquid quia Dominus acquisivit latronem, Petrum perdidit negatorem? Absit, absit. Agebat mysterium qui fundebat pretium, in Petro demonstrans non in se quemquam justum debere præsumere; in latrone, nullum impium conversum posse perire. Timeat bonus, ne pereat per superbiam : non desperet malus de multa malitia. Colligantur præsumentes[1], colligantur desperantes. Magnum pretium pro nobis datum esse cognoscimus, quia sanguine Christi redempti sumus. Agamus quomodo tali Domino non displiceamus. Ecce amavit servos, et quos redemit servos, fecit liberos. Ecce parum est, quia donat libertatem suam, exhibet fraternitatem, promittit etiam hæreditatem. Habes amplius quod exspectes? Suscepit veniendo mortem tuam, donavit resurgendo vitam suam. Habes amplius quod exspectes? Ille, ille qui crucifixus est pro te, die tertio a mortuis resurgens, super cœlos exaltavit te; filium Dei fecit te. Habes amplius quod exspectes? Quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis (*Psal.* CXV, 12)? Fecit nos antequam essemus, donavit vitam, donavit ætatem, donavit liberam voluntatem, donavit substantiam, donavit ingenium, donavit rationem, donavit scientiam, donavit omnia sua ut esset tua; et his bonis omnibus male usi sumus, superbi effecti sumus, Creatorem tanta bona largientem, merito prævaricationis offendimus : perivimus, quæsivit : captivi ducti sumus, subvenit; ad mortem perpetuam ducebamur, liberavit. Quid tibi minus exhibuit, qui se ipsum pro te tradidit? Et dubitas quod tibi donet vitam suam, qui tecum communicavit mortem suam? Quid retribuemus ei? Si non est quod ei retribuamus, ab ipso accipiamus quod ei offeramus. Hoc a te quærit Christus, hoc tibi dicit : Quod feci pro te, hoc et tu fac pro me; animam meam posui pro te, et tu pro fratribus tuis animam tuam pone. Noli timere mortem, quia cum vincere non posses, ego sum mortuus, ut tu vinceres : vinceres, non per te, sed per me; quia et ego quod sum mortuus, non est propter me, sed propter te. Tu enim mori noveras, resurgere non noveras : suscepi mortem quam noveras, demonstravi resurrectionem quam ignorabas. Credendo ama resurgentem, ut per illum et tu resurgas. Diximus, et, quantum ille donavit, exposuimus has tres sententias, quod natus sit de virgine Maria, crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus, tertia die a mortuis resurrexerit. Si enim de singulis, ut dignum est, loqui possemus, prolixitas sermonis fastidium vobis quam delectationem incuteret.

CAPUT VII. — 16. *De ascensione Domini et sessione ad dexteram Patris.* Quia ergo diximus, quousque ille altissimus descenderit propter nos; nunc dicamus quomodo id quod suscepit ex nobis, in cœlum levaverit, ad dexteram Patris collocaverit, ac fidei nostræ certum pignus dederit, ut secura sint membra de tanto capite, fideliterque sperent ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dexteram Patris sedere. Assumptus in cœlos. Sessionem istam, dilectissimi, non accipiatis humanis membris positam, tanquam Pater sedeat in sinistra, ut Filius sedeat ad dexteram; sed ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit homo ille susceptus a Deo, ut veniat judicaturus qui prius venerat judicandus. Ad hoc enim ascendit in cœlum, ut fides suum impleat locum. Prædictum quippe hoc invenitur per David prophetam : ait enim, *Congregatio populorum circumdabit te, et propter hanc in altum regredere; Dominus judicat populos* (*Psal.* VII, 8, 9). Hoc quippe ait : Quoniam humiliatus es in forma servi usque ad crucis opprobrium (*Philipp.* II, 6), et hi qui te viderunt crucifixum, aliqui crediderunt, multi dubitaverunt; resurgens a mortuis in altum regredere, super

[1] In Mss., *conspicit.*
[2] Sic Mss. At editi, *potius quam Pilatus.*
[3] Er. et Mss., *persolvit.*

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *collidantur præsumentes.*

cœlos dignare ascendere : ut congregatio populi fidelis congregetur in unum per fidem, ut fides deducat eos ad speciem. Ipsa est virtus omnipotentiæ tuæ, ut plus possis in ipsis fidelibus, quando absens ab eis in homine illo suscepto sentiris. Cæterum præsentia tuæ majestatis de cordibus fidelium tuorum nunquam discedis. Videte autem, dilectissimi, quid donaverit iste qui ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19, *et Ephes.* IV, 8) ; videte quid donaverit. Venit mirabiliter, crevit mirabiliter, exhibuit multa miracula, quæ superius commemoravimus, salus æterna multis præstitit salutem. Qui infirmitates nostras suscepit, multas variasque infirmitates curavit. Circumdatus etiam tunc fuit multitudine populorum, quos adduxerat non fides, sed curiositas oculorum. Denique visa miracula multi laudabant, alii detrahebant. Nam inde est illud detractionis verbum dicentium, quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret dæmonia (*Luc.* XI, 15). Cum tanta tamen miracula faceret, contemptus est : non solum digne habitus non est, sed insuper occisus est. Quare non tunc factum est ut ejus præsentia numerus ille colligeretur, nisi quia oportebat impleri omnia quæ de eo erant scripta? Etenim quando illa agebantur, jam illi ab ipso præparabantur, jam captivitas eorum capta erat. Exspectabatur ut ascenderet Salvator, et donaret dona. Quæ dona? Dona quæ acceperunt discipuli; quæ accepit Petrus, ut moreretur pro absente, quem desperando negaverat præsentem. Videte quid idem Petrus dicat in Epistola sua, quid effundat ex dono illo sancti Spiritus : *Credentes*, inquit, *in eum quem non videtis, gaudete inenarrabili gaudio* (I *Petr.* I, 8). Gaudeamus et nos credendo in eum quem non videmus; ut securi illum videamus, cum ad ipsum pervenerimus. Veniet autem et ipse, sed non talis qualis antea venit.

CAPUT VIII. — 17. *Christus ad judicium in qua forma veniet.* Venturus est enim vivos et mortuos judicare. Veniet autem ut judicet qui stetit sub judice; veniet in ea forma in qua judicatus est, ut videant in quem pupugerunt. Cognoscant Judæi quem negaverunt : convincat eos ille homo susceptus, et ab eis crucifixus. Fortasse, dilectissimi, quoniam veritas evangelica non tacuit eum cum cicatricibus resurrexisse, qui posset si vellet de corpore suscitato et clarificato omnem maculam cujuslibet cicatricis abstergere (sed sciebat quare cicatrices in corpore suo servaret, ut vulnera dubitationis in cordibus discipulorum sanaret) : fortasse ergo, ut dixi, sicut demonstravit Thomæ, non credenti nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua. Propter quod dictum est per prophetam, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10) : non ut eis dicat, sicut Thomæ, *Quia vidisti, credidisti* (*Joan.* XX, 25-29) ; sed ut convincens eos Veritas dicat, Ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum et hominem in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ inflixistis[1], agnoscitis latus quod pupugistis : quoniam et per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei ; *discedite a me in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Sed illorum mors proficiat ad nostram salutem. Si illi contempserunt, nos timeamus eum qui sic venturus est judicare. Festinet unusquisque cum vivit, ut vivat ; currat, ut ejus pretioso sanguine redimatur : ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum. Hic, hic dum vivitur, melior eligatur locus. Hic est tempus fidei. Cæterum, *In inferno*, ait propheta, *quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? Qui vult semper vivere, et non timere mortem, teneat vitam, ut mors superetur a vita. Qui non vult timere justum judicem judicantem, ipsum nunc sibi adhibeat defensorem.

CAPUT IX. — 18. *De Spiritu sancto. Adversus Arianos dicentes Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum sanctum multo inferiorem. Refelluntur adhuc Ariani.* Credimus et in Spiritum sanctum. Spiritum sanctum Deum credimus æqualem Patri et Filio, quia simul est et in Patre et in Filio. Quomodo est in Patre? Filium audi : *Spiritus*, inquit, *qui procedit a Patre, ipse introducet vos in omnem veritatem* (*Joan.* XV, 26, *et* XVI, 13). Quomodo est in Filio? Ipse Filius post resurrectionem mittens discipulos suos prædicare Evangelium, insufflavit in faciem ipsorum, et ait illis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Id.* XX, 22). Quomodo est Spiritus Patris? Ipse Dominus in Evangelio : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 20). Quomodo est et Spiritus Filii? Apostolus dicit : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9). Quomodo idem ipse Spiritus Patris et Filii procedens a Patre et Filio attestatur Filium suscepisse carnem? Joannes evangelista dicit : *Spiritus*, inquit, *nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* VII, 39). Quando autem clarificatus est Filius, ipse dicit : *Aperti sunt*, ait, *cœli, et descendit super baptizatum Jesum Spiritus sanctus in specie columbæ, vox que facta est dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui* (*Matth.* III, 16 *et* 17).

19. Hæc tu, hæretice ariane, cum audis vel legis, Filium clarificatum, Spiritum sanctum in specie columbæ de cœlis esse transmissum : hac auctoritate carnalis tua cogitatio, et phantasia spiritus mali qui operatur in filiis diffidentiæ, Patrem inducit majorem, quia visus non est ; Filium minorem, quia visus est in homine ; Spiritum sanctum Filio multo inferiorem, quia in specie apparuit columbæ. Dicis enim tibi, et perverse ratiocinaris : Quantum distat visibilis ab invisibili, tantum distat Filius a Patre ; et quantum distat species hominis ab specie columbæ, tantum distat honor Filii ab honore Spiritus sancti. Hæc cogitans illi proximus es præcipitio erroris[1]. Neque enim defuerunt qui hoc sentirent de anima humana, quod tu vis asserere de substantia divina. Introduxerunt enim quidam, pro meritis animas dari corporibus, et esse revolutiones et circulos. Propheta David divina voce disrumpens, *In circuitu*, inquit, *impii ambulant*. Qui talia credunt vel prædicant, impii sunt. Et tanquam ei Deus diceret, Quid tu de propagine hominum sentis? secutus adjunxit, *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum* (*Psal.* XI, 9). Sed hæc alia quæstio est, in qua nunc non opus est diutius immorari. Verumtamen quia de specie hominis et columbæ nostra tecum, hæretice, est disceptatio : in hoc enim Filium ampliorem esse Spiritu sancto dicis, quia pro dignitate gradus sui, sicut multum distat inter naturam hominis et columbæ, tantam distantiam vis esse Filii et Spiritus sancti : possem quidem tibi respondere, quia innocentiam quam habet columba, non habet homo : sed non dico ; de illo enim homine agimus qui venit sine peccato. Sed si hoc te movet, quia Filius hominem suscepit, Spiritus in columba apparuit ; movere te et hoc debet, quia et ipse homo a Filio Dei susceptus a Scriptura divina dictus est agnus. Nam et Joannes Baptista dicit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29). Et Isaias propheta dicit : *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). Et Joannes apostolus in Apocalypsi dicit : *Vidi Agnum stantem quasi occisum* (*Apoc.* V, 6). Dic mihi, si valueris tu exponere, quare sit dictus agnus Filius Dei : exponam tibi et ego columbæ speciem Spiritus sancti. Si mihi dixeris, Agnus Filius Dei propter innocentiam : hoc et ego tibi de Spiritu sancto referam, Ideo columba Spiritus sanctus propter innocentiam. Si Christus agnus propter innocentiam, et Spiritus sanctus columba propter innocentiam : *custodi et tu innocentiam, et vide æquitatem* (*Psal.* XXXVI, 37). Vides æquitatem, si Patris et Filii et Spiritus sancti intelligis unitatem.

20. Sed adhuc vanas tuas machinas diversasque

[1] Er. et Mss., *inflixistis*.

[1] Mss., *Hæc cogitans ille, proximus est præcipitio erroris*.

comparationes de Patris et Filii et Spiritus sancti substantia, catholica doctrina suffodiat; ut ædificium tuum, quod super arenam non super petram ædificas, flatu ventorum, divinorum scilicet eloquiorum, et pluvia gratiæ descendente subvertat, subversumque fiat ruina magna. Quamvis nos invisibilem totam Trinitatem noverimus, credamus, teneamus: dic tu nobis, hæretice, quis sit ille qui apparuit Moysi in flamma ignis in monte Sina, cujus posteriora vidit Moyses ipso se Domino demonstrante. Nam cum ille quæreret faciem Dei videre, dicens, *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi faciem tuam*; hoc ei Dominus respondit: *Ascende in Horeb, et sta super petram, et transiet claritas mea ante te, et posteriora mea videbis, facies autem mea non videbitur tibi* (*Exod.* XXXIII, 13-23). Quis est iste qui ducatum præbuit filiis Israel exeuntibus de Ægypto? *Deus*, ait liber Exodi, *præibat illos, die quidem in columna nubis, nocte autem in columna ignis* (*Id.* XIII, 21). Quis est iste? Pater est, an Filius? Si dixeris, Pater est: visus est ergo et Pater in aliqua specie. Non autem audes dicere, Filius est: ne rursus ipsius testimonio Moysi obruaris, *Tu es Deus solus, et alium non novimus absque te* (*Deut.* XXXII, 39). Ergo Deo Patri assignabis quod apparuit in columna ignis vel nubis. Si Deo Patri hoc assignabis, redi modo ad illam ratiocinationem tuam, et dic mihi quæ sit melior natura, ignis, nubis, aut hominis. Et si dixeris, ignis, vel, nubis, irrideris non solum ab hominibus, qui certa ratione sunt præditi, non qui vestra vana seductione decepti; sed etiam ab ipsis pecoribus, quibus etsi non est rationalis intellectus, inest tamen naturalis sensus, qui non est attributus igni vel nubibus. Si autem dixeris, Hominis est melior: Filius a te demonstratur Patre major; quia Filius apparuit in homine, Pater apparuit in igne. Hoc, Ariani, secundum vos dictum sit: secundum rectam autem veramque doctrinam, quemadmodum non est Filius Patre major, quia Filius apparuit in homine, Pater in igne; sic non est Spiritus sanctus minor Filio, quia in specie apparuit columbæ. Divina illa substantia Trinitatis manens in se ipsa sicuti est, ut innovaret perdita, nostramque restauraret ruinam, pro captu hominum, et pro congruentia cujuslibet rei se visibiliter demonstravit [1]; unitatem, æqualitatemque suam non amisit. In igne Deus, sed non est ignis: in homine Filius, sed non hoc solum quod videbatur erat, erat et quod latebat. Nam si totum quod videbatur erat, quid est quod dicebat discipulis suis: *Qui me diligit, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo me ipsum illi* (*Joan.* XIV, 21)? Quid manifestaturus erat, si totum quod videbatur erat? Ergo erat et quod latebat. Ita et Spiritus in columba apparuit, sed non columba erat Spiritus.

21. Totum hoc, homo, factum est propter te. Noli injuriam facere illi qui fecit te, ut consequaris ab illo, quod in isto sancto Symbolo sequitur:

CAPUT X. — *De remissione peccatorum.* Remissionem omnium peccatorum. Noli minorem prædicare eum qui te perducit ad regnum cœlorum in remissione peccatorum. Sine ista fide si quis ad Baptismum accedit, ipse contra se januam indulgentiæ claudit. Nec propter aliud, dilectissimi, factum est ut et Pater mitteret Filium, et ipse Filius susciperet hominem sanandum, et Spiritus sanctus hoc effunderet donum, nisi ut nostræ animæ eruerentur a sarcinis peccatorum. Totum quidem hominem suscepit ille curandum; sed ampliorem curam demonstravit adhibendam esse animæ quam corpori. Namque cum ipse Salvator inter cætera miracula quæ præsens faciebat, paralyticum antiqua valetudine oppressum videret, prius ejus animam censuit esse sanandam, tunc demum etiam ejus corpori dignatus est donare salutem. *Fili*, inquit, *confide, quoniam remissa sunt tibi peccata tua.* Magna salus non est contemnenda. Hanc appetere debet, quisquis interius et exterius salvus esse desiderat. *Mundate*, ait ipse Dominus, *quæ intus sunt, et quæ foris sunt, munda erunt* (*Matth.* XXV, 26). Veruntamen intentio illa perversa Judæorum, qui non fideliter sequebantur Christum, sed ad hoc eum frequentabant, quia et dolosi dolos insidias præparabant, quando audierunt Dominum paralytico dicentem, *Dimissa sunt tibi peccata tua*: continuo susurratio illa cogitationis pessimæ, illa eos audiebat qui corda inspiciebat, *Quis est iste*, inquiunt, *qui peccata dimittit? Blasphemat: nemo enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Ille autem ut eis demonstraret se esse Deum, eorumque nequitiam ostenderet, ac suam demonstraret potentiam, ait illis: *Quid cogitatis nequam* [1] *in cordibus vestris? Quid est amplius dicere, Dimissa sunt tua tibi peccata; aut dicere, Surge et ambula? Ut noveritis autem quia habet potestatem Filius hominis in terra dimittendi peccata* (ait paralytico): *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Et statim surrexit, et tulit grabatum suum, et abiit (*Id.* IX, 2-7). O quam melius illi esset, si post acceptam remissionem peccatorum, non de lecto ad peccandum iterum surgeret, sed de sepulcro ad veram vitam liber securusque surgeret! Non enim vacat, dilectissimi, quod ei dictum est, *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Sic enim Dominus eum curari interius volebat, ut jam ulterius non laboraret [2]. *Tolle* autem *grabatum tuum*, quid est, nisi, porta rursus sarcinam delictorum tuorum? Non erunt scapulæ tuæ liberæ, portabis quod te premat, curvus eris sub onere, caput jam liberum iterum gravabitur servitute. *Omnis enim*, ait Dominus, *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Si post remissionem peccatorum ille paralyticus ex hac vita migraret, plenam acciperet libertatem. Quod autem hic vivere postea permissus est, etsi non peccavit, quod credere difficile est; multum periclitatus est: quia tota hæc vita tentatio est (*Job* VII, 1). Quisquis itaque, dilectissimi, fideliter credit, et hanc professionem fidei suæ, in qua remittuntur omnia peccata, indubitanter tenet atque amplectitur, præparet voluntatem suam voluntati Dei: ut si eum post Baptismum dignatus fuerit in hac vita aliquantulum detinere, iste non quiescat orare ac dicere, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* (*Psal.* XXVI, 9, 10). Si autem dignatus fuerit liberum atque ab omni fæce peccati mundatum ad se evocare, incunctanter ac sine tristitia pergat ad eum, cum quo et per quem incipiat et ipse regnare; nec vehiculum mortis timeat, in quo prior ascendit ipse qui vocat. Sicut enim ipsum resurgendo perduxit ad Patrem, ita et te illi per resurrectionem repræsentavit. Quia ut te invitaret ad cœlum, ad terram descendit, sed non deseruit cœlum.

CAPUT XI. — 22. *De carnis resurrectione.* In carnis resurrectionem. Resurrecturam esse omnem carnem, rationalem scilicet creaturam, fideliter teneamus. Hæc est summa fidei nostræ, quæ separat ab infidelibus. Neque enim de pecudibus vel cæteris animantibus, quibus non est attributa imago Creatoris, fas est nobis disputare. Ista enim omnia ad usus nostros creata esse cognoscimus. Legat quis quid Deus dixit homini, quando eum formavit atque benedixit, et inveniet ita scriptum in libro Geneseos: *Fecit Deus hominem, ad imaginem suam fecit illum; masculum et feminam fecit eos, et benedixit eis dicens: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus; et habete potestatem piscium maris, pecorum terræ, volatilium cœli* (*Gen.* I, 27, 28). Ista ergo omnia propter usus nostræ infirmitatis, ut dixi, creata sunt. Sed quemadmodum non nobiscum resurgit nostra corruptio, neque infirmitas; ita nec ea quæ sunt necessa-

[1] In Mss., *et pro congruentia sui cujusque rei se invisibiliter demonstravit.* Erasmiana quoque editio habet, *invisibiliter demonstravit.*

[1] Ita Mss. At editi: *Quid cogitatis malum?*
[2] Sic Mss. Editi vero, *curari exterius volebat, ut jam interius non laborabat.*

ria nunc nostræ infirmitati. Quoniam futura sint nostra corpora, Paulus dicit apostolus: *Seminatur, inquit, in corruptione, resurget in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur in contumelia, surget in gloria; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (I *Cor.* XV, 42-44). Incorruptio hæc, virtus, et gloria, et spiritus vivificans, faciet nos, sicut ipse Dominus promittere dignatus est, æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30); ut vivamus cum ipsis in æterna vita, in una immortalitate ac sempiterna patria. In qua patria vita nostra æterna ipse Christus erit: *Ipse enim est verus Deus et vita æterna* (I *Joan.* V, 20).

CAPUT XII. — 23. *De vita æterna.* Hoc sequitur etiam in isto sancto Symbolo, quod post resurrectionem carnis credamus. Et in vitam æternam. Non nostri jam dominabitur corruptio, immortaliter viventibus, et cum ipsa æterna vita manentibus. Neque enim indigebimus illic vestimento, ubi erimus immortalitate vestiti: nec cibus nobis deerit, quando ipse panis vivus, qui propter nos de cœlo ad terras usque descendit, sui præsentia nostras animas satiabit: nec potus nobis deerit, præsente fonte vitæ. Saturabit enim nos ab ubertate domus suæ, et torrente deliciarum suarum corda nostra rigabit. Æstus illic non patiemur: illic est enim refrigerium nostrum, qui nos sub umbra alarum suarum protexit et protegit (*Psal.* XXXV, 8-10). Frigus illic non patiemur: est enim ibi sol justitiæ; qui suo amore calefaciens corda nostra, radiis divinitatis suæ illuminat oculos nostros, ut videant divinitatem æqualitatemque Patris et Filii et Spiritus sancti. Non ibi fatigabimur: nobiscum enim erit virtus nostra, cui nunc dicimus, *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psal.* XVII, 2). Non ibi dormiemus: non enim sunt ibi tenebræ, quæ excludere possint permanentem diem. Nulla ibi erit negotiatio, nulla servitus, nullum opus. Et quid illic acturi sumus? Fortasse illud quod Scriptum est: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11). Vacuitas ista contemplationis, erit opus nostræ actionis; ut contemplantes delectemur, et delectabiliter contemplemur videre. Quid videre? *Bona Domini* (*Psal.* XXVI, 13). Quæ bona? Possumus exprimere illud quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II, 9)? Possumus explicare quomodo *erit Deus omnia in omnibus?* Possumus explicare quomodo ipse Filius *cum tradiderit regnum Deo et Patri* (*Id.* XV, 28, 24), id est, sanctam congregationem fidelium, ita illum hominem susceptum ampliusque clarificatum non dimittat, ut tamen claritatem quam habet cum Patre antequam mundus fieret, ipsis jam fidelibus demonstrare non differat? Possumus explicare quemadmodum sponsa Ecclesia, quæ ex viris et feminis constat, omnis convertatur in virum perfectum, atque ita dignitatem virilem accipiat, ut tamen sponsæ nomen non perdat? Possumus explicare sanctorum corpora resuscitata, ex qua gloria in quam gloriam transeant? Possumus explicare quo Christum sequantur virgines, quo eum sequi nequeant non virgines, atque illas nescio quo ubique manens [1] secum ducat, nec tamen eas quæ non sunt virgines deserat? Quis audet de his rebus positus in hac mortali carne quæ aggravat animam (*Sap.* IX, 15), aliquid dicere: cum Paulus apostolus hoc non valuit explicare, qui in isto positus corpore usque in tertium cœlum gratia operante valuit ascendere (II *Cor.* XII)? Non simus curiosi ad investigandum quod Apostoli exprimere minime potuerunt. Certe ex me nemo scire quærat quod me nescire scio, nisi forte ut nescire discat quod sciri non posse sciendum est. Sed per fidem et patientiam et sanctam matrem Ecclesiam speremus nos accipere, quidquid magnis et pusillis dignatus fuerit ille donare.

CAPUT XIII. — 24. *Ecclesiæ catholicæ filios jubet cavere ab Arianis.* Sancta Ecclesia, in qua omnis hujus sacramenti terminatur auctoritas, mater et virgo, corpore casta, prole fecunda, sponsa Christi superius declarata, pie nutrit filios quos Deo Patri dignos assignare contendit. Filii boni amate tantam matrem, filii boni nolite deserere quotidie vos requirentem: rependite vicem, amate amantem. Tanta est, talis est, nobilis est, regia prole fecunda est. Non eam patiamini aut filiorum malorum, aut pessimorum servorum injuriis atque insidiis macerari: agite causas matris vestræ, exserite ejus amplissimam dignitatem. Servus malus non insultet dominæ; hæreticus arianus non insultet Ecclesiæ. Lupus est, agnoscite: serpens est, ejus capita conquassate. Blanditur, sed fallit: multa promittit, sed decipit. Venite, inquit, defendam: si necessitas est, pascam; si nuditas, vestiam: dabo pecuniam, statuam quid per singulos dies quisque accipiat. O lupe male! o serpens inique! o serve nequissime! dominam calcas, veram matrem impugnas, Christum exsufflas, catholicum rebaptizas; et quod est pessimum artis tuæ, alios potentia premis ut perdas, alios pecunia comparas quos occidas. Ergone, hæretice, ad hoc vestis nudum, ut exspolies intus Christo vestitum? Ad hoc pascis esurientem, ut animæ auferas cibum cœlestem? Ad hoc das pecuniam, ut sic tibi isti vendant Christum rebaptizandum, quemadmodum Judas Judæis Christum crucifigendum? *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20). Pejora, hæretice, facis quam quæ fecit Judæus. Ecce enim Judæus etsi præmio comparavit Christum occidendum, semel latus in cruce pendentis pupugit, sed totum ejus corpus integrum reservavit: tu vero ad hoc eum quotidie comparas pecunia, ut sedentis in cœlo diversa laceres membra. Vos autem, dilectissimi, qui ab initio uberibus sanctæ matris Ecclesiæ nutriti, usque ad solidum cibum estis ab ea perducti, manete in ea. Si quis eius vel disciplinam vel quamlibet admonitionem aspere tulit, et iratus abscessit, agnoscat matrem, redeat ad eam libenter: et hæc suscipit quæ requirit; gaudebitque filium perditum fuisse conversum. Sed licet multum gaudeat filium perditum fuisse conversum, stabilitatis dignitatem non quiescit prædicare secum permanentium filiorum.

[1] In Mss., *ubi manens.*

DE SYMBOLO

AD CATECHUMENOS SERMO ALIUS (*a*).

CAPUT PRIMUM. — 1. *Pompæ diaboli, quibus renuntiant baptizandi.* Sacramentum Symboli quod accepistis, et memoriter reddidistis pro vestra salute retinete, noveritis hoc esse fidei catholicæ fundamentum, super quod ædificium surrexit Ecclesiæ, constructum manibus Apostolorum et Prophetarum. Ædificium enim domus Dei, lapides sunt vivi: quod estis vos. Ita enim credentibus scribit Apostolus: *Nescitis,* inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? Sed et apostolus Petrus adloquens fideles, *Vos,* inquit, *tanquam lapides vivi ædificamini in domum spiritualem* (I *Petr.* II, 5). Quisquis huic ædificio conjungi desiderat, renuntiet diabolo, pompis et angelis ejus. Pompæ diaboli sunt quæcumque illicita desideria, quæ turpant, non quæ exornant animam; ut sunt desideria carnis, desideria

(*a*) In [illegible]

oculorum, ambitiones sæculi. Ad concupiscentiam carnis pertinent illecebræ voluptatum; ad concupiscentiam oculorum, curiositas spectaculorum; ad ambitionem sæculi, insana superbia, ubi est fumus inflatus, ut homo positus in aliqua potestate, hominem se esse non agnoscat, cum de homine judicat. Qui ergo vult mundum vincere, tria ista vincat quæ sunt in mundo; et per hæc illum vincit etiam, qui suadendo per superbiam decepit mundum.

CAPUT II. — 2. *Cultus idolorum reprehenditur.* Postquam autem homo renuntiando diabolo excludit pessimum invasorem, introducat optimum possessorem; credat in Deum Patrem omnipotentem, etc. Magnum donum gratiæ, credere et intelligere Deum. Sed quid propheta dicit? *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9). Credamus ergo, ut intelligamus, sed oremus, ut mereamur videre quod credimus. Peccata enim, et auctor peccati diabolus separavit animam a Deo: et dum creatura secuta est seductorem, suum deseruit salvatorem; facta est ruina magna: et erravit anima, ut pro vero Deo coleret idola, et adoraret ipsa quæ fecit, deserendo illum a quo facta est. Adorando enim lapidem nullam habentem vitam, ipsa perit, deserendo Deum qui est ejus vera et æterna vita. Hinc error omnis, et desertio bonorum: hinc cultus Paganorum, et perversitas hæreticorum. Et erraverunt animæ per diversas voluntates et perversas, ut alii colerent solem, alii lunam et stellas, alii montes, alii lapides et quæque virgulta, ut sibi quisque credidit invenisse, non adjutorem Deum, sed deceptorem diabolum: atque ita per diversa anima erravit a Creatore suo, ut omne quod ei dederat Deus ad servitium, hoc illa coleret ut Deum. Nonne omnia propter hominem creata sunt? Legat quis Scripturas sanctas, et inveniet Deum dixisse homini, quem de limo terræ formavit: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus; et habete potestatem piscium maris, et avium cœli, et pecorum terræ.* Et paulo post: *Ecce*, inquit, *dedi vobis omnia in usum et ad escam* (*Gen.* I, 28, 29). Eos autem qui Scripturas sanctas legere nolunt, ipsa rerum natura, ipseque mundus operibus famulatus sui incredulos sua quadam voce convincit, et animam perversam increpans dicit: Quid est, misera, quod erras in me, et degener facta oblita es a quo quanta creata sis, cui cœlum et terra tam pulchra domus nullis meritis præcedentibus constructa est? Respondent et singula quæque elementa clamantia, et ipsis suis operibus suum demonstrantia artificem. Clamat cœlum: Non sum Deus: nam si Deus essem, nulla me nubilatio obumbrare potuisset, nec tenebræ succederent luci meæ; sed lux integra, incorrupta, inviolataque mansisset, sicut manet lux illa vera quæ istam lucem temporalem creavit in me propter te. Clamat et sol: Quid me, homo, colis ut Deum, quem vides ortu occasuque concludi? Deus nec ortum habet, nec occasum: sed tu illum deserendo magnum incurristi casum. Sed consideras magnum atque mirabilem esse me: ego autem agnosco habere super me, qui et me creavit et te. Cum autem opera et splendoris et caloris mei tibi deserviant, quomodo me pro Deo colendum ducis, nisi quia verum Deum colere nescis? Ita luna et stellæ istam similem proferunt vocem: Non vides, inquiunt, o homo, spatium nos agere nocturnum, excludi luce, nec terminos transgredi constitutos, quos ad solatium quietis tuæ omnipotens artifex terminavit? Non sumus Deus: convincimus falsitatem tuam serviendo tibi ad pœnam tuam. Clamat mare, et omnia quæ in eo sunt: Non sumus Deus. Præbeo enim, ut mihi jussum est, famulatum, pervium iter carinæ suscipiens, motus congruos, flatus ventorum; dirigens gressus, ut ad portum desideratum etiam rapiente te avaritia, nulla interposita tarditate perducam. Animalia vero quæ gignuntur ex me, tibi in escam donata esse cognoscis. Cum ergo per omnia agnoscam modulum meum, tu quare deseris ordinem tuum, deserendo omnium creatorem Deum? Clamat terra: Ergone, homo, deitatis mihi nomen adscribis? Ego non agnoscis quid sum, quia oblitus es qui sis. Non agnoscis materiam tuam, non agnoscis quia limus meum est, ex me quidem formatum, sed, quod non sum ego, animatum. Non agnoscis quia inter omnia animalia quæ ex me producta sunt, tu solus sub Deo pene mundi dominus constitutus es. Merito non intelligis, quia cum esses in honore, non intellexisti: comparatus es jumentis insipientibus, et similatus es illis (*Psal.* XLVIII, 13).

CAPUT III. — 3. *Verus Deus, abjectis idolis falsis, colendus.* Nos autem, dilectissimi, quibus donatum est credere, nec solem credimus Deum vel regnum cœli; nec mare, aut nescio quem regem ejus Neptunum, quem finxit vanitas, non veritas; nec terram, et Plutonem: sed credimus in Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem, regem cœlorum. Qui enim cuncta quæ voluit de nihilo fecit, ipse regit quæ fecit. Immortales isti qui a nobis superius commemorati sunt, ideo dii non sunt, quia et comprehendi et videri hic oculis possunt: cæteros autem, quos vani vane colunt, Jovem, Saturnum, Martem, Junonem, Minervam, Venerem, et cætera portenta, non numina bona, sed nomina mala[1], homines mortales fuisse, etiam eorum litteræ clamant, qui talibus erroribus delectantur. Nostræ autem sanctæ Litteræ qualem Deum prædicent, Paulum audite apostolum: *Immortali*, inquit, *invisibili*, *incorruptibili*, *soli Deo honor et gloria* (I *Tim.* I, 17). Non videtur Deus noster oculis carnis, sed videtur oculis cordis; non videtur ad tempus, sed videtur in æternum. Sed dicit paganus: Ostende mihi quem colis. Respondeo: Ego quidem habeo etiam modo quem tibi ostendam, sed tu non habes oculos unde videas. *Beati* enim, ut Salvator noster, *mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Cor immundum et tenebris peccatorum obvolutum, Deum quærit videre? *Lux lucet in tenebris*, sed *tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). Numquid quia cæcus non videt, ideo lux non lucet? Si nosses, o infidelis, dicere Deo vero, *Illumina oculos meos* (*Psal.* XII, 4); videres nobiscum nunc per speculum in ænigmate, ut possis videre facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12). Si ex operibus intelligeres artificem, ex creatura conjiceres Creatorem. Si expavesceres in te, quia non totum capis te; agnosceres Deum qui fecit te. Non enim vides animam tuam, cum omnia videat anima tua per carnem tuam. Aut si vides animam tuam, dic mihi qualis vel quanta sit: utrum quadra, an rotunda; utrum lenis, an aspera; utrum calida, an frigida; utrum alicujus coloris, an omni colore carens. Video, deficis; ostendere animam tuam qualis sit, non potes. Ecce immortalis est anima tua, et vivificat mortalem carnem tuam. Immortalem dico animam tuam ad utrumque. Si credit, immortalis est ad vitam: si non credit, immortalis est ad pœnam. Credimus ergo Deum immortalem et invisibilem; non illum quem vos infideles deum fingitis, simul et adulterantem et tonantem: sed Deum verum, totius mundi fabricatorem atque rectorem.

CAPUT IV. — 4. *Nativitas Christi ex virgine secundum prophetiam Isaiæ. Signa in Christi nativitate. Infantes jussu Herodis occisi fiunt martyres Christi. Homo iisdem quibus perierat gradibus reparatus.* Et Filium ejus Jesum Christum: olim promissum per Prophetas. Tenemus quod jam impletum esse cognoscimus. Sed ideo etiam hoc credere jubemur, quia quando factum est, præsentes non fuimus. Aderant tunc Judæi, ex quorum gente ipse Salvator Apostolos elegit, per quos ad nos fides ista pervenit. In ipsa autem gente in qua et ex qua nasci dignatus est, longe antea Isaias propheta prædixerat: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet Filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14).

[1] Juxta Er., *non nomina bona, sed nomina mala.* Juxta Lugd. et Ven., *non numina bona, sed numina mala.* in B. additur ad marginem: «Pro, *nomina*, forte legendum, *omina*.» M.

Et alio in loco, *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isai.* XI, 1) : virgam significans virginem Mariam, et florem virgæ, filium virginis Dominum Jesum Christum. Judæi antequam ista fierent, legebant, et non intelligebant : cœperunt impleri quæ promissa sunt, et non gaudebant, sed potius invidebant. Nascitur Christus ex virgine sicut flos ex virga, sine ullo composito semine. Nascitur infans parvus, rex magnus. Procedunt certa indicia, et sidus magni regis : pastoribus nuntiant Angeli, per stellam velut per novam linguam clamant cœli. Adducuntur de longinquo Magi ; veniunt, ut adorent adhuc in præsepi jacentem, sed jam in cœlo et in terra regnantem. Annuntiantibus Magis regem natum, turbatur Herodes, et ne regnum perdat vult eum occidere, in quem si crederet, et hic securus, et in illa vita sine fine regnaret. Herodes a Judæis ubi Christus nascatur inquirit. Quærunt simul, non sicut Magi adorandum, sed inventum necandum. Quid times, Herodes, quia audis regem natum? Non venit ille ut te excludat, sed ut diabolum vincat. Sed tu hæc non intelligens turbaris et sævis ; et ut perdas unum quem quæris, per tot infantum mortes magus efficeris crudelis [1]. Non te ulla pietas plangentium matrum, aut lugentium patrum funera filiorum, non mugitus [2] et gemitus revocat infantum. Necas parvulos corpore, quia te necat timor in corde ; et putas si hoc quod cupis impleveris, diu te posse vivere, cum ipsam vitam quæras occidere. Ille autem fons gratiæ, parvus et magnus, qui in præsepi jacet, thronum tuum terret ; agit per te nescientem causas suas, et a captivitate diaboli animas liberat. Suscepit filios inimicorum in numerum adoptatorum, Moriuntur parvuli pro Christo nescientes, parentes plangunt martyres morientes : ille nondum loquentes idoneos suos efficit testes. Ecce quomodo regnat, qui sic regnare venerat. Ecce jam liberat liberator, et salutem præstat salvator. Sed tu, Herodes, nesciens hoc, turbaris et sævis ; et dum contra parvulum sævis, jam illi obsequium præbes, et nescis. Ille enim rex magnus qui ad hoc venit, ut per te et per alios suos hinc congreget, tu illi prior ad regnum cœlorum tot millia candidatorum infantum innumerabilem præmittis exercitum. Hanc turbam Apocalypsis illa beati Joannis apostoli demonstrabat, dicens : *Vidi turbam multam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni tribu, stantes in conspectu Dei ; et induti erant alba veste, et palmæ fuerunt in manibus eorum* (*Apoc.* VII, 9). O magnum donum gratiæ! Quibus eorum meritis præstitum est ut sic vincerent infantes? Necdum loquuntur, et Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, et victoriæ jam efferunt palmam. Quomodo regnas, Herodes, qui sic vinceris? Parvus ille non te armatorum virorum fortium superavit manu, sed innumerabili vicit turba morientium parvulorum. Vis nosse quid infantibus quos trucidasti, præstiteris? Ideo accelerasti ad eorum vitam, ne cum suis parentibus occiderent veram Vitam : hoc illo per te agente, qui novit bene uti etiam malis tuis. Illorum animas liberavit a parentum internecionis suæ societate, et te solum inanem reliquit in scelere. Egit et agit gratia causas suas, et per inimicos suos, et per ipsos, et in ipsis : nam et ipsi qui moriebantur, natura filii iræ erant, sicut et cæteri (*Ephes.* II, 3) ; sed quid eis præstitit gratia, nisi ut erueret eos de potestate tenebrarum (*Coloss.* I, 13)? Præstitit eis Christus ut pro Christo morerentur, præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo eos mors reddidit vitæ. Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino Jesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus : per feminam mors, per feminam vita ; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem ; hæc integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi : hæc gratia cœlesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi virginis filius et virginum sponsus? qui attulit matri fecunditatem, sed non abstulit integritatem. Quod contulit matri suæ, hoc donavit et sponsæ suæ. Denique sancta Ecclesia quæ illi integro integra conjuncta est, quotidie parit membra ejus, et virgo est.

CAPUT V. — 5. *De Christi passione. Antidotum ex Christi sanguine.* Crucifixum sub Pontio Pilato, et sepultum. Et hoc credimus, et ita credimus, ut inde gloriemur. *Mihi enim,* ait doctor Gentium, apostolus Paulus, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Et nos in hoc gloriemur, in hunc speremus, illi hæreamus. *Simul* enim *vetus homo noster cum illo crucifixus est cruci* (*Rom.* VI, 6). Nisi enim crucifigeretur ille, mundus non redimeretur. Pœna illa, salus est nostra. Quod Judæus et Gentilis detestatur, Christianus inde salvatur. Sed quare Judæus detestatur? Quia, sicut Apostolus dicit, *illorum delicto salus est Gentibus* (*Id.* XI, 11). Quod delictum commiserunt Judæi? Christum tenuerunt, vinctum Pilato tradiderunt, clamaverunt : *Crucifige, crucifige.* Quare? quam ob causam? Quoniam suscitavit mortuum. Audit Pilatus, invenit innocentem, videt populum sævientem, excusat et dicit : *Ego in isto non invenio causam ; accipite eum vos, et crucifigite.* Quando dicebat Pilatus, *Ego in isto non invenio causam, accipite eum vos ;* quid aliud dicebat, quam hoc : Ad judicem quasi cum reo venistis, sed innocentem legibus tradidistis, in quem nullum crimen probare valuistis. Non ero justus, si secundum desiderium vestrum, innocentem occidero ; ero ab hoc facto, a vestra seditione alienus, si vobis eum tradidero. *Accipite eum,* inquit, *vos, et secundum legem vestram crucifigite.* Et illi : *Nos scimus*, inquiunt, *quia reus est mortis.* Quid scit cæcus corde, non corpore? Clamat quod nescit, et ut impleat quod sævit, dicit se scire quod nescit. Iterum Pilatus audit Jesum ; et responsis ejus in metum missus, consilium invenit quomodo eum dimitteret. Egressus ad Judæos dixit : *Est consuetudo ut dimittam vobis unum in pascha ; vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?* Clamaverunt et dixerunt : *Noli ipsum dimittere, sed Barabbam* (*Joan.* XVIII, 30, XIX, 15). Fuit autem Barabbas, ut Evangelista narrat, insignis latro. O cæcitas Judæorum! o furia phreneticorum! *Noli ipsum dimittere, sed Barabbam :* quid fuit aliud dicere, quam, Occidatur Christus salvator, quia suscitavit mortuum ; dimittatur latro, ut iterum perpetret homicidium? Sed clamate : quid clamatis nescientes? Occidatur a vobis Christus, et redimantur gentes. Medicus autem ille animarum qui vos videbat phrenesi laborare somnum salutis ingerebat : et ideo etiam ipse pro nobis dormire volebat. Tanquam diceret : Medicus sum, infirmi estis ; infirmitas vestra magna refugit somnum salutis. Ecce dormio ego propter vos ; ut me viso, dormire delectet et vos, et a perpetua morte liberem vos. Sed illis et de illis hoc dicebat, quos credituros in se postmodum noverat ; et pro quibus pendens Patrem rogabat, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Inter eos erat et ille phreneticus, prius Saulus, postea Paulus ; prius superbus, postea humilis : et ipse phrenesi laborabat, somnum salutis repudiabat. Sed quid ei fecit medicus? Prostravit sævientem, erexit credentem ; prostravit persecutorem, erexit prædicatorem (*Act.* IX). Prostratus ad terram dormivit phreneticus : surrexit, et factus est medicus. Cœpit in aliis curare morbum quo ipse laborabat, et effectus discipulus cœlestis archiatri, antidotum bibit confectum ex sanguine medici : prior ipse bibit, et bibendum amatoribus propinavit. Hoc antidotum ex sanguine crucifixi confectum, etiam ipsi reges terræ biberunt : et

[1] Juxta Fr. Lug. et Ven., *magnus efficeris crudelis.* In B. notatur ad marginem : « Pro, *magus*, forte legendum, *magis.* » M.

[2] [illegible] forte hic legendum, *vagitus*, quæ vox [illegible] pueris melius congruit. M.

qui erant Ecclesiæ persecutores, ejus facti sunt defensores.

CAPUT VI. — *De sepultura ejus. Resurrectio quomodo tertia die.* Sepulturam vero hujus crucifixi sanctum indicat Evangelium: quod susceptus sit a Joseph, obvolutusque linteaminibus, cum aromatibus positus sit in monumento novo. Homo enim novus sine ulla corruptione ex virgine procreatus, in monumento novo positus est, in quo nondum positus erat mortuus: ut sanctitas virginalis uteri in omnibus ornaretur ex convenientia inviolabilis sepulcri (*Joan.* XIX, 38-42).

6. Tertia die a mortuis resurrexit. Quamvis multi sancti multa hinc senserint atque dixerint. Nam quidam volentes tres dies et tres noctes usque in diem dominicum exprimere, a nocte præcedente sextæ feriæ, et ipsam sextam feriam concluserunt in unum diem, et noctem sabbati et sabbatum, et noctem dominici diei et ipsum diem resurrectionis. Alii autem ab ipsa sexta feria, et nocte quæ media die facta est, voluerunt tres dies et tres noctes usque in diem dominicum exponere, propter illam sententiam Domini in Evangelio positam: *Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita oportet esse Filium hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 40). Sed nos neutram eorum vacuantes sententiam, melius tamen, si placet, in his spiritualem requiramus intellectum, quomodo Filius hominis fuerit in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus: tres dies tria tempora sæculi ponentes, ante Legem, sub Lege, sub Gratia; et tres noctes tres mortes, id est, tres mortuos quos suscitavit Dominus præsens in carne, filiam archisynagogi in domo (*Id.* IX, 18-25), filium viduæ foris portam [1] (*Luc.* VII, 12-15), et Lazarum quatriduanum de sepulcro (*Joan.* XI, 14-44). Unde enim mors, nisi per peccatum? et quid sunt peccata, nisi magnæ tenebræ quæ faciunt gravem noctem? Ita ergo sibi conveniunt, ut unus dies sit ante Legem, quando peccatum latebat: et huic accedit nox illa, quod puella mortua in domo jacebat, tanquam peccatum intra conscientiam latebat. Secundus dies sit sub Lege, quando dictum est homini, *Non concupisces* (*Exod.* XX, 17); et peccatum processit ad publicum: et huic accedit nox illa, quod filius viduæ foris portam, tanquam peccatum animæ quod intus latebat, processit ad publicum. Tertius dies sit sub Gratia, quando jam plus peccat anima, quia scit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis (*Luc.* XII, 47), et sub tanta plenitudine gratiæ, merito peccatorum jam putet: et huic accedit nox illa mortis Lazari in sepulcro jacentis, tanquam animæ peccatis obrutæ et fetentis. In his tribus diebus et noctibus fuit Christus in corde terræ; hoc est, jacuit fides Christi in cordibus eorum qui habitant in terra. Habent ergo animæ in his diebus et noctibus et præcepta legis et voces pœnitentiæ, ut resurgere possint cum Christo. Ad diem et noctem latentis peccati, lex illa est generalis, *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris* (*Tob.* IV, 16). Et vox pœnitentiæ ejus est, *Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memor fueris* (*Psal.* XXIV, 7). Ad sequentem diem manifestati peccati, lex illa est, *Non concupisces* (*Exod.* XX, 17). Et vox pœnitentiæ ejus est, *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* L, 6). Ad tertium diem et noctem jam sepultæ animæ consuetudine peccati, lex illa est, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare* (*Joan.* V, 14). Et vox pœnitentiæ ejus est, *Domine, libera animam meam de morte* (*Psal.* CXIV, 4); et, *Eduxisti ab inferis animam meam* (*Psal.* XXIX, 4). Per tria ista tempora veluti per tres dies resurgunt animæ cum Christo, quibus dicitur per prophetam, *Resurgent mortui, et excitabuntur qui in monumentis sunt, et exsultabunt omnes qui sunt super terram* (*Isai.* XXVI, 19). Et quibus per Apostolum dicitur, *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Et jam resurgentibus, hoc est, a peccatis liberatis dicit, *Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens* (*Coloss.* III, 1): quia Dominus Jesus resurgens a mortuis, assumptus est in cœlos et sedet ad dexteram Dei Patris.

CAPUT VII. — 7. *Christus ut homo, sedet ad dexteram Patris, ut Deus, ubique est.* Quis est qui sedet ad dexteram Patris? Homo Christus. Nam in quantum Deus, semper cum Patre et ex Patre, et quando ad nos processit, a Patre non recessit. Hoc est enim esse Deum, ubique esse totum. Totus ergo Filius apud Patrem, totus in cœlo, totus in terra, totus in utero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso quo latronem introduxit. Non per diversa tempora vel loca dicimus ubique esse totum, ut modo ibi totus sit, et alio tempore alibi totus: sed ut semper ubique sit totus. Si enim Deus hoc præstitit huic luci quæ videtur nostris aspectibus, ut simul tota ubique sit: neque enim quando hic est, in Oriente vel in aliis partibus terrarum non est; sed ubique tota est, et in omnibus tota est, et omnium oculos satiat, et ipsa integra perseverat: si hoc potest creatura, quanto amplius ipse Creator? Sed hoc quod Filius dicitur sedere ad dexteram Patris, demonstratur quod ipse homo quem suscepit Christus, potestatem acceperit judicantis.

CAPUT VIII. — 8. *Adventus Christi ad judicium qualis.* Inde enim venturus est judicare vivos et mortuos. Adventum ejus liber indicat Actuum Apostolorum. Postea enim quam a mortuis resurrexit, conversatus est cum discipulis suis quadraginta diebus et quadraginta noctibus, intrans et exiens, manducans et bibens, non quod haberet infirmitatem, sed ut doceret veritatem. Quadragesimo die, ipsis videntibus et quodam modo in cœlum oculis deducentibus, astiterunt illis duo viri in veste alba, qui dixerunt eis: *Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Iste Jesus qui assumptus est in cœlum a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 3-11). Veniet ergo, fratres mei, veniet: ille qui prius venit occultus, veniet in potestate manifestus; ille qui judicatus est, veniet judicaturus; ille qui stetit ante hominem, judicaturus est omnem hominem. *Deus manifestus veniet.* Quid est, *Deus manifestus veniet?* Non sicut prius, homo humilis; sed sicut Deus homo, majestate sublimis. *Et judicabit* (*Psal.* XLIX, 3). Quomodo judicabit? Non enim ut judex terrenus quæsiturus est testes ut te convincat, aut veritatem per tormenta requisiturus ut confessum puniat; cum judex sedeat ipsa justitia, et testis sibi sit ipsa mala conscientia. Ille judex, dilectissimi, nec gratia prævenitur, nec misericordia jam flectitur; nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur. Hic, hic, dum tempus est, quidquid potest anima agat pro se, ubi locus est misericordiæ: nam ibi quid pro se agat non habebit, quia justitiæ solius locus erit. Hic agat anima pœnitentiam, ut ille possit mutare sententiam: hic det panem, ut accipiat postmodum salutem; hic faciat misericordiam, ut ibi inveniat indulgentiam.

CAPUT IX. — 9. *Tres personas esse unum Deum.* Credimus et in Spiritum sanctum. Spiritum sanctum Deum dicimus, nec tamen dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres deos, sed unum; quia una est æternitas, una majestas, una potestas. Pater non est Filius, sed Pater est Filii; Filius non est Pater, sed Filius est Patris; Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed Spiritus est Patris et Filii: tres personæ, sed unus Deus. Quomodo, inquis, tres nominas, et unum dicis? Ostende hoc aut ratione, aut aliqua similitudine, per quam intelligi possit quidnam illud sit. Quæ ratio, aut quæ similitudo illi rei invisibili comparari potest? Det tamen veniam ejus majestas, quia aliquam similitudinem quæ occurrit ex ejus creatura ponit nostra infirmitas, per quam intelligere possit vestra Charitas. Nisi enim ille permitteret, quis nostrum de ejus divinitate loqui auderet? Non vacat quod omnis creatura subjecta sit Creatori:

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *foris in porta.* M.

in nulla tamen alia specie voluit apparere Deus noster quam in igne. Nam et sancto Moysi in rubo in flamma apparuit (*Exod.* III, 2), et filiis Israel ducatum in columna ignis praebuit (*Id.* XIII, 21), et super discipulos congregatos donum Spiritus sancti in linguis igneis effudit (*Act.* II, 3). Habet enim hoc elementum magnum sacramentum, per quod exerceat quaerentis ingenium. Ecce in igne quaedam tria conspicimus; ignem, splendorem et calorem: et cum sint tria, unum lumen est. Simul exsurgunt, simulque consistunt: nec ignis praecedit splendorem, nec splendor calorem. Et haec non confuse unum sunt, nec disjuncte tria; sed cum unum sint, tria sunt. Simul operantur, et cum inseparabiliter operantur, aliud igni tribuitur, aliud splendori, aliud calori. Nam cum ad ignem refers ustionem, ibi operatur et splendor et calor: et cum ad splendorem refers illuminationem, simul operatur et ignis et calor: et cum ad calorem refers calefactionem, simul operatur ignis et calor et splendor. Ita cum dicitur quod Deus fecerit mundum, intelligitur Pater cum Filio, et per Filium, et cum Spiritu sancto. Et cum dicimus Filium pro nobis passum, intelligimus passionem Filii operatam fuisse et Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Et cum remissio peccatorum tribuitur Spiritui sancto, intelligimus totam Trinitatem eamdem hoc donum inseparabiliter operari. Haec propter haereticos Arianos vel alios qui aliter de Deo sentiunt, sicut dignum est, dicta sunt vestrae Charitati. Quod ergo illud quod est ineffabile et incomprehensibile[1], nec verbis angelicis explicari potest, quanto magis humanis?

CAPUT X. — 10. *Baptisma peccata omnia delet.* Remissionem peccatorum. Omnia prorsus delicta delentur sancto Baptismo, et originalia et propria: dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Renovat creaturam, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quaerit merita: praevenit gratia etiam ipsorum infantium, ut sint liberi per Christum liberati, qui in Adam a diabolo tenebantur ante captivi.

CAPUT XI. — 11. *Resurrectionis fides similitudine seminis suadetur.* Carnis resurrectionem. Omnis spes fidei nostrae haec est, quoniam resuscitabimur. *Omnes quidem resurgemus*, ait Apostolus, *sed non omnes immutabimur* (I Cor. XV, 51). Resurgent boni, resurgent et mali: sed boni, ut sempiterna beatitudine fruantur; mali, ut perpetuo igne puniantur. Ibi discernentur fideles ab infidelibus, ut accipiat fides praemium et perfidia supplicii obtineat locum. Nec sibi frustra blandiantur increduli, quia videant in Psalmo, *Non resurgent impii in judicio* (*Psal.* I, 5). *In judicio* dictum est, id est, non ut judicentur resurgent, quia per infidelitatem suam jam damnati sunt, secundum illam sententiam dominicam: *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18). Apostolus autem ut tolleret de cordibus infidelium omnem dubitationem, seminantis proponit similitudinem, et ait: *Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi moriatur* (I *Cor.* XV, 36). Quod autem fiat in semine, puto neminem vestrum ignorare, quemadmodum grana triturata, purgata, recondita, proferantur, projiciantur, obruantur. Nisi enim esset messis fertilitas nota, ista crederetur insania. Attamen cum obruuntur et ab oculis dimittuntur sub terra, mortua jacent. Jam si curiositas exigat ea videre antequam pluvia descendat; videt putrefactum atque corruptum quod demiserat integrum. At si spes messis desit, dolor cor urit; perdidisse se credit quod recondi tum habuit. Cum autem pluvia advenerit, quomodo delectat respicere herbam virentem, calamum surgentem, ad nodos pervenientem, culmum producentem, spicas proferentem? Delectatne videre quod mortuum jacebat, sic revixisse? Sed non sibi assignet terra fertilitatem, quoniam *Dominus dat suavitatem* (*Psal.* LXXXIV, 13). Si enim pluvia desuper non descendat, etiam terra bona non spicas, sed profert spinas quae igni tradantur, non quae horreo recondantur. Similiter et terra nostra, hoc est caro nostra, sive hic, sive ibi, non sibi assignet merita: sed agnoscat etiam illic accepturam se gratiam pro gratia.

CAPUT XII. — 12. *Vitae aeternae felicitas verbis explicari non potest. Ecclesiae Dei inhaerendum.* In vita aeterna. Bonum omne illud, quod resuscitabimur, quod a peccatis liberabimur, sempiternum erit, et ideo bonum sempiternum erit, quia in aeterna vita manebit. Quod sit autem illud bonum quod promittit Deus sanctis suis, quis explicet verbis suis? Facilius tamen possumus dicere in illa vita aeterna quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames; nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla moestitia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit: quid autem ibi sit vultis nosse? Hoc est, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9). Si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat. Mundetur cor ab omni immunditia, ut possit portare Deum, qui est vera sempiternaque justitia. Manet enim Deus in corde credentis, et se diligentis: et manet homo in Deo, id est, in aeterna vita, quod est praemium Deum amantis.

13. Nec amare, nec diligere quis potest, qui in Ecclesia ejus non est; quoniam omnis qui praeter illam est, nec cum Deo est, qui vita aeterna est. Ideo sacramenti hujus conclusio per Ecclesiam terminatur, quia ipsa est mater fecunda, integra et casta, ubique diffusa, quae filios Deo spiritualiter parit, quae parvulos lacte verborum ejus spiritualiter nutrit, quae pueros sapientiam docet, quae adolescentes a luxuria atque impudicitia sua sancta castitate custodit, quae juvenes robore virtutis contra diabolum armat, quae senes prudentiam docet, quae seniores aetate provectos venerabiles facit. Per hanc juvenes et virgines, seniores cum junioribus, aetas omnis et uterque sexus laudant nomen Domini (*Psal.* CXLVIII, 12). Haec errantes filios revocat, mortuos graviter dolet, secum perseverantes indeficienter pascit. Hanc, dilectissimi, amemus omnes: tali matri sic amanti, sic prospicienti, sic consulenti inseparabiliter inhaereamus; ut simul cum illa et per illam Deo Patri perpetuo conjungi mereamur.

[1] In B., *quod est, ineffabile est, incomprehensibile est.* Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

DE SYMBOLO

AD CATECHUMENOS SERMO ALIUS (a).

CAPUT PRIMUM. — 1. *Catechumeni signo crucis et sacramentis variis ad Baptismum praeparantur. Renuntiationis professio.* Dum per sacratissimum crucis signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia, quae sicut et fratres vestros cum summa laetitia spiritualiter pariet, nova proles futura tantae matris, quousque per lavacrum sanctum regeneratos verae luci restituat, congruis alimentis eos quos portat pascat in utero, et ad diem partus sui laetos laeta perducat: quoniam non tenetur hac sententia Evae, quae in tristitia et gemitu parit filios (*Gen.* III, 16), nec ipsos gaudentes, sed potius flentes. Haec solvit quod illa ligaverat, ut prolem quam per inobedientiam sui morti donavit, haec per obedientiam restituat vitae. Omnia sacramenta quae acta sunt et aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, ex-

(a) In ante editis, *Liber alius*, seu *quartus*.

exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus; hæc omnia, ut dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex Baptismo hilares vos mater exhibeat Christo. Accepistis et Symbolum, protectionem parturientis contra venena serpentis. In Apocalypsi Joannis apostoli scriptum est hoc, quod staret draco in conspectu mulieris quæ paritura erat, ut cum peperisset, natum ejus comederet (*Apoc.* XII, 4). Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat. Mulierem illam virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se sanctæ Ecclesiæ demonstravit: ut quomodo filium pariens virgo permansit, ita et hæc omni tempore membra ejus pariat, virginitatem non amittat. Ipsas sententias sacratissimi Symboli adjuvante Domino exponendas suscepimus, ut quid singulæ contineant, vestris sensibus intimemus. Parata sunt corda vestra, quia exclusus est inimicus de cordibus vestris. Mundata est domus, non remaneat inanis; ne cum vacuam desertor invenerit, adducat secum alios septem nequiores se, et efficiantur *hominis illius posteriora*, ut Evangelium loquitur, *pejora prioribus* (*Luc.* XI, 26). Mox ut exclusus fuerit pessimus invasor, introducatur optimus possessor. Quis est invasor? Diabolus. Quid invasit? Hominem quem non fecit, insuper et decepit. Promisit ei immortalitatem, et propinavit iniquitatem. Huic vos renuntiare professi estis: in qua professione, non hominibus, sed Deo et Angelis ejus conscribentibus, dixistis, Renuntio. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo et veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, ne jure vos attrahat in servitutem. Deprehenderis enim et detegeris, christiane, quando aliud agis et aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem; modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis histrionibus [1] impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? Utquid claudicatis ambobus inguinibus? Si Deus est, ite post illum: si mundus est, ite post illum. Si Deus eligitur, serviatur illi secundum ipsius voluntatem: si mundus eligitur, utquid fictum cor quasi Deo accommodatur? Quisquis contempto Deo sequeris mundum, et ipse te deserit mundus. Non vis bonus implere voluntatem Dei, et de te malo impletur voluntas Dei. Sequere adhuc quantum potes fugitivum, et si potes apprehende eum, tene eum: sed video, non potes, fallis te. Ille enim labiles motus suos torrentis ictu percurrens, dum te videt inhærentem sibi et tenentem se, ad hoc te rapit, non ut salvet, sed ut perdat te. Quid tibi cum pompis diaboli, amator Christi? Noli te fallere: odit enim Deus tales, nec inter suos deputat professores, quos cernit vitæ suæ desertores. Ecce ruinosus est mundus, ecce tantis calamitatibus replevit Deus mundum, ecce amarus est mundus, et sic amatur! Quid faceremus, si dulcis esset? O munde immunde, teneri vis periens; quid faceres si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? Vultis, dilectissimi, non inhærere mundo? Eligite amare Creatorem mundi; et renuntiate pompis mundanis, quibus princeps est diabolus cum angelis suis.

CAPUT II. — 2. *Fides præcedat, ut visionis merces sequatur. Omnes mali sumus.* Credite. Sic crede, ut desideres videre quod credis. Dicit aliquis: Ecce credo et desidero videre quod credo; utinam mihi ostenderetur, ut fides mea ipsa visione lætaretur! Si nunc videres, non crederes: ideo credis, quia non vides; sed ita crede, ut videas. Fides, opus est: visio Dei, merces est. Præpostere vis accipere mercedem, qui non laborasti in opere. Nonne omni operanti penes te, recte a te merces non datur, nisi opus perficiatur? Quod agis cum servo tuo [1], hoc pete a Domino tuo. Tibi confert, quod per fidem te exercet: differendo visionem suam, commendat donum suum, non negat; ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum. Nec tamen te deserit, qui utiliter nunc visionem suam subtrahit: oculi tui eum non capiunt. Cæterum ipse te omni tempore attendit. Adhibe oculos fidei. Nonne faciem ejus respicis, cum in ejus unigenito Filio credis? Nonne manus ejus vides, cum universam creaturam attendis? Nonne os ejus audis, quando præcepta ejus recitari advertis? Orationem tuam quomodo fundis, nisi scias te ad illum pervenire, de quo dicit propheta: *Ecce oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum* (*Psal.* XXXIII, 16)? Si autem et pedes ejus quæris nosse, audi quos voluit esse pedes suos: *Quam pretiosi pedes*, inquit, *eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Isai.* LII, 7)! Conscripsimus membra: sed non in his membris humanis continetur Deus, quoniam non est in loco, sed ubique totus est. Diximus secundum modum intelligentiæ humanæ, non secundum ineffabilem virtutem majestatis divinæ. Vis nosse qualis sit? Vide facturam, et intelliges factorem; perscrutare quæ fecit, et intelliges eum qui omnia creavit. Ecce ait Deo propheta: *Cœli cœlorum non te capiunt* (II *Par.* VI, 18). Et quem non capiunt spatia cœli, capiunt angustiæ cordis humani, ipso dicente: *Inambulabo in illis, et inhabitabo* (II *Cor.* VI, 16). Et Dominus Jesus: *Qui me diligit, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum: et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 21 *et* 23). Ecce qualem te fecit Omnipotens qui te creavit. Agnosce te prius qui sis, et cognosces qui te fecit qui sit. Rex terrenus, ideo mortalis, quia visibilis: Rex cœlestis immortalis, et invisibilis. Rex terrenus cum nihil creaverit, omnia tamen in potestate accepit: et non credis Regem qui omnia creavit, quod cuncta gubernet et regat? quomodo, inquis, cuncta gubernat et regit? Ecce tanta mala fiunt in mundo, et non vindicat! O homo, ideo negas ejus potentiam, quia magnam ille exhibet patientiam? Peccantem quidem impunitum non dimittit; servat, aut pœnitendo corrigendum, aut ultimo judicio puniendum. Crede mihi, o tu quisquis es qui de malis quereris, quoniam omnes mali sumus. Si, ut vis, Deus malis statim retribueret mala, nullus remaneret qui de alio murmuraret. Sed ideo ille Rex magnus, qui novit quomodo regat quod creavit, non implet voluntates perversas, sed suam perficit rectam, ut te doceat, patientiam suam. Non tu Deum velis convertere ad furias tuas: regat te qui fecit te; nam si volueris regi a te, statim cades per te. Tamdiu primus homo ille stetit, quamdiu Deo adhæsit: dimisit, et dimissus est. Voluit probare vires suas, et invenit miserias et nostras et suas. Quam bonum illi esset, si hoc faceret quod Psalmus admonet: *Jacta in Domino curam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV, 23). Si tunc ille homo noluit esse cautus, nunc homo caveat vel expertus.

3. Confiteamur, intelligamus habere nos Regem immortalem et invisibilem: *quem nemo hominum vidit, nec videre his oculis potest* (I *Tim.* VI, 16). Apostoli hæc verba sunt.

CAPUT III. — *De visione Dei. Moyses quomodo videbat Deum.* Si nemo hominum vidit, quomodo locutus est cum Moyse os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suum? Irruit quæstio non parva. Ait enim Dominus: *Non quomodo cum aliis per ænigmata, ita loquar ad Moysen famulum meum; sed os ad os loquar illi.* Et subjunxit Scriptura quæ supra diximus: Quoniam *loquebatur Moyses cum Deo os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suum.* Si os ad os loquebatur cum eo, et videbat eum, quomodo verum est illud apostolicum, quod *Deum nemo vidit unquam, nec videre po-*

[1] Editi, *cum histrionibus.* Abest, *cum* a Mss.

[1] Plures Mss., *cum conservo tuo.*

test? Si autem videbat eum Moyses, quid est quod idem ipse post paululum pro magno petit, et dicit, *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi faciem tuam*; et Dominus illi, *Facies quidem mea non videbitur tibi : non enim videbit quis faciem meam et vivet?* Ubi est illud quod videbat? Et si videbat, cur desiderabat videre quod videbat? At quomodo illi negabatur id quod jam demonstrabatur? Exercet ingenium quærentis. Videbat Moyses Deum non oculis corporeis, sed oculis mentis. Et quia lux illa perpetua, quæ Deus est, plus eum quam cæteros illustraverat, ideo dictum est, *Os ad os loquebatur illi* : ac si diceretur, Plus omnibus manifestatus est illi. In eo autem quod dictum est, *Non enim quis poterit videre faciem meam et vivere*; ostensum est neminem his oculis corporeis Deum posse videre. Quid autem concessum sit fidelissimo famulo Dei Moysi, ne tam magnum ejus desiderium in omnibus frustraretur, debet nosse Charitas vestra. Dictum est illi a Domino, sicut eadem Scriptura narrat : *Vade, ascende super petram in Horeb, et sta ibi; et transiet claritas mea ante te, et posteriora mea videbis : facies autem mea non videbitur tibi* (*Num.* XII, 8, *et Exod.* XXXIII, 13-23). Ne forte subrepat perversus intellectus, aut hæreticus sensus, et putet quis Deum esse corporeum, vigilet pia fides et catholica doctrina. Mysticis enim figuris loquitur divina Scriptura, servans rebus tempora, quibus recognitis manifesta exerceat veritate : quoniam nec hoc vacat a mysterio, quod in monte Horeb super petram jussus est ascendere Moyses, et stare. Ipsa est illa petra, quæ percussa produxit aquas populo sitienti (*Exod.* XVII, 6) : de qua dicit sanctus David, *Disrupit petram, et fluxerunt aquæ* (*Psal.* LXXVII, 20). Apostolus autem exponens hoc ait : *Patres nostri escam spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali consequente eos petra : petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4 *et* 5) Ipsa sunt illa posteriora Dei, Christus Dei. Hoc vidit Moyses prophetando, quod Paulus exponit dicendo : *Cum venit*, inquit, *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere* (*Galat.* IV, 4). Mulierem hic ponit, consuetudinem servans locutionis hebrææ, quæ omnes feminas mulieres appellat. Nam scriptum est, *Servate mulieres quæ nondum cognoverunt virum* (*Num.* XXXI, 18) : et de ipsa Eva dictum est, *Formavit eam in mulierem* (*Gen.* II, 22); antequam illam viro conjungeret, eam mulierem appellavit.

CAPUT IV. — 4. *Christi Nativitas.* Fides autem et veritas hoc prædicat, quod Christus sit natus ex virgine. Sic accepistis, sic vos credere dixistis, Credo. Hæc nativitas Dei et hominis facta est causa hominis : ut sublimis illa Majestas procedens ex corde Patris, infunderet se in utero matris, causa exegit pietatis; ut homo inveniretur perditus, et Deo Patri per Mediatorem restitueretur inventus. Mira tamen hæc nativitas secunda, fratres dilectissimi. Cæterum illam primam qua de Patre natus est sine aliqua matre, quis enarrabit? Si hanc non possumus explicare, illam quando valemus vel inchoare? Si hæc ita nos exercet, ut fidei det locum ; illam quando attingimus, quam nec corda potuerunt comprehendere Prophetarum? De hac tamen secunda mira et ineffabili dicamus aliquid, quod factum est pro nobis, ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I, 14). Quis enim non expavescat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Alvus tumescit virginis, claustrum pudoris permanet : impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem quæ se ignorabat conjugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor præparatur, Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater et virgo, læta et intacta : nascitur filius sine homine patre, qui fecit et ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia : portatur manibus matris rector totius orbis : lambit ubera, regens sidera : tacet, et Verbum est. Nondum per linguam se demonstrabat quis esset, et universa creatura eum natum indicabat Creatorem. Angeli pastoribus annuntiant, stella Magos invitat : rusticitas pastorum admonitionem exigit Angelorum, curiositas Magorum instructa est lingua cœlorum. Magi Judæorum regem prædicant, Judæi abnegant : illi quærunt adorare, isti quærunt occidere. Dicunt Magi Herodi regi quem quærunt natum Regem : dicunt Judæi ex qua civitate Christus surgat regnare. Utrique prædicant, utrique confitentur : sed illi aliter, isti aliter; illi, ut inventus adoretur; isti, ut captus necetur. O Judæi, ad hoc ferentes in manibus lucernam Legis, ut aliis viam demonstretis, et vobis tenebras ingeratis : ecce Magi primitiæ Gentium Christo offerunt munera, non solum aurum, thus et myrrham, verum etiam animas suas ; et vos repudiat iniquitas propria, ut illum qui vos venit obligatos liberare, dementes effecti eum quæratis occidere! Quid vobis profuit, quod prodidistis Herodi, ubi Christus nasceretur? Nonne vos læsistis quam Christo aliquid nocuistis? Audiens enim ille a vobis ubi Christus natus possit inveniri, vestræ gentis infantes continuo præcepit occidi. Sævit Herodes, ut inter multos perdat unum : et plurimos necando se efficit reum, nec occidit quem quærit hominem Deum. O Herodes, magna tua iniquitas! et infantes necas, et tuæ nequitiæ testes cumulas ; et Christus a te non invenitur, quia nondum venit ejus hora ut patiatur. Teneris quidem persecutor Christi et reus mortis ejus, nihil agendo in ipso : sed dum multa agis contra ipsum, perdidisti te ipsum. Quid metuis talem Regem, qui sic venit regnare, ut te nolit excludere? Quem quæris, Rex regum est : si velles securus obtinere tuum regnum, ipsi supplicares, ut ab illo acciperes sempiternum. Regnet Christus quomodo venit regnare : suscipiat credentes, irrideat persequentes, faciat certantes, adjuvet laborantes, coronet vincentes ; donet sanctitatem, amet castitatem, remuneret virginitatem. Gaudete, virgines sanctæ, virgo peperit Christum. Non vos contristet sterilitas, quarum fides magna est fecunditas; nec doleatis non vos esse matres, quæ spiritualiter generatis, virgines permanetis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Accepistis ab illo nomen maternum, ut decus castitatis in vos permaneat sempiternum. Amate quod estis, servate quod accepistis. Imitamini fideles matrem capitis vestri, sponsi vestri : non vobis denegavit pignora, qui natus est de virgine Maria. Quod tantæ matri contulit, et in sua carne servavit, hoc etiam vobis donavit virgo mater, sancta caro Christi, ab omni contagione integra. Sed nec ipsa caro ejus sterilis fuit, dum per eam prædicando spirituales filios regeneravit ad vitam, et post passionem per totum mundum fructificavit occisa.

CAPUT V. — 5. *Passio.* Crucifixi. Ex hoc omni libertate assumpta, fiduciam sui anima capiat christiana. Non enim erubescere debet in crucifixum se credidisse Christum. Crux illa fidelibus non est opprobium, sed triumphus. Crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrum diabolum : pugnavit enim Rex noster pro nobis contra adversarium nostrum. Adversarius diabolus noster mortem minando terrebat, sed Christus æternam vitam promittebat. Adversarius diabolus carnem perempturum se esse dicebat : Rex autem noster ut doceret quomodo ejus exercitus vinceret, in se demonstravit mortem corporis non esse timendam, dum prior ipse pro omnibus dignatus est mori, ne ejus exercitus a diabolo in anima posset occidi. Hoc agebat in illo prælio diabolus, si sibi consentiretur : animas perdere cupiebat, et salutem corporibus promittebat. Christus mori docebat ad tempus, et animam et corpus vivere in æternum. Ille dicebat, Si mihi consenseritis, dabo vobis vitam istam temporalem ; Christus dicebat, Si a me non discesseritis, nec temporalem perditis, et æternalem accipietis. Diabolus dicebat, Nolite perdere istam lucem ; Christus dicebat, Ego qui feci et istam, dabo meliorem. Quod ille promittit, ait Christus noster, in potestate dare non habet, et hæc lux mea est, et hæc vita a me creata est : sed illa propter

quam docendam veni, multo excellentior et melior est. Transite a bono ad melius, ne diabolo consentiendo remaneatis in pejus. In hoc tam magno certamine dum diabolus captivat, Christus liberat; diabolus decipit, Christus redimit; diabolus occidit, Christus restituit. Inter hæc omnia ipsum nostrum Regem adversarius diabolus existimavit carne perimendum, tanquam capite prostrato cætera sibi membra facilius subjugaret: id usque in hoc quod videbat, Deum latere in carne minime cogitabat, nescius tanti sacramenti, quod ille Mediator esset, et ita temperaret Deum [1] in homine, ut hominem conjungeret Deo; occidit quasi potentem hominem defendentem homines, et sensit Deum liberantem omnes quos creaverat homines. Denique in ipsa passione videte spectaculum tanti certaminis. Armatur Judas ut pretio vendat magistrum, et qui erat in numero discipulorum, fit particeps consilii Judæorum, dat osculum falsum, in quo erat nequitiæ signum: fingit pacem plenus malitia in corde. Excitantur Judæi, veniunt cum facibus, laternis et armis: quærunt multi unum, et veniunt filii tenebrarum, ferentes in manibus lucem, per quam illam veram aliis demonstrarent, quam ipsi cæcati corde non poterant retinere. Dominus autem *Jesus sciens omnia quæ ventura erant super se* (non enim aliquid ignorabat qui ad hoc venerat), *egressus est ad eos, et ait illis: Quem quæritis? At illi: Jesum Nazarenum. Ait illis: Ego sum. Quando autem illis dixit, Ego sum, abierunt retro, et ceciderunt in terram* (*Joan.* XVIII, 4-6). Ecce radius veræ lucis latens adhuc sub nube carnis, respexit tenebras, et prostravit ad terram. Quomodo tunc Judæi audebunt illam respicere claritatem, quando istam infirmitatem tolerare minime potuerunt? Sed ut impleret propter quod venerat, exsurgunt rursus tenebræ: dat eis potestatem, capiunt tenebræ lucem, non sequendam, sed occidendam; permittit se lux ab eis teneri, duci, suspendi, occidi, ut exspoliatus nube carnis, fulgorem redderet majestatis. Quæ tandem acta sunt in illo certamine? Quam fortiores sibi esse videbantur ministri diaboli, dum fremerent dentibus, dum irriderent, dum caput agitarent, dum spineam coronam imponerent, dum vestimenta ejus conscinderent, dum viderent pendentem illum quem viderant miracula facientem, dum fel et acetum darent, dum lancea perfoderent? Qualis vox veluti victoriæ eorum fuit dicentium, *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40)? Sed hoc ille per eos clamabat, qui patientiam Christo auferre cupiebat, ut excitatus insultationibus Judæorum, demonstraret potentiam, sed perderet patientiam. Ille autem Rex fortis, et singulare consilium per quod nascitur et regitur omne sanum consilium, utramque aciem respiciebat, utramque aciem servabat, et patientiæ, et potentiæ: et quod servavit, exhibuit. Nam et patientiam servavit, quia de cruce non descendit; et potentiam demonstravit, cum de sepulcro surrexit. Dum in cruce pependit, falsa victoria Judæorum: dum de sepulcro surrexit, vera confusio Judæorum, et sempiterna victoria Christianorum. Dum in cruce pependit, mœsti, contristati, dispersique discipuli: dum de sepulcro surrexit, gaudentes, una in domo sunt congregati. Dum in cruce pependit, diffidentia discipulorum: dum de sepulcro surrexit, congregatio Gentium. Dum in cruce pependit, timore negavit Petrus: dum de sepulcro surrexit, amore totus credit mundus. Non solum tunc actum est hoc certamen, sed nunc agitur: pugnatur, laborant membra Christi urgente adversario, resistitur illi; quoniam caput nostrum jam sedet in cœlo. Ad hoc ille pugnare voluit, ut te doceret quomodo vinceres. Sed si vires tuæ parvæ sunt, ipsum invoca salvatorem, ipsum invoca adjutorem. Cum te perspexerit fideliter invocantem, qui pro te pependit in ligno, et hic victoriam, et coronam victoriæ præparabit in cœlo.

CAPUT VI. — 6. *Resurrectio.* Tertia die. Triduana mors Domini per Prophetas et prædicta est, et promissa, et impleta. Nam Osee propheta ait, *Post biduum suscitabit nos, die tertia resurgemus, et quasi ante lucem paratum illum inveniemus* (*Osee* VI, 3): ostendens nos in illo resurgere, quoniam dignatus est carnem in qua moreretur a nobis accipere. Quid jam dicam de figura illa Jonæ prophetæ, quem ipse Dominus expressius demonstrans, ait ad Judæos: *Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita oportet esse et Filium hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 39 et 40). Ipsam figuram propheticam comparando, breviter percurramus. Missus est Jonas ad civitatem Ninive, ut ejus finem prædicaret: missus est Christus a Patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Jonas in Tharsis a facie Domini: fuga Jonæ, velox transitus Christi; de quo dicit Propheta, *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6). Ascendit navem Propheta fugiens: lignum Christus ascendit, per mare hujus sæculi transiens. Irruit tempestas magna in mari: perturbatio maris, perfidia Judæorum. Data est sors, ut propheta fugitivus in mare mitteretur: sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus est e navi in mare Jonas: mors Christi in cordibus Gentium collocata est. Susceptus est a bestia Propheta, custodiendus, non comedendus: audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David, *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10). In ventre bestiæ marinæ positus Jonas sanctus oravit: in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus: die tertio Christus de sepulcro surgens, super cœlos est exaltatus. Ad prædicationem Jonæ per pœnitentiam salvata est civitas: per Christi prædicationem sancta Jerusalem redempta est civitas.

CAPUT VII. — 7. *Ascensio.* Assumptus in cœlum. *Qui descendit*, ait Apostolus, *ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* IV, 10). Quis est qui descendit? Deus homo. Quis est qui ascendit? Idem ipse Deus homo. Agnoscat se omnis homo, quoniam propter hominem Deus factus est homo. Quod pro te suscepit, levavit in cœlum; terrenumque corpus fecit cœleste. Si credis et tu quod possis resurgere, et in cœlum ascendere; quia certus es de tanto pignore, securus eris de tanto munere. Regnat homo jam susceptus a Christo, ad dexteram Patris sedens; et ut sui ab illo regnum accipiant, vocat, invitat, hortatur. Festinet ad eum omnis anima quæ avida est gloriæ, pergat ad talem regem, a quo ut accipiat potestatem, non ei pretium pecuniæ dabit; sed plenam perfectamque fidem cum ad eum attulerit, etiam angelos judicabit.

CAPUT VIII. — 8. *Secundus adventus ad judicandum.* Inde venturus. Quis est iste qui exspectatur venturus mortuos vivosque judicare, nisi ille homo qui pro nobis dignatus est in cruce pendere? Homo susceptus exspectatur ut veniat. Cæterum secundum id quod Deus est, et Patri æqualis est, semper judicat, et semper præsens est. Veniet autem Redemptor noster in ea forma in qua assumptus est, ut impleatur illud quod de eo ait propheta Zacharias, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10; *Joan.* XIX, 37). Videbunt ergo Judæi Deum hominem semper regnantem, quem negando desperaverant morientem. Judicabit eos in animis mortuos, qui venturus est resuscitare mortuos. Duobus enim modis hæc sententia accipitur: Vivi et mortui in anima; item vivi et mortui in corpore. Secundum priorem, judicabit vivos in anima, credentes; et mortuos in anima, fidem nullam habentes: secundum posteriorem, judicabit vivos in carne, quos præsentes invenerit ejus adventus; judicabit et mortuos in carne, quos resuscitaturus est Deus excelsus. Eligamus, dilectissimi, ut vivos nos inveniat

[1] Editi, *tentare Deum*. Emendantur ex Mss.

ejus adventus in anima; ne peccando simul ab illo damnetur caro et anima. Finis mundi in proximo est; et si, ut quidam putant, in proximo non est, dies ultimus uniuscujusque nostrum incertus est. Quid differimus, si ad beatam vitam tendimus? Corrigamur, dum tempus est emendemur; bonas causas habeamus, ut futuram diem judicii non timeamus.

CAPUT IX. — 9. *De Spiritu sancto.* Credo in Spiritum sanctum. Spiritus sanctus Deus est, Patre Filioque non minor; sed una majestas, una potestas, inseparabilis Trinitas, indivisibilis sanctitas, simul ubique tota: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tres dii, sed Trinitas unus Deus. Nec tempore separatur Filius a Patre, quoniam æternum Verbum Patris est: nec major est Filio Pater, quoniam æqualem genuit Deus Deum sine tempore, per quem fecit tempora. Nec Spiritus sanctus minor est Patre et Filio; cum sit charitas atque concordia Patris et Filii. Quomodo enim Filius minor est Patre, ut arianus hæreticus prædicat, cum Apostolus eum dicat Dei Virtutem et Dei Sapientiam (I *Cor.* I, 24)? Si Virtus et Sapientia Patris Filius est, qui eum minorem dicit, Deo Patri contumeliam facit; quoniam eum et minorem sapientiam et infirmam virtutem in se habere contendit. Aut quomodo Spiritum sanctum minorem prædicat etiam Filio, cum membra Christi templum Apostolus ponat Spiritus sancti? *Vos*, inquit, *estis corpus Christi et membra* (*Id.* XII, 27): et alio loco, *Nescitis*, inquit, *quia membra vestra templum in vobis est Spiritus sancti* (*Id.* VI, 19)? Quomodo Deus non est, qui templum habet: aut quomodo minor est Christo, cujus membra templum habet? Non sunt diversi gradus, ubi est una Trinitas et trina æternitas. Qui enim diversos gradus componit, ipse se ab unitate præcidit. Quomodo exsultas, ariane, quod teneas veritatem, cum te malus error a catholica doctrina separans, hæreticumque protestans a communione totius orbis secernens in uno angulo damnaverit? Cavete, fratres, doctrinas hæreticorum, tanquam insidias luporum. Oves Christi, audite vocem pastoris vestri. *Qui intrat per ostium in ovile ovium, ille pastor est*, ait: *qui autem ascendit per aliam partem, fur est et latro* (*Joan.* X, 1, 2). Cavete fures, cavete latrones: non quiescit pastor clamare, non sinit etiam suos canes tacere. Non se sequestret ovis a summo pastore, ne ipsa se in deprædationem nequissimi offerat lupi raptoris.

CAPUT X. — 10. *De remissione peccatorum.* In remissionem peccatorum. Fortiter tenete, fideliter sperate, patienter exspectate: redditur vobis novitas per Baptismum, vetustate discedente; deonerabitur anima sarcinis peccatorum, ut libertate novæ vitæ induta, adversus diabolum cum adjutorio divino valeat fortiter dimicare, eumque a quo superata est ita superet, ut in regno Dei translata, de hoste devicto secura, regnet cum suo capite Christo.

CAPUT XI. — 11. *De resurrectione carnis.* Carnis resurrectionem. Magna fides est necessaria, quoniam magnum præmium promittitur. Nec attendatis quid nunc fit, sed quid tunc fit [1]: quod enim nunc fit, multos movet. Quem enim non movet, cum videt tantam speciem, tantam pulchritudinem, tantumque decorem, hominem formatum resolvi in pulveres, ossa dispergi, terram terræ mandari? Non te ista, christiane, deterreant. Seminatus est homo, non perditus. Anima quidem discedente habitaculum ejus solvitur: non est enim præsto illa domina, quæ curam gerat luteæ domus, atque ejus restauret ruinas. Vadit enim, ut magno præmio regnum comparet sempiternum. Quid ergo metuis, o anima? Christo Domino dicata es; atque ipso donante bene vivis, et ad regnum Dei pervenire contendis. Utquid formidas vehiculum mortis? Proficisceris quidem, et injuriam patietur ad tempus caro tua: reverteris cum summo Rege regnans, et talis tibi reddetur quæ nequeat corrumpi, et tecum maneat sempiterna. Si ad hoc pergis ut melior efficiaris, non credis quoniam meliori et in regno cœlorum [1] quodam modo administranti melius tibi præparabitur hospitium? Si hæc terrena, lutea, fragilis, tantam tibi exhibuit pulchritudinem; restaurata et cœlestis effecta qualem tibi exhibebit decorem? Si hanc tantum diligis, quæ paululum manet et transit in tempore; illam quantum amabis, quæ decore suo nunquam carebit, quoniam in æternum vita manebit?

CAPUT XII. — 12. *De vita æterna.* Hoc sequitur in sancto Symbolo, quod omnia quæ credimus et speramus, in vita æterna percipiamus. Vita æterna, dilectissimi, nunquam vilescat, semperque dulcescat. Si amatur vita, quare non quæritur vera? Si amatur vita, talis quæratur quæ nunquam finiatur. Et si amatur, quare non quæritur? aut si quæritur, quia hic non est, ad eum locum ubi est quare non festinatur? Quid, quod etiam ultro se nobis ipsa vita ingessit? Christus est enim Deus verus et vita æterna. Venit ad nos perditos et redemit inventos: venit huc ad regionem mortalium ipsa vera vita: dedit gustum saporis sui; gustavimus, vidimus quoniam suavis est. Præcessit nos, invitavit ut sequamur; et ad tam magnum illud donum, cujus talem suscepimus gustum, sequi formidamus? Venit ad te vita; rependе vicem, veni et tu ad illam. Suscepit vehiculum mortis, ut transiens liberaret te: suscipe et tu mortem, ut cum ad illam veneris, ita ab illa suscipiaris, ut nunquam moriaris.

CAPUT XIII. — 13. *De sancta Ecclesia.* Sanctam Ecclesiam. Propterea hujus conclusio sacramenti per sanctam Ecclesiam terminatur, quoniam si quis absque ea inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum: nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem; nihilque ei valebit quod credidit vel fecit tanta bona sine fine summi boni. Ecclesia, mater est spiritualis: Ecclesia, sponsa Christi est; gratia ejus dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet quod a viro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite, hæretici, quid scriptum sit: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes* (*Luc.* XXIV, 47). Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod a viro suo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet: concubina est, non matrona. O hæresis ariana, quid insultas, quid exsufflas, quid etiam ad tempus multa usurpas? Injuriam a te patitur domina ab ancilla; multas et ingentes contumelias. Licet hæc doleat, non te magno metuit sponsa Christi sancta Catholica. Cum enim respexerit ille sponsus, ejicieris tu ut ancilla cum filiis tuis; quoniam non erunt hæredes filii ancillæ cum filiis liberæ (*Gen.* XXI, 10). Cognoscatur una sancta et vera regina Catholica, cui regnum Christus tale dedit, quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu præparavit.

[1] In Mss, *quid nunc sit, sed nunc quid fit.*

[1] Gemmeticensis Ms., *in regna cœlorum.*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMO

DE DISCIPLINA CHRISTIANA[1].

CAPUT PRIMUM. — 1. *Sermonis argumentum.* Locutus est ad nos sermo Dei, et depromptus est ad exhortationem nostram, dicente Scriptura, *Accipite disciplinam in domo disciplinæ* (*Eccli.* LI, 31, 36). Disciplina, a discendo dicta est : disciplinæ domus, est Ecclesia Christi. Quid ergo hic discitur, vel quare discitur? Qui sunt qui discunt, et a quo discunt? Discitur bene vivere. Propter hoc discitur bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere. Discunt Christiani, docet Christus. Primo ergo, quid sit bene vivere; deinde, quæ sit merces bonæ vitæ; tertio, qui sint veri Christiani; quarto, quis sit verus magister, pauca loquentibus nobis, sicut donat Dominus, audire dignemini. Omnes in domo disciplinæ sumus, sed multi nolunt habere disciplinam; et quod est perversius, nec in domo disciplinæ volunt habere disciplinam. Cum propterea debeant in domo disciplinæ accipere disciplinam, ut servent illam et in domibus suis; ipsi contra, indisciplinationem non solum in domibus suis habere volunt, sed ferre illam secum et ad domum disciplinæ. Ideo apud quos non vacat verbum Dei, qui cor auri conjungunt; qui non sunt via, ubi semen cum ceciderit ab avibus colligitur; qui non sunt petrosa loca, ubi semen altam radicem habere non potest, et ad horam exit, et in æstu arescit; qui non sunt ager spinosus, ubi semen cum germinaverit et in auras surgere cœperit, spinarum densitate suffocatur : sed qui sunt terra bona parata semen accipere, et fructum reddere vel centenum, vel sexagenum, vel tricenum (recordamini, qui non sine causa intratis disciplinæ scholam, has me similitudines ex Evangelio commemorasse [*Matth.* XIII, 3-23]) : qui ergo tales sunt, accipiant quod per me Dominus dicere dignatur. Ego enim, quoniam ille seminat, quid sum? Vix cophinus seminantis. Ipse in me ponere dignatur[2] quod vobis spargat. Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini, sed ad charitatem seminis et ad potestatem seminatoris.

CAPUT II. — 2. *Dicendum quid sit bene vivere. Præcepta bene vivendi uno brevi et aperto mandato comprehensa.* Quid est ergo bene vivere, quod hic discitur? Præcepta multa sunt in Lege, quibus ipsa bona vita continetur, imperatur et discitur. Multa omnino præcepta sunt, innumerabilia. Præceptorum ipsorum paginas vix quisquam enumerat, quanto magis ipsa? Quæ voluit tamen Deus, propter eos qui se possent excusare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non possunt facile intelligere, ut excusationem nemo habeat in die judicii, voluit, sicut scriptum est, consummare et breviare verbum super terram, sicut de illo propheta prædixerat : *Verbum enim consummans et brevians faciet Dominus super terram* (*Isai.* X, 23). Hoc ipsum verbum consummatum et breviatum, nec obscurum esse Deus voluit. Ideo breve, ne non vacaret legere : ideo apertum, ne dicat, Mihi non licuit intelligere. Thesaurus ergo est magnus divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta multa, tanquam multas gemmas, et pretiosa monilia, et vasa ingentia et magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, et uti eo, et pervenire ad omnia quæ ibi sunt? Quando hanc similitudinem Dominus dedit in Evangelio suo, et dixit, *Simile est regnum cœlorum thesauro invento in agro;* ne quis se minus idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuo dedit aliam similitudinem, *Simile est*, inquiens, *regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui invenit unam pretiosam margaritam, et vendidit omnia quæ habuit, et emit illam* (*Matth.* XIII, 44-46) : ut si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger unam margaritam sub lingua ferre, et quo vis securus ambulare[1].

CAPUT III. — 3. *Mandatum diligendi Deum et proximum. Proximus quis.* Quod est ergo verbum consummans et brevians? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Id.* XXII, 37-40). Ecce quod discitur in domo disciplinæ : Diligere Deum, diligere proximum; Deum tanquam Deum, proximum tanquam te. Non enim invenis parem Deo, ut possit tibi dici, Dilige Deum sicut diligis illum. De proximo inventa est tibi regula, quia inventus es proximo tuo par tu ipse. Quæris quomodo diligas proximum? Attende te ipsum; et quomodo te diligis, sic dilige proximum. Non est ubi erres. Volo jam ergo et tibi committere proximum tuum, ut diligas eum tanquam te ipsum : volo, sed adhuc timeo. Volo tibi dicere, Dilige proximum tuum sicut diligis te ipsum; et timeo : adhuc enim discutere volo quomodo

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Sermo de Disciplina Christiana castigatus est ad Corbeiensem codicem ante annos circiter 800 scriptum, ad Germanensem, Gemmeticensem, Bigotianum, ad Fossatensem abbatiæ S. Mauri, ad Cistercienses duos, et ad editiones Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas* M.

[1] In Mss. plerisque appellatur *Liber*, aut *Libellus Augustini de Disciplina Christiana*, sive *de Disciplina Christianorum*. In editis Er. et Lov. additur, *vel de Dono Disciplinæ*.

[2] Aliquot Mss., *dignetur*.

[1] Plerique Mss., *et quo vis, securus ambula*.

diligas te ipsum. Noli ergo ægre ferre. Non es tu ipse facile dimittendus, cui est proximus committendus : non transitorie tecum agendum est. Tu unus homo es, proximi tui multi sunt. Non enim primo sic debes intelligere proximum, vel fratrem, vel cognatum, vel affinem. Proximus enim est omni homini omnis homo. Proximi sibi dicuntur pater et filius, socer et gener. Nihil tam proximum, quam homo et homo. Sed si putamus non esse proximos, nisi qui de iisdem parentibus nascuntur; Adam et Evam attendamus; et omnes fratres sumus. Et quidem fratres secundum quod homines sumus, quanto magis secundum quod christiani sumus? At id quod homo es, unus pater fuit Adam, una mater Eva : ad id quod christianus es, unus pater est Deus, una mater Ecclesia.

CAPUT IV. — 4. *Quomodo diligere se debeat, cui jubetur diligere proximum tanquam se.* Videte ergo quantos proximos habeat unus homo. Omnes homines in quos incurrerit, quibus jungi potuerit, proximi ejus sunt. Quomodo ergo discutiendus est utrum diligat se, cui committendi sunt tot proximi, ut sic eos diligat tanquam se? Non ergo irascatur unusquisque, si discutio quomodo se diligat. Certe ego discutio, ipse se inveniat. Utquid enim discutio? quia ego inventurus sum? Ideo discutio, ut ipse se interroget, ipse sibi appareat, ipse se non lateat, ipse sibi se non abscondat, ipse sibi se ante oculos suos, non post dorsum ponat. Me loquente faciat hoc, me nesciente faciat hoc. Quomodo te diligis? Quisquis me audis, imo quisquis Deum per me audis, in hac domo disciplinæ, attende te, quomodo te diligis. Profecto enim si te interrogem utrum diligas te, respondes quia diligis. Quis enim se odit? Hoc dicturus es : Quis enim se odit? Ergo non diligis iniquitatem, si te diligis. Nam si diligis iniquitatem, non ego dico, Psalmum audi, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6). Ergo si diligis iniquitatem, audi veritatem; veritatem non te palpantem, sed aperte tibi dicentem, Odis te. Quanto magis dicis quia amas te, odis te : *Qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quid dicam de carne, quæ pars vilior est hominis? Si animam odit, carnem quomodo diligit? Denique qui amant iniquitatem, et oderunt animam suam, omnem turpitudinem exercent de carne sua. Jam ergo, qui diligis iniquitatem, quomodo tibi volebas committi proximum, ut diligeres eum tanquam te? Homo, quid perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis ut perdas te; sic profecto perditurus es et eum quem diligis sicut te. Nolo ergo quemquam diligas : vel solus peri. Aut corrige dilectionem, aut respue societatem.

CAPUT V. — 5. *Quis perniciose diligat proximum. Belluinus homo.* Dicturus mihi es : Diligo proximum tanquam me ipsum. Audio plane, audio. Inebriari vis cum illo, quem diligis tanquam te ipsum. Bene nobis faciamus hodie, quantum possumus bibamus. Vide quia sic te diligis, et illum ad te trahis, et ad quod amas vocas. Necesse est ut quem diligis tanquam te ipsum, illuc illum trahas ad quod et tu te amas. Humanus homo, imo belluinus, amando talia qualia belluæ. Belluas enim Deus prostratas in faciem fecit, pastum quærentes de terra : te in duos pedes erexit de terra. Tuam faciem sursum attendere voluit. Non discordet cor tuum a facie tua. Non habeas faciem sursum, et cor deorsum : imo verum audi et verum fac. Sursum cor; ne mentiaris in domo disciplinæ. Quando enim audis, responde : sed sit verum quod respondes. Sic te dilige, et diliges proximum tanquam te ipsum. Quid est enim sursum habere cor, nisi quod dictum est prius, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua?* Quia ergo duo præcepta sunt, si unum diceret, non sufficeret? Sufficit et unum, si intelligatur. Nam aliquando sic loquitur Scriptura, sicut Paulus apostolus : *Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces : et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem Legis est charitas* (*Rom.* XIII, 9, 10). Quid est charitas? Dilectio. Nihil videtur dixisse de dilectione Dei, sed solam proximi dilectionem dixit sufficere ad implendam legem. Quidquid est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in hoc sermone impletur. In quo? *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum.* Ecce unum est. Certe duo præcepta sunt, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ.

CAPUT VI. — *Deus homini, ut beatus sit, diligendus. Pecunia non sic amanda, ut non sis paratus dividere cum proximo.* Videte quomodo plus breviatum est, et adhuc pigri sumus. Ecce quæ duo erant, unum factum est. Prorsus proximum dilige, et sufficit. Sed dilige quomodo te ipsum diligis, non quomodo te ipsum odisti. Dilige proximum tuum tanquam te ipsum : sed prius est ut diligas te ipsum.

6. Quærere habes quomodo diligas te ipsum; et audire habes, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Homo enim quomodo a se fieri non potuit, sic nec beatus fieri a se potest. Alia res eum fecit hominem, quod non est ipse homo : alia res eum factura est beatum, quod non est ipse homo. Denique errans videt ipse, quia per se non potest beatus esse, et amat aliud unde sit beatus. Unde se fieri putat beatum, hoc amat. Quid, putamus, amat, unde putat se fieri beatum? Pecuniam, aurum, argentum, possessiones : breviter dico, pecuniam. Totum enim quidquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur. Servus sit, vas, ager, arbor, pecus; quidquid horum est, pecunia dicitur. Et unde est primum vocata pecunia. Ideo pecunia, quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant. A pecore pecunia vocatur. Legimus antiquos patres fuisse divites pastores. Ergo pecuniam diligis, o homo : unde putas te fieri beatum, pecunia est, et multum eam diligis. Volebas diligere proximum tanquam te ipsum, divide cum illo pecuniam tuam. Quid esses discutiebam : inventus es; apparuisti tibi, vidisti te, considerasti te. Non es paratus dividere cum proximo pecuniam tuam.

Sed quid mihi respondet benigna avaritia? Quid mihi respondet? Si divisero cum illo, minus erit et mihi et illi: minuetur quod amo, nec totum habebit ille, nec totum habebo ego. Sed quia diligo eum tanquam me ipsum, opto illi ut tantum habeat; ut nec meum minuatur, et ipse mihi coaequetur.

CAPUT VII. — 7. *Invidentia vitium diabolicum veniens ex superbia. Bene optantes egenti, nec tamen aliquid dantes.* Optas unde nihil perdas: atque utinam hoc verum dicas, vel optes. Timeo enim ne invideas. Quomodo enim socialis erit felicitas tua, quam torquet felicitas aliena? Nonne cum cœperit ditescere vicinus tuus, et incipere quasi surgere, et ire post te, times ne sequatur te, times ne transeat te? Certe diligis proximum tanquam te ipsum. Sed non loquor de invidis[1]. Avertat enim Deus hanc pestem ab animis omnium hominum, nedum Christianorum; vitium diabolicum, quo solus diabolus reus est, et inexpiabiliter reus. Non enim dicitur diabolo ut damnetur, Adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed, Homini stanti lapsus invidisti. Invidentia diabolicum vitium est: sed habet matrem suam. Superbia vocatur mater invidentiæ. Superbia invidos facit. Suffoca matrem, et non erit filia. Ideo humilitatem docuit Christus. Non ergo loquor invidis, bene optantibus loquor. Illis loquor qui optant bene amicis, ut habeant tantum quantum habent et ipsi. Optant bene egentibus, ut habeant quantum et ipsi: sed nolunt illis dare ex eo quod habent. Inde te jactas, homo christiane, quia optas bene? Melior te est mendicus, qui plura tibi optat, et nihil habet. Bene vis optare nihil a te accipienti: da aliquid bene optanti. Si bonum est bene optare, redde mercedem. Optat tibi bene pauper, quid trepidas? Addo aliquid: In domo disciplinæ es. Addo aliquid his quæ dixi[2], Da bene optanti; Christus est. Ipse a te petit qui tibi dedit. Erubesce. Ille dives pauper esse voluit, ut haberes pauperes quibus dares. Da aliquid fratri tuo, da aliquid proximo tuo, da aliquid comiti tuo. Tu dives es, ille pauper est. Vita ista via est, simul ambulatis.

CAPUT VIII.—8. *Sarcina divitiarum minuenda, largiendo pauperi. Excusatio crudelis avarorum pietatis nomine velata.* Sed forte dicis: Ego dives, ille pauper est. Simul ambulatis, annon? Quid est quod dicis, Ego dives, ille pauper; nisi, Ego oneratus, ille levis? Ego dives, ille pauper. Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas. Et quod gravius est, constrinxisti ad te sarcinam tuam: ideo non potes porrigere manum. Onerate, ligate, quid te jactas? quid te laudas? Solve vincula tua, minue de sarcina tua. Da comiti, et illum adjuvas, et te relevas. Inter has voces tuas laudantes sarcinam tuam, adhuc Christus petit, et non accipit: et obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, et dicis, Et quid servo filiis meis? Christum illi oppono, filios suos mihi reponit. Ista vero magna justitia, ut habeat unde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus? *Cum enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Non legisti, non advertisti? *Cum uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40, 45). Non legisti, non timuisti? Ecce quis eget, et filios tuos numeras? Postremo numera filios tuos, adde unum inter illos, Dominum tuum. Unum habes, sit ille secundus; duos habes, sit ille tertius; tres habes, sit ille quartus: nihil horum vis. Ecce quomodo diligis proximum tuum, quem tibi facias socium ad istam perditionem.

9. Quid tibi dicturus sum, Diligis proximum tuum? Quid illi in aures insusurrabis, homo avare; nisi, Fili, aut frater, aut pater, bonum est nobis ut cum hic vivimus, bene sit nobis? Quantum habebis, tantus eris. Frange lunam, et fac fortunam. Ista susurrabis proximo tuo, quæ non didicisti in domo disciplinæ, nec audisti hic.

CAPUT IX. — *Avarorum perniciosa colloquia cavenda.* Nolo sic diligas proximum tuum. O si possem facere, ut nulli jungereris! *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia mala* (I *Cor.* xv, 33). Sed non possum facere ut nemini jungaris, cui mala ista quæ non vis dediscere insusurres; et non solum nolis dedoceri, sed affectes etiam docere. Nolo, imo volo, sed non possum, disjungere te ab auribus aliorum. Alios admoneam, ad quorum aures ambis, quorum aures penetrare moliris, ad quorum corda per aures intrare disponis. O qui accipis verbum sanum in domo disciplinæ, *Sepi aures tuas spinis* (*Eccli.* xxviii, 28). *Corrumpunt bonos mores colloquia mala: sepi aures tuas spinis.* Sepi, et spinis sepi; ut ille qui importune intrare ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam compungatur. Repelle illum a te. Dic: Christianus es, Christianus sum: non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus in illa schola quam gratis intravimus; non hoc didicimus sub illo magistro cujus cathedra in cœlo est. Noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere. Hoc est enim, *Sepi aures tuas spinis.*

10. Convertam me ad illum. Avarus es, pecuniam amas: beatus esse vis? Deum tuum ama. Pecunia te non facit beatum: tu eam facis ornatam, non illa te beatum. Sed quia multum amas pecuniam, et video quia pergis quo jusserit cupiditas; piger, perge quo jubet charitas: respice, et vide quantum intersit inter pecuniam tuam et Deum tuum. Pulchrior est iste sol quam pecunia tua, et tamen sol iste non est Deus tuus. Porro si pulchrior est lux ista quam pecunia tua, quantum est pulchrior qui fecit hanc lucem? An forte comparare vis pecuniam tuam luci? Ecce occidit sol; ostende mihi pecuniam tuam. Nitet, et nocte subtraho lucernam; ecce dives es, ostende mihi divitias tuas. Jam si lumine priveris, jam si non habeas unde quod habes videas, ubi sunt divitiæ tuæ?

CAPUT X. — *Acute in cæcos quosdam avaros. Quomodo præcipitur Deus amari tanquam pecunia. Tundens pectus, nec se corrigens, solidat peccata, non tollit.* Et sic tamen horrenda profunditas avaritiæ non patet oculis, et scatet animis[1]. Vidimus et cæcos avaros:

[1] Juxta Er Lugd. Ven.: *Sed non loquar de invidis.* M.
[2] Juxta Er. Lugd. Ven.: *Addo aliud quod dixi.* M.

[1] Mss., *non patet oculus, et scatet animus.*

dicatur mihi unde avari sunt cæci, qui non vident. Quod habet nec habet, et tamen avarus est cæcus. Quare? Quia credit se habere, avarus est. Fides eum facit divitem : credendo dives est, non videndo. Quanto melius fidem converteret ad Deum[1]? Non vides quod possides, et Deum tibi sic prædico. Nondum vides : ama, et videbis. Amas pecuniam, o cæce, quam nunquam videbis. Cæcus possides, cæcus moriturus es, quod possides hic relicturus es. Non tenebas et quando vivebas[2]; quia non videbas quod habebas.

11. De Deo quid tibi dicitur? Ecce hoc tibi dicit ipsa Sapientia : Ama illum *tanquam pecuniam* (*Prov.* II, 4). Indignum est, injuriosum est, ut sapientia pecuniæ comparetur : sed amor amori comparatur. Video enim hic vos sic amare pecuniam, ut jubente amore pecuniæ labores suscipiatis, jejunia toleretis, mare transeatis, ventis et fluctibus vos committatis. Habeo unde eligam quod ametis, sed non habeo quod addam ad amorem quo amatis. Sic me amate, plus nolo me amari, ait Deus. Improbis loquor, avaris loquor : Pecuniam diligitis, tantum me diligite. Certe melior sum incomparabiliter : nolo a vobis ampliorem amorem; quantum diligitis pecuniam, tantum me amate. Erubescamus saltem, confiteamur, et pectora tundamus, non ut super peccata nostra pavimentum solidemus. Nam qui tundit pectus et non corrigitur, solidat peccata, non tollit. Tundamus pectus, et cædamus nos, et corrigamur a nobis, ne ille postea nos cædat, qui magister est. Diximus enim quid hic discatur : jam quare discatur[3].

CAPUT XI. — 12. *Discere litteras spe commodi temporalis quam solemne est et quam vanum. Metus mortis.* Quare ivisti in scholam, quare vapulasti, et a parentibus ductus, et fugitans quæsitus, et inventus attractus es, et adductus extensus es? Quare vapulasti? quare tanta mala in pueritia pertulisti? Ut disceres. Quid disceres? Litteras. Quare? Ut haberetur pecunia, aut ut compararetur honor, et teneretur sublimitas dignitatis. Vide quia periturus, propter perituram rem, perituram rem cum tanto labore didicisti in tantis pœnis, et amabat te qui te ad pœnas trahebat : ipse qui te amabat, ipse te ad pœnas trahebat; ut vapulares, amando faciebat; ut disceres, quid? Litteras. Bonæ sunt litteræ? Bonæ. Novi, dicturus es mihi : quare et vos, episcopi, litteras legistis; quare nunc divinas Scripturas in ipsa litteratura tractatis[4]. Ita vero : sed non ad hoc didicimus litteras. Non enim parentes nostri, quando nos in scholam mittebant, hoc nobis dicebant : Discite litteras, ut habeatis unde legere possitis[5] codices dominicos. Nec ipsi Christiani filiis suis hoc dicunt. Sed quid? Discite litteras. Quare? Ut sis homo. Quid enim? modo pecus sum? Quod dico, ut sis homo, hoc est, ut sis eminens inter homines. Unde et illud proverbium : Quantum habebis, tantus eris. Ut habeas quantum cæteri, aut quantum pauci; aut plus quam cæteri, aut plus quam pauci; habeas inde honorem, habeas inde dignitatem. Et ubi erunt ista omnia, cum mors venerit? Quomodo stimulat, quomodo metus iste interpellat? Quomodo nomen ipsum a me commemoratum omnium corda percussit? Quomodo timorem vestrum teste gemitu declarastis? Audivi, audivi : gemuistis, mortem timetis. Si timetis, quare non cavetis? Mortem timetis : quid timetis? Ventura est : timeam, non timeam, venire habet; sero, cito, ventura est. Si timeas, non efficies ut non sit quod times.

CAPUT XII. — 13. *Mors bona, si vita bona præcessit.* Illud potius time, quod si nolis, non erit. Quid? Peccare. Peccare time, quia si amaveris peccata, in aliam mortem irrues; quo posses non venire, si non amares peccata. Modo autem perversus plus amas mortem quam vitam. Absit, inquis. Quis est hominum qui plus amet mortem quam vitam? Forte convinco te, quia plus amas mortem quam vitam. Ecce unde te convinco. Amas tunicam tuam, bonam eam vis : amas villam tuam, bonam eam vis : amas filium tuum, bonum eum vis : amas amicum tuum, bonum eum vis : amas domum tuam, bonam eam vis. Quid est quod etiam bonam vis habere mortem? Quotidie enim rogas, ut quoniam mors ventura est, bonam mortem tibi Deus det; et dicis, Deus avertat a me malam mortem. Plus ergo amas mortem tuam, quam vitam tuam. Mori male times, male vivere non times. Corrige male vivere, time male mori. Sed noli timere : non potest male mori, qui bene vixerit. Prorsus confirmo, audeo dicere, *Credidi, propter quod locutus sum* : non potest male mori, qui bene vixerit. Jam tu dicis tibi : Non[1] multi justi naufragio perierunt? Certe non potest male mori, qui bene vixerit. Non multos justos gladius peremit hostilis? Certe non potest male mori, qui bene vixerit. Non multos justos latrones occiderunt? Non multos justos bestiæ laniaverunt? Certe non potest male mori, qui bene vixerit. Et ego respondeo : Hæc tibi enim videtur mala mors? naufragio perire, gladio percuti, a bestiis laniari, mors mala tibi videtur? Nonne istas mortes martyres subierunt, quorum natalitia celebramus? Quod genus mortis non subierunt? Et tamen si christiani sumus, si in domo disciplinæ nos esse meminimus, vel cum hic sumus, vel cum hic audimus, si exeuntes hinc non obliviscimur, si meminimus quod hic audimus, nonne martyres beatificamus? Quære mortes Martyrum; oculos carnis interroga : male mortui sunt. Oculos fidei interroga : *Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 10, 15).

[1] Cisterciensis Ms. : *Quanto melius fides convertit ad Deum?*

[2] Hic editi addunt, *quanto magis perdis*; quod abest a Mss.

[3] Fr. Lugd. Ven. : *Diximus enim jam quid hic discatur, quare discatur*. Apud Lov. desunt ultima verba, *quare discatur*. M.

[4] Juxta Fr. Lugd. et Ven., *non legistis? non tractatis?* M.

[5] Sic juxta Fr. Lugd. Ven. Lov. PP. Benedictini non habent in textu verbum, *possitis*, nota vero marginalis indicat eam supplendam esse. M.

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov. hic et inferius legunt ter, *num*, pro, *non*. M.

Quidquid ergo est quod exhorres in morte, omnino non exhorreas, si eos imiteris. Id age, ut bonam vitam habeas; et quæcumque occasio fuerit ut exeas de hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem nec finem. Nam quasi bona mors divitis in purpura et bysso: sed mala mors sitientis et inter tormenta guttam aquæ desiderantis. Quasi mala mors jacentis pauperis ante januam divitis, inter linguas canum, in fame et siti micas de mensa desiderantis: mala mors, aversanda mors. Finem respice: christianus es, fidei oculum intende. *Contigit mori inopem illum, et efferri ab Angelis in sinum Abrahæ.* Quid proderat diviti sepulcrum marmoreum sitienti apud inferos? Quid oberant pauperi panni cum sanie ulcerum ejus, requiescenti in sinu Abrahæ? Longe vidit eum requiescentem, quem contempserat jacentem (*Luc.* XVI, 19-24). Modo elige mortem: dic mihi, quis bene mortuus est, quis male? Puto quia melius ille pauper, quam ille dives. An vis aromatibus sepeliri, et apud inferos sitire? Respondes: Absit a me. Puto quod hoc dices. Disces ergo bene mori, si didiceris bene vivere. Merces enim bonæ vitæ, æterna est.

CAPUT XIII. — 14. *Auditores verbi alii discentes, alii male excipientes.* Qui discunt, christiani sunt: qui audiunt et non discunt, quid ad seminantem? Seminantis manum non terret via, non terrent lapides, non spinæ: jactat ille quod suum est. Qui timuerit ne cadat in terram malam, non pervenit ad terram bonam. Et nos dicimus, jactamus semina, spargimus semina. Sunt qui contemnunt, sunt qui reprehendunt, sunt qui irrident. Istos si nos timuerimus, nihil habemus seminare, et in messe habemus esurire. Ergo veniat semen ad terram bonam. Scio quia qui audit et bene audit, deficit, et proficit: deficit iniquitati, proficit veritati: deficit sæculo, proficit Deo.

CAPUT XIV. — 15. *Quis sit verus magister.* Quis est enim magister qui docet? Non qualiscumque homo, sed Apostolus. Plane apostolus, et tamen non apostolus. *An vultis*, inquit, *experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Christus est qui docet; cathedram in cœlo habet, ut paulo ante dixi. Schola ipsius in terra est, et schola ipsius corpus ipsius est. Caput docet membra sua, lingua loquitur pedibus suis. Christus est qui docet: audiamus, timeamus, faciamus. Et ne contemnas et ipsum Christum, qui propter te in carne natus est, pannis mortalitatis circumdatus; propter te esurivit et sitivit, propter te lassatus ad puteum sedit; propter te fatigatus in navi dormivit, propter te contumelias indignas audivit; propter te a facie sua sputa hominum non abegit; propter te alapas in faciem accepit; propter te in ligno pependit; propter te animam effudit; propter te in sepulcro positus est. Hæc omnia forte contemnis in Christo? Vis nosse quis sit? Recole Evangelium quod audisti: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30).

16. Conversi ad Dominum, ipsum deprecemur pro nobis, et pro omni plebe sua astante nobiscum in atriis domus suæ: quam custodire protegereque dignetur; per Jesum Christum Filium suum, Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CANTICO NOVO

ET DE REDITU AD CŒLESTEM PATRIAM AC VIÆ PERICULIS,

SERMO AD CATECHUMENOS.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Transitus a vetustate ad novitatem.* Omnis qui baptismum Christi desiderat, vitam novam concupiscit. Transeat ergo a vetustate, ut perveniat ad novitatem. Prius enim fuit testamentum vetus, canticum vetus, homo vetus: nunc autem testamentum novum, canticum novum, propter hominem novum. Demonstremus hoc quod dicimus testimoniis sanctarum Scripturarum. Jeremias propheta, *Ecce*, inquit, *dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Juda testamentum novum* (*Jerem.* XXXI, 31). David quoque propheta, *Deus, canticum novum cantabo tibi* (*Psal.* CXLIII, 9): et iterum, *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* XCV, 1). Apostolus etiam Paulus, *Exspoliantes*, inquit, *vos veterem hominem, induite novum* (*Coloss.* III, 9, 10): et alibi, *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova* (II *Cor.* V, 17). Quæ vetera transierunt? quæ facta sunt nova? Si adsit spiritualis auditor, non solum intelligit, verum etiam

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Sermones de Cantico Novo, de Quarta Feria, de Cataclysmo, et de Tempore Barbarico, in iisdem codicibus, quibus sermones quatuor de Symbolo ad Catechumenos continentur, inventi sunt ac recogniti.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas,* M.

videt quæ facta sunt nova. Si autem carnalis adsit, qui totum per oculos carnis, nihil per aciem mentis intelligit, irridens respondet : Rogo te, dic quæ facta sunt nova? Numquid aliud cœlum respicio quam antea, aut sidera in novum splendorem micantia? Nonne iisdem cursibus sol peragit diem, eisdemque curriculis luna peragit noctem? Numquid mare terminos suos finesque transgressum est, aut terræ facies immutata alia insolita germina procreavit? Nonne sicut ex initio horis duodecim peragitur dies, eisdemque crementis æstatis tempus, quibus detrimentis hiems peragitur? Progenies quoque ipsa mortalium aliis decedentibus, aliis succedentibus terminatos finiunt dies. Cum ergo omnia, sicut ex initio constituta sunt, ita concurrunt, suos motus finesque servantia; quid est quod nobis prædicatur, *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova?* Responde, o Paule, talia de nobis requirenti; et quia minus valeo ad respondendum, te obsecro, responde pro me. Ecce audi Apostolum : Quid quæris, carnalis auditor, per oculos carnis respicere? Erige mentis aciem, ut quod dicitur possis intelligere, *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova.* Quæ vetera transierunt? quæ facta sunt nova? *Primus homo*, inquit, *de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis* (I *Cor.* XV, 47). Transiit Adam, homo vetus factus ex limo : venit Christus, Deus homo missus e cœlo. Transiit vetustas mentium, accessit novitas credentium : transiit vita carnalis, successit spiritualis. An parva est novitas hæc, ita demonstrata per hominem Deum, ut moriendo susciperet vetustatem tuam, resurgendo ostenderet novitatem tuam, ascendendo firmaret claritatem tuam? Vetera transierunt : quæ vetera transierunt? Quod eratis filii Adam, filii carnales. Nova accesserunt : quæ nova? Quod efficimini filii Dei, filii spirituales. Vetera transierunt; terra eratis : ecce facta sunt nova; cœli jam pene effecti estis. *Cœli enim enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Non vobis impossibile videatur, quod cum sitis terrestres, efficiamini cœlestes. De terra non facit cœlum, qui de nihilo fecit terram et cœlum? Vetera transierunt; lapides colebatis : nova accesserunt; Deum verum adoratis. Vetera transierunt; transiit mortalitas : nova accesserunt; promissa est immortalitas. Vetera transierunt; perierat omnis caro per mulierem simul cum viro peccante : nova accesserunt; reparata est caro, sine viro virgine pariente. Vetera transierunt; transiit regio vetustatis : nova accesserunt; succedit Jerusalem civitas cœlestis novitatis. Ad hanc civitatem novam pervenire cupitis, qui nomina vestra conscribenda dedistis.

CAPUT II. — 2. *Festinemus ad patriam. Navigii instructio.* Eia, fratres mei, ardenter desideremus propriam patriam; peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus : festinemus tamen. Non est quare hic stare; nec invenis in sæculo, quod jam possis amare. Ipse enim amor parentum, conjugum, filiorum, facultatum, aut magnum quibusdam incusserunt laborem, aut magnum pariunt timorem : non est quare hic stare. Melius enim festinando appetimus sempiterna, quam hic remanendo sæculi nos apprehendat ruina. Præparemus sarcinas, apprehendamus et ascendamus navem fidei simul et crucem [1], nec desit anchora spes nostræ salutis, extendamus funes diversas virtutes, vela charitatis colligamus [2], invocemus ventum prosperum verbum Dei; exhauriamus sentinam a peccatis, per eleemosynas mundetur conscientia. Non impediatur hujus nostri cursus navigii, operetur manibus ut possumus [3]. Manibus suis sentinam exhauriebat qui dicebat : *Manibus meis coram eo nocte, et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI, 3). Non negligamus nostra peccata : minuta sunt, sed multa sunt. Fluctus unus validus irruens obruit navem, minaturque naufragium : humor autem per rimas influens et in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Ergo exhauriatur sentina, non negligatur misericordia; quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata (*Tob.* IV, 11). Adsit nostra tutela Christi gratia, celeuma nostrum dulce cantemus Alleluia; ut læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, sæculum scilicet, cujus fluctus ac turbines sentimus inimicas sæculi potestates. In Deo sperantes multi jam sancti hos fluctus spreverunt, multi calcaverunt, multi super ejus aquas ambulantes securi ad patriam pervenerunt. Sed exsurgit ventus validus et magna tempestas, sua cujusque cupiditas. Titubat fides in mari, clamet in te Petrus, Domine, pereo : dabit manum mergenti, nec sinit perire ille qui propter nos super aquas dignatus est ambulare (*Matth.* XIV, 25-32). Vide apostolum Paulum, hoc navigium non solum demonstrantem, verum etiam ascendentem, et quam plurimos invitantem. Quando dicebat, *Habentes victum et tegumentum, his contenti simus* (1 *Tim.* VI, 8); quid aliud quam competentem sitarciam imponendam esse monstrabat? Quando dicebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14); navem ascendebat. Quando dicebat, *Induite vos sicut electi Dei, benignitate, humilitate, longanimitate, mansuetudine* (*Coloss.* III, 12); quid aliud quam funes extendebat? Quando dicebat, *Manet fides, spes, charitas; major horum charitas* (1 *Cor.* XIII, 13); vela colligebat. Quando dicebat, *Verbum Dei habitet in vobis abundanter* (*Coloss.* III, 16); ventum prosperum invocabat. Quando dicebat, *Infatigabiles itaque, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* (*Galat.* VI, 10); et, *Operantes propriis manibus vestris* (1 *Thess.* IV, 11) : quid aliud quam sentinam exhauriri præcipiebat? Quando dicebat, *Gratia salvi facti estis* (*Ephes.* II, 8); tutelam exorabat. Quando dicebat, *In psalmis et hymnis cantantes in cordibus vestris Domino* (*Id.* V, 19); celeuma sanctum docebat. Quando dicebat, *Spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24); anchoram in cordibus credentium figebat. Quando di-

[1] Sic Mss. At Fr., *fide simul et cruce.* Lov., *fidei simul et crucem.*

[2] Divionensis Ms., *collocemus*; et aliquanto post, *vela collocabat.* Gemmeticensis, *colemus*, et infra, *vela colabat.*

[3] In Mss., *ut hoc possimus.*

cebat, *Jerusalem quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra* (*Galat.* IV, 26), ipsam patriam demonstrabat. Quando dicebat, *Ubi est, mors, contentio tua? Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (I *Cor.* XV, 55, 57), non adhuc in mari periclitabatur, sed jam in propria patria lætabatur. O optime gubernator, o pulcherrime magister et doctor, docuisti, fecisti; et ideo celeriter pervenisti, quia quæ docuisti, prior ipse fecisti.

CAPUT III. — 3. *De via terrestri ad patriam, et de jumento opportuno.* Si quis forte, ut assolet, refugit navigium, et insolitos fluctus maris horrescit, desideratque iter conficere, quo, etsi tardius, ad patriam valeat pervenire; demonstrabo viam, imo ipsa se demonstrat via. Ecce in Evangelio clamat Salvator, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Habes viam, ambula, sollicitus tamen doma jumentum tuum, carnem tuam; ipsi enim insidet anima tua. Quomodo si in hac via mortali jumento insideres, quod te gestiendo vellet præcipitare; nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, et fame domares quod freno non posses? Caro nostra jumentum nostrum est: iter agimus in Jerusalem; plerumque nos rapit caro, et de via conatur excludere[1]. Tale ergo jumentum cohibeamus jejuniis. Vide illum gubernatorem eumdemque viatorem apostolum Paulum, vide illum jumentum suum domantem. *In fame*, inquit, *et siti, in jejuniis sæpius* (II *Cor.* XI, 27), *castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (I *Cor.* IX, 27). Ita ergo et tu, qui ambulare desideras, doma carnem tuam, et ambula. Ambulas enim, si amas. Non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.

CAPUT IV. — 4. *De ambulantium multiplici genere.* Via ergo ista nostra ambulantes quærit. Tria sunt hominum genera quæ odit: remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis Domino adjuvante vindicetur et defendatur gressus noster. Jam vero cum ambulantes sumus, alius tardius ambulat, alius celerius ambulat, tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via: qui forte a meliore proposito declinat ad id quod deterius reliquerat, reversus est retro: qui fidem deserit, a via erravit. Cum tardis sit nobis et cum celerioribus ratio, cum ambulantibus tamen. Quis est qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem; qui dixerit, Sufficit mihi quod sum; qui non attenderit eum qui dicit, *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philipp.* III, 13, 14). Currentem se dixit, sequentem se dixit; non remansit, non retro respexit: absit ut erraverit, quia viam ipse docebat, qui et tenebat et ostendebat. Celeritatem autem ejus ut imitaremur, ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* XI, 1). Arbitramur ergo nos, dilectissimi, in via vobiscum ambulare: si tardi sumus, prævenite nos; non invidemus, quærimus quos sequamur. Si autem nos putatis celeriter ingredi, cum te nolumus [illegible] unum est ad quod omnes festinamus, et qui tardius et qui celerius ambulamus. Qui sunt et retro redeuntes? Qui ex continentia revertuntur in immunditiam, qui ex sancto et singulari bono proposito virginitatis divertuntur in turpitudines voluptatis, et corrupta mente corrumpunt simul et carnem. Hos increpat apostolus Petrus, dicens: *Melius illis erat non cognoscere viam salutis, quam cognoscentes retro respicere* (II *Petr.* II, 21). O malum, retro respicere! Uxor enim Loth, quæ liberata a Sodomitis, contra præceptum retro respexit, quod evaserat perdidit. Nec immerito in statuam salis repente conversa est (*Gen.* XIX, 26), nisi ut fatuos suo etiam exemplo condiret. Qui sunt et aberrantes? Omnes hæretici, qui relicta veritatis via errando per desertum latrocinantur, et animas captant in peccatis, præpediuntque ne quis ad patriam valeat pervenire: effecti lupi semitarii induti ovina pelle, cum sint intus lupi rapaces; prædicantes Christum viam, et qui eos sequuntur ducentes ad mortem.

CAPUT V. — 5. *Quo discerni possit falsa prædicatio a vera.* Hic si aliquis dicat, Quid ego faciam non invenio: ecce homo Christum prædicat, viam prædicat, Christi se dicit esse discipulum, veritatem se dicit annuntiare, quare non sequar talia prædicantem? respondeo, Quia aliud ejus habet lingua, aliud conscientia. Unde novi, inquis? numquid ego conscientias discutere possum? Christum ab eo audio: quod audio, hoc credo, hoc teneo. Non te seducat filius falsitatis, si filius es veritatis. Disce jam, christiane, qui Christum desideras et audire et videre. Si quis tibi Christum prædicat, attende et considera qualem prædicet, ubi prædicet. Christus enim veritas est (*Joan.* XIV, 6), per Scripturas sanctas prædicatur; non in angulis, non occulte, sed palam, publice. *In sole* enim *posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 6); hoc est, in manifesto collocavit Ecclesiam suam. Jam hic respice illum qui tibi Christum prædicat, dicat qualem Christum prædicet.

CAPUT VI. — 6. *Manichæorum error.* Ecce hæreticus manichæus, qui per suam doctrinam promittit introducere te in veritatem, ipsum Christum dicit esse fallacem. Non habuit, inquit, verum corpus: phantasma fuit, spiritus fuit. Et hoc in illo fuisse negat nequissimus manichæus. O pessime hæretice manichæe, si credere non vis Veritatem dicentem discipulis suis, *Palpate, et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habentem* (*Luc.* XXIV, 39). Si credere non vis, ut dixi, Veritati, Judæo crede crucifigenti. Nam cum tu dicis, Christus Deus fuit, non homo; Judæus dicit, Non fuit Deus, sed homo. Catholica utrosque convincens, Ego, ait, verum teneo, quod Christus et Deus est et homo. Tu autem, manichæe, unde probas Christum spiritum fuisse? Spiritus alapas accepit? spiritus spineam coronam portavit? spiritus sibi crucem bajulavit? Si spiritus fuit, cujus vestimenta milites diviserunt? Si spiritus fuit, quomodo cum traderet spiritum, corpus ejus prope dimidium diem exanime pependit in

[1] Forte, *excutere*.

cruce? Si spiritus fuit, quomodo latus ejus perforatum est lancea? quomodo susceptus est a Joseph sepeliendus, quomodo sepulcro est conditus? Omnia ista spiritus pati non potest. Sicut de eo antea per Prophetas prædictum est, ita et factum. Erras tu nimis, falsitas; in omnibus te superat veritas. Egone, hæretice, ut doces, Veritas mentita est, et tu verum prædicas? Et ubi hoc prædicas? In abscondito, in occulto. Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica sit doctrina tua. Demonstra mihi Ecclesiam tuam. Sed novimus quid agatis decepti et deceptores. Apostolus Paulus vos prodidit dicens: *Quæ enim occulte fiunt ab eis, turpe est etiam dicere* (*Ephes.* V, 12). Nobis turpe est dicere, sed vos non quæstitis agere. Manifesta est ignominia vestra, nudata est turpitudo vestra; ex confessione simul et scriptura vestra, omnibus palam facta est turpis doctrina vestra: utinam aliquando corrigantur corda vestra!

CAPUT VII. — 7. *Error Arianorum.* Alii hæretici Ariani ipsam viam Christum, per quam itur ad Patrem, secundum divinitatem noluat esse æqualem Patri. Et cum ipse dicit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); illi dicunt, Si missus est Christus, minor est: major est utique qui mittit, illo qui mittitur. Hæc argumentatio est humana, non auctoritas divina. Alia est operatio Trinitatis, quam tu, hæretice, non assequeris, qui carnaliter sapis. Mundum enim cor non habes, nec ad Deum. Christus enim in quantum hominem suscepit, missus dicitur: in quantum Deus est, æqualis est Patri. Nam quo eum Pater mitteret, ubi ipse cum Filio non esset? Aut quo Filius venisset, ubi non simul cum Patre esset ille qui dicit, *Ego in Patre, et Pater in me est*; et, *Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem* (*Id.* XIV, 10, 9): et qui per prophetam dicit, *Cælum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24); et de quo Salomon ait, *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Attingit ubique propter suam munditiam* (*Sap.* VIII, 1, *et* VII, 24)? Sed tu, hæretice, ideo dicis majorem esse qui mittit, minorem qui mittitur, quia temporum spatia cogitas. Sed multum erras, illi assignare tempora per quem facta sunt tempora. Si Patrem confiteris Deum, Deum Filium, æternumque credis et Patrem et Filium; noli minorem facere Filium in eo quod fecit te, quia ideo minor factus est, ut redimeret te. Sed ipse, inquis, dixit, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Intellige secundum susceptum hominem, et depone errorem. Secundum hoc dicit, *Pater major me est*, secundum quod de eo ait propheta, *Minorasti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII, 6). Tu autem dic, secundum quid eum minorem asseris? Si secundum potestatem: *Pater non judicat quemquam, sed Filius* (*Joan.* V, 22). Si secundum opera: *Omnia per ipsum facta sunt.* Si secundum tempus hoc credis de Deo tuo, quia [illegible] tu major es filio tuo, [illegible] filio [illegible] hoc [illegible] fidelium; [illegible] ista credere de Deo. Si enim Filius secundum divinitatem Dei Verbum est, sicut evangelista Joannes narrat, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 3. 1); fuit aliquod tempus quando Pater fuit sine Verbo, aut fuit aliquod principium ante ipsum principium, quoniam ipse Filius dixit se esse principium? Interrogantibus quippe Judæis, *Tu quis es?* respondit, *Principium* (*Id.* VIII, 25). Ergo et illud quod in Genesi scriptum est, *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* I, 1), intelligitur in Filio, qui est principium. Sic ergo semper Deus Pater, semper Deus Filius; quia nec ille aliquando non Pater, nec iste aliquando non Filius. Non enim ut Pater generaret Filium, minuit se ipsum: sed ita genuit de se alterum qualem se, ut totus maneret in se. Spiritus autem sanctus non præcedit[1] unde procedit, sed integer de integro, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc tria unus Deus, de quo propheta dicit: *Tu es Deus solus magnus* (*Psal.* LXXXV, 10). Tu autem, hæretice, compone gradus, separa Trinitatem: fac patrem majorem, Filium minorem, Spiritum sanctum sequentem. Sed jam de Filio, quod æqualis sit Patri, aliqua diximus, et quod occurrit, diximus: audi et de Spiritu sancto, quem minorem vis esse Patre et Filio. Nempe Spiritus sanctus ipse Spiritus est Dei. Audi et ipse quod simul sit cum Patre et Filio, et ubique sit totus. *Deus*, inquit Joannes Apostolus, *Spiritus est* (*Joan.* IV, 24). Et ipse Filius per prophetam ait, *Spiritus Domini super me* (*Isai.* LXI, 1): non ait, post me, ut sequentem eum faceret, vel minorem; sed ait, *super me.* Unde et angelus Gabriel ad Mariam: *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te* (*Luc.* I, 35). David quoque propheta: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu ibi es, si descendero in abyssum, tu ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7 *et* 8). Ergo si Spiritus Dei et in cælo et in terra et in inferno adest cum illo qui dicit, *Cælum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24); ergo Trinitas unus est Deus. Sed audi adhuc, hæretice, unde convincaris, quod Trinitas unus sit Deus. In ipso principio libri Geneseos, quod diximus, scriptum est, *In principio fecit Deus cælum et terram.* Ecce Deus Pater, et principium Filius, secundum quod se dixit esse principium. Si autem et Spiritum sanctum quæris: *Spiritus*, inquit, *Dei superferebatur super aquas.* Cum ergo in consequentibus legitur, *Dixit Deus, Fiat lux*; et, *Fundavit Deus de terra*; et, *Fecit Deus*: hoc demonstratur quod inseparabilia sunt opera Trinitatis. Evidentius hoc in consequentibus demonstratur. Nam cum ventum esset ad id ut homo formaretur, ait Scriptura: *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Non dixit, Faciam ad imaginem et similitudinem meam, ut solus Pater intelligeretur; nec dixit, Fiat, ut Filio velut juberet facere, per quem facta sunt omnia; nec dictum est, Fecerunt, ut singuli singula in eo conferrent opera sua: sed cum dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ut Trinitas unus Deus intelli-

[1] In [illegible] secunda manu, *deerat* [illegible], *præcedit*.

geretur; statim subjunctum est, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem suam fecit illum* (*Gen.* i, 27). Ecce per Scripturas sanctas Trinitas unus Deus prædicatur; arianus convictus aliquando confundatur. Sed audi adhuc, hæretice, apostolum Paulum convincentem te et docentem me, audi quid de Deo Filio dicat: *Cum*, inquit, *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* ii, 6). Ille eum prædicat æqualem, tu eum asseris minorem. Cui credendum est, Apostolo, an tibi? tibi quem totus orbis abjecit, an illi quem totus mundus suscepit? Cedat igitur vel sero convicta perversitas tua, quia jam totum mundum possedit evangelica et apostolica doctrina.

CAPUT VIII. — 8. *Pelagianorum hæresis.* Alia quoque spelunca latronum non bonorum, hæreticorum Pelagianorum, et demonstranda est et cavenda: hæc est enim eorum perversa doctrina. Cum Scriptura dicat, *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine* (*Jerem.* xvii, 5); et, *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* i, 31): isti contra, hoc maledictum hominem non incurrere promittunt, si de se præsumpserit, vel in se ipso gloriatus fuerit. Sed quid contra hos multa dicamus? Hoc promisit et pater illorum diabolus illi primo homini: *Non morte*, inquit, *morieris, eritis sicut dii.* Deum contempsit, serpenti credidit, et quod acceperat perdidit. Si tunc ille homo non fuit cautus, nunc homo caveat vel expertus. Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur a Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, et posuit ante eum Deus, sicut Scriptura dicit, *ignem et aquam: ad quod volueris*, inquit, *porrige manum tuam* (*Eccli.* xv, 17). Elegit ignem, reliquit aquam. Videte justum judicem. Quod elegit homo liber, accepit: malum voluit, hoc illum secutum est. Videte rursum illum justum judicem misericordiam facientem. Cum videret quod homo totam stirpem suam, male usus libero voluntatis arbitrio, in se tanquam in radice damnasset; ipse non rogatus de cœlo descendit, et hominem superbia pereuntem [1], sua humilitate sanavit: errantes perduxit ad viam, peregrinos perducit ad patriam. Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur qui fecit se.

CAPUT IX. — 9. *Hæretici una voce confunduntur.* Jam vero cæteræ sectæ hæreticorum Christum viam prædicantium, sed longe a via errantium, una voce ipsius veræ viæ convincuntur atque confunduntur dicentis: *Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc dicam eis, Non novi vos: recedite a me, omnes qui operati estis iniquitatem* (*Matth.* vii, 22 *et* 23). Ideo operati estis iniquitatem, quia Ecclesiæ meæ perturbastis unitatem.

CAPUT X. — 10. *Exhortatur baptizandos, ut recta tendant ad patriam.* Vos autem, fideles, germina sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ per universum mundum diffusæ, fugite omnes hæreses. Si quis aliud evangelizaverit vobis, anathema sit (*Galat.* i, 9). Rectos cursus facite pedibus vestris: non declinetis nec ad dexteram præsumendo, nec ad sinistram desperando. Currite velociter rectam viam: ipsa enim vos perducit ad patriam; ad illam patriam cujus cives Angeli sunt, cujus templum Deus, cujus splendor Filius, cujus charitas Spiritus sanctus; civitas sancta, civitas beata; civitas ubi nullus perit amicus, quo nullus admittitur inimicus; ubi nullus moritur, quia nullus oritur; nullus infirmatur, quia incorrupta salute lætatur. Cum illuc venerimus, non ibi esuriemus aut sitiemus: visio ipsa satietas nostra erit. Non ibi dormiemus, quia non ibi laborabimus. Nulla cujuslibet rei necessaria erit refectio, ubi nulla erit defectio. Vivemus, regnabimus, lætabimur. Si tantum delectat cum de ea loquimur, quid erit et videre? Videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo. Vita enim nostra erit laudare Deum, et sine defectu amare. *Beati* enim, ait propheta, *qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Fratres dilectissimi, si cum navigantibus laboravimus, et viatoribus ducatum præbuimus, si devias fauces latronum, hoc est hæreticorum, sollicite demonstravimus, si ipsam patriam cœlestem declaratam atque demonstratam jam cernitis oculis cordis vestri; reddite nobis fructum laboris nostri. Reddite, fratres, reddite, exigimus a vobis. Talis est enim merces nostra, quam a vobis exigimus, ut nec nos pudeat petere, nec vos pigeat erogare. Hoc quod exigimus, erogando cumulabitis magis, quam detrimentum patiemini, si non erogaveritis. Quæ est ergo merces nostra? Non quærimus aurum vestrum, non argentum vestrum, non nummum vestrum, nec quidquam de rebus vestris: sed merces nostra est, ut in illo sancto fonte adjuvetis nos orationibus vestris.

[1] Mss., *humanum genus superbia pereuntem*, aut, *pereunte.*

Sequentes Sermones de Quarta Feria, de Cataclysmo, et de Tempore Barbarico, dubii nobis sunt, et videntur subdititii (*a*).

DE QUARTA FERIA (*b*),

SIVE DE CULTURA AGRI DOMINICI,

SERMO.

CAPUT PRIMUM. — 1. *De cultura agri Dominici. Juga boum quinque quid significent.* Cœlesti gratiæ et spirituali pluviæ præparandus est ager Ecclesiæ, quia imber divinus in proximo est. Operemur, dile-

(*a*) De his supra, col. 625-626, Admonit. in serm. de symbolo.

(*b*) Sic appellant etiam veteres libri, qui tamen in fine subjiciunt, *Explicit de ultima quarta feria.*

ctissimi, in isto agro quod nobis creditum est. Nobis enim datum est plantare, rigare, arare, novellare : sed Dei est, incrementum dare. Apostolus Paulus doctor Gentium in fide et veritate, per se ipsum et operando et monendo hanc nos docuit dominicam exercere culturam, dicens : *Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit* ; et paulo post, *Dei enim sumus cooperarii, Dei agricultura, Dei ædificatio estis* (I *Cor*. III, 6, 9) ; et alibi, *Cooperatores mei estote, fratres, et intendite eos qui sic ambulant sicut habetis formam nostram* (*Philipp*. III, 17). In ista itaque, fratres, dominica agricultura, in qua nos Dominus operari præcepit, sic operemur, ut mercedem promissam dono gratiæ accipere mereamur. Tempus est, operemur, laboremus.

2. Quinque illa juga boum, quæ ille invitatus in Evangelio dum ad cœnam venire nollet, probare se velle dixit, et propterea a cœna se excusavit (*Luc*. XIV, 19), quoniam sibi ea, non agriculturæ dominicæ comparavit ; nos ea ipsa quinque juga in agro dominico jungamus, terram durissimam sulcis spiritualibus exaremus, semen verbi Dei projicientes, quascumque spinas malarum cupiditatum invenerimus, evellamus, eradicemus, divino igne succendamus : ut in tali opere laborantes, Domino Deo nostro fiducialiter dicamus : Domine paterfamilias, quoniam te adjuvante fecimus opus quod jussisti, redde mercedem quam promisisti. Quæ sunt quinque illa juga boum ? Quinque juga boum, quinque sensus corporis sunt : visus in oculis, auditus in auribus, olfactus in naribus, gustus in faucibus, tactus in manibus. Et ista juga sunt : duo sunt oculi, duæ aures, geminæ nares, duæ manus ; et in ipso gustu geminum quiddam invenitur, quando sapor ipse faucibus atque palato judicante discernitur. Ista ergo quinque juga terram versant, quando suis officiis deservientes animum carnemque parant [1], aut ad uberes fruges, si ros cœlestis infuderit, aut ad aridas spinas, si sicca terra remanserit, et eorum opus in posterum subsequetur.

CAPUT II. — 3. *Dominici agri seminatio, exaratio et rigatio.* Sed quoniam nos Dominus atque paterfamilias noster passim et sine ulla discretione cujuslibet glebæ semen verbi sui jacere præcepit (inducit enim in Evangelio hujus ministri similitudinem, et dicit : *Ecce exiit seminans seminare : et dum seminat, aliud cecidit inter spinas, aliud in viam, aliud in petrosa, aliud in terram bonam.* Et cum demonstraret quæ esset spinosa terra, homines videlicet qui verbum Dei spinis cupiditatum præfocant tantum semen, et non reddunt fructus justitiæ ; similiter de alia terra petrosa atque conculcata via, suæ similitudinis propositæ redderet [2] rationem, ad terram bonam pervenit, et ait : *Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui cum acceperint verbum Dei, custodiunt illud et faciunt* (*Matth*. XIII, 3, 23) ; quia *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*Rom*. II, 13)) : non ergo nos, dilectissimi, aut timor spinarum, aut saxa petrarum, aut durissima via perterreat ; dum tamen seminantes verbum Dei, ad terram bonam tandem aliquando pervenire possimus. Accipe verbum Dei, omnis ager, omnis homo, sive sterilis, sive fecundus : ego spargam, tu vide quomodo accipias ; ego erogem, tu vide quales fructus reddas. Melius est enim ut de accepto tu pro te rationem reddas, quam nobis non erogantibus juste dicatur, *Serve nequam et piger, tu erogares, ego veniens cum usuris exigerem* (*Matth*. XXV, 26, 27). Si vero te terram infecundam aut spinosam vel siccam sentis, recurre ad Creatorem tuum. Hoc enim nunc agitur, ut innoveris, ut fecunderis, ut irrigeris ab illo qui *posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum, et habitare fecit illic esurientes ; et constituerunt civitatem habitationis, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas et fecerunt fructum frumenti* (*Psal*. CVI, 35-37). Ex qua terra ? Ex illa sterili, spinosa, et inaquosa. Et tu, unaquæque anima quæ accedis ad Christum, terra es spinosa et arida. Unde probamus quia talis es ? Recole illam sententiam, quam in primis parentibus accepisti, et invenies quid inde traxisti. *Spinas*, inquit, *et tribulos pariet tibi* (*Gen*. III, 18). An respondebis non te esse terram spinosam ? Si spinas non haberes, capiti Creatoris tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo et tu talis es, spinarum multitudine, id est peccatorum, prægravata es : ideo tibi talis cultura impenditur, propterea crucis ligno exararis, propterea cœlesti pluviæ prævpararis ; ut cum fecunda effecta fueris, non gratuleris de tuis, quæ nulla sunt, meritis, sed reddens bonos fructus, Christi prædices gratiam. Vis nosse qualis tibi adhibeatur cultura, qualis te desuper perfundat gratia ? Ecce agnosce, Christi cruce exararis, quando ejus signo in fronte signaris ; ejus sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris. *Quotquot* enim, ait Apostolus, *in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom*. VI, 3).

CAPUT III. — 4. *Quod sanguine Christi rigamur. Quid sit Amen, quod respondent qui sanguinem Christi accipiunt.* Multum est quod dictum est, ejus sanguine rigaris. Videamus quomodo per aliquam similitudinem hoc quod diximus probare possimus. Non enim nostris sermonibus, sed documentis divinis fides accommodanda est. Ecce, intendite, dilectissimi, Judas ille malus et falsus discipulus, venalis et venditor, fur et traditor, emptus a Judæis, ut cum eis mancipium esset diaboli, pretium accipiens de illo qui non habet pretium, venditor sanguinis Christi, ex ipso pretio, ut Scriptura narrat, emit sibi agrum figuli : ut is qui hæreditatem integram Christum non habebat in cœlo, partem aliquam habere vellet in sæculo. Quam nec ipsam possedit, quia sceleris tanti facti sibimet conscius, collum sibi alligavit, et prostratus in faciem disruptus est medius. Ager tamen ille qui ab eo comparatus est, vocatus est Ager sanguinis (*Act*. I, 16-19), quoniam ex pretio comparatus est tanti sanguinis. Vendidit discipulus sanguinem magistri, et emit exinde agrum figuli : quid est hoc ? Putamus, dilectissimi, vacare hanc actionem in illa venditione vel emptione, vel in ipsa Christi mystica Passione ? Comparavit, ait Scriptura, Judas agrum figuli, et vocatus est ager ille, Ager sanguinis. Clamat hæc terra quali vel quo pretio fuerit comparata ; imo pretium ipsum clamat, sanguis ipse clamat, Abel ille justus ab impio fratre occisus clamat. Namque, dilectissimi, cum hæc similitudo passionis Christi et nequitia Judæ ac Judæorum in illis duobus primis monstraretur fratribus, Cain et Abel ; posteaquam a majore fratre minor occisus est, ab invido innocens peremptus est, a scelerato pius interfectus est, interrogat Deus Cain, quasi nescius, quasi ignarus, et dicit : *Ubi est Abel frater tuus ?* Quæ vox non est ignorantis, sed peccatum ante oculos scelerati ponentis ; ut inexcusabilis sit omnis homo qui et admonitus pœnitere non vult in malo. *Ubi est Abel frater tuus ?* hoc fuit dicere ei : Agnosce, Cain, non me potuisse latere id quod me putasti posse latere ; agnosce quid feceris, de proximo age pœnitentiam, ut possis accipere indulgentiam. Verum ille sensu durior, in scelere pertinacior, moribus perversis in anima percussus, respondet Deo dicenti, *Ubi est frater tuus ?* et dicit, *Nescio. Numquid ego custos sum fratris mei ?* Quid dicis, Cain ? cui dicis, *Nescio ?* Cum illo loqueris qui omnia videt oculis suis. Quid est quod dicis, *Numquid ego custos fratris mei sum ?* Talia perpetrando repulisti a te in omnibus timorem Dei. Et Dominus illi : *Quid fecisti ? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Si enim esses fratris tui custos, ejus non esses interfector. Si agnosceres fraternitatem, tantam non committeres immanitatem. Si timeres meum judicium, in fratrem non committeres parricidium. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*

[1] Sic Fabricianum codex. At Er. et plures Mss., loco, *parent*, habent, [illegible] Dei [illegible] ; [illegible], *ad aridas*, etc., [illegible], *et*.

[2] Editi Lugd. Ven. Lov., *redderet*. M.

de terra. Et nunc, ait Dominus, *maledictus tu a terra*: non, maledicta terra, sed, *maledictus tu a terra, quæ accepit sanguinem fratris tui de manu tua* (*Gen.* IV, 1-11). Agnosce jam, terra, quoniam sanguine rigata es innocentis, convince vocem negantis, suscipe sanguinem confitentis. Interrogentur et nunc Judas et Judæi, imo in Juda omnes Judæi. Interroget Dominus Judam et dicat ei: Juda, ubi est Christus frater tuus? An forte dicturus es, o male frater, quod Christus tuus non fuit frater? Convincat te prius ipse Dominus quod tuus fuerit frater. Dic nobis, Domine Jesu Christe, utrum Judas fuerit frater tuus. Respondet, Et si fuit, fuit: non enim est quod fuit, et si fuit, fuit: ego enim generaliter de omnibus Patri meo dixi, *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23). Ecce, Juda, convictus es quod Christus fuerit frater tuus. *Ubi est frater tuus?* Responde, dic, sequere, dic quod dixit et ille, *Nescio. Numquid ego sum custos fratris mei?* Non enim et tu fuisti custos, qui et proditor factus es et venditor. Dic, *Numquid sum custos fratris mei?* ut respondeatur et tibi, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quid enim dicit omnis homo terra? *Primus* enim *homo de terra, terrenus*; et, *Qualis terrenus, tales et terreni* (I *Cor.* XV, 47 *et* 48). Quid dicit omnis homo terra, quando accipit sanguinem Christi? Amen dicit. Quid est, Amen? Verum est. Quid est verum? Quia fusus est sanguis Christi. Quo faciente? Discipulo Juda tradente. Amen dicendo, verum clamando dicit hoc omnis homo terra. Ecce, Juda, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Probavimus quia ejus sanguine rigaris.

CAPUT IV. — 5. *Sanguis Christi quomodo accipiendus. Stephanus, Cyprianus, Laurentius, Perpetua et Felicitas.* Vide, terra, quomodo accipias hunc sanguinem: quia qui eum bene accipit, accipit benedictionem, qui vero eum male accipit, judicium sibi bibendo acquirit. Hoc figuratum est et in illo agro Judæ, de quo dictum est quod esset ager sanguinis: secutum est enim ut diceretur, *Fiat villa ejus deserta* (*Act.* I, 20). Si enim ad Judam pertines, si facta ejus imitaris, si sanguinem Christi non cum timore et tremore accipis; eris villa deserta, maledicta, reproba et spinosa. Si autem sanguinem Christi tota cum reverentia percipis, cognosces per illum tua tibi dimitti peccata, quoniam ager ille quem comparavit Judas, figuli dictus est: *Habet potestatem figulus luti, ex eadem conspersione aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumeliam* (*Rom.* IX, 21). O terra tanto rigata sanguine, responde tanto sanguini, non sicut Cain et Judas verba excusationis, sed sicut sancti martyres verba confessionis. Responde sicut respondit beatus Stephanus, qui in isto agro dominico ut bonus colonus plurimum laborando genu fixit, atque de terra petrosa vulneratus, ex ea lapides in suo corpore tanquam in sinu suo collegit; et sudando in opere, terram sancto sanguine rigando centenum fructum ex martyrio Domino præsentavit. Responde sicut respondit Cyprianus, Laurentius, cæterique sancti pueri et puellæ, ætas omnis et uterque sexus, qui percipientes sanguinem Christi, testimonium dicentes, et non negantes nomen Christi, pro sanguine quem biberunt, sanguinem suum fundere non dubitaverunt, simulque cum Perpetua et Felicitate in æternum regnare meruerunt. Hoc in Apocalypsi revelante angelo, Joannes vidit *turbam multam quam dinumerare nemo poterat.* Hanc requirens quænam esset, responsum tale accepit: *Hi sunt*, dictum est, *qui laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni* (*Apoc.* VII, 9, 14).

CAPUT V. — 6. *Anima sanguine Christi dealbatur et decoratur. Christus in passione a Petro negatus.* Jam agnoscis, anima christiana, quemadmodum et tu ex illo sanguine efficiaris candida, ut omnis et corpore et corde pulchra ascendas de fonte Christi consecrata in sanguine. Quid enim manavit ex illo latere crucifixi? Sanguis et aqua: ex sanguine rubor, ex aqua splendor. In istis duobus sacramentis decorantur singulæ animæ, ex quibus una illa pulchra efficiatur sponsa Ecclesia, cui dicitur in Cantico canticorum, *Quam speciosa es, soror mea, dilecta mea, quam speciosæ sunt genæ tuæ* (*Cant.* IV, 1, 3)! Et cum ipse eam talem fecerit, ipsamque pulchritudinem et ipse donaverit, videns eam talem quasi miratus exclamat, atque circumstantes interrogans dicit: *Quænam est hæc quæ ascendit dealbata?* Et illi: *Æquitas dilexit te* (*Id.* VIII, 5). Ipsa est *regina quæ astitit a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV, 10), linguarum diversarum gentium varietate decorata. Audiens hæc sponsa sui vocem dicentis, *Quænam est hæc quæ ascendit dealbata?* verecunde etiam ipsa respondere cogitur, et dicit suo sponso: De me interrogas quænam sum quæ ascendi dealbata. Ego sum quam fœdam invenisti, pulchramque fecisti: ego sum cujus preces audisti, quando me in Psalmo cantare fecisti, *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* L, 9). Quid ergo miraris pulchritudinem meam, cum scias hanc esse opera tua? Quid interrogas quod ipse fecisti? Vides me dealbatam, tu lotam super nivem fecisti candidam. Ut videas me ascendentem, te cognovi de cœlo descendentem, te amavi in cruce pendentem. Humilitas tua facta est exaltatio mea, fœditas tua facta est pulchritudo mea. Nisi enim tu de cruce vulneratus descenderes, ego dealbata de fonte non ascenderem. Vere dictum est quia *valida est sicut mors dilectio* (*Cant.* VIII, 6). Quo usque se sponsus hic inclinavit, qui tantum amando fœdam ut faceret pulchram, usque ad mortis exitum venit? *Et Domini*, inquit, *mortis exitus* (*Psal.* LXVII, 21). *Vidimus* enim *eum*, ait propheta, *et non habebat speciem*, *neque decorem* (*Isai.* LIII, 2). Quid miraris? amando talis factus est.

7. Hanc tamen amissionem decoris hujus timuit Petrus, quando prænuntianti Domino passionem suam, dixit: *Absit a te, Domine; propitius tibi esto, ne fiat istud.* Sed ille talia sapientem increpavit, et Apostolum diabolum vocavit dicens: *Redi retro, satanas; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* XVI, 22, 23). Æstimavit enim Petrus totam illam divinitatis pulchritudinem absorberi potuisse in corporis humani specie, et nesciebat agi illud magnum sacramentum, quod propterea se illam pulchritudinem quodam modo exspoliaret, ut quam sibi conjungere dignabatur sponsam Ecclesiam, eamdem ipsam pulchritudinem ipse vestiret. Non enim dando perdebat illud quod erogando crescebat. Ille dedit, hæc accepit; et ista quod non habuit invenit, et ille dando quod dedit non amisit, quia cum ipsa pulchritudine a mortuis resurrexit. Quid expavescis, Petre, quasi perdiderit Christus illam pulchram vestem, quando eum nudum intendebas in ligno pendentem? Noli expavescere, noli timere, noli negare: tunicam illam divinitatis atque immortalitatis Christus non perdidit in cruce, quia sponsæ suæ eam consignavit in dote. Vidisti eum, o Petre, non habentem speciem neque decorem, et continuo negasti illum, quem omnibus relictis tuis amasti: et non solum semel, sed stans in atrio sacerdotis ab una ancilla tertio interrogaris, et negas. At ubi te gallo canente convicit præsumptorem, qui prædixerat antea negatorem; respexit te intus in corde, et ut amare fleres (*Id.* XXVI, 69-75), intus quodam modo tecum tacite loquebatur illa ipsa ejus divinitas, et dicebat tibi: Ubi est, Petre, *Si possides amicum, in tentatione posside eum* (*Eccli.* VI, 7)? ubi est, *In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis* (*Id.* XXII, 29)? ubi est, Petre, *Animam meam pro te ponam* (*Joan.* XIII, 38)? et, *tecum usque ad mortem* (*Luc.* XXII, 33)? Quam celeriter negasti quasi hominem mortuum, quem antea confessus fueras vivi Dei Filium! Hæc dum ille tecum in corde sermocinaretur, respexit divinitas, et flevit humanitas: agnita est dulcedo, et periit amaritudo; suscepta est charitas, et deleta est ini-

quitas; redit amor, et fugatus est timor. Ecce subito quem negaverat, quia non habebat speciem neque decorem, agnoscit resurgentem speciosum forma præ filiis hominum, conjunctamque illi videt sponsam, tunicam illam immortalitatis, quam antea Petrus timuerat perditam, indutam videt: cognoscit quod tali sit circumamicta veste, et alloquitur illam ipsam sponsam Petrus, ut servet hujus tunicæ dignitatem, et dicit animæ humanæ, *Christus pro vobis passus est*, ***relinquens vobis exemplum*, *ut sequamini*** *vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Sequere, sponsa, sequere vestigia sponsi tui: nullus te metus revocet a consortio dilecti tui. Ama amantem, quia prius ille amavit non amantem: require requirentem, quia prius ille quæsivit non quærentem. Require, et dic sponso tuo, *Ubi pascis, ubi cubas in meridie? Ne forte fiam sicut operta super greges sodalium tuorum* (*Cant.* I, 6). Quam sic dilexisti, pro qua sanguinem fudisti, cujus tabernaculum in sole posuisti (*Psal.* XVIII, 6); *non fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.*

CAPUT VI. — 8. *De cavendis hæreticis, præsertim Arianis.* Ecce dum te quæro ubi pascas, ubi cubes in meridie, meridies Africa est, quæ in solis occasu est, et tamen quia ab ortu solis usque ad occasum laudatum nomen tuum (*Psal.* CXII, 3), et sunt qui te prædicant non caste, quærentes quæ sua sunt, non quæ tua sunt, dum te quæro in meridie, id est in Africa: ecce greges sodalium tuorum, scholæ pessimæ hæreticorum, fraus Manichæorum, nequitiæ Pelagianorum, superba congregatio Arianorum, insultant velut opertæ, id est, velut incognitæ, et dicunt mihi, Quem quæris? Christum quæris? Ecce hic est, ecce illic est. Tu autem quia me admonuisti dicens, *Si autem dixerint, Ecce hic est, ecce illic est,* ***ne abieris post eos*** (*Matth.* XXIV, 23); cum te noverim ubique totum esse, non partes defendere, sed unitatem diligere, facta sum illis incognita et velut operta: et rident me, quia nesciunt te. Et quid magnum, quia ego ab eis sustineo tale opprobrium, cum tu eorum usque contumeliosum sustineas verbum? qui te cum Patre nolunt esse unum, sed dividendo inter Patrem et Filium, inter sponsam et sponsum, magnum incurrunt sacrilegium, magnum suæ animæ inferunt morbum; quia nec te unius unicum sponsum, nec fidelem atque integrum habere desiderant medicum. Tu autem, anima christiana, quæ ascensura es ex sacratissimo fonte, rubore atque decore perfusa, speciosa nimis et candida, serva decorem tuum: agnosce quid fueris et quid eris, vide ne deseras mensam sponsi tui. Ut pulchra permaneas, carnes ejus quotidie manducabis; ut vitam æternam habeas, sanguinem ejus potabis: vide ne deseras hanc mensam. Plurimos apparatus hæreticorum fuge: et si plurima illic pravis disputationibus apponuntur, aut fœda sunt, aut semesa sunt. Non est enim illic quidquam integrum, ubi Pater et Filius et Spiritus sanctus non est unum. Mensa sponsi tui panem habet integrum, et calicem sanctum: quem panem etsi contritum comminutumque vidimus in passione, integer tamen mansit in illa sua cum Patre individua unitate. De isto pane et de isto calice dicebat ipse Dominus, *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita: et calix quem sanctificavero, sanguis meus est, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Superius enim dixerat: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Quod verbum audientes, nec intelligentes discipuli, dixerunt: *Durus est hic sermo, quis eum potest audire?* Et multi ex hoc verbo scandalizati discesserunt. Cum videret autem Jesus, ait reliquis: *Numquid et vos vultis ire?* Tunc Petrus, qui sancta signum portabat Ecclesiæ, respondit pro omnibus: *Et ad quem ituri sumus? Verbum vitæ habes, et dimittimus te* (*Joan.* VI, 52-69)? Videtis, dilectissimi, quid sit exire, quid sit permanere. Qui exierunt, quia verbum Christi non intellexerunt, non jam discipuli, sed hæretici remanserunt: qui perstiterunt, verbum vitæ tenuerunt. Agnoscite, hæretici, exitum vestrum, quia minorem prædicatis Christum[1] nostrum. Et vos cum eo stare noluistis, quia Christum unum esse cum Patre non intellexistis: ideo foras existis, quia verbum vitæ reliquistis. Non in vobis manet, qui cum Patre æqualis manet. Audi ipsum, quia simul cum Patre manet. *Si quis*, inquit, ***me diligit*, *diligetur a Patre meo*, *et ego diligam eum***, *et veniemus ad eum* ego et Pater, *et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 21, 23). Dic mihi, obsecro, hæretice ariane, unam animam tuam simul habitat hæc Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus? Quoniam et Spiritus sanctus habitat in nobis: *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (I *Cor.* VI, 19)? An diversas mansiones in corde tuo præparas Trinitati, ut majorem partem teneat Pater major, minorem Filius minor, inferiorem Spiritus sanctus inferior? Jam ergo non habes unum cor, sed duplum, aut triplum. Non ergo illic habitat Trinitas. Quare? Quia dictum est, *Væ duplici corde* (*Eccli.* II, 14)! Insensate, inepte, fatue: ignis, splendor, et calor simul atque inseparabiliter, nec distincte, sed æqualiter habitant unam lucernam, et una Trinitas Deus simul non potest inhabitare animam humanam? Si apud te æqualis unitatis individuæ Trinitatis non fuerit digna mansio inventa, respondebitur tibi, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 38). Non enim de lapidibus vivis construis templum Deo, quos rebaptizando præfocas, exhonoras, reprobas, vastas, damnas, exterminas. Nec fundamenta Apostolorum sequeris, cum sint ipsi columnæ Dei vivi, super quas fabricavit sapientia domum suam; ut construeretur verum illud templum, in quo erat pietatis magnum sacramentum. De quo templo dicebat Judæis: *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo* ***illud*** (*Joan.* II, 19). In patribus (*a*) tuis non habes lapidem angularem, quem secundum divinitatem Patri æqualem non credis: nec tecum ex duabus pennis charitatis dilectionem Dei et proximi te habere demonstras; quia nec Deum diligis sicut diligendus est, nec proximum sicut te ipsum. *Diliges* enim *Dominum Deum tuum*, dictum est, *ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII, 37). Da cor tuum Patri, animam Filio, virtutem Spiritui sancto. Ecce tria Trinitati, ex tribus unum hominem uni Trinitati sacrificium obtulisti, hæresim arianam vicisti; quoniam Dominus Deus tuus non tres dii, sed Dominus unus est. Hæc est fabrica sancta, hæc est aula[1] vera, in qua sunt oves Christi, non lupi diaboli.

CAPUT VII. — 9. *Hortatur ut ament Ecclesiam et orent pro pace ac liberatione patriæ.* Cavete, dilectissimi, fraudes hæreticorum; oves Christi, timete insidias luporum: videte quia nihil subtractum est utilitati vestræ, in quantum ipse Dominus donavit de annuntiatione verbi Dei. Quid Christus sit et quid Ecclesia, audistis, approbastis, clamastis: sed quare tanta mala patiamur, vel quibus meritis peccatorum in manus tribulantium nos traditi fuerimus, cum ante paucissimos dies loqueremur, simul agnovimus, simul flevimus (*b*). Nunc etiam quid accepturi estis, vel quid eritis, adhuc in auribus vestris insonat strepitus nostræ vocis: admonemus vos ut fratres, obsecramus ut patres, hortamur ut filios. Nolite perdere tantum bonum. Amor Christi in cordibus vestris non refrigescat: amor matris hujus circa vos non torpescat; quæ vos parturit, quæ curam magnam pro salute vestræ animæ gerit, quæ spem vestram dirigit, quæ quotidie redeuntes materno sinu excipit, quæ vobis spirituales cibos præparat, quæ ad æternam saturitatem perducere desiderat. Immaculatos filios Deo Patri

[1] Forte, *casta*.

(*a*) [illegible], pag. 2?1, 2?2, censet hic forte legendum, [illegible]

(*b*) [illegible]

vult assignare, quos tanta cura ac sollicitudine dignatur nutrire. Hanc toto corde amate, hanc amando, conservos vestros, fratres vestros, Dei ministros pro amore diligite : atque pro nostra mercede in illo sacratissimo fonte pro nobis orate. Orate pro pace, orate pro liberatione hujus terræ, orate ut misereatur qui juste indignatur. Novelli filii, dum in vestra sancta nativitate pater exsultat, vestris orationibus et fletibus mitigate iracundiam, quam sensimus fortiter vindicantem. In summa hoc rei, Apostolorum sanctorum verbis utentes, commendamus vos Deo in verbo gratiæ ejus, qui potens est custodire in vobis quod ipse donavit (*Act.* xx, 32). Ipsi gloria cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

DE CATACLYSMO

SERMO AD CATECHUMENOS.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Baptizatis superest labor et bellum contra vitia.* Quoniam in proximo est dies redemptionis vestræ, percipite, dilectissimi, ea quæ vos erudiant, atque corda vestra enutriant, erigant, corroborent ad timorem Dei : fervor iste tanti amoris non pigrescat in cordibus vestris. Nec putet quis tantum esse christianum, quod his imbutus mysteriis renascitur ex aqua et spiritu, et postmodum dimittat se voluptatibus variis ; securusque effectus quod sacramento Baptismatis munierit animam suam, non eam custodiat contra versutias inimici. Imo et ipse, quantum potest, custodiat, et custodiendam petat, ne tempestatibus hujus mundi procellisque depereat. Baptizatus est quis, navis est instaurata, subuncta, velificata, missa in mare ; indiget gubernaculo, quousque ad portum desideratum perveniat. Mare, hoc sæculum scilicet, non solum tempestatibus scopulisque periculosum est, verum etiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. Omni sollicitudine, omni cura, omni industria excitati jam vigilent nautæ : frequenter etiam Christus invocetur gubernator, ut navem tantis periculis ereptam, ad portum securitatis ipse perducat. Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensa Regis tui. Noli esse desertor, nec ut delicatus miles diffluas per voluptates, et te hostis diabolus inermem diffluentemque inveniat : sed ut fortis miles, quidquid potes age in hoc bello, ut virtus tua Christus non solum te tueatur, verum etiam alii proficiant ad salutem. Postula a Rege tuo arma spiritualia. Bellum tibi, inquit, indicitur, in quo eniteseas pugnando, ut ad plenam pacem triumphando pervenias. Non contra unum dimicabis ; multi enim contra te exient adversarii : pugnabis enim cum vitiis, et, ut beatus martyr Cyprianus ait, si depresseris avaritiam, exsurget libido ; quod et si libidinem superabis, succedet ambitio ; et si ambitio a te fuerit devicta, ira, zelus, æmulatio, invidentia, superbia, ebriositas cum cæteris suis pestiferis sociis in unum contra te dimicantium constituent castra (*Cyp. in lib. de Mortalitate.*)

CAPUT II. — 2. *De adjutoriis christiani militis.* Sed non metuas, habes quod agas. Invoca Dominum virtutum, induat te ex alto virtute, ut illam proferas vocem : *Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum ; et si exsurgat in me prælium, in illo ego sperabo* (*Psal.* xxvi, 3.) *In illo*, in quo, nisi in Domino virtutum, qui militem suum ita exspectat dimicantem, ut adjuvet laborantem? Baptizatus es, mundatus, unctus oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum ; noli postmodum male securus esse. Ad agonem produceris, contra diabolum vitiorum principem dimicabis in arena hujus mundi : utræque partes, Christi scilicet et diaboli, infinita populi multitudo te exspectat luctantem ; et quisnam vincat, vide omnem turbam nimia intentione pendentem. Non de te triumphet pars diaboli. Si vis vincere, noli de te præsumere : sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat ut victoriæ perferas palmam. Vis vincere? Caput prius contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? Manus tuæ fortes inveniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, non mutent vestigia tua frequentando spectacula et deserendo ecclesiam. Sed ut bene etiam in tam magno agone et tam grandi luctamine possis implere victoriam, *mittat tibi Dominus auxilium de sancto, et de Sion tueatur te* (*Psal.* xix, 3).

CAPUT III. — 3. *Aquæ virtus in Baptismo. Effectus Baptismi adumbratus, ubi Christus ambulavit super aquas. Alia Baptismi figura in liberatione populi per mare Rubrum.* Ecce dilectissimi, venturi estis ad fontem aquæ : non dicatis in cordibus vestris : Hoc est totum quod pro magno desiderabamus? Fons iste visibilis, similitudo est æterni fontis. Renascemini ex aqua et Spiritu. Aqua illa non solum corporis sordes mundat, sed animam a peccatis liberat. Debetis autem nosse cur virtus illius aquæ et animæ prosit et corpori. Non enim omnis aqua mundat : sanctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum (*a*). Virtus Verbi per aquam mundavit nos, quia super aquas ambulavit. Ut autem a tempestate hujus sæculi liberaret vos, videte potentiam Verbi Dei, quemadmodum dominetur cunctæ creaturæ suæ. Quod dicturus sum nostis. In Evangelio legitur : Cum quarta noctis vigilia veniret Dominus Jesus ad discipulos suos, ambulans super aquas maris, et inveniret eos piscantes quos jam fecerat hominum piscatores, perterriti discipuli putaverunt se phantasma videre. Accessit autem Jesus, et ait illis : *Nolite timere, ego sum.* Tunc unus illorum Petrus ille præsumptor et postea negator, post vero confessor et amator : *Si tu es*, inquit, *Domine, jube me venire ad te super aquas.* Et Dominus : *Veni*, inquit. Descendit Petrus, et cœpit ambulare super mare plenus fiducia. Dum ambulat, trepidavit infirmitas, sed statim subvenit divinitas. Cœpit mergi ; et exclamavit, *Domine, pereo.* Porrexit manum Dominus, erexit mergentem, confirmavit diffidentem, et ait illi : *Modicæ fidei, quare dubitasti* (*Matth.* xiv, 25-31)? Videtis, dilectissimi, quantum adjuvet fides, et quantum deprimat infidelitas. Si quis enim veniens ad aquas Baptismi, fide plenus est, sublevatur : si quis infidelis est, mergitur. Sed porrigat manum Dominus etiam infidelibus mergentibus, et plenam fidem operetur in cordibus.

4. Audite adhuc, aquæ Sacramentum quid in vobis operabitur. Proponam figuram, ut ex ea vobis veritas elucescat. Cum Ægyptii duris operibus populum premerent Hebræum, clamor factus est populi in auribus Dei ; et deprecati sunt ut eos liberaret a dominatu gentis pessimæ. Missus est Moyses, qui eos ex Ægypti educeret servitute. Apud Pharaonem principem Ægyptiorum fidelissimus Dei famulus allegat Imperatoris sui jussionem, et quid Rex omnium gentium præceperit, auribus durissimi regis insinuat. Obdurat Pharao cor suum, nec scire se dicit Deum : atque ejus ministros repudians, gravioribus pœnis affligit populum. Ex majori angustia populi major clamor exsurgit. Suscipit certamen famulus Dei Moyses, congreditur cum Pharaone, nullo telo, nullo gladio : nulla visibilia indutus arma, sed munitus potestate divina :

(*a*) Ex Tract. 80 in Joannem, n. 3.

inferuntur decem plagæ in Ægypto, et vindex ira in populum contumacem surgit, ut ex minutissimis animantibus, vermiculis, ranis et locustis cervix caderet superborum : in quibus plagis ultima mors primogenitorum Ægyptiorum omnium facta est, ut suos juste perderent, qui alienos injuste detinebant. Dimittit populum Pharao, non voluntate, sed nimia necessitate constrictus. Pergit populus erutus ad mare Rubrum festinans, ut per aquas salvarentur qui a pessimo hoste liberabantur. Sequuntur Ægyptii, imminent populo fugienti. Vident supra se Israelitæ hostes, et inimicorum suorum exspectant gladium. Mors in oculis, timor et tremor in manibus singulorum, ne in fauces caderent persequentium. Exsurgit Moyses famulus Dei portans virgam quam a Domino acceperat, et per quam jam multa signa fecerat : percussit mare, et divisum est. Ubi est illa potentia, non numinum, sed dæmoniorum? Ubi est vana superstitio Paganorum? Numquid ut mare divideretur, ille Neptunus est invocatus, quem regem maris esse volunt, qui regem verum Deum suum agnoscere nolunt? Virga extensa manu aquas percutit Moyses, et statim cogitur fluctus in cumulum, et unda in semetipsa repressa curvatur : soliditatem recipit liquor et solum maris arescit in pulverem. Ingressi sunt alii salvandi, alii damnandi. Unum elementum aquarum auctore totius creaturæ jubente judicavit utrosque : separavit pios ab impiis; illos abluit, istos obruit; illos mundavit, istos occidit (*Exod.* I-XIV). Moyses figuram habuit Domini Christi, quoniam dux fuit populi. In virga agnoscite crucem. Mare Rubrum agnoscite baptismum Christi sanguine purpuratum : regem Ægyptiorum populumque ejus, auctorem peccatorum diabolum cum omnibus ministris ejus. Sævit diabolus, quando nos videt per aquam Baptismi a sua oppressione liberari. Exclamate ad Moysen vestrum Dominum Christum, et virga crucis percutiat mare Baptismi, revertatur aqua et operiat Ægyptios; ut quemadmodum nullus remansit Ægyptiorum, nihil remaneat etiam vestrorum peccatorum. Totum mundet, qui totum fecit; reparet perdita, qui creavit omnia integra : exstinguat Pharaonem diabolum mortis auctorem, et suum populum liberet per aquam salutarem.

CAPUT IV. — 5. *De mysteriis agni Paschalis.* Audistis, dilectissimi, figuræ illæ quomodo transierunt ad speciem veritatis : illud superest, ut noveritis quemadmodum celebraverit pascha liberatus populus ex Ægypto, baptizatus, ut ait Apostolus, in nube et in mari Rubro (I *Cor.* X, 1). Acceperunt præceptum Domini per Moysen, ut in occisione agni celebrarent pascha, ex cujus sanguine postes domus suæ unusquisque liniret, nec timerent angelum vastatorem, qui signum sanguinis agni occisi in suæ fronte domus haberent. *Os*, inquit, *non comminuetis ex eo, nec relinquetis quidquam in mane. Cum picridis et azymis comedetis agnum* (*Exod.* XII). Fecerunt quod præceptum est filii Israel. Demonstra et tu, Israel spiritualis, fili Abrahæ secundum fidem, non secundum carnem, demonstra et tu quomodo celebres pascha : habes agnum occisum, demonstra. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29). Lini sanguine ejus postes domus tuæ : demonstra et dic, Ecce crux sanguinis Christi in frontibus est pudoris nostri. Dic cum Paulo, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14). *Os non comminuetis ex eo*, dictum est : impletum est hoc in ipsa Domini passione, ipsius sancti Agni immolatione, quando crucifixus cum duobus latronibus in medio pendebat, ipsa summa justitia liberans unum confitentem, alium puniens blasphemantem (*Luc.* XXIII, 39-43). Ita factæ sunt tres cruces, tres causæ. Unus latro cum Christo insultabat, alter sua merita confessus Christi se misericordiæ commendabat : crux Christi in medio, non fuit supplicium, sed tribunal. Mox ut peregit omnia quæ de se erant scripta, accepto felle et aceto, propter illud quod prædictum erat, *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22); inclinato capite tradidit spiritum. Venerunt milites, fregerunt crura latronibus in cruce pendentibus : ad Jesum autem cum venissent, non fregerunt ejus crura; ut impleretur, ait Evangelista, quod scriptum est, *Os non comminuetis ex eo* (*Joan.* XIX, 28, 36). Sed unus e militibus latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina Sacramenta. Percussit latus lancea persecutor, et fudit pretium Redemptor. Hic sanguis inebriat mentem, ut amorem obliviscatur mundi. Hæc aqua mundat animam, ut corpus sordes careat diaboli [1]. *Nec relinquetis quidquam ex eo usque in mane.* Hoc nunc agitur : comeditur enim agnus per noctem hujus sæculi, ut cum mane illud venerit quod vesperum non habebit, non jam offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum Agnum quem quotidie comedimus [2], et cujus sanguinem bibimus, inveniamus illic eum sacerdotem perfectum, quem hic pro nostra salute constat occisum. Quæ sunt hæ picridiæ, olera amaritudinis, quæ comedit Israel spiritualis; nisi vox illa amara ad tempus sanctorum martyrum emissa per sanctum David, ac dicentium, *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis, in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6); et per apostolum Paulum, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur* (II *Cor.* IV, 8)? Demonstra et azyma, sancte Paule, ex Israelita carnali spiritualis effectus. Celebrasti enim pascha cum populo vetere, et quemadmodum novus populus figuras in veritatem converteret, tu docuisti, tu demonstrasti. Ostende ergo azyma consparsionem novam. *Non in fermento*, inquit, *veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* V, 8).

CAPUT V. — 6. *Virga Moysi devorans magorum serpentes, figura crucis Christi cujus virtute hæreses conteruntur. Donatistæ expugnati, Maximianistæ, Manichæi, Pelagiani, Ariani refutantur.* O agne occise, o Christe sancte pro nobis crucifixe, qui ut lapsa reparares in cruce pependisti : ipsa est illa virga regni tui, crux ipsa, inquam, qua virtus in infirmitate perficitur; ipsa illa virga crux, ipsa illa virga quæ floruit ex radice Jesse; ipsa illa virga quam portabat Moyses, quæ conversa in serpentem glutiit magorum serpentes : doctrina Christi diffusa per omnes gentes, hæreticos superans dementes. In illo enim populo, fratres, in quo multa miracula faciebat Moyses per virgam, exsurrexerunt magi Pharaonis, facientes et ipsi prodigia contra famulum Dei Moysen. Sed ad hoc quædam mira facere permissi sunt, ut mirabilius vincerentur. Magi Pharaonis quid aliud significabant, nisi omnes hæreticos ministros diaboli, qui sub nomine Christi devorare cupiunt populum Christi? Scatent nunc hæreses in hanc terram, tanquam serpentes magorum, quos devoravit et devorat ille serpens exaltatus in ligno. Sed quoniam non est temporis ire per multos, singulorum capita conterantur : quomodo exsurgunt, sic devorentur. Fuit hic, ut nostis, dilectissimi, viperea doctrina Donatistarum : contrita est, consumpta est. Mox Maximianistarum serpentina fraus pullulavit : contrita est, consumpta est. Manichæorum venenum aspidis subrepserat : contritum est, consumptum est; Pelagianorum novum dogma, a ministris diaboli tanquam a magis Pharaonis excitatum, illi nostro serpenti certamen indixit : conteritur, consumitur.

7. Cum tot serpentum capita catholica doctrina contriverit, dissipaverit, consumpserit, ecce nobis unus anguis Arianus olim mortuus insultat : caput erigit, veluti vivum se demonstrare conatur, quem jam olim constat occisum. Redi, Moyses noster; redi, virga; redi, serpens Christe sancte, æqualem potestatem cum Patre habens : redi, contere capita draconum super aquas; confringe caput draconis magni, vivum sese profitentis, sed veram vitam non

[1] Sic MSS. At editi, *sordibus careat diaboli.*
[2] Hic sola editio Lov. addit, *immolamus.*

habentis. Dic tu quid es, quoniam ille aliud docet quam es. Dic, dic, audiamus unde hæreticos convincamus. Audite quid dicat : *Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* xiv, 6). Secundum humanitatem via, secundum divinitatem veritas, et vita. Tu autem, hæretice ariane, qui minorem vis esse in divinitate vitam et veritatem, sequitur ut non per eum venias ad Patrem. Sed adhuc, Domine Jesu, contere caput draconis, dic quid sis cum Patre : te audiamus docentem, non hæreticum blasphemantem; dic quid sis cum Patre. *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Id.* x, 30). Dic adhuc, *Ego in Patre, et Pater in me est.* Adhuc dic, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Id.* xiv, 10, 9). Credis jam, hæretice, tantæ auctoritati? An ipsius testimonium de se ipso non admittis, sed alios de eo testes requiris? Ecce introducuntur, adversum te dicunt, convinceris, refutaris, et legis laqueis irretiris. Dic, testis Dei Paule, qui usque ad sanguinem pro isto testimonio accessisti, et ne falsæ doctrinæ succumberes, animam posuisti. Dic : audiat qui convinci formidat; convincatur qui nec convictus mutatur. *Singuli quique*, ait, *hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* ii, 5, 6). Audis æqualem, audis formam Dei : et tu audes dicere minorem Filium Dei! Veniat et alius testis, ut in duobus vel tribus confirmetur æquitas veritatis. Dic et tu, sancte Petre, quid tibi revelaverit : non caro et sanguis, sed Pater cœlestis. *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* xvi, 16, 7). Et in Epistola sua ad Gentes secunda : *Notam facimus vobis*, inquit, *Domini nostri Jesus Christi virtutem, et præscientiam, et magnitudinem.* Audis virtutem, audis magnitudinem, audis præscientiam. In quo, hæretice, Christum dicis esse minorem? Sed audi adhuc quid adversum te hic testis et de Filio et de Spiritu sancto dicat. *Non voluntate humana allata est*, inquit, *prophetia : sed Spiritu sancto acti, locuti sunt homines Dei. Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui subinducent sectas perditionis, et qui emit eos dominatorem abnegantes* (II *Petr.* i, 16, 21, *et* ii, 1). Vides te validis testimoniis et demonstrari et convinci. *Negantes*, inquit, *dominatorem* esse *qui emit eos*. Quem negas dominatorem, nisi Filium quem dicis esse minorem? Et quis est qui nos emit, nisi qui nos suo sanguine redemit? sed ingrediatur et tertius testis, ut tres unum verum testimonium dicant uni Trinitati et trinæ divinitati. Dic tu, sancte Joannes, qui super pectus Salvatoris discumbebas, et videbas supercœlestia mirabilia verbum Domini (*a*) : dic et tu, inquam, quid noveris Filium Dei. *In principio*, inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1) : et in epistola sua, *Scimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut sciamus quid verum sit, et simus in vero Filio ejus : hic est enim verus Deus et vita æterna* (I *Joan.* v, 20). Tu autem minorem dicendo Filium, qui est Deus verus, non habes vitam æternam. Sed ad confutandam contumaciam perversam hæresis, ad deglutiendum te, serpens magice factus, non a veritate susceptus, ipse Pater testimonium dicat de Filio : ut nihil amplius quæras, nihil amplius credas. Per Prophetam : *Tecum*, inquit, *principium in die virtutis tuæ.* Principium Pater, principium Filius : ergo Pater et Filius principium sine ullo principio. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ex utero generavit te* (*Psal.* cix, 3) : tanquam diceret, ut sancti illuminarentur, processisti ex me. Nec fuit, dilectissimi, alia causa cur vel ipsa nomina Patris et Filii et Spiritus sancti sejuncta viderentur, nisi ut sancti homines instruerentur. Cæterum quod dictum est Moysi ab ipsa substantia Trinitatis, *Ego sum qui sum*; et, *Sic dices, Qui est, misit me* (*Exod.* iii, 14). Ergo ex utero in splendoribus sanctorum generatus est Filius. Sed ne hanc generationem carnaliter vel temporaliter accipere tentes, audi quomodo eum genuerit. *Eructavit*, inquit, *cor meum Verbum* (*Psal.* xliv, 2). Joannes testis dicit : *In principio erat Verbum.* Deus Pater dicit : *Eructavit cor meum Verbum.* Habacuc dicit : *Ambulabit Verbum* (*Habac.* iii, 5, sec. LXX). Audis Deum Verbum, et hoc esse in principio apud Deum, et Deum esse Verbum. Testimoniorum vox, et ipsius Trinitatis unitas per totum mundum contra te clamat : et tu velut canis rabidus contra totum mundum latras. Sed audi adhuc unde plenius convincaris, quod Trinitas unus Deus sit. Patris vox est per Prophetam ad Filium : *In splendoribus sanctorum ex utero genui te.* Patris vox est ad Isaiam prophetam de Spiritu Sancto : *Spiritus sanctus*, inquit, *a me exiet.* Et Filii vox est in Evangelio ostendens in se Patrem esse, et se in ipso, ubi ait : *Pater in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* xiv, 10). Filii vox est de Spiritu sancto, ostendens quia quomodo procedit ex Patre, ita ex se ipso, ubi ait discipulis suis post resurrectionem : *Accipite Spiritum sanctum. Et insufflavit in eis*, ait Evangelista, Spiritum sanctum dans eis, ac dicens : *Si cui remiseritis peccata, remittentur illi* (*Id.* xx, 22, 23). Unde est et illud apostoli Pauli : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* viii, 9). Si ergo Filius in Patre et ex Patre, Spiritus sanctus simul est et in Filio et Patre; non est sejuncta Trinitas, ubi est perfecta unitas. Discedat Arianus confusus reus, quia Trinitas unus est Deus.

CAPUT VI. — 8. *Virgæ et crucis Christi mysteria prosequitur. Sanctorum exempla omni hominum generi proposita.* Sed quando tibi, perversa hæresis, verba mea proficiunt, cum sis aspis surda, obturans aures ne audias vocem incantantium? Noveris te tamen a serpente esse comedendam, dum oves quas tenes captivas, ad suum ovile ille pastor adduxerit, ut sit unus grex et unus pastor. Ille pastor noster, dilectissimi, qui in virga ferrea pascit et regit, confringit et restituit, ipse pastor est, ipse rector, ipse fabricator, ipse architectus noster. Magnum te pastorem video, Domine Jesu, oves pascentem, errantes requirentem, inventas cum gaudio ad gregem tuis humeris reportantem : magnum te architectum video, virgam portantem, in virga pendentem, et de ista virga multa miracula facientem. Multum expavesco expositionem virgæ hujus, dilectissimi, dum loca divinarum Scripturarum considero. Virga Maria sancta, virga ipse Christus, virga crux. Et de ista virga quam magna et mira fecit hic architectus! et arborem fecit crucis ubi ipse angularis pependit lapis, et scalas cœli per quas hominem lapsum ad Patrem levavit. Quale miraculum, fratres, hujus architecti, ut de virga sua faceret scalas, et tales quarum caput in cœlum poneret, et per eas ipse et ascenderet et descenderet, et propter confirmationem ipse super eas incumberet! Ascende securus, qui desideras cœlum : non te terreat earum nec angustia, nec longitudo, nec altitudo; nihil timeas, non nutant gradus ejus, quos ille architectus sic confirmavit, ut in ejus ligno manus suas clavis affigi voluerit. Vide has scalas hujus architecti discipulum apostolum Paulum et demonstrantem, et gradus quasi numerantem et ascendentem, et quam plurimos invitantem : *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit altitudo et latitudo, longitudo et profundum* (*Ephes.* iii, 14 *et* 18). Quatuor gradus posuit crucis. Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ : quatuor gradus habent, et perducunt ad cœlum. In altitudine crucis caput positum est crucifixi : sursum cor habeat christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet; et ascendit unum gradum. In latitudine crucis manus affixæ sunt crucifixi : perseverent manus christiani in operibus bonis; et secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus pependit crucifixi : castiget quis corpus suum observationibus, jejuniis illud sus-

(*a*) Vid. lib. de Sancta Virginitate, cap. 27.

pendat, ut servituti animæ subjiciat: et tertium gradum ascendit. In profundo enim est altum est quod non vides, sed inde exsurgit hoc totum quod vides: adsit fides christiana, quod non potest comprehendere, credat corde, altiora se non quærat, spes eum nutriat; et tunc quartum gradum ascendit.

9. Per hos gradus ascenderunt sancti omnes, continentes, conjugati fideles: evaserunt ruinas mundi, migraverunt ad loca tutissima, ubi jam nec barbaros timent, nec fragiles casus humanos exhorrent, nec corruptiones metuunt, nec ægritudines patiuntur, nec tribulationibus affliguntur, nec ipsam jam mortem timent, sed cum Deo de Deo vivunt. Hanc vitam, dilectissimi, [amemus, appetamus, desideremus: ad quam omnis qui currit, non graditur via pedum, sed via morum. Boni ergo mores requirantur, ipsi in omnibus inveniantur. Uterque sexus et omnis ætas habet in hoc sanctorum hominum imitationis exemplum. Imitentur senes mores Tobiæ, qui cum cæcus esset corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde. Ille eum manu ducebat in terra, et pater monendo eum perducebat ad cœlum. Imitentur adolescentes Joseph sanctum, pulchrum corpore, pulchriorem mente: quem castitas sic possederat, ut irruentes manus dominæ mulieris impudicæ non possent eum vincere, nec mente[1], nec corpore, cujus jam Deus possederat mentem. Imitentur virgines sanctæ sanctam Domini sui matrem Mariam. Imitentur viduæ religiosam viduam Annam: imitentur et conjugatæ castam Susannam. Virgo mater quod vovit, implevit: Anna vidua in orationibus et jejuniis usque in finem perseverantiam tenuit: Susanna casta pro pudicitia conjugali usque ad periculum mortis accessit. Intendite, conjugatæ, qualis vobis hujus a Scriptura sancta imitatio proponatur. Non enim eam prædicat, quod fuerit auro, monilibus vel veste pretiosa forinsecus compta, cum fuerit intrinsecus pudore castitatis ornata. Omnibus vitam donavit, qui bonos mores instituit. Propterea namque ipse vir de femina est nasci dignatus, quia ab ipso uterque sexus est liberatus. Multa diximus, intentissime audistis, epulas dominicas libentissime comedistis: rependite vicem ministratori vestro, ut si non verbo, saltem vestris orationibus pascar.

[1] Abest, *nec mente*, ab Er. et a Mss.

SERMO

DE TEMPORE BARBARICO.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Pœnitentiam amplectendam esse, cum Deus propter peccata flagellat. Flagello Dei omnes merito conteri.* Admonet Dominus Deus noster, non nos debere negligere nostra peccata, quando talem demonstrat iram suam. Ipse quippe juste punit nocentes, quia nullum invenit pœnitentem. Quoties, dilectissimi, intonuerunt atque intonant tubæ divinæ: *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim ad vos regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17)? Et clausis auribus cordis, magis operamur mala, et petimus ut veniant bona. Sed talium judicium justum dicit esse Apostolus. In eo enim ipso quod talia sapiunt qui tales sunt, ex malis operibus posse se bona suscipere, obdurati sunt, pœnitentiæ locum non requirunt. Merito juste judicati, qui a semetipsis inveniuntur esse damnati. Licet non omnes tangat hic noster sermo, omnes tamen astringit sermo divinus, dicens: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, 3). Quomodo omnes, et quomodo non omnes? Quomodo non omnes? Quia sunt multi qui gemunt et dolent ob iniquitates quæ fiunt in medio eorum, volentes resistere; sed timore sæcularium rerum non audentes, quas adhuc vel adipisci desiderat humana fragilitas, vel amittere formidat infirmitas. Secundum id quod dolent, non omnes: secundum quod rem non timendam timent, *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*; quia plus æstimatur timor hominis, quam timor Dei, et præferunt homines res quas acceperunt a Deo ipsi Deo. Nec ea tollat mallis homo, contemnatur Deus per quem factus est homo. Vellem vos quidem qui adhuc tales estis, et amore rerum sæcularium obligati peccantibus aut parcitis, aut favetis; vellem vos quidem aliquibus exhortationibus admonere, quid cui rei præponere debeatis: nisi nos fletus lacrymarum cogeret plangere eos qui peccant, et tollunt a se re pœnitentiam. Si esset in nobis humanus affectus, et nostræ compassionis sensus, unius hominis mortem flere, dolere ac plangere deberemus: quibus lacrymis, quo gemitu, qualibus planctibus exsultamus, quando aut maximam partem, aut pene totam pati gemus civitatem? Æger est civitas, et vana ejus magnum renuntiat, omnes qui eum diligunt, ægrotant simul animo. Si cum et in ipsa vicina morte videre viderint, quemadmodum ab eo omnem spem salutis ablatam sentiunt, eumque adhuc vivum tanquam mortuum merito plangunt? Inter tantas angustias et in ipso fine rerum posita est universa provincia, et quotidie frequentantur spectacula: sanguis hominum quotidie funditur in mundo, et insanientium voces crepitant in circo. O planctus omni tristitia acceptior! o planctus omni mœstitia affligens cor! Libet flere. Plangimus enim, dilectissimi, et illos et nos, quia et nos digni sumus qui cum talibus merito flagellemur. Nos enim, cum alios accusamus (*a*); omnes declinavimus, simul inutiles facti sumus, prorsus omnes. Nullus est excusatus; quia talis est judex, ut omnis homo ab illo inveniatur reus. *Cum enim Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 8 *et* 9)?

2. Advenit tempus illud quod prædixit Dominus: *Putas, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem in terra* (*Luc.* XVIII, 8)? Quis habet fidem? quis credit verbis? Audebit aliquis nostrum assignare sibi fidem, quando audit Dominum dicentem discipulis: *Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis arbori huic, Eradicare, et plantare in mari; et obaudisset vobis* (*Id.* XVII, 6)? Quis sibi audebit assignare quod faciat omnia quæ præcepit Deus? Nemo, prorsus nemo. Prædicamus, et non facimus: auditis, et facere non curatis. Merito omnes sub flagello, et doctor et factor, et auditor et contemptor. Studemus invicem reprehendere, et non studemus opera nostra discutere. Detrahit proximus proximo, detrahit clericus clerico, detrahit laicus laico. Video quidem se invicem accusantes, sed neminem video juste se excusantem. Unusquisque enim, dilectissimi, proprium onus portat. *Nolite detrahere alterutrum, fratres,* ait apostolus Jacobus. *Qui enim detrahit fratri aut judicat fratrem, detrahit legi et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. Unus est enim legislator et judex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum* (*Jacobi* IV, 11-13)?

CAPUT II. — 3. *Pœnitentia e sæculo, antequam succidatur arbor.* Nec tamen voces detrahentium silentium possunt imponere verbo Dei. Clamat ille per

(*a*) Forte addendum, *nos excusamus*.

bonos, et per malos : *Agite pœnitentiam, appropinquavit ad vos regnum Dei. Nolite esse auditores legis tantum, sed factores* (*Jacobi* I, 22). *Facite dignos fructus pœnitentiæ. Ecce enim*, ait Evangelista, *securis ad radices arborum posita est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 2, 8 *et* 10). Video, inquit, omnes homines diversas arbores, fructus etiam diversos habentes : sed bonus fructus quæritur qui placeat, non qui putreat. Sunt enim et arbores spinosæ, igni deputatæ, merito incendendæ, quia in eis nullus fructus est amœnus. Putatisne, dilectissimi, nos omnes tales sumus, qui in istis malis pro peccatis nostris dimissi sumus? Exacuit agricola ferrum, amputat inutile lignum, abscisum servat incendio concremandum. Hoc nunc agitur a vero agricola. Videntur quidem sibi mali adhuc stare, adhuc florere. Quisquis talis es, quisquis malus es, quisquis corrigi non vis, non te consoletur altitudo tua; quia major te exspectat ruina, ampliorque sustinet flamma. Quia securis hæc ad te nondum venit, ideo putas te posse semper stare? cum videas vel audias alias arbores te ampliores cecidisse. Quod te hic agricola differt, ejus est patientiæ, ne forte intercedat apud eum locus pœnitentiæ. Colonus enim ille in Evangelio, qui intercedebat pro arbore, quam dominus eradicare volebat, quod fructum per triennium non haberet, videte quid ait : *Domine, dimitte illam et hoc anno ; faciam ei fossam, adhibeam cophinum stercoris : si fecerit fructum, bene ; sin autem, abscides eam* (*Luc.* XIII, 8, 9). Arbor hæc sterilis, genus hominum est non habens fructum pœnitentiæ. Dominus ejus, conditor ejus est. Intercessor hujus arboris, apostolus Paulus est. Unde probamus? Audi in quadam Epistola sua quemadmodum intercedebat pro talibus : *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis virtutem* (*Ephes.* III, 14, 16). Hoc ergo eis petebat, ut acciperent quod non habebant. *Faciam*, inquit, *ei fossam, adhibeam cophinum stercoris*. Fossa locus est humilitatis : cophinus stercoris, lacrymæ sunt pœnitentis. Quem locum si quis contempserit, amplius sustinebit tormentum, quando illius agricolæ acutissimum senserit ferramentum. Agite, mali, pœnitentiam ; corrigimini, mali, quia vobiscum flagellantur et boni.

CAPUT III. — 4. *Quare boni cum malis puniantur.* Dicet aliquis : Si mali merito flagellantur, boni quare talia cum malis et a malis patiuntur? Quare? Quia secundum quemdam modum dicuntur boni ; secundum autem rectum verumque bonum, *Nemo bonus, nisi solus Deus* (*Luc.* XVIII, 19). Ergo et ipsi boni, quicumque sunt boni, non tales sunt, quales debent esse boni : non enim sunt perfectum bonum ; proficiant enim de die in diem. Si proficiunt, utique exercitationibus proficiunt. Nemo se justificet, tanquam jam sit perfectus. Recedat de medio male justificator pelagianus, confundatur hæreticus arianus : *Nemo* enim *bonus, nisi solus Deus*. Quid ergo? Christus non est Deus? Plane Deus. De ipso quippe dicit Scriptura divina : *Hic est verus Deus, et vita æterna* (I *Joan.* V, 20). Quid Spiritus sanctus, non est Deus? Plane Deus. Unde probamus, quoniam et ipse Deus? Audi in Actibus Apostolorum Petrum Ananiæ fraudatori improperantem : *Anania*, inquit, *cur implevit satanas cor tuum, mentiri te apud Spiritum sanctum? Non es mentitus hominibus, sed Deo* (*Act.* V, 3 *et* 4). Ecce et Spiritus sanctus Deus. Ergo Trinitas unus est Deus : et verum est quia *nemo bonus, nisi unus Deus*. Patientes estote, boni, ut sitis vere boni : patientes estote usque ad adventum Domini. Tolerate mala quæ patimini a malis cum malis ; quia ista tentatio, vestra est examinatio. Si aurum es, quid times paleam, quid times ignem? Simul quidem eritis in fornace, sed ignis paleas in cineres vertit, tibi sordes tollit. Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram preli? Non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis a te expresserit amurcam. Veruntamen interroget se unusquisque animo, et videat si merito patitur. Proferatur statera justitiæ, appendatur amor mundi cum amore Dei, vide quantum mundum præponderet amor mundi. Proferatur speculum Scripturæ divinæ. Speculum hoc veraciter palpat ; qualis es, talem te tibi demonstrat. Intende et vide, et si est aliquid quod offendat, abi confusus, et redi correctus. Annon confunderis, et in malis tuis gloriaberis? Erit enim perfectum malum, non quodcumque bonum. Talis non vis flagellari cum mundo, aut flagellatus murmuras sub flagello? Servi vocis, fecisti quod Dominus jussit? Ne vapulares, ista flagella tibi ante prædixit. Quis jussit? Dominus jussit, Creator tuus jussit. Quid jussit? *Qui amat*, inquit, *patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Ecce quid jussit. Aut, *Qui amat filium aut filiam plusquam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Ecce quid jussit. Et quis est, inquit, qui odit patrem aut matrem aut filios? Nec ille illos odire præcepit : sed vel quantum illos, tantum se diligi jussit. Plus quidem debueras diligere Creatorem, quam creaturam ; sed si non vales præferre, saltem vel æquare dignare. Vere filios tuos diligeres, si Christum filiis præferres, ipsosque filios ipsi committeres. Vere filios tuos diligeres, si in ipso illos diligeres, qui eos tibi dedit ut diligas. An ideo eos videris diligere, quia eorum voluptatibus faves? Audis blasphemantes, et patienter fers, Christiane, quod rex Nabuchodonosor alienigena non potuit sustinere, dicens : *Si quis dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misac et Abdenago, in interitum erit* (*Dan.* III, 96). Vides frequentare spectacula, et non revocas. Vides luxuriantes, et non verberas. Nec potes te talem exhibere patrem, qui paratus sis indisciplinatos filios vel exhæredare vel abjicere, cum paratus esse debueras sicut Abraham etiam filium immolare. Omnis enim qui filiorum trucidat voluptates, sacrificium tale quale Abraham offert Deo. Sed dum ista non fiunt, et his moribus depravatis male nutriuntur, qui isto mundo utuntur, labefit mundus, nec immerito ait propheta : *Defluxit terra, et omnes inhabitantes in ea* (*Isai.* XXIV, 4). Non quiescunt usque nunc murmurare homines, laudare tempora præterita, accusare tempora christiana. Magna erant tempora patrum nostrorum, dicunt : o quam bona tempora habuerunt patres nostri !

CAPUT IV. — 5. *Vitia quisque in suis castiget et puniat exemplo veterum.* Sed videte quæ fecerint patres nostri. Phinees sacrificantem virum idolis manu propria peremit, ut placaret iram Dei (*Num.* XXV, 8). Moyses populum oberrantem, vitulumque fusilem adorantem, ita certa emendatione coercuit, ut unam tribum e duodecim ad se vocans, quæ sequi voluit Deum, præceptum eis daret, ut acceptis gladiis in manibus suis filii percuterent parentes, et parentes occiderent filios (*Exod.* XXXII, 26-28). Nullus eos revocavit affectus, nullus humanitati reservatus est locus ; quia timor et amor Dei præ omni desideriorum carnalium amore ferebatur. Jephte ut hostes diis ac dæmonibus immolantes superaret, unicam filiam in sacrificio dedit (*Judic.* XI). Samson cum gentes dæmonicolas, virtute quam a Deo in capite acceperat, diutius bellis contereret atque fatigaret, seductusque postea per mulierem, oculos simulque virtutem capitis perdidisset, posteaquam cognovit in opprobrium suum omnes illos convenisse ad templum idolorum suorum, eosque magnificare deos suos, quod eis tradiderant acerrimum inimicum suum, cum crescente coma capitis ejus ei crevisset et virtus, a puero qui sibi ducatum præbebat, ut sibi manum porrigeret petiit, seque ad illud templum duci poposcit. Ad quod cum pervenisset, columnas duas, supra quas totum illud ædificium ferebatur, singulis manibus singulas apprehendens, ruina se simul et illos voluit opprimi, ne laudes dæmonum in contumeliam Dei sui a quoquam libenter pateretur audiri (*Id.* XVI). Daniel ne a rege homine petitionem aliquam posceret, sed a Deo vivo, qui præstat omnia bona suis, leonibus jejunan-

tibus in escam datus est ut periret : sed Dominus fidelem servum suum non deserens, et ipsum intactum reservavit, et per Habacuc prophetam simul et ipsum et leones pavit (*Dan.* XIV, 30-40). Quid dicam de tribus pueris, qui cum nollent imaginem regiam adorare, igni missi sunt? In quibus pueris micans gratia ita enituit, ut ligati in fornacem mitterentur, deambulantesque viderentur, os aperientes Deumque laudantes, flammas ad se non admitterent, sed fugarent : ut secum Filium Dei habere meruissent, antequam mundo in homine apparuisset; ut esset eorum vindex flamma, Chaldæorumque ministros fornax devorans consumeret; producti quoque de fornace incolumes, populos in se mirabiles redderent, regemque mutarent, eumque facerent Dei sui adoratorem, quem senserant ante persecutorem (*Id.* III). Sed hæc omnia faciebat fides, timor et amor Dei. Oderant isti non solum omnia quæ habebant propter Deum; verum etiam animas suas : et Deus eos hic claros fecit et æternæ vitæ remuneratione ditavit. Quid tale, dilectissimi, fecimus, imo e contrario quæ mala non fecimus? Illi nec minis nec tormentis conventi dæmoniis sacrificaverunt. Annon sacrificavit, qui imagines idolorum per noctem ludentes, quod Nocturnum vocant, libentissime spectavit? Sacrificavit, prorsus sacrificavit; et, quod est pejus, non tauri vel cujuslibet pecoris aliquam victimam, sed ipsam animam hominis pretiosam. In hoc tam nefando sacrificio non unus vel pauci accusantur : tota hoc civitas fecit, quæ tota consensit. Nec ab hostibus, nec a barbaris, sed a se ipso omnis homo in anima se intus occidit videndo, consentiendo, non prohibendo; omnes remansimus rei : et dum nolumus pacem civitatis turbari perversam, pacem quam desideramus non accipimus rectam. Contemnimus pacem servare bonorum morum, et periit pax temporum nostrorum. Discite vel nunc, dilectissimi, quid cui rei præponere debeatis. Nolite diligere vitia in filiis, in amicis, in servis, in omnibus notis. Præponatur singularis potestas omni potestati, honorem exhibeamus Cæsari tanquam Cæsari, timorem autem Deo. Præferatur Creator creaturæ : diligamus Deum, quia diligit nos; et in hoc quod sic nos flagellat, diligit. Quis est enim filius, cui non det disciplinam pater ejus (*Hebr.* XII, 6, 7)? Qui sanam considerationem habet, qui credit Dei verbis, plus metuit ignem æternum, quam cujuslibet truculenti barbari ferrum; plus metuit mortem perpetuam, morte qualibet hic pessima. Irrideant hæc infideles, irrideant stulti, nolunt credere nec rebus expertis. Ecce conteruntur, ecce omnia pereunt, ecce cum ipsis non potest stare mundus quem amaverunt, ecce ad Deum trahuntur cujus præcepta contempserunt; non enim bona voluntate pergit, qui blasphemando moritur. Ecce itur : cum illuc ventum fuerit, quid agitur? Quo itur? per quem abitur? Quis iterum huc redire cogitur? Finitum est et quod male fecerat, emendare finitum est. Redite filii, redite; redite, prævaricatores, ad cor (*Isai.* XLVI, 8) : facite gaudium ex conversione vestra, corrigantur corda vestra, displiceant vobis opera vestra. Estote fortes, tribulatio mundi non vos frangat : Dominus in proximo est; nihil solliciti sitis (*Philipp.* IV, 5 *et* 6).

CAPUT V. — 6. *Martyrum fortitudo. Perpetuæ nominatio et Felicitatis.* Habetis virorum fortium magna exempla. Vicerunt martyres mundum : inter quos martyres maribus etiam feminæ repertæ sunt fortiores. Ante paucos dies natalitia celebravimus martyrum Perpetuæ et Felicitatis, et conutrum. Et cum tot ibi sint viri, quare istæ duæ pro omnibus nominantur, nisi quia infirmior sexus aut æquavit, aut superavit virorum fortitudinem? Una eorum erat prægnans, alia lactans. Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tandiu hoc Perpetua lactavit, quamdiu acciperet ab illo pastore simul et patre buccellam lactis, qua accepta de cœlo felicitate perpetua, eum fecit contemnere filium, spernere patrem, non hærere mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas vero, quæ sociam habebat Perpetuam, parturiebat et dolebat, objecta bestiis gaudebat potius quam timebat. Quæ virtus in feminis! Qualis est gratia, quæ cum se infundit, nullum indignum judicat sexum! Gratias gratiæ : reparavit enim sexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanserat; quia ab initio per mulierem peccatum, et propter hanc omnes morimur. Diabolus unam Evam dejecit : sed Christus natus ex virgine, multas feminas exaltavit. Perpetua et Felicitas caput calcaverunt serpentis, quod Eva ad cor suum intus admisit. Illam seduxit falsa promittendo; illas non valuit superare sæviendo : illam decepit in paradisi felicitate; has non potuit adire, nec sub tantorum positas potestate [1]. Illius inter paradisi delicias ruinam gavisus est; harum inter pœnas fortitudinis constantiam ipse quodam modo diabolus expavit. Merito si sunt exaltatæ, merito viris vel coæquatæ vel prælatæ. Quamvis enim in Christo Jesu non sit servus neque liber, non sit masculus neque femina (*Galat.* III, 28), sed omnes sint unum occurrentes in virum perfectum (*Ephes.* IV, 13); descendit tamen hoc donum ex magna gratia. Perpetua enim et Felicitas nomina istarum sanctarum feminarum, merces est sanctorum omnium martyrum.

CAPUT VI. — 7. *Patientia Job.* Vicit mundum etiam Job ille omnibus notissimus, toties tentatus, sed minime superatus. Implevit dominicum præceptum : contempsit filios, ne blasphemaret, qui dederat filios. Repulit a se uxorem, quæ ei blasphemiam persuadebat, quam diabolus propterea solam dimiserat quia sibi eam necessariam esse noverat. Non enim dimiserat marito consolatricem, sed suæ tentationis adjutricem : fecerat enim Evam novam, sed ille non erat vetus Adam. Existimavit etiam istum sicut illum per mulierem posse decipere : sed iste spernendo uxorem pessima suggerentem, divinitus adjutus, etiam ipsum diabolum in illa valuit superare. Fortior fuit Job in doloribus, quam ille Adam in nemoribus : iste non cessit tormentis, ille superatus est in deliciis (*a*). Videtis, dilectissimi, quid agat tentatio, quam utiles sint hujus mundi pressuræ, et quemadmodum corrumpunt terrenæ deliciæ. Contempsit Job uxorem, filios, omnia sua, postea et carnem suam. Plus amavit eum qui dederat, quam id quod dederat. Usus est quod acceperat, tanquam bonus viator : possedit, non possessus est. At ubi ea placuit auferre qui dederat, benedixit, non blasphemavit : *Dominus*, inquit, *dedit, et Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, *et* II). Imitamini talem virum, imitamini tales filii esse etiam flagellati, ut mereamini recipi. Flagellat enim omnem filium quem recipit. Disciplinam ejus sustinete : sicut filios, ita vos aggreditur Deus.

CAPUT VII. — 8. *Parabola filii prodigi. Latus Christi apertum, ut omnes per illud intrent.* Quod probat ille filius junior in Evangelio positus, qui disciplinam paternam contempsit, substantiam suam in meretricibus erogavit, porcos pavit, fame constrictus est, siliquis porcorum ventrem suum implere non potuit : tandem aliquando reversus est ad se, et invenit se qui perdiderat se. In mentem ei venit quod multi mercenarii patris sui abundarent panibus, ipse vero fame periret. Statim surrexit, ad patrem recurrit, non se filium, sed tanquam unum ex servis computari rogavit. Inclinatur humilitas, excitatur misericordia : voces filii pœnitentis concutiunt paterna viscera. Dicit se filius indignum, ut ille eum judicet dignum : rogat ut in numero servorum habeatur susceptus : et pater et primam illam stolam jubet afferri, mactat vitulum saginatum, chorum congregat, advocat amicos, facit epulum magnum. Quare?

[1] Sic nonnulli MSS. et Fr. ; non [illegible] substantiarum deposita potestate. Lov., nec sub [illegible] deposita potestate.

(*a*) Confer lib. de Patientia, cap. 8.

Quia hic filius meus, inquit, *mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est.* Hanc similitudinem Dominus in Evangelio proposuit, quam ipse exposuit, dicens tale gaudium fieri in cœlo super peccatore pœnitentiam agente. Nunc vero quoniam tempus est exhortari omnes ad pœnitentiam, ut filii errantes revertantur, eisque convivium a patre saginati vituli præparetur, etiam nos, dilectissimi, parati sumus huic convivio tanquam amici ac domestici interesse: maxime quia cum isto patrefamilias ad mensam ejus quotidie accedentes, non nos jam dignatur vocare servos, sed amicos. Percurramus, si placet, ipsam parabolam a Domino in Evangelio propositam, in qua nobis et affectum patris demonstravit pium, et filii perditi indicavit reditum, filiique majoris qui de paterna domo non discesserat, commotum retulit animum. Hoc quippe habet textus ipsius lectionis. *Veniens*, ait, *filius ejus primogenitus de agro, cum audiret symphoniam, interrogavit servos quidnam illud esset: eique dixerunt, Frater tuus reversus est, et occidit illi pater tuus vitulum saginatum, eo quod salvum illum susceperit.* Et indignatus noluit introire. Egressus est autem ad illum pater suus, ut eum introduceret. Improperavitque illi patri suo, quod laborasset semper cum illo, et nunquam illi talia exhibuisset: at ubi venisset filius ille, qui omnem substantiam paternam male consumpserat, occidisset illi vitulum saginatum. Et reddit pater rationem facti sui, consolaturque filium suum secum permanentem, de domo non discedentem, et dicit illi, *Fili, tu meus es, et mecum es semper, et omnia mea tua sunt: verumtamen oportuit nos ista facere, quoniam frater tuus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* xv, 11-32). Non vacat hæc talis a Domino propositio. Donet itaque nobis qui ista proposuit, ut demonstremus ab ipso fuisse impletum hoc, quod per quamdam similitudinem nos quodam modo excitavit ad aliquid inquirendum. Affectum paternum exhibuisse suis Dominum nostrum Jesum Christum, nullus ambigit christianus. Illud magis requiramus, qui sit filius junior, qui prodige vivens substantiam paternam dissipavit, et qui sit filius primogenitus qui indignatus quod filio perdito redeunti vitulus saginatus occisus sit, intrare noluerit. Quis est iste filius perditus, qui omnem substantiam paternam in meretricibus erogavit, nisi ille latro qui substantiam animæ a Deo sibi datam per scelera diffluendo etiam in cruce pependit? Porcos pavit, quando dæmonum voluptates suis factis implevit. Fortasse illos porcos pavit, quos petierat diabolus a Domino, dicens: *Jube nos intrare in gregem porcorum* (*Matth.* viii, 31). Fame contritus est, quia panem verbi Dei non inveniebat. Siliquis cupiebat saturare ventrem suum, quando tortuosis cogitationibus replebat animam suam. Sed revertatur ad se, videat se latro in cruce pendentem, concurrat ad patrem, dicat pendens in cruce: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Domine, memento mei; non sum dignus vocari filius tuus, suscipe me tanquam unum ex servis. Domine, memento mei. Latro enim sua attendens merita de se ipso diffidebat: sed Dominus, tanquam pius pater, latroni quasi filio quod desperaverat offerebat. Proferat huic pater stolam illam primam, induat filium immortalitate, quem secum videt in cruce pendentem, introducat eum in domum: dicat Christus latroni, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxiii, 42, 43). Mactet vitulum saginatum, hominem illum susceptum, etiam pro latronibus crucifixum: advocet amicos suos discipulos quibus dicebat, *Si feceritis quæ mando vobis, jam vos non dicam servos, sed amicos* (*Joan.* xv, 14 et 15). Præparetur illud convivium cœleste, astet ille chorus Angelorum, suaviter declamans: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* ii, 14). Veniat et primogenitus filius ille, et nolit intrare. Quis est iste filius primogenitus qui noluit intrare, nisi ille primus Apostolorum Petrus, qui ad interrogationem vocis ancillæ in atrio sacerdotis ter Dominum ausus est negare? Dixisti quidem, o Petre, tanquam patri tuo Christo, Ego tecum laboravi; quando dicebas Salvatori, *Tecum sum usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 69-75, 35), *animam meam pro te ponam* (*Joan.* xiii, 37). Ubi est quod promisisti? Interrogaris semel, et negas; secundo interrogaris, et negas; tertio, et negas. Non vis ad convivium intrare, ideo ausus es ter Dominum negare. Ubi est, *Animam meam pro te ponam?* Ter negantem non terruit ungula, sed una oppressit muliercula. Certe, *Tecum sum usque ad mortem.* Vide, vide igitur, Petre, quantum de te antea præsumpseris: ecce nunc ter negando, gallo teste convinceris. Sed egrediatur pater ad primogenitum filium nolentem intrare: dicat Christus Petro, *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv, 21). Respiciat negantem et faciat confessorem: compungat flentem, faciat amatorem. Exhortetur eum paterna voce: *Fili*, inquit, *tu meus es: Tu es Petrus*; etsi me negasti, meus es. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu meus es, et omnia mea tua sunt. *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Id.* xvi, 18, 19). Apud te, Petre, sunt claves: dignare jam ad convivium intrare. Oportebat hæc fieri, quoniam frater tuus latro mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est. Si Petrus antequam Christus pro omnibus crucifigeretur, regni cœlorum claves accepit; qua illuc introivit latro ille jam non reus, nisi per latus quod aperuit Judæus?

9. Et nunc veniant omnes quicumque amant paradisum, locum quietis, locum securitatis, locum perpetuæ felicitatis, locum in quo non pertimescas barbarum, in quo nullum patiaris adversarium, nullum habeas inimicum: venite omnes, intrate omnes; est qua intrare possitis [1], patet latus. Ostendit enim ille latro quo debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare.

CAPUT VIII.—*De cavenda ariana hæresi.*—*Contendite*, ait Dominus, *intrare per angustam portam* (*Luc.* xiii, 24). Quid angustius illo foramine, quod unus e militibus percutiendo latus crucifixi aperuit? et tamen per has angustias pene jam totus mundus intravit. Venite, et vos Judæi, vocat vos quem crucifixistis Filius Dei. *Contendite intrare per angustam portam:* per hanc enim introierunt patres vestri. Illi qui ut crucifigeretur clamaverunt, qui in ligno suspensum viderunt, qui irriserunt, qui caput agitaverunt, per istas tamen angustias introierunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Id.* xxiii, 34). Per has ergo, ut dixi, angustias, per angustam portam lateris Christi ingressus est latro mutatus, pœnitens Judæus, conversus omnis paganus, et ab eo exiit foras malus hæreticus arianus. Exiit, quoniam non erat de numero permanentium. De illis enim erat, de quibus Joannes dicit: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis essent, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* ii, 19). O hæretice ariane, agnoscit latro in cruce pendentem, ipsi inimici Judæi expaverunt resurgentem, et vos male tractatis in cœlo regnantem!

10. Cavete, dilectissimi, arianam pestem; non vos separent a Christo terrena promittendo, propter tunicam non vos exspolient fide. Membra Christi, servate unitatem atque integritatem unius tunicæ, quam nec persecutores Christi ausi sunt scindere. Nolite injurias irrogare capiti vestro: pro vobis ille mortuus est, ne vos moreremini. Quem Christus per Baptismum vivificavit, quare eum arianus rebaptizando occidit? Erubesce, erubesce, hæretice. Negavit Petrus, et reversus est, et flendo delevit quod timore negavit. Christum in suis persecutus est Paulus, sed ad ejus vocem cecidit et surrexit. Aliter cecidit, aliter

[1] Sic juxta Er. Lugd. Ven. Lov. PP. Benedictini non habent in textu vocem, *possitis*; nota vero marginalis indicat eam supplendam esse. M.

surrexit : cecidit persecutor, erectus est prædicator. In Christianis Christum persecuti sunt reges : sed multum eis præstiterunt, quando membra ad caput suum velociter transmiserunt. Nemo talia damna, qualia tu, ingerat Christo : animas enim meliorum curis interficere, pro quibus Christus in carne venit occidi. Erubesce, erubesce, hæretice. Quid iteras quod semel datur? In membris suis jam intus est Christus, et tu in istis ipsum velle rebaptizare? Semel enim pro omnibus cum Joanne in aquam dignatus est ipse descendere (*Matth.* III, 16). Redemit Christus animas, custodite quod ille redemit. Integro Christo integrum assignate prædium. Nemo invadat, nemo invasori consentiat : characterem dominicum nullus abstergat, titulos Christi nemo deponat. Reddituri estis rationem Domino regi, boni servi, data est vobis occasio bene operandi. Abundant peregrini, captivi, exspoliati. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut et ipsi recipiant vos in tabernacula æterna* (*Luc.* XVI, 9).

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE UTILITATE JEJUNII

SERMO [a].

CAPUT PRIMUM. — 1. *Jejunium Deo exhibere hominum est, non Angelorum.* De utilitate jejunii admonemur aliquid loqui ; et Deus admonet, et tempus nos admonet. Hæc enim observatio, hæc virtus animi, hæc fraudatio carnis et lucrum mentis ab Angelis non exhibetur Deo. Ibi enim omnis est copia et sempiterna securitas : et ideo nullus defectus, quia in Deum plenus affectus. Ibi panis Angelorum : quem panem Angelorum ut manducaret homo, factus est homo. Hic omnes animæ terrenam carnem portantes, de terra implent ventres : ibi spiritus rationales cœlestibus corporibus præsidentes, de Deo implent mentes. Et hic cibus est, et ibi cibus : sed cibus iste cum reficit, deficit, et sic implet alvum, ut ipse minuatur ; ille autem et implet, et integer permanet. Hunc cibum nobis esuriendum Christus indixit, dicens : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Pertinet ergo ad homines hanc vitam mortalem gerentes, esurire ac sitire justitiam : impleri autem justitia, ad aliam vitam pertinet. Hoc pane, hoc cibo pleni sunt Angeli : homines autem dum esuriunt extendunt se ; dum se extendunt, dilatantur ; dum dilatantur, capaces fiunt ; capaces facti, suo tempore replebuntur. Quid ergo? hic nihil inde capiunt qui esuriunt et sitiunt justitiam? Capiunt plane : sed aliud est, cum quærimus de refectione iter agentium ; et aliud, cum quærimus de perfectione beatorum. Apostolum audi esurientem et sitientem, et utique justitiam, quanta in hac vita capi potest, quanta geri justitia. Quis enim nostrum se illi vel conferre audeat, nedum præferre? Sed quid ait, *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Videte quis loquatur : Vas electionis, et extremum quodam modo fimbriarum vestimenti Domini ; sed tamen quod ad fluxum sanguinis sanat tangentem, quia credentem : novissimus enim Apostolorum et minimus, sicut ipse ait, *Ego sum novissimus Apostolorum* ; et, *Ego sum minimus Apostolorum* : et iterum, *Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei : sed gratia Dei sum id quod sum ; et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum* (1 *Cor.* XV, 8-10). Hæc audiens tu, tanquam plenum et perfectum tibi videris audire. Audisti quid ructet, audi et quid esuriat. *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim*, ait. *Fratres, ego non arbitror me apprehendisse : unum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philipp.* III, 12-14). Dicit se nondum esse perfectum, quod nondum acceperit, nondum apprehenderit : dicit se extendi, dicit se sequi ad palmam supernæ vocationis. In via est; esurit, impleri vult, satagit, pervenire desiderat, æstuat : nihil illi tam magnæ moræ est, quam dissolvi et esse cum Christo (*Id.* I, 23).

CAPUT II. — 2. *Jejunium hominum est medium locum tenentium carnales inter et Angelos.* Ergo, charissimi, quia est terrenus cibus, quo carnis infirmitas pascitur, est autem et cœlestis cibus, quo pietas mentis impletur ; et habet cibus iste terrenus vitam suam, habet et ille suam : hujus cibi vita hominum est, illius cibi vita Angelorum est. Fideles homines, discreti jam corde a turba infidelium, suspensi in Deum, quibus dicitur, Sursum cor, aliam spem gerentes, et scientes se peregrinari in hoc mundo, medium quemdam locum tenent : nec illis comparandi sunt qui nihil aliud putant bonum, quam deliciis terrenis perfrui, nec illis adhuc supernis habitatoribus cœli, quibus sola deliciæ sunt panis ipse a quo creati sunt. Illi homines proni ad terram, pastum atque lætitiam de sola carne requirentes, pecoribus comparantur : longe ab Angelis distant et conditione et moribus ; conditione, quia mortales sunt ; moribus, quia luxuriosi. Inter illum populum cœli et populum terræ, medius quodam modo pendebat Apostolus : illuc ibat, hinc se attollebat. Nec cum illis tamen erat adhuc ; nam diceret, Jam perfectus sum : nec cum istis erat, pigris, torpidis, marcidis, somnolentis, nihil aliud esse putantibus, nisi quod vident, et quod transit, et quod nati sunt, et quod morituri sunt ; nam si cum eis es-

(a) Recensetur a Possidio in Indiculi cap. 8, [illegible] est nisi in [illegible].

set, non diceret, *Sequor ad palmam supernæ vocationis*. Gubernare itaque debemus nostra jejunia. Non est hoc, ut dixi, officium angelicum; nec tamen et illorum hominum officium est qui ventri serviunt: medietatis nostræ res est, qua vivimus secreti ab infidelibus, conjungi Angelis inhiantes. Nondum pervenimus, sed jam imus: nondum ibi lætamur, sed jam hic suspiramus. Quid ergo nobis prodest abstinere aliquantum a pastu et lætitia carnali? Caro in terram cogit; mens sursum tendit: rapitur amore, sed tardatur pondere. De hac re Scriptura ita loquitur: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, et sarcina prægravans prævolantem; quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. Ecce quod agimus jejunantes.

CAPUT III. — 3. *Jejunium necessarium ad carnem domandam.* Non vobis ergo videatur levis res aut superflua, ne quisquam forte hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, et dicat sibi, aut suggerentem intrinsecus audiat tentatorem: Quid facis, quia jejunas? Defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat; tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor et cruciator existis. Deo ergo placet quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Responde hujusmodi tentatori: Excrucio me plane, ut ille parcat; do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus. Nam et victima excruciatur, ut in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo, servo ventris, responde per hanc similitudinem, et dic: Si jumento forte insideres, si equoutereris, qui te gestiendo posset præcipitare; nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, et fame domares quem freno non posses? Caro mea jumentum meum est: iter ago in Jerusalem, plerumque me rapit, et de via conatur excludere [1]: via autem mea Christus est: ita exsultantem non cohibebo jejunio? Si quis hoc sapit, etiam ipso experimento probat quam utiliter jejunetur. Numquid enim caro ista, quæ nunc domatur, semper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægravatur, habet exsultationes suas manifestas et periculosas menti nostræ. Caro est enim adhuc corruptibilis, nondum resurrexit; nam non semper sic erit: nondum habet statum proprium cœlestis habitudinis; nondum enim facti sumus æquales Angelis Dei.

CAPUT IV. — 4. *Manichæorum error de pugna carnis et spiritus. Carnis pugna pœna peccati.* Ne ergo arbitretur Dilectio vestra, quod inimica sit caro spiritui, quasi alter sit auctor carnis, alter sit auctor spiritus. Multi enim hoc putantes vere rapti ab ipsa carne deviarunt, et alterum auctorem carni, alterum spiritui posuerunt. Utuntur autem quasi testimonio apostolico, quod non intelligunt: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* V, 17). Hoc verum est, sed quare et aliud non attendis: *Nemo enim unquam carnem suam odio habet; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V, 29)? In illa prima sententia quam commemoravi, quasi quædam lucta duorum inimicorum videtur, carnis et spiritus, quia *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*. In hac autem tanquam copulatio conjugalis: *Nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Quid ergo facimus inter has duas sententias? Si contrariæ sunt, quam respuemus, quam tenebimus? Sed non sunt contrariæ. Intendat enim Charitas vestra: interim ego ambas accipio, et ambas concordes, quantum potuero, demonstrabo. Tu autem quisquis alium auctorem carnis constituis, alium spiritus, de illa quid agis? *Nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.* Vel similitudo non te terret? quia *nutrit*, inquit, *et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Compedem putas carnem: quis amat compedem suam? Carcerem putas carnem: quis amat carcerem suum? *Nemo enim unquam carnem suam odio habet.* Quis non oderit vinculum suum? quis non oderit pœnam suam? Et tamen, *Nemo unquam carnem suam odio habet; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Tu ergo qui alium auctorem ponis carni, alium auctorem spiritui, alium positurus es Ecclesiæ, alium Christo: quod qui sapit, desipit. Diligit ergo unusquisque carnem suam, Apostolus dicit, et præter Apostoli dictum unusquisque in se probat. Quantumlibet enim sis domator carnis, quantalibet in eam severitate accendaris, nescio utrum non claudes oculum, si aliquis ictus immineat.

5. Est ergo quasi quoddam conjugium spiritus et carnis. Unde ergo *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*? unde ista pœna, quæ ducta est de mortis propagine? Unde dictum est, *Omnes in Adam moriuntur* (I *Cor.* XV, 22)? et unde dicit Apostolus, *Fuimus aliquando et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3)? Accepit enim ille vindictam mortis, de quo nati sumus, et trahimus quod vincamus: et ideo concupiscimus adversus carnem, ut nobis domitam carnem subjiciamus, et eam ad obediendum attrahamus. Numquid ergo odimus, quam nobis cupimus obedire? Dat unusquisque et in domo sua plerumque disciplinam conjugi suæ; et eam subjugat renitentem, non persequitur inimicantem. Filium tuum domas, ut tibi obediat: numquid odisti? numquid deputas inimicum? Servum postremo tuum diligis et castigas, et in castigando obedientem facis. Habes de hac re ipsius Apostoli manifestam plenamque sententiam: *Non sic curro*, inquit, *tanquam in incertum; non sic pugillor, quasi aerem cædens: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar* (I *Cor.* IX, 26 *et* 27). Habet ergo caro ex conditione mortali quasi quosdam terrenos appetitus suos: in hos tibi jus freni concessum est. Regat te præpositus, ut possit a te regi subjectus. Infra te est caro tua, supra te est

[1] Forte, *excutere*.

Deus tuus : cum vis ut serviat tibi caro tua, admoneris quomodo te oporteat servire Deo tuo. Attendis quod sub te est, attende et quod supra te est. Leges in interiorem non habes, nisi a superiore. Servus es, servum habes : sed Dominus duos servos habet. Servus tuus plus est in potestate Domini tui, quam in tua. Itaque vis tibi obediri a carne; numquid in omnibus potest? In omnibus obtemperat Domino tuo; non in omnibus obtemperat tibi. Quomodo, inquis? Ambulas, pedes moves, sequitur : sed numquid quantum vis ibit tecum? Animatur a te, numquid quamdiu vis? numquid quando vis, doles? quando vis, sanus es? Exercet enim te plerumque Dominus tuus per servum tuum; ut quia fuisti Domini contemptor, merearis emendari per servum.

CAPUT V. — 6. *Delectatio carnis aliquantum et a licitis refrenanda. Jejunium nostrum fine diversum a jejunio Paganorum, Judæorum et hæreticorum. Hæreticis ut jejunium prosit redeundum ad Ecclesiam.* Sed ad te quid pertinet? Delectationem carnis non relaxare usque ad illicita, aliquantum et a licitis refrænare. Qui enim a nullis refrænat licitis, vicinus est et illicitis. Proinde, fratres, licitum est conjugium, illicitum est adulterium; et tamen temperantes viri, ut longe sint ab illicito adulterio, refrenant se aliquantum et a licito conjugio. Licita est satietas, illicita est ebriositas : tamen modesti homines, ut longe se faciant a turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantum et a libertate satietatis. Ita ergo agamus, fratres, temperemus; et quod facimus, sciamus quare faciamus. Cessando a lætitia carnis, acquiritur lætitia mentis.

7. Proinde finis nobis jejuniorum nostrorum, ad iter nostrum : quid sit ipsum iter, et quo tendamus, hoc considerandum est. Namque et Pagani jejunant aliquando, nec regionem quo tendimus norunt : et Judæi jejunant aliquando, et viam in qua ambulamus, non apprehenderunt. Tale est hoc, ac si aliquis equum domet, in quo erret. Jejunant hæretici : video quales eant; interrogo quo eant? Jejunatis, ut cui placeatis? Deo, inquiunt. Munus, putatis, accipit? Sed prius vide quid dicit : *Relinque munus, et vade, prius reconciliare fratri tuo* (*Matth.* v, 24). Numquid membra tua recte domas, qui Christi membra dilanias? *Auditur*, inquit, *in clamore vox vestra; et eos qui sub jugo vestro sunt, stimulatis et cæditis pugnis. Non tale jejunium elegi, dicit Dominus* (*Isai.* LVIII, 4 *et* 5). Improbaretur ergo jejunium tuum, si immoderatius severus existeres in servum tuum : approbabitur jejunium tuum, cum non agnoscis fratrem tuum? Non ego quæro a quo cibo abstineas, sed quem cibum diligas. Dic mihi quem cibum diligas, ut approbem quod ab isto cibo te abstineas. Diligis justitiam? Forte, inquis, diligo. Appareat ergo justitia tua. Puto enim justum esse ut majori servias, quo tibi minor obtemperet. De carne enim loquebamur, quæ minor est quam spiritus, et quæ domanda ac moderanda subjecta est. Agis cum ea ut obtemperet tibi, et subtrahis ei cibum, quod ames subjectam tibi : agnosce majorem, agnosce superiorem, ut tibi recte cedat inferior.

CAPUT VI. — *Concordia membrorum corporis ad unitatem eos revocat.* Quid, si caro tua obedit tibi, et tu non obedis Deo tuo? nonne ab ipsa damnaris, cum tibi obtemperat? Nonne obtemperando tibi, contra te dicit testimonium?

8. Et cui, inquit, majori obtemperem? Ecce Christus loquitur, justitiæ amatorem te dixeras : *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34). Audi ergo Dominum tuum mandatum dantem, ut nos invicem diligamus. Cum ex nobis omnibus tanquam membris corpus sibi faciat, quod corpus habeat unum caput ipsum Dominum et Salvatorem; tu contra divellis te a membris Christi, non amas unitatem. Non hoc expavesceres in membris tuis? Si distortum digitum haberes, non ad correctorem digiti tui medicum curreres? Certe tunc se habet bene corpus tuum, quando sibi concordant membra tua : tunc diceris sanus, tunc bene vales. Si autem aliquid in tuo corpore dissentiat ab aliis partibus, quæris qui emendet. Cur ergo non quæris emendari, ut compagini membrorum Christi revoceris, et congruas in ipso corpore et tuo? Certe viliores sunt cæteris membris capilli tui? quid vilius in corpore tuo capillis tuis? quid contemptius? quid abjectius? Et tamen si male te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis non servat æqualitatem : et tu in membris Christi non tenes unitatem? Quid sunt ergo, aut cui rei prosunt jejunia tua? Indignum Deum putas, cui ab omnibus qui in eum credunt, in unitate serviatur : et tamen vis in membris tuis, in corpore tuo, in capillis tuis unitatem servari. Loquuntur viscera tua, membra tua contra te dicunt verum testimonium, et tu falsum contra membra Christi?

9. Discrevisti te a jejunio Paganorum? Hoc putas, et ideo securus tibi videris. Ego enim, inquis, Christo jejuno, illi autem idolis et dæmoniis. Accipio quod dicis, et revera, non nego, discretum est. Sed ecce quemadmodum contra te paulo ante me commemorante, dicebant testimonium membra tua, ut admonerem te qualis esse debeas cum membris Christi Dei tui; et ipsi Pagani, a quibus separas jejunium tuum, admoneant te aliquid de unitate Christi tui.

CAPUT VII. — *Paganorum ipsorum concordia in cultu litigantium deorum.* Ecce illi multos deos falsos non divisi colunt : numquid nos unum verum ideo invenimus, ut sub uno in unitate non simus? Multos illi et falsos, nos unum et verum : et illi sub multis falsis non habent divisionem, nos sub uno vero non tenemus unitatem. Non doles, non gemis, non erubescis? Aliud addo : non solum multos deos falsos Pagani colunt, sed plerosque sibi contrarios et inimicos. Verbi gratia, commemoremus aliqua ipsorum, si cuncta non possumus : Hercules et Juno inimici fuerunt, homines enim fuerunt; privignus ille, noverca illa : utrique eorum Pagani templa fecerunt, et Junoni et Herculi. Adorant illum, adorant illam; pariter eunt ad Junonem, pariter ad Herculem : illis sibi iratis, concordes sunt. Vulcanus et Mars inimici

sunt, et justam causam habet Vulcanus : sed da judicem qui audiat. Odit enim miser uxoris adulterium ; nec tamen audet cultores suos a Martis templo prohibere. Simul adorant illum et illum. Si imitantur deos, litigant et ipsi. Eunt de templo Martis ad templum Vulcani : magna indignitas ! nec tamen timent ne sibi irascatur maritus, quod ad eum venitur de templo Martis adulteri. Habent cor, sciunt lapidem sentire non posse. Ecce colentes multos, falsos, diversos, adversos, tenent tamen in eis colendis qualemcumque unitatem : ecce dicunt contra te testimonium et ipsi Pagani, a quibus tua jejunia separasti. Veni ergo ad unitatem, frater. Unum Deum colimus : nunquam Patrem et Filium vidimus litigantes. Nec mihi Pagani succenseant, quod hæc dixi de diis eorum. Quare enim irascantur verbis meis, et non potius litteris suis ? Illas prius, si possunt, imo, si volunt, deleant : non eis docendis grammatici vela suspendant. Irascitur mihi quia ego dico, qui dat mercedem ut filius ipsius discat.

CAPUT VIII. — 10. *Pagani Christianorum discordia avocari a christiana religione non debent. Charitas, vita ; dissensio, mors.* Ergo, charissimi, illi quidem tales deos habent, vel potius habuerunt. Quia enim ipsi eos deserere noluerunt, ab eis deserti sunt. Et multi deseruerunt eos, et adhuc deserunt, dejiciunt templa eorum in cordibus suis : sed gaudeamus de illis, quia veniunt ad unitatem, non ad divisionem. Non inveniat paganus occasionem qua nolit esse christianus. Concordemus, fratres, colentes unum Deum, ut et illos deserere multos deos exhortemur quodam modo nostra concordia, ut ad pacem et ad unitatem veniant colendi unum Deum. Et si forte fastidiunt, et hinc nobis calumniantur, quod unitatem inter nos Christiani non habemus, et inde sunt tardi et pigri ne veniant ad salutem ; alloquar et ipsos paululum, et dicam, quod eis dicatis. Non præferant nobis quasi concordiam suam, non sibi tanquam de unitate sua placeant. Hostem quippe quem patimur, illi non patiuntur : illos et non ista agentes ipse possidet. Videt eos adoratores falsorum deorum ; videt eos servos, et servos dæmoniorum quid illi lucri est quia litigant, aut quid damni est quia non litigant ? Et unum quamvis falsum et vanum sentientes, sibique consentientes, sic eos possidet. At vero cum desereretur, et multi ad unum Deum concurrerent, ejus sacrilega sacramenta desererent, templa everterent, idola frangerent, sacrificia prohiberent ; vidit se perdidisse quos tenebat, vidit a sua familia recessisse, verum Deum cognovisse : quid faceret ? quomodo insidiaretur ? Concordes nos scit quod possidere non possit, unum Deum nobis dividere non potest, falsos deos nobis supponere non potest ; sentit esse vitam nostram charitatem, mortem nostram dissensionem : lites immisit inter Christianos, quia multos deos non potuit fabricare Christianis ; sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit. Sed quidquid fecit, de palea dominica fecit. Ecce securitas nobis est, licet illo sæviente, licet illo insidiante, et dissensiones varias inter Christianos seminante : si Deum nostrum agnoscamus, si concorditer teneamus, si fidem servemus, securi sumus. Fratres, frumentum de area aut non recedit, aut redit : aliquid palearum aufert ventus tentationis, unde nobis faciat non viam perditionis, sed opus exercitationis. Quantam vero paleam non tollit foras, et ipsa tamen in ultimo ventilanda est : et non it tota palea nisi in ignem. Satagere ergo debemus, fratres mei, cum tempus est, quantis possumus viribus, quanta possumus intentione, ut si fieri potest, et palea redeat, dum frumenta non pereant. Dilectio nostra hic probatur, magnum opus vitæ nostræ proponitur. Non nos inveniremus, quantum fratres diligamus, si nemo periclitaretur : non appareret quanta esset dilectio inquisitionis, si nihil teneret abyssus perditionis.

CAPUT IX.—11. *Agendum omnibus modis ut ad unitatem redeant hæretici. Piscatorum et venatorum officia diversa.* Laboremus, fratres, non cessemus, omni opere, omni sudore, affectu pio ad Deum, ad illos, inter nos, ne illorum veterem litem sopire volentes, inter nos novas rixas faciamus : et ante omnia cauti simus inter nos ipsos tenere firmissimam dilectionem. Illi gelaverunt in iniquitatibus suis : quomodo in eis tu solves glaciem iniquitatis, si non ardeas flamma charitatis ? Nec curemus quod eis molesti videmur compellendo : attendamus quo ; in eo securi simus : numquid enim ad mortem, et non potius a morte ? Omnino quibuscumque modis possumus, sed modeste, vetusta vulnera pertractemus : et cauti simus, ne inter manus medici deficiat qui curatur. Quid itaque curandum nobis est quia plorat puer qui ad scholam ducitur ? Cogitandum nobis est quia repellit manus medici qui secatur ? Piscatores fuerunt Apostoli, et Dominus dixit eis, *Faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Per prophetam autem dicitur quod Deus primo piscatores erat missurus, postea venatores (*Jerem.* XVI, 16). Primo piscatores misit, postea venatores mittit. Quare piscatores, quare venatores ? De abysso et profundo maris superstitionis idololatriæ credentes piscati sunt retibus fidei. Venatores autem quo missi sunt ? Cum illi vagarentur per montes et colles, id est, per superbias hominum, per tumores terrarum. Mons unus Donatus, et alius mons Arius ; alter mons Photinus, alter mons Novatus : per istos montes errabant ; venatoribus indigebat error ipsorum. Ideo et distributa sunt officia piscatorum et venatorum, ne forte isti dicant nobis : Quare Apostoli neminem coegerunt, neminem impulerunt ? Quia piscator est, retia mittit in mare, quod incurrerit trahit. Venator autem silvas cingit, sentes excutit, terroribus undique multiplicatis cogit in retia. Ne hac eat, ne illac eat : inde occurre, inde cæde, inde terre ; non exeat, non effugiat. Sed retia nostra vita est, tantum dilectio conservetur. Nec attendas quam illi sis molestus, sed quam tibi ille sit dilectus. Qualis pietas, si parcis et moritur ?

CAPUT X. — 12. *Similitudo docens pietatis esse, cum hæreticis obstinatis non parcitur, ne pereant.* Fratres, hanc etiam considerate comparationem et similitudinem: una enim res multas similitudines habere potest. Ea conditione nascuntur homines, ut velit sibi omnis homo a filiis suis succedi; et nemo est qui non hunc ordinem in domo sua vel optet vel speret, ut generatores filiorum cedant, et generati succedant. Tamen si pater senex ægrotet: non dico, si filius, cui adest pater, quem quærit hæredem, quem cupit successorem, quem propterea genuit, ut illo mortuo ipse vivat; non hoc dico: si pater ægrotet senex, jacens, jam vicinus morti, jam naturæ ordinem petens, jam ultra quod speret non habens; tamen si ægrotet, et adsit illi pie filius ejus, et videat eum medicus lethali et noxio somno premi, patiens est in senem moriturum propter ipsos paucos dies quibus hic potest vivere; stat filius, et adest patri sollicitus: et cum audierit medicum dicentem, Iste homo lethargicus potest esse, et inde mori, si permittatur dormire; si vultis eum vivere, non dormiat: illum somnus ille noxius premit, qui et noxius est, et dulcis est. Filius autem ejus admonitus a medico, stat sollicitus, patri molestus, pulsat; et si pulsatio ejus vincitur, vellicat; et si vellicatio nihil agit, pungit. Certe molestus est patri: et esset impius, nisi molestus esset. At ille quem delectat mori, molestum sibi filium tristi aspectu et voce reverberat: Quiesce mihi; quid mihi molestus es? Sed medicus ait quia si dormieris, morieris. Et ille: Dimitte me; mori volo. Senex dicit, Mori volo: et puer impius est, si non dicat, Ego nolo. Et illa vita utique temporalis est, nec ille in ea perpetuus erit, cui filius est molestus ut excitet; nec ille qui abeunti patri et decedenti succedit. Ambo per eam transeunt, ambo per illam temporaliter transvolvant: et tamen impii sunt, nisi ad ipsam sibi temporalem, etiam cum invicem molesti sunt consulant. Ergone video fratrem meum somno noxiæ consuetudinis premi, et non excito, dum timeo molestus esse dormienti atque pereunti? Absit a me ut hoc facerem, nec si illo vivo nostra angustaretur hæreditas. Nunc vero cum illud quod accepturi sumus dividi non possit, cum, possessore multiplicato angustari non possit; non eum erigam vel molestus ut vigilet, et carens somno vetustissimi erroris mecum in hæreditate gaudeat unitatis? Prorsus faciam; si vigilo, faciam: si non facio, et ego dormio.

CAPUT XI. — 13. *Contra hæreticos Ecclesiam dividentes.* Charissimi, Dominus interpellatus est a quodam, cum turbis loqueretur, et ait illi: *Domine, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Et Dominus: *Dic, homo, quis me constituit divisorem hæreditatis inter vos* (*Luc.* XII, 13, 14)? Non, utique dedignabatur compescere cupiditatem, sed nolebat fieri judex ad divisionem. Nos autem, charissimi, non eum rerum talium judicem requiramus, quia nec talis est hæreditas nostra; pura fronte, bona conscientia interpellemus Dominum nostrum, et dicat ei unusquisque nostrum: Domine, dic fratri meo, non ut dividat, sed ut teneat mecum hæreditatem. Quid enim vis dividere, frater? Quod enim dimisit nobis Dominus non potest dividi. Aurum est enim, ut stateram divisionis proferat? Argentum est, pecunia est, mancipia sunt, pecora sunt, arbores sunt, agri sunt? Omnia enim ista dividi possunt, Non potest dividi, *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis* (*Joan.* XIV, 27). Postremo in ipsis etiam terrenis hæreditatibus divisio minorem facit: constitue duos fratres sub uno patre; quidquid possidet pater, amborum est, totum illius, totum et illius. Proinde si de rebus suis interrogetur, sic respondet: Cujus est, verbi gratia, equus ille? Et si uni eorum dixeris: Noster est. Cujus ille fundus, ille servus? In omnibus respondet: Noster est. Si autem dividant, jam aliud respondetur. Cujus equus ille? Meus. Cujus iste? Fratris mei. Ecce quid tibi fecit divisio. Non unum acquisisti, sed unum perdidisti. Si ergo et talem hæreditatem haberemus, quæ dividi posset; dividere tamen non deberemus, ne nostras divitias minueremus. Et certe nihil tam importunum filiis quam vivo patre velle dividere. Denique si hoc facere moliantur, si litibus et contentionibus studeant ad vindicandas sibi quisque partes suas, exclamat senex: Quid facitis? Adhuc vivo. Exspectate paululum mortem meam, tunc secate domum meam. Nos autem Deum patrem habemus: quid imus in divisionem? quid imus in lites? Certe exspectemus: si mori potuerit, dividamus.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE URBIS EXCIDIO

SERMO [a].

CAPUT PRIMUM. — 1. *Danielis exemplo confitentis peccata sua, redarguit eos qui de Urbis excidio murmurant contra Deum. Noe, Daniel et Job, quos significent.* Intueamur primam lectionem sancti Danielis

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

[illegible] non repertus est nisi in editis, sermo de Urbis excidio recognitus est ad veterem codicem [illegible] marts, et ad editiones Er. et Lov.

Comparavimus prætorea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Citatur a Beda in I Cor. X.

prophetæ, ubi eum audivimus orantem, et mirati sumus, non solum peccata populi sui, sed et sua propria confitentem. Nam post ipsam orationem, cujus quidem verba indicabant eum non solum deprecatorem, sed etiam confessorem; post ipsam ergo orationem, *Cum orarem*, inquit, *et confiterer peccata mea et peccata populi mei Domino Deo meo* (*Dan.* IX, 20). Quis ergo est qui se sine peccato esse profiteatur, cum Daniel peccata propria confitetur? Nam superbo cuidam dictum est per Ezechielem prophetam: *Numquid tu sapientior quam Daniel* (*Ezech.* XXVIII, 3)? In tribus item quibusdam sanctis viris, per quos tria genera hominum significat Deus quæ liberaturus est, quando magna tribulatio superventura est generi humano, etiam hunc Danielem posuit: et dixit quod nemo inde liberabitur, nisi Noe, Daniel et Job (*Id.* XIV, 14). Et quidem manifestum est quod in his tribus nominibus tria quædam, ut dixi, genera hominum significat Deus. Jam enim tres illi viri dormierunt, et apud Deum sunt spiritus eorum, et corpora eorum in terra fluxerunt: exspectant resurrectionem et ad dexteram collocationem, nec aliquam in hoc mundo tribulationem timent, unde se cupiant liberari. Quomodo ergo de illa tribulatione liberabuntur Noe, Daniel et Job? Quando dicebat ista Ezechiel, solus forsitan Daniel in corpore fuit. Nam Noe et Job jam olim dormierant, et somno mortis patribus appositi fuerant. Quomodo ergo poterant de imminente tribulatione liberari, jam olim de carne liberati? Sed in Noe significantur boni præpositi, qui regunt et gubernant Ecclesiam, quomodo Noe in diluvio gubernavit arcam. In Daniele significantur omnes sancti continentes: in Job omnes conjugati juste et bene viventes. Hæc enim tria genera hominum de illa tribulatione liberat Deus. Tamen quantum sit commendatus Daniel, ex hoc apparet, quod unus ex illis tribus meruit nominari: et tamen confitetur peccata sua. Daniele ergo confitente peccata sua, cujus superbia non contremiscat, cujus inflatio non residat, cujus tumor et elatio non cohibeatur? Quis glorietur castum se habere cor, aut quis glorietur mundum se esse a peccato (*Prov.* XX, 9)?

CAPUT II. — *Cur Deus non pepercit Urbi propter justos. Justi duobus modis.* Et mirantur homines, et utinam tantum mirarentur, et non etiam blasphemarent, quando corripit Deus genus humanum, et flagellis piæ castigationis exagitat, exercens ante judicium disciplinam, et plerumque non eligens quem flagellet, nolens invenire quem damnet. Flagellat enim simul justos et injustos: quanquam quis justus, si Daniel peccata propria confitetur?

2. Lecta est ante dies lectio libri Geneseos, quæ nos, nisi fallor, multum fecit intentos, ubi Abraham dicit Domino, utrum si inveniat in civitate quinquaginta justos, parcat civitati propter eos, an cum ipsis perdat civitatem. Et respondit ei Dominus, quod si inveniat in civitate quinquaginta justos, parcat civitati. Deinde Abraham adjecit ad interrogationem, et quæsivit utrum si minus fuerint quinque, et remaneant quadraginta quinque, similiter parcat. Respondit Deus, parcere se et propter quadraginta quinque. Quid multa? Paulatim interrogando, et ex illo numero detrahendo pervenit ad decem, et quæsivit a Domino, utrum si decem justos in civitate comperierit, perdat eos cum reliquis innumerabilibus malis, an propter decem justos parcat potius civitati. Respondit Deus, etiam propter decem justos non se perdere civitatem (*Gen.* XVIII, 23-32). Quid ergo dicimus, fratres? Occurrit enim nobis quæstio valida et vehemens, præsertim ab hominibus qui Scripturis nostris impietate insidiantur, non qui eas pietate perquirunt; et dicunt, maxime de recenti excidio tantæ urbis: Non erant Romæ quinquaginta justi? In tanto numero fidelium, tanto numero sanctimonialium, continentium, tanto numero servorum et ancillarum Dei, nec quinquaginta justi inveniri potuerunt, nec quadraginta, nec triginta, nec viginti, nec decem? Si autem incredibile est, quare non Deus propter quinquaginta, vel etiam propter decem justos pepercit illi civitati? Scriptura non fallit, si se homo non fallat. Cum de justitia quæritur, et Deus de justitia respondet; justos quærit ad regulam divinam, non ad regulam humanam. Cito ergo respondeo: Aut invenit ibi tot justos, et pepercit civitati; aut si non pepercit civitati, nec justos invenit. Sed respondetur mihi, manifestum esse quod Deus non pepercit civitati. Respondeo ego: Imo mihi non est manifestum. Perditio enim civitatis ibi facta non est, sicut in Sodomis facta est. De Sodomis enim quæstio erat, quando Deum Abraham interrogavit. Deus autem dixit, *Non perdam civitatem*: non dixit, Non flagello civitatem. Sodomis non pepercit, Sodomam perdidit: Sodomam penitus igne consumpsit, quam ad judicium non distulit, sed in eam exercuit quod aliis malis ad judicium reservavit. Prorsus nullus de Sodomis evasit; nihil hominis relictum est, nihil pecoris, nihil domorum: cuncta omnino ignis absorbuit. Ecce quomodo Deus perdidit civitatem. Ab urbe autem Roma quam multi exierunt et redituri sunt, quam multi manserunt et evaserunt, quam multi in locis sanctis nec tangi potuerunt! Sed captivi, inquiunt, multi ducti sunt. Hoc et Daniel, non ad supplicium suum, sed ad solatium cæterorum. Sed multi, inquiunt, occisi sunt. Hoc et tot justi Prophetæ a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ (*Matth.* XXIII, 35): hoc etiam tot Apostoli, hoc ipse Dominus Prophetarum et Apostolorum. Sed multi, inquiunt, tormentis variis excruciati sunt. Putamusne quisquam tantum quantum Job?

3. Horrenda nobis nuntiata sunt: strages factæ, incendia, rapinæ, interfectiones, excruciationes hominum. Verum est, multa audivimus, omnia gemuimus, sæpe flevimus, vix consolati sumus; non abnuo, non nego multa nos audisse, multa in illa urbe esse commissa.

CAPUT III. — *In vastatione Urbis nihil gravius accidit calamitate Job.* Verumtamen, fratres mei (intendat Charitas vestra quod dico), audivimus librum sancti Job, quod perditis rebus, perditis filiis, nec

ipsam carnem quæ illi sola remanserat, salvam potuit obtinere; sed percussus gravi vulnere a capite usque ad pedes, sedebat in stercore, putrescens ulcere, sanie fluens, vermibus scatens, tormentis acerbissimis dolorum cruciatus. Si nobis sic nuntiaretur universa civitas sedere, sedere, inquam, civitas universa, nullo ibi sano, in gravissimo vulnere, et sic putrescere vermibus vivos, quomodo mortui putruerunt: quod erat gravius? hoccne, an illud bellum? Puto quod mitius in carnem humanam ferrum sæviret, quam vermes; tolerabilius de vulneribus sanguis erumperet, quam de putredine sanies distillaret. Cadaver corrumpi respicis, et horrescis: sed ideo minor pœna, quod absens anima. At vero in Job præsens anima quæ sentiret, ligata ne fugeret, subjecta ut doleret, compuncta ut blasphemaret[1]. Sustinuit autem[2] tribulationem Job, et deputatum est illi ad magnam justitiam. Non ergo quisquam attendat quid patiatur, sed quid faciat. Homo, in eo quod pateris, potestas tua non est: in eo quod facis, voluntas tua vel nocens vel innocens est. Patiebatur Job, stabat mulier relicta sola, non ad consolationem, sed ad tentationem; non quæ afferret medicinam, sed quæ moneret blasphemiam: *Dic aliquid*, inquit, *in Deum, et morere*. Videte quemadmodum illi mori beneficium fuit, et tale beneficium nemo dabat. Sed in his omnibus quæ sancta anima sustinebat, patientia exercebatur, fides probabatur, mulier confutabatur, diabolus vincebatur. Spectaculum magnum, et in illa fœditate putredinis præclara pulchritudo virtutis! Vastat latenter inimicus: aperte malum suadet inimica; adjutorium diaboli, non mariti; Eva nova, sed ille non vetus Adam: *Dic aliquid in Deum, et morere*. Blasphemando extorque, quod precando non potes impetrare. *Locuta es*, inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus*. Attendite verba fortis fidelis; attendite verba foris putrescentis, intus integri: *Locuta es*, inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Job* I, *et* II)? Pater est; numquid amandus blandiens, et respuendus corripiens? Nonne pater est, et promittens vitam, et imponens disciplinam? Excidítne tibi: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem? Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero acceptabiles in camino humiliationis* (*Eccli.* II, 1-5)? Exciditne tibi: *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem Filium quem recipit* (*Prov.* III, 12, *et Hebr.* XII, 6)?

CAPUT IV. — 4. *Cruciatus temporales cum gehenna comparati quam leves.* Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas; compara ad gehennam, et leve est omne quod cogitas. Hic temporalis, ibi æternus est, et qui torquet et qui torquetur. Numquid adhuc patiuntur, qui illo tempore passi sunt, quo Roma vastata est? Dives autem ille adhuc apud inferos patitur (*Luc.* XVI, 19-26). Arsit, ardet, ardebit; vivet usque ad judicium: recipiet carnem, non ad beneficium, sed ad supplicium. Illas pœnas timeamus, si Deum timemus. Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est: si nec sic corrigatur, duplex damnatio est. Et hic enim luit pœnas temporales, et ibi experietur æternas. Dico Charitati vestræ, fratres: martyres certe sanctos laudamus, glorificamus, admiramur; dies eorum pia solemnitate celebramus, merita eorum veneramur, et, si possumus, imitamur. Est profecto, est magna martyrum gloria; sed nescio utrum minor gloria fuit sancti Job: nec tamen ei dicebatur, Thus pone idolis, sacrifica diis alienis, nega Christum; dicebatur tamen, Blasphema Deum. Nec dicebatur, ut intelligeretur, Si blasphemaveris, putredo omnis abscessura sanitasque reditura est: sed, Si blasphemaveris, dicebat inepta et insulsa mulier, morieris, et moriendo tormentis carebis. Quasi vero morienti blasphemo non æternus dolor succederet. Mulier fatua præsentis putredinis horrebat molestiam, æternam flammam minime cogitabat. Ferebat ille præsens malum, ne incideret in futurum. Tenebat cor a mala cogitatione, linguam a maledicto; servabat animæ integritatem in putredine corporis. Videbat quid in futurum evadebat; ideo quod patiebatur, ferebat. Sic, sic unusquisque christianus quando aliquam afflictionem corporis patitur, gehennas cogitet, et videat quam leve est[1] quod patitur. Non murmuret adversum Deum, non dicat: Deus, quid tibi feci, quare ista patior? Imo dicat quod dixit ipse Job quamvis sanctus: *Exquisisti omnia peccata mea, et ea tanquam in sacculo signasti* (*Job* XIV, 16, 17). Non se ausus est dicere sine peccato, qui patiebatur, non ut puniretur, sed ut probaretur. Hoc dicat unusquisque cum patitur.

CAPUT V. — 5. *Justi Romæ an non exstiterint, ut propter ipsos Urbi parceretur. Peccata quæ non ficte confiteantur omnes habent.* Fuerunt Romæ quinquaginta justi, imo si modum humanum consideres, millia justorum: si regulam perfectionis, nemo justorum existit. Quicumque Romæ qui se audeat justum dicere, a me non audit[2]: *Numquid tu sapientior quam Daniel* (*Ezech.* XXVIII, 3)? Audi ergo illum confitentem peccata sua (*Dan.* IX, 20). An forte cum confitebatur, mentiebatur? Hinc ergo habebat peccatum, quia de suis peccatis Deo mentiebatur. Sed aliquando argumentantur homines, et dicunt, Debet et homo justus Deo dicere quia peccator est: quamvis sciat nullum se habere peccatum, tamen dicat Deo, Habeo peccatum. Miror si ista consilii sanitas appellanda est. Quis te facit non habere peccatum? nonne Deus qui

[1] Nonnulla hic restituuntur ex Michaelino Ms.
[2] [illegible] *sustinuit tamen.* M

[1] Michaelinus codex, *et lucidius pervidebit quam leve est*, etc.
[2] In eodem Ms., *nemo justorum. Exstat quicumque Romæ qui se audeat justum dicere, a me audiet, Numquid tu*, etc.

sanat animam tuam? Si tamen non habes peccatum. Nam considera; et invenies, non peccatum, sed peccata. Tamen si prorsus non habes peccatum, nonne illius beneficium est, cui dixisti : *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5)? Si ergo sine peccato est anima tua, sanata est omni modo anima tua : si sanata est omni modo anima tua, quare ingratus es medico tuo, ut dicas vulnus esse adhuc, ubi omnem sanitatem ille jam fecit? Si corpus tuum languidum aut vulneratum medico ostenderes, et rogares ut tibi adhiberet curandi diligentiam, atque ille faceret, sanumque et incolumem redderet, et tu adhuc diceres, Non sum sanus; nonne esses medico ingratus? nonne esses in medicum contumeliosus? Si et Deus sanavit te, audes dicere, Adhuc vulnus habeo? nec times ne tibi respondeat, Ergo ego nihil egi, aut totum quod egi effudi; non accipio mercedem, non mereor vel laudem? Avertat Deus hanc amentiam, et hanc argumentationem vanam. Dicat homo, Peccator sum, quia peccator est : dicat, Peccatum habeo, quia peccatum habet. Non enim si non habet, sapientior est quam Daniel. Ergo, fratres mei, illam quæstionem aliquando determinem. Si justi sic appellandi sunt, sicut modo quodam humano justi appellantur, secundum quamdam conversationem qua inter homines vivunt sine querela : multi tales Romæ; et propter hos pepercit Deus, multi evaserunt : sed et eis qui mortui sunt, pepercit Deus. Mortui enim in bona vita et vera justitia, in bona fide, nonne ærumnis rerum humanarum caruerunt, et ad divinum refrigerium pervenerunt? Mortui sunt post tribulationes, quomodo pauper ille ante januam divitis. Sed passi sunt famem? passus est et ille. Passi sunt vulnera? passus est et ille : forte minus eos canes linxerunt. Mortui sunt? mortuus est et ille : sed quo fine audi : *Contigit*, inquit, *mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ*. (*Luc.* XVI, 20-22).

CAPUT VI.—6. *Quomodo Urbi Deus pepercit propter justos. Constantinopolis terrore imminentis sibi incendii emendata divinitus et servata.* Utinam videre possemus oculis animas sanctorum qui in illo bello mortui sunt; tunc videretis quomodo Deus pepercerit civitati. Millia enim sanctorum in refrigerio sunt, lætantium et dicentium Deo : Gratias tibi, quia nos a carnis molestiis et tormentis eruisti. Gratias tibi, quia jam nec barbaros, nec diabolum formidamus; non timemus in terra famem, non timemus grandinem, non timemus hostem, non timemus lictorem, non timemus oppressorem : sed sumus in terra mortui, apud te, Deus, non morituri, in regno tuo salvi, dono tuo, non merito nostro. Qualis civitas est humilium [1] quæ ista dicit? An putatis civitatem in parietibus deputandam? Civitas in civibus est, non in parietibus. Denique si diceret Deus Sodomitis, Fugite, quia incensurus sum locum istum : nonne magnum meritum eos habere diceremus, si fugerent, et flamma de cœlo descendens mœnia parietesque vastaret? Nonne Deus pepercerat civitati, quia civitas migraverat, et periculum illius ignis evaserat?

7. Nonne ante paucos annos, Arcadio imperatore Constantinopoli (quod dico, audierunt nonnulli forsitan qui noverunt, et sunt in hoc populo qui et illic præsentes fuerunt), volens Deus terrere civitatem, et terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli, viro, ut dicitur, militari, venit in revelatione, et dixit ei civitatem venturo de cœlo igne perituram; eumque admonuit ut episcopo diceret. Dictum est; non contempsit episcopus, et allocutus est populum : conversa est civitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive (*Jonæ* III, 5). Tamen ne putarent homines illum qui dixerat vel falsitate deceptum vel fallacia decepisse, venit dies quem Deus fuerat comminatus : intentis omnibus et exitum cum timore magno exspectantibus, noctis initio tenebrante jam mundo, visa est ignea nubes ab oriente, primo parva, deinde paulatim ut accedebat super civitatem ita crescebat, donec toti urbi ignis [1] terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor sulphuris deerat. Omnes ad ecclesiam confugiebant, non capiebat multitudinem locus, Baptismum extorquebat quisque a quo poterat. Non solum in ecclesia, sed etiam per domos, per vicos ac plateas salus Sacramenti exigebatur; ut fugeretur ira, non præsens utique, sed futura. Tamen post magnam illam tribulationem, ubi exhibuit Deus fidem verbis suis, et revelationi servi sui, cœpit, ut creverat, minui nubes, paulatimque consumpta est. Populus securus paululum factus, iterum audivit omnino esse migrandum, quod civitas esset proximo sabbato peritura. Migravit cum Imperatore tota civitas; nemo in domo remansit, nemo domum clausit : longe recedens a mœnibus, et dulcia tecta respiciens, relictis charissimis sedibus voce miserabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, uno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum subito vidit, et vocem magnam emisit ad Deum : tandemque tranquillitate conspecta, missis qui renuntiarent, sollicita quæ prædicta fuerat hora transacta, et renuntiantibus quod salva universa mœnia et tecta consisterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quidquam perdidit, patentem omnis homo sicut dimisit invenit (*a*).

CAPUT VII. — 8. *Ut Constantinopolis ita et Roma a Deo correpta potius quam perdita.* Quid dicemus? Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuit? Quis dubitet misericordissimum patrem corrigere voluisse, et terrendo, non perdendo punire, quando nihil hominum, nihil domorum, nihil mœnium tanta impendens præsens calamitas [2] læsit? Prorsus sicut solent manus erigi ad feriendum, et consternato illo qui fe-

[1] Er. et Ms. Mich., *millium*

[1] Editi, *ingens*. Melius Ms. Mich., *ignis*.
[2] Sic idem Ms. At editi, *præsentia calamitatis*.
(*a*) Meminerunt Marcellinus et Prosper in Chron. et Paulus diaconus, lib. 13. Refert Baronius ad annum 396.

riendus erat, miseratione revocari, ita factum est illi civitati. Verumtamen si eo tempore, quo illa derelicta populus universus abscessit, irrueret vastitas loco, totamque urbem sicut Sodomam, nullis saltem ruinis remanentibus, perdidisset; quis etiam sic dubitaret quod Deus pepercisset illi civitati, qua præmonita et territa, et discedente atque migrante, locus ille consumeretur? Sic minime dubitandum est pepercisse Deum Romanæ etiam civitati, quæ ante hostile incendium in multis ex multa parte migraverat. Migrarunt qui fugerunt, migrarunt qui de corpore exierunt : multi præsentes utcumque latuerunt, multi in locis sanctis vivi salvique servati sunt. Manu ergo emendantis Dei correpta est potius civitas illa, quam perdita : tanquam servus sciens voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapulabit multis (*Luc.* XII, 47).

CAPUT VIII. — 9. *Tribulationis temporalis utilitas.* Atque utinam valeat ad exemplum timoris, et mala concupiscentia sitiens mundum, et appetens perfrui perniciosissimis voluptatibus, demonstrante Domino quam sint instabiles et caducæ omnes sæculi vanitates et insaniæ mendaces, potius refrenetur, quam sub flagellis dignissimis adversus Dominum murmuretur. Sed unam tribulam sentit area, ut stipula concidatur, granum mundetur; unum ignem patitur fornax aurificis, ut palea in cinerem pergat, aurum sordibus careat : sic et unam tribulationem Roma pertulit, in qua vel emendatus vel liberatus est pius; impius autem damnatus est, sive ab hac vita raptus sit ubi magis pœnas justissimas lueret, sive hic remanserit ubi damnabilius blasphemaret, aut certe pro ineffabili clementia sua Deus, quos novit salvandos, pœnitentiæ reservaret[1]. Non ergo nos moveat labor piorum; exercitatio est, non damnatio. Nisi forte horremus cum videmus indigna et gravia in hac terra perpeti aliquem justum, et obliviscimur quæ pertulerit justus justorum sanctusque sanctorum. Quod passa est universa illa civitas, passus est unus. Sed videte quis unus : *Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16), comprehensus, vinctus, flagellatus, contumeliis omnibus agitatus, ligno suspensus et fixus, occisus. Appende cum Christo Romam, appende cum Christo totam terram, appende cum Christo cœlum et terram : nihil creatum cum Creatore pensatur, nullum opus artifici comparatur. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3); et tamen a persequentibus deputatus est nihil. Feramus ergo quod nos Deus ferre voluerit; qui nobis curandis atque sanandis, quis etiam dolor sit utilis, sicut medicus novit. Certe scriptum est, *Patientia opus perfectum habet* (*Jacobi* I, 4): quod autem erit opus patientiæ, si nihil adversi patiamur? Cur ergo mala temporalia perpeti recusamus? An forte perfici formidamus? Sed plane oremus et ingemiscamus et ploremus ad Dominum, ut servetur erga nos quod Apostolus dicit : *Fidelis Deus, qui non vos sinet tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possitis* (I *Cor.* X, 13).

[1] Hic nonnulla in editis omissa restituuntur ex Ms. Mich.

APPENDIX

TOMI SEXTI

OPERUM SANCTI AUGUSTINI

CONTINENS

SUBDITITIA QUÆDAM OPUSCULA,

SCILICET :

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Sententias hic habes alias ex Augustino, alias collectas ex aliis auctoribus, et eas temere nullaque certa ratione ad viginti unius sententiarum sive quæstionum numerum revocatas : quo fit ut sub eodem titulo res non raro diversæ et minime ad propositum facientes reperiantur. Nonnullæ etiam bis referuntur in tam exiguo libello : nec absunt solœcismi et indoctæ rerum definitiones ac distinctiones, uti Lovanienses Theologi post Erasmum observarunt. Unicum habuimus libri hujus manuscriptum exemplar in Michaelino cœnobio repertum.

VIGINTI UNIUS SENTENTIARUM

SIVE QUÆSTIONUM

LIBER UNUS.

SENTENTIA PRIMA. — *Beatus qui.* Omnis qui beate vult vivere, si vivit ut vult, beatus est : omnis autem homo beate vult vivere : omnis igitur homo qui vivit ut vult, beatus est. Ex quo conficitur neminem vivere ut vult, qui vult turpiter vivere ; quia nemo beatus est qui turpiter vivit. Ideo autem non vivit ut vult, quia etsi multa secundum voluntatem suam faciat, consequuntur tamen plura contra ipsius voluntatem.

SENT. II. — *De Judæis.* Cum Apostolus dicat, omnia in figura contigisse Judæis (I *Cor.* x, 11), umbras præterea fuisse cuncta præterita ; nam corpus Christum esse : possum contendere, pascha non nisi semel gestum esse, quando figuratum corpus fuit occisus Christus. Nam et si ovis, qualem lex ad pascha describit, non potest inveniri, ut sit ex ovibus et hædis : discordat enim horum animalium ad conjunctionem communis fetus ipsa natura : quomodo potuit pascha verum geri, cum defuerit agnus talis ille qui pascha est? At si Christus talis ex justis, id est ovibus, et ex peccatoribus, id est hædis, secundum carnem nascitur, hic est solus agnus ille qui quæritur, quique dum non amplius quam semel occiditur, non amplius secundum veritatem quam semel celebratum illud perfectum pascha monstratur. Figuræ igitur, ut diximus, tunc temporis fuerunt : nam agnus eligitur, ut simplicitas et innocentia designetur ; masculus quæritur, ut virtus comprobetur ; immaculatus, ut sine crimine ; anniculus, ut exacto prædicationis tempore ; perfectus, ut instructus omni virtutum genere ; mense primo, ut totus annus a primordio proprio consecretur ; quartadecima die mensis, ut lumine veritatis impleto, erroris nox operiatur ; ad vesperam, ut sæculi occasus imminens approbetur ; ejecto fermento, ut a corde perversæ mentis malitiæ corruptio tollatur ; oblitis sanguine liminibus domorum, ut figura dominicæ passionis fronte signetur ; igne assus, est enim Evangelium et sermo Christi robustus cibus ; nec in aqua madidus, non est enim delicatæ interpretationis humido languore solvendus. Nihil prætermittitur, nihil enim in Christo omnino reprobatur. Ossa non conteruntur, quia nec comminui, id est, vinci in quoquam Christus potest. Quidquid superest, divinis ignibus imponitur ; id est, quæ quis capere non potest, Christi divinæ scientiæ remittit, eorum tantum quæ manifesta sunt, pro viribus epulator [1] intentus. Nam et quod stantes edunt, forma est, ne quis cadat, aut ne quis se in Evangelio ad necessitatem prosternat ; sed vigentis [2] animi robore contra persecutionum prælia invictus, id est, sublimis et erectus assistat. Nam quod succinctis lumbis, evangelicæ signum est continentiæ, dum locus seminum coerceatur et constringitur : additis baculis, Spiritu sancto, quo quis nititur : pedibus calceatis, id est, lubrico erroris ejecto, dum provectione [1] ad fidem cœlestium quasi ferratis præsidiis in Evangelio cuncta sunt fixa, firmissima veritate solidata. Festinantes etiam : ferventes enim fide probantur, tepidi et negligentes respuuntur et evomuntur. Cum azymis sumuntur : Christus enim cum omni simplicis animi para simplicitate sumitur. Cum picridiis (*a*) : etenim hoc pascha in Judæorum damnationem acerbissimas amaritudines cessit. Non nisi circumcisis dabatur (*Exod.* XII) : purgatis enim solis et lavacro indulgentiæ cœlestis expiatis percipiendi Christi corporis sacrati cibi [2] facultas porrigitur. Ita quæ figurata in Israelitis fuerant, in nobis corroborata sunt ; et quæ illis imagines, in nobis ipsæ sunt veritates. Imitabantur illi facere pascha, dum in similitudinibus exercerentur, solis discipulis Christi verum pascha facturis.

> Non ii qui pecudum pertractant corque jecurque,
> Sed quorum emundat prudens præcordia virtus,
> Excludens positam subter labem vitiorum,
> Remigio poterunt cœlum penetrare secundo,
> Æthera jam vacuum lætis transcurrere pennis.

SENT. III. — *De quæstione fati et fortunæ.* Quia tuum animum non leviter moveri, et cum præsens essem adverti, et nunc tuis litteris gratius certiusque cognovi, rescriptum tibi non parvi voluminis debeo, etc. Ero tamen alacrior si et sæpe commemorare me litteris tuam non pigeat Charitatem, et quid de hac epistola sentias, rescripto edocueris (*b*).

SENT. IV. — *De miraculis magicis.* Non oportet moveri, cum magicis artibus miracula fiunt plerumque similia miraculis quæ fiunt per sanctos Dei servos : sicut scriptum est in Exodo, quod magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter sicut fecit Moyses (*Exod.* VII *et* VIII). Non ergo hæc oportet mirari : quia omnia quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris hujus non absurde fieri posse creduntur. Sed hoc interest, quod cum sancti talia faciant, in nomine Dei Domini omnium rerum de sublimioribus apparatibus jubetur inferiori creaturæ ; cum autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur, cum exaudiuntur a dæmonibus.

[1] Editi alii, *epulatur.*
[2] Editi alii, *ingentis.*

[1] Ms. et Er., *probatione.*
[2] Ms. et Er., *Christi corporis sacramenti cibi.*
(*a*) Picridiæ sunt olera amara, lactucæ agrestes.
(*b*) Epist. 246 Augustini ad Lampadium.

Digni sunt enim qui tali exauditione decipiantur, ut pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cum eis exhibent quasi privatim aeriæ potestates quædam miracula, ut eos habeant subjugatos, permissu tamen divinæ providentiæ [1], ut pro meritis animarum sua cuique tribuantur.

Sent. V. — *De piscibus centum quinquaginta tribus.* Potest etiam si numerus iste consideretur, occurrere ad Ecclesiæ sanctitatem, etc. . . . . ubi peccatores, qui ad sinistram pertinent, non inveniuntur (*a*).

Sent. VI. — *In quo melior sit homo belluis.* Hominem ex anima et corpore constare nulli dubium est, ita ut anima sit vis quædam qua corpus vivificatur; et sint duo, ita ut unum altero sit præstantius, illud dominetur, hoc serviat. Sed rursus in eadem anima duo quædam videntur : unum quod amans divina, intelligit et participat rationi, ac dicatur rationale; alterum quod sensibilibus fruens, belluis communicat, ac sit irrationale. Quod rursus in duobus animadvertendum est, quorum unum est quo resistere appetit obsistentibus [2]; alterum, quo adipisci congruentia, quod et belluas facere manifestum est. Quibus collectis, apparebit hominem constare ex anima quidem et corpore, sed officiis hac partitione diversis. His autem omnibus præsidet illa prima et rationi vicina pars, quæ cum sese suaque, vi ac potentia fabricatoris, non per se, quia ipsa ex se nihil est, sed per benignitatem Dei per quam anima est, fuerit delectata, naturæ inferiorem in se partem frenando, atque a rebus temporalibus abducendo, liberat dolorum egestate, indigentiæ difficultate, morborum molestiis, atque in sua bona benefica largitione reducit, ut justitiæ in ea firmitas maneat, regnando secundum suam naturam et servienti præstando : cujus servientis si vita fuerit delectata, et hæc temporalia dilexerit, non dominans, sed serviens, et non præstans inferiori, sed ei obsequens, judicabitur, ad extremum graviores pœnas expertura, deserta iis omnibus quæ adversum Dei præcepta dilexit; recurrendo autem ad superna, ac se totam Dei beneficiis resumendo, erit similis ei a quo facta est, et erit beata, habens ejus similitudinem ad quam facta est. Sic enim scriptum est : *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei* (*Gen.* I, 27). Quam nos ipso intuitu recepturos esse sic dicitur per Joannem apostolum : *Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). De distributione autem animæ dictum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Deut.* VI, 5, *et Matth.* XXII, 37). Et apostolus Paulus sic ait : *Salvum faciat Dominus spiritum vestrum, animam et corpus* (I *Thess.* V, 23). Quapropter nihil belluis homo præstat, nisi quod intellectualis anima est : ipsis autem hominibus cæteris præstat, cum intelligit Deum, neque temporalia bona perversus vanitate sectatur. Nam et illud verissime dictum est, *Nolite esse sicut equus et mulus, non habentes intellectum* (*Psal.* XXXI, 9). Et illud, *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31): sic intelligit, Quia ego sum Dominus. Et illud, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole* (*Eccle.* I, 2, 3).

Sent. VII. — *De corporis resurrectione.* Excepto eo quod omni fide dignum est, nihil Deum non posse, tali etiam ratiocinatione colligi potest, non esse contra naturam ut resurgat hoc corpus. Universum corpus, quod etiam hujus mundi sensibilis cœli et terræ nomine significatur, est aliquo modo. Omne autem quod est aliquo modo, neque tamen summo modo, ejus speciei participatione est, in quantumcumque est, quæ summo modo est; quia, cum tenetur, ordinatas quasque commutationes pati potest. Non autem esse omnino corpus non potest. Si enim omnino corpus non erit, aut nihil erit, aut aliquid melius : sed nihil esse non sinitur, obtinente specie quæ semper manet et vere summeque est : melius autem aliquid esse quam corpus non potest; quia et corporis universi certus est modus, et eorum quæ incorporea facta sunt, numerus augeri non indiget; et non est opus aliquam novam naturam fieri, quasi aut non omnia facta fuerint, aut in locum alicujus quæ perierit alia substituenda sit; cum et perfecte facta sint omnia, et ea gubernentur providentia secundum speciem semper manentem, ut ordinatæ mutabilitati, et per hoc in mutantis quamdam manentiam cedat natura sensibilis, atque ita in suo genere teneatur, modumque proprium custodiat. Ex quo fit ut corpus omne aliter atque aliter sit, corpus tamen esse non desinat : ita universæ naturæ salva sunt omnia, quæ sensibus nostris discedunt et interire penitus existimantur. Unde non mirum est si hoc corpus modum istum suum, quo nunc est, in quantum est, recipiat, aut meliorem aliquem sortiatur; cum is qui vocatur interitus, discessio in alios modos sit, non omnino peremptio.

Sent. VIII. — *De fide, spe et charitate.* Fides sine spe et charitate est, si dicas : Credo vera esse ad quæ me vocas; sed ego ea capere non possum, nec volo. Fides sine spe cum charitate est, si dicas : Credo vera esse ad quæ me vocas, et volo ea consequi; sed non possum. Fides cum spe sine charitate est, si dicas : Credo vera esse ad quæ me vocas, et ea possum assequi si velim; sed nolo. Charitas sine spe et fide est, si quis dicat, vehementer se velle sine illecebris corporis sui vivere in æternum; sed neque credere esse vitam æternam, nec, si sit, eam se posse assequi. Cum fide sine spe charitas est, si et desiderare se vitam æternam, et credere esse quis dicat; sed se posse assequi neget. Spes autem sine fide quomodo esse possit, non invenio. Nemo enim sperat se posse assequi quod esse non credit. Oportet ergo inesse animo omnia tria, fidem, spem et charitatem; ut et credat vera esse ad quæ vocatur, et speret se posse assequi, et omnino ea diligat.

Sent. IX. — *Quod philosophia in tres partes dividitur.* Philosophia in tres partes dividitur; moralem, naturalem, rationalem. Moralis in duas, scientiam et administrationem. Scientia in duas, hortationem et tractationem bonorum et malorum. Administratio in duas, officium et finem : officium quod facere debemus, finem ad quod referimus omnia quæ recte faciamus, ipsum autem ad nihil aliud refertur. Naturalis distribuitur in duas partes, corporea et incorporea. Corporeorum divisio quinque partita est : in causam, quæ aliquid facit; materiam, unde facit; motum, per quod facit; causationem, quare facit; effectum, quod facit. Incorporeorum quadripartita est : in locum; locus enim non est corpus, sed spatium quod obtinetur a corpore : in tempus : in extremitates; extremitates enim corporum non sunt corpora, quia non habent crassitudinem : in dicibilia; dicibilia enim quæ concipimus animo ut enuntiemus verbis, non sunt corpora. Sane tunc dicuntur dicibilia, si ex rebus verbis animo impressa sunt. Rationalis distribuitur in tres partes : diligentiam, quæ est in perceptione sensuum, vel esse dicitur; definientiam, qua definimus quidquid sit; differentiam, qua ratiocinamur argumentumque concludimus.

Sent. X. — *In quo statu erat Adam antequam peccaret.* Antequam peccasset Adam, anima erat rationalis, perfecta et beata : corpus habens, non quale nunc habemus fragile atque mortale, sed quale congruebat tali animæ, quæ nondum in se Dei similitudinem prava voluntate corruperat, quale nos quoque post resurrectionem habituri sumus, cum eadem anima eamdem similitudinem Dei perfecta sanctitate perceperit. Postea vero quam peccavit, facta est anima rationalis cupiditate corrupta, corpus habens quale in nobis nunc cernimus.

[1] Ms., *divino*; omissa voce, *providentiæ*.
[2] Lov., *subsistentibus*.
(*a*) Ex quæst. 57, inter quæst. 83.

Sent. XI. — *De casu peccantis.* Casum peccantis ex arbitrio libero venientem, quem nulla inopia, neque cupiditas perurgebat, quærimus. Suspicari autem videor qualitate materiæ factum. Sed occurrit Dei opus, Dei perfectio, a quo talis ac tantus fieri meruit; et omnes nobis rationes confundit, ne Deus meliore consilio de illa desperans materia, ideo liberum arbitrium dederit, ut si peccatum obreperet, recte alienus a culpa esset.

Sent. XII. — *Cavendum ne putetur quidquam esse verius quam omne quod est ex eo quod per se ipsum est.* Et quod summe[1], cum ipso et de ipso est: quod autem non summe est, ab eo qui summe est, de nihilo accipit ut sit. In hac ergo natura non potest recte Deo tribui, nisi quod in se habet esse, id est, omne ejus bonum. Quod autem ad peccata mortemque pertinet, sine dubio vergit ad non esse: hoc undecumque sit, non est certe ab eo quod summe est, nec ab eo quod aliquo modo est. Non est igitur nec a Deo nec ab aliquo opere Dei. Erit ergo ab eo quod est ei contrarium quod summe est. Quod ergo quæris unde sit, non est unde sit.

Sent. XIII. — *Quid sit homini commune.* Prima animalia mortalia, insensualia, irrationabilia, ut arbores, et cætera, cum quibus est homini commune crescere, generare, ali, mori. Secunda mortalia, irrationabilia, sensualia, ut pecora, cum quibus est commune crescere, generare, ali, mori, sentire, appetere, fugere. Tertia sensualia, rationabilia, mortalia, ut homines. Quarta immortalia, sensualia, rationabilia, ut Angeli, cum quibus est commune audire, sentire, intelligere.

Sent. XIV. — *Voluntas quid.* Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum (*a*).

Sent. XV. — *Tria genera virtutum.* Primæ civiles politicorum: purgatoriæ, quibus exuitur anima a vitiis; exemplares, quæ jam contemplanti menti imprimuntur a Deo, ubi totum vivit, ubi totum semper vivit, ubi totum semper beate vivit. Intelligibilia, quæ intelliguntur. Deus intelligibilis dicitur, quia intelligitur: intellectus, quia per se intelligit: anima intelligibilis, quia intelligitur; intellectualis, quia et ipsa intelligit.

Sent. XVI. — *De pulchritudine mundi.*

Modo, si placet, auribus æquis atque mente pura
Operum accipe prima Dei: quæ tu negas bona esse,
Et clamas hæc fieri non debuisse cuncta;
Quoniam ut Deus omnia, summus summa, facta non sunt.
Elementa boni bona mundi prima quatuor sunt.
Levis ignis, acutus, et est qui mobilis superne.
Gravis huic obtusaque contra est atque pigra tellus.
Inimica igitur tria summis sunt tribus quoque ima[2],
Duo quæ medio veniunt, aer, unda, nectunt
Extremis rursus amica quantum et ipsa secum.
Levitatem et mobilitatem cum igne jungit aer,
Obtusum pondus et infra jungit unda terris,
Hebes est et mobile vinclum, quo aura et unda inhærent.
Sed hebes quod loquitur alte, debet aura terris:
Quod mobilis influit imum[3] debet unda flammis.
Media extremis sibi sumunt bina[4] de propinquis,
Et de longe positis hæc singula occuparunt sibi.
Sic variis elementis quadratur iste mundus:
Sic est discordia concors, sic remota juncta.
Ita motibus omnibus hæc sunt rite temperata, ut
Imparibus numeris sit pulchritudo compar.
Quid quæque ferant elementa, et quid sibi apta gignant,
Referam, ut valeo, numeris[5]; tu benignus audi:
Ut in his quoque fœdera mundi firma lege veri
Ubi videris, ordine credas ista facta certo.
In quatuor his elementis, aura, aqua, igne, terra,
Animalia certa creantur, propriæ apta sedi, et
Quæ habeant alios alia usus congruosque motus.
Gradientia fixaque, duplex quod genus videmus,
Annectit et elementis ultimis duobus
Nec jam ultima deinde terræ, et confert ima summis:
Fixum videtur locum habet totum omne terræ.
Fixa et sublime rotatum sidera alto[4] cœlo lumina.
Hic[?] vestigia fert quod repit omne terris.
Globus est ut cuique ita firmant gressum et astra septem.
Natat undis, et volat auras ambiente motu,
Sursum deorsumque animantum quod petit vicissim.
Medio medium bene habeant hinc et inde mota.
Aliud quoque convenient his quatuor vicissim
Contrarium necesse elementis qualitate duplex,
Paucis adverte, docebo nempe parva non sunt.
Ita primum tertio habetur, quartum ut est secundo:
Contraria in his volo cernas, vimque singulorum.
Calet ignis et aridus est, quod possidet superna:
Præfrigida et humida serpit tertia unda.
Contravenit inter utrumque locatus, mixtus ex utroque,
Quarto contrarius aer, ultimo secundus,
Ambobus partim paribus, atque totus impar.
Nam humore liquescit aquarum[3], fervet ignis æstu.
Capit undis terra rigorem, fitque sicca cœlo.
Vicibus variis ita totus quatuor sibimet
Per motiva tempora nexus temperatur annus.
Pluvialis hiems rigat undis, aqua frigore[4] arctat.
Maturat et omnia torret sicca et ignea æstas.
Ver temperiem sibi sumit de[5] hoc utroque gratam:
Tepidum igne et aqua tenet auram molliter fluentem.
Autumnus frigore torpet, siccitate hiulcat.
Sic corpora quatuor ex his nostra copulantur.
Spatium hæc quoque noctis, et horas temperant dierum.
Medium igne quod ardet et aret tempus hinc diei est.
Medium undis frigidum et humidum est tempus inde noctis.
Sunt extrema humida noctis, prima jam calet lux.
Hinc atque illinc tibi blandum mane temperatur:
Sunt ultima sicca diei, prima friget umbra:
Ex utroque accipe legem, et temperare vesper[6].
Et tot res invide tales. Fulgida astra cœli,
Cœlum cœlique figuram perpetesque motus,
Fixum in medio, quod et unum est pondus omne terræ.
Glaucum Oceanum mare, et amnes ungulæ orbis almi,
Auras[7] liquidas, modo densas, inde mox serenas:
Tot corpora pennipotentum, picta, grata, blanda,
Varium decus atque nitores adde tot natantum,
Tot terrigenis decoratum multiforme pulchrum:
Et tot res invide tales te esse nolle clama
Rapidum tardo, et rata rota currens, hac et hac vaganti:
Statisque manentia[8]: densis rara, magna parvis:
Obscuris flammiferata[9], nigra luminosis:
Intercadentia natis, nata nascituris:
Medium extremis, medio illa, et ima summis,
Concordant[10] lege superna: lege dico veri:
Unum carmen modulantur concinuntque in unum:
Unum quoddam appetit, omne quidquid ambit esse.
Et tot res invide, si audes, te esse nolle clama.

Sent. XVII. — *Quod notitia evidentior boni, mali est experimentum.* Item non esse bona dulcia, si non paterentur adversa. Item bonum quod obtemperando minus diligebat, ardentius diligit comparando. Non erit magnus, magnum putans si cadunt ligna, lapides, et moriuntur mortales (*a*). Quod si artifex de tali materia faciat aliquid quod melius illo est, nonne melius se ipso aliquid fabricavit? Nullo modo: quia non solum melior, sed ne par quidem arti potest esse materia. Sic enim materia est subjecta artifici: si subjecta est, inferior sit necesse est.

Sent. XVIII. — *Quid est quod omnia mensura et numero et pondere disposuisse dicit propheta Dominum. De Filio. De semper nato. De Unigenito. De Verbo.* Mensura unum potest intelligi. Numeri enim ab eo mensurantur: ut mensura possit Pater intelligi et numerus ipse Filius, pondus Spiritus sanctus; amor est enim. Nam qui amat dicitur, Pendet ab amore; et qui pendet, ad aliquid venturus est. Erit

[1] Er., *Est quod summe.* M.
[2] Ms., *quod ima.*
[3] Editi alii, *unum.*
[4] Editi alii, *bona.*
[5] Editi alii, *numeros.*
(*a*) Ex lib. de Duabus Animabus, cap. 10.

[1] Ms., *alta.*
[2] Editi alii, *his.*
[3] Ms., *liquescit quid aquarum.*
[4] Lov., *frigora.*
[5] Editi alii, *ex.*
[6] Ms., *et temperari vespere.*
[7] Ms., *orbi alma, aura.*
[8] Ms., *æstatisque moventia.*
[9] Ms., *flammicerata.*
[10] Ms., *atque intus alta summis concordat.*
(*a*) Possid., in Vita Aug., cap. 28.

namque numerus de mensura, et inde ipse ordo sequitur. A pondere dicitur pendet. Ad ordinem nisus pertinet. Ordo enim potest etiam et pondus accipi : pondus conatus esse potest ad locum, conatus vel conati ad locum appetitus occurrit : pondus ergo ad ordinem pertinet. Lucem istam solis substantiam esse, non qualitatem, manifestum est. Qualitas enim in corpore consistens est, et ubi est corpus, ibi qualitas. Corpus solis in cœlo, qualitas ergo ibi. Qualitas enim ut figura, ut color, ut duritia, ut mollities. Lux autem ista usque ad terras distenditur, et manifestum quia corpus : de loco locum enim in transiit. Et ista sunt duo in una, lux solis et terra. Qualitas enim cum eo movetur, cujus est qualitas. Lucis ergo solis et aeris substantia naturas suas habentes, invicem sine aliqua angustia, vel sine expulsione alterius manentes, ita sibi commiscentur, ut una alteram non mutet : et corpora sunt. Refers nunc ad incorporea [illegible], ut lux et ignis : æqualia, ut homo de homine : melius coæva, quam non coæva ; melius æqualia, quam non æqualia. In illa ergo divinitatis natura et coæva et coæqualia. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ; ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Summum bonum non est infecundum et sterile. Quod autem de illo genitum est, æquale illi est, in hoc maxime, ut unum de uno sit. Et est summus modus de generatione unum, unde unigenitum ut magis approbetur æquale. Modus, finis cujusque rei. Sed ne cuiquam videatur, quia et Filius debuit generare ; si ita esset, nullus esset generandi finis. Moderatum autem immoderato melius est : propter æqualitatem magis finis est moderatus. Unum duo infinita esse possunt, et hæc corpora, ut aer et lux, quæ per locos distenduntur, et non se angustant. Si ita ergo in corporalibus, quanto magis in spiritualibus? In Domino nihil debet esse mutabile. Si ex tempore [1] genuit, mutabilis est : qualitas in substantia est mutabili. In Sapientia Salomonis : *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum* (*Eccli.* I, 1). Item in Salomone : *Vapor est enim virtutis Dei, et manatio quædam omnipotentis Dei sincera* (*Sap.* VII, 25). Iterum : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis* (*Eccli.* I, 5). Ratio procedens, recte dicitur verbum. Vox aliquid est, silentium nihil est. Unum si solum esset, in se esset, sterile esset et nihil præstaret : sed quia benignum est, procedens ad aliquid faciendum, processit in alterum se. Ipsa est generatio Unici, quia qui facit est, et per quem facit est, et effecerunt duo. Unum enim antecedit duo : et his duobus est aliquis ordo, et fiunt tria, quæ Trinitas dicitur. Cardo dicitur omnium rerum, qui accipitur Pater. Cardo enim quanquam sit immobilis, tamen motum qui est ipse Filius intellectus, unus esse dicitur, quem omnes digni fruuntur, sed non omnes uniter. Nam homo susceptus a divina Sapientia, quanto divine susceptus est, tanto divinius intelligit. Nam quanquam unum sit corpus, tamen non eamdem habent omnia membra sanitatem. Aliter dicitur sanitas oculi, aliter capitis, aliter cæteri corporis. Homo enim a peccato evadens conatur intelligere ; ille autem susceptus ab eodem intellectu. Nunquam autem erit manus pes, aut pes oculus : sic et homo nunquam erit quod ille qui susceptus est a Sapientia Dei. Deus dicitur finitus forinsecus usque ad animam, intrinsecus usque ad se : omnia enim in se continet. Anima autem finita est usque ad corpus, et usque ad Deum. Corpus etiam foris finitum est usque ad nihil, intrinsecus autem infinitum est : dividendo enim nunquam finitur.

Sent. XIX. — *De ideis.* Omnis transitus de loco in locum per lineam fit ; quoniam omne latum linea sibi conjungitur, et omne corpus linea sibi conjungitur, quæ linea utique corpus non est : ita et omnis transitus in anima, id est, mutatio vel affectio, qua modo stulta, modo sapiens, per quasdam utique lineas, id est, per quosdam transitus medios fit, quomodo ipsa de nihilo facta est. Homo si verum sciat, pene Deus est : Deus si verum nescit, non pene, sed bene lapis est. Mens autem hominis quam optimo motu ferri debet. Quo igitur circuitu movenda est? Est autem optimus mentis circuitus rationalis cogitatio, quæ ab eo quod quæritur profecta, per succedentium argumentorum circulum certior redit in locum. Ideoque etiam similitudines intellectui idoneæ sunt, quod per ipsum motum quem natura desiderat, animo exhibeantur. Nam quasi auferunt animos ab eo quod agitur, et illo iterum referunt : sed quod efferunt, contra pigritiem fit ; quod referunt, contra errorem. Unde placuit etiam priscis sapientibus quasdam res imaginibus signare fabularum, ut cum ad eas fertur intentio, referturque ad id quod significant, motu suo mens etiam cum ludit, exerceatur in disputatione. Prævidendum ne quis mentiatur. Omnis anima affectibus mutatur : nam et in officiis mutabilis est. Deus est enim solus immutabilis, et Angeli : ergo semper immutabiles sunt, cum officia impendunt. Vermis de morte natus, et mortem consumens : de putredine natus, putredinem consumens. Omnia mutabilia etiam puncto temporis mutantur, et maxime corpora quæ penitus non manent, sed ætatibus sine intermissione moventur. Nam omnis res ætates suas habet, ut ad brevem ætatem ætas omnis major quasi æternitas sit : cum etiam adhuc viventes mortes quasdam patiantur ipsarum ætatum, et ultima mors major quodam modo mors sit, ut ipsa crementa ætatum mortes patiantur. Et montes cum ruunt, et insulæ cum ruunt et nascuntur, quasi mortes fiunt in universitate, ut ultima mors sit etiam mundo quæ dicitur conflagratio. Nam tria sunt : unum semper immutabile, ut Deus ; semper mutabile, ut corpus ; medium quoddam, ut anima, ut mutabilis esse possit, possit et immutabilis. Sed post commutationem corpus non mutatur. Ea demum vera et sincera libertas est, qua fit ut ubicumque sis, bene sit tibi. Deus autem est solus, nusquam absens ab eis quibus solus [1] voluptas est. Pater autem misericors mortalia illis vincula faciebat (*a*). Descensus animæ talis est, ut cum putat se aliquid appetere quod sibi prosit, ad alia huic rei necessaria trahatur : ac si id quod volebat [2] in multis implicetur, et dicat, Præveni nolens quod volebam [3]; redit autem per gratiam Dei. Tria sunt genera virtutum : primæ civiles politicorum, etc.

Sent. XX. — *De malo.* Notitia enim evidentior boni, mali est experimentum iis quibus potentia interior est, ut per disciplinam malum ante experimentum sciant. Non essent bona dulcia, si non paterentur adversa. Item bonum quod observando minus diligebat, ardentius diligit comparando. Non erit magnus, magnum putans si cadunt ligna, lapides, et moriuntur mortales. Utrum secundum tempus, an secundum excellentiam Deus ante tempora. Non enim secundum tempus ante tempora : alioquin incipit tempore præcedere tempora, et non jam præcedit tempora qui tempore illa præcedit.

Sent. XXI. — *De libero arbitrio.* Nos autem Deo jubente ea quæ volumus agimus, quoniam quæ possumus volumus, bona duntaxat. Nam mala in potestate sunt quæ in voluntate esse non debent. Idque est et plurimum et solum in libero arbitrio, plenissime velle omne quod recte agere possis [4] : si quod recte vis agere non potes, fac velis agere quod recte potes. Manifestum est in Spiritum Sanctum peccantem, veniam habere non posse; nam vindicatur. Cum enim affligitur, in ipsa pœnitentia punit factum, et solvit vindictam. Non ergo dimittitur, quia punitur.

[1] Editi alii, *ex parte.*

[1] Lov., *sola.*

[2] Ms., *ac si id quo volebat.*

[3] Ms., [illegible]

[4] In Ms. ad marginem additur, *et nihil velle quod velare non possis.*

(*a*) Plotini dictum, ex lib. 9 de Civit. Dei, cap. 10.

ADMONITIO
IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Exstat iste liber in vetustissimis exemplaribus sub titulo Orosii percontantis et Augustini respondentis. Verumtamen, ut prælationis et interrogationum stilus dissidet ab Orosiana phrasi, ita reliquus sermo non convenit Augustino, nisi cum ipsius verba recitantur. Congestæ huc sunt quæstiones ex variis locis. Non duodecim priores sunt in opusculo de Trinitate et unitate Dei, quod inter subdititios libros tomi 8 exhibetur. Aliæ ex subsequentibus plures pertinent ad Commentarios in Genesim, Eucherii nomine vulgatos. Non pauce etiam ex Augustini libris de Genesi ad Litteram decerptæ sunt. Ad extremum, dialogus clauditur sententia Augustini citati in hæc verba : *Nam de eo qui præesse festinat, quidam Patrum eleganter expressit dicens, Sciat se non esse episcopum, qui præesse cupit, non prodesse.* Locus est libri 19 de Civitate Dei, cap. 19 : *Intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Opus recognovimus ad Corbeiensem codicem ante annos fere octingentos scriptum, ad Vindocinensem et Michaelinum annos habentes ad minus sexcentos, ad Romanos bibliothecæ Vaticanæ quatuor; et ad editiones antiquiores. In Corbeiensi et Michaelino prænotatur sic, *Quæstiones Orosii et responsiones sancti Augustini episcopi*; in uno e Romanis, *Liber Dialogorum beati Augustini episcopi, percontante Orosio presbytero*; nec multo aliter aliis in libris inscribitur.

DIALOGUS QUÆSTIONUM LXV

SUB TITULO

OROSII PERCONTANTIS ET AUGUSTINI RESPONDENTIS.

Licet multi et probatissimi viri diverso quidem stilo, sed non diversa fide innumerabilia opuscula ediderint, ita ut difficile sit eorum omnia legere; ea tamen quæ leguntur, propter eloquii venustatem et difficillimas quæstionum perplexitates, minime intelliguntur. Revera enim, dum coguntur propter altitudinem Scripturæ divinæ occultam viam carpere, parvitati nostræ ambiguitatem non minimam reliquerunt. Sunt etiam plane spirituales viri, qui eorum assequuntur eloquium, et penetrant intellectum. Quorum nos dum concupiscentiis satisfacimus, præclaræ eorum scientiæ non æquamur, ut eas sicut illi intelligere valeamus. Quapropter quæso te ut percontanti mihi respondeas, et quæ obscuritatem faciunt, elucidare digneris.

Quæstio prima. In primis quæro a te, utrum Deus Trinitas sit; et quibus testimoniis approbes, nosse desidero.

Resp. Principium Geneseos evidenter ostendit. Ait enim : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Quem alium principium intelligendum putabimus, nisi Filium? Ipse enim de se ipso interrogantibus Judæis quis esset, respondit : *Principium, quia et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Ergo principium Filius. Per Filium fecit Deus cœlum et terram : *Omnia per ipsum facta sunt*, sicut evangelista Joannes narrat, *et sine ipso factum est nihil* (*Id.* I, 3). Procul dubio in Dei nomine Pater, in principii nomine Filius intelligendus est. Profecto cum dixisset, *In principio fecit Deus cœlum et terram*; subsecutus adjunxit, *Et spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 1, 2) : qui tertia est in Trinitate persona. Igitur si Trinitas non esset, nunquam Dominus noster Jesus Christus diceret discipulis suis, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) : nec baptizato Domino in Jordane a Joanne, vox de cœlo diceret, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* : nec Spiritus sanctus in columbæ specie descendisse super eum, et mansisse diceretur (*Id.* III, 17, 16). Miror infelicem Sabellianam hæresim, hoc est, Patripassianorum, quod sic cæci sunt mente, ut tam præclara, tam aperta testimonia non attendant. Ipsi namque asserunt unam[1] esse personam, id est, ipsum sibi Filium esse qui Pater est, et ipsum Spiritum sanctum. Sed nos cæcitatem ipsorum relinquentes, tres personas secundum Scripturas sanctas intelligamus; id est, alium esse Patrem qui genuit, alium Filium qui genitus est a Patre, alium Spiritum sanctum : non aliud, quia substantia unum sunt. Personas distinguimus, non deitatem separamus. Igitur Filius Dei natura est Filius, non adoptione. Sic enim scriptum est : *Ex utero*, inquit, *ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Non quod Deus Pater uterum habeat sicut nos, aut corporeus esse credendus sit; sed per uterum substantiam intelligi voluit, de qua natus est Filius. Quod est Pater, hoc genuit : Deus Deum, lux lucem. Igitur, sicut homo hominem, et canis canem gignit : nunquam autem visum est ut homo genuerit canem. Ac per hoc non de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de se ipso Filium genuit.

Quæst. II. De personarum distinctione, vel de geniti Filii persona satisfactum mihi esse arbitror : nunc quæro quid credas de Spiritu sancto; utrum et ipse ingenitus sit, an genitus.

Resp. Spiritum sanctum neque ingenitum, neque genitum fides certa declarat. Quia si dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur : si autem genitum, tunc duos filios credere culpabimur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus est, nec genitus; sed ab utroque procedens, id est, et a Patre et a Filio. Et ut hæc testimoniis approbem, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum discipulos suos audi docentem : *Cum autem venerit*, inquit, *Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV, 26). Et rursum ipse Dominus noster Jesus Christus, post resurrectionem suam, ut ostenderet a se procedere Spiritum sanctum sicut a Patre, insufflans in discipulos suos ait, *Accipite Spiritum sanctum* (*Id.* XX, 22) : item, *Ego mittam promissum Patris mei in vos* (*Luc.* XXIV, 49). Unus ergo Spiritus

[1] Mss. duo Vaticani, *unam tantum.*

est Patris et Filii, unus amborum Spiritus. Igitur quod Patris sit Spiritus, ipse Dominus et Salvator noster discipulis suis ait : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Et quod idem et Filii sit Spiritus, Paulus apostolus testis est : *Si quis autem*, inquit, ***Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*** (***Rom.*** VIII, 9).

QUÆST. III. De singulis personis, quod alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; vel quod Filius sit genitus, et Spiritus sanctus procedens, secundum Scripturas sanctas advertimus : nunc vero illud scire cupio, si Deus sit Filius aut Spiritus sanctus, vel utrum una sit substantia vel essentia, quam Græci ὁμοούσιον vocant.

RESP. Intento animo adverte : quæ te movent libentius demonstrabo. Beatus Paulus apostolus, quod Filius sit Deus, ad Romanos scribens de Israelitis : *Quorum patres*, inquit, *ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Id.* IX, 5). Et iterum in Evangelio secundum Joannem : *Ut cognoscant*, inquit, *te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Ordo est verborum : Ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum solum verum Deum. Et rursus alia Scriptura dicit : *Ut simus in vero ejus Filio Jesu Christo; ipse est verus Deus et vita æterna* (I *Joan.* v, 20). Et ut æqualitatem suam ostendat, ait ipse Dominus : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Unum sunt, scilicet natura, non persona. Et iterum : *Propterea*, inquit, *quærebant Judæi Jesum **interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*** (*Id.* v, 18). Et rursum beatus apostolus Paulus : ***Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*** (*Philipp.* II, 6). Non enim poterat esse rapina, ubi æqualis erat natura; quæ non erat usurpata, sed nata. Non rapuit, quia habuit : et multa innumerabilia, quæ ad momentum non occurrunt. Spiritum vero sanctum verum Deum Actus Apostolorum apertissime edocent : *Anania*, inquit Petrus, *cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* et infra, *Non es hominibus mentitus, sed Deo* (*Act.* v, 3, 4). Et in Evangelio secundum Joannem : *Dominus*, inquit, *Spiritus est* (*Joan.* IV, 24). Paulus apostolus ad Corinthios scribens : *Nescitis*, inquit, ***quia corpora vestra templum est Spiritus sancti**, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno : glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 19, 20). Pater, inquam, Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; non tres dii, sed unus Deus est. Nam si Pater major, Filius minor, Spiritus sanctus plus quam minor, quod hæretica pravitas asserit, jam non erit unus Deus, sed tres dii; quod nefas est credere. Et valde redarguit illos Scriptura divina : *Audi, Israel*, inquit, ***Dominus Deus tuus, Deus unus est*** (*Deut.* VI, 4). Ac per hoc sicut non dicimus tres deos, nec tres essentias; ita nec tres sapientias, nec tres spiritus. Nam interrogati de singulis personis, si Pater sit sapientia vel Spiritus sanctus; respondemus, Pater sapientia, et Filius sapientia, et Spiritus sanctus sapientia : non tres sapientiæ, nec tres spiritus, sed una sapientia est et unus spiritus; sicut est una substantia, aut una essentia : quia hoc est illi esse quod sapientem esse vel spiritum esse.

QUÆST. IV. Et si æquales sunt Pater et Filius, quomodo ipse Filius dicit, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); et, *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Id.* VI, 38), et, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39), et, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* (*Joan.* VII, 16)?

RESP. Ista omnia et alia quæ a te non sunt dicta, secundum formam servi quam assumpsit, dicta sunt. Igitur cum primus homo conditus esset a Deo, et libero arbitrio muneratus, præceptumque ei positum esset; si custodisset [1] quæ ei Deus præceperat, morte non corporis, neque animæ multaretur. Sed ille inobediens mandato Dei, atque elatus superbia, suasioni serpentis obediens, Dei præcepta contempsit. Et hæc causa exstitit ut mortis periculum incurreret, et ab illo uno homine omnis humana natura vitiosa atque peccato abnoxia mortalis existeret. Apostolus Paulus, *Per unum hominem*, inquit, *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quia sicut per unum hominem omnes homines in condemnationem; ita et per unius justitiam omnes homines in justificationem vitæ* (*Rom.* v, 12, 18). Et iterum : *Primus homo de terra, terrenus; **secundus homo de cœlo, cœlestis*** (I *Cor.* xv, 47). Hic, inquam, homo cœlestis est. Cœlestem itaque dico, quia non ex humano conceptus est semine, sed de Maria virgine pro nostra salute assumptus a Filio Dei, sicut evangelista Joannes testatur : ***Et verbum***, inquit, *caro factum est, **et habitavit in nobis*** (***Joan.*** I, 14). Verbum caro factum est, non in carnem mutatum; ut non desisteret esse quod erat, sed cœperit esse quod non erat. Assumpsit enim carnem, non se convertit in carnem. Carnem istam a parte totum hominem intelligimus, id est carnem et animam rationalem. Et sicut primus homo et carne et anima mortuus fuerat, ita etiam oportuit ut per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum et carne et anima vivificaretur. Ergo, ut supra diximus, secundum assumpti hominis formam dictum est, *Pater major me est*.

QUÆST. V. Video te, dum de uno Filio Dei inquireres, duos introducere voluisse, ut dicas Filium Dei, et filium hominis.

RESP. Non sunt duo filii, sed unus. Quia ille qui erat Dei Filius, factus est filius hominis in unitate personæ. Quia sicut anima et caro unus est homo, ita Verbum et homo unus est Christus. Duas substantias accipimus in uno Filio Dei, unam deitatis, alteram humanitatis, non duas personas. Igitur, si dixerimus duas esse personas, introducemus duos filios; et jam non erit Trinitas, sed quaternitas. Profecto enim per id quod Deus est, æqualis semper Patri, ubique præsens est, et in cœlo totus, et in terra totus, et nullo contentus loco. Per id quod homo, et passus, et mortuus, et resurrexit, et ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram Patris : et sic veniet ad judicandum vivos et mortuos, quemadmodum visus est ire in cœlum, in eadem forma carnis atque substantia; cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit.

QUÆST. VI. Si una substantia est Patris et Filii et Spiritus sancti, quomodo Filius sine Patre et Spiritu sancto suscepit carnem?

RESP. Neque persona Patris, neque Spiritus sancti, sed sola Filii persona suscepit carnem. Et ut hoc intelligas, comparationibus utar, ut ex creatura intelligas Creatorem. Certe in anima est ratio, et cum unum sint, aliud anima agit, aliud ratio. Anima vivimus, ratione sapimus. Ita Pater et Filius et Spiritus sanctus cum sint una substantia [2], tota Trinitas operata est hominem, quem non tota Trinitas assumpsit, sed sola Filii persona.

QUÆST. VII. Voluntate genuit Pater Filium, an necessitate?

RESP. Nec voluntate, nec necessitate : quia necessitas in Deo non est : præire autem voluntas sapientiam non potest, quod est Filius : igitur prius est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle. Nam quidam nostrum, cum eum interrogasset hæreticus, utrum volens, an nolens genuerit Pater Filium; laudabiliter respondisse fertur : Dic, inquit, et tu, hæretice, Deus Pater necessitate est Deus, an voluntate?

[1] In B., *ut si custodisset*. Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

[2] In B., *cum sit una substantia*. Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

Quod si dixisset, Necessitate; sequebatur illum grandis absurditas. Si autem, Voluntate, respondebatur illi, Ergo voluntate est Deus, non natura: et ita in laqueum quem volebat ponere, ipse incidit, et videns se convictum, obmutuit.

Quæst. VIII. Quomodo illud intelligendum est, quod legitur, *Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26)?

Resp. Scimus Filium Dei a semetipso non esse, sed a Patre genitum esse; Patrem vero a nullo genitum esse, a nullo vitam accepisse. Dedit Pater Filio vitam gignendo: non quod prius fuerit Filius sine vita, et postea acceperit vitam; sicut nos qui per peccatum amisimus vitam, et per gratiam Salvatoris recipimus: sed ideo dicitur, Accepit vitam, quia non est a se ipso genitus; non enim existendo dedit, sed gignendo.

Quæst. IX. Quoniam et ratione et testimoniis persuasisti mihi de subjectione Filii, quod non sit secundum substantiam minor, sed secundum formam servi quam assumpsit; ideo quæro quid de missione Spiritus sancti sentias: numquid et ipse hominem assumpsit, ut missus esse dicatur?

Resp. Sicut nec secundum substantiam dicitur, seu missus, seu minor Filius; ita nec Spiritus sanctus. Postremo sicut ille propter hominem minor aut missus; ita iste propter columbam vel ignem missus dicitur (*Matth.* III, 16, *et Act.* II, 2): scilicet, quia non in ea substantia qua est æqualis Patri, apparuit; sed, ut dictum est, per subjectam creaturam. Non enim sicut Filius hominem assumpsit, ut sic in æternum permaneat, sic Spiritus sanctus columbam vel ignem: sed factæ illæ visiones de creatura inferiore, ad manifestandum Spiritum sanctum, esse postea destiterunt. Numquam enim illa incomprehensibilis immutabilisque divinitas, quæ est Trinitas Deus, ab oculis carnalibus videri potest, nisi, ut dictum est, per subjectam creaturam.

Quæst. X. Filius autem Dei quomodo sit de Patre natus, Spiritus vero sanctus ab utroque procedens, declarasti. Ideoque quæro quid distat inter nativitatem Filii, et processionem Spiritus sancti.

Resp. Filius autem solius est Patris, non Spiritus sanctus; amborum spiritus, id est, Patris et Filii. Quod si Spiritus sanctus filius esse diceretur: nullus autem filius est nisi duorum, patris et matris, quod absit ut inter Deum Patrem et Filium tale aliquid suspicemur: quia nec filius hominis simul ex patre procedit, et ex matre; quia cum procedit ex patre, non tunc procedit ex matre, et cum procedit ex matre in hac luce, non tunc procedit ex patre. Spiritus vero sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit.

Quæst. XI. Quomodo intelligendum est illud quod Joannes evangelista de Spiritu sancto dicit, quod non loquetur a semetipso. Sic enim ait: *Non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur* (*Joan.* XVI, 13).

Resp. Non loquetur a semetipso, quia non est a semetipso. Pater enim a nullo est natus; Filius a Patre est genitus; Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens. Ideo non loquitur a semetipso; sed quæcumque audit, loquitur. Audire illi esse est; esse autem a se non est, sed a Patre: ideo quæcumque audit, loquitur.

Quæst. XII. Quid est quod dicit apostolus Paulus ad Romanos scribens: *Nam quid oremus*, inquit, *sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus; quia secundum Deum postulat pro sanctis* (*Rom.* VIII, 26, 27)?

Resp. Modus iste locutionis frequenter in Scripturis sanctis invenitur, sicut dicit Dominus ad Abraham, *Nunc cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* XXII, 12); hoc est, cognoscere te feci: sicut dicit Apostolus, *Nunc cognoscentes Deum, imo nunc cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9). Semper omnia in præsentia Dei sunt, antequam fiant, præsentia sunt, et futura jam facta sunt: quomodo nunc dicimur cogniti a Deo, nisi faciente Deo ut cognoscamus Deum? Sic et hic scribitur Spiritus sanctus gemere pro nobis, id est, gementes nos facere. Infundit enim nobis charitatem in Deum et proximum. Sicut dicitur lætus dies, quod lætos facit; aut tristis, quod tristes facit, aut læta epistola, quod lætos facit: ita et hic gemere dicitur Spiritus sanctus, eo quod nos gementes facit.

Quæst. XIII. Cum Judæi signum peterent a Domino Salvatore nostro, respondit illis: *Generatio hæc adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit et Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 39, 40). Approba ergo quomodo in inferno fuerit tribus diebus, et tribus noctibus, cum die sexta sabbati quæ est parasceve, hora nona emiserit spiritum, et prima sabbati ante lucem quæ est Dominica, resurrexerit. Ecce non sunt tres dies pleni, nec tres noctes.

Resp. Antiqui patres nostri hoc senserunt, ut prima dies quæ est parasceve a parte ultima, et ultima quæ est Dominica a parte prima, tota cum noctibus suis debeat computari: et ita denominando a parte totum, tres dies fuerunt; ultima pars feriæ sextæ, totum sabbatum, et prima pars Dominicæ cum suis noctibus.

Quæst. XIV. Cum repromittat Dominus noster Jesus Christus sanctis quod in resurrectione fulgebunt sicut sol (*Id.* XIII, 43), quare ipse Dominus in resurrectione sua sic non fulsit?

Resp. Clarificata carne utique resurrexit; sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis suis talem claritatem perspicere. Si enim antequam moreretur pro nobis et resurgeret, quando transfiguratus est in monte, discipuli sui eum videre non potuerunt, sed præ timore in terram ceciderunt; quanto magis, clarificata carne Domini, eam videre non potuerunt?

Quæst. XV. Marcus evangelista narrat Dominum hora tertia crucifixum (*Marc.* XV, 25), Joannes autem sexta (*Joan.* XIX, 14-18); cui potius credendum est ex his duobus?

Resp. Et ille verum dixit, et ille similiter. Nam hora tertia clamaverunt Pilato Judæi: *Crucifige, crucifige eum* (*Luc.* XXIII, 21). Milites autem hora sexta crucifixerunt eum. Igitur quod illi lingua, hoc isti manibus effecerunt. Ne autem viderentur Judæi non crucifixisse Dominum, ideo evangelista posuit hora tertia crucifixum Dominum, quia non tantum illi crucifixerunt qui ministerium impleverunt, sed et illi qui clamaverunt. In eis enim completum est quod ait Psalmographus: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta* (*Psal.* LVI, 5). Vides qualem gladium habuerunt, unde hora tertia Dominum occiderunt.

Quæst. XVI. Cum Deus omnia bona creaverit, nihilque sit quod non ab illo conditum sit, unde malum?

Resp. Malum natura non est; sed privatio boni hoc nomen accepit. Denique bonum potest esse sine malo, sed malum non potest esse sine bono, nec potest esse malum ubi non fuerit bonum. Ac per hoc dicimus et angelum bonum et angelum malum, et hominem bonum et hominem malum: sed bonum quod angelus, malum quod vitiosus; bonum quod homo, malum quod vitiosus. Ideoque quando dicimus bonum, naturam laudamus; quando dicimus malum, non naturam, sed vitium, quod est bonæ naturæ contrarium, reprehendimus.

Quæst. XVII. Omnes Angeli æquales an inæquales creati sunt? Et si æquales, cur non omnes firmi et stabiles fuerunt? Si vero inæquales, quo merito alii præscientiæ suæ stabilitatem accipere meruerunt, et alii futurum suæ ruinæ casum minime prævidere potuerunt?

Resp. Omnes quidem Angeli æquales creati sunt : sed cadentibus illis per superbiam, cæteri Domino pia obedientia cohæserunt, accipientes certam scientiam suæ stabilitatis, quam illi nunquam habuerunt. Et sic sunt gratia Dei in omnibus circumdati, ut nunquam possint cadere a beata vita, qua fruuntur Domino cohærentes.

Quæst. XVIII. Quomodo intelligendum est quod dicit Deus in Genesi : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26)?

Resp. In mente est ratio et intelligentia. Ipsa itaque mens quando cogitat ea quæ sunt æterna, tunc vere imago Dei dicenda est. Et cogitando æterna, vir est : sicut ait Paulus apostolus, *Vir non debet velare caput suum, cum sit imago gloriæ Dei* (I *Cor.* XI, 7). Quantoque se magis extenderit in id quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei : et ideo non est cohibenda, ut inde se contineat ac temperet. Quando vero ea agit et cogitat quæ sunt temporalia, mulier appellatur : tunc non est dicenda imago Dei, et propterea debet velare caput suum, ne nimia sit ejus ad inferiora progressio, et cum licita agit, illicita concupiscat (*a*).

Quæst. XIX. Primus homo mortalis factus est, an immortalis?

Resp. Et mortalis secundum aliam, et immortalis secundum aliam causam. Tale itaque corpus habebat primus homo, quale et nos, sed sine peccato. Non enim habebat legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ ; sed utique promeruit post prævaricationem. Igitur animale corpus habuit Adam ; sed ut non senesceret nec deficeret per illius ligni virtutem, qua sustentabatur, quod in paradiso vitæ nomen acceperat. Quopropter si Dei præcepta servasset, obedientiæ merito in illud corpus spirituale, quale sanctis in resurrectione promittitur, esset postmodum commutandum. Ac per hoc poterat non mori, si Dei præceptis pia obedientia cohæsisset. Non enim et sic factus fuerat, ut non posset mori, sicut cæteræ naturæ quæ omnino mori non possunt : sed ita ut obedientia immortalem, inobedientia mortalem faceret.

Quæst. XX. Quid est quod dicit apostolus Paulus, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt?*

Resp. Ex hoc testimonio multi minus intelligentes, ac per hoc hæretice asserunt hominem non posse in eadem, qua defunctus est, carne resurgere ; sed tollentes veram carnem, nescio quale corpus aereum quod nunquam habuit, homini post resurrectionem attribuunt. Quod valde absurdum considerantibus ipsam sententiam, approbatur. *Caro et sanguis*, inquit, *regnum Dei non possidebunt*. Et idem apostolus Paulus exponens quodam modo, subsecutus, adjunxit : *Neque corruptio incorruptionem possidebit*. Quibus scribebat Apostolus? Nempe his qui dicebant : *Manducemus et bibamus ; cras enim moriemur* (*Id.* XV, 50, 32). Hos redarguit beatus Paulus apostolus, dicens, carnem et sanguinem, hoc est opera carnis et sanguinis, non posse adipisci regnum Dei. Nam si propria hic substantia carnis accipienda est, quid dicent de his quibus scribit idem apostolus, *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu?* Numquidnam Romani carnem non habebant, quibus Apostolus scribebat? Sed, *in carne*, inquit, *non estis* ; id est, non estis carnales, non facitis opera carnis, quæ inimica sunt Deo, quæ legi Dei non subjiciuntur. *Qui autem in carne sunt*, inquit, *Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII, 9, 8). Ecce qualis caro regnum Dei non possidebit. Nam quod homo in eadem qua moritur carne resurgat, Dominus noster Jesus Christus post resurrectionem suam dubitantibus discipulis, et putantibus se spiritum videre, respondet : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Ac per hoc credimus hominem non tantum cum carne et ossibus, sed etiam cum sanguine, vel quidquid ad naturam ejus pertinet resurgere, sed sine ulla corruptione erit illi semper æterna vita et æterna felicitas, contemplando Trinitatem Deum. Igitur sicut justi cum sua carne ad æternam felicitatem, ita impii ad æternam resurgent miseriam.

Quæst. XXI. Genesis principium est : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Angeli postmodum facti sunt, an non? Si enim ante Angeli facti sunt, non primo omnium fecit Deus cœlum et terram.

Resp. *Quando facta sunt simul sidera*, ait Scriptura, *laudaverunt me omnes Angeli mei voce magna* (*Job* XXXVIII, 7, *sec.* LXX). Quarto enim die facta sunt sidera, et jam Angeli erant. Neque enim die tertio, neque secundo facti sunt. In his enim apparet quæ facta sunt. Tertio enim die arida, scilicet terra ab aquis discreta est. Secundo enim factum est firmamentum, ubi sol et luna discurrunt et sidera. Porro primus dies ipse est [1] angelica natura, quæ primo cœli nomine nuncupata est. Unde evidenter ostenditur primo die spiritualem factam, id est, angelicam naturam, et sic hoc cœlum quod oculis cernimus. Nam quod ait, *In principio fecit Deus cœlum et terram* ; non est primo omnium, sicut ais : sed, *In principio*, id est, in Filio, imo per Filium fecit Deus omnem spiritualem corporalemque creaturam, quæ et cœli et terræ nomine appellata est. Nam quod ipse sit principium, de se interrogantibus Judæis quis esset, respondit : *Principium, quia et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Primo igitur voluit cœlum et terram velut quamdam spiritualem corporalemque materiam dicere, et sic quemadmodum singillatim facta sunt, ordine texere. Quod enim dixit cœlum, hoc mihi videtur dixisse aquarum abyssum tenebrosam, atque quodam modo fluitantem vitam, nisi convertatur ad Creatorem, et fiat lux, et contempletur Trinitatem Deum esse in Deo. Neque ita dicimus, ut ista materies præcedat formam suam, sicut præcedit lignum arcam ; sed sicut præcedit vox verbum : non enim tempore, sed origine. Igitur prima creatura lux non est ista quæ quarta die facta est ; sed spiritualis, id est, angelica natura.

Quæst. XXII. *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2) : localiter ferebatur, sicut sol et luna et alia sidera, an aliter?

Resp. Spiritus sanctus Deus est. Quare non continetur loco aut distenditur, neque temporum motionibus subjacet, sed est ubique præsens totus. Cum modo sane nominavit creaturam, cui superferri diceretur Spiritus sanctus, non localiter, sed potentialiter dicitur. Non ex indigentia Deus fecit opera sua, sed ex beneficentia ; neque horum indiget quæ fecit. Indigus quippe atque egenus amor, subjacet rebus quas diligit. Ideo dictum est superferri creaturæ Spiritum sanctum, quia non ex indigentia operatus est ipsam creaturam.

Quæst. XXIII. *Dixit Deus, Fiat lux* (*Ibid.*, 3)! In die dixit, an ante omnem diem? Si in die dixit, temporaliter dixit : si temporaliter dixit, per aliquam creaturam dixit. Igitur non est prima creatura lux.

Resp. Nec in die dixit, nec temporaliter dixit ; quia ante omnem profecto creaturam Verbum suum genuit, et per Verbum omnem creaturam creavit. Dictio itaque Dei, Verbum Dei est. Sed divina Scriptura parvulis congruens, et quodam modo eos lactans, ut proficiant et cibum spiritualem capiant, voluit semper per omnem creaturæ formationem dictionem Dei nuncupare. Ut, verbi gratia, si requiras, Quomodo facta est lux? audias, In Verbo Dei erat, ut fieret. Quomodo factum cœlum? In Verbo Dei erat, ut fieret. Et cætera per ordinem si requiras quomodo facta sint, in Verbo Dei erant, ut fierent. Hoc est enim : *Dixit Deus, Fiat lux*. Neque enim corporalibus modis loquitur divina natura ; nec quoties dicitur, *Dixit*, toties verba formavit. Unum enim Verbum genuit coæternum et consubstantiale sibi, in quo omnia ineffabiliter et intemporaliter dixit.

(*a*) Vide lib. de Spiritu et Anima, cap. 34.

[1] Mss. Vaticani duo hic addunt, *in quo facta est*.

QUÆST. XXIV. Si subito Deus vidit lucem, quod esset bona (*Gen.* I, 4), an ante nescivit, et visio ei contulit scientiam?

RESP. Omne opus præcedit voluntas nostra, dum cogitamus quid operari debeamus. Nemo enim ignorans aliquid facit, dum cogitat qualiter fiant quæ facienda cogitando disposuit. Et cum hoc in hominem cadere non possit, ut aliquid ignorans faciat, quanto magis in Deum, qui omnia æterno et stabili suo consilio, quæ voluit, fecit, nec aliter facta et aliter facienda esse vidit? Eo itaque modo vidit facta, quo viderat facienda.

QUÆST. XXV. *Et divisit*, inquit Scriptura, *lucem a tenebris* (*Ibid.*). Omne enim quod dividitur, etiam esse potest. Sicut ergo essentia lucis, ita est et essentia tenebrarum. Et cur non dixit Scriptura, Vidit Deus tenebras quod essent bonæ, sicut de luce dictum est?

RESP. Deus bona et incommutabili voluntate creavit omnes Angelos bonos. Et quia ex his quosdam per superbiam præsciebat casuros per incommutabilitatem præscientiæ suæ, divisit inter bonos et malos. Malos igitur appellans tenebras, bonos appellans lucem: de bonis dicens, Vidit Deus quia boni sunt; de malis nullatenus hoc dixit, ne peccata, quæ sunt tenebræ, approbare videretur.

QUÆST. XXVI. Primum diem spiritualem astruis esse creaturam, et quomodo habuit vespere et mane (*Ibid.*, 5)?

RESP. Omnis creatura antequam tempore suo fieret, in ipso Dei Verbo prius erat ab Angelis cognoscenda, et sic suo tempore facienda. Quapropter ipsa creaturæ cognitio in semetipsa vespera, in Deo erat mane: quia plus videtur ipsa creatura in Deo, quam in se ipsa videatur. Creatura plus scilicet videtur in arte qua facta est, quam ipsa in se ipsa quæ facta est. Propterea enim ait evangelista Joannes, *Quod factum est, in ipso vita erat* (*Joan.* I, 3, 4). Omnia ergo quæ facta sunt, et vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in se ipsis vita non sunt. Cœlum, terra, lapis, vitam non habent, et tamen in Deo vita sunt. Vivunt igitur in Deo sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videntur ab Angelis sanctis in Verbo Dei ubi sunt vita, quam in se ipsis; quia scientia Angelorum in comparatione Dei quodam modò vesperascit. Sic ergo in cognitione [1] spirituum, dies primus; in cognitione firmamenti, secundus; in cognitione discretionis terræ ac maris, tertius; in cognitione solis ac lunæ et stellarum, quartus; in cognitione reptilium et volatilium, quintus; in cognitione jumentorum et ferarum vel hominis, sextus. Neque enim diei unius, quem intelligimus naturam spiritualium creaturarum, id est, angelicarum, sexies facta cognitio, sex dies fecit, propter senarii numeri perfectionem. Sed de numeri senarii perfectione aliquid tibi ex Scripturis sanctis colligam. Libens adesto, et te totum ad audiendum præpara. Unum in numeris dividi non potest: ab ipso enim surgit omnis numerus. Ergo duo dividi possunt: sed pars eorum unum est. Igitur divisio duorum in bis unum est: divisio trium in ter unum est. Quid autem aliud hic numerus ostendit, nisi Trinitatem quæ Deus est? quæ quamvis tres sint personæ, unum creduntur in unitate naturæ. Quaternarius duas partes habet: nam quarta ejus, unum; media ejus, duo. Unum videlicet et duo tria sunt. Ecce partes suas; nec ultra excrescit, nec completur; et ideo imperfectus est numerus. Quinarius non habet nisi unum, quod est quinta ejus. Senarius ergo numerus perfectus est, quia partibus suis completur: habet enim unum, quod est sexta pars ejus; duo, quæ sunt tertia; tria, quæ sunt media. Unum ergo, duo, et tria, sex faciunt. Ideoque propter hujus numeri perfectionem, sex diebus operatus est Deus omnem creaturam. Tres ergo hæ partes senarii numeri demonstrant nobis Trinitatem Deum, in trinitate numeri, mensuræ, et ponderis, fecisse omnem creaturam. Plurimum valere senarii numeri perfectionem in Scripturis sanctis frequenter reperimus. Invenitur enim in morte Domini simpla, et in resurrectione ejus simpla, et in morte nostra dupla, et in resurrectione nostra dupla [1]. Mors itaque Domini nostri Jesu Christi non fuit in anima, sed in carne sola. Mors vero nostra non in carne solum, sed et in anima: in anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille vero quia peccatum non habuit, in anima non est mortuus, nisi tantum in carne; et hoc propter similitudinem carnis peccati, quam de Adam traxerat. Igitur simpla ejus mors profuit duplæ nostræ, et simpla ejus resurrectio duplæ nostræ resurrectioni profuit. Est etenim mors carnis ejus et resurrectio ejus, mors carnis nostræ et resurrectio ejus, et mors animæ nostræ et resurrectio ejus. Mors autem carnis ejus et resurrectio ejus, duas mortes nostras et duas resurrectiones nostras significat. Unde si addas ad unam mortem Domini et unam resurrectionem ejus, quæ duo faciunt, quatuor, hoc est, duas mortes et duas resurrectiones nostras, sex fiunt. Ideoque simplum Domini bis, et duplum nostrum bis, tria bis sunt; et tria bis secundum quod supra diximus, partes sunt unde senarius numerus est. Nam et triginta sex horæ quibus Dominus fuit in inferno, huic simplo et duplo congruunt. Duodecim ergo horæ fuerunt diurnæ, et viginti quatuor nocturnæ. Item viginti quatuor ad duplam mortem nostram concinunt, et illæ duodecim horæ ad mortem Domini simplam. Revera enim et nativitas ejus senarium numerum habet. Quadraginta enim et sex annis ædificatum esse templum asserunt Judæi in Evangelio, quod intelligitur de corpore Domini (*Joan.* II, 20, 21). Quadraginta et sex anni pro diebus positi sunt. Quadraginta et sex diebus dicunt infantem formari in utero, et subinde in diem parturitionis augmentari. Quadragies sexies quippe seni, fiunt ducenti septuaginta sex, qui faciunt menses novem et dies sex [2]. Computa ergo ab octavo calendas aprilis quando passus est Dominus (nam et tunc etiam creditur fuisse conceptus), usque in diem octavum calendas januarii, et reperies dies ducentos septuaginta sex, qui constant per senarium numerum. Quid de illa muliere in Evangelio, quam decem et octo annis curvaverat satanas, quam sanavit Dominus, dicemus (*Luc.* XIII, 11-13)? quia et ipsi anni senarium numerum habent. Ter enim seni octodecim sunt. Illa itaque mulier intelligitur figurare genus humanum, quod sexta ætate sæculi a captivitate diaboli Redemptor noster Dominus Jesus liberavit. Prima ætas est ab Adam usque ad Noe. Secunda ætas est a Noe usque ad Abraham. Tertia, ab Abraham usque ad David. Quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta, a transmigratione Babylonis usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. Sexta quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium. Sexta igitur ætate sæculi reformatur genus humanum ad imaginem Dei. Profecto enim anni decem et octo, non solum sex ætates, sed etiam tria tempora evidenter demonstrant: unum scilicet ante Legem, alterum sub Lege, tertium sub gratia. Igitur et ipse annus senario numero continetur. Habet enim dies trecentos sexaginta quinque. Sexies autem sexageni, sunt trecenti sexaginta. Remanent profecto dies quinque et quadrans. Quinque autem dies sexies, sunt mensis. Tamen etiamsi illum quadrantem pro die ponas, a parte totum, sex faciunt. Ecce quantum me Dominus adjuvit, de senarii numeri perfectione, etsi non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

QUÆST. XXVII. Ordo elementorum et pondus non sinit ut sit aquarum substantia supra cœlos. Aqua enim cedit terræ, et aer cedit aquæ, et ignis cedit aeri. Nullo modo enim potest fieri ut secundum ele-

[1] Mss. Vaticani duo, hic addunt, *lucis*.

[1] Hic versus, nempe a verbis, *et in morte*, usque ad verba, *resurrectione nostra dupla* desunt in Mss.

[2] Mss., *decem*.

mentum, quod est aqua, sit supra quartum, quod est ignis. Et quomodo dictum est, *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis* (*Gen.* I, 6)?

Resp. Quomodo et qualeslibet sint aquæ illæ quas Scriptura docet supra cœlos esse, eas esse ibidem minime dubitemus. Sicut enim nubes istæ quæ utique aquæ sunt, feruntur supra aera, quod est tertium elementum; ita fieri posse arbitror, ut aquæ tenues atque subtiles ferantur supra cœlum. Nam ex hoc pondere elementorum multi philosophi resurrectionem carnis illudentes non posse fieri, inquiunt, ut homo qui utique ex terra factus est, sit in cœlo. Sed hos veritas convincit, quæ facit multa animalia terrena in aere volitare, et aquam esse supra aerem, et ignem quod est utique quartum elementum, esse in terra. Ergo Dei potentia quæ hæc facere approbatur, facit ut et homo et aqua sint supra cœlum.

Quæst. XXVIII. Nonne totam terram aqua tegebat? Et quomodo Scriptura dicit, *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida* (*Ibid.*, 9)?

Resp. Totam terram aqua tegebat sicut rarissima nebula, quæ postea in unum redacta atque collecta est, ut posset etiam terræ species apparere. Quamvis terra longe lateque subsidens, potuit concavas partes præbere, quæ confluentes aquas susciperent, ut arida appareret.

Quæst. XXIX. Cum Deus omnia bona creaverit, dicente Scriptura, *Et ecce omnia quæ fecit Deus, bona valde* (*Ibid.*, 31); cur rursus Dominus in Evangelio dicit, *Nemo bonus, nisi solus Deus* (*Marc.* x, 18)?

Resp. Quod homo sit bonus, idem ipse Dominus in Evangelio dicit: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona* (*Matth.* XII, 35). Sed ut hoc diceret, *Nemo bonus, nisi solus Deus*; illi scilicet respondebat qui vitam æternam ab eo quærebat, illi qui tantum hominem arbitrabatur, dicens, *Magister bone.* Ideoque sic respondit, dicens, *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus:* id est, Forma ista assumpta, quam cernis, quam videbunt boni et mali, pii et impii, non erit eis in bonum qui mala agunt. Ergo non me dicas secundum hanc formam bonum, quam videbunt illi qui pupugerunt. Est alia forma, quam non videbunt impii, quam non videbunt nisi justi; secundum hanc formam bonus sum eis qui digni fuerint me videre.

Quæst. XXX. *Fons*, inquit sancta Scriptura, *ascendebat de terra, irrigans universam faciem terræ* (*Gen.* II, 6). Si universam terram irrigabat, ergo et montes irrigabat; quia et montes utique terra sunt. Si vero et montes irrigabat, diluvium erat. Et quomodo terra germinaverat herbam virentem et facientem semen? aut quomodo habitabat homo in terra, si universam terram aqua tegebat?

Resp. Fons ibi ponitur singularis pro plurali numero. Hoc enim si sollicite requiramus, in Scripturis sanctis frequenter reperimus. Habes nempe in Psalmo, *Misit in eos muscam caninam, et comedit eos; et ranam, et exterminavit eos* (*Psal.* LXXVII, 45): cum utique nec una musca, nec una rana fuerit. Et alibi in Psalmo dixit, *Et venit locusta* (*Psal.* CIV, 34): non ait, locustæ; sed, *locusta*. En habes singularem numerum pro plurali. Secundum id quod ait nobilissimus quidam poetarum, « Uterumque armato milite complent » (*Virgil.*, *Æneid. lib.* 2, *vers.* 20). Porro autem propter unitatem naturæ dictum est unus fons; ut omnes intelligamus qui sunt in terra: quia quodam modo omnes ex unius abyssi natura manant. Nam quod ait, *Irrigabat universam faciem terræ*, non totam terram rigabat, sed partem. A toto enim partem significavit; quemadmodum dicimus, Christus mortuus est, Christus resurrexit: cum non mortuus fuerit, neque resurrexerit nisi secundum carnem.

Quæst. XXXI. *Tulit ergo Dominus Deus hominem*, ait Scriptura, *et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* (*Gen.* II, 15). Quid, rogo, operaretur et custodiret; paradisum, an aliud?

Resp. Ista sententia duplicem intelligentiam parit. Sive enim operaretur homo paradisum, id est in paradiso aliquid operaretur, non necessitate victus, sed ad delectationem [1] operabatur; adhuc enim non peccaverat, nec ei terra spinas et tribulos germinaverat, ut in sudore faciei suæ ederet panem suum. Hoc nempe meruit post peccatum. Ante peccatum igitur non indigentia, non necessitate, sed sola, ut diximus, voluptate [2] operabatur paradisum per agriculturam, et custodiebat per disciplinam. Non contra bestias neque contra animalia aliqua paradisum custodiebat, sed sibi, scilicet ne amitteret peccando, quem custodire poterat obediendo. Sive ipsum hominem posuit Deus in paradiso ut operaretur et custodiret: operaretur scilicet ut bonus esset, et custodiret ut tutus esset. Quodlibet horum dicatur, sive homo paradisum operaretur per agriculturam, et custodiret per disciplinam; sive ipsum hominem Deus operaretur ut bonus esset, et custodiret ut tutus esset: quodvis horum intelligas, rationi uterque intellectus congruit.

Quæst. XXXII. Cum Deus minetur homini mortem die quo cibum vetitum tetigerit, cur eo die mortuus non fuit? Sic enim Scriptura dicit, *In qua cumque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II, 17)?

Resp. Quatuor esse mortes Scriptura sancta evidenter ostendit. Prima mors est animæ, quæ suum deserit Creatorem: cum enim deserit, peccat. *Sine*, inquit Dominus in Evangelio, *mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22). Ecce habes mortuos secundum animam, scilicet sepelientes mortuos; et quos sepeliunt, secundum carnem mortuos. Hæc itaque sententia duas mortes manifestissime docet, unam animarum, alteram corporum. Tertia autem solius est animæ, quam, dum ex hoc corpore exierit, patitur; secundum illud quod in Evangelio de divite legimus, *Pater Abraham*, inquit dives, *mitte Lazarum, ut digito suo refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24). Quarta est mors, cum anima receperit corpus, ut in ignem mittatur æternum; secundum illud quod Dominus in Evangelio de futuro judicio ait, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Die itaque quo peccavit Adam, in anima mortuus est. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima ut beatius vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta anima Adæ a Deo, jure dicitur mortua prima morte, ex qua tres postea secutæ sunt mortes. Ut enim hæ subsequerentur, primo præcessit desertio Dei, secundum quod eo die quo peccavit Adam mortuus est.

Quæst. XXXIII. Quomodo poterat timere mortem Adam, quam nullatenus sciebat?

Resp. Sicut enim nos scimus resurrectionem, quam nunquam experti sumus, nec vidimus; ita ille sciebat mortem. Scimus quoque quod exiens anima a corpore faciat mortem, et dum reversa fuerit ad corpus suum, faciet resurrectionem. Ecce scimus resurrectionem, quam nunquam experti sumus. Sic et ille sciebat utique mortem, non adhuc per experientiam, sed per scientiam. Sciebat quippe quid esset vivere, et per privationem vitæ sciebat utique mortem. Sicut sciuntur tenebræ per privationem lucis, et sicut scitur silentium per privationem vocis, et sicut scitur vacuum per privationem corporis; ita sciebat mortem per privationem vitæ.

Quæst. XXXIV. Adduxit Dominus cuncta ad Adam animalia et volatilia, vidensque ea, nomina imposuit (*Gen.* II, 19). Et de muliere paulo post dicitur: *Videns ergo mulier quod bonum esset lignum ad vescendum*, etc. Ecce manifestissime Scriptura ostendit amborum oculos apertos fuisse. Nec enim fas est dicere primos homines cæcos factos. Et cur post paululum

[1] Mss. duo Vaticani, *delectatione*; Corb., *dilectione*.
[2] Mss. quatuor, *voluntate*.

post ligni vetiti tactum, eadem Scriptura dicit: *Aperti sunt oculi amborum* (*Id.* III, 6, 7)? Nisi enim oculos haberent apertos, nec ille animalibus nomina imponeret, nec illa videret ligni pulchritudinem.

RESP. Hoc quippe verum est, quia apertos oculos habebant; et tamen nisi ad aliquid clausi essent, nullatenus Scriptura diceret: *Aperti sunt oculi amborum.* Aperti sunt, scilicet, non ob aliud nisi ad invicem concupiscendum, ut esset lex in membris repugnans legi mentis (*Rom.* VII, 23); ut etiam in ipsis membris esset non voluntarius motus, justa scilicet Dei vindicta, ut homo qui noluit esse subjectus Deo, non haberet subditum corpus. Ergo in eo aperti sunt oculi amborum, ut moverentur concupiscentialiter membra.

QUÆST. XXXV. *Cum audissent vocem Adam et Eva,* ait Scriptura, *Domini Dei deambulantis in paradiso, absconderunt se* (*Gen.* III, 8): rogo, quæ est ista deambulatio?

RESP. Absit ut Deus, qui est Trinitas, ex hoc quod ejus dicitur deambulatio, corporeus aut localis esse credatur. Omne siquidem corpus locale est, et omne locale utique corpus est. Deus vero incorporea res est, nec temporaliter movetur, nec loco continetur, neque de loco ad locum transfertur. Ejus namque deambulatio intelligenda est per aliquam creaturam facta, quam creaturam hominem [1] fuisse ex ipsius circumstantia Scripturæ intellectum a majoribus recolo.

QUÆST. XXXVI. Cum Deus unus sit, dicente Scriptura, *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4); quomodo ipse dixit, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (*Gen.* III, 22)? *Nobis* enim pluralitatem insinuat.

RESP. Deus quamvis unus sit, tamen Trinitas est; Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus. *Unus ex nobis* dictum est, non propter pluralitatem deorum, sed propter pluralitatem personarum.

QUÆST. XXXVII. Multa utique videmus animalia ex corruptione corporum, maxime mortuorum nasci: numquid tunc creata sunt, quando ipsa corpora?

RESP. Absit ut tunc creata dicantur, quando ipsa corpora: sed corporibus insita sunt quodam modo, quæ sunt suo tempore exortura. Sicut enim semen cujuslibet arboris habet quamdam vim, ut cum obrutum fuerit in terra oriatur, et virgultum producatur, deinde ramis nihilominus constipata [2] dilatetur, et frondibus; deinde floribus decorata fructificet: ita est et in corpore, ut ita dicam, quoddam seminarium, unde suo tempore, curante providentia Dei, aliqua genera animalium oriantur.

QUÆST. XXXVIII. Cum Deus dixerit, *Germinet terra herbam virentem, et afferentem semen et ligna fructifera* (*Id.* I, 11); ligna infructuosa, vel spinas vel tribulos quando fecit?

RESP. Simul omnia Deus fecit, dicente Scriptura, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1). Nullatenus igitur dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus afferunt adjumenta: quia et revera, si non invenimus in eis aliquid ad edendum, invenimus certe ad medicamentum, invenimus ad adjutorium. Nam quantæ utilitates inveniantur in eis, tu ipse considera. Proinde quia a fruendo dicitur fructus, et ab omni ligno possumus habere aliquod adjutorium, jure nullum lignum dicimus infructuosum. Spinæ autem et tribuli quamvis post peccatum homini nascantur ad laborem dicente Scriptura, *Terra spinas et tribulos pariet tibi* (*Gen.* III, 18); tamen non est dicendum tunc ea oriri ex terra; quia jam erant utique ad pastus pecorum vel volatilium facta, non ad augendam hominis pœnam producta.

QUÆST. XXXIX. Si omnia in numero, et mensura, et pondere Deus disposuit, sicut sancta Scriptura testatur (*Sap.* XI, 21); ipsum numerum, et mensuram, et pondus ubi disposuit?

RESP. Numerus et mensura et pondus ipse Deus est. Ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus. Ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura. Ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus. Omnia ergo in numero, et mensura, et pondere disposuit, tanquam si diceret, Omnia in se disposuit. Non enim creaturam eam extra se, aut alicubi vidit, ut, sicut homines, in memoria retineat quæ faceret. Omnis igitur causa creaturæ, voluntas est Creatoris. Hoc illi est voluntas, quod natura. Sic tamen æterna est illi natura, sic est æterna voluntas. Non enim accidit Deo nova aliqua cogitatio ad formandas creaturas. Proinde omnia in se Trinitas Deus disposuit, quia in se cuncta habuit quæ fecit. Intelligitur et aliter: omnia in numero, et mensura, et pondere disposuit; id est, omnia quæ fecit, numerum, et mensuram, et pondus habent.

QUÆST. XL. Numquidnam sic adduxit Deus ad Adam cuncta animantia terræ, et universa volatilia cœli (*Gen.* II, 19), quomodo adducunt aucupantes vel venantes ad retia? An forsitan vox de nube facta est jussionis, quam intelligerent tanquam rationales animæ, et ea audita illi omnes obedirent [1]?

RESP. Non hoc acceperunt animantia vel volatilia cœli, ut sint rationis capacia, per quam obedire possint Creatori suo: in suo tamen genere obtemperant Deo, non rationali voluntatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus. Movet itaque se ipsum sine tempore et loco, movet creatum spiritum sine loco temporaliter, movet creaturam corpoream temporaliter et localiter. Præcedit igitur substantia quæ temporaliter tantum movetur, illam quæ temporaliter et localiter movetur. Præcedit itaque substantia quæ nec temporaliter nec localiter movetur, illam quæ tantum temporaliter movetur. Ipse spiritus conditus movet se ipsum per tempus sine loco, movet corpus per tempus et locum. Spiritus vero creator movet se ipsum sine tempore et loco. Igitur spiritus rationalis, qui est in hominibus, sive irrationalis, qui est in brutis, etiam ejus jussis movetur. Sed rationalis habet intelligentiam, per quam judicare possit utrum jussis consentiat, aut non consentiat. Animalia vero reptilia ac volatilia non acceperunt hoc judicium; pro suo tamen genere atque natura jussu aliquo acta propelluntur. Unde angelica natura jussa Dei perficiens, movet jussis omne genus animantium, docens id quod nescit. Si etenim homines possunt nonnulla animalium genera mansueta facere, ita ut quasdam voluntates hominum facere videantur, quanto magis hoc Angeli possunt?

QUÆST. XLI. Quæ causa fecit ut Deus quem astruis movere, non moveatur in tempore; aut spiritus creatus qui movetur in tempore, non moveatur et loco?

RESP. Deus qui instituit tempora, et est ante tempora, nihil in eo est præteritum et futurum, nullum consilium novum, nullaque nova cogitatio: quia scilicet si nova, et accidens. Si vero aliquid accidit Deo, jam non immutabilis. Igitur immutabilis Deus est: nihil illi accidit, nulla nova cogitatio, nullum novum consilium; ideo non movetur in tempore. Igitur immutabilis Deus est. Spiritus vero conditus, sicut est Angelorum, quanquam sine tempore contemplentur Dei æternitatem, veritatem, charitatem; tamen quia ex tempore in inferioribus jussa Dei perficiunt, jure creduntur moveri in tempore. Corpora vero sua in loco movent, dum descendunt de cœlo, et ascendunt in cœlum. Spiritus itaque hominum movetur in tempore, reminiscendo præterita, futura exspectando, aliquid novi discendo. Neque enim, cum recordor aliquam lectionem aut aliquam civitatem, sicut motus est spiritus meus cogi-

[1] Unus ex Vaticanis Mss., *angelum*. Alii, *hominem*.

[2] Ms. Corbeiensis, *conspicata*. Vaticani tres, *conspissata*.

[1] Sic Er. Lugd. Ven. Lov. In B., *et ea audita nihilominus obedirent*. M.

tando, ut hoc recordaretur ex tempore, in [illegible] est et loco. Quod si [illegible], an in cœlo aut in terra moveretur; quia sine cœlo et terra nullus est locus. Ubi [illegible] fuit [illegible], in cœlo, an in terra, ut videret [illegible] vel [illegible] civitatem? Certe in nullo loco vidit ut recordaretur, in se ipso vidit. Et quia initium habet cogitatio, et omne quod initium habet, et tempus habet: igitur secundum supra dictam rationem, spiritus creatus per tempus moveri potest, non per locum: Spiritus creator, sine tempore et loco: corpus autem, et loco et tempore.

QUÆST. XLII. Cum requies non sit nisi post laborem, cur Deus requiescere dicitur? An et ipse opere fatigatus est, ut requiescere dicatur?

RESP. Non in aliqua creatura [illegible] ejus bono indigens requievit Deus, sed in se ipso. Denique non in aliquo dierum, sed post sex dies operum requiescere legitur. Unde liquido apparet, nullam creaturam Deum per indigentiam, sed sola bonitate fecisse. Quod si in aliqua creatura requiesceret, aliquam creaturam indigens fecisset. Ergo quia nullam creaturam per indigentiam fecit, profecto in nulla creatura requievit. Nam quod dicit Scriptura, requievisse Deum in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit (*Gen.* II, 2), hoc intelligi posse arbitror, quod non in ipso die, tanquam ejus bono indigens, quo sit beatior, requieverit; sed ipsum diem septimum, id est, angelicam naturam adduxisse ad requiem suam: ut viderent semper in Deo [illegible] creaturam[1], ita et illum viderent quod nullam creaturam per indigentiam, sed sola bonitate fecisset. Hoc enim arbitror posse intelligi requiem Dei. Intelligitur et aliter requies Dei, id est, cum nos post bona opera requiescere facit; secundum illum modum quo dixit Deus ad Abraham, *Nunc cognovi quod times Deum* (*Id.* XXII, 12); quod intelligitur, cognoscere fecit: ita et hic intelligitur requiescere Deus, cum sanctis suis requiem præstat. Item aliter requiescere dicitur Deus a condendis novis creaturis; quia post editionem sex dierum operum, nullam deinceps condidit creaturam. Nam quod ait, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17); non novam creaturam condendo intelligitur, sed quam condidit administrando.

QUÆST. XLIII. Quomodo[1] [illegible] serpens poterat in paradiso (*Gen.* III, 1), cum aliquod appareat irrationale esse animal?

RESP. Serpens per se loqui non poterat, quia non hoc a Creatore acceperat. Assumpsit enim [illegible] diabolus, utens eo velut organo, per quod articulatum sonum emitteret. Per illum tempore verba faciebat, et tamen hoc etiam ille nesciebat. Natura ergo rationis expers subditur rationali naturæ: sed tamen non tantum, quantum vult, ex ea vel in ea facit, sed quantum a Creatore acceperat.

QUÆST. XLIV. Et si non intelligunt serpentes, quomodo audiunt verba Marsorum, ut ad incantationem eorum exeunt de [illegible] suis?

RESP. Licet intellectum non habeant, tamen sensu corporis nullatenus carent. Habent enim et visum, et auditum, et odoratum, et gustum, et tactum. Et ideo quamvis audiant verba Marsorum, nequaquam tamen intelligunt. Non enim [illegible], sed ut diabolus ad verba Marsorum exeunt, permittente Deo, cogentur a diabolo, [illegible] testimonium de illo primo facto, quod primum hominem diabolus per serpentem decepit in paradiso.

QUÆST. XLV. Nunquid quia opus erat Adæ ut ei conjux fieret, aliter non poterat fieri, nisi ut dormienti costa detraheretur, ex qua conjux [illegible] (*Id.* II, 20-22)?

RESP. [illegible] Deus aliter illam facere, sed ideo [illegible] fecisset, [illegible] significaretur. [illegible] dormiente Adæ costa detrahitur, ut ex ea conjux efficiatur, ita et Christo morienti de latere [illegible] effunditur, ut Ecclesia construatur. [illegible] corpori et sanguini Christi, [illegible] Ecclesia Christi conjux.

QUÆST. XLVI. Quomodo intelligendum est quod dicit Adam, *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24)?

RESP. Beatus apostolus Paulus hoc capitulum sibi ponens exposuit, dicens: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). Sed quomodo Christus reliquerit Patrem, cum una substantia sit cum Patre? Aut ubi esse poterit Pater sine Filio, cum de ipso Filio qui est sapientia, dicatur quod attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1)? Ergo si ubi est Filius ubi et Pater, non potest esse Pater sine Filio, nec Filius sine Patre: quia scilicet sicut inseparabiles sunt in natura, ita et inseparabiles in personis. Sic enim ipse Filius de Patre dicit in Evangelio: *Qui me misit, mecum est* (*Joan.* VIII, 29). Quomodo ergo dicitur reliquit Patrem ut adhæreret uxori suæ, id est, Ecclesiæ suæ, nisi illo modo quo Apostolus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7)? Ipsa ergo formæ servilis acceptio est exinanitio, et ipsa exinanitio quamquam non sit divinitatis abolitio aut naturæ amissio, tamen propter formam servi in qua dignoscitur apparuisse, jure dicit Apostolus Patrem reliquisse. Reliquit et matrem, scilicet Synagogam, Veteri Testamento carnaliter inhærentem; et adhæsit uxori suæ, id est, Ecclesiæ suæ sanctæ, ut per pacem Novi Testamenti essent duo in carne una.

QUÆST. XLVII. Cur Cain ex terræ fructibus munera reprobantur, et Abel de adipibus[1] gregis sui munera suscipiuntur (*Gen.* IV, 3-5)?

RESP. Cain typum gerebat Judæorum, qui illa corporalia sacramenta secundum Vetus Testamentum exercebant. Horum enim sacrificia supervenientе Testamenti Novi fide, contempta et evacuata sunt; et Christianorum sacrificia, quæ ex innocentia Christi innocentis agni constant, laudantur, quæ significabant ipsius Abel ex ovibus munera. Munera igitur Cain non acceptantur. Unde eorum dicitur in Psalmo: *Oblationes et holocausta noluisti*, etc. (*Psal.* XXXIX, 7).

QUÆST. XLVIII. Quid significat quod Cain fratrem suum Abel in agro interficit (*Gen.* IV, 8)?

RESP. Jam superius diximus Cain significare Judæos, qui Christum occiderunt. Occiditur itaque Abel minor natu, occiditur Christus caput populi minoris natu a populo Judæorum majore natu: ille in agro, iste in Calvariæ loco.

QUÆST. XLIX. Quomodo intelligendum est quod sanguis Abel legitur de terra ad Deum clamasse (*Ibid.*, 10)?

RESP. Sanguis Abel significat sanguinem Christi, quo universa Ecclesia accepto dicit, Amen. Nam quidem clamorem facit universa Ecclesia dum potatur sanguine Christi et dicit, Amen, tu ipse si potes, [illegible]. Judæi ergo qui intelliguntur in persona Cain, quoniam non credentes in Christo, non potantes sanguinem Christi, maledicti sunt super terram. Super illam scilicet terram, quæ aperuit os suum per [illegible], et bibit sanguinem fratris sui, id est Christi sui. Quem quia Judæi non bibunt, ideo maledicti sunt.

QUÆST. L. Quid significat quod Enoch septimus ab Adam cum Deo ambulavit, et non apparuit (*Id.* V, 24)?

RESP. Enoch septimus ab Adam transfertur ad Deum, et septimo requiem promittebat sanctis, quia in sexta ætate sanctis [illegible] mantur in agnitionem Dei, ut transferantur ad requiem.

QUÆST. LI. Quid significat quod Noe per aquam et lignum liberatur (*Id.* VI-VIII)?

[1] [illegible] *formam* [illegible].

[1] [illegible] *de adipibus.*

Resp. Aqua significat Baptismum, et lignum significat crucem. Sicut Noe per aquam et lignum liberatur, ita et Ecclesia Baptismo et passionis Christi signaculo liberatur.

Quæst. LII. Quid significat quod arca de lignis quadratis constructa, intrinsecus et extrinsecus bitumine linitur (*Gen.* vi, 14)?

Resp. Sicut arca de lignis quadratis ædificatur, ita et Ecclesia de sanctis construitur. Quadratum enim in quacumque parte posueris, fortiter stat : et sancti in quibuslibet tentationibus stabiles permanent, non adversitatibus, non prosperitatibus cedunt. Bitumen enim significat charitatem; per quam sancti nec illis scandalis quæ fiunt ab his qui intus sunt, cedunt, nec illis quæ fiunt ab his qui foris sunt : et servant unitatem spiritus in vinculo pacis, tolerantes et malos christianos qui sunt in Ecclesia, et hæreticos qui sunt foris Ecclesiam.

Quæst. LIII. Quid significat quod arca in longitudine habuit trecentos cubitos, et in latitudine quinquaginta, et in altitudine triginta (*Ibid.*, 15)?

Resp. Sancta Ecclesia, ut faciat mandata Dei, adjuvatur Spiritu Dei, dicente Psalmographo : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* cxviii, 32). Nisi dilatatum cor habuisset, viam Domini minime cucurrisset. Et unde dilatatur cor, nisi per charitatem spiritualem? Hinc et beatus Paulus apostolus simili Psalmographo voce consentit : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* vi, 11). Unde, quæso, dilatatum? *Gratia*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Ergo accepto Spiritu sancto operatur Ecclesia cum dilatatione[1] præcepta Dei, quæ sine gratia Spiritus sancti nequaquam poterit operari. Hunc enim Spiritum septiformem Scriptura sancta commemorat et commendat (*Isai.* xi, 2, 3). Septies ergo septem fiunt quadraginta novem, et addito uno ut compleatur numerus, fiunt quinquaginta. Unde et Dominus ascendens in cœlum, quinquagesimo die misit Spiritum sanctum (*Act.* i, 9, *et* ii, 1-4), ut corda credentium dilataret. Triginta vero cubiti significant decem præcepta Legis. Decies autem triginta, fiunt trecenta. Sed hæc præcepta non possunt impleri nisi charitate faciente, id est Spiritu sancto, qui significatur in latitudine quinquaginta cubitorum. Idcirco arca utrumque numerum habet. Nam et ipsa opera bona propter supernum finem facit Ecclesia, quod significant triginta cubiti altitudinis. Re enim vera spiritus est altitudo nostra, ipse scilicet tricenarius[2] doctrinam Evangelicam consecravit. Ipse est et supernus finis, atque omni bono opere indubitanter Ecclesiam replet.

Quæst. LIV. Quid significat quod post dies septem ex quo ingressus est Noe in arcam, pluit Dominus super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus (*Gen.* vii, 10-12)?

Resp. Quod post dies septem Dominus pluit super terram, hoc significat, quod omnes qui baptizantur, in spe futuræ quietis, quæ septimo die significata est, baptizantur. Et omnis reatus peccatorum, qui in decem Legis præceptis admittitur per universum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur, unde decem per quatuor ducta quadraginta fiunt : sive ille reatus qui ad dies pertinet ex rerum prosperitate, sive qui ad noctes ex rerum adversitate contractus sit; sacramento cœlestis Baptismi abluitur.

Quæst. LV. Quid significat quod Noe sexcentorum erat annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram (*Ibid.* 11)?

Resp. Sexcenti anni significant sex ætates sæculi. Prima ætas est ab Adam usque ad Noe. Secunda, a Noe usque ad Abraham. Tertia, ab Abraham usque ad David. Quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta, a transmigratione Babylonis usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, quæ nunc agitur. Sexcentesimo anno vitæ Noe factum est diluvium : et in sexta ætate sæculi reformatur homo in agnitionem Dei per Baptismum.

Quæst. LVI. Quid significat quod de omni genere animalium atque volatilium, immunda bina ingrediuntur in arcam, et munda septena (*Gen.* vii, 2, 3)?

Resp. Immunda illa homines significant, qui ad schismata sunt faciles; munda vero, [illegible] qui Spiritum [illegible] Hinc etiam quidam poeta ait :

Numero Deus impare gaudet.
(*Virg. Eclog.* viii, vers. 75.)

Quæst. LVII. Quid significat quod universos montes excelsos superereverat aqua quindecim cubitis (*Gen.* vii, 20)?

Resp. Octo et septem quindecim faciunt. Octo nempe significant resurrectionem, et septem quietem. Hoc itaque mysterium resurrectionis et quietis, supergressum est omnem scientiam superborum sapientium, et nullatenus potuerunt indagare scientiam resurrectionis et quietis.

Quæst. LVIII. Quare cum ingrederetur Noe in arcam, dicitur ad eum, *Ingredere, tu et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum* (*Ibid.*, 1)? Seorsum ergo ponuntur viri et seorsum feminæ. Et cum egrederetur de arca, dicitur ad eum, *Egredere, tu et uxor tua, filii tui, et uxores filiorum tuorum* (*Id.* viii, 16). In ingressione nempe separati, in egressione conjuncti dicuntur.

Resp. Eorum quippe ingressio istam vitam significat, ubi caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæcumque volumus illa faciamus (*Galat.* v, 17). Egressio autem illam vitam significat, ubi caro jam nullam habebit concupiscentiam adversus spiritum, nihilque erit ex nobis quod repugnet in nobis.

Quæst. LIX. Quid significat quod emissus corvus de arca, non est reversus (*Gen.* viii, 7)?

Resp. Corvus ut non reverteretur, aut aquis interceptus est, aut alicui cadaveri illectus insedit : et significat illos homines, qui carnalibus dediti rebus, Dei præcepta contemnunt, et nullatenus pœnitendo Ecclesiæ satisfaciunt, unde et per mala opera recesserunt. Vel certe si aquis ille corvus interceptus est, illos significat qui de Ecclesia exeunt, et hæreticorum Baptismo polluuntur. Quamvis enim unum Baptisma sit et hæreticorum, eorum scilicet qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant, et Ecclesiæ catholicæ; tamen quia foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt Baptismum ad salutem, sed ad perniciem : *Habentes nimirum speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (II *Tim.* iii, 5); et rursum, *Animales*, inquit, *Spiritum non habentes* (*Judæ* 19). Et idcirco eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. Ipsa est profecto forma Sacramenti : ideo dum reversi fuerint, accipiunt virtutem Spiritus sancti, quem ii qui foris Ecclesiam baptizantur, nondum habent.

Quæst. LX. Quid significat quod Noe vir justus plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo (*Gen.* ix, 20, 21)?

Resp. Deus quodam modo plantavit gentem Judæorum, segregando eam a cunctis gentibus. Unde et circumcisionis signum indidit, Legem dedit, sacrificia instituit, se ipsum in carne venturum in Lege prædixit : sed cui non credentes[1], vineæ suæ vino, id est, malitia populi sui passus est[2], crucifixus est, sputis illinitus, et illusus. Sed hoc passus est in tabernaculo suo, id est, in gente sua.

Quæst. LXI. Quid significat, quod Cham pater Chanaan, videns verenda patris sui, exivit foras, et nuntiavit fratribus suis (*Ibid.*, 22).

Resp. In duobus filiis maximo et minimo, duo po-

[1] Unus e Vaticanis Mss., *dilectione*. Corbeiensis *delectatione*.

[2] Mss. duo Vaticani, *tricenario numero*.

[1] Sensus hic claudicat; aliquid deesse videtur. M.

[2] Ms. Corbeiensis, *vinum, id est malitiam passus*. Duo Vaticani, *vino, id est malitia potatus*.

pali figurati sunt, unam vestem a tergo portantes, sacramentum scilicet jam præteritæ atque transactæ dominicæ passionis: nuditatem patris tegentes, neque intuentes, qui in Christi necem non consentiunt, et eum honorant velamento, tanquam scientes unde sint nati. Medius filius, id est populus Judæorum (ideo medius, quia nec primatum Apostolorum tenuit, nec ultimus in gentibus credidit), vidit nuditatem patris, quia consensit in necem Christi. Et nuntiavit fratribus suis. Per eum quippe manifestatum est et quodam modo publicatum, quod erat prophetiæ secretum. Ideoque fit fratrum suorum servus. Quid est enim aliud hodie gens ipsa, nisi scriniaria Christianorum, portans Legem et Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiant illi per litteram?

QUÆST. LXII. Quid significat quod dixit Deus ad Abraham, *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII, 1)?

RESP. Abraham personam Christi portabat. Sicut enim Abraham terram et cognationem suam dimisit, et domum patris sui, et venit in terram quam ignorabat: ita et Christus dimisit gentem suam, scilicet Judæorum, et venit ad populum Gentium. Hic temporalis explanatio hoc habet: moraliter autem eximus de terra nostra [1], quando divitias et mundi hujus facultates contemnimus; et de cognatione nostra, id est, de vitiis prioribus, quæ nobis a nativitate nostra cohærentia, velut affinitate quadam et consanguinitate conjuncta sunt; et de domo patris nostri, id est, de omni memoria mundi hujus, quæ oculorum occurrit obtutibus.

QUÆST. LXIII. Quot sunt genera visionum?

RESP. Tria. Prima visio est corporalis; secunda, spiritualis; tertia, intellectualis. Corporalis ergo visio est quæ fit per corpus. Spiritualis, cum imagines eorum quæ videmus, in memoria condimus. Intellectualis nempe, cum ea quæ corporaliter videmus et imaginaliter in memoria retinemus, intellectu discernimus; quod illud sit corpus, illud similitudo corporis. Hunc autem intellectum bestiæ et pecora atque volatilia nullatenus habent. Vident ipsa per corpus; et eorum quæ vident imaginaliter species formatur, unde et pecora præsepia recognoscunt, et aves ad nidos suos redeunt: sed nec se ipsa intelligunt quæ sint, nec illa quæ oculis cernunt. Postremo corporalis visio sine spirituali esse non potest. Statim ergo ut avertimus oculos ab eis quæ videmus, imagines eorum quæ vidimus, in memoria retinemus. Spiritualis vero visio sine corporali esse potest; unde et absentes homines recordamur, et in tenebris ea quæ vidimus, imaginaliter cernimus. Intellectualis nempe nec corporali indiget nec spirituali. Per intellectum nec corpus videmus, nec imaginem corporis. Per hanc quippe videtur justitia, charitas, ipse Deus, ipsa mens hominis, quæ nullum corpus habet, nullam similitudinem corporis. Ob id et raptus fuerat apostolus Paulus in tertium cœlum (II *Cor.* XII, 2), id est ad intellectualem visionem, ut Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas cerneret. Tres ergo cœli, tria sunt visionum de quibus loquimur, genera. Ad hoc profecto pervenerat Paulus, ut Deum sic in ista vita videret, sicut sancti post hanc vitam videbunt.

QUÆST. LXIV. Quot genera sunt Apostolatus, vel quale nomen sit Apostolus, volo cognoscere.

RESP. Apostolus interpretatur Missus. Apostolorum sunt genera quatuor: a Deo, non per hominem; a Deo, sed per hominem; per hominem tantum; et ex se. A Deo etenim missus est Moyses. A Deo et per hominem, sicut Jesus Nave. Per hominem tantum, sicut nostris temporibus multi favore vulgi in sacerdotium subrogati sunt. Ex se autem, sicut sunt ipsi pseudoprophetæ.

QUÆST. LXV. Quomodo possumus scire qui mittatur a Deo?

RESP. Illum cognosce missum a Deo, quem non paucorum hominum laudatio vel potius adulatio eligit; sed illum quem et vita et mores optimi exornant, et apostolicorum exagio [1] sacerdotum, vel etiam qui universorum populorum judicio comprobatur: qui non appetit præesse, qui non pecuniam dat ut episcopatus honorem acquirat. Nam de eo qui præesse festinat, quidam patrum eleganter expressit dicens: *Sciat se non esse episcopum, qui præesse desiderat, non prodesse* (*Augustinus, de Civit. Dei, lib.* 19, *cap.* 19).

[1] Er. Lugd. et Ven. sic legunt hunc locum: *Hic et alia explanatio hoc habet: eximus de terra nostra.* M.

[1] Editi, *actio commendat*. At Ms. Corbeiensis, *exagio*: id est, examine; et caret verbo, *commendat*.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTUM LIBRUM.

Liber de Fide ad Petrum inter Augustini opera olim impressus est veterum aliquot manuscriptorum auctoritate, qui ei assignant. Verum non esse Augustini probe monstravit Erasmus ex ipsa phrasi aliisque argumentis, quæ hic referre superfluum putamus. Nam indubitatus ejus auctor a nemine jam ignoratur Fulgentius. Hunc certe asserit scriptura antiquissima codicis Corbeiensis ante mille annos exarati, quæ ad operis calcem exhibetur in hæc verba: *Fulgentii episcopi sanctæ Ecclesiæ catholicæ Ruspensis de Regula veræ fidei liber explicit.* Neque contemnendus, quanquam altera et posteriore manu ibidem additus in fronte operis titulus: *Epistola Fulgentii episcopi de Fide catholica.* Præterea sub Fulgentii nomine citatur a Ratramno, in libro de Corpore et Sanguine Domini. Isidorus etiam in Catalogo, et Honorius Augustodunensis in Chronicis testantur Fulgentium scripsisse Regulam veræ fidei: et eam Regulam ab eodem Fulgentio petit Ferrandus diaconus, in epistola inter Fulgentianas novæ editionis decima tertia. Inscribebatur olim: *De Fide ad Petrum diaconum.* Sed Petrum hunc alium a Petro diacono cui scriptus est Fulgentii de Incarnatione liber, facile credimus, ob rationes allatas in nova Fulgentii editione, quæ Parisiis ex officina Guillelmi Desprez jam nunc prodit, studio et labore eruditi viri Lucæ Mangeant Clerici Parisiensis recognita, aucta et castigata. Nec injuria expunctum e titulo est diaconi nomen; quando hunc in exordio Fulgentius Petrum filium vocat, non, uti diaconos compellare solet, fratrem aut condiaconum. Recognovimus hoc opus ad Mss. Romanos bibliothecæ Vaticanæ quatuor, ad Anglicanos duos, ad vetustissimum Corbeiensem, ad Sorbonicum, Victorinum, Beccensem, et alios quosdam. In Corbeiensi et aliis melioris notæ Mss. desinit in fine capitis 44, neque caput 45, quod diverso stilo et ad virum militarem scriptum est, in eis usquam reperitur.

DE FIDE AD PETRUM

SIVE

DE REGULA VERÆ FIDEI

Liber unus.

PROLOGUS. — 1. Epistolam, fili Petre, tuæ Charitatis accepi; in qua te significasti velle Jerosolymam pergere, et poposcisti te litteris nostris instrui, quam debeas in illis partibus veræ fidei regulam tenere, ut nullus tibi possit sensus hæreticæ subrepere falsitatis. Gaudeo quidem, quod pro fide vera sine ullo perfidiæ vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse conversio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6). Fides est namque bonorum omnium fundamentum: fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei potest numerum pertinere [1]: quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam; et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est. Tale quippe est, ut sine vera fide quisque velit Deo per contemptum sæculi placere, quale si quisquam tendens ad patriam, in qua se scit beate esse victurum, relinquat itineris rectitudinem, et improvidus sectetur errorem; quo non ad beatam civitatem perveniat, sed in præcipitium cadat; ubi non gaudium pervenienti detur, sed cadentis interitus inferatur.

2. Verumtamen ut de fide sufficiens sermo promatur, nec temporis suffragatur spatium, quia celeriter nostrum cupis habere responsum; et tam magnum est opus disputationis hujus, ut a magnis vix possit impleri [2]. Neque enim poposcisti sic te debere de fide instrui, ut unam quamlibet hæresim designares, contra quam specialiter nostræ disputationis vigilaret intentio: sed cum indefinite definitionem fidei petis, eamque cupis etiam sub brevitate concludi; vides procul dubio quam sit nobis impossibile, ut rem tantam in brevi plene comprehendamus, cui sufficientes esse non possumus, etiamsi tantum spatium temporis et tale nobis esset ingenium, ut multa volumina de hoc quod a nobis expetis, facere valeremus [3]. Sed quia *Deus prope est omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV, 18), qui *verbum consummans et brevians fecit super terram* (*Rom.* IX, 28); spero, quia sicut tibi dedit hujus fidei sanctam sollicitudinem, sic etiam mihi, ut tuo tam bono tamque laudabili serviam desiderio, sufficientem tribuet facultatem: ut etsi non potuero cuncta dicere, ex quibus omnis error hæreticus possit agnosci, et agnitus vel convinci valeat vel vitari; tamen in nomine atque adjutorio sanctæ Trinitatis, quæ unus solus verus et bonus est Deus, ea dicam in quibus saltem magna ex parte rationem catholicæ fidei constet sine aliqua erroris caligine contineri. Quibus retentis, poteris etiam illa deprehendere atque fugere, quæ etsi in hoc opere non videntur speciali disputatione convinci, tamen ex iis quæ hic generaliter atque absolute ponentur, appareant illa quæ infideles homines auribus volunt [4] insusurrare fidelium, non regula divinæ veritatis tradita, sed nequitia humani erroris inventa.

CAPUT PRIMUM. 3. *Trinitas unus Deus.* Quocumque igitur loco fueris constitutus, quia secundum regulam nostri Salvatoris imperio promulgatam, nosti te in uno Patris et Filii et Spiritus sancti nomine baptizatum, principaliter atque indubitanter toto corde retine, Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum, id est, sanctam atque ineffabilem Trinitatem unum esse naturaliter Deum, de quo in Deuteronomio dicitur: *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus* [1] *unus est*; et *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 4, 13). Veruntamen quia istum unum Deum, qui solus est verus naturaliter Deus, non Patrem solum, neque solum Filium, neque solum Spiritum sanctum, sed simul Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse diximus; cavendum est, ne sicut Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse, quantum ad naturalem attinet unitatem [2], veraciter dicimus; sic eum qui Pater est, eumdem vel Filium, vel Spiritum sanctum; aut eum qui Filius est, sive Patrem sive Spiritum sanctum; aut eum qui Spiritus sanctus proprie in confessione hujus Trinitatis dicitur, vel Patrem vel Filium personaliter dicere sive credere, quod omnino nefas est, audeamus.

4. Fides enim quam sancti Patriarchæ atque Prophetæ ante incarnationem Filii Dei divinitus acceperunt, quam etiam sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt, et Spiritus sancti magisterio instructi, non solum sermone prædicaverunt, verum etiam ad instructionem saluberrimam posterorum scriptis suis inditam reliquerunt, unum cum prædicat Trinitatem, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Sed Trinitas vera non esset, si una eademque persona diceretur Pater et Filius et Spiritus sanctus. Si enim sicut est Patris et Filii et Spiritus sancti una substantia, sic esset una persona, nihil omnino esset, in quo veraciter Trinitas diceretur. Rursus Trinitas quidem vera esset, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ad invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti. Sed quia in illo uno Deo vero Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est; propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in una natura unus est. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu sancto est, totusque Spiritus sanctus in Patre et in Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est: quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quia nec Filio nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ divinæ unitatem pertinet, aut anterior aut major Pater est; nec Filii æternitas atque immensitas, velut anterior aut major, Spiritus sancti æternitatem immensitatemque aut præcedere aut excedere naturaliter potest. Sicut ergo nec Filius posterior aut minor est Patre, ita nec Spiritus sanctus posterior aut minor est Filio. Æternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patris natura natus exstitit [3]: et æternum ac sine in-

[1] Lov., *pervenire.*

[2] Unus e Vaticanis Mss., *ut magnis vix possit impleri sermonibus.*

[3] Mss., *valeamus.*

[4] Editi alii, *solent.*

[1] Mss., *Dominus.*

[2] Corbeiensis Ms., *veritatem.*

[3] Sic Mss sex. et Magister Sententiarum, sentent. 1, dist. 19. At editi, *existit.*

ita est, quod Spiritus sanctus de natura Patris Filiique procedit. Ob hoc ergo tres, unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus æternitas, una immensitas, una naturaliter trium est divinitas personarum.

5. Teneamus igitur Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum; neque tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, neque Filium ipsum esse qui Pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater aut Filius est. Una est enim Patris et Filii et Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν vocant, in qua non est aliud Pater, et aliud Filius, et aliud Spiritus sanctus; quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maxime in ipso sanctarum Scripturarum demonstratur initio, ubi Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Cum enim singulari numero dicit, *imaginem*, ostendit unam naturam esse, ad cujus imaginem homo fieret. Cum vero dicit pluraliter, *nostram*, ostendit eumdem Deum, ad cujus imaginem homo fiebat, non unam esse personam. Si enim in illa una natura[1] Patris et Filii et Spiritus sancti una esset persona, non diceretur, *ad imaginem nostram*; sed, ad imaginem meam: nec dixisset, *Faciamus*; sed, Faciam. Si vero in illis tribus personis tres essent intelligendæ vel credendæ substantiæ, non diceretur, *ad imaginem nostram*; sed, ad imagines nostras: una enim imago trium naturarum inæqualium esse non posset. Sed dum ad unam imaginem unius Dei homo factus dicitur, una sanctæ Trinitatis essentialiter divinitas intimatur. Deinde[2] et paulo post pro eo quod Deus superius dixerat, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, sic hominem factum Scriptura narravit, ut diceret, *Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum* (*Gen.* I, 26, 27).

6. Hanc Trinitatem personarum atque unitatem naturæ propheta Isaias revelatam sibi non tacuit, cum se dicit Seraphim vidisse clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (*Isai.* VI, 3). Ubi prorsus in eo quod dicitur tertio, *Sanctus*, personarum Trinitatem; in eo vero quod dicitur semel, *Dominus Deus sabaoth*, divinæ naturæ cognoscimus unitatem. In illa igitur sancta Trinitate (quod ideo a nobis repetitur, ut vestro cordi[3] tenacius infigatur), unus est Pater qui solus essentialiter de se ipso unum Filium genuit, et unus Filius qui de uno Patre solus est essentialiter natus[4], et unus Spiritus sanctus qui solus essentialiter de Patre Filioque procedit. Hoc autem totum una persona non posset, id est, et gignere se, et nasci de se et procedere de se. Quia igitur aliud est genuisse quam natum esse, aliudque est procedere quam genuisse vel natum esse; manifestum est quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Trinitas itaque ad personas Patris et Filii et Spiritus sancti refertur, unitas ad naturam.

CAPUT II. 7. *Incarnatio Christi. Exinanitio Filii Dei quæ fuerit.* Sicut ergo secundum illam divinitatem, qua unum sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium; sic etiam secundum carnem solum Filium natum catholica fides et credit et prædicat. Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris quod non est natus ipse, sed unum Filium genuit; neque proprium solius Filii quod non genuit ipse, sed[5] de Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti quod nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit[6]; [illegible] Deus Pater de nullo [illegible], secundum carnem [illegible] nasceretur de virgine. Si enim Pater de virgine nasceretur,

una persona esset Pater et Filius: ipsa autem una persona, pro eo quod non de Deo, sed tantum de virgine nasceretur, non Dei Filius, sed tantum hominis filius veraciter diceretur. Ipse autem Dei Filius dicit[1]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Et iterum: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan.* III, 16, 17). Nec beatus dixisset Joannes: *Qui diligit Genitorem, diligit et eum qui natus est ex eo* (I *Joan.* V, 1). Nec ipse Filius dixisset: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17). Ipse enim qui Filius dicitur, si idem esset et Pater, non veraciter Dei Filius diceretur, quia non de Deo, sed de sola virgine nasceretur. Ad extremum nec ipse Pater de cœlo testaretur, et suum corporali voce Filium demonstraret, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*[2] (*Matth.* III, 17). Apostolus quoque Paulus non dixisset de Deo Patre: *Qui proprio Filio*[3] *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32).

8. Sed quoniam ista omnia et divinitus ad nostram doctrinam dicta sunt, et quia divina dicta sunt, utique vera sunt; verum est quod fides catholica prædicat, et secundum divinitatem de Patre natum esse solum Filium, æternum cum Patre, immortalem, impassibilem, atque incommutabilem Deum: et secundum carnem non Patrem, sed unigenitum ejus Filium, salva æternitate sua temporaliter natum, salva impassibilitate sua passum, salva immortalitate sua mortuum, salva incommutabilitate, qua[4] Deus verus et vita æterna est, veraciter suscitatum. Qui totum habet commune cum Patre quod æternus naturaliter sine initio habuit; et nihil habet commune cum Patre eorum quæ in suam personam temporaliter atque humiliter ille æternus atque excelsus accepit.

9. Rursus si non ille qui proprius atque unigenitus Dei Patris Filius est, sed Spiritus sanctus nasceretur ex virgine, non ipsum Filium qui factus est ex muliere, factus sub lege, natum de Spiritu sancto ex Maria virgine, in Symbolo acceptum, et corde ad justitiam crederet, et ore ad salutem sancta confiteretur Ecclesia. Sed et si ipse Spiritus sanctus, qui Patris et Filii Spiritus est, formam servi acciperet, non ipse Spiritus sanctus super se ipsum hominem factum in columbæ specie cœlitus adveniret.

10. Pater igitur Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum sibi æqualem, et eadem qua ipse naturaliter æternus est divinitate coæternum. Sed idem Dei Filius cum sit Deus æternus et verus, et cum Patre secundum divinitatem naturaliter unus Deus, secundum hoc quod dicit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); factus pro nobis est homo factus verus et plenus: in eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam; in eo vero plenus, quia et carnem humanam suscepit, et animam rationalem. Idem tamen Unigenitus Deus secundo[5] natus est, semel ex Patre, semel ex matre: natus est enim de Patre Deus Verbum, natus est de matre Verbum caro factum.

11. Unus igitur est atque idem Deus Dei Filius natus ante sæcula, et natus in sæculo[6]: et utraque nativitas unius est Filii Dei; divina, secundum quam creator in forma Dei coæternus Patri Deus est, humana, secundum quam semetipsum exinaniens et formam servi accipiens non solum in [illegible] uteri sui ipsam, dum homo fieret, [illegible] formam servi [illegible] formavit; verum etiam [illegible] matris utero idem Deus homo factus exivit, [illegible]

[1] [illegible], in una illa natura.
[2] [illegible]
[3] [illegible], et vestro cordi.
[4] [illegible]
[5] [illegible]
[6] [illegible]

[1] Unus e Vatt. [illegible] dicere et: cætera [illegible]
[2] [illegible]
[3] [illegible]
[4] [illegible]
[5] Apud Lov. [illegible] secundo.

idem Deus homo factus pependit, et in sepulcro idem Deus homo factus jacuit, et ab inferis idem Deus homo factus tertio die resurrexit; sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus jacuit, et in infernum secundum solam animam descendit. Qua de inferis ad carnem die tertia revertente, idem Deus secundum carnem quam[1] in sepulcro jacuit, de sepulcro resurrexit, et quadragesimo post resurrectionem die, idem Deus homo factus in cœlum ascendens, in dextera Dei sedit[2], inde in fine sæculi ad judicandos vivos mortuosque venturus.

12. Verbum ergo caro factum unus est Filius Dei Dominus Jesus Christus, mediator Dei et hominum. Ideo autem mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens cum Patre unam divinitatis naturam, et humanitatis unam cum nostra substantiam: habens ex nobis usque ad mortem temporalitatis nostræ pœnam, habens incommutabilem de Deo Patre justitiam[3], propter iniquitatem nostram temporaliter mortuus, propter justitiam suam, et ipse semper vivus, et immortalitatem mortalibus largiturus. Qui perfectam quidem humanitatem suam in ipsa divinitatis suæ perfectione servavit: veritatem vero mortalitatis suæ[4] per susceptionem mortis, veritate atque incommutabilitate suæ immortalitatis absorbuit.

13. Hoc est quod testatur beatus Petrus, quia *Christus deglutivit mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur* (I *Petr.* III, 22). Beatus quoque Paulus docet quod Christus mortem deglutiverit, illuminaverit autem vitam et incorruptionem (II *Tim.* I, 10). Christus ergo mortem gustavit, quia verus homo est: idemque mortem deglutivit, quia verus Deus est. Idem quippe, sicut dicit Apostolus, *crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4): unus atque idem, qui secundum prophetiam beati David, *et homo factus est* in Sion, *et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5).

14. Itaque nec divinitas Christi aliena est a natura Patris, secundum id quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*: nec humanitas ejus aliena est a natura matris, secundum id quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 2, 3, 14). Illa enim natura quæ semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex virgine. Neque enim natura æterna atque divina temporaliter concipi et temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter conceptionem atque nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus ac verus veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex virgine. *Dum enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum*[5] *ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Galat.* IV, 4, 5): illo scilicet Deo facto naturaliter filio hominis, qui unus est naturaliter Filius Dei Patris. Hoc utique Joannes evangelista confirmans, postquam dixit, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* subsequenter ait, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Sic ille omnium spirituum, omniumque corporum, id est, omnium naturarum Creator et Dominus, creavit virginem creandus ex virgine; et cujus ipse factor est, matrem sibi fecit, quando de ejus carne concipiendus atque pariendus veram materiam carnis Deus immensus ac sempiternus accepit: ut et secundum veritatem formæ servilis, Deus homo misericorditer fieret; et secundum formam Dei, naturali veritate, idem Deus homo permanens non careret.

15. Sic ergo crede Filium Dei, id est, unam ex Trinitate personam Deum verum credo, et divinitatem ejus de natura Patris natam esse non dubites; et sic eum verum hominem crede, ut ejus carnem non cœlestis, nec aereæ, nec alterius cujusquam putes esse naturæ, sed ejus cujus est omnium hominum caro, id est, quam ipse Deus homini primo de terra plasmavit, et cæteris hominibus plasmat, quæ per propagationem ex hominibus venit. Sed licet caro Christi, et omnium hominum unius ejusdem generis naturæ sit, hanc tamen quam Deus Verbum ex Maria virgine sibi unire dignatus est, sine peccato concepta, sine peccato nata est, quam secundum quam Deus æternus et justus misericorditer et conceptus et natus est, et Dominus gloriæ crucifixus est.

16. Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cujus divina est ex ipsa sua conceptione persona, cujus origo nativitati consentit, qua sic Verbum caro factum est, ut una persona esset cum carne sua Unigenitus ac sempiternus Deus, ipse suæ carnis[1] conceptione conceptus[2]? Etenim vero cæterorum hominum carnem per hominem certum est nasci concubitum, viro seminante, femina vero concipiente atque pariente. Et quia dum illa invicem vir mulierque miscentur ut filios generent, sine libidine non est parentum concubitus, et ideo filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, ubi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido; nec fecunditas naturæ humanæ facit homines cum peccato nasci, sed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi justissima condemnatione peccati. Ideo beatus David, quamvis de legitimo nasceretur justoque conjugio, in quo scilicet nec infidelitatis culpa, nec fornicationis macula poterat inveniri; propter originale tamen peccatum, quo naturaliter obstricti filii sunt iræ, non solum impiorum filii, sed omnes etiam qui de justorum sanctificata carne nascuntur, exclamat et dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Sanctus etiam Job dicit neminem a sorde non esse immunem, nec si unius diei sit vita ejus super terram (*Job* XIV, 4, *sec.* LXX).

17. Dei ergo Filius unigenitus qui est in sinu Patris, ut carnem hominis animamque humanam aret, susceptione carnis atque animæ rationalis incarnatus est, et qui est Deus verus, homo verus factus est; non ut alter Deus esset, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui et illud peccatum quod in conceptu mortalis carnis generatio humana contraxit, auferret, conceptus est novo more, Deus incarnatus in matre virgine, sine coitu viri, sine libidine concipientis virginis: ut per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inviolatus edidit virginis uterus, abluerctur peccatum quod nascentes trahunt omnes homines, quibus in corpore mortis hujus talis est nascendi conditio, ut matres eorum fecunditatis opus implere non possint, nisi prius virginitatem carnis amiserint. Solus igitur abstulit peccatum conceptionis atque nativitatis humanæ Deus Unigenitus, qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex virgine; et cum nasceretur, integritatem virginitatis servavit in matre. Ista causa est, qua Deus factus est filius virginis Mariæ, et Maria virgo mater facta est Unigeniti Dei; ut quem Pater genuit ex æternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore: illa utique virgo, quam Deus, qui de ea fuerat nasciturus, ita singulari gratia prævenit atque replevit, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habet universitas Dominum; et ipsum sibi videret nascendi solemnitate subditum, quem in unitate Paternæ substantiæ non solum humana, sed etiam ange-

[1] Lov., *quæ*.
[2] Quatuor Mss., *sedet*.
[3] Corbeiensis Ms., *substantiam*.
[4] Sic Ms. Corbeiensis et alii plures. At Lov., *nostræ*.
[5] Lov., *natum*.

[1] Post, *suæ carnis*, ad Corbeiensis libri oram additur, *quam in prima nativitate non habuit*.
[2] Lov., *concepit me*.

lica creatura cognoscit et adoret Altissimum.

18. Sic ergo peccatum et causa peccati, quæ per scelus corruptæ mulieris intravit in mundum, per inviolatæ virginis partum ablatum a mundo. Et quia in conditione generis humani per mulierem, quæ de solo viro facta est, contigit ut mortis vinculo teneremur obstricti, hoc in redemptione humani generis divina bonitas egit, ut per virum, qui de sola muliere natus est, vita hominibus redderetur. Illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudinem sociavit, hic Deus humanam naturam in unitatem personæ suscepit. Ibi femina decepta est, ut fieret filia diaboli : hic virgo gratia repleta est, ut fieret mater summi atque incommutabilis Unigeniti Dei. Ibi angelus dejectus per superbiam, seductæ mulieris animum obtinuit : hic Deus humilians se per misericordiam, incorruptæ virginis uterum ex ea nasciturus implevit. Dei enim Filius Jesus Christus qui in forma Dei erat; quod [1] nisi ex natura Patris natus esset, esse non posset; ipse, secundum apostolicam doctrinam, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Formam ergo servi, id est, naturam servi in suam accepit Deus ille personam, atque ita hominum factor *in similitudine hominum factus*, *habitu* est *inventus ut homo*; ipse *humiliavit semetipsum*, *factus obediens usque ad mortem*, *mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6-8).

19. Intente igitur hanc Apostoli sententiam cogita, ut in ea cognosces quomodo Dominum Jesum Christum eumdem Deum atque hominem credas; nec tamen in eo veritatem utriusque naturæ in una persona, aut confundas, aut dividas. Cum ergo primum audis de Domino Jesu Christo, quia in forma Dei erat; oportet te agnoscere, firmissimeque tenere, in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei Dominus Jesus Christus erat; quia in natura Dei Patris semper erat, de quo natus erat. Unius ergo naturæ cum Patre est, æqualiterque cum eo sempiternus atque immensus, æqualiter immortalis et incommutabilis, æqualiter invisibilis et inenarrabilis, æqualiter bonus et justus, æqualiter miserator et misericors, patiens et multum misericors et verax, æqualiter fortis et suavis; æqualiter sapiens atque omnipotens.

20. Præmissa hæc omnia quæ diximus de Filio Dei, firmissima fide retinens [2] (quia hæc utique omnia in unitate naturæ habens cum Patre, sine dubio æqualis est Patri : propter quod et Apostolus continuo adjungens ait : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; non enim rapinæ [3] fuit illa Filii cum Patre divinitatis æqualitas, sed naturæ), etiam illa quæ consequenter subjungit Apostolus dicens, quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, *in similitudine hominum factus*, *et habitu inventus ut homo*; et quia *humiliavit semetipsum*, *factus obediens usque ad mortem*, *mortem autem crucis* : omnia hæc de illo unigenito Deo Dei Filio, de illo Verbo Deo, de quo dicit evangelista, *In principio erat Verbum*, *et Verbum erat apud Deum*, *et Deus erat Verbum*; de illa Dei Virtute, denique Sapientia, de qua Deo dicitur, *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24); de illo Principio cum quo unum est Pater ipse principium, et in quo sibi coæterno fecit cœlum et terram, id est omnem spiritualem corporalemque naturam; de Deo unigenito, qui est in sinu Patris, ut dixi, omnia hæc personaliter accipe; salva tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommutabilitate, invisibilitate divinitatis ejus. Quæ ita naturaliter et æqualiter communia cum Deo Patre habet Deus Filius [4], ut licet homo pro nobis fuerit veraciter factus, permanserit tamen æqualis vero Deo [5] Patri, de quo natus est verus et Veritas Deus. Semetipsum igitur exinanivit, sed *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* : quam plenitudinem si exinanitus amitteret, quod de ea nobis daret utique non haberet. Eodem autem non habente, nos procul dubio nihil possemus accipere. *De plenitudine* autem *ejus nos omnes accepimus*. Ex eo igitur quod nobis de plenitudine sua dedit, ostendit etiam, cum se exinanivit, plenitudinem non amisisse quam habuit : quia si plenitudinem suam amitteret, dare de illa nullatenus posset. Formam ergo servi accepit : neque enim aliud fuit illa Dei summi exinanitio, nisi formæ servilis, id est naturæ humanæ acceptio.

21. Utraque est igitur in Christo forma, quia utraque et vera et plena est in Christo substantia. Ideo sanctus evangelista plenum eum gratiæ et veritatis prædicat (*Joan.* I, 1, 16, 14) : quia et in divina natura, in qua Deus Veritas est, plenus est; et in humana, in qua homo verus Gratia factus est, plenus est. In illa plenitudine Deus est, in forma Dei æqualis Deo; in ista plenitudine servus, in forma servi, quia *in similitudine hominum factus*, *habitu* est *inventus ut homo*. Exinaniens ergo semetipsum, formam servi accepit, ut fieret servus; sed formæ Dei plenitudinem non amisit, in qua semper est æternus atque incommutabilis Dominus : factus secundum formam servi homo verus, ejusdem naturæ cujus est ancilla mater; et manens in forma Dei Deus verus, ejusdem naturæ cujus est etiam Dominus Pater. In forma Dei cum Patre et Spiritu sancto unus et solus formator omnium Deus; secundum formam servi solus ipse sua et Patris et Spiritus sancti operatione formatus : quod creator est, commune habens naturaliter cum Patre et Spiritu sancto; quod autem creatus est [1], solus habens personaliter in se ipso. Cujus et nativitatem futuram secundum carnem, et mortem, et resurrectionem, atque in cœlos ascensionem Lex et Prophetæ prænuntiare nunquam destiterunt, prout ipse præcipiebat, obedientes [2] et verbis et factis.

22. Nam et in sacrificiis carnalium victimarum, quæ sibi ipsa sancta Trinitas, quæ unus est Deus Novi et Veteris Testamenti, a patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificii significabatur gratissimum munus, quo pro nobis se ipsum solus Deus Filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim, secundum apostolicam doctrinam, *obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V, 5). Ipse verus Deus et verus Pontifex, qui pro nobis non in sanguine taurorum et hircorum, sed in sanguine suo semel introivit in sancta (*Hebr.* IX, 12). Quod tunc pontifex ille significabat, qui cum sanguine in sancta sanctorum per annos singulos intrabat. Iste igitur est, qui in se uno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum; idem scilicet sacerdos et sacrificium, idem Deus et templum : sacerdos, per quem sumus reconciliati; sacrificium, quo reconciliati : templum, in quo reconciliati, Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium, et templum; quia hæc omnia Deus secundum formam servi : non autem solus Deus; quia hoc cum Patre et Spiritu sancto secundum formam Dei.

23. Reconciliati sumus igitur per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit. In quo sic veritas incommutabilis permanet humanæ divinæque naturæ, ut sicut vera semper est ejus divinitas, quam de Patre incommutabilem habet, ita vera semper atque incommutabilis ejus humanitas sit, quam sibi unitam summa divinitas gerit.

24. Hæc pauca de fide sanctæ Trinitatis, quæ so-

[1] Editi Lov., *quia*. Emendatur ad Corbeiensem Ms.
[2] Editi, [illegible] ad veteres, libros.
[3] Lov., *rapina*. Et paulo post, *sed natura*.
[4] Editi alii, *Dei Filius*.
[5] Absunt, *vero Deo*, a Ms. Corbeiensi et aliis nonnullis.

[1] Hic editi addunt, *formam servi secundum quam creatus est*, glossema, quod abest a Mss.
[2] Apud Lov. omissum erat, *obedientes*, quod Mss. habent.

lus et verus est naturaliter Deus, quantum brevitas temporis et sermonis permisit, inserui. Nunc de creatura quid absque dubitatione credere debeas, intimabo.

CAPUT III. 25. *Creatæ res a Deo. Unde naturæ creatæ proficiant et deficiant. Deus ubique. Deus naturaliter vita. Origo vitæ malæ. Peccatum in Spiritum sanctum.* Principaliter itaque tene, omnem naturam quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate quæ solus verus et æternus Deus est, creatam ex nihilo; ac sic universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Thronos sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, opus atque creaturam esse sanctæ Trinitatis (*Coloss.* I, 16); quæ est unus Deus rerum omnium Creator et Dominus, æternus, omnipotens [1], et bonus, habens naturaliter ut semper sit, et ut mutari aliquando non possit. Hic Deus qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint: non tamen sine initio, quia nulla creatura ejusdem naturæ est, cujus est Trinitas unus verus et bonus Deus, a quo creata sunt omnia. Et quia summe bonus est, dedit omnibus naturis quas fecit ut bonæ sint: non tamen tantum bonæ, quantum Creator omnium bonorum, qui non solum summe bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est; quia æternum bonum est, nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum; nullum habens profectum, quia non habet initium. Ideo quippe naturæ a Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt; ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero provehit operatio Creatoris. In eo igitur primum Trinitatis, quæ Deus verus est, æternitas sine initio naturalis agnoscitur, quia quædam ita fecit, ut cum esse quidem cœperint, tamen non esse aliquando non possint: in eo vero ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem, id est corporalem atque spiritualem de nihilo fecit; in quibus ipsa rerum diversitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam Creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non una eademque facilitate [2] summa atque ima fecisset; et nisi summe bonus esset, non se gubernandis rebus quoque infimis præstitisset.

26. Igitur tam in magnis quam in parvis quibusque rebus conditis magna est bonitas atque omnipotentia Conditoris. Omnia enim sapienter fecit summa veraque Sapientia; cui naturaliter hoc est esse, quod sapientem esse; hoc facere, quod sapienter facere. Simplicitas itaque multiplicis sapientiæ Dei magnitudinem celsitudinis suæ, non solum in magnitudine sublimium creaturarum, verum etiam in infimarum parvitate commendat: dum bona omnia quæ creavit, non solum multo inferius dissimiliusque suo Creatore sunt, utpote non prolata de ipso, sed facta prorsus ex nihilo; verum etiam inter se non æqualiter sunt, sed unaquæque res ita permanet, sicut a Deo ut esset [3] accepit, alia quidem sic, alia autem sic. Neque enim sic datum est corporibus ut sint, sicut spiritus acceperunt: cum ipsa quoque corpora non æqualiter sint, et in ipsis cœlestibus atque terrestribus inveniatur nonnulla diversitas; cum tam cœlestia quam terrestria, non solum impari distent quantitate molis, verum etiam dissimili splendeant claritate. *Alia* namque est, sicut Apostolus dicit, *claritas cœlestium corporum, alia terrestrium.* In ipsis quoque cœlestibus, *alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate* (I *Cor.* XV, 40, 41). Corporalium igitur naturarum diversitas ostendit unamquamque earum non hoc esse, quod ex se semper habere potuerit, sed quod ex dispositione atque opere omnipotentissimi atque incommutabilis et sapientissimi Creatoris accepit.

27. Quod si unius ejusdemque naturæ esset quælibet creatura corporalis, cujus est sancta Trinitas, quæ unus est Deus, nec localiter in loco esset, nec temporis mutationem aliquando sentiret, nec de loco ad locum transiret, nec circumscriberetur quantitate molis suæ. Quæ omnia ostendunt hujuscemodi naturarum illum esse opificem, cui nullus latus aut angustus locus est, quia non minus in angustis quam in latis totus est, nec mutatur tempore, quia solus potest volumina temporum, non temporali volubilitate [1], sed æterna stabilitate mirabiliter ordinare. Neque enim in tempore cogitat, quemadmodum temporum series rerum decessione ac successione transcurrat: nec aliqua molis quantitate terminatur, quia nulla [2] concluditur: neque per mundi partes partibus suis est ipse diffusus, ut majores mundi partes suis majoribus impleat, et minores minoribus implendo nusquam tamen totus se infundat. Ipse enim est Deus qui ait: *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24). Omnia igitur quæ fecit, id est, spiritus et corpora, summa et ima, cœlestia atque terrestria, viventia et quibus facultatem vivendi non dedit, ineffabiliter ubique totus Dominus Deus et implet et continet; nec in iis quæ dividuntur ipse dividitur, nec in iis quæ mutantur ulla mutatione variatur. Nisi enim naturaliter incommutabilis ipse esset, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam consilii ac dispositionis ejus incommutabilis permaneret.

28. Deus igitur rerum corporearum atque incorporearum creator immensus, eo primum se nullum esse corpus ostendit, quia quibusdam corporibus vitam non dedit, cum corpora omnia ipse creaverit. Ipse autem naturaliter vita est, quia si vita non esset, non viventia corpora non fecisset. Neque enim facit rem non viventem, nisi res vivens. Non igitur unius naturæ cum Deo sunt corpora, quæ omnino vivere non possunt. Ac sic neque illa corpora unius naturæ cum Deo sunt, quibus singulis singulos brutos atque irrationabiles spiritus, quibus eadem corpora vivificarentur ac sensificarentur, inseruit. Sed nec ipsi bruti spiritus unius naturæ cum Deo sunt, quos licet vivificandis sensificandisque cognoscatur inseruisse corporibus; ipsis tamen spiritibus nullum intelligendi largitus est lumen, quo suum possent aut cognoscere aut diligere Creatorem.

29. Ipsos quoque spiritus, quos rationales atque intellectuales esse non dubium est, quis audeat blasphemo spiritu et cæco corde, ejusdem naturæ cujus est Deus, vel putare, vel dicere; cum Deus utique naturaliter incommutabilis omnino sit et immensus? Qui cum in se diversitatem ullam habere non possit, in eisdem tamen spiritibus, quos rationales atque intellectuales fecit, diversitatem suæ operationis ostendit. In quibusdam enim, id est, qui terrenis ac mortalibus sunt inserti corporibus, etsi nullus est localis motus, quia per locorum corporalium partes, cum ipsi in corporibus sint, non particulatim sunt, sed sicut in totis corporibus toti, sic in eorumdem corporum partibus toti sunt: tamen cogitationum varietas diversitatem in eis cujusdam temporalis motionis ac mutationis ostendit; dum modo aliquid nesciunt, modo sciunt; modo volunt, modo nolunt; modo sapiunt, modo desipiunt; modo iniqui ex justis, modo justi sunt ex iniquis; modo pietatis illustrantur lumine, modo depravantur tenebroso impietatis errore.

30. Illos quoque quos terrenorum corporum nulla gravat lutulenta materies, id est, angelicos spiritus, quis non videat non unius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo? Quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia ejusdem naturæ pars est in deterius permutata. Deinde quia ii qui depravati non sunt (licet illius dono a quo, cum non essent, facti sunt,

[1] Hic apud Lov. additur, *justus.*
[2] Ms. Corbeiensis, *facultate.*
[3] Sic Ms. Corbeiensis. At Lov., *cum non esset.*

[1] Ms. Corbeiensis, *voluntate.*
[2] Lov., *nullo fine.* At potiores Mss., *nulla*; supple, *mole.*

indefessa, et in quantum creaturæ angelicæ gratis datum est perfecta dilectione, contemplatione, atque exsultatione multitudinem dulcedinis Domini incessabiliter sumant [1]; nec ab eo naturali conditione deficiant), etsi inhærentibus Deo nihil inest de varietate temporis; quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in se sentiunt mutationis: inest tamen singulis terminus naturalis, quo a se invicem discernuntur; quia nullus eorum est in alio; et cum uni eorum opus quodlibet injungitur; alius quoque alteri operi implendo divinæ potestatis deputatur arbitrio. Hæc autem omnia ostendunt etiam sanctos Angelos creaturam esse summæ Trinitatis: cujus per singulas res, quas utique sicut voluit fecit, apparet mirabilis et sapientia in dispositione, et virtus in opere.

51. Quosdam igitur spiritus sic Deus creavit, ut semper essent; quosdam vero, ut esse spiritus quandoque desinerent. Illos itaque desituros quosdam ex aqua, quosdam, quia sic voluit Omnipotens, produxit ex terra. Superiores vero spiritus nullum cum corporeis elementis habere fecit naturale consortium; quos et æternos creavit, et eis facultatem atque intelligentiam cogitandæ, cognoscendæ, diligendæque divinitatis inseruit. Quos tamen ita creavit, ut etiam præ se ipsis illum diligerent, cujus se tales creatos opere cognovissent; cum eorum, ut tales fierent, nulla merita præcessissent. Ut autem hæc dilectio haberet justam et congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem; ut esset eis possibile, sive ad eum qui supra eos est intentionem sanctæ dilectionis erigere, sive ad se vel ad ea quæ infra eos sunt pravæ cupiditatis semetipsos pondere declinare.

52. Non est igitur natura, quæ in æternum possit, sive misere, sive beate [2] vivendo subsistere, nisi quæ potest de Deo, ipsius Dei munere, cogitare. Hæc autem natura intellectualis in animabus est hominum, et spiritibus Angelorum. Deus quippe cognoscendi ac diligendi se non nisi Angelis et hominibus indidit facultatem. Quibus propter arbitrii libertatem, quæ maxime debuit intellectuali creaturæ Creatoris benignitate conferri, ita cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemque donavit, ut eam unusquisque et habere posset, et perdere; si quis tamen sponte eam perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret: ut illius esset sanctæ recreationis munus gratuitæ dono bonitatis denuo renovandis quibus vellet infundere, cujus fuit in ipso creationis exordio nullis præcedentibus meritis spiritus et corpora locis atque affectionibus, prout ipse sapienter voluit, congruis mirabiliter [3] ordinare. Angeli ergo atque homines pro eo quod rationales facti sunt, æternitatis ac beatitudinis donum in ipsa naturæ spiritalis creatione divinitus acceperunt: ita scilicet, ut si dilectioni Creatoris sui jugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent; si vero propriæ libertatis [4] arbitrio contra summi [5] Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus a contumacibus beatitudo discederet, et ad supplicium eis remaneret æternitas misera, erroribus deinceps doloribusque crucianda. Et de Angelis quidem hoc disposuit et præfinivit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet.

53. Pars itaque Angelorum, quæ a suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit, voluntaria prorsus aversione discessit, æquitatis superno judicio initium suæ damnationis in ipsa aversione voluntatis invenit; ut non aliud ei esset incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui: quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, ut etiam ignem ei æternum pararet; in quo illi omnes prævaricatores angeli nec mala voluntate possint unquam carere, nec pœna; sed permanente in eis injustæ aversionis malo, permaneat etiam justæ retributionis æterna damnatio. Horum malorum princeps diabolus primos homines, quos ad peccati participium [1] invidus duxit, non eis tantum, sed et universæ propagini eorum cum vitio peccati meritum mortis inseruit. Deus autem misericors et justus, sicut diabolo et angelis ejus propria cadentibus voluntate, cæteros Angelos in suæ dilectionis æternitate firmavit; sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum perire permisit, sed quos [2] voluit ejus gratuita bonitas, repulsis tenebris, in quibus omnis humana nativitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædestinavit ad lucem: in eo præcipue demonstrans quod istos originalis peccati vinculis indebita gratia Liberatoris absolveret; cum alios, et quam maxime parvulos, quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse propriæ merita [3] voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retineret.

54. Bonæ quoque voluntatis et cogitationis initium, non homini ex seipso nasci, sed divinitus et præparari et tribui, in eo Deus evidenter ostendit, quod neque diabolus, neque aliquis angelorum ejus, ex quo ruinæ illius merito in hanc sunt inferiorem detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset ut humana natura, postquam a Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset; multo possibilius hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus unde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt angeli cum haberent, ut amissam deinceps habere non possint.

55. Quoniam igitur digna est eadem voluntas bona per Dei gratiam æternæ beatitudinis præmio, et iniquitas angelica atque humana esse non debet impunita; propterea secundum catholicæ fidei regulam, venturum esse Filium Dei ad puniendos omnes peccatores angelos, et ad judicandos homines vivos et mortuos fideliter exspectamus. Testatur enim beatus Petrus quia *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni detrudens, tradidit in judicio puniendos reservari* (II *Petr.* II, 4). De hominibus quoque vivis ac mortuis judicandis beatus Paulus hoc ait: *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius* [4], *et regnum ejus* (II *Tim.* IV, 1). In cujus adventu ab illo primi hominis corpore, quod Deus de terra plasmavit, usque ad omnium hominum corpora, quæ animata quandoque vivere cœperunt, ab illo resuscitabuntur, a quo operante creata sunt. Singula vero corpora illis singulis suis animabus in resurrectione reddentur, quas in maternis, ut vivere inciperent, ventribus habere cœperunt: ut scilicet animæ in illo examine justi judicis in eisdem singulis corporibus suis accipiant retributionem, sive regni, sive supplicii, in quibus sive bonam, sive malam qualitatem vitæ præsentis habuerunt.

56. Qualitas autem malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit. In quo quisquis incipit ita vivere, ut ante finiat vitam, quam ab ejus obligatione solvatur, si unius diei, vel unius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ

[1] Lov., *sentiant*.
[2] Lov., *bene*.
[3] Ita Cor bul (sic) et alii quinque Mss. At Lov., *congrue et mirabiliter*.
[4] Lov., *propriæ voluntatis*.
[5] Lov., *summum*. Alias, *sui*.

[1] Sic optimæ notæ Corbeiensis liber. At Lov., *præcipitium*.
[2] Corbeiensis Ms., *sed si quis*: a secunda manu correctus, *sed si quos*.
[3] Sic tres Mss. Vaticani. At Corbeiensis omittit, *propriæ*. Lov. habet, *propria merita*. Unus e Vaticanis Mss., *propriæ merito*.
[4] Lov. et Mss., *et adventum ejus*; omisso, *per*, quod in uno e Vaticanis Mss. reperitur.

supplicia sustinere : ubi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est, qui et primus peccavit, et peccatum primis hominibus persuasit, ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces, et omnes qui opera carnis agunt (de quibus beatus dicit Apostolus, *quia regnum Dei non consequentur* [I *Cor.* VI, 9, 10, *et Galat.* V, 19-21]), si ante hujus vitæ terminum a viis suis malis conversi non fuerint, æternis ignibus exurentur. Omnis enim homo, qui in hoc sæculo usque ad finem in iniquitatum delectatione[1] et cordis obduratione permanserit, sicut hic eum noxia criminum delectatio tenuit, sic eum sine fine sempiterna cruciatio retinebit.

37. Erit enim etiam iniquorum resurrectio, sed sine immutatione, quam solis fidelibus et ex fide juste viventibus daturus est Deus. Hoc est enim quod ait beatus Paulus : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Ostendens autem justos divino munere commutandos, ait : *Et nos immutabimur*. Habebunt ergo iniqui cum justis resurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt, quæ dabitur justis : quoniam a corporibus impiorum non auferetur corruptio et ignobilitas et infirmitas in quibus seminantur ; quæ ob hoc morte etiam non exstinguentur, ut illud jugo tormentum corpori atque animæ sit mortis æternæ supplicium. Justæ vero animæ, quas hic Redemptor Deus gratis ex fide justificavit, et justificatis bene vivendi usque in finem perseverantiam tribuit, in ipsis corporibus, in quibus hic justificationis gratiam divinitus acceperunt, et in quibus justificatæ per fidem, in charitate Dei proximique vixerunt, regni cœlestis æterna beatitudine potientur : glorificatis etiam corporibus suis, quæ sine dubio carnis natura, quam Deus creavit, veraciter permanente, non sicut hic animalia, sed spiritualia tunc habebunt. Sanctorum enim *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. In his per illam immutationem, quæ solis dabitur justis, implebitur quod oportere dicit Apostolus, *ut corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem* (I *Cor.* XV, 51, 52, 53, 53). In quibus sexus masculinus vel femineus, sicut eadem corpora creata sunt, permanebit : quorum gloria erit pro factorum bonorum diversitate diversa. Omnia tamen corpora, sive masculorum, sive feminarum, quæcumque in regno illo erunt, gloriosa erunt : ille autem solus novit quantum unicuique sit daturus gloriam ; quia in hac vita per misericordiam gratis justificando prævenit, quos ille per justitiam glorificando dispensat.

38. Tempus vero acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit esse etiam pœnitentiam fructuosam. Ideo autem hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo deposita malitia bene vivere, et mutata voluntate injusta[2], merita simul operaque mutare, et in timore Dei ea gerere quæ placeant Deo. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet : quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit amplius correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari justitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum. Quia sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt ; ita illi qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo et ejus angelis deputati, sicut nullam ulterius habebunt requiem, sic bonam nullatenus habere poterunt voluntatem. Et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam ; sic consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis.

39. Proinde omni homini in hac vita esse potest utilis pœnitentia, quam quocumque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, et pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum suorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio, dicens : *Si conversus fueris, et ingemueris, salvus eris* (*Isai.* XXX, 15, *sec.* LXX). Et alio loco dicitur : *Fili, peccasti, ne adjicias iterum, sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur* (*Eccli.* XXI, 1). Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat : cui Deus in persona beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens, *Quæ alligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). In quacumque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, et vitam suam Deo illuminante correxerit, non privabitur indulgentiæ munere : quia Deus, sicut per prophetam dicit, non vult mortem morientis, quantum[1] ut revertatur a via sua mala, et vivat anima ejus (*Ezech.* XXXIII, 11).

40. Veruntamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei, in suis diutius remanere peccatis ; cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque nostrum sacra Scriptura benigne præmonet, dicens : *Ne tardes converti ad Deum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli.* V, 8, 9). Dicit etiam beatus David : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (*Psal.* XCIV, 8). Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis : *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo : sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati* (*Hebr.* III, 12 *et* 13). Obdurato igitur corde vivit[2], sive qui non convertitur desperans de indulgentia peccatorum suorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum criminum perversitate remaneat[3].

41. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis : scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas justissimi judicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi Redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absolvitque conversos, ita justitia repellet et puniet obduratos. Hi sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum (*Matth.* XII, 31, 32). Ideo autem hominis anima intellectualis spiritus est, ut quærat, agnoscat, atque discernat et tempus operum suorum, pro quibus receptura est in judicio quod ordinavit divina justitia, et ejusdem retributionis tempus, quo non etiam licebit aut opera mutare, aut remissionem peccatorum suorum de divina misericordia utiliter postulare. Cæteri vero spiritus omnium animalium, quibus non est intellectus, quia quidam eorum de terra, quidam de aquis originem ducunt (de aquis enim sunt reptilia et volatilia, de terra vero

[1] Corbeiensis et alii quatuor Mss., *dilectione*. Et paulo post, *dilectio tenuit*.

[2] Abest, *injusta*, a Corbeiensi et aliis quatuor Mss.

[1] Ita sex Mss. At Lov., *mortem peccatoris sive morientis, sed magis ut, etc.*

[2] Sic probæ notæ Mss. At Lov., *Obduratus igitur vivit*.

[3] Lov., *permaneat*.

quædam quæ repunt, quædam vero quæ gradiuntur, exorta sunt); tamdiu spiritus sunt, quamdiu in corporibus vivunt. Anima quippe quæ rationis capax divinitus facta non est, cum carne sua et incipit et desinit vivere; quia quando corpori vitam non tribuit, et ipsa non vivit: atque ita miro modo cum omni carni anima [1] vivendi causa sit; spiritus tamen irrationalis tamdiu vivit, quamdiu in carne manere potuerit, et dum a carne sua separatur, exstinguitur. Ita fit ut cum ipse vita carnis suæ sit, vivere tamen nequeat, quando vitam carni subministrare destiterit; et si non sit caro cui vitam dare valeat, ipse quoque eam protinus non habebit. Ideo nec æternitas irrationalibus spiritibus data est, nec aliquod eis judicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideo autem in eis nulla operum discretio requiretur, quia nullam intelligendi facultatem divinitus acceperunt. Propterea ergo eorum corpora resurrectura non sunt, quia nec in ipsis animabus eorum aut æquitas aut iniquitas fuit, pro qua eis æterna vel beatitudo sit retribuenda, vel pœna.

42. Illa igitur animalia præsentis sæculi cursum atque ornatum secundum Creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quæ de suis factis nullam rationem reddītura sunt, quia rationalia non sunt. *Numquid enim de bobus cura est Deo* (I *Cor.* IX, 9)? Homines vero quia rationales facti sunt, et de se et de omnibus rebus quas in usum vitæ præsentis acceperunt, rationem reddituri sunt Deo, et pro suorum actuum qualitate recipient aut pœnam aut gloriam. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* V, 10): tunc scilicet, cum secundum ipsius nostri Creatoris ac Redemptoris eloquium, *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28 *et* 29). Ut scilicet qui mala egerunt, eant in combustionem æternam, semper arsuri cum diabolo principe omnium malorum; qui vero bona fecerunt, eant in vitam æternam, regnaturi sine fine cum Christo rege omnium sæculorum. Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum. Quia enim eos tales prædestinando præparavit, ut regno digni essent; præparavit utique secundum propositum vocandos, ut obediant; præparavit justificandos, ut accepta gratia recte credant, et bene vivant; præparavit etiam glorificandos, ut Christi cohæredes effecti, regnum cœlorum sine fine possideant.

43. Ad quod regnum diversis temporibus per Sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit, illi pervenerunt, quos Deus gratis nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedente salvavit. Quemadmodum et ex illo tempore quo Salvator noster dixit, *Si quis renatus non fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Id.* III, 5), absque sacramento Baptismatis, præter eos qui in Ecclesia catholica sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Quia sive in Catholica [2], sive in hæresi quacumque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Baptismatis sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accipit; sed salutem, quæ virtus est Sacramenti, non habebit, si extra catholicam Ecclesiam ipsum Sacramentum habuerit. Ergo illico debet ad Ecclesiam redire, non ut sacramentum Baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere; sed ut in societate catholica vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam esse potest idoneus, qui cum sacramento Baptismatis ab Ecclesia catholica remanserit alienus. Qui si et eleemosynas largas faciat, et pro nomine Christi etiam sanguinem fundat, pro eo quod in hac vita non tenuit Ecclesiæ catholicæ unitatem, non habebit æternam salutem. Ubi enim cuique prodesse potest Baptismus, ibi potest et eleemosyna prodesse. Baptismus autem extra Ecclesiam quidem esse potest, sed nisi intra Ecclesiam prodesse non potest.

44. In Ecclesia igitur tantummodo catholica potest unicuique prodesse, et perceptio Baptismatis, et opera misericordiæ, et nominis Christi gloriosa confessio: si tamen in Ecclesia catholica bene vivatur. Sicut enim sine Ecclesiæ catholicæ societate nec Baptismus alicui potest prodesse, nec opera misericordiæ; nisi forte ut mitius torqueatur, non tamen ut inter Dei filios deputetur: sic intra Ecclesiam catholicam per solum Baptismum vita æterna non acquiritur, si post Baptismum male vivatur. Nam et illi qui bene vivunt, debent operibus misericordiæ indesinenter insistere: scientes se licet levia, nonnulla tamen quotidie contrahere peccata, pro quibus etiam sancti et justi semper in hac vita Deo dicere debeant, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12).

45. Quæ peccata quoniam [1] etiam in rebus licitis et a Deo concessis frequenter hominibus subrepunt, et quanto magis fortioribus cibis corpus impletur, et carnalibus cor hominis actibus atque affectibus implicatur, tanto frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur: propterea humiles servi Christi, qui cupiunt Domino suo sine impedimento et absque animi noxia occupatione servire, conjugia omnino non appetunt, et a carnibus ac vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit. Non quia peccatum est aut conjugem habere, aut vinum carnesve percipere. Nam et beatus Apostolus dicit, *Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem* (I *Tim.* IV, 4 *et* 5). Conjugium quoque in primis hominibus Deus et instituit, et benedixit (*Gen.* II, 22-24): propter quod Apostolus ait, *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus* (*Hebr.* XIII, 4). Igitur servi Dei in eo quod a carnibus et vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur: et in eo quod conjugia non habent, non nuptiarum bonum crimen esse existimant, sed continentiam jugem bonis nuptiis meliorem esse non dubitant; isto quam maxime tempore, quando dicitur de continentia, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12); de nuptiis vero dicitur, *Qui se non continet, nubat*, (I *Cor.* VII, 9). In uno enim hortatione [2] virtus erigitur, in altero infirmitas remedio sublevatur. Unde quia ægritudini semper est consulendum, propterea si cui primo contigerit privari conjugio, si voluerit secundas, vel etiam tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas caste servaverit; id est, si unus et una legitime duntaxat conjuncti fidem servant, ut nec ille mulieri præter uxorem, nec illa viro præter maritum ullatenus misceatur. In talibus etsi fuerit aliquis conjugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum.

46. Sed hæc illorum sunt, qui nullam voverunt continentiam Deo. Cæterum quisquis se ipsum castraverit propter regnum cœlorum, et in corde suo continentiam Deo voverit, non solum si fornicationis mortifero crimine [3] maculetur, verum etiam si

[1] Unus e Vaticanis Mss., *cum omnis anima in carne.*

[2] Lov., *in catholica fide*. Abest, *fide*, a melioribus Mss., cujus verbi loco, in uno e Vaticanis Mss. est, *Ecclesia*; sed superfluo additum, cum ipsa nomine Catholica satis apud veteres designetur.

[1] Ita Corbeiensis Ms. At Lov., *quando*.

[2] Editio Lov., *in una enim ratione*. Emendatur ad Corbeiensem Ms.

[3] [illegible]

aut vir uxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit (I *Tim.* v, 12). Sic ut ergo secundum Apostoli sententiam, dignum est ut uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro; quia si quis acceperit uxorem non peccat, et si virgo nupserit non peccat: ita secundum ejusdem apostoli dictum, qui statuerit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et voverit continentiam Deo (I *Cor.* VII, 3, 27, 37), debet eam usque in finem tota mentis sollicitudine custodire, ne damnationem habeat, si primam fidem irritam fecerit. Similiter et conjugati viri, vel conjugatæ mulieres, si ex consensu perennem Deo voverint continentiam, noverint se voti sui obnoxios detineri [1]; nec jam sibi debere commixtionem carnis, quam licitam primitus habuerunt; sed Deo se debere continentiam, quam voverunt. Tunc enim unusquisque regnum cœlorum, quod sanctis promittitur, possidebit, si obliviscens quæ retro sunt, et in anteriora extendens se ipsum (*Philipp.* III, 13), secundum quod in Psalmis dicitur, *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV, 12); quod scit esse licitum, et ad profectum melioris vitæ pertinere cognoscit, et libenter voveat, et celeriter [2] reddat, et in hoc quod votum reddit, meliore semper conatu proficiat. Omni enim voventi Deo et reddenti quod vovit, ipse quoque Deus reddet cœlestis regni præmia quæ promisit.

CAPUT IV, *seu* REGULA PRIMA. 47. *Natura divina* (a). Firmissime itaque tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, in cujus nomine baptizati sumus. Cum enim aliud nomen sit Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; hoc est utique unum naturæ nomen horum trium, quod dicitur Deus: qui dicit in Deuteronomio, *Videte, videte* [3] *quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Deut.* XXXII, 39); et de quo dicitur, *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Dominus unus est*; et, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Id.* VI, 4, 13).

CAPUT V, *seu* REG. II. 48. *Unus Deus*, Firmissime tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem esse solum naturaliter verum Deum. Quia cum tres deos nobis colere non liceat, nisi unum solum verum Deum: tamen sicut Pater Deus verus dicitur testante Apostolo, qui ait, *Conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et exspectare Filium ejus de cœlis, quem suscitavit a mortuis Jesum* (I *Thess.* I, 9, 10); ita quoque Filium verum Deum Joannes commendat apostolus dicens, *Scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est Deus verus, et vita æterna* (I *Joan.* v, 20). Qui utique quoniam verus Deus est, etiam Veritas est, sicut ipse nos edocet, dicens: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). De Spiritu quoque sancto Joannes apostolus ait, *Quia Spiritus est veritas* (I *Joan.* v, 6). Et utique non potest naturaliter Deus verus non esse, qui Veritas est. Quem etiam Deum Paulus apostolus confitetur, dicens: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri. Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 19, 20).

CAPUT VI, *seu* REG. III. 49. *Deus æternus.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem unum verum Deum sine initio sempiternum esse. Propter quod scriptum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1, 2). Hoc denuo sempiternitas intimatur in Psalmo, ubi dicitur, *Deus autem Rex noster ante sæcula* (*Psal.* LXXIII, 12): et alio loco, *Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (*Rom.* I, 20).

CAPUT VII, *seu* REG. IV. 50. *Deus incommutabilis.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum verum Deum, sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hoc enim significat, cum dicit servo suo Moysi: *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Hinc [1] et in Psalmis dicitur: *In principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI, 26-28).

CAPUT VIII, *seu* REG. V. 51. *Deus omnium creator.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum esse verum Deum, rerum omnium visibilium atque invisibilium creatorem: de quo in Psalmis dicitur, *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt* (*Psal.* CXLV, 5, 6). De quo etiam Apostolus dicit: *Quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula* (*Rom.* XI, 36).

CAPUT IX, *seu* REG. VI. 52. *Trinitas in unitate.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Patris et Filii et Spiritus sancti unam quidem esse naturam, tres vero esse personas: Patremque solum esse qui dixit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [2]: et Filium solum esse super quem illa vox solius Patris insonuit, quando in Jordane secundum carnem baptizatus est Unigenitus Deus, qui carnem solus accepit: et Spiritum sanctum Patris et Filii solum esse, qui in specie columbæ super Christum baptizatum et ascendentem ab aqua descendit (*Matth.* XI, 17, 16), et quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in uno loco positos in linguarum ignearum divisione [3] adveniens replevit (*Act.* II, 3, 4). Illam vero vocem qua solus locutus est Deus Pater, et illam carnem qua solus homo factus est Unigenitus Deus, et illam columbam in cujus specie Spiritus sanctus super Christum descendit, illasque linguas igneas in quarum divisione fideles [4] in uno loco constitutos replevit, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est, unius Dei, qui fecit omnia in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia.

CAPUT X, *seu* REG. VII. 53. *Distinctio personarum.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, solum Deum Filium, id est, unam ex Trinitate personam, solius Dei Patris esse Filium: Spiritum vero sanctum, ipsum quoque unam ex Trinitate personam, non solius Patris, sed simul Patris et Filii esse Spiritum. Ostendens enim Deus Filius se solum esse de Patre genitum ait, *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: et paulo post, *Qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei* (*Joan.* III, 16, 18). Spiritum autem sanctum et Patris et Filii esse Spiritum Apostolus docet, qui ait, *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*: et secutus ait: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

CAPUT XI, *seu* REG. VIII. 54. *Spiritus sanctus.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, eumdem Spiritum sanctum, qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius: *Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit* (*Joan.* XV, 26). Ubi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est Ve-

[1] Unus e Vaticanis Mss., *se sui voti nexu detineri.*
[2] Unus Vaticanus Ms., *fideliter.*
[3] Sic plerique Mss. At Lov. semel tantum, *videte.*
(a) Hinc incipiunt Regulæ fidei, numero 40, in corbeiensi libro aliisque nonnullis Mss. per notas numericas designatæ.

[1] Ms. Corbeiensis, *huic.*
[2] Lov., *bene complacui.* Abest, *bene*, a melioribus Mss.
[3] Sic Ms Corbeiensis. At Lov., *visione.*
[4] Lov., *fideles Apostolos.* Abest, *Apostolos*, a Mss.

ritas (*Joan.* XIV, 6). De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque apostolica nobis doctrina commendat. Isaias enim dicit de Filio : *Percutiet terram virga oris sui, et Spiritu labiorum suorum interficiet impium* (*Isai.* XI, 4). De quo et Apostolus ait : *Quem interficiet Dominus Jesus Spiritu oris sui* (II *Thess.* II, 8). Quem etiam ipse unicus Dei Filius Spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans in discipulos ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22). De ore vero ipsius Domini Jesu ait Joannes in Apocalypsi quia gladius utraque parte acutus procedebat (*Apoc.* I, 16). Ipse ergo Spiritus oris ejus, ipse est gladius qui de ore ejus procedit.

CAPUT XII, *seu* REG. IX. 55. *Trinitas nullis terminis circumscripta.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Trinitatem Deum immensum esse virtute, non mole ; et omnem creaturam spiritualem atque corporalem virtute ejus et præsentia contineri. Dicit enim Deus Pater : *Cælum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24). Dicitur etiam de Sapientia Dei, quæ Filius ejus est, quia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1). De Spiritu quoque sancto legimus, quia *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Id.* I, 7). Et David Propheta dicit : *Quo ibo a Spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es ; et si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7, 8).

CAPUT XIII, *seu* REG. X. 56. *Persona Filii.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, unam ex Trinitate personam, id est Deum Filium, qui de natura Dei Patris solus natus est, et unius ejusdemque naturæ cum Patre est, ipsum in plenitudine temporis secundum susceptionem formæ servilis voluntate in virgine conceptum, et de virgine natum, Verbum carnem factum : ipsum quoque esse qui essentialiter natus est de Patre, et essentialiter conceptus est natusque de virgine : ipsumque unum esse, et unius naturæ cum Patre [1], et unius naturæ cum virgine, qui ait de Deo Patre, *Ante sæcula fundavit me, et ante omnes colles genuit me* (*Prov.* VIII, 22, 25) ; de quo etiam dixit Apostolus, quia *cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV, 4).

CAPUT XIV, *seu* REG. XI. 57. *Humanitas Christi.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Dei Filium sicut de Deo Patre plenum perfectumque Deum, ita de virgine matre plenum perfectumque hominem [2] genitum, id est, Verbum Deum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis carnem et animam rationalem. Quod ipse Dei Filius evidenter ostendit, dicens de carne sua : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Animam quoque se habere his verbis ostendit, dicens : *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, et iterum sumam eam* (*Joan.* X, 17). Intellectum quoque animæ se habere ostendit in eo quod ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Et de ipso Deus per prophetam dicit : *Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et sublimis erit valde* (*Isai.* LII, 13). Nam et beatus Petrus secundum sancti David prophetiam, in Christo carnem et animam confitetur. De ipso enim beato David loquens ait : *Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem* (*Act.* II, 30, 31).

CAPUT XV, *seu* REG. XII. 58. *Divinitas Christi.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, unum atque ipsum esse Deum Verbum [1], qui cum Patre Deo et Spiritu sancto Deo fecit omnia tempora, et in monte Sinai legem Moysi dedit ordinatam per Angelos (*Exod.* XX, *et Galat.* III, 19) ; et ipsum Verbum Deum carnem factum, qui veniente plenitudine temporis, missus a Patre et Spiritu sancto, solus factus est ex muliere quam fecit, solus factus est sub lege quam dedit (*Galat.* IV, 4).

CAPUT XVI, *seu* REG. XIII. 59. *De duabus in Christo naturis.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Dei Verbi quod caro factum est duas naturas inconfusibiliter atque inseparabiliter permanere : unam veram divinam quam habet cum Patre communem, secundum quam dicit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) ; et, *Qui me vidit, vidit et Patrem* [2] ; et, *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Id.* XIV, 9-11) ; secundum quam eum dicit Apostolus splendorem gloriæ et figuram substantiæ Dei (*Hebr.* I, 3) : alteram veram humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28).

CAPUT XVII, *seu* REG. XIV. 60. *Unitas personæ in Christo.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Deum Verbum carnem factum, unam habere divinitatis suæ carnisque personam. Deus enim Verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter unire dignatus est, et permanente divinitate sua ita Verbum caro factum est, ut quamvis naturaliter non hoc sit Verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo ; secundum unam tamen personam, idem Verbum caro ab ipso fieret in utero conceptionis initio. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam ; et in æternam personam divinitatis accepit temporalem substantiam carnis. Unus est ergo Christus, Verbum caro factum (*Id.* I, 14), qui est ex patribus secundum carnem, et super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5). Unus Jesus, cui et Pater dicit, *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3) : ubi significatur ante omnia tempora sine initio æterna nativitas. [3] De quo et evangelista dicit, quia *vocatum est nomen ejus Jesus, quod dictum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur* (*Luc.* II, 21).

CAPUT XVIII, *seu* REG. XV. 61. *Verbi et carnis unio.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero virginis, priusquam susciperetur a Verbo ; sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.

CAPUT XIX, *seu Reg.* XVI. 62. *Sacrificium. Sacrificium panis et vini.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis (*Ephes.* V, 2) ; cui cum Patre et Spiritu sancto a Patriarchis et Prophetis et sacerdotibus, tempore Veteris Testamenti, animalia sacrificabantur, et cui nunc, id est tempore Novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini in fide et charitate sancta catholica Ecclesia per universum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis significatio [4] fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, et sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, et sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Actibus Apostolorum : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX,

[1] Apud Lov. deerat, *et unius naturæ cum Patre* ; restituitur ex Corbeiensi Ms.

[2] Corbeiensis Ms., *de Maria virgine plenum perfectumque Deum et hominem.*

[1] Sic Mss. At Lov., *unum Filium atque ipsum esse Deum Verbum.*

[2] Sic Ms. Corbeiensis. At Lov. bis, *vidit.*

[3] Hic apud Lov. repetitur, *Unus Jesus.*

[4] Lov., *figuratio.*

28). In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum figurate significabatur : in hoc autem sacrificio quid nobis jam donatum sit evidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænuntiabatur Filius Dei pro impiis occidendus ; in hoc autem pro impiis annuntiatur occisus, testante Apostolo quia *Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est;* et quia *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* (*Rom.* V, 6, 10).

CAPUT XX, *seu Reg.* XVII. 63. *Humanitas Christi.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Verbum carnem factum, eamdem humanam carnem semper veram habere, qua de virgine Verbum Deus natus est, qua crucifixus et mortuus est, qua resurrexit et in cœlum ascendit, et in dextera Dei sedit[1], qua etiam venturus est judicare vivos et mortuos. Propter quod ab Angelis Apostoli audierunt, *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11) : et beatus Joannes ait, *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum compunxerunt*[2]; *et videbunt eum omnes tribus terræ talem* (*Apoc.* I, 7).

CAPUT XXI, *seu Reg.* XVIII. 64. *Natura nihil non bonum. Malum quid.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, Trinitatem Deum, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse naturaliter summum atque incommutabile bonum; et ab ipso creatas esse omnes naturas, bonas quidem, quia a summo bono factæ sunt; sed mutabiles, quia de nihilo factæ sunt : nullamque esse mali[3] naturam, quia omnis natura in quantum natura est, bona est. Sed quia in ea bonum et minui et augeri potest, in tantum mala dicitur, in quantum bonum ejus minuitur, malum enim nihil est aliud, nisi privatio boni. Unde constat geminum esse creaturæ rationalis malum : unum, quo voluntarie[4] ipsa defecit a summo bono Creatore suo ; alterum, quo invita punietur ignis æterni supplicio : illud passura juste, quia hoc admisit injuste ; et quæ[5] ordinem in se non servavit divinæ institutionis, ordinem divinæ non effugiet ultionis.

CAPUT XXII, *seu Reg.* XIX. 65. *Nulla creatura est eadem cum Deo.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, neque Angelos, neque quamlibet aliam creaturam ejusdem naturæ esse, cujus est secundum naturalem divinitatem suam summa Trinitas, quæ est unus naturaliter Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Neque enim unius naturæ esse potuerunt[6] ille qui fecit, et ea quæ fecit.

CAPUT XXIII, *seu Reg.* XX. 66. *Angeli facti stabiles.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem a Deo incommutabili factam : nec tamen jam posse quemlibet sanctorum Angelorum in deterius commutari ; quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint. Sed hoc ipsum quod ab illo statu beatitudinis in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus et ejus angeli cecidissent.

CAPUT XXIV, *seu Reg.* XXI 67. *Creaturæ rationales.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritualem atque corpoream summa Trinitas fecit, solos spiritus angelicos et humanos intelligendi facultatem divinitus accepisse ; cæteros vero spiritus brutorum animalium rationem et intelligentiam non accepisse, et etiam hoc[7] omnino habere non posse. Propter quod dicitur hominibus, *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9) : et ideo animas hominum, et animas pecorum unius naturæ non esse nec animas pecorum in homines[1], nec animas hominum in pecora posse aliquando transire.

CAPUT XXV, *seu Reg.* XXII. 68. *Libera voluntas Adæ.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, primos homines, id est, Adam et mulierem ejus, bonos, rectos, et sine peccato creatos esse, cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, Deo semper[2] humiliter et bona voluntate servire atque obedire ; quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare : eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse, illoque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, ut non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortisque dominium.

CAPUT XXVI, *seu Reg.* XXIII. 69. *Peccatum originale.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum mortique subjectum, et ob hoc natura iræ filium nasci : de qua dicit Apostolus, *Eramus enim et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). A qua ira nullus liberatur, nisi per fidem Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factus est (II *Cor.* V, 21), id est, sacrificium factus est pro peccatis nostris. In Veteri quippe Testamento peccata dicebantur sacrificia quæ pro peccatis offerebantur : in quibus omnibus fuit significatio Christi, quia ipse est *Agnus Dei qui tollit peccatum*[3] *mundi* (*Joan.* I, 29).

CAPUT XXVII, *seu Reg.* XXIV. 70. *Non baptizatorum pœna quæ.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive jam de matribus nati sine sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio sempiterno puniendos. Quia etsi peccatum proprium actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt.

CAPUT XXVIII, *seu Reg.* XXV. 71. *Judicium.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, ideo Christum Filium Dei ad judicandos vivos mortuosque venturum, ut homines, quos hic dono suæ gratiæ gratis per fidem justificat, eisdemque justificatis in fide et charitate sanctæ matris Ecclesiæ usque in finem perseverantiam donat, in suo adventu resuscitet, glorificet, secundum promissionem suam æquales sanctis Angelis faciat (*Matth.* XXII, 30), et ad eum statum perducat, in quo perfecte, in quantum unicuique donat Deus, boni sint, et ab ipsa perfectione deinceps mutari non possint : ubi diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita æterna. Diabolum vero et angelos ejus in ignem æternum a Christo esse mittendos, ubi nunquam carebunt pœna quam eis præparavit divina justitia : cum ipso autem diabolo impios et iniquos homines, de quibus Scriptura dicit, *imitantur autem eum qui sunt ex parte illius* (*Sap.* II, 25), pro eo quod eum in malis operibus imitati sunt, et ante finem præsentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt, resumptis corporibus supplicio æternæ combustionis arsuros.

CAPUT XXIX *seu Reg.* XXVI. 72. *Resurrrectio carnis.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnibus hominibus et bonis et malis resurrectionem carnis in adventu Domini futuram esse communem, retributionem vero justitiæ Dei esse bonis malisque dissimilem : secundum quod Apostolus ait, *Quia omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Mutabuntur autem justi qui ibunt in vitam æternam. Quod Apostolus ostendit

1 Lov., *sedet.*
2 Lov., *crucifixerunt.*
3 Lov., *malum.* At plerique Mss., *mali.*
4 Mss., *quod voluntarie*; et paulo post, *quod invita.*
5 Lov., *et quia.*
6 Mss., *poterant.*
7 Corbeiensis Ms., *et ob hoc.*

1 Lov., *in animas hominum* : et infra, *in animas pecorum.*
2 Apud Lov. omittitur, *Deo semper.*
3 Sic Ms. Corbeiensis. At Lov., *peccata.*

dicens : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Et ostendens quæ erit ipsa immutatio adjecit : ***Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem , et mortale hoc induere immortalitatem.*** In eorum (a) corporibus fiet quod ipse Apostolus ait : *Seminatur in corruptione , surget in incorruptione : seminatur in ignobilitate , surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute : seminatur corpus animale , surget corpus spirituale* (I *Cor* xv, 51-53, 42-44). Quod propterea spirituale dixit, non quia ipsum corpus spiritus erit , sed quia vivificante spiritu immortale atque incorruptibile permanebit. Sic autem tunc dicetur spirituale corpus, cum non spiritus sit , sed permaneat corpus ; sicut nunc animale dicitur, cum tamen inveniatur non anima esse, sed corpus.

CAPUT XXX, *seu* REG. XXVII. 73. *Fides et Baptismus.* Firmissime tene, et nullatenus dubites , exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic a malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque conversus , et per Sacramentum fidei et pœnitentiæ , id est, per Baptismum liberatus. Et majoribus quidem necessarium esse et pœnitentiam de malis suis agere, et fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, et sacramentum Baptismatis accipere : parvulis vero, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter trahunt, agere possunt, Sacramentum fidei et pœnitentiæ, quod est sanctum Baptisma , quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.

CAPUT XXXI, *seu* REG. XXVIII. 74. *Gratia.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, neminem hic hominum posse pœnitentiam agere , nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita miseratione converterit. Apostolus enim dicit : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem , et resipiscant a diaboli laqueis* (II *Tim.* II, 25, 26).

CAPUT XXXII, *seu* REG. XXIX. 75. *Nihil agi sine gratia.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia litterarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis et Evangelii, sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire : sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua prævenerit, ut quod audit corpore, etiam corde percipiat [2], et accepta divinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit. *Neque enim qui plantat est aliquid , neque qui rigat , sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7) : *Qui* etiam *operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13).

CAPUT XXXIII, *seu* REG. XXX. 76. *Deum nihil latere.* Firmissime tene, et nullatenus dubites , Deo incommutabili non solum præterita et præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur : *Deus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII, 42).

CAPUT XXXIV, *seu* REG. XXXI. 77. *Prædestinatio.* Firmissime tene, et nullatenus dubites , Trinitatem Deum, incommutabilem, rerum omnium atque operum tam suorum quam humanorum certissimum cognitorem, ante omnia sæcula scire quibus esset per fidem [3] gratiam largiturus : sine qua nemo potuit [4] ab initio mundi usque in finem, a reatu peccati tam originalis quam actualis absolvi. *Quos enim Deus præscivit , et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* [5] (*Rom.* VIII, 29).

CAPUT XXXV, *seu* REG. XXXII. 78. *Beati ex prædestinatione.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit [6], ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo : neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos *in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (*Ephes.* I, 5).

CAPUT XXXVI , *seu* REG. XXXIII. 79. *Baptismus.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, sacramentum Baptismatis, non solum intra Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos , qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant , esse posse ; sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse : imo sicut intra Ecclesiam recte credentibus per sacramentum Baptismi conferri salutem , sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem Baptismo cumulari perniciem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis unitas ad salutem , ut Baptismo non salvetur, cui non ibi datur, ubi oportet ut detur. Inesse tamen homini Baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato , sed ad judicium inesse ab Ecclesia separato. Et quia manifestum est , ubicumque datum fuerit hoc Baptisma, semel esse dandum ; ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fuerit datum , venerabiliter agnoscendum , et ob hoc nullatenus iterandum. Salvator enim ait : *Qui semel lotus est , non indiget* [1] *nisi ut pedes lavet* (*Joan.* XIII. 10).

CAPUT XXXVII , *seu* REG. XXXIV. 80. *Extra Ecclesiam salus nulla.* Firmissime tene , et nullatenus dubites , omnem extra Ecclesiam catholicam baptizatum , participem fieri non posse vitæ æternæ , si ante finem vitæ hujus, catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ. Quia *si habeam* , inquit Apostolus, *omnem fidem, et noverim omnia sacramenta, charitatem autem non habeam, nihil sum* (I *Cor.* XIII, 2). Nam et in diebus diluvii , neminem legimus extra arcam potuisse salvari.

CAPUT XXXVIII, *seu* REG. XXXV. 81. *Damnandi.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed et omnes Judæos, et omnes hæreticos atque schismaticos , qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41).

CAPUT XXXIX , *seu* REG. XXXVI. 82. *Hæretici.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus , quantascumque eleemosynas fecerit , etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit , nullatenus posse salvari. Omni enim homini qui Ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem , neque Baptismus , neque eleemosyna quamlibet copiosa , neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quando [2] in eo vel hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.

CAPUT XL , *seu* REG. XXXVII. 83. *Christiani male viventes.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, non omnes qui intra Ecclesiam catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam : sed eos qui percepto Baptismate recte vivunt, id est, qui se abstinuerint a vitiis et concupiscentiis carnis. Regnum enim cœlorum sicut infideles, hæretici, atque schismatici non habebunt ; sic catholici criminosi possidere non poterunt.

CAPUT XLI, *seu* REG. XXXVIII. — 84. *Sine peccatis neminem vivere.* Firmissime tene, et nullatenus dubites , etiam justos atque sanctos homines , exceptis iis qui baptizati parvuli sunt , sine peccato hic neminem vivere posse : semperque omni homini esse necessarium , et peccata sua usque in finem vitæ præ-

[1] Apud Lov., omissum erat , *et pœnitentiæ* ; quod habetur in Mss.
[2] Corbeiensis Ms , *recipiat.*
[3] Ad verbum *fidem* Corbeiensis additur, *ab illo inspiratam*
[4] *Potest*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.
[5] Mss. , *ejus.*
[6] Corbeiensis Ms. , *gratuitæ Deus fecit.*
(a) Intellige, *justorum.*

[1] Hic Corbeiensis Ms. addit , *lavari.*
[2] Lov., *quamdiu.*

senti, eleemosynis¹ diluere, et remissionem a Deo humiliter ac veraciter postulare.

CAPUT XLII, *seu* REG. XXXIX. 85. *Cibus et potus. Conjugium. Secundæ nuptiæ licitæ.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam esse, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur (I *Tim.* IV, 4); et Dei servos, qui a carnibus aut vino abstinent, non tanquam immunda, quæ a Deo facta sunt, respuere, sed a fortiori cibo et potu, pro sola castigatione corporis abstinere. Nuptias quoque divinitus institutas et benedictas; et melius quidem esse si quisquam sine conjugio sit, ut liberius atque plenius cogitet quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, tamen illis qui continentiam non voverunt, nullum esse peccatum si vel mulier nubat, vel vir uxorem ducat (I *Cor.* VII, 34, 28). Nec solas primas nuptias a Deo institutas, sed etiam secundas et tertias, pro eorum qui se continere non possunt infirmitate, concessas. Eas vero qui sive conjugati, sive a conjugio liberi continentiam Deo voverunt, admodum esse damnabile si vel illi conjugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere, a quo se recessuros, illi libera, illi communi professi sunt voluntate.

CAPUT XLIII, *seu* REG. XL. 86. *Malos misceri bonis in Ecclesia.* Firmissime tene, et nullatenus dubites, aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum communione misceri: et in omni professione, sive clericorum, sive monachorum, sive laicorum, esse bonos simul et malos. Nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos, in quantum exigit fidei et charitatis ratio, tolerandos; id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiæ semina spargunt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducunt. Nec posse aliquem intra Ecclesiam catholicam recte credentem beneque viventem, alieno unquam maculari peccato, si cuiquam peccanti nec consensionem præbeat, nec favorem: utiliterque malos a bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene vivendo et bene monendo agatur, ut et videntes et audientes quæ bona sunt, mala sua respuant, et judicandos se a Deo pro suis malis operibus contremiscant; atque ita præveniente dono gratiæ, de suis iniquitatibus confundantur, et ad bonam vitam per Dei misericordiam convertantur. Bonos vero a malis intra Ecclesiam duntaxat catholicam constitutis nunc debere² operum dissimilitudine separari; ut cum quibus divina communicant Sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia. In fine vero sæculi bonos a malis etiam corpore separandos: quando veniet Christus habens *ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum³, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (*Matth.* III, 12); quando per judicium justum segregabit justos ab injustis, bonos a malis, rectos a perversis: bonos constituet a dextris, malos a sinistris; et ex ejus ore justa æternique judicii sempiterna atque incommutabilis prolata sententia, iniqui omnes *ibunt in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Id.* XXV, 46): iniqui semper arsuri cum diabolo, justi autem regnaturi sine fine cum Christo.

CAPUT XLIV. 87. *Persistendum in fide.* Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge, et tanquam hæreticum abjice. Ita enim ista quæ posuimus fidei catholicæ congruunt, ut si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, et his contraria docere non dubitat, hæreticus et fidei christianæ inimicus, atque ex hoc omnibus Catholicis anathemandus¹ appareat. Quamvis igitur et angustia temporis, et festinatio portitoris compulerit nos aliqua, quæ pro diversis hæresibus agnoscendis atque vitandis fuerant inserenda, præterire silentio; tamen si omnia quæ in hoc opusculo continentur retinueris, et nobiscum pro viribus habere non negligas, ex his poteris cauta discretione etiam de cæteris spiritualiter judicare. Apostolus enim dicit quia *spiritualis judicat omnia* (I *Cor.* II, 15): quo donec unusquisque nostrum perveniat, in eo quo pervenit ambulet, id est, in eo quod certum recepit, fideliter perseveret. Quod si quid aliter sapit, hoc quoque illi Deus revelabit (*Philipp.* III, 15). Amen (*a*).

CAPUT XLV. 1. *Alterius regula.* Veræ hominum fidei est fundamentum, principaliter credere Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum: ita ut de natura Patris vere natum unigenitum Filium, et simul de Patre et Filio vere atque naturaliter procedentem credamus Spiritum sanctum: ipsamque sanctam Trinitatem esse unum solum, verum, æternum, atque incommutabilem Deum. Credere etiam convenit ad salutem, unam ex Trinitate personarum, id est, Unigenitum Deum, pro nostra salute solum hominem factum: eumdemque unum esse Deum verum, et hominem verum, secundum divinitatem unam naturam habentem cum Patre et Spiritu sancto, secundum humanitatem vero, animam Christi rationalem ejusdem naturæ esse cujus sunt animæ omnium hominum, et carnem Christi illius esse naturæ cujus est universorum qui de primo homine originem ducunt. Ergo nec animam Christi, nec carnem unius cum divinitate ejusdemque esse naturæ: quia secundum humanitatem vere ipse creatus est. Sed sicut divinitati ejus cum Patre et Spiritu sancto est divina natura communis; sic animæ ejus et corpori naturalis est communio cum animabus et corporibus nostris. Qui divinitate sua carnem atque animam credentium in se, et a peccati dominio, et ab æternæ mortis supplicio gratis eripuit auferendo peccatum.

2. Hac enim credulitate munitus, non oblivisceris divinam misericordiam die noctuque supplicare; obsecrans beatam spem omnium credentium in se, qui est Christus Dominus, ut hujus fidei veritatem firmiter teneas, inviolatamque custodias: quia Spiritus sanctus fidelibus se deprecantibus copiosum subministrat adjutorium, sicut propheta dicit, *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet* (*Psal.* CXLIV, 18-20). Et iterum ipsi Deo dicit, *Ecce omnes qui se elongant a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te;* de se autem ait, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam* (*Psal.* LXXII, 27, 28).

3. Adhære igitur Deo, fili charissime, et in ipso spem tuam toto corde, fide et charitate constitue. In militia sæculi exhibe regi terreno fidele servitium: quia hoc diligit Deus, hoc mandat Apostolus. In causa vero fidei, qua Christus nos redemit in sanguine suo, omnis de corde nostro timor abscedat. Illi animas nostras debemus, cujus sanguine redempti sumus. Illum debemus præ omnibus diligere, quem novimus nostrarum animarum clementissimum Redemptorem. Illius debemus timere præ omnibus æternam et veram potestatem, quem venturum speramus æquissimum judicem. Illius debemus promissa toto affectu cordis appetere, qui potest animæ et corpori donare vitam æternam. Illius debemus timere iracundiam, qui potest animam et corpus mittere in gehennam:

¹ Ad oram lib. Corb. additur Ms., *jejuniis, oratione, vel lacrymis.*

² Sic Mss. At editi, *non debere nisi.*

³ Sic Ms. Corb. At Lov., *triticum in horreum suum.*

¹ Ita Corb. et antiquiores Mss. At Lov., *anathematizandus.*

(*a*) Hic opus desinit in Mss. Quæ subsequuntur, non sunt Fulgentii; et a melioris notæ manuscriptis, imo ab omnibus quos vidimus veteribus libris, absunt.

in cujus judicio sine acceptione personarum, sine ambitu potestatum æqualiter judicabuntur domini et servi, reges et milites, divites et pauperes, humiles et sublimes. Ubi servus quisquis hic fidem Dei in veritate tenuerit, regno potietur æterno : dominus autem infidelis sempiterno exuretur incendio. Ubi servorum dominorumque fidelium nec vita terminabitur, nec lætitia finietur : infidelium vero sive servorum sive dominorum, secundum sermonis prophetici veritatem, *Ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur* (*Isai.* LXVI, 24). Ibunt enim iniqui in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

4. Attendamus autem quos illuc Salvator ituros esse prædixerit : nempe illos, quibus dicturus est : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi bibere : nudus fui, et non vestistis me : hospes, et non suscepistis me : infirmus, et in carcere, et non venistis ad me* (*Matth.* XXV, 41-43). Quod si in ignem æternum digne mittetur, qui Christo in suis minimis esurienti panem non dederit, quid passurus est qui ipsum panem, qui de cœlo descendit, sibi per infidelitatis vitium adimit ? Et si in flammis perennibus exuretur, qui Christo in suis minimis sitienti calicem aquæ frigidæ non tribuit ; quid ille patietur, qui renatus ex aqua et Spiritu sancto, sanctum Baptisma in se iterare permittit, quod ad salutem semel et ad sacramentum sanctæ regenerationis accepit ? Et si illum credimus perennibus subdendum esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit charitate suscipere ; quid passurum se putaverit, qui Dominum Christum de domo sui cordis excludens, et diabolum in se cæca prorsus infidelitate recipiens, de sancta Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis (I *Tim.* III, 15), hæretica circumventus falsitate discesserit ? Et si ille qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat, igni deputatur sempiterno ; quid illis retribuendum dicemus, qui Dei famulos, in quibus solam persequuntur fidei veritatem, aut squalore carcerum, aut exsiliorum deportatione violenter affligunt ? Sed in his omnibus licet infideles sæviant, Deus tamen suis auxilium subministrat. Et dum inimici fidei aut callida quemque seductione, aut violenta compulsione cupiunt depravare, Christus qui est Virtus et Sapientia Dei, virtutem tribuit, ut mortiferæ suasionis promissa despiciant, et terroribus humanis robore divini timoris obsistant : tantum est ut voluntas non avertatur a Deo, et fidei præmio potiatur. Ipsa est enim cui aut pro infidelitate infligitur æterna pœna, aut servatæ fidei merces erit sempiterna lætitia.

ADMONITIO

IN LIBRUM DE SPIRITU ET ANIMA.

Opus hoc, quemadmodum Erasmus probe judicavit, hominis est variæ multæque lectionis, in quo non aliquid artis videas aut ingenii, sed quasi arenam sine calce, dicta tantum et collectanea ex diversis locis exscripta : ex Augustino scilicet, ex Gennadio, Boethio, Cassiodoro, Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino, Hugone Victorino, Bernardo, Isaaco Stellensi abbate, etc. Joannes Trithemius abbas recenset hunc librum in catalogo lucubrationum Hugonis a sancto Victore. Sub ejusdem nomine citat Vincentius Bellovacensis in Speculo Naturali, lib. 23 et 25 passim, ac lib. 24, cap. 1, lib. 27, cap. 73. Præterea in Speculo Historiali, lib. 18, cap. 55, ubi opusculum istud stilum Augustini, cui a nonnullis tribuebatur, minime sapere observavit, videri sibi ait ex ejusdem libris excerptum, auctore, uti ferebatur, magistro Hugone Victorino. Inter opuscula demum Hugonis vulgata exhibetur, estque ibi liber de Anima secundus, ipsius nomine in Victorino Ms. prænotatus. Attamen excerpta quæ in eo plurima ex ipsius Hugonis libris occurrunt cum insigni sententiarum mutatione, auctorem operis quærere alium cogunt. Thomas Aquinas in quæst. unica de Anima, art. 12, ad 1, anonymo cuidam Cisterciensis ordinis illud adscribit. Hunc nos Alcherum esse suspicamur, cui familiari suo Isaac abbas Stellensis e Cisterciensi familia epistolam de Anima scripsit, rogatus nimirum ab Alchero, qui ipsum de hoc argumento disputantem in collatione audierat, ut se aliquid amplius de animæ essentia, et viribus edoceret. Enimvero in bibliothecæ Cisterciensis tomo 6, post prædictam epistolam proxime subjungitur liber iste de Spiritu et Anima cum hac inscriptione excusus : « Ejusdem B. Isaac abbatis de Stella, seu ut ipsi inscribere placuit, Alcheri de Anima liber. » Hujus nempe inscriptionis pars posterior vera, prior falsa merito videbitur : præsertim quia Epistola abbatis Isaac maximam partem libro huic a collectore inserta est. Alcherus porro Claravallensis monachus apud Possevinum, in Isaac, fuisse legitur ; vir discendi studiosus et in physica eminens, teste Isaaco in prædicta ad Alcherum epistola. Opus contulimus cum Mss. Romanis bibliothecæ Vaticanæ quatuor, cum uno ex abbatia S. Medardi Suessionensi, cum Victorino, Sorbonico et aliis.

DE SPIRITU ET ANIMA

LIBER UNUS.

PRÆFATIO. (a) Quoniam dictum est mihi ut me ipsum cognoscam, sustinere non possum ut me habeam incognitum. Magna namque est negligentia nescire quid illud sit, quo cœlestia tam profunde cogitamus, quo naturalia tam subtili indagatione investigamus, et de ipso quoque Creatore nostro tam sublimia scire desideramus. Non est res peregrina, nec longe quærenda : animus est quo ista sapimus. Sed semper no-

(a) De Quantitate animæ, cap. 14, 28. Hic et in sequentibus capitibus ante ipsa capitula indicavimus libros ex quibus hauriuntur loca quæ totam ferme capitulorum seriem conficiunt, aliquando vero propriis auctoris sententiis intermiscentur. M.

biscum adest, tractat, loquitur, et intus versatur[1]. Datum est illi tam ingentium rerum secreta scire, et se ipsum cognoscere non potest: potens siquidem licet ipso animo animum cernere, id est, ut ipse animus se videat. Fieri autem non potest quadam divina providentia, ut inveniendi facultas desit religiosis animis se ipsos et Deum suum pie, caste ac diligenter quærentibus: idcirco reddam me mihi, imo Deo meo, cui maxime me debeo, et videbo quid sit animus, et quæ patria ejus.

CAPUT PRIMUM. *Animus quid sit. Ratio. Ratiocinatio.* (*a*) Animus est substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata. Animus sapientia illustratus, et suum principium respicit, et se ipsum cognoscit, et quam sit indecorum ut extra se quærat quod in se ipso possit invenire, intelligit. Corporeis vero passionibus consopitus, et per sensibiles formas extra semetipsum abductus, oblitus est quid fuit. Et quia nihil aliud se fuisse meminit, nihil præter quod videtur esse credit. Solo sensu circa corpora, et imaginatione circa corporum similitudines et locorum versatur, et in eis sive vigilando, sive dormiendo distrahitur[2]. Cum vero ab hac distractione per puram intelligentiam ascendens in unum se colligit, rationalis dicitur. Ratio siquidem est animi aspectus, quo per se ipsum verum intuetur. Ratiocinatio vero est rationis inquisitio. Quare illa opus est ad videndum, ista ad inquirendum.

CAPUT II. *Animus se ipsum intelligit.* (*b*) Animus invisibilis est. Neque enim aliter invisibilia cernere valeret. Visibilia per corpus videt, invisibilia per se, et in eo se videt, quod invisibilem se esse videt. Videtur tamen in corpore per corpus, sicut sensus in littera manet, et per litteram videtur. Animus corporis dominator, rector, habitator videt se per se: per se ipsum semetipsum videt. Non quærit auxilium corporalium oculorum, imo vero ab omnibus corporis sensibus tanquam impedientibus et perstrepentibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, ut noverit se apud se. Et cum vult Deum cognoscere, elevat se super se mentis acie. Non enim aliquid tale est Deus, qualis est animus: non tamen videri nisi animo potest, nec ita videri ut animus potest. Incommutabilis siquidem est veritas sine defectu substantiæ. Non talis est animus: sed deficit et proficit, novit et ignorat, meminit et obliviscitur; modo vult, modo non vult. Diffusis cogitationibus atque consiliis, huc atque illuc vagatur: considerat, spectat omnia. Videt absentia; transmarina visu ambit, et percurrit aspectu, abdita scrutatur: et uno momento sensus suos per totius orbis fines et mundi secreta circumfert. Descendit ad inferna, ascendit inde, versatur in cœlo, adhæret Christo, conjungitur Deo. Ipse siquidem est ejus patria et habitatio, ad cujus similitudinem factus est. Quisquis ergo se talem reddi desiderat, qualis a Deo factus est, id est similem Deo, redeat ad se, et stet in se, et sic intra semetipsum quærat, et videat unde constet homo, et ex qua sui parte factus sit ad imaginem Dei.

CAPUT III. *Homo quibus constet.* (*c*) Ex duabus substantiis constat homo, anima et carne; anima cum ratione, carne cum sensibus suis: quos tamen sensus non movet caro absque animæ societate; anima vero rationale suum tenet sine carne.

CAPUT IV. *Vires animæ. Affectus quatuor. Virtutes quatuor. Animi vires quinque.* (*d*) Est siquidem rationalis, concupiscibilis et irascibilis. Per rationabilitatem habilis est illuminari ad aliquid cognoscendum infra se et supra se, in se et juxta se. Cognoscit siquidem Deum supra se, et se in se, et angelum juxta se, et quidquid cœli ambitu continetur infra se. Per concupiscibilitatem et irascibilitatem habilis est affici ad aliquid appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum; et ideo de rationalitate omnis sensus oritur animæ, de aliis omnis affectus. Affectus vero quadripartitus esse dignoscitur: dum de eo quod amamus, jam gaudemus, vel gaudendum speramus; et de eo quod odimus, jam dolemus, sive dolendum metuimus; et ob hoc de concupiscibilitate gaudium et spes, de irascibilitate dolor et metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animæ omnium sunt vitiorum et virtutum quasi quædam principia, et communis materia. Affectus siquidem operi nomen imponit. Et quoniam virtus est habitus mentis bene compositæ, componendi et instituendi atque ordinandi sunt animi affectus ad id quod debent, et quomodo debent, ut in virtutes proficere possint; alioquin in vitia facile deficient. Cum igitur prudenter, modeste, fortiter et juste amor et odium instituuntur, in virtutes exsurgunt, prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem atque justitiam, quæ quasi origines et cardines sunt omnium virtutum. Et hæc omnia cum affectuose et virtuose in anima constituuntur[1], per odium mundi et sui, proficit in amorem Dei et proximi: per contemptum temporalium et inferiorum, crescit in desiderium æternorum et superiorum. Sensus vero unus est in anima, et quod ipsa: et cum corpus non sit, corporeus dicitur, quia corpus non transcendit, vel quia corporeis exercetur instrumentis; unde et ob numerum instrumentorum quinquepartitus dicitur, cum intus non sit nisi unus. Veruntamen propter varia exercitia variatur et varie nuncupatur. Dicitur namque sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Et hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quam ipsa, aliæ et aliæ inter se proprietates propter varia exercitia, sed una essentia rationis et una anima: proprietatibus quidem diversæ, sed essentia una: secundum exercitia, multa sunt; secundum essentiam vero, unum sunt in anima et idem quod ipsa. Et sicut mundus iste visibilis quinquepartita quadam distinctione est ordinatus; terra scilicet, aqua, aere, et æthere, sive firmamento, ipsoque supremo cœlo, quod empyreum vocant: sic animæ in mundo sui corporis peregrinanti quinque progressus sunt ad sapientiam; sensus scilicet, imaginatio, ratio, intellectus, et intelligentia. Quinque enim progressionibus rationalitas exercetur ad sapientiam, et quatuor affectibus ad charitatem: quatenus novem istis progressionibus in semetipsa proficiens anima, sensu et affectu, quaternis quibusdam pedibus, quæ spiritu vivit, spiritu ambulet usque ad Cherubim et Seraphim, id est, usque ad plenitudinem scientiæ, et regnum[2] charitatis, habeatque anima per exercitium virtutes, quarum facultates habet per naturam.

CAPUT V. *Collatio virtutum animæ cum choris angelorum.* (*a*) Et hos progressus nominibus et ordinibus Angelorum comparare prudenti lectori relinquo. Facile siquidem erit ei, si sciat aptare sensum qui primus animæ nuntius est, Angelis qui nuntii vocantur; imaginationem Archangelis, quæ plura quam sensus percipit; timorem Virtutibus, dolorem Potestatibus. Qui enim metu suppliciorum perterritus, et dolore peccatorum compunctus, contemnit mundum et se ipsum, cum Virtutibus facit miracula, cum Potestatibus fugat dæmonia. Majus namque est contemnere se ipsum, quam mundum, quem multi propter vanitatem contempserunt. Rationem assignamus Principatibus: nam sicut illi præsunt et principantur subjectis spiritibus, sic ratio sensibus atque affectibus. Amorem proximi sive gaudium Dominationibus: recte namque aliis dominantur qui omnes amant, et de profectu omnium gaudent. Intellectum Thronis: Throni sedes dicuntur, quia in eis Deus sedet. Intelligere

[1] Duo e Vatic. Mss., *et inter ista nescitur*.
[2] Ms. Medardensis, *vagatur*.
(*a*) De Quantitate Animæ, capp. 13, 27, et Hugo Vict. lib. 1 Erudit. didasc. cap. 2.
(*b*) August. in Psal. 41, n. 7.
(*c*) Ex Gennadio, lib. de Dogmat. Eccles.
(*d*) Ex Isaac Stellensi, epist. ad Alcherum.

[1] Mss., *instituuntur*.
[2] Apud Isaac, *et donum*.
(*a*) Ex Isaac Stell., epist. ad Alcherum.

etiam debes, quoniam in cordibus nostris Deus habitat per fidem (*Ephes.* III, 17), per sanctificationem, per pacem, per dilectionem: quoniam Deus est pacis et dilectionis (II *Cor.* XIII, 11). Intelligentiam aptamus Cherubim. Illi namque spiritus tanto perfectiore scientia plena sunt, quanto divinitatem Dei in intimis contemplantur. Intelligentia namque animæ vis est, quæ immediate Deo supponitur: cernit siquidem ipsum et quæ in ipso sunt. Spem sive desiderium sive amorem Dei, Seraphim: Deus namque est spes omnium finium terræ (*Psal.* LXIV, 3), cujus vultum tota terra desiderat: et in quem Seraphim prospicere desiderant, tota spes nostra et desiderium nostrum est. Odium mundi Virtutibus: odium sui Potestatibus: rationem Principatibus: amorem proximi Dominationibus: intellectum Thronis: intelligentiam Cherubim: amorem Dei Seraphim. Timor namque de suppliciis et dolor de peccatis faciunt contemptum mundi et sui, ut cum Virtutibus faciant miracula, et cum Potestatibus expellant dæmonia. Spes de promissis, et gaudium de præmiis faciunt amorem proximi et Dei.

CAPUT VI. *Vestigia Trinitatis in anima a quo.* (*a*) Anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, omnium in se gerit similitudinem: unde et a philosopho definita est omnium similitudo. Habet siquidem in se vires, quibus omnia apprehendit; sive investigat, et omnibus similis existit, cum una sit. Similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiam. Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum et imaginationem, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam. Et sicut Deus est ab omnibus capabilis et participabilis; sic anima omnium est capax. Capabilis et participabilis omnibus est Deus; quia naturali suo munere scilicet Spiritu sancto, et usu ex munere gratiæ, participatur ab omnibus per essentiam qua sunt, et secundum illam ad idoneam speciem qua ab aliis differunt, et secundum utrumque ad congruum[1] usum quo proficiunt. Tria hæc omni homini existenti insunt, quasi quædam vestigia summæ essentiæ, imaginis, et muneris, id est, Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Æternitas quippe est in Patre, species in imagine, usus in munere[2]. (*b*) Æternitas[3] est in Patre, quia Pater non habet patrem de quo sit: Filius de Patre est ut sit, atque ut illi coæternus sit. Imago enim si perfecte implet illud cujus est imago, coæqualis est illi. Species est in imagine, id est, pulchritudo, congruentia, æqualitas, prima et summa similitudo, prima et summa vita, primus et summus intellectus. Usus est in munere. Munus Patris et Filii Spiritus sanctus est. Usus ergo in munere est, id est, delectatio, gaudium, fruitio, felicitas, suavitas. Ille namque ineffabilis complexus Patris et imaginis, non est sine perfectione, sine charitate, sine gaudio: sic in illa Trinitate summa est origo omnium rerum, perfectissima pulchritudo, et beatissima dilectio[4], nobis autem omnis usus deitatis est ex munere. Quodam modo namque quasi propior[5] videtur nobis esse Spiritus sanctus, utpote Patris et Filii munus. Ex ipso namque et omnis usus gratiæ cum Patre et Filio. Ipse enim regit et erudit, consolatur et perducit Ecclesiam ad Christum, quam ipse simul sine macula et ruga (*Ephes.* V, 27) tradet regnum Deo et Patri (I *Cor.* XV, 24). Sic a Patre per Filium et Spiritum sanctum vel potius in Spiritu divina ad nos descenderunt. Pater siquidem tradidit Filium suum, quo redimeret servos; misit Spiritum sanctum, quo servos adoptaret in filios: Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium adoptionis, se denique totum servat in hæreditatem adoptatis. Nemo ergo de Dei pietate diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria: et quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudiet illum, quoniam misericors est. Tardius siquidem ei videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absolvere reum a tormento conscientiæ suæ, quasi plus eum cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui.

CAPUT VII. *Anima capax omnium.* (*a*) Capax est omnium anima, quia per rationalitatem ad cognitionem, et per concupiscibilitatem ad dilectionem universitatis capax invenitur. Sunt enim duo in anima, et sunt id quod anima, scilicet naturalis sensus cognoscens omnia et dijudicans inter omnia; et naturalis affectus, quo suo ordine et gradu anima diligat omnia. Veruntamen facultates et quasi instrumenta cognoscendi et diligendi habet ex natura; cognitionem tamen veritatis et ordinem dilectionis nequaquam habet nisi ex gratia. Facta siquidem a Deo mens rationalis, sicut ejus imaginem suscepit, ita cognitionem et amorem. Vasa namque quæ creatrix Sapientia format ut sint, adjutrix gratia replet ne vacua sint, si strenuum operarium invenerit.

CAPUT VIII. *Anima rursum quid.* Anima est substantia rationalis, intellectualis, a Deo facta spiritualis, non ex Dei natura, sed potius creatura ex nihilo facta, in bonum malumque convertibilis. Et ideo aliquatenus est mortalis in quantum in deterius mutari, et a voluntate Dei cujus participatione bona fit, alienari potest; et aliquatenus immortalis, quoniam sensum, quo et post hanc vitam vel bene vel male sit, amittere non potest: non quod pro actis ante carnem gestis meruerit ut in carne includeretur, ut quidam voluerunt; sed nec ideo potest esse in homine sine sorde peccati, nisi a Christo fuerit liberata. Dei enim nutu ad corpus anima venit, ut si secundum ejus præceptum agere vellet, mercedem acciperet vitæ æternæ atque societatis Angelorum: si autem contemneret, pœnas justissimas et amarissimas lueret, sive doloris continui, sive ignis æterni.

CAPUT IX. *Sensus hominis duplex.* (*b*) Anima vero ex eo dicta est quod animet corpus ad vivendum, hoc est, vivificet. Spiritus est ipsa anima pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore appellatus est spiritus. Anima et spiritus idem sunt in homine, quamvis aliud notet spiritus, et aliud anima. Spiritus namque ad substantiam dicitur, et anima ad vivificationem. Eadem est essentia, sed proprietas diversa. Nam unus et idem spiritus ad se ipsum dicitur spiritus, et ad corpus anima. Spiritus est in quantum est ratione prædita substantia rationalis: anima in quantum est vita corporis, de qua dictum est, *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam* (*Luc.* IX, 24); id est, Quisquis propter Deum vitam hanc quæ nunc corporis vivificatione ex anima temporaliter mortalis constat, libenter despexerit, in futuro eamdem corporis, non solum animæ, vitam æternam et immortalitatem[1] recipiet. Humana quidem anima, quia in corpore habet esse et extra corpus, anima pariter et spiritus vocari potest, non duæ animæ, sensualis et rationalis, altera qua homo vivat, et altera qua ut quidam putant, sapiat; sed una atque eadem anima in semetipsa vivit per intellectum, et corpori vitam præbet per sensum. Humanum namque corpus nec vivere nec nasci potest sine anima rationali, vegetatur tamen et movetur et

[1] Ms. Medardensis, *communem.*
[2] Editi omittunt hunc versum, nempe a verbo, *Æternitas*, usque ad verbum, *munere.*
[3] Lov., *Ætas.*
[4] Sic omnes Mss., *delectatio.*
[5] Aliquot Mss., *propter.*
(*a*) Ex Isaac Stell., epist. ad Alcherum, et ex Manuali, c. 26.
(*b*) Ex Augustino, lib. 6 de Trinit., n. 11.

[1] Mss., *et immortalem.*
(*a*) Isaac Stell.
(*b*) Ex Gennadio, de Eccles. Dogmat. cap. 19, ex Hug. Vict. in cap. 1 Luc. v. 47, et ex Manuali, cap. 26.

crescit et humanam formam in utero recipit, priusquam animam rationalem recipiat. Sicut etiam virgulta et herbas sine anima[1] moveri et incrementum habere videmus. Duplex est quidem vita animæ; alia qua vivit in carne, et alia qua vivit in Deo. Duo siquidem in homine sensus sunt, unus interior, et unus exterior, et uterque bonum suum habet in quo reficitur. Sensus interior reficitur in contemplatione divinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis. Propterea enim Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret, et tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilectio hominis esset in ipso, cum a sensu carnis videretur per carnem, et a sensu mentis videretur per divinitatis contemplationem. Hoc autem erat totum bonum hominis, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua in factore suo inveniret (*Joan.* x, 9), pascua foris in carne Salvatoris, et pascua intus in divinitate Creatoris. Hoc bonum magnum secutum est malum; quoniam perdito bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant; et pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens super illas, non attendens absentiam boni sui interioris, eo quod consolationes suas cerneret in bonis alienis. Nam cum exterior sensus carnalis bono suo utitur, interior sensus mentis quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui jucunditate bonorum exteriorum capitur. Nam qui in carne vivit, in carne sentit, et dolores carnis fugit in quantum potest, vulnera autem animæ prorsus ignorat, nec medicinam quærit in eis. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet sensus ille, quo sentit semetipsum, et tunc sciet dolores suos, et sentire incipiet vulnera sua tanto gravius quanto propius. Magis enim obest malum quod est magis vicinum; et magis prodest bonum quod magis est intimum.

CAPUT X. *Spiritus.* (*a*) Spiritus dicitur multis modis. Dicitur namque Spiritus Deus, et aer iste, et flatus aeris qui a corde receptus et inde per totum corpus emissus mortalium vitam flatu necessario continet. Iste tamen spiritus jure[2] anima dici non potest, quia aeris varietate dissolvitur. Dicitur spiritus anima, sive hominis, sive pecoris. Dicitur spiritus mens rationalis, ubi est quædam scintilla tanquam oculus animæ, ad quem pertinet imago[3] et cognitio Dei. Oculus animæ est mens ab omni corporis labe pura, mentis aspectus est ratio, intellectus visio. Tria hæc omni animæ necessaria sunt: ut sanos oculos habeat, ut aspiciat, ut videat. Sanos oculos habet, cum a mortalium cupiditatibus est purgata atque remota. Aspicit, cum in Dei lumine contemplationis oculos figit. Videt, cum in illa contemplatione conspicit quanta sint gaudia, quanta lætitia, quanta securitas, quanta serenitas, et quanta jucunditas. Sanitas facit illam securam, aspectus rectam, visio beatam. Cum enim fuerit ab omni fæce libera maculisque diluta, tunc se denique in se ipsa libentissime tenet[4], et nihil sibi metuit, aut ulla sua culpa quidquam angitur: et tunc ingenti quadam et incredibili fiducia pergit in Deum, id est, in ipsam contemplationem veritatis; aspectum siquidem rectum sequitur ipsa visio Dei, qui est finis aspectus. Sic anima prius sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur[5]. Spiritus etiam est quædam vis animæ, mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Nec ipse spiritus corpus est, sed corpori similis. Quæ enim spiritu videntur, non sunt corporalia, sed corporalibus similia. Faciem siquidem hominis et nobis hominis notam habemus, et in memoria nostra habet imaginem incorpoream quidem, sed corpori similem. Murum quoque Carthaginis pulchritudine, et nobis bene præsto est, et in memoria nostra habet invisibilem similitudinem, incorpoream quidem, sed corpori similem, ad quam recurrimus cum illud cogitamus. Quod enim est ad corporis sensum aliquod corpus in loco, hoc est ad animum similitudo corporis in memoria; et quod est intentio voluntatis ad corpus visum visionemque sensus, hoc est eadem intentio voluntatis ad copulandam imaginem corporis, quæ est in memoria et visionem cogitantis. Ille spiritus dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei, in quo est cognitio veritatis et amor virtutis. Imago siquidem est in cognitione, et similitudo in dilectione. Imago, quia rationalis, et similitudo, quia spiritualis. Hæret siquidem veritati nulla interposita substantia. Rationale nostrum[1], quo ratiocinamur, intelligimus, et sapimus, spiritum dicimus. Hunc autem spiritum Apostolus mentem vocat, cum dicit, *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* iv, 23); id est, mente, nihil enim aliud est spiritus mentis, quam mens: sicut corpus carnis, nihil aliud est quam caro.

CAPUT XI. *Mens unde dicta. Differunt sensus et imaginatio. Dimensio animæ. Sapientia. Prudentia.* (*a*) Mens autem dicitur a μήνη. Μήνη autem Græce, latine dicitur luna. Et sicut luna crescit et decrescit, et varia vicissitudine mutatur, in id tamen quod fuit quadam perfecta novitate se restituit: sic mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infima, nunc sese referens sibi[2], veris falsa redarguit; modo ad corporalia regenda deflectitur, modo æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit. Ratio siquidem est mentis aspectus quo bonum et malum discernit, virtutes eligit, Deumque diligit. Mens universorum capax, et omnium rerum similitudine insignita, omnia esse dicitur naturali quadam potentia et naturali dignitate. Idcirco invisibiles rerum causas per intelligentiam comprehendit, et visibiles actualium formas per sensuum passiones colligit. Et sive per sensus ad sensibilia exeat, sive per intelligentiam ad invisibilia ascendat, rerum similitudines ad se ipsam trahit, præsentia cognoscit, absentia intelligit, ignota inquirit, et in inventis versatur. Rationale et intellectuale lumen, quo ratiocinamur, intelligimus et sapimus, mentem dicimus, quæ ita facta est ad imaginem Dei, ut nulla interposita natura ab ipsa veritate formetur. Mens enim ex eo dicta est quod emineat in anima: præstantior siquidem vis animæ est, a qua procedit intelligentia. Per intelligentiam utique ipsam veritatem intelligit, per sapientiam diligit. Sapientia namque est amor boni sive sapor boni, a sapore siquidem dicitur. Mentis visio est intelligentia; gustus, sapientia est. Illa contemplatur, ista delectatur. Cum ab inferioribus ad superiora volumus ascendere, prius occurrit nobis sensus, deinde imaginatio, postea ratio, intellectus et intelligentia, et in summo est sapientia. Summa namque sapientia ipse Deus est. Sapientia hominis est pietas, id est, cultus Dei. Sensus ea vis animæ est, quæ rerum corporearum corporeas percipit[3] formas præsentes. Imaginatio est ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas percipit formas, sed absentes. Sensus namque formas in materia percipit, imaginatio extra materiam: et ea vis quæ exterius formata, sensus dicitur, eadem usque ad intimum traducta, imaginatio vocatur. Imaginatio namque de sensu oritur, et secundum ejus diversitates ipsius quoque est variatio. Multa videt anima carnalibus oculis, multa etiam

[1] Mss. Medardensis addit, *scilicet rationali.*
[2] Aliquot Mss., *vitæ.*
[3] Editi, *imaginatio.*
[4] Editi, *liberalissime tenet.*
[5] Ms. Medardensis addit, *scilicet per sapientiam.*
(*a*) Ex lib. 12 de Gen. ad Litt., cc. 7, 23; ex lib. 1 Soliloq., c. 6, nn. 12, 13, et ex Hug., lib. de Sacramento Fidei, p. 6, cap. 2.

[1] Nonnulli Mss., *Rationale vero nostrum.*
[2] Editi, *inferens.*
[3] Editi hic et mox, *recipit.*
(*a*) Ex Cassiodoro, de Anima, capp. 1, 7; Isaac ex Stell.; ex Hugone de Unione corporis et spiritus, et Micellan. lib. 1, tit. 159.

phantastica imaginatione concipit : et ubique quasi diffunditur [1], movetur, erigitur, et fluctuare videtur : non a se egrediens, sed in semetipsa tanquam in magno percurrens spatio pervagatur ; et non exit ad illa, sed tractatibus suis sibi illa repræsentat. Habet siquidem in se quasi quamdam latitudinem, longitudinem et altitudinem. Nam per charitatem Deum et omnes suos fideles complectitur ; per meditationem universa quæ a principio mundi usque ad finem Deus propter salutem nostram operatus est meditatur ; per contemplationem quæ sursum sunt cœlestia contemplatur. Ratio est ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, propria et accidentia percipit : omnia incorporea, sed non extra corpora, nisi ratione subsistentia. Abstrahit enim a corporibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione. Natura namque corporis secundum quod omne corpus corpus est, utique corpus est. Intellectus ea vis animæ est, quæ invisibilia percipit, sicut Angelos, dæmones, animas, et omnem spiritum creatum. Intelligentia ea vis animæ est, quæ immediate supponitur Deo : cernit siquidem ipsum summum verum et vere incommutabilem. Sic igitur anima sensu percipit corpora, imaginatione corporum similitudines, ratione corporum naturas, intellectu spiritum creatum, intelligentia spiritum increatum. Et quidquid sensus percipit, imaginatio repræsentat, cogitatio format, ingenium investigat, ratio judicat, memoria servat, intellectus separat, intelligentia comprehendit, et ad meditationem sive contemplationem adducit. Ingenium est vis ea animæ, sive intentio, qua anima se extendit et exercet [2] ad incognitorum cognitionem. Ingenium siquidem exquirit incognita, ratio discernit inventa, memoria recondit judicata, et offert adhuc judicanda. Sic fit ascensus ab inferioribus ad superiora, et una a summis descendens. Intellectus namque quædam imago et similitudo intelligentiæ est, ratio intellectus, rationis phantasticum spiritus, cui etiam supremum corporis corpus, id est, ignis quadam similitudine jungitur, et igni aer, et aeri aqua, et aquæ terra. Sensus informat imaginationem, imaginatio rationem, facitque ratio scientiam, sive prudentiam. Rursum rationi occurrens divina prudentia informat eam, et facit intelligentiam sive sapientiam. Est itaque in ratione quiddam ad superna et cœlestia tendens, et id dicitur sapientia ; et est quiddam ad transitoria et caduca respiciens, et id vocatur prudentia. Hæc duo ex ratione sunt, et in ratione consistunt. Et dividit se ratio in duo, scilicet in sursum et deorsum : sursum, in sapientiam ; deorsum, in prudentiam : quasi in virum et mulierem, ut vir sit superior et regat, mulier inferior et regatur. Unde dictum est : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier* (*Eccli.* XLII, 14). Melior siquidem est qui per cœleste desiderium accensus, carnem necessaria etiam ei subtrahendo affligit, quam qui per carnalem affectum recondit se, per omnia quæ commoda sunt ei satisfacere contendit.

CAPUT XII. *Sensus et ejus opes.* (a) Sensus juvatur exterius ; quia oculus carnis, quamvis ex natura facultatem videndi habeat, nunquam tamen per se consequitur visionem, nec auris auditum nisi ex beneficio exterioris lucis et soni. Imaginatio juvatur exterius [3] ; quia ex sensibilibus concipitur. Ratio juvatur interius ; quia etsi spiritus rationalis ex dono Creatoris habilis est ad cognoscendum verum et diligendum bonum, tamen nisi interius divinæ lucis radio fuerit perfusus et calore succensus, nunquam consequitur sapientiæ cognitionem vel charitatis affectum. Intellectus et intelligentia juvantur superius ; quia Deus ignis et lux est (I *Joan.* I, 5). Lux ergo splendorem emittens ex se, quem retinet in se, illuminat intelligentiam ad cognitionem veritatis. Ignis vero calorem de se emittens, sed non amittens, inflammat affectum ad amorem virtutis. Et sicut solem non videt oculus nisi in lumine solis ; sic verum ac divinum lumen non poterit intelligentia videre nisi in ipsius lumine. *Domine*, inquit propheta, *in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10). Cum enim mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem (I *Cor.* XV, 54), tunc mente pariter et corpore spirituales effecti, secundum modulum nostrum per mentis illuminationem omnia sciemus, et per corporis incorruptibilis levitatem ubique esse poterimus. Volabimus mente per contemplationem, volabimus et corpore per incorruptionem. Discernemus mente, discernemus et corpore, cum sensus nostri corporei vertentur in rationem, ratio in intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in Deum mutabitur [1]. Sensu visibilia percipiuntur, in imaginatione continentur visibilium imagines et similitudines, ad rationem pertinent visibilium rationes et definitiones et invisibilium investigationes, ad intellectum et intelligentiam spectant spiritualium et divinorum comprehensiones et contemplationes. Sensus vero et imaginatio ad rationem non ascendunt, sed infra remanentes eam aliquatenus deducere possunt, et quasi a longe quædam ostendere, ad quæ non possunt pervenire. Simili quadam proportione intellectum et intelligentiam ratio juvare potest, sed ad statum eorum non valet ascendere, quoniam metas suas et proprios fines habet, quos transcendere non potest. Sensum et imaginationem cum cæteris animalibus communem habemus : vident siquidem visibilia, et visorum recordantur. In quibusdam etiam sensibus nos superant : quoniam justum fuit ut brutis animalibus, quibus nil dandum erat in intellectu, aliquid amplius daretur in sensu. Et e contrario tanto major necessitas indicitur homini exercendæ rationis, quanto majorem defectum patitur sensualitatis. Ratio autem inde incipit, unde aliquid occurrit, quod nobis cum animalibus non sit commune. Quædam ergo sunt infra rationem, quædam juxta rationem, quædam supra rationem. Infra rationem sunt quæ sensu percipimus, sicut dura et mollia, calida et frigida, candida et nigra, dulcia et amara. Juxta rationem sunt et pervia rationi, quæ ratione percipimus, sicut commoda et incommoda, vera et falsa, justa et injusta. Ratio siquidem est quidam animi motus, visum [2] mentis acuens, veraque a falsis distinguens. Supra rationem sunt quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet, sed aut divina revelatione comprehenduntur, aut divinarum Scripturarum auctoritate creduntur, sicut Deum in una substantia trinum, et in tribus personis substantialiter unum. Deus siquidem est rerum universitas, ita quod nulla singularum : et ideo metibus rationis non subjacet, quia ratio non est nisi de re aliqua.

CAPUT XIII. *Animæ definitio. Actiones. Simplicitas. Potentiæ. Vires* (a). Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper vivens, semper in motu, bonæ malæque voluntatis capax : secundum benignitatem Creatoris atque secundum sui operis officium variis nuncupatur nominibus. Dicitur namque anima, dum vegetat ; spiritus, dum contemplatur ; sensus, dum sentit ; animus, dum sapit ; dum intelligit, mens ; dum discernit, ratio ; dum recordatur, memoria ; dum consentit, voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus ; quoniam omnia

[1] Mss., *distenditur.*
[2] Mss., [illegible]
[3] In editis, [illegible] ... Lov. secuti sumus. M.
(a) Ex Isaac [illegible], et Hugone [illegible], lib. [illegible], p. 47.

[1] Hic Ms. Medardensis habet interjecta isthæc verba : *claudiamus super illud, Numero, pondere et mensura. Mensura est animæ secundum suam capacitatem ; numerus eidem, [illegible] ; pondus, secundum appetitum in id quod intendit. Et omnis animæ [illegible], scilicet, memoria, consilio, [illegible] ; [illegible] est in numero mensuræ et ponderis.*
[2] Aliquot Mss., *sensum.*
(a) [illegible], de ratione animæ ; Hugo Erudit. didasc. lib. 2, cap. 5, et Isaac Stell.

ista una anima est : proprietates quidem diversæ, sed essentia una. In spiritu tamen et anima potest esse differentia, quia omnis anima est spiritus, sed non omnis spiritus est anima. Animæ duplices sunt actiones. Alio namque consilio erigitur ad Deum, atque alio inclinatur ad carnem. Inclinatur autem sic. Cum sit subtilis et invisibilis, videri non potest, sed per potentias suas se extendit et ostendit. Per concupiscibilitatem namque appetit, per irascibilitatem contemnit, per rationalitatem inter utrumque discernit. Tota animæ essentia in his potentiis suis consistit, nec per partes dividitur, cum simplex sit et individua : et si aliquando partes habere dicitur ratione potius similitudinis, quam veritate compositionis intelligendum est. Simplex substantia est anima, nec aliud, nec minus est ratio in substantia quam anima, nec aliud, nec minus est irascibilitas vel concupiscibilitas quam anima : sed una eademque substantia secundum diversas potentias diversa sortitur vocabula. Has potentias habet antequam corpori misceatur. Naturales siquidem sunt ei, nec aliud sunt quam ipsa. Tota namque animæ substantia in his tribus plena et perfecta consistit, id est, in rationalitate, concupiscibilitate et irascibilitate, quasi quadam sua trinitate; et tota hæc trinitas est quædam animæ unitas, et ipsa anima. Deus est omnia sua, et anima quædam sua. Habet siquidem naturalia, et ipsa omnia est. Potentiæ namque ejus et vires idem sunt quod ipsa. Habet accidentalia, et ipsa non est. Suæ vires est, suæ virtutes non est. Non enim est sua prudentia, sua temperantia, sua fortitudo, sua justitia. Potentiæ animæ sunt, rationalitas, concupiscibilitas, et irascibilitas. Vires sunt, sensus, imaginatio, ratio, memoria, intellectus, intelligentia. Potentiæ tamen possunt dici vires, et vires potentiæ.

CAPUT XIV. *Animæ et corporis amicitia. Conjunctiones tres miræ. Quod corporis bonum, quod animæ.* (a) Quibusdam affectibus et quadam amicitia anima corpori conjungitur, secundum quam amicitiam nemo carnem suam odio habet. Sociata namque illi, licet ejus societate prægravetur, ineffabili tamen conditione diligit illud; amat carcerem suum, et ideo libera esse non potest. Doloribus ejus vehementer afficitur. Formidat interitum, quæ mori non potest. Timet defectum quæ per naturam non potest deficere. Oculorum depascitur speculatione, sonoris delectatur auditibus, suavissimis jucundatur odoribus, larga epulatione reficitur. Et licet his rebus nullatenus ipsa utatur, gravi tamen mœrore affligitur, si subtrahantur. Hinc etiam nonnunquam subrepunt vitia contraria rationi, dum anima dilecto corpori indulgentius remittendo, locum noscitur præbere peccato. Per sensus quoque progreditur anima ad corpus movendum et vivificandum. Novem namque sunt foramina in humano corpore, quibus secundum naturalem contemperantiam influit et effluit omne quo idem corpus vegetatur et regitur. Sunt etiam utriusque quædam similia, corporis scilicet supremum, et spiritus infimum, in quibus sine naturarum confusione, personali tamen unione facile connecti possunt. Similia enim similibus gaudent. Itaque anima quæ vere spiritus est, et caro quæ vere corpus est, in suis extremitatibus facile et convenienter uniuntur, id est, in phantastico animæ, quod corpus non est, sed simile corpori; et sensualitate carnis quæ fere spiritus est [1], quia sine anima fieri non potest. Sicut enim supremum animæ, id est, intelligentia sive mens imaginem et similitudinem gerit sui superioris, id est Dei, unde et ejus susceptiva esse potuit, et ad unionem personalem etiam, quando ipse voluit, absque ulla demutatione naturæ fuit assumpta : sic supremum carnis, id est, sensualitas animæ gerens similitudinem ad personalem unionem ejus essentiam suscipere potest. Nec istud mirum est, cum etiam in sensu et memoria pecudis sit quædam imitatio rationalitatis, et in appetitu voluntatis, et in his quæ refugit reprobationis. Spiritus namque corporeus, qui utique vere est corpus [1], et sensu naturali inter multa discernit, et vi concupiscibilitatis eligit, et natura irascibilitatis reprobat. Habet siquidem corporea vita quosdam gradus incrementorum, quibus ad imaginem summæ vitæ proficit. Primus enim gradus corporeæ vitæ est sensificatio. Secundus, per sensum ingrediens imaginatio. Tertius, per imaginationem conceptorum memoria. Quartus, secundum sensuum passiones quædam sine discretione intelligentiæ providentia, in qua quidem quasi rationis imago est, et nulla ratio est. In his omnibus corporea vita spiritualem vitam imitatur. Primo, in eo quod sentit; secundo, in eo quod sensum concipit; tertio, in eo quod concepta retinet; quarto, in eo quod sive in imaginatis, sive in sensibus secundum quamdam rationis similitudinem, sive ad appetendum, sive ad fugiendum se inflectit. Convenientissima autem media sunt carnis et animæ, sensualitas carnis, quæ maxime ignis est; et phantasticum spiritus, qui igneus vigor dicitur. Unde et quidam loquens de animabus ait :

Igneus est ollis vigor et cœlestis origo.
(*Virgilius, Æneid. lib. 6, vers. 730.*)

Mira societas carnis et animæ, spiritus vitæ et limi terræ. Sic enim scriptum est, *Fecit Deus hominem de limo terræ ; et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (*Gen.* II, 7) : dans ei sensum et intellectum, ut per sensum lutum sibi sociatum vivificaret, et per intellectum regeret ; et ut per intellectum intus ingrederetur et contemplaretur Dei sapientiam et per sensum foris egrederetur, et contemplaretur opera sapientiæ, intellectu intus illustravit, sensu foris decoravit, ut in utroque refectionem inveniret, intus ad felicitatem, foris ad jucunditatem. Sed quia bona exteriora diu stare non possunt, jussus est homo ab exterioribus ad interiora redire, et ab interioribus ad superiora ascendere. Tantæ siquidem dignitatis est humana conditio, ut nullum bonum præter summum ei sufficere possit. Plenum fuit miraculo, quod tam diversa et tam divisa ab invicem, ad invicem potuerunt conjungi. Nec minus mirabile fuit quod limo nostro Deus se ipsum conjunxit, ut sibi invicem unirentur Deus et limus, tanta sublimitas, tanta vilitas. Nihil enim est Deo sublimius, et nihil limo vilius. Mirabilis fuit conjunctio prima, mirabilis et secunda, nec minus mirabilis erit tertia, cum homo et angelus et Deus, unus erit spiritus. Eodem namque bono bonus est homo, quo bonus est angelus, eodemque bono uterque est beatus, si tamen ambo idipsum eadem voluntate eodemque spiritu cupiunt. Si enim tam disparem carnis et animæ naturam ad unam confœderationem atque amicitiam Deus conjungere potuit, nequaquam erit ei impossibile rationalem spiritum, qui usque ad consortium terreni corporis humiliatus est, cum eodem corpore glorificato, ut sit ei gloriæ quod fuit ei sarcinæ, ad consortium beatorum spirituum, qui in sua puritate perstiterunt, exaltare et usque ad suæ gloriæ participationem sublimare. Ad hoc siquidem illum sola charitate, nulla necessitate creavit Altissimus, ut suæ beatitudinis participem faceret. Si ergo tantum gaudium et tanta lætitia est in vita ista temporali, quæ constat ex præsentia spiritus in corpore corruptibili; quanta lætitia et quantum gaudium erit in vita æterna, quæ constabit ex præsentia Deitatis in spiritu rationali? Subjiciatur ergo corpus animo, animus Deo ; et unus spiritus erit cum eo : ita ta-

[1] Duo Mss., *quæ spiritus corporeus est.*

(a) Cassiod. de Anima, capp. 4, 5; Isaac Stell. de Alcherum; Hugo, lib. 2 Erudit. didasc. cap. 5. Id. lib. 1 de Sacram., p. 6, capp. 3, 5, 6; Id. Miscellan. lib. 1, tit. 122, 120; Id. de Vanitate mundi, lib. 2; et de Substantia dilect. cap. 6.

[1] Duo Mss., *qui utique non est vitæ corporeæ.*

men si in humilitate permanserit, et gratiam sui Creatoris, per quam exaltandus et glorificandus est, agnoverit.

Ex carne et anima constat homo, et utrumque bonum suum habet, in quo gaudet et exsultat. Bonum animæ est Deus, cum affluentia dulcedinis suæ. Bonum carnis est mundus, cum abundantia jucunditatis suæ. Sed mundus iste est exterior. Deus autem interior. Nihil enim eo interius, et nihil eo præsentius. Interior est omni re, quia in ipso sunt omnia: exterior est omni re, quia ipse est super omnia. Ab hoc ergo mundo ad Deum revertentes, et quasi ab imo sursum ascendentes per nosmetipsos transire debemus. Ascendere enim ad Deum, est intrare ad se ipsum, et non solum ad se intrare, sed ineffabili quodam modo in intimis se ipsum transire. Qui enim interius intrans et intrinsecus penetrans se ipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. Ab hujus ergo mundi distractionibus cor nostrum colligamus, et ad interiora gaudia revocemus. Et si cor nostrum semper tenere non possumus, saltem ab illicitis et vanis cogitationibus restringamus, ut aliquando in divinæ contemplationis lumine figere valeamus. Hæc est enim requies cordis nostri, cum in Dei amore per desiderium figitur. Hæc est vita cordis nostri, cum Deum suum contemplatur, et ipsa sua contemplatione suaviter reficitur. Et dulce est illi semper ad considerandum, quod ad amandum et laudandum semper est suave. Nihil enim ad beatam vitam præstantius videtur, quam velut clausis carnalibus sensibus extra carnem mundumque effectum quempiam intra semetipsum converti, alienumque effectum a mundo, dum capedo talibus sibi soli et Deo loqui.

CAPUT XV. *Corpus quo ab anima regitur. Corporis compositio. Ex ejus temperie vel confusione quid sequitur.* (a) Cum anima sit incorporea, per subtiliorem naturam corporis sui, id est, per ignem et aerem quæ in isto quoque mundo præcellentia sunt corpora, et ideo magis spiritui similiora, corpus administrat. Ista siquidem priora excipiunt nutus animæ vivificantis, eo quod incorporeæ naturæ sunt propinquiora quam humor et terra, ut ad eorum proximum ministerium tota moles administretur. Nullus sine his duobus vel in corpore sensus est, vel ab anima spontaneus corporis motus. Ignis enim et aer, quæ levia sunt, movent aquam et terram quæ gravia sunt. Quapropter corpora etiam post animæ abscessum moveri videmus; quia ignis et aer, quæ duo per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno et humido, ut omnium quatuor fiat temperatio, post ejusdem animæ abscessum ad superna evadunt ac sese expediunt. Corporis autem compositio sic fit. Corpus constat ex officialibus membris, officialia ex consimilibus, consimilia ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex elementis; et nihil horum est anima, sed in istis tanquam in organis agit, et per hæc consulit corpori, et huic vitæ in qua factus est homo in animam viventem. Quæ cum temperata et ordinata fuerint, congruunt vivificationi, et nunquam recedit anima. Si vero distemperata et confusa fuerint, invita recedit anima, secum trahens omnia; sensum scilicet, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, concupiscibilitatem, et irascibilitatem: et ex his secundum merita afficitur ad delectationem, sive ad dolorem. Corpus autem quod prius integrum tanquam organum contemperatum et dispositum erat, ut melos musicum in se contineret et lectum resonaret, tunc confractum et inutile e regione jacet. Anima vero recurrentibus ad regiones suas elementorum partibus, non habens ubi vires suas exerceat, requiescit ab his tantum motibus, quibus corpus per tempus et locum movebat, ipsa per tempus illocaliter mota: quoniam etsi organum periit, sed non melos, nec quod organum movebat. Anima inter Deum et corpus posita per tempus movetur, vel reminiscendo quod oblita fuerat, vel discendo quod ignorabat, vel volendo quod nolebat: per locum vero non movetur, quia per loca spatia non distenditur. Deus autem corpore [1] non eget ut sit, nec loco, ut alicubi; nec tempore, ut aliquando; nec causa, ut aliunde; nec forma, ut aliquid sit; nec aliquo genere subjecti in quo subsistat, vel cui assistat.

CAPUT XVI. *Animæ charitate ornatæ præstantia.* (a) Habet anima quamdam propriam naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiorem, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per sensus carnis percipimus, cogitari; sed mente intelligi, vitaque sentiri. Intelligi potest, sentiri non potest. Non enim est corpus, nec Deus, nec vita sine sensu, qualis est in arboribus; nec vita sine rationali mente, qualis est in animalibus; sed vita et vita perpetua. Nunc quidem minor quam Angelorum est, et futura qualis Angelorum, si ex præcepto [2] sui Creatoris vixerit. Præceptum autem ejus est, ut in dilectione ejus maneamus: *Manete*, inquit, *in dilectione mea* (*Joan.* XV, 9). Per dilectionem namque sibi rationalem creaturam copulavit, ut eum semper haberet, et in ipso maneret, de eo et in eo delectans, gaudens et exsultans. Per dilectionem Creatori suo et sibi invicem rationalis creatura copulata est. Solum namque dilectionis vinculum est, quod ligat utrosque in idipsum. Per amorem Dei omnes ei adhæremus; per amorem proximi omnes ad invicem unum sumus; ut bonum commune omnium fiat singulorum, et quod quisque in se non habet in altero possideat. Charitas est via Dei ad homines, et via hominum ad Deum. Per charitatem enim venit Deus ad homines, venit in homines, factus est homo. Per charitatem homines diligunt Deum, eligunt Deum, ad Deum currunt, ad Deum perveniunt. Sic etiam familiaris est Deo charitas, ut ipse mansionem habere nolit, ubi charitas non fuerit. Si ergo charitatem habemus, Deum habemus; quia *Deus charitas est*.

CAPUT XVII. — *Ad amorem Dei excitatio.* (b) Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit cum non eram, redemit cum perieram! Non eram, et de nihilo me fecit; non lapidem, non arborem, non avem vel aliquod de animalibus aliis, sed hominem me voluit esse: dedit mihi vivere, sentire, discernere. Perieram, et ad mortalem descendit, mortalitatem suscepit, passionem sustinuit, mortem vicit; et sic me restauravit. Perieram, et abieram; quoniam in peccatis meis eram venumdatus: venit ille post me ut redimeret me; et tantum dilexit me, ut sanguinis sui pretium appenderet pro me, talique pacto et reduxit me de exsilio, et redemit de servitio. Nomine etiam suo vocavit me, ut memoriale suum semper esset apud me. Unxit me oleo lætitiæ quo ipse erat unctus, ut ab uncto essem unctus, et a Christo dicerer christianus. Sic gratia ejus et misericordia semper prævenerunt me. De multis namque periculis sæpe liberavit me liberator meus: quando errabam, reduxit me; quando ignorabam, docuit me; quando peccabam, corripuit me; quando tristabar, consolatus est me; quando desperabam, confortavit me; quando cecidi, erexit me; quando steti, tenuit me; quando ivi, duxit; quando veni, suscepit. Hæc et multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus dulce erit mihi semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, ut pro omnibus beneficiis suis possim semper eum laudare et amare. Cum enim cunctis sit præsidens, singulos implens, ubique præsens, cunctorum curam agens, et

(a) Ex lib. 7 de Genesi ad litteram, capp. 15, 20, [illegible] lib. de Quantitate Animæ, cap. 31, n. 64, et ex [illegible]

[1] [illegible] hic addit, *sicut creatura*.
[2] [illegible] et apud Hugonem, *Nec minor quidem quam* [illegible] apud Hugonem, *est futura*), [illegible] Vide [illegible]
(b) [illegible] cap. 21, et Hugo, [illegible] de laude charitatis.
[illegible] cap. 7, n. 2, et Hugo de verba animæ.

tam singulis quam omnibus providens, ita eum totum ad custodiam mei occupatum video, ac si ego super custodiam mei starem, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli intendere velit. Semper enim se præsentem exhibet, semper se paratum offert, si me paratum invenerit. Quocumque me vertero, non me deserit, nisi ego prior eum deseram. Ubicumque fuero, non recedit, quoniam ubique est, ut quocumque iero, inveniam eum cum quo possim esse. Quidquid fecero, pariter assistit, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, et intentionum et actionum mearum. Cum hæc diligenter considero, timore percellor et ingenti rubore confundor, quod illum ubique mihi præsentem et omnia occulta mea videntem intueor. Multa enim sunt in me, de quibus coram oculis ejus erubesco, et pro quibus ei valde displicere timeo. Nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantum ut eum diligam. Non enim melius nec decentius quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. Hæc præter rem dixisse videor, sed forte non præter utilitatem mihi, et iis qui mecum sentiunt quod ego sentio.

CAPUT XVIII. *Anima vita corporis. Quomodo anima immortalis et mortalis, incorporea et corporea. Qui anima in corpore.* (a) Anima præsentia sua corpus vivificat, et sic colligata est ei, ut nec cum velit, se inde segregare possit, nec retinere, cum sui Creatoris jussionem audierit. In vita siquidem animæ consistit vita corporis, et de morte corporis descendit mors animæ. Sicut enim anima vita sua facit carnem viventem, et de fonte naturæ suæ irrigat animando; sic caro per corruptelam materiæ suæ animam, si cupiditatibus illicitis illigaverit, occidit. Et cum altera natura vincatur, altera natura vincat[1], transit unaquæque in victricis naturam; id est, ut aut carnem spiritualem anima virtutibus suis præstet, aut animam carnalem caro victrix ejus efficiat. Anima tamen nihil de morte habere potest, nisi per vitia ei propinatum fuerit: nec caro aliquid de vita retinere potest, nisi ab anima fuerit irrigata: nec in alterius naturam altera transire potest, nisi aut illa vitiis infecta, aut hæc virtutibus deserta fuerit[2]. Ratione insignita est anima, qua artibus docetur egregiis et disciplinis instruitur eximiis, ut divina sapiat, et humana tractet; atque sic cætera animalia decenter excellat, utpote substantia rationalis. Hoc enim proprie est anima, substantia scilicet rationalis, id est, spiritus rationalis. Immortalis est anima, ne a Creatoris sui similitudine discrepare videatur. Non enim poterat esse imago et similitudo Dei, si mortis termino clauderetur. Secundum quemdam itaque modum vitæ, quem nullo modo potest amittere, immortalis est. Secundum vero quamdam mutabilitatem, qua potest melior vel deterior fieri, mortalis est. Et sicut mortalis est cum beate vivere perdit, licet misere vivere amittere non possit, sic respectu incorporei Dei corporea est. Nihil enim invisibile et incorporeum natura credendum est præter solum Deum, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Qui ex eo incorporeus et invisibilis dicitur, quia infinitus et incircumscriptus, simplex et sibi omnibus modis sufficiens, se ipsum sustinet et idipsum. Et cum ubique sit in semetipso invisibilis et incorporeus esse dignoscitur. Omnis vero rationalis creatura corporea est, Angeli et omnes virtutes corporeæ sunt, licet non carne subsistant. Ex eo enim intellectuales naturas corporeas esse dicimus, quia loco circumscribuntur, sicut et anima humana quæ carne clauditur, quæ idcirco et esse in loco et localis dici potest: in loco, quia hic aut alicubi præsens est; localis, quia quod alicubi præsens est totum, alibi non est. Non habet tamen corporalem dimensionem, nec corporalem circumscriptionem, quoniam corporalis quantitatis expers est. Sed cum per præsentiam et operationem in loco concludatur, localis et ipsa dicitur. Verumtamen non sicut corpus, cui secundum locum principium, medium et finis assignatur. Respectu vero naturæ incorporeæ, quæ summe incommutabilis ubique est, corporea est anima, quia tale aliquid non est ipsa: nec tamen per locorum spatia diffunditur vel movetur, ut majori sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minorque sit in parte quam in toto. Per omnes siquidem particulas corporis tota simul adest, nec minor in minoribus, nec in majoribus major. Sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota et in singulis tota est. Sicut enim Deus ubique est totus in toto mundo, et in omni creatura sua, sic anima ubique tota in toto corpore suo, tanquam in quodam mundo suo, intensius tamen in corde et in cerebro, quemadmodum Deus præcipue dicitur esse in cœlo.

CAPUT XIX. *Tota agit quod agit.* Invisibilis et incorporea est anima: si enim visibilis esset, corporea esset. Et si corporea esset, partibilis esset, et partes haberet, neque tota simul in uno loco esse posset. Nullum enim corpus aut simul tangi totum potest, aut simul tangere totum potest. Anima vero in quibuscumque suis motibus vel actibus tota simul adest. Tota videt, et tota visorum meminit: tota audit, et tota sonorum reminiscitur: tota odorat, et tota odores recolit: tota per linguam et palatum sapores sentit et discernit: tota tangit dura vel mollia: tota simul approbat et reprobat. Calida vero vel frigida summo tantum digito tota discernit. Tota est visus, tota est auditus, tota meminit: et cum tota meminit, tota est memoria; cum tota vult, tota est voluntas; cum tota cogitat, tota est cogitatio; cum tota diligit, tota est dilectio. Potest namque ex parte cogitare, et ex parte diligere.

CAPUT XX. *Animæ vires ad virtutes et contra vitia. Virtutes sacramentales. Quibus Deo inhæreat, quibus corpori. Vis animæ naturalis.* Habet anima affectiones, quibus exercetur ad virtutes. Dolor namque de peccatis, timor de suppliciis, desiderium de promissis, gaudium de præmiis quædam exercitia sunt virtutum. Habet etiam virtutes, quibus instruitur et armatur contra vitia. A prudentia namque scit quid debeat facere: temperantiam habet contra prospera, fortitudinem contra adversa, justitiam qua scit quid cuique debeat reddere. Prudentia est scire quid possit; fortitudo, facere quod possit; temperantia, non præsumere quod non possit; justitia, non velle plus quam possit. Prudentia est in eligendis; temperantia, in utendis; fortitudo, in tolerandis; justitia, in distribuendis. Prudentiæ est nihil pœnitendum appetere, et nihil præter justum velle facere. Temperantiæ est nihil nisi turpia timere, et quidquid agimus vel cogitamus ad rationis normam dirigere. Fortitudinis est terrenas cupiditates non solum reprimere, sed penitus oblivisci. Justitiæ est omnem animi cogitationem ad solum Deum dirigere, eumque tanquam nihil aliud sit sola mentis acie intueri. Habet autem anima sacramentales virtutes quibus initiatur, id est, fidem, spem, sacramentum Baptismi, inunctionem, Confirmationem, et cætera quibus Deo consecratur. Habet etiam virtutes, quibus proficit, et quibus Deo conjungitur, ut est humilitas, puritas, charitas. Humilitas eam Deo subjicit, puritas jungit, charitas unit.

Habet quoque anima vires quibus corpori commiscetur: quarum prima est naturalis; secunda, vitalis; tertia, animalis. Et sicut Deus trinus et unus, verus et perfectus omnia tenet, omnia implet, omnia sustinet, omnia superexcedit, omnia circumplectitur: sic anima his tribus viribus per totum corpus diffunditur, non locali distensione, sed vitali intensione. Naturalis namque virtus operatur in hepate sanguinem et alios quosque humores, quos per venas ad omnia corporis membra transmittit, ut inde augeantur et nutriantur. Vis ista quadrifaria est. Dividitur namque in appetitivam, retentivam, expulsivam et distributivam. Ap-

[1] Sic Ms. Medardensis. Alii, *naturæ alterius vincatur, transit*, etc.

[2] Mss. quatuor, *detersa fuerit.*

(a) Cassiod. de Anima, cap. 6-8; ex Gennad. de Eccles. Dogmat. capp. 11, 12, et Hug. lib. I de sacram. p. 3, cap. 18.

petitiva quæ sunt necessaria corpori appetit. Retentiva sumpta retinet, donec ex illis digestio utilis fiat. Expulsiva nociva et superflua expellit. Distributiva bonos bonorum ciborum humores omnibus membris distribuit, prout cuique expedit. Istas vires habent omnia animalia; et ideo corporis esse videntur, non animæ.

CAPUT XXI. *Vis vitalis.* Vis vitalis est in corde, quæ ad temperandum fervorem cordis aerem hauriendo atque reddendo, vitam et salutem toti corpori tribuit. Aere namque puro sanguinem purificatum per totum corpus impellit per venas pulsatiles, quæ arteriæ vocantur. Ex quarum motu temperantiam vel distemperantiam cordis physici cognoscunt.

CAPUT XXII. *Vis animalis. Vis animalis triplex.* (a) Vis animalis est in cerebro, et inde vigere facit quinque sensus corporis. Jubet etiam voces edere, membra movere. Tres namque sunt ventriculi cerebri. Unus anterior, a quo omnis sensus; alter posterior, a quo omnis motus; tertius inter utrumque medius, id est, rationalis. Corporis sensus sic fiunt. Quod est in corpore subtilissimum et ob hoc animæ similius et vicinius [1] quam cætera, id est, lux, primum per oculos ipsos diffunditur, emicatque in radiis oculorum ad visibilia intuenda; deinde mixtura quadam primo cum aere puro, secundo cum aere caliginoso atque nebuloso, tertio cum corpulentiore humore, quarto cum terrena crassitudine, quinque sensus cum ipso sensu oculorum perficit, ubi ipsa sola excellit. Isti sensus quia in sola facie prælocati sunt, ideo scriptum arbitror quod Deus *in faciem insufflavit homini spiraculum vitæ, et factus est in animam viventem* (*Gen.* II, 7). Anterior quippe pars posteriori merito præponitur: quia ista ducit, illa sequitur; ab ista sensus, ab illa motus; sicut consilium præcedit actionem. Istæ vires tam animæ quam corporis dici possunt; quia ab anima in corpore fiunt, nec sine utroque fieri possunt. In prima parte cerebri vis animalis vocatur phantastica, id est imaginaria; quia in ea corporalium rerum similitudines et imagines continentur, unde et phantasticum dicitur. In media parte cerebri vocatur rationalis; quia ibi examinat et judicat ea quæ per imaginationem repræsentantur. In ultima parte vocatur memorialis; quia ibi commendat memoriæ quæ a ratione sunt judicata.

CAPUT XXIII. *Percipiendi in anima quot vires. Somnia lasciva.* (b) Aliud utique est in nobis, quo corpora sentimus, quod quinque corporis sensibus facimus. Aliud quo non corpora, sed corporibus similia cernimus, ubi et nos ipsos non aliter quam similes corporibus intuemur. Aliud quo nec corpora nec corporum similitudines conspicimus, sed illas res quæ non habent imagines sui similes, sicut est Deus, et ipsa mens rationalis, vel intelligentia, vel ratio: sicut etiam virtutes, prudentia, justitia, castitas, charitas, pietas, et quæcumque aliæ sunt, quas intelligendo vel cogitando enumeramus, discernimus et definimus. Porro anima non est corpus [2], quia non omnis similitudo corporis corpus est. Dormienti enim tibi in somnis velut corpus [3] apparebit, neque id corpus tuum, sed anima tua; nec verum corpus, sed similitudo corporis tui. Jacebit enim corpus tuum, ambulabit illa. Tacebit lingua corporis tui, loquetur illa. Clausi erunt oculi tui, videbit illa. Et ita in ea tota et integra cernetur similitudo carnis tuæ. In hac similitudine quasi per loca cognita vel incognita discurrit, et sentit læta vel tristia. Anima etiam mortui, sicut dormientis, in ipsa similitudine corporis sui sentit, seu bona seu mala [1]: non sunt tamen corporalia, sed corporalibus similia, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene seu male, cum et ipsæ suis corporibus similes sibimet appareant; sunt tamen et vera lætitia et vera molestia, facta de substantia spirituali in substantia spirituali. Certum nempe est quamdam spiritualem naturam esse in nobis, ubi corporalium rerum similitudines aut formantur, aut formatæ ingeruntur, sive cum præsentia aliquo sensu corporis tangimus, et continuo eorum similitudo in spiritu formatur, et in memoria reconditur; sive cum absentia jam nota vel quæ non novimus cogitamus, ut inde formetur quidam spiritualis intellectus. Innumerabilia etiam pro arbitrio et opinatione fingimus, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur. Innumerabiles quoque et variæ formæ rerum in animo nostro versantur, vel cum aliquid facimus, vel facturi sumus: aliquo etiam spiritu rapiente tollitur anima in hujusmodi videnda seu bona seu mala. Nimia quoque intentione cogitationis vel aliqua vi morbi, ut phreneticis per febrem accidere solet, seu commixtione alterius cujusdam spiritus seu boni seu mali, ita corporalium rerum imagines in spiritu exprimuntur, tanquam corpora ipsius corporis sensibus præsententur, ut absentia videantur adesse tanquam præsentia, et quæ non sunt tanquam præ oculis adsint. A dormientibus etiam multa videntur, vel nihil vel aliquid significantia. Unde sæpe imagines rerum corporalium tanta illis expressione præsentantur in somnis, quanta ipsa corpora præsentantur vigilantibus, ut inter visionem dormientium et veram commixtionem vigilantium non discernatur; sed continuo eis caro moveatur, et contra propositum suum vel contra licitos mores concumbere videantur, et quod naturaliter collectum est, per genitales vias emittatur. Hunc motum casti vigilantes cohibent et refrenant: dormientes autem ideo non possunt, quia in potestate non habent imaginis corporalis expressionem [1], qua caro naturaliter movetur; et sequitur quod eum motum sequi solet, et quod sine peccato a vigilantibus fieri non potest. Sic in spiritu et corporalium rerum imagines apparent, et multa pro arbitrio finguntur, vel præter arbitrium demonstrantur. Ipsa namque anima quæ motu proprio semper in motu est, quia per corpus non sentitur, vel non plene sentitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, corpore sopito, spiritu corporalium similitudines aut ipsa agit, sicut et imagines corporum cogitando ex se ipsa versare assolet; aut objectas intuetur, cum in eas videndas aliquo spiritu assumitur.

CAPUT XXIV. — *Anima quid sit, et quid non sit. Visionum tria genera. Falsitati quæ obnoxia. De ecstasi. Visionum alia genera* (a). Anima est substantia spiritualis, simplex et indissolubilis, invisibilis et incorporea, passibilis atque mutabilis, carens pondere, figura et colore. Non est credenda pars, sed creatura Dei, nec etiam de substantia Dei, vel de qualibet elementorum materia, sed ex nihilo creata. Si enim ex semetipso eam Deus fecisset, nequaquam vitiosa aut mutabilis aut misera esset. Si autem ex elementis facta fuisset, esset corporea. Cum itaque sit incorporea, ignotam habens originem; initium habet, finem non habet. Et cum sit spiritualis naturæ, nihil habet mixtum concretumque terrenum, nihil humidum, aereum vel igneum; nullum habet colorem, nullo loco continetur, nullis membris circumscribitur, nullo spatio finitur: sed ita est cogitanda et intelligenda, sicut sapientia, justitia, et cæteræ virtutes ab Omnipotente creatæ. Natura animæ invisibilis est, ideo invisibiliter in corpore manet, et de corpore invisibiliter egreditur. Per corpus corporea videt, sicut cœlum et terram, et quæ in eis conspicua sunt oculis

[1] Ms. Medardensis, *intimius*.
[2] Mss., *corporea*.
[3] Mss. duo, *corporeus*. Duo alii, *corporea*.

(a) De Gen. ad litt. lib. 7, cap. 18; et lib. 12, cap. 16.
(b) Ibid., lib. 12 [illegible] 20, 32, 25, 12, 15.

[1] Mss. duo, [illegible].
[illegible] 25, 27 juxta Aug. lib. 12 de Genesi ad litter. cap. 11, 14, 18-26, 30.

nostris. Spiritu autem corporum similitudines intuetur. Quidquid enim corpus non est, et tamen aliquid est, recte jam spiritus dicitur. Idcirco quadam vi occulta et spirituali rapitur anima, ut vice corporum expressas corporalium rerum similitudines in spiritu videat. Sed intellectu ea quæ nec corpora nec corporum formas habent conspicit, sicut est justitia et sapientia, vel ipsa mens et omnis animæ affectio bona. Ista tria genera visionum manifesta sunt. Primum corporale, quo per corporis sensus corpora sentiuntur. Secundum spirituale, quo corporum similitudines spiritu, non mente [1] cernuntur. Tertium intellectuale, quo illæ res quæ nec corpora nec corporum formas habent conspiciuntur.

In intellectuali visione nunquam fallitur anima : aut enim intelligit, et verum est ; aut si verum non est, non intelligit. In visione autem corporali sæpe fallitur anima, cum in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in corporis sensibus. Sicut navigantibus videntur in terra moveri, quæ stant ; et intuentibus cœlum, sidera stare, quæ moventur : et divaricatis oculorum radiis res una duas formas habere videtur, et unus homo duo capita, et in aqua remus infractus, et multa hujusmodi. In visione etiam spirituali anima fallitur et illuditur, quoniam ea quæ videt, aliquando vera, aliquando falsa, aliquando perturbata, aliquando tranquilla sunt. Ipsa autem vera aliquando futuris omnino similia ; vel aperte dicta, aliquando obscuris significationibus vel quasi figuratis locutionibus prænuntiata. In ecstasi vero quando ab omnibus corporis sensibus alienatur et avertitur anima, amplius quam in somno solet, sed minus quam in morte, non fallitur. Sed ipsa mente divinitus adjuta, vel aliquo ipsa visa exponente, sicut in Apocalypsi Joanni exponebatur magna revelatio est. Cum enim bono spiritu assumitur anima, falli non potest ; quia sancti Angeli miris modis, visa sua facili quadam ac præpotenti unitione vel commixtione nostra esse faciunt, et visionem suam quodam ineffabili modo in spiritu nostro informant. Ipsi siquidem his corporalibus judicandis atque ministrandis præsunt, et eorum significativas similitudines in spiritu ita discernunt, et tanta potentia quodam modo tractant, ut etiam eas possint hominum spiritibus revelando miscere. Inde est quod angelus Domini apparuit in somnis Joseph : dicens, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ;* et iterum : *Tolle puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum* (*Matth.* I, 20, *et* II, 13). Deus etiam per prophetam dicit : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem ; et juvenes vestri visa videbunt, et senes vestri somnia somniabunt* (*Joel.* II, 28).

Sunt et alia visa usitata et humana, quæ vel ex ipso spiritu nostro multipliciter existunt ; vel ex corpore spiritui quodam modo suggeruntur, sicut fuerimus affecti a carne vel animo. Non enim solum vigilantes homines curas suas cogitando versant in similitudinibus corporum, verum etiam dormientes hoc sæpe somniant quo indigent. Nam et negotia sua gerunt ex animi cupiditate, et epulis et poculis inhiant instanter, si forte esurientes sitientesque dormierint. Vigilantibus etiam occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quas divinarent, novimus : sicut Caiphas pontifex prophetavit (*Joan.* XI, 51), cum ejus intentio prophetandi voluntatem non haberet. Multa videt anima, et eadem natura est omnium visionum, sive in vigilantibus, sive in dormientibus, sive in ægrotantibus : quoniam non ex alio genere sunt quæ videntur, quam ex natura spiritus, de quo vel in quo fiunt similitudines corporum. Visa siquidem phreneticorum similia sunt visis somniantium : obturatas namque vias sentiendi habent, ut videant quod somniantes vident. Visa etiam somniantium similia sunt cogitationibus vigilantium. Dormientibus quippe in cerebro consopitur via sentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit. Ideoque ipsa intentio in aliud aversa, cernit visa somniorum tanquam species corporales adsint, ut sibi dormientes vigilare videantur, et non similia corporibus, sed ipsa corpora intueri se putent. Ego autem multo amplius admiror et vehementius stupeo, quanta celeritate ac facilitate in se anima fabricet imagines corporum, quæ per corporis oculos vident, quam phreneticorum vel somniantium, vel etiam in ecstasi visiones. Quæcunque tamen illa natura visorum est, procul dubio corpus non est. Non enim corpora visa illas imagines in spiritu faciunt, nec eam vim habent ut aliquid spirituale forment, sed ipse spiritus in se ipso celeritate mirabili, utpote spiritus intellectualis et rationalis.

CAPUT XXV. *Somniorum quinque genera. Somnia unde diversa.* Omnium quæ sibi videre videntur dormientes, quinque sunt genera ; videlicet, oraculum, visio, somnium, insomnium, et phantasma. (*a*) Oraculum est, cum in somnis parens vel aliqua sancta gravisque persona, seu sacerdos, vel etiam Deus eventurum aliquid aperte vel non eventurum, faciendum vel devitandum denuntiat. Visio est, cum id quis videt quod eodem modo quo apparuerat evenit. Somnium est figuris tectum, et sine interpretatione intelligi non potest. Insomnium est, quando id quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti ; sicut est cibi cura vel potus, vel aliqua studia, vel artes, vel infirmitates. Secundum namque studia quæ quisque exercuit, somniat ; et solitarum artium simulacra in præsentia mentis impressa apparent in somnis. Juxta etiam infirmitatum diversitates diversa accidunt somnia. Etiam secundum morum et humorum varietates variantur somnia. Alia namque vident sanguinei, alia cholerici, alia phlegmatici, alia melancholici. Illi vident rubea et varia ; isti, nigra et alba. Phantasma est, quando qui vix dormire cœpit, et adhuc se vigilare æstimat, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas discrepantes et varias, lætas vel turbulentas. In hoc genere est ephialtes, quem publica persuasio quiescentes opinatur invadere, et pondere suo pressos ac sentientes gravare. Quod non est aliud nisi quædam fumositas a stomacho vel a corde ad cerebrum ascendens, et ibi vim animalem comprimens.

CAPUT XXVI. *Spectrorum ratio.* Dicit etiam humana opinio, quod quadam arte mulierum et potestate dæmonum homines converti possint in lupos et jumenta, et quæque necessaria portare [1], et post peracta opera iterum ad se redire, nec fieri in eis mentem bestialem, sed rationalem humanamque servari. Hoc sic intelligendum est, quoniam dæmones naturas non creant, sed aliquid tale facere possunt, ut videantur esse quod non sunt. Nulla enim arte vel potestate animus, sed nec corpus quidem aliqua ratione in membra et lineamenta bestialia veraciter converti potest. Sed phantasticum hominis (quod etiam cogitando sive somniando per rerum innumerabilium genera variatur, et cum corpus non sit, corporum similes formas mira celeritate capit), sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensuum figuras corporeas perduci potest : ita tamen quod corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multo gravius atque oppressius quam somno suis sensibus obseratis ; phantasticum autem illud veluti formatum [2] in alicujus animalis imaginem, alienis sensibus appareat, talisque homo sibi videatur, qualis sibi videri posset in somnis, et portare onera. Quæ onera si vera sunt corpora, portantur a dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera hominum [3] corpora, partim falsa jumentorum cernentibus.

CAPUT XXVII. *Spiritus angelici quid possint in*

[1] Ms. Medardensis, *spiritu vel mente.*

[1] Ms. Medardensis, *quædam onera portare.*
[2] Apud Hug., *corporatum.*
[3] Alias, *onerum.*
(*a*) Juxta Macrob., lib. 1 in Somn. Scip., cap. 3.

humanum. (a) Humanum spiritum aliquando bonus aliquando malus assumit spiritus; nec facile discerni potest a quo spiritu assumatur, nisi quia bonus instruit, et malus fallit. Fallit autem sæpe in manifestis bonis, ut cum sibi in eis creditum fuerit, ad sua seducat. Sic plerumque humanum spiritum rapit, ut quadam occulta mixtura quasi idem spiritus esse videatur, et spiritus patientis et spiritus vexantis, ut in dæmoniacis videmus. Animam tamen hominis, id est mentem, nulla creatura juxta substantiam implere potest, nisi sola Trinitas. Implere autem dicitur satanas mentem alicujus et principale cordis, non ingrediens quidem in eum et in sensum ejus; sed fraude et iniquitate, atque omni malitia illum alliciens, atque seducens affectu malitiæ, trahit [1] per cogitationes et incentiva vitiorum, quibus ipse plenus est, utpote fallax, nequam et fraudulentus deceptor animarum. Non enim participatione naturæ seu substantiæ, ut quidam putant, quemquam implet diabolus, aut ejus habitator efficitur; sed per fraudulentiam, deceptionem atque malitiam, in eo habitare dicitur quem implet. Solius enim Trinitatis est intrare et implere naturam sive substantiam quam creavit.

CAPUT XXVIII. *Dæmonum in illudendo experientia et artes.* (b) Dæmones et acrimonia sensus, et celeritate motus aerii corporis, terrenorum corporum sensum facile præcedunt, et quædam cogitata prænuntiant, quæ homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Accessit autem dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam hominibus potest evenire propter brevitatem vitæ. Idcirco quædam futura prædicunt et quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt et seducunt. Unde quædam mulierculæ post satanam conversæ, dæmonum illusionibus et phantasmatibus seductæ, credunt se et profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum dea, vel cum Herodiade et Minerva, et innumera mulierum multitudine equitare, earumque jussionibus obtemperare. Ipse namque satanas, qui transfigurat se in angelum lucis (II *Cor.* XI, 14), cum mentem cujusque mulierculæ ceperit, et hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species atque similitudines: et mentem quam captivam tenet in somnis deludens, modo læta modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit. Et cum solus hoc patiatur spiritus infidelis, non in animo, sed in corpore evenire opinatur; idcirco nimis stultus et hebes est, qui hæc omnia quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur: cum Ezechiel et alii Prophetæ, Joannes etiam evangelista et alii Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint.

CAPUT XXIX. *Mortuorum apparitiones. Eos nescire quid hic agatur. Unde discant.* (c) Cum homines mortui, sive vivi, hominibus dormientibus vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus ut sunt videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Istud autem angelicis operationibus fieri credamus, per dispensationem providentiæ Dei, bene utentis bonis vel malis secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum: sive hinc instruantur mentes mortalium, sive fallantur; sive consolentur, sive terreantur; sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda justitia, ab eo cui misericordiam et judicium non inaniter cantat Ecclesia (*Psal.* C, 1). Ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, neque audiunt quæ aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus. Ita tamen est eis cura de vivis quamquam quid agant omnino nesciant, quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. Nesciunt quidem mortui quid hic agatur; sed dum hic agitur. Postea audire possunt ab eis qui hinc moriendo ad eos pergunt: non quidem omnino, sed quantum sinitur eis indicare et eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis qui hic nobis præsto sunt, et animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei revelante cognoscere possunt quæ hic aguntur, et quæ necessarium est eos nescire. Quidam etiam ex mortuis ad vivos rapi possunt; non per propriam naturam, sed per divinam potentiam. Utrum tamen ista fiant per eorum præsentiam, aut per angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim omnipotens, qui est ubique præsens, per angelica ministeria usquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda.

CAPUT XXX. *Anima non crescit. Exuta carne ubi sit aut quid agat.* (a) Potentiæ animæ atque virtutes longa exercitatione et successu temporum crescunt. Ipsa vero anima nec crescit nec decrescit, sed aut imparilitate membrorum, aut humorum crassitudine et eorum corruptione præpedita, vires suas exercere non potest. Anima carne exuta vivit, videt, audit, et omnes sensus atque ingenia vivaciter tenet, utpote pura, subtilis, cita, et perpetua. Et sicut Deus ubique in semetipso est, sic anima ubique quodam modo in semetipsa est: ac per hoc ibi est anima post corpus, ubi erat agens in corpore. Ibi Deus est modo, ubi erat priusquam mundus fieret, ubi etiam foret si mundus desineret esse. Sicut sæpe dictum est, incorporea est anima: potest tamen habere similitudinem corporis, non corpoream, sed corpori similem, et corporalium omnino membrorum, cum de corpore egreditur. Sic enim aut ad spiritualia pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus: qualia sæpe demonstrata sunt iis qui rapti sunt a corporis sensibus, et mortuis similes jacuerunt; cum et ipsi in se ipsis gererent quamdam similitudinem corporis sui, per quam possent ad illa ferri, et talia similibus sensibus experiri. Animæ siquidem quæ in corporibus viventes per dilectionem rerum visibilium corporalibus imaginibus afficiuntur, a corporibus exeuntes in eisdem imaginibus tormenta patiuntur. Propterea enim corporalibus passionibus ibi teneri possunt, quia a corruptione corporalium affectionum hic mundatæ non fuerunt, quam per corpulentiam de corporis delectatione [1] traxerunt. Quædam autem animæ in eisdem locis, in quibus culpam commiserunt, puniuntur: quædam vero abditis receptaculis usque ad ultimam resurrectionem continentur, sicut unaquæque digna est requie vel miseria.

CAPUT XXXI. *Homo mortalis. Sensus impediunt ne se noscat.* (b) Multa de anima dixi, sed nondum dixi quando facta est, vel quando de corpore egreditur. Quod primum posui, postea dicam; quod ultimum, dicere non possum; quoniam nescio finem meum. Hoc plane scio, quod mortales sumus, et velimus nolimus, omnes moriemur. Nihil enim morte certius, et nihil hora mortis incertius. Nam nescimus quando, aut quomodo, aut ubi moriemur, quoniam mors ubique nos exspectat. Idcirco semper debemus esse parati, ut cum corpus revertetur ad terram de qua sumptum est, spiritus redeat ad eum qui dedit illum. Illud siquidem nos maxime movere debet, quod a veteribus sapientibus ita homo definitus est: Homo est animal rationale, mortale. Hoc genere posito, quod animal dictum est, additas duas differentias videmus, quibus admonendus erat homo, et quo sibi esset redeundum, et unde fugiendum. Sicut enim progressus animæ usque ad mortalia lapsus est, sic regressus ejus in rationem esse debet, qua impagnan-

[1] Tres Vaticani Mss., *trajicit*.

(a) De Gen. ad Litt., lib. 12, capp. 13, 14, et Beda in cap. 5 Act. Apost.

(b) Ex lib. de Divin. Dæmonum, cap. 3, et ex Append. concilii Ancyrani.

(c) Ex lib. de Cura pro Mortuis gerenda, cap. 12-13.

[1] Unus e Vaticanis Mss., *dilectione*.

(a) Isaac Stell. epist. de Anima, et de Gen. ad Litt., lib. 12, capp. 33, 32.

(b) Ex S. Anselm. lib. Medit. 7. Aug. lib. 2 de ordine, cap. 11, n. 31,

tibus vitiis resistere valeat, ut secundum naturam suam vivat, et ordinari appetat sub illo a quo regi debet, et supra ea quæ regere debet. Uno verbo, quod rationale dicitur separatur a bestiis, alio, quod mortale, a divinis. Illud nisi retinuerit, bestia erit, hinc nisi se averterit, ad divina non perveniet.

Ideirco ut homo sibi incognitus cognoscat se, magna opus habet consuetudine recedendi a sensibus, ut animum ad se colligat, et in se ipso retineat. His siquidem sensibus impeditur anima, ne cernere semetipsam valeat et Creatorem suum, quem sola et simplex sine istis oculis intueri debet.

CAPUT XXXII. *Menti nihil se ipsa magis notum. Animæ conjunctio cum corpore. Quomodo anima ad corpus descendat. Quomodo ab eo ascendat. Meditatio. Contemplatio.* (*a*) Anima namque rationalis inter eas res quæ sunt a Deo conditæ, superat omnia; et Deo proxima est, quando est pura, eique in quantum charitate cohæserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodam modo et illustrata, non per corporeos oculos, sed per sui ipsius principale, id est, per intelligentiam Deum cernit, in quo est perfectissima pulchritudo et beatissima visio, qua visione fit beata. Removeat ergo a consideratione sua omnes notitias quæ per corporis sensus extrinsecus capiuntur. Quæque namque corporalia, eorumque similitudines, sensus quoque et imaginationes in memoria infixæ, cum recordando reminiscuntur, ad exteriorem hominem pertinent, quanquam istis quasi nuntiis anima exteriora percipiat. Mens ergo cui nihil se ipsa præsentius est, quadam interiori, non simulata, sed vera præsentia, videt se in se. Nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præsto est: nec menti quidquam magis præsto est, quam ipsa sibi. Nam cognoscit se vivere, se meminisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire, judicare. Hæc omnia novit in se, nec imaginatur, quasi extra se illa aliquo sensu corporis tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur. Ex quorum cogitationibus si nihil sibi attingat, ut tale aliquid se esse putet; quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est. Nihil enim tam in mente est, quam ipsa mens; nec quidquam sic mentem cognoscit, quemadmodum mens. Cum enim quærit mens quid sit mens, profecto novit quod se ipsam quærat; et quod ipsa sit mens, quæ se ipsam quærit. Neque enim aliunde se quærit quam se ipsa. Cum ergo quærentem se novit, se utique novit. Et omne quod novit, tota novit; atque ita totam se novit. Et si parte inventa non se totam quærat, tamen quia se tota quærit, tota sibi præsto est. Nihil enim sibi se ipsa præsentius esse potest. Quod autem de se quærit; quid antea fuerit, vel quid futura sit, vel qualis modo sit quærit, id est, quam similis est vel quam dissimilis Deo, quam humilis et devota, quam pura, quam sancta. Sed quia in istis est corporalibus, quæ cum amore cogitat, et cum quibus amore assuefacta est, non valet sine imaginibus eorum videre semetipsam, vel esse in se metipsa. Nam tanto glutino amoris ei cohæserunt hæc quæ foris sunt corporalia, ut etiam cum absint ista, præsto sint imagines eorum cogitanti. Quapropter secernere eas a se non potest, ut se solam inspiciat et videat. Redeat ergo ad se, et stet in se, nec sicut absentem se quærat, sed velut præsentem se curet cernere et discernere, et intentionem voluntatis, qua per alia vagabatur, statuat in se ipsa, et se cogitet, ut se ipsam cognoscat et diligat. Ita videbit quod nunquam se non amaverit, nunquam nescierit: sed alia secum amando cum eis se confudit; ita ut sine magno labore ab eis separari non possit, quibus cum amore inhæsit. Propterea phantasiis corporalium imaginum deformatur, eisdemque alte impressis etiam soluta a corpore non exuitur. Si enim a corporalium affectionum corruptione hic non mundatur, corpore exuta corporalibus tenetur pœnalibus. Studeat ergo in hac vita se mundare ab hujusmodi fœculentia, quatenus cum hinc exierit, nihil corporeum secum trahat, et a corporalibus pœnis immunis existat.

Vivificatione et sensificatione descendit anima ad corpus. Præsentia namque sua illud vivificat, colligit in unum, atque in uno tenet, diffluere atque contabescere non sinit, congruentiam ejus modulumque conservat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo. Intendit se etiam anima in tactum, et eo calida et frigida, aspera et lenia, dura et mollia, gravia et levia sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, atque formarum, gustando, olfaciendo, audiendo, videndoque dijudicat, atque in his omnibus ea quæ secundum naturam sui corporis sunt appetit, fugitque contraria. Removet se ab his sensibus certo intervallo temporum, et eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, rerum imagines quas per eos hausit, secum catervatim et multipliciter versat. Cum ergo vult intelligere, vel divina, vel Deum, vel se ipsam, suasque considerare virtutes, abstrahit se ab omnibus corporis sensibus, quibus non adjuvatur nisi ad corporeas formas coloresque sentiendos; et spiritu ac ratione se conspicit, meditatione atque contemplatione ad Deum ascendit. Deus vero revelatione atque divina inspiratione ad eam descendit. Meditatio siquidem est occultæ veritatis studiosa investigatio. Contemplatio perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Illam namque divina illuminat revelatio, ut veritatem cognoscat: istam vero divina inspiratio inflammat, ut eam diligat. Corpus autem sensu et imaginatione ad spiritum ascendit.

CAPUT XXXIII. *Corporis materia. Quomodo sensus formentur et imaginatio. Imaginatio quid sit. Spiritus corporeus.* (*a*) Humanum siquidem corpus ex quatuor elementis compositum est; sed in carne et ossibus terra maxime apparet propter terrenam soliditatem. Aqua in humoribus, aer continetur in pulmone; idcirco semper est in motu, quia ventilabrum cordis est, ne nimio calore cor consumatur et dissolvatur. Sedes ignis est in corde; et ideo inferius est latum, et superius acutum; quoniam formam ignis retinet. Quædam vis ignea aere temperata a corde ad cerebrum ascendit, tanquam in cœlum corporis nostri: ibique purificata et colata per oculos, aures, nares, cæteraque instrumenta sensuum, foras progreditur, et ex contactu exteriorum formata quinque sensus corporis facit; visum videlicet, auditum, gustum, odoratum et tactum. Qui tangendi sensus ab anteriori parte cerebri ad posteriorem transiens, et inde per cervicem et medullam spinæ descendens per totum corpus diffunditur. Porro ipsa vis ignea, quæ exterius formata sensus dicitur, eadem formata[1] per ipsa sensuum instrumenta, per quæ egreditur et in quibus formatur, natura operante introrsum ad cellam phantasticam usque retrahitur et reducitur, atque imaginatio efficitur. Postea eadem imaginatio ab anteriori parte capitis ad medium transiens, ipsam animæ rationalis substantiam contingit, et excitat discretionem: in tantum jam purificata et subtilis effecta, ut ipsi spiritui immediate conjungatur, veraciter tamen naturam corporis retinens et proprietatem. Quæ quidem imaginatio in brutis animalibus phantasticam cellam non transcendit: in rationalibus autem purior fit, et usque ad rationalem et incorpoream animæ substantiam contingendam defertur et progreditur. Est itaque imaginatio similitudo corporis, per sensus quidem corporeos, ex corporum contactu concepta extrinsecus, atque per eosdem

(*a*) De Trinitate, lib. 10, cap. 8-10; de Genesi ad Litteram, lib. 7, capp. 21, 14; de Quantitate Animæ, cap. 33, nn. 70, 71, et Hugo Vict., de Unione corporis et spiritus.

[1] Alias, *forma*.

(*a*) De Gen. ad Litteram, lib. 7, cap. 13; et Hugo, de Unione corporis et spiritus.

sensus introrsus ad partem puriorem corporei spiritus reducta, eique impressa, in summo scilicet corporalis spiritus, et in imo rationalis, corporalem informans, et rationalem contingens. Spiritum corporeum voco aerem, vel potius ignem, qui præ sui subtilitate videri non potest, et corpora interius vegetando vivificat. Quædam autem vegetat tantum et non sensificat, sicut arbores, herbas et universa in terra germinantia. Quædam vegetat et sensificat, sicut omnia bruta animalia. In quibus quædam tantum sensum habent, et imaginationem non habent; quædam sensum et imaginationem habent. Cum itaque magis [1] sit sensificari, quam vegetari tantum; constat profecto hanc vim subtiliorem esse, et ubi magis subtilis est, magis spiritus est. Magis siquidem incorporeæ naturæ appropinquat, cum imaginationem format, quam cum sensum præstat. Nihil enim in corpore altius, vel spirituali naturæ vicinius esse potest, quam id ubi post sensum vel supra sensum vis imaginandi concipitur, quod quidem in tantum sublime est, ut quidquid supra illud est, aliud non sit quam ratio [2].

CAPUT XXXIV. *Sensus. Memoria. Mens. Spiritus. Animus idem cum anima. Ratio. Qui anima se ad Deum erigat. Mira divisio animæ. Mens imago Dei.*

(*a*) Anima nominatur totus homo interior, qua vivificatur, regitur et continetur lutea illa massa, humectata succis, ne arefacta dissolvatur. Dum ergo vivificat corpus, anima est; dum vult, animus est; dum scit, mens est; dum recolit, memoria est; dum judicat, ratio est; dum spirat vel contemplatur, spiritus est; dum sentit, sensus est. Nam inde sensus anima dicitur, pro iis quæ sentit: unde et sententia nomen accepit. Habet etiam corpus quinque sensus, qui ex eo dicti sunt, quia per eos anima totum corpus subtilissime agitat vigore sentiendi. Ita autem hæc omnia adjuncta sunt animæ, ut una res sit: pro efficientiis tamen causarum, diversa nomina anima sortita est. In essentia namque est simplex, in officiis multiplex. Memoria etiam mens est; unde et immemores amentes dicimus. Omnium rerum thesaurus et custos est memoria, nec enarrari potest, tam grandis est ejus perplexitas; et animus ipsa est. Nec aliud significo quam animam, cum mentem dico: sed propter aliud animam, et propter aliud mentem. Nam totum quod vivit, hominis anima est. Cum autem anima in se agit se, et ex se et per se [3], sola mens dici solet. Sensus vero ad sua ministeria implenda consuetius anima dicitur. Spiritum idem esse quod animam, evangelista pronuntiat dicens: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et rursum potestatem habeo sumendi eam* (*Joan.* x, 18). De hac quoque ipsa Domini anima passionis tempore, memoratus evangelista ita protulit dicens: *Et inclinato capite emisit spiritum* (*Id.* xix, 30). Quid est enim emittere spiritum, nisi quod animam ponere? Sed anima dicta est pro eo quod vivit: spiritus autem vel pro spirituali natura, vel pro eo quod spirat in corpore. Item animum idem dicimus esse quod animam: sed anima vitæ est, animus consilii. Unde aiunt philosophi, et sine animo vitam manere, et sine mente animam durare, sicut in amentibus (*b*). Ad mentem enim pertinere videtur ut sciat; ad animum, ut velit. Pueri etiam in genitricis utero sine scientia et voluntate vivunt. Mens autem vocata est, quod emineat in anima, vel quod meminerit. Quapropter non anima, sed quod excellit in anima, mens vocatur, tanquam caput vel oculus. Unde et ipse homo secundum mentem imago Dei dicitur. Mens namque ex eo dicta est, quod emineat in anima, præstantior siquidem vis animæ est, a qua procedit intelligentia. Ratio siquidem est animi motus, visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens.

Redeat ergo ad se mens rationalis, et colligat se in se: ut sine imaginibus corporeis se ipsam, et omnipotentis Dei invisibilem naturam considerare valeat, terrenarum phantasmata imaginum, et quidquid terrenum cogitationi ejus occurrerit, respuat: et talem se intus quærat et videat, qualis est sine istis; consideret se talem, qualis sub Deo supra corpus creata est. Deinde supra semetipsam surgat et se ipsam deserat, atque quodam modo in oblivionem sui [1] veniat, et se contemplationi sui Creatoris humiliter et devote subjiciat. Cum enim cœperit mens per puram intelligentiam semetipsam excedere [2], et illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare [3], et ex iis quæ intrinsecus videt quemdam intimæ suavitatis saporem trahere, et ex eo intelligentiam suam condire, et in sapientiam vertere; in tanto hoc mentis excessu, pax illa quæ exsuperat omnem sensum, invenitur atque obtinetur, ut fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia; ita ut contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur, nihil omnino inveniens quod vel per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accuset, sed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, et intromittitur in quemdam affectum multum inusitatum introrsus ac nescio quam dulcedinem, quæ si semper sic sentiretur, profecto magna felicitas esset. Nihil sensualitas, nihil agit imaginatio; sed omnis inferior vis animæ proprio interim viduatur officio. Purior autem animæ pars in illud intimæ quietis secretum, et summæ tranquillitatis arcanum felici jucunditate introducitur. *Vivus quidem est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* (*Hebr.* iv, 12). Et ideo nihil in creaturis hac divisione mirabilius cernitur, ubi id quod essentialiter unum est atque individuum, in se ipsum scinditur; et quod simplex in se et sine partibus constat, quasi quadam partitione dividitur. Neque enim in homine uno alia essentia est ejus spiritus, atque alia est ejus anima: sed prorsus una eademque naturæ simplicis substantia. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur: sed cum ad distinctionem ponitur gemina vis ejusdem essentiæ, una superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. In hac utique divisione anima et quod animale est, in imo remanet; spiritus autem et quod spirituale est, ad summa evolat. Ab infimis dividitur, ut ad summa sublimetur; ab anima scinditur, ut Domino uniatur: *Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17). Felix divisio et mirabilis separatio, ubi quod corpulentum et feculentum est, deorsum remanet, quod spirituale et subtile est, usque ad speculationem divinæ gloriæ sublimatur, et in eamdem imaginem transformatur. Pars inferior componitur ad summam pacem et tranquillitatem: pars autem superior sublimatur ad gloriam et jucunditatem. Licet enim mens humana non sit ejus naturæ, cujus est Deus; imago tamen illius naturæ, qua natura nulla melior est, ibi quærenda et invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius. Sed prius mens ipsa in se ipsa consideranda est, et in ea reperienda est imago Dei. Mens igitur quando cogitatione se respicit, intelligit se et cognoscit; quando contemplatione ad Deum ascendit ut eum intelligat et diligat, imago Dei dicenda est: cogitando æterna, vir est; sicut dicit Apostolus, *Vir non debet velare caput suum, cum sit imago Dei et gloria* (*Id.* xi, 7), id est quanto magis se extendit in id

[1] Alias, *majus*.

[2] Hic desinit liber in uno Vatic. Ms. In Medard. autem habetur: *Explicit secundum quosdam*. Tum: *Alius liber secundum quosdam*.

[3] In B.: *Cum autem anima in se agit se, ex se et per se*. Hic Lugd. Ven. et Lov. secuti sumus. M.

(*a*) [illegible] de Dignitate conditionis humanæ; Isidor. Orig. lib. 11, cap. 1, id Different. spirit. lib. 2, cap. 19; Aug. de Trinitate lib. 10, cap. 9.

(*b*) Lactantio teste, de Opificio Dei, cap. 18.

[1] Alias, *sibi*.

[2] Ita unus e Vatic. Mss. Alii libri, *exercere*.

[3] Editi, *intueri*.

quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, et ideo non est cohibenda, ut inde se contineat ac temperet. Quando vero ea agit vel cogitat quæ sunt temporalia, mulier appellatur, et tunc non est dicenda imago Dei, et propterea debet velare caput suum, ne nimia sit ejus progressio ad inferiora, ne cum licita agit, illicita concupiscat.

CAPUT XXXV. *Dignitas humanæ conditionis. Homo quatenus ad imaginem Dei. Rursus quomodo imago Dei in anima. Quatenus anima gerat similitudinem Dei.* (*a*) Tanta dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solum jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, et opera divinæ majestatis creatus sit homo; ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo Conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium præstitit ei Conditor; et tanto amplius Conditorem diligeret, quanto mirabilius se ab eo conditum intelligeret. Nec ob hoc solum quidem, quod consilio sanctæ Trinitatis sic excellenter a Conditore conditus est, sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam Creator omnium eum creavit, quod nulli alteri ex creaturis donavit. Quæ imago diligentius in interioris hominis dignitate et nobilitate est consideranda. Primo quidem, quod sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans, sicut Apostolus ait, quod *in eo vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28): sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans. Nec enim in majoribus corporis sui membris major est et in minoribus minor: sed in minimis tota est, et in maximis tota. [Sic infusa est corpori, ut non per membrorum partes partibus sit divisa. Nam in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet. Miro autem modo una eademque vivificatione membris præsidens, cum ipsa per naturam non sit diversa, per corpus tamen agit diversa. Ipsa quippe est, quæ per oculos videt, audit per aures, per nares odoratur, per os gustat, per membra omnia tangit, et tangendo lene ab aspero discernit; et cum non sit diversa, per sensus tamen operatur diversa. Ex qua re intelligitur, quod ita est anima secundum suum modum in suo corpore, sicut Deus est in suo mundo. Interius siquidem et exterius, superius et inferius est: regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior. Sic est intus, ut extra sit; sic circumdat, ut penetret; sic præsidet, ut portet; sic portat ut præsideat. Et sicut Deus nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescentibus decrescit: sic anima nec minutis membris minuitur, nec adauctis augetur.] Hæc est imago sive similitudo omnipotentis Dei, quam anima habet in se.

Quamdam etiam sanctæ Trinitatis habet imaginem: primo in eo, quod sicut Deus est, vivit et sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. Est quoque et alia trinitas in ea; quia ad imaginem perfectæ quidem et summæ Trinitatis, quæ est in Patre et Filio et Spiritu sancto, condita est. Et licet unius sit naturæ anima, tres tamen in se vires [1] habet, id est intellectum, voluntatem et memoriam: quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Matth.* XXII, 37); id est, ex toto intellectu tuo, et ex tota voluntate tua, et ex tota memoria tua. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his ambobus procedit memoria, sicut facile a prudente quolibet potest intelligi. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium aliquod sine aliis duobus integrum constat, quantum ad suam pertinet habitudinem [1]. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; non tamen tres dii, sed unus Deus et tres personæ: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animæ in uno corpore, sed anima una et tres vires. Atque in his tribus divinam imaginem gerit mirabiliter in sua natura noster interior homo, et ex his quasi excellentioribus animæ viribus jubemur diligere Conditorem, ut in quantum intelligitur, diligatur; et in quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solum sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas. Imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus: ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia; ita nullum sit momentum, quo præsentem non habeat cum in memoria. Et ideo mihi juste videtur dictum, nostrum interiorem hominem esse imaginem Dei.

(*a*) Nunc vero de similitudine aliqua dicamus. Nam sicut Deus creator, qui hominem ad imaginem suam creavit (*Gen.* I, 27), est charitas, bonus et justus, patiens et mitis, mundus et misericors, et cætera sanctarum virtutum insignia quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset et justus, patiens atque mitis, mundus et misericors. Quas virtutes quanto plus quisque in se ipso habet, tanto propior est Deo, et majorem sui Creatoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum et diverticula malorum ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degener aberrat, tunc fiet de eo quod scriptum est, *Homo cum in honore esset, non intellexit* (*Psal.* XLVIII, 13), etc. Quis major honor esse potuit homini, quam ut ad similitudinem sui Conditoris conderetur, et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus et Conditor, de quo legitur, *Dominus regnavit, decorem indutus est* (*Psal.* XCII, 1); id est, omnium virtutum splendore et totius bonitatis decore ornatus? Vel quod majus homini potest esse dedecus aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa, ad informem et irrationalem brutorum jumentorumque similitudinem dilabatur? Quapropter quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, et venerandam sanctæ Trinitatis in se ipso imaginem agnoscat, honoremque divinæ similitudinis, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitatione virtutum, dignitate meritorum habere contendat: ut quando apparebit qualis sit, tunc similis ei appareat, qui mirabiliter eum ad similitudinem suam in primo homine condidit, mirabiliusque in secundo; id est, in se ipso reformavit.

CAPUT XXXVI. *Comparatio animæ cum Deo.* (*b*) Magna convenientia est inter Deum et animam. Deus namque vita est, spiritus est, sapientia et amor. Vita etiam anima est, spiritus est, in quo spiritu sapientia est et amor. Vita Deus est, vita et anima est, similis, sed dispar: similis, quod vita, quod se ipsa vivens, quod non tantum vivens, sed etiam vivificans, sicut et ille hæc omnia est; dispar, quoniam ille creator est, et ista creatura. Nisi enim ab illo creata esset, non esset; et nisi ab illo vivificata, non viveret. Vivit anima naturali vita, etiam si spirituali non vivat, sed talis vita mors est potius quam vita: quoniam mors peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII, 22). Anima quidem quæ secundum carnem vivit, vivens mortua est; et ideo bonum erat illi non vivere, quam sic vivere. Vita anima est, vivens quidem, sed non aliunde quam se ipsa; et ob hoc non

[1] Ambrosius, Alcuinus, et Tractatus alias 13, t. 9, hic et infra habent, *dignitates*.

(*a*) Ipse est Tractatus alias 13 in Appendice tomi 9, qui inter Ambrosii quoque et Alcuini opera cernitur: et cujus plurima continet ipse Hugonis qui in Bernardi etiam Appendice editus est, liber 3 de Anima cap. 46 et 47. Confer librum de salutaribus documentis hic postea exhibitum. Quæ uncinulis clauduntur, non sunt apud Ambrosium, nec apud Alcuinum, nec in Tractatu alias 13 tomi 9.

[1] In plerisque libris, *beatitudinem*.

(*a*) Plura hic apud Ambrosium inserta.

(*b*) Bernard. Serm. 80-82 in Cant., et Confess. lib. 10, cap. 6.

tam vivens, quam vita est. Inde est quod infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ præsentia, non vita, sed vivens. Creata est anima a Deo, vita a vita, simplex a simplici, immortalis ab immortali; ut non sit longe a Creatore suo, cui appropiare videtur simplicitate essentiæ et perpetuitate vitæ. Licet enim spiritualiter non vivat, immortaliter tamen necesse est ut vivat. Creata est anima magna a magno, recta a recto: eo magna, quo capax æternorum; eo recta, quo appetens supernorum; eo beata [1], quo Deo unita. Anima namque quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas jungit, charitas unit.

Habet anima in se amorem, quo semper potest stare cum Deo, aut redire, si mota cum suis affectibus, imo defectibus, ab eo fuerit. Solus est amor ex omnibus animæ affectibus atque sensibus, in quo potest anima, etsi non ex æquo, suo respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem: et si minus amat, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligat, nihil deest ubi totum est. Renuntians ergo cunctis affectionibus aliis, tota soli incumbat amori, effundens se totam in amorem illius, cui respondere habet in redhibendo amore. Amat siquidem Deus ut ametur, et cum amat, nil aliud vult quam amari, sciens ipso amore beatos qui se amaverint. Per amorem venit ad homines, venit in homines, factus est homo, et deliciæ illius esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII, 31). Nostræ vero deliciæ erunt cum ad eum veniemus, et videbimus eum sicuti est, atque similes ei erimus (I *Joan.* III, 2). Tunc erit manifesta visio, plena cognitio, vera dilectio, firma conjunctio, societas individua, similitudo perfecta, et vita beata, in æternum et ultra in perpetuas æternitates. Sicut enim corpus in resurrectione sua vitam et sensum recipiet; sic anima in resurrectione sua vitam et sensum recipiet, id est, cognitionem et amorem Dei. Quod autem cognitio sit vita æterna, ipsa Veritas affirmat dicens: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Amor etiam sensus est. Nam sicut exterior homo circa ista temporalia quinquepartito sensu afficitur, id est, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu: sic interior homo in beata vita circa quinque ineffabilia Dei ineffabili amore afficietur. Cum enim Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, et quemdam amplexum interiorem amabit. Ibi enim fulget quod non capit locus. Ibi sonat quod non rapit tempus. Ibi olet quod non spargit flatus. Ibi sapit quod non minuit edacitas. Ibi hæret quod non divellit satietas. Ibi siquidem videtur Deus sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensione, laudatur sine fatigatione.

CAPUT XXXVII. *Anima civitas Dei. Illius cives. Consiliarii. Milites. Plebeii. Tres vires animæ secundum Platonem et medicos. Ratio. Intelligentia. Memoria. Appetitus.* (a) Nobilis creatura est anima. Civitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt (*Psal.* LXXXVI, 3), quod ad imaginem et similitudinem Dei facta est. Hæc civitas Jerusalem merito appellata est, quia ad fruendum visione illius summæ pacis, quæ fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14), creata est. Mens ejus paradisus est, in qua cum cœlestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi Patrisfamilias est anima, propter unitatem mentium, sponsa Christi, per dilectionem, templum Spiritus sancti, per sanctificationem, civitas Regis æterni, propter pacem et concordiam civium. Et quia nulla est civitas absque populo, disposuit in ea Conditor noster populum triplicis gradus, id est, sapientes ad consulendum, milites ad propugnandum, artifices ad ministrandum. Cives hujus civitatis, sunt naturales et ingeniti animæ vigores, tanquam indigenæ: quorum distincti sunt gradus; quia alii superiores, alii inferiores, alii medii. Superiores quidem sunt, intellectuales sensus; medii, rationales; infimi, animales. Quorum differentia hæc est. Animalis sive sensualis appetit visibilia. Rationalis discernit, et discretionis oculo aspernatur ea. Intellectualis pertrahit ad divina. Intellectuales igitur sensus sunt tanquam animæ consiliarii, dicentes ei: *Deum time, et mandata ejus observa. Propter hoc enim est omnis homo* (*Eccle.* XII, 13). Rationales sunt tanquam milites, qui hostes, puta concupiscentias, impugnant per arma justitiæ. Animales seu sensuales sunt tanquam rustici et artifices, qui corporalibus rudimentis insistunt, et corpori necessaria ministrant. Hanc triplicem vim animæ, id est, sensualem, rationalem, et intellectualem, philosophi partes vocaverunt, non integrales, sed virtuales: quia potentiæ ejus sunt. Sensualitas ea vis animæ est, qua corpus vegetat, et per corporis sensus ista exteriora sentit et discernit. Omnes enim sensus, tam exteriores quam interiores, ad animam referuntur, utpote ab illa procedentes: ut enim sentiant, omnes ab anima habent. Ratio vis est animæ supra corporalia, et infra spiritualia collocata: secernit enim vera a falsis, quod est Logicæ; virtutes a vitiis, quod est Ethicæ; et per experimenta rerum investigat naturas, quod est Physicæ. In his vero tribus tota Philosophia consistit. Totam igitur Philosophiam ratio comprehendit. Intellectus sive intelligentia, ea vis animæ est, qua de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. Ad cœlestia enim arcana penetranda ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit. Tunc finis ejus, si bene viget, cum ad notitiam secretorum, quæ diu investigando quæsivit, pervenerit, intellectus seu intelligentia nuncupatur. Boethius tamen dicit intelligentiam solius Dei esse et admodum paucorum hominum: sed horum alterum pro altero sæpe ponitur. Memoria etiam consors et cooperatrix est rationis; quoniam sine ea ratio nec ad incognita procedere, nec cognitorum scientiam retinere potest. Memoria est vis animæ accepta retinens, præterita repetens, elapsa recolligens. Humanus appetitus inter summa et ima positus, cum plerumque in utraque divisus sibimetipsi sit contrarius, in quamcumque partem totus transierit, nomen ejus merito sortitur. Si carnis voluptatibus pascitur, carnalis sive animalis nominatur. Si spiritualibus desideriis delectatur, spiritualis nuncupatur. Appetitus siquidem est naturalis vis in animante movendis avide sensibus attributa.

CAPUT XXXVIII. *Virium animæ definitiones.* (a) Quoniam de viribus animæ sæpe mentionem feci, definire eas debeo, ut ea quæ de anima dicta vel dicenda sunt, evidentius intelligi possint. Sensualitas, sensus, imaginatio tam corporis quam animæ dici possunt. Sensualitas corporis est quædam vis ignea. Sensualitas sive animalitas animæ, est inferior vis ejus, quæ secum trahens sensualitatem carnis, velut famulam et obedientem, sensus et imaginationes facit, easque in arca memoriæ reponit. In sensu instrumentum est sensualitatis [1] et origo imaginationis. Ipsa namque vis ignea, quæ extrinsecus formata sensus dicitur, eadem forma usque ad intimum trajecta, imaginatio vocatur. Sensus itaque parit imaginationem, imaginatio cogitationem, cogitatio meditationem. Meditatio acuit ingenium, ingenium rationem: ratio conducit ad intellectum, intellectus ad intelligentiam, intelligentia per contemplationem ipsam veritatem admiratur, et per charitatem in ea delectatur. Sensus est passio animæ in corpore ex qualitatibus extra accidentibus. Imaginatio est vis animæ, quæ figuram corporearum rerum absente

[1] Ms. Medardensis, *bona*.

(a) Bernard. serm. 5 in Dedicat., n. 9.

[1] Alias, *sensualitas*.

(a) Hugo Vict., de Unione corp. et spir.; id. Erudit. didasc. lib. 2, cap. 6, et lib. 3, capp. 11, 8.

corpore sine exteriori sensu dignoscit. Cogitatio est circa quælibet animi occupatio. Consideratio est intenta cogitatio. Meditatio est frequens cogitatio modum, et causam, et rationem uniuscujusque rei investigans. Ingenium est vis quædam naturaliter animis insita, per se valens. Ratio est quædam vis animæ, quæ omnia discernit et judicat; sed maxime cum inhiat spiritualibus, et imaginem Dei in se conservat. Intellectus est rerum vere existentium perceptio. Intelligentia est de solis rerum principiis, id est, de Deo, ideis, hyle, et de incorporeis substantiis pura et certa cognitio. Contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Charitas est concordia mentium, et societas electorum, vita beatarum animarum et Angelorum, quia nec animæ nec Angeli nisi per charitatem vivunt.

CAPUT XXXIX. *Ad quid anima ad imaginem et similitudinem Dei.* (a) Anima rationalis et intellectualis facta est ad imaginem et similitudinem Dei, ut factorem suum pro imagine cognoscat, et pro similitudine diligat. Ex imagine namque Dei habet rationem, et ex similitudine charitatem. Charitas vero in se ipsa repræsentat Trinitatem. Hanc ratio sentit, et pacata requirit: hanc charitas invenit, et videndo beata quiescit. Hanc in præsenti fides sequitur, spes in cælum usque comitatur, charitas perenniter amplexatur. Mens itaque spiritualis, seu intelligentia rationalis, primo Creatorem suum aspiciat; deinde creaturam ipsius videat; et mediante arbitrii libertate ad eum, qui condidit omnia, se et cætera referat. Sic in homine Trinitas appareat, quam charitas manifestat, ut charitatem semper homo exhibeat, semperque conspiciat is, quem Trinitatis imago perornat. Sic homo ejus servabit similitudinem, cujus in se naturaliter portat imaginem. Appareat ergo imago Dei in intelligentia rationali, in mente spirituali, in honore liberi arbitrii. Appareat similitudo Dei in moribus pro natura, in operibus pro justitia, in virtutibus pro gratia: ut moribus natura perornetur, ut justitia operibus comprobetur, ut gratia virtutibus compleatur, et sic semper Domino præsentetur. Anima totum corpus hominis tota pariter animat. Est quidem inspirata a Deo homini vita, non de præjacenti materia, sed de nihilo facta ab eo. De cæteris animantibus Scriptura dicit: *Producant aquæ*, etc. *Producat terra animam viventem* (*Gen.* I, 20 *et* 24). Animam vero non aqua, non terra produxit, sed Deus inspiravit; non tamen vivam vel viventem, sed spiraculum vitæ (*Id.* II, 7), rationale ex Dei imagine, factum ex Dei similitudine.

CAPUT XL. [*Miseria animæ a Deo recedentis. Recedit a similitudine, non ab imagine Dei. Animæ non generantur.* Anima non est pars Dei. Probat hoc mutabilitas quam incurrit. Deus enim immutabilis est: hæc sæpe mutata, pro culpa quandoque damnata, pro pœna quoque fit misera. Nihil ei tamen nocere posset nisi a Deo recessisset. Recessit autem quando peccavit. Proinde torquetur misera, a Deo refuga. Ab uno disjuncta spargitur ad multa, et pro sua intemperantia fit morbida, fit molesta. Ea propter sensus corporei turbata memoria turbati hebetes fiunt, marcidi et stupidi. Inde caro patitur, languores oriuntur, et mors violenta pervagatur. Homo quidem a Deo aversus, peccando perversus, quia a Deo dissentit, dissidet et sibi, portatque in se ipso pœnam de se ipso. Anima non formatur ex materia informi, sed in sua creatione formam accepit, qua facta est ad imaginem et similitudinem Dei. A quo si avertitur, remanet informis; quia rea, quia dissimilis [1]: nec ideo tamen efficitur irrationalis; quia gestat imaginem Dei, unde et potest reformari. Sed nec etiamsi tota peccato concludatur, et licet pro insipientia jumento comparetur, ideo fit anima pecoris vel alterius corporis. Ipsum enim corpus et nunc et in fine semper est habitura, cum quo facta est una persona. Sed nec ideo fit corpus, et tamen [illegible] partes habet [illegible] distributum partibus [illegible] major in majoribus, [illegible] minor in minoribus corporis partibus videtur [illegible] anima rationalis, [illegible] cumque est, tota est.

Non traducitur a patre in filium, ut una sit anima amborum. *Sicut*, inquit Dominus, *anima patris, ita et anima filii mea est* (*Ezech.* XVIII, 4). Nec pars animæ patris in filium, dum generat, se transfundit. Partiri namque seu dividi, augeri vel minui, pro substantia sua spiritus nescit. Non enim patre filius major, sed melior. Si enim particulariter transfunderetur, corporeus esse probaretur. Quod si, ut delirant aliqui, semen animæ cum semine carnis haberet generando transfundi, multa quidem inhonesta et impossibilia possent exinde reclamari, quæ de spiritu rationali nec dici debent nec opinari. Indecens enim est obscœna retexere, et male fusa exinde semina denudare.

CAPUT XLI. *Sed in dies creantur. Materiæ a prima creatione nulla fit nova creatio. Peccatum originale per carnem contrahitur. Baptismo remittitur.* Dicimus autem rationales animas pro [illegible] fieri quotidie de nihilo novas, sed pro [illegible] natura ex institutione divina, non aliquæ novæ. Quales enim in exordio Deus de sexto masculo et feminæ dedit (*Gen.* I, 27), tales quotidie inspirat singulis, nova de nihilo creatione, non nova institutione. *Pater*, inquit, *meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17). Operatur usque modo Pater et Filius; operatione siquidem nova, sed institutione non nova; pro illa agens, cum ista quiescens. Res vero corporeæ post primam sui creationem novæ nullæ creantur, sed simul in exordio conditæ temporali formatione propagantur. Animæ autem non simul essentialiter factæ sunt, sed pro natura consimili, qua ad imaginem et similitudinem Dei fiunt, et simul factæ reputantur, et non simul editæ judicantur: non simul editæ pro essentia, sed simul factæ pro compari forma ad imaginem et similitudinem Dei prærogata. Caro de carne generando traducitur, sed spiritus de spiritu minime propagatur.

Certum tenemus quia caro contracta de carne per legem concupiscentiæ, quam cito vivificatur, originalis culpæ vinculo premitur, ejusque affectionibus anima, quæ carnem vivificat, aggravatur. Sub hoc peccati vinculo demerguntur parvuli, qui sine remedio baptismi moriuntur. Habent enim originale peccatum, non per animam, sed per carnem utique contractum, animæque refusum. Carni namque ita unitur anima, ut cum carne sit una persona. Fit enim auctore Deo anima et caro unum individuum, unus homo: unde salva naturæ utriusque proprietate adjicitur carni quod animæ est, et animæ quod carnis est; pro unitate personæ, non pro diversitate naturæ. Quod igitur ibidem singulis est proprium, commune fit amborum; proprium pro natura, commune pro persona. Exinde fit anima originali culpæ obnoxia, quam caro contrahit, et animæ refundit, cum qua unita est in persona, licet divisa sit in natura. Ea propter necesse est parvulum, dum vivit, Christi Sacramento renovari, ne obsit ejus animæ societas carnis peccati, qua gravatur etiam corpore exuta, nisi dum in corpore vivit, salutari fuerit remedio expiata. Currant igitur adulti, currant pro se ipsis; impendant etiam parvulis Sacramenta fidei, suscipiant Christi fidem cum Sacramentis, ut parvulos in Christo renatos fides Ecclesiæ tueatur, et adultos cum Sacramentis opera fidei comitentur. His etiam per gratiam [1] renovatis, tandem complebitur in resurrectione generali, ut caro ipsa resurgat in gloria, animæ suæ restituta, viva et æterna, felix et beata.

CAPUT XLII. *Non baptizatis cur anima data. Natura quid sit. Spiraculum vitæ.* Si quæratur cur

[1] Alias, *remanet informis quia Deo dissimilis.*

(a) Hugo, lib. I de Sacramento Fidei, p. 6, cap. 3.

[1] Ms. Medardensis, *per gratiam fidei renovatis.*

Deus donet animas illis qui absque remedio salutari mori contingit, respondemus quod divina institutio, qua res et omnium naturæ conduntur, nec peccato tollitur, nec violentia præpeditur. Inde est quod lex carnalis copulæ, nec etiam in malis jure suo privatur. Generant adulteri, fornicatores, prodeunt creaturæ, illis tamen instituto nec in talibus deperit. Natura agit quæ, prout Deus instituit, quod suum est operatur. Natura siquidem est quædam vis et potentia divinitus rebus creandis insita, quæ unicuique rei datum esse tribuit, qua bona quisquis male utitur, malus esse judicatur. Juste enim puniuntur, qui licitis abutuntur. Juste vero puniuntur, qui rapere nituntur concessa. Sic Satanas cœlum, sic protoplastus perdidit paradisum. Abutuntur licitis, qui bona Dei maculant usibus inconcessis. Maculant bona Dei, sicut ii qui cum ardore libidinis exercent opera copulæ carnalis. Ex his filii generantur, quorum corpora serviente Creatori creatura formantur, et Deo inspirante spiraculum vitæ animantur. Spiraculum vitæ humanam animam intellige, quam non producit terra vel aqua, sed Deus inspirat: quo sensus corporei animantur; unde homo factus in animam viventem memoratur. In his et in aliis Omnipotens agit, prout instituit, quem nullus adjuvant bona, nec impediunt mala. Bonos quidem provehit sua gratia: malos terret[1] sua justitia. Nos equidem servi, dum Domini bonis abutimur, rei et miseri pariter invenimur. Ipse vero Dominus, qui servorum suorum malis bene utitur, sanctus et omnipotens adoratur. Ipse corpori terreno de peccati traduce[2] propagato, pro institutione sua inspirat animam, bene utens insolita prævaricatione nostra; quæ si esset naturalis, Creatori posset imputari. Sed Creator præparat omni tempore Sacramenta, et obedientiæ pia proponit edicta, ut contra peccatum Sacramenta sint in remedium, et temporalium observatio mandatorum æternorum afferat præmia donorum. Unde si aliqui sub peccato geniti obeunt parvuli absque remedio salutari, pertimesce justitiam Dei, qui nihil debet alicui, sed damnat in singulis malum quod non fecit in eis. Si autem parvulos renovat Sacramentis, admirare misericordiam Dei. Ipsi enim sicut nesciunt culpam, cum qua ex carne nascuntur; sic nesciunt gratiam, qua per Christum renovantur. Non excusat parvulos a culpa, quia eam non noverunt; nec excludit gratiam ab eis, quia eam nesciunt. Quæris in eis culpam? Invenis ex carne traductam. Quæris in eis gratiam? Invenis a Deo collatam. Illa debite damnatur, hæc indebite prærogatur. Illa judicium prædicat, hæc misericordiam repræsentat. In utroque Deus agnoscitur, cui misericordia et judicium perpetua laude cantatur (*Psal.* c, 1). Sed ab his [illegible] mens nostra, mens infirma, quia peccatis obruta, citius ad se ipsam redeat, sibique remedium quærat, ut quæ in Adam ceciderit, in Christo resurgat.

CAPUT XLIII. *De animæ natura. Mors hominis.* (*a*) Plura veteres de natura animæ dixisse inveniuntur, sed nihil ita ut non aliquid restare videatur. Ego autem ex eorum dictis, quanto diligentius potui, breve istud et certum colligere, atque in unam studui redigere, quod memoriæ commendetur. Hebes namque est memoria hominis, et brevitate gaudet; et si in multa dividitur, fit minor in singulis. Ex corpore et anima constat homo: et quidquid oculis corporis videtur, propter corpus factum est, corpus propter animam, anima autem propter Deum. Vita corporis anima est, vita animæ Deus est. Immortalis est anima, quia carne caret; nec habet quo cadat, ut resurrectione egeat post ruinam, nisi peccato ceciderit. Et ideo in morte vita nostra non perit, sed corpus destituit, dum discedens anima vim suam non perdit, sed quod vivificaverat hoc dimittit, et quantum in se est, mortem alterius facit, quam ipsa non recipit. Facit, inquam, non vivificando quod deserit, non amittendo quod vivit. Itaque mors hominis nihil est aliud quam corporis occasus, a quo cum vis potentiæ vivificantis abscesserit, in terram de qua sumpta est redit, amissis sensibus quos non per se ipsam habuit. Anima vero dicitur, quam sol lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit; mortem efficit, cum recedit. Mors tamen non consumit conjuncta, sed dividit, dum originem suam utrumque reddit. Et ne quis putet animam corporis morte consumi, audiat quod Dominus in Evangelio dicat: *Nolite*, inquit, *eos timere qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28). Fatigatur corpus cogitationibus mentis: affligitur in corpore mens doloribus corporis.

CAPUT XLIV. *Anima invisibilis est. Ratio speculum est in quo Deum videt.* (*a*) Corpus ex quatuor elementis constat. Anima nec elementum est, nec ex elementis, sed de nihilo est facta, et soli Creatori suo cognita. Ex his ergo omnibus quæ in se, hoc est, in corpore suo visibilia videt, nihil se esse vel posse esse videt. Secernat ergo et dividat se per se ab eo toto, quod visibile videt in se; et invisibilem omnino se esse videt in eo quod videt se, et tamen videri se non posse videt. Deinde elevet se supra se, et in eo quod primum et principale speculum est speculandi Dei, illiusque imagini ac similitudini proximum et cognatum magis factum, invisibilem Deum inspiciat. Hoc autem est ipsa ratio, et mens ratione utens, quæ ad propriam similitudinem Dei facta est, ut per se invenire possit eum a quo facta est, et in ejus amore atque contemplatione dulciter requiescere. Ea namque perfectius suum factorem manifestant, quæ [illegible] similitudini vicinius appropinquant. Hæc autem est ipsa rationalis creatura, quæ et excellenter et proprie ad illius similitudinem facta est: et tunc citius Creatorem suum, quem non videt, agnoscit et diligit, cum se ad illius imaginem factam intelligit[1].

Mens rationalis est, quæ se cogitando intelligit, et imaginem suam ex se natam habet, quæ imago ejus verbum est. Verbum enim rei est ipsa cogitatio ad similitudinem ejus ex memoria formata. Hoc modo liquido apparet summam Sapientiam, cum se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est, Verbum suum. Mens tamen rationalis, quoniam non se semper cogitat, sicut sui semper meminit, liquet quia cum se cogitat, verbum ejus nascitur de memoria. Unde apparet quia si semper se cogitaret, semper verbum ejus de memoria nasceretur. De summa vero Sapientia, quæ semper se dicit sic, sicut sui semper memor est, liquet quia de æterna memoria coæternum ejus Verbum nascitur. Sicut enim summa Sapientia æterna est, ita æterne sui memor est, et æterne se intelligit, et æterne se dicit, cum sit illi dicere quod intelligere: et cum æterne se dicit, æterne Verbum ejus apud ipsam. Mens ergo rationalis quæ inter omnes creaturas ad investigationem summæ sapientiæ sola assurgere valet, et nihilominus ad ejusdem inventionem sola proficere, semper studeat illius reminisci, illam intelligere et amare: ad hoc facta est ut semper vivat, si semper amet summam vitam, summam sapientiam, summam essentiam, cui debet hoc ipsum quod est. Amare autem nequit, nisi ejus reminiscatur, et eam studeat intelligere. Faciat ergo hoc ad quod facta est, ut bene vivat.

CAPUT XLV. *Rationalium status triplex. Vis animæ triplex. Amor quid sit* (*b*). Deus enim, potens cujus beatitudo nec augeri potest, quia perfecta est;

[1] Ms. Melodunensis: *Bonos si quidem provehit*, et postea, *malos tenet*.

[2] Ms. Melodunensis, [illegible]

(*a*) Ita Hugo Victor. lib. 2 Erudit. didasc., cap. 11, et lib. 4, cap. 12.

[1] In [illegible] non sunt quæ sequuntur usque ad caput 46, [illegible]

(*a*) Ex Hugone, lib. 1 de sacram., p. 3, cap. 6 et 7.

(*b*) Hugo [illegible], lib. 1 de sacram., [illegible], cap. [illegible] et de substantia dilect., cap. 2.

nec minui, quia æterna est : sola charitate, nullaque necessitate rationales spiritus creavit, ut eos suæ beatitudinis participes faceret. Alios vero in sua puritate in cœlo confirmavit : alios autem propter superbiam in infernum præcipitavit : atque alios ad profundam humilitatem et obedientiam in terrena habitatione terrenis corporibus servavit, ut ad vitam spiritualem eam materiam vegetarent. Habent namque in natura sua quamdam mutabilitatem, secundum quam corporibus vivificandis appropinquant, in qua quidem nonnihil suæ puritatis deponunt. Cum enim delectatione corporis afficiuntur, quasi quamdam corpulentiam inde trahunt; quæ puriorem naturam eorum corrumpit. Et hoc vitium quanto altius eis in corporibus humanis inhæserit, tanto difficilius eos a corporibus discedentes deserit : quoniam non tollitur passio, etiam cum tollitur causa passionis, nisi ab ejusmodi feculentia se in hac vita mundare studuerint. Nos ergo qui in medio bonorum et malorum positi sumus, considerare sæpe debemus et gaudium illorum, et istorum supplicium, atque nostram miseriam. Rationalis siquidem est anima nostra, ut sciat discernere inter bonum et malum. Est etiam concupiscibilis atque irascibilis, ut possit amare bonum et odire malum. De concupiscibilitate nascitur amor, et de amore desiderium et gaudium. Amor est delectatio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid, per desiderium currens, atque per gaudium requiescens; per desiderium in appetendo, et per gaudium in perfruendo. Nec aliunde bonum est, si bonum est, cor humanum, nisi quod bene amat quod bonum est. Nec aliunde malum est, si malum est, nisi quod male amat quod bonum est. Omne enim quod est, bonum est : sed in eo quod male amatur tantum vitium est. De irascibilitate nascitur odium. Ira enim generat odium : et de odio dolor et timor. Cum enim contra peccata nostra irascimur, et ea odire incipimus, dolemus quia peccavimus, et pœnas pro peccatis timemus.

CAPUT XLVI. *Rationalis creaturæ sors diversa. Animæ quatuor affectus ad quid dati. Ad quid ratio.* Sic creator omnium Deus inter cætera et super cætera quæ creavit, rationalem dignatus est amplius illustrare naturam, quam et sua similitudine fecit insignem, et suæ beatitudinis voluit esse participem. Cujus tamen rationalis creaturæ licet similis videatur origo, facta est diversa conditio; dum pars ejus est in æterna felicitate firmata; pars rudentibus inferni detracta, et in tartarum tradita in judicium crucianda servatur (II *Petr.* II, 4); pars etiam tertia terrenis unita corporibus locum medium sortita cognoscitur. Et prius quidem eadem media summis vicinior in deliciis erat posita paradisi; nunc jam propinquior infimis, pro reatu inobedientiæ humiliata est in loco afflictionis. Summus igitur omnium horum locus plenam habet lætitiam, infimus solam tristitiam. Ibi enim plena felicitas : illic sola et summa miseria est. In medio sane summa speranda, sed nihilominus infima sunt timenda : et ideo nobis jam amplior timoris causa quam spei, quo viciniores eisdem infimis, dejecti in ipsa degimus umbra mortis.

Quia tamen et illius beatitudinis, et illius nihilominus damnationis æternæ humanam Deus animam pro suorum qualitate meritorum participem fieri posse cognovit, naturales affectus ei quatuor indidit; ut haberet unde bona illa posset optare, et in eis quandoque lætari; et rursum unde mala illa metuere, vel in eis etiam dolore perpetuo contristari. Interim sane eo gravior est moderna conditio, quod non modo exhibet tristitiam et modernam molestiam; sed et timor habet pœnam, et spes ipsa quæ differtur affligit animam. Piissimus enim pater et terribilis judex, qui vera illa et perpetua gaudia filiis, dolores atque perpetuos reis in fine paravit, nonnulla tamen etiam in præsenti experimenta capere voluit gaudii vel doloris, unde illa non modo certius credi, sed affectuosius quoque optari valeant et timeri. Cæterum nec præsentia gaudia in illorum comparatione sunt gaudia, nec tristitia præsentia in illorum comparatione sunt tristitia. Nec dubium [illegible] [illegible] [illegible] mederit, qui [illegible] gaudia, illa formidare [illegible] [illegible] [illegible] etiam in præsenti unde [illegible] [illegible] [illegible] Deo [illegible], et [illegible] propria [illegible]. Unde etiam [illegible] stituta est ratio in corde hominis, per quam [illegible] discernere et dijudicare possit unde gaudeat [illegible], imo etiam quid cupiat vel quid timeat. Sunt qui triplicem esse vitam animæ dixerunt, rationalem illam, irascibilem et concupiscibilem [illegible], affectus quidem diversos, sed quadam sibi cognatione junctos, sub irascibili metum et tristitiam, sub concupiscibili desiderium et lætitiam comprehendisse videntur.

CAPUT XLVII. *Homo inter mundum et Deum.* (a) Interim ergo inter affectus varios humana fluctuans anima, necesse est ut certam demum vel in imis vel in supernis accipiens stationem, in solo deinceps vel gaudio vel dolore persistat. Deus est in summo, mundus in imo. Deus in eodem statu æternitatis suæ semper consistit. Mundus cursu mutabilitatis suæ semper instabilis fluit. Humanus animus quasi in medio collocatus quadam conditionis suæ excellentia, et huic mutabilitati quæ deorsum est supereminet, et ad illam quæ est apud Deum, veram immutabilitatem nondum pertingit. Si vero in iis quæ deorsum transeunt, se per cupiditatem immerserit, statim per innumeras distractiones rapitur, et a semetipso quodam modo divisus dissipabitur. Si vero ab hac infinita distractione quæ deorsum est, se erexerit, et hæc infima deserens atque paulatim in unum se colligens, secum esse didicerit, tanto amplius in unum colligetur, quanto magis cogitatione et desiderio sursum elevabitur : donec tandem omnino immutabilis sit, et ad illam veram et unicam, quæ est apud Deum, immutabilitatem perveniat, ubi perpetuo sine omni mutabilitatis vicissitudine requiescat.

CAPUT XLVIII. *Animarum origo. Arbitrium. Electio.* (b) Credimus animas non esse ab initio cum Angelis, nec simul creatas, sicut Origenes fingit. Nec per coitum cum corporibus seminantur, sicut Luciferiani[1] et Cyrillus, et aliqui Latinorum præsumptores affirmant. Sed dicimus earum creationem solum omnium Creatorem nosse : corpus tantum per conjugii copulam seminari; Dei vero judicio coagulari in vulva, et compingi atque formari; ac formato jam corpore, animam creari et infundi : ut vivat in utero homo ex anima constans et corpore, et egrediatur vivus ex utero plenus humana substantia. Nec duas animas esse credimus in uno homine, sicut multi scribunt, unam animalem, qua animetur corpus, et quæ immixta sit sanguini; et alteram spiritualem, quæ rationem ministret. Sed dicimus unam eamdemque esse animam in homine, quæ et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in suæ substantiæ eligat cogitatione quod vult. Libertati siquidem arbitrii sui commissus est homo. Postquam vero seductione serpentis per Evam cecidit (*Gen.* III, 6), naturæ bonum perdidit, pariter et vigorem arbitrii : non tamen electionem, ne non esset suum, quod emendaret peccatum. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationis voluntas; sed admonente prius Deo et inspirante ad salutem. Ut ergo acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod adipisci desideramus, divini est muneris[2]. Ut non labamur adepto salutis munere, nostræ sollicitudinis est et cœlestis pariter adjutorii; ut labamur, potesta-

[1] Tres Vaticani Mss., *Lucifer*; alii, *Luciferianus*.
[2] Ms. Medardensis addit. *et partim sollicitudinis nostræ.*
(a) Hugo, lib. 2, de Vanitate mundi.
(b) Gennad., lib. de Dogmat. Ecclesiast. cap. 14, 15, 16, 17, 18.

tis nostræ est et ignaviæ. Solum hominem credimus habere animam substantivam, quæ exuta corpore vivit, et sensus suos atque ingenia vivaciter tenet. Neque cum corpore moritur, ut Aratus [1] asserit; neque post modicum interitura, sicut Zenon dicit : quia substantialiter vivit. Animalium vero animæ non sunt substantivæ, sed cum carne ipsa carnis vivacitate nascuntur, et cum carnis morte finiuntur : et ideo nec ratione reguntur sicut Plato et Alexander putant; sed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur. Anima humana non cum carne moritur, quia nec cum carne, ut diximus superius, seminatur : sed formato in utero matris corpore, Dei judicio creari et infundi eam diximus, ut vivat homo intus in utero, et sic procedat nativitate in mundum. Anima a Creatore principium habens, ex quo est, perfecta est in genere suo : unde ex quo est, sciret omnia quæ ab homine sciri possunt, nisi gravitas carnis esset. Quod per primum hominem, qui ante corruptionem humanitatis, ex quo fuit, perfecte habuit scientiam humanam, probari potest. Sed modo corrupta humanitate, ex quo conjungitur corruptioni, corrumpitur. Nec proprietates suas potest exercere, donec usu et experientia et alicujus doctrina imitata incipit discernere; veluti si quis cum subtili luce aciei oculorum in tenebrosa detrudatur, videre tamen non potest ibi, nisi prius assuescat tenebris, vel lumen accendatur. Unde Virgilius :

> Quantum non noxia corpora tardant.
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 731.)

Et licet aliæ sint actiones corporis, et aliæ animæ actiones; tamen corporis vitia vel virtutes possunt esse animæ. Cum enim ad hoc sit anima data, ut illicitos carnis motus corrigat, ignorantia illius contingunt vel negligentia. Sicut si vel discipulus [2] vel servus negligentia doctoris vel domini peccat, magister vel dominus extra culpam non est; sic anima illis contingentibus extra culpam non est, cum ista debeat imperare, et illa obedire.

CAPUT XLIX. *Sensus et in interiori homine. Meditationi incumbere.* (*a*) Duabus substantiis tantum constat homo, anima et carne : anima cum ratione sua, et carne cum sensibus suis. Quos tamen sensus absque animæ societate non movet caro, anima vero et sine carne rationale suum tenet. Notandum tamen quod iidem ipsi sensus, qui in exteriori homine describuntur, simili modo secundum modum suum in interiori esse manifestantur; quia spirituales res non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. Unde divina vox in Deuteronomio ait : *Videte quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Deut.* XXXII, 39). Et in Apocalypsi : *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis* (*Apoc.* II, 29). Et in Psalterio : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Et Apostolus : *Christi bonus odor sumus, et in iis qui pereunt, et in iis qui salvi fiunt* (II *Cor.* II, 15). Et in Evangelio Dominus mulierem fide se tetigisse magis quam corpore ostendit, dicens : *Tetigit me aliquis; nam et ego sensi virtutem de me exisse* (*Luc.* VIII, 46). Sic ergo cum omni cautela observandum est quid ad corporis sensus, et quid ad animæ pertineat dignitatem; ne forte confusus ordo et irrationabilis æstimatio alicubi repugnare videatur veritati. Non est tertius in hominis substantia spiritus, ut Didymus contendit; sed spiritus ipsa est anima : quæ vel pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore, spiritus appellatur. Anima vero ex eo vocatur, quod ad vivendum vel vivificandum animet corpus. Tertium vero, qui ab Apostolo cum anima et corpore inducitur, spiritum (I *Thess.* V, 23), gratiam sancti Spiritus intelligamus : quam orat Apostolus, ut integra perseveret in nobis, ne nostro vitio aut minuatur, aut fugetur a nobis; quia *Spiritus sanctus effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I, 5).

Jugi ergo meditatione animum nostrum exerceamus, et consideremus miserias et necessitates nostras, labores et dolores. Lugentes enim in hanc vitam intravimus, cum labore vivimus, cum dolore et timore exituri sumus. Cogitemus ergo quam sit brevis vita nostra, quam via lubrica, quam mors certa, et hora mortis incerta. Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce aut jocundum in via hujus vitæ occursu suo nobis alludit; quam fallax et suspectum, quam instabile et transitorium est quidquid hujus mundi amor parturit, quidquid species aut pulchritudo temporalis promittit. Consideremus etiam quæ sit patriæ cœlestis pulchritudo, suavitas atque dulcedo. Attendamus et perpendamus unde cecidimus, et ubi jacemus; quid perdidimus, et quid invenimus : ut ex utroque intelligamus quantum nobis in hoc exsilio lugendum sit. Hinc enim Salomon ait : *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (*Eccle.* I, 18). Quia quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat et gemit.

CAPUT L. *Meditatio quid. Scientia. Compunctio. Devotio. Oratio. Affectus.* (*a*) *Scientia sui aliis præponenda.* Meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem. Meditatio est frequens cogitatio, curiosa et sagax obscura investigare, et occulta ad notitiam trahere. Scientia est quando homo ad cognitionem sui assidua meditatione illuminatur. Compunctio est quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Devotio est pius et humilis affectus in Deum; humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ. Oratio est mentis devotio, id est, conversio in Deum per pium et humilem affectum. Affectus est spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio. Nil enim ita Deum inclinat ad pietatem et misericordiam, quemadmodum purus mentis affectus.

Scientiam cœlestium et terrestrium rerum laudare atque amare solent homines; sed multo meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos. Laudabilior siquidem animus est, cui nota est miseria sua, quam qui ea non respecta, vias siderum et naturas rerum scrutatur. Qui vero jam in Deum evigilavit Spiritus sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se viluit, ad eumque intrare volens nec valens, eoque sibi lucente attendit in se, et invenit se, suamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non posse cognoscit, dulce habet flere, eumque precari, ut sui misereatur, totamque ejus miseriam exuat. Hunc itaque egentem et dolentem scientia non inflat, quia charitas ædificat. Præposuit enim scientiam scientiæ, id est, scire se ipsum et infirmitatem suam, magis quam scire vires herbarum, et naturas animalium : et hanc apponendo scientiam, apposuit et dolorem, dolorem scilicet peregrinationis suæ [1] ex desiderio patriæ suæ, et visionis Dei, quem cernere finis [2] : cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen [3]. Dolet qui tenetur exsilio, quia differtur a regno. Dolet dum recordatur quæ et quanta mala fecit, et quam intolerabiles pœnas pro illis recepturus sit.

CAPUT LI. *Attentio ac discussio sui. Considerationes variæ.* (*b*) Cum nulla scientia melior sit illa qua

[1] Mss. duo, *Aratus.* Alius, *Aratus.*

[2] [illegible]

(*a*) [illegible] Hugo, de Medit. [illegible] etiam in Anselmi Medit. 7, quæ [illegible] sunt quædam quæ apud Hugonem lib. de Meditatione.

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov. sic legunt hunc locum : *Et hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem, id est defectum peregrinationis suæ.* M.

[2] Hic claudentur hæc in omnibus nostris Mss., apud Hugonem et Alcherum, quæ tamen supersunt non aliam in- [illegible] auctorem.

[3] Fr. et Ven. omittunt, *quem cernere finis : cui est gloria in sæcula sæculorum.* [illegible] apud Lugd. hæc verba [illegible] ac marginali : [illegible] M.

(*a*) Hæc et in Appendice Bernardi, de Conscientia, cap. 29.

(*b*) Vid. lib. cit. de Conscientia, cap. 45; vid. etiam Me- capp. 6, 5, et Hug., de Instit. Novit., cap. 9.

cognoscit homo semetipsum, discutimus cogitationes, locutiones atque opera nostra. Quid enim prodest nobis, si rerum omnium naturas subtiliter investigemus, efficaciter comprehendamus, et nosmetipsos non intelligamus? Examinemus ergo quæ fecimus nos, si secundum quod debuimus, ea fecerimus: consideremus ea quæ facturi sumus, si sint secundum Deum. Valde siquidem est necessaria nobis circumspectio examinationis; quatenus per experientiam eorum quæ fecimus, ad ea quæ agenda sunt cautiores reddamur. Sæpe namque opus quod bona intentione inchoari credimus, tanto citius in deceptionis laqueum nos præcipitat, quanto de intentionis nostræ principio secundum finem actionis non observamus: et imprudentes quasi via plana ad foveam currimus; quia videmus quid facimus, sed quid finem [1] nostrum sequi debeat, non attendimus. Ita enim ambiguus est animi affectus, ut nisi ex fine operis qualitatem intentionis ejus discernere non valeamus. Præterea necesse est ut per singulos dies vitam nostram ad judicium vocemus, et quid egimus per noctem et diem, examinemus; et quanto ad bona facienda solito alacriores, et quanto ad mala vincenda solito constantiores; si in aliquo opere nostro insidiis inimici supplantati simus; qualiter demum per indicium [2] transactæ deceptionis futuram illius fraudem cavere valeamus; quatenus nec superveniens tentatio nos improvisos ad malum opus dejiciat, nec indiscretos in opere bono præsens negligentia fallat. Quisquis scilicet cor suum in hujusmodi studio exercet, audiat quid quidam sapiens dicat: « Scito te ipsum. » Scito unde venisti, aut quo vadis; quomodo vivis, quantum proficis vel deficis, quam longe es a Deo, vel quam prope, non intervallis locorum, sed similitudine vel dissimilitudine morum. Scito quomodo homo es, cujus conceptio culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori necesse. Certum est quia morieris; sed incertum quomodo, vel quando vel ubi. Quoniam mors ubique te exspectat, et tu si sapiens fueris, ubique eam exspectabis. Attende ergo sollicite quid agas vel quid agere debeas; si quod faciendum est facias; si bono operi malum aliquod non admisceas; si bonum quod agis, quanta oportet devotione adimpleas; si alterius, ut tuum, bonum diligas; si tuum, ut alterius, malum reprehendas; si sic declinas a malo, ut facias bonum. Sunt enim quidam tantum attendentes mala quæ non faciunt: istos pusillanimitas a bono opere revocat, ne malum subripiat. Sunt aliqui attendentes tantum bona quæ faciunt: illi sic sibi a bono opere complacent et blandiuntur, ut de pravitatis admixtione minime terreantur. Sunt alii sapientes ut faciant mala, bona autem facere nesciunt: isti pessimi omnium lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. Sunt alii quærentes Deum per exteriora, deserentes interiora sua, quibus Deus interior est.

CAPUT LII. *Cognitionis tres gradus. Mentis dilatatio. Mentis sublevatio. Mentis alienatio. Mens hominis speculum, sed peccato obscuratum. Quomodo tergendum.* (*a*) Redeamus ergo ad nos, ut possimus ascendere ad nos. Tres siquidem ascensus sunt. In primo ascendimus ab istis exterioribus et inferioribus ad nos. In secundo ascendimus ad cor altum (*Psal.* LXIII, 7): quanto namque amplius proficimus, tanto amplius ascendimus. Qui enim non ascendit, descendit; et qui non proficit, deficit. In tertio ascensu ascendimus ad Deum. Primus ascensus fit consideratione mundi, et contemptu. Considerando namque quam caduca et transitoria sint ista terrena, contemnimus ea, et redimus ad nos. Secundus ascensus fit cognitione et contemptu nostri. Cum enim cognoscimus quam proni simus ad malum, et quam invalidi ad bonum; contemnimus, et ascendimus supra nos. Tertius ascensus fit cognitione et amore Dei. Iste tertius ascensus fit mentis dilatatione, et mentis sublevatione, et mentis alienatione. Mentis dilatatio est, cum sub uno mentis aspectu plura comprehendimus, vel de Dei sapientia, vel de ejus potentia, vel de ejus bonitate. Intueri debemus quam potenter Deus cuncta creavit de nihilo, quam sapienter gubernat, quam benigne cuncta dispensat. Totum istum mundum ornatum fecit propter corpora, corpora propter animas, animas propter se. Et ideo diligenter custodire debemus animas nostras, quatenus eas mundas et sanctas Deo reddere valeamus a quo tanta bona accepimus pro eis. Mentis sublevatio est, cum de visibilibus sublevamur ad invisibilia. Quando namque consideramus humanam dignitatem, admiramur dignationem Dei, qui tam mirabiliter rationalem spiritum ad imaginem et similitudinem suam creavit. Mentis alienatio est, quando mens super se rapitur. De hoc mentis excessu, homo doceri non potest; quia nihil ibi habet sui. De mentis autem dilatatione et sublevatione instrui potest; quia ibi aliquid habet sui. Instruitur autem aliquando humana industria, aliquando divina revelatione seu inspiratione. Nonnunquam vero in speculo cordis sui, id est, in rationali mente se ipsum et Deum inspicit. Ita namque conditum est cor hominis, ut in eo quasi in templo Dominus inhabitaret, et tanquam in quodam speculo suo reluceret; ut qui in se videri non poterat, in sua imagine visibilis appareret. Magna prorsus dignitas hominis est, portare imaginem Dei, et illius in se jugiter vultum aspicere, atque eum semper per contemplationem præsentem habere. Sed postquam delectationem nostram in terram peccando sparsimus, peccati pulvis superjectus est cordi nostro: et ideo ab illo internæ contemplationis speculo [1] corruentes in has miseras præsentis vitæ tenebras labimur, ubi Deo digne ministrare non valemus, quia sorde iniquitatis, caligine ignorantiæ obvoluti, quid agendum vel vitandum nobis sit, ex magna parte jam non videmus. Tergamus ergo speculum nostrum ab amore vanitatis, et ab amore iniquitatis, id est, a pulvere et a sorde: ut in eo inspicere valeamus et nos, et Creatorem nostrum, quem peccando post tergum nostrum posuimus. Aversi siquidem a Deo sumus; peccata nostra separant nos ab eo. Et ideo cum propheta dicamus: *Converte nos, Deus salutaris noster* (*Psal.* LXXXIV, 5). Si mulieres speculum suum, in quo facies inspiciunt, cum amiserint, diligenter quærunt, et curiose tergunt a pulvere et a sorde: multo amplius speculum interioris hominis debemus et invenire et tergere et inspicere; ut in eo totam turpitudinem nostram valeamus deprehendere, et ita per cognitionem nostram ad cognitionem Dei pervenire.

CAPUT LIII. *Ad notitiam sui duo necessaria. Homo pulvis et cinis. Gratiæ Dei quanta debeamus. Hæc notitia parit humilitatem, charitatem*, etc. (*a*) Duo nobis necessaria sunt ut nos cognoscamus, videlicet quales simus ad malum, et quales ad bonum. Proni sumus ad malum, et si misericordia Dei non teneret nos, in omne vitium possemus cadere, nec inde surgere, nisi misericordia Dei subsequeretur, quæ nos sublevaret. Hoc bene cognoscebat propheta cum dicebat, *Domine, misericordia tua ante oculos meos* (*Psal.* XXV, 3), quæ me custodiat; et, *Misericordia tua subsequatur me* (*Psal.* XXII, 6), quæ me erigat. Invalidi sumus ad bonum, nec sine Dei gratia bonum facere, vel in aliquo bono perseverare possumus. Istud etiam Apostolus sciebat, cum dicebat, *Gratia Dei sum id quod sum*; et quia *gratia ejus in me vacua non fuit* (I *Cor.* XV, 10), gratia ejus in me manet. Hanc geminam cognitionem sui habuit Abraham cum diceret: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII, 27). Revera pulvis est homo. Sicut enim pulvis ex quacumque parte venti impellitur, et in aliam aream dejicitur, et ibi remanet:

[1] Apud Hugonem, *factum.*
[2] Alias, *judicium.*
(*a*) Ex Hug. Vict., de Arca Morali, lib. 3, cap. 6.

[1] Apud Hugonem, *illa ... specula.*
(*a*) Vide Aug. Confess. lib. 2, cap. 7; vide et Manuale, cap. 2[illegible].

sed homo in omne vitium cadere potest, nec adjiciet ut resurgat, nisi eum gratia Dei ei subvenerit. Sicut enim ager est homo, qui si non colitur nec profert germen ex se, nec susceptum semen germinat, sic homo nec bonum facere, nec in aliquo bono perseverare sine gratia Dei potest. Ideo maximas grates Deo referre debemus, quia et multa bona nobis concessit [1], et multa mala quæ fecimus, nobis condonavit, et a multis malis servavit, quæ facere potuimus, sicut alia mala quæ fecimus. Quidquid enim mali non fecimus, eo illi præstante non fecimus. Nam si ipse permisisset, et utique fecissemus, aut opere aut voluntate. Et ideo nescio utrum eum amplius diligere debeamus pro his quæ nobis dimisit, an pro his a quibus nos immunes servavit. Licet enim ea non fecimus, nos quasi fecisse, et eum quasi dimisisse, existimare debemus; quandoquidem ea vel voluntate utique fecissemus, si ipse permisisset. Quisquis in veritate se ita cognoscit, humilis est coram Deo et hominibus; diligit Deum propter Deum, et omnes homines propter Deum : et si perfectam charitatem habet, nullum judicat, nullum accusat, nullum condemnat; non servat iram, non movet rixas, non seminat discordias, non fovet nocentes, non persequitur innocentes, non odit arguentes se; non facit furtum, non falsum testimonium, non perjurium; nulli detrahit, nulli nocet, nullum odit, sed omnes diligit. Scriptum est, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII, 8). Sic enim Deo familiaris est charitas, ut in eo habitare nolit, in quo charitas non fuerit. Qui ergo charitatem habet, Deum habet; quia Deus charitas est (I *Joan.* IV, 16). Et qui unum hominem habet odio, Deum perdit, et bonum quod facit. Quapropter unusquisque provideat, ne propter unius hominis odium Deum perdat, et omne bonum.

CAPUT LIV. *Hominis duplex bonum. Sensus duplex. Actionum ejus intentio. Trinitatis notitia duce ratione.* (a) Nunc revertamur ad speculum nostrum, et videamus quomodo per cognitionem nostri possimus ascendere ad cognitionem ipsius Dei. Duplex est natura hominis. Una interior, quæ est ipse homo, quoniam mens uniuscujusque est ipse : altera exterior, id est, corpus. Ex duplici natura compactus est homo, et ideo ut totus beatificaretur, duo illi bona Deus a principio præparavit : unum visibile, alterum invisibile; unum corporale, alterum incorporale : ut in uno sensus carnis ad jucunditatem foveretur; in altero sensus mentis ad felicitatem repleretur. Idcirco duplici sensu rationalis anima instructa est, ut visibilia caperet per sensum carnis, invisibilia per sensum mentis; quatenus visibilia et invisibilia ad cognitionem et dilectionem Creatoris illam excitarent. Omnium namque humanarum actionum ad hunc finem currere debet intentio, ut vel divinæ imaginis in nobis similitudo instauretur, vel hujus vitæ necessitati consulatur. Quæ vero in nobis divinam similitudinem reparant, duo sunt, id est, speculatio veritatis, et exercitium virtutum : quia in hoc homo similis est Deo, quod sapiens et justus est. Ea siquidem perfectius auctorem suum manifestant, quæ illius similitudini vicinius appropinquant. Hoc autem est mens rationalis, quæ excellenter et proprie ad similitudinem illius facta est : et tunc eius Creatorem suum, quem non videt, agnoscit, cum se ipsam ad illius similitudinem factam intelligit. In hoc ergo primum Trinitatis vestigium inventum est, cum agnoscere cœpit ipsa quod erat in se, et ex eo consideravit quod erat supra se. Vidit enim quod ex se ipsa nascitur sapientia quæ in ipsa est, et diligit ipsa suam sapientiam; et procedit amor ex ipsa et sapientia sua, quo amat ipsam genitam de se, et ex se nascentem non dividit a se. Et apparent tria quædam in uno, mens, sapientia et amor. Et est sapientia de mente, et de mente et sapientia procedit amor : et surgit trinitas, et non recedit unitas : et sunt simul trinitas et unitas. Hæc sic in nobis. Verum longe melius ratio suadet in Deo. Deus namque cum sit origo omnis sapientiæ, et semper sapientiam habuit, et semper eam dilexit, et quia semper dilexit, semper amorem habuit. Sapientiam quam habet, ipse genuit, et semper cum illo fuit, quia genita se a gignente non divisit; semper gignitur, quia æterna; semper genita est, quia perfecta; nec cum gignitur inchoans, nec cum genita est cessans. Qui genuit, Pater est; qui genitus est, Filius est; et qui ab utroque procedit, Spiritus sanctus est. Pater a nullo est, Filius a solo Patre est, Spiritus sanctus simul a Patre et a Filio est : et hæc tria unum [1] in Deo esse substantialiter oportet fateamur. Sed quia ille qui genitus est, non potest esse ille a quo genitus est; neque qui a gignente et genito procedit, potest esse ille et qui est gignens, et qui est genitus : inexpugnabili ratione veritatis cognoscere cogimur in deitate personarum trinitatem, et substantiæ unitatem, et majestatis æqualitatem. Pater ergo et Filius et amor Patris et Filii unus Deus sunt, et uno amore se diligunt, quia unum sunt : nec aliud est quod quisque amat in altero, quam quod quisque amat in semetipso. Nec aliud [2] est quod quisque est, quam quod alter est; ideo est necesse ut quisque amet se ipsum, et ad invicem quisque alium. Hanc charitatem et hanc trinitatem Deus Pater nobis manifestavit, cum propter nimiam charitatem suam qua nos dilexit (*Ephes.* II, 4), misit Filium suum in similitudinem carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), ut nos salvaret; misit etiam Spiritum sanctum, quo nos adoptaret in filios. Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris, se denique servat hæreditatem adoptatis.

CAPUT LV. *Trinitatis nomina sunt pietatis. Vitæ æternæ felicitas.* (a) Pater, et Filius, et Spiritus sanctus nomina sunt pietatis, nomina dulcedinis, nomina suavitatis et amoris. Quid enim dulcius Patre, et tanto patre, tam dulcissimo atque misericordissimo? Quid suavius Jesu Christo? Salvator noster totus est unctus, totus est pius, totus est dulcis atque suavis. Quid amabilius et quid suavius et quid sanctius Spiritu sancto? Amor Patris et Filii ipse est, per quem omnes sunt sancti quicumque sunt sancti. Considerate ergo quanta sit illa gloria, quam ineffabilis lætitia cum ad Deum Patrem veniemus, et ille ponet nos in suo regno tanquam filios et hæredes, Jesus Christus, tanquam fratres et cohæredes; Spiritus sanctus unum nos spiritum esse faciet cum illis : ipse siquidem est indissolubile vinculum Trinitatis et amoris. Tunc introibimus in potentias Domini (*Psal.* LXX, 16), et videbimus civitatem illam de qua tam gloriosa dicta sunt (*Psal.* LXXXVI, 3). Vita siquidem illius civitatis est quieta, pax tranquilla, felicitas perpetua, pulchritudo admirabilis, species laudabilis, jucunditas concupiscibilis, gloria desiderabilis, gaudium perenne, festivitas continua, cantica dulcissima. Ibi sunt quæ cuncta omnium in quamdam ineffabilem dulcedinem atque jucunditatem convertunt. Sunt ibi gaudia æterna, quæ suavitatem infundunt, et corruptionem non inducunt; semper reficiunt, et nunquam deficiunt, pascunt, et perseverant integra; ad finem non se extendunt, et permanent incorrupta. Dulcedo illius civitatis infundit se ad suavitatem, species ad jucunditatem, visio ad delectationem. Omnis pulchritudo ibi est, ubi summa pulchritudo est. Quanta namque pulchritudo ibi est, ubi rerum omnium species sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate æternæ sunt? Si tam pulchrum est quod vere pulchrum non est, quid est quod pulchrum est? O civitas sancta, civitas speciosa, quidquid in te est, to-

[1] [illegible]

(a) [illegible] lib. 1, [illegible] cap. [illegible] lib. 7, cap. 21, 25, et [illegible] cap. [illegible]

[1] Apud Eugenium, unum.

[2] Apud Eugenium, quam aliud.

(a) [illegible] 10, ex [illegible] de triplici anima; [illegible] lib. 1 de Anima, cap. 4; et lib. 7 [illegible], cap. 21

tum pulchrum est, suave est, jucundum est, unum bonum est, et omne bonum in ipso est. Quidquid enim nominare boni possum, totum illud est: quia omnia bona in uno sunt, et omnia unum sunt. Hujus tanti boni amor et desiderium cum me aliquando tangit, vehementer atque suaviter afficit, et nescio quo, quodammodo a memetipso abstrahit. Subito enim novus et totus immutor, alio affectu, alio desiderio, et bene mihi esse incipit ultra quam dicere sufficiam. Exhilaratur conscientia, in oblivionem venit omnis præteritorum dolorum memoria, exsultat animus, clarescit intellectus, accenditur affectus, cor illuminatur, desideria jucundantur. Jamque alibi, nescio ubi, me esse video. Video namque, sed quasi adhuc de longe, choros Angelorum et Archangelorum psallentium et laudantium Deum. Unum est enim ibi omnium opus, contemplari mirabilia Dei, eumque laudare in operibus suis. Omnes contemplantur, omnes lætantur, omnes delectantur in Deo: cujus aspectus pius, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad fruendum. Semper libet illum aspicere, semper habere, semper illo frui, et in illo delectari. Ipse per se placet et propter se: sufficit ad meritum, sufficit ad præmium. Nec aliquid est quod extra illum quæratur, quia totum in illo invenitur quod desideratur, et in illo totum amatur. Unum namque bonum est, et omne bonum in illo est. Hoc bonum soli boni habent et vident; amant et laudant laude perpetua.

CAPUT LVI. *Spiritus intellectualis. Animæ vita et mors. Pœnarum æternarum qualitas. Pœna præcipua.* (a) Cum considero qualis animæ natura sit, quæ carnem vivificare potest, sed semetipsam stringere in bonis cogitationibus, sicut desiderat, non potest; invenio quemdam intellectualem spiritum per Creatoris potentiam viventem, et corpus quod sustinet vivificantem, sed tamen vanitati subditum, mutabilitati subjectum, quem sæpe lætitia extollit, timor afficit, iniquitas mortificat, justitia vivificat. Vita siquidem animæ Deus est, mors animæ peccatum. Anima namque quæ peccaverit ipsa morietur (*Ezech.* XVIII, 20): quæ autem judicium fecerit et justitiam, vivet et non morietur. Ita immortalis est anima, ut mori possit; ita mortalis, ut mori non possit. In mortalitate mortalis est, et mortalitate immortalis est. Quapropter miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia et mors semper vivet, et finis semper incipiet, et defectus deficere nesciet. Mors perimet, et non exstinguet; dolor cruciabit, et pavorem non fugabit; flamma comburet, sed tenebras non discutiet. Erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustione dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi, in suppliciis dolorem sentient, et in doloris angustia pavore ferientur; et semper tolerabunt, et semper timebunt, quia sine fine semper cruciati vivent sine spe veniæ et misericordiæ, quod est miseria super miseriam. Si enim post tot millia annorum, quot capillos habuerunt omnes quicumque fuerunt et erunt, pœnas suas finire sperarent, multo levius eas sustinerent. Sed quia spem non habent nec habebunt, desperatione deficient, et ad tormenta non sufficient. De his per Isaiam scriptum est, *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* LXVI, 24); quia nec ipsi consumentur. Vermis conscientiam corrodet, ignis carnem comburet: quatenus qui auctori suo corde et corpore deliquerunt, corde simul et corpore puniantur. Cum anima a beata vita separata erit, et corpus æternis suppliciis subjacebit, ibi metus et mœror, luctus et dolor. Tunc vere nihil lugere erit nisi flere, quia pœnitere tunc nulli poterit valere. Ibi erit tortor ardens, vermis corrodens, ignis consumens. Peccata detegentur, rei punientur, et hoc totum perenne. Quisquis enim ad tormenta ibit, jam non amplius exibit. Dolor combustionis eos foris cruciabit, pœna cæcitatis intus absorbebit. Videbunt autem illa teterrima monstra dæmoniorum, et horribiles facies eorum. Videbunt etiam tormenta inferni, et in tormentis reprobos, qui inordinato amore contra Deum proprio consenserunt, quatenus illorum intuitus eos in augmento damnationis suæ affligant. Deum autem non videbunt, quod est omnium miseriarum maximum. Quis enim dicere potest, quanta pœna est non videre Creatorem et plasmatorem omnium Patrem, redemptorem et salvatorem Filium, Regem cœli et terræ, et Dominum universitatis, per quem sumus, vivimus et sapimus (*Act.* XVII, 28)?

CAPUT LVII. *De prudentia in seligendis bonis, et malis cavendis. Cogitatio æterna meditanda. Beatorum gaudium multiplex. Felicitas perfecta. Negotia ac dotes.* (a) Valde itaque necessarium est ut nos undique circumspiciamus et ubique caute ambulemus, ne aut prava agamus, aut recta quæ præcepta sunt negligamus, ut bonis actibus expletis, cogitationibus non intumescamus. Multi namque ex virtutibus in ruinam per elationem corruerunt. Bona desiderabiliter appetamus, mala solerter caveamus: ne sub specie bonorum ea faciamus, quoniam plerumque vitia se esse virtutes mentiuntur. Quisquis ergo meminit illicita se commisisse, studeat a licitis abstinere; et qui prohibita commisit, sibimet abscidat concessa. Qui vero adhuc peccatum suum plangit, perpetrare vitia timeat: et reprehendat se in minimis, qui meminit se deliquisse in maximis. Quantalibet namque virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen [1] puerile quiddam exterius extrepat, et nisi juvenili quodam fervore infrenentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt: ubi si longa consuetudine observata fuerit, cum exsurgere voluerit, non poterit, mole malæ consuetudinis pressa. Quisquis ergo stat, videat ne cadat (I *Cor.* X, 12); et si ceciderit, velociter resurgat cordis compunctione, oris confessione, et operis sanctificatione. Sit humilior intra propriam conscientiam, sit ferventior atque promptior ad agendum pœnitentiam, sit cautior ad custodiam.

Qui enim solo beatitudinis supernæ desiderio temporalia ista contemnit, et nihil hujus mundi diligit, solamque æternam patriam appetit, magna mentis tranquillitate fovetur, in qua tanto Deum purius cernit homo, cum se solo solum invenit. Nihil enim Deo præsentius, et nihil eo secretius. A turba ergo terrenorum desideriorum secessum mentis petamus, et inde a secreto cordis illicitarum cogitationum tumultus expellentes, intentione supernæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelemus, et in alta Dei contemplatione nos sublevemus. Contemplemur qui sint ipsi Angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ majestas visionis Dei, et quomodo Deus æternæ visionis suæ dulcedine sanctos suos reficiet. Nemo enim in hac vita digne pensare potest quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre; quanta suavitas, illud melos angelicum audire; quanta jucunditas, omnium sanctorum societatem habere. Tantum enim unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo gaudio ineffabili; et quot socios habebit, tot gaudia habebit. In illa gloria nihil liberius intueor, nihil delectabilius ad contemplandum invenio, quam intimi amoris affectum, quo unusquisque tantum amabit alterum, quantum se ipsum; et Deum plus quam se, et omnes alios secum; et Deus plus illos, quam illi semetipsos, et hoc gaudio perpetuo. Nihil enim ibi extraneum videbimus, nihil incompetens amabimus, nihil quod aures nostras offendat audiemus. Omnia namque sunt ibi consona, omnia læta, omnia pacifica. Unde consensu, secura sunt omnia cœlica jura. Ibi est omnis felicitas, omnis suavitas, omnis jucunditas, et omnis amœnitas, omnis pulchritudo, et omnis dulcedo.

(a) Ex lib. Medit. cap. 27. Ita Hugo Vict. lib. 2 de sacram. fidei, p. 18, cap. 4; et Medit. Bern. cap. 5.

[1] Forte hic addendum, *sensus*.

(a) De Quantitate Animæ, cap 34; et ex Medit. cap. 27.

Quidquid expedit et quidquid delectat, ibi est; omnes videlicet divitiæ et deliciæ, omnis requies et omne solatium. Ibi est perpetua tranquillitas, amœna serenitas, æterna jucunditas, jucunda et decora laudatio, et plena omnium bonorum cognitio. Quid ibi enim deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest? Quia noti ibi sunt, noti sunt omnes; nec necesse est ut alter dicat alteri, *Cognosce Dominum* (*Jerem.* XXXI, 34). Omnes enim cognoscent eum, et videbunt; omnes laudant et amant. Cognoscunt sine errore, vident sine fine, laudant sine fatigatione, amant sine fastidio. Semper vident, et semper videre desiderant; tam desiderabilis est ad videndum. Semper amant, et semper amare desiderant; tam dulcis est ad amandum. Et quanto amplius amant, tanto amplius amare volunt; tam delectabilis est ad fruendum. In hac delectatione requiescunt pleni Deo, pleni benedictione et sanctificatione. Adhærentes semper beatitudini, sunt beati; contemplantes semper æternitatem, sunt æterni; juncti vero lumini, facti sunt lux; aspicientes semper incommutabilitatem, mutati sunt in incommutabilitatem. Tanto libentius, quanto dulcius, illum aspiciunt, cujus aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. O beata visio videre Regem Angelorum in decore suo (*Isai.* XXXIII, 17), videre Sanctum sanctorum, per quem omnes sunt sancti! Illum videre summa felicitas est, summa jucunditas, vita æterna, et vita beata.

CAPUT LVIII. *Gratulatur piis Deo fruentibus. Gaudium suum inexpertis nequeunt enarrare.* Gaudete et exsultate, justi; quia videtis quem amastis, habetis quem desiderastis diu, tenetis quem nunquam amittere timetis. Propterea cantate et exsultate ei, quoniam ipse est Dominus Deus vester gloriosus et speciosus, ipse est salus et vita, honor et gloria, pax et omnia bona. Quanta pax ibi est, ubi nulli vestrum quidquam repugnat vel ab alio vel a se ipso, sed ipse Dominus regit vos, et nihil vobis deerit (*Psal.* XXII, 1)? Ipse disposuit vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam suam in regno suo (*Luc.* XXII, 29, et 30). Gustate ergo, et videte quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 9). Suavis est ad videndum, suavis est ad gustandum. Nec dici potest quantam habeat in gustu voluptatem, quantam in sapore jucunditatem, quantam in odore suavitatem. Tantæ suavitatis magnitudinem, vos qui experti estis, nobis qui nunquam tale quid gustavimus, intimare non potestis. Tanquam si quis mellis dulcedinem ei qui nunquam dulce gustaverit, verbis indicare velit, profecto nec ille saporis dulcis suavitatem, quam nunquam ore percepit, auribus capiet; nec ille dulcedinem, quam justus voluptate cognovit, verbis poterit indicare.

CAPUT LIX. *Miserias suas deplorat. Invocat sanctos. Mentis mutabilitas unde, et quid nos doceat.* (*a*) Verumtamen scio, quia nunquam sentio quod sentitis, nec ibi sum ubi vos estis! In loco refrigerii lucis et pacis vos estis, ubi esse vestrum non habebit mortem, nosse vestrum non habebit errorem, amare vestrum non habebit offensionem, gaudium vestrum non habebit mœrorem: ego vero in regione umbræ mortis, nescio finem meum, nescio si dignus sum amore vel odio (*Eccle.* IX, 1), nescio quando de corpore egrediar. Exire dico, sed nescio quando, et fortassis hora est suprema; propterea tremens et pavens quotidie mortem exspecto, quæ ubique mihi minatur; inimicum in pectore habeo, qui ubique mihi insidiatur. Doleo et [illegible] distincti [illegible]. Et sicut vos non potestis mihi gaudium et felicitatem vestram de visione Dei; sic ego sufficienter non possum vobis exponere necessitates et infirmitates meas [illegible], iniquitates et peccata quæ feci, culpas et [illegible] quas egi, et quotidie indesinenter ago corde, ore, opere, et fere omnibus modis quibus humana fragilitas Deum offendere potest. Vos igitur qui meruistis consortes fieri supernorum civium, et perfrui æternæ claritatis gloria, orate pro me ad Dominum, ut educat me de isto carcere, in quo teneor captivus et ligatus (*Gen.* XL, 14). Mens etenim cæca est et vaga est, qualitate earum rerum quas respicit, variatur; et juxta quod aspicit, cogitatio illius sensusque mutatur: cumque stare in semetipsa nititur, a semetipsa aliquo modo etiam nesciendo derivatur; et ab unaquaque re cui intendit, fastidio impellente removetur. Dum enim inhianter cogitanda appetit, et repente cogitata fastidit, docetur quod aliunde pendet, ibique posita non requiescit. Ad Deum quippe solum suspensa est, a quo formata est. Sed quia omne quod infra appetit, minus est, jure ei non sufficit quidquid Deus non est. Hinc est quod huc illuc dispergitur, et per infinita distrahitur, quærens requiem ubi non est. Delectationis videlicet amœna quærit, quo pauset. Sed quia unum Deum, quem sufficienter habere poterat, dereliquit, nunc per multa ducitur; ut quia qualitate rerum satiari non potest, saltem varietate satietur.

CAPUT LX. *Mentis ad cœlestia revocandæ necessitas. Aspiratio in id negotii. Cœli gloria. Cœlestium civium gaudia.* Propterea necesse est ut mentem nostram per diversa sparsam colligamus, et in uno æternitatis desiderio componamus. In contemplatione namque Creatoris hoc adepturi sumus semper, ut una mentis stabilitate perfruamur; hoc est, cum labore nunc conantes imitemur, quod post in munere gaudentes accipiemus. Annos itaque nostros terrenis subducere curis studeamus, subducere ærumnis, ut in civitate Domini virtutum liceat hora una vel dimidia, cogitatione et aviditate versari. Consideremus, et quantum possumus æstimemus, qualis sit illa gloria, quanta lætitia, quæ solemnitas, quæ veneratio, quod tripudium civium supernorum, qui assidue Dominatori laudem perferunt, honorem deferunt, devotionem offerunt, depromunt canticum novum, canticum lætitiæ, inæstimabili quodam clamore, quia ferventissimo amore, ineffabili cantu, mirabili affectu, cœlesti jubilatione, spirituali modulatione. Ipse siquidem est eorum verus cibus, plena satietas, æterna mansio, summa beatitudo æternæ lætitiæ, salus æterna, indeficiens virtus, et vita immortalis.

> Sæpius hæc meditor, illuc ascendere nitor.
> Suspiro, frendo, precibus, votis ibi tendo:
> Atque modo mero quæ sint ibi quantaque gyro.
> Mens hæret Christo, cor delectatur in isto.
> Illuc versatur, gaudet, stupet, et veneratur.

jam tanto dulcius, quanto sæpius; aviditate quidem multa, sed satietate nulla: tam rara est hora, et brevis mora. O si unquam in pace in idipsum dormiam et requiescam (*Psal.* IV, 9), ut inhabitem domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 4)! Si unquam videre potero illum tam desiderabilem, in quem Angeli prospicere desiderant (I *Petr.* I, 12), ut possim dicere: Ecce quem concupivi video, quem optavi jam teneo! Quando veniam et apparebo ante faciem Domini (*Psal.* XLI, 3), ad videndum eum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur cum hæreditate sua (*Psal.* CV, 5)? Quando videbo civitatem illam de qua dictum est: *Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, et in te cantabitur canticum lætitiæ, et per omnes vicos tuos ab universis dicetur alleluia* (*Tob.* XIII, 22).

O civitas sancta, civitas speciosa! de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro. Desidero enim videre te, et requiescere in te; sed non sinor carne retentus. O civitas desiderabilis! muri tui lapis unus, custos tuus ipse Deus, cives tui semper læti: semper enim gratulantur in visione Dei. Non est in te corruptela, nec defectus, nec senectus, nec ira: sed pax perennis, gloria solemnis, lætitia sempiterna, solemnitas conti-

(*a*) Hucusque, lib. 3 de [illegible], p. 18, cap. 21. Sic et Medit. Bern., [illegible] lib. 1 de Anima, cap. 10.

nua; vere tantum gaudium et exsultatio, flos et decus juventutis et perfectæ salutis. Non est in te heri nec hesternum, sed est idem hodiernum. Heri siquidem vestrum cras, et pridem sempiternum et idem. Tibi salus, tibi vita, tibi pax est infinita, tibi Deus omnia. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Sicut enim lætantium omnium habitatio est in te (*Psal.* LXXXVI, 3 *et* 7). Nullus in te timor, tristitia nulla, desiderium omne transit in gaudium, dum præsto est quidquid optatur, et quidquid desideratur abundat. Omnes cives tui supereffluentem mensuram gaudiorum accipient, ut palam omnes in commune gaudeant, gaudeant in immensum. Lætabuntur omnes in unum, cum habitaverint fratres in unum, cum occurrerint omnes in unum. Denique omnes fient unum, sicut orare dignatus est pro familia sua, qui pro reverentia dignus est obtinere: *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan* XVII, 21). Lætabitur itaque universitas illius civitatis, lætabitur unitas, lætabitur civitas, cujus participatio in idipsum. Lætabitur sponsa in osculis et amplexibus sponsi, lætabitur et exsultabit gratulabunda, et laudans eum in sæcula sæculorum. Sic et gaudebit sponsus super sponsam (*Isai.* LXII, 5), et lætabitur Dominus in omnibus operibus suis (*Psal.* CIII, 31), videns ea quæ fecit, et quidem valde bona (*Gen.* I, 31). Lætabitur et Pater, et per Unigenitum multos adoptionis filios obtinebit. Lætabitur etiam Filius, ut primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29), quos in communionem paternæ hæreditatis dignanter asciverit. Nec minus in illis Spiritui sancto, per quem adoptati fuerint, complacebit. Novis etiam gaudiis et ineffabilibus votis ab illis quoque vicinis potestatibus Angelorum, summo Pastori et summe bono gratulantibus, super inventa et mirabiliter reportata centesima ove canetur (*Luc.* XV, 5 *et* 6). In his paterna gloria, in his voluntas Spiritus, exsultat in his Filius, cœlum repletur gaudiis (*a*). Quod vero ipsi redempti fuerint a Domino, quam devote confitebuntur et dicent: *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CVI, 1) Lætitia siquidem sempiterna erit in eis (*Isai.* LXI, 7), et exsultationes Dei in gutture eorum in æternum (*Psal.* CXLIX, 6), et in sæculum sæculi, in perpetuas æternitates (*Dan.* XII, 3). Beati omnes qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 9, 10): cum videbimus te in te, et nos in te, et te in nobis, visione continua et felicitate perpetua.

CAPUT LXI. *Septem actionis gradus in anima. Veritatis contemplatio. Religio vera.* (*b*) Anima in essentia est simplex, in officiis est multiplex. Habet enim septem actionis gradus, quibus vires suas atque potentiam ostendit. Primus est vivificatio; secundus, sensus; tertius, ars; quartus, correctio; quintus, tranquillitas seu puritas; sextus, contemplatio; septimus, quies. In primo gradu sive actu anima præsentia sua corpus vivificat, colligit in unum, atque in unum tenet. In secundo per sensus ad ista exteriora disponenda se extendit. In tertio diversas artes comprehendit. In quarto, ex quo bonitas incipit atque omnis vera laudatio, se inquinatam mundat, atque ad puritatem præparat. Inde, cum jam fuerit ab omni labe mundata maculisque diluta, puritatem tenet. Aliud est enim puritatem efficere, aliud tenere. Tunc vero ingenti quadam et incredibili fiducia pergit in Deum, id est, in ipsam contemplationem veritatis, et ille est gradus sextus. Jamvero in illa visione seu contemplatione, quæ est septimus gradus, qui est quies vel potius quædam mansio, manet anima, gaudet et lætatur et delectatur. Aliud est enim mentis oculum in id quod videndum est dirigere, aliud est infixum tenere. Primum gradum communem habemus cum arboribus; secundum, cum bestiis; tertium, cum doctis et indoctis. In hoc tertio gradu Deus animam invenit, id est, docere incipit, purgat in quarto, confirmat in quinto, introducit in sexto, pascit in septimo. In contemplanda autem veritate quæ sit voluptas, quæ solemnitas sine fine visionis Dei, quæ lætitia sine defectu animæ, ardor non cruciatus, sed delectans, quantum desiderium visionis cum satietate, et quanta satietas cum desiderio, qui fructus veri et summi boni, quæ serenitas, quæ amœnitas, quæ jucunditas, quid ego dicam? Dixerunt magnæ quædam et sanctæ animæ, quas ista vidisse ac videre credimus. Nos vero si cursum vitæ, quem nobis Deus proposuit, quem tenendum suscepimus, constantissime tenuerimus, per Dei gratiam ad illud verum et summum bonum perveniemus. Implendis ergo mandatis Dei religiosissime atque constantissime ac vigilantissime operam demus, quoniam non est alia fuga de tantis malis ad tantum bonum. Religio siquidem vera est, qua se anima reconciliatione Deo religat, a quo se velut peccato abruperat.

Vis animæ nostræ septem sibi vindicat actus:
Vivificat, sentit, varias amplectitur artes,
Corrigit excessus, virtutibus instat, in ipsam
Dirigit intuitum deitatem, gaudet in illa.
Seminibus quoque primus inest, animalia bruta
Participant alium, duo nostræ proprietatis,
Tres sunt et superum: superi tamen anteferuntur.
Ex actu primo vegetantur corpora, crescunt;
Provehit inde vigor, nexus, complexio, motus,
Et status, et species, et convenientia quædam.
Ex alio tangit, videt, audit, gustat, odorat;
Odit, amat; petit apta sibi, contraria vitat;
Solvitur in somnos, in somnia mente vagatur;
Præteriti meminit, venturis instat, agitque
Plurima quæ sensu non et ratione geruntur.
Tertius ingenuas variasque perambulat artes;
Quodque vel ingenium vel disciplina ministrat,
Colligit, et vario profectu mentibus hæret.
Quartus ab illicitis revocat, mentisque reatus
Abjurare docet; et tunc agnoscere sese
Incipit, inque novum discit transire decorem.
Discimus ex quinto naturæ lege teneri,
Res inconcessas virtutis amore cavere,
Concessis aliquot etiam sine teste carere.
Sextus in aspectum solis lucisque supernæ
Pene parem superis animam rapit immaculatam.
Septimus astringit stabilique subarrhat (*a*) amore,
Collateratque Deo, quam dotem jam speculatur.
Qui thalami, quis cultus eam, quæ festa serenent?
Quis dicat, Mea sponsa veni? Dixere beatæ,
Majoresque animæ: nec eis tamen aut ea virtus,
Aut ea lingua fuit, quibus hæc aperire liceret,
Excedit sensus meritumque recondita merces.

CAPUT LXII. *Qualis anima esse debeat.* (*b*) Ecce audisti, anima mea, quid sis et quid possis: modo audi qualis sis, et qualis esse debeas. Onerata es peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, exsilio captiva, corpore carcerata, hærens luto, infixa limo, affixa membris, confixa curis, distenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, suspicionibus inquieta, sollicitudinibus anxia, advena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum iis qui in inferno sunt. Si sic damnata et desperata vis respirare in spem veniæ et misericordiæ, et cum Rege Angelorum ducere suave jugum amoris; oportet te esse pudicam, verecundam, veridicam, pavidam, circumspectam, nihil penitus admittentem quod evacuet gloriam conscientiæ tuæ. In nullo tibi conscientia sit quo erubescas præsentiam veritatis, quo cogaris avertere faciem tuam a lumine Dei. Et ut hic decor divinos oblectet aspectus, prodeat foras, et diffundat se per membra et sensus corporis, quatenus inde reluceat omnis actio, sermo, aspectus, incessus, risus.

(*a*) Ex Hymno de Apost.
(*b*) De Quantitate animæ, cap. 33, n. 70-76, et cap. 36, nn. 80, 81.

(*a*) Vocabulum infimæ latinitatis quod significat, *dare arrham.* M.
[1] Ex Bernard. serm. 83 in Cant., n. 1; ex ejusdem serm. 85, nn. 10, 11, 12, 1. Vid. eumd. Medit. cap. 8.

Sit tamen risus mixtus gravitate, et plenus honesti[1]. Motus, actus[2] et usus totius corporis cum apparuerit, sit actus purus, modestus, totius expers insolentiæ et lasciviæ, levitatis et ignaviæ. Sit sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus modestior. Talis animæ pulchritudo et mentis integritas sic sollicita est cum bona conscientia famæ utilitatem servare, ut juxta Apostolum provideat bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus (II *Cor.* VIII, 21). Talis utique decor relictis omnibus votis inhæret Deo, vivit Deo, nihil amat præter Deum et quod amandum est propter Deum. Sollicite studet providere Dominum in conspectu suo semper (*Psal.* XV, 8), cui consentiat ad conceptionem, quo illuminetur ad cognitionem; cui imitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam; cui conformetur ad decorem, quo fruatur ad jucunditatem. Beata anima cui datum est desuper ut bonum sciat et noverit et possit, quatenus et voluntas adsit, nec facultas desit. Væ mihi misero, qui ista servo in memoria, et scribo in charta, nec habeo in vita! non quod talis sim, ut ista scripsi, sed quod talis esse vellem, et talem non esse non pudet.

CAPUT LXIII. *Quærere Deum. Deus quid sit. Dei in mente nostra imago.* (a) Audisti, anima mea, qualem te esse oporteat. Fuge ergo paululum occupationes tuas, et abscondere modicum a tumultuosis cogitationibus tuis. Intra cubiculum mentis tuæ, et exclude omnia præter Deum, et quæ te adjuvent ad quærendum eum: quem cum inveneris, requiesce aliquantulum in eo. Dic ergo, anima mea, Deo; dic, Quis es, Domine, et quem te intelligam? Certe tu solus es quod es, et tu es qui es: id es quo nihil majus cogitari potest, nec melius, nec jucundius. Vita es, sapientia, lux, veritas, bonitas, æternitas, summum bonum; tu tibi omnia sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent ut sint, et ut bene sint. Invenisti, anima mea, quod quærebas: quærebas enim Deum, et invenisti eum esse quiddam summum omnium, quo nihil majus cogitari potest; et hoc esse vitam, sapientiam, lucem, veritatem, bonitatem, æternam beatitatem, et beatam æternitatem, et omne verum bonum. Hoc bonum es tu, Deus Pater. Hoc bonum est Verbum tuum, id est, Filius tuus; sic es tu simplex, ut de te non possit aliud nasci, quam quod tu es. Hoc ipsum est amor unus et communis tibi et Filio tuo, id est, Spiritus sanctus ab utroque procedens. Non enim a summa simplicitate procedere potest aliud, quam quod est a quo procedit. Gratias tibi ago, Domine Deus meus, qui hanc gratiam mihi dedisti, ut te possem quærere, te invenire. In mente siquidem mea, quam ad imaginem et similitudinem tuam bonitate tua creasti, tria invenio, id est, memoriam, intelligentiam, et amorem, quibus tui possim reminisci, te intelligere et amare. In memoria namque mea maneo, ex quo cognovi te: et in ea te reperio, cum reminiscor tui, et delector in te. Mane ergo in ea, precor, Deus, ut ibi possim te invenire, et requiescere etiam in te. Hæc enim est mea gloria, hæc summa delectatio, hæc est lætitia cordis mei, cum possum vacare tibi et videre quid sis. Tu es enim summa essentia, summa vita, summa sapientia, summa salus, summa lux, summa veritas, summa bonitas, summa æternitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa beatitudo, summa immortalitas, summa immutabilitas, summa unitas, summum bonum, in quo est omne bonum, imo quod est omne et unum et totum et solum bonum.

CAPUT LXIV. *Excitatio ad cogitationem summi boni. In eo omnia bona.* (b) Excita nunc, anima mea, et erige totum intellectum, et cogita quantum potes, quale et quantum sit Dei bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt Creator a creatura. Si enim bona vita est creata: quam bona est Vita creatrix? Si jucunda est salus facta; quam jucunda est Salus quæ fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum; quam amabilis est Sapientia, quæ omnia creavit ex nihilo? Denique, si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus; qualis et quanta delectatio in illo qui fecit ipsa delectabilia?

O qui hoc bono fruetur, quid erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet erit, et quidquid nolet non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit (*Isai.* LXIV, 4). Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona; et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum; et satis est. Quid enim amas, caro mea? quid desideras, anima mea? Ibi est quidquid amatis, ibi est quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo; *Fulgebunt justi sicut sol* (*Matth.* XIII, 43). Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit; *Erunt similes Angelis Dei* (*Id.* XXII, 30): quia *seminatur corpus animale*, et *surget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44), potestate utique, non natura. Si delectat longa et salubris vita; ibi est sana æternitas, et æterna sanitas; quia *justi in perpetuum vivent* (*Sap.* V, 16); et *salus justorum a Domino* (*Psal.* XXXVI, 39). Si satietas; satiabuntur cum apparuerit gloria Domini (*Psal.* XVI, 15). Si ebrietas; *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei*. Si melodia; ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet munda voluptas; *torrente voluptatis deitatis suæ potabit eos Dominus* (*Psal.* XXXV, 9). Si sapientia; *Omnes erunt docibiles Dei* (*Joan.* VI, 45): quomodo ipsa sapientia ostendet eis se ipsam. Si amicitia; diligent Deum plus quam se ipsos, et invicem tanquam se ipsos; et Deus illos plus quam illi se ipsos: quia illi illum et se et invicem per illum, et ille illos per se ipsum. Si concordia; omnibus illis erit una voluntas: quia illis non erit nisi sola voluntas Dei. Si potestas; introibunt in potentias Domini (*Psal.* LXX, 16), et omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per se ipsum, ita poterunt illi quod volent per illum. Quia sicut illi non aliud volent quam quod ille, ita quidquid illi volent, ille volet: et quod ille volet, non poterit non esse. Si honor et divitiæ, Deus suos servos bonos et fideles super multa constituet (*Matth.* XXV, 23); imo filii Dei et dii vocabuntur, et erunt: et ubi erit Filius ejus, ibi erunt et illi (*Joan.* XVII, 24), hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). Si vera securitas; certe ita certi erunt, nunquam ista vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum[1]. Gaudium vero quale aut quantum, ubi tale ac tantum bonum invenitur? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut te ipsum diligeres, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum; quia non minus gauderes pro eo, quam pro te ipso. Si vero duo vel tres vel multo plures haberent idipsum, tantumdem pro singulis, quantum pro te ipso gauderes, si singulos sicut te ipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum et hominum, ubi nullus minus diliget alium quam se ipsum, erit gau-

[1] Er. [illegible] *et plenus honesti* [illegible]
[2] [illegible]
(a) Ex [illegible]
(b) [illegible]

[1] Adde ex Anselmo: *nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum.*

dium innumerabile[1]. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum; quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum in illa perfecta felicitate? ubi sicut unusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quam se ipsum, et omnes alios secum; ita magis gaudebit absque æstimatione de Dei felicitate, quam de sua et omnium aliorum secum. Sic Deum diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor non sufficiat dilectioni: et sic gaudebunt toto corde, ut totum cor non sufficiat plenitudini gaudii: tantum est gaudium. Deus infinitæ misericordiæ, fons totius bonitatis et pietatis, fac nos participes tanti gaudii. Tu es enim gaudium plenum, beatitudo summa: tu es id quo nihil melius desiderari potest, nihil beatius vel utilius possideri.

CAPUT LXV. *In beatis triplex fruitio Dei. In beatis vis animæ triplex impletur. Corporis gloriosi quatuor dotes. Immortalitas. Impassibilitas. Agilitas. Pulchritudo.* In illa æterna beatitudine et perfecta, Deo tripliciter fruemur, videntes eum in omnibus creaturis, et habentes eum in nobis ipsis; et quod his omnibus ineffabiliter jucundius erit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et gloriosam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim est vita æterna et perfecta, ut cognoscamus Patrem et Filium (*Joan.* xvii, 3) cum sancto Spiritu, et videamus Deum sicuti est (I *Joan.* iii, 2); id est, non eo modo sicuti inest nobis aut creaturis, sed sicut est in semetipso. Verum quam magna est beatitudo illa, et quam abscondita ab oculis nostris! Oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quanta charitas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est in illa quæ exsuperat omnem sensum et intellectum (*Philipp.* iv, 7), et quanto magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli donatum est experiri, nullus conetur effari. *Mensuram*, ait Dominus, *bonam dabit in sinus vestros, confertam* in interiore homine, *coagitatam* in exteriore, *supereffluentem* in Deo ipso (*Luc.* vi, 38). Ibi cumulus felicitatis est, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo. Nam quomodo videndus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus vel ex parte conjicere, in ipsis nimirum quas accepimus jam primitiis spiritus (*Rom.* viii, 23). Cognitio autem in Deo ipso illa adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, ut non possimus ad eam (*Psal.* cxxxviii, 6). At vero quemadmodum in creaturis videndus sit, aliquatenus possumus intelligere, nimirum cum et modo videatur in ipsis. Unde et apostolo Paulo teste, *Per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspiciuntur* (*Rom.* i, 20). Unde quantumcumque proficiat quis intelligendo conspicere quam potentissime, quam benignissime, quam prudentissime majestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, ordinet universa; prorsus modicum est ad eo quod comprehendat. Veniet autem quando jam visione et contemplatione atque gaudio ineffabili consequemur Agnum quocumque ierit; et in omnibus consequemur creaturis (*Apoc.* xiv, 4), ut in omnibus gaudeamus: sane in omnibus, sed non aliunde quam de ipso, sicut et ipse aliis non fruitur, sed se ipso. Jamvero et in nobis quemadmodum habendus sit, in parte possumus cogitare.

Constat enim animarum esse triplicem naturam. Unde et sapientes mundi hujus animam humanam rationalem, concupiscibilem, et irascibilem esse tradiderunt: quam triplicem vim animæ, ipsa quoque natura et quotidiana experimenta nos docent. Porro quemadmodum circa rationale nostrum et scientia et ignorantia constant, tanquam habitus et privatio: sic et circa concupiscibile, desiderium et contemptus; et circa id quod dicitur irascibile, lætitia pariter et ira versantur. Implebit ergo Dominus rationale nostrum luce sapientiæ; ita ut penitus nobis nihil desit in ulla scientia (I *Cor.* i, 7). Implebit concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam, et ea penitus repleamur, sicut scriptum est: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6). Nulla enim alia re tam plene potest desiderium animæ, nulla alia præter justitiam beatificare potest hominem. Cum ergo repleverit Deus concupiscibile nostrum justitia, quæcunque respuere debet anima, respuet, et quidquid debet concupiscere, concupiscet; et ex omnibus his magis appetet quod magis fuerit appetendum. Merito denique concupiscibili nostro justitiam attribuimus, ex quo omnino justi aut injusti reputamur. Jamvero quod dicitur in nobis irascibile, cum repleverit illud Deus, profecto erit in nobis tranquillitas, et in summam lætitiam atque jucunditatem replebimur pace divina. Et vide si non in his tribus perfecta sane, quantum ad animam spectat, beatitudo consistit, quando scientia jam non inflabit propter justitiam, jam non contristabit propter lætitiam; ut cesset jam proverbium illud, *Qui apponit scientiam, apponit dolorem* (*Eccle.* i, 18): quando justitia nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiam; quando lætitia nec suspecta erit propter scientiam, nec impura propter justitiam.

Sed in his omnibus nihil homo noster exterior accepit. Ipsi ergo, *ut inhabitet gloria* etiam *in terra nostra* (*Psal.* lxxxiv, 10), et juxta alium prophetam[1], repleatur majestate Domini omnis terra (*Psal.* lxxi, 19), quatuor sunt quærenda, quem constat ex quatuor elementis compactum esse. Nec mireris quod pluribus videtur indigere, cui nunc indigentiæ locus est. Unde propheta in Psalmo: *Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* lxii, 2). Habebit ergo terra nostra immortalitatem, ne jam timeat denuo se in pulverem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum, jam non moritur, mors illi ultra jam non dominabitur (*Rom.* vi, 9). Sed prodiderit[2], si forte contingat vivere cum miseriis et ærumnis passibilitatis hujus, qua nimirum incessanter incorruptibile hoc corpus affligitur: etsi non semel, utique semper moritur. Habebit certe omni modo a Deo impassibilitatem. Ab humoribus enim inordinatis causas aiunt procedere passionum. Sed jam desiderat corpus nostrum levitatem, secundum eam nimirum quam habet ex aere portionem, ne ipso onere sit molestum. Tanta itaque futura est credenda corporum levitas et agilitas bonorum, ut possint si velimus, absque omni mora seu difficultate, ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Quid ultra deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique pulchritudo. Hanc perfectissimam habituri, non immerito possumus attribuere ei parti quam habemus ab igne. *Salvatorem* enim *exspectamus*, ut ait Apostolus, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, *configuratum* denique *corpori claritatis suæ, exhibens quod pollicitus est* (*Philipp.* iii, 20 *et* 21): quoniam *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* xiii, 43). Sicut ergo replebit animas nostras Deus, cum fuerit in eis perfecta scientia, perfecta justitia, perfecta lætitia: sic replebitur majestate ejus omnis terra nostra, cum fuerit corpus immortale, impassibile, agile, configuratum denique corpori claritatis suæ. Et tunc veraciter dici poterit quod quidam poeta dixit, « O terque quaterque beati » (*Virgil.*, *Æneid. l.* i, *vers.* 98)! Nemo digne pensare valet quanta erit illa lætitia, quanta gloria, quando Deum videbimus ubique præsentem, et universa gubernantem. Ita erit nobis notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in se ipso, videatur in cœlo novo, et in terra nova (*Apoc.* xxi, 1), atque in omni quæ nunc fuerit creatura. Ab omni malo liberati, et omni bono perfecte impleti, vacabimus et videbimus, quia ipse est Deus (*Psal.* xlv, 11), quo pleni erimus, quando erit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28). Ipse nimirum erit finis desideriorum nostrorum, quem sine fine videmus, sine fastidio amabi-

[1] Anselmus, pro, *erit gaudium innumerabile*, habet, *non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro seipso.*

[1] Forte, *psalmum.*
[2] Forte, *Quid proderit.*

mus, sine fatigatione laudabimus. Sed et ad hæc quis idoneus? Sine dubio qui fidelis invenietur super pauca quæ accepit militiæ suæ tempore; id est, super sensus, super actus, et super appetitus suos, quos suscepit regendos, ut in his probetur quam fidelis sit Domino suo (*Matth.* xxv, 21). Sciat ergo servus Christi vas suum possidere in sanctificatione et honore (I *Thess.* iv, 4); et glorificet et portet Deum in corpore suo (I *Cor.* vi, 20): sectetur pacem (*Hebr.* xii, 14). Amen.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM DE AMICITIA.

Opusculum est Aelredi Rhievallensis in Anglia Abbatis, dialogi forma conscriptum, et tres in libros ab ipso digestum; quod quidem inter alia ejus opera prelo edita sincerum exhibetur et integrum, hic vero in epitomen contractum est ab homine otioso, qui non modo stilum auctoris ac methodum non servavit, sed ejus quoque sententias mutavit passim et insigniter vitiavit. Nam ea interdum quæ Aelredus ex interlocutoris persona quærendo proponit, mox a se vel explicanda vel refellenda; proferuntur hic absolute, et contra ipsius mentem asseruntur. Sic, exempli causa, in fine capitis primi, quod citata Tullii sententia subjicitur, « Quis huic gentili fortem charitatis affectum benevolentiæque operum expressit? » apud Aelredum eo pacto positum est, ut interlocutor dicat, « Charitatis vel benevolentiæ nomine quid ethnicus ille significare voluit, « non video; » tum Aelredus ipse respondeat, « Forte nomine charitatis, mentis affectum; benevolentiæ « vero, operis expressit effectum. » Et in capite quarto illud, « Sed multi abutuntur sapientia, » adeo alienum est ab Aelredi doctrina, ut ipse contra, nullum sapientia abuti, diserte ac præclare probet. Melius Aelredo usus est ipsius prope æqualis Petrus Blesensis, in suo de Amicitia christiana tractatu, qui Cassiodoro adscriptus aliquando fuit. In hunc ille tractatum transtulit ex Aelredi libris non pauca, tacito quidem ipsius nomine, sed tamen luculenta in Prologo admonitione consilium factumque suum professus his verbis: « De diversis, « inquit, scriptoribus quasi flores excipiens, ut mellificarem mihi, plurium tam veterum, quam modernorum « sententias de amicitia et dilectione Dei ac proximi in unum compendiosæ lectionis involucrum coarctavi. » Neque silentio prætereundum est, locum a Petro Blesensi laudato nominatim Augustino citatum in cap. 8. non subsequentis libri de Amicitia, uti ad oram libri in Petri Blesensis postrema editione male notatur, sed esse libri quarti Confessionum, cap. 8. Contulimus singula verba cum genuinis ac sinceris Aelredi libris, et ubi aliquid mutatum aut depravatum, annotare sategimus.

DE AMICITIA
LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Libri hujus scribendi occasio.* Cum essem adhuc puer in scholis, et sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, inter mores et vitia quibus illa ætas periclitari solet, tota se mens mea dedit affectui, et devovit amori: ita ut nihil mihi dulcius, nihil jucundius, nihil utilius, quam amari et amare videretur. Itaque inter diversos amores et amicitias fluctuans, rapiebatur animus huc atque illuc; et veræ amicitiæ legem ignorans, ejus sæpe similitudine fallebatur. Tandem venit mihi in manus liber quem de Amicitia Tullius scripsit, qui statim mihi et sententiarum gravitate utilis, et eloquentiæ suavitate dulcis apparebat. Et licet nec ad illud amicitiæ genus me viderem idoneum, gratulabar tamen quamdam me amicitiæ formulam reperisse, ad quam animi mei[1] et affectionum valerem revocare discursus. Cum vero placuit bono Domino meo corrigere devium, elisum erigere, salubri contactu mundare leprosum, relicta spe sæculi, ingressus sum monasterium; et statim legendis sacris Litteris operam dedi, ubi mellifluum Christi nomen meum sibi totum vindicavit affectum (*a*): ita quod nihil aliud potest mihi sapidum esse vel lucidum.

CAPUT II. *Inter quos sit amicitia vera.* Constat mihi, Tullium veræ amicitiæ ignorasse virtutem, cum ejus principium finemque Christum penitus ignoraverit: qui est alpha et omega, principium et finis omnium bonorum. Quid est amicitia? Tullius ait: *Amicitia est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensus.* Quis huic gentili fortem charitatis affectum, benevolentiæque operum expressit? Sed hæc vera amicitia non potest esse inter eos qui sine Christo sunt. Ab amore, ut mihi videtur, amicus dicitur: ab amico, amicitia. Est amor quidam animæ rationalis affectus, per quem ipsa aliquid cum desiderio quærit et appetit ad fruendum: per quem et fruitur eo cum quadam suavitate interiori, amplectitur et conservat adeptum. Porro amicus quasi amoris vel ipsius animi custos dicitur: quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi mei oportet esse custodem, ut omnia ejus secreta fideli silentio servet; quidquid in eo vitiosum viderit, pro viribus caveat et deleat[1]; cui et gaudenti congaudeat, et dolenti condoleat, et omnia sua consentiat, quæ[2] amici sunt. Amicitia igitur ipsa virtus est, quæ talis dulcedinis ac dilectionis fœdere ipsi amico copulatur, ut unum fiat de pluribus[3]. Unde ipsam amicitiam

[1] Apud Aelredum, *morum meorum.*

(*a*) Huc usque ex prologo Aelredi; deinceps usque ad cap. 5, ex primo ejus libro.

[1] Apud Aelredum, *curet et toleret.*

[2] Apud Aelredum, *et omnia sua esse sentiat quæ.*

[3] Apud Aelredum, *qua ipsi animi copulantur et efficiuntur unum de pluribus.*

non inter fortuita vel caduca, sed inter ipsas virtutes quæ æternæ sunt, etiam mundi hujus philosophi collocarunt. Unde Salomon in Proverbiis, *Omni tempore diligit qui amicus est* (*Prov.* XVII, 17) manifeste declarans eam æternam, si vera est. Si autem desierit, nunquam vera fuit. Hoc volo te scire, nunquam fuisse amicum, qui læsit eum quem in amicitiam semel recepit; nec eum veræ amicitiæ gustasse delicias, qui vel læsus desiit diligere quem semel amavit. Sed si arguatur, si tradatur flammis, si cruci affigatur, omni tempore diligit qui amicus est. Unde dicit Hieronymus : *Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit, cum amicitiæ debeant esse immortales* (*Epist.* 41, *ad Ruffin.*). Cum tanta sit in amicitia vera perfectio, non est mirum quod rari fuerunt hi, quos veros amicos antiquitas commendavit. « *Vix enim, ut ait Tullius, tria vel quatuor amicorum paria in tot retro sæculis fama concelebrat* » (*Lib. de Amic.* n. 15). « *Magna res est, ait quidam, et etiam*[1] *ipse conatus magnus est.* » Unde virtuosæ mentis est sublimia semper et ardua meditari, ut adipiscatur optata, vel lucidius intelligat et cognoscat optanda : cum non parum credendus sit profecisse, qui virtutis cognitione didicit quam longe sit a virtute. Nonne Pylades et Orestes parati fuerunt pro invicem mori? Sed majori virtutis amore pollebant de quibus legitur : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* (*Act.* IV, 32). Et sancti martyres pro fratribus animas posuerunt, non pepercerunt laboribus, non corporis cruciatibus. Sed mirum non est quod multo plures gremio charitatis quam amicitiæ amplexibus recipiendos divina sanxit auctoritas, quæ non solum amicos, sed etiam inimicos charitatis lege complectitur (*Matth.* V, 44). Amicos solos illos dicimus, quibus cor nostrum, et quidquid in illo est, committere non formidamus, illis vicissim nobis eadem fidei lege et securitate constrictis. Falso ergo præclarum nomen amicitiæ assumunt, inter quos est convenientia vitiorum : quoniam qui non amat, amicus non est. Non autem amat hominem, qui diligit iniquitatem : et hic odit animam suam, et alterius amare non poterit. Cum vero in tali amicitia, quam vel libido commaculat, vel avaritia fœdat, vel incestat luxuria, tanta et talis experiatur dulcedo; libet conjicere quantum habeat suavitatis illa, quæ quanto honestior est, tanto est et securior; quanto castior, tanto jucundior; quanto liberior, tanto et felicior.

CAPUT III. *Amicitia triplex : carnalis, mundialis, spiritualis et vera.* Amicitia itaque alia carnalis, alia mundialis, alia spiritualis. Carnalem creat vitiorum consensus, mundialem spes quæstus accendit : spiritualem inter bonos vitæ, morum, studiorumque similitudo conglutinat. Exordium carnalis amicitiæ ab affectione procedit, quæ instar meretricis divaricat pedes suos omni transeunti, sequens aures et oculos suos per varia fornicantes : per quorum aditus usque ad ipsam mentem pulchrorum corporum vel rerum voluptuosarum infertur imago, quibus ad libitum frui, putat esse beatum; sed sine socio, minus existimat esse jucundum. Tunc motu, nutu, verbis, obsequiis animus ab animo captivatur; et accenditur unus ab altero, et conterminantur[2] in unum, ut inito fœdere miserabili, quidquid sceleris, quidquid sacrilegii est, alter agat et patiatur pro altero : nihilque hac amicitia dulcius arbitrantur, vel judicant justius, idem velle et idem nolle sibi existimantes amicitiæ legibus imperari. Hæc amicitia nec deliberatione suscipitur, nec judicio probatur, nec regitur ratione; sed secundum impetum affectionis per diversa raptatur : non modum servans, non honesta procurans, non commoda incommodave prospiciens; sed ad omnia inconsiderate, indiscrete, leviter immoderateque progrediens. Idcirco quibus agitata furiis a semetipsa conteritur, eadem levitate resolvitur qua contrahitur. Amicitia mundialis, quæ rerum vel bonorum temporalium cupidine parturitur, semper est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; semper cum fortuna mutatur, et sequitur marsupium. Unde Salomon dicit : *Est amicus secundum tempus, et non permanebit in tempore tribulationis* (*Eccli.* VI, 8). Tolle spem quæstus, et statim desinet esse amicus. Unde quidam :

> Non est personæ, sed prosperitatis amicus
> Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Amicitia spiritualis, quam veram dicimus, non utilitatis cujusque mundialis intuitu, non qualibet extra nascente causa, sed ex propriæ naturæ dignitate, et humani pectoris sensu desideratur, ita ut fructus ejus præmiumque non sit aliud quam ipsa. Unde Dominus in Evangelio, *Posui vos*, inquit, *ut eatis, et fructum afferatis* (*Joan.* XV, 16); id est, ut invicem diligatis. In ipsa namque vera amicitia itur proficiendo, et fructus capitur perfectionis illius dulcedinem sentiendo. Vera charitas amicitia nuncupatur, ut omne vitium excludatur. Cum benevolentia dicitur, ipse consensus[1] amandi, qui cum quadam dulcedine movetur, interius exprimitur. Ubi talis est amicitia, ibi idem velle, et idem nolle; tanto dulcius, quanto sincerius; tanto suavius, quanto sacratius; ubi sic amantes nihil possunt velle quod dedeceat, nihil quod expediat nolle. Hanc amicitiam prudentia dirigit, justitia regit, fortitudo custodit, temperantia moderatur.

CAPUT IV. *Amicitiæ origo et progressus.* Amicitiæ primum, ut mihi videtur, ipsa natura humanis mentibus impressit affectum, deinde experientia auxit, postremo legis auctoritas ordinavit. Deus enim summe potens, et summe bonus, sibi est ipsi sufficiens, qui bonorum nostrorum non eget; voluit ut omnes creaturas suas pax componeret, et uniret societas. Ita natura mentibus humanis ab ipso exordio amicitiæ et charitatis impressit affectum, quem interiorum morum sensus[2] amandi quodam gustu suavitatis adauxit. Manifestum est amicitiam naturalem esse sicut virtutem, sicut sapientiam et cæteras virtutes. Sed multi abutuntur sapientia, qui pro ea aliquid inde suscipiunt, vel qui eam vendunt : sic aliqui male utuntur amicitia, qui pro ea aliquid appetunt, vel cum ea.

CAPUT V. *De amicitiæ fructibus.* (*a*) Quid utilitatis habeat, cum in rebus humanis nihil sanctius appetatur, nihil quæratur utilius, nihil difficilius inveniatur, nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur? Habet enim fructum vitæ præsentis et futuræ : ipsa enim omnes virtutes sua condit suavitate, vitia sua virtute confodit; adversa temperat, componit prospera : ita ut sine amico inter mortales nihil fere possit esse jucundum; et homo bestiæ comparetur, non habens qui secum collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur; cui evaporet, si quid molestum mens conceperit; cui communicet, si quid præter solitum sublime vel livosum[3] accesserit. *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* (*Eccle.* IV, 10). Solus omnino est, qui sine amico est. At quæ felicitas, quæ securitas, quæ jucunditas est, habere cum quo æque audeas loqui, ut tibi; cui confiteri non timeas, si quid deliqueris; cui non erubescas revelare, in spiritualibus si quid profeceris; cui cordis tui omnia secreta committas, et commendes consilia? Quid igitur jucundius, quam ita unire animum[4] alterius, et unum efficere de duobus, ut nulla jactantia timeatur, nulla formidetur suspicio; nec correptus alter ab altero doleat; nec laudantem alter alterum adulationis notet vel arguat? *Amicus*, ait Sapiens,

[1] Aelredus: *Magnarum rerum, ait quidam, etiam.*
[2] Aelredus, *conflantur.*

[1] Aelredus, *sensus.*
[2] Apud Aelredum, *interior mox sensus.*
[3] Aelredus, *luminosum.*
[4] Apud Aelredum, *animo.*
(*a*) Ex Aelredi libro secundo.

medicamentum est vitæ (*Eccli.* VI, 16). Non enim validior vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quam habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans : ut junctis sibi humeris, onera sua invicem tolerent, et quod unusquisque proprium levius, quam amici portet [1] injuriam. Amicitia ergo secundas res facit splendidiores, adversas partiens communicansque reddit leviores. Nam et philosophis etiam placuit. Non aqua, non sole, non igne pluribus locis utimur, quam amico ; in omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet eventu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, in omni consultatione, domi forisque, ubique amicitia grata, amicus necessarius, utilis gratia reperitur. « Quocirca amici, ait Tullius, et absentes adsunt sibi, et egentes abundant, et imbecilles valent : et, quod difficilius est dictu, mortui vivunt » (*Cicero de Amicitia*, n. 23). Igitur amicitia est divitibus pro eleemosyna [2], exsulibus pro patria, pauperibus pro censu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, sanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio. Tantus eam amicos honor, memoria, laus, desideriumque prosequitur, ut et eorum vita laudabilis, et mors pretiosa judicetur : et quod his omnibus excelsius, quidam gradus est amicitia vicinus perfectioni quæ in Dei dilectione et cognitione [3] consistit, ut homo ex amico hominis Dei efficiatur amicus. In Evangelio : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV, 15). In amicitia quippe nihil inhonestum est, nihil fictum, nihil simulatum : et quidquid est, id sanctum et voluntarium et verum est; et hoc ipsum charitatis proprium est. In amicitia conjunguntur honestas et suavitas, veritas et jucunditas, dulcedo et voluntas, affectus [4] et actus. Quæ omnia a Christo inchoantur, per Christum promoventur, in Christo perficiuntur. Itaque amicus in spiritu Christi adhærens amico, efficitur cum eo cor unum et anima una, et sic per amoris cantica gradu [5] ad Christi conscendens amicitiam, unus cum eo spiritus efficitur in osculo uno. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui* (*Cant.* I, 1).

CAPUT VI. *Osculum corporale quando adhibendum. Osculum spirituale.* Est osculum corporale, quod impressione fit labiorum, quod non est ostendendum, nisi certis et honestis causis : ut in signum reconciliationis, quando fiunt amici qui fuerunt inimici : in signum pacis, sicut communicaturi in ecclesia interiorem pacem exteriori osculo demonstrant. In signum dilectionis inter sponsum et sponsam fieri permittitur, vel sicut ab amicis post diuturnam absentiam et porrigitur et suscipitur. In signum catholicæ unitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. Sed sicut plerique aqua, igne, ferro, cibo et aere, quæ naturaliter bona sunt, in suæ crudelitatis vel voluptatis satellitium abutuntur; ita perversi et turpes, et hoc bono suo quodam modo flagitia condire nituntur, ipsum osculum tanta turpitudine fœdantes, ut sic osculari nihil sit aliud quam adulterari. Porro osculum spirituale proprie amicorum est, qui sub una lege amicitiæ tenentur. Non enim fit oris attactu, sed mentis affectu; non conjunctione labiorum, sed commixtione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, et ex sui participatione cœlestem immittente saporem. Nam ipse hunc sacratissimum inspirat affectum, ut videatur alteri quasi unam animam habere in diversis corporibus. Psalmista : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). Anima sic affecta ad osculum intellectuale suspirat, et cum maximo desiderio clamans, *Osculetur me osculo oris sui* : ut jam terrenis affectibus mitigatis, et omnibus quæ de mundo sunt cogitationibus desideriisque sopitis, in solius Christi delectetur osculo, et quiescat amplexu, exsultans et dicens, *Læva ejus sub capite meo* (*Cant.* II, 6).

CAPUT VII. *Amicitia quid.* Ego amicitiam nihil aliud credo (a), quam inter duos tantam voluntatum societatem, ut nihil velit unus, quod alter nolit : sed tanta sit inter utrosque in bonis malisque consensio, ut non species, non census, non honor, non quidquam quod alterius sit, alteri denegetur ad fruendum pro voluntate, et ad utendum [1], ut unusquisque sicut erga se ipsum, sic afficiatur erga proximum, in omni officio et obsequio quod rependant vicem, et fugiantur honores. Inter bonos oriri potest amicitia, inter meliores proficere, consummari autem inter perfectos. Quamdiu enim quemquam in [2] studio malum delectat, et inhonesta honestis præponit, et ei voluptas gratior est puritate, temeritas moderatione, adulatio correptione ; quomodo ad amicitiam eum fas est aspirare, cum ortus ejus ex virtutis opinione procedit? Fœdus est amor, nec amicitiæ nomine dignus, quo turpe aliquid ab amico exigitur : quod necesse est eum facere, qui necdum vitiis aut sopitis aut depressis, ad quælibet illicita vel illicitur, vel compellitur. Nulla peccati est excusatio, si amici causa peccaveris. Jonadab quoque amicus Amnon salubrius prohibuisset incestum, quam quod [3] potiretur optato, præbuisset consilium (II *Reg.* XIII, 5). Nos bonum hominem dicimus, qui sobrie et juste et pie vivit in hoc sæculo, nihil a quolibet inhonestum petit, nec rogatus præstat : inter tales oriri potest et conservari amicitia.

CAPUT VIII. *Amicitiæ sunt et nævi. An ideo abnuenda.* Quidam dicunt cavendam esse amicitiam, rem plenam sollicitudinis atque curarum, nec timoris vacuam, et multis obnoxiam doloribus, nihilque difficilius quam custodire usque ad extremum diem. Sic [4] judicant cum Tullio amare, ut possint odire cum velint : sic placet amare hodie, ut cras oderint : sic amicus esse, ut nulli sit fidus, nunc laudans, nunc vituperans, nunc blandiens, nunc mordens; hodie paratus ad oscula, cras ad opprobria. Amor talium levissima recedit offensa. De his Tullius : « Solem, inquit, e mundo tollere videntur, qui amicitiam de vita tollunt ; qua nihil a Deo melius habemus, nihil jucundius » (*De Amicitia*, n. 47). Qualis sapientia est amicitiam detestari, ut sollicitudinem caveas, curis careas, exuaris timore ? quando virtus nulla sine sollicitudine, aut prudentia contra errores, vel temperantia contra libidines, vel justitia contra malitiam, aut fortitudo contra ignaviam pugnat. Quis ergo hominum, maxime adolescentium, sine dolore aut timore tueri pudicitiam, vel lasciventem refrenare potest affectum? Stultus fuit Paulus, qui noluit sine [5] cura et sollicitudine vivere, sed intuitu charitatis, quam virtutem maximam credidit, infirmabatur cum infirmis, et cum scandalizatis urebatur (II *Cor.* XI, 28 *et* 29)? Sed et tristitia illi erat, et continuus dolor cordi ejus pro fratribus suis secundum carnem (*Rom.* IX, 2). Ego eos non tam homines quam bestias dixerim, qui sic dicunt esse vivendum, ut nulli consolationi sint, nulli etiam oneri vel dolori : qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua aliis perversitate inferant, amare nullum, amari a nullo curantes.

CAPUT IX. *Amicitia puerilis.* Est amicitia puerilis, quam vagus et lasciviens creat affectus, sine ratione, sine pondere, sine mensura, sine alicujus commodi vel incommodi consideratione. Hæc ad tempus vehementer afficit et stringit, blandius allicit. Sed affectus sine ratione, motus bestialis est, ad quæque illicita pronus. Et licet amicitiam promoveat [6] affectus, non

[1] Apud Aelredum, *onera sua invicem tollerent, nisi quod unusquisque proprium levius, quam amici portat.*
[2] Apud Aelredum, *gloria*.
[3] Apud Aelredum, [illegible]
[4] Ex Aelredo addit [illegible], *veritas*, et, *affectus*.
[5] Aelredus, [illegible]

[1] Aelredus, *abutendum*.
[2] Aelredus, *ex*.
[3] Aelredus *quo*.
[4] Aelredus addit, *iniquus*; nec habet, *cum Tullio*.
[5] Abest ex Aelredo, [illegible]
[6] Aelredus, *præcedat*.
(a) Aliter sentit ac credit Aelredus.

est sequendus, nisi cum ratio ducat, et honestas temperet, et regat justitia. In pueris magis regnet talis affectus. Affectus [1] infidus et instabilis et impuris mixtus semper amoribus, ab iis quos spiritualis amor delectat caveatur, nam venenum est.

CAPUT X. *Amicitia spiritualis. Vera Amicitiæ fons. Amoris origo.* Primordia amicitiæ spiritualis primum intentionis habeant puritatem, rationis magisterium, temperantiæ frenum : et sic suavissimus accedens affectus, ita profecto sentietur dulcis, ut esse nunquam desinat ordinatus. Quid sit vera amicitia, nondum novit, qui aliam vult esse mercedem quam ipsam. Nam cum multas et magnas utilitates pariat amicitia fida bonorum, non illam tamen ab istis, sed ab illa istas procedere non ambigimus. Cum in bonis semper præcedat amicitia, sequatur utilitas : profecto non tam [2] parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. Nihil est negandum amico; omnia pro eo sustinenda sunt : et vita corporis ponenda est pro amico, ut sanxit divina auctoritas (*Joan.* xv, 13).

(*a*) Fons et origo amicitiæ amor est : nam amor sine amicitia esse potest, amicitia sine amore nunquam. Amor vero ex natura, aut ex officio, vel ratione sola, vel solo affectu, nonnunquam ex utroque simul procedit. Ex natura, sicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati et accepti, quodam speciali affectu conjunguntur. Ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex præcepti necessitate diligimus (*Matth.* v, 44). Ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola, quæ corporis sunt, verbi gratia, pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, sibi quorumdam inclinat affectum. Ex ratione simul et affectu, quando is quem ob virtutis meritum ratio suadet amandum, morum suavitate, et vitæ laudandæ dulcedine in alterius influit animum : et sic ratio jungitur affectui, ut amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu.

CAPUT XI. *Amicitiæ fundamentum.* Fundamentum amicitiæ, Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit vel affectus, omnia quæ vel occulte aliquis spiritus, vel palam quislibet suadet amicus, referenda sunt. Diligenter inspiciendum, ut quidquid astruitur, fundamento conveniat; et quidquid illud excedere deprehenditur, ad ejus formam revocandum, et secundum ejus qualitatem omnimodam convertendum non dubites.

CAPUT XII. *Delectus amici.* Nec omnes tamen quos diligimus, in amicitiam sunt recipiendi; quia nec omnes sunt ad hoc idonei. Nam cum amicus tui consors sit animi, cujus spiritui tuum conjungas et applices, et ita misceas, ut unum fieri velis ex duobus, cui te tanquam tibi alteri committas, cui nihil occultes, a quo nihil timeas; primum certe eligendus est qui ad hæc aptus putetur, deinde probandus, et sic demum admittendus. Stabilis enim debet esse amicitia, et quamdam æternitatis speciem præferre, semper perseverans in affectu; non puerili modo amicos mutare aut lædere. Nemo autem detestabilior, quam qui amicum læserit; nihilque magis animum torquet, quam vel deseri ab amico vel impugnari [3] : sed eligendus est, et probandus, et tolerandus. Quatuor sunt gradus, quibus ad amicitiæ perfectionem conscenditur : quorum primus est electio; secundus, probatio; tertius, admissio; quartus, rerum divinarum et humanarum cum quadam charitate et benevolentia summa consensio. Sunt vitia quædam, quibus si quis fuerit involutus, non diu leges amicitiæ vel jura servabit. Non enim ad amicitiam sunt idonei nimis iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi : quæ quatuor in electione amici notanda sunt. Difficile est eum quem sæpe iracundiæ furor exagitat, non aliquando insurgere in amicum. Unde Ecclesiasticus : *Est amicus qui odium et rixam et convicia denudabit* (*Eccli.* vi, 9). *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne sumas scandalum animæ tuæ* (*Prov.* xxii, 24, 25). Sunt quidam ex naturali complexione iracundi, qui tamen hanc ita comprimere et temperare solliciti [4] sunt passionem, ut in quinque, quibus teste Scriptura amicitia dissolvitur atque corrumpitur, nunquam prosiliant, quamvis nonnunquam amicum sermone, vel actu, vel zelo nimio offendant. Tales tolerandi sunt : et cum nobis constet de affectu certitudo, si quis fuerit vel sermonis vel actionis excessus, amico indulgendum est, vel certe sine aliquo dolore, jucunde insinuet, in quo excesserit commonendus.

CAPUT XIII. *De causis dissolvendæ amicitiæ. — Qui convitiatur autem amico, dissolvit amicitiam. Ad amicum si produxerit [2] gladium, non desperes, si protulerit os triste, non timeas. Est enim reversio ad amicum. Excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa : in his omnibus effugiet amicus* (*Eccli.* xxii, 25-27). Convicium quippe lædit famam, charitatem exstinguit. Tanta est enim hominum malitia, ut quidquid ira instigante ab amico jaculatum fuerit in amicum, quasi a secretorum suorum [3] conscio, si non credatur, verum tamen esse clametur : multi enim sicut propriis laudibus, ita in aliorum vituperationibus delectantur. Quid scelestius improperio? quod etiam falsa objectione innocentis faciem miserando rubore perfundit. At superbia quid minus ferendum? quæ solum id quod fractæ [4] amicitiæ subveniendum fuerat, humilitatis et confessionis excludit remedium, reddens hominem audacem ad injuriam, tumidum ad correptionem. Secretorum revelatio, qua nihil est turpius, nihil exsecrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine, et indignationis, et odii, atque doloris felle cuncta aspergens. Salomon : *Qui denudat arcana amici, perdit fidem* [5]. Quid enim infelicius illo qui perdit fidem, et desperatione languescit? Unde *denudare amici arcana, desperatio est animæ infelicis* (*Id.* xxvii, 17, 24). Plaga dolosa est occulta detractio; plaga serpentis est et aspidis mortifera. Salomon : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit* (*Eccle.* x, 11). Quemcumque in his vitiis assiduum inveneris, cavendus tibi est ille, nec, donec sanetur, eligendus est. Abjuremus convicia, quorum ultor est Deus. Semei David conviciis impetens, a Salomone occisus est (III *Reg.* ii, 44-46). Infelix Nabal carmelus David servitutem et fugam improperans, a Domino percuti meruit et occidi (I *Reg.* xxv, 38). Vitemus et superbiam, et amici gratiam humilitatis beneficio præveniamus [6]. Ob hanc causam populum, et urbes filiorum Ammon, gladius David et ignis consumpsit (II *Reg.* x). Amicorum revelare secreta, sacrilegium est, quo fides amittitur et animæ captivatæ desperatio importatur : ut patet in Achitophel proditore (*Id.* xvi, 23). Detrahere amico, venenum amicitiæ putemus, quod Mariæ sororis Moysi corpus lepra fœdavit, et ejecta est extra castra sex diebus (*Num.* xii).

CAPUT XIV. *Qui minus idonei ad amicitiam.* Cavendi sunt etiam instabiles et suspiciosi; quia cum fructus amicitiæ sit securitas, quomodo [7] te credis et committis amico, quomodo in ejus amore aliqua poterit esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio, cujus affectus molli luto comparatus, diversas et contrarias tota die pro arbitrio imprimentis suscipit et format imagines? Quid magis competit amicitiæ, quam pax et tranquillitas cordis, cujus semper expers est suspiciosus? Nunquam enim requiescit. Semper eum curiositas comitatur, quæ continuos stimulos acuens, inquietudinis

[1] Adde ex Aelredo, *talis ut.*
[2] Adde hic cum Aelredo, *utilitas.*
[3] Alias, *vel se ab amico impugnari.*
(*a*) Reliqua decerpta sunt ex Aelredi libro tertio.

[1] Alias, *soliti.*
[2] Aelredus, *etiamsi produxerit.*
[3] Supple ex Aelredo, *prolatum.*
[4] Aelredus, *quo factæ.*
[5] Addenda hic et mutanda quædam ex Aelredo.
[6] Alias, *repetamus*
[7] Alias, *qua.*

et perturbationis materias subministrat. Si viderit amicum secretius loquentem cum aliquo, proditionem putabit. Si se benevolum alteri præbuerit vel jucundum, ille se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Sed nec verbosum arbitror eligendum; quia vir linguosus non justificabitur. Salomon : *Vides hominem promptum ad loquendum, magis illo spem habet stultus* (*Prov.* XXIX, 20).

CAPUT XV. *Qui idonei. Amicitia dissuenda, non rumpenda.* Hic ergo tibi eligendus est in amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas dividat, non conterat suspicio, non verbositas a debita gravitate dissolvat. Præcipue utile est ut eum eligas, qui tuis conveniat moribus, tuæ congruat qualitati. Nam inter dispares mores firma non potest esse amicitia (*a*) : et ideo sibi convenire debet utriusque gratia. Multi sunt qui his passionibus moventur, sed superiores inveniuntur : quia iracundiam patientia comprimunt, levitatem servata gravitate cohibent, suspiciones dilectionis contemplatione compellunt. Quos in amicitiam quasi extractos [1] assumendos dixerim, qui vitia virtute vincentes, tanto securius possidentur, quanto fortius etiam tentantibus vitiis resistere consuerunt. Cavendum est in ipsa electione vel dilectione, ne nimis cito diligamus, maxime indignos. Digni sunt amicitia, quibus inest causa cur diligantur.

Sed in his qui probati dignique putantur, erumpunt sæpe vitia, tam in ipsos amicos, quam in alienos; quorum cum ad amicos redundat infamia, talibus est adhibenda diligentia, ut sanentur. Et si impossibile est, non statim rumpenda est amicitia, sed dissuenda : ut ait quidam, « Dissuendæ sunt amicitiæ, non rumpendæ omnino » (*Cicero de Amicitia, n.* 76). Amicitia æterna est : unde, *Omni tempore diligit, qui amicus est* (*Prov.* XVII, 17). Si te læserit ille quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit ut amicitia retrahatur, nunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti, [2] prospice famæ : nec unquam amicitiæ ejus prodas secreta, quamvis ipse tua prodiderit.

CAPUT XVI. *De læsione eorum qui diligendi sunt.* Quinque illa quæ ante scripsimus, convicium, improperium, superbiam, revelationem secretorum, et occultos morsus detractionum [3]; his sextum addimus, si eos qui diligendi sunt læserit, et scandali materiam præbuerit, ubi vitiorum ipsorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati multorum, nec saluti. Hoc scitote inter perfectos sapienter electos et caute probatos, quos vera et spiritualis amicitia copulavit, non posse venire dissidium. Cum enim amicitia de duobus fecerit unum, sicut id quod unum est, non potest dividi, sic et amicitia a se non potest separari. Sed virtus in hoc probatur, quod diligit a quo non diligitur; honorat a quo spernitur; benedicit a quo maledicitur; benefacit ei qui sibi malum machinatur.

CAPUT XVII. *Ad amicitiam quatuor requiruntur.* Ad amicitiam quatuor pertinere specialiter videntur : scilicet dilectio et affectio, securitas et jucunditas. Ad dilectionem spectat, cum benevolentia beneficiorum exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore et suspicione omnium consiliorum et secretorum revelatio. Ad jucunditatem, de omnibus quæ contingunt, sive læta sint, sive tristia; de omnibus quæ cogitantur, sive nociva sint, sive utilia; de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis et amica collatio. Ista perdit qui solvit amicitiam.

CAPUT XVIII. *In amico probanda quatuor.* Quatuor probanda sunt in amico : fides, intentio, discretio, patientia. Fides, ut ei te secure committas. Intentio, ut nihil ex amicitia nisi Deum et naturale ejus bonum exspectes. Discretio, ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum pro eo, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendum, modum, tempus et locum non ignores. Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, ut eum pro amico quælibet adversa sustinere non pigeat.

CAPUT XIX. *Fides amicitiæ.* Nihil in amicitia fide præstantius, quæ ipsius nutrix videtur et custos. Ipsa se in omnibus adversis et prosperis, lætis et tristibus, jucundis et amaris præbet æqualem : eodem intuens oculo humilem et sublimem, pauperem et divitem, fortem et debilem. Fidelis proprie amicus nihil in amico, quod extra ejus animum, intuetur : virtutem in propria sede complectens, cætera omnia quasi extra eum posita, nec multum probans si adsint, nec cum absint requirens. Ipsa tamen fides in prosperis latet, sed eminet in adversis. In necessitate probatur amicus. *Amici divitis multi* (*Prov.* XIV, 20) : sed utrum veri amici sint, interveniens adversitas probat. Salomon : *Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur* (*Id.* XVII, 17). Et arguens infidelem, dicit : *Dens putridus, et pes lapsus, qui sperat super infideli in die angustiæ* (*Id.* XXV, 19).

CAPUT XX. *Intentio.* Diximus etiam intentionem esse probandam. Sunt plerique, qui in rebus humanis nihil norunt bonum, nisi quod temporaliter fructuosum sit. Hi amicos sicut boves suos diligunt, ex quibus aliquid boni se sperant capturos : qui profecto germana et spirituali carent amicitia, propter Deum et se expetenda; nec in se ipsis naturale contuentur exemplar, ubi facile deprehenditur vis ejus qualis sit et quanta, secundum formam quam sermo divinus præscripsit, *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII, 39). Tunc erit ipse quem diligis alter tu, si tuam in ipsum transfuderis charitatem. « Non enim, ut ait Ambrosius, vectigalis est amicitia, sed plena decoris, plena gratiæ » (*De Offic. lib.* 3, *cap.* 21). Virtus est, non quæstus : quia pecunia non parturitur, sed gratia; nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ. Non debet esse mercenaria, sed gratuita. Certiores sunt amicitiæ inopum, quam divitum, cum spem lucri sic tollit paupertas, ut augeat charitatem. Divitibus plerique assentatorie gratificantur; erga pauperem nemo simulator est : verum est quidquid defertur pauperi; ejus amicitia invidia caret.

CAPUT XXI. *Discretio.* Quidam perverse et indiscrete talem amicum habere volunt, quales ipsi esse non possunt. Hi sunt qui leves amicorum transgressiones impatienter ferunt, austere corripiunt, et carentes discretione magna negligunt, contra quæque minima se erigunt, confundunt omnia, non locum servantes, ubi; non tempus, quando; non personas, quibus quælibet vel publicare conveniat, vel celare. Circa illum quem eligis, probanda est discretio, ne improvidum vel imprudentem tibi sumas, et lites quotidianas et jurgia tibi ipse perquiras. Si quis sine discretione fuerit, sicut navis, absque gubernaculo pro impetu suo instabili motu semper feretur.

CAPUT XXII. *Patientia. Quid in amico seligendo curandum.* Patientia probanda est, cum necesse erit arguere quem diligis : quod aliquando quasi ex industria durius fieri oportet, ut sic ejus probetur vel exerceatur tolerantia.

Non quandoque in amicis eligendis tædeat esse sollicitum, cum hujus laboris fructus sit vitæ medicamen, et immortalitatis fundamentum. Cavendus est quidam impetus amoris, qui præcurrit judicium, et probandi adimit potestatem. Est proinde viri prudentis, suscitatum hunc refrenare impetum, ponere modum benevolentiæ; paulatim procedere in affectum, donec jam probato se totum det et committat amico. Hæc est magna felicitas, quam exspectamus Deo operante et infundente, inter se et creaturam suam, inter ipsos

[1] Apud Aelredum, *exercitatiores*.

[2] Aelr., *ejus*.

[3] Apud Aelredum interlocutor : *Quæ sunt, rogo, illa vitia pro quibus amicitiam putas dissolvendam?* Cui Aelredus : [illegible], *maxime autem revelatio secretorum, et occulti morsus*, etc.

(*a*) Ambros. lib. 3 de Off., cap. 21.

gradus et ordines quos elegit, esse tantum amicitiam et charitatem, ut sic quisque diligat alium sicut seipsum; et sicut unusquisque de propria, sic de alterius felicitate lætetur; et ita singulorum beatitudo, sit omnium, et omnium beatitudinum universitas singulorum. Ibi nulla cogitationum occultatio, nulla affectionum dissimulatio. Hæc est vera amicitia, quæ hic inchoatur, ibi perficitur; quæ hic est paucorum, ibi omnium, ubi omnes boni. Hic est necessaria probatio, ubi est sapientum et stultorum commixtio.

CAPUT XXIII. *Non pariter admittendi omnes.* Plerosque omni affectu amplectimur, quos tamen ad amicitiæ secreta non admittimus, nec ad consiliorum revelationem. In Evangelio Christus de discipulis suis, quos de servis amicos fecit, ait : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* xv, 15). Ambrosius [1] : *Dedit formam amicitiæ quam sequamur, ut amici faciamus voluntatem, et aperiamus secreta nostra illi quæcumque in pectore habemus, et illius arcana non ignoremus* (*De Offic. lib.* 3, *cap.* 21). Nihil enim occultat amicus : si verus est, effundit animum suum, sicut effundebat mysteria Patris sui Dominus noster Jesus Christus.

CAPUT XXIV. *De cultu amicitiæ.* Quemadmodum amicitia sit colenda, videamus. Firmamentum ergo stabilitatis et constantiæ in amicitia est fides : nihil enim est stabile quod infidum est. Non fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum : neque qui non eisdem rebus moventur, nec eisdem consentiunt, stabilis esse possunt amicitiæ aut fidei. Præ omnibus cavenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum. Non unquam de amico mala sentiamus, nec mala dicenti credamus. Accedat hinc in sermone jucunditas, hilaritas in vultu, suavitas in moribus, in oculorum etiam nutu serenitas. Tristitia namque et severior facies habet quamdam honestam gravitatem : sed amicitia quasi remissior aliquando debet esse, et liberior, et dulcior, ad comitatem facilitatemque sine levitate et dissolutione proclivior. Est præterea jus amicitiæ, parem esse inferiori superiorem. Sæpe quidam inferioris gradus et ordinis, dignitatis et scientiæ, ab excellentioribus assumuntur in amicitiam : ita ut sublimis descendat, humilis ascendat, dives egeat, pauper ditescat, et ita unusquisque alteri suam conditionem communicet, ut fiat æqualitas. Unde *qui multum habuit, non abundavit ; et qui modicum, non minoravit* (II *Cor.* viii, 15). Nunquam tuo te præferas amico : sed si forte in iis quæ diximus superior inveniris, tunc te magis amico submitte. Non cuncteris præstare confidentiam, extollere verecundum, et tanto plus ei conferre honoris quanto minus conferendum conditio vel paupertas præscribit. Jonathas enim fœdus iniit cum David, et servulum in amicitiam adæquans domino, fugatum a patre, sic adjudicatum morti, neci destinatum, sibi prætulit, se humilians, et illum exaltans : *Tu*, inquit, *eris rex, et ego ero secundus post te* (I *Reg.* xxiii, 17). Si non ut dominum tibi videtur præferre [2] eum quem diligis, vel parem facere cum tibi non negligas. Non enim amicitia recte colitur, a quibus æqualitas non servatur. Defer amico ut æquali, nec te pudeat ut prævenias eum officio (*a*). Amicitia enim nescit superbiam. Fidelis quippe amicus medicamentum est vitæ.

CAPUT XXV. *Amicitiæ lex in petendis et dandis.* Hæc est igitur lex in amicitia, ut ab amicis honesta petamus, et pro eis honesta faciamus, nec exspectemus ut rogemur : cunctatio semper absit, studium semper adsit. *Perde*, inquit Salomon, *pecuniam propter amicum* (*Eccli.* xxix, 13). Si enim pecunia perdenda est propter amicum, multo magis amici utilitatibus vel necessitatibus conferenda. Sic igitur des amico, ut non improperes, non mercedem exspectes, non frontem obducas, non vultum avertas, non depo-nas oculos, sed serena fronte, hilari vultu, sermone jucundo, ... verba prævenire benevolentia, et ... quod petitur. Ingenuus animus nihil magis erubescendum existimat, quam rogare. Cum ergo tibi cum amico tuo unum debeat esse cor et anima una, injuriosum est, si non sit et pecunia una. Sic ergo sibi invicem impendant, ut qui dat, servet hilaritatem ; qui accipit, non perdat securitatem.

CAPUT XXVI. *Quid sibi impendere debeant amici.* Sunt in amicitia aliqua in quibus sibi adesse possunt amici. Primum ut solliciti sint pro invicem, orent pro invicem, erubescant alter pro altero, alter gaudeat pro altero, alterius lapsum ut suum doleat. (*a*) [Suo dilecto suus ille qui diligitur. Inter variabiles fortunæ casus et in varietate mutabilium, nihil utique a sapientibus potius, benignius, suavius ac honestius æstimatur, quam veram amicitiam invenire. Quod tenere diligimus, id videndi desiderio æstuamus. Ea namque est vis amoris, ut oculis mentis offerat, quod ardentius mens desiderat. Occurrunt enim notæ tuæ, verba tua melle condita. Occurrit felicium noctium jucunditas, quæ me mihi furantur, et studio, et labori. In media namque lectione te somnio, in somnis amplector te, in amplexibus te amitto, et te et somnio cum sua fallacia discedente. Medere ergo desideriis, medere absentiæ : diligentem te dilige, atque remedium id nostri furoris, ut sciant qui te diligunt me amare. Minus enim amor habet amoris, ubi se sentit qui diligit non amari. Amicorum enim est, invicem sua negotia agnoscere, et suis opportunitatibus mutuam vicissitudinem impendere. Non est amicus, qui amico non subvenit ; nec etiam bonus socius, qui socii adversum parum lugeat, alterius profectum non suum æstimet.] Quibus modis impendi [1] potest, erigat pusillanimem, suscipiat infirmum, consoletur tristem, iratum sustineat. Sic oculos vereatur amici, ut nihil quod inhonestum sit agere, nihil quod deceat loqui præsumat. Nam quidquid ipse deliquerit, in amicum redundat.

CAPUT XXVII. *Correptio amici.* Quidquid suadendum est, ab amico facilius recipitur, et facilius retinetur : cujus magna debet esse in suadendo auctoritas, cum nec fides ejus dubia, nec adulatio sit suspecta. Non solum arguendi [2] sunt amici, sed si opus fuerit, objurgandi. Objurgandus est amicus, si veritatem aspernatur, et obsequiis atque blanditiis in crimen appellatur. Sed monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat. Ambrosius : « Si quid vitii in amico deprehenderis, corripe occulte ; si te non audierit, corripe palam » (*De Off. lib.* 3, *cap.* 21). Sunt enim bonæ correptiones, et plerumque meliores quam tacita amicitia : et si lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula (*Prov.* xxvii, 6). Debet amicus amico compati et condescendere, vitium ejus suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, et sermo dejectior. Intercipiant verba lacrymæ, ut non solum videat, sed et sentiat correptionem ex amore, et non ex rancore procedere. Amicus amico se ita conformet, ut ejus congruat [3] qualitati : et cui in exteriori adversitate debet adesse, multo magis spiritui occurrere. Moneri et monere non repugnant (*b*), non adulatorie, non simulatorie, sed vere. Nam *simulator ore decipit amicum suum* (*Id.* xi, 9).

CAPUT XXVIII. *Epilogus.* Præstemus amico quidquid amoris est, quidquid gratiæ, quidquid dulcedinis, quidquid charitatis. Subtiles honores [4] et onera illis quos præscripserit ratio, imponamus : scientes quia nunquam vere diligit, cui amicus ipse non suffi-

[1] Apud Aelredum : *De his verbis, ut sanctus ait Ambrosius, dedit*, etc.

[2] Legendum : *Si durum tibi videtur ut dominum præferre.*

(*a*) Vid. Ambros. lib. 3 de Offic., cap. 21.

[1] Abundat verbum, *impendi*, nec est in Aelredo.

[2] Aelr., *monendi.*

[3] Aelr., *congruit.*

[4] Aelr., *futiles.*

(*a*) Additamentum collectoris.

(*b*) Locus corruptus.

cit, nisi hæc vilia et contemptibilia abjecerit [1]. Cavendum est ne tenerior affectus majores utilitates impediat, dum eos quos ampliori charitate complectimur, si nequaquam spes fructus uberioris eluceat, nec absentare volumus nec onerare. Hæc est enim amicitia ordinata, ut ratio regat affectum, nec tam quid illorum suavitas, quam quid multorum petat utilitas, attendamus. Qui semetipsum non amat, alium amare non potest. Se autem non diligit, qui turpe aliquid vel inhonestum, vel a se exigit, vel sibi imperat. Primum ergo est, ut semetipsum quisque castificet, nihil sibimet indulgens quod indecens sit, nihil subtrahens quod utile sit. Sed quia hic amor multos diligit [2], ex ipsis eligat quem ad amicitiæ secreta lege familiari admittat, in quem copiose suum infundat affectum, denudans pectus suum usque ad inspectionem viscerum, medullarum, cogitationum et intentionum cordis. Non eligatur secundum affectionis lasciviam, sed secundum perspicaciam rationis similitudinem morum, et contemplationem virtutum. Sic se impendat amico, ut levitas omnis absit, jucunditas adsit, nec ordinata desint benevolentiæ et charitatis obsequia vel officia. Probetur fides ejus, honestas et patientia. Accedat amicorum consiliorum communio, assiduitas parium studiorum, et quædam conformatio vultuum. Hic electus et probatus nihil velit quod dedeceat, vel petere ab amico, vel præstare rogatus. Amicitiam virtutem putare [1], non quæstum; adulationem fugere, detestari assentationem; [2] liber in discretione, patiens in correptione, firmus et stabilis in dilectione: utile tunc dolere pro invicem, laborare, onera sua portare, pro altero semetipsum negligere, alterius voluntatem suæ præferre, illius necessitati magis quam suæ occurrere, adversis semetipsum opponere et exponere; dulce [3] ad invicem conferre, studia sua mutuo patefacere. Accedit pro invicem oratio, quæ in amici memoria tanto efficacius, quanto affectuosius admittitur, profluentibus lacrymis, quas vel timor excutit, vel affectus elicit vel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, ipsum desideranter et diligenter intendit: cum subito transiens affectus in affectum, et ipsius Christi dulcedinem tangens, incipit gustare quam dulcis est, et sentire quam suavis. Ita a sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens quo amplectitur Christum, spiritualem amicitiæ fructum capit.

[1] Aelredus, *adjecerit.*
[2] Alias, *colligit.*

[1] Leg. [illegible] *m constiterit amicitiam eum virtutem putare.*
[2] Add [illegible] *rentusque.*
[3] Aelr. [illegible] *um dulce habent.*

ADMONITIO
IN LIBRUM DE SUBSTANTIA DILECTIONIS.

Constat iste libellus opusculis in unum confusis duobus, quæ in scriptis libris non sic loco junguntur, quin a se invicem suo saltem præfixo cuique titulo separentur. Opusculum primum, cui titulus est, *De Substantia Dilectionis*, desinit ad ultima verba capitis quarti, et Augustini raro admodum, Hugonis autem plerumque nomen in Mss. exemplaribus præfert: et sane exstat inter opera nomine Hugonis vulgata, libro scilicet assutum, qui appellatur, Institutiones catholicæ in Decalogum. Alterum opusculum ab illis verbis capitis quinti incipiens, *Vita cordis amor est*, etc., titulum sine auctoris nomine hunc vel similem habet: *Quod vita cordis sit amor*. Hoc etiam cum operibus Hugonis editum est in lib. 1 Miscellaneorum, tit. 170 vel 171 eruditionum theologicarum. Nonnulla in hoc libello carpit Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano, sed quæ sane haud aliena sunt ab Hugone Victorino. Illud, exempli gratia, quod censura dignum putat, quia dicitur *Deus operatus opera restaurationis humanæ partim per homines, partim per angelos, partim per semetipsum*, aliquoties repetit Hugo in libro 4 de Arca morali, capp. 3, 5, 9, et in lib. 2 de Vanitate mundi, etc. Postremo Trithemius abbas inter Hugonis opera censet librum de Substantia Dilectionis.

DE SUBSTANTIA DILECTIONIS
LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Amoris duo rivi, charitas et cupiditas. Inde omne bonum vel malum. Amor motus est unus et multiplex.* Quotidianum de dilectione sermonem serimus, ne forte [1] scintillet in cordibus nostris et exardescat ignis flammam faciens, aut totum consumens, aut purgans totum. Ex eo namque totum est, quod bonum est et totum quod malum est, ex eo est. Unus fons dilectionis intus saliens, duos rivos effundit: alter est amor mundi, cupiditas; alter est amor Dei, charitas. Medium quippe est cor hominis, unde fons amoris erumpit: et cum per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicitur, cum vero desiderium suum ad interiora dirigit, charitas nominatur. Ergo duo sunt rivi, qui de fonte dilectionis emanant, cupiditas et charitas: et omnium malorum radix cupiditas, et omnium bonorum radix charitas. Ex eo igitur totum est, quod bonum est; et totum quod malum est, ex eo est. Quidquid ergo illud est, magnum est quod in nobis est; et ex eo totum est, quod ex nobis est [1]: hoc autem est amor. Quid est amor, et quantum est amor, aut unde est amor? Et sermo Dei de amore loquitur. Numquid hoc negotium non potius illorum est, qui pudicitiam prostituere consueverunt? Ecce quam multi qui ejus ministeria [2] volentes suscipiunt, et quam pauci qui verba ejus in medium proferre non erubescunt! Quid ergo nos facimus? Forsitan nulla improbitate frontem fractam habemus, qui

[1] Apud Hug. additur, *non animadvertentibus nobis.*

[1] Apud Hug., *quod inest nobis.*
[2] Ms. Victorinus, et Hugo, *mysteria.*

non verecundamur amorem indictatum sonare [1] quem et impudici aliquando non possunt sine verecundia verbis exprimere. Sed aliud est investigare vitium, ut eradicetur; aliud exhortari ad vitium, ut virtus et veritas non ametur. Nos igitur investigamus et quærimus, ut sciamus, et scientes caveamus, quod illi investigant, ut sciant, sed sciant ut faciant, quid illud in nobis sit, quod desideria nostra sic multifariam dividit, et cor unum in diversa deducit. Invenimus autem hoc aliud non esse præter amorem: qui cum sit motus cordis secundum naturam singularis et unicus, secundum actionem autem divisus, cum se inordinate movet, id est, ad ea quæ non debet, cupiditas dicitur; cum vero ordinatus est, charitas appellatur. Ipsum igitur hunc cordis motum, quem amorem appellamus, qua definitione significare poterimus? Expedit nobis propius intueri eum, ne lateat aliquatenus, et non sciatur; propterea que nec caveatur cum malus est, nec appetatur aut inveniatur cum bonus; de quo et cum malus est tanta mala veniunt, et cum bonus est tanta bona procedunt.

CAPUT II. *Amor quid sit. Malum quid.* Ipsum igitur quomodo definimus? Investigemus, consideremus; quia occultum est quod quæritur, quantoque interius collocatum est, tanto magis in utraque parte cordi dominatur. Illud igitur videtur esse amor. Et amor est delectatio [2] cordis alicujus ad aliquid propter aliquid, desiderium in appetendo, et in perfruendo gaudium, per desiderium currens, requiescens per gaudium. Hinc bonum est, et hinc [3] malum est cor humanum; quia nec aliunde bonum es, si bonum es, nec aliunde malum es, si malum es, nisi quod vel bene vel male amas quod bonum est. Nam omne quod est, bonum est: sed cum id quod bonum est male amatur, illud bonum non [4] est, et hoc malum est. Igitur nec qui amat, malum est; nec quod amat, malum est; nec amor quo amat, malum est: sed quod male amat, malum est, et hoc omne malum est. Ordinate ergo charitatem, et jam malum nullum est.

CAPUT III. *Beatitudinis capaces ex Dei gratia. Per amorem fiunt participes.* Magnam rem commendare volumus, si tamen valemus quod volumus. Omnipotens Deus, qui nullo indiget, quia ipse summum et verum bonum est; qui nec de alieno accipere potest quo crescat, quoniam ex ipso sunt omnia; nec de suo amittere quo decidat, quoniam in ipso immutabiliter consistunt universa: ipse rationalem spiritum creavit sola charitate, nulla necessitate, ut eum suæ beatitudinis participem faceret. Porro ut idem aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem spiritualem, palatum cordis quodam modo per hanc sensificans ad gustum dulcedinis internæ: quatenus per ipsam videlicet dilectionem, suæ felicitatis jucunditatem saperet, eique infatigabili desiderio inhæreret. Per dilectionem ergo copulavit sibi Deus, creaturam rationalem, ut ei semper inhærendo ipsum quo beatificanda erat bonum, et ex ipso quodam modo per affectum sugeret, et de ipso per desiderium biberet, et in ipso per gaudium possideret. Suge, o apicula, suge; suge et bibe, dulcoris tui inenarrabilem suavitatem. Immergere, et replere; quia ille deficere nescit, si tu non incipias fastidire. Adhære ergo et inhære, sume et fruere: si sempiternus gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit. Non jam pudeat nos neque pœniteat de amore fecisse verbum: non pœniteat ubi tanta utilitas, non pudeat ubi talis honestas.

CAPUT IV. *De gemino charitatis funiculo.* Igitur per amorem sociata est factori suo creatura rationalis, solumque est dilectionis vinculum quod ligat utrosque in idipsum, et tanto felicius, quanto fortius. Propter quod etiam ut indivisa societas et concordia utrobique perfecta haberetur, geminatus est nexus, in charitate Dei et proximi: ut per charitatem Dei omnes uni cohærerent, per charitatem proximi omnes ad invicem unum fierent; ut quod de illo uno, cui omnes inhærebant, quisque in semetipso non caperet, plenius atque perfectius per charitatem proximi in altero possideret, et bonum omnium fieret totum singulorum. Ordinate ergo charitatem. Quid est, ordinate charitatem? Si desiderium est amor, bene currat; si gaudium est, bene requiescat. Est enim amor, sicut dictum est, delectatio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid, desiderium in appetendo, et in perfruendo gaudium, per desiderium currens, et requiescens per gaudium, currens ad illud, et requiescens in illo. Ad quid, aut in quo?

CAPUT V. *Ordinata charitas: respectu Dei, respectu proximi, respectu mundi.* Audite, si forte explicare possimus quo currere debeat amor noster, aut in quo requiescere. Tria quædam sunt quæ amari bene aut male possunt; id est, Deus, proximus, et mundus. Deus supra nos est, proximus juxta nos est, mundus subtus nos est. Ordinate ergo charitatem. Si currit, bene currat; si requiescit, bene requiescat. Desiderium currit, gaudium requiescit. Propter quod gaudium uniforme est, quia semper in uno est, nec vicissitudine variari potest: desiderium autem motus mutabilitatem suscipit, et idcirco non se continet in uno, sed varias species repræsentat. Omnis namque cursus aut de illo est, aut cum illo, aut in illo ad quod est. Quomodo ergo currere debet desiderium nostrum? Tria sunt, Deus, proximus, mundus. Tria Deus, duo proximus, unum mundus habeat in cursu desiderii nostri; et est in desiderio ordinata charitas. Amor namque per desiderium et de Deo, et cum Deo, et in Deum ordinate currere potest. De Deo currit, quando de ipso accipit unde eum diligit. Cum Deo currit, quando ejus voluntati in nullo contradicit. In Deum currit, quando in ipso requiescere appetit. Hæc sunt tria quæ ad Deum pertinent. Duo autem sunt proximi. Potest enim desiderium de proximo et cum proximo currere, sed in proximum non potest. De proximo, ut de ejus salute gaudeat et profectu. Cum proximo, ut eum in via Dei comitem itineris et socium perventionis habere concupiscat. Sed in proximum non potest, ut scilicet [1] in homine spem et fiduciam suam constituat. Hæc sunt duo quæ ad proximum pertinent; id est, de ipso, et cum ipso, et non in ipsum. Unum est mundi, de ipso currere; non cum ipso, aut in ipsum. De mundo enim desiderium currit, quando inspecto foris Dei opere, per admirationem et laudem ardentius intus ad ipsum se convertit. Cum mundo curreret, si se pro mutabilitate temporalium, sive dejiciendo in adversis, sive elevando in prosperis, huic conformaret. In mundum curreret, si in ejus delectationibus semper requiescere vellet. Ordinate ergo charitatem, ut per [2] desiderium currat de Deo, cum Deo, et in Deum: de proximo, cum proximo, et non in proximum: de mundo, nec cum mundo, nec in mundum, ut in solo Deo requiescat per gaudium. Hæc est ordinata charitas, et præter ipsam omne quod agitur, non ordinata charitas est, sed inordinata cupiditas.

CAPUT VI. *Amor nunquam vacat. Cordis vera requies. An hic perfecta.* Vita cordis amor est, et idcirco omnino impossibile est ut sine amore sit cor quod vivere cupit. Quid hinc sequatur, considera. Si enim humana mens sine amore esse non potest, aut se ipsam, aut certe aliud aliquid a se diligat necesse est. Quia vero in se ipsa perfectum bonum non invenit, si se solam diligeret, felix amor non esset. Oportet ergo, si feliciter amare desiderat, aliud aliquid præter se quod amet inquirat. Si autem imperfectum aliquid extra se amare cœperit, amorem quidem suum irritat,

[1] Ms. Vict., *formare.* Apud Hug., *dictatum formare.*
[2] Apud Hug. hic et infra, *dilectio.*
[3] Alias, *hic bonum est et hic.*
[4] Apud Hug. deest, *non.*

[1] Abest, *scilicet,* a Ms. Vict. et ab Hug.
[2] Apud Hug. non est, *per.*

sed miseriam non excludit. Feliciter ergo non diligit, donec ad verum et summum bonum per amoris desiderium se convertit. Quia vero summum et verum bonum Deus est solus, ille feliciter amat, qui Deum amat, et tanto felicius quanto amplius. Hæc igitur est vera cordis nostri requies, cum in amore Dei per desiderium figitur, nec ultra quidquam appetit, sed in eo quod tenet, quadam felici securitate delectatur. Quia enim illud nec appetitus ultra protrahit, nec timor repellit, quodam modo in idipsum jucunditatis sine vexatione requiescit. Sed quia humanæ mentis infirmitas, ut non dicam semper, sed vix aliquando in illam divinæ contemplationis dulcedinem figi potest, quodam interim studio ad illam, ad quam necdum pertingere sufficit, stabilitatem assuefacienda est : id est, si Deum semper cogitare non possumus, saltem cor nostrum ab illicitis et vanis cogitationibus restringendo, in consideratione operum Dei et mirabilium ejus illud teneamus : ut dum semper minus instabiles esse satagimus, tandem aliquando donante Deo vere stabiles fieri valeamus.

CAPUT VII. *Quomodo comparanda. Fides navis in hujus mundi fluctibus. Unde ædificanda.* Ut autem promotionis hujus aliquod tibi exemplum subjiciam, universus iste mundus quasi quoddam diluvium est, eo quod omnia quæ in hoc mundo sunt, ad similitudinem aquæ incertis eventibus fluctuando decurrant. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi a quibusdam fluctibus, sic a mundi hujus cupiditate in superna animum attollit : et portari quidem ab aquis potest, sed mergi omnino non potest; quia ad necessitatem hoc mundo utitur, sed ejus desideriis per affectum non implicatur. Quisquis ergo æterna non credens, sola quæ transeunt appetit, hunc quasi sine navi laborantem in fluctibus, impetus aquæ decurrentis secum trahit. Qui vero æterna credens, transitoria diligit, hic juxta navem naufragium facit. Qui autem æterna bona et credit, et diligit, hic in navi positus, fluctuantis maris undas securus pertransit : et quia per desiderium fidei navem non transgreditur, jam quodam modo in fluctibus terræ stabilitatem imitatur. Primum ergo, si hoc mare magnum illæsi pertransire volumus, fabricemus navem, ut fidem integram habeamus; deinde navem fidei inhabitemus per charitatem, ut et credamus quod diligere debemus, et diligamus quod credimus : sicque et lex Dei in corde nostro sit per rectæ fidei cognitionem, et cor nostrum in lege Dei sit per dilectionem.

Sed ut facilius cognoscas quomodo vel unde hanc, quam dixi, navem vel arcam in corde tuo ædificare debeas, per quam hujus diluvii naufragio eductus, ad portum quietis pervenias; duo opera Dei considera, videlicet opus conditionis, et opus restaurationis. Opus autem conditionis est creatio cœli et terræ, et omnium quæ in eis continentur, quæ sex diebus facta sunt. Opus vero restaurationis, incarnatio Verbi, et omnia quæ a principio mundi usque ad finem, vel ad eam præenuntiandam præcesserunt, vel ad ipsam confirmandam secutura sunt : quæ omnia sex ætatibus fiunt. Sed opera restaurationis magis pertinent ad fidem catholicam, quæ idcirco sancti amplius diligunt, quia in eis suæ salutis remedia agnoscunt. Hæc autem partim per homines, partim per Angelos, partim per semetipsum operatus est Deus : ut in arca spirituali prima sit mansio opera hominum, secunda opera Angelorum, tertia opera Dei, supremus cubitus, auctor universorum Deus.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Liber de Diligendo Deo pius est, judicio Erasmi ac Theologorum Lovaniensium, nec ineruditus : sed subdititius tamen, vel ipsa ex phrasi plurimum discrepante ab Augustiniana, merito iisdem visus. Auctor certe se ipse ætatis recentioris esse satis eo prodit, quod Hieronymi dictum ex lib. 3 in Matth. XVIII citat in hunc modum : *Unde quidam sanctus ait, Magna dignitas animarum*, etc. Contulit hic sententias ad inflammandam dilectionem Dei, variis ex libris, Hugonis Victorini in primis, Bernardi et Anselmi. Et quidem a capite 4 ad 11, nihil nobis legendum aliud præbet, quam quod verbis iisdem ac fere totidem scripsit Hugo in Soliloquio de Arrha animæ. Alia itidem sunt ex aliis Hugonis opusculis excerpta loca, plura etiam ex diversis Bernardi Concionibus, et quædam ex Meditatione apud Anselmum postremæ editionis decima sexta, quæ nos passim positis notis e regione monstramus (*a*). Ad extremum, capite 18 exhibetur insignis locus Anselmi ex ipsius Proslogio. Sapit hoc opus eumdem auctorem ac liber de Spiritu et Anima. Nec forte alteri melius adscripseris Manuale, et alia quædam opuscula quæ hic postea repræsentantur, itemque libros apud Hugonem de Anima primum et tertium, qui apud Bernardum Meditationes et de Conscientia nuncupantur. Cæterum Vincentius Bellovacensis, lib. 23 Speculi naturalis, cap. 1, nonnihil quod legere est cap. 3 hujus libri, citat nomine Petri Comestoris. Librum contulimus cum Mss. Regiis duobus in quibus Augustini nomine falso prænotatur.

(*a*) Ante ipsa capitula notis alphabeticis indicavimus libros ex quibus varia loca passim excerpuntur. M.

DE DILIGENDO DEO

LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Via ad vitam charitas. Modus diligendi Deum et proximum.* Vigili cura, mente sollicita, summo conatu, et sollicitudine continua decet nos inquirere et addiscere quomodo et qua via possimus infernale supplicium vitare, et cœleste gaudium acquirere, cum nec illud supplicium vitari, nec illud gaudium acquiri possit, nisi via cognita qua est illud vitandum, et illud acquirendum. Audiamus ergo libentius, inspiciamus diligentius verba Apostoli, quibus ipse duo ostendit, scilicet quod cœlestis gloriæ vita ineffabilis est, et quæ sit via quæ ducit ad vitam : ait enim, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9). Ecce per hoc quod dicit Deum præ-

parasse bona diligentibus se, ostendit quia dilectio via est qua ad illa bona pervenitur. Sed dilectio Dei sine dilectione proximi haberi non potest, testante beato Joanne, qui ait : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo diligere potest? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et proximum suum* (I *Joan.* IV, 20, 21). Ecce in hac gemina dilectione consistit vera charitas, de qua Apostolus loquens ait : *Excellentiorem viam vobis adhuc demonstro* (I *Cor.* XII, 31). Ecce charitas excellentissima via est quæ ducit ad cœlestem patriam, et sine qua illuc nemo pervenire potest. Sed quis in hac via est? quis novit eam? Qui diligit Deum et proximum.

Quomodo diligendus est Deus, et quomodo proximus? Deum debemus diligere plus quam nos, sed proximum sicut nos. Deum diligimus plus quam nos, si præcepta ejus voluntati nostræ in omnibus præponimus : proximum autem non jubemur diligere quantum nos; sed sicut nos, id est, velle et optare omne bonum, quod debemus velle et optare nobis, et maxime æternam beatitudinem; et ad illam obtinendam ei succurrere, et in corporalibus bonis, et in spiritualibus, prout ratio exigit, et facultas permittit. Unde Dominus in Evangelio ait, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII, 12); et Joannes apostolus ait, *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (I *Joan.* III, 18). Sed qui sunt proximi, quos debemus sic diligere? Certe omnes homines, Christiani, Judæi, Pagani, amici et inimici.

CAPUT II. *Quare et qualiter diligendus Deus. Amor Dei excitatur ex intuitu creationis. Creatura rationalis duplex. Ad quid facta.* (*a*) Cum ergo tota salus nostra in dilectione consistat, quare et qualiter Dominus noster a nobis diligendus sit, diligenter considerandum est. Ad Dei igitur dilectionem in nobis excitandam, nutriendam et augendam nihil ita valet, sicut beneficiorum ejus frequens et diligens consideratio. Tanta enim nobis tribuit, tantaque retribuit, quod deficit anima nostra, deficit prorsus in consideratione tantorum beneficiorum ejus. Et licet non possimus ei tantum et tantas, ut decet, amorem et obsequium et gratiarum actiones persolvere, tamen quantum et quantas possumus rependere debemus. Ecce quare, id est, pro beneficiis suis, quæ sua magna pietate, sua gratuita bonitate, nullis nostris meritis exigentibus nobis contulit Dominus, a nobis quoque multum diligendus est. Qualiter autem a nobis diligendus est Deus, illud ejus mandatum manifestat, quod nimis mandavit, et nimis custodiri voluit (*Psal.* CXVIII, 4). Audi igitur, o homo, illud omnium mandatorum et maximum et primum mandatum : audi, inquam, illud diligenter, retine memoriter, meditare jugiter, et pro viribus tuis imple instanter, assidue et perseveranter. Hoc autem est illud mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est, ex toto intellectu; *et ex tota anima tua*, id est, ex tota voluntate tua; *et ex tota mente* (*Deut.* VI, 5, *et Matth.* XXII, 37), id est, ex tota memoria : ut omnes cogitationes tuas, omnemque vitam tuam, et omnem intellectum tuum in illum conserves. Sed quia parum te forte a Deo diligi æstimas, illum quoque parum diligere non vereris. Scrutare ergo et revolve in animo tuo quæ tibi contulit dona et beneficia, quæve promisit : et te vehementer illum debere diligere convinceris.

Ut autem amor Dei in te amplius excitetur et crescat, considera diligenter, a quo, quare, vel ad quid creatus sit homo, quæve Deus propter hominem creavit. Sciendum est ergo rerum creatarum, cœlestium et terrestrium, visibilium et invisibilium causam non esse nisi bonitatem Creatoris, qui est Deus unus et verus : cujus est tanta bonitas, quod [1] alios suæ beatitudinis qua æternaliter beatus est, velit esse participes, quam vidit communicari posse, minui omnino non posse. Illud igitur bonum, quod ipse erat et quo ipse erat beatus, sola bonitate, non necessitate aliis communicare voluit : quia summi boni erat prodesse velle, et omnipotentissimi nocere non posse. Et quia non valet ejus beatitudinis particeps existere aliquis, nisi per intelligentiam, quæ quanto magis intelligitur, tanto plenius habetur; fecit Deus rationalem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, et possidendo frueretur : eamque hoc modo distinxit, ut pars in sui puritate permaneret, nec corpori uniretur, scilicet angelus; pars corpori jungeretur, scilicet anima. Distincta est igitur rationalis creatura in incorpoream et corpoream. Incorporea, angelus; corporea vero, homo vocatur, ex anima rationali et carne subsistens. Conditio igitur rationalis creaturæ primam causam habuit, Dei bonitatem. Creatus est igitur homo vel [1] angelus propter bonitatem Dei. Nam quia bonus est Deus, sumus; et in quantum sumus, boni sumus. Ad quid autem creata est rationalis creatura? Ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo : in quibus ipsa proficit, non Deus. Deus enim perfectus et summa bonitate plenus, nec augeri potest nec minui. Quod ergo creatura rationalis facta est a Deo, referendum est ad Creatoris bonitatem, et ad creaturæ utilitatem. Cum igitur quæritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura; respondendum est, Propter Dei bonitatem, et creaturæ utilitatem : utile nempe est ei servire Deo et frui eo.

CAPUT III. *Hominis sunt omnia.* (*a*) Factus ergo angelus, sive homo propter Deum dicitur esse, non quia Deus creator et summe beatus alterutrius indigeret officio, quia bonorum nostrorum non eget; sed ut serviret ei et frueretur eo, cui servire regnare est. In hoc enim proficit serviens, non ille cui servitur.

Et sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei serviret; sic factus est mundus propter hominem, scilicet ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut ei serviretur, et ut ipse serviret : ut acciperet utrumque, et reflueret totum ad bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo [2] juvaretur : sed voluit ut mundus serviret homini, ut exinde similiter juvaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod factus est ipse. *Omnia enim*, ait Apostolus, *nostra sunt* (I *Cor.* III, 22); superiora scilicet, æqualia et inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, ut Deus creator Trinitas. Æqualia nostra sunt ad convivendum, scilicet Angeli, qui etsi modo sunt superiores nobis, in futuro erunt æquales (*Matth.* XXII, 30). Et inferiora nostra sunt, quæ ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio [3], sed quia sunt ad usum eorum. Ipsique Angeli in quibusdam Scripturæ locis nobis servire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur : unde Apostolus ait, *Quoniam omnes administratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I, 14). Neque id incredibile cuiquam videatur; quandoquidem et ipse Creator et Rex Angelorum venit, non ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro multis (*Matth.* XX, 28). Dicuntur enim Angeli orationes et vota nostra offerre Deo : non quia Deum doceant, qui omnia antequam fiant, sicut et postea facta sunt novit [4]; sed quia ejus

[1] Alias, *ut*.

(*a*) Ex Hug. Vict. lib. 1 de Sacramentis, p. 2, cap. 4, et ex eod., Summæ Sentent. tract. 2, cap. 1.

[1] Alias, *ut*.

[2] Comestoris excerptum et Hug., hic addunt, *serviens*.

[3] Editi, *non privatione a domino*.

[4] Ms. Regius, *et plus quam fiant novit*.

(*a*) Verba hæc Comestoris nomine citantur a Vincent. Bellov., lib. 23 Spec. nat., cap. 1; Hug. Vict. lib. 1 de Sacram. p. 2, cap. 1; et Bernard., Serm. 1, de S. Michaele.

voluntatem super his consulunt, et quod Deo jubente completum esse cognoverint, hoc nobis evidenter vel latenter reportent. Unde angelus hominibus ait : *Cum orastis, orationem vestram obtuli Deo* (*Tob.* XII, 12). Similiter et nos cum oramus, non Deum docemus, quasi nesciat quid velimus, et quo indigeamus : sed necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quid faciat. De excelso igitur cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos et ad adjuvandos nos attrahit supereminens charitas Angelos, propter Deum, propter nos, propter se ipsos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos pietatis viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur : propter nos, quibus nimirum propter propriam similitudinem miserantur : propter se ipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.

CAPUT IV. *Animæ dignitas. Ex Dei in eam amore dignoscitur. Cui ex Dei dono cuncta famulantur. Creata quomodo diligenda, quomodo Creator.* (*a*) Primum ergo necesse est ut quisque se ipsum consideret, et cum cognoverit dignitatem suam, ne injuriam faciat Creatori suo, abjectiora se non amet. Nam et ea quæ per se considerata pulchra sunt, pulchrioribus comparata vilescunt; et sicut ineptum est deformia pulchris conjungere, sic omnino indecens est ea quæ non habent nisi infimam quamdam et imaginariam pulchritudinem pulcherrimis coæquare. Tuam ergo, anima, attende pulchritudinem; et intellige qualem pulchritudinem debeas diligere. Quod si forte interna visio tua per negligentiam tuam obscurata est, et temetipsam, ut decet et expedit, contemplari non sufficis; cur saltem quod de te existimare debeas, ex judicio alieno non perpendis? Sponsum habes; sed nescis. Pulcherrimus est omnium; et faciem ejus non vidisti. Ille te vidit : quia nisi te vidisset, non te diligeret. Noluit adhuc se ipsum præsentare tibi; sed munera misit, arrham dedit, pignus amoris, signum dilectionis. Si cognoscere illum posses, si speciem ejus videres, non amplius de tua pulchritudine ambigeres : scires enim quod tam pulcher, tam formosus, tam elegans, tam unicus in tuo aspectu captus non esset, si non eum singularis decor et ultra cæteros admirandus traheret. Quid igitur ages? Nunc videre illum non potes, quia absens est : et ideo non times nec erubescis illi injuriam facere, quia singularem ejus amorem contemnis, teque alienæ libidini turpiter et impudice prostituis. Noli sic facere. Si adhuc scire non potes qualis ille sit qui te diligit, considera saltem arrham quam dedit tibi : fortassis in ipso munere ejus quod penes te est, poteris agnoscere quo affectu illum diligere, quo studio et diligentia te illi debeas conservare. Insignis est arrha ejus, nobile donum : quia nec magnum decuit ut parva daret, nec pro parvo magna sapiens dedisset. Magnum ergo est quod tibi dedit; sed majus est quod in te diligit. Magnum est ergo quod tibi dedit.

Quid tibi dedit, o anima, sponsus tuus? Respice universum mundum istum, et considera si in eo aliquid sit quod tibi non serviat. Omnis natura [1] ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, et utilitati deserviat, tuisque oblectamentis pariter et necessitatibus secundum affluentiam indeficientem occurrat : hoc cœlum, hoc terra, hoc aer, hoc maria cum eis quæ in ipsis sunt universis, explere non cessant; hoc circuitus temporum annuis innovationibus et redivivis partubus antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta instaurans pastu perpetuo subministrat. Quis ergo, putas, hoc instituit? Quis istud naturæ præcepit, ut sic uno consensu [2] tibi serviat? Beneficium accipis, et auctorem ejus non agnoscis; donum in manifesto est, largitor occultus, et tamen ipsa ratio tua te dubitare non sinit, hoc tuum non esse debitum, sed beneficium alienum. Quicumque ergo ille est, multum nobis contulit : et qui tantum dare voluit, multum dilexit. Tantum ergo diligens, et tam [1] diligendus dono suo demonstratur. Et quam stultum est amorem tam potentis non ultro concupiscere! quam impium, quam perversum est tam diligentem non amare!

Si autem ista diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, et beneficia domini : sic tamen, ut memineris semper quid illi debeas; nec ista propter se, sed ista pro illo, nec ista cum illo, sed ista propter illum, et per ista illum, et supra ista illum diligas (*a*).

CAPUT V. *Beneficia Dei recensentur.* Cave, o anima, ne, quod absit, meretrix dicaris; si munera dantis plus quam amantis affectum diligis. Majorem charitati ejus injuriam facis, si et dona illius accipis, et tamen vicissitudinem dilectionis non impendis. Aut dona illius, si potes, respue; vel si dona illius respuere non potes, vicissitudinem dilectionis repende. Dilige illum propter se, dilige te propter illum : dilige illum, ut fruaris illo, dilige te, ut diligaris ab illo [2]. Dilige in donis illius quæ data sunt ab illo. Illum tibi, et te illi dilige. Hæc pura et casta dilectio est, nihil habens sordidum, nihil amarum, nihil transitorium.

Considera ergo, o anima mea, quæ communia cum omnibus, quæ specialia cum aliquibus, quæ singularia sola acceperis. In omnibus his te dilexit, quæ vel communiter tecum omnibus, vel specialiter cum quibusdam, vel singulariter tibi soli tribuit. Cum iis rursum omnibus te dilexit, quibus te participatione doni sui sociavit. Præ omnibus iis te dilexit, quibus te singularis dono gratiæ prætulit [3]. In omni creatura dilecta es, cum omnibus bonis dilecta es, præ omnibus malis dilecta es : et ne parum hoc tibi videatur, quod præ omnibus malis dilecta es; quanti boni sunt qui minus te acceperunt?

CAPUT VI. *Beneficium creationis. Beneficium reparationis. Hominis valor.* Primum cogita, o anima, quod aliquando non fueris, et ut esse inciperes, hoc Dei dono acceperis. Donum ergo ejus erat ut fieres. Sed numquid ei aliquid dederas priusquam fieres, quod tibi hoc ab eo redderetur ut fieres? Nihil prorsus, nil tu dederas, nil tu dedisse poteras priusquam fieres. Qui utique si nil amplius dedisset, pro eo ipso tamen semper a nobis laudandus et diligendus esset. Nunc autem amplius dedit, quia dedit non solum esse, sed et pulchrum esse, et formosum esse. Sed nec hic terminari potuit munificentia largitoris optimi : adhuc aliquid plus dedit, et magis [4] nos ad similitudinem suam traxit. Voluit ad se trahere per similitudinem, quos ad se trahebat per dilectionem. Dedit ergo nobis esse, et pulchros esse, dedit et vivere : ut præcellamus his quæ non sunt per essentiam, et his quæ inordinata sunt, aut incompleta aut incomposita per formam, aut inanimata per vitam. Magno debito obligata es, anima mea. Multum accepisti, et nihil a te habuisti; et pro omnibus his non habes quid retribuas, nisi tantum ut diligas. Nam quod per dilectionem datum est, nec melius nec decentius quam per dilectionem rependi potest; accepisti autem hoc per dilectionem.

Jam nunc tibi narrare incipiam quantum iste sponsus tuus, qui tam excellens apparuit cum te conderet, humiliari dignatus est cum te repararet. Illic tam sublimis, hic tam humilis : non tamen hic, quam illic, minus amabilis; quia nec hic quam illic minus [5] admirabilis. Illic potenter magna tibi contulit, hic misericorditer pro te dira sustinuit. Ut enim relevaret te illuc unde cecideras, ipse descendere dignatus

[1] Alias, *creatura*.
[2] Alias, *et uno consensu*, vel, *sensu*.
(*a*) Verba Hugonis Vict. de Arrha animæ.

[1] Alias, *tantum*.
[2] Apud Hug., *quia diligeris ab illo*.
[3] Locus restitutus ex Hug. et ex Ms. Regio.
[4] Ms. Regius, *et magis dedit; nos*.
[5] Hæc verba, *amabilis, quia nec hic quam illic minus*, ex Hug. supplemus.
(*a*) Ita et Petrus Bles., de Charitate Dei et proximi, cap. 21.

est huc ubi jacebas, et ut tibi juste redderetur quod perdideras, ipse dignatus est pati quod tolerabas. Descendit ergo, suscepit, sustinuit, vicit, restauravit. Descendit ad mortalem, suscepit mortalitatem, sustinuit passionem, vicit mortem, restauravit hominem. Ecce, anima mea, obstupesce tanta mirabilia, tanta beneficia propter te exhibita. Cogita quantum te diligat, qui tanta dignatus est facere propter te. Pulchra facta fueras ejus munere, fœda facta es tua iniquitate: sed rursum mundata es et formosa facta es ejus pietate, operante tamen utrobique ejus charitate. Olim cum non esses, dilexit te ut conderet; postea cum fœda esses, dilexit ut pulchram faceret: et ut ostenderet tibi quantum te diligeret, non nisi moriendo a morte liberare te voluit; ut non impenderet tantum pietatis beneficium, verum etiam charitatis monstraret affectum. Grandi itaque dignatione primo homini spiraculum vitæ desuper pius formator infudit: sed multo majori charitate pro eodem homine non jam sua dedit, sed se ipsum impendit atque tradidit. Magnum quidem est de Deo, quod esse me sentio opus ejus: sed multo plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum; quoniam tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. O felix culpa mea, ad quam diluendam dum ille charitate trahitur, ipsa quoque ejus charitas mihi eam desideranti et eam totis præcordiis concupiscenti aperitur! Nunquam tam bene dilectionem ejus agnoscerem, nisi in tantis periculis expertus eam fuissem. O quam feliciter cecidi, qui post lapsum felicius resurrexi! Nulla dilectio major, nullus amor sincerior, nulla charitas sanctior, nullus affectus ardentior. Mortuus est pro me innocens, nihil in me quod amaret inveniens. Quid ergo dilexisti, Domine, in me, ut tantum dilexisti, ut morereris pro me? Quid tale in me invenisti, pro quo tanta et tam dura sustinere voluisti?

CAPUT VII. *De beneficio vocationis ad fidem.* Et quid, si cogitare cœperis, o anima mea, qui et quales in comparatione tui abjecti sint, qui hanc quæ tibi data est gratiam consequi non potuerunt? Certe audisti ab initio usque ad hanc diem, quam multæ generationes pertransierunt, quæ omnes sine cognitione Dei et pretio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Omnibus illis Redemptor tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus est, quam nullus eorum percipere meruit. Tu sola præ omnibus illis assumpta es: et quare hoc in te factum sit, nullam præter solam Salvatoris tui charitatem, invenire poteris causam. Elegit ergo et prælegit te sponsus tuus, amator tuus, Deus tuus, Redemptor tuus: elegit te in omnibus, et assumpsit te ex omnibus, et amavit te præ omnibus. Nomine suo vocavit te, ut memoriale ejus semper esset apud te. Voluit te participem esse in nomine, participem in nominis veritate: quoniam unxit te illo, quo et ipse unctus erat, oleo lætitiæ (*Ps.* XLIV, 8), ut ab uncto sis unctus, quia a Christo dicitur christianus. Sed numquid tu fortior, numquid sapientior, numquid nobilior, numquid omnibus illis ditior fuisti, qui hanc præ omnibus illis specialem gratiam sortiri meruisti? Quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt; et tamen universi relicti et abjecti perierunt? Multum, fateor, collatum est tibi: nam cum fœda prius fuisses, et polluta, et deformis, et squalida, discissa et dissipata, et omni horrore et enormitate plena; sic Deus Dominus tuus dilexit te, ut te tantis gratiæ suæ muneribus ditaret. Nisi ergo prius multa cura, studio vehementi exculta et ornata decenter fueris, in cœlestis sponsi thalamum introduci digna non eris. Nunc ergo dum tempus est, o anima mea, formam tuam excole, faciem orna, habitum compone, maculas terge, munditiam repara, mores corrige, disciplinam serva, et omnibus tandem in melius commutatis, dignam sponsam digno sponso omni nisu te redde. Præpara ergo te sicut decet sponsam sponsi immortalis, sponsam regni cœlestis.

CAPUT VIII. *De virtutum munere. Dei ordinationi in omnibus acquiescere.* Hoc etiam ad dilectionem pertinere scias, quod habes unde te ornare possis: quod utique ex te non haberes, nisi ab illo percepisses. Ab illo autem accepisti, ut vestimenta bonorum operum induas, et fructu eleemosynarum cum jejuniis et orationibus, cum sacris vigiliis aliisque operibus pietatis, quasi quodam vario ornatu possis ornari vel decorari; et quidquid ad sanitatem, quidquid ad refectionem, quidquid ad speciem reparandam, quidquid ad decorem augendum valere dignoscitur, copiose tribuit. Unde quam copiosa dispensatione tibi ubique occurritur. Non habebas, et datum est tibi; perdidisti, et restauratum est tibi: nunquam dereliqueris, ut scias quantum ille te diligat a quo amaris. Non vult perdere; et ideo tanta patientia te exspectat, et concedit pro toties negligenter amissa iterum atque iterum si volueris reparare. O quot jam perierunt, qui ista tecum receperunt, sed amissa iterum tecum accipere non meruerant! Plus omnibus illis dilecta es, quæ tibi tam benigne amissum redditur, quod illis perditum tam districte negatur. Nunquam tibi gratia bene operandi ipso largiente negata est. Si magna opera facis, misericorditer sublimaris: si non facis magna opera, salubriter humiliaris [1]. Melius enim novit ille quid tibi expediat, quam tu; et ob hoc si vis de eo bene sentire, totum quod ab illo tibi fit, bene fieri intellige. Talis est enim amor Dei in nobis, nec quidquam omnino humana infirmitas tolerat, quod ipse quantum in sua bonitate est, ad bonum nostrum non disponat. Forte gratiam virtutum non habes: sed dum vitiorum impulsu concuteris, melius in humilitate solidaris. Suavius enim redolet Deo humilitas infirma, quam virtus elata. Nihil omnino dispositioni divinæ præjudicare audeas: sed semper cum timore et reverentia ora Deum, ut quemadmodum ipse novit, tibi subveniat: si qua adhuc tamen in te mala remanserint, pie diluat; si qua inchoata sunt bona, benigne perficiat, et ea te, qua voluerit, ad se via perducat.

CAPUT IX. *De illustratione aliis beneficiis.* O anima, quid faciemus Domino Deo, a quo tot bona accepimus? Neque enim contentus fuit eadem, quæ cæteris, nobis bona tribuere; sed in malis quoque nostris ejus singularem dilectionem cognoscimus, ut eum tam de bonis quam de malis nostris omnibus singulariter diligamus. Tu dedisti mihi, Domine, ut te agnoscam, et præ cæteris multis de tuis secretis revelata intelligam. Alios coætaneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquisti, et mihi præ illis sapientiæ [2] tuæ lumen infudisti. Tu dedisti mihi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, provectum in studiis, effectum in cœptis [3], solamen in adversis, cautelam in prosperis: et quocumque vertebam me, ubique gratia et misericordia tua præcessit. Et sæpe mihi cum consumptus videbar, subito liberasti me; quando errabam, reduxisti me; quando ignorabam, docuisti me; quando peccavi, corripuisti me; quando tristabar, consolatus es me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, tenuisti me. Tu dedisti mihi verius cognoscere te, purius diligere te, sincerius credere in te, ardentius sequi te. O Domine Deus meus, dulcedo vitæ meæ, lumen oculorum meorum, quid retribuam tibi, pro omnibus quæ retribuisti mihi? Vis ut diligam te. Et quomodo diligam te? quantum diligam te? quis sum ego, ut diligam te? Et tamen diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum et liberator meus, Deus meus, adjutor meus, protector meus, cornu salutis meæ, et susceptor meus. Et quantum adhuc dicam? Tu es, Domine, Deus meus.

CAPUT X. — *De Dei circa nos sollicitudine. Præsentia ejus quid in auctore efficiat.* Multa et innumera-

[1] Locus restitutus ex Hugone et ex Ms. Regio.
[2] Alias, *gratiæ*.
[3] Alias, *profectum in conceptis*.

bilia bona fecisti mihi, Domine Deus meus, de quibus mihi dulce erit semper cogitare, semper loqui, semper gratias agere, ut te laudem et amem pro omnibus beneficiis tuis. Ecce habes, anima mea, arrham tuam; et in arrha tua cognoscis sponsum tuum. Serva ergo te illi intactam, serva impollutam, serva incontaminatam, serva integram. Si olim meretrix fuisti, jam virgo facta es: quemadmodum amor illius consuevit corruptis integritatem reddere, [1] et integris castitatem servare. Semper cogita quantam tecum misericordiam fecit: et in hoc perpende quantum ab ipso diligeris, quod ejus beneficium nunquam tibi defuisse cognoscis. Sic certe mihi videtur, cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, nihil aliud agat Deus, nisi ut meæ saluti provideat: et ita totum ad custodiam mei occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit. Semper præsentem mihi se exhibet Deus, semper paratum se offert: quocumque me vertero, me non deserit; ubicumque fuero, non recedit; quidquid egero, pariter assistit, et quod tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, et quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistat, ipso operis sui effectu patenter ostendit. Ex quo constat quod licet facies ejus a nobis adhuc videri non possit, nunquam tamen possit ejus præsentia evitari. Sed quid est illud dulce, quod in ejus recordatione me tangere solet, et tam vehementer atque suaviter afficere: ut jam tota quodam modo a memetipso abalienari, et nescio quo, abstrahi incipiam? Subito tota innovor et tota immutor, et bene mihi esse incipit ultra quam dicere sufficiam. Exhilaratur conscientia, in oblivionem venit omnis præteritorum dolorum miseria, exsultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria jucundantur. Jamque alibi, nescio ubi, me esse video, et quasi quiddam amplexibus amoris intus teneo, et nescio quid illud sit: et tamen illud retinere semper et nunquam perdere toto nisu laboro. Luctatur quodam modo delectabiliter anima ne recedat ab eo quod semper amplecti desiderat: et quasi in illo omnium desideriorum finem invenerit, summe et ineffabiliter exsultat nihil amplius quærens, nihil ultra appetens, semper sic esse volens. Numquid ille est dilectus? Vere ille est Dominus meus qui visitat me: sed venit invisibilis, venit occultus, venit incomprehensibilis. Venit ut tangat me, non ut videatur a me; venit ut admoneat me, non ut comprehendatur a me; venit ut non totum infundat se, sed ut gustandum præbeat se; non ut impleat desiderium, non ut plenitudinem exhibeat suæ perfectæ satietatis. Et hoc est quod maxime pertinet ad arrham desponsationis ejus, quod ille qui in futuro se tibi videndum et perpetuo possidendum dabit, nunc aliquo modo ut quam dulcis sit agnoscas, se tibi ad gustandum præbet (a).

CAPUT XI. *De munere vitæ in ortu servatæ. De indultis sensibilibus oblectationibus. De aliis prærogativis.* (b) Multum igitur Deus tuus diligendus est tibi, cui tanta beneficia contulit. Ut autem amoris ejus flamma amplius accendaris: considera diligenter, o anima, si præter illa quæ supra dicta sunt, aliqua tibi contulerit beneficia. Cum ergo quæ hic memorata sunt bona tibi vides collata, multum ei a quo tibi hæc collata sunt debes gratiosus et devotus existere, et gratias agens dicere: Valde mihi diligendus est Deus meus, qui bene utens malo parentum meorum, creavit me de carne illorum, et inspiravit in me spiraculum vitæ; discernens me ab illis qui vel abortivi projecti sunt ab utero, vel intra materna viscera suffocati, prius videntur concepti, non vivi. Accepi ergo ut sim, accepi ut homo sim, accepi intellectum, quo interesset inter me et pecus. Accepi corporis formam, accepi in corpore distinctionem sensuum; oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, manus ad contrectandum, palatum ad gustandum, pedes ad ambulandum, salutemque ipsam corporis. Magnum fuit et hoc, quod ad eorumdem sensuum meorum oblectamenta singula sensibus singulis convenientia creavit Deus, multa pulchre convenientia et lucentia, canore mulcentia, suave olentia, dulce sapientia, tactui placentia. Ob hoc enim providentia Creatoris tam diversas qualitates rebus indidit, ut omnes sensus hominis sua oblectamenta inveniant. Aliud enim percipit visus, aliud odoratus, aliud auditus, aliud olfactus, aliud gustus, aliud tactus. Visum pascit pulchritudo colorum, suavitas cantilenæ demulcet auditum, fragrantia odoris olfactum, dulcedo saporis gustum. Et quis omnes delicias sensuum enumerare queat? quæ tam multiplices sunt in singulis, ut si quis quemlibet per se consideret, quemlibet per se singulariter ditatum putet. Quot oblectamenta oculorum in diversitate colorum monstramus, tot oblectamenta aurium in diversitate sonorum audimus; inter quæ prima sunt dulcia sermonum commercia, quibus homines ad invicem suas voluntates communicant, præterita narrant, præsentia indicant, futura nuntiant, occulta revelant; adeo ut si careat his vita humana, bestiis comparabilis videatur. Quid autem concentus avium, quid humanæ vocis melos jucundum, quid dulces modos sonorum omnium commemorem? quia tam multa sunt harmoniæ genera, ut ea nec cogitatus percurrere, nec sermo facile explicare possit: quæ tamen cuncta auditui serviunt, et in ejus delicias creata sunt. Sic est de olfactu: habent thymiamata odorem suum, et cuncta quæ suavem præstant odorem, et dulces spirant odores, olfactui serviunt, et in ejus delicias creata sunt. Eodem modo gustus et tactus varia habent oblectamenta, quæ ex similitudine priorum satis perpendi possunt. Magnum est certe et hoc, quod sana et integra membra creavit mihi Deus; ne essem meis dolor, opprobrium alienis. Accepi etiam amplius, mentem scilicet, quæ possit intelligere, quæ possit capere veritatem, quæ possit justum ab injusto discernere, quæ possit indagare, desiderare Creatorem, laudare et inhærere illi. Magnum etiam æstimo beneficium, quod eo tempore et inter tales me nasci voluit Deus, per quos ad fidem suam et sacramenta pervenirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse concessum: cum quibus tamen nobis esset [1] una conditio. Illi derelicti sunt per justitiam, et ego vocatus sum per gratiam. Procedam adhuc, etiam intuens manus ejus fuisse quod educatus fui a parentibus; quod me flamma non læsit, quod aqua non absorbuit, quod non vexatus a dæmone, quod a bestiis non percussus, quod non præcipitio necatus, quod usque ad congruam ætatem in fide ejus et bona voluntate sum nutritus.

CAPUT XII. *De longanimitate Dei. Tribus modis a peccando servamur. De Angelo custode. Pietas omnem in se creaturam commovet. Quam liberaliter ignoscat Deus.* (a) Magnam igitur, Domine Deus, erga me ostendisti pietatem. Cum autem in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in visceribus pietatis: nullum enim spernis, nullum abjicis, neminem perhorrescis, nisi qui forte te amens exhorruerit. Dona igitur tua sunt hæc, Domine, mihi a te misericorditer indulta, quod me in periculis sæpe constitutum clementer eripuisti, et nunquam pro peccatis meis quin misereris [illegible] vinci potuisti; oblitum tui de te admonuisti, aversum a te revocasti, venientem ad te benigne suscepisti, pœnitenti indulsisti non solum ea quæ commiseram peccata, sed etiam quæ te protegente non commisi. Quodcumque enim mali protegente te non commisi, totum a te dimissum deputandum est. Nam sicut in

[1] [illegible], ita

(a) Hactenus Hugonis verba de verbo [illegible].

(b) Ex Anselmi Medit. 16, Hug. Vict., lib 7 Erudit. didasc., cap. 17.

[1] Apud Anselmum, est

(a) Ex Medit., cap. 2, ex Hug. Vict., lib. 3 de Modo orandi, cap. 1, Bernard. serm. 5, in Dom. 6 post Pentec., n. 1-4. Ex [illegible] Medit. 16.

multa peccata cecidi, sic et in multo plura, nisi me servasses, cecidissem. Multis autem modis memini me a peccatis conservatum, scilicet occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Multa enim in peccata cecidissem, si data esset occasio; sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulo minus cecidissem graviter impulsus violentia tentationis: sed virtutem dedisti mihi, Domine, ut robustior esset appetitus meus, et ei quam sentiebam concupiscentiæ minime consentirem. Sed a quibusdam peccatis tam longe me fecit tua miseratio, Domine, ut penitus abominarer ea, et ne ulla me quidem eorum tentatio molestaret. Magnæ quidem bonitatis est indicium, Domine Deus, et hoc quod ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, et passus es, deliqui, et adhuc sustines. Si pœniteo, parcis; si revertor, me suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas[1] repugnantem, exspectas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces mœrentem; a ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis; ostendis mihi bene vivendi viam, das gradiendi scientiam. Magnum est etiam et hoc, Domine, quod multa mihi antequam petere possem, vellem aut nossem, bona contulisti. Non solum autem, Domine, sed et postquam scivi et potui te petere, te quærere, te desiderare, tibi inhærere, gratuita bonitate tua non petenti, non quærenti, non desideranti, imo etiam parvipendenti vel etiam contemnenti tua mihi bona largitus es. Maximum æstimo et illud fuisse beneficium, quod Angelum pacis ab ortu nativitatis meæ ad me custodiendum, usque ad finem meum mihi dedisti: unde quidam sanctus ait, *Magna est dignitas animarum, ut una quæque habeat ab ortu nativitatis ad custodiam sui Angelum delegatum* (*Hieron. in Matth.* XVIII).

Magnæ pietatis fuit et hoc, Domine, quod mira patientia tua meas sustinuit iniquitates. Cui gratias referre debeo, quod non secundum iniquitates meas retribuisti mihi, quod me terra non absorbuit, non me cœlum fulminavit, non me fulgur combussit, non flumina submerserunt, nec alia pœna vel morte prout dignus eram, multasti. Cum enim peccando a te recederem, non solum iram tuam promerui, sed et omnem creaturam adversum me excitavi. Nam si servus cujusquam a domino suo recederet, non solum dominum ipsum exacerbaret, sed et totam ejus familiam justissime irritaret. Cum ergo te Deum omnium creatorem offendi, omnem creaturam, quantum spectat ad meritum meum, in iram commovi; ita ut merito pro te pugnaret adversum me totus orbis terrarum. Posset enim terra dicere mihi: Non debeo te sustinere, sed potius absorbere; quoniam a Creatore meo non timuisti peccando recedere, et inimico, scilicet diabolo, adhærere. Posset quoque sol dicere: Non debeo tibi ad salutem lucere; sed potius ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis et fons luminis, penitus tibi radios meos abscondere. Sic etiam cuncta quæque creatura serviret ad ulciscendam tantam injuriam sui Creatoris, nisi impetum ejus cohiberet ipse qui eam condidit, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Oportet ergo me, Domine, tanto magis sub potenti manu tua humiliari, tanto magis tibi gratiosum et devotum et ad serviendum promptiorem existere, quanto me de tantis beneficiis tuis obligatiorem conspicio in reddenda ratione: ne diu dilata vindicta tanto acrius adveniendo mala mea puniat, quanto diutius toleravit quod puniri poterat.

Tamdiu igitur exspectata cogita, o anima mea, Dei longanimitatem quam exhibuit, electionem prædestinationis suæ quam impleri voluit, nimiam charitatem qua nos dilexit. Propter hoc enim exspectans exspectavit Dominus et intendit mihi: sed avertit oculos suos a peccatis meis, quod nolens advertere quam tuta [illegible]. Propter hoc, inquam, dissimulabat, ut commendaret patientiam suam, impleret electionem suam, confirmaret charitatem suam. Propter hoc, ut bene memini, [illegible] cor meum, excitans illud ut adverteret [illegible] peccatorum, et vulnerum sentiret dolorem, et [illegible] terruit deducens ad portas inferi, et [illegible] supplicia monstrans: et ut nil jam noxiæ remaneret de [illegible] rationis[1], meliorem mihi [illegible], quam indulgentiæ dedit, deinde et ipsam indulgentiam contulit. Sic autem ex toto indulsit, et tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam non damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sunt enim aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt et aliqui, qui licet sileant, manet tamen aliquid alta mente repositum, rancoremque tenent in animo; quorum utique neutra plena est indulgentia. Longe ab his benignissima divinitatis natura, liberaliter agit, ignoscit plenarie: ita ut[2] propter fiduciam peccatorum, sed pœnitentium, ubi superabundavit delictum, soleat et gratia superabundare. Testis est Petrus, cui post trinam negationem totius Ecclesiæ pastoralis cura est commissa: testis est Paulus, qui de Ecclesiæ persecutore effectus est vas electionis et doctor Gentium: testis est Matthæus, qui de telonio electus est in Apostolum, cui etiam et Novi Testamenti primum scriptorem esse donatum est.

CAPUT XIII. *De dono continentiæ. Cujus hostis triplex.* (a) Post hæc dedit mihi Dominus Deus continentiam. Continentiam autem dico, non a sola luxuria, sed a cæteris quoque, sicut necesse est, vitiis et peccatis. Qui et aliquando vix per triduum continebam, postea Dei auxiliante gratia, per longum tempus potui continere. Ex hoc invenio unde merito exclamare possim: *Quia fecit mihi magna qui potens est* (*Luc.* I, 49). Forte parum quid reputat aliquis continentiam: sed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, et quantæ illam necesse sit esse virtutis, ut possit talibus resistere. Primus hostis continentiæ nostræ caro nostra est concupiscens adversus spiritum. Quam domesticus hostis, quam periculosa lucta, quam intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, o anima mea, nec fugare: sed circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis. Quid autem periculosius et miserabilius est, quam quod hostem nostrum cogimur sustentare, perimere eum non licet? Vides[3] ergo quam sollicite te custodire necesse sit ab ea, quæ dormit in sinu tuo. Verumtamen non est hic solus adversarius mihi; alium adhuc habeo, qui circumcinxit me et obsedit undique. Hostis iste est præsens sæculum nequam, qui per quinque portas, quinque videlicet sensus corporis, jaculis suis vulnerat me, et mors intrat per fenestras meas. Tertius hostis est antiquus humani generis inimicus, antiquus serpens callidior cunctis animantibus: iste est hostis quem nec possumus videre, quanto minus cavere? Hic hostis nunc quidem aperte et violenter, nunc occulte et fraudulenter, semper autem malitiose et crudeliter nos impugnat et persequitur. Et ad hæc toleranda, ne dicam superanda, quis idoneus? Hæc ideo dixi, ut innotesceret continentiæ difficultas, ut sciamus quæ a Deo data sunt nobis (I *Cor.* II, 12): ac per hoc amplius diligamus eum qui hanc nobis virtutem tribuit. Omnino enim in Domino facimus hanc virtutem, et ipse ad nihilum deducit omnes tribulantes nos. Ipse est qui non modo carnem nostram cum vitiis vel concupiscentiis suis, et præsens sæculum nequam cum curiositatibus suis

[1] Sic Mss. At editi, *vincis*

[1] Unus e Mss. Reg., *cogitationis*. Editi, *rationis*.
[2] Ms. Regius hic addit, *non*.
[3] Alias, *vide*.
(a) Bernard. serm. 3 in Dominic. 6 post Pent., n. 5, et id. Medit. cap. 15.

et vanitatibus suis, sed etiam ipsum cum tentationibus suis conterit satanam sub pedibus nostris. Numquid non merito dixeram, inveniendum in continentia unde clamarem, *Quia fecit mihi magna qui potens est?*

CAPUT XIV. *Spes æternæ vitæ stat in tribus.* (a) Post hæc dedit mihi Dominus Deus gratiam promerendi bona vitæ æternæ, quam gratiam in tribus maxime stare arbitror: in odio scilicet præteritorum malorum, in contemptu bonorum præsentium, in desiderio futurorum. Deinde dedit mihi spem eadem obtinendi, quæ in tribus consistit; tribus, inquam, quæ sic roborant et confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis de celsitudine spei dejicere possit in ea firmiter radicatum. Desideras, o anima mea, scire quæ sint illa? Tria considero in quibus spes mea tota consistit; scilicet charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo, Scio qui credidi, et certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me Deus, quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione: licet ei facere quodcumque voluerit. Pro his ergo Deus meus merito diligendus est.

CAPUT XV. *De beneficiis impertitis. Confitendum Deo et in bonis et in malis.* Magnæ autem gratiæ fuit, quod me Deus a se fugientem persecutus est, timenti blanditus; quod erexit me in spem toties desperatum, quod suis obruit beneficiis ingratum, quod gustu interioris dulcedinis immundis assuetum delectationibus attraxit et illexit, quod indissolubilia malæ consuetudinis vincula dissolvit, et abstractum sæculo benigne suscepit. Adhuc, anima mea, illa in quibus tibi sola conscia es, divinæ bonitatis inspice munera: quam jucunda facie abrenuntianti sæculo tibi Christus occurrit, quibus esurientem deliciis pavit, quas miserationum suarum divitias ostendit, quos inspiravit affectus, quo te charitatis poculo inebriavit. Magnum fuit et hoc, quod me fugientem servum suum et rebellem, sola sua miseratione vocatum, spiritualium consolationum non reliquit expertem. Si enim tentabar, ille me sustentabat; si periclitabar, ille me eripiebat; si contristabar, ille me confortabat; si fluctuabam, ille solidabat. Quoties præ timore arescebam, ille pius consolator astabat; quoties æstuabam præ timore, ille meis se visceribus infundebat. Perpendo etiam quoties psallentem vel legentem spiritualium sensuum lumine illustrabat, quoties orantem in quoddam ineffabile desiderium sui rapiebat, quoties mentem meam a terrenis subtractam, ad cœlestes delicias et paradisi amœnitates transportabat. Taceo multa et magna misericordiæ suæ circa me opera; ne aliquid gloriæ, quæ tota ejus est, ad me videatur transire. Ita enim secundum humanam æstimationem sibi cohærent gratia dantis et felicitas recipientis, ut non laudetur solum qui solus laudandus esset, scilicet ille qui dedit, sed etiam ille qui recepit. Quid enim habet aliquis quod non accepit? aut qui gratis accepit, quare laudatur quasi promeruerit? Tibi ergo laus, Deus meus, et gloria mea, tibi gratiarum actio: mihi autem confusio faciei meæ, qui tot mala feci, et tot bona recepi.

Vide ergo, o anima mea, quia multum commendat bonitatem Dei, non solum largitas sua, sed et iniquitas nostra. Si enim magnum est nihil promerentibus impendere multa, quale quantumve erit retribuere bona promerentibus mala? O quanta pietas, quam nulla potest superare impietas! Alia sunt quæ misericorditer Deus ignoscit, alia quæ affluenter tribuit. Ignoscit mala nostra, largitur bona sua: semper præsto ad ignoscendum, paratus semper ad largiendum: hinc pius, hinc largus; utrobique benignus, ubique bonus. Confiteamur ergo illi mala nostra, confiteamur et bona nostra. Confiteamur a nobis mala nostra esse, ut pie ignoscat: confiteamur ab ipso bona nostra esse, ut conservet et augeat. Hoc igitur incessanter agamus, ne ingrati appareamus, vel de indulta venia, vel de concessa gratia. Hoc, inquam, agat qui se credit vel cupit esse amatorem Dei. Verus enim amor semper confitetur. Quid ergo hæc omnia faciunt diligenter considerata, nisi ut considerantis animum ab omni penitus abstractum amore, ad Deum diligendum qui hæc contulit, mirabiliter rapiant, vehementer afficiant? Si quis autem non hæc omnia bona a Deo sibi videt collata, et ideo illum parum diligere non veretur; sciat pro certo quod nemo est qui non facile, si quærit, inveniat unde plurimum sit obnoxius Deo, unde totis viribus, totis cordis medullis diligere, unde etiam et continuas gratias referre debeat. Ille ergo cui aliqua bona[1] saluti necessaria desunt, nec si contra Deum murmuret, nec eum accuset: quia omnia certissima et justissima ratione facit Deus, qui cui vult miseretur, et quem vult indurat (*Rom.* IX, 18), qui et potens est dona sua cum voluerit[2] conferre, et collata cum voluerit auferre. Doleat ergo qui hæc non habet, et laboret et oret ut habeat: pro acceptis vero bonis Deo gratus existat.

CAPUT XVI. *De beneficio redemptionis. Bona terrena et cœlestia.* (a) Magna igitur et multa, imo certe innumerabilia sunt, quæ mihi, Domine Deus, contulisti beneficia; pro quibus merito mihi diligendus et semper es laudandus. Quid enim boni habeo vel habui, vel habiturus sum, quod a te summo bono non est, a quo omne quod bonum est, et dicitur, et etiam procedit? Unum autem est quod me plus his omnibus accendit, urget, movet, et promovet ad te diligendum: super omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, o bone Jesu, ignominiosissima et amara mors quam sustinuisti, opus nostræ redemptionis. Hoc solum omnino totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facile sibi vindicat totum: hoc, inquam, est quod devotionem nostram et excitat melius, et nutrit suavius, et auget amplius. Multum quippe in hoc opere laboravit auctor mundi, nec in omni fabrica mundi tantam fatigationem sustinuit. De mundo enim et de his quæ in mundo sunt, *dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9): at vero pro redemptione generis humani magnos et multos et diuturnos labores sustinuit, et dolores. Ecce quomodo nos dilexit, qui nulla sui necessitate, sed sola nostra charitate tam dura et indigna sustinuit. Merito ergo dixerim hoc unum omnibus aliis præstare beneficiis. Quippe cum magnum sit aliquem sua gratis alicui conferre, multo majus certe est semetipsum impendere. Et cum magnæ charitatis sit animam pro amicis dare, multo majoris charitatis indicium est animam pro inimicis ponere, quod Filius Dei pro nobis fecit. Nam cum inimici essemus Deo, reconciliati sumus per mortem Filii ejus. Vix autem pro justo quis moritur, ipse autem pro impiis est mortuus, justus pro injustis, ut nos offerret Deo: exsul a cœlis factus, ut nos reportaret ad cœlos. O quam ineffabilis pietas, quam ineffabilis dulcedo charitatis, quam stupenda dignatio charitatis fuit, Deum pro homine hominem fieri, Deum pro homine carnem indui, mori, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato! Ecce cum quanto pretio quantove labore redimebatur homo, qui diabolo jure debebatur: qui si non redimeretur, sine dubio æternaliter cum diabolo damnaretur. Hæc ideo dixi, ut intelligat homo quantum debeat diligere Deum; quantum pa-

(a) Bernard., Medit. cap. 15, n. 6, et ex Anselmi Medit. 18.

[1] Unus e Mss. Reg., *Unde bona*.
[2] Unus Ms., [illegible]
(a) Imitatur Bernard. serm. 20 in Cant., n. 2.

tienter, imo libenter, non solum autem hoc, sed etiam ardenter pro illo sustinere labores et dolores, qui pro se tanta ac talia sustinuit. *Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum* (*Act.* XIV, 21). Amplectatur igitur te anima mea, Domine Jesu, crucifixum, sumat tui dulcissimi sanguinis haustum : occupet memoriam meam hæc suavis meditatio, ne ex toto eam oblivio obscuret. Judicem me nihil scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum ; ne scientiam meam a soliditate fidei vanus error abducat ; vindicet sibi totum amorem meum hæc tua mira dilectio ; ne illum cupiditas mundialis absorbeat. Mentem enim quam tuæ, Domine, dulcedo charitatis compleverit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia elevat, non cenodoxiæ manis fumus eventilat, non exagitat furor, non stimulus ambitionis eviscerat, non avaritia contrahit, non dejicit tristitia, non invidia tabefacit : nullum denique vitium eam corrumpit, dum in eadem dulcedine immobilis persistit. Qui ergo suis tanta præstat in præsenti, quanta illis servat in futuro? Quæ dat in præsenti, temporalia sunt : quæ autem in futuro sæculo se promittit Deus suis daturum, æterna sunt, et bonis temporalibus incomparabiliter meliora. Temporalia enim bona difficile acquiruntur, et acquisita facile dilabuntur : et quæ etiam habita sunt, cum gravi sollicitudine custodiuntur, et cum dolore amittuntur, et amissa cum gravi labore recuperantur. Futuri autem sæculi bona nunquam amittuntur, nunquam minuuntur, cum gaudio et quiete possidentur, semper habentur, semper desiderantur, et nunquam fastidiuntur. Quæ cum semel quis acceperit, ita securus erit ea se nunquam amissurum, sicut certus est vel erit illa se nunquam velle amittere.

CAPUT XVII. *Promissa Dei. Ea nimium desiderari non possunt.* Valde igitur diligendus est Deus in promissis suis : qui magna nobis dedit, sed majora promisit. Promisit nobis a labore requiem, a servitute libertatem, a timore securitatem, a mœrore consolationem, a morte resurrectionem, et in resurrectione plenum gaudium, summum gaudium et indeficiens. Denique promisit nobis se ipsum, sicut juravit patribus nostris daturum se nobis (*Luc.* I, 73). Magnæ sunt igitur promissiones Dei, et ineffabiles ; et pro his, et in his vult amari a nobis aliquo modo. Si modum quæras, vehemens desiderium promissionis, modus est amoris. Promissio Dei quantumcumque desideretur, minus desideratur quam debet. Nam quantumcumque profecerit, plus debet. Vehemens itaque desiderium aliquo modo non habet modum, cum non possit esse nimium. Cum in cæteris rebus impatientia soleat culpari, in exspectatione tantæ promissionis laudabilis est vehemens impatientia dilationis. Cum enim qui plus amat, et qui plus desiderat, dilationis impatientia magis cruciat, spes quæ differtur affligit animam, hæc autem omnia bona in cœlesti habentur patria. De illo igitur bono, quod omnium bonorum summum est, quid vel quale sit, primum dicendum est.

CAPUT XVIII. *Quale et quantum electorum gaudium. Beatorum mentes invicem patebunt. Corpora erunt integra.* (*a*) Excitemus igitur et erigamus totum intellectum nostrum, in quantum Deus donaverit, et cogitemus quale et quantum electorum sit unicum et singulare gaudium istud, scilicet unum et summum bonum, quod est vita, lux, beatitudo, sapientia, æternitas et multa hujusmodi bona ; et tamen non est nisi unicum et summum bonum, omnino sibi sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent ut sint, et bene sint. Hoc bonum est Deus Pater, hoc est Verbum, id est, Filius Patris ; hoc ipsum est amor unus et communis Patri et Filio, scilicet Spiritus sanctus ab utroque procedens. Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater et Filius et Spiritus sanctus : quoniam singulus quisque non est aliud quam summe simplex unitas, et summe una simplicitas, quæ nec multiplicari, nec aliud et aliud esse potest. Porro unum est necessarium (*Luc.* x, 42). Porro hoc est illud unum necessarium, in quo omne bonum : imo quod est omne, et unum, et totum, et solum bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita attente quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt Creator a creatura. Si enim est bona vita creata ; quam bona est Vita creatrix ! Si jucunda est salus facta ; quam jucunda est Salus quæ fecit salutem ? Si amabilis est sapientia cum cognitione rerum conditarum ; quam amabilis est Sapientia quæ condidit omnia ex nihilo ? Denique si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus ; qualis et quanta est delectatio in illo qui fecit omnia delectabilia ? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit ? Certe quidquid volet, erit ; et quidquid nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit [1] (I *Cor.* II, 9). Cur ergo per multa vagamur quærendo bona corporis et animæ nostræ ? Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona ; et sufficit. Desideremus simplex bonum, quod est omne bonum ; et satis est. Quid enim amas, o caro ? quid desideras, o anima ? Ibi est quidquid amas, quidquid desideras. Bona ergo regni cœlestis dicere vel cogitare vel intelligere ut sunt, nullus potest carne vestitus : multo enim majora sunt et meliora, quam quæ cogitamus aut intelligimus. Regnum namque Dei omni fama majus est, omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria quæ putatur excellentius. Regnum, inquam, Dei plenum est lucis ac pacis, charitatis et sapientiæ, honestatis et gloriæ, dulcedinis et dilectionis, lætitiæ et beatitudinis perennis, et omnis boni ineffabilis, quod nec dici nec cogitari potest. Nec ideo tamen debeo tacere, sed dicere quantum valeo, quia dicere quantum volo non valeo. Neque enim quia Deum ineffabilem credimus, fari de illo quod possumus non debemus. Ita sane et plus credatur de illa vita, quam scribitur ; quia non potest tantum inde proferri sermone, quantum potest mente complecti ; et minus concipit mentis humanæ quantumlibet profunda complexio, quam se habeat ipsius rei magnitudo. Ergo futura vita credatur beate sempiterna et sempiterne beata : ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas ; ubi amor est perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus, de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus ; ubi ipsa civitas, quæ est Angelorum omnium atque sanctorum congregatione beata, meritis fulgentibus micat ; ubi æterna salus exuberat, veritas regnat ; ubi nec fallit quisquam, nec fallitur ; unde beatus nullus ejicitur ; ubi nullus miser admittitur. Hæc est contemplativa vita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione pervenerint, beatis similes erunt, et simul cum Deo sine fine regnabunt. Quod autem hic crediderunt, ibi videbunt : sui Creatoris substantiam mundissimis cordibus contemplantes, æterna exsultatione gaudebunt, divinæ charitatis et mutuæ dilectionis possessione Deo suo in æternum, et invicem sibi adhærebunt : receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum [2] patriæ cœlestis accipient, atque ejus in æternum cives effecti præmia promissa reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, ut et remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, et nullum fastidium ex ipsa affluenti gratiarum

(*a*) Ex Anselmi Proslog. cap. 22-25 ; ex lib. Medit., capp. 17, 22.

[1] Apud Anselmum, *nec cor hominis cogitavit.*

[2] Ms. Regius, *munus indeficiens.*

bonorumque perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales ; quia humanorum pectorum tanta erit ibi et tam perfecta munditia, ut habeant unde mundatori suo gratias agant, non unde offensi aliquibus [1] sordibus peccatorum erubescant : quia ibi nec ulla peccata, nec peccatores erunt ; et ibi qui fuerint, jam peccare non poterunt. Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est præstantius longe, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum : quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut in deterius ultra mutari non possit. Cujus humanæ substantiæ ad Conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta corruperat peccando, reparabuntur in melius, id est, intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo. Quoniam quidquid hic humanis corporibus vitiatis aut ferarum morsus, aut improvisi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera diversa decerpserint, aut humana crudelitas amputaverit, aut ignis, aut quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negaverit ; hæc atque his similia corporum damna una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicumque erunt ibi, etsi differentibus meritis ab invicem distabunt, (a) omnes tamen una perfectione beati erunt ; quia singulis præmia sua sufficientia erunt. Sicut enim corporalis satietas omnes saturatos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate ceperint : ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt ; quia et una perfectione beati futuri sunt. Cæterum in illa tantæ beatitudinis regione nec majoris meriti sibi aliquid arrogabunt, quia arrogantia ibi nulla erit ; nec superioribus inferiores invidebunt, quia ibi invidus esse non poterit : et ideo etsi erit ibi distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas.

[1] Sic Mss. At editi, *antiquis*.

(a) Quæ supersunt, ex uno e Mss. Reg. primum damus.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Soliloquia ab Augustino composita memorat Possidius in Indiculo, cap. 6 ; et ea recenset Augustinus ipse, lib. 1 Retract., cap. 4, sed quæ scribendi methodo et argumenti ratione satis intelliguntur longe diversa esse ab opere subsequente, atque eadem plane ac illa quæ in primo tomo exstant inter primas ipsius lucubrationes. Iis enim duos in libros distributis, et dialogi forma conscriptis, cur Soliloquiis nomen fecerit Augustinus, sic in eodem Retractationum capite docet : *Scripsi*, ait, *duo volumina.... de his rebus, quas maxime scire cupiebam, me interrogans mihique respondens, tanquam duo essemus, Ratio et ego, cum solus essem ; unde hoc opus Soliloquia nominavi.* Tum inde, quas in primo libro, quas in secundo quæstiones moverit, quæve in iis dicta reperit minus probanda, disertis verbis declarat : eaque omnia in Soliloquiis prædictis primi tomi deprehenduntur, atque iis solis conveniunt. Alterum ex iisdem Soliloquiorum libris citat Florus seu Beda vulgatus ad I Cor. XIII. Cæterum libri subsequentis, cui si non inepte, minime tamen eamdem ob causam inditum Soliloquiorum nomen, nullus veterum ante annos forte quingentos, nedum ipse Augustinus, meminisse usquam potuit. Quippe recentius ab incerto auctore collectus est, non modo ex Augustino, libris præsertim Confessionum ipsius, sed etiam ex Hugone Victorino, libro de Arrha animæ, habetque in trigesimo secundo capite insertum caput primum Concilii Lateranensis quarti, circiter an. 1158 habiti, paucis prætermissis verbis (a). Magnam porro consensionem et affinitatem in eo reperies cum plerisque collectaneis opusculis hujusce Appendicis ; scilicet cum libris de Spiritu et Anima, et de Diligendo Deo, cum Manuali, etc. Præ cæteris vero ad excitandum Dei amorem comparatus, ac piis erga ipsum affectibus refertus est. Castigatior hic demum exhibetur iste liber subsidio veterum codicum bibliothecæ Regiæ, Colbertinæ, cœnobii S. Medardi apud Suessiones, et S. Petri de Cultura apud Cenomanos.

(a) Loca ex S. Doctore vel ex aliis auctoribus desumpta indicavimus notis alphabeticis parenthesi inclusis, ac sub initio loci excerpti positis. M.

SOLILOQUIORUM

ANIMÆ AD DEUM

LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Aspiratio ad cognitionem et amorem Dei. Visionis Dei desiderium. Amoris Dei dulcedinis causæ. Homines a Deo discrepantiæ.* Agnoscam te, Domine cognitor meus, cognoscam te, virtus animæ meæ. Ostende te mihi, consolator meus, videam te, lumen oculorum meorum. Veni, gaudium spiritus mei ; videam te, lætitia cordis mei ; diligam te, vita animæ meæ. Appare mihi, delectatio mea magna, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita et gloria tota animæ meæ. Inveniam te, deside-

rium cordis mei; teneam te, amor animæ meæ. Amplectar te, sponse cœlestis, exsultatio mea summa intus et extra. Possideam te, beatitudo sempiterna; possideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animæ meæ. Diligam te, Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus (*Psal.* XVII, 2, 3). Amem te, Deus meus, adjutor meus, turris fortitudinis mihi, et spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te, bonum, sine quo nihil bonum: fruar te, optime [1], sine quo nihil optimum. Aperi penetralia aurium mearum, Verbum penetrabilius omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV, 12), ut audiam vocem tuam. Intona, Domine, desuper voce grandi et forti. Tonet mare et plenitudo ejus, commoveatur terra et omnia quæ in eis sunt (*Psal.* XCV, 11, 12). Illustra oculos meos, lux incomprehensibilis, fulgura coruscationem, et dissipa eos (*Psal.* CXLIII, 6) ut non videant vanitatem. Fulmina multiplica, et conturba eos, ut appareant fontes aquarum et revelentur fundamenta orbis terrarum (*Psal.* XVII, 16). Tribue visum, lux invisibilis, qui te videat. Crea novum olfactum, odor vitæ, qui post te currat in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 3). Gustum sana, qui sapiat, et cognoscat, et discernat quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti his qui pleni sunt charitatis tuæ (*Psal.* XXX, 20). Da cor quod te cogitet, animum qui te diligat, mentem quæ te recolat, intellectum qui te intelligat, rationem quæ tibi semper, summum dulce, fortiter adhæreat; te sapienter, amor sapiens, diligat.

O vita, cui omnia vivunt; vita, quæ das mihi vitam; vita, quæ es mea vita; vita, per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam resuscitor, sine qua pereo; vita per quam gaudeo, sine qua tribulor: (*a*) vita vitalis, dulcis et amabilis, semperque memorialis. Ubi, quæso, es? ubi te inveniam, ut in me deficiam et in te subsistam? Prope esto mihi in animo, prope in corde, prope in ore [2], prope in auxilio: quia amore langueo, quia sine te morior, quia te recolens suscitor. Odor tuus me recreat, memoria tua me sanat: sed satiabor cum apparuerit gloria tua, vita animæ meæ. Concupiscit et deficit anima mea de memoria tua, quando veniam et apparebo tibi, lætitia mea? Quare faciem tuam avertis, gaudium per quod gaudeo? Ubi es absconditus, pulcher quem desidero? Odorem tuum haurio; vivo et gaudeo: te autem non video. Vocem tuam audio, et revivisco. Sed cur faciem tuam abscondis? Forte dicis, *Non videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Eia, Domine, moriar ut te videam; videam, ut hic moriar. Nolo vivere, volo mori; dissolvi cupio, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23). Mori desidero, ut videam Christum; vivere renuo, ut vivam cum Christo. O Domine Jesu, accipe spiritum meum. Vita mea, suscipe animam meam. Gaudium meum, attrahe cor meum; dulcis cibus meus, comedam te. Caput meum, dirige me: lumen oculorum meorum, illumina me: melos meum, tempera me: odor meus, vivifica me: verbum Dei, recrea me. Laus mea, lætifica animam servi tui. Intra in eam, verum gaudium, ut in te gaudeat: intra in eam, dulcedo summa, ut dulcia sapiat: lumen æternum, illustra super eam, ut te intelligat, cognoscat et diligat.

Ob hoc enim non te diligit, Domine, si non diligit, quia non te cognoscit: et ideo non cognoscit, quia non intelligit: et idcirco non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit: et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5). O lux mentis, o lucens veritas, o vera claritas, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum (venientem quidem, sed non diligentem; quia qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur (*Jacobi* IV, 4), expelle tenebras de super faciem abyssi mentis meæ, ut videat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, ut diligat te cognoscendo. Qui enim cognoscit te, diligit te; obliviscitur se, amat te plus quam se, relinquit se, et venit ad te, ut gaudeat de te. Hinc est ergo, Domine, quod non tantum diligo quantum debeo, quia non plene cognosco te. Sed quia parum cognosco, parum diligo, et quia parum diligo, parum in te gaudeo; sed a te vero gaudio interiori per exteriora recedens, dum te solo careo, oblectamenta illa in his exterioribus quæro. Et sic miser ego cor meum, quod tibi soli debui toto amore totoque affectu impendere, vanis dedi; et vanus effectus sum, dum vanitatem dilexi.

CAPUT II. *Dei ad hominem variæ habitudines.* Hinc etiam est, Domine, quod in te non gaudeo, et tibi non adhæreo: quia ego in exterioribus, tu in interioribus; ego in carnalibus, tu in spiritualibus; ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor, locutione implicor, et tu, Domine, in æternis habitas æternitatem. Tu in cœlo, ego in terra; tu diligis alta, ego infima; tu cœlestia, ego terrestria. Et quando poterunt hæc contraria convenire? Miser ego! quando poterit obliquitas mea tuæ rectitudini adæquari? Tu, Domine, diligis solitudinem, ego multitudinem; tu silentium, ego clamorem; tu veritatem, ego vanitatem; tu munditiam, ego immunditiam sequor. Quid plura, Domine? Tu vere bonus, ego malus; tu pius, ego impius; tu sanctus, ego miser; tu justus, ego injustus; tu lux, ego cæcus; tu vita, ego mortuus; tu medicina, ego æger; tu gaudium, ego tristitia; tu summa veritas, ego universa vanitas, ut omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII, 6).

Heu! Quid igitur, o Creator, dicam? Audi, o Creator. Creatura tua sum, jam perii; creatura tua sum, jam morior; factura tua sum, jam ad nihilum redigor. Plasma tuum sum: manus tuæ, Domine, fecerunt me; et plasmaverunt me (*Psal.* CXVIII, 73); manus, inquam, illæ quæ clavis affixæ sunt pro me; opus manuum tuarum, Domine, ne despicias; vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me; lege ipsam scripturam, et salva me. En ad te suspiro creatura tua; Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua; vita es, refice me. En ad te respicio tuum plasma; plasmator es, restaura me. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei (*Job* VII, 16). Quid est homo, ut possit alloqui Deum factorem suum? Parce mihi colloquenti tibi, ignosce servo qui præsumit loqui Domino. Legem non habet necessitas. Dolor me compellit dicere, et calamitas quam patior, cogit me exclamare. Ægrotus sum, ad medicum clamo; cæcus sum, ad lucem propero; mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita. Jesu Nazarene, miserere mei; fili David, miserere mei (*Matth.* XX, 30): fons misericordiæ, audi qui ad te clamat infirmum. Lux quæ [1] transis, exspecta cæcum: præbe manum, ut ad te veniat, et in lumine tuo lumen videat (*Psal.* XXXV, 10). Vita vivens, revoca mortuum.

Quid sum ego, qui loquor tecum? Væ mihi, Domine, parce mihi: ego cadaver putridum, esca vermium, vas fetidum, cibus ignium. Quid sum ego qui loquor tecum? Væ mihi, Domine, parce mihi: infelix ego homo; homo, inquam, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis (*Job* XIV, 1); homo, inquam, vanitati similis factus (*Psal.* CXLIII, 4), comparatus jumentis insipientibus, et jam similis illis factus (*Psal* XLVIII, 13). Quid iterum ego? Abyssus tenebrosa, terra miseriæ, filius iræ, vas aptum ad contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia. Heu miser quid sum? heu quid futurus sum? Et quid sum? Vas sterquilinii,

[1] Alias, *optimum*.
[2] Editi hic addunt, *prope in auribus*.
(*a*) Ex Speculo, cap. 30.

[1] Mss., *qui*.

concha putredinis, plenus fetore et horrore: cæcus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, ignorans introitum et exitum meum. Miser et mortalis, cujus dies sicut umbra prætereunt, cujus vita sicut umbra lunaris evanescit; sicut flos in arbore crescit, et statim marcescit; nunc floret, et statim aret (*Psal.* ci, 12). Vita, inquam, mea, vita fragilis, vita caduca, vita quæ quanto magis crescit, tanto magis decrescit; quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit: vita fallax et umbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, statim contristor; nunc vigeo, jam infirmor; nunc vivo, statim morior; nunc felix appareo, et semper miser; nunc rideo, et statim fleo: sicque omnia mutabilitati subjaceant, ut mihi vix una hora in uno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat. Subsequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miseros homines rapit. Hunc namque febribus, illum doloribus opprimit; hunc consumit fames, illum sitis exstinguit: illum vero suffocat aquis, hunc interimit laqueo, illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat, hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miseram vitam finire compellit. Et nunc super hæc omnia magna miseria, quia cum nihil sit certius morte, ignorat tamen homo finem suum; et cum stare putat, tollitur et perit spes ejus. Nescit enim homo quando vel ubi vel quomodo morietur: et tamen certus est quod eum mori oportet. Ecce, Domine, quam magna miseria hominis in qua sum, nec timeo; quam grandis calamitas quam patior, nec doleo, et ad te non clamo. Clamabo, Domine, antequam transeam: si forte non transeam, sed in te maneam. Dicam ergo, dicam miseriam meam: confitear, nec erubescam ante te, vilitatem meam. Adjuva me, fortitudo mea per quam sublevor; succurre, virtus per quam sustentor; veni, lux per quam video; appare, gloria per quam gaudeo. Appare, inquam, et vivam.

CAPUT III. *Hominis miseriæ et fragilitas.* (a) O lux quam videbat Tobias, quando oculis clausis docebat filium viam vitæ (*Tob.* iv, 2-20); lux quam videbat Isaac interius, quando caligantibus oculis exterius filio futura narrabat (*Gen.* xxvii, 28); lux, inquam, invisibilis, cui omnis abyssus humani cordis est visibilis; lux quam Jacob videbat, quando, sicut tu intus docebas, filiis exterius ventura prædicebat (*Id.* xlix, 1-28); ecce tenebræ sunt super faciem abyssi mentis meæ, tu es lumen: ecce caligo tenebrosa super aquas cordis mei, tu es veritas. O Verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil; Verbum quod es ante omnia, ante quod nihil; Verbum creans omnia, sine quo nihil omnia (*Joan.* i, 3); Verbum regens omnia, sine quo non sunt omnia; Verbum quod dixisti in principio, *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* i, 3), dic etiam nunc, Fiat lux, et facta sit lux: et videam lumen, et cognoscam quidquid non est lumen; quia sine te mihi tenebræ lumen, et lumen tenebræ ponuntur. Et sic sine tua luce non est veritas, adest error; adest vanitas, non est veritas, non est discretio, adest confusio; adest ignorantia, non est scientia; adest cæcitas, non est visio; adest invium, non est via; adest mors, non est vita.

CAPUT IV. *Luminis Dei necessitas et imploratio.* Ecce, Domine, quia non est lux, est mors: imo non est mors, quia nihil est mors, nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et juste quidem hoc, Domine; nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus sicut aqua decurrens: quia sine te factum est nihil, et nos faciendo nihil, facti sumus nihil: quia sine te sumus[1], per quem facta sunt omnia et sine quo factum est nihil. O Domine Verbum, o Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil (*Joan.* i, 3); væ mihi misero toties obcæcato, quia tu lux, et ego sine te; toties vulnerato, quia tu salus, et ego sine te; toties infatuato, quia tu es veritas, et ego sine te; toties oberrato, quia tu via, et ego sine te; toties mortuo, quia tu vita, et ego sine te; toties annihilato, quia tu Verbum per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo factum est nihil. O Domine Verbum, o Deus Verbum, qui es lux per quam facta est lux; qui es via, veritas et vita (*Id.* xiv, 6); in quo non sunt tenebræ, error, vanitas, neque mors; lux sine qua tenebræ, via sine qua error, veritas sine qua vanitas, vita sine qua mors, dic verbum, dic, Domine, Fiat lux, ut videam lucem, et vitem tenebras; videam viam, et vitem invium; videam veritatem, et vitem vanitatem; videam vitam, et vitem mortem. Illuminare, Domine lux mea, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo, Dominus meus quem laudabo, Deus meus quem honorificabo, pater meus quem amabo, sponsus meus cui me servabo. Illuminare, inquam, illuminare, lux, huic cæco tuo qui in tenebris et in umbra mortis sedet, et dirige pedes ejus in viam pacis, per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei in voce exsultationis et confessionis. Vere confessio est via per quam ingrediar ad te, via per quam egrediar ab invio, et redeam ad te viam, quia tu es vera via vitæ[1].

CAPUT V. *Miseria nostra a peccato. Quod peccatum nihil sit. Quod peccans nihil fiat.* Confitear ergo, confitear tibi, Domine Pater, rex cœli et terræ, miseriam meam, ut me venire liceat ad misericordiam tuam. Miser quippe factus sum, et ad nihilum redactus sum, et nescivi; quia tu es veritas, et ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meæ, et non dolui; quia tu es vita, et ego non eram tecum. Ad nihilum deduxerunt me; quia tu es Verbum, et ego non eram tecum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil: et ideo sine te factus sum nihil, quia est nihil quod ad nihilum ducit. Omnia per Verbum facta sunt, quæcumque facta sunt. Et qualia facta sunt? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* i, 31). Omnia quæcumque sunt, per Verbum facta sunt: et quæcumque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt? Quia per Verbum facta sunt. *Et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* i, 3); quia nihil bonum sine summo bono, sed malum est ubi non est bonum, quod[2] utique nihil est; quia nihil aliud est malum, quam privatio boni; sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis. Malum igitur nihil est; quia utique sine Verbo factum est, sine quo factum est nihil. Illud autem malum est, quod privat[3] illo bono per quod facta sunt omnia bona, scilicet Verbo per quod facta sunt omnia quæcumque sunt. At quæ non sunt, per ipsum facta non sunt, et ideo nihil sunt. Et ideo mala sunt, quæ facta non sunt; quia omnia quæcumque sunt, per Verbum facta sunt, et omnia per Verbum bona facta sunt. Cum igitur omnia per Verbum facta sunt, mala per ipsum non sunt: restat igitur, quod omnia quæcumque facta non sunt, bona non sunt; quia omnia quæ facta sunt, bona sunt. Et ideo mala non sunt, quia facta non sunt[4]; et ideo nihil sunt, quia sine Verbo factum est nihil. Malum igitur nihil est; quia factum non est. Sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum privatio Verbi est, per quod bonum factum est. Esse ergo sine Verbo malum est; quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Sed quid est separari a Verbo? Si hoc velis scire, audi quid sit Verbum. Verbum Dei dicit, *Ego sum via, veritas et vita* (*Id.* xiv, 6). Separari ergo a Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita; et ideo sine ipso nihil, et ideo malum; quia separari a

[1] In editis additur, *nihil*.

(a) Ex lib. 10 Confessionum, cap. 34.

[1] Has voces, *quia tu es vera via vitæ*, non habent Mss.

[2] Ms. Regius, *quia*.

[3] Editi et Regius Ms., *privatur*.

[4] Sic duo Mss. At Regius: *imo mala sunt quæ facta non sunt*. Et editi: *Et ideo mala sunt, quæ*, etc.

bono[1], per quod facta sunt omnia bona valde. Separari autem a Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est quam deficere, et a facto transire in defectum : quia sine ipso est nihil. Quoties ergo a bono devias, a Verbo te separas, quia ipsum est bonum, et ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil.

Nunc, Domine, illuminasti me, ut viderem te : vidi te, et cognovi me, quia toties nihil factus sum, quoties a te separatus sum, quia bonum quod tu es, oblitus sum, et ideo malus effectus sum. Væ mihi misero! ut quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam? Sed quid hoc quæro? Si nihil eram, quomodo cognoscere volebam? Scimus quia nihil nihil est ; et quod nihil est, non est ; et quod non est, bonum non est, quia nihil est. Si ergo nihil fui, cum sine te fui, quasi nihil fui, et velut idolum quod nihil est : quod quidem aures habet, et non audit ; nares habet, et non odorat ; oculos habet, et non videt ; os habet, et non loquitur ; manus habet, et non palpat ; pedes habet, et non ambulat ; et omnia lineamenta membrorum sine sensu eorum.

CAPUT VI. *Peccatoris miseria. Sine Verbo nihil est, nihil conservatur.* Cum igitur fui sine te, non fui ; quia nihil fui. Et ideo cæcus eram, surdus et insensibilis ; quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum meorum sentiebam, nec tenebras meas videbam ; quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). Væ mihi! vulneraverunt me, et non dolui ; traxerunt me, et non sensi : quia nihil eram, quia sine vita eram, quæ est Verbum per quod facta sunt omnia. Ideo, Domine lux mea, inimici mei de me fecerunt quæcumque voluerunt, percusserunt, nudaverunt, polluerunt, corruperunt, vulneraverunt et occiderunt me : quia recessi a te, et factus sum nihil sine te. Heu, Domine, vita mea qui fecisti me, lux mea qui direxisti[2] me. Defensor vitæ meæ, miserere mei et resuscita me[3]. Domine Deus meus, spes mea, virtus mea, fortitudo mea, consolatio mea in die tribulationis meæ, respice inimicos meos, et eripe me : fugiant a facie tua qui oderunt te, et ego vivam in te per te. Ipsi enim, Domine, consideraverunt me, et videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum quibus ornaveras me (*Psal.* XXI, 18, 19), fecerunt sibi viam per me, sub pedibus suis conculcaverunt me : fæcibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt me desolatum et mœrore confectum. Ibam post eos cæcus et nudus, et illaqueatus funibus peccatorum. Trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium, et de luto in lutum : et ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis. Servus eram, servitutem amabam. Cæcus eram, cæcitatem desiderabam. Vinctus eram, vincula non horrebam. Amarum dulce, et dulce amarum credebam. Miser eram, non cognoscebam ; et hoc quia sine te Verbo eram, sine quo factum est nihil, per quod omnia conservantur, sine quo omnia annihilantur. Sicut enim omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil ; sic per ipsum omnia conservantur quæcumque sunt, sive in cœlo, sive in terra, sive in mari, et in omnibus abyssis. Nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliquo creatorum : nisi quia per Verbum conservantur, per quod omnia facta sunt. Adhæream ergo tibi, Verbum, ut conserves me ; quia ubi a te recessi, perii in me : nisi quia tu qui feceras, refecisti me. Ego peccavi, tu me visitasti ; ego cecidi, tu me erexisti ; ego ignoravi, tu me docuisti ; ego non vidi, tu me illuminasti.

CAPUT VII. *Amor Dei beneficiorum intuitu excitatur. Creationis beneficium. Homo quatenus angelis inferior.* Miser ego, Deus meus, quantum teneor diligere te, ostende mihi ; quantum debeo laudare te, demonstra mihi ; quantum debeo placere tibi, innotesce mihi. Intona, Domine, voce grandi et forti in interiorem auditum cordis mei : doce me et salva me, et collaudabo te, qui creasti me, cum nihil essem ; qui illuminasti me, cum in tenebris essem ; qui resuscitasti me, cum mortuus essem ; qui pavisti me a juventute mea omnibus bonis tuis. Hunc eumdem vermiculum, fetentem peccatis, nutris omnibus optimis donis tuis. Aperi mihi, o clavis David, qui aperis, et nemo claudit illi cui tu aperis ; claudis, et nemo aperit illi cui tu claudis : aperi mihi ostium luminis tui, ut ingrediar, et videam, et cognoscam, et confitear tibi in toto corde meo, quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Domine Deus meus, quam admirabile, quam laudabile est nomen tuum in universa terra! Et quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum (*Psal.* VIII, 2, 5)? Domine spes sanctorum, et turris fortitudinis eorum ; vita animæ meæ, per quam vivo, sine qua morior ; lumen oculorum meorum, per quod video, sine quo orbor ; gaudium cordis mei, et lætitia spiritus mei, diligam te toto corde meo, tota anima mea, totis medullis et visceribus meis, quia tu prior dilexisti me (I *Joan.* IV, 10). Et unde hoc mihi, o creator cœli et terræ et abyssi, qui bonorum meorum non indiges ; unde hoc mihi, quia dilexisti me? O sapientia quæ aperis os mutorum, o Verbum per quod facta sunt omnia, aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi, Domine, a principio contulisti. Ecce enim sum, quia tu creasti me : et quod me creares, et in numero creaturarum tuarum numerares, ab æterno tu præordinasti. Antequam quidquam faceres a principio, antequam extenderes cœlos ; necdum erant abyssi, adhuc terram non feceras, nec montes fundaveras, necdum fontes eruperant (*Prov.* VIII, 22-27), antequam hæc omnia quæ fecisti, per Verbum faceres, me creaturam tuam fore, certissima veritatis tuæ providentia prævidisti, et esse me creaturam tuam voluisti. Et hoc unde mihi, Domine benignissime, Deus altissime, pater misericordissime, creator potentissime et semper mitissime? Quæ mea merita, quæ mea gratia, ut complaceret ante conspectum tuæ magnificæ majestatis creare me? (*a*) Non eram, et creasti me ; nihil fueram, et de nihilo me aliquid esse fecisti? Quale autem aliquid? Non stellam, non ignem, non avem vel piscem, non serpentem vel aliquid ex brutis animalibus, non lapidem vel lignum ; non ex eorum genere ; quæ tantum habent esse ; vel ex eorum, quæ tantum esse possunt et crescere ; non ex eorum genere, quæ tantum esse et crescere et sentire possunt : sed super omnia hæc voluisti me esse ex his quæ habent esse, quia sum ; et ex his quæ habent esse et crescere, quia sum et cresco ; et ex his quæ habent esse, crescere et sentire, quia sum, cresco et sentio.

CAPUT VIII. *Quando æqualis. Quatenus creatura dignissima. Quale beneficium posse filium Dei fieri. Hæc nobis capacitas ex mera gratia.* Et paulo minus me parem creasti Angelis, quia rationem te cognoscendi cum ipsis a te communem accepi. Sed paulo minus utique dixi ; nam illi tuam felicem notitiam jam habent per speciem, ego vero per spem ; illi facie ad faciem, ego per speculum in ænigmate ; illi plene, ego autem ex parte. Sed cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, quando jam revelata facie tuam faciem videbimus. Quid jam prohibebit nos non esse minores paulo minus ab Angelis, quos tu, Domine, corona spei, quæ ornata est gloria, gloria et honore coronaveris ; quos tu nimis quasi amicos tuos honorificaveris, imo per omnia pares et æquales Angelis feceris? Nempe et hoc veritas tua dicit : æquales enim sunt Angelis, et filii Dei sunt (*Luc.* XX, 36). Quidni filii Dei sunt, si pares erunt Angelis? Vere quidem erunt filii Dei, quia fi-

[1] Sic Mss., nisi quod in Reg., *separans a bono.* At editi, *separatur a Verbo.*

[2] Mss., *dilexisti.*

[3] Ms. Reg. hic addit, *et retribuam me.*

(*a*) Vid. librum de Spiritu et Anima, cap. 17.

lius hominis factus est Filius Dei. Hæc itaque consideranti mihi fiducia est dicere, Non homo minor paulo minus est ab Angelis, non ubique tantum æqualis Angelis; sed superior Angelis: quia homo Deus, et Deus homo, non angelus. Et dicam propter hoc hominem esse creaturam dignissimam, quia Verbum quod erat in principio Deus apud Deum; Verbum per quod Deus dixit, *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I, 3), angelica scilicet natura, Verbum per quod Deus creavit omnia in principio, idem *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus* (*Joan.* I, 1, 14). Ecce gloria per quam glorior, quando sanum glorior. Ecce gaudium per quod gaudeo, quando sanum gaudeo, Domine Deus meus, vita et gloria tota animæ meæ.

Confiteor ergo, Domine Deus meus, cum me creasti rationis capacem, Angelis quodam modo parem creasti: quia perfici [1] possum per Verbum tuum, ut veniam ad æqualitatem Angelorum, ut habeam adoptionem filiorum per unigenitum Verbum tuum, Domine, per Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit, per virum cohærentem [2] et consubstantialem tibi et coæternum Jesum Christum, unicum Dominum et redemptorem nostrum, illuminatorem et consolatorem nostrum, advocatum nostrum apud te, et lumen oculorum nostrorum, qui est vita et salvator noster, et spes unica nostra; qui nos dilexit magis quam se, per quem habemus fiduciam repositam et firmam spem apud te, et accessum veniendi ad te; quoniam *dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus* (*Ibid.*, 12). Laudem tribuam nomini tuo, Domine, qui me ad imaginem et similitudinem tuam creando (*Gen.* I, 27), tantæ gloriæ fecisti me fore susceptibilem, ut possim filius Dei fieri. Hoc utique non possunt arbores, non possunt lapides, non generaliter omnia quæ moventur, vel crescunt in aere, vel in mari, vel in terra: quia non dedit eis potestatem Verbum tuum filios Dei fieri, quia rationem non habent; nam et hæc potestas in ratione consistit, per quam cognoscimus Deum. Dedit autem hanc hominibus, quos creavit rationabiles ad imaginem et similitudinem suam. Et ego utique, Domine, per tuam gratiam, homo sum: et filius tuus esse possum per gratiam, quod illi non possunt.

Unde hoc mihi, Domine, veritas summa, veraque summitas, et principium omnium creaturarum; unde hoc mihi, Domine, ut possim filius tuus fieri, quod illi non possunt? Tu enim manens in æternum omnia creasti simul. Simul creasti homines et jumenta, lapides et virentia terræ. Non præcesserunt merita, nulla eorum antecessit gratia: quia omnia tua tantum bonitate creasti, et pares omnes creaturæ fuere in meritis, quia omnium nulla fuere merita. Et unde ergo magis tua bonitas in hac tua creatura, quam fecisti rationalem, quam in omnibus aliis quæ sunt sine ratione, apparuit? Quare non ego sicut omnes illæ, aut cur non omnes illæ sicut ego, aut ego solus sicut et illæ? Quæ mea merita, quæ mea gratia, ut me filium [3] Dei posse fieri susceptibilem creares, quod illis omnibus denegares? Absit, Domine, ut hoc sentiam. Tua tantum gratia, tua tantum bonitas hoc fecit, ut essem particeps dulcedinis ejus. Illa igitur gratia qua me de nihilo creasti, illam, quæso, Domine, da mihi gratiam, ut tibi de hoc referam gratias.

CAPUT IX. *De omnipotentia Dei. Cur nos non lapis, arbor, etc., facti.* Omnipotens manus tua semper una et eadem, creavit in cœlo Angelos, in terra vermiculos: non superior in illis, non inferior in istis. Sicut enim nulla manus Angelum, ita nulla posset creare vermiculum: sicut nulla cœlum, ita nulla posset creare minimum arboris folium: sicut nulla corpus, ita nulla unum capillum album posset facere aut nigrum; sed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo sunt possibilia. Nec enim possibilius est et creare vermiculum, quam angelum; nec impossibilius extendere cœlum, quam folium; nec levius formare capillum, quam corpus; nec difficilius fundare terram super aquas, quam aquas fundare super terram [1]: sed omnia quæcumque voluit fecit, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, et me inter omnia, sicut voluit, potuit et scivit. Potuit quidem manus tua, Domine, me lapidem, vel avem, vel serpentem vel belluam aliquam creare, et scivit: sed noluit propter suam bonitatem. Quare ego non lapis, vel arbor, vel aliqua bellua? Quia sic ordinavit bonitas tua. Et ut hoc ordinaret, non præcesserunt merita mea.

CAPUT X. *Homo insufficiens ad laudandum Deum. Quis Deum laudet. Laus hominis vera. Rursum de insufficientia ad laudem Dei. Unde suppleatur.* Unde hoc mihi, Domine? unde mihi laudes ad laudandum te? Sicut fecisti me sine me, sicut placuit ante te; ita laus tibi est sine me, sicut complacet ante te. Laus tua, Domine, tu ipse es. Laudent te opera tua secundum multitudinem magnitudinis tuæ. Laus tua, Domine, incomprehensibilis est; corde non comprehenditur, ore non mensuratur, aure non percipitur: quia ista transeunt, et laus tua manet in æternum. Cogitatio incipit, cogitatio finitur; vox sonat et transit; auris audit, et auditus desinit [2]; laus vero tua in æternum stat. Quis ergo est qui te laudet? Quis homo annuntiet laudem tuam? Laus tua perpetua est, transitoria non est. Hic te laudat, qui te ipsum laudem tuam credit. Hic te laudat, qui se ipsum nescit in tuam laudem non posse pertingere. Laus perpetua, quæ numquam transis, in te est laus nostra, in te laudabitur anima mea. Non nos laudamus te: sed tu te, et per te, et in te; et nobis etiam laus est in te. Tunc veram habemus laudem, quando a te habemus laudem, quando lux approbat lucem; quia tu vera laus veram tribuis laudem. Quoties ab alio quam a te quærimus laudem, toties tuam amittimus laudem: quia illa transitoria est, sed tua æterna. Si transitoriam quærimus, æternam amittimus. Si æternam volumus, transitoriam non amemus. Laus æterna, Domine Deus meus, a quo omnis laus, sine quo nulla est laus, non valeo laudare te sine te: habeam te, laudabo te. Quis enim ego sum, Domine, per me qui laudem te? Pulvis et cinis ego sum, canis mortuus et fetens ego sum, vermis et putredo ego sum. Quis ego sum, ut laudem te, Domine Deus, fortissime spirituum universæ carnis, qui habitas æternitatem? Numquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebræ; tu vita, ego mors. Numquid vanitas veritatem laudabit? Tu es veritas, ego homo vanitati similis factus. Quid ergo, Domine, laudabit te? Numquid miseria mea laudabit te? Numquid fetor laudabit odorem? Numquid mortalitas hominis, quæ hodie est et cras tollitur, laudabit te? Numquid laudabit te putredo, et filius hominis vermis? Numquid laudabit te, Domine, qui in peccatis genitus est et natus? Laudet te, Domine Deus meus, omnipotens potentia tua, inscrutabilis sapientia tua, ineffabilis bonitas tua. Laudet te superabundans clementia tua, superabundans misericordia tua, sempiterna quoque virtus et divinitas tua. Laudet te omnipotentissima fortitudo tua, summa quoque benignitas et charitas tua, propter quam creasti nos, Domine Deus vita animæ meæ.

CAPUT XI. *Spes salutis nititur bonitate quæ creavit.* Ego autem creatura tua, sub umbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua, qua creasti me. Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua: non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua; non pereat in miseria mea, quod fecit summa clementia tua. Quæ est enim utilitas in creatione tua, si descendam in corruptionem meam? Numquid enim

[1] Ms. Reg., *perficere*.
[2] Ita Mss. At edd., *per unicum cohæredem*.
[3] Ms. Reg., *plit*.

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov. sic exhibent hunc locum: *Nec difficilius fundare terram super aquas, quam aquas super terram*. M.
[2] Mss., *transit*.

vane constituisti omnes filios hominum? Creasti me, Domine, rege quod creasti. Opera manuum tuarum ne despicias, Deus. Me fecisti de nihilo, si me non regis, Domine, iterum revertar ad nihilum. Sicut enim, Domine, non eram, et de nihilo aliquid me fecisti, sic si me non regis, adhuc in nihilum redigetur in me. Adjuva me, Domine vita mea, ne peream in malitia mea. Si non creares me, Domine, non essem ¹ quia creasti me, jam sum, si non regis, jam non sum. Non mea merita, non mea gratia, te coegerunt ut creares me, sed benignissima bonitas tua et clementia. Illa charitas, Domine Deus meus, quæ te ad creationem coegit, ipsa, quæso, et modo cogat te ad regendum. Quid enim prodest quod compulit charitas tua, si peream in miseria mea, et non me regat dextera tua? Hæc te cogat, Domine Deus meus, clementia ad salvandum, quod creatum est, quæ te compulit creare, quando creatum non est. Ipsa te vincat charitas ad salvandum quæ te vicit ad creandum; quia nec nunc minor est, quia ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es. Non est abbreviata manus tua, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris tua, ut non audiat (*Isai.* LIX, 1); sed peccata mea diviserunt inter me et te, inter tenebras et lucem, inter imaginem mortis et vitam, inter vanitatem et veritatem, inter lunaticam hanc vitam meam et sempiternam tuam.

CAPUT XII. *Contra concupiscentiarum laqueos oratio. Hos laqueos quis effugiat.* Hæ sunt umbræ, quibus operior in hac abysso caliginosa carceris hujus, in quo prostratus jaceo donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, fiatque vox in firmamento virtutis tuæ, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: dicatque, Fiat lux, et effugentur tenebræ, et appareat arida, germinetque terra herbam virentem et facientem semen et fructum bonum justitiæ regni tui. Domine Pater et Deus, vita per quam omnia vivunt, et sine qua omnia mortua computantur, ne derelinquas me in cogitatu maligno, et extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Aufer a me concupiscentias, et animo irreverenti et infrunito ne tradas me (*Eccli.* XXIII, 4 6): sed posside cor meum, ut te cogitet semper. Illumina oculos meos, ut te videant, et non extollantur ante te, gloria sempiterna: sed humiliter sentiant, non in mirabilibus super se; et quæ a dextris sunt videant, non quæ a sinistris abs te. Et palpebræ meæ præcedant gressus meos: nam et palpebræ tuæ interrogant filios hominum (*Psal.* X, 6). Allide concupiscentiam meam dulcedine tua, quam abscondisti timentibus te, ut concupiscam concupiscere te concupiscentiis sempiternis: ne vanis illectus et deceptus interior gustus ponat amarum dulce, et dulce amarum, tenebras lucem, et lucem tenebras in medio tot decipularum passim ab inimico super faciem viæ hujus ad capiendas animas paratarum, quibus plenus est totus mundus, ut is qui vidit, sub silentio non transivit, inquiens: *Quidquid enim est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* (I *Joan.* II, 16). Ecce, Domine Deus meus, mundus totus plenus est concupiscentiarum laqueis, quos paraverunt pedibus meis. Et quis effugiet hos laqueos? Profecto a quo tu abstuleris extollentiam oculorum suorum, ut non eum capiat concupiscentia oculorum; et a quo tu abstuleris carnis concupiscentiam, ne eum capiat carnis concupiscentia; et a quo tu abstuleris animum irreverentem et infrunitum, ne eum callide decipiat superbia vitæ. O quam felix cui hæc facies! quippe pertransibit immunis. Nunc deprecor te per te, adjuva me; ne corruam in conspectu adversariorum meorum captus laqueis eorum, quos paraverunt pedibus meis, ut incurvent animam meam. Sed erue me, virtus salutis meæ: ne sibi risum exhibeant de me inimici tui qui oderunt te. Exsurge, Domine Deus meus, fortis meus; et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua (*Psal.* LXVII, 1): sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Et ego abscondar in abscondito faciei tuæ, et gaudeam cum filiis tuis, satiatus et repletus bonis tuis. Et tu, Domine Deus, pater orphanorum [illegible]

CAPUT XIII. *De mirabili luce Dei. Quod in solo Deo bona sint homini. De vanitate. De beneficiis.* Lux quam non videt alius, lumen quod non videt aliud lumen, lux quæ obtenebrat omnem lucem, et lumen quod excæcat omne extraneum lumen, lux a qua omnis lux, lumen a quo omne lumen; lumen ad quod omne lumen est tenebræ, ad quod omnis lux obscuritas; lux cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obscuritas lux; lux suprema quam non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obfuscant, quam nulla obstantia ¹ claudunt, quam nunquam separat aliqua umbra: lux quæ illuminas omnia tota simul et semel et semper, absorbe me in claritatis tuæ abyssum, ut videam undique te in te, et me in te, et cuncta sub te. Ne derelinquas me; ne accrescant umbræ ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea. Sine te enim omnia mihi sunt tenebræ, omnia mala; quia nihil bonum sine te vero, solo et summo bono. Hoc confiteor, (a) hoc scio, Domine Deus meus, quia ubicumque sum sine te, male est mihi præter te, non solum extra me, sed etiam in me; quia omnis copia quæ non est Deus meus, mihi est egestas. Satiabor tantum cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI, 15). Etenim, Domine vita mea beata, ut miseriam meam confitear tibi, ex quo ab uno te tua cecidi, summum et unum bonum; temporalium rerum multiformitas lapsum me per carnales sensus disverberavit, et ab uno te in multa divisit: et facta est mihi abundantia laboriosa, et egestas copiosa, dum aliud et aliud sequebar, et a nullo implebar; dum in te non inveniebar, incommutabile et singulare et indivisum unum bonum, quod secutus non erro, quod consecutus non doleo, quod possidens satiatur totum desiderium meum. Heu miseria magna! heu me! Domine, misera anima mea te refugit, cum quo semper abundat et gaudet; et sequitur mundum, cum quo semper eget et dolet. Mundus clamat, Deficio; et tu clamas, Reficio: et misera anima mea magis sequitur deficientem, quam reficientem. Plane infirmitas mea hæc est. Medice spirituum, sana illam, ut confiteatur tibi, salus animæ meæ, toto corde meo super omnibus beneficiis tuis, quibus pascis me a juventute mea et usque in senectam et senium. Te deprecor per te ipsum, ne derelinquas me.

(b) Fecisti me cum non essem, redemisti me cum periissem. Perieram, mortuus fueram; ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti, ad servum rex descendisti. Ut servum redimeres, te ipsum tradidisti; ut ego viverem, tu mortem suscepisti, mortem vicisti; me restaurasti, cum te humiliasti. Perieram, abieram, in peccatis venumdatus eram; venisti pro me, ut redimeres me: et tantum me dilexisti, ut sanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexisti me plus quam te, quia mori voluisti pro me. Tali pacto, tam caro pretio reduxisti me de exsilio, redemisti me de servitio, retraxisti me de supplicio. Vocasti me nomine tuo, signasti me sanguine tuo, ut memoriale tuum semper esset apud me, et nunquam recederet a corde meo, qui pro me nunquam recessisti a cruce. Unxisti me oleo tuo quo tu unctus fuisti ut a te Christo dicerer christianus. Et in manibus tuis descripsisti me; ut semper sit memoria mea apud te, si tamen memoria tua jugiter fuerit apud me. Sic igitur gratia tua et misericordia semper prævenerunt me: de multis namque periculis sæpe liberasti me, libe-

¹ Ms. Colbertinus, *ostia*.
(a) Ex lib. 13 Confessionum, cap. 8.
(b) Vide librum de Spiritu et Anima, cap. 17; librum de Diligendo Deo, capp. 6 et 7; et apud Anselm. Medit. 7.

rator meus; quando erravi, ad viam reduxisti me; quando ignoravi, docuisti me; quando peccavi, corripuisti me; quando tristis fui, consolatus es me; quando desperavi, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, tenuisti me; quando ivi, duxisti me; quando veni, suscepisti me; quando dormivi, custodisti me; quando clamavi, exaudisti me.

CAPUT XIV. *Quod Deus jugiter inspicit opera et intentiones hominum.* (a) Hæc et multa alia beneficia fecisti mihi, Domine Deus meus, vita animæ meæ: de quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semperque tibi gratias agere: ut possim te pro omnibus bonis tuis laudare, et amare te toto corde meo, et tota anima mea, et tota mente mea, et tota fortitudine mea, simul et ex omnibus medullis intimis cordis mei, et omnium compaginum mearum, jucunda dulcedo, Domine Deus meus, omnium qui delectantur in te. Sed imperfectum meum viderunt oculi tui (*Psal.* CXXXVIII, 16): oculi, inquam, tui multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, qui in omni loco semper contemplantur bonos et malos (*Prov.* XV, 3). Cum enim cunctis præsideas singula implens, totus semper ubique præsens, cunctorumque curam agens quæ creasti, quia nihil odisti eorum quæ fecisti; sic gressus meos semitasque consideras, et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum unum aspicias; neque minuitur, si innumera videas et diversa: quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfecte simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed omnia sicut unum [1], et sicut unum omnia, sic singula totus simul sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas [2], sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. Semper quippe te ubique præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum inveneris. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero non recedis, quoniam ubique es: ut quocumque iero, inveniam te, per quem possim esse ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor equidem, quia quidquid facio, quæcumque facio, ante te facio: et illud quidquid est quod facio, melius tu vides quam ego qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis: utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, et operationum mearum. Domine, ante te est semper omne desiderium meum, ante te tota cogitatio mea. Tu vides unde veniat spiritus, ubi sit, et quo vadat; quia tu es spiritus omnium spirituum ponderator. Et utrum radix sit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur, tu judex interius melius ipse (b) me nosti, et medullas etiam radicum subtilius perscrutaris, et non solum intentionem, sed etiam radicis ejus medullam intimam discretissima tuæ lucis veritate colligis, in nervis et signas; ut reddas unicuique non tantummodo secundum opera vel intentionem, sed etiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quid tendo cum operor, quidquid cogito, et in quocumque delector, tu vides, aures tuæ audiunt, oculi tui considerant, signas attente, notas et scribis in libro tuo, sive bonum fuerit sive malum: ut reddas postea pro bonis præmia, et pro malo supplicia, quando aperientur libri, et judicabimur secundum hæc quæ fuerunt scripta in libris tuis (*Apoc.* XX, 12). Hoc est forte quod jam dixisti nobis, *Considerabo novissima eorum* (*Deut.* XXXII, 20); et quod de te, Domine, dicitur, *Universorum finem ipse considerat* (*Job.* XXVIII, 3): quoniam tu quidem in omnibus quæ agimus, finem intentionis, magis quam actum operationis attendis. Cumque hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor: quoniam magna nobis est indita necessitas juste recteque vivendi, cui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.

CAPUT XV. *Quod homo per se nihil possit. Quod non habeat unde glorietur. Qui gratiæ divitias promereatur. Quid homo per se. Gratiæ est quod in peccata non labamur.* (a) Fortissime, magnipotens, Deus spirituum universæ carnis, cujus oculi super omnes vias filiorum Adam, a die nativitatis eorum usque ad diem exitus eorum, ut reddas unicuique secundum opera sua bona vel mala; ostende mihi, ut confitear tibi, paupertatem meam: quoniam dixi quod dives essem, et nullius egerem; et nesciebam quia pauper eram, cæcus, nudus, miser et miserabilis (*Apoc.* III, 17). Credebam me fore aliquid, cum nihil essem. Dixi, Sapiens efficiar; et stultus factus sum. Cogitabam esse continens; sed deceptus sum. Et video nunc quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere; quia nisi tu, Domine, custodieris civitatem, frustra vigilat qui custodit eam (*Psal.* CXXVI, 1). Sic docuisti me, ut cognoscerem me: quia dereliquisti me, et probasti me; non propter te ut cognosceres me, sed propter me ut cognoscerem me. Nam, ut dixi, Domine, credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me, nec percipiebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti a me, et cecidi statim in me: et vidi et cognovi quoniam tu regebas me; et quod cecidi, fuit ex me, et quod surrexi, fuit ex te. Aperuisti mihi oculos, lux, et excitasti et illuminasti me: et vidi quoniam tentatio est hominis vita super terram, et quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificetur omnis vivens: quoniam si quid boni est parvum vel magnum, donum tuum est, et nostrum non est nisi malum. Unde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed numquid gloriabitur de bono? numquid de alieno? Tuum, Domine, est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, et non tibi quærit, hic fur est et latro, et similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui laudari vult de tuo dono, et non quærit in illo gloriam tuam, sed suam: hic licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, a te tamen vituperatur; quia de dono tuo non tuam, sed suam gloriam quæsivit. (b) Qui autem ab hominibus laudatur vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec liberabitur condemnante te. At tu, Domine formator meus ex utero matris meæ, non me sinas cadere in illam exprobrationem, ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam. Tibi sit gloria, cujus est omne bonum; nobis autem confusio faciei et miseria, quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri. Misereris quippe, Domine, misereris omnium quæ fecisti, et nihil odisti eorum quæ fecisti, et das nobis de bonis tuis, et ditas nos inopes de optimis donis tuis: quoniam diligis pauperes, et divites facis eos divitiis tuis. Ecce nunc, Domine, pauperes nos filii tui sumus, et pusillus grex tuus: aperi nobis januas tuas, et edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt te qui requirunt te. Scio etiam, Domine, et confiteor docente te, quoniam soli illi

[1] Ita uterque e Mss. Regiis. At editi, *Sed sicut omnia, sic* [illegible]

[2] [illegible]

(a) Hoc caput convenit cum libro de Spiritu et Anima, cap. 17, [illegible] cap. 10, et cum Hug. Victorini [illegible]

(b) [illegible]

(a) Boetius de consolat. lib. 5, prosa 6. Vide libr. Medit. Bernardi cap. 2, n. 19.

(b) Aug. lib. 10 Confessionum, cap. 36.

qui cognoscunt se pauperes, et confitentur tibi paupertatem suam, ditabuntur a te: quoniam qui se divites existimant cum sint pauperes, a tuis divitiis inveniuntur exclusi. Et ego igitur confiteor tibi, Domine Deus meus, paupertatem meam: et sit tibi tua gloria tota[1], quoniam tuum est omne bonum. Per me enim, Domine, fateor, ut docuisti me, nihil aliud sum quam universa vanitas et umbra mortis, et abyssus quædam tenebrosa, et terra inanis et vacua, quæ sine tua benedictione nihil germinat, fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum et mortem. Si quid boni unquam habui, a te recepi, quidquid boni habeo, tuum habeo[2]. Si quando steti, per te steti; sed quando cecidi, per me cecidi. Semper in luto jacuissem, nisi tu me erexisses; semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminasses. Quando cecidi, nunquam surrexissem, nisi tu mihi manum porrexisses. Postquam me erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses; sæpius periissem, nisi me gubernasses.

Sic semper, Domine, sic semper gratia et misericordia tua prævenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans a præteritis, suscitans a præsentibus, et muniens a futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones et causas; quia nisi tu hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem: quoniam scio Domine, quod nullum peccatum est quod unquam fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Creator a quo factus est homo. Sed quod non facerem, tu fecisti; quod abstinerem, tu jussisti; et quod tibi crederem, tu gratiam infudisti. Tu namque, Domine, regebas me tibi, servabas me tibi et mihi, ut adulterium et omne aliud peccatum non committerem.

CAPUT XVI. *De diabolo et tentationibus ejus. Diaboli ubique laquei.* Tentator defuit; et ut deesset, tu fecisti. Locus et tempus defuit; et ut hæc deessent, tu fecisti. Adfuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus; sed ut non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut est; et ut eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator fortis armatus; et ut me non vinceret, eum refrenasti, et me roborasti. Venit tentator transfiguratus in angelum lucis; et ut me non deciperet, tu eum increpasti, et ut eum cognoscerem, tu me illuminasti. Ipse enim est, Domine, draco ille magnus, rufus, serpens antiquus, vocatus diabolus et satanas, habens capita septem et cornua decem (*Apoc.* XII, 3), quem creasti ad illudendum huic mari magno et spatioso manibus, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, et animalia pusilla et magna (*Psal.* CIII, 25, 26); id est, diversa dæmoniorum genera, quæ nihil aliud die noctuque operantur, nisi quod circumeunt quærentes quem devorent, nisi tu eripias. Ipse enim est draco antiquus ille, qui ortus est in paradiso voluptatis, qui cauda sua trahit tertiam partem stellarum cœli, et eas mittit in terram (*Apoc.* XII, 4), qui veneno suo corrumpit aquas terræ, ut bibentes homines moriantur, qui sternit sibi aurum quasi lutum (*Job* XLI, 21), et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus (*Id.* XL, 18), qui factus est ut nullum timeat. Et quis defendet a morsibus ejus, quis eruet ab ore ejus, nisi tu, Domine, qui confregisti capita draconis magni? Prætende, Domine, super nos alas tuas, ut fugiamus sub eis a facie draconis hujus, qui nos persequitur, et scuto tuo libera nos a cornibus[3] ejus. Hoc enim est continuum studium suum, hoc unicum desiderium suum, ut animas devoret quas creasti. Et ideo ad te clamamus; libera nos ab adversario nostro quotidiano, qui, sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcumque opus operemur, omnibus modis instat die ac nocte, fraudibus et artibus, nunc palam, nunc occulte, sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. Et tamen, Domine, pessima dementia nostra, quia cum continue videamus eum ore aperto paratum ad devorandum, dormimus et lascivimus in pigritiis nostris, tanquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat quam ut nos perdat. Insidians ut occidat, semper vigilat inimicus, et nos ut custodiamus nos, nolumus evigilare a somno. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos innumerabiles, et omnes vias nostras implevit decipulis ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet? Laqueos posuit in divitiis, laqueos in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, in vigilia; laqueos posuit in verbo et in opere, et in omni via nostra. Sed tu, Domine, libera nos de laqueo venantium, et a verbo aspero (*Psal.* XC, 3), ut confiteamur tibi dicentes, *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII, 6, 7).

CAPUT XVII. *Lucis Dei ad vias cavendas necessitas. Diaboli versutia.* Et quidem, Domine lux mea, revela oculos meos, et videam lumen, et ambulem in lumine tuo, et non impingam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi videat eos? Et quis videbit, nisi quem tu illuminaveris lumine tuo? Ipse enim pater tenebrarum laqueos suos abscondit in tenebris suis, ut capiantur in eis omnes qui sunt in tenebris suis, qui sunt filii tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat, non timebit. Qui enim ambulat in die, non offendit: qui autem in nocte ambulat, offendit, quia lux non est in eo (*Joan.* XI, 9 *et* 10). Tu lux, Domine, tu lux filiorum lucis, tu dies qui nescis occasum, in quo ambulant filii tui sine offensione et sine quo omnes qui ambulant, in tenebris sunt, quia te lucem mundi non habent. Ecce quotidie cernimus, quia quo magis a te vero lumine quis elongatur, eo magis peccatorum involvitur tenebris; et quo magis est in tenebris, eo minus videt laqueos in via sua; et ideo minus cognoscit, et idcirco sæpius capitur, et cadit in eos; et quod est horribilius, etiam se cecidisse ignorat. Qui vero suum casum ignorat, eo minus curat surgere, quanto se existimat adhuc stare. Tu vero, lux mentis, Domine Deus meus, nunc illumina oculos meos, ut videam et cognoscam, ne corruam in conspectu adversariorum meorum. Etenim in exterminium[1] nostrum laborat inimicus noster, quem petimus ut facias liquefieri a facie nostra, sicut cera liquescit a facie ignis (*Psal.* LXVII, 3). Quoniam, Domine, ipse est latro primus et ultimus, qui consilium fecit ut raperet gloriam tuam, quando inflatus et elatus crepuit et cecidit in foveam suam, et ejecisti eum de monte sancto tuo, et de medio lapidum ignitorum, in quorum medio ambulavit. Et nunc, vita mea, Deus meus, ex quo cecidit, non cessat persequi filios tuos. Et in odium tuum, o rex magne, cupit perdere hanc creaturam tuam, quam creavit omnipotens bonitas tua ad imaginem tuam; ut non[2] possideat gloriam tuam, quam ipse perdidit per superbiam suam. Sed contere eum, fortis noster, ante nos agnos tuos: et illumina nos ut videamus laqueos quos ipse paravit, et evadamus ad te, lætitia Israel.

Et hæc omnia tu, Domine, melius nosti, qui nosti contentionem ejus, et cervicem ejus durissimam. Nec hoc dico ut ostendam tibi, qui omnia vides, et nulla te latet cogitatio. Sed ante pedes tuæ majestatis de inimico meo querimoniam facio, judex æterne, ut et ipsum damnes, et nos filios tuos salves, quorum fortitudo tu es. Versutus est, Domine, iste hostis et ter-

[1] Ms. Colbertinus, *tota gloria mea*.
[2] Ms. Regius, *a te habeo*. In editis est utraque lectio.
[3] Ms. Regius, *a morsibus*.

[1] Mss. duo, Regius et Colbertinus: *Hoc enim in odium*. Medardensis: *Etenim in exitium*. Forte, *in exitium*.
[2] Sic Ms. Regius. Abest, *non*, ab aliis libris.

tuosus: nec facile deprehendi possunt circuitus viæ ejus, nec cognosci species vultus ejus, nisi tu illumines. Nam nunc hic, nunc illic; nunc agnum, nunc lupum; nunc tenebras, nunc lucem se ostendit; sed singulis quibuslibet qualitatibus, locis et temporibus, secundum varias rerum mutationes, varias exhibet tentationes. Nam ut tristes decipiat, tristatur et ipse; ut gaudentes illudat, fingit se et ipse gaudere; ut spiritales defraudet, in angelum lucis se transfigurat; ut fortes comprimat, apparet ut agnus; ut mites devoret, apparet ut lupus. Hæc quidem omnia secundum similitudinem [1] variarum tentationum efficì habent, sicut alios a timore nocturno, alios a sagitta volante in die, alios a negotio perambulante in tenebris, alios ab incursu, alios a dæmonio meridiano (*Psal.* XC, 5 *et* 6). Et ad hæc quis idoneus ut cognoscat? Quis revelabit speciem indumenti ejus, et gyrum dentium ejus quis agnovit? En abscondit sagittas suas in pharetra, et laqueos etiam abscondit sub specie lucis, et hoc difficilius perpenditur, nisi a te, Domine spes [2] nostra, lumen assumamus, ut videamus. Nam non solum in carnis operibus quæ de facili agnoscuntur, non tantum in ipsis vitiis, sed in ipsis quoque spiritualibus exercitiis laqueos abscondit subtiles; et sub virtutum colore ipsa vitia induit, et transmutat se in angelum lucis. Hæc et multa alia nititur contra nos filius Belial, iste Satan, Domine Deus noster. Et nunc ut leo, nunc ut draco, manifeste et occulte, intus et extra, die ac nocte insidiatur, ut rapiat animas nostras. Et tu eripe nos, Domine, qui salvas sperantes in te: ut ipse de nobis doleat, et tu lauderis in nobis, Domine Deus noster [3].

CAPUT XVIII. *Ingratitudinis mala. Beneficiorum Dei descriptio. De iisdem gratiarum actio. Deum semper diligere tenemur, nec valemus nisi dederit.* Ego autem filius ancillæ tuæ, quæ me commendavit manui tuæ, jam his paupereulis confessionibus meis confitear tibi, liberator meus, toto corde meo; et recolam ad mentem meam bona quæ fecisti mihi a juventute mea, in omni vita mea. Scio namque quod ingratitudo tibi displiceat, quæ radix est totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans et urens omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ super hominem: qua et mala mortua jam oriuntur, et viva jam opera moriuntur, et ultra non adipiscuntur. Et ego, Domine, gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, liberator meus, quoniam liberasti me. Quoties me jam absorbuerat ille draco, et tu, Domine, ab ore ejus extraxisti me? Quando vel quoties peccavi, et ipse paratus fuit deglutire me; sed tu defendisti me? Cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebam, stabat paratus ipse ut me raperet ad infernum; sed tu prohibebas. Ego te offendebam, et tu me defendebas; ego te non timebam, et tu me custodiebas. A te recedebam, et inimico meo me exhibebam; tu ipsum ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu, Deus meus, beneficia conferebas, et ego non cognoscebam. Sic me multoties a faucibus diaboli liberasti, de ore leonis eripuisti, et ab inferno licet me nescientem multis vicibus reduxisti. Descendi enim usque ad portas inferni, et ne illuc intrarem, tu me tenuisti; appropinquavi usque ad portas mortis, et ne me ipsa caperet, tu fecisti. De morte etiam corporis me sæpius eripuisti, salvator meus, cum me graves morbi tenerent, cum fui in periculis multis, per mare, per terras; ab igne et gladio, et ab omni periculo liberans, semper mihi astans, et misericorditer salvans. Sciebas quidem, Domine, quia si tunc mors me præoccupasset, infernus animam meam suscepisset, et perpetuo damnatus fuissem: sed tua misericordia et tua gratia prævenerunt me, eripiens me de morte corporis et de morte animæ, Domine Deus meus. Hæc et multa alia mihi tua beneficia exhibuisti, et ego eram cæcus, et non cognovi, donec illuminasti me.

Nunc igitur, lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita mea per quam vivo, lumen oculorum meorum per quod video, en illuminasti me, et cognosco te, quia vivo per te, et gratias ago tibi, licet viles et exiles et impares beneficiis tuis, quales habet mea fragilitas offero. Quoniam tu es solus Deus meus, creator meus benignus, qui amas animas, et nihil odisti eorum quæ fecisti (*Sap.* XI, 25). En ego primus inter peccatores quos salvasti, ut exemplum aliis tribuam benignissimæ pietatis tuæ, confitear beneficia tua magna, quoniam eripuisti me de inferno semel et secundo et tertio et centies et millies, et ego semper ad infernum tendebam, et tu me semper reducebas: et cum me juste millies damnasses, si voluisses; noluisti, quia amas animas, et dissimulas peccata mea propter pœnitentiam, Domine Deus meus, quia multæ misericordiæ in omnibus viis tuis. Nunc ergo video hæc, Domine Deus meus, et cognosco per lumen tuum, et deficit anima mea in misericordia tua magna super me; quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, et me reduxisti ad vitam. Totus eram in morte, totum me resuscitasti; et tuum igitur sit totum id quod vivo. Totus totum me tibi offero: totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea; quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres; totum me refecisti, ut totum me rehaberes. Diligam te igitur; Domine virtus mea, diligam te, ineffabilis exsultatio mea, et vivat jam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, quæ resuscitata est in misericordia tua, qui es Deus misericors et miserator et multæ misericordiæ in millia his qui diligunt nomen tuum. Idcirco, Domine Deus meus, sanctificator meus, jussisti mihi lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea (*Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37), et ex omnibus viribus meis, et etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis et momentis quibus fruor bonis misericordiæ tuæ; quoniam semper perirem, nisi quia semper me regis; semper morerer, nisi quia semper me vivificas, et omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. (*a*) Sicut ergo nulla est hora vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, nisi tu dederis mihi, cujus est omne donum bonum, et omne datum optimum descendens a Patre luminum; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jacobi* I, 17). Non enim est volentis neque currentis, sed tui miserentis (*Rom.* IX, 16), ut diligamus te. Tuum est, Domine, hoc donum, cujus est omne bonum. Jubes te diligi, (*b*) da quod jubes, et jube quod vis.

CAPUT XIX. *Amoris fervens desiderium. Beneficiorum Dei recapitulatio.* (*c*) Amo te, Deus meus, magisque semper amare cupio, quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, et omni luce clarior. Idcirco super omne aurum et argentum et lapidem pretiosum es mihi charior. Displicebat enim mihi quidquid agebam in sæculo præ dulcedine tua, et decore domus tuæ, quam dilexi. (*d*) O ignis qui semper ardes et nunquam exstingueris, o amor qui semper ferves et nunquam tepescis, charitas Deus meus, accende me. Accende, inquam, totum me, ut totus diligam solum te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Diligam te, Domine, quoniam tu prior dilexisti me (I *Joan.* IV, 10). Et unde mihi verbum, ut explicem

[1] In uno e Mss. Regiis, *similitudines*; omisso, *secundum*.
[2] Ms. Regius, *species*.
[3] Ms. Regius hic addit, *amen*.

(*a*) Vid. librum de spiritu et anima, cap. 35; et Manuale, cap. 39.
(*b*) Ex lib. 10 Confession. capp. 29 et 37.
(*c*) Hæc non habent Mss. Vid. Manuale cap. 10.
(*d*) Ex lib. 10 Confession. cap. 29.

signa dilectionis tuæ, maxime erga me, propter innumera beneficia tua, quibus a principio educasti me? Post beneficium nempe creationis, quando in principio de nihilo ad imaginem tuam creasti me, honorificans et exaltans me inter eas creaturas quas fecisti, et nobilitans lumine vultus tui, quo signasti superliminare cordis mei, quo ab insensibilibus pariter et sensibilibus brutis discrevisti me, et paulo minus ab angelis minuisti (*Psal.* VIII, 6). Parum hoc fuit ante conspectum bonitatis tuæ, quoniam quotidianis et singularibus maximisque donariis tuorum beneficiorum me sine intermissione nutrivisti, et quasi filium tuum parvulum tenellum uberibus tuæ consolationis lactasti et confortasti me. Ut enim tibi totus servirem, omnia quæcumque fecisti, in meum servitium tradidisti.

CAPUT XX. *Quod omnia serviunt homini ut homo serviat Creatori.* Omnia sub pedibus hominum subjecisti (*Psal.* VIII, 8); ut solus homo totus tibi subjiceretur; et ut tuus esset totus homo, super omnia tua dominatus est homo. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti, ipsum vero corpus pro anima, animam vero pro te; ut tibi soli vacaret, et te solum amaret, possidens te ad solatium, inferiora vero omnia ad servitium. Quidquid enim cœli ambitu continetur, inferius ab anima humana est, quæ facta est ut summum bonum superius possideret, cujus possessione beata fieret; cui si adhæserit, cunctarum mutabilitatum inferiorum necessitudines supergrediens, illius summæ majestatis, cujus æmulatur speciem, æternitate immortalitatis cum serenitate gaudebit. Tunc vero illis bonis optimis fruetur in domo Domini, quorum comparatione cuncta quæ hic cernimus, velut nihilum computantur. Illa sunt quæ [1] oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se (*Isai.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9). Et hæc quidem, Domine, daturus es animæ. His etiam quotidie lætificas animas servorum tuorum, qui amas animas. Quid miror hæc, Domine Deus meus? Imaginem quippe tuam honorificas, et similitudinem tuam ad quam creatæ sunt. Nam et corpori nostro, licet adhuc corruptibili et ignobili, ut videret, dedisti claritatem cœli per manum ministrorum tuorum indefessorum, solis et lunæ, qui præcepto tuo jugiter die ac nocte deserviunt filiis tuis; ut spiraret, largitus es aeris puritatem; ut audiret, sonorum varietates; ut odoraret, odorum suavitates; ut gustaret, saporum qualitates; ut contrectaret, dedisti corpulentorum omnium grossitates. Adjumenta suis necessitatibus dedisti jumenta; volucres quoque cœli et pisces maris, et fructus terræ ad reficiendum impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti, singula solatia singulis malis obviantia præparasti; quoniam es misericors et miserator, et novisti figmentum nostrum figulus noster, et nos omnes quasi lutum in manu tua.

CAPUT XXI. *Ex bonis temporalibus colligitur magnitudo cœlestium.* En aperitur mihi misericordia tua magna; lumine tuo illustra, quæso, magis adhuc, ut mihi magis aperiatur. Nam ex his minimis tua magna, et ex his visibilibus tua invisibilia comprehendimus, Domine Deus sancte, et bone creator noster. Si enim, mi Domine, pro hoc corpore ignobili et corruptibili tam magna et innumera beneficia præstas a cœlo et aere, a terra et mari, luce et tenebris, calore et umbra, rore et imbre, ventis et pluviis, volucribus et piscibus, bestiis et arboribus, et multiplicitate herbarum et germinum terræ, et cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successive per sua tempora ministrantium, ut alleves fastidium; qualia, quæso, et quam magna et innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cœli patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Magna et innumerabilia sunt opera tua, Domine rex cœlorum. Cum sint hæc omnia valde bona et delectabilia, quæ bonis pariter malisque communiter tradidisti, qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondidisti? Si tam innumera et varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis et inimicis, quam magna et innumerabilia, quam dulcia et delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac die lacrymarum; quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta, quæso, continet patria? *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te* (*Isai.* LXIV, 4). Secundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* CL, 2; *Psal.* XXX, 20). Magnus enim tu es, Domine Deus meus, et immensus, nec est finis magnitudinis tuæ (*Psal.* CXLIV, 3), nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ: sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua, quoniam tu ipse præmium et donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.

CAPUT XXII. *Consolatio æterna non est speranda cum præsenti. Dulcedo Dei demulcet amaritudinem mundi.* Hæc sunt beneficia magna tua, Domine Deus, sanctificator sanctorum tuorum, quibus repleturus es inopiam esurientium filiorum tuorum; quoniam factus es spes desperatorum, consolatio desolatorum: tu corona spei, quæ ornata est gloria, præparata vincentibus; tu famelicorum satietas æterna, dando esurientibus; tu consolatio sempiterna, qui solis illis te tribuis [1], qui consolationem hujus mundi pro tua consolatione contemnunt. Nam qui hic consolantur, indigni tua consolatione habentur. Sed qui hic cruciantur, a te consolantur: et qui participant passionibus, participant et consolationibus. Nemo enim potest in utroque sæculo consolari, nec potest quis hic et in futuro gaudere; sed unum necesse est ut perdat, qui alterum voluerit possidere. Hæc ubi considero, Domine consolator meus, renuo consolari animam meam, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis: quia justum est ut amittat te, quicumque in aliquo alio magis consolari eligit quam in te. Et obsecro, summa Veritas, te per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari quam in te; sed omnia mihi peto ut amarescant, ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur; tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit (*Act.* VII, 58): tua dulcedo craticulam Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Id.* V, 41); ibat Andræas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat; hæc tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret; pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit; pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit. Hanc ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamavit quasi ebrius, dicens, *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula* (*Matth.* XVII, 4): hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus; sufficit nobis, Domine, videre te, sufficit, inquit, tanta dulcedine satiari. Unam enim stillam dulcedinis iste gustavit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem; quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti diligentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem et illa gustaverat virgo (*a*), de qua legimus, quod lætissime et glorianter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata. Hanc, ut reor, et ipse gustaverat, qui

[1] Mss., *illa scilicet quæ.*

[1] Mss. duo, *tribues.*

(*a*) Agatha.

dicebat, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* XXX, 20)! eumque iterum dicebat, *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Hæc est illa beatitudo, Domine Deus noster, quam exspectamus daturum te nobis; pro qua tibi, Domine, continue militamus, pro qua mortificamur tota die, ut in tua vita vivamus.

CAPUT XXIII. *Aspiratio ad fruitionem Dei. Non obtinetur nisi ex dono Dei.* Tu autem exspectatio Israel (*Jerem.* XIV, 8), Domine, desiderium ad quod suspirat quotidie cor nostrum, festina, ne tardaveris. Surge, propera et veni, ut educas nos de isto carcere ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo. Aperi aures tuas clamoribus lacrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum (*Matth.* VI, 9 et 11), in cujus fortitudine ambulemus die ac nocte, usquequo perveniamus ad montem tuum Oreb. Et ego parvulus inter parvulos familiæ tuæ, Deus pater et virtus mea, quando veniam, et apparebo ante faciem tuam; ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum? Beatus ero si fuero admissus ad videndum claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire permittas me? Scio, Domine, scio et confiteor me indignum ut intrem sub tectum tuum: sed tu propter honorem tuum, et ne confundas in te sperantem servum tuum. Et quis intrabit in sanctuarium tuum ad considerandas potentias tuas, nisi tu aperias? Quis autem aperiet, si tu clauseris[1]? Si enim destruxeris, nemo est qui ædificet; et si incluseris hominem[2], nemo est qui aperiat. Si continueris aquas, omnia siccabuntur; et si emiseris eas, subvertent terram. Si omnia quæcumque fecisti, ad nihilum redigas, quis contradicet tibi (*Job* XI, 10)? Porro sempiterna bonitas misericordiæ tuæ, qua voluisti et fecisti omnia quæcumque voluisti. Tu nos fecisti, fabricator mundi, rege nos; tu nos creasti, ne spernas nos, quia opera tua sumus. Et quidem, Domine Deus noster, nos lutum et vermiculi non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu manu tua qui de nihilo cuncta creasti.

CAPUT XXIV. *Quod nihil sine Dei gratia possimus.* Ego autem opus manuum tuarum confiteor tibi in toto corde meo, quia non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me (*Psal.* XLIII, 7), sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui. Alioquin ego perirem, nisi quia spes mea es tu qui creasti me, et non derelinquis me, quoniam non derelinquis sperantes in te. Tu quippe es, Domine Deus noster, suavis et mitis, potens et in misericordia disponens omnia (*Sap.* XI, 21). Et nos si peccaverimus, tui sumus[3]; et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Nos folium universi, et vanitas omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII, 6), et ventus est vita nostra super terram (*Job* VII, 7): ne irascaris si cadimus pupilli tui, quoniam tu nosti figmentum nostrum (*Psal.* CII, 14), Domine Deus noster. Num, Deus inæstimabilis fortitudinis, contra folium quod vento rapitur ostendere vis potentiam tuam, et stipulam siccam persequi (*Job* XIII, 25)? num damnabis, rex Israel æterne[4], unum canem mortuum, pulicem unum (1 *Reg.* XXIV, 15)? Audivimus de misericordia tua, Domine, quoniam tu mortem non fecisti, nec lætaris in perditione morientium (*Sap.* I, 13). Propter te oramus te, ne permittas dominari quod non fecisti, huic creaturæ tuæ quam fecisti. Si doles de perditione; quid te prohibet, Domine, qui omnia potes, ne semper lugeas de nostra salvatione? Si vis, potes me salvare; ego autem etsi velim non possum[5]. Lex [illegible] mecum. Velle quippe mihi adjacet, perficere autem non invenio (*Rom.* VII, 18). Velle autem quod bonum est non possum, nisi tu velis; nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet; et quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cælo et in terra, et quod volo et possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Et si sciam, quandoque nolens[1], quandoque non valens, imperfecta et vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet a vera sapientia tua. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ, Domine universorum, principatum tenens omnis carnis: et quæcumque vis, facis in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus invocatum est nomen tuum; ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum. Et quis est homo natus de muliere, qui vivat et non videat mortem, et eripiat animam suam de manu inferi, nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitæ, per quem omnia vivunt?

CAPUT XXV. *Quod voluntas humana sine gratia inefficax sit ad bona opera.* Ut enim jam tibi confessus sum, laus vitæ meæ, Deus meus, virtus salutis meæ, sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere; ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi; factusque sum magis retro, et non ante; et quod credebam consequi, longius elongavit a me. Sic per multa similia vires meas probans cognosco nunc, quia illuminasti me, quoniam ubi magis credidi posse per me, minus semper ibi potui. Dicebam enim, Hoc faciam, illud perficiam; faciebatque post nec hoc, nec illud. Aderat voluntas? non erat facultas. Aderat facultas? non aderat voluntas; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Deus, pater cœli et terræ, quia non in fortitudine sua roborabitur vir (1 *Reg.* II, 9), ut[2] glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Nec est hominis velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit et possit; sed potius a te gressus hominis diriguntur, illorum, inquam, qui non a se, sed a te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque viscera misericordiæ tuæ, velis, Domine, salvare quod creasti: quoniam si vis, potes nos salvare; et in tua voluntate virtus est nostræ salutis.

CAPUT XXVI. *Spem sublevant jam præstita Dei beneficia.* Recordare misericordiæ tuæ antiquæ, qua nos a principio in benedictionibus tuæ dulcedinis prævenisti. Antequam enim nascerer ego filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab uberibus matris meæ (*Psal.* XXI, 10), tu me prævenisti præparans mihi semitas, quibus incederem et venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero, novisti me; et antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, præordinasti de me. Quæ qualia sunt in libro tuo de me scripta[3], in secreto consistorii tui, ego quidem ignoro, unde et valde timeo; tu vero nosti; quoniam quod ego per successus dierum et temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis exspecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est; et quod futurum est, jam factum est. Ego autem stans in hac nocte tenebrosa hæc ignorans, timor et tremor venerunt super me, dum video mihi undique imminere multa pericula, a multis quoque hostibus venari, multitudineque innumerarum miseriarum in hac vita circumdatum. Et nisi in tantis his malis adforet mihi tuum adminiculum[4], desperarem. Sed spes mihi magna subest de te, mitissime princeps Deus meus; et consideratio multitudinis miserationum tuarum, quæ apud te sunt, sublevat mentem meam; et præcedentia signa misericordiæ tuæ, quæ antequam nascerer prævenerunt me, et nunc specialiter in me

[1] Mss. [illegible].
[2] Ms. [illegible].
[3] [illegible], tui sumus [illegible].
[5] [illegible].
[6] [illegible].

[1] Mss. Regius et Colbertinus hic, *valens*. Alter Regius, *quandoque volens, quandoque nolens*. At editi, *quandoque nolens, quandoque valens*. Ms. [illegible] sequimur.
[2] [illegible].
[3] [illegible].
[4] [illegible] *foret mihi tuum adminiculum*.

effulserunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus et perfectioribus muneribus, quæ tuis amicis reservas, spem meam admonent, ut in te lætetur, Domine Deus meus, lætitia sancta et viva, quæ semper lætificas juventutem meam. Dilexisti enim me, unice amor meus, antequam diligerem te, et ad imaginem tuam creasti me, omnibus creaturis tuis præposuisti me: quam dignitatem tunc quidem servo cum noverim te, propter quod fecisti me.

CAPUT XXVII. *Quanta Deus præstet homini per Angelos custodes. Unde Dei cum homine deliciæ.* Insuper facis Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti ut custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum (*Psal.* XC, 11, 12). Hi sunt custodes super muros tuos novæ Jerusalem (*Isai.* LXII, 6), et montes in circuitu ejus vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem tuum (*Luc.* II, 8), ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non est qui redimat, ille antiquus adversarius noster, qui quasi leo rugiens semper circuit quærens quem devoret (I *Petr.* V, 8). Hi sunt cives beatæ civitatis supernæ Jerusalem, quæ sursum est mater nostra (*Galat.* IV, 26), in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14); ut eos liberent ab inimicis suis, et custodiant in omnibus viis suis; confortent quoque et moneant, et orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ majestatis tuæ. Diligunt nempe concives suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari exspectant; ideoque magna cura et vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis et locis, succurrentes et providentes necessitatibus nostris, et solliciti discurrentes inter nos et te, Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, et referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant nobiscum in omnibus viis nostris, intrant et exeunt nobiscum, attente considerantes quam pie, quamque honeste in medio pravæ nationis conversemur, quantoque studio et desiderio quæramus regnum tuum et justitiam ejus, quantoque timore et tremore serviamus et exsultemus tibi, lætitia cordis nostri. Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes; congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis est eis cura de nobis, magnus affectus dilectionis eorum erga nos; et hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis; custodiunt quos tu custodis; et deserunt quos tu deseris. Nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam et tu odisti omnes qui operantur iniquitatem, et perdes omnes qui loquuntur mendacium (*Psal.* V, 7). Quoties bene agimus, gaudent Angeli, et tristantur dæmones; quoties vero a bono deviamus, diabolum lætificamus, et Angelos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim eis super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV, 7), sed diabolo super uno justo [1] pœnitentiam deserente. Da igitur, da, pater, eis semper gaudere de nobis, ut et tu per eos semper lauderis in nobis, et nos cum eis in unum ovile tuum adducamur; ut confiteamur simul nomini sancto tuo, creator hominum et Angelorum. Hæc ipse commemorans coram te, confiteor laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cœli ambitu continetur; et quasi parva hæc quæ sub cœlo sunt, nisi adderes et ea quæ sunt super cœlos. Laudent te de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, et ipsi sancti tui benedicant tibi. O honorificentia nostra, quos nimis honorificans et ditans multis muneribus decorasti! Admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra (*Psal.* VIII, 2). Quid est enim homo, quia magnificas eum, et honorificas eum, et apponis erga eum cor tuum (*Job* VII, 17)?

CAPUT XXVIII. *De prædestinatione et præscientia Dei occulta.* Dixit enim Veritas antiqua, *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII, 31). Numquid homo putredo, et filius hominis vermis (*Job* XXV, 6)? Numquid universa vanitas omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII, 6)? Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium! Doce me, abyssus profundissima, creatrix sapientia, qui librasti in pondere montes, et colles in statera, et appendisti molem terræ tribus digitis, suspende molem corporalitatis hujus, quam gero, tribus invisis digitis tuis ad te, ut videam et cognoscam, quam admirabilis es in universa terra. Lux antiquissima, quæ lucebas ante omnem lucem in montibus sanctis æternitatis antiquæ, cui nuda et aperta erant omnia (*Hebr.* IV, 13) antequam fierent; lux, quæ odio habes omnem maculam, utpote mundissima et immaculatissima, quæ tibi deliciæ cum homine? quæ conventio lucis ad tenebras (II *Cor.* VI, 14)? Ubi sunt in homine deliciæ tuæ? ubi præparasti tibi in me dignum sanctuarium majestatis tuæ, in quod introiens habeas delicias dilectionis [1] tuæ? Mundum enim cœnaculum decet te, mundans virtus, quæ non nisi a mundis cordibus videri potes (*Matth.* V, 8), multo magis nec haberi. In homine autem ubi templum tam mundum, ut te suscipiat, qui regis mundum? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es mundus (*Job* XIV, 4)? ab immundo enim quis mundabitur (*Eccli.* XXXIV, 4)? Nam et secundum legem, quam dedisti patribus nostris in igne comburente montem, et in nube tegente aquam tenebrosam, quidquid tetigerit immundus, immundum erit (*Num.* XIX, 22). Omnes autem nos quasi pannus menstruatæ (*Isai.* LXIV, 6) de massa corrupta et immunda venientes, maculam immunditiæ nostræ, quam celare saltem tibi qui omnia vides, non possumus, in frontibus portamus; quare mundi esse non possumus, nisi tu mundaveris, qui solus es mundus. Mundas autem de nobis filiis hominum eos in quibus tibi complacuit habitare; quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, et magnificas eos post mundum. Non autem omnibus hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ. Et ego, Domine, hoc considerans expavesco, et obstupesco de altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo, et incomprehensibilia judicia justitiæ tuæ (*Rom.* XI, 33): quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia in contumeliam sempiternam (*Id.* IX, 21). Quos igitur tibi elegisti de multis in templum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerumque tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas (*Psal.* CXLVI, 4); qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cum enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam (*Psal.* XXXVI, 24); custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur. Attamen mors peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII, 22); illorum, inquam, quos antequam faceres cœlum et terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam; quorum dinumeratio nominum et meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperatur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum; ut si etiam usque ad cœlos ascenderint, et caput eorum nubes tetigerit, et inter sidera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdantur (*Judiæ* 4).

[1] Mss., *sed quid super uno non justo*, etc.

[1] Alias, *delectationis*.

CAPUT XXIX. *De tremenda judicatione Dei.* Magna sunt hæc judicia tua, Domine Deus, judex juste et fortis, qui judicas æquitatem et es inscrutabilis et profunda: quæ cum considero, contremiscunt omnia ossa mea, quoniam non securatur homo vivens super terram: ut serviamus tibi pie et caste cunctis diebus vitæ nostræ in timore, et exsultemus tibi cum tremore; ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore, et non glorietur accinctus æque ut discinctus[1] (III *Reg.* xx, 11), neque glorietur ante te omnis caro, sed paveseat et contremiscat a facie tua, cum ignoret homo utrum amore an odio dignus sit; sed in futurum omnia reservantur incerta. Vidimus enim multos, Domine, et audivimus a patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor), ascendisse primitus quidem usque ad cœlos, et inter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, et eos qui jacebant in pulvere terræ, a facie sublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter ascendisse. Vidimus vivos morientes, et mortuos a morte surgentes; et eos qui inter filios Dei ambulabant, in medio lapidum ignitorum quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, et de tenebris lucem processisse, quia publicani et meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit angelus, et descendit diabolus? Quos autem prædestinasti, ipsos et vocasti, et sanctificasti, et mundasti, ut dignum habitaculum sint tuæ majestatis; cum quibus et in quibus sunt tibi deliciæ sanctæ et mundæ, in quibus tu delectaris, et lætificas juventutem eorum, habitans cum eis in medio eorum, ut ipsi templum sanctum tuum sint, quod magnæ dignitatis commendatio est humanitatis nostræ.

CAPUT XXX. *Anima humana unde, quid sit et quo beata.* Anima enim quam creasti non de te, sed per Verbum tuum; non ex qualibet elementorum materia, sed ex nihilo; quæ quidem rationalis, intellectualis, spiritualis, semper vivens, semper in motu, quam signasti lumine vultus tui, et consecrasti virtute lavacri tui: ita facta est capax majestatis tuæ, quod a te solo, et a nullo alio possit impleri. Cum autem te habet, plenum est desiderium ejus; et jam nihil aliud quod desideretur exterius, restat. Dum autem aliquid exterius desiderat, manifestum est quod te non habet interius; quo habito, nihil est quod desideretur. Cum enim sis summum et omne bonum; non habet quod desideret amplius, si possidet omne bonum. Quod si non desiderat omne bonum, restat ut desideret aliquid quod non est omne bonum: ergo nec summum bonum, ergo nec Deum, sed potius creaturam. Cum autem creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licet quod desiderat de creaturis, adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est quod eam impleat nisi tu, ad cujus imaginem est creata. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te; et facis eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos et amicos Dei; qui omnia reputant ut stercora, ut lucrifaciant te solum (*Philipp.* iii, 8). Hæc est beatitudo quam homini contulisti; hic honor quo eum inter omnes creaturas, sed et super omnes honorificasti, ut sit admirabile nomen tuum in universa terra (*Psal.* viii, 2).

CAPUT XXXI. *Ubi Deus habitet. Quod per sensus non invenitur Deus. Quid Deum quærendo quæramus. Creaturarum de Deo testimonium. Qua ab homine ad Dei notitiam ascendatur. Deus sibi soli notus. Quatenus homini innotescat.* Ecce Domine Deus meus summe, omnipotentissime, inveni locum ubi tu habitas: quia in anima quam creasti ad imaginem et similitudinem tuam (*Gen.* i, 27), quæ te solum quærit et desiderat; quia non in illa quæ te non quærit nec desiderat. Ego erravi sicut ovis quæ periit, quærens te exterius, qui es interius; et multum laboravi quærens te extra me, et tu habitas in me, si tamen ego desiderem te. Circuivi vicos et plateas civitatis hujus mundi quærens te; et non inveni, quia male quærebam foris, quod erat intus. Misi nuntios meos omnes sensus exteriores, ut quærerem te; et non inveni, quia male quærebam. Video enim, lux mea Deus qui illuminasti me, quia male te per illos quærebam; quia tu es intus, et tamen ipsi unde intraveris nescierunt. (*a*) Nam oculi dicunt, Si coloratus non fuit, per nos non intravit; aures dicunt, Si sonitum non fecit, per nos non transivit; nasus dicit, Si non oluit, per me non venit: gustus dicit, Si non sapuit, per me non introivit; tactus etiam addit, Si corpulentus non est, nihil me de hac re interroges. Non ista sunt in te, Deus meus. (*b*) Non enim speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis vel colorem, non dulces melodiarum cantus et quæcumque dulce sonantia, non florum et unguentorum vel aromatum odores, non mella vel manna gustui delectabilia, non cætera quæque ad tangendum vel amplexandum amabilia, nec omnia alia sensibus his subjecta quæro, cum Deum meum quæro. Absit ut ista crediderim Deum meum quæ etiam a brutalium sensibus comprehenduntur. Et tamen cum Deum meum quæro, quæro nihilominus quamdam lucem super omnem lucem, quam non capit oculus; quamdam vocem super omnem vocem, quam non capit auris; quemdam odorem super omnem odorem, quem non capit naris; quemdam dulcorem super omnem dulcorem, quem non sapit gustus; quemdam amplexum super omnem amplexum, quem non tangit tactus exterioris hominis mei. Ista lux fulget, ubi locus non capit; ista vox sonat, ubi tempus non rapit; odor iste redolet, ubi flatus non spargit; sapor iste sapit, ubi non est edacitas; amplexus iste tangitur, ubi non divellitur. Hic est Deus meus, et non æstimabitur alius ad illum; hoc quæro cum Deum meum quæro, istud amo cum Deum meum amo. (*c*) Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova; sero te amavi: et tu intus eras, et ego foris; et ibi te quærebam, et in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam. Mecum eras, et ego tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ esse non poterant nisi in te. Circuibam enim omnia quærens te, et propter omnia derelinquens me.

(*d*) Interrogavi terram si esset Deus meus, et dixit mihi quod non; et omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos, et reptilia quæ in eis sunt; et responderunt: Non sumus Deus tuus; quære super nos eum. Interrogavi flabiles auras; et inquit universus aer cum omnibus incolis suis: Fallitur Anaximenes; non sum ego Deus tuus. Interrogavi cœlum, solem, lunam, et stellas: Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus quæ circumstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis; dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt omnes voce grandi, Ipse fecit nos. Interrogavi deinde mundi molem, Dic mihi si es Deus meus, annon: et respondit voce forti, Non sum, inquit, ego; sed per ipsum sum ego; quem quæris in me, ipse fecit me; super me quære qui regit me, qui fecit et te. Interrogatio creaturarum, profunda consideratio ipsarum: responsio earum, attestatio ipsarum de Deo, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit: quoniam, ut ait Apostolus, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur* (*Rom.* i, 20).

Et redii ad me, et intravi in me; et aio ad me, Tu quis es? Et respondi mihi, Homo rationalis,

[1] Mss. Regius et Colbertinus, *nisi ut discinctus*. Me... [illegible]

(*a*) Ex lib. 10 Confessionum, cap. 10.
(*b*) Ex lib. 10 Confessionum, cap. 6, nonnullis mutatis.
(*c*) Ex capite 27 libri 10 Confessionum.
(*d*) Ex cap. 6 ejusdem libri 10 Confessionum.

mortalis. Et incœpi discutere quid hoc esset : et dixi, Unde hoc tale animal, Deus meus? Unde nisi abs te? Tu fecisti me, et non ego ipse me. Quid tu? Tu per quem vivo ego, tu per quem vivunt omnia. Quid tu? Tu, Domine, Deus verus et solus, omnipotens et æternus, incomprehensibilis et immensus, qui semper vivis et nihil moritur in te, immortalis, habitans æternitatem, mirabilis oculis Angelorum, inenarrabilis, inperscrutabilis et innominabilis; Deus vivus et verus, terribilis et fortis, nesciens principium neque finem, principium omnium atque finis, qui es ante primordia sæculorum, et ante omnes sæculorum origines. (*a*) Tu es Deus et Dominus omnium quæ creasti; et apud te omnium stabilium stant causæ, et omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines, et omnium rationabilium et irrationabilium atque temporalium sempiternæ vivunt rationes. Dic mihi supplici servo tuo, Deus meus, dic misericors misero tuo, dic, quæso per miserationes tuas; unde hoc tale animal, nisi abs te, Deus? An quisquam sese faciendi erit artifex? An aliunde quam a te trahitur esse et vivere? Nonne tu es summum esse, a quo est omne esse? Quidquid enim est, a te est, quia sine te nihil est. Nonne tu es fons vitæ, a quo fluit omnis vita? Quidquid enim vivit, per te vivit, quia sine te nihil vivit. Tu ergo, Domine, omnia fecisti. Quæro, quis fecit me? Tu, Domine, fecisti me, sine quo factum est nihil. Tu factor meus, ego opus tuum. Gratias tibi ago, Domine Deus meus, per quem vivo ego, et per quem omnia vivunt, quoniam fecisti me; gratias tibi, plasmator meus, quia manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me (*Job.* x, 8); gratias tibi, lux mea, quoniam illuminasti me, et inveni me. Ubi inveni me, ibi[1] cognovi me; ubi inveni te, ibi cognovi te; ubi autem cognovi te, ibi illuminasti me. Gratias tibi, lux mea, quoniam illuminasti me.

Quid est quod dixi, cognovi te? Nonne tu es Deus incomprehensibilis et immensus, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habes immortalitatem et lucem habitas inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest (1 *Tim.* vi, 16)? Nonne tu es Deus absconditus (*Isai.* xlv, 15) et imperscrutabilis majestatis, solus tui ipsius maximus cognitor et mirabilis contemplator? Quis ergo cognovit quod nunquam vidit? Dixit enim Veritas tua, *Non videbit me homo, et vivet* (*Exod.* xxxiii, 20); dixit et præco tuus per veritatem tuam, *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* i, 18). Quis ergo cognovit quod nunquam vidit? Dixit etiam Veritas tua, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (*Matth.* xi, 27). Sola Trinitas tua soli sibi integre nota est, quæ exsuperat omnem sensum. Quid est ergo quod dixi, homo vanitati similis, quia cognovi te? Quis enim cognovit te, nisi tu te? Tu quippe solus Deus omnipotens, superlaudabilis, et supergloriosus, et superexaltatus (*Dan.* iii, 52), et superaltissimus, et superessentialis in sanctissimis et divinissimis eloquiis nominaris; quoniam super omnem essentiam intelligibilem sive intellectualem atque sensibilem, et super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, superessentialiter et superintelligibiliter esse dignosceris; quoniam superessentiali et occulta divinitate, super omnem rationem, intellectum et essentiam inaccessibiliter et imperscrutabiliter habitas in te ipso, ubi lux inaccessibilis, et lumen imperscrutabile, et incomprehensibile, et inenarrabile, ad quod non attingit aliquod lumen, quoniam incontemplabile, et invisibile, et superrationale, et superintelligibile, et superinaccessibile, et superincommutabile, et superincommunicabile creditur, quod nullus unquam Angelorum vel hominum vidit, sed nec videre potest. Hoc est cœlum tuum, Domine, cœlum celans superarcanum, et superintelligibile, et superrationale, et superessentiale lumen, de quo dicitur, *Cœlum cœli Domino* (*Psal.* cxiii, 16). (*a*) Cœlum cœli, cui terra est omne cœlum, quia supermirabiliter superexaltatum est super omne cœlum, ad quod terra est etiam ipsum empyreum cœlum : hoc est cœlum cœli Domino, quia nulli nisi Domino. Ad quod nemo ascendit nisi qui de cœlo descendit, quia nemo novit Patrem, nisi Filius et eorum Spiritus : et nemo novit Filium nisi Pater et eorum Spiritus (*Matth.* xi, 27). (*b*) Soli quidem tibi soli, Trinitas, integre nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, et superinenarrabilis, et superinscrutabilis, et superinaccessibilis, et superincomprehensibilis, et superintelligibilis, et superessentialis, superessentialiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercœlestium animorum : quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum. Unde ergo cognovi te, Domine Deus altissimus super omnem terram, super omne cœlum, quem neque Cherubim perfecte cognoscunt neque Seraphim; sed alis contemplationum suarum velatur facies sedentis super solium excelsum et elevatum, clamantes et dicentes, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*; et expavit Propheta, et dixit, *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum* (*Isai.* vi, 1-5) : et expavit cor meum, et dixi, Væ mihi quia non tacui, quia vir pollutus labiis ego sum[1] : sed dixi, Cognovi te. Verumtamen, Domine, (*c*) væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti fiunt sine te. Et ego non tacebo, quoniam fecisti me, et illuminasti me; et inveni me, et cognovi me, et inveni te et cognovi te, quoniam illuminasti me.

Sed qualiter cognovi te? Cognovi te in te. Cognovi te non sicut tibi es, sed cognovi te sicut mihi es; et hoc non sine te, sed in te, quia tu es lux quæ illuminasti me. Sicut tibi es, soli tibi cognitus es : sicut mihi es, secundum gratiam tuam et mihi cognitus es. Sed quid mihi es? Dic mihi misericors misero tuo, dic mihi per miserationes tuas, quid mihi es? Dic animæ meæ, *Salus tua ego sum* (*Psal.* xxxiv, 3). Noli abscondere a me faciem tuam, ne moriar[2]. Sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram et cinerem, sine me loqui apud misericordiam tuam, quoniam misericordia tua magna est super me. Loquar ad Deum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* xviii, 27). Dic mihi supplici tuo, dic misericors misero tuo, dic per miserationes tuas, quid mihi es? Et intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, et rupisti surditatem meam, et audivi vocem tuam, et illuminasti cæcitatem meam, et vidi lucem tuam, et cognovi quoniam Deus meus es. Propterea dixi quod cognovi te; cognovi te, quoniam Deus meus es; cognovi te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Erat enim tempus quando non cognoscebam te. Væ tempori illi quando non cognoscebam te! væ cæcitati illi quando non videbam te! væ surditati illi quando non audiebam te! Cæcus et surdus, (*d*) per formosa quæ fecisti deformis irruebam : et mecum eras, et tecum non eram; et ea me tenebant longe a te, quæ non essent nisi essent in te. Illuminasti me, lux; et vidi te, et amavi te; nemo quippe te amat, nisi qui te videt; et nemo te videt, nisi qui te amat. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua; sero te amavi. Væ tempori illi quando non amavi te!

CAPUT XXXII. *Confessio fidei de summa Trinitate. De Dei Filio. De incarnationis mysterio. De judicio et resurrectione. De Spiritu sancto. Iterum de sancta Tri-*

[1] Mss., hic et infra, pro, *ibi*, habent, *ubi*.
(*a*) Confession. lib. 1, cap. 6.

[1] Hæc non habent Mss., nempe a verbis, *et expavit*, usque ad verba, *ego sum*.
[2] Hic addunt duo Mss., *ut eam videam*.
(*a*) Confession. lib. 12, cap. 2.
(*b*) Vid. lib. Medit. cap. 29.
(*c*) Sic lib. Medit. cap. 35.
(*d*) Ex lib. 10 Confession. cap. 27.

nitate. Gratias tibi, lux mea, quæ illuminasti me, et cognovi te. Qualiter cognovi te? Cognovi te solum Deum vivum et verum creatorem meum; cognovi te creatorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium, Deum verum, omnipotentem, immortalem, invisibilem, incircumscriptibilem, interminabilem, æternum et inaccessibilem, incomprehensibilem et imperscrutabilem, incommutabilem, immensum et infinitum, principium omnium visibilium et invisibilium creaturarum, per quem omnia facta sunt, per quem cuncta subsistunt elementa; cujus majestas sicut principium nunquam habuit, sic nec desinit in æternum. Cognovi te unum solum verum Deum æternum (*a*) Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tres quidem personas, sed unam essentiam omnino simplicem, indivisamque naturam; et Patrem a nullo, Filium a Patre solo, et Spiritum sanctum pariter ab utroque, absque initio, semper et sine fine Deum trinum et unum solum verum Deum omnipotentem, unum universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui tua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisti creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore et spiritu constitutam. Cognovi te, et (*b*) confiteor te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paracletum neque genitum neque ingenitum, sanctam et individuam Trinitatem in tribus coæqualibus personis consubstantialibus et coæternis, Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, corde credens ad justitiam, et ore confitens ad salutem (*Rom.* x, 10).

Cognovi te Deum et Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, creatorem, salvatorem et redemptorem meum, et totius humani generis, quem confiteor ex Patre genitum ante sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, non factum, sed genitum, consubstantialem et coæternum Patri et Spiritui sancto, per quem omnia facta sunt a principio; firmiter credens, et veraciter confitens te (*c*) Deum unigenitum Jesum Christum, propter salutem hominum a tota Trinitate communiter incarnatum, et ex Maria perpetua virgine Spiritus sancti cooperatione conceptum, verum hominem factum, ex anima rationali et humana carne subsistentem. Qui cum secundum divinitatem, Unigenite Dei, impassibilis sis pariter et immortalis, propter nimiam dilectionem tuam qua dilexisti nos, idem ipse Dei Filius secundum humanitatem factus es passibilis et mortalis. Qui propter salutem humani generis, unice Fili Dei, in ligno crucis pati dignatus es passionem et mortem, ut nos a morte perpetua liberares: atque ad inferos, ubi sedebant in tenebris patres nostri, auctor luminis descendisti, et die tertia gloriosus victor ab inferis ad superos resurrexisti, resumens sacrum corpus, quod pro peccatis nostris mortuum jacuerat in sepulcro, et vivificans secundum Scripturas die tertia, ut ipsum in Patris dextera collocares. Assumpta namque tecum ex inferis captivitate, quam captivaverat antiquus humani generis inimicus, verus Dei Filius cum nostræ carnis substantia, id est, cum anima et carne humana ex virgine assumpta, super omnes cœlos ascendisti, transcendens omnes ordines Angelorum; ubi sedes ad dexteram Dei Patris, ubi est fons vitæ, et lumen inaccessibile, et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum. Ibi te Deum verum et hominem Jesum Christum adoramus et credimus, confitentes te Patrem habere Deum; indeque venturum judicem in fine sæculi exspectamus, ut judices vivos et mortuos, et reddas omnibus, bonis et malis, secundum opera sua, quæ operati sunt in hac vita, vel præmium vel supplicium, prout unusquisque dignus fuerit requie vel ærumna. Resurgent enim in illa die a voce virtutis tuæ omnes homines, quotquot humanam animam acceperunt, in carne sua quam hic habuerunt, ut totus homo pro meritis, vel gloriam suscipiat vel gehennam. Tu es ipse vita et resurrectio nostra, quem Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp.* III, 20 *et* 21).

Cognovi te Deum verum et vivum Spiritum sanctum Patris et Filii, ab utroque pariter procedentem, consubstantialem et coæternum Patri et Filio, paracletum et advocatum nostrum, qui super eumdem Deum et Dominum nostrum Jesum Christum in columbæ specie descendisti (*Matth.* III, 16), et super Apostolos in linguis igneis apparuisti (*Act.* II, 3): qui et omnes sanctos et electos Dei a principio tuæ gratiæ munere docuisti, et ora Prophetarum, ut enarrarent mirabilia regni Dei aperuisti, quem cum Patre et Filio simul adorari et glorificari oportet ab omnibus sanctis Dei. Inter quos et ego filius ancillæ tuæ toto corde meo glorifico nomen tuum, quoniam illuminasti me. Tu es enim vera lux, lumen veridicum, ignis Dei et magister spirituum, qui unctione tua doces nos omnem veritatem, spiritus veritatis, sine quo impossibile est placere Deo, quoniam tu ipse Deus es ex Deo, et lux de luce, procedens a Patre luminum, et a suo Filio Domino nostro Jesu Christo, quibus consubstantialis et coæqualis et coæternus existens, in unius Trinitatis essentia superessentialiter [1] conglorificaris et conregnas.

Cognovi te unum Deum vivum et verum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, trinum quidem in personis, sed unum in essentia: quem confiteor, adoro et glorifico toto corde meo verum Deum, solum sanctum, immortalem, invisibilem, incommutabilem, inaccessibilem, imperscrutabilem, unum lumen, unum solem, unum panem, unam vitam, unum bonum, unum principium, unum finem, unum creatorem cœli et terræ; per quem omnia vivunt, per quem omnia subsistunt, per quem omnia gubernantur, reguntur et vivificantur, quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, et quæ subtus terram; præter quem non est Deus in cœlo et in terra. Sic cognovi te, cognitor meus, sic cognovi te. Cognovi te per fidem tuam quam inspirasti mihi, lux mea, lumen oculorum meorum, Domine Deus meus, spes omnium finium terræ, gaudium lætificans juventutem meam, et bonum sustentans senectutem meam. In te, Domine, jubilant omnia ossa mea dicentia, *Domine, quis similis tui* (*Psal.* XXXIV, 10)? Quis similis tui in diis, Domine (*Psal.* LXXXV, 8), non quem fecit manus hominum, sed qui fecisti manus hominum? *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum* (*Psal.* CXIII, 4): non sic operator hominum. *Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit* (*Psal.* XCV, 5), Dominus ipse est Deus. *Dii qui non fecerunt cœlum et terram, pereant de cœlo et de terra* (*Jerem.* X, 11): Deus qui creavit cœlum et terram, benedicant eum cœli et terra.

CAPUT XXXIII. *Quod tenebræ a nobis, a Deo lux nostra. Gratiarum actio ob fugatas tenebras et impertitam lucem.* Quis similis tibi in diis, Domine? quis similis tibi, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis et faciens mirabilia? Sero te cognovi, lumen verum; sero te cognovi: erat autem nubes magna et tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem solem justitiæ et lumen veritatis. Involvebar in tenebris filius tenebrarum, tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam; cæcus eram, cæcitatem amabam, et ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit, ubi eram homo cæcus in tenebris et umbra mortis? quis accepit manum meam, ut inde me educeret? quis est illuminator meus? Non quærebam eum, ipse quæsivit me, non in-

(*a*) Ex concilio Lateran. 4, cap. 1.
(*b*) Ex fin. [illegible]
(*c*) Ex concilio Lateran. 4, cap. 1.

[1] Ms. Regius, *supersubstantialiter*.

vocabam eum, et ipse vocavit me. Quis est ille? Tu, Domine Deus meus, misericors et miserator, pater misericordiarum et Deus totius consolationis; tu, sancte Deus meus, quem confiteor toto corde meo, gratias agens nomini tuo. Non te quærebam, tu me quæsivisti; non te invocabam, tu me vocasti. Vocasti me nomine tuo, intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, Fiat lux; et facta est lux (*Gen.* i, 3), et descendit lux magna, et liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos. Et levavi oculos meos; et vidi lucem tuam, et cognovi vocem tuam: et dixi, Vere, Domine, tu es Deus meus, et eduxisti me de tenebris et umbra mortis, et vocasti me in admirabile lumen tuum; et ecce video. Gratias tibi, Deus meus, ecce video; gratias tibi, illuminator meus. Et conversus sum, et vidi tenebras meas in quibus fueram, et abyssum tenebrosam in qua jacueram, et contremui, et expavi: et dixi, Væ! væ tenebris meis in quibus jacui; væ! væ cæcitati illi in qua videre non poteram lumen cœli! væ præteritæ ignorantiæ, quando non cognoscebam te, Domine. Gratias tibi, illuminator et liberator meus, quoniam illuminasti me et cognovi te. Sero cognovi te, veritas antiqua; sero te cognovi, veritas æterna. Et tu eras in lumine [1], et ego in tenebris, et non cognoscebam te; quia illuminari non poteram sine te, et non est lux extra te.

CAPUT XXXIV. *Dei summa majestas. Lucis amplioris postulatio.* Sancte sanctorum, Deus inæstimabilis majestatis, Deus deorum et Dominus dominorum, mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis, quem tremunt in cœlo angelicæ Potestates, quem adorant Dominationes et Throni, et omnes Virtutes pavent a conspectu tuo, cujus potentiæ et sapientiæ non est numerus, qui fundasti mundum super nihilum, et mare colligasti in aere quasi in utre; omnipotentissime, sanctissime, fortissime, Deus spirituum universæ carnis, a cujus conspectu fugit cœlum et terra, ad cujus nutum omnia se subjiciunt elementa: te adorent et glorificent omnes creaturæ tuæ. Et ego filius ancillæ tuæ per fidem tuam flecto cervicem cordis mei sub pedibus majestatis tuæ, gratias agens quoniam dignatus es per tuam misericordiam illuminare me. Lumen verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen admirabile, lumen superlaudabile, quod illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i, 9), et etiam oculos Angelorum, ecce video; gratias ago. Ecce video lumen cœli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper a facie luminis tui, et lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge, quæso, luminis auctor, auge, quæso, quod interlucet in me; dilatetur, obsecro, dilatetur ex te. Quid est hoc quod sentio? quis est ignis qui calefacit cor meum? Quæ est lux quæ irradiat cor meum? O ignis qui semper ardes, et nunquam exstingueris, accende me! o lux quæ semper luces et nunquam offuscaris [2], illumina me! O utinam arderem ex te! Ignis sancte, quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris! Væ his qui non ardent ex te, væ illis qui non illuminantur ex te, o lumen veridicum, illuminans omnem mundum, cujus lux implet mundum! Væ cæcis oculis qui te non vident, sol illuminans cœlum et terram; væ caligantibus oculis qui te videre non possunt; væ avertentibus oculos, ut non videant veritatem; et non avertentibus, ut non [3] videant vanitatem! Nequeunt enim oculi tenebris assueti summæ veritatis radios intueri, nec sciunt de lumine aliquid æstimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant; de tenebris euntes in tenebras, nesciunt ubi corruant miseri, nesciunt quid amittunt; miseriores utique qui et sciunt quid amittunt, qui cadunt apertis oculis, et descendunt in infernum viventes. O lux beatissima, quæ non nisi a purgatissimis oculis videri potes! *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Munda me, mundans virtus, sana oculos meos, ut sanis te contempler oculis, quem non nisi sani oculi intuentur. Aufer squamas caliginis antiquæ radiis tuæ illuminationis, splendor inaccessibilis, ut te videre valeam irreverberatis obtutibus, et in lumine tuo videam lumen. Gratias tibi ago, lux mea, ecce video. Dilatetur, obsecro, Domine, visus meus ex te; revela oculos meos, ut considerem mirabilia de lege tua (*Psal.* cxviii, 18), qui es Deus mirabilis in sanctis tuis. Gratias tibi ago, lumen meum, ecce video, video, sed per speculum in ænigmate; sed quando facie ad faciem (I *Cor.* xiii, 12)? Quando veniet dies lætitiæ et exsultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei (*Psal.* xli, 5), ut videam videntem me facie ad faciem, et satietur desiderium meum?

CAPUT XXXV. *Dei ardens desiderium. Beatorum quanta felicitas. Miseria exsilii nostri, et aspiratio ad patriam.* Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum (*Psal.* [illegible], 2), quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deserta, invia et inaquosa, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam, et satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio, Domine; fons vitæ, satia me: sitio, Domine, sitio Deum vivum. O quando veniam et apparebo, Domine, ante faciem tuam! Putasne videbo diem illam, diem, inquam, jucunditatis et lætitiæ; diem quam fecit Dominus, ut exsultemus et lætemur in ea? O dies præclara, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exsultationis et confessionis, *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv, 21), intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, ubi sunt magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus; intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, et non erit aliquod malum; ubi erit quidquid voles, et non erit quidquid noles; ubi erit (*a*) vita vitalis, dulcis et amabilis, semperque memorialis; ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata Trinitas, et Trinitatis unitas, et unitatis deitas, et deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini mei! O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Dominum meum qui habitat in te? Ibo et videbo visionem hanc grandem. Quid est quod me detinet? Heu me! quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* cxix, 5): heu me! quamdiu dicetur mihi, Ubi est Deus tuus (*Psal.* xli, 11)? quamdiu dicetur mihi, Exspecta, reexspecta? Et nunc quæ est exspectatio mea? Nonne tu, Domine [1] (*Psal.* xxxviii, 8)? Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp.* iii, 21). Exspectamus Dominum quando revertatur a nuptiis, ut inducat nos ad suas nuptias. Veni, Domine, et noli tardare. (*b*) Veni, Domine Jesu, veni visitare nos in pace, veni et educ vinctum hunc de carcere, ut lætemur coram te corde perfecto. Veni, Salvator noster, veni, desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam, et salvi erimus. Veni, lux mea, Redemptor meus, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini sancto tuo (*Psal.* cxli, 8). Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, et non exaudis? Audi clamantem

[1] Er. Lugd. Ven. Lov.: *Tu eras in lumine*; omisso, *et*. M.
[2] Mss., *exstingueris*.
[3] Abest, *non*, a Ms. Regio.

[1] Er. Lugd. Ven. sic exhibent hunc locum: *Nonne, Domine Deus meus?* Apud Lov.: *Nonne tu, Domine Deus meus?* In B.: *Nonne tu, Dominus.* M.
(*a*) Ex lib. de Speculo cap. 30.
(*b*) Ex Offic. Eccles. Sabb. 1 in Adventu.

tem, Domine, de hoc mari magno, et educ me ad portum felicitatis æternæ.

Felices qui de periculo maris hujus educti ad te Deum portum tutissimum pervenire meruerunt! O vere felices, qui de pelago ad littus, de exsilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optata jam quiete beati; quia bravium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæsierunt, jam felici jucunditate adepti, lætantur in perpetuum! O vere beati, o terque quaterque beati, qui jam omnium malorum exuti, securi jam de sua immarcescibili gloria ad regnum decoris pervenire meruerunt! O regnum æternum, regnum omnium sæculorum, ubi lumen indeficiens, et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV, 7), in qua sanctorum animæ requiescunt, et lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium et exsultationem obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus! O quam gloriosum est regnum in quo tecum, Domine, regnant omnes sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso (*Psal.* XX, 4)! O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi tu, Domine, spes sanctorum et diadema gloriæ, facie ad faciem videris a sanctis, lætificans eos undique in pace tua quæ exsuperat omnem sensum! Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. Ibi juventus nunquam senescit, ibi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi lætitia semper habetur, ubi malum nullum timetur; quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est semper videre faciem Domini virtutum. Felices igitur qui de naufraga vita præsenti ad tanta gaudia jam pervenire meruerunt.

(a) Infelices heu nos et miseri, qui per hujus maris magni fluctus procellosasque voragines navem trahimus, ignorantes an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices, inquam, quorum est vita in exsilio, via in periculo, finis in dubio; nescientes finem nostrum, quia omnia in futurum reservantur incerta, et adhuc in pelagi fluctibus versamur, suspirantes ad portum. O patria nostra, patria secura, a longe te videmus. Ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus; et nitimur cum lacrymis si quo modo ad te perveniamus. Spes humani generis Christe, Deus de Deo, refugium nostrum et virtus, cujus lumen a longe inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellæ maris radius oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad portum, guberna, Domine, navem nostram tua dextera, clavo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquæ, neque absorbeat nos profundum; sed virtute [1] crucis tuæ trahe nos ab hoc pelago ad te, solamen unicum nostrum, quem a longe quasi stellam matutinam et solem justitiæ vix lacrymantibus oculis in littore cœlestis patriæ nos exspectantem videmus. En ad te clamamus redempti tui, sed et nunc exsules tui, quos pretioso sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe (*Psal.* LXIV, 6): in mari turbulento versamur; tu in littore stans aspicis pericula nostra, salvos nos fac propter nomen tuum. (b) Da nobis, Domine, inter Scyllam et Charybdim ita tenere medium, ut salva navi et mercibus securi perveniamus ad portum.

CAPUT XXXVI. *De gloriæ lumine. Deum videre facie ad faciem quid. Visio hæc tota beatitudo. Interim Deum unum intendere.* Cum ergo pervenerimus ad te sapientiæ fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inexstinguibilem, ut te non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videamus (I *Cor.* XIII, 12); tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum, quia nihil erit exterius quod desideretur. Tu, Domine summum bonum, eris præmium beatorum, et diadema decoris eorum, et lætitia sempiterna super capita eorum, pacificans eos intus et extra in pace tua quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV, 7). Ibi videbimus, amabimus et laudabimus. Videbimus in lumine tuo lumen tuum. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 10). Quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incorporeum, incomprehensibile, lumen indeficiens, inexstinguibile et inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat juventutem sanctorum, quod est lumen luminum et fons vitæ, quod tu es, Domine, Deus meus. Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus lumen: te scilicet in te, in splendore vultus tui, quoniam te videbimus facie ad faciem.

Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus, cognoscere sicut et cognitus sum (I *Cor.* XIII, 12)? Cognoscere Trinitatem tuam, hoc est videre facie ad faciem. Cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam et indivisam essentiam, est videre faciem Dei vivi. Hoc est summum bonum, gaudium Angelorum atque omnium sanctorum, præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum et æternum gaudium, paradisus Dei, Jerusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV, 7). Hæc est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, populi sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio felicitatis eorum, ipse præmium et merces exspectationis. *Ero*, inquit, *merces tua magna nimis* (*Gen.* XV, 1). Vere, Dominus Deus meus, magnus es tu nimis super omnes deos, et merces tua magna nimis. Magnum enim magna decent. Neque enim magnus es tu, et parva merces tua: sed ut magnus es tu, magna est merces tua; quoniam non aliud tu, et aliud merces tua: sed tu ipse magnus nimis, tu ipse merces magna nimis, tu ipse coronator es et corona, tu ipse promissor es et promissio, tu remunerator es et munus, tu præmiator et præmium felicitatis æternæ. Tu ergo coronator es et corona, Deus meus, diadema spei meæ quæ ornata est gloria, lumen lætificans, lux renovans, decor adornans, spes mea magna, desiderium cordis sanctorum, et desideratus eorum. Visio ergo tua tota merces est, totum præmium, totum gaudium quod exspectamus. Hæc est vita æterna. *Hæc est*, inquit Sapientia tua, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Cum igitur videbimus te solum Deum, Deum verum, Deum vivum, omnipotentem, invisibilem, incircumscriptibilem, incomprehensibilem, et Filium tuum unigenitum, consubstantialem et coæternum tibi Deum, Dominum nostrum Jesum Christum, quem pro salute nostra misisti in mundum, in unitate Spiritus sancti trinum in personis, et unum in essentia, Deum sanctum solum, extra quem non est Deus; tunc habebimus quod quærimus, vitam æternam, gloriam sempiternam, quam præparasti diligentibus te, quam abscondisti timentibus te, quam daturus es quærentibus te, quærentibus faciem tuam semper.

Et tu, Domine Deus meus, formator meus ex utero matris meæ, quæ me recommendavit manui tuæ, non me permittas amplius ex uno distrahi [1] in multa: sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te, ut dicat tibi semper cor meum, *Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI, 8), faciem Domini virtutum, in qua sola consistit tota glo-

[1] Regius Ms., *unctione*. Medardensis, *uncino*.

(a) Ex lib. de speculo, cap. 29.

(b) Ibid., cap. 30.

[1] Ms. Medardensis, *disverberari*. Alii, *dissubstantiari*.

ria beatorum, quam videre vita æterna est, et lætitia sempiterna sanctorum. Lætetur ergo cor meum ut timeat nomen tuum [1], lætetur cor quærentium Dominum, sed multo magis cor invenientium. Si enim lætitia est in quærendo, qualis lætitia erit in inveniendo? Quæram ergo semper ardenter et indesinenter faciem tuam, si quomodo tandem aperiatur mihi ostium et porta justitiæ, ut intrem in gaudium Domini mei. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam (*Psal.* CXVII, 20).

CAPUT XXXVII. *Oratio ad sanctam Trinitatem.* O tres coæquales et coæternæ personæ, Deus unus et verus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui solus habitas æternitatem et lucem inaccessibilem; qui fundasti terram in potentia tua, et regis orbem prudentia; sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, terribilis et fortis, justus et misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis; unus Deus, tres personæ in una essentia; potentia, sapientia, bonitas, una et indivisa Trinitas: aperite [2] mihi clamanti portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino. En ad ostium tuum, summe Pater familias, mendicus pulso. Jube aperiri pulsanti, qui dixisti, *Pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Pulsant ad ostium tuum, pater misericordissime, desideria rugientium præcordiorum meorum, et clamor et lacrymæ oculorum meorum. Ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus (*Psal.* XXXVII, 10). Et tu, Domine, non avertas faciem tuam amplius a me, nec declines in ira a servo tuo (*Psal.* XXVI, 9). Pater misericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, et porrige manum tuam optimam adjutricem, ut trahat me de profundis aquarum, et de lacu miseriæ, et de luto fæcis, ne peream vidente misericordia oculorum tuorum, aspiciente clementia viscerum tuorum (*Psal.* XXXIX, 3); sed evadam ad te Dominum Deum meum, ut videam divitias regni tui, et intuear faciem tuam semper, et laudem dicam nomini tuo sancto, Domine, qui facis mirabilia, qui cor meum lætum facis memoria tua, qui illuminas juventutem meam, et non despicis senectutem meam, sed jubilare facis omnia ossa mea, et rejuvenescere [1] facis ut aquilæ canos meos (*a*). Omnis gloria, omnis laus, omnis virtus, omnis potentia, omnis magnificentia, omnis beatitudo, omnis clementia sit Deo Patri et Filio et Spiritui sancto. Amen.

[1] Hæc verba: *Lætetur ergo cor meum ut timeat nomen tuum*, desunt in Mss.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *aperi*. M.

[1] Sic Ms. Colbertinus. At alii libri, *reviviscere*.
(*a*) Hic clauditur liber in Mss.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTES MEDITATIONES.

Librum hunc Meditationum inter germanos Augustini fetus in tomo nono reliquerunt Lovanienses, neque de eo pronuntiarunt aliud, quam id quod antea dubitans incertusque Erasmus iisdem fere verbis dixerat, *Auctorem* videlicet *esse vel Augustinum, vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Bernardus Vindingus suspicatus est ab Anselmo Cantuariensi profectum, Augustini autem non esse his argumentis demonstravit. Nam cap. 31 dicit Meditationum scriptor *fidem suam ab ipsis enutritam cunabulis, et illuminatam semper per intelligentiam gratiæ divinæ.* Tum cap. 39 et 41, ubi sua peccata deflet, multis quidem et gravibus post Baptismum, sed tamen ante Baptismum solo se originali peccato obligatum fuisse significat. Hæc vero minime convenire in Augustinum, nemo est qui Confessionum ipsius cognitis libris ignoret. Auctor præterea passim excerpit sententias Augustini, easque interdum non sinceras, adhibet, nec germano earum sensu. Exempli gratia, dixit Augustinus libri 1 Confess. capite 1, *Laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ:* hic autem in Meditationum capite 33, *Laudet te homo magna portio creaturæ tuæ.* Et illud libri 12 Confess. cap. 15, *O domus luminosa et speciosa*, etc., quod ab Augustino de cœlesti opificio dictum est, transfert ille in capite Meditationum 20 ad domum Dei spiritualem, beatorum scilicet societatem, a qua pro se cupit Deum orari. Mutuatur etiam in cap. 22 quædam a Gregorio ex homilia 37 in Evangelium, et præterea ex ecclesiastico Officio verba quamplura in capp. 14, 15, 17, 27, 33, 35, 39, etc. Hymnum pro capite 26 inserit de gloria paradisi, qui Petro Damiani vulgo assignatur. Denique stilo et dictionibus utitur alienis prorsus ab Augustino, veluti *reciprocare* pro *repetere; proles, soboles* et *progenies* poetico more, pro *Filio Dei;* item *gladius materialis, tumidare, morbidare*, etc. Atque hæc plus satis erant, ut istæ Meditationes abjudicarentur Augustino.

Quod Anselmum spectat, ex Orationibus ac Meditationibus ipsius nomine vulgatis continentur hoc libro non paucæ, scilicet in quatuor capitibus prioribus Oratio decima; in aliis quatuor proxime sequentibus, id est in 5, 6, 7 et 8, Oratio secunda: quarta decima in capite nono; in decimo vigesima prima. Nonnihil postea Meditationis 18 in capite 18 occurrit, et plura Meditationis 14 in capp. 22, 23, 29 et 30. Rursum in capite 34 Oratio Anselmi quinta, decima septima in 35, decima sexta in 36, decima octava et decima nona in 37, ac tandem in capite 41 vigesima illius Oratio exhibetur. Mittimus sententias, quas reperire est hic capiti 39 inspersas ex ejusdem Proslogio, ex Meditationibus 2, 3 et 11, ex Oratione 4, et ex Oratione 62.

Cæterum nihil obstamus, quominus earum, quas modo recensuimus, Orationum Anselmi sive Meditationum, habeantur dubiæ quædam et incertæ, præsertim vero si quæ sunt ex variorum auctorum laciniis consarcinatæ. Quinetiam considerato veteri codice quodam ex S. Arnulphi abbatia Mettensi, de quo in Veterum Analectorum tomo 1, pag. 161, facile arbitramur isthæc subsequentis libri capita viginti quatuor, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 35, 36 et 37, Joannis esse, abbatis uti creditur Fiscamnensis, qui anno 1178 diem obiit, Anselmo abbate tunc temporis Beccensi. Nam Mettensis illa codex, cujus scriptura ejusdem Joannis ætatem redolet, libellum repræsentat capitibus viginti quatuor supra

dictis comprehensum, præfixa proxime ante, prologi vice, epistola ad Imperatricem viduam Henrici Imperatoris (Henricum hunc tertium, illam vero Agnetem esse, monstravit D. Joannes Mabillon in prædictis Analectis, ubi epistolam eamdem pag. 133 publicavit), cum hacce in fine subscriptione: *Ego Joannes ultimus servorum Christi, et qui mecum sunt fratres, Beatitudinem tuam salutamus in Christo*, etc.; qua nimirum epistola post commemoratas alias quasdam scriptiones pias et nonnullas quas ex opusculis Patrum sententias se *deflorasse* dicit Joannes, libellus ille commendatur in hæc verba: *Quia relatione amicorum didici, te desiderare et poscere, ut ipse quoque, quem de contemplatione divina Christique amore, et de illa superna Jerusalem omnium fidelium matre editum habeo, tibi scribatur libellus.... ecce ego libens atque ovans, pro scire quod mihi dedit Deus, paratus sum, mater veneranda, tuæ in omnibus obsequi voluntati.... Accipe, quæso, pervigili mente illud quod expetis, meæ per Christi gratiam deflorationis opusculum, in quo videlicet reperies magna ex parte cœlestis theoriæ dulcia verba, quæ reverenter legenda sunt, et cum timore debito meditanda, ne forte de temeritate judicetur, qui tepidus et indevotus accesserit*, etc.

Epistolæ continuo subjungitur libellus diversis partibus et titulis hunc in modum distinctus: *Incipit libellus de Scripturis et verbis Patrum collectus, ad eorum præsertim utilitatem qui contemplativæ vitæ sunt amatores. Psal. « Deus misereatur nostri ». Summa Trinitas, virtus una, et indiscreta majestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi*, etc. Pars est libelli prima, incipiens a capite 12 Meditationum sequentium, et desinens ad finem capitis 17. Tum subjicitur: « *Explicit de contemplatione divina pars prima. Incipit pars secunda de Christi amore, simul et de illa superna Jerusalem matre nostra.* Psal. « *Eructavit.* » *Spes mea, Christe Deus, hominum tu dulcis amator*, etc. Desinit hæc secunda pars ad finem capitis 25. Postea legitur: *Explicit pars secunda theoreticæ speculationis. Incipit pars tertia, ubi mens devota Deo ad altiorem contemplationis gradum ascendit. Psal. « Te Deum laudamus. » Psal. « Benedicite omnia. » Psal. « Laudate Dominum. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus,* » etc. Pars itaque tertia prætermisso capite 26, incipit a 27. Desinit autem ad finem capitis 33. Deinde relicto capite 34 subsequitur titulus: *Incipiunt preces ardentis desiderii, ut anima solum Christum possit amare, quia bonus et malus amor non se simul in uno capiunt pectore, sicut scriptum est, « Nemo potest duobus dominis servire. » Psal. « Jubilate Deo, omnis terra ».* Moxque additur totum caput 35. *Jesu nostra redemptio*, etc. Suscepit caput 36, cum hoc titulo: *Hic peccatrix anima gemit nimis et dolet, videns terram sine aqua, et idcirco præ desiderio lacrymarum devotas preces fundit ad Dominum. Psal. « Quemadmodum. » Christe Domine, Verbum Patris*, etc. Postea sequitur prima pars capitis 37, cum inscriptione: *Hic optat ardore nimio mens pia, et datorem omnium bonorum Deum humiliter rogat, ut divinæ gratiæ fulta præsidio, hoc constanter agere possit, quod Apostolus præcipit dicens, « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Psal. « Quam dilecta. » Jesu Domine, Jesu pie*, etc. usque ad isthæc verba: *Dormiat, obsecro, Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus*, (jam varia est lectio, sic pro conclusione habens) *quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, sicut scriptum est, « Ego dormio et cor meum vigilat. » Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus*, etc. Extremo loco ponitur reliqua pars capitis ejusdem 37, adjunctum habens exordium et titulum, hoc modo: *Vir desideriorum et cœlestium contemplator, præsentia fastidiens, futura desiderans, gemit ex fundo cordis, et implorat quotidie, dolens se ibi non esse, ubi dilectum suum revelata facie mereatur videre, sicut scriptum est, « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » Psal. « Jubilate Domino. » Christe Domine, virtus et sapientia Patris, etc.*; quod exordium versibus fere quindecim constans annectitur ad verba illa capitis 37: *Quid enim pulchrius, quidve dulcius*, etc., desinitque ibi libellus: *Ipsum laudo, benedico atque adoro, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.*

Regius codex ante annos ducentos descriptus libellum eumdem a capite 12 sic exorditur, ut in titulo præmittat caput 11. Atque ipsius libelli non septem partes, quot attulimus supra ex codice Mettensi, sed tantum sex facit, capite videlicet 37, in quo pariter desinit, minime diviso. Juvat exhibere titulos ac initia partium singularum ex eodem Regio codice, tametsi nomen Augustini falso præferat libellus, hac ibi ratione prænotatus et digestus: *Liber supputationum seu supplicationum beati Augustini episcopi, de divinis Scripturis collectus, ad eorum præsertim utilitatem, qui contemplativæ vitæ sunt amatores. Et ante omnia dicatur psalmus, « Deus misereatur nostri et benedicat nobis, » etc., qui in primis dicendus est, quia in eo de summa Trinitate et unitate satis expresse locutus est Propheta. Quo finito addatur et hoc, Te Deum Patrem ingenitum*, etc., scilicet caput 11, quod hoc loco totum scribitur; et additur: *Deinde cætera quæ sequuntur, mente devota, et corde puro, utpote laudes Dei, Deo dicturus flebilis et supplex in modum orationis seu canonis perora: Summa Trinitas, virtus una et indiscreta Majestas*, etc. Ibidem finito capite 16, *Incipit secunda pars, ubi agitur de Christi amore et de illa superna civitate Jerusalem, quæ est mater nostra. Et primo dicendus est iste psalmus, « Eructavit cor meum verbum, » in quo de Christo et Ecclesia per Prophetam Spiritus sanctus satis expresse loquitur. Quo finito, adde et hæc quæ sequuntur: Spes mea, Christe Deus*, etc. Ibidem post finem capitis 25: *Incipit tertia pars, ubi mens devota ad altiorem contemplationis gradum ascendit. Et in primis cantetur hymnus, « Te Deum laudamus. » Item alius hymnus, « Benedicite, omnia opera Domini, Domino. » Item psalmus. « Laudate Dominum de cœlis. » Et deinde cætera quæ sequuntur, intenta et morosa meditatione dicantur: « Benedic, anima mea, Domino, »* etc. Ibidem completo capite 33 subditur: *Incipit quarta pars, scilicet preces ardentis desiderii, ut fidelis anima*

solum Christum possit amare. Et in primis dicendus est iste psalmus, « *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* » *Deinde devote dicantur sequentia*: *Jesu nostra redemptio*, etc. Caput est 35, quo finito ibidem legitur : *Incipit quinta pars, ubi vir desideriorum et cœlestium contemplator gemit quotidie dicens se ibi non esse, ubi dilectum suum mereatur videre, sicut Apostolus aiebat*, « *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* » *In primis autem dicendus est iste psalmus*, « *Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite*, » etc. *Deinde quæ sequuntur : Christe Domine, Verbum Patris*, etc. Denique post caput istud 36, postrema pars ad caput 37 sic inscribitur : *Incipit sexta pars. Hic optat ardore nimio anima sive mens pia, et datorem omnium donorum Deum humiliter rogat, ut divinæ gratiæ fulta præsidio, hoc constanter valeat agere, quod Apostolus ait*, « *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* » *Jesu Domine, Jesu pie, Jesu bone*, etc. Finitoque hoc capite 37, clausula apponitur : *Explicit liber supputationum beati Augustini episcopi, et finitus in anno Domini* 1471.

Additum opinamur Augustini nomen, quia liber ex Augustini maxime dictis compositus videbatur ; vel certe referendum id in librariorum errorem et incuriam, quam in eo jam libro expertus forte fuerat Joannes, qui ejusdem libri prologo seu epistola ad Imperatricem scribit : *Rogo Dilectionem tuam, ut si quoslibet inveneris, qui libellum hunc velint habere, moneas eos et diligenter transcribere, et scriptum frequenter relegere, usque adeo ut aliquid addi, vel subtrahi, aut immutari non patiantur in eo. Hoc autem dicimus propter incuriam librariorum, qui non solum veritatem corrumpunt, sed etiam mendacia mendaciis jungunt.* Joannem porro non ea tantum sapiunt, quæ libellus, uti vidimus, in Mettensi et Regio codice comprehendit subsequentium Meditationum capita viginti quatuor, sed capita quoque ordine 38 et 40, quæ plurimis ex Alcuino, quem etiam exscribere solet Joannes, sententiis contexta sunt. Alcuini loca indicabuntur singula, notato e regione libro et folio editionis Parisiensis anni 1617 (*a*).

Ad extremum nonnihil refert observare hic rem, comperta Joannis et codicis ipsius Mettensis antiquitate, certam deinceps et exploratam, sententias scilicet quæ libri de Spiritu et Anima, de Diligendo Deo, Soliloquia, Manuale, (libri utique omnes Bernardo posteriores), similes sive plane easdem habent cum subsequente Meditationum opusculo, non ex illis libris a Joanne decerptas esse, imo potius ex libro Joannis in eos libros recentius conditos transiisse.

(*a*) Loca ex Alcuino aut ex ipso S. Doctore, aut ex aliis quibuslibet auctoribus decerpta notis alphabeticis initio cujusque loci desumpti præfixis indicabimus. M.

MEDITATIONUM
LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Oratio pro vitiis resecandis, et virtutibus obtinendis.* (*a*) Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da, Domine Deus meus, cordi meo pœnitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus, exstingue in me desideria carnis, et accende ignem [1] tui amoris. Redemptor meus, expelle a me spiritum superbiæ, et concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Salvator meus, amove a me furorem iræ, et indulge mihi benignus serenum [2] patientiæ. Creator meus, evelle a me animi rancorem, et largire mihi mitis mentis dulcedinem. Da, clementissime Pater, solidam mihi fidem, spem congruam, charitatem continuam. Rector meus, averte a me vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis pruriginem, divitiarum cupiditatem, potentatuum rapinam, inanis gloriæ appetitum, hypocrisis malum, adulationis nævum [3], contemptum inopum, oppressionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ rubiginem, blasphemiæ mortem. Reseca in me, factor meus, temeritatem, iniquam pertinaciam, inquietudinem, otiositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilii repugnationem, linguæ effrenationem, pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, subditorum negligentiam, circa domesticos severitatem, adversus familiares impietatem, erga proximos duritiam. Deus meus misericordia mea, oro per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia, compati afflictis, subvenire egenis, succurrere miseris, consulere erroneis, consolari mœstos, relevare oppressos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere. Pro malis bona reddere, neminem despicere, sed honorare ; bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere, in adversis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, et ostium circumstantiæ labiis meis, terrena calcare, cœlestia sitire.

[1] Ms. Mettensis, *vim*.
[2] Alias, *scutum* (vel, *sensum*).
[3] Sic Ms. Mettensis. Alias, *venenum*.
(*a*) Anselmi Oratio 10.

CAPUT II. *Misericordiæ Dei commendatio. Quid Deus egerit, et quid superest ut bene vivamus.* Ecce, plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor ; non solum quæ postulo non debentur dona, sed multa mihi et exquisita supplicia. Animant vero me publicani, meretrices et latrones, qui a faucibus hostis momentanee eruti [1], sinibus suscipiuntur pastoris. Tu enim, factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in visceribus pietatis. Unde de temetipso per quemdam dixisti servum, *Miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Et quasi de singulo loquentem, de universo populo tuo te dixisse confidimus, *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo* (*Psal.* LXXXVIII, 34). Nullum enim spernis, nullum abjicis, neminem per-

[1] Apud Anselmum, *momentaneæ pœnitudinis humilitate eruti.*

horrescis, nisi qui forte amens te exhorruerit. Ergo non modo iratus non percutis, sed te irritantibus dona, si quieverint [1], tribuis. Deus meus, cornu salutis meæ, et susceptor meus, ego infelix, ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui. Peccavi, et passus es; deliqui, et adhuc sustines. Si pœniteo, parcis; si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, a ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, et pulsanti aperis.

Ecce, Domine Deus salutis meæ, quid opponam nescio, quid respondeam ignoro; nullum confugium, nullum abs te patet mihi latibulum. Ostendisti mihi bene vivendi viam, dedisti gradiendi scientiam: minatus es mihi gehennam, et pollicitus es mihi paradisi gloriam. Nunc, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, confige timore tuo carnes meas (*Psal.* CXVIII, 120); quatenus quæ minaris, metuendo evadam: et redde mihi propitius lætitiam salutaris tui (*Psal.* L, 14), ut quæ spondes, diligendo percipiam [2]. Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum, Deus meus, refugium meum, et liberator meus, suggere quid de te cogitem, doce quibus te sermonibus invocem, da quibus operibus placeam. Scio namque, scio unum quo placaris, et aliud quod non spernis. Est utique tibi spiritus contribulatus sacrificium, et acceptas cor contritum et humiliatum (*Psal.* L, 19). His me, Deus meus, adjutor meus, dita muneribus, his contra inimicum muni protectionibus, hoc de flammis vitiorum præsta refrigerium, hoc a desideriorum passionibus pande, pius, refugium. Fac, Domine virtus salutis meæ, ne sim de numero eorum qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt (*Luc.* VIII, 13). Obumbra caput meum in die belli (*Psal.* CXXXIX, 8), esto spes mea in die afflictionis, et salus in tempore tribulationis.

CAPUT III. *Quod orantis fiduciam reprimat prava conscientia.* En, Domine illuminatio mea, et salus mea, rogavi quibus egeo, intimavi quæ timeo; sed remordet conscientia, reprehendunt me cordis secreta, et quod amor ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus increpat. Acta vita formidinem, sed tua ingerit pietas fiduciam; tua hortatur benignitas, mea retardat malignitas. Et, ut verius fatear, occurrunt memoriæ phantasmata vitiorum, quæ reverberant audaciam præsumentium animorum. Cum enim odio quis dignus sit, qua fronte gratiam requirit? cum pœna debetur, qua temeritate gloria poscitur [3]? Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui flagitat donari indebito bravio; et dulcem patris affectum stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias, ante pœnitudinem, hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid, mi pater, egisse me recolo? Merui mortem, et peto vitam. Commovi regem meum, cujus impudens nunc invoco præsidium. Contempsi judicem, quem tenere postulo adjutorem. Insolens renui audire patrem, quem demum præsumo habere tutorem. Heu mihi quam sero venio! heu quam tarde festino! heu me quia curro post vulnera, dedignans incolumis præcavere jacula! Neglexi prospicere tela, modo vero sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi: quia scelera addere sceleribus non timui. Recenti cicatrices tabe respersi; quia prisca flagitia modernis inquinationibus reciprocavi, et quæ divina solidaverat medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit; quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum, *In quacunque die justus peccaverit, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur* (*Ezech.* XVIII, 24). Si justitia aboletur justi ruentis, quanto magis peccatoris pœnitentia in idipsum revertentis? Quoties ut canis redii ad vomitum, et quasi sus repetii volutabrum (II *Petr.* II, 22). Fateri mihi [1], quia et recordari, impossibile est, quot mortalium peccare ignorantes docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coegi, volentibus consensi. Quot semel gradientibus laqueum induxi, viam quærentibus foveam retexi, ut patrare non horrui, oblivisci non metui: sed tu, juste judex, signasti quasi in sacculo pecuniam: observasti omnes semitas meas, et cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti, semper siluisti, patiens fuisti: væ mihi, demum loqueris quasi parturiens (*Isai.* XLII, 14).

CAPUT IV. *Judicium novissimum timetur. Timendi ratio. Ratio fidendi.* Deus deorum domine, præstabilis super malitiam, novi quia manifestus venies, novi quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet, et in circuitu tuo tempestas ingruerit valida, cum advocaveris cœlum desursum et terram discernere populum tuum (*Psal.* XLIX, 3 *et* 4). Ecce tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus. Domine meus, non suppetit quid dicam, non occurrit quod respondeam. Et cen jam illi intersim discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, confundit ebrietas, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat, levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit. Ecce, liberator meus de gentibus iracundis, ecce cum quibus vixi a die nativitatis meæ, quibus studui, quibus fidem servavi. Ipsa me, quæ dilexeram, studia damnant; quæ laudaveram, vituperant. Hi sunt quibus acquievi, amici; quibus parui, magistri; quibus servivi, domini; consules, quibus credidi; cives, quibus cohabitavi; domestici, quibus consenui [2]. *Heu mihi*, rex meus et Deus meus, *quia incolatus meus prolongatus est. Heu* mihi, illuminatio mea, quia *habitavi cum habitantibus Cedar* (*Psal.* CXIX, 5). Et cum sanctus dixerit, *multum*, quanto magis dicere infelix possum, *nimis incola fuit anima mea* (*Ibid.*, 6)? Firmamentum meum Deus, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Spes mea, non est in filiis hominum, quem si remota pietate judicaveris, justum invenias; et nisi præveneris miserando impium, non erit quem glorifices pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, quoniam benignitas tua ad pœnitentiam me adducit (*Rom.* II, 4). Tua his benedictus, sanctorum nectarea labia, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* 6, 44). Enim, vero quia me instruxisti, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto adnisu mentis te, omnipotens Pater, cum dilectissimo Filio tuo [3]; teque, dulcissima proles, cum serenissimo invoco Paraclito, trahe me, quatenus post te currere in odorem tuorum delecter unguentorum [4].

CAPUT V. *Invocatio Patris per Filium quem offi[illegible].* Invoco te, Deus meus, invoco te, quia prope es omnibus invocantibus te, sed invocantibus in veritate:

[1] Apud Anselmum, *quieverint.*

[2] Alias, *participem.*

[3] Er. Ingolst. Ven. Lov. sic exhibent hunc locum: *Cui pœna debetur, qua temeritate gloriam exposcit?* M.

[1] Apud Anselmum, *Fateri mihi itaque difficile est, quia et recordari.*

[2] Alias, *consensi.*

[3] Mettensis Ms., *pium* [illegible], etc.

[4] [illegible] apud Anselmum et in codice Mettensi subjungitur.

tu enim veritas es. Doce me, quæso, clementiam tuam, sancta Veritas, te invocare in te; quia hoc fieri quomodo oporteat nescio, sed a te doceri, beata Veritas, humiliter imploro. Abs te enim sapere, desipere est; te vero nosse, perfectum scire est. Erudi me, divina sapientia, et doce me legem tuam. Credo sane, quia quem tu erudieris beatus, et de lege tua docueris eum. Desidero invocare te, quod quæso ut in veritate fiat. Quid est in veritate invocare veritatem, nisi in Filio Patrem? Ergo, sancte Pater, sermo tuus veritas est, principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro Principium. In ipso veritatis Verbo te, perfecta, invoco, Veritas, quo in ipsa eadem dirigas me veritate et doceas. Quid enim dulcius, quam Genitorem in nomine Unigeniti exorare, Patrem in recordatione Filii ad pietatem inflectere, regem charissimæ sobolis denotatione [1] mitigare? Sic rei solent carceribus eripi, sic mancipati vinculis liberari, sic tristem capitis excepti sententiam, non solum vitam, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis principibus dilectæ prolis intimaverint charitatem; sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum. Sic te, omnipotens Pater, per omnipotentis Filii tui charitatem postulo, educ de carcere ad confitendum nomini tuo animam meam (*Psal.* CXLI, 8): libera me a vinculis peccatorum, per coæternum flagito unicum tibi Natum; meque, cui propria merita lethalem minantur sententiam, pretiosissimæ ad dexteram tuam consedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem enim alium dirigam intercessorem tibi nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris (I *Joan.* II, 2), qui sedet ad dexteram tuam, qui etiam interpellat pro nobis [2] (*Rom.* VIII, 34). Ecce advocatus meus apud te Deum et Patrem. Ecce pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio fulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, bene placens et perfecta, in odorem suavitatis et oblata et accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit (*Isai.* LIII, 7), qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum non aperuit. Ecce qui peccatum non fecit, peccata mea pertulit, et languores meos suo livore sanavit (I *Petr.* II, 22, 24).

CAPUT VI. *Passio Filii repræsentatur Patri.* Aspice, Pater pie, piissimum Filium pro me tam impia passum. Respice, clementissime Rex, qui patitur, et reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem, ut servum redimeres, Filium tradidisti? Numquid auctor vitæ hic est, qui ut ovis ad occisionem ductus (*Isai.* LIII, 7), tibique obediens usque ad mortem factus (*Philipp.* II, 8), atrocissimæ non timuit necis subire genus? Recole, totius salutis dispositor, quia hic ipse est, quem etsi tua [3] ex virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Vere hæc est tua deitas, quæ meam induta naturam, crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc, Domine Deus meus, oculos majestatis tuæ super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extensum, cerne manus innoxias pio manantes sanguine; et remitte placatus scelera quæ patraverunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide; et renova me sacro-sancto fonte illo, quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum (*Psal.* I, 1), sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis; et perfice gressus meos in semitis tuis, facque odio habere benignus omnem viam iniquitatis. Viam iniquitatis, misericors, amove a me, facque me propitius viam veritatis eligere. Oro te, rex sanctorum [1], per hunc sanctum sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui mea non horruit carne vestiri. Numquid non attendis, pie Pater, adolescentis Filii chari suum caput, niveâ cervice deflexum, pretiosam resolutum in mortem? Aspice, mitissime Conditor, dilectæ sobolis humanitatem, et miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose Genitor, gratissimæ prolis lacerata membra; et memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pœnam; et releva conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium; et remitte redempti delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus in quo tibi bene complacuisti (*Matth.* III, 17). Hic est ille innocens, in quo dolus inventus non est; et tamen cum iniquis deputatus est (*Isai.* LIII, 9, 12).

CAPUT VII. *Dei in passione Christi mira dispositio. Unde hinc homo gratiam rependere queat.* Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime juvenis, ut adeo [2] tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua; quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, et ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, et punitur justus; delinquit reus, et vapulat innocens; offendit impius, et damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quo, Nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego inique egi, tu pœna multaris; ego facinus admisi, tu ultione plecteris; ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris: ego superbivi, tu humiliaris; ego tumui, tu attenuaris; ego inobediens exstiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis; ego gulæ parui, tu inedia afficeris; me ad illicita rapuit concupiscentia arboris [3], te perfecta charitas ducit ad crucem; ego præsumpsi vetitum, tu subisti equuleum; ego delector cibo, tu laboras patibulo; ego fruor deliciis, tu laniaris clavis; ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem; mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria. Ecce, Rex gloriæ, ecce mea impietas, et tua claret pietas. En mea injustitia, et tua liquet justitia.

Quid, Rex meus et Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi? Non enim inveniri in corde potest hominis, quod condigne talibus referatur præmiis. Numquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creaturæ moliri officium, quo juste Creatoris recompenset præsidium. Est autem, Nate Dei, in hac tua admirabili dispositione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens carnem suam crucifigat cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* V, 24): et si hoc a te conceditur, quasi jam tibi incipit compati, quia et tu pro peccato dignatus es mori. Sicque per interiorem victoriam [4] te duce armabitur ad exteriorem palmam: quatenus devicta persecutione spirituali, non vereatur pro amore tuo

[1] Alias, *denominatione.*
[2] Additur in Ms. Mettensi, *unde gloria sibi et;* omisso, *ecce.*
[3] Alias, *una.*

[1] Alias, *rex sæculorum per hunc Redemptorem.*
[2] Apud Anselmum additur, *dure.*
[3] Sic Ms. Mett. Apud Anselmum, *ad illicitam concupiscentia rapuit arborem;* vel, *ad illicitum rapuit concupiscentia ardorem.* At editi, *ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor.*
[4] Sic Ms. Mett. At editi, *per interioris hominis.*

subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuæ complacet pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere Conditoris. Et hæc cœlestis medicina, bone Jesu, hoc tui [1] antidotum amoris. Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde vulneribus [2] meis, quod rejecta vipereæ contagionis bile, redintegret me incolumitati pristinæ: quo gustatum tuæ nectar suavitatis faciat me illecebrosa mundi prospera toto affectu despicere, et nulla ejus pro te adversa formidare; memorque perpetuæ nobilitatis, semper fastidiam ventos lapsus transitorii tumoris. Nihil, quæso, sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nil pretiosum, nil præter te mihi arrideat speciosum: vilescant, obsecro abs te, mihi omnia, sordeant universa. Quod tibi adversum, sit mihi molestum; sic et beneplacitum, indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, et delectet tristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, et memoria tua consolatio; fiant mihi lacrymæ meæ panes (*Psal.* XLI, 4), tuas die ac nocte investigando justificationes; sit mihi bonum lex oris tui super millia auri et argenti (*Psal.* CXVIII, 72). Sit obedire tibi amabile; et resistere, exsecrabile. Rogo te, spes mea, per omnes potestates tuas, ut propitieris impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, et ne declines, flagito per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

CAPUT VIII. *Per passionis Christi meritum quanta orantis fiducia.* Ecce, omnipotens Deus, Pater Domini mei, dispone benignus quomodo mihi miserearis; quoniam quidquid pretiosius inveni, devote obtuli, quidquid carius reperi, suppliciter præsentavi. Nihil mihi reliqui, quin tuæ exposuerim majestati; nihil jam superest quod adjiciam, quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi advocatum meum dilectum Filium tuum, misi gloriosam progeniem inter me et te mediatorem; misi, inquam, intercessorem, per quem confido veniam. Misi verbis, quod pro me dixi missum factis [3]: et numeravi sanctissimæ tibi sobolis mortem, quam pro me credo fuisse perpessam. Credo missam a te deitatem, meam suscepisse humanitatem: in qua dignum duxit vincula, alapas, sputa irrisionesque perferre, necnon crucem, clavos telumque suscipere. Hanc olim infantiæ vagitibus demolitam, pueritiæ pannis adstrictam, juventæ sudoribus vexatam, jejuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus fessam; postea affectam flagris, laceratam suppliciis, deputatam cum mortuis, ditatam vero gloria resurrectionis cœlorum gaudiis induxit, et in dextera tuæ celsitudinis collocavit. En placatio mea, et propitiatio tua.

Hic intende pius quem genueris Filium, et quem redemeris servum. Hic aspice factorem, et ne despicias facturam. Amplectere serenus pastorem, et recipe misericors allatam propriis humeris ovem. Hic ipse est fidelissimus pastor ille, qui dudum errabundam per abrupta montium, per præcipitia vallium multis quæsierat variisque laboribus; quique jam morienti, jam per longa exsilia deficienti, tamen inventæ gaudens se supposuit, et miro sibi adnisu charitatis innixam de confusionis abysso levavit, piisque astrictam complexibus ad nonaginta novem unam quæ perierat reportavit (*Luc.* XV, 4-7). Ecce, Domine mi rex, Deus omnipotens, ecce pastor bonus refert tibi quod commisisti ei. Suscepit, te disponente, ad salvandum hominem, quem tibi restituit omni labe immunem. Ecce tuum tibi charissimus Natus plasma reconciliat, quod a te procul deviarat. En gregi tuo pastor mitis reformat, quod prædo violentus abegerat. Reddit tuis conspectibus servum, quem sua fecerat conscientia fugitivum: ut qui per se meruit pœnam, per factorem hujusmodi [1] mereatur veniam; cuique pro culpis supererat gehenna [2], tanto duce jam confidat revocari ad patriam.

Potui per me te, sancte Pater, offendere; sed non valui per me placare. Factus est adjutor meus, Deus meus, tuus dilectus Filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem: quatenus unde culpa [3] emerserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis; meque per hoc redderet tuæ pietati placabilem, qui sedens ad dexteram tuam semper meæ substantiæ se ostenderet esse consortem. Ecce spes mea, ecce tota fiducia mea. Si me pro mea, ut dignum est, despicis iniquitate; respice me saltem miserans pro dilectæ sobolis charitate. Attende in Filio, quo propitieris servo: vide carnis sacramentum, et remitte carnis reatum. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant, obsecro, scelera mea. Quoties rubet pretiosus pio de latere sanguis, diluatur, obsecro, labes meæ pollutionis. Et quia te caro lacessivit ad iram, caro te flectat, imploro, ad misericordiam; ut, si me caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam. Multum quippe est quod mea meretur impietas; longe autem majus, quod Redemptoris mei reposcit jure pietas. Magna enim est mea injustitia; satis vero [4] major Redemptoris justitia. Quanto namque est superior Deus homine, mea malitia est inferior ejus bonitate, ut qualitate, etiam quantitate. Quid enim delinquere posset homo, quod non redimeret Filius Dei factus homo? Quæ tantum superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quodnam esset mortis imperium, quod Nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum, Deus meus, si æqua lance delicta peccantis hominis, et redimentis gratia librentur ambo; non tantum oriens ab occidente, seu inferior separatur [5] infernus a summo cœli cardine. Jam, lucis optime creator, jam culpis ignosce meis, pro dilecti Filii laboribus immensis. Jam ejus, quæso, pietati mea impietas, ejus modestiæ mea perversitas et mansuetudini donetur ferocitas. Jam sua meam humilitas superbiam, patientia impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobedientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, suavitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem.

CAPUT IX. *Spiritus sancti invocatio.* (*a*) Jam, divini amor numinis, Patris omnipotentis prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens paraclete [6] Spiritus, mœrentium clementissime consolator, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quæque laris neglecti latibula corusci luminis fulgore pius habitator lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcescentia squalore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando intima mentis ac corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLII, 1), doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu (*Psal.* CXLII, 10). Credo ergo quia quemcumque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitem, quoniam per te Pater et Filius apud eum facient mansionem (*Joan.* XIV, 23). Veni jam, veni, benignissime dolentis animæ consolator, in opportunitatibus et tribulatione adjutor. Veni, mun-

[1] Abest, *tui*, a Ms. Mett.
[2] Alias, *visceribus*.
[3] Editi, *Misi verbis factum quod pro me dixi missum factis*. Mss. sequimur.

[1] Apud Anselmum, *per factorem mundi*. Editi, *per factionem hujus mereatur*, etc.; corrupte.
[2] In Ms. Mettensi, *cuique pro culpis superabat gehennam*.
[3] Alias, *causa*.
[4] Sic Ms. Mettensis. At editi, *fateor; verum*. Apud Anselmum, *multo vero*.
[5] Ms. Mett., *secernitur*.
[6] Ms. Mett. consolator, *paraclite*.
(*a*) oratio apud Anselmum 14.

dator scelerum, curator vulnerum. Veni, fortitudo fragilium, relevator labentium. Veni, humilium doctor, superborum destructor. Veni, orphanorum pius pater, viduarum dulcis judex. Veni, spes pauperum, refocillator deficientium. Veni, navigantium sidus, naufragantium portus. Veni, omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni, sanctissime spirituum, veni, et miserere mei, apta me tibi, et condescende propitius mihi : ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum Christum Salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT X. *Oratio humiliter de se sentientis.* (*a*) Scio, Domine, scio et fateor, quia non sum dignus quem tu diligas : sed certe tu non es indignus quem ego diligam. Indignus quidem sum tibi servire, sed tu non es indignus servitio creaturæ tuæ. Da ergo mihi, Domine, unde tu es dignus; et ego ero dignus unde sum indignus. Fac me, quomodo vis, a peccatis cessare; ut, quomodo debeo, possim tibi servire. Concede mihi sic custodire, regere et finire vitam meam, ut in pace dormiam, et in te requiescam. Præsta mihi in finem ut me [1] excipiat somnus cum requie, requies cum securitate, securitas in æternitate. Amen.

CAPUT XI. *Trinitatis confessio.* (*b*) Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus : tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XII. *Perfectionum Dei contemplatio.* (*c*) Summa Trinitas, virtus una, et indiscreta majestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus servorum tuorum, et exiguum membrum Ecclesiæ tuæ. (*d*) Confiteor tibi, et honorifico te debito sacrificio laudis, pro scire et posse quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora mihi munera desunt, quæ possim offerre, ea quæ in me sunt vota laudationis ex dono misericordiæ tuæ, ecce libens atque ovans offero tibi de fide non ficta et conscientia pura. Credo igitur te toto corde, Rex cœli et terræ Domine, et ore te confiteor Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in personis trinum, et in substantia unum, verum Deum omnipotentem, unius simplicis, incorporeæ, invisibilis et incircumscriptæ naturæ, nihil in te (*e*) majus aut inferius habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine loco ubique totum, sine situ ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contractione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initium dantem, sine tui mutatione omnia mutabilia facientem; in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum; erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes piissimum; semper eumdem [2] ipsum æternum ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem : quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent; cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit; nec præterita transeunt, nec futura succedunt; cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante sæcula et in sæculis et per sæcula in æternum vivis, et est tibi perennis laus et æterna gloria, summa potestas ac singularis honor, perpetuum regnum et sine fine imperium, per infinita et indefessa et immortalia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XIII. *De Incarnationis mysterio. In hoc mysterio valida nobis spes.* (*a*) Hucusque, omnipotens Trinitas, Deus unus, cordis mei inspector et scrutator, confessus sum omnipotentiam majestatis tuæ et majestatem omnipotentiæ tuæ : nunc autem qualiter humano generi subvenire dignatus es in fine sæculorum, sicut corde credo ad justitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem. Tu quidem, Deus Pater, solus nusquam legeris missus; de Filio autem tuo ita scribit Apostolus : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Galat.* IV, 4). Cum dicit, *misit*, satis ostendit, quia in hunc mundum missus advenit, cum de beata [1] Maria semper virgine natus, verus et perfectus homo in carne apparuit. Sed quid est, quod de illo ille Evangelistarum præcipuus ait, *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I, 10). Huc ergo missus est per humanitatem, ubi semper fuit et est per divinitatem. Quam videlicet missionem opus esse totius sanctæ Trinitatis toto corde credo, et ore confiteor. (*b*) Quomodo nos amasti, Pater sancte et bone, quantum nos dilexisti, pie Conditor, qui etiam proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti illum? Subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 8), tollens scilicet chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci (*Coloss.* II, 14), crucifixit peccatum, et occidit mortem. Unus ille inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 6), potestatem habens ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18), pro nobis tibi victor et victima, et ideo victor, quia victima; pro nobis tibi sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos, quia sacrificium.

Merito mihi spes valida in illo est, quia sanabis omnes languores meos per eum qui sedet ad dexteram tuam, et interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). Languores quippe mei, Domine, magni sunt et multi, multi sunt et magni. Habet enim multa in me princeps mundi hujus, scio et fateor; sed rogo te, libera me per sedentem ad dexteram tuam Redemptorem nostrum, in quo nihil suum [2] potuit invenire. Per ipsum me justifica, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I *Petr.* II, 22). Per ipsum caput nostrum, in quo nulla est macula, libera membrum ejus, licet exiguum et infirmum. Libera, quæso, me a peccatis, vitiis, culpis et negligentiis meis. Reple me tuis sanctis virtutibus, et fac me bonis pollere moribus : fac me in sanctis operibus tuis propter nomen sanctum tuum perseverare usque in finem secundum voluntatem tuam.

CAPUT XIV. *Gratiarum actio pro beneficiis inde præstitis.* (*c*) Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo; quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii tui, quanto magis nunc salvi facti ab ira per eum? Omnis namque spes et totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos et propter nostram salutem. In ipso respiro, et in ipso confisus, ad te pervenire desidero : non habens meam justitiam, sed eam quæ est in Filio tuo Domino nostro Jesu Christo.

[1] Alias, *ut in fine me.*
[2] Codex Mett. et Alcuinus, *idem.*
(*a*) Anselm. Oratio 21.
(*b*) Ex fine lib. de Speculo.
(*c*) Joannis Fiscamnensis pars prima.
(*d*) Verba Alcuini, pag. 135.
(*e*) Hæc et lib. de Speculo, cap. 24.

[1] Codex Mett. non habet, *beata.*
[2] Sic codex Mett. Alias, *sui mali.*
(*a*) Ex parte 2 Confess. Alcuini, nn. 1 et 5.
(*b*) Et hæc lib. 10 Confess. Aug., cap. 43, n. 69.
(*c*) Vide partem 2 Confess. Alcuini, n. 5.

Unde, (*a*) clementissime et benignissime amator hominum Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos; et cum perditi fuissemus culpa nostra, mirabiliter recuperasti nos, gratias ago pietati tuæ, et multas tibi gratias refero ex totis præcordiis meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miseros et indignos mirabili bonitate amare dignatus es, misisti eumdem Unigenitum tuum (*b*) de sinu tuo ad mundum nostrum, salvare nos peccatores tunc filios iræ, filios perditionis. Gratias ago tibi pro sancta incarnatione et nativitate ejus, et pro gloriosa Genitrice ejus, de qua ipse carnem assumere dignatus est propter nos et propter nostram salutem : ut sicut verus Deus ex Deo, ita verus homo ex homine esset. Gratias tibi ago pro passione et cruce ejus, pro morte et resurrectione ejus, pro ascensione ejus in cœlum, et sede majestatis ejus ad dexteram tuam. Ipse enim quadragesimo die (*c*) post resurrectionem suam videntibus discipulis ascendens super omnes cœlos (*Act.* I, 9), sedensque ad dexteram tuam, Spiritum sanctum secundum promissionem suam in filios adoptionis effudit (*Id.* II, 4). (*d*) Gratias tibi ago pro sacratissima illa effusione pretiosi sanguinis ejus, quo sumus redempti : simul et pro sacro-sancto et vivifico mysterio corporis et sanguinis ejus, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, et unius summæ divinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro hac tua mira et inenarrabili charitate, qua nos indignos sic amasti et salvasti per unicum et dilectum Filium tuum. Sic enim dilexisti mundum, ut Unigenitum tuum dares : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam (*Joan.* III, 16). Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Id.* XVII, 3), per fidem rectam et condigna fidei opera.

CAPUT XV. *Immensa Dei in hominis reparatione charitas. Quod gratiæ rependendæ impares simus. Quanta nobis ob hominem a Deo assumptum fiducia.* O immensa pietas, o inæstimabilis charitas! Ut liberares servum, tradidisti Filium. Deus factus est homo, ut perditus homo de potestate dæmonum erueretur. Quam benignissimus amator hominum Filius tuus Deus noster, cujus piis visceribus non satis visum est, ut se inclinaret factus homo de vera virgine Maria, nisi etiam subiret crucis supplicium effuso sanguine propter nos et nostram salutem. Venit pius Deus, venit pro pietate et bonitate sua, venit quærere et salvum facere quod perierat. Quæsivit ovem perditam; quæsivit, et invenit, et in humeris suis reportavit ad caulas gregis (*Luc.* XV, 4, 5), pius Dominus, et vere multum mitis pastor. O charitas, o pietas! Quis audivit talia? Quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur, quis non collætetur? Propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexisti, misisti Filium tuum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum; ut nos efficeremur justitia tua in ipso (*Rom.* VIII, 3, 4). (*e*) Ipse enim verus est agnus, agnus immaculatus, qui abstulit peccata mundi; qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.

Sed quid tibi retribuere possumus, Deus noster, pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ? quas laudes, quasve gratiarum actiones? Etiamsi illa beatorum Angelorum scientia et potentia nobis foret, nihil tamen dignum tantæ pietati et bonitati tuæ recompensare valeremus. Si certe omnia membra corporis nostri verterentur in linguas, ad rependendum tibi debitas laudes nequaquam sufficeret exiguitas nostra. Supereminet enim omnem scientiam tua inæstimabilis charitas, quam ostendisti nobis indignis pro sola bonitate et pietate tua. Filius namque tuus Dominus noster, non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit (*Hebr.* II, 16), assimilatus nobis per omnia, absque peccato.

Humanam itaque, non angelicam suscipiens naturam, et eam stola sanctæ resurrectionis et immortalitatis glorificans, vexit super omnes cœlos, super omnes choros Angelorum, super Cherubim et Seraphim, collocans ad dexteram tuam. Hanc autem laudant angeli, adorant Dominationes, et omnes Virtutes cœlorum tremunt super se hominem Deum. Hæc nempe est mihi tota spes omnisque fiducia. Est enim in ipso Jesu Christo Domino nostro uniuscujusque nostrum portio, caro et sanguis. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco. Ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Quamvis peccator sim, de hac communione gratiæ non diffido. Et si peccata mea [1] prohibent, substantia mea requirit. Et si delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Dominus, ut obliviscatur hominis, et non meminerit ipsius quem ipse gestat; ut quem mei causa susceperit, ejus non me causa requirat. Mitis certe et valde benignus est Dominus Deus noster, et diligit carnem suam, membra sua, viscera sua, in ipso Deo et Domino nostro Jesu Christo dulcissimo, benignissimo atque clementissimo : in quo jam resurreximus, jam cœlos conscendimus, jam in cœlestibus consedemus. Caro nostra nos diligit : habemus autem prærogativam sanguinis nostri in ipso. Sumus vero membra ejus et caro ejus. Ipse denique est caput nostrum, ex quo totum corpus, sicut scriptum est, *Os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, et, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 23, 24); et, *Nemo unquam carnem suam odio habet, sed fovet et diligit eam. Mysterium hoc magnum est : ego dico, in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 29, 32), ait Apostolus.

CAPUT XVI. *Gratiæ inde aguntur. Quod duplex in Christo natura et una persona. Postulatio ex intuitu hujus mysterii.* (*a*) Gratias itaque tibi ago labiis et corde et omni qua valeo virtute, infinitæ misericordiæ Domine Deus noster, pro omnibus miserationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es per eumdem Filium tuum, Salvatorem et recuperatorem nostrum, qui mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25) : et nunc vivens sine fine sedet ad dexteram tuam, et interpellat pro nobis (*Id.* VIII, 34), et simul tecum miseretur, quia Deus est ex te Patre, coæternus tibi et consubstantialis per omnia, unde potest nos in perpetuum salvare : sed secundum id quod homo est, ex qua parte minor te est, data ei a te omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18) : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est tua (*Philipp.* II, 10, 11), Deus Pater omnipotens. Ipse quidem constitutus est a te judex vivorum et mortuorum : tu vero non judicas quemquam, sed omne judicium tuum dedisti Filio tuo (*Joan.* V, 22), in cujus pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ (*Coloss.* II, 3). Ipse autem testis est et judex; judex et testis (*Jerem.* XXIX, 23), quem nulla peccatrix conscientia effugere poterit : omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV, 13). Ipse sane qui injuste judicatus est, judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in justitia (*Psal.* XCV, 13). Benedico ergo nomem sanctum tuum, et glorifico ex toto corde meo, omnipotens et misericors Domine, pro illa mirabili et inenarrabili conjunctione divini-

(*a*) Ex Confess. Alcuini, parte 1, n. 11.
(*b*) Vid. Alcuin. pag. 155; et lib. de speculo, cap. 15.
(*c*) Ex Præfat. Pentecostes.
(*d*) Ex Confess. Alcuini, parte 1, n. 11.
(*e*) Ex Præfat. Paschalis.

[1] Mettensis Ms. hic et mox, *me*; pro, *mea*.
(*a*) Ex Confess. Alcuini, parte 2, nn. 11, 12.

tatis et humanitatis in unitate personæ ; ut non alter Deus, alter homo esset, sed unus idemque Deus et homo, homo et Deus. Sed licet mirabili dignatione Verbum caro factum sit, neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata est substantiam. Trinitatis mysterio quarta non est addita persona. Unita quippe est, non confusa Verbi Dei hominisque substantia : ut in Deum quod ex nobis susceptum fuerat perveniret, et illud quod nunquam non fuerat, idem quod semper fuerat permaneret. O admirabile mysterium! o inenarrabile commercium ! o mira semperque miranda divinæ propitiationis benignitas ! Servi digni non fuimus, et ecce filii Dei facti sumus ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). Unde hoc nobis, et quid nos ad hæc ?

Sed rogo te, clementissime Pater Deus, per hanc inæstimabilem pietatem, bonitatem et charitatem tuam, ut dignos nos facias multis et magnis promissionibus ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Manda virtuti tuæ, et confirma hoc quod operatus es in nobis (*Psal.* LXVII, 29). Perfice quod cœpisti, ut ad plenam tuæ pietatis gratiam mereamur pervenire. Fac nos per Spiritum sanctum intelligere, et mereri, et debito semper honore venerari hoc magnum pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (I *Tim.* III, 16).

CAPUT XVII. *Quanta Deo debeamus. Quod de ipso ei serviamus. Ex vi collatorum munerum petitio aliorum.* O quantum tibi sumus debitores, Domine Deus noster, tanto redempti pretio, tanto salvati dono, et tam glorioso adjuti beneficio ! Quantum a nobis miseris timendus est et amandus, benedicendus et laudandus, honorandus et glorificandus, qui nos sic amasti, sic salvasti, sic sanctificasti, sic sublimasti ! Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod sapimus, omne quod vivimus. Et quis habet quidquam non tuum? Tu, Domine Deus noster, a quo bona cuncta procedunt, propter te et nomen sanctum tuum da nobis de bonis tuis, ut de donis ac datis tuis serviamus tibi, et in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ : non enim aliunde possumus tibi servire neque placere, nisi de tuo munere. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a* te *Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacobi* I, 17).

Domine Deus noster, Deus pie, Deus bone, Deus omnipotens, (*a*) Deus ineffabilis et incircumscriptæ naturæ, institutor omnium rerum, et Domini nostri Jesu Christi Pater, qui eumdem dilectum Filium tuum Dominum nostrum dulcissimum misisti de sinu tuo ad publicum nostrum suscipere vitam nostram, ut nobis donaret suam, essetque perfectus Deus ex te Patre, et perfectus homo ex matre, totus Deus et totus homo, unus idemque Christus, æternus et temporalis, immortalis et moriturus, creator et creatus, fortis et infirmus, victor et victus [1], nutritor et nutritus, pastor et ovis, temporaliter mortuus et tecum vivens in æternum : suis dilectoribus vitæ municipatum promittens dedit, et nobis dixit, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XV, 16). Per ipsum summum sacerdotem et verum pontificem et bonum pastorem, qui se tibi obtulit in sacrificium, ponens animam suam pro grege suo, te rogo : per ipsum qui sedet ad dexteram tuam et interpellat pro nobis, Redemptorem et advocatum nostrum, pietati et bonitati tuæ supplico, clementissime et amantissime et benignissime amator hominum Deus, (*b*) ut des mihi cum eodem Filio tuo et sancto tuo Spiritu te in omnibus benedicere et glorificare, cum multa cordis contritione et lacrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore : quia quorum una est substantia, unum est et donum. Sed quoniam *corpus quod corrumpitur aggravat animam* (*Sap.* IX, 15), excita, quæso, torporem meum tuis stimulis, et fac me strenue perseverare in præceptis et laudibus tuis die ac nocte. Tribue ut concaleat cor meum intra me, et in meditatione mea exardescat ignis (*Psal.* XXXVIII, 4). (*a*) Et quia ipse tuus unice natus dixit, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; et, *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* VI, 44 ; XIV, 6) : obsecro et suppliciter rogo, trahe me tu semper ad ipsum, et ipse me tandem perducat ad te illuc, ubi ille est in dextera tua sedens ; ubi sempiterna est vita et sempiterne beata ; ubi est amor perfectus, et nullus timor ; ubi est dies æternus, et unus omnium spiritus ; ubi est summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata tui sine fine visio atque laudatio : ubi tu cum illo, et ille tecum in communione sancti Spiritus æternaliter ac sempiternaliter vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XVIII. *Precatio ad Christum. Quid ipse sit nobis. Necessitas ei per amorem adhærendi. Amor Christi domus Dei recordatione accenditur.*

(*b*) Spes mea Christe Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, salus, pax et decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluisti ferre salute,
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortemque, sepulcrum,
Post tres inde dies devicta morte resurgens,
Discipulis visus, nutantia corda reformans,
Luce quater dena cœlorum summa petisti :
Vivis in æternum, nunc et per sæcula regnans.

(*c*) Tu Deus meus vivus et verus, pater meus sanctus, Dominus meus pius, rex meus magnus, pastor meus bonus, magister meus unus, adjutor meus opportunus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus ; sacerdos meus in æternum, dux meus ad patriam, lux mea vera, dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea præclara, simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tuta, portio mea bona, salus mea sempiterna, misericordia mea magna, patientia mea robustissima, victima mea immaculata, redemptio mea sancta, spes mea futura [1] charitas mea perfecta, resurrectio mea sancta, vita mea æterna, exsultatio et visio mea beatissima sine fine mansura. Te deprecor, supplico et rogo, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam, qui es via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6), sine qua nemo venit ad Patrem : te enim desidero dulcissimum et pulcherrimum Dominum.

O splendor paternæ gloriæ, qui sedes super Cherubim, et intueris abyssum, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quod desiderant Angeli prospicere (I *Petr.* I, 12) ; ecce cor meum coram te, discute tenebras ejus, ut amoris tui claritate plenius perfundatur. (*d*) Da mihi te, Deus meus, redde mihi te : en amo te, et si parum est, amem validius. Non possum metiri ut sciam quantum desit mihi amoris tui ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia mala mihi est præter te, Domine, non solum extra me, sed in me ipso, et omnis copia quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Bonum namque, quod neque in melius, neque in deterius commutari potest, tu solus es ; quia solus simpliciter es : cui non est aliud vivere, et aliud

[1] Nec Ms. Mett. nec Alcuinus habent, *victor et victus.*
(*a*) Verba Confess. Alcuin. part. 2, n. 6 ; et part. 4, n. 12 ; necnon Alcuini pag. 155, e.
(*b*) Ex Alcuin. Confess. parte 2, n. 7.

[1] Alias, *firma.*
(*a*) Alcuinus, pag. 154, d. ; et Confess. part. 2, n. 10.
(*b*) Joannis Fiscamn. pars 2.
(*c*) Alcuinus, pag. 295, b. ; 158, d.
(*d*) Augustin. lib. 13 Confess., capp. 8, 5, 9.

beate vivere, quia tua beatitudo tu es. Creatura vero tua, cui est aliud vivere, et aliud beate vivere, omne quod vivit, et quod beate vivit, non debet nisi gratiæ tuæ. Et ideo nos egemus te, non tu nobis : quia si omnino non essemus, nihil tibi deesset ad bonum quod tu es. Tibi itaque Domino nostro semper adhærere necesse habemus, ut per continuum auxilium gratiæ tuæ sancte et pie et recte vivere valeamus. Pondere siquidem fragilitatis nostræ deorsum trahimur ; dono autem tuo accendimur, et sursum ferimur ; inardescimus, et imus ; ascendimus ascensiones in corde, et cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus, et imus. Quo jam sursum [1] imus? Ad pacem Jerusalem : quoniam *jucundatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1). Illic collocavit nos voluntas bona, ut nihil velimus aliud quam permanere illic in æternum.

Sed quia dum sumus in corpore, peregrinamur a te (II *Cor.* V, 6), quoniam non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14), noster autem municipatus in cœlis est : ideo duce gratia tua (*a*) ingredior in cubile cordis mei, et canto tibi amatoria, rex meus et Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus in loco peregrinationis meæ (*Psal.* CXVIII, 54), ubi cantabiles factæ sunt mihi justificationes tuæ. Et recordans Jerusalem, extento in eam sursum corde, Jerusalem patriam meam, Jerusalem matrem meam, teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, pastorem, castas et fortes delicias, solidum gaudium, et omnia bona ineffabilia, simul omnia, quia unum summum et verum bonum : et non avertar, donec in ejus pacem matris charissimæ, ubi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum quod sum a dispersione et deformitate hac, et conformes atque confirmes in æternum, Deus meus misericordia mea.

CAPUT XIX. *Domus Dei creata sapientia. Ejus ab increata distinctio. In ea quomodo non tempus. Ipsa quomodo cœlum cœli. Dei æternitas.* (*b*) Hæc est domus tua, Deus, non terrena, neque ulla cœlesti mole corporea, sed spiritualis et particeps æternitatis tuæ, quia sine labe manet in æternum. Statuisti eam in sæculum sæculi, præceptum posuisti, et non præteribit (*Psal.* CXLVIII, 6). Non tamen tibi Deo coæterna, quia non sine initio ; facta est enim. Prior quippe omnium creata est sapientia (*Eccli.* I, 4) ; non utique tu illa Sapientia Patri Deo plane coæterna et æqualis, per quam creata sunt omnia, et in quo Principio factum est cœlum et terra (*Gen.* I, 1) ; sed profecto sapientia quæ creata est, spiritualis natura scilicet, quæ contemplatione luminis lumen est ; dicitur enim et ipsa, quamvis creata, sapientia. Sed quantum distat inter lumen illuminans, et lumen quod illuminatur, tantum differt inter te summam sapientiam quæ creas, et istam quæ creata est ; sicut inter justitiam justificantem, quæ tu, Deus noster, es, et justitiam quæ justificatione facta est. Nam et nos sumus dicti justitia Dei Patris in te Filio ejus Domino nostro (II *Cor.* V, 21), testante Apostolo. Ergo quia prior omnium creata est quædam sapientia quæ creata est (*Eccli.* I, 4), mens rationalis et intellectualis, castæ civitatis tuæ, matris nostræ, quæ sursum est, et libera est (*Galat.* IV, 26) et æterna in cœlis (quibus cœlis, nisi qui te laudant cœli cœlorum? quia hoc est et cœlum cœli Domino) (*Psal.* CXIII, 16), etsi non invenimus tempus ante illam, quæ creaturam temporis antecedit, quia prior omnium creata est ; ante illam tamen es tu Deus æternus, creator omnium, a quo facta sumpsit exordium, quamvis non temporis, quia nondum erat tempus, ipsius tamen conditionis suæ. Unde ita est abs te Deo nostro, ut aliud sit plane quam tu. Licet nec ante illam, nec in illa inveniamus tempus (est enim idonea faciem tuam semper videre, nec uspiam deflectitur ab ea ; quo fit ut nulla mutatione varietur) : inest tamen ei ipsa mutabilitas, qua tenebresceret et frigesceret, nisi amore grandi cohærens tibi tanquam semper meridies [1] luceret et ferveret ex te. Denique tam casto amore cohæret tibi Deo vero et vere æterno, ut quamvis tibi non sit coæterna, in nullius tamen temporis varietates et vicissitudines a te se resolvat et defluat, sed in tui solius verissima contemplatione requiescat. Quoniam tu, Deus, diligenti te quantum præcipis, ostendis te, et sufficit ei. Unde non declinat a te, nec a se : sed semper in eodem statu manet, te indesinenter videndo, te indeficienter amando, verum lumen et castum amorem.

O beata ista sublimis creatura creaturarum maxima, (*a*) beata inhærendo semper beatitudini tuæ ! Felix hæc et nimium felix te sempiterno inhabitatore atque illustratore suo. Nec invenio quid libentius appellandum existimem, cœlum cœli Domino, quam domum tuam contemplantem delectationem tuam, sine defectu [2] egrediendi in aliud ; mentem puram, concordissime unam, stabilimentum pacis beatorum spirituum, in cœlestibus super ista cœlestia.

Unde intelligat anima cujus peregrinatio longinqua facta est, si jam sitit tibi, si jam factæ sunt ei lacrymæ suæ panis (*Psal.* XLI, 4), si jam petit unam, et hanc requirit, ut inhabitet in domo tua per omnes dies vitæ suæ (*Psal.* XXVI, 4). (Et quæ vita ejus nisi tu? et qui dies tui, nisi æternitas tua, sicut anni tui qui non deficiunt? (*Psal.* CI, 28) ?) hinc ergo intelligat anima quæ potest quam longe super omnia tempora sis æternus, quando domus tua, quæ peregrinata non est, quamvis tibi non sit coæterna, indesinenter tamen et indeficienter cohærendo tibi, nullam temporum patitur varietatem : teque semper perseverantissima castitate hauriens, mutabilitatem [3] suam nusquam et nunquam exserit, et te sibi præsente, ad quem toto affectu se tenet, non habens futurum quod exspectet, nec in præteritum trajiciens quod meminerit, per nullas vices variatur, et in nulla tempora extenditur.

CAPUT XX. *Aspiratio ad domum Dei : et ut ipsa oret pro nobis.* (*b*) O domus luminosa et speciosa, dilexi decorem tuum, et locum habitationis gloriæ Domini mei fabricatoris et possessoris tui. Tibi suspiret peregrinatio mea, nocte ac die tibi inhiet cor meum, tibi intendat mens mea, ad societatem beatitudinis tuæ pervenire desideret anima mea. Dico ei qui fecit te, ut possideat me in te, quia ipse fecit et me. Imo tu dic, tu roga ut dignum me faciat participatione gloriæ tuæ. Sanctam enim societatem tuam, et mirabilem pulchritudinem tuam non per meritum requiro, sed per sanguinem ejus quo redemptus sum, adipisci non despero : tantum adjuvent me merita tua, subveniant pravitati meæ sanctæ et piissimæ et purissimæ orationes tuæ, quæ inefficaces apud Deum nullatenus esse possunt. Erravi, fateor, sicut ovis perdita (*Psal.* CXVIII, 176), et incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX, 5) : atque procul projectus sum a facie Domini Dei mei in hanc exsilii cæcitatem. Ubi expulsus a paradisi gaudiis deploro quotidie mecum super miserias captivitatis meæ lugubre carmen ingentesque lamentationes, dum recordor tui, mater Jerusalem, dum statui pedes meos in atriis tuis, sancta et decora Sion, necdum in interiora tua conspicere in propatulo valens : sed in humeris pastoris mei, structoris tui, spero me reportari tibi, ut tripudiem in te cum illo inenarrabili gaudio, quo lætantur illi qui tecum sunt coram ipso

[1] Sic Ms. Forte, ut apud Aug., *quoniam sursum*.
(*a*) Augustin. lib. 12 Confess., cap. 16.
(*b*) Ibid. cap. 15, nn. 19-21.

[1] Sic August. et Ms. Mell. At editi, *super meridiem*.
[2] In editis erroneum erat glossema, *et absque affectu*.
[3] Aliqui, *mutabilitatem suam nusquam*, [illegible] *ei te*.
(*a*) Augustin. lib. 12 Confess., cap. 11, nn. 12, 13.
(*b*) Ex eod. lib. 12, cap. 15, n. 21.

Deo et Salvatore nostro, qui solvit inimicitias in carne sua, et pacificavit omnia quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, sanguine suo. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14) : qui duos ex adverso venientes conjungens in se, beatitudinis tuæ permanentem felicitatem pari modo et eadem mensura se nobis daturam promisit, dicens, *Erunt æquales Angelis Dei in cœlis* (*Matth.* XXII, 30). O Jerusalem domus Dei æterna, post Christi dilectionem [1] tu esto lætitia et consolatio nostra : dulcis memoria tui beati nominis sit relevatio mœroris tædiorumque nostrorum.

CAPUT XXI. *Vitæ hujus miseriæ et fastidium.* Tædet enim me, Domine, valde vitæ hujus, et istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseriis et erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors, in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus diversis generibus mortuum. Numquid quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam? (*a*) quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aera morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ inflant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit. Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miserrimæ vitæ ita finem imponit, ut cum esse desierint, non fuisse putentur. Mors ista vitalis, et vita mortalis, licet his aliisque sit respersa amaritudinibus, proh dolor, quamplurimos suis capit illecebris, et quantos suis falsis promissionibus decipit! Et cum ita per se sit falsa et amara, ut etiam suos cæcos amatores latere non valeat : tamen infinitam stultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, potat et prorsus inebriat. Felices illi, et ipsi rari, qui familiaritatem ejus refugiunt, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt, ne cum pereunte deceptrice quandoque perire cogantur.

CAPUT XXII. *Vitæ æternæ felicitas ejusque desiderium.* O tu, vita quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine corruptione, sine dolore, sine anxietate, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius et impugnans, ubi nulla peccati illecebra, (*b*) ubi est amor perfectus, et nullus timor, ubi est dies æternus, et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur! Libet mihi tuæ intendere claritati, delectat me bona tua avido corde, quantum plus valeo mecum considerare. Tuo enim amore langueo, tuo vehementer desiderio flagro, tuaque dulci memoria admodum delector. Libet itaque, libet cordis in te oculos attollere, statum mentis erigere, affectum animi conformare. Libet sane de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine et gloria quotidie legere, et lecta sæpius sub corde revolvere : ut vel sic possim ab hujus mortalis et perituræ vitæ ardoribus, periculis et sudoribus sub tuæ vitalis auræ dulcere frigerium transire, et transiens in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululum reclinare. Hujus rei gratia Scripturarum sanctarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono : ut tali modo tua dulcedine degustata, minus istius miserrimæ vitæ amaritudines sentiam. O tu, vita felicissima, o regnum vere beatum (*c*), carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum; ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles ille hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion,

Nobile perpetua caput amplectente corona.

Utinam concessa mihi peccatorum venia, mox que hac carnis sarcina deposita, in quietem, ultimus in tua gaudia veram requiem habiturus intrarem, et in tuæ civitatis præclara atque speciosa mœnia, coronam vitæ de manu Domini accepturus ingrederer, ut in illis sanctissimis choris interessem, ut cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assisterem, ut præsentem Christi vultum cernerem, ut illud summum et ineffabile et incircumscriptum lumen semper aspicerem, sicque nullo metu mortis affici, sed de incorruptionis perpetuæ munere lætari [1] possem sine fine!

CAPUT XXIII. *Sanctorum hinc migrantium felicitas.* Felix anima quæ terreno resoluta carcere libera cœlum petit! Secura est et tranquilla, non timet hostem neque mortem; habet enim semper præsentem, cernitque indesinenter pulcherrimum Dominum cui servivit, quem dilexit, et ad quem tandem læta et gloriosa pervenit. Hanc vero tantæ beatitudinis gloriam nulla dies minuet, nullus impetus poterit auferre. *Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ laudaverunt eam* (*Cant.* VI, 8), dicentes, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum* (*Id.* VIII, 5)? *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Id.* VI, 9)? Quam læta exit, festina currit, [2] cum dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit : *Surge, amica mea* [3], *speciosa mea, et veni : jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, tempus putationis advenit. Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, florentes vineæ dederunt odorem. Surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora* (*Id.* II, 10-14). Veni, electa mea, speciosa mea, columba mea, immaculata mea, sponsa mea : veni, et ponam in te thronum meum, quia concupivi speciem tuam. Veni ut læteris in conspectu meo cum Angelis meis, quorum societas tibi a me repromissa est. Veni post multa pericula et labores, intra in gaudium Domini tui, quod nemo tollet a te.

CAPUT XXIV. *Sanctorum invocatio.* (*b*) Felices sancti Dei omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus, et pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis et pacis : securi et tranquilli, semperque festivi atque gaudentes estis.

Obsecro vos per matrem charitatem, securi estis de vobis, solliciti estote de nobis : securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis, estote jugiter memores nostri; subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam surrexistis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longe inferius jacens. Date manum, et erigite jacentes super pedes : ut convalescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite atque orate constanter atque indesinenter pro nobis miseris multumque negligentibus peccatoribus, ut per vestras

[1] Hæc, *post Christi dilectionem*, desunt in Mss.
(*a*) Ex lib. de speculo, cap. 30.
(*b*) Alcuinus, pag. 154, d.
(*c*) Ex lib. de Speculo, cap. 30.

[1] Ms. Mett., *de incorruptione perpetuæ gloriæ lætari.*
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *festinat, currit.* M.
[3] Er. Lugd. Ven. et Lov., *surge, propera, amica mea.* M.
(*a*) Ex Gregorii hom. 37 in Evangelium.
(*b*) Ex lib. de Speculo, cap. 29.

orationes vestro sancto consortio conjungamur : quia aliter salvi esse non possumus. Sumus namque valde fragiles et nullius virtutis homunciones : animalia ventris et carnis mancipia, in quibus vix aliquod probitatis vestigium apparet. Et tamen sub Christi confessione positi, ligno crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum et spatiosum ubi sunt reptilia quorum non est numerus, ubi sunt animalia pusilla cum magnis (*Psal.* CV, 25), ubi est draco sævissimus, semper paratus ad devorandum, ubi sunt loca periculosa Scylla et Charibdis, et alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, et in fide dubii. Orate Deum, orate piissimi, orate, omnia agmina sanctorum et universi cœtus beatorum, ut vestris precibus meritisque adjuti, (*a*) salva nave et integris mercibus pervenire mereamur ad portum perpetuæ quietis, continuæ pacis, et nunquam finiendæ securitatis.

CAPUT XXV. *Cœli ardens desiderium. Cœli gloria et gaudia.* Mater Jerusalem, civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. Quam decora, quam gloriosa, quam generosa tu es! Tota pulchra es, et macula non est in te. Exsulta et lætare, formosa principis filia, quia concupivit rex speciem tuam, et amavit decorem tuum speciosus forma præ filiis hominum. Sed qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima? Dilectus tuus [1] candidus et rubicundus, electus ex millibus (*Cant.* V, 9, 10). Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus tuus inter filios. Sub umbra illius quem desideravi, ecce lætus sedeo : et fructus ejus dulcis gutturi meo (*Id.* II, 3). Dilectus tuus misit manum per foramen, et venter meus intremuit a tactu ejus (*Id.* V, 4). In lectulo meo per noctem quæsivi dilectum tuum [2], quæsivi, et inveni eum (*Id.* III, 1) : teneo, nec dimittam eum, donec introducat me in domum tuam, et in cubiculum tuum [3], gloriosa genitrix mea. Ibi enim dabis mihi dulcissima ubera tua (*Id.* VII, 12) abundantius et perfectius, et saturabis me satietate mirifica, ita ut nec esuriam, neque sitiam in æternum. Felix anima mea, semperque in sæcula felix, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam, portas et muros tuos, plateas tuas, mansiones tuas multas, nobilissimos cives tuos, et fortissimum regem tuum Dominum nostrum in decore suo.

Muri namque tui ex lapidibus pretiosis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro purissimo, in quibus jucundum alleluia sine intermissione concinitur. Mansiones tuæ multæ quadris lapidibus fundatæ, sapphyris constructæ, laterculis aureis coopertæ; in quas nullus ingreditur immundus, nullus habitat inquinatus. Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, mater Jerusalem. Nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac misera vita cernimus. Non sunt tenebræ in te, neque nox, aut quælibet diversitas temporum. Non lucet in te lux lucernæ, aut splendor lunæ, vel jubar stellarum ; sed Deus de Deo, lux de luce, sol justitiæ semper illuminat te ; Agnus candidus et immaculatus, lucidus et pulcherrimus, est lumen tuum [4]. Sol tuus, claritas tua et omne bonum tuum, hujus pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio. Ipse Rex regum in medio tui, et pueri ejus in circuitu ejus (*b*). Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum civium. Ibi dulcis solemnitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum providus chorus, ibi judex [5] Apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, ibi sanctorum Confessorum sacer conventus, ibi veri et perfecti monachi, ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi et sexum infirmitatis vicerunt ; ibi pueri et puellæ, quæ annos suos moribus transcenderunt. Ibi sunt omnes oves et agni, qui jam hujus voluptatis laqueos evaserunt. Exsultant omnes in propriis mansionibus. Dispar gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Plena et perfecta ibi regnat charitas ; quia Deus est omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28), quem sine fine vident, et semper videndo in ejus ardent amore. Amant et laudant, laudant et amant. Omne opus eorum, laus Dei, sine defectione, sine labore.

Felix ego, et vere in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni ab illis supernæ patriæ civibus, beatorumque spirituum agminibus. Fortunatus ego nimiumque beatus, si et ego ipse meruero cantare ea, et assistere regi meo, Deo meo, duci meo [1], et cernere eum in gloria sua, sicut ipse polliceri dignatus est dicens, *Pater, volo ut quos dedisti mihi, sint mecum; ut videant claritatem meam quam habui apud te ante constitutionem mundi* (*Joan.* XVII, 24); et alibi, *Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Id.* XII, 26); et iterum, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum* (*Id.* XIV, 21).

CAPUT XXVI. *Rhythmus de gloria paradisi.*

(*a*) Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima,
Gliscit, ambit, eluctatur exsul frui patria,
Dum pressuris ac ærumnis se gemit obnoxiam.
Quam amisit, cum deliquit, contemplatur gloriam
Præsens malum auget boni perditi memoriam.
Nam quis promat, summæ pacis quanta sit lætitia?
Ubi vivis margaritis surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia,
Solis gemmis pretiosis hæc structura nectitur,
Auro mundo, tanquam vitro urbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æstas torrens illic nunquam sæviunt.
Flos purpureus [2] rosarum ver agit perpetuum,
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices, sol, vel cursus siderum :
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum.
Nox et tempus desunt ei, diem fert continuum :
Nam et sancti quique, velut sol præclarus, rutilant,
Post triumphum coronati mutuo conjubilant,
Et prostrati pugnas hostis jam securi numerant.
Omni labe defæcati, carnis bella nesciunt.
Caro facta spiritalis et mens unum sentiunt.
Pace multa perfruentes, scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti, repetunt originem,
Et præsentem veritatis contemplantur speciem :
Hinc vitalem vivi fontis hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper idem existendi [3] capiunt,
Clari, vividi, jucundi, nullis patent casibus.
Absunt morbi semper sanis, senectus juvenibus
Hinc perenne tenent esse ; nam transire transiit.
Inde virent, vigent, florent ; corruptela corruit,
Immortalitatis vigor mortis jus absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt, quid nescire nequeunt [4].
Nam et pectoris arcana penetrant alterutrum,
Unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium.
Licet cuique sit diversum pro labore meritum ;
Charitas hoc suum facit, quod amat in altero [5].
Proprium sic singulorum, commune fit omnium.
Ubi corpus, illuc jure congregantur aquilæ.

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov. hic et paulo post, *Dilectus meus*. M.
[2] Fr. Lugd. Ven. Lov., *quæsivi quem diligit anima mea*. M.
[3] Fr. Lugd. Ven. Lov., *in domum suam et in cubiculum suum*. M.
[4] Fr. Lugd. Ven. Lov. sic exhibent hunc locum : *Agnus candidus et immaculatus, lucidum et pulcherrimum est lumen tuum*. M.
[5] Alias, *dulcedinis pater*.
(*a*) Vel lib. de speculo caput 50.
(*b*) Ita lib. de speculo, cap. 50, post Gregorium.

[1] Ms. Mett., *duci*.
[2] In B., *perpetuus*. Correximus ex auctoritate Petri Damiani, cui hocce debetur hymnus. M.
[3] Alias, *exeuntes*; et mox, *pereant casibus*.
[4] Apud omnes editos, excepta Lov. editione, versus iste interrogationis puncto concluditur ; corrupte. M.
[5] Alias, *dum amat alterum*.
(*a*) Hic hymnus desideratur in Mss. Met. et Regio. Est Petri Damiani, tom. 4, pag. 226.

Quo cum Angelis et sanctæ recreentur animæ[1],
Uno pane vivunt cives utriusque patriæ:
Avidi, et semper pleni, quod habent, desiderant.
Non satietas fastidit, neque fames cruciat,
Inhiantes semper edunt, et edentes inhiant.
Novas semper harmonias, vox meloda concrepat.
Et in jubilum prolata mulcent aures organa,
Digna, per quem sunt victores, regi dant præconia.
Felix cœli quæ præsentem regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta orbis volvi machinam;
Solem, lunam et globosa cum planetis sidera.
Christe, palma bellatorum, hoc in municipium
Introduc me, post solutum militare cingulum;
Fac consortem donativi beatorum civium;
Præbe vires inexhausto laboranti prælio;
Ut quietem post procinctum debeas emerito,
Teque merear potiri sine fine præmio. Amen.

CAPUT XXVII. *Laudes Dei cum beatis celebrare. Beatorum gloria nobis incomprehensibilis. Animæ stupor et perspicacia. Avolare a rebus creatis in Deum. Lux increata.* (*a*) Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedicite Domino, omnia opera ejus; in omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino. Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: cui Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant, Sanctus, sanctus, sanctus. Jungamus voces nostras vocibus sanctorum Angelorum, et communem Dominum laudemus pro modulo nostro. Illi enim laudant Dominum purissime et incessanter[2], quia semper inhærent contemplationi divinæ, non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem.

Sed quis dicere vel cogitare sufficiat, (*b*) qualis sit in conspectu omnipotentis Domini illa beatorum spirituum cœlestiumque Virtutum innumerabilis multitudo, quæ sit in eis sine fine festivitas visionis Dei, quæ lætitia sine defectu, quis amoris ardor, non cruciaus, sed delectans, quod sit in eis desiderium visionis Dei cum satietate, et satietas cum desiderio, in quibus nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parit; quomodo inhærendo summæ beatitudini sint beati; quomodo conjuncti vero lumini facti sunt lux; quomodo semper aspicientes incommutabilem Trinitatem, mutati sunt in incommutabilitatem?

Sed quando illam angelicæ dignitatis celsitudinem comprehendere poterimus, qui nec ipsius animæ nostræ naturam investigare valemus? (*a*) Qualis est ista, quæ carnem vivificare potest; se autem in sanctis cogitationibus, ut volet, constringere non potest? Qualis est ista, tam fortis, tam infirma; tam parva, tam magna, quæ rimatur secreta[3], et cœlestia contemplatur, atque humanis commodis multarum artium peritiam perspicaci ingenio adinvenisse probatur? Qualis ergo ista est, quæ tam multa de cæteris novit, et se qualiter facta sit, prorsus ignorat? Licet enim nonnulla ambigua a quibusdam super ejus origine proferantur, invenimus tamen eam esse quemdam intellectualem spiritum per Creatoris potentiam factum, immortaliter juxta modum suum viventem, mortale corpus quod sustinet vivificantem, mutabilitati subjectum, oblivioni deditum, quem timor sæpe afficit, lætitia extollit. O res mira omnique stupore dignissima! De Deo quidem creatore omnium, qui est incomprehensibilis et ineffabilis, excelsa et mirabilia nimis omni remota ambiguitate legimus, loquimur et scribimus: de angelis autem et animabus quidquid dicimus, non tam evidenter approbare possumus.

Sed transeat ab his animus, et transcendat omne quod creatum est, currat et ascendat, volet et pertranseat, et in eum qui creavit omnia, quantum potest, oculos fidei dirigat. Faciam gradus ascensionis in corde meo, et per ipsam animam meam, ascendam ad Deum meum[1], qui capiti meo desuper manet. Quidquid visibiliter cernitur, quidquid spiritualiter imaginatur, forti manu ab intuitu mentis procul removeatur: solus intellectus purus et simplex, incedens rapido volatu, ad ipsum perveniat Conditorem angelorum et animarum, et omnium rerum. Mens illa beata, quæ ima deserit, summa petit; quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, et de summis rupibus contemplatur solem justitiæ aquilinis obtutibus. Nihil enim tam pulchrum atque jucundum, quam ipsum solum mentis intuitu et cordis aviditate contemplari Deum, et miro modo invisibiliter cernere invisibilem; sicque aliam, non istam gustare dulcedinem, et inspicere aliam, non istam lucem. Lux enim ista, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, et quam communem cum vermiculis et pecoribus habemus, in comparatione illius summæ lucis non est lux dicenda, sed nox.

CAPUT XXVIII. *Hic a nemine conspici valet, et quonam modo cernatur. Excitatio ad laudandum Deum.* Quanquam autem illa summa et incommutabilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux Angelorum a nemine conspici valeat in hac vita, quod solum præmium sanctis reservatur in cœlesti gloria; illud tamen credere et intelligere, et sentire et desideranter inhiare, quodammodo illam cernere est atque tenere.

Sonet itaque vox super Angelos, et homo intenta mente contempletur Deum, verbis quibus potest suas illi dicat laudes. Justum namque est ut creatura laudet Creatorem; ipse enim nos fecit ad laudandum se, quamvis nostris non indigeat laudibus. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipse sibi sufficiens. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus (*Psal.* CXLVI, 5): magnus Dominus, et laudabilis valde (*Psal.* XCV, 4). Hunc itaque mens diligat, lingua canat, manus scribat, atque in his sanctis studiis fidelis animus se totum exerceat. Hujus videlicet cœlestis theoriæ suavissimis dapibus vir desideriorum, et cœlestium contemplator assidue reficiatur: ut hoc cœlesti pabulo saginatus clamet clamore magno, clamet totis medullis cordis, clamet in jubilo, et ardentissimo mentis desiderio dicat:

CAPUT XXIX. *Oratio explicans plurimas Dei perfectiones.* (*a*) Summe, omnipotentissime, misericordissime et justissime, secretissime et præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis es et incomprehensibilis, invisibilis, videns omnia, (*b*) immutabilis, mutans omnia, immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus, inæstimabilis, ineffabilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, investigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorandus atque horrendus, venerandus atque reverendus, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, et in vetustatem perducens superbos et nesciunt, semper agens, semper quietus, colligens et non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans et protegens, nutriens et perficiens, quærens cum nihil desit tibi. Amas nec æstuas, zelas et securus es, pœnitet te et non doles, irasceris et tranquillus es, opera mutas, sed non mutas consilium. Recipis quod invenis, et nunquam amisisti; nunquam inops, et gaudes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis; supererogatur tibi ut debeas, et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Qui solus

[1] In B., *Quo cum Angelis et sanctis recreentur animæ.* Er. Lugd. Ven. et Lov. secuti sumus. M.
[2] Ms. Mett., *inculpabiliter*. Regius, *incessabiliter*.
[3] Editi, *secreta Dei*.
(*a*) Joannis Fiscamn., pars 3.
(*b*) Ex Gregorii Magni homilia 8 in Ezechiel.
(*c*) Ex citato Gregorii loco. Vid. lib. de Spiritu et Anima, cap. 56.

[1] Sic Mss. At editi, *per ipsos ascendam ad animam meam, et per ipsam mentem meam ascendam ad Dominum meum.*
(*a*) Ex libro de Speculo, capp. 3, 5-9.
(*b*) Id., cap. 4.

vivificas omnia, qui creasti omnia, qui ubique es, et ubique totus, qui sentiri potes, videri non potes; qui nusquam dees, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe es; qui nec ibi dees, ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen omnia æqualiter tangis. Quædam enim tangis ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant: quædam vero tangis ut sint et vivant, nec tamen ut sentiant et discernant: quædam vero tangis ut sint, vivant, sentiant, non tamen ut discernant: quædam vero tangis ut sint, vivant, sentiant et discernant. Et cum tibimetipsi nunquam dissimilis sis, dissimiliter tamen tangis dissimilia. Qui ubique præsens es, et inveniri vix potes; quem stantem sequimur, et apprehendere non valemus; qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia. Neque enim ex alia parte sustines, atque ex alia parte superexcedis[1], neque ex alia parte imples, atque ex alia circumplecteris: sed circumplectendo imples, et implendo circumplecteris; sustinendo superexcedis, et superexcedendo sustines. Qui doces corda fidelium sine strepitu verborum. Qui attingis a fine usque ad finem fortiter, et disponis omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris. Neque habes accessus et recessus, sed habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest (I *Tim.* VI, 16). In te manens quietus, ubique circuis totum[2]. Non enim scindi vel dividi poteris, quia vere unus es: nec in partes efficeris, quia totus totum tenes, totum imples, totum illustras et possides. Hujus videlicet mysterii immensam profunditatem mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermonis[3] bibliothecarum volumina queunt explicare. Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vere indicibilis es, nullo modo scribi poteris, neque concludi, qui es fons lucis divinæ, et sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, et ideo immensus; bonus es sine qualitate, et ideo vere et summe bonus; et nemo bonus nisi tu solus, cujus voluntas opus est, cui velle posse est: qui omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti, qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, et sine labore gubernas, et absque tædio regis, et nihil est quod perturbet ordinem imperii tui, vel in summis, vel in imis: qui in omnibus locis sine loco haberis, et omnia contines sine ambitu, et ubique præsens es sine situ et motu: qui nec mali auctor es, quodque facere non potes, qui nihil non potes. Neque unquam te quidquam fecisse pœnituit, nec ullius commotionis animi tempestate turbaris, nec totius terræ particula regnum tuum est[4]. Nulla flagitia vel scelera probas aut imperas. Nunquam mentiris, quia æterna veritas es. Cujus enim bonitate facti sumus, et justitia pœnas luimus, et clementia liberamur. Nam nihil cœleste, nihil igneum, nihil terrenum, nihilque quod corporis sensus attingit, pro te colendum es. Qui vere es quod es, et non mutaris. Cui maxime ac specialiter convenit illud quod Græci dicunt ὤν, Latini Est: quia semper idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 28).

(a) Hæc et alia multa docuit me sancta mater Ecclesia, cujus factus sum membrum per gratiam tuam. Docuit sane te solum et vivum et verum Deum non esse corporeum vel passibilem aut palpabilem: nihilque de substantia tua vel natura ullo modo esse violabile aut commutabile, aut compositum vel fictum[5]. Et ideo certum est corporeis oculis te non posse sentiri: sed nec ab ullo mortalium in propria essentia aliquando potuisse videri. Hinc etenim patenter datur intelligi, quod unde Angeli te intuentur, inde et nos post hanc vitam videbimus. Sed nec ipsi perfecte videre possunt sicuti es: nulli denique alii tota, nisi tibi soli, nota es omnipotens Trinitas.

CAPUT XXX. *De proprietatum prosecutio. De personarum unitate et pluralitate in Deo.* (a) Tu vero, unitas deitatis, personarum pluralitate multiplex, innumerabiliter es innumerabilis; ac idcirco mensurabiliter immensurabilis, et ponderabiliter imponderabilis. Non enim summæ bonitatis, quæ tu ipse es, profitemur originem, ex qua omnia, per quam omnia, in qua omnia: sed ejus participatione dicimus bona omnia. Nam tua divina substantia semper caruit ac caret materia, licet non careat forma, forma scilicet informata, forma formarum, forma formosissima; quam dum imprimis quasi sigillum rebus singulis, eas sine tui augmenti aut tui detrimenti mutabilitate procul dubio a te facis differri. Quidquid autem in natura creaturarum est, creatura tua est, o una Trinitas et trina unitas Deus: cujus omnipotentia omnia possidet, regit et replet quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant, sed ut ipsa potius a te contineantur. Nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque creatura pro magnitudine portionis suæ capiat te, id est, maxima majus, et minima minus, cum sis potius ipse in omnibus, sive omnia in te. Cujus omnipotentia concludit universa, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum, sicut scriptum est: *Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est* (*Psal.* LXXIV, 7, 8); et alibi, *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* (*Psal.* CXXXVIII, 7)? Immensitas divinæ magnitudinis tuæ ista est, ut intelligamus te intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum. (b) Et ideo interior es, ut omnia contineas; et ideo exterior es, ut incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia concludas. Per id ergo quod exterior es, ostenderis esse creator; per id vero quod interior es[1], gubernare omnia demonstraris. Ac ne ea quæ creata sunt sine te essent, tu intra omnia es: verum ne sine te essent, tu exterior es: ut omnia concludantur a te, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, qui ubique præsens es, et omnia tibi præsentia: quamvis quidam hoc intelligant, quidam vero non intelligant.

Inseparabilis ergo naturæ tuæ unitas separabiles non potest habere personas: quia sicut trinitas es in unitate, et unitas in trinitate, sic separationem non potes habere personarum. Nominantur quidem illæ personæ aliquando singulæ: sed ita te voluisti, Deus Trinitas, inseparabilem ostendere in personis, ut nullum tibi nomen sit in qualibet persona, quod ad alium secundum relationis regulam non referatur: sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem et Filium verissime refertur. Ea vero nomina, quæ substantiam, vel potentiam[2], vel essentiam tuam significant, vel quidquid proprie dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conveniunt: ut Deus, magnus, omnipotens, æternus, et omnia quæ naturaliter de te Deo dicuntur. Non est ergo aliquod naturæ nomen, quod sic tibi Deo Patri convenire valeat, ut aut Filio tuo aut Spiritui sancto convenire nequeat. Dicimus te Patrem naturaliter esse Deum, sed naturaliter est Filius Deus, naturaliter est et Spiritus sanctus Deus: non tamen tres dii, sed unus naturaliter Deus, Pater et Filius et Spiritus san-

[1] Editi, superaris.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov. adjiciunt, *ubique præsens totus*. M.
[3] Sic Mss. Mett. et lib. de speculo. Alias, *sermonis nec*, etc.
[4] Sic Mss. et liber de speculo. At editi, *pericula damnum tuum sit*.
[5] Editi, *fictum*.
(a) Ex lib. de speculo, capp. 23, 24.

[1] Ita Mss. et lib. de speculo. At editi, *Per id ergo quod interior es, ostenderis esse creator; per id vero quod exterior es*, etc.
[2] Editi addunt, *vel personam*.
(a) Ex lib. de speculo, cap. 20-22.
(b) Ex eodem lib., cap. 25.

ctus. Idcirco inseparabilis es, sancta Trinitas Deus, in personis sensu intelligenda, quamvis voce separabilia habeas nomina, quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipis, in hoc enim ostenditur personas non posse dividi in sancta Trinitate, quæ unus verus Deus est, quia cujuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si Patrem dico, Filium ostendo : si Filium nomino, Patrem prædico : si Spiritum sanctum appello, alicujus esse spiritum necesse est intelligi, id est, Patris et Filii. Hæc est enim fides vera veniens de sana doctrina : hæc certe est fides catholica et orthodoxa, quam me docuit, in sinu matris Ecclesiæ, Deus, gratia tua.

CAPUT XXXI. *Invocatio ad sanctam Trinitatem.* (*a*) Invocat itaque te, Domine, fides mea, quam dedisti mihi propter bonitatem tuam ad salvationem meam. Fidelis autem anima ex fide vivit, tenet in spe quod videbit in re. Invocat te, Deus meus, casta conscientia, et suavis amor fidei meæ, quam discussis tenebris ad veritatis intelligentiam perduxisti, et quam tulta sæculi amaritudine [1], atque adhibita tuæ dulcedinis charitate, jucundam mihi et mellifluam reddidisti. Invocat te, Trinitas beata, vox clara, et sincerus amor fidei meæ ; quam ab ipsis mihi enutriens cunabulis illuminasti semper per illustrationem gratiæ tuæ, et quam adaugens confirmasti in me per documenta matris Ecclesiæ. Te invoco, o beata et benedicta et gloriosa una Trinitas (*b*), Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus, Dominus, Paracletus; charitas, gratia, communicatio ; genitor, genitus, regenerans ; verum lumen, verum lumen ex lumine, vera illuminatio ; fons, flumen, irrigatio ; ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia ; a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ; vivens vita, vita a vivente, vivificator viventium ; unus a se, unus ab uno, unus ab ambobus ; ὢν a se, ὢν ab altero, ὢν ab utroque ; verax Pater, veritas Filius, veritas Spiritus sanctus. Una ergo Pater, Λόγος, Paracletus essentia, una virtus, una bonitas.

CAPUT XXXII. *Dei cum laude invocatio. Quod Deum laudare deceat.* (*c*) Deus summa et vera beatitudo, a quo, per quem, et in quo beata sunt omnia quæcumque beata sunt. Deus vera et summa vita, a quo, per quem, et in quo vivunt omnia quæcumque vere et beate vivunt; Deus bonum et pulchrum, a quo, per quem, et in quo bona et pulchra sunt omnia, quæcumque bona et pulchra sunt ; Deus cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit ; Deus qui peti te jubes, et inveniri facis, et pulsantibus aperis ; Deus a quo averti cadere est, ad quem converti consurgere est, in quo manere consistere est; Deus quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quærit nisi admonitus, nemo invenit nisi purgatus ; Deus quem nosse vivere est, cui servire regnare est, quem laudare salus et gaudium animæ est : te labiis et corde omnique qua valeo virtute laudo, benedico atque adoro, tuæque clementiæ et bonitati pro universis beneficiis tuis gratias refero, et hymnum gloriæ tuæ cano, Sanctus, sanctus, sanctus. Te invoco, o beata Trinitas, ut venias in me, et templum me facias dignum gloriæ tuæ. (*d*) Rogo Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctum per Patrem et Filium, ut et omnia vitia elongentur a me, et omnes sanctæ virtutes plantentur in me. Deus immense, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, visibilia et invisibilia ; (*e*) qui opera tua extra circumdas, et intra reples, supra tegis, et infra fers ; custodi me opus manuum tuarum in te sperantem, in tua solummodo misericordia confidentem custodi me, quæso, hic et ubique, nunc et semper, intus et foris, ante et retro, supra et infra, et circumcirca, ita ut nullus in me pateat locus insidiis inimicorum. Tu es Deus omnipotens, custos et protector omnium in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, et non est alius præter te, neque in cœlo sursum, neque in terra deorsum, qui facis magna et mirabilia et inscrutabilia, quorum non est numerus.

CAPUT XXXIII. *Laudandi cupidus petit unde digne laudet. In Deum avolat. Angeli quam præstent nobis in Deo laudando. Precatio ardens in jugem Dei laudem.* Te decet laus, te decet hymnus, tibi omnes Angeli, tibi cœli et universæ potestates hymnos dicunt, et laudes indesinenter concinunt, utpote creatori creaturæ, Domino servi, regi milites : te sanctam et individuam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat. Tibi sancti et humiles corde, tibi spiritus et animæ justorum, tibi omnes superni cives et cuncti beatorum spirituum ordines, gloriam et honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te, Domine, illi superni cives magnifice et mirabiliter : (*a*) laudet [1] te homo, magna portio creaturæ tuæ.

Sed et ego peccator homuncio, desiderio magno laudare te cupio, amare te opto amore præcipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo et laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore : ut cor meum meditetur gloriam tuam, et lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv, 9), et quia vir pollutus labiis ego sum (*Isai.* vi, 5) ; munda, obsecro, os meum ab omni inquinamento. Sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius et exterius, et fac me dignum laudibus tuis. Suscipe benigne et acceptabiliter de manu cordis, de mentis amore suscipe sacrificium labiorum meorum, fiat acceptabile in conspectu tuo, et ascendat ad te in odorem suavitatis. Memoria tua sancta, et dulcedo tua beatissima possideat totam animam meam, atque in invisibilium amorem rapiat eam. Transeat de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad cœlestia, de temporalibus ad æterna : pertranseat, et videat visionem mirabilem.

(*b*) O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas, tu es Deus meus : tibi suspiro nocte ac die, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero. Qui novit te, novit veritatem, novit æternitatem. Tu veritas, super omnia præsides : quem videbimus sicuti es (I *Joan.* iii, 2), cum pertransierit hæc vita cæca et mortalis, in qua dicitur nobis, Ubi est Deus tuus ? Et ego dico, Deus meus ubi es [2] ? Respiro in te paululum, cum effundo super me animam meam in voce exsultationis et confessionis soni festivitatem celebrantis : et adhuc tristis est, quia relabitur et fit abyssus, vel quin potius sentit se adhuc esse abyssum. Dicit ei fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes meos, Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Domino, lucerna pedibus meis verbum ejus : spera, et persevera, donec transeat nox mater iniquorum, donec transeat ira Domini, cujus fuimus aliquando filii ; fuimus enim aliquando tenebræ : donec transeant istæ penitus [3], quarum residua adhuc trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, et removeantur [4] umbræ, spera in Domino. Mane astabo, et contemplabor, semperque confitebor ei. Mane astabo, et videbo (*Psal.* v, 5) salutare vultus mei, Deum meum,

[1] Sic codex Mettensis et liber de Speculo, ubi vox, *tulta a tollo*, pro, *ablata*. — Er. Lugd. Ven. Lov., *et quam a stulta sæculi amaritudine eruisti, atque*, etc. M.

(*a*) Ex lib. de Speculo, cap. 1.

(*b*) Ex lib. citato, cap. 30, post Alcuin. in Invocatione S. Trinitatis.

(*c*) Ita et lib. de Speculo, cap. 32, post Augustin. lib. 1 Soliloquiorum, cap. 1.

(*d*) Sic lib. de Speculo, cap. 1.

(*e*) Ex Confess. Alcuini, parte 3, n. 16.

[1] Sic Ms. Mett. At editi, *laudat*.

[2] Ms. Mett. addit : *Ecce ubi es, ecce ubi es, ecce ubi es.*

[3] Sic Ms. Mettensis. Alias, *pertranseat iste impetus aquarum.*

[4] Alias, *inclinentur*.

(*a*) Vid. Augustin. lib. 1 Confess., cap. 1.

(*b*) Aug. lib. 7 Confess., cap. 10 ; lib. 13, capp. 14, 15.

qui vivificabit mortalia corpora nostra propter spiritum qui habitat in nobis (*Rom.* VIII, 11) : ut jam simus lux, dum adhuc spe salvi facti sumus, et filii lucis, et filii diei, non noctis neque tenebrarum (I *Thess.* V, 5). Fuimus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in te, Deus noster (*Ephes.* V, 8) : et tamen adhuc per fidem, necdum per speciem. Spes quæ videtur, non est spes (*Rom.* VIII, 24).

Laudent te, Domine, illi populi Angelorum tuorum immortales, et glorificent nomen tuum supercœlestes Virtutes, quæ non habent opus legere hanc scripturam nostram, et cognoscere te sanctam et individuam Trinitatem. Vident enim faciem tuam semper, et ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, et diligunt. Semper legunt, et nunquam præterit quod legunt. Eligendo et diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber eorum; quia tu ipse illis hoc es, et eris in æternum. O beatæ nimium illæ cœlorum Virtutes, quæ laudare te possunt sancte et purissime cum nimia dulcedine et ineffabili exsultatione! Inde laudant, unde gaudent, quia semper vident unde gaudere valeant et laudare. Nos vero mole carnis pressi, et procul a vultu tuo in hac peregrinatione positi, atque per mundanas varietates distenti, digne laudare nequimus : per fidem enim ambulamus, necdum per speciem [1] : illi vero angelici spiritus per speciem, non per fidem. Hæc enim causa [2] facit, ut multo aliter laudemus quam illi. Sed licet diversis modis laudes dicamus : tu tamen unus es Deus creator omnium, cui sacrificium laudis in cœlo et in terra offertur. Perventuri tamen sumus misericordia tua ad eorum consortium, cum quibus te semper videbimus, et sine fine laudabimus.

Tribue, Domine, ut donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea : et omnia ossa mea dicant, Domine, quis similis tui? Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis, et unum in substantia deitatis colimus et adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, de utroque procedentem et in utroque permanentem Spiritum sanctum, sanctam et individuam Trinitatem, unum Deum omnipotentem : (*a*) qui, cum non essemus, potenter fecisti nos; et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bonitate tua mirabiliter recuperasti nos. Ne sinas nos esse, obsecro, ingratos tantis beneficiis, et indignos tam multis miserationibus. Te deprecor, supplico et rogo, auge fidem, auge spem, auge charitatem. Fac nos per gratiam tuam semper et in fide stabiles, et in opere efficaces; ut per fidem rectam et condigna fidei opera ad vitam te miserante perveniamus æternam : ut ibi videntes gloriam tuam sicuti est, adoremus majestatem tuam, et dicamus pariter quos dignos feceris videre immensam pulchritudinem tuam, (*b*) Gloria Patri qui fecit nos, gloria Filio qui redemit nos, gloria Spiritui sancto qui sanctificavit nos, gloria summæ et individuæ Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt, cujus imperium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis gloria. Tibi benedictio et claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XXXIV. *Humilis confessio peccatoris et indigni laudatoris.* (*c*) Ignosce, Domine, ignosce pie, ignosce et miserere : parce ignorantiæ meæ, et multæ imperfectioni meæ. Noli me tanquam temerarium reprobare, quod audeo servus, utinam vel bonus, et non etiam inutilis et malus, et ideo malus et valde malus, quia te omnipotentem Deum nostrum, terribilem et nimis metuendum sine cordis contritione, et lacrymarum fonte, sine debita reverentia et tremore laudo, benedico, atque adoro. Si enim Angeli te adorantes et laudantes, mira exsultatione repleti tremunt; ego peccator, dum tibi assisto, laudes dico, sacrificium offero, cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo : et quia nequeo quod desidero, mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno. Sed quis hoc sine ope gratiæ tuæ? Universa enim salus nostra, magna misericordia tua. Miserum me! quomodo sic insensata facta est anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, et suas illi laudes decantat? Miserum me! quomodo sic induruit cor meum, ut oculi mei indesinenter non producant flumina lacrymarum, dum servus sermocinatur coram Domino suo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus est ex limo (*Gen.* II, 7) cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce, Domine, pono me ante te, et quid in secretis de me sentio, paternis [1] auribus non taceo. Tu dives in misericordia, et largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis serviam tibi : non enim aliunde possumus tibi servire neque placere, nisi de tuo munere. Confige, quæso, timore tuo carnes meas : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Utinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum* (*Job* XXXI, 23). Dator omnium bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lacrymarum simul cum cordis puritate et mentis jubilatione : ut perfecte te diligens, et digne te laudans, ipso cordis palato sentiam, gustem, et sapiam quam dulcis es, Domine, sicut scriptum est, *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo* (*Psal.* XXXIII, 9). *Beatus populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII, 16). *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit* (*Psal.* LXXXIII, 6, 7). *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5).

CAPUT XXXV. *Preces amore Jesu ferventes. Amorum duorum indoles* (*a*). Jesu nostra redemptio, amor et desiderium, Deus de Deo, adesto mihi famulo tuo. Te invoco ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Te invoco, in animam meam; intra in eam, et coapta eam tibi, ut possideas eam sine macula et sine ruga. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum quod fecisti, de malitia evacua, imple de gratia, et plenum conserva : ita ut dignissimum habitationis tuæ efficiar templum hic et in perpetuum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desiderantissime, amabilissime [2], pulcherrime : tu melle dulcior, lacte et nive candidior, nectare suavior, gemmis et auro pretiosior, cunctisque terrarum divitiis et honoribus mihi charior. Quid dico, Deus meus, una spes mea, prægrandis misericordia mea? Quid dico, dulcedo mea non fallax, dulcedo felix et secura? Quid dico dum talia dico? Dico quod valeo, sed non dico quod debeo (*b*). Utinam possem talia, qualia illi hymnidici Angelorum chori! O quam libenter me in tuis laudibus totum effunderem! O quam devotissime illa cœlestis melodiæ cantica ad laudem et gloriam nominis tui in medio Ecclesiæ infatigabilis perorarem! Sed quia talia non possum, numquid tacebo? Væ tacentibus de te qui ora mutorum resolvis, et linguas infantium facis disertas! Væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cum tuas dicunt laudes!

Quis digne te laudare potest, ineffabilis virtus et sapientia Patris? Et quoniam nulla invenio verba, quibus te sufficienter valeam explicare, cunctipotens

[1] Edit., *Laudamus tamen per fidem non per speciem.*
[2] Edit., *hæc enim causa.*
(*a*) Ex Meditat. ..., p. 1, n. 11-15.
(*b*) Est apud Anselm. Or. 1.
(*c*) Caput istud abest a Ms. Reg., nec est in hoc ordine in cod. Mett., est vero Anselmi Oratio 5.

[1] Ms. Mett., *fraternis.*
[2] Ms. Mett. hic et infra, *amabilime.*
(*a*) Joan. Fiscamn., pars 4, et apud Anselm. Or. 17.
(*b*) Ex lib. de speculo, cap. 35.

et omniscium Verbum; dicam interim quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possim dicere quod te decet, et me oportet. Et ideo suppliciter rogo, ne respicias tantum ad id quod modo dico, quantum ad id quod dicere opto. Cupio enim desiderio magno de te eloqui quod oportet et decet : quia te decet laus, et hymnus, tibique debetur omnis honor. Scis ergo, occultorum cognitor Deus, quod non solum terra et omnibus quæ in ea sunt tu mihi charior es, sed etiam ipso cœlo et omnibus quæ in eo sunt tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es : diligo enim te supra cœlum et terram, et cætera omnia quæ in eis sunt, imo nisi[1] amore nominis tui quæ transitoria sunt procul dubio amanda non sunt. Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare cupio. Da mihi ut amem te semper quantum volo, quantum debeo : ut tu solus sis tota intentio et omnis meditatio mea ; te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum confabuletur mens mea, lumine sanctæ visionis[2] tuæ illustretur cor meum : ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 8), nunc quidem per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ubi cognoscam te sicut et cognitus sum (I *Cor.* XIII, 12). Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5).

Rogo itaque te, Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus (*a*), mollifica cor meum durum et lapideum, saxeum et ferreum, tua sacratissima et potenti unctione : et fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam vivam fieri. Fac me in tuo conspectu cor contritum et humiliatum semper habere, cum lacrymarum abundantia (*b*). Fac me ex tuo desiderio huic mundo funditus exstingui, et transeuntium rerum oblivisci præ magnitudine timoris et amoris tui ; usque adeo ut (*c*) de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam ; nec metuam aliquid temporale, nec diligam ; nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar. Et quia tua plena valida est ut mors dilectio, absorbeat, quæso, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita et mellitua vis amoris tui : ut tibi soli inhæream, solaque tuæ suavitatis memoria pascar. Descendat, Domine, descendat, precor, descendat in cor meum odor tuus suavissimus : ingrediatur amor tuus mellifluus. Veniat mihi tui saporis mira et ineffabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias, et ex corde meo producat venas salientis aquæ in vitam æternam. Immensus es, Domine; et sine mensura debes amari et laudari ab his quos tuo pretioso sanguine redemisti, amator hominum benignissime.

Clementissime Domine, et æquissime judex, cui omne judicium dedit Pater (*Joan.* v, 22), sapientissimo æquitatis tuæ decernis imperio[3] hoc rectum et justum esse, ut filii hujus sæculi, noctis scilicet et tenebrarum, præstantiori desiderio, virtute atque studio diligant et quærant perituras divitias et fugitivos honores, quam nos servi tui diligamus te, Deus noster, per quem facti et redempti sumus. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse ; si sponsa sponso tanto mentis conglutinatur ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens : qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore anima quam desponsasti tibi in justitia et fide, in misericordia et miserationibus, debet diligere te Deum verum et pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti et salvasti, qui pro nobis tanta et talia fecisti ?

Quanquam autem hæc infima habeant suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu, Deus noster. In te enim delectatur justus, quia amor tuus suavis est et quietus ; nam pectora quæ possidet, dulcedine et suavitate et tranquillitate replet. E contra amor sæculi et carnis anxius est et perturbatus, animas certe quas ingreditur, quietas esse non patitur : semper enim suspicionibus et perturbationibus variisque[1] timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, et merito, quies enim valida est apud te et imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui : et non timebit amplius, sed habebit se optime in optimo[2], dicens : *Hæc requies mea in sæculum sæculi ; hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI, 14) : et illud, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* XXII, 1, 2).

Dulcis Christe, bone Jesu, reple, quæso, semper cor meum tua inexstinguibili dilectione, tua continua recordatione : adeo ut sicut flamma urens totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem et aquæ multæ in me nunquam possint exstinguere. Fac me, dulcissime Domine, amare te[3], et desiderio tuo deponere pondus omnium carnalium desideriorum, et terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant et aggravant miseram animam meam[4] : ut post te expeditus in odore unguentorum tuorum currens, usque ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter satiandus, quantocius te quoque duce merear pervenire. Duo enim amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul capiunt in uno pectore. Et ideo si quis præter te diligit aliud, non est charitas tua, Deus, in eo. Amor dulcedinis, et dulcedo amoris; amor non crucians, sed delectans, amor sincere et caste, permanens in sæculum sæculi; (*a*) amor qui semper ardes et nunquam exstingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, suavitate et delectatione tua, jucunditate et exsultatione tua, voluptate et concupiscentia tua, quæ sancta est et bona, casta est et munda, tranquilla est et secura : ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ succensus, diligam te Dominum meum ex toto corde meo, totis medullis præcordiorum meorum ; habens te in corde et in ore, et præ oculis meis semper et ubique, ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Audi, Deus meus, audi, lumen oculorum meorum, audi quæ et peto, et da quæ petam ut audias. Pie et exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea ; sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, et da mihi effectum petitionis et desiderii mei, intercedente et orante et impetrante gloriosa genitrice tua, domina mea, cum omnibus sanctis. Amen.

CAPUT XXXVI. *Preces ad Christum præ desiderio charitatis et lacrymarum. Lacrymæ amoris indices. Ad lacrymas anima quærens Deum excitatur exemplo Annæ. Excitatur et exemplo Magdalenæ. Lacrymarum jugis gratia exoratur.* (*b*) Christe Domine Verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, rogo te per indulgentissima misericordiæ tuæ viscera (*c*), emenda vitam meam, meliora actus, compone mores, tolle de me quod mihi nocet et tibi displicet : da quod nosti tibi placere, et mihi prodesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis, qui justificas impios, et vivificas

[1] Abest vox, *nisi*, a Mss.
[2] Ms. Mettensis, *visitationis.*
[3] Alias, *judicio discernis.*
(*a*) Alcuin. Conf., part. 2, n. 4.
(*b*) Alcuin. col. 133, b.
(*c*) Ibid., 134, c., et Conf., part. 2, n. 7.

[1] Ms. Mett., *vanisque.*
[2] Editi, *optimo loco.*
[3] Ms. Mett., *amatu tuo.*
[4] Idem Ms., *impediunt miseras animas.*
(*a*) Ex lib. 10 Confess. August., cap. 29.
(*b*) Joannis Fiscamn., p. 5, et apud Anselm. Or. 16.
(*c*) Ex Alcuin. Conf. part. 2, n. 4.

mortuos, qui mutas peccatores et non sunt. Tolle ergo de me quidquid tibi displicet in me; imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quæso, manum pietatis tuæ, et tolle de me quidquid offendit oculos bonitatis tuæ in me (a). Coram te, Domine, est sanitas et infirmitas mea; illam, precor, serva, istam sana. Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero: tu qui infirma sanas, et sanata conservas, qui solo nutu tuo restauras diruta et collapsa. Si enim dignaris in agro tuo serere bonum semen, necesse est ut manu pietatis tuæ prius evellas spinas vitiorum meorum.

Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desiderantissime, amabilissime, pulcherrime, infunde, obsecro, multitudinem dulcedinis et charitatis tuæ pectori meo, ut nihil terrenum, nihil carnale desiderem vel cogitem; sed te solum amem, te solum habeam in ore et in corde. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui mellifluam nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam et justificationes tuas: ut te immensæ dulcedinis Dominum, et præcepta tua semper et ubique habeam præ oculis meis. Succende mentem meam igne illo tuo quem misisti in terram, et voluisti vehementer accendi (*Luc.* XII, 49): ut sacrificium spiritus contribulati et cordis contriti obortis lacrymis quotidie offeram tibi. Dulcis Christe, bone Jesu, sicut desidero, sicut tota mente mea peto, da mihi amorem tuum sanctum et castum, qui me repleat, teneat, totumque possideat. Et da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem: ipsæ prodant, ipsæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se a lacrymis continere.

Reminiscor, pie Domine, illius bonæ mulieris[1], quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit, de qua Scriptura refert, quod vultus ejus post lacrymas et preces non sunt amplius in diversa mutati (I *Reg.* I, 18). Sed memor tantæ virtutis tantæque constantiæ, dolore torqueor, et verecundia confundor: quia me miserum nimis deorsum jacere intueor. Si enim ita flevit, et in fletu perseveravit mulier quæ quærebat filium; quomodo plangere et in planctu persistere debet anima quæ quærit et amat Deum, et ad eum pervenire desiderat? quomodo gemere ac flere debet talis anima nocte ac die, quæ præter Christum nil velit amare? Mirum quippe est, si jam non factæ sunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte. Respice ergo et miserere mei, quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem, et noli spernere peccatricem animam, pro qua etiam mortuus es (b). Da mihi, quæso, lacrymas ex tuo affectu internas quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, et cœlesti jucunditate semper repleant animam meam; ut si non cum veris et perfectis monachis[2], quorum vestigia nequeo imitari, saltem cum devotis mulieribus quantulamcunque portionem in regno tuo merear adipisci.

Venit quoque mihi in mentem alterius mulieris mira devotio, quæ te in sepulcro jacentem pio amore quærebat, quæ recedentibus discipulis a sepulcro non recedebat, quæ sedebat tristis et mœrens, et diu multumque flebat: et surgens cum multis lacrymis iterum iterumque antra sepulcri vigilantibus oculis explorabat, si forte alicubi te videre posset, quem fervent desiderio quærebat. Jam certe semel et iterum ingressa viderat sepulcrum, sed nimium amanti non satis erat (c): virtus enim boni operis perseverantia est. Et quia præ cæteris dilexit, et diligendo flevit, et flendo quæsivit, et quærendo perseveravit; ideo prima omnium te invenire, te videre, te alloqui meruit (*Joan.* XX, 11-17). Et non solum hæc, sed etiam ipsis discipulis gloriosæ resurrectionis tuæ prænuntia exstitit, te præcipiente et clementer monente, *Vade, dic fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt* (*Matth.* XXVIII, 10). Si ergo ita flevit, et in fletu perseveravit mulier quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei non tangebat[1]; quomodo plangere et in planctu persistere debet anima, quæ te redemptorem suum jam cœlo præsidentem, et ubique regnantem corde credit, ore confitetur? Quomodo ergo gemere et flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, teque toto desiderio videre concupiscit?

Solum confugium et unica spes miserorum, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, præsta mihi hanc gratiam propter te et nomen sanctum tuum, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero, quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces, et sacrificium offero, toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiose et dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem, Rex gloriæ et omnium virtutum magister, docuisti nos verbo et exemplo gemere et flere, dicens, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Id.* V, 5). Tu flevisti defunctum amicum, et lacrymatus es super perituram civitatem (*Joan.* XI, 35; *Luc.* XIX, 41): rogo te, bone Jesu, per illas tuas beatissimas lacrymas, et per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat, et a te petit anima mea: quia sine dono tuo non possum habere eam. Per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, et ad fletum compungit, da mihi gratiam lacrymarum, sicut dedisti patribus meis, quorum vestigia debeo imitari: ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die. Propter merita et orationes eorum, qui tibi placuerunt et devotissime servierunt, ergo miserere mei miserrimi et indigni servi tui, et da mihi gratiam lacrymarum. Da mihi irriguum inferius, et irriguum superius; ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Efficiar in conspectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis holocaustum pingue et medullatum: macter totus in ara cordis mei, et tanquam pinguissimum holocaustum assumar tibi in odorem suavitatis. Da mihi fontem irriguum, fontemque perspicuum, in quo lavetur assidue istud inquinatum holocaustum. Licet enim me tibi totum obtulerim opitulante[2] gratia tua; in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam. Da mihi ergo gratiam lacrymarum, benedicte et amabilis Deus, præcipue ex multa dulcedine amoris tui, et commemoratione misericordiarum tuarum. Præpara hanc mensam famulo tuo in conspectu servi tui, et da mihi eam in potestatem, ut quoties volo satier ex ea. Tribue pro pietate et bonitate tua, ut iste calix tuus inebrians et præclarus satiet sitim meam: ut in te anhelet tibi spiritus meus, et ardeat mens mea in amore tuo, oblita vanitatis et miseriæ. Audi, Deus meus, audi, lumen oculorum meorum, audi quæ peto, et da quæ petam ut audias. Pie et exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe servi tui preces, et da mihi effectum petitionis et desiderii mei, precibus et meritis gloriosæ virginis Mariæ dominæ meæ et[3] omnium sanctorum. Amen.

CAPUT XXXVII. *Precatio ad Christum Dei desiderio flagrans. Homo eget duplici cibo. Commercia animæ sitientis Deum. Contemplationis gradus internam petit, et ut sileat sibi quidquid creatum est. Precatur*

[1] Editi hic addunt, *amor*.
[2] In Ms. Mett. legitur, *servis tuis*, pro, *monachis*.
(a) Ex lib. de speculo, cap. 1 post Aug.
(b) Alcuin., lib. de sacram., cap. 1.
(c) Gregorii homil. 25 in Evang.

[1] Addimus, *non*, ex Ms. Mett.
[2] Ms. Mett., *operante*.
[3] Hæc verba, *gloriosæ virginis Mariæ dominæ meæ et*, non habet Ms. Mett.
(a) Ita Confess. Alcuin. part. 4, n. 16.

charitatis vulnus. Omnem hic respuit consolationem. (*a*) Jesu Domine, Jesu pie, Jesu bone, qui mori dignatus es propter peccata nostra, et resurrexisti propter justificationem nostram, rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulcro vitiorum et peccatorum omnium, et da mihi quotidie partem in resurrectione prima, ut in resurrectione tua merear veraciter percipere portionem. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desiderantissime, amabilissime, pulcherrime, ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ, sedes ad dexteram Patris. Rex potentissime, trahe me sursum ad te; curram post te in odore unguentorum tuorum, curram et non deficiam, te trahente, te ducente, me currente [1]. Trahe os sitientis te animæ in superna fluenta æternæ satietatis; imo trahe ad te fontem vivum, ut inde pro captu meo bibam, unde semper vivam. Deus meus vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto, *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* vii, 37). Fons vitæ, da sitienti animæ semper bibere ex te, ut secundum sanctam et veridicam promissionem tuam de ventre meo fluant aquæ vivæ (*Ibid.*, 38). Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, et inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui: ut obliviscar quæ vana sunt et terrena, et te solum jugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* lxxvi, 4). Da mihi Spiritum sanctum tuum [2], quem significabant illæ aquæ, quas sitientibus daturum te promiseras: da, quæso, toto desiderio et omni studio tendere, quo te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo credimus: (*b*) ut in præsenti quidem miseria solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione semper et aviditate; ut ibi sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus desiderabilis et incomparabilis multumque amabilis. In hoc enim magno hujus vitæ diluvio, ubi circumflantibus agitamur procellis, non invenitur fida statio et locus eminentior, ubi pes columbæ aliquatenus valeat requiescere. Nusquam tuta pax, nusquam secura quies; ubique bella et lites, ubique hostes [3], foris pugnæ, intus timores.

(*c*) Et quia altera pars sumus cœli, altera terræ, corpus quod corrumpitur aggravat animam. Idcirco animus meus socius et amicus meus, fatigatus veniens de via, languet et jacet, et discissus atque laceratus ab ipsis quas transierat vanitatibus, esurit et sitit valde; non habeo quod ponam ante illum, pauper sum et mendicus: tu, Domine Deus meus, dives omnium bonorum, et dapium supernæ satietatis opulentissime largitor, da lasso cibum, collige dispersum, redintegra scissum. En stat ad ostium et pulsat; obsecro per viscera misericordiæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, aperi pulsanti misero manu pietatis tuæ [4], et jube propitiabili dignatione ut ingrediatur ad te, requiescat in te, reficiatur de te vivo cœlestique pane, quo satiatus resumptis viribus ad superiora conscendat, et de hac valle lacrymarum penna sancti desiderii raptus, ad cœlestia gaudia volitet. Assumat, Domine, assumat, rogo, spiritus meus pennas ut aquilæ, volet et non deficiat, volet et perveniat usque ad decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ: ut ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuæ tuæ, juxta fluenta plenissima. Requiescat in te, Deus meus, cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* viii, 26), veni et gradere super fluctus cordis mei, ut tranquilla et serena fiant omnia mea: quatenus unum bonum meum amplectar te, et dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub umbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi, ut ibi in ejus refrigerii temperamento absconsa, lætabunda cantet et dicat: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* iv, 9). Dormiat, obsecro, Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, sicut scriptum est, *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus. Maneat in te, et foveatur semper a te. Contempletur te in mentis excessu, et canat laudes tuas in jubilatione. Et hæc dulcia dona tua sint inter hos turbines consolatio mea interna, donec veniam ad te pacem veram, ubi non est arcus, scutum, gladius et bellum, sed est summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata tui visio et laudatio in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Certe te Domine, virtus et sapientia Patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem, obsecro; et suppliciter rogo, da præpetes pennas fidei, da celeres alas virtutum, quibus evectus æterna et cœlestia videam contemplari. Adhæreat, quæso, anima mea post te, et suscipiat me dextera tua. Sustollat me super altitudine terræ, et cibet me illa cœlesti hæreditate, cui suspirat peregrinatio mea die ac nocte. Et quia moribunda membra vigorem animæ hebetant;

> (*b*) Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
> Siste vagam mentem per devia multa ruentem,
> Et da cœlestem menti conscendere sedem;

ut superno lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata odiat [1]], justitiam diligat. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quam inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines, divinæ dulcedini inhiare, et æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mentem, ubi vera haberi gaudia certissimum est?

Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desiderantissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo? quando apparebo ante faciem tuam? quando satiabor de pulchritudine tua? quando educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo, ita ut deinceps non compungar? quando transibo in illam admirabilem et pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ et exsultationis in tabernaculis justorum? Beati qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te (*Psal.* lxxxiii, 5). Beati et vere beati, quos elegisti jam et assumpsisti in illam cœlestem hæreditatem. Ecce sancti tui, Domine, florent ante te sicut lilium. Replentur enim ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potas eos (*Psal.* xxxv, 9): quoniam tu es fons vitæ, et in lumine tuo vident lumen, usque adeo ut ipsi, videlicet lumen illuminatum per te Deum lumen illuminans, sicut sol effulgeant in conspectu tuo. Quam mira, quam pulchra, quam acceptabilia sunt domus tuæ habitacula! Domine virtutum, concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* xxv, 8). Unam petii a te, hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* xxvi, 4). Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Quando veniam, quando parebo, quando videbo Deum meum, quem sitit anima mea (*Psal.* xli, 2)? Quando videbo eum in terra viventium? In ista enim terra morientium mortalibus

[1] Ms. Mett. non habet, *me currente.*
[2] Ms. Mett., *da per sanctum tuum.*
[3] Ms. Mett., *undique hostes.*
[4] Editi, *misero manum pietatis tuæ porrige.*
(*a*) Joannis, p. 6, et ap. Anselm. Or. 18.
(*b*) Ex lib. de Speculo, cap. 18.
(*c*) Ibid. cap. 3.

[1] Editi, omissis quæ intra duos uncinos includuntur, quæque restituimus ex Mettensi Ms. habent, *dormiat memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat.*
(*a*) Joan. Fiscamn. p. 7, et apud Anselm. Or. 19.
(*b*) Ex lib. de Speculo, cap. 3.

oculis videri non potest. Quid faciam miser ego gravatus compede mortalitatis meæ, quid faciam? Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (II *Cor.* v, 6). Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* xiii, 14) : noster autem municipatus in cœlis est. Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar ; multum incola fuit anima mea (*Psal.* cxix, 5, 6). Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam (*Psal.* liv, 7)? Nihil mihi tam dulce, quam cum Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* lxxii, 28).

Da mihi, Domine, donec his fragilibus subsisto membris, tibi adhærere : sicut scriptum est, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17). Præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem sursum. Et quia omne sinistrum deorsum jacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrosæ vallis corruat ; ne interveniente umbra terræ, a te vero justitiæ sole separetur, et obducta tenebris nebulæ prohibeatur alta respicere. Idcirco sursum tendo ad pacis, gaudii lucisque delectabilem et serenissimum statum. Tene cor meum manu tua ; quia sine te ad altiora non rapitur. Illuc festino, ubi summa pax regnat, et jugis tranquillitas rutilat. Tene et rege spiritum meum, et assume illum secundum voluntatem tuam ; ut te duce ascendat in illam regionem ubertatis, ubi pascis Israel in æternum pabulo veritatis ; ut ibi vel rapida cogitatione attingat te summam sapientiam super omnia manentem, cuncta scientem [1], et omnia gubernantem.

Sed volitanti ad te animæ multa sunt quæ obstrepunt : jussu tuo, Domine, conticescant mihi omnia ; ipsa mihi sileat anima ; transeat omnia quæ creata sunt ; transeat et se, et perveniat ad te, atque in te solo Creatore omnium oculos fidei figat : tibi inhiet, tibi intendat, te meditetur, te contempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde revolvat summum et verum bonum, et gaudium sine fine mansurum.

(*a*) Multæ denique sunt contemplationes, quibus anima tibi devota mirabiliter pascitur : sed in nulla earum ita requiescit et delectatur anima mea, sicut quando se solum cogitat et contemplatur. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine (*Psal.* xxx, 20), quam mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! Quam mira suavitas amoris tui, quo perfruuntur illi qui nihil præter te diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiscunt! Felices illi quibus tu solus spes es, et omne opus oratio. Beatus qui sedet solitarius et tacet, et stat super custodiam suam jugiter nocte ac die ; ut adhuc in hoc fragili corpusculo positus, prælibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam.

Rogo te per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nostra, ex quibus emanavit ille pretiosus sanguis quo sumus redempti, vulnera hanc animam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es ; vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Vivus es, sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* iv, 12). Tu sagitta electa, et gladius acutissimus, qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales, confige cor meum jaculo tui amoris : ut dicat tibi anima mea, Charitate tua vulnerata sum ; ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ nocte ac die. Percute, Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam prævalida cuspide dilectionis tuæ, et altius ad intima penetra potenti virtute, et sic da capiti meo aquam immensam, et oculis meis infunde verum fontem lacrymarum jugiter manantem, ex nimio affectu et desiderio visionis pulchritudinis tuæ, ut lugeam nocte ac die, nullam in præsenti vita recipiens consolationem, donec te in cœlesti thalamo merear videre dilectum et pulcherrimum sponsum meum Deum et Dominum meum, ut ibi videns gloriosam et admirabilem et pulcherrimam faciem tuam, omni dulcedine plenam, cum his quos elegisti, majestatem tuam supplex adorem, et illic tandem cœlesti et ineffabili repletus jubilo æternæ exsultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens : Ecce quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo, quod desideravi jam habeo : Illi jam in cœlis junctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum. Cui toto amore inhæsi, ipsum laudo, benedico atque adoro, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XXXVIII. *Precatio in afflictione.* (*a*) Miserere, Domine, miserere, pie, miserere mihi miserrimo peccatori indigna agenti, et digna patienti ; assidue peccanti, et tua flagella quotidie sustinenti. Si [1] penso malum quod feci, non est tantum quod patior ; gravius est quod commisi, levius quod tolero. Justus es, Domine ; et rectum judicium tuum : omnia judicia tua justa et vera sunt. Justus et rectus es tu, Domine Deus noster, et non est ulla iniquitas in te. Non enim injuste neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens et misericors Domine : (*b*) qui cum non essemus, potenter fecisti nos, et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bonitate tua mirabiliter recuperasti nos [2]. Scio et certus sum, quod vita nostra non temerariis motibus agitur, sed a te Domino Deo disponitur et gubernatur. Unde tibi cura est de omnibus, præcipue de servis tuis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua. Idcirco obsecro et suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui ; sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi. Tu, Domine, qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam : ita ut laus tua non recedat ex ore meo. Miserere mei, Domine, miserere mei, et adjuva me sicut tu nosti quod mihi necesse est in corpore et in anima : scis omnia, potes omnia, qui vivis in sæcula.

CAPUT XXXIX. — *Precatio ad Deum mixta timore et fiducia. Confessio iniquitatum. Conversio ad Patrem unde indulgeat. Humilis a Filio veniæ postulatio. Judicii horror. Ad misericordiam Dei confugit. Jesu nomen fiduciam præbet.* Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui expansis in cruce manibus propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem passionis, mihi hodie præbere digneris auxilium.

(*c*) Ecce pauper venio ad te divitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus vel contemptus. Esuriens incipio te quærere, ne deserar a te jejunus ; famelicus accedo, ne recedam impastus. Et si antequam comedam suspiro, da vel post suspiria ut comedam. In primis, dulcissime Jesu, coram magnificentia tuæ suavitatis confiteor adversum me injustitiam meam. Ecce, Domine, in peccatis fui conceptus et natus, et tu me abluisti et sanctificasti, et ego postea me majoribus sordidavi peccatis. (*d*) Fui enim in necessariis natus, postea in spontaneis volutatus ; sed tuæ, Domine, miserationis non immemor, tulisti me de domo patris mei carnalis, et de tabernaculis peccatorum, et inspirasti mihi ut sequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis ; et tecum discumbentium in cœnaculo altissimæ paupertatis : et ego tot beneficiorum ingratus, post religionis ingressum [3] multa commisi illicita, multa perpetravi nefanda ; et ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi. Hæc sunt mala mea, Domine, quibus exhonoravi te, et maculavi me, quem ad imaginem et similitudinem

[1] Alias, *transeuntem*.
(*a*) Ex lib. de speculo, cap. 55.

[1] Ms. Mett., *sed*.
[2] Alias, *reparasti nos*.
[3] Sic Ann. Al. Fr. et Lov., *post acceptum Baptismum*.
(*a*) Joannis Fiscamn. orat. 8.
(*b*) Ex Confess. Alcuin. p. 4, n. 11.
(*c*) Ex Anselmi Proslogio, cap. 1.
(*d*) Ita in Anselmi orat. 62.

tuam creasti (*Gen.* I, 27), superbia, vana gloria, (*a*) et caetera multa alia, quibus vexatur et affligitur, laceratur et destruitur infelix anima mea. Ecce, Domine, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* XXXVII, 5); et nisi tu, cui proprium est misereri semper et parcere, dexteram tuæ majestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum.

Attende, Domine Deus, et vide, quoniam sanctus : et ecce insultat adversum me inimicus meus, dicens, Deus dereliquit eum, persequar et comprehendam eum, quia non est qui eripiat (*Psal.* LXX, 11). Et tu, Domine, usquequo? Convertere et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam (*Psal.* VI, 5). Miserere filio tuo, quem dolore non modico peperisti : et noli attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Quis est pater, qui filium non liberet? Aut quis filius, quem pater pietatis baculo non corripiat? Ergo, Pater et Domine, licet peccator sim, non possum non esse filius tuus, quia tu me fecisti et refecisti. Sicut peccavi, emenda me, et prius flagello me emendatum trade me Filio tuo. Numquid oblivisci potest mater infantem uteri sui? Et certe si illa oblita fuerit, tu, Pater, promisisti te non oblivisci (*Isai.* XLIX, 15). Ecce clamo, et non exaudis me ; dolore crucior, et non consolaris me. Quid dicam vel quid faciam miserrimus? Ego tanto destitutus solatio, projectus sum a facie oculorum tuorum (*Psal.* XXX, 23). Heu me! de quanto bono in quantum malum cecidi! Quo tendebam, et quo deveni? Ubi sum, et ubi non sum? Ad quem aspiravi, et nunc in quibus suspiro? Quæsivi bona, et ecce turbatio. Ecce jam morior, et Jesus non est mecum. Et certe melius est mihi non esse, quam sine Jesu esse ; melius est non vivere, quam vivere sine vita.

Et tu, Domine Jesu, ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ (*Psal.* LXXXVIII, 50)? Numquid irasceris mihi in finem (*Psal.* LXXXIV, 6)? Placare, obsecro, et miserere mei, et non avertas faciem tuam a me (*Psal.* XXVI, 9), qui pro me redimendo non avertisti faciem tuam ab increpantibus et conspuentibus in te. (*b*) Fateor quia peccavi, et conscientia mea meretur damnationem, et pœnitentia non sufficit ad satisfactionem : sed creditum est [1] quod misericordia tua superat omnem offensionem. Noli, quæso, piissime Domine, scribere adversum me amaritudines meas (*Job.* XIII, 26), ut intres in judicium cum servo tuo (*Psal.* CLXII, 2) : sed secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (*Psal.* L, 3). Væ mihi misero cum venerit dies judicii, et aperti fuerint libri conscientiarum ; cum dicetur de me, Ecce homo et opera ejus. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum cœli revelabunt iniquitatem meam, et adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere potero ; sed demisso capite præ confusione coram te stabo trepidus et confusus. Heu me miserum! quid dicam? Clamabo ad te, Domine Deus meus. Quare tacens consumor? Verumtamen si locutus fuero, non requiescit dolor meus : et si tacuero, amarissima amaritudine crucior interius. Plange, anima mea, sicut vidua super virum pubertatis tuæ : ulula, misera, et plora ; quoniam dimisit te sponsus tuus, id est, Christus.

(*c*) Ira Omnipotentis, ne irruas super me, quia nunquam capi posses in me. Certe non est in toto me, quod posset tolerare te. Miserere, ne desperem, sed sperando respirem. (*d*) Et si ego commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Tu, Domine, non vis mortem peccatorum (*Ezech.* XXXIII, 11), nec lætaris in perditione morientium : imo ut mortui viverent, tu mortuus es, et mors tua peccatorum mortem occidit. Et si ipsi te moriente vixerunt, obsecro, Domine, ut ego te vivente non moriar. Mitte manum tuam de alto, et libera me de manu inimicorum meorum, ne insultent mihi et dicant, Devoravimus eum (*Psal.* XXXIV, 25). Quis unquam, bone Jesu, de tua misericordia diffidat? qui cum inimici tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo, et reconciliasti nos Deo (*Rom.* V, 10). Ecce sub tuæ misericordiæ umbra protectus ad thronum gloriæ venio, postulans veniam, clamans et pulsans donec miserearis mihi. Si enim ad veniam non vocati, veniam non quærentes, quanto magis veniam impetrabimus postulantes?

(*a*) Ne memineris, dulcissime Jesu, tuæ justitiæ adversus peccatorem tuum ; sed esto memor benignitatis tuæ adversus creaturam tuam. Ne memineris iræ adversus reum ; sed memor esto miserationis tuæ adversus miserum. (*b*) Obliviscere superbum provocantem, et respice miserum invocantem. Quid enim est Jesus, nisi Salvator? Ergo, Jesu, per temetipsum exsurge in adjutorium mihi : et dic animæ meæ, Salus tua ego sum (*Psal.* XXXIV, 3). Multum, Domine, de tua bonitate præsumo, quoniam tu ipse doces petere, quærere et pulsare (*Matth.* VII, 7) : et ideo tua oratione admonitus (*c*) peto, quæro et pulso. Et tu, Domine, qui jubes petere, fac accipere ; consulis quærere, da et invenire ; doces pulsare, aperi pulsanti. Confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum : et omnes sensus meos, cogitatus et actus dirigere et gubernare digneris in beneplacito tuo, ut de cætero tibi serviam, tibi vivam, tibique me tradam. Scio, Domine mi, quia ex hoc quod me fecisti, debeo tibi me ipsum : et quia me redemisti, et pro me homo factus es, deberem tibi plus quam me, si haberem, quanto tu major es, pro quo dedisti te ipsum. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo, dare tibi possum sine te ; sed accipe me tu, et trahe me ad te, ut tuus sim imitatione et dilectione, sicut tuus sum conditione, qui vivis et regnas in sæcula.

CAPUT XL. *Deo omnia sua commendat. Orat avocari vitia, virtutes concedi. Sanctos interpellat. Pro universis supplicat. Rursum pro se aliisque precatur.* Domine Deus omnipotens, qui es trinus et unus, qui es semper in omnibus, et eras ante omnia, et eris semper in omnibus Deus benedictus in sæcula : tibi commendo hodie et omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum, omnes cogitationes meas, afflictiones, locutiones, actiones, omnia exteriora et interiora, sensum et intellectum, memoriam meam, fidem et credulitatem meam, et perseverantiam meam, in manus potentiæ tuæ ; ut custodias eas diebus et noctibus, horis atque momentis.

Exaudi me, Trinitas sancta, et conserva me ab omni malo, ab omni scandalo, et ab omni mortali peccato, ab omnibus insidiis et infestationibus dæmonum, et inimicorum visibilium et invisibilium, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam martyrum, per fidem confessorum, per castitatem virginum, et per intercessionem omnium sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi. Expelle a me jactantiam mentis, et auge compunctionem cordis ; minue superbiam meam, et perfice in me humilitatem veram, suscita in me fletum, (*d*) mollifica cor meum durum et lapideum. Libera me, Domine, et animam meam ab omnibus insidiis inimici, et conserva me in tua voluntate. Doce me, Domine, voluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu (*Psal.* CXLII, 10). Da mihi, Domine, sensum perfectum et intellectum, ut suscipere valeam profundam benignitatem tuam. Illud

[1] Apud Anselmum, *certum est.*
(*a*) Ex Anselm. Orat. 4.
(*b*) Anselm. Medit. 3.
(*c*) Ex ejusdem Med. 2.
(*d*) Ex ejusdem Med. 3.

(*a*) Anselmus in fine Med. 3.
(*b*) Jam ex fine Med. 2.
(*c*) Ex Anselmo, in fine Medit. 11.
(*d*) Vid. supra, cap. 3.
(*e*) Ex Alcuino, lib. de Sacrament., cap. 1.

da mihi petere, quod te audire delectet et mihi expediat. Da mihi lacrymas ex toto affectu, quae peccatorum meorum possint dissolvere vincula. Audi, Domine Deus meus, audi quae peto, et da quae petam et habeam. Si despexeris, pereo, si respicis, vivo; si justitiam meam requiris, mortuus foeteo; si cum misericordia respexeris, foetentem resuscitas de sepulcro. Quod odis in me, longe fac a me [1], et castitatis ac continentiae spiritum insere in me: ut quodcumque petiero, in ipsa petitione te non offendam. Tolle a me quod nocet, et praebe quod juvet. Praesta mihi, Domine, medicinas, unde mea possint curari vulnera. Da mihi, Domine, timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem, et conscientiam puram. (a) Praesta mihi, Domine, ut fraternam semper tenere valeam charitatem; et mala mea considerans, aliena non requiram. (b) Parce animae meae, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Visita me infirmum, cura me aegrum, sana me languentem, et suscita me mortuum. (c) Da mihi, Domine, cor quod te timeat, mentem quae te diligat, sensum qui te intelligat, aures quae te audiant, oculos qui te videant. Miserere mei, Deus, miserere mei, et respice me de sede sancta majestatis tuae, et tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina. Da mihi, Domine, discretionem discernendi inter bonum et malum, et concede ut sensum habeam vigilem. Peto a te, Domine, remissionem omnium peccatorum meorum, a quo et per quem mihi fiat propitiatio in tempore necessitatis et angustiae meae.

Sancta et immaculata virgo Dei genitrix Maria, et mater Domini nostri Jesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum cujus meruisti effici templum. Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, martyrum, confessorum, sacerdotum, levitarum, monachorum, virginum omniumque justorum, per illum qui vos elegit, et de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare praesumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, et de morte perpetua merear liberari. Largiri mihi digneris, Domine, perpetuam vitam, secundum clementiam ac benignissimam misericordiam tuam.

Da, Domine, Jesu Christe, sacerdotibus concordiam, regibus, [illegible], et principibus juste [illegible] tranquillitatem et pacem. Oro, Domine, pro universa sancta Ecclesia catholica, pro viris et feminis, pro religiosis et saecularibus, pro cunctis rectoribus Christianorum, universisque in te credentibus qui pro tuo amore [illegible] laborant. Praesta, Domine rex aeterne, virginibus sanctitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, poenitentibus indulgentiam, viduis et orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, lugentibus consolationem, defunctis fidelibus requiem sempiternam, navigantibus ad portum salutis [illegible]; (d) [illegible], et in bonitate semper consistant; bonis et [illegible], ut meliores fiant, pravo agentibus et delinquentibus, ut cito corrigantur.

O pietas immensa et misericordissime Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Redemptor mundi, cui omnes et per omnia me [illegible] peccatorem confiteor, quod tu clementissime Pater et [illegible], qui omnium misereris, nos me [illegible] a tua misericordia [illegible]. [illegible] Domine Rex regum, qui indignus [illegible] [illegible], excita in me [illegible] quae te requirat, te desideret, et te, qui [illegible] et mala, semper [illegible] amet, te timeat, [illegible] faciat. Praecipue ergo te, Domine sancte Pater, deprecor, qui es benedictus et gloriosus per omnia saecula, ut omnes qui mei memoriam faciunt in suis orationibus, et qui indignis orationibus meis se commendaverunt, et qui mihi aliquod charitatis obsequium et pietatis studium impenderunt, seu et illos qui consanguinitate ac cognationis affectu sunt mihi propinqui, tam et illos qui nunc consistunt in corpore, quam et illos qui teguntur funere, misericorditer gubernare digneris ne pereant. Omnibus etiam Christianis vivis adjutorium praestare digneris, et defunctis fidelibus absolutionem et requiem sempiternam per aeterna saecula. Nec non et illud magnopere supplico, Domine, qui es α et ω, ut cum extremus dies meus finisque vitae meae advenerit, tu ipse mihi sis misericors judex contra malignum accusatorem diabolum, et sis mihi perpetuus defensor adversus insidias hostis antiqui, et in societatem Angelorum omniumque sanctorum in sancto paradiso tuo perseverare facias, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

CAPUT XLI. *Gratiarum actio et amoris desiderium. Beneficia Dei ad hoc recolit, ut amorem excitet. Passionis et resurrectionis Christi meditatio. Ardens Dei sitis.*

(a) Domine Jesu Christe, redemptio mea, misericordia mea, salus mea, te laudo, tibi gratias ago. Quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes dignae devotionis, quamvis nimis macras a desiderata pinguedine dulcissimi tui affectus, tamen qualescumque laudes, qualescumque gratias, non quales scio me debere, sed sicut potest conari, tibi persolvit anima mea. Spes cordis mei, virtus animae meae, auxilium infirmitatis meae, compleat tua potentissima benignitas, quod conatur mea tepidissima imbecillitas. Vita mea, finis intentionis meae, etsi nondum merui te tantum, quantum debeo, amare, saltem desidero te tantum quantum debeo, amare. Illuminatio mea, tu vides conscientiam meam, quia, Domine, ante te omne desiderium meum (*Psal.* XXXVII, 10), et tu donas si quid boni vult conscientia mea. Si bonum est, Domine, quod inspiras, imo quia bonum est ut te velim amare; da quod me facis velle, da ut quantum jubes, tantum te merear amare. Laudes et gratias tibi ago pro desiderio quod inspirasti. Laudes et preces offero, ne sit mihi donum tuum infructuosum, quod tua sponte dedisti. Perfice quod inchoasti, dona quod me benigne praeveniendo desiderare fecisti. Converte, misericordissime, meum teporem ad ferventissimum tui amorem.

Ad hoc, clementissime, tendit haec oratio mea, haec memoria et beneficiorum tuorum meditatio, ut accendam in me tuum amorem. Tua me, Domine, bonitas creavit, tua misericordia creatum ab originali peccato mundavit, tua patientia post illam emundationem Baptismi in aliis peccatorum sordibus volutatum hactenus toleravit, nutrivit, exspectavit. Exspectas tu, bone Domine, correctionem meam; exspectat anima mea ad sufficienter poenitendum, ad bene vivendum, tuae gratiae inspirationem. Deus meus, creator meus, tolerator et nutritor meus, esto adjutor meus. Te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, te concupisco: et sicut pupillus benignissimi patris orbatus praesentia, flens et ejulans incessanter ejus dilectam faciem toto corde amplectitur; sic et ego, non quantum debeo, sed quantum queo, memor passionis tuae, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor crucis, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus, qualiter resurrexisti, memor gloriosae tuae resurrectionis et admirabilis ascensionis, haec indubitata fide teneo, exsilii mei aerumnas defleo, sperans in adventus tui solatio, ardenti desiderio [1] tui vultus gloriosam contemplationem.

Heu mihi, qui videre non possum Dominum Angelorum, humiliatum ad conversationem hominum, ut

[1] Addit ms. aliquid, [illegible] *castitatis cessit a me*.
(a) Alcuin. [illegible], [illegible] illorum.
(b) Alcuin. [illegible], [illegible] Augustini.
(c) [illegible]
(d) [illegible]

[1] Mss., *consolationem a deo tui*, etc.
(a) Anselm. orat. 20.

homines exaltaret ad conversationem Angelorum, cum Deus offensus moriebatur, ut peccator viveret! Heu qui tam admirabili, tam inæstimabili pietate præsens obstupescere non merui! Cur, o anima mea, te præsentem non transfixit gladius acutissimi doloris, cum ferre non posses vulnerari lancea latus tui Salvatoris, cum videre nequires violari clavis manus et pedes tui Plasmatoris, cum[1] horreres effundi sanguinem tui Redemptoris? Cur non es inebriata lacrymarum amaritudine, cum ille potaretur amaritudine fellis? Cur non es compassa castissimæ Virgini, dignissimæ matri ejus, benignissimæ dominæ tuæ? Domina mea misericordissima, quos fontes dicam erupisse de pudicissimis oculis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, mactari? Quos fletus[2] credam perfudisse piissimum vultum, cum suspiceres eumdem et Deum et Dominum tuum in cruce sine culpa extendi, et carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari? Quibus singultibus æstimabo piissimum pectus vexatum esse, cum tu audires: *Mulier, ecce filius tuus*; et discipulus, *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 26 *et* 27)! cum acciperes discipulum pro Magistro, servum pro Domino? Utinam cum felice Joseph Dominum meum de cruce deposuissem, aromatibus condiissem, in sepulcro collocassem, aut saltem prosecutus vel consecutus essem, ut tanto funeri non deesset aliquid mei obsequii! Utinam cum beatis mulieribus corusca visione Angelorum essem perterritus, et audissem nuntium dominicæ resurrectionis, nuntium meæ consolationis, nuntium tam exspectatum, nuntium tam desideratum! Utinam, inquam, audissem ex ore Angeli, *Nolite timere vos: Jesum quæritis crucifixum; surrexit, non est hic* (*Marc.* XVI, 6)! Benignissime, suavissime, serenissime, quando restaurabis mihi, quia non vidi illam beatam tuæ carnis incorruptionem, quia non fui deosculatus loca vulnerum, fixuras clavorum, quia non respersi lacrymis gaudii cicatrices testes veri corporis? Admirabilis, inæstimabilis, incomparabilis, quando consolaberis me et compesces a dolore meo? Non enim capit in me dolor meus quamdiu peregrinus sum a Domino meo. Heu mihi, Domine, heu animæ meæ! Recessisti, consolator vitæ meæ, nec valedixisti mihi! Ingrediens viam tuam benedixisti tuis, nec adfui; elevatis manibus a nube susceptus es in cœlum (*Luc.* XXIV, 50-51), nec vidi; Angeli promiserunt te redditurum, nec audivi.

Quid dicam? quid faciam? quo vadam? ubi eum quæram? ubi vel quando inveniam? Quem rogabo? Quis nuntiabit dilecto, quia amore langueo? Defecit gaudium cordis mei, versus est in luctum risus meus. Defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum. Renuit consolari anima mea, nisi de te, dulcedo mea. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Te volo, te spero, te quæro: tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram: ne avertas faciem tuam a me. Amator hominum benignissime, tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor. Mi advocate tutissime, miserere orphani derelicti: pupillus factus sum absque patre; anima mea quasi vidua. Respice infantiæ et viduitatis meæ lacrymas, quas tibi offero donec redeas. Age jam, Domine[1], appare mihi, et consolatus ero; ostende faciem tuam, et salvus ero; exhibe præsentiam tuam, et consecutus ero desiderium meum; revela gloriam tuam, et erit perfectum gaudium meum. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (*Psal.* LXII, 2). Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei (*Psal.* XLI, 3)? Quando venies, consolator meus, quem exspecto? O si quando videbo gaudium meum quod desidero! o si satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI, 15), quam esurio! O si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro; si potabis me torrente voluptatis tuæ (*Psal.* XXXV, 9), quam sitio! Sint mihi, Domine, interim lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi, Ecce Deus tuus (*Psal.* XLI, 4); donec audiam, Anima, ecce sponsus tuus. Pasce me interim singultibus meis, pota me interim fletibus meis, refocilla me doloribus meis: veniet interea fortasse Redemptor meus, quia bonus est; nec tardabit, quia pius est. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ms. Mettensis, *cur.*
[2] Ms. Mettensis, *fluctus.*

[1] Alias: *Eia jam, Domine, eia.*

ADMONITIO

IN LIBRUM DE CONTRITIONE CORDIS.

Exploratis codicibus manuscriptis, invenimus loco hujus libelli opus aliquanto prolixius, quod in illis inscribitur, falso quidem, Meditationes beati Augustini: incipiens in hæc verba, « Eia, homuncio, fuge paululum occupationes terrenas; » et continens triginta novem capitula, omnia ex Anselmi sive certis, sive dubiis opusculis decerpta. In eo Meditationum opere libellus iste, quem Editiones Augustini priores appellant de Contritione cordis, sic includitur, ut incipiat a capitulo Meditationum earumdem octavo, et in vigesimo nono desinat, prætermissis videlicet septem primis ac postremis decem capitulis. Excerpta capitula hæc ex Anselmi opusculis sive certis dicimus, sive dubiis. Nam illud quidem opusculum, unde sumptum comperimus prædictum Meditationum capitulum octavum, id est Meditatio Anselmi nunc ordine septima, quam sub ipsius nomine primus vulgavit Theophilus Raynaudus, haudquaquam Anselmo satis veterum codicum auctoritate asseritur, et continet dicta Hugonis Victorini quædam ex libris de Modo orandi et de Arrha animæ. Cætera autem ex Anselmi Proslogio, atque ex illis deprompta sunt ejus opusculis, in quibus emicat character ille præcipuus, unde scripta Anselmi commendantur a Durando Casæ Dei abbate, in epistola inter Anselmianas, lib. I, 61, quod nimirum sint « de Contrito spiritu et de pietate contriti cordis edita, » sive profecta. His vero ipsis Durandi verbis, aptius Contriti cordis, quam de Contritione cordis appellaveris libellum subsequentem: quem hic a mendis innumeris purgatum habes subsidio manuscriptorum bibliothecæ Regiæ, Victorinæ, et collegii Bernardinorum Parisiensium.

DE CONTRITIONE CORDIS

LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Quod ex consideratione compunctio. Beneficiorum Dei consideratio. De vocatione ad Christianam fidem.* (a) Nihil morte certius, nihil incertius hora mortis. Cogitemus ergo quam brevis sit vita nostra, quam via lubrica, quam mors certa et hora mortis incerta. Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce aut jucundum in via hujus vitæ occursu suo nobis alludit, quam fallax et suspectum, quam instabile et transitorium est, quidquid hujus mundi amor parturit, quidquid species aut pulchritudo temporalis promittit. Consideremus etiam quæ sit patriæ cœlestis suavitas aut dulcedo; et attendamus et perpendamus unde cecidimus, et ubi jacemus, quid perdidimus, et quid invenimus: ut ex utroque intelligamus quantum nobis in hoc exsilio lugendum sit. Hinc enim Salomon ait, *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (*Eccle.* I, 18): quia quanto magis homo intelligit mala sua, tanto amplius suspirat et gemit. Meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio commendat orationem. Meditatione assidua homo ad cognitionem sui illuminatur, in compunctione ex consideratione malorum suorum, cor interno dolore tangitur.

(b) Miser ego quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit cum non eram, redemit cum perieram! Non eram, et de nihilo me fecit, non arborem, non avem, non aliquod de animalibus; sed hominem me voluit esse, dedit mihi vivere, sentire, discernere. Perieram, et ad mortalem descendit immortalis: suscepit passionem, suscepit mortem et vicit, et sic me restauravit: sic gratia ejus, et misericordia ejus semper prævenerunt me. De multis etiam periculis sæpe liberavit me liberator meus. Quando errabam, reduxit me; quando ignorabam, docuit me; quando peccabam, corripuit me; quando contristabar, consolatus est me; quando desperabam, confortavit me; quando cecidi, erexit me; quando steti, tenuit me; quando ivi, duxit me; quando veni, suscepit me. Hæc et multa alia fecit mihi Dominus meus, de quibus dulce mihi erit semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, ut pro omnibus beneficiis suis possim eum laudare et amare. Pro his enim omnibus quæ illi rependam non habeo, nisi tantum ut diligam: non enim melius nec decentius, quam per dilectionem, rependi potest, quod per dilectionem datum est.

(c) Considera, o homo, quid tibi erat, et quid tibi factum sit; et pensa qui tibi hæc fecit, quanto amore dignus sit. Intuere necessitatem tuam, et bonitatem ejus; et vide quas gratias reddas, et quantum debeas amori [1] ejus. In tenebris, in lubrico, in descensu super immensum chaos inferni, immensum et quasi plumbeum pondus pendens a collo tuo deorsum te trahebat, et onus importabile desuper te premebat. Hostes invisibiles toto conatu te impellebant. Sic eras sine omni auxilio; et nesciebas quia sic conceptus et natus eras. In tenebris eram, quia nihil, nec me ipsum sciebam; in lubrico, quia imbecillis ad lapsum peccati eram. In descensu eram; quia super chaos inferni pondus originalis peccati deorsum me premebat, et inimici mei dæmones, ut me aliis peccatis damnabiliorem facerent, vehementer insistebant. Sic omni auxilio destituto illuxisti mihi, Deus meus; ostendisti plumbum trahens et onus gravans, et hostes impellentes rejecisti: quia peccatum, in quo natus et conceptus eram, et damnationem [1] amovisti; et malignos spiritus, ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti. Christianum me vocari fecisti de nomine tuo, per quod et ego confiteor, et tu me cognoscis inter redemptos tuos. Erexisti et levasti me ad notitiam et amorem tuum; fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam, et mihi, si te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce cum nondum te sequar, sicut consuluisti, sed insuper multa peccata fecerim quæ prohibuisti; adhuc exspectas ut sequar, et dones quod promisisti.

CAPUT II. *Quod nos Deo totos et amplius debemus. Amoris petitio.* (a) Considera, anima mea, intendite, omnia intima mea, quantum illi debeat tota substantia mea. Certe, Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo me ipsum totum: imo debeo amori tuo plus quam me, quantum tu es major me, pro quo dedisti te ipsum, promisisti te ipsum. Fac me, precor te, Domine, gustare per amorem, quod gusto per cognitionem; sentiam per affectum, quod sentio per intellectum. Plus tibi debeo quam me ipsum totum; sed nec plus habeo, nec hoc ipsum quod habeo, per me totum reddere possum. Trahe me, Domine, in amorem tuum: et hoc ipsum totum quod sum, tuum est conditione, fac tuum dilectione. Ecce, Domine, coram te est cor meum, conatur accedere ad te [2], sed per se non potest; fac tu quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quæro, pulso. Qui me facis petere, fac accipere; das quærere, da invenire; doces pulsare, aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis invenit, si quærens, frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das non oranti, si amorem tuum negas oranti? A te habeo impetrare, adhærere animam meam volo ad te. Bone Domine, fame amoris tui languet anima mea, refocilla illam: satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus, occupet me totum et possideat totum. (b) Scio, Domine, scio et fateor, quod non sum dignus ut me diligas; sed certe non es indignus servitio creaturæ tuæ. Da igitur mihi, Domine, unde tu es dignus; et ego ero dignus unde sum indignus. Fac me quomodo vis, a peccatis cessare, ut quomodo debeo [3], possim tibi servire. Concede mihi sic custodire, et regere et finire vitam meam, ut in pace dormiam, et requiescam in te. Præsta mihi in fine, ut me accipiat somnus cum requie, requies cum securitate, securitas [4] cum æternitate. Amen.

CAPUT III. *Desiderium Dei.* (c) Domine Jesu Christe, redemptor meus, misericordia mea, salus mea, te laudo, tibi gratias ago. Tua me, Domine, bonitas creavit, tua misericordia me ab originali peccato mundavit, tua patientia post illam emundationem in aliis peccatorum sordibus volutatum hactenus tole-

[1] Alias, *amori*.

(a) Ex Medit. apud Anselm. 7, n. 1, lib. de spiritu et Anima, cap. 50, post Hugon. Vict. lib. de Modo orandi, cap. 1.

(b) [illegible] Anselm. Medit. 12, n. 2, lib. de spiritu et Anima, cap. 37, post Hug. [illegible]

(c) Ex Anselmi Medit. 11.

[1] Anselmus addit, *ejus*.

[2] In editis deest, *conatur*: a Mss. vero et ab Anselmo abest, *accedere ad te*.

[3] Mss., *volo*.

[4] Anselmus, *securitate, securitas*.

(a) Ex Anselmi Medit. 11.

(b) Item ex orat. 21, et lib. Medit. n. 10.

(c) Anselm. Orat. 2, quæ est eadem ac orat. 20; lib. Medit. n. 11, sed [illegible]

ravit, nutrivit, et exspectavit. Domine Deus meus, creator meus, adjutor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, te concupisco. Benignissime, suavissime, serenissime, te volo, te quæro, te spero. Renuit consolari anima mea, nisi de te, dulcedo mea. Age jam, Domine, appare mihi, et consolatus ero; ostende mihi faciem tuam et salvus ero; exhibe præsentiam tuam, et implebitur desiderium meum; revela gloriam tuam, et perfectum erit gaudium meum. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (*Psal.* LXII, 2). Quando venies, consolator meus, quem ego exspecto? O si quando videbo gaudium meum, quod desidero! O si satiabor cum apparuerit gloria ejus (*Psal.* XVI, 15), quam esurio! O si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro! O si potabis me torrente voluptatis tuæ (*Psal.* XXXV, 9), quam sitio! Da mihi, Domine, in hoc exsilio panem doloris et lacrymarum, quem esurio super omnem copiam deliciarum. Sint mihi, Domine, interim lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi, Ecce Deus tuus (*Psal.* XLI, 4): donec audiam, Ecce sponsus tuus, pasce me, Domine, interim singultibus meis, refocilla me doloribus meis.

CAPUT IV. *Conscientiæ reatæ miseria. Confessio humilis. Peccati fœditas et fructus.* (*a*) Deus meus, qualem me feci? Qualis eram? Deus, qualem me fecisti, et qualem iterum me feci? In peccatis enim conceptus et natus sum, et ablavisti me; sanctificasti me, et ego pejoribus sordidavi me peccatis. In necessariis eram tunc natus, nunc sum in spontaneis volutatus. Heu me miserum et nimis miserum! nimis enim miserum, quem torquet conscientia sua, quam fugere non potest! nimis enim miserum, quem exspectat damnatio sua, quam vitare non potest! Nimis est infelix, qui sibi ipsi est horribilis; nimis infelicior, cui mors æterna erit sensibilis. Nimis ærumnosus, quem terrent continui de sua infelicitate[1] horrores; nimis ærumnosior, quem torquebunt æterni pro sua iniquitate dolores. Malum hoc, et malum hoc; sed nimis hoc, et nimis hoc[2]. Peccare quam amara res est et mala! Peccata, quam faciles aditus, quam difficiles exitus habetis! Dum suadetis, inungitis; postquam persuaseritis, usque ad mortem animæ pungitis: peccatores quos inducitis, in quos quasi utres usque includitis[3]? Intelligite, quia malum et amarum est relinquere Deum, qui peccatis; redite, et peccare nolite; nolite, inquam, nolite. Vere malum et amarum est: expertus sum, in hoc ipso sum. Aut enim continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam meam, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam meam. Utique malum et amarum est utrumque; libera me ab utroque.

Anima mea, ante omnia et sicut matrem virtutum moneo[4], caveas, ne in recordationibus malorum tuorum alicujus diaboli laqueos incurras, quos multi incauti incurrunt, qui dum mala sua quasi pro eis plorantes ante mentis oculum reducunt, per easdem recordationes in ipsas malorum delectationes insipienter incidunt. (*b*) Sæpius etiam cum sine[5] causa alicujus utilitatis cum aliquo loqui incipio, statim in detractionem incurro, vel pro aliqua re imprudenter juro, vel vitio curiositatis ineptæ succumbo, vel malarum cogitationum turpitudines, motus illicitos et impudicos in ipsis interioribus meis sustineo. Heu tanta infelicitate, tanta perditione! Dum enim quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt me extendere volo, subito nescio qua miseria mihi relata ad manum et oculos conspicio, et tanquam mors subito interveniens, vel quemadmodum canis rabidus, qui nec percutientem [illegible] hominem [illegible] tempestat, carnalis delectatio perforat mentem meam; et pro suavi odore virtutum sentio intolerabilem ac teterrimum fetorem [illegible] vitiorum. Fateor, doleo, me Domine Jesu, et expando coram te omnes iniquitates meas, quas intus sustineo in anima mea. Sunt autem hæc [illegible], scilicet ira, impatientia, [illegible] Dei et omnium sanctorum, discordia, indignatio, rancor animi, tedium mentis, voracitas gulæ, murmuratio, desiderium voluptatis, delectatio carnis, tempestas libidinis, et multa his similia, quibus vexatur et affligitur, laceratur et discerpitur infelix anima mea. (*a*) O quam tolerabilius canis putridus fetet hominibus, quam anima peccatrix Deo! quam infelicius ista Deo, quam ille hominibus! Anima mea, arbor infructuosa, ubi sunt fructus tui? Talis autem arbor digna est securi et igne, digna succidi et incendi (*Matth.* III, 10). Qui sunt fructus tui? Utique spinæ pungentes et amara peccata: quæ utinam sic te pœnitendo pungerent, ut confoderent[1]; sic amarescerent, ut evanescerent. Forsitan parvum quid putas aliquod peccatum. Sed heu! nonne omne peccatum per prævaricationem Deum exhonorat? Quod ergo Deum exhonorat, quam pravum est! Audebit ergo peccator aliquod peccatum parvum æstimare? Jesu bone Domine, cur de cœlo venisti? quid mundo fecisti? ad quid te morti dedisti? nisi ut peccatores salvares, quorum maximus ego sum.

CAPUT V. *Misericordiæ divinæ imploratio. Inimici hominis.* (*b*) Respira ergo, o peccator, respira, ne desperes: spera in eo quem times, affuge ad eum a quo aufugisti, invoca importune quem superbe provocasti. Jesu, propter nomen tuum fac mihi secundum nomen tuum. Jesu, obliviscere superbum provocantem, respice miserum invocantem nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, et nomen beatæ spei. Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Ergo propter temetipsum esto mihi Jesus, esto mihi salvator benignus. Noli, Domine, noli attendere sic malum meum, ut obliviscaris bonum tuum, o bone Domine: et si ego admisi unde me damnare potes, tunc amisisti unde salvare soles? Si enim castitatem meam mihi ademi, numquid misericordiam tuam peremi? Verum est, conscientia mea meretur damnationem, et pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem; sed certum est quod misericordia tua superat omnem offensionem. Parce ergo tu, Domine, qui es salus; et qui non vis mortem peccatoris, miserere peccatrici animæ meæ, solve vincula ejus, sana vulnera ejus. Ecce, misericors Domine, coram te exhibeo animam meam, virtutum nervis dissolutam, catenis vitiorum ligatam, pondere peccatorum gravatam, delictorum sordibus fœdatam, discissam vulneribus dæmonum, putridam et fetidam ulceribus criminum: his et aliis gravibus malis, quæ melius me vides, obrutam, oppressam, circumdatam, obvolutam, bonorum omnium relevamine destitutam. Ecce quanta coarctat me miseria: subveni succurre, o universa misericordia!

(*c*) Heu miser, heu miser, semper et ubique miser, quanta captivitas miseri hominis! Si male vivit homo, aperta est damnatio; si recte quidem vivere videtur, sed incaute se custodiens inde gloriatur, iterum est misero certa mors et æterna damnatio. Isti sunt inimici miseri hominis, superbia, invidia, inanis gloria, quæ infelicem contaminant et infestant;

[1] Anselmus, *fœditate.*

[2] Alias, *minus hoc et majus hoc.*

[3] Anselmus: *Peccatores, quo vos inducitis? Intra quos vectes vos includitis!* — Er. Lugd. Ven. Lov. sic legunt hunc locum: *O peccata, quam faciles aditus habetis dum suadetis, et quam difficiles exitus habebitis! Dum suadetis, inungitis; sed postquam suaseritis, usque ad mortem animæ pungitis. Fetores quos inducitis, usque in iniquos utres includitis.* M.

[4] Ms. Regius, *introitum tuum moneo.*

[5] Anselmus omittit, *sine.*

(*a*) Ex Anselmi Orat. 62, 72.

(*b*) Anselmus, Orat. 15, 4.

[1] Anselmus, *confringerentur.* At Mss., *confitentibus sic.*

(*a*) Anselmi Medit. 2, et Orat. 72.

(*b*) Rursum ex Medit. 2, 3, et Orat. 63.

(*c*) Ex Orat. 3, 70.

et nisi Dei misericordia eum tueatur, sæpius usque ad mortem vulneratur. Libera me, Domine, ab his hostibus meis [illegible]. Perversum enim et pessimum est cor meum, ad deplorenda perpetrata peccata mea torpidum est et aridum, ad resistendum instabile [illegible], ad inutilia et noxia tractanda velox et infatigabile, ad cogitanda salubria fastidiosum et [illegible]. Anima mea distorta et depravata ad præcipitandum et voluntarie se in vitiis nimis facilis est et prompta [illegible] reminiscendam nimis difficilis et pigra. Longum est enumerare singula, gestuum, [illegible], levitatem, impatientiam, [illegible], inobedientiam, et cætera vitia quibus facta est infelix anima mea [illegible], quibus distrahitur, conculcatur et perditur. Libera eam, Domine, exonera me de peccatorum [illegible]; solve delictorum funibus ligatam, expedi criminibus irretitam, erige jacentem, sustine nutantem, [illegible] armis virtutibus inermem, tege et protege [illegible], expugna impugnantem. Jesu bone, vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me; sed doce me facere voluntatem tuam. Anima mea testetur, quod libenter os [illegible]. Adjuva me, Domine pie, benigne et clemens plus quam possim cogitare: ut non minus hoc sentiam, quam præsumo sperare.

CAPUT VI. *Peccatoris discrimina.* (a) O peccata mea, magna estis nimis, multa estis nimis[2]! Judex terribiliter districtus, inæqualiter severus, immoderate offensus, vehementer iratus, sententia immutabilis, carcer irremeabilis, tormenta sine intervallo, sine temperamento, tortores horribiles, qui nunquam lassescunt, nunquam miserentur; timor reum conturbat, conscientia confundit, cogitationes increpant: fugere non licet. Ecce in quo periculo incessanter consisto: nisi quia non semper hoc cogito; eo autem miserior et miserabilior, quia [illegible][3] possum. Semper enim videt Deus me et peccata mea, semper mihi intimatur districta sententia, semper infernus apertus et tormenta parata, semper invisibiles insidiatores parati, ut illuc rapiant miseram animam meam. Sic sum positus cum vigilo, sic sum cum dormio, sic sum cum rideo, sic sum cum lætor, sic sum cum superbio, sic sum cum detraho, sic sum cum irascor, sic sum cum tristor, sic sum cum delicias corporis miserabilis amplector! denique sic sum semper et ubique. Heu me miserum, et ubi sum, et [illegible][4] sum, qui nescio ubi securus sim?

CAPUT VII. *Peccatorum [illegible] et tenebræ.* (b) Væ mihi misero, quid faciam? Heu quanto tempore [illegible], quanto stupore [illegible] est cor meum, quanto torpore [illegible] anima mea! Quid est quod sic me [illegible]? quid est quod cervicem meam sic premit? Vult, Domine, vult anima mea ad te [illegible], et plumbeo pondere onerata gravatur; conatur se expedire, et catenis ferreis astringitur, [illegible] carcere clauditur, cupit in te dirigere [illegible], et caliginosis tenebris obscuratur. Quæ sunt ista, Deus meus, quæ sic animam meam obtenebrant et gravant, claudunt et ligant? Forsitan hæc sunt peccata mea; imo vere hæc sunt peccata mea, vere hæc sunt. Affectus carnalis [illegible] intentio inferiorum [illegible] supernorum; amor terrestrium extinxit in me delectationem cœlestium; [illegible] vitiorum [illegible][5] in

me sensus veterum donorum[1]. Ab his donis sum elongatus, in his malis occupatus; seclusus ab illis, inclusus in istis; ab illis devolutus, in istis obvolutus. Hic est ille carcer et vincula, hinc sunt illæ tenebræ et pondera. Væ mihi, quia prope est dies iræ, prope est, inquam! Incognita subito venit, et forsitan hodie erit.

CAPUT VIII. *Quod peccator sit videns cæcus.* Delicta mea, an eratis tam noxia futura, cum animam meam vestra dulcedine potabatis, cum cor meum vestra dulcedine ungebatis? Cur hæc me celabatis, et cur me tradebatis? imo non vos me tradidistis; sed ego me tradidi, qui vobis credidi. Non vos me decepistis, sed ego me decepi, qui vos intra me suscepi. Heu! cur vobis adhibui fidem? cur et credidi vobis? Imo non habui fidem nec credidi vobis; sed quodam horribili modo videns cæcus me tradidi vobis: videns enim, quia vos cognoscebam, et quæ mala vos sequuntur, sciebam; cæcus enim, quia non a vobis cavebam. Heu peccatum, nomen horrendum, res detestabilis, nulli malo comparabilis! Cæcus non videt foveam in quam cadit, insanus putat se debere facere quod facit; qui sponte facit peccatum, videns et sciens præcipitio se tradit. Mors et tormenta quælibet, tormenta tantum sunt, et in se fœda non sunt, quia ordinata sunt; peccatum in se habet fœditatem suam, in se trahit æternam infelicitatem. Melius enim esset eligere tormentum[2] quod per se fœditatem peccati non attrahit, quam peccatum quod sua cum fœditate dolores æternos jungit. Et certe, o miser homo, ipsa sola plus est vitanda peccati fœditas, quam quælibet tormentorum immanitas. Quippe in peccando fœdissima perversitate præposuisti te Creatori tuo, qui nihil injustius; in tolerando peccatorum tormenta ordine pulcherrimo subjicit se factura factori suo, quo nihil est justius. O homo, quo evanuit humanitas tua? quo devenit ratio tua? Didiceras, quoniam *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34); et peccatum fecisti. O inaudita insania, scienter peccare! Sciebas quia es spiritus vadens et non rediens (*Psal.* LXXVII, 39); et in peccati abyssum irremeabilem et sine fundo te injecisti.

CAPUT IX. *De abysso triplici.* Vere abyssus peccata mea sunt; quia incomprehensibilia sunt pondere et profunditate, et inæstimabilia sunt numero et immensitate. O abyssus abyssum invocat! O peccata mea, tormenta quæ [illegible] me servatis abyssus sunt, quia infinita et omnino incomprehensibilia sunt. Est et tertia abyssus, et est nimis terribilis, judicia Dei abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7); quia super humanum sensum occulta. [illegible][3], timor super timorem, dolor super dolorem. Abyssus abyssum in voce cataractarum Dei invocat (*Psal.* XLI, 8), quia peccati abyssus abyssum tormentorum meretur, quod judicia Dei pronuntiant. Abyssus judiciorum Dei super me, abyssus inferni subtus me, abyssus peccatorum est intra me. Illam quæ super me [illegible] timeo ne in me irruat, et me cum abysso mea in illam quæ subtus me patet, obruat. Ubi tormenta peccata nunquam [illegible], sed peccata super me tormenta tenebunt. Miser, cui peccavi; quo ivi a Spiritu tuo, et quo fugi a facie tua? [illegible] nequiter fugi te, et in abysso mea damnabili abscondi me, ibi quoque vides me. Quis enim [illegible] tu ad [illegible][4] [illegible]? Bone Domine, tu pulsasti et excitasti eam in abysso delictorum suorum velut in lecto[5] dormientem, tu concussisti torpentem, tu sollicitasti negligentem, tu fecisti pœnitentem unde jucundabatur, et dolentem unde delectabatur. Bone Deus, omnia hæc fecisti in abysso. Exaudi ergo clamantem de abysso. A te, benignissime, peccata mea non abscondo, coram te non defendo, sed ostendo, non excuso,

[1] [illegible] Mss., [illegible].
[2] In [illegible] *o peccata mea, magna estis nimis, multa estis nimis* [illegible].
[3] Mss. [illegible].
[4] [illegible].
[5] [illegible].
(a) [illegible]
(b) [illegible] usque ad cap. 10, [illegible] ex Anselmi Orat. [illegible]

[1] [illegible], *bonorum*; et mox, *bonis*.
[2] Addit [illegible], *æternum*.
[3] [illegible].
[4] Aliss., [illegible].
[5] [illegible].

sed accuso. Ego sum reus, ego ipse sum accusator meus. Non accuses me, qui fecisti me. Solus sufficeret ad peccandum; solus sufficiam ad accusandum, solus ad pœnitendum.

CAPUT X. *Pœnitentis affectus.* (a) Sed unde, Deus meus, tantorum criminum correctio, unde tibi tantorum scelerum satisfactio? Præcipitare ergo, miser homuncio, in profundum immoderatæ tristitiæ, qui sponte præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitiæ. Obruere, infelix, mole tristitiæ et doloris, qui libens corruisti in cœnum infernalis fetoris. Obvolvere, ærumnose, tenebris horridis in tenebris inconsolabilis luctus, qui volens provolutus es in voragine tam sordidi luctus[1]. Volutare in gurgite amaritudinis, qui delectatus es in volutabro turpitudinis. Terror horribilis, dolor terribilis, mœror inconsolabilis, aggregate vos super me, irruite, obruite, perturbate, obvolvite, possidete. Justum est, justum est, torquete[2] reum, vindicate Deum. Præsentiat fornicator inferni tormenta quæ meruit, prægustet quod præparavit, bibat quod nutrivit, assuescat quod est passurus. Consolatio, sanitas, lætitia, nolo vos, nisi forte peccati venia reduxerit vos. Procul estote ante mortem, nisi forte indulgentia revocet vos mihi ante mortem. Impossibile est non flere peccatorem, vel hic, vel in futuro. Sit itaque pœnitentia continua, amara comes ætatis meæ, continuus dolor, insatiabilis tortor[3] vitæ meæ. Sint mœror et acerbus luctus infatigabiles tortores[4] juventutis et senectutis meæ. Utinam ita sit; oro et desidero ut ita sit. Si enim non sum dignus oculos ad cælum levare orando coram te, Domine Deus, certe non sum indignus[5] eos vel plorando cæcare. Si confunditur mens mea pudore conscientiæ, æquum est ut confundatur turbine luctuosi doloris et tristitiæ. Si timet exhiberi ante conspectum Domini Dei sui, justum est ut habeat ante conspectum suum tormenta sceleris sui. Respira, o peccator, respira tandem aliquando, et fuge ad ipsum, quem offendisti, Deum: fuge, inquam, ab irato ad placatum.

CAPUT XI. *Misericordiæ Dei imploratio* (b). Memento, pie et benigne Deus, memento quod misericors es et creator meus, et judex es ad judicandum reum tuum, et ut Dominus ad [illegible] servum tuum, et ut creator ad conservandum opus tuum, et ut Deus ad salvandum [illegible]? Ne ergo memineris, Domine Deus, justitiæ tuæ adversus peccatorem tuum, sed memento benignitatis tuæ erga creaturam tuam. Ne memineris iræ tuæ adversus reum, sed memento misericordiæ tuæ erga miserum, quia verum est, quod conscientia mea meretur damnationem, et pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem. Parce ergo, tu, bone Domine, qui es Jesus, qui non vis mortem peccatoris (Ezech. XXXIII, 11), parce peccatis animæ meæ, Deus. [illegible] animam meam, et tibi commendo animam meam. Custodi eam dum dormio, serva eam dum aliud ago, et suscipe eam; memento ejus cum ego obliviscor. Sum peccator, sum miser; sed peccata me dolent, et cognosco me miserum. Misericors Deus, miserere mei humilis. Peccare est bonum exhonorare, quod homo facere non deberet, etiamsi necesse esset perire quidquid Deus non est. Heu mihi, heu mihi! peccavi, Deum exhonoravi, Omnipotentem provocavi. Peccator quid feci, quæ mala feci? Væ mala agenti, væ bona negligenti! Væ, væ! Ira omnipotentis Dei, ne irruas super me. Ira omnipotentis, ubi possit esse in me? Non est quod te possit tolerare in toto me. Deus, cujus bonitas non exhauritur, cujus misericordia non exinanitur, cujus scientia non fallitur, cujus potestas quod vult efficit, unde peccator resumam, qui ob peccata mea cogor desperare? Non [illegible] peccantibus, solet tamen benigne [illegible] pœnitentibus. Doce me, Domine, unde debeam sperare, ut possim[1] orare. Nam neque volo, sed nec possum propter ignorantiam meam, nec possum propter duritiam meam[2]; cogor desperare propter iniquitatem meam. Scio quidem et fateor, quia merito [illegible] salui; et juste non exaudior, [illegible]. Utique, bone Domine, peccavi, erravi: verumtamen nec te odi, nec detestor bonitatem tuam. [illegible] secundum misericordiam tuam, qui es benedictus in sæcula sæculorum[3].

[1] Anselmus, *luxus*.
[2] Mss. duo, *torquere*.
[3] Alias, *terror*.
[4] Ms. Regius, *terrores*. Anselmus, *tribulatores*.
[5] Alias, *dignus*.
(a) Hactenus ex dicta Orat. 69, nunc Medit. 5 et 2.
(b) Hucusque ex Medit. 5, 11, 2; vid. lib. Medit. 40; Orat. Anselm. 72.

[1] Editi hic addunt, *salvari*.
[2] Ms. Regius [illegible].
[3] Ultima hæc verba, nempe ab, *ideo*, usque ad, *sæculorum*, non habent Mss.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Manuale istud non Augustini tantum, sed Anselmi etiam, penes partem aliquam, et Hugonis Victorini nomine vulgatum est. Capita scilicet viginti quatuor priora exstant apud Hugonem in libro de Anima quarto. Apud Anselmum vero orationem quartam decimam (cui orationi titulus ipse Manuale præfixus est) priora novem capita conficiunt. Opusculum variis ex locis collegit incertus auctor, idem ille forsitan cujus studio superiores aliquot libros, nimirum de Spiritu et Anima et de Diligendo Deo (quantum quidem ipsis comparatis inter se opusculis conjecturam facere licet) compositos opinamur. Augustini dicta adhibet hic plura, necnon Cypriani quædam, et Gregorii ac Isidori; sed qualia hausit non a germanis fontibus, sed a rivulis minus puris. Primam nempe Manualis partem, id est prologum et primum ac secundum caput descripsit auctor ex libro proxime hic secuturo, quod Speculum appellatur. Alteram partem a capite tertio ad medium circiter caput duodecimum decerpsit ex oratione quadam inedita veteris codicis Mettensis laudati supra in Admonitione ad Meditationum librum, quæ oratio in eo codice Joannis Fiscamnensis preces et Willelmi abbatis continente reperitur sub hoc titulo, « *Oratio decora compilata per contemplationem, vel Meditatio theorica.* » Hac certe in oratione sententiæ pleniores quam in subsequente hic Manuali sunt, et magis invicem cohærentes: quod argumento est orationem non sumptam esse ex ipso Manuali, sed contra. Nam, exempli

gratia, quod hic compendio positum in cap. 4 : *Repauset se te cor meum*, etc., explicatur in dicta oratione [illegible] bonum modum : *Repauset in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus [illegible]. Quia [illegible]* [illegible] *tranquilla* [illegible] *dulce gaudium* [illegible] *contemplor O* [illegible] *interioris hominis* [illegible] *conversum* [illegible] *ta.* [illegible] *veniant* [illegible] *et* [illegible] *quos invenerint,* [illegible] *quod* [illegible] *illum,* [illegible] *O* [illegible] *et* [illegible], etc. Denique ad illud cap. 12 : [illegible] *sibi et ipse* [illegible], *et* [illegible] *se*, [illegible] *sit*, [illegible] prosequitur aptius post ea [illegible] : *Tu, Deus* [illegible], *tu* [illegible], *et sine istis videam te*, etc. Habet pars ista Manualis in capite 4 verba Bernardi nonnulla, quæ ab illo Mettensis codicis, ante Bernardum nisi fallimur scripti, oratione absunt. Illa hæc autem Bernardi necnon illa quædam Alcuini verba, ipsa Anselmi, cui insunt, oratio quarta decima, cujus mentionem superius fecimus, spuria non immerito videbitur et subditilia. Reliquæ partes hujusce Manualis expressæ sunt, aliæ quidem, puta decimum sextum et decimum septimum caput, ex sermone appendicis tomi quinti ducentesimo nono ; aliæ vero, capita videlicet octo sequentia, ex Bernardi concionibus ; postea ex Hugone Victorino quæ habentur a vigesimo sexto capite usque ad trigesimum : postrema pars demum ex Anselmi Proslogio ascita est. Cæterum veteres codices scripti, quos sane multos consideravimus, haudquaquam cum editis vel secum ipsi satis conveniunt. Nam alii plura continent, alii pauciora, plerique vero quædam ab editis aliena inserunt, decerpta ex Augustino, sive ex Bernardo, aut Hugone Victorino, vel ex libris de Spiritu et Anima, et de Diligendo Deo, atque ex Meditationibus Bernardi nomine vulgatis. Postrema tandem capita vix unus continet Regius codex, qui tamen vigesimum sextum et vigesimum septimum fere totum prætermittit.

MANUALE,

LIBER UNUS.

PRÆFATIO. *Ratio hujus operis. Invocatio Dei.* (a) Quoniam in medio laqueorum positi sumus, facile a cœlesti desiderio frigescimus. Quapropter assiduo indigemus monimento, ut expergefacti ad Deum nostrum verum et summum bonum, cum defluimus, recurramus. Idcirco non præsumptionis temeritate, sed magis Dei mei dilectione, hoc opusculo ad laudem ejus operam dedi, ut ex dictis sanctorum Patrum breve et manuale verbum de Deo meo mecum semper haberem, ex cujus lectionis igne, quoties tepesco, in ejus accendar amorem.

Nunc adesto mihi, Deus meus, quem quæro, quem diligo, quem corde et ore confiteor, et qua valeo virtute laudo atque adoro. Mens mea devota tibi, tuo amore succensa, tibi suspirans, tibi inhians, te solum videre desiderans, nihil habet dulce, nisi de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter in corde recolere, ut tua dulcis commemoratio sit inter tot turbines aliqua respiratio mea. Te ergo invoco, desideratissime, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Et cum te invoco, utique te in me ipso invoco; quoniam omnino non essem, nisi tu esses in me, et nisi ego essem in te, non essem in me. In me es, quoniam in memoria mea manes; ex ea cognovi te, et in ea te invenio, cum reminiscor tui, et delector in te de te, ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia.

CAPUT PRIMUM. *Dei perfectiones.* (b) Tu, Domine, cœlum et terram imples, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, semper agens, semper quietus, colligens et non egens, quærens cum nihil desit tibi; amans nec æstuans, zelans et securus es; pœnitet te et non doles, irasceris et tranquillus es, opera mutas, sed non mutas consilium, recipis quod invenis, et nunquam amisisti; nunquam inops, et gaudes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis; supererogatur tibi ut debeas, et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Qui ubique es, et ubique totus; qui sentiri potes, et videri non potes; qui nusquam dees, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe es; qui nec ibi dees, ubi longe es; quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui ubique præsens es, et vix inveniri potes; quem stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, nec habes accessus et recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest (*I Tim.* VI, 16). In te manens quietus, ubique circuis totum : non enim scindi et dividi potes, quia vere unus es; nec in partes divideris, sed totus totum tenes, et totum imples, totum illustras et possides.

CAPUT II. *De eadem re.* Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vero ineffabilis es, nullo modo scribi poteris nec concludi. Tu es fons luminis divini, et sol claritatis æternæ. Magnus es sine quantitate, et ideo immensus; bonus sine qualitate, et ideo vere et summe bonus, et nemo bonus, nisi tu solus, cujus voluntas opus est, cujus velle posse est, qui omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, et sine labore gubernas, et absque tædio regis, et nihil est quod conturbet ordinem imperii tui, vel in summis, vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco habitas, et omnia contines sine ambitu, et ubique præsens es sine situ et motu. Qui nec [illegible], quod facere non potes qui nihil

(a) Ex lib. [illegible] cap. 22; ex Confess. Aug. lib. 1, cap. 2.

(b) Ex lib. [illegible] cap. 5-8, 21, 22, ex Confess. Aug. lib. 1, cap. 4.

non potes, nec unquam quidquam te læsum pœnituit. Cujus bonitate facti sumus, et justitia punimur, et clementia liberamur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit et implet quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant; sed ipsa potius a te contineantur. Nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque res pro magnitudine suæ portionis capiat te, id est, maxima majus, minima minus; cum sis potius ipse in omnibus, et omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum.

CAPUT III. *Desiderium Dei pius affectus.* (*a*) Te igitur, clementissime Deus, invoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te, ex desiderio quod inspiras ei. Intra, rogo, in eam, et coapta eam tibi, ut possideas illam quam fecisti et refecisti, ut habeam te velut signaculum super cor meum. Quæso, piissime, invocantem te ne deseras, qui priusquam te invocarem, me vocasti, et quæsisti (*b*) ut ego servus tuus te quærerem, quærendo invenirem, et inventum amarem. Quæsivi, et inveni te, Domine, et amare desidero. Auge desiderium meum, et da quod peto: quoniam si cuncta quæ fecisti mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi te ipsum dederis. (*c*) Da ergo te ipsum mihi, Deus meus, redde te mihi. En amo te; et si parum est, amem validius. Tuo ergo amore teneor, tuo desiderio flagro, tua dulci memoria delector. Ecce dum tibi mens mea suspirat, et tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis et miseriarum more solito non hebetat, silent cuncta, tranquilla sunt omnia, cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, et totus spiritus ex desiderio visionis tuæ accensus, invisibilium amore raptum se videt. (*d*) Assumat spiritus meus pennas ut aquilæ, volet et non deficiat, volet et perveniat usque ad decorem domus tuæ et thronum gloriæ tuæ: ut ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis, in loco pascuæ, juxta fluenta plenissima. Tu esto exsultatio nostra, qui es spes nostra, salus atque redemptio: tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, et tu præsta ut quærendo non deficiat.

CAPUT IV. *De miseria animæ quæ Christum non amat.* Væ miseræ animæ quæ Christum non quærit nec amat; arida manet et misera. (*e*) Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, et pro nihilo est; qui tibi vivere recusat, mortuus est; qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime, tibi me commendo, reddo et concedo per quem sum, vivo et sapio; in te confido, spero, et totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam et requiescam; te cupio, diligo et adoro, cum quo manebo, regnabo et beatus ero. Anima quæ te non quærit, nec diligit, mundum diligit, peccatis servit; et vitiis subjecta est; nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea, piissime; suspiret tibi semper peregrinatio mea, ardeat in amore tuo cor meum, requiescat in te, Deus meus, anima mea, contempletur te in mentis excessu, cantet laudes tuas in jubilatione, et hæc sit in hoc exsilio meo consolatio mea. (*f*) Confugiat mens mea sub umbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum sæculi hujus. Repauset in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. O dives omnium bonorum, et dapum supernæ satietatis opulentissime largitor Deus[1], da famelico cibum, collige dispersum, libera captivum, et redintegra scissum. Ecce stat ad ostium et pulsat; obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, jube pulsanti misero aperiri, ut libero gressu ingrediatur ad te, et requiescat in te, et reficiatur de te pane cœlesti. Tu enim es panis et fons vitæ, tu lumen claritatis æternæ, tu es omnia ex quibus vivunt recti qui diligunt te.

CAPUT V. *Oratio intimantis se ad Deum.* Deus, lumen cordium te videntium, et vita animarum te diligentium, et virtus[2] cogitationum te quærentium, fac ut casto amore tuo inhæream. Veni, rogo, in cor meum, et ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscar ista temporalia. Pudet me et piget me talia pati, qualia mundus iste agit. Triste est mihi quod video, grave est omne quod de transitoriis audio. Adjuva me, Domine Deus meus, et da lætitiam in corde meo; veni ad me ut videam te. Sed (*a*) angusta est mihi domus animæ meæ, quousque venias ad eam, et dilatetur a te: ruinosa est, refice eam. Habet plurima quæ offendant oculos tuos, fateor et scio: sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo, *ab occultis meis munda me, Domine; et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 14)? Fac me, dulcis Christe, bone Jesu, fac me, rogo, amore et desiderio tuo deponere onus carnalium desideriorum, et terrenarum concupiscentiarum. Dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua; et tuæ me interius et exterius subde voluntati. Tribue mihi ut laudet te cor meum, et lingua mea, et omnia ossa mea. Dilata mentem meam, et attolle intuitum cordis mei, ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolve me, oro, a vinculis quibus constrictus teneor: ut relinquens omnia ista, tibi festinem, tibi soli inhæream, tibi soli intendam.

CAPUT VI. *Quam felices sancti hinc migrantes.* (*b*) Felix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum petit, quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit, quæ nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla est et secura, non timet hostem neque mortem. Habet jam te pium Dominum, quem diu quæsivit, semperque amavit: hymnidicis sociata choris, melliflua perpetuæ festivitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ, rex Christe bone Jesu, in æternum concinit. Inebriatur enim ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potas eam (*Psal.* XXXV, 9). Felix societas supernorum civium, et gloriosa solemnitas omnium ad te redeuntium, ab hujus nostræ peregrinationis tristi labore ad amœnitatem pulchritudinis, ad formositatem totius splendoris, atque dignitatem totius elegantiæ, ubi te jugiter, Domine, tui cives cernunt. Nihil omnino quod conturbet mentem, ibidem auribus audire datur. Quæ cantica, quæ organa, quæ cantilenæ, quæ melodiæ ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem et gloriam tuam a supernis civibus in perpetuum decantantur. Amaritudo et omnis fellis asperitas in regione tua locum non habent. Non enim est ibi malus neque malitia, non est adversarius et impugnans, nec est ulla peccati illecebra, nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia; sed est ibi pax summa, charitas plena, jubilatio et laus Dei æterna, secura sine fine requies, et gaudium semper in Spiritu san-

(*a*) Hic incipit excerptum ex Ms. Mett. Oratione inedita.
(*b*) Hæc usque ad not. (*d*) non sunt dictæ orationis.
(*c*) August. lib. 13 Confess. cap. 8.
(*d*) Ita et lib. Medit. cap. 37.
(*e*) Hæc usque ad « regnabo et beatus ero, » absunt a dicta orat. Sunt fere ex Bernard. serm. 20 in Cant. n. 1.
(*f*) Vid. lib. Medit. cap. 37.

[1] Fr. Lu... Vet. Lov., *O dives omnium bonarum dapum supernæ satietatis, opulentissime largitor Deus!* M.
[2] In ... Ms. ...tensis hic additur, *meditans mentes simulque*: et mox est, *inhæreant*; omisso verbo, *fac*.
(*a*) August. lib. 1 Confess. cap. 5; vid. lib. Medit. cap. 35.
(*b*) Vid. lib. de Speculo, cap. 30; et Medit. capp. 25 et 25.

cio. O quam fortunatus ero, si audivero jucundissimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia! Sed et nimium felix, si ego ipse meruero cantare canticum Domino Jesu Christo de canticis Sion.

CAPUT VII. *Vitæ æternæ bona.* O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Ubi omnia bona in charitate perfecta, ubi species et visio facie ad faciem, ubi plena scientia in omnibus et per omnia, ubi summa Dei bonitas cernitur, et lumen illuminans a sanctis glorificatur, ubi præsens majestas Dei conspicitur, et hoc vitæ cibo sine defectu mens intuentium satiatur. Vident semper, et videre desiderant; sine anxietate desiderant, et sine fastidio satiantur. Ubi verus sol justitiæ mira suæ pulchritudinis visione omnes reficit, et ita universos cœlestis patriæ cives illuminat, ut luceant ipsi, (a) lumen videlicet illuminatum per Deum lumen illuminans ultra omnem solis nostri splendorem, atque cunctarum stellarum claritatem, immortali adhærentes deitati: ac per hoc immortales et incorruptibiles facti, juxta promissionem Domini Salvatoris: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 24, 21).

CAPUT VIII. *Vitæ præsentis miseriæ.* Regnum cœlorum, regnum felicissimum, regnum carens morte, et vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum; ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles donis ineffabilibus cumulatur,

Nobile perpetua caput amplectente corona:

utinam remissa peccatorum mole, me ultimum servorum Christi juberet divina pietas hanc carnis sarcinam deponere, ut in suæ civitatis gaudia æterna requieturus transirem, (b) sanctissimis supernorum civium choris interessem, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assisterem, præsentem Dei vultum cernerem, nullo mortis metu tangerer, de perpetuæ immortalitatis incorruptione securus gauderem, et sciens omnia conjunctus [illegible] ignorantiæ cæcitatem amitterem, terrena cuncta parvi penderem, convallem lacrymarum istam [illegible] non [illegible]; ubi est vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla superborum, quam humores tumidam [illegible], dolores extenuant, ardores exsiccant, aera morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit; (d) ubi diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur; et his tot et tantis malis mors furibunda succedit, [illegible] quæ gaudiis ita finem imponit, ut cum esse desierint, nec fuisse putentur.

CAPUT IX. *[illegible] Deo [illegible].* Sed quas laudes quasve gratiarum actiones tibi referre valeamus, Deus noster, qui nos etiam inter has lacrymas mortalitatis nostræ ærumnas non desinis consolari [illegible] gratiæ tuæ? Ecce ego [illegible] multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ finem [illegible], dum peccata mea considero, dum judicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum supplicia tartari horreo, dum opera mea qua districtione a te pensentur ignoro, dum quo fine illa clausurus sim¹ penitus nescio, dum hæc et alia multa mecum sub corde retracto, consolaturus ades solita pietate, Domine Deus, et inter has querelas, [illegible] ploratus [illegible] profundo cordis [illegible], [illegible] mœstam et anxiam [illegible] super alta [illegible] montium ad areolas [illegible] aromatum, et collocas me in loco pascuæ secus rivos dulcium aquarum, ubi præparas in conspectu meo mensam multifariis oppositis, quæ fatigatum spiritum reparant, et cor triste lætificent; quibus tandem refocillatus deliciis, multarum miseriarum mearum oblitus, elevatus super altitudinem terræ, in te vera pace quiesco (c).

CAPUT X. *Postulatio amoris Dei.* Amo te, Deus meus, amo, et magis atque magis amare te volo. Da mihi, Domine Jesu, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te, quantum volo, quantum debeo. Immensus es, et sine mensura debes amari, præsertim a nobis quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta ac talia fecisti. (b) O amor, qui semper ardes et nunquam exstingueris! dulcis Christe, bone Jesu, charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, dilectione tua, affectione tua, desiderio tuo, charitate tua, jucunditate et exsultatione tua, pietate et suavitate tua, voluptate et concupiscentia tua, quæ sancta est et bona, quæ casta est et munda: ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuæ charitatis vaporatus, diligam te Dominum meum dulcissimum et pulcherrimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, et ex omni intentione mea, cum multa cordis contritione et lacrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore, habens te in corde, et in ore, et præ oculis meis semper, et ubique, ita ut nullus in me adulteris amoribus pateat locus.

CAPUT XI. *Pro gratia lacrymarum et opis divinæ. Inter sacra [illegible].* Pulcherrime Jesu Christe, [illegible] per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem et lacrymarum fontem, præcipue dum preces et orationes tibi offero, dum tuæ laudis [illegible] psalmodiam decanto, dum mysterium nostræ redemptionis, manifestum misericordiæ tuæ indicium, recolo vel profero, dum sacris altaribus licet indignus assisto, cupiens offerre illud mirabile et cœleste sacrificium omni reverentia et devotione dignum, quod tu, Domine Deus meus, sacerdos immaculate, instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tuæ charitatis (*Luc.* XXII, 19), mortis scilicet et passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione. Confortetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ, sentiat te sibi adesse, et lætetur coram te. Jesu qui semper luces, amor qui semper ardes, dulcis Christe, bone Jesu, lumen æternum et indeficiens, panis vitæ qui nos reficis, et in te non deficis, qui [illegible] comederis, et semper integer manes, resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple de gratia et plenum conserva; ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus te manducando, vivam de te, vadam per te, perveniam ad te, et requiescam in te. O dulcedo amoris et amor dulcedinis, comedat te venter meus, et nectare tui amoris repleantur viscera mea, ut eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, qui mel dulce, lac niveum, cibus es grandium, fac me crescere in te, [illegible] palato [illegible] a me.

CAPUT XII. *[illegible] in Christum intendere. In [illegible].* Tu [illegible] qui [illegible], spes [illegible] [illegible]. Tu mihi cor

¹ [illegible]

(a) Vid. lib. Medit., cap. 37.

(b) [illegible]

(c) [illegible]

(d) [illegible]

¹ [illegible]

(b) [illegible]

(c) Ibid., cap. 37.

tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, et in superna fluenta os sitientis te spiritus trahe. Taceant, quæso, tumultus carnis; conticescant phantasiæ terrarum et aquarum, et aeris, et poli. Taceant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, omne signum, et quidquid transeundo fit. Sileat sibi et ipsa anima, et transeat se, non cogitando se, sed te, Deus meus, quoniam tu es revera (a) tota spes et fiducia mea. Est enim in te Deo meo et Domino nostro Jesu Christo dulcissimo et benignissimo atque clementissimo unicuique nostrum et portio, et sanguis, et caro. Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo; ubi sanguis meus dominatur, dominari me confido; ubi caro mea glorificatur, gloriosum me esse cognosco. Quamvis peccator sum, de hac tamen communione gratiæ non diffido. Et si peccata mea prohibent, substantia mea requirit; et si delicta propria me excludunt; naturæ communio non repellit.

CAPUT XIII. *Fiducia in Christum.* Non enim tam immitis est Dominus, ut obliviscatur hominis, et non meminerit ejus quem ipse gestat; ut non diligat carnem suam, membra sua, et viscera sua. (b) Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea et vitia, culpas et infinitas negligentias meas, quas egi et quotidie indesinenter ago corde, ore et opere, et omnibus modis quibus humana fragilitas peccare potest: nisi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo, quoniam ille tibi subditus usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci (*Philipp.* II, 8; *Coloss.* II, 14), peccatum crucifixit et mortem. In ipso autem securus respiro, qui sedet ad dexteram tuam, et interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). In ipso confisus ad te pervenire desidero, in quo jam resurreximus et reviximus, jam in cœlum conscendimus, et in cœlestibus consedimus. Tibi laus, tibi gloria, tibi honor et gratiarum actio.

CAPUT XIV. *Quanta inde delectatio.* Piissime Domine, qui sic nos amasti, salvasti, justificasti et sublimasti; piissime Domine, quam dulcis est memoria tua! Quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior et amabilior. Idcirco (c) delectat me valde bona tua puro mentis intuitu, et dulcissimo pii amoris affectu, in loco peregrinationis meæ, juxta modulum meum, interim quamdiu his fragilibus subsisto membris, considerare [1]. Tuæ enim charitatis jaculo vulneratus sum, tuo vehementer desiderio ægro, ad te pervenire cupio, te videre desidero. Idcirco super custodiam meam stabo, et vigilantibus oculis psallam spiritu, psallam et mente, et totis viribus meis te factorem et refectorem meum collaudabo, polum penetrabo mente, et desiderio tecum ero: ut in præsenti quidem miseria solo corpore tenear, tecum autem cogitatione et aviditate atque omni desiderio sim semper; quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, multumque amabilis. Sed ecce, Deus meus piissime ac misericordissime, dum tuæ immensæ bonitatis et pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit: excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua majestas, et tua charitas. Sicut inæstimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est æternæ tuæ charitatis benignitas, qua illos quos de nihilo creasti, adoptas in filios, et tibi conjungis.

CAPUT XV. *Nil asperius ob gloriam cœli comparandam.* O anima mea, (a) si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis ejus sociari; nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidientur ergo dæmones, parent [1] suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant vestimenta [2], labores gravent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet me ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus (*Psal.* XXX, 11), ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum (*Habac.* III, 16). (b) Quæ enim erit justorum gloria, quam grandis sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut sol; cum ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, et meritis atque operibus singulorum promissa præmia restituere, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus felicitatis erit, cum Dominus adducet sanctos suos in visione paternæ gloriæ, et faciet in cœlestibus considere, ut sit omnia in omnibus.

CAPUT XVI. *Pretium ejus.* O felix jucunditas, et jucunda felicitas, sanctos videre, cum sanctis esse, et esse sanctum; Deum videre, et Deum habere in æternum et ultra! Hæc sedula mente cogitemus, hæc toto cordis desiderio desideremus, ut ad eos cito pervenire valeamus. Si quæras quomodo istud potest fieri, vel quibus modis, quibus meritis, quibusve auxiliis; audi: (c) res ista posita est in potestate facientis, quoniam regnum cœlorum vim patitur (*Matth.* XI, 12). Regnum cœlorum, o homo, non aliud quærit pretium nisi te ipsum: tanti valet quantum es; te da, et habebis illud. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te regnum Deo Patri: ita tu temetipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in tuo mortali corpore, sed spiritus in acquisitione vitæ.

CAPUT XVII. *Paradisi felicitas.* O anima mea, (d) revertamur ad civitatem cœlestem, in qua scripti sumus et cives decreti. Sicut ergo cives sanctorum, et domestici Dei, et sicut hæredes Dei, cohæredes autem Christi, consideremus inclytam nostræ urbis felicitatem, in quantum considerare possibile est. Dicamus ergo cum Propheta: O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei! Sicut lætantium omnium habitatio est in te (*Psal.* LXXXVI, 3 *et* 7). Fundaris enim exsultatione universæ terræ: non est in te senectus nec senectutis miseria; non est in te mancus, nec claudus, nec gibbosus, nec deformis; dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 13). Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas; nemo læditur, nemo irascitur, nemo invidet; cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio? Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors neque corporis neque animæ, sed immortalitatis munere jucunda vita. Nulla erit tunc usquam discordia; sed cuncta consona, cuncta convenientia: quia omnium sanctorum una erit concordia; pax cuncta et lætitia continet, tranquilla sunt omnia et quieta. Jugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto clarior quanto feli-

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic legunt hunc locum: *Idcirco delectant me valde bona tua puro mentis intuitu, et dulcissimo pii amoris affectu in loco peregrinationis meæ juxta modulum meum; interim quamdiu his fragilibus subsisto membris miram tuam dilectionem et pulchritudinem indesinenter cupio desiderare et considerare.* M.

(a) Hactenus excerptum ex Orat. inedita. Jam ex lib. Medit. capp. 13, 14 et 15.

(b) Ita in Append. Bernard. lib. de Conscientia, cap. 20. Vid. August. lib. 10 Confess. n. 69.

(c) Vid. lib. Medit. capp. 22 et 37.

[1] Alias, *indesinenter ergo dæmones parent*, etc.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *premant carnem vestimenta.* M.

(a) Ex serm. in App. tom. 5, 209, n. 3.

(b) Ita serm. mox citato, n. 4; post Cyprian. lib. de Opere et Eleemos.

(c) Ex eodem serm.

(d) Ex eodem serm. in App. nn. 2 et 3; necnon ex Gregorii hom. 37 in Evang.

cior : quia civitas illa, ut legitur, non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus (*Apoc.* XXI, 23) : ubi sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates ; et sicut splendor firmamenti, qui erudiunt multos (*Dan.* XII, 3 ; *Sap.* III, 7). Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla : sed talis erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9; *Isai.* LXIV, 4), nisi illorum qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verum super hæc omnia est, consociari choris Angelorum et Archangelorum, atque omnium cœlestium Virtutum ; intueri Patriarchas et Prophetas, videre Apostolos et omnes sanctos, videre etiam parentes nostros. Gloriosa sunt hæc : sed multo gloriosius est præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre. Superexcellens autem gloria erit, cum Deum videbimus in se ipso, videbimus et habebimus in nobis, quem cernere finis non est [1].

CAPUT XVIII. *Amoris sufficientia. Amoris gradus.* Anima insignis Dei imagine, illustris similitudine, (*a*) habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper aut stare cum eo, aut redire, si mota suis affectibus, imo defectibus fuerit. Et non solum habet unde respirare queat in spem veniæ et in spem misericordiæ, sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, et cum Deo inire fœdus societatis, atque cum rege Angelorum ducere jugum suave amoris. Hæc omnia facit amor, si anima exhibeat se similem Deo per voluntatem, cui similis est per naturam : diligens sicut dilecta est. Solus enim est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit et captivat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus. Per amorem conjungimur Deo. Amor facit unum spiritum de duobus, amor facit idem velle et idem nolle. Amor facit prius mores componere ; postmodum omnia quæ adsunt tanquam non adsint considerare ; tertio vero loco, munda cordis acie superna et interna conspicere. Per amorem primum in sæculo bene geruntur honesta, postmodum etiam [2] honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur.

CAPUT XIX. *Amor Dei sociatur. Amor in eo quid efficiat.* Deus Pater charitas est, Deus Filius charitas est, Spiritus sanctus charitas Patris et Filii est. Et hæc charitas aliquid simile requirit in nobis, scilicet charitatem, qua velut quadam affinitate consanguinitatis ei sociemur et conjungamur. (*b*) Amor dignitatis nescius, reverentiam nescit. Qui amat, per se ipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiariterque loquitur ei : nihil timens, nihil hæsitans. Perdit quod vivit, qui non diligit ; qui autem diligit, oculos suos semper habet ad Deum quem diligit, quem desiderat, in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, in quo impinguatur. Iste talis sic devotus, ita cantat, ita legit, et in omnibus operibus suis sic est providus et circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos ejus, sicut revera adest, ita orat quasi sit assumptus et præsentatus ante faciem majestatis in excelso throno, ubi millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei (*Dan.* VII, 10). Animam quam visitat amor, expergefacit dormientem, movet et emollit eam, et vulnerat cor ejus, tenebrosa illuminat, clausa reserat, frigida inflammat, mollit in asperam et inascibilem et impatientem indignat. Vitia fugat, carnales affectus comprimit, mores emendat, reformat et innovat spiritum, lubricæ ætatis motus actusque leves coercet. Hæc omnia facit amor cum præsens est : cum vero abscesserit, ita incipit anima jacere languida, ac si ex olla bullienti subtraxeris ignem.

CAPUT XX. *Amoris indoles.* Magna res est amor, (*a*) quo anima per semetipsam fiducialiter accedit ad Deum, Deo constanter inhæret, Deum familiariter percontatur, consulitque de omni re. Anima quæ amat Deum, nihil aliud potest cogitare, nihil loqui : cætera contemnit, omnia fastidit ; quidquid meditatur, quidquid loquitur, amorem sapit, amorem redolet : ita amor Dei eam sibi vindicavit. Qui vult habere notitiam Dei, amet. Frustra accedit ad legendum, ad meditandum, ad prædicandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei amorem animæ parit, et eam intendere sibi facit. Amat Deus ut ametur. Cum amat, nihil aliud vult quam amari : sciens amore esse beatos qui se amaverint. Anima amans cunctis suis renuntiat affectionibus, et tota soli incumbit amori, ut possit respondere amori in redhibendo amorem. Et cum se tota effuderit in amorem, quantum est ad illud fontis perenne profluvium? Non pari ubertate concurrunt amor et amans, anima et Deus, Creator et creatura : tamen si ex toto se diligit, nihil deest ubi totum est. Non timeat anima quæ amat ; paveat quæ non amat. Anima amans fertur votis, trahitur desideriis, dissimulat merita, majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, et fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit et excedit a corporeis sensibus ; ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine quodam modo se sibi furatur, imo rapitur atque labitur a se ipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Nihil tam jucundum, nisi [illegible]. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem. Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare : sed frequenter suspirat dicens, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI, 2).

CAPUT XXI. *Amor Christi. Passionis ac mortis Christi fructus.* Deus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis : amore vulneratus est propter delicta nostra (*b*). Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera : quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei : quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. Foderunt manus ejus et pedes ejus et latus, per quæ mihi licet gustare quam suavis est Dominus Deus meus : quoniam vere suavis et mitis et multæ misericordiæ est omnibus eum invocantibus in veritate, omnibus diligentibus, et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Salvatoris nostri, multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, et perfectio virtutum.

CAPUT XXII. *Quod nobis accedat ex vulneribus Christi.* Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit a me. Si ardor libidinis movet membra mea, recordatione vulnerum Filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveniam

---

[1] Alias, *quem cernere est finis sine fine*, vel, *non est finis*.
[2] Ms. Regius, *honesta*, [illegible].
(*a*) Bernardus in Cant. serm. 83, nn. 3, 4, 5, 4.
(*b*) Id. serm. 64, 85, n. 74, n. 6, n. 7.

(*a*) Bernardus in Cant. serm. 83, n. 3, 10, n. 1, 69, n. 7; 85, nn. 4, 6, 84, n. 6; 74, n. 4; 85, n. 13 ; 74, n. 5.
(*b*) Id. in Cant. serm. 61, nn. 3 et 4.

tam efficax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, et requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam est ad mortem, quod morte Christi non salvetur.

CAPUT XXIII. *Et contra desperationem.* Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita et resurrectio mea: (a) meritum meum, miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum [illegible] non fuerit. Et si misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego securior. Peccavi peccatum grande, et multorum sum mihi conscius delictorum; nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit: quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem et potestatem, (b) in quibus tota spes mea consistit, scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, et in potestate redditionis¹. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens, Quis enim es tu, et quanta est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo, Scio cui credidi, quia in charitate nimia adoptavit me in filium, quia verax est in promissione, potens in exhibitione, et licet ei facere quod vult: non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. (c) Clavi et lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea (*Joan.* XIX, 34), et ego intravi, et ibi requiesco securus. Qui timet, amet; quoniam charitas mittit foras timorem (I *Joan.* IV, 18). Nullum tam potens est, tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, et expandit manus suas paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei et vivere volo, et mori cupio. Ibi securus decantabo: *Exaltabo te, Domine; quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me* (*Psal.* XXIX, 2). Salvator noster caput inclinavit in morte, ut oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

CAPUT XXIV. *Excitatio animæ ad amorem Christi.* O anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis, dilige illum a quo tantum dilecta es, intende illi qui intendit tibi, quære quærentem te, ama amatorem tuum: a quo tantum amaris, cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse præmium, ipse fructus, ipse usus, ipse finis. (d) Esto sollicita cum sollicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Qualem te paraveris Deo, talis oportet ut appareat tibi. Deus suavis et mitis, et multæ misericordiæ (*Ps.* LXXXV, 5); suaves, mites, dulces, humiles et misericordes requirit. Ama illum qui eduxit te de lacu miseriæ, et de luto fæcis. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis: qui, cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet: sed tuebitur a rugientibus præparatis ad escam, et conducet te per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, et ibi collocabit te cum Angelis ante faciem majestatis suæ, ubi audies illud angelicum melos, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Ibi est canticum lætitiæ, vox exsultationis et salutis, gratiarum actio, et vox laudis, atque alleluia in perpetuum. Ibi est cumulus felicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia et omnia bona. O anima mea, suspira ardenter, desidera vehementer, ut possis pervenire in illam supernam civitatem, de qua tam gloriosa dicta sunt, in qua sicut lætantium omnium habitatio est (*Psal.* LXXXVI, 3 *et* 7). Amore potes ascendere, amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat, ascendit frequenter, et currit familiariter per plateas cœlestis Jerusalem, visitando Patriarchas et Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus martyrum et confessorum, chorosque virginum speculando. Cœlum, terra, et omnia quæ in eis sunt, non cessant mihi dicere, ut amem Dominum Deum meum (a).

CAPUT XXV. *Animæ solum sufficit summum bonum. Voluntatis bonæ valor.* Cor humanum in desiderio æternitatis non fixum, nunquam stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius: de alio in aliud transit, quærens requiem ubi non est. In his autem caducis et transitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet: quoniam (b) tantæ est dignitatis, ut nullum bonum præter summum bonum ei sufficere possit: tantæ est etiam libertatis, ut ad aliud invitum cogi non possit. Propterea unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis vel salvationis; et ideo nihil ditius bona voluntate Deo offertur. Bona voluntas Deum ad nos deducit, et nos in eum dirigit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum pervenimus, ac Deum possidemus. O bona voluntas, per quam ad Dei similitudinem reformamur, et ei similes efficimur! Ita amabilis est Deo bona voluntas, ut ipse in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit. Bona voluntas illius summæ majestatis Trinitatem ad se inclinat. Sapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat, charitas ad desiderium bonitatis inflammat, paternitas in ea custodit quod creavit, ne pereat. Quid est cognitio veritatis? Primo cognoscere te ipsum, et quod esse debeas, ut esse studeas; quod autem corrigendum est, ut corrigas: deinde cognoscere et amare Creatorem tuum: hoc enim est totum hominis bonum.

CAPUT XXVI. *Veritatis cognitio. Dei in hominem beneficia. Incarnationis causæ.* Vide ergo quam ineffabilis est divinæ charitatis erga nos dilectio. De nihilo nos creavit, et quidquid habemus nobis donavit: sed quia plus diliximus datum quam datorem, creaturam quam Creatorem, cecidimus in laqueum diaboli, et facti sumus ejus servi. Deus vero misericordia motus, misit Filium suum quo redimeret servos; misit etiam Spiritum sanctum, quo servos adoptaret in filios: Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris, se denique totum servat in hæreditatem adoptionis¹. Ita Deus, ut piissimus et misericordissimus amator hominum, præ desiderio vel amore hominis, non solum sua, verum etiam et se ipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi quam homini ipsi. Ut homines ex Deo nascerentur, primo ex ipsis natus est Deus. Quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei sic hominem præveniens; tam, inquam, vehemens amor, quod Deus propter hominem homo dignatus est fieri? Quis potest odire hominem, cujus naturam et similitudinem videt in humanitate Dei? Revera qui odit illum, odit Deum, et ita perdit quidquid facit. (c) Deus namque propter hominem factus est homo, ut esset redemptor qui est et creator, et ut de suo redimeretur homo: et

¹ Alias, *redemptionis.*

(a) Ex eod. serm. 5.

(b) Et hæc lib. de Dilig. Deo, cap. 14, ex Bernardo.

(c) Bernard. in Cant. serm. 61, nn. 4 et 5; et serm. 62, n. 7.

(d) Juxta Bernard. in Cant. serm. 69, n. 7: item lib. de Conscientia, in Append. Bernardi, cap. 1; et Hugo Vict. lib. 1 Miscell., tit. 32; et Augustin. lib. 10 Confess., cap. 6.

¹ Legendum, ut in libro de Spiritu et Anima, cap. 51, *adoptionis.*

(a) Hactenus idem est apud Hugonem, lib. 4 de Anima, deinceps omnino diversus.

(b) Hugo Vict. lib. 1 Miscellan., tit. 7; idem de Laude Charitatis.

(c) Hugo Vict. lib. 1 Miscellan., tit. 87.

ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudine hominis apparuit, et ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate; ut sive ingrediens, sive egrediens, in ipso pascua inveniret natura humana condita ab ipso.

CAPUT XXVII. *Spiritus sancti effectus. Gaudium iniquitatis, vanitatis, et Spiritus sancti.* (a) Salvator namque noster natus est nobis, crucifixus et mortuus est pro nobis, ut morte sua mortem nostram destrueret. Et quia botrus carnis positus fuerat ad torcular crucis, et expressione facta fluere cœperat mustum divinitatis, missus est Spiritus sanctus, quo vasa cordium præpararentur, et vinum novum in utres novos poneretur: primum ut corda mundarentur, ne infusum pollueretur; et postea ligarentur, ne effusum amitteretur; mundarentur a gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim quod bonum est venire poterat, nisi prius recederet quod malum est. Gaudium iniquitatis polluit, et gaudium vanitatis effundit. Gaudium iniquitatis reddit vas sordidum, et gaudium vanitatis facit rimosum. Gaudium iniquitatis est, cum peccatum diligitur; et gaudium vanitatis est, cum transitoria amantur. Ejice ergo quod malum est, ut quod bonum est percipere possis. Effunde amaritudinem, ut dulcedine impleri possis. Spiritus sanctus gaudium est et amor. Ejice spiritum diaboli et spiritum mundi hujus, ut accipias Spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, et spiritus mundi gaudium vanitatis. Et hæc gaudia mala sunt, quoniam aliud habet culpam, aliud occasionem culpæ. Veniet autem Spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali; et intrabit tabernaculum cordis, et operabitur gaudium bonum et amorem bonum, quo expellatur amor mundi, et amor peccati. Amor mundi allicit et decipit, amor peccati polluit et ad mortem conducit. Amor Dei mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, et Deum demonstrat.

CAPUT XXVIII. *Animus et actus Deum diligentis.* (b) In quo amor Dei est, semper cogitat quando ad Deum perveniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem evadat, quando [1] veram pacem inveniat. Semper habet cor sursum, et desiderium in superna elevatum. Quando sedet, quando ambulat, quando requiescit, vel quando aliquid agit, cor a Deo non recedit; omnes ad amorem Dei exhortatur, omnibus amorem Dei commendat, et quam dulcis sit Dei amor, et quam malus et quam amarus sit amor sæculi, corde, ore, et opere demonstrat. Deridet hujus sæculi gloriam, arguit sollicitudinem; et quam stultum sit in his quæ transeunt fiduciam habere, ostendit. Miratur cæcitatem hominum qui hæc diligunt; miratur etiam quomodo universi hæc transitoria et caduca omnes non derelinquunt. Omnibus existimat dulce quod sibi sapit, omnibus placere quod diligit, omnibus manifestum quod cognoscit. Frequenter Deum suum contemplatur, et in ejus contemplatione suaviter reficitur: tanto felicius, quanto frequentius. Dulce est enim semper ad consolandum, ad amandum et laudandum semper suavis.

CAPUT XXIX. *Cordis requies. Oratio* [illegible] (c) Hæc est cordis vera requies, cum [illegible] in amorem Dei per desiderium [illegible], nec quidquam aliud appetit; sed in eo quod tenet, [illegible] delectatur, delectando jucundatur. Si [illegible] cogitationes, vel rerum [illegible] aliquantulum abstractum fuerit, [illegible] illuc redire [illegible], [illegible] Nam [illegible] est

impedimentum, quo homo non fruatur vel utatur Dei [illegible]; sic nullum debet esse impedimentum, quo [illegible] in memoria. Ideirco non [illegible] abstractus quisquis [illegible] cum Deo loquitur, et subito abstrahitur ab ejus conspectu, qui est ab oculis non videntis [illegible]. Hoc autem fit, quando cogitationes [illegible] et importunas sequitur, et [illegible] creaturam, ad quam mentis intuitu facile [illegible], et [illegible] in cogitatione [illegible] revolvendo vel cogitando, quam Deum quem assidue deberet recolere, creatorem adorare, salvatorem exspectare, vel timere judicem [2]. Quidquid igitur [illegible] ab eo retrahit, omnino fugiendum est et exsecrandum.

[illegible] eundum.
[illegible] cladis.

CAPUT XXX. *[illegible] a Deo [illegible]. Quid [illegible] perdidit homo, quid invenit.* (a) Fuge igitur, o homo, paululum occupationes tuas, et absconde te modicum a tumultuosis cogitationibus tuis. Abjice nunc onerosas curas, et postpone laboriosas distensiones tuas; vaca aliquantulum Deo, et aliquantulum requiesce in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ, exclude omnia præter Deum, et quæ te juvant ad quærendum eum. Clauso ostio quære eum, et dic nunc totum Deo, et dic: Quæro vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiro. Eia nunc ergo, Domine Deus meus, tu doce cor meum, ubi et quomodo te quærat, ubi et quomodo te inveniat. Domine, si hic non es, ubi te quæram absentem? Si autem ubique es, cur te non video præsentem? Sed certe habitas lucem inaccessibilem (*I Tim.* VI, 16). Sed quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? aut quis me ducet et inducet in illam, ut videam te in illa? Deinde quibus signis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi, Domine Deus meus, nunquam novi faciem tuam. Quid faciet, altissime Domine, quid faciet iste longinquus exsul tuus? quid faciet servus tuus anxius amore tui, et longe projectus a facie tua? Anhelat videre te, et nimis illi abest facies tua. Accedere ad te desiderat, et inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, et nescit locum tuum. Quærere te affectat, et ignorat vultum tuum. Domine, Deus meus es tu et Dominus meus, et nunquam vidi te. Tu me fecisti, et refecisti, et omnia bona mea mihi contulisti, et nondum vidi te, neque novi. Denique ad te videndum factus sum, et nondum feci propter quod factus sum. O misera sors hominis, cum hoc perdidit ad quod factus est! O durus et dirus casus ille! Heu quid perdidit, et quid invenit? Quid abscessit, et quid remansit? Perdidit beatitudinem ad quam factus est, et invenit miseriam ad quam factus non est. Abscessit sine quo nihil felix est, et remansit quod per se non nisi miserum est. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit; manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat.

CAPUT XXXI. *Aspiratio ad visionem Dei. Ad imaginem Dei [illegible].* Et, o tu Domine, usquequo? Usquequo, Domine, oblivisceris nos? Usquequo avertis faciem tuam a nobis (*Psal.* XII, 1)? Quando respicies et exaudies nos? quando illuminabis oculos nostros, et ostendes nobis faciem tuam? quando restitues te nobis? Respice, Domine, exaudi, illumina nos, et ostende nobis te ipsum: restitue te nobis, ut bene sit nobis, sine quo tam male est nobis. Miserare labores et conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invitas nos [3], adjuva nos. Obsecro, Domine, ne desperem suspirando, sed respirem sperando. Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulca illud tua

[1] [illegible]
[illegible] lib. I, n° 105.
(b) Hugo [illegible], [illegible] lib. I, [illegible] 120.
(c) [illegible] cap. [illegible] cap. 5.

[1] [illegible] redemptorem, [illegible]
[3] [illegible]
(a) [illegible] Proslogii cap. 1.

consolatione. Obsecro, Domine, esuriens cœpi quærere te, ne desinam jejunus a te? Famelicus accessi, ne recedam impastus. Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus et contemptus. Domine, incurvatus non possum nisi deorsum aspicere: erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, obvolverunt, et sicut onus grave gravaverunt me (*Psal.* XXXVII, 5). Evolve me, et exonera me, ne urgeat puteus earum os suum super me. Liceat mihi suspicere lucem tuam, vel de longe, vel de profundo. Doce me quærere te, et ostende te quærenti; quia nec quærere te possum nisi tu doceas, nec invenire nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem quærendo; inveniam amando, amem inveniendo. Fateor, Domine, et gratias ago, quia creasti in me hanc imaginem tuam; ut tui memor sim, te cogitem, te amem. Sed sic est abolita attritione vitiorum, sic est obfuscata fumo peccatorum, ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoves et reformes eam. Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum. Desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et diligit cor meum; neque enim quæro intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. (*a*) Ergo, Domine, qui das fidei intellectum, da mihi ut quantum scis expedire, intelligam, quia es sicut credimus, et hoc es quod credimus.

CAPUT XXXII. *Deus quid sit. Qui totus bonus.* Et quidem credimus te esse aliquid quo nihil majus aut melius[1] cogitari possit. (*b*) Quid ergo es, Domine Deus, quo majus meliusque nihil valet cogitari? Sed hoc quid est, nisi quod summum omnium, solum existens per se ipsum, omnia alia fecit ex nihilo? Quidquid hoc non est, minus est quo nihil majus possit cogitari, sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum? Tu es itaque justus, verax, beatus, et quidquid melius est esse quam non esse. Verum malis quomodo parcis, si es totus justus et summe justus? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, et latet in luce inaccessibili, quam inhabitas? Vere in altissimo et secretissimo bonitatis tuæ profundo latet fons, unde manat fluvius misericordiæ tuæ. Nam cum totus et summe justus sis, tamen idcirco malis etiam benignus es, quia totus et summe bonus es. Minus namque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior est enim qui et bonis simul et malis bonus est, quam qui bonis tantum bonus est. Et melior est qui malis et parcendo et puniendo bonus est, quam qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus et summe bonus es. O immensa bonitas, quæ sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia procedit: influat in me, quæ profluit de te. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam.

CAPUT XXXIII. *Quantum et quale bonum.* (*c*) Excita te nunc, anima mea, et erige totum intellectum tuum: et cogita quantum potes, quale et quantum sit illud bonum quod Deus est. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium; et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt a creatura Creator. Si enim bona est vita creata, quam bona est Vita creatrix? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est Salus quæ fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est Sapientia quæ omnia fecit et condidit ex nihilo? Denique si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo qui ipsa delectabilia fecit? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet erit, et quod nolet non erit. Ibi quippe illi erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit.

CAPUT XXXIV. *Bona in uno omnia.* Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona; et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum; et satis est. Quid enim amas, caro mea? quid desideras, anima mea? Ibi est, ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo; fulgebunt justi sicut sol (*Matth.* XIII, 43). Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes Angelis Dei (*Id.* XXII, 30); quia seminatur corpus animale, surget corpus spirituale (*I Cor.* XV, 44), potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita, ibi erit sana æternitas et æterna sanitas; quia justi in perpetuum vivent (*Sap.* V, 16), et salus justorum a Domino (*Psal.* XXXVI, 39). Si satietas; satiabuntur cum apparuerit gloria Domini (*Psal.* XVI, 15). Si ebrietas; inebriabuntur ab ubertate domus Dei (*Psal.* XXXV, 9). Si melodia; ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas; torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus (*Ibidem*). Si sapientia; ipsa Dei Sapientia ostendet se ipsam illis. Si amicitia; diligent Deum plus quam se ipsos, et invicem tanquam se ipsos, et Deus illos plus quam illi se ipsos: quia illi illum, et se, et invicem per illum; et ille se et illos per se ipsum. Si concordia; omnibus illis una erit voluntas, quia nulla in illis erit, nisi Dei summa[1] voluntas. Si potestas; omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut Deus poterit quod volet per se ipsum, ita poterunt illi quod volent per illum: quia sicut illi non aliud volent quam quod ille volet, ita ille volet quidquid illi volent; et quod ille volet, non poterit non esse. Si honor et divitiæ; Deus servos suos bonos et fideles supra multa constituet (*Matth.* XXV, 21); imo filii Dei et dii vocabuntur et erunt, et ubi erit Unicus ejus, ibi erunt et illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). Si vera securitas; certe ita certi erunt nunquam ullatenus illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale quantumve est, ubi tale ac tantum bonum est?

CAPUT XXXV. *Gaudium quantum erit fruentibus eo.* Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas et miserias, imo obrutum miseriis, quantum gauderes si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut te ipsum amares, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum: quia non minus gauderes pro eo, quam pro te ipso. Si vero duo vel tres vel multo plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis, quantum pro te ipso gauderes, si singulos sicut te ipsum amares. Ergo quid erit in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum et hominum, ubi nullus diliget alium minus quam se ipsum? Non enim aliter gaudebit unusquisque pro singulis aliis, quam pro se ipso. Si ergo cor hominis de tanto bono suo vix gaudium suum capiet, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum? Et utique, quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet. Et sicut in illa beata felicitate unusquisque sine comparatione plus amabit Deum, quam se et omnes alios secum; ita plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei, quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat di-

[1] Apud Anselmum, hic non additur, *melius*.

(*a*) Ex Anselmi Prosl. cap. 2.

(*b*) Ex capp. 5 et 9.

(*c*) Quæ sequuntur, sunt ipsamet capita 24, 25 et 26, dicti Proslogii tota hic descripta.

[1] Apud Anselmum, *sola*.

gnitati dilectionis; profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.

CAPUT XXXVI. *[illegible]* Deus meus et Dominus meus, spes mea et gaudium cordis mei, dic animae meae, si hoc est gaudium de quo nobis per Filium tuum dicis: *Petite, et accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum* (*Joan.* XVI, 24). Inveni namque gaudium quoddam plenum, et plus quam plenum. Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio illo, adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium illud. Dic, Domine, dic servo tuo intus in corde meo, si hoc est gaudium in quod intrabunt servi tui, qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed certe gaudium illud quo gaudebunt electi tui, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isai.* LXIV, 4; *I Cor.* II, 9). Nondum ergo cogitavi aut dixi, Domine, quantum gaudebunt electi tui. Utique tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent. Et quantum te, Domine, cognoscent, quantum te amabunt? Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita, quantum te cognoscent et amabunt in illa vita.

Oro te, Deus meus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te, et si non possum in hac vita ad plenum, vel proficiam de die in diem, usquedum veniat illud ad plenum. Proficiat in me hic notitia tui, ut ibi fiat plena; crescat in me hic amor tuus, ut ibi sit plenus; ut hic gaudium meum sit in spe magnum, et ibi in re plenum. Deus verax, peto ut accipiam quod promittis, ut gaudium meum sit plenum. Meditetur inde interim mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat illud caro mea, desideret illud tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini mei: qui est trinus et unus Deus benedictus in saecula. Amen.

ADMONITIO IN LIBRUM
CUI SPECULO NOMEN INSCRIPTUM EST.

Non una est libri subsequentis inscriptio in antiquis codicibus. Appellatur in plerisque Speculum sive Manuale, ducto forsitan titulo ex verbis auctoris, ad Deum circiter finem ita loquentis: *Huic defloratiunculæ operam dedi, ut breve et Manuale verbum mecum de te semper haberem, ex cujus lectione, quoties tepesco, in tuum reaccendar amorem.* Paulo post dicit auctor descriptum a se hunc *sermunculum, uti de Deo sicut corde credit ad justitiam, ita ore confiteatur ad salutem.* Hunc non inepte in manuscripto Parisiensis collegii Bernardinorum inscribitur, Libellus catholicæ fidei. In quo etiam Bernardinorum codice alterum habet proxime adjunctum opusculum cum hocce titulo, Confessio quantum Christus humano generi subvenire dignatus est, quod incipit in hunc modum, *Superiori sermunculo confessionis fidei meæ*, etc. Hæc autem opuscula duo nihilo diversa sunt a prima et secunda parte Confessionis fidei quæ Petri Francisci Chiffletii cura, sub Alcuini nomine quatuor instructa partibus prodiit ex Boheriano exemplari. Scripturam exemplaris hujus Boheriani proxime accedere ad tempus Caroli Magni, nec sæculo nono posteriorem videri, testantur viri rei litterariæ peritia clarissimi, qui ad faciendam de hoc ipso fidem, instrumento edito in Veterum Analectorum tomo I (ubi plura in hanc rem disseruntur) subscripserunt. Quapropter quæ subsequenti Speculo (quod nempe nihil aliud est nisi Confessionis prædictæ pars prima) [illegible] communia cum Meditationibus hic paulo supra excusis, ea non a Meditationibus in Speculum, sed a Speculo potius in Meditationes, quas decimo sæculo posteriores esse liquet, derivasse putandum est. Cæterum verba et sententias hæc non ex Augustini tantum libris, aut Gregorii et Isidori, sed etiam ex ipsius Alcuini scriptionibus aliis decerptas observamus: quo potissimum argumento [illegible] Alcuini esse [illegible] affirmemus. Emendando Speculo, præter Parisienses codices bibliothecæ Colbertinæ et collegii Bernardinorum, adhibuimus etiam Boheriani exemplaris apographum.

SPECULUM,
LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Invocatio ad sanctam Trinitatem.* (a) Adesto mihi, verum lumen, Deus Pater omnipotens. Adesto mihi, verum lumen de lumine, Verbum, Filius Dei, Deus omnipotens. Adesto mihi, vera illuminatio, sancte Spiritus, Patris et Filii unitas, sanctitas, charitas, Deus omnipotens. Adesto mihi, o una Trinitas, et trina unitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus omnipotens. Invocat te, Domine, fides mea, quam dedisti mihi propter bonitatem tuam ad salutem meam. Invocat te, Deus meus, casta conscientia mea, et suavis tuae fidei meæ, quam de crassis ignorantiæ tenebris ad veritatis intelligentiam perduxisti: quam tulta sæculi amaritudine, et tuæ charitatis dulcedine adhibita, saporam mihi et mellifluam reddidisti[1]. Invocat te, Trinitas beata, vox clara et sincerus clamor fidei meæ, quam ab ipsis mihi enutriens cunabulis illuminasti semper

(a) [illegible]

[1] [illegible] *stulta sæculi amaritudine* [illegible] *et tuæ charitatis dulcedine adhibita, saporosam mihi et mellifluam* [illegible] *quam stulta*, fe- [illegible]

per inspirationem tuæ gratiæ; quam adurgens confortasti me per ministerium prædicationis matris Ecclesiæ. Quam dulcis facta est in aure[1] cordis mei, quam suaviter sapit in ipso palato gaudiorum animæ meæ, quam fortiter, quam crebro pulsat mentem meam, et monet, movens omnes sensus meos, et interiora spiritus mei, ut te laudare delectet, quia fecisti nos ad laudandum te! Sed inquieta est mens mea donec requiescat in te, et increpitans me meæ desidiæ, ac colligens a dispersione, qua frustatim discindor dum ab uno te aversus in multa evaneo, ut reversus in me, et surgens supra me, atque cunctis transcensis perveniens ad te, exsultem tibi cordis jubilo, et laudes promam oris officio, quatenus in meditatione confessionis gloriæ tuæ incalescat cor meum, et inhiet tibi spiritus meus, atque ardeat mens mea in amore tuo, oblita vanitatis et miseriæ, dum tibi soli intendit, dumque attonita et stupens adhæret incommutabilitati tuæ gloriæ, oculisque fidei intuetur te solem justitiæ, sicut scriptum est: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17).

Fugiam itaque, Domine, et libenter fugiam obstrepentes tumultus omnium vanitatum. Sed quo fugiam, ut illos declinem, illos calcem sub pedibus, et procul pellam a serenitate jucundi intuitus? Ad te, qui es solum confugium et unica spes miserorum, ad te, gloria mea et exaltans caput meum (*Psal.* III, 4), ad te confugiam de lacu miseriæ et de luto fæcis (*Psal.* XXXIX, 3). Tibi inhæream, prout ipse dederis, suavitas melliflua, ut tu dulcescas mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura. (*a*) Quæram ergo te, Domine, invocans te, et invocabo te credens in te; ut quærens te inveniam te, et inveniens benedicam te qui benedixisti nos omni benedictione. (*b*) Deus meus, unica spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim quærere te, sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inveniri te fecisti, et magis ac magis inveniendi te spem dedisti. Illumina, Domine, cordis mei oculum intimæ visionis perspicua luce: velatus enim est et cæcus tetra caligine peccatorum et ignorantiæ. Illumina eum lumine gratiæ tuæ, ut sinceris fidei oculis, et puro lumine cordis inspiciam mysteria regni tui. Verum quia non est pulchra laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9), et fides sine operibus condignis non laudatur, (*c*) rogo Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctum per Patrem et Filium, ut omnia vitia elongentur a me, et omnes sanctæ virtutes plantentur in me: quatenus acceptabile tibi fiat sacrificium laudis fidei meæ, Deus meus, et ascendat ad te in odorem suavitatis. Obsecro, et misericordiam tuam supplex imploro, cunctarum fons et origo, largitor et conservator virtutum Deus, adauge mihi spem[2], fidem sanctam, rectam et immaculatam, fidem eruditam, catholicam et prudentissimam, fidem ferventem, insuperabilem et orthodoxam; quæ in me omne quod tibi placet, per dilectionem et humilitatem operetur, quæ vinci nequeat inter verba altercationis in tempore persecutionis, vel in die necessitatis. Scrutans corda et renes Deus (*Psal.* VII, 10), (*d*) coram te est sanitas, et infirmitas mea: illam, precor, serva, istam sana. Coram te est scientia, et ignorantia mea. Ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti: ut audiens intelligam te, et intelligens diligam te, et diligens laudem te, atque in toto corde meo desiderem pulchritudinem visionis tuæ semper inspicere. Audio quid nobis intimare vult Scriptura tua, quam sanctificasti et misisti in mundum; audio, et credo ei.

CAPUT II. *Quod spiritus est Deus, et præsens ubique totus.* Dicit enim, *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare et credere* (*Joan.* IV, 24). Sed spiritus incomprehensibilis, incorporeus, incommutabilis, incircumscriptus, ubique totus, nusquam divisus, secundum quod Scripturæ testimonium veridicum hoc enim modo discernitur, Creator a creaturis, in qua sunt qui et spiritus dicuntur. Si ita est, imo quia ita est, (*a*) quomodo invocabo Deum meum et Dominum meum? Quoniam utique in me ipsum vocabo eum cum invocabo eum. Et quis locus est in me, quo veniat in me Deus meus, quo veniat ille qui fecit cœlum et terram? Itane, Domine Deus meus, est quidquam in me quod capiat te? An vero cœlum et terra quæ fecisti, et in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset quidquid est, fit quidquid est ut capiat te? Cur itaque peto ut venias in me, qui non essem nisi esses in me? Non enim ego jam sum inferi[1], et tu tamen illic es; nam et si descendero ad infernum, ades (*Psal.* CXXXVIII, 8). Non ergo essem, Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* XI, 36)? Etiam sic, Domine, etiam sic. Quo ergo te invoco, cum in te sim; aut unde venies tu in me? quo enim recedam, quo ibo? Extra cœlum et terram fortasse, ut inde veniat in me Deus meus, qui dixit, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24)? Capiunt ergone te cœlum et terra, quoniam tu imples ea? An imples, et restat, quod non te capiunt? Et quo refundis quidquid impleto cœlo et terra ex te restat? Annon opus habes ut a quoquam continearis, qui contines omnia; quoniam quæ imples, continendo imples? non enim vasa quæ te plena sunt, stabilem te faciunt; quia etsi frangantur, tu non effunderis. Et cum effunderis super nos, tu non jaces, sed erigis nos; nec tu dispergeris, sed colligis nos. Sed quæ imples omnia, te toto imples omnia. An quia non possunt te totum capere omnia, partem tui capiunt, et eamdem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, et majores majora, minores capiunt minora? Ergone aliqua pars tui major, aliqua minor? An ubique totus es, et res nulla te totum capit? Quid ergo es, Domine Deus meus, quid ergo, nisi Dominus Deus meus? Quis enim Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum (*Psal.* XVII, 32)? Nemo plane, nemo. Nemo enim est alius præter te trinum et unum, unum et trinum, neque in cœlo sursum, neque in terra deorsum. Quis tui similis? Quis magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis in omni virtute, sicut tu Deus noster, qui facis magna et mirabilia (*Exod.* XV, 11), et inscrutabilia quorum non est numerus? Te cuncta magnificant, te omnis spiritus laudat, te adorant, te benedicunt omnia illa beatorum spirituum et supernorum civium agmina. Tibi mater Ecclesia in toto orbe offert preces, et incessanter dicit laudes. Te ego ultimus servorum tuorum laudo et benedico. Tibi mens mea jubilat, tibi omnia ossa mea clamant, *Quis similis tui, Domine* (*Psal.* LXXXVIII, 9)? Et merito cuncta quæ operatus es, tibi soli creatori obediunt, serviunt, tremunt; ad nutum tuum facis quæcumque velis.

CAPUT III. *Quod solo nutu omnia fecit Deus, et in omnibus est totus.* Tu es enim vere Dominus solus, Deus invisibilis, inæstimabilis, incircumscriptus, illocalis, immensus, incomprehensibilis, ubique totus, ubique præsens, ineffabiliter omnia penetrans, omnia continens, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, et universa gubernans, totus in cœlo, totus in terra, totus etiam ubique; et non est alius præter te Deum nostrum, in quem credit et adorat mater Ecclesia apostolica et universalis. Tu es vere[2] colendus et venerandus, timendus et amandus cum omni semper devotione, Domine Deus noster. Qui cum non essemus, potenter fecisti nos; et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bo-

[1] Er. Lugd. Ven., *ore.* Lov., *auribus.* M.
[2] Ms. Boherianus, *fidem,* pro *spem.*
(*a*) Alcuin. col. 171, e.
(*b*) August. lib. 15 de Trinit. cap. 28.
(*c*) Alcuin. col. 273, c. in Orat. Gregorio adscripta.
(*d*) Augustin. lib. 15 cit. de Trinit., cap. 28.

[1] Alias, *in inferis.*
[2] Ms. Boherianus, *jure.*
(*a*) Augustin. lib. 1 Confess., a cap. 2 ad 4.

nitate tua mirabiliter recuperasti nos. (a) Unde confiteor tibi, rex cœli et terræ, et honorifico te sacrificio laudis. Et quia exteriora munera desunt, totis medullis cordis quæ in me sunt, vota laudationis reddo tibi. Sed quia nihil nisi de tuo acceptabile tibi offerri potest; tu Deus, in cujus lumine lumen videmus, da, quæso, lucem in corde, da verbum in ore, da menti cœlestem conscendere sedem :

> Da fontem lustrare boni, da luce reperta
> (b) In te conspicuos animi defigere visus.

Et quoniam altera pars sumus cœli, altera terræ, unde *corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15) ;

> Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,

atque tuo, quæso, splendore illumina obscuram interioris hominis faciem :

> Siste vagas mentes per devia multa ruentes.

Subde carnem spiritui, appetitus rationi, vitia virtutibus, corpus animo, atque tuæ me intus exteriusque subde per omnia voluntati : ut universis suo bene compositis ordine, per gratiam tuam et te perfecte diligere et digne laudare merear labiis et corde, omnique qua valeo virtute clamans ad te, atque ita dicens :

CAPUT IV. *De essentia deitatis.* (c) Summe, optime, potentissime, misericordissime, justissime, secretissime, præsentissime, pulcherrime, fortissime, suavissime, invictissime, verissime Domine Deus noster, stabilis es et incomprehensibilis ; immutabilis mutans omnia, invisibilis videns omnia, immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus, ineffabilis, inæstimabilis, indicibilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, investigabilis, metuendus atque terribilis, venerandus atque verendus, honorandus atque horrendus, nunquam novus, nunquam vetus, omnia innovans, et in vetustatem perducens superbos, et nesciunt : semper agens, semper quietus, colligens et non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans et protegens, nutriens et perficiens, quærens cum nihil desit tibi. Amas, nec æstuas ; zelas, et securus es ; pœnitet te, et non doles ; irasceris, et tranquillus es, opera mutas, sed consilium nunquam : recipis quod invenis, et nunquam amisisti ; nunquam inops, et gaudes lucris ; nunquam avarus, et usuras exigis. Supererogatur tibi ut debeas : et quis habet quidquam non tuum ? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens.

CAPUT V. *Quomodo sit Deus longe et prope, et in omnibus totus.* (d) Qui solus vivificas omnia, qui creasti omnia. Qui ubique es et ubique totus, qui sentiri potes et videri non potes, qui nusquam dees, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ibi dees, ubi longe es ; quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen æqualiter omnia tangis. Quædam enim tangis ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant ; quædam tangis ut sint, vivant et sentiant, nec tamen ut discernant ; quædam tangis ut sint, vivant, sentiant atque discernant. Et cum tibimetipsi nunquam dissimilis sis, dissimiliter tamen tangis dissimilia. Qui ubique præsens es, et inveniri vix potes ; quem stantem sequimur, et apprehendere non valemus.

CAPUT VI. *Quod Deus omnia tangit, nec tamen mo-vetur.* Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia ; nec ex alia parte sustines, atque ex alia superexcedis ; neque ex alia parte imples, atque ex alia circumplecteris ; sed circumplectendo imples, et implendo circumplecteris ; sustinendo superexcedis, et superexcedendo sustines. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum, qui attingis a fine usque ad finem fortiter, et omnia disponis suaviter (*Sap.* VIII, 1). Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, neque habes accessus vel recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quam nullus vidit hominum, sed nec videre potest (I *Tim.* VI, 16 *et* 17) : in te manens quietus ubique circuis totum.

CAPUT VII. *Quod non dividitur Deus in partes.* Non enim scindi vel dividi poteris, quia vere unus es : nec in partes efficeris, sed totus totum tenens totum imples, totum illustras, totum possides. Hoc mysterium mens humana capere non potest, neque concipere, neque oratoria lingua narrare, neque diffusi sermonis [1] bibliothecarum volumina queunt explicare. Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vere indicibilis es, nullo modo scribi poteris neque concludi, qui es fons lucis divinæ, et sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, et ideo immensus, bonus sine qualitate, ideo vere et summe bonus, et nemo bonus, nisi tu solus.

CAPUT VIII. *Quod velle Dei facere est.* Cujus voluntas opus est, cui velle est posse ; qui omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti ; qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, et sine labore gubernas, et absque tædio regis. Et nihil est quod est perturbet ordinem imperii tui, vel in summis vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberis, et omnia contines sine ambitu, et ubique præsens es sine situ et motu. Qui nec mali auctor es, quod facere non potes qui nihil non potes, nec unquam fecisse te quidquam pœnituit, nec ullius commotionis animi tempestate turbaris, nec totius terræ periculo regnum tuum est. Nulla flagitia vel scelera probas vel imperas. Nunquam mentiris, quia æterna veritas es : cujus unius bonitate facti sumus, et cujus justitia punimur, et clementia liberamur.

CAPUT IX. *Quod nihil colendum nisi Deus.* Nam nihil cœleste, nihil terrenum, nihil igneum, nihilque quod corporis sensus attingit, pro te adorandum est vel colendum, qui vere es quod es, et non mutaris : (b) cui maxime ac specialiter illud convenit, quod Græci dicunt ὤν, Latini Est : quia semper *idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). Hinc etenim patenter datur intelligi, quia tu, Deus noster quem colimus, Deus verus et omnipotens, es sine dubio invisibilis, etsi intellectu pio videaris ; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsenteris ; inæstimabilis, etsi humanis sensibus pie credaris sancteque cogiteris ; ineffabilis, etsi humanæ locutionis usitatibus verbis abusive utcunque dicaris : ideo verus et tantus. Cæterum quod sciri, quod comprehendi, quod cogitari, quod dici de te potest, minus est. Quod vero incomprehensibile est et immensum, indicibile et infinitum, tibi soli duntaxat notum est. Hoc namque est quod omnem superat sensum, hoc quoque est quod te facit æstimari et pro certo credi et universalem appellari Deum, dum ad perfectum usque reperiri non vales, dum totus intelligi capive non potes : ita te vis magnitudinis et notum nobis obtecit et ignotum. Et hæc est summa delicti spernentium te scire, nolentium tibi creatori suo servire. Habent quod scientes venerentur, habent quod ignorantes mirentur : habent quod timeant, habent quod diligant. Si enim totus pateres nostræ cognitioni, Deus vivus et verus minime potuisses credi : adeo falsi reperti sunt qui putabantur dii, quoniam sciri per omnia potuerunt qui et quales quantique fuerunt.

(a) Alcuin. col. 175.
(b) Boeth. de Consol. philos. lib. 3, metro 9.
(c) Ita et Alcuin. col. 172, a, b, c, post Augustin. lib. 1 Confess., cap. 4.
(d) Gregorius Magn. homil. 8 in Ezech.

[1] In uno Ms., diffusis sermonibus.
(a) Vid. Augustin. lib. 12 Confess., cap. 11, n. 11.
(b) Alcuin. col. 119, b.

CAPUT X. *Quod in solo Verbo Deus omnia fecit.* At tu Deus noster mirabilis et potens, qui totam istius mundi molem cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussisti, ratione qua disposuisti, virtute qua potuisti, ex nihilo expressisti in ornamentum majestatis gloriæ tuæ, qui tempus ab ipso tunc ævo ire jubens, stabilisque manens das cuncta moveri, qui terram multiplici germine fructuum, et cœlum pulchro decorasti lumine siderum, quorum tu nomina solus, signa, potestates, cursus, tempora nosti. Tu mitis, tu benigne, fortis, zelotes et sabaoth invictissime, visitans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem, et faciens misericordiam in mille millia his qui diligunt te (*Exod.* xx, 5), et timent nomen tuum. Si opera tua ita sunt magna et inscrutabilia, pulchra atque stupenda, dicant qui volunt quomodo ea potens es tu pulcherrimus creator eorum. Constat enim opificem omnium longe se aliter habere quam ea quæ a se fieri voluit. Ex pulchritudine tamen circumscriptæ naturæ et mundialium rerum mirabili specie pulchritudo tua, quæ tu ipse es, quia simplex es, et excellentia gloriæ tuæ quæ circumscribi non potest, intelligi aliquatenus valet, quanquam magnitudinem divinitatis tuæ infinitam et incomprehensibilem nullus possit sensus attingere, neque enim [1] illorum quoque supernorum civium. (*a*) Miro tamen modo essentia tua scitur, dum esse creditur.

CAPUT XI. *De duabus syllabis Dei.* Quotiescumque recolo vel audio duas breves syllabas, et quatuor litteras, quibus scribitur Deus; hoc enim nomen tibi soli, Omnipotens, jure debetur: atque cum intueor tuæ virtutis magnalia et mirabilem mundi creationem, id est, cosmopœiæ considero decorem: simulque mecum tacitus reputo miserationes tuas quæ a sæculo sunt (mirentur enim qui volunt potentiam tuam, sed ego plus stupeo animadvertens misericordias tuas): profecto in his quatuor litteris et duabus brevibus syllabis infinitum quid et incomprehensibile, immensum et inenarrabile mentis intuitu, et sinceris fidei oculis, pro scire et posse quod mihi tantillo homini dignaris largiri, contemplor. Numquid enim (*b*) duæ breves syllabæ tu Deus noster es, aut duas breves syllabas adoramus, vel ad duas breves syllabas pervenire desideramus: quæ pene ante desinunt sonare, quam cœperint; nec in eis secundæ locus est, nisi prima ante transierit? Manet quippe magnum aliquid, et magne summeque est, quod incomparabile et omnium præcellentissimum est [2] quod dicitur Deus, quamvis non maneat sonus, cum dicitur Deus.

CAPUT XII. *Quod in natura sua non videtur Deus.* Verum quia caro nescit spiritum, et invisibilia a visibilibus non videntur; per fidem enim ambulamus, et non per speciem: (*c*) humanæ tu, Deus noster nimis bonus et pius, consulens infirmitati, dignaris te nobis insinuare, non tua proprietate, sed alia quadam similitudine. Unde et nostrorum qualitatem membrorum habere describeris, volens passionum indigna de te ipso ad hoc proferri: ut quia sicut es, te nequimus scire in præsenti miseria, per nostra ad tua nos trahas, et nos, dum condescendis nobis, facilius consurgamus tibi.

CAPUT XIII. *De imagine Dei in homine facta.* Multis siquidem modis ad significandum te hominibus, de rebus inferioribus ad te species ducis, quem revera juxta propriam naturam invisibilem constat esse et incorporeum, incomprehensibilem et incircumscriptum: ac per hoc nunquam alicui apparuisse secundum essentiam, sed modis quibus voluisti, per assumptam creaturarum speciem, ad efficientias causarum credimus. Falluntur itaque Anthropomorphitarum hæreseos cultores, qui dum legunt hominem ad imaginem et similitudinem Dei factum, [illegible] te [illegible] humanum te habere [illegible] vel dicunt vel credunt membra, [illegible].

CAPUT XIV. *De longitudine, latitudine, altitudine et profunditate Dei.* (*a*) Et quamvis nihil dignum de te humanus sermo loquatur, quia nec secundum qualitatem aut quantitatem, [illegible] aliquid de te digne dicitur. Et tamen latitudo, longitudo, altitudo et profunditas tibi quodam modo inesse legitur. Sed latitudo quidem charitatis, qua nos ab errore colligis et contines in veritate; longitudo vero, qua nos longanimiter in malis portas, donec [illegible] futuræ patriæ restituas; altitudo autem, qua omnem sensum et hominum et angelorum sublimitate scientiæ superexcellis; profunditas quoque, qua damnandos inferius juxta æquitatem disponis, atque recto judicio judex justus [illegible]. Quisquis igitur supergrediatur creaturam et mentis intentionem ultra omnia dirigat, qui aliquid voluerit de tua [illegible] proprietate, summa boni deitas [1].

CAPUT XV. *De cognitione sacræ Trinitatis.* Tunc enim homo procul positus a vanitate, plenius in veritate tenetur, quando in corde ejus quidquid est, Deus [illegible] ab intuitu [illegible] per creditum, et [illegible]. Sed licet nemo sit, qui te in hac valle lacrymarum valeat efficaciter comprehendere vel dicere, magnum tamen et mirum valde nostræ [illegible] datum est, scire de te summo bono, tua nobis nimirum gratia revelante. Quis ante nos in [illegible] (*I Cor.* x, 11), talia se manifeste audire potuit vel cognoscere de Trinitate et unitate, de personis et substantia? De te quidem, Pater Deus, quod sis a nullo, et ideo ingenitus dicaris; de Filio autem tuo, quia genitus et a te sit, non a se; de Spiritu quoque sancto, quia procedens et non sit a se, sed a te et Filio, quorum est Spiritus. Ita tamen, ut sicut tu Pater nec genitus, nec procedens dici potes; sic Filius nec ingenitus, nec procedens; sic nec Spiritus sanctus ingenitus, nec genitus dici debeant: quatenus proprietas personarum te unum Patrem simul cum uno Filio et uno Spiritu sancto patenter nobis ostendat. Quis prioribus sæculis in te unum credere Deum, et te confiteri trinum, neque substantiam separans, neque personas confundens, sic prudenter intellexit, sic palam sapuit, sic vere cognovit? Filius sane tuus missus (*b*) ad publicum nostrum de sinu tuo, hanc rectæ fidei normam evidentius huic ultimæ patefecit ætati. Priusquam creaturæ ostenderes creatorem, in sola notus eras Judæa, Deus, et in Israel magna nominis tui fama et cultus audiebatur (*Psal.* LXXV, 2). Sed numquid sic liquido, aut tantum quantum apud nos sub gratia constituto? De Trinitate vero individua parum quid tunc perpauci senserunt. Legislatorum enim filii quid de una Trinitate, vel trina unitate scire debeant, digna percussi cæcitate adhuc ignorant: aliud præter unum Deum nisi rudente confiteri, et garrientes in nos verbis malignis, dum dicimus te Patrem habere Filium. Nobis autem qui ex Gentibus venimus, quam multa et vera de trino unoque Deo datum sit sapere, probant corda quæ credunt, necnon et ora quæ confitentur, atque nihilominus flagella ipsa, et mors quæ pro hac ipsa confessione illata sunt: scriptum est enim, *Super senes intellexi* (*Psal.* CXVIII, 100).

CAPUT XVI. *Quod Trinitas sit individua. Creare solius Dei est. Verbum quomodo in Patre.* (*c*) Domine Deus noster vivus et verus, nisi tu trinitas esses, non diceretur voce Veritatis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.*

[1] Alias, *etiam.*
[2] Ms. Boherianus addit, *cunctisque dissimillimum.*
(*a*) Isidor. lib. 1 sent., cap. 3.
(*b*) Ex Tract. August. 29 in Joan.
(*c*) Ex Isidoro, lib. 1 Sent., cap. 3, cum insigni varietate. Vid. et Alcuin. col. 273.

[1] Boherianus Ms., *Dei bonitas.* Editi, *boni deitas.*
(*a*) Ex Isidori sent. lib. 1. cap. 2.
(*b*) Modus loquendi Alcuino usitatus. Sic. col. 153, e.
(*c*) Alcuinus, col. 148, post August. lib. 10 de Trinit., cap. 28. Vid. Tract. August. 29 in Joan.

xxviii, 19). Neque enim baptizari juberemur, Domine Deus, in ejus nomine qui non esset Dominus Deus. Et rursum, nisi tu Trinitas esses unus Deus, nequaquam tua voce diceretur : *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* vi, 4). Ergo nisi tu Deus Pater ipse esses, et Filius tuus Verbum tuum Jesus Christus ipse esset, et donum vestrum tuum ipse Spiritus sanctus, non legeremus in Litteris veritatis, *Misit Deus Filium suum* (*Galat.* iv, 4). Nec tu, Unigenite, diceres de Spiritu sancto, *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* xiv, 26); et, *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Id.* xv, 26); et alibi, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* x, 30) : et, *Qui videt me, videt et Patrem. Ego enim in Patre, et Pater in me est*; et, *Pater in me manens ipse facit opera* (*Id.* xiv, 9, 10). Quid enim his verbis aliud, nisi trinum et unum Deum doces nos credere tu magister veritatis, in cujus pectore reconditi sunt thesauri sapientiæ et scientiæ? Dicis quoque, *Mea doctrina non est mea* (*Id.* vii, 16); et, *Sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris* (*Id.* xiv, 24). Res mira, res admiranda. Dic ergo, dic, Verbum Patris, responde, quæso, Virtus et Sapientia summi Principii; sed tu ipse principium de principio, non tamen duo principia, sed unum certe principium. Dic, Verbum semper manens, doce servum humiliter interrogantem. Quid enim tam tuum quam tu? Sed tu tuus et non tuus, quia non es a te ipso, sicut in multis sæpe locis testaris; sed a Patre cujus os verbum, non sonabile per syllabas et volatile, sed semper immobiliter vivens atque manens. Et ideo verbum non quod desinit prolatum, sed quod permanet natum; [illegible] factum, sed genitum : nec solum genitum, sed etiam unigenitum : cui ratio adest disponenti, et virtus præsto est perficienti, utpote vero Deo et summo Domino. Te quippe unigenitum Verbum Pater genuit de se ipso, per quod omnia creavit ex nihilo. Et idcirco indubitanter credimus, quia nisi omniscium et cunctipotens Verbum Deus esses, nullo modo per te omnia facta fuissent. Quomodo creatura creare aliquid potest? Creare certe solus Deus valet, qui creatus non est : nihil enim excepto Deo non creatum est. Absit ab intellectu nostro, ut aliquid fateamur ex Patre nasci nisi Filium; et ideo non nisi Deus nasci potuit ex Deo.

Unde te mihi, Patris Verbum, considerare volenti, nulla sufficiunt verba, quibus te valeam explicare. Quando autem abunde vel digne loqui potero? Quis de quo? Homo de Deo, opus de opifice, creatura de Creatore, parvus de immenso, temporalis de æterno : cujus venerabilis potentia omnipotentissima, qua nos gratuita bonitate fecisti : nec minus tamen venerabilis gratia, qua nos omnipotentissima misericordia salvasti. Qui et opus creatricis omnipotentiæ gratis fecisti, et opus salvatricis gratiæ omnipotenter implesti : habens nimirum perpetem potestatem, et condendi incondita, et reparandi perdita. Nec igitur ille præcipuus theologorum summa profundius cæteris aquilinis contemplatus obtutibus scriptitans eructaret, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum* (*Id.* i, 1, 2) : nisi tu Deus Verbum, semper apud Patrem; semper cum Patre, semper de Patre, semper in Patre esses : non sicut vas in vase; vel civitas apud urbem; sed veluti sapientia intra sapientem, veritas in verace, bonitas in bono, æternitas in æterno : quia nihil aliud in Patris substantia nisi Deus æqualis et coæternus illi a quo genitus es, esse potest. Obmutescat itaque, et cum suis auctoribus pereat omnis hæretica pravitas; quæ nimia semper lite nunc substantiam dividit, nunc personas confundit. Crescat, rogo, fide, et magis magisque piis fecundetur actibus mater Ecclesia, quæ tres deos colere, Trinitatem in personis non[1] distinguere profanum et nimis impium judicat. Hæc denique cœlestibus erudita disciplinis credit, confitetur et docet unam procul dubio substantiam et tres personas, sciens omnia quæ ad fidei regulam pertinent. Hujus magisterio et doctrina cœlitus inspirata a puero doctus, corde credo, ore confiteor te, o summa Trinitas, una virtus et indiscreta majestas.

CAPUT XVII. *De cognitione divinæ essentiæ incorporeæ.* (*a*) Confiteor te Patrem et Filium et Spiritum sanctum in personis trinum, in substantia unum, verum Deum omnipotentem, visibilium et invisibilium conditorem, non corpus aut in corpore positum, neque ex diversis speciebus admixtum, aut membrorum compaginibus effigiatum, sed unius simplicis et incorporeæ, invisibilis et incircumscriptæ naturæ. Te quidem verum Patrem summæ bonitatis et totius deitatis principium, incircumscriptæ et ingenitæ majestatis Deum, ex nullo ducentem initium, sed omnibus initium dantem, credo et confiteor non corporali progenie neque extrinsecus, non necessitate neque voluntate, sed natura Filium generantem.

(*b*) Confiteor et verum te Filium ex Patre sine initio ineffabiliter natum, verum Deum unigenitum, per quem omnia facta sunt, et verum Patris Verbum, non factum, non creatum, non adoptativum; sed genitum et unius cum Patre substantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possis inferior. Tantumque te esse confiteor qui genitus es, quantus est ipse qui te genuit. Non autem, quia dico genitum a Patre Filium, divinæ et ineffabili generationi aliquod tempus ascribo; sed nec Patrem dico aliquando cœpisse, nec te ejus Filium. Quia semper fuit pater, [illegible] igitur non fuisti filius. Non enim aliter confiteri possumus æternum Patrem, nisi confiteamur etiam coæternum Filium. Ex filio enim pater dicitur : et quia semper Pater fuit, semper habuisse Filium dubium non est.

CAPUT XVIII. *De processione Spiritus sancti a Patre et Filio.* Te quoque credo Spiritum sanctum verum Deum, non factum, nec creatum, nec genitum, neque ingenitum; sed ex Patre Filioque inenarrabiliter procedentem, et in Patre simulque Filio substantialiter permanentem. Sic igitur ab utroque procedis, ut inseparabiliter in utroque maneas : atque ita per omnia Deo Patri et Filio æqualem, coæternum, consubstantialem, ut neque potestate, neque voluntate, neque æternitate, neque substantia differri possis ab eis vel præcidi[1] a quibus procedis. Igitur æternum Patrem sine nativitate, æternum Filium cum nativitate, æternum Spiritum sanctum cum processione sine nativitate; totum Patrem in Filio et Spiritu sancto, totum Filium in Patre et Spiritu sancto, totum Spiritum sanctum in Patre et Filio permanentem; et Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum omnipotentem, una potestate, unoque regno, una majestate, una æternitate, ex tunc et nunc et semper ubique regnantem corde credo, ore confiteor, et mente diligo.

Ad hanc fidei regulam dirigens intentionem meam, quantum me posse fecisti, Deus meus, quæsivi te, et desideravi intellectu videre quod credidi. Hujus rei gratia ingressus sum multarum apothecam deliciarum, quibus pascitur mater Ecclesia : ubi consideravi plurima, et cœpi explorare singula. Et cum huc illucque anxius avidusque discurrerem, tu bonus adjuvare cupiens desiderium quod dedisti, misisti manum pietatis tuæ, et solvisti nodum ambiguitatis meæ : et ideo delectat me de te valde cogitare, de te loqui, laudesque tuas pro modulo exiguitatis meæ desideranti corde depromere, ut in præsenti miseria solo quidem corpore, tecum autem mente et omni aviditate, mi, tenear, Domine.

CAPUT XIX. *De comparatione trium personarum.*

[1] Ex Bohemiano codice hic additur, *non*.

[1] Alias, *præcedi*.
(*a*) Alcuin. col. 150, a; 151, a.
(*b*) Ex Pelag. Vid. serm. 236, n. 2. Append. tom. 5.

Quam veneranda Trinitatis et Eucharistiæ mysteria. Deus trine et une, scientiæ lumen accende in me, per quod te intelligere merear trinum et unum Deum, sicut es trinus et unus Deus. Et ignorantiæ tenebras magis magisque sicut cœpisti remove a me, ut spiritualia spiritualiter videam, quantum possibile est humanæ fragilitati. Da mihi in via hac, qua te duce gradior, intellectum, atque inspira mihi, et semper doce per gratiam tuam, qualiter in te irreprehensibiliter sit credendum, ut te unum Deum essentialiter sapiam, et incomprehensibiliter trinum personaliter capiam; Patrem ingenitum, de Patre Unigenitum, de utroque procedentem et in utroque manentem Spiritum sanctum, nullum tribus anticipationis vel posteritatis intervenire momentum, nec dispertitum habere imperium; non in creandis consilium, regendis perficiendisque creaturis auxilium opusque divisum. Quidquid illic naturale est, indiruptum; quidquid personale est, inconfusum. O mysterium ineffabile et præ cæteris intellectu difficile! Reliqua vero sacramenta quæ tenentur in Ecclesia tua, Domine, stupenda sunt et veneranda; sed istud tui sacramentum præcellit universa. Hoc nempe tuæ individuæ Trinitatis mysterium, et illud cœlestis mensæ Sacramentum, quæ fideles et pias animas pascit carne et potat sanguine, ne esuriant, neque sitiant in æternum, fac me, Deus meus, pura et simplici conscientia præcipue inter cætera sentire et credere, sumere et retinere. Ne sinas, quæso, Domine, fidem in eis meam aliquatenus vacillare; sed ita semper in eis et de eis pro tua tribuas pietate mihi credere ac intelligere, sicut veritas eorum se habet. Intret in cor meum gratia tua, quæ sonet sine sono et sine strepitu, loquatur ibi tantorum omnem veritatem mysteriorum; luce et dulcedine intus ubique, et foris undique perfundat animam meam illa magistra virtutum, et judex[1] omnium veritatum; et sic irradiando et saporando eam in ipso veritatis centro stabiliat atque confirmet, ut nec velim nec possim de tantis mysteriis aliter sentire, nisi sicut oportet et decet[2]. Omnipotens bonitas, cujus pietatis aures ipsis pauperum tuorum desideriis patent, intellige clamorem cordis mei, et fave votis meis. Præsta, Domine, ut ipso mentis palato sentiam, gustem et sapiam hæc ineffabilia sacramenta: magna enim sunt et mira valde, et ego parvulus in eorum consideratione deficio, quoties ad intuenda ea fidei oculos attollo. Sed quia uno modo utraque nobis necessaria sunt ad salutem, Deus auctor omnium, invisibilis creator, qui es in substantia summa et una divinitas, atque personaliter vera et perfecta Trinitas: te Deum Patrem exoro ex quo omnia, et Filium tuum per quem omnia, simulque Spiritum sanctum in quo omnia; te Dominum meum, quem unum et verum in trinitate confiteor Deum, quo creati, liberati et illuminati sumus, supplex rogo tantorum avidus mysteriorum, lacta me, nutri me, et in mensuram ætatis usque perfecti viri meam extende exiguitatem, ut solidum hunc et perfectum cibum capere valeam. *Imperfectum* enim *meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII, 16).

CAPUT XX. *Quod divina substantia individua est.* Dator omnium bonorum Deus Pater, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, cum Filio tuo ac Spiritu sancto, da quod a te desiderat et a te postulat anima mea. Quorum enim una est substantia, unum est et datum, una et operatio, unum donum, unaque potestas: ut in ipsa quoque personarum proprietate juxta profundiorem intellectum quædam unitas sentiatur. (*a*) Inseparabilis nimirum naturæ tuæ unitas non potest separabiles habere personas: quia sicut trinitas es in unitate, et unitas in trinitate, sic separationem non potes habere personarum. Nominantur quidem illæ personæ aliquando singulæ; sed ita voluisti te, Trinitas Deus, inseparabilem ostendere in personis, ut nullum tibi nomen sit in qualibet persona, quod ad aliam personam secundum relativam regulam non referatur; sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem et Filium verissime refertur. Ea vero nomina quæ substantiam vel potentiam vel essentiam tuam significant, vel quidquid proprie dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conveniunt, ut Deus, magnus, bonus, æternus, omnipotens et omnia quæ naturaliter de te Deo dicuntur. Non est igitur aliquod naturæ nomen quod sic tibi Deo Patri possit convenire, ut aut Filio tuo, aut Spiritui sancto convenire nequeat. Dicimus te Deum Patrem naturaliter esse Deum, sed naturaliter est et Filius Deus, naturaliter est et Spiritus sanctus Deus; non tamen tres dii, sed unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Idcirco inseparabilis es, sancta Trinitas Deus, in personis sensu intelligenda, quamvis in voce separabilia habeas nomina; quia pluralem numerum naturæ nominibus nullatenus recipis. In hoc enim ostenditur personas non posse dividi in sancta Trinitate, quæ unus verus Deus est; quia cujuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si Patrem dico, Filium ostendo; si Filium nomino, Patrem prædico; si Spiritum sanctum appello, alicujus esse spiritum necesse est intelligi: id est, Patris et Filii. Tu vero, unitas deitatis personarum pluralitate multiplex, numerabiliter es innumerabilis, ac idcirco mensurabiliter immensurabilis, et ponderabiliter imponderabilis: non enim summæ bonitatis, quæ tu ipse es, profitemur originem ex qua omnia, per quam omnia, in qua omnia; sed ejus participatione dicimus bona omnia.

CAPUT XXI. *Quod in divinitate non est materia.* Nam tua divina substantia semper caruit ac caret materia, licet non careat forma: quam dum imprimis quasi sigillum rebus singulis, eas sine tui augmenti aut detrimenti mutabilitate procul dubio a te facis differri. (*a*) Quidquid in natura creaturarum est, creatura tua est, o trina unitas et una trinitas Deus, cujus omnipotentia omnia gubernat, regit et implet quæ creavit. Nec ideo te omnia implere dicimus, ut te contineant: sed ut ipsa potius a te contineantur.

CAPUT XXII. *Quod non est pars in Deo nec divisio.* Nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque res pro magnitudine portionis suæ capiat te, id est, maxima majus, vel minima minus; dum potius in omnibus totus ipse sis, sive omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum. Immensitas quippe divinæ magnitudinis tuæ ista est, ut intelligamus te intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum.

CAPUT XXIII. *Quod Deus continet omnia.* Et ideo interior es, ut omnia contineas; ideo exterior es, ut incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia circumcludendo regas. Per id ergo quod exterior es, ostenderis esse creator; per id vero quod interior es, omnia gubernare et regere demonstraris. Ac ne ea quæ creata sunt sine te essent, tu intra omnia es: verum ne extra te essent, tu exterior es, ut omnia concludantur a te, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, quia ubique es præsens, et omnia tibi præsentia, quamvis quidam hoc intelligant, quidam vero non intelligant.

CAPUT XXIV. *Quod non sit corporea deitas.* Hæc et alia multa docuit me mater Ecclesia, mater sancta, universalis et orthodoxa, cujus me fieri membrum voluisti per gratiam tuam; et de ejus cœlesti doctrina me ita certum et securum in omnibus pro tua pietate reddere dignatus es, Domine, per assiduam tuæ inspirationis illuminationem, ac si multa quæ clausa mysteriis latent, non per speculum, sed facie ad faciem intuerer. Docuit igitur te solum vivum et verum

[1] Alias, *index*.

[2] Codex Bolierianus addit, *Mirum est quod gestio dicere; sed lingua non explicat quod mens optat.*

(*a*) Alcuin. lib. 1 de Fide sanctæ Trinit., cap. 14.

(*a*) Alcuin. lib. 1 de Fide sanctæ Trinit., cap. 4, post Isidor. lib. 1 Sent., cap. 2.

Deum non esse corporeum vel passibilem vel palpabilem, nullam tui partem corporeis oculis posse videri, nihil de substantia tua atque natura ullo modo esse violabile, aut commutabile, aut fictum, (a) aut majus aut minus; sed per omnem modum ex omni parte sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio veritatem, sine loco ubique totum, sine situ ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contractione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initium dantem, sine tui mutatione omnia mutabilia facientem, atque semper et ubique regnantem, sine fine manentem. Domine Deus une, Trinitas Deus, qui incomparabiliter rebus omnibus antecellis: adeo es ineffabilis, infinita et incomprehensibilis, ut parvissimum sit valde omne quod de te dici potest. Multa enim dicimus; sed plene id quod es dicere non possumus. Et quia universorum consummatio sermonum ipse es, cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt procul dubio multa ista quæ dicimus, et manebis unus omnia in omnibus, et sine fine dicemus omnia unum, laudantes te unum, et in te facti etiam nos unum: videntes te jugiter sine fine incorporalem, naturaque immutabilem trinitatem, et in te omnia scientes, et in te gaudium perpetualiter mansurum habentes, ab omni sanati languore, et in illam immortalitatis gloriam transformati.

CAPUT XXV. *De visione Dei. Trinitas una.* Cum venerit visio hæc quæ de facie ad faciem promittitur, quando palam de cunctis annuntiabitur mysteriis, et fidei species atque spei res succedent; tunc clarius certiusque scientes intuebimur, nihil creatum, aut serviens in te, Trinitas una, nihil inæquale, nihil gratia æquale, nihil anterius posteriusve, nihil majus, aut minus, nihil extraneum aut officiale alteri, nihil persuasione[1] aut subreptione insertum, nihil moribus vel voluntate diversum, nihil cuiquam singulare aut alteri communicabile, non confusum, totum perfectum; quia totum in uno et unum in toto, non tamen solitarium: quoniam summum bonum et summam sapientiam, et summam benignitatem te, sancte Pater, unum omnium principium; et Veritatem tuam, per quam te intelligimus, nulla ex parte tibi dissimilem, quæ forma est omnium, et quæ sola implet hoc quod appetunt omnia; simulque ipsum utriusque Donum, quo beata sunt quæcumque beata sunt, in te et cum te colimus et adoramus, unam scilicet incommutabilem Trinitatem.

CAPUT XXVI. *Exemplum de igne et anima.* Cum enim tertio repetitur quod unum est, non numerus coacervatur, sed unum esse illud asseritur. (b) Gignens, genitus, et procedens, tres quidem personæ, sed una substantia. Sicut ignis, candor, calor, tria nomina, sed res una; sic memoria, intellectus, voluntas, sed una anima, quæ inseparabiliter demonstrantur, et inseparabiliter operantur. Si hoc in creaturis invenitur, quid de te Creatore intelligendum est. Natura quippe divinitatis tuæ immobilis est omni modo et incommutabilis; personæ vero mobiles sunt secundum relationem, non mixta proprietatem; et ideo in relatione personarum trinitas, in naturæ vero substantiæ unitas. Unitas siquidem propter inseparabilem essentiam deitatis; trinitas autem propter diversitatem nominum. Non enim nomina tantum, sed etiam nominum proprietates, hoc est personas, vel, ut Græci exprimunt, hypostases, id est subsistentias, confitemur.

CAPUT XXVII. *De immutabilitate Dei. Incomprehensibile Trinitatis mysterium.* Hæc tamen dicimus de te, Deus noster, ut possit humana intelligentia capere. Cæterum (a) quis in hac vita positus vel crystallino pectore sufficiat penetrare tuæ ipsius Trinitatis interna mysteria, quomodo Pater, Filius et Spiritus sanctus tres personæ estis et una natura; quomodo tu Pater diceris ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus nec genitus nec ingenitus, sed procedens dicatur; quomodo Filius de te Patre natus est, Spiritus sanctus de te procedit et Filio; quomodo Filius nascendo non procedit, Spiritus sanctus procedendo non nascitur; quomodo Filius non de se, sed de te est, nec tamen tibi est posterior de quo est; quomodo Spiritus sanctus de te procedit et Filio, nec tamen a vobis præceditur[1] a quibus procedit; quomodo tria unum estis, et unum tria; quomodo invicem relative tria estis, essentialiter unum; quomodo trinus et unus Deus, non localiter, sed ubique es; et non particulatim ubique es, sed ubique totus, ubique præsens sine situ et loco et motu? Quis ista, rogo, consideret? Quis hæc comprehendat quacumlibet probitate vel scientia præditus? Hoc tamen in spe promissionis repositum est, quia videbimus te, Domine: et tanto unusquisque perspicacius, quanto hic vixerit purius. Quia mundi corde, teste Scriptura, Deum videbunt (*Matth.* v, 8). Aperte namque videbitur cuncta mentis jam detersa caligine, quomodo Filius qui oriendo est, tibi, o Pater, de quo oritur, subsequens non est: et quomodo Spiritus amborum, qui per processionem producitur, a vobis proferentibus non præitur; quomodo et unum divisibiliter tria, et tria indivisibiliter estis unum. Visa enim claritas ad impassibilitatem nobis tuæ majestatis speciem purum amantis intuitum mentis rapiens sublevabit. Sed ipsa claritas natura est, et ipsa natura claritas est. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficietur, quando Sapientiam tibi coæternam, quam modo per ora doctorum sumimus, in ipso fonte bibemus. Omnia autem sacramenta et cuncta nobis tunc apparebunt arcana, non doctorum verbis (non enim ullo indigebimus mysteriis, cum facie ad faciem videbimus te), sed inde, ni fallor, unde Angeli te vident. Quid nos tunc latere poterit, quando tu, Deus noster vita viventium, causa causarum, forma formarum, forma formosissima, forma informata, te nobis clara visione insinuabis?

CAPUT XXVIII. *Quod deitas materia caret.* Non enim indignum tibi videtur cum te formam vocamus. Nam tu essentia, et species dici potest et forma (non frustra enim speciosissimum quam formosissimum in laude tua ponimus), sed forma quæ materia caret et motu, tempore et loco, atque ideo verum est, et est id quod est, reliqua vero non sunt id quod sunt. Hæc veraciter sola dicere potest, *Ego sum qui sum* (*Exod.* iii, 14). Hæc tanta ac talis est, ut de ejus pulchritudine [illegible] nihil in hac vita sibi mens [illegible] humana sufficit, quod solum electis tuis præmium in subsequenti remuneratione reservas.

CAPUT XXIX. *De vita sine fine [illegible].* Cum ergo ad te pervenerimus fontem vitæ et lumen æternum et dulcissimum speciei; ex visione tua erit nobis delectabiliter impressa [illegible] solicitas. Sed longe aberit a sit necessitas, longe a satietate fastidium; quia sitientes satiabimur, et satiati sitiemus. Tu denique æterna nobis vita, gaudium, et corona eris. Tua beata visio erit nostri laboris præmium, ut post mortalitatis hujus tenebras æternæ gloriæ tuæ luce gaudeamus. Videbimus itaque tuæ incommutabilitatem essentiæ, ut per hanc et tecum erimus incommutabiles, sed non sicut tu vides te. Licet nobis etiam quidquid erimus, poterimus nosse, [illegible] te tamen qui comprehendi non potes quid es, quidquid illud est quando possumus nosse? Et si poterimus, [illegible] possumus: et tamen cum poterimus, numquid sic te nosse valebimus sicut te nosti, Deus? Ipsa quoque rationabilis et electa creatura non æqua-

1 [illegible], persuasione. — 2 Alias, nihil.
(a) [illegible]
(b) [illegible] ad [illegible], 1.

1 Alias, [illegible].
(a) [illegible] lib. 2, 3, [illegible], paucis variatis.

liter visione tui potietur, unusquisque eum pro mercede laboris sui, sed plene sibi adhibeat quod singulis datur intueri. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine* (*Psal.* xxx, 20)! *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (*Psal.* lxxxiii, 5). Felices qui jam pelagus hujus mortalitatis transierunt, et ad portum perpetuæ securitatis pervenerunt. Infelices nos qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis, et inter pericula multa variosque casus incerti navem laborantes trahimus.

CAPUT XXX. *De vita æterna.* (*a*) Domine, da nobis te rectore, te duce inter Scyllam et Charybdim ita tenere iter per medium, ut integra nave et salvis mercibus pervenire possimus ad te portum tui sinum. Felix anima quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum petit; quæ beatis jam admixta spiritibus majestati tuæ assistit, quæ te incircumscriptum lumen cernit, quæ nullo metu vel mortis vel hostis afficitur, quæ incorruptionis perpetuæ munere lætatur. O vita vitalis, dulcis et amabilis, et semper memorialis, ubi non est hostis impugnans, ubi nulla[1] illecebra, sed summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata tui sine fine visio atque laudatio, Deus! Utinam hæc succedat, et mortale hoc induatur immortalitate! Utinam desinat et quam cito finiatur ista vita[2], vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores exterminant[3], ardores exsiccant, aera morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit; et post hæc omnia mors interimit, universis gaudiis finem imponens, ita ut cum desierint esse, nec fuisse putentur. Jamjamque adveniat, Domine, advolet, obsecro, regnum illud carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, (*b*) ubi illi Angelorum hymnidici chori et supernorum civium societas, ubi dulcis solemnitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ubi providi Prophetarum chori, ubi judex Apostolorum numerus, ubi innumerabilium martyrum victor exercitus, simulque confessorum constantia præmii sui perceptione consolata, ubi fideles viri, quos a virilitatis suæ robore voluptas hujus sæculi emollire non potuit, et sanctæ pariter mulieres, quæ cum sæculo sexum vicerunt; ubi pueri, qui dum essent in carne, annos suos moribus transcenderunt, atque senes quos ætas debiles reddidit, et virtus operis non reliquit. Ad horum omnium sanctam frequentiam, et tuæ inspiciendæ pulchritudinis mansuram sine fine lætitiam, fac me, Domine Deus, toto corde intendere, viriliter currere, feliciter pervenire. Interim dum in isto manco corpore, in his semper meditationibus mentem meam bonorum insinuator exerce. Munda ergo cordis intuitum, acue mentis intellectum, accende cœlesti igne animum; ut te solum cogitem, te solum amem, te solum in corde habeam et in ore, qui es futurum nobis sine fine præmium. Et ut pondus mortalitatis meæ levius feram, da lumen in corde, da verbum in ore, aperi sanctarum secreta Scripturarum, et profunda mysteriorum regni tui visceribus meis propina. Da ex amore tuo lacrymas, (*c*) da fidei virtutumque pennas, quibus indutus sursum ad te volitem, et perosus terram, cœlum petam. Hanc fidem per te, de te, in te confiteor, o beata et benedicta et gloriosa Trinitas, o vera et summa et sempiterna unitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus Dominus, Paracletus; charitas, gratia, communicatio, verum lumen, lumen ex lumine, vera illuminatio, vivens vita, vita a vivente, vivificator viventium, fons, flumen, irrigatio; unus ex uno, unus ab uno, unus ab ambobus; ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia; id est, a se Pater, ab altero, id est, a Patre Filius, ab utroque Spiritus sanctus, id est, a Patre et Filio; is a se, is ab altero, is ab utroque; omnes autem hi semper in tribus, et omnes hi æqualiter in singulis. Verax Genitor, Veritas Genitus, amor amborum Spiritus sanctus. Una virtus, æqualis majestas, par gloria, una eademque essentia. Sapiens Genitor, sapientia Genitus, et charitas Spiritus sanctus.

CAPUT XXXI. *De luce divina.* Deus trine et une, Deus omnipotens, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (*Jacobi* i, 17), et ideo apud te cursus temporis diei noctisque alternatione nequaquam variatur. Deus lux vera, quæ sine accessu ea quæ eligis illustras, et sine recessu ea quæ respuis deseris, et ideo in te nullus defectus, nulla mutabilitas venit. Deus qui in temetipso manendo immutabilis es, sic in se transitoria condidisti, ut apud te transire nequaquam possint; et ideo in conspectu tuo tempus non defluit quod apud nos fine[1] decurrit. Deus in cujus æternitate fixa manent ea, quæ non fixa exterius sæculorum volumina emanant; et ideo æternitas tua dies est una, quæ nec fine clauditur, nec initio aperitur.

CAPUT XXXII. *Quod sit immutabilis Deus.* Deus, qui sine mutabilitate tui simul cuncta respicis, sine distentione comprehendis et bona quæ juvas, et mala quæ judicas, et quæ juvans remuneras, et quæ judicans, damnas, in his quæ diverso disponis ordine diversus non es. Deus, qui opera tua extra circumdas, et intra reples, supra tegis, et infra fers; et licet sis superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; tamen superior et inferior es sine loco, amplus sine latitudine, subtilis sine extenuatione, et ideo per molem corporis nusquam es, sed per incircumscriptam substantiam et immensitatem incommutabilis naturæ nusquam dees. Sed quia longe distas Creator a creatura, cogitare quis valet qualiter sis in loco, qui non caperis in loco? Omnino enim in loco esse non potes, quoniam ubique es et non in loco. Ipse tibi locus illocalis crederis esse spiritus incircumscriptus, unde difficile invenitur ubi sis, sed multo difficilius, ubi non sis. Quis sine te subsistere vel esse potest? Et tamen tecum non omnes possunt esse. Omnia enim a te sunt, et per te subsistunt.

CAPUT XXIII. *De infinitate Dei. Gratiæ aguntur Deo. Scopus hujus libelli.* (*a*) Deus vera et infinita beatitudo, a quo et per quem et in quo beata sunt omnia quæcumque beata sunt. Deus vera et summa vita, a quo et per quem et in quo vivunt omnia quæ vere summeque vivunt. (*b*) Deus bonum et pulchrum, a quo et per quem et in quo bona et pulchra sunt omnia quæcumque bona et vere pulchra sunt. Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil, ultra quem nihil, infra quem nihil. Deus sub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deus cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. Deus qui petere jubes, et invenire facis, et pulsantibus aperis (*Matth.* vii, 7). Deus a quo averti cadere est, in quem converti resurgere, in quo manere consistere. Deus quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quærit nisi admonitus, nemo invenit nisi purus aut purgatus. Deus quem nescire mori est, quem nosse vivere est, quem spernere perire est, cui servire regnare est. Deus cujus pietatis ope et bene servit subjectus, et bene dominatur prælatus; et ideo sine te nemo eorum recto incedit tramite vel

[1] MS. Boherianus addit, *peccati.*
[2] Idem MS. addit, *quæ mors dicenda est, non vita.*
[3] Alias, *extenuant.*
(*a*) Ex Gregorii homil. 37 in Evang.
(*b*) Id homil. 14 in Evang.
(*c*) Alcuin. in Invocatione sanctæ Trinit., col. 756.

[1] Ms. Colbertinus, *finem.* Bernard., *finis.* Boher., *foris.*
(*a*) Alcuin., loco citato.
(*b*) Ex lib. I solil. Augustin., cap. 1, nn. 3 et 4.

ordine. Deus invisibilis et immense, ineffabilis et æterne, incomprehensibilis et incorporee, immortalis et perpetue, incommutabilis et incircumscripte, mirabilis et benedicte, indicibilis, cui esse est vivere, sapere et intelligere, scire et posse, pulchrescere et clarescere unum et idem est ; quia simplex es, et dividi non potes. Tu es Deus meus vivus et verus, Deus pius, rex meus magnus. Te unum Deum colo, unum naturarum principium, a quo universitas et inchoatur et perficitur et continetur : unum Deum a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus ; principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur ; unum quo auctore conditi sumus, et similitudinem per quam ad unitatem reformamur, et pacem qua unitati adhæremus ; unum Deum quo creatore vivimus, quem diligentes, et quo fruentes beate vivimus ; te laudo, benedico atque adoro, tuæ clementiæ et bonitati gratias refero pro universis donis tuis ac datis, et pro omnibus beneficiis misericordiæ tuæ, quæ animæ corporique meo largiris, et semper largitus es a puero et a cunabulis meis propter te et nomen tuum sanctum. Unde expertus didici, quia tu Deus noster, Deus es infinitæ misericordiæ, et majestatis immensæ pietatisque gratuitæ : qui servos tuos inter adversa et prospera mirabiliter dirigis atque custodis, sicque moderaris vitam illorum in utraque parte, ut adversa prosperis, et prospera succedant adversis. *Confiteantur ergo tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi* (*Psal.* CXLIV, 10) ; et ut confitendo resipiscant, non cessent a laudibus tuis ipsi etiam peccatores. Quorum unus ego licet in peccatis pronior, corde tamen desideranti tuas decanto laudes, si non ea qua debeo laude vel dignitate, facio qua valeo facultate : respice, quæso, sereno vultu ad hoc meæ exiguitatis obsequium, et propitiabili dignatione accipe tantillum sacrificium confessionis fidei meæ, ut ad te redeat quod a te venit ; non respiciens tantum ad id quod devotus offero, quantum ad ea quæ devotissime dicere volui et volo. Quidquid enim dedecet vel te offendit, abhorret anima mea. Utinam possem talia qualia illi hymnidici Angelorum chori ! O quam diligenter me in laudibus tuis totum effunderem, et luculenter in medio Ecclesiæ carmen gloriæ tuæ infatigabilis perorarem ! Sed quia ut illi nequeo, prorsus tacebo ? Væ, Domine, tacentibus de te, qui ora mutorum resolvis, et linguas infantium facis disertas (*Sap.* x, 21). Verum quia parvulis licet laudes tuas vel balbutire, suscipe sacrificium, precor, de manu linguæ meæ, de cordis amore.

Sed ignosce, rogo, Domine, indignissimo et infelici tecum de te diutius loquenti servo. Ignosce, pie, quia non temeritate præsumptionis, sed aviditate tui desiderii huic defloratiunculæ operam dedi : ut breve et manuale verbum mecum de te semper haberem, ex cujus lectione quoties tepefio, in tuum reaccendar amorem. Sumus enim in medio laqueorum positi, et ideo facile a cœlesti frigescimus desiderio. Unde indigemus assiduo monimento, quo expergefacti ad te nostrum verum summumque bonum, cum defluimus, recurramus. Multæ denique sunt contemplationes, quibus anima devota tibi exercitatur et proficit : sed nulla earum ita me oblectat, aut mens mea intendit, sicut illa quæ de tua agitur proprietate. Idcirco necessarium duxi hunc mihi solum decerpere sermunculum, ubi de omnipotentia majestatis tuæ, sicut corde credo ad justitiam, ita ore confiteor ad salutem (*Rom.* x, 10), te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam et individuam Trinitatem unum Deum, (*a*) in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum ; erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes piissimum, semper idem ipsum, æternum ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem ; quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent ; cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt ; cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit : sed ante sæcula, et in sæculis, et per sæcula in æternum vivis, et est tibi laus perennis et æterna gloria, summa potestas et singularis honor, perpetuum regnum et sine fine imperium, per infinita et indefessa et immortalia sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Alcuin. verba, col. 156, a.

ADMONITIO IN LIBELLUM QUI DICITUR SPECULUM PECCATORIS,

Incerti auctoris est istud aliud Speculum, et Augustini ætate multo posterioris. Patet ex illis verbis, capite 7 : « Et satanas ausus fuit cum furore impetum facere in sanctissimam beati Martini animam, qui erat, ut dicitur, gemma sacerdotum : » quæ nimirum verba respiciunt in Martini laudes ab Odone Cluniacensi abbate conscriptas. Adde *præbendæ* vocabulum, in capite 7, pro beneficio Ecclesiastico usurpari, significatu ante sæculum decimum, ut opinamur, ignoto. Quæ præterea in capite 5 leguntur, ea videntur supponere Hugonis Victorini librum de Modo orandi, et magnam habere consensionem cum libro supra excuso de Spiritu et Anima, cumque opusculo de Conscientia in Bernardi Appendice. Collatus fuit hic libellus cum duobus Mss. uno bibliothecæ Regiæ, et S. Medardi Suessionensis altero, in quo Leo papa citatur.

SPECULUM PECCATORIS,

LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Quid sit*, Utinam saperent, *etc.*, *[illegible]*. Quoniam, charissime[1], in via hujus sæculi fugientis sumus, dies nostri sicut umbra prætereunt. Necesse est igitur corde sollicito sæpius memorari, quod nostra fragilitas, nostra mortalis infirmitas totius cogit oblivisci. Quid est illud ? Quod ipse omnipotens Dominus nostrum sua gratia volens

[1] [illegible] hic et infra, *fratres charissimi*, sed non constanter.

profectum, per beatum Moysen nobis consulit dicens, *Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent* (*Deut.* XXXII, 29). Ecce, frater mi, ecce feliciter poterimus evadere mortis periculum, si diligenter studeamus sequi divinum consilium, quod nobis intimat Dominus dicens, *Utinam saperent*, etc. O felix et utile consilium, mortis remedium, salutis antidotum, peccatoris speculum, *Utinam saperent*, etc. O salutifera nostri Redemptoris sententia, ex qua nobis instructio sapientiæ, admonitio continentiæ, speculum providentiæ, exaltatio pœnitentiæ, acquisitio divinæ gratiæ datur! Ait ergo, *Utinam saperent*, etc. O admiranda bonitas nostri Creatoris! o ineffabilis charitas nostri Redemptoris! o prædicanda benignitas nostri Salvatoris! Nos servi nequam sumus, servi negligentes, servi inutiles, qui nostris exigentibus meritis mortem meruimus potius quam vitam : et ecce pius auctor vitæ, ipse dator veniæ, ipse largitor gratiæ nos invitat ad salutem, dicens, *Utinam saperent*, etc. Quis, nisi periturus homo, hæc audiens, ista considerans, non vehementissime gratuletur, et ultra quam fari possit, exsultet in gaudio spiritus in utero ejus, quod ipsi omnipotenti Deo, ipsi regi sæculorum, ipsi Domino Angelorum, ipsi Creatori omnium creaturarum cura est de nobis infirmis et miseris ac mortalibus? Cura ergo permaxima nobis inesse debet, quatenus præ omnibus et super omnia sacris ejus præceptis diligenter obediamus; et ea devote diligamus, et studiose ea impleamus. Væ nobis in perpetuum, quoniam, teste Apostolo, miserabiliores omnibus hominibus erimus (I *Cor.* XV, 19), aut deteriores, si hæc non fecerimus. Vere ad exsequenda Dei mandata otiosi et inanes existimus, nisi in primis omnia odio habeamus, quæ ipsi Domino displicere cognovimus; et illa fideli corde diligamus, quæ tremendæ ejus majestati placere credimus. Proinde die noctuque exorandus est ipse clemens et misericors Deus et Dominus, ut nobis largiatur auxilium, qui suum tam salutare præstat consilium, dicens, *Utinam saperent*, etc. Valde mira et utilis est sententia illa, non semel tantum, sed sæpius repetenda. *Utinam saperent*, etc.

CAPUT II. *Sententiæ hujus consideratio quid efficiat. Paucorum est. Hinc lapsi Samson, David ac Salomon. Lapsus eorum cur in Ecclesia legantur. Scriptura non sapit, nisi ardenter amanti.* Frater mi charissime, intellige, quæso, quæ legis. Consideratio enim hujus sententiæ, destructio est superbiæ, exstinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis et jactantiæ, constructio disciplinæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ. Ait ergo, *Utinam saperent*, etc. Heu, heu! quam paucorum est ista virtus! Pauci sunt qui salutarem hanc Salvatoris nostri sapiant sententiam : pauci sunt quibus est ante oculos propriæ fragilitatis cognitio, corruptibilis carnis corruptio, peccatorum recordatio, instantis mortis meditatio, fetentis[1] gehennæ putei consideratio. Ecce quam utile speculum peccatorum. Revera, bone frater, si te sæpius in hujusmodi speculo prospexeris, eris absque dubio Samsone fortior, Davide cautior, Salomone sapientior. Illi autem in hoc speculo se sæpius considerare neglexerunt; ideo carnis suæ desideriis cæcati corruerunt. Igitur si tanti viri tam horribiliter lapsi sunt in culpam, quibus tanta adfuit fortitudo et sapientia; quanta cautela, quantoque studio nobis est vigilandum, quibus inest tanta debilitas, tantaque imperitia? Porro isti tres viri validi ideo leguntur in sancta Ecclesia, ut fidelibus non ad exemplum sint ruinæ, sed ad speculum cautelæ : quatenus nemo nostrum in sua confidat fortitudine, nemo præsumat de sua sapientia, imo semper timidi, semper reatus nostri conscii, semper de nostra salute simus solliciti, nunquam nostræ corruptionis et nostræ mortalitatis obliti. Qui vero hujusmodi verba negligenter attendunt, non sapiunt, nec intelligunt, nec novissima provident : et sic in mortem et damnationem vadunt. Ut igitur mens nostra circa prudentiæ studium evigilet, dominica nos hortatur sententia dicens, *Utinam saperent*, etc. Hanc admonitionem salutiferam oculo rationis consideres, charissime, non in transitu, sed cum studio et deliberatione sæpissime revolvendo : quia sicut thus non redolet, nisi ponatur in igne, ita nulla sacræ Scripturæ sapit sententia, nisi cocta sit in corde.

CAPUT III. *Quorum scientia, intelligentia et prudentia ibi desiderentur. Consideratio brevitatis vitæ parit mundi contemptum.* — ***Utinam saperent***, etc. Ecce hic, frater mi, tria in hoc versu proponuntur : scilicet scientia, intelligentia et providentia. Vult ergo Dominus ut scias, et intelligas, insuper et provideas. Vult ut scias vitam præsentem fugitivam, periculosam, brevem, miseriis tabescentem, universæ vanitati subjectam, peccatorum sordibus pollutam, cupiditate corruptam, in brevi perituram; quatenus quanto infelicior mundus iste esse conspicitur, tanto facilius pro amore cœlestis patriæ contemnatur. Vult itaque Dominus ut fragilem tuam conditionem intelligas, sic meditando videlicet, quia *nudus egressus es ex utero matris tuæ, et nudus reverteris illuc* (*Job* I, 21); quia terra es, et in terram ibis; in hujus vitæ miseriam nudus intrasti, lugens dies tuos in dolore et ærumna pertransisti, cum luctu et labore hinc exiturus es. Intelligas ergo quantum sit exitus et ingressus tuus flebilis, progressus tuus debilis, et egressus horribilis. Intelligas ergo quantum sis in hac valle miseriæ exsul et ægrotus, virtutibus pauper et modicus[1], labilis et infirmus, ac in proximo moriturus. Frater, felix eris, si hujusmodi admonitionem intelligas, et in corde tuo quasi in libro scribas, et hanc unam quam tibi trado regulam, servare studeas.

> Vive Deo gratus, toti mundo tumulatus,
> Crimine mundatus, semper transire paratus.

O quam beatus vir, cujus anima circa hujusmodi studium evigilat! quam prudenter sapit et intelligit, ac novissima providet! Charissime, et tu fac similiter. Legisti jam in hoc speculo peccatoris, quid sane sapias, quid intelligas : restat ut novissima provideas. Ora ergo, et dic cum Propheta, *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi* (*Psal.* XXXVIII, 5). O utilis oratio, o felix contemplatio, o necessaria postulatio! Non plane tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate, præscire deposcas; sed quod scis advena et peregrinus in hujus peregrinationis ærumnosæ exsilio, homo infirmus et exigui temporis super terram, intelligas et cognoscas. Ergo, *Utinam saperent*, scilicet peccata præterita quam sint amara. Unde Jeremias : ***Vide quam amarum est et malum, dereliquisse te Deum tuum*** (*Jerem.* II, 19). Malum est in culpa, et amarum est in pœna. *Et intelligerent*, scilicet præsentia quam sint vana. Ecclesiastes : *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (*Eccle.* I, 2). *Et novissima providerent*, scilicet æternitatem gloriæ quantum ad bonos, et æternitatem mortis quantum ad malos; ut sibi providerent contra sterilitatem futuram, sicut Joseph (*Gen.* XLI, 35). Unde Salomon : ***In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis*** (*Eccli.* VII, 40).

Revera, charissime frater, si præsentis vitæ tuæ brevitatem attendas, et quid tibi deest in agenda Deo condigna pœnitentia, in disciplina præceptorum ejus observanda, in sanctitate coram ipso perficienda, saperes et intelligeres, et mortem ante oculos prospiceres; procul dubio mox sine mora, spretis pompis, postpositis mundi curis, despectis carnis illecebris, projectis voluptatibus, contemptis deliciis, in tui custodia vigilares, ac novissima prudenter provideres. Sapientis enim est non tam cujuslibet rei principium prospicere, quam finem exitumque providere. Deni-

[1] Alias, *ferventis*.

[1] Alias, *mendicus*.

que felix esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii effugiat periculum.

CAPUT IV. *Consideratio mentis carnem domat. Meditatio quasi mentis ditatio.* Dicis ergo mihi, Paratus sum præ omnibus acquiescere divino consilio, ut sapiam et intelligam, ac novissima provideam. Sed quæ sunt mea novissima? Illa utique de quibus Spiritus sanctus tibi per Salomonem loquitur dicens, *Fili, in omnibus memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Non melius poterit caro luxuriosa domari, quam qualis erit mortua præmeditari: et si hujusmodi assiduam habueris meditationem, felicem te dicent omnes generationes. Meditatio enim nihil est, quam mentis ditatio. Peroptime ergo mens tua ditatur, quando contra cuncta adversantia providentiæ scientia illustratur. Legitur in poeta, quod

> Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
> (*Ovidii Metamorphoseon lib.* I, *vers.* 625).

quod ita potest intelligi, quia ex omni parte sui intra mentis suæ circumspectionem prudentiam[1] possidebat. Igitur si tanto studio cautelæ pollebat poeta paganus, multo fortius puriorem providentiæ oculum debet habere[2] clericus Christianus. Esto ergo alter Argus, imo illo cautior, illo sublimior, illo prudentior: ut sapias et intelligas, ac novissima prudenter provideas.

CAPUT V. *Quæ sint novissima. Quo fructu providentur.* Sed quæ sunt novissima tua, quæ providere sollicite summa totius providentiæ est? Utique illa terribilis hora, in qua misera anima tua ex hoc corpusculo corruptibili timens est egressura. Frater, crede mihi, ad hujus rei tremendam considerationem mallem te deberes providentiam possidere, quam totius mundi dominationem. Utinam ergo saperes quæ Dei sunt, et intelligeres quæ mundi sunt, et provideres quæ tibi futura sunt, profecto Deum timeres, superbiam non appeteres[3], mundum contemneres, et infernum horreres. In illa nimis metuenda extrema hora tua, quis amicorum, quis parentum tuorum veniens cum gladiis et armis poterit auxilium ferre? Non enim erit tunc qui consoletur te ex omnibus charis tuis (*Thren.* I, 2): nec quæras eris ad auxilium et adjutorium hominum, sed refugium tuum tantummodo est apud Deum. Cogita igitur tecum, charissime, quo timore timendus, quo amore diligendus, quo honore venerandus sit ipse Dominus Jesus Christus Deus noster, qui salutis præsidium solus præstare poterit post mortem. Reduc ergo, charissime, sæpius in memoriam illum extremum exitus tui diem: et antequam misera anima tua ex carcere carnis exeat, provideat quo vadat. (a) Hujusmodi recordatio contritionem concipit, contritio compunctionem parit, compunctio contemplationem, scilicet pium et humilem affectum in Deum; pium videlicet ex fiducia adjutorii divinæ bonitatis et clementiæ, humilem ex consideratione propriæ fragilitatis et miseriæ. Hic, lector, attende. Quid enim est in omni scientia, quod hominem provocet lucidius ad sui custodiam, et omnem injustitiam expellendam, ad sanctitatem in timore Dei perficiendam, quam suæ corruptionis consideratio, suæ mortalitatis certa cognitio, postremo tremendæ mortis suæ recordatio? Quando enim homo fit non homo, hoc est, quando ægrotescit, ægritudine aggravatur et crescit, pectus expavescit, cor contremiscit, caput obstupescit, sensus evanescit, virtus exarescit, vultus pallescit, facies nigrescit, oculus tenebrescit, auris surdescit, nasus putrescit, lingua fatiscit, os obmutescit, corpus tabescit, caro marcescit: tunc omnis pulchritudo fetor efficitur et putredo, tunc homo solvitur in cinerem, et vertitur in vermem.

> (a) Post hominem vermis, post vermem fetor et horror.
> Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Ecce, frater mi charissime, ecce satis horribile spectaculum, sed est nimis utile speculum: quoniam nullius artis medicina, nullaque doctrina sic superat superbiam, nec sic vincit malitiam, nec sic exstinguit libidinem, nec sic mundi calcat vanitatem, sicut hujusmodi horrendæ mortis recordatio. *Utinam* ergo *saperent.* Et quid huic mundo tantum vilescit, sicut homo, cujus corpus cum sit exanime, non permittitur esse intra domum triduo præ fetore: sed ut vile stercus foras projicitur, in profundo terræ absconditur, putredini traditur, vermibus in escam datur, cadaver efficitur?

CAPUT VI. *De studiis vanis. De disciplina hic subeunda.* Erubescat ergo superbus et infelix peccator, et timeat elatione cæcatus, ira inflammatus, impatientiæ vitio fœdatus, scientia inflatus: cui plus placet ars Aristotelis, quam scientia de Apostolis, plus codex Platonis, quam liber divinus: quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, nullus sermo sapit, nisi fuerit grammatice conceptus, dialectice imaginatus, rhetorice purpuratus. Stultus es qui hæc ignoras, et erras: quoniam qui talia agunt, et in talibus dies suos consumunt, peccatum sibi generant, et mortem pariunt; quia ex simili studio similem concipiunt scientiam, hoc est, folia colligunt, non fructus, id est verba, non virtutes; verba enim in ventum proferunt, et aerem verbis verberant, verbositatem sonant, jactantiam ostentant: de quibus per Psalmistam dicitur, *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* (*Psal.* CVI, 27). Sicut enim homo ebrius nescit quid agit, aut quo vadit, eo quod se ipsum ignorat: ita insipientes[1] clerici sæculares in bibenda hujusmodi scientia se conturbant, libros devorant, sententias multiplicant, sed quid agant penitus ignorant, quia ad quem finem miserum tendant, miseri non attendunt. O *utinam* tales *saperent!* Si enim fugacitatis vitæ suæ brevitatem perpendissent, si damna dierum suorum ante oculos convertissent, si quam tremendo judicio, non tantum de mortuis eorum operibus, imo de omni verbo otioso quam districte responsuri sunt, providissent; mox terrore perterriti, mox divino amore percussi, vana hujus vitæ studia reliquissent, et de studio vanitatis venissent ad studium veritatis, et de studio stultitiæ ad studium sapientiæ, hoc est, de studio curiositatis ad studium sanctæ humilitatis, de schola luxuriæ et pravitatis ad scholam munditiæ et sanctitatis seu castitatis, de vita iniquitatis ad vitam sanctitatis, hoc est, de vita fornicationis ad vitam beatæ religionis, id est, de domo conversationis mundanæ ad domum sanctæ disciplinæ. Unde benedictus ipse Spiritus sanctus per Prophetam peccatoribus præcipit, dicens, *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II, 12). O quam terribilis est hæc sententia et nimis metuenda his qui disciplinam non apprehendunt! ex hac Spiritus sancti sententia patet quia peribunt. Hinc est quod Dominus per Moysen ait, *Omnis anima quæ non fuerit afflicta die hac, peribit de populo meo* (*Levit.* XXIII, 29). Notanda sunt attentius verba ista. *Anima*, inquit, *peribit, quæ non fuerit afflicta*, subaudi, per disciplinam, per morum correctionem, per pœnitentiæ satisfactionem, per cordis contritionem, per conscientiæ purificationem. Et dicebat, *die hac*, id est, in præsenti tempore gratiæ, id est, die hujus vitæ: quoniam qui non suscipit modo tempus pœnitentiæ, post mortem non invenit locum indulgentiæ. Quapropter tune, tu peccator, tu caro superba, tu vile cadaver, quem adhuc viventem vermes

[1] Sic Mss. At edit., *quod mentis suæ circumspectionem et prudentiam.*

[2] Sic Mss. Ed. hic addit, *paganus vel [illegible]*, *monachus vel.*

[3] Idem, superbiam appeteres.

(a) Vid. lib. de spiritu et anima, cap. 50.

[1] Ms. Regius addit, *monachi et*, quod superfluum videtur [illegible].

(a) Hi versus absunt a Mss. habentur et lib. Medit. Bernardi, cap. 3.

quotidie corrodunt, qui de tuo corruptibili corpusculo generantur; contremisce superbiam, projice vanitatem, fuge luxuriam, apprehende disciplinam, ne pereas. Vide in hoc speculo quid es, et quid eris: cujus conceptio tabes menstrua, orgo lutum, putredo finis. *Utinam ergo saperent*, etc. Ecce miser, causas mille dolorum habes, et adhuc superbis. Iterum te, frater, convenio, ut

Quidquid agunt alii sis memor ipse tui!

vilescat tibi mundus plus quam tu mundo. Hujus [illegible] tur tantæ calamitatis miseriam considerans attentius, et cum propheta intremescens, dicito : *Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. Quoniam in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper* (*Psal.* XXXVII, 19 *et* 18). Dicito etiam cum Apostolo, qui flebilem humanæ conditionis statum deplorat, dicens, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? Hæc salutifera Apostoli sententia exigit prudentem lectorem. Adhuc in corpore Apostolus vixit, quando tamen corpus mortuum nominavit; quia qui sapiens est, jam mortem ante oculos considerat, jam se mortuum reputat, cum se moriturum pro certo sciat.

CAPUT VII. *De horrendo exitu damnandæ animæ. Quam tunc horrenda diaboli præsentia.* Attende ergo in illa terribili hora, de qua loquimur, misera peccatoris anima, quando de mundo exitura es, et quo itura es. Aderunt mox illi tri maligni, illi scilicet maledicti, diaboli illi tartarei, illi spiritus horribiles et pessimi leones rugientes ut rapiant prædam, scilicet tuam peccatricem et miseram animam: tunc subito horribilia patebunt loca; avernum, chaos et caligo tenebrarum, horror miseriæ et tribulationis, terror et tremor angustiæ et confusionis, terror horrendæ visionis, tremor trementiæ mansionis, ubi locus fletuum, ubi stridor dentium, ubi morsus vermium, ubi clamor dolentium, ubi luctus gementium, ubi est vox clamantium peccatorum, et dicentium : Væ, væ, væ nobis filiis Evæ! Cumque hæc et his similia, imo millies plus quam dici potest pejora, de corpore egressura misera anima, imo miserrima audierit, viderit et senserit; qualis quantusque et quam magnus terror et timor ac tremor erit in ea, quæ lingua potest dicere, quis liber exponere? Quid tunc proderit scientiæ jactantia, sæculi pompa, mundi vanitas, terrenæ dignitatis cupiditas? Numquid prodesrunt luxuriæ appetitus, cibus exquisitus, potus delicatus, vestis curiositas, calceamenti speciositas, carnis mollities, ventris ingluvies, ciborum superfluitas, crapulæ ebrietas, domorum constructio, præbendarum acquisitio, divitiarum aggregatio : numquid omnia ista poterunt miseram hominis animam eripere de ore horrendi et horribilis leonis, et de maledicti fauce draconis?

Hanc utinam lectionem legat aliquis, et sapiat, et sane intelligat, et in corde suo retineat implicatus peccatis; amore mundi et carnis inebriatus et cæcatus, cui plus placet luxuriosi cadaveris venenosa voluptas quam animæ suæ sanitas, qui plus studet circa Martham quam circa Mariam [1], cui plus est de mundo quam de Christo, cui plus est de lege bovina quam de lege divina. Legat igitur lectionem istam insipiens ille qui ejusmodi est, et speculetur in hoc speculo peccatoris speciem suam. Consideret diligenter, unde veniat, quid sit, et quo vadat; perpendat ex præmissis per quam semitam vehementer metuendam, per quod iter tenebrosum, per quam horrendas manus misera ejus anima transitura est. O stulte peccator, quia ista considerare nescis, sive præmeditari non vis! Quia ista prævidere negligis, ideo sæpe te invadit superbia, exagitat ira, excruciat malitia, vulnerat invidia, inflammat luxuria, fatigat pigritia, ligat avaritia. Et quoniam horrenda imminentia tibi tormenta prudenter non prospicis, idcirco contumax, [illegible], obstinatus sæpe efficeris, piger et accidiosus ad opus divinum accedis; illud negligenter agis et [illegible]. O utinam [illegible] providentia [illegible].

Utinam saperes et intelligeres, etc. Terribilis est illius aspectus, et dicit Leo papa, cui pervenire est omne sæculum, [illegible] omnia secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, mens sine voce loquitur [1]. Si ille serpens venenosus diabolus et satanas ausus fuit cum forti impetu fere in sanctissimum beati Martini animam, qui erat, ut dicitur, [illegible] gemma sacerdotum, quam [illegible] sanctissimum præsentibus Angelis deduceret in cœlum, conabatur impedire: quomodo timendum est tibi peccatori, et trementer præmeditandum, quam horribiliter apparebit miseræ animæ tuæ ille diabolus, ille dux iniquitatis, ille nequissimus hostis [illegible]? Ecce, frater charissime, percogita, et nunquam a tuo corde recedat, quamquam illa beatissima virgo perpetua, mater Domini nostri Jesu Christi animam suam prævidebat, quam, ut legimus, Filium suum exoravit, ut malignos spiritus [illegible] non adspiceret? O si tanta [illegible] [illegible], Dei [illegible], imo charissima, visionem infernalem spirituum dubitabat [3]: quid faciet anima peccatrix [2]? Quomodo poterit stare ad horrendum aspectum trementibus vultus ejus, ad intolerabilem [illegible], ad flammeos sulfureosque oculos ejus? Certe [illegible], quod timor hujus horribilis bestiæ [illegible] [illegible] plus quam in hoc mundo cogitari queat. Quod Propheta pavidus expavescens, ad orationem confugit dicens, *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor; a timore inimici eripe animam meam* (*Psal.* LXIII, 2). Non dicit, a potestate, sed *a timore*. Quare? Ad insinuandum quam maxima sit pœna, quam horribilis, quam intolerabilis sit terror ipsius inimici. Heu! heu! frater mi, si talis et tantus tremor est animæ peccatrici ex solo ejus visu; quanta contritio, quantus horror, quanta afflictio, quanta lamentatio [illegible] tormentorum?

CAPUT VIII. *Quod Deus in interitu peccatorum risurus et subsannaturus. Vitam ad dicens [illegible] [illegible].* O stulti filii hominum! Usquequo [illegible] filii hominum ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium (*Psal.* IV, 3)? Qui enim diligit vanitatem, odit animam suam. Et odibiles sunt Deo impius et impietas ejus (*Sap.* XIV, 9). Unde Psalmista: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* etc. *Perfecto odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII, 21 *et* 22). Item, *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus* (*Eccli.* XII, 3). Quare tam horrendam tamque horribilem non circumspicitis miseriam? quare non projicitis superbiam? quare non exstinguitis avaritiam? quare non contemnitis luxuriam? quare mores vestros non corrigitis? quare mandatum Dei salutiferumque ejus consilium negligenter auditis? quare non sapitis et intelligitis, ac novissima providetis? Hinc est quod vos peccatores terribiliter Deus alloquitur : *Ego*, inquit, *in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit* (*Prov.* I, 26). O quam metuenda est illa dominica sententia! Utinam lector saperet in palato cordis, quantum contineat amaritudinis, quantumve formidinis : quia revera si sciret, omni diei hora vitam suam cautius custodiret. Sed dices forsitan, quod derisio et subsannatio non cadunt in ipsum omnipotentem Deum, nec ejus reverenda sanctissimaque simplex natura hujusmodi passiones sive ironias admittit : cur ergo ab omnipotenti Deo peccatoribus dicitur, *Ego in interitu vestro ridebo?* Attende qui interrogas, quomodo dicta tibi debeat exponi sententia : *Ego*, inquit, *in interitu vestro ridebo.* Hoc est, cum finis vester venerit, vos

[1] Sic Ms. Regius. At Medardensis, *circa marcham quam circa marchum*. Editi autem, *circa arcam, quam circa Martham.*

[1] Ex Ms. Medardensi delinimus a verbo, *Utinam*, usque ad verbum, *loquitur*.

[2] Ex Ms. [illegible] delemus, *Via, frater.... anima peccatrix.*

[3] Forte, *trepidabat.*

(a) In Officio de ipso Martino

derisione dignos clamabo; et cum irruerit super vos illa repentina calamitas, *subsannabo*, id est, cum amara mors vos momorderit, æterna subsannatione dignos damnabo. Audi, tu peccator, terribilem sententiam, quam si intelligeres, sine dubio expavesceres. Sed Scripturas sacras negligenter legis, actus vitæ tuæ, mala quæ facis, peccata quæ committis, facta et dicta et opera tua mala non sapienter respicis; velox ad mensam, tardus ad ecclesiam; potens ad potandum, sed æger ad psallendum; pervigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias; procax[1] ad loquendum, sed tardus et mutus ad canendum; promptus ad iram et detractionem, piger vero ad orationem; invidiæ amator, pauperum Christi persecutor; festucam in alio oculo respiciens, sed trabem in oculo tuo non videns; aliorum facta condemnans, sed tua non considerans, nec deserens. Cæteros reprehendis, te ipsum non corrigis; alios vituperas, et te collaudas: malitiæ inventor, disciplinæ destructor; amicus vitiorum, et hostis virtutum. Hæc sunt quæ hominem excæcant, et a Deo ipsum separant; hæc sunt quæ monachum efficiunt dæmoniacum, conversum efficiunt perversum, clericum hæreticum, christianum antichristum. Qui enim christianus non est, antichristus est. Non est christianus, qui vita et moribus Christo est contrarius.

Heu, heu! *Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc* (*Psal.* XCI, 7): et ideo, sicut dicit idem propheta, *Simul insipiens et stultus peribunt* (*Psal.* XLVIII, 11). Sed quæ distantia est inter insipientem et stultum? Omnis stultus est insipiens. Insipiens enim dicitur quasi non sapiens. Multi enim manent qui sapientes non sunt, et tamen stulti non sunt. Multi justi sunt, et multi justi non sunt, et tamen iniqui non sunt. Vis noscere quis sit insipiens, et quis stultus? Insipiens est, qui se a paradisi gaudiis peregrinum esse non considerat, qui se exsulem in hoc exsilio non attendit. Stultus est, qui licet ista cognoverit, liberari tamen a mundi miseria per vitæ meritum non intendit. Item insipiens est, qui non credit futura supplicia reproborum esse perpetua, et gaudia justorum æterna: stultus autem est, qui licet credat, tamen ut mortem perpetuam evadat, et gloriam æternam caste vivendo pieque conversando acquirat, non intendit. Justo igitur Dei judicio *simul insipiens et stultus peribunt.* Quod tamen non fieret, si *saperent et intelligerent, ac novissima providerent.* Ecce, frater mi, jam legisti, jam vidisti in hoc speculo peccatoris, quid sapias, quid intelligas, quomodo novissima providere debeas; superest igitur ut diligenter discas, et in corde firmes, ut sane sapias, et recte intelligas, quomodo novissima tua prudenter provideas, ut per hæc æternam damnationem evadas, et cum Domino nostro Jesu Christo vitam æternam possideas. Amen.

[1] Alias, *paratus.*

DE TRIPLICI HABITACULO
LIBER UNUS,
INCERTI AUCTORIS, NEC INERUDITI.

CAPUT PRIMUM. *De tribus habitaculis, regno Dei mundo, inferno. Regni Dei bona, et inferni mala.* Tria sunt sub omnipotentis Dei manu habitacula, primum, imum, medium: quorum summum, regnum Dei vel regnum cœlorum dicitur; imum, vocatur infernus; medium, mundus præsens vel orbis terrarum appellatur. Quorum extrema omnino sibi invicem sunt contraria, et nulla sibi societate conjuncta. Quæ enim societas potest esse lucis ad tenebras, et Christi ad Belial (II *Cor.* VI, 14 *et* 15)? Medium autem nonnullam habet similitudinem ad extrema. Unde lucem et tenebras habet, frigus et calorem, dolorem et sanitatem, lætitiam et mœrorem, odium et amorem, bonos et malos, justos et injustos, dominos et servos, regnum et subjectionem, famem et satietatem, mortem et vitam, et innumera hujusmodi. Quorum omnium pars una imaginem habet regni Dei, pars altera inferni. Commixtio namque malorum simul et bonorum in hoc mundo est; in regno autem Dei nulli mali sunt, sed omnes boni; at in inferno nulli boni, sed omnes mali; et uterque locus ex medio suppletur. Hominum enim hujus mundi, alii elevantur ad cœlum, alii trahuntur ad infernum. Similes quippe similibus junguntur, id est, boni bonis, et mali malis; justi homines justis Angelis, et transgressores homines transgressoribus angelis; servi Dei Deo, servi diaboli diabolo: benedicti vocantur ad regnum sibi paratum ab origine mundi, maledicti expelluntur in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 34 *et* 41).

(b) Bona autem regni cœlestis dicere, vel cogitare, vel intelligere ut sunt, nullus potest carne vestitus: multo enim majora et meliora sunt, quam cogitentur et intelliguntur; unde scriptum est, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9). Regnum namque Dei omni fama majus, omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria, quæ putatur, excellentius. Mala etiam inferni dicere vel cogitare, ut sunt, nemo potest: pejora quippe sunt valde quam cogitantur. Regnum itaque Dei plenum est lucis, et pacis, et charitatis, et sapientiæ et gloriæ, et honestatis, et dulcedinis, et dilectionis, et melodiæ, et lætitiæ, et beatitudinis perennis, et omnis boni ineffabilis, quod nec dici nec cogitari potest. At locus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis[1], sitis, famis, ignis inexstinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, et omnis ineffabilis mali, quod nec dici nec cogitari potest. Cives cœli sunt justi homines et Angeli, quorum rex est Deus omnipotens. At contra cives inferni sunt impii homines et dæmones, quorum princeps est diabolus. Satiat justos visio sanctorum hominum et Angelorum, et super omnia ipsius Dei. Cruciat impios et peccatores visio hominum damnatorum et dæmonum, et super omnia ipsius diaboli. Nihil in regno Dei desideratur quod non invenatur; at in inferno nihil invenitur quod desideratur. In regno Dei nihil invenitur, nisi quod placet, et delectat, et satiat; at contra in lacu miseriæ perennis nihil videtur, nihilque sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendat, nisi quod cruciat. (a) In regno æterno erit vita sine morte, veritas sine errore, felicitas sine perturbatione. Omne bonum in regno Dei abundat, et nullum malum; omne malum in carcere diaboli abundat, et nullum bonum. Nullus indignus in regno Dei suscipitur; nullus vero dignus, nullus justus ad infernum trahitur.

(b) Eadem habentur lib. de diligendo Deo, cap. 18, hinc desumpta.

[1] Ms. Victorinus, *fœtoris.*

(a) Hæc verba, *In regno æterno*, etc., usque ad verbum, *perturbatione*, desiderantur in Mss.; sunt Augustini Enchirid. cap. 25.

CAPUT II. *De pœnis infernalibus.* Principalia autem sunt duo tormenta in inferno, frigus intolerabile, et calor ignis inexstinguibilis; unde in Evangelio legitur, *Illic erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 12, XXII, 13; XXV, 30). Fletus namque et liquefactio oculorum ex calore nascitur; stridor vero dentium ex frigore nascitur. Hinc etiam beatus Job, *De aquis*, inquit, *nivium transibunt ad calorem nimium* (*Job* XXIV, 19). De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera; videlicet, sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortorum, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi post visionem [1] ejus, quæ sola omnia supra dicta superat, et omnibus pœnis intolerabilior.

CAPUT III. *De his quos pœnæ æternitas a mundi voluptate non deterret. Inferni duplex pœna. Anni centum nulla æternitatis portio.* Væ igitur illis perenne, qui subire hæc omnia mala etiam sine fine merentur, pro delectabili unius horæ somnio: tanta etenim et talis est omnis hujus mundi gloria, ad æternam comparata gloriam. Melius erat eis, quod dictum est de infelice Juda, non nasci (*Matth.* XXVI, 24), quam malis suis meritis plagas inferni sustinere. Quid stultius, quid insanius est, quam umbra et imagine et similitudine veræ gloriæ et veræ delectationis, veræ pulchritudinis, veri decoris, veri honoris, more infantium, decipi et superari; et ipsam veram gloriam non quærere, non desiderare? Quis imaginem auri in aqua, ipso auro neglecto, eligeret; et non statim a cunctis fatuus et insanus crederetur? Quis orbem solis in speculo redditum, vel in qualibet materia formatum plus diligeret, quam ipsum solem; et non ab omnibus derideretur? Sic irridendus, imo dolendus est, quisquis mundi hujus caducam fragilitatem et inutilem carnis voluptatem diligit, quærit, contendit, æterna gloria contempta, et neglectis regni cœlestis ineffabilibus gaudiis. Hoc commercium insipientium valde est, et miserorum, et cor sanum non habentium, etiamsi plagæ inferni non sequerentur, quæ nec dici nec cogitari possunt. Duplex vero plaga est, abesse a regno Dei, et esse semper in inferno, id est, cum diabolo damnari; præsentiam amittere Angelorum, et terribilem dæmonum semper pati præsentiam. Quantum caveri, vitari, metui debet, nullo modo dici potest. Quis cum sano sensu pro unius diei deliciis, centum annorum pœnam eligeret? Et miseri tamen et sine ulla sapientia, voluptatem [2] carnis sequentes, non vitant, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, sed omnium sine fine sæculorum pro quadraginta vel sexaginta annorum deliciis, vel qualibet corruptibili delectatione. Quantum autem interest inter unum diem, et centum annos; non tantum utique, sed plus interest inter quadraginta vel sexaginta vel centum annos, et æternitatem, sive in bono, sive in malo futuram. Unus enim dies aliqua portio est in centum annorum spatio, quamvis valde modica; at vero centum annorum spatium nulla portio est in illa æternitate. Si enim, verbi gratia, centesima vel millesima pars esset æternitatis, prædictum ejus spatium post centuplum ejus spatium vel milluplum æternitas esse desineret; quod ratio non sinit æternitatis, quæ si ullo modo, ullo tempore finiretur, æternitas omnino non esset.

CAPUT IV. *A via lata ad arctam migrare. Beatorum felicitas. Scientia. Sortis suæ amor. De ineffabili visionis Dei suavitate.* Fortiter ergo carnali resistendum est voluptati, fortiter contra fallaces hujus mundi blanditias pugnandum est, contraque multimodas satanæ suggestiones vigilandum. Omni studio lata sæculi via vitanda est, quæ ducit ad mortem: at vero omni cordis desiderio via angusta, quæ ducit ad vitam, adeunda est et appetenda (*Matth.* VII, 13, 14). Via hæc angusta est via abstinentiæ, et castitatis, et humilitatis, et omnis religionis: quam viam ante nos Christus attrivit, qua via ad suum regnum migravit. Cujus vestigia et nos sequamur, donec post eum eadem via ad urbem regiam perveniamus, in qua ipse regnat. De qua urbe quidquid homo dixerit, quasi stilla de mari est, vel quasi scintilla de foco. In qua videlicet urbe *fulgebunt justi sicut sol* (*Id.* XIII, 43), ut Dominus ait. Ubi summa pax erit, summa quies, nullus labor, nullus dolor, nulla paupertas, nec senectus, nulla mors, nec ulla nox, nullum cibi desiderium, nullum sitis incendium; sed cibus et potus omnium erit visio Christi et sanctæ Trinitatis, et contemplatio puro cordis oculo ipsius divinitatis, et assidua lectio, ut ita dicam, libri vitæ, id est, æternæ veritatis et summæ sapientiæ, et verbi Dei, quæ est Jesu Christi visio; ubi quidquid nunc nos latet, manifestius erit. Ubi ratio manifesta erit, cur hic electus est, et ille reprobatus; cur hic in regnum assumptus, et ille in servitutem redactus; cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in juventute, alius in senectute; cur alius pauper est, alius dives; cur filius adulteræ baptizatur, et aliquando filius legitimæ conjugis ante baptismum moritur; cur qui bene incipit vivere, aliquando male finit; et qui male incipit, sæpe bene finit. Hæc omnia et hujusmodi multa in libro vitæ plana et aperta erunt. In eadem urbe præmium singulorum, omnium; et omnium, per charitatem singulorum erit. Ibi omnium bonum [1] omnibus patebit. Ibi omnes invicem suas cogitationes cognoscent. Ibi nullus superior superbus erit, nullus inferior invidus. Quomodo enim qui omnes sicut se ipsum diliget, alicui invidere poterit, cum nemo sibi ipsi invideat? Ibi nullus melius esse vel superius concupiscet, quam erit; quia aliter esse quam quod meruit, nec esset decorum; nec aliter esse desiderabit quam quod erit; quia ita esse ut erit, pulchrum erit, non solum sibi ipsi, sed etiam universo corpori Ecclesiæ cœlestis. Quomodo enim quodlibet membrum in corpore, si superius vel inferius ponatur quam natura constituit, monstruosum efficit corpus et turpe; sic nimirum si aliquis in regno Dei superius ordinetur, quam postulat ars et voluntas omnipotentis artificis, turpitudinem efficiet, non solum sibimet, sed omni congregationi, in qua qui erit minimus, majorem sine dubio habebit gloriam, quam totum habens mundi regnum, etiam si æternum esset. Vile enim valde est elementis frui, in comparatione fruendi et gaudendi ipso Deo, et visibilibus delectari et corporalibus. (*a*) Tanta est enim pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis et sapientiæ; ut etiamsi non liceret amplius manere in ea quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis in circumfluentia corporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est, *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11).

Nihil est comparandum delectationi et gaudio, quod nascitur ex invisibilibus et incorporeis, et ex societate Angelorum et justorum omnium, et ex certa scientia et cognitione ipsius divinæ naturæ, et ex Dei ipsius facie ad faciem visione. Cujus pulchritudinem mirantur Angeli, cujus imperio suscitantur mortui, cujus sapientiæ non est numerus (*Psal.* CXLVI, 5), cujus regnum finem nescit, cujus gloria nequit nar-

[1] Sic Mss. At editi, *quoad visionem*.
[2] Mss. duo, *voluntatem*.

[1] In uno Ms., *omnium bonorum copia*. In editis, *omne bonum*.
(*a*) Verba Augustin. lib. 3 de Lib. Arb. n. 77. Non habent Mss.

rari; cujus lux tam solem obscurat, ut ejus comparatione nullam habeat sol lucem; cujus dulcedo tam mel superat, ut ei comparatum velut absynthium sit amarissimum. Cujus faciem si omnes carcere inferni inclusi viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent; cujus præsentia si in inferno cum sanctis[1] habitatoribus appareret, continuo infernus in amœnum converteretur paradisum. Cujus sine nutu nec folium de arbore cadit. Cujus oculi [illegible] profundum penetrant inferni. Cujus aures tacitam cordis vocem audiunt, id est, cogitationem. Cujus oculus non minus audit, quam videt; cujus auris non minus videt, quam audit, quia non corpus sunt, sed summa sapientia et certa cognitio. Cujus deliciæ sine fastidio satiant: quæ cum a beatis inveniuntur, semper tamen desiderantur, et [illegible] sine pœna [illegible], et anhelant semper [illegible] delectant. Cujus secreta mirabilia, vel nobis ea semper nova sunt et mira; et non plus eam incipiant videri, pariunt stuporem cernentibus, quam post mille annos et millies mille. Et cum Angeli ab initio mundi ea soliti sint videre, tamen non minus hodie admirantur ea, quam in primo die; alioquin dudum eorum Angelis assiduo vivendi usu viluissent. Cujus cognitioni præterita et futura, non præterita et futura, sed[2] præsentia sunt.

CAPUT V. *Deo omnia præscita sine libertatis humanæ præjudicio. Dei locutio et laus. Existentia ante tempus. Lux. Malum verum pejus falso. Dei visio quid beatis conferat. Dei æternitas. Dei scientia.* Unde non diem judicii videbat, et primam diem sæculi non vidit, sed utrumque videt. Cujus præscientia neminem cogit ad peccandum, ut multi errantes dicunt. Si enim, inquiunt, præscivit Deus Adam peccaturum esse, non peccare non potuit. Ex quo errore nascitur, Deum causam esse peccati, quod nefas est dicere. Et illi tamen etiam suis verbis alligantur. Si enim quod præscientia Dei habet, necesse est fieri; ideo voluntate propria homo peccavit, et non aliqua necessitate, quia in præscientia Dei fuit, ut voluntate et libero arbitrio, et non necessitate cogente peccaret. Si ergo præscientia Dei non potest vitari, non potuit homo aliter peccare nisi voluntate, nulla alia vi cogente: quia ita Deus præscivit illum peccaturum. Si ergo voluntarie, non coactus est. Si enim non coactus est ad peccandum, potuit sine dubio non peccare si vellet; ideoque pœnam meruit, quia non invitus peccavit; alioquin a Deo pœnam mortis non susciperet. Cujus locutio est occulta inspiratio, qua mentibus suam voluntatem et suam charitatem invisibiliter ostendit: quam videndo Angeli per omnia Deo obediunt. Cujus laus est qua electos laudabit, manifestatio qua suorum electorum bona omnibus monstrabit; assidua autem laus qua electi eum laudabunt, est admiratio ejus perennis. Qui miro modo non tempore præcessit mundum et tempus (nullus enim longo spatio fuit ante mundum), et tamen semper erat sine initio. Non enim erat tempus ante tempus, tempus autem cum mundo concreatum est. Si igitur tempus ab initio mundi cœpit currere, ante mundum factum non erat. Ideoque nullo tempore, ut prædiximus, præcessit Deus tempora et mundum ab eo conditum, nisi paulo eis priorem; cujus enim motu cœperunt currere. Quidquid movetur, suum motum præcedit. [illegible] etiam æternitate præcessit Deus mundum, non tempore. Cujus tempus ante mundum non erat. Cujus lux tenebras depellit ignorantiæ: cujus aliqua particula hæc omnia, quæ diximus, vera et certa esse cognoscimus. Eadem luce melius esse verum, quam falsum, videmus: et tamen pejus esse verum malum vel verum peccatum, quam falsum malum vel falsum peccatum; non quia verum est, sed quia malum vel peccatum est; sed ideo malum vel peccatum est, quia verum malum vel peccatum est[1]. Aliter enim non posset esse malum vel peccatum, nisi verum esset malum vel peccatum: falsum enim malum non est malum, ut falsum argentum non argentum est. Potest aliquis a veritate dicere malum vel peccatum exortum esse vel factum, et quodam modo opus esse veritatis malum; quod omnino falsum est. Omne enim verum a veritate est, et omne verum in quantum verum, bonum est: a veritate igitur est verum esse, ut sit malum vel peccatum, non ipsum malum vel peccatum; aliud namque est ipsum malum, aliud verum esse illud. Quamvis igitur ipsum malum bonum non est, bonum est tamen verum esse ut sit illud. Nisi enim bonum esset esse malum, nullo modo sineret Deus illud fieri. Multa quippe bona de malis Omnipotens facit, ut de adulterio hominum bonos format et facit homines. Si autem et quadam illius lucis particula quasi per angustas rimas infusa, hæc et alia omnia quæ novimus, vera esse cognovimus; quali et quanta luce scientiæ et sapientiæ illic illustrabimur, ubi ipsum solem veritatis facie ad faciem videbimus, id est, certa et vera sapientia cognoscemus! cujus præsentia similes et facit præsentes. Qui enim veræ sapientiæ, veræ pulchritudini, veræ æternitati adhærebit, sapiens utique et pulcher et æternus erit. Sic enim absentia ejus dissimiles ei omni modo facit. Cujus æternitas sine initio et sine fine est; (si enim esset tempus quando non esset, quis eum faceret?) quia ipse est solus Deus, et ante ipsum Deus alius non erat, nec est, nec erit. Non forte se ipsum creavit, cum nihil se ipsum creat; qua enim potentia qui omnino non esset se ipsum faceret? Restat igitur quod omnino factus non est Deus. Cum ergo nullo modo Deus factus est, sine initio ante omnia erat. Quidquid enim factum est, initium habet: et quidquid initium habet, sine dubio factum est, non ab alio nisi a Deo non facto, sed omnia faciente. Cujus scientia sine ulla varietate cognitionis[2], et sine ullo cursu huc et illuc innumerabilem varietatem omnium creaturarum, Angelorum, hominum, stellarum, arenarum, capillorum, verborum, cogitationum, momentorum omnium, simul et semel comprehendit et intelligit. Fons igitur et origo omnis scientiæ Deus est: quem quanto plus quis bibet, tanto plus sitiet.

CAPUT VI. *Beatorum scientia. De trina visione, corporali, spirituali, intellectuali.* Incomparabiliter ergo totius mundi regnum, ut supra diximus, etsi æternum esset, præcellit, societati Angelorum et sanctorum, et præsenti ipsius Dei adesse visioni. In cujus visione trina scientia nascetur: id est, homo qui cernit, et Deus qui cernitur, et cæteri omnes omnia videbunt et intelligent. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, qua nos ipsos, et ipsum speculum, et quidquid præsens adest videmus; sic per speculum divinæ claritatis, et ipsum Deum ut est, videbimus, quantum possibile erit creaturæ, et nos ipsos, et cæteros vera et certa scientia cognoscemus. Tunc abdita creaturarum, et ipsius interiora, videndo Deum videbimus. Tunc justis manifestum erit, quomodo Deus est invisibilis, incomparabilis, sine initio et sine fine, ante omnia et post omnia: quid enim interest inter nasci, quod ad Filium pertinet; et procedere, quod ad Spiritum sanctum, excepto quod unus ex uno natus sit, alter ex duobus processit: et quomodo Pater non præcessit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum: et quomodo omnia Dei unum sunt in Deo, excepto quod ad relationem pertinet; nam sapientia Dei et veritas et æternitas non diversa sunt inter se, sed unum sunt sicut cætera omnia; sapientia enim Dei non magis sapientia quam veritas est, et non magis veritas est quam sapientia, quam æternitas, quam cætera Dei omnia;

[1] Unus Ms., suis.
[2] Mss. omittunt, *non præterita et futura, sed*.

[1] Hæc non habent Mss., nempe, *sed ideo malum vel peccatum est, quia verum malum vel peccatum est.*
[2] Abest vox, *cognitionis*, a Ms. Victorino.

unum enim sunt in Deo, et non solum hæc inter se eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt quam ipse Deus: et quomodo mundus erat in Deo, antequam in se ipso esset, non mundus, sed Deus: et quomodo ubique totus sine loco, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate; et quomodo omnia penetrat munda et immunda sine sua pollutione. Si enim lux ista visibilis omnia loca illustrat, et sterquilinia etiam penetrat sine læsione, et sine sui pollutione, quanto magis Deus, qui est invisibilis et incommutabilis lux, omnia penetrat, regit, sustinet, circumdat, illustrat, sine ulla mutatione vel pollutione, non solum cœlestia et terrestria, sed etiam infernalia?

Tunc erit electis Dei trina visio, id est, corporalis, qua corpora cernentur, quorumdam splendentia ut sol, quorumdam ut luna, aliorum ut stellæ. Et spiritualis, qua similitudines corporum [illegible] et non [illegible] plenius inspicient; qua visione etiam hodie fruuntur spiritus justorum post corporum dissolutionem: et visio intellectualis, qua per mentis oculos in spiritu Deum videbunt, et suas animas, et virtutes internas, et spiritus angelicos. Tunc duplices Deo agent gratias, videlicet pro sua liberatione a perpetua damnatione, et pro bonorum ineffabili retributione. Tunc communis omnium reus et hostis diabolus in conspectu electorum Dei damnabitur, cujus damnatio et intolerabilis pœna delectabile spectaculum præstabit electis. Tunc [illegible] liberatorem suum et omnium bonorum datorem amabunt, et sine fine et sine fastidio [illegible] laudabunt Deum omnipotentem, benignum et misericordem, cui honor et gloria et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO IN LIBRUM SUBSEQUENTEM.

Hoc opusculum circumferebatur etiam inter Bernardi opera, inscriptum *Scala claustralium, sive Tractatus de modo orandi;* sed nec illius esse Lovanienses censuerunt, et bene quidem. In codice enim Ms. Carthusiæ Coloniensis (sicuti in ultima editione Bernardi notatum est) præfixam habet epistolam cum ista epigraphe: *Epistola domini Guigonis Carthusiensis ad fratrem Gervasium de Vita contemplativa. Dilecto fratri suo Gervasio Fr. Guigo, delectari in Domino. Amare te ex debito teneor, quia prior me amare cœpisti; et rescribere tibi compellor, quia litteris tuis ad scribendum me prius invitasti. Quædam ergo quæ de spirituali exercitio claustralium excogitaveram, transmittere proposui; ut qui talia experiendo melius, quam ego tractando, didicisti, meorum judex sis cogitationum et corrector. Et merito hæc nostri laboris initia tibi primitus offero, ut novellæ plantationis primitivos fructus colligas; quoniam de servitute Pharaonis te delicata solitudine latitabundi furto surripiens, in ordinata castrorum acie collocasti, ramum de oleastro artificiose excisum prudenter inserens in oliva.* Tum liber incipit: *Cum die quadam,* etc. Post extrema autem verba illa, *pacem in idipsum,* sic liber clauditur: *Tu ergo frater, mi Gervasi, si quando datum tibi fuerit desuper prædictorum graduum celsitudinem conscendere, memento mei; et ora pro me, cum bene fuerit tibi; ut sic cortina cortinam trahat, et qui audit, dicat, Veni.*

SCALA PARADISI,
LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Descriptio quatuor graduum exercitationum spiritualium. Lectio. Meditatio. Oratio. Contemplatio.* Cum die quadam corporali manuum labore occupatus de spiritualis hominis exercitio cogitare cœpissem, quatuor spirituales gradus animo cogitanti se subito obtulerunt, scilicet lectio, meditatio, oratio et contemplatio. Hæc est scala claustralium, qua de terra in cœlum sublevantur, gradibus distincta paucis, immensæ tamen et incredibilis magnitudinis. Cujus extrema pars terræ innixa est, superior vero nubes penetrat, et secreta cœlorum rimatur. Hi gradus sicut nominibus et numero sunt diversi, ita ordine et munere[1] sunt distincti. Quorum proprietates et officia quidem singula, quid circa nos efficiant, quomodo inter se invicem differant et præemineant, si quis diligenter inspiciat, quidquid laboris aut studii impenderit in eis, breve reputabit et facile, præ utilitatis et dulcedinis magnitudine. Est autem lectio, sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio. Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. Oratio est devota cordis[2] intentio in Deum, pro malis amovendis, et bonis adipiscendis. Contemplatio est mentis in Deum suspensæ quædam elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.

CAPUT II. *Descriptio officiorum quatuor graduum.* Assignatis ergo quatuor graduum descriptionibus, restat ut eorum officia videamus. Beatæ igitur vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit, *Quærite, et invenietis; pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). *Quærite* legendo, *et invenietis* meditando. *Pulsate* orando, *et aperietur vobis* contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit; meditatio masticat et frangit; oratio saporem acquirit; contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat et reficit. Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. Quod ut expressius videri possit, unum de multis supponam exemplum. In lectione audio, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Id.* V, 8). Ecce breve verbum, sed suave et multiplici sensu refertum, ad pastum animæ quasi uvam ministravit; quam postquam anima diligenter inspexerit, dicit intra se, Potest aliquid boni esse, redibo ad cor meum, et tentabo si forte intelligere et invenire potero munditiam hanc: pretiosa enim et desiderabilis est res ista, cujus possessores beati dicuntur, quibus visio Dei, quæ est vita æterna, promittitur, quæ tot sacræ Scripturæ testimoniis collaudatur. Hoc ergo sibi plenius explicari desiderans, incipit hanc unam masticare et frangere, eamque quasi in torculari ponit; deinde excitat rationem ad inquirendum quid sit, et quomodo haberi possit hæc adeo pretiosa et desiderabilis munditia.

CAPUT III. *Meditationis officium. Scientia in malis,*

[1] Alias, *merito.*
[2] Alias, *mentis.*

non sapientia. Accedens ergo sedula meditatio, non remanet extra, non hæret in superficie litteræ, altius figit pedem, interiora penetrat, singula rimatur. Attente considerat quod non dixit, *Beati mundo* corpore, sed *corde*: quia non sufficit manus habere innoxias a malo opere, nisi et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Quod auctoritate Prophetæ confirmatur dicentis, *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde* (*Psal.* XXIII, 3 *et* 4). Item considerat, quantum hanc cordis munditiam optabat idem propheta sic orans: *Cor mundum crea in me Deus* (*Psal.* L, 12). Et iterum: *Iniquitatem si asperi in corde meo, non exaudiet Dominus* (*Psal.* LXV, 18). Cogitat quam sollicitus erat in hac custodia beatus Job qui dicebat, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine* (*Job* XXXI, 1). Ecce quantum arctabat se vir sanctus, qui claudebat oculos suos ne videret vanitatem; ne forte incautus aspiceret, quod postea invitus [1] desideraret. Postquam hæc et hujusmodi de cordis munditia pertractavit, incipit cogitare de ejus præmio; quam gloriosum et delectabile est videre faciem desideratam Domini, speciosi forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3); non esse jam abjectum et vilem, non habentem speciem qua vestivit eum mater sua synagoga; sed stola immortalitatis indutum, et coronatum diademate quo coronavit eum Pater suus in die resurrectionis et gloriæ, die quam fecit Dominus. Cogitat quod in illa visione erit satietas illa, de qua dicit Propheta, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Videsne quantum liquoris emanavit ex minima uva, quantus ignis ex hac scintilla ortus est, quantum hæc modica massa, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8), in incude meditationis extensa est? Sed quantum adhuc posset extendi, si accederet aliquis talia expertus? Sentio enim quod puteus altus est: sed ego ad hæc rudis [2], vas in quo pauca haurirem, vix inveni.

His anima facibus inflammata, his incitata desideriis, fracto alabastro suavitatem unguenti præsentire incipit necdum gustu, sed quasi narium odoratu. Et hoc colligit quam suave esset hujus munditiæ sentire experientiam, cujus meditationem novit adeo esse jucundam. Sed quid faciet? Habendi desiderio exæstuat: sed non invenit apud se quomodo habere possit (*Joan.* IV, 11), et quanto plus inquirit, plus sitit; dum apponit meditationem, apponit et dolorem; quia sitit [3] dulcedinem quam in cordis munditia meditatio esse monstrat, sed non prægustat. Non enim est legentis atque meditantis hanc sentire dulcedinem, nisi data fuerit desuper. Legere enim et meditari tam bonis quam malis commune est. Et ipsi philosophi gentium, in quo summa veri boni consisteret, ductu rationis invenerunt: sed quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt (*Rom.* I, 21), sed de suis viribus præsumentes, dicebant, *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt* (*Psal.* XI, 5); non meruerunt percipere quod potuerunt videre. Evanuerunt in cogitationibus suis, et omnis eorum sapientia devorata est, quam eis contulerat humanæ studium disciplinæ, non spiritus sapientiæ, qui solus dat veram sapientiam; sapidam scilicet scientiam, quæ animam cui inhæsit, inæstimabili sapore jucundat et reficit: et de illa dictum est, *Sapientia non intrabit in malevolam animam* (*Sap.* I, 4). Hæc autem a solo Deo est. Et sicut officium baptizandi Dominus concessit multis, potestatem vero et auctoritatem in Baptismo remittendi peccata sibi soli retinuit (unde Joannes antonomastice et discretive de eo dixit, *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (*Joan.* I, 33)); sic de eo possumus dicere, Hic est qui sapientiæ saporem dat, et sapidam animæ [1] scientiam. Sermo siquidem datur multis, sed sapientia paucis, quam distribuit Dominus cui vult, et quomodo vult.

CAPUT IV. *Orationis officium.* Videns autem anima quod ad desideratam cognitionis et experientiæ dulcedinem per se non possit attingere, et quanto magis ad cor altum accedit, tanto magis exaltetur Deus; humiliat se, et confugit ad orationem, dicens, Domine, qui non videris nisi a mundis cordibus, investigavi legendo, meditando quæsivi quomodo haberi possit vera cordis munditia, ut ea mediante vel ex modica parte possem te cognoscere. Quærebam vultum tuum, Domine, vultum tuum, Domine, quærebam (*Psal.* XXVI, 8). Diu meditatus sum in corde meo, et in meditatione mea exarsit ignis et desiderium amplius cognoscendi te (*Psal.* XXXVIII, 4). Dum panem sacræ Scripturæ mihi frangis, in fractione panis magna cognitio est (*Luc.* XXIV 30 *et* 31): et quanto plus te cognosco, plus te cognoscere desidero; non jam in cortice litteræ, sed in sensu experientiæ. Nec hoc peto, Domine, propter merita mea, sed pro tua misericordia. Fateor enim quia indigna et peccatrix sum; sed et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum (*Matth.* XV, 27). Da mihi, Domine, arrham hæreditatis futuræ, saltem guttam cœlestis pluviæ, qua refrigerem sitim meam, quia amore ardeo.

CAPUT V. *Contemplationis officium.* His et hujusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium: sic ostendit suum affectum: istis incantationibus advocat sponsum. Dominus autem, cujus oculi super justos, et aures ejus non solum ad preces, sed ipsas preces eorum non exspectat donec sermonem finierint, sed medium orationis cursum interrumpens festinus ingerit se, et animæ desideranti festinus occurrit cœlestis rore dulcedinis circumfusus, unguentis optimis delibutus animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat, et facit eam terrenorum oblivisci, memoria sui eam mirabiliter fortificando, vivificando, et inebriando, ac sobriam reddendo. Et sicut in quibusdam carnalibus officiis adeo vincitur carnalis concupiscentia, quod omnem usum rationis amittit, et fit homo quasi totus carnalis: ita merito in hac superna contemplatione ita consumuntur et absorbentur carnales motus ab anima, ut in nullo caro spiritui contradicat, et fiat homo quasi totus spiritualis.

CAPUT VI. *Spiritus sancti ad animam venientis signa.* O Domine, quomodo comperiemus quando hæc facies, et quod signum adventus tui? Numquid hujus consolationis et lætitiæ testes et nuntii sunt suspiria et lacrymæ? Si ita est, nova est antiphrasis ista, et significatio inusitata. Quæ enim conventio consolationis ad suspiria, lætitiæ ad lacrymas? si tamen istæ dicendæ sunt lacrymæ, et non potius roris interioris desuper infusi superfluens abundantia, et ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut sicut in baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur et figuratur interior animæ ablutio, ita hic e contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia exstinguuntur! *Beati qui sic lugetis, quia ridebitis* (*Id.* V, 5). In his lacrymis agnosce, o anima, sponsum tuum, amplectere desideratum. Nunc torrente te voluptatis inebria (*Psal.* XXXV, 9), suge ab ubere consolationis ejus lac et mel. Hæc sunt miranda munuscula et solatia quæ dedit tibi sponsus tuus, gemitus scilicet et lacrymæ. Adducit tibi potum in his lacrymis in mensura. Hæ lacrymæ sunt tibi panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 4); panes utique confirmantes cor hominis (*Psal.* CIII, 15), et dulciores super mel et favum. O Domine, si adeo sunt dulces istæ lacrymæ, quæ ex memoria et desiderio tui exci-

[1] Pro, *aspiceret..... invitus*, Fr. Lugd. et Ven. habent, *respiceret..... initus*. M.

[2] Apud Bernard., *tiro*; et abest vox, *vas*.

[3] Alias, *non sentit*: et mox, *præstat*; loco, *prægustat*.

[1] Apud Bernard., *animam*: et mox omittitur vox, *scientiam*.

tantur, quam dulce erit gaudium, quod ex manifesta tui visione capietur? Si adeo dulce est flere pro te, quam dulce erit gaudere de te? Sed quid hujusmodi secreta colloquia proferimus in publicum? Cur ineffabiles et inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? Inexperti talia non intelligunt, nisi ea expressius legant in libro experientiæ, quos ipsa doceat unctio. Aliter autem littera exterior non prodest quidquam legenti. Modicum sapida est lectio exterioris litteræ, nisi glossam et interiorem sensum sumat ex corde.

CAPUT VII. *De gratiæ occultatione.* O anima, diu protraximus sermonem. Bonum enim erat nos hic esse, cum Petro et Joanne contemplari gloriam sponsi, et diu manere cum illo, si vellet hic fieri non duo, non tria tabernacula, sed unum, in quo essemus simul, et simul delectaremur. Sed jam dicit sponsus, Dimitte me; jam enim ascendit aurora, jam lumen gratiæ et visitationem quam desiderabas accepisti. Data ergo benedictione, mortificato nervo femoris, et mutato nomine de Jacob in Israel, paulisper secedit sponsus diu desideratus, cito elapsus. Subtrahit se tam a prædicta visione, quam a dulcedine contemplationis: manet tamen præsens quantum ad gubernationem, quantum ad gloriam, quantum ad unionem[1].

CAPUT VIII. *Cur ita ad tempus occultetur.* Sed ne timeas, o sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit sponsus faciem suam. Omnia ista cooperantur tibi in bonum, et de accessu et recessu lucrum acquiris. Tibi venit, tibi et recedit. Venit ad consolationem, recedit ad cautelam: ne magnitudo consolationis extollat te: ne si semper apud te sit sponsus, incipias contemnere sodales; et hanc continuam visitationem non jam gratiæ attribuas, sed naturæ. Hanc autem gratiam cui vult et quando vult sponsus tribuit, non quasi jure hæreditario possidetur. Vulgare proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo, ne forte nimis assiduus contemnatur, et absens magis desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus tandem gratius inveniatur. Præterea si nunquam deesset hic consolatio (quæ respectu futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis, ænigmatica est et ex parte [I *Cor.* XIII, 12]), putaremus forte hic habere civitatem manentem, et minus inquireremus futuram (*Hebr.* XIII, 14). Ne ergo exsilium deputemus pro patria, arrham pro pretii summa; venit sponsus, et recedit vicissim, nunc consolationem afferens, nunc universum stratum nostrum in infirmitate commutans: paulisper nos permittit gustare quam suavis est, et antequam plene sentiamus se subtrahit; et ita quasi alis expansis supra nos volitans, provocat nos ad volandum. Quasi dicat, Ecce parum gustastis quam suavis sum et dulcis; sed si vultis plene saturari hac dulcedine, currite post me in odorem unguentorum meorum, habentes sursum corda, ubi ego sum in dextera Dei Patris. Ibi videbitis me, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem: et plene gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

CAPUT IX. *Quam caute tunc se gerere quisque debeat.* Sed cave tibi, o sponsa; quando absentat se sponsus, non longe abibit; etsi non vides eum, ipse tamen videt te semper, plenus oculis ante et retro; nunquam potes eum latere. Habet etiam circa te nuntios suos spiritus, quasi sagacissimos exploratores; ut videant quomodo absente sponso converseris; et accusant te coram ipso, si aliqua signa lasciviæ et scurrilitatis in te deprehenderint. Zelotypus est sponsus iste. Si forte alium amatorem acceperis, si aliis magis placere studueris; statim discedet a te, et aliis adhærebit adolescentulis. Delicatus est sponsus iste, nobilis et dives est, speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3), et ideo non nisi speciosam dignatur habere sponsam. Si viderit in te maculam aut rugam, statim avertet oculos. Nullam enim immunditiam potest sustinere. Esto ergo casta, esto verecunda et humilis, ut sic a sponso tuo merearis frequenter visitari. Timeo ne diutius detinuerit nos sermo iste; sed ad hoc compulit me materia fertilis pariter et dulcis, quam ego non protrahebam spontaneus, sed nescio quo ejus dulcedine trahebar invitus.

CAPUT X. *Recapitulatio. Quomodo prædicti gradus inter se connectuntur.* Ut ergo quæ diffusius dicta sunt, simul juncta melius videantur, prædictorum in summam recapitulando colligamus. Sicut in prædictis exemplis prænotatum est, videre potes quomodo prædicti gradus cohæreant, et sicut temporaliter, ita et causaliter se præcedant. Lectio enim quasi fundamentum prima occurrit, et data materia mittit nos ad meditationem. Meditatio vero quid appetendum sit diligentius inquirit, et quasi effodiens thesaurum invenit et ostendit; sed cum per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem. Oratio se totis viribus erigens ad Dominum, impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suavitatem. Hæc autem adveniens prædictorum trium laborem remunerat, dum cœlestis rore dulcedinis animam sitientem inebriat. Lectio ergo est secundum exterius exercitium; meditatio secundum interiorem intellectum; oratio secundum desiderium; contemplatio super omnem sensum. Primus gradus est incipientium. Secundus est proficientium. Tertius est devotorum. Quartus beatorum.

Hi autem gradus ita concatenati sunt, et vicaria ope sibi invicem deserviunt, quod præcedentes sine subsequentibus aut parum aut nihil prosint; sequentes vero sine præcedentibus, aut raro, aut nunquam haberi possint. Quid enim prodest lectione continua tempus occupare, sanctorum gesta et scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando et ruminando, succum eliciamus, et transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus; ut ex his diligenter consideremus statum nostrum, et studeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare? Sed quomodo hæc cogitabimus, aut quomodo cavere poterimus, ne falsa aut inania quædam meditando, limites a sanctis patribus constitutos transeamus; nisi prius circa hujusmodi ante ex lectione aut ex auditu fuerimus instructi? auditus enim quodam modo pertinet ad lectionem. Unde solemus dicere, non solum libros ipsos nos legisse, quos nobis ipsis vel aliis legimus, sed etiam illos quos a magistris audivimus. Item quid prodest homini, si per meditationem quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio et Dei gratia ad ea obtinenda convalescat? *Omne siquidem datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacobi* I, 17): sine quo nihil possumus facere; sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis. *Cooperatores enim Dei sumus* (I *Cor.* III, 9), sicut dicit Apostolus. Vult siquidem Deus ut eum oremus, et ut ei advenienti et præstolanti ad ostium, aperiamus sinum voluntatis nostræ, et ei consentiamus. Hunc consensum exigebat a Samaritana, quando dicebat, *Voca virum tuum*: quasi diceret, Volo tibi infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium. Orationem exigebat ab ea, cum dicebat, *Tu si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, forsitan petisses ab eo aquam vivam.* Hoc audito quasi ex lectione mulier instructa, meditata est in corde suo bonum sibi fore et utile habere hanc aquam. Accensa ergo habendi desiderio, convertit se ad orationem, dicens, *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam amplius, neque veniam huc haurire aquam* (*Joan.* IV, 16, 10, 15). Ecce auditus verbi Domini, et sequens super eo meditatio incitaverunt eam ad orandum. Quomodo namque esset sollicita ad postulandum, nisi prius eam accendisset meditatio? Aut quid ei præcedens meditatio contulisset, nisi quæ appetenda monstrabat, sequens oratio impetrasset? Ad hoc ergo ut fructuosa sit meditatio, oportet ut sequatur orationis devotio;

[1] Apud Bernard. hæc non sunt, *quantum ad gloriam, quantum ad unionem.*

cujus quasi effectus est contemplationis dulcedo.

CAPUT XI. *Quam imperfecti sine se invicem. Contemplantium felicitas.* Ex his possumus colligere, quod lectio sine meditatione arida est, meditatio sine lectione erronea, oratio sine meditatione tepida, meditatio sine oratione infructuosa; oratio cum devotione contemplationis acquisitiva; contemplationis adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa. Deus enim cujus potentiæ non est numerus vel terminus, et cujus misericordia super omnia opera ejus, quandoque ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, dum duros et nolentes acquiescere cogit ut velint: et ita quasi prodigus, ut vulgo dici solet, bovem cornu trahit, quando non vocatus se infundit. Quod etsi quandoque aliquibus legimus contigisse, ut Paulo et quibusdam aliis; non tamen ideo debemus nos quasi Deum tentando divina præsumere, sed facere quod ad nos pertinet, legere scilicet et meditari in lege Dei; orare [1] ipsum, ut adjuvet infirmitatem nostram, et videat imperfectum nostrum: quod ipse docet nos facere, dicens, *Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Nunc enim *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Id.* XI, 12). Ecce ex præsignatis distinctionibus perspici possunt prædictorum graduum proprietates quomodo sibi cohæreant, et quid singuli in nobis efficiant.

Beatus homo cujus animus a cæteris negotiis vacuus, in his quatuor gradibus versari semper desiderat, qui venditis universis quæ habuit, emit agrum illum, in quo latet thesaurus desiderabilis (*Id.* XIII, 44); scilicet vacare et videre quam suavis est Dominus; qui in primo gradu exercitatus, in secundo circumspectus, in tertio devotus, in quarto supra se levatus, per has ascensiones quas in corde suo disposuit, ascendit de virtute in virtutem, donec videat Deum deorum in Sion. Beatus cui in hoc supremo gradu, vel modico tempore conceditur manere; qui vere potest dicere, Ecce sentio gratiam Domini, ecce cum Petro et Joanne gloriam ejus in monte contemplor, ecce cum Jacob plerumque Rachelis amplexibus delector. Sed caveat sibi iste, ne post contemplationem istam, qua elevatus fuerit usque ad cœlos, inordinato casu corruat usque ad abyssos: nec post Dei visionem [2] ad lascivos mundi actus et carnis illecebras convertatur. Cum vero mentis humanæ acies infirma, veri luminis illustrationem diutius sustinere non poterit, ad aliquem trium graduum, per quos ascenderat, leviter et ordinate descendat; et alternatim modo in uno, modo in altero, secundum modum [3] liberi arbitrii pro ratione loci et temporis demoretur, tanto jam Deo vicinior, quanto a primo gradu remotior. Sed heu fragilis et miserabilis humana conditio! Ecce ductu rationis et Scripturarum testimoniis aperte videmus in his quatuor gradibus bonæ vitæ perfectionem contineri, et in his spiritualis hominis exercitium debere versari. Sed quis est qui hunc vivendi tramitem teneat? Quis est hic? et laudabimus eum. Velle multis adjacet, sed perficere paucis. Et utinam de istis paucis essemus!

CAPUT XII. *Quatuor causæ ab his gradibus retrahentes.* Sunt autem quatuor causæ quæ retrahunt nos plerumque ab istis gradibus, scilicet, inevitabilis necessitas, honestæ actionis utilitas, humana infirmitas, mundialis vanitas. Prima est excusabilis, secunda tolerabilis, tertia miserabilis, quarta culpabilis. Cur culpabilis? Illis enim quos hujusmodi novissima causa a sancto proposito retrahit, melius erat gloriam Dei non cognoscere, quam post agnitam retro ire. Quam utique excusationem habebit iste de peccato? Nonne ei juste potest dicere Dominus, Quid debui tibi facere, et non feci? Non eras, et creavi te; peccasti, et diaboli servum te feceras, et redemi te; in mundi circuitu cum impiis currebas, et elegi te; dederam tibi gratiam in conspectu meo, et volebam facere apud te mansionem, tu vero despexisti me, et non solum sermones meos, sed me ipsum projecisti retrorsum, et ambulasti post concupiscentias tuas. Sed, o Deus bone, suavis et mitis, amicus dulcis, consiliarius prudens; adjutor fortis: quam inhumanus, quam temerarius est qui te abjicit, qui tam humilem, tam mansuetum hospitem a suo corde repellit! O quam infelix et damnosa commutatio, Creatorem suum abjicere, et pravas noxiasque cogitationes recipere! Illud etiam secretum cubile Spiritus sancti, secretum cordis, quod paulo ante cœlestibus gaudiis intendebat, tam subito immundis cogitationibus et peccatis tradere conculcandum! Adhuc in corde calent sponsi vestigia; et jam intromittuntur adulterina desideria. Male conveniens et indecorum est aures quæ modo audierunt verba quæ non licet homini loqui (II *Cor.* XII, 4), tam cito inclinari ad fabulas et detractiones audiendas; oculos, qui sacris lacrymis modo baptizati erant, repente converti ad videndas vanitates; linguam quæ modo dulce epithalamium decantaverat, quæ ignitis et persuasoriis eloquiis suis cum sponso reconciliaverat sponsam, et introduxerat eam in cellam vinariam (*Cant.* II, 4), iterum converti ad vana eloquia, ad scurrilitates, ad concinnandum dolos, ad detractiones. Absit a nobis, Domine. Sed si forte ex humana infirmitate ad talia dilabimur, non ideo desperemus, sed iterum recurramus ad clementem medicum, qui suscitat de terra inopem, et erigit de stercore pauperem (*Psal.* CXII, 7): et qui non vult mortem peccatoris (*Ezech.* XXXIII, 11), iterum curabit et sanabit nos.

Jam tempus est ut epistolæ finem imponamus. Oremus ergo Deum, ut impedimenta quæ nos ab ejus contemplatione retrahunt, in præsenti nobis mitiget, in futuro nobis penitus auferat: qui per prædictos gradus de virtute in virtutem nos perducat, donec videamus Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 8). Ubi electi non guttatim, non interpolatim percipient divinæ contemplationis dulcedinem; sed torrente voluptatis indesinenter repleti habebunt gaudium, quod nemo tollet ab eis, et pacem incommutabilem, pacem in idipsum.

[1] Alias hic additur, *vel amare.*
[2] Alias, *post factam visitationem.*
[3] Alias, *motum.*

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Honorius Augustodunensis in libro de Luminaribus Ecclesiæ recenset editum a se opus, cui titulus, *Cognitio vitæ, de Deo et vita æterna.* Hoc ipsum est argumentum libri subsequentis, qui cum de Deo et vita æterna totus sit, appellatur tamen sive tantum *Cognitio vitæ*, ut in vetere codice Audoenensi, qui ætate fere Honorii scriptus videtur; sive ut in impressis, *De cognitione veræ vitæ*, quanquam vocem *veræ* titulus in quadam Jodoci Badii editione non habeat. Nemo vero est qui hic Honorium Augustodunensem, si modo alia ipsius opuscula viderit, non facile agnoscat. Solet ille imprimis eam methodum, quæ in hoc libro servatur, consectari, dialogi forma res tractare, et colloquentes cum magistro discipulos inducere, qui ei semper in dialogi fine bene precantur. Et quidem hic loco *Discipuli*, substitutum ubique fuerat *Fratres*: sed erratum ad Audoenense exemplar correximus. Præterea Anselmum imitari amat Honorius, et ipsius non tantum doctrinam tradere, sed etiam quasdam interdum voces usurpare, ut cum hic *summum Spiritum* appellat Deum sive Spiritum sanctum, cum

toties adhibet particulam *amplius*, ubi ad alias et alias probationes disputando pergendum est, etc. Eumdem autem sensus et ipsissimam Anselmi doctrinam ex ipsius Monologio expressam reperies atque huc translatam. Deinde scholas redolet opusculum, atque eo nomine non indignum est Honorio, qui se ipse scholasticum in libro de Luminaribus Ecclesiæ vocat. Ad hæc instructus etiam est liber præfatione ejusdem generis ac cæteri fere libri Honorii Augustodunensis, cui proprium aut solemne est, in suorum opusculorum exordio tum de invidis suis conqueri; ut facit in libris de Imagine mundi, de Luminaribus Ecclesiæ, de Prædestinatione et libero arbitrio: tum opusculi cujusque titulum proponere et explicare, quemadmodum in libris de Gemma animæ, de Imagine mundi, et in Sigillo B. Mariæ; quod quidem etiam in libro de Prædestinatione præstitit saltem in fine. Fatendum porro est, opusculum Elucidario nomen in Anselmi Appendice, iisdem indiciis et argumentis Honorio eidem adjudicari posse; tametsi occurrant in isto opere nonnulla haud satis consentanea cum aliis Honorii opusculis, qualis illa est liberi arbitrii definitio, lib. 2, cap. 2, data, *Libertas eligendi bonum et malum*, quam in libro de Prædestinatione et Libero Arbitrio minime probat Honorius: qui nimirum profecisse sive sententiam mutasse credendus est post scriptum Elucidarium, quod inter opuscula sua primo ipse loco recenset. Cæterum ipsismet Græcis cognitus fuit tractatus iste de Cognitione veræ vitæ. Ejus quippe fragmentum græco idiomate una cum excerptis aliis Latinorum quorumdam scriptorum, puta Leonis Magni et Hilarii græce pariter inventis, prodiit Basileæ, anno 1578, cura Leunclavii, qui ea fragmenta ex Joan. Sambuci bibliotheca eruens latinitati restituit. Illud ipsum de cognitione veræ vitæ fragmentum exstat in Monachiensis bibliothecæ codice Ms. 115, cum Bessarionis opusculis conjunctum, sicuti videre est in Indice ejusdem bibliothecæ ad calcem Apparatus Possevini vulgato. Incipit autem fragmentum in hæc verba: Ἀδελφοὶ ὥσπερ τὸ τῆς σαρκὸς βάρος πιέζει τὴν ψυχήν. *Fratres, quemadmodum pondus carnis animam aggravat, sic*, etc., ductum scilicet ex subsequentis libri cap. 10, et circa finem capitis 18 (omisso tamen capite 15) desinit. Fragmento titulus græce est: Τοῦ ἁγίου Αὐγουστίνου περὶ Τριάδος, ἐκ τοῦ βιβλίου τοῦ περὶ τῆς γνώσεως τῆς ἀληθινῆς ζωῆς ἐπιγραφομένου, ἐν ᾧ ὡς ἐν διαλόγῳ ἐρωτῶσι μὲν οἱ ἀδελφοί, ἀποκρίνεται δὲ ὁ διδάσκαλος. *Sancti Augustini de Trinitate, ex libro qui de Cognitione veræ vitæ inscribitur, in quo tanquam in dialogo Fratres interrogant, Magister respondet.* Vides Græcos incidisse in latinum exemplar jam depravatum, in quo non modo adscribebatur opus Augustino, sed præterea *Discipuli* mutati erant in *Fratres*. Isthæc porro mutatio alterius in titulo depravationis causa et occasio fuit (nisi forte mutationes illas eodem tempore factas esse velis): scilicet in quodam Regiæ bibliothecæ Ms. non admodum vetere, qui notatur 4546, iste titulus huic operi prætixus legitur: *Incipit liber beati Augustini de Cognitione veræ vitæ, quem fecit fratribus heremitis in monte Pysano, ipso existente fratre, anno ætatis suæ* XXXI. Et sicut suppositi sunt, *Fratres* loco *Discipuli*; ita loco *Magister* ubique suppositus *Augustinus*.

COGNITIO VITÆ,

SEU

DE COGNITIONE VERÆ VITÆ

LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM. *Rationalis natura ad quid facta. Operis suscepti ratio. Ejus nomen.* Sapientia Dei, quæ os muti aperuit (*Matth.* IX, 33), et rudibili animali humana verba formare tribuit (*Num.* XXII, 28), me quoque non solum sermone, sed etiam scientia imperitum ad fandum impellit, atque per se ac de se intellecta aliis pie innotescere compellit. Hujus ergo instinctu ad utilitatem, ut spero, plurimorum, iterum committo me corrodendum dentibus invidorum, et forsitan confovendum [1] cordibus vitæ dilectorum: cum Christus veritas et vita dicat, *Hæc est vita æterna, ut te solum verum Deum cognoscant* (*Joan.* XVII, 3). Constat profecto naturam rationalem ad hoc solum factam, ut factorem suum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo, qui est æterna vita, æternaliter beate vivat. Divinitatis ergo essentiam rationabiliter investigare, est ad vitam æternam festinare: hanc vero negligendo ignorare, est utique ad mortem indeficientem properare: quia nimirum hic ab ea ignorabitur, dum quandoque a beata vita sequestrabitur. Quamobrem cum de hac præclara materia plurimi sanctorum Patrum multa gloriosa conscripserint, ipsamque rem simplicioribus obscuriorem quodam modo reddiderint; libet me per hæc condensa quasi quamdam semitam stilo complanare, qua infirmis intellectibus relicto erroris devio, per planum veritatis liceat libere ambulare. Sed hic quilibet invidus nebulosa facie mihi fortassis occurrit, et virus diu sub livido corde concretum in me acerbiter evomit. Quid tu, inquiens, tentas ligna silvis importare, aut redundanti mari undam instillare conaris? Hujus tam mordacis mordacem dentem hæc petra retundat, et venenum malitiose evomitum in viscera ipsius denuo torquenda [1] refundat. *Invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum: imitantur illum qui sunt ex parte illius* (*Sap.* II, 24, 25). O invide infelix, qui aliena felicitate torqueris, alieno damno depasceris, ipsis rebus probas te ex parte ejus esse, qui invides aliis

[1] Sic Ms. Audoenensis. At Medardensis, *construendum*. Editi, *confodiendum*.

[1] Editi, *retorquendo*.

quod tu ignoras scire : ac mihi ob pium laborem collatum egeris suspiriis ingemiscis, quod tibi ob desidiam, imo ob invidiam denegatum cognoscis. Age miser, potius lethiferum virus quo turges evome, salubre dilectionis antidotum excipe. Sin autem, parti paris tui negro felle tabescens liveto. Ego autem cum invida tabescente iter non habeo. Egregiam Scripturarum silvam alacer ingrediens, non in eam, ut tu venenata lingua asseris, ligna deferens, sed pretiosum vitæ lignum justitiam esurientibus de ea efferre conabor : et dulcem vitæ haustum vitam sitientibus de pelago Scripturæ haurire non morabor. Omnes ergo fideles ad lignum vitæque fontem curramus, cujus gustu in æternum beate vivamus. Libellus autem nomen, Cognitio vitæ [1], sortiatur : dum in eo vera vita tardioribus intellectu cognoscibilis reddi videatur.

CAPUT II. *Regni cœlestis carnalis excogitatio. Dei notitiam cohibere quam arduum. Qua methodo id tentetur. Quare expostuletur. Operis difficultas.* DISCIPULI. Gratias Deo persolvimus, cujus dono aperte in dubiis rebus certificari possumus. Quando quidem ergo nos in hoc ipsum videas confluxisse, ne ad patriam tendentes, in via lassabundi deficiamus ; pastu haustuque vitæ ut soles refice, et tempus irremeabili cursu labile, nexibus quæstionum figens, fac nobis stabile : ne sua volubilitas nos otiantes involvat, sed tua affabilitas in divinis laborantes ad semper manens ævum sustollat.

MAGISTER. Fructum ligni vitæ in ramis crucis pendulum mecum alacres adite, fontemque vitæ a vita Patre [2] quasi de loco voluptatis manantem, paradisum, Ecclesiam videlicet hortum deliciarum irrigantem unanimes haurite : cujus sapor si palatum cordis vestri indulcorabit, testor vobis, quos vos cum ævo permansuros, de torrente voluptatis suæ quandoque satiabit.

DISC. Cum carnalia sapientes, spiritualia cogitare nequeamus, regnum cœlorum regionem clarissimam, omni opulentia affluentissimam, in qua cœlestem Jerusalem urbem præclaram, meritis atque opibus inclytam, et in hac Deum quasi gloriosum regem, Angelos velut milites vario cultu conspicuos mente formamus : idcirco poscimus, ut ratione indagante, argumentis quæque obstantia comprimens, veritatem quasi in tenebris latitantem, ad lucem nobis producas, ac Deum aliquando videndum, ut asseris, factum quodam modo visibilem ante oculos cordis nostri constituas.

MAG. Cum Deus omnipotens, solus immortalis, solus invisibilis, solus incomprehensibilis, lucem habitet inaccessibilem ; ego autem tenebris vitiorum obsitus, tetram caliginem inhabitem, luci virtutem inadibilem : qualiter ineffabile lumen sauciis aliorum oculis inferre potero, qui cæcutiente cordis oculo, splendorem tantæ majestatis reverberatus nullo modo intueri prævaleo?

DISC. Tamen nitere pro posse in illam rapi, quatenus disjecta caligine merearis ab ea illuminari, nosque per te illustrari ; sicut sæpe videmus valles a montibus jubare solis irradiari.

MAG. Conabor pro viribus vobis orantibus, ac logica præeunte, comitantibus argumentis, sequar veritatem usque in ipsius inaccessibilis lucis latibulum fugientem, ipsaque concedente producam eam vobis indagantibus se ostendentem.

DISC. Nostra quidem tibi non deerit oratio, tantum sit tibi prævia dux veritatis ratio. Magnopere quippe a te audire desideramus, qualiter in orationibus de Deo cogitare debemus : ne forte infirma mens sibi pulchrum hominem imaginetur, et hoc simulacrum pro vero Deo decepta veneretur.

MAG. Fateor, magnitudine altitudinis suscepti negotii victus succumbo ; quia quæ utcumque mente concipio, vix verbis explicare sufficio. Excedit enim omne præclarum longe summorum philosophorum ingenium, quia sublimitas hujus rei quæ tractatur, exsuperat omnem intellectum. Quanto quippe magis omnem creaturam ingressus [1], conor eam diligenti intuitu contemplari, tanto magis sentio eam ab aspectu intellectus mei elongari. Operam tamen dabo inquisitioni vestræ pro modulo meo satisfacere, prout ipse de quo agimus, dignabitur notitiam sui desideranti animæ innotescere. Vos autem ubi vires pondere tantæ eminentiæ pressæ succumbunt, oportet fragilitati ignoscere.

DISC. Nos quanto diligentius hujus rei perpendimus altitudinem, tanto ardentius optamus eam nobis utcumque fieri cognoscibilem, et ejus qualicumque modo intueri pulchritudinem : et ideo libenti animo tibi ignoscimus, si ea quæ verbis non vales, saltem nutibus explices.

CAPUT III. *Deus proprie exprimi nequit. Cui nullum ex prædicamentis convenit.* MAG. Sciendum igitur, Deum nullis verbis proprie exprimi, nulla posse cogitatione comprehendi. Quomodo enim immensus et incomprehensibilis prædicaretur, si humanæ locutioni vel meditationi includeretur? Nunc autem patet quam sit admirabilis, cum omnibus linguis sit inedicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica namque disserendi potens, potenter quæque dubia definiens, cunctas scripturas evibrans et eviscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cum divinitatem intendit, tantæ majestatis luce repercussa, pavidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundanæ sapientiæ fugiens delitescit, dissolutisque syllogismorum nexibus stulta obmutescit. Nempe et nomine et verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis humano corde concipiuntur. Sed quod ex his nullum proprie Deo conveniat, manifeste ratio comprobat. Nam si dixerimus quod Deus substantia sit quæ omnibus subsistere tribuat, et per quam omnes res esse habent ; mox universalia et individua, de quibus substantia prædicatur, genera et species in quibus versatur, simul et novem accidentia, quæ ei necessario inhærent, animo occurrunt : quæ cuncta liquent, quia minime in Deum concurrunt. Si prædicemus quod Deus ipsa magnitudo existat, quæ omnia in mensura et numero et pondere disponat ; protinus parvitas huic quantitati se opponit, et sua exiguitate quod est super omnia maximum comminuit. Quem si ipsam bonitatem vel summum bonum nominemus, qui cuncta valde bona facit ; statim malum huic qualitati contrarium obviat, et tanto bono se opponere non trepidat. Quod si creator vel dominus prædicetur, quod utrumque ad aliquid, scilicet ad mundum refertur ; confestim relatio opponit, ante mundi constitutionem eum hoc vocabulo caruisse, et hoc relativum ex mundi creatione ei accidisse ; cum ratio astruat nihil Deo accidentale, sed totum quod prædicatur de eo, et esse essentiale. Porro si ubique totus esse dicatur, et simul cuncta replere loca dicatur ; mox localitas clandestine irrepens, illum loco includit, qui cuncta pugillo includit. Si autem sempiternus prædicetur, et cuncta tempora disponere affirmetur ; continuo præterito præsens, futurum præsenti succedere festinat, et initium atque finem æternitati adhibere non formidat. Si vero dicatur quod omnia possideat, et amictus lumine sicut vestimento refulgeat, statim cogitatio eum hoc habitu privat, dum amictum lucis vel possessionem rerum ab eo separat. Quod si semper præsens adesse testatur, confestim situs standi vel sedendi imaginatur. Si vero universa regere referatur, actus laboris æternam requiem annullare conatur. Porro si affirmetur patiens, mala nostra sufferens ; illico passio se ingerit, et impassibilem pati contendit. His quippe decem cuncta humana conditio includitur, et ab his omnibus proprietas summæ essentiæ evidenti ratione penitus excluditur. Cuncta

[1] Sic Bad. et Audoenensis Ms. At alii libri addunt, *veræ*.
[2] In editis desideratur vox, *Patre*.

[1] Edit., *transgressus*, minus bene.

etenim quæ vel oppositionem vel contrarietatem vel accidens suscipiunt, nulla ratione Deo proprie conveniunt. Igitur cum ratione repugnante nihil de Deo proprie loqui valeamus, saltem improprie et per ænigmata de eo loqui satagamus.

CAPUT IV. *Mens animæ speculum. Scientia unde nobis. Spiritualia fide attingi, non ratione. Spiritus sex modis in Scriptura dicitur. Aer. Ventus. Vita brutorum.* DISC. Evidens quidem ratio docet Deum humanis verbis indicibilem, sed intellectualis mens inhianter desiderat eum sibi utcumque fieri cognoscibilem; quæ mens instar speculi animæ videtur, in quo ipsam imaginem Creatoris sui contempletur.

MAG. Universa quæ in rebus creatis novimus, per corporeos sensus cognovimus. Et ea quidem quæ nec visu nec experientia didicimus, per comparationes visorum vel expertorum discimus, ut quæ de bestiis vel ignotis hominibus legimus; quæ autem nobis penitus incognita, per comparationes notas non significantur, nunquam prorsus scientiæ nostræ notificantur. Et ideo quia spiritualia nobis sunt invisibilia, atque corporeis sensibus incomparabilia, nunquam erunt nobis aliqua ratione probabilia. Quia vero hæc constat esse, sed per similia edoceri nequeunt, fidem tantum credentium exigunt.

DISC. Quæ ratio argumentis probat, quanquam in comparatione deficiant, necesse est ut rationalis quisque credere non renuat: tu tantum profer quid de spiritibus sciendum tibi ratio innuat.

MAG. Sex modis in Scripturis spiritus substantialiter dici, non nescio a vobis sciri. Primo summus omnium Deus spiritus appellatur, ut ibi: *Spiritus est Deus; et qui adorant eum, in spiritu oportet adorare* (*Joan.* IV, 24). Secundo angeli spiritus dicuntur, ut ibi: *Qui facit angelos suos spiritus* (*Psal.* CIII, 4). Tertio animæ spiritus nuncupantur, ut ibi: *Exibit spiritus ejus, et caro revertetur in terram* (*Psal.* CXLV, 4). Quarto vita brutorum animalium spiritus vocatur, ut ibi: *Quis scit si spiritus jumentorum descendat deorsum* (*Eccle.* III, 21)? Quinto venti dicuntur spiritus, ut ibi: *Spiritus procellarum* (*Psal.* CXLVIII, 8). Sexto aer spiritus scribitur, ut ibi: *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII, 131). Quorum definitio talis est: Aer est spiritus sensilis, non sensibilis: id est, quem nos attrahendo sentimus, ipse nihil sentiens, cunctis tamen sub cœlo viventibus spiramen exhibens. Ventus spiritus est aer, Dei nutu, aliquo motu agitatus, procellis aquarum augmentatus, per angelica ministeria excitatus, per eadem tranquillatus. Vita brutorum animalium est spiritus vitalis constans de aere et sanguine, animalis, invisibilis, sed sensibilis, memoriam habens, sed intellectu carens, cum carne moriens, in aera evanescens.

CAPUT V. *Anima intelligens quid sit. Est vita sensibilis, mutabilis, illocalis, passibilis; sine quantitate, figura vel colore.* Anima vero spiritus est substantia incorporea, corporis sui vita, invisibilis, sensibilis, mutabilis, illocalis, passibilis, nec quantitatum mensuræ, nec qualitatum formæ vel coloris susceptibilis [1]: memorialis, rationalis, intellectualis, immortalis. Et ne hæc vacillet definitio, ratio eam probationibus roboret. Anima est spiritualis substantia; omne enim quod alii vitam subministrat, ipsum necesse est ut subsistat: sed anima vitam corpori tribuit: igitur anima realiter subsistit. Hanc vero vitam esse ipsamet probat, dum præsentia sua corpus vivificat, absentia sua idem mortificat. Hæc nobis quidem est invisibilis, sed spiritibus est visibilis. Hanc etiam sensibilem esse constat, dum oculis colores, auribus sonos, naribus odores, palato sapores, manibus aspera vel lenia sentire præstat. Est quoque mutabilis: omne enim quod pejoratur et melioratur, mutabile est; sed anima vitiis pejoratur, virtutibus melioratur; igitur mutabilis est. Est etiam illocalis: omne enim quod loco includitur, altitudine, latitudine, longitudine aeris circumscribitur, corpus est; sed ratio docuit animam incorpoream esse, id est, nec corpus nec aliquod membrum habere, igitur constat eam esse illocalem. Non enim spatium aeris, ut corpus, occupat, nec corpus, ut aqua utrem, implet, sed ut calor totum ignem illocaliter replet, ita anima totum corpus illocaliter implet. Ignis quidem est visibilis, sed calor invisibilis et sensibilis, et quodam modo ignem vivificans: ita anima invisibilis, sed sensibilis, visibile corpus quadam occulta vi perficit et vivificat. Hæc est quoque passibilis: omne enim quod mœrore afficitur, passibile est; sed anima dum suæ voluntatis compos non efficitur, dolore mœstitiæ afficitur; igitur passibilis esse convincitur. Ab hac quantitas excluditur: dum nec altitudine vel latitudine aut longitudine metitur, nec sex circumstantias, scilicet ante et retro, dextrum et sinistrum, sursum et deorsum, se includere patitur. Qualitas etiam formæ et coloris ab hac secernitur, dum nulla forma vel humani corporis, vel ullius coloratæ rei illi adscribitur. Hæc est memorialis, quia præterita recolit [1]. Est rationalis, quia præsentia discernit. Est intellectualis, quia futura intelligit. Hanc immortalem hinc esse constat, quod memoriam sui apud posteros perenniter durare laborat.

CAPUT VI. *Angeli quid sint. An sint. Quid agant. Notitia eorum et nostra discrimen.* Angelus autem spiritus est substantia incorporea, invisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis; bonorum lucida et impassibilis, malorum tetra et passibilis. Sed videndum utrum aliqua substantia talis in rebus creatis esse credatur, cum a nobis minime videatur. Angelos esse ipsa insensibilia probant, quæ tam certam sui motus legem observant. Omne quippe quod movetur, aut motum a se habet aut aliunde: sed omne quod motum a se habet, est sensibile, ut anima; quod aliunde, insensibile, ut corpus. Quod si sol, luna et sidera per se moventur, sensu vel ratione vigere videntur: quæ tam certa tempora, tam certa cœli spatia custodiunt, et quodam modo suum intellectum huic mundo lumine vel signis innuunt. Sed qui ea rationalia vel saltem sensibilia corpora arbitratur, jure sensu carens, inter irrationabilia computatur. Cum autem vere sint corpora visibilia, sed motu carentia, utpote insensibilia, et tamen moveantur; constat profecto quod aliunde moveantur. Restat igitur ea per angelica ministeria moveri. Similiter ventos, pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, tempestates, auras jussu Dei per illos regi qui dubitat, ea sensibilia putat: sed hunc ratio stultum cum insensibilibus probat [2]. Bruta quoque animalia usibus humanis per illos obsecundare vel adversari qui non credunt, aut illa per rationis intellectum hæc facere credunt, longe a ratione recedunt. Sed et cuncta quæ in rebus insensibilibus, vel creaturis sensibilibus geruntur, per illos administrari qui ambigit, multum a luce veritatis desipit. Igitur constat angelos vere esse, et cuncta nobis occulta patenter nosse. Sed hoc differt inter illorum et nostram scientiam, quod ipsi omnes causas rerum antequam eveniant præsciunt; nos autem vix et cum magno labore investigamus eas, postquam res in actu constant.

CAPUT VII. *Deus quid sit. Quod sit. Quod sit veritas, vita, sapientia, justitia et æternitas.* Porro summus spiritus, sicut a nullo intellectu valet proprie cogitari, ita nulla definitione poterit proprie determinari. Sed quia intellectualis mens eum utcumque agnoscere anhelat, hæc ænigmatica definitio ei interim sufficiat. Deus spiritus est essentia invisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens: vel ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa justitia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens.

[1] In Mss., *quantitate..... qualitate..... colore susceptibilis.*

[1] Mss. duo, *recolligit.*

[2] Mss. duo, *refutat.*

Si autem aliquis insipiens tantum desipiat, ut Deum esse diffidat, hunc solum vere esse, et alia omnia ab ipso habere esse hac ratione colligat. Omnis substantia aut per se subsistit, aut per aliud; sed hunc mundum non subsistere qui contendit, hic fatuus in nihilum tendit. Mundum autem non per se subsistere constat, dum eum cœpisse ratio doceat; partibus enim constat. Omne autem quod partibus conjungitur vel in partes resolvitur, ab aliquo utique conjunctionem vel resolutionem patitur. Mundus ergo non per se subsistit; et ideo sequitur quod creatura sit. Creatura autem ad aliquid, scilicet ad creatorem refertur. Solus igitur Creator per se ipsum et in se ipso existit: omnis autem creatura per ipsum subsistit. Si enim ab alio esse habet, tunc id Deo majus est a quo hoc habet; quod Deo inconveniens est. Et cum nihil præter Creatorem et creaturam existat, si Deus per se ipsum non habet esse, necessitate consequitur ut per creaturam existat; quod inconvenientissimum est. Amplius, substantia mundi in diversa genera et in differentes species dividitur, et in his singulis bonum invenitur. Omne enim utile, bonum: universa quippe utilia considerantur, et ideo singula bona comprobantur. Omne autem bonum aut per se bonum est, aut per aliud. Sed diversa bona participatione unius boni bona esse necesse est; diversitas quippe recipit magis et minus. Nam quantum ad genus, lapis est minus bonum, qui tantum est, et non vivit (a); lignum magis bonum, quod crescendo vivit; equus illo melius, qui vivit et sentit; homo illo præstantius, qui vivit, sentit, et ratione discernit. Restat igitur his maxime et summe bonum, de quo omnibus inferioribus profluat bonum: et hoc bonum est Deus, de quo quasi de fonte cuncta bona profluunt, et in eumdem cuncta refluunt.

Hic solus vere est; et ideo veritas est. Omne enim quod est, verum est; quod vero non est, falsum est; sed Deus vere est, igitur veritas est (b). Creatura autem ei collata quasi non est: et idcirco quasi falsitas ad veritatem est. Omne enim quod ex nihilo esse cœpit, in nihilum redigi poterit: sed omnis creatura ex nihilo a Deo producta, ad aliquid esse est perducta: igitur si ei comparatur, nihil esse comprobatur. Nulla ergo mens Deum esse dubitat, per quem alia cuncta esse considerat. Hujus essentia est vita. Omne enim quod est, aut vivit aut vita caret; omne autem quod vivit, aut per se vivit aut per aliud: sed Deus per se ipsum et in se ipso vivit, et aliis omnibus vivere tribuit; igitur vera est vita et vitalis veritas. Se ipsum quoque et totam facturam suam sapit et intelligit, cui nihil aliud est sapere, quam vivere et esse; igitur sapientia est. Se ipsum etiam et omnem creaturam diligit; quia justitia est: et hanc justitiam[1] non aliunde accipit; igitur justitia et dilectio existit. Initio et fine caret, præteritum et futurum non habet; igitur æternitas est.

CAPUT VIII. *Dei claritas qui cognoscenda. Anima quæque toto mundo major. Magnitudo intellectualis. Claritas Dei qui cogitanda.* Cum itaque ratio Deum veraciter esse probaverit, et hunc vitam, sapientiam, veritatem, justitiam et æternitatem veris assertionibus essentialiter esse docuerit; restat nunc ut ad hunc quoque videndum aliquam fenestram aperiat, per quam mens per quosdam gradus scandens prospiciat, quatenus regem gloriæ in decore suo videre prævaleat. Pedetentim autem ratio per corporalia gradiatur, ne infirmus intellectus per ardua nitens, difficultate confractus relabatur. In primis igitur hunc corporeum solem mente consideremus, cujus magnitudine totum mundum calefieri, cujus claritudine totum orbem illuminari videamus. Post hunc millia millium Angelorum Deo ministrantium attendamus, quos singulos ratione monstrante, septies, imo centies sole splendidiores sentimus, nam hic sol est minister mundi, Angeli autem templa Dei. Quantum ergo differt templum Dei a servo mundi, tantum differt claritas Angelorum a claritate solis. Deinde decies millies centena sublimium Angelorum Deo astantium perpendamus, quos singulos centies, imo millies præ sole clariores pro certo noscamus. Sicut enim luna stellas, sol lunam in claritate excellere cernitur; sic quilibet superior ordo Angelorum inferiorem, ab Angelis usque ad Seraphim, gloria, dignitate, claritate præcellere creditur. Post hos innumerabilia millia sanctarum animarum inspiciamus, quas singulas longe sole lucidiores, Angelis beatitudine et claritate coæquandas non dubitamus. Tot et tantis luminibus singulariter consideratis, singulorum etiam magnitudinem contemplemur; quatenus ad id quod intueri anhelamus, facilius sublevemur. Cogitemus itaque animam splendidum ignem, cujus minima scintilla ratione instruente vincat hunc solem. Omne enim quod ab alio includitur, minus eo quod se includit, esse necessitate convincitur; sed cogitatio animæ, quæ ejus scintilla est, non solum hunc solem, sed et totum mundi ambitum brevi spatio includit, et totus orbis eam minime circumscribit: igitur constat quamque animam toto mundo longe majorem fore. Angeli autem sicut ab animabus beatitudine, ita etiam differunt magnitudine. Hic nemo magnitudinem corporalis quantitatis intelligat, sed illam potius intellectualem, quæ hunc mundum corporeum, et cuncta in eo corpora ad parvitatem redigat. Hinc jam mens se in alta elevet, cor suum quantum potest dilatet, tot luces inæstimabili claritate, incomparabili magnitudine resplendentes sub se prospiciat; super se vero quamdam admirabilem lucem, quæ omnium illarum lucium lux sit, intendat, quæ sic super tot et tantas luces longe refulgeat, sicut sol super omnes stellas luceat; cujus lucis ineffabilem magnitudinem et admirabilem pulchritudinem illæ tot et tantæ luces jugiter admirentur, et in cujus affluentissimam dulcedinem indefesse prospicere delectentur. Hæc profecto est lux inaccessibilis, quam inhabitat essentia Dei (I *Tim.* VI, 16), solis mundicordibus visibilis. Nullus hic cogitet luce Deum, quasi tabernaculo hominem circumdatum; quasi aliud sit Deus qui lucem inhabitet, et aliud lux quam inhabitet: sed potius ipsam lucem essentiam Dei sciat, in qua universa bona simul locata intelligat. Hæc est lux quæ Angelos et animas in cœlis sua visione satiat. Hæc est quæ mundicordes per contemplationem illuminat. Hæc est quæ solis lucernam in mundo commorantibus, ut candelæ lumen in carcere positis præstitit: qua de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de exsilio ad patriam remeare possunt. Ergo in oratione taliter mens vestra Deum meditetur, taliter intentio vestra imaginem ejus contempletur, scilicet talem lucem, quæ sic super solem, ut sol super candelam, resplendeat, immortalem, quæ sic super innumera Angelorum et animarum millia præ sole centies splendida, ut sol super sidera, refulgeat. Unde dicitur Pater luminum in Canonica Jacobi: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*[1] (*Jacobi* I, 17). Non multum quippe a veritate aberrat qui talem Dei imaginem ante oculos cordis in oratione versat.

CAPUT IX. *Visionis beatæ Dei variorum nominum ratio. Qualiter sancti in oratione cogitandi.* Hæc præsens visio Dei facie ad faciem regnum cœlorum vocatur; quia extra hoc corporeum cœlum, imo extra omnem locum, Angeli et justi, qui cœli nominantur, hac visione fruuntur. Ideirco etiam quamvis Deus in omnibus creaturis essentialiter manere credatur, proprie in cœlis, id est[2], in justis habitare prædicatur; quia ipsi inhabitationem ejus fruendo sentiunt, et eum omnibus rebus inesse gaudentes conspiciunt: quem sibi minime adesse cognoscunt, qui terrena diligunt. Sicut

[1] [illegible]

(a) Vid. [illegible]

(b) Vid. [illegible]

[1] Mss. non habent hæc verba: *Unde dicitur..... a Patre luminum.*

[2] Abest a Mss., *in cœlis, id est.*

enim videns et cæcus in sole stantes, videns claritate solis videndo fruitur, cæcus lumine ejus privatur, et quamvis præsentia solis utrique æque adsit, tamen ejus præsentiam non æqualiter uterque sentit; sic Deus hos tantum inhabitare dicitur, qui ejus præsentia facie ad faciem videndo, ut Angeli, aut per contemplationem speculando, ut justi in hac vita, fruuntur; in his autem non esse dicitur, qui ejus visione privantur. Unde et regnum cœlorum intra nos esse prædicatur (*Luc.* XVII, 21), quia visio Dei omnipotentis, quæ regnum cœlorum, id est, justorum nominatur, in Angelis et justis contemplatur. Hæc etiam vita æterna appellatur, quia beati præsentia indeficientis vitæ plene perfruuntur, et nunquam nec morti, nec ullis doloribus ministris mortis subjacere permittuntur. Ad hoc namque creati sunt, ut æternaliter vivant, et æternam vitam æternaliter aspiciant. Hæc quoque cœlestis civitas nuncupatur, quia unanimitas illorum civium ad videndum Regem gloriæ in decore suo congregatur. Hæc nihilominus Jerusalem cognominatur, quia visione semper manentis pacis satiantur. Hæc paradisus vocitatur, quia omnimoda omnium deliciarum abundantia jucundantur. Hæc quoque superna patria nominatur, quia omnes justi hanc visionem, utputa filii Dei, hæreditare non dubitantur. Cum ergo sanctos in oratione invocatis, sic oportet de eis cogitare constitutis in gloria æternæ claritatis, scilicet splendidissima lumina longe præ solis fulgore lucentia, qui omnia bona pleniter in Dei visione habeant, et cunctis se invocantibus potenter subveniant.

Disc. Sol æternus ad quem videndum nos tua dulcis oratio perduxit, et cujus serena lux in cordibus nostris per tua verba illuxit, ipse te de tenebris exemptum in lucis regione constituat; et inter luces quas prædicas, te lucentem [1] luce suæ visionis perenniter frui tribuat.

Mag. Si quid per me probabile profertur, nolo ut inde mihi, sed Deo, cujus donum est, gratia referatur; qui sæpe per abjectos servos ad hæreditatem suæ visionis filios suos convocat, et per hostes de exsilio ad patriam iter salutis amicis prænotat. Et bene nostis aliquando deformem formoso speculum, imo cæcum videntibus lumen tenuisse, ac claudum sanis gressu viam ostendisse.

CAPUT X. *Quod in Deo necessaria et personarum trinitas et essentiæ unitas.* Disc. Nos quoque propter ea quæ audivimus, perenni Deo grates referimus, cujus visio per te nobis innotuit, et qui talem thesaurum carnalibus absconditum per te nobis protulit. Sed (*a*) quia pondus carnis animam aggravat, ecce iterum carnalis cogitatio mentem divina contemplantem pulsat. Cum enim superius ratio unum Deum verissime esse demonstraverit, et ipsum solum cuncta ex nihilo fecisse probaverit; quomodo quasi tres deos adorare docemur, dum Patrem perfectum Deum, Filium perfectum Deum, Spiritum sanctum perfectum Deum confiteri monemur? Dum enim sic distinctæ tres personæ distinguuntur, quid aliud quam tres dii a nobis intelliguntur?

Mag. Ipsa veritate se demonstrante et ratione probante, citius videbitis necessariam in una essentia personarum trinitatem, et item per omnia necessariam in tribus personis individuæ substantiæ unitatem. Cum jam superius de Deo loquerer ænigmatice, quia non poteram proprie, quid dixi essentiam Dei esse?

Disc. Lucem.

Mag. De luce quid gignitur?

Disc. Splendor.

Mag. Quid in luce et splendore simul consideratur?

Disc. Calor.

Mag. (*b*) Num in substantia lucis, splendoris, caloris invenitur diversitas?

Disc. Non, sed identitas.

Mag. Num in vocabulis vel officiis prædicatur identitas?

Disc. Minime, sed diversitas; nam lucis vocabulum ipsam substantiam, splendoris vocabulum lucis gratiam, caloris vero vocabulum videtur exprimere lucis efficaciam.

Mag. Igitur patet tria vocabula diversa unam constare individuam essentiam.

Disc. Per omnia patet.

Mag. Summum spiritum Patrem lucem appellari habetis in Apostolo: *Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ* (I *Joan.* I, 5). Summum quoque spiritum Filium splendorem nuncupari Apostolo habetis in alio: *Qui est splendor substantiæ ejus* (*Hebr.* I, 3). Summum nihilo minus Spiritum sanctum calorem nominari habetis apud Moysen: *Deus noster ignis est* (*Deut.* IV, 24). Cum itaque lux, splendor, calor sit una natura et individua substantia, vocabulo vero diversa; constat profecto Patris et Filii et Spiritus sancti unam naturam individuamque essentiam, dum in eo quod significat quid sit, substantialiter spiritus nominatur; et item in personis diversitatem necessariam, dum Pater gignens, Filius nascens, Spiritus sanctus ab utroque procedens prædicatur.

Disc. Plane trinitatem in personis perspicue videmus, et necessariam in substantia unitatem evidenter tenemus.

CAPUT XI. *Cur substantiæ et personæ nomina Deo aptata ferantur. Pater cur sic dictus non mater. Cur gignens.* Mag. Ideo vigilantissime hæc duo nomina, scilicet substantia et persona, divinæ essentiæ coaptantur, quia semper substantia de individuis in pluralitate consistentibus, persona autem de individua rationali natura prædicatur; cum nos soleamus personis pluralitatem, substantiæ autem designare essentiæ unitatem.

Disc. Qua similitudine vocatur æterna lux Pater?

Mag. Quia ex se prolem [1] æqualem sibi genuit.

Disc. Nonne sibi magis matris nomen convenire videretur?

Mag. (*b*) In patre semper est principalis causa prolis, et ideo a principali sexu debuit jure hoc nomine appellari.

Disc. Qua similitudine dicitur gignens?

Mag. Certum est quod mens gignit cogitationem; cum autem mens se ipsam cogitat, quasi aliam sibi similem generat. Sic summus Deus cum se ipsum talem qualis est, cogitavit, procul dubio similem sibi per omnia imaginem generavit. Et sicut gignens jure Pater vocatur, ita rectissime genitus Filius nominatur.

CAPUT XII. *Quod nunquam sine Filio exstitit.* Disc. Si Deus Filium genuit, videtur aliquando fuisse quod Filium non habuerit, et hoc nomen ex accidenti possederit. Quod si hoc ita est, superior prolatio labefactatur, qua Deo nihil accidentale, sed totum essentiale prædicabatur.

Mag. Jam docuit ratio, Dei essentiam esse æternam vitam, initii et finis nesciam. Quod si hæc singularis vera vita absque initio semper fuit, constat quod et absque initio semper se vivere intellexit. Quod si se vivere non intellexit, sapiens non fuit: quod nefas est de Deo dicere. Quod si aliquando sapientiam aliunde accepit, quia prius caruit, tunc id a quo tantum bonum accepit, Deo melius exstitit; quod absurdissimum est. Sed si sempiterna vita semper se vivere intellexit, hæc intelligentiæ sapientia non aliunde ei accidit, sed semper ei coessentialis fuit, quanquam hanc ex se, ut prolem suam, inef-

[1] Ms. unus, *lucem entem.*
(*a*) Ab his incipit versio græca.

[1] Græci legunt, *splendorem.*
(*a*) Vid. Elucidarium, lib. 1, cap. 1.
(*b*) Ex Anselmi Monolog. cap. 42.

falaliter genuerit. Igitur Pater nunquam sine Filio exstitit.

CAPUT XIII. *Cur hic Filius, non filia.* Disc. Qua similitudine splendor æternæ lucis Filius vocatur, et non [illegible]?

Mag. Quia per omnia similitudo Patris in eo exprimitur, unde et similitudo ejus dicitur. (*a*) Nihil enim in rebus creatis ad integrum ejus similitudinem servat a quo nascitur. Capilli namque a capite nati sunt capiti dissimiles, poma ab arboribus nata sunt illis dissimilia, lana dissimilis ovibus; fetus animalium, vel ipsi filii hominum, non per omnia similes qualitati genitorum. Hic autem per omnia gignenti est simillimus; et ideo verissime non filia, sed [illegible].

CAPUT XIV. *Quare Verbum. Verbi etymon.* Disc. Qua autem similitudine Filius Verbum vocatur?

Mag. (*b*) Tripliciter verbum intelligitur. Verbi gratia, cum hoc verbum, Homo, ore profertur, aut cum idem verbum, Homo, absque motu linguæ in corde formatur; aut cum res ipsa, quam significat illud verbum, Homo, qualis sit in intellectu cogitatur. Hoc tertio modo Deus Verbum suum genuit, cum se ipsum cogitando dixit. Et quia totam mundi formam eadem cogitatione dixit [1], ideo dicitur, quod omnia in Verbo suo fecerit: unde et de creatione mundi legitur, *Ipse dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Nihil enim est aliud Filius vel Verbum Dei, quam cogitatio vel ars vel sapientia ejus. Nempe cum nos aliquam rem cogitamus, ipsius rei imaginem in cogitatione nostra formamus: sic Deus cum se ipsum cogitavit, similem sui per omnia imaginem formavit; et ideo hoc Verbum imago vel similitudo Dei dicitur, sed nihil aliud esse [illegible] expiimatur. Unde et hoc verbum dicitur quasi vere bonum.

CAPUT XV. *Qui res omnes creatæ in Verbo vita.* Disc. Quomodo dicitur, Omne quod factum sit, in ipso vita fuerit [2]? Num lapides qui stolidi sunt, in Verbo Dei vivunt?

Mag. Omnis creatura trifarie subsistere dicitur: (*c*) In Deo, in se ipsa, in nobis. In Deo vita immutabilis, in se ipsa substantia commutabilis, in nobis similitudo rerum imaginabilis. Verbi gratia, lapis in se ipso est substantia mutabilis, quia in calcem convertibilis; in nostra cogitatione similitudo lapidis, in arte Dei [illegible] interminabilis vitæ durabilis. Cum enim artifex domum facere cogitat, jam domus in ipsa arte vivit, quam postmodum manus ædificat. Sed illa quam manus erigit, corruet; illa vero quæ in arte vivit, permanet. Nihil quippe aliud est ars quam anima, et anima nihil aliud quam vita [3]: sic Verbum Dei nihil aliud est quam ars ejus, et ars nihil aliud est quam ipsa vita, et in hac cuncta immutabiliter permanebunt, quæ in substantia sua mutabilia [illegible].

CAPUT XVI. *Qui solum Verbum incarnari potuit.* Disc. Cum evidens [illegible] idem Verbum cum Patre et Spiritu sancto, unam individuam substantiam inseparabiliter [illegible], quomodo solum incarnari potuit? Si enim a Patris et Spiritus sancti essentia est separatum, et se singulariter inhumanatum; constat profecto quod Patris et Filii et Spiritus sancti substantia non sit individua, quæ potuit pati separationem [illegible].

Mag. Sicut [illegible] virtus divinitatis per ea quæ facta [illegible], potest intelligi (*Rom.* I, 20); sic [illegible] occultum [4] per ea quæ in [illegible] poterit inspici.

[1] [illegible]
[2] [illegible] *quod* [illegible]
[3] [illegible] *et ars ejus nihil* [illegible]
[4] [illegible] *n et occultum.*
(*a*) [illegible] cap. 5.
(*b*) [illegible] cap. 10.
(*c*) [illegible]

Notum est enim quod humana mens verbum communis locutionis ex se cogitando gignit, et idem verbum in mente et in memoria simul una essentia existit. Cum vero mens verbum suum aliis innotescere cupit, cum eadem cogitatione, quæ nihil aliud est quam verbum suum, et cum memoria disponit, quod idem verbum corpus vocis induit, et auribus audibile, et cordibus audientium visibile procedit, et etiam litteris corpus suum ligari et videri permittit; et tamen invisibile manens, de essentia mentis et memoriæ non recedit. Non ergo mens neque memoria, sed solum verbum singulariter sonuit per corpus vocis sensibile; et tamen inseparabiliter mansit in essentia mentis et memoriæ invisibile. Sic summus Pater Verbum suum se ipsum cogitando genuit, quod in Patris et Spiritus sancti essentia simul coessentiale subsistit; sed tamen nec Pater nec Spiritus sanctus, sed solum Verbum quod est Patris Filius singulariter humanum corpus induit, sensibile hominibus se exhibuit, corpus sumptum indigna pati permisit; ipsum inseparabiliter in essentia Patris et Spiritus sancti invisibile et impassibile permansit.

CAPUT XVII. *Cur amor Dei Spiritus et cur sanctus.* Disc. Qua autem similitudine amor Dei Spiritus nominatur?

Mag. Dei essentiam dixi esse vitam. Vera autem vita se vivere intelligit; et si se vitam intelligit, se utique diligit. Dei autem vivere, intelligere, diligere, nihil est aliud quam existere. Dilectio ergo Dei est vita, et vita est spiritus. Et quia Deus per dilectionem cunctis esse vel vivere tribuit, idcirco spiritus nuncupatur. Ideo autem sanctus additur, quia cuncta per eum sanctificantur.

CAPUT XVIII. *Spiritus sanctus qualiter a Patre et Filio. Quatenus in specie columbæ vel ignis.* Disc. Qualiter probatur hic Spiritus a Patre et Filio procedere?

Mag. Nihil aliud Spiritus sanctus, quam amor Dei intelligitur, unde et Deus charitas dicitur (I *Joan.* IV, 16). Constat autem quia Pater Filium ut se ipsum diligit, et item Filius Patrem tanquam semetipsum diligit; vita namque diligit se sapere, et item sapientia diligit se vivere: vitæ autem et sapientiæ probata est una essentia esse. Igitur dilectio vel amor vel charitas, quod est Spiritus sanctus, in substantia Patris et Filii coessentialis existit; et ideo ab utroque æqualiter procedit.

Disc. Si Spiritus sanctus Patri et Filio coessentialis existit, quomodo ab individua substantia separari potuit, cum in specie columbæ super Dominum (*Matth.* III, 16), vel in forma ignis super Apostolos apparuit (*Act.* II, 3)?

Mag. Spiritus sancti substantia non est in columbam vel ignem transmutata, sicut nec Verbi in carnem transformata: sed Spiritus sanctus columbæ corpus condidit (*a*), in quo se ad horam super corpus Verbi inseparabiliter [1] ad testimonium hominibus visibilem præbuit, ipse vero invisibilis in essentia Patris et Verbi inseparabiliter mansit. Animas quoque discipulorum interius possidens, foris speciem ignis vel luminis oculis hominum pro signo exhibuit, et tamen a substantia Patris et Filii non recessit: profecto insinuans quod Pater et Filius per eum peccata consumunt, et in eorum amorem hominum corda per ipsum accendunt; et quod impios per eum ad ignem judicabunt, justos vero lumine vitæ in ipso glorificabunt.

CAPUT XIX. *De æqualitate personarum. Cur deitas virtutum vocabulis non colatur.* Disc. Quomodo constat has personas esse æquales?

Mag. Deus est summa vita, summa sapientia, summa dilectio. Quantum ergo vita vivit, tantum

[1] Edit. *per corpus sibi inseparabiliter unitum ad*, etc. [illegible]
(*a*) [illegible]

se intelligit et tantum se diligit. Si enim non tantum se intelligit quantum vivit, nequaquam summa sapientia erit; et si non tantum se diligit quantum se intelligit, summa dilectio minime existit. Sed cum ipsius substantia verissime summum bonum sit; summa autem vita, et summa sapientia, et summa dilectio non nisi in summo bono inveniri possit, necessario sequitur tres personas, Patris gignentis, Filii geniti, Spiritus sancti procedentis, per omnia esse æquales, et in una eademque individua substantia summum bonum existentes.

Disc. Cur in his vocabulis magis deitas veneratur[1], cum misericordia et justitia et cæteræ virtutes ejus essentiæ assignentur?

Mag. Quia illa sunt ei proprie secundum se substantialia, ista vero secundum nos ei accidentalia. Misericors namque inde dicitur, non quod miserum cor habeat; sed omnem miseriam longe a Deo esse ratio probat. Justum autem humana locutio nominat, qui bonis bona, malis mala recompensat. Verum quia Deus miseris in miseriis subvenit, nomen misericordis vel misericordiæ accepit: quamvis si nunquam aliquis miser fuisset, cui misericordiam impenderet, non minus tamen in substantia sui ipsa misericordia existeret. Quia vero justis largitur præmia, injustis justa irrogat supplicia; juste vocatur justus vel justitia: tamen si nullus foret cui vel gloriam vel pœnam impenderet, non minus ipse justitia subsisteret. Sic de cæteris virtutibus sentiendum.

CAPUT XX. *Annon aliqui necessario miseri; Deus vero auctor mali. Quod sine miseris justitia et misericordia Dei manifestari queant.* Disc. Hinc maxima videtur quæstio suboriri. Si misericordia Dei non potuit dignosci nisi per miseros, nec justitia ejus sciri nisi per damnandos; videtur inevitabiliter sequi, quosdam necessario miseros factos, per quos misericordia Dei revelaretur, et quosdam necessario damnabiles, per quos justitia Dei manifestaretur. Quod si ita est, jam frustra prædicabitur malum nihil esse, cum nihil pejus possit excogitari quam miseria et damnatio: et si hoc per validissima rationis argumenta non infirmabitur, jam Deus summum bonum minime cognoscitur, imo auctor tanti mali convincitur. Porro si noluit vel non potuit ostendere suam misericordiam nisi in miseris, justitiam nisi in damnandis; quis non videat sequi, eum malevolum vel impotentem; in uno, quod bonum nisi per malum ostendere noluerit; in altero, quod aliter facere non potuerit?

Mag. Quis vel demens hæc præsumat dicere, misericordiam et justitiam Dei nisi per miseros et damnandos manifestari non potuisse, cum manifeste constet nos occultas divitias non solum per egentes, sed etiam per abundantes demonstrare posse? Si enim occultam habuero pecuniam, non ideo necesse erit quemquam pauperem existere, cui largiendo eam manifestam faciam, cum idipsum diviti tribuendo facere queam; sed potius si pauper quilibet existens ad me venerit, de occulta pecunia ei misericordiam impendi oportebit. Sicque ejus experientia me largum et locupletem comprobat; quod idem in divite posse fieri constat, quamvis pauperis vel divitis scientia aut experientia nihil mihi utilitatis, utpota omnia bona habenti, conferat; ipsis autem utilia, imo necessaria me habere, eis scire et experiri multum expediat. In hunc quippe modum si nullus aliquando miser vel damnabilis fuisset, Deus omnipotens misericordiam et justitiam in angelis et hominibus non minus manifestare potuisset, de sua videlicet abundantia eis misericorditer largiendo quod minime haberent; præsertim cum omnis creatura a se omnino nihil habeat, sed omnia ab ipso fonte omnium bonorum accipiat, ac dona sua in suis juste conservando quæ ab eo accepissent. Et ideo non erat necesse ut vel angelus damnationem ad manifestandam Dei justitiam, vel homo miseriam ad declarandam Dei misericordiam incideret, cum utrumque in stantibus angelis declaraverit: misericordiam videlicet, eos a lapsu conservando, justitiam, eos præmiando. Quia autem libera voluntate angelus vel homo a Deo apostataverunt, misericordiam et justitiam, quam prius occultam, manifeste experti sunt, dum illum justitia juste damnavit, istum misericordia misericorditer de miseria liberavit. Et cum ex hac experientia nihil Deo utilitatis accreverit, in quo plenitudo omnium bonorum ante omnem creationem creaturarum fuerat, sequitur quod nulla necessitas, sed sola voluntas eos ad miseriam compulerit.

CAPUT XXI. *Mali Deum auctorem non esse, sed ordinatorem. Dei bonitas. Omnipotentia.* Deum autem non esse auctorem mali hinc aperte constat, quod ipse omne malum damnat. Porro quod malum non subsistat, evidens ratio probat. Omnis enim substantia bona est, sed malum bonum non est; igitur malum substantia non est, sed privatio boni est. Videtur autem malum quoddam agendi vel patiendi separabile accidens; in actu quidem, dum inordinate agitur, in passione autem, dum inordinata actio bene ordinabitur. (*a*) In regno quippe cuncta ordinantis nihil inordinatum relinquitur. Est autem rectus rationalis creaturæ ordo, ut caduca respuat, mansura appetat; homines in anima immortales diligat, Deum summum bonum præ omnibus amans, ejus voluntati obediat. Sed qui summum bonum contemnunt, caducum mundi bonum diligunt, socias animas despiciunt, carnis desideriis obediunt; hi inordinate vivunt, sicque malum faciunt. Hoc vero malum ordinabitur, dum hæc actio in passionem mutabitur. Nam dum tales et summo et caduco mundi bono privantur, necesse est ut asperis, quæ blanditiis contraria sunt, afficiantur; quæ tamen in se ipsis non sunt mala, sed patientibus videntur amara. Igitur per naturam nihil est malum.

Deum autem summum bonum hinc constat, quod malis et reis, quasi contra justitiam, misericordiam suam prærogat. Nempe a fonte summi boni talis justitia manat, qua Deus jure indignis misereri debeat: qui etiam benevolus in hoc comprobatur, quia solus tot bonis frui noluit, sed ex nihilo tot substantias protulit, quibus bona gloriæ distribuit. Omnipotens vero, imo ipsa omnipotentia hinc declaratur, quod tantam machinam rerum cum omnibus quæ sunt, potuit ex nihilo formare, et omnis creatura cum ad inconveniens non flectit, sed quidquid est, nutui suo paret. Ecce tota munitio vestræ propositionis jacet subruta ariete manifestæ rationis[1].

CAPUT XXII. *Unde res creatæ. Non ex Dei substantia. Non ex materia sed ex nihilo. Qui tamen non ex nihilo.* Disc. Utile est munimen erroris subrui, et arcem veritatis construi, cujus fundamentum quia super omnia creantem stabiliter locasti, superest ut machinam super originem creaturæ consolides, ac finem mundi initio continuando ædifices, culmenque in alto regni cœlorum consummes. Itaque ratione probante nobis insinua utrum universitas creaturæ ex Creatoris substantia, an ex aliqua præexistente[2] materia, an ex nihilo sit condita.

Mag. Hujus structuræ compagem hic artifex corroboravit, cujus opus nullius augmenti molimen conquassabit. Ex substantia Creatoris se esse ipsa creatura negat, et evidens ratio totis armis suis repugnat. Deus namque est immutabilis, omnis autem creatura mutabilis: quæ si ex immutabili natura processisset, consequenter et ipsa immutabilis perduraret. Porro si corruptibilis natura ex Dei substantia prodiit, sequitur quod Dei essentia corrumpi possit; quam cæcæ mentis insaniam jacula rationis confodiunt, et a præsentia veritatis longe rejiciunt. Quod autem ex nulla substantiali materia condita sit, hinc constat, quod nihil præter Deum fuerit. Restat ergo quod

[1] Editi hinc addunt, *quam aliarum virtutum.*

[1] Editi, *arce manifesti erroris.*
[2] Mss., *coexistente.*
(*a*) Ita Elucidar. lib. 1, cap. 16.

universitas ex nihilo creata sit; non quod nihil aliquid fuerit vel sit, sed quod non aliquid fuit, hoc aliquid Creator esse fecit. (a) Tamen ante creationem totius creaturæ imago in Verbo, id est, in arte Dei fuit, ad cujus exemplar universitas in creatione prorupit. Sicut enim pictor varietatem picturæ prius in mente fingit, ad cujus similitudinem postmodum visibilem picturam pingit: ita Deus universitatem creaturæ prius in sapientia sua formaverat, secundum quam formam cuncta per multimodas species creaverat. Sed pictor picturam mente conceptam in re non existentem, per colores et per instrumenta extrinseca adesse perducit; Deus autem universitatem in sapientia sua nullam quidem substantiam existentem per nulla instrumenta in tot substantias produxit; et ideo ex nihilo omnia fecit, et tamen quasi non ex nihilo, sed ex aliquo visibilis mundus processit, dum instar archetypi mundi formas induit.

CAPUT XXIII. *Quæstiones de præsentia Dei.* Disc. Jam egregia turri in altum surgente discreta ratio tenebras erroris undique versum eliminet, præclaram structuram serena veritatis luce clarificet, ac nobis inclytæ ædis opus mirantibus aperiat utrum Creator in creatura, an creatura in Creatore, an utrumque in utroque consistat; an potius Creator extra creaturam alicubi in aliqua gloria substantialiter maneat, creaturam autem per se existentem potentialiter repleat; an dimidius in cœlo, dimidius in mundo; an aliquando totus in cœlo, aliquando totus in mundo subsistat: an per singula loca divisus, an in omnibus locis totus existat, an aliquando in illo loco, aliquando in alio sit, verbi gratia, heri Jerosolymis, hodie Carthagini, cras Romæ morari credendus sit; an extra omnem locum et extra omne tempus semper et ubique sit.

Mag. Sicut sol exoriens quamvis innumeras rerum formas tenebris obsitas cunctas sua præsentia irradiat; ita potens ratio licet multiplices nimiumque perplexas vestras propositiones perspicaci intuitu singulas discriminat, resque profundissimas de obscurissimis latebris protractas perspicue elucidat.

CAPUT XXIV. *Quod Deus sit in omni creatura. Quod quæque eum sibi inesse sentiat.* Quod Creator in tota creatura existat, omnis creatura probat: quæ se nihil a se, a Deo autem esse et bonum habere clamat. Deus namque est summa essentia et summum bonum: omnis autem creatura per eum subsistit; omnis vero substantia bona est, quia ex summo bono est. Ubi autem Deus non est, ibi nihil est; ubi vero aliquid substantiale est, ibi Deus est: ergo in omni creatura Deus existit, quoniam omnis creatura subsistit. Hic fortassis infirmus animus apud se dicit, Si Deus in omni creatura est, tunc et in cœno, et in inferno, et in brutis animalibus, imo et in dæmonibus est, quæ utique creaturæ sunt. Hic nullam inconvenientiam aperta ratio probat, quæ in his omnibus bonum considerat. Cœnum quippe est res cum alia permixta, utpote terra cum aqua vel cum alia hujusmodi: terra autem bona est, quia substantia est, et aqua bona est quia substantia est. Infernus quoque dicitur esse igneus; et ignis bonus est, quia substantia est. Bruta etiam animalia singula in genere suo ad aliquid utilia sunt; et ideo bona sunt. Dæmones nihilominus, in eo quod angelica sunt natura, boni sunt. Igitur cum constet hæc singula in bono subsistere, necessario sequitur Deum, qui solus bonitas est, in omnibus esse.

(b) Sed et omnis creatura Deum sibi inesse per aliquid sentit. Angeli etenim et universa viventia Deum sibi inesse sentiunt. Deus quippe vita est, et omne quod vivit, vita vivit. Non enim angelus magis vivit quam vermis, licet ille sit immortalis, iste mortalis. Nec angelus magis subsistit quam vermis, quamvis illius substantia sit æterna, istius caduca. Corpora quoque cœlestia, scilicet sol, luna, sidera, Deum in se sentiunt, dum per eum lucent et subsistunt. Arbores et herbæ Deum in se sentiunt, dum per eum crescunt et subsistunt. Lapides vero Deum sibi inesse sentiunt, dum per eum subsistunt. Dæmones sibi Deum adesse sentiunt, dum per eum vivunt et sentiunt; sed et in hoc Deum adesse sentiunt, quod justo Dei judicio mala in pœnis luunt. Deus enim justitia est, et ubicunque justitia exercetur, Deus ibi esse creditur. Sic denique adest imperator latroni dum eum damnat, sicut militi cum eum remunerat. Et nemo opinetur Deum sordes mundi abominari, sed solas peccatorum sordes noverit eum exsecrari; nec eum ullo modo posse ulla re commaculari, sicut nec radium solis ulla immunditia sordidari.

CAPUT XXV. *Creaturæ etiam sunt in Deo. Objectio solvitur. Carnalis de Deo et mundo cogitatio. Idea sincerior.* Omnis autem creatura in Creatore existere hinc cognoscitur, quod extra Deum nihil esse creditur; sed tamen non sic est in eo ut sit ejus substantia vel pars ejus essentiæ, ut cor est in animali vel pars animalis, sed ut lucernæ lumen in sole non est ejus substantia, neque pars ejus essentiæ[1]. At aliquis stultus hic prorumpit et dicit, Si lapis est in Deo, et Deus est in lapide, ergo lapis est Deus. Non utique sequitur, ut omne quod est in altero, sit illud in quo est; nam vinum est in utre, et tamen non est uter; sol quoque in speculo, et speculum in sole, et tamen neutrum est quod aliud. Sicut quilibet Romæ positus, si cogitatione totam civitatem collustraret, totam urbem cum populo imaginando menti suæ includeret; recte diceretur Roma in ejus anima, et ejus anima in Roma esse, nec tamen ejus substantia esse: sic profecto Deus in omni creatura, et omnis creatura in eo rectissime affirmatur, et tamen neutrum quod est aliud; sed hic Creator Deus immutabilis, hæc creatura mutabilis verissime prædicatur.

Sed quia nos in tenebris nati sumus, lumen veritatis videre non possumus. Mundum hunc super abyssum fundatum, Deum autem cum Angelis in cœlo locatum cogitamus, et extra hunc mundum nihil nisi tenebras esse putamus. Sed potius visus mentis nostræ magnitudine veræ lucis hebetatur, sicut corporeus oculus fulgore solis reverberatur, et tenebræ nostræ tantam claritatem non comprehendunt, et caligante cordis intuitu eam nos contemplari præpediunt. Nempe totus hic mundus instar brevissimi puncti intra Deum colligitur; serenissima autem lux majestatis ejus extra undique versum in immensum diffunditur. Deus quippe universa supra et infra, interius et exterius, et in circuitu essentialiter, replet; et nullius creaturæ intellectus interminabilem ejus substantiam ulla cogitatione excedit. Hoc iterum infirmum intellectum scandalizat, et tacitus apud se volutat: Si cuncta in Deo sunt, ergo et lupi et serpentes imo et dæmones in eo sunt. Hic, ut supra, nulla inconvenientia comprobatur, dum in his omnibus bonum reperiatur. Omne autem bonum in Deo est, extra quem nihil est.

CAPUT XXVI. *Cur non omnis creatura æqualiter bono fruatur, cum omnis sit in Deo. Quid sit malum pati.* Sed quæritur, cur aliqua creatura quidquam mali patiatur, et non potius tota æqualiter bono fruatur, si Deus, qui est summum bonum, in omni creatura esse declaratur. Sed sciendum est, quod sicut anima per totum corpus diffusa, in singulis membris tota consistit, non tamen singulis membris tota administrationis suæ munera tribuit, sed oculo tantum videre et non audire, auri autem audire et non videre, et et cæteris in hunc modum; membrum autem cui donum vegetationis subtrahit stolidum et inutile in corpore remanebit, et hoc malum pati vel nihil pati affirmatur, quia bono privatur: sic Deus per omnia diffusus in singulis totus consistit, non tamen singulis cuncta dona gratiæ suæ tribuit; sed singulis prout sibi placuerit, lapidi tantum esse et non vivere, arbori crescendo vivere non sentire, bestiis sentire non dis-

(a) Vid. Anselmi Monolog. capp. 9, 11.
(b) Vid. Elucidar. lib. 1, cap. 5.

[1] Absunt hæc a Mss., *ut cor..... pars ejus essentiæ.*

cernere, Angelis et animabus discernere et immortales existere. Cui autem aliquid bonum subtraxerit, protinus in corpore universitatis inutile erit. Et cum ei bonum quod naturæ blandum est subtrahitur, mox ex necessitate amaro quod ei contrarium est afficitur, ut homines in mundo, dæmones in inferno : sicque malum pati prædicatur, dum bono privatur, sicut cæcus in sole positus tenebras pati dicitur, quia ejus luce non fruitur. Cur autem Deus illi creaturæ dulcedinem suæ præsentiæ perfruendam exhibeat, alteri subtrahat, ratio nullo acumine penetrare prævalet, sed terribilem Deum in judiciis suis stupet.

CAPUT XXVII. *Cur res mutentur, cum sint in immutabili.* Item quæritur, si Deus in omni creatura, et omnis creatura in eo est, quomodo aliquid deficiat, et non potius totum in uno statu permaneat, præsertim cum immutabilis Deus cuncta contineat. Sed sciendum est, quod per hoc Creator a creatura discernitur, dum hic immutabilis, hæc autem multum instabilis cernitur ; cuncta autem æternitatem imitantur, dum deficiendo, et iterum recrescendo quasi in circulis existentiæ semper rotantur. Quia enim de nihilo originem sumpserunt, in nihilum recurrere, et quasi extra Deum exire cupiunt. Sed quia exitum non inveniunt, quasi in circulos revoluta rursum in esse redeunt. Cœli quippe et sidera semper in circulos suos revolvuntur ; aquæ jugiter fluendo quasi peracto circulo in fontes suos revertuntur. Arbores, herbæ, animalia, crescendo, senescendo, putrescendo, iterum recrescendo quodam modo circulose circumaguntur. Hoc quoque modo cuncta per se in nihilum tendunt, sed per continentem semper in datam[1] naturam reverti contendunt. Item quæritur, si homo in paradiso perstitisset, utrum hæc cuncta ut nunc mutabilia fuissent? Procul dubio cuncta cum labili tempore, ut nunc, vices suas crescendo, deficiendo, nascendo, moriendo servarent; ipse in uno statu stabilis et dominus omnium perduraret. Quia vero peccando instabilis exstitit, ipse cum tempore et caducis rebus labi cœpit.

CAPUT XXVIII. *An homine non peccante fuissent mutabiles. Quod Deus ubique et quomodo.* Fugatis tenebris de structura sacræ ædis, jam ad dissolvendas machinas contra eam erectas accingamur. Deum alicubi esse substantialiter, et ubique potentialiter, repugnat firmitati totius jam elaboratæ disputationis, et subruitur impulsu evidentissimæ rationis. Si enim alicubi et non ubique substantialiter est, tunc circumscriptus est et localis; et si localis est, tunc corpus est; et si est corpus, concluditur non esse Deus. Amplius, si Deus loco continetur, tunc locus qui eum continet, major et melior est illo : major, quia Deum includit ; melior, quia tantum bonum continet. Porro si in cœlo est substantialiter, in mundo autem potentialiter ; tunc aliud est ejus essentia, aliud potentia ; et sequitur quod hæc potentia ei ex accidenti evenerit, quod superius ratio a facie veritatis repulit. Si autem dimidius est in cœlo, et dimidius in mundo ; tunc creatura continet Creatorem, et includit in se suum factorem. Si autem aliquando est in cœlo, aliquando in mundo ; tunc mutabilis convincitur, quia de loco ad locum movetur. Amplius, (*a*) si Deus aliquando est in cœlo et non in mundo, tunc ibi tantum aliquid est ubi ipse est, nibi autem nihil est ; ubi enim Deus non est, ibi nihil est. Si vero per singula loca est divisus, tunc constat partibus ; et sequitur quod sit passibilis qui per loca est divisibilis, sed etiam solubilis : (*b*) omne enim quod partibus constat, dissolvi poterit. Si autem in singulis locis est totus, tunc tot tota sunt, quot loca ; omne enim quod uni loco totum includitur, ejus nulla pars in alio loco esse convincitur ; et sequitur, quod Deus loco concludatur, qui cuncta pugillo concludere prædicatur. Quod si per vices temporum mutatur, et heri in uno, hodie in alio, cras in tertio loco commoratur, tunc temporalis est : et jam præteritum amisit, futurum adhuc non habet, sed et cuncta accidentia in eum concurrunt.

CAPUT XXIX. *Conclusio quæstionum de præsentia Dei. Comparatio.* Hujus falsæ tuæ opinionis machinamenta facile dissolvunt hujus sacræ turris instrumenta. (*a*) Dei potentia nihil est aliud quam ejus essentia : igitur Deus non alicubi determinate, sed ubique essentialiter est. Deus quoque immensus est ; locus autem, scilicet spatium quod quodlibet corpus occupat, altitudine, latitudine, longitudine mensuratur, et quidquid est locale, per anterius et posterius, per dextrum et sinistrum, per sursum et deorsum circumscribitur : Deus ergo nec partim in cœlo, nec partim in mundo ; nec aliquando totus in cœlo, aliquando totus in mundo ; nec per singula loca divisus, nec in singulis disjuncte totus ; sed extra omnem locum in se et per se existens, omnem locum replens, et in se continens, cunctam creaturam penetrans, universa per substantiam continuans, ubique, scilicet in omnibus et extra omnia totus, et a nullo loco remotus. Sicut lumen lucernæ in oculis omnium circumstantium totum lucet, et in se ipso totum manet ; non a se ipso recedit ut ad præsentes perveniat, nec unum relinquit ut alii luceat, sed potius singulis et omnibus simul totum lucet, et in se ipso totum manet ; sic Deus ubique et in omnibus est totus, et in se ipso permanet totus ; a se non recedit, sed cuncta in se colligit.

CAPUT XXX. *Qui Christus totus in cœlo, totus in virginis utero.* Hinc quæritur, cum Deus loco non includatur, quomodo Christus totus in virginis utero, totus in cœlo prædicetur, cum uterus virginis locus non dubitetur. In cœlo fuit totus in Patris essentia, ut in anima tota sapientia ; in virginis utero totus, ut verbum totum in voce. Deus etenim initio et fine caret ; et ideo æternus manet. Igitur nec fuit præteritum, nec erit futurum recipit[1], sed extra omne tempus præsens est, semper ubique existit ; unde et *Est* cognominatur (*Exod.* III, 14) ; quia æternitas existens, omnia tempora disponens, nullo tempore variatur. En machina vestræ multiplicis propositionis corruit, quia nullum accidens in Deum concurrit.

Disc. Hujus ruinam non moleste ferimus, sed ad fragorem ejus potius fautores applaudimus, quia per hujus casum turris introitum speramus. Sed cum hæc machina sit disjecta, ecce alia stat contra turrim erecta.

CAPUT XXXI. *Quomodo Deus sit solus immortalis. Quomodo solus invisibilis.* Superius dictum est, quod solus Deus sit immortalis, solus invisibilis. Num Angeli vel animæ mortales sunt, aut Deus est Angelis invisibilis, de quibus dicitur, quod semper videant faciem Patris (*Matth.* XVIII, 10)?

Mag. Mutabilitas est quædam mortalitas : dum enim quid de præterito in futurum movetur, quasi præterito moritur. Deus solus est immutabilis, quia nihil præteriti ei decedit, nihil futuri accedit, sed quidquid est vel fuit vel erit, totum sibi semper præsens adest; et sicut non potest cogitari quod aliquando initium habuerit, ita quoque non potest cogitari quod unquam finiri possit. Angeli autem mutabiles sunt, quia de præterito in præsens, de præsenti in futurum moventur; præterito quippe carent, futurum nondum habent. Constat enim quod socios angelicos olim amissos non habent, et quod adhuc consortio sanctorum in terra peregrinantium carent. Præterita memoria recolligunt, futura præsciendo intelligunt. Et sicut potest cogitari quod aliquando cœperint, ita etiam potest cogitari quod finiri possint. Sed et cum ipsi creaturam in se mutabilem considerant, quodam

[1] Ms. unus, *claram*.
(*a*) Vid. Anselmi Monolog. cap. 20.
(*b*) Vid. Anselmi lib. de Fide Trinit. cap. 4 ; et Monolog. cap. 21.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov.: *Igitur nihil ei fuit præteritum, nec futurum recipit.* M.
(*a*) Vid. Anselmi Monolog. cap. 20.

modo a statu immutabilitatis degenerant : talis mutabilitas est eis quædam mortalitas. Animæ vero sicut sunt per omnia mutabiles, ita quoque pene per omnia mortales. Deus quippe est vita animæ, sicut ipsa est vita corporis : sed sicut mortuum est corpus quando animam non habet, ita anima mortua est cum Deo caret ; vel sicut cæcus oculus mortuus dicitur cum luce privatur, sic anima mortua, cum beata vita quæ est Deus non fruitur. Solus ergo Deus habet immortalitatem, quia nullam recipit mutabilitatem. Hic etiam solus est invisibilis, quia nulli creaturæ ad plenum intelligibilis. Nempe Angeli et animæ beatorum suo more, non nostro, eum semper vident; non per intervalla spatiorum, sicut nos corporea videmus, sed intra se et extra se, in omni creatura et extra omnem creaturam eum conspiciunt, et nullo intellectus intuitu amplitudinem suæ claritatis excedunt. Et quia non pleniter ab ipsis ut a se ipso conspicitur vel intelligitur, ideo solus invisibilis dicitur.

CAPUT XXXII. *Quatenus homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus. Res omnis aliquam Dei similitudinem habet. Animas esse æternas.* Disc. Jam divina natura cum angelica in hac turri tenente sceptra, ecce humana natura legionem adducit ; et ad impugnandam eam machinam erigit. Quæritur namque quomodo homo ad imaginem et similitudinem Dei formatus dicatur : cum nulla convenientia similitudinis Dei in homine conspiciatur.

Mag. Impugnantia a repugnantibus expugnantur, dum præcedentia a consequentibus inexpugnabiliter roborantur. Duo homines scribuntur, interior et exterior. Interior anima, exterior corpus; interior invisibilis, exterior visibilis. Invisibilis ergo ad imaginem et similitudinem invisibilis Dei est creatus, visibilis autem secundum visibilem mundum est formatus. Deus invisibilis est in substantia unitas, in personis trinitas. Interior ergo homo, id est, anima ad imaginem unitatis est creata ; quia non est partibus ut corpus composita, sed est simplex natura et immortalis essentia [1]. (a) Est quoque Deus memoria, quæ sui et omnium quæ sunt meminit, quæ Pater nominatur : ex qua intelligentia nascitur, quæ se et cuncta quæ sunt intelligit, quæ Filius nuncupatur : ex utraque dilectio procedit, quæ se et universa quæ sunt diligit, quæ Spiritus sanctus vocatur. Ad hujus Trinitatis imaginem anima conditur, dum ei memoria, intellectus, ratio dilectionis inditur; præteritorum namque meminit, invisibilia intelligit, mala respuens bona diligit. Dei quoque essentia est lux, vita, justitia, bonitas, beatitudo. Ad hanc similitudinem anima facta est ; ut sit lucida, vitalis, justa, bona, beata. Exterior vero homo, id est, corpus quodam modo ad exemplar mundi formatur, dum ex quatuor elementis compaginatur : unde et microcosmus, id est, minor mundus cognominatur. Et in hoc etiam anima habet similitudinem Dei, dum ipsa sic minorem mundum gubernat, ut Deus majorem. Omnis quoque creatura per aliquid similitudinem Dei habet, et quantum quæque alteri est excellentior, tantum est illi similior. Ipse quippe est, vivit, sentit, per rationem discernit. Lapides ergo ejus similitudini se adjungunt ; quia sunt. Arbores magis similitudini ejus appropinquant; quia sunt, et crescendo vivunt. Quæque animantia multo magis ejus similitudinem exprimunt; quia sunt, vivunt et sentiunt. Porro in hominibus et in Angelis similitudo Dei maxime refulget ; quia sunt, vivunt, sentiunt et ratione discernunt.

Animas autem constat esse æternas. Si enim ad videndum Deum factæ prædicantur, necessario sequitur, ut sicut Deus finem non habere creditur, ita animæ illum visuræ sine fine vivere non dubitentur. Sed quæritur, utrum illæ animæ immortales sint, quæ Deum visuræ non sunt. Omnes animas unius constat esse naturæ ; et si quædam animæ immortales sunt, ergo omnes immortales sunt : igitur omnes animæ Deum visuræ semper erunt beatæ, et eum non visuræ semper miseræ [1].

CAPUT XXXIII. *Anima unde tam multa videat in somnis. Cur se non videat.* Disc. Unde animæ tanta vident in somnis?

Mag. Anima insatiabili cupiditate sciendi veritatem captatur, et ideo semper in cogitationibus vagatur; ideoque sensibus corporis sopitis, per ænigmata quædam futura Deo revelante prævidet, interdum circa verisimilia diabolo fallente anxia languet : aliquando Angelis vel animabus confabulatur, aliquando a dæmonibus ludificatur. Hæc in modum oculi cætera omnia videt, se ipsam videre non potest.

Disc. Cur a nobis non videtur?

Mag. Quia tam subtilis ejus natura dicitur, quod se a corporeis oculis videri non patitur. Quantum enim aqua tenuior est terra, tantum aer subtilior est aqua ; et quantum ætherius ignis aerem tenuitate, tantum vincit anima ignem cœlestem subtilitate. Hæc est enim causa quod nullus spiritus a nobis cernitur, quia subtilitas illorum naturæ nostrum visum excedere creditur.

CAPUT XXXIV. *Qui singulis in membris tota.* Disc. Qualiter perhibetur anima per totum corpus esse diffusa, et tamen non magis in maximis, nec minus esse in membris minimis, sed in singulis tota ? Num tot sunt tota, quot membra ?

Mag. Sicut superius dictum est, si lumen in medium ponatur, non minus in meis, et non magis lucet in alterius oculis, sed in singulis totum, et in se ipso manet totum; sic anima ubique in corpore, et in singulis membris est tota ; unde tacto uno membro dolet tota. Non tamen tot tota quot membra, quia in se ipsa manet tota ; sicut vox in auribus omnium non particulariter, sed sonat tota, et in se ipsa remanet tota.

CAPUT XXXV. *Cur una discendi alia capacior.* Disc. Si omnes animæ unius naturæ sunt, quidnam causæ est quod quædam habilior, quædam tardior est ad discendum ?

Mag. Anima habet formam ceræ vel candelæ. Cera habilis est ad exprimendam imaginem, si ei sigillum imprimatur; sic candela ad lucendum, si accendatur. In hunc modum exprimit anima imaginem scientiæ, si ei imprimitur sigillum doctrinæ, lumenque veritatis recipit, si igne sapientiæ accensa fuerit : quæ si se per studium vel exercitium habilem [2] præbere neglexerit, sicut cera sine imagine, et sicut candela inaccensa sine lumine, sic in tenebris ignorantiæ sine scientia et veritate remanebit. Quanto magis autem quæque anima se doctrinæ adaptaverit, tanto magis capax scientiæ erit. Cur autem ignis sancti Spiritus quasdam animas se habiles non præbentes, imo negligentes, lumine scientiæ magis accendat, quas alias non accendat ; imo quibusdam laborantibus scientiam subtrahat, aliis studiis non subtrahat ; ratio penetrare non valens mirando clamat : *O quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33) !

CAPUT XXXVI. *Quod unus nobis magister.* Disc. Cum cuncta a magistris discantur, quomodo unus magister in cœlis esse scribitur (*Matth.* XXIII, 9), a quo quasi specialiter quæque doceantur ?

Mag. Si recte perpenditur, nihil prorsus per hominem discitur. Magistri tantum commemorando foris plantant et rigant ; veritas autem quæ in anima habitat, intus docendo incrementum dat (*I Cor.* III, 7).

[1] [illegible] *sed est simplex natura, et immortalis essentia.* [illegible] M.

(a) [illegible] 72 ; [illegible]

[1] Fr. [illegible] sic legunt hunc locum : *Omnes animas unius constat esse naturæ, et si* [illegible] *quædam* [illegible] *immortales sunt* [illegible] *Deum visuræ semper erunt beatæ, et eum non visuræ semper miseræ.* M.

[2] [illegible]

Sed stultus non intelligit hæc; ratio autem quæ cuncta discernit, facile hæc ita esse comprobabit. Nempe quidquid discitur, melius per visum quam per auditum capitur. Nam quantum cæco nato de sole narravero, ipse tamen nescit quid sit sol, quem nunquam vidit; tantum verbis meis credit aliquid esse quod ita vocetur, aut fortasse dubitat quidquam esse in re quod sic nominetur: qui si repente videat, ipso visu solem esse probat, quem auditu scire non poterat. Sic plerique cæci scripturas noverunt, sed tamen quid sit liber vel littera nesciunt; quorum oculi si subito aperiantur, et libro coram posito quid sit quod vident, mirantur, et visu discernunt[1] quod auditu non potuerunt. Porro si alicui illorum dixero, talis littera, A vocatur, et talis, B nominatur; mox introrsus recurrit, veritatem consulit, et verum esse probat quod audit. Quid ergo hunc docui, qui nec prius auditu, nec postea visu scire potuit quid littera esset, nisi veritate intus docente, et visu foris probante hanc edisceret? Ego tantum sonos verborum protuli; ipse vero verba et res per verba significatas veritate intus examinante cognovit. Sic vos quoque, si multa vobis de elephante dixero, nescitis quid sit elephas, nisi cum videritis; sic multa de David legimus, et quasi rufum hominem et pulchrum aspectu eum novimus, qui si ad præsens intraret, num illum agnosceremus? Puto minime. Quare? Quia a magistris discere nequivimus, quod veritate visus non probavimus. Doctores etenim tantum sonos verborum proferunt; auditores autem veritate intus docente, verba mente, res visu discunt. Sic litteras, sic ignotas linguas, sic varias artes discimus, dum sonos verborum a præceptoribus percipimus, res ipsas veritate docente intus consideramus. Sed quid de cantu est dicendum, qui non videtur, sed tantum auditu discitur? Nonne dum vox canentis foris sonat, veritas intus quasi quosdam ascensus vocis in anima format? Igitur nihil omnino per hominem nisi solus sonus discitur; verba autem et res per veritatem in interiori homine habitantem discernuntur[2]. Et sic verissime unus magister prædicatur, a quo quisque interius instruitur. Ea autem quæ a nobis non videntur, ut Deus et Angeli, tantum esse creduntur.

CAPUT XXXVII. *Quid differant credere Deum, et credere in Deum. Fides vera.* DISC. Differt aliquid, credere Deum, et credere in Deum?

MAG. Multum. Dæmones etenim et Pagani credunt Deum, sed non credunt in Deum. Credunt namque quod Deus sit qui omnia creavit, ac super omnia potens sit. In Deum autem tantum credunt, qui eum diligendo in illum tendunt. Vera autem fides est credere, quod Deus in essentia sit unitas, et in personis trinitas, et hic cuncta ex nihilo Verbo suo creaverit, ac collapsa eodem Verbo incarnato restauraverit, et in ultimo die per Spiritum suum universa innovabit; et hoc credentibus summum bonum, scilicet se ipsum, in præmio dabit. Hæc fides vita animæ existit, et per hanc justus vivit. Hæc fides spe nutritur, ut corpus cibo reficitur; dilectione animatur, ut corpus anima vivificatur; dilectio autem operatione comprobatur, unde et fides sine operibus mortua affirmatur (*Jacobi* II, 17). Ergo fide anima declinat a malo et facit bonum, spe cuncta transitoria respuit, invisibilia sibi similia[3] appetit, dilectione quæque dura tolerat, carnis impetus refrenat, necessaria proximis erogat, summo bono semper anhelat. Igitur anima quæ sic credendo et sperando in Deum tendit, ipsum summum bonum sine fine habebit.

CAPUT XXXVIII. *Quod animæ carne solutæ nil corporeum sentiant.* DISC. Si animæ naturaliter sunt lucidæ, quæritur utrum animabus corpore exutis lux diei aliquid conferat, vel rursus caligo noctis quidquam ad videndum noceat?

MAG. Sicut corpus sine anima nihil sentire cernitur, sic utique anima sine corpore nihil corporeum sentire creditur. Corpori quippe admixta per oculos sentit colores, per aures voces, per nares odores, per palatum sapores, per tactum vel incessum res tangibiles mollitie vel duritia differentes. A corpore vero separata nihil corporeum corporaliter sentit, quæque res in proprietate substantiæ, abstractis accidentibus colorum conspicit, spiritualia quoque suo more sentit. Sicut ergo lumen candelæ nihil confert soli ad lucendum, sic profecto lux solis nihil omnino confert animæ ad videndum. Et sicut nox jubar solis non impedit, sed potius fugit; sic nec animæ aliquatenus obsistit, utpote quam nec anima sentit. Porro anima, aut spirituali luce ipsa nimis præ sole fulgida fruitur, aut horrida peccatorum caligine obscurata, non noctis, sed propriis ut cæcus tenebris involvitur. Quod autem anima carne soluta corporaliter lucem non videat, hinc constat, quod cum aliqua dictare volumus, vel quidquam facturi disponimus, mox anima exteriores sensus fugit, introrsus se colligit, in se ipsa intus considerat ea de quibus tractat, et solis lumen nihil ei prodest, sed etiam ei ad hoc negotium obest: et dum alias attendit, clamosas voces juxta se non audit. Igitur anima extra corpus nihil corporeum videt vel audit. Quod si facit, tunc utique aerium corpus induit.

CAPUT XXXIX. *Qui sancti preces nostras exaudiant.* DISC. Si animæ corporeas voces non audiunt, quomodo animas sanctorum, scilicet Petri vel Martini vel alterius, multi preces suas exaudisse experti sunt?

MAG. Oratio cordis, non oris, ascendit in cœlum. Animæ enim non clamorem vocis, sed cordis audiunt, et se fideliter invocantibus subveniunt. Neque magis clamosas preces audiunt, quam eas quæ sine voce, vel in lingua, vel in corde tantum fiunt; quia neque a nobis verba, sed voces tantum audiuntur; cæterum verba mente videntur. Cum ergo animæ nostræ aliquid secundum Deum desiderant, et hoc sibi a Deo per sanctos dari, sive corde, sive lingua, seu voce postulant; animæ sanctorum (quibus est idem audire quod videre, et e converso) non voces, sed verba intuentes, desiderata eis a Deo impetrant; unde habetis scriptum, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (*Psal.* X, 17, *sec. Hebr.*).

CAPUT XL. *Quomodo intelligantur animæ a corpore solvi, et iterum reverti, ac visa referre. Infernus est incorporeus, aut animæ damnatæ corpus induunt.* DISC. Nonne legitur, quod sæpe multæ animæ de corpore eductæ, multa loca pœnalia, et item multa amœna et florida, et in utrisque multas animas in humana forma viderint, atque ad corpus reversæ, plurima se ab eis audisse retulerint?

MAG. Sciendum est, quod hæ animæ non penitus corpus reliquerant, sed sensus tantum corporeos suis officiis destituerant, corpus autem non ex toto vitali spiritu carebat. Unde ea quæ audierant, non res corporeæ, sed similes corporearum rerum erant, quas reversæ aliis in corpore constitutis pro ædificatione referre poterant. Postquam vero corpus funditus exuerant, longe res aliter erat quam prius videre non valebant. Sicuti nos aliquando juxta parietem positi, umbram venientis hominis, non ipsum videmus; remoto autem obstaculo muri, ipsum ut est cernimus. Animæ etiam defunctorum cum viventibus apparent, corpus aerium induunt, in quo corpoream vocem vel verba audibilia exprimunt.

Hinc colligitur, quod infernus sit incorporeus, substantia spiritualis, corporeæ similis; cujus pœna tanto sit intolerabilior, quanto spiritus est corpore subtilior. Omne enim corpus vetustate deficit, diuturnitate dissolutum interibit. Unde si infernalis ignis est corporeus, restat ut corporalibus alimentis nutriatur, et sequitur ut illis consumptis ipse intereat; sed constat ignem gehennæ non deficere; ergo spiritualis est. Si autem est corporeus, sed indeficiens creatus est; ne-

[1] Ms. Audoen., *discunt.*
[2] Idem Ms., *discuntur.*
[3] Editi, *sicut visibilia.*

cesse est ut animæ et spiritus qualecumque corpus induant, in quo ignem corporeum sentiant.

CAPUT XLI. *Resurrectionis mortuorum probatio petita ex promissis Dei. Alia ex animarum æternitate. Nova creatura trifarie dicitur.* DISC. Poteritne ratione probari resurrectio mortuorum?

MAG. Si ea inconcussa constabunt, quæ superius verissimis argumentis probata sunt; tunc omni repugnantia submota, omnique necessitate admota, resurrectio erit futura. Constitit enim Deum esse veritatem: veritatis autem verba necesse est adimpleri; quod si non implebuntur, sequitur, quod aut Deus mutabilis sit, aut veritas non sit; quod si impleri non poterunt, jam Deus omnipotens non est. Quæ cuncta liquet quam absurdissima Deo sunt. Incommutabilis itaque veritas Deus promisit suis dilectoribus plenum gaudium, suis contemptoribus plenum supplicium, quod utrumque erit impossibile, nisi sit in anima et corpore; necesse est ergo ut corpora resurgant, animas recipiant; quatenus secundum promissa Veritatis hi plenum gaudium in anima et corpore habeant, illi eodem modo plenum supplicium recipiant. Amplius, si corpora non resurgunt, tunc animæ æternæ factæ non sunt: sed superius probatum est animas factas æternas, ad hoc videlicet factas, ut Deum semper cum Angelis videant, et in hac visione sine fine beate vivant. Beate autem non vivunt, si indumenta, scilicet corpora sua, in sordibus computrescere absque spe recuperationis conspiciunt. Sequitur itaque ut necessario vestimenta sanctarum animarum, quæ stolæ nominantur, per resurrectionem innoventur, et in incorruptibilem gloriam immutentur, quibus animæ indutæ semper beatæ Deum contemplentur; et e contra ut infelices vestes sordidas reinduant, de quarum fœditate semper doleant. Igitur non solum corpora innovari, sed etiam communem naturam, quæ sanctis servivit, necesse est in melius commutari; unde habetis scriptum, *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI, 5).

DISC. Cum Deus ab initio mundi usque nunc nihil novi creaverit, quomodo novam creaturam esse constabit?

MAG. Trifarie nova creatura dicitur, quæ per Trinitatem ita disponitur. Deus Pater omnem creaturam ex nihilo condidit, et hæc nova creatura nominatur. Deus quoque Filius incarnatus Ecclesiam nova religione instituit, quæ nova creatura nuncupatur; unde habetis in Apostolo, *Nos sumus nova creatura* (II *Cor.* V, 17); et in alio, *Ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jacobi* I, 18). Deus quoque Spiritus sanctus corpora adhuc vivificabit, et totum mundum innovabit; et hæc nihilominus nova creatura appellatur; unde habetis, *Cœlum novum et terram novam faciet Dominus* (*Isai.* LXV, 17).

CAPUT XLII. *Qui Christus aut sancti in cœlo. Quid cœli nomine vulgo intelligatur. Quod firmamentum oculi non attingant.* DISC. Jam turri in summum nobiliter perducta, restat nunc ut propugnaculis cingatur, et sic cacumen in summo polorum consummetur. Legitur de Domino, quod elevatis manibus ferebatur in cœlum, et quia sedet a dextris Dei (*Luc.* XXIV, 50; *Marc.* XVI, 19); et Stephanus in concione vidit eum stantem a dextris Dei (*Act.* VII, 55). Qui fertur de loco ad locum, movetur; et qui sedet vel stat, loco continetur. Et cum Dominus corporaliter cœlum ascenderit, qualiter nunc ibi credendus sit, vel qualiter nunc animæ sanctorum ibi sint, aut qualiter receptis corporibus ibi futuri sint, summopere scire desideramus. Si enim aliquis locus Christum vel sanctos sedentes vel stantes continet ne cadant; tunc ille locus melior eis comprobatur, a quo tot bona continentur. Et si sancti de aliqua creatura visibili et sensibili [1] gaudentes gloriantur, ut nos de hac visibili et sensibili luce delectamur; tunc iterum ea res melior rationali creatura judicatur, de cujus possessione ipsa jucundatur, ut nos de habita pecunia gratulamur: et miserum gaudium videtur, si intellectualis creatura non nisi de stolida re lætatur.

MAG. Apicem hujus turris pariter ascendamus, et ratione indagante, qualiter se habeant hæc perspiciamus. Cœlum usitato nomine appellamus, quod super caput nostrum videmus. Supra nos autem nihil nisi nubes, vel aerem sole illustratum conspicimus. Solem vero, vel lunam, vel stellas longe a nobis remotas sic videmus, sicut in lato mari positi a longe montes conspicimus, in circuitu vero nihil nisi circumfusum aerem cernimus. Unde liquet quod nullius hominis visus totum hujus aeris spatium penetret, qui vix etiam horizontem attingere valet. Unde cum Apostoli Dominum sublatum ulterius videre non possent, dicitur: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum* (*Act.* I, 9). Stephanus quoque non corporeis oculis Dominum in cœlo ultra firmamentum vidit, cum nullius hominis visus ullo modo usque ad firmamentum pertingere possit. Sed et concio illa, in qua Stephanus stans Christum conspexit (*Id.* VII, 55), in domo aliqua fuit: cujus tecti culmen ipsius corporeus oculus penetrare minime potuit. Constat igitur quod non oculo corporis, sed intuitu interioris hominis Christum non in corporeo, sed in intellectuali cœlo viderit. Sed hic fortassis ab aliquibus calumniosis objicitur, stellas esse firmamento infixas, et visum nostrum firmamentum attingere dum eas videmus. Num ideo oculi nostri firmamentum attingunt, quia stellas aspiciunt? Num ideo totum aeris spatium in mari penetrant, quia montes, ut puta solida corpora, considerant? Sicut enim in mari remotis ab aspectu montibus, nihil nisi aer undique conspicitur; ita quoque sideribus, solidis videlicet corporibus, sublatis, nihil nisi aer cernitur. Quidquid autem ab aere est usque ad firmamentum, et ipsum firmamentum a nobis nequaquam videtur, propter ipsius spatii longinquitatem, et ob naturæ suæ subtilitatem.

CAPUT XLIII. *Cœlum triplex historialiter. Tres cœli significative tres visiones. Apostoli ad tertium cœlum raptus. Angeli et justi cur cœli, et dæmones tenebræ.* Quod si forte objicitur quod Apostolus ad tertium cœlum raptus scribitur, sciendum est tres cœlos historialiter appellari, et iterum tres significative nuncupari. Hic quippe aer primum cœlum historialiter vocatur, sicut habetis, *Volucres cœli*, quia in cœlo, id est, in aere volare videntur. Secundum cœlum æther nominatur, ut habetis, *Stellæ cœli*, quia in eo planetæ vago cursu feruntur. Tertium cœlum appellatur firmamentum, sicut habetis, *Astra cœli*, quia sidera in eo fixa traduntur. Significative quoque tres cœli leguntur; quia tres visiones, scilicet sensualis, spiritualis, intellectualis a sapientibus non nesciuntur. Sensualis quippe visio est, cum colores et formas rerum exterius cernimus, sed interius aliquid celari, ut in litteris significantiam intelligimus. Hæc ergo visio primum et sensuale [1] cœlum nominatur, quia in scripturis intelligentia celatur. Cœlum etenim a celando denominatur. Secunda visio spiritualis est, qua non res, sed imagines rebus similes spiritualiter videmus, sicut in somniis solemus, et sicut Joannem in Apocalypsi, et Prophetas multa vidisse novimus: et hæc visio secundum cœlum nuncupatur, quia vere res in his similitudinibus celantur. Tertia visio est intellectualis, cum neque res exterius, neque imagines rerum interius, sed ipsas substantias prout vere sunt, abstractis coloribus intellectu conspicimus, et uniuscujusque qualitatem inter se differentem ratione discernimus: et hæc visio tertium cœlum vocitatur, quia veritas rerum in hac, quasi in cœlo, a stultis celatur. Igitur si Apostolus in corpore est raptus, tunc ad corporeum cœlum, scilicet firmamentum, est perductus: si autem extra corpus, quod magis videtur, tunc utique ad intellectuale cœlum raptus creditur, in quo essentiam deitatis sicuti est, et angelicas substantias prout sunt, non sensualiter, quod nequit fieri nisi per

[1] Ms. Audoen. hic et mox, *insensibili*.

[1] Editi, *substantiale*.

corpus, nec spiritualiter, quod non fit nisi per imagines rebus similes; sed veraciter, quod non fit nisi ipso intellectu, vidisse cognoscitur. Angeli vel justi quadam similitudine cœli nuncupantur, quia in secreto Dei humanis visibus celantur; et e contra dæmones vel impii tenebræ appellantur, quia in tormentis a nobis occultantur.

CAPUT XLIV. *Quid sit regnum cœlorum, et quod ubique sit. Cur nos nunc non in cœlo. Quid sit in illud intrare. Quid inferri. Ad quid visiones corporeæ quibusdam morientibus fiant.* Regnum autem cœlorum, id est justorum, non urbium mœnia, non possessionum prædia, non auri et gemmarum copia, non supellex varia, sed justitia et pax et omnimoda gloria in pleno gaudio creditur, quod de visione æternæ claritatis, et de societate Angelorum et sanctorum habetur. Deus autem æterna lux, probatus est esse in mundo et extra mundum, infra et supra et in circuitu, undique et ubique. Igitur si regnum cœlorum talium ratione demonstrante nihil est aliud quam visio Dei, qui[1] est fons omnium bonorum; necessario sequitur quod regnum cœlorum sit in hoc mundo, et extra mundum, et in omni creatura, et extra omnem creaturam: unde habetis, *Regnum cœlorum intra vos est* (*Luc.* XVII, 21); quia nimirum in Deo consistentes, cum in nobis ipsis, et in omni creatura, et extra omnem creaturam sicuti est cernimus. Idcirco autem nunc extra Deum, vel extra regnum cœlorum dicimur, quia hac visione privamur. Eodem modo et miseri tunc a regno cœlorum excludi referuntur, quia eadem visione ut cæci luce solis privabuntur. Hoc regnum cœlorum, vel hoc gaudium justi intrare scribuntur; quia ineffabile gaudium non capientes, in eo quodam modo obvolvuntur. Quod autem animæ sursum ad cœlum ferri affirmantur, vel etiam inferri putantur; ad visum nostrum dicitur, quibus superiora splendore solis lucidiora noscuntur, et quod aliter non potest hæc res cognosci ab his qui sunt adhuc in carne constituti. Sane animæ carne solutæ non loco moventur, nec in aliquem corporeum locum ducuntur, ut inde Deum contemplentur; sed mox a corpore sequestratæ, Angelis et sanctis associantur, regno cœlorum, quod est visio Dei, intra mundum et extra et undique sine mora fruuntur; sicuti cæcus in sole positus, si oculi ejus aperirentur, confestim luce solis frueretur. Quod autem quibusdam morientibus lux vel formæ Angelorum aut sanctorum ibi videntur, et concentus harmoniæ audiuntur, et ad alta duci cernuntur; hoc propter viventes fieri non dubitatur, ut in Christiana religione corroborentur. Porro frivolum videtur, si animæ illocales de hoc mundo extra firmamentum duci asserantur, quasi ibi sit pulchrius, vel magis ibi sit Deus, cum potius Deus supra et infra, intra et extra æqualiter esse non dubitetur, et ejus visio ubique justis æqualiter adesse comprobetur. Animas vero, spiritus cum sint incorporei, corporeis locis includi absurdissimum videtur, præsertim cum omnis locus altitudine, longitudine, latitudine dimetiatur, hisque omnibus spiritus carere bene sciatur. In eo quippe illocaliter manere, et ejus visione frui æstimantur, sicut scientia in anima illocaliter moratur.

CAPUT XLV. *Corporum beatorum gloria et locus. Ictus oculi.* Corpus autem sanctorum resurget spirituale, quia levitate, velocitate, perspicuitate spiritibus erit æquale, et omne solidum erit ei penetrabile; sicut et corpus Domini lapide clausum surrexit, et januis clausis intravit. Sicut igitur nunc spiritus nullo corporali loco sustentatur; ita quoque non est necesse ut spirituale corpus tunc aliquo loco fulciatur. Non enim insensibile corpus spiritum, sed spiritus corpus vegetat. Igitur nullus locus spirituale corpus fulcit, quod omni elemento subtilius erit, sed ut spiritus illocaliter in summo spiritu Deo subsistit: nisi forte hoc pro loco accipiatur, quod substantialiter ac personaliter circumscribitur. Amplius, aut in hoc corporeo mundo sancti manentes Deum videbunt, aut extra mundum erunt. Si extra mundum fuerint, tunc nulli elementali materiæ stantes vel sedentes sustentabuntur, quia nullum elementum extra mundum comprobatur. Qui enim terram vel aquam ibi esse credit, nimis terrenus et fluxus desipit; si autem aerem vel ignem ibi esse arbitratur, graviter a mobilitate aeris et ignis ipse instabilis, erroneus computatur. Ergo extra mundum nulla materiali re fulcientur, ubi nulla invenitur. Si autem in hoc mundo erunt, similiter nulli elemento localiter stando vel sedendo inhærebunt, quia æquales Angelis erunt (*Matth.* XXII, 30). Cum igitur spirituales sint, in summo spiritu spiritualiter, non localiter manebunt. Porro illorum corporum gloria, non ratione, sed sola fide est contemplanda. (*a*) Erunt quippe tunc illa corpora ut animus agilia, ut sol perspicua. Quam cito enim nunc animus ab Oriente in Occidentem cogitatione pervenit, tam cito tunc illud corpus illuc pervenire poterit. Hoc hinc colligitur, quod resurrectio in ictu oculi fienda legitur (I *Cor.* XV, 52). Ictus autem oculi est, non quod oculus aperitur, sed quod aperto oculo objectus lucis radius conspicitur. Sed revera tantum differt velocitas illius corporis ab ictu oculi, quantum a corpore agilitas animi. Hujus etiam corporis claritas est tanta, quanta et spiritus; non enim est hoc corpus animæ oneri, sed decori, quod nulla corruptibilis moles aggravat, sed quod angelicæ naturæ æqualitas levigat. Hujus quoque claritas tantum solem excellit, quantum sol in claritate nostrum corpus præcellit. Sol enim est corpus insensibile, et quamvis immutetur, tamen nunquam vivificabitur; corpus autem illud erit sensibile, vitale, et intellectuale. Igitur quantum differt spiritus intellectualis ab aere insensibili, tantum differt præclara claritas illius corporis a claritate solis.

CAPUT XLVI. *De gloria communi ac speciali Sanctorum.* Hinc quæstio non minima occurrit. Cum enim Dominus dicat, *Fulgebunt justi sicut sol* (*Matth.* XIII, 43); et Apostolus, *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. Stella ab stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41): videtur Apostolus Domino contrarium sentire, videlicet quos hic velut solem fulgere asserat, ille quosdam velut diversas stellas, alios velut lunam, alios velut solem splendere adstruat. Sed sciendum est, quod Dominus gloriam sanctorum generaliter expressit, Apostolus autem singulorum gloriam pro meritis distinxit. Ultimus ergo in regno cœlorum ut sol fulgebit, qui tunc septies clarior quam nunc erit (*Isai.* XXX, 26). Et in hac claritate tantum quisque ab alio pro meritis differt, quantum stella ab stella in claritate differt. Alii autem hos item diversæ claritatis gloria ita præcellunt, sicut lucifer pleiades, luna luciferum, sol lunam claritate excellunt. Nos autem omnes tantum corpus Christi in claritate excedit, quantum Creator creaturam transcendit; unde et in dextera Dei Patris sedere scribitur (*Coloss.* III, 1), quia in gloria divinæ majestatis fulgere creditur. Igitur talis visio et talis gloria regnum cœlorum dicitur, quia soli cœli, id est, justi hac visione fruuntur; quorum præmium summum est bonum, in quo habent plenum gaudium de plenitudine omnium bonorum.

CAPUT XLVII. *Quod sancti non de sensibilibus, sed de summo bono delicientur. Cœlum cœlorum. Catena virtutum.* Concluditur itaque, quod sancti non de sensibilibus rebus delicientur, sed se in summo bono esse, et summo bono in omni creatura et extra omnem creaturam videndo frui glorientur. Si enim quidquam minus quam summum bonum in præmio acciperent, adhuc plus appeterent; et consequens esset, quod plenum gaudium non haberent. Sed cum constet eos plenum gaudium habere, necessario sequitur eos summum bonum Deum habere, et de ejus affluentia, plenitudine omnium bonorum abundare. Quando au-

[1] Alias, *quæ.*

(*a*) Ita Elucidar. lib. 3, cap. 16.

tem cœlum cœlorum legitur, ipse Deus intelligitur; quæ ca li vel justi in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum celantur (*Psal.* XXX, 21). Unde scribitur, *Habentes thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21), hoc est, in Deo. Ad hoc summum bonum justi quadam catena trahuntur, quæ de virtutibus hoc modo connectitur. In primis fides animam quasi quidam circulus complectitur, fidei spes annectitur, spes dilectione tenetur, dilectio operatione expletur, operatio intentione in summum bonum trahitur, intentio boni perseverantia clauditur, perseverantiæ Deus fons omnium bonorum dabitur. Igitur qui hac catena tractus, hanc turrim scandens culmen ejus attigerit, non solum se veram vitam cognoscere, sed et perenniter in ea beate vivere se gaudebit; quia in ea hujus gloriæ consors erit.

DISC. Veræ vitæ et omnium beate viventium faciat te Deus participem, qui nos omnes ad summum bonum perducat. Amen.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Liber de Vita christiana jam ante parenti suo restitutus fuit per Lucam Holstenium, qui novam ac singularem ejusdem libri editionem ad vetus exemplar Casinensis monasterii, in quo Fastidii nomine inscriptum reperit, perficiendam curavit Romanis typis, anno 1663. Casinensi exemplari fidem auctoritatemque affert Gennadius, de Fastidio et ejus lucubrationibus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 56, ita loquens: « Fastidius Britto scripsit ad Fatalem de Vita christiana librum, et alium de Viduitate servanda, sana et digna doctrina. » Gennadii verba sunt ex vetustissimo Corbeiensi codice descripta; quæ quidem in editis non sic pura leguntur, sed male interpolata duobus tribusve locis: scilicet « ad Fatalem quemdam » scriptus liber dicitur in Gennadii impressis; quem tamen non ad virum, sed ad viduam quamdam directum esse liquet; prætereaque in iisdem impressis libris judicium Gennadii uno adjecto verbo illustrius longe, vel magis (dicere liceat) ineptius redditur in hunc modum: « Sana et Deo digna doctrina. » Enimvero Fastidium Pelagii conterranei sui hæresi addictum fuisse non temere suspicantur eruditi viri. Nam de Adamo in hujus libri capite 13 sic loquitur: « In quo nihil fuisse incredulitatis invenio, præter solam inobedientiam, cujus causa ille damnatus est, et omnes suo damnantur exemplo. » Ipse est Pelagii error docentis, Adæ peccatum posteris exemplo nocuisse, non transitu, ut in epistola ad Demetriadem, in Appendice operum Augustini: quem Pelagianum errorem Augustinus sæpe reprehendit. Quæ etiam hic habentur in capite 11, « Ille enim merito ad Deum extollit manus, ille preces bonæ conscientiæ fundit, qui potest dicere, Tu nosti, Domine, quam sanctæ, quam innocentes, quam puræ sunt ab omni fraude et injuria et rapinâ, quas ad te expando manus, quam immaculata labia et ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miserearis, preces fundo; » illa ipsa verba sunt, quæ in libro Pelagii ad viduam exstitisse, testatur Augustinus in libro de Gestis Pelagii, cap. 6, necnon Hieronymus in tertio Dialogorum libro, ubi iis verbis recitatis exclamat: « Christiani est hæc, an Pharisæi superbientis oratio? » Fastidium Britannorum episcopum claruisse sub Honorio et Theodosio principibus anno Christi 420, scripsit Trithemius. Gennadii autem exemplar Corbeiense supra laudatum, episcopi titulum, quem editi Fastidio tribuunt, adscriptum a prima manu non habuit; sed post vocem « Britto, » additus est recentiori calamo « episcopus. » Librum hunc contulimus cum veteri codice Corbeiensi, cum Remigiano, Michaelino, Victorino ac duobus Sorbonicis, et cum Holstenii editione Romana.

DE VITA CHRISTIANA
LIBER UNUS.

Humilis de se auctoris opinio. Ut ego peccator [1] et ultimus, insipientior cæteris, et imperitior universis, te ut sanctitatis et justitiæ viam pergas, crebrioribus audeam litteris admonere, non me propriæ justitiæ fiducia, non sapientiæ peritia, non scientiæ gloria, sed sola quam secundum Deum animo ac mente concepi, charitatis tuæ causa compellit: quæ me peccatorem et ignarum, ad dicendum ita hortatur et provocat, ut cum loqui nesciam, tacere non possim. Vellem itaque et libenter optarem, te eorum habere notitiam quorum et sapientia affluentior est, et facundia major, et scientia uberior, et conscientia ab omni peccatorum contagione liberior, qui te verbis juste instruerent et exemplis. Nos enim præterquam quod mentem nostram ita insipientiæ et ignorantiæ caligo cæcavit, ut divinum aliquid nequeat sentire vel dicere; adhuc insuper et omnium redarguit conscientia peccatorum, ut etiam si quid humnus possit habere, abscondat: et ita fit ut præterquam quod dicere non habemus, hoc etiam quod habemus, non fiducialiter proferre conscientia prohibente possimus. Tu tamen dum peritior tibi apparere possit et melior, rudibus admonitionibus nostris interim esto contenta, et charitati da veniam; cujus est non considerare quid offerat, nec quod non habet, quærit: sed totum quod habet, libenter impertit: ad cujus non tam muneris speciem, quam animi respice voluntatem, et diligenter adverte quid tibi illa negare poterit, quæ totum dare potuit [1] quod habebat. Obtulisset etiam quod non habebat si posset, quæ totum potuit quod habebat offerre [2]. Sunt itaque ille, sed parum,

[1] Editi L., addunt, *primus*, quod abest a Mss. et ab Holstenii editione.

[1] Editi, *voluit*.

[2] Ita Mss. At Holstenius, *totum dedit quod potuit offerre.* Editi alii, *totum quod potuit offerebat.*

qui decurrentis interim rivi aqua non potest esse contentus, donec ad fontem uberiorem puriorem que perveniat. Nec illum satis esurire credo, qui cum panes cibarios habeat, nitidos exspectat et candidos. Ita et tu, dilectissima soror, quam ego certus sum esurire nimium et sitire cœlestia, cibarios interim mande panes, donec siliginе candentes invenias: exigui et turbulenti rivuli aquam pota, usquequo affluentioris haurias puriorem. Nec tibi interim panis noster, quamvis rusticus videatur esse, displiceat. Rusticus enim panis incultior videtur esse, sed fortior et celerius esurientem stomachum satiat, fessumque corroborat, quam qui siligineus videtur et nitidus. Nunc ergo dicam sermonem prout valeo, et quid christianum agere conveniat, ut potero, explicabo. Cujus rei, et unde prius exordium sumam, justius non invenio, quam ut primum de christiano ipso vocabulo disputem, et cur quis christianus nuncupetur exponam.

CAPUT PRIMUM. *Christiani nomenclatura et dignitas. Christiani officium.* Christum unctum interpretari, sapientium et fidelium nullus ignorat. Unctos vero non nisi sanctos viros et satis Deo dignos semper fuisse manifestum est, nec alios quam Prophetas aut sacerdotes aut reges. Et tam magnum fuit ipsius unctionis mysterium, ut in Judaico populo non omnes illud, sed satis pauci de plurimis mererentur accipere; et hoc usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, quem Deus oleo lætitiæ, id est, Spiritu sancto, præ cæteris consortibus suis unxit (*Psal.* XLIV, 8). Ex quo tempore credentes illi et baptismatis illius sanctificatione purgati, non aliquanti, sicut sub lege prius fuerat, sed omnes in Prophetis et sacerdotibus unguntur et regibus. Cujus unctionis quales esse debeamus admonemur exemplo; ut in quibus tam sancta est unctio, sit non minus sancta conversatio. Ex sacramento enim unctionis hujus, et Christi et Christianorum omnium, id est, in Christo credentium, vocabulum descendit et nomen; quod nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur. Quid enim tibi potest vocari quod non es, et nomen tibi usurpare alienum? Sed si christianum te esse delectat, quæ Christi sunt gere, et merito tibi christiani nomen assume. Aut forsitan non esse, sed vocari desideras? Hoc satis fœdum et miserum est, te velle vocari quod non sis. Nemo enim ita transit ad Christum, ut christianus appelletur, et non sit. Qui christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur. Et vere habet, si ei in omnibus obsequatur et serviat. Si quominus, Christi ille non famulus, sed subsannator est et derisor, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat. Huic ergo judicium geminum servatur; et pro Dei subsannatione, quem sine causa Dominum appellavit, et pro qualitate peccati.

CAPUT II. *Peccatores. Deus illico duplici ex causa non punit. Dei in hominem benignitas.* Sed plerosque incredulos et impudentes et perfidos misericordis Dei longa patientia peccare facit[1] intrepidos; ut ex hoc peccatorum suorum Deum non arbitrentur ultorem, quod non statim velit punire peccantes. Miseri et ingrati, suæ salutis improvidi, quia[2] hoc etiam Deo imputant, quod eorum differatur interitus: ignorantes Dei providentia duplici ratione servari, ut et humano generi longa ejus patientia consulatur; et ne ille judicetur impatiens, si illico voluerit damnare[3] peccantes[3]. Nam si tam patiens non esset, jam diu humani generis origo desiisset: nec justos de peccatoribus haberemus, si confestim Deus vellet punire qui peccant. Nonnullos enim scimus et legimus, qui antea aut ignorantiæ cæcitate, aut causa perfidiæ, aut adolescentiæ vanitate decepti, multiplici et vario peccatorum genere tenebantur obnoxii, et per sustentantis Dei clementissimam patientiam postmodum ab errore sunt conversi, majores adhuc operas[1] forsan justitiæ, quam ante peccata commiserant. Deus enim non donat peccata, sed differt, nec perseverantem peccatorem a morte liberat, sed ut vel sero convertatur et vivat, patienter exspectat: sicut beatus Petrus apostolus ait, *Non tardat Dominus promissis*[2], *sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti* (II *Petr.* III, 9). Ille enim te quasi pius, benignus, et clemens, illico idcirco non percutit, ut tu quanta illius erga te sit pietas, quanta clementia sit recognoscas, qui te peccatorem et impium exspectare mavult, et servare conversum, quam punire peccantem: sicut per prophetam ipse Dominus loquitur, et quantum velit homini misericordiæ pietatisque largiri, propriæ vocis benignitate depromit, dicens: *Et iniquus si convertat se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, et custodiat mandata mea, et faciat judicium, et justitiam, et misericordiam; vita vivet, et non morietur: omnia delicta ejus quæcumque fecit, non erunt in memoria: in justitia sua, quam fecit, vivet.* Et, *Numquid voluntate volo mortem injusti, dicit Adonai Dominus, quam ut avertat se a via sua mala, et vivere eum faciam* (*Ezech.* XVIII, 21-23)? Et alibi, *Iniquitas iniqui non nocebit ei, in quacumque die averterit se a sua iniquitate* (*Id.* XXXIII, 12). Et iterum, *Convertimini, filii convertentes, et ego sanabo contritionem vestram* (*Jerem.* III, 22). Ecce quomodo te Deus, ut a peccatis tuis vel sero convertaris et salvus esse possis, monet et provocat. Ecce qualiter jam morti obnoxium ut vivat hortatur; quam leniter, quam clementer invitat, ut etiam peccatoribus patris non neget pietatem: et adhuc filios appellat, qui patrem Deum peccando perdiderunt: sicut et ipse se perdidisse peccatores alio in loco cum voce flebili et miserabili quadam lamentatione testatur, dicens: *Sine filiis factus sum, perdidi populum meum propter peccata eorum* (*Id.* XV, 7). Ex hoc ergo cognosce, qualiter te Deus diligat, quem mavult vivere, quam perire. Et tu eum contemnis et despicis, qui amplius quam tu ipse te diligit, qui te mori cupientem vult vivere? *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatorum*[3], *sed ut convertantur et vivant* (*Ezech.* XVIII, 23). Tu ergo mori voluisti peccando, ille te vivere[4] vult convertendo. O stulte, o irreverens et ingrate, qui nec in hoc Deo, qui tibi vult misereri, consentis; qui te mavult sua pietate salvare, quam tuo perire peccato!

CAPUT III. *Pietate Dei abutentes, etiam hic puniri. Judices injusti.* Nemo ergo sibi ideo blandiatur, nemo se stulta et vana suspicione decipiat, nemo idcirco securus delinquat et liber, quod super peccatores confestim Dei ira judiciumque non veniat; ut ex hoc opinetur se impune peccasse, quod non illico perimatur: sed hoc magis differre Deum, quam dissimulare cognoscat; et iram ejus peccatoribus, quam veniam, subito[5] et repente venturam, sicut scriptum est: *Ne dixeris, Peccavi, et quid accidit mihi triste? est enim Altissimus redditor patiens.* Et alibi, *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira ejus* (*Eccli.* V, 4, 8). Quod in plerisque impletur, quibus ob nimia peccata, et in præsenti Dei ira supervenit, et in futuro servatur. Sed hoc nemo intelligit, nemo cognoscit: nec quisque adversa sustinens malis suis æstimat irrogari; sed quod pertulerit, consuetudinis potius putat esse, quam criminis. Et idcirco Deus in præsenti non videtur punire peccantes; quia cum punit, non cogno-

[1] Editi, *sinit*.
[2] Holsten., *qui*.
[3] Plerique Mss., *punire*.

[1] Editi, *opera*; renuentibus Mss.
[2] Ms. Corbeiensis, *promissa reddere*.
[3] Holsten., *morientium*. Mss. Sorbon. et Remig., *morientibus*. Michael., *peccantium*. Corb., *peccatoribus morientibus*
[4] Mss., *vivificare*.
[5] Editi, *quamvis seram, subito*.

scitur. Multi sunt enim, quos nemo intelligit, qui ob multitudinem peccatorum jam ante judicii diem in præsenti etiam judicantur. Aut dicat, quis, si quem sacrilegum, sanguinarium, rapacem, falsarium, homicidam, furem, fraudulentum, adulterum, cæterorumque criminum reum, vel in præsenti tempore potuerit videre longævum? Nos enim plurimorum exempla videmus, per quæ probare sufficimus, sceleratos et impios, peccatorum suorum fine completo, et hoc etiam tempore judicari, et præsentem eis vitam negari non minus quam futuram.

Sed hoc ille facilius intelligere potest, qui per diversa tempora diversorum judicum impie scelerateque conversantium exspectavit interitum [1]. Quorum quo potestas sublimior est, eo ad peccandum major audacia, quæ totum sibi licere credit quod potest: et dum alterius judicium non timent qui alios judicant, ad peccandum præcipites sunt. Ita fit, ut qui hominis non timent in delinquendo judicium, Deum judicem sentiant et ultorem. Ex quibus alii qui insontium animarum sanguinem frequenter effuderant, ita iram Dei judiciumque sensere, ut ipsi postmodum sanguinem fundere cogerentur suum, qui libenter fundebant alienum. Alii vero qui similia commiserant, sic Dei indignatione prostrati sunt, ut insepulti jacerent, et esca feris et cœli volucribus fierent. Alii autem qui innumerabilem hominum multitudinem injuste peremerant, membratim particulatimve concissi, ut non minor fuerit concisura membrorum quam quos interimi fecerant, numerus punitorum. Et quorum judicio maritis injuste peremptis multæ effectæ viduæ, multi orphani patribus occisis derelicti, quibus præter orbitatem mendicitas inferebatur et nuditas: nam addebant impietati et crudelitati quod deerat, ut eorum quos fecissent occidi, spoliarent et liberos: nunc vero ipsorum conjuges viduæ et filii orphani alienis quotidie egent panibus. Nonne videtur tibi istud testimonium in ipsis esse completum comminantis Dei et dicentis, *Viduam et orphanos non vexabitis. Quod si vexaveritis eos, et vociferantes clamaverint ad me; exaudiam vociferationem eorum, et irascar animo, et perimam vos gladio, et erunt conjuges vestræ viduæ, et filii vestri orphani* (*Exod.* XXII, 22-24)? O indignum nefas! o scelestum facinus! o nimia et non ferenda crudelitas! Duo sævissima et atrocissima uno perpetrantur in tempore; homicidium fit, ut rapina succedat: occiduntur mariti, occiduntur et patres, quo facilius viduæ spolientur et orphani: et ita quisque in alterius morte congaudet, quasi non sit ipse quandoque moriturus. Merito ergo Deus hujusmodi crudelitatibus et impietatibus commovetur. Merito judicium suum in quibusdam etiam ante tempus ostendit. Merito vita talibus nec præsens nec futura conceditur. Quorum nos, ne sceleratos et impios in præsenti etiam Dei judicium evadere posse existimemus, admonemur exemplo.

CAPUT IV. *Certo peccatorum numero completo Deum punire peccatorem.* Sed hoc magis sentire nos convenit, tamdiu unumquemque Dei patientia sustentari, quamdiu nondum peccatorum suorum terminum finemque repleverit: quo consummato eum illico percuti, nec illi jam veniam ullam reservari. Esse autem certum peccatorum modum atque mensuram, Dei ipsius testimonio declaratur. Et quod unusquisque vel celerius vel tardius, prout peccatorum suorum modum expleverit, judicetur, evidentissime demonstratur, quando de Sodomorum et Gomorrhæorum interitu atque incendio, qui sua jam peccata repleverant, ad Abraham Deus loquitur, dicens: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum repletus est, et peccata eorum magna vehementer repleta sunt* (*Gen.* XVIII, 20). De Amorrhæis vero quid dicit, qui sua nondum peccata finierant, quos post multos annos quam supra dictæ civitates crematæ sunt, constat esse deletos? *Nondum repleta sunt peccata Amorrhæorum usque adhuc* (*Id.* XV, 16). Quo exemplo manifestissime instruimur et docemur, singulos secundum peccatorum suorum plenitudinem consummari, et tamdiu ut convertantur sustineri, quam diu cumulum suorum non habuerint delictorum. Nemo se, inquam, fallat, nemo se decipiat: malos non amat Deus, peccatores non amat, injustos non amat, rapaces, crudeles, impios; sed amat bonos, justos, pios, humiles, innocentes, mites: sicut scriptum est, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 5-7).

CAPUT V. *Mors propera malis ad pœnam, bonis ad securitatem.* Sed dicit aliquis [1], Quid est quod videmus bonos etiam perire cum malis? Illi non pereunt, sed evadunt, qui de malorum consortio et persecutionibus liberantur, et ad requiem transferuntur. Illi plane moriuntur et pereunt, quos de hoc mundo recedentes, majoris adhuc judicii supplicium exspectat et pœna. Vocantur enim ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxiis: mali vero et impii tolluntur, ne bonos diutius persequantur. Justi de pressuris, tribulationibus et angustiis vocantur ad requiem: impii vero de luxuriis et opibus et deliciis rapiuntur ad pœnam. Illi enim vadunt ut judicent, isti ut judicentur: illi ut vindicentur, isti ut in eos vindicta celebretur, sicut scriptum est, *Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*; et iterum, *Vivens inter peccatores translatus est*; et iterum, *Placita enim erat Deo anima ejus, et ideo properavit de medio iniquitatis eripere eum*; et iterum, *Cum impiis iter ad mortem, illi autem sunt in pace* (*Sap.* IV, 7, 10, 14, *et* III, 3). Vides ergo hanc solutionem corporis justis et Dei cultoribus requiem esse, non pœnam: et cum dissolvuntur, liberari eos potius, quam perire. Et idcirco ipsam solutionem qui fideles sunt nec timent, nec verentur, sed venire magis desiderant et exoptant [2]: per quam sibi requiem intelligunt exhiberi, non pœnam. Iniqui vero et impii et suorum scelerum conscii eam merito naturali providentia pertimescunt, per quam se non nesciunt judicari. Quapropter hac ratione reddita et accepta, non oportet nos omnino peccare: præsertim cum non ignoremus peccatoribus judicium et in præsenti esse, et in futuro servari.

CAPUT VI. *Indecorum est christiani nomen sibi arrogare sinere. Christianus verus quis.* Nec in hoc nobis nomine tantum, quod christiani dicimur, blandiamur: sed propter hoc etiam nos judicandos credamus, si nomen nobis frustra vindicemus alienum. Aut si aliquis tam incredulus est, tam infidelis, tam pertinax, tam obstinatus, tam audax, ut quæ quandoque ventura est, Dei [3] judicis iram indignationemque non metuat, vel humanam consuetudinem erubescat; et videat quam brutus, quam insipiens ille, quam stultus ab ipsis etiam gentibus judicetur, cujus tanta est vanitas tantaque dementia, ut sibi nomen adipiscatur alienum. Quis enim tam vanus et miser est, qui advocatum, cum litteras nesciat, audeat profiteri? Quis tam insanus et excors, ut profiteatur militem, qui nesciat arma gestare? Nemo enim quodcumque nomen sine causa sortitur. Sutor ut dicatur, necesse est ut calceamenta conficiat: ut vocetur quis faber aut artifex, artis peritia facit: ut negotians nuncupetur quis, carius quod vilius emerat distrahit. Hujusmodi enim exemplis agnoscimus nullum sine actu nomen, sed omne ex actu nomen. Tu ergo quomodo christianus diceris, in quo nullus christiani actus? Christianus justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis [4], humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen: et tu illud tibi quomodo defendis et via-

[1] Ita, spectant

[1] Er. Lugd. et Lov., *sed dicet aliquis.* M.
[2] Tres Mss., *exspectant.*
[3] Abest vox, *Dei*, a Mss.
[4] Deest in Mss. vox, *humilitatis*

dicas, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistunt? Christianus ille est, qui non nomine tantum, sed opere est: ille qui Christum in omnibus imitatur et sequitur; qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus est; cujus in pectore malitia non habet locum, cujus in pectore sola pietas consistit et bonitas, qui neminem novit nocere vel lædere, sed omnibus opem ferre. Christianus ille est, qui exemplo Christi nec inimicos novit odire, sed magis adversantibus sibi benefacere, et pro persecutoribus suis et hostibus exorare. Nam et quisquis aliquem lædere aut nocere paratus est, ille mentitur se esse christianum. Christianus est, qui potest justa voce dicere, Neminem nocui hominum, juste vixi cum omnibus.

CAPUT VII. *Deus semper justitia placatus fuit et injustitia offensus. Enoch ad immortalitatem raptus.* Sed ne me ex sensu proprio loqui quis arbitretur aut credat; aut eum putet se facile posse contemnere, quod sua potius voluntate quam Legis auctoritate loquatur: jam nunc ipsius Legis, cujus præceptis nobis vitæ aditus aperitur, tam veteris quam novæ incipiam exempla proferre, et ostendere quid Deus ab initio status [1] mundi humano generi observare præceperit, in quo semper placatus fuerit vel offensus. Lego enim post Adam, qui a Deo primus formatus est (*Gen.* I, 27), de cujus causa nunc dicendum non est, in exordio mundi Cain et Abel fratres fuisse germanos: e quibus unus Deo placuit, eo quod innocens esset et justus: alter vero, quia injustus et nocens, Deo placere non potuit (*Id.* IV). Deinde interveniente tempore, Enoch satis justum fuisse Scriptura designat: cui tantum justitia contulit, ut nec præsentem mortem sciret, sed et ad immortalitatem de medio omnium mortalium singulariter raperetur (*Id.* V, 22-24). Cujus monstratur exemplo, unum Deo justum plurimis peccatoribus chariorem. Noe quoque et ille justus, cui justitiæ meritum quid præstiterit, novimus; ut ipsi cum suis tantum vita daretur, per diluvium toto mundo damnato (*Id.* VI-VIII). Abraham quid per fidei et justitiæ meritum consecutus sit, Scriptura testatur; ut illo in tempore solus amicus Dei esset in terris, qui solus fuerat justus inventus (*Id.* XV, 5, 6). Loth vero ut pereuntibus cunctis de Sodomitarum liberaretur incendio, quid aliud quam justitiæ meritum fuit (*Id.* XIX, 12-29)? Longum est nos ire per singulos, et omnium merita recensere.

CAPUT VIII. ***Israelitas ideo multis miseriis afflixit Deus, ut ad opera pietatis instrueret. Legis consummator.*** Populum Judaicum, quem ad se Deus primum ex semine Abraham præ cæteris gentibus pertinere optavit, quomodo erudierit, quid eum, ut sibi placeret, facere, quid observare præceperit, scire nos convenit. Primo in loco quod derelicta regione in qua habitare semper optaverat, patriaque deserta, in alienam provinciam, hoc est, in Ægyptum migrare [2] fecit, non sine causa, nec sine Dei providentia factum esse reor. Sed hanc fuisse puto rationem: quia Deus populum suum elegerat, misericordiæ, pietatis, justitiæ, cæterisque bonis operibus cupiens erudire, voluit eum in extera patria pro tempore esse peregrinum et captivum, ut captivitatis et peregrinationis miseriam disceret et laboris: quo facilius postmodum misereri peregrinantibus et laborantibus nosset, si ipse ante peregrinationis miserias didicisset. Nemo enim peregrino tam libenter misereretur, et advenæ, nisi qui peregrinationis exitus novit. Nemo sic hospitem et sine tecto, suo introducit hospitio, nisi ut qui ante indiguit alieno. Nemo ita esurientem cibat, nemo sic sitientem potat, nisi ut qui sitim esuriemque perpessus est. Nemo tam facile nudum suis operit vestimentis, quam qui nuditatis et frigoris novit injuriam. Nemo sic tribulanti et misero et laboranti succurrit, nisi ut qui tribulationum et miseriarum casus expertus est et laborum. Merito ergo Deus misericordiæ et pietatis magister, qui legem postmodum erat editurus, per quam populo suo misericordiæ et pietatis omniumque bonorum operum præcepta traditurus, voluit eum prius omnes pressuras et tribulationes et angustias in terra perpeti aliena, quo facilius postea posset talia patientium misereri, et suis obtemperare mandatis. Ut putes eum bonum fuisse agricolam, qui priusquam semen mittat, diu terram aratris et rastris domat, ne quod illi crediturus est semen pereat: ita et Deus populum suum diu ante macerat et domat, quam ei salutarium mandatorum semen impartiat. Denique ut ob hanc causam hæc eum pertulisse evidentius clareat, ipsius Domini intueamur mandata, dicentis, *Advenam non vexabitis, nec tribulabitis eum; fuistis etenim et vos advenæ in terra Ægypti* (*Exod.* XXII, 21). Et iterum legimus, *Deus magnus, qui non accipit personam, sed nec* ***accipit munera, faciens judicium proselyto, orphano et viduæ.*** *Dare panem et vestimentum dilige; quia et ipse fuisti in terra Ægypti* (*Deut.* X, 17-19). Et alibi dicit, *Si autem messus fueris messem in agro tuo, et oblitus eris manum [1], non reverteris accipere illam: proselyto et orphano et viduæ erit; ut benedicat te Deus in operibus manuum tuarum, et memor eris quia famulus eras in terra Ægypti, ego ideo præcipio tibi verbum hoc* (*Id.* XXIV, 19, 24). Unde facile pervidetur atque dignoscitur, eum populum ob hanc causam cunctis afflictum fuisse miseriis, ut misereri alteri suo doceretur exemplo: sicut scriptum est, *Docuisti enim populum tuum per talia opera, quoniam oportet justos esse et humanos* (*Sap.* XII, 19). Qualem populum suum esse velit, late, ut arbitror, patet: et quibus possit operibus promereri, plurimis probatur exemplis.

Sed ne ad manifestandam ejus voluntatem parum videatur esse quod diximus, Legis etiam et Prophetarum præcepta jungamus: et quid Deo placeat semperque placuerit, et quid crebrius fieri et observari præceperit, tam veteris quam novæ Legis testimoniis comprobemus [2]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex totis viribus tuis, et diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Legis et Prophetarum præcipuum esse mandatum, Domini et Salvatoris nostri testimonio comprobatur, dicentis, *In his duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Deut.* VI, 5; *Levit.* XIX, 18; *Matth.* XXII, 40). Quod rescindi non potest, nec mutari, in duobus istis mandatis omne tam Legis quam Prophetarum constare præceptum, et illum Legem implesse qui hæc potuerit implere: nihil enim aliud in lege veteri quæri, quam ut Deum et proximum diligas. Et vere ille Legis consummator et factor est, qui nec in Deum, nec in proximum peccat.

CAPUT IX. *Deum quis diligat. Qualem deceat esse populum Dei.* Sed quid Deum, quid proximum sit diligere, præterire minime ac dissimulare debeo. Deum diligit, qui suis in omnibus mandatis obtemperat. Deum diligit, qui leges ejus et præcepta custodit. Deum diligit, qui ut ille sanctus est, et ipse se sanctificat: sicut scriptum est, *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Levit.* XIX, 2). Deum diligit, qui et illud prophetæ dicentis implet eloquium, *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Psal.* XCVI, 10). Deum diligit, qui non alia quam cœlestia cogitat et divina. Deus enim non nisi sanctitatis et justitiæ et pietatis amator est: et ille Deum diligit, quid non aliud quam quod Deus amare videtur, operatur. Quid sit enim Deum diligere, Domini et Salvatoris doctrina declarat, dicentis, *Qui audit verba mea, et facit ea, ille est qui diligit me* (*Joan.* XIV, 21). Si igitur ille Deum diligit, qui quod Deus præ-

[1] Sic potiores Mss. At editi, *statim.*

[2] Abest a potioribus Mss., *migrare:* pro quo, in Sorbon., *ire;* apud Holsten., *iter.*

[1] Alias, *manipulum;* renuentibus Mss.

[2] Plerique Mss., *quam novæ incipiam exempla proferre; Diliges,* etc.

cipit, facit; qui non facit, iste non diligit. Omnis vero qui non diligit, odit. Unde clarum atque manifestum est, ab eis Deum odiri, qui sua mandata non servant : de quibus per prophetam dixisse puto, *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII, 21, 22). Odit propheta justus peccatores, adulteros, et injustos, et Dei mandata spernentes; sicut alio in loco dicit, *Vidi prævaricantes pactum, et tabescebam.* Et iterum, *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi* (*Psal.* CXVIII, 158, 113). Vide ergo quam justi, quam integri esse debeamus et sancti : quibus præterquam male conversari non licet, sed nec male conversantes agnoscere. Hoc et beatus Apostolus evidenter ostendit, qui nec panes cum peccatoribus frangi præcepit, dicens : *Si quis frater cognominatur inter vos fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (I *Cor.* V, 11).

Sanctum esse populum suum Deus voluit, et ab omni contagione injustitiæ et iniquitatis alienum. Talem eum esse voluit, tam justum, tam pium, tam purum, tam immaculatum, tam simplicem, ut nihil quod in eo gentes redarguerint invenirent, sed quod admirarentur, et dicerent : *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXII, 12). Tales convenit esse Dei cultores et servos mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, intactos, immaculatos; ut quisquis eos viderit, stupeat et admiretur, et dicat, Vere hi homines Dei sunt, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet et agere, ut nemo sit qui eum non velit videre, qui non audire desideret; nemo non, cum viderit, Dei esse filium credat : ut vere in eo propheticum illud impleatur, *Fauces ejus dulcedinis, et totus desiderium* [1] (*Cant.* V, 16). Nam si se talem exhibeat christianus, si se talem exhibeat Dei servus, ut his qui dæmoniis idolisque deserviunt, conversando efficiatur æqualis : incipiet per eum Deus blasphemari, et dici, O christianum Dei servum, cujus tam mali actus, tam turpis opera [2], tam nequam est conversatio; cujus vita tam impia, tam scelesta, tam luxuriosa, tam sordida. Et erit illius prophetiæ reus, *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes* (*Isai.* LII, 5; *Rom.* II, 24). Sed væ illis per quos nomen Domini fuerit blasphematum. Deus enim a nobis nihil magis desiderat et requirit, quam ut per actus nostros nomen suum magnificetur ab omnibus : sicut scriptum est, *Sacrifica sacrificium laudis* [3] (*Psal.* XLIX, 14). Hoc est enim sacrificium quod Deus super omnes hostias quærit et diligit, ut per justitiæ nostræ opera nomen suum ubique laudetur, et Deus verus esse servorum suorum actu et opere comprobetur. Illi vero Deum diligunt, qui non aliud quam unde nomen ejus glorificetur, exercent.

CAPUT X. *Proximi dilectio. Et nocere cavet, et benefacere curat. Innocentiæ commendatio.* Quomodo Deus diligi debeat, ut potuimus diximus : nunc vero quid sit proximum tanquam se ipsum diligere, ut possumus explicemus; quanquam ipsius causæ expositio alio in loco breviter disseratur, cum dicitur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob.* IV, 16). Dominus quoque et Salvator noster dicit, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis similiter* (*Matth.* VII, 12). Nemo est enim qui sibi malum cupiet ab aliquo fieri. Ille ergo proximum suum tanquam se ipsum diligit, qui ei non mali aliquid, quia nec sibi, vult fieri; sed si quid boni, prout ipse ab omnibus percipere optat et consequi, libenter impertit : quia non hoc solum a christiano quæritur, ut malo careat, sed ut exerceat bonum : qui etiamsi nihil mali fecerit nec boni, tamen ad æternæ vitæ præmium non admittitur, sed gehennæ ignibus mancipatur : sicut in Evangelio Dominum dixisse legimus de iis qui nihil mali faciunt, nec boni tamen aliquid operantur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus* [1]. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; hospes fui, et non suscepistis me; nudus, et non vestistis me; infirmus, et non visitastis me; in carcere, et non venistis ad me* (*Matth.* XXV, 41-43). Non quia malum gesserunt; sed quia bonum non fecerunt, condemnantur. Ex hoc enim quisque prudens et sapiens recognoscat, quam spem illi habere possint qui versantur in malis, quando etiam illis vita negatur qui mali nihil fecerunt, nisi etiam aliquid gesserint boni. Neque enim Deus hoc tantum quærit a nobis, ut mali non simus, sed ut efficiamur boni. Ex malis enim operibus vocantur mali : ita e contrario ex bonis appellantur boni. Et duo sunt quibus boni servire [2] videntur et mali : bonus Deus, cui omnes bene conversantes deserviunt; diabolus autem malus, cujus quisquis qui male operatur, est famulus. Non enim a nobis hoc solum poscitur, ut non vivendo male servi esse diaboli desinamus, sed vivendo bene Deo servire videamur. Nam quisquis qui nec malum videtur operari nec bonum, cujus servus videatur esse ignoro : vel quomodo vitam a Deo poterit sperare perpetuam, quam bene faciendo non meruit. Nemo, inquam [3], sensu proprio se decipiat et illudat, nemo se vana existimatione seducat. Quisquis bonus non fuerit, vitam non habet. Quisquis justitiæ et misericordiæ opera non fecerit, non potest regnare cum Christo. Quisquis non fuerit humanus, pius, hospitalis, benignus, clemens, gehennæ non evadet incendium. Deus malos non amat, non diligit peccatores. Quisquis malum fecerit, inimicus est Dei. Quisquis sine dolo non fuerit, partem non potest habere cum Christo. Nihil enim amplius est christiano quærendum, nihil desiderandum magis, nihilque plus totis viribus enitendum, quam ut malitiam suo excludat ex corde, quam ut nequitiam intra pectoris sui conscientiam non admittat, quam ut bonitatem teneat, justitiam servet, puritatem mentis custodiat. Esto innocens, si vis cum Deo vivere. Esto simplex, si vis regnare cum Christo. Quid tibi prodest malitia, quæ in mortem trahit? quid nequitia, quæ prohibet regnare cum Christo, quæ se habentem exterminat? sicut scriptum est, *Anima enim nequam disperdet qui se habet* (*Eccli.* VI, 4). Si vis vivere, audi prophetam quid loquitur : si regnum Christi diligis, audi quomodo illud merearis adipisci : *Quis est*, inquit, *homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos? Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum; inquire pacem, et sequere eam* (*Psal.* XXXIII, 13-15). Hujusmodi enim homines Deus honorat et diligit, qui malum nesciunt, qui mentiri non norunt, quorum dolum labia non loquuntur, in quibus non nisi bonitas videtur et puritas.

Innocentia est quæ nos commendat Deo : simplicitas est quæ facit regnare cum Christo. Quomodo Deus nonnisi innocentes diligat, et sibi velit esse conjunctos, testimoniis plurimis declaratur, sicut in Psalmis scriptum est, *Innocentes et recti adhæserunt mihi* (*Psal.* XXIV, 21). Et alibi mandatur et dicitur, *Custodi innocentiam, et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico* (*Psal.* XXXVI, 37). Quantum innocentia homini præstet et conferat, etiamsi sero servetur, prophetæ David testimonio comprobatur, qui cum graviter ante peccasset, postea judicari se non timet, ex quo innocentiam nosse cœpit, sicut ipse dicit : *Judica me, Deus, quoniam ego in innocentia mea in-*

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov.: *Fauces plenæ dulcedinis, et totus desiderabilis.* M.

[2] Fr. Lugd. Ven. Lov., *tam turpia opera.* M.

[3] Sic Mss. Alias, *sacrificium laudis honorificavit me.*

[1] Holsten., hic et infra, cap. 13, *quem paravit pater vester diabolus et angeli ejus.*

[2] Holsten. et Mss., *erudiri.*

[3] In iisdem, *inquit.*

gressus sum (*Psal.* XXV, 1). Sciebat igitur sibi jam non metuendum esse judicium, quia innocentiam vel sero cognoverat. Et alio in loco dicit, *Me autem propter innocentiam suscepisti* (*Psal.* XL, 13). Suscepit postmodum propter innocentiam Deus, quem propter malitiam ante repulerat. Innocentes vero nec confundi coram Deo posse, manifestum est, cum dicitur, *Quanto tempore innocentes custodierint justitiam, non confundentur* (*Prov.* XIII, 6). Nihil enim Deo dignius, nihil charius esse potest, quam ut innocentia tota observatione teneatur. Licet quis in aliis operibus devotus appareat, si illam non habuerit, sibi frustra blanditur de sua devotione. Si illam Judæis etiam sub veteri Lege degentibus, quando adhuc illis inimicum licebat odire, observare præceptum est; quid te nunc agere convenit christianum, qui inimicum tuum juberis amare? Quando enim innocens non eris? vel cui esse poteris malus, qui inimicis præciperis esse bonus (*Matth.* V, 44)? Sed tu forsitan et proximum odis, cui nec externum odisse conceditur: et fratrem persequeris, qui amare præciperis inimicum: et christianum te esse credis, qui nec Novi nec Veteris Testamenti præcepta custodis? Sed ne sine causa te christianum æstimes, et de solo tibi nomine blandiaris; qualem te esse oporteat, Apostolum audi dicentem, *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia auferatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni et misericordes: donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Estote autem imitatores Dei* [1], *sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Impudicitia autem et omnis immunditia et avaritia nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote, quod omnis impudicus aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non erit hæres in regno Christi et Dei* (*Ephes.* IV, 28-V, 5). Ille se merito christianum judicet, qui hæc præcepta custodit, qui sanctus, humilis, et pudicus, et justus est, qui in misericordiæ et justitiæ operibus conversatur.

CAPUT XI. *Quorum preces Deus non exaudiat. Justus esse debet qui orat.* Nam tu illum christianum putas, in quo nullus christianitatis est actus, in quo conversatio nulla justitiæ est, sed nequitia, impietas et scelus? Illum christianum putas, qui opprimit miserum, qui pauperem gravat, qui res concupiscit alienas, qui ut se divitem faciat, plures efficit indigentes, qui lucris gaudet injustis, qui de alienis lacrymis cibum capit, qui miserorum ditatur interitu, cujus os assidue mendacio violatur, cujus labia nonnisi indigna et obscena et scelesta loquuntur et turpia, cui cum jubeatur distribuere sua, invadit aliena? Et ad ecclesiam talis audenter accedit, et temere et importune expandit impias manus, illicito raptu et insontium cruore violatas: et ore illo polluto atque sacrilego, quo fuerat paulo ante aut falsa locutus aut turpia, preces ad Dominum, quasi nihil sibi mali conscius fundit. Quid agis impudens et miser? Quid te majorum peccatorum onere gravas? Quid Deo præter contemptum injuriam irrogas? Quid ad provocandam celerius ejus iram, in testimonium pœnæ tuæ sceleratas ad Deum porrigis manus, ad quas ille non respicit, qui non nisi sanctas et immaculatas sibi jussit offerri? Quid ore illo Deum rogas, quo paulo ante locutus es male: cujus quamvis multiplicentur, abominatur preces, sicut scriptum est: *Cum extenderitis manus vestras, avertam faciem meam a vobis; et si multiplicaveritis preces, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris* (*Isai.* I, 15, 16). Bene sibi ille conscius esse debet et certus, et suæ innocentiæ fidus, qui ad Deum manus extendit et porrigit, cum Apostolus dicat, *Volo autem viros orare in omni loco, levantes puras manus* (*I Tim.* II, 8). (a) Ille autem ad Deum merito extollit manus, ille preces bona conscientia fundit, qui potest dicere, Tu nosti, Domine, quam sanctæ, quam innocentes, quam puræ sint ab omni fraude et injuria et rapina, quas ad te expando, manus; quam justa, quam immaculata labia et ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miserearis, preces fundo. Talis enim cito meretur audiri, et antequam penitus preces fundat [1], potest impetrare quod postulat.

CAPUT XII. *Eleemosynæ de lucris injustis.* Scio enim esse quos ita nequitiæ et avaritiæ profunda caligo cæcavit, ut cum illis prospere cesserit quod aut pauperem per potentiam vinxerint, aut innocentem testimoniis falsis obruerint, aut infirmum virtute superaverint, aut furtum fecerint, aut rapinam; Deo gratias agant, quo opitulante talia perpetrasse se credunt, et tam iniquum Deum judicent, ut putent eum scelerum suorum fuisse participem. Stulti et miseri usque adeo suis iniquitatibus excæcati, ut non intelligant Deo non posse placere quod prohibet: et quasi unum crimen satis non sit, nisi adhuc male sentiendo de Deo adjiciatur et aliud. Alii vero hoc se justificari existimant, quod de substantia pauperum exiguam eleemosynam faciant; et de eo quod plurimis abstulerunt, uni quiddam minimum largiuntur. Cibatur unus unde plures esuriunt, et de multorum spoliis vix pauci teguntur. Non talem eleemosynam Deus quærit, nec vult pietatem uni de alterius crudelitate præstari. Melius est enim te non facere eleemosynam, quam unde paucos tegis, inde plurimos facias denudare; et ut unum vestias, plures spoliare vestitos. Illam eleemosynam Deus comprobat, quæ de justis laboribus ministratur, sicut scriptum est: *Honora Deum de tuis justis laboribus, et deliba ei de tuæ justitiæ fructibus* (*Prov.* III, 9). Nam illam abominatur et reprobat, quæ de lacrymis præstatur alienis. Quid enim prodest, si te benedicat unus, unde plurimi maledicunt? Vel quid confert tibi illa eleemosyna, quæ de substantia præstatur alterius? Revera timendum est, quod Deus non habeat unde pauperes suos pascas, nisi tu aliena diripias?

CAPUT XIII. *Fidem sine operibus non prodesse. Apostoli locus pro fide sine operibus allatus, explicatur. Alius ejusdem locus. Fidem non sufficere.* Alios autem novi, quos ita insipientiæ et imprudentiæ tenebrosa ignorantia fallit ac decipit, ut fidem quam habere se simulant, sine justitiæ operibus apud Deum sibi censeant profuturam: et hoc erroris genere sine metu crimina nefanda committunt, dum credunt Deum non criminum, sed perfidiæ tantum ultorem. Et ejusmodi non solum se ipsos perisse contenti sunt, sed et alios in quibus nullum divinæ scientiæ lumen est, suis nituntur laqueis implicare. Et impletur in illis Salvatoris nostri sententia dicentis, *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14). Nam si nullum crimen, sed sola perfidia condemnatur; ergo securi peccamus et liberi. Et sine causa dedit Deus mandata justitiæ, si sola sine justitiæ opera [2] fides prodest. Unde hic tam impius, tam scelestus, tam perfidus ignorantiæ error obrepserit, scire non possumus; nisi forte ex illis qui hoc exemplo in Lege veteri populum seducebant, et secum æternæ morti et perpetuo tradebant interitui, de

[1] Mss. excepto Michael., *mei*.

[1] Pro his, nempe a verbo, *Talis*, usque ad verbum, *fundat*, unica in Mss. vox est, *iste*; et apud Holsten., *is*.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *operibus*. M.

(a) Ipsa Pelagii verba apud Hieron. sub finem dial. 3.

quibus scriptum est, *Nolite audire sermones prophetarum, qui prophetant vobis; quoniam vani sunt ipsi, et visiones a corde suo loquuntur, et non ab ore Domini. Dicunt enim his qui repellunt verba Domini, Pax erit vobis: et omnibus qui vadunt in voluntatibus suis, omni qui vadit in errore cordis sui dicunt, Non venient super te mala* (*Jerem.* XXIII, 16, 17). Multa quidem nobis, imo totius Legis testimonia aderant, quibus tam perniciosum errorem destruere ac sepelire poteramus: sed ne legentem diutius fatigemus, sufficiant pauca de plurimis. Respondeat mihi ille cujus talis est sensus: Adam a Deo factus est homo primus in primo statu mundi[1], perfidiæ an peccati causa damnatus est (*Gen.* III, 17)? In quo nihil fuisse incredulitatis invenio præter solam inobedientiam, cujus causa ille damnatus est, et omnes suo damnantur exemplo. Cain quoque non perfidiæ causa, sed quia fratrem interemerat, condemnatus est (*Id.* IV, 11). Quid plura? Universus hic mundus ut diluvio interiret, non perfidiæ causam, sed criminum lego fuisse (*Id.* VI, 13). Sodoma et Gomorrha ut repentino cremarentur incendio, nullam causam incredulitatis invenio, nisi peccatorum et scelerum (*Id.* XVIII, 20): quod Scriptura evidentissime demonstrat, et dicit, *Homines Sodomitæ mali et peccatores erant in conspectu Dei valde* (*Id.* XIII, 13). Populus ille Judaicus ut tam frequenter interire[2] videretur et corripi, nonne peccatorum causa præstabat?

Sed dicit aliquis[3], Veteris Legis testimonia tantum non accipio, nisi mihi et Novi Testamenti exempla protuleris. Accipe Ananiam et Saphiram, quos apostolica sententia non perfidiæ crimine, sed furti et mendacii causa damnavit (*Act.* V, 4, 9). Forsitan dicturus es mihi, Quid ergo Apostolus dicit, *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis* (*Rom.* III, 28)? Ipsum qui hoc dicit, lego hominem absentem etiam condemnasse, quia uxorem patris acceperit (I *Cor.* V, 1). Intelligenda Scriptura, quæ scientibus convenire videtur in omnibus, et nonnisi solis a quibus minime intelligitur discrepare. *Justificari hominem* Apostolus *per fidem sine operibus legis* dicit; sed non sine illis operibus, de quibus alterum apostolum audio dicentem, *Fides sine operibus mortua est* (*Jacobi* II, 20). Paulus enim apostolus de operibus Legis locutus est, hoc est, de circumcisione carnali, et neomenia, et sabbato, et hujusmodi cæteris, quæ Lex fieri ante præceperat, et jam Christi tempore non erant necessaria; iste vero de operibus justitiæ loquitur, quæ qui non fecerit mortuus est, quamvis se simulet esse fidelem.

Sed dicit quis[4] illud Apostoli, dicentis, *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10). Stulte, hoc Baptismi impletur in tempore: quo ut baptizetur quis, sola confessio desideratur et fides. Nam quid tibi ipsius Baptismi lavacrum prodest, si sola sine justitia fides quæritur? Baptismo enim peccata ablui fides omnium tenet. Si deinceps peccandum est, abluisse quid prodest? Audi quid dicat Dominus homini semel sanato: *Ecce sanus factus es: jam noli*[5] *peccare, ne quid tibi deterius eveniat* (*Joan.* V, 14). Hoc et beatus Petrus apostolus manifestissime docet, ei deterius aliquid, qui post agnitam justitiæ viam peccaverit, evenire, cum dicit: *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursum implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii, Canis reversus ad suum vomitum; et, Sus lota in volutabro luti* (II *Petr.* II, 20-22). Hoc et beatus apostolus Paulus testatur et loquitur, hominem post Baptismi sanctificationem pristino errore peccantem non sine ingenti pœnitentia conservari, dicens: *Impossibile est enim eos qui, postquam semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* (*Hebr.* VI, 4-6).

Quemdam ad Salvatorem accessisse, et quid faciendo vitam æternam perciperet interrogasse, evangelista testatur: cui ita a Domino responsum est, *Si vis vitam habere, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Non dixit, serva tantum fidem. Nam si sola fides quæritur, superflue jubentur mandata servari. Sed absit ut ego Dominum meum aliquid dicam præcepisse superfluum. Sed dicunt hoc illi, qui peccando jam filii perditionis effecti sunt; et hoc tantum solatium se habere credunt, si alios secum potuerint morti perpetuæ mancipare. Nam si Deus peccatorem non punit; ubi est illud propheticum, *Si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (*Prov.* XI, 31; I *Petr.* IV, 18); et alibi, *Quia peccatores peribunt* (*Psal.* XXXVI, 20)? et iterum, *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint* (*Psal.* CIII, 35); et iterum, *Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* LXVII, 3)? Nullum hic tantum incredulum et infidelem, sed peccatores audio condemnari. Et Salvatorem nostrum quodam loco dixisse lego, *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum; sed qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* VII, 21). Utique isti Christum credebant, qui eum etiam Dominum nuncupabant: nec idcirco illis cœlestis regni janua panditur, quia illum ore, quem factis abnuunt, confitentur. Negari autem Deum factis non minus quam verbis, Apostolus dixit, *Deum confitentur se nosse, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Et Dominus in Evangelio: *Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo ejecimus dæmonia, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et dicam illis, Nunquam vos cognovi. Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 22). Usque adeo isti credidisse dicuntur, ut in nomine Domini virtutes etiam operarentur: nec tamen eis proderit fides, quia justitiæ opera non fecerunt. Itaque si sola fides prodest, cur illi cum angelis satanæ in perpetuum gehennæ ignibus mancipantur, qui non perfidiæ causa, sed quia boni nihil fecerant, judicantur: sicut scriptum est, *Et dicet eis Rex qui a sinistris sunt, Discedite a me, maledicti, in gehennam æternam, quam paravit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. (*Id.* XXV, 41, 42). Non dixit utique, quia non credidistis mihi: unde intelligi datur, eos non incredulitatis causa, sed propter bonorum operum sterilitatem esse damnandos.

CAPUT XIV. *Quis sit vere christianus.* Nemo igitur alterum decipiat, nemo seducat: nisi qui justus fuerit, vitam non habet[1]: nisi quis in omnibus Christi mandata servaverit, partem non potest habere cum illo: nisi quis terrena despexerit, divina non capiet: nisi humana contempserit, non potest possidere cœlestia. Nec quisquam se christianum judicet, nisi qui Christi et doctrinam sequitur et imitatur exemplum. Sed tu illum christianum putas, cujus nunquam pane ullus saturatur esuriens, cujus potu nullus reficitur sitiens, cujus mensam nemo cognoscit, sub cujus tecto nec advena nec peregrinus aliquando succedit, cujus nemo nudus tegitur vestimentis, cujus pauper nullus fovetur auxilio, cujus bonum nemo sentit, cujus misericordiam nemo cognoscit, qui in nullo

[1] Ita Mss. At editi, statim in principio mundi.
[2] Sic plerique, tum editio [illegible], nonne videretur, etc.
[3] Fr. Lugd. Ven. Lov., sed dicet aliquis. M.
[4] Fr. Lugd. Ven. Lov., Sed dicet aliquis. M.
[5] Mss. nonnulli, ulterius noli.

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov., *nisi qui justus fuerit, vitam* (Lov. *vita*) *non habebit*. M.

imitatur bonos, sed irridet potius et subsannat, et pauperes persequi non cessat? Absit hoc a mentibus Christianorum omnium, absit ut hujusmodi christianus dicatur, absit ut Dei filius possit appellari qui talis est. Christianus ille est, qui Christi viam sequitur, qui Christum in omnibus imitatur: sicut scriptum est, *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joan.* II, 6). Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non movetur injuria, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius quasi proprium sentit, qui ad fletum fletibus provocatur alienis, cujus omnium communis est domus, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat, cujus cibus cunctis offertur, cujus bonum omnes norunt, et nemo sentit injuriam; qui Deo die noctuque deservit, qui ejus præcepta indesinenter meditatur et cogitat; qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et Angelis gloriosus appareat; qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum, cujus simplex et immaculata est anima, cujus conscientia fidelis et pura est: cujus tota in Deo mens, cujus omnis spes in Christo est; qui cœlestia potius quam terrena desiderat, qui humana spernit, ut possit habere divina. Nam his qui hoc sæculum diligunt, et qui in præsenti tempore gloriantur et complacent, audi quid dicitur: *Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Et quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jacobi* IV, 4).

CAPUT XV. *Viduarum triplex genus. Qualis Christi vidua debeat esse.* Hæc tibi, soror dilectissima, quid christianum agere conveniat, prout potui, explicavi. Si ergo omnes generaliter qui Christiani nuncupantur, esse tales oportet; nunc tuæ prudentiæ est æstimare, qualem tu te viduam debeas exhibere, quam cunctis bene conversantibus esse oportet exemplum. Tria autem esse viduarum genera non ignorare te credo. Unum quod perfectissimum est, cœlesti præmio destinatum: quod, ritu illius de Evangelio viduæ, Deo orationibus et jejuniis die noctuque deservit (*Luc.* II, 37). Aliud vero, quod filiorum curam habere dicitur et domus, non tanto dignum, nec tamen peccatis obnoxium. Tertium autem genus est in epulis et deliciis, quod æternæ morti servatur et pœnæ. Sicut scriptum est, *Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt.* Istæ sunt primæ, quæ dicuntur et veræ, et quæ jubentur a tanto sacerdote, hoc est, a Timotheo honorari. Secundæ sunt, quibus jam haberi non jubetur honor, nec tamen vita negatur: de quibus dicitur, *Quæ autem filios habent aut nepotes, discant primum domum suam pie* [1] *tractare, et parem gratiam reddere parentibus.* Illæ vero tertiæ sunt, de quibus scriptum est, *Vidua autem quæ in deliciis est, vivens mortua est* (I *Tim.* V, 3, 4, 6). Unde intelligi datur, non omnes viduas esse æquales, nec eas Deo placere, quæ corpore tantum viduæ videntur esse, non opere.

Qualis autem Christi vidua debeat esse, Apostolus dicit: *Quæ autem vere vidua est, speret in Domino, et instet orationibus die ac nocte.* Nec illud præterire te volo, quod quando veras viduas Apostolus nominat, esse demonstrat et falsas, hoc est, actu, mente, conversatione, non corpore. Et alibi viduæ veræ et electæ actum conversationemque describit idem apostolus dicens, *Vidua eligatur quæ fuerit in operibus bonis testimonium habens. Si filios educavit*, quod subintelligitur, Deo; *si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est* (*Ibid.* 5, 10). Hanc esse veram viduam judicavit, cujus talia sunt opera. Illa vero quomodo se Christi viduam dicit, quæ nihil tale aliquando operata est? Sed sunt aliquæ divites, nobiles et potentes, quibus forsitan videtur indignum, ut aut filios Deo, et non sæculo educent, aut hospitio recipiant advenam, aut sanctorum pedes laboriosos, lutulentos et horridos lavent, et delicatis et nitidis manibus tangant. (*a*) Sed nec dignæ erunt tales in futuro tempore sanctorum esse consortes, quos ita in præsenti spreverunt; nec partem habere poterunt cum Christo, quem suscipere noluerunt, et cujus plantas suis contrectare manibus horruerunt: quia Christum spernit, quicumque ejus famulos spernit; sicut ipse dicit, *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Mariæ, unde Christi pedes lavaret, lacrymæ abundarunt: nostri autem temporis feminis unde peregrinorum pedes lavent ipsa deficit aqua. Tu ergo, sanctissima et prudentissima femina, ne velis imitari hujusmodi, quæ cum audenter malefecerint, benefacere erubescunt; et confunduntur juste vivere, quæ non sunt peccare confusæ, et quæ se morti ultro obtulerunt, nec invitatæ revertuntur ad vitam: quæ hominum magis risus subsannationes et fabulas quam Dei judicium pertimescunt, et quibus charius est miseris hominibus placere quam Christo. Sed esto talis, qualem te Dominus esse præcepit, qualem Apostolus jubet exhiberi et Christi vidua, esto sancta, humilis et quieta: misericordiæ et justitiæ opera indesinenter exerce. Et quisque te in opprobrium habeat, quisque subsannet et irrideat: tu tantum Deo placeas, et quæ Christi sunt geras. Ante omnia incessabiliter Domini tui meditare mandata, orationibus et Psalmis instanter incumbe: ut si possibile est, nemo te aliquando nisi aut legentem inveniat, aut orantem. Et cum fueris talis, nostri memento, qui te tantum diligimus, ut quod præsentes præstare non possumus, conferamus absentes.

[1] In plerisque Mss., *bene.*

(*a*) Vid. serm. 149, n. 1, in Append. tomi 5.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Paulino Forojuliensi seu Aquileiensi patriarchæ erit tandem aliquando restitutus hicce liber, auctoritate Colbertini cujusdam optimæ notæ et antiquissimæ scripturæ codicis. Scribebat sub octavi sæculi finem Paulinus Forojuliensis, anno sæculi noni secundo forte vel tertio denatus. Mox vero ipsi in sæculo eodem nono ademptum videmus hoc opus, ut supponeretur Augustino. Nam Theodericense exstat annorum, nisi fallimur, octingentorum exemplar, titulum hunc a prima manu scriptum in fronte libri habens: *Liber exhortationis sancti Augustini ad quemdam comitem charissimum sibi.* Citatur a Gratiano, de Pœnit. dist. 2, cap. *Si quis*; ibique, uti et apud Trithemium, *Augustini ad Julianum comitem epistola* nuncupatur: quo sub titulo etiam inter Augustini epistolas locum habuit in prima editione earum Amerbachiana. Et quidem liber in cæteris fere codicibus Mss. quos Theodericensi posteriores omnes invenimus, *ad quemdam comitem sibi amicissimum* prænotatur: cui titulo favet illud quod in capite 62 legitur, *Cujus (judicis Christi) palatium auro argentoque nullus episcopus, nec abbas, nec comes corrumpere poterit.* At Juliani comitis nomen vix unus et alter codex in libri fine adscriptum habet. Et vero suspicamur missum potius librum ad Æricum ducem sive comitem, quæ dignitatum nomina de eodem promiscue usurpata olim esse reperies in Vita sancti Eligii, lib. 2, cap. 59, et in

lib. 1 Chronici Casauriensis. Suspicionem hanc injecit Alcuinus in epist. 94, sic Ærico scribens : *Plura tibi, vir venerande, de christianæ pietatis observatione forte scripsissem, si tibi doctor egregius et pius cœlestis vitæ præceptor, Paulinus meus præsto non esset, de cujus corde emanat fons viventis aquæ in vitam salientis æternam. Illum habeas tibi salutis æternæ consiliatorem.* Legerat Paulinus Prosperi, seu verius Juliani Pomerii opus de Contemplativa vita, quo ex fonte ea fere omnia hausit, quæ hic a capite decimo ad vigesimum usque comprehenduntur. Recognovimus hunc librum ad veteres codices Theodericensem, Pratellensem, Audoenensem, Cygirannensem, Corbeiensem, Victorinum et alios, quorum ope glossemata in editis hinc inde inspersa aut removimus omnino, aut ad calcem paginarum, inter lectiones Variantes transtulimus, aut certe appositis ansulis separavimus. Sed præsertim subsidio fuit ad abstergenda errata præstantissimus ille bibliothecæ Colbertinæ codex, ævo ipso Paulini, sicuti videtur, exaratus : quo in codice liber hunc in modum inscribitur : *Sermo beati Paulini Forojuliensis episcopi. Cuidam amico suo in sæculo militanti pacem et prosperitatem, salutem et gaudium sempiternum optat in Domino Jesu Christo Salvatore nostro.*

LIBER EXHORTATIONIS,

VULGO

DE SALUTARIBUS DOCUMENTIS

Ad quemdam comitem.

CAPUT PRIMUM. *Justitia et beatitudo, amare Deum.* O mi frater, si cupias scire, quamvis ego nesciam, quam [1] perfectissima atque plenissima est justitia; Deum toto corde amare, illique tota adhærere voluntate, qui est summum bonum. Summum vero amare bonum, summa est beatitudo. Qui Deum amat, bonus est : si bonus, ergo et beatus, quem quanto quis ardentius amat, tanto melior efficietur. Quatenus hoc beatissimo bono abundare te faciat, charissime frater, ipse qui est hoc bonum ; quotidianis precibus, integro cordis desiderio eum, etsi indignus, deprecari studeam [2].

CAPUT II. *Hominis in creatione prærogativæ.* Tu vero, charissime frater, intellige, (a) quia consilio sanctæ Trinitatis et opere majestatis divinæ creatus es : ex primoque conditionis honore intellige quantum debeas Conditori tuo, dum tantum mox in conditione dignitatis privilegium præstitit tibi Conditor æternus, ut tanto eum ardentius amares, quanto mirabiliorem te ab eo esse conditum intelligeres.

CAPUT III. *Idem tractatur argumentum.* Nec hoc solum, quod consilio sanctæ Trinitatis sic excellenter a Conditore conditus es, sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam ipse Creator omnium te creavit : quod nulli alii ex creaturis, nisi soli homini concessit. Et hæc est imago unitatis et trinitatis omnipotentis Dei, quam anima tua habet in se : primum, quia secundum Dei donum vivit ac sapit ; secundum, quia ad imaginem sui Conditoris creata est : tertium, licet unus appelleris homo, tamen tres habes a Patre et Filio et Spiritu sancto concessas dignitates, id est, intellectum, voluntatem, et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur dum dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis* (*Matth.* XXII, 37). In his enim tribus imaginem Conditoris nostri mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere Conditorem, ut quantum a nobis intelligitur diligatur; et quantum diligitur, semper in memoria quæ recepit, habeatur [1]. Nec solum sufficit nobis Deum intelligere, nisi fiat in amore ejus voluntas nostra : imo nec hoc sufficit, nisi cum memoria et voluntate opus addatur.

CAPUT IV. *Converti ad Deum.* Tuo vero capiti, frater charissime, addatur gratia spiritualis scientiæ, quæ mentem tuam illuminet, et ad vitam æternam, sicut desidero et opto, perducat. Toto etenim cordis mei affectu opto, Deumque deprecor, ut semper ad anteriora te extendas, donec pervenias ad sublimem perpetuæ beatitudinis coronam : et animi tui nobilitatem, quam in te optime scio, nullis amicorum consiliis, nulla sæcularium ambitione desideriorum, ab amore Christi immutari permittas. Noli tuam bonitatem aliorum malignitate obscurare ; sed ubique quantum vales, amabilis coram Deo et omni populo appareas [2]. Non deerit tibi gratia adjuvantis Dei, si tibi aderit voluntas admonitionis sanctæ, quam sæpius in Scripturis divinis mens bonitatis tuæ attendit.

CAPUT V. *Idem tractatur argumentum.* Esto, quæso, quamvis laicus, ad omne opus Dei promptus, pius ad pauperes et infirmos [3], consolator mœrentium, compatiens miseriis omnium, largus in eleemosynis, memorans evangelicæ viduæ duo minuta (*Luc.* XXI, 2), et prophetam dicentem, *Frange esurienti panem tuum* (*Isai* LVIII, 7) : et cave [4] prævidens discretionem eleemosynæ, ita ut utrisque, danti scilicet et accipienti, solatium sit.

CAPUT VI. *Consiliariorum delectus.* Itaque non solum de salute tua, verum etiam de multorum profectu et prosperitate meditare. Elige tibi consiliarios optimos, Deum timentes, et veritatem amantes. Sæpe etenim adulatores blanda facie decipiunt animas audientium se, et perpetua morte interimunt. De talibus enim dicit Psalmista : *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII, 6). Et Apostolus dicit, *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10). Unusquisque amicus ad ædificationem, non ad

[1] Mss. [illegible], *quæ perfectissima atque plenissima sit justitia. Deum toto corde est Deum*, etc.

[2] [illegible]

(a) Vid. lib. de spiritu et anima, cap. [illegible]

[1] Mss. nonnulli, *quæ percepit habeantur*.

[2] Soli enim addunt : *Noli putare quod is qui hominibus aliquando displicet, Deo per omnia displiceat.*

[3] Editi, *mediocris ad delinquentes, ad Dei infirmos misericors.*

[4] Editi, *caute*.

destructionem, placeat proximo suo; quia non omnis amicus consiliarius esse poterit, dicente Scriptura, *Amici tibi sint multi, consiliarius autem unus.*

CAPUT VII. *Amicitia vera.* Licet enim me mutationis habitus longe tulisset a vobis corpore, sed nullatenus charitate: quia (*a*) charitas quæ deseri potest, nunquam vera fuit. Ideo intima amicitiarum charitate, quantum possumus, Domino Christo conjungamur: quia ipse ait, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et iterum ad discipulos suos: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV, 14, 15).

CAPUT VIII. *Mandata Dei observare. Mala duo Deus odit in homine.* Et si præmia æternæ vitæ volumus promereri, illius præcepta totis viribus satagamus custodire. Præcepta namque ejus nolentibus gravia sunt, volentibus levia; sicut ipse ait, *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30); et iterum, *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos* (*Isai.* LXVI, 2)? Sæculi enim amicitia, aut lucro, aut beneficiis, aut diversis honoribus constat. Salvatoris autem amicitia in se et proximos diligendo consistit. Igitur quotiescumque bonis actibus mandata Christi facimus, toties Christi amici vocamur. Ille nos semper invitat ad amicitiam suam, et diabolus invidens quærit nos mergere in infernum. Salvator nos amat, et proditor nos odit: ideo non prætermittamus Redemptorem, nec sequamur prædonem. Charior nobis sit qui libertati restituit, quam qui nos captivavit, et servituti subdidit. Semper ante oculos cordis pone, quod non amicorum turba, nec familiæ multitudo, non auri argentique congestio, non gemmarum lapilli fulgentes, non vindemiarum ubertas, non densitas segetum, non jucunditas extensa pratorum possunt animæ exeunti de corpore ullum afferre præsidium; sed plus lugent, qui ea plus diligunt. Ideo diligendus est verus amicus noster Dominus Jesus Christus, qui præsentem felicitatem, et æternam nobis tribuet beatitudinem. Nam redemptor noster ideo dicitur, quia nos redemit a diaboli captivitate; et salvator, salvando nos a peccatis nostris; adjutor, adjuvando nos in opportunitatibus, in tribulatione; protector, protegendo nos ut inter inimicos nostros maneamus illæsi; susceptor, suscipiendo nos in æterna tabernacula. Ideo charitatem et præcepta et amorem tanti amici nostri totis viribus adimpleamus, et nobilitatem imaginis illius in nobis servemus. Rememoremus semper, quam inclytus et valde gloriosus est imperator et amicus noster: ille a nobis non aliud quærit munus nisi spirituale. Caveamus quantum possumus, ne aliquid inveniat, quod oculos ejus offendat. Et si forsitan, ut solet humanæ fragilitatis conditio, aliquam negligentiæ maculam malignus spiritus in nobis infigat, citius per confessionem et pœnitentiam fontemque [1] lacrymarum abluere eam omni studio festinemus: ne diu sine amici nostri maneamus amplexu, quia paratior est nos [2] recipere, quam perdere; tantum si non tardamus de die in diem reverti ad illum. Hæc enim duo mala omnipotens Deus odit in omnibus hominibus; id est, negligentiam revertendi, et desperationem salutis. Tantum hæc absint a cogitationibus procul nostris, et ille tunc animis prope erit nostris. Ne, quæso, de terrena felicitate gloriantes confidamus; sed gratias agamus ei, qui dum homines esse voluit rationales, non superbia, sed humilitate prosequi se rogavit. Quæ, rogo, major esse nobis gloria poterit, vel sublimior honor, quam ejus imperatoris esse amicos, qui super omnes imperatores est? Et quanto ille sublimior est omnipotentiæ in virtute, tanto nos majoris debemus esse diligentiæ in justitia et sanctitate et humilitate et observatione mandatorum illius.

[1] Mss. non habent, *fontemque.*
[2] Mss., *nobis.*
(*a*) Sic Alcuin. epist. 115, ad Paulin., post Hieron. epist. 44.

CAPUT IX. *Justitia. Scripturarum studium.* Sanctitas vero in justitiæ operibus constat. Justitia vero duobus modis adimpletur: ut quæ prohibita sunt ab eo, non faciamus, et quæ jussa sunt ab eo, faciamus, juxta Prophetam: *Diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15). Omnis enim sanctorum Librorum series ad nostram salutem scripta est: et hoc maxime nostris auribus intonat, et iterum atque iterum replicat, quid sit homini cavendum, vel quid sequendum. In quibus Libris tua Dignitas optime exercere se novit: quia per illos nobis loquitur ipse Deus et Dominus noster, et piæ voluntatis nobis demonstrat affectum. Recognoscamus et recogitemus, quali honore nobis illius legatio sit accipienda. Quid si a rege legatio aut indiculus ad nos veniret, nunquid non mox aliis curis postpositis prompta voluntate et cum omni devotione litteras acciperemus, et legentes implere satageremus? Et ecce de cœlo Rex regum et Dominus dominantium, imo et Redemptor noster, per Prophetas et Apostolos dignatus est nobis dirigere litteras suas: non ut aliquod servitium sibi necessarium nobis demandet, sed quæ ad salutem et gloriam nobis prodesse possint [1] innotescat.

CAPUT X. *Deus sit possessio nostra.* (*a*) Proinde si aliquid in hoc sæculo possidere delectamur, Deum qui possidet omnia, qui creavit omnia, expedita mente possideamus, et in eo habeamus quæcumque feliciter et sancte desideramus. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; simus nos ipsi facti Dei possessio, et efficietur nobis Deus possessor. Et quid potest esse in mundo felicius, quam cui efficitur suus imperator et redemptor census, et hæreditas dignatur esse ipsa divinitas? Omnes enim ex illo fructus percipimus, in illo et de illo semper vivimus. Quid, rogo, homini sufficit, cui ipse Conditor non sufficit? Quid ultra quærit, cui omne gaudium et omnia suus Redemptor esse debet?

CAPUT XI. *Gaudium mundi.* (*b*) Heu! quam subtiliter nos ille antiquus hostis decipiendo fallit, et a cæcitate ante oculos mentis nostræ obducit, ne discernere valeamus gaudia hujus sæculi, et gaudia Regis æterni! Nam gaudere quidem bonum est: sed qui gaudet, si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Gaudet miles terrenus honores hujus sæculi perituros, vestes pulchras, et speciosas armillas brachio circumdatas, coronam capiti impositam: et tale gaudium non est æternum, sed periturum. Gaudet et raptor, cum desiderata rapuerit. Gaudet ebriosus, cum occasionem potationis invenerit. Gaudet adulter, cum ad delectationem corporis fruendi meretricis pervenerit. Gaudet perjurus, si hujus sæculi facultates jurando acquisierit. Gaudet iracundus, si iram suam perfecerit. Et multa alia quæ mens Bonitatis tuæ, frater charissime, comprehendere poterit. Et cum sit gaudere bonum, de his atque hujusmodi tamen gaudere grande malum est, et perducens ad mortem peccatum [2]. Nec ullum quodlibet scelus coram Deo tam abominabile fit, quam præterita peccata unicuique nostrum reminiscendo, gaudere inde et exsultare, atque in eis [3] semper jacere. Hæc sunt quæ superius diximus, unde nos gaudere vult mundus, ut pereamus cum amatoribus hujus mundi. Hæc enim gaudia velut venena diaboli repudiare debemus; quia non solum corpora, sed et animam perpetualiter necare festinant.

CAPUT XII. *Gaudium spirituale.* Quæso, frater mi, quæso, has diaboli sagittas ad petram quæ Christus est (I *Cor.* X, 4) allidens, sume scutum fidei, in quo possis omnia tela ignea diaboli exstinguere (*Ephes.*

[1] Ms. Colb., *scit.*
[2] Editi, *peccati.* Refertur, *peccatum*, ad verbum, *est*, non ad, *perducens.*
[3] Mss., *in ea.*
(*a*) Ex Jul. Pomerio apud Prosperum, lib. 2 de Contempl. Vita, cap. 16.
(*b*) Ex eodem libro, cap. 13.

VI, 16) : et gaudeamus de bonis Domini, de conscientia pura, de confessione vera et digna pœnitentia, de luctu et vera tristitia, quæ non secundum sæculum mortem, sed secundum Deum salutem operatur æternam (II *Cor.* VII, 10). Eam vero quæ secundum hoc sæculum est tristitiam, firmiter Apostolus prohibet dicens, *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Sed omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia : et estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis* (*Ephes.* IV, 30-32). Et quantum possumus, solerti studio mores nostros corrigamus, et virtutes omnium bonorum acquirere festinemus : quatenus pietatem Dei et misericordiam in tempore opportuno consequi valeamus, et de promissione futuri illius regni ineffabiliter gaudeamus. Hæc sunt arma quæ nos contra impetum diaboli armant, et Deo commendant. Hæc sunt arma quæ animos nostros confortant, muniunt atque nobilitant. Hæc arma nobiscum sunt, et intra nos Deo donante sunt. Hæc sunt veræ divitiæ nostræ. Nam pudicitia pudicos nos facit, et justitia justos, et pietas pios, et humilitas humiles, et mansuetudo mansuetos, et innocentia innocentes, et simplicitas simplices, et puritas puros, et prudentia prudentes, et temperantia temperantes, et charitas Deo et hominibus nos facit charos. Hæc omnia bona a Deo, et a bono Deo creata sunt.

CAPUT XIII. *Mundi contemptus. Concupiscentia triplex in protoplastorum peccato.* (*a*) Et ideo si in illo esse volumus, quod esse debemus; sicut sanctus Joannes apostolus dicit, quomodo ille ambulavit, ita et nos spiritualiter ambulemus (I *Joan.* II, 6). Quid est ambulare sicut Christus ambulavit, nisi contemnere vanitatem et felicitatem hujus sæculi, et non timere adversa pro nomine illius pati? Speremus quæ promisit, et sequamur quo ipse præcessit. Non nos ullo modo ab amore Christi separet hujus sæculi miserabilis dulcedo, neque excusatio, uxoris aut filiorum gratia scilicet, nec multa auri argentique possessionum delectatio, dum terribiliter contestatur nobis sanctus Joannes apostolus, dicens, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (*Ibid.*, 15, 16). Hæc sunt quæ a paradiso deliciarum in hoc miserabile exsilium Adam et Evam projecerunt. Quia nisi dilectio Dei ab eis defecisset, nunquam diligere cœpissent male suadentis serpentis consilium, imo nec credidissent. Et concupiscentia carnis ab eis impleta est, quod de ligno vetito gustaverunt; et concupiscentia oculorum, quod sibi aperiri oculos cupierunt; et ambitio sæculi, quod se fieri posse quod Deus est, crediderunt. Et ideo volens nos omnes Apostolus ab his tribus generibus mortis cavere, dixit, *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi.*

CAPUT XIV. *Quibus gradibus in peccatum lapsi sint.* Et ut facilius, frater mi, Bonitas tua intelligat, si placet, qualiter illi primi homines, Adam scilicet et Eva, commiserunt tam grande peccatum, pandam, quatenus gratia Domini nostri Jesu Christi te ab hoc semper cavere concedat; quia in illis duobus originaliter totum damnatum est genus humanum. Illi enim non ederent de ligno prohibito, nisi concupissent; nec concupissent nisi tentati, nec tentarentur nisi deserti, nec desererentur a Deo, nisi ipsi prius deseruissent Deum, nec illi Deum desererent, nisi superbirent, et similitudinem Dei ad quam facti erant, damnabiliter neglexissent. Pro quo morbida eorum corpora contraxerunt mortem, et juxta sententiam Domini eo die creduntur mortui, quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi.

CAPUT XV. *Adam vel Christum imitari quid sit.* Hæc paulo ante diximus de primus hominibus, ut lapsum et damnationis eorum evadere possimus exemplum sive supplicium : quia (*a*) quamvis ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed Christum Dominum nostrum, in quo renati sumus per Baptismum et vivimus. Quid est imitari Adam, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis morte nos perpetua occidi? Et quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis in nobis mortificari, et cum ipso qui nos pretio sui sanguinis redemit, feliciter regnare? Et si quando in Adam fuimus, omnes in ipso cecidimus; ita quia jam in Christo esse cœpimus, omnes cum illo spiritualiter resurgamus : et ut totum dicam, Adam nobis abstulit paradisum, et Christus donavit regna cœlorum, et corpus suum pro nobis peccatoribus tradidit. Christus enim mortuus est pro peccato, non suo, sed nostro : unusquisque autem nostrum non omnium moritur peccato, sed suo.

CAPUT XVI. *Quid sit mori peccato.* Quid est peccato mori, nisi opera maligna in nobis damnare, et hoc miserabile sæculum fugere? Ut sicut homo mortuus in sepulcro carne, nulli detrahit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, neminem opprimit, non invidet bonis, non insultat malis, non luxuriæ carnis servit, non bibendo magis ac magis in se sitim accendit, non odiorum flamma inardescit, non potentibus ac divitibus hujus sæculi [1] adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non turbam maximam sibi astantem curam gerit, non auro argentoque sive paliis [2] circumdatus distenditur, non salutationibus potentum nec parentum delectatur, non se injuriis fatigat; non eum superbia inflat, non ambitio hujus sæculi necat, non vana gloria turpiter jactat, non aurum sive armillæ atque omnes hujus sæculi falsæ divitiæ inflammant, non rabies insani furoris exagitat, non equorum crassitudo amorque invitat, non pulcherrima species feminarum avidum reddit, non histrionum miserabilium verba in risum excitant, non contentiones hujus sæculi perturbant, non audacia extollit, non gaudia hujus sæculi delectant; non iracundum animositas, non suspiciosum perversitas, non verbosum vanitas, non risorem malignitas, non mobilem instabilemque cum hujus sæculi versatilis amor facit [3]. Hæc et alia hujusmodi enumerando protelavi, ut intelligat dulcissima Fraternitas tua, quatenus homo carne mortuus [4] nec facere potest ista quæ dixi, nec pati; et ut his talibus non torpeamus, sed studeamus quantum possumus, cum Dei adjutorio corpora nostra cum vitiis et concupiscentiis mortificare (*Galat.* V, 24), et induamur novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV, 24). Nec humanis laudibus delectemur, nec detractoribus libenter aurem præbeamus, nec adulatoribus nostris credamus, nec discordes simus [5]; sed magis eos quos valemus ad concordiam provocemus; quia secundum Evangelium, *Beati pedes qui ad pacem currunt* (*Matth.* V, 9).

CAPUT XVII. *Quid secundum carnem vivere.* Nec simus carnales, id est, carnaliter in hoc sæculo viventes; quia Apostolus dicit, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini* (*Rom.* VIII, 13). Igitur ille secundum carnem vivit, qui secundum seipsum vivit, quia ipse homo est, et vivit, et secundum se ipsum vivit, id est, pergit quo vult, dormit quando vult, et quamdiu vult; loquitur quæ vult, et cui vult [6], et ubi vult; manducat ac bibit quando vult, et quantum vult; ridet et jocatur turpiter inter quos vult, et quando vult. Postremo quidquid naribus suave est, quærit; quidquid tactu blandum, quidquid oculis delectabile,

(*a*) Ex Pomerii lib. 2 de Contemplat. Vita, capp. 21, 16.

[1] Addunt editi, *ut multi nostris temporibus faciunt.*
[2] Mss. meliores, *pallia.*
[3] In Mss. desideratur, *facit.*
[4] Ms. Colb., *mortalis.*
[5] Editi addunt, *cum subjectis et fratribus.*
[6] Mss., *et quidquid vult.*
(*a*) Ex Pomerii lib. 2 de Contemplat. Vita, cap. 20, 21.
(*b*) Ex ejusdem lib. 3, cap. 1.

quidquid corpori suo jucundum, exercet ac sequitur, qualiter vult, et quando vult; quia omnia licita et illicita carnaliter vult. Delectatur in vestimentis pulcherrimis et equitibus et armis, sicut vult, et quando vult: et sic non secundum Deum, sed carnaliter vivit et delectatur: et omnia desideria carnis suæ perficit sicut vult, et quando vult.

CAPUT XVIII. *Vitiorum remedia. Humilitatis laus.* Quapropter, charissime in Christo frater, deprecanda nobis est divina clementia, ut (a) desideria carnalia delectatio spiritualis imminuat, et pietas in nobis crudelitatis iram resistat, et malignitatem patientia coerceat, et libidinem pudicitia vincat, et animositatem tranquillitas toleret, scurrilitatem et verbositatem taciturnitas moderata compescat, curiositati studium spirituale in vigiliis et orationibus et eleemosynis succedat, ebrietatem sobrietas domet, iræ et furori mansuetudo dominetur, levitatem maturitas regat, luxuriam vera castitas excludat, mundi cupiditatem Dei et proximi charitas refrenet, jactantiam et superbiam conculcet profunda humilitas: quia humilitas homines sanctis Angelis similes facit, et superbia ex Angelis dæmones fecit.

CAPUT XIX. *Peccatum nullum sine superbia. Superbia et cupiditas una sunt semper.* Et ut evidenter ostendamus, ipsa est omnium peccatorum initium, et finis, et causa: quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. Si quidem nihil aliud omne peccatum est, nisi Dei contemptus quo ejus præcepta contemnimus: et hoc nulla res alia persuadet homini, nisi superbia. Porro superbia et cupiditas in tantum unum est malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia possit cupiditas inveniri. De superbia namque nascuntur hæreses, schismata, detractiones, invidiæ, iræ, rixæ, dissensiones, contentiones, animositates, ambitiones, elationes, præsumptiones, jactantia, verbositas, vanitas, inquietudo, mendacium, perjurium, et cætera hujusmodi, quæ dinumerare per singula longum est. Cupiditas quoque facit homines gulosos, intemperantes, ebriosos, avidos, rapaces, fornicarios, adulteros, stupratores, incestos, flagitiosos, et alia innumerabilia, per quæ diabolus genus humanum præcipitare solet. Per superbiam namque et cupiditatem diabolus dicit, *In cœlum conscendam* (*Isai.* XIV, 13): Christus cum humilitate dicit, *Humiliata est in terra anima mea* (*Psal.* XLIII, 25). Diabolus per superbiam et cupiditatem dicit, *Ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 14): Christus per humilitatem, cum esset in forma Dei, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, humiliavit se, Patri factus obediens usque ad mortem (*Philipp.* II, 6-8). Diabolus per superbiam et cupiditatem dicit, *Supra astra Dei exaltabo solium meum* (*Isai.* XIV, 13): Christus cum humilitate dicit, *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Diabolus cupidus et superbus per Pharaonem loquitur, dicens, *Nescio Dominum, et Israel non dimittam* (*Exod.* V, 2): Christus cum humilitate dicit, *Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax; sed novi eum, et mandata ejus servo* (*Joan.* VIII, 55). Diabolus superbus et cupidus dicit, *Mea sunt flumina, et ego feci ea* (*Ezech.* XXIX, 9): Christus cum humilitate dicit, *Non possum a me ipso facere quidquam; sed Pater meus in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* V, 30; XIV, 10). Diabolus superbus et cupidus dicit, Mea sunt omnia regna mundi, et gloria eorum, et cui volo do ea (*Matth.* IV, 8): Christus cum dives esset, pro nobis factus est pauper, ut ejus inopia nos divites redderemur (II *Cor.* VIII, 9). Diabolus superbus et cupidus dicit, *Sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os atque ganniret* (*Isai.* X, 14): Christus cum humilitate dicit, *Similis factus sum pelicano solitario. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Psal.* CI, 7, 8). Diabolus per superbiam et cupiditatem dicit, *Exsiccavi vestigio pedum meorum omnes rivos aggerum* (*Isai.* XXXVII, 25): Christus cum humilitate dicit, *Numquid non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum* (*Matth.* XXVI, 53)? Et ut ad ultimum concludam, Diabolus cum ruina magna per superbiam et cupiditatem ad infernum præcipitatur: Christus cum humilitate ad cœlos elevatur. Ideo, frater charissime, paucos tibi diabolicæ fraudis laqueos et sanctæ humilitatis gradus descripsi, ut facilius tibi subjectos valeas docere, quomodo vel qualiter hos evadant, atque per humilitatem regna cœlorum possideant. Et nos si volumus perficere nostri certaminis cursum, et ad æternam beatitudinem pervenire; caveamus imprimis cupiditatem malam, et superbiam diabolicam, et cum omni humilitate Christi conemur sequi vestigia. Et si quis militans imperatori terreno, omnibus jussis ejus obedire decertat; quanto magis militaturus Imperatori cœlesti, debet custodire præcepta cœlestia?

CAPUT XX. *Miles spiritualis, et terrenus.* Frater mi, frater mi, animam tuam ad evigilandum excita, et nullus eam prægravet somnus. Miles terrenus quocumque loco mittitur, paratus ac promptus est, neque se uxoris aut filiorum gratia excusare poterit: multo magis miles Christi sine impedimento hujus sæculi Imperatori suo Domino Jesu Christo debet obedire, qui ipsum pretioso sanguine suo redemit. Tu miles terrenus contra hostem visibilem pergis ad pugnam; cum illo vero hostis invisibilis quotidie dimicare non cessat. Tu contra corpora inimici tui pugnare decertas, armis utens carnalibus; illius vero adversus diabolum est colluctatio cum armis spiritualibus. Tu in prælio galeam ferream gestas in capite; sed illius galea Christus est. Tu ne vulnereris, loricam indutus es; sed ille, pro lorica, Christi charitate est vestitus. Tu contra inimicum tuum lanceas et sagittas emittis; ille contra inimicum suum humilitatem et salubria verba dirigere studet. Tu donec pugnam perficias, arma a temetipso non projicis, ne ab adversario vulneretis; ille nunquam debet esse inermis, quia illius hostis tuo est callidior. Tuus hostis ad tempus dimicat; illius vero hostis quamdiu in corpore consistit, cum illo pugnare non cessat. Tua arma laboriosa et gravia sunt ad portandum; illius vero arma suavia ac levia sunt. Tu pro labore terreno terrenum accipis donativum; ille vero pro labore spirituali cœleste accipiet præmium. Tu ornamento armillarum brachia decoraris; ille virtutum ornamenta animæ suæ a Christo decorem accipit. Semper enim cœleste donum a Christo exspectat, qui terrenam hujus sæculi pompam projicit. Væ nobis, si jugum Christi suave a nobis repellimus, et quidquid grave ac onerosum est animæ nostræ supponamus nos ad portandum; et dum diligimus periculum, incidamus in mortem.

CAPUT XXI. *Amor Dei. Parentes honorare quatenus jubeamur. Christi beneficia.* Ideo, frater charissime, consideremus quis est qui nos pretioso sanguine redemit, et quid ei debeamus, qui nos cum tanta penuria redemit. Si terrenos parentes cum tanto affectu diligimus, qui parvo tempore pro nobis sustinuerunt laborem: nonne magis nobis cœlestis Pater noster amandus est, qui pro nobis cruci affixus est? Nam quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obsequium, ejus est beneficium: qui et antequam nasceremur in hoc sæculo, sua providentia parentes nobis præparavit, quorum obsequio nutriremur [1], et ubera matris lacte implevit, unde nutriremur. Ergo magis omnibus diligamus Redemptorem nostrum, qui et nos et parentes nostros propriis manibus finxit; et cuncta bona quæ erga nos geruntur quotidie, ejus misericordiæ, non nostris viribus adscribamus. Jubet enim Scriptura parentes nostros ut

(a) Ex lib. 3 Pomerii de Contemplat. Vita, capp. 3, 2, 1.

[1] Ms. Corb., *nasceremur*.

propria viscera diligere, si tamen accedere nos ad servitium Christi non prohibeant; si autem prohibuerint, nec sepultura a nobis illis debetur (*Luc.* IX, 59). Christus diligendus est super parentes nostros; quia non nobis tribuunt parentes ea quæ Christus. Ipse enim dixit in Evangelio, *Qui amat patrem aut matrem aut filios aut agros plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Quanto quisque eum plus amat, tanto felicior et beatior efficietur. In tantum enim nos amavit, ut etiam pro nobis mori dignatus sit: et manus ejus, quæ virtutes plurimas faciebant, clavis pro nostra redemptione affixæ sunt: et ori mellifluo, quo salutaris doctrina profluxit, fel pro cibo impii porrexerunt: et qui neminem læsit, cæsus est; et qui nullum maledixit, opprobria et maledicta pro nobis pertulit. Hæc omnia perpessus est, ut nobis vitam æternam donaret. Et cum nobis tanta beneficia præstet, nihil quærit a nobis, nisi ut diligamus eum; et animas nostras et corpora impolluta ei servemus, ut ille in nobis semper habitet, et nos in illo permaneamus. Non enim postulat a nobis aurum, neque argentum, neque pallia, neque vestes pretiosas, neque armillas, neque agros, et cætera hujusmodi: sed nos ipsos quærit, in nobis requiescere cupit.

CAPUT XXII. *Amor proximi. Pacificus et invidus.* Accedamus ergo ad eum ut vitam æternam habeamus. Habeamus in nobis dilectionem Dei et proximi: quia qui diligit proximum, legem implevit; qui autem e contrario odit, homicida est (I *Joan.* III, 15). Qui diligit fratrem suum, in tranquillitate est cor ejus: fratrem vero odiens, tempestate circumdatus est. Vir mitis et benignus, etiamsi patitur mala, pro nihilo ducit: iniquus autem, etiam parvum verbum audiens a proximo, contumeliam arbitratur. Qui charitate plenus est, tranquillo animo et serenissimo vultu procedit: vir odio plenus ambulat iracundus. Tu autem, frater charissime, ne moveas cuiquam scandalum in vita tua: [rem quæ ad te non pertinet, aliis tractandam dimitte: et nisi rogatus vel interrogatus, enoda te inde, et quod soli Deo est placitum judica, et injustas aliorum sententias, si aliter non potes, evita, et misericordiæ locum da [1]:] et non quod tibi utile, sed quod illi placitum sit facias. Quod tibi non vis fieri, ne proximo tuo cupias evenire (*Tob.* IV, 16). Si eum videris in bonis actibus conversantem, congratulare ei, et illius gaudium tuum ducito: et si aliquid adversum patitur, illius tristitiam tuam deputa [2]. Ne simulato corde unquam diligas proximum tuum; quia in his Deus ad iracundiam provocatur. Qui enim amplectitur pacem, in mentis suæ hospitio mansionem præparat Christo; quia Christus pax est, et in pace requiescere vult. Virum autem iracundum, invidum, detractorem, mendacem, superbum, omnibus modis exsecratur Deus. Invidus autem vir similis est navi quæ jactatur fluctibus maris, in perturbatione est semper, ut lupus rapax insanit inaniter, in miseria detinetur, et tabescens ad nihilum redigitur, semper furore plenus, particeps dæmoniorum efficitur. Homo pacificus securam possidet mentem: totus est ab Angelorum agmine munitus et fructu jucunditatis repletus, gaudens et delectans in Domino. Omnia ejus in pace versantur. Discordiam fugat, secreta mentis suæ illuminat. Consortium Angelorum merebitur, et regnum æternæ beatitudinis perpetualiter obtinebit.

CAPUT XXIII. *Virtutes animæ.* Ne, quæso, frater mi, fabulosa arbitreris Dei præcepta, aut quasi a me edita, dum ex fonte Salvatoris nostri sunt emanata. Ne frangat animam tuam ulla adversitas vel prosperitas mundi a præceptis et a mandatis Dei, et a charitate quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Nam virtus est animæ tuæ, Deum diligere, et odire illa quæ Deus non diligit. Virtus est animæ tuæ patientiam sectari, et ab omni impatientia declinare. Virtus est animæ tuæ, castitatem tam corporis quam animæ custodire. Virtus est animæ tuæ, vanam hujus mundi gloriam contemnere, et omnia caduca, calcare, et pro illius amore qui te redemit, dum vivis in corpore, laborare. Virtus est animæ tuæ, humilitati studere, et superbiam abominari. Virtus est animæ tuæ, iram et furorem cohibere ac reprimere. Virtus est animæ tuæ, ab omni stultitia declinare, et sapientiam divinam amplecti. Virtus est animæ tuæ, omnem delectationem carnis subjicere, et mentem tuam ad Christum erigere. Has ergo virtutes facile et perfacile potuisses obtinere, si sæcularium curam, et caducas ac terrenas res devitare voluisses, et nihil amori Christi præposuisses.

CAPUT XXIV. *Placere Deo in omnibus.* O mi frater, ex tota mente dilige Deum, ut in omnibus actibus tuis placeas illi. Qui enim conjugio copulatur, festinat placere uxori suæ: multo magis anima Christi sanguine redempta, debet placere Christo sponso suo. Deus enim non se vult verbis tantum diligi, sed corde puro et operibus justis; quia non verborum, sed cordis est auditor et inspector. Nunquam, quæso, frater mi, carnalis amor amorem cœlestem a te excludat: nunquam, quæso, de hujus fluctivagi ac miserabilis sæculi dulcedo decipiat. Nulla te seducat corporis pulchritudo; ne intret mors in animam tuam per fenestras oculorum tuorum.

CAPUT XXV. *Quam fluxæ carnis deliciæ.* Dic mihi, quæso, frater mi, qualis profectus est in pulchritudine carnis. Nonne sicut fenum æstatis ardore percussum arescit, et paulatim decorem pristinum amittit? Et quando mors venerit, dic mihi, quæso, quanta remanebit in corpore pulchritudo? Tunc recognosces, quia vanum est quod antea inaniter diligebas. Cum videris totum corpus intumescere, et in fetorem esse conversum, nonne claudes nares tuas, ne sustineas fetorem fetidissimum? Ubi, quæso, erit tunc suavitas luxuriæ, et conviviorum opulentiæ? ubi blandorum verba, quæ corda audientium molliebant? ubi sermones dulces, qui amaritudinem amantibus infundebant? ubi immoderatus risus et jocus turpis? ubi effrenata et inutilis lætitia? Iste est finis pulchritudinis carnis et oblectationis. Mundus enim peribit, et concupiscentia ejus (I *Joan.* II, 17). O quam felicissimum bonum est, et quam valde felicissimum, splendidam pulchritudinem Christi amare, et radiis fulgoris ejus pectora nostra [1] illustrare, et omnem obscuritatem a nobis expellere!

CAPUT XXVI. *Detractio.* Non accommodes aures tuas ad percipienda verba detrahentium, ne concipias mortem in anima tua. Detrahentis enim et audientis, utrisque esca mortis est animæ detractio. Et ut brevius concludam, detractor et libens auditor diabolum portat in lingua [2]. Evita, quæso, a tuis auribus laqueos detractionum, per quos captos plurimos audis. Postula tibi a Domino cor prudens et pervigilem sensum, ut discernere valeas verba detrahentium: non ignores fraudes et insidias eorum, et in retia eorum non veniat pes tuus [3].

CAPUT XXVII. *Peccatorum confessio. Oratio qualiter et quando fundenda.* Aliena debent esse a nobis omnia vitia mala, dum hæreditas nostra Christus esse vult: ideo quia incerti sumus de talibus, prosternamus nos humiliter in conspectu pii Patris nostri, et peccata nostra cito producamus in medium, ut deleat ea ipse Pater noster cœlestis. Et cum confessi fuerimus, non nos justificemus orantes, ne sicut Pharisæus ille discedamus condemnati (*Luc.* XVIII, 11, 12). Memoremus Publicanum illum, et ita oremus,

[1] Verba uncis hic inclusa glossema sunt quod abest a Mss.

[2] Editi addunt, *et non solum justis, sed et peccatoribus condole.*

[1] Mss., *pectoribus nostris.*

[2] Editi hic addunt, *Illum autem qui conqueritur audi, si non detrahit; quia non omnis querimonia detractio est.*

[3] Locus a glossemate purgatus.

ut veniam delictorum consequi mereamur. Clamor cordis nostri pulset ad aures omnipotentis Dei; quia in pura mente placabitur in tempore orationis.

CAPUT XXVIII. *Serpentis proprietas. Orationis fructus.* Omnem malitiam cordis projiciamus a nobis, et remittamus in nobis peccantibus [1]. Est denique genus serpentis, quod cum cœperit ire ad bibendum aquam, antequam veniat ad fontem, evomit omne venenum. Imitare et tu hunc serpentem in hac parte, secundum evangelicum Domini nostri Jesu Christi præceptum, ubi ait, *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* x, 16) : et omne venenum iræ amarum evome, et remitte conservis tuis, ut tibi dimittantur a Domino peccata tua, sicut Evangelium præcipit : *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 37, 38). Et qualem cupis erga te esse Deum, talis esto ipse conservo tuo. Et omne opus quodcumque inchoaveris facere, primum invoca Deum, et gratias ei age : et cum consummaveris illud, similiter fac. Invoca Deum ex toto corde tuo, et invenies eum : et cum inveneris, ne dimittas eum, ut conjungatur mens tua in amore ejus. Hoc, mi frater, stude in vita tua, et orationem tuam puram offer Christo Domino. Ne cogitationes hujus sæculi superfluæ conturbent cor tuum, neque in diversa rapiatur mens tua. Memento enim te sub Dei stare conspectibus, qui occulta cordis perspicit, et secreta mentis tuæ novit. Vigilanter ergo et assidue assiste in conspectu Dei in tempore orationis : ut imminentem diaboli tentationem facilius possis effugere. Si enim cogitationes hujus sæculi malæ et sordidæ turbant cor tuum, et cogunt illicitum aliquid perpetrare, per orationes puras et vigilias sanctas depellentur ab anima tua. Oratio namque grandis munitio est animæ. Per orationes purissimas omnia nobis utilia tribuuntur a Domino, et cuncta noxia effugantur. Et ut ne diutius de hac disputem vel immorer, sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis et orationibus interior homo nutritur, et pascitur. Pasce, quæso, animam tuam spiritualibus cibis, id est, fide, spe, charitate, et reliquis virtutibus per quas intelligas Deum amare, et ejus præcepta servare : ut cum extrema dies tibi venerit, Angeli pacis te suscipiant, et de potestate diaboli eripiant, et merearis sanctorum consortio in beata requie perfrui, et vitam æternam cum omnibus sanctis possidere. Nam certissime scis, quia possessio regni cœlorum promissa est tibi; sed vide ne ab ea extraneus efficiaris.

CAPUT XXIX. *Familiæ curam impendere.* Quæso, mi frater, quæso, omnibus tibi subjectis et bonæ voluntatis in domo tua, a majore usque ad minimum, amorem et dulcedinem regni cœlestis, amaritudinem et timorem gehennæ annunties, et de eorum salute sollicitus ac vigil existas : quia pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Domino reddes. Annuntia, præcipe, impera, suade eis, ut caveant se a superbia, a detractione, ab ebrietate, a fornicatione, a luxuria, ab ira, a perjurio, a cupiditate, quæ est radix omnium malorum.

CAPUT XXX. *Ut cupiditatis mala caveat.* Cupidus enim vir animam suam venalem habet : si invenerit tempus ut concupiscat alicujus aurum aut argentum, seu vestes pulchras, vel etiam cujuslibet mulierem pulchram facie, pro nihilo perpetrat homicidium; et ut quis effundit aquam in terram, ita est ei effundere sanguinem proximi sui. Plurimæ animæ in mortis periculum inciderunt propter cupiditatem, et multi Domino jubente ob hoc lapidati sunt. Saül enim alienus a Deo effectus est propter avaritiam : et ad extremum de culmine regali expulsus, ab inimicis suis peremptus est (I *Reg.* xv). Et de multis multa dicere potuissem, sed sapienti pauca sufficiunt. Dominus vero noster et Salvator voluit de cordibus Pharisæorum pecuniarum amorem excludere : sed quia erant cupidissimi, salutaria Domini verba deridebant. Nam et illum divitem quem Dominus ad regna cœlorum provocavit, amor pecuniarum eum intrare non permisit (*Matth.* XIX, 22). Sed et Judæ pectus avaritiæ flamma exussit, ut Dominum cunctorum bonorum largitorem, in manus traderet impiorum (*Id.* XXVI, 15). Avarus enim vir inferno est similis. Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit, Satis est : sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur.

CAPUT XXXI. *Sed eleemosynam de suo faciat.* Ideo, frater mi, omnibus qui in domo tua sunt præcipe ab hoc vitio cavere. Melius est enim ut ex paupertate sua pusillum quis tribuat indigentibus, quam multum ex injusta acquisitione. Unusquisque juxta quod habet, porrigat. Tantum enim expetitur ab unoquoque eorum, quantum ei Deus dedit. Nec enim ab eo plus exigit, quam quod ipse dedit. Eleemosyna cum iniquitate acquisita (*a*), abominabilis est coram Deo, et acceptum est ei quod fuerit fideliter acquisitum. Sunt enim nonnulli, qui diripientes aliena, facere se simulant eleemosynam : et cum alios premant, aliis se misereri fingunt. Si autem ex proprio labore dederint, gratum et acceptum erit Deo.

CAPUT XXXII. *Humiliter omnia, nihil superbe agat. Familiam a vitiis deterrere.* Et roga eos, ut in omnibus operibus suis humiliter coram Deo agant quidquid eis agendum sit : quia non erit gratum Deo, quidquid homo facit cum superbia. Quod autem humiliter fit, hoc est ei acceptum. In omnibus operibus sint humiles : quia humilitas virtutum sublimitas est : nec ad regnum cœlorum quislibet veniet, nisi per humilitatem. Multorum autem temporum labores, et orationes, et eleemosynæ, jejunia et vigiliæ, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud Deum computantur. Acceptus est Deo vir humilis, et in se Deum gestat. Jam paulatim superius disseruimus de superbiæ malo; sed propter tibi subjectos, necessarium hunc locum inveni, ut contra sagittas diaboli discant clypeum humilitatis erigere. Superbus autem Deo est odibilis, diabolo similis. Humilis licet habitu vilis sit, gloriosus tamen est virtutibus apud Deum. Superbus autem, etsi decorus et clarus videatur aspectu, tamen apud Deum operibus vilis est : et verbis et gestis, et vultu et incessu semper ejus dignoscitur superbia et levitas. Cupit se semper laudari ab hominibus, et bonis quibus alienus est prædicari se vult : non se patitur cuiquam esse subjectum, sed semper inter suos pares primatum cupit tenere, et in majorem gradum ascendere : et quod meritis obtinere non potest, adulando et detrahendo [1] vult invadere. Et sicut navis est absque gubernatore cum jactatur fluctibus, ita et superbus levis circumfertur, instabilis per omnes actus suos. Humilis autem ultimum se judicat, et blando vultu intuens, coram Deo eminens apparet : et cum omnia fecerit, dicit, Servus inutilis sum, et nihil se fecisse testatur. Et Deus divulgat opera ipsius, et profert in medium, mirificatque facta illius, et exaltat, et clarum facit eum, et in tempore precum suarum quod postulat impetrare apud Deum potest. Hæc et his similia sola humilitas obtinet apud Deum; quia ipsa est sessio et delectabile cubile Domini nostri Jesu Christi, qui ait, *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et paventem sermones meos* (*Isai.* LXVI, 2)? et iterum, *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Annuntia, quæso, tuis, et dicito eis, quia *Deus superbis resistit* : et, *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jacobi* IV, 6; I, 20). *Fornicatores et adulteros ipse Deus judicabit in die judicii* (*Hebr.* XIII, 4). De perjuriis : *Vir multum jurans non effugiet peccatum, nec recedet plaga de domo ejus* (*Eccli.* XXIII, 12). Detractio, fornicatio est animæ. Et Psalmista, *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar* (*Psal.* C, 5). Discordiam, ut Sa-

[1] Editi, *non duplici corde, sed vero.*

[1] Editi, *adulando prælatis; detrahendo et invidendo æqualibus, humilesque contemnendo, vult*, etc.

(*a*) Hoc est, *de rebus inique partis.*

lomon cecinit, detestatur Dominus, dicens, *Septimum est quod detestatur anima mea; id est, qui seminat inter fratres discordiam* (*Prov.* VI, 16, 19).

CAPUT XXXIII. *Eucharistiæ sumptio. Confessio ei præmittatur.* Hæc sunt cibi et pocula mortis animæ nostræ. Ab his pietas Domini nostri Jesu Christi nos liberet, et se ipsum nobis edendum tribuat, qui dixit, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam in semetipso* (*Joan.* VI, 41, 55). Sed unusquisque antequam corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi accipiat, se ipsum probet, et secundum Apostoli præceptum, sic de pane illo edat, et de calice bibat: quia qui indigne manducat corpus et sanguinem Domini, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (I *Cor.* XI, 28, 29). Quando enim eum accipere debemus, ante ad confessionem et pœnitentiam recurrere debemus, et omnes actus nostros curiosius discutere: et peccata obnoxia si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem et veram pœnitentiam abluere; ne cum Juda proditore, diabolum intra nos celantes, pereamus, protrahentes et celantes peccatum nostrum de die in diem.

CAPUT XXXIV. *Peccata cordis.* Et si quid male aut nequam cogitavimus, et de eo pœnitentiam agamus, et velociter illud de corde nostro eradere festinemus. Ne velimus dicere, Non est hoc grande peccatum quod cogitavi. Heu, insipientes! quare non intelligimus, quia in conspectu Domini cogitationes nostræ, antequam in opus procedant, manifestæ et apertæ sunt? Dicit enim Psalmista, *Scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* VII, 10); et iterum, *Dominus scit cogitationes hominum* (*Psal.* XCIII, 11). Et alibi idem psalmista, *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti* (*Psal.* CXXXVIII, 3). Ne quæso, permittamus in nobis cogitationes pravas, neque tanquam minima negligamus; quia *qui spernit minima, paulatim defluit* (*Eccli.* XIX, 1). Non spernamus morsum serpentis, ne venenum ejus conspergatur in corda nostra: quia quamvis venenum vita sit serpentis, tamen mors est hominis. Abscindamus virgulta spinarum de agro cordis nostri, ne defigant in nobis altas radices. Scimus enim quod cor nostrum ager est Domini nostri Jesu Christi: excolamus eum cœlestibus disciplinis, et non sinamus in agro tanti imperatoris seminari zizania: sed cunctis floribus virtutum decoremus; quia in his delectatur omnipotens Deus, sicut in Canticis canticorum legitur: *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II, 1), id est, Ego decus mundi, virginitas humilium.

CAPUT XXXV. *Caro domanda.* Et semper atque semper caro nostra subjecta sit animæ, et sicut ancilla famuletur dominæ suæ. Ne præbeamus vires illicitas corpori nostro, ne committat bellum adversus spiritum nostrum: sed semper subjecta sit caro, ut obtemperet jussis sancti Spiritus. Neque incrassari permittamus ancillam, ne contemnat dominam suam; sed omnibus jussis ejus et obsequiis mancipetur. Sicut enim equis frena sunt imponenda; ita corpora nostra jejuniis et orationibus sunt infrenanda. Nam quemadmodum aurigæ, si frena laxaverint, per præcipitia ducuntur; ita et anima cum ipso corpore, si ei frenum non imposuerimus, ad inferni præcipitia delabitur. Simus ergo boni et edocti aurigæ corpori nostro, ut per viam rectam possimus incedere.

CAPUT XXXVI. *Luxus in cibis cavendus.* Escæ enim nimiæ non solum animas, sed etiam corpora nostra plurimum lædunt, et ad infirmitatem perducunt. Solet enim per nimiam ciborum aviditatem et poculi intemperantiam frangi stomachi fortitudo, necnon et abundantia sanguinis et cholerum et plurimæ ægritudines escarum largitate contrahi. Sicut enim animæ et corpori sunt ista contraria, ita medela est utrisque temperantia jejunii. Et si non per omne tempus, saltem sacratissimos dies jejuniorum, quantum possumus cum Dei adjutorio, delicias mundi et ciborum opulentiam fugiamus: ne quando, quod avertat Deus, cruciati in flamma, quæramus guttam aquæ, et nullum refrigerium consequamur.

CAPUT XXXVII. *Ebrietatis mala.* Fugiamus ebrietatem, ne in crimen luxuriæ incurramus, quia Apostolus præcipit nobis, non nos inebriare vino, in quo est luxuria (*Ephes.* V, 18). Vinum enim nobis Deus ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem donavit. Bibamus ergo non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas postulat. Ne igitur quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem deputemus. Annuntia, quæso, tuis in domo tua subjectis, quod plerique per vinum homicidia et fornicationes perpetraverunt, nec ipsam mortem recusaverunt, alii per vinum a dæmonibus capti sunt. Nec est aliud ebrietas, quam manifestissimus dæmon. Ebriosus putat se aliquid optimum gerere, cum fuerit ad præcipitia devolutus. Per vinolentiam armatur ad maledicta et convicia proximorum, et immutatur mens ejus, et lingua balbutit. Hujusmodi enim vir cum se putat bibere vinum, bibitur a vino. Plurimi namque homines per vinum maximam debilitatem contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam firmitatem, quia non temperaverunt gulæ ardorem. Sicut enim piscis cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, repente hamum intra fauces reperit: ita et ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod intra eum, mox impellit[1] ad omne opus nefandissimum; et sic homo rationalis capitur, ut irrationale animal.

CAPUT XXXVIII. *Præcepta Dei ad omnes Christianos pertinent.* Tu autem, frater mi, omnibus domesticis tuis et tibi subjectis præcipe, ut se sobrios exhibeant, et iterum propter abstinentiam in superbiam se non erigant, sed omnia temperate, juste, pie et religiose secundum Dei adjutorium faciant: quia non solum pro nobis clericis, sed etiam pro omni genere humano, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, Christus sanguinem suum fudit: nec solum nobis, sed etiam omnibus laicis ejus ex toto corde præcepta servantibus regnum cœlorum promissum est. Grandis namque confusio est animabus laicorum, qui dicunt, Quid pertinet ad me libros Scripturarum legendo audire vel discere, vel etiam frequenter ad sacerdotes et ecclesias sanctorum recurrere? Dum clericus fiam, faciam ea quæ oportet clericis facere. Quare non intelligit, quia panem et vinum, et omnia hujus terræ bona, et regni felicitatem æqualiter vult participare, et æquali labore jugum Christi ferre non vult? Quid prodest talibus una parte in hoc sæculo esse sublimes, et alia prostratos; in una parte fulgere auro et pretiosis vestibus, et in alia miseriis hujus sæculi et vitiorum caligine occupari? Non sit tibi aliqua sollicitudo de laici[2] habitus persona; quia non est personarum acceptio apud Deum. Similiter enim mandata Dei servantibus laicis cœleste palatium patet, veluti clericis et sanctimoniali habitu præditis. Dum non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, sed omnia et in omnibus Christus: quicumque in corpore illius est, magnus est. Insere te ipsum suo sancto corpori, ut sis membrum nobilissimi capitis. Ama ex toto corde caput tuum, et membra capitis illius. Quomodo potest manus manui inimica esse, vel pes pedem odisse, vel cætera membra suæ juncturæ non congaudere[3]? Crescere debent in virum perfectum, in augmentum corporis Christi. Omnis enim clericus et laicus, qui pretioso sanguine Christi redemptus est, qui baptismo Christi tinctus

[1] Sic potiores Mss.; habent tamen, *mors*. pro *mox*. At Germ., *per vinum suscipit inimicum qui intra eum immorans impellit*, etc.

[2] Mss. potiores, *vel laici habitus persona*. Germ., *quod habes in habitu laici personam*. Corbeiensis, *vel laici personam habitus, vel clerici accipere*.

[3] Mss. plerique, *si cætera membra suæ juncturæ non congauderent*. Nonnulli, *si cætera membra suæ juncturæ non congaudent, crescere debent*, etc.

est, debet humiliter ambulare et perseverare in Spiritu sancto : quia nihil prodest christianum se respondere verbis, et factis negare, dum corruptus est mente et spiritu. De talibus in Evangelio ipsa Veritas dicit, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Et in alio loco propheta increpando dicit, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai* XXIX, 13). Nam civitas si fuerit in una parte munita, et ex alia destructa, aditum ad se hostibus præbet. Et navis si fuerit fortiter compagibus solidata, et unam habuerit tabulam perforatam, aquæ fluctibus mergitur in profundum. Omnibus enim laicis, clericis, monachis æqualiter convenit fidem, spem, charitatem, humilitatem habere, et Deo ex toto corde servire, veram confessionem facere, et dignam pœnitentiam agere : quia clementissimus Dominus confugientibus ad pœnitentiam ignoscit.

CAPUT XXXIX. *Dilata pœnitentia.* Sed ne de misericordia Domini tantum securi existamus, ut peccata peccatis augeamus. Neque dicamus, Donec vigeat ætas nostræ carnis, concupiscentias nostras exerceamus, et postremo in senectute malorum nostrorum pœnitentiam agamus : pius est enim Dominus et misericors, nec ultra facinorum nostrorum recordabitur. Ne, quæso, taliter cogitemus, quia summa stultitia est hæc cogitare ; cum et impium sit talem licentiam a Deo postulare quempiam velle, cujus initium est, a Deo separare qui hæc cogitat. Impiæ enim cogitationes separant nos a Deo. Ideo, inquam, ne talia cogitemus, cum nesciamus qua die morituri simus. Nemo enim hominum novit diem exitus sui. Non omnes in senectute moriuntur ; sed in diversis ætatibus de hoc mundo migrant. Et in quibus actibus unusquisque homo inventus fuerit, in eisdem judicabitur, quando anima exierit de corpore. Dicit enim Psalmista, *Nemo in inferno confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6). Ideo festinemus ad pœnitentiam converti.

CAPUT XL. *Mortis cogitatio. Gaudia futuræ vitæ.* Semper ante oculos nostros versetur ultimus dies, et cum diluculo surrexerimus, ne ad vesperam nos confidamus pervenire ; et cum in lectulo membra deposuerimus, de lucis non confidamus adventu : et facillime poterimus corpus nostrum a vitiis et concupiscentiis malis refrenare. Semper cor nostrum promissa cœlestia meditetur, omnia terrena quæ possidemus in futuras cœlestis regni mansiones transferamus : ut cum ibi provecti fuerimus, fruamur bonis cœlestibus. Nam credimus quia cum a carnis vinculo anima nostra fuerit absoluta, si bene et recte coram Deo vixerimus, mox in occursum nostrum Angelorum chorus occurret, omniumque Sanctorum agmina in nostros miscebuntur amplexus, et ad adorandum verum judicem perducent. Si dum in corpore vivimus, sicut dixi, quæ Deo sunt placita faciamus, tunc erit nobis pax in circuitu, et summa securitas : nec timebimus ultra diaboli ignita jacula, nec ullum quemlibet inimicum, qui cupit animas nostras jaculare [1] ; non ferrum, non ignem, non faciem truculentam tortoris, non famem, non sitim, non ullam carnis ægritudinem. Non ultra adversabitur caro spiritui, nec ullum timebimus periculum : sed cum carnis abjecerimus sarcinam, tunc Spiritus sanctus tribuet nobis in cœlestibus mansionem, cui nos paulo ante intra corporis nostri hospitium feceramus mansionem : et læti gaudentesque futuri judicii diem exspectabimus, in quo singulorum animæ pro suis actibus recipient merita.

CAPUT XLI. *Pœna damnandorum.* Et e contra peccatores et impii pœnitebunt : sed frustra. Rapaces et avari, superbi et adulteri, iracundi et cupidi, maledici et perjuri amarissime flebunt : sed malorum suorum veniam non consequentur. In luctu maximo detinebuntur omnes, qui carnis suæ voluptatibus dediti sunt ; in mœrore et gemitu semper erunt, qui vitiis et peccatis obnoxii invenientur. Et cum hi omnes pro criminibus suis et sceleribus æternæ pœnæ deputandi erunt, nos, si Deo dum in hoc corpore sumus placuerimus, cum sanctis sempiterna præmia accepturi sumus. Ideo contemnamus cuncta quæ vana et caduca sunt, ut tantam gloriam, Christo miserante, adipisci mereamur.

CAPUT XLII. *Linguæ custodia.* Declinemus semper a vitiis, et ad virtutes tendamus. Ne superflui sermones procedant ex ore nostro, quia pro otiosis sermonibus reddituri sumus rationem in die judicii. Nec ad maledicendum quemquam consuescamus linguam nostram, quæ ad benedicendum et laudandum Deum creata est. Nec consuescamus consuetudines pessimas in omni actu nostro, sive etiam cogitatione : quia consuetudo quæ longius fuerit protracta et confirmata, non cum parvo labore vitatur vel expellitur.

CAPUT XLIII. *Compunctio. Perfectio non in annis, sed in animis.* Simus in malitia parvuli, et viri perfecti in sensu. In quibusdam nos exhibeamus senes, in quibusdam juvenes : quia parvuli est ludere, perfecti autem lugere. Nam præsens luctus lætitiam generat sempiternam. Omne autem quidquid immoderatum est, dissolutionem efficit animæ, et negligentem erga Dei præcepta : nec delicta sua facile potest ad memoriam revocare, et obliviscens ea, non se instigat ad pœnitentiam, et ita paulatim ab omnibus bonis cadit. Nullum habebit accessum cordis compunctio, ubi fuerint immoderata vitia et concupiscentiæ malæ. Ubi autem fuerint lacrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminet. Nullus nos sæculi amor ab amore Christi segreget, et totæ nostræ cogitationes ad præmia futuræ patriæ tendant, et de cœlestibus meditentur. Hæc est gloria tua, hæc est perfectio cursus certaminis tui. Perfectus enim dicitur, non qui in ætate, sed qui in sensu perfectus est. Nec ulli cuilibet obest puerilis ætas, si fuerit mente perfectus : nec senilis proderit ætas, si fuerit parvulus sensu. Nam et David cum puer esset et perfectus, cor et mentem habebat in Domino defixam, et ob hoc in regem electus est. Et Saül cum senili esset ætate, quia in se malignam nequitiam habuit de culmine regali expulsus est (I *Reg.* XVI). Dominus vero et Salvator noster a senioribus crucifigitur, et ingressus Jerosolymam a parvulis collaudatur. Nam et arbor si multorum annorum fuerit infructuosa, exciditur : si autem fuerit novella et fertilis, colitur, ut magis ampliorem proferat fructum. Ideo has similitudines pono, ut nec juvenis nec senex in domo tua de salute sua, vel etiam de operibus suis confidat ; sed *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31).

CAPUT XLIV. *Consortium bonorum amare, malorum fugere.* Perfectorum autem virorum consortio fruere, et a verbis eorum ne avertas aurem tuam, et in eorum consilio delectetur anima tua : verba enim vitæ sunt verba hominum Deum timentium, et incolumitas animæ iis qui ea libenter audiunt et attendunt. Sicut sol oriens effugat caliginem, ita sanctorum doctrina a sensibus nostris expellit tenebras. Evita, quæso, viros superbos, invidos, detractores, mendaces, perjuros, et salutem suam negligentes, qui mortui sunt virtutibus, et lætantur in propriis voluptatibus, ut gaudiis careant divinis. Non dico, ut vel unum talem in domo tua habeas : sed etiam ubicumque tales esse audieris, hos devita. Cum ejusmodi hominibus nulla tibi commixtio vel familiaritas sit : nec velis cum eis sermocinari ; si non valeas, Domino miserante, eos ab errore suo revocare. Nam sæpe per ovem unam morbidam polluitur totus grex : et modica pars fellis magnum dulcorem vertit in amaritudinem. Nam talis si in habitu videatur tibi clarus ac nobilis, et dulcia tibi verba profe-

[1] Ms. Colb. a secunda manu, *jugulare*.

rat; operibus tamen si agat tecum contrariis, magis nocet illius talis factura, quam placeat ex verbis figura; non enim ex verbis, sed ex virtutibus homo probatur.

CAPUT XLV. *Intentio recta.* Sic et tu sis apud Deum probatus, et omnia pro Christi amore libenter sufferas, et pro tribulationibus [1] carnalibus, quando tibi eveniunt, non frangatur animus tuus, nec vigorem patientiæ tuæ res hujus sæculi caducæ molliant. Sed time potius Deum, si a proposito tuo retardaveris: et quando te peccati obnoxium senseris, ad pœnitentiam converti non confundaris: quia qui pœnitebit hic, in novissimo non pœnitebit. In omnibus actibus et cogitationibus tuis placeas Deo, nec studeas placere alteri, nisi ad ædificationem animæ. Et in omni opere quod cogitas facere, primum cogita Deum: et si secundum Deum est quod cogitas, diligenter examina: et si est rectum coram Deo, perfice illud; si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua. Et omnia per consilium sapientum facito: ut opera tua et gressus tui secundum Domini voluntatem dirigantur. In omni oratione et obsecratione Domini voluntatem in te, non tuam, deprecare fieri: et secundum Apostoli præceptum, orare sine intermissione oportet (I *Thess.* v, 17), et sanctas manus sine ira et disceptatione ad Deum levare.

CAPUT XLVI. *Beneficum esse in omnes.* Misericors est Dominus: et misericordiam in se sperantibus præstat. Non illi misericordia opus erat, qui nullum habuit peccatum, qui Angelos fecit, et Archangelos præposuit: sed ut nos misericordiam ab illo consequamur, eleemosynas dedit. Non illi eleemosyna necessaria fuit, cujus sunt omnia regna cœlorum, qui constituit Dominationes, Principatus, Virtutes, Potestates, sed ut nos eleemosynis nostris participes regni cœlorum efficeret. Patiens et pacificus est Dominus, ut patientia et pace sua mundum totum, qui in maligno positus erat, reconciliaret Deo. Et nos patientes et pacifici sine ira et disceptatione simus, si ad Deum volumus pervenire. Et ad omnes homines faciamus bonum: ad omnes dico, non per partes, non ad unum vel ad duos aut ad tres, sed ad omnes homines. Christus enim non pro sanctis tantum passus est; sed pro peccatoribus et impiis et sceleratis ascendit crucem, et passione sua omnes nos revocavit ad vitam. Non sanctis tantum dedit Deus solem et lunam et pluviam, et omnia nascentia terræ, et omnes fructus qui oriuntur in terris: sed in commune omnibus hominibus dedit illa, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v, 45). Ideo omnibus hominibus dedit illa in commune, ut bonum nostrum et eleemosynæ nostræ, et charitas nostra, et patientia nostra, et humilitas nostra in commune omnibus hominibus distribuatur. Quamdiu fuerimus in hoc mundo, faciamus bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (*Galat.* vi, 10), et oremus pro inimicis nostris, et bonum pro malo restituamus.

CAPUT XLVII. *Justorum præmia et labores.* Pauperes honoremus, et suscipiamus Christum in ipsis, qui dixit, *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40): et filii Dei erimus, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi, et participes regni ejus erimus (*Rom.* viii, 17); ubi nunquam moriemur, et non senescemus; ubi non est humana (*a*) natura, nec dolor ullus, nec tristitia post gaudium, nec lux solis, nec lunæ et stellarum splendor, sed Dominus noster Jesus Christus lux erit, et sanitas, et vita, et charitas, et pax, et gaudium, et omne bonum omnibus credentibus in se. Ibi terra viventium, quam propheta decantaverat, dicens, *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* xxvi, 13); id est, præmium cœleste visurum [2] se significat videre, et cum Christo in perpetuum vivere et regnare, ubi nec nox ulla inspirat, nec dies terminabitur, neque inopia videbitur, neque cupiditas apparebit, sed perenne gaudium et sempiterna lætitia. Hæc sunt promissa justorum, et hæc sunt promissiones eorum, propter quæ laboraverunt et festinaverunt, et non cessaverunt currere in bonis operibus, quamdiu fuerunt in hoc mundo, in jejuniis, in eleemosynis, in castitate, in continentia, in longanimitate, in patientia, in suavitate, in benevolentia, in labore multo, in orationibus, in persecutionibus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis pro Christi amore, et per omnia inutiles vigilias devitaverunt. Vigiliæ autem inutiles sunt, cum quis vigilaverit circa cogitationes multas et turpes, vel ad gerendum contrarium aliquid, vel facinus perpetrandum. Tales vigilias devitaverunt, et sanctas vigilias arripuerunt. Hi tales calcaverunt præsentem mundum, ut futurum regnum lucrarentur. Non acceperunt hic promissiones vel divitias hujus sæculi miserabiles, quæ homines male eis [1] utentes ad inferna perducunt: et hanc præsentem patriam relinquentes, ad civitatem cœlestem, cujus artifex et conditor est Deus, intuitum animi sui præmiserunt. Vitaverunt peccatum in verbo, in facto, in cogitatione, in visu, in risu, in motu, in annuendo oculis, in manibus, in pedibus, in ira, in rixa, in furore, in dissensione, in vana gloria, in superbia, in elatione, in cupiditate, custodientes corpus suum et animas suas.

CAPUT XLVIII. *Jejunium et cibus duplex.* Pariter enim duo jejunia jejunaverunt, id est, jejunium corporis et animæ, hoc est, ab ira, et furore, et detractione, et blasphemia, et rixa abstinentes se: quia, sicut jam superius intimavimus, isti sunt mortiferi cibi animæ; qui pascunt eam in malum, et occidunt eam morte sempiterna. Iterum cibi corporis simul et animæ isti sunt, voracitas, somnolentia, fornicatio, vinolentia, securitas, suavitas, homicidium. Isti sunt cibi corporis simul et animæ, qui pascunt corpus, et occidunt et gravant animam. Cibaria ista devitemus: escas autem cœlestes appetamus, quæ ad cœlum nos trahant et deducant, sapientiam scilicet divinam, fidem robustam in Christo, benignitatem, benevolentiam, patientiam, humilitatem, virtutem, divinam lætitiam.

CAPUT XLIX. *Iniquorum supplicia.* Sermones boni et optimi procedant ex ore nostro, sale divino conditi, ad ædificationem audientium. Dilectionem Dei et proximi, in quo tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxii, 40), semper mente meditemur, et opere perficiamus. Hæc sunt mandata Christi, quæ nos jubet facere. Si fecerimus ea, erimus participes regni ejus, et regnabimus cum eo: si autem non fecerimus, et ipse non dabit nobis regnum suum. Si denegamus, et ipse denegabit nos. Si non credimus, ipse fidelis permanebit: quia omnis incredulus infideliter agit, dum et (*a*) vitium est hominis omnia credere, et vitium est nihil credere [2]. Summo studio summaque vigilantia nobis est curandum, ut non audiamus a Christo judice omnium in die judicii, quod peccatores audient, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* xxv, 41). Vere enim diabolo est præparata gehenna, et non omnibus hominibus, si non facimus opera diaboli. Væ his quibus præparatus est dolor vermium, ardor flammæ, sitis sine exstinctu, fletus et stridor dentium, oculorum lacrymæ, tenebræ exteriores sine luce, pœna inexterminabilis: ubi non est ullus honor, sive agnitio proximi, sed continuus dolor

[1] In Mss. deest, *tribulationibus*.
[2] Ita Mss. Forte, *virorum*.
(*a*) Id est, *fragilis et misera*.

[1] Mss., *eas*.
[2] Hic addunt editi, *et maxime semper mala de inimico: cujus alioquin si ad hos dura sunt verba, tamen forsitan christianum se recordatur et se reum coram Deo plorat. Susurri autem verba semper mala de inimico, sed si tu bona loqueris, continuo illum confundis: nunquam enim concordiam faciunt, sed discordiam; ligna in ignem mittunt.*
(*a*) Seneca, epist. 3.

et gemitus; ubi mors optatur et non dabitur; ubi non est honor senioris et regis, nec dominus super servum, nec mater diligit filium aut filiam, nec filius honorat patrem, ubi omne malum, et omnis indignatio, et fetor, et amaritudo abundat. Hæc timuerunt justi, et hæc fugerunt. Rogo, supplico, iterumque deprecor, frater charissime, ut et nos Deum amemus et timeamus, et hæc fugiamus: quia mors perpetua est animæ nostræ, si in his perseveraverimus.

CAPUT L. *Tria hic pessima, totidem optima.* Tria enim sunt in hoc mundo deteriora omni malo: anima peccatoris cum peccato perseverans, quæ nigrior corvo est; et mali angeli, qui eam rapiunt; et infernus in quem ducitur. Non sunt enim deteriora his tribus. Eadem enim anima metu futuri judicii expavescens, et putredinem suam inspiciens, dicit, *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII, 6). Iterum tria sunt quibus in hoc mundo non sunt meliora [1]: anima sancti in bonis operibus perseverans, quæ speciosior est sole; et sancti Angeli, qui eam suscipiunt; et paradisus in quem ducitur, exspectatioque regni cœlestis. His tribus non sunt meliora in hoc mundo. Angeli enim sancti delectant animam spirituali cantico, sicut Psalmista ait: *Beatus quem elegisti et assumpsisti, Domine, habitabit in tabernaculis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*

CAPUT LI. *Hic laborandum.* Hæc, frater charissime, meditemur. Hæc in animo firmiter teneamus, et caveamus nos ab omni peccato et iniquitate, in verbo, in facto, in cogitatione, in manibus, in pedibus, in visu, in auditu, custodiamusque corpus nostrum et animam. Christus enim Dominus noster, qui est Deus et Dei Filius, descendit de cœlo in terram, ut nos de terra ad cœlum secum portaret; pro nobis peccatoribus crucem ascendit, ut nos de cruciatu diaboli liberaret; ab inimicis pœnam suscepit, ut nos de pœna sempiterna liberaret; mortem suscepit, ut nos de morte eriperet; a mortuis resurrexit, ut nos resurgamus anima et corpore in die magno judicii. Ideo dum tempus habemus, laboremus, et bona opera Deoque placita una cum Dei adjutorio semper facere studeamus: ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. Dum sumus in hoc tempore, seminare nos oportet: tempore enim suo, id est, post mortem sive in die judicii metemus, quod in vita æterna habere debemus. Hic enim laboremus, et invicem onera nostra portemus. Quo enim præcessit caput, et cætera membra secutura erunt.

CAPUT LII. *De fide, spe, et præsertim mutua charitate. Peccata redimere per charitatem. Per confessionem ac pœnam a sacerdote susceptam.* Teneamus, sicut jam superius insertum est, fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam: quia (*a*) fides tanquam sensus noster est, et charitas tanquam nostra sanitas. Fides credit, charitas operatur, spes roborat: et quamvis diversa membra diversa habeant officia, si charitatis tamen unitate teneantur omnia membra, tunc merebuntur ire post caput. Caput enim nostrum in cœlo est. Et ipsa Veritas Dominus noster Jesus Christus de suis fidelibus ait, *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26). Caveamus, et per omnia caveamus, ne per invidiam, odium, detractionem, iram, rixam, a capite nostro Jesu Christo præcidamur: et quidquid mali pro amore Christi nos nostrique proximi pertulerint, charitatis affectu compatiamur: et quidquid boni alius quislibet acceperit, quasi nos acceperimus, ita gaudeamus, et pro illo qui accepit gratias referamus. Ecce jam, ut diximus, patitur aliquis tribulationem aut damnum hujus sæculi, aut pro culpis suis carcere jubente imperiali sublimitate retruditur; tristatur parentum sive amicorum morte: si dolemus pro illo, in corpore Ecclesiæ consistentes sumus; si non dolemus, jam a corpore præcisi sumus [1]. Charitas quæ colligit et vivificat omnia Ecclesiæ membra, si nos videat de alterius ruina gaudere, statim nos præcidit a corpore. Forte igitur non dolemus de ruina proximorum nostrorum, quia præcisi sumus a corpore. Si enim ibi essemus, sine dubio doluissemus. (*a*) Consideremus, frater charissime, et diligenter attendamus, quia tamdiu dolet membrum, quamdiu in corpore continetur: si autem abscisum fuerit, nec dolere poterit, nec sentire. Cum enim manus aut aliquod membrum fuerit abscisum a corpore, si totum corpus tunc in multis partibus dividatur, manus illa non sentit, quæ [2] jam a reliquorum membrorum societate divisa est. Talis est omnis christianus, qui de alterius aut damno, aut afflictione, aut etiam morte non solum non dolet, sed, quod pejus est, forte etiam gaudet. Et quia jam est alienus a corpore, ideo affectum charitatis non tenet in corde: dum Apostolus præcipiat, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipsum invicem sentientes* (*Rom.* XII, 15, 16). Et Salomon ne de ruina fratrum nostrorum gaudeamus, manifestissime admonet (*Prov.* XVII, 5). [Nos vero [3], mi frater, si veram et perfectam charitatem volumus custodire, omnes homines sicut nosmetipsos studeamus diligere: ut quia caput nostrum Christus est, membra illius nos esse mereamur: ut cum Christus apparuerit gloria nostra, et nos per concordiam charitatis, dilectionem scilicet Dei et proximi, quasi vera et perfecta membra illius absque ullo dolo malitiæ vel invidiæ, omnes homines sicut nos ipsos amantes, cum ipso apparere mereamur in gloria. Ipse etenim ait in Evangelio, *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35). Dilectio etenim proximi malum non operatur.

O mi frater charissime, (*b*) si Dominus et Salvator noster, qui nullum peccatum habuit, tanto affectu et tanta dilectione nos peccatores amare dignatur, ut quod nos patimur, se ipsum pati testetur: quare nos qui sine peccato non sumus, et qui peccata nostra per charitatem redimere possumus, non tam perfecto amore eum diligimus, dum tantum nos dilexit, ut etiam proprium Filium suum pro nobis peccatoribus morti traderet? Et dum tantam benignitatem et misericordiam erga nos exhibuit; vigilemus, ne perdamus bonum quod nobis dedit, et sacramentum Baptismi nostri, in quo [4] juravimus abrenuntiare diabolo et pompis ejus et peccatis omnibus. Et si transgredimur in aliquo peccato post baptismum, pius Deus dedit secundum Baptismum, id est, fontem lacrymarum, et ordinavit nobis pœnitentiam propter fragilitatem nostram. Ideo debemus nostras confessiones veraciter confiteri, et fructus dignos pœnitentiæ facere: id est, ut præterita non reiteremus, secundum jussionem Deum timentis sacerdotis. Qui sacerdos, ut sapiens et perfectus medicus, primum sciat curare peccata sua, et postea aliena vulnera detergere et sanare, et non publicare. (*c*) Hos, si quimus, perquiramus, et cum talibus consilium salutis nostræ ineamus: ut non perdamus hæ-

[1] Mss., *tres in hoc mundo non sunt meliores quam anima*, etc. Et mox, *his tribus non sunt meliores.*
(*a*) Ita serm. 105, Append. tomi 5, nn. 4, 5.

[1] Editi hic addunt, *Sed proh dolor! nos aliquando rigorem simulantes, materiam in flammam mittimus, et cum ignis incensus fuerit, fugimus.*
[2] In uno Ms. et serm. 105, Append. t. 5, *quia.*
[3] Editi hic addunt: *miseri, de inimicorum nostrorum ruina gaudemus, subsannamus; et si non cadit, cadere eum in ultionem nostri optamus: sed oremus Deum.*
[4] Mss., *quod.*
(*a*) Vid. serm. 105, Append. tomi 5, n. 5.
(*b*) Ex serm. citato, n. 5.
(*c*) Istiæc ad imitationem Regulæ Benedictinæ cap 46, expressa sunt.

reditatem cœlestem, quam nobis Dominus ab initio mundi præparavit, si serviamus ei in justitia, et sanctitate, et puritate cordis, et charitate non ficta, clamantes cum Apostolo, *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius?* et cætera quæ sequuntur, sicut dictum est, *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque futura, neque aliqua creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 35, 38, 39). Dictum est enim de Ecclesia primitiva, quod erat illis cor unum et anima una in Domino (*Act.* IV, 32); et erat illis unum velle ac nolle, quia in unum eos Christi charitas copulaverat.

CAPUT LIII. *Pravorum placita. Eleemosyna ex lucris injustis.* E contrario vero carnales et amatores hujus mundi contra se invicem separantur et disjunguntur: moventes in alterutrum scandala, contentiones, iras, rixas, dissensiones, homicidia, perjuria, furta, rapinas, et omnia quæ iste amat; et delectatur dicens unusquisque in corde suo, Faciam quod volo et possum [1], impleam cogitationes meas, et delectationes corporis: suffragantur mihi consilia mea, sive amicorum meorum, vel parentum potentium [2]: adest mihi aurum, superabundat argentum [3]; adsunt mihi servi et ancillæ, agri et multæ possessiones hujus mundi, pallia, vestes pretiosæ, unde me redimere possum: adimpleam voluntatem meam, Deus dabit mihi spatium vitæ et pœnitentiæ. Heu quare non timemus quod Evangelium terribiliter intonat, dicens, *Stulte, hac nocte expostulant a te animam tuam: quæ præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)?

Homines nos esse cognoscamus, et ne sic superbiamus contra Deum et proximum nostrum, ut voluntates nostras malas perficiamus, et Deum postponamus; ac deinceps Domini bonam voluntatem ad nostras malas reflectere cum muneribus posse putamur, nostramque pravam voluntatem ad Domini semper rectam voluntatem corrigere negligamus. Sed ubicumque nos delectat, injurias nostras volumus vindicare, dicentes [4], Faciam homicidium, perjurium, adulterium, fornicationem, et postea dabo Domino redemptionem meam. Quare non intelligimus, dum sic audacter peccamus, æstimantes muneribus Deum posse placari, quod tunc magis plus eum ad iram, quam ad misericordiam provocamus: quia Deus non delectatur in auro vel in argento, nec aliud a nobis quærit, quam animas nostras mundas in conspectu suo præsentari? Nec enim consiliis peccatorum se immiscet: sed ex salute nostra nos semper admonet, et salubre dat consilium, quia ipse est consiliarius [illegible], sicut propheta ait: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius* (*Isai.* IX, 6). Et iterum dictum est de eo in Psalmo, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* I, 1). Et iterum, *Quia non est iniquitas in eo* (*Rom.* IX, 14). Et forte ipsam quam [5] præsumimus pro nobis facere eleemosynam vel de prædis aut furtis, sive de rapinis pauperum, nomine non possunt videri esse eleemosynæ. Qualis est enim eleemosyna, ut unus injuste vestiatur, et alius injuste exspolietur, et unus injuste pascatur, et alius injuste fame torqueatur? Non quærit ista Deus a nobis [illegible], odit ista omnipotens Deus. [illegible] tam quid dicat, *Qui offert sacrificium ex rapina, ac ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (*Eccli.* XXXIV, 24). Nec accipio, inquit, ista de manibus vestris: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt (*Isai.* I, 15). Et alius propheta, *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, vir sanguinum est* (*Eccli.* XXXIV, 25). Contemnamus facere injustas eleemosynas, qui volumus facere pias et spirituales eleemosynas; ut de justis laboribus faciamus, non de rapinis, sive de multiplicatione fœnorum, aut de ineptis negotiis: ne forte in hoc multa sacrilegia incurrantur [1], vel etiam, quod pejus est, pro cupiditate vel ebrietate sanguis funditur, clamentque eorum voces ad Deum contra nos, multo labore afflicti. Unde et Psalmista, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentes non accepit*: et cætera quæ superius in eodem psalmo audientem, credentem et caventem beatum efficere possunt: sicut idem psalmus concludit, *Qui facit hæc, non movebitur in æternum* (*Psal.* XIV, 5).

CAPUT LIV. *Christiana felicitas non est terrena.* Et quia talia et his similia Creator omnium creaturæ suæ rationali annuntiando insinuat, credamus quia diligit Creator quod creavit: neminem persequitur, si ipse homo se non persequatur: a nullo quolibet homine recedit, nisi prius ipse homo ab eo recedat: nec naturam in nobis, sed vitium quod contraximus odit. Et non prodest nobis, imo etiam obest Christi sanguine esse redemptos, et voluntarie diabolo esse subjectos. Ideo cogitemus et recogitemus, quod non propter felicitatem terrenam Christiani effecti sumus. Non propter [2] divitias hujus sæculi, vel propter istam vitam Christum colimus: sicut Apostolus ait, *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Domino, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (*I Cor.* XV, 19). Christus enim, ne aurum diligeremus, oblata munera contemnere decuit; ne famem timeremus, quadraginta diebus jejunavit; ne nuditatem perhorrescerenus, præter unam tunicam, aliam discipulos suos habere vetuit; ne tribulationes expavesceremus, omnia ipse sustinuit; ne mortem formidaremus, et hanc ipse suscepit. Et cum ista omnia nos docuerit, non tantum verbo, verum etiam exemplo ipse præcessit. Hoc enim suaviter flagret in cordibus nostris, hoc ignis Spiritus sancti in nobis fervere faciat, ut sequamur vestigia ejus; ne desideremus remanere in hoc mundo, et pereamus cum hoc mundo. Heu quam miseri sumus, si hoc credere nolumus, et ab amore hujus sæculi mentem nostram non revocemus, dum perpetualiter ista tenere non possumus, et illa per securitatem amittimus! Quid faciemus? quid agemus? Lugendum nobis est, si regnum promissum perdamus, et subito dicatur nobis, O vos, amatores mundi, exite obviam sponso, et ad illum venite, quem videre non voluistis, quia præcepta ejus postposuistis. Videbitis enim plagas ipsas, quas in corpore suo pro vobis pertulit. Quid tunc gementes et dolentes dicemus? Et quid meritis nostris in eum exigentibus respondebimus, dum frequenter audivimus, et neglexímus quod Psalmista cecinit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13). Firmiter teneamus quia spes bonorum in isto mundo non est posita. Quamvis videatur spes mundana esse, quæ in amaritudinem vertitur; et amore non potest, cum ipse mundus amatoribus suis proprie [illegible] ipsa veritas eos alloquitur, dicens, Ubi est quod amabatis? ubi est quod pro magno tenebatis?

CAPUT LV. *Quam lugenda animarum perditio.* O mi frater, numquid ferreæ sunt carnes nostræ, ut non contremiscant; vel etiam sensus noster adamantinus, ut non mollescat, aut etiam non evigilet ad talia Dei verba? Quare non dicimus cum

[1] Edit., *dum cupio meam voluntatem et* [illegible], *nemo mihi* [illegible].

[2] Edit. hic addunt, [illegible].

[3] Edit. [illegible] *quod* [illegible].

[4] Edit. [illegible] *in fratrem meum, et* [illegible], etc.

[5] Mss., *quod*.

[1] Mss. *peccatores, sacramenta incurrant.*

[2] Edit. hic addunt, *enim omnes qui in hoc sæculo felices sunt, felices erunt et in futuro; nec omnes infelices in hoc sæculo infelices erunt in futuro. Nec propter.*

propheta, *Quis dabit capiti nostro aquam, et oculis nostris fontem lacrymarum, et plorabimus die ac nocte vulneratos filios plebis nostræ* (*Jerem.* IX, 1)? Deficiunt flendo oculi eorum, qui considerant, non solum mortes corporum, verum etiam animarum Christianorum. Quis luctus idoneior, quis planctus certior inveniri potest, (*a*) quando unusquisque nostrum de anima perdita luget et dolet cum Apostolo, qui dixit, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29)? atque iterum alio in loco dilectionem proximorum compatiens, dicit, *Optabam esse anathema pro fratribus meis a Christo* (*Rom.* IX, 3)? Discamus in tanto Christi apostolo tantam flagrare Christi charitatem, dum sciebat quod unico Filio suo non pepercisset, sed pro nobis omnibus tradidisset eum (*Rom.* VIII, 32). Pro omnibus nobis dicit: ideo nulli laici, nulli clerici, nullæ sacratæ virgines, nullæ viduæ debent negligere salutem animarum suarum, dum tanti sanguinis pretium pro nobis fusum esse manifestum est.

CAPUT LVI. *Cito converti. Prædestinatio. Humilitate gratiam promereri. Felicitatem terrenam despicere.* Ideo omnes nos qui reliqui sumus super terram, peccata nostra agnoscamus: ne cum impiis pereamus, dum cito digna satisfactione non placemus. Quam velociter placavit iram ejus ille qui dixit, *Peccatum meum cognovi, et injustitiam meam non operui. Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino* (*Psal.* XXXI, 5). Promittit se pronuntiaturum, et illi jam dimittitur. [Attende, mi frater, magna res. Dixit, *pronuntiabo*: non dixit, pronuntiavi, et tu remisisti: quia ex eo ipso quod dixit, *pronuntiabo*, ostendit quia nondum pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere, *pronuntiabo*, pronuntiare est; ideo et dimisisti impietatem cordis mei. Vox mea nondum in ore erat, confessio ergo mea nondum ad os venerat. Dixeram, *pronuntiabo adversum me*: veruntamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea nondum in ore, sed auris Dei jam in corde erat[1].] Et quid secutum est? *Et tu remisisti impietatem cordis mei.* Paratus est semper Deus peccata nostra indulgere, si non tardaverimus ad eum reverti. Si enim tardaverimus, timeamus ne inferat nobis[2] iram suam: quia quosdam quidem prædestinavit ad supplicium, et quibusdam quidem magnam præstitit beneficium: nec tamen hoc injuste, sed in alto suo judicio. Nam Cain perfecit homicidium, et Job vulneratus Dei amicus effectus est, et Abel innocens a fratre suo occisus: tamen nec Job diutius passus est cruciatum, nec Ananiæ locum donavit ad ignoscendum, nec Paulum deseruit colaphizatum, quem sua gratia fecit robustum, nec Judam suscepit pœnitentem, nec Petrum deseruit flentem, nec Saul respexit pœnitentem, nec David despexit confitentem[3]. Et sic pius et misericors Dominus alto suo judicio separat vasa iræ, a vasis misericordiæ. O si attendamus miserum Judam, vas olim perfectum, in perditionem perductum! Multum sancti Spiritus portare non potuit, quo accepto[4] continuo crepuit, totumque fractum, ad nihilum utile est. Hæc pertimescentes convertamur, et convertamur dum tempus est. Ait enim Psalmista, *Inquirite Dominum*, dum tempus est, *et confirmamini, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4). Tempus est enim ut reparemur: et si in aliquod peccatum fracti sumus, omnipotentem Deum figulum et artificem habemus: credamus quia potens est reparare perdita, qui creavit hæc omnia integra. Ipse enim ait, Sicut lutum figuli, ita vos estis in manu mea (*Ezech.* XXVIII, 13). Ideo humiliemus nos sub manu omnipotentis Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis. Cogitemus nos in conspectu Dei stare, agnoscamus quid sumus, agnoscamus quia terra et cinis sumus, dum et propheta contra nos dicit, *Quid superbit terra et cinis* (*Id.* X, 9)? Quod si nos non agnoscimus, frustra exaltare volumus cervices nostras, dum Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam (*Jacobi* IV, 6). *Consolamini, humiles, dicit Deus vester, consolamini qui estis pusillanimes, confortamini, et jam nolite timere; ecce Deus vester retribuet judicium, ipse veniet, et salvos vos faciet* (*Isai.* XXXV, 4).

CAPUT LVII. *In pressuris ad Christum pastorem confugere.* Dominus in proximo est, nihil solliciti sitis (*Philipp.* IV, 5, 6), nihil nos terreat mundi infelicitas: quia si istam infelicitatem mundanam sancti omnes timuissent, perpetuam felicitatem non haberent. Si felicitas hujus mundi transitoria diligitur, hic perpetua non invenitur. Si vero perpetua felicitas quæritur, quoniam hic non invenitur, ad perpetuam felicitatem tendamus, ubi patriam et parentes nostros habemus, patientissime omnia hujus mundi pro Christi nomine toleremus. Quid, rogo, est quod conferetur, contra illud quod nobis promittitur? Apostolus inquit, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Nulla ergo nos pressura terreat, nulla calamitas frangat. Dominus in proximo est, pastor noster circa nos est, quid metuemus? Et si timemus, clamemus ad pastorem nostrum, ut nos audiat: clamemus in compunctione cordis, dicentes, *Erravi sicut ovis quæ periit; require servum tuum, Domine* (*Psal.* CXVIII, 176). Clamemus et dicamus, *Libera a framea animam meam, et de manu canis unicam meam, salva me ex ore leonis* (*Psal.* XXI, 21, 22). Clamemus et dicamus, *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.* Considerabo ad sinistram? ecce diabolus ut lupus rugit[1], sicut leo frendet. Ecce lupus est? contra latrat canis. *Clamavi ad te, Domine; dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 5, 6). Libera me de manibus inimicorum meorum, et eorum qui me persequuntur. Numquid pastor noster bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, ad quem si clamemus, dimittet nos diutius errare, aut a feris vel a bestiis dilaniari atque consumi? Absit. Quin imo relictis nonaginta novem, perrexit quærere unam ovem perditam. Nec quia clamantem audivit, ideo perrexit: sed antequam clamaret: ait enim Evangelista, Relictis nonaginta novem, abiit quærere unam ovem quæ perierat: quam inventam et lassatam atque fatigatam, impositam humeris suis reportavit ad gregem (*Luc.* XV, 4, 5). Pastor eam ad gregem suis humeris dignatus est reportare, et misericordia sua ab errore revocare. Quod vero ovem istam Dominus humeris propriis impositam reportavit ad gregem, quantæ misericordiæ ejus gratiæ agendæ sunt, qui tantum se ad nos humiliavit et inclinavit? Portat et reficit, regit et custodit.

CAPUT LVIII. *Pastoris auxilium contra diabolum exposcitur. Ab omni malo quando liberemur.* Deprecamur, Domine bone, summe et optime pastor, ne pereat ovis, imple officium summi pastoris. Persequere leonem qui rapuit ovem de grege tuo; leo interficiatur, et ovis de faucibus ejus eruatur: tu enim es pastor ovium. Rex noster potens, contere satanam sub pedibus nostris. Et nunc, Domine pastor noster, rex noster, tot de grege tuo quotidie rapiuntur oves, et quare tantum taces? Responde, quare taces? Ecce per diversa præcipitia rapiuntur oves tuæ, et inimici tui qui te oderunt levant caput contra te; et tu taces. O Domine Deus, quare tamdiu taces? Ad hæc Dominus per prophetam clamat, et dicit, Tacui, tacui, sed

[1] Verba hic uncis inclusa, glossema sunt quo carent Mss.
[2] Mss., *in nobis*.
[3] Verba hæc, *nec Saül.... confitentem*, non exstant in Mss.
[4] Mss., *quem acceptum*: et mox, *totusque fractus*.
(*a*) supple, *quam*.

[1] Mss., *lupus ut diabolus rugit*.

non semper tacebo (*Isai.* XLII, 14) : aget judicium causas mea. Ergo, Domine Jesu, pastor noster, rex noster, accipe arma tua et progredere, ut pugnes contra leonem adversarium nostrum, qui circuit quærens devorare nos (I *Petr.* V, 8). Esto nobis turris fortitudinis, a facie inimici. Petimus, et instantissime petimus, ut liberes nos. Mundus enim in maligno positus est. Ecce sæviunt mala, et pereunt mundi dilectores : blasphemant, insaniunt, et adversus te murmurant; non solum tuam misericordiam non precantur, verum etiam tuum judicium reprehendunt. Quis in eis talia operatur, nisi auctor mali, angelus superbus, perditus, et omnes perdere cupiens? Libera nos, Domine Deus, ab omni malo, et pars nostra sit cum omni bono. Ab omni malo libera nos; quia tunc ab omni malo liberamur, quando a diabolo et angelis ejus separamur. Angeli ejus sunt, qui faciunt voluntatem ejus. Non sit nobis pars cum talibus, qui faciunt voluntatem diaboli; sed cum illo qui dixit, *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Matth.* XII, 50). Nos enim illius pretio redempti sumus. Societatem malorum fugientes, bona quæramus, summo bono inhæreamus, illi serviamus, ejus voluntatem faciamus : ut simus et nos angeli Dei, de quibus dicit propheta, *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, ministri ejus, facientes voluntatem ejus* (*Psal.* CII, 20, 21) : quia voluntas Patris nostri est, sicut Evangelium ait, ut non pereat unus ex pusillis suis (*Matth.* XVIII, 14), et ne pereamust et evellamur de via justa (*Psal.* II, 12).

CAPUT LIX. *Opera tenebrarum, et arma lucis.* — *Deponamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis* (*Rom.* XIII, 12), et expulsa noctis caligine, effugatisque umbris [1] tenebrarum, radius veri luminis fulgeat in cordibus nostris. In nocte non opera noctis, sed diei opera peragamus; quia filii diei appellati sumus. Neque enim delectatione somni sensus noster torpescat, nec vanis phantasmatibus animas nostras illudat, nec ipsa corpora stramentorum calore depressa in alto torpore quies inclinet : sed vigilando, orando, jejunando, psallendo, contra adversarium diabolum dimicemus, et magnam lucem infusam cordibus nostris sentiamus, et in nocte opera diei peragamus. Quid enim agendum est nobis in nocte hujus sæculi caliginosa, nisi diabolum effugare, et Christum introducere? Quid agendum est nobis in hujus noctis cæcitate, nisi captivatorem captivare, et liberatorem sequi? Quid agendum est nobis in nocte, nisi tenebras diabolicas de cordibus nostris excutere, et lumen verum haurire? Quid agendum est nobis in nocte, nisi superbiam exstirpare, et humilitatem introducere? Quid agendum est nobis in nocte, nisi principem omnium vitiorum a nobis expellere, et fontem omnium bonorum suscipere? Suscipiamus eum, frater charissime, suscipiamus eum; ut et suscipiamur ab eo, et videamus quæ bona præparata ab eo habeamus, qui nos quotidie vocat : et suscipiamus jugum ejus leve, et sarcinam ejus suavem, qui sarcinam peccatorum nostrorum relevat : *deponamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Quid enim est deponere opera tenebrarum, nisi renuntiare diaboli pompis et angelis ejus? Et quid est nos arma lucis induere, nisi credere in Deum Patrem omnipotentem, qui illuminavit omnem hominem venientem in hunc mundum, qui et dixit, *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis* (*Joan.* XII, 36). Prius tamen, dilectissime, si vis, imo quia vis, discutiamus et investigemus quis sit, vel quid sit diabolus.

CAPUT LX. *Diabolus quis sit. Quot bona homini eripuit, quot intulit mala.* Diabolus est enim angelus per superbiam separatus a Deo, qui in veritate non stetit, et doctor mendacii, et pater mendacii : quia ab ipso primum inventum est mendacium, et ipse est mendacium (*Joan.* VIII, 44), sicut veracissimus, Veritas [1] Dominus noster Jesus Christus in Evangelio Joannis loquitur : quia ipse est caput et finis mendacii; et a semetipso deceptus, nos decipere festinat. Iste est adversarius effectus generis humani, inventor mortis, superbiæ institutor, rex [2] malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor etiam turpium voluptatum. Hic ergo cum illum primum hominem a Deo factum, Adam scilicet, patrem omnium nostrum intueretur, sicut superius crebro intelligere potes, videretque eum hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circumdatum, immortalitate vestitum : æmulus atque invidus tantam beatitudinem hominem terrenum accepisse, quod ipse, dum esset angelus, per superbiam cognoscitur amisisse, invidit statim insatiabilis homicida primum patrem nostrum, nos nostrosque parentes, et tantis ac talibus bonis exspoliavit nos, insuper et peremit. Nam et multis bonis in prima fronte diabolus nos exspoliavit; id est, pudicitia, continentia, patientia, mansuetudine, charitate, immortalitate. Sic nos nudos ac miserabiles reddidit, suisque pannis derisit esse involutos, et suo dominio esse astrictos, atque ex ipso vinculo omnem prolem nostram sibimet obligavit. Exspoliavit nos pudicitia, et accinxit impudicitia; exspoliavit nos temperantia, et effecit intemperatos; exspoliavit nos charitate, et vestivit malitia; exspoliavit immortalitate, et propinavit mortem. His etiam turpissimis et fetidissimis pannis nos posterosque nostros involvit, et semivivos reliquit.

CAPUT LXI. *Quam libenter ei renuntiandum, et ad Christum confugiendum.* Et quia sic miserabiliter atrocissimus hostis circa nos egit, imo quia sic egit, eia frater charissime, eia renuntiemus huic damnosæ hæreditati. Pupilli effecti sumus : antequam exactor veniat tam pessimæ hæreditatis, omnibus quæ ejus sunt renuntiemus. Si quis itaque huic hæreditati, in qua sunt panni diaboli, pompæ scilicet et angelis ejus renuntiare neglexerit; cum judex venerit, sicut Evangelium loquitur, tradetur debitor exactori, exactor autem debitorem trudet in carcerem. *Amen dico vobis*, dicit Dominus, *non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* V, 26). Omne itaque genus humanum tanquam pauperem et pupillum divina Scriptura commendat Deo, dicens, *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor* : ejusque adversarium diabolum demonstrans, secutus adjunxit, *Contere brachium peccatoris et maligni* (*Psal.* X, 14, 15, *sec. Hebr.*). Adsit Dominus noster Jesus Christus pius et misericors, qui aliquam misericordiam huic et pupillo et pauperi exhibeat, quia callidum atque ferocissimum adversarium patitur, et jamjam pupillus in causa sua deficit : quapropter suus adversarius pravis artibus decipere eum festinat. Adsis, Domine Jesu Christe, huic pupillo idoneus defensor; sta in causa illius, qui jussisti recta judicari filiis hominum. Eleva brachium tuum, et contere brachium peccatoris et maligni. Optime nosti hujus pauperis et pupilli, generis scilicet humani causam, quæ ex paterno chirographo debetur. Inventus est reus, et obstrictus ab adversario detinetur : non est aliud quemadmodum nobis subveniatur, nisi ex tuo consilio et pernecessario adjutorio. Judica causam nostram : defende, quia potens es.

CAPUT LXII. *Dæmon accusator in judicio.* O mi frater charissime, quam felix anima, quæ tam potentem habet defensorem! Ideo nunc, quæso, vigilet unusquisque nostrum, ne apud eum diabolus in die judicii suos pannos agnoscat, et incipiat reus semper detineri, quem Christus sua gratia voluit liberari. Nec sibi male blandiantur, qui post acceptam gratiam corrigi nolunt, atque rursus ad illas suas pristinas redeunt voluntates. Exspectatur enim dies judicii, aderit ille æquissimus judex, qui nullius potentis personam ac

[1] Mss. radiis.

[1] Apud Fr. Lugd. Ven. et Lov., *verissima veritas.* M.
[2] Sic Ms. Colb. Alias, *radix.*

cipiet, cujus palatium auro argentoque nullus episcopus, nec abbas, nec comes corrumpere poterit. Astabunt omnes animæ, ut referat unaquæque secundum illud quod in corpore gessit, sive bonum sive malum (II *Cor.* v, 10). Præsto enim erit adversarius diabolus, et recitabuntur verba professionis nostræ, et objiciet nobis in faciem quidquid fecimus, et in qua die peccavimus, et in quo loco, et quid boni operis tunc temporis facere deberemus. Et si tales inventi fuerimus, exsultabit ille adversarius in conspectu justissimi judicis, superiorem se esse nobis declamans, agens talem causam apud talem judicem; habet enim dicere tunc ipse diabolus: Æquissime judex, judica istum meum esse ob culpam, qui tuus esse noluit per gratiam: tuus est per naturam, meus est per miseriam; tuus est ob passionem, meus ob suasionem; tibi inobediens, mihi obediens: a te accepit immortalitatis stolam, a me hanc pannosam, qua indutus est, tunicam; tuam vestem amisit, cum mea veste huc advenit. Quid apud eum impudicitia faciebat, quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid superbia, quid cætera mea membra? Dimisit te, confugium fecit ad me: meas sorores video comitari cum illo. Quid enim idcirco (*a*) faciebat[1]? quid cum superbia disputabat? quid cum ira furiebat? Thesaurizavit sibi iram in die iræ. Æquissime judex, judica, inquit; quia justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Judica illum meum esse, et mecum damnandum esse. Hæc omnia quæ huc attulit, mea esse cognosco. Meus esse voluit, et mea concupivit: mecum puniri debet, quoniam quem tu dignatus es tanto pretio liberare, ipse se mihi voluit postmodum libenter obligare. Heu, heu! frater charissime, poteritne talis aperire os, qui talis ibi invenietur, ut juste ire cum diabolo deputetur?

CAPUT LXIII. *Relabi quam periculosum.* Videamus quid agamus, ab illo videamus quomodo liberemur; videamus et caveamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiamus: sed integro corde, perfectaque fide renuntiemus, atque spernamus tam damnosam diabolicam hæreditatem, ne pupilli et pauperes remaneamus. Recitetur in medio nostrum sententia beati Apostoli terribilis terribiliterque prolata, quæ corda sicut et corpora nostra contremiscere faciat. Ait enim: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificati estis, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam ego reddam. Et iterum, Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis.* Et paulo post: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim aliquantulum, qui venturus est veniet, et non tardabit reddere unicuique secundum opus suum* (*Hebr.* x, 26-31, 35-37). Hæc enim verba non ex me, sed ex ipso qui dixit, *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* xiii, 3)? profluxerunt. Extendamus aciem oculi cordis, et videamus: et aurem cordis accommodemus ad terribilem Apostoli sententiam perspiciendam et investigandam. Mundemus oculum cordis, imo ipsa lux, quam desideramus videre, mundet cor nostrum, et sit a peccatorum tenebris ipso miserante mundatum: *Beati* enim, ait, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Non sit nobis hic labor inutilis ad perniciem, sed utilis ad salutem. Curramus dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant (*Joan.* xii, 35). Et iterum Apostolus hortatur nos intentissime dicens, *Remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, et non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.* Et paulo post: *Videte ne recusetis loquentem: si enim illi qui increduli fuerunt verbo Dei, non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur; multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis avertimur[1], cujus vox movit terram tunc; modo autem repromittit dicens, Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et cœlum. Quod autem, Adhuc semel, dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus, placentes Deo cum metu et reverentia: etenim Deus noster ignis consumens est, qui consumpturus est adversarios* (*Hebr.* xii, 12-15, 25-29). Accedamus ad eum antequam consumamur ab illo: postulantes ab eo urere cor nostrum, et renes nostros. Et iterum, *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum* (*Psal.* lxv, 10). Apertissime enim patet, quia si hic ab illo non urimur, illic velut adversarii consumemur. Ait enim Apostolus, Nemo se circumveniat, nemo se seducat inanibus verbis, quia quæcumque seminaverit homo, hæc et metet (*Ephes.* v, 6; *Galat.* vi, 8). Non aliud lingua loquamur et aliud corde; ne simus Judas et Herodiani: alii in proditione, alii in confessione, alii in dissimulatione[2], sed alii in veritatis humilitate. Ideo cum vero corde in plenitudinem fidei properemus, aspersi corda a conscientia mala. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, et bonorum operum inchoationem non deseramus, sicut est consuetudinis quibusdam: sed consolantes, et tanto magis, quanto viderimus appropinquantem diem judicii.

CAPUT LXIV. *Caro diabolum recipit. In quam solam potestatem accepit. Caro ad malitiam potens, ad pia opera fingit se infirmam. Caro quasi animæ bellum. Ad omnia mala provocat. Et sibi et animæ æterna parat.* Teramus carnis nostræ superbiam, quia caro est quæ animam perdit, et totam superbiam affert: et *qui in carne seminat*, sicut Apostolus ait, *de carne et metet corruptionem* (*Galat.* vi, 8). Caro est quæ recipit diabolum: diabolus enim seminat in carne nostra semina sua, id est, homicidium, fornicationem, concupiscentiam, libidinem, iram, rixam, ebrietatem, superbiam, furtum et omnem suggestionem malam, dicente Apostolo: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritus carnis hujus, adversus spiritualia in cœlestibus* (*Ephes.* vi, 12). De diabolo dicit, qui spiritus malus est, et non videtur. Et ipse spiritus nequissimus projectus est de cœlo cum angelis suis, de quibus dicitur in Apocalypsi: *Ecce projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos die ac nocte, et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni* (*Apoc.* xii, 10, 11). De quo Apostolus dicit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* xii, 7-9). Item ipse repetens dicit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Iterum ipse: *Ego enim mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* vii, 23, 25). Et iterum: *Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo* (*Rom.* viii, 1). Caro est quæ recipit diabolum, et carnem habet diabolus in potestate, non animam: ideo dicit Apostolus, *Datus est mihi stimulus carnis*

[1] Editi, *quia enim idcirco omnia faciebat.*

(*a*) Morel legendum censet, *in circo.* Vid. Element. Critic., pag. 515. M.

[1] Ita Mss. Vulgata autem, *avertimus.* At editi, *advertimus.*

[2] Sic Ms. Colb. Alii, *in perditione, in confusione.* At editi, *in perditionem, in confusionem, in dissimulationem.*

meæ; non dicit, animæ meæ; sed, *carnis meæ*, *angelus satanæ*. Denique Job in carne tentatus est a diabolo, dicente Domino: *Et data est ei potestas a Domino in possessione et in carne ejus*. Et iterum: *Dabo tibi eum in potestatem, præter animam illius* (*Job* I, 12; II, 6). *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc autem sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, ea faciatis* (*Galat.* V, 17). Caro est misera bestia, quæ gravat animam, dicente Apostolo: *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt* (*Rom.* VIII, 8). Iterum ipsa Veritas Dominus noster Jesus Christus de se ipso dicit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). Caro enim nostra in malitia semper vult potens esse, in abstinentia autem, id est, in jejunio et in vigiliis et orationibus ac bonis operibus infirmam se esse fingit. Caro nostra est, quæ nos demergit in foveam, dicente Apostolo: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram; id est, fornicationem, immunditiam, iram, rixam*, et cætera quæ sequuntur (*Coloss.* III, 5). Et iterum: *Curam carnis ne feceritis in concupiscentiis vestris* (*Rom.* XIII, 14). Itaque mortificemus carnem nostram per abstinentiam, et jejunium, et vigilias, et orationes; ne nobis adducat diabolum cum concupiscentiis malis. Caro autem data est nobis, quasi animæ bellum: quæ si mortificetur, adducit vitam; si nutriatur, præparat se contra animam ad bellum. Laudo autem illum qui carnis suæ potest habere potestatem. Dum infirmitatem carnis nostræ timemus, salutem animæ nostræ negligimus. O anima misera, quid dicis, quam caro sic fortiter gravat, dicente Salomone, *Caro quæ corrumpitur, aggravat animam*; et iterum repetit, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* IX, 15; I, 11)? Væ, væ miseræ animæ, quam caro persequitur. Caro nostra quotidie contra animam pugnat: et nos contra carnem pugnare quotidie debemus, sicut Apostolus præcipit: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VIII, 13). Omnem suggestionem malam caro concupiscit et demonstrat, caro concupiscit omne malum, caro hortatur maleficia, caro provocat iram, caro provocat homicidium, caro provocat adulterium et rixam, caro inserit ebrietatem, caro portat omnem concupiscentiam malam hujus sæculi, et omnia mala caro desiderat. O caro bestia crudelis, quid habes, quid gravas animam, quæ nihil desiderasset nisi Deo servire, si tibi inimice non se junxisset? Tu autem, caro misera, non solum te ipsam occidis, sed et animam occidis. Non sufficit tibi perditio tua, sed adhuc animam vis in infernum demergi. Væ tibi, anima, quæ carnem accepisti contrariam, quæ nec ipsa intrat, nec te permittit introire in regnum cœlorum. O caro mala, quid quæris, quid desideras? Non vis laborem sustinere, non vis inquieta conquiescere? Suffocas animam, ut versa vice tu sis domina, et illa ancilla. Rogo quare gravas animam, quæ molesta non est tibi? Nec tu effugies pœnam, dum ipsa patitur gehennam: nec enim sine te poterit judicari in die judicii. Quare non consentis spiritui et animæ nostræ, sicut Evangelium te hortatur, dicens, *Esto consentiens adversario tuo dum es cum ipso in via*, hoc est, in hoc sæculo; *ne forte tradat te judici*, hoc est, Christo; *judex tradat te ministris*, hoc est, angelis malis; *et ministri mittant te in carcerem*, hoc est, in gehennam: *non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* V, 25, 26), id est, minimum peccatum.

CAPUT LXV. *Carnis mala. Oratio animæ ad Deum.* Quid [1] es tu, et quid nobis præstas, nisi detrimentum animæ nostræ? Qui te nutrit, ad oralum [illegible] nutrit: quia non peccat anima, nisi per carnem, sicut scriptum est: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4). Verbi gratia dicis, Anima quomodo potest peccare, cum non videatur? Quid potest timere [1], cum ipsa non tangatur? Ipsa caro peccat, quæ animam gravat: et anima a carne superata consentit carni in peccatis. Caro enim præceps est ad libidinem, improba ad petulantiam, frequens ad luxuriam, inverecunda ad fornicationem, crimen quotidie criminibus superponens, peccatum peccatis; non cessat pessimis deteriora conjungere: voluntate crudelis, vana et insipiens, semper ad malum prona, ad bonum excusabilis et pigerrima, velox ad mortem, ad vitam difficilis; cui exosa sunt opera lucis, et tenebrarum amantissima; quæ quod nocet diligit, surgere negligit, amara est illi salus, et dulcis perditio: de malo semper corruens in deterius, et de pejoribus in pessima defluens; inquieta et impatiens, flammis gehennæ animam circumdans, injiciens se inter [2] germina cupiditatis et avaritiæ, vanitatis et arrogantiæ, iræ et impatientiæ, cæterarumque nequitiarum, superflua, inhonesta [3] se deprimit, abstrahens se a cœlestibus, et delectans in terrenis. Relinquit veritatem, festinat haurire vanitatem et verba mendacii. Et quid plura? Sicut tinea lignum devorat, et sicut ignis ligna, fœnum et stipulam consumit: ita caro rebellis et delicata animam consumit et concremat. Quid tu ad hæc, anima, quid tu ad hæc respondes? Dicam, inquit, Redemptori meo, antequam carne exuar, quid ad hæc respondeam, et ad quod bonum, corpus cum quo inhabito, incitare voluissem.

Non sit in me, obsecro, Domine, concupiscentia libidinis; sed amor inhabitet pulcherrimæ castitatis. Sim ad malum audiendum tarda, ad verbum tuum festina, ad perficiendum accelerans [4]. Sim in tuo timore sollicita, in amore perfecta, in fide constans, in spe nullatenus dubitans. Dilectione proximi ferveam, odii ardore non urar, nec invidiæ livore tabescam. Sanctum semper opus in me spira ut cogitem, compelle ut faciam. Suade me ut diligam te, confirma me ut teneam te, custodi me ne perdam te. Non ingrediatur nec requiescat in domicilio meo, ubi tua debet esse mansio, pes superbiæ nec gulæ concupiscentia, fornicatio nec avaritia, invidia nec ira, tristitia nec vana gloria. Sed profundam humilitatem posco a te, qui dixisti, *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum?* et cætera (*Isai.* LXVI, 2). Da mihi profundam humilitatem, qua curvetur altitudo carnis, superbia quæ me suffocat. Da mensuratam abstinentiam, qua superflua ventris refrenentur edacitas, quæ me perimunt. Da castitatem cordis, quæ me immaculatam reddat: Da munditiam spiritus, quia immunda carnis luxuria me demergit. Da velle largiflua ad erogandum eleemosynas, quo tenax avaritia dissipetur. Da dilectionis amorem, quo zelus exstinguatur invidiæ. Concede tolerantiæ patientiam, per quam ira crudelis bestia superata deficiat. Tribue etiam gaudii spem, quo tristitiæ amaritudo deminuatur. Fac intrinsecus mentem de bono opere gloriari in te, ut vanæ gloriæ foras ex me non procedat jactantia. Dona etiam mihi in omnibus tenere justitiam, magnanimitatem, temperantiam. Et fac mecum simplicitatem esse prudentem: ut et beatam vitam sinceriter agam, et malum prudenter refugiam; et fraudulentiam et deceptionem astutiæ mundi agnoscere valeam, ne me per speciem boni fallat [5]; discernere rationabiliter valeam, et prævidere quid boni agam, vel quid mali refugiam. Fac me post hæc mitem, benevolam, pacificam, mansuetam, modestam, sine simulatione esse, omnibus bonis conce

[1] Mss., *Caro*.

[1] Ita Mss. potiores. At duo cum editis, *timere*.

[2] Mss., *inde se*.

[3] Ita [illegible] legendum, *superflua* [illegible] vel, ut in Mss. [illegible] secunda [illegible], *et inhonesta*.

[4] Mss. editi, *accurra*.

[5] Hic addunt editi, *et ne ab aliquo decipiar, nec aliquem decipiam*.

dem, in vigiliis, in jejuniis, in orationibus constanter strenuam. Da etiam in mansuetudine moderatum sermonem, adipisci silentium; ut loquar quod condecet, taceam quod loqui non oportet, vel quidquid ex virtutum fructibus conferre dignaberis. Da sine aliquo errore immaculatam tibi servare fidem, et juxta fidem digna[1] esse opera mea: ut fidem rectam opere pravo non polluam; et te, quem bene credendo confiteor, male vivendo non denegem; et te quem strenua fide sequor, actu negligentiae operibus non offendam. Fac me in sancto conversationem proposito, sequi justitiam, diligere misericordiam, amare veritatem, respuere mendacium, falsum nihil meditari vel loqui; te indesinenter timere, te amare, te diligere, tua praecepta servare, pacem cum omnibus sine dolo retinere[2], discordes sine simulatione ad concordiam provocare, charitatem cunctis inviolatam offerre, nullum scandalizare, nulli me præferre, sed omnibus inferiorem judicare, reverentiam et honorem non propter timorem potentum, sed ob Altissimum exhibere; senioribus obedientiam, et charitatem æqualibus offerre[3]; gratiam opportunæ dilectionis junioribus ostendere[4], fraterna onera sive pericula æquanimiter sustinere[5]; cunctis simul prodesse, non obesse; nulli nocere, nulli adversari, nullum calumniari, nulli offendiculum ponere, nullum judicare, nulli detrahere, nulli injuriosam esse, nullius carpere vitam, nullius explorare semitam; sed de me ipsa tantum esse sollicitam: malum pro malo nequaquam rependere, injuriarum mearum nec memorem esse ullatenus, nec vindicem; sed in omni bonitate superare malitiam: maledicenti benedictionem parare, inimicum ut amicum diligere, convicia et contumelias irascentium sustinere, non rependere, injurias cito oblivisci, offensori meo ignoscere, ad veniam concedendam semper paratam esse: aliena non concupiscere, nec occasione qualibet auferre; mea vero non habentibus misericorditer erogare; apud me propter te, qui redemisti me, retinere esurientem, et deinde reficere, sitientem potare, hospitem colligere, nudum operire, visitare languidum, requirere carceratum, consolari tristem, afflicto et lugenti compati, non habenti præbere necessaria, victum et vestitum dividere cum egeno: amplecti indigenam, fovere domesticum, amare peregrinum, redimere captivum, suscipere advenam, tueri pupillum et orphanum, suffragari viduæ, subvenire oppresso, præstare auxilium desolato, disrumpere colligationes impietatis: vel quæcumque præceptorum tuorum documenta declarant, diligenter [illegible] et audire [illegible], prudenter [illegible] [illegible], et cor meum ad te [illegible] [illegible]; erigam, non [illegible], non descendam: quia [illegible] semper [illegible] me vult ad peccatum, [illegible] vult coronari, sed non [illegible] [illegible] [illegible] in quo rebellare [illegible] in domo mea, [illegible] dilacerando [illegible]. Heu [illegible] sum, [illegible] clamitando dicam: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24, 25). Hæc verba, o Jesu Salvator bone, Redemptor optime, hæc verba quæ hactenus usque nunc supplicando deprecata sum: hæc et hæc dico, precor, quia pretiosissimo sanguine tuo redempta sum: ut propter carnis corruptionem non peream in æternum, non veniam in mortem secundam, neque in terram oblivionis. Hæc vox mea in auribus misericordiæ tuæ sonet, ut tuam, non carnis faciam voluntatem, et omnis mens mea te meditetur, te delectetur, te sentiat, te confiteatur, quia redimendo me in æternum misericordia tua est, et in tua misericordia revixi perdita peccatis[1] ad descensum meum, et est permanentiam coram te: quia servasti mihi tempus conversionis, quæ considerans peccata mea computata, unde et te [illegible] egi pœnitentiam coram te. Læta jam inde tibi nunc et semper innumeras gratias refero: quia ut invenirem te, tu prius quæsisti me; ut redirem ad te, tu compulisti, ut verberarer[2] tu sicut pius pater respexisti; ut confiterer, tu es operatus; et ut me recognoscens plangerem, tu dedisti mihi. Pone, Domine, lacrymas meas in conspectu tuo (*Psal.* LV, 9), et perveniat ad te in cœlum deprecatio mea. Adesto, precor, et salvem, atque in manibus tuis commendatam tibi me ipsam suscipe, liberans me de ore sævissimi draconis, et de manu atrocissimi tyranni. Cum acceperis me, et auferes de medio umbræ mortis: imo deduces in semitam lucis, in clarissimam regionem viventium. Colloca me in caulis tutissimis gregum tuorum, quia tu es pastor bonus, qui requiris et reducis perdita, tueris et salvas inventa, foves et sanas languentia. Et tu es misericors Dominus, qui sperantes in te non confundis, repudiantes te non derelinquis, revertentes ad te non respuis; sed exsultando et laudando suscipis, atque in æterna beatitudine una cum sanctis et electis tuis æternaliter regnare concedis: quia est tibi cum æterno Patre et Spiritu sancto una deitas, gloria, virtus, imperium et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ms. Colbertinus, *dignam.*
[2] Hic additur in editis, *subditos non opprimere, me præ omnibus peccatorem inspicere.*
[3] Editi addunt, *principibus et potestatibus christianis in nullo resistere, sed in omnibus obtemperare.*
[4] Rursum hic editi, *paternum effectum monstrare.*
[5] Tum etiam isthic, *amicum velut animam meam diligere, proximum sicut memetipsum amare.*

[1] Editi et Ms. Vict., *revixi perdita, et surrexi a mortuis, quoniam segregasti me a peccatis.*
[2] Ita Mss. At edit., *vererer.*

Editio Erasmi in superiore libro minus dissentit a Mss., neque hic indicantur a nobis editiones aliæ quam quæ ex Lovaniensium recognitione prodierunt.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM TRACTATUM.

Inter Cypriani quoque opera vulgatus est iste tractatus, auctoritate veterum aliquot librorum, quorum falsa inscriptione decepti sunt scriptores antiqui, qui eum nomine Cypriani citant, Jonas Aurelianensis in libro de Institutione regia, cap. 3. in Spicilegii tomo 5; Ivo, lib. 8. et Gratianus lib. 23, quæst. 5, cap. *Rex.* Augustino autem pauciores Mss. tribuunt, ut recentior quidam Victorinus. Ejusdem argumenti librum edidit Hincmarus, latentem adhuc, sed ab hoc tractatu longe differentem. Patet ex illis de ipso Flodoardi verbis, lib. 3, cap. 18: « Scripsit etiam ad instructionem ipsius regis de duodecim Abusivis, sanctorum colligens ...

« his dicta patrum et præteritorum constitutiones regum : sed et de promissione sua eum admonens, quam « verbo ac scripto antequam rex consecraretur, primatibus et episcopis fecerat. » Et vero Jonas, qui ex subsequente tractatu, gradum nonum in suum, quem notavimus, librum transtulit, aliquot ante Hincmarum annis scribebat. Pamelius visum a se librum testatur, in quo tractatus iste Augustino quidem inscriptus erat, sed in margine habens nomen Ebrardi cujusdam substitutum. In Victorino et Corbeiensi codice hæc super tractatum leguntur : « Duodecim abusiva sunt sæculi hæc : sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, femina sine pudicitia, dominus sine virtute, christianus contentiosus, pauper superbus, rex iniquus, episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege. His duodecim abusivis « suffocatur justitia. Hæc sunt duodecim abusiva hujus sæculi, per quæ sæculi rota si in illa fuerit decipitur, « et ad tartari tenebras, nullo impediente justitiæ suffragio, per justum Dei judicium rotatur. »

DE DUODECIM
ABUSIONUM GRADIBUS
LIBER UNUS.

GRADUS PRIMUS. *Sapiens sine operibus.* Primus abusionis gradus est, si sine bonis operibus sapiens et prædicator fuerit : qui quod sermone docet, actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera a prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Nunquam enim fit efficax prædicantis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis : præsertim cum et ipse doctor, si in vitiorum amorem delapsus fuerit, alterius doctoris medicamentum suis vulneribus adhibere parvipendit. Unde et ipse Dominus in Evangelio de doctrina pariter et bono opere discipulos instruere volens, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens : *Quod si sal evanuerit, in quo salietur* (*Matth.* v, 13)? Hoc est, si doctor erraverit, a quo iterum doctore emendabitur? Et, *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Id.* vi, 23)? Si namque oculus a videndi officio desiverit, quis a manu, vel a pede, vel a reliquo corpore illud ministerium exiget? Quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ subjaceant, si plurimis [1] perditionis occasionem abundantius præstent. Nam et ipse Salomon dum multæ sapientiæ transgressionem incurrit, totius Israeliticæ plebis regni dispersionem solo suo merito præstitit. Quibus ergo committuntur multa, majora perdunt, si non recte dispensaverint rectoris [2] sui munera quæ perceperunt. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur. Et servus qui voluntatem domini sui intelligens non facit, acrioribus flagellis gravioribusque vindictis vapulabit (*Luc.* xii, 47).

GRADUS II. *Senex sine religione. Duæ res in homine non veterascentes.* Secundus abusionis gradus est, si sine religione senex esse invenatur : cui cum membra exterioris hominis veterascunt, vires animi, id est, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare senibus convenit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit. Sicut namque in lignis ipsa reproba arbor comparet, quæ post flores fructus optimos cultori suo non exhibet : sic et in hominibus ipse reprobus est, quem flos juventutis deseruit, et tamen in sui corporis senectute bonorum operum maturos fructus proferre parvipendit. Quid enim stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totus corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, auris graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinat, genua trepidant, talos et pedes tumor inflat; etiam homo interior qui non senescit, his omnibus aggravatur. Et hæc omnia ruituram jamjamque domum corporis cito prænuntiant. Quid ergo superest, nisi ut dum hujus vitæ defectus appropiat, nihil aliud cogitare, quam quomodo futuræ vitæ aditus [1] propere comprehendatur, quisque senex appetat? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus instat, senibus vero cunctis maturior ex hac luce recessus. Cavendæ ergo sunt homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, et totum hominem secum ad peccatum pertrahunt, cor videlicet et lingua : quia cor novas semper cogitationes machinari non desinit, lingua impigre loquitur quodcumque cor machinari senserit. Caveat ergo senilis ætas, ne istæ juvenescentes particulæ totam sui harmoniam decipiant, et per res ineptas reliqui corporis gravitatem illudant. Unicuique namque considerandum est, quid ætate eminenti dignum sit : ut hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec ministerium vile reddat.

GRADUS III. *Adolescens sine obedientia. Pater quatuor modis dicitur.* Tertius abusionis gradus est, adolescens sine obedientia, quo mundus a recto rationis ordine depravatur. Qualiter namque in senectute ille ministrari sibi sperabit [2], qui in adolescentia senioribus obedientiam exhibere contemnit? Unde et in proverbio apud veteres habetur, Quod dominari nequeat, qui prius alicui servitutem præbere denegat. Propter quod et Dominus Jesus in temporibus suæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non pervenerat, obedienter ministrationem parentibus suis exhibuit (*Luc.* ii, 51). Sicut ergo in senibus sobrietas et morum perfectio requiritur; ita etiam in adolescentibus obsequium et subjectio et obedientia rite debetur. Quapropter et in mandatis Legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris et matris honor imperatur (*Exod.* xx, 12) : quia quamvis carnalis pater non supervixerit, aut indignus fuerit, alicui tamen patri digno et viventi paternus honor usque ad perfectam et dignam ætatem a filiis præbendus esse ostenditur. Quatuor etenim modis per Scripturas divinas patres vocantur; hoc est, natura, gente, admonitione, et ætate. De patre namque naturali Jacob ad Laban loquitur, *Nisi timor patris mei Isaac adfuisset, tulisses omnia quæ mea sunt* (*Gen.* xxxi, 42). Gente vero pater dicitur, quando Dominus ad Moysen de rubo loquebatur, *Ego sum*, inquiens, *Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.*

[1] Hic addunt editi, *morum*.
[2] Corb. Ms., *lectoris*.

[1] Ms. Corbeiensis, *futuræ aditus prosperitatis*. Apud Cyprianum, *futuræ habitationis prosperæ*.
[2] Apud Cypr., *alius ministerium imperabit*.

III, 6). Ætate autem et admonitione pater dicitur, cum Moyses in cantico Deuteronomii loquitur, *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII, 7). Quod si ergo naturalis pater superstes non fuerit, aut indignus fuerit, admonenti tamen seniori adolescentis obedientia præbenda erit. Quomodo enim honoratus in senectute apparebit, qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit? Quodcumque enim homo laboraverit, hoc et metet. *Omnis namque disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ* (*Hebr.* XII, 11). Sicut ergo fructus non invenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non apparuerit; sic et in senectute honorem legitimum assequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laboraverit. Disciplina igitur absque obedientia, qualiter fieri potest? Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est: quoniam et ipsa obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget, quæ sui normam studii a Christo Domino sumpsit, qui obediens Patri usque ad mortem, crucis ignominiam libenter sustinuit (*Philipp.* II, 8).

GRADUS IV. *Dives sine eleemosyna. Amanda non sunt, quæ redamare nequeunt.* Quartus abusionis gradus est, dives sine eleemosyna, qui superflua usus sui, quæ custodienda in posterum recondit, indigentibus et nihil habentibus non distribuit: per quod efficitur, ut dum in terra quæsita diligenti cura custodit, cœlestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum Dominus Jesus adolescentem divitem, qui illum de perfectione interrogaverat, ita respondens invitavit: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21). Quem thesaurum nullus unquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut qui per se ipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris tuis, quod pauperi prodesse potest. Dives namque, etsi multa congregaverit, his frui solus nequaquam poterit; quia unius hominis natura multis rebus non succurrit. (*a*) Quid ergo stultius est, quam propter unius hominis victum et vestitum, totam regni cœlestis perdere jucunditatem, et æternos inferni cruciatus absque consolationis præstolatione subire? Quod ergo aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. *Omnia enim quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* (II *Cor.* IV, 18). Quamdiu namque temporales sumus, temporalibus temporalia deserviunt: et cum hinc transierimus, æternis æterna solatia præstabuntur. Idcirco diligere non debemus ea quæ non semper habebimus, præsertim cum expertem rationis avarum divitem, thesauri sui, et agri, et omnia quæ habet, ostendant; quia toto cordis intuitu illas res amat, quæ nunquam se diligunt. Si enim aurum et argentum et agros et vestimenta et cibos et metalla et bruta animalia quis dilexerit, hæc omnia vicem sibi amoris rependere non posse, ipsa rerum natura ostendit. Quid ergo a ratione longius est, quam diligere quod te amare non valet; et negligere illum qui tuæ ditioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, sed diligi proximus a Deo præcipitur (*Matth.* XXII, 39): quia proximus vicem sui amoris potest rependere, quod mundus minime posse non dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum Dominus præcepit (*Id.* V, 44), ut illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo dives cupidus, si vult æternas habere divitias, distribuendo egenis perdat interim non mansuras. Si enim quod diligit non vendit, nemo emere potest quod cupit. Avari namque ideo in judicio a rectissimo judice nuncupantur maledicti: quia qui præteribant eorum habitacula, non dicebant, *Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini* (*Psal.* CXXVIII, 8). Infelices ergo sunt avari divites, qui propter res transitorias in æternam damnationem dilabuntur; et e contrario, *Beati sunt misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V, 7). Felix est misericors, dum in hac virtute non substantiam, sed affectum Deus requirit.

GRADUS V. *Femina sine pudicitia. Pudicitia duplex: corporis, animi.* Quintus abusionis gradus est, femina sine pudicitia. Sicut enim omnes mores bonos procurat et custodit in viris prudentia, sic et in feminis cunctos honestos actus nutrit, et fovet, et custodit pudicitia. Pudicitia namque castitatem custodit, avaritiam refrenat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias oppugnat[1], furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia restringit; et omnes virtutes, et quidquid coram Deo et hominibus bonis laudabile est, nutrit. Impudica vita nec laudem ab hominibus in præsenti sæculo, nec remunerationem a Deo exspectat in futuro. Pudica vero vita famam bonam inter homines possidet, et de spe futuræ beatitudinis gaudet. Præsentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur et consentit, et assiduis Scripturarum meditationibus et eloquiis animam vegetat. Bonorum præcedentium exempla custodit, et inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat veræ pudicitiæ exercitatio, id est, corporis habitu et superficie, et animi affectu interno. Per exteriorem modum, juxta Apostolum, coram hominibus exempla, per interiorem modum coram Deo providemus opera bona. Pudicitia namque corporis est, alienas res non appetere, et omnem immunditiam devitare, ante horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana et falsa non loqui, habitum per omnia ordinatum, compositionemque convenientem tam capillorum quam vestium sicut decet habere, cum indignis contubernia non inire, supercilioso intuitu neminem aspicere, vagari oculos non permittere, pompatico et illecebroso gressu non incedere, nulli inferior in incepto bono apparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, bonis non invidere, senes non irridere, meliori non controversari, de his quæ ignoras non tractare, et ea quæ scis non omnia proferre: hæc enim proximis amabilem hominem reddunt, et Deo acceptabilem faciunt. Pudicitia vero animæ est, plus propter Dei oculos quam hominum omnia bona facere, appetitiones turpium cogitationum compescere, omnes meliores se esse æstimare, nemini invidere, de semetipso nihil confidere, Dei semper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos semetipsum constituere, hæretica pravitate sensum non maculare, catholicis per omnia consentire, Deo soli adhærere, castitatem internæ mentis Domino Jesu Christo offerre, omnia cœpta bona opera mortis tantum termino finire, præsentes tribulationes animi fortitudine parvipendere, in terra præter proximos nihil amare, cuncti amoris sui thesaurum in cœlo constituere, et pro omni bono actu mercedem in cœlestibus a Deo sperare. Pudicitia ornamentum nobilium est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium[2], prosperitas laborantium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia.

GRADUS VI. *Dominus sine virtute. Tria his qui dominantur necessaria. In dignitatibus alii meliores, deteriores alii fiunt.* Sextus abusionis gradus est, dominus sine virtute: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat vir-

(*a*) Forte, *sufficit.*

[1] Apud Cyprianum, *purgat.* In Ms. Corb., *oppurgat.*
[2] Alias, *debilium.*

tutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quæ et ipsa sæcularibus dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine bonis moribus exerceri debet : sæpe enim dominandi virtus per animi negligentiam perditur, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur ; qui dum per severitatem judicii peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam Dominus velut consentienti non pepercit (I *Reg.* II, 27-36). Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet : terrorem scilicet, et ordinationem, et amorem. Nisi enim ametur dominus et metuatur, ordinatio illius constare minime poterit. Per beneficia ergo et affabilitatem procuret ut diligatur : et per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque dum multi pendeant in eo, ipse Deo adhærere debet : qui illum in ducatum constituit, qui ad portandum multorum onera ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene fixus firmetur, et alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur; et ipse solutus a rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic et princeps nisi suo Conditori pertinaciter adhæserit, et ipse, et omne quod continet, cito deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses enim accepto populi ducatu, familiarius Dei locutionibus utebatur (*Exod.* XXXIII, 11). Saul vero filius Cis postquam sceptra regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit (I *Reg.* XV, 11). Rex Salomon postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad innumerosi populi gubernationem sapientiæ munere donavit (III *Reg.* III, 12) : e contrario vero Jeroboam servus Salomonis, postquam regni domus David partem occupavit, ad idolorum culturam decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ, divertit (*Id.* XII, 27-30). Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur, eos qui ad meliora conscendunt, per virtutem animi et Dei auxilium posse id facere; et eos qui ad deteriora divertuntur, per mentis imbecillitatem pariter et negligentiam errare. Unde et dominum absque virtute fieri non decet, quam virtutem nullatenus sine Dei auxilio habet. Qui enim nulla tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere : quoniam magna magnis infestationibus vel adversitatibus solent laborare. Omnis igitur qui præest, hoc primitus tota animi intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere ejus dominatum : *Non enim est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Ipse enim elevat de stercore egenum, et sedere facit cum principibus populi sui (*Psal.* CXII, 7) : et deponit potentes de sede, et exaltat humiles (*Luc.* I, 52), ut subditus fiat omnis mundus Deo, et egeat omnis gloria[1] Dei.

GRADUS VII. *Christianus contentiosus. Contentionis causæ. An in mundo aliquid amari debeat.* Septimus abusionis gradus est, christianus contentiosus : qui cum participationem nominis Christi per fidem et Baptismum susceperit, contra Christi dicta et propositum mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim, de quo contenditur, aut propter proprium ejus rei dilectionem, de qua agitur, aut propter alterius amorem, quæ sub odiosa specie latet, appetitur : quemadmodum, verbi gratia, bellum, animoso impugnationum conflictu, cum odiosa res sit, propter amorem victoriæ et libertatis peragitur; et multæ aliæ dilectionis species sub odioso labore vel formidine satis contentiose expetuntur. Unde patenter intelligitur, nihil contendi posse, nisi propter dilectionem, speratam scilicet et subsequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præsenti ex quacumque causa contendit, perspicue ostendit quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Joannem Spiritus sancti sermones interdicunt, quibus ait, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (I *Joan.* II, 15)? Mundi enim amor et Dei pariter in uno corde cohabitare non possunt; quemadmodum idem oculi cœlum pariter et terram nequaquam conspiciunt. Sed requirendum est, si vere in mundo aliquid sit, quod amari debeat ; et quis sit ille mundus, quem diligi divina eloquia vetant. Terra ergo cum nascentibus ex ea, et metallis, et animantibus, et pulchritudine vestium, et oblectationibus ciborum, et iis quæ ad hæc pertinent, non diligi præcipitur ; sed proximus, propter quem hæc omnia facta sunt, amari jubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non mansura, ad cœlestem patriam pergentes comitari nequeunt : proximi vero, velut mansuri regis cohæredes, semetipsos licenter invicem diligant. Quod ergo semper in mundo non manet et cum mundo pariter deficiet, et ipse mundus, non amari præcipitur. Proximus autem, qui est pars regni cœlestis in terra et inter ima elementa[1], a regni cœlorum appetitoribus non incongrue amatur, dum in summa illa patria in æternum cohæres habebitur. Propterea vero mundus præsens non diligi imperatur, ne a Dei dilectione alienus sæculi dilector quisque efficiatur. Non ergo debet contendi, quod non licet amari. Igitur christianus, qui nominis Christi similitudinem tenet, morum quoque ejus similitudinem habere debet. Christianus enim nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur. De Christo vero per prophetam ita scribitur : *Ecce puer meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo sibi anima mea. Ponam spiritum meum super eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus* (*Isai.* XLII, 13; *Matth.* XII, 18). Ecce Christus non contendit, neque clamavit : et tu si morum Christi similitudinem retinere cupis, ne contendas ; ne abusivus in Ecclesia christianus existas. Suis enim sectatoribus Christus præcepit, *Nolite vocari rabbi ; unus est enim magister vester, qui est Christus : et patrem nolite vocare super terram ; unus est enim Pater vester qui in cœlis est. Omnes enim vos fratres estis* (*Matth.* XXIII, 8, 9). Quibus ad supplicandum imperavit dicens, *Sic autem orabitis : Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum* (*Id.* VI, 9), et cætera. Frustra autem contendit Patrem se habere in terra, qui patrem et patriam profitetur se habere in cœlo ; cujus patriæ possessor nemo efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur.

GRADUS VIII. *Pauper superbus. Pauper spiritu, pauper humilis. Nobilis pauper.* Octavus abusionis gradus est, pauper superbus, qui nihil habens, in superbiam extollitur : cum e contrario divitibus sæculi non superbe sapere per apostolum Paulum imperetur (I *Tim.* VI, 17). Quid ergo stolidius potest fieri, quam illum, qui per infimam miseriam velut in terram abjectus, extremus et humilis incedere et contristari debuerat, superciliosо superbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapsi corruerunt, qui in summo cœli conditi erant culmine. Quid ergo vult quasi potens in terra superbire, qui præ omnibus hominibus debuerat humilis apparere? Sed ne de paupertate sua tristitiam habeant, quid a Deo recepturi sunt pauperes attendant : ipse enim inquit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Recta namque dispensatione misericors judex cœli regnum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abstulit : ut ipse dives in cœli sede appareat, qui in terra nihil penitus procurat. Cavendum ergo pauperibus est, ne dum per

[1] Albas, *erigatur gloria.*

[1] Editi, *et interim a regni*, etc. Ms. Corb., *ab imimis regni*, etc.

egestatem et necessitatem terrenum regnum perdunt, per mentis etiam imprudentiam cœlorum regna amittant. Cum enim Dei dispensatione paupertatem necessariam acceperint, in ipsorum arbitrio pendet, utrum pauperes spiritu sint. Non enim quibuscunque pauperibus cœli regna promittuntur, sed his tantummodo in quibus divitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper etenim humilis, pauper spiritu appellatur; qui cum egenus foris cernatur, nunquam in superbiam elevatur: quoniam ad appetenda regna cœlorum plus valet mentis humilitas, quam præsentium divitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene divitias possessas habent, possunt pauperes spiritu appellari; superbos autem nihil habentes, haud dubium est beatitudine paupertatis privari. De quibus utrisque sancta Scriptura ita loquitur: *Est quasi dives, cum nihil habeat, et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit* (*Prov.* XIII, 7). Quasi pauper ergo in multis divitiis, est dives humilis spiritu: et nihil habens quasi dives, est pauper superbus mentis affectu. Nobilis ergo inopia est mentis humilitas, et ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. Providendum ergo pauperibus est, ut semetipsos quales sint intelligant: et quia rebus consequi quod cupiunt non valent, mentis tumore superbire desinant.

GRADUS IX. *Rex iniquus. Justitia regis. Ex rege injusto quot mala. Ex justo rege quot bona.* Nonus abusionis gradus est, rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet: nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, si iniqui [1] sint, non corrigit? Quoniam in justitia regis exaltatur solium, et in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est, neminem injuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum et proximum suum judicare, advenis et pupillis et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et pejerantes vivere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum et hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus non elevari animo, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. *Væ enim terræ cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* X, 16). Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, et regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerat. Idcirco enim pax populorum sæpe rumpitur, offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, et servitia populorum præpediuntur, multi et varii dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum et liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiæ armentorum et pecorum greges dilacerant, tempestates veris et hiemis [2] terrarum fecunditatem et maris ministeria prohibent, et aliquando fulminum ictus segetes et arborum flores et pampinos quosque exurunt. Super omnia vero regis injustitia non solum præsentis imperii faciem offuscat, sed etiam filios suos et nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis, regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum ejus dispersit (III *Reg.* XI, 31), et propter justitiam David regis, lucernam de semine ejus semper in Jerusalem reliquit. Ecce quantum justitia regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. Pax populorum est, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit.

GRADUS X. *Episcopus negligens. Quid episcopus debeat gregi. Quid sibi.* Decimus gradus abusionis est, episcopus negligens: qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur (II *Cor.* V, 20), non custodit. Primo namque ab episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquirendum; quoniam cum Episcopus græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponatur, et quid a speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquiens: *Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, et tu non annuntiaveris ut revertatur impius a via sua, ipse quidem impius ab iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris, et ille non fuerit reversus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 17-19). Decet ergo episcopum qui omnium speculator positus est, peccata diligenter attendere: et postquam attenderit, sermone si potuerit et actu corrigere; si non potuerit, juxta Evangelii regulam scelerum operarios declinare. *Si enim*, inquit in Evangelio Dominus, *peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Si illos non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 15-17). Tali ordine expellendus est, quicumque doctori vel episcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore vel episcopo non debet recipi. De sacerdote namque in lege scribitur: *Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem* (*Levit.* XXI, 7). Qui ergo illum excommunicatum a catholico, illo non permittente, sibi jungit, jura sacerdotii sancti, quod Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione episcopum ad eos quibus in speculatione positus est, esse oportet. Cæterum vero qualis in semetipso esse debeat, Paulus apostolus exponit, ut ad gradum episcopi veniens sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, proferens doctrinæ fidelem sermonem, ante episcopatum non plures habens uxores quam unam; non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus (I *Tim.* III, 2-4): ut per hæc ipse ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ. Caveant ergo negligentes episcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per prophetam conqueritur dicens, *Pastores mei* [1] *demoliti sunt populum meum; et non pascebant gregem meum pastores, sed pascebant semetipsos* (*Ezech.* XXXIV, 8): sed potius procurent hi, quos constituit Dominus super familiam suam dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici (*Luc.* XII, 42), puram scilicet et probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire, *Euge serve*

[1] Jonas Aurel. totum hunc Gradum tanquam ex Cypriano inserens, de Institutione regia, cap. 3, legit, *ne iniqui*.
[2] Alias, *aeris et hemisphæria turbat terrarum*, etc.

[1] Ms. Corb., *multi*. Apud Cyp., *multi*.

bone et fidelis : quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv, 23).

GRADUS XI. *Plebs sine disciplina. Disciplina quid.* Undecimus abusionis gradus est, plebs sine disciplina; quæ cum disciplinæ exercitationibus non servit, communi se perditionis laqueo constringit; iram enim Domini absque disciplinæ rigore non evadit. Atque idcirco Psalmistæ vocibus indisciplinatæ plebi prædicatur, *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus* (*Psal.* II, 12). Disciplina vero est morum ordinata correctio, et majorum præcedentium regularum observatio : de qua disciplina Paulus apostolus ita loquitur, dicens : *In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus. Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti estis omnes, ergo adulteri et non filii estis* (*Hebr.* XII, 7, 8). Qui ergo adulteri sunt, sine disciplina sunt, et cœlestis regni hæreditatem non capiunt : si filii autem paternæ disciplinæ correctionem ferunt, et hæreditatem quandoque recipere posse non desperant. De qua etiam disciplina Isaias indisciplinatæ plebi prædicat, dicens : *Quiescite agere perverse, discite bene facere* (*Isai.* I, 16, 17). Et ad eamdem Psalmista consona voce psallit dicens : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15). Infelix ergo est qui abjicit disciplinam : audet enim extra milites aliquid, qui Dominum crucifigentes non ejus sciderunt tunicam, qui Ecclesiæ Christi scindit disciplinam. Sicut enim tunica totum corpus præter caput tegitur; ita disciplina omnis Ecclesia præter Christum, qui Ecclesiæ caput est, et sub disciplina non est, protegitur et ornatur. Ipsa enim tunica contexta desuper fuerat per totum (*Joan.* XIX, 24, 25); quia eadem disciplina Ecclesiæ a Domino de cœlo tribuitur et integratur. De qua Dominus cum ad Patrem ascendisset postquam resurrexit a mortuis, ad Apostolos suos loquebatur dicens, *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). Tunica ergo corporis Christi, disciplina Ecclesiæ est : qui autem extra disciplinam est, alienus est a corpore Christi. *Non scindamus igitur illam, sed sortiamur de illa cujus sit* (*Joan.* XIX, 24) : id est, non solvamus quidquam de mandatis Domini, sed unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Dominum.

GRADUS XII. *Populus sine lege.* Duodecimus abusionis gradus est, populus sine lege : qui dum Dei dicta, et legum scita contemnit, per diversas errorum vias prævaricationis laqueum incurrit. De quibus viis sub persona prævaricatoris populi humanum genus propheta ita deplangit : *Nos autem sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* (*Isai.* LIII, 6) : de quibus viis etiam Sapientia loquitur per Salomonem, *Multæ viæ videntur hominibus rectæ, et novissima earum deducunt ad mortem* (*Prov.* XIV, 12). Quæ utique multæ perditionis viæ tunc incedunlur, cum una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad sinistram declinat, per negligentiam deseritur. De qua via Dominus Jesus Christus, qui est finis legis ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4), denuntiat : *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Ad quam viam omnes homines communiter invitat dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* XI, 28). *Quia non est personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* II, 11) : ubi non est Judæus et Græcus, masculus et femina, servus et liber, Barbarus et Scytha; sed omnia in omnibus Christus : omnes enim unum sunt in Christo Jesu (*Galat.* III, 28). Dum ergo Christus finis est legis (*Rom.* X, 4), qui sine lege sunt, sine Christo fiunt : igitur populus sine lege, populus sine Christo est. Abusivum ergo est in temporibus Evangelii populum sine lege fieri, quando Apostolis in cunctas gentes licentia prædicationis data est (*Matth.* XXVIII, 19), quando tonitruum Evangelii per cunctas sæculi partes intonuit; quando gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam (*Rom.* IX, 30); quando qui longe fuerant, facti sunt prope in sanguine Christi (*Ephes.* II, 13); qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Christo (*Rom.* IX, 25) : quando est tempus acceptabile et dies salutis (II *Cor.* VI, 2) et tempora refrigerii in conspectu Altissimi; quando unaquæque gens habet testem resurrectionis, quando ipse Dominus protestatur, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Non fiamus ergo sine Christo in hoc tempore transitorio; ne sine nobis Christus esse incipiat in futuro.

ADMONITIO IN TRACTATUM SUBSEQUENTEM.

Locum hic suum, quem ex instituto per nos ordine initio Appendicis postulat, non totum occupabit opus illud, quod Hieronymus Vignierius in parte Supplementi primam transtulerat, hoc titulo prænotatum : « Tractatus de septem Vitiis et septem Donis Spiritus sancti : » incipiens, « Septem sunt vitia principalia. » Id a Vignierio repertum est inter sanctorum patrum monimenta impressa Parisiis, anno 1654, cura Gulielmi Camerarii, Scoti, et congregatione Oratorii presbyteri, qui Augustino, non ab antiquis codicibus, sed tantum a multis viris doctis tribui dicit. Verum habetur hoc ipsum apud Hugonem Victorinum in libro Allegoriarum in Matthæum secundo, cap 5. Eidem Allegoriarum libro, cap 19, insertum etiam est opusculum aliud de Donis Spiritus sancti, hoc exordio : « Scriptum est, *Si enim vos cum sitis mali*, » etc, quod ejusdem Camerarii auctoritate, pro Augustini Sermone dederat Vignierius in eadem Supplementi parte, non longe ante dictum tractatum de septem Vitiis. Huic porro tractatui conjunctum recte esset istud opusculum, quod et summam habet cum illo affinitatem, et confert nonnihil ad ejus integritatem. Opusculo enim sejuncto imperfectus videtur tractatus, aut titulo saltem per Vignierium præfixo, qua parte de Donis Spiritus sancti inscribitur, haudquaquam respondens. Cæterum aptior est apud Hugonem inscriptio tractatus in hunc modum : « De quinque Peccatis mortalibus, contra quæ valent orationis dominicæ petitiones ; » cum nihil aliud sit nisi quædam dominicæ orationis septemque ejus petitionum adversus septem vitia expositio. Hugoni porro suus iste tractatus maneat, multis, si res posceret, argumentis ipsi asserendus. Confer, si lubet, librum ipsius 2 de Sacramentis, part 13, cap. 1, et Summæ sententiarum tractatum 3, cap. 16, ubi eadem plane ratione septem vitia descripta reperies. Iisdem quoque verbis hic definitum in genere vitium, atque in libro ejus [illegible] primo. Quid sit Dei nomen, expositum non secus ac in alio tractatu Hugonis super *Magnificat* : [illegible] Dei benevolentia initio prædicationis similia cum hoc libello habet tractatus ejusdem de Modo orandi. Postremus tractatus, quem scripsit de quinque Septenis, sive Septenariis, editus in citato libro 2 Allegoriarum, cap. 1[illegible], auctorem plane eumdem cum tractatu de septem Vitiis refert

TRACTATUS

DE SEPTEM VITIIS ET SEPTEM DONIS

SPIRITUS SANCTI.

Vitium quid, et quando culpa. Quotuplex et cujusque definitio.

Septem sunt vitia principalia, quæ rationalem naturam inficiunt, et ejus integritatem quasi quodam commixtionis fermento corrumpunt. (*a*) Vitium autem est corruptio naturalis affectus præter ordinem, et extra mensuram. (*b*) Hoc vero cum per consensum recipitur, peccatum est; sentire autem solum sine consensu, pœna est et non culpa. Sane in non regeneratis vitium omnino excusationem non habet, ubi etsi consensus non sequitur, solum hoc damnationi debitum est, quod præter rationem movetur; propter quod ait Apostolus, *Jam nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu* (*Rom.* VIII, 1). (*c*) Primum vitium est, superbia: secundum, invidia: tertium, ira: quartum, acedia: quintum, avaritia: sextum, gula: septimum, luxuria. Superbia est amor propriæ excellentiæ. Invidia est livor felicitatis alienæ. Ira est irrationabilis perturbatio mentis. Acedia est fastidium interni boni. Avaritia est immoderata habendi cupiditas. Gula est nimius edendi appetitus. Luxuria est immoderatum desiderium explendæ libidinis. Hæc ergo sunt vitia septem, de quibus universa rationalis animæ corruptio manat: omne enim quod integritatem corrumpit, vitium est. Sed est alia integritas, etc.

CASTIGATIONES ET VARIÆ LECTIONES IN EUMDEM TRACTATUM.

Editio Hugonis antiquior Parisiensis anni 1526, apud Badium, tom. 1, fol. 206, c, Allegoriarum in Matthæum cap. 3, *Corruptus vero amor per concupiscentiam animæ turpitudo est.* Vignierius in Supplemento, *Corruptus vero amor per concupiscentiam tollit sanitatem. Claritas enim cognitionis quasi quædam animæ pulchritudo est: sinceritas vero*, etc.

Ibid. e, cap. 4, *cætera vero obsequentia vitia.* Lege ex Vignerio, *subsequentia vitia.*

Ibid. h, post, *simul vero omnia blasphemant;* Vignierius addit, *Dominum;* et mox habet, *summum bonum*, ubi Hugo, *bonum suum.*

Fol. 207, l, cap. 5, post, *propter hoc Dei Filius*, addendum, *qui;* et mox, *non rationabilis esse potuisset:* legendum, *rationabilis esse non potuisset.* Et paulo post, *quod inordinatus est*, *vitium est;* pro, *quod inordinatum est*, *vitium esse.*

Ibid. m, cap. 6, *septem antidota specialia*, Vignerius, *spiritualia;* forte minus bene. Deinde, *quæ tamen:* forte legendum, *quæ tantum.*

Ibid. n, *ut sequatur largitio ejus quod voluntas requirit.* Vignierius, *ut subsequatur largitio*, *ut quod voluntate perdidit*, *voluntate requirat.*

Ibid. addendum, *Adveniat regnum tuum. Contra iram opponitur tertia petitio;* post voces, *secunda petitio.*

Ibid. o, cap. 7, *quasi captatio benevolentiæ:* et infra, *hæc pro commendatione captationis benevolentiæ.* Vignierius non legit vocem, *benevolentiæ;* quam Hugo reticere solet, ut videre est lib. de Modo orandi, capp. 2 et 3.

Ibid. pro, *a prælatis*, corrigendum, *appellans.*

Ibid.: *Illic namque quærenda sunt.* Apud Vignierium, *Illic namque quærenda est hæreditas.*

Ibid. r, *honorem Dei præponimus.* Apud Vignierium, *honorem tuum præponimus:* et mox, *tibi et tua*, ubi apud Hugonem, *tibi et Dei.*

208, t, cap. 8, post, *aurem tuam*, Vignierius repetit verbum, *audi.*

Ibid., *bonus ad tantum bonum.* Vignierius, *bonus ad summum bonum.*

Ibid. u: *Non te deinceps de ignavia excusare;* corrigendum, *de ignorantia.*

Ibid. x, post, *affectum malignitatis tuæ*, addit Vignierius, *non defectum infirmitatis tuæ.*

Ibid. z, cap. 9: *ut nos per humilitatem superiori subjiciamus*, Vignierius, *subjiciamus.*

209, b, cap. 10, *orandum ut in cœlo.* Vignierius, *orandum est*, etc.

Ibid. c, *ut in eis voluntas tua fiat, imitentur illos*, etc., locus intricatus; apud Vignierium intricatior sic: *ut in eis voluntas Dei fiat, et præcedant corde quo secuturi sunt et corpore, nec imitentur illos qui adhuc animo terræ inhærent et terra sunt.* Sic corrigendus videtur: *ut in eis voluntas Dei fit, et præcedant corde.... sic imitentur illos qui adhuc*, et cætera ut apud Vignierium.

Ibid., *aut potestate tua corrigemur.* Apud Vignierium, *constringemur.*

Ibid. e, cap. 11, *pasce habitatores.* Addit Vignierius, *tuos.*

Ibid. f, *et nos amplius non colligimus nisi quanto uti.* Melius Vignierius, *et non amplius; non colligimus nisi quantum uti.*

Ibid., *sine scientia excedat.* Forte legendum, *accedat.*

Ibid. g, *intus habes panem* Vignierius omittit, *habes.*

Ibid., *ipsa est esuriens.* Vignierius, *ipsa enim est*, etc.

Ibid. h: *Hic est* (Vignierius addit, *dies*) *hodiernus quando.* Vignierius habet, *hodiernus in quo:* et mox, *ad desiderium boni excitatur;* cum vox, *boni*, apud Hugonem desideretur.

210, k, *da nobis hodie*, *da:* legendum cum Vignierio, *da nobis hodie. Hodie da*

Ibid. l, cap. 12, *qui tam fideliter conditionem proponit.* Melius Vignierius, *qui tam fidenter*, etc.

Ibid., *sentimus bonam* (Vignierius addit, *esse*) *misericordiam.*

Ibid. m, *virtutis præstes affectum.* Legendum cum Vignierio, *effectum.*

Ibid. n, *nobis congratuito.* Vignierius, *nobiscum gratum.* Forte, *nobiscum gratuito.*

Ibid., *nos viscera* (*misericordiæ tuæ*, omittit Vignierius) *affluentia*, (addit vero, *bonitate*) *consid.* Forte singula hæc verba retinenda.

Ibid., *tuo juri cedere.* Vignierius, *jure.*

Ibid. p, *ut tamen eos puniamus.* Vignierius, *ut non eos puniamus.*

Ibid. r, cap. 13, *non tam tentatio quam oppressio* (*est*, omittit Vignierius) *si prævalet.* Addit deinde, *aut si non prævalet.*

Ibid. s, *cum propter id quod.* Vignierius, *cum per id quod.*

211, t, *itaque tentat* (Vignierius addit, *hoc*) *vitium.*

Ibid. y, cap. 14, *nec possumus exire.* Vignierius, *erui.*

Ibid., *Ecce* (Vignierius addit, *nos*) *soli sine te.* Deinde inserto puncto, *facti sumus*, etc.

Ibid., *et non est sicut cætera mala.* Abundat, *est.*

Ibid. y, z, *pestiferæ dilectionis* (Vignierius, *delectationis*) *persuasione.*

Ibid. z, *æstimare forte poterat.* Vignierius, *existimare.*

Ibid., *quod jam non potest celari.* Vignierius, *hoc jam*, etc.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

IN ILLUD LUCÆ: *Si enim vos cum sitis mali*, (*Luc.* XI, 13), etc.

Scriptum est: *Si enim vos cum sitis mali, nostis bona data; dare filiis vestris* (*Ibid.*), *quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Ergo spiritum dabit Pater cœlestis filiis suis petentibus se. Qui enim filii sunt, non aliud quærunt: qui aliud quærunt, mercenarii sunt, servi non filii. Qui argentum quærunt, qui aurum quærunt, qui transitoria quærunt, qui terrena [1] quærunt, quærunt ministerium servitutis, non spiritum libertatis. Quod quæritur, datur. Si quæris corporalia, non plus quam

(*a*) Ita Hugo Vict., lib. 1 Miscellan., tit. 34.

(*b*) Idem sic lib. 2 de Sacram., p. 13, cap. 1.

(*c*) Ita recenset et definit Hugo loco mox citato et Summæ Sent. tract. 3.

[1] Apud Hugonem, *non æterna.*

quaeris accipis. Si quaeris spiritualia, quod quaeris datur, et quod non quaeris adjicitur; spiritualia dantur, corporalia [1] adjiciuntur: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Igitur Patrem rogaturus, etc.

CASTIGATIONES ET VARIAE LECTIONES IN EUMDEM TRACTATUM.

Editio Hugonis Ba[illegible] Parisiensis, tom. 1, fol. 215, o, *potentibus se*. Vignierius addit, *[illegible]*, etc.

Ibid. p, *quia plus est*. Forte legendum, *quia [illegible] est*.

[1] Apud Hugonem, *carnalia*.

Ibid. q, inter verba, *corruptionem, elationem et sanitatem*, *humilitatem*, Vignierius inserit, *id est*.

Ibid., *et [illegible] dona*. Vignierius omittit, *dona*.

214. r, *ipse* (Vignierius *est*) *pietas*.

Ibid. s, *[illegible] propter te*. Melius Vignierius, *pro te*.

Ibid., *poenam non habet*. Vignierius, *pacem non habet*. [illegible].

Ibid., *ita* (Vignierius, *autem*) *ex eo quod contrarium*, etc.

Ibid. t, *quia non respiciebas*. Vignierius, *quia non [illegible]*.

Ibid. u, *saltem in [illegible]*. Apud Vignierium, *in retributione*; et mox, *[illegible]*, loco, *[illegible]*.

Ibid. *aliud est quod [illegible]*. Vignierius, *aliud est ad quod [illegible]*.

Ibid. v, forte legendum, *non in hoc malum quod liberet: malum, iniquum, non malum*.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Liber de Conflictu vitiorum et virtutum scriptoribus quatuor nobilissimis attributus est. Augustino primum in omnibus Operum illius editionibus; Leoni deinde in ejus editione Parisiensi anni 1614; postea Ambrosio in Romana editione anni 1585, in qua scriptus ad Simplicianum praenotatur; et demum Isidoro Hispalensi in editione anni 1599, apud Madritum, et in altera apud Parisios procurante Jacobo Dubreul Germanensis nostri coenobii monacho, anno 1601 excusa. Decepit Breulium Sigebertus Gemblacensis in libro de Viris illustribus, deceptus ipse falsa veterum aliquot inscriptione codicum, qui nomen Isidori habere dicuntur. Porro inspecti a nobis codices Mss. aut Ambrosio assignant, aut Augustino, aut Leoni; et nomine Augustini citat Gratianus 2, quaest. 22, cap. *Nec artifici so*. Auctorem nos credimus Ambrosium, non illum quidem supra laudatum Mediolanensem episcopum, sed Autpertum monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento abbatem, cui etiam Ambrosio praenomen fuit. Testatur scriptor ejus Vitae, quae in saeculo tertio Benedictino, parte 2, ad annum Christi 778, exstat, compositum ab ipso librum de Conflictu vitiorum. Atqui liber subsequens multam affinitatem cum Ambrosii Autperti opere in Apocalypsim habet, ac virum plane sapit monasticae vitae sectatorem, et propter monachos maxime scribentem, veluti ubi ait, cap. 16: *Si igitur saecularibus viris ita est perniciosa cupiditatis industria, quanto magis illis periculosior, qui habitu et conversatione jam saeculares esse desierunt, qui totum quod vivunt Domino devoverunt?* Et cap. 18: *Si cuncta quae tibi praelatus servanda commisit, illibata consignas, et ne modicum quid reservandum existimas*, etc.; quia postremo verba, aliaque multa de stabilitate, cap. 14, de taciturnitate, cap. 22, etc. ex S. Benedicti praeceptionibus usurpata videntur. Nec ad rem confirmandam addimus disertis verbis commendari Benedictinam regulam in fine libri: praesertim quod liber apud Ambrosium et Isidorum editus, necnon in Mss. quibusdam et in editione Erasmeana, etc., careat capitibus duobus postremis, et ad haec verba capitis 26 desinat: *Tu autem, homo Dei, vigilanti studio attende quae dico*, addita plerumque clausula, *ipso adjuvante qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen*. Recognitus est liber ad Mss. Germanensem, Corbeiensem, Lyrensem, Victorinum, etc.

DE CONFLICTU VITIORUM ET VIRTUTUM

Liber unus.

CAPUT PRIMUM. *Persecutionem etiam nunc nos pati necesse est*. Apostolica vox clamat per orbem, atque in procinctu fidei positis, ne se indefensos putent, dicit, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur* (II *Tim.* III, 12). Sed quia Christianitas in suis principibus jam requiescit, numquid fidelis est, desunt pie viventibus in Christo Jesu vincula, verbera, flagra, carceres, equulei, cruces, et si qua sunt diversorum genera tormentorum; quomodo ergo verum erit quod per Apostolum sonuit, ut omnes pie viventes persecutionem patiantur? An forte pro eo quod nemo vult pie vivere in Christo Jesu, et ideo desunt ista? Quis hoc vel desipiens dixerit? Ex his ergo Apostoli sententia non specialis quaerenda, sed generalis omnium persecutio debet intelligi. Et quidem sunt multi intra sinum matris Ecclesiae constituti, qui pie viventes in Christo contumeliis afficiunt, opprobriis, injuriis illos lacessunt; istane est illa generalis persecutio, quam Apostolus omnes pie viventes pati descripsit? Non facile dixerim, cum sint quidam religiosi, quibus nemo pravorum audeat in faciem derogare. Alia ergo intelligenda est, quae immanior et magis noxia est, quam non mortalis [1] intorquet severitas, sed vitiorum gignit adversitas. Dum enim contra humilitatem superbia, contra Domini timorem inanis gloria, contra veram religionem simulatio, contra subjectionem pugnae contemptus, contra fraternam congratulationem invidia, contra dilectionem odium, contra libertatem justae correptionis detractio, contra patientiam ira, contra mansuetudinem protervia, contra satisfactionem tumor, contra spirituale gaudium saecularis vita, contra virtutis exercitium torpor vel ignavia, contra firmam stabilitatem dissoluta vagatio, contra spei

[1] Mss., *materialis*.

fiduciam desperatio, contra mundi contemptum cupiditas, contra misericordiam duritia cordis, contra innocentiam fraus et furtum, contra veritatem falsitas atque mendacium, contra ciborum parcimoniam ventris ingluvies, contra moderatum mœrorem inepta lætitia, contra discretam taciturnitatem multiloquium, contra carnis integritatem immunditia atque luxuria, contra cordis munditiam spiritualis fornicatio, contra amorem patriæ cœlestis appetitus sæculi præsentis opponens [1] semet immergit, quid aliud quam crudelis piè viventium persecutio adversus conglobatas virtutum acies desævit? O quam durus, o quam amarus est superbiæ congressus, quæ angelos de cœlo projecit, homines de paradiso exterminavit [2], cujus exercitus atque armorum conflictus vitia sunt, quæ breviter comprehensa tetigimus! Sed videamus quemadmodum castra cœli et inferni dimicent, arma Christi et diaboli collisa [3] decertent.

CAPUT II. *Intentio recta.* Superbia namque dicit, Certe multis, imo etiam pene omnibus melior es, verbo, scientia, divitiis, honoribus, et cunctis quæ vel carnalibus vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis temetipsum superiorem attende. Sed humilitas vera respondet, Memento quia pulvis es (*Gen.* III, 19), quia cinis es, quia putredo et vermis es, quique si aliquid es, nisi tanto te humilies quanto magnus es (*Eccli.* III, 20), perdis omnino quod es. Numquid tu altior es quam primus angelus? numquid tu splendidior in terra, quam Lucifer in cœlo? Quod si ille de tanta sublimitate per superbiam cecidit; quomodo tu ad tantam celsitudinem superbiens de imis conscendes, qui illa, quamdiu hic vivis, conditione teneris, de qua per quemdam sapientem dicitur, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15)? Quam densissimis putamus in terra superbiæ tenebris lutum involvi, si potuit in cœlo stella quæ mane oriebatur lucis suæ globos amittere (*Isai.* XIV, 12)? Audi ergo potius Lucem veritatis dicentem, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII, 12). In quo autem esset sequenda, alibi præmonuit, dicens, *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 29). Audi, tumor superbiæ, audi dicentem adhuc humilitatis magistrum: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Et illud, *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos* (*Isai.* LXVI, 2)? Audi quid etiam de illo Apostolus dicat, qui te ad hæc sectanda invitat. Ait enim, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6, 8). Si igitur tanta humilitate se deprimit divina majestas, superbire in aliquo debet humana fragilitas?

CAPUT III. *Idem tractatur argumentum.* Inanis gloria dicit, Age bonum quod vales, ostende cunctis bonum quod agis; ut bonus a cunctis dicaris, ut sanctus et venerabilis ab omnibus prædiceris, ut Dei electus voceris, ut nemo te contemnat, nemo te despiciat, sed universi debitum tibi honorem persolvant. Sed Domini timor respondet: Si boni aliquid agis, non pro transitoriis, sed pro æternis honoribus age. Occulta quod agis in quantum vales. Quod si ex toto non vales, sit in animo occultandi voluntas, et non erit de ostentatione ulla temeritas: nec criminis erit aliquando manifestare, quod semper vis celatum habere. Sic denique duas Redemptoris sententias, sibique quasi contrarias videberis adimplesse, quibus dicitur, *Faciente te eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI, 3, 4); et, *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Id.* V, 16). Cave prorsus ne tibi [1] illa sententia conveniat quæ de hypocritis dicitur, *Omnia opera sua faciunt ut beatificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam* [2] (*Id.* VI, 2). Attende tibi in cunctis quæ agis, ne elatione pulsatus cum his qui de miraculorum signis gloriabantur audias, *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18). *Timor Domini gloria et gloriatio, et lætitia, et corona exsultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. Timor Domini scientiæ religiositas, et religiositas custodiet et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. Plenitudo scientiæ timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. Corona sapientiæ timor Domini. Radix sapientiæ est timere Deum: rami enim illius longævi* [3] (*Eccli.* I, 11-15, 17, 18, 20, 22, 25).

CAPUT IV. *Obedientia eo homini debita, quo Deo.* Simulatio veræ religionis dicit, Quia nihil boni in abscondito facis, ne a cunctis cognitus detesteris, finge te foris esse quod intus non appetis. Sed religio vera respondet: imo magis satage esse quod non es: nam ostendere hominibus quod nos es, quid aliud quam damnatio est? Memor esto itaque quod dicitur: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis; ut fiat et id quod foris est mundum.* Itemque illud quod inculcando repetitur: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia: sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*Matth.* XXIII, 25-28). Necnon et illud quod de talibus scriptum legitur: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Id.* VII, 15).

CAPUT V. *Idem tractatur argumentum.* Inobedientia dicit, Quis es tu, ut pejoribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas? Te magis quam illos decuerat imperare, qui tibi non possunt ingenio vel industria coæquari. Obtempera igitur magis Domini imperio, et non sit tibi cura de aliquo. Sed beata subjectio respondet, Si Domini obtemperandum est imperio, humano subdi necesse est magisterio. Ipse enim dicit, *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Ita, inquis, oportet; sed si talis qui imperat esset qualis debet esse [4]: non est talis per quem Deus imperet. Sed Apostolus contra: *Non est potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt* [5]. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII, 1, 2). Quales enim esse debeant hi qui imperant, non est a subditis discutiendum. Et quidem primis Ecclesiæ pastoribus Dominus dicit, *Scitis quia reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem exercent inter eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui vult in vobis esse major, erit omnium servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro multis redemptionem* (*Matth.* XX, 25, 26, 28). Sed tamen quia non omnes tales futuros prævidit, subjectorum om-

[1] Mss. plures, *oppugnans*.
[2] Mss. plerique, *minavit*. Apud Ambrosium et Isidorum, *eliminavit*.
[3] Ms. unus, *consilia*.

[1] Mss., *te*.
[2] Editi addunt, *ab hominibus laudes quas amaverunt*. Apud Ambrosium, *hoc est, laudes tantum ab hominibus quas amaverunt*.
[3] Hæc, *Timor Domini..... longævi*, absunt a Mss., nec in his consentiunt editi codices Ambrosii et Isidori.
[4] Hæc verba, *qualis debet esse*, nec sunt in Mss. nec apud Isidorum.
[5] Mss. duo, uti apud Vulgatam, *ordinatæ sunt*.

nium personas in discipulis assumens præmonuit, dicens, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæ dicunt vobis, facite : quæ autem faciunt, facere nolite. Imponunt enim in humeros hominum onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere* (*Matth.* XXIII, 2-4).

CAPUT VI. *Homo amandus, etsi habeas non amanda.* Invidia dicit, In quo illo vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis vel superior non es? Quanta vales quæ ipse non valent? Non ergo tibi aut superiores aut etiam æquales esse debent. Sed congratulatio fraterni profectus respondet, Si cæteros virtutibus antecellis, tutius in loco infimo quam in summo temetipsum conservas. Semper enim de alto pejor fit ruina. Quod si tibi, ut asseris, quidam superiores vel æquales sunt, quid te lædit, quid te nocet? Cave prorsus ne dum aliis locum celsitudinis invides, illum imiteris de quo scriptum retines, *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius* (*Sap.* II, 24, 25).

CAPUT VII. *Idem tractatur argumentum.* Odium dicit, Absit ut illum ames quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi insultat, qui te conviciis exasperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis, operibus atque honoribus semper præire festinat : nisi enim tibi invideret, nequaquam se tibi ita præferret. Sed vera charitas respondet, Numquid quia quæ narras, odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine? Sicut Christus, qui in cruce positus inimicos suos dilexit, ante crucis tormentum admonuit, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* (*Matth.* V, 44, 45). Et sicut per Salomonem et Apostolum dicitur : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus* (*Prov.* XXV, 21; *Rom.* XII, 20). Cui sententiæ idem apostolus ex proprio subjunxit, dicens, *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII, 21). Quo contra de his qui fratres odisse noscuntur, per Joannem dicitur, *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Et rursum : *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et in tenebris est usque adhuc, et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus* (I *Joan.* III, 15; II, 11). At inquis, Sufficit mihi quod amantes me diligo. Sed Dominus e contra, *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt* (*Matth.* V, 46)? Quid tu quoque ad hæc objicere vales? Certe qui odit fratrem suum, manet in morte : et qui diligit, in Deo manet, et Deus in eo (I *Joan.* IV, 16). Omnem ergo amaritudinem fellis evome, et quoquo pacto valueris, charitatis dulcedinem sume. Nihil enim suavius, nihil illa beatius. *Deus*, inquit Joannes, *charitas est* (*Ibid.*, 8). Et egregius [1] Prædicator, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Unde nec immerito delictorum facinora tegere dicitur, sicut scriptum est : *Universa delicta operit charitas* (*Prov.* X, 12).

CAPUT VIII. *Mala proximi corripienda. Sed discrete.* Detractio dicit, Quis potest sustinere, quis silentio tegere, quanta ille vel ille prava committit, nisi forte qui consentit? Sed libertas justæ correptionis respondet, Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda; sed charitate fraterna in faciem proximus est redarguendus, non autem occulte detrahendus. Quod si objicitur, ideirco fratrem coram oculis increpare nolle, ne exasperatus non correptione proficiat, sed magis ex correptione scandalum sumat : occurrit Scriptura divina, et versa vice hoc magis scandalum esse denuntiat, dicens, *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Magis enim scandalum sumit, qui se detrahentem intelligit, quam qui corripientem sustinet. Et quia nonnunquam errata delinquentium ad tempus silentio tegenda sunt, ut aptiori tempore corrigantur : propterea subjungitur, *Hæc fecisti, et tacui.* Ne autem ex hoc discreto silentio detractores sibi applauderent, qui dum semper occulte derogare malunt, nunquam in apertam increpationem prosiliunt : adhuc subinfertur, *Existimasti inique quod ero tui similis :* ac si diceretur, Iniquum est cogitare, ut inde detractori similis appaream; unde ad tempus reticens nec derogans, locum aperte correptionis exspecto. Unde et protinus subditur, *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 20, 21) : veluti diceretur, Non in occulto, ut est tua consuetudo, sed in aperto, ut est mea sollicitudo, aptum corripiendi tempus exspectans, peccatorem arguam, et ejus delicta contra faciem ejus statuam. At, inquis, non odio, sed amo, quem ita in absconditis dijudicans reprehendo. Imo magis hinc odis et non diligis, unde detrahis et non corripis. Quam sit autem detestanda detractio proximi, plerisque in locis eloquia divina testantur : unde est illud, *Detrahentem adversus proximum suum occulte, hunc persequebar* (*Psal.* C, 5); et illud, *Qui detrahit fratri, detrahit legi* (*Jacobi* IV, 11); illudque, *Qui detrahit fratri, eradicabitur :* necnon et illud apostoli Pauli, *Videte ne dum invicem mordetis, ab invicem consumamini* (*Galat.* V, 15).

CAPUT IX. *Oratio ne fiat læso proximo nec pacato. Modo tamen ira ejus non sit sine causa. In eos quorum est Dei injurias vindicare.* Ira dicit, Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt; hæc imo tolerare peccatum est : quia et si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Sed patientia respondet, Si passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. *Christus enim*, ut ait Petrus, *passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Ipse autem dicit, *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Matth.* X, 24; *Joan.* XV, 20). Sed quanta sunt, in comparatione passionum illius, quæ patimur? (*a*) Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemque sustinuit : et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur. Et quid agimus de eo quod dicitur, *Si non compatimur, nec conregnabimus* (II *Tim.* II, 12)? Quapropter retundendi sunt iræ stimuli, et ejus metuenda damnatio. Unde scriptum legimus : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ubi tamen remedium invenitur [1] ex eo quod subditur : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V, 22-24). Ac si aperte diceretur, Nec in corde tacitam precem effundas, nisi prius offensum proximum satisfaciendo ad lenitatis mansuetudinem perducas. Munus enim nostrum est oratio nostra, altare vero nostrum est cor. Ille autem qui hoc facere, quoties inter duos ira sine causa fuerit excitata, studuerit : præmissam damnationem nequaquam incurrit. Sed sunt multi qui petunt sibi veniam delicta non remittunt : contra quos illa Domini sententia venit, qua dicitur, *Si non remiseritis hominibus peccata eorum* [2], *nec Pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra* (*Id.*, VI, 15). Plura sunt, inquis, quæ committit [3], et me sæpius offendit. Ad hæc non ego, sed Dominus respondet. Nam cum Petrus ad eum diceret,

[1] Editi addunt, *Paulus*; renitentibus omnibus Mss.

[1] In editis et apud Ambrosium, *innuitur*.
[2] In solis editis hic additur, *de cordibus vestris*.
[3] Alias, *commisit*.
(*a*) Sic Autpertus, libro I in Apoc. cap. 7,

Quoties peccabit in me frater meus, dimittam illi? usque septies? Et ille ad eum, *Non dico tibi*, inquit, *usque septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII, 21, 22). Quam multi autem sunt qui suas injurias tarde relaxant, Dei vero citius indulgent : fitque nonnunquam ut occasione Domini injurias vindicandi, suas vindicent irati. Quid quoque de illis dicendum est, qui furore excitatis usque ad verba prorumpunt maledictionis, nisi hoc quod Apostolus ait, *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* VI, 10)? Quod Jacobus exaggerando detestans ait, *Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus et Deum Patrem; in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt : ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam* (*Jacobi* III, 8-11)? Hac de causa alibi etiam dicitur, *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21).

CAPUT X. *Protervia in correptione cavenda.* Protervia dicit, Numquid stultis, numquid brutis ac insensatis animalibus lenia verba et non magis asperrima, ut tales decet, dum delinquunt, objicienda sunt? Sed mansuetudo respondet, Non tua in his persuasio, sed Apostoli sequenda est præceptio, qui de hac sententia dilectum discipulum admonet, dicens : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate* (I *Tim.* V, 1, 2). Et rursum, *Servum*, inquit, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes : docetorem*[1] *patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt* (II *Tim.* II, 24, 25). Rursumque : *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina* (*Id.* IV, 2). Quod videlicet malum protervíæ deterius adhuc subditis, quam prælatis nocet : sæpius enim contingit, ut leniter ac cum charitatis dulcedine prolatam correptionem spernant, et contra humilitatis verba despectionis emittant jacula : unde scriptum est, *Qui arguit derisorem, ipse sibi facit injuriam.* Quo contra de illo qui per increpationem proficit, dicitur, *Argue sapientem, et amabit te*[2] (*Prov.* IX, 7, 8).

CAPUT XI. *Detractioni locum non dare.* Tumor dicit, Testem habes Deum in cœlis, non sit tibi curæ quid de te suspicentur homines in terris. Sed humilis satisfactio respondet, Non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio : sed si aut sunt quæ corrigantur, manifestanda; aut certe si desunt, humili protestatione neganda : quia et Apostolus monet nullam occasionem dare diabolo maledicti gratia (I *Tim.* v, 14). Quod etiam in illis detestatus est, qui christiana fide censentes[3], in idolio ad comedendum recumbebant. Et quanquam ipsi idolum pro nihilo ducentes, immolata quasi innoxios cibos sumerent; infirmas tamen fratrum conscientias per hoc factum ad nefandos idolorum ritus trahebant (I *Cor.* VIII, 4-13).

CAPUT XII. *Tristitia duplex.* Tristitia dicit, Quid habes unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle versantur. Sed spirituale gaudium respondet, Geminam esse tristitiam novi, imo duas esse tristitias novi : unam scilicet quæ salutem, alteram vero quæ perniciem operatur; unam quæ ad pœnitentiam trahit, alteram quæ ad desperationem perducit. Tu quidem una ex illis esse cognosceris, sed omnino quæ mortem operaris. Non est igitur in his contristandum quæ suades, sed e contra magis gaudendum in his quæ necdum intelligis : quia et dator gaudii perennis dixit, *Cum persecuti vos fuerint homines, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter nomen meum, gaudete in illa die, et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo* (*Matth.* V, 11, 12). Memento quia nostræ religionis Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii : quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V, 41). Nullus ergo mœroris locus esse debet, ubi tanta lætitia succedit.

CAPUT XIII. *Ignaviæ obtentus repellitur.* Torpor vel ignavia dicit, Si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris; si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis; si protelatis vigiliis psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris : si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? Sed virtutis exercitium respondet, Quid tibi ad hæc proferenda tam longa temporum proponis spatia? Numquid scis si crastina vivas? Imo etiam si vel unam horam in hac vita facias, ignoras. An forte mente excidit quod Salvator in Evangelio dicit, *Vigilate, quia nescitis diem neque horam* (*Matth.* XXV, 13)? Quapropter discute[1] corporis inertiam, semperque memento, quia regnum cœlorum non tepidi, non molles, non desides, sed violenti vimque facientes (*a*) diripiunt.

CAPUT XIV. *Instabilitatis obtentus solvitur.* Dissoluta vagatio dicit, Si Deum esse ubique credis, cur unum singulariter locum, quo tanta mala perpetrantur, custodis, et non potius ad alia transis? Sed stabilitas firma respondet, Si ita est ut asseris, quia ubique Deum esse fateris : ergo nec iste locus deserendus est, quem fugere appetis; quia et in ipso Deus est. At, inquis, meliorem inquiro, meliorem invenio. Sed respondeo : Numquid meliorem, aut etiam talem invenis, qualem diabolum et hominem perdidisse cognoscis? Memor esto itaque, quia primus angelus de cœlo ruit, et primus homo de paradiso expulsus ad ærumnam hujus sæculi pervenit (*Gen.* III, 23). Attende quia Lot exercitio malorum probatus, inter Sodomitas sanctus fuit : in monte vero securitate torpens, ebriatus cum filiabus peccavit (*Id.* XIX). Quod videlicet vagationis tædium adhuc alteram speciem reddit, dum quosdam etiam in uno loco perseverantes a spiritualibus retrahens, vel terrenis negotiis implicare, vel rebus vilissimis satagit occupare : contra dicta Apostoli perpetrans, qui ait, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (II *Tim.* II, 4); et rursum, *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite* (I *Thess.* V, 17, 18).

CAPUT XV. *Desperationis colloquia pluribus exemplis infirmantur.* Desperatio dicit, Quæ et quanta commisisti, quam gravia crimina, quam numerosa delicta, et pene in melius necdum vitam mutasti, necdum conversationem utiliter correxisti! ecce enim, ut cernis, mala semper consuetudine obligatus teneris. Conaris exsurgere, sed peccatorum oneribus prægravatus relaberis. Quid ergo agendum est, quando de præteritis certa damnatio imminet, de præsentibus emendatio nulla succurrit; nisi ut non amittantur rerum temporalium voluptates, dum consequi nequeunt futuri sæculi oblectationes? Sed spei fiducia respondet, Si de criminibus et delictis agitur, ecce David adulterio simul et homicidio reus, de inferni faucibus Domini misericordia describitur liberatus (II *Reg.* XI). Ecce Manasses omnium peccatorum nefandissimus, impurissimus ac sordidissimus, illecebrosissimus quoque et sceleratissimus, per pœnitentiam de morte ad vitam rediit (II *Paral.* XXXIII, 12). Ecce Maria Magdalene innumeris fornicationum[2] sordibus inquinata, ad fontem pietatis anxia currens, Dominique vestigia lacrymis rigans, capillis detergens, deosculans quoque et lambens, unguentoque perungens, ablui promeruit (*Luc.* VII, 37-47). Ecce Petrus negationis suæ vinculis astrictus, amarissimis lacrymis

[1] Apud Isidorum et Ambrosium, *docibilem :* et post verbum, *resistunt ;* additur, *veritati.*

[2] Hic nonnulla apud Ambrosium addita.

[3] Scilicet, idolum nihil esse. Sic melius Mss. quam editi, *christianæ fidei consentientes ;* et apud Ambrosium et Isidorum *christiano nomine censiti.*

[1] Forte, *excute;* et, ut est apud Ambrosium et Isidorum, *torporis.*

[2] Sic Mss. At editi, *peccatorum.*

infidelitatis nodos resolvit (*Luc.* XXII, 62). Ecce seditione simul et effusione fraterni sanguinis latro obnoxius, unius horæ momento, unaque confessionis voce de cruce ad paradisum transiit (*Id.* XXIII, 42). Ecce Saulus Ecclesiam Dei persequens, multos pro nomine Christi perimens, et, ut ita dixerim, martyrum cruore totum se inficiens, apostolus factus, in vas electionis est commutatus (*Act.* IX, 1-20). Ubi ergo tot tantaque præcedunt exempla, dent [1] locum desperationis mala colloquia : cum etiam scriptum sit, *In quacunque die peccator conversus ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XVIII, 21). Et rursum, *Nolo mortem impii, dicit Dominus* (*Id.* XXXIII, 11). De conversatione vero in melius nequaquam mutata, quid aliud respondeam ; nisi ut quod heri quisque non egit, agat hodie dum adhuc vivere licet? Nec differat de die in diem (*Eccli.* V, 8), dum nescit si vel unam diem correctionis habeat : semperque pro viribus desuper acceptis, pravæ consuetudini resistens, dicat mane et vespere, *Nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11).

CAPUT XVI. *Avaritiæ mala. Paupertatis votum. Avaritiæ medicina.* Cupiditas dicit, Valde sine culpa es, quod quædam habenda concupiscis : quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis, et quod male alius retinet, ipse melius expendis. Sed mundi contemptus respondet, Ista nec apud homines sæculares sine periculo vel offensione procurantur, quia quanto quisque amplius habere cœpit, tanto amplius habere concupiscit : fitque ut modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris hujus sæculi curis deservire festinat : ut enim ait Scriptura, *Avarus pecuniis non implebitur* (*Eccle.* V, 9). Quæ nimirum quam sit detestanda, Paulus indicat, dicens, *Et avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III, 5). Quam sit noxia, idem exponens ait, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem* (I *Tim.* VI, 9). Quam sit detestanda, quidam sapiens denuntiat, cum dicit, *Avaro nihil est scelestius* (*Eccli.* X, 9). Quam sit noxia, Jacobus aperit dicens, *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt : aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis* (*Jacobi* V, 1-3). Sed nec Redemptor noster præterire voluit cupiditatis malum quam noxium esset. Ait enim, *Difficile qui pecunias habent, in regnum cælorum intrabunt* (*Matth.* XIX, 23). Et rursum : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cælorum intrare* (*Marc.* X, 25). Si igitur sæcularibus viris ita est periculosa cupiditatis industria ; quanto magis illis periculosior, qui habitu et conversatione jam sæculares esse desierunt, qui totum quod vivunt, Domino esse devoverunt : ad quos specialiter Redemptoris transeunt verba, quibus destrui possit morbus avaritiæ : *Nolite*, inquit, *solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid operiamini : hæc enim omnia gentes inquirunt. Quærite autem primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 31, 33). O quam beata, o quam secura, o quam amplectenda sententia! Nullus in hac vita ita securus est, ut ille qui nihil præter Christum appetit possidere. Cuncta quæ sunt necessaria, sub hac sponsione probatur habere : sicut Paulus ditissimus pauper dicebat, *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10) : *omnia*, non utique superflua, sed tantum necessaria, ipso confirmante, ac dicente, *Habentes victum et vestitum, his contenti simus* (I *Tim.* VI, 8). Dicis forte, Ideo a sanctis religiosisque viris plura habenda sunt, ut melius ab ipsis quam a popularibus erogentur Christi pauperibus. Et ego consentio, sed prælatis, non autem subjectis. Quos maxime illud mulieris Lot exemplum deterret, quæ dum post tergum a Sodomis exiens respexit, in statuam salis conversa spiritum exhalavit (*Gen.* XIX, 26). Unde et Christus tale quid præcavendum denuntiat dicens, *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cælorum* (*Luc.* IX, 62). Hinc Petrus ait : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti ab eo quod traditum est illis sancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii, Canis reversus ad vomitum suum; et, sus lota in volutabro luti* (II *Petr.* II, 21 et 22). Qui nimirum avaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione meditatur, cum qualis post modicum in sepulcro futurus sit homo, considerat. Hoc certe fixum manebat in illius memoria, qui dicebat, *Homo putredo, et filius hominis vermis* (*Job* XXV, 6). Hoc ab illius mente non recesserat, qui dicebat, *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII, 40). Quid tunc, rogo, quid tunc divitiæ conservatæ proderunt? Audi quid [1] : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Audi quid : *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus* (*Job* I, 21 ; I *Tim.* VI, 7).

CAPUT XVII. *Adversus obdurationem.* Obduratio dicit, Si ea quæ possides egentibus tribuis ; unde subjectos absque pecunia [2] nutris? Sed misericordia respondet, Si Apostoli modum in hac parte tenueris, utraque perficere valebis. Hinc enim idem ipse ad Corinthios ait : *Si voluntas prompta est, ex hoc quod habet accepta est, non secundum quod non habet : non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate : in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas : sicut scriptum est, Qui multum habuit, non abundavit, et qui modicum, non minoravit* (II *Cor.* VIII, 12-15 ; *Exod.* XVI, 18). Hinc quidam justus prolem dilectam admonet dicens, *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem exiguum, et hoc ipsum libenter impertire* (*Tob.* IV, 9). Hinc quoque incarnata Veritas dicit, *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Audite, obdurata præcordia : *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* II, 13). Quo contra per prophetam Dominus admonet dicens, *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris* (*Isai.* LVIII, 7). Memento quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus est, quod aliena tulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit : et in inferno positus ad petenda minima pervenerit, qui hic parva negavit (*Luc.* XVI, 20-24) ; quid etiam ad sinistram positis judex cœli dicturus sit : *Ite*, inquit, *in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* ; et cætera quæ ibi terribiliter enumerantur (*Matth.* XXV, 41-45).

CAPUT XVIII. *Mendacium per tacitas restrictiones non vitatur. Nec mendacii pœna.* Furtum et fraus quanquam gradus habeant locutionis, unum est tamen quod dicunt. Furtum enim dicit, Si aliena non tollis, ex proprio vel dives vel sufficiens esse non vales. Fraus dicit, Si cuncta quæ tibi prælatus servanda commisit, illibata consignas, et nec modicum quid reservandum existimas; unde vel propriis utilitatibus consulis, vel amicis et commilitonibus places? Sed innocentia ad utraque respondet, Melius est pauperem et insufficientem esse, nullique ex dato placere, quam aliquem lædere furto vel fraude : qui enim aliena quolibet modo injuste præripit, ipse sibi regni cœlestis aditum claudit. Unde et Prædicator egregius (*a*) quosdam redarguit dicens, *Omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non*

[1] Id est, cedant : tamen apud Ambrosium, *non dent*.

[1] Hic et mox subaudi, *proderunt*.
[2] Sic nonnulli Mss. Alias, *penuria*.
(*a*) Modus loquendi Autperto usitatus.

magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Atque inter cætera subjungit, *Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* vi, 7-10).

CAPUT XIX. *Sequitur de eodem argumento.* Fallacia atque mendacium et ipsa unum dicunt: fallacia autem fit ingenio, mendacium vero simplici verbo. Fallacia igitur dicit, ut ex multis unum proferamus, cum in non dando[1] aliquem illudere quærit, Quid in petendo moras innectis? Non habeo quod tibi tribuere possim: celans utique in corde quid[2] habet, vel quod sibi conservet, vel quod aliis si voluntas inest tribuat. Mendacium dicit, Omnino quod postulas non habeo: scilicet, non artificioso ingenio, sicut fallacia, sed simplici negationis verbo frustrans poscentem. Sed veritas ad utraque respondet, Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam: quia quolibet modo mentiatur, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* i, 11). *Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure* (*Apoc.* xxi, 8).

CAPUT XX. *Ad cibos ut ad medicinam accedere.* Ventris ingluvies dicit, Ad esum Deus omnia munda condidit: et qui saturari cibo respuit, quid aliud quam muneri concesso contradicit? Sed ciborum parcimonia respondet, Unum horum quod dicis, verum est. Ne enim homo fame moreretur, omnia ad esum Deus munda creavit: sed ne comedendi mensuram excederet, abstinentiam imperavit. Nam inter cætera sua mala, saturitate maxime panis Sodoma periit, Domino attestante, qui ad Jerusalem per prophetam loquitur dicens, *Hæc est iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis* (*Ezech.* xvi, 49). Quapropter sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere: nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Hinc incarnata Veritas per Evangelium ait, *Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* xxi, 34). Quo contra de insatiabili Judæorum voracitate Apostolus dicit, *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est, et gloria in pudendis eorum, qui terrena sapiunt* (*Philipp.* iii, 18, 19). Et rursum: *Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et has destruet* (I *Cor.* vi, 13). Ille autem plene hoc vitium superat, qui in sumendis dapibus non solum parcimoniam tenet, ut scilicet refectionem semper esuriens imperet; verum etiam accuratiores simul et suaviores[3] epulas, excepta corporis infirmitate et hospitum susceptione, contemnit.

CAPUT XXI. *Lætitia non est hujus sæculi.* Inepta lætitia dicit, Utquid animi gaudium intus abscondis? Egredere in publicum lætus, dic aliquid foris unde vel tu vel proximi rideant, fac eos lætos tua lætitia. Sed moderatus mœror respondet, Unde tibi inest tanta lætitia? Numquid jam diabolum vicisti? numquid jam inferni pœnas evasisti? numquid jam de exsilio ad patriam venisti? numquid jam de tua electione securitatem accepisti? An forte in oblivionem venit quod Dominus dicit, *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* xvi, 20)? An forte memoria excessit quod idem alibi dicit, *Væ vobis qui nunc ridetis, quia plorabitis et flebitis* (*Luc.* 6, 25); quodque per Salomonem dicitur, *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* xiv, 13): et e contra per Evangelium, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5): rursumque per Salomonem, *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta* (*Eccle.* ix, 1)? Comprime ergo manem lætitiam, quia necdum evasisti pœnalem ærumnam. Nonne apud omnes insanus judicatur is, qui carceralibus tenebris reclusus gaudere conatur?

CAPUT XXII. *Cavendum a multiloquio.* Multiloquium dicit, Non ille reus tenebitur, qui plura quidem, sed bona loquitur; sed ille qui saltem rara, sed mala[1] dicere probatur. Cui discreta taciturnitas respondet, Verum est quod dicis; sed dum multa bona proferri videntur, sæpe contingit ut a bonis locutio inchoans[2], ad aliquod pravum derivetur: hoc ipsum sancta Scriptura pronuntiante quia, *In multiloquio peccatum non deerit* (*Prov.* x, 19). At forte inter innumera verba declinantur criminosa. Sed numquid declinari poterunt inutilia atque otiosa, de quibus in futurum ratio erit reddenda? Tenendus ergo est modus in loquendo, et (*a*) ab ipsis nonnunquam utilibus verbis parcendum, sicut beatus Psalmista legitur fecisse. Dicit enim, *Humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* xxxviii, 3).

CAPUT XXIII. *Contra immunditiam.* Immunditia dicit, Non est grande facinus sine concubitu maris et feminæ, vel propriis, vel alterius inquinari manibus. Sed integritas carnis respondet, Non sic ait Apostolus. Quid ergo ait? *Neque immundi*, inquit, *regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* vi, 9).

CAPUT XXIV. *Contra luxuriam.* Luxuria dicit, Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum quid te sequatur ignoras? Acceptum ergo tempus in desideriis perdere non debes: quia quam citius pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset. Sed castitas illibata respondet, Nolo ignorare te fingas, quid post hanc vitam recipias. Si enim pie et caste vixeris, sine fine gaudebis: si vero impie et luxuriose, æternis incendiis subjacebis. Inde autem castius magis vivere debes, unde quam citius tempus acceptum pertranseat ignorare te dicis. Quodque in exordio generis humani ad hoc masculum et feminam Deum creasse profiteris, ut mutuis se amplexibus miscere deberent; omnino verissime dicis. Sed quia nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est, qui virginitatem vel castimoniam vidualem nequaquam professi sunt; quibusdam autem non tribuitur, id est, qui virgines vel continentes esse decreverunt; fornicatio vero nulli impune conceditur, non attendis. An ut contemnendum putas, quod Apostolus lubricis dicit, *Fugite fornicationem, fratres: quodcumque enim peccatum fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?* Quod si hoc parvipendendum existimas, audi quod postea in sempiternum deplores et gemas: *Neque adulteri*, inquit, *neque fornicarii, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* (*Ibid.*, xviii, 9). O quam parva est concubitus hora, qua perditur vita æterna[3]! Quod ergo emolumentum affert corpori, quodve tribuit lucrum, quod tam cito ducit animam ad tartarum?

CAPUT XXV. *De munditia cordis.* Spiritualis fornicatio dicit, Numquid damnandum aliquid agit is, qui in corde libidini consentit, et ad opus concupitæ libidinis non pertransit? Sed munditia cordis respondet, Omnino delinquit, qui castimoniam animæ non custodit. Unde et auctor munditiæ in Evangelio dicit, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Quo contra (*b*) per beatum Job dicitur: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem in me haberet Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis* (*Job* xxxi, 1 *et* 2)? Nisi enim auctori nostro cogitatio pravi consensus displiceret, nequaquam per Isaiam diceret, *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* (*Isai.* i, 16); et in Evangelio Pharisæis, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* ix, 4)? Sed nec Paulus apostolus di-

[1] Ms. Regius, *cum in nocendo dare.*
[2] Ms. Corbeiensis, *quid.*
[3] Ms. Regius, *lautiores.*

[1] Ms. Regius, *ille potius qui rara et mala.*
[2] Alias, *inchoata.*
[3] Mss., *futura.*
(*a*) Congruenter regulæ Bened. cap. 6.
(*b*) Dictio Autperto usitata.

ceret, *Cogitationum, inter se invicem accusantium, aut etiam defendentium, in die qua judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum* (*Rom.* II, 15, 16).

CAPUT XXVI. *Beatæ vitæ felicitas.* Amor præsentis sæculi dicit, Quid pulchrius, quid honestius, quid venustius, quidve potest esse delectabilius, quam quod in præsenti vita quotidie cernimus? O quam mirabilis cœli camera in aere jucundo, in lumine solis, in augmento lunæ atque defectu, in varietate stellarum et cursu! quam oblectabilis terra in nemorum floribus, in fluctuum suavitatibus, in pratorum rivulorumque amœnitatibus, in segetum culmis luxuriantibus, in vinearum foliis et botrionibus[1] plenis palmitibus, in silvarum umbris et planis exitibus, in equorum et canum cursibus, in cervorum et caprearum saltibus, in accipitrum volatibus, in pavonum, columbarum, turturumque pennis et collis, in domorum pictis muris et laquearibus, in organorum omniumque musicorum tinnulis cantibus, in mulierum venustis aspectibus, earumque superciliis et crinibus, oculis et genis, gutture et labiis, naso et manibus, atque extrinsecus adhibitis auro et gemmis distinctis monilibus, et si qua sunt alia quæ modo non recolit sensus! Sed amor patriæ cœlestis respondet, Si te ista delectant quæ sub cœlo sunt, si carcer ita pulcher est; patria, civitas et domus qualis est? Si talia sunt quæ colunt peregrini; qualia sunt quæ possident filii? Si mortales et miseri in hac vita taliter sunt remunerati; immortales et beati qualiter sunt in illa vita ditati? Quapropter recedat amor præsentis sæculi, in quo nullus ita nascitur, ut non moriatur: et succedat amor futuri sæculi, in quo sic omnes vivificantur, ut deinceps non moriantur: ubi nulla adversitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat. Si quæris, quid ibi sit, ubi talis et tanta beatitudo persistit: aliter dici non potest nisi, Quidquid boni est, ibi est; et quidquid mali est, nunquam ibi est. Quod, inquis, illud bonum est? Quid me interrogas? A propheta et Apostolo definitum est: *Quod oculus*, inquiunt, *non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum* (*Isai.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9). Ad hanc felicitatem multis sæculi divitiis constipatus David anhelabat cum diceret, *Quid mihi restat*[2] *in cœlo, et a te quid volui super terram* (*Psal.* LXXII, 25)? Multis regalibus dapibus abundans dicebat, *Satiabor cum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Et rursum, *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 3)! Rursumque, *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX, 5)! Hinc et Paulus, *Cupio dissolvi et esse cum Christo; multo enim melius* (*Philipp.* I, 23).

His ita decursis, quanquam multa prætermiserim, tamen, ut mihi videtur, hostis nostri fornicantis castra[3] monstravi, quibus pie viventes in Christo Jesu non desinit impugnare. Sed nec his contentus diabolus ad alia convertitur argumenta, dum quibusdam in somnis sæpius vera pronuntiat, ut eos quandoque ad falsitatem pertrahat, dum dormientes ante horam vel tempus exsuscitat, ut eos vigiliarum tempore, gravissimo somno deprimat, cum psallentes atque orantes sibilis, stridoribus, latratibus diversis et inconditis vocibus, jactis etiam lapidibus vel stercoribus perturbat, ut eos quoquo pacto a spirituali opere retrahens, inanes efficiat. Tu autem, homo Dei, vigilanti studio attende quæ dico, et mihi magis adhuc stupenda narranti fidem præbeto[4].

CAPUT XXVII. *Diaboli inaudita tentatio. Cur permissa.* Cujusdam relatione nuper cognovi quod dico. Vir quidam religiosus atque in monachico habitu constitutus, nostro nunc tempore antiqui hostis est inaudita tentatione pulsatus: ita ut idem malignus spiritus vestimentorum ejus particulas extra illum etiam compositas immunda colluvione crebrius fœdaret; quæ in tantum erat horrenda, fœtida et noxia, ut pars vestium quam tetigisset, nulli deinceps esset usui apta, quanquam fuisset abluta. De quo cum interrogatus fuissem, cur omnipotens Deus talem versuto serpenti potestatem in eum dederit, respondi: Ut cordis ejus immunditiam foris ostenderet; quod nunquam in exteriori habitu fecisset, nisi interiorem omnino corrupisset, scilicet aut infidelitate et blasphemia, aut certe inani et vana gloria. Sanies quippe intus in corde, foras per vestimenta manavit. Quem, quia longe positus erat, ego quidem non vidi; sed tamen, ut arbitror, hæc in illo vere prævidi. Quod si non est ita, numquid tamen factum putatur sine causa? Est propterea gestum, ut in eo munditiam cordis fœditas illa servaret, ne hanc callidus hostis inanis gloriæ macula fœdaret: sicuti Paulus, ne de magnitudine revelationum tumeret, stimulum carnis accepit (II *Cor.* XII, 7). Sit itaque horum quodlibet. Aut certe si non fuerit, numquid tamen quod extremum positurus sum, verum non erit? Verum est omnino, verum est quod dico: non esse colluvionem illam extrinsecus animæ noxiam, si ipsam servare studuerit intus cordis munditiam.

CAPUT XXVIII. *Perfectum esse quempiam posse in patria. Quis vere suis renuntiet. Quo sensu nemo propheta acceptus in patria. Regulæ Benedictinæ præconium.* Interea, sicut tu ipse indicare curasti, audio quosdam apud vos dicere, non posse aliquem in patria suæ nativitatis perfectum esse: illud in argumentum assumentes quod Dominus dixit, *Nemo propheta acceptus est in patria sua* (*Matth.* XIII, 57). Quos primo oportet ratione veritatis refelli; et sic demum qualiter intelligenda sit prolata sententia demonstrari. Audiant igitur patienter qui hæc dicunt, quia dum sensum sacræ Scripturæ prudenter non considerant, pene omnes sanctos contemnunt. Si enim ita est ut asserunt: ergo quotquot ex Romanis conversi, apud Romanos degunt; quotquot ex Græcis, apud Græcos; quotquot ex Italis, apud Italos; quotquot ex Iberis, apud Iberos; quotquot ex Germanicis, apud Germanicos; quotquot ex Aquitanicis, apud Aquitanicos; quotquot ex Britannicis, apud Britannicos; quotquot ex Anglis, apud Anglos religiose vivunt, imperfecti erunt. Ecce Paulus et Antonius ex Thebæis, apud Thebæos perfecti sunt: ecce Hilarion ex Palæstinis, apud Palæstinos perfectus est: ecce Macharius ex Ægyptiis, apud Ægyptios perfectus est: ecce Oxirinensis civitas, ex propriis civibus tota perfecta est, ecce, ut ad (*a*) vicinos nostros veniamus, Protasius et Gervasius in propria hac Mediolanensi civitate propriaque domo manentes, ac per decem annos monachorum vitam exercentes, ita perfecti sunt ut martyres fierent. An forte sola vestra provincia extra hanc regulam erit excepta: ut non de propriis, sed tantum de extraneis habeat monachos? Satagendum igitur magis est, ut ubi quis fuerit, juxta perfectorum regulam vivat: non parentum, non propinquorum, non affinium illecebris, a via perfectionis declinet. Sic certe juxta Servatoris[1] sententiam, patri matrique, fratribus, sororibus, uxoribus, filiis, domibus, agris et cunctis quæ possidet renuntiare valebit (*Matth.* XIX, 29). Hoc autem dico non quo secessores, qui de regno ad regnum, de publico ad eremum transeunt, summa laude non ducam: sed quo illos etiam qui magis affectibus patriam fugiunt quam gressibus, felices atque perfectos ostendam.

Obsecro itaque illos, qui hæc apud vos fieri posse

[1] Ms. Regius, *in botris.*

[2] Sic Mss. At editi, *quid enim mihi est?*

[3] Alias, *fortia castra.* Sequimur Ms. Germanensem, cui favent plerique. At Regius, *hosti nostro formidatio magna facta est: castra enim,* etc.

[4] In uno Ms., sic clauditur, *et veritati quæ te vocat et blande admonet fidem præbeto.* Vide aliam clausulam apud Ambrosium et Isidorum.

[1] Mss., *Salvatoris.*

(*a*) Benevento enim, ubi degebat Autpertus, vicinum est Mediolanum, si cum exiimeo comparetur.

denegant, ut vigilanti studio considerent, cur non dixerit Dominus, Nemo propheta perfectus est in patria sua. Sed ibi quid aliud intelligendum est, nisi quia non acceptum dixit, nequaquam receptum? quodque de antiquis Prophetis et se ipso dictum intelligi voluit, qui apud incredulos Judæos non fuerunt accepti, sed magis spreti, Stephano ad eos dicente, *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc homicidæ et proditores fuistis* (*Act.* VII, 52). Quis autem non videat quantæ temeritatis, quantæque sit præsumptionis, aliquem sibi prophetæ nomen assumere? Tu igitur cum charitatis affectione tales redargue, et juxta regulam patrum vivere semper stude, maxime autem sancti confessoris Benedicti. Non declines ab ea unquam, nec illi addas quidpiam, nec minuas. Totum enim quod sufficit, habet, et nusquam minus habet: cujus verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia. Ecce, frater charissime, inter cæteras meas occupationes hunc tibi sermonem nocturnis horis, licet inculta venustate, dictavi atque conscripsi: quem quia epistolarem modum transire cognovi, libellum potius De Conflictu vitiorum atque virtutum nuncupare malui: in quo si ædificationis aliquid repereris, hunc legendum et aliis tradere debes.

DE SOBRIETATE ET CASTITATE

LIBER UNUS,

INCERTI AUCTORIS.

CAPUT PRIMUM. *Vitia tria declinanda. Sobrietatis laus. Ebrietatis mala. Vini usus. Ad quid utilis. Quare sacerdotibus inhibitus. Ebrietatis incommoda. Scripturæ quibus hoc vitium damnatur. Crapula lugentibus in exsequiis ab amicis ingeritur. Corpori animoque infesta ebrietas.* Cum mortalium mutabilis mens vel bonis aliquando vel malis intentionibus delectetur, plerique seu pœnitudine malorum ad actus bonos, sive socordia mentis ex bonis ad malos præcipites transferantur; disputandi materias morum ponderatoribus gignunt, quibus agnitis correcti lætentur, inconvertibiles autem in suis iniquis moribus confundantur. Difficilius namque bonorum appetitores invenias, quam malorum desertores: quia quamplurimis et pene cunctis mortalibus dulcia sunt magis ea quæ carnem fovent, quam quæ a vitiis frenant. Et quoniam studii commoda a nobis suggerenda sunt honestatis [1], admonemus in tali proposito militare volentem, segnem, somnolentum atque temulentum esse non debere: quoniam ab his vitiis tribus nisi quis fuerit declinatus, securus nunquam esse potest vel tutus, imo et periculis omnibus, et ipsi etiam morti erit is semper obnoxius. Fortitudo enim inimicum opprimit, vigilantia tendentibus insidias obstat, sobrietas vero præparatum cor hominis facit. Propterea enim Dominus Deus noster paterno affectu per Prophetas et Apostolos suos nobis præcepit, ab omnibus vitiis, et maxime ab ebrietate, quæ omnium vitiorum gurges est, penitus abstinere. De cujus vitii [2] malo volumus lectori aliquanta proferre, quem tantum monitis hortamur animum intentum apponere, et sermoni nostro, etsi minus lucenti quam auditus exigit eloquentium, veniam dare. Suademus enim auditores rationem dicti debere advertere, non fucum spumantis sermonis, aut artificiosam eloquentiam exspectare. Unde primitus propter libelli titulum vel decorem, fructus et bona sobrietatis in quantum possumus proferamus; et postea ebrietatis indecoras molestias publicemus.

Sobrietas namque castitas est sensus et mentis, membrorum omnium corporisque tutela, castitatis pudicitiæque munimen, pudori proxima, amicitiæ pacisque serva, honestati semper conjuncta, criminum vitiorumque omnium profuga, recti judicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum et doctrinæ capax, studiorum et artium bonarum discipula pariter et magistra, ingeniorum capiendorum pedissequa, bonæ famæ semper avida, in cogitationibus salubria atque utilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum se ipsam semper ingerens. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam detestatur, domum familiamque cum moderatione gubernat, fidem sibi committentibus servat, et, ut summatim breviterque dicam, sobrietatis perseverantia inæstimabilis est animi fortitudo: omnes eam virtutes, et omnes laudum semper tituli concupiscunt, quia sine ipsa ornari aut placere non possunt.

E contra ebrietas ab animæ injuria incipit, et flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Ebrietas temporis amissio est, insania voluntaria, ignominiosus languor, mentis sanæ debilitatio [1], turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Ebrietas, ut cernimus quotidie, amplarum familiarum plurimos labefacit, et cura gubernationis destitutos, parentum avorumque suorum bene diuque congregata atque ingenti pretio comparata vili nummo distrahere facit. Ebrietas in utroque sexu cuncta mala semper appetit, et nefanda committit. Ebrietas timorem Dei aufert, futurum Dei judicium de corde se habentium tollit. Ebrietas, ut ait Apostolus, regna cœlestia appetentibus denegat (I *Cor.* VI, 10). Ebrietas temulentis tempora furatur, dies subripit, depositi sui non reminiscitur, et ante illum posita nec mente nec oculis contuetur: famulo vero non solum fidem aufert, sed etiam fraudum et servitutis officio inutilem facit; et alia mala quæ comprehendi non possunt.

Et quoniam ab aliquantis vini non temperatur usus, sed potius appetitur excessus; habitus corporis et vitæ periculum, et opinionis ac famæ gravissimum acquiritur damnum. Nam fomentis corporalibus provisum est vini munus: abutentibus penitus interdicitur, et sobrietatis disciplina custodienda sancitur. Est quidem in multis vitæ mortalium vinum necessarium, debilem stomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus infusum medetur, antidotis etiam diversisque medicaminibus adjunctum salutem operatur, tristitiam removet, languores omnes animi delet, lætitiam infundit, convivas honesta miscere colloquia facit: paulo amplius vero sumptum, potanti quodam modo convertitur in venenum. Propterea enim vini abstinentiam sacerdotibus primo et Levitis a Domino legimus imperatam, quia oportebat ut illi primitus sobrietatis modum observandum susciperent, qui cæteris mortalibus non dictis, sed factis præcepta divina observanda trade-

[1] forte, *honestis*.

[2] Ms. Regius, *materiæ*.

[1] Ms. Regius, *male sana debilitatio*.

rent, et castitatis et sanctitatis moribus adimplerent, Levitico libro dicente, *Et dixit ad Aaron, Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, et quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini; quia præceptum sempiternum est in generationibus vestris* (*Levit.* x, 9). Ezechiel quoque propheta similiter dicit, *Et vinum non bibet omnis sacerdos, cum introire cœperit in atrium interius* (*Ezech.* XLIV, 21). Auctorum vero sæcularium quamplurimi sobrietatis præcepta libris plurimis ediderunt: quorum assertiones contra ebrietatis vitia non proferimus, quia humana decet divinis, non divina humanis testimoniis confirmari. Quare debet congrua observatione sobrietas cum sacerdotali affectu certare: quia qui non sobrius accesserit ad divinæ majestatis altarium, sentiet immaturæ mortis interitum. Quicumque enim honore sacerdotali præditus, proximus fuerit ebrietati, vicinus est ultioni. Et in eos qui Deo proximant, si fuerint temulenti, procul non sunt vindictæ quæ sæviant. Ergo quisquis divino munere sacerdos constitutus, vinolentus accesserit ad sacramenti celebrationem, mortis consequendæ non habet dilationem. Contrarius namque est unicuique rei semper excessus: et in quocumque sexu nimietas adhibita fuerit, vitium facit. Quare quidquid immoderatum indisciplinatumque est, proximum ruinæ consequitur casum; quia ubi modus non est, periculum totum est: quæcumque res non habet temperamentum, præcipitat in exitium.

Sic itaque dum quisquis immoderatus, convivioque medius, amissis modestiæ frenis, insana fuerit ebrietate prostratus, aversos respicit nutantes, quos integros videre nequivit, aut sermone longo superflua verba emittit, et vana dicta componit, male clamans, et bene sibi sonans, vultu dejecto supinus accumbit, vomens et sui omnino nescius, spectaculum convivio præbet: et dum nihil consequitur sanum, nullo alio cogente præter vinum, cordis sui arcana patefacit, et amicorum sibi commissa secreta in medium prodit. Ad universa autem vel crudelitatis vel turpitudinis facinora perpetranda facilis invenitur, cui nulla sobriæ mentis ratio, sed ebrietas dominatur. Assumit inter pocula injusta certamina, et nullis stantibus causis asperam excitat rixam: quia interponendo verba vana, aliorum sana dicta non patitur, et in contumeliam erigitur convivarum, et crimina proximorum.

Ista, lector, ut libenter accipias, admonendum te credidi. Quare lege caute Petri apostoli epistolam ad Gentes, Pauli ad Romanos, ad Corinthios primam, ad Ephesios, ad Thessalonicenses, ad Titum. Præterea ad ebrietatem cavendam Dominum nostrum Jesum Christum audi in Evangelio dicentem: *Attendite vobis*, ait, *ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Et Dominus servo irascitur, cui multas plagas in adventu suo imponere comminatur. Quare abstinete vos talia agentes vel facientes, abstinete vestram insaniam, et homines vos humanos cognoscite, et tantam turpitudinem a vobis abjicite, et ebrietatis crimina totis viribus declinate. Rusticanum quidem, sed sanum dictum advertite: Vinum medicamentum; plus justo sumptum venenum esse cognoscitur. Tantam ergo turpitudinem a vobis abjicite, et ebrietatis crimina totis viribus declinate. Jucunditati, non ebrietati creata est vini natura (*Eccli.* XXXI, 35), per cujus moderationem sitis exstinguatur, non tamen ut usque ad ebrietatem bibatur. Fugite crapulam, ea loquentes aut facientes, quibus sobrii non erubescant. Fugite crapulam, quæ [illegible] his legentibus a consolantibus amicis vel proximis in exsequiis ingeritur. Dolor enim amissi funeris sine vini quavis [illegible] reparari non potest. Tu vero, o homo incolumis, cur vino [illegible] desideras vomere [illegible] quanto possunt plurimi cum jucunditate [illegible] et sobrie [illegible]. Non considera[illegible] [illegible], quam capit, [illegible] Non

consideras ebrietati devinctum, suæ potestatis esse non posse? Utquid potando facis excessus, nisi ut per provocationem vini insolescas in pejus? Nascitur ex hac potandi infelicitate inter provocatos et provocantes ignominiosa certatio, et vincenti est turpitudo deterior. Ex hoc enim multorum membra cibos recusant, et vino dedita, præcoqua debilitate et cruda senectute marcescunt, et adhuc ætate virides tremula vibratione quassantur. Inde pulmones ustione vini quotidiana putrescunt, et per ora veluti mortuorum spiritus tetros mittunt. In his ergo talibus non ratio ulla, non ullum gerendæ vitæ consilium, non gestorum aut lectionum memoria, nec ulla artium aut industriæ providentia: utpote quem prandio accumbentem solis occidentis videt occasus, et cœna pernoctantem insperatus occupat dies, et dum jugi amentia die nocteque discumbendo dormitat aut bibit, in hac vita adhuc positus quotidie sepelitur.

CAPUT II. *Dominicæ virgines regulis instruuntur. Vigiliæ funebres.* Sed quid jam dicam, vel quid taceam? Hujus igitur ebrietatis si quidpiam in feminis ceciderit, quæ virilem sexum superius tactis criminum molibus oneravit, nihil tacendum est, imo laborandum est, ut et quæ tales sunt feminæ, hæc divina admonitio corrigat, et sobrietas metu correptionis ab ebrietate compescat. Sed quoniam in admonendis viris, a sacerdotibus et levitis vel ministris hujus libelli opusculum inchoavimus, merito convenienterque in femininum sexum admonendum a dominicis sacrisque virginibus sumamus exordium: quo generaliter omnis dignitas vel sexus ab hac admonitione inexcusabilis habeatur. Dominica virgo debet agnoscere, quibus præceptis conveniat insistere, vel a quantis vitiis debeat abstinere, si vult et in sæculo posita cum Deo, et cum eodem post hujus vitæ resolutionem in claritate cœlesti regnare. Dominica virgo primitus publicos debet vitare conspectus, et platearum frequentiam declinare, atque in domo posita lanificio insistere vel lectioni divinæ. Dominica virgo, in feminarum laicarum conventu sedens vel consistens, ne verbis scurrilibus neque lubricis earum aut canticis præsentiæ tuæ copiam facias; sed magis fugias, oculos tuos auresque concludas: ne Dei timore privata, diabolicas cogitationes sensibus tuis immittas, quibus in brevi forte dispereas. Dominica virgo nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis aut lætis, sed pronis ad terram cum vultu procedat: ne in serviles indurata amores, etsi ipsa non pereat, aliis causa perditionis existat. Oculorum enim cupiditas quos animæ interitus faciat, evangelica vox nobis pronuntiat (*Matth.* v, 29). Dominica virgo ab omni inverecundo sermone vel risu se debet penitus abstinere, et cum silentio et disciplina omnem vitam suam ornare. Dominica virgo, quæ vultum suum ob splendorem genarum aliquo fuco infecerit, in Isaia propheta de filiabus Sion promissam sententiam pertimebit (*Isai.* III, 16, 17). Dominica virgo, ut de viduis Apostolus docet, aut sermone garrula, aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, casta non potest judicari (I *Tim.* v, 13), imo prostituta ad luxuriam alios magis accendit. Dominica virgo, nulli te virorum, cujuslibet ætatis, sine gravissimarum mulierum præsentia, singulari habitaculo vel colloquio credas: et cum sola in tabernaculo consistis, clausis super te januis sedeas, nullique virorum pulsanti facile januam tuam pandas: ne forte in suspicionem turpissimam, aut in pudoris tui naufragium cadas. Dominica virgo, in locis, in quibus viri cubant, non debet accedere: ne ipsa se velut scortum credatur suis corruptoribus præbuisse. Dominica virgo, male docentis miserabilisque vitæ feminæ, aut aliquando sinistra opinione vexatæ, consortium colloquiumque declina: quoniam corrumpunt mores bonos colloquia mala, Paulus apostolus docet (I *Cor.* XV, 33). Dominica virgo, ob exstinguendas libidinis vel omnes lascivias [illegible], jejuniis et abstinentiæ

debet operam dare, orationibus die noctuque insistere, si cupit et laqueos et insidias diaboli insidiantis evadere, et ad promissa virginitatis præmia pervenire. Dominica virgo, omnem fratrem, quem vitandum mala fama commendat, nimis fuge, et quantum potes, ab eo vel ab ejus conviviis tuos accessus declina. Dominica virgo non nesciat, ex convivali colloquio inolescere libidinis vitia, et exinde ad fornicationis veniri peccata. Dominica virgo, ut cito concludam, ab omnibus illecebris gulæ abstinens esse debet, et parco victu vel potu debet esse contenta, et honesta taciturnitate semper ornata. Dominicam virginem Dei beneficium est irasci nescire, nosse magis iracundiam cohibere, cunctis benignam existere, oculis non annuere, dolo et malitia linguam non fabricare, alienæ domus secreta nec auscultare nec prodere, avaritiam cupiditatemque fugere, sibi deposita non negare, in usuris pecuniam non habere, sorori culpam ex corde dimittere, scandalum nulli apponere, tribulatis consolationem præbere, infirmantibus ministrare, detrahenti alteri non consentire, sed a detractione se penitus abstinere. Dominicam virginem in ecclesia cum silentio stare debere, et nihil legis docere, Apostolum audi loquentem: *Mulieres in ecclesia taceant: turpe est mulieribus loqui in ecclesiis.* Item ait: *Mulieres in silentio discant.* Item: *Mulieribus docere non permitto* (*Id.* XIV, 34 *et* 35; I *Tim.* II, 11 *et* 12). Si ergo mulieribus turpe est docere, aut in ecclesia loqui; quanto magis virginibus quas castitatis Deo promissæ cura professioque constringit, ut eas magis aliæ in bonis operibus imitentur? Dominica virgo ne quid pravum aut scurrile aut simulate loquatur, et omne mendacium ex ore suo penitus eradicet. Loquentes enim mendacium Dominus perdet, ut in quinto psalmo David, et ejus filius in libro Sapientiæ docet (*Psal.* V, 7; *Sap.* I, 11). Dominica virgo quantam fidem debet in omnibus exhibere, tantum caveat jurare: de his quæ egerit propter veritatem confirmandam juramenta persolvere (*a*). Ne in totum aut omnino juret (*Matth.* V, 34), Dominum agnoscat in Evangelio præmonentem. Dominica virgo furta fraudesque facere, aut falsa testimonia dicere, aut ea facientibus consentire caveat: quia ea committentes beatus Paulus objurgat (I *Cor.* VI, 8; *Rom.* I, 32). Dominica virgo matronalibus conviviis, quibus viri miscentur, interesse declinet: ne concupiscentiæ peccatum secum inter pocula loquentibus viris importet. Dominica virgo, contra omnes sonos musica arte prolatos, contra cuncta cantica sæcularia, contra omnia quæ dulciter delectentur audire, aures et cor tuum conclude: ne diabolicum melos Christi de corde ejus abscindat amorem. Dominica virgo, motibus flexibusque saltantium, cymbalistriarum vel tympanistriarum, omniumque virilium ludicrorum, quantum potes, vultum tuum averte: ne cujuslibet eorum repentino amoris telo percussa, graviter incipias interire. Dominica virgo non tantum ne superbiat aut litiget, caveat; sed etiam a superbientibus et litigantibus, quantum potest, procul abscedat: *Superbis* namque *Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*, Salomon in Proverbiis clamat (*Prov.* XXIX, 24). Dominica virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere; sed in humilitate et paupertate spiritus Christo accepta debet quamdiu vixerit permanere. In judicio enim Dei non tales, sed actus proprii pensabuntur, ex quibus singuli mercedem sicut gesserunt, non sicut nati sunt, reportabunt. Dominica virgo vigilias funebres vel cæteras quæ in privatis domibus eveniunt, debet effugere, ubi præcipue sine discretione sexus commixti conveniunt. Dominica virgo quæ secundum proprias vires nulla porrigit, non potest ancilla Dei vel dici vel credi. Sed, ut breviter dicam, dominica virgo quæ pudoris sui Domino promissi custodiam gerere nititur, nec incessu notabili, nec nutu aut dicto molli, nec otiositate verbi, nec corpore, nec mente debet omnino peccare.

(*a*) Supple, *curet*, aut quid simile.

CAPUT III. *Vinolentiæ crimina in virginibus vel feminis. Ebrietatis mala universaliter perstringuntur. Cur a sacerdotibus eversus fuerit auctor.* Et quoniam quæ admonendis virginibus satis dicta sunt, credimus posse sufficere, ex quibus præceptis etiam Dei servos vel honestas maritales convenit observare; jam debemus ad vinolentiæ crimina enumeranda venire, et docere ebrietatem cuncta vitia superare. Ipsa primo virginibus ebrietas castitatis promissa implere non permittit, quia omne pollicitationi in utroque sexu humana semper exstitit: et ideo ebrietas pudori comes esse non potest, quia nec castitas fuit aliquando socia temulentiæ. Sobrietas in feminis ad terram deponit aspectum: ebrietas autem amisso pudore inverecundos erigit vultus. Sobrietas enim cum summa trepidatione reprehendit, et cum silentio propinquum emittit verbum: ebrietas impudoratum facit feminæ et sermonem et vultum. Elicit namque atque extorquet ebrietas infandam, inverecundam de omnibus se habentibus vocem, et cui subrepserit per aviditatem immoderatis vini, nullum potest habere tacendi pudorem: ex qua temulentia membrorum consequitur infirmitatem. Et ita fit, ut sicuti navis validissimi maris fluctibus scopulo illisa comminuitur; ita feminæ corpus ac mens grandi vini procella illisa, membris omnibus dissolvatur. Nam quæ naturaliter firma figere non potest gradiendo vestigia; quomodo incedere valebit, cum vini fuerit ingenti procella percussa, lapsabunda [1] gressu ac innuens, semper contortis oculis resupina, aut inclinata cervice, famula regente pedissequa de temulentiæ suæ culpa? Ibi sanitas et cura domus nulla vel familiæ gubernatio, lingua balbutiens sermonis officio privatur, aut in vocem prorumpere volens, non tantum non intelligitur, sed etiam ab audientibus deridetur. Est autem mente alienata, et sui omnino nescia, cui cultus capitis vergit in partem, et seminudam monstrat videntibus cervicem, et omni ex parte demissa a conspicientibus erubescitur, et quid domi geratur, ignorat. Periclitatur in tali sine dubio pudor, et omne secretum, quod sobrietas in feminis custodit, temulentia publicat. Quæ cum humi fuerit vertigine rapta lectoque prostrata, circumcursare sibi cunctos conspicit parietes: culminaque domus in imo, et ima in altum putat esse porrecta, et velut sepulta somno recipitur. Lectisternia vero quæ ab infantibus contumeliis deformantur, a cunctis feminis vel ancillis, non jam occultis, sed videntibus cachinnis talis dominæ temulentia deridetur. Sic itaque transeunte tempore, et ebrietatis vitio permanente, de ejus corde omnis evolat timor: nec corruptionem, nec terrorem sæpe objurgantis viri cogitat, aut vigorem. Inde quotidie neglecta domus per illapsum tempus ornatu quotidiano in tantum destituitur, ut semper sibi maritus mortem exoptet, cujus labor gubernatioque sub tali domina quotidie minuitur, et in lapsum venit. Non est cum qua quidpiam de cura domus conferatur, ut in melius aliquid disponatur: quia scilicet uxoris nomen tantum, non mores ostendit. Nihil ea disponente, maritalis quotidiana cura non sine tristitia fatigatur: quia velut juncti in vehiculo boves, si unus conari sub onere cesset, alterum conatus disrumpet. Vinolentia igitur dominæ subtractis locorum clavibus, omnia tentantur: cellariorum plenitudo furtis quotidie servilibus inanitur, indisciplinatæque familiæ clamoribus domus omnis perstrepit. Lanificii vero aut negligens, aut nulla, aut abominabilis efficitur cura. Tali enim dominæ ancilla charior atque amabilior erit, quæ capacius poculum porrexerit, quam quæ pensum integrum ante vesperum assignaverit. Cathinis enim aut variis persinisque coloribus in vino, non in tunicis, delectatur: et non vestium faciendarum, sed vini quærit allatam mensuram. Non tuendæ castitatis causa telas ad texendum erigit, quæ usum telæ olim de domo per ebrietatem amisit: et telas quas ancillis otiantibus subtraxit, texendas

[1] Ex., *lassabunda.*

araneis dedit. Hæc cum cibos capit, vix comedendo semunciam panis attingit, et pocula deinceps absorbet, et propterea pulmentorum sibi cataplasmata quærit. Hæc quamdiu vigilaverit, bibit : aut si obdormierit, sitis ei somnum abrumpit. Sed adhuc quid immoror? Si ebrietatis voluero cuncta vitia enarrare, ante me tempus deficiet : cum potiora in Ecclesiastico Salomonis Spiritus sanctus clamet, dicens, *Mulier ebria, ira est magna, et contumelia et turpitudo ejus non tegetur*. Et de utroque sexu, *Multos*, ait, *exterminat vinum*. Et iterum : *Prudentiam absorbet ebrietas*. Et iterum : *Vinum multum potatum, irritationes et iras et ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum* (*Eccli.* XXVI, 11 ; XXXI, 30, 38 *et* 39).

Quare ut finem libri faciam, summatim cuncta perstringam. Per vinum enim castitas submersa est, et plurimæ a corruptoribus turbæ deceptæ sunt. Virginum multæ etiam impellente vino thori genitalis oblitæ, pudicitiam suam adulteris tradiderunt, et cum mœchis de morte pactæ sunt maritorum. Quamplures impellente vino præcipites indecentibus se conventibus polluerunt : et de genitoribus aut genitricibus, de filiis aut filiabus, de fratribus aut sororibus, de generis aut nuribus, per nefandos, ut dictum est, concubitus sibi filios genuerunt. Per vinolentiam enim plurimi plurimæque a sancto pioque proposito exciderunt et sui obliti amissis honoribus ignobiles remanserunt : et sedibus patriis profugi, vitam non ubi sumpserunt finierunt. Per hoc quippe vinum fortes ab infirmis elisi sunt, et in mortem quamplures ictu muliebri prostrati : et invicti exercitus vino dominante exstincti sunt, et servitutis jugo subacti. Innumerabiles jugum dominationis diu recusantes, vinolentia in alienum redegit arbitrium. Consuetudine vini quamplures in insaniam sunt conversi ; ac mentis durante insania ab humana conversatione sejuncti, ferino sunt plerumque dente consumpti. Quamplures vini immoderatus excessus ex divitibus pauperes reddidit et egenos. Infiniti numero, vino impellente, injusta impiaque homicidia commiserunt. Quamplurimæ urbes diu obsessæ, nec captæ ; custodibus somno vinoque sepultis, ab hostibus patefactæ sunt et incendiis concrematæ. Sunt quoque alia multa nefanda et innumera, quibus per ebrietatis vitia mundus iste dudum frequenter est vexatus, et nunc vexatur : quarum rerum si de dominicis vel sæcularibus libris vellem ad singula exempla personasque, per quas res gestæ sunt, proferre, enormitas libri legentibus fastidium afferret.

Nos tamen in hoc opere propterea sacerdotibus et levitis vituperationem simul et admonitionis initium fecimus, ne ab hac infectione, qua cunctos huic vitio deditos de dominica correptione confundimus, immunes forte clericos aut Dei ministros facere videremur : quibus magis convenit, ut qui populum a diversis culpis abstinere docent, ne in aliquod vitium aut culpam cadant, cauta observatione procurent, et eos justa increpatione Apostolus objurget dicens, *Æstimas autem, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quoniam tu effugies judicium Dei?* Item : *Qui alium doces, te ipsum non doces; qui abominaris idola, sacrilegium facis* (*Rom.* II, 3, 21 *et* 22) : et cætera, quibus arguit eos qui a vitiis, quibus prohibent, ipsi se non abstinent ; et in quo alios judicant, se ipsos condemnant. Quare omnibus clericis et laicis in diversis hujusmodi dignitatibus constitutis hunc libellum frequentius lectitandum suademus : ut cum moribus bonis et sobrietate Deo gratus quis profecerit, de correptione nostra in Domino Deo lætus semper exsultet, agens Deo gratias per Dominum nostrum Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO IN LIBRUM DE VERA ET FALSA POENITENTIA.

Totus fere hic liber cum nomine Augustini in Decreta per Gratianum, et in Sententias per Petrum Lombardum translatus est. Eumdem postea citarunt et Augustino tribuerunt Petrus Blesensis in libris de Confessione ac de Pœnitentia, Vincentius Bellovacensis in Speculo morali, lib. 3, parte 10, dist. 12 ; Thomas Aquinas in Summa theologica, et alii deinceps. Supposititium tamen credit Trithemius lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, *quoniam*, ait, *capite* 17 *Augustinus ipse allegatur*. Reclamat Martinus Navarrus, tom. 2, Comment. in dist. 5 de Pœnitentia, et dicit existimandum potius, illam partem, qua citatur Augustinus, ex annotatione viri alicujus docti ad marginem adscripta, migrasse in textum, quam propterea negandum esse Augustini librum optimum, tot sæculis ei tributum. Navarri conjecturam juvant libri veteres per nos inspecti, qui eo loci nomen saltem Augustini prætereunt : sed illud tamen et postulat sensus, et legit reipsa Gratianus. Verum, de hoc loco quidquid tandem putetur, alia undique suppetunt argumenta, quæ clamitant hoc opus non esse Augustini. Quædam in Critico Augustiniano collegit Bernardus Vindingus, et adversus *quemdam*, ut ait, *recentem, nec malum alioqui theologum, qui stilo et doctrina totum Augustinianum esse, adeoque stulte ipsi hoc negatum ab Erasmo et aliis doctoribus* contendebat, opposuit : scilicet phrases ab Augustino alienas cap. 3 : *Naaman per aquam perdidit lepram*. Cap. 4 : *Petrus Dominum negavit, et a se amicos Christi excommunicavit*. Eodem cap. 4, et 6, ac 7 : *Pœnam promittere*. Cap. 9 : *Ad Deum anxiari*. Ibidem : *Meliori quam potest confiteatur*. Cap. 17 : *Oportet peccatorem ut in pœnitentia fructificet*. In Scripturis exponendis auctorem neque Augustini solertiam habere ostendit, neque cum illo consensionem. Nam cap. 5 : *Quod omnibus*, ait, *promisit indulgentiam, aliis promissionibus declarat : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, » id est, omnis quantumcumque et quotiescumque peccator, cujuscumque ordinis, etiamsi fuerit sacerdos; « confitebor et ego eum coram Patre meo. »* Cap. 9 : *Totum hominem sanavit in sabbato, quia et corpus ab infirmitate et animam ab omni contagione liberavit*. Cap. 11 : *In Petro et Joanne et Jacobo et patre et matre puellæ* (*Luc.* VIII, 51) *figuraliter continentur sacerdotes Ecclesiæ*. Lacrymis matris viduæ, Marthæ et Mariæ ac turbæ Judæorum *docemur*, inquit, *publice peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum*, etc. Cap. 14 : *Omnis ista varietas confitenda est, si peccavit in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus dominorum et aliorum multorum ; si in tempore orationi constituto, aut in festivitate sanctorum, et in tempore jejunii*, etc. *Si quis cadit in avaritiam, etiam castitatem minoravit*. Præterea, insinuatur capite 6 bonum quemque ante Christi adventum inferis detentum fuisse, Augustino, lib. 12 de Genesi ad litteram, capp. 33 et 34, ea de re dissentiente aut certe ambigente, et memorantur capite 8 acta sancti Andreæ, longe post Augustinum secundum eruditos vulgari cœpta.

Librum emendavimus ad codices Mss. Augustinensium majoris conventus Parisiensis, ad Cisterciensem, ad Vaticanum, necnon ad Gratiani et Lombardi Collectanea. In Mss. inscribitur *de Vera et Falsa Pœnitentia*; omisso *ad Christi devotam*. Et ad finem in iis habetur, *Explicit de Confessione*.

DE VERA ET FALSA PŒNITENTIA

AD CHRISTI DEVOTAM

Liber unus.

CAPUT PRIMUM. 1. *Pœnitentiæ utilitas. Errores temporis impugnantur.* Qantum sit appetenda gratia pœnitentiæ, omnis clamat auctoritas, omnis bonorum vita conatur ostendere. Languores enim sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget quam conservat; claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum; vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat, omnia sanat, omnia redintegrat, omnia lætificat. Temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus [1]. Ignorans se, per hanc se recognoscit; quærens se, per hanc se invenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, et creaturam reddit Creatori. Ista ovem perditam monstravit quærenti (*Luc.* XV, 4), et decimam drachmam obtulit anxianti (*Ibid.*, 8). Hæc dissipatorem filium ad patrem reduxit (*Ibid.*, 11), et vulneratum a latronibus custodi curandum tradidit (*Id.* X, 35). In hac omne bonum invenitur, per hanc omne bonum conservatur. Fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipsa ignis consumens.

2. Hæc omnia, provida virago, sensisti, quæ hoc tantum bonum tenere dilexisti. Vix enim diligitur, quod omnino ignoratur. Super hoc bonum innixa, fortis esse poteris ad omnia bona. Itaque voluntatem tuam, quam super hoc bono cognovi [2], libenter adjuvo: et suavem laborem super hac re, ut rogasti, desideranter suscipio, sperans Dei adjutorium in tuo merito. Scio enim intentionem tuam nunquam frustrandam, sed in omnibus quæ desiderat ditandam. Nam cum esses dives, pauperem te pro Christo reddidisti, et in anima dives eris sancti commercii. Unde felix ego, si quid auxilii ad veras tuas divitias adhibere potero. Tuæ itaque trado dilectioni, quidquid de pœnitentia sentio, auctoritate patrum et illustratione sancti Spiritus. Nec modo hujus temporis tantum impugnamus errores, sed etiam de impugnatis per copiam rationum conamur tibi tradere dulcedinem suavitatis: ut integritas tuæ mentis, quæ Deo dante omnes repulit falsitates, super fugatis ratiocinando lætetur.

CAPUT II. 3. *Pœnitentia sit ex fide. Pœnitentiæ indulgentia peccata non auget, sed arcet.* Si fides fundamentum est pœnitentiæ, præter [3] quam nihil est quod bonum sit; appetenda est pœnitentia, quam constat in fide fundatam. Non enim potest arbor bona fructus malos facere (*Matth.* VII, 18). Pœnitentia itaque quæ ex fide non procedit, utilis non est. Oportet autem credi remedium pœnitentiæ a Salvatore concedi. Si enim omnis pœnitentia peccatoribus sterilis esset, nequaquam ad pœnitentiam revocarentur Christi interfectores, quam prædicavit Dominus mitis et mansuetus, et ejus Præcursor: dixit enim, *Fructus facite dignos pœnitentiæ* (*Id.* III, 8); ostendens pœnitentiam non sterilem, sed dignam fructificare. Qui enim dixit, *Malo misericordiam quam sacrificium* (*Osee* VI, 6), non exspectabat mortem peccatoris, sed ut conversus viveret (*Ezech.* XVIII, 23). Quis autem converti potest ut vivat, nisi qui erat in regione longinqua? In iniquitatibus se meminit conceptum David, et in delictis a matre sua genitum (*Psal.* L, 7), cui Dominus testimonium perhibet, *Inveni hominem secundum cor meum* (*Act.* XIII, 22). Hic idem a Domino laudatus, præsumens de Domino dicit, *Propitius eris peccato meo, multum est enim* (*Psal.* XXIV, 11): non quia multum erat, sed quia David multum reputabat, sicut qui jam inde satur erat et fastidiosus. Non enim laborat exonerari peccato, cui non videtur nimium. Quomodo ergo multum videretur, si adhuc in illo delectaretur? Quomodo rogaret perdere, nisi doleret habere? Si enim non doleret habere, gauderet commisisse. Scimus quia delevit Deus peccatum David; aut quia dolebat peccasse, aut quia gemebat, et stratum suum lacrymis rigabat, et tanquam panem cinerem manducabat. Si autem gauderet, non magnum, sed parvum peccatum suum diceret.

4. Falluntur itaque, qui objicientes pœnitentiam Apostolo, et eum irridentes dicunt contra eum, Peccabimus, ut gratia abundet (*Rom.* VI, 1)? Dicebat, Convertimini per pœnitentiam, sperate de venia, etiamsi maxima sit iniquitas: *ubi abundavit peccatum, abundavit gratia* (*Id.* V, 20): nullum peccatum poterit remanere ante pœnitentiam. Prædicat enim converti. Sed unde se converteret aliquis, cui primus status placeret? Qui itaque convertitur, necessario dolet habere, quod gaudet perdere. Pœnitentia itaque acquirit indulgentiam, sine qua nemo perveniet ad veniam. Si enim sine ea anima salvaretur, non diceretur, Peccasti, quiesce. Cur enim quiesceret, nisi quia malum est, si peccaret? Quomodo diligi et non odio haberi potest, quod retentum damnat, et fugatum salvat? Qui nunc ergo quiescit, dolere oportet quod non prius quievit. Sicque salvatur, quia dolet; sicque liberatur, quia pœnitet. Ex dolore enim dictum est, *Peccavi, quid faciam tibi* (*Job* VII, 20)? Quasi diceret, Adeo doleo me peccasse, quod mihi tam grave est, quod non velim contra me te non vindicare. Quæro enim in me quid supplicii possim excogitare, quod tibi possit sufficere. Nihil mihi grave, si me a peccato potest liberare. Relinquitur ergo pœnitere, volentibus veniam invenire.

CAPUT III. 5. *Error credentium pœnitentiam post Baptismum cassam esse. Abutitur Apostoli loco. Confutatur ipsis Apostoli gestis. Apostoli locus intelligendus de Baptismo. Pœnitentiæ utilitas post Baptismum, Christi parabolis designata.* Sunt autem qui credunt usque ad Baptismum pœnitentiam proficere (namque Syrus erat Naaman, qui per aquam perdidit lepram [IV *Reg.* V, 20]), sed postea peccantibus cassam perseverare. Gaudent enim singularitate, arrogantes ex hoc quod non habent, jactantes se mundos esse, utpote quasi nihil post Baptismum commiserint unde jure dolere possint. Hi sinistre omnia intelligentes, vires ex sanctorum auctoritate sumentes, et sequentes patrem mendacii, mendaciter exponunt quod concordat veritati. Legunt enim in Apostolo quod intelligere nolunt, *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, et gustaverunt donum cœleste, et participes effecti sunt Spiritus sancti, et gustaverunt bonum verbi Dei, virtutesque sæculi futuri, iterum renovari per pœnitentiam, rursum crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes* (*Hebr.* VI, 4-6).

[1] Duo Mss., *egressus*.
[2] Mss. duo, *conveni*; et mox, *non rogasti*.
[3] Ms. Cisterciensis, *boni præter*, etc.

6. Sed si superbia non excæcasset, viderent Apostolum non ita esse destructorem sui laboris atque sui gaudii. Quos enim per Epistolas correxit, nisi qui post Baptismum ceciderant, et in peccato ipso perseverabant? Gentiles enim visitabat corporali præsentia, rationibus et miraculis eos confortans. Quomodo scriberet infidelibus, ipsis eidem multipliciter contradicentibus? Hunc lapidabant, virgis cædebant; et eis scriberet ut se corrigerent? Cur autem correctionem infidelibus indiceret, si de eorum salute desperaret? Quomodo scriberet, qui scienter et necessario nihil omnino proficeret? Si non possent renovari per pœnitentiam, cur prædicaret eam? Præterea Corinthium excommunicavit paulo post Baptismum peccantem, et fornicationem gentium superantem: quomodo reciperet pœnitentem, si sic contra suum prædicaret præceptum?

7. Sed de Baptismo hoc intellexit. Dixit enim eos renovari per pœnitentiam impossibile esse, ut rursum crucifigant Filium Dei, et ostentui habeant, id est, ut iterum baptizentur. Qui enim baptizatur, mortem crucis et sepulturam Christi repræsentat in immersione sua (*Rom.* VI, 3): in signo enim crucis quisque in aqua submergitur, et submersus sepultus ostenditur. Non enim qui prolapsi sunt, per iteratum Baptismum consequi veniam poterunt. Sicut enim semel Christus crucifixus est, sic Baptismus iterandus non est. Una enim morte sua omnes redemit, ut amplius mori non oporteat. Quod videns Ecclesia, intellexit non iterandum Baptismum.

8. Per fructus itaque pœnitentiæ, baptizatis adhibetur spes veniæ. Nam filius erat, qui recesserat a patre in regionem longinquam: susceptus a patre per pœnitentiam confitentem dixit ei, *Jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV, 21): non enim ista a te didici, ista apud te reperi. Hunc suscepit paterfamilias, et stola et annulo induit. Stola donavit eum, quia in eo integritatem charitatis restauravit; atque annulum in manu posuit, quia eum ex fide fecit operari, et per Spiritus sancti dona eum subarrhavit: et etiam calceamenta pedum reddidit, quia Ecclesiam ejus prædicatione ditavit. In cujus convivio occisus est vitulus saginatus; quia in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9), illi factus est cibus: per hoc ostendens etiam sacramenta Dominici corporis per pœnitentiam et confessionem reddi peccatoribus baptizatis. Si enim aliter esset, Petrus post Domini ascensionem caput [1] Ecclesiæ non persuasisset Simoni in emptione Spiritus sancti spem habenti, ut pœnitentiam sumeret inde, cui pecuniam dicaverat in maledictionem (*Act.* VIII, 22). Ille quoque qui incidit in latrones, ab Jerusalem descendebat, non in Ægyptum ad tenebras, non ad Idumæos sanguineos et pulvere aspersos, sed ad Jericho: qui incidit in latrones, non habitaverat cum eis. Sed licet inciderit qui prius latro non erat, non est rejectus a Samaritano; sed adjutus ab eo et cura [2] refectus (*Luc.* X, 30-36). Quod non fuisset, si solis non baptizatis spem veniæ reliquisset. Amicus vocatus est Lazarus, et postea mortuus, fetidus resuscitatus est et quatriduanus (*Joan.* XI, 11-44), ostendens, quantumcumque peccet homo, etiam postquam fuerit amicus Dei, vivere poterit ejus spiritus; sed valido Dei clamore et multorum fletu foras a peccato vocabitur. Prius tolletur lapis desuper ab ipso; quia cordis duritiam projiciet ex animo, quam tollent intercessores et prædicatores labore suo. Filiam Abrahæ quam alligabat satanas, solvit Dominus reclamantibus licet Judæis: hæc filia erat et ligata, et soluta in sabbato (*Luc.* XIII, 16).

CAPUT IV. 9. *Peccatum in Spiritum sanctum male intelligunt de solis baptizatorum peccatis. Quid sit. Nec melius capiunt peccatum ad mortem.* Adhuc sunt qui clamant non esse remissionem peccatorum baptizatis per pœnitentiam, dicentes peccatum in Patrem et Filium remitti, in Spiritum sanctum omnino non ignosci; putantes peccare in Patrem et Filium esse infidelium, et habere remissionem per Baptismum. Isti peccant absque Spiritu, quem non acceperunt: illi autem in Spiritum sanctum, quem acceperunt per Baptismum, qui ejus dona non retinent, et diaboli venena eligunt. Istos intelligunt nec hic, nec in futuro misericordiam consequi posse (*Matth.* XII, 32). Sed iste intellectus magis est erroris, quam sanctæ fidei. Si enim per solum Baptisma, quod iterandum non est, fit peccatorum remissio: cur adderet Dominus, *neque in futuro*? Constat autem quædam in futuro remitti, ubi non est operatio Baptismi. In futuro autem nemo baptizabitur, et a peccato liberabitur. Sicque falsa est interpretatio, quæ remissionem concedit soli Baptismo. Non itaque soli infideles peccant in Patrem et Filium, sed quicumque peccatum committunt. Sed soli peccant in Spiritum sanctum, qui impœnitentes existunt usque ad mortem. Spiritus enim sanctus, charitas est divinitatis, amor est genitoris et genitæ Veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit sui ipsius arrham. Qui igitur peccat, et gratiam suam recuperare non amat, et nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor et charitas, nec ad eum tendit unde sumpsit arrham, in Spiritum sanctum peccat, et nunquam post mortem sicut nec vivens consequetur veniam: sicque nullus peccat in Spiritum sanctum, qui fugit ad ipsum. Si quis lectionis seriem, ubi hoc legitur, et verbi causam cogitaverit, etsi aliter intelligat, sinistre interpretantibus non concordat. Dicebant enim Judæi, *In Beelzebub ejicit dæmonia* (*Ibid.*, 24), opus Spiritus sancti attribuentes diabolicæ potestati. Dixit ergo, Sunt peccata quæ quoquo modo sunt ferenda, sunt blasphemiæ consecuturæ misericordiam; sed blasphemare Spiritum sanctum, ut incepistis, ducet vos ad mortem. Unde postea dixit, *Non potest arbor mala fructus bonos facere*: quasi dicat, Convenit vitæ vestræ de Spiritu talia dicere: *Arbor bona non potest fructus malos facere* (*Id.* VII, 18). Consilium est, Convertimini, et in arborem bonam transite; nec jam poteritis de Spiritu sancto talia sentire.

10. Objiciunt aliud dictum sancti Joannis, *Est peccatum non ad mortem, pro quo oret quis; est aliud ad mortem, pro quo non oret quis* (I *Joan.* V, 16): quasi pro peccatis ante Baptismum sit orandum, pro aliis non. Falluntur qui sic intelligunt. Contrarius enim esset sibi ipsi, qui pœnitentiam admonuit Ecclesiæ Pergami (*Apoc.* II, 16). Sed sunt quædam peccata venialia, quæ oratione dominica quotidie solvuntur, cum dicitur, *Et dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12): et hæc, ut idem ait, non sunt ad mortem. Alia vero quæ sunt ad mortem, non sic, sed per fructus pœnitentiæ solvuntur. Qui Petrum lacrymantem suscepit, remissionem non negavit baptizatis. Jam enim audierat, *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Id.* XVI, 19), qui licet postea Dominum negaverit, et a se amicos Christi excommunicaverit, per pœnitentiam et amaros fletus veniam recuperavit (*Id.* XXVI, 70-75). Ægrum se esse Dominus dicit, respiciens ad membra sibi unita. Quæ membra sunt, qui per Baptismi sacramentum Deo uniti sunt. In quibus cum se ægrum commemorat, non ab hominibus peccata committi negat, quæ quotidie per pœnitentiam destruit.

CAPUT V. 11. *Instant quod pœnitentia non valeat iterata. Refelluntur. Ex Dei promissis. Ex Apostoli et Ecclesiæ praxi. Peccatorum venia cur sæpius necessaria. Desperatio Deo est contumeliosa. Desperare nec debet sacerdos.* Adhuc instant perfidi, qui sapiunt plus quam oportet; non solum, sed excedentes mensuram. Dicunt enim, Etsi semel peccantibus post Baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus proderit iterata; alioquin remissio ad peccatum esset incitatio. Dicunt enim, Quis non semper peccaret, si redire semper posset? Dicunt enim Deum incitatorem mali, si semper pœnitentibus subvenit: et ei placere peccata, quibus semper præsto est gra-

[1] Ms. Cisterciensis, post Petrum caput.
[2] Mss., tuta

tia. Errant autem. Imo constat ei peccata multum displicere, qui semper præsto est ea destruere. Si enim ea amaret, non ita semper destrueret, sed conservaret, atque ut sua munera foveret. Semper destruit peccata quæ invenit; ne solvatur quod creavit, ne corrumpatur quod amavit. Sumunt occasionem hypocritæ isti ex factis Domini. Quem enim, inquiunt, cæcum bis illuminavit? quem leprosum bis mundavit? quem mortuum bis suscitavit? Non Lazarum, quem prius dilexit, non filium viduæ, quem misertus matri restituit: non filium dissipatorem legitur bis suscepisse, non filiam Abrahæ bis a dæmonio liberasse. In nulla persona iteravit factum, docens, ut aiunt, non sæpe a Domino fieri remedium. Dixit multis, *Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat* (*Joan.* VIII, 11): promittens pœnam, non amplius veniam.

12. Quod autem multos cæcos illuminaverit et diverso tempore, et multos debiles confortaverit, ostendit in diversis illis eadem sæpe peccata dimitti; ut quem prius sanavit leprosum, alio tempore illuminavit cæcum. Ideo enim tot sanavit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos et aridos, ne desperaret sæpe peccator. Ideo non scribitur aliquis nisi semel curatus, ut timeat quisque jungi peccato. Videmus adhuc quotidie in Ecclesia sæpe febricitantes, sæpe languidos, sæpe passionibus captos sæpe liberari; ut appareat toties opus miserentis, quoties confessio fit pœnitentis. Quomodo enim corpus quod vilius est, et ab ipso dissimilius, sæpe sanaret: et animam digniorem [1] et redemptam, non toties liberaret? Medicum se vocat, et non sanis, sed male habentibus opportunum (*Matth.* IX, 12). Sed qualis esset hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est centies infirmum visitare, centies curare. Qui cæteris minor esset, si aliis possibilia ignoraret.

13. Memor est sui, qui promisit, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 32). Quem enim peccatorem excludit? Et quod omnibus promisit indulgentiam, aliis promissionibus declarat: *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, id est, omnis quantumcumque et quotiescumque peccator, cujuscumque ordinis, etiamsi fuerit sacerdos; *confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* X, 32). Nam *qui invocaverit nomen Domini*, id est, secundum quod vocatur Dominus, id est, qui invocaverit eum ad se serviendo, et non contradicendo, ut forsitan sæpe fecit: *omnis*, id est, quicumque sit ille peccator, *salvus erit* (*Joel* II, 32). Omnem enim animam iste promissor saturavit bonis, etiam sedentes in tenebris et umbra mortis, nullam excipiens animam. Hunc magistrum intellexerat discipulus ille, qui Corinthios per Epistolas suas voluit corrigere, et, ut ipse testatur, ter in Litteris suis eos correxit (II *Cor.* XIII, 1). Oportebat enim ut quoties videbat eos cadere, toties adjuvaret eos surgere. Memor enim erat illius qui dixerat, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX, 23). Scimus autem primos patres, et in omni tempore Ecclesiam Dei semper usque septuagies septies, quod est semper, peccata dimittere. Quam potestatem illi ab Ecclesia Dei conantur auferre.

14. Oportet enim Ecclesiam sic credere, quæ confitetur se sæpe peccare. Negant enim veritatem in se seductis esse, qui se absque peccato audent jactare: *In multis enim offendimus omnes* (*Jacobi* III, 2), nec infans unius diei absque peccato super terram esse potest (*Job* XXV, 4). Quapropter eliminandus est ab Ecclesia iste error, qui unquam pœnitentibus negat indulgentiam. Non enim inquirit quid Apostolus senserit, qui dixit, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (I *Cor.* IV, 4), sentiens etiam et justis peccata solere contingere: non se confirmabat absque peccato, qui se cognovit indissolubili vinculo charitatis Christo conjunctum. Nisi enim sciret sæpe justos ad veniam venire; quomodo dubitaret se peccare, qui se sciebat spiritum Dei habere, et intentione munda Domino serviret? Cur enim Dominus Petri pedes lavisset, et Ecclesiam hoc idem docuisset (*Joan.* XIII, 5, 14), nisi quia quotidiana est offensio, oportet quod quotidiana sit remissio? Cur autem docuisset ipse Dominus orantes dicere, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12), nisi ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere?

15. Nullus itaque tantum unquam possit peccare, quod pœnitens velit [1] desperare. Quid enim deterius est desperare, quam Deum sibi comparare? Nam qui de Deo non præsumit veniam, non animadvertit plus peccato suo Dei posse clementiam. Si enim sentiret Deum magis bonum, quam se malum, quidquid in se justitiæ non inveniret, a Deo magis bono exspectaret: et quidem diffidit, quia summi boni bonitatem majorem sua nequitia non sentit. Ille solus diffidat, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est. Cum sit autem nullus qui hoc possit; qui timet de se malo, præsumat de meliore. Diabolus enim et omnis nequitia minor est, quam Dei misericordia. Ipse enim si posset sperare, et culpam in se sentire; quod non invenit in se, sumeret in Dei pietate. Adhuc qui diffidit, et suam nequitiam Dei benignitati comparat, finem imponit Dei virtuti, dans finem infinito, et perfectionem divinitatis auferens Deo; cui nihil deest, quod etiam excogitari non potest.

16. Non itaque etiamsi sacerdos peccaverit, desperare debet [2], licet scriptum sit, *Quis orabit pro eo* (I *Reg.* II, 25)? Tota namque Ecclesia, atque alius sacerdos, et omnis sanctorum ordo orabit pro eo, et ipse Christus qui pro nobis offert se Deo. Sed hoc considerandum est sacerdoti, ne facile cadat, cui in hoc gravior notatur pœna. Dicat apud se, Si plebs jejuna verbi Dei peccaverit, oportebit me ferre partem ponderis; non audebo illi importabilia imponere, et non digito ea movere (*Matth.* XXIII, 4): sed ego si peccavero, quid faciam? Non sic facile evadam, me oportebit flere miseriam. Non enim est sic statutum de me, sicut de subjecta plebe. Sic sacerdos timeat peccare; sed magis, desperare.

CAPUT VI. 17. *Error præsumentium veniam sine pœnitentia.* Sunt alii inimici desperationis [3], qui adeo præsumunt et de Deo confidunt, quod quamdam sibi licentiam peccandi acquirunt, et sine pœnitentia exspectant veniam: quia credunt quoniam Christiani vocantur, non posse damnari, adulantes sibi, quod scriptum est, *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel.* II, 32). Putant enim se nomen Domini invocare, quoniam possunt Christum credere, et sacramenta Ecclesiæ sumere: non verentes multos esse vocatos, paucos vero electos (*Matth.* XX, 16). Putant enim omnes Christianos paucos esse in multitudine Gentium et Judæorum: quare etsi omnes salventur credentes, paucorum tamen est electio in tanta multitudine. Sed si quis animadvertere voluerit, deceptos hos esse cum Ecclesia judicabit, licet confidant in Christi redemptione. Dicunt enim, Quid prodesset Christum venisse, si mali tantum sicut ante adventum suum adhuc perirent? Antequam enim fieret Deus homo, mali tantum damnabantur: et si adhuc idem esset, eum venisse quid prodesset? Multum, inquam: nam omnis bonus ante adventum Domini salvus factus est per adventum [4]. Nemo enim infernum egredi posset, nisi a Christo perveniente in eum extrahi meruisset: neque facultas bene operandi et diabolo contradicendi tanta hominibus inesset, nisi Christus tanta pati et resurgere decrevisset. Hi neque Apostolos neque verba Domini attendunt, qui fornicatoribus et criminosis hominibus tam multipliciter et toties pœnas promittunt.

CAPUT VII. 18. *Quod Deus malis mala reddat.* Adhuc additur iniquitas priori consimilis, licet con-

[1] Mss., *animam morte dignam et.*

[1] Forte, *debeat.*

[2] Mss., *posset.*

[3] Mss., *sunt alii immensi desperantes, qui*

[4] Sic Mss. At editi, *per venturum.*

traria. Desperantes enim Dei judicant misericordiam; hi condemnant justitiam, injustum Deum blasphemantes, qui reddere mala malis ignorat, et peccata eorum exaltat. Sed miror cur non credant Apostolo dicenti, *Spes non confundetur* (*Rom.* v, 5), qui non verentur [1] pœnam, quam idem criminosis promittit. Si enim ubi minatur, verax non est; cur confidunt quod sperantibus verum dicat? Sed qui verus est in promittendo, verus est etiam in minando. Sed non est sperare, bonum pro malis exspectare. Imo temerarius est, qui peccatum non abhorret. Sed cum peccat, ad pœnitentiam recurrat, confidat in Domino, quem timeat justum et immunditiarum inimicum.

CAPUT VIII. 19. *Quod solum originis peccatum sine pœnitentia remittatur. Invitus baptizatus. Pœnitentiæ jugis necessitas. Peccatum crescit neglectum: nullum respectu Dei parvum. De quibus assidue dolendum. Non omnis dolor, pœnitentia. Pœnitentia quid. Non est nisi de male usa libertate. Peccata lethalia.* Cum itaque pœnitentia efficax sit et fructifera, neminem relinquens sine venia, mortuos resuscitans: de modo et varietate ejus aliqua disseramus. Pœnitentia enim baptizandis non est necessaria [2]; sed baptizatis de majoribus et minoribus peccatis dolendum sive pœnitendum est. Per fidem enim Ecclesiæ sola remittuntur peccata, quæ contraxit homo in origine: ut sicut a patre peccante damnationem accepit, ita per matris Ecclesiæ fidem consequatur remissionem. Sed qui per se peccavit, per dolorem proprium et per fidem Ecclesiæ indulgentiam acquisivit. Hæc per Baptismum ita reddunt hominem mundum et novum, ut nihil remaneat quod Deo displiceat. Sine pœnitentia nulli profuit Baptismus, qui peccavit spontaneus. Si quis autem baptizaretur invitus, et in falsitate confessus; cum pœnituerit, salvus erit, adjuvante fide et charitate totius matris Ecclesiæ per totum orbem diffusæ. Ob hoc sunt catechumeni ab Ecclesia constituti, ut dum Baptismum exspectant, unde jure pœniteant, doceantur. Hæc restituit hominem in libertatem arbitrii primi parentis, adhuc in abundantia virtutum constituti.

20. Est enim pœnitentia assidue peccantibus, assidue necessaria. *In multis enim offendimus omnes* (*Jacobi* III, 2), quæ quotidie remittuntur, si semper plorantur. Ista [3] per sacramenta Ecclesiæ et orationes semper fugantur, ut jure audiant, *Tota pulchra es, et macula non est in te* (*Cant.* IV, 7). Non quin fiat dico, sed manere non potest. Tanta est virtus petitionis tuæ et unitatis Ecclesiæ, ut quidquid extraneum acciderit, durare non possit. Licet enim speciosi sint pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* x, 15; *Isai.* LII, 7), lavatis tamen in remissionis figura excutiendus est pulvis qui contrahitur in via. Hæc peccata etsi sint parva per Dei misericordiam, fiunt tamen magna in peccatoribus negligentia. Nullum enim peccatum adeo parvum, quod non crescat neglectum. Non enim considerandum est quid fecerit, sed quem offenderit: quam bonus, quam benignus, quam pius, quam propitius est, qui illum sua dulcissima pietate creavit ex nihilo, qui eum absque merito perduxit ad Baptismum, et educavit et nutrivit tanquam filium: ad cujus commodum creavit cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt ex nihilo, cui serviunt omnia tanquam filio, cui misit Angelum in auxilium, propter quem fortem et callidum debellavit hostem ejus antiquum, propter quem tam multiplicia pati sustinuit, ut moreretur Filius [4], cum quo dignatur habere consortium: qui Deus majestate sua regit et gubernat omnia propter eum potestate sua. Talem patrem offendere, contra ejus voluntatem aliquod committere animadvertentibus ac se non ignorantibus quam est crudele? Unde qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, ut totam vitam suam, quæ est tentatio super terram, plorent tota vita sua.

21. Ista autem sunt, cum aliquid citra vel ultra modum agitur. Ipsa enim bona quæ per se bona sunt, aliquid contrahunt cum excedunt. Quidquid deest a perfectione, quidquid deficit ab homine, quidquid nostrum est, plorando delendum [1] est. Quidquid aliquo modo agitur, non mundissima intentione, quidquid aliquo modo operamur, et non tamen purissimo Dei amore, non est liberum a fragilitatis operatione. Quicumque tam miserum esse ut hominis est dilexerit, et qui ejus fragilitatem non abhorruerit, sed omnino sibi reservaverit, et suum esse nunquam nisi propter acquirendum verum esse quod Deus est toleraverit, addit operi divino procul dubio dolendum. Et qui se cognoscit quid est, diligat hoc solum quod spectat ad illum qui est. Si quis enim sapienter cogitat, quid turpissimæ fragilitati ab ipsa conditione inhæreat, quam fœdus et turpis sit in carne, quam mutabilis in mente; hoc solum in se diligit, quia tale eum ad Deum ducet. Quidquid etiam boni facimus, si id melius facere possemus, a nobis est quod in culmine boni non sumus. Si quid boni novimus, et minus aliquo modo operamur, non omnino a nostra operatione est alienum. Ista assidua, et quodam modo quasi necessaria, assidua laventur confessione, assidua restaurentur compunctione [2]. Surgamus purissimi ad purissimam perfectionem; ne istis quæ parva sunt multiplicatis, quasi quadam scabie patiamur corrumpi et collidi: ne pinguedine charitatis imminuta sinamur macie affligi, et tortura immundæ conscientiæ macerari. Semper tendamus in melius, semper in puritatem Baptismi tendentes, et eam summopere conservantes: ut cum de hac vita exibimus, ad eum qui mundissimus est, mundi perveniamus, et sine mora ab eo suscipiamur.

22. Doleamus esse exsules a patria, doleamus vivere in corruptibili materia. Hic dolor magis ex desiderio, quam ex vindicta sit [3]. (Unde differt a pœnitentia. Pœnitentia enim est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Qui autem dolet quod detinetur in mortali corpore, desiderat quod amat, plorans quod tardat. Omnis pœnitentia est de male usa libertate. Iste vero dolor magis in necessitate est. Nullum autem peccatum est necessarium. Ipsum autem peccatum originis ob hoc est malum, quia fuit in Adam spontaneum. Illius enim voluptas male usæ libertatis punitur in nobis; non quia necessarium, sed quia fuit spontaneum. Nihil enim a nobis quæritur, quod commisissemus; nihil a nobis exigitur nunc, quod [4] fecissemus. Relinquitur in filiis opus paternæ voluptatis. Requirit diabolus filios in servitutem, quorum patris emit libertatem.) Iste dolor factus est, non ex conscientia peccatrice, sed ex operante charitate; non puniens malum, sed augmentans bonum; non impatienter habitus, sed ex desiderio susceptus. In hoc desiderio erat Andreas, qui in cruce positus a Domino requirebat, Tempus est ut commendes terræ corpus meum. Volebat enim eum plebs de cruce deponere. Ipse autem cœpit Dominum rogare, Ne me permittas, Domine, descendere vivum, sed tempus est ut commendes terræ corpus meum: tam diu enim jam portavi, tam diu super commendatum vigilavi, et laboravi, quod vellem jam [5] ipsa obedientia liberari, et isto gravissimo indumento exspoliari. Recordor quantum in portando onerosum, in fovendo infirmum, in coercendo lætum [6], in domando superbum laboravi. Scis, Domine, quoties a puritate contemplationis me retrahere conabatur, quoties a dul-

[1] Alias, *qui negant*.
[2] Ms. Augustinensium, *et baptizandis est necessaria*.
[3] Ms. Vaticanum, *Ita*.
[4] Alias, *ut moreretur Filium*.

[1] Alias, *dolendum*.
[2] Mss., *jubilatione*.
[3] Forte, *fit*.
[4] Ms. Augustinensium, *quod tunc*, omisso ante, *nunc*.
[5] Editi addunt, *ac*.
[6] Alias, *lentum*.

cissimæ quietis somno me excitare contendebat, quantum et quoties dolorem ingerebat. Qui igitur tam diu, pater benignissime, pugnanti restiti, et tua ope superavi et vici, a te pio et justo remuneratore posco, ne mihi ultra commendes, sed depositum reddo. Commenda alii quem illud ultra non impediat [1], et resurrecturum servet et reddat, ut et ipsum quoque meritum sui laboris recipiat. Terræ me commenda, ut me amplius vigilare non oporteat, et libere ad te fontem indeficientis gaudii tendere anxiantem me non retrahat, nec impediat. Hic dolebat jam non esse cum Domino, nec pœnitebat commendatum resurrexisse Domino. Sic itaque non omnis dolor est pœnitentia. Sunt etiam peccata alia, quæ omnino eripiunt vitam, nisi succurrat pœnitentia. *Non enim omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Quare agenda est pœnitentia, ut deleantur crimina.

CAPUT IX. 23. *Pœnitentia quæ sterilis, quæ utilis. Ne dimidiata sit. Sine amore Dei nemo invenit gratiam.* Sed quoniam pœnitentia non omnis est bona, dicamus aliqua quæ separant veram a falsa, sterilem a fructifera. Sunt enim quos peccasse pœnitet propter præsentia supplicia. Displicent enim latroni peccata, quando operantur pœnam. Deficit vindicta; revertitur ad crimina. Ista pœnitentia non ex fide procedens, nec charitate [2] vel unitate, sterilis manet et sine misericordia. Hæc non purgat conscientiam, nec lavat crimina. In hac nulla est spes veniæ, nulla exspectatio indulgentiæ. Huic concordant qui confitentur inviti, non amore boni, sed ut fugiant damnum vel incommodum sæculi. Serviunt mundo quem amant, quærunt suam gloriam quam anhelant, recipiunt mercedem quam exspectant. Si quis tali pœnitentia securus exstiterit, et ad veram de ista non contenderit, deceptus et miser æternaliter peribit. Utilis ergo erit pœnitentia, si sit spontanea; Dominum quærens quem amisisse doleat, ad illum anxians præter quem non est vita.

24. (*a*) Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quædam in quibus delectentur: non animadvertentes Dominum simul surdum et mutum a dæmonio liberasse (*Matth.* XII, 22): per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reservari, habenti septem dæmonia, proficere potuit sex expulsis. Expulit autem septem, ut omnia crimina simul ejicienda doceret. Legionem autem ab alio ejiciens (*Luc.* VIII, 30), neminem reliquit ex omnibus qui liberatum possideret: ostendens quod si etiam peccata sint mille, oportet de omnibus pœnitere. Laudatus est enim Dominus, quando ejecto dæmonio locutus est mutus. Nunquam aliquem sanavit, quem omnino non liberavit. Totum enim hominem sanavit in sabbato, quia et ejus corpus ab infirmitate, et animam ab omni contagione liberavit: indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine orto in anima et in corpore. Scio enim Deum inimicum omni criminoso: quomodo ergo qui crimen reservat, de alio reciperet veniam? Sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam. Hostis enim Dei est, dum offendit perseveranter. Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est dimidiam sperare veniam. Jam enim foret sine pœnitentia invenire [3] gratiam. Pœnitentia enim vera ad Baptismi puritatem, pœnitentem conatur adducere. Recte enim pœnitens quidquid sordis post purificationem contraxit, oportet quod abluat saltem lacrymis mentis. Sed satis durus est, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Sed sciat se culpabiliter esse dorum, qui deflet damna temporis vel mortem amici, et dolorem peccati lacrymis non ostendit. Non ita pie est ut quis excuset se quod non habet fontem lacrymarum, qui lacrymis ostendit dolorem temporalium rerum.

CAPUT X. 25. *Confitendi ore proprio præceptum. Misericordiam habet cum justitia. Sacerdotum potestas. Quibus ad sacras confessiones utendum. De confessione non sacerdoti.* (*a*) Quem igitur pœnitet, omnino pœniteat, et dolorem lacrymis ostendat: repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem. Præcepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus (*Luc.* XVII, 14): docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim, Ora monstrate; et omnes, non unus pro omnibus. Non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum (*Levit.* XIV, 2): sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis: ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quod per se ipsum dicit sacerdoti, et erubescentiam vincit timore Dei offensi, fit venia criminis: fit enim per confessionem veniale, quod criminale erat in operatione; et si non statim purgatur, fit tamen veniale [1], quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei denegavit. Deus enim qui misericors est et justus, sicut conservat misericordiam in justitia, ita et justitiam in misericordia. Opus enim est misericordiæ, peccanti peccata dimittere. Sed oportet ut justus misereatur juste. Oportet enim ut non solum quid, sed in quo doleat consideret, si dignus est, non dico justitia, sed misericordia. Justitia enim sola damnat. Sed dignus est misericordia, qui spirituali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescentiam. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet quod quanto pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus jam possunt proficere, plus confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Deus: Lazarum enim de monumento jam suscitatum obtulit Dominus discipulis solvendum (*Joan.* XI, 44), per hoc ostendens potestatem solvendi concessam sacerdotibus. Dixit enim, *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 18): hoc est, Ego Deus; et omnes ordines cœlestis militiæ, et omnes sancti in mea gloria laudant vobiscum, et confirmant quos ligatis et solvitis. Non dixit, Quos putatis ligare et solvere; sed, in quos exercetis opus justitiæ aut misericordiæ. Alia autem opera vestra in peccatores non cognosco. Quare qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare et solvere: ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet et petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest verecundari [2] coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Et si ille cui confitebitur potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia, ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent (*Luc.* XVII, 14). Unde patet Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire. Sæpe quidem eos quærunt sani et læti: sed dum quærunt et

[1] Mss., *in illo ultra non impedias.*
[2] Alias additur hic, *munita.*
[3] Ms. Vaticanus, *jam enim si ne vera pœnitentia inveniret.* Gratianus, *nam quomodo sine vera pœnitentia inveniret.*
(*a*) De Pœn. dist. 3, cap. *Sunt plures.* 4 Sent. dist. 15, cap. *Satis.* Petr. Bles. lib. de Confess.

[1] Apud Gratianum, *vitale.*
[2] Sic Mss., cum Gratiano et Magistro. At editi, *confiteri.*
(*a*) De Pœn. dist. 1, cap. *Quem pœnitet.* 4 Sent. dist. 17, cap. *Sed quod.* De Pœn. dist. 6, cap. *Qui vult.* 4 Sent. dist. 17, cap. *Nunc.*

antequam perveniant ad eos, moriuntur. Sed Dei misericordia est ubique, qui et justis novit parcere, etsi non tam cito, sicut si solverentur a sacerdote. Qui igitur omnino confitetur sacerdoti, meliori quam potest confiteatur.

CAPUT XI. 26. *Privata confessio quando sufficiat. Publica quando requiratur, et unde ei meritum.* Si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis, ut grata sit oblatio muneris. Nam in resurrectione filiæ principis pauci interfuerunt qui viderent. Nondum enim erat sepulta, nondum extra portam civitatis delata, nondum extra domum in notitiam deportata. Intus resuscitavit, quam intus invenit, relictis solis Petro et Joanne et Jacobo et patre et matre puellæ (*Luc.* VIII, 51), in quibus figuraliter continentur sacerdotes Ecclesiæ. Quos autem extra invenit, animadvertendum est quomodo suscitavit. Flebat autem turba post filium viduæ; flevit Martha et Maria supplicantes [1] pro fratre, flebat et turba quæ Mariam fuerat secuta, lacrymis Mariæ admonita (*Joan.* XI, 39) : in quo docemur publice peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum. Sic itaque mortuus jaceat, sicque se mortuum ostendat, publice mortem suam prædicando, publice fructus pœnitentiæ ostendendo, ut turba ploret amissum, et defleat quem dolet mortuum. Istis lacrymis movebitur Dominus, qui reddet matri unicum filium suum (*Luc.* VII, 12). Si minus perseveraverit, si se mortuum per fructus pœnitentiæ non declaraverit; tanto plus oportet addere, unde lacrymas excitet [2], non solum Marthæ, sed etiam Mariæ. Tantum se affligat, tantum se dolere et se mortuum sentire ostendat, ut audientes et contemplantes plorando orent veniam, quorum fletum imitetur Ecclesia. Qui enim multos offendit peccando, placare multos oportet satisfaciendo : ut Ecclesia prius offensa per culpam, in conversione flectatur in misericordiam, orans pro ipso quem defunctum dolebat, unde Deus flectetur ad veniam, qui prius adhibuit misericordiam.

CAPUT XII. 27. *Extra Ecclesiam non valet pœnitentia.* (a) Laboret itaque pœnitens in Ecclesia esse, et ad Ecclesiæ unitatem tendere. Nisi enim unitas Ecclesiæ succurrat, nisi quod deest peccatori, sua opitulatione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum est enim, et pietas fidei expostulat credere, quod omnes eleemosynæ totius Ecclesiæ et orationes et opera justitiæ et misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem suam. Ideoque nemo digne pœnitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ. Ideoque non petat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiæ divisos. Judas enim pœnitens ivit ad Pharisæos, reliquit Apostolos : nihil invenit auxilii, nisi augmentum desperationis. Dixerunt enim, *Quid ad nos? tu videris* (*Matth.* XXVII, 4). Si peccasti, tibi sit : non tibi succurrimus, non peccata tua charitative suscipimus, non comportanda promittimus, non qualiter deponas onus docemus. Quid enim nobis et misericordiæ, qui nec opera sequimur justitiæ? Isset ad fratres [3]; isset ad illos qui oraverant pro socru Petri febricitante (*Marc.* I, 30), qui Chananæam improbam misericordissime obtulerant (*Matth.* XV, 23) : interrogasset Petrum pro se lacrymas effundentem (*Luc.* XXII, 62) : non fugisset Mariam et Martham, quæ vitam Lazaro impetraverant (*Joan.* XI, 1); non turbam plorantem, quæ unicum filium acquisierat viduæ (*Luc.* VII, 12). Ivit ad divisos; et divisus periit. Hanc unitatem omnis boni sensit operatricem qui dixit, *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos* (*Cant.* VIII, 11). Nisi enim in Ecclesia universali populos se continentes [4] cognosceret, se vineam non præsumeret. Scit enim et experimento cognoscit, utpote qui pro omnium salute laboraverat, se absque auxilio Ecclesiæ stare non posse. Non enim est parvum, cum omne bonum succurrit, sive in cœlo, sive in terra constitutum. Hoc amittens per excommunicationem, nisi recuperet per sanctæ matris unitatem vel pietatem, quomodo unquam poterit digne pœnitere? Quomodo Deum benevolum poterit invenire, qui ejus sanctissimam sponsam et matrem et filiam et sororem non dubitavit offendere, et ejus auxilium omnino contemnere!

CAPUT XIII. 28. *Qualiter, quamdiu et unde dolendum.* (a) Ex fide pœniteat, credat hanc esse medicinam, omnes fructus suæ pœnitentiæ parvos habeat, nunquam sufficiat, semper doleat, semper de Domino ante quem peccavit erubescat, dolorem cum vita finiat. Nam si Apostolus etiam peccata per Baptismum dimissa continue plorat; nobis etiam super fundamentum Apostolorum positis, quid præter plorare restat? quid, nisi semper dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit et pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu enim gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a pœnitentia. Dixit enim Dominus, *Vade, et amplius noli peccare* (*Joan.* VIII, 11). Non dixit, ne pecces; sed, nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor continue in pœnitentia custodiatur? Hinc semper doleat, et de dolore [1] gaudeat, et de doloris pœnitentia, si contigerit, semper doleat. Et non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, et non semper doluisse doleat.

CAPUT XIV. 29. *Quæ deflenda et confitenda, ubi de circumstantiis peccatorum. Qui peccans in uno fiat omnium reus.* (b) Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici exsecutione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status aut officii, et secundum modum meretricis, et in modo operis sui, et qualiter turpitudinem suam peregit. Si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus dominorum et aliorum multorum; si in tempore orationi constituto, aut in festivitate sanctorum, et in tempore jejunii : consideret quantum perseveraverit, et defleat quod perseveranter peccaverit, et quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur [2] sed ultro se offerunt peccato : nec exspectant tentationem, sed præveniunt voluntatem, et pertractant secum quam multiplici actione vitii delectabiliter peccent. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda; ut cum cognoverit quod peccatum est multum, cito inveniat Deum propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat se cujus fuerit ætatis, cujus sapientiæ, cujus ordinis, et statum omnem alterius non peccantis. Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis : purgans lacrymis omnem qualitatem vitii, defleat virtutem qua interim caruit. Dolendum est enim, et dolore purgandum, non solum quia peccavit, sed etiam quod se virtute privavit qua interim caruit. Nam licet speret se consecuturum veniam, dolere tamen potest quia non promeruit unde remunerari confidat. Anxietur et doleat quod modo effugiens de præteritis pœnam, miser non inde exspectet gloriam : cujus omne tempus quoniam brevissimum est, debuit decertavisse ad consequendum præmium. Defleat etiam quoniam in uno offendens, factus est omnium reus. Ingratus enim exstitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Etiam alio modo offendens in uno, reus est omnium :

[1] Apud Fr. Lugd. et Ven., *supplicans.* M.
[2] Edit., *lacrymis excitetur.*
[3] Edit. : *si isset, si isset ad fratres.* Glossa, *ire debuisset ad fratres.*
[4] Forte, *continente se.*
(a) De Pœn. dist. 6, cap. *Qui vult.* 4 Sent. dist. 17, cap. *Nunc.*

[1] Mss. *et dolere.*
[2] Mss. : *Sunt non solum qui vincuntur.*
(a) De Pœn. dist. 3, cap. *Si post.*
(b) De Pœn. dist. 5, cap. *Consideret.* 4 Sent. dist. 16, cap. *In perfectione.* Vid. Petr. Bles. de Confess.

quia omnis virtus detrimentum patitur ab uno vitio. Nam si quis cadit in avaritiam, largitatem destruit, et castitatem minoravit. Amore enim pecuniæ vel violaret castitatem, vel saltem minus amaret. Si enim propter Deum tanta adhuc castitas inest, ut nolit eam perdere : saltem minori gaudio, minori affectu tuetur eam, ubi videt unde procedere damnum pecuniæ. Sicque et in aliis quæ etiamsi non expellantur, tamen per conceptionem unius vitii vel satis vel parum minorantur, vel intensione deteriorantur : unde omnis virtus cuicumque crimini est deflenda, et de omnibus indulgentia est petenda. Animadvertere etiam oportet, et animadvertendo deflere animam proximi, quam fornicator Deo eripuit, vel ereptam in malo confirmavit : etiam quod exemplum exstitit mali in operatione sui criminis, cui magis profuisset, si aliis fuisset causa conversionis. Gemat itaque aliorum vitam in sua corruptam, vel incorruptam non conservatam[1], et commodum proximi quod dedisset exemplo boni. Doleat de tristitia, quam peccando bonis intulit, et de lætitia quam eis non adhibuit. Et non solum cogitet quid et qualiter fecerit ; sed quam injuste Deum, ut diximus, peccando offenderit. Timeat illam Veritatis sententiam, *Non potestis duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Timeat ergo, ne omnia bona quæ fecit, dum in uno peccato perseveraverit, ex contaminatione mali[2] perdiderit : ut qui servivit diabolo per crimen, Dei quam obtulit amiserit servitutem[3]. Pium est tamen credere, ut recepta Dei gratia, quæ in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona : ut cum destruxerit quod suum non invenit, amet et diligat bonum quod etiam in peccante plantavit.

CAPUT XV. 30. *Pœnitens qualiter affectus esse debeat. Non confiteri dimidiate uni, dimidiate alteri. Ab altari se sequestrare. A ludis se cohibere. Pœnitentiæ fructus.* (*a*) In omnibus dolens, aut sæculum derelinquat, aut saltem illa quæ sine admixtione mali non sunt administrata, ut mercatura, militia ; et alia quæ utentibus sunt nociva, ut administrationes sæcularium potestatum, nisi his utatur ex obedientiæ licentia. Ponat se omnino in potestate judicis, in judicio sacerdotis, nihil sibi reservans sui, ut omnia eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte ; et hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam ut Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur Deum, certus de venia, quam[4] omnibus modis et sine tædio dubius rogaret potestatem terrenam. Abstineat a multis licitis, qui in libertate arbitrii commisit illicita. Semper offerat Deo mentem et cordis contritionem, deinde et quod potest de possessione. Tunc quod offert securus offerat. *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus :* sed prius *ad Abel* dicit, quam *ad munera*. Sumens enim mentem quam cognovit humilem ac puram, remuneravit ejus largitatis munera. *Ad Cain vero non respexit, nec ad munera ejus* (*Gen.* IV, 4, 5). Mentem enim ejus quam viderat, quoniam non cognovit humilem, ejus munera non recepit. In judicio itaque cordis consideranda est eleemosyna tribuentis. Nec jam considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Vidua enim duobus quæ habuerat minutis larga (*Luc.* XXI, 2), plus omnibus misit. Qui igitur vult peccata sua redimere temporalium oblatione, caveat ut prius mentem offerat.

31. Cautus sit pœnitens ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis sacerdotibus velit manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant : quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, ad quam per frusta totam putant pervenire[1]. Caveat præterea quem vera delectat pœnitentia, non prius ad Domini corpus accedat, quam confortet bona conscientia. Sed in hac separatione tremendum Dei judicium cogitet, ubi magis terribilis sententia peccantes[2] separabit in ignem. Gemat quod nondum audet sumere quem multum desiderabat cibum salutarem. Isti sunt digni fructus pœnitentiæ, animam captivam elaqueantes, et in libertatem servantes. Cohibeat se præterea a ludis, a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi gratiam remissionis. Nam Dina si se cohibuisset, si inter suos remansisset, ab extraneo raptore corrupta non fuisset (*Gen.* XXXIV, 1). Tanto igitur magis sibi caveat et cohibeat se anima quæ sæpe vel semel rapta est et corrupta : timeat jam docta experimento, quod ignorat virgo. Eligat quem imitetur, non sequatur quem animus suus damnat : se enim judicat, qui fructus pœnitentiæ non habentem a se non elongat ; laudat enim et amat quos digne fructificare non ignorat. Quærat fructus dignos, etsi non dignos pœnitentiæ. Sunt enim digni fructus virtutum fructus, qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim graviores expostulat fructus, ut sic pacetur Ecclesia ; ut pacata dolore et gemitibus, mortuis impetret vitam.

CAPUT XVI. 32. *Excusationes futiles in peccatis. Conditio aut natura. Dei ordinatio. Gratiæ defectus, aut efficacia divinæ voluntatis. Qui Deus peccatum nolit, nec tamen cohibeat. Quid homini præstet ut gratiam servet.* Sentiat culpam suam esse, nec velit se excusare, ne augeat crimen, ut Adam, cui non sufficiebat peccasse ; sed ampliavit crimen culpando uxorem, et culpam transferens in auctorem. Istud peccatum multoties incurritur, sed neglectum ignoratur. Non itaque peccantes dicamus, Non aliud potui, cum me constitui furem, quia Deus fecit me pauperem. Nec mirum si deditus sum fornicationi, quia talis creatus sum naturæ et fragilitatis : fragilitas enim, non voluntas, cogit me committere criminalia. Errat enim qui sic fallitur. Natura enim talis est, ut possit quisque resistere malo, cui se subjicit ex arbitrio. Sunt autem qui defendunt culpam in Dei providentia, reputantes Dei ordinationi et necessitati, quod relictum est voluntati et arbitrii libertati. Scivit enim Deus quid facturus esset qui peccavit : sed non ordinavit peccatum, qui nullum relinquit impunitum. Ordinavit pœnam amantibus culpam. Ignis enim opus est justitiæ, non misericordiæ, ut habeant unde doleant, qui gaudere[3] non amant. Non ordinavit peccare, qui peccatum voluit curare[4] ; sed permisit libertati, quod peccator donavit necessitati. Si enim non posset peccare, unde deberet qui totus est justitia eum remunerare? Ideo enim non sanctificat animalia muta, quia nulla possunt committere crimina. Angeli quoque qui perstiterunt, si liberi non fuissent, unde coronarentur? Potuerunt enim peccare, quorum similes ceciderunt. Licet misericorditer cuncta crearet[5], justitiam tamen in misericordia qui justus est custodire oportuit. Sed dicit qui non sentit culpam suam, Nihil boni possum habere, nisi inspirante gratia ; nihil enim sine ea possum facere. Si ipse itaque me non conservat, ego qui ex me nihil possum, quam habeo culpam? Si ego sine eo possem vitare crimen, me sentirem culpabilem. Adhuc, Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra : quid itaque culpæ in me est, si non vult salvare? Multum, inquam. Licet enim nihil consequi possis sine misericordia illa quam repellis ; potes tamen libere tenere gratiam, quam retinendo potes, si tamen placeat, evitare culpam. Deus enim

[1] Mss., *vitam non conservatam vel corruptam in sua, et commodum*, etc.
[2] Alias, *communicatione mala.*
[3] Gratianus, *Deo quas obtulerit, amiserit virtutes.*
[4] Alias, *qui.*
(*a*) 4 Sent. dist. 15, cap. *Quibusdam.* Petr. Bles. de Confess. 4 Sent. dist. 16, cap. *In perfectione.*

[1] Mss., *quam per frustra datam putant invenire.*
[2] Ms. Augustinensium, *pœnitentes.* Gratianus, *impœnitentes.*
[3] Forte, *nunc.*
[4] Ms. Augustinensium, *noluit creare.*
[5] Alias, *crearerit.*

qui semel incœpit benefacere, nisi, quod omnino nostrum est, derelinquamus ejus beneficium, qui pius est in operando, cogitur ex necessitate justæ misericordiæ neminem prius posse relinquere. Non enim sui est relinquere, nisi relinquentem. Idcirco enim culpa nostra est, quia fugamus gratiam quam possumus habere perpetuam : semper invita recedit, et nunquam aliquem spontanea deserit. Cui tamen sententiæ non contradicit, sed (*a*) omnia quæcumque voluit fecit. Creavit enim quidquid voluit, nec plus creavit quam voluit. Vult tamen in unoquoque bonum, et in nullo malum : sed sic vult, ut homo quem non vult peccare, non desit esse homo. Non tamen vult ita hominem non peccare, ut eum velit bovem statuere : non enim haberet quem remuneraret, nec cui fulgorem suæ claritatis infunderet, nec quem cohæredem statueret, nec in quo imaginem et similitudinem suam inveniret. Nec illius, qui totus est justitia, fuit aliquem sic formare, ut non posset peccare, nisi hoc promereretur in humana libertate. Vult fieri bonos salvo utriusque esse, ut ipse remaneat Deus, et ipse homo. Si enim formaret hominem sine libertate, contra justitiam faceret quæ Deus est : si auferret libertatem, humana dignitas non remaneret. Voluit itaque non peccare hominem, sed humanam naturam non amittere. Sic itaque pius est, qui nostram vult salutem : et non est impotens, qui hoc vult salvo utriusque jure. Justus enim est rex, et jus cujusque tueri oportet. Præsto enim semper est gratia, quæ nunquam deficit, nisi prius expulsa. Continue et necessario quod suum est inspirat, si est qui recipiat : et expulsa revertitur per pœnitentiam. Ut non pereat creatura, quam pietate sua liberam creavit et libertate ditatam, in auxilium gratiæ retinendæ, quæ semper præcedit omnem creaturam, fecit ut libere serviret. Ad hanc protegendam, ad hanc non expellendam addidit Angelos et omnes spiritus beatos, addiditque [1] omnes in æterna vita collocatos, addidit in carne vivos, et totam sanctam Ecclesiam omnibus in omni suo bono succurrentem : et, quod maximum est, Filium suum misit in auxilium, quem tanta pro nobis pati decrevit, et interpellatorem constituit continuum, quem direxit ut inspirationem suæ pietatis (præter quam nihil creavit, neminem salvavit) non expellamus, non fugiamus, non fastidiamus, sed omnibus adjuvantibus firmiter et cum gratiarum actione teneamus. Sic culpa nostra est, non creaturarum in auxilium nobis tributarum, non auctoris nihil injuste, sed pie volentis, et in omni voluntate sua omnipotentis. Qui itaque in confessione ista animadvertit, aut saltem contra ista culpam suam non defenderit, per pœnitentiam consequetur veniam. Hæc est vera pœnitentia, quæ sic est fructifera : quam nobis concedat qui totus est vera misericordia.

CAPUT XVII. 33. *Pœnitentia sera. Quæ vera et quam rara.* (*b*) Nullus itaque exspectet quando jam non potest peccare. Arbitrii enim quærat libertatem, ut delere possit commissa, non necessitatem. Qui itaque prius a peccatis relinquitur, quam ipse relinquat, ea non libere, sed quasi necessitate condemnat. Licet enim latro veniam meruisset in fine de omni suo crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseverandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus est, qui tunc primum in cruce Christum confessus est (*Luc.* XXIII, 43). Pœnitentia enim si in extremo vitæ hiatu advenerit, sanat et liberat in ablutione Baptismi : ita quod nec purgatorium sentiunt qui in fine baptizantur ; sed ipsi ditati bonis sanctæ matris Ecclesiæ, recepturi sunt multiplex bonum in vera beatitudine. Illi autem qui cum potuerunt, nunquam converti voluerunt, confitentes cum jam peccare nequeunt, non sic facile acquirunt quod volunt. Oportet enim peccatorem, ut in pœnitentia fructificet, ut mortuo vitam impetret. Scriptum est enim, sine charitate neminem salvum esse (I *Cor.* XIII, 2). Non itaque in solo timore vivit homo. Quem ergo sero pœnitet, oportet non solum timere Deum judicem, sed et justum diligere : non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria. Debet enim dolere de crimine, et de omni ejus prædicta varietate. Quod quoniam vix licet, de ejus salute Augustinus [1] potuit dubitare. Credo quod ille [2] qui dixit, *Quacumque hora peccator ingemuerit et conversus fuerit, vita vivet* (*Ezech.* XXXIII, 12) ; dixit conversum, non tantum versum vivere. Versum quidem puto qui dolet de crimine ; conversum, qui dolet de omni ejus quam exposuimus varietate. Vertitur a peccato, qui jam vult dimittere peccatum : convertitur, qui jam totus et omnino vertitur, qui jam non tantum pœnas non timet [3], sed ad bonum Deum [4] festinat tendere. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de sero pœnitente. Quem enim morbus urget, et pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem, maxime cum filii quos illicite dilexit præsentes sint, uxor et mundus ad se vocent. Multos solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper potest etiam in morte juvare quibus placet. Cum itaque opus sit non hominis, sed Dei fructifera pœnitentia ; inspirare eam potest quandocumque vult sua misericordia, et remunerare ex misericordia quos damnare potest ex justitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt et languentem retrahunt, periculosissimum est et interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est cui Deus tunc inspirat. Si quis est igitur qui veram tunc quærat pœnitentiam, exspectet Dei clementiam [5], majorem sentiens Dei bonitatem sua nequitia.

CAPUT XVIII. 34. *Igni purgationis obnoxia sera pœnitentia. Pœnæ æternæ justæ.* (*a*) Sed etiamsi conversus vita vivat, et non moriatur : non tamen promittimus quod evadat omnem pœnam : nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis etsi æternus non fuerit, miro tamen modo est gravis : excellit enim omnem pœnam quam unquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est pœna (licet mirabilia passi sint martyres tormenta, et multi nequiter iniqui), quanta sæpe sustinuerint supplicia. Studeat ergo sic quisque delicta corrigere, ut post mortem non oporteat pœnam tolerare. Quædam enim peccata sunt, quæ sunt mortalia, et in pœnitentia fiunt venialia [6], non tamen statim sanata. Sæpe quidem æger moreretur, nisi medicaretur, nec statim sanatur : languet victurus, qui erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omnino moritur, et æternaliter cruciatur. Qui enim impœnitens finitur, si semper viveret, semper peccaret ; at Dei est miserentis quod operatur finem peccantis : ob hoc etiam sine fine torquetur. Quia nunquam ditatur virtute [7], semper plenus iniquitate, semper sine charitate, torquetur sine fine. Omnia ista mala devitat pœnitentia, quæ dolorem semper expetit in pœna.

CAPUT XIX. 35. *Pœnitentiæ etymon.* (*b*) Continue enim dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est, pœnam tenere : ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Pœna enim proprie dicitur læsio,

[1] Mss., *addidit cuique.*

(*a*) Id est, *scilicet.*

(*b*) De Pœn. dist. 7, cap. *Nullus.* 4 Sent. dist. 20, cap. *Sciendum.*

[1] Abest a Mss., vox, *Augustinus.*

[2] Sic Mss. At editi : *Credo quidem illi.*

[3] Mss. omittunt, *non.*

[4] Gratianus, *sed ad bonum Domini.*

[5] Gratianus : *si quis est enim qui per veram pœnitentiam exspectat Dei clementiam, sentiet majorem,* etc. At Mss. : *sed magnum est cui Deus tunc inspirat veram pœnitentiam quando exspectat Dei misericordiam, majorem sentiens,* etc.

[6] Mss. et Gratianus, *vitalia.*

[7] Mss., *qua virtute privatur.*

(*a*) 4 Sent. dist. 20, cap. *Si vero.*

(*b*) De Pœn. dist. 2, cap. *Pœnitentes.* Ibid. dist. 6, cap. *Qui vult.*

quæ punit et vindicat quod quisque commisit. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat quod commisisse dolet. Pœnitentia itaque est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. Supradictis itaque modis requirat indulgentiam, qui dolet de culpa. Non erubescat confiteri peccata peccatori. Si enim sacerdos peccatum non haberet, erubescere posset qui peccata sua ei manifestaret.

CAPUT XX. *Confessarius qualis esse debeat. Quando ab officio amovendus, quando restituendus. Romani pontificis auctoritas.* (*a*) Sacerdos itaque omnis cui profertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus quæ in alio judicare est promptus. Judicans enim alium qui est judicandus, condemnat se ipsum. Cognoscat igitur se, et purget in se quod alios videt sibi offerre. Caveat ut a se projecerit quidquid in alio damnosum reprehenderit. Animadvertat quod dicitur, *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). Ideo enim liberavit peccatricem, quia non erat qui juste lapidem in eam projiceret. Quomodo lapidaret, qui se lapidandum cognosceret? Nullus enim erat sine peccato, in quo intelligitur omnes crimine fuisse reos. Nam venialia semper remittebantur per cærimonias. Si quod igitur peccatum in eis erat, criminale erat. Deteriores itaque in hoc sunt sacerdotes se prius non ædificantes, illis qui Dominum observabant insidiis. In hoc itaque patentissimum est crimen sacerdotum, et ultra modum detestabile, qui non prius se judicant, et alios alligant. Deberent enim in se timere crimen, quod in aliis timuerunt, et detestabile esse senserunt illi, qui adeo cæci erant, quod summam Sapientiam sperabant capere suis insidiis. Quod illis patuit, quod tunc quisque vitavit, vitet sacerdos qui in hoc errore pejor illis Judæis exstitit. Caveat spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet ut sciat cognoscere quid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare [1], discernat. Diligens igitur inquisitor, subtilis investigator, sapienter et quasi astute interroget a peccatore quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare, et locum, et tempus, et cætera quæ supra diximus in exponendo eorum qualitates. Quibus cognitis adsit benevolus, paratus erigere, et secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate. Adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, et cætera bona pro eo faciendo. Semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, et cum opus fuerit etiam increpando; doceat loquendo, instruat operando. Sit particeps laboris, qui particeps vult fieri consolationis [1]: doceat perseverantiam. Caveat ne corruat, ne juste perdat potestatem judiciariam. Licet enim pœnitentia ei possit acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Licet enim Petrus post lapsum restitutus fuerit, et sæpe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non est tamen necesse, ut hoc omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Invenitur enim auctoritas quæ concedit, et quasi imperat. Invenitur et alia quæ minime concedit, sed vetat. Quæ Scripturæ non repugnant, sed concordant, si tempus et locus et modus pœnitentiæ pacem adhibeant. Cum enim tot sint qui labuntur, ut pristinam dignitatem ex auctoritate defendant, et quasi ausum [2] peccandi sibi faciant, rescindenda est spes ista. Si vero locus est ubi ista non eveniant, restitui possunt qui peccant. Itaque pontifex justus atque discretus non cogitur sacerdotes suos semper abjicere, nec mox restituere, nisi statutum fuerit a Romano pontifice.

37. Ex supra dictis itaque apparet, quod pœnitentia omnibus utilis est, nec spem auferens, nec temeritatem concedens, sed digne et vere suscepta, promittit non solum indulgentiam, sed certa præmia. Hæc scribimus tibi, studiosa veritatis et amatrix certitudinis, de vera pœnitentia, veram a falsa separantes. Quam nobis det experimento cognoscere, et ejus usque in finem dulcedinem sentire, qui tibi illustratione sui luminis prærogativam contulit bonitatis, et in ipso stabilitatis, in odorem suavitatis. Amen.

[1] Mss., *judicari*.
(*a*) 4 sent. dist. 19, cap. *Qualem*. Petr. Bles. lib. de Pœnit.

[1] Alias, *gaudii*.
[2] Alias, *usum*.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBELLUM.

Tractatus de Antichristo excusus etiam est inter opera Alcuini et Rabani Mauri: apud Alcuinum quidem integer et plenus; hic vero et apud Rabanum imperfectus. Nam et quædam hic omittuntur, quæ et in Alcuino sunt et in Rabano; et nonnulla vicissim in Rabano desiderantur, quæ neque hic neque in Alcuino desunt. Citatur a Ruperto Tuitiensi abbate, lib. 8 in Apocalypsim, cap. 13, sed reticente auctoris nomen, in hæc verba: « Tradunt nonnulli, » etc. « Sicut, inquiunt, Dominus et Redemptor noster Bethleem sibi providit, » etc.; neque compertum habemus unde id Lovanienses Theologi didicerint, quod in censura ad hunc tractatum annotarunt, quod nempe Rabani esse opus Rupertus agnoscat. Hujus libelli doctrinam et easdem sententias suo operi in Psalmum, lib. 22, cap. 2, inseruit Rabanus, qui videlicet Albinum ipsum, perinde ac superiores alios auctores, passim exscribit. Thuaneo codici, cujus auctoritate impressus primum fuit nomine Alcuini, astipulatur codex Regius notatus 1111, qui libellum eumdem cum hac inscriptione repræsentat: « Incipit vita Antichristi ad Carolum Magnum ab Alcuino edita. » Confer Alcuini librum 3 de Fide S. Trinitatis, cap. 19. Vix tamen dubitare licet, quin Adsoni monasterii Derbensis abbati adscribendus sit, visis Mss. in quibus exhibetur præmissa epistola, quam hic integram subjicere non ab re erit. Hæc porro sic habet:

ADSONIS MONACHI AD GERBERGAM REGINAM,

UXOREM LUDOVICI ULTRAMARINI REGIS FRANC.

« Excellentissimæ Reginæ, ac regali dignitate pollenti, Deo dilectæ, omnibusque sanctis amabili, Monachorum Matri, et Sanctarum Duci, Dominæ GERBERGÆ, frater ADSO suorum omnium servorum ultimus, gloriam et pacem sempiternam.

« Ex quo, Domina mater, misericordiæ vestræ gratiam promerui, semper vobis in omnibus fidelis fui, tanquam proprius servus. Unde quamvis indignæ sint apud Dominum preces orationis meæ, tamen pro vobis et pro seniore vestro Domino Rege, necnon et pro filiorum vestrorum incolumitate Dei nostri misericordiam exoro, ut vobis et culmen Imperii in hac vita dignetur conservare, et vos faciat in cœlis post hanc vitam secum feliciter regnare. Quoniam si Dominus vobis prosperitatem dederit et filiis vitam longiorem, scimus indubitanter et credimus Ecclesiam Dei exaltandam, et nostræ religionis Ordinem magis ac magis multiplicandum. Hoc ego fidelis vester opto, et valde desidero: qui si potuissem vobis totum regnum acquirere, libentissime fecissem. Sed quia illud facere non valeo, pro salute vestra filiorumque vestrorum Dominum exorabo, ut gratia ejus in operibus vestris semper vos præveniat, et gloria illius pie et misericorditer subsequatur; ut divinis intenta mandatis, possitis adimplere bona quæ desideratis, unde corona vobis detur regni cœlestis. Igitur quia pium studium habetis Scripturas audire, et frequenter loqui de nostro Redemptore, sive etiam scire de Antichristi impietate et persecutione, necnon et potestate ejus et generatione; sicut mihi servo vestro dignata estis præcipere, volui aliqua vobis scribere, et de Antichristo ex parte certam reddere: quamvis non indigeatis a me hoc audire, quæ apud vos habetis prudentissimum pastorem Dominum Roriconem (episcopum Laudunensem) clarissimum speculum totius sapientiæ atque eloquentiæ, hac valde nostra ætate. »

Post hæc prosequitur Adso: « Ergo de Antichristo scire volentes, » ac cætera ut exstant in nostræ Appendicis libro sequenti; nisi quod ad calcem, post verbum « præfixit, » rursum ad Reginam hac brevi peroratione se convertat in hunc modum: « Ecce, Domna Regina, ego fidelis vester quod præcepistis fideliter implevi; paratus de cæteris obedire, quæ fueritis dignata imperare. »

DE ANTICHRISTO
LIBER UNUS.

Antichristi mores. Antichristi jam multi. Antichristi origo. Ubi nasciturus, ubi et a quibus educandus sit. Illius nequitia initio. Prædicatio. Signa. Non erunt vera. Persecutio tribus modis. Persecutionis duratio. Francorum rex ultimus Christianus. Antichristi improbitas. Antichristi finis. De Antichristo scire volentes, primo notabitis quare sic vocatus sit : ideo scilicet, quia Christo in cunctis contrarius erit, et Christo contraria faciet. Christus venit humilis : ille veniet superbus. Christus venit humiles erigere[1], peccatores justificare : ille contra humiles dejiciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, semperque vitia quæ sunt contraria virtutibus docebit, legem evangelicam dissipabit, dæmonum culturam in mundo revocabit[2], gloriam vanam quærens omnipotentem Deum se nominabit[3]. Hic itaque Antichristus multos habet suæ infidelitatis ministros[4] ex quibus multi in mundo jam præcesserunt, qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus : nunc quoque nostro tempore antichristos multos esse novimus. Quicumque enim sive laicus, sive canonicus, sive monachus contra justitiam vivit, et ordinis sui regulam impugnat[5], et quod bonum est blasphemat, antichristus est, et minister satanæ.

Sed jam de exordio Antichristi videamus. Non autem quod dico, ex proprio sensu fingo, vel excogito ; in libris authenticis[6] diligenter relegendo hæc omnia scripta invenio. Sicut ergo auctores nostri dicunt, antichristus ex populo Judæorum nascetur de tribu Dan, secundum prophetam[7] dicentem : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita* (*Gen.* XLIX, 17). Sicut enim serpens in via sedebit, et in semita erit, ut eos qui per semitam justitiæ ambulant[8] feriat, et veneno suæ malitiæ occidat. Nascetur autem ex copulatione patris et matris, sicut alii homines, non, ut aliqui dicunt[9], ex sola virgine : sed tamen totus in peccato concipietur, in peccato generabitur, et in peccato nascetur. In ipso vero conceptionis ejus initio[10] diabolus simul introibit[11] in uterum matris ejus, et ex virtute diaboli confovebitur et contutabitur in ventre matris, et virtus diaboli semper cum illo erit. Et sicut in matrem Domini nostri Spiritus sanctus venit, et eam virtute sua obumbravit, et divinitate replevit, ut de sancto Spiritu conciperet, et quod nasceretur divinum esset et sanctum : ita quoque diabolus in matrem Antichristi descendet, et totam eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, et totam interius exteriusque possidebit ; ut diabolo per hominem cooperante concipiat, et quod natum fuerit, totum sit iniquum[12], totum perditum. Unde et ille homo, *filius perditionis* appellatur (II *Thess.* II, 3); quia in quantum poterit, genus humanum perdet, et ipse in novissimo perdetur.

Ecce audistis qualiter nascatur : audite jam locum ubi nasci debeat. Nam sicut Dominus ac Redemptor noster Bethlehem sibi providit, ubi pro nobis humanitatem assumeret et nasci dignaretur : sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur, locum novit aptum, unde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet civitatem Babyloniæ. In hac enim civitate, quæ quondam inclyta et gloriosa urbs Gentilium[1] et caput regni Persarum erat, Antichristus nascetur : et in civitatibus Bethsaida et Corozaim nutriri et conversari dicitur. Quibus civitatibus Dominus in Evangelio imprecatur[2], dicens : *Væ tibi Bethsaida! væ tibi Corozaim* (*Luc.* X, 13)! Habebit autem Antichristus magos, maleficos, divinos, incantatores, qui eum diabolo inspirante nutrient, et docebunt, et imbuent omni iniquitate, et falsitate, et nefaria arte : et maligni spiritus erunt duces ejus, et socii semper, et comites individui.

Deinde Jerosolymam veniens, omnes christianos quos ad se non poterit convertere, per varia tormenta jugulabit, et suam sedem in templo sancto ponet. Templum etiam destructum, quod Salomon Deo paravit, tunc ædificabit, in statu suo restaurabit, et circumcidet se[3], et filium Dei omnipotentis se esse mentietur. Reges autem et principes[4] primum ad se convertet ; deinde, per illos, cæteros populos. Loca vero per quæ Christus Dominus ambulavit, prius destruet ; deinde per universum mundum nuntios et prædicatores suos mittet. Prædicatio autem ejus et potestas tenebit a mari usque ad mare, ab Oriente usque ad Occidentem, ab Aquilone usque ad Septentrionem. Faciet quoque signa multa, magna, mirabilia et inaudita : arbores scilicet subito florere et arescere, mare turbari et subito tranquillari, naturas in diversas figuras mutari, agitari aera ventis et multimodis commotionibus[5], et cætera innumerabilia et stupenda, mortuos scilicet in conspectu hominum suscitari, *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). (a) Nam quando tanta ac talia signa viderint, etiam illi qui perfecti et electi Dei sunt, dubitabunt utrum ipse sit Christus qui in fine mundi venturus est secundum Scripturas, an non. Hæc autem omnia miracula omnibus modis falsa erunt per incantationes diabolicas, sed peccatoribus et incredulis videbuntur esse vera[6].

Excitabit vero persecutionem sub omni cœlo super Christianos et omnes electos. Eriget itaque se contra fideles tribus modis ; hoc est, terrore, muneribus, et miraculis. Dabit credentibus in se abundantiam auri et argenti[7]. Quos vero non poterit decipere muneribus, superabit terrore : et quos terrore non poterit vincere, signis et miraculis tentabit seducere. Quos autem nec signis poterit illudere, in conspectu omnium miserabili morte tentabit necare. Tunc erit tribulatio, qualis non fuit ex tempore quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. Tunc qui in agro sunt, fugiant in montibus ; et qui supra tectum, non descendant in domum, ut tollant aliquid ex ea (*Ibid.*, 17). Tunc omnis christianus qui inventus fuerit, aut Deum negabit, aut sive per ferrum, sive per ignem fornacis, sive per serpentes, sive per bestias, sive per aliud quodlibet genus tormenti interire jubebit, si in fide permanserit. Hæc autem tam terribilis, et timenda tribulatio, tribus annis manebit in toto et dimidium[8].

[1] Abest, *erigere*, a Ms. Regio.

[2] Alias, *renovabit*.

[3] Ms. Regius, *propriam quæret. Omnipotentem se nominabit*. Adsonis exemplar, *gloriam propriam quærens*, et omisso, *vanam*.

[4] Adsonis exemplar, *multos habet suæ malignitatis ministros*.

[5] Legitur alias, *ordinis sui gloriam impugnat*.

[6] Adsonis exemplar non habet, *authenticis*. In eodem [illegible] exempl. *de tribu scilicet Dan*.

[7] [illegible]

[8] [illegible]

[9] [illegible]

[10] [illegible]

[11] [illegible], ex lib. 32 [illegible]

[12] [illegible]

[1] Hoc, *urbs Gentilium*, non habet Ms. Reg.

[2] Alias, *improperat*.

[3] In R. omissum erat, *et circumcidet se*. M.

[4] Ms. Regius hic addit, *et præsides*.

[5] Adsonis Ms. *faciet quoque signa multa, miracula magna et inaudita ; faciet ignem mirabiliter de cœlo venire, arbores subito florere . . . naturas in diversis figuris mutari, aquas cursus et ordinem converti, aera ventis et multimodis commotionibus agitari*. Et mox, *mortuos etiam in conspectu hominum*.

[6] Adsonis Ms. non habet : *Hæc autem omnia .... videbuntur esse vera*.

[7] Ms. Regius addit, *tempore enim suo census et thesauri absconditi revelabuntur*.

[8] Apud [illegible] additur, *manebit in toto mundo et dimidium*. Ms. Regius omittit etiam, *in toto*. Adsonis Ms., *manebit in toto mundo et* [illegible]

(a) [illegible]

Tunc breviabuntur dies illi propter electos: nam nisi Dominus breviasset dies, non fieret salva omnis caro.

Tempus quidem quando Antichristus veniat, vel quando dies judicii apparere incipiat, Paulus in Epistola ad Thessalonicenses dicens[1], *Rogamus vos per adventum Domini nostri Jesu Christi*, manifestat eo loco ubi ait: *Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis* (II *Thess.* II, 1, 3), etc. Scimus enim quoniam post regnum Græcorum, sive etiam post regnum Persarum, ex quibus unumquodque suo tempore magna gloria viguit, et maxima potentia floruit, ad ultimum quoque post cætera regna regnum Romanorum cœpit[2], quod fortissimum omnium regnorum superiorum fuit, et omnia regna terrarum sub dominatione sua habuit, omnesque populorum nationes Romanis subjacuerunt, et eis sub tributo servierunt. Inde ergo dicit apostolus Paulus, Antichristum non antea in mundum esse venturum, *nisi venerit primum discessio*; hoc est, nisi discesserint omnia regna a Romano imperio, cui prius subdita erant. Hoc autem tempus nondum advenit; quia licet videamus Romanum imperium ex maxima parte jam destructum, tamen quamdiu reges Francorum duraverint, qui Romanum imperium tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit; quia in regibus suis stabit. Quidam vero doctores nostri dicunt, quod unus ex regibus Francorum Romanum imperium ex integro tenebit, qui in novissimo tempore erit, et ipse erit maximus, et omnium regum ultimus: qui postquam regnum suum feliciter gubernaverit, ad ultimum Jerosolymam veniet, et in monte Oliveti sceptrum et coronam suam deponet (hic erit finis et consummatio Romanorum Christianorumque imperii): statimque, secundum sententiam prædictam apostoli Pauli, Antichristum dicunt adfuturum.

Et tunc quidem revelabitur *homo peccati*, Antichristus videlicet; qui licet sit homo, fons tamen erit omnium peccatorum: *et filius perditionis*, hoc est, filius diaboli[3]; quia per omnia adimplebit voluntatem suam, quia plenitudo diabolicæ potestatis et totius mali ingenii corporaliter habitabit in illo, in quo erunt omnes thesauri malitiæ et iniquitatis absconditi: *qui adversatur*, id est, contrarius est Christo omnibusque membris ejus: *et extollitur*, id est, in superbiam erigitur: *super omne quod dicitur Deus* (II *Thes.* II, 4), id est, (*a*) super omnes deos Gentilium, Apollinem, Jovem, Mercurium, quos Pagani deos existimant. Super omnes istos deos extollitur Antichristus[4], quia majorem et fortiorem se faciet illis omnibus. Et non solum supra illos, sed etiam *supra omne quod colitur*, id est, supra sanctam Trinitatem, quæ sola colenda et adoranda est ab omni creatura, ita se extollet, *ut in templo sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Nam, sicut supra diximus, in civitate Babyloniæ natus, Jerosolymam veniens circumcidet se, dicens Judæis: Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni, ut qui dispersi estis congregem et defendam. Tunc confluent ad eum omnes Judæi: existimantes Deum suscipere, sed suscipient diabolum.

Sive etiam in templo Dei sedebit Antichristus, id est in sancta Ecclesia, omnes Christianos cupiens facere martyres[5]: et elevabitur et magnificabitur: quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ. Subito autem et improvise Antichristus veniet, et totum simul humanum genus suo errore decipiet et perdet.[1]

Ante ejus exortum duo prophetæ mittentur in mundum, Enoch scilicet et Elias, qui contra impetum Antichristum[2] fideles Dei divinis armis præmunient, et instruent eos, et confortabunt et præparabunt electos ad bellum, docentes et prædicantes tribus annis et dimidium. Filios autem Israel, quicunque eo tempore fuerint inventi, hi duo maximi prophetæ et doctores ad fidei gratiam convertent, et a pressura tanti turbinis in parte electorum insuperabiles reddent[3]. Tunc implebitur quod Scriptura dicit: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient*[4] (*Rom.* IX, 27). Postquam autem per tres annos et dimidium prædicaverint, mox incipient excandescere Antichristi persecutiones, et contra eos primum Antichristus sua arma arripiet, eosque interficiet, sicut in Apocalypsi dicitur: *Et cum finierint*, inquit, *testimonium suum, bestia descendet de abysso, et faciet adversus eos bellum, et interficiet illos*[5] (*Apoc.* XI, 7). Postquam ergo isti duo interfecti fuerint, inde cæteros fideles persequens, aut martyres gloriosos faciet, aut apostatas reddet. Et quicunque in eum crediderint, signum characteris ejus in fronte accipient.

Sed quia de principio ejus diximus, quem finem habebit dicamus. Hic itaque Antichristus diaboli filius, totius malitiæ artifex pessimus, cum per tres annos et dimidium, sicut prædictum est, magna persecutione totum mundum vexaverit, et omnem populum Dei variis pœnis cruciaverit, postquam Eliam et Enoch interfecerit, et cæteros in fide permanentes martyrio coronaverit; ad ultimum veniet ira Dei super illum, sicut beatus Paulus scripsit, dicens[6]: *Quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui* (II *Thess.* II, 8); (*a*) sive Dominus Jesus potentia suæ visionis illum, sive archangelus Michael per virtutem Domini nostri Jesu Christi occidet[7], non per virtutem cujuslibet angeli vel archangeli. Tradunt autem doctores, quod in monte Oliveti occidetur Antichristus, unde Dominus ascendit ad cœlos[8]. Debetis autem scire quia postquam fuerit Antichristus occisus, non statim erit dies judicii, nec statim veniet Dominus ad judicium; sed exspectabit Dominus quosdam, sicut ex libro Danielis intelleximus, qui seducti sunt, ut ad pœnitentiam revertantur. Postquam vero pœnitentiam expleverint[9]; quantum temporis sit quousque Dominus veniat, nemo est qui sciat, sed in dispositione Dei manet: quia ea hora sæculum judicabit, qua ante sæcula judicandum esse præfixit.

[1] Mss., *demonstrat dicens, Nisi venerit*, etc.

[2] In Ms. Regio, *incipiet*; et mox, *erit... habebit... subjacebunt... servient.*

[3] Addit Ms. Regius, *non per naturam, sed per imitationem.* Cum Regio Ms. consentit Adsonis codex qui mox habet, *adimplebit diaboli voluntatem, quia plenitudo diabolicæ potestatis et totius maligni corporaliter habitabit in illo.*

[4] Adsonis Ms., *super omnes deos Gentium, Herculem videlicet, Apollinem, Jovem, Mercurium, quos Pagani deos esse æstimabant, super omnes istos deos extolletur Antichristus.*

[5] Adsonis Ms., *omnes Christianos faciens martyres.*

(*a*) Aliam repete ex Alcuino explicationem.

[1] Al. Rabanus: *Sed ne subito et improvise Antichristus veniat, et totum simul humanum genus suo errore decipiat et perdat; ante ejus exortum*, etc. Consentit cum Rabano Adsonis codex, nisi quod habet, *ante ejus exordium.*

[2] Mss., *contra impetum Antichristi.* Ita codex Adsonis, qui paulo post habet, *tribus annis et dimidio.*

[3] Hæc a verbo, *docentes*, usque ad verbum, *reddent*, absunt a Ms. Reg. et Alcuino.

[4] Adsonis Ms., *reliquiæ salvi fient*; et paulo post, *mox incipiet excandescere Antichristi persecutio.*

[5] Adsonis Ms., *bestia quæ ascendet de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet eos et occidet illos.*

[6] Adsonis Ms. *veniet judicium Dei super eum, sicut beatus Paulus apostolus scribit, dicens.*

[7] Adsonis Ms.: *Sive Dominus Jesus interfecerit illum potentia virtutis suæ, sive archangelus Michael interfecerit illum; per virtutem Domini nostri Jesu Christi occidetur, non per*, etc.

[8] Adsonis Ms., *occidetur in papilione et in solio suo, in illo loco contra quem ascendit Dominus ad cœlum.*

[9] Adsonis Ms., *sed sicut in libro Danielis intelligimus, quadraginta dies Dominus concedet electis ut agant pœnitentiam propterea quod seducti sunt ab Antichristo. Postea vero quam hanc pœnitentiam expleverint.*

(*a*) Quæ sequuntur, ex Rabano supplemus.

PSALTERIUM[(a)].

Domine Deus omnipotens, Rex[1] æternæ gloriæ, qui eum cognoscis beatum esse virum, qui viam peccatorum spernens, legem præceptorum tuorum[2] meditatur die ac nocte; doce me peccatorem tibi cum toto corde et timore et tremore fideliter servire, et vocem meam te humiliter invocantem exaudi: et ita clementissime auribus percipe verba mea; ut[3] delinquentem in ira furoris tui non me derelinquas, ne quando ille insidians antiquissimus hostis rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat neque qui salvum faciat. Sed tu, Domine, cujus nomen admirabile est in cœlo et in terra, ita converte inimicum meum retrorsum, ut infirmetur et pereat a facie tua: ne unquam irretire valeat laqueis igneis animam meam, neque sulphur et spiritus procellarum obglomeret me. Sed propter[4] inopis miseriam et gemitum pauperis nunc exsurgens respice et exaudi me, Domine, quia consilium inopis et spes ejus es. Fac me, Deus, ita ingredi sine macula, et operari justitiam, ut gratia misericordiæ tuæ sit pars hæreditatis meæ. Custodi me ut pupillam oculi, et sub umbra alarum tuarum protege me: quia tu es virtus mea, firmamentum meum et refugium meum[5]. Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Mitte mihi auxilium[6] de sancto, et desiderium animæ meæ tribue mihi. Libera me de ore leonis, et deduc me per semitas justitiæ tuæ: ut possim ascendere in montem sanctum tuum, et stare in loco sancto tuo, innocens manibus et mundo corde. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. Ne perdas cum impiis animam meam, et ne tradas me in animas persequentium me: sed ita exaudi propitius vocem deprecationis meæ, ut invocantem gloriam sancti nominis tui audias clementer, et miserearis mei, et intende mihi, Domine, ut sperans in te non confundar in æternum: sed remitte[7] mihi impietatem cordis mei. Fiat misericordia tua, Domine, super me, quemadmodum spero in te: et ex omnibus angustiis meis eripiens me, dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Et quia in protectione alarum tuarum spero, da mihi petitionem cordis mei, et intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum: ut sciam quid desit mihi. Exaudi propitius vocem deprecationis meæ, et educ me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. Statue supra petram pedes meos, et dirige in semitam rectam gressus meos. In die mala libera me, Domine, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis domus Dei, quia tu es Deus meus et fortitudo mea. Ne declines gressus meos a via tua[8]: ut diligam justitiam, et odiam iniquitatem. Esto mihi refugium et virtus, quia tu es rex magnus super omnem terram. Qui regis omnes in sæcula, libera animam meam de manu inferi, cum acceperit me. Tu autem cum manifestus fueris ad judicandum nos, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Averte, piissime Domine, in hora illa faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis: ut sicut oliva fructifera in paradiso Dei mei oleum sanctitatis accipiam, et tibi exsultem[9] cum Jacob, et in æternum lætor cum Israel. Salva me in tuo nomine, tuaque virtute libera me. Ne despexeris deprecationem meam, sed miserere mei. Mitte de cœlo, et libera me, et da in opprobrium conculcantes me: contere dentes eorum in ore ipsorum, et confringe molas leonum. Deus meus es tu et misericordia mea; salvum me faciat dextera tua, et protegar a velamento alarum tuarum, cum reddideris singulis secundum opera ipsorum. Dum sitit in te[1] anima mea, protege me a conventu malignantium. Cum ad te omnis caro venerit, non amoveas a me misericordiam tuam, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me[2]; sed illumina faciem tuam super me. Prosperum iter fac mihi, Deus salutaris meus: ut non absorbeat me profundum, ne me aperiat super me puteus os suum. Adjutor et liberator meus esto, Domine, ne tardaveris. Quoniam in te spero, Domine, non confundar in æternum. Cum judicaveris populum tuum, et hi qui se elongant a te peribunt, ne avertar ego humilis factus confusus. Quoniam justus judex es, humilias et exaltas, nimis terribilis, et quis resistet tibi tunc ab ira tua? Tu es Deus qui facis mirabilia magna solus. Sicut populum tuum pane aluisti in deserto, et desiderio suo non fraudasti eum; ita me esurientem gratia tua reficiat, et cito præveniat misericordia tua. Et tu mihi tutor, panem lacrymarum et amaritudinem compunctionum tribue in tempore tribulationis: et da de petra mellis dulcedinem capiam internæ suavitatis[3]. Deus qui inter justos et peccatores cuncta discernis, qui solus es altissimus super omnes gentes, miserere mei, et tribue mihi benedictionem, qui legem dedisti: remitte iniquitatem cordis mei, et dimitte omnia peccata mea: et salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te. Deus qui fundasti Ecclesiam tuam[4] in montibus sanctis, inclina aurem tuam ad precem meam. Manus ergo tua mihi auxilietur, ne avertar in humilitate; sed libera me de laqueo venantium, et a ruina, et dæmonio meridiano: ut plantatus in domo Domini sicut palma floream, et sicut cedrus, quæ est in Libano, merear multiplicari in longitudinem dierum. Esto mihi refugium, et auxilium spei meæ, Deus meus, et rex magnus super omnem terram. Cum judicaveris orbem terræ in æquitate, et populos in veritate tua, luce perenni perfruar cum justis, et cum rectis corde lætitia: salvet me dextera tua, et brachium sanctum tuum. Qui sedes super Cherubim, fac me esse in conspectu tuo cum exsultatione: ut perambulem[5] in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Non adhæreat mihi cor pravum: sed sint oculi mei super fideles sanctos tuos, ut sedeam cum eis ambulans per viam immaculatam, cum disperdideris per judicium de civitate tua omnes qui nunc[6] operantur iniquitatem. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. Propitius esto omnibus iniquitatibus meis, redime de interitu vitam meam. Satia in bonis desiderium meum. Qui respicis in terram, et facis eam tremere, qui eduxisti populum tuum in exsultatione, et electos in lætitia, fac me custodire judicium et justitiam in omni tempore: educ me de tenebris et umbra mortis, ut parato corde cantem, et psalmum dicam tibi. Fac mecum signum in bonum; propter misericordiam tuam et nomen tuum: ut in splendoribus sanctorum, in consilio justorum et congregatione, justitia mea maneat in sæculum sæculi, et cornu meum exaltetur in gloria. Et dum me suscitari jusseris de terra inopem, et de stercore erexeris pauperem, benedicam te ex hoc et usque in sæculum, et tunc placeam tibi in regione vivorum; disrumpe vincula mea, et confirma me in misericordia tua. Cum in tribulatione invocavero te, Domine,

[1] Ms. Regius, *Deus Pater, Rex*.
[2] Abest, *tuorum*, a Regio Ms.
[3] Idem Ms. hic addit, *dum*; et mox habet, *derelinquas, ne quando ille*.
[4] Ms. Reg. omittit, *propter*.
[5] Et hæc omittit idem codex, nempe, *quia tu es.... refugium meum*.
[6] Abest, [illegible].
[7] Ms. [illegible], *te*; omisso, *mihi*.
[8] [illegible]
[9] Ms. [illegible]

[1] Ms. Regius, *confidit in te*.
[2] Hæc omissa in eodem Ms., videlicet, *et spiritum... a me*.
[3] Ms. Regius, [illegible]
[4] Ms. idem omittit, *tuam*; et mox, [illegible]
[5] Ms. idem, [illegible]
[6] Abest, *nunc*, a Ms. Regio.

(a) [illegible] Augustini Hipponensis [illegible] At in Ms. Regio 4573, [illegible] (folio XXII), [illegible]

exaudi me in latitudine. Legem pone mihi, Domine, ut vivam, et vias justitiæ tuæ exquiram semper. Da mihi intellectum, ut per eruter legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Erravi sicut ovis quæ perierat, requirens libera animam meam. Custodi introitum meum et exitum meum, ut in domo tua stantes sint pedes mei in atriis Jerusalem. Ad te levavi animam meam et oculos meos, qui habitas in cœlis: eripe animam meam de muscipula[1] venantium, ut non extendam ad iniquitatem manus meas. Reple gaudio os meum, et linguam meam exsultatione. Imple desiderium meum de bono, et benedic me ex Sion; ut videam bona quæ sunt in Jerusalem: longe fac me ab iniquitate[2]. Fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis servi tui, Domine. Non sit exaltatum cor meum in superbia, neque elati sint oculi mei: sed humiliter sentiam, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ubi mandasti benedictionem et vitam usque in sæculum; ibi extollam manus meas ad[3] Sancta, et benedicam te qui judicas populum tuum, et in servis tuis consolaberis. Deus deorum et Dominus dominorum, deflecto me et adorabo ad templum sanctum tuum, proba me, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas, et deduc me in via æterna. Conserva[1] me, Domine, et eripe me de manu peccatoris, et ab omnibus iniquis libera me. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, Domine. Exaudi me in tua justitia, et non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus: quoniam tu es Deus meus, misericordia mea, refugium meum et susceptor meus. Quoniam magnus es et laudabilis nimis, et magnitudinis tuæ non est finis, erige elisum, solve compeditum, illumina cæcum, qui ædificas Jerusalem. Cum autem confortaveris seras portarum tuarum, intrinsecus cum filiis tuis copulatus sim. Sicut te laudant Angeli, et omnes Virtutes tuæ in regno cœlorum: ubi et ego ita exsultans cum gloria in choro sanctorum, laudem et glorificem nomen tuum in cymbalis labiorum, quod est sanctum et gloriosum, et regnat semper per infinita sæculorum sæcula. Amen.

[1] Ms. Regius, *de laqueo.*
[2] Alias, *quæ bona sunt Jerusalem, longe factus ab omni iniquitate.*
[3] Alias, *in*; et mox, *consolaris.*

[1] Ms. Regius, *conserva.*

Cantici Magnificat

EXPOSITIO (*a*).

Ut novum in carnem Filii Dei adventum prædicaret, qui ingressus novo salutationis obsequio Virginem Gabriel veneratur dicens, *Ave gratia plena*, etc.; *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I, 28 *et* 38), statim adveniente Spiritu sancto in Virginem, et omnium gratia virtutum sacrosanctum habitaculum in adventu[1] Dei implente, dubium non est cœlestium gaudiorum et æternæ dulcedinis quam miram atque inenarrabilem suavitatem Virgo ipsa concepit, quando illud æternum lumen cum toto majestatis suæ fulgore in eam descendit, et quem[2] non capit mundus, totum se intra viscera virginis collocavit. Audacter pronuntio, quod nec ipsa plene explicare potuit, quod capere potuit. Sed Spiritu sancto docente didicerat sic sua per humilitatem tegere. Surgit mox, et conscendit in montana Judææ. Unde Elizabeth Spiritu sancto repleta, qualis et quanta esset quæ ad se venerat agnovit, et quam se indignam ejus visitatione judicaret, aperuit dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce* (*Ibid.*, 43) etc. Tunc ait Maria, *Magnificat anima mea Dominum* (*Ibid.*, 46). Vidisti majestatem; gustasti suavitatem: ideo quod intus hauseras, foras propinasti, et in justitia ejus exsultasti: *Quia exsultavit spiritus meus.* Anima magnificat, spiritus exsultat. Et iterum[3], *in Deo salutari meo* (*Ibid.*, 47). Deus potentiam, salutaris misericordiam notat. Duo quippe sunt quæ Angelorum et hominum beati spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt; incomprehensibilis scilicet majestas Dei, et ineffabilis bonitas: quorum alterum castum timorem generat, alterum dilectionem parit. Pro majestate venerantur Deum, et pro bonitate amant: ne vel dilectio sine reverentia dissoluta sit, vel reverentia sine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, et diligentes admirantur: ut inexstinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, et suaviter in dilectione ferveat admiratio. Nam quia eum quem vident, perfecte comprehendere nunquam sufficiunt, in eo quasi per admirationem evigilant. Quanto autem perspicacius intuentur, tanto ardentius amant, quod vera dulcedo est[1]; vera autem dulcedo quanto perfectius sentitur, tanto desiderabilius appetitur. Ad hanc contemplationis lucem Mariæ mens elevata fuerat, quæ cœlestis patriæ dulcedinem in verbis[2], expressit quam ineffabiliter comprehendit. Nam cum se magnificare Dominum perhibuit, venerandam[3] universis æterni numinis majestatem interna visione contueri se manifeste declaravit; cum vero se in suo exsultare salutari asseruit, gustum se internæ dulcedinis percepisse ostendit. Unde utrumque professa est, et Dominum et Salvatorem: ut pro potestate qua omni suæ creaturæ dominatur, jure metuendum ostenderet; pro bonitate vero, qua misericorditer quosdam salvat, dignum dilectione demonstraret[4]. Veritas in Domino, et in Salvatore misericordia. Veritas enim ad Dominum pertinet, misericordia autem ad Salvatorem; in veritate servat tenorem justitiæ. Quia autem et quædam errantia gratuito ad vitam colligit, et reparat ad salvationem; propterea magnificamus Dominum, et exsultamus in salutari: quia quibus[5] est reverenda judicis justitia, dulcis est misericordia[6] Salvatoris, propterea inquit Maria, *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Unus et idem spiritus et ad se ipsum spiritus dicitur, et ad corpus anima. Spiritus[7] naturalem spiritualem habuit admirationem, anima corporalem: quare anima dicitur spiritus, et e converso. Ideo anima humana, quia et esse in corpore habet et extra corpus, anima vocatur et spiritus. Anima dicitur in quantum est vita corporis; spiritus autem, in quantum est[8] substantia spiritualis. In qua vita anima perditur, ut spiritus salvus fiat, cum hæc vita despicitur, ut postmodum a Deo vita æterna tribuatur. Sed *suo* nominavit, quia in salutari suo. Omnipotens enim

[1] Hugo addit, *Filii.*
[2] Apud Hugonem, *quod.*
[3] Locus mutilatus.

[1] Hugo, *quia ipsum videre sapere est, et quod videtur dulcedo est.*
[2] Addit Hugo, *suis tam mirabiliter.*
[3] Alias, *reddendam*; et mox, *muneris.*
[4] Adde ex Hugone, *Sane quia universæ viæ Domini misericordia et veritas, perfecta laus est Dominum et Salvatorem confiteri, cum veritas in*, etc., *commendetur.*
[5] Hugo, *cui et.*
[6] Idem, *et exsultanter observanda misericordia.*
[7] Locus depravatus.
[8] Hugo add., *ratione perditæ.*

(*a*) Ex Hugonis Victorini Tractatu super *Magnificat* decerpta per incertum scriptorem, qui Opus Hugonis egregium fœdissime corrupit et capite ac membris truncavit.

Deus potestate qua universæ creaturæ suæ dominatur, Dominus omnium est; sed pietate qua quosdam tantum, et non omnes, ad vitam reparat, Salvator omnium [1] non est. Nam dominatio ejus ad omnes æqualiter respicit; bonitas vero ad quosdam tantum [2]. Ergo beata Virgo quia singulariter se electam videbat, quia singulariter gratiam acceperat, quasi privilegio quodam electionis divinæ confirmata, fiducialiter ipsum quem pro salute mundi filium conceperat, suum etiam cum lætitia et exsultatione Salvatorem vocat.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 48). Hæc est causa [3] exsultationis suæ, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: ac si dicat, Quia de ejus gratia exsulto, ideo ab ipso est quod exsulto: et quia ejus dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exsulto. Respectus Dei tribus modis accipi solet [4]; videlicet secundum cognitionem, secundum gratiam, secundum judicium. De primo Apostolus [5], *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 13). Sed per gratiam Deus non omnes respicit: quia, *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII, 16), etc. De tertio in fine dicetur, *Nescio vos* (*Matth.* VII, 23). Oculi Domini bonos et malos contemplantur. Videre Deo per cognitionem, est nihil eorum quæ sunt ignorare: videre per gratiam, dona misericordiæ impendere: videre per judicium, unum quemque secundum opera sua vel ad gloriam vel ad pœnam destinare. Respicere plus est quam videre. Respicere per gratiam [6], est prius abjectos et derelictos visitare. Cum bona placatus per misericordiam subtracta restituit, rursum per respectum gratiæ ad eum se convertit. Bene ergo Maria solam in humilitatem [7] Dominum respexisse testatur, quia divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Nam quia in ea Verbum Patris corporis [8] substantiam quam sibi uniret assumpsit, quasi ad eam quam prius abjecerat naturam sublimandam per misericordiam respexit. Quia se humilitatis [9] quod erat ancillam cogitavit, ideo quod non erat, sublimitatis mater esse meruit: quia humilitatem ostendit servitutis [10]. Servitus quatuor modis variatur. Secundum conditionem servitus, qua omnia divinæ servituti debent esse obnoxia: quia opus factori suo hoc ex conditione sua debet, quod ejus dispositioni obtemperet, et instituta sequatur; ut sicut ab ipso factum est, ita non nisi ab ipso et secundum ipsum incedat. Secundum necessitatem Deo servire dicuntur pravæ voluntates, quæ cum ejus jussionibus contraire nitantur, per ineffabilem tamen ejus dispositionem arctantur, ut nil sine ejus nutu ad effectum perducere queant: serviunt nolentes ejus dispositioni, qui volentes subjecti non sunt ipsius præcepto. Servitus cum timore, est quando divina præcepta non ex dilectione implemus, sed ex formidine. Quarta servitus est, quando voluntarie ejus jussionibus obtemperamus, quia ipsum qui jubet diligimus, nec aliud in nostra servitute, extra ipsum, commodum quærimus, quam ut secundum ipsum ambulantes, ad ipsum pervenire [11] valeamus. Servitutem secundum conditionem parentes nostri in paradiso Conditori exhibere noluerunt, quando in superbiam elati despexerunt esse sub illo, ad quod [12] fuerant conditi; et voluerunt perversi esse in majestate consimiles, qui non erant in natura æquales [13]. Eva per superbiam creaturam Dei se esse et opus Dei non considerans, Deo parificari voluit; Maria autem suo factori humiliter se subdens ancillam se nominavit: et idcirco illa abjecta, et hæc electa est. Superbam despexit, et humilem respexit: id quod superba perdidit, humilis recepit. Ideo ait, *Respexit humilitatem ancillæ suæ* [1]. Sed servi Dei aliquando cum etiam humilitatem habent, humiliationem non habent; nunquam vero humiliationem sine humilitate. Humilitatem sine humiliatione habent, qui licet coram hominibus foris despicabiles non appareant, intus tamen humilitatis meritum coram Deo inviolatum conservant. Ergo Maria quæ apud Deum humilis erat, et apud homines propter Deum abjecta, in utroque se esse respectam testatur: quia et ejus humilitas apud Deum acceptabilis fuit, et ejus humiliatio apud homines in gloriam commutata. Unde sequitur: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Usque ad illud apud homines opprobrium sterilitatis portaverat: quia integritatem virginitatis thoro maritali præponebat. Sed unde in priori generatione carnali quasi maledictionis sententiam sustinuit, inde nunc ab omni generatione mortali benedictionem collaudabiliter recepit [2]: quia ab omni generatione pro fructu fecunditatis meæ beata vocor.

Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus (*Luc.* I, 49). Magnum fuit, ut virgo sine virili semine filium conciperet. Magnum fuit, ut Dei Patris Verbum carne sua indutum utero gestaret. Magnum fuit, ut dum se ancillam confessa esset, mater fieret sui plasmatoris. *Qui potens est.* Quia credi potest ejus potentia, potentem confessa est: sed quanta aut qualis comprehendi non potest. Confessa est potentiam, discutere non præsumpsit: quia sciri non convenit [3] quanta est, quia infinita est. Omne quod prævidit se facturum, facit; nec aliquid quod non prævidit fieri non dubium, sed fieri necesse est [4]. Maria non ait, in se; aut, in me; aut, per me *fecit magna*: sed inquit, *mihi*. Quod enim in ea ad omnium salutem factum est, hoc privilegio dilectionis [5] ad ejus gloriam singulariter est ordinatum. Et ideo dixit, *magna* [6]: quia mysterium incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile. Nihil enim unquam magis mirum factum est, quam ut Deus fieret homo, et natura incomprehensibilis corporis substantiam sibi sic uniret, ut nec minus in ea esset, quia in se erat immensa; nec minor in se existeret, quia in illa fuit [7] creata. Hæc ergo sunt magna. Et ideo *sanctum nomen ejus*. Quid est nomen ejus? Fama ejus (a). Nomen ejus, cognitio ejus: fides, nomen ejus. Hoc nomen sanctum est cum sanctis; cum sanctis gloriatur [8], a sanctis benedicitur, a perversis blasphematur: quia dum Verbum in carne nascitur, gloria Dei per Verbum in hominibus declaratur.

Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum (*Ibid.*, 50). Mariæ, inquam, fecit, non tamen singulariter, sed uni excellenter: verumtamen omnibus timentibus. Nemo a gratia excluditur [9]. *Potentiam fecit in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* (*Ibid.*, 51). Hæc illa misericordia, quam timentibus se exhibuit Deus: quia Verbum suum per assumptam carnem in hunc mundum misit, ut per ipsum aereas potestates potenti virtute debellaret, et genus humanum ab earum potestate redimeret. Ipsi enim superbi sunt, quos dispersit Deus, ejiciens eos foras a cordibus

[1] Apud Hugonem, *non omnium*.
[2] Hugo, *quosdam tantum ad salvationem discernit*.
[3] Alias, *gratiæ*.
[4] Adde ex Hugone, *in sacra scriptura*.
[5] Locus truncatus.
[6] Et hic locus corruptus.
[7] Hugo, *in se*.
[8] Alias, *corporis*.
[9] Hugo, *humiliter*; et mox, *sublimiter*.
[10] Locus [illegible].
[11] Hugo, [illegible].
[12] Idem, *a quo*; et mox, *par esse cum illo*.
[13] Hugo hic addit [illegible] *qualia culpæ respondet*.

[1] Quædam hic ex Hugone supplenda.
[2] Hugo, *meruit benedictione collaudatur*: tum quædam habet hic desiderata.
[3] Hugo, *non potest*.
[4] Hæc fuse apud Hugonem pertractata consule.
[5] Hugo, *electionis*.
[6] Adde ex Hugone, *nec addidit qualia*.
[7] Hugo, [illegible].
[8] Hugo, *quia a sanctis glorificatur*; tum quædam hic ex ipso supplenda.
[9] Alias, *timentibus nequitia excluditur*.
(a) Vid. lib. de septem Vitiis.

hominum, atque spolia eorum diripiens [1], per illam quæ prius in hominibus principabatur, virtutem dissipavit [2]: et hoc *in brachio suo*; id est, per humilitatem Filii diabolum vicit. Brachium ejus, Filius ejus est. Ipsa infirmitas, potentia fuit: quia per illam diabolus est victus: et hoc *mente cordis sui*; id est, profundo consilio suo dispersit eos. Profundum consilium fuit, ut pro homine Deus fieret homo, et innocens pateretur; ut redimeretur nocens: et in his [3] erat consilium, nec poterat illud diabolus prævidere; sed captus est hamo Leviathan. Vel per *superbos*, Judæos intelligere possumus, qui humilem adventum Christi superbe contempserunt, quos abjecit. Unde subditur:

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (*Luc.* I, 52). *Potentes*, quia filii regni qui videbantur abjecit, et gentes per humilem confessionem in consortium regni atque in filiorum adoptionem assumpsit, ac malignos spiritus ex cordibus hominum abjecit: *et humiles*, id est, homines humiliatos, *exaltavit*. Mens etiam cordis Dei est vivax et permanens dispositio æternæ [4] occultæque prædestinationis. Ipse est liber vitæ. Idem est ergo mens, quod liber. Tribus modis aliquis in libro scribitur: secundum præscientiam, secundum causam, et secundum operationem. Quantum ad primum prædestinati sunt scripti: non delentur unquam, licet ad tempus quasi periturus quis a via veritatis [5] errare permittatur. Secundum causam scripti sunt, qui a via veritatis cœpta ad errores declinando recedunt. Tales autem sunt aliquando, qui digna salvatione existerent, si tales usque ad finem permanerent. Secundum operationem, quorum opera secundum humanum judicium talia apparent, propter quæ digni videantur scribi in libro vitæ: qui tamen ea quæ videbantur agere bona deserunt. Hi secundum præscientiam nunquam fuerunt in libro vitæ. *Deposuit*, etc. Prius angelum de cœlo, et hominem de paradiso superbientem projecit: et postea hominem per pœnitentiam humiliatum [6] ad gloriam reparavit. Sed et quotidie superbos quosque, subtrahendo gratiam suam, deponit et humiliat: et postea eosdem humiliatos, gratiam priorem restaurans, exaltat. De quo autem illud est quod sequitur, *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc.* I, 53)? *Esurientes* vocat eos qui se vero bono indigere cognoscunt; *divites* intelligere vult qui superbi sunt, et se præ aliis in donis gratiarum abundare existimant. Ergo sicut humiles modica de se sentiendo majorem gratiam merentur accipere: ita superbi de se præsumendo etiam ea quæ accepere amittunt.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ (*Ibid.*, 54). *Suscepit*, sicut medicus ægrotum, *Israel puerum suum*, id est, humilem et innocentem suscepit, ut sanaret infirmum, et redimeret captivum; ut justificaret impium, et salvaret justum. *Suscepit Israel*, non quem invenit Israel, sed ut faceret Israel: *recordatus misericordiæ suæ*, quam olim promisit, sed diu distulerat: *Sicut locutus est ad patres nostros* (vel, patribus nostris), *Abraham et semini ejus in sæcula* (*Ibid.*, 55). Misericors in promittendo; verax in exhibendo: quia sine debito promisit, et sine dolo exhibuit. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.*

Nota super illud, *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*: quidam neque a Deo exsultant, neque in Deo. Nam qui in carnis voluptate exsultant, aut qui exsultant cum male fecerint (*Prov.* II, 14), isti nec in Deo, nec a Deo exsultant, et malum est unde exsultant. Et quia de malo ad malum exsultant, et suum gaudium in malignitate constituunt; ideo minime in Deo exsultant. Sunt alii qui acceptis gratiæ donis abutuntur, et ea quæ propter salutem animæ data sunt, ad carnis usum et gaudia [1] sæculi convertunt: acceptis enim donis gaudent, quia neque in Deo neque propter Deum diligunt quod a Deo acceperunt [2]. Qui autem gratia accepta ad amorem Dei idipsum convertunt quod ab ipso acceperunt, isti profecto et a Deo et in Deo exsultare probantur. E contra [3] ergo ut suum gaudium solidum esse monstraret, illud neque a vanitate exortum, neque ad vanitatem conversum esse, se Dei dona diligere, in Deo, et pro respectu gratiæ qua præventa erat in Salvatore exsultare perhibuit, dicens: *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

[1] Alias, *dirumpens*.
[2] Hugo, *nam qua.... principabantur, virtutem dissipavit.*
[3] Adde hic, *profundum*.
[4] Hugo, *internæ*.
[5] Alias, *deleatur*.
[6] Alias, *humiliandum*.

[1] Hugo, *gloriam*.
[2] Locus mancus ex Hugone resarciendus.
[3] Hugo, *Maria ergo*.

DE ASSUMPTIONE
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS [(a)]
LIBER UNUS.
INCERTI AUCTORIS AC PII.

Præfatio. *Precatio divini luminis ad digne loquendum.* Ad interrogata de Virginis et Matris Domini resolutione temporali, et assumptione perenni, quid intelligam responsurus, te, Deus omnipotens Pater, voto supplici exoro, ut qui mandas nubibus, et pluunt imbrem, qui tangis montes, et fumigant, qui aperis terram, et germinat, quid dicam jubeas, quid proferam præbeas, ad quid dirigam sermonem aperias. Venerabile est enim mihi, Domine, et præcordiis meis reverendissimum, de matre Filii tui loqui, et de sanctissimo corpore ejus linguam sermonibus occupare, quæ sola meruit Deum et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei et aula regis æterni, secundum quod tu nos docuisti per sanctos Patriarchas tuos, Prophetas et Apostolos, figuris et sermonibus: quibus credidimus, et certi sumus; quia nunquam fefellisti, qui nec falli nec fallere novisti, ostendens Filium tuum coæternum tibi et consubstantialem incarnandum, et incarnatum per virginis uterum, de quo carnem assumpsit qui corporalia cuncta tecum creavit, auctor a ministratrice [1], et Deus ab homine factus homo; ab ea naturam sumens, non originem, sanctificante Spiritu sancto tuo in ea uterum humanum, et purificante atque mundante ad conceptionem Filii tui, cujus dignitatis et gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua

(a) Mss., *et perpetuæ virginis Mariæ matris Domini.* — Hic liber scriptus putatur ætate Caroli M., quia lib. 1 Capitular., c. 158, cæteris anni recensitis festivitatibus ait, «de Assumptione interrogandum relinquimus.» Istud vero an respiciat libri exordium, anve hic ipse liber sit, qui in indice operum Alcuini apud Gibabum centuria 2 Script. Brit. hoc notatur titulo, *Responsiones ad interrogata*, non definimus.

[1] Ita Ms. Regius. At Corbeiensis, *administratrice*. Alter Regius, *administratione*. Editi, *administrator*.

valet exprimere. Non enim nisi talis conceptus talisque partus Deum decuerat, qui venerat redimere quos voluit creare; creare præsertim majestate, redimere humilitate [1]: humilitatis naturam de sanctificato corpore sumens sanctam, et immaculatam de immaculato. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam qui [2] concipiendus præbuit, conceptus et natus non abstulit. Quæ quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de ejus natura naturam suscepit quam condidit. Per quem te quæso, Domine, quia per illum bona cuncta tribuis, quæ ut tribuas cogis, ut me inoffense de tanta sanctitate loqui tribuas. Etsi non totum ut est, quod impossibile omni linguæ humanæ est: tamen ipsum ex parte quod est, dicatur ut est. Sonet ergo pretiosissimum vera pretiositate, sanctissimum certa sanctitate, inæstimabilissimum fidelissima veritate. Quæ quia humanam rationem excedunt, Spiritus tuus adsit, qui suo sacro spiramine inducat nos in omnem dicendorum veritatem: ut quia de eo corpore et anima loquendum est, quod ipse præter naturalem usum sanctificavit, et gratiam contulit, non aliena dicere patiatur, sed propria: ad laudem et gloriam tuam, Deus omnipotens Pater, et ad honorem Filii tui per virginem nati, et ejusdem Spiritus sancti Dei et Domini nostri, cum quo est tibi regnum et imperium in omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT PRIMUM. *Auctor veri amans. In Scripturis alia alio modo exponenda.* [3] Quia profundissimæ et sua dignitate altissimæ sum reponsurus quæstioni, lectorem meum obsecro, ut pro me interprecetur, et si qua à me pleniter dicta cognoverit, donis Dei gratus existat: sin autem minus, nostræ compatiatur humilitati; quia licet minus valeamus, vera tamen procul dubio volumus. De sanctissimo igitur corpore perpetuæ virginis Mariæ, ejusque sacræ animæ assumptione quantum Dominus donaverit loqui suscipientes, hoc primum dicimus, quod in divinis Scripturis postquam Dominus in cruce matrem discipulo commendavit (*Joan.* XIX, 27), ut castis castitas tueretur obsequiis, nihil de ea reperitur præter id quod Lucas commemorat in Actibus Apostolorum, commemoratis eisdem nominatim, dicens: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus* (*Act.* I, 14). Hoc dicimus, quia tanto quæ magna sunt, cautius tractanda existunt, quanto specialibus auctoritatum testimoniis non possunt ad liquidum roborari. Sed quia quædam Scriptura sancta indagationum studiis quærenda reliquit, non sunt superflua æstimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta. Fecunda est enim veritatis auctoritas: et dum diligenter discutitur, de se gignere quod ipsa est cognoscitur. Sæpe enim discussa veram convenientiam parit, quam manifestis sermonibus abscondit; et sæpe apertis sermonibus insinuat, in quibus nihil præter id quod sonuit quærendum invitat: ut est, quod *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam et fratres ejus* (*Matth.* I, 2), et cætera talia, in quibus sola tenenda est littera. Quædam autem sic commendat, ut pariter litteram et mysticum intellectum insinuet [4]: ut in transitu maris Rubri, et manna cœlesti, et tabernaculo Dei, atque arca testamenti, ubi futurorum figura, Baptismi videlicet Christi et Ecclesiæ ostensa est prærogativa. Quædam tantum mystice, ut cum Deum dicit insufflasse in faciem Adæ [5] spiraculum vitæ, qui tamen os ad spirandum non habet, nec manus ad operandum, cum [6] dicat propheta, *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me* (*Job* X, 8).

CAPUT II. *Veritates sunt de quibus Scriptura silet, non ratio. Ex iis est assumptio beatæ Mariæ.* Sunt etiam quædam, quæ quamvis commemorari ex toto omissa sunt, vera tamen ratione creduntur, ad quod ipsa convenientia rei quemadmodum dux et prævia creditur. Nihil enim de Melchisedech sacerdotis Dei excelsi justitia loquitur, cum ipsa præcessisse tantæ laudis merita cognoscatur. Nihil de Enoch et Eliæ, postquam rapti sunt, vitæ felicitate commendat, cunctis liquido scientibus eos beate vivere, quos Dominus hinc et in futurum servandos voluit rapere. Quid ergo de Mariæ morte, quid de ejus assumptione dicendum est, unde divina Scriptura nihil commendat; nisi quærendum ratione quid consentiat veritati; fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua necesse est nec valeat [1] auctoritas? Memores enim conditionis humanæ, mortem illam subiisse temporalem dicere non metuimus, quam idem certe ejus Filius, qui et Deus et homo est, lege sortis humanæ sustinuit: et hoc quia homo de ejus susceptus et profusus est utero.

CAPUT III. *An deceat beatæ Mariæ corpus in pulverem resolutum esse. Non sequitur ex Adæ maledicto.* Sed si dicimus eam mortis teneri vinculis, et resolutam in communem putredinem, vermem ac cinerem: librandum [2] est, si hoc conveniat tantæ sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogativæ. Scimus enim dictum primo parenti, *Quia pulvis es, et in pulverem ibis* (*Gen.* III, 19). Quod si de morte dicitur, generalis est sententia; si de resolutione in pulverem, hanc conditionem Christi caro evasit de carne Mariæ sumpta, quæ corruptionem non sustinuit. De hoc enim scriptum est per David prophetam dicentem, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10). De quo autem sancto dictum sit, archangelus prodidit, qui ad Mariam ait, *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Vere sanctum, et sanctum sanctorum: unde et illa Sancta sanctorum dicuntur, quæ illa servabant quibus ille figurabatur, qui veraciter solus Sanctus sanctorum dicitur. Hic enim est de quo idem archangelus Gabriel Danieli loquitur inter cætera quæ futura ostendit dicens, *Et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum* (*Dan.* IX, 24). Hic enim Sanctus corruptionem non vidit, qui tertia die cum triumpho de inferis rediens resurrexit. Caro ejus quæ de Maria sumpta est, etsi mortua est ex infirmitate, revixit ex Dei virtute. Sed hoc ille, qui quando voluit mori, quando voluit resurgere, potuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de virgine sumpta natura. Quod si non Mariæ congruit, congruit tamen filio quem genuit.

CAPUT IV. *Maria ab Evæ maledicto libera.* Post hæc quæ Adæ dicta sunt, de quibus excipitur Mariæ Filius; continenda sunt quæ etiam Evæ dicta sunt, si cunctis feminis sint generalia, et si in aliquo excipiatur Maria. Scriptum quippe est, *Mulieri quoque dixit Deus, Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. In dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (*Gen.* III, 16). Ærumnam Maria sustinuit, cujus animam gladius passionis Christi pertransivit (*Luc.* II, 35): sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri, id est, mariti potestate deguit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit, et virginitatis integritate manente virgo permansit. Quem quia sine peccati colluvione, et sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit, et sine integritatis violatione, pudore virginitatis integra permansit. Hoc enim potuit efficere de matre, qui sic Deus elegit nasci de homine. Maria ergo etsi communicat ærumnis Evæ, non communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc singularis sanctitas ejus et singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter æstimata est digna. Non immerito ergo excipitur a quibusdam generalibus vera

[1] Cod. Corbeiensis, *humanitate*.
[2] Alias, *quam*.
[3] Mss. hic præfigunt: *Incipit sermo*.
[4] Mss., *insinuat*.
[5] Mss., *etiam*.
[6] Editi, *licet*.

[1] Ita unus Regius Ms. in Corbeiensi, *necesse est valeat*, omisso, *nec*. At editi, *necesse est, nec valet*.
[2] Mss., *laborandum*.

æstimatione, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis prærogativa. Quantum enim Christi potestas possit, mundi ostendit universitas; quantum gratia, Mariæ monstrat integritas : quæ sicut diversa est a natura, ita diversa est ab usu. Quid ergo si in tanta diversitate eam dicimus humanæ sorti mortem subiisse, nec tamen ejus vinculis retineri, per quam Deus voluit nasci, et carnis substantiam communicari, num quid impium erit? Scimus enim Jesum omnia posse, qui de se ipso ait, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18).

CAPUT V. *Matrem Christus in hoc honorare credendus est. Quippe suam ipsius naturam. Unitas gratiæ cum Christo. Unitas Mariæ specialis cum Christo.* Si ergo voluit integram matrem virginitatis servare pudore, cur non velit incorruptam a putredinis servare fœtore? Dicat qui cognovit sensum Domini, et qui consiliarius ejus fuit. Numquid non pertinet ad benignitatem Domini, matris servare honorem, qui legem non solvere venerat, sed adimplere (*Id.* V, 17)? Lex enim sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere singulari salvatione eam in morte et speciali gratia honorasse. Potuit enim eam a putredine et pulvere alienam facere, qui ex ea nascens potuit virginem relinquere. Putredo namque et vermis humanæ est opprobrium conditionis, a quo opprobrio cum Jesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Jesus de ea suscepisse probatur. Caro enim Jesu caro est Mariæ, et multo specialius quam Joseph Judæ cæterorumque fratrum ejus, quibus dicebat, *Frater enim et caro nostra est* (*Gen.* XXXVII, 27). Caro enim Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, et potenti super omnes cœlos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit et manet natura, quæ suscepta est de Maria. Ipse enim est qui conceptus, et genitus, atque a mortuis suscitatus est per gloriam Patris : sicut profecto ipse testatur post resurrectionem, quando Apostolis dicit, *Videte manus meas et pedes meos, quia ipse ego sum* (*Luc.* XXIV, 39). Quid enim est, *ipse ego sum*; nisi quia alter non sum, quam qui tunc eram quando passus sum? hoc siquidem cognoscere potestis, qui in manibus et pedibus clavorum vulnera cognoscitis. Ipse ergo idemque cœlos ascendit, et carnem quam de matre suscepit, super astra transvexit : honorans omnem humanam naturam, et multo magis maternam. Si igitur natura matris est filius, conveniens est ut sit et filii mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum pertinet ad eamdem reciprocam substantiam : ut homo de homine, caro de carne, mater a filio, filius a matre, non ad unitatem personæ, sed ad unitatem corporalis naturæ et substantiæ. Si enim unitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ; quanto magis ubi gratiæ unitas, et corporis est specialis nativitas? Unitas namque gratiæ est, ut discipulorum in Christo, de quibus ipse dixit, *Pater sancte, serva eos in nomine tuo : quos dedisti mihi, volo ut sint unum sicut et nos.* Et iterum de omnibus justis, *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut et tu Pater in me, et ego in te :* hoc est, ut ipsi sint per gratiam, quod nos sumus per divinitatis naturam. Hæc quippe gratiæ unitas, quæ cunctis in Christum credentibus servatur, si Mariæ etiam minus sapientium æstimatione non tollitur : quanto magis cum gratiæ unitate ipsa specialitas naturæ unum efficit matrem et filium, filium et matrem? Videndum est etiam quid de his quos secum per gratiam unum esse voluit, consequenter adjunxit. Ait enim, *Pater sancte, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam quam dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 11, 20, *etc.*). O magnam et inæstimabilem bonitatem Dei, qui habere secum suos in gloria vult, ut sua claritate fruantur, qui hic sua fide juncti, unum cum eo esse digni judicantur! Si igitur eos secum habere vult, ac per hoc potest qui omnia potest; quid commodum est de matre, ubi digna sit haberi, nisi in præsentia Filii?

CAPUT VI. *Mariæ corpus jam dupliciter in cœlo.* Quocirca sic confiteor, quantum intelligo, quantum credo, Mariæ anima egregie fruitur Christi, et gloriosis conspectibus ejus : semper videre sitiens, et semper conspiciens, dum inæstimabiliter pascitur, excellentiori quidem specialique prærogativa a Filio honorata, possidens in Christo corpus suum quod genuit, clarificatum in dextera Patris; et si non suum per quod genuit, tamen suum quod genuit. Et quare non suum per quod genuit? Si non obsisteret necdum perspecta auctoritas, vere credo, et per quod genuit; quia tanta sanctificatio dignior cœlo est quam terra. Thronum Dei, thalamum cœli Domini, domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse ubi ipse est. Tam pretiosum enim thesaurum dignius est cœlum servare quam terra, tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur. Illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, et divinam naturam humanæ univit, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat, ut Verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, escam vermibus traditum quia sentire non valeo, dicere pertimesco communi sorte putredinis et futuri de vermibus pulveris. De quo si nihil altius sentirem quam de proprio, nihil dicerem nisi quemadmodum de proprio. Quod absque ulla ambiguitate solvendum in mortem, post mortem est futurum putredo, post putredinem vermis, post vermem, ut dignum est, abjectissimus pulvis. Quod de Maria credendum non videtur consentibile : quia æstimationem procul propellit incomparabilis gratiæ munus.

CAPUT VII. *Infertur ex petitione Christi pro ministris. Christo in terris Angeli famulabantur.* Quod ut dicere multarum consideratio rerum invitat : quarum et illa quidem est, quam suis aliquando ministris ipsa Veritas ait, *Qui mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26). Si enim hæc est generalis sententia omnium per fidem et piam operationem Christo ministrantium, quanto magis et quomodo specialiter Mariæ? Mariam namque operis exhibitione et fidei rigidissima veritate ministram Christi fuisse, omnis qui sanum sapit intelligit. Absque dubio enim opere ministratrix exstitit, quæ hunc in utero gessit, partumque profusum aluit et fovit, atque, ut Evangelium ait, in præsepio reclinavit (*Luc.* II, 7), et a facie Herodis fugiens in Ægyptum abscondit (*Matth.* II, 15), et omnem infantiam ejus matris affectu prosecuta est; ita ut usque ad crucem, in qua filium jam virum perfectum vidit pendentem, ab ejus indubitanter non recesserit consectatu, non solum gressibus pedum tanquam pro reverentia Domini, verum etiam imitationis affectu. Maria[1] ergo ministratrix Christi specialium operum qualitatibus sicut devotissima exstitit; ita absque dubio religionis fide et veræ credulitatis charitate secutrix fuit. Non enim potuit divinitatis ejus nisi esse credula, quæ se noverat hunc non virili semine secundum ordinem naturæ, sed divino spiramine nuntiante Archangelo concepisse : videns semper famulantium Angelorum ei adesse frequentiam, ut concepto et nato, quando videlicet facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus clamantium et dicentium, *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14) : et in Ægyptum fugituro, atque inde iterum redituro : quibus liquido cognoscere potuit, quia talia obsequia non nisi Deum decuerant. Unde et stellæ annuntiatio, et Magorum de longissimis partibus insperata adductio, maximum illi exstitit indicium veritatis. Similiter et Simeonis et Annæ prophetali dignitate insolitus cæteris et huic specialis occursus. Quæ omnia profecto Maria conservans, his cunctis altius ad fidem roborata, pio corde conferebat : in tantum

[1] Sic Mss. At editi, *pro amore filii, verum etiam imitatione morum tanquam pro reverentia Dei. Maria*, etc.

ut omnino non nutabunda, sed certa de filii potestate, tanquam de Dei vera virtute, deficiente in nuptiis vino dixerit, *Vinum non habent* (*Joan.* II, 3) : sciens plane hoc illum potuisse, quod eum mox contigit divino miraculo complevisse. Ecce igitur Maria fide et opere Christi ministratrix, et devota usque ad ejus mortem secutrix, non plus gressu quam imitationis, ut credendum est, affectu : si ibi non fuerit, ubi Christus ministros suos vult esse ; ubi ergo erit ? Et si ibi, numquid æquali gratia ? Et si æquali gratia, ubi æqua Dei censura, qui unicuique reddit secundum sua merita ? Si ergo merito Mariæ viventi præ omnibus donata est gratia, mortuæ erit minuenda ? Absit : quia si omnium sanctorum mors est pretiosa, Mariæ sane est pretiosissima : quam tanta comitata est gratia, ut mater Dei dicatur, et sit.

CAPUT VIII. *Mariam sine corruptione servare potuit Christus. Voluit, quia et decuit.* Consideratis igitur his universis, et vera ratione, confitendum censeo, Mariam in Christo, et apud Christum esse ; in Christo, quia in ipso vivimus, movemur et sumus ; apud Christum gloriose ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam cæteris, quam hic gratia honoravit præ cæteris ; atque ad communem humilitatem non esse adductam post mortem, putredinis videlicet et vermis et pulveris, quæ suum et omnium genuit Salvatorem : in cujus si potestate est, sanctorum de capite capillum non perire, est et illam anima et corpore integram posse servare. De cujus potestate si nullus dubitet ecclesiasticorum, quin possit matrem sine corruptione in perpetuum servare ; cur dubitandum est voluisse, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam ? Si elegit divina voluntas sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas non solum corpora puerorum servare illæsa, verum etiam ipsa vestimenta servare inusta ; cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena ? Jonam servare in ventre ceti præter naturalem usum voluit incorruptum sola misericordia (*Jon.* II, 1). Mariam incorruptam præter naturam non servabit gratia ? Servatus est Daniel ab intemperatissima fame leonum (*Dan.* VI, 22), non servanda est Maria tantis donata meritis dignitatum ? Hæc cuncta quæ diximus, quia naturam[1] servantia non cognoscimus : in Mariæ integritate plus potuisse gratiam quam naturam non dubitamus. Divinitatis enim opera sunt quæ dicimus ; et ideo possibilia, quia sunt ab omnipotentia. Christus autem Dei Virtus est et Dei Sapientia, cujus sunt omnia quæ Patris, omnia sunt quæ sunt velle : velle autem omnia quæ sunt justa et digna. Ac per hoc videtur digne lætari Maria lætitia inenarrabili anima et corpore, in proprio filio, cum filio proprio, per filium proprium, nec ullam sequi debere corruptionis ærumnam, quam nulla secuta est tantum filium pariendo integritatis corruptio : ut sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia ; sit integriter vivens quæ omnium integram perfectamque genuit vitam ; sit cum illo quem in suo gessit utero, sit apud illum illa quæ genuit, fovit et aluit illum Maria Dei genitrix, Dei nutrix, Dei ministratrix, et Dei secutrix : de qua, ut jam dixi, quia aliter sentire non audeo, aliter dicere non præsumo.

CAPUT IX. *Quo animo prædicta asseruerit auctor.* Suscipiat igitur hunc sensum fraterna Charitas vestra, secundum quod Spiritus Christi inspiravit. Ostensa sunt ex parte, quæ taliter me hortata sunt dicere. Si quis autem refragari his elegerit, cum dicere non velit, hæc non posse Christum : proferat quare non conveniat velle, ac per hoc non esse. Et si se veraciter consilium Dei de his nosse manifestaverit, incipiam ei credere, de quibus aliter non præsumpsi[1] sentire : miraborque illum altitudinem consilii divini investigasse, quam me cum Apostolo digna reverentia videor debere admirari, dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33) ! Et quia, secundum eumdem apostolum, ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (I *Cor.* XIII, 9) : dixi de his, etsi non quantum est, tamen quemadmodum me dicere debuisse credidi. Si ergo vera sunt quæ scripsi ; tibi gratias ago, Christe, quia de sancta Virgine matre tua nisi quod pium est ac dignum visum sentire non potui. Si ergo dixi ut debui, approba, Christe, obsecro, tu et tui : sin autem ut non debui, ignosce tu et tui ? Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Mss. duo, *usum*.

[1] Editi, *possum*.

DE VISITATIONE INFIRMORUM

LIBER PRIMUS.

INCERTI AUCTORIS.

CAPUT PRIMUM. *Flere quando effeminatum, quando humanum.* Visitationis gratia nepoti meo charissimo morienti extremum vale dicturus, hesterna die processi : sed tactus dolore cordis intrinsecus, non sine quantulacumque oculorum humectatione vix verbum in aliquod tandem ora singultuosa resolvi, unde nec digna me, nec digna se satis proferre potui. Si enim (quod omnium est) animus dolore non minimo affectus verba attentaret, ipsa verborum attentatio lacrymarum esset augmentatio. Parcebam itaque verbis, ut parcerem lacrymis. Non consolatorias siquidem effundere lacrymas, effeminatum est : porro nullas (cum gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus jubeamur), et inobedientia et inhumanitas est. Et lacrymatus est Jesus. Plorabo igitur, mi nepos dulcissime, ne sim inobediens et inhumanus, sive non imitator mei Jesu : temperabo quoque a lacrymis, ne nimis videar effeminatus.

CAPUT II. *Ad æternam vitam pœnitentia disponit. Christus ducit, Deus hic excipit venientem.* Tu quoque viam universæ carnis, nepos amantissime, ingredi festinas : quo visurus es parentes tuos, Patriarchas sanctos, omnium etiam summam beatitudinem. Ad tanti igitur itineris, ne deficias in via, subsidium grande viaticum tibi est necessarium. In muro civitatis supernæ apponendus es lapis vivus, in cujus ædificio non auditur strepitus aut malleus. Hic perferendus est strepitus, hic adjiciendus est lapidi malleus, hic conterendum est totum lapidis quadrandi supervacaneum. Strepitus sit peccatorum tuorum recordatio, super quibus perstrepat in aure sacerdotis humillima tua confessio, juxta illud, *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jacobi* V, 16). Malleus sit pœnitentia cordis plus quam pectoris percussio : quæ utraque, dum adhuc aliquantulum in hac vita prævales, ita modificentur, ne in ædificii Dei appositione necessaria habeantur. Nam quo vadis ? Ad vitam. Per quam viam ? Audi Dominum dicentem, *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Non potes errare, Christus via est, non potes falli, Christus veritas est, non potes non vivere, Christus vita est : per Christum viam vades ad Christum veram vitam. Christus

via est, tu viator : Christum viaticum porta, conducet te ad se ipsum via, veritas et vita. Sed quo invenies viam istam? quo invenies viaticum? Christus Deus est : Deus autem ubique est. Si Deus ubique est, et in te est, post te est, ante te est, et in circuitu tuo est, Dei omnia plena sunt. Ne longe Deum arbitreris, quocunque quæsieris, ipsum invenies. Si ascenderis in cœlum, illic est : si descenderis ad infernum, adest. Si sumpseris pennas tuas diluculo, ut habites in extremis maris, etenim illic manus sua deducet te, et tenebit te dextera sua (*Psal.* CXXXVIII, 8, *etc.*). Deum igitur ubique hospitem habes. Hospitium acceptum fac hospiti tanto ; et tunc securus dices hospiti tuo, ut in eundo deducat te, et in deducendo conducat te, in conducendo perducat te, et in perducendo hospitetur te. Dico tibi, si sibi gratum exhibueris hospitium, gratus et gratantius exhibebit tibi hospitium suum. O quam beatus eris, si hospes Dei fueris, si in civitate sua, cœlesti scilicet Jerusalem, mansionem acceperis ; si Deus in die aliqua tibi gratias agens dixerit, Hospes fui, et collegisti me, et quamdiu fecisti uni ex his minimis meis, mihi fecisti (*Matth.* XXV, 35-40) : veni, benedicte Patris mei, percipe regnum! Erraveram equidem, quoniam pro hospitio tuo hospitium Dei promiseram : civem jam conscriptum, imo jam conregnantem, hospitem vocaveram. Non promittit tibi Deus hospitium, promittit regnum : regnabis cum Christo, eris hæres Dei, cohæres autem Christi (*Rom.* VIII, 17).

CAPUT III. *Præparatio ad id, declinare a malo, et facere bonum. Boni totius summa, charitas. Dei donum est. Dilectio Dei et proximi duæ alæ ad Deum.* Sed ad tantam felicitatem adipiscendam præparatio multifaria tibi, charissime, est necessaria. De confessione et pœnitentia superius breviter notatum est. Confiteri et pœnitere, a malo est declinare. A malo declinare, quodam modo bonum est. Sed audisti, *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). Bona est a malo declinatio : sed necessaria est ad bonum faciendum festina et efficax exhilaratio. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7). Et quid est bonum facere? In publico[1] est boni faciendi regula. Enarrat sibi bona impensa Doctor doctorum ita dicens, Hospes fui, nudus et in carcere, sitiens et esuriens; et ministrastis mihi. Et hæc mihi fecistis, quamdiu uni ex minimis meis fecistis (*Matth.* XXV, 35, *etc.*). Grande bonum, quod cum fit in pauperes, redundat in Deum. Sed in pauperes largitio non est totius boni exhibitio. Dicit Apostolus, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3). Ergo totius boni summa est charitas. Distributio facultatum tuarum in pauperes, nisi ex radice charitatis procedat, in Deum non redundat. *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 8). Quod ex Deo procedit, in Deum redundat : quod in Deum non redundat, ex charitate non procedit; ex Deo igitur processio, et in Deum redundatio, Dei dona sunt. Distribue itaque sic tua in pauperes, ut in Deum distributio redundet. Sed quid distribues? Forsitan deest quod distribuas. Audi Tobiam : *Fili, si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem exiguum, etiam illud exiguum impertiri stude* (*Tob.* IV, 9). Si dederis alicui calicem aquæ saltem frigidæ, non perdes mercedem tuam (*Matth.* X, 42). Sed forsitan et aqua deest : sed habes quod distribuas. Habes te ipsum : da te ipsum Deo, et habebis ipsum Deum. Quomodo dabis te Deo? *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. Forsitan domum non habes : dispone tibi, si non disponis domui* (*Isai.* XXXVIII, 1). Qualis erit illa dispositio? Dilige Deum, et diliget te Deus. Assume pennas cum quibus ad Deum evoles. Pennæ quibus evoles, sunt dilectio Dei et proximi. Dei et proximi dilectio, apta tui ipsius est dispositio. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII, 9 *et* 10). De dilectione Dei quid dicam? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis* (*Deut.* VI, 5). Diligat Deum oculus tuus, os tuum, manus tua, pes tuus, omnis sensus tuus, quidquid tu es, quidquid dilectionis in te est, tu totus diligas Deum. Hæ sunt duæ alæ, quibus evoles ad cœlos, transveharis ad sanctos, inseraris inter Angelos. Si otiosa sit manus ab opere, pes a deambulatione : sed nunquam sancta anima vel mens timens Deum vacare poterit a dilectione.

CAPUT IV. *Quod correptio, ut Dei donum, diligenda.* Sed dicis, Diligo Deum. Bene, utinam sit in te quod promisisti sermone. Dilectionis Dei probatio, mandatorum ipsius est completio; operum suorum voluntaria completio, amare quod amat Deus, ardenti desiderio amplecti quod facit Deus. Si igitur Deum diligis, quod facit Deus diligis : et si quod facit Deus diliges, disciplinam Dei flagellantem te diligis. Flagellum Dei sustines? Tussi laboras? pulmone deficis? cibum stomachus respuit? phthisi decoqueris? vinum fastidis? dyssenteria sauciaris? multimodo morborum genere afficeris? Sed et hæc, si oculum habes, si cordatus es, Dei dona sunt. Disciplinam patris ne abjicias, fili. Nemo filius, quem non corripit pater. Sed noli deficere a disciplina Domini, et ne fatigeris dum ab eo argueris (*Hebr.* XII, 5). *Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi* (*Prov.* III, 12). Vis scire, quia infirmitas corporis salutem animæ parturit? Audi Dominum Apostolo respondentem, *Virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9) : ac si dicat, Complectere quam pateris infirmitatem : quoniam ita proficies de virtute in virtutem. Si in infirmitate virtus augmentatur, virtus autem est salus animæ : infirmitas corporis, quando quidem per virtutem animæ parit salutem, donum Dei est; non enim est aliunde nisi ex Deo salus animæ. Flagellum ergo Dei ne contemnas : sed flagellatus dic Deo gratias. Dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem, non in furore, non in ira, sed in misericordia. Aperi pulsanti, devotus esto vocanti, gratias age miseranti. Redi ad te, cogita parumper, cogita de Deo, pensa si potes quoniam super omnia opera sua ipsius miserationes (*Psal.* CXLIV, 9). Ipse Deus est, ipse judex est; nec te vult damnari, nollet te male judicari, vult tui misereri, flagellat in te misericorditer, quod in eum deliquisti pertinaciter.

CAPUT V. *Misericordia Dei quasi injusta.* Deus meus, Deus meus, audebo dicere, pace tua dicam, quoniam magno repletus gaudio dicam, in quodam ecstasis tripudio de te præsumendo dicam : Nisi quia Deus es, injustus esses, quia peccavimus graviter, inhæremus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato, post peccatum ambulamus, extenso collo peccatum nostrum prædicamus, nec abscondimus : et tu placatus es. Nos te provocamus ad iram, tu autem conducis nos ad misericordiam : nos irritamus te ad furorem, tu autem differs vindictam. Justo exterminio punire poteras peccantes, subvertere negligentes : et patientia tua exspectat ut corrigamur pœnitentes. Deus meus misericordia mea, numquid non hæc est injustitia? Sed numquid injustitia apud Deum (*Rom.* IX, 14)? Absit. Quod enim sustinet Deus judex justus patienter, quod justa severitas flectitur misericorditer, totum Deus est. Neque enim aliter Deus esses, nisi flectereris, nisi patereris, nisi misereris : neque aliter flectereris, patereris, misereris, nisi Deus esses. Quodcumque igitur facis, tuum est. Fac igitur, Deus, quod facis : quia quod facis, tuum est. Quod tuum est, bonum est : quod igitur facis, bonum est, Deus meus, misericordia mea.

CAPUT VI. *Morbum et flagella Dei gaudenter excipere. Mors vitæ præsenti præferenda.* Tu igitur, chare mi, ad modicum migraturus de mundo, tantam et tam ineffabilem benignitatem Domini Dei tui ne spernas, flagellum ipsius gaudenter suscipe. Flagellat in te quod nescis, nec injuste; justa enim sunt ipsius judicia : morbus hic corporis, medicina est spiritualis.

[1] Ms. Regius, *in puncto.*

Porro recogita quod morbus tuus, ut aiunt medici, est incurabilis : et tecum revolve, quoniam si contra Deum præsumpseris murmurare; et morbum velis nolis sustinebis, nec murmurando sanaberis : imo anima debilitaberis, dum contra Deum tuum, patrem tuum, medicum tuum, magistrum tuum mansuetissimum et tranquillissimum, in ipso flagello placatissimum, qui nunquam iratus, cum iratus est misericordiæ recordatur, murmuraveris. Meis igitur acquiesce consiliis, et quando quidem murmurando duo mala sustineres, pacificus esto, et gravamen corporale fac tibi antidotum spirituale. Non enim si in flagello vis Deum recognoscere, corpore et anima flagellaberis : non enim flagellat Deus bis in idipsum. O quam jucundo pectore, quam læto corde visitationem divinam debes præoptare! Certe si corpore totus prævaleres, infirmitatem medicinalem a Deo debueras votis omnibus expetere, et ne sanitas corporis infirmitas esset animæ metuere. Nihil aliud scio, sed quia infirmaris, utiliter debes gaudere : quia juxta est vocatio divina, debes ei totis nisibus lætus adesse. Eia si episcopatum aut honorem alium, ut sanitatem infirmis optabilem tibi concessisset Deus, nonne omni gaudio illud donum Dei susciperes? Certe majori exsultatione, affectuosiori voluntate, cum gratiarum etiam actione hanc Dei animadversionem debes tibi unicam habere, quia et hoc utilissimum [1] donum Dei est. Porro si de vitæ istius naufragio, deque compendiosæ mortis camparando commercio cogitares, quam inenarrabiliter vivere fastidires, quam festinanter mori in Domino concupisceres! *Beati* enim *mortui qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV, 13).

Nam ut collationem quamdam breviter faciamus, conferamus, si placet, de vita præsenti, quæ initium dolorum est, et quasi per amicum litigium quid potius appetendum sit, male vivere, an bene mori, discutiamus : nam bene vivere præsentialiter nemo potest : *Omnis* enim *homo mendax* (*Psal.* CXV, 11). Et Apostolus homo præ cæteris hominibus videns aliam legem in membris suis legi mentis suæ repugnantem (*Rom.* VII, 23), cupit dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23). Et scimus quia omnis creatura ingemiscit et parturit (*Rom.* VIII, 22), usquequo liberetur a servitute corruptionis per eum qui subjecit eam in spe. Denique quis numerare potest præsentis vitæ molestias, esurire, sitire, algere, calere, lassari? Innumerabilia sunt, ex ipsa consuetudine nobis domestica sunt. Tamen initium dolorum hæc. Sed ut altius revolvamus quæ intra nos sunt, cupere, amare, odire, fornicari, adulterare, occidere vel occidi, rapere, furari, nonne inimicæ passiones nobis sunt? Tamen quis immunis, quis liber est ab his omnibus? Et quis tot et tantarum obnoxius passionum, immunis erit a peccato? Et quis vivens sub peccato, bene vivit? Ergo male vivit omnis homo, quia et peccatum malum est. Denique audenter pronuntio, quia principium vitæ hominis initium dolorum est. Fuere philosophi hoc non ignorantes, qui in ortu puerorum lugebant, in morte autem gaudebant : hoc significantes, quia homo ad laborem nascitur, ad requiem autem moritur. Sanctus etiam David et de ortu et de vita filii, quem de Bersabee susceperat, in tantum est contristatus, ut dum puer adhuc viveret, lugens et incœnatus maneret; mortuo autem puerulo, et gauderet et cœnaret (II *Reg.* XII, 16, *etc.*). O mors desiderabilis! o mors omnium malorum præsentium finis! o mors laboris clausula, quietis principium! Quis excogitare queat tuarum utilitates beatitudinum? Nam male mori, Christianorum non est : bene autem mori, cum Christo vivere est. Et quis ipsius beneficia sufficienter expediat, quæ hominem Christo conglutinat, quæ, ut dictum est, finis malorum est, nutrix initiumque securæ felicitatis? Valeas, mors mi dilectissima, confiteor quoniam si possem, libenter te complecterer, libenter te gustarem, ultro subirem : et testor, quia omnis mea cogitatio, et epistolæ præsentis frequentata lectio instigat me ad tui dilectionem, tantum ne intempestiva venias. Tu autem, caro mea et os meum, quem epistola mea visitat, quam et extremam moriturus accipis, de hac eadem epistola, et de aliis quæ in te sunt exemplaribus consolationem accipe : ne in extremo positus, tanquam desolatus ad curiam Dei tui venias.

CAPUT VII. *Oratio morituri.* His omnibus expletis, oratio tibi est necessaria. Ergo Deum alloquere, et nisi secus egeris, de ipso securus ita affare : Deus meus, Deus meus, misericordia mea, refugium meum, te desidero, ad te venire festino, ne despicias me sub tremendo discrimine positum, adesto mihi propitius in his meis magnis necessitatibus : non possum me redimere meis operationibus, sed tu redime me et miserere mei. Diffido de meis meritis, sed confido de miserationibus tuis : et plus confido de tuis miserationibus, quam diffidam de malis actibus meis. Tu es spes mea, Deus meus : tibi soli peccavi mea culpa. Qui fui tibi charus ad redimendum, non sim vilis ad perdendum. Et nunc ad te venio qui nulli dees : cupio dissolvi, et esse tecum. In manus tuas commendo spiritum meum, Domine. Respice in me, Domine Deus veritatis; et præsta mihi, Deus meus, ut in pace dormiam et requiescam. Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Mss., *utillimum.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM. *Occasio hujus argumenti.* Superioris tractatus cursum me clausisse putaveram, cum quidam de fratribus illum accipientes, ipsi attentius inhærentes, accurate collaudaverunt, et, sicuti testabantur, pro alia utilitate sui gratanter relegerunt, et eum communi decedentium a sæculo consolationi necessarium judicaverunt. Ego autem fraternum gaudium meum existimans, ita illud complexatus sum, ut in ipsorum lætitia mihi meum complaceret opusculum, et quod ipse impræmeditatus dictaveram, solitario peragerem [1] scrutinio. Erant autem quæ scripta fuerant simpliciter, sed, ut reor, catholice dicta. Unde et dictorum simplicitati propter fratrum benevolentiam, qui jam ita laudaverunt, peperci. Ipsi autem licet volumen esset parvulum, Visitationem infirmorum illud appellaverunt : ego autem superiora uti erant, manere passus sum. Sed quoniam epistolari studueram brevitati, quædam prætermiseram quæ ad eamdem infirmi visitationem necessaria fuissent. Ea ergo quæ compendii gratia prætermiseram, necnon et ea quæ super idem negotium a me postea requisita sunt, stilo subsequenti commendavi. Erant quoque ordine præcedentia, sed ipsa præposteravit ad alia tendendi non inutilis velocitas.

CAPUT II. *Fides huc migraturo necessaria. Maxime circa Christum versanda. Christus hominem super Angelos extulit.* Mi charissime, recessurus a nobis (te etenim compellit dies ultima), fidelis esto : sine fide enim non potes placere Deo; neque enim infidelis Deo est acceptabilis. Sunt ergo de Deo multa credenda ad salutem animæ necessaria. Sacramentis igitur divinis fides plus quam verborum argumentatio adhibenda est. Neque etenim singillatim de Deo credenda per rationis argumenta possumus comprehendere, possumus autem et debemus credere. Nam neque de Deo loquimur, quin a nobismetipsis aliquantulum mente excedamus : ubi igitur est mentis excessio, ibi necesse est fidei successio. Mirabile ergo illud de Trinitatis unitate, de unitatis deifica Trinitate sacramentum, magis est credendum quam exponen-

[1] Mss. Regii, *peragrarem.*

dum. Enimvero credatur sacræ Scripturæ testimoniis. Sunt et alia de Deo Filio quasi nobis propinqua et contigua, et ex ipsa sui propinquitate et contiguitate nobis familiaria, et ex ipsa familiaritate nobis delectabilia. Delectabile quippe est homini et salutare morienti, loqui et satiari de humanitate Christi. Quod enim Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14), hominis est, quod homo Deus factus est, hominis est, utrumque igitur hoc ineffabile sacramentum hominis est. Quoniam ergo infirmus hominis intellectus ex sui ipsius humanitate ponderosa hebetatus, videns nunc per speculum in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12), Dei non potest divinitatem, ut dignum est comprehendere, ad illam quæ sua est, Christi humanitatem oculum suum intellectualem reflectat. In illa delectetur, ex illa quoque satietur, ad ipsam faciem suam convertat, sicut de Ezechia dictum est, *Convertit Ezechias faciem suam cum lacrymis ad parietem* (IV *Reg.* XX, 2). Paries, Christi humanitas est. Unde ita Salomon: *En ipse stat post parietem nostrum* (*Cant.* II, 9). Divinitas ipsius videlicet ad nullum deflexa vel deflectenda peccatum, sub carne nostra latitabat. Nam et *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III, 38). Ad hunc revera parietem Ezechias sub mortis articulo, quem ei propheta per spiritum prædixerat, faciem convertit: et ita convaluit. Hac valetudinis exspectatione tandem securus Jacob ita tripudiat: *Vidi Dominum facie* divinitatis, in qua erat Deus, *ad faciem* humanitatis, quam erat assumpturus; *et sic salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30). Hujus incarnationis desiderio flagrabant omnes sancti: quippe quibus erat manifestum, non aliter posse salvari genus humanum, nisi per Filium Dei incarnatum. *Non* enim *est in alio aliquo salus; nec enim nomen est aliud sub cælo datum hominibus, in quo oporteat hominem salvari* (*Act.* IV, 12). Ad hunc igitur parietem nostrum, mediatorem nostrum converte faciem tuam familiarius, quod tuum est aggredere securius. Scit compati tuis infirmitatibus, qui factus est tuæ infirmitatis participando consocius. Prærogativam nostræ carnis in cælos evexit superius, quia exaltatus est super cælos homo Deus. Participatus est nostræ humanitatis, ut nos participaremur suæ divinitatis. Aude igitur, fili mi, de homine tuo Deo facere quoddam participium; quia prior fecit Deus de homine tuo puro sibi participium. Ex divinitate processit salvatio, ex humanitate redemptio; utrumque tamen ex utroque. Sed quia meum est meum [1], quia et ex me mihi quadam cogitatione [2] et cognatione, et secreta quadam affectione conglutino, quodam proprio jure consanguinitatis mihi vindico: tutius et jucundius loquor ad meum Jesum, quam ad aliquem sanctorum spirituum: plus debet mihi Christus, quam cuilibet cœlestium spirituum. Quod tu es, fieri dignatus est Deus: non factus est quod est angelus, etsi sit magni consilii Angelus. Te exaltavit super Angelos; tu etenim judicabis Angelos. Nollem habere locum angeli, si possem habere locum debitum homini. Ad curiam Dei sui, Dei tui præcessit Deus tuus, homo tuus, tunica tua, tunica polymita, quam sibi decentissime coaptavit, indutus: ibi assiduus interpellat pro nobis, non jam ab Angelis minoratus, imo gloria et honore coronatus, et super opera manuum Dei constitutus (*Psal.* VIII, 6). Quem igitur habes intercessorem, habes mediatorem, constitue tibi propitium adjutorem. Et si Deus pro te, quis contra te (*Rom.* VIII, 31)? Firmiter igitur et fideliter credenda est Dei incarnatio, passio et resurrectio, et super cœlos ascensio, nec non et tui ipsius futura reformatio. Hæc, fili mi, fides tua habeat, perscrutetur et teneat cor tuum: nihil dulcius sapiat, os tuum audacter confiteatur et concinat. *Corde etenim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Id.* X, 10).

[1] Editi non repetunt, *meum*.
[2] Sic Mss. At editi, *agnatione*.

CAPUT III. *De signis quibusdam externis infirmo adhibendis. De cruce.* Et licet hæc sufficere valeant ad salutem, tamen sunt quædam exteriora signa pietatis etiam fidei aliquando excitatoria, et quasi quamdam compunctionem penetrabilius suis ingerentia: quæ et christianitatis religio vult observari, et amicorum ad infirmos convenientium devotio gaudet adimpleri. Hæc et tu, fili mi, non negligas, erunt siquidem et tibi ipsi salubria, et mihi charisque tuis consolatoria. Habent siquidem Christianorum arcana illius dominicæ crucis quasi quoddam venerabile monimentum, quod de crucis ipsius imaginatione crucem cognominant: quod et nos omni veneratione dignissimum fatemur, et ad recordationem Crucifixi nostri veneramur. Adjicitur etenim super crucem quædam hominis mihi patientis imago, per quod salutifera Jesu Christi nobis renovatur passio: hanc complectere humiliter, venerare suppliciter, tamen hæc ad memoriam tibi reducens:

Nec Deus est, nec homo, præsens, quam cerno, figura:
Sed Deus est et homo, quem signat sacra figura,
Verus homo verusque Deus, tamen unus uterque
Probra crucis patitur, mortem subit, et sepelitur:
Vivit idem, crucis hæc per signa triumphat ab hoste.
Id notum nobis crucis hujus littera reddit,
Scilicet ipsius nota sunt crux et crucifixus,
Hæc et ego veneror, Jesum quoque semper adoro.

Tu autem bone Jesu, qui pro me pendens ita passus es, mihi misereri digneris, et præsta qui mihi mortuus es, et ad hoc mortuus es, ut mundo moriens tibi vivam, bone Jesu.

CAPUT IV. *De Sacramentis ab infirmo suscipiendis. Quod non sufficiat soli Deo confiteri.* Nec prætermittendum est illud apostoli Jacobi præceptum, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini Jesu, et oratio fidei salvabit infirmum* (*Jacobi* V, 14, 15). Ergo sic roges de te et pro te fieri, sicut dixit apostolus Jacobus, imo per Apostolum suum Dominus. Ipsa videlicet olei sacrati delibutio, intelligitur Spiritus sancti typicalis unctio. Illud etiam vivificum Dominici corporis supplementum suscipere, fili mi, non renuas: quin potius illud avidissime quæras, fideliter comedas. Cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum: redemptionis tuæ pretium, Redemptoris monimentum, et redempti munimentum. De confessione superiori tractatu te breviter commonefeci, quod urgebat me ad alia tendendi curiosa necessitas. Nunc quoque de eodem confessionis capitulo recapitulationem compendiosam facere dispono.

Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur ostendere se sacerdotibus; quos tamen inter lepram et lepram discernere per legislatorem constituit Dominus (*Deut.* XVII, 8 *et* 9). Sed nolo ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel cervicosus præ dedignatione: nam ipsius humiliter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges sacerdotem, et fac ipsum conscientiarum tuarum penitissimarum participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia salvat sacerdote inconsulto ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus quin sit ad Deum frequenter referenda peccatorum confessio. Beatus enim qui tenebit, et allidet parvulos vel maximos suos ad petram (*Psal.* CXXXVI, 9). Petra autem Christus est (I *Cor.* X, 4). Sed testamur, et testatur illud sana doctrina, ne tibi applaudentium faveas auribus, quoniam prius eges sacerdotis, qui mediator sit ad Deum tuum, salubri judicio: alioquin et sub Lege et gratia, *Ite et ostendite vos sacerdotibus* (*Luc.* XVII, 14; *Levit.* XIV, 2), responsum divinum quomodo consummaretur? *Con-*

fitemini alterutrum peccata vestra (*Jacobi* v, 16), quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter, Dei vice, dominus adhibeatur presbyter, et revela ei vias tuas: et ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.

CAPUT V. *Confessionis quædam praxis deceptiosa. Qualis esse debeat. Confessionem comitetur pœnitentia et odium peccati.* Neque siquidem, sicuti quidam faciunt, cum quadam calliditate alloquaris presbyterum: quoniam talis allocutio tui ipsius foret deceptio. Accedunt siquidem deceptiosi ad sacerdotes, ita eis præsentibus confitentes: Ego peccator, domine sacerdos, peccavi perjurando, adulterando, fornicando, hominem occidendo, mentiendo, sacrilegium committendo, furando, rapiendo. Hæc omnia commisi, mea culpa, vel opere, vel voluntate. Ita isti Deum irridentes, cum tamen non irridetur, confitentur quæ non fecerunt interpolantes, revelata velantes; ut sit idem in eodem peccatum denudasse, et denudatum obumbrasse, de quo sacerdos tunc incertior recedit, cum certa incerte audierit. O quam bene et juste hujuscemodi versutiis sacerdos ille consuleret, si his omnibus quæ audivit, judicium suum apponeret, et quasi reum de omnibus competenti correctione multaret, qui se de omnibus, nihil excipiens, nihil ex nomine detegens, semet infamando aggressus est! Bona quoque inordinate dispensavit, et tunc non erat his locus, et temperantior locus esset quo generalem morbum medico detegere debuisset, si prius vulnera, livores, plagas tumentes sibi singillatim, prout gravius visceribus instabant, eviscerasset.

Tu vero, fili mi, non ita facies, quoniam saniori consilio crediturus es. Astantem coram te sacerdotem angelum Dei existima. *Labia* quidem *sacerdotis*, ait Malachias, *custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus. Angelus enim Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Et cum qua et Deum et angelum ejus decet, reverentia Dei ministrum affare. Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis et cum multis facere. Nam humanum est peccare, christianum est a peccato desistere, diabolicum est perseverare. Ergo quæ mentem gravius exacerbant facinora, Dei angelo manifesta: nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus involvens, nullis circuitionibus quod verum est operiens. Designanda etiam sunt in quibus peccasti loca, si recordaris, et tempora; cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum, etiam ut a peccato desistant secreto corrigenda familiaritas; in qua peccasti habitu ætas, quo gradu jam Ecclesiæ inserviebas; utrum semel, an ex consuetudine; utrum necessitate, an ex voluntate cecidisti: his enim omnibus sua instant judicia. Si enim in judiciis sæcularibus a locis loca discernuntur, alia censura vindicatur homicidium in regis curia, alia in via publica, alia in agresti villa; aliquando pro tempore temporibus ignoscitur infantiæ, defertur aliquando senectuti, quæ media defervet ætas severa cohibetur habena; in solemnibus principum[1] natalitiis perpetrata, feroci plectuntur exterminio facinora: sic et cætera quanto districtioribus eliminanda sunt animadversionibus, in locis Deo sacratis, in temporibus festis Deo dicatis, in ætate discretiori, in personis proprie Deo delegatis, in gradibus commissa sublimioribus. Nonne cui plus committitur, plus ab eo exigitur? Nonne minus est hominem occidisse, quam homines? Nonne levius est semel deliquisse, quam centies? Nonne celeriorem consequitur veniam ex necessitate cecidisse, quam ex voluntate? Et quamvis ubicumque peccetur, peccatum semper sit peccatum, nullum tempus, nulla ætas, nulla persona, nullus locus immunitat peccantem a peccato; tamen hæc omnia modo suo discutienda sunt, quoniam hæc omnia modo corripienda et corrigenda sunt. Hæc autem omnia, quæ si taceantur, vel dicta callide palliantur, animam jugulant; si denudentur, cum pœnitentia evanescunt. In nihilum redigenda ordine competenti prosequere, sine circumlocutione edissere peccata pro viribus, imo viriliter exstirpare contende. Heu! cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? Melius est[1] coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum gravi depulsa denotatum tabescere.

Confessionem tuam pœnitentia comitetur: quoniam ita tibi remittetur iniquitas tua. Et, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Peccati quoque confessio, peccatoris est damnatio; pœnitentia vero confessionem parit utilem. Odium quoque peccatis adhibendum est, quoniam peccatorum amicus, animæ suæ est inimicus. Et perfecto odio odienda sunt peccata, quoniam facta sunt nobis inimica. Momentaneas autem ipsorum illecebras, quæ ad momentaneam cordis percussionem possunt annullari, per quorum annullationem æternam possidebis requiem, per thesaurizationem in cruciatum ibis infernalem, nolle destruere cum possis, extremæ est dementiæ. Confitere igitur, chare mi, nomine tenus quæ te remordent flagitia, detege specialiter quæ scis specialia; quotidiana de quibus non fuisti mundus, saltem cogitatione in collecta generali appone: sicque ex indulgentia confide. Jam vero sacerdote consulto ad Deum referenda sunt tua delicta, ipsi jam tunc erunt præsentanda: non enim talis præsentatio ultra erit infructuosa. Et quod forsitan oblitus prætermiseram, debitoribus tuis ex corde dimitte debita sua, et omnes homines in Deum propter Deum dilige.

CAPUT VI. *Rudioribus hæc conscripta esse.* Paginulæ nostræ quasi documenta vilia videntur et despicabilia, quia non sunt rhetorico flatu et fastu cothurnata: videntur et superflua, quoniam eruditioribus hæc omnia erant pervia. Sed est aliquando ut multa noverint eruditi, de quibus non dubitaverunt, et cogitant ut eodem discendi genere eadem didicerint omnes. Sed nos de minus capacium numero fuimus, et quomodo lassus bos calcet, perspicue novimus. Accesserunt etiam ad nos animabus suis consuli concupiscentium copiosa frequentia: et quidam ex simplicitate, quidam ita loquebantur ex industria. Illis autem prout nobis collibuit, consuluimus. Tibi vero cui cor nostrum arctius invigilat, et quem epistolæ respectus visitat, quoniam dolor impatientissimus tollit colloquendi gratiam, ex his quæ ex ipsis hausimus peritioribus[2] hunc tractatum direximus. Tuum est igitur, tuum est, tibi quoque pernecessarium est, qui sub mortis articulo positus es, jamque si videri posset, mortem videres: quatenus ex nostra eruditione vigilantior, vel exitus ipsius necessitate circumspectior, tibi invigiles, tibi provideas, tibi consulas. Si autem in nostris tractatibus quæ nesciebas indicavi, vel quæ sciebas iterum inculcavi, tibi tamen in utroque ex summa erga te diligentia nostrum desudavit exercitium. Et si tibi non proderit, quoniam hæc omnia sciebas, harum dictionum commonitoria connexio; quibusdam saltem minus sciolis prodesse habebit, mihi quoque cui te commonuisse voluptuosum est, quoniam mihi satisfeci, valebit.

CAPUT VII. *Quibus sacerdotibus peccata enuntianda.* Sed ne quædam quorumdam superstitio presbyterorum a nobis intacta quasi ignota transigatur, nunc aliquantulum nostri sermonis consummatio, quoniam coram illis confitendum est, respiciat presbyteros. Esset autem id scribere supervacaneum, nisi errorem eundem jam in multos serpentem prætenderetur obvium. Melius est quoque ignorantiæ presbyterorum consulere, quam ignorantes in ignorantia sua incastigatos remanere: posset autem et tibi, quoniam nocuit multis, nocere. Prout superius intimatum est, coram sa-

[1] Alias, *præcipue*.

[1] Mss., *tutius est*.

[2] Mss., *peritiores*.

cerdote confiteri habes, ipsiusque judicium subire debes. Sed sicut stella differt a stella in claritate, sic sacerdos differt a sacerdote in sua conversatione. Multorum siquidem est vocari sacerdotes, sed non est omnium esse sacerdotes. Siquidem multis presbyteratus committitur dispensatio, sed non omnes pariter commissæ dispensationis inserviunt ministerio. Alius equidem commodis præsentibus, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi exquirens, inexplebiliter inhiat: alius præpeditur ex incuria: alius suffocatur ex ignorantia, et tamen *ignorans ignorabitur* (I *Cor.* XIV, 38): alius vero concreditæ custodiæ competenter locum et tempus explorat, respondetque probati vita ministri necessitatibus injuncti ministerii. Ex his vocandi sunt, si noveris, peritiores et curiosiores. Si enim morbis corporum medici probatiores exquiruntur; quanto magis spiritualibus animarum putredinibus adhibendi sunt medici subtiliores, et, si dici liceat, spiritualiores? Non dico tamen ut damnes vel reprehendas Domini sacerdotes: novit enim Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19). Sed dico, si recipis prophetam in nomine prophetæ, vel justum in nomine justi, mercedem vel prophetæ vel justi recipies (*Matth.* X, 41). Ergo tales vocandi sunt.

CAPUT VIII. *Error sacerdotum etiam post mortem ligantium. An judicium eorum noceat. Hi docendi. Quæ confessis satisfactio imponenda. Desperatione nullum gravius crimen. Absolvendi in extremo positi, si rogent. Si convaluerint, canonum censuram debent subire.* Jam vide quid de ignorantia ignorantium proveniat. Audivit quidam ex minus eruditis sacerdotibus confessionem tuam, videt infirmitatem tuam, nescit tamen res hujuscemodi æqua lance pensare: ignorat quia velox medicina subitaneis infirmitatibus vel in extremo positis sit pernecessaria, respondet ægroto, Frater, si supervixeris, ita jejuna, ita fac eleemosynam, ita ora (hæc tamen omnia bene dixit, sed errorem impium animadverte): si autem ex hac infirmitate morieris, ne anima tua Deo videatur impœnitens, per obedientiam injungo tibi, quatenus anima tua vel totam septimanam, vel annum integrum, vel tantum temporis patiendo pœnam quam meruisti, in pœnitentia post mortem tuam sit. O exterminanda cordis cæcatio! Ad consolandum venerat infirmum: et cui major et propera incumbit absolvendi necessitas, absolutione interdicta ligationis adjicit particulam. O perditionis animarum occasio! Utrum autem hæc sacerdotis allocutio confitentem noceat (certum est autem quod non juvat), Dei judicio reservetur. Sed quid huic consolatori, vel potius desolatori, respondendum sit, si forte requiras: absolute dico, quod docendus est iste, non sequendus: nec ibi erit inobedientia, ubi est eruditionis humilis officiositas.

Si autem hujuscemodi putredinibus quod apponendum sit cataplasma scire desideras, ut saltem sub occasione tui doceantur presbyteri, et hoc etiam proficiat saluti, quod in extremo positis et tamen confitentibus respondebam, subdens: Nemini imponendum est quod aut impossibilitas abdicet, aut temporis angustia adimplere prohibeat. Si autem aliquid quod pauperibus prodesse habeat, manus ejus invenerit, aut amici sui de suo dare voluerint, laudabile est ut peccata sua eleemosynis redimantur; orationes etiam amicorum et proficere credimus. Sin autem quantulæcumque pecuniæ summa¹ deerit, aut qui orent pro eo amicorum religio ita defuerit, et ex toto nihil nisi confiteri et pœnitere valebat, enormitas quoque culparum eum aggravabat: quid ergo faciam? Deducam eum, aut ego etiam de eo in desperationem deducar? Sed quis, o bone Jesu, a misericordia tua desperet? Audenter pronuntio, quoniam cumulatius delictum est a te desperatio, quam qualiscumque humanæ fragilitatis offensio. Quare Apostolorum primicerio lacrymæ profuerunt, nisi prosint et mihi? Latronis illius in Evangelio memoria quare nobis tam venerabiliter recensita est? Quibus eleemosynis quibusve operibus, vel quibus orationibus respondisti, mi Jesu benignissime, dulcissime, misericordissime, quasi sub jurejurando, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*: nisi fidei suæ orationique brevissimæ, *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 43, 42)? Dico itaque omnibus, dico tandem confitentibus, dico confessis consulentibus, ne confessi desperent, ne sacerdotes post mortem aliquos ligent: imo cum suo Jesu dicant, *Solvite eum, et sinite abire* (*Joan.* XI, 44). Melius est enim ut talis prosit, vel non noceat absolutio, quam obsit indiscreta ligatio. Nec prætendant sacerdotes de fallaci securitate occasionem: quoniam melius est ut morientem in manu misericordissimi Dei committant, quam desperantem cum quibusdam induciarum fabulis a regno Dei eliminent. Nam quomodo dicet sacerdos pro defuncto quem ipse ligavit, Absolve, Domine, animam famuli tui, vel cæteras absolutionum eulogias? Absolvendi sunt itaque omnes, absolutionem duntaxat rogantes, nec suspendendi sunt a fidelium communione, quibus mors timetur sine dilatione, et quos peccatorum amara recordatio vel ciet in lacrymas, vel metus mortis ducit ad veniam, sicut Scriptura testatur, *Et territi purgabuntur* (*Job.* XLI, 16). Si tamen tales convaluerint, canonum diuturnam non negligant subire censuram. Subitaneum ergo dum non diutius licuerit, hoc in extremo positis adhibeatur consilium. Hoc etiam charissime, do tibi, amice; ascende oraturus in templum Domini corde, si non potes corpore. Dic justificandus cum illo jam justificato peccatore, *Deus propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 13): ut ascendas justus ad Deum, justificatus ab ipso, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

¹ MSS., *summitas*.

ADMONITIO IN SERMONES DUOS PROXIME SUBSEQUENTES.

Exstant sermones isti duo in vetere Corbeiensi codice ante mille, uti videtur, annos descripto, primus quidem hocce titulo prænotatus: « Incipit sermo sancti Joannis de Consolatione mortis. » Secundus autem primo quam proxime conjunctus absque titulo, nihilque aliud in fine habens nisi, « Explicit de resurrectione. » Cæterum alter iste sermo tertia parte, qua in ante excusis carebat, auctior nunc primum prodit ex laudato Corbeiensi exemplari: eaque pars recapitulationem eorum quæ in primo sermone dicta fuerunt, continet, et aliis non incertis argumentis ad hoc opusculum pertinere cognoscitur. Joannem porro non alium quam Chrysostomum in fronte sermonis primi designatum opinamur. Confer homiliam ipsius quadragesimam primam in I Cor. XV, et homiliam primam in II Cor., et homiliam sexagesimam primam in Joannem, homiliam denique septuagesimam ad populum Antiochenum, etc.

DE CONSOLATIONE MORTUORUM

Sermo primus.

CAPUT PRIMUM. *Tristitia duplex.* Præbete silentium, fratres; ne vos transeat sermo utilis et in tempore necessarius. Nam tunc vel maxime opus est medicina, quando gravis nascitur ægritudo : et tunc sollicite collyrium adhibendum est, cum fuerit oculus dolore turbatus. Quicumque ergo non habet hunc dolorem, non obstrepat, sed potius audiat; quia non impedit sanum, scire medicinam quæ prosit. Qui vero per hunc casum turbatum habet oculum mentis, et doloribus cruciatur, magis intentus sit ut aperiat oculum ad suscipiendum salutaris verbi collyrium, quo non solum consolationem, sed etiam remedium consequatur. Certum est autem, quia is qui dolet oculum, si eum medico infundenti collyrium aperire noluerit, collyrium quidem foris extra pupillam funditur, oculus vero remanet in dolore. Sic et mens dolentis, si propter nimiam tristitiam verbo se clauserit, non recepta salubri admonitione, incipiet plus dolere, et forsitan pati illud quod in Scriptura continetur, *Quia tristitia mundi mortem operatur* (II *Cor.* VII, 10). Beatus Paulus apostolus, fidelium doctor et medicus salutaris, duas esse dixit tristitias, unam bonam et alteram malam; unam utilem, et alteram inutilem; unam quæ salvat, et alteram quæ perdit. Et ne dubium alicui videatur id quod dico, ipsa ejus verba recitabo. Ait enim, *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* : hæc est illa bona tristitia. Sequitur deinde, *Nam sæculi hujus tristitia, mortem operatur* (*Ibid.*, 11) : hæc est illa mala.

CAPUT II. *Luctus mortuorum causæ respectu ipsorum. Ostenduntur vanæ.* Videamus ergo, fratres, ista tristitia quæ nunc est in manibus, quæ nunc agitur in pectore, et auditur voce; utilis sit, an inutilis; prodesse valeat, an nocere. Jacet ecce corpus exanime, jacet in tabula homo sine homine, membra utique sine spiritu : clamatur, nec respondet; vocatur, et non audit; jacet facies pallida, forma mutata, per quam mors ipsa cernitur [1] : cogitatur præterea ejus perpetuum silentium, cogitatur delectatio, aut quæ fuit, aut quæ futura erat utilitas, cogitantur necessitates, veniunt in mentem verba dulcissima, longa consuetudo requiritur. Hæc sunt sine dubio quæ movent lacrymas, incitant ululatum, et totum animum in profundum tristitiam demergunt. Contra hæc tam valida, tam fortia doloris arma, [2] illud primo omnium opponendum est, quia omne quod nascitur in hoc mundo, necesse est mori. Hæc est enim lex Dei et sententia immutabilis, quam post delictum princeps generis humani accepit, dicente Deo, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Quid ergo novi contigit, si homo ad hoc natus, divinæ legi ac sententiæ satisfecit? Quid novi accidit, si ex mortalibus natus, naturæ propriæ, quia nec poterat excusare, respondit? Non est insolitum quod antiquum est, non est inauditum quod quotidianum est, non est proprium quod commune est. Si avos et proavos novimus per hanc viam mortis profectos, si ipsos denique Patriarchas et Prophetas ab Adam protoplasto non sine occasu ad vitam migrasse de sæculo, elevemus animum de profundo tristitiæ : quia quod debebat, hoc reddidit. Et utique debitum cum redditur, quam potest habere tristitiam? Hoc est vere debitum, quod nulla potest pecunia redimi : hoc est debitum, quod nec virtus excusat, nec sapientia, nec potestas, nec ipsi denique reges poterunt declinare. Plane hortarer ego, ut augeres tristitiam, si fuisset talis res, quæ aut posset tua substantia redimi, vel differri, negligentia, aut parvitate provenisset. Cum vero Dei decretum firmum sit et immutabile, frustra dolemus, et de nobis quærimus quare sit mortuus, cum scriptum sit, *Domini Dei sunt exitus mortis* (*Psal.* LXVII, 21). Ista ergo communis vitæ conditio si recipiatur in animo, incipiet gravatus cordis oculus, quasi prima infusione relevari.

CAPUT III. *Aliæ respectu nostri nec magis rationabiles. Tristitia nimia cur mortem operetur.* Sed dicis, Scio communem esse hunc casum, scio quia is qui mortuus est, debitum solvit : sed delectationem cogito, necessitates repeto, consuetudinem requiro. Si propter hæc tristitia afficeris; errore duceris, non ratione gubernaris. Scire enim debes, quia Dominus, qui hanc dederat delectationem, dare potest et aliam potiorem, et necessitatem sufficit alia occasione replere [1]. Utilitatem vero, sicut tuam vides, debes et ejus qui defunctus est cogitare : quia sic ei forsitan expediebat, sicut scriptum est : *Raptus est, ne malitia mutaret ejus intellectum. Placita enim erat Deo anima ejus, ideoque properavit de media iniquitate educere eum* (*Sap.* IV, 11-14). De consuetudine autem quid dicam? quam dum [2] tempus sic facit oblivisci, ut nunquam fuisse videatur. Quod ergo tempus præstat et dies, multo magis debet ratio et bona præstare cogitatio. Et vel illud maxime cogitandum est, quod divina per Apostolum sententia diffinivit, *Quia tristitia mundi mortem operatur* (II *Cor.* VII, 10). Quod si tam oblectatio quam utilitas præsens sive consuetudo, res mundi sunt et gaudia sæculi transitoria; propter hæc animam dejicere, et spiritum contristari, vide ne sit vere mortifera valetudo. Repetens autem iterum atque iterum dicam : *Quia tristitia mundi mortem operatur.* Quare autem mortem operatur? Quia solet nimia tristitia aut ad dubitationem, aut ad periculosam perducere blasphemiam.

CAPUT IV. *Luctus his qui ante Christum licitus. Cur Christus fleverit Lazarum.* Sed dicet aliquis, Prohibes lugere mortuos, cum et Patriarchæ plorati sunt, et Moyses ille famulus Dei, et multi deinde prophetæ; præsertim cum Job quoque justissimus vestem suam supra filiorum consciderit necem (*Job* I, 20)? Non ego prohibeo lugere mortuos, sed gentium illuminator Apostolus, qui sic ait, *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut qui spem non habent* (I *Thess.* IV, 12). Non potest Evangelii claritas obscurari, si hi qui ante legem aut sub legis umbra positi fuerant, suos mortuos flebant. Et merito flebant, quia nondum de cœlis venerat Christus, qui fontem illum lacrymarum sua resurrectione siccavit. Merito flebant, quia adhuc mortis sententia permanebat. Merito lamentabantur, quia nondum resurrectio prædicabatur. Sperabant quidem sancti quique adventum Domini; sed mortuos interim flebant, quia nondum viderant quem sperabant. Denique Simeon unus de veteribus sanctis, qui prius fuerat de sua morte sollicitus, postquam Jesum Dominum adhuc parvum secundum carnem suscepit in manibus, de suo exitu gratulatur dicens, *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29). O beatus ille Simeon! Quia quod sperabat viderat, jam mortem suam pacem et requiem computabat. Sed dices, Ecce in Evangelio legitur, archisynagogi ploratam filiam (*Id.* VIII, 52), et sorores Lazari Lazarum flevisse (*Joan.* XI, 31). Sed illi adhuc secundum veterem legem sapiebant, quia nondum a mortuis Christum resurrexisse conspexerant. Flevit plane et ipse Dominus Lazarum jam sepultum (*Ibid.*, 35), non utique ut flendi mortuos formam daret, sed ut se per lacrymas suas ve-

---

[1] Editi hic addunt, *et horretur*.
[2] Editi addunt, *quæ omnibus debemus armari præceptis. Illud ergo primo*, etc.

[1] Alias, *et aliud tibi bonum reddet necessitatem, sufficiens est per eam, occasionem supplere*.
[2] Forte, *quam etiam*.

rum corpus assumpsisse monstraret. Vel certe flevit amore [1] humano Judæos, quia nec tali signo monstrato in eum fuerant credituri. Neque enim mors Lazari causa esse poterat lacrymarum, quem ipse Jesus et dormivisse dixerat, et suscitaturum se promiserat, sicut et fecit.

CAPUT V. *Lugere mortuos jam non licet. In die judicii qui vivi, non morientur.* Habuerunt ergo veteres suum morem, suamque fragilitatem, Christi adventum præcedentes [2]. Jam vero ex quo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ex quo primo Adæ datam sententiam Adam novissimus solvit, ex quo nostram mortem sua morte destruxit, et ab inferis die tertia Dominus resurrexit, jam non est terribilis mors fidelibus : non timetur occasus, quia Oriens venit ex alto. Clamat ipse Dominus qui mentiri nescit : *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; et omnis qui vivit et credit in me, mortem non videbit in æternum* (*Joan.* 25, 26). Manifesta est, fratres charissimi, vox divina, quia qui credit Christo, et ejus mandata custodit, si mortuus fuerit, vivet. Hanc vocem beatus Paulus apostolus accipiens, et totis [3] fidei viribus retinens, instruebat : *Nolo*, inquit, *vos ignorare fratres de dormientibus, ut non tristes sitis* (I *Thess.* IV, 12). O mira Apostoli pronuntiatio! uno sermone antequam doctrinam [4] proferat, resurrectionem commendat. Dormientes namque appellat illos qui mortui sunt, ut dum dormire eos dicit, resurrecturos sine dubitatione consignet. *Non*, inquit, *tristes sitis de dormientibus, sicut et cæteri.* Qui spem non habent, contristentur : nos autem qui spei filii sumus, collætemur. Quæ autem nobis spes sit, ipse commemorat dicens, *Si credimus quia Christus mortuus est, et resurrexit; ita et Deus eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo* (*Ibid.* 13). Jesus enim nobis et hic viventibus salus est, et hinc recedentibus vita est. *Mihi*, inquit Apostolus, *vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philipp.* I, 21). Lucrum plane, quia angustias et tribulationes, quas habet longior vita, mors accelerans lucrifacit. Jam vero ordinem et habitum spei nostræ describit Apostolus. *Hoc*, inquit, *vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu ejus non præveniemus eos qui dormierunt : quia ipse Dominus in jussu et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi : deinde nos qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus* (I *Thess.* IV, 14-16). Hoc est quod dicit, quia cum venerit Dominus, inveniet multos in corpore christianos, qui nondum experti sunt mortem : et tamen non ante rapientur ad cœlum, quam mortui sancti de monumentis resurrexerint, tuba Dei et voce Archangeli suscitati. Cum autem fuerint suscitati, juncti pariter cum viventibus rapientur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum ipso regnabunt. Nec sane possit dubitari quod possint corpora, quamvis sint gravia, in aera sublevari : cum jubente Domino et Petrus ipsum corpus habens super undas ambulaverit maris (*Matth.* XIV, 29) ; Elias quoque ad hujus spei confirmationem, per hunc aera curru flammeo sit raptus ad cœlum (IV *Reg.* II, 11).

CAPUT VI. *Quales futuri simus post resurrectionem. Mors magis optanda quam lugenda. Nec tamen sibi inferenda.* Sed quæris forte, quales erunt qui a mortuis resurrexerint? Audi ipsum dicentem Dominum tuum : *Tunc*, inquit, *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 43). Quid splendorem commemorem solis? cum fideles transfigurari necesse est ad ipsius Christi Domini claritatem, ut testatur apostolus Paulus : *Nostra*, inquit, *conversatio in cœlis est. Unde et ipsum Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ ad conformationem corporis gloriæ suæ* (*Philipp.* III, 20, 21). Transfigurabitur sine dubio caro ista mortalis, ad conformationem Christi claritatis, induet [1] mortale immortalitatem : quia quod seminatum fuerat in infirmitate, protinus surget in virtute (I *Cor.* XV, 43). Non timebit caro amplius corruptionem, non patietur famem, non sitim, non ægritudines, non casus adversos. Pax enim tuta, et firma securitas vitæ est. Alia utique cœlestis est gloria, ubi et gaudium sine defectione præstabitur.

Hæc in sensu et oculis gerens beatus Paulus dicebat, *Optabam dissolvi, et cum Christo esse, multo magis melius* [2] (*Philipp.* I, 23). Et adhuc aperte docens, *Dum sumus*, inquit, *in corpore*, *peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus*, *et non per speciem. Habemus autem magis*, inquit, *bonam voluntatem peregrinari a corpore*, *et præsentes esse ad Dominum* [3] (II *Cor.* V, 6-8). Quid agimus nos parvæ fidei homines, qui anxiamur et deficimus, si aliquis de charis nostris migret ad Dominum? Quid agimus, quos peregrinatio in hoc mundo magis delectat, quam repræsentari ad Christi conspectum? Vere, vere peregrinatio est omne quod vivimus : nam sicut peregrini in sæculo, sedes habemus incertas, laboramus, desudamus, vias ambulantes difficiles, periculis plenas : undique insidiæ, a spiritualibus, a corporalibus [4] inimicis, undique errorum calliculi sunt præparati [5]. Et cum tantis periculis urgeamur, non solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tanquam perditos lugemus et plangimus. Quid nobis præstitit Deus per suum Unigenitum, si adhuc mortis timemus casum? Quid nos renatos ex aqua et spiritu gloriamur, quos peregrinatio de hoc mundo contristat? Ipse Dominus clamat, *Si quis mihi ministrat, sequatur me : et ubi ego sum, ibi erit et minister meus* (*Joan.* XII, 26). Putas si rex terrestris ad suum palatium vel convivium aliquem vocet, non cum gratiarum actione properabit? Quanto magis ad cœlestem currendum est regem, qui quos receperit, non solum convivas, sed etiam conregnatores [6] efficiet, sicut scriptum est : *Si commortui sumus, et convivemus ; si sustinebimus, et conregnabimus* (II *Tim.* II, 11 *et* 12). Nec hoc ego dico, ut quis manus sibi inferat, aut se interficiat contra voluntatem Dei creatoris, aut animam ut de corporis sui expellat hospitio : sed hoc dico, ut lætus et gaudens, cum aut ipse vocatur et proximus, et ipse vadat, et euntibus gratuletur. Hæc enim est christianæ fidei summa : vitam veram exspectare post mortem, reditum sperare post exitum. Accepta igitur voce Apostoli, cum fiducia jam dicamus gratias Deo, qui nobis contra mortem victoriam dedit, per Christum Dominum nostrum (I *Cor.* XV, 57) : cui est gloria et potestas nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ms. Corbeiensis, *more.*
[2] Ms. Corbeiensis, *Christi adhuc* (forte, *adventu*) *pendente.*
[3] Mss., *totius.*
[4] Editi, *uno sermone ut utramque doctrinam.*

[1] Ms., *induetur.*
[2] Sic Ms. Corbeiensis. At editi, *multo enim magis melius.*
[3] Ms. Corbeiensis, *et adventare Domino.*
[4] Ms. non habet, *a corporalibus.*
[5] Ms., *errorum casus sæculi præparati.*
[6] Ms., *conregnaturos.*

Sermo secundus.

CAPUT PRIMUM. *Resurrectio unde apud infideles dubia.* Superiori quidem libello perstrinximus breviter de consolatione mortalitatis [1], de spe resurrectio-

[1] Sic Ms. Corbeiensis. At editi, *mortuorum.*

nis : nunc plenius ac validius de eisdem dicere properamus. Siquidem hæc quæ locutus sum, fidelibus quidem certa sunt, infidelibus autem ac dubiis videntur esse fabulosa, ad quos pauca strictius proferamus. Certe quicumque estis increduli, omnem dubitationem de substantia corporis sustinetis. Discreditur enim a quibusdam, carnem conversam in pulverem, iterum posse resurgere, iterum reviviscere. Cæterum de anima nullum posse hominum dubitare : siquidem de animæ immortalitate nec philosophi ipsi, cum sint pagani, dissentiunt. Nam quid est mors, nisi separatio corporis animæque? Recedente enim anima quæ semper vivit, quæ mori nescit, quia de flatu Dei est [1], solum corpus emoritur : quia aliud in nobis mortale, aliud immortale est. Sed recedens anima, quæ carnalibus oculis non videtur [2], ab Angelis suscipitur, et collocatur aut in sinu Abrahæ, si fidelis est, aut in carceris inferni custodia, si peccatrix est : dum statutus veniat dies, quo suum recipiat corpus, et apud tribunal Christi judicis veri reddat suorum operum rationem. Ergo quia de carne tota cunctatio [3] est : hujus est infirmitas defendenda, et resurrectio consignanda.

CAPUT II. *Possibilem probat seminum germinatio. Probat et creatio.* Quod si quis requirat a me dubius et incredulus, Quomodo mortui resurgent? quo autem corpore venient? respondebo ei ore ac verbis Apostoli : *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur; et quod seminas, nudum seminas granum tritici, aut alterius alicujus seminis* (I *Cor.* xv, 36, 37), mortuum et aridum sine humore; et cum putrefactum fuerit, fecundius surgit, fitque vestitum folliculis, aristis armatum. Qui ergo granum tritici suscitat propter te [4], qui solem quotidie quasi de sepulcro noctis suscitat, et lunam quasi de interitu reparat, et tempora recedentia revocat ad utilitatem scilicet nostram : ipsos nos, propter quos omnia reparat, non requiret, et semel [5] patietur exstingui, quos suo flatu accendit, quos suo spiritu animavit? et in perpetuum jam non erit homo, qui illum pie et agnovit, et coluit? Sed iterum dubitas quod possis reparari post mortem, restitui post cinerem et ossa consumpta? O homo, dic mihi; quid fuisti antequam in matris utero conciperetis? Nihil utique. Deus ergo qui te creavit ex nihilo, nonne facilius poterit reparare de aliquo? Mihi crede, facilius potest reficere quod ante jam fuit, qui [6] potuit creare quod non fuit. Qui te ex gutta informis liquoris in tuæ matris utero, in nervos, venas et ossa jussit excrescere, poterit, mihi crede, de utero terræ iterum generare. Sed times ne forte ossa tua arida vestiri pristina carne non possint? Noli, noli secundum tuam impotentiam Dei æstimare majestatem. Deus ille rerum omnium procreator, qui vestit arbores foliis, et prata floribus : poterit et tua ossa illico veris [7] tempore in resurrectione vestire. Dubitaverat aliquando de hoc ipso propheta Ezechiel, et interrogatus a Domino utrum viverent ossa arida, quæ videbantur sparsa per campum : respondit, *Tu scis, Domine*. Sed postquam Deo jubente, et se ipso prophetante vidit ossa ad sua loca et juncturas currentia; postquam vidit ossa arida nervis ligari, venis intexi, carne contegi, cute vestiri, postea prophetavit in spiritu : et veniens spiritus uniuscujusque introivit in corpora illa jacentia, et resurrexerunt, et mox steterunt [8]. Sic confirmatus de resurrectione Propheta, scripsit visionem, ut ad posteros tantæ rei cognitio perveniret (*Ezech.* xxxvii, 3-10). Merito ergo clamat Isaias, *Exsurgent mortui, et resurgent qui sunt in monumentis, et lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui abs te est, sanitas est illis* (*Isai.* xxvi, 19). Vere enim sicut rore madefacta semina germinant et exsurgunt; sic rore Spiritus ossa fidelium germinabunt [1].

CAPUT III. *Et ingens flamma ex modico silice.* Sed dubitas, quomodo de parvis ossibus totus homo restitui possit? Revera tu ex modica scintilla ignis ingentem suscitas flammam; Deus non poterit ex modico cineris tui fermento totum corpusculi tui redintegrare conspersum [2]? Nam et si dicas, Nusquam comparent carnis ipsius reliquiæ; forsitan enim aut igne consumptæ sunt, aut a bestiis devoratæ : hoc primum scito, quia quidquid consumitur, in terræ visceribus continetur, unde rursus poterit Deo præcipiente produci. Nam et tu cum non appareat ignis, adhibes lapillum et modicum ferri, et excutis de visceribus lapilli quantum opus est ignis. Quod ergo per tuam industriam et sapientiam, quam tibi Deus ipse concessit, facis [ut producas quod non apparet [3]] : majestas illa divina facere sua virtute non poterit, [ut quæ interim non videntur, excutiat]? Mihi crede, potest omnia Deus.

CAPUT IV. *Reapse futuram resurrectionem testantur Christus, Apostoli, martyrum exempla, Machabæorum mater. Hinc formido mortis excluditur. Præceptum non lugendi.* Hoc tantum require, utrum promiserit se facere resurrectionem : et cum promissam tantorum didiceris testimoniis, imo cum ipsius Christi Domini certissimam habeas cautionem; confirmatus fide, mortem desine jam timere. Qui enim timet adhuc, discredit : qui discredit, peccatum contrahit insanabile; quia sua incredulitate audet Deum aut impotentem, aut certe asseverare mendacem. Sed non ita beati Apostoli, non ita sancti martyres probant. Apostoli propter hanc prædicationem resurrectionis, Christum resurrexisse prædicant, et in ipso mortuos suscitandos annuntiant, nec mortem nec tormenta recusaverunt nec cruces. Si ergo in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; resurrectio mortuorum, cui tot et tam idonei testes existunt, cui cum effusione sanguinis testimonium dicunt, quomodo potest in dubium revocari? Quid autem sancti martyres? Habuerunt certam spem resurrectionis, annon? Si non habuissent, non utique per tantos cruciatus et pœnas mortem pro lucro maximo suscepissent : non cogitabant supplicia præsentia, sed præmia secutura. Sciebant dictum, *Quæ videntur, ad tempus sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* (II *Cor.* iv, 18). Audite, fratres, virtutis exemplum. Mater septem filios hortabatur, et non lugebat, sed potius lætabatur : videbat filios suos ungulis radi, ferro concidi, sartagine assari; et non lacrymas fundebat, non ululatus tollebat, sed sollicite ad tolerantiam filios hortabatur. Non enim erat illa crudelis utique, sed fidelis : amabat filios, non delicate, sed fortiter. Hortabatur filios ad passionem, quam gaudens ipsa quoque suscepit [4]. Erat enim de sua et suorum filiorum resurrectione secura (II *Machab.* vii). Quid loquar viros, quid feminas, quid pueros, quid puellas [5]? Quomodo sibi de ista morte luserunt, quomodo summa celeritate ad cœlestem militiam transierunt! Poterant utique ad præsens vivere, si voluissent; quia in ipsis erat positum, Christum negando viverent, aut confitendo morerentur : sed magis elegerunt vitam projicere temporaneam, et vitam assumere sempiternam; excludi de terra, et includere cœlum.

Inter hæc, fratres, quis dubitationis est locus? Ubi potest adhuc mortis residere formido? Si martyrum sumus filii, si eorum socii volumus inveniri, non contristemur morte, non lugeamus charos, qui nos præ-

[1] Editi addunt, *inspirata*.
[2] Editi, *videri non potest*.
[3] Editi, *contradictio*.
[4] Editi hic addunt, *ipsum te non poterit suscitare propter se*.
[5] In editis, *cineres*, pro, *semel*.
[6] Ms. a secunda manu, *quam*.
[7] Ms., *illo certo veri*.
[8] Non habet Ms., *et mox steterunt*.

[1] Editi, *sic rore sancti Spiritus ossa fidelium visitata cum suo corpore in æternam gloriam germinabunt*.
[2] Ms., *consparsum*.
[3] Hæc et alia mox inclusa omittit Ms.
[4] Ms., *susceperit*. Forte, *susciperet*.
[5] Ms. *Quid loquar pueros, quid feminas, quid puellas?*

cedunt ad Dominum. Nam si plangere voluerimus, ipsi nobis insultabunt beati martyres, et dicent, O fideles, o regnum Dei cupientes, vos qui charos vestros delicate morientes, in lectis utique et plumis, cum mœrore plangitis et lugetis, si eos a Gentilibus propter nomen Domini cruciari et interfici videretis, quid facturi essetis? Aut non vobis præcessit exemplum? Abraham patriarcha filium unicum offerens sacrificium, gladio obedientiæ jugulavit (*Gen.* xxii, 10): nec ei quem tanto amore dilexit, pepercit[1] ut Domino obediens probaretur. Sed si dicatis, illum propter Dei hoc fecisse præceptum; et vos habetis præceptum, ut non tristes sitis de dormientibus (I *Thess.* iv, 12). Qui ergo minima non servant, majora quando servabunt? An nescitis quia animus qui in talibus frangitur, ad fortiora reprobus invenitur? Quis timens rivum, mare aliquando ingreditur? Sic qui plangit impatienter amissum, quando poterit ad martyrii pervenire certamen? Nam qui in his constans et magnanimus exstitit, jam sibi gradum ad potiora substernit.

CAPUT V. *Egregium de hoc Davidis exemplum. Vestes nigras luctus ergo ferre haud licet. Ethnici audita filii morte responsum. Plangendi Ethnici, Judæi ac catechumeni morientes. Tristitia salutaris quænam. Recapitulatio sermonis utriusque.* Sufficiant hæc, fratres, ad mortis contemptum, et ad spei futuræ confirmationem. Superest ut unum de veteribus exemplum proferam, quod omnem consolationem faciat, et quod etiam patientibus cordis auribus volo omnes audire. David rex magnus filium dilectum, quem sicut animam propriam diligebat, infirmitate percussum, impatientissime ferebat: et cum humana jam auxilia nihil prodessent, se ipsum convertit ad Dominum. Deposita regali gloria, sedit in terra, jacuit in cilicio, non manducavit, non bibit, septem diebus continuis orans Deum, si forte sibi filius donaretur. Accesserunt seniores domus ejus, consolantes rogaverunt ut panem sumeret, veriti ne forte dum filium vellet vivere, ipse ante deficeret. Non potuerunt extorquere, non cogere; amor enim impatiens solet pericula ipsa contemnere. Jacet rex in squalore cilicii ægrotante filio: nec verba faciunt consolationem, nec ipsa escarum necessitas vocat. Mens tristitia pascitur[2], pectus dolore reficitur, oculi lacrymas pro potibus fluunt. Inter hæc factum est quod decreverat Deus. Moritur puer. Uxor in luctu, tota domus in planctu, famuli pavidi, quid fieret exæstuantes: nemo enim audebat domino filium mortuum nuntiare[3], timentes utique, ne ille qui sic impatienter adhuc vivum lugebat, si audisset mortuum, vitæ faceret finem. Dum strepunt famuli inter se, dum tristes, alter ad alterum dicere aut suadet aut vetat, intellexit David, prævenit nuntios, an vitam filius exhalasset interrogat. Negare non possunt, factum fletibus indicant. Fit concursus insolitus[4], exspectatio grandis et metus, ne quid sibi periculi pius[5] pater inferret. Surgit continuo rex David de cilicio, surgit hilaris, quasi filium suum audisset incolumem: vadit ad balneas, lavat corpusculum, vadit ad templum, adorat Deum, epulatur cum amicis, compressis suspiriis, gemitu omni deposito, vultu jam læto. Mirantur domestici, stupent amici novam et subitam conversationem[6]: audent denique interrogare, quid sibi vellet hoc, ut cum vivente filio sic doluerit, mortuo non doleret? Respondit vir ille magnanimitate præcipuus, Necesse fuit cum adhuc viveret filius, et humiliari, et jejunare, et lugere in conspectu Domini; erat enim spes impetrandi commeatus vitæ[7]: at vero postquam voluntas Domini facta est, stultum est et ineptum animum lamentatione inutili macerari; sic dicens, *Ego ibo ad illum, ille non revertetur ad me* (II *Reg.* xii, 16-23). Ecce exemplum magnanimitatis atque virtutis. Quod si ille David adhuc sub lege positus, sub illa non dico licentia, sed necessitate lamentationis, sic animum a luctu irrationabili reparavit[1], sic tristitiam suam enormemque compescuit; nos qui jam sub gratia sumus, sub certa spe resurrectionis, quibus omnis tristitia interdicitur, qua fronte mortuos nostros Gentilium more plangimus, ululatus insanos attollimus, veluti alio genere bacchantes, concussis tunicis pectora nudamus, verba inania et nænias[2] circa corpus et tumultum[3] defuncti cantamus? Postremo etiam qua ratione vestes nigras tingimus, nisi ut nos vere infideles et miseros non tantum fletibus, sed etiam vestibus approbemus? Aliena sunt ista, fratres, extranea sunt, non licent: et si licerent, non decerent. Sed aliquantos de fratribus et sororibus, licet fides propria et præceptum Domini fortes faciat, parentum tamen et vicinorum opinio debilitat et frangit: ne lapidei et crudeles judicentur, si pepercerint vestimento[4], si non insanis luctibus fuerint debacchati. Et hoc quam vanum est, quam ineptum, opiniones hominum errantium cogitare; et non timere, ne quid minus faciat de fide quam suscepit? Quare non magis discit tolerantiam ille qui talis est, quare non a me discit fidem ille qui dubius est? Quando etiamsi tantus sit dolor ejusmodi pectoris, tacite debeat luctum sensu digerere[5], et non levitate sui animi publicare.

Unum adhuc volo proponere exemplum ad corrigendos eos qui plangi mortuos arbitrantur. Exemplum autem de Paganorum historia est. Fuit quidam princeps paganus (*a*), qui habebat filium unicum, satisque dilectum. Hic cum in Capitolio idolis suis gentili errore sacrificaret, nuntiatur ei quod filius ille unicus defuisset[6]. Non reliquit sacra quæ gerebat in manibus, non lacrymavit, nec omnino suspiravit: sed quid respondit, audite. Sepeliatur, inquit: memini enim me filium genuisse mortalem. Vide responsum, vide hominis pagani virtutem: ut nec exspectari se jusserit, vel ut præsente se sepulturæ filius traderetur. Quid agimus, fratres, si diabolus hunc in diem judicii coram Christo contra nos producat, et dicat, Hic meus cultor, quem ego præstigiis decipiebam meis, ut serviret cæcis et surdis simulacris; cui ego nec resurrectionem a mortuis, nec paradisum, nec cœlorum regna promiseram; hic filii nobilis sapiens unici mortem nec doluit, nec ingemuit, nec tali nuntio mea sacra deseruit: tui autem Christiani, tui fideles, pro quibus ideo crucifixus et mortuus es, ut mortem ipsi non timerent, sed essent de resurrectione securi, non solum lugent mortuos et voce et habitu, sed etiam ad ecclesiam procedere confunduntur; aliquanti etiam ipsi clerici tui et pastores ministerium suum intermittunt, vacantes luctui, quasi insultantes tuæ voluntati? Quare? Quia quos voluisti, de sæculi caligine ad te vocasti. Quid ad hæc respondere poterimus, fratres? Nonne confusio nos apprehendet, cum in hac parte inferiores gentibus invenimur? Et utique lugeri debet paganus, qui nesciens Deum, mox ut moritur, recto cursu pergit ad pœnam. Plangi debet Judæus, qui Christo non credens, animam suam perditioni deputavit. Dolendum est plane de catechumenis nostris, si aut sua incredulitate, aut negligentia proximorum, sine baptismo salutari recesserint. Cæterum qui sanctificatus gratia, signatus fide, conversatione probatus, vel innocentia securus de hoc mundo recedit, beatificandus est, non lugendus, desiderandus, non

[1] Ms., *gladio pene jugulavit, nec tanto amori pepercit.*
[2] Editi, *necessitas avocavit; tristitiam patitur*: et mox, *lacrymis perpetibus fluunt.*
[3] Ms., *nominare.*
[4] Ms., *solitus.*
[5] Ms., *filii ipsius pater.*
[6] Editi, *conversionem.*
[7] Non habet Ms., *vitæ*

[1] Editi, *superavit.*
[2] Ms., *et vana.*
[3] Certe legendum est, *tumulum*. M.
[4] Non habet Ms., *si pepercerint vestimento.*
[5] Editi, *dirigere*; et in verbo, *publicare*, tractatum claudunt
[6] Forte, *defunctus esset.*
(*a*) Horatius. Vid. Tit. Liv. lib. 2. Plutarchus Apophtegm. Lacon. simile dictum a Laconico refert.

plangendus; sed desiderandus cum moderatione, cum sciamus nos ipsos accedentibus temporibus secuturos.

Terge igitur lacrymas, intermitte suspiria, compesce gemitus, o fidelis; et pro hac tristitia salutarem illam indue tristitiam, utique quam beatus Apostolus secundum Deum esse memoravit, quæ salutem stabilem solet operari (II *Cor.* VII, 10); utique pœnitentiam facinorum commissorum. Scrutare pectus tuum, pro[pri]am interrogans conscientiam, et si invenias aliquid [pœ]nitendum (invenies autem, cum sis homo); trahe suspiria in confessione, funde lacrymas in [or]atione, esto sollicitus de morte illa vera, de pœna animæ, esto sollicitus de peccato, sicut David dicit: *Quoniam iniquitatem meam pronuntio, et sollicitus ero pro peccato meo* (*Psal.* XXXVII, 19); et non de corporis hujus temporali dissolutione terreberis, quod suo tempore in melius Deo jubente reparabitur. Vide quemadmodum utrumque sententia divina complexa est, dicens: *Venit hora cum mortui qui sunt in monumentis resurgent.* Ecce securitas, ecce contemptus mortis. Sed quid sequitur? *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28, 29): ecce diversitas resurgentium. Omnem quidem necesse est carnem resurgere duntaxat humanam: sed bonus resurget ad vitam, malus resurget ad pœnam, sicut scriptum est: *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio*[1] *justorum* (*Psal.* I, 5). Ut ergo non in judicium resurgamus, intermissa mortis tristitia illam pœnitentiam et tristitiam sumamus, et curam bonorum operum ac vitæ melioris habeamus, et ad hoc sit nobis cogitatio hujus funeris et cadaveris, ut[2] nos mortales esse noverimus, et per hanc cogitationem, salutem nostram, dum tempus est, dum licet, minime negligamus: scilicet aut fructificantes in melius, aut emendantes si ignorantes erravimus: ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, et non invenire possimus; quæramus eleemosynas erogare, et satisfacere pro delictis, nec quod volumus concedatur.

Ostensa igitur, fratres, mortis communis[1], ostensa lacrymarum interdictione, monstrata veterum adhuc fragilitate et non Christianitatis virtute, monstrato Domini sacramento et Apostolorum de resurrectione documento, commemoratis Apostolorum actibus, et martyrum passionibus, ostenso præterea David exemplo, et gentilis hominis insuper facto, ad ultimum exposita et noxia et utili tristitia, illa quæ nocet, ista quæ per pœnitentiam salvat: his omnibus sic ostensis, quid nos facere jam aliud oportet, fratres, quam gratias agentes Deo Patri dicere, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10): tu dedisti vitam, tu constituisti mortem; tu inducis in sæculum, tu educis de sæculo, et cum eduxeris servas; nihil enim deperit tuorum, qui nec capillum capitis eorum perire dixisti (*Luc.* XXI, 18). *Auferes enim spiritum eorum, et deficient, et in terram suam revertentur; sed emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII, 29, 30)? Hæc verba, fratres, digna fidelibus, hæc medicina salutaris: hac spongia consolationis detersus oculus, hoc infusus collyrio rationis, non modo cæcitatem ex desperatione non sentiet, sed nec lippes aliquas tristitiæ sustinebit; quin potius oculis cordis lucida cuncta respiciens, dicet secundum patientissimum illum Job, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino visum est, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21) in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In Ms. scribitur, *consilio*.
[2] Ms., *et*.

[1] Forte addendum: *sorte*, vel, *conditione*.

Eo loci legitur apud PP. Benedictinos: « Excuso jam superiore folio, venit in manus nostras Remigianus codex, annorum fere 800, continens primum ex sermonibus præcedentibus cum hocce titulo: *Incipit libellus de consolatione mortis sancti Joannis Constantinopolitani episcopi.* » M.

ADMONITIO
IN TRACTATUM DE RECTITUDINE CATHOLICÆ CONVERSATIONIS.

Exstat iste tractatus in libro secundo Vitæ S. Eligii episcopi Noviomensis, cap. 15, collectus nimirum ac descriptus opera Audoeni Vitæ ejusdem auctoris, qui piissimi præsulis monita ad plebem suam quotidiana et præcipua comprehendere hoc sermone studuit. *Diebus namque singulis, ait Audoenus, plebem sibi commissam infatigabiliter salutaribus monitis exhortabatur..... Nam collectis undique ad ecclesiam turbis multa quidem et magna breviter in sermone complexa, sed in ædificatione spiritualiter copiosa, cum prophetica fiducia exaltans vocem, hujuscemodi ad eos proferebat monita: Rogo vos, fratres charissimi, et cum grandi humilitate admoneo, etc.* Repræsentat illuc Audoenus sermonem integrum, eoque finito subjicit: *Hæc summatim de tanti viri familiaribus monitis hucusque narrasse sufficiat; quæ ille etsi non sub unius diei articulo ex ordine ut digesta sunt percurrebat, diversis tamen temporibus hujusmodi semper præcepta populis intimabat.* Concinit vetus codex noster Germanensis, qui hunc ipsum tractatum seorsim ab Eligii Vita scriptum exhibet cum hocce titulo: *Incipiunt sermones beati Eligii, quos cum summo studio plebi proferebat ex locupletissimo cordis thesauro.* Ea tamen quæ ibi profert Eligius, traxit pene omnia ex Cæsarianis Sermonibus, qui per Galliam universam et per Hispanias procurante Cæsario (uti a nobis alias observatum fuit) in ecclesiis lectitabantur. Adi tomi superioris Appendicem, et confer sermones 29, 78, 110, 116, 141, 210, 249, 258, 265, 266, 273, 275, 277, 278, 279, 289, etc. In illis et ipsa Eligii verba reperies, et locos quosdam planius quam isthic explicatos. Ex sermone, verbi gratia, 129, n. 2, et ex 130, n. 1 et 2, intelliges quod hic, n. 5, legitur, *Nullus vetulas faciat*: ubi Jacobus Sirmondus perinde atque in concilio Antissiodorensi, scribendum *vitulas* putabat. Item hanc Eligii sententiam n. 9, *Qui ante legitimas nuptias concubinam habere præsumit, pejus peccat, quam qui adulterium committit*, sic accipiendam, ut pejus peccare ille non ob aliud existimetur, nisi quia ipsius factum perniciosioris exempli est, disces ex ejusdem Appendicis sermone 288, n. 5, et ex 289, n. 4, ubi hanc istius sententiæ rationem affert Cæsarius, *Quia qui adulterat, adhuc tam grave malum secrete vult agere..... ille vero qui publice concubinam habere voluerit..... rem exsecrabilem toto populo vidente licenter se putat admittere.* Sic nempe aliis præbet occasionem errandi, ut impune licere id credant. Nam *peccata*, uti ait Augustinus in Enchiridio cap. 80, *quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur.*

DE RECTITUDINE
CATHOLICÆ CONVERSATIONIS
TRACTATUS.

Quod præsul plebem hortari teneatur. Judicii diem et Baptismi vota sæpe recolere. Christiani officium. Pia præscribuntur exercitia. Christiani a Gentilium ritibus deterrentur. Deus solus colendus. Pia monita. Contra ebrietatem. Contra superstitiones. Qui die dominico et in ecclesiis se gerant. Judicibus quid agendum. Signo crucis frequenter se munire. Quod pie viventes vexet diabolus. Cur id permittat Deus. Stipem pauperibus erogare. Decimas Deo in pauperibus vel Ecclesiis dare. Præcepta Dei servare. Mores cito corrigere. Inimicos diligere. Animæ curam agere. Qui jejunandum. Lectionibus divinis animam pascere. Contra luxuriam. Concubinatus. Crimina capitalia. Pia ad recte vivendum documenta. Pietatem jamjam sectari. A diabolo dissidere. Non jurare. Qui orandum aut colloquendum. Scandala fugere. Misericordem esse. Charitatis commendatio. Hortatio ad pœnitentiam, ad vigilantiam. Quod Angelus Dei cuique sit. Quod nulli unquam desperandum. De cautela in verbis. De sobrietate servanda. Quod nulla res ex se mala. Quod pauperes ad mensam vocandi. Mortis consideratio. Vitæ æternæ felicitas. Judicii extremi meditatio. Ut Christus reprobis sua beneficia exprobrabit. Reproborum pœna. Justorum beata sors. Pœnitentiam publicam non erubescere. Nec veniam desperare. Nec nimium præsumere. Mundi finem instare. Terrena despicere. Adversa ob amorem Dei patienter ferre. Deum sibi præsentem semper revereri. Charitatem servare. In bono proposito persistere. Pœnitentia non differatur.

1. (*a*) Rogo vos, fratres charissimi, et cum grandi humilitate admoneo, ut intentis animis auscultare velitis, quæ vobis pro salute vestra suggerere volo. Omnipotens enim scit Dominus, quod prompta erga vos charitate ista vobis profero: quæ si non fecero, procul dubio reus debiti tenebor. Vos ergo non pro mea parvitate, sed pro vestra quæ dico salute libenter suscipite; ita duntaxat, ut quæ aure suscipitis, opere compleatis: ut et ego de meo obsequio, et de vestro profectu merear vobiscum gaudere in cœlesti regno. Si cui forte displiceo, quod tam frequenter prædicare vobis contendo, rogo non mihi molestus existat, sed magis periculum meum consideret, et audiat Dominum terribiliter comminantem sacerdoti, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam; ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab iniquitate sua, et a via sua impia; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* XXXIII, 8 *et* 9). Et illud: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Isai.* LVIII, 1). Considerate ergo, fratres, quia oportet me sine cessatione vestros animos ad tremendum Dei judicium, et ad desiderandum cœleste præmium excitare: ut vobiscum pariter merear in Angelorum consortio perpetua pace gaudere.

2. Ideoque rogo ut diem judicii semper pertimescatis, et (*b*) diem mortis suspectum quotidie ante oculos habeatis. Considerate quales eritis præsentandi conspectibus Angelorum, vel qualem pro meritis vicissitudinem recepturi: si poteritis in illo die illibatum referre, quod in Baptismo promisistis. Mementote, quia tunc pactum cum Deo fecistis, atque abrenuntiare vos diabolo et omnibus operibus ejus in ipso Baptismo promisistis. Qui potuit, tunc ipse per se et pro se hæc respondit: qui vero non potuit, fidejussor pro eo ad ejus vicem ista Deo promisit, ille scilicet qui eum de sacro fonte suscepit. Considerate ergo quale pactum cum Deo fecistis: et requirite apud vosmetipsos, si post ipsam promissionem opera maligni diaboli, cui renuntiastis, secuti estis. Abrenuntiastis enim diabolo et omnibus pompis et operibus ejus, id est, dolis, sortibus, auguriis, furtis, fraudibus, fornicationibus, ebrietatibus et mendaciis. Hæc sunt vere opera et pompæ ejus. Promisistis e contra credere vos in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, tertia die resurrexisse a mortuis, ascendisse ad cœlos. Promisistis deinde credere vos et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam. Hæc procul dubio cautio et confessio vestra, quam tunc promisistis, semper apud Deum tenetur. Quapropter vos, charissimi, moneo, ut ista confessio vel promissio vestra semper in vestra teneatur memoria; ut hoc quod christiani vocamini, non ad judicium vobis sit, sed potius ad remedium.

3. (*a*) Nam ideo christiani facti estis, ut semper opera christiani faciatis, id est, ut castitatem ametis, luxuriam et ebrietatem fugiatis, humilitatem teneatis, superbiam detestemini; quia Dominus Jesus Christus humilitatem et ostendit exemplis, et docuit verbis, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 29): invidiam etiam respuatis, charitatem invicem habeatis, et semper de futuro sæculo et de æterna beatitudine cogitetis, et plus pro anima quam pro corpore laboretis: quia caro pauco tempore erit in hoc mundo; anima vero si bene egerit, sine fine regnabit in cœlo; at si male, sine misericordia ardebit in inferno. Qui vero non cogitat nisi de ista tantummodo vita, animalibus et bestiis similis est. Non ergo vobis sufficit, charissimi, quod christianum nomen accepistis, si opera christiana non facitis. Illi enim prodest quod vocatur christianus, qui semper Christi præcepta et mente retinet, et opere perficit; qui furtum scilicet non facit, qui falsum testimonium non dicit, qui nec mentitur nec perjurat, qui adulterium non committit, qui nullum hominem lædit vel odit, sed omnes sicut semetipsum diligit; qui inimicis suis malum pro malo non reddit, sed magis pro ipsis orat; qui lites non concitat, sed discordes ad concordiam revocat. Hæc enim præcepta ipse Dominus Jesus Christus per semetipsum in Evangelio dignatus est tradere dicens: *Non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non perjurabis, et fraudem non feceris. Honora patrem tuum et matrem. Et diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Id.* XIX, 18 *et* 19). Et, *quodcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis; hæc est enim Lex et Prophetæ* (*Id.* VII, 12). Et adhuc majora his, sed valde fortia atque fructifera dedit mandata dicens, *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos: orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Ecce forte mandatum, et vide-

(*a*) Vid. serm. 249, n. 2, in Append. tom. 5.
(*b*) Ex Bened. regula, cap. 4.

(*a*) Ex serm. 266, nn. 2 et 1, in Append. tom. 5. Rursum ex n. 2.

tur hominibus durum; sed magnum habet præmium. Audite quale: *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri qui in cœlis est* (*Matth.* v, 44, 45). O quanta gratia! Per nos servi digni non sumus, et per inimicorum dilectionem filii Dei efficimur. Ideo ergo, fratres, et amicos diligite in Deo, et inimicos diligite propter Deum. *Qui enim diligit proximum*, sicut Apostolus dicit, *legem implevit* (*Rom.* xiii, 8). Nam qui verus christianus vult esse, hæc ei necesse est præcepta custodire: si enim non custodit, ipse se circumvenit. Ille itaque bonus christianus est, qui nulla phylacteria vel adinventiones diaboli credit, sed omnem suam spem in solo Christo ponit: qui peregrinos tanquam ipsum Christum cum gaudio suscipit, quia ipse dicit, *Hospes fui, et suscepistis me*; et, *Quamdiu fecistis hoc uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 35, 40). Ille, inquam, bonus christianus est, qui hospitibus lavat pedes, et tanquam parentes charissimos diligit; qui juxta quod habet, pauperibus eleemosynam tribuit, qui ad ecclesiam frequentius venit, et oblationem quæ in altari Deo offeratur exhibet; qui de fructibus suis non gustat, nisi prius Deo offerat, qui stateras dolosas et mensuras duplices non habet, qui pecuniam suam non ad usuram tribuit, qui et ipse caste vivit, et filios suos vel vicinos docet ut caste et cum Dei timore vivant, et quoties sanctæ solemnitates adveniunt, ante dies plures castitatem etiam cum propria uxore custodit, ut secura conscientia ad Domini altare possit accedere; qui postremo symbolum et dominicam orationem memoriter tenet, et filios ac familiam eadem docet. Qui talis est, sine dubio verus christianus est; sed et Christus in ipso habitat, qui dixit, *Ego et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* xiv, 23). Similiter et per prophetam dicit, *Ego inhabitabo in eis, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus* (*Levit.* xxvi, 12).

4. (*a*) Ecce audistis, fratres, quales sint christiani boni: ideo quantum potestis, cum Dei adjutorio laboretis, ut nomen christianum non sit falsum in vobis. Sed ut veri christiani esse possitis, semper præcepta Christi et cogitate in mente, et implete in operatione. Redimite animas vestras de pœna, dum habetis in potestate remedia. Eleemosynam juxta vires facite, pacem et charitatem habete, discordes ad concordiam revocate, mendacium fugite, perjurium expavescite, falsum testimonium non dicite, furtum non facite. Oblationes et decimas Ecclesiæ offerte, luminaria sanctis locis juxta quod habetis, exhibete. Symbolum et orationem dominicam in memoria retinete, et filiis vestris insinuate. Filios etiam quos ex Baptismo suscepistis, docete et castigate, ut semper cum timore Dei vivant; scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum esse. Ad Ecclesiam quoque frequentius convenite, sanctorum patrocinia humiliter expetite, diem dominicam pro reverentia resurrectionis Christi absque ullo opere servili colite, sanctorum solemnitates pio affectu celebrate. Proximos vestros sicut vosmetipsos diligite: quod vobis vultis ab aliis fieri, hoc et vos aliis facite; quod vobis non vultis fieri, nulli faciatis. Charitatem ante omnia habete; quia charitas operit multitudinem peccatorum (I *Petr.* iv, 8). Estote hospitales, humiles, omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis (*Id.* v, 7). Infirmos visitate, carceratos requirite, peregrinos suscipite, esurientes pascite, nudos vestite, hariolos et magos fugite. Sit vobis æqualitas in pondere et in mensura, sit statera justa, justus modius, æquusque sextarius: nec plus quam dedistis repetatis, neque usuras pro fœnerata pecunia a quoquam exigatis. Quod si observaveritis, securi in die judicii ante tribunal æterni judicis venientes dicetis, Da, Domine, quia dedimus; miserere, quia misericordiam fecimus: nos implevimus quod jussisti, tu redde quod promisisti.

5. (*a*) Ante omnia autem illud denuntio atque obtestor, ut nullas Paganorum sacrilegas consuetudines observetis, non caragios[1], non divinos, non sortilegos, non præcantatores; nec pro ulla causa aut infirmitate eos consulere vel interrogare præsumatis; quia qui facit hoc malum, perdit Baptismi sacramentum. Similiter et auguria vel sternutationes observare nolite, nec in itinere positi aliquas aviculas cantantes attendatis: sed sive iter, sive quodcumque opus arripitis, signate vos in nomine Christi, et symbolum et orationem dominicam cum fide et devotione dicite; et nihil vobis nocere poterit inimicus. Nullus christianus observet qua die domum exeat, vel qua die revertatur; quia omnes dies Deus fecit. Nullus ad inchoandum opus diem et lunam attendat. Nullus in calendis januarii nefanda et ridiculosa, vetulas, aut cervulos, aut jotticos[2] faciat, neque mensas per[3] noctem componat, nec strenas aut bibitiones exerceat superfluas. Nullus christianus in pyras[4] credat, neque in cantu sedeat; quia opera diabolica sunt. Nullus in festivitate sancti Joannis aut sanctorum solemnitatibus solstitia, aut balationes[5], vel saltationes[6] aut cantica diabolica exerceat. Nullus nomina dæmonum, aut Neptunum, aut Orcum, aut Dianam, aut Herculem, aut Minervam, aut Geniscum[7], aut cætera hujusmodi inepta credere aut invocare præsumat. Nullus diem Jovis absque sanctis festivitatibus, nec in maio nec in ullo tempore in otio observet, neque dies tiniarum[8] vel murorum, aut vel unum omnino diem, nisi tantum dominicam diem. Nullus christianus ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, aut ad cancellos[9], vel per trivia luminaria faciat, aut vota reddere præsumat. Nullus ad colla vel hominis vel cujuslibet animalis ligamina dependere præsumat, etiamsi a clericis fiant, etsi dicatur quod res sancta sit, et divinas lectiones contineat: quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli. Nullus præsumat lustrationes facere, nec herbas incantare, neque pecora per cavam arborem vel terram foratam transire: quia per hæc diabolo videtur consecrare. Nulla mulier præsumat succinos ad collum dependere: nec in tela, vel in tinctura, sive in quolibet opere, Minervam vel cæteras infaustas personas nominare; sed in omni opere Christi gratiam adesse optare, et in virtute nominis ejus toto corde confidere. Nullus si quando luna obscuratur, vociferare præsumat; quia certis temporibus Deo jubente obscuratur. Nec luna nova quisquam timeat aliquid operis arripere: quia Deus ad hoc lunam fecit, ut tempora designet (*Gen.* i, 14), et noctium tenebras temperet; non ut alicujus opus impediat, aut dementem hominem faciat, sicut stulti putant, qui a dæmonibus invasos a luna pati putant. Nullus dominos solem aut lunam vocet, neque per eos juret: quia creatura Dei sunt, et necessitatibus hominum jussu Dei inserviunt. Nullus sibi proponat fatum vel fortunam, aut genesim[10], quod vulgo nascentia dicitur; ut dicat, Qualem nascentiam attulit, taliter erit: quia *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* ii, 4), atque in sapientia omnia dispensat, sicut disposuit ante mundi constitutionem. Præterea quoties aliqua infirmitas evenerit, non quærantur præcanta-

(*a*) Ex eod. serm. n. 3; ex serm. 265, n. 2, et serm. 78, n. 6, ejusdem Appendicis.

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov., *caraios*; et paulo post, *caracii*. M.

[2] Ms. Corbeiensis, *jotticos*. At Germanensis, *jotticos*.

[3] Alias, *super*.

[4] Mss., *puras*, quod idem est; a πῦρ, ignis.

[5] Sic legendum ipsis suadentibus PP. Benedictinis; vide tom. 5 Append., serm. 265, n. 4, et serm. 266, n. 3. In E., *valationes*. M.

[6] Additur in Spicil., *caraulas*; seu, *coraulas*.

[7] Fr. et Lov., *Genistum*.

[8] Alias, *tiniarum*.

[9] Sic Ms. Germanensis. At Corbeiensis, *cellos*. Editi autem, *ocellos*.

[10] Editi, *genistum*.

(*a*) Vid. in Appendice tom. 5 serm. 278, n. 2; 277, n. 4; 267, num. 3, 5, 278, n. 1, 265, n. 4, 278, n. 1; 277, n. 4; 278, n. 5.

tores, non divini, non sortilegi, non caragii, neque per fontes, aut arbores, vel bivios [1] diabolica phylacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, et Eucharistiam corporis ac sanguinis Christi cum fide et devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat; et, secundum apostolum, *oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus* (*Jacobi* v, 15); et non solum corporis, sed etiam animæ sanitatem accipiet: complebiturque in illo quod Dominus in Evangelio promisit, dicens, *Omnia enim quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* (*Matth.* xxi, 22). Ante omnia ubicumque estis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, verba turpia et luxuriosa nolite ex ore vestro proferre: quia, sicut Dominus in Evangelio pronuntiat, *de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii* (*Matth.* xii, 36). Ludos etiam diabolicos, vel vacillationes [2], vel cantica Gentilium fieri vetate. Nullus christianus hæc exerceat, quia per hæc paganus efficitur: nec enim justum est, ut ex ore christiano, ubi sacramenta Christi mittuntur, et quod decet Deum semper laudare, cantica diabolica procedant. Ideoque, fratres, omnes adinventiones inimici toto corde respuite, et supra dicta sacrilegia cum omni horrore fugite. Nulli creaturæ præter Deum et sanctos ejus venerationem exhibeatis: fontes vel arbores, quos sacrivos vocant, succidite; pecudum similitudines [3], quas per bivia [4] ponunt, fieri vetate, et ubi inveneritis, igne cremate. Per nullam aliam artem salvari vos credatis, nisi per invocationem Domini et crucem Christi. Nam illud quale est, quod si arbores illæ ubi miseri homines vota reddunt, ceciderint, non ex eis ligna ad focum deferunt? Videte quanta est stultitia hominum, si arbori et insensibili et mortuæ impendunt honorem, et Dei omnipotentis præcepta contemnunt.

6. Non ergo cœlum, non terram, nec ullam omnino creaturam præter Deum ullus adorandam credat: quia omnia ipse solus condidit atque disposuit. Altum quidem cœlum est, ingens terra, immensum mare, pulchra sidera: sed pulchrior et immensior sit necesse est qui hæc creavit. Si enim hæc quæ videntur, tam incomprehensibilia sunt, id est, varii fructus terræ, pulchritudo florum, diversitas pomorum, genera animalium, alia super terram, alia in aquis, alia in aere; apum quoque prudentia, ventorum flatus, nubium rores, tonitruorum fragores, temporum vices, dierum noctiumque varius recursus, quæ omnia nullatenus mens humana potest æstimatione comprehendere: si ergo hæc talia sunt quæ videmus, et nullatenus comprehendimus; qualia æstimanda sunt illa cœlestia, quæ nondum videmus; vel qualis omnium horum artifex, cujus nutu cuncta creantur? Illum ergo, fratres, super omnia timete, illum inter omnia adorate: illum ultra omnia amate, ad illius vos misericordiam tenete, de illius clementia nunquam desperate.

7. (*a*) Quos bonos videtis, illos imitamini: quos malos conspicitis, castigate et corripite, ut duplicem mercedem habere possitis. Et qui hactenus idoneus a supra dictis malis vixisse cognoscitur, gaudeat quidem et Deo gratias agat, ac de cætero observet, et perseverare in bonis actibus festinet: qui vero usque nunc mala opera exercuit, cito se corrigat, et ex toto corde pœnitentiam agat, antequam de hac luce discedat; quia si sine pœnitentia mortuus fuerit, non ibit in redemptionem, sed præcipitabitur in gehennam ignis, unde nunquam exiet in sæcula sæculorum. Quapropter omnes alloquor, viris et feminis dico, corrigat se unusquisque, vitia sua dum potest emendet, mala opera quæ gessit pœnitendo expiet. Nullus se inebriet, nullus in convivio cogat alium plus bibere quam oportet: quia vino multo deditos vehementer Apostolus redarguit dicens, *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* vi, 10). Nullus in qualibet minima causa diaboli sequatur adinventiones: nullus, sicut dictum est, observet egrediens et ingrediens domum, quid sibi occurrat, vel si aliqua vox reclamantis fiat, aut qualis avis cantus garriat, vel quid etiam portantem videat: quia qui hæc observat, ex parte paganus dignoscitur. Qui vero hæc contemnunt, prophetam sibi gratulentur clamare, *Beatus vir cujus est Dominus spes ejus, qui non respexit in vanitates et insanias falsas* (*Psal.* xxxix, 5). Hinc et Apostolus monet: *Omne*, inquit, *quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite* (*Coloss.* iii, 17). Prorsus ergo recedendum est a cunctis hujuscemodi observationibus. Mathematici spernendi, auguria horrescenda, somnia contemnenda; quoniam, sicut Scriptura testatur, vana sunt. Unde et per Moysen præcipitur: *Non augurabimini*, inquit, *non observabitis somnia, nec ad magos declinabitis* (*Levit.* xix, 26, 31). Oportet ergo, ut et vos hæc tota mente observetis: et si quos cognoscitis vel occulte aliqua phylacteria exercere, expedit ut nec cibum cum eis sumatis, nec ullum consortium cum illis habeatis (I *Cor.* v *et* 11). Ista ergo omnia spernentes, ad Dei vos auxilium conferte, et de ejus misericordia nunquam desperate. Omni die dominico ad ecclesiam convenite, et ibi non causas aut rixas vel otiosas fabulas agatis: sed lectiones divinas cum silentio auscultate; et pro Ecclesiæ pace, vel pro peccatis vestris orate. Qui enim in ecclesiis fabulari non timet, et pro se et pro aliis redditurus est rationem: dum nec ipse verbum Dei audit, nec alios audire permittit. De talibus quippe Dominus in Evangelio dicit: *Væ vobis, hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines; vos non introitis, nec introeuntes sinitis intrare* (*Matth.* xxiii, 13). Judices etiam qui præestis, justissime judicate: nihil in judicio injuste agatis, nec munera super innocentes accipiatis, non ad personam attendatis, nec res alienas rapaci fortitudine tollatis; quia de vestris quid vel super noctem agatur, nescitis. Pauperem vel advenam nullatenus in judicio opprimatis, timentes illud quod Veritas dicit: *Quia in quo judicio judicaveritis, judicabimini: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Id.* vii, 2). Cavete semper ne de vobis propheta dicat, *Væ qui potentes estis in hoc mundo, qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum* (*Isai.* v, 22, 23, 20). *Labia vestra loquuntur mendacia, et manus vestræ plenæ sunt iniquitate, facta est vobis veritas in oblivionem, et justitia fugit a vobis* (*Id.* lix, 3, 15, 14).

8. Hæc, fratres, considerantes pariter, et qui præestis, et quibus præestis, in Dei timore vos solidate. Retinete quæ dicta sunt, facite quæ præcepta sunt. Habete semper Christum in mente, signum ejus in fronte. Scitote quia multos adversarios habetis, qui cursum vestrum impedire festinant. Idcirco omni loco, omni hora, crucis signaculo vos armate, crucis vexillo vos munite: hoc enim solum timent, illud solum expavescunt, hoc et vobis datum est scutum, in quo possitis sagittas maligni ardentes exstinguere. (*a*) Porro magna res est signum Christi, et crux Christi: sed illis solis prodest qui faciunt mandata Christi. Ut ergo vobis prosit, præcepta ejus totis viribus adimplere contendite: et sive sedetis, sive ambulatis, sive manducatis [1], sive in lectum ascendatis, sive a strato surgatis, jugiter signum Christi muniat frontem vestram, ut vos semper memoria Dei et vigilantes protegat, et in so-

[1] Ms. Germanensis, *luinos*.

[2] Mss., *allationes*. Forte legendum, *balationes*, ut supra, col. præced.

[3] Sic Ms. Germanensis. At Corbeiensis, *pedum similitudines*. Editi autem, *plantas sive ungulas pedum, quas*, etc.

[4] Ms. Germanensis, *luinos*.

(*a*) Ex serm. 266, n. 3; 278 n. 5; 265, n. 3, in Append. tomi 5.

[1] Melius legetur, *sedeatis... ambuletis... manducetis*, quemadmodum paulo post dicitur, *ascendatis, surgatis*. M.

(*a*) Ex serm. 265, n. 1, in Appendice tomi 5.

pore custodiat. Et quoties in nocte excitati fueritis, et somnus ex oculis evolaverit, mox labiis signum crucis occurrat. Mens quoque orationibus occupetur, ac Dei præcepta in corde volvantur, ne stupido pectori repente subrepat inimicus, vel per fatuam incuriam serpat ad animam adversarius avidus. Et cum in sensu vobis turpem suggesserit cogitationem, proponite vobis futurum Dei judicium, inferni supplicium, gehennæ pœnas, tartari tenebras : quæ impii patientur. Si hæc feceritis, statim turpis cogitatio evanescet, nec vos deseret virtus Christi ; quia verum est quod propheta canit, *Sperantes in Domino misericordia circumdabit* (*Psal.* XXXI, 10).

9. (a) Sed cum hæc omnia, auxiliante Domino, impleveritis, scitote quia hoc moleste accepturus est diabolus, quod videat vos a societate sua discedere ; et ob hoc fortasse aliquas nequitias aut infirmitates vobis immittet. Nolite pro hoc desperare ; quia ad vos probandos permittet hoc Deus fieri, ut cognoscat si ex toto corde vos ad ejus misericordiam tenetis, vel si veraciter in eum creditis. Sed et vos cuncta patienter sufferte, et Deum in omnibus benedicite ut in vobis possit impleri quod scriptum est, *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (*Jacobi* I, 12). Consoletur vos et hoc quod dicit Apostolus : *Quia cum tribulamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (I *Cor.* XI, 32). Necnon et illud : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Et illud : *Quos amat Dominus, arguit et castigat* (*Prov.* III, 11). Quod si semel vel bis nequitias quas immittit, viriliter atque fideliter pro Dei amore sustinueritis ; ita ipsum postea a vestra infestatione Deus dignabitur repellere, ut ulterius vobis nunquam possit nocere. Ita ergo vos si veri et non falsi christiani estis, omnes diabolicas circumventiones fugite ac despicite, et tota mente vos ad Deum tenete ; ut quæcumque adversa vobis inimicus immiserit, patienter et fortiter toleretis. Nam et si per sortilegos aut divinos aliqua prædixerit, et ita evenerit, nolite mirari : quia spiritus per aera volantes, facile possunt prævidere aliqua futura. De hac re divina Scriptura contestatur dicens : *Etiamsi vera vobis dixerint, nolite credere eis ; tentat enim vos Dominus Deus vester, utrum timeatis eum an non* (*Deut.* XIII, 3). Illud etiam scitote, quia nec vos, nec aliquid quod ad vos pertinet, lædere poterit inimicus, nisi quantum permiserit Deus. Permittit autem hoc Deus, quia peccata hominum hæc exigunt. Permittit autem duabus ex causis : ut aut probet si boni estis, aut castiget si peccatores. Sed qui patienter dispensationem Dei sustinuerit, ut cum perdiderit aliquid, dicat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21) ; pro ista patientia aut coronam recipiet si justus est, aut indulgentiam si peccator. Quod si murmuraverit, vel desperaverit ; rerum pariter et animæ damnum incurret. Sed mihi credite, fratres, quia si ex toto corde semper in timore Dei permanseritis, et præcepta ejus custodieritis, ita ut nullas ex gentili consuetudine adinventiones observetis ; nihil vobis inimicus nocere poterit, sed omnia vestra prosperabuntur. Recto enim christiano nec auguria, nec alia quælibet figmenta nocere possunt : quia ubi signum crucis cum fide et timore Dei præcesserit, nihil ibi poterit nocere inimicus. Tepidis vero et negligentibus ideo nocere possunt, quia relinquentes Dei præcepta, per vitæ suæ negligentiam prava opera exercendo, ipsi se dæmonum potestati spontanea tradunt voluntate : qui si in servitio Christi perseverarent, et per ejus auxilium solummodo confiderent, nihil prorsus mali paterentur.

10. (b) Hæc ergo scientes, totis vos viribus ad Dei misericordiam tenete, opera bona semper agite, et de substantia vestra pauperibus erogate. Qui plus habet, plus tribuat ; qui vero minus, de hoc ipso largiatur beatus et hilaris. Unusquisque quod prævalet, tribuat : quia nimirum est unde gaudebit. Scilicet qui dat parum, accipiet multum ; sicut Dominus ad Apostolos promittit dicens, *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Dat, inquam, nummum, et comparat cœleste regnum ; dat parvam pecuniam, et emit vitam æternam. Tenete ergo vos ad eleemosynam ; quia, sicut scriptum est, *eleemosyna de morte liberat, et qui eam fecerit, non ibit in tenebras* (*Tob.* IV, 11). Unusquisque quantum prævalet, tantum porrigat. Qui habet aurum, det aurum : et qui habet argentum, det argentum : qui vero non habet pecuniam, cum bono animo det pauperibus et buccellam ; et si non habet integram, ex eo quod habet frangat, et partem egeno tribuat. Sciat quia quamvis parum cum bono animo tribuerit, acceptabile Deo erit. Dominus enim non copia largitatis, sed benevolentia et devotione delectatur et pascitur largientis. Ut autem nullus pauper ab eleemosyna se excusare possit, ipse Dominus pro calice aquæ frigidæ se mercedem redditurum esse promisit (*Matth.* X, 42). Qui enim a Deo plures facultates accepit, magis utique judicii periculum sustinebit. Potuit nempe Deus omnes divites facere : sed pauperes ideo in hoc mundo esse voluit, ut divites haberent quomodo peccata sua redimerent. Redimite ergo vos, charissimi, dum habetis in potestate pretium ; date eleemosynam de bono et justo labore, et non de alterius rapina. Audite modo ante fores vestras pauperes rogantes, ut et ipsi pro vobis in die judicii rogent. Prophetam attendite clamantem : *Qui averterit*, inquit, *aurem suam ab egeno, et ipse invocabit Dominum, et non exaudiet eum* (*Prov.* XXI, 13). Date ergo de eo quod Deus dedit vobis ; quia ipse accipit quod pauperibus datis. Ipsi quidem datis, sed vobis in futurum transmittitis ; non unde ventrem impleatis, sed unde flammas exstinguatis : quia *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Hinc Dominus per prophetam dicit : *Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, et non erit in eis morbus neque casus.* Date ergo, dum licet, redemptionem animarum vestrarum : redimite vos ipsi dum vivitis, quia post mortem nemo vos redimere potest.

11. (a) Unusquisque de quali ingenio vel artificio vivit, de ipso decimam Deo in pauperibus vel ecclesiis donet. Consideret quia omnia Dei sunt per quæ vivit, sive terra, sive flumina, sive semina, vel omnia quæ sub cœlo vel super cœlos sunt : et si ipse non dedisset, nihil utique haberet. Nam Deus noster, qui dignatur totum dare, decimam de suo dignatur a nobis repetere, non sibi penitus, sed nobis profuturam. Sic enim ipse per prophetam promisit dicens : *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreis meis, et probate me in his, dicit Dominus : si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis fructus terræ usque ad abundantiam* (*Malach.* III, 10). Reddite ergo libenter decimam ex omnibus quæ possidetis super terram, quod cognoscitis Deo placere, de frumento, de vino de legumine, de feno, de auro, de argento, de pecoribus, insuper et lanarum ex ovium tonsione. Nolite de cuncta substantia vestra fraudare decimam : ne vobis novem partes auferantur, et sola decima remaneat. Convertimini ad hoc, dicit Dominus, ut aperiam vobis cataractas cœli, et effundam vobis benedictionem meam (*Ibid.* 7). Si igitur dederitis voluntarie, plus semper Dominus dabit vobis : si non dederitis, quanticumque pauperes in locis in quibus habitatis, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum rei eritis. Insuper immittet vobis Dominus pestilentiam et famem : et perdetis totum quod habetis, necnon adhuc et animas vestras. Ut autem hæc vobis non veniant, festinate cum bono animo dare, unde animas vestras possitis redimere. Nec eligatis cui misericordiam faciatis, ne forte prætereatis eum qui meretur accipere :

(a) Ex serm. 278, nn. 2, 3 et 4.
(b) Ex serm. 78, nn 6, 5, 2, in Append. tomi 5.

(a) Vid. serm. 277, nn. 1, 3, in Appendice tomi 5.

quia nescitis in quem Christus dignetur advenire. Scitote, quia quod pauperi vel peregrino in terra largimini, sedenti in cœlo datis, qui dixit, *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.* x, 40), et, *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Id.* xxv, 40).

12. Inter hæc autem omnia quæ Dominus exerceri præcepit bonitatis opera, nihil aliud a vobis quærit, nisi salutem animarum vestrarum, et ut timeatis eum semper, et custodiatis ejus mandata. Quod si feceritis, dabit vobis, sicut per Moysen pollicitus est, pluvias congruo tempore, et terra vestra gignet germen suum: erit abundantia fructuum, pomorum, vinearum et segetum, et abundabitis omnibus bonis. Et dabit vobis pacem per circuitum, et absque terrore eritis, ipseque habitabit inter vos. E contra, si non custodieritis præcepta ejus, in vobis venient plagæ ab eodem Moyse prædictæ, pestilentia scilicet, fames et gladius: eritque cœlum sicut ferrum, et terra quasi æramentum; nec proferet terra germen suum, et segetes omnes delebuntur, omnisque labor vester incassum consumetur. Insuper consurgent in vos hostes vestri, et devorabit vos gladius, et erit terra vestra deserta et desolata (*Levit.* xxvi, 3-45). Et tunc clamabitis præ angustia, et non exaudiet vos Dominus, sicut per prophetam minatur dicens: *Locutus sum, et non audierunt; et clamabunt, et non exaudiam* (*Zach.* vii, 13). Etiam propheta clamat: *Non est abbreviata manus Domini, ut non possit salvare aut exaudire; sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra averterunt faciem ejus ne exaudiat* (*Isai.* lix, 1, 2). Ut ista vero vobis non contingant, custodite quæ præcepta sunt. Implete Dei mandata, ut vivatis, et bene sit vobis, nihilque calamitatis eveniat. Ipse enim per prophetam consolatur dicens: *Si egerint*, inquit, *pœnitentiam pro iniquitatibus suis, et ego pœnitentiam agam super malum quod locutus sum, ut facerem eis; et non faciam, dicit Dominus* (*Jerem.* xviii, 8). Hæc ergo, fratres, semper in mente tenete, hæc verba filiis et vicinis vestris narrate. Hæc rememoramini dum sedetis in domibus vestris, et dum ambulatis, nec obliviscamini ea cum bene fuerit vobis: sed Deum semper timete, et ipsi soli servite; ne irascatur contra vos furor ejus. Scitote quia ipse custodit pactum et misericordiam diligentibus se, et custodientibus præcepta sua, omnesque ab eis tollet languores. Considerate quia, sicut Joannes apostolus prænuntiat, *Novissima hora est* (I *Joan.* ii, 18). Ideoque nolite jam mundum diligere (*Ibid.* 15, etc.); quia cito transit, et omnis concupiscentia ejus cum eo. Vos autem facite voluntatem Domini, ut maneatis in æternum, et habeatis fiduciam cum apparuerit, nec confundamini in adventu ejus. Nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est: et qui facit peccatum, ex diabolo est. Et utique omne peccatum, sive furtum, sive adulterium, sive mendacium, sine dæmonis operatione non fit. Considerate, quæso, quam perniciosum est opera diaboli exercere, ejusque participem fieri, non in requie, sed in pœna gehennæ. Idcirco quotiescumque peccatis, nolite expectare mortifera securitate, ut vulnera ipsa putrescant, nec alia insuper augeatis; sed continuo per pœnitentiæ confessionem vobis medicinam adhibere festinate. In magnis etiam operibus vos jugiter dilatare contendite; ut (*a*) qui fuit hactenus superbus, sit jam humilis; qui erat adulter, sit castus; qui solebat furari aut res alienas tollere, incipiat jam proprias Ecclesiis aut pauperibus erogare; qui fuit invidus, sit benignus; qui erat ebriosus, sit sobrius; qui fuit iracundus, sit patiens: qui fecit alteri injuriam, cito petat veniam; cui injuria facta est, absque mora dimittat, ut et illi dimittatur. Aut quare non dimittat fratri parum, ut ei dignetur Deus dimittere totum?

13. (*b*) Nam et hoc eleemosynæ genus est, ut dimittat aliquis ex toto corde ei a quo læsus exstiterit. Quod si aliquis ita sit pauper, ut nullam rem habeat unde eleemosynam corporalem faciat; quia non potest fieri ut ab aliquibus non patiatur injuriam, si ex toto corde omnibus in se peccantibus indulgeat, et contra nullum hominem odium in corde teneat, atque omnes sicut semetipsum diligat, hoc ei procul dubio pro maxima eleemosyna reputabitur. Ut autem in nos peccantibus liberius dimittamus, hortatur nos Dominus in Evangelio dicens: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra; si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis* (*Matth.* vi, 14, 15). Nemo ergo se circumveniat, nemo se seducat; quia qui vel contra unum hominem in hoc mundo odium tenet, quidquid Deo in bonis operibus obtulerit, perdet totum: quia non mentitur apostolus terribiliter clamans, *Qui odit fratrem suum, homicida est, et mendax est, et in tenebris ambulat* (I *Joan.* iii, 15). Hoc loco fratrem, omnem hominem oportet intelligi; quia omnes in Christo fratres sumus. Ergo, fratres, ideirco vos ad inimicorum dilectionem admoneo, quia ad sananda peccatorum vulnera nullum fortius medicamentum esse cognosco. Licet grandis sit labor inimicos diligere in hoc sæculo, sed magnum erit præmium in futuro. Qui hic dilexerit inimicos, erit Dei amicus: non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse, quod supra jam præmisimus, pollicetur dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*Matth.* v, 44). Qui ergo diligit, possidebit requiem: *qui enim non diligit*, sicut dicit Apostolus, *manet in morte* (I *Joan.* iii, 14).

14. Cum hæc ita sint, charissimi, dilectionem veram, non falsam ad invicem habetote: actus vestros semper ad Deum dirigite, et quidquid potestis pro amore Dei et vitæ æternæ, laborate. Currite dum lucem habetis, priusquam tenebræ vos comprehendant (*Joan.* xii, 35). Cum laboratis pro carne, laborate et pro anima. Si curritis pro carne, quam post modicum tempus vermes devoraturi sunt in sepulcro; plus currite pro anima, ut ornata bonis operibus sine fine lætetur in cœlo. (*a*) Ante omnia quando jejunatis, quod prandere debetis pauperibus erogate: et sicut Dominus in Evangelio docet, *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes, ut videamini ab hominibus; sed illi soli qui videt in absconso.* Et iterum monet: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* vi, 16, 18). Plus ergo semper de cibo cordis quam de cibo corporis cogitate: et dum in mundo versamini, æternam vitam bene vivendo vobis emite. Lectiones divinas in ecclesia libenter audite; et quæ auditis jugiter in domibus recolite: ut quomodo corpus pascitur cibo, sic anima reficiatur Dei verbo. Certum est enim quia qualis est caro quæ post multos dies percipit cibum; talis est anima quæ raro pascitur Dei verbo. Ergo, charissimi, sive ambulatis, sive sedetis, sive operamini, vel per omnia quæcumque agitis, semper quod ex divina lectione audistis ad mentem reducite, semperque evangelica præcepta in corde ruminate.

15. Ante omnia luxuriam fugite, concupiscentiam malam vitate; timentes illud quod Dominus in Evangelio dicit: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Uxores legitimas absque ulla simulatione diligite, sicut Apostolus præcepit, dicens: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Et secundum eumdem apostolum: *Mulieres viris suis subjectæ sint, et timeant sicut Deum*[1] (*Ephes.* v, 25, 22). Nec quisquam vir legit mam uxorem quacumque occasione dimittere præsumat: quia, secundum sententiam Domini, *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*

(*a*) Ex serm. 275, n. 4, in Append. tomi 5.
(*b*) Ita fere serm. 303, n. 3, serm. 210, n. 3; 275, n. 1.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *Mulieres viris suis subjectæ sint, sicut oportet in Domino.* M.
(*a*) Ex serm. 141 nn. 4, 3, 2.

(*Matth.* v, 32). Concubinas vero sive ante nuptias sive post nuptias habere prohibemus : quia omnino illicitum est. Nam qui uxorem legitimam ducere cogitat, dignum est ut virginitatem usque ad nuptias custodiat, et post nuptias nullam alteram præter unam legitimam conjugem cognoscat, sicut apostolus Paulus præcepit. Ipse fidem servet ei, sicut eam sibi servare vult; nec peccet cum alia, sicut nec suam cum alio viro vult peccare : timens illud quod idem apostolus terribiliter proclamat dicens, *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* xiii, 4). (a) Quidquid enim de jure connubii mulieribus non licet, nec viris omnino licet. Nam qui ante legitimas nuptias habere concubinam præsumit, pejus peccat, quam qui adulterium committit; et ob hoc dignus est a consortio Christianorum separari. Quod si non pœnituerit, æterna illum flamma sine remedio cruciabit.

16. Quapropter, christiane, fuge fornicationem, erubesce jam sub oculis Dei et Angelorum peccare. Capitalia crimina omni nisu detestare, quæ sunt sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, iracundia, ebrietas. Hæc sunt enim crimina quæ mergunt homines in supplicium æternum : ex quibus quicumque in se vel unum habere cognoscit, si pœnitentiam non egerit, sine ullo remedio in gehenna ignis ardebit. Et ideo, o anima christiana, vigila, ora, cave semper prædicta crimina : et quidquid boni prævales, age pro vita æterna. Aperi pauperibus manum tuam; ut Christus tibi aperiat januam suam, et intres in gaudia paradisi. Noli ipse te tradere in perditionem; quia Christus pro te suum effudit sanguinem. Satis te charum habuit, quem tam charo pretio comparavit. Terreat te metus gehennæ, quo sic possis abstinere ab operibus pravis. Omni hora mortem adesse suspica, et futura judicia Dei super te jugiter formida : ut tibi possit aptari quod scriptum est, *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* xxviii, 14). Quod male fecisti emenda dum potes, dum habes licentiam pœnitendi. Veniam non desperes si ad meliora convertaris; quia desperatio pejor est omni peccato. (b) Nullatenus ergo de Dei misericordia desperes, nec post centum peccata, nec post mille crimina : quia nulla est tam grandis culpa, quæ pœnitendo non habeat veniam. Quamvis ergo quisque te irritet, quamvis convicietur, quamvis injuriam tibi faciat : tu tace, patiens esto, nec rependas contumeliam; et melius tacendo vinces injuriam. Cum maledicitur tibi, tu benedic : et magnam habebis gratiam, si non lædas a quo læsus es. Nullum despicias, non servum, non egenum : quia forsitan melior est apud Deum, quam tu; et quia omnes, secundum Apostolum, *unum sumus in Christo Jesu* (*Galat.* iii, 28); et *quia non est personarum acceptor Deus* (*Act.* x, 34) : sed, sicut scriptum est, *Unusquisque quod fecerit bonum, hoc accipiet a Domino, sive servus, sive liber* (*Ephes.* vi, 8). Non detrahas fratri tuo, nec facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum; sed sicut per Moysen dicitur, *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non affliges eum more servorum per potentiam, sed cum amore Dei atque circa illum. Memento quoniam tu servus es* (*Levit.* xxv, 39, 43, 41). *Non oderis fratrem tuum in corde tuo; sed publice argue illum, ut non habeas super illum peccatum* (*Id.* xix, 17). Hinc et Dominus in Evangelio dicit, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum* (*Matth.* xviii, 15); et rursum, *Si septies, inquit, in die peccaverit, et toties pœnituerit, dimitte ei* (*Luc.* xvii, 4); et iterum, *Si offers, inquit, munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* v, 23 et 24). Hæc te, christiane, præcepta revocent ad concordiam, hæc dulcia Christi medicamenta curent odii vulnera : quæ si contempseris, terribilem in te sententiam retorques, qua dicitur, *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* : vel, *qui dixerit fratri suo, Racha, aut Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Ibid.* 22). Ecce audisti, charissime, quid timeas, quid observes. Habe ergo charitatem, tene patientiam, fuge discordiam, impone frenos linguæ tuæ, ne trahat ad gehennam animam tuam : quia secundum Scripturam, *Mors et vita in manibus linguæ consistit* (*Prov.* xviii, 21); et *Vir linguosus non dirigetur in terra* (*Psal.* cxxxix, 12).

17. Hæc sollicita consideratione pensantes, fratres charissimi, verba simul et mores componite. Sectamini semper justitiam, amate Christi præcepta. *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas : et revertatur ad Dominum*, sicut propheta clamat, *et miserebitur ejus; quia pius est ad ignoscendum* (*Isai.* lv, 7). Ipse enim admonet dicens, *Convertimini ad me, et sanabo contritiones*[1] *vestras* (*Osee* xiv, 3, 5). Et rursus : *Quærite bonum et non malum, ut vivatis; et erit vobiscum Dominus exercituum.* Et iterum : *Odite malum, et diligite bonum; ut misereatur Dominus vestri* (*Amos* v, 14, 15). Ecce hoc ipse Dominus per prophetam clamat; et si me audire contemnitis, saltem vel ipsum audite. Ipse etiam in Evangelio consolatur peccatores dicens, *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Luc.* v, 32). Ipse iterum admonet dicens, *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* vi, 33). Et iterum : *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Id.* vii, 7). Modo enim Dominus pro ineffabili pietate sua non solum admonet, sed et rogat ut convertamur ad eum. (a) Audiamus ergo eum dum rogat; ne si non facimus, non audiat nos cum judicabit. Audiamus et Scripturam dicentem, *Fili, miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* xxx, 24). Quid ad hæc respondet humana fragilitas? Deus rogat ut tui miserearis, et non vis : quomodo te audiet in die necessitatis supplicantem, cum tu eum pro te ipso non audis rogantem? Si modo hæc neglexeritis, fratres, quid facietis in die judicii, vel ad cujus confugietis auxilium? Si, inquam, modo neglexeritis talia Dei hortamenta, non effugietis tunc inferni tormenta : nec vos poterit aurum vel argentum liberare, neque divitiæ, quæ nunc in angulis absconditis, et ex quibus arrogantes effecti salutem vestram obliti estis. Hinc namque Dominus per prophetam dicit, *Visitabo super vos mala, et quiescere faciam superbiam impiorum, et arrogantiam fortium humiliabo* (*Isai.* xiii, 11). Et rursum admonet dicens, *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Id.* xlvi, 8) : *quiescite agere perverse, discite bene facere, succurrite oppresso, defendite pauperem, et viduam et advenam et pupillum nolite calumniari* (*Id.* i, 16 et 17).

18. Hæc ergo, fratres, in mente retinete, hæc magnopere custodire festinate. Pugnate ut separati a diabolo, conjungamini Deo qui vos redemit. Stupeant Gentes de conversatione vestra : et si detrahant vobis, etiam et irrideant Christianitatis vos opera sectari, ne conturbemini ex hoc; reddent enim de eo rationem. Totam ergo spem vestram in Christi misericordia ponite : et non solum ab actu impudico, sed etiam a cogitationibus sordidis animas vestras custodite; quia Dominus Deus justus judex et de cogitationibus judicat. Et hoc moneo, fratres, ut superbiam penitus deponatis, per quam de cœlo diabolus corruit : quia, sicut apostolus testatur, *Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam* (*Jacobi* iv, 6). Unde Dominus in Evangelio dicit, *Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* xiv, 11). Et iterum, *Nisi conversi fueritis et ef-*

(a) Vid. serm. 289, nn. 3, 4; 288, n. 5, in Appendice tomi 5.

(b) Sic serm. 258, n. 2.

[1] Mss., *aversiones.*

(a) Ex serm. 289, n. 3, in Append. tomi 5.

ficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII, 3). Jurandi etiam consuetudinem funditus omittite, quia valde in hac parte Dei præceptis contraitis, Domino in Evangelio prohibente: *Dico*, inquit, *vobis non jurare omnino, neque per terram, neque per caput, neque per aliud quodcumque: sit autem sermo vester, Est, est; Non, non.* Injuriantibus quoque vobis, proferte præcepta Dei quibus dicitur, *Dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram*; et, *Qui vult tunicam tuam tollere, remittas ei et pallium*; et iterum, *Qui petit a te, da ei, et qui tollit quæ tua sunt, ne repetas* (*Id.* V, 34-37, 39, 40, 42). Orandi utique rationem illam tenere vos necesse est, quam Dominus præcepit dicens, *Cum oratis, non in multiloquio, sed in secreto cordis orate, et Pater vester qui videt in abscondito, reddet vobis. Scit*, inquit, *Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum* (*Id.* VI, 5-8). Hæc ergo verba, charissimi, recolite, hæc jugiter præcepta reminiscimini. Ubicumque estis, memoriam Christi in colloquio inserite; quia ipse dicit, *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Id.* XVIII, 20). Scandala etiam fugite: quia Dominus graviter notat eum qui lites concitat, dicendo: *Væ homini illi per quem scandalum venit* (*Ibid.* 7). In compassione vero proximi illam sententiam tenete, qua in Evangelio dicitur, *Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.* Et illud, *Date, et dabitur vobis* (*Luc.* III, 11; VI, 38). Dominicis semper mementote verbis quibus dicitur, *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis, fiet vobis* (*Joan.* XV, 7). Ipsum quoque Apostolum audite clamantem, *Tempus breve est: reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi* (I *Cor.* VII, 29-31). Ut autem plus concupiscamus cœlestia quam terrena, Dominum audiamus dicentem: *Nihil enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* XVI, 26). Ut vero diligamus charitatem, evangelista Joannes hortatur dicens, *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.* Et iterum: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I *Joan.* IV, 12, 16). Necnon et Paulus excellentiam charitatis simili modo profert, dicens: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3). Hinc iterum monet dicens, *Omnia vestra in charitate fiant* (*Id.* XVI, 14). Et iterum, *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Ipse etiam pravos quosque ad tramitem perfectionis blande coercens dicit, *Qui furabatur, jam non furetur* (*Ephes.* IV, 28). Et illud, *Fugite fornicationem. Quia omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Et iterum, *Neque avari regnum Dei possidebunt, neque fornicarii, neque adulteri, neque ebriosi, neque fures, neque maledici, neque rapaces* (I *Cor.* VI, 18, 8-10). Idem apostolus cupiditatem coercens dicit, *Radix omnium malorum est cupiditas* (I *Tim.* VI, 10). Ergo, fratres, abjicite cupiditatem, sectamini charitatem, deponite impietatem, supportate invicem cum humilitate, illud omnimodis præcaventes quod Apostolus ad Romanos scribens infert, *Revelabitur*, inquiens, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum* (*Rom.* I, 18). Necnon et illud quod voce Veritatis in Evangelio comminatur: *Qui faciunt*, inquit, *iniquitatem, mittentur in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XIII, 50). Considerate igitur quam sævus quamque tremendus sit ille ignis: et qui modo nec unum quidem suffert digitum in ignem mittere, timeat ibi cum toto corpore in sæcula cruciari.

19. Rogo ergo vos, ut si vultis ab illo igne vel ab illo pœna liberari, desinite jam amplius peccare: et Dominum per prophetam attendite clamantem, *Revertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et salvabo vos* (*Ezech.* XVIII, 30). Et iterum: *Nolo mortem*, inquit, *impii, sed ut convertatur et vivat* (*Id.* XXXIII, 11). Et per Isaiam clamat dicens, *Quando conversus ingemueris, salvus eris* (*Isai.* XXX, 15). Per Joel quoque similiter commonet, dicens, *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu* (*Joel.* II, 12). Ecce quanta remedia ad conversionem vestram ex divinis oraculis prolata sunt. Vigilate ergo solliciti; quia quanto proximum finem mundi diabolus prospicit, tanto crudelius contra Christianos sævit, ut quia ipse damnationem evadere non potest, plures sibi socios in pœnam multiplicet, cum quibus utique sine fine crucietur. Cavete ergo attentius, et pariter cum Dei timore conversamini: scientes quia unusquisque vestrum Angelum Dei habet, qui observat jugiter quæ egerit. Et si quidem bene agit, gaudium sancto Angelo sibi adhærenti gignit: si vero mala opera exercet, Angelum sanctum a se repellit, et malignum sibi dæmonem conjungit. Quapropter, charissimi, hæc me loquente, intra vos redite, conscientias vestras discutite: si dignas mentes angelici consortii geritis, providete; et si vos bonos ac dignos Deo conspicitis, de meritis vestris nunquam superba mente præsumatis, sed magis de cætero cum humilitate cavete. Si vero peccatis vos obnoxios cernitis, nullatenus desperate: tantum facite in corde pactum cum Deo, ut jam amplius non peccetis; sed fiducialiter veniam sperate, quia Dominus sinum suæ pietatis assidue patefacit, et omnes ad se recipere per pœnitentiam quærit. Nam etsi adulter quis, aut meretrix, aut fur, aut ebriosus, aut mendax, vel etiam filiorum necator fuerit; tantum de cætero pœnitens caveat, et indulgebit illi Deus. Publicanum de Evangelio, et latronem, nec non et meretricem, sed et Paulum sumite in exemplum, qui de semetipso dicit, *Prius fui blasphemus et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I *Tim.* I, 13). Et vos ergo, si forte ignoranter admisistis, reparate vos, quæso, dum licet, per pœnitentiam. Confitemini Domino in totis præcordiis vestris, quoniam bonus est: doleat vos non egisse quod bonum est. Et qui pœnitet, ita pœniteat, ut ulterius jam lugenda non committat. Et qui pauperiores in hoc sæculo estis, nolite ob hoc contristari: quia si bene agitis, ditiores eritis in cœlo.

20. Denique cavete ne quis turpem sermonem ex ore proferat: et, secundum Apostolum, *Fabulis variis et doctrinis nolite seduci* (*Hebr.* XIII, 9). Sed *corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes* (I *Thess.* V, 14). Et *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat* (*Ephes.* IV, 29), timentes illud quod scriptum est, *Pervertunt mores bonos colloquia mala* (I *Cor.* XV, 33). Crapulam etiam et ebrietatem perhorrescite: quia Dominus per se ipsum hoc redarguit dicens, *Cavete ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Et Apostolus prohibet dicens, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18). Procul dubio enim qui plus manducat aut bibit quam expedit, et peccatum incurrit, et sanitatem [1] servare non valet: quia cum venter aut venæ nimia fuerint satietate repletæ, illico necesse est ut libido in membris generetur. Unde et alibi scriptum est, *Vinum multum potatum amaritudo est animæ, et ruina multiplicans imprudenti offensionem, minuens virtutem, et faciens vulnera* (*Eccli.* XXXI, 39, 40). Et hæc quidem dico, non ut creaturam Dei malam asseram, aut judicem esse damnandam; sed ut vos cautiores sobrioresque reddam. Imo et admoneo, ut nullam Dei creaturam dicatis malam; quia Deus cuncta valde bona creavit (*Gen.* I, 31). Nam quæcumque nobis mala esse videntur aut nocent; nostro vitio, non sua natura, nobis mala existunt. Ideoque,

[1] Mss., *saturitatem*.

fratres, solum diabolum, qui superbiendo factus est malus, detestantes, tantorum bonorum creatorem Dominum glorificate. Cavete semper viam latam, quæ ducit ad interitum : apprehendite angustam, per quam reperitur æterna latitudo. Pauperes et peregrinos ad convivium revocate, Dominumque de hac re præcipientem attendite : *Cum facis*, inquit, *prandium aut cœnam, noli vocare divites qui convivantur tecum; sed voca pauperes, debiles, cæcos, claudos, et beatus eris, quia non habent unde tibi retribuant; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum* (*Luc.* XIV, 12-14). (a) Nec enim justum est, ut in populo christiano, qui uno pretio sunt redempti, et uni Domino serviunt, alii distentis epulis ventribus et ebrii incedant, alii famis periculo deficiant. Prorsus peccatum est, ut nostra superflua a tineis devorentur, et pauperes nec vetustissima quæque recipere mereantur. Quare non consideratis quia pari conditione in hunc mundum venistis, uniusque Domini servi estis, simili etiam exitu de mundo migrabitis; et si bene agitis, ad unam beatitudinem venietis? At quare pauper vobiscum non accipiat cibum, qui vobiscum accepturus est consortium Angelorum? Quare non accipiat vel veterem tunicam, qui pariter accepturus est immortalitatis stolam? Hæc, fratres, considerantes, ita pauperum curam gerite, ut uberrimam pro his retributionem in cœlis accipiatis. Mendacium semper fugite, quia non minimum crimen est, Scriptura dicente, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Et, *Testis falsus non erit impunitus* (*Prov.* XIX, 5). Et David ad Dominum, *Perdes*, inquit, *omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7). Et Apostolus, *Deponentes*, inquit, *mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo* (*Ephes.* IV, 25).

21. (b) In hac ergo vita positi ita agite, ut cum hinc migraveritis, et caro vestra a vermibus cœperit devorari in sepulcro, anima ornata bonis operibus cum sanctis omnibus lætetur in cœlo. Retrahat vos a malis operibus vel peccatorum interitus. Eorum quos jam præmisistis attendite calamitates. Considerate divitum sepulcra, vel eorum qui ante parvum tempus vobiscum erant, quid fuerunt, et quid sunt, vel quid eis divitiæ vel cupiditas sæculi profuerunt. Ecce nihil ex eis nisi soli cineres remanserunt : qui si loqui possent, hæc vobis procul dubio dicerent, Utquid infelices tantum pro sæculi cupiditate discurritis? Utquid vos vitiis et criminibus repletis? Considerate ossa nostra, ut vel sic vobis horreat cupiditas vel miseria vestra. Quod vos estis, nos fuimus : quod nos sumus, vos eritis. Ista omnia, fratres, sollicita consideratione pensate, et hæc considerantes, expavescite : diem mortis ante oculos semper ponite, et ad emendationem quantum potestis festinate. Nolite negligere quod vos pius Dominus sustinet peccantes : quia quanto diutius exspectat ut emendetis, tanto gravius vindicabit si neglexeritis. Si forte putatis quod finis mundi tardius veniat, vel unusquisque consideret suum finem. (c) Ecce dum libenter ac jucundissime moratur homo in mundo, multaque in longo tempore [1] disponit agenda, repente rapitur in mortem, et ex improviso aufertur a corpore. Sed ille beatus est, qui antea semper horam illam habuerit ante oculos, et festinaverit in illa hora mortis paratus inveniri, ut possit tanti metus terrorem evadere. Quod si vultis scire, cum metu magno, charissimi, ingentibusque doloribus separatur anima a corpore. Veniunt enim Angeli eam assumere, ut perducant ante tribunal metuendi judicis : tunc et illa memorans opera sua mala, quæ die noctuque gessit, contremiscit et ingemiscit, et quærit ea fugere, induciasque petere, dicens, Date mihi vel unius horæ spatium. Tunc quasi simul loquentia omnia opera ejus dicunt, Tu nos egisti, tua opera sumus, non te deserimus, sed tecum semper erimus, tecumque pergemus ad judicium. Hæc quidem peccatoris anima agit, quæ cum horrendo timore separatur a corpore, et pergit plena peccatis et ingenti confusione depressa. Justi vero anima cum separatur a corpore, non timet, nec expavescit : sed magis cum gaudio egreditur, et cum exsultatione pergit ad Deum deducentibus se Angelis sanctis. Illam ergo horam modo, fratres, timete, ne tunc timeatis : illam nunc præcavete, ut tunc securi esse possitis. Mementote jugiter, quia in medio laqueorum diaboli ambulatis; et ideo semper parati estote, ut quando Domini præceptum missum fuerit, liberi ab omni labe peccati ad requiem transire possitis. Nec arbitremini vos diu in hoc mundo mansuros; quia nimirum proveniet, ut non concedatur post dominicum præceptum missum nec unius horæ spatio vel momento in hac vita consistere. Cavete igitur ne de exitu vestro tristitiam faciatis Angelis sanctis, et gaudium inimicis. Scitote vero quia anima cum a corpore avellitur, statim aut in paradiso pro bonis meritis, aut certe pro peccatis in inferno continuo [1] præcipitatur. Quapropter eligite modo quod vultis, et hoc jam in vita vestra, hic disponite, aut perpetualiter gaudere cum sanctis, aut sine fine cruciari cum impiis. Itaque vel saltem pœnæ vos terreant, si præmia non invitant : et præsentem mundum si despicere non valetis, vel cum justitia possidete. Qui in juventute erravit, saltem in senectute resipiscat; et mala quæ peccando commisit, pœnitendo jam expurget. Ecce paulatim deficit mundus, et cuncta quæ videntur, velociter tanquam nebula aut tanquam vespertina umbra transeunt. Ecce quod olim prænuntiabatur, præsenti tempore jam perspicue cernitur : subtrahuntur omnia bona, et crescunt quotidie mala. Nolite ergo, fratres, mundum jam diligere, (a) quem tanta cernitis cum velocitate transire : nolite in ejus amore anchoram cordis jam figere, quem sic ad finem conspicitis declinare : præsertim cum Apostolus clamet, quod amicitia hujus mundi inimica sit Deo.

22. Vitam ergo æternam ex omnibus præcor diis vestris amate, quam nunquam in sæcula finiatis. (b) Illuc festinate, ubi semper vivatis, et ubi jam mori nunquam timeatis. Si enim sic amatis istam miseram fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis, et ubi vix currendo, satagendo, sudando, suspirando necessariis corporis satisfacitis : quanto magis amare debetis vitam æternam, ubi nullum unquam laborem sustinebitis, ubi semper summa est securitas, secura felicitas, felix libertas, libera beatitas; ubi implebitur illud quod Dominus in Evangelio dicit, *Erunt homines similes Angelis* (*Matth.* XXII, 30); similes utique non substantia, sed beatitudine. Et illud : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Id.* XIII, 43). Qualis putas erit tunc splendor animarum, quando solis claritatem habebit lux corporum? Ibi jam non erit ulla tristitia, nullus labor, nullus dolor, nullus timor, nulla mors; sed perpetua semper sanitas perseverabit. Nulla ibi consurget malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, nulla omnino necessitas. Non erit ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii, nec ulla tentatio inimici, non jam peccandi voluntas, nec ulla delinquendi possibilitas; sed totum exsultatio, totum lætitia possidebit, hominesque Angelis sociati sine ulla carnis infirmitate versabuntur. Ibi ergo erit lætitia certa, ibi requies secura, ibi pax vera, ibi jucunditas infinita, ubi si locus obtinendi ullus fuerit, amittendi in sæcula nullus

[1] Alias, *in longa tempora*.

(a) Vid. serm. 116, n. 4, in Append. tom. 5.

(b) Quæ sequuntur, continebant tractatum de Vanitate sæculi.

(c) Hæc inde translata in lib. Medit. Bernardi, cap. 2.

[1] Abest, *continuo*, a Ms. Corbeiensi et a libro de Vanitate sæculi.

(a) Hæc verba, *quem tanta*, usque ad, *jam figere*, addidimus ex libro de Vanitate sæculi.

(b) Ita et Medit. Bernardi, cap. 17, et serm. 110, n. 4, in Append. tom. 5.

est. In qua beatitudine quod[1] semel adipiscitur, semper tenetur. Nihil loco illo magnificentius, nihil gloriosius, nihil clarius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil munificentius, nihil illa bonitate sincerius, nihil illa abundantia copiosius. Ibi semper pax et summa solemnitas, ibi vera et certa felicitas est. Ibi jam non formidabitur ferocissimus hostis, qui cupit jugiter animas jugulare : nec timebuntur ultra ignita diaboli jacula, neque ulla inimici tentamenta. Non incutiet terrorem barbarorum immanitas, nec ulla ulterius timebitur adversitas. Non ibi formidabitur ferrum, non ignis, nec facies omnino truculenta tortoris. Nemo in loco illo glorioso indiget vestimento; quia non est illic frigus, nec æstus, nec ulla aeris inæqualitas. Nullus ibi esurit, nullus tristatur, nullus est peregrinus : sed omnes qui ibidem attingere meruerunt, securi ut in patria vivent. Non ultra jam adversabitur caro spiritui, nec ullum timebitur periculum : sed inenarrabilia cum Angelis ac sempiterna a Christo præmia retribuentur, et quod oculus non vidit, sicut dicit Apostolus, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I *Cor.* II, 9). Ecce qualem beatitudinem perditurus erit, qui se modo, dum licet, emendare noluerit. Idcirco nos, fratres, Domino auxiliante dedignemur ultra servire peccato, quibus tanta beatitudo præparatur in cœlo.

25. Dum ergo tempus est, festinemus Deum nobis propitium facere : despiciamus quæ terrena sunt, ut adipiscamur cœlestia. Cogitemus nos peregrinos esse in hoc sæculo, ut liberius festinemus ad cœlum : velociter enim transeunt, et cito tanquam umbra prætereunt cuncta quæ hic videntur. Perpendamus quales erimus in die judicii, Dei et Angelorum conspectibus præsentandi, quando opera nostra erunt nobis ante oculos ponenda. Qualis erit illa confusio, cui contigerit pro peccatis suis in conspectu Dei omniumque hominum erubescere, qui hic nec unum quidem hominem in se peccantem vult inspicere? Vel quis erit pavor tunc Deum iratum videre, quem placatum non valet universitas comprehendere? Illum ergo diem semper timeamus, quem modo prævidere nullatenus possumus. Illum diem jugiter pavescamus, et vel sic actus nostros a malo revocemus. Consideremus quis terror erit in die illo, cum de cœlis Dominus ad judicandum venerit sæculum. Quis metus erit Deum videre, ad cujus adventum universa elementa quatientur, ac cœlum cum terra contremiscet, virtutesque cœlorum commovebuntur? Tunc nimirum præcinentibus Angelorum tubis, omnes gentes quæcumque sub cœlo fuerint et omnis homo tam viri quam feminæ in eo sexu unusquisque quo natus fuit in mundo, boni simul et mali, sancti et peccatores, vel quicumque ab initio mundi nati, ac mortui fuerint, sive a bestiis devorati, sive ab igne consumpti, sive ab aquis absorpti, omnes simul in momento temporis atque in ictu oculi resurgent (I *Cor.* xv, 52), in ipsis sine dubio corporibus atque in ipsa carne quam hic habuerunt; scilicet in virum perfectum et in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 13), in qua et ipse Dominus resurrexit a mortuis. Et omnes ante judicium Christi venient, pariterque eum et electi et reprobi suis oculis videbunt, sicut et ipse Dominus in Evangelio dicit : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate, constipatum agminibus Angelorum : et congregabuntur ante eum omnes gentes, et plangent super se omnes tribus terræ, et separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet justos quidem a dextris suis, impios autem a sinistris. Tunc dicet ad eos qui a dextris ejus erunt, Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes eram, et collegistis me ; nudus, et operuistis me ; infirmus et in carcere, et visitastis me. Hæc quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 29; xxv, 35, 36, 40). Tunc omnibus a pedibus ostendet livores et fixuras clavorum, in ipso sine dubio corpore, quod pro peccatis nostris vulneratum est ; et ita compellans peccatores dicet, (*a*) Ego te, homo, de limo terræ manibus meis formavi, et inter paradisi delicias, quod non merebaris, collocavi : sed tu me meaque jussa contemnens, deceptorem sequi maluisti, unde et justa pœna damnatus inferni suppliciis es deputatus. Postea misertus sum tui, carnem assumpsi, in terris inter peccatores habitavi, contumelias et verbera pro te sustinui : ut te eriperem, colaphos et sputa suscepi, ut tibi dulcedinem paradisi redderem, acetum cum felle bibi. Propter te vepribus coronatus, cruci affixus, lancea vulneratus sum. Propter te mortuus et in sepulcro positus, ad inferna descendi. Ut te ad paradisum reducerem, tartari claustra adii ; ut tu in cœlo regnares, inferni profunda penetravi. Agnosce ergo quæ pro te, impietas humana, pertuli. Ecce livores quos pro te excepi, ecce clavorum foramina quibus in cruce affixus pependi. Suscepi dolores tuos, ut te possem sanare ; suscepi pœnam, ut darem tibi gloriam : suscepi mortem, ut tu viveres sine fine : conditus latui in sepulcro, ut tu regnares in cœlo. Hæc omnia pro vobis sustinui. Amplius horum quid vobis debui facere, et non feci? Dicite nunc vel ostendite mihi quid passi estis propter me[1], aut quid boni egistis pro vobis. Ego cum essem invisibilis, sponte propter vos incarnatus sum : cum essem impassibilis, propter vos pati dignatus sum : cum essem dives, propter vos egenus factus sum. Sed vos humilitatem meam et præcepta mea semper renuentes, seductorem magis quam me secuti estis. Ecce modo non potest aliud justitia mea judicare, nisi quod merentur opera vestra recipere. Ergo quod ipsi elegistis, tenete. Contempsistis lucem, possidete tenebras : amastis mortem, ite in perditionem : secuti estis diabolum, ite cum ipso in ignem æternum. (*b*) Quis, putas, erit tunc mœror, quis luctus, quæ tristitia, quæ angustia, cum hæc fuerit adversus impios prolata sententia? Tunc enim erit dura separatio a dulci sanctorum consortio : et traditi in potestatem dæmonum, ibunt in ipsis corporibus suis cum diabolo in supplicium æternum, et permanebunt semper in luctu et gemitu. Procul quippe exsulati a beata paradisi patria cruciabuntur in gehenna, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, nunquam pœnas finituri, nunquam requiem accepturi; sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec unquam in sæcula liberandi. Ibi nec qui torquet, aliquando fatigatur ; nec qui torquetur, unquam moritur. Sic enim ibi ignis consumit, ut semper reservet ; sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. Juxta vero qualitatem culpæ, pœnam ibi unusquisque sustinet gehennæ. Non ibi auditur aliud nisi fletus, et planctus, et stridor dentium ; non erit aliud consolamentum, nisi flammæ et terrores pœnarum : ardebuntque miseri cum peccatoribus sine fine in ignem æternum semper in sæcula sæculorum. Justi autem ibunt in vitam æternam, in ipsa sine dubio carne quam hic habuerunt ; et sociabuntur Angelis sanctis in regno Dei gaudiis deputati perpetuis, nunquam jam morituri, nunquam corruptionem visuri, sed semper lætitia ac dulcedine Christi saturati, et fulgebunt sicut sol in gloria et claritate, quam præparavit Deus diligentibus se. Et quanto amplius aliquis alio obediens Deo in hac vita fuerit; tanto illic ampliorem mercedem accipiet : quantoque amplius hic Deum amaverit, tanto tunc eum propius videbit (*c*).

[1] Alias, *qui*.

[1] In libro de Vanitate sæculi additur, *dominatorem vestrum*.

(*a*) Ex serm. 249, nn. 4, 5, in Append. tomi 5.

(*b*) Hæc ex lib. Medit. Bernardi, cap. 3.

(*c*) Hic additis 10 versibus claudebatur tractatus de Vanitate sæculi.

24. Ecce, charissimi, prædixi vobis simpliciter, ut intelligere possitis quæ sint unicuique ventura. Nemo jam se de ignorantia poterit excusare : quoniam mors et vita prænuntiata sunt vobis, supplicia impiorum, et gloria justorum. Jam vero in arbitrio vestro consistit eligere quod teneatis. Unusquisque enim quod hic concupierit et assecutus fuerit, hoc utique possidebit. Vitam ergo æternam toto nisu concupiscite : nec emendationem vestram diutius differatis, sed ad lucranda cœlestia regna ultro ipsi relinquite quod lucis hujus fine perdendum est. Surgat jam, quæso, quicumque peccati catena constrictus tenetur, et expergefactus a somno suæ mortis evigilet. Recurrat ad confessionem, et agat pœnitentiam. Nec erubescat publice pœnitere super immunditiis quas gessit : quia revera multo melius est hic pauco tempore pœnitere, quam per tot millia annorum inferni supplicia sustinere. Si ex toto corde pœnituerit, cito succurret illi Redemptor qui quatriduanum jam fetidum suscitavit Lazarum (*Joan.* XI, 43). Paratus est ille semper misericordiæ sinus, et clementer exspectat, ut suscipiat pœnitentes. Non est enim, sicut scriptum tenemus, de quamvis magnis criminibus remittendis Dei unquam misericordia desperanda : quia ipse quotidie clamat per prophetam dicens, *Quacumque die conversus fuerit peccator ab immunditia sua, omnes iniquitates ejus erunt in oblivione coram me* (*Ezech.* XVIII, 21). Et rursus per alium prophetam dicit, *Ego sum Dominus Deus vester qui deleo iniquitates vestras* (*Isai.* XLIII, 25). Et illud de Evangelio, *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Et illud : *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Considerate, fratres charissimi, quam larga est bonitas Dei nostri, quam ineffabilis misericordia ejus. Quotidie contemnitur; et quotidie nos ad pœnitentiam benignissima pietate invitat. Fiduciam nobis pia ejus largitio præstat : ut nec desperemus de Christi misericordia, nec tamen nobis absque fructu pœnitentiæ veniam concessam præsumamus. Dominus enim quantum patris pietate indulgens semper et misericors est, tantum judicis majestate severus est et metuendus. Potest quidem reis dare indulgentiam, potest ipse suam reflectere sententiam, potest pœnitenti gratias indulgere [1] : non potest tamen nisi justissime judicare : quoniam non est apud Deum commutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jacobi* I, 17). Ipse enim judicat, atque æqualiter secundum uniuscujusque facta repensat; bona scilicet bonis, et mala malis. Ideoque, charissimi, reminiscimini quæ egistis : et si vos deliquisse cognoscitis, sine aliqua dilatione ad pœnitentiæ medicamenta confugite. Audite prophetam admonentem : *Noli*, inquit, *tardare converti ad Dominum, nec differas de die in diem* (*Eccli.* V, 8), quia nescitis quid crastino futurum sit. Mementote semper quod ante conspectum omnipotentis Dei conversamini, qui prospicit omnium hominum non solum facta, sed et cogitationes, sicut et Apostolus ait : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, sed omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 13).

25. Hæc igitur cogitantes, intentissima sollicitudine vos custodite, ultimique diei vos adventui cum bonis operibus semper præparate. Ecce jam, ut certissime tenemus, finis mundi in promptu est. Jam finis sæculi instat : et, quod lugendum est, tanta mala quotidie fiunt, tantæ tribulationes crebrescunt, ut per hæc etiam mundus finem suum quodam modo proclamare videatur. Ecce omnia quæ Prophetæ vaticinaverunt, quæque prædixerunt Apostoli, pene jam completa sunt : solus dies judicii et horribilis Antichristi adventus adhuc restat. Ecce bellum super bellum, tribulatio super tribulationem, fames super famem, pestilentia super pestilentiam, et gens supra gentem consurgit. Omnia quæ dudum sunt prædicta, nos jam videmus impleta. Quare ergo sumus lapidei, et ferreum pectus possidemus, ut pro remedio animæ nostræ inter tot mala minime cogitemus? Diu est enim quod vox divina minatur : sed nullatenus hominum pertinacia mutatur. Cœlestis olim intentatur ultio; et nulla hominum adhibetur satisfactio. Dei proximat ira; et tepide agitur pœnitentia. Venturum Prophetæ testantur supplicium; et raro ab hominibus Dei imploratur auxilium. Quapropter, dilectissimi, moneo, ut vel jam mundo finiente humana finiatur malitia, solliusque Dei toto nisu quæratur misericordia. Non vos jam divitiarum onera ad terram premant, quia cito hic omnia relinquemus : nec pariter et Christum velimus habere et sæculum; sed spreto sæculo liberi festinemus ad cœlum.

26. Reminiscamur quam gravia sunt scelera quæ commisimus, quamque dira inferni supplicia quæ timemus; et juxta qualitatem culpæ medicamentum adhibeamus pœnitentiæ. Cogitemus quod secundum Apostolum, *Nihil in hunc mundum intulimus, nihilque ex eo morientes auferre poterimus* (I *Tim.* VI, 7). Nudi nati sumus, nudi utique moriemur : quidquid autem hic inventum est, hic procul dubio relinquetur. Opera tantummodo bona si hic egerimus, ipsa nobiscum ad cœlos portabuntur; imo nos ipsa ad cœlum portabunt. Tanquam peregrini ergo sola sufficientia contenti, illas divitias nobis hic acquiramus, quas nobiscum ad paradisi patriam feramus. Deum super omnia diligamus; quia revera impium est eum non diligi, cui vicem rependere non possumus, etiam et cum diligimus. Quid enim nos impii pro Domino retribuere poterimus pro omnibus quæ retribuit nobis (*Psal.* CXV, 12); qui nullis nostris præcedentibus meritis tanta nobis præstitit indignis, ut nos a jugo diræ dominationis redimeret? De sede paternæ majestatis ad nos descendit, injurias in terris pertulit, probra sustinuit, mortem indebite subiit : et hæc quidem omnia patienter sustulit, ut nobis humilitatis et patientiæ exempla monstraret; unde et sequentibus se discipulis dixit, *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Oportet igitur ut quemadmodum ille pro nobis, ita et nos cuncta adversa quæ nobis propter peccata nostra eveniunt, æquanimiter toleremus; ut patientiæ fructum in vita æterna capere possimus. Urgeamus ergo, fratres, cursum nostrum, dum tempus habemus : odiamus hunc mundum, quem diu possidere non possumus. Nulla jam nos malorum operum contagia polluant : sed divinus nos aspectus semper a peccatis arceat. Si enim homines nostri similes peccatores et ex eodem luto formatos, ne nos peccantes inspiciant, erubescimus : quanto magis æternum et solum sine peccato omnipotentem Deum revereri ac timere debemus, qui non solum facta, sed etiam cogitationes considerat et videt? Hunc ergo quotidie timeamus, hujus reverentiam cordibus semper teneamus : sicque nos spes indulgentiæ erigat, ut metus gehennæ semper affligat. Ante omnia et super omnia charitatem habeamus, reminiscentes præcepti Domini quo dicitur, *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Et illud : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII, 34). Nam et alibi dicitur, *Habete charitatem quod est vinculum unitatis* (*Coloss.* III, 14). Et iterum, *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione* (*Ephes.* V, 1 et 2). Et iterum, *Omnis amaritudo et ira et indignatio tollatur a vobis cum omni malitia* (*Id.* IV, 31). Et, *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ibid.*, 27). Namque sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si sit intus ferrum; ita nihil proficit illius oratio, in cujus pectore mortiferum versatur odium. Habeamus, fratres, charitatem : quia si illam habuerimus, omnibus virtutibus replebimur : si vero charitatem non habuerimus, quidquid boni habere videmur, totum perdimus. Nec in arrepto bene agendi proposito penitus lassescamus, præcipue cum Do-

[1] Ms. [illegible], *potest ei gratias indulgere*. Spicil., [illegible]

minus dicat, nullum ponentem manum in aratro et respicientem retrorsum, dignum esse regno cœlorum (*Luc.* IX, 62). Respicere autem retrorsum, nihil aliud est quam in eo quemquam pœnitere quod cœperit bonum, et rursum mundanis desideriis obligari. Denique ab spe veniæ nulla nos malorum quantitas revocet: quia quamvis gravis sit culpa humana, largior nihilominus est misericordia divina. Unde per Psalmistam dicitur, *Multa est apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX, 7). Et iterum, *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 19).

27. Hæc nos, fratres, diebus ac noctibus memoria refoveat, hæc nos præcepta frequenter sollicitent. Debitum vitæ finem jam jamque affuturum putemus: vicinumque speremus mortis diem, quem longinquum esse nescimus. Modo emendemus quod deliquimus; ne tunc pœnitere incipiamus quando jam non valebimus. Erit quidem et in inferno pœnitentia, sed omnino infructuosa. Erit ibi pœnitentia dolorem habens, sed medicinam non habens: ibique nullatenus poterit a Deo promereri quod petit, qui hic noluerit audire quod Deus jussit. Ideoque, charissimi, quantum possumus, præceptis Dei in omnibus obtemperemus; ut ibi præmium muneris capiamus. Ipsi, dum licet, hic nos castigemus, ipsi nobiscum de actibus nostris rationem faciamus: ipsi nos judici nostro accusemus, atque emendationem nostram non ad extremum vitæ differamus: sed quoties in peccatis labimur, per pœnitentiam resurgamus, ac totis viribus voluptates præsentis vitæ illecebrasque vincentes, illud omnimodis præcaveamus: quoniam quotidie ad mortem properamus, et dum nescimus, securique consistimus, repente mors venit. Ita ergo festinemus ubi jam non timeamus, et ubi nos sancti omnes suscipere vel videre desiderant, ubi nos rex cœlestis Christus et superni cives Angeli expansis charitatis brachiis exspectant. Ibi requiem festinemus, ubi sine fine vivamus, et ubi angelicis agminibus consortes esse possimus. Ita postremo in exsilio hujus mundi agamus, ut ad futurum judicium cum secura conscientia bonis operibus ornati veniamus, ibique gratum Deo munus nostras animas offeramus: ut pro hoc commercio ab eo æternitatis beatitudinem accipere et in sæculum sæculi gloriari possimus. Hæc nos, charissimi, mandata hactenus quasi lac vobis gustanda porreximus, et ecce modo sub testimonio Dei et sanctorum Angelorum qui nos loquentes audiunt, absolvimus debitum nostrum, cœlestia vobis præcepta tradentes. Amodo jam vestrum est cogitare, quatenus et admonitio nostra effectum habeat salutis, et vos semper voluntatem Dei facientes ab omni vos malo custodiatis, atque demum liberi ab omni contagione peccati ad regna cœlestia tripudiantes pervenire possitis: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

SERMO
DE SYMBOLO[(a)].

EXORDIUM *Fidei interioris et exterioris necessitas. Symbolum regula fidei. Qua ratione institutum sit. Quid complectatur.* (*b*) Notum est dilectissimi, Charitati vestræ, quod milites sæculi beneficia temporalia a temporalibus dominis accepturi, prius sacramentis militaribus obligantur, et dominis suis fidem se servaturos profitentur: quanto magis ergo æterno Regi militaturi, et æterna præmia percepturi, debent sacramentis cœlestibus obligari, et fidem per quam ei placituri sunt, publice profiteri? Dicit enim Apostolus, *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6). Hanc in cordibus nostris agnoscit, qui scrutatur renes et corda (*Psal.* VII, 10). Sed propter conservandam Ecclesiæ unitatem, dispensationi hujus temporis cum fide cordis necessaria est oris confessio: quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10), non tantum prædicatorum, sed etiam auditorum. Non enim aliter frater de fratre bene sentiret, nec pax Ecclesiæ servaretur, nec alium docere, aut ab alio discere saluti necessaria posset, nisi quod in corde habet, signis vocum tanquam suis vehiculis ad aliorum corda transmitteret. Est ergo fides et corde servanda, et ore promenda. Fides namque omnium bonorum est fundamentum, et humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad numerum filiorum Dei poterit pervenire: quia sine ipsa in hoc sæculo nec justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Hoc attendentes sancti Apostoli, certam fidei regulam tradiderunt, quam secundum numerum Apostolicum duodecim sententiis comprehensam, Symbolum vocaverunt: per quam credentes catholicam tenerent unitatem, et per quam hæreticam convincerent pravitatem. Symbolum ergo tali ratione institutum majores nostri dixerunt.

(*a*) Tradunt enim, quod post ascensionem Domini et Salvatoris nostri ad Patrem, cum per adventum Spiritus sancti discipuli ejus inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes, ut Dei verbum prædicarent, ituri ac discessuri ab invicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in commune statuerunt: ne localiter ab invicem discedentes, diversum vel dissonam prædicarent his qui ad fidem Christi invitabantur. Omnes igitur in uno positi, et Spiritu sancto repleti, breve suæ prædicationis indicium conferendo in unum, quod sentiebat unusquisque componebat, atque hanc ita credentibus dandam esse regulam instituerunt. Symbolum breve est verbis, sed magnum est sacramentis. Quidquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quidquid denuntiatum est in Scripturis, quidquid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu sancto vel de suscipiendo omni sacramento, vel de morte Domini resurrectionisque ejus mysterio, totum breviter hoc Symbolum continet, et continendo habet et confitendo. Discat ergo quisque fidem Apostolicam professus per ora gestantium in Baptismo, cum ad annos intelligibiles venerit. Jam ad istius Symboli professionis sacramentum textumque veniamus, quod in hunc modum incipit:

CAPUT PRIMUM. *Credere Deum, Deo, in Deum. Fides diaboli. Omnipotens.* Credo in Deum Patrem omnipotentem. (*b*) In primis, dilectissimi, qualis sermo sit in Symboli capite, diligenter attendite. Ergo in primo habet, Credo. Vide quod Dominus noster non nos jubet discutere divina judicia, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter et immobiliter exhibere. Non dicit, Credo Deum; vel, Credo Deo: quamvis et hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est

(*a*) Olim in tomo 10, de Tempore serm. 181, et post in Append. 59. Ex Ruffino, Cæsario, Gregorio, Ivone Carnotensi, etc., collectus, et insuper Append. tomi 5 totum sermonem 242 membratim dissectum complectens.

(*b*) Ivo Carnot., serm. de symb. et prolog. Fulgentii de Fide.

(*a*) Ex Symb. Ruffini; et serm. 242 in Appendice tomi 5.

(*b*) Ex serm. 242, n. 2, in Append. tomi 5; ex Symbolo Ruffini.

credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur: credere illum, credere quia ipse est Deus, credere in illum, diligere illum. Credere vera esse quæ loquitur, multi et mali possunt: credunt enim esse vera, et nolunt ea facere sua: quia ad hoc pedum pigri sunt. Credere autem ipsum esse Deum, et dæmones possunt. Credere vero in Deum, soli noverunt qui diligunt illum, qui non solum nomine christiani sunt, sed et factis et vita, quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides christiani, sine dilectione fides dæmonis. Qui ergo non volunt credere Christum, adhuc nec dæmones imitantur. Jam credit Christum, sed odit Christum, habet[1] confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: nam et illi puniri timebant. Denique beatus Petrus cum Domino confitens diceret, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16), eadem pene verba, quæ dæmones, proferre videtur ex ore: sed illorum confessio, quia cum odio prolata est Christi, merito damnata est; illius quia ex interna dilectione processit, æterna beatitudine remunerata est. Nos ergo qui per adoptionem gratiæ filii Dei sumus (*Rom.* VIII, 15), dicendo, Credo in Deum Patrem omnipotentem; hoc est, sic ei credamus, ut ei per dilectionem adhæreamus. In Deum Patrem omnipotentem. Advertite quod cum Dei Patris nomen in confessione conjungit, ostendit quod non ante Deus esse cœpit, et postea Pater: sed sine ullo initio et Deus semper et Pater est. Patrem autem cum audis, agnosce quod habet Filium veraciter genitum: quomodo possessor dicitur qui aliquid possidet, et dominus, qui alicui dominatur. Deus ergo Pater secreti sacramenti vocabulum est, cujus vere Filius est Verbum. Nec quæratur quomodo genuit filium, quod et Angeli nesciunt, Prophetis est incognitum. Unde illud dictum est, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Nec a nobis discutiendus est Deus, sed credendus. Sed ut breviter dicamus, sufficit nobis scire quia genuit lux splendorem. Omnipotentem vero ideo dicit, quia omnipotens est, cui nihil impossibile est, qui cœlum et terram, mare, homines, atque omnia animalia et reptilia, non aliquo operis actu, sed solo verbi imperio creavit. Et ideo non nobis veniat in cogitationem, quomodo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur confiteri.

CAPUT II. *Jesus, Christus, Unicus. Christus ratione conceptionis vermi se comparat. Hæc nascendi ratio nec Deo injuriosa nec impossibilis.* Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum. (*a*) Advertite quod quomodo in Patrem, sic et in Filium credendum est. Et quia cum Patre æqualis est majestate, tantum ipsi, quantum et Patri, honoris nos debere novimus et servitutis obsequium. Jesus autem, Salvator interpretatur. Jesus autem dicitur, quod salvet populum. Christus a chrismate dicitur: quia sicut antiqui reges oleo sacro perfundebantur, ita Dominus noster Jesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est. Unicus ideo, quia nec comparationem recipit cum creaturis, nec similitudinem: quia omnium rerum summus ipse creator est. Homines autem filii Dei vocantur per gratiam: ille solus Filius genitus per naturam. Ostendunt ista in eum jure credendum esse, qui propter hoc quod æqualis Patri est, Salvator noster est redimens nos, et Christus est rex regens nos, et unicus Dominus noster, spoliato antiquo hoste, singulari dominio suo asciscens nos. Qui conceptus est de Spiritu sancto: id est, cujus conceptionis solus auctor fuit Spiritus sanctus. Sicut enim vermis calefaciente sole de puro limo formatur; sic Spiritu sancto illustrante et sanctificante cor Virginis, caro Christi de sola carne Virginis nulla sementiva carnis origine operante concepta est. Unde se vermi comparans per Psalmistam dicit, *Ego sum vermis, et non homo* (*Psal.* XXI, 7): id est, non conceptus more humano. Natus ex Maria virgine. Qui veniebat inveteratam peccatis hominum renovare naturam, novam legem voluit habere nascendi. Unigenitus igitur Dei factus est hominis filius: ut qui Creator mundi erat, fieret et Redemptor. Quod vero majestatis Deus de Maria incarnatus est, non est sordidatus nascendo de Virgine, qui non fuit pollutus hominem condens ex pulvere. Denique sol aut ignis si lutum tangat, quod tetigerit purgat; et se tamen non inquinat. Nec fuit Deo injuria causa misericordiæ. Neque sit incredibile quod ipse natus de Virgine, qui Adam de virgineo pulvere, et primam mulierem potuit de costa formare. Deus Filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ipsum dedit Mariæ; ut naturaliter esset unus idemque communis filius Dei et Mariæ. Omnis natura a Deo creata est, et Deus ex Maria natus. Deus omnia creavit, et Maria Deum generavit. Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit: et sic omnia quæ fecerat refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere.

CAPUT III. *Cur Dominus voluerit crucifigi. Crucis virtus.* Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. (*a*) Iste Pilatus judex erat in illo tempore ab imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est. Cujus mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem. Crucifixus. Hinc multa Prophetæ prædixerunt, qualiter crucifixus in cruce in conspectu populi maligni manibus extensis pependerit. Tamen ut breviter dicatur, in cruce suspensus est, ut nos a damnatione ligni vetiti dissolveret, et a morte liberaret. Sed quæritur, quid sit crucis significatio, et quare Dominus in patibulo pati se elegerit? Ad quod tripartita ratio redditur. Prima, ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur, et antiquus hostis velut hamo crucis caperetur: scilicet, ut quos absorbuerat, evomeret, non potentia victus, sed justitia. Secunda causa est, ut secutoribus hominibus vitæ magisterium præberet. Ad hoc enim ascendit in crucem, ut nobis passionis et resurrectionis præberet exemplum. Tertia causa est susceptæ crucis, ut superbia sæculi et inflata sapientia, per crucis stultam, ut putatur, prædicationem humiliata corrueret, et sciret id quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus. Sed adhuc videndum est, quare Dominus tale genus mortis elegerit. Legimus enim in Evangelio, quod Pharisæi voluerunt eum præcipitare de monte: at ille transiens, per medium illorum ibat (*Luc.* IV, 29, 30). Alibi quoque legimus, quod Judæi tulerunt lapides, ut jacerent in eum: ipse vero abscondit se, et exivit de templo (*Joan.* VIII, 59). Quare noluit Dominus præcipitari, vel lapidari, aut etiam gladio truncari? Utique causa nostræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus quibus defendamur. Elegit vero crucem, quæ levi motu manus exprimitur, qua et contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur Corpus dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam presbyteri, et cæteri gradus ecclesiastici, et omnia quæcumque sanctificantur, hoc signo dominicæ crucis cum invocatione Christi nominis consecrantur.

CAPUT IV. *Crucis mysterium. Profunditas mysterii crucis.* Nam et ipsa crux magnum in se mysterium continet: cujus positio talis est, ut superior pars cœlos petat, inferior terræ inhæreat, fixa in infernorum ima contingat, latitudo autem ejus partes mundi appetat. Quia et Christus per passionem crucis Angelis profuit in cœlo, quorum numerus qui per apostatam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidie adimpletur; et nobis qui sumus in

[1] Forte, *qui habet.*

(*a*) Ex serm. 243, in Append. tomi 5; vid. Ivonis Carnot. serm. de symbolo, et [illegible] Ruffini.

(*a*) Vid. serm. 242, in Append. tomi 5, et symbolum Ruffini.

terra, et illis qui (*a*) propter originale peccatum detinebantur apud inferos, sed et ipsis qui in diversis mundi partibus habitabant. Jacens vero crux quatuor mundi partes appetit, orientem videlicet et occidentem, aquilonem et meridiem : quia et Christus per passionem suam omnes gentes ad se trahit, et omnia sibi subjugavit, juxta quod ipse surgens a mortuis dicit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). (*b*) Continetur etiam in hac crucis figura altius sacramentum : quod quanto est altius, tanto attendendum diligentius. Intelligitur namque in latitudine crucis dilectio proximi, quæ non tantum usque ad amicos, sed etiam extendenda est usque ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in ejusdem longitudine longa et perseverans laborum et persecutionum sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quam pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine ejus eminentia spei, penetrans usque ad interiora velaminis : ubi visione pacis perfruuntur, qui hic a civibus Babyloniæ multipliciter exercentur, donec in libertatem gloriæ filiorum Dei a servitute corruptionis hujus liberentur. Attendenda est etiam crucis profunditas; quia profundum est mysterium crucis, in quo multorum, qui sapientes dicuntur, ingenia defecerunt : quod ausi sunt reprehendere, quod non potuerunt humana ratione comprehendere, videlicet cur Verbum Deo Patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totum se concluserit, et tamen totum mundum regere, complere et continere non desierit.

CAPUT V. *Cur Christus elegit supplicium crucis. Per mortem carnis duplam nobis resurrectionem meruit.* Nulla ergo sit nobis de cruce Christi confusio, qui habemus de ejus passione victoriam. Sicut enim sempiternus Dei Filius non sibi, sed nobis natus; ita immaculatus Dei Agnus non sibi, sed nobis passus est. Quis autem non mirificum advertat esse mysterium, ubi ipse homo prædicatur qui Deus est, et ubi idem Dominus annuntiatur qui adscribitur crucifixus? Nec incogitata ei, quod peremptus est, aut improvisa res accidit, qui divinitatis suæ consilio idcirco suscepit hominem, ut pro homine posset occidi. Supplicium autem crucis elegit, ut sublimiorem victoriam pararet pœna deterior; et qui universitatis bono patiebatur, quasi in conspectu mundi in altum sublatus occumberet : simul ut qui crucifixum videbant, mirabilia cernerent crucifixi. Nam satis abundeque gloriam patientis ostendit repentina solis obscuritas, tremor terrarum, saxorum divisio, resurrectio mortuorum. Illud autem quanti est testimonii, quod etiam pariter crucifixus latro memoriam sui in cœlesti regno fieri a consorte supplicii precabatur? Hinc est, charissimi, quod illusiones et probra quæ pertulit Christus, crucem mortemque ejus non suspiriis ingemiscimus, sed continuis celebramus laudibus. Mors Domini nostri Jesu Christi non fuit in anima, sed in sola carne : mors vero nostra non solum in carne, sed etiam in anima : in anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille vero quia peccatum non fecit, nec habuit in anima; non est mortuus, nisi in carne tantum : et hoc per similitudinem carnis peccati quam de Adam traxit. Igitur simpla ejus mors profuit duplæ morti nostræ, et simpla ejus resurrectio, resurrectioni animæ et corporis. Resurrectio quippe ejus duas mortes nostras solvit, et duas resurrectiones nostras formavit. Nec immerito uno die et duabus noctibus jacuit in sepulcro, quia videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris nostræ duplæ mortis adjunxit. Venit enim ad nos, qui in morte carnis et spiritus detinebamur, et suam unam mortem carnis detulit, duasque nostras solvit. Si enim ipse utramque susciperet, a nulla nos liberaret.

(*a*) Vid. infra, cap. 7.
(*b*) Ivonis Carnot. verba; Vid. serm. 247, in Append. tomi 5, nn. 4 et 5.

CAPUT VI. *Quæ per infirmitates Christus nobis præstitit.* Sepultus est, ut ad consolationem sepultorum benedictionem corporis ejus et terra susciperet. Infirma incarnati Verbi commemorantur, de quibus Apostolus dicit, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 25). Natus est ex Virgine, ut nos nasceremur ex Ecclesiæ virginis utero : tentatus est, ut a tentatione liberaret; tentus, ut dimitteremur; ligatus, ut nos a nodo maledictionis absolveremur : illusus est, ut nos ab illusionibus dæmonum liberaret : venundatus est, ut nos redimeret : humiliatus est, ut nos exaltaret : captus est, ut nos a captivitate dæmonum auferret : spoliatus est, ut nuditas primi hominis, per quam mors ingressa est, tegeretur : spinis coronatus est, ut nos liberaret a spinis peccatorum, vel potius ut monstraret se cum eis coronandum illosque caput et coronam Ecclesiæ futuros, qui, spinosi erant amando vitia : aceto est potatus, ut nos inebriaret dulcedine cœlestis desiderii et æterni gaudii : postremo in altari crucis sacrificatus est, ut totius mundi peccata deleret : mortuus est, ut mortis captivaret imperium : sepultus est, ut sepulturæ sanctorum benediceret; et ut nos sibi vitiis et concupiscentiis sepeliret. Hæc ergo infirmitas Christi superavit omnem firmitatem mundi.

CAPUT VII. *Quid egit in inferno.* Descendit ad inferna, ut Adam protoplastum, et Patriarchas, et Prophetas, omnesque justos, qui pro originali peccato ibidem detinebantur, liberaret; et ut de vinculis peccati absolutos, de eadem captivitate et inferni loco, suo sanguine redemptos, ad supernam patriam et ad perpetuæ vitæ gaudia revocaret. Reliqui qui supra originale peccatum principalem culpam commiserunt, ut asserit Scriptura, in pœnali tartaro remanserunt, sicut in persona Christi dictum est per prophetam, *Ero mors tua, o mors*; id est, morte sua Christus humani generis inimicam mortem interfecit, et vitam dedit. *Ero morsus tuus, inferne* (*Osee* XIII, 14). Partim momordit infernum pro parte eorum quos liberavit : partim reliquit, pro parte eorum qui pro principalibus criminibus in tormentis remanserunt.

Tertia die resurrexit a mortuis. Si credidisti de Christo quod dedecoris est, crede quod gloriæ est. Si credidisti quod mortis est, crede quod vitæ est. Sicut enim in passione mysterium pietatis est; ita in resurrectione operatio potestatis, ut ipse ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18). (*a*) Ascendit ad cœlos : id est, conditionem naturæ nostræ quam ex homine matre natus assumpsit, super cœlos in dextera Dei Patris collocavit. Ascendamus et nos cum Christo interim corde, ut cum dies ejus promissus advenerit, sequamur et corpore. Scire tamen debemus, fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro : ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia vel peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, et peccatorum retibus nos ligare contendunt : et ideo cum Dei adjutorio secundum quod ait Psalmista, *Dirumpamus vincula eorum* (*Psal.* II, 3) : ut securi possimus dicere Domino, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 16 *et* 17). Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sedere, judicantis est. Et quia Redemptor noster assumptus in cœlum et nunc omnia judicat, et ad extremum judex omnium veniet, sedere describitur.

CAPUT VIII. *Omnes homines a Christo judicandi.* Inde venturus judicare vivos et mortuos. (*b*) In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo ascendit ad cœlum, Christianos judicaturus et Paganos, justos et peccatores, fideles et impios. *Omnes enim*, ut ait

(*a*) Ex serm. 242, n. 3, et postea ex serm. 177, n. 1.
(*b*) Rursum ex serm. citato 242; serm. 110, n. 1, 2 et 3, unde hic omissa repete.

Apostolus, *astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum sive malum* (II Cor. v, 10). Quam rem etiam Dominus in Evangelio denuntiat, dicens....

CAPUT IX. *Extremo judicio quomodo se parare jam debeant.* Ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus, ipsi nos accusemus quotidie judici nostro; et, dum in carne sumus, contra ipsam carnem, auxiliante Domino, quotidie dimicemus. Quod qui fecerit, ab auditu malo liberabitur: qui autem contemnit, (a) quid faciet in illo metuendo judicii die, cum tremente mundo Dominus præcinentibus Angelorum buccinis, in illo majestatis suæ throno circumdatus cœlestis militiæ luce consederit....?

CAPUT X. *Ad pœnitentiæ remedia confugiendum.* Non in remedium salutis suæ semper huis tardandus est, qui vitæ suæ semper incertus est: quia qui nos securos facit dicendo, *Peccator in qua die conversus fuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur* (Ezech. xviii, 21 et 22): ipse nos etiam cautos voluit, dicens, *Noli tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem* (Eccli. v, 8). Convertamur ergo ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Hic exstinguamus mortem moriendo peccatis, hic vitam vitæ meritis acquiramus. Hæc ergo, fratres dilectissimi, sapienter ac fideliter cogitantes, ad pœnitentiæ remedia confugere festinemus, et per castitatem vel humilitatem, per opera justitiæ ac misericordiæ, æterna nobis apud Deum comparemus. Sed ut ad id redeamus unde digressi sumus, sequitur in hoc sancto Symbolo:

CAPUT XI. *Trinitatis mysterium per similitudines explicatur.* Credo in Spiritum sanctum. (b) Advertite quod sicut in Patrem, ita et in Filium et in Spiritum sanctum sit credendum. Nam qui vel in unam de Trinitate personam non crediderit, in duabus illi credidisse non proderit. Fides namque catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, credamus et colamus et confiteamur. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius: quia sicut nunquam Pater sine Filio, nec Filius sine Patre; sic et nunquam fuit Pater et Filius sine Spiritu sancto. Coæterna ergo est sancta Trinitas, et inseparabilis unitas, sine initio et sine fine. Nihil majus aut minus. Æqualitatem personarum dicit, quia sancta Trinitas æqualis est, et una est deitas, Apostolo dicente atque docente, *Per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom. i, 20), et per creaturam Creator intelligatur, secundum has comparationes et alias quamplures. Sol, candor et calor, et tria sunt vocabula, et tria unum. Quod candet, hoc calet, et quod calet, hoc candet: tria hæc vocabula, res una cognoscitur. Ita Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres personæ in deitate unum sunt, et individua unitas recte creditur. Item de terrenis, vena, fons, fluvius; tria hæc vocabula, et tria unum in sua natura: ita trium personarum Patris et Filii et Spiritus sancti substantia et deitas unum est. Neque Patris persona, neque Spiritus sancti, sed sola Filii suscepit carnem. Et ut hoc intelligas, comparationibus utar. Certe ut intelligas ex creatura Creatorem, in anima est et ratio: et cum sint unum, aliud agit anima, aliud ratio; anima vivimus, ratione sapimus. Ita Pater et Filius et Spiritus sanctus cum sint una substantia, tota Trinitas operata est hominem, quem assumpsit, non tota Trinitas, sed sola persona Filii. Et licet ipse Dei Filius Deus et homo esset, homo tantum passioni subjacuit. Sicut, verbi gratia, videmus arborem splendorem solis in se habentem; et cum inciditur, videmus quia ictus ferientis ferri splendorem solis excipit, priusquam pertingatur lignum: sed splendor cum ibi sit, non potest nec incidi, nec a dolante separari; sic etiam divinitas nec separari potest, nec incidi: illud autem passioni subjacuit, quod sicut lignum et ligari possit et teneri. Igitur sicut in Patrem et Filium, ita et in Spiritum sanctum credere debemus. Hæc est, charissimi, inoffensa regula veritatis, ut quorum unum est et unum sunt, a nobis non separentur in terris. Nam sicut divinitati nihil de creaturis æquari potest, ita omnem divisionem, et inæqualitatem natura divinitatis excludit. Secundum enim evangelicam veritatem, sicut Filius a Patre exivit, ita et Spiritus sanctus a Patre procedit, et sicut unigenitus Filius Dei est, ita et Spiritus sanctus Dei est, et sicut Pater cui vult miseretur, et Filius cui vult Patrem revelat; ita etiam Spiritus sanctus et inspirare legitur prout vult, et dona cœlestium gratiarum dividere prout vult. Unde bene ejusdem Spiritus gratia septiformis a propheta describitur (*Isai.* xi, 2, 3): quia nimirum et per ejus inspirationem ad requiem pervenitur, et in ejus plena præceptione ac visione requies vera possidetur. De quo recte promittitur, *Ipse vos docebit omnia* (Joan. xiv, 26): quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Unde quia sine eo nihil boni agere possumus, ipso opitulante tales nos reddamus, ad quos Spiritus sanctus advenire, et in quibus habitare dignetur.

CAPUT XII. *Catholica Ecclesia. Fide nullæ majores divitiæ. Ecclesia una est.* Sanctam Ecclesiam catholicam. (a) Sciendum est, quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debemus: quia Ecclesia non Deus, sed domus Dei est. Catholicam dicit toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque provincias continentur. Hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major substantia, quam est catholica fides, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, et in æterna hæreditate cum Angelis sanctis communicat. Quisquis ille est, et qualiscumque ille est, christianus non est qui in Christi Ecclesia non est. Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de Agni hostia Dominus præcepit, dicens, *In una domo comedetis, nec efferetis de carnibus ejus foras* (Exod. xii, 46). In una namque domo agnus comeditur, quia in una catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. De cujus carnibus divina jussio efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur, unde mercedem denarii non nisi qui intra vineam laboraverant acceperunt. Sola est quæ intra se positos valida charitatis compage custodit. Unde et aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autem quos extra arcam invenit, exstinxit. Sola est in qua mysteria superna veraciter contemplemur. Unde ad Moysen Dominus dicit, *Est locus apud me, et stabis supra petram*: et paulo post, *Tollam manum meam, et videbis posteriora mea* (Id. xxxiii, 21, 23). Quia enim ex sola catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet de quo videatur. In petra Moyses ponitur, ut Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit. Avelle, inquit, radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. In his Cypriani verbis intelligimus, lucem non capere divisionem, nisi in sanctis regno Dei prædestinatis, qui dividi ab Ecclesia nullo modo possunt,

(a) Ex serm. 249, nn. 4, 5 et 6, unde et supplenda hic omissa.

(b) Ex serm. 242, n. 4, vide in Append. tom. 5; 245, n. 2

(a) Ex serm. 245, n. 4. Gregorii verba lib. Moral. 35, cap. 7. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ, ante medium.

et non germinare ramum fractum salutis æternæ germine accipimus. Ariditatem vero rivi a fonte præcisi, in eo quod Spiritu sancto vacuantur, qui ab unitate separantur, agnoscimus.

CAPUT XIII. *Sanctorum meritis quis particeps fiat.* Sanctorum communionem : (a) id est, cum illis sanctis qui in hac quam suscepimus fide defuncti sunt, societate et spei communione teneamur. Si igitur cum sanctis in æterna vita communionem habere volumus, de imitatione eorum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare. Si enim tormenta quæ sancti pertulerunt, ferre non possumus, vel contra malas concupiscentias, ipsis intercedentibus, repugnemus. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occisi sunt ; et tamen fidei et justitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi esse meruerunt. Ad quorum convivium congregatur, quisquis fidelis et justus et laudabilis invenitur. Unde et nos, fratres charissimi, etiamsi nil tale perpetiamur, si non vincula, non verbera, non carceres, non supplicia corporis alia, nullam hominum persecutionem propter justitiam toleremus, societatem tamen sanctorum obtinere valebimus, si castigare corpus nostrum, et servituti subjicere curamus, si in spiritu humilitatis et in anima contrita Domino supplicare assuescimus, si illatas a proximo contumelias placida mente suscipere satagimus, si et eos qui nos odio habent, qui injurias nobis inferunt, diligere, his benefacere, et pro horum vita et sospitate gaudeamus exorare, si cum virtute patientiæ bonorum quoque operum fructibus adornari contendimus. Taliter etenim conversantibus nobis, et corpora nostra, juxta Apostoli vocem, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibentibus (*Rom.* XII, 1), cœlesti dignatione donabimur, ut communi cum eis qui membra sua in mortem pro Domino dederunt, gloria remuneremur : quod sicut mors illorum, sic et vita nostra pretiosa sit in conspectu Domini : diruptisque vinculis carnis, et ipsi atria supernæ civitatis intrare atque inter choros beatorum martyrum vota gratiarum Redemptori nostro reddere merebimur. Hæc sunt vestigia quæ nobis sancti quique revertentes in patriam reliquerunt, ut illorum semitis inhærentes sequeremur ad gaudia. Cur non properamus et currimus, ut patriam nostram videre possimus? Magnus illic charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad eorum complexum et conspectum venire, quanta illis et nobis in commune lætitia est? Illic Apostolorum gloriosus chorus. Illic Prophetarum exsultantium numerus insignis. Ibi martyrum populus innumerabilis ob certaminum victoriam coronatur. Illic clarissima virginum turba lætatur, illic etiam confessorum fortitudo laudatur. Sed etiam illorum remuneratio censetur, qui præcepta dominica servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Ad hos electos Dei avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, et cito nos ad Christum convenire contingat, ad eum quem hujus itineris ducem habemus, salutis auctorem, lucis principem, lætitiæ largitorem.

CAPUT XIV. *Remissio peccatorum. Novatiani refelluntur.* Remissionem peccatorum. Credenda est præcipue, fratres, peccatorum remissio, quia hoc unum remedium est, quod hominum genus a sententia perpetuæ mortis absolvat. Ideirco Unigenitus Altissimi dignatus est carnem assumere, contentus est cruce, ut te, qui criminibus evadere non poteras, indulgentia faceret innocentem. Ideo immaculatus occisus est Agnus, ut ejus cruore humani generis macula tergeretur. Miror autem, quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit, *Memento unde excideris, et age pœnitentiam, et fac priora opera* (*Apoc.* II, 5). Utique ei dicitur, quem constet excidisse, et quem Dominus hortatur per opera rursus exsurgere, quia scriptum est, *Eleemosyna a morte liberat* (*Tob.* IV, 11) : et non utique ab illa morte quam semel Christi sanguis exstinxit, et a qua nos salutaris Baptismi et Redemptoris nostri gratia liberavit ; sed ab ea quæ per delicta postmodum subrepsit. Nam cum scriptum sit, *Dominus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13) : utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, et per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo et per Joel prophetam clamat, et dicit, *Et nunc dicit Dominus Deus vester, Revertimini ad me ex toto corde vestro, simulque in jejunio et fletu et planctu ; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra ; et revertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors et pius est, et patiens et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitiam irrogatam* (*Joel.* II, 12 et 13). Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei Patris ostendens ait, *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem postulaverit, numquid serpentem illi porriget? Si ergo vos, cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris ; quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus eum* (*Matth.* VII, 9-11). Comparat hic Dominus carnalem patrem, et Dei Patris æternam largamque pietatem. Quod si iste in terris nequam pater offensus graviter a filio peccatore et malo, si tamen eum postmodum viderit reformatum, et depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios et bonos mores, ad innocentiæ disciplinam pœnitentiæ dolore correctum ; gaudet et gratulatur, et susceptum quem ante perdiderat, cum voto paternæ exsultationis amplectitur : quanto magis unus ille et verus pater, bonus, misericors, pius, imo ipsa bonitas et misericordia et pietas, lætatur in pœnitentia filiorum suorum ; nec iram pœnitentibus aut plangentibus et lamentantibus nec pœnam comminatur, sed veniam magis et indulgentiam pollicetur? Si enim tantum potuit diabolus, ut de excelsis virtutum fastigiis in profundum te duceret malorum ; quanto magis poterit Deus te ad summum bonorum verticem revocare ; et non solum in id revocare quod fuisti, sed et beatiorem multo quam prius videbaris efficere?

CAPUT XV. *Quod non desperandum, et unde procedat desperatio. A veniæ deprecatione non cessandum.* Tantum ne concidas animo, neque spem tibi abscidas bonorum, ne, quæso, accidat tibi quod impiis solet. Non enim peccatorum multitudo adducit in desperationem, sed impietas. Et propterea Salomon non dixit, quia omnis qui venerit in profundum malorum, contemnit ; sed, *Impius*, inquit, *si venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Impiorum ergo est desperare salutem, et contemnere cum in profundum venerint malorum, non peccatorum. Impietas enim non sinit eos ad Deum respicere, et illuc redire unde dilapsi sunt. Ista ergo cogitatio, quæ spem conversionis abscidit, ab impietate descendit ; et sicut lapis gravissimus cervicibus animæ incumbens, semper eam deorsum in terram cogit aspicere, ad Deum vero suum oculos non sinit levare. Sed virilis animi est et præclaræ mentis, dejicere a cervicibus animæ suæ inimicum pondus, imo deprimentem se diabolum abjicere ; et imperare animæ suæ, ut canens verba prophetica dicat ad Dominum, *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ ; ita oculi nostri*

(a) Ex serm. 242, n. 4 ; serm. 221, n. 1 ; 209, nn. 5, 1. Gregor. homil. 37 in Evang., et verba ultima serm. supra citati 209 in Append. tomi 5.

ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri, Domine, miserere nostri; quia multum repleti sumus despectione (*Psal.* CXXII, 2 et 3). Præclara vero in his verbis et cœlestis philosophiæ doctrina est. Repleti sumus, inquit, despectione: hoc est quod docere nos voluit, quia etsi peccatorum nostrorum multitudine repleti sumus, despectione atque opprobriis cooperti; oculi tamen nostri ad Dominum Deum nostrum sunt, donec misereatur nostri. Nec prius ab obsecratione cessemus, quam impetrare peccatorum veniam mereamur. Hoc enim vere constantis animæ est et pertinacis, ut nequaquam repellatur de perseverantia poscendi, desperatione impetrandi; sed perseveret ac persistat in obsecrationibus donec misereatur ei. Et ne forte arbitreris te offensam magis contrahere apud Deum, si cum non merearis audiri, importunus persistas in precibus; recordare Evangelii parabolam, et ibi invenies quod perseverantes et importunos precatores Dominus non sibi ostendit ingratos. Ait enim: *Et si non dabit ei propter quod amicus ejus est, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit ei quantum opus habet* (*Luc.* XI, 8). Intellige, charissime, ergo quia propterea diabolus desperationem subjicit impetrandi, ut spem bonitatis Dei nobis abscidat, quæ est dux itineris, quo itur ad cœlum. Sicut autem pro morte communi philosophicum est a lacrymis temperare; ita in animæ morte consolationem recipere, et insipiens et irreligiosum duco.

CAPUT XVI. *Quantumvis reis superest vitæ spes. Pœnitentiam sinceram nunquam spernit Deus. Ad cœlum, non ad gehennam creavit nos Deus. Per pœnitentiam hic quantacumque possunt ablui peccata.* Quinimo et ignaviæ nos arguendos puto, si cum lamentatores corporum mortisque communis tam dure et tam vehementer hoc faciant, cum sciant et certi sint nihil prodesse fletus suos ad vitam defuncti; nos nihil tale pro animæ lamentatione faciamus, quam restitui in statum suum per pœnitentiam noverimus. Scimus enim, plures prolapsos ab itinere recto, et præcipitatos ab ingressu viæ angustæ: et ita rursus reparatos esse, ut posterioribus priora transierint, atque ad palmam pervenerint et coronam, numeroque rursus et choro adscripti credantur esse sanctorum. Et nolo putes quia de his sermo mihi sit tantum, qui in paucis et levibus peccaverunt: de illo loquor qui omnibus succubuit malis, qui immanitate scelerum viam sibi excluserit regni cœlorum; et non de infidelibus, sed de fidelibus fuerit, et ex his qui prius placuerunt Deo, post hæc autem ceciderunt, vel in adulteria, vel in omnes impudicitias, quæ, ut Apostolus ait, turpe est dicere. Nunquam enim spernit pœnitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur: suscipit, libenter accipit, amplectitur, facit omnia, quatenus eum ad priorem statum revocet: quodque est adhuc præstantius et eminentius, etiamsi quis non potuerit explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen et quamlibet brevi gestam non respuit pœnitentiam; suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguæ conversionis perire mercedem. Hoc enim mihi videtur indicare Isaias, ubi de populo Judæorum quædam talia ait: *Propter peccatum modice contristari te, et percussi te, et averti faciem meam a te; et contristatus es, et ambulasti tristis, et consolatus sum te* (*Isai.* LIV, 7 et 8). Hæc igitur habentes exempla pœnitentiæ non perseveremus in malis, nec desperemus reconciliationem: sed dicamus, Etiam nos redeamus ad patrem, et approximemus Deo. Nunquam, crede mihi, aversabitur ad se conversum. Ipse enim dicit, *Deus appropians ego sum, et non Deus de longe* (*Jerem.* XXIII, 23): et iterum per eumdem prophetam, *Peccata*, inquit, *separant inter me et vos* (*Isai.* LIX, 2). Si ergo peccata sunt quæ nos separant a Deo, auferamus medium istud obstaculum, et nihil est quod nos prohibeat conjungi Deo. Propterea enim creavit nos Deus, et esse nos fecit qui non eramus, ut æterna in nos conferat bona, et præstet regna cœlorum. (*a*) Non enim nos ad hoc fecit, ut gehennæ nos tradat ignique perpetuo. Regnum cœlorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est. Et hæc ita esse, ex Evangeliis doceam. Ipse enim Dominus dicet his qui a dextris ejus erunt, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Illis autem qui a sinistris ejus erunt, dicet, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Si ergo gehenna ignis propter diabolum, propter hominem autem regnum cœlorum a constitutione mundi præparatum est; tantum est, ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus. Donec enim sumus in hac vita, quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per pœnitentiam. Cum autem abducti fuerimus ab hoc sæculo, ibi jam etiamsi pœnitebit nos (valde enim nos pœnitebit, sed nulla erit utilitas pœnitentiæ), et licet sit stridor dentium, licet ululatus et fletus, licet fundamus preces, et innumeris obsecrationibus proclamemus; nemo audiet, nemo subveniet, nec extremo quidem digito aquam quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis: sed audiemus illud quod dives ille audivit ab Abraham, *Quia chaos magnum firmatum est inter nos et vos; et neque hinc illuc transire quis potest, neque inde huc* (*Luc.* XVI, 26).

CAPUT XVII. *Voluptates cito transeunt. Ducunt ad æterna tormenta. Quasi per somnium his modo fruimur.* Resipiscamus ergo tandem, et recordemur quid profuerit illis qui in luxuria corporis et præsentis vitæ voluptatibus usque in diem ultimum permanserunt. Intuere nunc sepulcra eorum, et vide si est in eis aliquod jactantiæ suæ vestigium, si aliqua divitiarum luxuriæ signa cognoveris. Require nunc ubi vestes et odoramenta peregrina, ubi spectaculorum voluptas, ubi assecIarum turbæ, et conviviorum cessit opulentia, risus, jocus, et immoderata atque effrenata lætitia quo abiit, quo abscessit. Ubi illa nunc, et ubi ipsi? Quis finis utrorumque? Intuere diligentius, et accede propius ad singulorum sepulcra. Vide cineres solos, et vermium fetidas reliquias: et recordare hunc corporum esse finem, etiam si in deliciis et lætitia, si in labore et continentia transegerint vitam. Nam si res omnis omnisque causa usque ad cineres veniret et vermes, parva penderentur hæc damna, et quæ facile possit excusare naturæ conditio. Nunc autem converte tuos oculos ab istis cineribus et sepulcris, et revoca cogitationem tuam ad illud divini judicii tribunal horrendum, quod ardens fluvius flammeis ambit fluentis, ubi fletus et stridor dentium, ubi tenebræ exteriores, ubi ille vermis conscientiæ qui nunquam morietur, et ignis qui nunquam exstinguetur. Recordare parabolam Lazari et divitis illius, qui opum tantarum dominus, qui purpura indutus et bysso, unam tunc aquæ guttam invenire non potuit, cum esset in ardoris necessitate constitutus. Dic, quæso te, quid plus habet vita ista quam somnium? Sicut enim hi qui in metallis constituti vel condemnati, vel in alia qualibet pœna positi, cum forte post multum duræ vitæ paululum relaxati fuerint in somnium, vident se inter plures dapes positos, epulis copiosissimis perfrui; ubi vero surrexerint, nihil sibi gratiæ delectatione somnii invenerint resedisse: ita et dives ille quasi somnium habuit hujus vitæ; ubi discessit, nihil cum illo nisi præteritorum pœnitudo et præsentium pœna permansit.

CAPUT XVIII. *Pœnæ æternæ. Pœnitentiæ vis.* Hæc recordare, et ignem illum gehennæ his quæ te tunc exagitant flammis libidinis et cupiditatis oppone. Ignis hic qui in præsenti est vita, absumit cuncta quæ recipit; ille vero quos susceperit semper cruciat, et pœnæ suæ semper integros servat. Propterea enim et inexstinguibilis dicitur; non solum quia ipse non exstinguitur, sed quia nec eos quos susceperit ex-

(*a*) Vid. Append. tom 5, serm. 77, n. 2.

stinguet aut perimet. Scriptura etenim dicit, quia et peccatores induent incorruptionem, scilicet non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatem supplicii profuturam. Hujus autem pœnæ et ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus quod conferri possit incorruptibilibus, sive bonis, sive malis. Ibi quid agemus, quid respondebimus? Nihil erit nisi stridor dentium, nisi ululatus et fletus, et sera pœnitentia, cessantibus undique auxiliis, et undique invalescentibus pœnis; sed solatium quidem nullum. Nullus ibi occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri, et facies dira tortorum. Verum has pœnas, hos cruciatus non solum evadere, sed etiam æternam beatitudinem, si modo de malis nostris pœnitentiam agimus, possumus acquirere.

CAPUT XIX. *Quomodo corrumpatur. Nec tunc tamen omnino infructuosa fuit. Caute legatur.* Vides quanta est virtus pœnitentiæ? Vides quantum meriti conversio reparavit? Corrumpitur autem pœnitentia, si eisdem quis pro quibus confitetur, rursus involvatur malis. *Unus enim*, inquit, *ædificans et alius destruens, quid consequentur nisi laborem? Et qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit in lavacro suo? Ita et homo qui jejunat pro peccatis suis, et iterum vadit, et eadem agit, orationem ejus quis exaudiet* (*Eccli.* XXXIV, 28, 30, 31)? Et iterum dicit, *Qui redit a justitia ad peccatum, Dominus præcipitat eum in gladium. Et sicut canis, cum revertitur ad vomitum, odibilis fit; ita et stultus, cum revertitur ad peccatum suum* (*Prov.* XXVI, 11). Sed nunc quid dicamus, ausculta. Sæpe accidit, ut per pœnitentiam quis multa et magna correxerit, inter hæc tamen bona quæ per pœnitentiam correxit et peccata commiserit: et hoc est quod maxime desperationem inducit animo, quia videtur hic destruxisse quod ædificaverat, et omnes illos labores inaniter effudisse. Et hæc est cogitatio, quæ præcipue animæ pondus desperationis imponit. Sed illud rursus oportet cogitari, per quod pessima et inimica vitæ nostræ cogitatio ista repellitur: quia illa bona quæ egimus, et emendatio illa quæ per pœnitentiam quæsita est, nisi fuisset, et velut contrarium pondus ponderi huic quod ex peccato nobis introductum est, obstitisset; nihil fuerat quod in profundum malorum nos decidere prohiberet. Nunc autem sicut fortis quædam lorica jaculum grave et amarum non permisit usque ad vitalia viscerum penetrare, sed vim letalis teli maximam fregit. Certum est enim, quia qui fert secum illuc plura opera bona, et plura opera mala, in ipsis pœnis habebit aliquid refrigerii: qui autem bonorum operum nihil habet, malorum autem secum multam copiam refert; quid eum maneat, non opus est dicere. Erit enim ibi sine dubio compensatio bonorum malorumque, et velut in statera posita utraque pars. Quæ demerserit, illa sibi eorum quo momentum vergitur, operarium vindicabit. Si ergo malorum multitudo superaverit, operarium suum pertrahit ad gehennam: si vero majora fuerint opera bonorum, summa vi obsistent, et repugnabunt malis, atque operatorem suum ad regionem vivorum ex ipso etiam gehennæ confinio revocabunt. (*a*) Hæc ergo, fratres charissimi, si attentius voluerimus cogitare, remedia nobis in die necessitatis acquiramus: ut cum dies judicii venerit, non cum impiis, et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus ad æterna præmia feliciter veniamus. Amen.

(*a*) Ex serm. 29, n. 4. Append. tomi 5.

SERMO IN PERVIGILIO PASCHÆ DE ESU AGNI.

Inter supposititia Hieronymi opera etiam reperitur.

Paschæ mysterium in nobis impletur. Quando celebrandum. Ubi. Christus aliis agnus, aliis hædus. Cur agnus vespere, non in die, occisus. Quid sit comedere azyma in amaritudine. Quid carnes crudas aut elixas non manducare. Agni caput, pedes et intestina quid. Agni ossa cur non conterenda. Lumbi accincti ad esum agni quid nos doceant. Ad quid calceamenta et virga.

Hodie populus Israel et vere homo videns Deum (hoc quippe interpretatur Israel), egredi jubetur ex Ægypto. Hodie Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29), pro omnium salute jugulatur. Hodie sanguine illius postes domorum, id est, frontes nostræ depinguntur. Hodie occiduntur Ægyptii, et de servitute Pharaonis Dei populus liberatur (*Exod.* XII). Hodie percutiuntur primogenita Ægyptiorum; et Israelitarum non solum liberi, sed etiam irrationabilia jumenta servantur. Homines et jumenta salvos facies, Domine (*Psal.* XXXV, 7). Præparemus nos, fratres charissimi, ad immolationem agni, et apprehendamus illum, non quando dubia lux est, et adhuc lunæ cornua non implentur, non quando crescere incipit vel decrescere; sed quarta decima die, id est, lumine consummato atque perfecto, quando tota ejus lampade totus orbis impletur. Nec putemus agnum istum anniculum ubicumque posse comedi. Præcipitur nobis, ut in una illum comedamus domo; id est, in una Ecclesia [1] immolari agnum putemus. ex quo manifestum est, quod Judæi et hæretici, et omnia conventicula dogmatum [2] perversorum, qui agnum in Ecclesia non comedunt, non eos agni carnes comedere, sed draconis, qui datus est juxta Psalmistam in escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII, 14). Quomodo enim in diluvio non salvatur, nisi qui in arca fuerit Noe (*Gen.* VII, 24), et corruente Jericho una tantummodo Raab meretricis, id est, Ecclesiæ credenti ex gentibus custoditur domus (*Josue* VI, 23); ita et in immolatione agni tunc vere agnus occiditur, cum in una mactatur domo.

Erit, inquit, *vobis agnus immaculatus. De agnis et de hædis sumetis eum* (*Exod.* XII, 5). Præcipitur et in alio loco, ut qui in primo mense pascha facere non potuerit, secundo faciat: juxta quod et nunc jubetur, ut qui non potest habere agnum, saltem hædum habeat. Christus enim in domo Ecclesiæ dupliciter immolatur: si justi sumus, de agni carnibus vescimur; si peccatores et pœnitentiam agimus, nobis hædus occiditur: non quia Christus ex hædis sit [1], quos a sinistris stare docuit; sed pro diversitate meritorum unicuique aut agnus aut hædus fit.

Quæritur etiam, quare non in die agnus iste immoletur, sed ad vesperam. Hæc causa manifesta est. Dominus enim noster atque Salvator, in consummatione sæculorum passus est. Unde et Joannes in Epistola sua loquitur, *Filioli, novissima hora est* (I *Joan.* II, 18): quando autem hora novissima est, finito die noctis exordium est. Sed et hoc intelligendum, quod quamdiu in isto sæculo sumus, id est, versamur in Ægypto, non sumus in clara luce, sed in tenebris atque caligine. Et licet Ecclesia, id est, luna, quasi in nocte resplendeat, tamen veri Solis non valemus habere perfectum fulgorem.

In una, inquit, *domo carnes assas igni comedetis, et azyma cum amaritudinibus manducabitis. Non comedetis de eis crudum aut coctum in aqua, sed assum tantum igni* (*Exod.* XII, 9 *et* 10). Jubetur nobis ut panes absque fermento veteri malitiæ et nequitiæ comedamus (I *Cor.* V, 8). De quo fermento et Dominus in Evangelio discipulos monet dicens, *Cavete a fermento*

[1] Apud Hieronymum, *ne extra Ecclesiam.*
[2] Id., *dogmatumque.*

[1] Apud Hieronymum, *Christus enim non ex hædis fit quos a sinistris*, etc., omissis aliis.

Pharisæorum; et postea interpretatur fermentum perversorum[1] Pharisæorum esse doctrinam (*Matth.* XVI, 6, 12). Et nos igitur si a doctrina hujus sæculi volumus esse alieni, et quasi extraneos a mundi conversatione nos facere, persecutionibus et pressuris subjecti simus, et secundum Apostolum comedamus azyma sinceritatis et veritatis (I *Cor.* V, 8). Vis, o auditor, intelligere quod dico? Dic quod verum est, loquere quod sincerum est, nullius personam accipias, non divitis, non potentis. Quamlibet sit potens, quamlibet sit nobilis qui peccaverit, corripe eum : et comedisti azyma sinceritatis et veritatis in amaritudine. Unde et Apostolus ait, *Inimicus vobis factus sum, vera dicens* (*Galat.* IV, 16) : et proverbium sæculi gentilis quoque poeta exprimens, « Obsequium, inquit, amicos, veritas odium parit » (*Terent. Andria*, *act.* 1, *scen.* 1, *v.* 41). Quod autem sequitur ut non crudas carnes agni neque elixas comedamus : illud est, ne Scripturas divinas, quæ vere carnes agni sunt, aut juxta historiam tantum intelligamus, sicut Judæi, et crudas eas absumamus in cibum; aut rursum secundum hæreticos, quibusdam allegoriis et nubilo interpretationis ad perversa quæque dogmata derivemus ac enervemus eas, et succi veritate sublata umbras quasdam et imagines offendamus[2] : sed intelligamus eas et juxta historiam sicut scriptæ sunt, et nihilominus eas sancti Spiritus excoquamus ardore, et quidquid in illis secundum litteram videtur incongruum esse vel clausum, spirituali expositione pandamus.

Caput cum pedibus et intestinis comedetis (*Exod.* XII, 9). Caput mihi videtur esse agni, illud quod in Evangelio Joannis scribitur : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1, 2) : pedes autem, homo quem pro nostra salute est dignatus assumere. Sed et aliter sentiri potest : caput, intelligentia spiritualis; pedes, simplex juxta historiam narratio; intestina autem, quidquid intrinsecus in littera latet[3], quidquid in superficie non videtur, sed diligenti examinatione commolitum et ruminatum a doctoribus profertur in medium : et quod putabatur esse sordidum et indecorum, hoc reperietur esse vitale. Verbi gratia, quid turpius in Scripturis dici potest, quam si Osee meretricem habere jubeatur uxorem (*Osee* I, 2), et Judas cum Thamar nuru sua concumbat (*Gen.* XXXVIII, 16), et David Bethsabee adulterio sordidetur (II *Reg.* XI, 4), et Onan filius Judæ semen projiciat in terram, ne liberos generet (*Gen.* XXXVIII, 9)? Hæc si secundum litteram intelligantur, nonne a gentibus et ab incredulis quibusque quasi Scripturarum stercora condemnantur atque irridentur? Sed si illa excutias, si laves, si Spiritus sancti igne excoquas, vertuntur in cibum; et quod putabatur inutile, invenietur esse mysterium.

Non relinquetis de eo in mane, et os non conteretis de eo, et quod reliquum fuerit de eo usque in mane, igni comburetis illud (*Exod.* XII, 10). Nihil de carnibus agni usque in futurum sæculum reservemus : quantumcunque possumus, comedamus. Quod si qua in eo fortia sunt, dogmata videlicet ecclesiastica de Trinitate, de resurrectione, de anima, de Angelis et de cæteris hujusmodi, hæc non juxta nostram opinionem pravis interpretationibus disseramus, et non conteramus illa, sed ita ut sunt fortia prædicemus. Si quid autem quasi homines prætererit, et non potuerimus de carnibus agni comedere; scire debemus quod in futuro sæculo doctrina Spiritus sancti nobis aperiendum sit, et comedemus illud.

Sic autem comedetis illud : Sint lumbi vestri accincti, et calceamenta vestra in pedibus vestris, et baculi in manibus vestris, et comedetis illud cum festinatione, Pascha est enim Domini Dei vestri (*Exod.* XII, 11). Huc usque præceptum est, quales carnes agni comedere debeamus : nunc jubetur, quo a nobis habitu comedendæ sint. *Sint lumbi*, inquit, *vestri accincti.* Et Apostolis dicitur, *Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35). Et Joannes zona pellicea cingitur (*Matth.* III, 4), et Elias nihil in se habens molle atque muliebre, sed totum virile et rigidum (homo quippe hirsutus erat) cingulum habuisse describitur (IV *Reg.* I, 8). Et nos ergo si volumus carnes agni comedere, mortificemus lumbos nostros, mortificemus opera carnis, et hoc quod in Job de diabolo dicitur, *Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo ejus in umbilico ventris ejus* (*Job* XL, 11), occidatur in nobis : ne caro concupiscat adversus spiritum, sed spiritu opera carnis mortificemus : et purificati vescemur agni carnibus. Ut autem sciatis, fratres charissimi, quoniam quicunque uxori debitum reddit, non potest vacare orationi, nec de carnibus agni comedere; Moysi præcipitur, ut populus, qui ascensurus erat ad montem Oreb, ante tres dies purificetur (*Exod.* XIX, 10), et David cum venisset ad Achimelech sacerdotem, interrogatus si mundi sunt pueri, respondit purificatos eos esse ab heri et nudiustertius (I *Reg.* XXI, 4, 5). Si autem panes propositionis non poterant ab iis qui uxores suas tetigerant comedi; quanto magis panis ille, qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi? Non quo nuptias condemnemus, hoc dicimus; sed quo eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare a carnis operibus debeamus.

Quod autem sequitur, *et calceamenta in pedibus vestris, et baculum in manibus vestris* : hoc jubetur, ut quamdiu in eremo hujus sæculi gradimur, calceati simus calceamentis pacis, necubi in deserto scorpius et coluber obrepat, necubi serpens plantam gradientis invadat. Quod si forte adversum nos consurrexerit, habeamus virgam in manibus, et percutiamus eum et dicamus, *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4). Videte mysterium Scripturarum. Quamdiu per solitudines ambulamus, necesse est ut habeamus calceamenta, quibus nostri tegantur pedes : quando vero terram repromissionis intramus, dicitur nobis cum Jesu Nave, *Solve corrigiam calceamenti tui; locus enim in quo stas sanctus est* (*Josue* V, 16). Et nos ergo quando intraverimus in regna cœlorum, non habebimus opus calceamentis; non his præsidiis, quibus custodimur in sæculo : sed ut novum dicam, agnum illum qui pro nobis occisus est sequemur. Sed videte ut de nobis dicat Joannes, *Isti sunt qui vestimenta sua non coinquinaverunt; virgines enim permanserunt, qui sequuntur agnum, quocunque vadit* (*Apoc.* XIV, 4), Christum Jesum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Abest apud Hieronymum, *perversorum.*
[2] Hieronymus, *effundamus.*
[3] Alias, *lucet.*

SERMO IN PSALMUM XLI, AD NEOPHYTOS.

Iste quoque Hieronymo falso tributus in editis.

Psalmi filiorum Core læta canunt. Cervi serpentibus inimici. Fons triplex Ecclesiæ. Trinitas. Baptizandorum exercitia. Baptizatorum natura mutata.

Omne Psalterium sagaci mente perlustrans, nusquam invenio quod filii Core aliquid triste cantaverint : semper in psalmis eorum læta sunt et jucunda, semper terrenis humilibusque contemptis, cœlestia et æterna desiderant, congruentes interpretationi nominis sui, siquidem Core interpretatur Calvities. Quia ergo Dominus noster in loco Calvariæ cruci-

fixus est et sepultus (*Matth.* XXVII, 35), quicumque in cruce ipsius credunt et in resurrectione, hi filii Core, id est, filii Calvariae nominantur: super qua calvaria Dominus noster verus Elisaeus post resurrectionem ad coelorum regna conscendens, irridetur a parvulis Judaeorum, sed ursi comedunt irridentes (IV *Reg.* II, 23, 24). Hoc de titulo strictim dixisse sufficiat, nunc ad Psalmi principium revertamur.

Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (*Psal.* XLI, 2). Cervorum natura est, ut serpentum venena contemnant, quin potius naribus suis eos extrahunt de cavernis, ut interficiant atque dilacerent: cumque venenum intrinsecus coeperit aestuare, quamvis eos non possit occidere, tamen sitis ardorem et incendium commovet. Tunc illi fontes desiderant, et purissimis aquis ferventia venena restinguunt. Quomodo itaque illi cervi desiderant fontes aquarum; ita et nostri cervi, qui de Aegypto et de saeculo recedentes interfecerunt Pharaonem in actibus [1] suis, et omnem ejus exercitum in Baptismo necaverunt, post interfectionem diaboli desiderant fontes Ecclesiae, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. De Patre quod sit fons, scribitur in Jeremia, *Me dimiserunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquas continere* (*Jerem.* II, 13). De Filio vero in quodam loco legimus, *Dereliquerunt fontem sapientiae* (*Baruch.* III, 12). Porro de Spiritu sancto, *Qui biberit de aqua quam dedero ei, orietur in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* (*Joan.* IV, 13 *et* 14); statim exponitur, evangelista dicente, quod de Spiritu sancto fuerit sermo Salvatoris (*Id.* VII, 39). Ex quibus manifestissime comprobatur, tres Ecclesiae fontes Trinitatis esse mysterium.

Hos desiderat anima credentis, hos desiderat anima baptizati [2], et dicit. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (*Psal.* XLI, 3). Non enim leviter videre voluit Deum, sed toto desideravit ardore, toto sitivit incendio. Antequam Baptismum consequerentur, loquebantur inter se invicem atque dicebant, *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Ibid.*)? Ecce, fratres charissimi, impletum est, quod petebant, venerunt et steterunt ante faciem Dei, et apparuerunt ante conspectum altaris, et ante mysterium Salvatoris [3]. Hoc non merentur videre, nisi illi qui ex conscientia et ex imo proferunt corde memorantes, *Fuerunt mihi lacrymae meae panis die ac nocte* (*Ibid.* XLI, 4); per omnem enim Quadragesimam vacaverunt orationi atque jejuniis, in sacco et cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quaerentes. Sed quia fuderunt lacrymas et fuerunt tristes, dicitur illis, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal.* CXXV, 5), et, *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5).

Pro quibus universis cum illis diabolus insultaret et diceret, *Ubi est Deus tuus?* nunc ad corpus Christi admissi, et in vitali fonte renati confidenter loquuntur, et dicunt, *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* (*Psal.* XLI, 5). Domus Dei Ecclesia est, hoc est admirabile tabernaculum, quia habitat in eo vox exsultationis et confessionis et sonus epulantium. Gaudent quippe super fidem et consecutionem vitae aeternae, quam fratres nostri nunc accipere meruerunt, Angeli in coelis, omnesque Virtutes. Si enim super uno peccatore agente poenitentiam, et in una ovicula morbida, quae pastoris humeris est revecta, gaudent Angeli atque laetantur; quanto magis in tot fratribus vitali gurgite renatis atque mundatis, universa exsultant regna coelorum, videntia homines veteri peccatorum labe purgatos suo incolatui praeparari?

Dicite ergo qui Christum nunc induistis, et ductum nostrum sequentes, quasi pisciculi hamo, ita sermone Dei de gurgite saeculi istius sublevamini, In nobis rerum natura mutata est. Pisces enim qui de mari extracti fuerint, moriuntur: nos autem ideo Apostoli de mundi istius mari extraxerunt atque piscati sunt, ut vivi ex mortuis fieremus. Quamdiu eramus in saeculo, oculi nostri in profundo, et vita nostra versabatur in coeno: postquam de fluctibus erepti sumus, coepimus solem videre, coepimus verum lumen aspicere: et prae nimio gaudio conturbati, ad animam nostram dicimus, *Spera in Deum; quoniam confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus*. Et deinceps, ***Propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermon a monte modico. Abyssus abyssum invocat*** (*Psal.* XLI, 6-8). Et nos *de terra Jordanis*, id est de flumine in quo baptizatus est Dominus; *et Hermon*, hoc est de saeculi istius maledictione (quoniam Hermon interpretatur Anathema), et *de monte modico* hujus mundi (quamvis enim aliquis sanctus sit, dum in isto certatur [1] saeculo, non est in monte grandi atque sublimi sed in monte modico atque humili), clamemus ad Dominum, et profunda Scripturarum ipsius de aliis Scripturarum testimoniis interpretemur. Quidquid in abysso [2] Veteris Testamenti non possumus invenire, hoc de absconso Novi Testamenti solvimus in voce cataractarum Dei, hoc est, Prophetarum ipsius et Apostolorum. Omnia excelsa Domini, et fluctus ipsius, et impetus fluminis qui laetificant civitatem Dei (*Psal.* XLV, 5), super nos transierunt in Christo Jesu, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

[1] Apud Hieronymum, *in aquis*.
[2] Apud Hieronymum, *baptizantis*. Forte legendum, *baptizandi*.
[3] Apud Hieronymum, *et mysterium intellexerunt hoc*, etc.

[1] Apud Hieronymum, *versatur*.
[2] Apud Hieronymum, *absconso*.

SERMO

DE EO QUOD NEOPHYTIS EX OLEO SANCTO AURES ET NARES A SACERDOTIBUS ILLINIANTUR.

Hunc sermonem cum duobus proxime secuturis vulgavit Jacobus Sirmundus in Appendice post Augustinianos Sermones quadraginta, arbitratus istos tres haud quaquam esse Augustini, tametsi ei a Floriacensi, unde illos deprompsit, codice adscriberentur. Stilo minime dissimiles sunt sermonibus olim de Tempore 192, 193 et 194, nunc in tomi quinti Appendice ordine 257, 258, 259, quos in codice non tantum Floriacensi, sed etiam in vetustissimo Remigiano subsequuntur, et eos Augustino peraeque in iisdem codicibus tributos. Augustini etiam nomine tres subsequentes citat Ivo Carnotensis, in decreto de Baptismo: sed Ivo sermonem cujus exordium, *Promisimus*, homiliam tertiam vocat, et subinde homiliam quartam eum qui incipit, *Huc usque*: qui tamen in praedictis codicibus Mss. sunt ordine quintus et sextus. Quanquam in Remigiano, sermo *Promisimus*, qui nimirum ibi ordine quintus, ita sub initium habet: *Prima ergo et secunda praedicatione de his tantum locuti sumus..... nunc vero de interioribus jam mysteriis locuturi sumus*, etc.; quae verba Ivoni manifeste suffragantur. Leidradus Lugdunensis episcopus non pauca ex sermone subsequente, cujus initium, *Omnis quidem*, transtulit in librum quem Caroli Magni jussu de Baptismo edidit, vulgatum nuper in Analectorum tomo 3, sed auctoris nomen ipse reticet. Sermo incipiens, *Huc usque*, agit de ritu lavandi pedes post Baptismum: quem ritum ab Ecclesia Romana non servari narratur apud Ambrosium, libro 3 de Sacramentis, cap. 1.

Mysteria catechumenis non commissa. Quid unctio aurium significet. Quis habeat aures audiendi. Cur adunctæ nares. Alia hujus mysterii ratio.

Omnis quidem Dei sermo, fratres charissimi, cum omni intentione et diligentia mentis debet audiri : sed hic maxime, quem hodie ad Charitatem vestram habituri sumus. Ideo enim dimissis jam catechumenis vos tantum ad audiendum retinuimus ; quia præter illa, quæ omnes Christianos convenit in commune servare, specialiter de cœlestibus mysteriis locuturi sumus, quæ audire non possunt, nisi qui ea donante jam Domino perceperunt. Tanto ergo majore reverentia debetis audire quæ dicimus, quanto majora ista sunt quæ solis baptizatis et fidelibus auditoribus committuntur, quam illa quæ etiam catechumeni audire consueverunt. Non autem mirari debetis, fratres charissimi, quod vobis inter ipsa mysteria de mysteriis nihil diximus ; quod non statim ea quæ tradidimus, interpretati sumus. Quod certe non negligentia, quæ in tam sacris rebus atque divinis sacrilegium est, sed religione fecimus. Adhibuimus enim jam sanctis rebus atque divinis honorem silentii : et inter illos sacros mysteriorum apparatus a docendi cessamus officio ; ut tantam divinæ gratiæ majestatem, quæ nullis hominum vocibus digne explicari potest, amplius tacendo veneremur. Sed quia instrui in omnibus et doceri vestram Dilectionem necesse est, transacto quidem jam mysteriorum ordine, exponimus vobis ea quæ ante tradidimus : ne dum non intelligitis divini mysterii dignitatem, minus illud pretiosum putetis. Quod si intellexeritis, videbitis omnia, quæ in hoc mundo pretiosa creduntur, tanti sacramenti comparatione vilissima. (a) Recordetur ergo unusquisque vestrum singulas mysteriorum species, quas per nostrum, donante Domino, estis ministerium consecuti : et ea quæ tunc simpliciter [1] ac fideliter suscepistis, nunc intelligite prudenter, ut melius possitis intellecta servare.

In primis certe aures vestras oleo benedictionis oblivimus ; sed ob quam causam secundum traditionem ecclesiasticam ab omnibus catholicis Christi sacerdotibus fiat, agnoscite. (b) Introitus fidei et totius sanctæ doctrinæ ad animum per aures admittitur, et de auditu intellectus exoritur. Neque enim potest aliquis fidei sacramenta cognoscere, nisi audiat prædicantem, affirmante beato Apostolo qui dicit, *Quomodo autem audient, sine prædicante?* et rursus, *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* X, 14, 17). Recte ergo illo oleo ejus sensus organa sanctificantur, sine quo fides ad animum non potest pervenire ; simulque venturi ad Baptismum ut aures suas ab omni malo et turpi verbo impollutas ad finem usque custodiant, et vel detrahentem proximo suo, vel obscœne vel impudice loquentem quasi surdi non audiant, implentes illam Scripturæ divinæ sententiam, qua dicitur, *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 28) ; et alibi, *Ne credas auditui vano* ; et rursus, *Da in disciplina cor tuum, et para aurem tuam verbis prudentiæ.* (c) Ergo adhibita auribus unctio sancta, significat ut omnes extra disciplinam sermones, quasi doctrinæ Christi obloquentes, aversentur ac fugiant, seque ad sola Dei verba audienda convertant ; quia illito illo oleo auditum suum Christi eloquiis consecrarunt. Ipse enim Salvator loquitur ad Patrem, et de obedientia credentis in se populi gloriatur dicens, *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi* (*Psal.* XXXIX, 7). Tunc enim aures fidelium Christi perficiuntur, quando nihil præter Christum et ea quæ Christi sunt audire desiderant.

Unde et in Evangelio idem Dominus, de cœlestis regni mysterio cum loqueretur, dicebat, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII, 9, 43). Nam cum omnium commune sit habere aures ; tamen audiendi aures commune non est. Quicumque enim Dei verba contemnunt, quamvis non possint contemnere nisi prius audiant, tamen quia contemnunt quod audiunt, nec audisse dicuntur ; quia quæ audierunt, tanquam non audita despiciunt. Et ideo habent isti aures, non quæ aures audiendi esse dicuntur ; sed aures quæ audiunt ne audiant, id est, ut ea quæ audierint, quasi nunquam, ut diximus, audita contemnant. Soli autem illi aures audiendi habere dicuntur a Christo, qui cum auribus audiunt, firmiter animo commendant ; et quod animo tradiderunt, operibus exsequuntur. De hujusmodi auditoribus Dominus in Evangelio loquitur, *Vestri autem beati oculi qui vident, et aures vestræ quæ audiunt* (*Ibid.*, 16) ; et rursus, *Omnis enim qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et venerunt in domum illam, et non cecidit ; fundata enim erat supra petram.* Rursus de male audientibus, qui habent quidem aures, sed non in obediendo, ita pronuntiat : *Omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna* (*Matth.* VII, 24-27). Videtis ergo quantum intersit inter bene audientem, et male audientem ; id est, inter eum qui custodit verba Dei, et inter eum qui cum audierit, quasi nunquam audita contemnit. Illi qui obedit et facit, sapientia ; huic qui contemnit, stultitia deputatur. Ille super solidum ædificat fundamentum ; hujus vana ædificatio et absque fundamento, facile casura describitur. Ibi stabilitas ; hic ruina est, et ruina magna. Nemo enim gravius corruit, quam qui audito verbo Dei ad peccata convertitur, propter quæ æterna supplicia præparata sunt. (a) Vos autem, postquam vestræ aures oleo benedicto sunt illitæ, designati estis in numero auditorum sapientium : ut recte retinentes Dei verba, id est, quæ auditis implentes, in die judicii audiatis vobis Christum dicentem, *Venite, benedicti Patris mei, suscipite paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Id.* XXV, 34).

Illud autem non otiose, nec absque certa ratione mysterii factum putetis, quod (b) nares quoque vestras oleo benedictionis adunximus. Quod idcirco fieri intelligitur, ut hi, qui ad Baptismum veniunt, admoneantur tanti mysterii sacramentum usque ad mortem inviolatum atque integrum custodire : ut quamdiu spiritum vitæ hujus naribus suis attrahunt, a Christi Domini nostri cultura et servitio non recedant. Unde et Job vir sanctus loquitur, *Vivit Dominus, qui abstulit judicium meum ; et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam : quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea loquetur mendacium. Absit a me, ut justos vos judicem : donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, justificationem quam semel tenere cœpi, non deseram* (*Job* XXVII, 2-6). Sed adhuc subtilior intellectus in hac narium unctione signatur. Illius enim olei odor, quod in Christi nomine et virtute benedictum est, ad odoratum vos provocat spiritualem : ut non corporis, sed mentis sensibus Christum inæstimabili suavitate sentire possitis, et delectati notitia odoris ejus, ipsius vestigia subsequentes, dicere valeatis illud, quod ad Deum credentium chorus loquitur, *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I, 3). Hunc odorem commendat Apostolus Christianis, cum dicit, *Deo autem gratias, qui triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco;*

[1] Apud Ivonem, *suppliciter*.

(a) Hæc Augustini nomine citat Ivo de Baptismo, cap. 195.

(b) Leidradus de Baptismo, cap. 2, in tomo tertio Veterum Analectorum.

(c) Et hæc citat Ivo ubi supra.

(a) Ivo de Baptismo, cap. 195.

(b) Leidradus de Baptismo, cap. 2, in tomo 3 Vet. Analectorum.

quia Christi bonus odor sumus Deo (II *Cor.* II, 14 *et* 15). Considerate quantum Apostoli profecerint sentiendo odorem Christi et cum[1] prædicationis instantia et sanctitate vitæ etiam cæteris præferendo, qui dum odorem suavifragrantiæ Christi ubique diffundunt, ipsi quoque bonus Deo odor effecti sunt. Quod etiam in vobis, fratres dilectissimi, cupimus impleri ut cum ipsi bonum odorem Christi notitiæ ceperitis, suavissimus Deo odor etiam ex vestræ vitæ sanctitate ascendat. Per Dominum.

[1] Forte, *cum*.

SERMO DE MYSTERIO BAPTISMATIS.

Cautio baptizandorum. Aquæ baptismalis gratia. Baptizandi de Trinitatis fide interrogantur. Quæ de aliis fides exigatur. Resurrectionis fides. Trina mersio et cur. Baptismus non repetitur.

Promisimus primo tractatu, nos de omnibus, quæ per ministerium nostrum et Christi gratiam consecuti estis, mysteriis locuturos; ne qua vobis de ignorantia negligentia nasceretur. Sed consuluimus labori vestro et memoriæ, providentes ne aut lassatus audiendo animus omnia intelligere non posset, aut multorum simul cognitione memoria prægravata etiam quæ intellexisset cito oblita deperderet. Prima ergo[1] prædicatione de his tantum locuti sumus, quæ vobis, priusquam ad fontem sanctum veniretis, juxta catholicæ regulæ instituta tradidimus: et quid significaret unctio, quæ diversis corporis vestri adhibita partibus, diversum intellectum designat, prout Dominus donare dignatus est, interpretati sumus; cum ostenderimus vos per oleum sanctificationis ad auditum plenæ fidei præparatos, et bonum Christi odorem vocatos, ex toto corde abrenuntiandum diabolo esse commonitos. Nunc vero de interioribus jam mysteriis locuturi sumus, quæ in ipso sancto fonte celebrata sunt. Emissa enim certissima cautione, qua vos abrenuntiare omnibus pompis et operibus ejus, et omni fornicationi diabolicæ spopondistis, descendentes in fontem, fontem sacrum, fontem vitæ, fontem redemptionis, fontem sanctificatum virtute cœlesti; et ita sanctificatum, ut homines post multa peccata diluendo sanctificet. Non enim debetis illas aquas oculis æstimare, sed mente. Nam etsi substantia illius aquæ de communi aquarum natura sit, effectus tamen ejus specialis ex Dei gratia et virtute procedit, qui creavit aquas, quibus corporales sordes ac visibiles diluuntur. Ipse ergo sanctificavit aquas, per quas secreta potentiæ suæ virtute peccata quæ non videntur ablueret. Spiritus enim sanctus in illa aqua operatur; ut qui ante Baptismum diversorum criminum rei tenebantur, et cum diabolo in gehenna æterni ignis arsuri erant, post Baptismum in cœlorum regnum intrare mereantur. Unde Dominus in Evangelio potentiam tanti exprimens sacramenti ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan* III, 5).

In hoc ergo fonte, antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Respondistis, Credo. Rursus interrogavimus, Credis et in Jesum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu sancto, et Maria virgine? Respondistis singuli, Credo. Iterum interrogavimus, Et in Spiritum sanctum? Respondistis similiter, Credo. Hæc autem fecimus juxta Domini nostri Jesu Christi Salvatoris imperium: qui cum ad Patrem in cœlos ascenderet, discipulis suis, id est Apostolis, demandavit dicens, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 19). Nemo autem, cum audit Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tres deos nos æstimet confiteri. Quod sacrilegium absit longe a fide nostra, qui unum Deum esse ipso attestante cognovimus. *Ego* inquit, *Deus, et non est alius præter me; justus et salvator non est præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis; quia ab extremo terræ ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Isai* XLV, 21 *et* 22). Et in alio libro, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Et rursus, *Dominus Deus tuus hic est in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non est alius præter ipsum* (*Deut.* VI, 4, IV, 39). Tres ergo personas tenemus et credimus, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unius potentiæ, unius substantiæ, unius æternitatis, unius voluntatis, unius etiam deitatis: et totam Trinitatem unius Dei appellatione veneramur. Credere autem plures deos gentilis impietas est; et iterum non credere tres personas unius substantiæ in una deitate atque æqualitate vel coæternitate, hæretica dementia est: cum manifesta hæc sit, quam diximus, auctoritas Christi, *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

(*a*) Quod autem interrogavimus, Credis sanctam Ecclesiam, et remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem? non eo modo interrogavimus, ut quomodo in Deum creditur, sic et in Ecclesiam sanctam et catholicam. Propterea sancta et catholica est, quia recte credit in Deum. Non ergo diximus ut in Ecclesiam, quasi in Deum crederetis: sed intelligite nos dicere, et dixisse, ut in Ecclesia sancta et catholica conversantes in Deum crederetis: crederetis etiam resurrectionem carnis, quæ futura est. Sicut ergo in Trinitatis mysterium credidistis, et unum Deum in Patris ac Filii et Spiritus sancti nomine suscepistis; sicut vobis credidistis dimittenda esse peccata, et nunc jam per Baptismum creditis esse dimissa: ita etiam resurrectionem carnis futuram credite; quod certe vos credere spopondistis.

In hoc enim Christianorum spes tota consistit, ut hujus, non alterius corporis resurrectionem in veritate futuram esse credamus; et quemadmodum nunc stamus in ecclesia ante altare Dei, ita nos in die judicii staturos esse credamus ante tribunal Dei, dicente beato apostolo Paulo, *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* v, 10). Id est quod infideles animæ non credunt futurum. Et sunt aliqui, qui labiis credere promittunt, sed corde desperant: qui grandem omnipotenti Deo injuriam faciunt, a quo homines post mortem suscitari et vivificari posse non credunt. Nos autem, qui divinis vocibus adhibemus fidem, de resurrectione nostra dubitare non possumus. Credimus enim, quod Deus qui fecit homines cum ante non fuissent, facile possit eos reficere qui fuerunt. Qui cœlum, terram, et maria, et quæ in eis sunt, atque omnia elementa fecit ex nihilo, quomodo non potest reparare homines, quos ideo fecit, ut in hac vita agerent unde in alia judicarentur, et vel pro bona voluntate præmia, vel pro mala supplicia mererentur? Hæc est enim Christianorum catholicorum fides, ut credamus nos cum hac, in qua nunc sumus, anima resurgere, habentes idoneum resurrectionis exemplum Christum ipsum Dominum nostrum Verbum Patris: qui cum sit Deus et Dei Filius, Deus Verbum et secundum substantiam divinitatis Patri coæternus et consubstantialis, ideo naturæ nostræ suscepit hominem (juxta quem de Virgine nasci, et postea pati et mori voluit, et die tertia resurrexit, et ascendit in cœlos), ut nos ad spem resurrectionis accenderet; ut sic nos credamus ex mortuis suscitandos, quemadmodum Christum resurrexisse a mortuis confitemur.

[1] Ms. Remigianus et Ivo, de Baptismo, cap. 194, addunt, *et secunda.*

(*a*) Ivo de Baptismo, cap. 194.

Unde beatus Apostolus infidelium animos increpat dicens, *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est* (I *Cor.* XV, 12)? Hoc ergo tenete constanter et credite, quod divinis vocibus affirmatur, quia resurrectio sit futura, in qua sanctis omnibus, qui Christum diligunt et ejus faciunt voluntatem, immortalitas gloriosa donanda est, ut in conspectu Dei cum Angelis et cœlestibus Virtutibus in perpetuum glorientur : infideles vero et peccatores, et qui Dei præcepta non faciunt, ad hoc resurgere, ut immortalis eorum facta caro æternis incendiis deputetur ; ut semper ardeat, et nunquam ardendo deficiat. Hoc enim et Domini nostri Jesu Christi sermo testatur, qui in Evangelio de peccatoribus pronuntiavit, *Tunc ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46).

Hæc sunt autem quæ huc usque diximus. (a) Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus. Qui ordo Baptismatis duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, qui accepistis Baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio mersi estis, qui accepistis Baptismum in nomine Jesu Christi, qui tertio die resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita demersio typum dominicæ exprimit sepulturæ ; per quam Christo consepulti estis in Baptismo, et cum Christo resurrexistis in fide, ut peccatis abluti in sanctitate virtutum Christum imitando vivatis. Unde beatus Apostolus ait, *An ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus ; hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruamus corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato* (*Rom.* VI, 3-6). Considerate, fratres charissimi, qua conditione Apostolus esse dixerit baptizatos. *Ut ultra*, inquit, *non serviamus peccato.* Quæ enim tanta est non dico negligentia, sed amentia, cum per Baptismum acceperis remissionem peccatorum, obligari velle peccatis ; ut qui factus fueras ex peccatore sanctus, rursus ex sancto velis esse peccator ; et post sacrum illum fontem, quem non nisi semel ablui licet, iterum ad vitiorum sordes reverti ? Attendite ergo, dilectissimi, ut quod accepistis, quod jam ulterius a vobis accipi non potest, usque ad finem integrum immaculatumque servetis ; et semel effecti absque peccato, in perpetuo a peccatis omnibus recedatis. Christus enim, qui vos pollutos a diabolica suasione sordidatos sua miseratione mundavit, non vult mundatos iterum sordidari. Huic gloria et honor cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Ivo de Baptismo, cap. 194.

SERMO

DE UNCTIONE CAPITIS, ET DE PEDIBUS LAVANDIS.

In baptizatis chrismatis infusio quid significet. Ut promissa in Baptismo sedulo impleantur.

Huc usque de mysteriis locuti sumus, quæ vel ante Baptismatis sacramentum, vel in ipso Baptismate[1] celebrantur : nunc vero de his acturi sumus, quæ jam baptizatis sancta institutione complentur. Impleto enim Baptismate caput vestrum chrismate, id est, oleo sanctificationis infundimus : per quod ostenditur, baptizatis regalem et sacerdotalem conferri a Domino dignitatem. Nam in Veteri Testamento hi qui legebantur in sacerdotio vel in regno, sancto ungebantur oleo : et unctione capitis alii regnandi in populo Dei, alii sacrificii offerendi accipiebant a Domino potestatem. Sicut sanctum David, et cæteros reges unctos legimus a Prophetis, et de privatis in reges olei sanctificatione mutatos : sic et sanctum Aaron a Moyse unctum legimus, ex laico in sacerdotem Domini sancto oleo consecratum. Unde et in Psalmo canitur, *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* (*Psal.* CXXXII, 2). Sed illud in Veteri Testamento oleum, temporale regnum, temporale sacerdotium conferebat ; in hac enim vita erat administrandum, quæ paucorum annorum curriculo terminatur : hoc autem chrisma, id est, hæc unctio quæ vobis imposita est, illius vobis regni, illius sacerdotii contulit dignitatem, quod cum semel collatum fuerit, nunquam est finiendum. Miramini forte quod diximus vos illo chrismate regnum futuræ gloriæ et sacerdotium consecutos. Non ego vobis, sed apostolus Petrus, imo per Apostolum Christus, collatam hanc pronuntiat dignitatem. Sic enim loquitur ad fideles, id est, qui Baptismate abluti et chrismate consecrati sunt : *Vos autem genus regale et sacerdotale, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum* (I *Petr.* II, 9). Considerate ergo honorem quem in illo estis mysterio consecuti, et cavete ne forte qui post peccata per Baptismum filii regni facti estis, rursus peccando, quod absit, velitis effici filii gehennæ. Quomodo enim irasci putatis Deum, si post beneficia ejus, post indulgentiam peccatorum, velitis ad peccandum reverti ; et qui adoptati estis in Dei filios, iterum quasi servi contemnentes Deum, velitis facere diaboli voluntatem ?

Impletis autem omnibus sacramentis, etiam mandatum vobis et exemplo et sermone tradidimus. Lavimus enim singulorum pedes (a), ad imitationem vos nostram, imo ipsius Domini et Salvatoris nostri, provocantes, ut quemadmodum nos vestros pedes lavimus, ita etiam vos pedes fratrum et hospitum lavare debeatis ; non solum hospitales vos esse doceamus, sed etiam humiliter hospites ita honorantes quos in vestra susceperitis hospitia, ut erga eos servorum implere non erubescatis officium. Quod si injuriosum quis putat, et diabolico inflatus tumore mandatum Domini facere dedignatur : et, quamvis ille in sæculo nobilis, pauperes et in hoc mundo contemptibiles Christiani lavare pedes erubescit ; qui et hoc præcepit, et fecit, imo antequam præciperet, facere dignatus est : siquidem præmisit exemplum, ut facilius commendaret imperium. Sic enim in Evangelio legimus de Domino Jesu : *Sciens*, inquit, *quod omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua ; et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.* Et rursum, *Postquam autem lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua ; et cum recubuisset iterum, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis ; sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, quanto magis et vos debetis alterutrum lavare pedes? Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego facio vobis, ita et vos faciatis.* Amen.

[1] Ivo de Baptismo, cap. 195, *quæ per sacramentum in ipso Baptismate*, etc.

(a) Hic ritus etiam duodecimo sæculo quibusdam in Ecclesiis servabatur, teste Hugone Vict. in Joan. 13, ubi quosdam ait velle [illegible] non remitti peccatum originale nisi in lavatione pedum post Baptismum, [illegible] Ambrosium Mediolanensem episcopum. Cujus vide lib. de Initiandis, cap. 6.

amen dico vobis, quia non est servus major domino suo, nec apostolus major eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea (*Joan.* XIII, 3-5, 12-17). Considerate ergo, fratres dilectissimi, cujus infelicitatis, cujus insaniæ sit, ut dedignetur servus conservo, discipulus condiscipulo pedes lavare, quando omnium Dominus et magister servorum et discipulorum pedes lavare dignatus est. Ille se humiliavit inferioribus; nos vero humiliari dedignamur æqualibus et sæpe melioribus. Quod non aliunde, quam de incredulitate evenit futurorum. Si enim vere et toto animo crederemus, per hæc Domini præcepta, quæ brevi vitæ nostræ tempore custodimus, ad æterna et cœlestia nos præmia pervenire; non solum non erubesceremus omnia opera humilitatis implendo, verum etiam gloriaremur.

Commendate ergo firmiter memoriæ vestræ quod audistis a nobis, et quod nobis, imo Domino promisistis (*a*): nec ulla unquam tribulatio præsentis vitæ recordationem vobis vestræ auferat sponsionis. Implete omnia quæ audistis imperia: implete omnia vestra quæ promisistis. Nolite similes effici populo Judæorum, qui cum audissent præcepta Dei, recte quidem dixerunt, *Omnia quæ mandavit nobis Dominus, audiemus, et faciemus ea*; sed quod bene promiserant, neglexerunt. Placuerunt enim Deo, quando se mandata ejus servaturos promiserant. Sic quidem legimus dixisse ad Moysen populum Israel: *Accede, tu, et audi omnia quanta loquitur Dominus Deus noster ad te, et tu loqueris ad nos. Omnia quanta loquitur ad nos Dominus Deus noster, et audiemus, et faciemus. Et dixit ad Moysen Dominus: Audivi vocem sermonum populi hujus quam locuti sunt. Quis dabit eorum sic esse cor, ut metuant me, et observent præcepta mea omnibus diebus* (*Deut.* V, 27-29)? Placuerunt ergo, ut diximus, Deo, quando quidem polliciti sunt se mandata ejus esse facturos; sed displicuerunt, quando quidem postea quæ mandata, et quæ promiserant servare, transgressi sunt. De quibus etiam propheta loquitur dicens, *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei* (*Psal.* LXXVII, 36). Hoc est enim ore Deum et non corde diligere, quod promittunt se Dei voluntatem esse facturos, mentiuntur lingua sua, et ad faciendam diaboli refugiunt voluntatem, omnipotentem Deum ad iracundiam provocantes, qui se irrideri non patitur. Qui cum et opera hominum quamlibet in occulto facta conspiciat, qui cum verba omnia quamlibet secreto insusurrantes audiat, qui cum omnes omnium cogitationes intelligat et agnoscat, severissime judicabit. Qui hic ideo non semper contemptores suos punit, quia in futuro decrevit esse judicium, ubi æterna condemnatio et perpetua servatur peccantibus pœna. *Ibi erit fletus oculorum, et stridor dentium.* Ubi, sicut ipse Dominus ait: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* (*Isai.* LXVI, 24). Vos autem, fratres dilectissimi, credimus in nomine Domini, quod non transitorie audiatis verba nostra, imo divina: quia quod vobis dicimus, ex sanctis et divinis eloquiis mutuamur. Speramus in Domino, quod facietis omnia quæ promisistis, Deo adjuvante vos in sanctis operibus, ipsius Domini nostri Jesu Christi gratia; cui est gloria et honor cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Promissam in Baptismo pedum lotionem legimus in Appendice tomi 5, serm. 168, n. 3, et 257, n. 2.

TRACTATUS DE CREATIONE PRIMI HOMINIS.

Apud Ambrosium inscribitur, *De dignitate primi hominis.* Apud Alcuinum autem, *Dicta beati Albini Levitæ super illud Geneseos: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. »* Paulinus, Aquileiensis supra lib. de Salutaribus Documentis, capp. 2 et 3, nonnulla mutuatus est ex hoc ipso tractatu; qui præterea in libro de Spiritu et Anima, cap. 35, totus insertus est. Hic itaque prima et postrema verba dedisse sufficiat.

Tanta dignitas humanæ conditionis esse dignoscitur, ut non solum jubentis sermone, ut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis et opera majestatis divinæ creatus sit homo. ... (*a*) Quapropter quisque diligentius attendat primæ suæ conditionis excellentiam, et venerandam sanctæ Trinitatis in se ipso imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat: ut quando apparuerit qualis sit, tunc similis illi appareat, qui se mirabiliter ad suam similitudinem in primo Adam condidit, mirabilius in secundo reformavit.

(*a*) Omissa repete ex libro de spiritu et anima.

SERMO DE VANITATE SÆCULI.

Habetur supra, in Eligii tractatu de Rectitudine catholicæ conversationis, nn. 21, 22 et 23, præter versus circiter decem in fine ab istis verbis, *Benedicamus igitur Dominum*, etc.

In hac vita positi, fratres, ita agite, ut cum hinc migraveritis, et caro vestra a vermibus cœperit devorari in sepulcro, anima ornata bonis operibus cum sanctis omnibus lætetur in cœlis. Retrahat vos a malis operibus vel peccatis, interitus eorum quos præmisistis..... (*a*) Et erit tunc quanto quis amplius alio hic obediens Deo fuit, tanto ampliorem illic mercedem accipiet: quantoque hic amplius Deum amavit, tanto propius eum videbit. Benedicamus igitur Dominum Deum nostrum, fratres, qui ad lætitiam spiritualem congregavit nos. Simus in humilitate cordis semper, et gaudium nostrum penes ipsum sit. Non de prosperitate aliqua hujus sæculi inflemur; sed noverimus felicitatem nostram non esse nisi cum ista transierint. Modo gaudium nostrum, fratres, in spe futura sit, totum desiderium vita æterna sit, omnia suspiria nostra Christo anhelent. Ille unus pulcherrimus, qui fœdos dilexit ut pulchros faceret, desideretur: ad illum unum curratur, illi ingemiscatur; *et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus* (*Psal.* XXXIV, 27).

(*b*) Omissa repete ex Eligii tractatu de Rectitudine catholicæ conversationis.

SERMO DE CONTEMPTU MUNDI [1],

INCERTI AUCTORIS.

CAPUT PRIMUM. *Mandata alia specialia, alia communia.* Audite, fratres charissimi, salutiferam Patris nostri doctrinam, qui non terrenam, sed æternam concupiscitis hæreditatem; qui non vultis sortem accipere in terra morientium, sed cum Psalmista decantare, *Portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6); qui Ægyptum reliquistis, et ad promissionis terram festinatis. Audite itaque, habentes aures audiendi, pium patrem ad hæreditatem cœlorum nos vocantem, et dicentem, *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam* (*Psal.* XXXIII, 12 *et* 13)? Quis es qui vitam vis ingredi? Serva mandata Dei. Quorum mandatorum alia sunt specialia, alia vero communia. Specialia sunt propria canonicorum sive clericorum, et monachorum; communia omnium Catholicorum. Specialia igitur sunt hæc: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me.* Et iterum: *Omnis qui reliquerit domum, aut agrum, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut filios, aut agros propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Et ad discipulos: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 21, 29, 28). Hæc itaque, fratres, quanto singularia, tanto præcipua; quanto acriora, tanto Deo gratiora.

CAPUT II. *Clerici nil proprium possideant.* Dicit iterum Salvator noster inter cætera, *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Qui dixit, *omnibus*, nihil proprium a suis discipulis possideri voluit. Qui quidquam possidet in terra, remotus est a Christi disciplina. Qui autem non est discipulus Christi, quomodo præsumit sibi ligandi atque solvendi potestatem? Intendite, fratres, verba Evangelii dicentis, *Intravit Jesus januis clausis ad discipulos, et insufflans dixit eis, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 22, 23). Numquid illi habebant proprium, quibus Magister indixerat, *Nihil tuleritis in via* (*Luc.* IX, 3): de quibus Lucas evangelista refert, *Erant eis omnia communia* (*Act.* IV, 32)? Videte quid Petrus dixerit ad Jesum, *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27). Qui omnia reliquerant, nihil sibi penitus retinuerant. Unde ergo sibi arrogant ligandi atque solvendi potestatem, qui in terra præsumunt possidere facultatem? Quomodo non erubescunt dicere, *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Ps.* XV, 5)? Ubi est illud apostolicum, *Quæ conventio Christi ad Belial* (II *Cor.* VI, 15)? Qui terrenas possessiones relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? Si decimas cum filiis Levi accipiunt, quomodo inter cæteras tribus partem accipient? Si nominis sui etymologiam attendunt, cur clerici a sorte dicti sunt, nisi quia Dominus eorum sors vel hæreditas sit?

CAPUT III. *Cur radantur. Sapientiæ sedes in cerebro.* Cur saltem clericatus sui signa, quibus a laicis discernuntur, non perpendunt? Non enim sine causa capita eorum raduntur et tondentur, sed perspicacissima et evidentissima ratione. Nam his signis secernuntur a laicorum conversatione. Quod ut multis Deo propitiante proficiat, admonitioni utilissimæ duximus inserere. Didicimus multorum Patrum auctoritate, cerebrum esse sedem sapientiæ; Christum vero, Paulo attestante, Dei Virtutem et Sapientiam esse (I *Cor.* I, 24). Cum itaque cerebrum sit in capite, sapientia vero juxta Patrum auctoritatem in cerebro habeat sedem, et sic per sapientiam sibi infusam cuncta membra regantur a capite, quod per cerebrum est, quod est sedes sapientiæ: sic inter nos et veram sapientiam, quæ, ut diximus, Christus est, qui etiam juxta Apostolum caput nostrum est (dixit enim, *Caput mulieris est vir, caput vero viri est Christus, Christi autem caput est Deus* [I *Cor.* XI, 3]): ut ostendamus nullum obstaculum interesse, pilos in ea parte capitis incidimus, in qua novam sapientiam, id est Christum, inesse cognoscimus: per hoc signantes, malam terrenarum rerum sollicitudinem nostræ mentis oculos ad Deum contemplandum impedire. Scimus enim quod quisque quanto magis terrenis occupationibus implicatur, tanto magis a sui Conditoris visione impeditur. Unde Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (II *Tim.* II, 4). Item: *Qui sine uxore est, cogitat quæ sunt Dei* (I *Cor.* VII, 32). Hinc Moyses ait: *Levitæ radant pilos carnis suæ* (*Num.* VIII, 7). Levita interpretatur Assumptus. Quisquis namque in officiis divinis assumptus est, pilos carnis, id est superfluas cogitationes cordis, radere debet. Caput igitur radere, significat cogitationes terrenas et superfluas a mente resecare. Nec incongrue per pilos et capillos significantur cogitationes superfluæ. Sicut enim pili non sunt pars corporis, sed quædam superfluitas procedens ex corporis humore: sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena et superflua. Hinc itaque fideles Christi, qui ad æternam vitam medullitus suspirant, qui mundum cum suis oblectationibus sub pedibus conculcant, qui in terra nihil possidere volunt, sed cum Apostolo dicunt, *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20), capillorum minimam partem in capitibus retinent, ut per eorum abrasionem se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent. Quapropter etiam illam minimam particulam capillorum retinent, quia dum in hoc mundo sunt, a terrenis cogitationibus omnino vacui esse non possunt. Quisquis igitur clericus ad sortem Domini vocatus, qui comam nutrit, et capillos radere vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de mundi sorte esse testatur. Quanto enim quisque carnis crines diligit, fovet et nutrit, tanto cor suum non in cœlis, sed in terra fixum esse ostendit: quanto autem radit et edomat, tanto se non terrena, sed æterna diligere comprobat.

CAPUT IV. *Ne inter orandum capita tegant.* Si vero, ut prædiximus, crines idcirco radimus, ut inter nos et Deum nihil interesse approbemus: profecto patet, quod cum in oratione persistimus, aliena velamina capitibus nostris apponere non debemus, præsertim cum Apostolus dicat, *Vir non debet orare velato capite, imago enim Dei est* (I *Cor.* XI, 7). Cessent itaque clerici psalmodiæ hymnisque spiritualibus insistentes, capillos, mitras, cæteraque velamina in capitibus portare: ne dum cum Deo loquimur, famulatus sui signa occultantes, ejus indigni judicemur propitiatione, cujus salubri doctrinæ præsumimus non obedire. Qui enim non obedit Apostolo, contradicit Evangelio. Et juxta ejusdem apostoli vocem dicentis, *An quæritis experimentum ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Item, *Si Angelus venerit de cælo, et aliud Evangelium nuntiaverit vobis, anathema sit* (*Galat.* I, 8). Exstirpetur ergo penitus de clero talis præsumptio, ne, quod absit, a Deo expellatur ejus oratio.

CAPUT V. *Mundum et mundana contemnant. Mundi arma, prædia terrena.* His igitur signis clericalibus prælibatis, quibus a laicis discerni debemus, ad propositam admonitionem redeamus. Audiamus Joannem apostolum dicentem, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (I *Joan.* II, 15). Audiamus et Psalmistam mundi amatores increpantem, *Filii hominum, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3)? Salomon quoque subsequitur dicens, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I, 2). Libet

[1] Addunt Mss., *ad clericos*.

intueri quam bene consonant organa Spiritus sancti. Monet Apostolus, ut non diligamus mundum : invehitur Psalmographus in ejus amatores : clamat Salomon, cuncta subjacere vanitati. Quare non diligamus mundum, nec [1] sequamur mendacium, Ecclesiastes declarat : ac si diceret, Ideo non sunt amanda ista, quia transitoria mendacia : quia quæ promittunt non conferunt, bona igitur non sunt. Cum enim bonorum omnium auctor sit Deus, et a fidelibus suis quæri et diligi quæque bona præcipiat : si mundana vera bona essent, nec ipse quidem contemneret, nec a suis sequacibus contemni præciperet. Quid igitur Veritas de se testatur, audiamus : *Vulpes foveas habent, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, 20). Item si mundi gloria vana non esset, non se abscondisset, cum turbæ eum regem facere voluissent. Item si mundi gloria vana non esset, si divitiæ terrenæ vera bona essent : non earum possessoribus improperaret Dominus dicens, *Væ vobis, divites*, etc. (*Luc.* VI, 24). Et alibi, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem introire in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 24). Audiamus etiam quid suis dicat imitatoribus : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Ibid.*, 21). Item, *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Item, *Nemo potest duobus dominis servire, id est, Deo et mammonæ* (*Matth.* VI, 24). Vidit peritus magister suos discipulos luctaturos cum mundo, qui si haberent unde tenerentur, levius dejicerentur. Tulit igitur arma suis et nostris hostibus, dum nos privavit terrenis possessionibus. Nudus namque latrones non solet timere : qui vero se mundanis implicat, tela parat quibus confodiatur. Qui ergo non vult confodi, nudus procedat per viam hujus exsilii.

CAPUT VI. *Regnum Dei appetant. Deum et proximum diligant. Calicem Christi accipiant.* Fortassis quæret aliquis : Cum Deus sequaces suos mundana jubeat postponere, quæ sunt quæ jubet appetere? Audi ipsum dicentem, *Quærite regnum Dei.* Item *Thesaurizate vobis thesauros in cœlis* (*Matth.* VI, 33, 20). Quæret iterum aliquis : Si Deus vult homines terrena odire, quæ debent diligere? Ista sunt quæ præcepit diligere, cum per Moysen respondit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum tanquam te ipsum* (*Deut.* VI, 5). Proximus in terra tantum diligi præcipitur, quia cœlestis regni hæreditatem nobiscum consortitur. In quo charitate divina perfusi, Scriptura testante, quæ, ait ut cives nostros sicut nos ipsos diligamus (*Levit.* XIX, 18), propitiante Deo ibi facturi sumus, per quem et redempti sine fine vivemus : qui etiam cum propter opera nostra mala inimici ejus essemus, prior dilexit nos; et cum essemus servi inutiles, in filios suos nos adoptavit et hæredes, Filium suum unigenitum tradens pro nobis, ut nos eriperet a perpetuæ mortis laqueo. Quisnam puer tam benignum patrem digne potest diligere? Quis ejus tantis beneficiis aliquid dignum potest retribuere? Hæc tanta beneficia admirans Psalmista ait, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Cui ipse inquisitioni deinde subjungit, *Calicem salutaris accipiam* (*Psal.* CXV, 12, 13), etc. Quantulacumque sit hæc retributio, calicem scilicet Domini accipere; nulla tamen alia ita digne videtur passioni dominicæ congruere. Hac utique ratione, ut quemadmodum sanguinem suum dedit pro nostra redemptione, sic et nos nostrum fundamus pro sui nominis confessione. Sed quomodo pro Christo suum dabit sanguinem, qui pro eo non vult abjicere mundi vanitatem, cum nos nimis quam nostra diligamus? Quomodo pro Christo vitam tradet, qui contra ejus præcepta hæc vana et falsa possidet? Ipse enim dicit, *Si diligitis me, mandata mea servate* (*Joan.* XIV, 15). Loquitur et Joannes apostolus, *Qui dicit se diligere Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (I *Joan.* II, 4). Convincitur itaque, se et non Deum diligere, qui mandata ejus non vult custodire.

CAPUT VII. *Paupertatem sectentur. Paupertatis felicitas.* Cum Christus pro nobis factus sit pauper et egenus, nos pro ipso cur pauperes esse erubescimus? Numquid ejus paupertas non facit divites, Veritate attestante, regnum cœlorum non divitum, sed pauperum esse? Dicit namque pauperibus, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Si est regnum cœlorum pauperum, restat ut infernus sit divitum. Hoc quoque declarat nobis Evangelium dicens, *Homo quidam erat dives.* Et post pauca subjungit, *Erat autem et quidam mendicus, Lazarus nomine, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus*, etc. *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno* (*Luc.* XVI, 19, *etc.*) Non reputet quisquam hæc verba esse Augustini : non sunt hominis, sed Veritatis, quæ nec fallere potest, nec falli. Quisquis ergo vis regnare cum Christo, elige paupertatem cum ipso, ut requiescas cum Lazaro mendico. Nemo enim potest gaudere cum sæculo, et regnare cum Christo. Audi Apostolum dicentem, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum* (*Act.* XIV, 21). Et juxta Veritatis vocem, primo nos oportet bibere Domini calicem, ut sic pertingamus ad regni concessionem (*Matth.* XX, 22). Qui autem vult epulari cum divite, præparat se epulas vermibus gehennæ : in qua pro gaudio momentaneo ardebit perpetuo cum capite suo diabolo. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, cœlesti privari regno! Felix paupertas, per quam cœlestis acquiritur hæreditas! Felix commercium, pro perituris æterna recipere : et quod ineffabile bonum est, cum Christo sine fine regnare! E contrario ineffabilis miseria, perpetua cum diabolo pati supplicia.

CAPUT VIII. *Epilogus.* Quapropter, fratres charissimi, nos illud evangelicum ruminantes, *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Vel quam commutationem dabit homo pro anima sua* (*Id.* XVI, 26)? voluntarie pro Christo nunc ponamus quandoque dimittenda : ne, quod absit, pro transitoriis amittamus æterna. Hauriamus antidotum momentaneæ amaritudinis, ut quandoque percipiamus immensæ gaudia salutis. Sic modo curramus, ut in futuro comprehendamus : ubi inveniemur, ibi judicabimur. Non perdamus tempus acceptabile : non enim erit apud inferos locus pœnitentiæ. Dum igitur vacat, dum sumus in via, adversario nostro legi Dei consentiamus. Lex quippe divina noster ideo dicitur adversarius, quia nostris carnalibus omnino contradicit voluptatibus. Adversario itaque nostro, id est, Evangelio, dum rex exspectat, dum nos adhuc ad pacem invitat, nuntios mittamus; cum eo pacis fœdus ineamus : ut cum venerit ille magnus paterfamilias, non ut servos inutiles puniendos, sed ut filios hæreditandos inveniat, secumque introducat ad nuptias, ut de suis beneficiis sibi perennes reddamus gratias Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ms. Regius, *ne*.

SERMO DE BONO DISCIPLINÆ.

Valeriano Cymelensi episcopo jampridem restituit Melchior Haiminsfeldus Goldastus. Ipsius quoque nomen præferunt fragmenta opusculi hujus in vetusto codice Colbertino reperta. Contulimus cum Mss. Victorino, et Colbertino cum Goldasti exemplari, necnon cum editione quæ exstat in bibliotheca Patrum.

CAPUT PRIMUM. *Imperium et superbia. Disciplinæ laus.* Multi sunt qui severæ doctrinæ adversantur, justitiam culpant, et disciplinam imperium esse judicant, ac rationabilem castigationem superbiæ assignant: cum non sit imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum; nec sit superbia, nisi ubi aliquis negligitur disciplina. Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis: quæ non ideo increpat, ut lædat; non ideo castigat, ut noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata custodit, ita Salomone dicente: *Fili, ne deficias a disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 11 *et* 12). Nihil profecto est quod non disciplina aut erudiat, aut salvum faciat. Quam si quis sapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit.

CAPUT II. *Disciplina omnia continentur et ordinantur.* Nemo disciplinam irrationabilem putet, sub qua videt universis quæ in cœlo et sub cœlo sunt, verbo cooperante compositis, omnipotentis Dei stare consilium. In principio enim operis sui, Deus nihil prius quam disciplinam fecit. Nam cum assistente Sapientia cœlum suspenderet, terram pararet, maria concluderet, et suis locis suisque temporibus cursum solis lunæque globum disponeret: omnia sub disciplina constituit (*Id.* VIII, 22-30). Quid autem non esset tenebrosum, quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi constitutis legibus cuncta starent elementa? Numquid sine disciplina agitur solis cursus? qui quamvis diurni itineris necessitatem infatigatus impleverit, ad officium tamen suum matutinus occurrit, et se in parte cœli quotidie terrarum spatia lustraturus ostendit. Tanta est disciplinæ ratio, ut intra temporum metas lege conscriptas ita indefessi itineris alternis vicibus siderum cursus agitetur, ut nec luna defectionis suæ damna effugiat, nec solem diurni luminis flamma destituat. Numquid sine disciplina est, quod tanti maris fluctus humili terrarum littore continentur, et in suo sinu frequenter incitata ventis, altior aggere unda concluditur? Omnia profecto insipiens natura confunderet, nisi mundum disciplinæ ratio gubernaret. Hæc ideo proposuimus dicere, ut disceretis obedire evangelicis præceptis, et cœlestibus obtemperare mandatis. Quid autem rationalem animam, et ad Dei imaginem factam expediat, facile potest homo intelligere: cum videt sacratis per voluntatem Dei constitutionibus disciplinæ etiam elementa servire.

CAPUT III. *Disciplina vitia omnia frenantur.* Audite prophetam dicentem, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II, 11 *et* 12). Bene in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ: qui pro hoc ipso quod imminentes periculorum casus aut iras judicum cavere novit, potestatem conservandæ salutis obtinuit. Quid igitur adultero esset castum? quid furi tutum? quid non esset latroni pervium? quis non expavesceret concava littorum, secreta silvarum? quid non præsumptio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compesceret? Ac nisi constitutus esset ordo vivendi, nunquam profecto finem poneret natura peccandi. Nihil est quod non gula suadeat, si gulæ disciplina consentiat; nihil est quod non perdat luxuria, si amore vitiorum a te disciplina discedat; nihil est quod non habendi cupiditate animus occupet, nisi avaritiæ vitium disciplina condemnet. Omnia sub metu disciplinæ vitia jacent[1]. Jam non est in quo fides unquam erubescat, si homo futurum Dei judicium respiciat, et causam reddendæ rationis intendat: nec est in quo vindex scelerum flamma desæviat, si intuitu disciplinæ, aut quæ sunt honesta cogites, aut quæ sunt pudenda castiges. Multi ibi nomen crudelitatis imponunt, ubi pro amore disciplinæ crimen admissi sceleris supplicio vindicatur latronis[1]: cum sententia judicantis[2] justis legibus serviat: et non solum præsentibus, sed etiam futuris medicinam porrigat. Quis igitur non licite crederet se debere peccare, si impudicis et impiis actibus judex non præscriberet disciplinam[3]?

CAPUT IV. *Disciplinæ legis divinæ servit humana. Quæ cavenda severitas. Qui cavendum.* Videamus quid lex loquatur: *Non occides, non adulterabis, non falsum testimonium dices* (*Exod.* XX, 13, 14, 16). Hæ sunt disciplinæ legis, quibus etiam districtio sententiæ sæcularis obsequitur: impugnando turpia, resecando crimina sua. Nam adjicit Scriptura, *Judex non est vindex positus boni operis, sed mali* (*Rom.* XIII, 3); ita ut etiam vicarium pœnæ genus exigat, cum dicit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Levit.* XXIV, 20). Sed istam antiquam sententiæ severitatem facile vitare possumus, si flammas futuri judicii cogitemus. Absolute autem docet Paulus apostolus posse contemni sæcularis arma judicii, qui dicit, *Si vis potestatem non timere, quod bonum est fac* (*Rom.* XIII, 3). Sed hæc non otiose tractanda sunt: nam cum de his terrenis potestatibus Apostoli doctrina commemorat, sensibus nostris cœlestis judicii partes insinuat. Nam cum docet serviendum sæculi legibus, admonet necessario hominem futuris cavere temporibus. *Si vis*, inquit, *non timere potestatem, quod bonum est fac*: hoc est dicere, Si vis futurum non timere judicium, *declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 39). Ergo hanc primam constitutionis formam, quæ sæculi legibus caret, cavere debemus et vincere: ut possimus a nobis illud præjudicium perpetuæ mortis excludere. Quia quos ista temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum insatiabili tormentorum persequitur dolore. Nemo autem illum homicidii crimen evasisse æstimet, quem excusatum sæcularis judicii corrupti sententia absolverit. Nec ille adulterii facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus evasit. Nemo cum sanam dexteram videt, falsitatis reo debita jure supplicia judicet fuisse concessa. Defunctis corporibus salva sunt crimina, nisi fuerint prius apud Deum lacrymarum intercessione purgata. Exspectat enim reum suum gehenna debitis armata suppliciis. Ad confusionem magis præsentis vitæ, non ad absolutionem criminis pertinet auctoritas sententiæ sæcularis. Illa ergo nobis sunt ante omnia cogitanda supplicia, ubi homo vivet durante pœna; ubi nec tormenta corpori, nec desunt membra tortori. Quæ tamen facile vitare possumus, si habenas disciplinæ teneamus, dicente Apostolo, *Si vis non timere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex ea* (*Rom.* XIII, 3). Quis sapiens non ad hæc disciplinæ bona animum lætus apponat, ubi potest homo non solum criminis pœnam vitare, sed et gratiam laudationis acquirere?

CAPUT V. *Rei sunt ad quos disciplina nondum pervenit. Sed minus, quam quos destituit. Disciplina quibus gravis, quibus levis.* Audite prophetam dicentem: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II, 12). In hoc loco ad illos, puto, pertinet ista sententia, ad quos nondum disciplina pervenit: qui adhuc in devius morantur, capti antiquo superstitionis errore. Probantur enim sub lege nunquam vixisse, qui admonentur ut apprehendant studium disciplinæ. Sequitur in hoc psalmo, *Ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* Igitur si illos Propheta statuit reos, ad quos disciplina nunquam pervenit; quid de illis judicandum putamus, quos disciplina destituit? Inter utrorumque actus, auctoritas prophe-

[1] Ms. Victorinus cum Goldasto, *latent.*

[1] Fragmentum Ms. Colbert. omittit, *latronis.*

[2] Ibid. *rinct antis.*

[3] Fragmentum Ms. Colbert., *actibus non proscriberet disciplinam: deliquerint s enim quos temporalis affligit pœna, æternorum dolorum excruciant tormenta.*

tiæ lectionis incusat ignorantiam plane culpam, non pervenisse ad disciplinam, quia legem disciplinæ respuisse. Ecce dicit propheta, *Qui spernit disciplinam, edit animam suam* (*Sap.* III, 11). Et vere ut dixit, ita est: nam hostis est et inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis, diabolicis occupatur officiis. Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis merito, quos ad omne facinus ille diabolus auctor mortis invitat, quorum mentes insatiabilis gula possidet, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captivos tenet, et a quibus nunquam superbia fugata discedit. Illis autem quibus est studium honeste fidem servare continentiæ, humilitati perpetuo servire, dulce disciplinæ onus est, et leve jugum Domini, quod non gravat, nisi aut perditos, aut perituros.

CAPUT VI. *Disciplina in brutis.* Erubesco dicere in confusionem humanæ negligentiæ, quare apud aliquantos parum proficiat disciplina; cum videamus pastorale magisterium etiam apud muta animalia non perire. Docent nos ecce servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, et sub unius habenæ retinaculo ita laxari se consentiunt, ut et currendi et standi modus sub quadam legum dispositione servetur. Ita quos natura numero dividit, studio disciplinæ conjungit. Videte quam fortia boum corpora plaustro subjiceant: qui in tantum imperio animum parant, ut jumentia naturaliter levi jugo colla supponant. Ita disciplinæ constitutionibus serviunt, etiam quæ in feritate nascuntur. Unde miror aliquoties hominem, cui inest sapientia et intellectus prudentiæ, passim præcepta disciplinæ negligere: cum videamus mutum animal vitia cavere, jussis obtemperare, imperio deservire, atque ita ad omnem obedientiam animum aptare, ut cum opus fuerit, armatis legionibus occurrat, et hostilibus se telis jussum objiciat. Audite in hoc loco prophetam dicentem, *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit* (*Isai.* I, 3). Vereor dicere, ne nostram negligentiam pulset ista sententia. Non autem cognoscit Dominum, qui conditionis suæ non cognoscit officium.

CAPUT VII. *Qui Dominus inveniri aut cognosci possit.* Ostendam sane quomodo Dominus possit aut inveniri, aut cognosci: si tamen est animus videntis. Si vis videre Dominum, require mendicum, respice ad pauperem, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem. Si vis videre Deum, vincula captivitatis absolve, nodos iniquitatis incide. Audi de hoc Dominum dicentem, *Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes fui, et suscepistis me; nudus fui, et cooperuistis me; infirmus fui, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* XXV, 35, 36). Moneo itaque ne despicias nudum, ne cæco manum subtrahas, ne involutum pannis contemnas. In hac enim veste primum Dominus cum a Magis quæreretur, inventus est.

CAPUT VIII. *Religiosæ vitæ ac bonæ famæ sit studium. Vulgus solet de bonis male judicare. Suspicioni locum non dare.* Et quia de disciplina fecimus mentionem, sub qua fides christiana viget, necesse est ut omnia in aures vestras vitæ ornamenta deferantur: ut intelligat unusquisque parum sibi prodesse conversationis[1] famam, nisi in contemptu mundi amaverit disciplinam. Ergo cui studium est Christum colere, puritatis cordis et corporis suscipiat indumenta. Omnis igitur vitæ religionis professor, integritatis debet famam sentire; ne quem exspectat corona virtutis, pudoris damna feriat. Corporis integritas vitam meretur, integritatem fidei incontaminata custodiat; ut manente utriusque partis beneficio, immaculatum hominem faciat regnare cum Christo. Sed in hoc solo constat conversationis nostræ ratio, ut boni simus. Laborandum igitur illi ante omnia est, ut qui bonitatem sequitur, bonus esse judicetur. Nam quamvis homo puram corpus immaculatumque custodiat, laceratam vitam ad Deum portat, cujus actus vultum infamat; licet sciamus conscientiam solam bonis actibus posse sufficere. Sed quanto melius est, ut semper de te bene sentiat, qui circa famam tuam vanis suspicionibus frequenter ægrotat! Insitum est enim naturaliter vulgo, ut de bonis semper male judicet. Sed tu qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota: integritas religioni, pudor serviat humilitati. Quem amor tenet servandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem et gloriosum, et usque ad cœlum omnium ore proferendum, nunquam malis actibus locum dedisse: sed multo fortius est, nunquam falsis suspicionibus laborasse. Quid enim tibi prodest sobrietas, si vita ebrietatis exerceas? Quis non te ebrium judicet, si inter effluentes vino calices saltantium gyros imiteris? Quis te castum putabit, si te videat meretricum fabulis mixtum, scenico sermone compositis: aut loquentem turpia, aut inhonesta resonantem? Laudo quidem conscientiam castitatis in te, sed odi colloquium meretricis.

CAPUT IX. *Quatenus bona sufficiat conscientia.* In quo loco dicat fortasse aliquis, Sufficit mihi pura conscientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi soli sufficit: sed providendum est, ne facilitate tua alter peccet, et alienum peccatum in te redundet: juxta illud quod dicit Scriptura, *Væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7). Quamvis autem pretioso serico corpus vestias, et niveo vellere membra componas, non sine macula diem transigis, si camini ardentis ora contigeris. In omni igitur actu tuo vitam tuam disciplina comitetur. Si vis placere Christo, elabora ut professionem tuam fides adjuvet, fama commendet. Præcedat vos patientia humilitatis socia, assistat pudicitia integritatis magistra: fugiat cupiditas, erubescat ebrietas, luxuria actus suos lugeat, superbia confusa discedat. Quicumque igitur est qui festinat Deum agnoscere, sub hoc disciplinæ ordine Christum poterit invenire. Multa quidem erant adhuc, dilectissimi, quæ disciplinæ ratio suadebat aperire: quæ interim putavimus differenda, ne otiosis auribus fastidium pareret longa narratio. Sane ne quid in hoc opere subtraxisse videamur, elaborabimus, ut ea quæ religiosis actibus competunt, sequenti tempore disseramus.

[1] Alias, *conversationis.* At, *conversio*, hic pro vitæ religiosæ professione accipitur, ut in Regula Bened., capp. 58 et 63.

SERMO DE OBEDIENTIA ET HUMILITATE.

Fragmentum est auctoris incerti, sed antiqui ad vetustissimum codicem Colbertinum et alios Mss. recognitum.

CAPUT PRIMUM. *Obedientia quam Deo grata. Sine obedientia virtutes nullæ. Ubi abest, adest superbia.* Nihil[1] sic Deo placet quomodo obedientia. Cham maledictus fuit (*Gen.* IX, 25), et post multa sæcula manet quod dicitur, *Semen Chanaan, et non Juda* (*Dan.* XIII, 56): quia patri non est obsecutus. Cæterum Sem, qui est obsecutus patri, benedictionem habuit in omnia sæcula. Hoc itaque dico, non est filiorum judicare de patribus. Nemo vadit ad magistrum, et docet magistrum suum. Venisti ad me, ut docerem te litteras: si tibi scripsero, et dixero tibi, Scribe quomodo et ego scribo, utique imitari debes quem magistrum

[1] Vetus codex Colbertinus hic addit, *itaque.*

elegisti. Aliquis doctus est? Et vadit ad peritiorem magistrum. Hoc totum quare dico? Ut obedientiam exhibeamus in patres nostros. Qui patribus non obsequitur, Deo non obsequitur. Dicit enim Dominus, *Qui vos contemnit, me contemnit* (*Luc.* x, 16). Qui ergo contemnit Apostolos, contemnit Christum : qui contemnit patres contemnit Christum qui in patribus est. Hoc dico, quia hic in nobis summa et sola est virtus obedientiæ. Si jejunaveris diebus ac noctibus, orationemque feceris, si in sacco fueris vel in cinere, si aliud nihil feceris, nisi quodcumque præceptum est in lege, et tibi [1] fueris quasi sapiens, et obediens patri non fueris, omnes virtutes disperdidisti. Una obedientia plus valet, quam omnes virtutes aliæ. Jejunium vel continentia, nisi te diligenter attenderis, superbiam tibi facit : superbia autem inimica est Deo. Nihil sic odit Deus, quemodo superbiam. Quicumque non obedit, non facit de sanctitate, sed de superbia. Ideo enim non obedit, quia meliorem se putat illo cui non obedit.

CAPUT II. *Superbia peccatum omnium pessimum. Cum superbia virtutis potest esse species, non res.* Simpliciter dico vobis : Omnia peccata odio habet Deus, mendacium, perjurium, furtum, latrocinium, adulterium, fornicationem, in quibus si quis deprehensus fuisset, non posset oculos levare, sed sic eum haberemus quasi exsecrabilem : si quis superbus est, multo pejus peccatum facit quam adulterium ; et tamen loquimur cum eo. Qui fornicatur, potest aliquid dicere : Vicit me caro mea, superavit me adolescentia mea. Non dico quod facere debeas [2], siquidem et hoc odio habet Deus : sed in comparatione mali dico, Quicumque aliud peccatum fecerit, verbi causa, si furtum fecerit, excusare potest. Quid enim dicit, Propterea furtum feci, quia egebam, quia fame moriebar, quia ægrotabam. Superbus quid dicere potest? Ideo superbia vide quantum malum sit, quod excusationem non habet. Cætera vitia eis nocent, qui ea committunt : cæterum superbia plus omnibus nocet. Hoc ergo dico, ne cogitetis peccatum modicum esse superbiam [3]. Nempe quid dicit Apostolus? *Ne quis*, inquit, *incidat in judicium diaboli* (I *Tim.* III, 6). Vide ergo quoniam quicumque inflatur, in judicium diaboli incidit. Hoc ergo dico secundum quod scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (I *Petr.* v, 5), ut omnia quidem peccata fugiamus, maxime autem superbiam. Dico vobis de superbia, semper sibi sapiens videtur. Si quis de fratribus dederit ei consilium, et dixerit ei, Frater, non debes sic agere ; non eum dignatur audire, quia se magis sapientem putat quam illum qui dat consilium. Et quid dicit in corde suo? Ego mihi sapientior : ego ergo non habeo consilium? Numquid tu es sapientior me, licet non dicat ; tamen ex eo quod contemnit consilium fratris, in corde suo loquitur.

Ergo hoc dico, Qui superbiam habet, sine causa alias habet virtutes. Habet virtutes? Imo non habet, sed videtur habere. Qui enim hoc habet quod Deo contrarium est, quomodo potest aliquid habere quod Deo amicum sit? [4] Superbia in monasterio fit. Si jejunamus, erigimur. Orationem facimus pro peccatis : et in superbiam erigimur. Aliquis jejunat pro peccatis suis, et pro peccatis suis agit pœnitentiam? In superbiam extollitur. Ideo jejunas, ideo oras, ideo præcepta facis, ut contra Deum facias?

CAPUT III. *Præstat vitiis omnibus deditum esse quam superbum. A monasterio in eremum secedentes fratrum synaxim non spernant. Secus facientes coguntur. Hinc non arguendi qui e desertis fratres in cœnobio visitant.* Monachus si superbus est, multo melius ei erat si uxorem duceret. Ego simpliciter dico, et libera fronte dico, quia quicumque superbus est, melius erat ei (et hoc in comparatione mali dico) ut omnia alia vitia haberet, quia ex malis suis inclinaretur ad pœnitentiam [1], et non omnes despiceret. Si autem post peccata ageret pœnitentiam, utique Dei misericordiam mereretur. Qui autem superbus est, omnium malorum habet principium, et non agit pœnitentiam, quasi justus sit. Propterea superbia contraria est Deo, quia Deo non subjicitur. Sic enim se habet quasi justus. Superbus non agit pœnitentiam pro malis suis, et gloriatur quasi pro bonis.

Hæc quare dixerim, et vos ipsi intelligitis, et aliorum ruinæ nostra debent esse exempla. Propterea venimus in monasterium, libertatem sæculi perdidimus, ut servitutem Christi accipiamus. Deinde ista de fratribus loquor, qui solent sedere longius a monasterio, ne eis debeat nasci superbia de exemplo. In cœnobio vixisti : placuit tibi ut maneres in decimo milliario? Non debes synaxim sanctorum fratrum contemnere. Non te ergo viliorem putes, si ad fratres veneris in civitatem. Si necessitatem haberes ire et videre mulieres, et necesse habuisses ire in plateas : recte non ires. Ad synaxim sanctorum fratrum non vadis? O tu qui manes in secreto, aut melior es fratribus qui sunt in cœnobiis, aut pejor es. Si melior es, veni ut eis exemplum vitæ tuæ tribuas : si autem deterior es, veni ut discas quæ nescis. Superbia nascitur, quando aliquis dicit se secretum sedere, et fratres non dignatur videre et visitare, et in superbiam erigitur. Hæc propterea loquor præsente sancto fratre, qui hoc opere facit, ut hoc quod ego loquor, hunc sciatis opere facere. Denique multi sancti patres, qui vere patres sunt, qui regunt animas sanctorum, quando aliquos viderint juvenes ire ad deserta, et ad cœnobium non venire, et in superbia esse, vadunt et vim eis faciunt, et adducunt eos : non ut noceant, sed ut tollatur eis superbia. Hoc propterea dico, ut illi qui manent in secretis, et veniunt ad cœnobium, et fratres visitant, ab his qui sunt in cœnobiis non arguantur quasi impatientes, sed quasi humiles. Nemo dicat de vobis, Ecce ille qui in eremo sedet, quia non patitur, venit. Propterea venit ut te ædificet, non destruat, et ut superbiam perdat. Videte qualis vitæ sit. Vivit in deserto, et tamen gloriam non habet eorum qui in deserto sunt.

Deus itaque omnipotens omnia quæ locuti sumus, orationibus sanctorum nos quoque implere faciat. Nihil enim grande est dicere, sed facere. Sed quod ego facere non possum et loquor, ideo loquor ut qui potest facere, faciat ; qui habet aures audiendi audiat, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor, virtus et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Editi hic addunt, *risus*.

[2] Editi, *quod sibi hoc facere liceat, aut quod se excusare debeat*.

[3] Alias, *non*, loco, *modicum*.

[4] Hic præfigitur in Ms. Colb. a secunda manu, *Sed quomodo?*

[1] Ms. Colbertinus, *declinaret* ; omisso prius, *quia*.

TRACTATUS DE CHARITATE,

SEU DE VERBIS PSALMI, TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM.

Viguierio, qui hoc fragmentum ex Divionensi codice eruit, imitatorem Augustini sapit, non Augustinum.

Fructus terræ benedictæ charitas. Deo adhærere. Charitatis fructus reddere. Qui Deum non amat, nec se nec proximum amat. Amor mundi non est amor. Idem est, amate Deum ; et, Nolite diligere mundum.

Quis est enim fructus tuus? Charitas. Si fratrem

diligis, terra dedit fructum suum. Quæ terra? Utique illa de qua dictum est, *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal.* LXXXIV, 2). Nam nisi terram tuam benedixisset Deus, produxisset tibi et aliis non fructum, sed spinas et tribulos. Hic est fructus terræ tuæ, quando non benedixit Deus: sed cum benedixit, profers fructum, charitatem. Cum ergo non diligis, sterilis es; habes forsan folia, sed fructibus vacua: quia arboris tuæ fructus, charitas. Ecce positus es ut fructum afferas: quis te posuit? Putas tu te ipsum, an is qui dixit, *Posui vos ut fructum afferatis* (*Joan.* XV, 16)? Si a te ipso positus esses; aut non fructum ferres, aut si ferres, agrestem, nullius saporis, a nemine colligendum, nec in horreo patrisfamilias reponendum. Vide ergo ut cum te posuerit paterfamilias ut fructum afferas, et a te repoposcerit, ipsi reddas. Reddes utique suum, non tuum: suum ad quem te posuit, charitatem; tuum, ad quem te posuisti, malum; *quia arbor quam non plantavit Pater, eradicabitur* (*Matth.* XV, 13). Quare eradicabitur? Quia a se ipsa, non a patrefamilias.

Dei agricultura es; non tua, non aliorum. Neque arbor se ipsam plantat, neque se ipsam excolit. Sane et Paulus plantat, et Apollo rigat: sed et quod Paulus plantat nihil est, et quod Apollo rigat nihil est; sed Deus dat incrementum (I *Cor.* III, 7); postquam suo nomine plantavit Paulus, aut cum ipso. Sed qui agricola est, idem et vitis: agricola, ut plantet, ut inserat. Cui inserat? Utique alienæ arbori? Minime; sibi ipsi ut viti veræ, ut sis et ipse palmes. Jam si palmes fueris, quis tibi fructum dabit, nisi vitis illa cujus es palmes? Avelle palmitem a vite, quid fiet? Marcescet, sterilescet, morietur: amplius dico, comburetur. Fratres, vos estis palmites: quamdiu viti adhæseritis, fructum dabitis. Excidatis semel: quid de vobis fiet, et quid vobis ultra exspectandum manebit, quam in ignem projici? Charitas vitis, charitas palmes. Vitales succos infundit vitis palmiti; et ideo jure de palmite fructus reposcit. Quales? Charitatis. Charitas dedit, charitas reposcit, redde charitatem; charitatem viti cujus es palmes, charitatem proximo cum quo es palmes. Ama Deum, ama proximum. Frustra dico, Ama Deum, ama proximum; nam si Deum diligis, proximum diligis; nec enim potes diligere Deum, quin diligas proximum. Et sic diligendo Deum non tantum proximum diligis, sed te ipsum. Sed si non diligis Deum, neque proximum [illegible], neque te ipsum. Non [illegible] ? Et cujus est amor, nisi Dei? Et quid est Dominum nisi Deum, qui et ipse mandat ut diligamus [illegible]? Quid Deus mandat? Ut diligatis. Quid mundus? Ut non diligatis: neque enim diligit, qui quod mundus mandat ut diligat, diligit. *Manete in dilectione mea* (*Joan.* XV, 9): non dixit, in dilectione mundi. Non enim mundus amore, sed odio est. *Si mundus vos odit, scitote quia priorem me odio habuit* (*Ibid.* 18).

Sed quid audio, fratres? *Nolite diligere mundum* (I *Joan.* II, 15). Agnosco vocem, vox est diligentis et diligentis. Estne ergo discipulus supra magistrum? Magister dicit, *Hæc mando vobis, ut diligatis* (*Joan.* XV, 12). Discipulus dicit, *Nolite diligere*. Utraque tamen vox veritatis, utraque vox ad amorem incitantis. Et quando Magister mandat ut diligamus, mandat etiam ut non diligamus: diligamus invicem, palmes palmitem; non diligamus sancti profana, christiani sæculum. Et quando discipulus ait, *Nolite diligere*, imperat ut amemus; nam si odio mundum habuerimus, Deum diligimus. Ille affirmat, Diligite; ele negat, *Nolite diligere*: nec tamen aliter nec plus imperat ille, quam iste. Diligis? Odio habes mundum. Odisti mundum? Deum diligis. In utroque charitas, in amando, ut odio habeas, in non amando, ut diligas. Qui odit animam suam, amat. Qui amat, odit. Impletur quod dixit propheta, *Odium pro dilectione* (*Psal.* CVIII, 5), non utique eo sensu quo dixit Propheta; nam ille rependebat dilectionem, rependebant odium: sed *odium pro dilectione*, hoc est cum mundum oderis, rependetur tibi pro hoc odio dilectio Dei; cum Deum dilexeris, rependetur tibi pro hac dilectione odium mundi. Ergo diligite, fratres, et non diligite. Diligite Magistri, Non diligite Discipuli, hoc est apud utrumque, Amate. Non poterat palmes discipulus aliud dicere, quam vitis Magister. Veritas ubique; et in vite et in palmite. Nam vera vitis, quid aliud nisi veraces palmites profert? Et hæc in utroque veritas, semper erit charitas: quia Deus est charitas, et Deus est veritas, et qui in Deo est, in veritate manet; et in veritate manet, quia charitas Dei in illo est.

TRACTATUS DE ORATIONE ET ELEEMOSYNA.

Urbinati non incognitus, et a Vignierio postmodum ex codice Regio cum nonnullis hiatibus editus fuit, quamvis ipsi finis Augustinum, uti testatur, non ita certo exhiberet. Sed neque initium certius exhibet.

Stipem pauperibus ultro largiri. Misericordia ipsa orat. Misericordiæ nullus terminus. Misericordiæ sit comes oratio. Orationis laus.

Felix ille qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus (*Psal.* XL, 2). Intelligere ergo debemus super egenum et pauperem: est autem intelligere super egenum et pauperem, ut rogari a talibus non exspectemus. Nec enim illa misericordia deputanda est, quæ clamoribus extorquetur, nec ille mercedem operis sui percipit, qui diu se patitur deprecari: quoniam non fecit mandatum [1] Dei, sed precibus præstitit, misericordiam suam lacrymis vendidit. Qui intelligit autem, ultro largitur, et signato magis silentio decelat, ne opus suum quod occultum esse desiderat, ipsa vox pauperis prodat, sicut in Evangelio scriptum est: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: sed sit eleemosyna tua in absconso; et qui videt, tibi reddet* (*Matth.* VI, 2-4). Et per Salomonem loquitur Dominus dicens, *Conclude eleemosynam tuam in corde pauperis, et ipsa pro te orabit ab omni malo* (*Eccli.* XXIX, 15). Primo occultam esse voluit, quam concludi jussit in corde. Nam cum ipse sit scrutator renis et cordis, utique sibi tantum voluit reservari, quidquid penetralibus pectoris delegavit. Deinde quanta ejus officia esse ostendit, cum pro nobis jam non pauperem dicit, sed ipsam misericordiam rogaturam: pauperem enim et dormitare posse in precibus, et occupatum malis actibus aliquando cessare. Misericordia autem laborans semper et vigilans tantum efficaciæ obtinet, ut auctorem suum sine præmio esse non patiatur. Quantum vero, et quam necessarium . . . tempus um thesauris . . . . . a facultatibus nostris manifestarent . . . . .

Itaque panis cœlestis quo pascitur anima nostra, si quando ad eam perveniatur, ut eo saginemur, unde modo vix micas colligimus, ne in ista famelica eremo pereamus. Quomodo ergo perveniatur ad saginam hujus panis, de quo Dominus ait, Panem hunc qui manducaverit non esuriet et potum quem dedero qui biberit, non sitiet in æternum (*Joan.* IV, 13), saginam quamdam promittens et satietatem sine

[1] Forte, *ob mandatum*.

fastidio ? Quomodo ergo perveniamus ad hanc satietatem panis longe ab ea satietate in hac fame positi, consilio opus est : quod consilium si neglexerimus, ad panem illum sine causa pulsamus. Uno vero consilium hoc quod dicturus sum, vel potius commendaturus sum, non enim a me dicam quod vobiscum didici, consilium ergo hoc quod dicturus sum, quisquis contempserit, omnino non pulsat. Hoc enim consilium sequi et agere, est pulsare. Quid enim ? Putatis, fratres, quia vere quasi corporaliter habet Deus quamdam januam duram quam claudit contra homines ? et ideo nobis dixit pulsare, ut veniamus et tundamus ostium, quousque pulsando perveniamus ad aures patrisfamilias in secreto quodam constituti, et jubeat nobis aperire, dicendo, Quis est qui pulsat ? quis est qui auribus meis tædium facit ? Date illi quod petit, recedat hinc. Non ita est, verumtamen est aliquid simile. Certe quando pulsas ad aliquem, manibus agis. Est quod agas manibus quando pulsas ad Dominum. Prorsus manibus agis, manibus pulsas. Si ergo non egeris, non dico, Frustra pulsas ; sed dico, Non pulsas : ideo non mereberis, ideo non accipies, quia non pulsas. Quando, inquis, vis ut pulsem ? ecce quotidie rogo. Bene facis, rogare optime facis. Nam et hoc dictum est : *Petite, et dabitur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis* (*Luc.* XI, 9). Omnia dicta sunt ; pete, quære, pulsa. Petis orando, quæris disputando, pulsas erogando. Non ergo quiescat manus. Apostolus cum de eleemosynis plebem moneret, *Consilium*, inquit, *in hoc do : hoc enim vobis prodest, quod non facere, sed et velle cœpistis ab anno priore* (II *Cor.* VIII, 10). Et Daniel, prospicit Spiritus sanctus . . . Nam si divitias nostras pauperum cordibus commendemus, . . . quando eas postmodum aut fur appetat, aut prædo vastet, aut tinea comedat, aut rubigo corrumpat aut quod perniciosum injustum tempus assumet ? Sed quid ? Tunc opes nostræ ad Dominum transeunt, atque occupant cœlum si pauperibus tribuentes, cœlestia mandata servemus.

Huic ergo operi, fratres, totis viribus insistendum est. Hæc Domino voluntas sine vocatione aliqua semper ubique complenda est. Sola misericordia tantummodo est ab excessibus liberata. Dum omnia odiosa sunt cum transcenderint modum, sola misericordia terminum non habet. Ipsa tantum est cujus nimietas placeat, cujus oblectet enormitas, cujus laudabilis possit esse profusio. Sola itaque misericordia est, quæ quanto ad majora [1] processerit, tanto ampliorem et sibi laudem et in Domino tribuit charitatem. Hanc fieri jugiter ipse Dominus hortatur ; nec in Evangelio Christus tacet, nec per Prophetas Spiritus sanctus cessavit. Loquitur per Isaiam Dominus et Pater Omnipotens Deus, qui quæ munera misericordibus præparentur, ostendit : *Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam : si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et lux cito orietur. Et præibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Dominus exaudiet te. Cum adhuc loqueris, dicet, Ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 7-9). Satis evidenter, fratres, quod apud Tobiam jamdudum docui, Isaiæ testimonio comprobatum est, adjungendam esse orationi eleemosynam, sociandumque jejunium. *Tunc*, inquit, *exclamabis, et Deus exaudiet te* ; tibique in oratione clamanti, *dum adhuc loqueris dicet, Ecce adsum*. Si misericordiam, inquit, impenderis, cito eam cum rogare inceperis, impetrabis : præveniet Dominus tuas voces, et præcurrentibus meritis tuis accipies omnia.

Quid enim est oratione præclarius ? quid vitæ nostræ utilius ? quid in tota nostra religione sublimius ? Oratio est quæ nos Christianos provocat ; oratio est qua cum Deo loquimur, qua patrem dicimus, qua universa desideria nostra in conspectu majestatis ejus effundimus. Oratio est quæ cœlos penetrat, nubes transit, Dei aures attingit. Hæc in Ecclesia universis gradibus necessaria est. Hæc catechumenis spiritum, fidelibus præsidium, pœnitentibus solatium præstat. Hæc justos continet, sublevat peccatores ; per hanc etiam qui stant non cadunt, et qui elisi sunt eriguntur. Hac utitur ætas, sexus, hac conditio omnis et dignitas. Hæc magna servat, hæc tutat et minima. Per hanc divites tuti sunt, per hanc pauperes non deficiunt. Hæc ex illorum abundantia excubat, hæc ut ab ipsis penuria repellatur exorat. In hac gubernamur in prosperis, per hanc fiduciam gerimus in adversis. Hæc nobis in gaudiis jucunda est ; hæc in luctibus suavis. Per hanc lætitiam percipimus, per hanc tristitiam declinamus. Huic autem nostri pondus et tædium, votiva omnia commendamus. Hanc quasi fidelem sequestramus, quasi idoneam et tutissimam navim universorum desideriorum nostrorum mercibus oneramus, quæ ad omnipotentem Dominum, expansis manibus, fusisque precibus prospero felicique cursu perveniat. Per hanc omnia timoris Domini ornamenta percipimus. Per hanc quidquid fides inchoat, spiritus mundat, charitas decorat, assidua deprecatione servamus. Per hanc castitate tuemur, continentia virtuteque gubernamur. Per hanc pro Christo corporis vincula sustinemus : per hanc postremo beata martyria consummamus. Amen.

[1] Urbinas, hic addtur, *incrementa*.

SERMO DE GENERALITATE ELEEMOSYNARUM.

Editus a Sirmundo in Appendice post Augustinianos quadraginta.

Stipem peccatoribus Manichæi negant, et quare. Timent alii ne peccatoribus largiendo Deum offendant. Omnibus eroganda est. Justi præponendi. Nec despiciendi tamen. Non quia peccatores, sed quia homines. Peccatoribus stipem non negavit Christus.

Sunt qui existimant eleemosynas justis tantummodo esse præbendas : peccatoribus autem nihil ejusmodi dari oportere. In hoc errore primum sacrilegii locum Manichæi tenent, qui credunt in quocumque cibo Dei membra permixta et colligata detineri : quibus censent esse parcendum, ne a peccatoribus polluantur, et nodis miserioribus implicentur. Hæc insania minus digne fortasse refellitur, quam sanorum omnium sensus offendit, si tantummodo proponatur. Nonnulli autem nihil tale sentientes, ideo peccatores putant non esse pascendos, ne contra Dominum conemur, cujus in eis indignatio declaratur : tanquam ex hoc etiam nobis possit irasci, quia eis volumus subvenire, quos vult ipse punire. Adhibent et testimonia Scripturarum sanctarum, ubi legimus, *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem, et impiis et peccatoribus redde vindictam. Bene fac humili, et ne dederis impio ; quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam* (*Eccli.* XII, 4, 6, 7). Hæc verba quemadmodum accipienda sint non intelligentes, detestabili crudelitate induuntur. Unde nos oportet de hac re, patres, vestram alloqui Charitatem : ne cogitatione perversa cum divina voluntate non consentiatis.

Omnibus esse impertiendam misericordiam docet apostolus Paulus apertissime dicens : *Infatigabiles*, inquit, *dum tempus habemus, operemur bonum ad*

omnes, maxime autem ad domesticos fidei (*Galat.* VI, 10). Unde revera satis apparet, in hujusmodi operibus justos esse præponendos. Quos enim alios intelligamus domesticos fidei, cum alibi aperte sit positum, *Justus ex fide vivit* (*Hebr.* X, 38)? Non tamen aliis hominibus, etiam peccatoribus, misericordiæ claudenda sunt viscera, nec si etiam adversum nos hostilem animum gerant: ipso nostro Salvatore dicente ac monente, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V, 44). Neque hoc in libris veteribus tacitum est. Ibi enim legitur, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi* (*Prov.* XXV, 21). Quo etiam in Novo et Apostolus usus est (*Rom.* XII, 20).

Nec ideo tamen falsa sunt quæ supra posuimus; quia et ipsa divina præcepta sunt, *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem.* Illa enim ob hoc dicta sunt, ne cuiquam peccatori propterea bene facias, quia peccator est: ut bene quid facias ei qui te odit, non quia peccator est, sed quia homo est. Ita utrumque præceptum tenebis, nec ad judicandum remissus, nec ad subveniendum inhumanus. Omnis enim qui recte arguit peccatorem, quid aliud quam non vult eum esse peccatorem? Odit ergo homo quod et Deus odit: ut perimatur quod homo fecit, et liberetur quod Deus fecit. Peccatum quippe homo fecit, ipsum et hominem Deus. Et duo ista nomina cum dicimus, Homo peccator, non utique frustra dicuntur. Quia peccator est, corripe; quia homo est, miserere. Nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem. Huic officio omnis invigilat disciplina, sicut cuique regenti apta et accommodata est; non solum episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam, marito regenti conjugem suam, patri regenti prolem suam, judici regenti provinciam suam, regi regenti gentem suam: omnes hi cum boni sunt, eis quos regunt bene utique volunt. Et servi juxta impertitam ab universorum Domino potestatem, qui etiam regentes regit, dant operam, ut illi quos regunt, et conserventur homines, et pereant peccatores. Ita implent quod scriptum est, *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem*; ne hoc in illo adjutum, quod peccator est, velint. *Et impiis et peccatoribus reddit vindictam*; et in hoc ipsum, quod impii et peccatores sunt, debeatur in eis. *Bene fac humili*, propter hoc quod humilis est, *et ne dederis impio*, propter hoc quod impius est: quia ob hoc *Altissimus odit peccatores, et impiis reddet vindictam* (*Eccli.* XII, 4, 6). Qui tamen, quia non solum peccatores et impii, verum etiam et homines sunt, *facit oriri solem suum super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Ita nulli hominum claudenda misericordia: nulli peccatori peccata impunita relaxanda sunt.

Hinc itaque maxime intelligendum est, quoniam non sit contemnenda eleemosyna, quæ quibusque pauperibus jure humanitatis impenditur; quandoquidem Dominus sublevabat indigentiam pauperum, etiam ex iis loculis, quos ex opibus implebat aliorum. Quod si forte quis dixerit, nec illos debiles et mendicos, quos Dominus jussit potius invitari, nec illos quibus solebat de loculis erogare, peccatores fuisse; ideo non esse consequens, ut propter hæc evangelica testimonia, etiam peccatores a misericordibus suscipi vel pasci jubeantur: illud attendat quod jam superius memoravi, quia utique peccatores et maxime scelerati sunt, qui oderunt et persequuntur Ecclesiam: de quibus tamen dictum est, *Bene facite his, qui oderunt vos* (*Ib.*, 44). Et hoc exemplo Dei Patris astruitur, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Non ergo suscipiamus peccatores propter quod sunt peccatores; sed tamen eos ipsos, quia et homines sunt, humana consideratione tractemus. Persequamur in eis propriam iniquitatem; misereamur communem conditionem: et sic *infatigabiles, cum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

TRACTATUS

DE DUODECIM LAPIDIBUS, DE QUIBUS APOC. CAP. XXI, 19, 20.

Sitne Amati episcopi et Casinensis monachi, cujus inter opera Petrus diaconus recenset tractatum de duodecim Lapidibus, nobis non liquet. Certe cum expositione Bedæ in eumdem Apocalypsis locum maxime consentit

Jaspis, qui primus in ordine ponitur, viridis est coloris, et significat Christum, qui est resurrectio vel refectio sanctarum animarum; sive electos, quorum fides nunquam marcescit. Sapphirus, qui secundus in ordine ponitur, aerei coloris, sanctos significat, qui adhuc in terra positi cœlestia mente petunt, et cuncta terrena despiciunt, quasi non sint in terra. Isti vero possunt dicere cum Apostolo, *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Chalcedonius, qui tertius in ordine ponitur, adeo fortissimæ naturæ est, ut sculpentium argumentis resistat, speciemque habens pallentis lucernæ, significat fortes inter adversa aliis exemplum fortitudinis præbentes, et sine ostentatione lumen scientiæ portantes. Smaragdus adeo est viridis, ut aerem etiam circumfusum viridem reddat. Cujus multa sunt genera. Sed pretiosissimi in deserto Scythiæ reperiuntur, quos gryphes, ex parte leones et ex parte aquilæ, custodientes hominibus auferunt, cum quibus Arimaspi homines unum oculum habentes bella gerunt, ipsosque eis auferunt. Sic et Christus æternæ pascua refectionis suis daturus, in cordibus a terrenis curis remotis habitat, quem gryphes, id est, maligni spiritus tollere nituntur fidelibus, sed electi oculum mentis possidentes, cum gryphibus pugnant, sibique hunc pretiosum lapidem vindicant. Sardonius ex sardio et onyce componitur, primum colorem habens nigrum, medium candidum, supernum rubeum, ostendit eos, qui licet despecti videantur, splendore tamen fidei irradiantur, et charitatis igne semper rubescunt. Sardius terræ rubræ speciem habens, significat sanctos, qui quamvis sublimes sint meritis, tamen humanam fragilitatem considerantes, se esse filios Adæ recognoscunt, qui rubra terra dicitur. Bene autem sexto loco ponitur, sicut ille sexto die factus est. Chrysolithus quasi aurum refulgens et quasi scintillas ex se mittens, significat eos, qui luce supernæ sapientiæ resplendent, suasque virtutes cum verbo prædicationis velut scintillas in proximos effundunt. Beryllus viridis et pallidus designat sanctos, contemplatione Dei virides, sed fraternæ administrationis actione quasi pallentes. Topazius omnium lapidum colorem habens significat sanctos omnibus refertos virtutibus. Chrysoprasus aureus et viridis designat sapientes resplendentes fide. Hyacinthus similis aquæ radio solis perfusæ, designat sanctos sapientia repletos, perfusos radio veri solis. Amethystus in suo purpureo colore cœlestem, in violaceo colore humilitatem cum bonæ operationis odore, in roseo charitatem sanctorum significat.

MISCELLANEÆ SENTENTIÆ,

INCERTI AUCTORIS.

Simplicem esse et prudentem. Fur et latro. Pericula ubique. ***Principes. Peccati gradus. Lectio obscura.*** *Fornicaria et adultera. Senectus. Corpus infirmum. Veritas. Scriptura. Judicia in porta. Corripientis odium.* ***Sæculi fugacitas. Tristitia quæ vetita.*** *Judicium et misericordiam facere. Sæculi perversitas. Amicus. Anima Jerusalem. Deo oblata. Cor unde aufertur. Leo. Naturale cujusque colloquium.*

Præcipit Dominus in Evangelio ut simus simplices quasi columbæ, et astuti quasi serpentes (*Matth.* x, 16) : ut imitantes simplicitatem columbarum, et astutiam serpentis, nec aliis nocere possimus, nec ab aliis patiamur insidias, sed simplicitate et prudentia habeamus hominem temperatum ; quia prudentia absque bonitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. Aves cæteræ pullos suos etiam cum periculo vitæ suæ protegere festinant ; et cum ad nidum suum, accipitrem, colubrum, corvum, sive cornicem accedere viderint, huc illucque volitant, et eos morsu et unguibus lacerant, et dolorem parentis querula voce testantur : sola columba ablatos pullos non dolet, non queritur.

Differentia inter fures et latrones. Fures insidiantur, et occulta fraude decipiunt : latrones audacter aliena diripiunt.

Qui sæpe navigat, aliquando patitur tempestatem. Qui viam frequenter ingreditur, aut sustinet latronum impetus, aut certe metuit. Omnique in arte tam gloria quam obtrectatio secundis adversisque ventis oritur, dum aut amici plus merito laudant, aut inimici plus justo detrahunt.

Idcirco Deus principes dedit, ut populum corrigerent delinquentem, et ad rectum iter retraherent delinquentem.

Primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt ; secundum, cogitationibus acquievisse perversis ; tertium, quod mente decreveris, opere complesse ; quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, sed in suo sibi complacere delicto.

Rubigo autem proprie descendere dicitur in rore nocturno, latentia in spicis frumenta maculare colore mimi, vel Senopidi se congruere. Ignosce (*a*).

Obscuritas lectionis nascitur tribus modis : aut rerum difficultate, aut magistri imperitia, aut nimia tarditate discentis.

Fornicaria est, quæ cum pluribus copulatur ; adultera, quæ unum virum deserens, alteri jungitur. Legimus enim Achab regem Israel tantis fluxisse deliciis, ut domum sibi eburneam fecerit [1] (III *Reg.* XXII, 39).

Senectus multa secum et bona affert et mala : bona, quia nos ab impotentissimis dominis liberat voluptatibus, quia imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia ; et, frigescente corpore, dormit cum perpetua virginitate Sunamitis luxuriam contemnens (*Id.* I, 4).

Legi in quadam controversia : Imbecillitas corporis, animæ quoque vires secum trahit.

Una enim veritate surgente, multa mendacia destruuntur. Debemus enim Scripturam sanctam primum secundum litteram intelligere, facientes in ethica quæcunque præcepta sunt ; secundo juxta allegoriam, id est, intelligentiam spiritualem ; tertio secundum futurorum beatitudinem.

In porta autem civitatis juxta veterem morem Judaici populi fuisse judicia (*Deut.* XVII *et* II), et sæpe legimus, et crebro interpretati sumus : ut nec agricola ad causam veniens, frequentia civitatis et novo terreretur aspectu ; nec urbis habitator longe ab urbe properaret, et subvectionem quæreret jumentorum.

Grande peccatum est odisse corripientem : maxime si te non odio sed amore corripiat, si solus ad solum, si assumpto fratre altero, si postea præsente Ecclesia ; ut non studio detrahendi, sed emendationis tuæ, videatur crimen ingerere.

Res enim sæculi, et omnia corpora per momenta fluunt. Nihil est fugacius sæculo, rebusque sæculi, quas dum tenemus, amittimus : et per infantiam, pueritiam, juventutem, virilem et ingravescentem ætatem, annosque ultimos senectutis mutamur et currimus, et nescientes ad mortis terminos pervenimus.

Præcipitur Ecclesiæ, ut non habeat tristitiam et sollicitudinem super rebus sæculi et damnis quæ in hoc mundo evenire consueverunt, et dicitur habitatoribus ejus : O vos qui estis in Ecclesia Domini, semper gaudete ; et quidquid vobis acciderit, de Dei judiciis gratulamini. Nec hoc dico, quod flere non debeatis ; beati quippe flentes, quoniam ipsi ridebunt (*Luc.* VI, 21) : sed illud admoneo, ne in his ploretis, quæ sæculi sunt. Si quis mortuus fuerit propinquorum, si substantiam fiscus invaserit, si corpus vel podagra vel alius quilibet morbus invaserit, nolite flere, nolite fundere lacrymas : nec consideretis præsentia, sed futura : quin potius illud cavete, ne insultetis cadentibus, et alienam ruinam vestram ædificationem putetis.

Quærit a nobis Dominus, et quasi necessariam habens nostram salutem, poscit accipere quod danti prosit, ut faciamus judicium, id est, nihil absque consilio et ratione faciamus, et ante mens judicet quid factura sit, et postea opere compleatur, et diligamus misericordiam, et non quasi ex necessitate aut compulsi misericordes simus.

Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : ubique insidiæ, ubique fraudulentia. Innoxius sanguis effunditur, pro avaritia et libidine germanitas ignoratur : et non solum faciunt, sed defendunt quoque mala, et nominibus commutatis bonum dicunt esse quod malum est. Ipsi principes, non ab offerentibus accipiunt munera, sed cogunt dare subjectos, et postulant : et judex in reddendo [1] est sic alium judicans, quomodo ipse ab alio judicatur; ut præstent sceleribus suis mutuum favorem, et in alterius crimine se defendant.

Si habes amicum, in tentatione posside eum. Legi in cujusdam controversia : Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur.

Videtur mihi omnis anima Jerusalem, in qua ædificatum fuit templum Domini et visio pacis, et notitia Scripturarum : et postea superata peccatis, ducta est in captivitatem, tormentisque tradita, dicere contra Babylonem, id est, confusionem hujus mundi, et adversum contrariam fortitudinem quæ huic mundo præsidet, Noli insultare mihi, inimica mea, quia cecidi et resurgam : Dominus enim allevat elisos (*Psal.* CXLV, 8), et loquitur per prophetam, *Numquid qui cadit, non resurget* (*Id.* XL, 9), et, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Dominus non ea quæ offeruntur, sed voluntatem recipit offerentium. De mercede meretricis Deus vota non suscipit.

Gravis pœna est, quando in tempore messis et vindemiæ, speratæ fruges auferuntur et vinum, et quodam modo tenentis tolluntur e manibus.

Non est culpandus, qui meretricem convertit ad pudicitiam ; sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit.

[1] Aliquid hic deesse vel superesse videtur. Quid enim commune est adulteram mulierem inter et turrem eburneam quam sibi rex Achab fecisse dicitur? M.

(*a*) Locus corruptus.

[1] Forte, *jure dicendo*.

Non qui bonus permanet, ipse polluitur, si sociatur malo; sed qui malus est, in bonum vertitur, si bona exempla sectetur.

Fornicatio, ut vinum et ebrietas, aufert cor. Sicut enim vinum et ebrietas eum qui biberit mentis suæ impotem facit; ita fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumque debilitat, et de rationabili homine brutum efficit animal, ut ganeas et lupanaria et libidinum lustra sectetur. Qui amatur a Domino, corripitur (*Prov.* III, 12); qui negligitur, suis peccatis dimittitur.

Natura leonum esse dicitur, ut, cum infremuerint et rugierint, omnia animantia contremiscant, ut fixo gradu se movere non possint; tantus pavor est, tanta fortitudo.

Naturale est, ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo studio trivit ætatem, illius similitudines proloquitur. Verbi gratia, qui nauta est et gubernator, tristitiam animi comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos appellat contrarios, rursum prosperitatem et felicitatem, auram placidissimam et secundos nominat ventos, tranquilla maria et æquora campis similia. E regione, miles quidquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum et sagittas, mortem, vulnus et victoriam sonat.

Pestilente flagellato, non solum sapiens, sed etiam stultus prudentior fiet (*Prov.* XIX, 25; XXI, 11).

ADMONITIO

IN SERMONES AD FRATRES IN EREMO.

In ea Sermonum collectione duo erant vere Augustiniani, qui nimirum de Communi vita clericorum appellantur, locum in superiore tomo suum tenentes, ordine 355 et 356. Reliquos fere omnes subdititios et Augustino indignos haberi ac dici patiemur ab eruditis. Inter eos Baronius, ad annum Christi 382 : *Auctor*, ait, *illorum sermonum non nisi impostor dicendus, cum multorum mendaciorum sanctissimum ac doctissimum virum constituerit assertorem.* Et ad annum 385 : *Frigidus ille fictor multa delira, vana et fabulosa sub tanti Patris nomine effutit, portentosa mendacia blaterat*, etc. Bellarminus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis : *Sermones*, inquit, *ad Fratres in eremo videntur magna ex parte conficti. Inter illos multi sunt leves et fabulosi. Phrasis est inepta, impropria, lutulenta, ut mirum sit potuisse ejusmodi sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui.* Lovanienses Theologi censura in eosdem sermones præfixa : *Satis constat sub D. Augustini nomine a quodam semilatino exercitii causa conscriptos esse. Aliquando intermiscet verba Augustini, Cæsarii, Gregorii. Martinus Lypsius ex phrasibus et dictionibus quibusdam suspicatur auctorem fuisse exclamatorem Gallo-flandrum.* Hæc Lovanienses, qui ex Mauburno addunt *hos sermones a Conservatore Apostolico Rhegii, anno* 1414, *damnatos et reprobatos.* Erasmus ad Fonsecam Archiep. Tolet. præfatione in Augustinum scribit : *In omnibus quæ illi falso sunt inscripta, nihil insulsius aut impudentius Sermonibus ad Eremitas, in quibus nec verba, nec sententiæ, nec pectus, nec omnino quidquam est Augustino dignum.* Idem in libro de Ratione concionandi tertio : *In his*, ait, *sermonibus cervisiæ quoque meminit Flandricus, ut suspicor, Augustinus. Omnia miram barbariem crepant, exceptis iis quæ ex aliis auctoribus assuta sunt. Etenim, ut quædam argumenta artifex ille sumpsit e Vita Augustini, ita materiam e variis diversorum auctorum locis, licet indocte et impudenter omnia.* Mittimus censuras Pauli Langii in Chronico Citizensi ad annum 1259, Joannis Mauburni in Venatorio Canonici Ordinis, Simonis Verlini in Crisi Augustiniana, et aliorum. Arbitratur Erasmus opus esse alicujus ex Augustinensium Ordine monachi, qui *hoc fuco studuerit suum sodalitium orbi commendare, si persuasisset tantum virum ejus instituti fuisse auctorem.* Nobis porro tales videntur ii sermones, qui credi potuissent ab aliquo potius Augustinensis Ordinis æmulo invidiose ac maligne conficti. Certe quidem viri ex eodem Ordine eruditi eos nunc tandem reprehendunt palam et repudiant. Jacobus Hommei in Collectaneorum libro cui Supplementum Patrum nomen fecit, pag. 645, sententiam de his sermonibus suam dicit in hæc verba : *Pauci mihi stilum ingeniumque S. Doctoris exhibent, plures mentiuntur, plurimi offendunt.* Lupus Christianus, lib. de Origine Eremitarum S. Aug. cap. 35, ope atque opera omni enititur, ut sermones iidem abjiciantur. *Dico itaque*, ait, *ac constanter assero præfatos istos sermones non esse Augustini, sed esse opus nescio cujus impostoris.* Et paulo post : *Bonus ergo ille istorum sermonum auctor imitatus est nescio quos nostri sæculi homines, qui conficta miracula, aliaque id genus falsa ad alicujus religiosi Ordinis laudem ac commendationem in vulgus spargere, esse putant fraudes licitas ac pias.* Nempe *palam esse ait, auctorem fuisse eremitam Augustinensem.* Denique iis operosius discussis et multis in sermone 5 observatis erroribus concludit : *Constat ergo istorum sermonum auctorem non esse S. Augustinum, sed nescio quem impudentissime mendacem, aut profundissime imperitum.* Bernardus Vindingus, theologus item Augustinianus, censura Bellarmini laudata et probata in Critico Augustiniano, hæc inter alia scribit ad sermonem 5 : *Qui enim complures alias et æque stultas fabulas de Petro, Juda et Simplicio serm.* 28, *de Cyrillo serm.* 33, *de Æthiopibus acephalis serm.* 37, *de sepulcro Cæsaris serm.* 48, *de quadam anima de Ægypto exeunte serm.* 69, *honorifico Augustini nomine comminisci ausus est, non cum merito et hic nequissime mentitum pro certo habeam?* etc.

Ante annos abhinc circiter trecentos collectionem istam Sermonum (certe a nemine prius laudatam) edidit Augustinensis Ordinis eremita percelebris, Jordanus de Saxonia, qui natus Quindelimburgi, diem obiit Viennæ ad Danubium, anno 1380. Autographum Jordani servant RR. PP. Augustiniani in majori conventu Parisiensi, huc olim transmissum cura ipsius auctoris, qui admonitionem in fronte voluminis scripsit in hæc verba : *Quia juxta dictum Sapientis, Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant; hinc est quod ego frater*

Jordanus de Saxonia, dictus de Quedlinberg, inter scholares Parisienses minimus, quosdam sermones beatissimi patris nostri ac doctoris eximii Augustini, cum quibusdam aliis tractatibus, seu opusculis, vel legendis, de vita et gestis ejusdem sancti Patris, ac suæ piæ matris sanctæ Monnicæ, atque de translationibus eorumdem, prout ad me fide digna assertione ac fideli communicatione undequaque exemplaria devenerunt, quibusdam quidem de Parisius, quibusdam vero de Curia Romana, nonnullis quoque de antiquis et approbatis monasteriis ad me perductis, in unum volumen collegi, ipsumque ad locum Parisiensem, mare utique copiosum, unde omnia scientiarum flumina exire dignoscuntur, destinare sategi; quatenus exinde fluat iterum per Ordinem universum, obsecrans in visceribus charitatis, ut quicumque fratrum de studio conventus nostri Parisiensis, cui hunc librum, in libraria ejus conventus ad communem utilitatem ponendum, pro munusculo charitatis donare decrevi, in eo legerit, vel eum forsitan transcribi fecerit, oret pro donantis anima, ut Augustini meritis cœli fruatur gaudiis. In Jordani volumine non omnes qui hic subsequuntur, sermones exstant; sed isti tantum, 1, 2, 3, 4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 26 et 34, *Ad Fratres in eremo*, inscripti: postea vero subjicitur sermo nunc ordine quintus, sed a Jordano inter ultimos collocatus, et *Ad Presbyteros Hipponenses* appellatus. Huic mox Jordanus subjunxit duos sermones de Communi vita clericorum. Tum inde sermones 38, 43, 44, et alios tres, ac 76. Cum Jordani autographo ita concordant codices Colbertinus et Victorinus, ut ipsos ex illo descriptos credamus: tametsi admonitionem initio et aliquot in fine sermones omittant. Plures ejusdem collectionis libros Mauburnus a se visos testatur, eosque in Sermonum numero discrepantes. *Apud Almanniam*, ait, *sunt 26, aut 27. Apud Brabantiam 32, aut supra. In Italia sexagenarium numerum supergressi sunt, et adhuc quotidie increscunt.* Sermonum 48 priorum (uno excepto 45) idem omnino stilus. Reliqui variis ex Mss. sunt revera collecti, sed minus sincere exhibiti. Collectioni autem augendæ potissimum locum præbuit Germanense nostrum aut simile quoddam exemplar, quo nimirum continentur sermones 49, 62, 63, 64, 65, 66, 67 et 68, quibus tamen plura de suo addidit collectionis auctor ac mutavit.

SERMONES

AD FRATRES IN EREMO COMMORANTES,

ET QUOSDAM ALIOS.

SERMO PRIMUS.

DE INSTITUTIONE VITÆ REGULARIS [1].

Fratres mei et lætitia cordis mei, corona mea et gaudium meum quod estis, pax vobis et charitas cum fide semper inter vos adimpleatur. Quia me putatis patrem esse animarum vestrarum, ideo desidero ita vos componere, ut in vobis macula neque ruga possit ante tribunal justi judicis apparere. Animabus enim vestris non solum ornamenta, sed etiam medicamenta desidero providere. (a) Studeo enim dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, et ea quæ sunt intexta spiritualibus margaritis ornare. Ego enim margaritas de paradisi patria vobis donare cupiens, nullam mercedem in sæculo opto recipere, nisi quod quæ vobis insinuare intendo, et patienter audire, et cum Dei adjutorio secundum vires opere adimplere semper studeatis. Sed ante omnia, fratres charissimi, quos iterum parturio donec reformetur in vobis Christus, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Et ideo, fratres dilectissimi, commorantibus nobis in eremo, in nomine Dei nostri placeat secundum apostolicam vitam unum sentire, et omnia communiter possidere sicut scriptum est in Actibus Apostolorum: *Quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat* (Act. IV, 32, 35). In hac autem vita permaneamus, et nos ipsos in ipsa, Deo auxiliante, firmiter teneamus; quia qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Si quis autem de sæculo ad nostram congregationem venire desiderat, primo prospiciatur ut probetur an voluntas ex Deo sit. Non enim debet esse visitata, non coacta, non violabilis; sed sempiterna, stabilis, constans, et omni spiritu charitatis plena atque perfecta. Tunc enim ei proponatur quomodo abneget voluntatem propriam, et sponte sequatur me. Nec volo quod cogitet amplius quid necesse ei fuerit: scit enim Pater noster cœlestis quibus indigemus. Quæramus igitur primum regnum Dei, et hæc omnia administrabuntur nobis. (a) In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit. Orationibus instate a mane usque ad sextam tantum circa missarum solemnia. A sexta vero usque ad nonam omnes vacent lectionibus et Pater noster. Ad nonam vero reddant codices, et secundum naturæ conditionem sine tumultu reficiantur, audientes verbum Dei. Postquam autem refecti fuerint, sive in horto, sive in eremo, vel ubicumque necesse fuerit operentur. Nihil enim Dei servis otiositate pejus. Operentur ergo in nomine Domini sacrato silentio, dolum non habentes usque ad horam lucernarii. Nemo tamen ex opere suo aliquid sibi appropriet: apostolica enim vita optamus vivere. Si quis autem contra fecerit, furti judicio condemnetur: et si correptus non emendaverit, de vestra societate projiciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer; ne contagione pestifera plures ex vobis perdat. Cum autem aliquid fit per vos, cavete ne cum murmure fiat; ne murmuratores in conspectu Dei vocemini. Illum qui vobis præest, post Deum omnes, sicut decet Dei famulos, honorate. Ipse vero qui præest, super omnia sollicitus sit de vestra salute, de qua ipse debet reddere rationem. Dominica autem die, qui volunt, vinum cum Dei gratia bibant: sed qui antiqui sunt [1] bibere compellantur; carnem tamen dimittentes, quantum valetudo permittit. Quando necesse est, ut aliqui ad sæculum vadant, caveant ne vadant minus quam duo vel tres. Et si oculi servorum Dei jactantur in aliquam feminarum, cavete ne in illam figantur. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Nemo cum sæ-

[1] Mss. : *De monasticis regularis institutionis.*

(a) Cassiani verba.

[1] Editi addunt, *et debiles.*

(a) Vid. Regulam Bened., cap. 52.

cularibus extra monasterium manducare nisi panem, vel bibere nisi aquam præsumat, vel [1] etiam intus manducare extra horam prandii, nisi casus infirmitatis acciderit. Qui vero infirmantur ex vobis, cum omni diligentia pertractentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint. Nec debet sanis molestum esse, si aliter tractantur in victu; sed magis congratulentur, Deo gratias agentes, quia valent quod non valent illi. Si vero, ut fieri solet, ab hæreticis supervenerit incursio repentina, vel ab infidelibus, aut hostilitas, ita ut necesse sit fratribus fugam arripere, si Deo favente evaserint, mox ad nemus cum Elia redire festinent: cogitantes quod nullo modo poterunt separari, quos Dei charitas sociavit. Si quis autem contumaci animo hæc observare contempserit, capiatur et subjiciatur monasterii disciplinæ. Hæc autem quæ dico vobis, sæpe per vos legantur, ne oblivioni tradantur. Et ubi hæc omnia servaveritis, nobis non parva lætitia de filiorum salute erit. Hæc igitur sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti, propter quod in unum estis [2] congregati, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una et cor unum in Deo et Domino Jesu Christo, qui vos dirigat ad perficiendum mirabilia de lege sua. Amen.

SERMO II.

DE PACE.

Fratres charissimi, o si sciretis quanta sit virtus pacis, et quantum vobis in solitudine commorantibus necesse sit. Tanta est enim virtus pacis, quod in ejus dignitate Apostolus omnes suas Epistolas scribebat, dicens: *Pax vobis et gratia a Domino Deo nostro.* Hanc autem salutandi formam nobis primitus donavit Christus, dicens: *Pax vobis* (*Joan.* XX, 19, 21). Hanc pro testamento Christus Apostolis dereliquit, tanquam summum bonum, sine quo nullus vivere deberet. Sic etiam Pater cœlestis elementa et planetas cæteraque similia insensibilia ordinavit, ut vinculo pacis simul complecterentur. Sic etiam ordinavit gloriosos exercitus angelorum, ut post eorum descensum, scilicet malorum, nulla esset inter eos discordia, sed pax plena atque perfecta. Hæc est illa gloriosa pax, quæ fluctus malarum cogitationum eructat, mentem fluctuantem illæsam reservat, conscientiam purgat. Christianus dici non debet, qui pacem corde, ore et opere non habet. Qui in hac non sperat, in lubrico pedem ponit, in tempestate navem collocat, in præcipitio se illaqueat, in arena semen seminat. Hæc est illa perfecta pax, quæ mentem a vitiis purgat, vermem conscientiæ rodit. O pax, eremitarum mater, cœnobitarum pater, monachorum soror! Tu Patriarcharum vinculum, tu Prophetarum vehiculum, tu Apostolorum refugium, tu martyrum solatium, tu confessorum balteum [3], tu virginum tripudium, tu viduarum speculum, tu conjugatorum spectaculum, tu malorum præsidium, tu tyrannorum odium, tu latronum suspendium. O pax, Dei ædificium! te non possunt destruere principum fulmina, insultus dæmonum te in nullo lædere possunt. Tu pauperem divitem facis, tu divitem mendicantem producis: tu contenta in cunctis, tu ditior universis, tu homines Dei filios facis. O pax! sine te reges non regunt, sine te regna non valent. Numquid sine te jejunia, orationes, eleemosynæ cæteraque bona nobis prodesse possunt? Absit. O monache, habeto pacem in cunctis: nam si fratri tuo irasceris, si proximum odis, tibi contradicis in oratione dominica: clamat enim monachus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). O monache, si pacem non diligis, si proximum odis; quo jure, quo pacto, qua fronte tibi petis dimitti, qui proximo rancorem non dimittis? Habete ergo pacem cum omnibus, omnium tamen vitia odientes. Habete in corde, in ore et in opere pacem. Nam si Cain pacem habuisset in corde, non occidisset fratrem. Si Absalon pacem habuisset in ore, non sprevisset patrem. Si Judas habuisset pacem in opere, non tradidisset Dominum. O quam bonum, o quam jucundum est habitare fratres in unum! ut unum sit cor, una voluntas, una omnium intentio, et una forma vivendi. Non diabolus intrare potest domum vel mentem in qua pax dominatur. O quam jucundum est habitare fratres in unum! Tanta est enim eminentia hujus virtutis, quod David propheta prius miraretur, quam ostenderet quid esset, vel quid utilitatis haberet. O quam grandem admirationem præposuit, quando dixit, *Ecce*. O quam mirabilem utilitatem prædicavit, quando subjunxit, *Quam bonum et quam jucundum* (*Psal.* CXXXII, 1)! Sed scire debetis, fratres mei, quod quædam sunt bona quæ non sunt jucunda, quædam jucunda quæ non sunt bona. Verbi gratia, bona sunt jejunia, vigiliæ, macerationes, et similia. Hæc enim sunt bona, et non jucunda, quia caro in his non jucundatur, sed læditur. Jucunda quippe sunt comessationes, ebrietates, sed non sunt bona. Hæc agentes lætantur cum male fecerint, et exsultant de rebus pessimis. O monache, vix poteris invenire in præsenti unum, quod sit bonum et jucundum. Cupis tamen illud unum invenire? Perquire pacem, et amplectere eam. Hæc est enim sola virtus, quæ bonum habet et jucundum. Hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit unius moris in domo; ut simul vivere simulque mori semper optemus. In præsenti enim simul habitamus, et in futuro capiemus bravium jucunditatis æternæ. O pax, tu mentis serenitas, tu tranquillitas animi, cordis simplicitas, amoris vinculum, charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet, a cunctis optatur: sed a cunctis malis illa quæ bona est pax fugitur, et oditur ut mors. O pax, tu nescis extolli, ignoras inflari. Beatus qui te habet: maledictus qui te odit, et qui te impedit et frangit inter homines; quoniam antichristus est, et filius perditionis. O pax, qui te habet, teneat te; qui te non habet, te perquirat; qui te perdidit, te requirat, si filius Dei esse peroptat. O pax, tale bonum es in rebus creatis, tam mirificum, tam gloriosum, quod nihil dulcius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri. Spiritus enim humanus sicut nunquam vivificat membra, nisi fuerint unita; sic Spiritus sanctus nunquam nos vivificat, nisi pace uniti fuerimus. Nemo tamen est, ut diximus, qui non velit pacem habere. Interroga omnes, si pacem desiderent: omnes una voce dicent, Hoc amamus, hoc optamus, hoc concupiscimus, hoc volumus. Si ergo, fratres, homines pacem amant, ament et justitiam, quia duæ sunt amicæ charissimæ. Justitia enim et pax ipsæ se osculantur; sed si amicam pacis non amaveris, numquid ipsa pax te amabit, et tecum habitare volet? Absit. Amate igitur pacem diligentes justitiam. Hæc enim pax hominibus bonæ voluntatis datur ab Angelis. Numquid et pravæ voluntatis hominibus pacem offerunt Angeli? Absit. Et qui sunt pravæ voluntatis tantum, quantum illi qui superbo oculo et insatiabili corde nunquam dicunt, Sufficit? tales nunquam possunt habere pacem. Propterea, fratres mei, ex quo mundum calcare cœpimus, et terrena cuncta despicere, divitias non appetamus: nec nos qui pauperes in eremo sumus, ad superbiam divitiarum extollamur. Nullo enim modo decet nos, ut in hac vita solitaria, ubi senatores fiunt laboriosi, fiant opifices otiosi: et qui venimus relictis divitiis, qui fuimus prædiorum domini, simus rustici delicati. Ille denique pacem habet, qui nil appetit de sæculo possidere. Hic tranquillus est, hic gaudet de bonis cunctis, Pagano illo dicente, « Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba a natura omnium tollerentur, Meum et Tuum. » O beata

[1] Alias additur, *aliquid*.
[2] Editi addunt, *in eremo*.
[3] Mss., *balneum*.

paupertas, ubique pacis plena, ubique secura, ubique illæsa, ubique cunctorum [illegible]! Nam qui te amat, veram pacem amat; et qui te non amat, tranquillitatem omnem ignorat. Sed dicat quis servorum Dei, Ecce divites video superbos, elatos, impios et omni bonitate perfecta carentes: nemo tamen apparet, quia pacem habent ad invicem. Quid ergo? Nunquid gaudere debeo de eorum iniqua concordia? Nescio vel tristari. O monache, scias quod sicut multum nocet discordia inter bonos, ita valde dolendum est, quando pax est inter malos. Tunc enim augentur omnia pessima quæ fieri vel cogitari possunt inter homines, quando mali pacifice vivunt: quando vero discordant, tunc mundus aliqualiter tranquillatur. Nam sicut concordia malorum contraria est concordiæ bonorum, ita optandum est quod boni pacem habeant, et mali discordes sint. Nam per discordiam mali aliquando optimi efficiuntur, cognoscentes quid sint, quid erunt. Nam dum tribulantur, et eorum facies ignominia replentur, aliquando quærunt nomen Domini, quod tamen tempore pacis nunquam amabile erat in corde eorum. Orate tamen est, ut et boni in bono teneantur usque ad finem, et mali convertantur antequam ad finem perveniant. Vos autem, fratres, pacem ad invicem amate: quæ quidem pax custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, quæ exsuperat omnem sensum.

SERMO III.

DE SILENTIO.

Silentium, fratres charissimi, inter cætera vobis in eremo summe necessarium est. Omne enim quod non ædificat, in periculum vertitur dicentium et audientium. Lingua enim nostra et sensum nostrum sequatur et rationem, non voluntatem. Non enim debemus tantum oculos clausos servare, sed et linguas nostras intra dentes reservare illæsas: sermo enim vanus, vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris, talis et mens comprobatur: et qualis fueris in factis, talis probaris in verbis. Stultus enim valde est, qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quam educat ad linguam oris. Qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore. Verbositas hominem conducit in joculatorem, humanæ naturæ dignitatem deponit, honores sibi rapit, inimicos infinitos acquirit. Inflammat denique linguæ mobilitas in adolescentia ad jocosa, in virili ætate ad fraudulenta, sed in senili ætate ad detractoria. Restinguenda est igitur hæc parva favilla, ne in magnam vertatur flammam; surculus, ne crescat in silvam; gutta, ne intumescat in fontem. Majus est denique, fratres, linguam refrenare, quam capere civitatem: quia illud consulit exterius, sed istud interius: hic sumuntur arma contra te ipsum, sed ibi de alieno. Summa tamen verecundia est et depressa dejectio, non posse linguam refrenare, et vile non posse ligare membrum. Ecce lingua egredi quærit, motum perquirit: tu vero, o monache, per temperantiam ipsam refrena, appone ei pessulum rationis, circumcide eam mucrone discretionis. O lingua, tu periculum immittis, tu luctum producis, discordiam sæpe facis, venenum detractionis paris, et ad inferna qui tibi credunt conducis. O monache, cognosce linguam nequam, fuge eam, despice eam, confunde eam si potes. Sed volo instruere linguam tuam bene loqui. Vis bene loqui? Da ei moderatum motum¹: pretiosa enim lingua non novit nisi verba divina semper construere. O quam sanctum est os, unde semper cœlestia erumpunt eloquia. O monache, considera te reddituram rationem de omni verbo otioso, et tanto magis, quando minus [illegible] es obligatus. Non enim in foro, sed in cella te [illegible] debes; non [illegible], sed [illegible] [illegible] debes. Non est [illegible] [illegible] loqui, nec inter homines conversari, [illegible] valde [illegible] vires. Nam [illegible] monachi [illegible] occultum existimamus. Vana igitur, o monache, solitudinem, fuge multitudinem; ne comprehendaris in verbo, et confundaris in facto. Et si interrogatus fueris, melius est ad singula respondere breviter, quam diutius immorando verba curiosa prolixius extendere. Verbositas enim quid aliud est, quam semen quod fructum non facit? Verbose, erubesce, et considera tuam grandem miseriam. Quid enim aliud es, quam sal infatuatum, quod ad nullum valet condimentum? Vere infructiferus es, et infructiferos facis qui te audiunt. O verbose mendax, qui veritatem raro dicere voluisti; o loquax, cognosce te ipsum: nam loqui nunquam erubescis, nec consideras quid, sed quantum dicere possis; non mensuras verborum sententiam, sed tantum ut satieris. O verbose, erubesce, quia omnino cognosceris quid agis. Nam tua conditio est, occulta manifestare, nota in conventibus prædicare: sed si nescis, somnias inaudita, fingis scire quod nescis, ut libenter audiaris a cunctis. O artifex mendaciorum, o faber fabularum, lege quod dicitur. *Quia vir linguosus non dirigetur* (*Psal.* CXXXIX, 12), nec dirigetur in terra promissionis. O monache, et tu diligenter attendas. Nam qui non refrenat linguam suam, hujus vana est religio. Qui non custodit linguam suam, monachus non est: qui autem moderatur linguam suam, prudentissimus est, monachus est. Eia ergo, fratres mei, amate silentium, ponite custodiam ori vestro. Estote solitarii, ut sitis Angelis sociati: estote rustici, ut sitis cives sanctorum, et domestici Dei: estote muti, ut sitis loquaces: loquimini Deo, ut sitis veraces: contemplate in eremo, ut contemplemini a sanctis in cœlo: elevate capita vestra, ut elevemini corde: extendite brachia, ut extendamini toto corpore volantes ad cœlum: ad quod perducat nos Christus Deus noster. Amen.

SERMO IV.

DE PRUDENTIA.

Fratres charissimi, non solum silentium debetis tenere in eremo, sed etiam prudentiam rapere. Prudentia enim vobis necessaria est, quia docet quid fugiendum, quidve tenendum sit. Prudentia enim te docet ut non superbias, nec innitaris rebus temporalibus, nec mireris de rebus transitoriis, cum sint caducæ, et ea quæ possides, tanquam aliena possidere advertas. Prudentia docet te, ut quæ non potes perpetuo tenere, fructuose permittas abire. Prudentia docet te, ut in omnibus semper idem sis, tam in prosperis quam in adversis; sicut manus eadem est, et cum in palmam extenditur, et cum in pugnum constringitur. Ipsa te docet quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, et immoderata vituperatio; illa quidem adulatione, ista autem suspecta malignitate. Prudentia testimonium veritati, non amicitiæ reddit. Prudentia cum discretione promittit, et promissa accelerat, et amplius quam promiserat, præstat. Prudentia docet quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, et quomodo futura prævideas. O beatus qui prudens est, et felix, et vere felix qui prudens invenitur! Nam si cuncta quæ habet amittit, clamat, Omnia mea mecum sunt. Quæ sunt ista quæ sunt mea, nisi justitia, temperantia, fortitudo et prudentia? O vere prudens! Omnia enim quæ eripi possunt, bona non putas esse. Cum igitur prudens in se ipso contentus sit, omnia secum habet, in omnibus sufficiens sibi est. Imprudenti vero nihil sufficit, quia in nullo contentus est; quia omnia sine fine sperat possidere, ideo omnibus eget. Estote igitur, fratres, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Duo enim sunt quæ ad invicem connexa sunt, ut unum sine altero, aut parum, aut nihil omnino proficiat. Simplicitas enim sine astutia, stultitia reputatur: astutia vero sine simplicitate, superbia approbatur. Astutia serpentis in quatuor partes dividitur. Prima est, quod totum corporis venenum in gutture colligit, et hoc prudenter docente natura servare studet, ut si aliquando necesse fuerit, in promptu habeat unde se

¹ Alias, m[illegible]

defendere possit. Sed in hac parte serpens quandoque decipitur. Mustela enim semper serpenti adversatur, et ante foramen cavernæ serpentis se ponit, et eum provocando tamdiu umbra caudæ suæ solerter illudit, donec ipsum egredientem agnoscit. Tunc vero mustela desuper ascendit, insidias tendens, ut cum serpentis caput viderit, capitalem vindictam sumat de hoste, quem nunquam diligere potuit. Provocatus itaque serpens, extra cavernæ foramen caput emittit, et cum nihil deorsum videat, verso gutture respicit sursum. Sed mustela cernens tempus optatum, dentes imprimit citra venenum, sicque absque periculo inimicum occidit. Hæc est prima serpentis astutia, in qua, fratres mei, mundi sapientes notantur, quorum prudentia non in cœlestibus, sed in terrenis tota versatur [1], quibus diabolus in umbra mutabilium rerum illudit, illudendo decipit, decipiendo occidit. Et ne forte valeant aspirare, in ipsis terrenis cupiditatibus sæpe eos cogit exspirare. Secunda prudentia in serpente est, quod quando in aquam descendere cupit, venenum deponit in loco tutissimo : sed recedens ab aquis iterum resumit venenum. Hæc enim vestigia serpentis nonnulli sequuntur, qui post abrenuntiationem mundanæ conversationis, post habitum sanctæ religionis, post juramentum sanctæ professionis, primo agnitionem sanctæ veritatis assumunt, deinde revertuntur ad venenum pravæ consuetudinis : quibus melius esset veritatem non agnovisse, quam post agnitionem retrorsum abire. In hoc enim, fratres mei, imitari non debemus serpentem, quia venenum resumit. Tertia prudentia serpentis est, quando veterem pellem per singulos annos exuere didicit, quam depositurus angustum foramen inquirit, per quod transiens cum dolore pellem derelinquit, sciens quia pelle deposita, pulchrior apparebit. Per hoc enim, fratres mei, datur intelligi, ut et nos pellem vitiorum deponamus, et per foramen stigmatum Christi transeamus, et tunc pulchriores apparebimus. Per hoc foramen dives ille Zachæus intravit, quando omnia bona sua pauperibus erogavit. In hoc foramine Maria illa meretrix in domo Simonis meretricis habitum deposuit, et plorans ad pedes Salvatoris, vestem sibi innovavit. Quarta serpentis natura est, quod dum lædi suspicatur caput, ut vitam conservet, totum corpus ad percussionem disponit : quia licet corpus percutiatur, si caput illæsum reservare poterit, damna tamen mortis non patitur. Sic et nos cuncta nobis adversantia amore capitis sustinere non timeamus, ut in beata vita requiescere valeamus. Sic enim fecit Petrus pro eo in cruce suspensus ; sic et Bartholomæus vivus excoriatus ; sic et Paulus capite truncatus ; sic et Stephanus lapidibus vulneratus ; sic et Laurentius in craticula assatus ; sic et virgo illa (*a*) sanctissima torta in pectore, quæ glorianter sic amputata, sic vulnerata, sic afflicta ducebatur ad carcerem, et quasi ad epulas invitata precibus Dominum exorabat, et ei agonem suum solemniter commendabat. Estote ergo, fratres mei, prudentes, et vigilemus in oratione, patienter omnia tormenta portantes amore illius, in quo salus, vita et resurrectio nostra consistit. Stemus prudenter in oratione. Nam sicut Angeli pure laudant Deum in regione vivorum ; ita et nos qui die et nocte psallimus Domino, debemus cum sanctis Angelis puritatem habere : quia sicut et Angeli peragunt in cœlis, ita et nos monachi facere debemus in terris. In hac igitur, fratres mei, solitudine constituti, toto affectu orare debemus et pati. Patienter enim singula portare debemus nec dicere præsumamus, (*b*) Ecce legumina ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, aquæ potum non sustinet pectus, caules melancholiam nutriunt, choleram porri accendunt, pisces mihi non sapiunt. Nolite hæc dicere, fratres mei, nolite etiam cogitare. Non enim sæculum reliquimus, ut delicate pasceremur in eremo. Et licet in eremo non semper comedatis lac, butyrum, caules vel legumina, licet hæc non sumatis nisi tantum diebus solemnibus et illis quibus visitamini a sancto sene episcopo Valerio ; sed cunctis diebus aliis herbas crudas, panem hordeaceum et aquam sumatis : non tamen sufficit tantum corpore abstinere, sed et mentem illæsam servare debemus. Eia ergo, fratres mei dilectissimi, quorum vita, ut puto, sancta est, ut multi ex vobis viderunt et audierunt, veni ad civitatem Hipponensem, et secure perveni, quia ibi episcopus erat sanctus homo ille Valerius. Non enim credebam episcopari, ideo secure perveni cum charissimis meis amicis Evodio, Simplicio (*a*), Nebridio, et Alipio, nil mecum divitiarum portans, et Dei gratia me coadjuvante favoratus non modicum a prædicto episcopo sene Valerio fui, quia mihi dedit hortulum, in eremo a gentibus segregatum (*b*), ubi multo labore fatigatus ædificare cœpi monasterium, et cum longiori anxietate congregavi in unum servos Dei per nemora habitantes (*c*), et sic vobiscum pariter vivere cœpi secundum regulam apostolicam omnia communia habentes et possidentes. Deinde placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ mihi dicere, Ascende superius ; et cum magna molestia factus sum episcopus presbyter. Et quoniam vobiscum esse hic non poteram, in domo episcopi presbyteros mecum habere volui, et cum eisdem pariter vivere cœpi. Vos vero tales inveni quales desideravi, castos, benignos, modestos, humiles, omni voluntate pauperes, obedientes, solitarios, misericordes, mundum cum omni sua pompa calcantes. Sed quid hæc omnia sine perseverantia ? Estote ergo prudentes, perseverantes in bono, et vigilate in orationibus, quia diabolus adversarius regnat : a quo vos liberare dignetur Dominus omnipotens, Amen. Supplico vobis, fratres mei, ut non turbemini de recessu meo. Decreveram enim diu inter vos consolari, et vobiscum habitare usque ad festum dominicæ Ascensionis ; sed adversarius noster Fortunatus ad partes pervenit, et ideo redire Hipponem omnino compellor, cupiens illum videre, et cum eo pariter disputare (*d*). Ipse enim toto affectu dissipare conatur filios, quos peperi in visceribus charitatis. Orate pro me, fratres, et nolite deficere, ut Fortunatum, sicut publice sanctæ fidei insidiatur, ita et nos ipsum cum suis, cum Dei gratia coadjuvante, publice superare, et convertere ad viam veritatis possimus.

[1] Mss., *conversatur*.

(*a*) Agatha.

(*b*) Bernardus in Cant. serm. 30, n. 11.

SERMO V [1].

DE OBEDIENTIA, AD SACERDOTES SUOS.

In omnibus operibus vestris, sacerdotes Dei dilectissimi, semper memores estote mandatorum Dei, et in omnibus sitis obedientes, ut digni repromissione per ejus gratiam inveniri possitis : scientes, quod sine obedientia omnia vacua, et cum obedientia omnia plena charitate reperiuntur. Obedire igitur vobis necesse est, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis et malis : non tamen quia mali sunt, sed quia bona observare præcipiunt, quibus obedire debemus. O venerabilis sanctaque obedientia, salus

[1] In Mss. collocatur post sermonem 23, inscribiturque : *Ad Presbyteros Hipponenses sermo* 1.

(*a*) « Quis est, » ait Lupus, « iste Simplicius, cujus nusquam « meminit Augustinus ? Nebridium autem Deo apud suos, « non cum Augustino, servientem, paulo post Augustini « conversionem carne solutum patet ex Confessionum li- « bro 9, cap. 3, n. 6. »

(*b*) « Falsum est, » ait Lupus, « hortum Valerianum fuisse « in eremo, etc. Erat namque in agro suburbano. »

(*c*) « Id quoque falsum, » inquit idem Lupus. « Etenim « usque ad Augustini tempora, nullos viderat Africa mona- « chos. »

(*d*) Falsitas manifesta : cum ex lib. 1 Retractationum, cap. 16. Fortunatus cum Augustino adhuc presbytero disputatione habita ab Hippone discesserit ; nec amplius, Possidio teste, cap. 6, remeaverit.

omnium fidelium, custodia omnium virtutum; tu cœlum aperis, et infernum claudis: tu etiam Filium Dei ad terram posuisti, et venit inter homines, non ut faceret voluntatem hominis, sed voluntatem Patris ejus qui eum misit. Voluntas enim Patris fuit, ut redimeret humanum genus, ut reconciliaret et creaturam suam quæ perierat. Et ut hæc voluntas perficeretur, Filius fuit obediens usque ad mortem. Ut ergo nobis non esset obedientia laboriosa, exitum præsentis vitæ Salvator per obedientiam terminavit. Jure ergo obedientia omni sacrificio præponitur; quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium facere potuit. Nec mirum, si nos peccatores obedientiæ in hac vita subjicimur, quando hanc Mediator Dei et hominum etiam in morte non deseruit, et ei se subjecit qui per omnia Patri erat æqualis. Nos autem propter peccatum aliis hominibus subjecti sumus. Nam natura omnes æquales genuit: sed inæqualitas quæ accessit ex vitio, est ordinata Dei judicio, unde nos oportet obedire hominibus. Sed per obedientiam nunquam debet fieri malum, etiamsi Angelus vel Archangelus, Cherubim vel Seraphim tibi præcipiat. Nec etiam ipse Deus, qui est benedictus in sæcula, potest nobis præcipere, quod toto affectu eum non diligamus. Sed scire debetis, sacerdotes Dei, quia propter inobedientiam aliquando debet bonum quod agimus intermitti. Verum quia nonnunquam nobis istius mundi prospera, nonnunquam jubentur adversa: propterea sciendum est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando, si de suo aliquid non habeat, minima est. Nam cum hujus mundi prospera præcipiuntur, cum locus superior imperatur; is qui ad hæc percipienda obedit, virtutem obedientiæ sibi evacuat, si ad hæc ex proprio desiderio anhelat. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra et contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ meritum sibi minuit: quia ad hæc quæ in hoc mundo despecta sunt, invitus nolensque descendit. Debet ergo obedientia in adversis ex suo aliquid habere, et in prosperis ex suo aliquid non habere. Quod bene ostendimus, si duorum amicorum Dei facta in medium proferamus. Moyses enim, Deo jubente, ut Israeliticæ plebi præesset, apud se humilis fuit, et gloriam tanti regiminis considerans et expavescens, ne hoc reciperet, se humiliter excusavit. Sed Paulus apostolus Dei revelatione admonitus ut Jerusalem pergeret, nec ignorabat ea quæ ibi pati deberet: unde cum fideles vellent eum tenere, exclamavit, *Ego autem non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine Jesu* (*Act.* XXI, 13). Ecce Jerosolymam pergit, per revelationem adversa cognoscit, et tamen hæc libenter appetit. Moyses autem ad prospera de suo nihil habuit; quia precibus supplicavit, ne populo præesset. Paulus etiam ex suo voto adversa suscepit, quia mala imminentia cognovit, et ad acriora se præparavit. Moyses autem gloriam potestatis voluit declinare, et Paulus dura et aspera voluit sustinere. Ergo utrorumque servorum Dei virtute instruimur, ut si obedientiæ palmam comprehendere nitimur, prospera mundi ex sola jussione suscipiamus, et adversa ex devotione complectamur. Ego autem, sacerdotes Dei altissimi, ut multi vestrum viderunt et audire potuerunt, veni ad hanc civitatem cum charissimis meis amicis Evodio, Simplicio, Alipio, Nebridio (*a*), et Anastasio. Securus denique veni; quia sciebam præsulari sanctum senem Valerium. Propterea securus accessi, non ut haberem in vos potestatem, sed ut abjectus essem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Nec ut ministrari deberem, sed ministrare: et pacifice optabam vivere in solitudine, nihilque divitiarum mecum attuli, sed Dei gratia coadjuvante, favoratus etiam a sancto sene episcopo Valerio, monasterium in eremo a gentibus segregatum, multo labore fatigatus ædificavi, et cum longiori anxietate servos Dei per nemora habitantes in unum congregavi, et cum eis pariter vivere cœpi, secundum modum et regulam sub sanctis Apostolis constitutam, omnia communiter habentes et possidentes, viventes in vigiliis et orationibus ultra id quod explicare possumus. Quorum fama ad aures sancti episcopi Valerii pervenit, et placuit sibi nos in eremo visitare, et stetit nobiscum tredecim diebus, donans mihi hortum amœnitatibus plenum in planitie positum. Et quia a gentibus segregatus erat locus, libenter illum suscepi, ut ædificarem etiam monasterium fratrum, quos tales inveneram, quales invenire desideravi. Quo ædificato, placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ et vocavit me per gratiam suam, mihi dicere, Ascende superius; et sic cum molestia et cum grandi anxietate factus sum episcopus presbyter. Et quia cum fratribus meis, ut hactenus feceram, semper corpore habitare non poteram, propterea intra domum episcopi vos clericos habere volui, et mox vobiscum secundum formam apostolicam vivere cœpi. Placuit autem vobis omnibus unum in Deo sentire, et omnia communiter possidere. Hæc autem facere voluistis non coacte, sed sponte, et usque ad mortem vivere sine proprio profiteri voluistis. O presbyter, attende, et vigilanter attende, quod promittere tuum fuit, sed dimittere non est tuum. Alligatus es uxori, noli jam quærere solutionem. Absolutus es ab uxore, noli jam quærere uxorem, quia mecum habes causam. Ligasti te mihi, numquid te compuli? numquid te rogavi ut venires? numquid applausi promittens hæc et illa? Absit omnino. Igitur esto fidelis, et dabo tibi coronam vitæ. Noli mihi resistere, sed esto usque ad mortem obediens. Noli mihi resistere, quia omnis potestas a Deo est, et qui potestati resistit, Deo resistit. Non tamen veni, ut potestatem super vos haberem, sed tantum ut cum fratribus meis viverem in solitudine. Ecce nunc episcopus sum, et pauperem me esse non erubesco. Quare? Quia paupertatem servare promisi. Cavete igitur ne me pauperem derelinquatis. Pauperes mecum esse voluistis; cavete ne a divitiis capiamini. Voluntas mea fuit, ut semper toto affectu pauperes simus. Quod et si non fuerimus, hæc paupertas quam foris gerimus, non paupertas, sed grandis miseria existimanda est. Nolite ergo mihi resistere, quia omnis potestas a Deo est. Non etiam contemnendæ sunt potestates, sive mundi, sive Ecclesiæ sint: quia omnes a Deo ordinatæ sunt. Nam Dominus cum leprosos curasset, eos ad potestatem misit, dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus* (*Luc.* XVII, 14). Et ad Samuelem, cum sperneretur a Judæis, ait Dominus: *Non te spreverunt, sed me* (I *Reg.* VIII, 7). Et ad Moysen: *Homo quicumque fecerit superbiam in sacerdotem, aut in judicem, morietur* (*Deut.* XVII, 12). Cavete ergo, sacerdotes, ne aliquis vestrum audeat insurgere contra præpositum vel presbyterum, qui omnium vestrum curam gerit. Ipsi enim positi sunt in Ecclesia ad nostram utilitatem, ut provideant quid agere debeamus, ut etiam pro nobis rationem Deo reddant, et unitatem Ecclesiæ custodiant (*a*): de qua Dominus nos voluit esse sollicitos, ne tanquam oves non habentes pastores per diversos errores ab unitate fidei divisi essemus. Sicut enim unus est Dominus et unus pastor, sic et unum ovile esse voluit. Propterea noluit Dominus scindi tunicam inconsutilem quæ integra erat, quia non patitur Ecclesiæ violari unitatem. Ideo Paulus ait: *Obsecro, fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut non sint in vobis schismata; sed sitis in unitatem spiritus in vinculo pacis* (I *Cor.* I, 10). Nam sicut multi radii procedunt ab uno sole, et tamen unum lumen est; ita et nos multi

(*a*) De his et infra, [illegible] res jam superiori sermone animadversa.

(*a*) Ignotas his temporibus ejusmodi subsidiarias præfecturas observat Lupus. Augustinum vero clericis suis [illegible], ut colligitur ex Possidio, cap. 24, et ex Actis in designatione Eraclii, epist. nunc 115.

ab uno capite procedentes, omnia pacifice et communiter possidere debemus. Insurgunt enim frequenter inter nos tempestates inimicorum, volentium nostras concordias dissipare, et discordias seminando unionem pacis exstinguere. Aggrediuntur nos frequenter leones teterrimi, ut caput feriendo, membra saltem moveantur terrore. Et, quod gravius mihi est, non solum a malignis spiritibus sæpe mala patimur, sed etiam a domesticis dilaniamur; et frequenter pejora sunt intrinseca bella a quibus non cavetur, quam forinseca quæ prævidentur. Ecce enim Abel justus a domestico fratre occiditur, Esau fratrem fugientem persequitur, Joseph a fratribus venditur, et a discipulo Salvator traditur. Hæc omnia mala facta sunt, quia obedire neglexerunt. Similiter hoc accidit Januario nostro, qui columna obedientiæ et paupertatis inter nos esse videbatur, cujus perditionem frequenter flere et ululare debemus. Nam ad nos cum lacrymis venit, et paupertatem quamdiu viveret servare promisit: et tamen vineam et agrum nobis ignorantibus in sæculo possidebat (*a*). O professio mortifera! o proditoria promissio! Ore dicebat quod corde odiebat. Sanctum credebamus, qui omnibus pejor erat. Et sic annis undecim et amplius Januarius noster, ut vidistis, et audistis, male vixit, et male moritur. Quare vel quomodo male vixit? Quia quod suum[1] erat, secrete tenuit. Quomodo etiam male moritur, nisi quia in fine se non cognovit, et obstinatus in suo sensu nobis ignorantibus testamentum fecit, et filium quem habebat in sæculo ditavit (*b*)? O utinam saltem in fine hoc nobis dixisset, ut orantibus nobis veniam impetrasset: sed nec confessus fuit, nec eum fecisse pœnituit; propterea de meis non est, nec dum viveret erat. Ligate igitur manus cadaveris ejus, ponentes in panno ligatos centum et undecim siclos, quos in pariete cellulæ retinebat, flentes et dicentes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20). Non enim licet nobis servis Dei eam collocare vel ponere in victu vel in vestitu vel in opere monasterii, quia pretium damnationis est. Eia igitur, sacerdotes Dei, cavete ne deficiatis in tentationibus, cavete ne rebelles mihi sitis publice vel occulte. Sitis mihi fideles, sitis mihi et obedientes. Et si vobis grave est et molestum, egredimini foras, pergite ad fratres meos, et discite ab eis, quia mites sunt et humiles corde, pauperes spiritu et filii obedientiæ. Egredimini foras, et quid estis, et quid ipsi sint considerare vos volo. Numquid et vos tales estis quales et ipsi sunt? O utinam tales essetis, quales et ipsi sunt! Vos enim voratores, et ipsi summæ sobrietatis; vos discursores civitatis, et ipsi visus hominum fugiunt; vos impudici, et ipsi casti; vos derisores, et ipsi ferventissimi oratores; vos pellibus cuniculorum vel variorum ornati inceditis, et ipsi ovino colore nigerrimo asperrimeque induti sunt, præter ea quæ intrinsecus sunt. Vos delicate pasci summe curatis, carnes varias affectantes; et ipsi postquam eremum intraverunt, nunquam carnes sumpserunt. Vos vina electa et inebriantia quæritis; et ipsi pusillum aquæ recipiunt. Vos balteis militum mundo apparere desideratis; et ipsi zonis camelorum renibus succincti more Eliæ et Joannis sunt decorati (*c*). O vinea mea electa, ego te plantavi, cave ne convertaris in amaritudinem; te deprecor, ne me pauperem dimittas, et Januarium divitem sequaris. O vinea felix, cujus botrus summe pertimesco ne sit in fine amarissimus; o quid faciemus tunc in die illa calamitatis, in qua Deus Pater dicet Filio, *Voca operarios, et redde illis mercedem* (*Matth.* XX, 8)? Tunc ante judicem audietur vox rebellionis vestræ quid promisistis, et quomodo ea servare voluistis. Fugere mundum, et quæ mundi sunt contemnere promisistis, et ecce jam rebelles totis affectibus in mundanis præoccupati estis. Cur ergo murmurastis, si in his paschalibus diebus (*a*) præsentialiter vobiscum non fui? Placuit enim mihi segregare me a vobis, et pergere ad fratres meos in solitudine, quos, ut frequenter dixi, tales inveni quales invenire desideravi. Cur ergo turbamini? Numquid ipsi vere pauperes? Numquid obedientes? Numquid mundum et pompas ejus conculcaverunt? Numquid in forma vivendi vos multo tempore præcesserunt? Numquid vere fratres mei et patres sunt? Numquid per eorum exempla ad viam veritatis perveni? Numquid eos semper dilexi, et eorum sanctam conversationem semper desideravi? Numquid etiam per Simplicianum Liguriensem in fide instructus sum? Cur ergo murmuratis? Cur de mea absentia dolorem habere ostenditis? Facite quæ placita sunt mihi; et tunc, ubicumque fuero, vobiscum ero usque ad consummationem sæculi. Decreveram enim cum eisdem rusticanis meis in charitate humiliter habitare usque ad festum sanctæ Ascensionis Domini, nec ad vos redire optabam, quousque vos emendatos esse cognovissem. Sed quoniam Fortunatum adversarium ad partes occulte velut lupum pervenisse jam sentio, ideo compulsus reversus sum ad vos cupiens illum videre, et cum eo pariter disputare, et illum conculcare Domino auxiliante, qui totis viribus dissipare conatur et jugulare filios, quos peperi in visceribus charitatis. Orate igitur, et nos vobiscum orare volumus, desinentes de mea absentia amplius litigare. Orate et nolite deficere, ut Fortunatum Manichæorum presbyterum, sicut publice sanctæ fidei christianæ insidiatur, ita et nos cum suis Dei gratia coadjuvante publice eum superare possimus. Orate sine intermissione, ut manere digne possitis in vocatione clericorum, qua per gratiam Dei vocati estis: ut dum vocabimini ad mercedem in die novissimo, non sicut ficus absque fructu maledicamini et succidamini, et in ignem mittamini, tanquam destructores legis terram occupantes et pereuntes in iniquitatibus vestris. Adjuvet autem vos ipse Deus ad perficiendum mirabilia de lege sua, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO VI.

DE MISERICORDIA.

Fratres charissimi, annuntio vobis gaudium magnum, quoniam Fortunatum Manichæorum presbyterum Dei gratia superavimus, et obstinatus in suo sensu velut alter filius perditionis a plebe nostra recessit confusus (*b*). Post cujus recessum baptizavi fere sexaginta paganos, qui sibi aliqualiter adhærebant. Et ecce modo reversus sum ad vos, cupiens perficere opus quod incœpi. *Beati* igitur *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V, 7). O si diligenter consideraremus misericordiam Dei, in nobis possemus habere formam miserendi. O fratres, quid Christum incarnavit, nisi misericordia? quid eum subjecit nostræ miseriæ, nisi sola clementia? O beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnovit! Sola enim misericordia ad Deum dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem. Hæc est sola mediatrix adversos consolans, hæc disjunctos copulat, hæc sola Deum humilians nos sublimat. Quam pia fuit Dei descensio, ut inde nostra esset gloriosa assumptio! O grandis misericordia, o infinita misericordia, tu sola potuisti Deum de cœlo ad terram trahere, nos de exsilio ad

[1] Editi addunt, *non*.

(*a*) Imo duntaxat «argentum quod diceret esse filiæ suæ,» ait Augustinus serm. 355, n. 3.

(*b*) Erratum duplex. Nam ex eodem sermone, n. 3, et «filius ipsius in monasterio est,» non in sæculo; et «Ecclesiam scripsit hæredem,» hunc vero exhæredavit.

(*c*) Hæc an Augustini clericis conveniant, patet ex serm. 356, num. 3, ubi eos tales invenisse se testatur, quales desideravit; et ex num. 13, an in eorum vestitu quidquam indecens.

(*a*) Quibus maxime necessaria erat episcopi præsentia. Sed nec Augustino roganti ut per quinque dies Scripturarum curæ sibi sibi a Conciliis impositæ vacaret, populum concessisse ait epist. 213, n. 5. Ad hæc, epist. 122, «Noverit, inquit, Dilectio vestra, nunquam me absentem fuisse «licentiosa libertate, sed necessaria servitute.»

(*b*) Mendacium jam tertio repetitum.

regnum erigere. O magnum misericordiæ vinculum, quo Deus ligari[1] et potuit, et homo ligatus vincula disrumpit! O monache, si tuam considerares miseriam, in opere Dei erga te non invenires nisi misericordiam. Misericordia est si flagellat ut emendet, si a peccato per tribulationem liberat, si hypocritas et tyrannos regnare permittit. Hæc enim omnia Deus cum misericordia facit, cupiens nobis vitam æternam donare. Attendite ergo, fratres, attendite : nam in pastore vel judice debent esse simul misericordia et justitia. Misericordia enim sine justitia destruitur, et in crudelitatem convertitur. Et justitia sine misericordia numquid accepta est apud Deum? Absit. Justis enim et injustis, beatis et damnatis misericordiam cum justitia semper agit Omnipotens : quia beatis dat gloriam, quam non merentur habere quibuscumque bonis commissis; et malis dat pœnam, quam majorem merentur habere de malis commissis. Estote ergo, fratres mei, misericordes, sicut Pater vester misericors est. Estote misericordes, pensantes quantum Moyses in misericordia floruit propter populum, pro cujus salute petiit deleri de libro vitæ; et quanto iterum zelo rectitudinis, cum obtinuisset veniam, ait ad populum, *Ponat vir gladium super femur suum* (*Exod.* XXXII, 27). Ecce qui vitam omnium cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio destruxit, intus igne amoris, et foris accensus zelo justitiæ et severitatis, utrobique fortis : legatus tamen populi apud Deum precibus, et causam Dei apud homines gladiis admonendam allegavit. Studeamus igitur, fratres mei, misericordiam, dum vivimus, rapere. Cibetur a nobis esuriens, vestiatur a nobis nudus, recipiatur a nobis peregrinus, consoletur per nos pupillus, visitetur a nobis infirmus, sepeliatur a nobis defunctus. Ista enim sunt opera misericordiæ, de quibus interrogari debemus in die novissimo. Sed dicetis, Ecce in eremo sumus, pauperes videre non possumus et orphanos; pupillos et viduas quomodo consolari valemus; mortuos sepelire quomodo possumus? O fratres mei, bene scio vos in eremo esse, nec pauperes vos videre credo, nec vos monasterium exire cupio, ut matres vel proximos consolari possitis. Quam plures enim cognovi pro hac causa monasterium exivisse, qui tamen ad monasterium nunquam reversi sunt? Sub specie enim boni multa mala fiunt. Ecce enim diabolus dicit : O monache, an ignoras tuam matrem dolere? Ecce nuper maritum amisit, filium sepelivit, possessionem perdidit, infirmatur ad mortem nec vult forsitan confiteri. Quid in eremo agis? quid cogitas? Surge velociter, egredere monasterium, ingredere civitatem, penetra domos parentum, exerce in eis opera misericordiæ : hoc enim Deus vult, hoc fieri præcipit. Dum enim servus Dei hoc cogitat, aliquando exit monasterium credens bene facere. Et ecce dum appropinquat, mater filium osculatur, pater amplectitur, fratres applaudunt, dicentes, Noli nos derelinquere : fratres enim sumus, pater noster antiquus est, tibi incumbit familiam regere; quid ergo amplius ad monasterium redire præsumis? Et sic audiendo consentit, et consentiendo remanet, et remanendo omnibus pejor efficitur, et quidquid boni fecit, amittit. Cavete igitur, fratres mei, cavete a malitia diaboli : exercere tamen vos volo opera misericordiæ. Etsi in sæculo non habitatis neque inter gentes, exercere tamen opera misericordiæ bene potestis, orando, obsecrando et deprecando pro orphanis et pupillis. Si hoc non videtur vobis sufficere, pensare debetis quomodo centum et plures in monasterio simul habitetis, et sæpe infirmamini, et sæpe a diabolo affligimini, sæpe patimini, numquid et sæpe morimini? Exercere ergo potestis etiam inter vos opera pietatis. Sed dicet quis ex vobis, Patrem in sæculo habeo; et ego usque ad mortem in monasterio vivere Deo promisi. Ecce enim pater infirmatur, non potest sine me vivere. Quid ago? quid eligo? Si exire, votum frango; si stare, patrem mori permitto. Quid ergo? O fratres, attendite quid agere debeatis, sicut pro nunc mihi occurrit. Nam si pater alicujus sine filio monacho vivere nullatenus potest, procurare debet filius quomodo de bonis monasterii patri subveniatur. Et si monasterium impotens fuerit, filius toto affectu videat quomodo patri non deficiat. Et si non viderit, cum Dei benedictione monasterium de licentia majoris exeat, et verbo et opere patri subveniat, ut non deficiat ex negligentia, nec votum frangere credat : quia si post patrem vivendo remanserit, statim ad pristinam vitam redire non pigeat, sancte et juste vivendo, sicut inceperat, et tanto fortius, quanto senserit se plus in paterno ministerio ultra necessitatem gravatum. Nullus igitur erit, qui se a misericordia excusare possit : nec dives, quia habet; nec pauper, quia calice aquæ frigidæ non caret; nec monachus, quia saltem orare debet. O homo qui crudelis es in alterius justitia, te ipsum prius agnosce. Nam si bonus es, o monache, cadere faciliter potes : si dives es, donum fortunæ est, non naturæ : si sanus es, ecce infirmitas instat : si sapiens es, non habes constantiam. Igitur circa omnes, tam circa sapientes quam insipientes, tam circa sanos quam infirmos, tam circa nobiles quam ignobiles misericordiam habe. O homo, quid de te erit, si Salvator tuus clemens et pius fuerit, et tu misericordiam ignoraveris? Pascatur, fratres mei, misericordia inter vos, non tamen ex negligentia, non tamen ex pusillanimitate, non ex indiscretione, non ex animi infirmitate; sed omnibus modis sit circumspecta, ut sic suum retineat proprium, quod justitiæ non auferat debitum. O monache, vide sancti Joseph misericordiam, quæ fratrum suorum est oblita injuriam. Eligite, fratres mei, David clementiam, qui filii persequentis deflebat dementiam. O monache, si clauseris viscera misericordiæ indigenti, omnino claudetur tibi janua Christi. Hæc est enim porta Domini, et justi intrabunt in eam. Hæc Novum Testamentum illuminat, et Veteris rigorem exterminat. Hoc est lignum quo Moyses aquas dulcoravit : hoc est sal in quo Elisæus aquarum sterilitatem exterminavit : hæc est farina, qua Elisæus mortem quæ in olla erat exstirpavit. Hoc est oleum, quod Samaritanus infudit vulnerato. Hoc est Jordanis, quo curatur lepra Naaman Syri. Hæc sola virtus est, quæ dividit inter crudelem et pium, regem et tyrannum. O monache, ubi esses, si tibi Dei misericordia non subvenisset? Si enim Deus tecum ageret districta sententia, non posses cogitare pœnam, quæ responderet tuis demeritis. Omnia ergo attribue Dei misericordiæ, et a simili misericordiam expendas in usum proximi; ut non sis avarus in miserando, cum sis expertus largitatem in Deo. Amate ergo, fratres mei, misericordiam, quia nunquam vidi pium hominem mala morte finiri : quam misericordiam faciat vobiscum Deus. Amen.

SERMO VII.

DE OBEDIENTIA[1].

Fratres mei dilectissimi, obedire oportet Deo in omnibus, si salvari cupimus in eremo. Et si difficile nobis videtur, considerare debemus obedientiam Filii Dei, et nostram deponere contumaciam non differamus. Ipse enim Dei Filius obediens fuit usque ad mortem crucis; et nos contemnimus ejus obedire præceptis? Christus enim obediens fuit usque ad mortem, non pro sua, sed pro nostra utilitate. Estote ergo non pro sua, sed pro vestra utilitate sibi obedientes. Ecce enim, fratres, angelus in omnibus obedit Deo; et tu qui cinis es, contradicis Deo? Insensibilia obediunt Deo, et tu rationalis resistis Deo? Sol a sua semita non deviat, nec luna, nec stellæ; omnia enim cœlica suis indulgent[2] officiis; tu vero Dei voluntati quasi in omnibus resistis. Ad nutum Dei

[1] Editi addunt, *voluit*.

[1] Mss. addunt, *et ejus discretione*.
[2] Mss., *indigent*.

campi floribus decorantur, terra imbribus fecundatur, frondibus crispatur silva, in nemore citharizat avicula; omnia Deo obediunt, et solus homo Dei voluntati resistit. O monache, lege quod dicitur, *Melior est obedientia quam victima* (I *Reg.* xv, 22). Quæ causa est, nisi quia in victimis aliena immolatur caro, sed in obedientia voluntas propria et caro mactatur? Estote ergo, fratres mei, obedientes, ut Deum placare possitis de peccatis commissis. Tanto enim citius placat homo Deum, quanto repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat.

Cavete tamen in obedientia, fratres mei; sub ipsa enim potest latere fel draconis sub specie mellis, lupus sub pelle ovina: in potu enim dulci venenum sæpe latitat, et in olla sæpe mors ponitur. Attendat ergo qui præcipit, et qui obedire intendit, quod obedientia sit honesta, et omni discretione decorata. Nam si discreta non fuerit, crudelitas existimanda est: si honesta non fuerit, nullatenus obedire debemus. Verbi gratia, si nobis præcipitur, quod Deum non diligamus, vel quod Deum odio habeamus, numquid obedire debemus? numquid vel ipse Deus hoc præcipere potest? Honesta igitur, fratres, debent præcipi et justa: et si honesta vel justa non fuerint, nullatenus obedire debemus, etiamsi apostolus nobis hoc indicaverit. Tenete igitur, fratres mei, et in cordibus vestris alligate, quod obedientia sine discretione cassa est, et venit, non ex parte obedientis, sed præcipientis: et obedientia honestate privata, superbia est, et venit ex utriusque parte, consentientis et præcipientis, et in die novissimo pari pœna punientur. Custodite quid [1] præcipitis, cavete et ponderate quid imponitis. Verum quotiescumque obedientia honesta et justa non fuerit, toties ad irregularitatem se devenisse pastores agnoverint. Obedientia igitur, fratres mei, tunc vera, tunc sancta, tunc meritoria est, quando ditata est discretione, honestate, justitia et humilitate. Istæ enim sunt sociæ sanctæ obedientiæ, sine quibus omnis obedientia vana est et inutilis. Hæc est illa obedientia quæ concordiam conservat in Angelis, pacem nutrit in monachis, tranquillitatem generat in civibus. Hæc est illa obedientia, sine qua respublica stare non potest, sine qua familia aliqua regi non potest. O quam enorme vitium, quod obedientiæ contrarium fuit! Per hoc diabolus cœlum perdidit, per hoc homo paradisum amisit, per hoc Saül regnum, per hoc Salomon amorem divinum. O sancta Dei sponsa obedientia! tu perfecta scala es qua cœlum ascenditur, tu quadriga qua Elias vectus est in paradisum, tu porta paradisi fidelibus, et clausura reorum [2]. O sancta obedientia, tu humilitatem nutris, tu patientiam probas, tu mansuetudinem examinas. Estote ergo, fratres, cum Abraham obedientes, reddentes quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Tunc vero reddimus Cæsari debitum suum, quando duliam prælatis nostris reddimus. Hæc enim dulia consistit in reverentiæ exhibitione et dilectione. Hoc autem facere debemus non solum pastoribus, sed et sanctis Dei; et tunc reddimus per obedientiam quæ sunt Cæsaris Cæsari. Sed tunc reddimus quæ sunt Dei Deo, quando in latria perseveramus: hoc enim soli Deo congruit. Hæc enim consistit in oratione, et gratiarum actione, et cultus exterioris exhibitione, et interioris mentis devotione. Quod facere nos et perseverare nobis Deus præstare dignetur in æternum benedictus. Amen.

SERMO VIII.

DE PERSEVERANTIA.

Fratres mei, sicut ait Apostolus, *Non potest coronari, nisi qui legitime certaverit* (II *Tim.* ii, 5). Nullus enim legitime certat, nisi qui in campo usque ad finem certat: et si certat usque ad finem, legitime certat [1]: ideo merito coronatur. Non est igitur magnum bonum, inchoare quod bonum est; sed consummare, hoc solum perfectum est. Multi enim multa aggrediuntur, sed deficiunt in via: multi exeunt in desertum, sed pauci perveniunt ad terram promissionis. O fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata; scientes quod perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris sancti Joseph, usque ad finem contingens. Hæc est tunica sacerdotalis usque ad pedes perveniens. Hæc est cauda hostiæ, quam tenemur Deo reddere et offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare. Hæc est virtus, quæ Deum ligat. Hæc est quæ omne bonum informat. Hæc est perseverantia, qua laureantur martyres, qua virgines coronantur, qua sacerdotes sublimantur et confessores. Hæc est vestis sine ruga, tunica sine macula, bonitas sine malitia. O monache, qui bene incœpisti vivere, cave ne ad tempus virescas; cave ne feno compareris, quod nunc nascitur, et statim marcescit. Laboremus ergo, fratres, et laborantes perseveremus: laboremus, ut perseverantiam habeamus. Laborent monachi omnes, ut retineant: laborent virgines, ut informent: laborent viduæ, ut in ipsa perseverent. Attendite tamen, fratres: nam diabolus quandoque servos Dei ad bonum invitat et conducit, ut de bono gravius eliciat malum. Contra hunc diaboli insultum sola valet perseverantia, ut bono fine bona concludantur initia: ut principium medio, medium ne discrepet ultimo. Bonum enim inchoatum cum malo fine concludere, quid aliud est quam monstruosas res conficere? Illa enim actio quasi chimæra est, quæ initium habet a ratione, sed finem a sensualitate. Cum enim sic agitur, humano capiti cervicem pictor equinam jungit, et superinducit infructuosas plumas. Cave ergo, o monache, ne actio tua monstrum pariat. Enormis enim erit fetus ventris, si capiti non correspondeat finis. Quidam enim habent initium bonum, quorum vita monstrum est mirabile quasi hominis prætendens caput; sed medium in luxuriam descendit, ventremque ovinum habet, et ad ultimum in rapacitatem lupi pedes ostendit. O monache, quid tibi prodest bonum inchoare, et non finem includere? Si bonum virtutis amittis, damnum incurris, et grande supplicium promereris. O quam melius tibi fuisset, viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retro ire per inconstantiam! O monache, levis reputaris per tuam apostasiam, cum Juda incurris mentis instabilitatem; postponis Deum, amittis amicos, spem perdis, odio a cunctis haberis, et velut omnibus pejor apostata comprobaris in vita. O monache, attende quia nisi perseveraveris, morte morieris. Igitur si incœpisti ædificare, perfice; si non incœpisti, incipe. Si obtulisti florem juventutis tuæ diabolo, saltem fæcem senectutis tuæ immolare non differas Christo. Ipse enim misericors est, et recipiet te libenter, et dabit tibi stolam candidam, et annulum in manu tua, et calceamentum in pedibus tuis: et tunc, inveterate olim diebus malis, renovabitur ut aquilæ juventus tua durans in æternum. Incipite ergo, fratres mei, et perseverate, reducentes vobis ad memoriam a quanto bono recessit Judas, et quomodo ferventer bene agere cœpit, lingua vobis exprimere nullatenus possem; quomodo tamen perseveraverit, scitis. Ecce Salomon per inconstantiam corruit: sic et Saül, sic et multi alii: quia multorum incipere fuit, sed perseverantium parvus est numerus. Cavete ergo quomodo caute ambuletis, considerantes quod qui se existimat stare, videat ne cadat. Felix ergo est, qui perseverat bene facere usque in finem. Quod donum præstet nobis ille qui pro nobis mori dignatus est. Amen.

[1] Forte, *qui*. Editi, *quod*.
[2] Editi, *et clausura eorum inferni*.

[1] Hæc verba, *et si certat... legitime certat*, non habent Mss.

SERMO IX.

DE IRA ET ODIO.

Fratres mei dilectissimi, sicut omnium habere memoriam, et in nullo errare, non humanitatis, sed deitatis solum est; ita turbari, pati et oblivisci solum humanitatis est, non deitatis. Nam Deus non mentitur, ut homo; nec, ut filius hominis, irritatur. Humanum est ergo, fratres mei, turbari et irasci; et iram incurrere, bonorum et malorum communis est conditio: sed in ira vel odio perseverare, diabolicum est. Ideo vos qui spirituales estis, maxime attendere debetis, ne ira in sinu stultorum requiescat. Fatuus enim statim iram suam indicat. Fortiter tamen spiritum irascibilem continere, magnæ prudentiæ et perfectionis est. O monache, noli irasci: nam nomen et habitum sanctæ religionis in hac vasta solitudine portamus. Custodite igitur vos ab omni turbatione: non enim decet servos Dei turbationem incurrere. Numquid enim proderunt vobis vestra jejunia, vestra abstinentia, vestra sacrificia? Ab ira denique, fratres mei, procedit rancor, a rancore odium, quod est ira inveterata in animo: inde nascitur homicidium, et si non opere, saltem voluntate: inde contumelia; inde detractio, inde suspicio et injuria, quæ sunt opera carnis et diaboli. O monache, depone iram, destrue rancorem, mitiga furorem; ne filius perditionis efficiaris. O quam melius esset monacho, in sæculo vivere pacifice, quam in monasterio cunctis bonis ornatum in ira et furore litigare, et odium in corde tenere! Nec Deum laudare, nec ab eo exaudiri meretur, qui odium servat in corde. Qua fronte, o monache, quo affectu, qua devotione a Deo potes veniam postulare, si fratrem dum odis, petis quod tibi dimittat sicut et tu debita dimittis? Crede igitur mihi, quod tantum tibi dimittet, quantum et tu dimittis alteri. Dimittamus ergo, fratres mei, iram, quæ recte significatur per Lazarum quatriduanum fetidum: quia qui iram in corde portat, infamiæ fetor statim eum corrumpit. Si ergo ira in animo nascitur, mox refrena eam, allide eam ad petram, suffoca eam exemplo tui Salvatoris, qui percussus in una maxilla, mox præbuit alteram (*a*). Nam si hoc prior ipse non fecisset, mihi facere non præcepisset. Eia ergo, fratres mei; discite ab illo qui dixit se esse humilem et mitem: discite opere, quod sæpe legistis ore. Sol non occidat super iracundiam vestram. Si enim frater tuus in te peccaverit, vade ad eum, invita eum ad pacem, da ei osculum; et lucratus es fratrem. Tu vero qui offendisti, non differas fratrem, non differas pergere, non differas reconciliare, vade ad eum, et pete veniam. Et si verbo offendisti, et tu verbo reconcilia; si facto, quod Deus avertat, placa eum facto. Sic enim decet servos Dei facere, sic decet eos dæmones expellere, et sanctos Angelos introducere. Nam ubi ira regnaverit, ibi omnino princeps diabolus erit, nec inde aliquid boni exire poterit. Fugiamus igitur iram, fratres mei, quæ rationem suffocat, mensuram justitiæ ignorat, solem justitiæ nescit, amicitias rumpit, de facili aufert pacem, mentis sapientiam calcat, sapientes infatuat, monachos deviat [1], sacerdotes suffocat, castitatem evacuat, gravitatem in pastoribus dilacerat. Nec ira repletus, consilii potest esse capax. O monache, intuere caput tuum; nam in cruce positus pro suis crucifixoribus exoravit. Et primicerius martyr Stephanus pro suis lapidatoribus genua flectendo clamavit, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59). Sed si non tantæ perfectionis sumus, ut bonum reddamus pro malo, saltem pro malo malum non reddamus. Non tamen per pusillanimitatem remittendæ sunt injuriæ, sed per sapientiam quæ est in Christo Jesu. O quanta, fratres mei, hujus peccati labes! O quam grandis et lata miseria tam corporis quam animæ! nam corpus quietem, et alacritatem amittit; sed et anima vitam perdit æternam. Veniunt enim et revertuntur ad nos per iram pristina peccata [1]; et sic contabescimus et damnamur. Nos vero, fratres, qui Christiani veraciter sumus, relinquamus vindictam illi qui ait, *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Hebr.* X, 30). Quidquid enim ad te pertinet, dimitte illi. Nonne ipse notabiliores vindictas facit, quam nos imaginari possumus? Non tamen hoc sibi petere debemus, aut affectare, sed pro eis mente et puro corde orare. Nam dum nostras injurias facere petimus, quod Dei est usurpamus. Orare tamen sine intermissione debemus, ut vindicet sanguinem suorum servorum, non ad damnationem, sed ad correptionem, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO X.

DE PURITATE CONSCIENTIÆ [2], ET VIRTUTE SPEI.

Ad spiritale gaudium hodierna die, fratres dilectissimi, intendo vos invitare. Quod quidem gaudium non operatur divitiarum copia, non fallax mundi gloria, non prolis fecunditas, non corporis sanitas, sed conscientiæ puritas. O felix sanctæ conscientiæ jucunditas! O felix conscientiæ puritas, quæ vermem interiorem excludis, quæ a carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem! O mens sancta, paradisus deliciarum, varius bonorum operum sanguinis consita, variisque virtutum floribus purpurata, et suaviter cœlesti gratia irrigata! Hæc est, fratres mei, paradisus, in qua plantatur lignum cœlestis sapientiæ. Hæc est thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritus sancti. Hæc est thronus Salomonis, lectus sponsi cœlestis, in quo ipsa conscientia bona optime delectatur, et requiescit cum sponso. O conscientia, in te et tibi occurrit Rebecca cum Isaac veniente de agro. In te delectatur Jacob cum Rachelis conjugio: in te Sunamitis Abisag regem David jucundis fovet amplexibus. O conscientia sancta, in terra adhuc es, et in cœlis habitas! Gaude, o anima sancta, sancta conscientia decorata; gaude in cœlesti et æterna gloria. In ea, fratres charissimi, Magdalena illa ignifera, Christo pretiosa offert unguenta. Ibi Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Eia ergo, fratres mei; si ad hanc gloriam cupimus pervenire, prædictam nostram conscientiam diligenter nunc discutiamus, et ibi litteram luxuriæ perlegamus, apicem superbiæ necnon avaritiæ et invidiæ perspiciamus; et deleamus ea per confessionem, per cordis contritionem, per veram satisfactionem: et tunc merebimur per gratiam adipisci gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se. O fratres mei et lætitia cordis mei, festinemus ingredi hanc sanctam sanctorum. Tunc habebimus bonum, quod non perdemus, perfectum bonum, quod non amittemus. Amare tamen debemus, si ad hanc gloriam pervenire cupimus, tentationes, fames, tribulationesque singulas. Nam sicut in fornace purgatur aurum, sicut lima purgat ferrum, sicut flagellum separat a grano paleam; sic in fornace tribulationum patientia exercetur, fortitudo roboratur, constantia solidatur, spes ad cœlestia invitatur. O spes sanctorum et turris fortitudinis eorum, quæ non confundis, sed te exspectantibus gratiam infundis; non cæcas, sed illuminas; non famelicas, sed reficis. O felix spes cœlestis, tu timorem sæculi expugnas, consolationes mundanas exstirpas. Per te timor non augetur, per te falsa cupiditas non somniatur, per te luxuria conquassatur, per te superbia humiliatur, per te invidia non dominatur, per te cuncta vitia terminantur. O spes cœlestis curiæ, in te regnat charitas, quæ credit omnia quæ ad salutem pertinent, omnia sperat quæ promissa sunt. O fratres mei, quis hominum potest mentem servorum Dei infirmare, si apud Deum cœ-

[1] Mss., dormiat.

(*a*) Imo non præbuisse nisi in præparatione cordis observat Augustinus lib. de Mendacio, cap. 15, n. 27.

[1] Mss. omittunt, *peccata*.

[2] Editi: *De puritate conscientiæ, amore tribulationum, et spe quæ per illas ad cœlestia invitatur.*

lestis curia pro eo allegat? In quo nocebunt ei tyrannorum fulmina? fortunæ præcipitia quid agent? O spes, tu cogitationes dirigis, tu in charitate altitudinem ponis, ut in ea perseveremus usque ad mortem, tu in charitate latitudinem extendis usque ad inimicum[1]. O spes cœlestis gloriæ, per te Patriarchæ mala patienter sustinuerunt, per te Prophetæ cuncta mala portaverunt, per te Apostoli ad mortem gaudenter perrexerunt, per te martyres afflicti sunt, per te virgines combustæ sunt, per te confessores vituperati sunt, per te sacerdotes induti sunt, per te viduæ castitatem astringunt, per te maritatæ lumbos præcingunt, per te pupilli et orphani sperant ridere, per te pauperes sperant gaudere, per te peregrini sperant ad terminum et finem laboris pervenire. O spes, tu omnia portare facis dulciter et suaviter. Eia ergo, fratres mei, hanc amate, hanc tenete, non tamen sine timore: quia qui sperat et non timet, negligens est; qui autem timet et non sperat, depressus est, et descendit in profundum quasi lapis. A quo descensu liberet nos ille qui de cœlo descendit, ut nobis vitam et ascensum donaret ipse Deus noster. Amen.

SERMO XL.

DE LACRYMIS, COMPUNCTIONE ET POENITENTIA [2].

Scitote, fratres mei charissimi, quod post mundi gaudia sequentur æterna lamenta; quia nemo potest hic et in futuro gaudere: ideo necesse est quod unam amittat, qui aliam voluerit possidere. Si ergo, o monache, hic gaudere cupis, scias jam te exsulem esse patriæ: sed si hic ploraveris, patriæ cœlestis civis constitueris. *Beati*, inquit, *qui lugent*, *quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5). Sed dicet quis, Quid flere oportet, et quare flere debemus? Ego autem, filioli et fratres, dico quod flere debemus peccata quæ commisimus. Iste fletus sit panis noster, quem quotidie comedere debemus die ac nocte. Flere etiam debemus populorum peccata, quasi nostra sint vulnera. Sic enim Paulus faciebat, dum clamabat, *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (II *Cor.* xi, 29)? Flere etiam debemus de dilatione regni æterni; quod bene ostendebat ille propheta David, cum dicebat, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* cxix, 5)! Istæ enim sunt tres miseriæ, quibus texitur liber Jeremiæ, quibus plangit peccata animæ, insultum miseriæ, et dilationem patriæ. Horum fletuum imbribus debemus irrigare terram mentis nostræ, ut pariat fructus bonorum operum diversosque flores virtutum. Isti quoque fletus sunt tres fluctus, per quos filii Israel transierunt ad terram promissionis. Vere peccatores de Ægypto vitiorum exeunt, mare Rubrum transeuntes, dum eorum hostes submerguntur, et vitia suffocantur. Vere cantant Domino gloriose, dum intrantes cœlestem Jerusalem, deposita corruptibili veste, sanctis Angelis sunt sociati. O monache, fac igitur ut mens tua sit liber Ezechielis, in quo scriptæ erant lamentationes et væ (*Ezech.* ii, 9). O monache, ad has lamentationes te convertas, hos dolores amplectere cunctis diebus vitæ tuæ, flendo tua peccata, et non solum, ut diximus, tua, sed et proximi tui. Caveto tamen ne fleveris mortem corporalem alicujus, nec substantiarum amissionem, nec corporis infirmitatem. Omnia enim necessaria sunt evenire, omnia hæc valde communia. Ponas ergo te in Dei voluntate, relinquens sibi omnia, et ipse te reducet et conducet: quidquid tibi acciderit, libenter suscipe, Deum in omnibus lauda, omnem honorem sibi exhibeas, gratias ei solvendo. Quotidie fleas peccata quæ commisisti, et quæ committere proximos videas, quasi tua sint vulnera. Sic enim peccatrix illa Maria non solum in domo Pharisæi, sed etiam post adventum sancti Spiritus hoc idem ardenter perfecit. Semper enim dolebat, semper in vita sua flebat quæ commiserat. Sic fecit et Maria mater Domini, quæ dum juxta crucem staret, non sua peccata flebat, quia nullum peccatum habebat, flebat autem non tantum filii passionem, sed et Judæorum damnationem. Sed dices, Mortuum fratrem vel amicum video, naturalis infirmitas me invitat ad planctum. Ego autem dico tibi, monache, tempera luctum tuum. Non enim tuum est mortuos flere, sed sæculi. Non tamen prohibeo lacrymas naturales, quas naturalis necessitas exprimit. Nam multi lacrymas fundunt, et quamvis natura nos ad hoc frequenter invitet, animus tamen sapientis immobilis perseverat. O tu qui sapiens videris esse in sæculo, cave ne consentiat animus tuus mortuos deplorare. Stude ut luctus vincatur ab animo. Cave ne absorbeatur animus tuus ab infirmitate mentis. Evincat Spiritus carnem, ratio sensualitatem. O monache, si mors imminet, noli dolere; præpara te, ut mortem timere non possis, ut post mortem vivere incipias, qui ante mortem moriendo vivebas, vel vivendo moriebaris. Cupis ergo, o monache, semper vivere? Depone fletum pro terrenis, noli plorare quæ mundi sunt, et quæ necessaria sunt evenire. Depone omnino fletum pro terrenis, et assume lamentum pro cœlestibus. *Beati*, inquit, *qui lugent* (*Matth.* v, 5); *Beati qui fletis, quia ridebitis* (*Luc.* vi, 21). Diligamus, inquam, lacrymas, quia suaves sunt diligentibus Deum. Delectemur semper in hac vita, fratres mei, in fletu et lamento. Simus tantum proni [1] ad lamentum et fletum, quantum fuimus ad culpam audaces. Qualis fuit nobis intentio ad peccandum, talis sit ad pœnitendum devotio. Gravia peccata gravissimis lamentis indigent. Accipite, fratres mei, compunctionem; quia sanitas animarum est, remissio peccatorum est, sacrificium spirituale est, quod Deo summe placet. Holocaustum medullatum, cor peccatoris humiliatum et quotidianis lacrymis rigatum. O monache, punge oculum mentis, ut lacryma prodeat compunctionis. O compunctio, quam sancta et mirabilis prædicaris! Tu spirituale lavacrum es, tu flagellum Dei es per quod Deus mutatur, tu stimulus per quem Deus ad hominem inclinatur, tu ligamentum per quod Deus fortiter astringitur. O compunctio sancta et immaculata, sine qua adultis non valet Baptismus, sine qua ad judicium Domini corpus recipitur, sine qua infructuosa est omnis confessio, sine qua omnis satisfactio inanis est. O compunctio lacrymosa! o lacryma mentem purgans, intentionem fecundans, confessionem irrigans, animam sanctificans! Hæc est lacryma sanctæ compunctionis soror, quæ motus illicitos exstinguit, paradisum aperit, infernum claudit, mundumque despicere in cunctis facit. O felix lacryma! tu carnalem cogitationem exstinguis, peccatorum morbos expellis, virus culpæ evomis. O felix tabula, o vitalis navicula, per quam naufragus redire potest ad portum salutis! O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur! O via, per quam ad paradisum gradimur! O spirituale conductum, per quod de invio ad viam transitur! O felix lavacrum pœnitentiæ lacrymarum, quod toties valet ad purgandum, quoties purgatione indiget cor humanum! Hæc est, fratres mei, herba cœlestis illius fullonis, qua vestes servorum suorum deturpatas a sorde quotidie purgat. Hoc est cœleste nitrum, quod de rore divinæ gratiæ decoctum, abstergit maculas peccatorum. Hoc est lixivium, quo interioris hominis caput optime abluitur. O lacryma, tu contra ruinas hominum suave solatium, quæ passionis Christi es vicaria, contra peccatum ponens remedium, ut per te toties cogatur Christus mori, quoties labitur homo in abyssum peccatorum! O monache, ergo a lacrymis quis continere se poterit? Intremus, obsecro, conscientias nostras, discutiamus eas; et si risimus in juventute, saltem in senectute fleamus, cogitantes quid Christo et quid diabolo tempore nostræ juventutis persolvimus. Et

[1] Mss., *ad mortem*.
[2] Mss.: *De fletu et pœnitentia*.

[1] Mss., *prompti*.

si antequam ad eremum pervenimus, visus nos incurvavit per concupiscentiam, si guttur per gulam, si auditus per enormitatem verborum vel spontaneam detractionis audientiam, si lingua claudicavit in verbo, si olfactus erravit in odoramento, si tactus fefellit in suavitate, si gressus ad furtum, si in his vel aliquo istorum inveneris culpam, ablue culpam per lacrymam : juxta quantitatem sordis mensura lacrymas, assumendo pœnitentiam, quæ mater est omnium bonorum. Timor autem qui pœnitentiam concipit, compunctionem parit. Pœnitentia illa digna et bona est, quæ peccata peracta deplorat sic, ut deplorata iterum non committat. Quid ergo pœnitentia est, nisi ante acta deflere, et flenda iterum non committere? Nam qui sic peccata deplorat, ut iterum peccata committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat. Numquid et qui dissimulat, irrisor est, et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet? Pœniteamini igitur, fratres mei, et pœnitentes pœnitentiam agite in fletu et lamento; ut digne ridere possitis in gloria beatorum. Amen.

SERMO XII.

DE SUPERBIA ET HUMILITATE.

Fratres charissimi, ubi superbia fuerit, ibi et contumelia et discordia dominabuntur. Non ergo decet servos Dei in eremo constitutos superbos esse, sed humiles; non elatos, sed mansuetos, castos, benignos, et omnibus virtutibus ornatos. Cavete, fratres mei, et vigilanter attendite, ne superbia inflemini de bonis commissis : scientes quod superbia de Angelis bonis dæmones fecit; sed humilitas homines similes Angelis constituit. Superbia gloriam de cœlis dejecit angelicam : sed humilitas ad cœlos ascendere fecit infirmitatem humanam. O fratres mei, cavete, ne orantes, legentes, stantes, vel sedentes, vel vigilantes dicatis ore vel corde, habitantes in cinere et cilicio cum Pharisæo, *Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut cæteri* (*Luc.* XVIII, 11). Hæc enim solitariam vitam ducentes diabolo instigante sæpe cogitant, sæpe hoc dicere tentantur ab inimico servorum Dei. Potius enim volo vos eremum exire, quam talia dicere vel cogitare. Sed dum tentamini hoc asserere, vel de vobis ipsis hoc cogitare, mox clamate, mox ululate et dicite, *Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI, 7) : et cum Publicano dicite, quibuscumque virtutibus sitis ornati, *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 13). Attendat igitur Charitas vestra, quid dixerit Veritas nostra : *Qui major est vestrum, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut minister* (*Id.* XXII, 26). O monache, quanto major es, tanto humilia te in omnibus; et invenies gratiam coram Deo et hominibus. O sancta venerabilisque humilitas, tu Filium Dei de sinu Patris descendere fecisti in uterum sanctæ Mariæ virginis. Tu eum fecisti involvi vilibus panniculis, ut nos indueret virtutum ornamentis. Tu circumcidisti eum in carne, ut nos circumcideret in mente. Tu eum fecisti corporaliter flagellari, ut nos liberaret a flagello peccati. Tu eum coronasti spinis, ut et nos coronaret suis æternis rosis. Tu eum infirmari fecisti, qui medicus cunctorum erat, et solo verbo sanat universa, ut nos infirmos sanaret. O sancta humilitas, quam dissimilis es superbiæ! Nam ipsa superbia, fratres, ipsum Luciferum de cœlo dejecit : sed humilitas Dei Filium incarnavit. Ipsa superbia Adam de paradiso expulit : sed humilitas latronem in paradisum introduxit. Superbia gigantum linguas divisit et confudit : sed humilitas cunctos congregavit dispersos. Superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutavit : sed humilitas Joseph principem Israel constituit. Superbia Pharaonem submersit; sed humilitas Moysen exaltavit. Hæc est illa sancta humilitas, quæ fecit nos privatos sæculo, quæ fecit nos in conventu solitario omnibus virtutibus florere perfectis. Hæc est illa sancta humilitas, quæ philosophos tradidit in reprobum sensum, excæcavit Judæos, suffocavit Paganos, inflammat Christianos, perimit obstinatos, dejicit potentes de sede et exaltat humiles. Sed superbia, fratres mei, non sic. Sed quid? Prælatos percutit, divites tumorosos efficit, religiosos decipit. Hæc homines cæcat, ne se agnoscant quid sunt. Hæc fructum perdit operis, mentem hominis ligat; quia ab ea panditur omne malum. Hæc est illa fervens olla quam Jeremias vidit (*Jerem.* I, 13), in qua decoquuntur omnes principes et pastores tenebrarum, sectatores bonorum temporalium, venatores divitiarum, qui primas cathedras appetunt in synagogis, et salutari in foro, et vocari Rabbi. Hanc ollam succendit diabolus, dum corda patrum inflat ad altiora. Isti sunt quatuor venti, qui totum orbem perflant, arrogantia sibi ascribens quod non habet, insolentia sibi appropriians quod alteri debet, superbia multa de se credens ultra quam verum sit, contumacia se erigens in prælatum. Isti sunt quatuor fabri, qui totum mundum concutiunt, et corda filiorum Dei dissipant; a quibus nos custodiat Deus. Amen.

SERMO XIII.

DE FORTITUDINE TENENDA.

Quia in hac vasta solitudine Dei gratia sumus in unum congregati, ut unanimes habitemus in domo, et sint nobis omnia communia; propterea inter cæteras virtutes fortitudinem oportet nos rapere, sequi et imitari. Nam si hanc virtutem amplexi fuerimus, fratres, jacula fortunæ (*a*) non timebimus, deridebimus diaboli blanda, et spernemus irata. O fratres mei, ligate hæc in cordibus vestris, quoniam qui fortis est, liber est. Non enim servit fortunæ, non vanitati mundanæ. O fratres mei et lætitia cordis mei, considerate quanta fuerit in martyribus fortitudo, qui velut impassibiles tormenta despiciunt, tyrannos confundunt, cuncta quæ mundi sunt despiciunt : qui licet decoriati, licet combusti, licet in cunctis membris afflicti, licet in omnibus corpore sint projecti, non tamen legimus eos esse mente mutatos. Sed scire debetis, fratres, quod multis modis dicitur fortitudo, hypocritarum videlicet, philosophorum, et bonorum fidelium. Hypocrita denique multa sustinet, multa portat, et fortis in cunctis apparet. Sed væ hypocritæ, quia venando mundi gloriam æternam pœnam meretur. Hic sic trahit gloriam, quod non habeat gloriam. Hæc enim fortitudo non virtus est, sed vitium; non magnanimitas, sed infirmitas; non bonitas, sed imbecillitas appellatur. Hanc prætendunt hæretici, hanc rapiunt falsi fratres, de quorum numero, Dei gratia, vos nunquam esse cognovi. Quædam etiam fortitudo est philosophorum, qui calcaverunt divitias, honores, pompas, dignitates, et aliquando membra propriorum corporum : sed hæc fortitudo est insufficiens ad æternæ vitæ meritum. Quare? Quia carebant charitate et timore Dei. Ipsa denique charitas est forma omnis bonæ actionis. O quantus rigor fortitudinis fuit in Platone! o quot et quanta patiebatur contraria! Sed quia fundamento fidei caruit, propterea spes eam fortitudinem non erexit : et quia charitate non profecit, ideo virtutis meritum omnino amisit. Sed est et alia fortitudo, qua boni quotidie certant usque ad mortem. Tales sunt fundati in Deo : et ideo supra diximus, fratres, nec verba nec impiorum verbera timent. Hæc est illa mirabilis fortitudo [1], qua Moyses asperitatem viæ deserti vicit : hic est panis cœlestis, qui Eliam in deserto pavit. Hæc est fortitudo, quæ mortem spernit. hæc est clavis, qua domus Dei patescit et aperitur. Hæc est, quæ habenas voluptatis sub freno rationis jacere cogit. Hæc est, qua Joannes in deserto decoratur. Hæc est, qua Paulus eremitarum forma beatificatur. Hæc Antonii aliorumque

[1] Regius Ms. : *Hæc est illa munerabilis fortitudo.*

(*a*) *Fortunæ* nomen hic toties decantatum, in primis operibus suis appellasse quam displicuerit Augustino patet ex libro primo Retractationum, capp. 1, 2.

sanctorum patrum lorica est et zona, qua præcincti et armati in excelsis indefessa voce quotidie clamare non cessant. O fortitudo, eremitarum baculus, cœnobitarum cingulus, monachorumque omnium sacramentum; tu contra paupertatem vales, ut non frangatur animus paupertatem amantis; sed amplior sit interius, et magis ditescat in mente. Quanto minus abundat in rebus fortunæ, tanto plus valet fortitudo contra mundi insultum. O fortitudo, si dolorem pateris, tu in omnibus gratias agis, tu in tribulatione divitias spirituales et delicias invenis; ut potius morbi cedant in mentis commodum, quam corporis detrimentum. O fortitudo, omnem crudelitatem evacuas, carcerem respuis, crucem non metuis, equuleum amplecteris, optas vincula, spontanea semper curris ad mortem. O monache, nihil valet cursus tui bravii, nihil tua operatio, nisi columna fortitudinis roboretur. Nihil est ædificium boni operis, nisi columnam fortitudinis amplexeris. Sed si columna fortitudinis fracta fuerit, totum ædificium bonorum operum ruit. Hanc si David tenuisset, homicidium et adulterium non commisisset. Si Samson hanc servasset, femina cum inimicis non tradidisset. Si Salomon hanc dilexisset, idola non adorasset. Si Petrus hanc tenuisset, ad vocem ancillæ fidem non negasset. Si filii Israel hanc habuissent, minime in deserto murmurassent. Eia igitur, fratres; estote fortes in bello tentationum, tribulationum, infirmitatum, injuriarum, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum æternum. Amen.

SERMO XIV.

DE JUSTITIA ET CORRECTIONE FRATERNA.

Ut bene nostis, fratres charissimi, tria monasteria apud Hipponem Dei gratia merui laudabiliter ad honorem sanctæ Trinitatis construere. Quorum primum hoc est, in quo jam multis annis modico pabulo contenti alacriter commoramini, bestiis associati, avibus ministrati, ciborumque spernentes delicias, et visus hominum fugientes (*a*). Et ideo non ego miser; sed vos sæpe Angelorum assueti estis colloquiis. Aliud quoque monasterium in horto, quem sanctus noster pater Valerius mihi dedit, ædificatum est. Et quoniam postquam presbyter episcopus factus sum, nec semper hic vobiscum habitare potui, nec cum fratribus qui in prædicto monasterio sunt; propterea infra domum episcopi mecum habere volui monasterium clericorum, et cum eisdem pariter vivere cœpi secundum [1] apostolicam traditionem. Ad vos ergo tantum, qui in eremo laudabiliter vivere voluistis, pertinet verbum istud audire et intelligere, atque operibus adimplere quod dicitur, Diligite justitiam. Ad fratres autem nostros et clericos qui in urbe habitant, quibus etiam expedit prædicare quotidie verbum Dei, pertinet non solum diligere justitiam quoad se ipsos; sed etiam judicare, reprehendere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina populum electum Dei. Et licet fratres nostri qui collocati sunt in horto sancti episcopi Valerii, satis distent ab urbe (*b*), quia eorum tamen fama divinitus divulgata est, ordinavi ut verbum Dei populo salubriter prædicarent, animæque fidelium suam vitam et exempla audiendo et videndo sponte redirent ad illum qui ex nihilo cuncta creavit (*c*). Ecce quomodo terram judicant, ligant et solvunt quæ volunt, semper Deo favente. Vos vero qui segregati estis a sæculo, qui etiam vitam solitariam eligere voluistis, audite quod in cunctis maxime justitiam diligere debeatis. O fratres mei et lætitia cordis mei, vultis scire quomodo vos solitarii justitiam diligere debeatis? Cavete ne sic ab alterius oculo festucam ejiciatis, ut in oculo proprio trabem non videatis: nec sic alterius velitis relevare lapsum, ut vestrum non videatis casum. Nec sic alterius curare debetis morbum, ut et vos ipsos postponatis ægrotos, ne cuilibet vestrum dicatur, *Medice, cura primo te ipsum* (*Luc.* IV, 23). Cura ergo primo te ipsum, o monache; ut curatus, alterius vulnera curare possis. Audite, fratres mei, audite quid Dominus dixerit Pharisæis adulteram accusantibus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). O monache, in quo alium judicas, te ipsum condemnas. Qua fronte, fratres mei, poterimus arguere alios de eo quod in nobis gravius invenimus? Ad nos igitur, fratres, pertinet mundos esse et sanctos: et si tunc fratrem nostrum peccare videmus, reprehendere eum cum omni mansuetudine debemus, ne per nostram negligentiam pereat. Charitas enim non odii, non rancoris, sed zelo justitiæ gladium correctionis evaginare debet. Tunc semper misericordia ligata sit in cordibus vestris; ne, velut Judas, ille qui peccavit, desperatus ad suspendium pergat. Hoc autem ad vos maxime pertinet, fratres, sed quid ad fratres in urbe habitantes pertineat, audiamus. Certe non solum hoc, sed etiam spectat ne judicium odio exasperent, ne crudelitate inflamment, ne amore pecuniæ emolliant, quia pauperes vere sumus, et spectaculum facti sumus Angelis et hominibus, ne timore justitiam relinquant, ne eos moveat res purpurea, nec divitis munera: sed magis saccus pauperis, orphani et pupilli eos movere debet Dei justitiam cum labore exercere. Regia via, qui terram judicant, incedere debent, nec declinare ad dexteram molliendo in judicium, nec ad sinistram exasperando in supplicium. Non enim crudelitas est, punire reatum, sed justitia; non tyrannicum, sed divinæ rectitudinis judicium. Non tamen volumus, nec consilium damus, ut mox judicent; sed cum omni maturitate incedant, et inventa discussaque rei causa in Christi nomine judicent delinquentes; et si publice peccaverint, publice puniantur, ut et cæteri justitiam diligentes fortius diligant, et justitiam metuentes metuant, et caveant ne delinquant. O sancta laudabilisque justitia! sub te et per te pudicitia regnat, pax per te triumphat et securitas, dignitas per te floret, et fructum affert in patientia. O justitia, qui te amaverit, qui te strinxerit, cum Moyse mare mundi vitiorum sanguine rubricatum, sicco vestigio pertransibit. Hæc est virga, qua petra percussa manat in fluenta; quia lapidea subditorum corda judicio justitiæ tacta, in virtutum exuberant flumina. Hæc est virga Aaron, quæ fronduit, floruit, et fructum peperit: quia justitia quasi frondet, dum mente concipitur; floret, dum viriliter exercetur; fructificat, dum subditus corrigitur. Hæc est ventilabrum, quo granum dividitur a palea, sanies a morbo ejicitur, quia contra morbum peccati opponendum est mordax emplastrum, ne in majus vitium tabes exuberet incurata, et in augmentum facinoris redundet iniquitas impunita. Hæc est mensura, qua debemus metiri pœnas, et merita ponderare. Attendite tamen, fratres mei pastores, qui terram judicare debetis, quod aliquando justitia est relaxanda propter scandalum multorum, aliquando exaggeranda est, ut sit cautela reliquorum. Tunc vere justitia dicitur gladius ex utraque parte acutus, quia hominis defendit corpus ab exterioribus injuriis, et animam a spiritualibus molestiis. Hæc est medicina vitiorum, antidotum peccatorum. Hæc est pugio, quo Phinees transfixit coeuntem cum Madianitide Judæum, et cessavit quassatio. Hæc est lapis, quo David percussit Philistæum, et a servitute Israel liberavit. Hæc autem sine discretione, gladius est in manu furiosi. Hæc sine prudentia, est mors et bonorum persecutio. Hæc

(*Quarante.*)

[1] Editi addunt hic, *regulam*.

(*a*) « Falsum est, ait Lupus, quod Augustinus ædificarit « monasterium in nescio qua solitudine Hipponensi atque in « ipso habitarit. Patet id ex Possidio: dicit enim Augusti- « num cum amicis de Italia reducem in Africam habitasse « per triennium in agro Thagastensi, quoad Hippone, ubi « Agentem in rebus in istam suam societatem lucrari quæ- « rebat, a populo apprehensus est, factusque presbyter « ædificavit monasterium in agro Valeriano. »

(*b*) Locus falsi insimulatus a Lupo, ut supra, ad serm. 4.

(*c*) « Quod Augustinus fratres ordinarit ad ministerium « verbi ac audiendas fidelium confessiones, est mera fabula « ecclesiasticæ istorum temporum disciplinæ palam adversa, « ideoque ridenda non refutanda, » inquit Lupus.

sine misericordia, gladius est in manu tyranni. Cum summa enim discretione, fratres mei, tenenda est justitia, cum summa deliberatione inferenda est pœna, non judicando ex suspicione, sed ex omni certitudine veritatis. Attendite, fratres mei, et ante probate, et postea recte judicate, non secundum faciem, sed recto judicio. O quam facile est judicare: sed o quam amarum, quod judicatum est retrahere! Ideo non puer, non insensatus vobis præesse debet, sed annosus, prudens, castus, sobrius, ut in progressu et statu sal terræ et lux mundi cunctis appareat: talis justitiam non poterit ignorare. Tunc enim regnum Romanorum pacifice tamdiu perseveravit, quamdiu sapientes regnare permiserunt: sed dum juvenes et inexpertos regnare permiserunt, tanquam justitiam ignorantes, acceptores personarum facti sunt: et sic justitiam perdentes, dominium orbis terrarum perdiderunt. Juvenes ergo imprudentes, duces vel Ecclesiarum pastores constituendi non sunt; ne ipsi simul cum populo pereant. Tales enim si præsunt, non solum præterita et futura non cogitant; sed audire quod bonum est et verum aures suas obturant. Taliter etiam non solum juvenes, sed etiam antiquatos[1] in diebus malis hæc facere frequenter, minime dubitamus. Vita enim pastoris omnibus diebus prodesse debet. Sed quomodo hoc quisquam facere poterit, si justitiam ignoraverit, et regnare in æternum crediderit? Isti memorari novissima sua non possunt, quia in æternum vivere credunt. O fratres, sicut frequenter diximus, pastores et principes Romanorum scientiam de præteritis habebant, in quibus certificari optime poterant, et de futuris aliquid scire semper procurabant. In hoc autem exercitium eorum consistebat, quod justitiam usque ad mortem prosequebantur, et pro ea moriendo felices se esse putabant. Tu vero, o monache qui præes, obsecro, memorare quid es, quid fuisti, quid eris; tunc justus reputaberis a Deo, et in æternum non peccabis. Hæc autem, fratres mei, sit semper nostra exercitatio: et si hæc fecerimus, fideles et justi semper erimus. Sed sunt aliqui, licet Dei gratia non inter nos, qui spiritu libertatis vivere volunt, superbi, avari, dyscoli, gulosi, adulteri: qui si ab aliquo reprehenduntur, latrant ut canes, mordent ut serpentes, devorant ut leones, dolent ut parturientes, dicentes malum bonum et bonum malum. Tales aperta facie, vivoque sermone negare justitiam præsumunt, dicentes, Ecce quomodo me persequitur hypocrita, qui justitiam tenere videtur. Talis denique, fratres, omnibus pejor est; et melius illi fuisset, si in sæculo remansisset. Et ideo si in nostra congregatione aliquem talem invenerimus, quod Deus avertat, qui sic justitiam calcare voluerit, non tenendus est, sed expellendus, tanquam vivere volens in spiritu libertatis suæ. A quibus tamen nos liberet Deus, [illegible] per gratiam suam: ut nostra sancta et immaculata religio de bono in melius semper augmentetur, per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Amen.

SERMO XV.

DE FIDE TRINITATIS A SIMPLICIBUS NON INVESTIGANDA, ET SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI CONTRA SEPTEM VITIA[2].

Scriptum est, fratres charissimi, quod non debemus loqui sublimia, tanquam sapientes mundi gloriantes. [illegible] propheta, *Nolite multiplicare loqui sublimia* (*I Reg.* II, 3). Hoc autem verbum ad vos maxime dirigitur, qui rustici estis, in silvis habitantes, sed cives sanctorum et domestici Dei vos [illegible]. Nolite igitur multiplicare loqui sublimia. Quæ sunt ista sublimia, de quibus non debemus multum loqui, nisi de Dei omnipotentia, de Unigeniti ejus coæternitate, de sancti Spiritus [illegible]? O fratres [illegible] cordis mei, si volumus scire quantum Pater immensus sit; apprehendere non valemus. Si imaginari cupimus, quomodo Filius coæternus sit et consubstantialis; mens humana omnis naturalis succumbit. Si scire desideramus, quomodo Spiritus sanctus omnia continet, et non continetur; omnis humana ratio deficit. Ideo hæc omnia discutere non curemus. Quare non, nisi quia nullo modo valemus? Propterea, fratres mei, sciatis, quod ubicumque quæritur de unitate Trinitatis, magna est adhibenda cautela: (a) quia nec periculosius alicubi erratur, neque laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Veniat igitur contra volentes scire ultra quam necesse est, sanctus ille Salomon, et reprehendendo atque docendo dicat, *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (*Eccli.* III, 22). Surgat etiam Paulus columna fidelium, et lumen orbis terræ, et sua voce confundat omnes philosophantes, nomen Christi portantes, volentes sapere plus quam oportet sapere. Non tamen dico, fratres, quod omnino non quæratis; sed quæstiones in divinis vos qui grossi estis, multiplicare loqui non debetis. Quærite tantum vos qui spirituales estis, quomodo præcepta Dei servare possitis, quomodo diabolum in eremo superare debeatis, quomodo patientiam, quam Christus docuit, amplecti valeatis. Hæc enim servus Dei semper legere et adimplere debet. Natura denique nostra fragilis est; et tamen ratione comprehendi non potest. Philosophus etiam Aristodemus annis multis insudavit naturam apis investigare; nec finaliter potuit. Quomodo ergo nos Trinitatem capere valemus? Cur miramur, o fratres, qui lutei sumus, et ventrem stercoribus plenum portantes; si nescire possimus Dei naturam? Numquid et Angeli ipsam in cœlo investigare possunt? Certum est, quod non. Quid enim sciunt, nisi quod Deus trinus et unus est, et omnia sine labore et pœna creavit et gubernat? Nolite ergo, fratres, loqui sublimia, nolite sapere plus quam oportet sapere. In die judicii non damnabuntur Christiani, nec rationem reddent quia philosophiam, vel dialecticam, vel astrologiam, vel musicam ignoraverunt; nec de hoc quod naturam Dei scire non potuerunt: sed ideo damnabuntur, quia Deo obedire neglexerunt. Ideo scitote, fratres, quod melius est pie confiteri ignorantiam, quam temere scientiam vindicare: quia temeritas pœnam habet, sed ignorantia promeretur veniam. Sufficiat nobis scire de mysterio Trinitatis tantum, quantum Dominus discipulis suis exposuit. Nemo enim novit sic de natura sua dicere, sicut ipse qui ait, *Baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Tres aperte pronuntiat personas: sed unitatem ostendit dicens, *in nomine*; non enim dixit, in nominibus. Trinitas enim non dividitur: indivisibiliter et singulariter unaquæque persona Deus est, et [illegible] in opere, concors in voluntate, par in potentia, æqualis in gloria, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus. Sancta ergo Trinitas unus Deus est: *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, et non tres deos putatemus esse, ait Apostolus, *Ipsi gloria*, non, ipsis. Ipsi quidem gloria semper sit, qui ait, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Cum enim singulariter dixit, *imaginem*; ostendit unam esse naturam ejus, ad cujus similitudinem homo fieret: cum vero pluraliter dixit, *nostram*, demonstrat Deum non unam esse personam, ad cujus imaginem homo fiebat. Si enim essentia Patris et Filii et Spiritus sancti una esset [illegible], non dixisset, *nostram*, sed, meam; nec, *faciamus*, sed, faciam. Si vero in illis tribus personis tres essent essentiæ, non dixisset, *nostram*; sed, nostras. Et ideo cum dicit, *Ad imaginem nostram*, [illegible], ad cujus imaginem factus est homo noster interior, qui similitudinem sanctæ Trinitatis retinet. Sicut enim Pater

[1] [illegible], et paulo post omittit, *minime*

[2] [illegible], *et sequentes* [illegible]

(a) August. lib. 1, cap. 3, de Trinit.

Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, non tamen tres deos credimus, sed unum Deum tres personas habentem; ita anima intellectus, anima voluntas, et anima memoria: non tamen tres animæ in uno corpore sunt, sed una anima; quæ licet unius sit substantiæ et naturæ, tres tamen habet dignitates, intellectum, voluntatem, et memoriam. Et sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus; ita per intellectum generatur voluntas, et ex his duobus procedit memoria. Sine his tribus anima perfecta esse non potest, nec horum trium unum sine aliis duobus aliquid integrum consistit. Nec solum sufficit intellectus, nisi sit voluntas in amore: nec hæc duo, nisi addatur memoria, quæ semper in mente intelligentis et diligentis manet diligens. Universitatis enim conditor Deus omnes motus animæ ad bonum facit: intellectum, ut intelligamus quod jubet; voluntatem, ut sit in amore ejus; memoriam, ne obliviscamur quod imperat. Eia ergo, fratres mei, et corona matris meæ; nolite discutere, nisi quantum vobis necesse est ad salutem: nolite sapere, nisi quantum oportet sapere. Quid enim oportet sapere, nisi quod Deus trinus et unus est? Quid aliud necesse est nobis, nisi declinare a malo, et facere quod bonum est? Quid aliud necesse est, nisi quod bona cognoscamus et mala? bona, ut sciamus ea rapere; mala, ut sciamus ea devitare. Non est igitur malum scire malum: quia nisi cognoveris, quomodo vitare poteris? *Per legem namque peccatum cognovi* (*Rom.* VII, 7), ait Apostolus; quia ante legem peccatum non cognovi, sed per legem datam quid tenendum, quid vitandum erat cognovi. Malum ergo scire non est malum: sed quod malum est operari, malum esse quis Paganorum unquam dubitavit? Necesse est ergo scire, quod superbia mater est et caput omnium vitiorum. Ab ea enim descendit inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, voluptas carnis, in qua continetur gula atque luxuria. Ascendit quis, fratres mei, ad sapientiam mundi, et dum considerat honores sibi a discipulis exhibitos, extendit alas suas usque ad terminos orbis terræ, et de se præsumens gloriatur, et sic superbiendo et præsumendo mox inanis gloria præsumentem aggreditur, dum ab aliis quærit gloriosus videri. Et dum sic quærit, a quibusdam considerat et videt se despici, dicentibus, Non est quod a multis creditur. Plures namque sunt eo acutiores, et plures eo meliores non dubitamus. Inflatus vero ille, qui se putat omnia scire vel singula possidere, videns quosdam altiores se, mox cum invidia aggreditur, cujus vestigium ira imitatur, et non valens iram opere perficere, tristatur; et quærens consolationem tristitiæ, avaritia tangitur, ut habeat unde transcendere valeat omnes. Et ecce, dum divitias congregat et acquisierit, statim in gulæ et luxuriæ foveam cadit. Sed, o grandis misericordia Salvatoris! Spiritus enim pietatis per contemptum mundi ordinavit, ut expelleret avaritiam: sed quia abjecta avaritia, sæpe mala comprimitur tristitia, datur spiritus scientiæ, ut ostendatur quæ sit bona vel mala tristitia. Si ergo scientia bonam tristitiam adducit, quæ surgit ex dolore peccatorum, expellitur tristitia sæculi, quæ mortem operatur. Sed quia multi sunt istis omnibus carentes, sicut sunt iracundi; ideo datur spiritus fortitudinis, qui per temperantiam refrenat iracundiam. Talis fortis est, imo fortior, qui vincit animum, quam qui capit urbem. Sed quia adhuc invidet fortius imperanti; datur spiritus consilii, qui per amorem proximi ejicit invidiam. Sed quia pro tantis meritis sæpius vult laudari, ideo datur spiritus intellectus, per quem intelligit quid sit. Sed quia invenit se nihil esse; ideo ante Deum humiliatur, et sic per humilitatem spiritus intellectus ejicit inanem gloriam. Sed quia aliquando non curat extrinsecus, solet tamen sæpe de se interius gloriari; ideo datur spiritus sapientiæ, per quem incipit Deum cognoscere. Cujus autem bonitatem et misericordiam quis cognoscens, ipsum toto cordis affectu diligit, et sic sapientia per charitatem expellit superbiam, quia expulsa per gratiam efficimur templum Dei et habitaculum Spiritus sancti. Amen.

SERMO XVI.

DE INOBEDIENTIA, NEGLIGENTIA, PATIENTIA ET CASTITATE [1].

Fratres mei dilectissimi, in omnibus operibus vestris semper mementote, quod omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore. Cavendum est, ne ante illud terribile tribunal vacui vel denudati appareamus. Non enim tunc sancti nobis subvenient, quia tempus miserendi et misericordiam impetrandi non erit, et jam fugiet a nobis paradisi Maria. Omnes enim contra nos tunc erunt, Abraham contra inobedientes, et Isaac contra impatientes, et Jacob contra negligentes, et Joseph contra incontinentes. O quam dure reprehendentur inobedientes, fratres mei, per venerabilem patrem obedientiæ Abraham, quam fortiter, quam turpiter! Ideo, fratres mei, attendite, et parati semper estote ad obedientiam mandatorum Dei, paratas semper habentes aures auditui, et linguam voci. Pedes ituros festinate, manus ad opera sine mora parate, corde jucundo, serena facie, ore risorio, et oculo ornato sanctitatis splendore: non tamen amore servili vel metu, sed omni charitatis affectu sanctam obedientiam servare vos opto. Tunc enim ante tribunal judicis Abraham non vos condemnabit, sed commendabit; non vos a se expellet, sed eo vocabit; non vos maledicet, sed sublimabit in æterna patria. Negligentiam omnem deponere vos deprecor, fratres, ne Abraham vos commendante contra surgat ille sanctus Jacob in die novissimo. Fugite, fratres, fugite negligentiam: nam sicut in unoquoque opere bono mater est diligentia, ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca est negligentia. Sed et si habuerimus obedientiam, et negligentia omnino carebimus; adhuc non sufficit, nisi et cum Isaac patientiam habeamus. Nam sicut per impatientiam omnia destruuntur bona, omniaque suffocantur optima; sic et per patientiam omnia generantur bona, omnes iniquitates demerguntur in profundum. Qui vero, fratres mei, patiens non est, monachus non est. Sed et si habuerimus obedientiam cum Abraham, patientiam cum Isaac, diligentiam cum Jacob, et castitatem non servaverimus cum Joseph; quid hæc omnia nobis proderunt? Amare ergo summe debemus castitatem, sine qua nostra opera nihil valent. O castitas, ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum pulchritudinis, decus sanctæ nostræ religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Dei amica, Angelorum cognata, Patriarcharum vita, Prophetarum corona, Apostolorum singulare, martyrum auxilium, confessorum vehiculum, virginum speculum, viduarum refugium, et cunctorum bonorum gaudium et solamen! Sed quidam sunt, fratres mei, qui in juventute sua luxuriose vivere volunt: et si ad senectutem pervenerint, gloriantur, dicentes se continentes esse. Tunc enim eligunt servire castitati, quando libido eos servos habere contemnit. Numquid tales continentes dicendi sunt? Absit. Tales enim præmium non habebunt, quia laboris certamen non habuerunt. Sed illos vere exspectat sempiterna gloria, qui fortes fuerunt gloriosa certamina supportare. Amen.

SERMO XVII.

DE VIGILATIONE ET OTIOSITATE VITANDA [2].

Apostolus Petrus, fratres charissimi ac dilectissimi, de vestra salute sollicitus, vos dulciter admonet, et ad vigilantiam vos exhortatur inter cætera dicens: *Vigilate, fratres, quia adversarius vester diabolus quærit quem devoret, cui resistere debemus per fidem* (I *Petr.* V, 8). Sed fides quærit orationem, oratio

[1] Codices Mss.: *De commemoratione extremi judicii.*
[2] Abest a Mss., *vigilatione et.*

autem optat prudentiam. Quid ergo, nisi quod prudentes sumus in fide fundati, et vigilemus in orationibus? Quare in vigiliis, fratres, vigilare debemus, nisi quia si non vigilaverimus, et otiosi permanserimus, quid aliud quam tepidi in hac solitudine apparebimus? Et si tepidi fuerimus, incipiet nos evomere Salvator de ore suo, de consortio suo, de plebe sancta sua, quod nec calidi nec frigidi sumus. Vigilate ergo, fratres, otiositatem deponentes in cunctis. Quod enim otium est, nisi vivi hominis sepultura, ut ait paganus ille sanctissimi Apostoli amicus charissimus (a)? Per otiositatem, fratres charissimi, rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus, per hanc eremum sæpe exire tentamur, per hanc accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasci, per hanc suffocamur pretiose vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur libenter audire. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter sanctorum conventus destruit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans inter eos zizaniam, generans inter eos homicidia, et omnia quæ sunt opera carnis. Quid ergo dicis, o frater? Quid otiose agere potes, nisi opera carnis? Nunquam quis civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit. Ergo, frater, qui in eremo habitas, si vis perfectus esse, fuge otiositatem: quia in servis Dei nihil pejus reperitur. Surge ergo qui dormis, o rusticane mi frater chare. Surge tu qui in eremo habitas, si clausos mentis oculos habes. Surge tu, qui nec ad alta virtutum oculos mentis protendis, nec ad videndum quæ necessaria tibi sunt, oculos mentis aperire vales: fuge otium, et aliquid facere memento. O fratres mei, semper occupatos vos esse desidero, ut bravium salutis per gratiam recipere mereamini. Hanc fugere cupiens sanctus monachorum pater Antonius, clamavit ad Dominum in eremo, et dixit: O Samaritane Domine Deus meus, o animarum et corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde servo tuo misericordiam, ut in eremo collocatus, in tuo conspectu otiosus non maneam. Et audivit Antonius: Antoni, cupis Deo placere? Ora: et dum orare non poteris, manibus labora, et semper aliquid facito. Fac quod in te est, age quod potes: et non deficiet tibi auxilium de sancto. Quid ergo diffidis, o frater? Numquid idem Deus est? Numquid et pro te idem crucifixus est? Age igitur quod bonum est. Fuge otium, quod mors est, et aperi oculos mentis et corporis; videbisque singulas creaturas officiis singulis deputatas. Ecce enim sol cursum anni perficit, luna etiam mensibus et vicissitudinibus discurrit, et cætera stellæ. Omnia enim sibi deputata officia sine quiete exercent. Numquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiunt? Numquid non semper laborant, ut conserventur in esse? Numquid in suis necessitatibus deficere et pigrescere ea videmus? Absit. Omnia enim obedientia sunt, omnia enim agunt quod agere debent. Solus autem miser homo acedia separatus a suo officio frequenter recedit, et Dei imaginem in se deturpans in acedia perseverat. Erubesce, o christiane, et absconde te a facie Salvatoris tui, quem insipienter jumentis et formicis homo factus esse comprobaris. Vade enim ad formicam, et considera semitas ejus. Disce ab ea, miser, qui capite elevato perambulas, et super astra cœlorum jam ascendere quæris; considera semitas ejus, quia cum præceptorem non habeat, tanquam de salute sua sollicita, in æstate grana colligere non desistit, quibus vivere possit in hieme. Non enim solum sæculares hoc attendere debent, sed et nos qui Dei gratia in eremo sumus, et in hac vasta solitudine habitamus (b), formicarum conditiones debemus attendere, et eas in suo opere imitari. Laborare enim sine intermissione debemus, ut fructum bonum operum acquiramus in æstate præsentis vitæ tam sollicite et sedule, ut tempore hiemali, et tempore frigoris et judicii non fame pereamus, sed bonis cunctis ornati æternaliter reficiamur in patria. Eia ergo, fratres mei dilectissimi, corona mea et gaudium meum quod estis: omnem otiositatem expellite, semper aliquid boni facite, et quem tædet orare vel psallere, laborare manibus non differat: cogitantes quod quamdiu David exercitavit se in militia, non insultavit sibi luxuria; sed postquam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio, et homicidium commisit. Samson dum cum Philisthæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus; sed postquam dormivit in sinu feminæ, et otiose cum ea remansit, mox capitur, et cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam; sed recedens ab opere, mox persensit insultum luxuriæ, et deficiens, femina instigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum. Vigilate ergo, fratres mei, vigilate, et nolite deficere; quia nec sanctiores David, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognovi. Deponatis omnem acediam, quæ sermonem nudum facit, bonis omnibus vos privat, virtutum vestimentis vos expoliat. O fratres mei, honesto opere semper occupatos vos esse desidero, et quod perdidistis in sæculo per præteritum, recuperetis laborando in eremo in futuro. Et si aliqui sunt ex vobis, qui per annos octoginta et amplius in eremo sunt sanctissime conversati (a), jugo sanctæ obedientiæ, paupertatis et castitatis decorati, jam gaudeant exspectantes beatam spem et adventum Domini. Isti enim, ut videmus, qui amplius jejuniis et orationibus et operibus monasterii insistere non possunt (fecerunt enim dum potuerunt); propterea, filioli mei, si modo non faciunt ea quæ facere consueverunt, non sit vobis molestum. Si quiescunt, non miremini: si venerantur a me ut patres, non tristemini, quia ipsi digni sunt. Non enim dolere debetis, quia charitas non cogitat malum, gaudet autem de bono. Ideo volumus, et in Christi nomine ordinamus, ut et ipsi qui centum annorum et amplius sunt, *Pater noster* sedendo in lectulo dicant, et diligenter eis sine murmure serviatur, ut et ipsi pro nobis intercedant in cœlis, quorum habitatio jam ibi est: quam obtinere faciat nos ille qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

DE INVIDIA CAVENDA.

Fratres mei desideratissimi, nolite invicem invidere; sed studeat unusquisque Deo in cunctis placere. Invidia enim omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia mala generat. Sed dicetis, Nos quidem grossi sumus, peccare optime scimus: sed vitare peccata vel a peccatis resurgere ignorantes et fragiles sumus: quomodo ergo invidiam habentem, vel nos ipsos habentes cognoscere poterimus? O fratres mei, cupitis vos ipsos, si invidi estis, cognoscere? cupitis et fratrem vestrum invidiam habentem cognoscere? Attendite quod ille invidus est, qui alienum bonum suum facit: et dum facere non potest, clamat per vicos et plateas, et velut canis latrat et ardet; sed primo se ipsum, more phœnicis, occidit. Quid enim agit phœnix, nisi quia dum senescit, ad partes calidissimas volat, ligna siccissima congregat, et lignis congregatis ligna alis percutit, et sic ignem accendit, et in eodem se comburi permittit? Ex quibus cineribus vermiculus nascitur, et postmodum phœnix alia efficitur. Sic et hypocrita facit, sic et invidus agit cunctis diebus vitæ suæ, intus et extra se comburens, se molestans, primo se ipsum vulnerans et vexans. O invide, quam paucos habes amicos, qui forsitan neminem habes, de cujus bono non doleas,

(a) [illegible], [illegible] ex apocryphis.
(b) [illegible]

(a) Quam [illegible] habet Augustinus pater filios, quorum [illegible] 28, [illegible] et principium! » Hinc auctoris [illegible] Lupus.

et de cujus malo non gaudeas! Merito enim amico privari debes, eo quod de nullo amicorum bono gaudere probaris. O invidia omni vitio pejor, et omni peste deterior! O invide qui nunquam quiescere potes, an ignoras quod omnis malitia habet aliquam felicitatis umbram? Sed tu ipsa invidia nequissima pestis, tormentum sine relaxatione, morbum sine remedio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate semper habere videris. O invide vermis mortifere, qui in hedera Jonæ quotidie nasceris! O igneus serpens, quo populus Israel pungitur! Hic est enim, fratres charissimi, bruchus a quo fructus terrarum depascitur. Legimus enim, dilectissimi fratres mei, quod filiis Israel manna cœlitus datum est, quo reservato scatuiebat multitudo vermium. Sic ex gratia divinitus collata fideli, occasionaliter in animo superbi invidia nascitur. Et quanto magis cœlestis gratia fideli solidatur, tanto magis superbi mens in invidiæ vermem resolvitur. Legimus etiam vermem ex hedera natum, cujus umbra Jonas a calore defendebatur: tandem hedera corruit, et funditus devastatur. Per vermem etiam invidiæ filios Israel in Ægypto legimus igneos serpentes pupugisse. Sic et vos eremi sacri cultores, veri filii Israel, dum invidos vestros de vobis susurrantes auditis, exsultate, quoniam filii Dei et sanctorum patrum effici meruistis. Exsultate, orantes pro eis, ut eos socios habere in sanctorum collegio mereamini: reprehendentes et ostendentes eis, quod ipsa invidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur, ærugo quæ thesaurum sapientiæ deprædatur, bruchus qui terrarum virentia comburit; quia quidquid boni operis virescit in homine, pene pestis invidiæ perdit. Hæc est quæ angelum de cœlo projecit, quæ hominem de paradiso exsulavit, quæ filios Israel in deserto percussit, quæ contra Joseph fratres armavit, quæ Danielem in lacum leonum misit, quæ Caput nostrum cruci affixit, quæ Judam suspendi fecit. Scitote, fratres mei, atque discite, et super tecta prædicate, quod invidia est illa fera pessima, quæ fidem tollit, concordiam dissipat, tertiam linguam multiplicat, justitiam disperdit [1], et omnia mala generat. Hæc est quæ Abel occidit, Adam oneravit, Pastorem suspendit, Petrum jugulavit dum Christum negavit, Paulum et Joannem decollavit, Stephanum lapidavit, Goliam prostravit, David decepit: hæc est quæ muros Jerusalem evertit, Romam depopulavit, Carthaginem destruxit, Trojam devastavit; et multa mala per hanc feram pessimam facta sunt. O frater mi dilecte, o rusticane amande, o dimidium animæ meæ, cur invidiam non deponis? cur eam diligis? Numquid mortem diligis, numquid ad suspendium pergis? numquid in lacum te projicis? O invide, qui nunquam quiescis, sed semper cum Saulo servos Dei persequeris, eos ligatos ducens ad principem sacerdotum, ecce alios laboras tenere, sed tu teneris ab illis; alios ligare procuras; sed ecce tu cadens in terram audis cum Saulo, *Cur me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Alios tenere sollicitas, sed ecce cæcatus teneris a cunctis. Alios defraudare procuras, et ecce nequiter defraudatus, mox deportaris ad terram. Eia ergo, fratres, deponite invidiam; et si quos invidos vos habere videtis, orate pro eis; quia toties moriuntur, quoties vident vos bonis omnibus refulgere operibus. Cupitis ergo eos torqueri? Nunquam enim melius invidos torquere poteritis, quam virtutibus et gloriæ serviendo. Tunc enim latrant ut canes, devorant ut leones, facie pallescunt, capite minantur, oculis scintillant ut sidera, manus cancellatas astringunt, dentibus strident, et sic anima et corpore moriuntur. Vos autem bene facite, non tamen ut eos ad furorem accendatis, sed ut Deo placeatis. Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, dolentes de malo corporis, sed fortius de animæ perditione. Concedat ergo nobis Christus peccatorum contritionem, et proximi dilectionem qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX.

DE VIGILIA NATIVITATIS CHRISTI.

Accingimini, filii potentes, et estote parati: crastina enim die delebitur iniquitas terræ, et regnabit super nos Salvator mundi. Crastina die cœlorum caligo minuetur. Crastina die lux oculis fidelium et credentibus reddetur. Crastina die mundus suam reparationem amplectetur. Crastina die Conditor siderum Redemptorque omnium proditurus est de utero sanctæ Mariæ virginis. Crastina die ille qui æternaliter præcedit volubilitatem sæculorum, gerere se incipiet cursibus annorum. Crastina die solutis naturæ legibus, per solius divinitatis potentiam virginis Mariæ viscera fecundantur, et ex rivulo suo flumen ingens orietur, et fructus apparebit optimus, et ex virgulto suo radix perfectorum bonorum procedet tanquam sponsus de thalamo suo. Crastina die, o monache, suscipies infantulum Jesum, qui tamen ante omnia sæcula factus est. Para igitur te, quia ipse dignatur videre te, osculari te, astringere te, et nunquam dimittere te, nisi tu primo eum dimiseris. Aspicite ergo, fratres, oculis mentis et corporis; et videbitis Dei potentiam venientem, et procedentem a Patre tanquam sponsum de thalamo suo. Quem aspicietis, quem tenebitis, quem adorabitis, pura mente et mundo corde ipsum fortiter tenete, totum in mundo, et totum in cœlo; totum in mundo ad justificationem, totum in cœlo ad glorificationem; totum in mundo ut educat peregrinantes, totum in cœlo ut recipiat pervenientes; totum in solio Patris, totum in gremio gloriosæ matris. Sic enim crastina die patebunt signacula figurarum, fulgebunt oracula Prophetarum, apparebunt miracula naturarum, stillabunt spiracula gratiarum; quia nascetur Jesus Christus filius Dei vivi in Bethlehem Judæ. Dum enim venerit, videbimus rubum ardere, sed non consumi; virgam Aaron frondentem, et fructum facientem. Accingimini ergo, filii potentes, et estote parati, ut videre possimus cum Ezechiele portam sacratissimam perpetuo clausam. Crastina enim die videbimus etiam cum Daniele puero sancto lapidem angularem. Crastina die videbimus Regem regum mentalibus oculis et humanis sub forma panis visibilis panem invisibilem alimoniam, cœlestem, refectionem beatam, cibum æternæ vitæ, pignus nostræ redemptionis, hostiam salutarem, quam die crastina toto affectu manducare debemus. Iste est ille panis et cibus datus Israelitico populo, manna dulcissimum, habens in se omne delectamentum et saporis suavitatem. Iste est ille cibus, quem vidit Pharao, in quo spicæ pulchræ et formosæ erant. Iste est ille panis datus Eliæ, in cujus fortitudine ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et pervenit usque ad montem Dei. Iste est ille panis quo cibantur Angeli, quo saginantur Apostoli, quo reficiuntur martyres, quo pascuntur confessores, quo nutriuntur virgines, et satiantur electi omnes. Panem autem hunc si quis digne manducaverit, non morietur in æternum; quoniam spiritus vitæ, et ipsa vita est. Hic est panis qui de cœlo descendit, quem virgo nobis cras præsentabit, quem in gremio portabit, quem in ventre bajulavit sine gravamine, quem peperit sine corruptione. Cujus mater inventa est virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Ipsa quem genuit adoravit, sed prius mente quam ventre, et priusquam filius in utero conciperetur. Levate, o fratres mei, levate in hac vasta solitudine capita vestra: ecce enim jam est in porta redemptio vestra. O quam magna magnalia Deus propter nos operatur! Ecce enim quomodo nos amavit. Ipse enim Deus factus est homo, creator creatura, ditissimus pauper: conditor legis destructor legis propter nos appellatur. Amavit enim nos, ut reciperet nos: humiliavit se, ut exaltaret nos in se. Inclinavit se, ut

[1] Hæc omittunt Mss., nempe, *tertiam... disperdit.*

erigeret nos ad se. Ecce enim quomodo nos erexit: quia descendit ut nos exaltaret, exinanivit se, ut nobis potestatem donaret. Accingimini ergo, filii potentes, et estote parati, quia die crastina videbitis, [illegible] Deo et Domino[1] divinitatem incarnatam, majestatem subjugatam, [illegible] captivatam, virtutem [illegible], [illegible] terminatam, virginitatem fecundatam, vitam infirmatam. Accingimini ergo, et estote parati mente pura, fide integra, charitate sincera, ut dum venerit ille sanctus sanctorum, et pulsaverit, confestim aperiatis ei. Non igitur pigeat vos modico tempore carnem vestram domare jejuniis et abstinentia escae et potus: quia ecce remunerator adveniet, reddens unicuique secundum opera sua. Salvatorem igitur exspectantes, sobrie, pie et caste vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum Domini, ut digne cum eo gloriari possimus in coelis. Amen.

SERMO XX.

DE NATIVITATE DOMINI.

Fratres dilectissimi, homo non solum per Sapientiam Dei factus erat ut esset, sed etiam ad sapientiam Dei factus erat, ut beatus esset, ut illa frueretur eo sensu, quo percipi sapientia poterat. Sed quia peccando sensum amisit, quo sapientia frui debuisset, quia oblitus est comedere panem suum; et refectionem illam qua vivunt angeli, in corporalem commutavit delectationem. Terrenus igitur et corporalibus sensu et affectu immersus, non potuit se ad spiritualium cognitionem sine amore erigere, sed sola ea quae carnis sunt agnoscere, spiritualium jucunditatem non agnovit. Ideo ipsa Dei Sapientia cum sursum esset, deorsum hodie venit ubi homo erat, ut eum revocaret unde ceciderat. Et ecce Verbum caro factum est, ut Deus et homo inter homines esset: et sic conversus est panis ille in lac, ut a parvulis hominibus sumi posset. Sapientia ipsa sursum panis erat, et eadem ipsa sapientia deorsum lac erat. In divinitate ipsa Sapientia panis erat: et in humanitate panis de coelo descendens hodie lac factum est, ut tanquam infantes per lac nutriti homines, roborati ad panem divinitatis accedere possent, et idem ipse reficeret, et reficiendo languidos ad incorruptionem repararet. Dedit ergo reparandis ad incorruptionem alimentum incorruptionis, parvulis quidem immaculatam carnem quam sumpserat de virgine matre, perfectis vero incorruptibilem divinitatem quam habuit de aeterno Patre: istis, ne interim deficerent in via; illis, ut reficerentur et perficerentur in patria: istis ad consolationem, illis ad glorificationem. Propter hoc ergo Dei Filius pro redemptione hominum homo hodie factus est, ut caro per carnem liberaretur, et humano generi de suo sumeretur pretium redemptionis; et inde remedium fieret, unde vitium contractum fuerat; et in eodem monstraretur, et peritia medici, et justitia redempti; quando de suo et sanando invenitur remedium, et pretium redimendo. Quia ergo a corruptione liberandum erat quod redimendum, idcirco pretium redemptionis incorruptum esse debuerat. Propterea Maria mater electa est, et super omnes creaturas praeelecta, omnibus gratiis fecundata, omni virtute et sanctitate in utero matris repleta, ut de purissima matre mundissimus filius nasceretur, et sicut in coelo Filius habuit Patrem immortalem et aeternum, sic et in terra haberet matrem omni corruptione carentem. Igitur in coelo qualis est Pater, talis est Filius; et in terra qualis est mater, talis est secundum carnem filius. In coelo cum Patre aeternus est et immensus; et in terra cum matre [illegible] et mansuetus. In coelo cum Patre [illegible] et incorruptus; et in terra cum matre [illegible] et corruptibilibus apparet. In coelo imago Patris [illegible]; et in terra [illegible] ostenditur. In coelo [illegible] et [illegible] ostenditur; sed in terra hodie inter bovem et asinum [illegible]. Mater ergo in [illegible]litate exsultat, sed ejus hodie filius humilitatem facto commendat. Per virginem[1] hodie venit ad nos; et per virginem praecessit nos. Per incorruptionem venit, ut peccatum tolleret; per incorruptionem praecessit, ut virtutem demonstraret. Venit ad nos hodie Jesus Nazarenus, ut conferret remedium; praecessit, ut daret exemplum. Non enim potuit arbor bona malum fructum facere; quoniam omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Radix integra, et fructus ejus incorruptus est. Salvatoris igitur nostri adventus Gabriel nuntius missus est, ut novam in carne nativitatem filii Dei praedicaret, in quo forma servi Domino sociata hostem potenter devicit, fortis in illo, non tamen violenta ad inferendam injuriam, sed efficax ad justitiam obtinendam. Propterea Gabriel missus est unus de majoribus coelorum Angelis: sed ideo Gabriel dicitur, quia fortior cunctis erat. Gabriel enim Fortitudo interpretatur: quia ipsa etiam infirmitas fortitudo fuit, quoniam in ea superatus fuit inimicus, et capta praeda a violento reducta est. Tres enim perierant, et subsecutus est quartus, redemptor eorum Deus. Primus sine masculo et sine femina, ut Adam. Secundus de masculo sine femina, ut Eva de Adam; quia tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Tertius de masculo et femina, ut Abel. Quartus de femina sine masculo, ut Salvator mundi, qui de beata Maria virgine hodie pro nobis nasci dignatus est. Et quia primus auctor culpae dejectus est per feminam, ideo auctorem gratiae sine masculo concepit, et peperit hodie femina Maria virgo. Haec est femina totius mundi mater et domina, quae virgo permanens peperit hodie filium. Stella protulit solem, creatura genuit Creatorem, filia concepit patrem et filium, simul in unum divitem et pauperem. Ipsa filia, ipsa est et mater; ipsa ancilla et domina; ipsa genitrix et genita: ipsa cum integritate peperit, cum virginitate concepit, et post partum, ut supra diximus, virgo permansit; ipsum quem genuit mox adoravit. Cujus adorationis et gratiae participes nos faciat ille, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

SERMO XXI.

DE TRIPLICI GENERE MONACHORUM IN AEGYPTO[2].

Ut nobis per litteras declaravit sanctus pater Hieronymus, fratres dilectissimi, tria sunt in Aegypto genera monachorum: quorum duo optima sunt, sed tertium omnino tepidum et omni affectu vitandum. Quae sunt illa duo quae optima praedicantur, nisi Eremitarum atque Coenobitarum genus et ordo, quorum vita clarissima et sancta congregatio tempore praedicationis apostolicae sumpsit exordium? Isti sunt illi viri perfecti quibus frequenter adhaesi tempore erroris mei (a), per quos etiam illuminari merui: quorum etiam sanctitatis fama ad aures meas perveniens, baptizari non diu distuli. Et pia matre me instigante apud Mediolanum, ut ad patriam remearem, et cupiens eos habere in visceribus charitatis, et cum eis pariter vivere, ad virum illum Simplicianum, qui a juventute sua devotissime Deo vixerat, in omni charitate perfectum, deprecans cum cum fletu et gemitu, ut mihi quosdam servos Dei de suis donaret, et donavit eos mihi paterne. Quare paterne eos mihi donavit? Quia sciebat me velle monasterium in Africa aedificare. Et assumptis mecum Anastasio, Fabiano, Severo, Nicolao, Dorotheo, Isaac, Nicostrato, Paulo, Cyrillo, Stephano, Jacobo, et Vitali pauperculo (b),

[1] Alias: *et Domino* [illegible].

[2] Mss., *De tribus generibus monachorum, et de sancta paupertate*.

(a) [illegible] sermonem de monasteriis [illegible] Augustini, ex lib. 8 Confess., cap. 6, nn. 14 et 15.

(b) Possidius, c. 5, ad Augustinum regressum esse [illegible]. Nec alios nomina [illegible] Navigium, Adeodatum, Alypium, Evodium ac Severum [illegible] istis Italis. [illegible], itaque Cupus, comitatus iste inter fabulas est [illegible].

[1] Mss., *et homine*.

qui pecuniæ sacculum apud Mediolanum invenit, et non rapuit, de quo jam sermonem fecimus, quia invenit et non rapuit, nec post aurum abire voluit. Igitur istis mecum assumptis, imitari cupiebam cum charissimis meis amicis, Evodio, Alypio, et Pontiano, qui diu mecum fuerant, et cum cæteris undecim, quos nuper assumpseram, illos quorum famam etiam sanctus presbyter Hieronymus mihi dixerat (*a*). Et sic perveni in Africam pia matre defuncta, et ædificavi, ut videtis, monasterium, in quo nunc sumus, in solitudine a gentibus segregatum. Et placuit Deo centenarium numerum fratrum mihi donare, illuminans corda nostra, non solum sanctissimos patres solitarios imitari, sed etiam in hac solitudine more Apostolorum omnia communiter possidere. Hæc Deus nos servare, et postea docere, et per me vobis præcipere voluit. Sic enim videtis quia ante me multi fuerunt patres, quos sequi et imitari debemus: non tamen, sicut ego, secundum apostolicam vitam alios vivere docuerunt. Caput igitur et principium omnium vestrum me ipsum dicere non erubesco. Non tamen vos pigeat eos sequi et imitari in omnibus, attendentes omnia communiter habere et possidere, quia in celsitudine paupertatis viventibus non licet, nisi ut unum sit cor, una anima, et omnia communiter possideant. Unde agrorum pretia ponebantur ante pedes Apostolorum, tanquam pedibus conculcanda; quia ipsi sancti Apostoli et amici Dei indigna reputabant agrorum pretia manibus contrectari. Unde etiam in veteri lege Levitis præcipiebatur, nihil in terra eorum possidere. Non ergo habere debemus temporalia ad possidendum: nec ego, qui episcopus sum, habere debeo, nisi tantum ad dispensandum; quia bona Ecclesiarum patrimonium pauperum sunt. Unde ego, qui episcopus sum, summe cavere debeo, ne res pauperum, quas Hipponensis Ecclesia conservare videtur, divitibus largiantur, quod bene feci huc usque. Nam consanguineos habeo, et nobiles se dicere non erubescunt (*b*). Ad me episcopum veniunt, aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis dicentes: Da nobis aliquid, pater; caro enim tua sumus. Et tamen Dei gratia, et vestris orationibus mediantibus, consanguineum aliquem me ditasse non recolo. Chariores enim mihi reputo pauperes, quam divites: quia habentes victum et vestitum, fideles omnes contenti esse debent, maxime nos clerici: in cujus rei signum capita tonsa et rasa habere debemus, ne divitiarum capilli occupent mentem servorum Dei. Eia ergo, fratres; estote pauperes, non solum verbo, sed et opere et veritate, attendentes quid nobis dicat qui nostrum se fecit pretium in ara crucis, qui etiam noster est advocatus in cœlo, et intercessor ad dexteram Dei Patris. Dicebat enim ille Deus deorum discipulis suis, quos de toto mundo præelegerat, ut essent sal terræ, lux mundi, rectores Ecclesiæ militantis, magistri et senatores Ecclesiæ triumphantis. Ait enim, *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v, 3): non, Beati qui dura sub grandi necessitate patiuntur. Tales enim murmurant, detrahunt, invident habentibus, rapiunt et furantur: sed si non opere, saltem voluntate hæc adimplere conantur. Ideo tales beatos non appellat Salvator, quia non pauperes, sed miseri sunt putandi. Quare? Quia de angustiis temporalibus educti, ad æternas miserias deputati sunt: ubi non solum beatitudinem habere non poterunt, sed nec guttam aquæ invenient. *Beati* ergo *pauperes spiritu*, sed non paupertatem simulantes. Tales sunt hypocritæ, paupertatem aforis prædicantes, nullam tamen necessitatem portare volentes. Tales in cunctis operibus suis sperant reverentiam honoris, gloriam laudis, vincendum metum, et ut Deus venerari, sancti ab omnibus vocari desiderant, sola voce paupertatem et abstinentiam prædicant, sed digito suo non cogitant ea movere: corpora aforis despectis vestibus tegunt, sed intus delicata purpura induuntur: in cinere prædicant se jacere, sed excelsa palatia non despiciunt: angelos in lucem aforis ostendunt, sed lupum esse intus habere non dubitamus. Tales fuerunt illi Sarabaitæ, de quibus tibi nobis scripsit pater Hieronymus, quorum genus est omni affectu vitandum. Ipsi denique in Ægypto erant, in foraminibus petrarum habitantes, induti porcorum et boum pellibus tantum, cincti funibus palmarum, spinis ad carnem portantes ad cingulum ligatas, discalceati, et sanguine cruentati cavernas exeuntes, ad festum Scenopegiæ pergebant Jerosolymam, et sancta sanctorum intrantes, paupertatem et abstinentiam prædicabant cum omni affectu servare, barbas postmodum in conspectu hominum sine redemptione evellere festinabant, et sic acquisita fama et lucro ad propria remeabant, solitarie gaudentes et epulantes supra id quod explicare possumus. Hos, fratres mei et filioli mei, quos quotidie parturio in visceribus charitatis, nolite, obsecro, imitari; quia non beatos, sed damnatos jam eos esse prædicamus. Amate igitur paupertatem, amate eam omni affectu, et nolite deficere; ut sitis genus electum, non abjectum; gens sancta, non obstinata; populus acquisitionis, sed non perditionis; regale sacerdotium, non venale pretium. Vos estis illa apostolica forma sanctaque congregatio, a mundo corde et opere segregati, qui Dei virtute jam percussistis duces Moab, satrapas et tyrannos Jerusalem et Ægyptiorum hypocritas jam vulnerastis ad mortem. Vos estis vinea mea electa, in medio Ecclesiæ paradisi plantata, Christi sanguine redempta et irrigata. Ad hanc vineam ego solus Dei virtute vos congregavi, et operarios meos vos feci; ut laborantes in ea usque ad finem, dignum fructum recipiatis in tempore suo. Ad hanc vineam ego vos elegi, ad hanc Dei hæreditatem vos convocavi, licet favoratus a sancto episcopo Valerio, qui de bonis episcopatus, ut monasterium in eremo ædificarem, mihi multa donavit. Non enim satis fuit patrimonium meum vendere (*a*), nisi etiam ipse me coadjuvasset. Ad hanc igitur congregationem ego vos elegi. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et ecce postquam episcopus factus sum, Vitalem, Nicolaum, Stephanum, Dorotheum, Paulum, Jacobum, Cyrillum frequenter rogavi, ut me solum in episcopatu non dimitterent: quia licet episcopus essem, non tamen credebam paupertatem despicere; sed cum Abraham, Isaac et Jacob inter divitias vivere, et veram paupertatem servare optabam, ut de numero eorum essem, de quibus ait Apostolus, *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* vi, 10). Igitur hos frequenter rogavi ut venirent, non ut essent rebelles eremo, sed ut solitarie etiam in civitate viventes, habitare possemus in palatio sancto. Sed ecce noluerunt venire tanquam de se ipsis timentes; ne a sæculo caperentur, noluerunt venire. Quare noluerunt? Non quia non digni, sed quia non solum pauperes esse voluerunt, sed etiam supra id quod in Speculo nostro edidimus facere voluerunt, calcantes per omnia sæculum et pompas ejus. De quo munere summum gaudium omnes habere debemus, quia facere voluerunt quæ Deo et mihi promiserunt. Et quia solus stare non poteram episcopus, ideo rogavi sanctum senem Valerium, qui mihi jam potestatem prædicandi in populo dederat, ut infra domum episcopi monasterium clericorum constituerem (*b*). Et placuit sancto Episcopo mihi condescendere: et sic cum eisdem in omni pauper-

(*a*) Et illud falsum observat Lupus, cum Augustinus dicat primam cum Hieronymo amicitiam nasci cœpisse tempore sui presbyteratus, idque opera Alypii in Terram sanctam peregrinantis.

(*b*) Augustinus, serm. 356, n. 13, dicit se non de nobilibus, sed « de pauperibus natum; » et lib. 2 Confess., cap. 3, filium « municipis Thagastensis admodum tenuis. »

(*a*) Patrimonium Augustinus non monasterio, sed pauperibus erogavit, ut patet ex serm. 355, n. 2. Vid. epist. 126, n. 7.

(*b*) Lupus ait « esse admodum probabile quod clericorum monasterium Augustinus non instituerit nisi post mortem

tate vivere coepi, nec manducans carnes, nisi dum hospites venerint: sed tantum olera et legumina absque oleo vel butyro, sicut ante vobiscum cum gaudio consueveram. Igitur, fratres mei, licet in cathedra episcopali me viderlis, paupertatem tamen mihi charam sponsam tenere congratulor: quia ipsa est etiam Christi sponsa, sanctorum possessio, beatorum vita, fidelium securitas, clericorum ornamentum, monachorum vita, nobilium pulchritudo, divitum magnificentia. Hæc est illa sancta paupertas, quam qui tenet et amat, nulla indigentia laborare potest. Nec mirum, fratres, quia sibi datur omnium Dominum possidere. Ipse est enim sperantibus in se thesaurus in paupertate, solatium in solitudine, gloria in abjectione, honor in contemptu, umbraculum in omni protectione. Estote igitur pauperes, fratres mei, quoniam desiderium pauperum exaudivit Dominus, et præparationem cordis eorum audivit auris sua. Tunc enim vere pauperes eritis spiritu, tunc vere beati, tunc benigni, tunc obedientes, tunc veraces, tunc non ficti, tunc omnis mali ignari, si vero corde et opere pauperes inveniamini. Quam gratiam nobis impetrare dignetur beatus primicerius martyrum Stephanus, qui pro suis persecutoribus exoravit Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

DE CONSOLATIONE FRATRUM IN EREMO, A QUIBUS SANCTUS AUGUSTINUS RECESSIT, CUM EXHORTATIONE AD ORATIONEM ET LACRYMAS [1].

Fratres mei et lætitia cordis mei, tempus est ut revertar ad eum qui misit me ad vos: vos vero nolite contristari, nec turbetur cor vestrum. Rogabo enim Patrem ut ipse vos custodiat, et maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis. Iterum dico, nolite de meo recessu amplius contristari, sed semper orate pro invicem, ut salvemini. Valde enim servis Dei et solitariis est necessaria oratio, per quam Deus placatur, per quam Deus ad nos inclinatur. Adoraverat enim populus Judaicus vitulum conflatilem, et ait Dominus Moysi: *Dimitte ut irascatur furor meus contra eos.* Cui Moyses: *Quæso, Domine, quiescat ira tua, et esto placabilis super malitiam populi tui* (*Exod.* XXXII, 10-12). Et ecce placatus est Dominus. O quam grandis est ipsius orationis causa! o quam grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte, et Josue Amalech devincebat. Per orationem Ezechias sanatur, et salutem animæ et corporis adipiscitur. Per orationem Saulus Paulus, doctor Gentium, et prædicator orbis terræ effectus est. Obsecro ergo, fratres mei, ut oretis pro invicem, ut salvemini. Deprecor, fratres mei, cum Apostolo, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones. Orate et nolite deficere, et si possibile est, lacrymas fundatis. O quam magnum sacrificium Deo obtulistis vespertinum, lacrymas cum oratione effundere! Divina enim Scriptura aliquando nos ad lacrymas, aliquando ad gaudium nos invitat. Sæpe enim dicebat Salvator discipulis suis, *Beati qui lugent* in hac vita, quia gaudebunt in æterna vita. Prius enim dolendum est: sed post dolorem gaudium subsequitur, quia *beati qui lugent*. Sed postea dicit Salvator, *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth.* V, 5, 12). Quæ quidem merces per lacrymas et orationes acquiritur. Orate igitur, fratres mei, in eremo: orate et nolite deficere. Nam sicut proprium est canibus latrare, ita proprium est eremi cultoribus orare. Bonorum enim oratio locutio est ad Deum. Quando enim servi Dei legunt, Deus sine dubio eis [illegible] loquitur; sed dum orant, cum Deo suaviter loquuntur. Ipse enim sapiens est, qui sub paucis verbis multa comprehendit: et quidquid necesse est, hilariter tribuit, et abundantius atque perfectius quam homines sciant vel valeant cogitare. O fratres mei dilectissimi, clamate in eremo, ululate in hac vasta solitudine, vociferari non quiescatis: clamate orando, et nolite deficere; et non solum voce, sed maxime mente. Ecce enim auditis semper aves in deserto cantantes, et laudantes Deum factorem suum. Et si cantare non potestis, qui senes multum jam estis; mente saltem nolite tacere. Nam et tacentes ore, mente autem orantes exaudit Dominus. Nec in oratione loquendo tantum quæritur, quantum sensus. Ecce enim Jeremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exsultat, tres pueri in fornace tripudiant, Job in sterquilinio triumphat, paradisum de cruce latro invenit, Susanna inter senes defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, et inter lapidantes pro Saulo exauditur. Non est igitur locus in quo orare non debeamus; quia Deus ubique est, ubique nos exaudire dignatur. Orate igitur semper, et in omni loco, ut salvemini. Non solum unusquisque pro se, sed pro omnibus orare debemus. Nam, ut ait venerabilis pater Ambrosius, Si pro te tantum rogaveris Deum, tantum tuum meritum possides: sed si pro omnibus rogaveris, omnes pro te rogabunt. Oratio sancta, columna sanctarum virtutum, deitatis scala, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, conjugatarum levamen. Beatus qui te amat, beatior qui te frequentat. Beatus qui te astringit: sed beatior qui in te perseverat. Beatus qui tecum lacrymas fundit, quoniam holocaustum Deo sanctum et immaculatum offerre non dubitamus. Flete igitur, fratres mei, orando, et nolite quiescere, ut digni efficiamini gratia Dei. Sed dicetis: Ecce multi sumus, et præter Evodium, Alypium (*a*), et Pontianum (*b*), qui de Scriptura sancta multa noverunt, omnes grossi et idiotæ sumus (*c*); igitur doce nos orare. O fratres mei, licet grossi sitis, et subtilia non capiatis, non tamen debiliores vos reputo, sed chariores vos teneo ignaros et humiles, quam sapientes elatos et superbos. Dei tamen gratia pro vestra salute sufficit quod habetis. Licet enim medullam Scripturarum non intelligatis sicut Evodius, Alypius et Pontianus, qui Romæ diu mecum commorati sunt (*d*): tamen Scripturarum corticem vos intelligere non dubitamus. Diximus enim primo vobis, quod psallere, orare, et manibus laborare debetis, quando necesse fuerit, et si vobis tempus superfuerit, dicere, *Pater noster*, non differatis. Ipsa enim dominica oratio appellatur, in qua septem petitiones reperiuntur, in quibus omnes species orationis comprehenduntur, quibus Deum interpellamus pro appetendis bonis, pro vitandis malis, aut pro delendis commissis. Tres enim primæ petitiones pertinent ad æternitatem: reliquæ vero quatuor ad hanc vitam temporalem pertinere videntur, quia et panis quotidianus, scilicet spiritualis, licet sit sempiternus, ad hanc tamen vitam etiam pertinet, in quantum ministratur animæ quibusdam signis, dictis vel scriptis. Et ideo panis dicitur, quia laborando et disserendo discitur, et ita quasi manducando deglutitur. Nunc quoque peccata dimittuntur nobis, et nos dimittimus aliis: quæ petitio est inter quatuor secunda. Et tentationes quæ nunc nostram vitam infestant, et ipsa liberatio a malo, ad hanc vitam per-

Valerii, tunc fortitan nactus primam habitationem domus episcopalis. [illegible]

[1] Mss., [illegible]

(*a*) Alypium, qui Augustino prior episcopatum adeptus est, ex epistolis ad August. 24, 27, 28 et 29, [illegible] relictum.

(*b*) [illegible] De Pontiano isto, ait Lupus, [illegible] 75 et 48) [illegible] tabulas, [illegible] ipsum esse [illegible]

(*c*) [illegible] monasterio; [illegible] decem fuere [illegible]

(*d*) [illegible] Augustino falsum intelligitur ex [illegible] cap. 8.

tinent, quia Dei justitia mortem incurrimus, unde Dei misericordia liberandi sumus. Quæ cum ita sint, ipsarum petitionum verba diligentius pertractanda sunt, ut intellecta majorem generent cordis affectum, et quod petitur, ad velociorem perducatur effectum. Orate igitur, fratres, dicentes, *Pater noster*: referentes gratias largitori omnium bonorum, qui dulcedo nostra est, vita et resurrectio nostra est, spes nostra est, et lumen oculorum nostrorum, baculus senectutis nostræ, donans nobis sensum ut eum agnoscamus, et secreta secretorum suorum intelligamus. Ipse enim nobis dedit efficaciam in opere, gratiam inter electos, effectum in suis et suorum præceptis, solamen et constantiam in adversis, cautelam in prosperis et timorem, et quocumque vertimur, sua grandis misericordia nos prævenit. O fratres mei, non negligamus orare, non carnem domare, non vigilare. Et tamen quid ei retribuemus, qui non permisit nos submergi, cum in mari magno essemus? Ecce enim consumpti eramus, et nos liberavit; errantes eramus in sæculo, et reduxit nos ad viam; ignorantes eramus, et docuit nos veritatem. Non igitur, fratres, tædeat nos orare, qui non familiam regere, sed tantum Deo placere debemus. Et ut bene psallere et orare possitis absque magno corporis impedimento, de bonis episcopatus Ecclesiæ Hipponensis centum et quadraginta vestimenta cum calceamentis vobis dilectis fratribus meis deportari præcepi, ut tempore frigoris, quantum necesse fuerit, unusquisque recipiat, reponentes ea et custodientes in communi vestiario cum omni diligentia et charitate: scientes quod vera charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei; sic autem facientes non deficiatis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se per Christum Jesum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Orate pro nobis, fratres, et ante meum recessum cupio vos salutare in osculo sancto. Amen.

SERMO XXIII.

DE JEJUNIO.

Frequenter audistis, fratres charissimi, quod jejunium est res sancta, opus cœleste, janua regni, futuri sæculi forma: quod si quis juste perfecerit, Dei socius existimabitur, sibi conjungitur, et spiritualis efficitur. Per jejunium, fratres mei, prosternuntur vitia, augmentantur virtutes, humiliatur caro, diabolicæ devincuntur virtutes. O sacrum jejunium, tu corpus refrenas ne surgat, tu virtutes incitas ut resurgant, tu reum illuminas et sanas ut vivat. O jejunium, tu suave es bonis, tu odibile es malis, tu delectabile es sanctis, sed detestabile pravis. O sacrum jejunium, tu divina mysteria pandis, quæ sapientiæ et prudentiæ sunt agnoscis, recordari præterita facis, ordinare præsentia non negligis, et prævidere futura festinas. Sed cavete, fratres mei, ne jejunando superbi efficiamini, ne cupidi, ne avaritia vel hypocrisi pleni. Nam sæpe audistis, quod Babylon civitas magna et populosa est inimica Christianis, idolis serviens, diversis erroribus mancipata, quam, ut dicunt, aliqui gigantes eam ædificaverunt, sed superbia inflati fecerunt in medio turrem, quæ vocata est Babel. Postea vero venit Nabuchodonosor, et amplificavit eam, et ditavit, et inflatus superbia clamavit, et dixit: *Nonne hæc est civitas Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei?* Et dum rex sic exclamaret, vox irruit super eum, dicens: *Tibi dicitur, rex, Regnum tuum transiet a te, ab hominibus ejicieris, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua: fenum ut bos comedes, et septem tempora super te mutabuntur, donec scias quod Excelsus dominatur in regno hominum* (Daniel. IV, 27-29). Et sic videtis quod superbiendo regnum terrenum amisit et sensum quia cum bestiis habitare voluit. Babylon hæc, fratres mei, mundus iste est, qui plenus est confusione, plenus erroribus, infidelitatibus, et veneno malitiæ. Ecce nunc, fratres mei, quomodo totus mundus in maligno positus est. Ecce quomodo diabolus regnat in eo, dum regnat ambitio, dum dominatur perfidia, dum conculcatur simplicitas. Et ideo, fratres, hæc omnia agnoscentes caveamus a cunctis malis, scientes quod per solam humilitatem omnia mala vincere valemus, sine qua nostra jejunia nobis non proderunt. Hæc est per quam ad vitam intrare poterimus. Non ergo extolli debemus, si bene vivamus, sed humilitatem servantes semper philosophari non desistamus. Quid enim est philosophari, nisi mortem præmeditari? Ad regnum enim cœlorum non conducit nos gloria mundi, non multitudo divitiarum, non nobilitas generis, non scientia, non sapientia, non facundia verborum; sed sola gratia Christi, et virtutes, et opera. Eia igitur, fratres; considerate ad quid huc venistis, et quid eremum concupistis, quid agere voluistis, quod officium habere desideratis. Omnes uno ore dicetis, Deo servire optamus. Et quia sic est, propterea attendere frequenter debetis, quod vestrum officium est non solum carnem jejuniis et abstinentia escæ et potus affligere, quantum valetudo naturæ permittit; sed etiam mundum contemnere, peccata deflere; et non doctoris appetere cathedram, sed in cinere et cilicio perseverare in eremo usque ad mortem debemus. Adjuvet nos Christus Filius Dei, quem credimus jejunasse quadraginta diebus et quadraginta noctibus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXIV.

DE EXHORTATIONE AD SOLITUDINEM EXEMPLO SANCTI HIERONYMI; AC DE JEJUNIO.

Legimus (*a*) enim, fratres charissimi, sanctum patrem Hieronymum Cardinalem fuisse (*b*) in ecclesia sancti Laurentii martyris: et quia Romanos de avaritia et fœtida luxuria fortiter reprehendebat, ab eis per vestem muliebrem (*c*), ut jam audistis, eum proclamare in populo voluerunt; sed Deo auxiliante sanctitatis fama minime diminuta, Romam tandem egressus est, et cum Paula et Eustochio, quas in fide Christi nutrierat, earum patre rogante, ut nobis per epistolam scripsit, asperrimam vitam sanctus pater Hieronymus duxit: in tantum, ut neminem legere audiam fidelium modernorum austeriorem fuisse. Itaque, fratres, etiam nos, ut vidistis, mundum deserere voluimus, et ad nemora cum Hieronymo fugere concupivimus, et perseverare secundum apostolicam vitam desideramus: propterea diligenter attendamus ut sancte et juste in eremo convivamus. Scire enim debetis, quod demorantibus in solitudine jejunium valde necessarium est. Sed primo videamus quid sit jejunium. Quid enim est jejunium, nisi cunctorum membrorum debita satisfactio? Membra enim satisfacere debent propter peccata quæ commiserunt. Unde si quis in gula peccaverit, satisfaciat jejunando: nam qui solus est sine culpa, solus est et sine pœna. Sed quoniam nullus est sine culpa, ideo nullus sine pœna vivere debet. Oculus enim meus frequenter peccavit; quia per eum mors intravit in animam meam: claudatur ergo oculus, et patiatur, ne quod eum delectat, videat. Sic enim de singulis

(*a*) « Peccat hic auctor in antiquam cautе mentientium « legem, Oportet mendacem esse sui memorem: dicit namque, Legimus; eoque verbo satis indicat se non Hieronymo coætaneum, sed longe posteriorem. » Lupus.

(*b*) Id falsum fuse probat Lupus ex lite Hieronymum inter et Joannem Jerosolymitanum orta, quod in tabulam clericorum Ecclesiæ Jerosolymitanæ ascribi renueret. Nec quisquam dicat eum post hanc controversiam factum Cardinalem: post mortem enim Damasi contigit.

(*c*) « Fabula ac impostura hic est sanctissimo huic doctori, ipsique Romanæ ecclesiæ maxime contumeliosa, » ait Lupus. « O quanti emisset ista Ruffinus, si quis talia suo tempore excogitasset, » exclamat Card. Baronius

corporis membris faciendum est, fratres. Tunc enim magnum, tunc Deo acceptum, tunc sibi devotum jejunium reddimus, dum ab iniquitatibus et voluptatibus abstinemus. Hoc est magnum et perfectum jejunium. Sic enim agentes, sancte et juste et pie vivere dicimur. Pietas enim est cultus Deo reddere quod debet. Sic talis juste vivere dicitur, quando Deo reddit quod reddere debet, et Cæsari quæ sunt Cæsari. Impietas quid aliud est, quam idololatriam committere? Multi tamen dicunt quod impietas est, quando pauperibus quis sua non elargitur. Propterea, fratres mei, scire vos volo quid aliud est flagitium, aliud facinus, aliud impietas. Flagitium est, dum peccando nos ipsos offendimus, facinus quando proximum, impietas quando in idololatriam committimus. Similiter aliud est misericordia, aliud clementia, aliud pietas. Misericordia circa naturam, clementia erga justitiam, sed pietas erga Deum versatur. Et quia [illegible] estis, fratres, veniat Verbi gratia. Misericordia est, dum si quis videndo aliquem juste damnatum duci ad suspendium, naturaliter movetur eique compatitur, et ita motus a suspendio eum liberat. Similiter si quis rapit pauperi aliquid boni, et veniat alius, et raptori eripiat ea, et pauperi reddat, talem dicimus habere misericordiam. Clementia vero est, ut si quis injuste hominem puniri videat, et objiciat se periculis ut illum eripiat, talem dicimus clementiam possidere. Pietas autem quid aliud est, quam Deum pura mente colere, quæ alio nomine latria nuncupatur? Bene enim tunc dicimur jejunare, quando pietate, misericordia et clementia refloremus. Adjuvet nos Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXV (*a*).

DE JEJUNIO, ET UBI FUIT INSTITUTUM.

Scire namque debetis, fratres dilectissimi, quod hoc solemne jejunium quod alma mater Ecclesia hodierna die præcipit observari, a creatione hominis in ipso mundi primordio præcepit Deus in paradiso Adæ et Evæ, ut a fructu arboris abstinerent. Hoc etiam ante Legem Moyses sanctus observavit, et Legem suscepit. Hoc sub Lege Elias astrinxit, et ad cœlum in curru volavit. Eva quamdiu abstinuit, virgo fuit, et in paradiso permansit; sed dum jejunium violavit, in miseriam corruit, libidinis corruptionem persensit, sub domino constituta remansit, et de paradiso expulsa fuit. Moyses etiam post jejunium cum Deo facie ad faciem locutus est, qui ante jejunium Deum nec videre nec ad eum accedere ausus fuerat. Jerosolyma a Sennacherib tempore Ezechiæ regis et Isaiæ per jejunium liberatur, et centum et octoginta quinque millia cœlitus interfecti sunt in nocte una, et ne fœterent eorum corpora, incinerati et in pulverem redacti sunt. Tempore etiam Jonæ jejunium prædicantis in cinere et cilicio veniam impetravit. Numquid et Josue filius Nave jejunavit, priusquam per diem et cursum solis et lunæ temperavit, et hostes superavit? O jejunium convivium animarum, beatus qui te amat, sed beatior qui te frequentat! Qui enim jejunat, ut bonus appareat, ut conservetur, ut sanior fiat, et ut ne corpore nimis impinguescat, non beatus est ille: quia jejunium quod facit, non virtutis est, sed præsumptionis; non virtutis est, sed attenuationis. Ideo non mundo, sed Deo jejunare debemus: sic enim sancti patres in veteri Lege faciebant. Decimas enim Deo dabant, et primitias de omnibus bonis suis: sic et nos Deo primitias dare debemus. Quas tunc primitias Deo damus, quando corpore quidem a cibis eleemosynas etiam dando, et mente a vitiis jejunamus. Et nunc Deo tales primitiæ acceptæ sunt.

Sed scitote, fratres mei, quod antiquitus patres nostri fideles jejunare consueverunt in vigiliis magnarum solemnitatum usque ad noctem (*a*): quod laudandum erat et bonum. Sed hoc non solum, sed etiam vigilabant per noctem, et ad ecclesiam ludendo et chorizando conveniebant: quod detestabile erat et malum. Tales non solum Romani erant, non solum Papienses et Ravennates, sed etiam Mediolanenses: de qua turpi consuetudine dolebat Mediolani mater illa, quæ me carne et spiritu in Christo regeneravit, et institutum est ipsa instigante a patre nostro sancto Ambrosio, ut vigiliæ cassarentur (*b*), vel cessarent a cunctis, ut homicidia et fornicationes a fidelibus deponerentur. Solum tamen jejunium mentis et corporis cum eleemosyna a Mediolanensis Ecclesiæ fidelibus retinent. Sed dicetis: Numquid in vita nostra semper jejunare debemus? O fratres mei, legem meam recepistis, et audistis frequenter inter cætera, quod carnem vestram dometis abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit. Nolo enim me ipsum ligare. Nolui onera vestra portare: sed hoc solum super vos ponere volui, ut jejunetis et abstineatis, quantum facere Deo favente potestis. Nolo tamen, quod diebus dominicis jejunetis: hoc enim hæretici et infideles faciunt. Omne autem jejunium, exceptis diebus dominicis, bonum est et laudandum, si bene fit. Aliquod tamen est jejunium devotionis, ut jejunare vigilias sanctorum Cypriani compatriotæ nostri, et Gervasii et Protasii, et similia. Aliud est jejunium institutionis, ut Assumptionis sanctæ Mariæ, et Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Simonis et Judæ, Matthæi, et Andreæ, et Jacobi majoris. Istorum enim vigilias jejunare semper debemus, ut sicut jejunando cum eis patimur, ita in futurum cum eis pariter gloriemur. Sed mox mihi, fratres, dicetis: Cur festum Nativitatis sancti Joannis celebramus? Numquid in peccato conceptus est? Et ideo attendite, quod prius seminatur homo, postea concipitur in vulva, et ibi caro formatur, deinde post dies quadraginta (*d*) septem creatur anima, et corpori infunditur, secundum sanctum patrem et martyrem Cyprianum (*e*), cui in omnibus compellor credere (*f*), quia per Spiritum sanctum optime locutus est. Celebratur tamen nativitas sancti Joannis Baptistæ, non prima, sed secunda. Prima enim nativitas fuit in utero, quando anima in utero fuit infusa. Alia vero ex utero, quando venit ad lucem; et hæc sine peccato fuit, quia sanctificatus fuit in utero. Hæc autem festivitas non solum apud fideles, sed apud infideles vigiliam habet. In hoc festo maxime Pagani infideles ad ecclesiam suam conveniebant vigilantes, ut supra diximus. Sed destructis vigiliis illis (*f*), adhuc tamen antiquitatis nomen tenemus; quia dum jejunamus, vigiliam nuncupamus. Vel aliter dicamus, fratres. Nam dum illa sancta Elisabeth, quæ filia fuit sanctæ Ismariæ, quæ quidem Ismara soror fuit carnalis sanctæ Annæ matris Dominæ nostræ, dum gravida esset de Joanne, ante adventum Virginis sanctificatus Joannes non fuit, sed salutata Elisabeth a Virgine, mox Joannes sanctificatus fuit in utero. Merito ergo ejus nativitatem celebrare debemus. Sed nunc de

(*a*) Ubi hic sermo multis erroribus scatet dum de festis, vigiliis, [illegible]

(*a*) Jejunium vigiliarum nullum reperimus apud Augustinum, nisi Natalis Domini, quod forsitan ad nonam solvebatur; qua hora solata sunt ejusmodi ... una in Ecclesia ... [illegible] ... etiam Bernardi ævo ad vesperam usque jejunabatur, ut patet ex ipsius serm. 5 de Quadragesima.

(*b*) Quid istud, cum dissimulatur lib. 9 Confess., cap. 7, n. 15, « Vigilabat pia plebs ... »? Augustinus ... serm. 311, n. 5, ... vigiliarum institutum per Aurelium ... [illegible]

(*c*) De origine animarum etiam senex Augustinus cunctatus est lib. 1 Retr., n. 5.

(*d*) Apud Cyprianum de ea quæstione ne verbum quidem reperies, ac ... [illegible]

(*e*) ... non credit, serm. 28.

(*f*) ... secundum ... prohibitas legimus ob scandala ... nata.

Apostolis, quorum vigiliæ non habentur, dicamus. Festum enim Philippi et Jacobi jejunium non habet, eo quod inter Pascha et Pentecosten est (*a*), quod tempus est gaudii, lætitiæ et exsultationis, quia Salvator surrexit a mortuis. Jacobus etiam Zebedæi apostolus apud quosdam vigiliam non habet, eo quod occisus fuerit in diebus azymorum, nec diem mortis ejus celebramus, sed potius translationis (*b*). Bartholomæus etiam vigiliam non videtur habere, eo quod una dierum fuerit decoriatus, et sequenti die obiit, et sic si haberet vigiliam, oporteret quod esset in tertia die, quod est contra normam aliorum jejuniorum. Thomas autem vigiliam non habet, eo quod tempore adventus venit (*c*). Barnabas jejunium non habet, quia de duodecim non fuit. Mathias jejunium non habet, eo quod tempore jejunii sit. Joannes evangelista jejunium non habet, eo quod in *Gloria in excelsis* sumus, et gloriam in excelsis Deo cantare debemus. Rogo tamen vos, fratres, licet jejunia ista servare non teneamini pro remissione peccatorum vestrorum, vel pro periculo hostium jejunare non desistatis, carnem domantes, quantum portare potestis. Adjuvet nos Christus filius Dei qui pro nobis nasci et mori dignatus est. Amen.

SERMO XXVI.

DE MURMURATIONE ET DETRACTIONE, ET DE POENIS DAMNANDORUM [1].

Demorantibus nobis in eremo, fratres dilectissimi, murmuratores, detractores, vel susurrones nullatenus esse debemus: scientes quod tales regnum Dei non consequentur. Non igitur stulta loquamur lingua dolosa, sed cum Dei adjutorio, sine cujus voluntate et nutu folium arboris non movetur, omnis murmuratio vel detractio procul sit a nobis: considerantes quid Mariæ sorori Aaron et Moysi, quia murmuravit, acciderit. Nam murmuravit, quia Moyses uxorem Æthiopissam duxerat; cui murmuranti iratus est Dominus valde, eo quod Moyses esset mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Et ait Dominus Aaron et Mariæ, *Egredimini ad tabernaculum fœderis*. Quibus pervenientibus ait Dominus, *Quare non timuistis detrahere servo meo Moysi*, cui loquor facie ad faciem? Servus etenim meus est, et in domo mea fidelissimus est. Et ecce Maria repleta est lepra, cadens super eam quasi nix. Quam videns Moyses, exclamavit ad Dominum dicens: *Deus meus, obsecro, sana eam*. Cui respondit Dominus: *Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur* Maria ad pristinam sanitatem (*Num.* XII, 4, 8, 14). Ideo attendite, fratres, quod Maria hæc quæ peccavit, animam subditorum et discipulorum significat, quando suo præposito vel presbytero obedire recusat, et recusando murmurat, et murmurando leprosa efficitur: quod apparet, dum culpa ejus publicatur. Sed bonus pastor qui omnium vestrum curam gerit, quærens sanitatem animarum, compatitur peccanti, et auxilium divinæ medicinæ precibus postulat infirmanti: clamatque quotidie indefessa voce pastor bonus, qui animam suam ponere non desistit pro ovibus suis, dicens: Obsecro, Domine, sana eam; sana contritiones ejus, quia commota est. Sana eam, quia lepra murmurationis plena est. Revoca eam, quia a consortio fidelium tuorum separata est. Igitur, fratres, attendite, ne murmuratores vel loquaces sitis, sed veraces: quia in superfluo eloquio peccatum deesse non poterit, nec omnino veritas adesse. O quam grande periculum est, non solum dicere falsa, sed et vera prædicare periculosum et dubium est! Loquaces denique laudare non audeo: sed tacentes beatos prædicare præsumo. Attendite, o fratres mei, attendite, ne simul cum presbyteris meis murmurantibus capiamini. Nam ad vos perveni, et in diebus Paschalibus (*a*) vobiscum in hac solitudine esse volui, quia murmuraverunt, et Augustino detraxerunt presbyteri, et noluerunt dominicis obedire præceptis, ideo leprosi murmurando facti sunt, et immunditia peccatorum percussi sunt, et a domo mea expulsi sunt, quia vocati non fuerunt digni mecum perseverare. Ideo separati sunt et expulsi, quia non potuerunt sine murmure stare. Vos autem, quorum officium est semper orare, ferventius nunc orare vos deprecor; ut tanquam sanatos ad communionem Ecclesiæ Hipponensis revocare gaudenter possimus illos, quos tales invenire credidi (*b*), quales invenire non potui. Hæc tamen expulsio est ad salutem, non ad perditionem; ad correctionem, non ad damnationem. Sic enim expulsus est Adam de paradiso, ut in hoc exsilio miseriæ corrigeretur: ut in hac pœna temporali per gratiam adipisceretur æternam promissionem. Nam licet Adam peccaverit, Dominus tamen eum non deseruit, sed ad pœnitentiam eum et suos semper invitavit. Postquam enim Adam peccavit, latere se voluit, et abscondit se a facie Domini, quod erat signum doloris et erubescentiæ. Sic enim volo vos facere, fratres. Nam et si aliquando murmurastis vel peccastis, quod est conditio cunctorum viventium, erubescite et abscondite faciem vestram per humilitatem a facie Salvatoris: ut dum visitaverit vos in solitudine paradisi, et vocaverit vos, dicens cuilibet, *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9)? Consideretis in quanta peccatorum miseria positi sitis. Per hoc enim quod vos proprio nomine vocat, signum dat quod ad pœnitentiam vocat. Per hoc quod dicit, *Ubi es?* ostendit quod viam peccatoris ignorat; non tamen quod ignoret, sed quod reprobet. Post meridiem apparet; ostendens quod Dominus ab amore peccatorum refrigescit, quia per peccatum in homine refrigeratus est amor charitatis. Hoc enim pensate, et cum Adam vos peccasse cognoscite, et dicite: Domine, audivi vocem tuam in eremo, et timui, eo quod bonis operibus nudus essem, et abscondi me (*Ibid.*, 10) per humilitatem, cognoscens quod peccavi in cœlum et coram te. Sed et contrarium facientes, murmurantes et detrahentes proximo suo, et mala portantes in cordibus suis, expellet eos Dominus de paradiso: sed tamen faciet Dominus misericordia motus tunicas pelliceas ne tempore frigoris perpetuo moriantur. O grandis Dei misericordia! o infinita Dei clementia! o magna et admirabilis ejus dilectio circa nos! Ecce enim quotidie peccamus, frequenter eum offendimus; et tamen nos derelinquere non vult, sed tunicas pelliceas correctionis [1] et veniæ nobis quotidie donat et largitur. Ecce quanta est misericordia nostri Salvatoris. Igitur, fratres mei et lætitia cordis mei, redeamus ad mentem, et eam diligenter discutiamus, scientes, quod nunc in paradiso pœnitentiæ et deliciarum positi sumus, et in Ecclesia ejus positi et collocati sumus. Dedit nobis præcepta, ut toto corde, tota mente eum diligamus, et proximum nostrum. Sed quomodo diligere eum possumus, si susurrones et detractores in eremo facti sumus? O quam pestis misera et mortalis est ipsa murmuratio! o quam venenosa est, quæ conventus clericorum et

[1] In Mss., proxime ante sermonem 19 hic sermo locum habet, inscribiturque: *De murmuratoribus, et pœnis inferni*.

(*a*) Jacobi festivitas proxime post Natalem Domini in calendario Carthaginensi collocatur.

(*b*) Quæ, ut observat Lupus, primum innotuit desinente sæculo VIII, sub regno Alphonsi Casti.

(*c*) Adventus nomen ac celebritas Augustini ævo ignota.

[1] Alias, *contritionis*.

(*a*) Vide notam postremam serm. 5.

(*b*) Imo Augustinus jam senex, serm. 356, n. 3, « Tales, inquit, inveni, quales desideravi. » Et serm. 355, n. 7, « Omnes mihi libenter obediunt; » quibus sermonibus clericos ab omni mala suspicione liberare omni nisu contendit.

civitates multas destruxit! Et quia grande periculum est, inter murmuratores habitare; ideo expellendi sunt tales, ne cæteri corrumpantur per eos. Tertia enim lingua multa mala committit (*Eccli* xxviii, 16): ideo si semel correpti non se emendaverint, de vestra sancta et singulari societate expellantur. Nec crudele hoc esse credatis, nec illi qui expulsi sunt ad tempus, de hac expulsione dolere debent, sed cum omni humilitate eam suscipiant, dolentes tamen et flentes, quod nondum intellexerunt Apostolum dicentem, *Si quis se putat religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio* (*Jacobi* i, 26). Melius est enim a congregatione præsenti expelli ad tempus, quam a cœlesti regno perpetuo. Sic enim, ut supra diximus, expulsus est Adam de paradiso, non ad damnationem, sed ad correctionem. Correctus vero et emendatus frater qui peccaverit, et qui proximo detraxerit, volo ut inter vos fraterne recipiatur. Melius enim est, ut redarguamur de misericordia, quam de crudelitate, in die novissimo. Nam pium hominem quando periisse legimus, ignoro: sed impium et crudelem frequenter periisse audio. Igitur, fratres mei et lætitia cordis mei, obsecro ut non peccetis, ut in die novissimo nec crudeles, nec nimis misericordes inveniri possitis. Deponite murmura, claudite infra dentes linguam, ponite custodiam ori vestro, et silete; non solum a malis, sed etiam quandoque a bonis silere, laudabile est. Ait enim sanctus propheta, *Silui a bonis* (*Psal.* xxxviii, 3). Nam omne bonum ubique proferre non debemus: sed tempus proferendi agnoscamus in cunctis. Estote igitur, fratres, non loquaces, sed veraces. Calcate murmurationes, et fugite eas ut mortem. Nam murmurare, detrahere, vel despicere, hypocritarum conditio et ignorantium. Murmurare denique et detrahere hypocrita non satiatur, de omnibus maledicens ut ipse solus a cunctis prædicetur beatus. Omnia judicat, ut nemo sit qui eum audeat judicare. Omnia despicit, ut ipse solus sit qui ab omnibus aspiciatur. O hypocrita, cave ne ad mensam meam pervenias. Nam ibi antequam aliquid sumas, lectio mea tibi primo legetur. Quid enim primo in mensa mea descripsi? Quid primo in ea habere vel audire desidero? Quid primo in ea servare præcipio, nisi quod,

> Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
> Hanc mensam indignam noverit esse sibi (*a*)?

Quapropter, fratres, si quis murmurare desiderat, non solum ad nostram [1] congregationem, sed nec ad mensam nostram accedere præsumat. Non enim ad eremum venimus, ut murmuremus; sed ut mundanis omnibus conculcatis, in eremo pie, sancte et juste vivere valeamus. Quod si non fecerimus, quod Deus avertat, melius fuisset quod nati non fuissemus Quare, fratres mei, melius fuisset, nisi quia melius fuisset non esse, quam male esse? Numquid non melius est carere esse quam cum esse perpetuo cruciari? Nam non esse, cui possit obesse, ignoro. Sed habere esse, et perpetuo cruciari, quid aliud est, quam mortem sine morte semper habere? Verum, et indubitanter verum vobis, fratres mei, dicere audeo, melius esset non esse, quam cum esse perpetuo affligi, vel æternaliter cruciari [2]. Studeamus igitur, fratres, semper bene vivere, ut et semper bene esse possideamus. Esse enim Dei gratia habere nos scimus: sed semper bene esse omnino ignoramus. Propterea taliter linguam cæteraque corporis membra restringamus, ut mediante divina gratia, ad perpetuum malum esse non perveniamus. Nec de nobis dicatur, quod de Juda proditore discipulo dictum: *Melius ei fuisset, si natus non fuisset homo ille* (*Matth.* xxvi, 24). Quare illi melius fuisset, si natus non fuisset; nisi quia melius est omni esse carere, quam in inferno jacere? Ibi denique etsi erit stimulus doloris et pœnitudinis, nulla tamen erit ibi correctio voluntatis, ut nullatenus a damnatis possit diligi vel desiderari justitia. Ideo illi diviti qui in inferno cruciabatur, quamvis curam de vivis fratribus gerere videretur, non tamen eidem de justitia cura erat, quia justitiam nullatenus diligere possunt qui in inferno sunt. Jacebat tamen dives, et sepultus erat in inferno, (*a*) et quid de fratribus suis esset, ignorabat et nesciebat omnino: et tamen curam de eis videbatur habere; sicut et nos viventes de mortuis, quamvis quid agunt utique nescimus. Itaque, fratres, caveamus ne peccemus; ne ad illam flammam perveniamus (*b*). Ipsa denique flamma concremationem habet, sed lumen nullum habet. Quare? Nisi quia quos gehennæ flamma cruciat, a visione veri luminis cæcat; et ut foris eos dolor combustionis cruciet, intus pœna cæcitatis obscuret; ut qui Creatori suo corde et corpore deliquerant, corpore simul et corde puniantur; et utrobique pœnam sentiant, qui dum viverent, pravis delectationibus serviebant. Ecce, fratres, quomodo puniuntur peccatores, quibus unus ignis omnibus est; non tamen uno modo omnes cruciantur, sed quanto quis in deliciis plus permanserit, tanto fortius cruciabitur in æternum. Unus igitur ignis singulis est, et corporeus est, et ubi sævissimos peccatores corporaliter cruciet, nec studio humano accenditur, nec lignis, pice vel oleo nutritur; sed post peccatum semel accensus, in æternum durare nullatenus dubitare debemus. O inferne, tu latus es, et mensuram non habes; profundus es, et nullum fundum te habere cognosco; insatiabilis es, quia omnes tam pauperes quam divites te libenter suscipere audio; plenus ardore incomparabili, plenus fetore intolerabili, plenus omni dolore innumerabili. Ibi omnis miseria, ibi tenebræ, ibi nullus odor, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, ibi nulla desperatio mali; sed omne malum quod existimari potest, damnatis in æternum erit. Ibi, fratres mei, dæmones flere et clamare non cessant, percutere peccatores nunquam desistunt, nunc superbum, nunc elatum, nunc gloria mundi plenum, nunc luxuriosum, nunc proditorem, nunc homicidam, nunc feneratorem, nunc verbosum, nunc adulatorem, nunc mendicem, nunc detractorem. Ecce quomodo clamabunt. Sed quid clamabunt, nisi, Percute, dilacera, interfice, sine morte occide, velociter spolia, deprædari festina, fer pœnas, picem para, aurum et argentum liquesce? Et quia dum vixerant, Deum intelligere noluerunt, et si in æternum vixissent, semper male facere voluissent; ideo sine redemptione merito in æternum cruciabuntur. Itaque, fratres, obsecro, ut non peccetis. Custodite linguam vestram, servate eam, claudite eam vecte ferreo, quoniam sermo vanus in vacuum non ibit: sed de omni verbo otioso in die novissimo reddituri sumus rationem. Adjuvet nos Jesus Christus Deus noster, ad perseverandum in omnibus bonis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVII.

DE FILIO PRODIGO.

Pax vobis, fratres dilectissimi, qui optimam partem cum Maria elegistis, dum mundum et pompas ejus contemnere voluistis. Voluistis enim terrena despicere. Sanctorum enim consilio sanctorum Ambrosii et Simpliciani patrum vitam tutiorem aggressi sumus cum Paulo mundum fugiente, timentes ne caperemur ab eo. In eremo denique sumus, jucunditatem communicationis et fractionis panis intelligentes, clamanu-

[1] Editi addunt, *apostolicam*.

[2] Nota prolixa ad oram exemplaris Lovaniensis apposita, qua locus iste cum dicto Augustini de Libero Arbitrio, lib. 3, cap. 6, n. 18, conferebatur, in Mss. Regio et Victorino, in ipsum textum temere translata est.

(*a*) Hoc mensæ Augustini appositum refert Possidius in ejus Vita [illegible], lib. 3 [illegible] n. 5.

(*a*) Ex Augustini libro de Cura pro Mortuis gerenda, cap. 14.

(*b*) Gregor., lib. 9 Moral., cap. 38.

tes cum propheta : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* cxxxii, 1)! Jucundior enim hæc vita est et dulcior, ubi unus alium exhortatur, ubi alter alterius exemplo inflammatur. O vita sancta eremitica, vita solitaria, vita perfectorum, vita angelica non humana, vita pœnitentium, vita contra mundum pugnantium, vita ad Deum fugientium, vita deifica non humana, vita filiorum qui erraverunt ad patrem redeuntium! Hæc est domus, ubi reconciliatur patri filius, qui portionem substantiæ consumpserat luxuriose vivendo. Hanc, fratres mei, si Januarius noster cognovisset, aurum nobis ignorantibus non retinuisset. Hanc si dilexisset, vineam, agrum, et pecuniam tenere erubuisset (a). Quare? Quia paupertatem asperiorem presbyteris meis vos sponte tenere vidisset. Nam sicut filius ille, qui peregre profectus est in regionem longinquam, ubi dissipavit substantiam suam luxuriose vivendo : sic et ipse, vel quicumque peccator, dum carnales voluptates diligit, a Domino peregrinatur; et quanto peccando fit dissimilior, tanto magis a Deo elongatur. Substantia enim hominis est omne quod vivit, cogitat, sapit et loquitur, quæ Deus æque dividit. Quam substantiam peccator consumit, dum conscientiam et vitam et cogitationes et verba in malis actionibus impendit. De filio etiam isto dicitur quod cœpit egere; et ideo adhæsit uni civium regionis, et misit eum in villam ut pasceret porcos, et cupiebat implere ventrem de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat. Eget enim peccator, dum cupit implere ventrem, non pane vitæ æternæ, sed glandibus, qui porcorum cibus est. Ideo adhæsit uni de principibus mundi, sub cujus favore pascere porcos, id est, dæmones valeat. Porcus enim immundum animal est, et de sordibus saturatur et delectatur. Siliquæ enim sunt non solum glandes, sed etiam omne turpe et immundum quod porcus comedere delectatur. Istæ denique siliquæ sunt fornicatio, ebriositas et gulositas. Isti enim sunt dæmonum cibi, quibus peccator repleri desiderat, sed nemo dat illi ad sufficientiam. Peccator enim semper famescit, semper devorare quærit, nunc luxuriando, nunc alia faciendo semper delectari desiderat. Sed visitante Domino patre per gratiam passionis suæ pœnitet miser peccator, dolet jam pascere porcos, cogitat, et cogitando surgit pergens ad patrem, dicens : *Pater, peccavi in cœlum*, quia assumpsi frequenter nomen tuum et sanctorum tuorum in vanum : peccavi etiam *coram te*, quia in tua humanitate peccavi, quia non cognovi opere tuam infirmitatem, quam pro me passus es; peccavi et coram te, quia Deus et homo es. *Peccavi in cœlum*, quia in Patrem et in Spiritum sanctum. *Non* igitur *sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* xv, 21). Sed quid fecerit pius pater, audiamus, legamus, prædicemus, non sileamus. Nam misericordia motus, videns illum viventem, occurrit; videns lacrymantem, lacrymatur; videns eum nudatum, stolam jubet parari; videns eum discalceatum, calceatur; credens eum debilem et famelicum, occidi jubet vitulum saginatum. O quam grandis misericordia tanti patris! o quam infinita ejus pietas! o quam dulcis, o quam pia miseratio! Ecce enim filius peregre fugit, et tamen patienter exspectat. Omnia bona destruxit, et tamen ad se revocare festinat. Porcos pascit, et ei jam vitulum parat. Fame jam fere moritur, et epulari jam clamat. Nudus apparet, bonis operibus privatus, et ecce stola pristinæ gratiæ Salvatoris quam in Baptismo recepit, induitur, et annulus fidei desponsationis datur : ne amplius valeat pascere porcos, qui ad domum patris fugit; sed tanquam civis sanctorum et domesticus Dei fundetur in domo divinæ majestatis in æternum et ultra. Quod bene ostendit ille misericordiæ pater, quia videns illum misericordia motus est, et occurrit, et brachia extendens super collum ejus, osculatus est eum, dicens servis suis, *Adducite vitulum, et manducemus. Hic filius meus mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est* (*Luc.* xv, 23, 24). Similiter fecit Salvator Petro, quando eum negavit : quando illum respexit, quando respexit in mentem ejus, tunc flevit amare. Occurrit peccatori Salvator, quia per se non potest ad Deum accedere, nisi ei subveniat, et mentem ejus respiciat. Sed postquam eum respexerit, flectitur super collum ejus, quia onus ejus leve ponit super collum ejus, dicens, *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi, 29). Tunc stola induitur, dum anima indumento virtutum vestitur. Duæ enim stolæ sunt; una videlicet quando anima in præsenti indumento virtutum vestitur, altera vero immortalitatis est, quando corpus in fine sæculi etiam resuscitabitur. Et ideo, fratres mei, licet in eremo sitis, scire tamen debetis, quod duæ stolæ sunt duæ resurrectiones; quarum una est animæ, quando resuscitatur a vitiis, in quibus mortua jacebat; altera corporis, quando corpus configuratum erit corpori claritatis Christi, quando in die judicii reformabitur. Eia ergo, fratres mei et corona matris meæ, scitote quod porcos jam pavimus, cum multo tempore dæmonibus peccando placuimus. Jam frequenter eorum siliquas desideravimus, quando mundo placere voluimus, quando in eo florere concupivimus, quando delectationibus suis toto affectu adhæsimus. Sed nunc Dei gratia servi Christi sumus, clamare non cessemus, Peccavi, Domine : jam non sum dignus vocari filius tuus. Quorum clamorem audiens occurrit nobis osculando, suam pacem donando. Stolam donavit, quando animam vitiis spoliavit. Annulum donavit, quando in fide nos sua roboravit. Calceamenta donavit, quando memoriam mortis nobis impressit. Vitulum occidit, quando in sacramento altaris memoriam passionis ejus in mente renovavit. Tunc nobiscum pater manducat et epulatur, quando in operibus suis perseverando delectamur. Tunc sic nobis ornatis præcipit Angelis Deus, ut convivium præparent; quia mortui eramus, et resurreximus; perieramus, et inventi sumus. Cogitate ergo, fratres, ad quid venimus. Ecce in solitudine sumus, elongati sumus a sæculo, et longo tempore jam mansimus in solitudine, ut secundum apostolicam formam quietius vivere valeamus. Locus enim non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos. Peccavit enim angelus in cœlo, peccavit Adam in paradiso : et tamen nullus locus sanctior illis erat. Si enim loca habitatorem beare possent, nec homo nec angelus a dignitate sua corruissent. Pensate ergo, fratres, quid vestis nigra, quid zona pellicea, quid corona capitis persuadeant. Nigra enim vestis, quæ vilis est, mundi contemptum nobis denuntiat, et memoriam mortis. Zona pellicea lumborum refrenationem declarat. Capilli rasi de vertice, superfluitatem criminum significant ablatam de mente. Sic enim mihi sanctus pater Ambrosius, quando me regeneravit in Christo anno ætatis meæ trigesimo (a), mihi petenti respondit. Cogitate ergo, fratres, quam reprehensibile est, si sub tali habitu superbia lateat vel luxuria. Summe necessaria est igitur nobis in eremo demorantibus ipsa humilitas, quæ designatur per vestem; castitas, quæ denotatur per lumborum præcinctionem; obedientia, quæ intelligitur per subjectionem. Portamus etiam baculos, per quos intelligitur disciplina, sub qua semper parati esse debemus. Deus autem qui nos de tenebris gentium revocavit ad gratiam, confirmet etiam in omni bono, ut abundemus in spe et virtute Spiritus sancti. Amen.

SERMO XXVIII.

IN CŒNA DOMINI.

Audivimus, fratres charissimi, quod cum Dominus intinxisset panem, ut daret Judæ, quod post buccellam intravit in eum Satanas. Et ait Jesus : *Quod*

(a) Error idem ac supra, serm. 5.

(a) Imo trigesimo tertio, quo anno Monnica cessit e vita; lib. 9 Confess., cap. 11, n. 28.

facis, fac citius (*Joan.* XIII, 26). Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset, ait Dominus discipulis suis : *Surgite*. Et postea ait : *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum*. Antequam tamen a vobis recedam, *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Ibid.*, 33, 34). Satis enim novit Charitas vestra, quod tota perfectio nostræ vitæ et ædificationis ex Evangelio accipitur. Ejus verba a summo nostro Magistro nobis data sunt; ideo pretiosiora sunt, et satis nos hortantur, nosque ædificant quotidie. Et ea vobis modo præsentamus, ad memoriam vobis reducimus, non quia non bene intelligatis, licet in eremo permaneatis (*a*), et segregati a gentibus sitis etiam corporaliter, antequam essem presbyter episcopus pariter videre potuistis : sed ideo vobis ad memoriam reduco, non ut doceamus, sed ut et me et vos, fratres, moneamus. In Evangelio quo dicitur, quod ad præsentem diem pertinet, de patientia et dilectione et humilitate instruimur. Ideo, fratres, ut et ego plenius valeam una vobiscum corrigi et doceri, relinquere volui presbyteros meos, quorum vita apostolica vestra et eorum una est : et sanctum senem Valerium etiam corpore hodierna die relinquere non curavi, cupiens vos docere et a vobis doceri, ut fructum aliquem Deo in die tantæ solemnitatis offerre digne pariter possimus. Ideo, fratres, ad expositionem sancti Evangelii accedentes, primo audire et scire vos volo, quod Dominus Jesus discipulum Judam multis modis, minis, sacramentis et exemplis et planctu volens eum corrigere, et prædictis modis ad correctionem invitare, ad ultimum eum manifestavit in damnationem et ruinam jam esse paratum, dum in cœna dixit : *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet* (*Matth.* XXVI, 23). Cum enim Judas pravam suam vitam nulli patere putavisset, Magistrum audiendo erubuit, sed non penituit : multo enim ante passionem dixit, *Nonne duodecim elegi, sed unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? Et post cœnam ait : *Vos mundi estis, sed non omnes* (*Id.* XIII, 10). Hoc autem Magister dicebat, volens discipulum verbo corrigere. Ecce quomodo verbis timoris eum correxit. Sed videns Dominus quod verbis eum corrigere, ipso nolente, non poterat, studuit eum corrigere, et sibi timorem æternum incutere, dum ait, *Væ homini illi per quem tradar ego! melius ei fuisset, si natus non fuisset* (*Matth.* XXVI, 24). Sed Dominus eum discipuli nequiter induratum, ad dilectionem sacramenti dulciter invitavit dicens sibi post Petrum et cæteris, *Accipite et comedite : hoc est corpus meum* (*Ibid.*, 26). Sacramentum enim illud ideo hominibus datum, ut corpus in terris capiti coadunetur. Sicut enim multa grana unum panem conficiunt, et ex multis racemis unum vinum extrahitur; sic ex multis hominibus Christi corpus conficitur. Obtulit autem Dominus discipulo sacramentum unitatis, ut eum invitaret ad humilitatem dilectionis. Licet etiam propter alios discipulos humilitatis exemplum præbuerit, tamen ovem perditam recuperare valde cupiebat. Sed videns eum nequiter obstinatum, surgit a cœna, et vestimenta deponit, linteo se præcinxit, et ad principem Apostolorum primo, ut arbitror, fratres, pervenit. Ante eum se genuflexit divinitas incarnata, Deus ante hominem, Creator ante creaturam, Magister ante discipulum, Rex ante piscatorem, doctus ante indoctum, sapientia ante ignorantiam, pulchritudo ante deformitatem. Ideo Petrus divinitatem incarnatam videns ante se inclinari, expavit, exhorruit, et per cernuum velut insensatus cucurrit, et clamavit : *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*Joan.* XIII, 8). Nam inquit Petrus, Domine, jam dixi quod tu es Christus filius Dei vivi, et tu mihi lavas pedes? Sed notare debetis, fratres qui in eremo habitatis, cur, inquam, cœna facta dicitur, cum post ablutionem pedum dicatur buccellam panis Judæ Dominum porrexisse. Non debemus intelligere cœnam finitam, cum dicatur panis esse adhuc super mensam. Adhuc enim cœnabatur quando Dominus a mensa surrexit, et tamen cœna jam facta dicitur. Intelligere hoc namque debetis, quod non facta erat, sed parata, et ad convivantium mensæ usum perducta. Ideo Joannes aquila grandis istam dicit cœnam, omnia diligenter attendens, prius nostri Salvatoris celsitudinem voluit commendare, dum ait, *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit* (*Joan.* XIII, 3). Magnam Christi potentiam exprimit Joannes, cum omnia Patrem ei dedisse affirmat. Magnam celsitudinem Christi prædicat, cum eum a Deo exisse asserit : et tamen hodie audivimus, quod ille qui habet omnia in manu, vestimenta etiam deponit. Sed quid mirum, si pro discipulis vestimenta deponit, qui etiam carnem pro inimicis suis dedit? Et quid mirum, si more famuli præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens, habitu inventus est ut homo? Quid mirum si tulit aquam in pelvim, qui dignatus est fundere sanguinem pro nostra redemptione? Et ait Joannes, *Venit ergo ad Simonem Petrum* (*Ibid.*, 6). Videtur denique quibusdam, sicut fuit martyr ille sanctissimus et doctor Cyprianus, ante Petrum Judam lavasse, volens Dominus prædictum discipulum revocare. Sed non videtur ratio ponderosa (*a*) : ex quo enim Petrum jam cunctorum caput fecerat, ad eum accessit primo in honore, ut cæteri postea similiter facerent. Ideo sic intelligendum est, cum summam rei bene transcripsisset dicendo, *Cœpit lavare pedes, et linteo tergere*; redit postea ad ordinem rei ostendendo, dicens, *Venit ergo ad Simonem*. Quid est etiam quod Dominus postea dicit, *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (*Ibid.*, 5, 6, 10). Si mundus est totus, quare necesse est ut pedes lavet? Ideo, fratres, attendere debetis, quod hanc mentionem facit Dominus de ablutione Baptismatis : qui ergo lotus est in Baptismate totus, non est necesse nisi ut pedes venialium peccatorum lavet, quibus humana mens obstare non potest, nec infans cujus unius diei vita regnat super terram. Paractis denique et consummatis sacræ cœnæ sacramentis, factis et ordinatis in eadem cœna Apostolis, sacerdotibus communicatis, et lotis eorum pedibus, iterum intravit mensam et ait : *Scitis quid fecerim vobis? Si ergo ego Dominus et Magister lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes* (*Ibid.*, 12, 14). Si sum Magister, discite a Magistro; si Dominus, erubescat hæc despicere servus; si jam peperci proditori, et vos parcere studeatis; si ante eum genu flexi, humiles ante adversarios estote; si me ab eo permisi osculari, et vos maxillam præbere dignemini; si proditorem amicum vocavi, et vos inimicum amicum vocare corde et opere non dedignemini : quia non est servus major domino suo. Et post pauca, de filio perditionis dolorem ostendens et dolens, turbatus in spiritu et contristatus, ait : *Unus vestrum me tradet* (*Ibid.*, 21). O quam doluit Dominus discipulo perdito! o quam studuit eum ad se revocare! Doluit, quia non potuit eum corrigere. Doluit, quia obstinatum jam eum esse cum diabolo cognoscebat. Doluit, quia super eum sententiam æternæ damnationis daturus erat. Et videntes discipuli faciem, quam Angeli aspicere desiderant, esse turbatam, dixerunt, quis esset ille, quærentes quis eorum esset major. Sed quare hoc? nisi quia arbitrati sunt ut homines, ille qui major est, ut dominari possit, magistrum prodere procurat. Aliqui tamen de Petro forte suspicabantur, quia plus et plurima se facturum jam promiserat pro Magistro : suspicantes, quod ficto corde sic toties loqueretur, *Tu es Filius Dei*. Sed quia Petrus innocentem se sciebat, innuit Joanni ut peteret. Cui Dominus, *Cui panem intinctum porrexero, ille est*; sed cave ne Petro dicas. *Et cum intinxisset Jesus*

(*a*) Vide serm. 4 notam.

(*a*) Jam oblitus est auctor quod serm. 25 asseruerat, Cypriano se in omnibus credere.

panem, dedit Judæ (*Joan.* XIII, 26). Non est ergo credendum, quod Dominus alta voce dixerit, quia si Petrus hoc scivisset, dentibus proditorem dilacerasset. Nec etiam est putandum, quod Judas tunc Christi corpus sumpsisset, quia jam Dominus omnes discipulos communicaverat et Judam, sicut Lucas evidenter ostendit: panem intinctum tamen Dominus discipulo porrigere voluit, ut cor intinctum veneno significaret. *Et post buccellam intravit in eum satanas.* Numquid satanas tamen ante cor ejus intraverat? Omnino, fratres, ante buccellam cor Judæ intraverat, sed affectu et voluntate tantum: sed post buccellam intravit satanas affectu et opere. Tamen bona fuit buccella quam Christus discipulo dedit. Bonum etiam sacramentum quod ei tribuit: sed aliquando bona obsunt, et mala quandoque prosunt. Corpus enim Domini quod bonum est, malis malum est. Et carnis stimulus malus est, et tamen Paulo bonus est; et quod malum est, sibi profuisse cognoscimus. Sicut supra diximus, fratres, panis iste porrectus a Christo, et indigne receptus a Juda, fecit ex merito Christus, ut major esset licentia super eum diabolo post manifestationem, ideo graviorem vindictam in eum fecit. Subtracta enim gratia, eum Dominus ad malum dimisit, et dimisit eum secundum desideria cordis sui, et ivit in adinventionibus suis. Et permittens eum in propria voluntate et arbitrio, ait discipulo: *Quod facis, fac citius* (*Ibid.*, 27): quasi dicat Dominus, Quia non possum te revocare timore verecundiæ, nec mortis æternæ, nec amore; do tibi potestatem, ut agas facto quod jam voluntate fecisti. O Juda, quid facis? Attende antequam facias: nam post factum forte gratiam pœnitendi habere non poteris. Quid cupis tradere, qui tibi multa peccata pepercit? Numquid a morte te sæpe liberavit? Numquid tui amore patrem tuum sanavit a lepra, et matrem, cum qua concubueras, a paralysi etiam liberavit (*a*)? Numquid te discipulum constituit? Numquid te bursarium fecit? Numquid in furto te sæpe invenit, et semper tibi pepercit? Numquid te post Petrum ut plurimum honoravit (*b*)? Numquid semper Christus juxta se te habere voluit? Numquid ad pacem, postquam te proditurum cognovit, sæpe revocavit? Numquid tibi suum sacrum corpus donavit? Numquid ante te genu flexit? Numquid pedes lavit? Numquid te osculatus est? Cur ergo prodere vis Magistrum, a quo tot bona recepisti? Sed hæc omnia non considerans, recepta buccella *exivit continuo*. Et bene *exivit*, quia vere a Deo et a consortio discipulorum Dei exivit. *Et erat*, inquit Evangelista, *nox* (*Ibid.*, 30). Merito nox discipulo proditori data erat, quia cæcitas mentem ejus caligaverat. Qui discipulus postquam ab eis recessit nocte, mox Magister undecim congregavit, et ait, *Filioli, modicum tempus adhuc vobiscum sum: ideo mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Ibid.*, 33, 34). Novus enim erat homo, quia quatuor modis generantur homines: aut sine matre, ut Eva; aut sine patre et matre, ut Adam; aut ex patre et matre, ut homines; aut sine patre ex matre tantum, ut Christus. Bene ergo novus erat, quia Deus et homo erat. Novum etiam regnum promittebat, quod nemo unquam promittere ausus erat: ideo novum mandatum dedit. In Lege autem veteri dictum erat, *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Matth.* v, 43). Sed Christus novum mandatum dedit, quia ut amicos inimicos diligere mandat. Cæteræ namque virtutes, fides scilicet, oratio, eleemosyna, virginitas, et cæteræ virtutes corporis et fidelibus et infidelibus communes esse possunt (*c*): sed inimicum diligere tantum Christianorum virtus est; et ideo Magister veritatis dixit, *In hoc cognoscent homines, quod mei estis discipuli, si dilectionem ad invicem habueritis* (*Joan.* XIII, 35). Scitote tamen, fratres, quod talis ordo in diligendo servandus est. Primo super nos et super omnia Deum diligere debemus, deinde animam nostram, quæ nostra proxima est, deinde corpus, quia factura Dei est: ideo Apostolus dicebat, *Nemo carnem suam odio habuit* (*Ephes.* v, 29). Ideo nutrire debemus corpus, nec ipsum occidere, sed sustentare debemus cibo et potu, quantum valetudo permittit. Sic enim vult Deus, sic vult Apostolus: sic et volo, fratres mei, præcipio. Ideo, fratres, hortor vos et moneo, atque fieri præcipio, ut tantum carnem dometis, quantum natura portare potest. Nam cum videam inter vos quosdam sexagenarios, quosdam septuagenarios, quosdam centenarios (*a*), videns eos Dei amore ferventes, corpora eorum crucifigentes, vinum etiam non bibentes, timeo ne potius Deum offendant quam placeant. Talibus in Christi nomine præcipio, ut saltem diebus dominicis et solemnibus vinum vel cervisiam bibant. Juvenes autem qui fortes sunt, et jam triumphare de inimico cœperunt, in Christi nomine pœnitentiam agant, ne devincantur ab hoste (sic enim volo, sic sæpe præcepi servari: sic non occidemus corpora nostra); sed serviant Creatori suo. Deinde diligere debemus proximum, sicut fratrem nostrum, amicum nostrum vel inimicum. Ideo attende: quod si inimicum videris esurire, ciba illum, da illi potum, cooperias eum, et carnem tuam ne despexeris. Dilectio enim spiritualis bonorum est: quia omnis habens eam, bonus est. Numquid etiam cum odio aliquando paradisum quis intravit? Ad infernum ire odium habentem sæpe me legisse memoror, sed ad cœlum nunquam volare concedam. Cupimus ergo, fratres, esse cives cœlestis civitatis? Servemus novum mandatum novæ civitatis. Illa, inquam, civitas habet pacem, præcipit pacem, et diligit diligentes pacem. Sequamur ergo pacem, sine qua Deum nemo videre potest. Quæramus pacem, et postea sequamur pacem. In ipsa Deus habitat, in ipsa quiescit et pausat: quia factus est in pace locus ejus. Non ergo habeamus cor intinctum odio, ne filii Judæ proditoris simus; ne cum eo suspendamur, et a diabolo pariter cum eo trahamur ad tartara. Qui odium in corde portat, secundus diabolus est: et qui pacem impedit, antichristus est: et qui pacem ordinat inter fratres, revera filius Dei est. Attendite, fratres, Mariam: quoniam multum dilexit, dimissa sunt ei peccata multa. Quid etiam Petro dixit Dominus; nisi, *Petre, amas me?* Et quia amavit, meruit et amari; meruit audire, *Pasce oves meas, pasce agnos meos* (*Joan.* XXI, 15). Quin etiam discipulo ait qui diligebat Christum, et quem Christus diligebat: Dilecte mi, veni ad me, quia tempus est ut epuleris. Pacem ergo habeamus, fratres, si pacem cum Christo habere volumus. Si vis amari a Christo, ama inimicum propter Christum. Si vis ergo amari, ama. Hanc amplectimini, hanc diligite, hanc pacem et concordiam usque ad mortem servate, si vultis cum Deo pacem habere. Pax enim omnium custodia et cura virtutum est. Hanc pacem annuntiare in suo ortu Angelis præcepit. Pacem annuntiavit sæpe Apostolis, pacem prædicare præcepit hominibus, pacem pro testamento Apostolis reliquit, pacem in cruce pendens postulavit, pacem in sacrificio toties in populo promulgari voluit. Nulla denique dabitur venia, nisi pacifico viro. Pellite ergo a vobis hoc odii mortiferum venenum, et pacem inter vos habete; quia estis fratres qui in hac vasta solitudine simul in unum estis congregati. Uno enim pane, uno indumento, uno nigro colore, una aqua omnes simul participamus. Reducamus igitur, fratres, ad nostram memoriam, quod Dominus ab inimico osculatus est, et tamen amicum vocat illum proditorem: *Amice*, inquit, *ad quid venisti* (*Matth.* XXVI, 50)? Date igitur reconciliationis pacem, sed non osculum proditionis. Qui enim ficte inimicum osculatur, vel verbo blanditur, Judæ proditoris fratrem et socium et similem sibi

(*a*) Hæc merito ut figmenta respuit Vindingus.

(*b*) Ei prælati etiam videntur Joannes et Jacobus, qui in Transfiguratione, et in Archisynagogi filiæ suscitatione, etc., soli juxta Christum, non Judas.

(*c*) Qui infidelibus fides esse potest?

(*a*) Vid. supra, Serm. 17.

esse, quis dubitare poterit? Sed qui amore Christi verus filius est. Vos enim, fratres, quorum vita lux mundi est, licet mundus vos non videat, tamen mundi lucem vos appello et sal terræ. Ideo quia lux estis, luceant opera vestra bona. Nos qui videamur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, et nomen religionis sanctæ habemus, nigram etiam vestem humilitatis portamus, zonis etiam pelliceis præcincti apparemus; caveamus ne simus sepulcra dealbata, quæ foris pulchra et speciosa apparent, sed intus plena sunt ossibus mortuorum occultis. Provideamus ne nobis dicatur, *Væ vobis qui clauditis regnum cœlorum ante homines* (*Matth.* XXIII, 13). Timeo enim satis, ne paradisum intremus [1], nec alios intrare permittamus. Hoc autem quare dico, fratres? Non quia credam vos malos esse, sed quia doleo de fratre nostro perdito Simplicio (*a*), qui ad hunc locum et ad hanc sanctam congregationem cum tanto fervore pervenit, et audito patrem interfectum esse, a nobis recessit, et mundum intravit, ut patris vindictam vindicare posset. Qui ergo se existimat stare, vigilanter attendat et videat ne cadat, et sic homines videntes illos qui columnæ sanctitatis esse videbantur tam nequiter cadere, non solum ipsis regnum cœlorum claudunt, sed et in sæculo demorantibus. Nobis denique, fratres, qui nomen et habitum sanctæ religionis portamus, vita mala periculosior ostenditur, quam in sæculo demorantibus. Ploremus ergo, fratres, peccata nostra, et fratris nostri amissi: diligamus et nos invicem, quia charitas ex Deo est. Non erubescat alter alteri veniam postulare, quia non erubuit Christus inimicos ad pacem in cruce revocare. Non erubescat facere servus, quod primum fecit et Dominus. Dominus autem qui habitare facit nos unius moris in domo, qui est vera pax, qui fecit utraque unum, nos in vera pace perseverare faciat.

SERMO XXIX.

DE LINGUA DOLOSA.

Cupio vos scire, fratres charissimi, quæ sit lingua dolosa, a qua eximius Prophetarum David postulabat a Domino liberari, dum dicebat: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX, 2). Et ideo scitote, fratres, quod non solum est lingua dolosa illa quæ seminat inter fratres discordias, quæ suscitat lites, quæ incitat furores, quæ etiam conventus conturbat; sed etiam illam dolosam linguam dicimus, quæ te laudare adulando procurat, dicens in facie te esse quod non es. A talibus autem Deum deprecari debemus, ut nos liberet, et liberemur. Quare ab his liberari debemus petere? Quare eos ut mortem fugere debemus, nisi quia adulatores sunt, quia mendacia diligunt et loquuntur, quia falsitatis sunt inventores, quia diaboli fratres, quia veritatis destructores, quia puritatis deviatores, quia odiorum inventores, quia diaboli jaculatores, quia satanæ mediatores, quia Dei persecutores, quia animarum invectores [2], et omnium malorum inventores, mel in ore portantes, et venenum aspidum insanabile in corde hominum consuentes. Ecce propter quod a Domino liberari postulare debemus. O iniqua lingua et dolosa! o iniqua proditio! o pessima diaboli astutia! o grandis malitia! Non solum per amara verba, sed etiam per dulcia homines illaqueare procurat, ut secum eos perducat ad tartara. Nam si homo ab homine læditur, opprobria, contumelias et injurias patitur, inimicus reputatur ab eo. Credo quod me non diligit, omnino oportet me custodire ab eo, dicet homo: sed si Deo placere volo, me oportet alteram maxillarum sibi præbere, et totum portare in patientia, vel malum pro malo non reddere. Ecce quomodo ad talia remedium est. Sed si homo beatum me prædicet, et verba adulationis non cognovero, quod remedium habere potero? Ideo, fratres, non solum lingua dolosa est illa, quæ mala inter fratres committit, sed et illa quæ adulatur. Si quis verbo tamen non offendit, hic perfectus est vir. Sed quia nemo perfectus in via, ideo necesse est ut alter alterius onera portemus. Nemo tamen alterius onera portare potest, nisi qui habet charitatem. Sed qui charitatem non habet, non solum onera proximi portare non valet, sed nec etiam sua. Quid enim facere debet, qui charitatem non habet? Ecce statim de festuca trabem facit, verbum pro facto reputans factum fuisse putat: et sic dolet, clamat, tristatur, minatur vitam proximo dilacerare: et sic consumitur ille qui charitatem non habet, et onera alterius portare nescit, mori etiam frequenter desiderans, sed mori non potest. Nos vero, fratres, non sic: sed si verberamini a lingua dolosa, non turbato animo, non corde inflato, sed humili et tranquillo, dicite, *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*. Sic in homine charitatem habente excitatur frequentius amor charitatis. Inflammatur etenim cor et ardet, reviviscunt viscera pietatis, et sic clamare non cessant qui tanguntur a lingua dolosa, *Deficit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (*Psal.* XXX, 11).

SERMO XXX.

DE CONFESSIONE PECCATORUM.

Dicere solent homines, fratres charissimi, Deus cuncta novit, apud eum nec præteritum nec futurum est: omnia videt et omnia ponderat, omnia nuda et aperta sunt ei. Quare igitur vult ut confiteamur hominibus peccata nostra, quæ nequiter gessimus? Numquid non melius est, cuncta mala tacere, quam ea prædicare in tectis? Ecce enim quis dicet, Peccavi super omnes homines. Sed si cuncta hominibus prædicavero, omnibus hominibus pejor reputabor a cunctis, exemploque meo multi multa mala committent. Quomodo ergo confiteri debet homo alterutrum peccata sua? O homo, an ignoras quod omnes peccatores sumus? Et si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Omnes peccamus, omnes cum peccato nascimur, omnes in peccata demergimur, etiam infans cujus est unius diei vita super terram. Cur ergo timemus peccata confiteri? Tamen oportet confiteri Deo, quoniam bonus est, et in æternum misericordia ejus. Vult enim Deus quod confiteamur; non quod ignoret peccata nostra, sed ut diabolus audiat, quoniam confitemur et pœnitet nos peccasse; et peccatis confessis cum dolore et lacrymis, non habeat amplius unde nos incuset. Ecce enim, fratres, diabolus vult ut taceamus, Deus vult ut confiteamur; et cui magis obediendum sit? Certe constat quod Deo, qui salutaria præcepit. Non enim sufficit cessare a malo, nisi peccata quæ fecimus confiteamur cum dolore. Nec soli Deo sufficit confiteri, sed alterutrum peccata nostra confiteri debemus. Non igitur tardes confiteri Deo, non tardes converti ad Deum, nec differas de die in diem: subito enim veniet ira Dei, et tempore vindictæ destruet te. O fratres mei, qui usque nunc dormistis, *convertimini ad Deum in toto corde vestro, in jejunio, planctu et fletu* (*Joel* II, 12). Ecce enim quia dicit, *in toto corde*, nos docet propheta, quod in corde est fons pœnitentiæ, fletus vero ad oculum, planctus autem ad os, sed jejunium ad totum corpus refertur. O homo, ne tardes converti ad Deum: discute mentem tuam, prospice singula secreta cordis, considera antequam ad confessionem accedas, quod cor peccavit mala appetendo, oculus vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, auris mendacia audiendo, manus verbera et homicidia perpetrando, et si non opere, saltem voluntate. Quis se excusare poterit? Pedes etiam veloces ad malum. Igitur, o fratres mei, sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire Deo in sanctificationem. Primo enim cor quod

[1] Forte, *non intremus*.
[2] Forte, [illegible]
(*a*) Simplicium istum ignotum virum ac fictitium jam observarat Lupus ad serm. 4.

mala cogitavit et concupivit, pœniteat et doleat, et oculus fleat, os sine intermissione oret, aures audiant verbum Dei, manus eleemosynam porrigant, peregrinos suscipiant, infirmos foveant, nudos induant, pedes veniant ad ecclesiam, genua flectantur et laborent : quia sicut nullum fuit membrum quod peccando Deo non displicuerit, ita nullum sit membrum quod pœnam non patiatur condignam. Dedit enim nobis Deus membra, ut sibi serviamus, non mundo. Sed heu, fratres! cœlorum cives et domestici Dei facti sunt amatores mundi, fortius diligentes terrena quam cœlestia, transitoria plus quam æterna, res suas plus quam se ipsos. Non sic, fratres mei, non sic : quia ecce jam tempus prope est, ecce jam nobis minatur. Surgite ergo qui panem doloris comeditis, et ad ecclesiam pergere festinemus, et flentes peccata nostra cum dolore confiteamur. Sed primo talis ordo tenendus est, ut peccata præmeditemur, ut proferendo taliter mundum et circumstantiam peccatorum Deo et sacerdotibus confiteamur, ut a pedibus suis non onerati, sed alleviati discedere valeamus. Et nolite, fratres mei, differre confiteri peccata vestra : nam qui usque ad ultimum diem Quadragesimæ vel vitæ suæ distulerit confiteri, dat signum, quod hoc libenter non facit : non gratiose, non puro corde, sed coactus hoc facere videtur : sed coacta servitia quantum Deo vel hominibus placeant, considerate. Non ergo de die in diem differamus pandere cordis nostri secreta. (*a*) Promisit enim Deus veniam pœnitenti : sed non promisit usque in crastinum differenti. Igitur non differamus, sed cum ad confessionem accesseris tu homo vel femina, cave ne rideas, vel ornate incedas, ne fabulas primo proferas, sed cum humiliato capite, et dorso cinere et cilicio infuso, confiteamini alterutrum peccata vestra. Sed deprecor te, o homo, ut confiteri non paveas : frequenter enim diabolus cor tuum astringit, ne confitearis, dicens : Quomodo confitebor hæc et illa? O homo quandocumque hoc persenseris, diaboli tentationem esse non dubites, qui cupit te astringere nequiter, ut in peccatis positus sine magna tentatione semper agas quæ placita sunt ei. Nolite ergo timere peccata confiteri, o fratres : nam illud quod per confessionem scio, minus scio quam illud quod nescio. Cur confiteri times peccata? Peccator est qui audit peccata, sicut et tu, et forsitan major. Homo est, nihil differt a me, nihil alienum habet a me. Cur ergo times, o homo peccator, homini peccatori confiteri? Elige quod vis : si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc enim Deus exigit confessionem, ut liberet humilem. Ad hoc damnat non confitentem, ut superbum puniat in æternum. Confitemini, o fratres mei, et nolite differre : ad sacram messem confessionis accedere festinate. Hæc est enim salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, pavor inferni, obstaculum diaboli, Angelorum tunica, Ecclesiarum fiducia, salus, dux, baculus, lumen et spes omnium fidelium. O sancta atque admirabilis confessio! tu obstruis os inferni, et aperis paradisi portas. O confessio, sine te justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputabitur. O confessio vita justorum, peccatorum gloria, tu sola necessaria es peccatori, et nihilominus justus si quis reputabitur, te adstringere et frequentare debet. Nihil denique remanebit in judicio, quod fuerit per confessionem purgatum. O confessio illibata! Tanto pondere appensum est, tantumque valuit apud Deum, quod homo novit appendere latroni qui in cruce confessus est Domini crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Ecce quantum profuit brevis confessio peccatoris. Sed nos qui sacerdotes sumus, et utinam boni simus, caute nobis vigilare necesse est et sollicite, quatenus sic delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris et contritionis infigamus, ut eos nequaquam a verbo confessionis exterreamus : ut sic corda aperiant, quod ora non obstruamus. Sed nec absolvere debemus etiam compunctum, nisi viderimus confessum : quoniam quidem *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (*Rom.* x, 10). Qui ergo verbum confessionis in ore habet, et in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus. Qui vero in corde, et non in ore, aut superbus est, aut timidus. Decet igitur sacerdotes esse tales, ut cognoscant et sciant quam, qualem, et quantam infirmantibus exhibere debeant medicinam : adjuvante Domino Deo nostro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Similis est sententia Prosperi 71, sed non verba eadem.

SERMO XXXI.

DE FALLACIA MUNDI, ET EJUS DETESTATIONE, PROPTER TRIA PRÆCIPUE MALA QUÆ IN EO SUNT.

Scriptum est, fratres charissimi, quod mundum non diligamus, quoniam *mundus transit et concupiscentia ejus* (I *Joan.* II, 15, 17). O munde immunde, qui homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris. Væ qui tibi credit, beatus qui tibi resistit, sed beatior qui a te illæsus recedit. O munde proditor, cuncta bona promittis, sed cuncta mala perfers; promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito vanescit; promittis stare, sed cito recedis. Non ergo es diligendus, quoniam omnino transis, et concupiscentia tua velut fumus evanescit. Alloquantur omnes amatores tui, o munde immunde, quibus aliquando florem serenissimæ juventutis præstare voluisti, vitam diuturnam, divitiarum copiam, familiarium abundantiam, pacis amœnitatem : dicant omnes, loquantur cuncti, surgat venerabilis pater Adam cum omnibus filiis suis, et uno ore loquantur, utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lucem sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu. Nolite igitur, fratres, mundum diligere, quoniam transit et concupiscentia ejus. O munde immunde, fallax et proditor; numquid non periculosior es blandus, quam molestus? numquid non magis timendus es dum allicis, quam dum spernis? numquid non magis odiendus dum diligere dissimulas, quam dum odire te ostendis? O munde immunde, in te habitare, et non dolere, impossibile est; in te sperare, et non timere, vanum est; in te tua amare, et non periclitari, impossibile est. O fratres mei, nolite ergo eum diligere, quoniam transit et concupiscentia ejus. Sed ecce mundus transit et nos turbat, et amatur; fallit, et fidelis reputatur; occidit, et velut vita desideratur; flectit, et amplectitur. O munde immunde, et si floreres, quid facerent amatores tui? Sed vere non flores, et stabilitatem nullam habes; sed mella tua et dulcedo tua asperitatem habent, jucunditatem falsam, certam dolorem, incertam lætitiam, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, et spem beatitudinis inanem. Nolite ergo diligere mundum : quia *omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* (*Ibid.* 16). Agamus, fratres, si possumus hodierna die de singulis. Voluptas enim carnis dicitur, quam per modum illicitum misera caro appetit, ut gulositas, ebrietas, luxuria, nimia dormitio, et vanus risus. Et quia caro vicinior est, per vitia ejus primum nos aggreditur. Mundus enim quanto familiarior est, tanto periculosior est, et multi per vitia ejus corruunt. Ecce Adam per gulam, Lot per ebrietatem, Salomon per luxuriam. Ideo, fratres, gulositati per abstinentiam occurrere festinanter debemus. Considerate, quod non propter potum, sed propter pomum homo primitus mortem invenit. Esau non propter gallinam, sed propter lenticulam primatum suum perdidit. Scio enim Noe omne genus carnis quod cibo esset visum, manducare concessum esse : Eliam cibo carnis refectum legimus; Joannis mirabilem abstinentiam prædicamus Sic nos

facere debemus, sed non sicut Esau lenticulæ concupiscentia deceptus, non sicut David propter aquæ desiderium reprehensus (II *Reg.* XXIII, 15) : sed sicut Rex noster, qui non de carne, sed de pane tentatus, tentatorem superavit teterrimum. O magna et admirabilis abstinentiæ virtus, per quam homines filii Dei excelsi efficiuntur, per quam vitia expelluntur et dæmones, per quam non solum animarum salus agitur, sed etiam corporum sanitas possidetur. Ecce enim, fratres, concupiscentia carnis qualis et quanta est. Ipsa enim fomentum et mater aliarum voluptatum est ; quia qui bene comedit, libidines carnis frequenter sentit, dormire quærit : inde verbositas et rixæ quæ sunt opera carnis : inde consumptio pecuniæ. Nolite ergo, fratres, diligere mundum, quia in eo summa concupiscentia est carnis. Sed quid aliud nisi concupiscentia oculorum, o fratres mei ? Fecit enim Deus nobis oculos videntes, qui fecit magnalia, ut toto corde eum laudemus, plorantes si qua mala fecimus. Ecce in miseria sumus, et in miseriis non ridere, sed flere debemus. Cum enim nascitur puer, non ridet, sed plorat. Quare plorat, nisi quia voce testatur et confitetur plorando, se ad miseriam devenisse? Nascuntur enim filii Adam ad laborem et dolorem, quia jugum grave positum est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ eorum. Non igitur ridere, sed flere debemus, attendentes et scientes quod Dominum nunquam risisse, sed flevisse legimus. Sed quomodo flebimus peccata, quomodo elevemus oculos ad montem unde veniat auxilium, audiamus Joannem. Quid enim dicit, nisi quod *omne quod est in mundo, est concupiscentia oculorum* ? Concupiscentia oculorum dicitur; quia per oculos desideria auri et argenti, possessionum et cunctorum terrenorum intrinsecus animæ intimantur. Ideo summe custodiendus est oculus, quia janua cordis est et nuntius. Nam claude oculum, et voluntas habendi non erit; cesset voluntas, et ecce infernus clauditur. Ecce enim, fratres, quot mala per oculos fiunt, tot bona per eosdem possunt adipisci. Si enim David oculos clausisset, feminam non vidisset, adulterium non commisisset. Si Judas pecuniam non vidisset, Magistrum minime tradidisset. Et si Sodomitæ oculos clausissent, juvenes non vidissent, nec periissent. Claudamus igitur oculos ne videant vanitatem ; custodiamus januam cordis nostri, ne latro qui quotidie procurat intrare, veniat, et cuncta bona valeat deprædari. Claude enim oculum, et amittis vitium; claude januam, et latronem occides; claude oculum, et voluntas non erit habendi : claude oculum, et infernum clauseris in æternum. Licet tamen multi cæci mali sint, sed pejores eos fore non dubitamus, si hæc quæ mundi sunt viderent. Ipsa enim visio causa cupiditatis est, et principium appetitus. Claudamus ergo januam, ne mors intrare possit per fenestras nostras. Quid enim aliud in mundo esse legimus, nisi superbiam vitæ? O superbia cunctarum virtutum noverca, quis te creavit, quis te ad nos misit, quis te ad conventum divitum et pauperum tam miserabiliter introduxit ? Scio quod Deus te non fecit, nec te ad nos misit, nec ad conventum monachorum pauperum vel divitum introduxit, nec te, dum carnem assumpsit, assumere voluit ; sed tua inimica humilitate dignatus est habitare inter bovem et asinum, et subditus esse voluit Mariæ et Joseph. Quid ergo agis inter nos? Nam te natura non ostendit, quia uno modo generantur, uno modo vivunt et moriuntur omnes. Quid ergo agis inter servos Dei ? Quid ostendis eis ? Cur eos inflas ? Cur altare eos demonstras ? Nosti quod eis æternam vitam præstare non poteris. Quid eis demonstras propter quod eleventur super astra cœlorum, cupientes esse sicut Deus, et super eum ascendere volunt, si possint ? O superbia, noverca virtutum, mater vitiorum, porta inferni, magistra erroris, caput diaboli, vitiorum principium, quid inter homines facis, quid eis promittis, quod te tantum diligere demonstrant ? Ecce amatores tui tam cito de altitudine cadunt. Ecce enim Nabuchodonosor, quem tantum diligere videbaris, et tantum te diligebat, tam fortiter te adstrinxit, ut credere eum faceres, quia nullus eo major esset in orbe : et ecce mox deflectitur et cadit, et demergitur in profundum, et quasi bos fenum comedit. Ecce quid accidit te diligentibus? Sed te non amantes de stercore pauperes elevantur, et collocantur cum principibus populi Domini, solium gloriæ, honoris et dignitatis tenentes in sæculum. Eia ergo, fratres ; discite humilitatem habere, discite superbiam conculcare, discite et eam devitare. Velut mortem eam conculcate, o quam differentia divitibus, o quam periculosum, o quam miserabile ! Estote ergo pauperes, si vere humiles esse cupitis. Non destruetis divitias et conculcatis, facilius sancta perfectaque humilitas acquiritur, cum quibus vere poterunt habitare. O divitiæ, dulcissimæ et suavissimæ hominibus insipientibus apparetis : sed omni veneno mortaliores estis omnino. Venenum enim quis sumere poterit, nisi fuerit aliqua dulcedine copulatum ? Sed commixtum dulcedini, faciliter sumitur : sic enim qui recipit, moritur. Sic qui divitias amat, dulcedinem videtur gustare : sed ecce mors inter divitias latens, hominem superbum et elatum, divitem, inflatum aggreditur ; et aggressus occidit, et occisus ad infernum perducitur. Ecce quantum prosunt nobis divitiæ mundi hujus, per quas occidimur, per quas mutamur quotidie, per quas insidiamur frequenter, per quas elevamur in vanitatem, per quas veneramur mendaciter, per quas animam superbam ad infernum diabolus semper exspectat conducere. Tollite ergo, fratres mei, divitias, ut facilius tollatis superbiam; tollite divitias, et infernus non erit. Date eleemosynam, et omnia munda dabuntur vobis. O fratres mei, an ignoratis quod pauperibus non dare, tulisse est ? Et merito quando quis potest esurientibus subvenire; si non pascit, merito vitam exstinguit, et eos mori permittit. Pudeat et erubescat christianus tollere pauperibus, quibus jubemur semper offerre. Ultra omnem iniquitatem est divitem velle fieri de exiguitate pauperum vel viduarum. Itaque, fratres, amanda sunt honesta lucra, sed horreantur damnosa compendia. Nullus audeat inde tollere, ubi debeat collecta dispergere. Addendo perdit, qui retinendo collegerit : paupertatem potius ad se trahit, qui paupertatem se exigentium pecunia non repellit. O fratres mei, veniet dies illa, veniet, et non tardabit, quando nobis dicetur, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* : et ultimo dicetur illis, *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 42, 41). O fratres, si in ignem mittentur illi qui non sunt largiti, nec quæ cum labore lucrati sunt pauperibus donaverunt ; quid dicetur illis qui aliena rapere non timuerunt ? Cum diabolo ardent, qui nudum non induerunt; ubi putamus arsuros qui viduas et orphanos spoliaverunt? Non ergo spoliare debemus pauperes, ut denudati abundemus in superbia vitæ : sed eleemosynas dare, ut pauperes et humiles simus, non differamus. Sed hæc non solum facere nobis sufficit, sed et proximum etiam ad hæc inducere festinemus, dicentes potestatem habentibus et terrarum rectoribus, quod non solum eleemosynam porrigant, sed et quod regna sua in pace custodiant : scientes, quod remota justitia, regna latrocinia efficiuntur. Multi enim sunt rectores, sed pauci justitiæ amatores inveniuntur. Nam cum quæsitum fuisset a Socrate ridente, cur sic fortiter rideret : respondit, Video magnos latrones ad suspendium duci facere parvos : et alta voce clamasse refertur, O quam digniores estis suspendi, qui in cathedris et domibus habitatis, latrocinia majora committentes, quam qui in silvis cum tremore quotidie demorari videntur ! Quapropter, fratres, nolite rapere, nolite feneran, ut abundetis in superbia vitæ. Sed divitiæ si affluant, nolite cor apponere, sed dispergite eas, ut humiles sitis, et imitari valeatis illum qui sequentibus se dicet, *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Ibid.*, 34). Amen.

SERMO XXXII.

AD LEPROSOS, ET PATIENTIAM SUADENS.

Fratres mei dilectissimi, scio quod percussit vos Deus, et leprosi facti estis usque ad diem mortis vestræ. Ideo obsecro vos in Domino nostro Jesu Christo, cujus pretioso sanguine redempti estis, ut non deficiatis in tribulationibus quæ sunt pro gloria vestra: scientes, quod per carnis afflictionem, mentis infirmitatem occidimus. Spiritus enim deficit, dum misera caro gaudendo quiescit. Ergo si paupertas urgeat, si luctus mœstificat, si stomachus doleat, si pectus vel venter infletur, si totius corporis dolor vos inquietat, si calamitas vos undique vexat; semper vos lætificet in omnibus laboribus et periculis vitæ hujus amor vester in Deum, et pia patientia, et certa spes supernorum. Despiciamus ergo divitias corde, et erimus locupletes. Despiciamus inimicorum supplicia, et erimus semper victoriosi. Despiciamus corporis sanitatem, et æternam quietem et sanitatem recipiemus. Igitur vobis infirmantibus et languentibus patientia summe necessaria est. Nullus enim beatus esse poterit, nullus cœlorum civis efficitur, nullus amicus Dei constituitur, qui inter mala patiens non inventus fuerit. O patientia, tu omnia vincis adversa, non colluctando, sed sufferendo; non murmurando, sed in omnibus gratias agendo. Ipsa enim patientia est, quæ fæcem totius voluptatis abstergit: ipsa quæ limpidas animas Deo reddit: ipsa navis quæ ad portum cunctos suos amatores perducit. Ipsa est per quam infernus clauditur, et paradisus aperitur suis amatoribus. Ipsa est per quam omnis, et sine qua nullus justificabitur. O si grave vobis est quia leprosi estis, patientiam in cunctis habete. Elevate capita vestra, et corde aspicite vulnera Salvatoris nostri in ligno pendentis, pœnas morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Quid aliud videre poterimus, nisi caput inclinatum ad vocandum et parcendum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum? Hæc quanta sint, cogitate vos qui doletis: hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus fuit in cruce. Et quid plura [1] Salvator noster pro nobis sustinuit, quid plura patienter portavit. Tota enim vita sua plena fuit dolore; et tandem ad crucem perveniens per passionem, ludibriis exponitur qui est vere palma victoriæ, spinis coronatur qui spinas peccatorum venit confringere, ligatur qui sine labore et pœna solvit compeditos, ligno suspenditur qui erigit elisos, aceto potatur fons æternæ vitæ, disciplina cæditur, vulneratur salus, vita moritur. Occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum a vita occideretur mors. Ecce, fratres, Christi patientia, ecce Christi bonitas et clementia. Et si placet etiam plura audire, possumus et adhuc plura de Christo prædicare. Non igitur tædeat vos audire. Nam et si fatigaremini, vobis non amplius prædicarem. Cupio enim consolari vos, et non tristari. Nam si tædium est, dicite: si vero gaudium, audite. Ecce enim venit Salvator regens sidera, et sugere voluit ubera. Ipse qui panis est esurire voluit, ipse fons sitire, ipse lux dormire, ipse quies fatigari, ipse veritas occultari, ipse judex vivorum et mortuorum a mortali judice condemnari, ipse justitia ab injustis judicari, ipse unitas mutari. Nihil enim tam salutiferum nobis est, quam quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit Deus et homo. Ecce enim Salvator passus est, leprosus in cruce factus est, patiens factus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quod si feceritis, non solum infirmitatem non moleste portabitis, sed cum propheta clamare voce et opere non desistetis: *Deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (*Psal.* XXX, 11). Sed dicetis, O quam grave, o quam inhumanum, o quam forte est inter homines habitare non posse! Ecce enim separati sumus a castris... tali animi debilitate, quod a nobis recedunt, parentes nos odiunt, consanguinei fugiunt, amici nos deserunt, separati sumus a castris, ac si ex hominibus nati non essemus. O fratres mei, attendite patienter, et nolite turbari, nam verum est quod dicitis, sed modo vos ignoratis quod legitur et enim Dominus Moysi, *Non habitabit in domo mea prava lepra* (*Levit.* XIII, 46). Cur ergo turbamini, si inter homines habitare non potestis? Numquid mundi divitiæ hoc præstare vobis poterant? Numquid domum Dei vobis aperire potuerant? Numquid per eorum conversationem effecti estis meliores? An ignoratis quod dictum fuerit sancto viro Antonio, Si cupis salvari, fuge homines, fuge mundum et pompas ejus? Cur ergo turbaremini, si inter homines conversari non potestis? Ecce enim sanctus Job justus, sapiens, dives, rectus et timens Deum, et tamen leprosus efficitur (a), tamen non compatitur, extra castra projicitur, ab hominibus despicitur et deseritur. Ab uxore blasphematur; tamen non conqueritur, nec labiis suis contra Deum mortaliter locutus est, considerans aliam vitam cito esse venturam. Non ergo turbemini, sed considerate quia propter peccata vestra percussit vos Deus, vel ut examinet vos. Ecce enim Maria, quia murmuravit in fratrem suum Moysen, leprosa est facta. Azarias rex, quia præsumpsit, leprosus factus est: et Giezi, quia simoniam commisit, et Naaman, quia se glorificavit. Vos etiam quandoque [1] modo percussi estis, patientes estote, et gratulanti animo suscipite illam; ne pariter hic et in futuro æterna tormenta patiamini. Confortamini ergo, et nolite timere. Ego vobiscum esse credidi tertia die Paschæ: sed quia Valentinus noster migravit a sæculo, propterea vobiscum esse non potui. Sed nunc fractis argenteis vasis de bonis ecclesiæ Hipponensis, vobis in necessitatibus et pro captivis providere volui. Consoletur autem nos Deus, qui suos consolatur in omni tribulatione. Amen.

SERMO XXXIII.

DE DETESTATIONE EBRIETATIS, CUM TERRIBILIS CASUS ENARRATIONE.

Non miremini, fratres charissimi, si hodie ter sermonem Deo auxiliante perfecero. Accidit hodie terribilis casus, ut omnes audistis, propter quem non solum ad ecclesiam Hipponensem omnes antiquiores habere volui, sed etiam omnes feminas et infantes in unum congregari præcepi. Quibus congregatis, cum dolore et anxietate vobis enarrare intendo, antequam pateat in plebe, quid accidit præclarissimo civi nostro Hipponensi Cyrillo. Ecce enim, ut scitis, potens erat inter nos opere et sermone, et fere dilectus ab omnibus. Filium, ut scitis, habebat, et cum unicum possidebat: et quia unicus erat, eum superflue diligebat et supra Deum. Ideo superfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat, dans etiam potestatem faciendi omnia quæ placita essent illi. O dolosa libertas! o grandis filiorum perditio! o paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt diligere, quos jugulari procurant. Dicunt eos amare, quibus jam suspendia parant. Dicunt patres filios se nutrire; sed ecce jam pater et filius ambo in foveam cadunt. Quare pater cum filio cadit in foveam, nisi quia pater cæcus est, quia malus, et quia salutem suam et filiorum suorum videtur negligere? Quo et quo modo pater hæc neglexerit, nisi quando filio libertatem donavit, quando eum corrigere neglexit, quando virgæ pepercit, quando ei semper serenam faciem demonstravit? Cupitis audire nunc quomodo pater et filius in foveam cadunt? Licet enim sciatis, tamen quia necesse est ut vos quamdiu vivitis timeatis, ideo quæ hodie facta sunt iterum dicere non erubesco. Ecce enim Cyrillus vester filium habebat ut scitis, quem corrigere negligebat, et luxuriose vivendo consumpsit partem bono-

[1] Forte hic et mox, *quam plura*.

[1] Forte, *quandoquidem*.

(*a*) Nec leprosum dicit Scriptura; cui nec minus repugnat mox dictum; « extra castra projicitur. »

rum suorum : sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores vulneravit ad mortem (a). O magna diaboli dominatio! patrem quem post Deum revereri debebat, occidit; matrem a qua portabatur, prægnantem oppressit; sorores quas tenerrime diligere debebat, voluit violare, et duas vulneravit ad mortem. O dolorosa ebrietas, omnium malorum mater, omnis luxuriæ soror, omnis superbiæ pater! O ebrietas tu mentem cæcas, judicio recto cares, consilium nullum habes, blandus dæmon es, venenum dulce es, peccatum suave es. O ebrietas, numquid non per te inflatur stomachus? numquid non per te putrescit anhelitus? numquid non oculos cæcas? numquid non cuncta membra debilitas? numquid non mortem acceleras? numquid non bursam evacuas? numquid non dominium recipis ab homine? numquid bestialem et irrationabilem te diligentem tecum ducis? O ebrietas, discant te diligentes agnoscere, discant te devitare, iterum discant te devitare, discant te velut mortem effugere; quoniam qui te dilexerit, regnum Dei non consequetur. Ergo, o fideles, abstinete, et nolite inebriari vino. Non enim sufficit abstinere : sed abstinentes alios abstinere doceatis, docentes quomodo Lot inebriatus cum filiabus jacuit; Samson etiam vino repletus per meretricem inimicis traditur. Audite, fideles, audite Isaiam dicentem. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut in vino æstuetis* (*Isai.* v, 11.)! In veteri etiam Lege præceptum erat, quod sacerdotes cum ingrederentur templum ministrare Domino, omnino non vinum biberent. Si ergo hoc erat, dum templum tantum ingrederentur; et quid nos miseri facere debemus? O quam plures sunt ex vobis qui prius tabernam visitant, quam templum; prius corpus reficiunt, quam animam; prius dæmonem sequuntur, quam Deum? O fideles non fideles, quid vobis cum vino? Numquid vinum factum est ut deliciatis maledicentes nomen Domini? Abstinete ergo a superfluo potu, ne rebelles efficiamini. Quamdiu enim Adam abstinuit, tamdiu obediens fuit, tamdiu bonus, sanctus et justus permansit. Sic et Elias tamdiu miracula fecit, quamdiu pane et aqua refectus est : sed postquam carnes comedit, et vinum bibit in saturitate, miracula non legitur fecisse (b). Eia ergo, fideles, casum superius assignatum inter cætera considerantes Deum timete, et timentes eum ferventer rogate, ut ab his et ab omnibus malis liberet nos semper. Amen.

SERMO XXXIV.

DE DUOBUS GENERIBUS HOMINUM MUNDUM DERELINQUENTIUM QUI SANCTO LOT ET UXORE SUA DESIGNANTUR.

Audistis, fratres charissimi, quod Lot nepos Abrahæ inter pessimos Sodomitas et Gomorrhæos sancte et juste moratus est. Quas civitates volens subvertere Dominus, ad servum suum Lot Angelos misit, ut cum malis non periret. Qui cum exiret, dixerant ei Angeli. *Salva animam tuam* (*Gen.* XIX, 17). Uxor vero Lot quia retro respexit, mox mutata est in statuam salis. Igitur, fratres mei, quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut inde fructum aliquem capiamus. In Lot enim et uxore sua duo genera hominum designantur, scilicet mundum derelinquentium : quorum unum perfecte deserit, aliud quoque tepide et respiciendo retro venit ad mortem. Sodoma quoque, quæ cæcitas vel muta vel asperitas interpretatur, mundus est, in quo sunt homines muti et cæci, ad quos mittuntur sancti Angeli et sancti prædicatores, ut dicant, *Salva animam tuam*, et in monte te salvum fac. Fugere enim Sodomam, quid aliud est, quam incendium libidinis, luxuriæ, superbiæ et avaritiæ fugere? Quibus et præcipimur non retro respicere, quia victor mundi et montem sanctæ religionis ingressus, non debet retro respicere. Quare? Quia melius esset viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retro abire. Quid est dicere, nisi quod melius esset, quod in vita sæculari et laicali mansisset, quam postmodum solitariam vitam desereret? Apostatare enim nequam est, mortale est, cum damnatione semper vivere est. Tales enim feminæ et uxori Lot comparantur, quia morientes, retro aspicientes, convertuntur in statuam salis. Lot præcipitur ut in montem se salvum faciat, per quem contemplativa vita designatur. Tu vero, homo, ascende in montem pœnitentiæ, ascende in montem divinæ contemplationis. In hunc montem te salvum fac, in hunc montem volando transmigra sicut passer, et ibidem salva animam tuam curis et sæculi dignitate denudatus. Sic enim fecit gloriosus ille adolescens Nathanael (a), de quo legitur : ait enim, *Magister, quid faciam, ut habeam vitam æternam?* Cui Dominus : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Cui adolescens : *Quæ sunt mandata?* Cui Dominus : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum et matrem tuam, et proximum tuum sicut te ipsum.* Hæc omnia ad tuam viam pertinent. Cui dixit adolescens : *Domine, hæc omnia custodivi a juventute mea :* quid mihi deest? Cui Dominus : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me* (*Matth.* XIX, 16-21). Et secutus est Jesum adolescens ille (b), et numquam retro postmodum respiciens, reliquit patrem et matrem et uxorem, filios et sorores, et animam suam. Tunc prudens adolescens montem Dei ascendit, Sodomam et Gomorrham reliquit, incendium libidinis fugit, curam sæculi suffocavit, et montem summæ contemplationis ascendens, emit in agro thesaurum absconditum, charum eum tenens in vita sua. Similiter hoc idem fecit Petrus, quando voluntarie omnia deseruit, omnia relinquens, et secutus est Jesum. Sic et Maria illa Lazari soror, cum Lazaro fratre suo et Maria virgine prudentissima, quando omnia vendiderunt, et pretium ante pedes Apostolorum posuerunt. Sic et Eliæ facere placuit, et Joanni Zachariæ filio, quando eremum intraverunt. Sic et Paulus cum Antonio, quando annis multis eremum coluerunt. Sic et fratres mei, qui sanctorum patrum vitam et exempla imitari et sequi voluerunt. Numquid nos etiam hoc idem optamus? Etenim in sæculo sumus : semper tamen, ut incœpimus, vobiscum in solitudine esse desideramus, et ostendimus opere, quando episcopali Ecclesia gravati non fuimus. Eia ergo, fratres, pro Deo jugo Dei submissi estis, ut sublata licentia peccandi catena obedientiæ in proposito bono retineri possitis. Sed attendite, fratres mei et lætitia cordis mei, quod nihil proficit bene operari ex coactione, nisi ex voluntate libera faciatis. Qui enim bene faciunt coacte, Deo non sunt accepta quæ faciunt, et Simoni Cyreneo, quem Judæi angariaverunt ut crucem Christi portaret, optime comparantur. Ecce enim Simon crucem portat cum dolore, quia non libenter portat; angariatur, sed non moratur in ea : ideo non perseverando fugit, et sine fructu a cruce recedit : quia nihil boni dicitur, nisi usque ad mortem in bono perseveretur. Sic et nos crucifigamus corpora nostra verberibus, vigiliis, abstinentia escæ et potus. Sed timeo ne coacti hoc agamus, et corpora macerantes mundo saltem voluntate vivamus. Ideo, fratres, in hunc montem obedientiæ ascendamus, et quod Deo promisimus, attendamus. Nihil est enim majus obedientia, nihil pejus inobedientia. Adam periit, quia inobediens fuit : Christus resurrexit, quia Patri obe-

(a) Inter fabulas hæc recenset Vindingus.

(b) Hæc quam temere dicta! Nam carnes sibi per miraculum a corvo allatas comedit, III Reg. XVII, 6, quod initium miraculorum ejus fuit, quorum gratia ad raptum usque non caruit.

(a) Hoc nomen tacente scriptura non divinaret Augustinus.

(b) Contrarium innuit scriptura.

divit. Jonas inobediens a pisce absorptus est. Saul inobediens a dæmone correptus est. A qua corruptione liberet nos ipse Christus, ut digne ad montem contemplationis volare possimus. Amen.

SERMO XXXV.

AD JUDICES, UT CAVEANT, NE ODIO, AMORE, PRETIO, PRECIBUS, VEL TIMORE CORRUMPANTUR, CÆTERAQUE VITIA DECLINENT, ET JUSTITIAM SERVENT.

Rogatus a vobis, o judices, licet cum Fortunato Manichæorum presbytero longa disputatione gravatus (*a*), sermonem vestra dilectione devictus facere, Deo auxiliante, non distulimus. Ecce enim nunc congregati estis in domo episcopi, convenistis omnes in unum, non ut sophismata audiatis, non ut poetarum curiositatem intelligatis, non ut beatos vos esse prædicem; sed solum ut quid pro vestra salute necessarium fuerit audiatis, et audientes operibus adimpleatis. Vos enim reputati estis ab hominibus duces populi, judices terræ, orphanorum patres, viduarum mariti, justitiæ zelatores, reipublicæ amatores. Cavete ergo, ne corrumpamini odio, amore, pretio, precibus vel timore. Decet igitur judices non solum quod diximus adimplere, sed cum Dei adjutorio calcare superbiam, abominari luxuriam, abhorrere falsitatem, despicere avaritiam, quæ noverca dicitur esse et summa inimica justitiæ. Ipsa enim est quæ patrem nescit, matrem ignorat, amicos perdit, et se ipsam relinquit. Decet igitur judices non avaritiam, sed largitatem sectari, et amare parvulos, pusillis et orphanis faciem serenam non solum verbo, sed opere demonstrare. Non enim avertere faciem debent a paupere, nec priores dedignentur conservare fideles, nec cervicem erigere debent quosdam despiciendo: scientes, quod moritur pariter doctus et indoctus. Decet igitur judices gratiam, quam divinitus receperunt, sollicita mente custodire, fidem ostendere, zelum rectitudinis conservare. Decet etiam judices clementiæ esse cultores, detestatores sævitiæ, cunctis benignos, ad iram tardos, ad misericordiam festinos, in adversis firmos, in prosperis humiles et cautos, et quibuscumque dignitatibus sublimatos se ipsos agnoscant, et caveant, ne suos inferiores despiciant. Decet etiam judices sapientes esse, et in lege doctissimos, ne dicere valeant, tanquam legem sanctam ignorantes, bonum malum, et malum bonum. Decet etiam judices plus Deum timere, quam alii homines; plus de salute animarum curare, quam corporis; plus honorem Dei, quam marsupia plena diligere. Sed væ vobis, o judices, væ vobis in æternum et ultra; quia non est in vobis veritas, non misericordia, non pietas, non justitia, nec scientia Dei potest in vobis inveniri. Quid enim inter vos regnat? Avaritia, mendacium, clamor, apparentia, perversio sacræ legis, dicentes malum bonum, bonum malum. Ecce acceptio personarum. Non est enim veritas in vobis. Diminutæ sunt a vobis veritates. O patres pauperum, o vere non patres, sed prædones! Quare non patres? Quia ubique per vos opprimuntur, nec est qui misereatur pupillis Dei: sed si dives locutus fuerit, mox tacuistis, causas suas usque ad nubes perduxistis. O judices scientiam et justitiam mundi amantes, attendite quid agitis. Nam scientia mundi pleni estis, et in ipsa moriemini. Quæ est enim scientia mundi, nisi thesaurum congregare, lucrum terrenum acquirere, decipere proximum, mentiri, jurare, justitiam caute pervertere, et similia in cunctis agere? Ista enim est sapientia hujus mundi. In istis fere quasi tota vestra vita consistit; et ideo attendite qui judicatis terram, quod sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Sed dicitis, O episcope, hanc scientiam non amamus, furtum non committimus, proximum non decipimus nec offendimus. Quare? Quia nihil aliud recipimus, nisi quantum nobis donare voluerit. Ego autem dico vobis, quod tantum fecistis, quantum facere potuistis. Non plus vobis fuit datum, ideo non plus recepistis. Quantum potuistis, fecistis. Leves causas magnas fecistis. Nam etsi vi non rapuistis, et proximum in via non deprædati fuistis, latrones tamen esse potestis. Latro enim timet malum, et ubi non potest, non facit, et tamen latro est. Deus enim cor interrogat, et non manum. Lupus enim frequenter venit ad ovile, et quærit rapere oves, quærit lacerare, quærit devorare. Vigilant tamen pastores, latrant canes; et sic lupus timendo fugit. Numquid non tamen lupum non esse dicimus? Absit. Sic et vos facitis quantum potestis: si plura possetis, plura faceretis. Eia igitur, o judices; attendite, ne cum falsis judicibus Susannæ confundamini. Suscitabit enim Dominus spiritum Daniel, et ponet spiritum ejus, et sapientiam pueri sui Danielis in mentem alicujus juvenis, et sicut fecit in Susannæ judicibus, confundet omnes falsos testes cum judicibus; et tunc scient quid profuerit sibi sua scientia. Considerate ergo, o judices terræ, quid per Oseam servum suum Deus loquatur. Ait enim: *Visitabo populum meum, et judices, et vias eorum, et cogitationes eorum reddam eis* (*Osee* IV, 9). O quam horrendum est incidere in manus Domini! O quanta ultio, o quanta miseria malis erit in die novissimo! Expellentur enim mali mercatores, falsi judices de domo Domini, exsulabunt a domo Dei, expellentur a paradiso, et ibunt in locum ubi semper erit fletus et stridor dentium. Ideo attendite ad consilium meum, aperite cordis portas. Surgite qui dormitis, legite Isaiam prophetam, sequimini eum; non cras, sed hodie; non tamen hodie, sed et nunc. Ait enim Propheta: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, quia misericors est* (*Isai.* LV, 7). Currite, judices, ne judicemini, ad patrem misericordiæ; quærite veniam, reddite quod recepistis illicite. Quærite veniam, quoniam prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Ipse est qui sanat contritos corde, et humiles spiritu, et corde tribulatos salvabit. Ambulate dum lucem habetis, dum dies est. Ecce, o judices, veniet jam nox: quia venit jam mors, in qua non erit licitum ambulare. Cogitate quid estis, quo ituri estis. Parentes enim vestri prædicant mortui, sepultura clamat, infernus ululat, dæmones exspectant, sacerdotes prædicant: quid superbis, terra et cinis? O judex qui Deum non agnovisti, dum juxta tumulos patrum tuorum transis, scias quod mortui clamant, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Homines enim fuerunt, sicut et vos divitias possidendo. Ubi modo ipsi sunt, sic et nos erimus. Ubi superbia eorum, ubi conscientia, ubi cathedra magistralis, ubi honor discipulorum, ubi indumenta serico et pelle decorata? O cinis et pulvis! o judex, quid es et quid eris, considera. Non ergo tardes converti ad Deum, et ne differas de die in diem. Subito enim venit ira ejus, quia juxta est dies perditionis, et adesse quidem necesse est, et festinant tempora. Nemo ex vobis tamen desperet, nemo diffidat de Dei misericordia. Sed attendite quia nulla culpa tam magna est, quæ non habeat veniam. Et ne aliquis desperet, Mariam illam peccatricem, dominam luxuriæ, vanæ gloriæ matrem, sororem Marthæ et Lazari in exemplum assumite, quæ postmodum Apostolorum apostola meruit nuncupari. Adjuvet autem nos ipse Deus et homo, qui pro nobis nasci et mori dignatus est. Amen.

(*a*) Vid. supra sub finem serm. 4.

SERMO XXXVI.

AD PRESBYTEROS SUOS, MALAM VITAM EORUM REPREHENDENS.

Fratres charissimi, ut novit Charitas vestra, oportet manum mundam esse, quæ polluti vasis maculas debet purgare; ne polluta deterius possit coinquinare, cum sordida sordidum tractat. Propterea, sacerdotes altissimi Dei, vobis dicitur, *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isai.* LII, 11). Vos enim estis qui vasa Domini ferre debetis, quibus datum est nosse myste-

ria regni Dei. Vos estis sal terræ, lux mundi, lucerna accensa, civitas in monte posita, columnæ templi, lignum scientiæ in medio paradisi positum, patroni et rectores terræ, Angelorum et paradisi cives, Prophetarum filii, Patriarcharum cognati, Apostolorum successores. Mundamini ergo, ut digne cum patribus ferre possitis vasa Domini : vasa enim non solum aurea et argentea, sed etiam illa pro quibus redimendis Dominus mori dignatus est. Propterea attendat Charitas vestra, quales esse debetis, ut digne vasa Domini portare possitis. Ait enim Apostolus : *Oportet episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem, non proterrum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem* (*Tit.* I, 7). Hæc autem non solum ego episcopus servare debeo, sed et vos una mecum, Deo auxiliante, servare debetis. Per omnia sine crimine sicut episcopum, ita jubet esse presbyterum, id est, irreprehensibilem, ut non quærat uxores, non divitias, non honores, ne sæcularis dicatur. Non enim debet qui animarum curam gerit, transire de domo in domum, non frequentare forum cum rusticis, non mercantias acquirere, non commatres procurare, non ligonizare, non tabernas intrare, non discurrere, nisi necessitate compulsus. Sic enim facientes irreprehensibiles sunt apud homines. Sic enim vasa Domini digne portare poterunt. Sed si contrarium fuerit, quod Dominus avertat, quomodo poterit auferre malum de medio ovium, si in delicto similiter simili corruerit vel majori? Non enim talis dispensator dicitur, sed potius dissipator. Aliud est enim dispensator, et aliud dominus. Dispensator enim servus est. Non enim licet dispensatori percutere servos, non occidere, non iracundiam portare : quia Dominus ejus humilis, benignus et misericors est. Non ergo licet dispensatori furiosum esse. Nihil enim fetidius, nihil damnosius, nihil levius, nihil turpius in pastore furiositate. Attendat igitur pastor, attendat et dispensator, quid legitur : *Servum Dei non oportet rixari, sed humilem ad omnem esse, patientem, doctorem, in mansuetudine erudientem eos qui contra moneant* (II *Tim.* II, 24, 25).

Discant ergo pastores, si offenduntur, patientes esse. Et ut ego patientiam merear, oportet presbyteros etiam non solum abstinere a rixis, sed ab ebrietate cavere. Non enim licet clerico extra horam bibere, vel aliquid manducare, vel de domo in domum transire, et prandium vel cœnam ordinare. Attendite, presbyteri mei, attendite, et si veritatem dico, nolite turbari. Nam valde despicitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat, etiam necessitate aliqua compulsus. Sæpe enim in cœna vel prandio, ubi magna exstat multitudo, rixæ et ebrietates nascuntur, et ea quæ sunt opera carnis. Ideo summe cavere debet clericus, ne extra domum suam vel episcopi prandere audeat, vel in eadem etiam audeat sæcularibus præparare. Quid enim aliud habere debemus, nisi quod turpis lucri appetitores non simus? Omne enim lucrum remotum a presbyteris esse debet. Nam non sæculi, sed eorum quæ Dei sunt, negotiatores sumus. Sæculares ad nos venire non possunt, numquid vel intelligere? Absit. Sermonem nostrum audire voluistis, et dimisso dentium dolore volui habere vos; non ut bonos vos esse audiatis, sed ut veritatem loquendo vestram miseriam intelligatis. Quid enim estis? Dicetis, Pastores sumus. Ego autem dico quod pastores estis, et verum est quod dicitis. Sed qui pastores vel quales, dicere non audeo, quia simul vobiscum mendax. Omnes peccatores sumus, omnes in peccatis nati et concepti sumus, omnes in peccatis vivimus. Expedit tamen ut verum dicam, quia episcopus sum, quia pastor sum, quia pro vobis animam ponere paratus sum. Tacere igitur non debeo, quia licet peccator sum, animam tamen pro vestra salute ponere jam decrevi, jam me paravi. Veruntamen dicam : et omne quod verum est, a quocumque dictum, a Deo est, a Patre et Filio et Spiritu sancto est, dicere expedit, non occultare. Nam si verum tacerem, essem vobis similis in cunctis : quod nolo. Si ergo Deus mecum, quis contra me? Numquid Fortunatus vel Arius cum suis insidiis (*a*)? Nam quia verum eis dixi, ideo in eremo insidias mihi posuerunt, volentes me comprehendere et occidere; et tamen Deus me liberavit. Libenter tamen suscepissem martyrium, et etiam pro veritate mori semper paratus sum. Audite ergo, rebelles (*b*); audite, lupi rapaces; audite, vos derisores. Veniat etiam ille sanctus Ezechiel, qui portam clausam viderat in domo Domini (*Ezech.* XLIV, 1), surgat et vobis aperiat visionem quam vidit et palpavit. Dic dic, o sancte Ezechiel, dic presbyteris meis : Ait sibi Dominus : *Fili hominis, propheta de pastoribus Israel, dicque ad eos : Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebamini : quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum erat non consolidastis, et quod ægrotum erat non sanastis. Quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis; et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ. Sed ego super pastores, requiram gregem meum de manu eorum* (*Id.* XXXIV, 2-5, 10). Ecce quomodo de vobis queritur Dominus, quia non estis pastores, sed lupi rapaces, quia omnia quasi quæ facitis, propter lucrum facitis. Non solum quæ ecclesiarum sunt quæritis, sed et quæ mundanorum. Ecce enim discutiamus mentem, perquiramus veritatem. Numquid missam cantare, numquid baptizare, numquid mortuum sepelire sine pretio vel promissione dignamini? Numquid non citius mortem divitum, quam corporis salutem desideratis videre? Ecce quomodo lupi estis, ecce quomodo omni simonia infecti estis. O sacerdotes, quid agimus, quid sumus, cur tantum dormimus? Ecce latro semel furatur, semel fenus proximi tollit vel rapit : sed si capitur, blasphematur, verberatur, furtum imponitur, et tanquam latro judicatur ad mortem. O sacerdotes mei, si fenus in laico crimen judicatur, si propter hoc mori debet et condemnatur ad mortem; quid de vobis erit in die novissimo? Quid de nobis faceret mundus, si super nos potestatem haberet? Quapropter tenete justitiam, nolite lucrum facere, sed habentes victum et vestitum, contenti per omnia esse debetis. Sed qui celebrat vel prædicat vel baptizat, ut inde lucrum acquirat, bonis cœlestibus de facto se privat. Ecce enim Romani principes, quantum necesse eis fuerat de divitiis suis, tantum recipiebant, aliud quoque pauperibus erogabant, justitiam mirabilem conservabant in cunctis : propter quæ et alia bona quæ faciebant et observari volebant, meruerunt magnifico imperio sublimari, et timeri a cunctis in orbe. Ecce enim pagani erant, et stultissimum putabant pro Deo colere crucifixum; et tamen Deum suum timebant. Et nos qui nomen Christi in fronte portamus, quid aliud quam simoniam et latrocinia quotidie procuramus? Ego etiam infidelis eram, et non solum a Carthaginensibus, sed a Romanis acutissimus reputabar a cunctis. Copiosa turba circumdabat frequenter, et me transire videntes et audientes manum ori suo ponebant, civem Romanum tribunorum caput me fecerant, et uxorem Pontiani filiam mihi æqualem paraverant. (*c*) Audeo enim dicere, audeo hoc asserere, in nullo me mutatum fuisse, omnia contemnens, cuncta quæ promiserant spernens, divitias abhorrens, civitatem

(*a*) « Primo grande mendacium [illegible] quod Augustinus disputavit cum Ario, [illegible] episcopus disputavit cum [illegible] Lupus. Vid. serm. 1.

(*b*) Verus Augustinus serm. 355, n. 7, tom. 5, de suis sacerdotibus ut [illegible]

(*c*) Multa hic falsa [illegible] libri 6 Confess. cap. 6, loca retulimus [illegible] Augustinus, honoribus, lucris, [illegible] mani- [illegible] istum [illegible]? »

caute relinquens, fugiens Mediolanum (a), uxorem non quærens, cogitans nihil pejus habere quam consortium mulierum et societatem (b). Hæc omnia servus iniquitatum mearum facere nolebam : qui tamen nunc servus Christi ea quæ diximus, et majora tentor habere frequenter (c). Nos autem, fratres, qui in pugna semper sumus, licet tentemur ad mundum redire, uxorari, negotiari, delicate vivere, cathedram etiam ascendere ; caveamus ne cum mundo damnemur. Vos enim estis dii excelsi, in quorum synagoga Deus deorum stare desiderat. Vos estis ejus vicarii, qui vicem ejus geritis. Vos estis filii Excelsi omnes, quibus datur potestas ligandi atque solvendi, aperiendi etiam cœlum, et infernum claudendi. Eia ergo, sacerdotes Dei excelsi ; aperite aures cordis vestri, quiescite jam agere perverse, discite bene facere, pascite oves verbo et exemplo, nolite eis cœlum claudere. Clauditis, dum non corrigitis ; clauditis, dum male vivere ostenditis. Oculus sitis cæco, et pes claudo. Tunc enim oculus estis cæco, cum ejus tenebras effugatis ignorantiæ ; et pes estis claudo, quando viam veritatis demonstratis, vel quando fidem eorum roboratis. Sed si fidem vestram pro vobis roborare nescitis, quomodo aliorum fidem roborare poteritis ? Et ideo attendite, nec turbemini, si veritatem dico vobis. Scio enim, et bene scio, quod vobis amara est veritas. Quare, nisi quia veritatem dico, non creditis mihi, et in melius etiam non mutamini ? Amara est ergo veritas, et qui eam amant vel prædicant, sæpe replentur amaritudine et dolore. Tacere tamen non audeo, nec vobis placere intendo : quia si hominibus malis placerem, servus Dei non essem. Vultis ut placeam, desideratis ut diligam : tamen non vultis ut corrigam. Obsecro tamen vos, ut vitam emendetis, conculcantes avaritiam, despicientes luxuriam, vitantes superbiam, simoniam odientes, pauperes amantes, pompas hujus sæculi renuentes, et pro nobis intercedentes, sine intermissione orantes, ut et ego una vobiscum vasa Domini digne per gratiam merear portare. Et si quis de me murmuraverit, sciat quod de patre episcopo murmuraverit ; parcatur illi, et oretur pro eo.

SERMO XXXVII.

QUOD SACERDOTES SE DEBEANT EXHIBERE SICUT DEI MINISTROS, ET CAVERE NE DONA SANCTI SPIRITUS VENDERE PROCURENT, PATIENTIAM QUOQUE ET CASTITATEM SERVARE ; AC DE FORNICATIONIS DETESTATIONE.

Fratres charissimi, sicut Actuum Apostolorum narrat historia, apostatante Juda a consortio Apostolorum, divina providentia ad structuram Ecclesiæ providens fundamenta, quæ secundum Joannem sunt duodecim nomina Apostolorum, beatum Matthiam vocavit ad apostolatum. Et sicut suscepit Matthias principatum, et surrexit loco Judæ ; sic etiam nos suscepimus principatum in Ecclesia Dei, et per gratiam suam suos ministros facere voluit, et in palatio suo nos constituit, et elegit ut essemus gens sancta, populus Dei, sal terræ, lux mundi, et angelici homines absque peccato. Ministri etiam Dei sumus et servi. Servi enim dicuntur non qui ad oculum serviunt, sed qui voluntati Domini in omnibus fideliter obediunt, et tunc in tantam familiaritatem Domini moventur, quod non amplius servi, sed amici vocantur. Ideo tota mente nos exhibeamus in multa tribulatione, in scientia, in charitate non ficta, in vigiliis, in carceribus et plagis, in verbo veritatis. Et sic nihil habentes, omnia Christum possidendo simus possidentes. Hæc est enim beatorum vita, hæc est sacerdotum vita, hæc est servorum Dei requies, hæc est amicorum ejus voluntas. Hæc enim sanctificatio nostra, ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in castitate, in abstinentia, in scientia, in suavitate, in charitate non ficta, in verbo veritatis, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum : Christi enim servi sumus. Tunc Christianorum ministerium vituperatur, et fides nostra despicitur, quando ea quæ Christi sunt despicimus, et opere adimplere negligimus. Sed væ nobis, fratres mei, væ nobis, quia falsum nomen Christi portamus, falsum nomen Dei gerimus, quia opere non adimplemus quod implere debemus. Discutiamus, sacerdotes, mentem nostram, et sciamus si servi Christi sumus. Sciamus enim quid facere debeamus, ne servi inutiles simus. Quid enim ? Certe nihil aliud, nisi quod exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. Sed væ nobis, quia nullam patientiam habere videmur. Nam pauperes esse debemus, quia membra Christi sumus, et ministri Dei. Sed si paupertas aggreditur, vel aliqua corporis necessitate turbamur, et affligimur, dona sancti Spiritus vendere procuramus. O sacerdotes mei, nolite hoc malum facere : sed mementote quod gratis accepistis, et ideo gratis reddite ; ne cum Simone mago damnemini, cui dixit Petrus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20). Qui etiam pretium recipit de sacramentis, Giezita est et plenus lepra. Nam cum Elisæus mundasset Naaman principem Syriæ in Jordane a lepra, rediens Naaman obtulit Prophetæ multa munera, sed ille noluit recipere. Qui cum recessisset, locutus est ei Giezi discipulus Prophetæ, petens a principe Syriæ munera. Quibus acceptis Propheta omnia per Spiritum novit, et videns eum redarguit percutiens eum lepra (IV *Reg.* V, 15-27). Sic etiam percutiuntur omnes, qui pro sacramentis pecuniam petunt. Sed dicetis : Numquid non Scriptura dicit, *Qui altari servit, de altari vivat* (I *Cor.* IX, 13) ? O sacerdotes, hoc quod dicitis omnino negare non audeo : sed scitis quod Deus intuetur corda hominum. Nam si sacramentum dare distuleris, etiamsi fueris omni paupertate vallatus, non pastor es, non minister Christi es, sed mercator. Non igitur petas, non etiam tantum pro Baptismo recipias, si cum Simone perire non velis. Nam facto pacto sacramentum vendidisti, et Salvatorem tuum prodidisti cum Juda. Spontanea et sincera voluntate porrige sacramenta, nihil petendo, nihil exspectando, nihil de promisso desiderando : sed si tibi datur, juste recipis, juste possidere potes. Memento tamen, quod pauperem vitam sacerdos gerere debet, et ideo si superbiam habet, si magno beneficio (a) gaudet, præter victum et vestitum quod superest, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Verbum autem illud quod negare non debet fidelis, *Qui altari servit, de altari vivat*, verum omnino est : quia non licet sacerdotibus manibus operari, ligonizare, ferrum fabricare, et similia (b) : hoc autem propter reverentiam et tanti sacramenti dignitatem. Illud autem magis ad sæculares, quam ad sacerdotes pertinet, ne ipsi sacerdotes Dei fame pereant, vel nuditate : ideo dignum est, ut qui altari servit, de altari vivat. Similiter, fratres, qui sacramentum emit, vel ecclesiam, vel præbendas (c), vel ecclesiarum introitus, vel sæculari potentia hoc pro se procuravit ; sciat quod cum Giezi et Juda jam damnatus est, jam leprosus factus est, jam de templo Domini expellendus est. Quare sic ? Quia *qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, fur est et latro* (*Joan.* X, 1).

(a) Mediolanum missus evectione publica petiit : lib. 4 Confess. cap. 13.

(b) Imo ambienti dissuadere nequit Alypius ; lib. 6 Confess. cap. 12. Mater uxorem quærit, cap. 13. Concubina alteri succedit, cap. 15.

(c) « Hinc, inquit Lupus, blasphemum est, Augustinum « episcopum talium tentationum motibus fuisse impeti« tum. Patet id ex libri 1 soliloq. cap. 10 et libri 10 Confess. « cap. 30, etc. »

(a) Hæc vox auctorem indicat recentiorem.

(b) Aliter Augustinus lib. de Opere monachorum et antiqui canones docent.

(c) Alia vox vix ante sæculum x eo sensu accepta.

Ideo reprehendendus est, quia ementes et vendentes Dominus ejecit de templo : repellendus est, quia leprosi ejici jubentur. Non intrat per ostium ad ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini vicariis. Vicarii Domini sunt, qui vicem Apostolorum tenent. Castella autem et villas suas laici dispensent : bona autem Hipponensis Ecclesiæ vigilanter attendant ne tangant. Divites enim raro vel nunquam pauperibus sacerdotibus præbendas procurant : et si procurant, non Dei amore procurant, sed ut cum uxore et familia de bonis Ecclesiæ gaudere valeant. Et ideo sciat sacerdos, qui timore vel amore defraudari a divite se permittit, quod impunitus non remanebit : et si non in præsenti, saltem in futuro igne æterno non carebit. Redeamus igitur ad propositum, fratres, et sciamus quomodo poterimus nos exhibere sicut Dei ministres : cupitis enim scire. Ecce si persecutiones veniunt, non deficiamus, sed patientiam habeamus. Si necessitas paupertatis contingat, non desperemus, sed in Domino confidamus. Si blasphemamur, non respondeamus, sed precemur. Si colaphis, vel alapis cædimur, aliam partem parare non differamus. Si verbo vel murmure percutimur, taceamus. Si occidimur, gaudenter ad mortem pergamus. Quare ? Quia *non est servus major domino suo. Si enim me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* XV, 20), ait Dominus. Ita enim patientia ornari debemus, si ministri Christi esse optamus. Sed quid aliud, nisi quod in castitate nosmetipsos exhibere debemus ? Hæc est illa virtus, sine qua quis est factus omnium reus. Hæc est illa virtus, quæ nos Deo commendat, quæ nos angelos facit, quæ nos super æthera volando conducit. Hæc est illa virtus, sine qua vasa Domini ferre non possumus. Hæc est illa sancta virtus, quam astringere nos docet Apostolus, *Fornicatio et omnis immunditia non nominetur in vobis* (*Ephes.* V, 3), ne mens vestra colloquiis malis possit corrumpi. Ideo, fratres, attendite, quod non solum a vobis removenda est fornicatio, sed etiam omnis suspicio falsa. Non decet clericum cum mulieribus sedere, vel fabulari, vel domum ejus frequentare ; ne suspicio mala inde progrediatur. O quam vilis, o quam miser et pusillanimis reputatur clericus, qui frequenter cum mulieribus conversatur ! Insipiens valde est et inexpertus, qui amicitias mulierum procurat. Et ideo vos qui estis lux mundi, et civitas in monte situata, sic famam vestram custodire debetis, ut non erubescant de detractoribus laudatores. Attendite etiam, fratres, attendite quod dicit Apostolus, *Fornicatio et immunditia*. Fornicatio enim est non tantum mulierum concubitus, sed illicitus. Fornicatio est, cum meretricibus agere. Mulier sive adultera, sive concubina, meretrix vocatur. Fornicatio enim in clericis intelligitur, quia cum sumus ministri Domini, membra meretricis non efficimur. O quam turpe est, clericum a meretrice duci captivum ! Qui enim adhæret meretrici, unum corpus efficitur. Et ideo scire debemus, quod malum est fornicari. Nam si conjugium sacerdotibus prohibetur, quanto magis crimen fornicationis in nobis detestabitur ? Ecce enim, fratres, laicis conjugatis ad tempus abstinere præcipitur, ut vacent orationi ; et sacerdotes quos corpus Domini consecrare omni die oportet, concubinas in domo tenere non erubescunt. Ecce quomodo vasa vestra possidere in sanctificatione sciatis. Scitis enim, fratres, quod die quadam David venit ad Achimelech sacerdotem, et ait David esuriens : Da mihi aliquid cibi. Et respondit : Non habeo panes laicales ad manum, sed tantum panem sanctum, et ideo dic mihi, o David, sunt mundi pueri tui a mulieribus ? Et ait, Sunt a heri et nudiustertius. Et sic dedit sacerdos [illegible] sanctificatum panem (I *Reg.* XXI, 3-6). Si ergo [illegible] sacerdos, utrum servi David mundi essent propter panes propositionis accipiendos, quid [illegible] nos debemus nunc sacerdotes propter corpus Domini accipiendum ? O fratres mei, sic et sacerdotes paganorum dum offerre debent diis suis incensa, ab omni malo ut possunt abstinent. Ecce ego jam episcopus Hipponensis eram, et cum quibusdam servis Christi ad Æthiopiam perrexi (*a*), ut eis sanctum Christi Evangelium prædicarem, et vidimus (*b*) ibi multos homines ac mulieres (*c*) capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobis habentes : inter quos sacerdotes eorum vidimus uxoratos ; tantæ tamen abstinentiæ erant, quod licet uxores sacerdotes omnes haberent, nunquam tamen nisi semel in anno eas tangere volebant, qua die ab omni sacrificio abstinebant. Vidimus et in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum oculum tantum in fronte habentes, quorum sacerdotes a conversationibus hominum fugiebant, ab omni libidine carnis se abstinebant, et in septimana in qua diis suis thura offerre debebant, ab omni labe carnis abstinebant se : nihil sumebant nisi metretam aquæ per diem ; et sic contenti manentes digne sacrificium diis suis offerebant. O grandis Christianorum miseria ! Ecce pagani doctores fidelium facti sunt, et peccatores et meretrices præcesserunt fideles in regno Dei (*d*). Non ergo sic, fratres, non sic, Dominum non tantum diligamus ore, sed opere et veritate. Tunc veri ejus ministri erimus, si sobrie, si juste, si caste vixerimus : qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVIII.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ INGENTIBUS PRÆCONIIS, CUM EXHORTATIONE AD DILIGENTEM IPSIUS LECTIONEM [1].

Scriptum est, fratres charissimi, quod Moyses posuit in tabernaculo labrum æneum, in quo lavarentur Aaron et filii ejus, cum ingrederentur sancta sanctorum (*Exod.* XL, 28). Ideo, attendite, quia quidquid sub Lege antiqua in templo Dei efficiebatur, aliquid futurum præsignabat, quod in Ecclesia nostra sub figura tegebatur, sicut ait Apostolus : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* XV, 4). Non enim sancti patres curassent tot et tanta scripta memoriæ commendare, nisi ut alios legentes, alios per exempla ædificarent. Legite ergo, fratres mei, Scripturam sacram, legite eam, ne cæci sitis et duces cæcorum. Legite sacram Scripturam, in qua quid tenendum, quid fugiendum, plane invenietis. Legite eam, quia omni melle dulcior, omni pane suavior, omni vino hilarior invenitur. Apprehendite eam, et invenietis quomodo Deus deorum sit longitudo propter æternitatem, quomodo sit latitudo propter charitatem, quomodo sit sublimitas propter majestatem, quomodo sit profundum propter sapientiæ immensitatem [2]. Quærite Scripturam sacram, et invenietis quomodo iste Deus deorum natus ex Maria virgine et homo factus, nos amat ut charitas, quomodo novit ut veritas, quomodo sedet [3] ut æquitas, quomodo dominatur ut majestas. Legite Scripturam sacram, et invenietis quomodo Nazarenus ille Jesus regit ut principium, quomodo tuetur ut salus, quomodo operatur ut virtus, quo-

[1] Ms. : *De sacra Scriptura legenda.*

[2] Mss., *profunditatem.*

[3] Alias, *cedit.*

(*a*) Hic observat Lupus, Augustinum profectum nunquam fuisse in Mauritaniam paganam, sed tantum in christianam ; non prædicationis gratia, sed ad componenda quædam negotia a Zozymo legatum. Hunc vere apostolatum manifestissimam imposturam esse, ut monet epistola nunc 193, n. 16, eo certius quod a sene conscripta sit.

(*b*) Ecce, inquit Lupus, Augustinus lib. 16 de Civitate Dei, cap. 8, in senectute a se scripto, talia hominum monstra dicit a se visa, non in Æthiopia, sed in opere musivo Carthaginensi. Neque dicit ea esse, sed [illegible] esse, sed Gentium narrat historia, sed [illegible] credere.

(*c*) Nota verba, « homines ac mulieres. » Ex iis quippe nemo male quis colligat auctorem istum fuisse Gallum aut Italum : hi namque viros vocant homines. Lupus.

(*d*) Ex libris de Civit. Dei e contra patet, quam Augustinus persuasum habuerit, gentilem ritum totum in immunditiis versari.

modo revelatur ut lux, quomodo assistit ut pietas. Et ideo, fratres mei, quamdiu in hac infirma et vana vita fuerimus, hanc sapientiam discere et sapere tota mente curemus. Quid enim homo sine litteris reputatur? Quid enim est? Numquid non pecus vel hædus? Numquid non bos vel asinus? Numquid non equus vel mulus, quibus non est intellectus? Ea igitur, fratres, qui pastores rationalium ovium nuncupamini, festinate sapere non sophismata Paganorum, non carmina poetarum, non fallacias philosophorum, de quibus doctores et auditores reddituri sunt rationem; sed illam dulcissimam sapientiam sapientiarum, quæ hæreditas Dei, et filiorum ejus chara possessio nuncupatur. Hæc est illa doctrina super omnia diligenda, quam Prophetæ prædixerunt, quam Patriarchæ divinitus hauserunt, quam Dei Filius, postquam in terris visus et cum hominibus conversatus est, aperuit et declaravit, et quid tenendum et quid vitandum apertissime demonstravit, et per suos Apostolos nos ipsam docendo illuminavit. Hæc est quæ nos docet amare cœlestia, et terrena despicere. Hæc est mater fidelium, quæ quotidie docet nos quomodo credamus Deum esse omnipotentem, quomodo ipsum videbimus in sede majestatis venientem, quomodo bonis bona et malis mala tribuentem videbimus. Hæc est lucerna pedum nostrorum, et via salutis nostræ, in qua instruimur quomodo primo Deum super omnia diligamus, quomodo animam nostram postmodum sicut quid propinquius, quomodo postmodum animam proximi, quomodo postmodum corpus proprium, quomodo postmodum corpus proximi velut nostrum diligamus. Iste est enim perfectus modus, Deum, nos et proximum diligendi. Hæc est illa sacra sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit, philosophis, sophisticis, astrologis, curiosis ac dialecticis abscondita; sed grossis, et rudibus piscatoribus revelata. Numquid non et hodie etiam solum parvulis revelatur? Hæc est omnium sapientiarum et doctrinarum magistra et domina, quæ etiam nos docet, exterius blandos, et interius fraudulentos cognoscere. Hæc est scientia scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum spes, martyrum corona, virginum fortitudo, monachorum refectio, episcoporum vacatio, sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, conjugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, viventium sempiterna protectio. Hæc est per quam fide ornamur, spe confirmamur, et charitate roboramur. Hæc est quam qui invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Hæc est labrum pelvis quam Moyses posuit in tabernaculo, in quo lavarentur Aaron et filii ejus, cum ingrederentur sancta sanctorum. Sed dices: Quid per magnum sacerdotem Aaron intelligere debemus? Dico enim vobis, fratres, quod per Aaron summum sacerdotem intelligere debemus, et per filios ejus alios sacerdotes minores: per labrum æneum legem Domini intelligo, in qua omnes tam magni sacerdotes quam parvi studere debent et legendo et docendo et opere adimplendo: per munditiam corporis, compunctionem intelligamus, qua mundari debemus, ut ad sancta sanctorum, id est, ad secreta Dei et scripturarum penetranda per purificationem digni inveniamur. Et ideo, fratres mei, attendite et considerate quod vas paratum habemus in quo oportet mentis fœditatem abluere, et munditiam mentis in eo præparare. Ecce enim lex sancta et Scriptura immaculata parata est, ut virtutibus decoremur. Sed væ nobis, qui debemus esse exemplum correctionis, et ecce sumus exemplum erroris. Unde hoc, nisi quia cæci sumus, et idiotæ ignorantes legem, et eam legere fastidimus; et tamen cathedram tenere, et animarum curam gerere quotidie procuramus? Quid ergo mirum, si cadit sacerdos? Quid mirum, si non sublevat delinquentes? Quid mirum, si dux cæcorum est? Ecce legem Domini conculcavit, despexit eam ut mortem. Sed quid dilexit? quid procuravit? quid toto affectu concupivit? Uxorem vel concubinam ante tempore, equos velut milites in stabulo possidere, canes pro venatione nutrire, accipitres custodire, et tamen velut equus et mulus quibus non est intellectus, cupit honorari in castris, et ab hominibus vocari Rabbi. Ecce quomodo cadit sacerdos, ecce quomodo [illegible]. Sed si cadit qui sibi columna videbatur in templo, quomodo navis [illegible] periit? Si Deus in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis in his qui habitant domos luteas, et qui terrenum habent fundamentum? Discite ergo legem, sacerdotes, ne similiter maledicatis. Tunc similiter maledicitis, quando consilium propter ignorantiam dare nescitis. Tunc cæco offendiculum ponitis, quando falsa pro veris ostenditis. Itaque, fratres, nolite jam pigrescere, sed legite Scripturam. Discite eam, filioli, sæpe eam legite; quia lenior oleo, sublimior auro, argento purior. Hæc est quæ præcipue in Deum provocat, et Deum diligere invitat, corda illuminat, linguam purificat, conscientiam probat, animam sanctificat, fidem confirmat, diabolum rejicit, peccatum spernit, animas frigidas calefacit, lumen scientiæ ostendit, tenebras ignorantiæ expellit, tristitiam sæculi exstinguit, lætitiam Spiritus sancti accendit, sitienti potum tribuit. Hæc est Scriptura sancta lex nostra immaculata, quæ de insipientibus sapientes facit, primos de novissimis ponit, magnos de minimis efficit, nobiles de ignobilibus commutat, naturam frenat, prohibet levitatem, temperat dolorem, confert spem, coronat senem, docet juvenem, mitigat dedignantes, instruit errantes, sanat ægrotos, roborat infirmos, brutos facit sensatos, mentis stabilitatem donat, excitat somnolentos, otiosos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, reges humiliat, humiles exaltat, rectas vias indicat, eleemosynam imperat. Hæc est scientia scientiarum, quæ sapientiam dat, gloriam exaltat, honorem multiplicat, humilitatem, charitatem, lenitatem, obedientiam et mansuetudinem docet, et intellectus bonus est omnibus bene facientibus et diligentibus Deum. Hæc est quæ abstinentiam, castitatem, largitatem et voluntariam paupertatem conservat. Postremo doctrinam omnibus, felicitatem, suavitatem, gaudia, stabilitatem cordis, sobrietatem corporis, compunctionem mentis, veram humilitatem donat, charitatem fraternam implet, et timorem Domini accendit. Quamobrem, fratres mei, qui hanc sapientiam diligit, et diligenter legem implet, maximus vocabitur in regno cœlorum, et principatum Ecclesiæ possidebit, et præmia et munera copiosa recipiet in die novissimo. Amen.

SERMO XXXIX.

DE VITA SOLITARIA ET CONTEMPLATIVA.

Pax vobis, fratres, et charitas cum fide vobis non deficiat. Pax vobis, fratres, quoniam electi estis ante mundi constitutionem in hac vasta solitudine, ut sitis cum Elia, Paulo, Hilarione, Antonio et Joanne, sancti et immaculati in conspectu Dei. Pax vobis, quoniam non estis genus abjectum, sed electum; non venale, sed regale sacerdotium; non gens obstinata, sed sancta; non populus perditionis, sed acquisitionis. Pax vobis, qui non conversationem hominum, sed Angelorum in silvis et nemoribus adamatis. Pax vobis, et vera Apostolorum charitas, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Pax vobis, fratres mei et filii mei dilectissimi, quos quotidie in Christo parturio in visceribus charitatis. Pax vobis illa, inquam, Christi, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat, ut optamus, corda nostra et intelligentias nostras. Pax vobis, fratres, qui sæculum calcastis, mundum despexistis, non laudem mundi usque nunc adamastis, risum hominum fugistis, ut sanctis agminibus et angelicis colloquiis vacare possitis. Pax vobis, quos in filios et fratres elegi, ut consortes et participes vos habeam in tentationibus meis. Ad hanc autem vitam juxta apostolicam formam vivere volentes non me elegistis, sed ego elegi vos. Segregavi vos a sæculo

Isto malig[illegible], et eduxi vos per singula eremi loca, per speluncas et cellas, ut velut Apostoli ipsi modico contenti pabulo demoraretis. Stemus ergo hic, fratres, in bello pugnantes quotidie cum antiquo serpente. Stemus fortes in bello, restringentes et præcingentes lumbos nostros, tenentesque lucernas ardentes charitatis, justitiæ, pacis et tranquillitatis. Ad hæc enim non me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos in vineam pœnitentiæ, quam quicumque dissipare præsumpserit, mordebit eum teterrimus inferni coluber. Hæc est vinea illa fertilis, quam plantavi anno ætatis meæ trigesimo tertio, velut servus Dei Noe, quam cupimus tota mente, Deo duce, sanctis exemplis et sanctorum documentis ornare, et ornatam taliter custodire, ut a nemine transeuntium possit vindemiari, nec aper de silva possit eam exterminare, nec alieni possint diripere labores ejus et fructus. Hæc est illa vinea, quam plantavi velut paterfamilias, quam sepe paupertatis, charitatis, obedientiæ et castitatis, ut a Simpliciano charissimo viro didici, circumdedi : ad quam velut paterfamilias exiens primo mane, vos conduxi in operarios, ut afferatis fructum quinquagesimum, sexagesimum et centesimum, secundum abundantiam gloriæ Domini Christi. Hæc est illa religio immaculata, cujus sanctitas per totum orbem terrarum divulgatur, quorum conversatio a cunctis miratur, quorum vita non solum a Christianis, sed a Judæis et Paganis pretiosior quam humana reputatur. Hæc est illa amœnissima paradisus, quam Deus a principio plantaverat, in quo posuit per gratiam et donum mentis [illegible] hominem, ut operaretur virtutem patientiæ, eruditionem doctrinæ, corporis castitatem, assiduitatem precum, confessionem delictorum, abundantiam lacrymarum. Hæc est illa paradisus, de qua exeunt flumina sapientiæ et veritatis, continentiæ et castitatis, in qua Deus delectatur sicut in omnibus divitiis. Hæc est illa norma apostolica, virga directionis et æquitatis, quæ tempore apostolicæ prædicationis sumpsit exordium, quorum anima una et cor unum erat in Domino, nec quidquam eorum quæ possidebant aliquid suum esse dicebant, sed omnia erant communia, et distribuebantur singulis prout cuique opus erat. Numquid non et nos, fratres mei, sic usque ad mortem vivere promisimus? Hæc est ergo religio apostolica, et a mundo corde et corpore segregata, quæ percutit duces Moab, interficit satrapas et tyrannos Jerusalem, et Ægyptiorum hypocritas vulneravit ad mortem. Hæc est vinea servi Dei Noe, in medio paradisi sitata, Christi sanguine redempta et irrigata, quam Sabbatiarum principes, hæreticorum pastores velut aper de silva tempore illorum magnorum [illegible] et eremitarum, Pauli videlicet et Antonii, destruere quærebant : cujus sepem comburere, cujus cyreum lapidum supplantare, cujus fructus, vites et flores incidere, cujus plantationem virtutum zizania seminare et replere quærebant, sed Dei virtute circumdata [illegible] potuerunt. Ad hanc autem vineam, fratres mei, vos conduxi, et operarios vos feci meos, ut laborantes usque ad finem, dignum fructum recipiatis in tempore suo. Ad hanc non me elegistis, ut supra diximus, fratres, sed ego elegi vos : sed post annum factus sum episcopus, non tamen vos reliqui. Sed compulsus inter gentes habitare, monasterium presbyterorum et clericorum ordinavi, intravi domum episcopi, ut communiter cum eis viverem, sicut et vobiscum antea vixeram. Non igitur me elegistis, sed ego elegi vos. Atque, fratres mei, tanquam hoc dictum sit solis [illegible] a Domino dictum est, et discipulis Domini dictum est. Veruntamen non tantum illis, sed etiam nobis dictum est, quos vocavit in partem sollicitudinis et gloriæ eorum. Sicut dignatus est vocare per gratiam, et [illegible], sic et vos. [illegible] est enim qui vult [illegible], et [illegible] ex [illegible] meritis se privat [illegible], qui honorem [illegible]. [illegible] pastores [illegible] vestrarum, hospites [illegible] boni, qui fertis die, ut audistis, animam suam posuit pro ovibus suis, dicens, *Non me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV, 16) : non istam tantum desertam habitationem deserendo, sed de virtute in virtutem procedendo fructum afferentes, ut fructus vester maneat. In his quatuor, fratres mei, attendere debemus, scilicet dignitatem, officium, cautelam et constantiam : dignitatem, quia dicit, *Elegi vos*, officium, *ut eatis*; cautelam, *ut fructum afferatis*; constantiam, quia *fructus vester maneat* (*Ibid.*). Est ergo dignitas in electione, officium in fatigatione, cautela in fructificatione, et constantia etiam in fructificatione. Magnum est enim, quod elegit qui non fallitur dum elegit; majus est, quod Dei est opus ad quod elegit : sed maximum, quod inter electos prælegit. Est enim sensus talis : Non vos me elegistis, sed ego omni modo eligendi elegi vos. Sunt enim tres modi eligendi; electio, subelectio, et prælectio. Electio est, quando de multitudine bonorum et malorum eligitur bonum, sicut de torculari oleum separatur. Subelectio est, quando de bonis electis eliguntur meliores. Postea quando de melioribus optimi eliguntur, prælectio est. In hunc ordinem electus est Aaron et filii ejus, ut sacerdotio fungerentur coram Domino. Primo enim Dominus ex omni natione quæ sub cœlo erat, Israel elegit in populum peculiarem sibi. De his autem subelegit filios Levi, qui tanquam ministri spirituales in tabernaculo Domini ritu perpetuo deservirent. De quibus etiam prælegit filios Aaron in sacerdotes, qui precibus et oblationibus suis indignationem Domini in populum placarent. Ad hunc sane modum elegit nos, cum per aquam Baptismatis lavit nos. Subelegit, cum in sortem sanctorum vocavit nos et in ordinem clericatus. Sed cum in statum eremitarum promovit nos, et in dispensatione familiæ suæ dispensatores suorum ministeriorum, prælegit nos. Magnum est enim, fratres, quod elegit nos; majus est, quod subelegit; sed maximum, quod prælegit. Vere ergo elegit nos et prælegit nos Dominus in hæreditatem sibi. Nam ad elevationem manuum nostrarum, regum capita inclinantur, munera offerunt, etiam patres nos profitentur, exspectantes nos esse cum Elia et Paulo eremita, et intercessores apud Deum. Væ tamen in eremo habitantibus, si inter malos pisces foras in die novissimo projicientur. Væ pastoribus ovium, si inter hædos numerandi sunt. Quid ulterius, fratres, dicatur, audite. *Posui vos ut eatis* (*Ibid.*) : nam quatuor sunt hominum positiones : accubitus, sessio, statio, et ambulatio. Omnis enim homo sic est in loco positus, quod aut jacet, aut sedet, aut stat, aut ambulat. Hæc autem tantum in se differunt in hunc modum. Nam cum homo jacet, omnes partes corporis quiescunt, cum vero sedet, inferiores partes corporis quiescunt, quia sedere videntur, sed superiores laborant. Cum autem stat, totus laborat homo erigens se, quia generaliter pondere suo laborat. Cum vero ambulat, additur labori gravis ex motu fatigatio. Ad hunc modum, fratres, quatuor sunt hominum gradus et status in Ecclesia Dei. Fidelium enim alii boni, alii mali. Numerum malorum, fratres, non distinguimus, quoniam multiplicatus est super numerum arenæ maris. Boni vero sicut ordinem recipiunt, sic etiam et distinctionem. Sane bonorum aliqui sunt activi, aliqui contemplativi, aliqui utrisque prelati. Et sic unum malorum genus, et tria bonorum genera. Quatuor etiam sunt fidelium genera. Mali autem sunt jacentes, qui in mundo quiescunt : tales totam spem et fiduciam ponunt in numero divitiarum, quorum deus venter est. Tales in lecto jacentes loquuntur animæ suæ, et sæpe dicunt : O anima mea, habes multa bona reposita; epulare et bibe, opprime pauperes, despice vicinos, tere natos, dilata te, extende alas, ascende super sidera, non est pratum quod luxuria tua non pertranseat, dic animæ tuæ (a). Castrum servat qui se ipsum ab omni malo preservat. O fratres, tales prostrati jacent, nocte dormiunt, ebrii sunt, et ecce

(a) Vid. Bernard. serm. 2 de Assumptione, n. 2.

mox eos jacentes et dormientes aggreditur mors, et sicut favilla statim deficiunt. Talibus autem quotidie clamabat Apostolus, dum diceret, *Fratres, scientes quia hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 11). Inter bonos sunt boni conjugati, qui bene utuntur licitis : sed tales divisi sunt, quia partim serviunt Deo, et partim mundo. De quibus ait Apostolus, Honorant Deum de substantia sua operibus misericordiae intenti : tamen solliciti sunt ultra modum de uxore, possessionibus, fratribus, filiis et cognatis (*Prov.* III, 9; I *Cor.* VII). Et quia isti partim delectantur in mundo, ideo sedere dicuntur, quia in superioribus laborant et in infimis quiescunt. Sunt et alii contemplativi, quorum, ut diximus supra, conversatio in cœlis est : de quorum numero vos esse Dei gratia credo, et certus sum. Tales spem omnem in Deo ponunt, opprobria, famem, nuditatem, pressuras amore Christi sustinere semper desiderant, quibus vivere mori est, et mori lucrum, clamantes cum Apostolo dicentes, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? Tales sunt velut milites, et cœlorum cives. Isti laborant super terram, et quotidie ab Angelis sustentantur. Sunt et alii qui ambulant. Istis ambulare incumbit, non tantum ut et nos de virtute in virtutem, sed plus quam nos inter diversa hominum genera ambulare, discurrere, et examinare quid agatur. Isti sunt pastores et prælati, quibus incumbit nunc exhortari, nunc increpare, nunc minari, nunc consolari, nunc docere, nunc prædicare, nunc legere, nunc orare, quibusdam ridere, quibusdam flere, quibusdam applaudere, quosdam fugere, quosdam mente et litteris visitare, quosdam præsentia intueri. Tales sunt prælati utique pastores, ambulantes velut magister Jesus, qui ambulans juxta mare Galilææ vocavit discipulos, et ait illis : *Ite in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ rationali* (*Marc.* XVI, 15). Tales sunt omnes Ecclesiarum pastores, quibus a Christo dicitur, Ite, quia periculosum est tantum stare pastoribus et medicis animarum. Ite ergo, quia perniciosum est sedere, et peremptorium est jacere. Ite, excitate jacentes, et dicite : Jam de somno surgite, quia diu dormistis. Clamate, pastores et prædicatores veritatis, et exaltate vocem vestram, ut in omnem terram audiatur sonus vestræ correctionis, increpationis, charitatis et sanctitatis vestræ. Numquid non Magister quatriduanum mortuum volens resuscitare, voce magna clamavit? Vigilate ergo, et excitate dormientes, et minas cum terroribus eis adhibete. Deinde ad sedentes transite, et exhortantes eos ut ad meliora proficiant, dicite, Super flumina Babylonis sedete et flete, dum recordamini Sion : porrigite manum pauperi, ne oblivioni detur dextera vestra. Frustra enim manus tendit ad Deum, qui pro posse suo manus ad pauperes non extendit. Si vero qui sedet, aliquando stare voluerit, apponite manum, et dicite : Surge postquam sederis, qui manducasti panem doloris. Stantibus autem dicite quod promissum est, *Sedebitis vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Istis autem necessaria est consolatio, quia multum laborant. Dicendum ergo eis est, Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorum. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati qui nunc famescitis, quia saturabimini. Beati qui homines fugitis, quia Angelis sociabimini. Beati solitarii, quia cœlorum cives efficiemini. Viriliter ergo agite, fratres mei, et confortetur cor vestrum, et exspectate Dominum; quia veniet, et non tardabit. Modicum erit, et videbitis remuneratorem militiæ vestræ, pro qua penurias et anxietates sustinuistis. Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti multi possidebunt illud. Hic est enim labor officii nostri (*a*). Iste enim mundus, fratres mei, mari sæpe comparatur, per quod multiplex est transitus. Nam quidam transeunt vado, quidam navigio, quidam ponte, quidam submersi natant in fluctu. Isti sunt illi quatuor status quos nominavimus. Jacentes enim submerguntur, et descendunt in profundum quasi lapis. Conjugati vado mare transeunt, et mediis fluctibus vix salvabuntur igne purgati. Contemplativi autem navis ponte transeunt, securiorem viam eligentes, quibus mundus mortuus est. Isti sunt mundum despicientes, quia sicco pede et vestigio [illegible], ut experientia didicimus, et [illegible], transeunt in fame et siti, nuditate et frigore, in vigiliis multis et in laboribus pluribus. Vos autem, fratres mei, estis qui mecum permansistis in tentationibus meis, et mare magnum ponte transitis. Nobis vero incumbit cæteris subvenire, ne descendant in profundum quasi lapis. Subvenite vos omnes orationibus vestris, omnes jejunate, hoc mare magnum transeuntes, quia omnes in periculo positi sunt, tam navigantes quam submergentes, et tam vado mare hoc transeuntes in periculo sunt. Numquid etiam et nos qui per pontem transimus? Numquid non et pons aliquando cadit? Orandum est omnino, fratres, ne de ponte cadamus. Nam si de ponte caderemus, quod Deus avertat, citius moreremur, quia de loco sublimiori caderemus. Porrigamus ergo manus de ponte ad submergentes, ne moriantur : et laboremus, ne etiam puteus inferni aperiatur, et claudat super nos os suum. Nunc vero, fratres, de cautela audiamus, et audientes advertatis, et videatis quomodo caute ambuletis. Caute autem ambulandum est, ut fructum afferatis. Tres enim fructus Dominus memorat in Evangelio, trigesimum, sexagesimum, et centesimum. Centesimus est virginum, trigesimus subditorum, sexagesimus prælatorum, id est fructus duplicatus. Non enim prælato sufficit, se ipsum immaculatum servare : sed expedit, ut bonos, quantum in se est, faciat vita et exemplo relucere. Ad hoc enim significandum data est nobis tunica talaris, ut bene facientes et lucernas bonorum operum tenentes, perseveremus usque in diem vocationis nostræ, ne dicatur nobis : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV, 30). Advertere namque debent canonici nostri et presbyteri, quod quanto præ aliis major dignitas in honore, tanto major in reddenda ratione difficultas : quia quot graduum culmen ascendunt, tot rationum vinculis erunt alligati. Quis enim tot vinculis alligatur, quot sacerdos, bos vel asinus, latro vel leo captus? O sacerdos, cum te ipsum induis, primo amictu faucibus circumdatis ligaris, albam postmodum ponis, subcinctorio vel cingulo renes astringis, ac si tibi dicatur, Astringe fauces ponendo custodiam ori tuo, astringe funiculum adunxti pectus, nec cor tuum mala meditetur : stringe renes, crucifige carnem tuam abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit. Hæc, fratres mei dilectissimi, facientes vivetis, et bene eritis, et bene vobis erit. Veruntamen orate illum sine quo nihil potestis facere, ut sicut elegit vos de mundo, et conduxit vos ad hanc singularem apostolicam vitam et societatem; sic vos juvet, ut edatis super mensam in regno Patris sui. Pensate tamen, fratres mei, quod quamdiu vixerimus, in periculo grandi positi sumus. Ideo de bonis suis nemo confidat; sed cogitet, sicut dicit Apostolus, quod *cum quis existimat se stare, caveat ne cadat* (I *Cor.* X, 12). Numquid, fratres mei, non Lucifer sic decoratus cecidit? Numquid non etiam Petrus; aut qui inter discipulos Christo familiarior Judas? Et quia de se confitendo, nec in bono perseverando permansit; cecidit, et crepuit, et mortuus est. Rogate igitur, fratres, illum sine cujus voluntate folium arboris non movetur, ut usque in finem taliter vos in hac solitudine regat, et dirigat, ut calis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Amen. Non turbemini, fratres dilectissimi, si compello vos vinum bibere, et panem tritici cum betis butyro mixtis simul comedere. Nam hodierna die credimus Filium hominis resurrexisse a mortuis; ideo gaudere et epulari oportet, quia frater noster mortuus fuerat et revixit; perierat, et inventus est. Ad mensam ergo accedentes cum

(*a*) Vid. Bernardum, serm. 35, de diversis editionis novæ.

gaudio epulemini, quoniam ego sum Jacob pater vester.

SERMO XL.

DE OBSERVANTIA CLERICORUM.

Audistis in mensa, fratres charissimi, qualiter Dominus præcepit servo suo Abrahæ, ut tolleret filium suum, quem super cuncta terrena diligebat Isaac, et offerret eum super unum montium quem monstraverat sibi Dominus, quem dicunt nonnulli illum esse montem Calvariæ, in quo crucifixus fuit ille Deus et homo. Series historiæ nuper simpliciter intellecta, primo ædificat obedientiæ filios. Fidelis enim sermo, vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Sed de modo et virtute obedientiæ aliquid vobis nunc dicendum est. Nam sicut obediendum est libenter, sic hilariter, sic et velociter. Obedientia enim sine mora esse debet. Non placet Deo morosa et disceptatrix obedientia: quæ quidem cum præcipitur, quærit cur, quare, quamobrem præcipiatur. Istius obedientiæ exquisitum nobis hodierna die exemplum proponitur. Abraham pater noster; sic enim dicitur senex fidelis et prima credendi via. Sanctus igitur pater Abraham; et prima obedientiæ norma et forma veræ obedientiæ apud omnes esse credatur. Ecce, fratres, præcepit ei Deus filium immolare. Sed quem filium? Audi, et obstupesce qui audis; filium dilectum, filium primogenitum, filium magnæ promissionis, filium magnæ generationis. Dictum enim fuerat Abraham, *In Isaac vocabitur tibi semen tuum* (*Gen.* XXI, 12), et in ipso erit semen tuum, sicut stellæ cœli, et sicut arena maris in extrema tua senectute. Centenarius enim erat Abraham, dum genuit Isaac de Sara sterili uxore propria, de Agar ancilla Ismaelem sagittarium. Mirabiliter promissum susceperat, mirabilius susceptum religiose educavit. Inter hæc tamen non contradixit Abraham, sed nec murmuravit, nec hæsitavit, nec faciem conturbavit: imo tanquam pater exsurgens pia crudelitate in filium se armavit, ut mox obediret. Attendite vos, filii obedientiæ, qui votum fecistis et professionem. Vade, o tu frater, et fac similiter. Hæc semper adimplere cogita, hoc semper facie læta fac, et vives, et erit semen tuum benedictum ultra semen Abrahæ. Veruntamen quid majus nescio murmurat, quod affectu suo susurrat vox ista in auribus nostris, licet hæc tempore tanto ante nos scripta sunt, quæ sunt per allegoriam dicta. Discutiamus ergo folia vineæ, ut fructum inveniamus spiritualis intelligentiæ, tanquam sub cortice nucleum, tanquam sub palea granum, tanquam sub terra thesaurum. Verum ut hodiernæ Christi solemnitati satisfaciamus, consideremus utrum ea quæ dicta sunt de tempore Abraham, inclinare possimus ad me Augustinum patrem vestrum. Tentemus super hoc aliquid dicere ad Dei laudem, et ad nostram aliqualem ædificationem. Sed secundum Hebræos Abraham sub tribus temporibus tria sortitus est nomina. Primo dictus est Abram (a), quod ibidem sonat quod Excelsus, cum adhuc esset in Chaldæa, in terra et in cognatione sua in domo patris sui. Ascendens autem in terram Chanaan ad vocationem Dei, dictus est Abram, quod interpretatur Pater excelsus. Tandem in circumcisionis suæ tempore (b) tunc dictus est Abraham, hoc est, Pater multorum gentium. Attendatis, fratres, et vos in patrem vestrum. Nam primo vocatus sum excelsus philosophus. Eram enim inter omnes magnos nominatissimus, et liberalium artium sagacissimus indagator. Excelsus, inquam, eram, celsitudine scientiæ quæ inflat, non charitatis quæ ædificat. Nam Cedrum odoriferum vocabant me Romani principes, foliis abundantem, sed non habebam fructum. Excelsus eram et tempus super omnes coætaneos meos, elatus et superexaltatus super cedros Libani. Et ecce accessit ad me mater pietate plena, prædicatio sancti viri episcopi, vita et exempla sanctorum patrum Pauli et Antonii et Simplicianı, et cum his omnibus vox Domini confringentis cedros comminuit cedrum Libani, et hostia præparata ad victimam in odorem suavitatis, et sic factus sum pater excelsus. Deinde ad Africam veni, mecum ducens decem et novem ex fratribus meis simul viventes in palatio sancto, et cupientes separari a sæculo. Sanctus pater Valerius cupiens esse particeps fructuum et orationum, locum istum secretum, in quo nunc sumus, nobis donavit, et multi nostrum viderunt. Sed loco isto ædificato, in Christi nomine et sanctæ Trinitatis pontifex Hipponensis factus sum, et vocatus sum pater excelsus multorum. Pontifices enim, fratres mei, sicut vocantur pastores gregis, ita et patres plebis pro cura et patria sollicitudine, et tunc factus sum sicut oliva fructifera in domo Dei. Præsules enim olivæ comparantur propter vim olei triplicem. Nam oleum primo illuminat, pascit, et fessa membra fovet. Sic et præsules illuminare debent verbo, pascere exemplo, et fovere egentes temporali beneficio. Ego enim, fratres, non dico me hoc facere; studeo tamen sacram Scripturam exponere, turrim Davidicam clypeis fortissimis munire, munitam declarare, et declaratam ordinare. Nam quid per turrim Davidicam, nisi sanctorum Ecclesiam intelligo? Et sic jam ab ortu et occasu, ab aquilone et austro viget nostra doctrina et expositio. Non tamen a me, sed de domo Dei procedit: et sic non solum pater gentium dicor, sed etiam vitis abundans in lateribus domus Dei. Cujus domus sunt latera legentes et orantes, et conjugati legentium et orantium et conjugantium. Nam vobis qui estis legentes et orantes, abundanter propinavimus doctrinam, quibus disciplinam apostolicam tradidi. Conjugatis poculum vitæ etiam propinavimus. Vobis tamen propinavi vinum fervoris, charitatis et æquitatis, illis vero pacem et patientiam donavimus. Revertamur ergo ad historiam prætaxatam, quæ insinuat nobis tria, scilicet disciplinam regularem, progressum, et exitum. Dicitur enim nobis a Domino, *Tolle filium tuum* (*Gen.* XXII, 2); quasi dicat Dominus, Tu qui monachus es, tolle filium tuum Isaac, qui interpretatur Risus: hoc est, tuam propriam voluntatem tolle, in cujus executione homo ridet et delectatur. Et hæc est prima oblatio, quam homo debet Deo reddere et offerre super unum montium quem monstrat nobis Deus. Nam multa genera montium demonstrat nobis Dominus. Sed de quatuor nobis mediator Dei et hominum homo Christus Jesus mons dicitur, *qui erit in novissimis diebus mons domus Domini in vertice montium* (*Isai.* II, 2). Et iterum: *Mons Dei mons pinguis et coagulatus* (*Psal.* LXVII, 16). Porro de hoc monte descendit ros et unguentum pro barba Aaron. Omnes enim de Christi plenitudine unguentum recipere possumus. Apostoli etiam, fratres, dicuntur montes; quia fundamenta ejus, scilicet Ecclesiæ, in montibus sanctis. Angeli numquid non et ipsi montes dicuntur excelsi? Porro Jesus, qui mons dicitur, sedens in monte Thabor sermonem discipulis facit, enumerans septem beatitudines Spiritus. O fratres, attendite quantum sit impedimentum, quam grave dispendium inferat sanctæ religioni superfluitas et abundantia rerum, quod longe magis legimus in libro nostræ conscientiæ, quam possumus explicare sermonibus. Numquid non Sodomitarum peccatum fuisse legitur abundantia panis et superbia vitæ? Numquid non angeli videntes se abundare in pulchritudine sapientia superbientes ceciderunt? Numquid non et patres nostri quasi ratione eadem expulsi sunt de paradiso? Numquid non et mundus submersus fuit, quando abundantes, et in suis abundantiis Deum non cognoscentes perierunt? Numquid non Ægytii abundantes iracundia pleni facti sunt et submersi? Numquid non propter abundantiam idola terræ facta sunt? Numquid non Amalech qui abundabat, id est, invidia plenus, desivit in manu Saul? Numquid non tempore David multa millia interfecti sunt? Numquid non Saul abundans superbus

(a) In Genesis capite XI, ℣. 26, statim ab ipso ortu vocatur Abram.

(b) Imo tunc circumcisionis præceptum, Gen. XVII, 5.

efficitur et ejicitur? Numquid non Herodes Ascalonita jugulatur? Numquid non Herodes tetrarcha sperans in sua abundantia populo satisfacere, qui credebat Joannem esse sanctum et justum, ipsum tamen decollavit? Cogitate, fratres, quid receperit Holofernes, quid Cæsar, quid Nero, quid Valentinus, quid Constantinus, quid Decius, quid Julianus? Quid ergo valuit Cæsari et Neroni abundantia? quid Assuero pecunia? quid Antiocho simulata et palliata pœnitentia? Colamus ergo Christum pauperem in præsenti, ut simus divites in futuro. Comes enim divitiarum superbia et luxuria est. Amemus ergo, o fratres, summam Christi et Apostolorum paupertatem; ne in nostra sancta religione mutetur color optimus, et dispergantur lapides sanctuarii nostri. Sane enim, fratres mei, ex collatione aliarum paupertatum commendatio paupertatis voluntariæ plenius inter nos relucet. Sunt enim quinque genera paupertatis: prima est infelicitas, secunda est paupertas cupiditatis, tertia paupertas superfluitatis, quarta dolositatis, quinta paupertas voluntatis. Primam habet mendicus, secundam habet avarus, tertiam habet prodigus, quartam est paries dealbatus, quintam habet vir compeditus. Prima est flagellum, secunda est venenum, tertia est ventilabrum, quarta est umbraculum, quinta ædificium. Prima est misera, quia cruciat: secunda est venenosa, quia necat: tertia est ventosa, quia inflat: quarta dolosa, quia dissimulat: quinta gloriosa, quia coronat. Nec mirum, si Christus amator sobrietatis, sobrietatem spiritus commendat, cum Epicurus præceptor voluptatis eam commendaverit, dicens, Quam felix paupertas est, si læta est! Super hanc propriam voluntatem offert homo devotus, quod præcipue fit in professione obediendi. Sequitur, fratres, *Stravit Abraham asinum, duos pueros secum ducens.* Isaac vero ligna cedrina portabat, Abraham autem ignem et gladium. Venientes autem ad montem, ligatur Isaac, super ligna ponitur, et scita a patre Dei voluntate, non aperuit os suum. Et extendens manum Abraham, audivit, *Ne extendas manum super puerum* (*Gen.* XXII, 3-12); sed pro Isaac tolle arietem unum de cunctis tuis melioribus, quem inter spinas tibi paravi. Attendamus nunc, fratres: nam quid per asinum nisi carnem nostram intelligo, quæ velut asinus domanda est virga, onere? Et pabulo, et cinere, et cilicio caro domanda est, ne impinguata, incrassata et dilatata recalcitret, velut asinus qui cum domino velut catellus ludere voluit. Duo namque pueri sunt quinque hominis sensus: quos tamen duos dicimus, quia ad usum et ad exsecutionem eorum duo intra membrorum mancipata sunt. Nam et ego velut Abraham in vobis et canonicis nostris, ne caro luxuriet, et ne mors per fenestras intret, duobus pueris vos sociavi, paupertati scilicet et orationi, quibus mediantibus quinque sensus corporis exstinguere poteritis. Nam per hæc præterita mala obliviscemur, cogitationes malæ non ascendent in corda vestra, affectio cognatorum non regnabit in vobis. Hæc enim sunt, quæ quotidie monachos cribrant sicut triticum. Istæ sunt mordaces curæ, quæ sanctum viri propositum enervaverunt. Inter has vir sanctus coquitur et cruciatur. Hæc sunt monachorum muscæ mordaces et morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti. Hæc sunt volatilia quæ comedunt frumentum in anima seminatum. Vos autem, fratres, dum hæc in corda vestra ascendunt, recurrite ad orationem vel ad operis occupationes, ne vos serpentinæ muscæ deglutiant. Numquid non sic fecit sanctus pater Antonius? qui cum epistolas a charis suis in sæculo morantibus recepisset, nullam legere voluit, sed receptas in ignem projecit, dicens: Chartæ fallaces estis, etiam plenæ mendaciis; comburo vos, ne comburar a vobis. Sequitur, fratres; ligatur Isaac. Sic et vos ligamini in hac solitudine tam fortiter, ut consuetudines vitæ sæcularis ignoretis, et suavitatem sanctæ religionis capiatis. Placeat vobis somni sobrietas, mentis tranquillitas, corporis munditia, mortis severitas, et cuncti salutis exspectatio? Solvitur Isaac, et jucunde ad matrem revertitur in Bersabee. Sic et vos vestimentis soluti ad matrem quæ sursum est Jerusalem. Cum ergo illuc perveneritis, dabit religenti sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem.

SERMO XLI.

DE OBSERVANTIA JEJUNII QUADRAGESIMALIS.

Cum jejunaveris, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans (*Matth.* VI, 17, 18). Jejunantis officium est, in cinere et cilicio sedere, sordidas vestes contegere, carnem macerare, faciem attenuare, in pallore permanere, non ipsam lavare, non ad mensam opulentam accedere, non convivia et festa visitare, non capite inclinato incedere: sed eleemosynas dare, castitatem servare, juste, sancte et pie vivere, Christi sanctam resurrectionem exspectans glorietur. Hæc autem omnia facite non ut videamini ab hominibus, sed tantum ab illo qui cuncta videt in abscondito. Sed si contingeret, quod fumus jejuniorum spargeretur inter homines, statim faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans. Tria enim, fratres, proponuntur nobis hodie; scilicet jejunare, faciem lavare, et caput ungere. Hæc tria sunt, in quibus tota vita nostra consistere debet. Quæ sunt ista, fratres, nisi declinare a malo, et facere bonum, et totum quod habes Deo contribuere? Ecce quidquid continet nostra christiana sancta religio. Quid enim per jejunare, fratres, nisi a malo declinare; per faciem lavare, bonum facere; per caput ungere, totum Deo tribuere? Sed dicet quis, Brevis est hæc expositio: sed et aquam vivam, ut cupimus, non propinasti. Attendite ergo, fratres. Nam hostis antiquus vestris primis parentibus primo in paradiso suasit ut Dominum offenderent; secundo, ut faciem a Deo absconderent post meridiem; tertio ut de ligno vetito comederent. Nam ibi dicitur, ut caput pungeret; sed hic, ut caput ungeret: ibi abscondendo faciem latitaret, sed hic lavaret; ibi ut comederet, sed hic ut jejunaret. Credamus illi qui modo hæc præcepit, sed non illi qui contraria persuasit. Ait enim Pater: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite* (*Id.* XVII, 5). Nam ait hodie, *Cum jejunatis.* Est enim, fratres, quoddam jejunium commendabile, et quoddam damnabile: damnabile, quod vident homines, quod fit propter homines; commendabile, quod solum propter Deum fit. Sed aliqui jejunant ut infirmi, aliqui ut fastiditi, aliqui ut avari, aliqui ut hypocritæ. Ægrotus jejunat, ut valeat; fastiditus, ut appetat; avarus, ut parcat; hypocrita, ut appareat. Jejunium ægroti est sanitatis, jejunium fastiditi est gulositatis, jejunium avari est parcitatis, jejunium hypocritæ est stultitatis. Hæc autem jejunia etsi non sunt periculosa, ut ægroti; tamen sunt infructuosa. Jejunate ergo, fratres, propter Deum: frangatis nucem, ut accipiatis nucleum: projiciamus folia, ut inveniamus fructum: purgemus puteum, ut hauriamus aquas de fontibus Salvatoris. Ait enim Salvator, *Sitientes venite ad aquas* (*Isai.* LV, 1). Nam triplex est aqua Salvatoris, fratres: aqua lacrymarum, quando flevit super Lazarum et super civitatem; aqua quam posuit ad pelvim, quando discipulorum pedes lavit; aqua quæ de latere ejus emanavit. Primam oportet nos habere, fratres, si recte jejunare cupimus. Est ergo prima aqua contritionis, secunda confessionis, tertia satisfactionis. Prima mentem sanat, secunda refrigerat, tertia fecundat. Ergo, fidelis, si cupis recte jejunare, istas aquas recipe, et lava te, et mundaberis a lepra. Nam nisi habueris has aquas, jejunium tuum modicum valebit. Ideo vocati hodie ad nuptias magni Regis, fratres dilectissimi, ornemus nos vestimentis, tubis et cymbalis bene sonantibus. Laudemus ipsum patremfamilias, qui ad suas nuptias nos vocare dignatus est. Quæ sunt nuptiæ hodie præparatæ, fratres, nisi justi dies quos Deus consecrare dignatus est? Isti enim sunt dies quos observare debemus, in quibus legem recipere merebimur. Isti sunt dies medicinales, qui animæ et corpori conferunt sanitatem. Isti sunt dies

nuptiales, in quibus vestimentis ornati esse debemus, cymbala et tubas, organaque bene sonantia sonantes. Hæc enim sunt instrumenta quæ in nuptiis quadragesimalibus sonare debemus. Nam primo, vestire nos debemus virtutibus sanctis, exspoliatis vitiis. Secundo, cymbalum percutiendo pectora per contritionem sonare debemus. Tertio, ut præcones clamare debemus, sugentes ubera vocando parvulos ut jejunare discant, senes ut jejunare doceant : quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies gratiæ et salutis, ecce dies remissionis, ecce dies satisfactionis. Tu ergo, inquit, qui longo tempore dormisti, surge, memento unde cecideris, et age pœnitentiam dum tempus habes, dum sanus es, dum peccare potes; ut non ex timore, sed ex amore videaris pœnitere. Omnis enim, fratres mei, qui per pœnitentiam deleverit peccata sua, jam angelicæ felicitatis particeps est. Ipsa namque pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam inclinatur. Dum autem pœnitentiam, fratres, feceritis, fundite pro peccatis lacrymas cordis et corporis. Numquid non lacrymando, fratres mei, Petrus a Christo respicitur? numquid non Maria veniam meretur? numquid non Martha lacrymis sanatur? numquid non Chananæa exauditur? Numquid non Lazarus ad vitam revocatur? Lava ergo faciem tu qui hodie incipis jejunare, lacrymis percute pectus, exalta vocem tuam confitendo, et annuntiando sacerdoti peccata tua. Audite, fratres, quid David per confessionem consecutus est. Quid ait, nisi, *Peccavi Domino?* Et Nathan propheta ait, *O David, transtulit Deus peccatum tuum a te* (II *Reg.* XII, 13). Cavete tamen, fratres, ne confessio sit Saül, qui redargutus a Samuele superbiendo dixit, *Peccavi.* Qui statim audire meruit, *Transtulit Deus regnum tuum a te* (I *Reg.* XV, 24, 28). Sic et dixit Judas, *Peccavi* (*Matth.* XXVII, 4), non dolendo, sed diffidendo. Sic et Cain, *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV, 13). Ergo, fratres, cum jejunatis, facies vestras lavate lacrymis, caput ungite Christum, qui caput cunctorum est. Ipsum ergo ungite, scilicet oleo misericordiæ, eleemosynas dando, et verba contritionis clamando, Peccavimus, Domine, sed miserere. Et sic uncti erimus a Christo oleo lætitiæ. Sic unctum David legimus, sic unctum Petrum et Mariam prospicimus, sic unctos volentes semper spectavimus fratres. Sed quis dicet, Quomodo ungendus est Deus? O peccator, vade primo ad Mariam peccatricem. Ipsa enim unxit pedes, et postea caput, scilicet animam, et postea accedere potuit ad caput. Nam si primo lacrymis Christi pedes non lavisset, ad caput Christi accedere ungendo ausa non fuisset. Ergo necesse est primo ad pedes lacrymas fundere, et postea ad Christi caput accedere. Scitote tamen, fratres mei, quod nisi inimicis vestris corde peperceritis, omnia quæ agitis, sive jejunetis, sive eleemosynam detis, sive omnia quæ bona sunt agatis, omnia vana sunt, et servi inutiles estis, nisi proximo peperceritis. Sed dicetis, Ego parcere inimico non possum : ex quo ergo mihi bona non valent sine hoc, me affligere jejunando, bona distribuendo, non amplius volo. Ego autem dico vobis, Dimittite, ut dimittatur vobis. Nullum tamen malum impunitum, nec aliquod bonum irremuneratum remanebit apud Deum, qui novit abscondita cordis cunctorum.

SERMO XLII.

DE VITA ET MORIBUS CLERICORUM.

Fratres charissimi, sanctus ille Jeremias considerans sacerdotum et prælatorum negligentiam, lamentabiles voces emittens dicebat, *Parvuli petierunt panem, et non est, nec erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4). Clamabat ergo Jeremias, aspiciens destructionem sanctæ Civitatis, plorat et lamentatur crudelitatem matrum, patrum et pastorum, qui devorant filios in perditione. Væ vobis pastoribus Israel, qui quod pingue erat comedistis, quod contractum erat non consolidastis, quod erroneum erat non revocastis, quod infirmum erat non sanastis, quod nudum erat non cooperuistis (*Ezech.* XXXIV, 2-4). O fratres, lupi rapaces hodie facti sumus, justitiam postponentes, veritatem et misericordiam ignorantes. Cavete ergo ne vobis Dominus hodie dicat, Dispensatorem te posui super familiam meam, et tu panem eis non fregisti. Non ergo dispensator, sed dissipator; non speculator, sed spoliator. O serve nequam, mittam te in tenebras exteriores, quoniam pueri tui petierunt tibi panem, nec fuit qui frangeret eis. Itaque, fratres, distribuendus est panis et frangendus subditis, antequam fame pereant; nam si morientur, de manibus tuis sanguis eorum exquiretur. Distribuendus itaque est panis omnis sanctitatis esurientibus. Est enim, fratres, panis mundus, qui distribuendus est et frangendus filiis. Est et alter panis immundus, qui distribuendus est servis. Sunt etiam isti panes conjuncti in domo Dei, sicut in area paleæ cum granis. Tres tamen panes legimus in Scriptura, panes Pharaonis, oblationis, et propositionis. Primi sunt laici, secundi sunt sacerdotes, tertii vero pastores. Panes Pharaonis dividuntur in tres partes, in concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Prima est luxuria, quæ enervat : secunda est avaritia, quæ cruciat : tertia est superbia, quæ velut vesica inflat. Luxuria est proferens immunditiam, avaritia est generans invidiam, superbia parit injustitiam. Luxuria est premens hominem intra se per pollutionem, avaritia extra se per vacationem, superbia supra se per elationem. Luxuria deprimit hominem intra se, quia cum factus sit ad imaginem Dei, velut porcus in luto vivere quærit. Avaritia trahit hominem extra se, quia propter terrena dimittit cœlestia. Superbia extollit supra se, ut ponat in cœlum os suum. Et sic, patres et fratres, homo per luxuriam in vanis cupit delectari, per avaritiam in transitoriis consolari, per superbiam de impietate gloriari. Isti sunt pastores, quos Dominus ejecit de templo vendentes et ementes. Isti sunt quinquagenarii, qui per Eliam comburuntur. Isti sunt illi falsi prophetæ vestiti pellibus caprinis, qui etiam intrinsecus sunt lupi rapaces. Ergo nos qui pastores sumus nominati, luxuriam frangamus per abstinentiam, avaritiam submergamus per eleemosynam, superbiam fugiamus per humilitatem et per patientiam. Nam sicut impossibile est dæmonem in malo obstinatum paradisum intrare; sic impossibile est luxuriosis pastoribus, avaris et superbis subditos castos et humiles et bonos facere, quia necesse est ut talis sit grex, qualis sit et rex. Est et alius panis oblationis, quem quidem non solum frangere, sed et Deo offerre debemus. David dicebat, *Intret oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2). Iste est panis triplex, quia oratio debet esse ampla, devota et pura. Ampla, ut pro omnibus rogetis, etiam pro calumniantibus et persequentibus vos; devota, ut non remisse petatis, sed devote, et dabitur vobis perseverantibus. Sed dicet quis, Qualis debet esse qui petit, quid petat, pro quo petat, et a quo petatur? Si petis qualis esse debeas, dicimus quod bonus : quia scimus quod Deus peccatores non audit (*a*). Sed dicis quid petere debeas, dico quod vitam vel meritum vitæ, vel apprehendentiam meritorum vitæ. Sed si dicis pro quo petere debeas, dico quod pro bene et male viventibus, ut bonus perseveret, et malus convertatur : non pro sanctis, non pro damnatis. Nam qui orat pro martyre, injuriam facit martyri : et qui orat pro damnatis, nullatenus impetrabit. Potens tamen est Deus, ut de lapidibus istis fiant panes. Sed si ulterius addere petis a quo, dicitur quod a Patre omnia petere in Filii nomine debemus, et sic veri pastores erimus. Est et alius panis, scilicet propitiationis. Et iste est triplex,

(*a*) Adversatur Augustinus, tract. 44 in Joan. n. 13, ubi hæc verba ait esse nondum illuminati : « Nam, inquit, et « peccatores exaudit Deus. »

panis Angelorum, de quo manducat homo in altari, panis filiorum, id est verborum sanctæ doctrinæ. Hic est panis, qui cum primo pane de cœlo descendit. Hic est panis, quem non est bonum sumere et dare canibus hæreticis, quia panis filiorum est. Hic est panis petitus, *Amice, accommoda mihi tres panes* (*Luc.* XI, 5), scilicet vitæ, doctrinæ et exempli. Hic est panis datus Petro, ut pascat agnos: iterum ter ait Dominus Petro ut pascat oves, ut tu pastor intelligas oves pascere doctrina, vita et exemplo, vel Eucharistia, doctrina et vita sancta. Et sicut Dominus ait Petro, ita et cæteris Apostolis suis. Ergo pascamus oves nostras, parvulis nostris panem frangamus, ne deficiant in via: pascamus pane angelico, pascamus verbo, pascamus exemplo, ne tota gens pereat. Nam capita gentium sumus, cæcorum et ignorantium duces, claudorum baculus, terrarum principes, regum viatores, Angelis superiores; sed dæmonibus pejores, dum hæc negligenter prospicimus. Fratres, pascamus ergo populum, ne sint velut oves absque pastore, ut de pascuis solitudinis trahat ad pascua societatis Jesus Christus Dominus noster.

SERMO XLIII.

DE EPIPHANIA ET QUÆRENDO CHRISTUM.

Audistis, fratres charissimi, sanctissimos reges Dominum diligenter quæsivisse: et quærendo Deum et hominem invenisse non dubitamus, et sibi pretiosa munera obtulisse firmiter credimus et prædicamus. Vos ergo, fratres, quærite Christum, quærite Nazarenum, quærite floridum, candidum et rubicundum. Quærite Christum, et hunc crucifixum: quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: clamate, et vocate dilectum, nuntiantes quia amore languescitis. O vos mundi amatores qui terrena sapitis, quorum Deus venter est, et vita in confusione; quid agitis sine Christo, quid concupiscitis, quid sapitis, quid speratis? Numquid sine Christo vobis pax esse poterit? Numquid felicitas vel victoria, numquid dignitas vel securitas, numquid fides vel charitas, numquid spes vel fiducia, numquid constantia vel temperantia, numquid prudentia vel scientia, numquid pulchritudo vel fortitudo, numquid olfactus vel tactus, numquid visus vel auditus sine Christo esse poterit? O fratres mei, absit. Quærite ergo Christum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. In ipso namque sunt omnes virtutes, et thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Quærite Christum, et invenietis Christum: pulsate ad Christum, et aperietur vobis per Christum. Dirigite viam Christi, ut dirigat vos Christus. Custodite Christum, ut custodiat vos Christus. Amate Christum, ut amet vos Christus. Quærite Christum pauperem, et invenietis Christum divitem. Pascite famelicos Christi, ut pascat vos Christus. Visitate infirmos Christi, ut visitet vos Christus. Pacem habete cum proximo Christi amore, ut vos pacificet Christus. Hunc ergo Christum quæramus, hunc etiam veraciter cupiamus, hunc semper ut possumus agnoscamus. Hunc semper perquiramus, et inventum tam fortiter, tam suaviter, tam dulciter teneamus, ut eum non amittamus. Quærendus est ergo Christus; sed non in platea, ubi est summa vanitas. Quærendus est Christus; sed non in foro, ubi est grandis adversitas. Quærendus est Christus; sed non in taberna, ubi est summa ebrietas. Quærendus est Christus; sed non in sæculari curia, ubi est maxima falsitas. Quærendus est Christus; sed non in scholis mundanorum philosophorum, ubi est infinita perversitas. O vos mundi amatores, qui terrena sapitis, et pro terrenis honoribus et pompis discurrere non desistitis, transvolantes montes et Alpes, investigare volentes alta cœli, lata terræ, profunda maris, in calore et frigore, fame et nuditate; cur Christum non quæritis, in quo hæc omnia et majora perfecte reperiuntur? Quiescite jam agere perverse, discite bene facere o vos qui cœlorum motus continue investigare curatis, non tamen ut Deum perfectius cognoscatis, sed ut mundo florentes appareatis. Sapientes pariter et insipientes, quærite Christum, sed non cum luxuria, in qua est æterna deformitas; non cum superbia, in qua latet æterna calamitas; non cum avaritia, in qua est dolorum servitus et æterna infelicitas. Sed heu, fratres, heu! non est hodie qui faciat bonum, non est qui Christum adorare opere quærat, nec est qui speret in eo; sed miles in ense, rex in divitiis, pauper in panno, servus in domino, uxor in viro, vir in uxore, vetula in parva pecunia, et mulier in forma sperat. Ecce, fratres, ecce, quomodo unusquisque recedit a Deo salutari nostro. Ecce quomodo perimus in vanitate, derelinquentes Deum factorem nostrum, et recedentes a Deo salutari nostro. Non sic igitur, fratres mei, non sic, etiamsi divitiæ et honores affluant, nolite cor apponere; sed solum in Christo cor apponite, in ipso semper sperate, quia ipsi cura est de singulis vobis. Quæramus ergo Christum, fratres mei, et numquam quiescamus, quousque inveniamus. Quærite eum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Sed quomodo eum quæremus? Ecce enim quæritur hodie Christus, quærunt eum Pagani, quærunt eum Judæi. O christiane, cave ne quæras Christum cum Judæis, sed cum paganis regibus perquirere non desistas. Nam Pagani quærunt Christum adorare; sed Judæi quærunt Christum jam supplantare. Pagani hodie ad Christum veniunt; sed Judæi Christum spernunt. Pagani veniendo ad Christum laborant; sed Judæi quiescendo Christum ignorant. Pagani Christo munera offerentes ipsum adorant; sed Judæi jam Christi mortem procurant. Pagani adorando Christum et miracula ibidem videndo ipsum toto corde magnificant; sed Judæorum synagoga jam Christum spinis coronat. Pagani per aliam viam revertuntur gaudentes; sed Judæi jam incipiunt esse paventes ne forte veniant Romani, et tollant eorum locum et gentem. Erubescite, o perfidi Judæi, erubescite; quia veniet tempus quando lapis super lapidem in te non remanebit, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Erubescite, quia ecce jam alieni hæreditatem vestram ingrediuntur, et ad vestrum regem natum per stellam deducuntur, cujus pretiosa nativitas fuit ante sæcula Prædestinata, a prophetis prænuntiata, pastoribus annuntiata, et sapientibus regibus revelata. O Judæi semper Deo rebelles, o cæci et obstinati, cur non consideratis mirabilia quæ Deus operatur in medio terræ vestræ? cur Christum non quæritis? cur Deum et hominem non agnoscitis? cur eum ut verum Dei Filium non adoratis? O fratres mei, non solum Judæi; sed et mali Christiani hodie occidere quærunt Christum. Quando hoc quærunt, nisi quando præcepta sua servare contemnunt? Non sic Magi fecerunt; sed mox Christo nato credentes, per viam laborare cœperunt, et sic perseverantes aliquando eum invenire meruerunt, non in pretiositate pannorum, non in multitudine servitorum; non in thalamo picto, non in lecto eburneo, non in aula regia: sed pro thalamo voluit reclinari in stabulo, pro lecto habere voluit fenum, pro servitoribus (*a*) bovem et asinum Salvator habere voluit. Eia ergo, fratres mei, quærite Christum, quærite Nazarenum, quærite hunc floridum, candidum et rubicundum, ad cujus ortum Angeli cantant, sancti exsultant, sterilis clamat, vidua prophetizat, Simeon senex exspectat, Joseph cogitat, Maria mater reclinat, bos cognoscit, asinus portat, stella demonstrat, Magus adorat. Iste est Deus deorum in Sion, qui in Cherubim apparet terribilis, qui in Seraphim apparet mirabilis, qui in virtutibus ostenditur incomprehensibilis. Iste est qui nuper de Maria virgine natus est, et homo factus est: ut nos deos faceret, factus est homo. Iste est qui esurivit, ut nos reficeret; qui sitivit, ut nobis vitæ æternæ pocula ministraret. Iste est qui pro nobis tentatur, ut nos a tentationibus liberaret; qui pro nobis ligatur,

(*a*) Hæc vox favet Lupi conjecturæ de auctore Gallo vel Valone, sicut et dictio superior, « Alpes transvolantes. »

ut nos absolveret; qui pro nobis humiliatur, ut nos exaltaret; qui pro nobis exspoliatur, ut nos tegeret; qui pro nobis coronatur, ut nos coronaret; qui felle et aceto potatur, ut nobis fontes mellifluos aperiret. Mortem suscepit, ut nobis vitam æternam donaret, sepultus est, ut sepulturam suorum benediceret; ascendit in cœlum, ut nobis cœlorum portas aperiret; sedet ad dexteram Dei Patris, ut credentium preces et vota exaudiret. Ecce ergo ad quid natus est Christus, ecce propter quid ad nos descendit Christus. Quid igitur agitis, o vos mundi amatores? Quid vobis cum carne, o venerabiles senes? O juvenes delicati, quid agere creditis, cum nihil sine Christo potestis facere, quibuscumque bonis terrenis ornati sitis? Quærite ergo, o juvenes, Christum, ut juvenes maneatis. Quærite, vos senes, Christum, ut cum omni prosperitate vivere valeatis. Quærite Christum, et nolite quiescere, illum Christum, illum Jesum qui Centurionis servum sanavit, paralyticum solidavit, Lazarum resuscitavit, cæcos illuminavit, meretricem beatificavit, Chananæam exaudivit, latroni pepercit, et ei paradisum donavit. Hunc Christum quærite fide, spe et charitate. Quærite Christum, et nolite quiescere. Quærite Christum, et nolite sperare in longitudine vitæ vestræ, quia incertus est exitus. Sed attendite ne decipiamini, quia sub specie boni multa mala fiunt. Non enim desinit hostis antiquus figuram assumere Angelorum lucis, laqueos deceptionis ubique prætendens. Novit enim malignus naturas hominum, et cui adhibeat cupiditatis calorem, gulæ voracitatem, luxuriæ fœditatem, invidiæ calamitatem. Optime novit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Cunctorum discutit naturas, ventilare et perscrutari cunctorum affectus in nullo desistit: et ubi cognoverit quod delectet, ibi suum exercitium [1] ponit. Tu ergo fidelis, cum tentationes persenseris, mox Christum quære, mox Christum invoca; et mox tibi ipse auxiliabitur, quia fidelis est et non permittit nos tentari supra id quod possumus portare. Qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLIV.

DE PIETATE, CHARITATE ET SUFFRAGIIS DEFUNCTORUM.

Fratres charissimi, nunquam recordor me legisse mala morte perisse, qui libenter in hac vita opera charitatis vel pietatis voluerit exercere. Habet enim multos intercessores pius homo, et ille qui opera charitatis exercet hilariter. Quid enim aliud de piis hominibus dicere poterimus, nisi id quod frequenter legimus, *Opera enim illorum sequuntur illos* (*Apoc.* XIV, 13)? Quare? Nisi quia multos habent intercessores, ideo impossibile est, ut preces multorum non exaudiantur. Considera ergo, o homo, cum pauper ille tibi in via occurrit: animadverte quod homo est, ad imaginem Dei factus, et tamen pauper est, nudus est, miser est, mendicus est, orphanus et pupillus forsitan est. Cave tamen, ne talem despicias, ne eum percuties, ne expellas. Nam licet pauper, licet nudus, licet famelicus, licet miser appareat, licet doleat, licet erubescat, non tamen expellendus est pauper. Nolite, fratres, eos spernere, nec, etiamsi importune petierint, de eis aliquando murmurare, quia pauperes et inopes non cessant laudare Deum. Considera, tu dives, qui vias perambulas et plateas erecto capite et collo, quod tu simul cum paupere natus es de muliere, et brevi vives tempore. Et licet dives sis, sæpe tamen repleris amaritudine et doloribus. In sordibus generatus es, in tenebris confoveris, in doloribus etiam peperit te mater tua. Ante exitum matrem graviter onerasti, in exitu matrem dilacerasti [illegible]. Flevisti simul cum paupere et mendico, quando vallem plorationis ingressus es. Pares ergo geniti sumus, pariter vivimus, pariter moriemur et omnes. Considera ergo, o dives, quod pauper et dives pari modo omnes nascuntur, et moriuntur. Noli ergo eos despicere, noli manum benedictionis avertere ab eis; sed eos facie serena suscipe, eos verbo et exemplo refice. Misericordia igitur, o fratres mei, mater nostra sit. Nam qui esurientem pane verbi reficit, qui sitientem potu sapientiæ refrigerat, qui errantem in domum patris revocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide et patientia instruit, qui in tribulatione oppresso consolando vel compatiendo subvenit, hic verus pius est, verus misericors est, verus amicus Dei est: nec eum mala morte periturum aliquis dicere audeat. O misericordia salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum! Tu justos probas, tu sanctos roboras, malos ad bonum perducis: et qui sine te cunctis bonis abundare videtur, vel castitate apparet decoratus, omnino dicere non desistat, Servus inutilis sum. Sed attendite etiam, fratres mei; attendite quia non solum pauperibus in via misereri debemus, sed et defunctis cum omni diligentia misereri et subvenire studeamus, attendentes et quid Judas Machabæus fecerit. Dixit enim, quod *sancta esset cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (II *Machab.* XII, 46). Sciebat enim ipse Judas, quod nemo gloriari poterat castum se habere cor: considerans etiam, quod astra non erant munda in conspectu Dei. Ceciderunt enim angeli de cœlo, ideo munda astra non fuerant: nec etiam infans, cujus vita est unius diei super terram, sine peccato est. Quid ergo de nobis dicemus? Numquid gloriari poterimus castum habere cor? Absit omnino. Quid? Nisi quia omnes peccatores sumus, omnes etiam in peccatis concepti sumus et nati, omnes etiam vitam peccabilem ducimus, omnes in peccatis vivimus, et forsitan in venialibus morimur. Ergo misericordia indigemus, quia de hac vita omnes migraturi sumus. Et licet carnem dure maceremus jejuniis et abstinentiis, licet omnia mala patienter ob Christi amorem sustineamus; non tamen condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). Ergo misericordia indigemus; quia per nostra merita æternam vitam acquirere non valemus. Cupis autem, o homo, ut tui misereatur Deus? Fac ut proximo miserearis. Nam tantum tibi miserebitur Deus, quantum et tu misereberis proximo: tantum recipies in alia vita, quantum facies in præsenti vita. Ora ergo pro defunctis, ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Exspectant enim nos, ut juventur per nos: tempus enim operandi jam profugit ab eis. Clamant igitur quotidie qui jacent in tormentis. Clamant, et pauci sunt qui respondeant: ululant, et non est qui consoletur eos. O quam grandis crudelitas, fratres mei! o quam grandis inhumanitas! Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt; nec eis subvenire curamus. O vere magna inhumanitas! Ecce enim infirmus jacet et clamat, et a medicis consolatur; clamat porcus, et omnes cum eo clamare non cessant; cadit asinus, et omnes eum sublevare festinant: sed clamat in tormentis fidelis, et non est qui respondeat. Ecce nostra inhumanitas, fratres. Eia ergo non sic, sed mementote, fratres, quod sancta et salubris, pia, et felix, et suavis Deo et Angelis est cogitatio pro defunctis exorare, ut a pœnis quas pro peccatis patiuntur, solvantur. Sed dicet quis: Ecce patrem pium et bonum habui, misericordem et castum, humilem et omnibus virtutibus ornatum: nam si vera sunt quæ lego, eum esse beatum non dubito. Cur ergo orare pro eo volo, cur eleemosynam dare, cur jejunare, cur sanctorum corpora visitare? Non est ergo necesse pro eo orare, quia fidelis fuit, pius, castus, humilis, patiens, et cunctis bonis ornatus, et post aurum etiam non abiit, nec in pecuniæ thesauris speravit: potuit enim transgredi, et non est transgressus; et facere malum, et non fecit. Quid ergo credere debeo, nisi quod lego? Quid enim lego, vel quid prædicari audio, nisi quod qui bene operabitur, bene remunerabitur? O homo hæc quæ dicis ego nullo modo tibi ne-

[1] Ms., *exercitum*.

gare audeo. Quis enim fidelium dubitat, quod qui bene fecerit, bene recipiet? Consulo tamen ut pro defunctis exorare non desistas. Dixi enim supra, quod nemo sine crimine vivit, nemo gloriari potest castum vel mundum se habere cor. Quid ergo facere consulo, quid volo, vel quid deprecor, nisi quod dimittas incertum, et accipias certum? Quid enim est incertum, nisi quod nescis utrum pater tuus cruciętur, vel utrum dignus fuerit odio vel amore? Multi enim fuerunt qui reputati fuerunt sancti, et tamen in conspectu Dei non boni, sed mali inventi sunt. Accipe ergo quod est certum, et dimitte quod est incertum. Certum enim est, quod peccator fuit: et licet bonis operibus ornatus fuerit, ignoramus tamen utrum æternam gloriam meruerit possidere. Lege ergo, o homo, et opere adimplere festina, quod sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, eleemosynam dare, carnem affligere, opera pietatis exercere, et peregrinationes facere, ut a peccatis solvantur. Nam et si sunt beati vel damnati pro quibus rogas, dummodo nescias, et a Deo revelatum tibi non fuerit, non beatis vel damnatis injuriam facere potes, vel Deum offendere: quia si beati sunt, bono tuo non indigent; et si damnati sunt, obtinere non valent. Ergo dum certus non sis quod nec damnati nec beati sint, orare pro eis non differas: quia, ut supra diximus, bonis tuis non indigent qui beati sunt; et mali non obtinent, quia damnati sunt. Scias tamen, et indubitanter credas, quod licet pro defunctis beatis vel damnatis obsecres, bona quæ pro bonis fiunt non amittuntur. Sæpe enim prædicavimus, et sæpe integra fide docuimus, quod nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum erit apud quem non est acceptio personarum. Oratio enim tua in sinu tuo convertetur. Igitur pro defunctis semper orandum est: et si non proficiet eis quia beati vel damnati sunt, oratio in sinu nostro convertetur. Sic enim boni erimus, sic pii et misericordes, sic mala morte perire non poterimus, quia Dominus custodiet nos in tota vita nostra, quam postea deserendo, dabit illam quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit viventis. Festinemus ergo, o fratres, pro defunctis exorare, ut et ipsi festinent nos ad se vocare: vident enim sanctam Trinitatem tantum esse unam, quantum tres simul sunt, nec plus aliquid sunt duæ quam una res, et in se infinita sunt, et singula in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia sunt. Et si capere non potestis quomodo sancta Trinitas, tres et unum sunt, exemplum accipite. Unus enim est sol in cœlo currens, calescens, et fulgens. Unus est in terra ignis tria similiter habens, motum, lucem, et fervorem: nec lucem a motu et fervore dividere potes. Sic est sancta Dei Trinitas. Et si ejus mysterium capere non valemus, bene operari festinemus, ut, sicuti est, sanctam Trinitatem per gratiam videre mereamur. Inhumanum est namque, patriam deserere, patriam despicere, vel in ea nolle habitare. Bene ergo operari non pigeat, ut patriam habitare possimus, et ad eam redire valeamus. (*a*) Tanta est enim pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis et sapientiæ, ut etiamsi non liceret in ea amplius manere quam unius diei hora vel media, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium recte meritoque contemnerentur hæc omnia [1]. O regnum Dei gloriosum! o patria nostra desiderabilis! tantum vales quantum habeo: tantum enim emit de te vidua duobus minutis, quantum Petrus relinquens omnia, quantum Zachæus dando dimidiam patrimonii partem, quantum Maria soror Lazari, quæ omnia vendidit, et ante pedes Apostolorum posuit. Cur ergo bene operari pigrescimus? cur pro defunctis orare negligimus? Intueamur ergo, fratres, patriam nostram, non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis atque Archangelis, Thronis et Dominationibus Principatibus et Potestatibus congregatam. Ibi etiam sanctam et individuam Trinitatem, sicuti est, homo videbit; plus vel tantum abundantius, quantum plus in via operando [1] meruerit, clarius videbit. Non tamen quibuscumque bonis ornati simus, propter hoc eam emere valeamus, nisi per gratiam possidere. Omnes tamen ibi contenti erimus, omnes felices, omnes jucundantes. Hæc est enim illa optima pars, quam Maria elegit quiescendo et sedendo ad pedes Domini. Contemplabatur enim ipsa Deum et hominem; ideo *optimam partem elegit* (*Luc.* x, 42). Quare *optimam partem* dicit, nisi quia per contemplationem æterna vita designatur? Optima vita est enim quia secura est, quia æterna est, quia vera est, quia felicitas nostra est, Deum habere, Deum videre, Deum contemplari. Ideo optima pars est, quam partem non possumus in via possidere. Quare? Quia quamdiu vivimus, peregrinamur a Domino, et semper in periculo sumus, et semper in labore in hac vita cum Martha fatigamur. Sumus enim hic cum Martha laborantes, hospites recipientes, et ministrantes servis Dei quæ necessaria sunt. Hanc partem Martha elegit, et bona fuit, sed non optima: quia non æterna. Bona tamen fuit, quia perseverando in operibus charitatis, sedere ad pedes Domini in æterna vita cum sorore meruit. Festinemus ergo opera pietatis exercere, et pro defunctis exorare, ut videre possimus, et reverenter salutare valeamus Prophetas sanctissimos et Patriarchas veraces. Isti enim sunt quorum nomina manent in æternum, quia Deo digni sunt, fide præclari, hospitalitate præcipui, astuti in sensu, sapientes in opere, rebus sæcularibus locupletes, reparatores orbis terrarum atque recreatores, creduli in repromissionibus, Angelorum susceptores, facie ad faciem Deum videntes, prudentes et victoriosi, quorum imperii potestas non cessavit, quoadusque Christus ex eorum germine per uterum beatæ Virginis, quæ est spes omnium gentium, natus in mundo, coruscando in mundo apparuit. Isti enim sunt sancti viri, cum quibus locutus est Deus, et ostendit eis secreta sua; ut ea quæ ventura erant quasi præsentia Spiritu sancto illuminati agnoscerent. Festinemus ergo, fratres, sæculum exire, ut etiam salutare et videre valeamus sanctos Apostolos, quorum oculi beati, qui Deum in carne viventem [2] videre meruerunt, quorum fructus in patria in æternum manet. Festinemus etiam, fratres mei, ingredi sancta sanctorum, ut etiam valeamus videre sanctos Dei martyres, qui carnem domuerunt, spiritum roboraverunt, dæmonibus imperaverunt, virtutibus coruscaverunt, præsentia despexerunt, et illam patriam de qua nunc loquimur, voce et moribus prædicaverunt. Festinemus etiam, fratres, ingredi sancta sanctorum, ut videre valeamus sanctos Dei confessores, qui licet persecutorum non senserint gladium, tamen per vitæ meritum Deo digni præmio martyrii non privantur: quia martyrium non tantum effusione sanguinis, sed etiam abstinentia peccatorum et exercitatione divinorum præceptorum perficitur. Festinemus igitur ingredi sancta sanctorum, ut videre mereamur et salutare reverenter sanctam Dei genitricem, cum sanctis suis virginibus, quæ suis exemplis utriusque sexus multitudo ejus sequitur vestigia [3], et relictis nuptiarum copulationibus, dimissaque liberorum propagine, sponso qui in cœlis est perenni, mente, actu, habitu et gestu applicari meruerunt. Istæ enim fuerunt virgines sacræ, Deo devotæ, quæ in vita sua fuerunt orationibus instantes, jejuniis adhærentes, eleemosynas facientes, pauperes recreantes, in tribulatione gaudentes, in bello potentes, in damnis temporalium

[1] Verba, *hæc omnia*, redundare vel transposita fuisse videntur. M.

(*a*) Augustinus, lib. 3 de Libero Arbitrio, n. 77.

[1] Ms., *operari*.
[2] Ms., *venientem*.
[3] Hic sensus claudicat: aliquid deest vel redundat. M.

rerum Deo gratias agentes. Festinemus ergo, fratres mei, istos imitari sanctos. Discamus ab eis opera charitatis sine intermissione exercere velociter, et exercendo per gratiam mereamur Deum videre facie ad faciem, sicuti est : quod nobis concedat ille qui est sanctorum omnium virtus et salus. Amen.

SERMO XLV (a).

DE POENITENTIA AGENDA, ET DETRACTIONE VITANDA.

Beatus homo cui miserebitur Deus. Confiteamur, fratres, et miserebitur nobis. Grandia sunt peccata nostra; quia tamen magnus Dominus, sed agamus pœnitentiam [1]. *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CV, 1). Videte, fratres, quid dicat, *in sæculum*. In inferno quis confitebitur tibi? Nemo est enim, qui possit in inferno pœnitentiam agere : infructuosa est enim talis pœnitentia. Hic miseretur pœnitenti, hic porrigit manum cadenti. In cœlo sedet judex, qui ad conversionem nos admonet. Beati qui faciunt justitiam. Justus septies cadit in die de cogitationibus suis aut de sermonibus suis, et iterum surgit. In quacumque die conversus fuerit peccator, et egerit pœnitentiam, miserebitur ei Deus. Neque justus debet esse securus, nec peccator desperare : in utroque timor sit et spes. Felix est, cui hanc vitam Christus notam fecit : et pater et mater est. Qui sic agit, se liberat, et alios suo exemplo ad vitam æternam perducit. Lex enim est, quæ cum Evangelio partem habet. Baptizatus homo si peccat, et agit veram pœnitentiam, cito ei remittuntur peccata. Impius est qui Christum negat : neque hic, neque in futuro remittetur ei. Diximus de impietate, dicamus de pietate. Primus gradus est humilitas, et in bono opere perseverare. Secundus gradus est, jejunare et eleemosynas facere. Tertius gradus est, charitatem sectari, et patientiam habere. Quartus gradus est, omnia derelinquere propter Christi amorem. Quintus gradus est, vitia dimittere. Major virtus est, vitia dimittere, quam res. Nihil prodest dimittere terrenas substantias, si vitia non dimittimus. Multi divitias derelinquunt, vitia non relinquunt. Bonum est jejunare, et eleemosynam facere. Jejunium sine eleemosyna parum valet : jejunia vero cum aliis virtutibus proderunt. Quid mihi prodest, cum jejunio si luxuriosus sum, si iracundus sum, si detractor sum? Majora vulnera sunt linguæ, quam gladii. Gladius corpus interficit, animam autem non interficit. Videte, fratres, quanta mala habet lingua; in bono magna est, in malo mors est. Diabolus unde cecidit? Numquid furtum fecit? Numquid homicidium fecit? Numquid adulterium fecit? Diabolus non propter hoc cecidit, sed propter linguam : quia dixit, *In cœlum ascendam, super sidera ponam thronum meum, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Quid dicit Salomon? *In manibus linguæ mors et vita est* (*Prov.* XVIII, 21). Detractio grande vitium est. Propheta dicit, *Væ mihi misero, quia immunda labia habeo* (*Isa.* VI, 5). Igitur qui immunda labia habet, non potest prophetare. Væ mihi misero, si dimisi matrem, si dimisi fratres, si dimisi sorores, si dimisi res perituras, si reliqui sæculum, et hic propter res perituras sollicitor. Pacem labiis promittimus, et in corde non tenemus. Christianorum arma, pax Christi est. Me ipsum occido, si aliis detraho. Salomon interpretatur Pacificus, sanctæ conversationis opere præclarus. Uxor tua dicitur sapientia, soror et sponsa. Multos habet diabolus laqueos : homicidium diaboli laqueus est, avaritia diaboli laqueus est, detractio diaboli laqueus est. Quamdiu in sanctitate stamus, animæ nostræ in opere Dei sunt. Quamdiu in peccatis ad peccandum voluntatem dirigimus, animæ nostræ turbantur. Ubi enim major pugna, major victoria est. Sed quod aures carneæ non intelligunt, aures Christi in cordis intelligunt. Justus et peccator æqualiter habent carnem, æquale patiuntur naufragium; similes exitus, sed diversa præmia. Justi ducuntur ad præmia æterna, peccatores ad gehennam sempiternam. Non oportet consentire detrahenti. Tanta enim distantia est inter fornicantem et detrahentem, ut ille qui fornicatur, tantum se occidat; ille autem qui detrahit, et se et eum qui audit, perdat. *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter* (*Jerem.* XLVIII, 10), sicut dicit propheta. Filii gehennæ, filii perditionis, et filii diaboli, et filii Dei; quia unusquisque cujus opera facit, ejus filius appellatur. Et in alio loco dicit : *Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Declina a malo, et fac bonum, inquire pacem, et sequere eam. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* (*Psal.* XXXIII, 12, 15, 16) : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Forte legendum, *sed quia tamen magnus Dominus, agamus pœnitentiam.*

(a) Stilus hujus sermonis valde genericus non idem ac superiorum.

SERMO XLVI.

DE ANGELIS ET HOSPITALITATE.

Quia a naturis angelicis semper defendimur ne demergamur, fratres dilectissimi, ideo de eis ad eorum honorem sermonem facere ne pigrescamus. Sed quid de angelicis spiritibus loquemur, cum de eis loqui immundi simus? Credimus tamen sane, et indubitata fide tenemus, divina eos præsentia et visione beatos sine fine lætari bonis Domini, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid ergo miser peccator pulvis et cinis vobis loquar : quia nec ego eorum gloriam valeo cogitare, nec vos audire sufficitis? Profecto si ex abundantia cordis os loquitur, ad Dei laudem qui nos dignatur ad amorem suum inflammare, dicamus quod possumus. In supernis spiritibus non tantum admirabilis dignitas est, et dignatio amabilis invenitur, sed tanta gloria est, quod lingua vel cor humanum nullatenus dicere valet vel cogitare. Ipsi enim Deo semper assistunt, domestici Dei sunt, cœli cives, principes paradisi, scientiæ magistri, doctores sapientiæ, illuminatores animarum, custodes earum, corporum zelatores, et defensores bonorum. Quod bene testatur ille doctor doctorum, et veritatis prædicator, quando raptus fuit usque ad tertium cœlum, et beatæ illi curiæ interesse meruit, et videre Deum sicuti est, atque super omnes homines meruit nosse secreta. Tunc enim ait, tunc enim dixit et exclamavit, quod omnes erant administratores spiritus missi in ministerium nostrum (*Hebr.* I, 14). Ipsi provinciarum custodes, dignitatesque nostras tam spirituales quam temporales omni diligentia custodientes, ipsi sunt contra hominem impetrantes, ipsi sunt pro nobis contra dæmonem victoriam obtinentes, ipsi sunt per quos ad Deum contritionis, pœnitentiæ et orationis indulgemur : ipsi sunt per quos nostra facta vel cogitata ad cœlum hilariter portantur, ipsi sunt fratres nostri, qui valde nos diligunt, nos ubique instruunt, in cunctis nos protegunt, nostrum adventum exspectantes ad cœlum, et sedes paradisi per nos repleri affectant. Isti sunt sanctissimi spiritus, qui nobis dormientibus adsunt custodes, nobis orantibus adsunt supplicantes. Quis ergo, fratres, Angelorum memoria in mente carebit? Quis eos non diliget? Quis non veneretur eos, qui in conspectu Dei semper assistunt? Isti sunt per quos sustentamur, per quos in mari et in terra juvamur, per quos mente et corpore illuminamur, per quos in tribulationibus et angustiis consolamur, per quos ab infirmitatibus frequenter liberamur, per quos et a quibus in extremis contemplamur [1], in fide solidamur, et a maligno spiritu defensamur, et obtenta victoria ad paradisum vel ad purgatorium per eosdem deportamur : et dum purgamur, ab eis sæpe visitari et consolari non dubitamus, promittentes cœlestem Jerusalem civitatem ingressuros. Eia ergo, fratres, studeamus sanctos Angelos imitari, et non solum ipsos, sed etiam Angelorum amicos. Circumspiciamus enim in-

[1] Forte, *confortamur*.

tegra mente, perlegamus Scripturas, ut possimus, et inveniamus Angelorum amicos: quibus inventis, petamus quid fecerunt, quomodo Angelis placuerunt, in quibus eos securi imitati sunt. Veniat sanctus pater Abraham, et quid fecit innotescat. Veniat et nepos ejus Lot, et dicat propter quid vel quomodo a Sodoma per Angelos liberari meruit. Veniat et Tobias, ducens secum filium, et propter quid per angelum illuminari meruit, et filium[1] custodiri, doceat. Veniant tres pueri, et quomodo activis et passivis approximatis non sequatur necessario actio, scribant. Veniat et Petrus, et quomodo per Angelum liberari meruit audiamus, ut et audientes magna magnalia quæ sancti Angeli fecerunt, eos sequi et imitari valeamus. Dic nobis, sancte pater Abraham, quid fecisti, vel quid facere docuisti, ut sanctis Angelis tam jucunde placeres? Dic, ut a te discamus; doce, ut nos a te doceri valeamus: nam pater es, et quia omnes filii tui sumus, te decet nos docere. O fratres, quid aliud dicere poterit, quid aliud vel docere, nisi quod hospitalitatem semper servare voluit? O sancta veraque hospitalitas, quæ non solum Angelos, sed etiam ipsum Deum aliquando recipere meruisti! Ecce propter quid Abraham Dei Angelis placuit, ecce propter quid Lot liberari meruit, ecce propter quid Tobias illuminatur, et filius illæsus reservatur; ecce propter quid tres pueri et Petrus illæsus reservatur in carcere. Discite ergo, Christiani, discite hospitalitatem exhibere in cunctis; ne forte cui domum clauseritis, cui hospitalitatem negaveritis, ipse sit Deus. Obviam enim ivit Lot Angelis, tanquam peregrinis, qui ex sua laudabili consuetudine jam Sodomitico vitio liberatus est: et inter pessimos optimus conservatur, a periculo civitatis eripitur, et corporale evadit incendium, et ad æternum conservatus est præmium. Numquid et Abraham Deum vidit, quando tres vidit, et unum adoravit? Igitur, o fratres, recipere peregrinos festinate. Tu enim nescis an Christus dignetur te visitare, licet Christus semper in hospite sit. Pateat enim peregrinis janua tua, suscipe eos alacriter, ablue pedes, lava eorum capita, purga eorum immunditias, et noli avertere manum tuam ab ullo paupere. Et si cunctis subvenire non vales, saltem voluntas bona sit circa eos. Suscipite ergo, fratres, peregrinos: quia qualem mercedem habemus peregrinando, talem habebimus peregrinos suscipiendo. Fiunt enim ambo æquales, et qui propter Deum refrigerat, et qui propter Deum laborat. O sancta namque hospitalitas, Angelorum amica, charitatis soror, humilitatis corona! Nam qui habet te, habet veram humilitatem: et qui te, o humilitas, habet, veram hospitalitatem habet: nam sine te hospitalitas nulla est. Discamus ergo, fratres, non solum a patribus hospitalitatem servare, sed a Christo humilitatem astringere. (a) Discamus ab eo non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, et mortuos resuscitare, non siccis pedibus super aquas ambulare, non hæc omnia; sed tantum quia mitis est, et humilis corde. Hoc est perfectum hospitalitatis fundamentum. O sancta namque humilitas, hospitalitatis soror et amica suavis, qui te[2] in cunctis magis indigniorem se aliis arbitratur, nunquam desiderat superior apparere, primatus et cathedras omnes fugit, omne dominium abhorret, solam hospitalitatem amplectitur, solam eam possidere desiderat. Eia ergo, fratres; excelsa est patria, sed humilis est via. Mensuremus ergo eam, perquiramus eam, ambulemus per eam. Sic enim fecit Abraham et Lot, dum peregrinos suscipiebant: sic Tobias, dum mortuos sepeliebat: sic enim et Angeli de quibus ait Salvator, quod *semper vident faciem Patris qui est in cœlis* (*Matth.* XVIII, 10). Amen.

[1] Forte, *filius*.
[2] Forte addendum, *possidet* M.
(a) Ex Augustino, serm. 69, n. 2.

SERMO XLVII.

DE VEHEMENTI PECCATI SODOMITICI DETESTATIONE.

Audite, non fratres charissimi, sed principes Sodomitarum; percipite auribus legem Dei vestri, populus Gomorrhæ. Audite, et audiant hæc filii vestri, o gens plena peccato, gravi iniquitate, semini nequam, filii scelerati. Ecce dereliquistis Deum, blasphemastis sanctum Israel, et abalienati estis jam retrorsum. A planta enim pedis usque ad verticem non est in vobis sanitas: ideo terra vestra deserta, civitates vestræ succenduntur igni, regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur civitas sicut in vastitate hostili. Quare hoc patimini, nisi quia [illegible] Sodomitis jam estis? Audite ergo, principes Sodomorum, audite Isaiam vobis dicentem, Multitudine victimarum vestrarum plenus sum, eo quod indigne mihi offertis. Ne offeratis igitur ultra sacrificium; quia sabbata vestra, incensum vestrum, et solemnitates vestras odivit anima mea, et omnia facta sunt mihi molesta. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam, pro eo quod turpitudinem operamini (*Isai.* I, 4-15). Quæ est illa turpitudo, nisi illa quæ immunditia per Apostolum appellatur (*Rom.* I, 24)? Illa denique est turpitudo illa summa immunditia, illa summa miseria, a qua Angeli fugiunt, quam dæmones videntes oculos claudunt. Illa est enim immunditia et miseria quam masculi in masculos operantur. De quibus ait Apostolus: *Non solum qui faciunt, sed et qui facientibus consentiunt, digni sunt morte* (*Ibid.*, 32). Hæc est merito immunditia, quia est nimia mentis et corporis spurcitia. Et hæc spurcitia non solum peccatum est, sed et pœna peccati. Cum enim Deus videt omnino se contemnentes, et mandata sua conculcantes; vertit eos in reprobum sensum, ut illam abominationem exerceant, et non intelligant et animadvertant, sicut ait Apostolus: *Quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Dominus ignominiæ: nam masculi relicto naturali usu femineo, exarserunt in desideriis suis* (*Ibid.*, 28, 26, 27), id est, masculi in masculos turpitudinem operantes. O quam abominabile vitium! o quam detestabile crimen! o quam mortiferum damnum! o quam pessimum scelus! o quam inaudibile malum! Ecce enim membrum Christi non solum fornicatur, sed etiam meretrix efficitur. Hæc est enim illa immunditia, quam Deus odio summe habet, quam detestantur sancti, quam odiunt beati, quam fugiunt illi qui regnum Dei consequuntur æternum, quam diligunt illi qui cruciandi et maledicendi sunt cum diabolo et angelis suis. O pessimi Sodomitæ, et viri peccatores! o pessimi, attestante Scriptura, *Erant Sodomitæ pessimi et peccatores coram Domino* (*Gen.* XIII, 13). Peccator enim dicitur coram Domino, cujus peccatum Deus non dimittit impunitum, et non differt qui differens est pœnam. Unde ait, *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, peccatum eorum gravatum est nimis* (*Id.* XVIII, 20). Clamor enim dicitur peccatum, quando non solum cogitatur, sed absque omni timore ad actum perducitur, et in consuetudine multiplicatur. Et tunc Dominus gladium furoris sui extendens, pluit ignem et sulphur de cœlo, et combustæ sunt civitates, et submersæ. Merito igitur per sulphur civitates illæ submersæ sunt et destructæ, quia tam eorum feminæ quam eorum masculi fetenti luxuria ardebant. O luxuria pessima, virtutum destructio, vitiorum augmentatio, delectationis combustio, charitatis diminutio, bursarum evacuatio! Dulcis es: sed ecce omnis dulcedo in amaritudinem grandem mox convertitur. O luxuria, per te pax destructa est, per te homicidium factum est, per te civitates combustæ sunt, per te regna perdita sunt, per te omnia fere mala facta sunt, per te David exsulat a Deo, per te Samson moritur, per te Salomon expellitur, per te Lot patitur, relinquens patriam, et uxorem amittens! Et ideo prævaricatores legis attendite,

legite legem. O Gomorrhæorum sequaces, quiescite jam agere perverse, discite jam benefacere, discite jam Deum timere. Fugite Sodomitas ut mortem. Nolite conversari cum eis, ne forte cum eis depereatis. Veniet enim tempus, et non tardabit, et insurget ille sanctus Joseph, qui de hoc crimine pessimo suos fratres incusare patri non timuit. Surgat et nunc hoc castitatis exemplum, et interficiat omnes tales operantes iniquitatem. Veniat ille magnus sanctus Paulus, vas electionis, et confundat omnes tales talia diligentes, ut nullus reperiatur in orbe. Veniat ille dilectus Dei, virginitatis imago sanctus Joannes, et sua virginali præsentia tales confundat. Veniat etiam illa lucerna mundi, et præcursor dilectus, et sua grandi audacia, omnes tales interficiat spiritu oris sui. Veniat et Lot nepos sancti Abrahæ cum nepotibus suis, et omnes tales expellat de terra viventium. Veniant omnes sancti Angeli, et comburant omnes qui operantur iniquitatem Gomorrhæorum. Eia ergo, quiescite jam agere perverse, discite cum Lot et Joseph bene facere, antequam adimpleantur quæ diximus. Mementote frequenter, et nolite oblivisci, quid fecerit illa femina Romana Tarpeia. Quid enim fecit? Nam luxuria magna regnabat in ea; tamen ipsa pagana caste vivere volebat. Quid enim fecit? Oculos sibi erui voluit, et præcepit: et deliciis cunctis depositis, panem tantum cum aqua sumere voluit ad mensuram. O fratres, mirabilis conditio mulieris, mirabilis bonitas, mirabilis fortitudo! quia per hoc non paradisum exspectat, nec per hoc laudari desiderat, nec beata prædicari affectat; nam propter quid hoc fecerit ignoramus, quia paganam eam fuisse prædicamus. Unum tamen scio, quod si consilium ab Augustino petisset, ego tanquam fidelis nihil aliud dicere potuissem, nisi quod tantum panem et aquam sumpsisset determinato pondere et mensura. Nos ergo, fratres, scire debemus, et nullatenus dubitare, quod castitas cum abundantia et fertilitate stare non potest. Sed si mihi non creditis, Gomorrhensibus credite. Abundabant enim valde in cunctis bonis, et postquam comederant et biberant, surrexerunt ludere. Sic et vos operantes [1] video: nam fertilitatem habetis pane, vino et cunctis bonis omnibus quibus indigetis; ideo timeo ne pereatis. Quare? Quia non est malum quod in vobis non regnet. Numquid superbi? numquid avari? numquid gulosi? numquid puerorum concubitores? O miseri, membra diaboli, cur non erubescitis? cur non desistitis talia operari? Confundor ego episcopus talia loqui, confundor et alia enarrare. Sed et si tacuero, mors mihi est, et si hoc prædicavero, non effugiam linguas vestras. Audacter igitur prædicabo, quia et vos publice operari non erubescitis. Emendate igitur vitam, et emendabo verba: quiescite agere perverse, et ego quiescam mala vestra vobis improperare. Sic etiam Dominus facit, quia mutata vita mutat sententiam: bene operantibus promittit gloriam; male vero, pœnam æternam. Erudiamus igitur, fratres, nosmetipsos in scientia et castitate, ut studentes et intelligentes simus, suaves, affabiles et mites in charitate non ficta. Nam si luxuriari volueritis, nunquam charitatem habere poteritis. Charitas enim est virtus, quæ consummatio et perfectio aliarum virtutum dicitur, sic et luxuria destructio. Nam nulla virtus, nulla bonitas, nulla sapientia cum luxuria stare potest, nulla justitia, nulla laus, sed omnis perversitas, et personarum acceptio in ea regnat. Ideo attendite quam necessaria est ipsa castitas. Nam si caste vixerimus, rixæ intus non erunt, non verba mala. Et si mihi non creditis, quid Lot acciderit, legite. Nam sancti Angeli domum ejus intraverunt: quo facto Sodomitæ domum ejus circumdederunt, et forsitan non solum per ostium (a), sed per fenestras intraverunt. Numquid et Lot cum nepotibus suis verberaverunt? Omnino, ut arbitror, non solum verba, sed verbera receperunt. Et forsitan, fratres, ideo uxor Lot conversa fuit in statuam salis, quia Sodomitis non procurabat resistere. In simili etiam scelere, in eodem crimine mulieres etiam erant, et forsitan in majori, quia principium tanti criminis in illis civitatibus mulieres fuerunt, et homines postmodum ipsæ pessimæ docuerunt. O mulieres luxuriæ matres, non sufficiebat primum hominem decepisse? Ideo convertamur ad Dominum, simus pœnitentes, unanimes in dilectione Dei, et ut membra unita simul laboremus. Nam sicut odium dissipat Ecclesiam, ita vinculum dilectionis ædificat eam. Odium enim generat detractionem et invidiam, quæ pestilentia et pernicies est Ecclesiæ. Per odium amittitur illa sancta utilitas et jucunditas, de qua dicitur, *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1)! Per odium expellitur Christus, qui est vera sapientia: quia *in malevolam animam non introibit sapientia* (*Sap.* I, 4). Et ideo rogo vos, ut vitam vestram emendetis, docentes filios vestros et filias quomodo caste vivant, et mature incedant, abstineant a cibo et potu: sit eorum sermo pudicus, incessus honestus, vultus inclinatus, lingua affabilis, mens plena dilectione, manus plena operatione: ut si sic feceritis, fratres, cum sancto Lot liberemini de inferno fugientes, et volantes per gratiam ad gloriam. Amen.

[1] Forte, *abundantes*.

(a) Imo, ut advertit Augustinus, lib. contra Mendacium, n. 34, scriptura teste, Gen. XIX, 11, « nec ostium domus « invenire potuerunt. »

SERMO XLVIII (a).

DE CURA ANIMÆ.

Anima humana, fratres charissimi, omnium creaturarum naturam participat, ambit et capit, et tanto amplius, quanto gloriosius est Dei imagine insignita. Omne enim spirituale suum est, quia cœlum habet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, et Trinitatem ad fruendum. In ipso denique homine deposita erat etiam corporalis creatura, et omnium corporalium naturalium natura in se, et ad se, et per se; et tanto perfectius, quanto mirabilius erat omni corporeo. Omnia enim possidebat, omnia sibi obediebant, quia omnia ei subjecta erant, astra scilicet ut lucerent, elementa ut alerent, animalia ut subirent, et cibaria ut nutrirent, oves et boves, leones et aves, omnia obediebant homini sine ulla rebellione. Et quid plura? Etiam hoc quod majus est. Quid est quod majus est, nisi quod divinum est? Quid enim in homine divinum est, nisi quod imagine sanctæ Trinitatis ipse homo decoratus est? *Faciamus*, inquit sancta Trinitas, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Quæ est imago Dei in nobis, nisi id quod melius reperitur in nobis. Quid est quod melius reperitur in nobis, nisi ratio, intellectus, memoria et voluntas? O homo, audivisti tuam gloriam, audi nunc tuam miseriam. O homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, qui quasi flos campi egrederis et contereris, et fugis velut umbra, nec in eodem statu permanens, nunc dives nunc pauper, nunc sanus nunc languidus, nunc gaudens nunc tristis, nunc sciens nunc ignarus, nunc videns nunc cæcus, nunc civis nunc exsul, nunc bonus nunc malus: ecce quomodo stabilis, ecce quomodo permanens. O homo, an ignoras quia potuisses non mori? Utraque enim potentia in manu tua erat, posse et non posse mori: contempsisti primam, et elegisti secundam; contempsisti vitam, et elegisti mortem; contempsisti dulce, et elegisti amarum; contempsisti vitam æternam, et mortem æternam eligere voluisti. Et unde hoc, homo? Numquid bonus, rectus, sanctus, et Deo dilectus crea-

(a) Lupus de orig. Erem. S. Aug. pag. 378, hoc sermone expenso hæc habet: « Absit ut hi fabulosissimi ac men« dacissimi sermones sint S. Augustini. Adeoque lapsus est « magister noster Basilius Legionensis, dum ex isto omnium « mendacissimo sermone 48, postremam S. Prosperi sen« tentiam putavit esse desumptam. » Magistri hujus lapsum non ita pervidit Carolus Morelius, quem hic etiam male secutus est.

tus es? Et tamen miserrime incrassatus, impinguatus, dilatatus, recalcitrasti contra Deum factorem tuum. Et ecce elatus in superbia, ignarus Dei gratia[1], inscius de justitia, cecidisti in lacum miseriæ, in luto fæcis, et in umbra mortis. Ideo attende quid sequitur. Putas quod Deus mentiatur, vel ut filius hominis mutetur? Statuit enim ipse, et sententiam posuit, ut quotiescumque comederes ex ligno, mori debuisses. Numquid ludendo hoc edixit, vel ridendo hoc asseruit? Omnino hoc tamen mihi non apparet. Quare non apparet, nisi quia experientia didici, et oculata fide probavi? Numquid experior, quod post peccatum elementa quæ in summa et optima qualitate erant, mox propter peccatum pugnare cœperunt? Est enim ratio terræ in carne, ratio humoris in sanguine, ratio aeris in spiritu, ratio ignis in calore: et hæc quatuor mox post peccatum ad invicem præliari cœperunt, et sic nostri primi parentes infirmitatibus aggravantur, et dolore capitis, stomachi, hepatis, omniumque membrorum vexantur, sicque moriuntur, sicque ad sepulcra deducuntur. Sed dicet quis: Quid est homo post mortem? Certum est, quod non est homo: et tamen est aliquid, quantum ad duas partes. Quæ sunt illæ partes, nisi anima et corpus, materia et forma? Anima enim non moritur, nec succumbit per mortem, cum omnino sit immortalis: nec corporis materia, cum sit una numero: quia licet corpus resolvatur, non tamen devenit ad tantam resolutionem, quod omnino nihil sit, et quod cedat in non ens. Manet eadem anima semper, et tanquam quid divinum: deficit tamen homo quantum ad esse. Omnes enim animæ spiritus sunt, et omnia corpora terra sunt, et erunt quousque anima induet se suo corpore, ut totus homo glorificetur, corpore videlicet et anima. Si ergo petis quid est homo mortuus: quid aliud dicere poterimus, nisi quod terra, putredo, cadaver et fetor est? Si petis de suo esse, vides quod deficit. Si petis de corpore, interroga terram. Euntes vos, o juvenes et potentes, ad sepulcra patrum vestrorum, considerate quid fuerunt, et quid sunt. Monumenta eorum aperiamus, et videamus quis dominus, et quis servus, quis pulcher, quis turpis, quis rectus, quis curvus inter eos fuerit. Aperiamus oculos mentis et corporis, et nostram grandem miseriam frequenter non pigeat considerare. Intremus sepulcra, et quid invenimus discamus. Quid, fratres, invenimus, vel quæ? Nam si respexerimus, invenimus mortuorum capita, renes et ventrem. Verum, et indubitanter verum: mihi experto credite, quod in capitibus invenietis bufones saltantes, generatos ex cerebro; in renibus serpentes generatos in lumbis ambulantes; in ventre vermes scaturientes, generatos ex visceribus. Ecce quid sumus, et quid jam erimus; ecce in quod resolvimur. Quid ergo inflaris, o dives? Cur non attendis quæ audis? Cur turbaris cum prospicis? Cur non converteris cum hæc quotidie experiris? Mementote, fratres, hæc omnia, et agite pœnitentiam in fletu et lamento antequam veniant dies illi amari pleni miseriæ et tristitiæ. Audistis jam quid est homo mortuus: restat nunc dicere quid sit de anima. O fratres mei, quid de hoc dicere poterimus, nisi concordaverimus cum vetulis nostris? Quid enim dicunt, nisi quod vel in paradiso cum gaudentibus, vel in inferno cum dolentibus: sed si in purgatorio, in via eundi ad patriam sunt; et isti jam bene sunt, quia securi sunt. Orandum tamen pro eis est, et eis toto affectu subveniendum est orationibus, eleemosynis, sacrificiis, jejuniis et macerationibus. Isti sunt denique illi afflicti, qui ad Dominum quotidie clamant, et ad illum recurrunt, cujus scientia ubique allegatur, cujus sapientia demonstratur, cujus clementia ubique ponderatur, cujus potentia ubique promulgatur. Isti quotidie clamant, unusquisque per se suam misericordiam implorantes, et suam miseriam deplorantes, et dicentes: Domine, scias quod vim patior, ideo ad te requiro, non contemnendo scientiam tuam, non avertendo tuam sapientiam, sed interpello tuam clementiam. Non enim, Domine, injuste patior, quia non pro alieno delicto, sed pro meo patior: vim tantum, Domine, patior, quia fortiter patior, et juste patior. Peccavi, Domine, substantias et divitias congregando, nec pauperibus et miseris sufficienter tribuendo. Sed multa infelix congregavi cum dolore et mœrore, nesciens cui ea dimitterem amico vel proximo. O infelix homo, considera, et diligenter adverte quid agis, quid cogitas, dum cunctis diebus vitæ tuæ congregare non desinis. O homo, avaritia plenus, an ignoras quod tria sunt insatiabilia, et quartum nunquam dicit, Sufficit? Et quid est quod nunquam dicit, Sufficit, nisi animus hominis, qui nunquam dicit, Satis est? O homo, an ignoras quod radix omnium malorum avaritia est et servitus idololatriæ, mater usuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, æternæ pœnæ via, nutrix gehennæ? O avaritia abyssus insatiabilis, quæ nunquam dicis, Sufficit: semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis. Nam si sol quotidie oritur; dolendo dicis, Siccitas erit: si pluvia descendit, omnia periclitari asseris: si temperiem adesse prospicis, solem vel pluviam adesse desiderabis. O pestis interminabilis, o famelica rabies! nam omnia suis terminis clauduntur, sola avaritia nullo clauditur fine. Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia juvenescit. O rabies omni fine carens! Numquid terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aer suo fine concluditur, cœlum suis terminis arctatur, sola avaritia terminum nescit? O avare, si terra tibi cuncta datur, mare quæris. Sed si *terra* et mare, aerem petis. Sed si terram, mare et aerem possederis, adhuc cœlum ambis, et ipsum penetrare affectas. Et si cœlum penetraveris, adhuc *non quieveris*, donec te Deo adæquaveris, vel fueris superior Altissimo. O pestis dæmone sævior! nam dæmon similis Altissimo esse voluit; sed avarus super Deum, si posset, ascendere vellet. Merito avaris in die novissimo loquetur Dominus, dicens, O homo, sine honore mundum intrasti in pellicula sanguine cruentatus, sine divitiis natus, sine avaritia genitus: et tu in avaritia vixisti, et dilatatus es in auro et argento, et oblitus es Dei creatoris tui. Ubi enim est fructus et lucrum laborum vestrorum? Ite ergo, maledicti, in ignem æternum, et sicut voluistis, ita fiat. Ecce sententiam summi Regis. Itaque, fratres, nolite amare plus corpus quam animam, et plus filios quam vos ipsos. Ecce enim in janua dies mortis est. Tunc enim quilibet a suis excluditur, ab uxore dimittitur, a cognatis separatur, et ab eisdem ad sepulcrum ducitur. O magna crudelitas! O magna admiratio! O admirabilis infidelitas! Ecce maritus dilectus ab uxore dilecta relinquitur, filius a matre projicitur, et pater a filiis, et filii a patre sub terra reconduntur: solus ille dimittitur, et quilibet ad propria revertitur; et cito oblivioni traditur, tanquam mortuus a corde. Ecce, fratres, mundi amicitia quanta vel qualis est. Non enim est aliquis qui tantum amicum vel cognatum diligat, quod per noctem unam secum morari cupiat. Vide ergo, o homo, quales amicos habes, pro quibus animam perdis, pro quibus Deum offendis. Omnes dimittent te, omnes se abscondent, omnes cito fugient a te, et in foveam trium brachiorum collocabunt te. Nam cum essemus apud Ostia Tiberina matre charitatis sociati, exspectantes temporis tranquillitatem, causa remeandi ad Africam, et gratia illius cui terra et mare obediunt, compulsi a Pontiano præfecto (*a*), viro clarissimo, qui de Roma

[1] Forte, *ignarus de gratia.*

(*a*) « Dum Augustinus Roma Mediolanum ad rhetoricæ « professionem abiit, urbanam præfecturam gerebat Symmachus, ut dicitur lib. 5 Confess. cap. 13; eamque gessit « plurimis adhuc post annis. Eam quippe adhuc gessit, « dum S. Bonifacius assumptus fuit ad sedem apostolicam, « atque adversus ipsum acriter fovit schisma Eulalianum. » Lupus.

ad nos videndum venerat, cum eodem iterum reversi sumus Romam ad intuendum diligentius magnalia ædificia et opera Paganorum : et ductus sum cum ceteris ad videndum cadaver Cæsaris in sepulcro, et vidi quod omnino esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, et vermium per illum catervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur, crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, et revelatum erat narium fundamentum. Et intuens matrem christianissimam, dixi : Ubinam est Cæsaris corpus præclarum, ubi magnitudo divitiarum, ubi apparatus deliciarum, ubi multitudo dominorum, ubi caterva baronum, ubi acies militum, ubi canes venatici, ubi equi veloces, ubi aves cantantes, ubi thalamus pictus, ubi lectus eburneus, ubi thorus regalis, ubi thronus imperialis, ubi mutatoria vestimentorum, ubi capilli solares, ubi facies decora, ubi omnia quæ sub cœlo sunt ? Te namque verebantur homines, te timebant principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Ubinam, quæso, sunt hæc omnia, a quo recessit tanta jactantia ? Quo ivit tua magnificentia ? Et respondit mater pietate plena : Fili, omnia sibi pariter defecerunt quando defecit spiritus ejus, et reliquerunt eum captivatum in sepulcro trium brachiorum plenum fetore et putredine. Eia ergo, fideles Christi ; considerate quid sumus, animadvertite ad quid venimus, prospicite quid jam sumus. Agite ergo pœnitentiam, filioli mei, quos iterum parturio donec reformetur in vobis Christus. Agite ergo pœnitentiam, antequam mors inimica naturæ vos aggrediatur. Statuatis vobis simplicem, humilem, utilem, secretam, frequentem, promptam, amaram, lacrymosam et festinam confessionem, cum etiam horam mortis omnino ignoremus. Nam cum in extrema ægritudine fueritis, fratres ; o quam forte, o quam durum, o quam pœnosum, o quam lacrymabile erit vobis pœnitere et dolere de malis commissis, et de bonis omissis ! Quare hoc erit, nisi quia illic capitur tota intentio mentis, ubi est vis doloris ? Multa enim occurrunt impedimenta cordi. Nam corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat intrare : filios quos patres summe dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, tenebroso oculo aspiciunt, uxores jam lacrymantes considerant, mundus adhuc eis fiduciam præstat, diabolus ne de peccatis doleant, fidem tribuit, et chirographum infirmantibus præbet ; caro non deficere adhuc satis sperat ; medici adhuc ut lucrentur, ipsum confortant ; parentes applaudunt, sacerdotes alliciunt, et sic divites moriuntur in inferno. O homo, audisti quid locutus sum : omnino credo quod hæc omnia cito experieris. Obsecro igitur te, ut antequam infirmitate graveris, agas pœnitentiam, disponas domum tuam. Fac quod faciendum est, fac testamentum, dum sanus es, dum sapiens es, dum tuus es. Nam si exspectaveris infirmitatem, omnino minis vel blandimentis duceris quo tu non vis. O homo, dum juvenescis, dispone domum tuam, age pœnitentiam, dilige Deum non solum verbo, sed opere et veritate. Et si proximum offendisti verbo, placa eum verbo ; si facto, placa eum facto : quia eadem mensura parcetur nobis, qua pepercimus aliis. O homo, fac pœnitentiam. Memorare novissima tua, ut in æternum non pecces (*Eccli.* VII, 40). Revertere ad te ipsum, memorans quod fuisti sperma liquidum, quod modo es vas stercorum, quod eris cibus vermium (a). Hæc enim sunt novissima quæ cogitare debet quotidie qui fidelis est. O homo, memorare novissima tua, quia post mortem vermis nascetur tibi de lingua pro peccato linguæ, de stomacho pro peccato gulæ, de spermate renum scorpiones pro peccato luxuriæ, de cerebro bufones pro peccato superbiæ. Memorare novissima tua, o juvenis, qui floride ambulas et pergis capite elevato cuncta quæ Dei sunt despiciendo. Memorare novissima tua, quia terra es, et in terram ibis. Memorare novissima tua, quia conceptus es in culpa, natus in pœna, vivens in miseria, et necessario morieris in angustia. O homo cur te jactas fortitudine? Ecce nunc post modicum infirmaris, et deficis. Cur inflaris mundi sapientia? Ecce quod stultitia est, et eam perdes, et tuam prudentiam reprobabo, dicit Dominus. Cur inflaris scientia? Numquid philosophis obscuratum est cor, et in cogitationibus suis evanuerunt? Numquid traditi sunt in reprobum sensum? Cur te jactas generis nobilitate? Numquid omnium nascendi conditio una est? Numquid et moriendi una conclusio? Quis nobilium unquam natus est sine sanguinis cruentatione? Numquid nobilis simul cum paupere per eumdem dum nascitur meatum transit? A regula etiam mortis numquid parcitur diviti? Cur divitiis te jactas? Ipsæ enim potius insidiæ tibi sunt, quam amicitiæ. Nam pauper fere numquam occidi quæritur ; diviti vero semper insidiatur. Memorare, o homo, novissima tua, qui quotidie epularis, quomodo nudus de utero matris venisti, et nudus reverteris. Eia ergo, fratres, domos vestras pauperibus aperite, eleemosynas facite, voluptates vestras rationi subjugate, in cunctis memorantes novissima vestra, ut mortaliter non peccetis in æternum. Adjuvet autem nos Deus, sine cujus voluntate folium arboris non movetur, ad perficiendum ea quæ placita sunt ei, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Vid. Medit. apud Bernard. cap. 3.

SERMO XLIX.

DE MISERIA CARNIS ET FALSITATE PRÆSENTIS VITÆ [1].

(a) O vita quæ tantos decipis, de propriis tantos seduxisti, tantos excæcasti : quæ dum fugis, nihil es ; dum videris, umbra es ; dum exaltas, fumus es ! Dulcis es stultis, et amara sapientibus. Qui te amat, non te cognoscit ; qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Timenda es, et fugienda es. Væ qui tibi credunt, beati qui te contemnunt. Vera non es via, quam te ostendis. Aliis ostendis te longam, ut perdas in finem ; aliis brevem, ut dum pœnitere volunt, non permittas : aliis largam, ut faciant quod volunt ; aliis angustam, ut non faciant bonum. Quare, o sapiens, fuge quod fugit. Sic enim est vita nostra, quasi homo in domo aliena, nesciens qua hora vel die patronus dicat, Vade foras : quia non est tua domus in qua es. O sæculum vanum, quid nobis tanta promittis, dum decipis? Qui tibi amicus voluerit esse, inimicus Dei constituetur. Amicitia sæculi, inimicitia Dei est. (b) Caro est, quæ animam perdit : caro est, quæ recipit [illegible] cum vitiis. Item seminat homicidia, seminat fornicationem, seminat concupiscentiam, seminat rixas, seminat libidinem, seminat furtum, seminat idololatriam, seminat cupiditatem, seminat superbiam, et inter fratres discordiam, seminat invidiam, seminat contra Deum blasphemiam, provocat schismata, irritat hæreses, et intra Ecclesiam Dei infert divisiones, inter populos christianos ponit offendicula, et inter gentes pugnas, et inter consanguinitatem incantationes, et, quod pejus est, in corda servorum Dei diversa genera cogitationum immittit, et omnia quæ mala sunt in hoc mundo caduco, pessimo et nefando, et quasi orta sub omni velocitate transit. Carnis etiam potestatem habet diabolus, et non animæ, dicente Domino ad diabolum de beato Job : *Do tibi illum in potestate, sed non animam ejus* (*Job* II, 6). Caro misera gravat animam, caro vaga demergit in infernum. Caro inimica est animæ : quæ si inimica non esset, non utique dilexisset istius sæculi vanitatem, et vita vana non frueretur. O vita

[1] In Ms. Germanensi ann. circiter 400 : *De misera vita hujus sæculi*. In reliquis plurima interpolata et mutila, ut jam monuimus. Eadem arte confecti sunt sermones 62, 64, 65, 66 et 67.

(a) Ex epist. 4 Columbani abbatis.

(b) Vid. Lib. de salutaribus Documentis, cap. 64.

atrocissima, (a) quam humores tumidant, dolores æstuant, aeres morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ superbiunt, paupertas ejicit, juventus extollit, senectus incurvat, frangit infirmitas, mœror consumit, et super his omnibus mors atrocissima succumbit ut furibunda. O caro cum deformitate depressa, illam debuisti vitam amplecti quæ in æternitate consistit, ubi vita est sine morte, ubi juventus sine senectute, ubi lux sine tenebris, ubi gaudium sine tristitia, ubi nobilitas et voluntas sine injuria, ubi regnum sine commutatione. Hæc sunt septem quæ consequi debueras. O caro miserabilis, quare negasti dum viveres? Si perseverasses bona, et quibuslibet bonis privata non fuisses, si bene egisses. Illic enim permansisses ubi est gaudium sempiternum, ubi immarcescibilis est gloria, ubi incorruptibilis est et incomparabilis delectatio, ubi Christus Apostolorum et Prophetarum et Sanctorum omnium est jucunditas, necnon et summa lætitia cum sanctis Angelis canentibus laudes Deo, ubi delectatio omnium bonorum. Hæc omnia bona delectabilia per hujus sæculi pravitates sprevisti. Ecce post finem quamvis in limo terræ manciperis, habes immunditiam, id est corruptionem, fetorem et vermem, et dissolutionem fetoris pateris, ut viventes de te exemplum accipiant, quid fuisti, et quid es: quia a vermibus consumeris, postremo vero in finem propter novissima, propter redemptem animam, id est, vitam in corpore, in quo prius fuisti, suppliciis æternis mancipaberis, et simul cum anima damnaberis. (b) O misera anima quam caro persequitur. Caro concupiscit, corpus operatur. Caro autem cum satiatur affluentissimis cibis et potibus et delectationibus, hortatur omnia mala facere. Caro provocat homicidia, caro perpetrat adulteria, caro committit rixas et scandala, caro inserit ebrietatem, caro portat omnem concupiscentiam hujus sæculi. O caro misera, quid habes, quid agis, quid tantum gravas animam, quæ nihil desiderat nisi Deo servire? Tu, o caro misera: non sufficit tibi perditio tua, quod adhuc animam infelicem tecum demergere conaris? Væ tibi, anima, quæ tibi carneam conturbationem accepisti. Caro mala, quid quæris, quid desideras? Non enim poterit sine te anima judicari in die judicii. Caro misera et putribilis, et omni squalore peccatorum plena, quando viva eras, pulchra eras ut sol, splendida ut luna, et oculi tui micabant ut stellæ, et crines tui longævi, et ungebas te pretiosis unguentis, vestibus utebaris optimis, et in cibis tuis et potibus condebas aromatum multitudinem. Et scito, anima, dum corpus tenebrosum et fetidum reficiebas atque fovebas, escas vermibus præparabas. Memorare debuisti quæ a factore et opifice tuo audieris, cum primum peccatum commisisti: *Terra es*, inquit, *et in terram reverteris* (*Gen.* III, 19). Et Job audi dicentem, *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc* (*Job* I, 21). Audi etiam Isaiam vaticinantem, *Vere fenum est populus* (*Isai.* XL, 7). Caro misera et nefanda, audi Paulum apostolum prædicatorem egregium dicentem, *Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre quid possumus* (I *Tim.* VI, 7). Nihil aliud caro misera nisi peccatorum sarcinam secum portat. Non nisi per carnem anima peccat. Anima quomodo potest videat. Anima nostra carcerem patitur, caro eam tenet inclusam. Anima clamat ad Dominum, non caro quæ in malitia perseverat. Anima remedium aliud non habet, nisi tollatur a carne, et caro redigatur in pulverem; tollatur ei vinum, et detur ei aqua; auferatur ei sanguis, et detur ei humor terrenus. O caro misera, quid de te agetur quando a te egrediar, et vita a te recedet? Tu sola in utero et sinu terræ jacebis, et aliud nunquam manciperis: habebis in te hæreditatem pessimam, id est, corruptionem, fetorem et vermes. Ecce quæ acquisivisti, dum viva eras: ecce quid possides, dum in sepulcro jaces. Non potuisti te jejuniis macerare, nec jejuniis in cinere et cilicio humiliare? In perpetuum cum anima salva fuisses, si ei credidisses, quia non bene facere potes, nisi illa bene faceret: hoc est, nisi corpus per abstinentiam afflixeris, animam salvare non poteris. Audi quid Creator noster dicat ad carnem: O, inquit, mea creatura, ego te ex limo terræ pulchram et lucidam assumpsi: imaginem meam in te condidi, spiramen vitæ tribui, animam invisibilem tibi concessi, immortalitatis tunica te indui, in paradiso voluptatis te collocavi: vita angelica perfruebaris, cibos et delectabilia jucunditatis contemplabaris, et omnia quæ creavi in tua dominatione humiliavi, et affluentes divitias dedi. Insuper et omnia ligna paradisi tibi subdita erant, et pro uno vetito quod illudem comedisti, ecce ubi cecidisti, scilicet de paradiso in infernum, de luce ad tenebras, de amœnitatis et jucunditatis loco ad chaos et ad omnia obscurissima mala: pro delectabili odore nunc putredini et putori manciparis; pro esca angelica, in cibo vermibus subjacebis; pro immortalitatis veste, corrupto induta es vestimento. Ecce quam concessi vitam ab illi et subtraxi, ut tu misera et putribilis caro inferno manciperis, ubi est fletus et mugitus atque ululatus, insuper et stridor dentium et teterrima tormenta: et, quod pejus est, post mortem in corruptionem, post vermes et fetorem et consumptionem postea in pulverem redacta. O caro quæ igni inexstinguibili mancipaberis, audi animam dicentem ad corpus: Ego de cœlo veni a Deo concessa tibi. Nam tu de terra es: melius est ut mecum ascendas ad cœlum, quam ut me trahas ad infernum. Dum vivimus et sumus in unum, operemur manibus quod bonum est, id est, eleemosynas et jejunia in castitate et in hospitalitate egenorum, et in nuditate pauperum, et in omnibus bonis operibus: ut per bonam operationem quam agimus, ascendere ad cœlestia valeamus: ubi non jam solutione corporis, sed incorruptionis veste induamur; ubi non jam fetor, sed odor suavissimus; ubi non jam tenebræ, sed lux perpetua micat; ubi non jam vermium multitudo, sed caterva angelorum, et innumerabilia millia sanctorum, et Prophetarum omnium chorus cum sanctis Angelis hymnum Deo incessanter canunt. Cum ipsis nos faciat æterna gaudia percipere Christus: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO L (a).

DE SALUTE ANIMÆ.

Quantum ad animæ nostræ desiderium pertinet, fratres charissimi, voluntatis nostræ est, ut ad vos requirendos frequenter veniamus, sed necessitate temporis nunc veniendi incolumes nos venire meruimus: et ideo quia de communi corporum sanitate gaudemus; de animarum salute, quæ vera salus est, in quantum Dominus dederit, colloquamur. Ideo, fratres, ad imaginem Dei facti sumus, ut, Deo donante, intelligamus quæ sit desideranda patria, quæ sit vera beatitudo, quæ vera vita, quæ perfecta sanitas, quæ sit æterna felicitas. Sed intus in corde, Deo inspirante, cognoscamus. Nemo se excusare poterit, ut dicat, Non novi litteras, ideo Dei præcepta intelligere non possum: quia qui litteras non novit, quid sit aut non sit, intelligere debet. Interroget homo conscientiam suam, et alloquatur se ipsum, et dicat sibi suis verbis: O homo, quis es, aut ubi es, et unde venisti? Et responde tibi: Homo sum, et Dei creaturam me esse cognosco. Iterum interroga, et dic: Quid in te habes, aut ex quibus rebus te factum esse cognoscis? Responde et dic: Ex anima et carne me constare cognosco. Quid in te ex his duabus rebus melius habes? Responde: Sine dubio animam meliorem habeo quam carnem. Optime et ordine legitimo

(a) Sic lib. Speculi, cap. 21.
(b) Vid. lib. de salutaribus Documentis, cap. 61.

(a) Ex variis Cæsarii Arelat. sententiis conflatus.

respondisti, et dixisti te animam meliorem habere quam carnem. Dic mihi adhuc : Ubi es, o homo? Respondebis : In mundo. Postea vero ubi eris? In cœlo. Quamdiu ibi eris? In sæcula sæculorum. Justissime respondisti, et verum dixisti. Fac modo rationem vitæ tuæ, et esto judex justus. Ex omnibus rebus quas dedit tibi Deus, serva carni tuæ unde sustentetur in mundo, et repone animæ tuæ unde in perpetuum vivat in cœlo. Attende diligenter conscientiam tuam, et vide si tantas res animæ tuæ reposuisti in cœlo, quantas habes corpori tuo in mundo : si tot solidos reposuisti in cœlo, quantos tibi servasti in mundo. Vide si tot modios tritici, si tot amphoras vini per eleemosynam in paradiso, unde vivat anima tua, reposuisti, quantum tibi reservasti unde vivere possit caro tua in mundo. Cum ergo ista diligenter attenderis, et considerans sapienter, vides te prope totam libram carni tuæ servasse in mundo, et unam unciam reposuisse in cœlo; erubesce, et cito ad pœnitentiæ medicamenta confuge : quia incœptum in te ipsum judicium judicasti. Aliud verum dixisti, et aliud operibus perfecisti : quia totum carni non solum fideliter, sed etiam infideliter deputasti. Nescio si apud te periclitetur judicium tuum, quando inter animam et carnem tuam iniqua sunt judicia tua. Et ubi te justum invenire potero, quem in te ipsum iniquum esse cognosco? Et tunc certe nutrimus carnem, ornamus carnem, aliquoties inebriamus nos, et nimium deliciose pascimus carnem, quam, velimus nolimus, post paucos menses aut annos vermes devoraturi sunt in sepulcro; et contemnimus animam quæ Deo ab Angelis præsentatur in cœlum. O quam dura erit animæ peccatrici, et quam intolerabilis hora illa, quando viderit bonam animam requiem recipere in paradiso, se vero torqueri in æterno supplicio. Ergo considerate, fratres charissimi, si non majorem, certe vel æqualem partem animæ faciamus. Non enim foris in corpore, sed intus in interiori homine facti sumus ad imaginem Dei. Caro enim nostra de limo terræ formata est. Numquid justum est, ut limus terræ imagini præponatur? Caro enim debet servire, et anima imperare. Ista debet exercere imperium, et illa subjecta servitium. In omnibus christianis bonis anima dominatur, et caro servire compellitur. In peccatoribus vero et amatoribus hujus mundi, inverso, imo perverso ordine caro erigitur, et anima humiliatur; illa deliciis pascitur, et ista fame torquetur; illa luxuriatur in vestibus pretiosis, et ista vix in veteribus involvitur pannis : et si peccatis fuerit obnoxia, æterno Judici præsentatur, et tunc vera ejus ignominia apparebit. Nam cum anima in corpore suo caput esse debeat, quicumque carnem deliciis aut voluptatibus nimium erigit, nutrit, fovet et palpat, animam vero despicit et contemnit; pedes levat in alto, et caput imprimit in profundo. Et qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur, talis est in oculis Angelorum, cui caro propria dominatur. Sicut ergo supra dixi, fecit nos Deus ad imaginem et similitudinem suam : et cum deberet in nobis homo interior dominari, in tantum Deum contemnimus, ut imaginem Dei miserabili limo servire faciamus; et hoc est iniquum judicium, ut carnem nostram animæ præponamus. Sed hoc omnes homines recto judicio non faciunt. Multi enim sunt honesti, sobrii et humiles, misericordes, casti, in quibus anima tenet imperium, et caro subjecta servit. Et ideo rogo vos, fratres, attendat unusquisque conscientiam suam : et si dominatur caro, cito erigat dominam, et stimulet ancillam : ut non caro vincat animam, et ad luxuriam trahat; sed magistra carnem suam regat, et per vias castitatis et justitiæ ducat. Qui vero in se sentit animam dominari, teneat cum Dei adjutorio disciplinæ continentiam, et per freta pelagi hujus mundi ita navigium corporeum, veritate gubernante, contendat, ne inter fluctus justitiæ naufragium incautus incurrat. Ut enim agnoscatur, quod ex nobis in veritate anima dominetur, de substantia nostra victum nobis sufficienter et vestitum simplicem reservemus, et quidquid amplius Deus dederit, animæ in æternam beatitudinem per eleemosynam pauperum reponamus : ne forte cum carnem nostram ornamentis componimus, et multis deliciis saginamus, partem cum illo divite purpurato, et non cum Lazaro habeamus. Scitis enim, ut in Evangelio frequenter audistis, quod dives ille qui epulabatur quotidie splendide, et purpura induebatur et bysso, post de corpore exiit, et sepultus est in inferno, et ibi inter flammas aquæ guttam et locum refrigerii requisiit, et invenire non meruit. Ecce cujus caro luxuriatur et epulatur in sæculo, quales divitias inveniet in inferno. Lazarus vero qui nec divitias nec ornamenta habuit in sæculo, post mortem in sancti Abrahæ requievit gremio. Sicut ergo supra dixi, fratres charissimi, refrenemus gulam nostram, et victum et vestitum simplicem carni nostræ in hoc sæculo præparemus, ut remaneat aliquid quod in futuro sæculo animæ reponamus. Quod peritura gula cupit, reservet eleemosynæ. Ornamenta quæ luxuria ac suavitas requirit in mundo, misericordia et veritas reponat in cœlo. Si ornati volumus esse, quæramus ornamenta unde nemo ornatur indignus. Si delicias concupiscimus, non quæramus carnales ac transitorias, ex quibus stercora conficiuntur in mundo, sed magis spirituales et æternas, unde Angeli epulantur in cœlo. Et si forte quæris quæ sint illæ deliciæ, audi Apostolum dicentem : *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9). Adhuc quæris et interrogas, quid sit hoc? Si vis verum agnoscere, Deus est deliciæ tuæ, requies tua, sanitas tua, gaudium tuum, felicitas tua, refrigerium tuum, amœnitas tua, et quidquid sancte possit desiderare anima tua, totum tibi Deus erit. Sic beatus Apostolus dicit : *Et erit Deus omnia in omnibus* (*Id.* XV, 28). Avare, audi me; quid tibi sufficit, si Deus tibi non sufficit? Si ergo ista omnia desideratis, paradisi requiem quærite, pro æterna beatitudine suspirate, unde non exit amicus, ubi non intrat inimicus, unde nec bonus potest exire aliquando, nec malus ullo modo introire. Ad istam ergo patriam ornati bonis operibus festinemus, ut dum eleemosynam pauperibus dederimus, ad cœlestia regna pervenire possimus : ad quæ ille nos perducat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LI (*a*).

Nemo, fratres charissimi, falsa securitate se decipiat, et putet se ante tribunal Christi non esse venturum, etc.

SERMO LII (*b*).

Propter quod volui et rogavi hesterna die, ut hodierna frequentius conveniretis, hoc est quod dicturus sum, etc.

SERMO LIII (*c*).

Charitati vestræ hodie de nobis ipsis sermo reddendus est. *Quia* enim, ut ait Apostolus, *spectaculum facti sumus* (*Id.* IV, 9), etc.

SERMO LIV (*d*).

Nihil sic Deo placet, quemadmodum obedientia. Cham maledictus fuit, et post multa sæcula manet quod dicitur, etc.

SERMO LV (*e*).

DE OBITU VALENTINI EPISCOPI CARTHAGINENSIS (*f*).

Liber Sapientiæ, fratres charissimi, multis modis

(*a*) Exstat in Append. tomi 5 sermo 53, novem versibus initio hic detractis.

(*b*) Est sermo 355 tomi 5.

(*c*) Est ejusdem tomi sermo 356.

(*d*) Habetur supra, col. 1221.

(*e*) Sermonis hujus non alius stilus ac priorum.

(*f*) Intolerabilis error est in hac epigraphe, [illegible] per Augustini tempora inter Ecclesiæ Cartha-

commendat nominis sapientiam : primo, quia hominem a periculo liberat; secundo, quia conservat liberatum; tertio, quia coronat conservatum. Quomodo autem liberat, exemplum patet de Noe, quem, cum aqua deleret terram, liberavit in arca. Quomodo autem conservat, patet de Jacob, quomodo duxit eum Dominus per vias rectas, et ostendit illi dormienti regnum Dei. Qui evigilans ait : *Vere hic est domus Dei et porta cœli* (*Gen.* XXVIII, 16, 17). De gloria Dei vero quæ coronat, subditur : *Reddet Deus mercedem sanctis suis laborum suorum, et deducet eos in via mirabili* (*Sap.* X, 17). Isti enim sunt tres status Ecclesiæ : status videlicet pœnitentiæ, justitiæ, et gloriæ. In primo liberat, in secundo conservat, in tertio coronat Dominus. In primo afficimur, in secundo reficimur, in tertio perficimur. In primo est labor et dolor, in secundo sapor et decor, in tertio gloria et honor. Verumtamen quia de his statibus frequentius fratribus nostris canonicis frequens fuit lectio et exhortatio, et in mensa quotidiana disputatio; fortasse in corde dicetis, Tædium est tantum de hoc nobis audire, quia etiam obsequium oportet, ut nos decet, reverendo Valentino episcopo exhibere. Sed non pigeat vos, fratres, me supportare. Quod si tædium vobis esset, ad fratres meos confugiam, qui me audire tota mente et toto affectu desiderant. Nam verbum notum et antiquum, novum aliquando fieri potest. Cibus etiam diu masticatus citius digeritur. Ut ergo, fratres, distinctio trium statuum clarius elucescat, conatus eis accommodemus in hunc modum. In statu pœnitentiæ cæcum reducit Dominus per vias duras, et promittit illi regnum Dei Patris sui. In statu justitiæ justum deducit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. In statu gloriæ justum et sanctum educit Dominus in via mirabili, et introducit eum in regnum Dei. Ecce, fratres, quomodo reducitur cæcus de invio ad viam, de exsilio ad patriam, de mansione ad mansionem, de virtute ad virtutem, de corporis carcere ad æternam gloriam. Ecce quomodo reducitur cæcus ne sit sine Christo, deducitur justus ut sit Christus cum eo, educitur sanctus ut ipse sit cum Christo. O fratres mei, ecce quomodo esse sine Christo miserum est, Christum secum esse tutum est, esse cum Christo beatum est. Non enim existimandum est idem esse, secum esse Christum, et esse cum Christo. Apostolus enim habebat secum Christum, dum dicebat, *Non ego solus sum, sed gratia Dei mecum est* (I *Cor.* XV, 10). Nondum erat cum Christo, dum dissolvi cupiebat, et esse cum Christo. Latro secum habet Christum, cui promittebat Christus, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Reducitur itaque cæcus per vias duras. Sane durum est relinquere consueta, durius aggredi inconsueta; sed durissimum est in fornace decoqui continua, in qua necesse est ut decoquatur taliter, ut velut carnes possit amputari, et velut virga ad omnem modum revolvi. Istæ sunt viæ peccatoribus duræ super omnia dura, amaræ super omnia amara, odiosæ ut mors. Quæ sunt istæ viæ, fratres, nisi relinquere quæ mundi sunt? O quam durum est, o quam mortale videtur, o quam amarum, relinquere quæ mundi sunt! Sed quia dura, quia amara, quia pœnosa; ideo centuplum accipies, et vitam æternam possidebis. Eia, milites, surgite jam, quia diu dormistis : armate vos contritione cordis, confessione oris, afflictione carnis; quia ecce veniet Salvator, et non tardabit. Ecce jam in janua est, ecce jam te vocat, ecce te venire compellit. Sed dices, o miser, In contritione est dolor, in confessione rubor, in afflictione labor; quid ergo faciam? Eia, o miles Christi, civis cœlorum jam denuntiaris ab illo qui super te est, ipse qui laborem et dolorem considerat. Verumtamen quanto duriora, tanto utiliora tibi erunt. Verumtamen certa valenter dum potes, quoniam reposita est tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die justus judex. Postquam autem cæcus factus est videns, impius justus, tunc *Deduxit Dominus per vias rectas* (*Psal.* CVI, 7), cantare poterimus, fratres. Sunt enim, fratres, ut scholares nostri vacui non recedant, tres species rectitudinis. Aliud est enim regi, aliud dirigi, aliud corrigi[1]. Nam propheta dicebat, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit* (*Psal.* XXII, 1). Et iterum, *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V, 9). Et iterum, *In quo corrigit adolescentior viam suam* (*Psal.* CXVIII, 9)? Et iterum, *Mane*, inquit Isaias, *erigit mihi aurem* (*Isai.* L, 4). Res enim, fratres, inanimata proprie dicitur regi, ut currus et navis. Res sensata præter rationem dirigitur, ut equus et mulus quibus non est intellectus. Res rationalis corrigitur, scilicet corde regitur, ut homo. Justus vero erigitur, ut sapiat quæ sursum sunt, et quærat. Sic enim volebat Jeremias, dum dicebat, *State in viis vestris, et considerate quæ sit via æterna* (*Jerem.* VI, 16). Daniel ad majestatis visionem prostratus audivit ab Angelo, *Sta super pedes tuos* (*Dan.* X, 11). Quod tamen si non credis Prophetæ, crede poetæ, scholaris perverse, cui Deus os sublime dedit, cœlumque videre jussit (*Ovid. Metam., lib.* 1, *vers.* 85, 86)) : a quo dum quæreret tyrannus et diceret, Quare te Deus fecit? respondit, Ut contempler cœlum et cœlorum numina. Factus est enim homo in terra, non ad terram, sed ad cœlum : et factus est de terra non propter terram, sed propter cœlum. Quis fidelium plus dixisset, fratres, aut probabiliori argumento, nescio. Numquid etiam animal mutum et brutum novit argumentum ægritudinis suæ? Numquid leo infirmans, animal quod simia dicitur, quærit, qua devorata mox convalescit? Numquid etiam simia ægrotans quærit sanguinem canis, ursus formicas, leopardus capreas, vitis serpentes ferculum? Homo vero attritus in physica, hæc omnia ignorare videtur. Unumquodque enim felicitatem affectat : sed si homo affectat, opere tamen affectare non videtur. Quære ergo, o homo, cœlum ad quod factus es : noli quærere philosophiam, quoniam ad philosophiam factus non es, nec expedit tibi scire quæ sunt super terram, sed tantum quæ sursum sunt. Sta igitur super pedes tuos, sta in viis tuis naturalibus, ad quas factus es, et dirige eas, si necesse est in dando et dimittendo. Date, et dabitur vobis. Et tunc Dominus tibi dicet, Amice, ascende superius; intra in gaudium Domini tui. Sed dicet quis, Quomodo et qualiter egredietur spiritus de corpore? Numquid Salomon hoc ignorare videtur, dum se dixit penitus ignorare viam aquilæ in cœlo (*Prov.* XXX, 18 *et* 19)? Quomodo ergo Deum videt, quomodo angelum, quomodo se ipsum, quomodo spiritum alium bonum vel malum? Super hoc hodie ille magnificus philosophus admiratur. Nam in libris de Animalibus, quinque sensus corporis communes esse nobis ad usum cum brutis posuit, non ad oblectamentum. Homo in omnibus delectatur : pecus vero tantum in duobus delectatur, scilicet in gustu et tactu; in aliis vero movetur quandoque et excitatur, sed non delectatur. Unde ergo est, quod spiritus egressus a corpore, duos quos habet communes cum bestiis penitus amittit. Non enim gustu vel tactu utitur vel oblectatur : sed alios tres ad usum retinet et oblectamentum. Mirabile tamen videtur ei, scilicet quod spiritus sine corpore sensibus corporis utatur. Quod tamen philosophus si forte plane non intellexit, verum est tamen, et omnino verum et irrefragabile, quia spiritus liber videt Deum, delectatur in Deum, ne semper sibi dicatur : O anima, ubi est Deus tuus? Audiet etiam Angelos cantantes et jubilantes. Videbit etiam et audiet, Esto super quinque civitates, id est, beatitudines, et sic unicuique secundum opera sua. Et si dicetur a nobis, Domine, quid facies, quando hæc omnia meruimus a te largiri? porro respondebit ille magnus paterfamilias, velut

ginensis episcopos nullum novimus Valentinum. Dum Augustinus ad presbyteratum raperetur, Ecclesiæ Carthaginensi præsidebat S. Aurelius, seditque usque ad mortem propemodum S. Augustini. Proxime ei successit Capreolus, Capreolo Quodvultdeus, Quodvultdeo Deogratias, Deogratias Eugenius : nullus omnino Valentinus.

[1] Forte, *aliud erigi.*

Alexander militi petenti munus, cui civitatem dedisse fertur : Si tu tamen non es dignus tanta recipere, ego tamen sum dignus et potens tanta donare. Angeli, fratres, mirabantur non modicum de operibus Dei in conjunctione animæ et carnis in homine, in conjunctione hominis et Verbi in Christo, in conjunctione hominis et Dei in cœlo. Nam dicturus est Dominus, *Pater, volo ut sint unum nobiscum, sicut ego et tu unum sumus* (*Joan.* XVII, 11). De prima admirantur, ubi unum uni jungitur ; de secunda plus, ubi unum duobus jungetur ; sed de tertia plurimum, ubi unum tribus in Trinitate jungetur. Hæc autem generaliter exposita, spiritualiter tamen ad commemorationem hujus sancti episcopi Valentini trahi possunt : qui dum esset catechumenus annorum decem et novem, ad Baptismum pervenit : et sic reduxit eum Dominus per vias rectas : postmodum deduxit eum episcopum per vias duras pœnitentiæ : postmodum eduxit eum per viam admirationis et gloriæ. Sic ergo post eum curramus, fratres, ut comprehendamus bravium æternæ vocationis in die illa, cum venerit Jesus Filius Dei, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVI (*a*).

ADMONITIO PER QUAM OSTENDITUR QUOD BONUM SIT LECTIONEM DIVINAM LEGERE.

Propitio Christo, fratres charissimi, ita lectionem divinam avido et sitienti corde semper excipiatis, ut nobis spirituale gaudium de vestra fidelissima obedientia faciatis. Sed si vultis ut vobis Scripturæ sanctæ dulcescant, et secundum quod oportet divina præcepta proficiant, subtrahite vos aliquibus horis occupationibus mundi; quibus etiam in domibus vestris divina eloquia relegentes, ad integrum vos Dei misericordiæ consecretis; ut in vobis illud feliciter impleatur, quod de beato viro scriptum est, quia *in lege Domini meditabitur die ac nocte* (*Psal.* II, 1) : et illud, *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum* : et illud, *In toto corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal.* CXVIII, 2, 11). Sicut enim, ut ipsi audistis, ille qui in corde suo abscondit eloquia Dei, non peccat ; ita et ille qui non abscondit, peccare non cessat. Si enim negotiatoribus non sufficit de una tantum merce lucra conquirere, sed plures merces comparant, ex quibus substantiam suam augeant, et agricolæ diversa genera seminum conantur inserere, unde sufficienter et sibi et suis valeant præparare : quanto magis in spiritualibus lucris non vobis debet sufficere, quod in ecclesia lectiones divinas auditis, sed in domibus et in conviviis vestris, et quando dies breves sunt, etiam aliquibus horis in noctibus lectioni divinæ debetis insistere, ut in horreo cordis vestri spirituale possitis triticum comparare, et in thesauris animarum vestrarum Scripturarum margaritas recondere ; ut cum in die judicii ante tribunal æterni Judicis venerimus, sicut dicit Apostolus, *vestiti, et non nudi inveniamur* (II *Cor.* V, 3)? Et illud, fratres charissimi, diligenter attendite, quia Scripturæ divinæ quasi litteræ sunt de patria nostra nobis transmissæ. (*b*) Patria enim nostra paradisus est, parentes nostri sunt Patriarchæ et Prophetæ et Apostoli et martyres : cives enim sunt Angeli, rex autem noster Christus est. Quando enim peccavit Adam, tunc in ipso velut in exsilium hujus mundi projecti sumus : sed quia rex noster plus quam cogitari vel dici potest pius et misericors est, Scripturas divinas velut invitatorias ad nos per Patriarchas et Prophetas dignatus est mittere, quibus nos ad æternam et principalem patriam invitaret. Et cum Scripturas ejus rebelli spiritu fragilitas humana contemneret, dignatus est per se ipsum descendere, et nos de tyrannide et de superbia diaboli liberare, et ad veram humilitatem exemplo nos suæ mansuetudinis provocare, de potestate etiam antiqui serpentis per passionis injuriam liberare ¹, ad inferna descendere, et antiquos sanctos, qui originali peccato obnoxii tenebantur, eripere, in altum ascendere, Spiritum sanctum, qui nos contra omnes insidias diaboli confortaret, de cœlis mittere, Apostolos etiam suos, qui regnum Dei per universum mundum evangelizarent, dirigere. Et licet nos non solum superbos, sed etiam impios, non solum originalibus, sed etiam actualibus peccatis obnoxios invenisset ; totum tamen, nemine supplicante, dimisit : et non, sicut merebamur, multis catenis vel compedibus oppressos ad exercenda laboriosa opera nos traxit, sed magis pro ineffabili pietate, ut cum illo regnemus, clementer ac misericorditer invitavit. Cum hæc ita sint, fratres charissimi, quid de se cogitant servi, qui ita præsumunt Domini sui præcepta contemnere, ut nec ipsas invitatorias litteras, quibus ad regni beatitudinem eos invitat, dignentur relegere ? Quomodo enim si aliquis nostrum ad procuratorem suum litteras dirigat, et ille non solum non impleat quod præcipitur, sed etiam ipsa missoria relegere dedignetur ; non indulgentiam, sed pœnam, non libertatem accipere, sed carcerem merebitur sustinere : ita ille qui divinas Scripturas de patria æterna transmissas dissimulat legere, timere debet ne forte præmia æterna non accipiat, sed etiam pœnam perpetuam non evadat. Nam in tantum periculosum est nobis divina præcepta non legere, ut propheta lugubriter clamet, *Ideo captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam : qui autem ignorat, ignorabitur* (*Isai.* V, 13). Sine dubio qui Deum per divinam lectionem in hoc sæculo dissimulat inquirere, et Deus illum in æterna beatitudine dedignabitur agnoscere : et timere debet ne clausis januis cum stultis virginibus foris exclusus mereatur audire, *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12) : *Non novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27). Quid est, *Nescio vos*, *Non novi vos*? Quomodo eos nescit, quos in gehenna mittit ? Ideo utique, quia, sicut jam dictum est, qui eum in hoc sæculo legendo nolunt intelligere, in die judicii illos Deus dedignabitur agnoscere. Et illud quod in Salomone scriptum est, non negligenter, sed cum grandi sollicitudine ac timore debemus audire. *Qui*, inquit, *obturat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII, 9). Debet prius ipse audire Deum, qui vult exaudiri a Deo. Nam qua fronte vult ut Deus eum exaudiat, qui eum in tantum despicit, ut ejus præcepta legere dissimulet ? Et illud quale est, fratres charissimi, quod nonnulli christiani, et, quod pejus est, aliquoties etiam clerici, quando iter acturi sunt, et panem et vinum et oleum et diversas expensas sibi ordinant præparari, et cum tanta unusquisque in terreno itinere præparat unde vivat caro sua, unum libellum legere non curat, unde hic et in æternum reficiatur anima sua ? Et cum duos homines in se habeat, interiorem ad imaginem Dei factum, et exteriorem de limo terræ formatum ; tantam sollicitudinem pro corpore, quod in sepulcro a vermibus devorandum est, habere videtur ; interiorem vero hominem, qui ad imaginem Dei factus est, tanquam vile mancipium sine pabulo verbi Dei fame et siti cruciare cognoscitur. In tantum enim Deum negligit, ut in se imaginem ipsius despiciat et contemnat. Hæc ergo, fratres charissimi, sapienter et utiliter cogitantes, quantum possumus, otiosis fabulis et detractionibus ac scurrilitatibus cunctis finem studeamus imponere, et totis viribus de impedimentis mundi istius fugiendo, aliquas horas quærere, in quibus pro salute animæ nostræ orationi vel lectioni possimus insistere ; ut in nobis impleatur illud quod scriptum est, *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII, 3). Quod ipse præstare dignetur, qui cum

(*a*) In MSS. duobus non admodum vetustis nobis occurrit Augustino adscriptus. Est autem Cæsarii [illegible]

(*b*) Cæsarius, in Appendice tom. 5, serm. [illegible], n. 2.

¹ [illegible] per passionis [illegible]

Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVII (a).

In hac vita positi, fratres, ita vivite, ut cum hinc migraveritis, et caro vestra a vermibus cœperit devorari in sepulcro, etc.

SERMO LVIII (b).

DE EO QUOD NIHIL SIT GLORIA MUNDI.

Apostolica lectio, fratres charissimi, hunc sonitum reddidit: *Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui utuntur mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi* (I *Cor.* VII, 29, 31), et sicut fur, dies Domini ita veniet. Itaque, o anima quæcumque audis et legis, consilium te juvet sanctissimi Danielis dicentis: *Consilium meum accipe, et peccata tua eleemosynis redime* (*Dan.* IV, 24). Quod consilium si neglexeris, ad cœlum sine causa pulsas. O anima quæ intra carnis parietes fragiles habitas, vigila, inquit, et pulsa, pete et roga: pulsanti tibi et petenti aperietur, dicit Dominus. Et si transieris per ignem, tecum sum, et flamma non comburet te: quæ orando si quæsieris, invenies; cum pulsaveris rogando, Christus tibi aperiet januas, ut possessor paradisi introeas. Si adhuc, frater, de fine mundi putas tibi restare aliquid, vel tuum tibi considera finem. Scriptum est: *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam ibo sub terram* (*Job* I, 21). Ergo, frater, nihil tecum attulisti quando ingressus es mundum; nihil tecum tolles cum dimiseris mundum. (c) Audite itaque omnes insipientes in populo, et negligentes aliquando cognoscite. Ite ad sepulcra mortuorum, et videte exempla viventium. Jacent ossa, perit homo [1], et tamen causa ejus reservatur in die judicii. Fuit et ipse nobis similis aliquando homo in vanitate vivens, in sæculo studens divitiis, multiplicavit agros, plantavit vineas, implens horrea sua in apothecis multis, et lætatus est in abundantia sua: et ecce subito ablata sunt omnia ab oculis ejus. Procedebat sibi per schemata multa, sericis vestibus indutus, pompas et luxurias sibi adhibens, epularum divitias excolens, saltationes et jocos in ebrietatibus exhibebat, prandia sua cum cœna miscebat, et lætitiæ suæ vix dabat finem: et ecce ablata sunt omnia ab oculis ejus. Ubi ergo abierunt illa omnia? Ubi pompa, ubi schemata, ubi exquisita convivia? Ubi modo sunt illi, qui eum in furibundis agminibus constipabant, qui domi [2] forisque laudabant? Ubi ornatus domorum et pretiosa luxuria vestimentorum? Ubi gemmarum ambitio, et argenti pondus immensum? Ubi postremo ipsa cupiditas, quæ cum omnia quotidie quæ vult agit, nescit quando totum habet amittere? Ubi sapientia illa et foris excogitata dissertio? Ubi applausus laudum, et adulatio amicorum assidua? Ubi servorum subditi greges et lampadarum radiantia lumina? Ubi antecedentium turba clientium? Transierunt omnia ista ab oculis ejus, et ultra non erit memoria ejus. Jacet in sepulcro redactus in pulverem; defluxerunt carnes ejus quas deliciæ nutriebant; abscesserunt nervi a compagibus suis: sola remanserunt ossa, quæ servantur in exempla viventium, ut cognoscantur reliquiæ mortuorum. Putatur enim requiescere corpus ejus: in inferno habitat anima ejus, et non videbit ulterius lumen. Circumdant enim eum tenebræ multæ: tremor et afflictio apprehendunt eum: vermes et ignis consumunt eum, et fletus non desinet ab oculis ejus. Stridor dentium frequentat eum, eo quod pessimi dolores perurgent eum, et non desinunt pœnæ ab anima ejus. Pœnitet eum modo male vixisse in sæculo, et negligentem fuisse, pietatem et misericordiam non amasse; et modo quærit eam, et non invenit. Multas divitias possedisse et reposuisse, et non eas erogasse egentibus, perdolet se tempus pœnitentiæ, et non correxisse dies suos, ut non incideret in tales pœnas. Exspectat ergo eum resurrectio magna, ut tradat eum pejori judicio. Ibi enim eum conturbabunt Angeli, improperantes quod eleemosynam non fecerit: et ideo misericordia ei denegatur, gehenna ardens eum exspectat, quia in pauperibus cum viveret non expendit. Ventrem ejus perpetui vermes consument, qui quemdam pauperem non refecit. O quantum valet apud Dominum misericordia, quæ in vita hujus sæculi exhibetur, quæ dum hic exhibendo delectatur, ad recolligendum in judicio invenitur, sicut in Evangelio dicit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V, 7)! Currite itaque, dum lucem hujus vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant: facite misericordias in hoc sæculo, quæ deleant peccata, ut succurrant vobis in die judicii: quia quod manducatis, perditis, et quod laboratis, relinquitis; quod vero pauperibus erogatis, hoc feliciter possidebitis. Antecedat vos misericordia vestra in die judicii, et ipsa interpellat pro vobis in conspectu Domini: ut misericordes misericordiam consequamini: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIX (a).

Audite, fratres charissimi, salutiferam patris nostri doctrinam, qui nos in eremum, etc.

SERMO LX (b).

DE PERSECUTIONE CHRISTIANORUM.

Frequenter diximus, fratres charissimi, quod semper Christiani persecutionem patiuntur. Mundus iste in maligno positus est. Adversarius noster diabolus regnat in mundo; et nos putamus quod non patiamur persecutionem? Quæ enim res non persequitur christianum? Omnia quæ in mundo sunt, persequuntur Christianum. Miramur, si nos persequuntur alii, si Christo servire voluerimus? Et parentes nostri nos persequuntur. Quicumque dissimilis est nostri, persequitur nos, et odio nos habet. Miramur, si alii nos persequuntur? Ipsum corpus nostrum nos persequitur. Si comedero paululum, et corpusculum robustum fuerit, sanitas corporis mei persequitur animam meam. Quocumque me vertero, persecutio mihi est. Si videro mulierem, oculus meus persequitur me; cupit enim interficere animam meam. Si videro divitias, si aurum, si argentum, si possessiones, quodcumque videro et desideravero, hoc persequitur animam meam. Non putetis tantum in effusione sanguinis esse martyrium: semper martyrium est Christianis et religiosis [1]. Adolescentulum libido persequitur: vult libido effundere sanguinem animæ. Quando periclitatur anima tua, et quasi in periculo constituitur, tunc stat Dominus Jesus a dextris Patris, et pugnat pro adolescentulo suo. Si ergo sunt martyria in pacis tempore, sunt et negationes. Nemo ergo dicat non esse martyrium. Et martyrium est, et negatio. Ego hodie qui videor esse monachus, si rupero [2] propositum meum, Christum negavi. Et si in pace Christum nego, in persecutione quid facerem? Non torqueor neque exuror, et denego: si torquerer et exurerer, quid facerem? Qui in persecutione negat, habet veniam plagæ: pro illo precantur sancti. Quid

[1] Alias, *caro*.

[2] Alias, *Ubi modo sunt illi, qui eum in foro longius ab omnibus conspiciebant? Ubi, qui domi* etc.

(a) De hoc jam actum est supra, col. 1215.

(b) Correctiorem damus prout exstat in Michaelino Ms. ann. circiter 500 in quo et Augustino ascribitur.

(c) Hic incipiebat sermo 75.

[1] Non habet Ms. *Christianis et religiosis*.

[2] Alias, *reliquero*.

(a) Exstat supra col. 1218.

(b) In Bibliotheca Patrum inter homilias Cæsarii editus est Augustini nomine, cui et tribuunt plures Mss. Alii vero Cæsario. Sed sive editorum sive Mss. mirum quanta sit varietas. Hunc ex Ms. Floriacensi correctum jam damus, cum tractatu superiori de Obedientia, col. 1221, haud parum consentientem.

enim dicit? Volui pugnare, caro mea in colluctatione defecit; non cessit animus, sed cessit corpus; aliud mens cogitabat, aliud corpus compellebat : et tamen non habet excusationem. Nulla enim est plaga quæ debeat ab amore Christi separare. Quid enim tibi dicit? Hoc est, in incendio ardebas, in equuleo pendebas, propter me torquebaris : et dicis, Non potui sustinere tormenta. Et quomodo sustinuit Petrus, quomodo Paulus, quomodo cæteri martyres sustinuerunt? Ea habuerunt corpora quæ et tu habes? O monache, qui jejunium fugis, putas ignem effugere? Hoc ergo dico, quoniam omni tempore sunt martyria, sunt et persecutiones [1]. Denique Apostolus quid loquitur de viduis, quæ secundos duxerunt maritos? Quid dicit? *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (I *Tim.* v, 12). Viduæ quid dicit? O vidua, antequam mihi promitteres quod esses vidua, in tua erat potestate ut nuberes : ex quo tempore confessa es ut mihi permaneres, ex eo tempore mea esse cœpisti; si volueris secundum maritum ducere, me contempsisti, adultera es, quia mihi jam juncta eras [2]. Sic et tu monache, antequam promitteres, in tua erat potestate facere quod volebas. Vox tua ligavit te mihi : quis te compulit? Numquid necessitatem feci? Nonne liber eras? In potestate tua fuit promittere. Promisisti, meus esse cœpisti : meum nolo dimittere; non tibi licet dimittere quod promiseras. Promittere tuum fuit, dimittere non est tuum. Si me dimiseris, non habeo te in eo gradu, in quo prius habui. Primum liber eras, eras quidem de familia mea : non eras ante oculos meos, non eras de ministris meis, sed tamen de familia mea eras; non eras mecum, sed tamen meus eras. Ex quo mihi militare cœpisti, si recesseris, non habeo te de familia, sed quasi fugitivum. Hoc totum quare dico? Quoniam in nostra erat potestate promittere servitutem Dei et obedire; non est in nostra potestate dimittere. Promisisti? Præmium tuum habes. Negasti? Pœnam habes : utrumque propter confusionem tuum est. Diximus, atque iterum dicimus : Promisisti? Præmium habes. Dimisisti? Pœnam habes. Utrumque tuum est, elige quod velis. Habes viam mortis et vitæ, ingredere quam volueris. Hoc totum dico vobis, fratres charissimi, ne quis de vobis putet se habere liberam potestatem, et dicat, Ergo illi qui uxores habent, qui sunt in civitatibus, qui militant, qui negotiantur, ergo totus mundus in periculo est, soli monachi salvantur. Non est nostra et illorum æqua conditio. Illi scientes imbecillitatem suam non promiserunt facere quod non potuerunt. Illi quidem christiani sunt. Sed est christianus quasi sæcularis, et quasi negotiator; et christianus quasi miles. Et Cornelius centurio miles fuit, sed salvatus est. Ego qui monachus sum, qui desivi esse sæcularis, et factus sum monachus; aut monachus salvus ero, aut aliter non salvabor : non est aliud medium. Si voluero dimittere vitam monachi et sequi sæcularem, non habebit me Dominus quasi sæcularem, sed quasi prævaricatorem. Non ergo licet nobis dimittere quod habemus in proposito. Dicat aliquis, Quid facio, si peccavi in isto proposito, qui factus sum nec sæcularis nec monachus? Aliquis peccat peccato majori? cupit emendare? Ergo hoc dico, Non nobis licet dimittere quod habuimus propositum, licet dignitatem propositi perdideris [3]. Si peccasti in vita monachi constitutus, esto pœnitens quasi monachus : non quasi sæcularis, sed quasi monachus. Aliquis dicat, Fugi dominum meum, ne me cædat : semper fugere debeo? Si te pœnitet quod fugisti, debes reverti ad dominum tuum. Nemo dicat, Pœnitet me quia fugi, et debeo semper fugere. Sive sancti simus, sive peccatores simus, nobis non licet mutare propositum. Si sanctus es, beatus es monachus : si peccator es, miser es monachus. Non licet mutare propositum, licet dignitatem propositi perdideris. Hæc quidem in commune loquor : et quod vobis loquor, mihi quoque loquor, ne quis se putet habere potestatem mutare propositum [1]. Rem vobis dico novam : quasi in comparatione dico, non quasi hoc præcipiam. Fac duos monachos corruisse; hoc est, uterque peccaverit. Alius de ipsis, verbi causa, sæcularem duxit uxorem, et dixit, Non possum sustinere, non possum monachus perseverare. Alius vero qui peccaverat, intellexit suum peccatum; nulli confitetur, plangit tamen quod fecit, die noctuque Domini misericordiam deprecatur. Non dico quia bene fecerit quod peccavit : ad comparationem tamen ejus qui publice sceleratus est, iste sanctus est. Hoc totum quare dico? Non ut spem peccatoribus dem, aut per ipsam spem dem occasionem peccandi; sed dico, etiam quicumque peccaverit, non ei licet mutare propositum. Dominus autem est potens me et vos ab omnibus insidiis diaboli liberare totos, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ms., *prævaricationes*.
[2] Omittit Ms., *adultera es, quia mihi jam juncta eras*.
[3] Non habet Ms., *Ergo hoc dico..... propositi perdideris*.

SERMO LXI.

DE OBEDIENTIA.

Si præmia æternæ vitæ volumus promereri, præcepta Dei totis viribus satagamus custodire. Præcepta namque Dei nolentibus gravia, volentibus sunt levia, sicut ipse ait : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* xi, 30). Audiamus Dominum et Salvatorem nostrum præcipientem nobis, et suo exemplo admonentem. *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Ibid.*, 29). Quid est jugum Dei super se tollere, nisi sanctæ obedientiæ præcepto seipsum propter Deum subjicere? Mitis autem est, qui omnes injurias et contumelias, quæ sibi illatæ fuerint, æquanimiter tolerat, qui eam apostolicam sententiam opere tenet, qua dicitur, *Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicentes* (I *Petr.* iii, 9) : et iterum, *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* (*Rom.* xii, 21). Humilis vero est, qui eligit abjectus esse in domo Dei, et omnes sibi præferre, qui se semper pulverem et cinerem esse penset, et in cunctis quæ agit servum se indignum, non solum verbo, sed opere, cogitatione, et omni conversatione sua semper se abjicit et contemnit. Talis procul dubio ad servandam disciplinam atque obedientiam est idoneus, nec potest perire a via justitiæ, neque declinare ad dexteram sive ad sinistram : quia in eo quod mitis est, nulla adversitate frangitur, in eo autem quod humilis est, nulla prosperitate vel gloria elevatur. Quantus autem sit obedientiæ fructus, ostenditur, cum subinfertur, *Et invenietis requiem animabus vestris.* Obedientiæ quidem disciplina modo in labore est, sed in futuro fructum habet pacatissimum. Et sciendum, quod quanto modo erimus obedientes patribus nostris, tanto erit Deus obediens orationibus nostris, et tanto erit nobis jugum ejus suave, et onus ejus leve. Scire quoque oportet, quia superbus et impatiens disciplinæ et obedientiæ regulis subjacere non potest. In eo enim quod elate vivit, cæteros despicit, et suis magis quam alterius definitionibus obedire appetit : in eo autem quod impatiens est, ipsa parva et levia dura et intolerabilia esse dijudicat, idque solum rectum esse æstimat, quod obstinato corde conceperit : sensuque proprio pro omnium utitur ratione. Isti tales fratres unanimes sæpe perturbant, litesque movent, nec volunt ad mensuram aliorum vivere, nec sunt contenti his quibus contenta debet esse religiosa paupertas. Et cum negligentius cæteris vivant, plus aliis volunt honorari Hujusmodi rebelles et inobedientes animæ frequenter in passionibus suæ carnis decidunt, et usque ad turpia opera dilabuntur, et ex his ple-

[1] Hic finis est Ms. Floriacensis, in editis longe diversus est.

rique a societate fratrum et a sancto proposito miserabiliter et damnabiliter discedunt. De talibus terribiliter clamat Petrus apostolus : *Si*, inquit, *fugientes coinquinationes mundi, his rursus implicati superantur, facta sunt eorum posteriora pejora prioribus. Melius enim erat eis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum reverti ab eo quod illis traditum est sancto mandato* (II *Petr.* II, 20 *et* 21) : hinc Dominus ait, *Væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7)! Quisquis ergo talem se esse recognoscit, dum tempus corrigendi habet, ad lacrymas et pœnitentiam cito redeat, superbiam cum humilitate vincat, impatientiam mansuetudine damnet, vitia in virtutes convertat, ne si in malo perseverat, ad æterna supplicia perveniat. Debemus ergo eam quam professi sumus obedientiam et virtute et opere custodire. Quod tunc agimus, cum eum qui nobis præest, pro amore Dei honoramus atque diligimus, et quidquid ab eo nobis præcipitur, tanquam ab ipso cœlesti Domino fuerit imperatum, libenter implere festinamus. Prælatus enim Christi vices agit in monasterio : unde ipse suis pastoribus ait, *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Sicut enim gaudere debent, et magnum a Domino præmium exspectare, qui libenter obediunt; quia quod ipsi majorum jussu faciunt, hoc ipsi auctori Deo impendunt : sic nimirum magnum a Deo judicium timere et exspectare debent, qui prælatorum suorum jussa despiciunt; quia cum prælatus contemnitur, non ipse, sed is in cujus loco positus est, contemptui habetur. Nec potest Deus a nobis sine magno fructu honorari, nec despici sine magno detrimento. Debet autem (*a*) obedientia esse sine mora, non cum murmure, neque cum tristitia animi, sed cum gaudio et hilaritate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Bonum autem quod cum tristitia fit, Deo non est acceptabile, quia ipse magis est inspector cordis quam corporis. Debet quoque obedientia esse usque ad mortem, quia usque ad mortem Patri suo propter nos obedivit Christus. Ad hoc sanctum præceptum ipse suo exemplo noster Redemptor nos admonet, dicens, *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.*

SERMO LXII.

DE TIMORE DOMINI ET AVARITIA VITANDA [1].

Timor Domini expellit peccatum. Per timorem Domini nascuntur multa bona. Salomon ait, *Principium sapientiæ, timor Domini* : et alibi dicit, *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* IX, 10; XXVIII, 14). Per timorem Domini evadunt animæ de pœnis inferni, et per amorem ejus invenitur gaudium sempiternum; quia timor Domini et amor proximi charitas est. Qui autem charitatem habet, Deum habet; et qui Deum habet, sæcularia fugit. Qui Christum diligit, infernum timet, et paradisum desiderat : ubi anhelat pervenire, in quo sperat permanere, in quo non est timor de morte, nec trepidatio de hoste. Qui Deum habet in se, diabolum repellit : ergo per dilectionem Dei et proximi vita acquiritur æterna. Amor Dei in Deo permanere facit : Apostolus ait, *Dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII, 10). Unusquisque quod sibi fieri non vult, alteri ne faciat : qui sic agit, peccatum non incurrit. Qui terrenis se implicat, elongat se ab amore Dei. Nunquam divitiæ sine peccato acquiruntur in hoc sæculo. Si unus non perdit, alter non acquirit : gaudet qui acquirit, tristatur qui amittit. Multi sunt qui de alienis lacrymis eleemosynas facere se sperant, unum exspoliant, alterum vestiunt : unum inanem faciunt; alium alienis reficiunt. Eleemosyna cum iniquitate acquisita abominatio est apud Deum. Qui de iniquitate misericordiam facere putat, nihil est apud Deum. Quid dicemus, fratres charissimi, de illis divitibus qui thesaurizant, et ignorant cui congregant ea (*Psal.* XXXVIII, 7); acquirunt terrena, et perdunt cœlestia, lucrantur pecunias, et perdunt animas; attendunt quod acquirunt, et non perpendunt quod amittunt. Multi sunt qui in luce ambulare se putant, et foris claros existere se existimant, cum peccatorum luto pleni, intus tenebrosi persistunt. O cæca cupiditas, quæ a Christo animas separas! ut ille dives qui quotidie epulabatur splendide, ante cujus januam Lazarus jacebat mendicus. Mortuus autem dives in inferno est lapsus, Lazarus vero est in sinum Abrahæ elevatus (*Luc.* XVI). Quare, miseri divites, non expavescitis, qui terrenas divitias concupiscitis, et cœlestes perditis? Qui tale exemplum non timet, cæcus ambulat. Jacobus apostolus dicit : *Eia nunc, divites, plorate et ululate in miseriis vestris, quæ venient ad vos. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis corrosa sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum vobis in testimonium erit* (*Jacobi* V, 1-3). Væ illis qui tales sunt. Avarus misericordiam non habet; cupidus similis est inferno. Infernus quantumcumque plus devorat, tanto magis cupit et desiderat : sic et avarus nunquam satiabitur. Crescit vana potentia, crescit et pœna. Potentes potentiora tormenta patientur (*Sap.* VI, 7). Quanto major honor datur, tanto majus periculum. Isti tales sunt elati, superbi, vanitate pleni, luxuriosi, gulosi, et hominibus magis placentes quam Deo. Hi sunt se ipsos amantes, gulæ servientes magis quam spiritualibus intendentes, corpus ornantes et animam fœdantes, carnalibus consentientes, spiritualia negligentes. Foris se ornant, cum sint intus tabefacti. Æstimantes se esse sapientes, cum sint stulti; quia sapientia hujus mundi apud Deum stultitia est (I *Cor.* III, 19). Colligentes amicitias sæculares, perdunt æternales : dicit namque apostolus, *Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus constituitur Dei* (*Jacobi* IV, 4). Superbus negligit servire Deo, et servit diabolo; et Deo inutilis [1] est, diabolo similis. Væ qui verba divina despiciunt, et falsas suggestiones amant! Dum veritatem spernunt, diabolicas vanitates concupiscunt; dum terrena sequuntur, perdunt cœlestia. Væ illis quos tales infernus rapuerit. Qui dum tempus habent, et in sua sunt potestate, non corrigunt se, nec emendant; cum mors venerit, potentia illorum remanebit, et sola anima misera nonne in infernum ibit? O fratres charissimi, quid dicemus de illis qui voverunt, et non impleverunt? Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere : melius est non promittere, quam fidem promissam non adimplere. Multum tibi pejus fuerit, si non reddideris Deo quod promisisti, quam si votum nunquam emisisses : dicit namque propheta, *Vovete et reddite Deo vestro* (*Psal.* LXXV, 12) : et in Sapientia dicitur, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11) : et alibi Psalmista, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7) : et alibi, *Ex verbis tuis aut justificaberis, aut condemnaberis* (*Matth.* XII, 37). Multi enim, quod pejus est, Dei promissa dimittunt diabolica fraude decepti, opera mala sequuntur. Considerate ergo, fratres charissimi, vosmetipsos, et cogitate ubi sint reges, ubi potentes, ubi amici, ubi parentes. Ecce quomodo de tanta potentia vel lætitia tanta provenit miseria et angustia, de tantis divitiis tot inopiæ, de tanta satietate tanta fames, de tam brevi delectatione tam longa tristitia, de tam brevi vita tam longa mors, de tam exigua sanitate tam longa infirmitas, de tam brevi luce tam longæ tenebræ, de tam parva suavitate odoris vel luxuriæ, tantos recipientes dolores et fetores, et de vestimentorum nostrorum abundantia ex qua largiri debuimus pauperibus, tantam recipiemus nuditatem. Rogo vos, fratres charissimi, dum vobis Dominus dat intellectum spiritualem, ut non ametis omne moriturum. Date parum, et accipietis multum. Qui autem reliquerint

[1] In Ms. Germanensi inscribitur : *De timore Domini liber S. Augustini.*

(*a*) Vid. Regulam Bened. cap. 5.

[1] Forte, *dissimilis.*

omnia propter Christum, centuplum accipient, et vitam æternam possidebunt. Et quia licet pauci sunt, heu! hanc salutis viam arripere volentes, eo quod multi sunt vocati, pauci vero electi: melius est tamen cum paucis ingredi ad vitam æternam, quam cum multis ad gehennam. Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas: auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIII (a).

O fratres charissimi, quam metuenda est illa dies, in qua Dominus noster Jesus Christus cum flamma ignis advenire proposuit, etc.

SERMO LXIV [1].

DE EXHORTATIONE AD SACERDOTES, UT DOCEANT QUID POPULUM CHRISTIANUM SCIRE ET OBSERVARE OPORTEAT.

Audite, filioli mei, et intelligite quomodo Scriptura sancta admonet nos et invitat ad regna cœlorum, et ostendit viam quomodo mala istius mundi evadere possimus, et ad vitam pervenire æternam Christo adjuvante. Clamat enim Dominus per prophetam ad sacerdotes qui populo præsunt, ut doceant eum et admoneant, et viam veritatis annuntient: dicit enim, *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Isai.* LVIII, 1): et iterum, *Quod si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 18). In his igitur grandis necessitas est omnibus sacerdotibus, ut viam salutis populo demonstrent, per quam vitam æternam acquirere possint. Imprimis ipsis explicando quod omnis christianus scire et in corde suo firmiter tenere debet, quod primum est mandatum Domino dicente, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et ex tota mente tua: deinde proximum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII, 37). Si ista, id est amorem Dei et timorem, ac proximi dilectionem in corde tuo posueris, et hæc præcepta cum summa reverentia suscipere volueris, tunc ad aliam voluntatem bonam, Deo largiente, facilius poteris pervenire. Promisit enim his qui diligunt eum, resurrectionem post mortem, paradisi delicias, Angelorum consortium, et vitam sempiternam. Unde post hæc nec adversa te molestant, nec infirmitas gravat, nec senectus occupat, nec mors occurrit; sed pax et securitas perpetua, sanitas animarum et corporum gratissima, juventus venustissima, et regni cœlestis vita æterna. Et hæc promissa sunt bona facientibus et de malis se continentibus. Cogitet ergo unusquisque, qualiter ad illam bonitatem pervenire possit. Sit benevolus, pius, benignus, misericors, sobrius, castus, ad omne opus bonum promptus, ad mala tardus. Otia virtutum [2] fugiat, et omni virtutum exercitio Deo placere studeat. Non sit detractor, non fornicator, non rapax vel avarus, non ebrius, non gulosus, vel in curiositate quæ ad rem non pertinet constitutus; sed et illa et in ipsis positos quasi serpentem fugiat, ne vitiis et malis hujusmodi animam suam inquinet. Diligat justitiam, pacem inquirat, amet parentes, dilectionem habeat ad proximum. Cum gaudio peregrinos suscipiat, infirmos visitet, et in quantum valet, Deo adjuvante, ac sibi copiam bonorum temporalium ministrante ut habeat unde cum summa lætitia pauperibus tribuat; et cum summo gaudio necessitati eorum subveniat; credat sibi retributorem esse Deum, qui videt et considerat universa: pro quo et dixit, *Quidquid fecistis uni de minoribus istis, mihi fecistis* (*Id.* XXV, 40). Et, filioli mei, semper cum gaudio et læto animo pauperibus manum porrigite, in quantum prævaletis. Et si aliquis est laborator qui terram colat, de fructibus suis et ex eis omnibus quæ Dominus ei donat, in decima Ecclesiam non defraudet, et de particula sua pauperibus dare non negligat. Si negotiator est, et in hoc laborat, et ipse Deo non servit de suo labore, vel decimam reddere noluerit, et de sua particula pauperibus ministrare non curaverit, ad nihilum ipse una cum pecunia sua redigetur. Et quacumque arte Dominus alicui personæ ingenium lucrandi donaverit, unde se et suos nutrire ac vestire potuerit, et cum hoc superlucrari aliqua post decimam, ex ipsa sua particula quæ sibi remanet, pro redemptione animæ suæ ac suorum pauperibus hilariter donet. In his autem omnibus caste, sobrie et pie vivendum est, ut opus bonum quod facitis, Deo acceptabile fiat. Sæculares ad ecclesiam libenter convenite, confessiones vestras humili et puro corde sacerdotibus facite, et illos rogate quod pro peccatis vestris Deum, ut vobis indulgeat, orare dignentur. Orationes per dies dominicos pro vobis et vestris secundum status vestri possibilitatem debetis Deo offerre. Dignum namque et acceptabile sacrificium Deo est, ut Christiani quod negligenter egerint, per sacras oblationes et eleemosynarum largitionem placare festinent, et per veram, ut præmittitur, confessionem, cordis contritionem, ac commendatam satisfactionem, per orationem puram, per jejunium et abstinentiam peccata sua abluere velint. Et vos similiter agentes in omnibus, vosmetipsos considerate, propter quid in hac valle miseriæ, id est, in hoc mundo nati estis. Et cur, nisi ut nuduli primorum parentum peccato exigente, de paradiso in præsens exsilium relegati, bene faciendo ad patriam revertamur. Si igitur per ignorantiam vel per stultitiam contra Deum quidquam peccando egistis, per opera vestra bona id emendare non tardetis; hoc vobis ad memoriam sollicite reducendo, ut si quis legitimatus sit, in domo sua tranquille et pacifice, ut bonum decet christianum, vivat, parentibus honorem impendat, uxorem diligat, filios catholicam fidem et Dei legem cum summa disciplina instruat, ut Deum diligere, timere et honorare sciant: hoc enim beneplacitum est apud Deum. Super omnia turpiloquia abstinentes, charissimi, proximis vestris detrahere nolite; sed si alicui aliquid in aliquo displicet, illam evangelicam sectantes doctrinam, arguite et monete in charitate, et si illum lucrati fueritis, vosmetipsos salvabitis (*Matth.* XVIII, 15). In omnibus ebrietatem cavete. Hæc enim subversio magna est animæ. Sicut enim ignis facile incendit stipulas, et leviter siccas exurit paleas; sic ebrietas corpus corrumpit, et animam simul et corpus in grave peccatorum incendium dejicit, et præcipue in juventute. Vinum enim et juventus, duplex incendium. Propterea qui ab ebrietate non cavet, peccatum non evadet. Ad ecclesiam quando venitis, cum summa reverentia et timore maximo intrare debetis: considerantes quia ad Dominum et dominatorem universæ creaturæ vaditis, eidem ibidem pro negligentiis vestris veniam deprecaturi. Dum etiam in ecclesia stamus, orationes Domino pro peccatis nostris fundentes, prius tamen operibus fidei, in quantum possibile est, justificati oculos mentis ad Deum levemus, semper intendentes qualiter de supernis a Deo consolationibus [1] præbeatur. Oculi enim Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Ista si frequenter feceris, et præ oculis Deum habueris, inimicus fugiet a te. Angelus enim Domini bonus adjutor tibi erit, si mentem tuam firmam in his existere perspexerit. Considera quia pius et misericors est Deus, et puro corde se deprecantes misericorditer recipit, promissiones suas non elongat, et allevat ac sanat eos qui contriti sunt corde. Hoc etiam, charissimi, latere nos non debet, verbis Christi per Scripturam sacram nobis nuntiantibus, quod istius mundi finis appropinquat, et per quotidiana signa, quæ per Evangelium prædicta sunt et quotidie fiunt, spero in proximo ejus esse adventum, ut per ignem omnem judicet mundum. Ecce enim

[1] Præter usitatas Ms. Germ. varietates, hanc insuper observare est, quod postrema subsequentis in eodem Ms. sermonis pars, huic in unum conjungitur.

[2] Forte, *[illegible]*. M.

(a) Est in Appendice tomi 5 sermo 251.

[1] Ms., *consolatum*.

Dominus veniet, et omnes Angeli ejus cum eo, et Virtutes cœlorum movebuntur. Tunc sedebit Redemptor noster rex omnium in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis. Qui boni sunt, statuet eos ad dexteram suam, malos vero ad sinistram. Et his, qui a dextris ejus erunt, dicet : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Nudus eram, et operuistis me. Infirmus eram et in carcere, et visitastis me*, etc. *Tunc respondebunt justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et sitientem, et nudum, et infirmum, et in carcere; et ministravimus tibi?* Tunc respondebit illis, dicens : *Quamdiu uni de minimis meis fecistis, mihi fecistis.* His vero qui a sinistris ejus erunt, dicet : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, et sic de singulis. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 31-42, 46). Considerate igitur, filioli, magnam Dei pietatem, quali nos in peccatis nostris suffert patientia. Pensemus judicium illud futurum, ut peccata nostra nobis non improperet. Propterea, charissimi, hoc nobis in omnibus considerandum est. Dum unusquisque potest, dum tempus habet, dum pretium in manibus tenet, in quantum prævalet redimat se unusquisque, ne debitor peccati ac in servitute diaboli persistat [1]. Et exinde vos, sæculares, post pœnitentiam et reconciliationem actam, secundum sacerdotis consilium communicate temporibus præcipue ad hæc ab Ecclesia ordinatis. Prius tamen ante plures dies a propriis etiam uxoribus abstinete, ut mundo corde et casto corpore sanctum sacrificium accipere possitis. Sacerdotibus vestris honorem impendite, et eis propter Deum obedite : ipse namque Dominus ad ipsos dicit : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x, 16). Filii honorent parentes, similiter et omnes Christiani invicem vos honorate : scriptum namque est, *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* xii, 10). Esurientes pascite, sitientibus potum porrigite, hospites et peregrinos præcipue pauperes suscipite, humanitatem quam potestis illis impendite, pedes illorum lavate, vestite nudos, in tribulatione positis subvenite, consolamini dolentes, infirmos visitate, mortuos sepelite, in carcere positos requirite, et de bonis vestris, quantum facultas vobis a Domino concessa suppetit, subvenite ac eis ministrate : viduas et orphanos in tribulatione positos adjuvate, pauperes et oppressos a pravis hominibus vel de iniquo judicio, in quantum vobis possibile est, adjuvate, seu adjutorium præstate : judicium rectum ac justitiam servate, misericordiam in omnibus facite, pacem in vobismetipsis habete, et eos qui discordes sunt, ad viam concordiæ revocate. Symbolum et orationem dominicam tenete, filios et filias vestras docete ut et ipsi teneant. Filios quos in Baptismo recepistis, in fide erudite, et scitote vos pro eis apud Deum fidejussores existere. Et ideo semper docete, indesinenter castigate et corripite illos. Omnes vero subjectos vestros, ut tenemini, admonete, ut sobrie, caste, pie et juste vivant in hoc sæculo. Veritatem corde et ore dicite, castitatem et continentiam servate, sobrietatem et parcitatem cibi et potus habete, jejunium servate, seniores honorate, juniores in Christi amore diligite, patientes estote ad omnes, bene facite his qui oderunt vos. Charitas et gaudium, patientia, benignitas, bonitas, spes, fides, modestia, mansuetudo, continentia, castitas et dilectio sint in corde vestro jugiter. Et hæc in cogitationibus sanctis et eloquiis ac operibus piis conservate. Humilitatem ante omnia custodite et tenete. (*a*) Spem vestram totam in Domino ponite. Bonum enim si quod in vobis inveneritis, non vobis ad laudem ascribatis, sed Deo ad suam gloriam, qui hoc vobis dedit, ascribite. Malum vero quod in vobis videritis, non Dei esse, sed vestra culpa et negligentia vestra hoc factum fore scitote. Diem judicii timete, gehennam expavescite, vitam æternam desiderate, et omni tempore et opera manuum et verba die noctuque in bonum custodite. Transitum vestrum de hoc mundo qui semper appropinquat omni die sperate. Præcepta Dei adimplete, et de ejus misericordia nunquam desperate. Quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat. Et quod vultis ut faciant vobis homines bona, et vos facite illis similiter. Charitatem autem, quæ est dilectio Dei et proximi, in omnibus et ante omnia servate. Nemo se circumveniat, fratres : quia omnis homo qui post Baptismum mortalia crimina commiserit, seu homicidium, adulterium, fornicationem, furtum, falsum testimonium, perjurium; et his similia peccata mortalia perpetratus fuerit, si pœnitentiam veram non egerit, eleemosynam justam non fecerit, et in bonis operibus non permanserit, nunquam in regnum cœlorum intrabit, nec possidebit gloriam æternam, sed cum luctu in infernum descendet. Nam *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* v, 21) : proinde scriptum est, *Nequaquam Deus delinquentibus parcet* (*Job* ix, 28), quoniam peccator aut flagellum temporale habebit, aut purgationem in hoc sæculo faciet, aut puniendus relinquitur æterno judicio, aut quod male admiserit puniendum, punit in hoc sæculo : ac proinde est quod delinquentibus non parcet Deus. et alibi scriptum est, Nulla peccata Deus permittet inulta, hoc est, sine vindicta : quia certe aut nos hic vindicabimus peccata nostra per pœnitentiam, aut illa vindicabit Deus per severitatem judicii et justitiam. Et illud scitote certissime, et firmiter credite, quod omnis homo quamvis seu quantumcumque criminosus fuerit, seu peccator exstiterit, si veram pœnitentiam egerit, ac justas eleemosynas fecerit, et in bona devotione cum operibus justis permanserit, mortem æternam non gustabit, nec unquam in infernum descendet, sed ab Angelis sanctis post vitam præsentem in cœlum levabitur, et gloriam possidebit æternam : unde Deus dixit, Non judicabitur homo bis in idipsum : et Apostolus ait, *Si hic judicaremus nos, nequaquam a Domino judicaremur* (I *Cor.* xi, 31, 9) : hoc est, quod illi qui in hac vita præsenti per veram pœnitentiam judicant, in judicio extremo de his non judicabuntur; quia sic eorum judicium in hac vita terminatur. Unde et alibi scriptum est, quod si nos perfecte pœnitentiam egerimus, non solum Deus culpas nostras remittit, sed post culpas etiam præmia promittit. Ideoque, fratres charissimi, vitam nostram in vita præsenti emendare festinemus, et quidquid mali contra præcepta Dei fecimus, defleamus, et ulterius peccare cessemus, ac in voluntate bona, cogitatione recta, et verbis ac operibus sanctis nos conservemus, auxiliante ac gubernante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXV.

DE EXHORTATIONE AD GENERALEM HOMINUM INSTRUCTIONEM PRO DESIDERIO VITÆ CŒLESTIS, ET CONTEMPTU PRÆSENTIS [1].

Fratres charissimi, unusquisque peccata sua emendare debet, in quantum prævalet Deo auxiliante. Omnis enim homo christianus desiderare debet patriam cœlestem, et Deum Patrem omnipotentem qui in cœlis habitat, ut dicere mereatur, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* vi, 9) : ibi videlicet ubi est Pater de cœlis, ubi est patria nostra cœlestis, illuc desiderare debemus ut perveniamus ; ibi pervenire speremus, ut et illic permaneamus. Ista namque vita non cœlestis sed terrena, non patria sed exsilium, nec per-

[1] Quæ sequuntur expressa sunt ex homilia quæ in Ms. Germanensi inscribitur : *Ad prædicandum*; cujus initium : *Considerare debemus.*

(*a*) Sententia ex Regula Bened. cap. 4 excerpta.

[1] In Ms. Germ. præsens sermo hanc præfert epigraphen : *Homilia ad instituendos homines.*

petua sed transitoria, quia quotidie ad finem prona. Illa vero patria cœlestis, in qua Deus cum sanctis Angelis et electis suis habitat, finem non habet. Vere igitur stultus est, qui ad talem Patrem talemque patriam ac talem cœlestium civium societatem pervenire non desiderat. Quis est ille, qui in captivitatem ductus ultra ad patriam redire nollet? Quis in carcere tenebroso positus, amplius exire nollet et lucem videre? Quis usque ad mortem famem sustinens, si ei manducandi possibilitas adfuerit, non manducaret? Quis sitim patiens, si facultas bibendi exstiterit, non potaret? Nobis, charissimi, mundus iste vere non patria, sed captivitas Babylonica est: quia multipliciter diversorum inimicorum nostrorum laqueis irretiti, mundi videlicet, carnis, et generis humani inimici, vita etiam præsens non libertas, sed carcer peccatorum nobis est. De hac igitur captivitate, de hoc tenebrarum carcere eripi laboremus, et non ut servi hunc cibum et potum vanitatis præsentis anxium et laboriosum appetamus, sed ut filii liberi cœlestem desideremus cibum et potum, hunc videlicet qui plena satietas est civium supernorum. Pro hoc cibo, pro hac cœlesti vita Creatorem et Gubernatorem nostrum rogare debemus et orare, ut in hac valle miseriæ, seu exsilio præsenti nos custodire et gubernare dignetur, ut opitulante illo, ad portum salutis pervenire valeamus. Mundus enim iste similitudinem maris habet. Mare fetet, similiter et mundus. Ex hoc fetore, auxiliante Deo, extrahere nos debemus. Oportet namque cum humilitate maxima orare Deum creatorem nostrum, sanctosque suos precari, ut ex valle lacrymarum nos eruens, ipsorum civium supernorum consortes nos efficiat. (*a*) Illuc enim summo studio properare debemus, ubi sine interruptione manere speramus, ubi nullus timor de morte, nulla dubitatio de hoste. Ibi vita sine fine, juventus sine senectute, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia, voluntas sine molestia, requies sine labore, satietas sine fastidio, claritas sine nube. Hæc autem vita horrenda est et laboriosa, fragilis et fastidiosa, caduca ac misera, deceptrix atque dolosa, et ærumnis ac scandalis plena. In luctu nascimur, in labore vivimus, et in dolore morimur. Et quod pejus est, et super omnia magis dolendum, quidam peccatis suis exigentibus non confessi, nec contriti, de hac vita migrantes, non solum temporali morte plectuntur: sed et in infernum deducti morte moriuntur perpetua. Vitam etenim suam, sine omni pietate duxerunt, et ob hoc multa tormenta passuri, nunquam vitam consequentur æternam. Dum enim tempus habuerunt, vitam suam emendare noluerunt, plus gulam amantes quam abstinentiam sectantes, plus luxuriam quam castitatem, magis terrestria quam cœlestia, plus creaturam quam Creatorem diligentes. Abstinentia ducit ad castitatem, castitas perducit ad gloriam, et fornicatio demergit ad pœnam. Castitas ad cœlum sublevat, et luxuria ad infernum profundat. Castitas sanctis Angelis unit, fornicatio autem dæmonibus jungit. Sobrietas cogitationes sanctas instituit, ebrietas vero etiamsi audit verba sancta, in corde non suscipit. Oportet ergo unumquemque verum animæ amatorem non solum corpus nutriendo diligere, sed et animam nutriendo nutrire. Videmus naturaliter quod si corpus esurit, cibum quærit; si sitit, potum appetit; si nudum est, vestimentum desiderat; requiem petit cum laborat; somnum quærit, dum dormire infestat: et sic de cæteris corporis necessitatibus. Anima autem omnibus his indiget. Præceptum Domini panis ejus est, oratio sancta potus ejus, vestis ejus veritas et justitia, requies ejus humilitas et obedientia. In hoc etiam convivio æternæ societatis multi sunt vocati, pauci vero electi. Alii accipiunt fructum trigesimum, alii sexagesimum, alii vero centesimum (*Matth.* xxii, 14; xiii, 8). O quam beata est illa anima, cui Dominus Deus dignatus est concedere mansionem in æterna requie! Et qui hanc mansionem, regnum videlicet cœleste, ingredi voluerit, non debet esse superbus neque avarus, non invidus nec iracundus, non gulosus nec ebriosus, non cupidus nec luxuriosus, non perjurus, non homicida, non falsator neque adulter, et sic de singulis. Quamvis autem infinita mala perpetraverit, de Dei tamen misericordia desperare non debet, sed spem habere debet de Dei misericordia, et fiduciam recuperandi salutem, per vitæ suæ emendationem et bonorum operum exercitationem. Verba Dei debet libenter audire, et ad ecclesiam diligenter convenire, sacerdotibus sæpissime confiteri, omnibus hominibus charitatem firmam tenere. Qui enim charitatem non habuerit, in vitam æternam introire non valebit. Parvo tempore homo vivit in hoc sæculo. Dum igitur tempus habemus, operemur bonum ad omnes, et vias Domini præparemus bonas. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Salus hominum Christus est. Si parentes nostros et amicos diligere debemus; quanto magis istum diligere tenemur, qui et nos et nostros fecit et creavit parentes? Hunc amemus qui universæ dominatur creaturæ, scilicet Deum. Diligamus proximum, sicut et nos: quia de terra sicut et nos proximi nostri sunt formati, ut per hoc vitam mereamur æternam, ipso adjuvante qui vivit et regnat, etc.

(*a*) Vid. infra, serm. 67.

SERMO LXVI [1].

DE AGENDA PŒNITENTIA.

Pius et misericors Deus, fratres charissimi, ad compunctionem et pœnitentiam nos hortatur, dicens: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu* (*Joel* ii, 12); *quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* xviii, 23): et iterum, *Noli tardare*, inquit propheta, *converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (*Eccli.* v, 8): et iterum, *Cum conversus ingemueris, salvus eris* (*Ezech.* xviii, 27). Convertimini igitur, charissimi, ad Dominum Deum nostrum, tanquam boni servi ad fidelem Dominum. Humiliemus nos in conspectu Dei, et ploremus ante Deum qui fecit nos. Non dedignemur in hoc sæculo agere pœnitentiam, et peccatorum nostrorum precari veniam, ut infernalem evadere possimus pœnam, ac ad æternam pervenire lætitiam. Emendemus ergo nos in jejuniis et vigiliis et cæteris operibus piis, scientes quod cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19): sic enim ait Apostolus, *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (I *Cor.* ix, 27). Si pro carne nostra laboramus, laboremus etiam pro anima nostra, quæ dignior est. Si curam habemus pro societate miseræ carnis nostræ, quam post paucos annos vermes devorabunt in sepulcro: quanto magis despicere non debemus animam, quæ Deo et Angelis ejus præsentatur in cœlo? Cogitate, fratres charissimi, quia abundantia pabuli luxuriam administrat; cum caro in tam copiosis deliciis satiatur, et mens tantis mulcetur divitiis, in pinguedine carnium providetur esca vermium. Iterum rogo vos, fratres, quoties juxta sepulturam divitis transitis, ut diligenter inspiciatis ubi sint eorum [2] divitiæ vel ornamenta, ubi gloria, ubi vanitas, ubi luxuriæ, ubi voluptas, vel ubi eorum sunt spectacula. Considerate diligenter et videte et agnoscite, quia nihil aliud in eis est, nisi cinis et fetor et vermis. O homo, vide sepulcra mortuorum, et dic tibi tu ipse, et loquens tecum dicere potes, Ecce nunc ex illo misero qui hic depositus fuit, nihil aliud nisi ossa et pulvis evenit. Et vere, homo si ipsa ossa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt et dicere: O miser, quantum pro cupiditate hujus sæculi discurris, aut quid superbiæ vel luxuriæ infelicia colla submittis? utquid te applicasti ad serviendum crudelissimis dominis, vitiis videlicet et criminibus? Attende ad me, et intellige; considera me, et vel sic tibi horreat luxuria tua vel

[1] In Ms. Germanensi: *Homilia* S. *Augustini*, hic sermo nuncupatur. Auctor imitatus est Cæsarium Arelatensem.

[2] Hic et paulo post melius legeretur, *ejus*. M.

avaritia tua. Hoc quod tu es, ego fui : et quod ego sum modo, tu eris postea. Si in me permansit vanitas, te non consumat iniquitas ; si me luxuria polluit, te exornet castitas ; vide pulverem meum, et relinque desiderium tuum malum, etc. Ideo quantum possumus, auxiliante Deo, laboremus, ut aliorum vulnera nobis conferant medicamenta, et aliorum mors ad vitam nobis proficiat : et hoc optime fieri potest, si plus erimus solliciti pro anima quam pro corpore : ut cum caro nostra fuerit in sepulcro posita, anima nostra bonis operibus in cœlos elevetur ornata. O anima, si nos deceperit pulchritudo alienæ mulieris, aut concupiscentia carnis, quæ est ruina animæ, scito quod corpus simul cum anima pœnas habebunt. Nam cum caro nostra putruerit in sepulcro, anima nostra torquenda mergetur in inferni barathro. Ecce quales prædicationes ossa et cineres mortuorum quotidie proclamant ad Dominum. Vere dico, fratres charissimi ; quicumque luxuriosus vel negligens ea quæ dico cum magno timore suscipere voluerit, et cito ad medicamenta pœnitentiæ confugerit, et in pœnitentia ex hac vita migraverit, paradisi gaudia possidebit. Quam si non egerit, et mors repentina eum prævenerit, sine ullo remedio æternæ pœnæ cruciatus habebit. Nos igitur, dilectissimi fratres, quantum possumus cum Dei adjutorio, contra carnales concupiscentias viriliter pugnemus : ut devictis hujus sæculi voluptatibus æternum præmium consequi mereamur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVII.

DE FUGA VANITATIS ET VIRTUTUM ADEPTIONE [1].

Dilectissimi fratres, oportet humilitatem nos habere, præcepta Dei custodire, charitatem tenere, veritatem sequi, et fugere vanitatem. Veritas enim mundat [2], vanitas coinquinat. Veritas Christus est, sicut ipse dicit, *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Via recta, lux vera, et vita perpetua. Veraces filii Dei sunt, mendaces vero filii diaboli. Unusquisque enim cujus opera agit, ejus filius appellatur. Qui sequuntur Deum, semper in luce sunt : qui autem imitantur diabolum, in tenebris ambulant, et lucem nunquam habebunt. O dilectissimi filii, quam malum, et quam perversum est, dimittere lucem, et sequi tenebras ; fugere vitam, et appropinquare morti ; dimittere veritatem, et sequi mendacium ; delectari in vana gloria, et spernere sempiterna ; jucundari in præsenti dolore et pœna, et amittere lætitiam et quietem sempiternam ! Scriptura enim dicit, Non quæras gloriam, et non confunderis, cum gloriosus fueris [3]. Beati illi qui oculos habent spirituales, et contemplantur cœlestia, et respuunt terrena. Ex hac enim fragili, misera et brevi vita festinant ad illam beatam requiem sanctorum, quæ nunquam finietur : (*a*) illuc festinant, ubi semper permanere sperant, ubi non est timor de morte, nec pavor de hoste. Ibi est vita sine morte, juventus sine senectutis exspectatione, lux sine tenebris, gaudium absque tristitia, voluntas absque injuria, regnum sine commutatione, requies sine labore, satietas sine fastidio, et claritas sine nube. Ibi est vita angelica semper læta. Lætitia hujus sæculi licet sæpe gaudium esse videatur, sæpissime tamen in tristitiam vertitur. Regnum Dei non habet finem. Vita hujus sæculi horrenda est : illa vero amanda atque desideranda. Hæc enim præsens vita misera et caduca est, imo incerta, deceptrix et insatiabilis. In pœna et luctu nascimur, in miseria et angustia nutrimur : in labore vivimus, in dolore morimur : et in fine, quod magis dolendum est, si impœnitentes discedimus, perpetua tormenta patiemur. Nam veniam postmodum non consequentur, qui dum tempus hic

[1] Ms. Germanensis inscriptio : *Homilia ad prædicandum.*
[2] Ms. Germanensis : *Beatus Augustinus dixit, Veritas mundat.*
[3] Idem codex : *Hieronymus dicit, Non quæras gloriam, et non contristeris cum inglorius fueris.*
(*a*) Sic supra, serm. 65.

habuerint, pœnitentiam condignam non egerint. Nam qui præcepta Christi non habent, vel etiam habentes non servant, et promissa cœlestia despiciunt, qui plus amant gulam quam abstinentiam, magis luxuriam quam castitatem sectantur, absque dubio regnum Dei non possidebunt. Fornicatio urget animam ad pœnam, castitas levat mortalem ad gloriam. Castitas erigit iter ad cœlum, luxuria facit ruere in infernum. Castitas jungit hominem moribundum sanctis et Angelis perpetualibus, fornicatio sociat satanæ et dæmonibus. Porcus crassus se volvit in volutabro : et si porco margaritas ante ipsum posueris, non advertens conculcabit in luto. Sic et homo ebriosus, vino repletus ac crapulosus, ferculis satiatus, diversis in luxuriis se proruit, et in stercore vitiorum se volutans, verba sanctæ Scripturæ nec ore profert, nec corde suscipit. Dulce illi est fornicari, et continentiam servare amarum. Ille miser ambulat elatus et superbus, et cupit esse melior quam cæteri in hoc sæculo, cum tamen apud Deum deterior sit. Altiorem se cæteris existimat, etiamsi omnium inferior existat. Et sic dum melius et firmius se stare putat, in præcipitium cadit, et in æternum barathrum vadit. Ex quo omnipotens Deus vos eripiat, qui sine fine vivit et regnat. Amen.

SERMO LXVIII.

QUOMODO PER VIRTUTES OBVIANDUM SIT VITIIS ; ET DE MISERIA INFERNALI.

Fratres, satis timere nos oportet propter tres causas ; hoc est, gulam, cupiditatem, et superbiam : quia diabolus istis tribus circumvenit patrem nostrum Adam, dicens, *In quacumque die comederitis ex hoc fructu, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5). Nos autem teneamus mente, et timeamus istas tres causas pessimas, ne ut Adam nuduli expellamur de paradiso. Contra gulam et ingluviem ventris, abstinentiam, contra cupiditatem et avaritiam, paupertatem spiritus et eleemosynarum largitionem, contra superbiam et elationem, veram humilitatem et omnimodam subjectionem exercentes : hæc scientes quia Angelos Dei custodes habemus, sicut ipse Salvator ait : *Amen dico vobis ; Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Quapropter certe credere possumus, quia omnia opera nostra quæ operamur die ac nocte, sive bona sive mala, ab ipsis in conspectu Dei nuntiata erunt. Nam Angelus bonus hortatur nos consilio boni [1], quia cum aliquid boni agimus, ipsum a dextris nostris esse credamus. Cum vero malum aliquid cogitamus, aut facimus, sive parvum, sive magnum, hoc nulli dubium quin malignum angelum hortatorem habeamus, qui super hoc nos gaudens irridet, cum Angelus sanctus tristatur et dolet. Et ideo cum verba otiosa dicimus aut quidquam mali facimus, diabolicum consilium est. Cum autem ingemiscimus, et pro peccatis nostris suspiramus, aut opera virtutum facimus, tunc Angelum Dei sanctum administratorem et consiliatorem habemus. Nam de illis tribus causis, quas superius diximus, et quas diabolus in Adam subministravit per instinctionem mali consilii, solerti custodia nos caveamus. Istæ enim tres, gula videlicet, cupiditas et superbia, multa et infinita generant mala. Occasionantur namque hæ malæ et principales vitiorum radices, sacrilegium, homicidium, fornicationem, furtum, avaritiam, luxuriam, falsum testimonium, iram, discordiam, perjurium, et his similia. Nos igitur, fratres charissimi, ponamus contra superbiam et elationem veram humilitatem, contra gulam abstinentiam, contra cupiditatem eleemosynam, contra sacrilegium perfectam pœnitentiam, contra homicidium Dei et proximi dilectionem, contra furtum benignitatem, contra avaritiam charitatem, contra luxuriam castitatem, contra falsum testimonium veritatem cordis et oris, contra iram pacem [2], contra discordiam veram

[1] Adde, *operis.*
[2] Ms. Germanensis, *contra iram, patientiam veram.*

concordiam et vinculum pacis firmum, contra perjurium timorem Domini : et super omnibus spem firmam, fidem rectam, charitatem perfectam. Taliter per virtutes vitiis obviando, et contraria contrariis curando, coram Deo et hominibus cum justitia et æquitate vivamus. Ista enim sunt arma angelica, lorica et arcus virtutum, scutum fidei firmissimum, et galea salutis. Qui hæc arma in fide non hæsitans secum portaverit, nullus ei diabolus nocere poterit. O fratres charissimi, contra pessimum hostem, id est, immitissimum generis humani inimicum tantum nos armare debemus, ut ipsum viriliter superare valeamus, qui semper paratus est velut latro ad furandum opera nostra bona, consilia mala subministrando. Certe multi audacia diabolica decipiuntur, et securitate propria, quam sibi fingunt, decipiuntur. Dicunt enim, Juvenis sum : dum est mihi tempus, et interim quod floret in me juventus, fruar mundo ; cum ad senectutem venero, et amplius quæ volo exercere nequivero, tunc pœnitentiam agens abstinebo. Et non cogitat ille miser, quod non habet certum unius horæ vel momenti spatium, seu etiam potestatem de vita sua. Eia, charissimi fratres ; non vos decipiat aut seducat ista pessima securitas : quæ non securitas, sed potius periculum dici potest. Proinde diem mortis semper in memoria habeamus, semper in timore Domini stantes, pœnitentiam agamus, quia transitus noster, vita videlicet hujus sæculi, brevis est, et caduca ac fragilis ista misera præsentis mundi temporalis potentia. Dic ubi imperatores et reges, ubi duces, principes aut barones [1], ubi aurum et argentum ac ornamenta eorum ? Scriptum est, *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Væ tam obscuræ mansioni, væ tam languidæ foveæ, væ tam tenebrosæ, tam profundæ et opacæ cavernæ! Pensemus, charissimi, quomodo de tam parva consolatione, tam longa calamitas ; de tam brevi lætitia, tam longa tristitia ; de tam modica luce, tam magnæ tenebræ ; de tam exiguo lucro, tam grave damnum ; de tam vana securitate, tam forte periculum ; de tam parva potentia hujus temporis, tam longa tormenta sine fine mansura ; de tam brevi jucunditate, tam longæ et tamen amaræ lacrymæ ; de tam inani hujus mundi pompa, dira gehennalis provenit pœna : de qua non liberabit pater filium, nec pro patre filius fidejubebit ; ubi non reperitur amicus qui redimat, nec frater qui succurrat. Ubi qui ibi sunt, mori quærunt, sed mortem impetrare nequeunt. Ubi amara pœnitentia tarde agitur, nec ob hoc sic pœnitens adjuvatur. Ibi nulla vita, sed mansio dura et mors æterna ; ibi tenebrosus ignis et locus horribilis, ibi flamma gehennalis et inextinguibilis, ibi immensa tormenta et suspiria valida, ibi luctuosi gemitus et languor longus, ibi miseri cum miseris, superbi cum superbis, homicidæ cum homicidis, adulteri cum adulteris, avari cum avaris, fures cum iniquis, falsi prælati cum falsis subditis, dissoluti religiosi cum dissolutis sociis et sociabus lascivis, et sic de singulis. Qui omnes simul inenarrabiliter cruciabuntur, et infernali carcere sine fine torquentur. De quo nos vitiis emendatos omnipotens Deus eripere dignetur ; qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIX (*a*).

DE EXHORTATIONE AD ORANDUM, CUM EXEMPLO CUJUSDAM DEFUNCTI IN ÆGYPTO ; ET DE MISERIA ANIMÆ.

Fratres dilectissimi, quando orare vultis, aut peccata vestra plangere, claudite ostium super vos, et orate Dominum Deum vestrum in toto corde. Tunc respiciens Dominus super vos, propitius ac pius vobis erit, quasi pia mater filio suo, dum eum dolentem et plorantem reperit. Hæc, charissimi, in cordibus vestris scribite, et intelligite. Et qui non intelligunt, eos qui rationabiliter sapiunt, interrogent. Acquirite vobis, dilectissimi, thesaurum cœlestem, mundi hujus postpositis vanitatibus : attendentes et valde timentes quoddam exemplum horribile, quod quidam homo sanctus in excessu mentis positus vidit, et audivit de quadam anima de Ægypto exeunte, et contra corpus suum contendente. Erat enim homo iste, de cujus anima fit ad præsens mentio, corpore fecundus valde, et temporalium stipatus plurimum : et in tali corporis et rerum prosperitate positus nihil aliud cogitabat, nisi cuncta quæ poterat perficere mala ; nec quidquam de animæ suæ salute tractans, totus vixit in peccatis. Accidit ut infirmitate laborans, morti appropinquaret. Et ecce spiritus illius ad ostium corporis pulsans terrore ac mœrore permaxime concussus admodum exire tardabat ; quia diabolos ante se præparatos videbat, ac inter se mussitare dicentes : Quomodo tardatur ? Cur fit hoc ? Quare facit tot moras ? Festinemus ; forsitan Michael cum sociis suis oppriment nos, ac animam illam nobis tollent, quam per multos annos vinculis nostris constrinximus. Tunc unus ex diabolis respondens dixit : Nolite timere, nostra est ; ego opera ejus scio, ego semper cum illo diebus ac noctibus fui. Hæc illa anima misera audiens, dixit : Heu mihi! quare unquam nata fui aut creata ? Væ mihi! quare unquam in hoc corpus intravi ? Væ mihi, quod unquam in isto pessimo carcere carnis exstiti! Væ tibi corpus miserum! quare alienas rapuisti pecunias? Tu facultates pauperum et substantias eorum in domum tuam congregasti. Tu cibariis delicatis te nutriebas, et ego salutem nostram esuriebam. Tu vinum bibebas saporosum, et ego fontem vitæ sitiebam. Tu te pretiosis decorasti vestibus, me nuda existente virtutibus. Tu quidem fecundum eras, et ego macra ; tu rubicundum, et ego pallida ; tu hilare, et ego mœsta. Tu ridebas, et ego flebam ; tu gaudebas, et ego dolebam. Tu semper mihi contraria egisti, modo es esca vermium et putredo ac pulvis. Requiesces per modicum tempus in terra, et postea mecum in infernum deduceris, tormenta sicut et ego passurum æternâ. His dictis, corpus sudare cœpit ac spiritum reddere. Tunc ille diabolus angelus satanæ, qui non in bono, sed in malo custos et instinctor ejus perstitit, eam apprehendens dixit : Nolite, socii, nolite moram facere ; sed tridentes acutissimos apprehendite, et cum dolore in oculos ejus figite! quidquid enim vidit sive pulchrum sive turpe, totum concupivit. Pungite os ejus : quia omnia quæ desideravit, sive in comedendo sive bibendo vel etiam loquendo, justis vel injustis nunquam pepercit. Pungite et cor ejus dolosum et falsum, in quo nec pietas nec misericordia nec charitas nec bonitas fuit. Pungite etiam manus ejus rapaces, quæ ad furtum, latrocinium et rapinam promptæ, et ad opera pietatis tardæ fuerunt. Insuper et pedes ejus, qui ad omnem viam malam veloces exstiterunt. Tunc illam miseram animam de corpore ejectam sic membratim punientes, levaverunt super alas suas nigras, tenebrosas et vespertillioneas, ad infernum ipsam deducentes. Et dum sic in itinere esset, vidit anima illa claritatem magnam, et dixit : Ubi, vel quid est illa claritas? Responderunt dæmones dicentes : Non agnoscis patriam unde exivisti, quando in hanc peregrinationem venisti? Tu quondam renuntiasti pompis nostris, et per Baptismum ac signum crucis nos expulisti. Audisti Prophetas et Apostolos, audisti etiam sacerdotes et curatos (*a*) tuos, qui non cessabant tibi viam vitæ prædicare, et nomen Salvatoris tui laudare : cor autem tuum a doctrina eorum longe erat. Modo transis juxta patriam illam unde prima venisti, non tamen ibi divertes, nec venies. Choros Angelorum audis, non ad tuam consolationem, sed ad tuam perpetuam desolationem. Claritatem sanctorum videbis, nec tamen ibi habitabis, quemadmodum et nos non facimus, qui de paradiso ejecti sumus : et sicut fuimus ac sumus in perditione, sic et tu nobiscum eris. Usque modo fuisti in peregrinatione, nunc moraberis nobiscum in damnatione, in qua mal-

[1] Ms. Germanense omittit, *barones*.
(*a*) Sermonum priorum stilum sapit.

(*a*) Nota.

tos habemus socios. Tunc cœpit illa misera anima cum dolore et fletu ac gemitu ingenti dicere: Heu me miseram, quod unquam creata fui ac nata, seu in hoc corpus maculatum posita! Heu mihi, quod in ista damnatione posita claritatem æternam perdidi, ex qua olim sine macula exivi! Modo video spatiosam viam, quæ ducit ad patriam, non tamen perambulabo eam. Tunc perduxerunt eam inimici sic flentem et gementem ad perditionis portas, ubi diabolus ad recipiendum eam præparatus erat in similitudine draconis; et aperiens fauces suas fetidissimas, ac gluttiens eam, revomuit in calidissimum locum igneum, ubi sui consimiles exspectant judicium. Hoc exemplo, dilectissimi, edocti ac admoniti, ut aliorum fera vulnera nobis sint medicamenta certa, vitam nostram hic dum valemus in melius emendemus, carnalia abdicantes, spiritualia sectantes: ut sic lætanter ex hoc corpusculo egredientes dicere possimus: Adhæsit anima mea post te; quia caro mea castigata pro te, Deus meus. Ob hoc, mi Domine, me suscipiat dextera tua. Quod nobis concedere dignetur qui salvat omnes sperantes in se, ac vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXX (*a*).

Quanta sit veræ humilitatis virtus, fratres, facile ex verbis Domini cognoscitur, etc.

SERMO LXXI (*b*).

Legitur in Litteris divinitus inspiratis dictum, *Fili, ne tardes converti ad Dominum* (*Eccli.* v, 8), etc.

SERMO LXXII (*c*).

Mors autem vera quam timent [1] homines, est separatio animæ a Deo. Et plerumque cum timent homines mortem istam, etc.

SERMO LXXIII (*d*).

DE ILLO QUI IRAM DIU IN PECTORE RETINET, ET NON VULT HUMILIARI.

Omnis homo qui vult de inimico suo vindicari, provocat in se vindictam Dei. Sed hoc facite, fratres, quod dicit Apostolus, *Nulli malum pro malo reddentes.* Hoc est enim vinci [2] de bono malum. Quando enim vindicari vis, sine dubio vincere vis: vide ne dum vis hominem vincere, ab ira vincaris. Quia læsit, vis et tu lædere: quia nocuit, vis et tu nocere; et ut tu vincas amplius, magis quam ille nocuit. Quomodo vincis malum in malo? Non hoc dixit Apostolus, non hoc audisti. Ergo, *Noli vinci a malo*, audisti. Et forsitan respondebis, Hoc et ego volo. Sed nemo me vincit. Dixit namque Apostolus, *Vince in bono malum.* Hoc est enim [3], qui te læsit sua iracundia, tu illum vince tua patientia. Qui te læsit sua avaritia, vince illum tua misericordia. Ecce qui te sua avaritia exspoliavit, ecce eget, ecce esurit; vindica te, inimicus tuus est. Sed si esurit, ciba illum; si sitit, potum da illi: *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus* (*Rom.* XII, 21, 20). Si hoc cogitas quasi ad malitiam nos hortatus est, tanquam dixerit, ut plus ei noceas, ut carbones congeras super caput ejus: si hoc cogitas, in malo vis vincere malum; et ipsam eleemosynam ut facias, amore vindictæ vis facere. Sed dicis, Quid est, *Carbones ignis congeres super caput ejus?* Carbones ignis sunt, in quibus uritur ut pœniteat illum contra te inimicitias habuisse. Homo es, homo est: lædere voluit, lædere vis? Ecce duo mali estis. Quomodo ergo dicis, Et ego odi malum, qui auges numerum malorum? Vis vincere inimicum tuum? Attende te intrinsecus, et vide, ne ibi habeas quem vincere debeas. Et dum ista consideraveris, dicas tibi, Homo est qui me læsit: rogem pro illo Dominum ut pœniteat eum. Et si ita feceris, et inimicum perdidisti, et amicum acquisisti, dum ille qui læsit, ex malo orationibus tuis factus est bonus. Nec defendi ante Dominum servi [1] inverecunda festinatione properemus; ut cum dies ille vindictæ advenerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXIV (*a*).

Fratres charissimi, quod audivimus dici ut sursum corda habeamus, spes fit, ut de illa futura vita cogitemus, etc.

SERMO LXXV (*b*).

Audite itaque qui estis in populo, et stulti aliquando sapite: accedite ad sepulturam mortuorum, et videte exempla viventium, etc.

SERMO LXXVI (*c*).

DE COGITATIONIBUS.

Primum quidem cogitationibus malis repugnandum est, ut cum aliquid carnale aut sordidum susurraverit adversarius, priusquam tingat mentem et sauciet, sagitta deleatur, et excutiatur. Solet enim tristitiam afferre, et dubitationes de proposito, et desperationem bonorum aspirare, et varias cupiditates ingerere, et omnes omnino sagittas acuere, ut sicut in decimo Psalmo scriptum est, *Ut sagittent in occulto rectos corde* (*Psal.* x, 3). Tu ergo mox ut cœperit, geminato suspirio ad Dominum mente conversa, ne permittas accedere consilium, quod sensum possit inquinare. Sicut enim vestimentum candidum, cum fuerit sanguine adspersum, si mox fuerit lotum, candorem suum recipit; si autem insederit et incoxerit macula, vix lavatur: sic et mens humana, si surgentem cogitationem mox deleverit, potest suum retinere candorem; si autem diutius residere permiserit, vix cum magno labore purgatur. Hæc est autem prima victoria secreti certaminis nostri, quod Dominus exspectat et Angeli, cum cogitationibus malis mens humana fideliter occurrit, et bonis rationibus malos superat cogitatus. Hinc laus nascitur, hinc crescit gloria, sicut Apostolus ait: *Cum venerit*, inquit, *Dominus, illuminabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordis; tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Manifestum est enim apud fideliores, quia non solum de factis, sed etiam de cogitatis, aut laus aut vituperatio a Deo judice tribuatur. Item quod inviti patimur cogitationes frequenter, non nos lateat, fratres, quod maligni frequenter cogitationes sustinemus. Quando autem ita sit, de Apostolo discimus dicente: *Non quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio;* et, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (*Rom.* VII, 15, 23). Et revera unum propriumque studium est satanæ, humanam mentem pravis gravare consiliis. Siquidem hanc injuriam ab exordio sortiti sumus, ut nos serpentis caput observemus: ille autem nostrum calcaneum, utique non nostrorum pedum, sed mentis observat; ut si quomodo possit currentem ad cœlestia animam morsu suo ad terrestria detinere. Adversus has ergo obscuritates malorum ut sinceris mentibus vivere possimus, cordis oculi bene curandi sunt. Et ut vincamus, arma nobis sunt valde necessaria. *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, malorum consilia destruentes* (II *Cor.* x, 4). Amen.

[1] Legendum, *non timent.*
[2] Apud Vignierium, *vincere.*
[3] Vignierius, *eum.*
(*a*) Est ex Alcuini libro de Virtutibus et Vitiis, capp. 10 et 11.
(*b*) Ex eodem Alcuini libro, cap. 12.
(*c*) Descriptus ex Enarr. in Psal. 48, serm. 2, a num. 2 ad 5.
(*d*) Fragmentum est ab Augustini genio non abhorrens. Exstat in supplem. Vignierii, pag. 2, serm. 27.

[1] Vignierius pro, *servi*, habet, *sui.*
(*a*) Fragmentum est sermonis 335, in tomo 5.
(*b*) Idem est ac superior sermo 58, solo duntaxat exordio brevior.
(*c*) In Remigiano Ms. ann. circiter 700, Augustino tribuitur.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

Ultimus editionis Benedictinæ tomus supplementum ad varia volumina continet. Inde quæ ad tomum sextum spectant huc transtulimus, ubi commodius legentur :

1° Col. 235, loco notæ [1] substitue : « Eadem verba super baptizatum Christum a Patre dicta legun., auctor Quæst. ex vet. « et novo Testam., quæst 54 in append. tomi 3 hujusce editionis ; Hilarius Pictaviensis in Psalm. n. 291, necnon lib. 8 de « Trinitate, n. 25, et comment. in Matth. c. 2, n. 6 ; Justinus martyr, Dial. cum Tryph. Imo August. ipse l. 2 de Consensu « Evang. n. 31, hanc lectionem confirmat. Quocirca hic a Danæo temere omnino absque ulla codicum auctoritate additum « est : *Tu es filius meus.* » 2° Col. 783, not. [3] adde : « Hæc summatim excerpta sunt ex Augustino, 6 de Trin. n. 11, « ubi Hil. verba explicat. » 3° Col. 863, linea antepenultima Admonitionis in librum *soliloquiorum*, post verba, *refertus « est*, adde : « Certe hic multæ occurrunt phrases ab Augustino alienæ, ut puta hæc cap. 18 : *cum tua mandata frangebam*, aut ista cap. 26, *in secreto consistorii tui*, etc. Neque magis ejusdem doctoris ævum sapit quæ cap. 22 occurrit « ad acta SS. Andreæ, Bartholomæi, Agathæ allusio. Quid quod de inferis paulo aliter sentiri videtur c. 22, maxime si « ibi *patres nostri* intelligantur antiqui justi, quam sentiat Augustinus, lib. 12 de Genesi ad litt. capp. 33 et 34. » 4° Col. 877, octava ante cap. 16 linea, super verba, « nullum peccatum est, » notandum hæc esse ex Aug. serm. 99, n. 6. 5° Col. 1066, lin. 60, hæc verba, « ut præterita non reiteremus, etc, » illustrant quæ apud Alcuinum habentur de div. Offic. c. de Cœna Dom., ubi postquam breviter descriptus est totus reconciliandi pœnitentis ritus, subditur : « Post hoc vero mo- « neatur a sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non repetat. » Quibus concinit antiquus codex Victorinus a Morino de Pœnit. l. 8, c. 11, n. 21, laudatus, in quo ad calcem Reconciliationis pœnitentium præscribitur : « Post hæc surgant pœ- « nitentes et moneantur ab episcopo, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent. » Morem eumdem Græcis usitatum fuisse probat quod Joannes Jejunator post datam pœnitenti absolutionem vult ei dicatur, « confessus a prioribus tuis « malis liberatus es ; ne igitur per incuriam divinorum præceptorum secundis malis te ipsum subjicias, sintque tibi juxta « evangelium novissima pejora prioribus, quibus per Dei clementiam liberatus es. » 6° Col. 1077, lin. 3 Admonitionis, ante verba, « Augustino autem, » præfige : « Illum Oxonienses editores monent in ms. volumine admodum antiquo homiliarum « saxonicarum reperiri sub hoc titulo : *De duodecim abusivis secundum disputationem S. Cypriani episcopi et martyris* ; « adeoque permittunt ut quod nonnulli jam senserant, S. Patricii Hibernorum apostoli fœtus existimetur. Quod si ita es- « set, notare debuerat interpres saxo se secundum Patricium, non secundum Cyprianum, vertere. » 7° Col. 1227, intra titulum serm. de *Generalitate eleemos.*, adnota, « Serm. hunc sub Aug. nomine laudari et magna ex parte exscribi ab Hinc- « maro l. *De non trina Deit.* p. 445. » M.

FINIS TOMI SEXTI.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

Accurante M****, Cursuum completorum Editore.

TOMUS SEPTIMUS.

PARISIIS

VENIT APUD EDITOREM IN VICO DICTO MONTROUGE, JUXTA *PORTAM INFERNI*,

GALLICE : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER.

1841.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC SEPTIMO TOMO CONTINENTUR.

CONTENTA IN APPENDICE.

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO MONTROUGE,
Juxta portam Inferni Parisinam, Gallice: près la barrière d'Enfer de Paris.

IN TOMUM SEPTIMUM

Præfatio.

Postquam dogmatica opera dedimus, quibus Ecclesiam informat Augustinus eruditque ad pietatem; restant edenda deinceps scripta ejus polemica, quæ pro Ecclesiæ defensione converso in ipsius hostes stilo composuit. Polemicorum autem primo ordine offert sese grande opus contra Paganos, adversarios Christiani nominis primos et præ cæteris magis infensos, qui unius veri Dei cultores aperto bello semper, aut adhibita vi sævitiaque, aut certe odiosis criminationibus sunt persecuti. Idololatrarum enim perpetuum hunc fuisse morem, ut si qua orbi calamitas accidisset, hanc religioni Christianæ imputarent, nemo est qui non intelligat ex lectione veterum, Tertulliani, Arnobii, Cypriani, qui olim suo quisque tempore impiorum obtrectationes scriptis apologeticis propulsare pro virili contenderunt. Imperante postea Honorio, cum Romæ summam cladem Gothorum exercitus intulisset, recruduerunt infidelium querelæ, solitoque acerbius et injuriosius Deo vero obtrectare cœperunt, excidium Urbis in Christianam religionem odiosissime referentes. Nam quia per Imperatorum leges nemini jam colere deos licebat, Romam tutelaribus, quibus conditores illam sui custodiendam crediderant, diis destitutam inevitabili exitio cecidisse, atque ex ipsis haud dubie Christianis, qui in Urbis direptione commune omnium discrimen et captivitatis injurias minime evasissent, totius mali causam ortam esse clamitabant. Tunc ergo zelo domus Dei exardescens Augustinus, animum induxit opus contra blasphemos, De Civitate Dei nuncupatum, conscribere : quo immenso labore quomodo Christianam religionem ulciscatur, et explicat ipse breviter in Retractatione quæ operi præfigi solet, et luculentius docent librorum argumenta singulorum, quæ hac primum editione per nos in fronte voluminis exhibentur.

Partes operis duas præsertim facit : altera, quæ priores decem libros complectitur, Paganis respondens, vetustas illorum opiniones de deorum cultu, quem alii propter hanc vitam, alii propter futuram, esse utilem disputabant, evellit ex animis; altera, utriusque Civitatis, mundi et Dei, quibus universi, Angeli et homines, hac vel illa comprehendimur, exortum, procursum, exitum tandem sive debitos fines exponit.

Maximi momenti opus maxima cura elaboravit pro materiæ præstantia et dignitate, prout que virum decebat et summo ingenio præditum, et omnium scientiarum genere ornatissimum. Nam immane dictu est quanta hic sit rerum varietas, quam profusa eruditio, quam solers et exquisita ratio disserendi : quasi nihil strenuus Civitatis Dei vindex voluerit, neque artis et industriæ, neque eruditionis sive sacræ, sive profanæ, desiderari his in libris : e quibus re ipsa tanquam e penu refertissimo eruditi disputatores quicumque adversus impios divinæ religionis defensionem posthac suscipiunt, opem et copiam sibi petendam putant.

Volumina prima hujus operis non plus tria viderat Macedonius Africæ vicarius, cum obstupefactus admiratione rescripsit Augustino : «Miro modo afficior sapientia tua, etc. «Nam « et illa » quæ edidisti « tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil supra sit. » Moxque de iisdem : « Explicui, » ait, « tuos libros; neque enim tam languidi aut inertes erant, ut me aliud quam se curare paterentur : injecerunt manum, ereptumque aliis sollicitudinum causis, suis vinculis illigarunt : ita enim mihi Deus propitius sit, ut ego anceps sim quid in illis magis mirer, sacerdotii perfectionem, philosophiæ dogmata, historiæ plenam notitiam, an facundiæ jucunditatem, quæ ita imperitos etiam illicere potest, ut donec explicent non desistant, et cum explicaverint, adhuc requirant. Convicti namque sunt impudenter pertinaces, » etc. (*Epist.* 154, *nn.* 1, 2). Paulus Orosius in præfatione ad Historiarum libros, quos Augustini impulsu confecit, laudat perficiendo adversus Paganos undecimo libro insistentem, «quorum,» inquit, «jam decem orientes radii mox ut de specula ecclesiasticæ claritatis elati sunt, toto orbe fulserunt. » Jubet Cassiodorus Senator in libro Institutionum, capite decimo sexto, ut libros de Civitate Dei « infastidibili sedulitate percurramus. » Neque sunt hoc loco prætereundi Francorum reges, Carolus Magnus, qui, teste Eginhardo, « delectabatur libris sancti Augustini, præcipueque his qui de Civitate Dei prætitulati sunt. » De quo poeta Saxonicus, libro quinto Annalium :

> Quos Augustinus cœli de civibus almis
> Scripsit, amanter eos crebrius audierat.

Carolus item Quintus, cognomento Sapiens, qui pro iisdem libris gallice redditis, sibique nuncupatis, versionis auctorem amplissima dignitate auxit exornavitque.

Eximium hoc opus Marcellini studio debemus. Quanquam enim Augustinus civitatis cœlestis charitate satis adduceretur ad scribendum, fecit tamen etiam provocatus a Marcellino, cujus hæc ea de re in epistola ad Augustinum exstat postulatio : «Ego vero ad hæc omnia, ..., libros confici deprecor, Ecclesiæ, hoc maxime tempore, incredibiliter profuturos » (*Epist.* 136, *n.* 3). Cui rescribens Augustinus initio quidem significat cupere se de his agere « non librorum negotio, sed epistolari, si potest sat esse, colloquio : »

postea tamen quam ibi Paganorum quæstiones enodavit, si quid contra moveat, « vel epistolis, vel libris, » ad omnia responsurum se pollicetur (*Epist.* 137, *nn.* 1, 20).

Hanc ad Marcellinum epistolam, in qua de edendis contra Paganos « vel epistolis, vel libris, » adhuc deliberandum relinquit, scripsit anno Christi 412. Quapropter discedere nos oportet a Baronii opinione, qui hos libros ideo ponit anno 411 inchoatos, quia Romanæ cladis, quæ anno 410 contigit, occasione prodierunt. Cœptos itaque non arbitramur nisi paulo ante Marcellini cædem, quam anni 413 mense septembri factam observamus in epistola ad Cæcilianum (*Epist.* 151, *n.* 6, *nota a*) : nam et ab exordio secundi libri deinceps ad ipsum, cujus nomini omnes dedicati sunt, Marcellinum nunquam sermo dirigitur. Duos libros, quartum et quintum, in epistola ad Evodium sub anni 415 finem scripta, memorat sanctus Doctor se tribus aliis adjunxisse (*Epist.* 169, *n.* 1), hoc ipso anno 415 inchoatos et perfectos. Undecimum, editis jam ante aliis decem, scribebat circiter annum 416, teste Orosio in præfatione ad Historiarum opus eo fere anno inchoatum. Quarti decimi meminit ipse Augustinus in libro contra Adversarium Legis et Prophetarum primo, quem circa annum 420 edidit. Tandem immensum hoc opus, quo se per aliquot annos detentum dicit, non multo post anni 426 finem absolutum esse probant Retractationes : in quibus, anno certe 426 aut 427 perfectis, libro secundo, capite quadragesimo primo, citatur liber de Civitate Dei postremus. Nec referendum hic quod in eam rem ad caput octavum libri vigesimi secundi adnotamus, necnon in fine libri decimi octavi, ubi Baronii et Coquæi, qui libros de Civitate Dei posteriores non ante annum 429 scriptos putant, sententia discutitur.

De nostro jam labore nihil interest mentionem injicere. Certe quidem haud nos pœnitet tam multa exemplaria, quorum Syllabum infra habes, evolvisse ac perlegisse : quippe qui hos libros propter reconditiorem doctrinam, Græcasque ac Romanas antiquitates passim inspersas, collatione veterum codicum indigere præ cæteris, non solum eruditorum admonitione, sed etiam usu nostro ac experientia didicimus. Capitulorum cum argumentis suis distinctionem, quam improbare voluit nonnemo, habent codices ante nongentos annos scripti, et digna est profecto quæ Augustini opera aut jussu adjecta credatur ad juvandos lectores, sed absoluto jam opere, quemadmodum in sacris Libris olim factum erat.

Postremo quod ad Commentarios hujus operis attinet, quos virorum prudentum et litteratorum consilio ac auctoritate adducti præterimus, eos perlustravimus diligenter, et excerptas ex iis in loca difficilia observationes illustriores huc transferendas curavimus.

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS DE NOVO RECOGNITUM EST AUGUSTINI OPUS

DE CIVITATE DEI.

CODICES MANUSCRIPTI

A FF. BENEDICTINIS ADHIBITI.

Romani bibliothecæ Vaticanæ codices quinque.
Parisienses bibliothecæ Regiæ duo,
Colbertinæ bibliothecæ tres,
Navarrici collegii unus,
Gervasiani collegii unus,
Ant. Faure doctoris theol. Facultatis Parisiensis unus,
Germanensis abbatiæ duo,
Remensis Ecclesiæ unus,
Bellovacensis Ecclesiæ unus,
Silvanectensis Ecclesiæ unus,
Suessionensis abbatiæ B. Mariæ unus,
Laudunensis abbatiæ S. Vincentii unus,
Rotomagensis abbatiæ S. Audoeni unus,
Emerici Bigot unus,
Gemmeticensis cœnobii unus,
Beccensis cœnobii unus,
Lyrensis cœnobii unus,
S. Michaelis in Periculo maris unus,
Cisterciensis abbatiæ duo,
Cygiranensis abbatiæ unus,
Corbeiensis abbatiæ duo,
Remigiensis apud Remos abbatiæ unus,
Altimontensis apud [illegible] abbatiæ unus,
Vindocinensis abbatiæ unus,
Belgici denique septem, sive lectiones variantes ex iis Lovaniensium Theologorum opera collectæ.

CODICES EDITI.

Vind. id est codex Vindelini prelo editus Venetiis anno 1470.
Am. Liber Joannis Amerbachii opera excusus Basileæ anno 1490.
Er. Desiderio Erasmo procurante ex Frobeniana apud Basileam officina profectus anno 1529.
Lov. Volumen juxta Lovaniensium Theologorum recognitionem a Christophoro Plantino impressum Antwerpiæ anno 1576.

Comparavimus præterea omnes eas editiones in tomo Retractationum et Confessionum, t. 1, memoratas, ac insuper complures manuscriptos codices, inter quos præcipue notandi sunt :

Corbeiensis, inter Germanenses codices 766 in Bibl. Regia Parisiensi numeratus, uncialibus scriptus litteris quæ magnæ vetustatis notam præ se ferunt, et septimo, ut videtur, tribuendus sæculo. Novem libros solum, sed a primo decem argumenta complectitur.

Codices membranacei 2050, 2051, 2052, numerati. Ad sæculum decimum referuntur et 22 libros comprehendunt. Omnium pessimus est n. 2050, optimusque n. 2051. Alius membranaceus ejusdem sæculi, n. 2055, bonæ quidem notæ, sed decem libros tantum continens.

Corbeiensis alter membranaceus, in Germanensi bibl. ubi servatur, n. 258 designatus. Decimi etiam est sæculi librosque 22 accuratissime descriptos complectitur. Inter probatissimos est memorandus.

Codex Corbeiensis olim, et nunc Germanensis, membranaceus, 255 numeratus, librosque duodecim ab undecimo usque ad vigesimum secundum continens. Undecimo sæculo tribuitur, nec est spernendus. M.

De Civitate Dei vide lib. 2. cap. 43. Retractationum, *col.* 647, *a verbis*, Interea Roma, *usque ad col.* 648, *verbis*, Gloriosissimam civitatem Dei. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

AD MARCELLINUM

DE CIVITATE DEI

CONTRA PAGANOS

Libri viginti duo [a].

LIBER PRIMUS.

Paganos reprehendit, qui orbis calamitates, maximeque Romanæ urbis recentem a Gothis vastationem christianæ religioni, qua deorum cultus prohibetur, tribuebant. Agit de commodis et incommodis, quæ tunc bonis et malis, ut solet, fuerunt communia. Illorum denique retundit procacitatem, qui christianarum feminarum violatum a militibus pudorem objectabant.

PRÆFATIO.

De suscepti operis consilio et argumento.

Gloriosissimam civitatem Dei, sive in hoc temporum cursu, cum inter impios peregrinatur ex fide vivens (*Habac.* II, 4), sive in illa stabilitate sedis æternæ, quam nunc exspectat per patientiam (*Rom.* VIII, 25), quoadusque justitia convertatur in judicium (*Psal.* XCIII, 15), deinceps adeptura per excellentiam victoria ultima et pace perfecta, hoc opere a te instituto [1], et mea promissione debito, defendere adversus eos qui Conditori ejus deos suos præferunt, fili charissime Marcelline, suscepi. Magnum opus et arduum : sed Deus adjutor noster est (*Psal.* LXI, 9). Nam scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis quanta sit virtus humilitatis, qua fit ut omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia, non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcendat. Rex enim et conditor civitatis hujus, de qua loqui instituimus, in Scriptura populis suis [2] sententiam divinæ legis aperuit, qua dictum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6; *et* I *Petr.* V, 5). Hoc vero quod Dei est, superbæ quoque animæ spiritus inflatus affectat, amatque sibi in laudibus dici,

> Parcere subjectis, et debellare superbos
> (*Virgil. Æneid. lib.* 6, *vers.* 854.)

Unde etiam de terrena civitate, quæ cum dominari appetit, etsi populi serviant, ipsa ei dominandi libido dominatur, non est prætereundum silentio quidquid dicere suscepti hujus operis ratio postulat, et facultas datur.

CAPUT PRIMUM. — *De adversariis nominis Christi, quibus in vastatione Urbis propter Christum Barbari pepercerunt* [1].

Ex hac namque existunt inimici, adversus quos defendenda est Dei civitas : quorum tamen multi, correcto impietatis errore, cives in ea fiunt satis idonei; multi vero in eam tantis exardescunt ignibus odiorum, tamque manifestis beneficiis Redemptoris ejus ingrati sunt, ut hodie contra eam linguas non moverent, nisi ferrum hostile fugientes, in sacratis ejus locis vitam, de qua superbiunt, invenirent. Annon etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum Barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca et basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt (*a*). Hucusque cruentus sæviebat inimicus; ibi accipiebat limitem trucidatoris furor : illo ducebantur a miserantibus hostibus quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant (*b*). Qui tamen etiam ipsi alibi truces atque hostili more sævientes, posteaquam ad loca illa veniebant, ubi

[1] Editiones Vind. Er. Lov. habent, *ad te instituto*. At Am., id est Amerbachiana editio et plures probæ notæ Mss., *a te instituto*. Propositum enim a Marcellino id opus fuerat epist. inter Augustinianas 136, n. 3, ipsique promissum ab Augustino Epistola 138, n. 20, sicuti nunc observavimus in voluminis hujus præfatione. Prosequuntur ex prædictis codicibus nonnulli, *et mea ad te promissione debito*.

[2] Sic Mss. Editi autem, *populi sui*. Sic etiam Corbeiensis

766 M.

(*a*) Inchoati circa annum 413, non absoluti ante annum 426.

[1] Editi addunt, *victis*. Quæ vox, abest a manuscriptis.

(*a*) Orosius, lib. 7, cap. 39, scribit Alaricum capta Urbe præceptum suis hoc dedisse, « ut si qui in sancta loca, præcipueque ad sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos imprimis inviolatos securosque esse sinerent. »

(*b*) Hanc Barbarorum humanitatem expertæ sunt Marcella et filia ejus Principia, quas in sua domo repertas ad basilicam S. Pauli deduxerunt, teste Hieronymo in Epistola 154, ad Principiam. De alia femina ad S. Petri basilicam, ut ejus pudori parceretur, perducta a milite, narrat item Sozomenus, lib. 9, cap. 10.

fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuisset, tota feriendi refrenabatur immanitas, et captivandi cupiditas frangebatur. Sic evaserunt multi, qui nunc christianis temporibus detrahunt, et mala quæ illa civitas pertulit, Christo imputant : bona vero quæ in eos, ut viverent, propter Christi honorem facta sunt, non imputant Christo nostro, sed fato suo : cum potius deberent, si quid recti saperent [1], illa, quæ ab hostibus aspera et dura perpessi sunt, illi divinæ providentiæ tribuere, quæ solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere; itemque vitam mortalium justam atque laudabilem talibus afflictionibus exercere, probatamque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter usus alios detinere : illud vero, quod eis vel ubicumque, propter Christi nomen, vel in locis Christi nomini dedicatissimis [2] et amplissimis, ac pro largiore misericordia ad capacitatem multitudinis electis, præter bellorum morem truculenti Barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus christianis; hinc Deo gratias agere, hinc ad ejus nomen veraciter currere, ut effugiant pœnas ignis æterni; quod nomen multi eorum mendaciter usurparunt, ut effugerent pœnas præsentis exitii. Nam quos vides petulanter et procaciter insultare servis Christi, sunt in eis plurimi qui illum interitum cladenque non evasissent, nisi servos Christi se esse finxissent. Et nunc ingrata superbia atque impiissima insania ejus nomini resistunt corde perverso, ut sempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore vel subdolo confugerunt, ut temporali luce fruerentur.

CAPUT II. — *Quod nulla unquam bella ita gesta sunt, ut victores, propter deos eorum quos vicerant, parcerent victis.*

Tot bella gesta conscripta sunt, vel ante conditam Romam, vel ab ejus exortu et imperio : legant, et proferant sic ab alienigenis aliquam captam esse civitatem, ut hostes qui ceperant, parcerent eis, quos ad deorum suorum templa confugisse compererant; aut aliquem ducem Barbarorum præcepisse (*a*), ut irrupto oppido nullus feriretur, qui in illo vel illo templo fuisset inventus. Nonne vidit Æneas Priamum

> per aras
> Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes?
> (*Virgil. Æneid. lib.* 2, *vers.* 501, 502.)

Nonne Diomedes et Ulysses,

> cæsis summæ custodibus arcis,
> Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
> Virgineas ausi divæ contingere vittas?

Nec tamen quod sequitur verum est :

> Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
> Spes Danaûm. (*Ibid. vers.* 166-170).

Postea quippe vicerunt, postea Trojam ferro ignibusque deleverunt, postea confugientem ad aras Priamum obtruncaverunt. Nec ideo Troja periit, quia Minervam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerva perdiderat, ut periret? an forte custodes suos? Hoc sane verum est : illis quippe interemptis potuit auferri. Neque enim homines a simulacro, sed simulacrum ab hominibus servabatur. Quomodo ergo colebatur, ut patriam custodiret et cives, quæ suos non valuit custodire custodes?

CAPUT III. — *Quam imprudenter Romani deos penates, qui Trojam custodire non potuerant, sibi crediderunt profuturos.*

Ecce qualibus diis Urbem Romani servandam se commendasse [1] gaudebant. O nimium miserabilem errorem! Et nobis succensent, cum de diis eorum talia dicimus, nec succensent auctoribus suis, quos ut ediscerent, mercedem dederunt; doctoresque ipsos insuper et salario publico et honoribus dignissimos habuerunt. Nempe apud Virgilium, quem propterea parvuli legunt, ut videlicet poeta magnus omniumque præclarissimus atque optimus teneris ebibitus animis [2] non facile oblivione possit aboleri; secundum illud Horatii,

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu :
> (*Epistt. lib.* 1, *Ep.* 2, *vers.* 69, 70.)

apud hunc ergo Virgilium nempe Juno inducitur infesta Trojanis, Æolo ventorum regi adversus eos irritando dicere :

> Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
> Ilium in Italiam portans, victosque penates.
> (*Æneid. lib.* 1, *vers.* 71, 72.)

Itane istis penatibus victis Romam, ne vinceretur, prudentes commendare debuerunt? Sed hæc Juno dicebat, velut irata mulier, quid loqueretur ignorans. Quid Æneas ipse pius toties appellatus? nonne ita narrat :

> Panthus Othryades, arcis Phœbique sacerdos,
> Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
> Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit?
> (*Æneid. lib.* 2, *vers.* 319-321.)

Nonne deos ipsos, quos victos non dubitat dicere, sibi potius quam se illis perhibet commendatos, cum ei dicitur,

> Sacra suosque tibi commendat Troja penates?
> (*Ibid. vers.* 293.)

Si igitur Virgilius tales deos et victos dicit, et, ut vel victi quoquo modo evaderent, homini commendatos; quæ dementia est existimare his tutoribus Romam sapienter fuisse commissam, et nisi eos amisisset, non potuisse vastari? Imo vero victos deos tanquam præsides ac defensores colere, quid est aliud quam tenere non numina bona, sed omina mala [3]?

[1] Editi, *si quid recte saperent*. At Mss., *recti*.
[2] Codd. 766, 2050, 2051, 2052, ferunt, *dicatissimis*. M.
(*a*) Augustinum prætereunt nonnulla hujus rei litteris græcis et latinis consignata exempla. Nam refert Arrianus, lib. 2 de Rebus gestis Alexandri (cap. 24) capta Tyro, iis qui in templum Herculis confugerant, Alexandrum pepercisse. De Agesilao etiam Xenophon in Agesilao (cap. 2) et lib. 4 de Rebus Græcorum (cap. 3), Plutarchus (cap. 19) et Æmilius Probus in Agesilao (cap. 4) narrant ipsum, Atheniensibus et Bœotiis eorumque sociis in pugna ad Coroneam devictis, noluisse eos lædi qui in Minervæ templum se receperant.

[1] Plures manuscripti, *se commisisse*. — Huic lectioni adstipulatur n. 766. M.
[2] In B., *teneris ebibitus annis*. Saniores nostri Mss. omnes habent, *animis*. M.
[3] Editi, *sed dæmonia mala*. At melioris notæ Mss., *sed omina mala*, id est præsagia excidii et cladis venturæ. — Cod. 766 legit, *nomina mala*. M.

Quanto enim sapientius creditur, non Romam ad istam cladem non fuisse venturam, nisi prius illi perissent; sed illos potius olim fuisse perituros, nisi eos, quantum potuisset, Roma servasset? Nam quis non, cum adverterit, videat, quanta sit vanitate præsumptum, non posse vinci sub defensoribus victis, et ideo perisse, quia custodes perdidit deos; cum vel sola potuerit esse causa pereundi, custodes habere voluisse perituros? Non itaque, cum de diis victis illa conscriberentur atque canerentur, poetas[1] libebat mentiri, sed cordatos homines cogebat veritas confiteri. Verum ista opportunius alio loco diligenter copioseque tractanda sunt: nunc quod institueram de ingratis hominibus dicere, parumper explicem[2], ut possum: qui ea mala, quæ pro suorum morum perversitate merito patiuntur, blasphemantes Christo imputant; quod autem illis etiam talibus propter Christum parcitur, nec dignantur attendere, et eas linguas adversus ejus nomen dementia sacrilegæ protervitatis[3] exercent, quibus linguis usurpaverunt mendaciter ipsum nomen, ut viverent; vel quas linguas in locis ei sacratis metuendo presserunt, ut illic tuti atque muniti[4], ubi propter eum illæsi ab hostibus fuerunt, inde in eum maledictis hostilibus prosilirent.

CAPUT IV. — *De asylo Junonis in Troja, quod neminem liberavit a Græcis, et basilicis Apostolorum, quæ omnes ad se confugientes a Barbaris defenderunt.*

Ipsa, ut dixi, Troja, mater populi Romani (*a*), sacratis in locis deorum suorum munire non potuit cives suos ab ignibus ferroque Græcorum, eosdem ipsos deos colentium: quin etiam,

> Junonis asylo
> Custodes lecti, Phœnix et dirus Ulysses
> Prædam asservabant; huc undique Troia gaza
> Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
> Crateresque auro solidi, captivaque vestis
> Congeritur: pueri et pavidæ longo ordine matres
> Stant circum.
> (*Virgil. Æneid lib.* 2, *vers.* 761-767.)

Electus est videlicet locus tantæ deæ sacratus, non unde captivos non liceret educere, sed ubi captivos liberet includere. Compara nunc asylum illud, non cujuslibet dei gregalis, vel de turba plebis, sed Jovis[5] ipsius sororis et conjugis et reginæ omnium deorum, cum memoriis nostrorum Apostolorum. Illuc incensis templis et diis erepta spolia portabantur, non reddenda victis[6], sed dividenda victoribus; huc autem, et quod alibi ad ea loca compertum est pertinere, cum honore et obsequio religiosissimo reportatum est (*a*). Ibi amissa, hic servata libertas; ibi clausa, hic interdicta captivitas; ibi possidendi a dominantibus hostibus premebantur, huc liberandi a miserantibus ducebantur[1]: postremo illud Junonis templum sibi elegerat avaritia et superbia levium Græcorum (*b*); istas Christi basilicas misericordia et humilitas etiam immanium Barbarorum[2]. Nisi forte Græci quidem in illa sua victoria templis deorum communium (*c*) pepercerunt, atque illo confugientes miseros victosque Trojanos ferire vel captivare non ausi sunt; sed Virgilius, poetarum more, illa mentitus est. Imo vero morem hostium civitates evertentium ille descripsit.

CAPUT V. — *De generali consuetudine hostium victas civitates evertentium, quid Cæsar senserit.*

Quem morem etiam Cæsar[3] (sicut scribit Sallustius, nobilitatæ[4] veritatis historicus) sententia sua, quam de conjuratis in senatu habuit, commemorare non prætermittit: « Rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quæ victoribus collibuisset[5], fana atque domos spoliari, cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia repleri » (*Sallust. de Conjuratione Catilinæ, cap.* 51). Hic si fana tacuisset, deorum sedibus solere hostes parcere putaremus. Et hæc non ab alienigenis hostibus, sed a Catilina et sociis ejus, nobilissimis senatoribus et Romanis civibus, Romana templa metuebant. Sed hi videlicet perditi et patriæ parricidæ.

CAPUT VI. — *Quod nec Romani quidem ita ullas ceperint civitates, ut in templis earum parcerent victis.*

Quid ergo per multas gentes, quæ inter se bella gesserunt et nusquam victis in deorum suorum sedibus pepercerunt, noster sermo discurrat? Romanos ipsos videamus: ipsos, inquam, recolamus respicia-

[1] Lov., *poetis*. Cæteri libri, *poetas*, accusandi casu, quem verbo, *libet*, adjungere amat Augustinus. Sic in libro secundo Retractationum, cap. 25: « In me potius dicens quidquid eum libuit. »
[2] Fr. et aliquot probæ notæ manuscripti, *expediam*. — Sic etiam n. 766. M.
[3] Vind. Am. et plerique manuscripti, *perversitatis*. — Sic etiam n. 766. M.
[4] Lov., *atque muniti essent, et ubi propter eum*, etc., addentes, *essent et*, invitis omnibus libris editis et manuscriptis.
[5] In B., *sed de Jovis*: corrupte. M.
[6] Plures Mss., *non donanda victis*.
(*a*) Sallustius, cap. 6 libri de Conjuratione Catilinæ: « Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce profugi incertis sedibus vagabantur.

[1] In B., *a miserantibus hostibus ducebantur*; verbum, *hostibus*, hic sustulimus ex auctoritate nostrorum Mss. M.
[2] Hic incipit caput 5 in Mss.
[3] Vind. Er. et Mss. Gallicani ac Romani, *Cato*. Sed quia verba nunc laudata ab Augustino Cæsaris sunt apud Sallustium, non Catonis, ideo in Amerbachiana editione, quam hic secuti sunt Lovanienses, interpretibus hujus operis Valoisio et Trivetho emendare visum est, *Cæsar*: tametsi libri, ut ipsi observant, communiter haberent, *Cato*. Quid si in eo Augustinus, quod eruditis nonnunquam contingit, memoria lapsus est, aut Sallustio usus vario sive mendoso? — N. 766, *Cato*. M.
[4] In B., *nobilitate*. Sic etiam codices nostri, corrupte. Plerique editi ferunt, *nobilitatæ*; quæ lectio certe vera est. M.
[5] Lov., *collibuissent*: male et dissentientibus cæteris libris.

(*a*) Vasa pretiosa apud virginem Deo sacram, quæ custodienda illa receperat, detecta a milite, Alaricum, mox ubi comperit ad basilicam Petri apostoli pertinere, jussisse eo reportari, scribit Orosius, lib. 7, cap. 39.

(*b*) Levitas propria Græcorum, ait Cicero in oratione pro Flacco, cap. 3, 7, et alibi. Hæc eorum erat apud Romanos nota, quos ideo Græculos dicebant.

(*c*) Nempe eosdem deos celebant Græci et Trojani.

musque Romanos, de quorum præcipua laude dictum est,

> Parcere subjectis, et debellare superbos.

et quod accepta injuria ignoscere, quam persequi malebant (*Sallust. de conjuratione Catilinæ, cap. 9 in fine*) : quando tot tantasque urbes, ut late dominarentur, expugnatas captasque everterunt, legatur nobis quæ templa excipere solebant, ut ad ea quisquis confugisset, liberaretur. An illi faciebant, et scriptores earumdem rerum gestarum ista reticebant? Itane vero, qui ea quæ laudarent maxime requirebant, ista præclarissima secundum ipsos pietatis indicia præterirent? Egregius Romani nominis Marcus Marcellus, qui Syracusas (*a*), urbem ornatissimam, cepit, refertur eam prius flevisse ruituram, et ante ejus sanguinem suas illi lacrymas effudisse (*b*). Gessit et curam pudicitiæ, etiam in hoste servandæ. Nam priusquam oppidum victor jussisset invadi, constituit edicto, ne quis corpus liberum violaret (*c*). Eversa est tamen civitas more bellorum, nec uspiam legitur ab imperatore tam casto atque clementi fuisse præceptum, ut quisquis ad illud vel illud templum fugisset, abiret[1] illæsus. Quod utique nullo modo præteriretur, quando nec ejus fletus, nec quod edixerat pro pudicitia minime violanda, potuit taceri. Fabius, Tarentinæ urbis eversor, a simulacrorum deprædatione se abstinuisse laudatur. Nam cum ei scriba suggessisset quid de signis deorum, quæ multa capta fuerant, fieri juberet, continentiam suam etiam jocando condivit. Quæsivit enim, cujusmodi essent : et cum ei non solum multa grandia, verum etiam renuntiarentur armata, *Relinquamus*, inquit, *Tarentinis deos iratos* (*d*). Cum igitur nec illius fletum, nec hujus risum, nec illius castam misericordiam, nec hujus facetam continentiam, Romanarum rerum gestarum scriptores tacere potuerint; quando prætermitteretur, si aliquibus hominibus in honorem cujuspiam deorum suorum sic pepercissent, ut in quoquam templo cædem vel captivitatem fieri prohiberent?

CAPUT VII. — *Quod in eversione Urbis quæ aspere gesta sunt, de consuetudine acciderint belli; quæ vero clementer, de potentia provenerint nominis Christi.*

Quidquid ergo vastationis, trucidationis, deprædationis, concremationis, afflictionis, in ista recentissima Romana clade commissum est, fecit hoc consuetudo bellorum. Quod autem more novo factum est, quod inusitata rerum[2] facie immanitas barbara tam mitis apparuit, ut amplissimæ basilicæ implendæ populo cui parceretur, eligerentur et decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo liberandi multi a miserantibus hostibus ducerentur, unde captivandi ulli[1] nec a crudelibus hostibus abducerentur; hoc Christi nomini, hoc christiano tempori tribuendum quisquis non videt, cæcus; quisquis videt, nec laudat, ingratus; quisquis laudanti reluctatur, insanus est. Absit ut prudens quisquam hoc feritati imputet Barbarorum. Truculentissimas et sævissimas mentes ille terruit, ille frenavit, ille mirabiliter temperavit, qui per prophetam tanto ante prædixit : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Psal.* LXXXVIII, 33, 34).

CAPUT VIII. — *De commodis atque incommodis, quæ bonis ac malis plerumque communia sunt.*

1. Dicet aliquis : Cur ergo ista divina misericordia etiam ad impios ingratosque pervenit? Cur, putamus, nisi quia eam ille præbuit, qui quotidie *facit oriri solem suum super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45)? Quamvis enim quidam eorum ista cogitantes, pœnitendo ab impietate se corrigant; quidam vero, sicut Apostolus dicit, *divitias bonitatis et longanimitatis Dei* contemnentes, *secundum duritiam cordis sui et cor impœnitens* thesaurizent *sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II, 4, 6) : tamen patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemque misericordia Dei fovendos amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippe divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti; et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia : ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur.

2. Interest autem plurimum, qualis sit usus vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur; malus autem ideo hujuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret pœna[2], nihil ultimo judicio servari putaretur : rursus, si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus : itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis ser-

[1] Codices nostri, *haberetur*. M.

[2] Vox, *rerum*, abest a vetere codice libro Silvanectensi.

(*a*) Syracusæ civitas est in Sicilia quam obsidens Marcellus, Archimedis Syracusani machinis sæpe repulsus, tertio tandem anno expugnavit. Quæ hic de Marcello Augustinus, leguntur in Livio, lib. 25, c. 24.

(*b*) Narrat Livius, lib. 25, cap. 24.

(*c*) Idem, ibid., cap. 25.

(*d*) Tarentum, Calabriæ urbem, quæ a Romanis ad Annibalem defecerat, Q. Fabius Maximus Verrucosus recuperavit, [illegible] deprædandum tradidit. [illegible]

[illegible]

[illegible] lib. 27, cap. 16.

[1] Vind. Fr. et Lov., *nulli*. Verius Am. et Mss., *ulli*. — Cod. [illegible] M.

[2] [illegible] *pœna*. Cæteri codices, *plecteret pœna* : [illegible]

vitus, sed potius cupidos et avaros. Hæc cum ita sint, quicumque boni et mali pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum; et licet sub eodem tormento, non est idem virtus et vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; et sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur : ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant; boni autem precantur et laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum et exhalat horribiliter cœnum, et suaviter fragrat unguentum.

CAPUT IX. — *De causis correptionum, propter quas et boni et mali pariter flagellantur.*

1. Quid igitur in illa rerum vastitate [1] Christiani passi sunt, quod non eis magis fideliter ista considerantibus ad profectum valeret? Primo, quod ipsa peccata, quibus Deus indignatus implevit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se judicent dignos [2]. Excepto enim quod unusquisque, quamlibet laudabiliter vivens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiæ, etsi non ad facinorum immanitatem et gurgitem flagitiorum atque impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata vel rara vel tanto crebriora, quanto minora : hoc ergo excepto, quis tandem facile reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam et avaritiam, atque exsecrabiles iniquitates et impietates, Deus, sicut minando prædixit, conterit terras (*Isai.* XXIV, *et alibi*), sic habeat, ut habendi sunt? sic cum eis vivat, ut cum talibus est vivendum? Plerumque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis et corripiendis male dissimulatur; vel cum laboris piget, vel cum eorum os coram [3] verecundamur offendere; vel cum inimicitias devitamus, ne impediant et noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas : ita ut, quamvis bonis vita malorum displiceat, et ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur; tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet levibus et venialibus metuunt, jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minime puniantur. Jure istam vitam, quando divinitus affliguntur cum eis, amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt.

2. Nam si propterea quisque objurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediant alios infirmos, et premant atque avertant a fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Illud est culpabile, quod hi, qui dissimiliter vivunt et a malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere aut objurgare deberent, dum eorum offensiones cavent, ne sibi noceant in his rebus, quibus licite boni atque innocentes utuntur, sed cupidius quam oportebat eos, qui in hoc mundo peregrinantur et spem supernæ patriæ præ se gerunt. Non solum quippe infirmiores, vitam ducentes conjugalem, filios habentes vel habere quærentes, domos ac familias possidentes (quos Apostolus in Ecclesiis alloquitur, docens et monens quemadmodum vivere debeant et uxores cum maritis, et mariti cum uxoribus, et filii cum parentibus, et parentes cum filiis, et servi cum dominis, et domini cum servis [*Coloss.* III, 18-22]), multa temporalia, multa terrena libenter adipiscuntur et moleste amittunt, propter quæ non audent offendere homines, quorum sibi vita contaminatissima et consceleratissima displicet : verum etiam hi, qui superiorem vitæ gradum tenent, nec conjugalibus vinculis irretiti sunt, et victu parvo ac tegumento utuntur [1], plerumque suæ famæ ac saluti consulentes [2], dum insidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinent. Et quamvis non in tantum eos metuant, ut ad similia perpetranda quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant; ea ipsa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cum fortasse possint aliquos corripiendo corrigere; ne, si non potuerint, sua salus ac fama in periculum exitiumque perveniat : nec ea consideratione, qua suam famam ac salutem vident esse necessariam utilitati erudiendorum hominum; sed ea potius infirmitate, qua delectat lingua blandiens et humanus dies (I *Cor.* IV, 3), et reformidatur vulgi judicium et carnis excruciatio vel peremptio; hoc est, propter quædam cupiditatis vincula, non propter officia charitatis.

3. Non mihi itaque videtur hæc parva esse causa, quare cum malis flagellentur et boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam; non quidem æqualiter, sed tamen simul : quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atque correcti consequerentur æternam; ad quam consequendam si nollent esse socii, ferrentur et diligerentur inimici : quia, donec vivunt, semper incertum est utrum voluntatem sint in melius mutaturi. Qua in re non utique parem, sed longe graviorem ha-

[1] Plures Mss., *vastatione*. — Corbeiensis 766 cum aliis probatioribus, *vastitate*. M.
[2] Lov., *indignos* : reluctante sensu et cæteris libris.
[3] Nonnulli codices omittunt, *coram*.

[1] Vetustissimus codex Corbeiensis, *ac tegimento utuntur*.
[2] Verbum *consulentes*, abest ab Am. Er. ac Mss. Potest illæso sensu deleri, ut quod proxime sequitur, *dum insidias atque impetus malorum timent*, referatur ad præcedentia verba, *famæ* scilicet, *ac saluti*.

bent causam, quibus per prophetam dicitur, *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram* (*Ezech.* XXXIII, 6). Ad hoc enim speculatores (*a*), hoc est populorum præpositi, constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideo tamen ab hujuscemodi culpa penitus alienus est, qui, licet præpositus non sit, in eis tamen quibus vitæ hujus necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit, et negligit, devitans eorum offensiones, propter illa quibus in hac vita non indebitis utitur, sed plus quam debuit delectatur. Deinde habent aliam causam boni, quare temporalibus affligantur malis; qualem habuit Job: ut sibi ipse humanus animus sit probatus et cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat (*b*).

CAPUT X. — *Quod sanctis in amissione rerum temporalium nihil pereat.*

1. Quibus recte consideratis atque perspectis, attende utrum aliquid mali acciderit fidelibus et piis, quod eis non in bonum verteretur: nisi forte putandum est apostolicam illam vacare sententiam, ubi ait, *Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur* [1] *in bonum* (*Rom.* VIII, 28).

[CAPUT X.] Amiserunt omnia quæ habebant. Numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui est ante Deum dives (I *Petr.* III, 4)? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus: habentes autem victum et tegumentum, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum, et desideria multa stulta et noxia, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix est enim omnium malorum avaritia* (*c*): *quam quidam appetentes, a fide pererraverunt, et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.* VI, 6-10).

2. Quibus ergo terrenæ divitiæ in [2] illa vastatione perierunt, si eas sic habebant, quemadmodum ab isto foris paupere, intus divite audierant; id est, si mundo utebantur, tanquam non utentes (I *Cor.* VII, 31): potuerunt dicere, quod ille graviter tentatus et minime superatus: *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21): ut bonus servus magnas facultates haberet ipsam sui Domini voluntatem, cui pedissequus mente ditesceret, nec constristaretur eis rebus vivens relictus [3], quas cito fuerat moriens relicturus. Illi autem infirmiores, qui terrenis his bonis, quamvis ea non præponerent Christo, aliquantula tamen cupiditate cohærebant; quantum hæc amando peccaverint, perdendo senserunt. Tantum quippe doluerunt, quantum se doloribus inseruerant; sicut Apostolum dixisse supra commemoravi. Oportebat enim ut eis adderetur etiam experimentorum disciplina, a quibus fuerat tam diu neglecta verborum. Nam cum dixit Apostolus, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem*, et cætera; profecto in divitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem: qui [1] præcepit alibi, dicens, *Præcipe divitibus hujus mundi, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum* [2]; *sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum; bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17-19). Hæc qui de suis faciebant divitiis, magnis sunt lucris levia damna solati; plusque lætati ex his, quæ facile tribuendo tutius servaverunt, quam contristati ex his, quæ timide retinendo facilius amiserunt. Hoc enim potuit in terra perire, quod piguit inde transferre. Nam qui receperunt consilium Domini sui, dicentis, *Nolite condere vobis thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, quo fur non accedit, neque tinea corrumpit: ubi enim est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI, 19-21); tribulationis tempore probaverunt quam recte sapuerint, non contemnendo veracissimum præceptorem et thesauri sui fidelissimum invictissimumque custodem. Nam si multi sunt gavisi, ibi se habuisse divitias suas, quo contigit ut hostis non accederet; quanto certius et securius gaudere potuerunt qui monitu Dei sui illuc migraverant, quo accedere [3] omnino non posset? Unde Paulinus noster, Nolensis episcopus, ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus et copiosissime sanctus, quando et ipsam Nolam Barbari vastaverunt (*a*), cum ab eis teneretur, sic in corde suo, ut ab eo postea cognovimus, precabatur: *Domine, non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim sint omnia mea, tu scis.* Ibi enim habebat omnia sua, ubi eum condere et thesaurizare ille monstraverat [4], qui et hæc mala mundo ventura prædixerat. Ac per hoc qui Domino suo monenti obedierant, ubi et quomodo thesaurizare deberent, nec ipsas terrenas divitias Barbaris incursantibus amiserunt: quos autem non obedisse pœnituit, quid de talibus rebus faciendum esset, si non præcedente sapientia, certe consequente experientia didicerunt.

[1] Vetustissimus Corbeiensis liber, *cooperatur*.

[2] Vind. Am. et Lov. omittunt, *in*.

[3] Sic Mss. At editi, *relictis*: minus integra illa antithesi, quæ Augustino placuit, horum verborum, *vivens relictus*; et, *moriens relicturus*. — Codd. 766 et 2051 ferunt, *relictus*, dum codd. inferioris notæ nn. 2052 et 2055 habent, *relictis*. M.

(*a*) *Speculatoris* vocabulo exacte translatum est græcum *episcopos*, quod pluribus probat L. Vives.

(*b*) S. Chrysostomus in Homil. 1 ad populum Antiochenum novem causas enumerat variæ et omnimodæ sanctorum afflictionis in hoc mundo, quas sigillatim ex Scripturis confirmat. Lege eas.

(*c*) Apud Paulum, *philarguria*. Vulgata, *cupiditas*.

[1] Vind. Am. Er., *nam*: sic etiam habent manuscripti, excepto uno et altero, in quibus legitur, *de quo*. — Ms. 766, *quem*. M.

[2] In editis additur, *suæ non*; quod abest a manuscriptis.

[3] Editi, *accedi*. At Mss., *accedere*.

[4] Lov. et codices nostri, excepto 766, legunt, *monuerat*. Ms. 766 et plerique editi, *monstraverat*. M.

(*a*) Gothi nempe sub Alarico post direptam Urbem per Latium, Volscos, Campaniam, et alias Italiæ provincias effusi, Nolam ipsam Campaniæ civitatem diruerunt.

3. At enim quidam boni etiam Christiani tormentis excruciati sunt, ut bona sua hostibus proderent. Illi vero nec prodere, nec perdere potuerunt bonum, quo et ipsi boni erant. Si autem torqueri, quam mammona iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent sustinenda pro Christo : ut eum potius diligere discerent, qui pro se passos æterna felicitate ditaret ; non aurum et argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu verum dicendo proderetur. Namque inter tormenta nemo Christum confitendo amisit : nemo aurum, nisi negando, servavit. Quocirca utiliora erant fortasse tormenta, quæ bonum incorruptibile amandum docebant, quam illa bona, quæ sine ullo utili fructu dominos sui amore torquebant. Sed quidam etiam non habentes quod proderent, dum non creduntur, torti sunt. Et hi forte habere cupiebant, nec sancta voluntate pauperes erant : quibus demonstrandum fuit, non facultates, sed ipsas cupiditates talibus esse dignas cruciatibus. Si vero melioris vitæ proposito reconditum aurum argentumque non habebant, nescio quidem utrum cuiquam talium acciderit, ut dum habere creditur, torqueretur : verumtamen etiamsi accidit, profecto qui inter illa tormenta paupertatem sanctam confitebatur, Christum confitebatur. Quapropter etsi non meruit ab hostibus credi, non potuit tamen sanctæ paupertatis confessor sine cœlesti mercede torqueri.

4. [XI.] Multos, inquiunt, etiam Christianos fames diuturna vastavit. Hoc quoque in usus suos boni fideles pie tolerando verterunt. Quos enim fames necavit, malis vitæ hujus, sicut corporis morbus, eripuit : quos autem non necavit, docuit parcius vivere, docuit productius jejunare.

CAPUT XI. — *De fine temporalis vitæ, sive longioris, sive brevioris.*

Sed enim multi etiam Christiani interfecti sunt, multi multarum mortium fœda varietate consumpti. Hoc si ægre ferendum est, omnibus qui in hanc vitam procreati sunt, utique commune est. Hoc scio, neminem fuisse mortuum, qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem vitæ tam longam quam brevem vitam hoc idem facit. Neque enim aliud melius, et aliud deterius ; aut aliud majus, et aliud brevius est, quod jam pariter non est. Quid autem interest, quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille cui finitur, iterum mori non cogitur? Cum autem unicuique mortalium sub quotidianis vitæ hujus casibus innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quamdiu incertum est, quænam earum ventura sit; quæro utrum satius sit, unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo. Nec ignoro quam inertius [1] eligatur diu vivere sub timore tot mortium, quam semel moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pavidus refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata convincit. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit : neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani noverint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii divitis in purpura et bysso (*Luc.* XVI, 19-31); horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt, qui bene vixerunt.

CAPUT XII. — *De sepultura humanorum corporum, quæ Christianis etiamsi fuerit negata, nil adimit.*

1. At enim in tanta strage cadaverum nec sepeliri potuerunt. Neque istud pia fides nimium reformidat, tenens prædictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit (*Id.* XXI, 18). Nullo modo diceret Veritas, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28); si quidquam obesset futuræ vitæ, quidquid inimici de corporibus occisorum facere voluissent. Nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendat eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, et timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non sinant. Falsum est ergo quod ait Christus, *Qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant* (*Luc.* XII, 4); si habent tanta, quæ de cadaveribus faciant. Absit ut falsum sit quod Veritas dixit. Dictum est enim aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo; postea vero nihil habere quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit : sed nullum eorum quisquam a cœlo et terra separavit, quam totam implet præsentia sui, qui novit unde resuscitet quod creavit. Dicitur quidem in Psalmo, *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ : effuderunt sanguinem eorum, sicut aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret* (*Psal.* LXXVIII, 2, 3) : sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem qui ista perpessi sunt. Quamvis enim hæc in conspectu hominum dura et dira videantur; *sed pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Proinde omnia ista, id est, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exsequiarum [1], magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exsequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum : sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt.

2. Rident hæc illi, contra quos defendendam suscepimus civitatem Dei. Verumtamen sepulturæ curam

[1] Gallicani et Romani Mss., *citius*.

[1] Sola editio Lov., *pompæ exsequiarum*.

etiam eorum philosophi contempserunt (*a*) : et sæpe universi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, ubi postea jacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curarunt : licuitque de hac re poetis plausibiliter dicere :

Cœlo tegitur, qui non habet urnam (*b*).

Quanto minus debent de corporibus insepultis insultare Christianis, quibus et ipsius carnis et membrorum omnium reformatio non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda et redintegranda promittitur (I *Cor.* xv, 52)?

CAPUT XIII. — *Quæ sit ratio sanctorum corpora sepeliendi.*

Nec ideo tamen contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. [1] Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta, gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exsequiæ celebratæ, et sepultura provisa (*Gen.* xxv, 9; xxxv, 29; L, 2-13, *etc.*) : ipsique dum viverent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt (*Id.* XLVII, 29, 30; L, 24) : et Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste angelo, commendatur (*Tob.* II, 9; XII, 12). Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit (*Matth.* XXVI, 10-13). Et laudabiliter commemorantur in Evangelio qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt (*Joan.* XIX, 38-42). Verum istæ auctoritates non hoc admonent [2], quod insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Ubi et illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus et sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur. Sunt quidem et alia, quæ sancti Patriarchæ de corporibus suis vel condendis vel transferendis prophetico spiritu dicta intelligi voluerunt : non autem hic locus est, ut ea pertractemus, cum sufficiant ista quæ diximus. Sed si ea quæ sustentandis viventibus sunt necessaria, sicut victus et amictus, quamvis cum gravi afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatam faciunt fecundiorem : quanto magis, cum desunt ea quæ curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus jam quietos? Ac per hoc, quando ista cadaveribus Christianorum in illa magnæ urbis, vel etiam aliorum oppidorum vastatione defuerunt; nec vivorum culpa est, qui non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire.

CAPUT XIV. — *De captivitate sanctorum, quibus nunquam divina solatia defuerunt.*

Sed multi, inquiunt, Christiani etiam captivi ducti sunt. Hoc sane miserrimum est, si aliquo duci potuerunt, ubi Deum suum non invenerunt. Sunt in Scripturis sanctis hujus etiam cladis magna solatia. Fuerunt in captivitate tres pueri, fuit Daniel, fuerunt alii prophetæ : nec Deus defuit consolator. Sic ergo non deseruit fideles suos sub dominatione gentis, licet barbaræ, tamen humanæ, qui prophetam non deseruit nec in visceribus belluæ (*Jonæ* II). Hæc quoque illi, cum quibus agimus, malunt irridere, quam credere : qui tamen in suis litteris credunt Arionem Methymnæum, nobilissimum citharistam, cum esset dejectus e navi, exceptum delphini dorso, et ad terras esse pervectum (*a*). Verum illud nostrum de Jona propheta incredibilius est. Plane incredibilius, quia mirabilius; et mirabilius, quia potentius.

CAPUT XV. — *De Regulo, in quo captivitatis, ob religionem etiam sponte tolerandæ, exstat exemplum : quod tamen illi deos colenti prodesse non potuit.*

1. Habent tamen isti de captivitate religionis causa etiam sponte toleranda et in suis præclaris viris nobilissimum exemplum. Marcus Attilius Regulus, imperator populi Romani, captivus apud Carthaginenses fuit (*b*). Qui cum sibi mallent a Romanis suos reddi, quam eorum tenere captivos, ad hoc impetrandum etiam istum præcipue Regulum cum legatis suis Romam miserunt, prius juratione constrictum, si quod volebant minime peregisset, rediturum esse Carthaginem. Perrexit ille, atque in senatu contraria persuasit, quoniam non arbitrabatur utile esse Ro-

[1] Plerique et melioris notæ Mss., *sancte usus est spiritus* : id est, ipse justorum animus sancto corporum usu opera bona edidit.

[2] Veteres quidam libri probæ notæ, *non ad hoc admonent*. — Ms. Vat., *non hoc admonent*, prætermissa vocula, *ad*. M.

(*a*) Diogenes Cynicus, Anaxagoras, Theodorus Cyrenaicus, et alii. Vide Senecam, lib. de Tranquillitate animi, cap. 14, et Epist. 92, Ciceronem in primo Tuscul. quæst. lib. 1, cap. 43 et seqq.

(*b*) Lucanus, lib. 7, v. 819, de cæsis Pharsalica pugna loquens, quos Cæsar insepultos jusserat relinqui.

(*a*) Arionis ex Methymna, Lesbi insulæ oppido, citharœdi fabulam scripsit Herodotus libro Musarum primo, capp. 23, 24. Hanc Ovidius in Fastis, libro 2, vers. 80 et seqq. A. Gellius, lib. 16, cap. 19.

(*b*) Cognomen, *Attilius*, abest a Vind. et a Mss. Hanc Marci Reguli historiam, qui primo Punico bello consul cum L. Manlio Vulsone creatus, exercitum in Africam Romanorum primus trajecit, et ibi bellum gessit, referunt A. Gellius, lib. 6, cap. 4, Appianus, de Bellis Punicis, cap. 4, Polybius lib. 1, cap. 29, et alii permulti.

manæ reipublicæ mutare captivos. Nec post hanc persuasionem a suis ad hostes redire compulsus est; sed quod juraverat[1], id sponte complevit. At illi eum excogitatis atque horrendis cruciatibus necaverunt. Inclusum quippe angusto ligno, ubi stare cogeretur, clavisque acutissimis undique confixo, ut se in nullam ejus partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt[2]. Merito certe laudant virtutem tam magna infelicitate majorem. Et per deos ille juraverat, quorum cultu[3] prohibito, has generi humano clades isti opinantur infligi. Qui ergo propterea colebantur, ut istam vitam prosperam redderent, si verum juranti has irrogari pœnas seu voluerunt, seu permiserunt, quid perjuro gravius irati facere potuerunt? Sed cur non ratiocinationem meam potius ad utrumque concludam? Deos certe sic ille coluit, ut propter jurisjurandi fidem nec remaneret in patria, nec inde quolibet ire, sed ad suos acerrimos inimicos redire minime dubitaret. Hoc si huic vitæ utile existimabat, cujus tam horrendum exitum meruit, procul dubio fallebatur. Suo quippe docuit exemplo, nihil deos ad istam temporalem felicitatem suis prodesse cultoribus: quandoquidem ille eorum deditus cultui, et victus et captivus abductus, et quia noluit aliter quam per eos juraverat facere, novo ac prius inaudito nimiumque horribili supplicii genere cruciatus exstinctus est. Si autem deorum cultus post hanc vitam velut mercedem reddit felicitatem, cur calumniantur temporibus christianis, ideo dicentes Urbi accidisse illam calamitatem, quia deos suos colere destitit, cum potuerit etiam illos diligentissime colens tam infelix fieri, quam ille Regulus fuit? Nisi forte contra clarissimam veritatem tanta quisquam dementia miræ cæcitatis obnititur, ut contendere audeat universam civitatem deos colentem infelicem esse non posse, unum vero hominem posse; quod videlicet potentia deorum suorum multos potius sit idonea conservare, quam singulos; cum multitudo constet ex singulis.

2. Si autem dicunt M. Regulum etiam in illa captivitate illisque cruciatibus corporis, animi virtute beatum esse potuisse; virtus potius vera quæratur, qua beata possit esse et civitas. Neque enim aliunde beata civitas, aliunde homo: cum aliud civitas non sit, quam concors[4] hominum multitudo. Quamobrem nondum interim disputo, qualis in Regulo virtus fuerit: sufficit nunc, quod isto nobilissimo exemplo coguntur fateri, non propter corporis bona, vel earum rerum quæ extrinsecus homini accidunt, colendos deos; quandoquidem ille carere his omnibus maluit, quam deos per quos juravit offendere. Sed quid faciamus hominibus qui gloriantur talem se habuisse civem, qualem timent habere civitatem? Quod si non timent, tale ergo aliquid, quale accidit Regulo, etiam civitati tam diligenter, quam ille, deos colenti accidere potuisse fateantur, et christianis temporibus non calumnientur. Verum quia de illis Christianis orta quæstio est, qui etiam captivi ducti sunt[1], hoc intueantur et taceant, qui saluberrimæ religioni hinc impudenter atque imprudenter illudunt: quia si diis eorum probro non fuit, quod attentissimus cultor illorum, dum eis jurisjurandi fidem servaret, patria caruit, cum aliam non haberet, captivusque apud hostes per longam mortem supplicio[2] novæ crudelitatis occisus est: multo minus nomen criminandum est christianum in captivitate sacratorum suorum, qui supernam patriam veraci fide expectantes, etiam in suis sedibus peregrinos se esse noverunt (I *Petr.* II, 11).

CAPUT XVI. — *An stupris, quæ etiam sanctarum forte virginum est passa captivitas, contaminari potuerit virtus animi sine voluntatis assensu.*

Magnum sane crimen se putant objicere Christianis, cum eorum exaggerantes captivitatem, addunt etiam stupra commissa, non solum in aliena matrimonia virginesque nupturas, sed etiam in quasdam sanctimoniales. Hic vero non fides, non pietas, non ipsa virtus quæ castitas dicitur, sed nostra potius disputatio inter pudorem atque rationem quibusdam coarctatur angustiis (*a*). Nec tantum curamus hic alienis responsionem reddere, quantum ipsis nostris consolationem. Sit igitur in primis positum atque firmatum, virtutem qua recte vivitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus usu fieri sanctæ voluntatis: qua inconcussa ac stabili permanente, quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam esse patientis. Sed quia non solum quod ad dolorem, verum etiam quod ad libidinem pertinet, in corpore alieno perpetrari potest; quidquid tale factum fuerit, et si retentam constantissimo animo pudicitiam non excutit, pudorem tamen incutit; ne credatur factum cum mentis etiam voluntate, quod fieri fortasse sine carnis aliqua voluptate non potuit.

CAPUT XVII. — *De morte voluntaria ob metum pœnæ sive dedecoris.*

Ac per hoc et quæ se occiderunt, ne quidquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignosci? et quæ se occidere noluerunt, ne suo facinore alienum flagitium devitarent, quisquis eis hoc crimini dederit, ipse crimine insipientiæ non carebit[3]. [XVII.] Nam utique si non licet privata potestate[4]

[1] Vind. Am. Er. et nostri omnes Mss., *sed quia juraverat.*

[2] Libri nonnulli, *etiam jugulando peremerunt*: sed male. Huc pertinet illud Ciceronis, Oratione in Pisonem, cap. 19: « Marcum Attilium Regulum Carthaginenses resectis palpe« bris illigatum in machina vigilando peremerunt. » Non multo aliter Valerius Maximus, lib. 9, cap. 2, ext. 1.

[3] Vind. Am. et Lov., *quorum pro cultu prohibito.* Abest, *pro*, ab Er. et a plerisque manuscriptis.

[4] Nonnulli codices, *consors.*

[1] Plures Mss., *qui etiam captivati sunt.* — Sic nostri Mss. M.

[2] Lov., *longa morte et supplicio*; dissentientibus editis aliis et manuscriptis.

[3] Plerique Mss., *ipse crimen*; et ex iis perpauci loco, *carebit*, habent, *cavebit.* — Corbeiensis quoque, *ipse crimen insipientiæ non cavebit*: bene. M.

[4] Lov., *si non licet privata potestate alicui.* Editi alii et Mss. omittunt, *alicui.*

(*a*) Nam pudor prohibet etiam corporis violationem non malam dici, ratio id jubet.

hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit: profecto etiam qui se ipsum occidit, homicida est; et tanto fit nocentior, cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putavit. Nam si Judæ factum merito detestamur, eumque veritas judicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius quam expiasse commissum; quoniam Dei misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit (*Matth.* XXVII, 3): quanto magis a sua nece se abstinere debet qui tali supplicio quod in se puniat, non habet? Judas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit: et tamen non solum Christi, verum etiam suæ mortis reus finivit hanc vitam; quia licet propter suum scelus, alio suo scelere occisus est. [XVIII.] Cur autem homo, qui mali nihil fecit, sibi male faciat, et se ipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem; atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum?

CAPUT XVIII. — *De aliena violentiarum libidine, quam in oppresso corpore mens invita perpetitur.*

1. At enim, ne vel aliena polluat libido, metuitur. Non polluet, si aliena erit: si autem polluet, aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, qua potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire decernit; nullus autem magnanimus et pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat, sed tantum quid annuat mente, vel renuat: quis eadem sana mente[1] putaverit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa et oppressa carne sua exerceatur et expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit; nec pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur, sed in bonis corporis numerabitur; qualia sunt, vires, pulchritudo, sana integraque[2] valetudo, ac si quid hujusmodi est: quæ bona, etiam si minuantur, bonam justamque vitam omnino non minuunt. Quod si tale aliquid est pudicitia, utquid pro illa, ne amittatur, etiam cum periculo corporis laboratur? Si autem animi bonum est, etiam oppresso corpore non amittitur. Quin etiam sanctæ continentiæ bonum cum immunditiæ carnalium concupiscentiarum non cedit, et ipsum corpus sanctificatur: et ideo cum eis non cedere inconcussa intentione persistit, nec de ipso corpore perit sanctitas[3], quia eo sancte utendi perseverat voluntas, et quantum in ipso est, etiam facultas.

2. Neque enim eo corpus sanctum est, quod ejus membra sunt integra, aut eo, quod nullo contrectantur attactu; cum possint diversis etiam casibus vulnerata vim perpeti, et medici aliquando saluti opitulantes hæc ibi faciant, quæ horret aspectus. Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentia, sive inscitia, sive casu, dum inspicit, perdidit: non opinor quemquam tam stulte sapere, ut huic periisse aliquid existimet etiam de ipsius corporis sanctitate, quamvis membri illius integritate jam perdita. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ. An vero si aliqua femina mente corrupta, violatoque proposito quod Deo voverat, pergat vitianda ad deceptorem suum; adhuc eam pergentem sanctam vel corpore dicimus, ea sanctitate animi, per quam corpus sanctificabatur, amissa atque destructa? Absit hic error: et hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso, sicut amittitur corporis sanctitas violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. Quamobrem non habet[1] quod in se morte spontanea puniat femina, sine ulla sua consensione violenter oppressa, et alieno compressa peccato: quanto minus ante quam hoc fiat; ne admittatur homicidium certum, cum ipsum flagitium, quamvis alienum, adhuc pendet incertum?

CAPUT XIX. — *De Lucretia, quæ se ob illatum sibi stuprum peremit.*

1. An forte huic perspicuæ rationi, qua dicimus corpore oppresso, nequaquam proposito castitatis ulla in malum consensione mutato, illius tantum esse flagitium qui opprimens concubuerit, non illius quæ oppressa concumbenti nulla voluntate consenserit, contradicere audebunt hi, contra quos feminarum christianarum in captivitate oppressarum non tantum mentes, verum etiam corpora sancta defendimus? [XIX.] Lucretiam certe, matronam nobilem veteremque Romanam, pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Hujus corpore cum violenter oppresso Tarquinii regis filius libidinose potitus esset, illa scelus improbissimi juvenis marito Collatino[2] et propinquo Bruto, viris clarissimis et fortissimis, indicavit, eosque ad vindictam constrinxit: deinde fœdi in se commissi ægra atque impatiens se peremit (a). Quid dicemus? adultera hæc, an casta judicanda est? Quis in hac controversia laborandum putaverit? Egregie quidam ex hoc veraciterque declamans, ait: « Mirabile dictu; duo fuerunt, et adulterium unus admisit. » Splendide atque verissime. Intuens enim in duorum corporum commixtione unius inquinatissimam cupiditatem, alterius castissimam voluntatem; et non quid conjunctione membrorum, sed quid animorum diversitate ageretur, attendens, « Duo, » inquit, « fuerunt, et adulterium unus admisit. »

2. Sed quid est hoc, quod in eam gravius vindicatur, quæ adulterium non admisit? Nam ille patria

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *quis tandem sana mente.*

[2] Plures manuscripti, omittunt, *integraque*; et loco, *sana*, quidam ferunt, *sanitas*. — Sic etiam Ms. 766. M.

[3] Ita Vind. et Mss. At Am. Er. et Lov., *perit castitas*.

[1] Lov., *quamobrem quia non habet*. Abest, *quia*, ab editis aliis et a manuscriptis.

[2] Veteres libri communiter, *Collatino*. Apud Livium tamen vocatur, *Collatinus*.

(a) Narrat Livius, lib. 1, capp. 57, 58.

cum patre pulsus est (*a*); hæc summo est mactata supplicio. Si non est illa impudicitia, qua invita opprimitur; non est hæc justitia, qua casta punitur. Vos appello, leges judicesque Romani. Nempe post perpetrata facinora nec quemquam scelestum indemnatum impune voluistis occidi. Si ergo ad vestrum judicium quisquam deferret hoc crimen, vobisque probaretur, non solum indemnatam, verum etiam castam et innocentem interfectam esse mulierem; nonne eum qui id fecisset, severitate congrua plecteretis? Hoc fecit illa Lucretia; illa, illa sic prædicata Lucretia innocentem, castam, vim perpessam Lucretiam insuper interemit [1]. Proferte sententiam. Quod si propterea non potestis, quia non astat quam punire possitis; cur interfectricem innocentis et castæ tanta prædicatione laudatis? Quam certe apud infernos judices, etiam tales, quales poetarum vestrorum carminibus cantitantur, nulla ratione defenditis, constitutam scilicet inter illos,

> qui sibi letum
> Insontes peperere manu, lucemque perosi,
> Projecere animas.

Cui ad superna redire cupienti

> Fata obstant, tristique palus innabilis unda [2]
> Alligat
> (*Virgil. Æneid. lib.* 6, *vers.* 434-439.)

An forte ideo ibi non est, quia non insontem, sed male sibi consciam se peremit? Quid si enim (quod ipsa tantummodo nosse poterat), quamvis juveni violenter irruenti, etiam sua libidine illecta consensit, idque in se puniens ita doluit, ut morte putaret expiandum? Quanquam nec sic quidem occidere se debuit, si fructuosam posset apud deos falsos agere pœnitentiam. Verumtamen si forte ita est, falsumque est illud, quod duo fuerunt, et adulterium unus admisit, sed potius ambo adulterium commiserunt, unus manifesta invasione, altera latente consensione: non se occidit insontem, et ideo potest a litteratis ejus defensoribus dici non esse apud inferos inter illos, « qui sibi letum insontes peperere manu. » Sed ita hæc causa ex utroque latere coarctatur, ut si extenuatur homicidium, adulterium confirmetur; si purgatur adulterium, homicidium cumuletur: nec omnino invenitur exitus, ubi dicitur, Si adulterata [3], cur laudata? si pudica, cur occisa?

3. Nobis tamen in hoc tam nobili feminæ hujus exemplo ad istos refutandos, qui christianis feminis in captivitate compressis alieni ab omni cogitatione sanctitatis insultant, sufficit quod in præclaris ejus laudibus dictum est: « Duo fuerunt, et adulterium unus admisit. » Talis enim ab eis Lucretia magis credita est, quæ se nullo adulterino potuerit maculare consensu. Quod ergo se ipsam, quoniam adulterum [1] pertulit, etiam non adulterata occidit, non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissæ, etiamsi non secum; et Romana mulier laudis avida nimium verita est, ne putaretur, quod violenter est passa cum viveret, libenter passa si viveret. Unde ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putavit, quibus conscientiam demonstrare non potuit. Sociam quippe facti se credi erubuit, si, quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Non hoc fecerunt feminæ christianæ, quæ passæ similia vivunt. Tamen nec in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua, si, quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in se ipsis homicidia erubescendo committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiæ: habent autem coram oculis Dei sui, nec requirunt amplius, ubi, quid recte faciant, non amplius habent; ne devient ab auctoritate legis divinæ, cum male devitant offensionem suspicionis humanæ.

CAPUT XX. — *Nullam esse auctoritatem, quæ Christianis in qualibet causa jus voluntariæ necis tribuat.*

Neque enim frustra in sanctis canonicis [2] Libris nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendive mali causa, nobismetipsis necem inferamus. Nam et prohibitos nos esse intelligendum est, ubi Lex ait, *Non occides*: præsertim quia non addidit, proximum tuum: sicut falsum testimonium cum vetaret, *Falsum*, inquit, *testimonium non dices adversus proximum tuum* (*Exod.* xx, 13, 16). Nec ideo tamen si adversus se ipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit alienum. Quoniam regulam diligendi proximum a semetipso dilector accepit; quandoquidem scriptum est, *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Matth.* xxii, 39). Porro si falsi testimonii non minus reus est qui de se ipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret; cum in eo præcepto, quo falsum testimonium prohibetur, adversus proximum prohibeatur, possitque non recte intelligentibus videri non esse prohibitum ut adversus se ipsum quisque falsus testis assistat: quanto magis intelligendum est, non licere homini se ipsum occidere, cum in eo, quod scriptum est, *Non occides*, nihilo deinde addito, nullus, nec ipse utique cui præcipitur, intelligatur exceptus? Unde quidam hoc præceptum etiam in bestias ac pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum etiam illorum liceat occidere (*a*). Cur non ergo et herbas, et quidquid humo radicitus alitur ac figitur? nam et hoc genus rerum, quamvis non sentiat, dicitur vivere; ac per hoc potest et mori; proinde etiam, cum vis adhibetur, occidi. Unde et Apostolus, cum de hujuscemodi semini-

[1] Sola editio Lov., *vim perpessam Lucretiam Lucretia insuper interemit.*

[2] Scripti libri omnes prope, *Fas obstat*: et loco, *innabilis*, habent, *inamabilis*. Quidam etiam, *tristisque*, pro, *tristique*: et, *undæ*, pro, *unda*. Nec pauciores ibi discrepantiæ repertæ sunt in Virgilianis veteribus libris. — Mss. nostri omnes habent, *fas*, pro, *fata*, et *inamabilis*, pro, *innabilis*. Cd. 766 solus fert, *tristis*, pro, *tristi*. M.

[3] Editi, *adultera*. At Mss., *adulterata*.

(*a*) De hoc infra, lib. 3, cap. 25.

[1] Sic Mss. At editi, *adulterium*.

[2] Editi, *canonicisque*. Particula, *que*, non est in manuscriptis.

(*a*) Ut Marcionitæ, teste Epiphanio, Hæresi 42; et Manichæi, teste Augustino, lib. 6 contra Faustum, capp. 6, 8 (Coquæus.)

bus loqueretur. *Tu*, inquit, *quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur* [1] (I *Cor.* XV, 36). Et in Psalmo scriptum est, *Occidit vites eorum, in grandine* (*Psal.* LXXVII, 47). Num igitur ob hoc, cum audimus, *Non occides*, virgultum vellere nefas ducimus, et Manichæorum errori insanissime acquiescimus? His igitur deliramentis remotis, cum legimus, *Non occides*, si propterea non accipimus hoc dictum esse de fruteclis, quia nullus est eis sensus; nec de animantibus irrationalibus [2], volatilibus, natatilibus, ambulatilibus, reptilibus, quia nulla nobis ratione sociantur, quam non eis datum est nobiscum habere communem; unde justissima ordinatione Creatoris et vita et mors eorum nostris usibus subditur: restat ut de homine intelligamus, quod dictum est, *Non occides*: nec alterum ergo, nec te [3]. Neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit.

CAPUT XXI. — *De interfectionibus hominum, quæ ab homicidii crimine excipiuntur.*

Quasdam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut non liceat [4] hominem occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione: non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti [5]: et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, *Non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges, hoc est justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium, nequaquam scelerate, sed obedienter occidere (*Gen.* XXII). Et merito quæritur, utrum pro jussu Dei sit habendum, quod Jephte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cum se immolaturum Deo id vovisset, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset (*Judic.* XI). Nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat (*Id.* XVI, 30). His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet; quisquis hominem vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.

CAPUT XXII. — *Quod nunquam possit mors voluntaria ad magnitudinem animi pertinere.*

1. Et quicumque hoc in se ipsis perpetraverunt, animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientiæ sanitate laudandi sunt. Quanquam si rationem diligentius consulas, ne ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare vel quæque aspera vel aliena peccata, se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest vel duram sui corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem; majorque animus merito dicendus est, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quam fugere; et humanum judicium, maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere. Quamobrem si magno animo fieri putandum est, cum sibi homo ingerit mortem, ille potius Cleombrotus [1] in hac animi magnitudine reperitur; quem ferunt lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputavit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorem. Nihil enim urgebat aut calamitatis, aut criminis, seu verum, seu falsum, quod non valendo ferre se auferret; sed ad capessendam mortem, atque ad hujus vitæ suavia vincula rumpenda sola adfuit animi magnitudo. Quod tamen magne potius factum esse quam bene, testis ei potuit esse Plato ipse, quem legerat: qui profecto id præcipue potissimumque fecisset, vel etiam præcepisset; nisi ea mente, qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse judicasset.

2. [XXIII.] At enim multi se interemerunt, ne in manus hostium pervenirent. Non modo quærimus utrum sit factum, sed utrum fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem et exempla concordant, sed illa quæ tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate. Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli: quia et ipse Dominus Christus, quando eos, si persecutionem paterentur, fugere admonuit de civitate in civitatem (*Matth.* X, 23), potuit admonere ut sibi manus inferrent, ne in manus persequentium pervenirent. Porro si hoc ille non jussit, aut monuit, ut eo modo sui ex hac vita migrarent, quibus migrantibus mansiones æternas se præparaturum esse promisit (*Joan.* XIV, 2); quælibet exempla opponant gentes quæ ignorant Deum, manifestum est hoc non licere colentibus unum verum Deum.

CAPUT XXIII. — *Quale exemplum sit Catonis, qui se, victoriam Cæsaris non ferens, interemit.*

Sed tamen etiam illi præter Lucretiam, de qua supra satis quod videbatur diximus, non facile reperiunt de cujus auctoritate præscribant, nisi illum Catonem, qui se Uticæ occidit (*a*): non quia solus id fecit, sed quia vir doctus et probus habebatur (*b*), ut merito putetur recte etiam fieri potuisse vel posse quod fecit.

[1] Editi, *nisi prius moriatur*. Abest, *prius*, a manuscriptis et a græco textu Pauli.
[2] Mss., *irrationabilibus*.
[3] Sic Mss. At Lov., *non alterum, ergo nec te*.
[4] Lov., *ut liceat*; omissa negante particula, quæ inest in cæteris libris, et prorsus necessaria videtur ad Augustini propositum, qui illis exceptionibus a Dei auctoritate factis hominem occidendi licentiam tribui docet.
[5] Editi, *gladius est utenti*. At manuscripti non habent, *est*; cujus loco bene subauditur, *debet*.

[1] Vind. Am. et omnes prope Mss., *Theombrotus*. Cicero enim, *Theombrotum* vocat.
(*a*) Fuit ille Cato minor, Catonis majoris pronepos, *Uticensis* dictus, quia Uticæ, quæ civitas est in Africa, seipse occidit. De eo Livius lib. 114; Cicero, lib. 1 Offic., cap. 31, et Tusc. lib. 1, c. 30.
(*b*) Catonis utriusque et innocentia et severitas etiam in proverbium abierunt. Unde est illud apud Juvenalem, lib. 1, sat. 2, vers. 40: « Tertius e cœlo cecidit Cato. » Hujus probitatem egregie laudant Velleius Paterculus, lib. 2, cap. 35; Seneca, lib. de Tranquillitate animi, cap. 15; Sallustius in Catilin., cap. 54, et alii.

De cujus facto quid potissimum dicam; nisi quod amici ejus etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant, imbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt, quo demonstraretur non honestas turpia praecavens, sed infirmitas adversa non sustinens? Hoc et ipse Cato in suo charissimo filio judicavit. Nam si turpe erat sub victoria Cæsaris vivere, cur auctor hujus turpitudinis pater[1] filio fuit, quem de Cæsaris benignitate omnia sperare præcepit? cur non et illum secum coegit ad mortem? Nam si eum filium, qui contra imperium in hostem pugnaverat, etiam victorem laudabiliter Torquatus occidit (a); cur victus victo filio pepercit Cato, qui non pepercit sibi? an turpius erat contra imperium esse victorem, quam contra decus ferre victorem? Nullo modo igitur Cato turpe esse judicavit, sub victore Cæsare vivere; alioquin ab hac turpitudine paterno ferro[2] filium liberaret. Quid est ergo, nisi quod filium quantum amavit, cui parci a Cæsare et speravit et voluit; tantum gloriæ ipsius Cæsaris, ne ab illo etiam sibi parceretur, ut ipse Cæsar dixisse fertur, invidit (b); aut, ut aliquid nos mitius dicamus, erubuit?

CAPUT XXIV. — *Quod in ea virtute, qua Regulus Catone præstantior fuit, multo magis emineant Christiani.*

Nolunt autem isti, contra quos agimus, ut sanctum virum Job, qui tam horrenda mala in sua carne perpeti maluit, quam illata sibi morte omnibus carere cruciatibus, vel alios sanctos ex nostris Litteris summa auctoritate celsissimis, fideque dignissimis, qui captivitatem dominationemque hostium ferre, quam sibi necem inferre maluerunt, Catoni præferamus: sed ex litteris eorum, eidem illi Marco Catoni Marcum Regulum præferamus. Cato enim nunquam Cæsarem vicerat, cui victus dedignatus est subjici, et ne subjiceretur, a se ipso elegit occidi: Regulus autem Pœnos jam vicerat, imperioque Romano Romanus imperator non ex civibus dolendam, sed ex hostibus laudandam victoriam reportaverat; ab eis tamen postea victus, maluit eos ferre serviendo, quam eis se auferre moriendo. Proinde servavit et sub Carthaginensium dominatione patientiam, et in Romanorum dilectione constantiam, nec victum auferens corpus ab hostibus, nec invictum animum a civibus. Nec quod se occidere noluit, vitæ hujus amore fecit. Hoc probavit, cum causa promissi jurisque jurandi ad eosdem hostes, quos gravius in senatu verbis quam in bello armis offenderat, sine ulla dubitatione remeavit. Tantus itaque vitæ hujus contemptor, cum sævientibus hostibus per quaslibet pœnas eam finire, quam se ipse perimere maluit; magnum scelus esse, si se homo interimat, procul dubio judicavit. Inter omnes suos laudabiles et virtutum[1] insignibus illustres viros non proferunt Romani meliorem, quem neque felicitas corruperit, nam in tanta victoria mansit pauperrimus (a); nec infelicitas fregerit, nam ad tanta exitia revertit intrepidus. Porro si fortissimi et præclarissimi viri terrenæ patriæ defensores, deorumque licet falsorum, non tamen fallaces cultores, sed veracissimi etiam juratores, qui hostes victos more ac jure belli ferire potuerunt, hi ab hostibus victi se ipsos ferire noluerunt; et cum mortem minime formidarent, victores tamen dominos ferre, quam eam sibi inferre maluerunt: quanto magis Christiani verum Deum colentes et supernæ patriæ suspirantes, ab hoc facinore temperabunt, si eos divina dispositio vel probandos vel emendandos ad tempus hostibus subjugaverit; quos in illa humilitate non deserit, qui propter eos tam humiliter venit, Altissimus; præsertim quos nullius militaris potestatis vel talis militiæ jura constringunt, ipsum hostem ferire superatum[2]? [XXV.] Quis ergo tam malus error obrepit, ut homo se occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus; cum vel peccatorem vel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicum?

CAPUT XXV. — *Quod peccatum non per peccatum debeat declinari.*

At enim timendum est et cavendum, ne libidini hostili subditum corpus illecebrosissima voluptate animum alliciat consentire peccato. Proinde, inquiunt, non jam propter alienum, sed propter suum peccatum, antequam hoc quisque committat, se debet occidere. Nullo modo quidem hoc faciet animus, ut consentiat libidini carnis suæ aliena libidine concitatæ[3], qui Deo potius ejusque sapientiæ, quam corporis concupiscentiæ subjectus est. Verumtamen si detestabile facinus et damnabile scelus est, etiam se ipsum hominem occidere, sicut veritas manifesta proclamat; quis ita desipiat, ut dicat, Jam nunc peccemus, ne postea forte peccemus; jam nunc perpetremus homicidium, ne forte postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quam certum de præsenti homicidium? nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur, quam tale facinus ubi locus salubris pœnitentiæ non relinquitur? Hæc dixi propter eos vel eas, quæ non alieni, sed proprii peccati devitandi causa, ne sub alterius libidine etiam excitatæ suæ forte consentiant, vim sibi, qua moriantur, inferendam putant. Cæterum absit a mente christiana, quæ Deo suo fidit[4], in eoque spe posita ejus adjutorio nititur; absit, inquam, ut mens talis cujuslibet[5] carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod

[1] Vox, *pater*, abest a manuscriptis.
[2] Aliquot libri, *paterno furore*.
(a) Manlii Torquati consulis, qui Manlium filium, quod contra edictum pugnaverat, tametsi prospere, securi feriri jussit, meminit Livius, lib. 8, cap. 7; A. Gellius, lib. 9, cap. 13; Valerius Max., lib. 2, cap. 7.
(b) Intellecta morte Catonis dixisse fertur, *O Katôn, phthonô soi toû thanatou, kai gar emoi su tès sautoû sôtèrias ephthonèsas*, Plutarchus in Catone, cap. 72. Appianus, de Bellis civilibus lib. 2, cap. 99.

[1] Mss., *virtutis*.
[2] Vind. Am. Er. et plures Mss., *ferre superatum*: minus bene.
[3] Aliquot Mss., *concitante*. Et paulo post plerique habent, *quam corpori concupiscentiæque subjectus est*. — Ms. 766, *quam corpori voluptatique subjectus est*. M.
[4] Sola editio Lov., *quæ in Deo suo fidit*.
[5] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *quibuslibet*. — Sic etiam Ms. 766. M.
(a) Vide Liv. lib. 18 epitome et Valer. Maxim., lib. 4 c. 4.

si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi lege sua movetur; quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?

CAPUT XXVI. — *De his quæ fieri non licent, cum a sanctis facta noscuntur, qua ratione facta credenda sint.*

Sed quædam, inquiunt, sanctæ feminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se fluvium projecerunt; eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur (*a*). De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: et fieri potest ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes? sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere (*b*). Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat; quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? Sed non ideo sine scelere facit, quisquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam et miles (*c*) cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est [1], hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii; imo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur si fecerit injussus, inde punietur nisi fecerit jussus. Quod si ita est jubente imperatore, quanto magis jubente Creatore? Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat, si jussit cujus non licet jussa contemnere: tantummodo videat, utrum divina jussio nullo nutet incerto. Nos per aurem conscientiam convenimus, occultorum nobis judicium non usurpamus. Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est (I *Cor.* II, 11). Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipse [1] incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari: neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur; quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.

CAPUT XXVII. — *An propter declinationem peccati mors spontanea appetenda sit.*

Restat una causa, de qua dicere cœperam, qua utile putatur, ut se quisque interficiat, scilicet ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore sæviente. Quam causam si voluerimus admittere, eo usque progressa perveniet, ut hortandi sint homines tunc se potius interimere, cum lavacro sanctæ regenerationis abluti, universorum remissionem acceperint peccatorum. Tunc enim tempus est cavendi omnia futura peccata, cum omnia sunt deleta præterita. Quod si morte spontanea recte fit, cur non tunc potissimum fit? cur baptizatus sibi quisque parcit? cur liberatum caput tot rursus vitæ hujus periculis inserit, cum sit facillimæ potestatis illata sibi nece omnia devitare, scriptumque sit, *Qui amat periculum, incidit in illud* (*Eccli.* III, 27)? Cur ergo amantur tot et tanta pericula, vel certe, etiamsi non amantur, suscipiuntur, cum manet in hac vita cui abscedere licitum est? An vero tam insulsa perversitas cor evertit, et a consideratione veritatis avertit, ut, si se quisque interimere debet, ne unius captivantis dominatu corruat in peccatum, vivendum sibi existimet, ut ipsum perferat mundum per omnes horas tentationibus plenum, et talibus, quales sub uno domino formidantur [2], et innumerabilibus cæteris, sine quibus hæc vita non ducitur? Quid igitur causæ est, cur in eis exhortationibus tempora consumamus, quibus baptizatos alloquendo studemus accendere, sive ad virginalem integritatem, sive ad continentiam vidualem, sive ad ipsam tori conjugalis fidem; cum habeamus meliora et ab omnibus peccandi periculis remota compendia, ut, quibuscumque post remissionem recentissimam peccatorum arripiendam mortem sibique ingerendam persuadere potuerimus, eos ad Dominum saniores purioresque mittamus? Porro si quisquis hoc aggrediendum et suadendum putat, non dico desipit, sed insanit: qua tandem fronte homini dicit, Interfice te, ne parvis tuis peccatis adjicias gravius, dum vivis sub domino barbaris moribus impudico, qui non potest nisi sceleratissime dicere, Interfice te, peccatis tuis omnibus absolutis, ne rursus talia vel etiam pejora committas; dum vivis in mundo tot impuris voluptatibus illecebroso, tot nefandis crudelitatibus furioso, tot erroribus et terroribus inimico? Hoc quia nefas est dicere, nefas est profecto se occidere. Nam si hoc sponte faciendi ulla causa justa esse posset, procul dubio justior quam ista non esset. Quia vero nec ista est, ergo nulla est.

[1] Plures Mss., *sub qua legibus constitutus est.* — Ms. 766 fert, *legimus*, pro, *legibus*. M.

(*a*) Hoc martyrii genere celebritatem olim obtinuere in Ecclesia, laudatæ ab Ambrosio, lib. 3 de Virginibus, et Epist. 7, ad Simplicianum, Pelagia ejusque sorores et mater: non aliæ forsitan, ut Baronius ad annum 303 suspicatur, ab iis de quibus Eusebius, lib. 8 Hist. Eccl., cap. 24.

(*b*) Vide supra, cap. 21.

(*c*) Hoc loco miles pro carnifice et quæstionario damnatum hominem occidente si accipiatur, nihil opus erit cum Leonardo Coquæo distinguere de bello justo, vel cujus injustitia non certa sit militi. Quod enim quæstionarius etiam militis appellatione gauderet, ex aliis Augustini locis liquet. In serm. 302, n. 15: « Considerate, ait, « in ipsis ordinibus potestatum destinatum supplicio et damnatum... « non licere ferire, nisi ab illo qui ad hoc militat. Militat « quæstionarius, ab illo percutitur damnatus. » Explicatius videtur ex alio loco S. Augustini, de Libero Arbitrio lib. 1, nn. 11, 12: « Nam miles quoque jubetur lege, ut « hostem necet, a qua cæde si temperaverit, ab imperatore pœnas luit. » M.

[1] Er. Lov., *ipso*.

[2] Sic aliquot Mss. Alii vero, *qualibus sub uno domino formidatur*. Et quidam cum editis Vind. Am. Er. Lov., *qualis sub uno domino formidatur*.

CAPUT XXVIII. — *Quo judicio Dei in corpora continentium libido hostilis peccare permissa sit.*

1. Non itaque vobis, o fideles Christi, sit tædio vita vestra, si ludibrio fuit hostibus castitas vestra. Habetis magnam veramque consolationem, si fidam conscientiam retinetis, non vos consensisse peccatis eorum, qui in vos peccare permissi sunt. [XXVIII.] Quod si forte, cur permissi sint quæritis, alta quidem est providentia Creatoris mundi atque Rectoris, et inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI, 33). Veruntamen interrogate fideliter animas vestras, ne forte de isto integritatis et continentiæ vel pudicitiæ bono vos inflatius extulistis, et humanis laudibus delectatæ in hoc etiam aliquibus invidistis. Non accuso quod nescio, nec audio quod vobis interrogata corda vestra respondent. Tamen si ita esse responderint, nolite mirari hoc vos amisisse, unde hominibus placere gestiistis; illud vobis remansisse, quod ostendi hominibus non potest. Si peccantibus non consensistis, divinæ gratiæ, ne amitteretur, divinum accessit auxilium; humanæ gloriæ, ne amaretur, humanum successit opprobrium. In utroque consolamini, pusillanimes; illinc probatæ, hinc castigatæ; illinc justificatæ, hinc emendatæ. Quarum vero corda interrogata respondent, nunquam se de bono virginitatis vel viduitatis vel conjugalis pudicitiæ superbiisse, sed humilibus consentiendo (*Rom.* XII, 16) de dono Dei cum tremore exsultasse, nec invidisse cuiquam paris excellentiam sanctitatis et castitatis; sed humana laude postposita, quæ tanto major deferri solet, quanto est bonum rarius quod exigit laudem, optasse potius ut earum amplior numerus esset, quam ut ipsæ in paucitate amplius eminerent: nec istæ, quæ tales sunt, si earum quoque aliquas barbarica libido compressit, permissum hoc esse causentur; nec ideo credant Deum ista negligere, quia permittit quod nemo impune committit. Quædam enim veluti pondera malarum cupiditatum, et per occultum præsens divinum judicium relaxantur, et manifesto ultimo[1] reservantur. Fortassis autem istæ, quæ bene sibi sunt consciæ non se ex isto castitatis bono cor inflatum extulisse, et tamen vim hostilem in carne perpessæ sunt, habebant aliquid latentis infirmitatis, quæ posset in superbiæ fastum, si hanc humilitatem in vastatione illa evasissent, extolli. Sicut ergo quidam morte rapti sunt, ne malitia mutaret intellectum eorum (*Sap.* IV, 11); ita quiddam ab istis vi raptum est, ne prosperitas mutaret modestiam earum. Utrisque igitur, quæ de carne sua, quod turpem nullius esset perpessa[2] contactum, vel jam superbiebant, vel superbire, si nec hostium violentia contrectata esset, forsitan poterant; non ablata est castitas, sed humilitas persuasa: illarum tumori succursum est[3] immanenti, istarum occursum est imminenti.

2. Quanquam et illud non sit tacendum, quod quibusdam, quæ ista perpessæ sunt, potuit videri continentiæ bonum in bonis corporalibus deputandum, et tunc manere, si nullius libidine corpus attrectaretur; non autem esse positum in solo adjuto divinitus robore voluntatis, ut sit sanctum et corpus et spiritus; nec tale bonum esse, quod invito animo non possit auferri: qui error eis fortasse sublatus est. Cum enim cogitant qua conscientia Deo servierint, et fide inconcussa non de illo sentiunt quod ita sibi servientes eumque ita invocantes deserere ullo modo potuerit[1]; quantumque illi castitas placeat, dubitare non possunt: vident esse consequens, nequaquam illum fuisse permissurum ut hæc acciderent sanctis suis, si eo modo perire posset sanctitas, quam contulit eis et diligit in eis.

CAPUT XXIX. — *Quid familia Christi respondere debeat infidelibus, cum exprobrant quod eam a furore hostium non liberaverit Christus.*

Habet itaque omnis familia summi et veri Dei consolationem suam, non fallacem, nec in spe rerum nutantium vel labentium constitutam; vitamque etiam ipsam temporalem minime pœnitendam, in qua eruditur ad æternam, bonisque terrenis tanquam peregrina utitur, nec capitur, malis autem aut probatur, aut emendatur. Illi vero qui probationi[2] ejus insultant, eique dicunt, cum forte in aliqua temporalia mala devenerit, *Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4)? ipsi dicant, ubi sint dii eorum, cum talia patiuntur, pro quibus evitandis eos vel colunt, vel colendos esse contendunt (*a*). Nam ista respondet: Deus meus ubique præsens est, ubique totus, nusquam inclusus, qui possit adesse secretus, abesse non motus: ille cum me adversis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemque mihi æternam pro toleratis pie malis temporalibus servat: vos autem qui estis, cum quibus loqui dignum sit saltem de diis vestris, quanto minus de Deo meo, qui terribilis est super omnes deos; quoniam dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit (*Psal.* XCV, 4, 5)?

CAPUT XXX. — *Quam pudendis prosperitatibus affluere velint qui de christianis temporibus conqueruntur.*

Si Nasica ille Scipio vester quondam pontifex viveret, quem sub terrore belli Punici in suscipiendis Phrygiis sacris, cum vir optimus quæreretur, universus senatus elegit (*b*), cujus os fortasse non aude-

[1] Apud Lov. repetitur, *quædam*, hoc modo: *et quædam manifesto ultimo*, etc.; renitente sensu et cæteris libris.
[2] Sic probæ notæ Mss. At editi, *essent perpessæ*: et infra, *contractatæ essent*.
[3] Editi, *occursum est*: quo loco pauciores manuscripti, *succursum est*.

[1] Ms. 766, *nullo modo potuerit*. M.
[2] Vind. Am. Er. ac plerique manuscripti, *probitati*.

(*a*) Quod reipublicæ temporibus fieri solitum esse satis constat. Sed Alaricus cum obsidione premeret Romam, pestisque et fames Urbem affligeret, visum est senatoribus, ut in Capitolio templisque reliquis numinibus sacrificaretur. Narrant Sozomenus, lib. 9, cap. 6; Nicephorus Callixtus, lib. 13, cap. 35; Zosimus, lib. 5, cap. 41.
COQUÆUS.

(*b*) Defessa Italia Punico bello secundo atque ab Annibale vexata, ascitum est ex Pessinunte civitate Phrygiæ simulacrum matris deûm, quod videlicet sibyllinis versibus intellexerant collocandum Romæ, ut hostes expellerentur. Ad id rite excipiendum, cum vir optimus jussu Delphici oraculi quæreretur, electus est Scipio Nasica. Ex Cicerone.

(*Deux.*)

retis aspicere, ipse vos ab hac impudentia cohiberet. Cur enim afflicti rebus adversis de temporibus querimini christianis, nisi quia vestram luxuriam cupitis habere securam, et perditissimis moribus remota omni molestiarum asperitate diffluere? Neque enim propterea cupitis habere pacem et omni genere copiarum abundare, ut his bonis honeste utamini, hoc est modeste, sobrie, temperanter, pie; sed ut infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur, secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus pejora sint hostibus. At ille Scipio pontifex maximus vester, ille judicio totius senatus vir optimus, istam vobis metuens calamitatem, nolebat æmulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui, et decernenti ut dirueretur, contradicebat Catoni (*a*), timens infirmis animis hostem securitatem; et tanquam pupillis civibus idoneum tutorem, necessarium videns esse terrorem. Nec eum sententia fefellit: re ipsa probatum est, quam verum diceret. Deleta quippe Carthagine, magno scilicet terrore Romanæ reipublicæ depulso et exstincto, tanta de rebus prosperis orta mala continuo subsecuta sunt, ut corrupta disruptaque concordia prius sævis cruentisque seditionibus (*b*), deinde mox malarum connexione causarum, bellis etiam civilibus tantæ strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum ac rapinarum ferveret immanitas, ut Romani illi qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, perdita integritate vitæ crudeliora paterentur a civibus (*c*): eaque ipsa libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani meracior[1] inerat universo populo Romano, posteaquam in paucis potentioribus vicit, obtritos fatigatosque cæteros etiam jugo servitutis oppressit.

CAPUT XXXI. — *Quibus vitiorum gradibus aucta sit in Romanis cupido regnandi.*

Nam quando illa quiesceret in superbissimis mentibus, donec continuatis honoribus ad potestatem regiam perveniret? Honorum porro continuandorum facultas non esset, nisi ambitio prævaleret. Minime autem prævaleret ambitio, nisi in populo avaritia luxuriaque corrupto. Avarus vero luxuriosusque populus secundis rebus effectus est, quas Nasica ille providentissime cavendas esse censebat, quando civitatem illam hostium maximam, fortissimam, opulentissimam nolebat auferri; ut timore libido premeretur, libido pressa[1] non luxuriaretur, luxuriaque cohibita nec avaritia grassaretur: quibus vitiis obseratis, civitati utilis virtus floreret et cresceret, eique virtuti libertas congrua permaneret. Hinc etiam erat, et ex hac providentissima patriæ charitate veniebat, quod idem ipse vester pontifex maximus, a senatu temporis illius (quod sæpe dicendum est) electus sine ulla sententiarum discrepantia vir optimus, caveam theatri (*a*) senatum construere molientem, ab hac dispositione et cupiditate compescuit; persuasitque oratione gravissima, ne Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, et ad virtutem labefactandam enervandamque Romanam peregrinæ consentire nequitiæ: tantumque auctoritate valuit, ut ejus verbis commota senatoria providentia, etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo jam uti civitas cœperat, deinceps prohiberet apponi (*b*). Quanto studio iste ab urbe Roma ludos ipsos scenicos abstulisset, si auctoritati eorum, quos deos putabat, resistere auderet; quos esse noxios dæmones non intelligebat, aut si intelligebat, placandos etiam ipse potius quam contemnendos existimabat. Nondum enim fuerat declarata Gentibus superna doctrina, quæ fide cor mundans, ad cœlestia vel supercœlestia capessenda, humili pietate humanum mutaret affectum, et a dominatu superborum dæmonum liberaret.

CAPUT XXXII. — *De scenicorum institutione ludorum.*

Verumtamen scitote, qui ista nescitis, et qui vos scire dissimulatis, advertite, qui adversus liberatorem a talibus dominis murmuratis[2]: ludi scenici, spectacula turpitudinum et licentia vanitatum, non hominum vitiis, sed deorum vestrorum jussis Romæ instituti sunt. Tolerabilius divinos honores deferretis illi Scipioni, quam deos ejusmodi coleretis: neque enim erant illi dii suo pontifice meliores. Ecce attendite, si mens tamdiu potatis erroribus ebria, vos aliquid sanum considerare permittit. Dii propter sedandam corporum pestilentiam ludos sibi scenicos exhiberi jubebant (*c*); pontifex autem propter animorum cavendam pestilentiam, ipsam scenam construi prohibebat. Si aliqua luce mentis animum corpori præponitis, eligite quem colatis. Neque enim et illa corporum pestilentia ideo conquievit, quia populo bellicoso et solis antea ludis circensibus assueto ludorum

orat. de Aruspicum responsis, cap. 13; Livio, lib. 29, cap. 14, et aliis.

[1] Vind. Am. et Lov., *immoderatior*. At Er. et veteres Mss., *meracior*; excepto uno et altero, in quo est, *[illegible]*.

(*a*) Plutarchus, in Catone majore; Livius, lib. 49 epitome, etc.

(*b*) Tiberii Gracchi, deinde Caii fratris, in quibus primum usque ad sanguinem civilem ventum est, quæ seditiones fuere decem annis post deletam Carthaginem. Lud. Vives.

(*c*) Nam ex seditione C. Gracchi ortus est tribunatus Livii Drusi, quem Patres Equitibus, qui ex lege Gracchi judicabant, opposuerunt. Ex hoc bellum sociale, quod promissa a Livio Druso civitas non præstaretur. Ex hoc Marianum [illegible], cum Mithridates rex Ponti [illegible] Italiæ, multa civium millia, [illegible]. Ex hoc bella civilia [illegible]. Ex [illegible]. Ex [illegible]. Vives. — Sallustius in bello Jugurthino, cap. 41 seqq. Velleius Paterculus, initio lib. 2.

[1] Nonnulli Mss., *libido re pressa*. — Sic etiam cod. 763 M.

[2] Solus Er., *a talibus dominis liberati murmuratis*; minus bene.

(*a*) Locus theatri sic est appellatus, quod subsellia ad spectatorum consessum apte instructa caveæ formam quamdam referebat. Augustinus, lib. 1 de Consensu Evangelistarum, n. 51: « Cedant, inquit, theatra, caveæ turpitudinum et publicæ professiones flagitiorum. »

(*b*) [illegible] Livius lib. 48 epitome, Valer. Max. lib. 2, cap. 4, § 2. Appian. lib. 1 de Bellis civilibus, cap. 28.

(*c*) Livius lib. 7, cap. 2; Valer. Max. lib. 2, cap. 4, § 4.

scenicorum delicata subintravit insania : sed astutia spirituum nefandorum prævidens illam pestilentiam jam fine debito cessaturam, aliam longe graviorem, qua plurimum gaudet, ex hac occasione non corporibus, sed moribus curavit immittere, quæ animos miserorum tantis obcæcavit tenebris, tanta deformitate fœdavit, ut etiam modo (quod incredibile forsitan erit, si a nostris posteris audietur), Romana urbe vastata, quos pestilentia ista possedit, atque inde fugientes Carthaginem pervenire potuerunt, in theatris quotidie certatim pro histrionibus insanirent.

CAPUT XXXIII. — *De vitiis Romanorum, quos patriæ non correxit eversio.*

O mentes amentes ! quis est hic tantus, non error, sed furor, ut exitium vestrum (sicut audivimus) plangentibus orientalibus populis, et maximis civitatibus in remotissimis terris publicum luctum mœroremque ducentibus, vos theatra quæreretis, intraretis, impleretis, et multo insaniora, quam fuerant antea, faceretis? Hanc animorum labem ac pestem hanc probitatis et honestatis eversionem vobis Scipio ille metuebat, quando construi theatra prohibebat, quando rebus prosperis vos facile corrumpi atque everti posse cernebat, quando vos ab hostili terrore securos esse nolebat. Neque enim censebat ille felicem esse rempublicam stantibus mœnibus, ruentibus moribus. Sed in vobis plus valuit quod dæmones impii seduxerunt, quam quod homines providi præcaverunt. Hinc est quod mala quæ facitis, vobis imputari non vultis ; mala vero quæ patimini, christianis temporibus imputatis. Neque enim in vestra securitate pacatam rempublicam, sed luxuriam quæritis impunitam, qui depravati rebus prosperis, nec corrigi potuistis adversis. Volebat vos ille Scipio terreri ab hoste, ne in luxuriam flueretis ; vos nec contriti ab hoste luxuriam repressistis : perdidistis utilitatem calamitatis, et miserrimi facti estis, et pessimi permansistis.

CAPUT XXXIV. — *De clementia Dei, quæ Urbis excidium temperavit.*

Et tamen quod vivitis, Dei est ; qui vobis parcendo admonet, ut corrigamini pœnitendo ; qui vobis etiam ingratis præstitit, ut vel sub nomine servorum ejus, vel in locis martyrum ejus hostiles manus evaderetis. [XXXIV.] Romulus et Remus asylum constituisse perhibentur, quo quisquis confugeret, ab omni noxa liber esset, augere quærentes creandæ multitudinem civitatis. Mirandum in honorem Christi præcessit [1] exemplum. Hoc constituerunt eversores Urbis, quod constituerant antea conditores. Quid autem magnum, si hoc fecerunt illi, ut civium suorum numerus suppleretur, quod fecerunt isti, ut suorum hostium numerositas servaretur?

CAPUT XXXV. — *De latentibus inter impios Ecclesiæ filiis, et de falsis intra Ecclesiam christianis.*

Hæc et talia, si qua uberius et commodius potuerit, respondeat inimicis suis redempta familia Domini Christi, et peregrina civitas regis Christi. [XXXV.] Meminerit sane, in ipsis inimicis latere cives futuros, ne infructuosum vel apud ipsos putet quod, donec perveniat ad confessos (a), portat infensos : sicut ex illorum numero etiam Dei civitas habet secum, quamdiu peregrinatur in mundo, connexos communione Sacramentorum, nec secum futuros in æterna sorte sanctorum ; qui partim in occulto, partim in aperto sunt ; qui etiam cum ipsis inimicis adversus Deum, cujus sacramentum gerunt, murmurare non dubitant, modo cum illis theatra, modo ecclesias nobiscum replentes. De correctione autem quorumdam etiam talium multo minus est desperandum, si apud apertissimos adversarios prædestinati amici latitant, adhuc ignoti etiam sibi. Perplexæ quippe sunt istæ duæ civitates in hoc sæculo, invicemque permixtæ, donec ultimo judicio dirimantur : de quarum exortu et procursu et debitis finibus, quod dicendum arbitror, quantum divinitus adjuvabor, expediam, propter gloriam civitatis Dei, quæ alienis [1] a contrario comparatis clarius eminebit.

CAPUT XXXVI. — *De quibus causis sequenti disputatione sit disserendum.*

Sed adhuc quædam mihi dicenda sunt adversus eos, qui Romanæ reipublicæ clades in religionem nostram referunt, qua diis suis sacrificare prohibentur. Commemoranda enim sunt quæ et quanta occurrere potuerint, vel satis esse videbuntur, mala quæ illa civitas pertulit, vel ad ejus imperium pertinentes provinciæ, antequam eorum sacrificia prohibita fuissent : quæ omnia procul dubio nobis tribuerent, si jam vel illis clareret nostra religio, vel ita eos a sacris sacrilegis prohiberet. Deinde monstrandum est, quos eorum mores, et quam ob causam verus Deus ad augendum imperium adjuvare dignatus est, in cujus potestate sunt regna omnia ; quamque nihil eos adjuverint hi, quos deos putant, quin potius quantum decipiendo et fallendo nocuerint. Postremo adversus eos dicetur, qui manifestissimis documentis confutati atque convicti conantur asserere, non propter vitæ præsentis utilitatem, sed propter eam, quæ post mortem futura est, colendos deos. Quæ, nisi fallor, quæstio multo erit operosior, et sublimiore [2] disputatione dignior ; ut et contra philosophos in ea disseratur, non quoslibet, sed qui apud illos excellentissima gloria clari sunt, et nobiscum multa sentiunt, scilicet de animæ immortalitate, et quod verus Deus mundum condiderit, et de providentia ejus, qua universum, quod con-

[1] Plerique Mss. cum Vind., *processit*. — Sic etiam nostri Mss. M.

[1] Mss. non pauci, *alternis*.

[2] Vind. Am. et Mss. magno consensu, *subtiliore*. Er., *subtili*. — Juxta Cdd. nostros legendum est, *subtiliore*. M.

(a) Confesses, non declaratione ultima, cum apertæ erunt conscientiæ in futura vita, ut Ludovicus Vives interpretatur ; sed professione christianæ fidei, quæ ab iis in vita præsenti fieri debet, ut ad christi familiam admittantur.

didit, regit. Sed quoniam et ipsi in illis quæ contra eos sentiunt, refellendi sunt; deesse huic officio non debemus, ut refutatis impiis contradictionibus pro viribus, quas Deus impertiet, asseramus civitatem Dei, veramque pietatem, et Dei cultum, in quo uno veraciter sempiterna beatitudo promittitur. Hic itaque modus sit hujus voluminis, ut deinceps disposita ab alio sumamus exordio.

LIBER SECUNDUS.

In quo disputatione instituta de malis quæ ante Christum, vigente deorum falsorum cultu, perpessi sunt Romani, demonstratur primum eos morum malis et animi vitiis, quæ mala vel sola vel maxima deputanda sunt, cumulatos procurantibus diis falsis, nedum liberatos fuisse.

CAPUT PRIMUM. — *De modo, qui necessitati disputationis adhibendus est.*

Si rationi perspicuæ veritatis infirmus humanæ consuetudinis sensus non auderet obsistere, sed doctrinæ salubri languorem suum tanquam medicinæ subderet, donec divino adjutorio fide pietatis impetrante sanaretur; non multo sermone opus esset ad convincendum quemlibet vanæ opinationis[1] errorem, his qui recte sentiunt, et sensa verbis sufficientibus explicant. Nunc vero quoniam ille est major et tetrior[2] insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plene redditam, quanta homini ab homine debetur, sive nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur, sive obstinatissima pervicacia, qua et ea quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipsam rationem veritatemque defendunt: fit necessitas copiosius dicendi plerumque res claras, velut eas non spectantibus intuendas, sed quodammodo tangendas palpantibus et conniventibus offeramus. Et tamen quis disceptandi finis erit et loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? Nam qui vel non possunt intelligere quod dicitur, vel tam duri sunt adversitate mentis, ut, etiamsi intellexerint, non obediant; respondent, ut scriptum est, et loquuntur iniquitatem (*Psal.* XCIII, 4), atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerint non curare[3] quid dicant, dum quocumque modo nostris disputationibus contradicant; quam sit infinitum, et ærumnosum, et infructuosum, vides. Quamobrem nec te ipsum, mi fili Marcelline, nec alios, quibus hic labor noster in Christi charitate utiliter ac liberaliter servit, tales meorum scriptorum velim judices, qui responsionem semper desiderent, cum his quæ leguntur, audierint aliquid contradici; ne fiant similes earum mulierularum, quas commemorat Apostolus, *semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes* (II *Tim.* III, 7).

CAPUT II. — *De his quæ primo volumine expedita sunt.*

Superiore itaque libro, cum de civitate Dei dicere instituissem, unde hoc universum opus, illo adjuvante, in manus sumptum est; occurrit mihi respondendum[1] esse primitus eis qui hæc bella, quibus mundus iste conteritur, maximeque Romanæ urbis recentem a Barbaris vastationem christianæ religioni tribuunt, qua prohibentur nefandis sacrificiis servire dæmonibus: cum potius hoc deberent tribuere Christo, quod propter ejus nomen, contra institutum moremque bellorum, eis, quo confugerent, religiosa et amplissima loca Barbari libera præbuerunt; atque in multis famulatum deditum[2] Christo non solum verum, sed etiam timore confictum sic honoraverunt, ut quod in eos belli jure fieri licuisset, illicitum sibi esse judicarent. Inde incidit quæstio, cur hæc divina beneficia etiam ad impios ingratosque pervenerint; et cur illa itidem dura, quæ hostiliter facta sunt, pios cum impiis pariter afflixerint. Quam quæstionem per multa diffusam (in omnibus enim quotidianis vel Dei muneribus vel hominum cladibus, quorum utraque bene ac male viventibus permixte atque indiscrete sæpe accidunt, solet[3] multos movere) ut pro suscepti operis necessitate dissolverem, aliquantum immoratus sum; maxime ad consolandas sanctas feminas et pie castas, in quibus ab hoste aliquid perpetratum est, quod intulit verecundiæ dolorem, etsi non abstulit pudicitiæ firmitatem; ne pœniteat eas vitæ, quas[4] non est unde possit pœnitere nequitiæ. Deinde pauca dixi in eos qui Christianos adversis illis rebus affectos, et præcipue pudorem humiliatarum feminarum, quamvis castarum atque sanctarum, protervitate impudentissima exagitant, cum sint nequissimi et irreverentissimi, longe ab eis ipsis Romanis degeneres, quorum præclara multa laudantur et litterarum memoria celebrantur, imo illorum gloriæ vehementer adversi. Romam quippe partam[5] veterum auctamque laboribus, fœdiorem stantem fecerant quam ruentem: quandoquidem in ruina ejus lapides et ligna, in istorum autem

[1] Er. et nonnulli manuscripti, *opinionis*. — Sic etiam Ms. 766. M.
[2] Nonnulli Mss., *deterior*.
[3] Vetustiores libri, *non [illegible]*. — Sic etiam Ms. 766. M.

[1] In plerisque Mss., *retundendum*. — Sic etiam Ms. 766. M.
[2] Sic meliores manuscripti. At editi, *[illegible]*.
[3] Er. et Lov., *solent*. Vetus Vind. Am. et aliquot Mss., *solet* [illegible], *[illegible]* [illegible] quam, *per multa diffusam*, dicit. — Mss. nostri, *solet*. M.
[4] Er. et Lov., *quia eas*. Non [illegible] visum est addere hic, *apud*, quod a ceteris libris abest.
[5] Lov., *cum partam*. Vind. Am. et Er., *veram stantem*. At Mss. constanter habent *partam*, et carent voce, *cum*.

vita omnia, non murorum, sed morum munimenta atque ornamenta ceciderunt, cum funestioribus eorum corda cupiditatibus, quam ignibus tecta illius urbis arderent. Quibus dictis, primum terminavi librum. Deinceps itaque dicere institui, quae mala ea civitas illa perpessa sit ab origine sua, sive apud se ipsam, sive in provinciis sibi jam subditis; quae omnia christianae religioni tribuerent, si jam tunc evangelica doctrina adversus falsos et fallaces eorum deos testificatione liberrima personaret.

CAPUT III. — *De assumenda historia, qua ostendatur quae mala acciderint Romanis, cum deos colerent, antequam religio christiana increbresceret.*

Memento autem, me ista commemorantem, adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare proverbium : Pluvia defit[1], causa Christiani (a). Sunt namque qui eorum studiis liberalibus instituti amant historiam, qua facillime ista noverunt : sed ut nobis ineruditorum turbas infestissimas reddant, se nosse dissimulant ; atque hoc apud vulgus confirmare nituntur, clades quibus per certa intervalla locorum et temporum genus humanum oportet affligi, causa accidere nominis christiani, quod contra deos suos ingenti fama et praeclarissima celebritate per cuncta diffunditur (b). Recolant ergo nobiscum, antequam Christus venisset in carne, antequam ejus nomen ea, cui frustra invident, gloria populis innotesceret, quibus calamitatibus res Romanae multipliciter varieque contritae sint ; et in his defendant, si possunt, deos suos, si propterea coluntur, ne ista mala patiantur cultores eorum, quorum si quid nunc passi fuerint, nobis imputandum esse contendunt. Cur enim ea quae dicturus sum, permiserunt accidere cultoribus suis, antequam eos declaratum Christi nomen offenderet, eorumque sacrificia prohiberet ?

CAPUT IV. — *Quod cultores deorum nulla unquam a diis suis praecepta probitatis acceperint, et in sacris eorum turpia quaeque celebraverint.*

Primo ipsos mores-ne pessimos haberent, quare dii eorum curare noluerunt? Deus enim verus eos, a quibus non colebatur, merito neglexit ; dii autem illi, a quorum cultu se prohiberi homines ingratissimi conqueruntur, cultores suos ad bene vivendum quare nullis legibus adjuverunt? Utique dignum erat ut quomodo isti illorum sacra, ita illi istorum facta curarent. Sed respondetur, quod voluntate propria quisque malus est. Quis hoc negaverit? Verumtamen pertinebat ad consultores deos, vitae bonae praecepta non occultare populis cultoribus suis, sed clara praedicatione praebere, per vates etiam convenire, atque arguere peccantes, palam minari poenas male agentibus, praemia recte viventibus polliceri. Quid unquam tale in deorum illorum templis prompta et eminenti voce concrepuit? Veniebamus etiam nos aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegiorum (a); spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos; ludis turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur, Coelesti virgini (b), et Berecynthiae matri omnium : ante cujus lecticam die solemni lavationis ejus (c), talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis, qualia, non dico matrem deorum, sed matrem qualiumcumque senatorum vel quorumlibet honestorum virorum, imo vero qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. Habet enim quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre. Illam proinde turpitudinem obscenorum dictorum atque factorum, scenicos ipsos domi suae proludendi causa coram matribus suis agere puderet, quam per publicum agebant, coram deûm matre, spectante et audiente utriusque sexus frequentissima multitudine. Quae si illecta curiositate adesse potuit circumfusa, saltem offensa castitate debuit abire confusa. Quae sunt sacrilegia, si illa sunt sacra? aut quae inquinatio, si illa lavatio? Et haec Fercula appellabantur, quasi celebraretur convivium, quo velut suis epulis immunda daemonia pascerentur. Quis enim non sentiat cujusmodi spiritus talibus obscenitatibus delectentur, nisi vel nesciens utrum omnino sint ulli immundi spiritus deorum nomine decipientes, vel talem agens vitam, in qua istos potius quam Deum verum et optet propitios, et formidet iratos?

CAPUT V. — *De obscenitatibus, quibus Mater deûm a cultoribus suis honorabatur.*

Nequaquam istos, qui flagitiosissimae consuetudinis vitiis oblectari magis quam obluctari student, sed illum ipsum Nasicam Scipionem, qui vir optimus a senatu electus est, cujus manibus ejusdem daemonis simulacrum susceptum est, in Urbemque pervectum,

[1] Editi, *defecit* ; et ex iis tres, scilicet Vind. Am. Er. prosequuntur, *causa christiani nominis.* At veteres libri non addunt, *nominis :* et loco, *defecit*, habent omnes, *defit.* Plures quoque ex iisdem manuscriptis optimae notae verba consequentia nonnullis omissis particulis sic distinguunt : *causa Christiani sunt. Nam qui eorum studiis liberalibus instituti amant historiam, facillime ista noverunt.* — Sic etiam nostri Codd. M.

(a) Istud in Christianos proverbium paulo aliis verbis commemoratum habes Enarr. in Psal. 80, n. 1.

(b) Inter eruditos illos dissimulatores accensendus est Aurelius Symmachus, ille Urbi praefectus, qui talia habet in Relatione oblata Valentiniano, anno 384, quam confutavit S. Ambrosius. Vide num. 14 in editione Ambrosiana. Ad eam calumniam confutandam, rogatu Augustini, Historiarum opus scribere aggressus est Paulus Orosius. Vide ejus praefationem ad Augustinum.

(a) Invertit falsam appellationem, qua *ludi sacri* a paganis, aut *ludorum sacra* dicebantur.

(b) *Coelesti* huic *virgini* praecipuus in Africa cultus tribuebatur, teste Tertulliano in Apologetico, cap. 24. De illa idem ipse in ejusdem libri capite 25, et multis locis Augustinus, ut Enarr. in Psal. 62, n. 7, et in Psal. 98, n. 14, et Serm. 105, n. 12. Hanc Ludovicus Vives nulla coactus auctoritate aut ratione confundit hic loci cum deûm matre Berecynthia ; Augustinus contra manifeste distinguit, interposita copulante particula subjiciens, *et Berecynthiae matri omnium*, id est, deorum et dearum : quod supplendum relinquebatur in manuscriptis. Nam in editis additum est, *deorum.*

(c) Pridie idus apriles mater deûm magna pompa a suis sacerdotibus ad Almonem fluvium, qui non procul ab Urbe in Tiberim influit, producebatur, ibique ad confluentem duorum amnium abluebatur vetere instituto. Nam quo primum die ex Asia illuc est advecta, a sacerdote lota est, isque dies postea sacer fuit et singulis annis repetitus. De quo more Ovidius, in Fast. lib. 4, vers. 337 seqq.; Lucanus, lib. 1, vers. 600 ; Prudentius, in Martyrio Romani.

habere de hac re judicem vellem. Diceret nobis, utrum matrem suam tam optime de republica vellet mereri, ut ei divini honores decernerentur: sicut et Græcos et Romanos aliasque gentes constat quibusdam decrevisse mortalibus, quorum erga se beneficia magnipenderant, eosque immortales factos, atque in deorum numerum receptos esse crediderant (a). Profecto ille tantam felicitatem suæ matri, si fieri posset, optaret. Porro si ab illo deinde quæreremus, utrum inter ejus divinos honores vellet illa turpia celebrari: nonne se malle clamaret, ut sua mater sine ullo sensu mortua jaceret, quam ad hoc dea viveret, ut illa libenter audiret? Absit ut senator populi Romani ea mente præditus, qua theatrum ædificari in urbe fortium virorum prohibuit, sic vellet coli matrem suam, ut talibus dea sacris propitiaretur, qualibus matrona verbis offenderetur. Nec ullo modo crederet verecundiam laudabilis feminæ ita in contrarium divinitate mutari, ut honoribus eam talibus advocarent cultores sui, qualibus conviciis in quempiam jaculatis, cum inter homines viveret, nisi aures clauderet seseque subtraheret, erubescerent pro illa et propinqui, et maritus, et liberi. Proinde talis mater deûm, qualem habere matrem puderet quemlibet etiam pessimum virum, Romanas occupatura mentes quæsivit optimum virum, non quem monendo et adjuvando faceret, sed quem fallendo deciperet, ei similis de qua scriptum est, *Mulier autem virorum pretiosas animas captat* (*Prov.* VI, 26): ut ille magnæ indolis animus hoc velut divino testimonio sublimatus [1], et vere se optimum existimans, veram pietatem religionemque non quæreret, sine qua omne quamvis laudabile ingenium superbia vanescit et decidit. Quomodo igitur nisi insidiose quæreret dea illa optimum virum, cum talia quærat in suis sacris, qualia viri optimi abhorrent suis adhiberi conviviis?

CAPUT VI. — *Deos Paganorum nunquam bene vivendi sanxisse doctrinam.*

Hinc est quod de vita et moribus civitatum atque populorum, a quibus colebantur illa numina, non curarunt, ut tam horrendis [2] et detestabilibus malis, non in agro et vitibus, non in domo atque pecunia, non denique in ipso corpore, quod menti subditur, sed in ipsa mente, in ipso rectore carnis animo, eos impleri ac pessimos fieri sine ulla sua terribili prohibitione permitterent. Aut si prohibebant, hoc ostendatur potius, hoc probetur. Nec nobis nescio quos susurros paucissimorum auribus anhelatos et arcana velut religione traditos jactent, quibus vitæ probitas castitasque discatur: sed demonstrentur vel commemorentur loca talibus aliquando conventiculis consecrata; non ubi ludi agerentur obscenis vocibus et motibus histrionum, nec ubi Fugalia (b) celebrarentur effusa omni licentia turpitudinum [1] (et vere Fugalia, sed pudoris et honestatis); sed ubi populi audirent quid dii præciperent [2] de cohibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refrenanda: ubi discerent miseri, quod discendum Persius increpavit, dicens:

> Discite, o miseri, et causas cognoscite [3] rerum,
> Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur: ordo
> Quis datus, aut metæ qua mollis [4] flexus, et unde [5],
> Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
> Utile nummus habet; patriæ charisque propinquis
> Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
> Jussit, et humana qua parte locatus es in re.
> (*Satira* 3, vers. 66-72.)

Dicatur in quibus locis hæc docentium deorum solebant præcepta recitari, et a cultoribus eorum populis frequenter audiri, sicut nos ostendimus ad hoc ecclesias institutas, quaquaversum religio christiana diffunditur.

CAPUT VII. — *Inutilia esse inventa philosophica sine auctoritate divina, ubi quemquam ad vitia pronum magis movet quod dii fecerint, quam quod homines disputarint.*

An forte nobis philosophorum scholas disputationesque memorabunt? Primo hæc non Romana, sed Græca sunt: aut si propterea jam Romana, quia et Græcia facta est Romana provincia; non deorum præcepta sunt, sed hominum inventa, qui utcumque conati sunt ingeniis acutissimis præditi ratiocinando vestigare, quid in rerum natura latitaret, quid in moribus appetendum esset atque fugiendum, quid in ipsis ratiocinandi regulis certa connexione traheretur, aut quid non esset consequens, vel etiam repugnaret. Et quidam eorum quædam magna, quantum divinitus adjuti sunt, invenerunt: quantum autem humanitus impediti sunt, erraverunt: maxime cum eorum superbiæ juste providentia divina resisteret, ut viam pietatis ab humilitate in superna surgentem, etiam istorum comparatione monstraret: unde postea nobis erit in Dei veri [7] Domini voluntate disquirendi ac disserendi locus. Veruntamen si philosophi aliquid invenerunt, quod agendæ bonæ vitæ beatæque adipiscendæ satis esse possit; quanto justius talibus divini honores decernerentur? Quanto melius et honestius in Platonis templo libri ejus legerentur, quam in templis dæmonum Galli absciderentur (a), molles consecrarentur, insani secarentur, et quidquid aliud vel crudele, vel turpe, vel turpiter crudele, vel crudeliter turpe in sacris talium deorum celebrari solet? Quanto satius erat, ad

[1] Plures Mss., *sublevatus*. [illegible] Ms. 705. M.

[2] [illegible] Mss. addunt, *eos*; [illegible]

(a) [illegible]

(b) *Fugalia*. [illegible]

[1] [illegible] *effusa omnium licentia turpitudinum*.

[2] [illegible] 20 [illegible], 20 2 et 20 5, *præciperent*. M.

[3] [illegible] quam requirit [illegible] cod. 700, [illegible], ut PP. Benedictini; [illegible] M.

[4] [illegible]

[5] [illegible] M.

[6] [illegible]

[7] [illegible]

(a) [illegible]

erudiendum justitiam juventutem [1], publice recitari leges deorum, quam laudari inaniter leges atque instituta majorum? Omnes enim cultores talium deorum, mox ut eos libido perpulerit, « ferventi » ut ait Persius, « tincta veneno, » (*Satira* 3, *vers.* 37) magis intuentur quid Jupiter fecerit, quam quid docuerit Plato, vel censuerit Cato. Hinc apud Terentium flagitiosus adolescens spectat

> tabulam quamdam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc, Jovem
> quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum

atque ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cum in ea se jactat imitari deum.

> At quem deum? (inquit) Qui templa cœli summo sonitu concutit.
> Ego homuncio hoc non facerem? Ego vero illud feci, ac libens.

(*Terent. Eunuch. act.* 3, *sc.* 5, *vers.* 36, 37, *et* 42, 43.)

CAPUT VIII. — *De ludis scenicis, in quibus dii non offenduntur editione* [2] *suarum turpitudinum, sed placantur.*

At enim non traduntur ista sacris deorum, sed fabulis poetarum. Nolo dicere illa mystica quam ista theatrica esse turpiora: hoc dico, quod negantes convincit historia, eosdem illos ludos, in quibus regnant figmenta poetarum, non per imperitum obsequium sacris deorum suorum intulisse Romanos; sed ipsos deos, ut sibi solemniter ederentur et honori suo consecrarentur, acerbe imperando, et quodammodo extorquendo fecisse: quod in primo libro (*Cap.* 32) brevi commemoratione perstrinxi. Nam ingravescente pestilentia, ludi scenici auctoritate pontificum Romæ primitus instituti sunt. Quis igitur in agenda [3] vita non ea sibi potius sectanda arbitretur, quæ actitantur ludis auctoritate divina institutis, quam ea quæ scriptitantur legibus humano consilio promulgatis? Adulterum Jovem si poetæ fallaciter prodiderunt, dii utique casti, quia tantum nefas [4] per humanos ludos confictum est, non quia neglectum, irasci ac vindicare debuerunt. Et hæc sunt scenicorum tolerabiliora ludorum, comœdiæ scilicet et tragœdiæ, hoc est fabulæ poetarum agendæ in spectaculis, multa rerum turpitudine, sed nulla saltem, sicut alia multa, verborum obscœnitate compositæ: quas etiam inter studia, quæ honesta ac liberalia vocantur, pueri legere et discere coguntur a senibus.

CAPUT IX. — *Quid Romani veteres de cohibenda poetica licentia senserint, quam Græci deorum secuti judicium, liberam esse voluerunt.*

Quid autem hinc senserint Romani veteres, Cicero testatur in libris quos de Republica scripsit (*a*), ubi Scipio (*b*) disputans ait: « Nunquam comœdiæ, nisi « consuetudo vitæ pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. » Et Græci quidem [1] antiquiorem vitiosæ suæ opinionis quamdam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comœdia, de quo vellet, nominatim diceret. Itaque, sicut in eisdem libris loquitur Africanus, « Quem illa non attigit? vel potius quem non vexa« vit? cui pepercit? Esto, populares homines impro« bos, in republica seditiosos, Cleonem, Cleophon« tem, Hyperbolum læsit (*b*). Patiamur, inquit, etsi « ejusmodi cives a censore melius est quam a poeta « notari; sed Periclem (*c*), cum jam suæ civitati « maxima auctoritate plurimos annos domi et belli « præfuisset, violari versibus, et eos agi in scena, non « plus decuit, quam si Plautus (*d*), inquit, noster vo« luisset, aut Nævius (*e*) Publio et Cneo [2] Scipioni « aut Cæcilius (*f*) Marco Catoni (*g*) maledicere. » Deinde paulo post: « Nostræ, » inquit, « contra duode« cim tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, « in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis « occentavisset [3], sive carmen condidisset, quod « infamiam faceret flagitiumve alteri. Præclare. Judi« ciis enim magistratuum [4], disceptationibus legitimis « propositam vitam, non poetarum ingeniis habere « debemus; nec probrum audire, nisi ea lege ut re« spondere liceat, et judicio defendere. » Hæc ex Ciceronis quarto de Republica libro ad verbum excerpenda arbitratus sum, nonnullis, propter faciliorem intellectum, vel prætermissis, vel paululum commutatis. Multum enim ad rem pertinent [5], quam molior

[1] Sic manuscripti. At editi, *ad erudiendam ad justitiam juventutem.*

[2] Sic Mss. At editi, *edictione.*

[3] Lov., *augenda.* Melius editi alii et Mss., *agenda.*

[4] Lov., *dii hi utique qui casti, quibus tantum nefas.* Refragantur editi alii et Mss.

(*a*) Non exstant hi Ciceronis libri, quorum fragmenta quædam, præter Augustinum, referunt Seneca, Nonius, A. Gellius, Lactantius, etc.

(*b*) Fuit ille Scipio Æmilianus, scilicet P. Æmilii qui Perseum Macedoniæ regem vicit filius, sed a Scipione Africani majoris filio adoptatus, Numantiæ atque Carthaginis eversor, qui et Africanus minor appellatus.

[1] Vind. et Lov., *quidam.*

[2] Vind. Er. et veteres Mss., *Cneo.* Porro Publius et Cneus Scipiones fratres fuerunt, et, si Servio credimus, gemini, de quibus [illegible] *duo fulmina belli Scipiadas.* Eosdem [illegible] orat. pro Cornel. Balbo, *duo fulmina imperii* appellat; et [illegible], *duo propugnacula belli.*

[3] Editi, *actitavisset.* Sed verius Mss., *occentavisset;* nam hoc verbum habent etiam quæ supersunt duodecim tabularum fragmenta. Ejus interpretatio ad oram Corbeiensis exemplaris pervetusti hæc adscripta est: « *Occentare,* est « infamiæ carmen alicui in persona edere. *Occentare,* con« trarium canticum cantare. » Eodem fere modo Festus exponit, de « convicio facto clare et cum quodam canore. »

[4] Editi, *ac magistratuum.* Particula, *ac,* abest a manuscriptis.

[5] Vind. Am. Er. et plures manuscripti, *pertinet.* — Sic etiam cod. 766. M.

(*b*) De Cleone, Cleophonte et Hyperbolo, Plutarchus, in Nicia, cap. 7, 9. Vide præterea Thucydidem, lib. 4 Belli Peloponnesiaci; Ciceronem, in Bruto, cap. 62, et Aristophanem.

(*c*) Pericles, qui tam multos annos Athenis in administranda republica principatum tenuit, notus est ex Plutarcho historiæ ejus scriptore, itemque ex Thucydide, lib. 2, Cicerone, in lib. 3 de Oratore, in Bruto et in Oratore perfecto.

(*d*) Plautus a Scipione, qui eum nunquam viderat, hic *noster* appellatur, quia Latinus fuit: nam de græcis poetis comicis erat locutus antea.

(*e*) Nævius, Plauto fere æqualis, obiisse traditur Uticæ in Africa, quo pulsus fuerat factione nobilium, Metelli præcipue ac Scipionis Africani, quos suis versibus perstrinxerat. De ipso A. Gellius, lib. 3, cap. 3; lib. 6, cap. 8; et lib. 8, cap. 14.

(*f*) Cæcilius Statius, poeta comicus natione Gallus, Ennii contubernalis fuit. Ejus meminit Cicero ad Attic. lib. 7, Epist. 3; Velleius, lib. 1, cap. 17; A. Gellius lib. 3, cap. 16; lib. 2, cap. 23; et lib. 17, cap. 21. Nonnullis in libris hic et infra, cap. 12, scribitur, *Cælius*: sed male, ut constat ex Horatii Epist. lib. 2, ep. 1, vers. 57.

(*g*) Catoni videlicet seniori, qui ex familia Porcia primus gessit honores in republica, et cum Ennio ac Cæcilio vixit.

explicare, si potero. Dicit deinde alia, et sic concludit hunc locum, ut ostendat veteribus displicuisse Romanis, vel laudari quemquam in scena vivum hominem, vel vituperari. Sed, ut dixi, hoc Græci quanquam inverecundius, tamen convenientius licere voluerunt, cum viderent diis suis accepta et grata esse opprobria, non tantum hominum, verum et ipsorum deorum in scenicis fabulis; sive a poetis essent illa conficta, sive flagitia eorum vera commemorarentur et agerentur in theatris, atque ab eorum cultoribus utinam solo risu, ac non etiam imitatione digna viderentur. Nimis enim superbum fuit, famæ parcere principum civitatis et civium, ubi suæ famæ parci numina noluerunt.

CAPUT X. — *Qua nocendi arte dæmones velint vel falsa de se crimina, vel vera narrari.*

Nam quod affertur pro defensione, non illa vera in deos dici, sed falsa atque conficta, idipsum est scelestius, si pietatem consulas religionis; si autem malitiam dæmonum cogites, quid astutius ad decipiendum atque callidius? Cum enim probrum jacitur in principem patriæ bonum atque utilem, nonne tanto est indignius, quanto a veritate remotius, et a vita illius alienius? Quæ igitur supplicia sufficiunt, cum Deo fit ista tam nefaria, tam insignis injuria? [X.] Sed maligni spiritus, quos isti deos putant, etiam flagitia quæ non admiserunt, de se dici volunt, dum tamen humanas mentes his opinionibus velut retibus inducant[1], et ad prædestinatum supplicium secum trahant: sive homines ista commiserint, quos deos haberi gaudent qui humanis erroribus gaudent, pro quibus se etiam colendos mille nocendi fallendique artibus interponunt; sive etiam non ullorum hominum illa crimina vera sint, quæ tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, ut ad scelesta ac turpia perpetranda, velut ab ipso cœlo traduci in terras satis idonea videatur auctoritas. Cum igitur Græci talium numinum servos se esse sentirent, inter tot et tanta eorum theatrica opprobria parcendum sibi a poetis nullo modo putaverunt, vel diis suis etiam sic consimilari appetentes, vel metuentes ne honestiorem famam ipsi requirendo, et eis se hoc modo præferendo, illos ad iracundiam provocarent.

CAPUT XI. — *De scenicis apud Græcos in reipublicæ administrationem receptis, eo quod placatores deorum injuste ab hominibus spernerentur.*

Ad hanc convenientiam pertinet, quod etiam scenicos actores earumdem fabularum non parvo civitatis honore dignos existimarunt[2]. Siquidem, quod in eo quoque de Republica libro commemoratur, et Æschines Atheniensis[3], vir eloquentissimus, cum adolescens tragœdias actitavisset, rempublicam capessivit (*a*); et Aristodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis ac belli legatum ad Philippum Athenienses sæpe miserunt. Non enim consentaneum putabatur, cum easdem artes eosdemque scenicos ludos etiam diis suis acceptos viderent, illos, per quos agerentur, infamium loco ac numero deputare. [XI.] Hæc Græci turpiter quidem, sed sane diis suis omnino congruenter, qui nec vitam civium lacerandam linguis poetarum et histrionum subtrahere ausi sunt, a quibus cernebant deorum vitam eisdem ipsis diis volentibus et libentibus carpi; et ipsos homines, per quos ista in theatris agebantur, quæ numinibus, quibus subditi erant, grata esse cognoverant, non solum minime spernendos in civitate, verum etiam maxime honorandos putarunt. Quid enim causæ reperire possent, cur sacerdotes honorarent, quia per eos victimas diis acceptabiles offerebant; et scenicos probrosos haberent, per quos illam voluptatem sive honorem diis exhiberi, petentibus, et, nisi fieret, irascentibus, eorum admonitione didicerant? Cum præsertim Labeo (*a*), quem hujuscemodi rerum peritissimum prædicant, numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diversitate distinguat, ut malos deos propitiari cædibus et tristibus supplicationibus asserat; bonos autem obsequiis lætis atque jucundis: qualia sunt, ut ipse ait, ludi, convivia, lectisternia (*b*). Quod totum quale sit, postea, si Deus juverit, diligentius disseremus. Nunc ad rem præsentem quod attinet, sive omnibus omnia tanquam bonis permixte tribuantur (neque enim esse decet deos malos, cum potius isti, quia[1] immundi sunt spiritus, omnes sint mali), sive certa discretione, sicut Labeoni visum est, illis illa, istis ista distribuantur obsequia: competentissime Græci utrosque honore dignos ducunt[2], et sacerdotes, per quos victimæ ministrantur, et scenicos, per quos ludi exhibentur; ne vel omnibus diis suis, si et ludi omnibus grati sunt, vel, quod est indignius, his quos bonos putant, si ludi ab eis solis amantur, facere convincantur injuriam.

CAPUT XII. — *Quod Romani auferendo libertatem poetis in homines, quam dederunt in deos, melius de se, quam de diis suis senserint.*

At Romani, sicut in illa de republica disputatione Scipio gloriatur, probris et injuriis poetarum subjectam vitam famamque habere noluerunt, capite etiam plectendum sancientes[3], tale carmen condere si quis auderet. Quod erga se quidem satis honeste constituerunt, sed erga deos suos superbe et irreligiose: quos cum scirent non solum patienter, verum etiam

[1] Vind. Am. Er., *inducant*.
[2] Iidem editi, *civitatis suæ honore dignos existimarunt*.
[3] In eisdem editis, *Æschines civis Atheniensis*.
(*a*) De Æschine hoc compertum est nobis ex Plutarcho de decem Rhetoribus, in Vita Æschinis, pag. 840, 841, ubi Aristodemum quoque nominat. Vide Demosthenem, Orat. de Corona, A. Gellium, lib. 11, cap. 9.

[1] In Mss., *qui*. — Sic etiam Ms. 766. M.
[2] Mss. alii, *honore ducunt*; alii, *honori ducunt*: omissa voce, *dignos*. — Nostri manuscripti, *honori ducunt*. M.
[3] Vind. Am. Er. et prope omnes Mss., *capite etiam sancientes*; absque verbo, *plectendum*; pro quo Lov., *puniri*. — Scriba Ms. 766 addidit inter lineas verbum, *plectendum*. M.
(*a*) Labeones exstitere tres, juris civilis scientia clari: sed unus omnium doctissimus Antistius Labeo, qui cum Cæsare Augusto vixit, non juris modo, sed totius antiquitatis peritissimus, de quo hic Augustinus. De eodem Suetonius in Augusto, cap. 54; A. Gellius, lib. 1, cap. 12, et lib. 13, cap. 10 et 12.
(*b*) Infra, lib. 3, cap. 17.

libenter poetarum probris maledictisque lacerari, se potius quam illos hujuscemodi injuriis indignos esse duxerunt, seque ab eis etiam lege munierunt, illorum autem ista etiam sacris solemnitatibus miscuerunt. Itane tandem, Scipio, laudas hanc poetis Romanis negatam esse licentiam, ut cuiquam opprobrium infligerent Romanorum, cum videas eos nulli deorum pepercisse vestrorum? Itane pluris tibi habenda visa est existimatio curiæ vestræ quam Capitolii (a), imo Romæ unius quam cœli totius; ut linguam maledicam in cives tuos exercere[1] poetæ etiam lege prohiberentur, et in deos tuos securi tanta convicia, nullo senatore, nullo censore, nullo principe, nullo pontifice prohibente, jacularentur? Indignum videlicet fuit, ut Plautus, aut Nævius Publio et Cneo Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni malediceret; et dignum fuit, ut Terentius vester (b) flagitio Jovis optimi maximi adolescentium nequitiam concitaret?

CAPUT XIII. — *Debuisse intelligere Romanos, quod dii eorum, qui se turpibus ludis coli expetebant, indigni essent honore divino.*

Sed responderet mihi fortasse, si viveret: Quomodo nos ista impunita esse nollemus, quæ ipsi dii sacra esse voluerunt, cum ludos scenicos, ubi talia celebrantur, dictitantur, actitantur, et Romanis moribus invexerunt, et suis honoribus dicari exhiberique jusserunt? Cur ergo non hinc magis ipsi intellecti sunt non esse dii veri, nec omnino digni quibus divinos honores deferret illa respublica? Quos enim coli minime deceret, minimeque oporteret, si ludos expeterent agendos conviciis Romanorum; quomodo, quæso, colendi[2] putati sunt, quomodo non detestandi spiritus intellecti, qui cupiditate fallendi inter suos honores sua celebrari crimina poposcerunt? Itemque Romani, quamvis jam superstitione noxia premerentur, ut illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari, suæ tamen dignitatis memores ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Græcorum, sed sicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur, *Cum artem ludicram scenamque totam probro ducerent*[3], *genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri* (c) *notatione censoria voluerunt.* Præclara sane, et Romanis laudibus annumeranda prudentia: sed vellem se ipsa sequeretur, se imitaretur. Ecce enim recte, quisquis civium Romanorum esse scenicus elegisset, non solum ei nullus ad honorem dabatur locus, verum etiam censoria nota tribum tenere propriam minime sinebatur. O animum civitatis laudis avidum, germaneque (a) Romanum! Sed respondeatur mihi, qua consentanea ratione homines scenici ab omni honore repelluntur, et ludi scenici deorum honoribus admiscentur? Illas theatricas artes diu virtus Romana non noverat (b); quæ si ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, vitio morum irreperent humanorum. Dii eas sibi exhiberi petiverunt: quomodo ergo abjicitur scenicus, per quem colitur Deus? et theatricæ illius turpitudinis qua fronte notatur actor, si adoratur exactor? In hac controversia Græci Romanique concertant. Græci putant recte se honorare homines scenicos, quia colunt ludorum scenicorum flagitatores deos: Romani vero hominibus scenicis nec plebeiam tribum, quanto minus senatoriam curiam dehonestari sinunt? In hac disceptatione hujuscemodi ratiocinatio summam quæstionis absolvit. Proponunt Græci: Si dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi. Assumunt Romani: Sed nullo modo tales homines honorandi sunt. Concludunt Christiani: Nullo modo igitur dii tales colendi sunt.

CAPUT XIV. — *Meliorem fuisse Platonem, qui poetis locum in bene morata urbe non dederit, quam hos deos, qui se ludis scenicis voluerint honorari.*

1. Deinde quærimus, ipsi poetæ, talium fabularum compositores, qui duodecim Tabularum lege prohibentur famam lædere civium, tam probrosa in deos convicia jaculantes, cur non ut scenici habeantur inhonesti. Qua ratione rectum est, ut poeticorum figmentorum et ignominiosorum deorum infamentur actores, honorentur auctores? an forte Græco Platoni potius palma danda est, qui cum ratione formaret, qualis esse civitas debeat, tanquam adversarios veritatis[1], poetas censuit urbe pellendos? Iste vero et deorum injurias indigne tulit, et fucari corrumpique figmentis animos civium noluit. Confer nunc Platonis humanitatem a civibus decipiendis poetas urbe pellentem, cum deorum divinitate honori suo ludos scenicos expetente. Ille, ne talia vel scriberentur, etsi non persuasit disputando, tamen suasit levitati lasciviæque Græcorum: isti, ut talia etiam agerentur, jubendo extorserunt gravitati et modestiæ Romanorum. Nec tantum[2] hæc agi voluerunt, sed sibi dicari, sibi sacrari, sibi solemniter exhiberi. Cui tandem honestius divinos honores decerneret civitas? utrum Platoni hæc turpia et nefanda prohibenti; an dæmonibus hac hominum deceptione gaudentibus, quibus ille vera persuadere non potuit?

2. Hunc Platonem Labeo inter semideos (c) com-

[1] Aliquot Mss., *exserere.*
[2] Lov., *quomodo, quæso, dii colendi.* A cæteris libris abest, *dii.*
[3] Vind. Am. Er. et Mss., *in probro ducerent.*

(a) *Curia*, locus in quo senatus habebatur, hic pro senatoribus ponitur; *Capitolium*, quod templum Jovis erat, pro ipsis diis.

(b) *Terentius vester*, ait, qui nimirum gente quidem Afer, sed familiarissimus Scipioni fuit, sicut et Lælio, a quibus ferunt adjutum esse in scribendis fabulis.

(c) *Tribu moveri*, quæ pœna erat hominum plebeii seu tertii ordinis, idem fuisse atque ex una tribu nobiliore transferri in ignobiliorem, intelligitur ex Livio, lib. 45, cap. 15. Confer Tertullianum, de spectaculis cap. 22.

[1] Sic magno consensu Mss. At editi, *adversarios civitatis.*
[2] Sola editio Lov., *nec tamen;* minus bene.

(a) *Germaneque*, id est, vere, laudis aviditate, Romanum, quia Romana gens fuit laudis avidissima.

(b) Quadringentos fere per annos: nam introductos illos ludos anno Urbis 392, narrat Livius, lib. 7, cap. 2.

(c) Ordines deorum ex Varrone et aliis habentur tres. Quosdam deos summos nominabant: medioxumos alios, qui et semidei, ex altero parente immortali progeniti, ut Romulus, Hercules, etc. Alii tertii ordinis et ex utroque mortali parente nati, dicebantur heroes.

memorandum putavit, sicut Herculem, sicut Romulum: semideos autem heroibus antepenit, sed utrosque inter numina collocat. Verumtamen istum, quem appellat semideum, non heroibus tantum, sed etiam diis ipsis præferendum esse non dubito. Propinquant autem Romanorum leges disputationibus Platonis, quando ille cuncta poetica figmenta condemnat, isti autem poetis adimunt saltem in homines maledicendi licentiam; ille poetas ab urbis ipsius habitatione[1], isti saltem actores poeticarum fabularum removent a societate civitatis, et, si contra deos ludorum scenicorum expetitores aliquid auderent, forte undique removerent. Nequaquam igitur leges ad instituendos bonos aut corrigendos malos mores, a diis suis possent accipere seu sperare Romani, quos legibus suis vincunt atque convincunt. Illi enim honori suo deposcunt ludos scenicos, isti ab honoribus omnibus repellunt homines scenicos: illi celebrari sibi jubent figmentis poeticis opprobria deorum, isti ab opprobriis hominum deterrent impudentiam poetarum. Semideus autem ille Plato et talium deorum libidini restitit, et ab indole Romanorum quid perficiendum esset, ostendit; qui poetas ipsos vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miseris quasi deorum facta pessima imitanda proponentes, omnino in civitate bene instituta vivere noluit. Nos quidem Platonem nec deum, nec semideum perhibemus; nec ulli sancto angelo summi Dei, nec veridico prophetæ, nec apostolo alicui, nec cuilibet Christi martyri, nec cuiquam christiano homini comparamus; cujus nostræ sententiæ ratio, Deo prosperante, suo loco explicabitur: sed eum tamen, quandoquidem ipsi volunt fuisse semideum, præferendum esse censemus, si non Romulo et Herculi (quamvis istum nec fratrem occidisse, nec aliquod perpetrasse flagitium quisquam historicorum vel poetarum dixit aut finxit (a)), certe vel Priapo, vel alicui Cynocephalo (b), postremo vel Febri (c), quæ Romani numina partim peregrina receperunt, partim sua propria sacraverunt. Quomodo igitur tanta animi et morum mala bonis præceptis et legibus vel imminentia prohiberent, vel insita exstirpanda curarent dii tales, qui etiam seminanda et augenda flagitia curaverunt, talia vel sua vel quasi sua facta per theatricas celebritates populis innotescere cupientes, ut tanquam auctoritate divina, sua sponte nequissima libido accenderetur humana: frustra hoc exclamante Cicerone, qui cum de poetis ageret, *Ad quos cum accessit*[2], inquit, *clamor et approbatio populi, quasi magni cujusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras! quos invehunt metus! quas inflammant cupiditates* (a)!

CAPUT XV. — *Quod Romani quosdam sibi deos non ratione, sed adulatione instituerint.*

Quæ autem illic[1] eligendorum deorum etiam ipsorum falsorum ratio, ac non potius adulatio est? quando istum Platonem, quem semideum volunt, tantis disputationibus laborantem ne animi malis, quæ præcipue cavenda sunt, mores corrumperentur humani, nulla sacra ædicula dignum putarunt; et Romulum suum diis multis prætulerunt, quamvis et ipsum semideum potius quam deum velut secretior eorum doctrina commendet (b). Nam etiam flaminem illi instituerunt, quod sacerdotii genus adeo in Romanis sacris testante apice (c) excelluit, ut tres solos flamines haberent tribus numinibus institutos, Dialem Jovi, Martialem Marti, Quirinalem Romulo. Nam benevolentia civium velut receptus in cœlum, Quirinus (d) est postea nominatus. Ac per hoc et Neptuno et Plutoni, fratribus Jovis, et ipsi Saturno, patri eorum, isto Romulus honore prælatus est, ut pro magno sacerdotium, quod Jovi tribuerunt, hoc etiam huic tribuerent, et Marti tanquam patri ejus, fortisan propter ipsum.

CAPUT XVI. — *Quod si diis ulla esset cura justitiæ, ab eis Romani accipere debuerint præcepta vivendi potius, quam leges ab aliis hominibus mutuari.*

Si autem a diis suis Romani vivendi leges accipere potuissent, non aliquot annos post Romam conditam (e) ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis: quas tamen non ut acceperunt tenuerunt[2], sed meliores et emendatiores facere conati sunt. Quamvis Lycurgus Lacedæmoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit: quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, quasdam leges, quæ quidem regendæ civitati nequaquam sufficerent, condidisse fertur; qui eis multa etiam sacra constituit: non tamen perhibetur easdem leges a numinibus accepisse. Mala igitur animi, mala vitæ, mala morum, quæ ita magna sunt, ut his doctissimi eorum viri etiam stantibus urbibus respublicas

[1] Editi, *ab urbis ipsius habitatione repellit*. Abest, *repellit*, a [illegible].

[2] [illegible] *qui cum de poetis* [illegible] *ad eos accessisset*.

(a) [illegible] *nec fratrem occidisse*, sicut de Romulo; *nec aliquod perpetrasse flagitium*, sicut de Hercule plura vel historici dixerunt, vel poetæ finxerunt.

(b) [illegible] Virgilium [illegible], lib. 8, vers. 851, 852.
[illegible]

(c) [illegible] lib. 2, cap. 7 [illegible] lib. 12, cap. 11 [illegible] lib. 3, cap. 25 [illegible] in Palatio [illegible]

[1] Am. [illegible] et Lov., *illis*. At Am. et plerique manuscripti, *illic*.

[2] Verbum, *tenuerunt*, abest a Mss. — Abest etiam a nostris [illegible] quanti illatum est.

(a) [illegible] leguntur in Tusculan. 3.

(b) [illegible] doctrina, qua Genii tutelaris et [illegible] Plutarchum, Hist. [illegible] quæst. Rom. quæst. 62; [illegible] lib. 28, cap. 4 [illegible] Saturn. lib. 3, cap. 9, [illegible] Dionysium Halicarnass. Antiquitatibus Rom. lib. 1, cap. 62, Valerium Max. lib. 1, cap. 1, § 15 [illegible]

(c) [illegible] in summo [illegible] Valerium Max. lib. 1, cap. 1, § 4 [illegible] apex e capite [illegible]

(d) [illegible] appellatus est, ex [illegible] Quirites. Vid. Ovid. 2, Fast.; Liv., lib. 2.

(e) Annos fere trecentos ab Urbe condita, teste Livio, lib. 3, capp. 33, 34.

perire confirment (a), dii eorum, ne sibi cultoribus acciderent, minime curarunt, imo vero ut accideretur, sicut supra disputatum est, omni modo curaverunt.

CAPUT XVII. — *De raptu Sabinarum, aliisque iniquitatibus, quae in civitate Romana etiam laudatis viguere temporibus.*

An forte populo Romano propterea leges non sunt a numinibus constitutae, quia, sicut Sallustius ait, « jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat » (*Sallust. de conjurat. Catilinae, cap.* 9)? Ex hoc jure ac bono credo raptas esse Sabinas. Quid enim justius et melius, quam filias alienas fraude spectaculi inductas, non a parentibus accipi, sed vi, ut quisque poterat, auferri? Nam si inique facerent Sabini negare postulatas, quanto fuit iniquius rapere non datas? Justius autem bellum cum ea gente geri potuit, quae filias suas ad matrimonium conregionalibus et confinalibus suis negasset petitas, quam cum ea quae repetebat ablatas. Illud ergo potius fieret : ibi Mars[1] filium suum pugnantem juvaret, ut conjugiorum negatorum armis ulcisceretur injuriam, et eo modo ad feminas quas voluerat, perveniret. Aliquo enim fortasse jure belli, injuste negatas, juste victor auferret ; nullo autem jure pacis non datas rapuit, et injustum bellum cum earum parentibus juste succensentibus gessit. Hoc (*b*) sane utilius feliciusque successit, quod etsi ad memoriam fraudis illius circensium spectaculum mansit (*c*), facinoris tamen in illa civitate et imperio non placuit exemplum : faciliusque Romani in hoc erraverunt, ut post illam iniquitatem deum sibi Romulum consecrarent, quam ut in feminis rapiendis factum ejus imitandum lege ulla vel more permitterent. Ex hoc jure ac bono post expulsum cum liberis suis regem Tarquinium, cujus filius Lucretiam stupro violenter oppresserat, Junius Brutus consul Lucium Tarquinium Collatinum (*d*), maritum ejusdem Lucretiae, collegam suum, bonum atque innocentem virum, propter nomen et propinquitatem Tarquiniorum coegit magistratu se abdicare, nec vivere in civitate permisit. Quod scelus favente vel patiente populo fecit, a quo populo consulatum idem Collatinus, sicut etiam ipse Brutus, acceperat. Ex hoc jure ac bono Marcus Camillus, illius temporis vir egregius, qui Veientes, gravissimos hostes populi Romani, post decennale bellum, quo Romanus exercitus toties male pugnando graviter afflictus est, jam ipsa Roma de salute dubitante atque trepidante, facillime superavit, eorumque urbem opulentissimam cepit, invidia obtrectatorum virtutis suae et insolentia tribunorum plebis reus factus est, tamque ingratam sensit[1] quam liberaverat civitatem, ut de sua damnatione certissimus in exsilium sponte discederet, et decem millibus aeris absens etiam damnaretur, mox iterum a Gallis vindex patriae futurus ingratae (*a*). Multa commemorare jam piget foeda et injusta, quibus agitabatur illa civitas, cum potentes plebem sibi subdere conarentur, plebsque illis subdi recusaret ; et utriusque partis defensores magis studiis agerent amore vincendi, quam aequum et bonum quidquam cogitarent.

CAPUT XVIII. — *Quae de moribus Romanorum, aut metu compressis, aut securitate*[2] *resolutis, Sallustii prodat historia.*

1. Itaque habebo modum, et ipsum Sallustium testem potius adhibebo, qui cum in laude Romanorum dixisset, unde nobis iste sermo ortus est, « Jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat : » praedicans illud tempus, quo expulsis regibus incredibiliter civitas brevi aetatis spatio plurimum crevit : idem tamen in primo Historiae suae libro atque ipso ejus exordio fatetur, etiam tunc, cum ad consules a regibus esset translata respublica, post parvum intervallum (*b*), injurias validiorum, et ob eas discessionem plebis a patribus, aliasque in Urbe dissensiones fuisse. Nam cum optimis moribus et maxima concordia populum Romanum inter secundum et postremum bellum (*c*) Carthaginense commemorasset egisse, causamque hujus boni, non amorem justitiae, sed stante Carthagine metum pacis infidae fuisse dixisset ; unde et Nasica ille ad reprimendam nequitiam, servandosque istos mores optimos, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem nolebat everti : continuo subjecit idem Sallustius, et ait : « At discordia, et avaritia, atque ambitio, et caetera secundis rebus oriri sueta mala, post Carthaginis excidium maxime aucta sunt. » Ut intelligeremus etiam antea et oriri solere, et augeri. Unde subnectens cur hoc

[1] Editi, *Illud ergo potius ibi fieret, ubi Mars*, etc. Castigatur locus ex manuscriptis.

(*a*) Vid. Plaut. in Persa.

(*b*) Interpretes hujus operis pronomen, *Hoc*, ad bellum ante memoratum referunt, quod initio cum Sabinis jam prope vincentibus foedere feliciter confectum prodit Livius, lib. 1, cap. 13. Nos tamen referendum arbitramur ad Romanorum, quos subinde laudat Augustinus, mores et aequitatem, quod apud ipsos Romuli dei sui facinus in rapiendis feminis imitari nulla unquam lege licuerit.

(*c*) Circenses ludos Neptuno equestri primus Romae celebravit Romulus, ut feminas quas a vicinis populis non poterat ad conjugium impetrare, potissimum Sabinas virgines spectaculi causa evocatas raperet. Dicti sunt a priscis Consualia, ex nomine, ut ferunt, Consi dei, Neptuni scilicet equestris, a quo opem Romulus consiliumque in conjugiorum difficultate quaesierat. De his Livius, lib. 1, cap. 9.

(*d*) Expulsa regia potestate, primi consules duo isti sunt creati, L. Junius Brutus et L. Tarquinius Collatinus. Hunc a collega suo coactum esse ob nomen et genus regium magistratu se abdicare, et, accepto patrimonio suo, Lavinium Roma relicta migrare scribit Livius, lib. 1.

[1] Sic omnes Mss. — In B., *reus factus tam ingratam sensit*. M.

[2] Editi, *severitate*, male et dissentientibus manuscriptis.

(*a*) Hic parens patriae alterque Urbis conditor ac Romulus appellatus est. Veios, Etruriae urbem, cepit. Post, falso accusatus, vitandae invidiae gratia, Ardeam exulatum ivit, duobus annis ante Romam a Gallis captam. Quindecim millibus aeris gravis mulctatum Camillum absentem dicit Livius, lib. 5, cap. 32 ; Plutarchus, quindecim millibus assium. Attamen hic loci manuscripti omnes habent, *decem millibus*.

(*b*) Post quindecim annos, ut ex Livio, lib. 2, cap. 21, intelligere est, Urbis conditae anno 258, qui annus Tarquinii mortis [illegible] insignis fuit.

(*c*) Bella inter Romanos et Carthaginenses tria gesta sunt. Primum per 22 annos in Sicilia et post in Africa, coeptum anno Urbis conditae 489, ex [illegible] lib. 55. Iterum coeptum post 23 annos bellum, Sicilia, Italia et Africa gestum, [illegible] septimo anno a Scipione Africano majore confectum [illegible]. Tertium post 49 annos in Africa, et tertio anno a Scipione Africano minore terminatum eversa Carthagine.

dixerit. « Nam injuriæ, » inquit, « validiorum, et ob eas discessio plebis a patribus, aliæque dissensiones domi fuere jam inde a principio, neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria (*a*) positum est, æquo et modesto jure agitatum. » Vides quemadmodum illo etiam brevi tempore, ut regibus exactis, id est ejectis, aliquantum æquo et modesto jure ageretur, metum dixit fuisse causam; quoniam metuebatur bellum, quod rex Tarquinius regno atque Urbe pulsus, Etruscis sociatus, contra Romanos gerebat. Attende itaque quid deinde contexat : « Dein, » inquit, « servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo[1] regio more consulere, agro pellere, et cæteris expertibus soli in imperio agere. Quibus sævitiis et maxime fenore[2] oppressa plebs cum assiduis bellis tributum et simul militiam toleraret, armata montem Sacrum atque Aventinum insedit (*b*) : tumque tribunos plebis et alia sibi jura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum. » Cernis ex quo tempore, id est parvo intervallo post reges exactos, quales Romani fuerint, de quibus ait, « Jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. »

2. Porro si illa tempora talia reperiuntur, quibus pulcherrima atque optima fuisse prædicatur Romana respublica; quid jam de consequenti ætate dicendum aut cogitandum arbitramur, « cum paulatim mutata » ut ejusdem historici verbis utar, « ex pulcherrima atque optima, pessima ac flagitiosissima facta est » (*Sallust. de Conjuratione Catilinæ*, *cap.* 5); post Carthaginis videlicet, ut commemoravit, excidium? Quæ tempora ipse Sallustius quemadmodum breviter recolat et describat, in ejus Historia legi potest, quantis malis morum, quæ secundis rebus exorta sunt, usque ad bella civilia (*c*) demonstret esse perventum[3]. « Ex quo tempore, » ut ait, « majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati; adeo juventus luxu atque avaritia corrupta, ut merito dicatur genitos esse qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati » (*d*). Dicit deinde plura Sallustius de Syllæ vitiis cæteraque fœditate reipublicæ : et alii scriptores in hæc consentiunt, quamvis eloquio multum impari.

3. Cernis tamen, ut opinor, et quisquis adverterit facillime perspicit colluvie[1] morum pessimorum quo illa civitas prolapsa fuerit, ante nostri superni Regis adventum. Hæc enim gesta sunt non solum antequam Christus in carne præsens docere cœpisset, verum etiam antequam de Virgine natus esset. Cum igitur tot et tanta mala temporum illorum vel tolerabiliora superius, vel post eversam Carthaginem intoleranda et horrenda diis suis imputare non audeant, opiniones humanis mentibus, unde talia vitia silvescerent, maligna astutia inserentibus; cur mala præsentia Christo imputant, qui doctrina saluberrima et falsos ac fallaces deos coli vetat, et istas hominum noxias flagitiosasque cupiditates divina auctoritate detestans atque condemnans, his malis tabescenti ac labenti mundo ubique familiam suam sensim subtrahit, qua condat æternam, et non plausu vanitatis, sed judicio veritatis gloriosissimam civitatem?

CAPUT XIX. — *De corruptione Romanæ reipublicæ, priusquam cultum deorum Christus auferret.*

Ecce Romana respublica (quod non ego primus dico, sed auctores eorum, unde hæc mercede didicimus, tanto ante dixerunt ante Christi adventum) « paulatim mutata, ex pulcherrima atque optima, pessima ac flagitiosissima facta est. » Ecce ante Christi adventum, post deletam Carthaginem, « majorum mores, non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati; adeo juventus luxu atque avaritia corrupta est. » Legant nobis contra luxum et avaritiam præcepta deorum suorum populo Romano data. Cui utinam tantum casta et modesta reticerent, ac non etiam ab illo probrosa et ignominiosa deposcerent, quibus per falsam divinitatem perniciosam conciliarent auctoritatem. Legant nostra, et per Prophetas, et per sanctum Evangelium, et per apostolicos Actus, et per Epistolas, tam multa contra avaritiam atque luxuriam, ubique populis ad hoc congregatis, quam excellenter, quam divine, non tanquam ex philosophorum concertationibus strepere, sed tanquam ex oraculis et Dei nubibus intonare. Et tamen luxu atque avaritia sævisque[2] ac turpibus moribus ante adventum Christi rempublicam pessimam ac flagitiosissimam factam, non imputant diis suis : afflictionem vero ejus, quamcumque isto tempore superbia deliciæque eorum perpessæ fuerint, religioni increpitant christianæ. Cujus præcepta de justis probisque moribus, si simul audirent atque curarent reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ, juvenes et virgines, seniores cum junioribus (*Psal.* CXLVIII, 11, 12), ætas omnis capax et uterque sexus, et quos Baptista Joannes alloquitur, exactores ipsi atque milites (*Luc.* III, 12-14) : et terras vitæ præsentis ornaret sua felicitate respublica, et vitæ æternæ culmen beatissime regnatura conscenderet. Sed quia iste audit, ille contemnit,

[1] Vind., *de quo de corpore*. Verus cæteri libri, *atque tergo*; id est, verberibus suppliciisque [illegible], quibus liberum corpus Romani civis cædi [illegible] vetitum.

[2] [illegible]

[3] Ms. [illegible], *perventum*. M.

(*a*) Cum Porsenna scilicet Etruscorum rege, qui Tarquinium restitui in regnum volebat, et [illegible] Romanis, premebat. De hoc Livius, lib. 2, cap. 9 seqq.

(*b*) [illegible]

(*c*) [illegible]

(*d*) [illegible] luxu [illegible] quæcumque rapere alios possent.

[1] [illegible]

[2] Vind. [illegible], *sævisque*.

pluresque vitiis male blandientibus quam utili virtutum asperitati sunt amiciores (a); tolerare Christi famuli jubentur, sive sint reges, sive principes, sive judices, sive milites, sive provinciales, sive divites, sive pauperes, sive liberi, sive servi utriuslibet sexus, pessimam etiam, si ita necesse est, flagitiosissimamque rempublicam; et in illa Angelorum quadam sanctissima atque augustissima curia cœlestique republica, ubi Dei voluntas lex est, clarissimum sibi locum etiam ista tolerantia comparare.

CAPUT XX. — *Quali velint felicitate gaudere, et quibus moribus vivere, qui tempora christianæ religionis incusant.*

Verum tales cultores et dilectores deorum istorum, quorum etiam imitatores in sceleribus et flagitiis se esse lætantur, nullo modo curant pessimam ac flagitiosissimam non esse rempublicam. Tantum stet, inquiunt, tantum floreat copiis referta, victoriis gloriosa; vel, quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? imo id ad nos magis pertinet, si divitias quisque semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior. Obsequantur divitibus pauperes causa saturitatis; atque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur, divites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant, non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non jubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis regnent. Provinciæ regibus non tanquam rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus et deliciarum suarum provisoribus serviant; eosque non sinceriter honorent, sed nequiter ac serviliter timeant. Quid alienæ viti [1] potius quam quid suæ vitæ quisque noceat, legibus advertatur. Nullus ducatur ad judices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam invito fuerit importunus, aut noxius: cæterum de suis, vel cum suis, vel cum quibusque volentibus faciat quisque quod libet. Abundent publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maxime, qui privata habere non possunt. Exstruantur amplissimæ atque ornatissimæ domus, opipara convivia frequententur; ubi cuique libuerit et potuerit, die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes undique concrepent, theatra inhonestæ lætitiæ vocibus atque omni genere sive crudelissimæ sive turpissimæ voluptatis exæstuent. Ille sit publicus inimicus, cui hæc felicitas displicet; quisquis eam mutare vel auferre tentaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat a sedibus, auferat a viventibus. Illi habeantur dii veri, qui hanc adipiscendam populis procuraverint, adeptamque servaverint. Colantur ut voluerint, ludos exposcant quales voluerint, quos cum suis vel de suis possint habere cultoribus: tantum efficiant ut tali felicitati nihil ab hoste, nihil a peste, nihil ab ulla clade timeatur. Quis hanc rempublicam sanus, non dicam Romano imperio, sed domui Sardanapali comparaverit? qui quondam rex ita fuit voluptatibus deditus, ut in sepulcro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido ejus etiam cum viveret, hauriendo, consumpserat (a). Quem regem isti si haberent sibi in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam ulla severitate adversantem; huic libentius, quam Romani veteres Romulo, templum et flaminem consecrarent.

CAPUT XXI. — *Quæ sententia fuerit Ciceronis de Romana republica.*

1. Sed si contemnitur qui Romanam rempublicam pessimam ac flagitiosissimam dixit, nec curant isti quanta morum pessimorum ac flagitiosorum labe ac dedecore impleatur, sed tantummodo ut consistat et maneat; audiant eam, non, ut Sallustius narrat, pessimam ac flagitiosissimam factam, sed, sicut Cicero disputat, jam tunc prorsus periisse, et nullam omnino remansisse rempublicam. Inducit enim Scipionem, eum ipsum qui Carthaginem exstinxerat, de republica disputantem, quando præsentiebatur ea corruptione, quam describit Sallustius, jam jamque peritura. Eo quippe tempore disputatur, quo jam unus Gracchorum occisus fuit, a quo scribit seditiones graves cœpisse Sallustius (b). Nam mortis ejus fit in eisdem libris commemoratio. Cum autem Scipio in secundi libri fine dixisset, *Ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt; isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis et infimis et mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione* [1] *civitatem consensu dissimillimorum concinere; et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimum atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis, eamque sine justitia nullo pacto esse posse:* ac deinde cum aliquanto latius et uberius disseruisset, quantum prodesset justitia civitati, quantumque obesset, si abfuisset; suscepit deinde Philus [2], unus eorum qui disputationi aderant, et poposcit ut hæc ipsa quæstio diligentius tractaretur, ac de justitia plura dicerentur, propter illud, quod jam vulgo ferebatur, rempublicam regi [3] sine

[1] Aliquot Mss., *vitæ*. Vind. Am. Er. Lov., *vineæ*. — Sic etiam nostri codd. M.

(a) Alludit ad duas illas virtutis et vitii vias, quas Hesiodus finxit in Operibus et Diebus, vers. 285 seqq. et Prodicus apud Xenophontem, lib. 2 Memorabilium, cap. 2. Unde Cicero, Officiorum lib. 1, cap. 32.

[1] Vind. Am. Er. et aliquot Mss., *moderatam ratione*. Cæteri fere Mss., *moderatione*.

[2] Sic etiam Mss. nostri omnes. Forte legendum, *Philus*. M.

[3] Plures libri hic et infra loco, *regi*, habent, *geri*. — Sic etiam codd. 766, 2051 et 2052. M.

(a) Sardanapalus rex fuit Assyriorum ultimus, cujus epitaphium affert Cicero in Tusculanis Quæst. lib. 5, cap. 35.

(b) Tiberium Gracchum intelligit, a Scipione Nasica, ejus qui optimus vir a senatu judicatus erat nepote, quod agrariam legem tulisset, et tribunatum sibi continuari vellet, occisum: Scipione Africano minore, de quo hic loquitur, bellum interim ad Numantiam gerente.

injuria non posse. Hanc proinde quæstionem discutiendam et enodandam esse, assensus est Scipio, responditque nihil esse, quod adhuc de republica dicendum putaret, quo possent longius progredi, nisi esset confirmatum, non modo falsum esse illud, sine injuria non posse; sed hoc verissimum esse, sine summa justitia rempublicam geri nullo modo posse (*Libro* 2, *cap.* 43). Cujus quæstionis explicatio cum in diem consequentem dilata esset, in tertio libro magna conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum qui sentirent sine injustitia regi non posse rempublicam, purgans præcipue, ne hoc ipse sentire crederetur. Egitque sedulo pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem reipublicæ, illam vero inutilem, verisimilibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Lælius rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus est; asseruitque quantum potuit, nihil tam inimicum quam injustitiam civitati, nec omnino nisi magna justitia geri aut stare posse rempublicam (*a*).

2. Qua quæstione, quantum satis visum est, pertractata, Scipio ad intermissa revertitur, recolitque suam atque commendat brevem reipublicæ definitionem, qua dixerat eam esse rem populi (*Libro* 1, *cap.* 25). Populum autem non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum juris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis utilitas: atque ex illis suis definitionibus colligit tunc esse rempublicam, id est rem populi, cum bene ac juste geritur, sive ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cum vero injustus est rex, quem tyrannum, more græco, appellavit; aut injusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret: non jam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum; sed, sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicam: quoniam non esset res populi, cum tyrannus eam factiove (*b*) capesseret; nec ipse populus jam populus esset, si esset injustus, quoniam non esset multitudo juris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus.

3. Quando ergo respublica Romana talis erat, qualem illam describit Sallustius; non jam pessima ac flagitiosissima, sicut ipse ait, sed omnino nulla erat, secundum istam rationem, quam disputatio de republica inter magnos ejus tunc principes (*c*) habita patefecit. Sicut etiam ipse Tullius, non Scipionis, nec cujusquam alterius, sed suo sermone loquens [1], in principio quinti libri, commemorato prius Ennii poetæ versu, quo dixerat,

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Quem quidem ille versum, inquit, *vel brevitate vel veritate tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent tantam et tam juste lateque imperantem rempublicam. Itaque ante nostram memoriam et mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, et veterem morem ac majorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra vero ætas cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit; sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus et extrema tanquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam, quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur? Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus; reipsa vero jam pridem amisimus.*

4. Hæc Cicero fatebatur longe quidem post mortem Africani (*a*), quem in suis libris fecit de republica disputare, adhuc tamen ante adventum Christi (*b*): quæ si diffamata et prævalescente religione christiana sentirentur atque dicerentur, quis non istorum ea Christianis imputanda esse censeret? Quamobrem cur non curarunt dii eorum, ne tunc periret atque amitteretur illa respublica, quam Cicero longe antequam Christus in carne venisset, tam lugubriter deplorat amissam? Viderint laudatores ejus, etiam illis antiquis viris et moribus qualis fuerit, utrum in ea viguerit vera justitia; an forte nec tunc fuerit viva moribus, sed picta coloribus. Quod et ipse Cicero nesciens, cum eam præferret, expressit. Sed alias, si Deus voluerit, hoc videbimus. Enitar enim suo loco, ut ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit respublica, et quid sit populus, loquente Scipione, breviter posuit (attestantibus etiam multis, sive ipsius, sive eorum, quos loqui fecit in eadem disputatione, sententiis), nunquam illam fuisse rempublicam, quia nunquam in ea fuit vera justitia (*c*). Secundum probabiliores autem definitiones, pro suo modo quodam [2] respublica fuit: et melius ab antiquioribus Romanis, quam a posterioribus administrata est. Vera autem justitia non est,

[1] [illegible] M.
[illegible]
(*a*) [illegible]
(*b*) [illegible]
(*c*) [illegible] Scipionem, C. Lælium et L. Furium Philum.

[2] [illegible] Mss. Al. Vind. et Fr., *quædam*. Lov., *quondam*.
(*a*) [illegible] post Africani mortem, quæ ad [illegible] anno [illegible].
(*b*) [illegible] Christum. Nam a Ciceronis consulatu, quo tempore libros de republica edidit, ad [illegible] Augusti, quo natus est Christus, [illegible] sexaginta.
(*c*) Vide infra, lib. 19, capp. 21, 24.

nisi in ea republica, cujus conditor rectorque Christus est; si et ipsam rempublicam placet dicere, quoniam eam rem populi esse negare non possumus. Si autem hoc nomen, quod alibi aliterque vulgatum est, ab usu nostræ locutionis est forte remotius; in ea certe civitate est vera justitia, de qua Scriptura sancta dicit, *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3).

CAPUT XXII. — *Quod diis Romanorum nulla unquam cura fuerit, ne malis moribus respublica deperiret.*

1. Sed quod pertinet ad præsentem quæstionem, quamlibet laudabilem dicant istam fuisse vel esse rempublicam, secundum eorum auctores doctissimos jam longe ante Christi adventum pessima ac flagitiosissima facta erat: imo vero nulla erat, atque omnino perierat perditissimis moribus. Ut ergo non periret, dii custodes ejus populo cultori suo dare præcipue vitæ ac morum præcepta debuerunt, a quo tot templis, tot sacerdotibus et sacrificiorum generibus, tam multiplicibus variisque sacris, tot festis solemnitatibus, tot tantorumque ludorum celebritatibus colebantur: ubi nihil dæmones nisi negotium suum egerunt, non curantes quemadmodum illi viverent, imo curantes ut etiam perdite viverent, dum tamen honori suo illa omnia metu subditi ministrarent. Aut si dederunt, proferatur, ostendatur, legatur, quas deorum leges illi civitati datas contempserint Gracchi (*a*), ut seditionibus cuncta turbarent; quas Marius (*b*), et Cinna (*c*), et Carbo (*d*), ut in bella etiam progrederentur civilia, causis iniquissimis suscepta, et crudeliter gesta crudeliusque finita; quas denique Sylla ipse (*e*), cujus vitam, mores, facta, describente Sallustio aliisque historiæ scriptoribus, quis non exhorreat? Quis illam rempublicam non tunc perisse fateatur?

2. An forte propter hujuscemodi civium mores Virgilianam illam sententiam, sicut solent, pro defensione suorum deorum opponere audebunt,

Discessere omnes adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc steterat?
(*Æneid. lib.* 2, *vers.* 351, 352.)

Primum si ita est, non habent cur querantur de religione christiana, quod hac offensi eos dii sui deseruerint: quoniam quidem majores eorum jam pridem moribus suis ab Urbis altaribus tam multos ac minutos deos, tanquam muscas abegerunt. Sed tamen hæc numinum turba ubi erat, cum longe antequam mores corrumperentur antiqui, a Gallis Roma capta et incensa est? An præsentes forte dormiebant? Tunc enim tota Urbe in hostium potestatem redacta, solus collis Capitolinus remanserat, qui etiam ipse caperetur, nisi saltem anseres diis dormientibus vigilarent (*a*). Unde pene in superstitionem Ægyptiorum bestias avesque colentium Roma deciderat, cum anseri solemnia celebrabant. Verum de his adventitiis, et corporis potius quam animi malis, quæ vel ab hostibus vel alia clade accidunt, nondum interim disputo: nunc ago de labe morum, quibus primum paulatim decoloratis, deinde torrentis modo præcipitatis, tanta, quamvis integris tectis mœnibusque, facta est ruina reipublicæ, ut magni auctores eorum eam tunc amissam non dubitent dicere. Recte autem abscesserant, ut amitteretur, *omnes adytis arisque relictis dii*, si eorum de bona vita [1] atque justitia civitas præcepta contempserat. Nunc vero quales, quæso, dii fuerunt, si noluerunt cum populo cultore suo vivere, quem male viventem non docuerant bene vivere?

CAPUT XXIII. — *Varietates rerum temporalium, non ex favore aut impugnatione dæmonum, sed ex veri Dei pendere judicio.*

1. Quid, quod etiam videntur eorum adfuisse cupiditatibus implendis, et ostenduntur non præfuisse refrenandis? Qui enim Marium, novum hominem et ignobilem, cruentissimum auctorem bellorum civilium atque gestorem, ut septies consul fieret adjuverunt, atque ut in septimo suo consulatu moreretur senex, nec in manus Syllæ futuri mox victoris irrueret [2]? Si enim ad hæc eum dii eorum non juverunt, non parum est quod fatentur etiam non propitiis diis suis posse accidere homini istam temporalem, quam nimis diligunt, tantam felicitatem; et posse homines, sicut fuit Marius, salute, viribus, opibus, honoribus, dignitate, longævitate cumulari et perfrui, diis iratis: posse etiam homines, sicut fuit Regulus, captivitate, servitute, inopia, vigiliis, doloribus excruciari et emori, diis amicis. Quod si ita esse concedunt, compendio, nihil eos prodesse, et coli superfluo, confitentur. Nam si virtutibus animi et probitati vitæ, cujus præmia post mortem speranda sunt, magis contraria ut populus disceret instituerunt; si nihil etiam in his transeuntibus et temporalibus bonis, vel eis quos oderunt nocent, vel eis quos diligunt prosunt: utquid coluntur? utquid tanto studio colendi requiruntur? Cur laboriosis tristibusque temporibus, tanquam offensi abscesserint, murmuratur; et propter eos christiana religio conviciis indignissimis læditur? Si autem habent in his rebus, vel beneficii, vel maleficii potestatem; cur in eis adfuerunt pessimo viro Mario, et optimo Regulo defuerunt? An ex hoc ipsi intelliguntur injustissimi et pessimi? Quod

(*a*) Tiberius Gracchus et Caius ejus frater. Vide supra col. 45.

(*b*) Marius municeps Arpinas fuit, qui Romæ septies consul est creatus, ac Jugurtham, Cimbros et Teutonas vicit. Ad extremum autem modo cum Sylla bello civili, victus ipse est et in Africam fugit.

(*c*) Victo Mario, cum ad bellum Mithridaticum Sylla proficisceretur, Cornelium Cinnam et Cn. Octavium consules in Urbe reliquit. Cinna studio rerum novarum a collega dissensit pulsusque est ab eo ex Urbe: quam injuriam ut vindicaret Cinna, revocato ex Africa Mario, bellum Urbi intulit in eamque tandem ingressus cædibus omnia complevit.

(*d*) Carbones, ut Cicero lib. 9, epist. ad Pætum 21 scribit, multi fuerunt ex Papyria gente: hic de quo Augustinus, Cneus Papyrius Carbo Marianas partes secutus et a Sylla victus, fugit in Siciliam ibique Lilybæi a Pompeio interfectus est.

(*e*) Qui, ut Cicero lib. 3 de Finibus dicit, *trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit.*

[1] Lov., *dii, quorum de bona vita.* Dissentiunt cæteri libri.

[2] Hic editi addunt, *Cur non etiam juverunt, ut a tantorum se compesceret immanitate facinorum?* Sed hæc absunt ab omnibus Gallicanis et Romanis manuscriptis.

(*a*) Vide Livium, lib. 5, cap. 38 seqq. et capp. 47, 48, et Plutarch. in Camill.

si propterea magis timendi et colendi putantur, neque hoc putentur : neque enim minus eos invenitur Regulus coluisse, quam Marius. Nec ideo vita pessima eligenda videatur, quia magis Mario quam Regulo dii favisse existimantur. Metellus enim, Romanorum laudatissimus, qui habuit quinque filios consulares (a), etiam rerum temporalium felix fuit ; et Catilina pessimus, oppressus inopia et in bello sui sceleris prostratus infelix : et verissima atque certissima felicitate præpollent boni Deum colentes, a quo solo conferri potest.

2. Illa igitur respublica malis moribus cum periret, nihil dii eorum pro dirigendis vel pro corrigendis egerunt moribus, ne periret, imo depravandis et corrumpendis addiderunt moribus, ut periret. Nec se bonos fingant, quod velut offensi civium iniquitate discesserint. Prorsus ibi erant ; produntur, convincuntur : nec subvenire præcipiendo, nec latere tacendo potuerunt. Omitto quod Marius a miserantibus Minturnensibus Maricæ deæ in luco ejus commendatus est, ut ei omnia prosperaret (b) ; et ex summa desperatione reversus incolumis, in Urbem duxit crudelem crudelis exercitum : ubi quam cruenta, quam incivilis, hostilique immanior ejus victoria fuerit ; eos qui scripserunt, legant qui volunt [1]. Sed hoc, ut dixi, omitto : nec Maricæ nescio cui tribuo Marii sanguineam felicitatem, sed occultæ potius providentiæ Dei ad istorum ora claudenda, eosque ab errore liberandos qui non studiis agunt, sed hæc prudenter advertunt. Quia et si aliquid in his rebus dæmones possunt, tantum possunt, quantum secreto Omnipotentis arbitrio permittuntur ; ne magnipendamus terrenam felicitatem, quæ, sicut Mario, malis etiam plerumque conceditur ; nec eam rursus quasi malam arbitremur, cum ea multos etiam pios et bonos unius Dei veri cultores, invitis dæmonibus præpolluisse videamus ; nec eosdem immundissimos spiritus vel propter hæc ipsa bona malave terrena propitiandos aut timendos existimemus. Quia sicut ipsi mali homines in terra, sic etiam illi non omnia quæ volunt facere possunt, nisi quantum illius ordinatione sinuntur [2], cujus plene judicia nemo comprehendit, juste nemo reprehendit.

CAPUT XXIV. — *De Syllanis actibus, quorum se dæmones ostentaverunt adjutores.*

1. Sylla certe ipse, cujus tempora talia fuerunt, ut superiora, quorum vindex esse videbatur, illorum comparatione quærerentur, cum primum ad Urbem contra Marium castra movisset, adeo læta exta immolanti fuisse scribit Livius, ut custodiri se Postumius aruspex voluerit capitis supplicium subiturus, nisi ea quæ in animo Sylla haberet, diis juvantibus implevisset. Ecce non discesserant adytis arisque relictis dii, quando de rerum eventu prædicebant, nihilque de ipsius Syllæ correctione curabant. Promittebant præsagiendo [1] felicitatem magnam, nec malam cupiditatem minando frangebant. Deinde cum esset in Asia bellum Mithridaticum gerens, per Lucium Titium ei mandatum est a Jove, quod esset Mithridatem superaturus : et factum est. Ac postea molienti redire in Urbem, et suas amicorumque injurias [2] civili sanguine ulcisci, iterum mandatum est ab eodem Jove per militem quemdam legionis sextæ, prius se de Mithridate prænuntiasse victoriam, et tunc promittere daturum se potestatem, qua recuperaret ab inimicis rempublicam non sine multo sanguine. Tunc percontatus Sylla, quæ forma militi visa fuerit ; cum ille indicasset, eam recordatus est quam prius ab illo audierat, qui de Mithridatica victoria ab eodem mandata pertulerat. Quid hic responderi potest, quare dii curaverint velut felicia ista nuntiare, et nullus eorum curaverit Syllam monendo corrigere, mala tanta facturum scelestis armis civilibus, qualia non fœdarent, sed auferrent omnino rempublicam ? Nempe intelliguntur dæmones, sicut sæpe dixi, notumque nobis est in Litteris sacris, resque ipsæ satis indicant, negotium suum agere, ut pro diis habeantur et colantur, et ea illis exhibeantur, quibus ii qui exhibent sociati, unam pessimam causam cum eis habeant in judicio Dei.

2. Deinde cum venisset Tarentum Sylla, atque ibi sacrificasset, vidit in capite vitulini jecoris similitudinem coronæ aureæ. Tunc Postumius aruspex ille respondit, præclaram ei significare victoriam, jussitque ut extis illis solus vesceretur. Postea parvo intervallo servus cujusdam Lucii Pontii vaticinando clamavit : A Bellona nuntius venio ; victoria tua est, Sylla. Deinde adjecit, arsurum esse Capitolium. Hoc cum dixisset, continuo egressus e castris, postera die concitatior reversus est, et Capitolium arsisse clamavit. Arserat autem revera Capitolium. Quod quidem dæmoni et prævidere facile fuit, et celerrime nuntiare. Illud sane intende, quod ad causam maxime pertinet, sub qualibus diis esse cupiant qui blasphemant Salvatorem voluntates fidelium a dominatu dæmonum liberantem. Clamavit homo vaticinando, Victoria tua est, Sylla ; atque ut id divino spiritu clamare crederetur, nuntiavit etiam aliquid et prope futurum et mox factum, unde longe aberat per quem ille spiritus loquebatur : non tamen clamavit, Ab sceleribus parce, Sylla ; quæ illic victor tam horrenda commisit, cui corona aurea ipsius victoriæ illustrissimum signum in vitulino jecore apparuit. Qualia signa si dii justi

[1] Vind. Am. et Er., *legant qui scire volunt.*

[2] Omnes Mss., *sinuntur.*

(a) Fuit ille Q. Metellus Macedonicus, L. Metelli pontificis nepos, de quo Plinius, lib. 7, cap. 44 ; Cicero, de Finibus, lib. 5, cap. 27, 28 ; Tuscul. lib. 1, cap. 35 ; Valerius Max. lib. 7, cap. 1 : qui omnes eum pro summæ felicitatis exemplo ponunt. Filios eum quatuor tantum habuisse, ex illis scriptoribus discunt Vives et Coquæus. Hic tamen libri omnes quos inspicere licuit, *quinque filios consulares*, retinent.

(b) Minturnas, Campaniæ oppidum deductus Marius, cum ex prima pugna cum Sylla victus fugeret, qua ratione a Minturnensibus exceptus sit, discas ex Plutarcho in ejus vita, Velleio lib. 2, Appiano de Bellis civilibus lib. 1, et aliis.

[1] Vind. Am. et manuscripti, *præsagando.* — Sic etiam Ms. 700. M.

[2] Lov., *subortas injurias.* Abest, *subortas*, a Vind. Am. Er. et a plerisque manuscriptis.

dare solerent, ac non dæmones impii, profecto illis extis nefaria potius atque ipsi Syllæ graviter noxia mala futura monstrarent. Neque enim ejus dignitati tantum profuit illa victoria, quantum nocuit cupiditati; qua factum est ut immoderatis inhians, et secundis rebus elatus ac præcipitatus, magis ipse periret in moribus, quam inimicos in corporibus perderet. Hæc illi dii vere tristia vereque lugenda, non extis, non auguriis, non cujusquam somnio vel vaticinio prænuntiabant. Magis enim timebant ne corrigeretur, quam ne vinceretur. Imo satis agebant, ut victor civium gloriosus, victus atque captivus nefandis vitiis, et per hæc ipsis etiam dæmonibus multo obstrictius subderetur.

CAPUT XXV. — *Quantum maligni spiritus ad flagitia incitent homines, cum in committendis sceleribus quasi divinam exempli sui interponunt auctoritatem.*

1. Illinc vero quis non intelligat, quis non videat, nisi qui tales deos imitari magis elegit, quam divina gratia ab eorum societate separari, quantum moliantur maligni isti spiritus exemplo suo velut divinam auctoritatem præbere sceleribus, quod etiam in quadam Campaniæ lata planitie, ubi non multo post civiles acies nefario prælio conflixerunt, ipsi inter se prius pugnare visi sunt (*a*)? Namque ibi auditi sunt primum ingentes fragores : moxque multi se vidisse nuntiarunt per aliquot dies duas acies præliari. Quæ pugna ubi destitit, vestigia quoque velut hominum et equorum, quanta de illa conflictatione exprimi poterant, invenerunt. Si ergo veraciter inter se numina pugnaverunt, jam bella civilia excusantur humana [1]; consideretur tamen quæ sit talium deorum vel malitia, vel miseria : si autem se pugnasse finxerunt, quid aliud egerunt, nisi ut sibi Romani bellando civiliter, tanquam deorum exemplo nullum nefas admittere viderentur? Jam enim cœperant bella civilia, et aliquot [2] nefandorum præliorum strages exsecranda præcesserat : jam multos moverat quod miles quidam, dum occiso spolia detraheret, fratrem nudato cadavere agnovit, ac detestatus bella civilia, se ipsum ibi perimens fraterno corpori adjunxit (*b*). Ut ergo tanti hujus mali minime tæderet, sed armorum scelestorum magis magisque ardor incresceret, noxii dæmones [3], quos illi deos putantes colendos et venerandos arbitrabantur, inter se pugnantes hominibus apparere voluerunt; ne imitari tales pugnas civica trepidaret affectio, sed potius humanum scelus divino excusaretur exemplo. Hac astutia maligni spiritus etiam ludos, unde multa jam dixi, scenicos sibi dicari sacrarique jusserunt : ubi deorum tanta flagitia theatricis canticis atque fabularum actionibus celebrata, et quisquis eos talia fecisse crederet, et quisquis non crederet, sed tamen illos libentissime sibi talia velle [1] exhiberi cerneret, securus imitaretur. Ne quis itaque existimaret in deos convicia potius, quam eis dignum aliquid scriptitasse, ubicumque illos inter se pugnasse poetæ commemorarunt, ipsi ad decipiendos homines poetarum carmina firmaverunt, pugnas videlicet suas non solum per scenicos in theatro, verum etiam per se ipsos in campo humanis oculis exhibentes.

2. Hæc dicere compulsi sumus, quoniam pessimis moribus civium Romanam rempublicam jam antea perditam fuisse, nullamque remansisse ante adventum Domini nostri Jesu Christi, auctores eorum dicere et scribere minime dubitarunt. Quam perditionem diis suis non imputant, qui mala transitoria, quibus boni, seu vivant, seu moriantur, perire non possunt, Christo nostro imputant : cum Christus noster tanta frequentet [2] pro moribus optimis præcepta contra perditos mores; dii vero ipsorum nullis talibus præceptis egerint aliquid cum suo cultore populo, pro illa republica, ne periret; imo eosdem mores velut suis exemplis auctoritate noxia corrumpendo, egerunt potius ut periret. Quam non ideo tunc periisse quisquam, ut arbitror, jam dicere audebit, quia

Discessere omnes adytis arisque relictis
Dî,

velut amici virtutibus, cum vitiis hominum offenderentur; quia tot signis extorum, auguriorum, vaticiniorum quibus se tanquam præscios futurorum adjutoresque præliorum jactare et commendare gestiebant, convincuntur fuisse præsentes : qui si vere abscessissent, mitius Romani in bella civilia suis cupiditatibus quam illorum instigationibus exarsissent.

CAPUT XXVI. — *De secretis dæmonum monitis, quæ pertinebant ad bonos mores, cum palam in sacris eorum omnis nequitia disceretur.*

1. Quæ cum ita sint, cum palam aperteque turpitudines crudelitatibus mixtæ, opprobria numinum et crimina, sive prodita, sive conficta, ipsis exposcentibus, et nisi fieret irascentibus, etiam certis et statis solemnitatibus consecrata illis et dedicata claruerint, atque ad omnium oculos, ut imitanda proponerentur, spectanda processerint : quid est, quod iidem ipsi dæmones, qui se hujuscemodi voluptatibus immundos spiritus esse confitentur, qui suis flagitiis et facinoribus, sive indicatis, sive simulatis, eorumque sibi celebratione petita [3] ab impudentibus, extorta a pudentibus, auctores se vitæ scelestæ immundæque testantur; perhibentur tamen in adytis suis secretisque penetralibus dare quædam bona præcepta de moribus, quibusdam velut electis sacratis suis (*a*)?

[1] Vind. Am. Er. et libri Mss., *excusantur humana*. — In B., *excusentur humana*. Sic etiam Ms. 2052. M.
[2] Editi, *aliqua*. At Mss., *aliquot*. Refer ad, *præliorum*.
[3] Editi, *mox hi dæmones*. Plerique autem et melioris notæ Mss., *noxii dæmones*. Huic lectioni congruit illud in sequenti capite, n. 1, *spirituum noxiorum*.
(*a*) Julius Obsequens libr. de Prodigiis.
(*b*) Ex Livii libro 79.

[1] Abest, *velle*, a Mss. — Sic etiam in Ms. 766, sed corrupte. M.
[2] Sic Mss. nostri excepto 766. In B., *frequenter*, mendose. M.
[3] Sola editio Lov., *expetita*.
(*a*) Heraldus ad Arnobii librum 5 pro glossemate habet hæc verba, *quibusdam velut electis*. Sed insunt manuscriptis omnibus, faciuntque apprime ad propositum Augustini, in ipsis forte etiam alludentis ad Manichæorum Electos, quibus illius sectæ doctrina secretior servabatur. Nam quod subsequitur, *sacratis suis*, non ipsos mores, ut Heraldus putavit, spectat, quasi adjectivum; sed homines significat diis religione addictos, ut passim hoc in opere.

Quod si ita est, hoc ipso callidior advertenda est et convincenda malitia spirituum noxiorum. Tanta enim vis est probitatis et castitatis, ut omnis vel pene omnis ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis. Proinde malignitas dæmonum, nisi alicubi se, quemadmodum scriptum in nostris Litteris novimus, transfiguret in angelos lucis (II *Cor.* XI, 14), non implet negotium deceptionis. Foris itaque populis celeberrimo strepitu impietas impura circumsonat, et intus paucis castitas simulata vix sonat: præbentur propatula pudendis, et secreta laudandis: decus latet, et dedecus patet: quod malum geritur, omnes convocat spectatores; quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores: tanquam honesta erubescenda sint, et inhonesta glorianda. Sed ubi hoc, nisi in dæmonum templis? ubi, nisi in fallaciæ diversoriis [1]? Illud enim fit, ut honestiores, qui pauci sunt, capiantur; hoc autem, ne plures, qui sunt turpissimi, corrigantur.

2. Ubi et quando sacrati Cœlestis (*a*) audiebant castitatis præcepta, nescimus: ante ipsum tamen delubrum, ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, universi undique confluentes, et ubi quisque poterat stantes, ludos qui agebantur intentissimi spectabamus, intuentes alternante conspectu, hinc meretriciam pompam, illinc virginem deam; illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari: non ibi pudibundos mimos, nullam verecundiorem scenicam vidimus; cuncta obscenitatis implebantur officia. Sciebatur virginali numini quid placeret, et exhibebatur quod de templo domum matrona doctior reportaret. Nonnullæ pudentiores avertebant faciem ab impuris motibus scenicorum, et artem flagitii [1] furtiva intentione discebant. Hominibus namque verecundabantur, ne auderent impudicos gestus ore libero cernere; sed multo minus audebant sacra ejus, quam venerabantur, casto corde damnare. Hoc tamen palam discendum præbebatur in templo, ad quod perpetrandum saltem secretum quærebatur in domo: mirante nimium (si ullus ibi erat) pudore mortalium, quod humana flagitia [2] non libere homines committerent, quæ apud deos etiam religiose discerent, iratos habituri, nisi etiam exhibere curarent. Quis enim alius spiritus occulto instinctu nequissimas agitans mentes, et instat faciendis adulteriis, et pascitur factis, nisi qui etiam sacris talibus oblectatur, constituens in templis simulacra dæmonum, amans in ludis simulacra vitiorum; susurrans in occulto verba justitiæ ad decipiendos etiam paucos bonos, frequentans in aperto invitamenta nequitiæ ad possidendos innumerabiles malos?

CAPUT XXVII. — *Quanta eversione publicæ disciplinæ Romani diis suis placandis sacraverint obscena ludorum.*

Vir gravis et philosophaster Tullius [1] ædilis futurus, clamabat in auribus civitatis, inter cætera sui magistratus officia sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam (*a*): qui ludi tanto devotius, quanto turpius celebrari solent. Dicit alio loco jam consul in extremis periculis civitatis, et ludos per decem dies factos, neque rem ullam quæ ad placandos deos pertineret, prætermissam (*b*): quasi non satius erat tales deos irritare temperantia, quam placare luxuria; et eos honestate etiam ad inimicitias provocare, quam tanta deformitate lenire. Neque enim gravius fuerant quamlibet crudelissima immanitate nocituri homines, propter quos placabantur, quam nocebant ipsi, cum vitiositate fœdissima placarentur: quandoquidem ut averteretur quod metuebatur ab hoste in corporibus, eo modo dii conciliabantur, quo virtus debellaretur in mentibus; qui non opponerentur defensores oppugnatoribus mœnium, nisi prius fierent expugnatores morum bonorum. Hanc talium numinum placationem petulantissimam, impurissimam, impudentissimam, nequissimam, immundissimam, cujus actores laudanda Romanæ virtutis indoles honore privavit, tribu movit, agnovit turpes, fecit infames; hanc, inquam, pudendam, veræque religioni aversandam et detestandam talium numinum placationem, has fabulas in deos illecebrosas atque criminosas, hæc ignominiosa deorum facta vel scelerate turpiterque commissa [2], vel sceleratius turpiusque conficta, oculis et auribus publicis civitas tota discebat: hæc commissa numinibus placere cernebat; et ideo non solum illis exhibenda, sed sibi quoque imitanda credebat: non illud nescio quid velut bonum et honestum, quod tam paucis et tam occulte dicebatur (si tamen dicebatur), ut magis ne innotesceret, quam ne non fieret, timeretur.

CAPUT XXVIII. — *De Christianæ religionis salubritate.*

Ab istarum immundissimarum potestatum tartareo jugo et societate pœnali erui per Christi nomen homines, et in lucem saluberrimæ pietatis ab illa perniciosissimæ impietatis nocte transferri, queruntur et murmurant iniqui et ingrati, et illo nefario spiritu altius obstrictiusque possessi [3], quia populi confluunt

[1] Hic in excusis additum, *videre erubescentes*, quod abest a manuscriptis.

[2] Editi, *At non nimium si ullus ibi erat pudor mortalium, quod homines*, etc. Emendantur a manuscriptis. — Cod. 706 legit ut [illegible] manuscripti. M.

(*a*) *Sacrati Cœlestis*, id est, cultores Cœlestis deæ virginis, [illegible] erat apud Afros et Carthaginenses quam maxima [illegible] de ea jam supra, cap. 4, ubi vide notam (*b*). [illegible]

[1] Editi, *philosophus Tertullius*. Consentiunt Mss. plerique posteriore tamen vocabulo in quibusdam bipartito, ut legatur, *philosophus ter Tullius*. Verior lectio videtur veteris libri Corbeiensis, *philosophaster Tullius*: quam conjectura assecutus erat Lud. Vives, ut videlicet Augustinus eo verbo notet [illegible] Tullii philosophiam, quæ a tam stultis et sacrilegis erroribus non eum liberavit.

[2] Sic in Mss. At in excusis hoc loco, *conficta*: et altero loco post, *turpiusque*, positum erat, *commissa*. — Cod. 706, *hæc ignominiosa deorum vel scelerate turpiterque facta, vel*, etc. M.

[3] Editi, [illegible]: dissentientibus manuscriptis.

(*a*) Act. 5 in Verrem.

(*b*) Act. 3 in Catilinam, cap. 8.

ad ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione: ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semperque vivere mereantur; ubi sancta Scriptura justitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, et qui faciunt, audiant ad præmium; et qui non faciunt, audiant ad judicium. Quo etsi veniunt quidam talium præceptorum irrisores, omnis eorum petulantia aut repentina immutatione deponitur, aut timore vel pudore comprimitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.

CAPUT XXIX. — *De abjiciendo cultu deorum cohortatio ad Romanos.*

1. Hæc potius concupisce, o indoles Romana laudabilis, o progenies Regulorum, Scævolarum, Scipionum, Fabriciorum: hæc potius concupisce, hæc ab illa turpissima vanitate et fallacissima dæmonum malignitate discerne. Si quid in te laudabile naturaliter eminet, nonnisi vera pietate purgatur atque perficitur; impietate autem disperditur [1] et punitur. Nunc jam elige quid sequaris, ut non in te, sed in Deo vero sine ullo errore lauderis. Tunc enim tibi gloria popularis adfuit, sed occulto judicio divinæ providentiæ vera religio, quam eligeres, defuit. Expergiscere, dies est; sicut experrecta es in quibusdam, de quorum virtute perfecta, et pro fide vera etiam passionibus gloriamur, qui usquequaque adversus potestates inimicissimas confligentes, easque fortiter moriendo vincentes, sanguine nobis hanc patriam peperere suo. Ad quam patriam te invitamus, et exhortamur ut ejus adjiciaris numero civium, cujus quodammodo asylum est (*a*) vera remissio peccatorum. Non audias degeneres tuos Christo Christianisve detrahentes, et accusantes velut tempora mala, cum quærant tempora quibus non sit quieta vita, sed potius secura nequitia. Hæc tibi nunquam nec pro terrena patria placuerunt. Nunc jam cœlestem arripe, pro qua minimum laborabis, et in ea veraciter semperque regnabis. Illic enim tibi non Vestalis focus (*b*), non lapis Capitolinus (*c*), sed Deus unus et verus

> Nec metas rerum, nec tempora ponit,
> Imperium sine fine dedit.
> (*Æneid. lib.* 1, *vers.* 278, 279.)

2. Noli deos falsos fallacesque requirere, abjice potius atque contemne, in veram emicans libertatem. Non sunt dii, maligni sunt spiritus, quibus æterna tua felicitas pœna est. Non tam Juno Trojanis, a quibus carnalem originem ducis, arces videtur invidisse Romanas, quam isti dæmones, quos adhuc deos putas, omni generi hominum sedes invident sempiternas. Et tu ipsa non parva ex parte de talibus judicasti, quando ludis eos placasti, et per quos homines eosdem ludos fecisti, infames esse voluisti. Patere asseri libertatem tuam adversus immundos spiritus, qui tuis cervicibus imposuerant sacrandam sibi et celebrandam ignominiam suam. Actores criminum divinorum removisti ab honoribus tuis: supplica Deo vero, ut a te removeat illos deos, qui delectantur criminibus suis, seu veris, quod ignominiosissimum est; seu falsis, quod malitiosissimum est. Bene, quod tua sponte histrionibus et scenicis societatem civitatis patere noluisti; evigila plenius: nullo modo his artibus placatur divina majestas, quibus humana dignitas inquinatur. Quo igitur pacto deos, qui talibus delectantur obsequiis, haberi putas in numero [1] sanctarum cœlestium potestatum; cum homines per quos eadem aguntur obsequia, non putasti habendos in numero qualiumcumque civium Romanorum? Incomparabiliter superna est civitas clarior, ubi victoria, veritas; ubi dignitas, sanctitas; ubi pax, felicitas; ubi vita, æternitas. Multo minus habet in sua societate tales deos, si tu in tua tales homines habere erubuisti. Proinde si ad beatam pervenire desideras civitatem, devita dæmonum societatem. Indigne ab honestis coluntur, qui per turpes placantur. Sic isti a tua pietate [2] removeantur purgatione christiana, quomodo illi a tua dignitate remoti sunt notatione censoria. De bonis autem carnalibus, quibus solis mali perfrui volunt, et de malis carnalibus, quæ sola perpeti nolunt, quod neque in his habeant, quam putantur habere isti dæmones, potestatem; quanquam si haberent, deberemus potius etiam ista contemnere, quam propter ista illos colere, et eos colendo ad illa, quæ nobis invident, pervenire non posse: tamen nec in istis eos hoc valere, quod hi putant, qui propter hæc eos coli oportere contendunt, deinceps videbimus, ut hic sit hujus voluminis modus.

[1] Sic Er. et Mss. At Vind. Am. et Lov., *dispergitur*.

(*a*) Ad Romuleum asylum alludit, de quo infra, lib. 5, cap. 17 in fine.

(*b*) Ignis perpetuus Vestæ dicatus, qui si casu exstingueretur, maximorum malorum imminentium præsagium esse, scribit Liv. lib. 5, cap. 52, et lib. 28, cap. 11.

(*c*) Jovis simulacrum in Capitolio lapideum. Hinc nata illa Romanis sanctissima juratio, « Per Jovem lapidem! »

[1] Lov., *in omni numero*. Abest, *omni*, a cæteris libris.

[2] Sic Mss. Editi autem, *societate*.

LIBER TERTIUS.

Ut in superiori libro de malis morum et animi, sic in præsenti de corporis externarumque rerum incommodis ostendit Augustinus, Romanos a condita Urbe his assidue vexatos fuisse, atque ad avertenda id genus mala deos falsos, cum ante Christi adventum libere colerentur, nihil præstitisse.

CAPUT PRIMUM. — *De adversitatibus quas soli mali metuunt, et quas semper passus est mundus, cum deos coleret.*

Jam satis dictum arbitror de morum malis et animorum, quæ præcipue cavenda sunt, nihil deos falsos populo cultori suo, quominus eorum malorum aggere premeretur, subvenire curasse; sed potius, ut maxime premeretur, egisse. Nunc de illis malis video dicendum, quæ sola isti perpeti nolunt, qualia sunt fames, morbus, bellum, exspoliatio, captivitas, trucidatio, et si qua similia jam in primo libro commemoravimus. Hæc enim sola mali deputant mala, quæ non faciunt malos, nec erubescunt inter bona quæ laudant, ipsi mali esse qui laudant; magisque stomachantur, si villam malam habeant, quam si vitam: quasi hoc sit hominis maximum bonum, habere bona omnia, præter se ipsum. Sed neque talia mala, quæ isti sola formidant, dii eorum, quando ab eis libere colebantur, ne illis acciderent, obstiterunt. Cum enim variis per diversa loca [1] temporibus ante adventum Redemptoris nostri innumerabilibus nonnullisque etiam incredibilibus cladibus genus contereretur humanum; quos alios quam istos deos mundus colebat, excepto uno populo Hebræo, et quibusdam extra ipsum populum, ubicumque gratia divina digni occultissimo atque justissimo Dei judicio fuerunt (*a*)? Verum ne nimium longum faciam, tacebo aliarum usquequaque gentium mala gravissima: quod ad Romam pertinet Romanumque imperium, tantum loquar; id est, ad ipsam proprie civitatem, et quæcumque illi terrarum vel societate conjunctæ, vel conditione subjectæ sunt, quæ sint perpessæ ante adventum Christi, cum jam ad ejus quasi corpus reipublicæ pertinerent.

CAPUT II. — *An dii, qui et a Romanis et a Græcis similiter colebantur, causas habuerint quibus Ilium paterentur exscindi.*

Primum ipsa Troja vel Ilium, unde origo est populi Romani (neque enim prætereundum aut dissimulandum est, quod et in primo libro attigi [*Cap.* 4]), eosdem habens deos et colens, cur a Græcis victum, captum atque deletum est? Priamo, inquiunt, sunt reddita Laomedontea paterna perjuria (*b*). Ergo verum est, quod Apollo atque Neptunus eidem Laomedonti mercenariis operibus servierunt; illis quippe promisisse mercedem falsumque jurasse perhibetur. Miror, Apollinem, nominatum divinatorem, in tanto opificio laborasse, nescientem quod Laomedon fuerat promissa negaturus. Quanquam nec ipsum Neptunum patruum ejus, fratrem Jovis, regem maris, decuit ignarum esse futurorum. Nam hunc Homerus de stirpe Æneæ, a cujus posteris condita [1] Roma est, cum ante illam urbem conditam idem poeta fuisse dicatur (*a*), inducit magnum aliquid divinantem (*Iliad.* Υ, *vers.* 302-305): quem etiam nube rapuit, ut dicit, ne ab Achille occideretur,

> cuperet cum vertere ab imo
(Quod apud Virgilium confitetur.)
> Structa suis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
> (*Æneid. lib.* 5, *vers.* 810, 811.)

Nescientes igitur tanti dii, Neptunus et Apollo, Laomedontem sibi negaturum esse mercedem, structores mœnium Trojanorum gratis, et ingratis fuerunt. Videant ne gravius sit tales deos credere, quam diis talibus pejerare. Hoc enim nec ipse Homerus facile credidit, qui Neptunum quidem contra Trojanos, Apollinem autem pro Trojanis pugnantem facit, cum illo perjurio ambos fabula narret offensos. Si igitur fabulis credunt, erubescant talia colere numina; si fabulis non credunt, non obtendant Trojana perjuria, aut mirentur deos perjuria punisse Trojana, amasse Romana. Unde enim conjuratio Catilinæ in tanta tamque corrupta civitate habuit etiam eorum grandem copiam, quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat (*b*)? Quid enim aliud toties senatores corrupti in judiciis, toties populus in suffragiis vel in quibusque causis, quæ apud eum concionibus agebantur, nisi etiam pejerando peccabant (*c*)? Namque corruptissimis moribus ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut ab sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque sceleribus cæteris adderentur.

CAPUT III. — *Non potuisse offendi deos Paridis adulterio, quod inter ipsos traditur frequentatum.*

Nulla itaque causa est, quare dii, quibus, ut dicunt, steterat illud imperium (*Virgil. Æneid. lib.* 2, *vers.* 352), cum a Græcis prævalentibus probentur victi,

[1] Abest, *loca*, a manuscriptis.

(*a*) Hoc ipsum Augustinus in Epistola ad Deogratias 102, n. 15, docet: « Salus, » inquit, « religionis hujus... nulli « unquam defuit, qui dignus fuit, » etc. Quam suam sententiam exponens libro de Prædestinatione Sanctorum, n. 19, ait: « Si discutiatur et quæratur unde quisque sit dignus; « non desunt qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, gratia vel prædestinatione divina. »

(*b*) Hinc Virgilius, Georg. lib. 1, vers. 502:

Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.

[1] Vox, *condita*, abest ab Vind. Am. Er. et a Mss. — Non abest a 2055. M.

(*a*) Nec de tempore Urbis conditæ, nec de Homeri ætate satis inter scriptores convenit. Hunc elapsis post bellum Trojanum annis plus minus 160, et ante Christum annis circiter 1000, Salomone in Judæa regnante, vixisse probabilior opinio est. Quamcumque vero aliam opinionem sequi placeat, Homerus Roma erit antiquior: quod et Cicero testatur in Tusculanis, lib. 1, cap. 1, et A. Gellius, lib. 17, cap. 21.

(*b*) Sallust., de Conjuratione Catilinæ cap. 14.

(*c*) Semper judices jurati pronuntiare, et populus in mittendis suffragiis jurare solebat, ut ne pretio vel gratia adductus quidquam antiquius haberet salute reipublicæ.

Trojanis pejerantibus fingantur irati. Nec adulterio Paridis, ut rursus a quibusdam defenduntur, ut Trojam desererent, succensuerunt. Auctores enim doctoresque peccatorum esse assolent, non ultores. *Urbem Romam*, inquit Sallustius, *sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce profugi sedibus incertis vagabantur* (*De Catilinæ Conjuratione, cap.* 6). Si ergo adulterium Paridis vindicandum numina censuerunt, aut magis in Romanis[1], aut certe etiam in Romanis puniendum fuit; quia Æneæ mater (*a*) hoc fecit. Sed quomodo in illo illud flagitium oderant, qui in sua socia Venere non oderant (ut alia omittam) quod cum Anchise commiserat, ex quo Ænean pepererat? An quia illud factum est indignante Menelao, illud autem concedente Vulcano (*b*)? Dii enim, credo, non zelant conjuges suas, usque adeo ut eas etiam cum hominibus dignentur habere communes. Irridere fabulas fortassis existimor, nec graviter agere tanti ponderis causam. Non ergo credamus, si placet, Ænean esse Veneris filium: ecce concedo, si nec Romulum Martis (*c*). Si autem illud, cur non et illud? An deos fas est hominibus feminis, mares autem homines deabus misceri nefas? Dura, vel potius non credenda conditio, quod ex jure Veneris in concubitu Marti licuit, hoc in jure suo ipsi Veneri non licere. At utrumque firmatum est auctoritate Romana. Neque enim minus credidit recentior Cæsar aviam Venerem (*d*), quam patrem antiquior Romulus Martem.

CAPUT IV. — *De sententia Varronis, qua utile esse dixit ut se homines diis genitos mentiantur.*

Dixerit aliquis: Itane tu ista credis? Ego vero ista non credo. Nam et vir doctissimus eorum Varro falsa hæc esse, quamvis non audacter, neque fidenter, pene tamen fatetur. Sed utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, diis genitos esse credant: ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, et ob hoc impleat ipsa securitate felicius. Quæ Varronis sententia expressa, ut potui, meis verbis, cernis quam latum locum aperiat falsitati; ut ibi intelligamus plura jam sacra et quasi religiosa potuisse confingi, ubi putata sunt civibus etiam de ipsis diis prodesse mendacia.

CAPUT V. — ***Non probari quod dii adulterium Paridis punierint, quod in Romuli matre non ulti sunt.***

Sed utrum potuerit Venus ex concubitu Anchisæ Ænean parere, vel Mars ex concubitu filiæ Numitoris Romulum gignere, in medio relinquamus. Nam pene talis quæstio etiam de Scripturis nostris oboritur, qua quæritur utrum prævaricatores angeli cum filiabus hominum concubuerint; unde natis gigantibus, id est nimium grandibus ac fortibus viris, tunc terra completa est (*a*) (*Gen.* VI, 4). Proinde ad utrumque interim modo nostra disputatio referatur. Si enim vera sunt, quæ apud illos de matre Æneæ et de patre Romuli leguntur, quomodo possunt diis adulteria displicere hominum, quæ in se ipsis concorditer ferunt? Si autem falsa sunt, nec sic quidem possunt irasci veris adulteriis humanis, qui etiam falsis delectantur suis. Huc accedit, quoniam si illud de Marte non creditur, ut hoc quoque de Venere non credatur, nullo[1] divini concubitus obtentu matris Romuli causa defenditur. Fuit autem sacerdos Sylvia[2] vestalis, et ideo dii magis in Romanos sacrilegum illud flagitium, quam in Trojanos Paridis adulterium, vindicare debuerunt. Nam et ipsi Romani antiqui in stupro detectas Vestæ sacerdotes, vivas etiam defodiebant (*b*) adulteras autem feminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant (*c*): usque adeo gravius quæ putabant adyta divina, quam humana cubilia vindicabant.

CAPUT VI. — *De parricidio Romuli, quod dii non vindicarunt.*

Aliud adjicio, quia si eo usque peccata hominum illis numinibus displicerent, ut offensi Paridis facto desertam Trojam ferro ignibusque donarent; magis eos contra Romanos moveret Romuli frater (*d*) occisus, quam contra Trojanos Græcus maritus (*e*) illusus; magis irritaret parricidium nascentis, quam regnantis adulterium civitatis. Nec ad causam, quam nunc agimus, interest, utrum hoc fieri Romulus jusserit, aut Romulus fecerit, quod multi impudentia negant, multi pudore dubitant, multi dolore dissimulant. Nec nos itaque in ea re diligentius requirenda per multorum scriptorum perpensa testimonia demoremur: Romuli fratrem palam constat occisum, non ab hostibus, non ab alienis. Si aut perpetravit aut imperavit hoc Romulus; magis ipse fuit Romanorum, quam Paris Trojanorum caput (*f*): cur igitur Trojanis iram deorum provocavit ille alienæ conjugis raptor, et eorumdem deorum tutelam Romanis invitavit iste sui fratris exstinctor (*g*)? Si autem illud scelus a facto imperioque Romuli alienum est; quoniam debuit utique vindicari, tota hoc illa civitas fecit, quod tota contempsit[3]; et non jam fratrem, sed patrem, quod est pejus, occidit. Uterque enim fuit conditor, ubi alter scelere ablatus non permissus est esse re-

[1] Editi, *in Trojanis*. Emendantur a manuscriptis.
(*a*) Venus.
(*b*) Veneris marito.
(*c*) Romulus Martis ex Ilia Sylvia vestali filius.
(*d*) Hic Romulo annis fere 700 posterior erat gentis Iuliæ, quæ in Iulum Æneæ filium genus referebat, et per Iulum in Venerem. Ipsius Cæsaris ea de re verba leguntur apud Suetonium.

[1] Er. et Lov., *nullo igitur*. Abest, *igitur*, ab editis aliis et manuscriptis.
[2] Vind. Am. et plerique manuscripti loco, *Sylvia*, habent, *Ilia*. Utrumque nomen habuit filia Numitoris, Romuli et Remi mater, quæ et *Rhea* dicebatur. — Mss. nostri, *illa*. M.
[3] Sic Am. Er. et Mss. At Vind. et Lov., *consensit*.
(*a*) Hanc quæstionem in ra tractat, lib. 15, cap. 23.
(*b*) Liv. lib. 8 et 22.
(*c*) Vide Livium lib. 10, cap. 31.
(*d*) Remus.
(*e*) Menelaus Helenæ a Paride raptæ maritus.
(*f*) Paris qui, pe non rex erat, sed regis Trojanorum Priami filius.
(*g*) Trojanorum nempe dii Lavinium per Ænean, inde Albam per Ascanium translati, ac postremo Romam per Romulum asciti sunt.

gnator. Non est, ut arbitror, quod dicatur quid mali Troja meruerit, ut eam dii desererent, quo posset exstingui; et quid boni Roma, ut eam dii inhabitarent, quo posset augeri: nisi quod victi inde fugerunt, et se ad istos, quos pariter deciperent, contulerunt. Imo vero et illic manserunt, ad eos more suo decipiendos, qui rursus easdem terras habitarent; et hic easdem artes fallaciæ suæ magis etiam exercendo, majoribus honoribus gloriati sunt.

CAPUT VII. — *De eversione Ilii, quod dux Marii Fimbria excidit.*

Certe enim civilibus jam bellis scatentibus, quid miserum commiserat Ilium, ut a Fimbria, Marianarum partium homine pessimo, everteretur, multo ferocius atque crudelius, quam olim a Græcis (a)? Nam tunc et multi inde fugerunt, et multi captivati saltem in servitute vixerunt. Porro autem Fimbria prius edictum proposuit, ne cui parceretur; atque urbem totam cunctosque in ea homines incendio concremavit. Hoc meruit Ilium, non a Græcis, quos sua irritaverat iniquitate, sed a Romanis, quos sua calamitate propagaverat; diis illis communibus ad hæc repellenda nihil juvantibus, seu, quod verum est, nihil valentibus. Numquid et tunc

Abscessere omnes adytis arisque relictis

dii, quibus illud oppidum steterat, post antiquos Græcorum ignes ruinasque reparatum? Si autem abscesserant, causam requiro; et oppidanorum quidem quanto invenio meliorem, tanto deteriorem deorum. Illi enim contra Fimbriam portas clauserant, ut Syllæ servarent integram civitatem: hinc eos iratus incendit, vel potius penitus exstinxit. Adhuc autem meliorum partium civilium Sylla dux fuit (b), adhuc armis rempublicam recuperare moliebatur: horum bonorum initiorum nondum malos eventus habuit. Quid ergo melius cives illius urbis facere potuerunt? quid honestius? quid fidelius? quid Romana parentela dignius, quam meliori causæ Romanorum civitatem servare, et contra parricidam Romanæ reipublicæ portas claudere? At hoc eis in quantum exitium verterit, attendant defensores deorum. Deseruerint dii adulteros, Iliumque flammis Græcorum reliquerint, ut ex ejus cineribus Roma castior nasceretur: cur et postea deseruerunt eamdem civitatem Romanis cognatam, non rebellantem adversus Romam nobilem filiam, sed justioribus ejus partibus fidem constantissimam piissimamque servantem; eamque delendam reliquerunt, non Græcorum viris fortibus, sed viro spurcissimo Romanorum? Aut si displicebat diis causa partium Syllanarum, cui servantes urbem miseri portas clauserant: cur eidem Syllæ tanta bona promittebant et prænuntiabant? An et hinc agnoscuntur adulatores felicium potius quam infelicium defensores? Non ergo Ilium etiam tunc, ab eis cum desereretur, eversum est. Nam dæmones ad decipiendum semper vigilantissimi, quod potuerunt, fecerunt. Eversis quippe et incensis omnibus cum oppido simulacris, solum Minervæ sub tanta ruina templi illius, ut scribit Livius, integrum stetisse perhibetur (a): non ut diceretur,

Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
(*Virgil. Æneid. lib.* 1, *vers.* 702, 703.)

ad eorum laudem; sed ne diceretur,

Excessere omnes adytis arisque relictis

dii, ad eorum defensionem. Illud enim posse permissi sunt, non unde probarentur potentes, sed unde præsentes convincerentur.

CAPUT VIII. — *An debuerit diis Iliacis Roma committi.*

Diis itaque Iliacis, post Trojæ ipsius documentum, qua tandem prudentia Roma custodienda commissa est? Dixerit quispiam, jam eos Romæ habitare solitos, quando expugnante Fimbria cecidit Ilium. Unde ergo stetit Minervæ simulacrum? Deinde, si apud Romam erant, quando Fimbria delevit Ilium; fortasse apud Ilium erant, quando a Gallis ipsa Roma capta et incensa est: sed ut sunt auditu acutissimi motuque celerrimi, ad vocem anseris cito redierunt, ut saltem Capitolinum collem, qui remanserat, tuerentur: cæterum ad alia defendenda serius sunt redire commoniti.

CAPUT IX. — *An illam pacem, quæ sub Numæ regno fuit, deos præstitisse credendum sit.*

Hi etiam Numam Pompilium, successorem Romuli, adjuvisse creduntur, ut toto regni sui tempore pacem haberet, et Jani portas, quæ bellis patere assolent, clauderet (b): eo merito scilicet, quia Romanis multa sacra constituit. Illi vero homini pro tanto otio gratulandum fuit, si modo id rebus salubribus scisset impendere, et perniciosissima curiositate neglecta, Deum verum vera pietate perquirere. Nunc autem non ei dii contulerunt illud otium; sed eum minus fortasse decepissent, si otiosum minime reperissent. Quanto enim minus eum occupatum invenerunt, tanto magis ipsi occupaverunt. Nam quid ille molitus sit, et quibus artibus deos tales sibi, vel illi civitati consociare potuerit, Varro prodit: quod si Domino placuerit, suo diligentius disseretur loco. Modo autem quia de beneficiis eorum quæstio est, magnum beneficium est pax: sed Dei veri beneficium est, plerumque etiam sicut sol, sicut pluvia vitæque alia subsidia, super ingratos et nequam. Sed si hoc tam magnum bonum dii illi Romæ vel Pompilio contulerunt, cur imperio Romano per ipsa tempora laudabiliora[1] id nunquam postea præstiterunt? an utiliora erant sacra, cum instituerentur, quam cum instituta celebrarentur? Atqui tunc nondum erant, sed ut essent addebantur; postea vero jam erant, quæ ut prodessent custodiebantur. Quid ergo est quod illi quadraginta tres, vel, ut alii volunt, triginta et novem

(a) De hoc Liv. l. 82 et 83; Appian. in Mithridatico.
(b) Cicer. orat. pro Cælio; Sallust. in Catilin. cap. 51.

[1] Vind. Am. Fr. et fere omnes manuscripti, *laudabiliæ*. — Sic etiam Ms. 766. M.

(a) Livii lib. 83, in quo de Ilio excidio, non exstat.
(b) Cum portæ ejus in bello apertæ, in pace clausæ essent, dicit Macrobius, Saturnalium lib. 1, cap. 9.

anni in tam longa pace transacti sunt regnante Numa (*a*), et postea sacris institutis, diisque ipsis, qui eisdem sacris fuerant invitati, jam præsidibus atque tutoribus, vix post tam multos annos ab Urbe condita usque ad Augustum, unus pro magno miraculo commemoratur annus post primum bellum Punicum, quo belli portas Romani claudere potuerunt?

CAPUT X. — *An optandum fuerit quod tanta bellorum rabie Romanorum augeretur imperium, cum eo studio, quo sub Numa auctum est, et quietum esse potuisset et tutum.*

An respondent quod nisi assiduis sibique continuo succedentibus bellis Romanum imperium tam longe lateque non posset augeri, et tam grandi gloria diffamari? Idonea vero causa: ut magnum esset imperium, cur esse deberet inquietum? Nonne in corporibus hominum satius est modicam staturam cum sanitate habere, quam ad molem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus pervenire, nec cum perveneris, requiescere, sed quanto grandioribus membris, tanto majoribus agitari malis? Quid autem mali esset, ac non potius plurimum boni, si ea tempora perdurarent, quæ perstrinxit Sallustius, ubi ait, « Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi; pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant » (*Sallust. in Conjuratione Catilinæ, cap.* 2)? An ut tam multum augeretur imperium, debuit fieri quod Virgilius detestatur, dicens:

> Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
> Et belli rabies, et amor successit habendi?
> (*Æneid. lib.* 8, *vers.* 326, 327).

Sed plane pro tantis bellis susceptis et gestis justa defensio Romanorum est, quod irruentibus sibi importune inimicis resistere cogebat, non aviditas adipiscendæ laudis humanæ, sed necessitas tuendæ salutis et libertatis. Ita sit plane. Nam *postquam res eorum*, sicut scribit ipse Sallustius, *legibus*[1], *moribus*, *agris aucta*, *satis prospera*, *satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitimi bello tentare*, *pauci ex amicis auxilio esse: nam cæteri metu perculsi a periculis aberant*[2]. *At Romani domi militiæque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire; libertatem*, *patriam*, *parentesque armis tegere. Post ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant*, *magisque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant* (*Sallust. in Conjuratione Catilinæ, cap.* 6). Decenter his artibus Roma crevit. Sed regnante Numa, ut tam longa pax esset, utrum irruebant improbi belloque tentabant; an nihil eorum fiebat, ut posset pax illa persistere? Si enim bellis etiam tum Roma lacessebatur, nec armis arma obvia ferebantur: quibus modis agebatur, ut nulla pugna superati, nullo martio impetu territi sedarentur inimici, his modis semper ageretur, et semper Roma clausis Jani portis pacata regnaret. Quod si in potestate non fuit, non ergo Roma pacem habuit quamdiu dii eorum, sed quamdiu homines finitimi circumquaque voluerunt, qui eam nullo bello provocaverunt: nisi forte dii tales etiam id homini vendere audebunt, quod alius homo voluit sive noluit. Interest quidem jam vitio proprio, malas mentes quatenus sinantur isti dæmones vel terrere vel excitare: sed si semper hoc possent, nec aliud secretiore ac superiore potestate contra eorum conatum sæpe aliter ageretur, semper in potestate haberent paces[1] bellicasque victorias, quæ semper fere per humanorum animorum motus accidunt: quas tamen plerumque contra eorum fieri voluntatem, non solum fabulæ multa mentientes, et vix veri aliquid vel indicantes vel significantes, sed etiam ipsa Romana confitetur historia.

CAPUT XI. — *De simulacro Cumani Apollinis, cujus fletus creditus est cladem Græcorum, quibus opitulari non poterat, indicare.*

Neque enim aliunde Apollo ille Cumanus, cum adversus Achæos regemque Aristonicum bellaretur, quatriduo flevisse nuntiatus est (*a*): quo prodigio aruspices territi, cum id simulacrum in mare putavissent esse projiciendum, Cumani senes intercesserunt, atque retulerunt tale prodigium et Antiochi et Persæ[2] bello in eodem apparuisse figmento: et quia Romanis feliciter provenisset, ex senatusconsulto eidem Apollini suo dona esse missa testati sunt. Tunc velut peritiores acciti aruspices responderunt, simulacri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumana[3] colonia Græca esset (*b*), suisque terris, unde accitus esset, id est ipsi Græciæ, luctum et cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox regem Aristonicum victum et captum esse, nuntiatum est; quem vinci utique Apollo nolebat et dolebat, et hoc sui lapidis etiam lacrymis indicabat. Unde non usquequaque incongrue, quamvis fabulosis, tamen veritati similibus, mores dæmonum describuntur carminibus poetarum. Nam Camillam Diana doluit apud Virgilium, et Pallantem moriturum Hercules flevit (*c*). Hinc fortassis et Numa Pompilius pace abundans, sed quo donante nesciens, nec requirens; cum cogitaret otiosus, quibusnam diis tuendam Ro-

[1] Apud Sallustium, loco, *legibus*, est, *civibus*.

[2] In B., *longe a periculis aberant*. Editiones Sallustii nostrique codd. omittunt, *longe*. M.

(*a*) Numam quadraginta tres annos, Livius, Plutarchus, etc., Eutropius vero, Eusebius, Cassiodorus annos tantum 41 regnasse tradunt. — Augustinus hæc sumpsit ex Cicerone De Republica lib. 2, cap. 14. M.

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *pacem*.

[2] Editi, *Persidis*. Manuscripti, *Persis*, pro quo Lud. Vives putat legendum, *Persæ*, filii Philippi Macedonum regis, quem L. Æmilius Paulus bello Macedonico secundo vicit. Vid. Plutarch. in Æmilio Paulo. — Ms. 766, *Persis*. Bello de quo hic agitur intererant Achæi, dum bello Aristonici interfuisse falso supra commemorantur. M.

[3] Lov., *Cumæ*. Cæteri libri, *Cumana*.

(*a*) Per quatriduum lacrymavisse scribit Julius Obsequens lib. de Prodigiis cap. 87; Livius vero lib. 43 per triduum et tres noctes. — In bello cum Aristonico Achæi ab aliis non memorantur. M.

(*b*) Strab., lib. 5, cap. 4.

(*c*) Æneid. lib. 11, vers. 836-849.

manam salutem regnumque committeret, nec verum illum atque omnipotentem summum Deum curare opinaretur ista terrena, atque recoleret Trojanos deos, quos Æneas advexerat, neque Trojanum, neque Lavinense ab ipso Ænea conditum regnum diu conservare potuisse, alios providendos existimavit, quos illis prioribus (sive qui cum Romulo jam Romam transierant, sive quandoque Alba eversa fuerant transituri) vel tanquam fugitivis custodes adhiberet, vel tanquam invalidis adjutores.

CAPUT XII. — *Quantos sibi deos Romani præter constitutionem Numæ adjecerint, quorum eos numerositas nihil juverit.*

Nec his sacris tamen Roma dignata est esse contenta, quæ tam multa illic Pompilius constituerat: nam ipsius summum templum nondum habebat Jovis. (*a*) Rex quippe Tarquinius ibi Capitolium fabricavit. Æsculapius autem ab Epidauro ambivit Romam [1], ut peritissimus medicus in urbe nobilissima artem gloriosius exerceret (*b*). Mater etiam deûm nescio unde, a Pessinunte [2]. Indignum enim erat, ut cum ejus filius jam colli Capitolino præsideret, adhuc ipsa in loco ignobili latitaret. Quæ tamen si omnium deorum mater est, non solum secuta est Romam quosdam filios suos, verum et alios præcessit etiam secuturos. Miror sane, si ipsa peperit Cynocephalum, qui longe postea venit ex Ægypto. Utrum etiam dea Febris ex illa nata sit, viderit Æsculapius pronepos ejus. Sed undecumque nata sit, non (opinor) audebunt eam ignobilem dicere dii peregrini deam civem Romanam. Sub hoc tot deorum præsidio, quos numerare quis potest, indigenas et alienigenas, cœlites, terrestres, infernos, marinos, fontanos, fluviales [3]; et, ut Varro dicit, certos atque incertos, in omnibusque generibus deorum, sicut in animalibus, mares et feminas? sub hoc ergo tot deorum præsidio constituta Roma, non tam magnis et horrendis cladibus, quales ex multis paucas commemorabo, agitari affligique debuit. Nimis enim multos deos grandi fumo suo (*c*), tanquam signo dato, ad tuitionem congregaverat; quibus templa, altaria, sacrificia, sacerdotes instituendo atque præbendo, summum verum Deum, cui uni hæc rite gesta debentur, offenderet. Et felicior quidem cum paucioribus vixit: sed quanto major facta est, sicut navis nautas, tanto plures adhibendos putavit; credo, desperans pauciores illos, sub quibus in comparatione pejoris vitæ melius vixerat, non sufficere ad opitulandum granditati suæ. Primo enim sub ipsis regibus, excepto Numa Pompilio, de quo jam supra locutus sum, quantum malum discordiosi certaminis fuit, quod fratrem Romuli coegit occidi?

CAPUT XIII. — *Quo Jure, quo fœdere Romani obtinuerint prima conjugia.*

Quomodo nec Juno, quæ cum Jove suo jam

> fovebat
> Romanos rerum dominos, gentemque togatam,
> (*Æneid. lib.* 1, *vers.* 281, 282.)

nec Venus ipsa Æneidas suos potuit adjuvare, ut bono et æquo more conjugia mererentur, cladesque tanta irruit hujus inopiæ, ut ea dolo raperent, moxque compellerentur pugnare cum soceris; ut miseræ feminæ nondum ex injuria maritis conciliatæ, jam parentum sanguine dotarentur? At enim vicerunt in hac conflictione Romani vicinos suos. Quantis et quam multis utrimque vulneribus et funeribus tam propinquorum et confinium istæ victoriæ constiterunt? Propter unum Cæsarem socerum et unum generum ejus Pompeium, jam mortua Cæsaris filia, uxore Pompeii, quanto et quam justo doloris instinctu Lucanus exclamat,

> Bella per Emathios plus quam civilia campos,
> Jusque datum sceleri canimus!
> (*Lucan. lib.* 1, *vers.* 1, 2.)

Vicerunt ergo Romani, ut strage socerorum manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent; nec illæ auderent flere patres occisos, ne offenderent victores maritos; quæ adhuc illis pugnantibus, pro quibus facerent vota nesciebant (*a*). Talibus nuptiis populum Romanum non Venus, sed Bellona donavit [1]: aut fortassis Alecto illa infernalis furia [2], jam eis favente Junone, plus in illos habuit licentiæ, quam cum ejus precibus contra Ænean fuerat excitata (*b*). Andromacha felicius captivata est, quam illa conjugia Romana nupserunt (*c*): licet serviles, tamen post ejus amplexus nullum Trojanorum Pyrrhus occidit. Romani autem soceros interficiebant in præliis, quorum jam filias amplexabantur in thalamis. Illa victori subdita, dolere tantum suorum mortem potuit, non timere: illæ sociatæ bellantibus, parentum suorum mortes procedentibus viris timebant, redeuntibus dolebant, nec timorem habentes liberum, nec dolorem. Nam propter interitum civium, propinquorum, fratrum, parentum, aut pie cruciabantur, aut crudeliter lætabantur victoriis maritorum. Huc accedebat quod, ut sunt alterna bellorum, aliquæ parentum ferro amiserunt viros, aliquæ utrorumque ferro et parentes et viros: neque enim et apud Romanos parva fuerunt illa discrimina. Siquidem ad obsidionem quoque perventum est civitatis, clausisque portis se tuebantur: quibus dolo apertis, admissisque hostibus intra mœnia, in ipso foro scelerata et nimis atrox inter generos socerosque pugna

[1] Editi, ubi et Romam. At veteres libri, ambivit Romam. — Cod. 766, 2050, 2051, 2052, ambivit ad Romam. Codex 2055, venire ambivit ad Romam. M.

[2] Vind. Am. Er. Mater autem deorum nescio unde nata Prænestinum montem insedit. Ludovicus Vives legendum existimat, Palatinum montem insedit; quia in Palatio, ait, locata est deum mater. Sed verior lectio Lov. et manuscriptorum: Mater etiam deum nescio unde, a Pessinunte. Confer supra, lib. 1, cap. 30, col. 42, not. (*b*).

[3] In multis Mss., pluviales.

(*a*) Jovis, dicitur nominativo casu, non genitivo.

(*b*) Æsculapium ex Epidauro Achaiæ oppido in Urbem advectum memorat Livius, lib. 10, cap. 47.

(*c*) Fumo, inanitatem sacrificiorum aut superbiæ vanitatem significat.

[1] Sic omnes prope Mss. — In B., dotavit. M.

[2] Vind. Am. Er. et Mss., inferna furia. — Sic etiam codex 766. M.

(*a*) Vide Ovid. 5 Fast. vers. 205 et seqq.

(*b*) Æneid. lib. 7, vers. 325 et seqq.

(*c*) Andromache Hectoris uxor a Pyrrho post eversam Trojam in Græciam ducta eique nupta.

commissum est (a). Et raptores illi etiam superabantur, et crebro fugientes intra domos suas, graviusque fœdabant pristinas, quamvis et ipsas pudendas lugendasque victorias (b). Hic tamen Romulus de suorum jam virtute desperans, Jovem rogavit ut starent, atque ille hac occasione nomen Statoris invenit. Nec finis esset tanti mali, nisi raptæ illæ laceratis crinibus emicarent, et provolutæ parentibus, iram eorum justissimam, non armis victricibus, sed supplici pietate sedarent (c). Deinde Titum Tatium, regem Sabinorum, socium regni Romulus ferre compulsus est, Germani consortis impatiens: sed quando et istum diu toleraret, qui fratrem geminumque non pertulit? Unde et ipso interfecto, ut major deus esset, regnum solus obtinuit (d). Quæ sunt ista jura nuptiarum, quæ irritamenta bellorum, quæ fœdera germanitatis, affinitatis, societatis, divinitatis? quæ postremo sub tot diis tutoribus vita civitatis? Vides quanta hinc dici et quam multa possent, nisi quæ supersunt nostra curaret intentio, et sermo in alia festinaret.

CAPUT XIV. — *De impietate belli quod Albanis Romani intulerunt, et de victoria dominandi libidine adepta.*

1. Quid deinde post Numam sub aliis regibus? Quanto malo, non solum suo, sed etiam Romanorum, in bellum Albani provocati sunt! quia videlicet pax Numæ tam longa viluerat. Quam crebræ strages Romani Albanique exercitus fuerunt, et utriusque comminutio civitatis! Alba namque illa, quam filius Æneæ creavit Ascanius, Romæ mater propior ipsa quam Troja, a Tullo Hostilio rege provocata conflixit: confligens autem et afflicta est, et afflixit, donec multorum tæderet pari defectione certaminum. Tunc eventum belli de tergeminis hinc atque inde fratribus placuit experiri: a Romanis tres Horatii, ab Albanis autem tres Curiatii processerunt; a Curiatiis tribus Horatii duo, ab uno autem Horatio tres Curiatii superati et exstincti sunt (e). Ita Roma exstitit victrix, ea clade etiam in certamine extremo, ut de sex vivis unus rediret domum. Cui damnum in utrisque? cui luctus, nisi Æneæ stirpi, nisi Ascanii posteris, nisi proli Veneris, nisi nepotibus Jovis [1]? nam et hoc plus quam civile bellum fuit, quando filia civitas cum civitate matre pugnavit. Accessit aliud huic tergeminorum pugnæ ultimæ atrox atque horrendum malum. Nam ut erant ambo populi prius amici (vicini quippe atque cognati), uni Curiatiorum desponsata fuerat Horatiorum soror: hæc posteaquam sponsi spolia [2] in victore fratre conspexit, ab eodem fratre, quoniam flevit, occisa est. Humanior hujus unius feminæ, quam universi populi Romani, mihi fuisse videtur affectus. Illa quem virum jam fide media retinebat, aut forte etiam ipsum fratrem dolens qui eum occiderat cui sororem promiserat, puto quod non culpabiliter fleverit. Unde enim apud Virgilium pius Æneas laudabiliter dolet hostem etiam sua peremptum manu (a)? unde Marcellus Syracusanam civitatem, recolens ejus paulo ante culmen et gloriam sub manus suas subito concidisse, communem cogitans conditionem flendo miseratus est (b)? Quæso ab humano impetremus affectu, ut femina sponsum suum a fratre suo peremptum sine crimine fleverit, si viri hostes a se victos etiam cum laude fleverunt. Ergo sponso a fratre illatam mortem quando femina illa flebat, tunc se contra matrem civitatem tanta strage bellasse, et tanta hinc et inde cognati cruoris effusione vicisse, Roma gaudebat.

2. Quid mihi obtenditur nomen laudis, nomenque victoriæ? Remotis obstaculis insanæ opinionis facinora nuda cernantur, nuda pensentur, nuda judicentur. Causa dicatur Albæ, sicut Trojæ adulterium dicebatur. Nulla talis, nulla similis invenitur: tantum ut resides [1] moveret

Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Agmina
(*Æneid. lib.* 6, *vers.* 814, 815.)

Illo itaque vitio tantum scelus perpetratum est socialis belli atque cognati. Quod vitium Sallustius magnum transeunter attingit. Cum enim laudans breviter antiquiora [2] commemorasset tempora, quando vita hominum sine cupiditate agitabatur, et sua cuique satis placebant: « Postea vero, » inquit, « quam in Asia Cyrus, in Græcia Lacædemonii atque Athenienses cœpere urbes atque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare » (*Sallust. in Catil. cap.* 2): et cætera quæ ipse instituerat dicere. Mihi hucusque satis sit ejus verba posuisse. Libido ista dominandi magnis malis agitat et conterit humanum genus. Hac libidine Roma tunc victa Albam se vicisse triumphabat, et sui sceleris laudem gloriam nominabat. *Quoniam laudatur*, inquit Scriptura nostra, *peccator in desideriis animæ suæ; et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Psal.* X, 3). Fallacia igitur tegmina, et deceptoriæ dealbationes auferantur a rebus, ut sincero inspiciantur examine. Nemo mihi dicat, Magnus ille atque ille, quia cum illo et illo pugnavit, et vicit. Pugnant etiam gladiatores, vincunt et ipsi: habet præmia laudis et illa crudelitas. Sed puto esse satius cujuslibet inertiæ pœnas luere, quam illorum armorum gloriam quærere. Et tamen si in arenam procederent pugnaturi inter se gladiatores, quorum alter filius, alter pater esset, tale spectaculum quis ferret? quis non auferret? Quomodo ergo gloriosum alterius matris, alterius filiæ civitatis, inter se armorum po-

[1] Probæ notæ Mss., *neptibus Jovis*. An forte referendum ad civitates filiam et matrem, de quibus continuo? — Sic etiam cod. 766. M.
[2] Plures Mss., *sponsalia*.
(*a*) Liv. lib. 1, cap. 11-13.
(*b*) Non de Sabinis victorias, sed de Cæninensibus aliisque reportatas intelligit, de quibus Livius, lib. 1, cap. 10.
(*c*) Livius, lib. 1, capp. 12, 13.
(*d*) Tatium non Romulus, sed Laurentes interfecerunt, ex historicorum consensu; eam rem vero minus ægre quam dignum erat tulisse Romulum ferunt. Livius, lib. 1, cap. 14.
(*e*) Vide Livium, lib. 1, cap. 22-30.

[1] Sic cum Virgilio legendum et cum Mss., 766, 2050, 2051, 2055. In B., *desides*. M.
[2] In plerisque Mss., *antiquorum*.
(*a*) Æneid. lib. 10, vers. 821 seqq.
(*b*) Supra, lib. 1, cap. 6.

tam esse certamen? An ideo diversum fuit, quod arena illa non fuit, et latiores campi non duorum gladiatorum, sed in duobus populis multorum funeribus implebantur; nec amphitheatro cingebantur illa certamina, sed universo orbe, et tunc vivis, et posteris, quousque ista fama porrigitur, impium spectaculum præbebatur?

3. Vim tamen patiebantur studii sui dii illi præsides imperii Romani, et talium certaminum tanquam theatrici spectatores, donec Horatiorum soror propter Curiatios tres peremptos etiam ipsa tertia ex altera parte fraterno ferro duobus fratribus adderetur, ne minus haberet mortium etiam Roma quæ vicerat. Deinde ad fructum victoriæ Alba subversa est: ubi post Ilium, quod Græci everterunt, et post Lavinium, ubi Æneas regnum peregrinum atque fugitivum constituerat [1], tertio loco habitaverant numina illa Trojana. Sed more suo etiam inde jam fortasse migraverant; ideo deleta est. Discesserant videlicet « omnes adytis arisque relictis dii, quibus imperium illud steterat. » Discesserant sane ecce jam tertio, ut eis quarta Roma providentissime crederetur. Displicuerat enim et Alba, ubi Amulius expulso fratre (a), et Roma placuerat, ubi Romulus occiso fratre (b) regnaverat. Sed antequam Alba dirueretur, transfusus est, inquiunt, populus ejus in Romam, ut ex utraque una civitas fieret. Esto, ita factum sit: urbs tamen illa, Ascanii regnum et tertium domicilium Trojanorum deorum, ab urbe filia mater eversa est. Ut autem belli reliquiæ e duobus populis unum facerent miserabile coagulum, multus ante fusus utriusque sanguis fuit. Quid jam singillatim dicam sub cæteris regibus toties eadem bella renovata, quæ victoriis finita videbantur, et tantis stragibus iterum iterumque confecta, iterum iterumque post fœdus et pacem inter generos et soceros et eorum stirpem posterosque repetita? Non parvum indicium calamitatis hujus fuit, quod portas belli nullus clausit illorum. Nullus ergo illorum sub tot diis præsidibus in pace regnavit.

CAPUT XV. — *Qualis Romanorum regum vita atque exitus fuerit.*

1. Ipsorum autem regum qui exitus fuerunt? De Romulo viderit adulatio fabulosa, qua perhibetur receptus in cœlum: viderint quidam scriptores eorum, qui eum propter ferocitatem a senatu discerptum esse dixerunt, subornatumque nescio quem Julium Proculum, qui eum sibi apparuisse diceret, eumque per se populo mandasse Romano, ut inter numina coleretur, eoque modo populum, qui contra senatum intumescere cœperat, repressum atque sedatum (c). Acciderat enim et solis defectio, quam certa ratione sui cursus effectam imperita nesciens multitudo meritis Romuli tribuebat. Quasi vero si luctus ille solis fuisset, non magis ideo credi deberet occisus, ipsumque scelus aversione etiam diurni luminis indicatum: sicut revera factum est, cum Dominus crucifixus est crudelitate atque impietate Judæorum (*Luc.* XXIII, 45). Quam solis obscurationem non ex canonico siderum cursu accidisse, satis ostendit, quod tunc erat pascha Judæorum; nam plena luna solemniter agitur: regularis autem solis defectio non nisi lunæ fine contingit. Satis et Cicero illam inter deos Romuli receptionem putatam magis significat esse, quam factam, quando et laudans eum in libris de Republica (*L.* 2, c. 10), Scipionisque sermone: « Tantum est, » inquit, « consecutus, ut cum subito sole obscurato non comparuisset, deorum in numero collocatus putaretur: quam opinionem nemo unquam mortalis assequi potuit sine eximia virtutis gloria. » Quod autem dicit, cum subito non comparuisse, profecto ibi intelligitur aut violentia tempestatis, aut cædis facinorisque secretum. Nam et alii scriptores eorum defectioni solis addunt etiam subitam tempestatem, quæ profecto aut occasionem sceleri præbuit, aut Romulum ipsa consumpsit. De Tullo quippe etiam Hostilio, qui tertius a Romulo rex fuit, qui et ipse fulmine absumptus est, dicit in eisdem libris idem Cicero, propterea et istum non creditum in deos [1] receptum tali morte, quia fortasse quod erat in Romulo probatum (id est persuasum) Romani vulgare noluerunt, id est vile facere, si hoc et alteri facile tribueretur (a). Dicit etiam aperte in Invectivis, « Illum qui hanc urbem condidit, Romulum ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus » (*Orat.* 3 *in Catilinam*, *cap.* 1): ut non vere factum sed propter merita virtutis ejus benevolentia jactatum diffamatumque monstraret. In Hortensio vero dialogo cum de solis canonicis defectionibus loqueretur, « Ut easdem, » inquit, « tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli, qui obscuratione [2] solis est factus. » Certe hic minime timuit hominis interitum dicere, quia disputator magis quam laudator fuit.

2. Cæteri autem reges populi Romani, excepto Numa Pompilio et Anco Martio, qui morbo interierunt, quam horrendos exitus habuerunt? Tullus, ut dixi, Hostilius, victor et eversor Albæ, cum tota domo sua fulmine concrematus est. Priscus Tarquinius per sui decessoris filios interemptus est. Servius Tullius generi sui Tarquinii Superbi, qui ei successit in regnum, nefario scelere occisus est. Nec « discessere adytis arisque relictis dii, » tanto in optimum illius populi regem parricidio perpetrato, quos dicunt, ut hoc miseræ Trojæ facerent, eamque Græcis diruendam exurendamque relinquerent, adulterio Paridis fuisse commotos. Sed insuper interfecto a se socero Tarquinius ipse successit. Hunc illi dii nefarium parricidam soceri interfectione regnantem, insuper

[1] Sic omnes antiquiores Mss. At editi, *ubi rex Latinus Trojano Æneæ regnum peregrinum constituerat.*
(a) [illegible]
(b) [illegible]
(c) Liv. lib. 1, cap. 16, et Dionysius, lib. 2 Antiquit.

[1] Sic omnes manuscripti. In B., *inter*. M.
[2] Sic Mss. In B., *in obscuratione*. M.
(a) De hoc et sequentibus vid. Liv. lib. 1, et Dionys. lib. 3.

multis bellis victoriisque gloriantem, et de manubiis [1] Capitolium fabricantem, non abscedentes, sed præsentes manentesque viderunt, et regem suum Jovem in illo altissimo templo, hoc est in opere parricidæ, sibi præsidere atque regnare perpessi sunt. Neque enim adhuc innocens Capitolium struxit, et postea malis meritis Urbe pulsus est: sed ad ipsum regnum, in quo Capitolium fabricaret, immanissimi sceleris perpetratione pervenit. Quod vero eum Romani regno postea depulerunt, ac secluserunt mœnibus civitatis, non ipsius de Lucretiæ stupro, sed filii peccatum fuit, illo non solum nesciente, sed etiam absente commissum. Ardeam civitatem tunc oppugnabat, et pro populo Romano bellum gerebat: nescimus quid faceret, si ad ejus notitiam flagitium filii deferretur. Et tamen inexplorato ejus judicio et inexperto, ei populus ademit imperium; et recepto exercitu, a quo deseri jussus est, clausis deinde portis non sivit intrare redeuntem (*a*). At ille post bella gravissima, quibus eosdem Romanos concitatis finitimis attrivit, posteaquam desertus ab eis quorum fidebat auxilio, regnum recipere non evaluit [2], in oppido Tusculo Romæ vicino quatuordecim, ut fertur, annos privatam vitam quietus habuit, et cum uxore consenuit (*b*), optabiliore fortassis exitu, quam socer ejus generi sui facinore, nec ignorante filia, sicut perhibetur, exstinctus (*c*). Nec tamen istum Tarquinium Romani crudelem aut sceleratum, sed superbum appellaverunt, fortassis regios ejus fastus alia superbia non ferentes. Nam scelus occisi ab eo soceri optimi regis sui usque adeo contempserunt, ut eum regem suum facerent: ubi miror si non scelere graviore mercedem tantam tanto sceleri reddiderunt. Nec « discessere adytis arisque relictis dii. » Nisi forte quispiam sic defendat istos deos, ut dicat eos ideo mansisse Romæ, quo possent Romanos magis punire suppliciis, quam beneficiis adjuvare, seducentes eos vanis victoriis et bellis gravissimis conterentes. Hæc fuit Romanorum vita sub regibus laudabili tempore illius reipublicæ usque ad expulsionem Tarquinii Superbi per ducentos ferme et quadraginta et tres annos, cum illæ omnes victoriæ tam multo sanguine et tantis emptæ calamitatibus, vix illud imperium intra viginti ab Urbe millia [3] dilataverint: quantum spatium absit ut saltem alicujus Getulæ civitatis (*d*) nunc territorio comparetur!

[1] Editi, *de bellorum manubiis*. Abest, *bellorum*, a manuscriptis; nec opus erat addere; quando, *manubiis*, nihil aliud intelligitur quam præda bello parta, vel ex prædæ venditione collecta pecunia. Vid. A. Gellium, lib. 13, c. 25; Florus de eodem Tarquinio lib. 1, c. 7: « De manubiis captarum urbium templum erexit. »

[2] Sic omnes manuscripti. Vulgo legebatur, *valuit*.

[3] Sic omnes Mss. — In B., *milliaria*. M.

(*a*) Livius, lib. 1, cap. 57 et seqq.

(*b*) Tarquinius revera Tusculi egit aliquot annos apud generum Octavium Mamilium; sed obiit Cumis apud Aristodemum tyrannum, teste Livio, lib. 2, capp. 15 et 21.

(*c*) Livius lib. 1; Valer. lib. 9, cap. 11.

(*d*) *Getulæ*, id est, in Getulia, quæ Africæ pars est, sitæ.

CAPUT XVI. — *De primis apud Romanos consulibus, quorum alter alterum patria pepulit, moxque Romæ post atrocissima parricidia a vulnerato hoste vulneratus interiit.*

Huic tempori adjiciamus etiam tempus illud, quousque dicit Sallustius (*Vide supra, lib. 2, cap. 18*) æquo et modesto jure agitatum, dum metus a Tarquinio et grave bellum cum Etruria positum est. Quamdiu enim Etrusci Tarquinio redire in regnum conanti opitulati sunt, gravi bello Roma concussa est. Ideo dicit æquo et modesto jure gestam rempublicam metu premente, non persuadente justitia. In quo brevissimo tempore quam funestus ille annus fuit, quo primi consules creati sunt, expulsa regia potestate? Annum quippe suum non compleverunt. Nam Junius Brutus exhonoratum ejecit Urbe collegam Lucium Tarquinium Collatinum; deinde mox ipse in bello cecidit mutuis cum hoste vulneribus (*a*), occisis a se ipso primitus filiis suis et uxoris suæ fratribus, quod eos pro restituendo Tarquinio conjurasse cognoverat. Quod factum Virgilius posteaquam laudabiliter commemoravit, continuo clementer exhorruit. Cum enim dixisset,

> Natosque pater nova bella moventes
> Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit;

mox deinde exclamavit, et ait

> Infelix! utcumque ferent ea facta minores.

Quomodolibet, inquit, ea facta posteri ferant, id est præferant et extollant; qui filios occidit, infelix est. Et tanquam ad consolandum infelicem, subjunxit:

> Vincit amor patriæ, laudumque immensa cupido.
> (*Æneid. lib. 6, vers.* 820-823.)

Nonne in hoc Bruto, qui et filios occidit, et a se percusso hosti filio Tarquinii mutuo percussus supervivere non potuit, eique potius ipse Tarquinius supervixit, Collatini collegæ videtur innocentia vindicata, qui bonus civis hoc Tarquinio pulso passus est quod tyrannus ipse Tarquinius? Nam et idem Brutus consanguineus Tarquinii fuisse perhibetur. Sed Collatinum videlicet similitudo nominis pressit, quia etiam Tarquinius vocabatur. Mutare ergo nomen, non patriam cogeretur: postremo in ejus nomine [1] hoc vocabulum minus esset, L. Collatinus tantummodo vocaretur. Sed ideo non amisit quod sine ullo detrimento posset amittere, ut et honore primus consul et civitate bonus civis carere juberetur. Etiamne ista est gloria Junii Bruti detestanda iniquitas et nihilo utilis reipublicæ? Etiamne ad hanc perpetrandam,

> Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido?

Jam expulso utique Tarquinio tyranno [2], consul cum Bruto creatus est maritus Lucretiæ L. Tarquinius

[1] Vind. Am. et Er., *si in ejus nomine*. Apud Lov. autem non istic, sed infra, post, *minus esset*; additur, *si*: quæ particula neutro loco est in manuscriptis, nec minus integra, imo firmior absque illa procedit oratio.

[2] In quibusdam probæ notæ manuscriptis abest, *tyranno*.

(*a*) Cum Arunte regis Tarquinii Superbi filio. Liv. lib. 2 cap. 2-8.

Collatinus. Quam juste populus mores in cive, non nomen attendit! quam injuste [1] Brutus collegam primæ ac novæ illius potestatis, quem posset, si hoc offendebatur, nomine tantum privare, et patria privavit et honore? Hæc mala facta sunt, hæc adversa acciderunt, quando in illa republica æquo et modesto jure agitatum est. Lucretius quoque, qui in locum Bruti fuerat subrogatus, morbo, antequam idem annus terminaretur, absumptus est. Ita P. Valerius, qui successerat Collatino, et M. Horatius, qui pro defuncto Lucretio suffectus fuerat, annum illum funereum atque tartareum, qui consules quinque habuit, compleverunt: quo anno consulatus ipsius novum honorem ac potestatem auspicata est Romana respublica.

CAPUT XVII.— *Post initia consularis imperii, quibus malis vexata fuerit Romana respublica, diis non opitulantibus quos colebat.*

1. Tunc jam diminuto paululum metu, non quia bella conquieverant, sed quia non tam gravi pondere urgebant, finito scilicet tempore quo æquo et modesto jure agitatum est, secuta sunt quæ idem Sallustius (*Histor. lib.* 1) breviter explicat: *Dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere, et cæteris expertibus soli in imperio agere. Quibus sævitiis, et maxime fenore oppressa plebes* [2], *cum assiduis bellis tributum et militiam simul toleraret, armata montem Sacrum atque Aventinum insedit: tumque tribunos plebis et alia sibi jura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.* [XVII.] Quid itaque ego tantas moras vel scribens patiar, vel lecturis afferam? Quam misera fuerit illa respublica tam longa ætate per tot annos usque ad secundum bellum Punicum, bellis forinsecus inquietare non desistentibus et intus discordiis seditionibusque civilibus, a Sallustio breviter intimatum est. Proinde victoriæ illæ non solida beatorum gaudia fuerunt, sed inania solatia miserorum, et ad alia atque alia sterilia [3] mala subeunda illecebrosa incitamenta minime quietorum. Nec nobis, quia hæc dicimus, boni Romani prudentesque succenseant: quanquam de hac re nec petendi sint, nec monendi, quando eos minime succensuros esse certissimum est. Neque enim gravius vel graviora dicimus auctoribus eorum, et stilo et otio multum impares: quibus tamen ediscendis et ipsi elaboraverunt, et filios suos elaborare compellunt. Qui autem succensent, quando me ferrent, si ego dicerem, quod Sallustius (*Ibid.*) ait? *Plurimæ turbæ, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant; bonique et mali cives appellati, non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus et injuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur* Porro si illi scriptores historiæ ad honestam libertatem pertinere arbitrati sunt, mala civitatis propriæ non tacere, quam multis locis magno præconio laudare compulsi sunt, cum aliam veriorem, quo cives æterni legendi sunt, non haberent: quid nos facere convenit, quorum spes quanto in Deo melior et certior, tanto major debet esse libertas, cum mala præsentia Christo nostro imputant, ut infirmiores imperitioresque mentes alienentur ab ea civitate, in qua sola jugiter feliciterque vivendum est? Nec in deos eorum horribilora nos dicimus, quam eorum identidem auctores, quos legunt et prædicant: quandoquidem et ex ipsis quæ diceremus accepimus, et nullo modo dicere vel talia, vel cuncta sufficimus.

2. Ubi erant ergo illi dii, qui propter exiguam fallacemque hujus mundi felicitatem colendi existimantur; cum Romani, quibus se colendos mendacissima astutia venditabant, tantis calamitatibus vexarentur? Ubi erant, quando Valerius consul ab exsulibus et servis incensum [1] Capitolium cum defensaret, occisus est (*a*)? Faciliusque ipse prodesse potuit ædi Jovis, quam illi turba tot numinum cum suo maximo atque optimo rege, cujus templum liberaverat, subvenire Ubi erant, quando densissimis fatigata civitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas paululum quieta opperiretur, gravi fame pestilentiaque vastata est (*b*)? Ubi erant, quando rursus populus, cum fame laboraret, præfectum annonæ primum creavit; atque illa fame invalescente, Spurius Melius [2], qui esurienti multitudini frumenta largitus est, regni affectati crimen incurrit, et ejusdem præfecti instantia per dictatorem L. Quintium ætate decrepitum, a Quinto Servilio magistro equitum cum maximo et periculosissimo tumultu civitatis occisus est (*c*)? Ubi erant, quando pestilentia maxima exorta, diis inutilibus sine remedio populus diu multumque fatigatus [3] nova lectisternia, quod nunquam antea fecerat, exhibenda arbitratus est (*d*)? Lecti autem sternebantur in honorem deorum, unde hoc sacrum vel potius sacrilegium nomen accepit. Ubi erant, quando per decem continuos annos male pugnando crebras et magnas clades apud Veios exercitus Romanus acceperat, nisi per Furium Camillum tandem subveniretur, quem postea civitas ingrata damnavit (*e*)? Ubi erant, quando Galli Romam ceperunt, spoliaverunt, incenderunt,

[1] Mss., *quam impie*. Forte legendum, *tam impie*.
[2] Sic Sallustius et Ms. 706. In B., *plebs*. M.
[3] Sic Mss. Editi vero, *terribilia*.

[1] Ludovicus Vives scribendum putat, *ascensum*, ab ascendo: non enim Capitolium incenderant servi. Nos legendum credimus, *insessum*, id est occupatum, ab insideo, quo verbo utitur Livius rem eam narrans, lib. 3. — Nostri Codd., *incensum*. M.
[2] Editi, *Emilius*. At Mss., *Melius*: sic et Livius, lib. 4, cap. 13-16.
[3] Am. et aliquot Mss. in quibus est Corb. vetustissimus habent: *Diis inutilibus populus diu multumque fatigatus*: nec addunt, *sine remedio*, quod etiam omittit Vind. Regius autem codex, alter Corbeiensis et alii quidam manuscripti habent, *diis inutilibus inane remedium populus diu multumque fatigatus*. Non male quidem: attamen suspicamur verba, *inane remedium*, scripta primo ad oram libri, in textum postea migravisse; proque his legi demum cœpisse, *sine remedio*.

(*a*) Livius, lib. 3, cap. 15-18.
(*b*) Ibid., cap. 32.
(*c*) Id., lib. 4, cap. 12-15.
(*d*) Id., lib. 5, cap. 13.
(*e*) Ibid., cap. 10-25, et cap. 32.

cædibus impleverunt (*a*)? Ubi erant, cum illa insignis pestilentia tam ingentem stragem dedit, qua et ille Furius Camillus exstinctus est, qui rempublicam ingratam et a Veientibus ante defendit, et de Gallis postea vindicavit (*b*)? In hac pestilentia scenicos ludos, aliam novam pestem, non corporibus Romanorum, sed, quod est multo perniciosius, moribus intulerunt (*c*). Ubi erant, quando alia pestilentia gravis de venenis matronarum exorta credita est, quarum supra fidem multarum atque nobilium mores deprehensi sunt omni pestilentia graviores (*d*)? Vel quando in Caudinas furculas [1] a Samnitibus obsessi ambo cum exercitu consules fœdus cum eis fœdum facere coacti sunt; ita ut equitibus Romanis sexcentis obsidibus datis, cæteri amissis armis aliisque spoliati privatique tegminibus, sub jugum hostium cum vestimentis singulis mitterentur (*e*)? Vel quando gravi pestilentia cæteris laborantibus multi etiam in exercitu icti fulmine perierunt (*f*)? Vel quando item alia intolerabili pestilentia Æsculapium ab Epidauro quasi medicum deum Roma advocare atque adhibere compulsa est (*g*)? quoniam regem omnium Jovem, qui jam diu in Capitolio sedebat, multa stupra, quibus adolescens vacaverat, non permiserant fortasse discere medicinam. Vel cum conspirantibus uno tempore hostibus, Lucanis, Brutiis, Samnitibus, Etruscis et Senonibus Gallis, primo ab eis legati perempti sunt, deinde cum prætore oppressus exercitus, septem tribunis cum illo pereuntibus et militum tredecim millibus? Vel quando post graves et longas Romæ seditiones, quibus ad ultimum plebs in Janiculum hostili direptione [2] secesserat, hujus mali tam dira calamitas erat, ut ejus rei causa, quod in extremis periculis fieri solebat, dictator crearetur Hortensius, qui, plebe revocata, in eodem magistratu exspiravit, quod nulli dictatori ante contigerat, et quod illis diis jam præsente Æsculapio gravius crimen fuit.

3. Tum vero tam multa bella ubique crebruerunt, ut inopia militum proletarii illi, qui eo quod proli gignendæ vacabant, ob egestatem militare non valentes, hoc nomen acceperant, militiæ conscriberentur. Accitus etiam a Tarentinis Pyrrhus, rex Græciæ, tunc ingenti gloria celebratus, Romanorum hostis effectus est. Cui sane de rerum futuro eventu consulenti, satis urbane Apollo sic ambiguum oraculum edidit, ut e duobus quidquid accidisset, ipse divinus haberetur. Ait enim : Dico te, Pyrrhe, vincere posse Romanos. Atque ita sive Pyrrhus a Romanis, sive Romani a Pyrrho vincerentur, securus fatidicus utrumlibet exspectaret eventum. Quæ tunc et quam horrenda utriusque exercitus clades? In qua tamen superior Pyrrhus exstitit, ut jam posset Apollinem pro suo intellectu prædicare divinum; nisi proxime alio prælio Romani abscederent superiores. Atque in tanta strage bellorum etiam pestilentia gravis exorta est mulierum : nam priusquam maturos partus ederent, gravidæ moriebantur. Ubi se, credo, Æsculapius excusabat, quod archiatrum [1], non obstetricem profitebatur. Pecudes quoque similiter interibant, ita ut jam defecturum genus animalium crederetur. Quid hiems illa memorabilis tam incredibili immanitate sæviens, ut nivibus horrenda altitudine etiam in foro per dies quadraginta manentibus, Tiberis quoque glacie duraretur [2], si nostris temporibus accidisset, quæ isti et quanta dixissent? Quid illa itidem ingens pestilentia, quamdiu sævivit, quam multos peremit? Quæ cum in annum alium multo gravius tenderetur, frustra præsente Æsculapio, aditum est ad libros Sibyllinos (*a*). In quo genere oraculorum, sicut Cicero in libris de Divinatione commemorat, magis interpretibus, ut possunt seu volunt, dubia conjectantibus, credi solet (*Libro* 2, *cap.* 54). Tunc ergo dictum est eam esse causam pestilentiæ, quod plurimas ædes sacras multi occupatas privatim tenerent : sic interim a magno imperitiæ vel desidiæ crimine Æsculapius liberatus est. Unde autem a multis ædes illæ fuerant occupatæ, nemine prohibente, nisi quia tantæ numinum turbæ diu frustra fuerat supplicatum; atque ita paulatim loca deserebantur a cultoribus, ut tanquam vacua sine ullius offensione possent humanis saltem usibus vindicari? Nam quæ tunc velut ad sedandam pestilentiam diligenter repetita atque reparata, nisi postea eodem modo neglecta atque usurpata latitarent, non utique magnæ peritiæ Varronis tribueretur, quod scribens de ædibus sacris tam multa ignorata commemorat. Sed tunc interim elegans, non pestilentiæ depulsio, sed deorum excusatio procurata est.

CAPUT XVIII. — *Quantæ clades Romanos sub bellis Punicis triverint, frustra deorum præsidiis expetitis.*

1. Jam vero Punicis bellis, cum inter utrumque imperium victoria diu anceps atque incerta penderet, populique duo prævalidi impetus in alterutrum fortissimos et opulentissimos agerent, quot minutiora regna contrita sunt? quæ urbes amplæ nobilesque deletæ? quot afflictæ, quot perditæ civitates? quam longe lateque tot regiones terræque vastatæ sunt? quoties victi hinc atque inde victores? quid hominum consumptum est, vel pugnantium militum, vel ab armis vacantium populorum? quanta vis navium marinis etiam præliis oppressa, et diversarum tempestatum varietate submersa est? Si enarrare vel commemorare conemur, nihil aliud quam scriptores etiam nos erimus historiæ. Tunc magno metu perturbata Romana civitas ad remedia vana et ridenda currebat. Instaurati sunt ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi sæculares,

[1] Lov., *Caudinas furcas*. Cæteri codices et Livius, lib. 9, *Caudinas furculas*. Angustiæ montium sunt in Caudina valle inter Abellam et Beneventum, juxta Caudium oppidum Samnii non procul a Benevento et Capua situm.

[2] Lov., *diremptione*; cæteri libri, *direptione*. De hac secessione plebis in Janiculum montem, quod Montorium hodie vocant, egit Livius lib. 11.

(*a*) Liv., lib. 5, cap. 37 seqq.

(*b*) Ibid., cap. 46 seqq., et lib. 7, cap. 1.

(*c*) Vide supra, lib. 1, cap. 32; et lib. 2, cap. 8.

(*d*) Duæ ex eis, Cornelia et Sergia, gentis fuerunt patriciæ, teste Livio, lib. 8, cap. 18, qui matronas ob id sceleris ad centum et septuaginta damnatas dicit.

(*e*) Liv., lib. 9, cap. 2 seqq.

(*f*) Id., lib. 10, cap. 31.

(*g*) Id., Ibid., cap. 47, in fine.

[1] Editi, *archiatrum se*. Redundat, *se*, et abest a Mss.

[2] Nonnulli Mss., *moraretur*.

(*a*) Orosius, lib. 4, cap. 5.

quorum celebritas inter centum annos fuerat instituta, felicioribusque temporibus memoria negligente perierat. Renovarunt etiam pontifices ludos sacros inferis, et ipsos abolitos annis retrorsum melioribus. Nimirum enim quando renovati sunt, tanta copia morientium ditatos inferos etiam ludere delectabat: cum profecto miseri homines ipsa rabida bella et cruentas animositates funereasque hinc atque inde victorias, magnos agerent ludos dæmonum et opimas epulas inferorum. Nihil sane miserabilius primo bello Punico accidit, quam quod ita Romani victi sunt, ut etiam Regulus ille caperetur, cujus in primo et in altero libro mentionem fecimus (*Lib. 1, capp. 15 et 24; et lib. 2, cap. 23*), vir plane magnus et victor antea domitorque Pœnorum: qui etiam ipsum primum bellum Punicum confecisset, nisi aviditate nimia laudis et gloriæ duriores conditiones, quam ferre possent, fessis Carthaginensibus imperasset. Illius viri et captivitas inopinatissima, et servitus indignissima, et juratio fidelissima, et mors crudelissima si deos illos non cogit erubescere, verum est quod ærei sunt, et non habent sanguinem.

2. Nec mala illo tempore gravissima intra mœnia defuerunt. Nam exundante nimis ultra morem fluvio Tiberino pene omnia urbis plana subversa sunt; aliis impetu quasi torrentis impulsis, aliis velut stagno diuturno madefactis atque sublapsis. Istam deinde pestem ignis perniciosior subsecutus est, qui correptis circa forum quibusque celsioribus, etiam templo Vestæ suo familiarissimo non pepercit, ubi ei veluti vitam perpetuam diligentissima substitutione lignorum, non tam honoratæ quam damnatæ virgines donare consueverant. Tunc vero illic ignis, non tantum vivebat, sed etiam sæviebat. Cujus impetu exterritæ virgines, sacra illa fatalia, quæ jam tres, in quibus fuerant, presserant civitates (*a*), cum ab illo incendio liberare non possent, Metellus pontifex suæ quodam modo salutis oblitus irruens ea semiustulatus abripuit (*b*). Neque enim vel ipsum ignis agnovit: aut vero erat ibi numen, quod non etiam, si fuisset, fugisset. Homo igitur potius sacris Vestæ, quam illa homini prodesse potuerunt. Si autem a se ipsis ignem non repellebant, civitatem, cujus salutem tueri putabantur, quid contra illas aquas flammasque poterant adjuvare? sicut etiam res ipsa nihil ea prorsus potuisse patefecit. Hæc istis nequaquam objicerentur a nobis, si illa sacra dicerent, non tuendis his bonis temporalibus instituta, sed significandis æternis; et ideo, cum [1] ea quod corporalia visibiliaque essent, perire contingeret, nihil his rebus minui, propter quas fuerant instituta, et posse ad eosdem usus denuo reparari. Nunc vero cæcitate mirabili [2], eis sacris quæ perire possint, fieri potuisse existimant, ut salus terrena et temporalis felicitas civitatis perire non posset. Proinde cum illis etiam manentibus sacris, vel salutis contritio, vel infelicitas irruisse monstratur, mutare sententiam, quam defendere nequeunt, erubescunt [1].

CAPUT XIX. — *De afflictione belli Punici secundi, qua vires partis utriusque consumptæ sunt.*

Secundo autem bello Punico nimis longum est commemorare clades duorum populorum, tam longe secum lateque pugnantium; ita ut his quoque fatentibus, qui non tam narrare bella Romana, quam Romanum imperium laudare instituerunt, similior victo fuerit ille qui vicit (*a*). Annibale quippe ab Hispania surgente, et Pyrenæis montibus superatis, Gallia transcursa, Alpibusque disruptis, tam longo circuitu auctis viribus, cuncta vastando aut subigendo, torrentis modo Italiæ faucibus irruente, quam cruenta bella gesta sunt, quam multa prælia [2]! Quoties Romani superati! quam multa ad hostem oppida defecerunt, quam multa capta et oppressa! quam diræ pugnæ, et toties Annibali Romana clade gloriosæ! De Cannensi autem mirabiliter horrendo malo quid dicam, ubi Annibal cum esset crudelissimus, tamen tanta inimicorum atrocissimorum cæde satiatus, parci jussisse perhibetur (*b*)? Unde tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit (*c*): quo intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura quam numerus; atque hinc strages turbæ cæteræ, tanto utique numerosioris, quanto infirmioris [3], quæ sine annulis jacebat, conjicienda potius quam nuntianda putaretur. Denique tanta militum inopia secuta est, ut Romani reos facinorum proposita impunitate colligerent, servitia libertate donarent, atque ex illis pudendus [4] non tam suppleretur quam institueretur exercitus. Servis itaque, imo ne faciamus injuriam, jam libertis pro Romana republica pugnaturis arma defuerunt. Detracta sunt templis, tanquam Romani diis suis dicerent, Ponite quæ tam diu inaniter habuistis, ne forte aliquid utile inde facere possint nostra mancipia, unde vos, nostra numina, nihil facere potuistis. Tunc etiam stipendiis sufficiendis cum defecisset ærarium, in usus publicos opes venere privatæ, adeo unoquoque id quod habuit conferente, ut præter singulos annulos aureos singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse, quanto magis cæteri ordines tribusque relinquerent (*d*)! Quis ferret istos, si nostris temporibus ad hanc inopiam cogerentur, cum eos modo vix feramus, quando pro superflua voluptate plura donantur histrionibus, quam

[1] Sola editio Lov., *quanquam*.
[2] Sic Mss. At editi, *miserabili*.
(*a*) Senes intellige, Lavinium et Albam.
(*b*) Livius, lib. 19.

[1] Vetus codex S. Amandi, *quem defendere nequeunt*, *non erubescunt*.
[2] Mss., *quam cruenta prælia gesta sunt? Quoties*, etc. — Sic etiam Ms. 766. M.
[3] Editi, *infirmioris*. Melius vero Mss., *infimioris*, id est, ignobilioris turbæ, cui non erat usus annuli.
[4] Am. et Er., *pudendus*.
(*a*) Liv. initio lib. 21, et Silius Ital. lib. 1.
(*b*) Cannensis clades Romani exercitus, quæ prope Cannas urbem seu vicum Apuliæ contigit, describitur a Livio, lib. 22, cap. 44 seqq.
(*c*) Liv. lib. 23, cap. 12.
(*d*) Id., lib. 22, cap. 57, et cap. 59-61.

tunc legionibus pro extrema salute collata sunt?

CAPUT XX. — *De exitio Saguntinorum, quibus propter Romanorum amicitiam pereuntibus dii Romani auxilium non tulerunt.*

Sed in his omnibus belli Punici secundi malis, nihil miserabilius ac miserabili querela dignius, quam exitium Saguntinorum fuit (*a*). Hæc quippe Hispaniæ civitas amicissima populi Romani, dum eidem populo fidem servat, eversa est. Hinc enim Annibal fracto fœdere Romanorum, causas quæsivit quibus eos irritaret ad bellum. Saguntum ergo ferociter obsidebat: quod ubi Romæ auditum est, missi legati ad Annibalem, ut ab ejus obsidione discederet. Contempti Carthaginem pergunt, querimoniamque deponunt fœderis rupti, infectoque negotio Romam redeunt. Dum hæ moræ aguntur, misera illa civitas opulentissima, suæ reipublicæ Romanæque charissima, octavo vel nono a Pœnis mense deleta est. Cujus interitum legere, quanto magis scribere, horroris est. Breviter tamen eum commemorabo: ad rem quippe quæ agitur, multum pertinet. Primo fame contabuit: nam etiam suorum cadaveribus a nonnullis pasta perhibetur. Deinde omnium fessa rerum, ne saltem captiva in manus Annibalis perveniret, ingentem rogum publice struxit, in quem ardentem ferro etiam trucidatos omnes se suosque miserunt. Hic aliquid agerent dii helluones [1] atque nebulones, sacrificiorum adipibus inhiantes, et fallacium divinationum caligine decipientes: hic aliquid agerent, civitati populi Romani amicissimæ subvenirent, fidei conservatione pereuntem perire non sinerent. Ipsi utique medii præfuerunt, cum Romanæ reipublicæ interjecto fœdere copulata est. Custodiens itaque fideliter quod ipsis præsidibus placito junxerat, fide vinxerat, juratione constrinxerat, a perfido obsessa, oppressa, consumpta est. Si ipsi dii tempestate atque fulminibus Annibalem postea Romanis proximum mœnibus terruerunt, longeque miserunt (*b*); tunc primum tale aliquid facerent. Audeo quippe dicere, honestius illos pro amicis Romanorum, ideo periclitantibus ne Romanis frangerent fidem, et nullam opem tunc habentibus, quam pro ipsis Romanis, qui pro se pugnabant, atque adversus Annibalem opulenti erant, potuisse tempestate sævire. Si ergo tutores essent Romanæ felicitatis et gloriæ, tam grave ab ea crimen Saguntinæ calamitatis averterent: nunc vero quam stulte creditur diis illis defensoribus Romam victore Annibale non perisse, qui Saguntinæ urbi non potuerunt, ne pro ejus periret amicitia, subvenire? Si Saguntinorum christianus populus esset, et hujusmodi aliquid pro fide evangelica pateretur, quanquam se ipse nec ferro, nec ignibus corrupisset; sed tamen si pro fide evangelica excidium pateretur, ea spe pateretur qua in Christum crediderat, non mercede brevissimi temporis, sed æternitatis interminæ [1]. Pro istis autem diis, qui propterea coli perhibentur, qui propterea colendi requiruntur, ut horum labentium atque transeuntium rerum felicitas tuta sit, quid nobis defensores et excusatores eorum de Saguntinis pereuntibus respondebunt, nisi quod de illo Regulo exstincto? Hoc quippe interest, quod ille unus homo, hæc tota civitas; utrique tamen interitus causa conservatio fidei fuit. Propter hanc enim ad hostes et redire ille voluit, et noluit ista transire. Conservata ergo provocat deorum iram fides? an possunt et diis propitiis perire non solum quique homines, verum etiam integræ civitates? Utrum volunt, eligant. Si enim fidei servatæ irascuntur illi dii, quærant perfidos a quibus colantur: si autem etiam illis propitiis multis gravibusque cruciatibus afflicti, interire homines civitatesque possunt, nullo fructu felicitatis hujus coluntur. Desinant igitur succensere, qui sacris deorum suorum perditis se infelices esse factos putant. Possent enim illis non solum manentibus, verum etiam faventibus, non, sicut modo, de miseria murmurare, sed sicut tunc Regulus et Saguntini, excruciati horribiliter etiam penitus interire.

CAPUT XXI. — *Quam ingrata fuerit Romana civitatis Scipioni liberatori suo, et in quibus moribus egerit, quando eam Sallustius optimam fuisse describit.*

Porro inter secundum et postremum bellum Carthaginense, quando Sallustius optimis moribus et maxima concordia dixit egisse Romanos (multa enim prætereo, suscepti operis modum cogitans): eodem ergo ipso tempore morum optimorum maximæque concordiæ, Scipio ille Romæ Italiæque liberator (*a*), ejusdemque belli Punici secundi tam horrendi, tam exitiosi, tam periculosi præclarus mirabilisque confector, victor Annibalis domitorque Carthaginis, cujus ab adolescentia vita describitur diis dedita templisque nutrita (*b*), inimicorum accusationibus cessit, carensque patria, quam sua virtute salvam et liberam reddidit, in oppido Linternensi egit reliquamque complevitque vitam, post insignem suum triumphum nullo illius urbis captus desiderio, ita ut jussisse perhibeatur, ne saltem mortuo in ingrata patria funus fieret (*c*). Deinde tunc primum per Cneum Manlium [2] proconsulem de Gallogræcis triumphantem, Asiatica luxuria Romam omni hoste pejor irrepsit (*d*). Tunc enim primum lecti ærati, et pretiosa stragula visa perhibentur: tunc inductæ in convivia psaltriæ, et alia licentiosa nequitia. Sed nunc de his malis quæ intolerabiliter homines patiuntur, non de his quæ libenter faciunt, dicere institui. Unde illud magis quod de Scipione commemoravi, quod cedens inimicis ex-

[1] Vind. et Am., *duelliones.*

(*a*) Saguntum, sive Saguntus urbs olim clarissima Hispaniæ Tarraconensis, non procul a loco ubi nunc Valentia. De illius per Annibalem eversione Livius, lib. 21, cap. 6-15.

(*b*) Livius, lib. 26, cap. 11.

[1] In solis editis, *sed æternitatis interminæ potiretur.* — Er., *interminatæ.* M.

[2] Vind. Er. et Mss., *Gneum Manlium.* Codices nostri, *Cneum Mallium.* Ipsum Livius 38, Cneum Manlium Volsonem vocat, et de Gallis qui Asiam (scilicet Minorem) incolebant (qui Gallogræci et Galatæ dicti sunt) triumphasse memorat. M.

(*a*) Scipio Africanus major.

(*b*) Livius, lib. 29, cap. 19; et A. Gellius, lib. 7, cap. 1.

(*c*) Livius, lib. 38, cap. 50-53.

(*d*) Id., lib. 39, cap. 6.

tra patriam, quam liberavit, mortuus est, ad præsentem pertinet disputationem, quod ei Romana numina a quorum templis avertit Annibalem, non reddiderunt vicem, quæ propter istam tantummodo coluntur felicitatem. Sed quia Sallustius eo tempore ibi dixit mores optimos fuisse, propterea hoc de Asiana luxuria commemorandum putavi, ut intelligatur etiam illud a Sallustio in comparatione aliorum temporum dictum, quibus temporibus pejores utique in gravissimis discordiis mores fuerunt. Nam tunc, id est inter secundum et postremum bellum Carthaginense, lata est etiam illa lex Voconia, ne quis hæredem feminam faceret, nec unicam filiam (*a*). Qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro. Verumtamen toto illo intervallo duorum bellorum Punicorum tolerabilior infelicitas fuit. Bellis tantummodo foris conterebatur exercitus, sed victoriis consolabatur: domi autem nullæ, sicut alias, discordiæ sæviebant. Sed ultimo bello Punico uno impetu alterius Scipionis, qui ob hoc etiam ipse Africani cognomen invenit (*b*), æmula imperii Romani ab stirpe deleta est (*c*): ac deinde tantis malorum aggeribus oppressa Romana respublica, ut prosperitate ac securitate rerum, unde nimium corruptis moribus mala illa congesta sunt, plus nocuisse monstretur [1] tam cito eversa, quam prius nocuerat tam diu adversa Carthago. Hoc toto tempore usque ad Cæsarem Augustum, qui videtur non adhuc vel ipsorum opinione gloriosam, sed contentiosam et exitiosam et plane jam enervem ac languidam libertatem omni modo extorsisse Romanis, et ad regale arbitrium cuncta revocasse, et quasi morbida vetustate collapsam veluti instaurasse ac renovasse rempublicam: toto ergo isto tempore, omitto ex aliis atque aliis causis etiam atque etiam bellicas clades, et Numantinum fœdus (*d*) horrenda ignominia maculosum: volaverant enim pulli de cavea, et Mancino consuli, ut aiunt, augurium malum fecerant (*e*); quasi per tot annos, quibus illa exigua civitas Romanum circumsessa exercitum afflixerat, ipsique Romanæ reipublicæ terrori esse jam cœperat, alii contra eam malo augurio processerint [2].

CAPUT XXII. — *De Mithridatis edicto, quo omnes cives Romanos, qui intra Asiam invenirentur, jussit occidi.*

Sed hæc, inquam, omitto, quamvis illud nequaquam tacuerim, quod Mithridates rex Asiæ ubique in Asia peregrinantes cives Romanos, atque innumerabili copia suis negotiis intentos, uno die occidi jussit (*f*): et factum est. Quam illa miserabilis rerum facies erat, subito quemque, ubicumque fuisset inventus, in agro, in via, in oppido, in domo, in vico, in foro, in templo, in lecto, in convivio, inopinate atque impie fuisse trucidatum? Quis gemitus morientium, quæ lacrymæ spectantium, fortasse etiam ferientium fuerunt? Quam dura necessitas hospitum, non solum videndi nefarias illas cædes domi suæ, verum etiam perpetrandi; ab illa blanda comitate humanitatis repente mutatis vultibus ad hostile negotium in pace peragendum, mutuis dicam [1] omnino vulneribus, cum percussus in corpore, et percussor in animo feriretur? Num et isti omnes auguria contempserant? num deos et domesticos et publicos, cum de sedibus suis ad illam irremeabilem peregrinationem profecti sunt, quos consulerent, non habebant? Hoc si ita est, non habent cur isti in hac causa de nostris temporibus conquerantur: olim Romani hæc vana contemnunt. Si autem consuluerunt, respondeatur quid ista profuerunt, quando per humanas duntaxat leges, nemine prohibente, licuerunt [2].

CAPUT XXIII. — *De interioribus malis, quibus Romana respublica exagitata est, præcedente prodigio, quod in rabie omnium animalium, quæ hominibus serviunt, fuit.*

Sed jam illa mala breviter, quantum possumus, commemoremus, quæ quanto interiora, tanto miseriora exstiterunt: discordiæ civiles, vel potius inciviles; nec jam seditiones, sed etiam ipsa bella urbana, ubi tantus sanguis effusus est, ubi partium studia, non concionum [3] dissensionibus variisque vocibus in alterutrum, sed plane jam ferro armisque sæviebant: bella socialia, bella servilia, bella civilia quantum Romanum cruorem fuderunt, quantam Italiæ vastationem desertionemque fecerunt? Namque antequam se adversus Romam sociale Latium commoveret, cuncta animalia humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves, et quæque alia pecora sub hominum dominio fuerunt, subito efferata et domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis libera vagabantur, et omnem non solum aliorum, verum etiam dominorum aversabantur accessum, non sine exitio vel periculo audentis, si quis de proximo urgeret (*a*). Quanti mali signum fuit, si hoc signum fuit quod tantum malum fuit, si etiam signum non fuit [4]? Hoc si nostris temporibus accidisset, rabidiores istos quam illi sua animalia pateremur.

CAPUT XXIV. — *De discordia civili, quam Gracchanæ seditiones excitaverunt.*

Initium autem civilium bellorum [5] fuit, seditiones

[1] Codex 766, *monstraretur*. M.

[2] Mss., *processerunt*.

(*a*) Livius, lib. 41, cap. 34.

(*b*) Africanus minor.

(*c*) Livius, libro 51.

(*d*) Numantia urbs fuit Hispaniæ Tarraconensis gesto cum Romanis bello nobilitata et a Scipione Africano tandem deleta. De fœdere cum Numantinis facto per C. Hostilium Mancinum fœde, deque infausto pullorum volatu de cavea Livius lib. 55.

(*e*) Livius, libro 55.

(*f*) Id., libro 78.

[1] Editi, *mutuis ut ita dicam*. Abest, *ut ita*, a codicibus manuscriptis; sed ejus loco in pluribus legitur, *repente*.

[2] Editi, *talia licuerunt*. Manuscripti vero non habent, *talia*.

[3] Editi, *contentionum*. Manuscripti vero, *concionum*.

[4] Ita omnes Mss. At editi, *quod quanti mali signum fuit? quod si hoc signum* [illegible] *quantum malum fuit* [illegible]

[5] Mss. habent, [illegible] — Sic etiam Cd. 766. M.

(*a*) Julius Obsequens de Prodigiis, cap. 114, et Orosius lib. 5, cap. 18.

Gracchorum agrariis legibus excitatæ. Volebant enim agros populo dividere, quos nobilitas perperam possidebat. Sed jam vetustam iniquitatem audere convellere, periculosissimum; imo vero, ut ipsa res docuit, perniciosissimum fuit. Quæ funera facta sunt, cum prior Gracchus (*a*) occisus est? quæ etiam, cum alius frater ejus non longo interposito tempore? Neque enim legibus et ordine potestatum, sed turbis armorumque conflictibus nobiles ignobilesque necabantur. Post Gracchi alterius (*b*) interfectionem, Lucius Opimius consul, qui adversus eum intra Urbem arma commoverat, eoque cum sociis oppresso et exstincto ingentem civium stragem fecerat, cum quæstionem haberet jam judiciaria inquisitione cæteros persequens, tria millia hominum occidisse perhibetur. Ex quo intelligi potest, quantam multitudinem mortium [1] habere potuerit turbidus conflictus armorum, quando tantam habuit judiciorum velut examinata cognitio. Percussor Gracchi ipsius caput quantum grave erat, tanto auri pondere consuli vendidit: hæc enim pactio cædem præcesserat. In qua etiam occisus est cum liberis Marcus Fulvius consularis.

CAPUT XXV. — *De æde Concordiæ ex senatusconsulto in loco seditionum et cædium condita.*

Eleganti sane senatusconsulto eo ipso loco, ubi funereus tumultus ille commissus est, ubi tot cives ordinis cujusque ceciderunt, ædes Concordiæ facta est, ut Gracchorum pœnæ testis concionantium oculos feriret, memoriamque compungeret. Sed hoc quid aliud fuit, quam irrisio deorum, illi deæ templum construere, quæ si esset in civitate, non tantis dissensionibus dilacerata corrueret? nisi forte sceleris hujus rea Concordia, quia deseruerat animos civium, meruit in illa æde tanquam in carcere includi. Cur enim, si rebus gestis congruere voluerunt, non ibi potius ædem Discordiæ fabricaverunt? an ulla ratio redditur, cur Concordia dea sit, et Discordia dea non sit; ut secundum Labeonis distinctionem, bona sit ista, illa vero mala (*c*)? Nec ipse aliud secutus videtur, quam quod advertit Romæ etiam Febri, sicut Saluti, templum constitutum. Eo igitur modo non tantum Concordiæ, verum etiam Discordiæ constitui debuit. Periculose itaque Romani tam mala dea irata vivere voluerunt, nec Trojanum excidium recoluerunt originem ab ejus offensione sumpsisse. Ipsa quippe quia inter deos non fuerat invitata, trium dearum (*d*) litem aurei mali suppositione commenta est [2]: unde rixa numinum, et Venus victrix, et rapta Helena, et Troja deleta. Quapropter, si forte indignata quod inter deos in Urbe nullum templum habere meruit, ideo jam turbabat tantis tumultibus civitatem; quanto atrocius potuit irritari, cum in loco illius cædis, hoc est in loco sui operis, adversariæ suæ constitutam ædem videret? Hæc vana ridentibus nobis illi docti sapientesque stomachantur, et tamen numinum bonorum malorumque cultores, de hac quæstione Concordiæ Discordiæque non exeunt, sive prætermiserint harum dearum cultum, eisque Febrem Bellonamque prætulerint, quibus antiqua fana fecerunt, sive et istas coluerint, cum sic eos, discedente Concordia, Discordia sæviens usque ad civilia bella perduxerit.

CAPUT XXVI. — *De diversis generibus bellorum, quæ post conditam ædem Concordiæ sunt secuta.*

Præclarum vero seditionibus [1] obstaculum, ædem Concordiæ testem cædis suppliciique Gracchorum concionantibus opponendam putarunt. Quantum ex hoc profecerint, indicant secuta pejora. Laborarunt enim deinceps concionatores, non exemplum devitare Gracchorum, sed superare propositum, Lucius Saturninus tribunus plebis, et Caius Servilius prætor, et multo post (*a*) Marcus Drusus, quorum omnium seditionibus cædes primo jam tunc gravissimæ, deinde socialia bella exarserunt (*b*): quibus Italia vehementer afflicta, et ad vastitatem mirabilem [2] desertionemque perducta est. Bellum deinde servile successit (*c*), et bella civilia: in quibus [3] quæ prælia commissa sunt, quid sanguinis fusum? ut omnes fere Italiæ gentes, quibus Romanum maxime præpollebat imperium, tanquam sæva barbaries [4] domarentur. Jam ex paucissimis, hoc est minus quam septuaginta, gladiatoribus quemadmodum bellum servile contractum sit, ad quantum numerum et quam acrem ferocemque pervenerit: quos ille numerus imperatores populi Romani superaverit: quas et quomodo civitates regionesque vastaverit, vix qui historiam conscripserunt, satis explicare potuerunt (*d*). Neque id solum

[1] Nonnulli codices, *mortuorum*. — Nostri Codd., *mortium*. M.

[2] Sic Mss. Editi vero, *commentata est*.

(*a*) Tiberius Gracchus. Vide supra lib. 2, cap. 21.

(*b*) Caii Gracchi. Plutarch. in Gracchis.

(*c*) Vide supra, lib. 2, cap. 11.

(*d*) Junonis, Palladis et Veneris.

[1] Mss., *seditionis*.

[2] Editi, *miserabilem*. At manuscripti, *mirabilem*. Eutropius de bello sociali et civili agens lib. 5, numerat consumptos ultra centum quinquaginta millia hominum, viros consulares 24, prætorios 7, senatores fere 300. Consentit Oros. lib. 5, c. 22, sed multo plures exstinctos tradit Velleius.

[3] Hæ voculæ, *in quibus*, desunt in nostris omnibus manuscriptis. M.

[4] Lov., *barbarie*. Cæteri editi et Mss., *barbaries*.

(*a*) In Mss., *Gaius Servilius prætor*. Mox omnes libri, *et multo post*: ubi Lud. Vives opinatur legendum, *et non multo post*; quia septem annos tantum a Saturnino tribuno ad Marcum Livium Drusum reperit. De Druso socialis belli auctore scripsit Livius lib. 71; de Saturnino autem ac Servilio Glaucia prætore, lib. 69.

(*b*) *Socialia bella* quæ in Romanos socii eorum et cognati susceperunt, Ethrusci, Latini, Sabini, etc.

(*c*) Bellum servile aliud sociali bello prius fuit, quod ab Euno Syro quodam servo excitatum, et a Cleone servo altero postea junctis copiis roboratum scribit Livius lib. 56. Aliud autem posterius contractum ex gladiatoribus, quos idem ipse lib. 95, memorat quatuor et septuaginta Capuæ ex Ludo Lentuli profugisse, ducesque Chrysum et Spartacum eorum exercitui præfuisse. Ducem insuper iidem habuerunt OEnomaum, ex Floro lib. 3. De isto posteriore bello Augustinus hic et infra lib. 4, cap. 5.

(*c*) De gladiatorio bello, Liviana epitome 95; Appianus, de Bellis civilibus, lib. 1 in fine; Florus, lib. 3, cap. 20; Plutarchus in Vita M. Crassi, qui hoc bellum confecit; Oro-

(*d*) Vide infra, lib. 4, cap. 5.

fuit servile bellum; sed et Macedoniam provinciam prius servitia depopulata sunt, et deinde Siciliam oramque maritimam. Quanta etiam et quam horrenda commiserint primo latrocinia, deinde valida bella piratarum, quis pro magnitudine rerum valeat eloqui (a)?

CAPUT XXVII. — *De bello civili Mariano atque Syllano.*

Cum vero Marius civili sanguine jam cruentus, multis adversarum sibi partium peremptis, victus Urbe profugisset, vix paululum respirante civitate, ut verbis Tullianis utar, *superavit postea Cinna cum Mario. Tum vero clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. Ultus est hujus victoriæ crudelitatem postea Sylla, ne dici quidem opus est quanta diminutione civium et quanta calamitate reipublicæ* (*In Catilinam Orat.* 3, *cap.* 10, § 24). De hac enim vindicta, quæ perniciosior fuit, quam si scelera quæ puniebantur, impunita relinquerentur, ait et Lucanus:

> Excessit medicina modum; nimiumque secuta est,
> Qua morbi duxere manum [1]; periere nocentes.
> Sed cum jam soli possent superesse nocentes,
> Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
> Frenis ira ruit [2].
> (*Pharsal. lib.* 2, *vers.* 142-146.)

Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis his qui foris in acie ceciderunt, in ipsa quoque Urbe cadaveribus vici, plateæ, fora, theatra, templa completa sunt; ut difficile judicaretur quando victores plus funerum ediderint, utrum prius ut vincerent, an postea quia vicissent: cum primum victoria Mariana, quando de exsilio se ipse restituit, exceptis passim quaquaversum cædibus factis, caput Octavii consulis poneretur in rostris (b), Cæsar et Fimbria in domibus trucidarentur suis [3], duo Crassi, pater et filius, in conspectu mutuo mactarentur, Bebius et Numitorius unco tracti sparsis visceribus interirent, Catulus hausto veneno se manibus inimicorum subtraheret, Merula, flamen Dialis, præcisis venis Jovi etiam suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.

CAPUT XXVIII. — *Qualis fuerit Syllana victoria vindex Marianæ crudelitatis.*

Syllana vero victoria secuta, hujus videlicet vindex crudelitatis, post tantum sanguinem civium, quo fuso comparata fuerat, finito jam bello inimicitiis viventibus, crudelius in pace grassata est. Jam etiam post Marii majoris pristinas ac recentissimas cædes additæ fuerant aliæ graviores a Mario juvene, atque Carbone earumdem partium Marianarum: qui Sylla imminente, non solum victoriam, verum etiam ipsam desperantes salutem, cuncta suis alienisque cædibus impleverunt. Nam præter stragem late per diversa diffusam, obsesso etiam senatu (a), de ipsa curia, tanquam de carcere, producebantur ad gladium. Mucius Scævola pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Vestæ sanctius habebatur, aram ipsam amplexus, occisus est; ignemque illum, qui perpetua cura virginum semper ardebat, suo pene sanguine exstinxit. Urbem deinde Sylla victor intravit, qui in villa publica, non jam bello, sed ipsa pace sæviente, septem millia deditorum [1] (unde utique [2] inermium) non pugnando, sed jubendo prostraverat (b). In Urbe autem tota quem vellet Syllanus quisque feriebat: unde tot funera numerari omnino non poterant, donec Syllæ suggereretur, sinendos esse aliquos vivere, ut essent quibus possent imperare qui vicerant. Tunc jam cohibita, quæ hac atque hac passim furibunda ferebatur licentia jugulandi, tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quæ hominum ex utroque ordine splendido, equestri scilicet atque senatorio, occidendorum ac proscribendorum duo millia continebat. Contristabat numerus, sed consolabatur modus; nec quia tot cadebant tantum erat mœroris, quantum lætitiæ, quia cæteri non timebant. Sed in quibusdam eorum, qui mori jussi erant, etiam ipsa licet crudelis cæterorum securitas, genera mortium exquisita congemuit. Quemdam enim sine ferro laniantium manus diripuerunt, immanius homines hominem vivum, quam bestiæ solent discerpere cadaver abjectum (c). Alius oculis effossis et particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu vivere, vel potius diu mori coactus est (d). Subhastatæ sunt etiam (e), tanquam villæ, quædam nobiles civitates. Una vero, velut unus reus duci juberetur, sic tota jussa est trucidari. Hæc facta sunt in pace post bellum, non ut acceleraretur obtinenda victoria, sed ne contemneretur obtenta. Pax cum bello de crudelitate certavit, et vicit. Illud enim prostravit armatos, ista nudatos. Bellum erat, ut qui feriebatur, si posset, feriret: pax autem, non ut qui evaserat, viveret, sed ut moriens non repugnaret.

CAPUT XXIX. — *De comparatione Gothicæ irruptionis cum eis cladibus quas Romani vel a Gallis, vel a bellorum civilium auctoribus exceperunt.*

Quæ rabies exterarum gentium, quæ sævitia bar-

[1] Sic nostri Mss. In B., *nimiumque secuta est, qua morbi duxere, manus.* M.

[2] Codd. nostri omittunt verba: *Tunc data libertas odiis, resolutaque legum frenis ira ruit.* M.

[3] Vind. Am. Er. et aliquot manuscripti, *trucidarentur a suis.*

(a) Lucan. lib. 2.

(b) De his et sequentibus vide Liv. lib. 80, Appian. l. 1 de bellis civil., Plutarch. in Mario et Sylla, etc.

[1] Vind. Er. et Lov., *peditum.* At Am. et manuscripti, *deditorum.* [illegible] Livius, l. 88, nisi quod non septem, sed [illegible] refert Valerius, l. 9, c. 2 [illegible], contrariæ partis fidem [illegible], in villa publica, quæ in campo Martio erat... [illegible] jussit.»

[2] Lov., *inde utique.* At Mss., *unde utique.*

(a) Liv., lib. 86.

(b) Seneca, libro de Clementia, cap. 12.

(c) [illegible] hunc appellat Florus, lib. 3, cap. 21: diversum intellige ab eo, qui inter Syllanarum partium sectatores [illegible] legitur supra, cap. 27.

(d) [illegible] prætor, C. Marii propinquus. Valer. lib. 9, cap. 2; Flor. lib. 3, cap. 21.

(e) Vind. Am. et aliquot Mss., *subrastatæ.* Verius alii [illegible] *subhastatæ*, id est, sub hasta venales propositæ. [illegible] Florus, lib. 3, cap. 21 [illegible] sub hasta venierunt. [illegible] Sed tamen [illegible] ut [illegible] Sylla dictator [illegible] non ergo de [illegible] venalis est, sed [illegible] Augustinus, unam civitatem totam jussam esse trucidari.

barorum huic de civibus victoriæ civium comparari potest? Quid Roma funestius, tetrius, amariusque vidit, utrum olim Gallorum et paulo ante Gothorum irruptionem, an Marii et Syllæ aliorumque in eorum partibus virorum clarissimorum tanquam suorum luminum in sua membra ferocitatem? Galli quidem trucidaverunt senatum, quidquid ejus in Urbe tota, præter arcem Capitolinam, quæ sola utcumque defensa est, reperire potuerunt; sed in illo colle constitutis auro vitam saltem vendiderunt, quam etsi ferro rapere non possent, possent tamen obsidione consumere: Gothi vero tam multis senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit quod aliquos peremerunt. At vero Sylla, vivo adhuc Mario, ipsum Capitolium, quod a Gallis tutum fuit, ad decernendas cædes victor insedit; et cum fuga Marius esset elapsus, ferocior cruentiorque rediturus, iste in Capitolio per senatus etiam consultum tam multos vita rebusque privavit. Marianis autem partibus, Sylla absente, quid sanctum cui parcerent fuit, quando Mucio civi, senatori, pontifici, aram ipsam, ubi erant, ut aiunt, fata Romana, miseris ambienti amplexibus non pepercerunt? Syllana porro tabula (*a*) illa postrema, ut omittamus alias innumerabiles mortes, plures jugulavit senatores, quam Gothi vel spoliare potuerunt.

CAPUT XXX. — *De connexione bellorum, quæ adventum Christi plurima et gravissima præcesserunt.*

Qua igitur fronte, quo corde, qua impudentia, qua insipientia, vel potius amentia, illa diis suis non imputant, et hæc nostro imputant Christo? Crudelia bella civilia omnibus bellis hostilibus, auctoribus etiam eorum fatentibus, amariora, quibus illa respublica nec afflicta, sed perdita omnino judicata est, longe ante adventum Christi exorta sunt, et sceleratarum concatenatione causarum a bello Mariano atque Syllano ad bella Sertorii et Catilinæ, quorum a Sylla fuerat ille proscriptus, ille nutritus (*b*): inde ad Lepidi et Catuli bellum, quorum alter gesta Syllana rescindere, alter defendere cupiebat (*c*): inde ad Pompeii et Cæsaris, quorum Pompeius sectator Syllæ fuerat, ejusque potentiam vel æquaverat, vel jam etiam superaverat; Cæsar autem Pompeii potentiam non ferebat, sed quia non habebat, quam tamen illo victo interfectoque transcendit. Hinc ad alium Cæsarem, qui post Augustus appellatus est, pervenerunt, quo imperante natus est Christus. Nam et ipse Augustus cum multis gessit bella civilia: et in eis etiam multi clarissimi viri perierunt, inter quos et Cicero, disertus ille artifex regendæ reipublicæ. Pompeii quippe victorem Caium Cæsarem (qui victoriam civilem clementer exercuit, suisque adversariis vitam dignitatemque donavit) tanquam regni appetitorem quorumdam nobilium conjuratio senatorum velut pro reipublicæ libertate in ipsa curia trucidavit. Hujus deinde potentiam, multum moribus dispar, vitiisque omnibus [1] inquinatus atque corruptus, affectare videbatur Antonius, cui vehementer pro eadem illa velut patriæ libertate Cicero resistebat. Tunc emerserat mirabilis indolis adolescens ille alius Cæsar, illius Caii Cæsaris filius adoptivus: qui, ut dixi, postea appellatus est Augustus. Huic adolescenti Cæsari, ut ejus potentia contra Antonium nutriretur, Cicero favebat; sperans eum depulsa et oppressa Antonii dominatione instauraturum reipublicæ libertatem, usque adeo cæcus atque improvidus futurorum, ut ille ipse juvenis, cujus dignitatem ac potestatem fovebat, et eumdem Ciceronem occidendum Antonio quadam quasi concordiæ pactione permitteret, et ipsam libertatem reipublicæ, pro qua multum ille clamaverat, ditioni propriæ subjugaret.

CAPUT XXXI. — *Quod impudenter præsentia incommoda Christo imputent qui deos colere non sinuntur, cum tantæ clades eo tempore, quo colebantur, exstiterint.*

Deos suos accusent de tantis malis, qui nostro Christo ingrati sunt de tantis bonis. Certe quando illa mala fiebant, calebant aræ numinum, Sabæo thure sertisque recentibus halabant, clarebant sacerdotia, fana renidebant; sacrificabatur, ludebatur, furebatur in templis, quando passim tantus civium sanguis a civibus, non modo in cæteris locis, verum inter ipsa quoque deorum altaria fundebatur. Non elegit templum, quo confugeret Tullius; quia frustra elegerat Mucius. Hi vero qui multo indignius insultant christianis temporibus, aut ad loca Christo dicatissima confugerunt, aut illuc eos ut viverent, etiam ipsi Barbari deduxerunt. Illud scio, et hoc mecum quisquis sine studio partium judicat, facillime agnoscit (ut omittam cætera quæ multa commemoravi, et alia multo plura quæ commemorare longum putavi), si humanum genus ante bella Punica christianam reciperet disciplinam, et consequeretur rerum tanta vastatio, quanta illis bellis Europam Africamque contrivit; nullus talium, quales nunc patimur, nisi christianæ religioni mala illa tribuisset. Multo autem minus eorum voces tolerarentur, quantum attinet ad Romanos, si christianæ religionis receptionem et diffamationem, vel irruptio illa Gallorum, vel Tiberini fluminis igniumque illa depopulatio, vel quod cuncta mala præcedit, bella illa civilia sequerentur. Mala etiam alia, quæ usque adeo incredibilia [2] acciderunt, ut inter prodigia numerarentur, si christianis temporibus accidissent, quibus ea, nisi christianis hominibus, tanquam crimina objicerent? Omitto quippe illa, quæ magis fuerunt mira quam noxia, boves locutos, infantes nondum natos de uteris matrum quædam verba clamasse, volasse serpentes, feminas et gallinas et homines in masculinum sexum fuisse conversas: et cætera hujusmodi; quæ in eorum libris, non

(*a*) Plutarchus in Sylla, ter eum intra paucos dies proscriptionum diversas tabulas proposuisse scribit.

(*b*) *Ille proscriptus*, scilicet Q. Sertorius, Marianarum partium sectator, de quo Liv. lib. 90; *ille nutritus*, Catilina Syllæ adhærens.

(*c*) Lepidus *rescindere*, Catulus *defendere cupiebat*. Liv. lib. 90.

[1] Sic nostri omnes codices. In B., *vitiis omnibus*, omisso, *que*; minus bene. M.

[2] Nostri codices, *incredibiliter*. M.

fabulosis, sed historicis, seu vera seu falsa sint, non inferunt hominibus perniciem, sed stuporem. Sed cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus, non ut grando appellari solet hoc nomine, sed omnino lapidibus; hæc profecto etiam graviter lædere potuerunt. Legimus apud eos Ætnæis ignibus ab ipso montis vertice usque ad littus proximum decurrentibus ita mare ferbuisse, ut rupes exurerentur, et pices navium solverentur. Hoc utique non leviter noxium fuit, quamvis incredibiliter mirum. Eodem rursus æstu ignium tanta vi favillæ scripserunt oppletam esse Siciliam, ut Catinensis urbis tecta obruta et oppressa dirueret [1]: qua calamitate permoti, misericorditer ejusdem anni tributum ei relaxavere Romani. Locustarum etiam in Africa multitudinem prodigii similem fuisse, cum jam esset populi Romani provincia, litteris mandaverunt: consumptis enim fructibus foliisque lignorum, ingenti atque inæstimabili nube in mare dicunt esse dejectam: qua mortua redditaque littoribus, atque hinc aere corrupto, tantam ortam pestilentiam, ut in solo regno Masinissæ (a) octingenta hominum millia perisse referantur, et multo amplius in terris littoribus proximis. Tunc Uticæ ex triginta millibus juniorum [1], quæ ibi erant, decem remansisse confirmant. Talis itaque vanitas, qualem ferimus, eique respondere compellimur, quid horum non christianæ religioni tribueret, si temporibus christianis videret? Et tamen diis suis non ista tribuunt: quorum ideo cultum requirunt, ne ista vel minora patiantur, cum ea majora pertulerint a quibus antea colebantur.

[1] Vind. Am. et Lov., *diruerent*. Manuscripti vero, *dirueret*. Er., *diruerit*.

[1] Vind. Am. Fr., *virorum*. Triginta millia erant militum, apud Uticam ad præsidium totius Africæ ordinata, teste Orosio, qui eosdem Augustino consentiens vocat juniores. Mox infra vetus Corbeiensis codex et alii quidam Mss. habent, *decem millia remansisse*.

(a) Masinissæ, tametsi jam obierat, regnum dicitur, quod ipsi pro maximis meritis a populo Romano datum Micipsa filius ejus tum gubernabat.

LIBER QUARTUS (a).

In quo probatur amplitudinem Romani imperii ac diuturnitatem adscribendam esse, non Jovi diisve Paganorum, quibus singulis vix singulæ res et infima quæque committenda credebantur officia, sed uni vero Deo felicitatis auctori, cujus potestate ac judicio regna terrena constituuntur atque servantur.

CAPUT PRIMUM. — *De his quæ primo volumine disputata sunt.*

De civitate Dei dicere exorsus, prius respondendum putavi ejus inimicis, qui terrena gaudia consectantes, rebusque fugacibus inhiantes, quidquid in eis triste, misericordia potius admonentis Dei, quam punientis severitate patiuntur, religioni increpitant christianæ, quæ una est salubris et vera religio. Et quoniam, cum sit in eis etiam vulgus indoctum, velut doctorum auctoritate in odium nostrum gravius irritantur, existimantibus imperitis ea, quæ suis temporibus insolite acciderunt, per alia retro tempora accidere non solere; eorumque opinionem, etiam iis qui eam falsam esse noverunt, ut adversum nos justa murmura habere videantur, suæ scientiæ dissimulatione firmantibus: de libris quos auctores eorum ad cognoscendam præteritorum temporum historiam memoriæ mandaverunt, longe aliter esse quam putant, demonstrandum fuit; et simul docendum, deos falsos, quos vel palam colebant, vel occulte adhuc colunt, eos esse immundissimos spiritus et malignissimos ac fallacissimos dæmones; usque adeo ut aut veris, aut fictis etiam, suis tamen criminibus delectentur, quæ sibi celebrari per sua festa voluerunt; ut a perpetrandis damnabilibus factis humana revocari non possit infirmitas, dum ad hæc imitanda velut divina præbetur auctoritas. Hæc non ex nostra conjectura probavimus, sed partim ex recenti memoria, quia et ipsi vidimus talia ac talibus numinibus exhiberi; partim ex litteris eorum, qui non tanquam in contumeliam, sed tanquam in honorem deorum suorum ista conscripta posteris reliquerunt: ita ut vir doctissimus apud eos, Varro, et gravissimæ auctoritatis, cum rerum humanarum atque divinarum dispertitos faceret libros, alios humanis, alios divinis, pro sua cujusque rei dignitate distribuens, non saltem in rebus humanis, sed in rebus divinis ludos scenicos poneret: cum utique, si tantummodo boni et honesti homines in civitate essent, nec in rebus humanis ludi scenici esse debuissent. Quod profecto non auctoritate sua fecit, sed quoniam eos Romæ natus et educatus in divinis rebus invenit. Et quoniam in fine primi libri, quæ deinceps dicenda essent, breviter posuimus, et ex his quædam in duobus consequentibus diximus, exspectationi legentium quæ restant reddenda cognoscimus.

(a) Quarti hujus et quinti de Civitate Dei libri meminit Augustinus in Epistola 169, ad Evodium, sub finem anni 415 scripta, eodemque ipso anno inchoatos et perfectos a se hos duos libros testatur, num. 1 et 15.

CAPUT II. — *De his quæ libro secundo et tertio continentur.*

Promiseramus ergo quædam nos esse dicturos adversus eos, qui Romanæ reipublicæ clades in religionem nostram referunt, et commemoraturos quæcumque et quantacumque occurrere potuissent, vel satis esse viderentur, mala, quæ illa civitas pertulit, vel ad ejus imperium provinciæ pertinentes, antequam eorum sacrificia prohibita fuissent: quæ omnia procul dubio nobis tribuerent, si jam vel illis clareret nostra religio, vel ita eos a sacris sacrilegis [1] prohiberet. Hæc in secundo et tertio libro satis, quantum existimo, absolvimus: in secundo agentes de malis morum, quæ mala vel sola, vel maxima depu-

[1] Lov., *sacris aris*. Dissentiunt cæteri libri.

tanda sunt; in tertio autem de his quæ stulti sola perpeti exhorrent, corporis videlicet externarumque rerum, quæ plerumque patiuntur et boni. Illa vero mala non dico patienter, sed libenter habent, quibus ipsi fiunt mali. Et quam pauca dixi de sola ipsa civitate atque ejus imperio? nec inde omnia usque ad Cæsarem Augustum. Quid, si commemorare voluissem, et exaggerare illa mala, quæ non sibi invicem homines faciunt, sicut sunt vastationes eversionesque bellantium, sed ex ipsius mundi elementis terrenis accidunt rebus? quæ uno loco Apuleius breviter stringit in eo libro quem de Mundo scripsit (*a*), terrena omnia dicens mutationes, conversiones atque interitus habere. Namque immodicis tremoribus terrarum, ut verbis ejus utar, dissiluisse humum, et interceptas urbes cum populis dicit: abruptis etiam imbribus prolutas totas esse regiones: illas etiam quæ prius fuerant continentes, hospitibus atque advenis fluctibus insulatas, aliasque desidia maris pedestri accessu pervias factas: ventis ac procellis eversas esse civitates: incendia de nubibus emicasse [1], quibus Orientis regiones conflagratæ perierunt; et in Occidentis plagis scaturigines quasdam ac proluviones easdem strages dedisse. Sic ex Ætnæ verticibus quondam effusis crateribus, divino incendio per declivia, torrentis vice flammarum flumina cucurrisse. Si hæc atque hujusmodi, quæ habet historia, unde possem, colligere voluissem, quando finissem quæ illis temporibus evenerunt, antequam Christi nomen illa istorum vana [2] et veræ saluti perniciosa comprimeret? Promiseram etiam me demonstraturum, quos eorum mores, et quam ob causam Deus verus ad augendum imperium adjuvare dignatus est, in cujus potestate sunt regna omnia; quamque nihil eos adjuverint hi quos deos putant, et potius quantum decipiendo et fallendo nocuerint: unde nunc mihi video esse dicendum, et magis de incrementis imperii Romani. Nam de noxia fallacia dæmonum, quos velut deos colebant, quantum malorum invexerit moribus eorum, in secundo maxime libro non pauca jam dicta sunt. Per omnes autem absolutos tres libros, ubi opportunum visum est, commendavimus [3] etiam in ipsis bellicis malis quantum solatiorum Deus per Christi nomen, cui tantum honoris, Barbari detulerunt præter bellorum morem, bonis malisque contulerit, quomodo qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v, 45).

CAPUT III. — *An latitudo imperii, quæ nonnisi bellis acquiritur, in bonis sive sapientium habenda sit, sive felicium.*

Jam itaque videamus quale sit, quod tantam latitudinem ac diuturnitatem imperii Romani illis diis audent tribuere: quos etiam per turpium ludorum obsequia et per turpium hominum ministeria se honeste coluisse contendunt [1]. Quanquam prius vellem paululum inquirere, quæ sit ratio, quæ prudentia, cum hominum felicitatem non possis ostendere, semper in bellicis cladibus et in sanguine civili, vel hostili, tamen humano, cum tenebroso timore et cruenta cupiditate versantium, ut vitrea lætitia comparetur [1] fragiliter splendida, cui timeatur horribilius ne repente frangatur, de imperii magnitudine ac latitudine velle gloriari. Hoc ut facilius dijudicetur, non vanescamus inani ventositate jactati, atque obtundamus intentionis aciem altisonis vocabulis rerum, cum audimus populos, regna, provincias: sed duos constituamus homines (nam singulus quisque homo, ut in sermone una littera, ita quasi elementum est civitatis et regni, quantalibet terrarum occupatione latissimi), quorum duorum hominum, pauperem unum, vel potius mediocrem; alium prædivitem cogitemus: sed divitem timoribus anxium, mœroribus tabescentem, cupiditate flagrantem, nunquam securum, semper inquietum, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem, augentem sane his miseriis patrimonium suum in immensum modum, atque illis augmentis curas quoque amarissimas aggerantem; mediocrem vero illum re familiari parva atque succincta sibi sufficientem, charissimum suis, cum cognatis [2], vicinis, amicis dulcissima pace gaudentem, pietate religiosum, benignum mente, sanum corpore, vita parcum, moribus castum, conscientia securum. Nescio utrum quisquam ita desipiat, ut audeat dubitare quem præferat. Ut ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familiis, ita in duobus populis, ita in duobus regnis regula sequitur æquitatis: qua vigilanter adhibita, si nostra intentio corrigatur, facillime videbimus ubi habitet vanitas, et ubi felicitas. Quapropter si verus Deus colatur, eique sacris veracibus et bonis moribus serviatur, utile est ut boni longe lateque diu regnent. Neque hoc tam ipsis, quam illis utile est, quibus regnant. Nam quantum ad ipsos pertinet, pietas et probitas eorum, quæ magna dona Dei sunt, sufficit eis ad veram felicitatem, qua et ista vita bene agatur, et postea percipiatur æterna. In hac ergo terra regnum bonorum non tam illis præstatur, quam rebus humanis: malorum vero regnum magis regnantibus nocet, qui suos animos vastant scelerum majore licentia; his autem qui eis serviendo subduntur, non nocet nisi iniquitas propria. Nam justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiamsi serviat, liber est: malus autem etiamsi regnet, servus est; nec unius hominis, sed quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. De quibus vitiis cum ageret Scriptura divina, *A quo enim quis*, inquit, *devictus est, huic et servus addictus est* (II *Petr.* II, 19).

[1] Editi, *emicuisse*. Mss., *emicasse*.
[2] Codices Mss., *ulla istorum vana*. — Sic Mss. 766 et 2050; cæteri vero nostri, *nulla istorum vana*; male. M.
[3] Sola editio Lov., *ubi opportunum visum est commemoravimus*.
(*a*) Hæc sententia in Apuleio reperitur; sequentia minime.

[1] Editi, *ut vitro lætitia eorum comparetur*. At melioris notæ Mss. omisso, *eorum*, habent, *ut vitrea lætitia comparetur*, id est acquiratur.
[2] Editi, *charissimum suis cognatis*; omissa particula, *cum*, quam habent manuscripti.

CAPUT IV. — *Quam similia sint latrociniis regna absque justitia.*

Remota itaque justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia et ipsa [1] latrocinia quid sunt, nisi parva regna? Manus et ipsa hominum est, imperio [2] principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda dividitur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, evidentius regni nomen assumit, quod ei jam in manifesto confert non adempta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim et veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, ut mare haberet infestum: ille libera contumacia, *Quod* [3] *tibi*, inquit, *ut orbem terrarum: sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, imperator* (*a*).

CAPUT V. — *De fugitivis gladiatoribus, quorum potentia similis fuerit regiæ dignitatis.*

Proinde omitto quærere quales Romulus congregaverit, quoniam multum eis consultum est, ut ex illa vita, dato sibi consortio civitatis, pœnas debitas cogitare desisterent, quarum metus eos in majora facinora propellebat; ut deinceps pacatiores essent rebus humanis. Hoc dico, quod ipsum Romanum imperium, jam magnum multis gentibus subjugatis cæterisque terribile, acerbe sensit, graviter timuit, non parvo negotio devitandæ ingentis cladis oppressis [4]; quando paucissimi gladiatores in Campania de ludo fugientes, exercitum magnum compararunt, tres duces habuerunt, Italiam latissime et crudelissime vastaverunt (*b*). Dicant quis istos deus adjuverit, ut ex parvo et contemptibili latrocinio pervenirent ad regnum, tantis jam Romanis viribus arcibusque metuendum. An quia non diu fuerunt (*c*), ideo divinitus negabuntur adjuti? Quasi vero ipsa cujuslibet hominis vita diuturna est. Isto ergo pacto neminem dii adjuvant ad regnandum, quoniam singuli quique cito moriuntur; nec beneficium deputandum est, quod exiguo tempore in unoquoque homine, ac per hoc singillatim utique in omnibus vice vaporis evanescit. Quid enim interest eorum qui sub Romulo deos coluerunt, et olim sunt mortui, quod post eorum mortem Romanum tantum crevit imperium? cum illi apud inferos causas suas agant: utrum bonas, an malas, ad rem præsentem non pertinet. Hoc autem de omnibus intelligendum est, qui per ipsum imperium (quamvis decedentibus succedentibusque mortalibus in longa spatia protendatur) paucis diebus vitæ suæ cursim raptimque transierunt, actuum suorum sarcinas bajulantes. Sin vero etiam ipsa brevissimi temporis beneficia deorum adjutorio tribuenda sunt, non parum adjuti sunt illi gladiatores, qui servilis conditionis vincula ruperunt, fugerunt, evaserunt, exercitum magnum et fortissimum collegerunt, obedientes regum suorum consiliis et jussis, multum Romanæ celsitudini metuendi, et aliquot Romanis imperatoribus insuperabiles multa ceperunt: potiti sunt victoriis plurimis, usi voluptatibus quibus voluerunt; quod suggessit libido, fecerunt: postremo donec vincerentur, quod difficillime est factum, sublimes regnantesque vixerunt. Sed ad majora veniamus.

CAPUT VI. — *De cupiditate Nini regis, qui, ut latius dominaretur, primus intulit bella finitimis.*

Justinus qui græcam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium secutus, non latine tantum, sicut ille, verum etiam breviter scripsit historiam, opus librorum suorum sic incipit: « Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populi nullis legibus tenebantur: arbitria principum pro legibus erant [1]. Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem et quasi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usque Libyæ perdomuit. » Et paulo post: « Ninus, inquit, magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmavit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, et proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. » Qualibet autem fide rerum, vel iste vel Trogus scripserit (nam quædam illos fuisse mentitos, aliæ fideliores litteræ ostendunt), constat tamen et inter alios scriptores, regnum Assyriorum a Nino rege fuisse longe lateque porrectum. Tam diu autem perseveravit, ut Romanum nondum sit ejus ætatis. Nam sicut scribunt qui chronicam historiam persecuti sunt (*a*), mille ducentos et quadraginta annos ab anno primo quo Ninus regnare cœpit, permansit hoc regnum, donec transferretur ad Medos (*b*). Inferre

[1] Vox, *ipsa*, abest ab omnibus nostris Codd. M.

[2] Sic Mss. At Lov., *Manus etenim ipsa hominum est, cum imperio, etc.*

[3] Edit., *quid*. At Mss., *quod*.

[4] Edit., *oppressum*. At Mss., *oppressit*: ut sensus sit, istud belli servilis incendium fuisse a Romano imperio oppressum, non levi negotio.

(*a*) Refert Nonius Marcell. ex Cicer. 3 de Republica.

(*b*) Liv. lib. 95, Plutarch. in Crasso, Orosius lib. 5, cap. 24, et Augustin. supra, lib. 3, cap. 26.

(*c*) [illegible]

[1] Mss. omittunt, *arbitria principum pro legibus erant*.

(*a*) Eusebius.

(*b*) De imperio ab Assyriis ad Medos translato per Arbacem præfectum Medorum, qui Sardanapalum vicit, scripsere Justinus, Diodorus, Plutarchus, Eusebius, etc. Id ipso anno quo apud Latinos Procas Amulii et Numitoris pater, Avus autem Rheæ Sylviæ matris Romuli regnare cœpit, contigisse dicit Orosius. Porro imperium penes Medos fuit annis trecentis quinquaginta, usque ad regem Astyagem. Tum vero per Cyrum Cambysis filium ad Persas translatum est, stetitque penes Persas annos ducentos triginta, usque ad Alexandrum Philippi filium. Hujus regnum *brevissimum tempore* dicit Augustinus, vel quia ille annos post eversum Persarum regnum paucos imperavit, vel quia Macedonicum seu Græcum imperium ab Alexandro conditum anno ante Christum 331 vix servarunt successores ejus usque ad Seleucum et Antiochum fratres, id est, ad annum ante Christum fere 246, quo tempore, usurpato per Arsacem principatu, regnum Parthorum exortum est. Hoc autem mansit usque ad annum post Christum circiter 226, Alexandri Severi Cæsaris quintum, quo Artaxerxes Persa, devictis Parthis, Persarum restituit imperium, quod etiam ad ætatem Augustini durabat.

autem bella finitimis, et inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?

CAPUT VII. — *An regna terrena inter profectus suos atque defectus deorum vel juventur vel deserantur auxilio.*

Si nullo deorum adjutorio tam magnum hoc regnum et prolixum fuit, quare diis Romanis tribuitur Romanum regnum locis amplum temporibusque diuturnum? Quæcumque enim causa est illa, eadem est etiam ista. Si autem et illud deorum adjutorio tribuendum esse contendunt, quæro quorum. Non enim aliæ gentes, quas Ninus domuit et subegit, alios tunc colebant deos. Aut si proprios habuerunt Assyrii, quasi peritiores fabros imperii construendi atque servandi, numquidnam mortui sunt, quando et ipsi imperium perdiderunt, aut mercede non sibi reddita, vel alia promissa majore, ad Medos transire maluerunt, atque inde rursus ad Persas, Cyro invitante et aliquid commodius pollicente? Quæ gens non angustis Orientis finibus, post Alexandri Macedonis regnum magnum locis, sed brevissimum tempore, in suo regno adhuc usque perdurat. Hoc si ita est, aut infideles dii sunt, qui suos deserunt, et ad hostes transeunt; quod nec homo fecit Camillus, quando victor et expugnator adversissimæ civitatis, Romam, cui vicerat, sensit ingratam, quam tamen postea oblitus injuriæ, memor patriæ, a Gallis iterum liberavit: aut non ita fortes sunt, ut deos esse fortes decet, qui possunt humanis vel consiliis vel viribus vinci. Aut si, cum inter se belligerant, non dii ab hominibus, sed dii ab aliis diis forte vincuntur, qui sunt quarumque proprii civitatum; habent ergo et ipsi inter se inimicitias, quas pro sua quisque parte suscipiunt. Non itaque deos suos debuit colere civitas magis, quam alios, a quibus adjuvarentur sui. Postremo, quoquo modo se habeat deorum iste vel transitus, vel fuga, vel migratio, vel in pugna defectio, nondum illis temporibus atque in illis terrarum partibus Christi nomen fuerat prædicatum, quando illa regna per ingentes bellicas clades amissa atque translata sunt. Nam si post mille ducentos et quod excurrit annos, quando regnum Assyriis ablatum est, jam ibi christiana religio aliud regnum prædicaret æternum, et deorum falsorum cultus sacrilegos inhiberet; quid aliud gentis illius vani homines dicerent, nisi regnum, quod tam diu conservatum est, nulla alia causa nisi suis religionibus desertis et illa recepta perire potuisse? In qua voce vanitatis, quæ poterat esse, isti attendant speculum suum; et similia conqueri, si ullus in eis pudor est, erubescant. Quanquam Romanum imperium afflictum est potius, quam mutatum; quod et aliis ante Christi nomen temporibus ei contigit: et ab illa est afflictione recreatum; quod nec istis temporibus desperandum est. Quis enim de hac re novit voluntatem Dei?

CAPUT VIII. — *Quorum deorum præsidio putent Romani imperium suum auctum atque servatum, cum singulis vix singularum rerum tuitionem committendam esse crediderint.*

Deinde quæramus, si placet, ex tanta deorum turba, quam Romani colebant, quem potissimum, vel quos deos credant illud imperium dilatasse atque servasse. Neque enim in hoc tam præclaro opere et tantæ plenissimo dignitatis audent aliquas partes deæ Cloacinæ[1] (*a*) tribuere; aut Volupiæ, quæ a voluptate appellata est; aut Lubentinæ, cui nomen est a libidine; aut Vaticano[2] qui infantum vagitibus præsidet; aut Cuninæ, quæ cunas eorum administrat. Quando autem possunt uno loco libri hujus commemorari omnia nomina deorum, aut dearum[3], quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, singulis rebus propria dispertientes officia numinum? Nec agrorum munus uni alicui deo committendum arbitrati sunt; sed rura deæ Rusinæ, juga montium deo Jugatino (*b*); collibus deam Collatinam, vallibus Valloniam præfecerunt. Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui semel segetes commendarent: sed sata frumenta quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere deam Sejam; cum vero jam essent super terram et segetem facerent, deam Segetiam; frumentis vero collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, deam Tutilinam præposuerunt. Cui non sufficere videretur illa Segetia, quamdiu seges ab initiis herbidis usque ad aristas aridas perveniret? Non tamen satis fuit hominibus deorum multitudinem amantibus, ut anima misera dæmoniorum turbæ prostitueretur, unius Dei veri castum dedignata complexum. Præfecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus (*c*), geniculis nodisque culmorum deum Nodotum, involumentis folliculorum deam Volutinam; cum folliculi patescunt, ut spica exeat, deam Patelanam[4]; cum segetes novis aristis æquantur, quia veteres æquare hostire dixerunt, deam Hostilinam[5]; florentibus frumentis deam Floram, lactescentibus deum Lacturnum[6], maturescentibus deam Matutam[7]; cum runcantur, id est a terra auferuntur, deam Runcinam. Nec omnia commemoro, quia me piget quod illos non pudet. Hæc

[1] Lov. et probæ notæ manuscripti, *Cluacinæ.* Alii veteres libri cum Vind. Am. Er., *Cloacinæ.* Lactantius, l. 1 de falsa Relig., c. 20: « Cloacinæ simulacrum, inquit, « in cloaca maxima repertum Tatius (*is est qui re-* « *gnavit cum Romulo*) consecravit, et quia cujus esset effi- « gies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. » Consentit Cyprianus de Idolorum vanitate, et ipse Augustin. infra, c. 23. Fuit et Venus, *Cluacina dicta* a *cluere*, quod est purgare, de qua Plin. lib. 15, c. 29.

[2] Vind. Am. Er. et aliquot Mss., *Vagitano.*

[3] Omnes nostri Mss., *et dearum.*

[4] Sic Mss. At editi, *Patelenam.*

[5] Nostri omnes Mss. sic habent hunc locum, *ostire dixerunt, deam Ostilinam.* M.

[6] Vind. Am. et Lov., *deam Lacturciam.* Sed veteribus libris, quos isthic sequimur, favet Servius in Georg. 1, *Lactantem deum*, non deam, ex Varrone appellans.

[7] Vind. Am. et Er., *Maturam.* At meliores Mss. cum Lov., *Matutam.*

autem paucissima ideo dixi, ut intelligeretur nullo modo eos dicere audere ista numina imperium constituisse, auxisse, conservasse Romanum, quæ ita suis quæque adhibebantur officiis, ut nihil universum uni alicui crederetur. Quando ergo Segetia curaret imperium, cui curam gerere simul et segetibus et arboribus non licebat? Quando de armis Cunina cogitaret, cujus præpositura parvulorum cunas non permittebatur excedere? Quando Nodutus adjuvaret in bello, qui nec ad folliculum spicæ, sed tantum ad nodum geniculi pertinebat? Unum quisque domui suæ ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit: tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam [1] cardini, Limentinum limini (*a*). Ita non poterat Forculus simul et cardinem limenque servare.

CAPUT IX. — *An imperii Romani amplitudo et diuturnitas Jovi fuerit adscribenda, quem summum deum cultores ipsius opinantur.*

Omissa igitur ista turba minutorum deorum, vel aliquantum intermissa, officium majorum deorum debemus inquirere, quo Roma tam magna facta est, ut tamdiu tot gentibus imperaret. Nimirum ergo Jovis hoc opus est. Ipsum enim deorum omnium dearumque regem esse volunt [2]: hoc ejus indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium. De isto deo, quamvis a poeta, dictum convenientissime prædicant,

> Jovis omnia plena.
> (*Virgil. Eclog.* 3, *vers.* 60.)

Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum Deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari. Quod si ita est, cur tam male tractatus est Romæ (sicut quidem et in cæteris gentibus), ut ei fieret simulacrum? Quod ipsi etiam Varroni ita displicet, ut cum tantæ civitatis perversa consuetudine premeretur, nequaquam tamen dicere et scribere dubitaret quod hi qui populis instituerunt simulacra, et metum dempserunt, et errorem addiderunt.

CAPUT X. — *Quas opiniones secuti sint, qui diversos deos diversis mundi partibus præfecerunt.*

Cur illi etiam Juno uxor adjungitur, quæ dicitur *soror et conjux* (*Virgil., Æneid. lib.* 1, *vers.* 47)? Quia Jovem, inquiunt, in æthere accipimus, in aere Junonem; et hæc duo elementa conjuncta sunt, alterum superius, alterum inferius. Non est ergo ille de quo dictum est,

> Jovis omnia plena;

si aliquam partem implet et Juno. An uterque utrumque implet, et ambo isti conjuges et in duobus istis elementis, et in singulis simul sunt? Cur ergo æther datur Jovi, aer Junoni? Postremo ipsi duo [3] satis essent: quid est quod mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni? Et ne ipsi quoque sine conjugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proserpina. Nam sicut inferiorem cœli partem, id est aerem, inquiunt, Juno tenet; ita inferiorem maris Salacia, et terræ inferiorem Proserpina. Quærunt quemadmodum sarciant fabulas, nec inveniunt. Si enim hæc ita essent, tria potius elementa mundi esse, non quatuor, eorum veteres proderent, ut singula deorum conjugia singulis dividerentur elementis. Nunc vero omni modo affirmaverunt, aliud esse ætherem, aliud aerem. Aqua vero sive superior, sive inferior, utique aqua est: puta quia dissimilis, numquid in tantum ut aqua non sit? Et inferior terra, quid aliud potest esse quam terra, quantalibet diversitate distincta? Deinde ecce jam totus in his quatuor vel tribus elementis corporeus completus est mundus: Minerva ubi erit? quid tenebit? quid implebit? Simul enim cum his in Capitolio constituta est, cum ista filia non sit amborum. Aut si ætheris partem superiorem Minervam tenere dicunt, et hac occasione fingere poetas quod de Jovis capite nata sit; cur non ergo ipsa potius deorum regina deputatur, quod sit Jove superior? an quia indignum erat præponere patri filiam? Cur non de Jove ipso erga Saturnum justitia ista servata est? an quia victus est? Ergo pugnarunt? Absit, inquiunt: fabularum est ista garrulitas. Ecce fabulis non credatur, et de diis sentiantur meliora: cur ergo non data est patri Jovis, etsi non sublimior, æqualis certe sedes honoris? Quia Saturnus, inquiunt, temporis longitudo est (*a*). Tempus igitur colunt, qui Saturnum colunt, et rex deorum Jupiter insinuatur natus ex tempore. Quid enim indignum dicitur, cum Jupiter et Juno nati dicuntur ex tempore, si cœlum est ille et illa terra, cum facta sint utique cœlum et terra? Nam hoc quoque in libris suis habent eorum docti atque sapientes: neque de figmentis poeticis, sed de philosophorum libris a Virgilio dictum est,

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther,
> Conjugis in lætæ gremium descendit.
> (*Virgil. Georg. lib.* 2, *vers.* 325, 326.)

id est in gremium telluris aut terræ. Quia et hic aliquas differentias volunt esse, atque in ipsa terra aliud Terram, aliud Tellurem, aliud Tellumonem putant (*b*). Et hos omnes deos habent suis nominibus appellatos, suis officiis distinctos, suis aris sacrisque veneratos. Eamdem Terram etiam matrem deorum vocant: ut jam poetæ tolerabiliora confingant, si secundum istorum, non poeticos, sed sacrorum libros, non solum Juno *soror et conjux*, sed etiam mater est Jovis (*c*). Eamdem terram Cererem, eamdem etiam Vestam volunt: cum tamen sæpius Vestam nonnisi ignem esse perhibeant (*d*), pertinentem ad focos, sine quibus civitas

[1] Sic habent omnes libri. *Cardinem* mallet Ludovicus Vives. Probant quidem, *Cardea* et *Cardo* vocatur ab Ovidio Fast. l. 6, v. 101, 102.

[2] Quidam exemplaria præbent, *regem completorem totius*.

[3] Editi, *si isti duo*. Abest, *si*, a Mss.

(*a*) *Cardea* et *Carna*, ab Ovidio, Fastorum lib. 6, vers. 101, 102.

(*a*) Cicer. de Nat. deor., lib. 2, cap. 25.

(*b*) *Terram* ipsum elementum, *Tellurem* deam a vi passiva terræ inhærente, quasi feminam, et *Tellumonem* deum a vi activa, quasi marem appellabant. Vide infra, lib. 7, cap. 23.

(*c*) Hæc est argumentatio Augustini: Terra, si poetis Gentilium credimus, vel etiam interpretationi eorum mysticæ, qua fabulas ejusmodi involvunt, ipsa Juno est: at Terra mater est omnium deorum: ergo Juno est etiam mater Jovis. Coquæus.

(*d*) Ovid. Fast. 6, v. 299; Cicer. 2 de Leg.

esse non potest; et ideo illi virgines solere servire, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascatur. Quam totam aboleri vanitatem et exstingui utique ab illo oportuit, qui est natus ex Virgine. Quis enim ferat, quod cum tantum honoris et quasi castitatis igni tribuerint, aliquando Vestam non erubescunt etiam Venerem dicere, ut vanescat in ancillis ejus honorata virginitas? Si enim Vesta Venus est, quomodo ei rite virgines a venereis operibus abstinendo servierunt? An Veneres duæ sunt, una virgo, altera mulier? an potius tres, una virginum, quæ etiam Vesta est, alia conjugatarum, alia meretricum? Cui etiam Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas viris (*a*). Quæ illarum est matrona Vulcani? Non utique virgo, quoniam habet maritum. Absit autem ut meretrix, ne filio Junonis et cooperario Minervæ facere videamur injuriam (*b*). Ergo hæc ad conjugatas intelligitur pertinere: sed eam nolumus imitentur in eo quod fecit illa cum Marte. Rursus, inquiunt, ad fabulas redis. Quæ ista justitia est, nobis succensere, quod talia dicimus de diis eorum; et sibi non succensere, qui hæc in theatris libentissime spectant crimina deorum suorum? Et quod esset incredibile, nisi contestatissime probaretur, hæc ipsa theatrica crimina deorum suorum in honorem instituta sunt[1] eorumdem deorum.

CAPUT XI. — *De multis diis, quos doctores Paganorum unum eumdemque Jovem esse defendunt.*

Quotquot libet[2] igitur physicis rationibus et disputationibus asserant: modo sit Jupiter corporei hujus mundi animus, qui universam istam molem ex quatuor, vel quot eis placet, elementis constructam atque compactam implet et movet (*c*); modo inde suas partes sorori et fratribus cedat: modo sit æther, ut aerem Junonem subterfusam desuper amplectatur; modo totum simul cum aere sit ipse cœlum, terram vero tanquam conjugem eamdemque matrem (quia hoc in divinis turpe non est) fecundis imbribus et seminibus fetet; modo autem (ne sit necesse per cuncta discurrere) deus unus, de quo multi a poeta nobilissimo dictum putant,

> Deum namque ire per omnes
> Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum:
> (*Virgil. Georg. lib.* 4, *vers.* 221, 222.)

ipse in æthere sit Jupiter, ipse in aere Juno, ipse in mari Neptunus, in inferioribus etiam maris ipse Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, in focis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in sideribus sol et luna et stellæ, in divinantibus Apollo, in merce Mercurius, in Jano initiator[3], in Termino terminator, Saturnus in tempore, Mars et Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in silvis, Minerva in ingeniis: ipse sit postremo etiam in illa turba quasi plebeiorum deorum: ipse præsit nomine Liberi virorum seminibus, et nomine Liberæ feminarum (*a*): ipse sit Diespiter[1], qui partum perducat ad diem; ipse sit dea Mena, quam præfecerunt menstruis feminarum; ipse Lucina, quæ a parturientibus invocetur; ipse opem ferat nascentibus, excipiendo eos sinu terræ, et vocetur Opis; ipse in vagitu os aperiat, et vocetur deus Vaticanus: ipse levet de terra, et vocetur dea Levana; ipse cunas tueatur, et vocetur dea Cunina: non sit alius, sed ipse in deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, et vocantur Carmentes (*b*): præsit fortuitis, voceturque Fortuna: in diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam; in diva Potina potionem ministret; in diva Educa[2] escam præbeat: de pavore infantum Paventia nuncupetur (*c*); de spe quæ venit, Venilia; de voluptate Volupia; de actu Agenoria; de stimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur, dea Stimula nominetur, Strenia[3] dea sit, strenuum faciendo; Numeria, quæ numerare doceat; Camœna, quæ canere: ipse sit et deus Consus, præbendo consilia; et dea Sentia, sententias inspirando: ipse dea Juventas, quæ post prætextam (*d*) excipiat juvenilis ætatis exordia: ipse sit et Fortuna Barbata, quæ adultos barba induat; quos honorare noluerunt[4], ut hoc qualecumque numen saltem masculum deum, vel a barba Barbatum, sicut a nodis Nodutum, vel certe non Fortunam, sed quia barbas habet, Fortunium nominarent: ipse in Jugatino deo conjuges jungat; et cum virgini uxori zona solvitur, ipse invocetur, et dea Virginiensis[5] vocetur: ipse sit Mutunus vel Tutunus[6], qui est apud Græcos Priapus: si non pudet, hæc omnia quæ dixi, et quæcumque non dixi (non enim omnia dicenda arbitratus sum), hi omnes dii deæque sit unus Jupiter: sive sint, ut quidam volunt, omnia ista partes ejus, sive virtutes ejus, sicut eis videtur, quibus eum placet esse mundi animum; quæ sententia velut magnorum multumque doctorum est. Hæc si ita sint (quod quale sit, nondum interim quæro), quid

[1] Editi, *instituta esse*; dissentientibus manuscriptis.
[2] Manuscripti pauci, *quotlibet*. Plerique ferunt, *quodlibet*.
[3] Observat Ludovicus Vives legi aliis in libris, *janitor*. In omnibus tamen quos inspeximus est, *initiator*. Sic etiam nostri Mss. M.

(*a*) De Phœnicibus hoc tradunt Eusebius, de Præparatione evangelica, lib. 1, cap. 10, ex Sanchoniathone; Athanasius in Oratione contra Gentiles; de Armeniis, Cypriis, Lydis alii scriptores. COQUÆUS.
(*b*) Vulcano Junonis ex Jove filio, Minervæ autem artium deæ cooperario, quia instrumentis artium cudendis præfecto. Vid. Platonem in Critia.
(*c*) Vide infra, lib. 7, cap. 6.

[1] Mss. plures, *Diespater*; alii, *Dispater*, vel *Diispater*
[2] Vind. Am. et Er., *Edulica*.
[3] Ita in Mss. hic et infra, cap. 16. In editis vero, *Strenua*.
[4] Editi, *voluerit*. Melius Mss., *noluerunt*: referendo ad eos qui adultis, *Barbatam* colendam deam, non deum instituerunt.
[5] Sic Mss. At editi, *Virginensis*.
[6] Vind. Am. Er. et nonnulli Mss., *Motunus*. Lov. cum aliquot etiam Mss., *Mutinus*. Plerique vero veteres libri, *Mutunus*: quibus consentiunt Arnobius lib. 4, et Lactantius lib. 1 de falsa Relig., c. 20. Postea Am. et Er. subjiciunt, *vel Tutinus*. Vind., *vel Tutunus*. Pauci Mss., *vel Tuturius*. Omnes prope alii, *vel Tutunus*. Hoc tamen Lovanienses, Ludovici Vives conjecturam secuti, omiserunt. Arnol., lib 4. adversus Gentes: « Et quia non suppli« ces Mutuno procumbimus, atque Tutuno, » etc.

(*a*) De his infra, lib. 6, cap. 9.
(*b*) Carmentes apud A. Gellium, lib. 16, cap. 16, duæ, *Postverta* et *Prorsa* nominatæ.
(*c*) *Paventina* apud Tertull., ad Nationes, lib. 2, cap. 11.
(*d*) Vetus codex Faurensis in interlineari spatio addit, *post* XV *annos*. Glossema non ineptum. *Prætextam* enim vocabant togam purpura circumtextam, qua non magistratus tantum, sed etiam pueri utebantur usque ad pubertatem, quo tempore togam virilem induebant.

perderent, si unum Deum colerent prudentiore compendio? Quid enim ejus contemneretur, cum ipse coleretur? Si autem metuendum fuit, ne prætermissæ sive neglectæ partes ejus irascerentur : non ergo ut volunt, velut unius animantis hæc tota vita est, quæ omnes continet deos, quasi suas virtutes, vel membra, vel partes; sed suam quæque pars habet vitam a cæteris separatam, si præter alteram irasci altera potest, et alia placari, alia concitari. Si autem dicitur omnes simul, id est totum ipsum Jovem potuisse offendi, si partes ejus non etiam singillatim minutatimque colerentur, stulte dicitur. Nulla quippe earum prætermitteretur, cum ipse unus qui habet omnia, coleretur. Nam ut alia omittam, quæ sunt innumerabilia, cum dicunt omnia sidera partes Jovis esse, et omnia vivere atque rationales animas habere, et ideo sine controversia deos esse, non vident quam multos non colant, quam multis ædes non construant, aras non statuant, quas tamen [1] paucissimis siderum statuendas esse putaverunt, et singillatim sacrificandum. Si igitur, irascuntur qui non singillatim coluntur, non metuunt, paucis placatis, toto cœlo irato vivere? Si autem stellas omnes ideo colunt, quia in Jove sunt quem colunt, isto compendio possent in illo uno omnibus supplicare. Sic enim nemo irasceretur, cum in illo uno [2] nemo contemneretur, potius quam, cultis quibusdam, justa irascendi causa illis, qui prætermissi essent, multo numerosioribus præberetur : præsertim cum eis de superna sede fulgentibus, turpi nuditate distentus præponeretur Priapus.

CAPUT XII. — *De opinione eorum qui Deum animam mundi, et mundum corpus Dei esse putaverunt.*

Quid illud, nonne debet movere acutos homines, vel qualescumque homines? Non enim ad hoc ingenii opus est excellentia, ut deposito studio contentionis attendant, si mundi animus Deus est, eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore, atque iste Deus est sinu quodam [3] naturæ in se ipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur tota ista moles, vitæ atque animæ cunctorum viventium pro cujusque nascentis [4] sorte sumantur, nihil omnino remanere [5], quod non sit pars Dei. Quod si ita est, quis non videat quanta impietas et irreligiositas consequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere quæ possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia non possunt.

CAPUT XIII. — *De his qui sola rationalia animantia partes esse unius Dei asserunt.*

Si autem sola animalia rationalia, sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt; non video quidem, si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separent. Sed obluctari quid opus est? De ipso rationali animante, id est homine, quid infelicius credi potest, quam Dei partem vapulare, cum puer vapulat? Jam vero partes Dei fieri lascivas, iniquas, impias, atque omnino damnabiles, quis ferre possit, nisi qui prorsus insanit? Postremo quid irascitur eis a quibus non colitur, cum a suis partibus non colatur? Restat ergo ut dicant, omnes deos suas habere vitas, sibi quemque vivere, nullum eorum esse partem cujusquam; sed omnes colendos, qui cognosci et coli possunt: quia tam multi sunt, ut omnes non possint. Quorum Jupiter, quia rex præsidet, ipsum credo ab eis putari regnum constituisse, vel auxisse Romanum. Nam si hoc ipse non fecit, quem alium deum opus tam magnum potuisse aggredi credant, cum omnes occupati sint officiis et operibus propriis, nec alter [1] irruat in alterius? A rege igitur deorum regnum hominum potuit propagari et augeri.

CAPUT XIV. — *Augmenta regnorum Jovi incongruenter adscribi : cum, si Victoria, ut volunt, dea est, ipsa huic negotio sola sufficeret.*

Hic primum quæro, cur non etiam ipsum regnum aliquis deus est? Cur enim non ita sit, si Victoria dea est? Aut quid ipso Jove in hac causa opus est, si Victoria faveat sitque propitia, et semper eat ad illos, quos vult esse victores? Hac dea favente et propitia, etiam Jove vacante vel aliud agente, quæ gentes non subditæ remanerent? quæ regna non cederent? An forte displicet [2] bonis, iniquissima improbitate pugnare, et finitimos quietos nullamque injuriam facientes ad dilatandum regnum bello spontaneo provocare? Plane si ita sentiunt, approbo et laudo.

CAPUT XV. — *An congruat bonis latius velle regnare.*

Videant ergo ne forte non pertineat ad viros bonos, gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim eorum, cum quibus justa bella gesta sunt, regnum adjuvit ut cresceret : quod utique parvum esset, si quies et justitia finitimorum contra se bellum geri nulla provocaret injuria : ac sic felicioribus rebus humanis omnia regna parva essent concordi vicinitate lætantia; et ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe domus plurimæ civium. Proinde belligerare et perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia pejus esset, ut injuriosi justioribus dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas. Sed procul dubio felicitas major est, vicinum bonum habere concordem, quam vicinum malum subjugare bellantem. Mala vota sunt, optare habere quem oderis, vel quem timeas, ut possit esse quem vincas. Si ergo justa gerendo bella, non impia, non iniqua, Romani imperium tam magnum acquirere potuerunt, numquid tanquam aliqua dea colenda est eis etiam iniquitas aliena? Multum enim ad istam latitudinem imperii eam cooperatam videmus, quæ faciebat injuriosos, ut essent cum quibus justa bella gererentur, et augeretur imperium. Cur

[1] Forte, *tam*.
[2] Hic editi addunt, *omnibus supplicaretur*. Abest a manuscriptis.
[3] [illegible] MSS. Editi autem, [illegible].
[4] [illegible]
[5] [illegible]

[1] [illegible], *ne alter*; dissentientibus editis aliis et manuscriptis.
[2] [illegible] est negotio au[illegible]

autem et iniquitas dea non sit, vel externarum gentium, si Pavor et Pallor et Febris dii Romani esse meruerunt? His igitur duabus, id est aliena iniquitate et dea Victoria, dum bellorum causas iniquitas excitat, Victoria eadem bella feliciter terminat, etiam feriato Jove crevit imperium. Quas enim hic partes Jupiter haberet, cum ea quæ possent beneficia ejus putari, dii habentur, dii vocantur, dii coluntur, ipsi pro suis partibus invocantur? Haberet autem hic etiam ille aliquam partem, si regnum etiam ipse appellaretur, sicut appellatur illa Victoria. Aut si regnum munus est Jovis, cur non et victoria munus ejus habeatur? Quod profecto haberetur, si non lapis in Capitolio (*a*), sed verus Rex regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XIX, 16) cognosceretur atque coleretur.

CAPUT XVI. — *Quid fuerit quod Romani omnibus rebus et omnibus motibus deos singulos deputantes, ædem Quietis extra portas esse voluerunt.*

Miror autem plurimum, quod cum deos singulos singulis rebus et pene singulis motibus attribuerent, vocaverunt deam Agenoriam, quæ ad agendum excitaret; deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum stimularet; deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum et inactuosum (*b*); deam Streniam, quæ faceret strenuum; his omnibus diis et deabus publica sacra facere susceperunt: Quietem vero appellantes, quæ faceret quietum, cum ædem haberet extra portam Collinam, publice illam suscipere noluerunt. Utrum indicium fuit animi inquieti, an potius ita significatum est, qui illam turbam colere perseveraret, non plane deorum, sed dæmoniorum, eum quietem habere non posse? ad quam vocat verus Medicus, dicens: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 29).

CAPUT XVII. — *An, si Jovis summa potestas est, etiam Victoria dea debuerit æstimari.*

An forte dicunt, quod deam Victoriam Jupiter mittat, atque illa tanquam regi deorum obtemperans, ad quos jusserit veniat, et in eorum parte considat? Hoc vere dicitur, non de illo Jove, quem deorum regem pro sua opinione confingunt; sed de illo vero Rege sæculorum, quod mittat non Victoriam, quæ nulla substantia est, sed angelum suum, et faciat vincere quem voluerit; cujus consilium occultum esse potest, iniquum non potest[1]. Nam si victoria dea est, cur non deus est et triumphus, et victoriæ jungitur vel maritus, vel frater, vel filius? Talia quippe isti de diis opinati sunt, qualia si poetæ fingerent, atque a nobis exagitarentur; responderent isti, ridenda esse figmenta poetarum, non veris attribuenda numinibus: et tamen se ipsi non ridebant cum talia deliramenta non apud poetas legebant, sed in templis colebant. Jovem igitur de omnibus rogarent, et uni tantummodo supplicarent. Non enim, quo misisset Victoriam, si dea est et sub illo rege est, posset ei audere resistere, et suam potius facere voluntatem.

CAPUT XVIII. — *Felicitatem et Fortunam qui deas putant, qua ratione secernunt*[1].

Quid quod et Felicitas dea est? ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt. Ipsa ergo sola coleretur: ubi enim ipsa esset, quid boni non esset? Sed quid sibi vult, quod et Fortuna dea putatur, et colitur? An aliud est felicitas, aliud fortuna? Quia fortuna potest esse et mala: felicitas autem si mala fuerit, felicitas non erit. Certe omnes deos utriusque sexus (si et sexum habent) nonnisi bonos existimare debemus. Hoc Plato dicit (*De Republica, lib.* 2), hoc alii philosophi, hoc excellentes reipublicæ populorumque rectores. Quomodo ergo dea Fortuna aliquando bona est, aliquando mala? An forte quando mala est, dea non est, sed in malignum dæmonem repente convertitur? Quot sunt ergo deæ istæ? Profecto quotquot homines fortunati, hoc est bonæ fortunæ. Nam cum sint et alii plurimi simul, hoc est uno tempore, malæ fortunæ, numquid, si ipsa esset, simul et mala esset et bona; his aliud, illis aliud? An illa quæ dea est, semper bona est? Ipsa est ergo Felicitas: cur adhibentur duo nomina? Sed hoc ferendum est: solet enim et una res duobus nominibus appellari. Quid diversæ ædes, diversæ aræ, diversa sacra? Est causa, inquiunt: quia felicitas illa est, quam boni habent præcedentibus meritis; fortuna vero quæ dicitur bona, sine ullo examine meritorum fortuitu accidit hominibus et bonis et malis, unde etiam fortuna nominatur. Quomodo ergo bona est, quæ sine ullo judicio venit et ad bonos et ad malos? Utquid autem colitur, quæ ita cæca est, passim in quoslibet incurrens, ut suos cultores plerumque prætereat, et suis contemptoribus hæreat? Aut si aliquid proficiunt cultores ejus, ut ab illa videantur et amentur, jam merita sequitur, non fortuitu venit. Ubi est ergo[2] definitio illa fortunæ? ubi est quod a fortuitis etiam nomen accepit? Nihil enim prodest eam colere, si fortuna est. Si autem suos cultores discernit, ut prosit, fortuna non est. An et ipsam, quo voluerit, Jupiter mittit? Colatur ergo ipse solus: non enim potest ei jubenti et eam quo voluerit mittenti Fortuna resistere. Aut certe istam mali colant, qui nolunt habere merita, quibus possit Dea Felicitas invitari.

CAPUT XIX. — *De Fortuna muliebri.*

Tantum sane huic, velut numini tribuunt, quam Fortunam vocant, ut simulacrum ejus, quod a matronis dedicatum est (et appellata est Fortuna muliebris [*Liv. l.* 2]), etiam locutum esse memoriæ commendaverint (*Plutarch. in Coriolano et lib. de Fortuna Roman.*), atque dixisse non semel, sed iterum, quod eam rite matronæ dedicaverint. Quod quidem si

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *cujus consilium occultum esse potest, iniquum esse non potest.* M.

(*a*) Vide supra, lib. 2, cap. 29, n. 1.

(*b*) Quis Pomponius sit, ignoratur: an Atticus, an L. Pomponius Atellanarum scriptor, an Cn. Pomponius orator, qui omnes vixerunt cum Cicerone; an qui post Ciceronem ætate, Pomponius Mela, an Julius Pomponius, poeta tragicus, cujus Quintilianus meminit, an jurisconsultus. Lud. Vives.

[1] Sic Mss. At editi, *fecerunt.*

[2] Abest, *ergo*, ab omnibus nostris Mss. M.

verum sit, mirari nos non oportet. Non enim malignis dæmonibus etiam sic difficile est fallere, quorum artes atque versutias hinc potius isti advertere debuerunt, quod illa dea locuta est, quæ fortuitu accidit, non quæ meritis venit. Fuit enim Fortuna loquax, et muta Felicitas; utquid aliud [1], nisi ut homines recte vivere non curarent, conciliata sibi Fortuna, quæ illos sine ullis bonis meritis faceret fortunatos? Et certe si Fortuna loquitur, non saltem muliebris, sed virilis potius loqueretur, ut non ipsæ, quæ simulacrum dedicaverunt, putarentur tantum miraculum muliebri loquacitate finxisse.

CAPUT XX. — *De Virtute et Fide, quas Pagani templis et sacris honoraverunt, prætermittentes alia bona, quæ similiter colenda fuerunt, si recte aliis [2] divinitas tribuebatur.*

Virtutem quoque deam fecerunt: quæ quidem si dea esset, multis fuerat præferenda. Et nunc quia dea non est, sed donum Dei est, ipsa ab illo impetretur, a quo solo dari potest: et omnis falsorum deorum turba vanescet. Sed cur et Fides, dea credita est, et accepit etiam ipsa templum et altare? Quam quisquis prudenter agnoscit, habitaculum illi se ipsum facit. Unde autem sciunt illi quid sit fides cujus primum et maximum officium est, ut in verum credatur Deum? Sed cur non suffecerat virtus? nonne ibi est et fides? Quando quidem virtutem in quatuor species distribuendam esse viderunt, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Et quoniam istæ singulæ species suas habent, in partibus justitiæ fides est; maximumque locum apud nos habet, quicumque scimus quid sit, quod justus ex fide vivit (*Habac.* II, 4). Sed illos miror appetitores multitudinis deorum, si fides dea est, quare aliis tam multis deabus injuriam fecerint prætermittendo eas, quibus similiter ædes et aras dedicare potuerunt? Cur temperantia dea esse non meruit, cum ejus nomine nonnulli Romani principes non parvam gloriam compararint? Cur denique fortitudo dea non est, quæ adfuit Mucio (*a*), cum dexteram porrexit in flammas; quæ adfuit Curtio (*b*), cum se pro patria in abruptam terram præcipitem dedit; quæ adfuit Decio patri (*c*), et Decio filio (*d*), cum pro exercitu se voverunt? Si tamen his omnibus vera inerat fortitudo, unde modo non agitur. Quare prudentia, quare sapientia nulla numinum loca meruerunt? an quia in nomine generali ipsius virtutis omnes coluntur? Sic ergo posset et unus Deus coli, cujus partes cæteri dii putantur. Sed in illa una virtute et fides est, et pudicitia, quæ tamen extra in ædibus propriis altaria meruerunt.

CAPUT XXI. — *Quod dona non intelligentes Dei, Virtute saltem [3] et Felicitate debuerint esse contenti.*

Has deas non veritas, sed vanitas fecit: hæc enim veri Dei munera sunt, non ipsæ sunt deæ. Verumtamen ubi est virtus et felicitas, quid aliud quæritur? Quid ei sufficit, cui virtus felicitasque non sufficit? Omnia quippe agenda complectitur virtus; omnia optanda, felicitas. Si Jupiter, ut hæc daret, ideo colebatur; quia si bonum aliquid est latitudo regni atque diuturnitas, ad eamdem pertinet felicitatem; cur non intellectum est dona Dei esse, non deas? Si autem putatæ sunt deæ, saltem alia tanta deorum turba non quæreretur. Consideratis enim officiis deorum dearumque omnium, quæ sicut voluerunt pro sua opinatione finxerunt, inveniant, si possunt, aliquid quod ab aliquo deo præstari possit homini habenti virtutem, habenti felicitatem. Quid doctrinæ vel a Mercurio, vel a Minerva (*a*) petendum esset, cum virtus omnia secum haberet? Ars quippe ipsa bene recteque vivendi, virtus a veteribus definita est. Unde ab eo quod græce ἀρετὴ dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putaverunt (*b*). Sed si virtus nonnisi ad ingeniosum posset venire, quid opus erat deo Catio patre, qui catos, id est acutos, faceret, cum hoc posset conferre felicitas? Ingeniosum quippe nasci, felicitatis est. Unde, etiamsi non potuit a nondum nato coli dea Felicitas, ut hoc ei conciliata donaret, conferret hoc parentibus ejus cultoribus suis, ut eis ingeniosi filii nascerentur. Quid opus erat parturientibus invocare Lucinam, cum, si adesset Felicitas, non solum bene parerent, sed etiam bonos? Quid necesse erat Opi deæ commendare nascentes, deo Vaticano vagientes, deæ Cuninæ jacentes, deæ Ruminæ sugentes, deo Statilino stantes, deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes; deæ Menti, ut bonam haberent mentem; deo Volumno et deæ Volumnæ, ut bona vellent; diis nuptialibus [1], ut bene conjugarentur; diis agrestibus, ut fructus uberrimos caperent, et maxime ipsi divæ Fructeseæ; Marti et Bellonæ, ut bene belligerarent; deæ Victoriæ, ut vincerent; deo Honori [2], ut honorarentur; deæ Pecuniæ, ut pecuniosi essent; deo Æsculano [3] et filio ejus Argentino, ut haberent æream argenteamque pecuniam? Nam ideo patrem Argentini Æsculanum posuerunt, quia prius ærea pecunia in usu esse cœpit, post argentea (*c*). Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia et aurea subsecuta est. Quem deum isti si haberent, sicut Saturno Jovem, ita et patri Argentino et avo Æsculano Aurinum præponerent. Quid ergo erat necesse propter hæc bona vel animi, vel corporis, vel externa, tantam deorum turbam colere et invocare; quos neque omnes commemoravi, nec ipsi potuerunt omnibus bonis humanis minutatim singillatimque digestis deos minutos et singulos providere; cum posset magno facilique compendio una dea Felicitas cuncta conferre; nec solum ad bona capienda quisquam alius, sed neque ad depellenda mala quæreretur? Cur enim

[1] In B., *et ad quid.* M.
[2] Editi, *illos.* M.
[3] Editi, *quod omnium non intelligentes Verum virtute saltem*
(*a*) Mucius dictus Scævola. Liv. lib. 2, cap. 12.
(*b*) Livius, lib. 7, cap. 6.
(*c*) Id., lib. 8, cap. 9.
(*d*) Id., lib. 10, cap. 28. De eodem Tullius, lib. 5, cap. 18.

[1] Vind. Am. et nonnulli manuscripti, *diis conjugalibus.*
[2] Er. et aliquot Mss., *deo Honorino.*
[3] Nonnulli manuscripti hic et infra constanter, *Æsculono.*
(*a*) Mercurius præerat eloquentiæ, Minerva artibus et ingeniis.
(*b*) Donatus in Andriam Terentii, act. 1, scen. 1, vers. 4.
(*c*) Plin. lib. 33, cap. 13.

esset invocanda propter fessos diva Fessonia [1], propter hostes depellendos diva Pellonia, propter ægros medicus vel Apollo, vel Æsculapius, vel ambo simul quando esset grande periculum? Nec deus Spiniensis [2], ut spinas ex agris eradicaret; nec dea Rubigo, ut non accederet, rogaretur: una Felicitate præsente et tuente, vel nulla mala exorirentur, vel facillime pellerentur. Postremo quoniam de duabus istis deabus Virtute et Felicitate tractamus, si felicitas virtutis est præmium, non dea, sed Dei donum est: si autem dea est, cur non dicatur et virtutem ipsam conferre; quandoquidem etiam virtutem consequi felicitas magna est?

CAPUT XXII. — *De scientia colendorum deorum, quam a se Varro gloriatur collatam esse Romanis.*

Quid ergo est, quod pro ingenti beneficio Varro jactat præstare se civibus suis, quia non solum commemorat deos, quos coli oporteat a Romanis, verum etiam dicit quid ad quemque pertineat? Quoniam nihil prodest [3], inquit, hominis alicujus medici nomen formamque nosse, et quod sit medicus, ignorare: ita dicit nihil prodesse scire, deum esse Æsculapium, si nescias eum valetudini opitulari, atque ita ignores cur ei debeas supplicare. Hoc etiam alia similitudine affirmat, dicens, non modo bene vivere, sed vivere omnino neminem posse, si ignoret quisnam sit faber, quis pistor [4], quis tector, a quo quid utensile petere possit: quem adjutorem assumere, quem ducem, quem doctorem: eo modo nulli dubium esse asserens, ita esse utilem cognitionem deorum, si sciatur quam quisque deus vim et facultatem ac potestatem cujusque rei habeat. *Ex eo enim poterimus*, inquit, *scire quem cujusque causa* [5] *deum advocare atque invocare debeamus: ne faciamus, ut mimi solent, et optemus a Libero aquam, a Lymphis vinum.* Magna sane utilitas. Quis non huic gratias ageret, si vera monstraret; et si unum verum Deum, a quo essent omnia bona, hominibus colendum doceret?

CAPUT XXIII. — *De Felicitate, quam Romani, multorum veneratores deorum, diu non coluerunt honore divino, cum pro omnibus sola sufficeret.*

1. Sed unde nunc agitur, si libri et sacra eorum vera sunt, et Felicitas dea est, cur non ipsa una quæ coleretur constituta est, quæ posset universa conferre, et compendio facere felicem? Quis enim optat aliquid propter aliud quam ut felix fiat? Cur denique tam sero huic tantæ deæ post tot Romanos principes Lucullus ædem constituit (a)? Cur ipse Romulus felicem cupiens condere civitatem, non huic templum potissimum struxit? Nec propter aliquid diis cæteris supplicavit, quando nihil deesset, sic hæc adesset. Nam et ipse nec prius rex, nec, ut putant, postea deus fieret, si hanc deam propitiam non haberet. Utquid ergo constituit Romulus deos, Janum, Jovem, Martem, Picum, Faunum, Tiberinum, Herculem, et si quos alios? utquid Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, Lucem, et quoscumque alios addidit, inter quos etiam deam Cloacinam, Felicitate neglecta? utquid Numa tot deos et tot deas sine ista? an eam forte in tanta turba videre non potuit? Hostilius certe rex deos et ipse novos Pavorem atque Pallorem propitiandos non introduceret, si deam istam nosset aut coleret. Præsente quippe Felicitate omnis pavor et pallor, non propitiatus abscederet, sed pulsus aufugeret.

2. Deinde quid est hoc, quod jam Romanum imperium longe lateque crescebat, et adhuc nemo Felicitatem colebat? An ideo grandius imperium, quam felicius fuit? Nam quomodo ibi esset vera felicitas, ubi vera non erat pietas? Pietas enim est verax veri Dei cultus, non cultus falsorum tot deorum, quot dæmoniorum. Sed et postea jam in deorum numerum Felicitate suscepta, magna bellorum civilium infelicitas subsecuta est. An forte juste est indignata Felicitas, quod et tam sero, et non ad honorem, sed ad contumeliam potius invitata est, ut cum ea coleretur Priapus, et Cloacina, et Pavor, et Pallor, et Febris, et cætera non numina colendorum, sed crimina colentium?

3. Ad extremum, si cum turba indignissima tanta dea colenda visa est, cur non vel illustrius cæteris colebatur? Quis enim ferat, quod neque inter deos Consentes quos dicunt in consilium Jovis adhiberi, nec inter deos quos Selectos vocant, Felicitas constituta est [1]? Templum aliquod ei fieret, quod et loci sublimitate et operis dignitate præemineret. Cur enim non aliquid melius, quam ipsi Jovi? Nam quæ etiam Jovi regnum nisi Felicitas dedit? si tamen cum regnaret, felix fuit. Et potior est felicitas regno. Nemo enim dubitat, facile inveniri hominem qui timeat se fieri regem: nullus autem invenitur qui se nolit esse felicem. Ipsi ergo dii, si per auguria vel quolibet modo eos poss consuli putant, de hac re consulerentur, utrum vellent Felicitati loco cedere: si forte aliorum ædibus vel altaribus jam fuisset locus occupatus, ubi ædes major atque sublimior Felicitati construeretur, etiam ipse Jupiter cederet, ut ipsum verticem collis Capitolini Felicitas potius obtineret. Non enim quispiam resisteret Felicitati, nisi, quod fieri non potest, qui esse vellet infelix. Nullo modo omnino si consuleretur, faceret Jupiter, quod ei fecerunt tres dii, Mars, Terminus, et Juventas, qui majori et regi suo nullo modo cedere loco voluerunt. Nam sicut habent eorum litteræ, cum rex Tarquinius Capitolium fabricare vellet, eumque locum qui ei dignior aptiorque videbatur, ab diis aliis [2] cerneret præoccupatum, non audens aliquid contra eorum facere arbitrium et credens eos tanto numini suoque principi volun-

[1] Veteres libri non pauci, *Fossona.*
[2] Vind. Er. et aliquot Mss., *Spinensis.*
[3] Sic nostri manuscripti. In B.: *Quomodo nihil prodest.* M.
[4] Sic Mss. Editi autem, *pictor.*
[5] Lov., *cujusque rei causa.* Abest, *rei*, ab aliis libris.
(a) Anno Urbis conditæ circiter 666: nam hunc in annos referunt consulatum Licinii Luculli, a quo ædes Felicitati, quod bellum ipse adversus Mithridatem et Tigranem reges feliciter gessisset, constituta fuit.

[1] Editi, *Felicitas constituta, est ut templum.* Particula, *ut* abest a manuscriptis.
[2] Sola editio Lov., *a diis alienis.*

tati cessuros; quia multi erant illic ubi Capitolium constitutum est, per augurium quæsivit, utrum concedere locum vellent Jovi : atque ipsi inde cedere omnes voluerunt, præter illos quos commemoravi, Martem, Terminum (a), Juventatem : atque ideo Capitolium ita constructum est, ut etiam isti tres intus essent tam obscuris signis, ut hoc vix homines doctissimi scirent. Nullo modo igitur Felicitatem Jupiter ipse contemneret, sicut a Termino, Marte, Juventute contemptus est. Sed ipsi etiam qui non cesserant Jovi, profecto cederent Felicitati, quæ illis regem fecerat Jovem. Aut si non cederent, non id contemptu ejus facerent, sed quod in domo Felicitatis obscuri esse mallent, quam sine illa in locis propriis eminere.

4. Ita dea Felicitate in loco amplissimo et celsissimo constituta, discerent cives unde omnis boni voti petendum esset auxilium. Ac sic ipsa suadente natura, aliorum deorum superflua multitudine derelicta, coleretur una Felicitas, uni supplicaretur, unius templum frequentaretur a civibus qui felices esse vellent, quorum esset nemo qui nollet : atque ita ipsa a se ipsa peteretur, quæ ab omnibus petebatur. Quis enim aliquid ab aliquo deo, nisi felicitatem, velit accipere, vel quod ad felicitatem existimat pertinere? Proinde si felicitas habet in potestate cum quo homine sit (habet autem, si dea est), quæ tandem stultitia est, ab aliquo eam deo petere, quam possis a se ipsa impetrare? Hanc ergo deam super deos cæteros honorare etiam loci dignitate debuerunt. Sicut enim apud ipsos legitur, Romani veteres nescio quem Summanum (b), cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Jovem, ad quem diurna fulmina pertinerent. Sed postquam Jovi templum insigne ac sublime constructum est, propter ædis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut vix inveniatur qui Summani nomen, quod audire jam non potest, se saltem legisse meminerit. Si autem felicitas dea non est, quoniam, quod verum est, munus est Dei; ille Deus quæratur, qui eam dare possit, et deorum falsorum multitudo noxia relinquatur, quam stultorum hominum multitudo vana sectatur, dona Dei deos sibi faciens, et ipsum, cujus ea dona sunt, obstinatione superbæ voluntatis offendens. Sic enim carere non potest infelicitate, qui tanquam deam felicitatem colit, et Deum datorem felicitatis relinquit : sicut carere non potest fame, qui panem pictum lingit, et ab homine qui verum habet, non petit.

CAPUT XXIV. — *Qua ratione defendant Pagani, quod inter deos colant ipsa dona divina.*

Libet autem eorum considerare rationes. Usque adeone, inquiunt, majores nostros insipientes fuisse credendum est, ut hæc nescirent munera divina esse, non deos? Sed quoniam sciebant nemini talia nisi aliquo deo largiente concedi, quorum deorum nomina non inveniebant, earum rerum nominibus appellabant deos, quas ab eis sentiebant dari, aliqua vocabula inde flectentes, sicut a bello Bellonam nuncupaverunt, non bellum; sicut a cunis Cuninam, non cunam; sicut a segetibus Segetiam, non segetem; sicut a pomis Pomonam, non pomum; sicut a bubus Bubonam[1], non bovem : aut certe nulla vocabuli declinatione, sicut res ipsæ nominantur, ut Pecunia dicta est dea, quæ dat pecuniam, non omnino pecunia dea ipsa putata est : ita Virtus, quæ dat virtutem; Honor, qui honorem; Concordia, quæ concordiam; Victoria, quæ dat victoriam. Ita, inquiunt, cum Felicitas dea dicitur, non ipsa quæ datur, sed numen illud attenditur a quo felicitas datur.

CAPUT XXV. — *De uno tantum colendo Deo, qui, licet nomine ignoretur, tamen felicitatis dator esse sentitur.*

Ista nobis reddita ratione, multo facilius eis, quorum cor non nimis obduruit, persuadebimus fortasse quod volumus. Si enim jam humana infirmitas sensit, nonnisi ab aliquo Deo dari posse felicitatem; et hoc senserunt homines qui tam multos colebant deos, in quibus et ipsum eorum regem Jovem; quia ejus nomen, a quo daretur felicitas, ignorabant, ideo[2] ipsius rei nomine, quam credebant ab illo dari, eum appellare voluerunt : satis ergo judicarunt[3], nec ab ipso Jove dari posse felicitatem, quem jam colebant; sed utique ab illo quem nomine ipsius felicitatis colendum esse censebant. Confirmo prorsus a quodam Deo, quem nesciebant, eos credidisse dari felicitatem : ipse ergo quæratur, ipse colatur, et sufficit. Repudietur strepitus innumerabilium dæmoniorum : illi non sufficiat hic Deus, cui non sufficit munus ejus. Illi, inquam, non sufficiat ad colendum Deus dator felicitatis, cui non sufficit ad accipiendum ipsa felicitas. Cui autem sufficit (non enim habet homo quid amplius optare debeat), serviat uni Deo datori felicitatis. Non est ipse quem nominant Jovem. Nam si eum datorem felicitatis agnoscerent, non utique alium, vel aliam, a qua daretur felicitas, nomine ipsius Felicitatis inquirerent; neque ipsum Jovem cum tantis injuriis colendum putarent. Iste alienarum dicitur adulter[4] uxorum, iste pueri (a) pulchri impudicus amator et raptor.

CAPUT XXVI. — *De ludis scenicis, quos sibi dii celebrari a suis cultoribus exegerunt.*

Sed *fingebat hæc Homerus*, ait Tullius (b), *et humana ad deos transferebat : divina mallem ad nos*. Merito displicuit viro gravi divinorum criminum poeta confictor. Cur ergo ludi scenici, ubi hæc dictitantur, cantitantur, actitantur, deorum honoribus exhibentur, inter res divinas a doctissimis conscribuntur? Hic exclamet Cicero, non contra figmenta poetarum, sed contra

(a) Terminum solum memorat Livius lib. 1. Juventatem addit Florus lib. 1, aliique historici, non Martem.

(b) Plin. lib. 2, cap. 53. Ovid. Fast. 6, vers. 731-732.

[1] Er., *sicut a bubus Bubonam*. Lugd. Ven. et Lov., *sicut a bobus Bovonam*. M.

[2] Editi, *et ideo*. At manuscripti ideo habent, *et*.

[3] Sic Mss. Editi vero, *indicaverunt*.

[4] Sic potiores omnes Mss. In B., *adulterator*. M.

(a) Ganymedis. Homer. Iliad. lib. 20.

(b) Tuscul. 1, cap. 26.

instituta majorum. Annon exclamarent[1] et illi, Quid nos fecimus? Ipsi dii ista suis honoribus exhibenda flagitaverunt, atrociter imperarunt, cladem nisi fieret prænuntiarunt; quia neglectum est aliquid, severissime vindicarunt; quia id quod neglectum fuerat factum est, placatos se esse monstrarunt. Inter eorum commemoratur virtutes et miranda facta quod dicam. Tito Latinio[2], rustico Romano patrifamilias, dictum est in somnis, in senatum nuntiaret, ut ludi Romani instaurarentur, quod primo eorum die in quodam scelerato, qui populo spectante ad supplicium duci jussus est, numinibus videlicet ex ludis hilaritatem quærentibus, triste displicuisset imperium. Cum ergo ille, qui somnio commonitus erat, postero die jussa facere non ausus esset, secunda nocte hoc idem rursus severius imperatum est: amisit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum est homini, quod major ei pœna, si non faceret, immineret. Cum etiam sic non auderet, in morbum incidit acrem et horribilem. Tum vero ex amicorum sententia ad magistratus rem detulit, atque in lectica allatus est in senatum: expositoque somnio, recepta continuo valetudine, pedibus suis sanus abscessit. Tanto stupefactus miraculo senatus quadruplicata pecunia ludos censuit instaurari (*a*). Quis non videat, qui sanum sapit, subditos homines malignis dæmonibus, a quorum dominatione non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vi compulsos esse exhibere talibus diis, quæ recto consilio poterant turpia judicari? In illis certe ludis poetica numinum crimina frequentantur, qui ludi cogentibus numinibus jussu senatus instaurabantur. In illis ludis corruptorem pudicitiæ Jovem turpissimi histriones cantabant, agebant, placebant[3]. Si illud fingebatur, ille irasceretur: si autem suis criminibus etiam fictis[4] delectabatur, quando coleretur, nisi diabolo serviretur? Itane iste Romanum conderet, dilataret, conservaret imperium, quovis Romano, cui displicebant talia, homine abjectior? iste daret felicitatem, qui tam infeliciter colebatur; et nisi ita coleretur, infelicius irascebatur?

CAPUT XXVII. — *De tribus generibus deorum, de quibus Scævola pontifex disputavit.*

Relatum est in litteras, doctissimum pontificem Scævolam (*b*) disputasse tria genera tradita deorum: unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus civitatis. Primum genus nugatorium dicit esse, quod multa de diis fingantur indigna; secundum non congruere civitatibus, quod habeat aliqua supervacua, aliqua etiam quæ obsit populis nosse. De supervacuis non magna causa est: solet enim et a jurisperitis dici[1], Superflua non nocent. Quæ sunt autem illa quæ prolata in multitudinem nocent? Hæc, inquit, non esse deos Herculem, Æsculapium, Castorem, Pollucem: proditur enim a doctis, quod homines fuerint, et humana conditione defecerint. Quid aliud[2]? Quod eorum qui sint dii non habeant civitates vera simulacra; quod verus Deus nec sexum habeat, nec ætatem, nec definita corporis membra. Hæc pontifex nosse populos non vult: nam falsa esse non putat[3]. Expedire igitur existimat, falli in religione civitates. Quod dicere etiam in libris Rerum divinarum ipse Varro non dubitat. Præclara religio, quo confugiat liberandus infirmus, et cum veritatem qua liberetur inquirat, credatur ei expedire quod fallitur. Poeticum sane deorum genus cur Scævola respuat, eisdem litteris non tacetur: quia sic videlicet deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, cum alium faciunt furari, alium adulterare; sic item aliquid aliter, turpiter, atque inepte dicere ac facere; tres inter se deas certasse de præmio pulchritudinis, victas duas a Venere Trojam evertisse; Jovem ipsum converti in bovem aut cycnum, ut cum aliqua concumbat; deam homini nubere, Saturnum liberos devorare: nihil denique posse confingi miraculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur, atque ab deorum natura longe absit. O Scævola pontifex maxime, ludos tolle, si potes: præcipe populis, ne tales honores diis immortalibus deferant, ubi crimina deorum libeat mirari, et quæ fieri possunt placeat imitari. Si autem tibi responderit populus, Vos nobis importastis ista, pontifices: deos ipsos roga, quibus instigantibus ista jussistis, ne talia sibi jubeant exhiberi. Quæ si mala sunt, et propterea nullo modo de deorum majestate credenda, major est deorum injuria, de quibus impune finguntur. Sed non te audiunt, dæmones sunt, prava docent, turpibus gaudent: non solum non deputant injuriam, si de illis ista fingantur; sed eam potius injuriam ferre non possunt, si per eorum solemnia non agantur. Jam vero si adversus eos Jovem interpelles, maxime ob eam causam, quia ejus plura crimina ludis scenicis actitantur; nonne etiamsi Deum Jovem nuncupatis, a quo regitur totus atque administratur hic mundus, eo illi fit a vobis maxima injuria, quod eum cum istis colendum putatis, eorumque regem esse perhibetis?

CAPUT XXVIII. — *An ad obtinendum dilatandumque regnum profuerit Romanis cultus deorum.*

Nullo igitur modo dii tales, qui talibus placantur, vel potius accusantur honoribus, ut majus sit crimen quod eis falsis oblectantur, quam si de illis vera dicerentur, Romanum imperium augere et conservare potuissent. Hoc enim si possent, Græcis potius donum tam grande conferrent, qui eos in hujuscemodi

[1] Mss., *an exclamarent*; omisso, *non*.
[2] Editi, *Latino*. Nonnulli Mss., *Latinio*.
[3] Sic manuscripti cum Vind. Am. Er. et Lov., *placabant*.
[4] Vetus liber Faurensis, *factis*.
(*a*) His consentiunt Livius, lib. 2, c. 36, ac Valerius, lib. 1, cap. 7, et § 4, cum de plebe hominem dicunt; quod rustici Romani appel- latione significare volebat Cicero, somnium hoc ipsum narrans in libro primo de Divinatione, cap. 26.
(*b*) Ipse ille est *Scævola*, qui a Cicerone, de Oratore, lib. 1, cap. 39, laudatur ut *jurisperitorum eloquentissimus, et eloquentium jurisperitissimus*.

[1] Sic Mss. Editi autem, *a viris peritis dici*.
[2] Editi: *Quid aliud, quam quod eorum*, etc. Expungendum, *quam*: nam abest ab omnibus manuscriptis et, si additur, verba subsequentia, quæ pontificis Scævolæ sunt, cum proxime præcedentibus male connectit.
[3] Aliquot Mss., *esse non putant*. Et quidam a secunda manu, *esse computat*.

rebus divinis, hoc est ludis scenicis, honorabilius digniusque coluerunt, quando et a morsibus poetarum, quibus deos dilacerari videbant, se non subtraxerunt, dando eis licentiam male tractandi homines quos liberet, et ipsos scenicos non turpes judicaverunt, sed dignos etiam præclaris honoribus habuerunt. Sicut autem potuerunt auream pecuniam habere Romani, quamvis deum Aurinum non colerent : sic et argenteam habere potuerunt, et æream, si nec Argentinum, nec ejus patrem colerent Æsculanum : et sic omnia, quæ retexere piget. Sic ergo et regnum invito quidem Deo vero nullo modo habere possent ; diis vero istis falsis et multis ignoratis sive contemptis, atque illo uno cognito[1] et fide sincera ac moribus culto, et melius hic regnum haberent, quantumcumque haberent, et post hæc[2] acciperent sempiternum, sive hic haberent, sive non haberent.

CAPUT XXIX. — *De falsitate auspicii, quo Romani regni fortitudo et stabilitas visa est indicari.*

Nam illud quale est quod pulcherrimum auspicium fuisse dixerunt, quod paulo ante commemoravi, Martem et Terminum et Juventatem nec Jovi regi deorum loco cedere voluisse? Sic enim, inquiunt, significatum est, Martiam gentem, id est Romanam, nemini locum quem teneret daturam ; Romanos quoque terminos propter deum Terminum neminem commoturum ; juventutem etiam Romanam propter deam Juventatem nemini esse cessuram. Videant ergo quomodo habeant[3] istum regem deorum suorum et datorem regni sui, ut eum[4] auspicia ista pro adversario ponerent, cui non cedere pulchrum esset. Quanquam hæc si vera sunt, non habent omnino quid timeant. Non enim confessuri sunt quod dii cesserint Christo, qui Jovi cedere noluerunt. Salvis quippe imperii finibus Christo cedere potuerunt, et de sedibus locorum et maxime de corde credentium. Sed antequam Christus veniret in carne, antequam denique ista scriberentur, quæ de libris eorum proferimus ; sed tamen postquam factum est sub rege Tarquinio illud auspicium, aliquoties Romanus exercitus fusus est, hoc est versus in fugam, falsumque ostendit auspicium, quo Juventas illa non cesserat Jovi ; et gens Martia, superantibus atque irrumpentibus Gallis, in ipsa Urbe contrita est ; et termini imperii, deficientibus multis ad Annibalem civitatibus, in angustum fuerant coarctati. Ita evacuata est pulchritudo auspiciorum, remansit contra Jovem contumacia, non deorum, sed dæmoniorum. Aliud est enim non cessisse ; aliud unde cesseras redisse. Quanquam et postea in Orientalibus partibus Hadriani voluntate mutati sunt termini imperii Romani. Ille namque tres provincias nobiles, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Persarum concessit imperio (*a*) : ut deus ille Terminus, qui Romanos terminos secundum istos tuebatur, et per illud pulcherrimum auspicium loco non cesserat Jovi, plus Hadrianum regem hominum, quam regem deorum timuisse videatur. Receptis quoque alio tempore provinciis memoratis, nostra pene memoria retrorsus Terminus cessit, quando Julianus (*a*), deorum illorum oraculis deditus, immoderató ausu naves jussit incendi, quibus alimonia portabatur : qua exercitus destitutus, mox etiam ipso hostili vulnere exstincto, in tantam est redactus inopiam, ut inde nullus evaderet, undique hostibus incursantibus militem imperatoris morte turbatum[1], nisi placito pacis illic imperii fines constituerentur, ubi hodieque persistunt ; non quidem tanto detrimento, quantum concesserat Hadrianus, sed media tamen compositione defixi. Vano igitur augurio deus Terminus non cessit Jovi, qui cessit Hadriani voluntati, cessit etiam Juliani temeritati, et Joviani (*b*) necessitati. Viderunt hæc intelligentiores graviores que Romani ; sed contra consuetudinem civitatis, quæ dæmoniacis[2] ritibus fuerat obligata, parum valebant : quia et ipsi etiamsi illa vana esse sentiebant, naturæ tamen rerum sub unius veri Dei regimine atque imperio constitutæ, religiosum cultum, qui Deo debetur, exhibendum putabant : *servientes*, ut ait Apostolus, *creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* I, 25). Hujus Dei veri erat auxilium necessarium, a quo mitterentur sancti viri et veraciter pii, qui pro vera religione morerentur, ut falsæ a viventibus tollerentur[3].

CAPUT XXX. — *Qualia de diis Gentium etiam cultores eorum se sentire fateantur.*

Cicero augur irridet auguria (*c*), et reprehendit homines corvi et corniculæ vocibus vitæ consilia moderantes (*De Divinatione*, *lib.* 2, *cap.* 37). Sed iste Academicus, qui omnia esse contendit incerta, indignus est qui habeat ullam in his rebus auctoritatem. Disputat apud eum Q. Lucilius Balbus in secundo de Deorum Natura libro, et cum ipse superstitiones ex natura rerum velut physicas et philosophicas inserat, indignatur tamen institutioni simulacrorum et opinionibus fabulosis, ita loquens : *Videtisne igitur, ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis, ratio sit tracta ad commentitios et fictos deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones pene aniles. Et formæ enim nobis deorum, et ætates, et vestitus ornatusque noti sunt : genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam et perturbatis animis inducuntur : accepimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec vero (ut fabulæ ferunt) dii bellis præliisque caruerunt. Nec solum, ut apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alii dii*

[1] Lov., *incognito* : refragantibus cæteris libris.
[2] Sic Mss. Editi autem, *post hoc*.
[3] Lov., *quomodo habebant istum*. Editi alii et nonnulli Mss., *habeant*.
[4] Editi, *ut et*. Melius Mss., *ut eum*.
(*a*) Vide Eutropium, lib. 8, cap. 6.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *undique hostibus incursantibus, milite imperatoris morte turbato*. M.
[2] Am. et Mss., *dæmonicis*.
[3] Editi, *ut falsa a viventibus tolleretur*. At Mss., *ut falsæ a viventibus tollerentur*.
(*a*) Julianus apostata. Vid. infra, lib. 5, cap. 21.
(*b*) Successoris Juliani.
(*c*) Augurem se ipse profitetur fuisse in libro 2 de Legibus.

ex alia parte defenderent (*Iliadis* Υ, *vers.* 67 *sqq*), *sed etiam ut cum Titanis aut cum Gigantibus sua propria bella gesserunt. Hæc et dicuntur et creduntur stultissime, et plena sunt vanitatis summæque levitatis* (*Cap.* 28). Ecce interim quæ confitentur qui defendunt deos Gentium. Deinde cum hæc ad superstitionem pertinere dicat, ad religionem vero, quæ ipse secundum Stoicos videtur docere: *Non enim philosophi solum*, inquit, *verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt*[1]. *Nam qui totos dies precabantur*, inquit, *et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati* (*Vide Lactantium, lib.* 4, *cap.* 28): quis non intelligat eum conari, dum consuetudinem civitatis timet, religionem laudare majorum, eamque a superstitione velle sejungere, sed quomodo id possit non invenire? Si enim a majoribus illi sunt appellati superstitiosi, qui totos dies precabantur et immolabant, numquid et illi[2], qui instituerunt (quod iste reprehendit) deorum simulacra diversa ætate et veste distincta, deorum genera, conjugia, cognationes? Hæc utique cum tanquam superstitiosa culpantur, implicat ista culpa majores talium simulacrorum institutores atque cultores: implicat et ipsum, qui quantolibet eloquio se in libertatem nitatur evolvere, necesse habebat ista venerari; nec quod in hac disputatione disertus insonat, mutire auderet in populi concione. Agamus itaque Christiani Domino Deo nostro gratias, non Cœlo et Terræ; sicut iste disputat, sed ei qui fecit cœlum et terram; qui has superstitiones, quas iste Balbus velut balbutiens vix reprehendit, per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum prædicationem, per fidem martyrum pro veritate morientium et cum veritate viventium, non solum in cordibus religiosis, verum etiam in ædibus superstitiosis libera suorum servitute subvertit.

CAPUT XXXI. — *De opinionibus Varronis, qui reprobata persuasione populari, licet ad notitiam veri Dei non pervenerit, unum tamen deum colendum esse censuerit.*

1. Quid ipse Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos scenicos, quamvis non judicio proprio, posuisse, cum ad deos colendos multis locis velut religiosus hortetur, nonne ita confitetur, non se illa judicio suo sequi, quæ civitatem Romanam instituisse commemorat, ut si eam civitatem novam constitueret, ex naturæ potius formula deos nominaque eorum se fuisse dedicaturum non dubitet confiteri? Sed jam quoniam in vetere populo esset, acceptam ab antiquis nominum et cognominum historiam tenere, ut tradita est, debere se dicit, et ad eum finem illa scribere ac perscrutari, ut potius eos magis colere, quam despicere vulgus velit. Quibus verbis homo acutissimus satis indicat, non se aperire omnia, quæ non sibi tantum contempti essent, sed etiam ipsi vulgo despicienda viderentur, nisi tacerentur. Ego ista conjicere putari debui, nisi evidenter alio loco ipse diceret de religionibus loquens, multa esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit utile, sed etiam, tametsi falsa sunt, aliter existimare populum expediat, et ideo Græcos teletas ac mysteria taciturnitate parietibusque clausisse. Hic certe totum consilium prodidit velut sapientium, per quos civitates et populi regerentur. Hac tamen fallacia miris modis maligni dæmones delectantur, qui et deceptores et deceptos pariter possident, a quorum dominatione non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

2. Dicit etiam idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod hi soli ei videantur animadvertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem (*a*). Ac per hoc, etsi nondum tenebat quod veritas habet; Deus enim verus, non anima, sed animæ quoque est effector et conditor: tamen si contra præjudicia consuetudinis liber esse posset, unum Deum colendum fateretur atque suaderet, motu ac ratione mundum gubernantem: ut ea cum illo de hac re quæstio remaneret, quod eum diceret esse animam, non potius et animæ[1] creatorem. Dicit etiam antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse (*b*). « Quod si adhuc, » inquit, « mansisset, « castius dii observarentur. » Cui sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis et metum dempsisse, et errorem addidisse; prudenter existimans deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni. Quod vero non ait, Errorem tradiderunt; sed, addiderunt; jam utique fuisse etiam sine simulacris intelligi vult errorem. Quapropter cum solos dicit animadvertisse quid esset Deus, qui eum crederent animam mundum gubernantem, castiusque existimat sine simulacris observari religionem, quis non videat quantum propinquaverit veritati? Si enim aliquid contra vetustatem tanti posset erroris, profecto et unum Deum, a quo mundum crederet gubernari, et sine simulacro colendum esse censeret; atque in tam proximo inventus facile fortasse de animæ mutabilitate commoneretur, ut naturam potius incommutabilem, quæ ipsam quoque animam condidisset, Deum verum esse sentiret. Hæc cum ita sint, quæcumque tales viri in suis litteris multorum deorum ludibria posuerunt, confiteri ea potius occulta Dei voluntate compulsi sunt, quam persuadere conati. Si qua igitur a nobis inde testimonia proferuntur, ad eos redarguendos proferuntur, qui nolunt advertere de quanta et quam maligna dæmonum potestate nos liberet singulare sacrificium tam sancti sanguinis fusi et donum Spiritus impertiti.

[1] Ms. 766, *separaverant.* M.
[2] Sola editio Lov.: *Numquid non et illi.*

[1] Er. et Lov., *non potius animæ.* Cæteris in libris, *et animæ.*
(*a*) De quibus Cicero, de Natura deorum, lib. 1, cap. 2.
(*b*) Plutarchus in historia Numæ, cap. 8, scribit ab ipso vetitum Romanis, ne existimarent imaginem Dei, aut hominis speciem aut animalis habere formam; atque in prioribus centum septuaginta annis templa quidem erecta, simulacra vero corporum ab ipsis nulla dedicata. Confer Plin. lib. 34, cap. 4.

CAPUT XXXII. — *Ob quam speciem utilitatis principes Gentium apud subjectos sibi populos falsas religiones voluerunt permanere.*

Dicit etiam de generationibus deorum magis ad poetas, quam ad physicos fuisse populos inclinatos; et ideo et sexum et generationes deorum majores suos, id est veteres credidisse Romanos, et eorum constituisse conjugia. Quod utique non aliam ob causam factum videtur, nisi quia hominum velut prudentium et sapientium negotium fuit populum in religionibus fallere, et in eo ipso non solum colere, sed imitari etiam dæmones, quibus maxima est fallendi cupiditas. Sicut enim dæmones nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt; sic et homines principes, non sane justi, sed dæmonum similes, ea, quæ vana esse noverant, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos civili societati velut arctius [1] alligantes, quo similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus et indoctus evaderet simul fallaces et principes civitatis et dæmones?

CAPUT XXXIII. — *Quod judicio et potestate Dei veri omnium regum atque regnorum ordinata sint tempora.*

Deus igitur ille felicitatis auctor et dator, quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena et bonis et malis. Neque hoc temere et quasi fortuitu, quia Deus est, non fortuna; sed pro rerum ordine ac temporum occulto nobis, notissimo sibi: cui tamen ordini temporum non subditus servit, sed eum ipse tanquam dominus regit, moderatorque disponit. Felicitatem vero non dat nisi bonis. Hanc enim possunt et non habere et habere servientes, possunt et non habere et habere regnantes. Quæ tamen plena in ea vita erit, ubi nemo jam serviet [2]. Et ideo regna terrena et bonis ab illo dantur, et malis; ne ejus cultores adhuc in provectu animi parvuli hæc ab eo munera quasi magnum aliquid concupiscant. Et hoc est sacramentum veteris Testamenti, ubi occultum erat novum, quod illic promissa et dona terrena sunt: intelligentibus et tunc spiritualibus quamvis nondum in manifestatione prædicantibus, et quæ illis temporalibus rebus significaretur æternitas, et in quibus Dei donis esset vera felicitas.

CAPUT XXXIV. — *De regno Judæorum, quod ab uno et vero Deo institutum atque servatum est, donec in vera religione manserunt.*

Itaque ut cognoscerentur etiam illa terrena bona, quibus solis inhiant qui meliora cogitare non possunt, in ipsius unius Dei esse posita potestate, non in multorum falsorum, quos colendos Romani antea crediderunt, populum suum in Ægypto de paucissimis multiplicavit, et inde signis mirabilibus liberavit. Nec Lucinam mulieres illæ invocaverunt, quando earum partus, ut miris modis multiplicarentur, et gens illa incredibiliter cresceret, ab Ægyptiorum persequentium et infantes omnes necare volentium manibus ipse liberavit, ipse servavit. Sine dea Rumina suxerunt; sine Cunina in cunis fuerunt; sine Educa et Potina escam potumque sumpserunt: sine tot diis puerilibus educati sunt; sine diis conjugalibus conjugati; sine cultu Priapi conjugibus mixti. Sine invocatione Neptuni mare transeuntibus divisum patuit, et sequentes eorum inimicos fluctibus in se redeuntibus obruit. Nec consecraverunt aliquam deam Manniam, quando de cœlo manna sumpserunt; nec quando sitientibus aquam percussa petra profudit, Nymphas Lymphasque coluerunt. Sine insanis sacris Martis et Bellonæ bella gesserunt, et sine victoria quidem non vicerunt, non eam tamen deam, sed Dei sui munus habuerunt. Sine Segetia segetes, sine Bubona boves, mella sine Mellona, poma sine Pomona; et prorsus omnia, pro quibus tantæ falsorum deorum turbæ Romani supplicandum putaverunt, ab uno vero Deo multo felicius acceperunt. Et si non in eum peccassent impia curiositate, tanquam magicis artibus seducti, ad alienos deos et ad idola defluendo, et postremo Christum occidendo, in eodem regno, etsi non spatiosiore, tamen feliciore mansissent. Et nunc quod per omnes fere terras gentesque dispersi sunt, illius unius veri Dei providentia est: ut quod deorum falsorum usquequaque simulacra, aræ, luci, templa evertuntur, et sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur quemadmodum hoc fuerit tanto ante prophetatum; ne forte, cum legeretur in nostris, a nobis putaretur esse confictum. Jam quod sequitur, in volumine sequenti videndum est, et hic dandus hujus prolixitatis modus.

[1] Plerique Mss, *aptius*. — Sic etiam Ms. 763. M.

[2] Subsequenti sententiæ, quam nulli non habent veteres ac scripti libri, isthæc editi Vind. Am. Er. præmittunt verba: *Et ideo regna mundi hujus Deus bonis et malis communiter præstat, ne boni ea tanquam magna munera concupiscant.* Cumque subjungerent rursum integram illam sententiam: *Et ideo regna terrena et bonis ab illo dantur*, etc. Non de hac sententia, ut nonnemo existimavit, sed de verbis ei præmissis est observatio Ludovici Vives et Latini, abesse illa a manuscriptis et e margine in textum irrepsisse. — Hæc verba omittunt etiam nostri Mss. M.

LIBER QUINTUS (a).

Initio de tollenda fati opinione agit, ne demum exstent qui Romani imperii vires et incrementa, quæ non posse diis falsis adscribi superiore libro monstravit, referre in fatum velint. Inde ad quæstionem de præscientia Dei delapsus, probat liberum nostræ voluntatis arbitrium per eam non auferri. Tum de moribus Romanorum antiquis dicit, et quo eorum merito, sive quo Dei judicio factum sit, ut illis ad augendum imperium Deus ipse verus, quem non colebant, adjutor fuerit. Docet postremo quæ vera ducenda sit felicitas christianorum imperatorum.

PRÆFATIO.

Quoniam constat omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem, quæ non est dea, sed donum Dei, et ideo nullum deum colendum esse ab hominibus, nisi qui potest eos facere felices; unde

(a) Scriptus anno 415.

si illa dea esset, sola colenda merito diceretur, jam consequenter videamus, qua causa Deus, qui potest et illa bona dare, quæ habere possunt etiam non boni, ac per hoc etiam non felices, Romanum imperium tam magnum tamque diuturnum esse voluerit. Quia enim hoc deorum falsorum illa, quam colebant, multitudo non fecit, et multa jam diximus, et ubi visum fuerit opportunum esse, dicemus.

CAPUT PRIMUM. — *Causam Romani imperii omniumque regnorum nec fortuitam esse, nec in stellarum positione consistere.*

Causa ergo magnitudinis imperii Romani nec fortuita est, nec fatalis (*a*), secundum eorum sententiam sive opinionem, qui ea dicunt esse fortuita, quæ vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes; et ea fatalia, quæ præter Dei et hominum voluntatem cujusdam ordinis necessitate contingunt. Prorsus divina providentia regna constituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea dicturus est, cum ab illo quisquam quæsierit quid dixerit fatum? Nam id homines quando audiunt, usitata loquendi consuetudine non intelligunt nisi vim positionis siderum, qualis est quando quis nascitur, sive concipitur: quod aliqui alienant a Dei voluntate, aliqui ex illa etiam hoc pendere confirmant. Sed illi, qui sine Dei voluntate decernere opinantur sidera quid agamus, vel quid bonorum habeamus malorumve patiamur, ab auribus omnium repellendi sunt; non solum eorum qui veram religionem tenent, sed qui deorum qualiumcumque, licet falsorum, volunt esse cultores. Hæc enim opinio quid aliud agit, nisi ut nullus omnino colatur aut rogetur Deus? Contra quos modo nobis disputatio non est instituta, sed contra eos qui pro defensione eorum quos deos putant, christianæ religioni adversantur. Illi vero, qui positionem stellarum quodammodo decernentium qualis quisque sit, et quid ei proveniat boni quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi a summa illius potestate, ut volentes ista decernant; magnam cœlo faciunt injuriam, in cujus velut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni; qualia si aliqua terrena civitas decrevisset genere humano decernente fuerat evertenda. Quale deinde judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur, cum Dominus ille sit et siderum et hominum? Aut si non dicunt stellas, accepta quidem potestate a summo Deo, arbitrio suo ista decernere, sed in talibus necessitatibus ingerendis illius omnino jussa complere; itane de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum est de stellarum voluntate sentire? Quod si dicuntur stellæ significare potius ista quam facere, ut quasi locutio quædam sit illa positio, prædicens futura, non agens (non enim mediocriter doctorum hominum fuit ista sententia): non quidem ita solent loqui mathematici, ut, verbi gratia, dicant, Mars ita positus homicidam significat, sed, homicidam facit[1]: verumtamen ut concedamus non eos ut debent loqui, et a philosophis accipere oportere sermonis regulam ad ea pronuntianda, quæ in siderum positione se reperire putant: qui fit[2], quod nihil unquam dicere potuerunt, cur in vita geminorum, in actionibus, in eventis, in professionibus, artibus, honoribus, cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diversitas, ut similiores eis sint, quantum ad hæc attinet, multi extranei, quam ipsi inter se gemini, perexiguo temporis intervallo in nascendo separati, in concepta autem per unum concubitum uno etiam momento seminati?

CAPUT II. — *De geminorum simili dissimilique valetudine.*

Cicero dicit, Hippocratem, nobilissimum medicum, scriptum reliquisse quosdam fratres, cum simul ægrotare cœpissent, et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatum (*a*). Quos Posidonius Stoicus, multum astrologiæ deditus, eadem constitutione astrorum natos eademque conceptos solebat asserere (*b*). ita quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem valetudinis, hoc philosophus astrologus ad vim constitutionemque siderum, quæ fuerat quo tempore concepti natique sunt. In hac causa multo est acceptabilior et de proximo credibilior conjectura medicinalis: quoniam parentes ut erant corpore affecti, dum concumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, ut consecutis ex materno corpore prioribus incrementis paris valetudinis nascerentur; deinde in una domo eisdem alimentis nutriti, ubi aerem et loci positionem et vim aquarum plurimum valere ad corpus vel bene vel male afficiendum[3], medicina testatur; eisdem etiam exercitationibus assuefacti tam similia corpora gererent, ut etiam ad ægrotandum uno tempore eisdem causis similiter moverentur. Constitutionem vero cœli ac siderum, quæ fuit quando concepti sive nati sunt, velle trahere ad istam ægrotandi parilitatem, cum tam multa diversissimi generis diversissimorum affectuum[4] et even-

(*a*) Non deerant qui ad fortuitam sive fatalem causam hic recurrendum putarent. Testis est Cicero in libro secundo de Divinatione, cap. 47: « L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris, » inquit, « noster, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in jugo cum esset luna, natam esse dicebat, nec ejus fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiamne urbis natalis dies ad vim stellarum et lunæ pertinebat? Fac in puero referre ex qua affectione cœli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? »

[1] Vind. Am. et Er.: *Homicidam non facit*. Abest, *non*, a cæteris libris.

[2] Sic nostri Mss. Nonnulli editi, *qui sit*. M.

[3] Ita Corbeiensis codex. Alii Mss. cum editis, *accipiendum*.

[4] Mss. plerique, *effectuum*.

(*a*) Non inveniuntur in libris qui exstant Ciceronis et Hippocratis. Suspicor Ciceronem hoc dixisse in libello de Fato: quem qui attentius inspexerit, inveniet mutilum lacerumque, et plenum mendorum ad nostram ætatem pervenisse. LUD. VIVES.

(*b*) Cicer. Tuscul. 2, de Divinat. 1, et de Offic. 3.

torum eodem tempore in unius regionis terra eidem cœlo subdita potuerint concipi et nasci, nescio cujus sit insolentiæ. Nos autem novimus geminos, non solum actus et peregrinationes habere diversas, verum etiam dispares ægritudines perpeti. De qua re facillimam, quantum mihi videtur, rationem redderet Hippocrates, diversis alimentis et exercitationibus, quæ non de corporis temperatione, sed de animi voluntate veniunt, dissimiles eis accidere potuisse valetudines. Porro autem Posidonius, vel quilibet fatalium siderum assertor, mirum si potest hic invenire quid dicat, si nolit imperitorum mentibus in eis, quas nesciunt, rebus illudere. Quod enim conantur efficere de intervallo exiguo temporis, quod inter se gemini, dum nascerentur, habuerunt, propter cœli particulam, ubi ponitur horæ notatio, quem horoscopum vocant; aut non tantum valet, quanta invenitur in geminorum voluntatibus, actibus, moribus, casibusque diversitas; aut plus etiam valet, quam est geminorum vel humilitas generis eadem, vel nobilitas, cujus maximam diversitatem nonnisi in hora, qua quisque nascitur, ponunt. Ac per hoc, si tam celeriter alter post alterum nascitur, ut eadem pars horoscopi maneat, cuncta paria quæro, quæ in nullis possunt geminis inveniri: si autem sequentis tarditas horoscopum mutat, parentes diversos quæro, quos gemini habere non possunt.

CAPUT III. — *De argumento quod ex rota figuli Nigidius mathematicus assumpsit in quæstione geminorum.*

Frustra itaque affertur nobile illud commentum de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium hac quæstione turbatum, unde et Figulus appellatus est (*a*). Dum enim rotam figuli vi quanta potuit intorsisset, currente illa bis numero de atramento tanquam uno ejus loco summa celeritate percussit; deinde inventa sunt signa, quæ fixerat, desistente motu, non parvo intervallo in rotæ illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta rapacitate cœli, etiamsi alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in cœli spatio plurimum est: hinc sunt, inquit, quæcumque dissimillima perhibentur in moribus casibusque geminorum. Hoc figmentum fragilius est, quam vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, ut alteri geminorum hæreditas obveniat, alteri non obveniat; cur audent cæteris, qui gemini non sunt, cum inspexerint eorum constellationes, talia pronuntiare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, et momentis annotare nascentium? Si autem propterea talia dicunt in aliorum genituris, quia hæc ad productiora spatia temporum pertinent; momenta vero illa partium minutarum, quæ inter se gemini possunt habere nascentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus mathematici non solent consuli: (quis enim consulat quando sedeat, quando deambulet, quando vel quid prandeat?) numquid ista dicimus, quando in moribus, operibus, casibusque geminorum plurima plurimumque diversa monstramus?

CAPUT IV. — *De Esau et Jacob geminis, multum inter se morum et actionum qualitate disparibus.*

Nati sunt duo gemini antiqua patrum memoria (ut de insignibus loquar) sic alter post alterum, ut posterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum vita fuerunt moribusque diversa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia (*Gen.* xxv, 24-34). Numquid hoc dicitur, quia uno ambulante alius sedebat, et alio dormiente alius vigilabat, alio loquente alius tacebat; quæ pertinent ad illas minutias, quæ non possunt ab eis comprehendi, qui constitutionem siderum, qua quisque nascitur, scribunt, unde mathematici consulantur? Unus duxit mercenariam servitutem, alius non servivit; unus a matre diligebatur, alius non diligebatur; unus honorem, qui magnus apud eos habebatur, amisit, alter indeptus est. Quid de uxoribus, quid de filiis, quid de rebus, quanta diversitas? [V.] Si ergo hæc ad illas pertinent minutias temporum, quæ inter se habent gemini, et constellationibus non adscribuntur; quare aliorum constellationibus inspectis ista dicuntur? Si autem ideo dicuntur, quia non ad minuta incomprehensibilia, sed ad temporum spatia pertinent, quæ observari notarique possunt; quid hic agit rota illa figuli, nisi ut homines luteum cor habentes in gyrum mittantur, ne mathematicorum vaniloquia convincantur?

CAPUT V. — *Quibus modis convincantur mathematici vanam scientiam profiteri.*

Quid iidem ipsi, quorum morbum, quod eodem tempore gravior leviorque apparebat amborum, medicinaliter inspiciens Hippocrates, geminos suspicatus est, nonne satis istos redarguunt, qui volunt sideribus dare, quod de corporum simili temperatione veniebat? Cur enim similiter eodemque tempore, non alter prior, alter posterior ægrotabant, sicut nati fuerant, quia utique simul nasci ambo non poterant? Aut si nihil momenti attulit, ut diversis temporibus ægrotarent, quod diversis temporibus nati sunt; quare tempus in nascendo diversum ad aliarum rerum diversitates valere contendunt? Cur potuerunt diversis temporibus peregrinari, diversis temporibus ducere uxores, diversis temporibus filios procreare, et multa alia, propterea quia diversis temporibus nati sunt, et non potuerunt eadem causa diversis etiam temporibus ægrotare? Si enim dispar nascendi mora mutavit horoscopum, et disparilitatem intulit cæteris rebus; cur illud in ægritudinibus mansit, quod habebat in temporis æqualitate conceptus? Aut si fata valetudinis in conceptu sunt, aliarum vero rerum in ortu esse dicuntur, non deberent inspectis natalium constellationibus de valetudine aliquid dicere, quando eis inspicienda conceptionalis hora non datur. Si autem ideo prænuntiant ægritudines, non

(*a*) Nigidii meminit A. Gel., lib. 19, cap. 14, et Lucan., lib. 1, vers. 639 et seqq.

inspecto conceptionis horoscopo, quia indicant eas momenta nascentium; quomodo dicerent cuilibet eorum geminorum ex nativitatis hora, quando ægrotaturus esset, cum et alter qui non habebat eamdem horam nativitatis, necesse haberet pariter ægrotare? Deinde quæro, si tanta distantia est temporis in nativitate geminorum, ut per hanc oporteat eis constellationes fieri diversas, propter diversum horoscopum, et ob hoc diversos omnes cardines (a), ubi tanta vis ponitur, ut hinc etiam diversa sint fata; unde hoc accidere potuit, cum eorum conceptus diversum tempus habere non possit? Aut si duorum uno momento temporis conceptorum potuerunt esse ad nascendum fata disparia, cur non et duorum uno momento temporis natorum possint esse ad vivendum atque moriendum fata disparia? Nam si unum momentum, quo ambo concepti sunt, non impedivit, ut alter prior, alter posterior nasceretur; cur, uno momento si duo nascuntur, impediat aliquid, ut alter prior, alter posterior moriatur? Si conceptio momenti unius diversos casus in utero geminos habere permittit; cur nativitas momenti unius non etiam quoslibet duos in terra diversos casus habere permittat, ac sic omnia hujus artis vel potius vanitatis commenta tollantur? Quid est hoc quod uno tempore, uno momento, sub una eademque cœli positione concepti diversa habent fata, quæ illos perducant ad diversarum horarum nativitatem, et uno momento temporis sub una eademque cœli positione de duabus matribus duo pariter nati, diversa fata habere non possunt, quæ illos perducant ad diversam vivendi vel moriendi necessitatem? An concepti nondum habent fata, quæ, nisi nascantur, habere non poterunt? Quid est ergo quod dicunt, si hora conceptionalis inveniatur, multa ab istis dici posse divinis [1]? Unde etiam illud a nonnullis prædicatur, quod quidam sapiens horam elegit, qua cum uxore concumberet, unde filium mirabilem gigneret. Unde postremo et hoc est, quod de illis pariter ægrotantibus geminis Posidonius, magnus astrologus idemque philosophus, respondebat, ideo fieri, quod eodem tempore fuissent nati, eodemque concepti. Nam utique propter hoc addebat conceptionem, ne diceretur ei non ad liquidum eodem tempore potuisse nasci, quos constabat omnino eodem tempore fuisse conceptos; ut hoc, quod similiter simulque ægrotabant, non daret de proximo pari corporis temperamento, sed eamdem quoque valetudinis parilitatem sidereis nexibus alligaret. Si igitur in conceptu tanta vis est ad æqualitatem fatorum, non debuerunt nascendo eadem fata mutari. Aut si propterea mutantur fata geminorum, quia temporibus diversis nascuntur, cur non potius intelligamus jam fuisse mutata, ut diversis temporibus nascerentur? Itane non mutat fata nativitatis voluntas viventium, cum mutet fata conceptionis ordo nascentium?

CAPUT VI. — *De geminis disparis sexus.*

Quanquam et in ipsis geminorum conceptibus, ubi certe amborum eadem momenta sunt temporum, unde fit ut sub eadem constellatione fatali alter concipiatur masculus, altera femina? Novimus geminos diversi sexus, ambo adhuc vivunt, ambo ætate vigent adhuc; quorum cum sint inter se similes corporum species, quantum in diverso sexu potest; instituto tamen et proposito vitæ ita sunt dispares, ut, præter actus, quos necesse est a virilibus distare, femineos, quod ille in officio Comitis militat et a sua domo pene semper peregrinatur, illa de solo patrio et de rure proprio non recedit: insuper (quod est incredibilius, si astralia fata credantur; non autem mirum, si voluntates hominum et Dei munera cogitentur), ille conjugatus, illa virgo sacra est; ille numerosam prolem genuit, illa nec nupsit. At enim plurimum vis horoscopi valet? Hoc quam nihil sit, jam satis disserui. Sed qualecumque sit, in ortu valere dicunt: numquid et in conceptu? ubi et unum concubitum esse manifestum est; et tanta naturæ vis est, ut cum conceperit femina, deinde alterum concipere omnino non possit (a): unde necesse est, eadem esse in geminis momenta conceptus. An forte, quia diverso horoscopo nati sunt, aut ille in masculum, dum nascerentur, aut illa in feminam commutata est? Cum igitur non usquequaque absurde dici posset, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sidereos, sicut in solaribus accessibus et decessibus videmus etiam ipsius anni tempora variari, et lunaribus incrementis atque decrementis augeri et minui quædam genera rerum, sicut echinos, et conchas, et mirabiles æstus oceani; non autem et animi voluntates positionibus siderum subdi: nunc isti, cum etiam nostros actus inde religare conantur, admonent ut quæramus, unde ne in ipsis quidem corporibus eis possit ratio ista constare. Quid enim tam ad corpus pertinens, quam corporis sexus? et tamen sub eadem positione siderum diversi sexus gemini concipi potuerunt. Unde quid insipientius dici aut credi potest, quam siderum positionem, quæ ad horam conceptionis eadem ambobus fuit, facere non potuisse, ut, cum quo habebat eamdem constellationem, sexum diversum a fratre non haberet; et positionem siderum, quæ fuit ad horam nascentium, facere potuisse, ut ab eo tam multum virginali sanctitate distaret?

CAPUT VII. — *De electione diei quo uxor ducitur, quove in agro aliquid plantatur aut seritur.*

Jam illud quis ferat, quod in eligendis diebus nova quædam suis actibus fata moliuntur? Non erat videlicet ille ita natus, ut haberet admirabilem filium; sed ita potius, ut contemptibilem gigneret: et ideo vir

[1] Editi, *divinitus.* At Mss. alii, *divinius;* alii, quod magis placet, *divinis,* id est mathematicis divinandi artem profitentibus. — Nostri Mss., *divinius.* M.

(a) De his astrologicis cardinibus Manilius. lib. 2. vers. 808 et seqq.

(a) Fieri tamen posse ut superfetet mulier, et factum esse nonnunquam ut concepto uno fetu alterum conceperit, docet Aristoteles, lib. 7 de Historia animalium, cap. 4, Plinius, lib. 7, cap. 11; et Hippocrates, lib. de Superfetatione

doctus elegit horam qua misceretur uxori. Fecit ergo fatum, quod non habebat, et ex ipsius facto cœpit esse fatale, quod in ejus nativitate non fuerat. O stultitiam singularem! Eligitur dies ut ducatur uxor: credo, propterea quia potest in diem non bonum, nisi eligatur, incurri, et infeliciter duci. Ubi est ergo quod nascenti jam sidera decreverunt? an potest homo, quod ei jam constitutum est, dici electione mutare, et quod ipse in eligendo die constituerit, non poterit ab alia potestate mutari? Deinde si soli homines, non autem omnia quæ sub cœlo sunt, constellationibus subjacent, cur alios eligunt dies accommodatos ponendis vitibus, vel arboribus, vel segetibus; alios dies pecoribus vel domandis, vel admittendis maribus, quibus equarum vel boum fetentur armenta, et cætera hujusmodi? Si autem propterea valent ad has res dies electi, quia terrenis omnibus corporibus, sive animantibus, sive non animantibus[3], secundum diversitates temporalium momentorum, siderum positio dominatur; considerent quam innumerabilia sub uno temporis puncto vel nascantur, vel oriantur, vel inchoentur, et tam diversos exitus habeant, ut istas observationes cuivis puero ridendas esse persuadeant. Quis enim est tam excors, ut audeat dicere, omnes arbores, omnes herbas, omnes bestias, serpentes, aves, pisces, vermiculos, momenta nascendi singillatim habere diversa? Solent tamen homines ad tentandam peritiam mathematicorum afferre ad eos constellationes mutorum animalium, quorum ortus propter hanc explorationem domi suæ diligenter observant, eosque mathematicos præferunt cæteris, qui constellationibus inspectis dicunt non esse hominem natum, sed pecus. Audent etiam dicere quale pecus, utrum aptum lanicio, an vectationi, an aratro, an custodiæ domus. Nam et ad canina fata tentantur, et cum magnis admirantium clamoribus ista respondent. Sic desipiunt homines, ut existiment, cum homo nascitur, cæteros rerum ortus ita inhiberi, ut cum illo sub eadem cœli plaga nec musca nascatur. Nam si hanc admiserint, procedit ratiocinatio, quæ gradatim accessibus modicis eos a muscis ad camelos elephantosque perducat. Nec illud volunt advertere, quod electo ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, exorta segete simul herbescunt, pubescunt, flavescunt; et tamen inde spicas cæteris coævas, atque, ut ita dixerim, congerminales, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo istis alias constellationes fuisse dicturi sunt, quas tam diversos exitus habere conspiciunt? an eos pœnitebit his rebus dies eligere, easque ad cœleste negabunt pertinere decretum, et solos sideribus subdent homines, quibus solis in terra Deus dedit liberas voluntates? His omnibus consideratis, non immerito creditur, cum astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas et noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus atque firmare, non horoscopi notati et inspecti aliqua arte, quæ nulla est.

CAPUT VIII. — *De his qui non astrorum positionem, sed connexionem causarum ex Dei voluntate pendentem fati nomine appellant.*

Qui vero non astrorum constitutionem, sicuti est cum quidque concipitur, vel nascitur, vel inchoatur, sed omnium connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant; non multum cum eis de verbi controversia laborandum atque certandum est: quandoquidem ipsum causarum ordinem et quamdam connexionem Dei summi tribuunt voluntati et potestati, qui optime et veracissime creditur et cuncta scire antequam fiant, et nihil inordinatum relinquere; a quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates. Ipsam itaque præcipue Dei summi voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum sic probatur. Annæi Senecæ sunt, nisi fallor, hi versus:

> Duc, summe pater, altique dominator poli,
> Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
> Adsum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
> Malusque patiar facere quod licuit bono[1].
> Ducunt volentem fata, nolentem trahunt (*a*).

Nempe evidentissime hoc ultimo versu ea fata appellavit, quam supra dixerat summi patris voluntatem: cui se paratum obedire dicit, ut volens ducatur, ne nolens trahatur; quoniam scilicet

> Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Illi quoque versus Homerici huic sententiæ suffragantur, quos Cicero in latinum vertit:

> Tales sunt hominum mentes, quali[2] pater ipse
> Juppiter auctiferas lustravit lumine terras (*b*).

Nec in hac quæstione auctoritatem haberet poetica sententia: sed quoniam Stoicos dicit, vim fati asserentes, istos ex Homero versus solere usurpare, non de illius poetæ, sed de istorum philosophorum opinione tractatur, cum per istos versus, quos disputationi adhibent, quam de fato habent, quid sentiant esse fatum, apertissime declaratur, quoniam Jovem appellant, quem summum deum putant, a quo connexionem dicunt pendere fatorum.

CAPUT IX. — *De præscientia Dei et libera hominis voluntate, contra Ciceronis definitionem.*

1. Hos Cicero ita redarguere nititur, ut non existimet aliquid se adversus eos valere, nisi auferat divinationem (*c*). Quam sic conatur auferre, ut neget esse

[1] [illegible] omnibus scriptis libris, *fieri*.
[2] [illegible]
[3] [illegible] non habent, *sive non animantibus*.

[1] Corbeiensis male, *libuit*; et, *bono*, in rasura M.
[2] Edit., *qualis*. At probæ notæ Mss., *quali*. Et quidam, *quales*. In altero versu Colbertinus codex, loco, *auctiferas*, habet, *astrifero*. Neutra lectio respondet græco sic nunc habenti:

> *Toios gar noos estin epichthonion anthrôpôn,*
> *Oion ep' êmar agesi patêr andrôn te theôn te.*

id est,

> *talis mens est terrestrium hominum,*
> *qualem diem adducit pater hominumque deorumque.*

(*a*) Epist. 107 prope finem.
(*b*) Odyssea 18, vers. 136, 137.
(*c*) Lib. 2 de Divinat.

scientiam futurorum, eamque omnibus viribus nullam esse omnino contendat, vel in Deo, vel in homine[1], nullamque rerum prædictionem. Ita et Dei præscientiam negat, et omnem prophetiam luce clariorem conatur evertere vanis argumentationibus, et opponendo sibi quædam oracula, quæ facile possunt refelli; quæ tamen nec ipsa convincit. In his autem mathematicorum conjecturis refutandis ejus regnat oratio; quia vere tales sunt, ut se ipse destruant et refellant. Multo sunt autem tolerabiliores qui vel siderea fata constituunt, quam iste, qui tollit præscientiam futurorum. Nam et confiteri esse Deum et negare præscium[2] futurorum, apertissima insania est. Quod et ipse cum videret, etiam illud tentavit asserere, quod scriptum est, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1); sed non ex sua persona. Vidit enim quam esset invidiosum et molestum: ideoque Cottam fecit disputantem de hac re adversum Stoicos in libris de deorum Natura (*Libro* 3), et pro Lucilio Balbo, cui Stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre sententiam, quam pro Cotta, qui nullam naturam divinam esse contendit. In libris vero de Divinatione ex se ipso apertissime oppugnat præscientiam futurorum. Hoc autem totum facere videtur, ne fatum esse consentiat, et perdat liberam voluntatem. Putat enim, concessa scientia futurorum, ita esse consequens fatum, ut negari omnino non possit. Sed quoquo modo se habeant tortuosissimæ concertationes et disputationes philosophorum, nos ut confitemur summum et verum Deum, ita voluntatem summamque potestatem ac præscientiam ejus confitemur. Nec timemus ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest. Quod Cicero timuit, ut oppugnaret præscientiam; et Stoici, ut non omnia necessitate fieri dicerent, quamvis omnia fato fieri contenderent.

2. Quid est ergo quod Cicero timuit in præscientia futurorum, ut eam labefactare disputatione detestabili niteretur? Videlicet quia si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse præscita sunt: et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo: et si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum; non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens causa præcesserit: si autem certus est ordo causarum, quo fit omne quod fit; *fato*, inquit, *fiunt omnia quæ fiunt*. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis: *quod si concedimus*, inquit, *omnis humana vita subvertitur; frustra leges dantur; frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla justitia bonis præmia, et malis supplicia constituta sunt*. Hæc ergo ne consequantur indigna et absurda et perniciosa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum: atque in has angustias coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum: quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli; si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus et doctus, et vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium: quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum: atque ita, dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat. Quomodo, inquit? Nam si est præscientia futurorum, sequentur illa omnia, quæ connexa sunt, donec eo perveniatur, ut nihil sit in nostra voluntate. Porro si est aliquid in nostra voluntate, eisdem recursis gradibus eo pervenitur, ut non sit præscientia futurorum. Nam per illa omnia sic recurritur: Si est voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt: si non omnia fato fiunt, non est omnium certus ordo causarum: si certus causarum ordo non est, nec rerum certus est ordo præscienti Deo, quæ fieri non possunt, nisi præcedentibus et efficientibus causis: si rerum ordo præscienti Deo certus non est, non omnia sic veniunt, ut ea ventura præscivit: porro si non omnia sic veniunt, ut ab illo ventura præscita sunt, non est, inquit, in Deo præscientia omnium futurorum.

3. Nos adversus istos sacrilegos ausus atque impios, et Deum dicimus omnia scire antequam fiant, et voluntate nos facere, quidquid a nobis nonnisi volentibus fieri sentimus et novimus. Omnia vero fato fieri non dicimus, imo nulla fieri fato dicimus: quoniam fati nomen ubi solet a loquentibus poni, id est in constitutione siderum cum quisque conceptus aut natus est (quoniam res ipsa inaniter asseritur), nihil valere monstramus. Ordinem autem causarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte ut fatum a fando dictum intelligamus, id est a loquendo (*a*): non enim abnuere possumus esse scriptum in Litteris sanctis, *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi; quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera ejus* (*Psal.* LXI, 12, 13). Quod enim dictum est, *Semel locutus est*, intelligitur, Immobiliter, hoc est incommutabiliter, est locutus, sicut novit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, et quæ ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari. Non est autem consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque præscientia continetur; quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profecto

[1] Nostri omnes Mss., *vel in homine, vel in Deo*. M.
[2] Manuscripti, *præscientiam*. -- At Codd. 2050 et 2052, *præscium*. M.

(*a*) A fando fere omnes scriptores veteres derivant, sed variis modis. « Quod constituunt Parcæ fando, » inquit Varro, de Lingua Latina, lib. 6, § 52.

in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit.

4. Nam et illud quod idem Cicero concedit[1] nihil fieri si causa efficiens non præcedat (*Libro de Fato*, *cap.* 10, *et seqq.*), satis est ad eum in hac quæstione redarguendum. Quid enim eum adjuvat, quod dicit, nihil quidem fieri sine causa, sed non omnem causam esse fatalem; quia est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria? Sufficit quia omne quod fit, nonnisi causa præcedente fieri confitetur. Nos enim eas causas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus nullas, sed latentes; easque tribuimus vel Dei veri, vel quorumlibet spirituum voluntati: ipsasque naturales nequaquam ab illius voluntate sejungimus, qui est auctor omnis conditorque naturæ. Jam vero causæ voluntariæ aut Dei sunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumque animalium: si tamen appellandæ sunt voluntates animalium[2] rationis expertium motus illi, quibus aliqua faciunt secundum naturam suam, cum quid vel appetunt[3], vel evitant. Angelorum autem voluntates dico, sive bonorum, quos Angelos Dei dicimus; sive malorum, quos angelos diaboli vel etiam dæmones appellamus: sic et hominum bonorum scilicet et malorum. Ac per hoc colligitur, non esse causas efficientes omnium quæ fiunt, nisi voluntarias, illius naturæ scilicet quæ spiritus vitæ est. Nam et aer iste seu ventus, dicitur spiritus: sed quoniam corpus est, non est spiritus vitæ. Spiritus ergo vitæ, qui vivificat omnia, creatorque est omnis corporis et omnis creati spiritus, ipse est Deus, spiritus utique non creatus. In ejus voluntate summa potestas est, quæ[4] creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat; et quibusdam tribuit potestates[5], quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. Corpora igitur magis subjacent voluntatibus; quædam nostris, id est omnium animantium mortalium, et magis hominum quam bestiarum; quædam vero angelorum: sed omnia maxime Dei voluntati subdita sunt; cui etiam voluntates omnes subjiciuntur, quia non habent potestatem nisi quam ille concedit. Causa itaque rerum quæ facit, nec fit, Deus est. Aliæ vero causæ et faciunt, et fiunt; sicut sunt omnes creati spiritus, maxime rationales. Corporales autem causæ, quæ magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ; quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates. Quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id efficit, ut nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates? Contendat ergo Cicero cum eis, qui hunc causarum ordinem dicunt esse fatalem, vel potius ipsum fati nomine appellant (*Libro de Fato*, *capp.* 11, 12); quod nos abhorremus, præcipue propter vocabulum, quod non in re vera consuevit intelligi. Quod vero negat ordinem omnium causarum esse certissimum et Dei præscientiæ notissimum, plus eum quam Stoici detestamur. Aut enim Deum esse negat, quod quidem inducta alterius persona in libris de Deorum Natura facere molitus est: aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic dicit nihil aliud, quam quod ille *dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1). Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus. Quapropter et voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præscivit: et ideo quidquid valent, certissime valent; et quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt: quia valituras atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest. Quapropter si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum esse infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in potestate, quam illo causarum ordine, quem non usitato, sed suo more Stoici fatum appellant, arbitrium nostræ voluntatis auferri.

CAPUT X. — *An voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas.*

1. Unde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: atque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed, etiamsi nolimus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ, si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet ipsum velle: nam, si volumus, est; si nolumus, non est: non enim vellemus, si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim et vitam Dei et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere, et cuncta præscire: sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: quod ei si accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam, cum dicimus necesse esse ut, cum volumus, libero velimus arbitrio; et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur

[1] Vind. Am. Er., *contendit*.
[2] Hoc loco Mss., *animantium*.
[3] Sola editio Lov., *cum quid boni malive vel appetunt*.
[4] Sic Vind. Er. et plures Mss. At Lov., *qui*. Nonnulli e Mss., *quo*.
[5] Ita in Mss. In editis vero, *potestatem*.

nostræ voluntates, et ipsæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret, si nollemus. Quidquid autem aliorum hominum voluntate nolens quisque patitur, etiam sic voluntas valet, etsi non illius tamen hominis voluntas, sed potestas Dei [1]. Nam si voluntas tantum esset, nec posset quod vellet, potentiore voluntate impediretur : nec sic tamen voluntas, nisi voluntas esset ; nec alterius, sed ejus esset, qui vellet, etsi non posset implere quod vellet. Unde quidquid præter suam voluntatem patitur homo, non debet tribuere humanis vel angelicis vel cujusquam creati spiritus voluntatibus, sed ejus potius, qui dat potestatem volentibus.

2. Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate : non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porro si ille, qui præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit ; profecto et illo præsciente est aliquid in notra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum : sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur ; illud, ut bene credamus ; hoc, ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis ejus negare præscientiam, ut liberi esse velimus [2], quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes : quia et ipsas futuras esse præscivit, et valent plurimum, quantum eas valituras esse præscivit ; et preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præscivit : et juste præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo [3], quia Deus illum peccaturum esse præscivit : imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. Qui si nolit, utique non peccat : sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.

CAPUT XI. — *De universali providentia Dei, cujus legibus omnia continentur.*

Deus itaque summus et verus cum Verbo suo et Spiritu sancto, quæ tria unum sunt, Deus unus omnipotens, creator et factor omnis animæ atque omnis corporis : cujus sunt participatione felices, quicumque sunt veritate, non vanitate felices : qui fecit hominem rationale animal ex anima et corpore ; qui eum peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit ; qui bonis et malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit : a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo ; a quo est mensura, numerus, pondus ; a quo est quidquid naturaliter est, cujuscumque generis est, cujuslibet æstimationis est ; a quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum ; qui dedit et carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fecunditatem, membrorum dispositionem, salutem concordiæ : qui et animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum ; rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem : qui non solum cœlum et terram, nec solum angelum et hominem ; sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam [1], nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia, et quadam veluti pace dereliquit : nullo modo est credendus regna hominum eorumque dominationes et servitutes a suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse.

CAPUT XII. — *Quibus moribus antiqui Romani meruerint ut Deus verus, quamvis non eum colerent, eorum augeret imperium.*

1. Proinde videamus quos Romanorum mores, et quam ob causam Deus verus ad augendum imperium adjuvare dignatus est, in cujus potestate sunt etiam regna terrena. Quod ut absolutius disserere possemus, ad hoc pertinentem et superiorem librum conscripsimus, quod in hac re potestas nulla sit eorum deorum, quos etiam rebus nugatoriis colendos putarunt ; et præsentis voluminis partes superiores, quas huc usque perduximus, de fati quæstione tollenda : ne quisquam, cui jam persuasum esset non illorum deorum cultu Romanum imperium propagatum atque servatum, nescio cui fato potius id tribueret, quam Dei summi potentissimæ voluntati. Veteres igitur primique Romani, quantum eorum docet et commendat historia, quamvis ut aliæ gentes, excepta una populi Hebræorum, deos falsos colerent, et non Deo victimas, sed dæmoniis immolarent, tamen *laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant* (*Sallust. in Catil., cap.* 7) : hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac emori non dubitaverunt [2]. Cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari vero atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt. Hinc est quod regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt a consulendo, non reges aut domini a regnando atque dominando : cum et reges utique a regendo dicti melius videantur, ut regnum a regibus, reges autem, ut dictum est, a regendo ; sed fastus regius non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis, sed superbia dominantis. Expulso itaque rege Tarquinio, et consulibus institutis, secutum est quod idem auctor in Romanorum laudibus posuit, quod *civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate quantum brevi creverit, tanta cupido gloriæ ince-*

[1] Lov., *Dei est.* Verbo, *est*, carent libri cæteri.
[2] Omnes prope Mss., *ut libere velimus.*
[3] Plures probæ notæ Mss., Faurensis, Corbeiensis, etc. *Neque enim ideo non peccat homo.* Gervasianus, *Nec peccat homo.*

[1] Nostri Mss., *pinnulam.* M.
[2] Plures Mss., *vincere voluerunt.* — In B., *pro hac et*

serat (*Sallust. in Catil. cap.* 7). Ista ergo laudis aviditas et cupido gloriæ multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet atque gloriosa secundum hominum existimationem.

2. Laudat idem Sallustius temporibus suis magnos et præclaros viros, Marcum Catonem et Caium Cæsarem, dicens quod diu illa respublica non habuit quemquam virtute magnum, sed sua memoria fuisse illos duos ingenti virtute, diversis moribus. In laudibus autem Cæsaris posuit, quod sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset (*Ibid., capp.* 53, 54). Ita fiebat [1] in votis virorum virtute magnorum, ut excitaret in bellum miseras gentes, et flagello agitaret Bellona sanguineo, ut esset ubi virtus eorum enitesceret. Hoc illa profecto laudis aviditas et gloriæ cupido faciebat. Amore itaque primitus libertatis, post etiam dominationis, et cupiditate laudis et gloriæ, multa magna fecerunt. Reddit eis utriusque rei testimonium etiam poeta insignis illorum: inde quippe ait,

> Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
> Accipere, ingentique urbem obsidione premebat:
> Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
>
> (*Virgil. Æneid. lib.* 8, *vers.* 646-648.)

Tunc itaque magnum illis fuit aut fortiter emori, aut liberos vivere. Sed cum esset adepta libertas, tanta cupido gloriæ incesserat, ut parum esset sola libertas, nisi et dominatio quæreretur, dum pro magno haberetur quod, velut loquente Jove, idem poeta dicit,

> Quin aspera Juno,
> Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,
> Consilia in melius referet, mecumque fovebit
> Romanos rerum dominos gentemque togatam.
> Sic placitum. Veniet lustris labentibus ætas,
> Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
> Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
>
> (*Æneid. lib.* 1, *vers.* 279-285.)

Quæ quidem Virgilius, Jovem inducens tanquam futura prædicentem, ipse jam facta recolebat, cernebatque præsentia: verum propterea commemorare illa volui, ut ostenderem dominationem post libertatem sic habuisse Romanos, ut in eorum magnis laudibus poneretur. Hinc est et illud ejusdem poetæ, quod, cum aliarum gentium artibus eas ipsas proprias Romanorum artes regnandi atque imperandi et subigendi ac debellandi populos anteponeret, ait,

> Excudent alii spirantia mollius æra:
> Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
> Orabunt causas melius; cœlique meatus
> Describent radio, et surgentia sidera dicent.
> Tu regere imperio populos, Romane, memento.
> Hæ tibi erunt artes, pacique [2] imponere morem,
> Parcere subjectis, et debellare superbos.
>
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 847-853.)

3. Has artes illi tanto peritius exercebant, quanto minus se voluptatibus dabant, et enervabant animi et corporis in concupiscendis et augendis divitiis, et per illas moribus corrumpendis, rapiendo miseris civibus, largiendo scenicis turpibus. Unde qui tales jam morum labes [1] superabant atque abundabant, quando scribebat ista Sallustius, canebatque Virgilius, non illis artibus ad honores et gloriam, sed dolis atque fallaciis ambiebant. Unde idem dicit: *Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem* [2] *erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus et ignavus æque sibi exoptant: sed ille*, inquit, *vera via nititur; huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit* (*Sallust. in Catil.*, c. 11). Hæ sunt illæ bonæ artes, per virtutem scilicet, non per fallacem ambitionem ad honorem et gloriam et imperium pervenire; quæ tamen bonus et ignavus æque sibi exoptant: sed ille, id est bonus, vera via nititur. Via virtus est, qua nititur tanquam ad possessionis finem, id est ad gloriam, honorem, imperium. Hoc insitum habuisse Romanos, etiam deorum apud illos ædes indicant, quas conjunctissimas constituerunt, Virtutis et Honoris (*a*), pro diis habentes quæ dantur a Deo. Unde intelligi potest quem finem volebant esse virtutis, et quo eam referebant, qui boni erant, ad honorem scilicet: nam mali nec habebant eam, quamvis honorem habere cuperent, quem malis artibus conabantur adipisci, id est dolis atque fallaciis.

4. Melius laudatus est Cato. De illo quippe ait, *Quo minus petebat gloriam, eo illum magis sequebatur* (*b*) (*Ibid., cap.* 54). Quandoquidem gloria est, cujus illi cupiditate flagrabant, judicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior est virtus, quæ humano testimonio [3] contenta non est, nisi conscientiæ suæ. Unde dicit Apostolus, *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12). Et alio loco, *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero* (*Galat.* VI, 4). Gloriam ergo et honorem et imperium, quæ sibi exoptabant, et quo bonis artibus pervenire nitebantur boni, non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est. Unde et honores quos petivit Cato, petere non debuit, sed eos civitas ob ejus virtutem non petenti dare (*c*).

5. Sed cum illa memoria duo Romani essent virtute magni, Cæsar et Cato, longe virtus Catonis veritati videtur propinquior fuisse, quam Cæsaris. Pro-

[1] [illegible] *desiderabant*. [illegible] *propter hanc et maxime desiderabant* [illegible] *propter* [illegible] 709 [illegible] V.

[2] [illegible] consentiunt [illegible]

[3] Ms. 700, *In gentia* M.

[4] Lov., *pacisque*. Habet [illegible] manuscriptis *pacique*.

[1] Nonnulli Mss., *labe*: librariorum solemni vitio omissa littera extrema, quia eadem est prima subsequentis vocabuli, in quo eadem sonabat pronuntiante lectore. Paulo ante legendum fuisset, *qui tales*; aut certe, *labes morum* hic isti appellantur homines vitiosi; quomodo a Plauto in Persa, act. 3, scen. 3, vers. 4, dicitur homo, « labes populi: » et a Cicerone, orat. pro Sext. cap. 8, « Habeo quod opponam labem illi et cœno. — Nostri Mss., *labe*. Sic legit Morel, Elementar. crit., pag. 289: *Unde qui tales jam morum labes* [illegible] *atque abundabant, quando scribebat ista Sallustius, canebatque Virgilius.* M.

[2] Editi, *propius virtuti*. At Mss., *propius virtutem*. Et sic in antiquis exemplaribus Sallustii.

[3] Ms. 700, *judicio*. M.

(*a*) Liv., lib. 27, cap. 25.

(*b*) Apud Sallustium, *eo magis illum assequebatur.*

(*c*) Vid. Plutarch. in Catone minore.

inde qualis esset illo tempore civitas, et antea qualis fuisset, videamus in ipsa sententia Catonis: *Nolite*, inquit, *existimare, majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium, præterea armorum et equorum major copia nobis quam illis est. Sed alia fuere quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt; domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum: ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis, eo fit ut impetus fiat in vacuam rempublicam* (*Sallust. in Catilin.*, *c.* 52).

6. Qui audit hæc Catonis verba sive Sallustii, putat quales laudantur Romani veteres, omnes eos tales tunc fuisse, vel plures. Non ita est: alioquin vera non essent quæ ipse item scribit, ea quæ commemoravi in secundo libro hujus operis (*Cap.* 18), ubi dicit, injurias validiorum, et ob eas discessionem plebis a patribus, aliasque dissensiones domi fuisse jam inde a principio, neque amplius æquo et modesto jure actum, quam expulsis regibus, quamdiu metus a Tarquinio fuit, donec bellum grave, quod propter ipsum cum Etruria susceptum fuerat, finiretur: postea vero servili imperio patres exercuisse plebem, regio more verberasse, agro pepulisse, et, cæteris expertibus, solos egisse in imperio; quarum discordiarum, dum illi dominari vellent, illi servire nollent, finem fuisse bellum Punicum secundum [1]: quia rursus gravis metus cœpit urgere, atque ab illis perturbationibus, alia majore cura cohibere animos inquietos, et ad concordiam revocare civilem. Sed per quosdam paucos, qui pro suo modo boni erant, magna administrabantur, atque, illis toleratis ac temperatis malis, paucorum bonorum providentia res illa crescebat, sicut idem historicus dicit, multa sibi legenti et audienti, quæ populus Romanus domi militiæque, mari atque terra præclara facinora fecerit, libuisse se attendere quæ res maxime tanta negotia sustinuisset; quoniam sciebat sæpenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse Romanos, cognoverat parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus; sibique multa agitanti constare dixit, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum ut divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. *Sed postquam luxu atque desidia*, inquit, *civitas corrupta est, rursus respublica magnitudine sui imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat.* Paucorum igitur virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id est virtute ipsa, nitentium, etiam a Catone laudata est. Hinc erat domi industria, quam commemoravit Cato, ut ærarium esset opulentum, tenues res privatæ. Unde corruptis moribus vitium e contrario posuit, publice egestatem, privatim opulentiam.

CAPUT XIII. — *De amore laudis, qui cum sit vitium, ob hoc virtus putatur, quia per ipsum vitia majora cohibentur.*

Quamobrem cum diu fuissent regna Orientis illustria (*a*), voluit Deus et occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine et magnitudine illustrius. Idque talibus potissimum concessit hominibus ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causa honoris, laudis et gloriæ consuluerunt patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque ejus saluti suæ præponere non dubitaverunt, pro isto uno vitio, id est amore laudis, pecuniæ cupiditatem et multa alia vitia comprimentes. [XIII.] Nam sanius videt, qui et amorem laudis vitium esse cognoscit: quod nec poetam fugit Horatium, qui ait:

> Laudis amore tumes, sunt certa piacula quæ te
> Ter pure lecto poterunt recreare libello.
> (*Epistolarum lib.* 1, *epist.* 1, *vers.* 36, 37.

Idemque in carmine lyrico, ad reprimendam dominandi libidinem ita cecinit:

> Latius regnes avidum domando [2]
> Spiritum, quam si Libyam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus (*b*)
> Serviat uni
> (*Carmin. lib.* 2, *carm.* 2, *vers.* 9-12.)

Verumtamen qui libidines turpiores, fide pietatis impetrato Spiritu sancto, et amore intelligibilis pulchritudinis non refrenant, melius saltem cupiditate humanæ laudis et gloriæ, non quidem jam sancti, sed minus turpes sunt. Etiam Tullius hinc dissimulare non potuit [2], in eisdem libris quos de Republica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe civitatis, quem dicit alendum esse gloria; et consequenter commemorat majores suos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate fecisse. Huic ergo vitio non solum non resistebant, verum etiam id excitandum et accendendum esse censebant, putantes hoc utile esse reipublicæ. Quanquam nec in ipsis philosophiæ libris Tullius ab hac peste dissimulet, ubi eam luce clarius confitetur. Cum enim de studiis talibus loqueretur, quæ utique sectanda sunt fine veri boni, non ventositate laudis humanæ, hanc intulit universalem generalemque sententiam: *Honos alit artes omnesque accenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper quæ apud quosque improbantur* (*Tuscul. Quæst. lib.* 1, *cap.* 2).

CAPUT XIV. — *De resecando amore laudis humanæ, quoniam justorum gloria omnis in Deo sit.*

Huic igitur cupiditati melius resistitur sine dubitatione, quam ceditur. Tanto enim quisque est Deo similior, quanto est ab hac immunditia mundior.

[1] Mss. 766, 2050, 2052 et 2053, *finem fuisse bello punico secundo*. M.

[1] Ms., 766, *Latium regnes avidum dominando*. M.

[2] Vind. Am. Er.: *Etiam Tullius inde silere non potuit.* Non male.

(*a*) Assyriorum scilicet, Medorum, Persarum, etc., de quibus supra, lib. 4, cap. 7.

(*b*) Libycus et Gaditanus, interprete Porphyr.

Quæ in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat; saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione justitiæ [1]: ut si alicubi jacent, quæ apud quosque improbantur, si bona, si recta sunt, etiam ipse amor humanæ laudis erubescat, et cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ quam Dei timor vel amor, ut Dominus diceret, *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem exspectantes, et gloriam quæ a solo Deo est non quærentes* (*Joan.* v, 44)? Item de quibusdam, qui in eum crediderant, et verebantur palam confiteri, ait Evangelista: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei* (*Id.* xii, 43). Quod sancti Apostoli non fecerunt: qui cum in his locis prædicarent Christi nomen, ubi non solum improbabatur (sicut ille ait, *Jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur*), verum etiam summæ detestationis habebatur; tenentes quod audierant a bono Magistro eodemque medico mentium, *Si quis me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est, et coram* [2] *Angelis Dei* (*Matth.* x, 33; *Luc.* xii, 9); inter maledicta et opprobria, inter gravissimas persecutiones crudelesque pœnas non sunt deterriti a prædicatione salutis humanæ tanto fremitu offensionis humanæ. Et quod eos divina facientes atque dicentes divineque viventes, debellatis quodammodo cordibus duris, atque introducta pace justitiæ, ingens in Ecclesia Christi gloria consecuta est; non in ea tanquam in suæ virtutis fine quieverunt: sed eam quoque ipsam ad Dei gloriam referentes, cujus gratia tales erant, isto quoque fomite eos, quibus consulebant, ad amorem illius, a quo et ipsi tales fierent, accendebant. Namque ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos Magister illorum, dicens: *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* vi, 1). Sed rursus ne hoc perverse intelligentes hominibus placere metuerent, minusque prodessent latendo quod boni sunt, demonstrans quo fine innotescere deberent, *Luceant*, inquit, *opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Id.* v, 16). Non ergo, *ut videamini ab eis*, id est hac intentione ut eos ad vos converti velitis, quia non per vos aliquid estis: sed *ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*, ad quem conversi fiant quod estis [3]. Hos secuti sunt martyres, qui Scævolas, et Curtios, et Decios, non sibi inferendo pœnas, sed illatas ferendo, et virtute vera, quoniam vera pietate, et innumerabili multitudine superarunt. Sed cum illi essent in civitate terrena, quibus propositus erat omnium pro illa officiorum finis, incolumitas ejus, et regnum non in cœlo, sed in terra; non in vita æterna, sed in decessione morientium et successione moriturorum: quid aliud amarent quam gloriam, qua volebant etiam post mortem tanquam vivere in ore laudantium?

CAPUT XV. — *De mercede temporali, quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum.*

Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum sanctis Angelis suis in civitate sua cœlesti, ad cujus societatem pietas vera perducit, quæ non exhibet servitutem religionis, quam λατρείαν Græci vocant, nisi uni vero Deo; si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam* (*Matth.* vi, 2). Sic et isti privatas res suas pro re communi, hoc est republica, et pro ejus ærario contempserunt, avaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consilio libero; neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus tanquam vera via nisi sunt ad honores, imperium, gloriam: honorati sunt in omnibus fere gentibus; imperii sui leges imposuerunt multis gentibus; hodieque litteris et historia gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Non est quod de summi et veri Dei justitia conquerantur: *perceperunt mercedem suam.*

CAPUT XVI. — *De mercede sanctorum civium civitatis æternæ, quibus utilia sunt Romanorum exempla virtutum.*

Merces autem sanctorum longe alia est etiam hic opprobria sustinentium pro civitate [1] Dei, quæ mundi hujus dilectoribus odiosa est. Illa civitas sempiterna est: ibi nullus oritur, quia nullus moritur: ibi est vera et plena felicitas, non dea, sed donum Dei: inde fidei pignus accepimus, quamdiu peregrinantes ejus pulchritudini suspiramus: ibi non oritur sol super bonos et malos (*Matth.* v, 45), sed sol justitiæ solos protegit bonos: ibi non erit magna industria, ditare ærarium publicum privatis rebus angustis, ubi thesaurus communis est veritatis. Proinde non solum ut talis merces talibus hominibus redderetur, Romanum imperium ad humanam gloriam dilatatum est; verum etiam ut cives æternæ illius civitatis, quamdiu hic peregrinantur (II *Cor.* v, 6.), diligenter et sobrie illa intueantur exempla, et videant quanta dilectio debeatur supernæ patriæ propter vitam æternam, si tantum a suis civibus terrena dilecta est propter hominum gloriam.

CAPUT XVII. — *Quo fructu Romani bella gesserint, et quantum his quos vicere, contulerint.*

1. Quantum enim pertinet ad hanc vitam mortalium, quæ paucis diebus ducitur et finitur, quid interest sub cujus imperio vivat homo moriturus, si illi qui imperant, ad impia et iniqua non cogant? Aut vero aliquid nocuerunt Romani gentibus, quibus subjugatis

[1] Nonnulli manuscripti, *superetur delectatione justitiæ.*

[2] Nostri manuscripti, *vel coram.* M.

[3] Editi, *Hoc.* At Mss.: *Hos*, id est, Apostolos, de quibus antea

[1] Mss. magno consensu, *pro veritate.*

imposuerunt leges suas, nisi quia id factum est ingenti strage bellorum? Quod si concorditer fieret, idipsum fieret meliore successu: sed nulla esset gloria triumphantium. Neque enim et Romani non vivebant sub legibus suis, quas cæteris imponebant. Hoc si fieret sine Marte et Bellona [1], ut nec victoria locum haberet, nemine vincente ubi nemo pugnaverat, nonne Romanis et cæteris gentibus una esset eademque conditio? præsertim si mox fieret, quod postea gratissime atque humanissime factum est, ut omnes ad Romanum imperium pertinentes societatem acciperent civitatis et Romani cives essent; ac sic esset omnium, quod erat ante paucorum: tantum, quod plebs illa, quæ suos agros non haberet, de publico viveret: qui pastus ejus per bonos administratores reipublicæ gratius a concordibus præstaretur, quam victis extorqueretur.

2. (*a*) Nam quid intersit ad incolumitatem bonosque mores, ipsas [2] certe hominum dignitates, quod alii vicerunt, alii victi sunt, omnino non video, præter illum gloriæ humanæ inanissimum fastum, in quo perceperunt mercedem suam, qui ejus ingenti cupidine arserunt, et ardentia bella gesserunt. Numquid enim illorum agri tributa non solvunt? numquid eis licet discere, quod aliis non licet? numquid non multi senatores sunt in aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt (*b*)? Tolle jactantiam, et omnes homines quid sunt nisi homines? Quod si perversitas sæculi admitteret, ut honoratiores essent quique meliores; nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus. Sed utamur etiam in his rebus beneficio Domini Dei nostri: consideremus quanta contempserint, quæ pertulerint, quas cupiditates subegerint pro humana gloria, qui eam tanquam mercedem talium virtutum accipere meruerunt: et valeat nobis etiam hoc ad opprimendam superbiam; ut cum illa civitas, in qua nobis regnare promissum est, tantum ab hac distet, quantum distat cœlum a terra, a temporali lætitia vita æterna, ab inanibus laudibus solida gloria, a societate mortalium societas Angelorum, a lumine solis et lunæ lumen ejus qui fecit solem et lunam, nihil sibi magnum fecisse videantur tantæ patriæ cives, si pro illa adipiscenda fecerint boni operis aliquid, vel mala aliqua sustinuerint; cum illi pro hac terrena jam adepta tanta fecerint, tanta perpessi sint. Præsertim quia remissio peccatorum, quæ cives ad æternam colligit patriam, habet aliquid, cui per umbram quamdam simile fuit asylum illud Romuleum, quo multitudinem, qua illa civitas conderetur, quorumlibet delictorum congregavit impunitas.

[1] Sic verius Lov. et Mss. At Vind. Am. Er.: *Hoc sufficeret reipublicæ, nisi quia Marti et Bellonæ displicebat.*

[2] Editi, *et ipsas*. Expungendum, *et*, quod abest a manuscriptis: ut sensus sit, bonos mores esse ipsas hominum dignitates.

(*a*) Hic incipit caput 17 in Mss.

(*b*) Donatis civitate multis gentibus, etiam in senatum ex illis plures sunt adscripti, fueruntque senatores, tametsi Romam nunquam venissent, ut cives alii, qui Romam nunquam viderunt. LUD. VIVES.

CAPUT XVIII. — *Quam alieni a jactantia esse debeant Christiani, si aliquid fecerint pro dilectione æternæ patriæ, cum tanta Romani gesserint pro humana gloria et civitate terrena.*

1. Quid ergo magnum est pro illa æterna cœlestique patria, cuncta sæculi hujus quamlibet jucunda blandimenta contemnere, si pro hac temporali atque terrena filios Brutus potuit et occidere (*a*), quod illa facere neminem cogit? Sed certe difficilius est filios interimere, quam quod pro ista faciendum est, ea quæ filiis congreganda videbantur atque servanda, vel donare pauperibus, vel, si existat tentatio quæ id pro fide atque justitia fieri compellat, amittere. Felices enim vel nos vel filios nostros non divitiæ terrenæ faciunt, aut nobis viventibus amittendæ, aut, nobis mortuis, a quibus nescimus, vel forte a quibus nolumus, possidendæ: sed Deus felices facit, qui est mentium vera opulentia. Bruto autem, quia filios occidit, infelicitatis perhibet testimonium etiam poeta laudator. Ait enim:

> Natosque pater nova bella moventes
> Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit,
> Infelix, utcumque ferent ea facta minores.

Sed versu sequenti consolatus est infelicem

> Vincit amor patriæ laudumque immensa cupido.
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 820-823.)

Hæc sunt duo illa, libertas et cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere [1] miranda Romanos. Si ergo pro libertate moriturorum et cupiditate laudum, quæ a mortalibus expetuntur, occidi filii a patre potuerunt; quid magnum est, si pro vera libertate, quæ nos ab iniquitatis et mortis et diaboli dominatu liberos facit, nec cupiditate humanarum laudum, sed charitate liberandorum hominum, non a Tarquinio rege, sed a dæmonibus et dæmonum principe, non filii occiduntur, sed Christi pauperes inter filios computantur?

2. Si alius etiam Romanus princeps, cognomine Torquatus, filium, non quia contra patriam, sed etiam pro patria, tamen quia contra imperium suum, id est contra quod imperaverat pater imperator, ab hoste provocatus juvenili ardore pugnaverat, licet vicisset, occidit; ne plus mali esset in exemplo imperii contempti, quam boni in gloria hostis occisi (*b*): utquid se jactent, qui pro immortalis patriæ legibus omnia, quæ multo minus quam filii diliguntur, bona terrena contemnunt? Si Furius Camillus etiam ingratam patriam, a cujus cervicibus acerrimorum hostium Veientium jugum depulerat, damnatusque ab æmulis fuerat, a Gallis iterum liberavit, quia non habebat potiorem ubi posset vivere gloriosus [2] (*c*): cur extollatur velut grande aliquid fecerit, qui forte in Ecclesia ab inimicis carnalibus gravissimam exhonorationis passus injuriam, non se ad ejus hostes hæreticos

[1] Gallicani omnes Mss., *compulit*.

[2] Sola editio Lov., *gloriosius*.

(*a*) Narrat Livius, lib. 2, cap. 5.

(*b*) Confer supra ad lib. 1, cap. 23.

(*c*) Vide supra, lib. 2, cap. 17; et lib. 4, cap. 7.

transtulit, aut aliquam contra illam ipse hæresim condidit, sed eam potius quantum valuit ab hæreticorum perniciosissima pravitate[1] defendit; cum alia non sit, non ubi vivatur in hominum gloria, sed ubi vita acquiratur æterna? Si Mucius (a), ut cum Porsenna rege pax fieret, qui gravissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam ipsum occidere non potuit, et pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante oculos ejus dexteram extendit, dicens multos tales, qualem illum videret, in ejus exitium conjurasse; cujus ille fortitudinem et conjurationem talium perhorrescens, sine ulla dilatione[2] se ab illo bello facta pace compescuit: quis regno cœlorum imputaturus est meritum suum, si pro illo non unam manum, neque hoc sibi ultro faciens, sed persequente aliquo patiens, totum flammis corpus impenderit? Si Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terræ se præcipitem dedit, deorum suorum oraculis serviens, quoniam jusserant ut illuc id, quod Romani haberent optimum, mitteretur, nec aliud intelligere potuerunt, quam viris armisque se excellere, unde videlicet oportebat ut deorum jussis in illum interitum vir præcipitaretur armatus (b): quid se magnum pro æterna patria fecisse dicturus est, qui aliquem fidei suæ passus inimicum, non se ultro in talem mortem mittens, sed ab illo missus obierit; quandoquidem a Domino suo eodemque rege patriæ suæ certius oraculum accepit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28)? Si se occidendos certis verbis quodammodo consecrantes Decii devoverunt, ut illis cadentibus et iram deorum sanguine suo placantibus Romanus liberaretur exercitus (c); nullo modo superbient[3] sancti martyres tanquam dignum aliquid pro illius patriæ participatione[4] fecerint, ubi æterna est et vera felicitas, si usque ad sui sanguinis effusionem, non solum suos fratres pro quibus fundebatur (d), verum et ipsos inimicos, a quibus fundebatur, sicut eis præceptum est, diligentes, charitatis fide et fidei charitate certarunt? Si Marcus Pulvillus dedicans ædem Jovis, Junonis, Minervæ, falso sibi ab invidis morte filii nuntiata, ut illo nuntio perturbatus abscederet, atque ita dedicationis gloriam collega ejus consequeretur, ita contempsit, ut eum etiam projici insepultum juberet (e); et sic in ejus corde orbitatis dolorem gloriæ cupiditas vicerat: quid magnum se pro Evangelii sancti prædicatione, qua cives supernæ patriæ de diversis liberantur et colliguntur erroribus, fecisse dicturus est, cui Dominus de sepultura patris sui sollicito ait, *Sequere me, et sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Id.* viii, 22)? Si M. Regulus, ne crudelissimos hostes jurando falleret, ad eos ab ipsa Roma reversus est, quoniam, sicut Romanis eum tenere volentibus respondisse fertur, posteaquam Afris servierat, dignitatem illic honesti civis habere non posset; eumque Carthaginenses, quoniam contra eos in Romano senatu egerat, gravissimis suppliciis necaverunt (a): qui cruciatus non sunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cujus beatitudinem fides ipsa perducit? aut quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit (*Psal.* cxv, 12), si pro fide quæ illi debetur talia fuerit homo passus, qualia pro fide quam perniciosissimis inimicis debebat passus est Regulus? Quomodo autem[1] se audebit extollere de voluntaria paupertate christianus, ut in hujus vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad patriam, ubi veræ divitiæ ipse Deus est, cum audiat vel legat L. Valerium, qui in suo defunctus est consulatu, usque adeo fuisse pauperem, ut nummis a populo collatis ejus sepultura curaretur (b)? audiat vel legat Quintium Cincinnatum, cum quatuor jugera possideret, et ea suis manibus coleret, ab aratro esse abductum[2], ut dictator fieret, major utique honore quam consul; victisque hostibus ingentem gloriam consecutum in eadem paupertate mansisse (c)? Aut quid se magnum fecisse prædicabit, quod nullo præmio mundi hujus fuerit ab æternæ illius patriæ societate seductus, cum Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi, regis Epirotarum, promissa etiam quarta parte regni, a Romana civitate non potuisse divelli, ibique in sua paupertate privatum manere maluisse? Nam illud quod rempublicam, id est rem populi, rem patriæ, rem communem, cum haberent opulentissimam atque ditissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, ut quidam eorum, qui jam bis consul fuisset, ex illo senatu pauperum hominum pelleretur notatione censoria, quod decem pondo argenti in vasis habere compertus est (d); ita[3] iidem ipsi pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur ærarium: nonne omnes Christiani, qui excellentiore proposito divitias suas communes faciunt, secundum id quod scriptum est in Actibus Apostolorum, ut distribuatur unicuique, sicut cuique opus est; et nemo dicat aliquid proprium, sed sint illis omnia communia (*Act.* ii, 45; *et* iv, 32); intelligunt se nulla ob hoc ventilari oportere jactantia, id faciendo pro obtinenda societate Angelorum, cum pene tale aliquid illi fecerint pro conservanda gloria Romanorum?

[1] Aliquot Mss., [illegible] — Mss. 703 et 2055, *pravitate*. M.
[2] In Mss., *dubitatione*.
[3] Editi, *superbiant*. At manuscripti, *superbient*.
[4] [illegible] codex, [illegible]
(a) Mucius qui Scævola dictus a clade dextræ manus. Liv., lib. 2, cap. 12, 13, et Plutarch. in Poplicola.
(b) [illegible] Valer. Maxim. l. 5, c. 5.
(c) Liv. lib. 8 et 10.
(d) [illegible]
[illegible]
(e) Sic Plutarchus; at Livius cadaver efferri jussisse scribit.

[1] Vox, *autem*, abest a nostris codicibus. M.
[2] In B., *adductum*. M.
[3] Lov., *si ita*. Abest, *si*, a cæteris libris.
(a) Supra, lib. 1, cap. 15, 24.
(b) [illegible] et in obitus anno; [illegible] Valerius Publicola; [illegible] consulatu obiit, sed anno post, Verginio et Cassio consulibus, sexto anno post expulsos reges. Livius, lib. 2, cap. 16, [illegible] lib. 3.
(c) Livius, lib. 3, cap. 26; Valer. Maxim., lib. 4, cap. 4, § 7.
(d) Cornelium Rufinum intelligit de quo Valer. Maxim. lib. 2, cap. 9, A. Gell., lib. 4, cap. 8; Livius, lib. 14.

3. Hæc et alia, si qua hujuscemodi reperiuntur in litteris eorum, quando sic innotescerent, quando tanta fama prædicarentur, nisi Romanum imperium longe lateque porrectum, magnificis successibus augeretur? Proinde per illud imperium tam latum tamque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum atque gloriosum, et illorum intentioni merces quam quærebant est reddita, et nobis proposita necessariæ commonitionis exempla : ut si virtutes, quarum istæ utcumque sunt similes, quas isti pro civitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima civitate non tenuerimus, pudore pungamur; si tenuerimus, superbia non extollamur : quoniam, sicut dicit Apostolus, *indignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Ad humanam vero gloriam præsentisque temporis satis digna vita æstimabatur illorum. Unde etiam Judæi, qui Christum occiderunt, revelante Testamento Novo, quod in Vetere velatum fuit, ut non pro terrenis et temporalibus beneficiis, quæ divina providentia permixte bonis malisque concedit, sed pro æterna vita muneribusque perpetuis et ipsius supernæ civitatis societate colatur Deus unus et verus, rectissime istorum gloriæ donati sunt; ut hi qui qualibuscumque virtutibus terrenam gloriam quæsierunt et acquisiverunt, vincerent eos qui magnis vitiis datorem veræ gloriæ et civitatis æternæ occiderunt atque respuerunt.

CAPUT XIX. — *Quo inter se differant cupiditas gloriæ, et cupiditas dominationis.*

Interest sane inter cupiditatem humanæ gloriæ, et cupiditatem dominationis. Nam licet proclive sit, ut qui humana gloria nimium delectatur, etiam dominari ardenter affectet; tamen qui veram licet humanarum laudum gloriam concupiscunt, dant operam bene judicantibus non displicere. Sunt enim multa in moribus bona, de quibus multi bene judicant, quamvis ea multi non habeant : per ea [1] bona morum nituntur ad gloriam et imperium vel dominationem, de quibus ait Sallustius, *Sed ille vera via nititur.* Quisquis autem sine cupiditate gloriæ, qua veretur homo bene judicantibus displicere, dominari atque imperare desiderat, etiam per apertissima scelera quærit plerumque obtinere quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut vera via nititur, aut certe dolis atque fallaciis contendit, volens bonus videri esse [2], quod non est (*Sallust. in Catil.*). Et ideo virtutes habenti magna virtus est contemnere gloriam; quia contemptus ejus in conspectu Dei est, judicio autem non aperitur humano. Quidquid enim fecerit ad oculos hominum, quo gloriæ contemptor appareat, ad majorem laudem, hoc est ad majorem gloriam, facere si credatur, non est unde se suspicantium sensibus aliter esse, quam suspicantur, ostendat. Sed qui contemnit judicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem : quorum tamen, si vere bonus est, non contemnit salutem; quoniam tantæ justitiæ est qui de Spiritu Dei virtutes habet, ut etiam ipsos diligat inimicos, et ita diligat, ut suos osores [1] vel detractores velit correctos habere consortes; non in terrena patria, sed superna : in laudatoribus autem suis quamvis parvipendat quod eum laudant, non tamen parvipendit quod amant; nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes : ideoque instat ardenter, ut potius ille laudetur, a quo habet homo quidquid in eo jure laudatur. Qui autem contemptor gloriæ, dominationis est avidus, bestias superat sive crudelitatis vitiis, sive luxuriæ. Tales quidam Romani fuerunt : non enim, cura existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tales fuisse, prodit historia : sed hujus vitii summitatem et quasi arcem quamdam Nero Cæsar primus obtinuit; cujus fuit tanta luxuries, ut nihil ab eo putaretur virile metuendum; tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur. Etiam talibus tamen dominandi potestas non datur nisi summi Dei providentia, quando res humanas judicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re vox divina est, loquente Dei sapientia : *Per me reges regnant, et tyranni per me tenent terram* (*Prov.* VIII, 15). Sed ne tyranni non pessimi atque improbi reges, sed vetere nomine fortes dicti existimentur, unde ait Virgilius,

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni :
(*Aeneid. lib.* 7, *vers.* 266.)

apertissime alio loco de Deo dictum est, *Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi* (*Job* XXXIV, 30). Quamobrem, quamvis, ut potui, satis exposuerim qua causa Deus unus verus et justus Romanos secundum quamdam formam terrenæ civitatis bonos adjuverit ad tanti imperii gloriam consequendam : potest tamen et alia causa esse latentior, propter diversa merita generis humani, Deo magis nota quam nobis; dum illud constet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem (*a*); nec eam veram esse, quando gloriæ servit humanæ. Eos tamen qui cives non sint civitatis æternæ, quæ in sacris Litteris nostris dicitur civitas Dei (*Psal.* XLV, 5; *et* XLVII, 3 *et* 9, *etc.*), utiliores esse terrenæ civitati, quando habent virtutem vel ipsam, quam si nec ipsam. Illi autem qui vera pietate præditi bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus humanis, quam si Deo miserante habeant potestatem. Tales autem homines virtutes suas, quantascumque in hac vita possunt habere, non tribuunt nisi gratiæ Dei, quod eas volentibus, credentibus, petentibus dederit; simulque intelligunt, quantum sibi desit ad perfectionem justitiæ, qualis est in illorum sanctorum Angelorum societate, cui se nituntur aptare. Quantumlibet autem laudetur atque prædicetur virtus, quæ sine vera pietate servit hominum gloriæ, nequaquam sanctorum exiguis initiis comparanda est, quorum spes posita est in gratia et misericordia veri Dei.

[1] Editi, *et per ea.* Abest, *et*, a manuscriptis.
[2] Editi, *videri quod non est*; omisso, *esse*, quod habent manuscripti.

[1] Sic Vind. Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *ut susurrones.*
(*a*) Vide infra, lib. 19, cap. 25.

CAPUT XX. — *Tam turpiter servire virtutes humanæ gloriæ, quam corporis voluptati.*

Solent philosophi, qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam philosophis, qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, et illam per se ipsam putant appetendam, istas propter ipsam, tabulam quamdam verbis pingere, ubi voluptas in sella regali quasi delicata quædam regina considat; eique virtutes famulæ subjiciantur, observantes ejus nutum, ut faciant quod illa imperaverit : quæ prudentiæ jubeat, ut vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, et salva sit; justitiæ jubeat, ut præstet beneficia quæ potest ad comparandas amicitias corporalibus commodis necessarias; nulli faciat injuriam, ne offensis legibus voluptas vivere secura non possit; fortitudini jubeat, ut, si dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam suam, id est voluptatem, fortiter in animi cogitatione, ut per pristinarum deliciarum suarum recordationem mitiget præsentis doloris aculeos; temperantiæ jubeat, ut tantum capiat alimentorum, et, si qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, et voluptas, quam etiam in corporis sanitate Epicurei maximam ponunt, graviter offendatur. Ita virtutes cum tota suæ gloriæ dignitate [1] tanquam imperiosæ cuidam et inhonestæ mulierculæ servient voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius, et quod minus ferre bonorum possit aspectus : et verum dicunt. Sed non existimo satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, ubi virtutes humanæ gloriæ serviant. Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, et multum inanitatis habet. Unde non ei digne servit soliditas quædam firmitasque virtutum, ut nihil provideat prudentia, nihil distribuat justitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, nisi unde placeatur hominibus et ventosæ gloriæ serviatur. Nec illi se ab ista fœditate defenderint, qui, cum aliena spernant judicia velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur et sibi placent. Nam eorum virtus, si tamen ulla est, alio modo quodam humanæ subditur laudi : neque enim ipse qui sibi placet, homo non est. Qui autem vera pietate in Deum, quem diligit, credit et sperat, plus intendit in ea, in quibus sibi displicet, quam in ea, si qua in illo sunt, quæ non tam ipsi quam veritati placent : neque id tribuit, unde jam potest placere, nisi ejus misericordiæ, cui metuit displicere; de his sanatis gratias agens, de illis sanandis preces fundens.

CAPUT XXI. — *Romanum regnum a Deo vero esse dispositum, a quo est omnis potestas, et cujus providentia reguntur universa.*

Quæ cum ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet. Quamvis enim aliquid dixerimus, quod apertum nobis esse voluit; tamen multum est ad nos, et valde superat vires nostras, hominum occulta discutere, et liquido examine merita dijudicare regnorum. Ille igitur unus verus Deus, qui nec judicio, nec adjutorio deserit genus humanum, quando voluit, et quantum voluit, Romanis regnum dedit : qui dedit Assyriis, vel etiam Persis, a quibus solos duos deos coli, unum bonum, alterum malum continent litteræ istorum : ut taceam de populo Hebræo, de quo jam dixi, quantum satis visum est, qui præter unum Deum non coluit et quando regnavit. Qui ergo Persis dedit segetes sine cultu deæ Segetiæ, qui alia dona terrarum sine cultu tot deorum, quos isti rebus singulis singulos, vel etiam rebus singulis plures præposuerunt; ipse etiam regnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti regnasse crediderunt. Sic etiam hominibus; qui Mario, ipse Caio Cæsari; qui Augusto, ipse et Neroni (*a*); qui Vespasianis, vel patri vel filio, suavissimis imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo : et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino christiano, ipse apostatæ Juliano : cujus egregiam indolem decepit amore dominandi sacrilega et detestanda curiositas, cujus vanis deditus oraculis erat, quando fretus securitate victoriæ, naves, quibus victus necessarius portabatur, incendit; deinde fervide instans immodicis ausibus, et mox merito temeritatis occisus, in locis hostilibus egenum reliquit exercitum, ut aliter inde non posset evadi, nisi contra illud auspicium dei Termini, de quo superiore libro diximus (*Cap.* 29), Romani imperii termini moverentur. Cessit enim Terminus deus necessitati, qui non cesserat Jovi. Hæc plane Deus unus et verus regit et gubernat ut placet : et si occultis causis, numquid injustis?

CAPUT XXII. — *Tempora exitusque bellorum ex Dei pendere judicio.*

Sic etiam tempora ipsa bellorum, sicut in ejus arbitrio est justoque judicio et misericordia, vel atterere, vel consolari genus humanum, ut alia citius, alia tardius finiantur. Bellum Piratarum a Pompeio (*b*), bellum Punicum tertium a Scipione incredibili celeritate et temporis brevitate (*c*) confecta sunt. Bellum quoque fugitivorum gladiatorum, quamvis multis Romanis ducibus et duobus consulibus victis, Italiaque horribiliter contrita atque vastata, tertio tamen anno post multa consumpta consumptum est [1]. Picentes, Marsi et Peligni, gentes non exteræ, sed Italicæ, post diuturnam et devotissimam sub Romano jugo servitutem, in libertatem caput erigere tentaverunt, jam multis nationibus Romano imperio subjugatis, deletaque Carthagine (*d*) : in quo bello Italico Romanis sæpissime victis, ubi et duo consules perierunt, et alii nobilissimi senatores : non diuturno ta-

[1] Aliquot probæ notæ Mss., *cum tota suæ gloriæ dignitatis*. — Sic Ms. 766. At Ms. 2055, *cum tota sua gloria dignitatis*. M.

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *consummatum est*.

(*a*) Binos conjunxit, alterum bonum, alterum malum : crudelis Marius, clementissimus C. Cæsar, optimus princeps Augustus, pessimus Nero.

(*b*) Quadragesimo die postquam Brundisio solvit Pompeius, terminatum est. Florus, l. 3, c. 6. Cicero, pro lege Manilia.

(*c*) *Intra quartum annum quam cœptum erat, consummatum omnino est*, ait Livius l. 49. At Florus l. 2; *quadriennio patratum* scribit.

(*d*) Conf. Livium, libb. 72-76, et 95, 96.

men tempore tractum est hoc malum; nam quintus ei annus finem dedit. Sed bellum Punicum secundum cum maximis detrimentis et calamitate reipublicæ per annos decem et octo (*a*) Romanas vires extenuavit, et pene consumpsit: duobus prœliis (*b*) ferme septuaginta Romanorum millia ceciderunt. Bellum Punicum primum per viginti et tres annos peractum (*c*) est: bellum Mithridaticum quadraginta annis (*d*). Ac ne quisquam arbitretur rudimenta Romanorum fuisse fortiora ad bella citius peragenda, superioribus temporibus, multum in omni virtute laudatis, bellum Samniticum annis tractum est ferme quinquaginta (*e*): in quo bello ita Romani victi sunt, ut sub jugum etiam mitterentur. Sed quia non diligebant gloriam propter justitiam, sed justitiam propter gloriam diligere videbantur, pacem factam fœdusque ruperunt (*f*). Hæc ideo commemoro, quoniam multi præteritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suæ scientiæ, si temporibus christianis aliquod bellum paulo diutius trahi vident, illico in nostram religionem protervissime insiliunt, exclamantes, quod, si ipsa non esset, et vetere ritu numina colerentur, jam Romana illa virtute, quæ adjuvante Marte et Bellona tanta celeriter bella confecit, id quoque celerrime finiretur. Recolant igitur qui legerunt quam diuturna bella, quam variis eventis [1], quam luctuosis cladibus a veteribus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum velut procellosissimum pelagus varia talium malorum tempestate jactari: et, quod nolunt, aliquando fateantur, nec insanis adversus Deum linguis se interimant, et decipiant imperitos.

CAPUT XXIII. — *De bello in quo Rhadagaisus rex Gothorum, dæmonum cultor, uno die cum ingentibus copiis suis victus est.*

Quod tamen nostra memoria recentissimo tempore Deus mirabiliter et misericorditer fecit, non cum gratiarum actione commemorant; sed quantum in ipsis est, omnium, si fieri potest, hominum oblivione sepelire conantur: quod a nobis si tacebitur, similiter erimus ingrati. Cum Rhadagaisus rex Gothorum agmine ingenti et immani jam in Urbis vicinia constitutus, Romanis cervicibus immineret, uno die tanta celeritate sic victus est, ut ne uno quidem, non dicam exstincto, sed [2] vulnerato Romanorum, multo amplius quam centum millium prosterneretur ejus exercitus, atque ipse cum filiis [3] mox captus pœna debita necaretur (*a*). Nam si ille tam impius cum tantis et tam impiis copiis Romam fuisset ingressus, cui pepercisset? quibus honorem locis martyrum detulisset? in qua persona Deum timeret? cujus non sanguinem fusum, cujus pudicitiam vellet intactam? Quas autem isti pro diis suis voces haberent, quanta insultatione jactarent, quod ille ideo vicisset, ideo tanta potuisset, quia quotidianis sacrificiis placabat atque invitabat deos, quod Romanos facere christiana religio non sinebat? Nam propinquante jam illo his locis, ubi nutu summæ majestatis oppressus est, cum ejus fama ubique crebresceret, nobis apud Carthaginem dicebatur, hoc credere, spargere, jactare Paganos, quod ille diis amicis protegentibus et opitulantibus, quibus immolare quotidie ferebatur, vinci omnino non posset ab eis, qui talia diis Romanis sacra non facerent, nec fieri a quoquam permitterent. Et non agunt miseri gratias tantæ misericordiæ Dei, qui, cum statuisset irruptione barbarica graviora pati dignos [1] mores hominum castigare, indignationem suam tanta mansuetudine temperavit, ut illum primo faceret mirabiliter vinci, ne ad infirmorum animos evertendos gloria daretur dæmonibus, quibus eum supplicare constabat; deinde [2] ab his Barbaris Roma caperetur, qui contra omnem consuetudinem bellorum ante gestorum ad loca sancta confugientes christianæ religionis reverentia tuerentur, ipsisque dæmonibus atque impiorum sacrificiorum ritibus, de quibus ille præsumpserat, sic adversarentur pro [3] nomine christiano, ut longe atrocius bellum cum eis quam cum hominibus gerere viderentur: ita verus Dominus gubernatorque rerum et Romanos cum misericordia flagellavit, et tam incredibiliter victis supplicatoribus dæmonum, nec saluti rerum præsentium necessaria esse sacrificia illa monstravit; ut ab his, qui non pervicaciter contendunt, sed prudenter attendunt, nec propter præsentes necessitates religio vera deseratur, et magis æternæ vitæ fidelissima exspectatione teneatur.

CAPUT XXIV. — *Quæ sit christianorum imperatorum, et quam vera felicitas.*

Neque enim nos christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt. Hæc et alia vitæ hujus ærumnosæ vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti: et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homi-

[1] Sic Mss.; at editi, *eventibus*.

[2] Er. et Lov., *sed nec*. Abest particula, *nec*, ab aliis libris. — Abest etiam a nostris Mss. M.

[3] Ex Romanis et Gallicanis Mss., plures probæ notæ non habent, *cum filiis*. — Nec nostri. M.

(*a*) Suffragatur Livius lib. 30, et Florus l. 2; at Polybius l. 3, et Orosius l. 4, c. 20, notant hujus belli annos tantum septemdecim.

(*b*) Altero prælio ad Thrasymenum lacum, ad Cannas commisso. Livius l. 22; Florus l. 2.

(*c*) Augustino consentit Orosius. At Polybius l. 1, per viginti et quatuor annos peractum scribit: quia videlicet annos ipse ab occasione movendi belli numerat, alii vero ab ejus susceptione.

(*d*) Florus, lib. 3, cap. 5.

(*e*) Eutropius et Orosius annos quadraginta novem in hoc bello numerant. Florus quinquaginta: nec plures sunt, si ad Fabium Gurgetem consulem finitur. Attamen Appianus octoginta [illegible], ipsique Samnites in Livii lib. 25 dicunt se per [illegible] prope annos cum populo Romano bellum gessisse.

(*f*) Vide Livium, lib. 9.

[1] Sic plures Mss. Alii quidam, *graviora dignos*; omisso, *pati*. At editi, *graviore dignos*.

[2] Editi, *deinde cum*. Abest *cum*, a manuscriptis.

[3] Mss. omittunt *pro*. — Omittunt etiam nostri omnes. M.

(*a*) Plus quam ducenta millia Gothorum fuisse ferunt Paulus Æmilius, libro 1 Historiæ Francorum; Orosius, lib. 7, cap. 37, et alii. Hæc Rhadagaisi clades sub Honorio contigit, anno Christi 405. Vide Augustini Sermonem 105, cap. 10.

nes esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, facile ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt [1]; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si, quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate et beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare: et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis, humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id, quod exspectamus, advenerit.

CAPUT XXV. — *De prosperitatibus, quas Constantino imperatori christiano Deus contulit.*

Nam bonus Deus, ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has sublimitates et regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi dæmonibus supplicet, quod hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet: cui etiam condere civitatem (a) Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque concessit. Diu imperavit (b), universum orbem Romanum unus Augustus tenuit et defendit; in administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit; in tyrannis opprimendis (c) per omnia prosperatus est; grandævus ægritudine et senectute defunctus est; filios imperantes reliquit (d). Sed rursus ne imperator quisquam ideo christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam æternam quisque debeat esse christianus; Jovianum [2] multo citius quam Julianum abstulit; Gratianum ferro tyrannico permisit interimi (e), longe quidem mitius, quam Magnum Pompeium, colentem velut [3] Romanos deos (f). Nam ille vindicari a Catone non potuit, quem civilis belli quodammodo hæredem reliquerat: iste autem, quamvis piæ animæ solatia talia non requirant, a Theodosio vindicatus est (a), quem regni participem fecerat, cum parvulum haberet fratrem (b); avidior fidæ societatis [1], quam nimiæ potestatis.

CAPUT XXVI. — *De fide et pietate Theodosii Augusti.*

1. Unde et ille non solum vivo servavit quam debebat fidem, verum etiam post ejus mortem pulsum ab ejus interfectore Maximo Valentinianum, ejus parvulum fratrem, in sui partes imperii tanquam christianus excepit pupillum, paterno custodivit affectu, quem destitutum omnibus opibus nullo negotio posset auferre, si latius regnandi cupiditate magis quam bene faciendi charitate flagraret: unde potius eum, servata ejus imperatoria dignitate susceptum, ipsa humanitate et gratia consolatus est. Deinde cum Maximum terribilem faceret ille successus, hic in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas atque illicitas, sed ad Joannem in Ægypti eremo constitutum, quem Dei servum prophetandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat, misit; atque ab eo nuntium victoriæ certissimum accepit. Mox tyranni Maximi exstinctor Valentinianum puerum imperii sui partibus, unde fugatus fuerat, cum misericordissima veneratione restituit: eoque sive per insidias, sive quo alio pacto vel casu proxime exstincto, alium tyrannum Eugenium, qui in illius imperatoris locum non legitime fuerat subrogatus, accepto rursus prophetico responso, fide certus oppressit, contra cujus robustissimum exercitum magis orando, quam feriendo pugnavit. Milites nobis, qui aderant, retulerunt, extorta sibi esse de manibus quæcumque jaculabantur, cum a Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, et non solum, quæcumque in eos jaciebantur, concitatissime raperet, verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde et poeta Claudianus, quamvis a Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit:

> O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
> Æolus armatas hiemes [2]; cui militat æther,
> Et conjurati veniunt ad classica venti!
> (*In Panegyr. de tertio Honorii consulatu*, vers. 96-98.)

Victor autem, sicut crediderat et prædixerat, Jovis simulacra, quæ adversus eum fuerant nescio quibus ritibus velut consecrata, et in Alpibus constituta, deposuit: eorumque fulmina, quod aurea fuissent, jocantibus (quod illa lætitia permittebat) cursoribus, et se ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter benigneque donavit. Inimicorum suorum filios, quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus [3], etiam nondum christianos ad ecclesiam confugientes, christianos hac occasione fieri voluit, et christiana charitate dilexit;

[1] Aliquot Mss., pariterque editiones 703, 2051 et 2055, [illegible]

[2] [illegible]

[3] [illegible]

(a) [illegible]

(b) [illegible] lib. 7, [illegible]

(c) [illegible]

(d) Constantinum, Constantium et Constantem.

(e) [illegible] tyranni [illegible]

(f) [illegible] lib. 5, cap. 5. [illegible]

[1] In excusis legebatur, *haberet et fratrem, avidior fidæ societatis*, sed parvula, *et*, non est in melioribus nostris manuscriptis, quorum etiam auctoritate emendamus, *fidæ*.

[2] Mss. nostri omittunt, *cui fundit ab antris Æolus armatas hiemes*. M.

[3] Plerique Mss., *quos non ipsius jussu*; et quidam prosequuntur, *sed belli abstulerat impetus*; omisso, *sed*. Forte [illegible] — Mss. 703, 2052 et 2055, *quos non ipsius jussu, belli abstulerat impetus*. M.

(a) Cum Theodosius Maximum Aquileiæ agentem cepit et interfecit.

(b) Valentinianum [illegible] Valentiniani senioris [illegible]

nec privavit rebus, et [1] auxit honoribus. In neminem post victoriam privatas inimicitias valere permisit. Bella civilia, non sicut Cinna et Marius et Sylla et alii tales nec finita finire voluerunt, sed magis doluit exorta quam cuiquam nocere voluit terminata. Inter hæc omnia ex ipso initio imperii sui non quievit justissimis et misericordissimis legibus adversus impios laboranti Ecclesiæ subvenire, quam Valens hæreticus favens Arianis vehementer afflixerat: cujus Ecclesiæ se membrum esse magis quam in terris regnare gaudebat. Simulacra Gentilium ubique evertenda præcepit, satis intelligens nec terrena munera in dæmoniorum, sed in Dei veri esse posita potestate. Quid autem fuit ejus religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium gravissimum scelus, cui jam, episcopis intercedentibus, promiserat indulgentiam, tumultu quorumdam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est, et ecclesiastica coercitus disciplina, sic egit pœnitentiam, ut imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans magis fleret videndo prostratam, quam peccando timeret iratam? Hæc ille secum, et si qua similia, quæ commemorare longum est, bona opera tulit, ex isto temporali vapore cujuslibet culminis et sublimitatis humanæ; quorum operum merces est æterna felicitas, cujus dator est Deus solis [2] veraciter piis. Cætera vero vitæ hujus vel fastigia vel subsidia, sicut ipsum mundum, lucem, auras, terras, aquas, fructus, ipsiusque hominis animam, corpus, sensus, mentem, vitam, bonis malisque largitur: in quibus est etiam quælibet imperii magnitudo, quam pro temporum gubernatione dispensat [3].

2. — [XXVII.] Proinde jam etiam illis respondendum esse video, qui manifestissimis documentis, quibus ostenditur quod ad ista temporalia, quæ sola stulti habere concupiscunt, nihil deorum falsorum multitudo prosit, confutati atque convicti conantur asserere, non propter vitæ præsentis utilitatem, sed propter eam quæ post mortem futura est, colendos deos. Nam istis qui propter amicitias mundi hujus volunt vana colere, et non se permitti puerilibus sensibus conqueruntur, his quinque libris satis arbitror esse responsum. Quorum tres priores cum edidissem, et in multorum manus venire cœpissent, audivi quosdam nescio quam adversus eos responsionem scribendo præparare. Deinde ad me perlatum est, quod jam scripserint, sed tempus quærant, quo sine periculo possint edere. Quos admoneo, non optent quod eis non expedit. Facile est enim cuiquam videri respondisse, qui tacere noluerit. Aut quid est loquacius vanitate? quæ non ideo potest quod veritas, quia, si voluerit, etiam plus potest clamare quam veritas. Sed considerent omnia diligenter: et si forte, sine studio partium judicantes, talia esse perspexerint, quæ potius exagitari quam convelli possint garrulitate impudentissima et quasi satirica vel mimica levitate, cohibeant suas nugas; et potius a prudentibus emendari, quam laudari ab impudentibus eligant. Nam si non ad libertatem vera dicendi, sed ad licentiam maledicendi tempus exspectant, absit ut eis eveniat quod ait Tullius de quodam, qui peccandi licentia felix appellabatur: O miserum, cui peccare licebat (a)! Unde quisquis est, qui maledicendi licentia felicem se putat, multo erit felicior, si hoc illi omnino non liceat: cum possit deposita inanitate jactantiæ etiam isto tempore, tanquam studio consulendi, quidquid voluerit, contradicere; et quantum possunt [1], ab eis quos consulit amica disputatione, honeste, graviter, libere quod oportet audire.

[1] Sic Mss. At editi, *sed*.
[2] Nonnulli Mss., *solus*.
[3] Hic apud Am. Er. et Lov. factum est caput vigesimum septimum et titulus iste additus: *Contra invidos maledicos Augustini, qui scripserunt contra editos jam libros*. Sed id tentatum sine auctoritate manuscriptorum, et refragante antiquiore editione Vindelmiana.

[1] Editi, *possunt*. [illegible] *possit*: eos intellige qui [illegible]
(a) [illegible] Tusc. quæst. lib. 5, cap. 19.

LIBER SEXTUS.

Hactenus contra eos qui propter hanc temporalem vitam colendos deos putant; nunc vero adversus eos qui cultum ipsis credunt propter vitam æternam exhibendum; quos Augustinus decem sequentibus libris refellit: ostendit hic in primis quam vilem de diis opinionem habuerit ipse Varro theologiæ gentilis scriptor doctissimus. Affert theologiæ istius genera secundum eumdem tria, fabulosum, naturale, civile; deinde de fabuloso et de civili demonstrat, nihil hæc genera ad futuræ vitæ felicitatem conferre.

PRÆFATIO.

Quinque superioribus libris satis mihi adversus eos videor disputasse, qui multos deos et falsos, quos esse inutilia simulacra, vel immundos spiritus et perniciosa dæmonia, vel certe creaturas, non Creatorem, veritas christiana convincit, propter vitæ hujus mortalis rerumque terrenarum utilitatem, eo ritu ac servitute, quæ græce λατρεία dicitur, et uni vero Deo debetur, venerandos et colendos putant. Et nimiæ quidem stultitiæ vel pertinaciæ, nec istos quinque, nec ullos alios quanticumque numeri libros satis esse posse, quis nesciat? quando ea putatur gloria vanitatis, nullis cedere viribus veritatis; in perniciem utique ejus, cui vitium tam immane dominatur. Nam et contra omnem curantis industriam, non malo medici, sed ægroti insanabilis, morbus invictus est. Hi vero qui ea quæ legunt, vel sine ulla, vel non cum magna ac nimia veteris erroris obstinatione, intellecta et considerata perpendunt, facilius nos isto numero terminatorum quinque voluminum plus, quam quæstionis ipsius necessitas postulabat, satisfecisse, quam minus disseruisse judicabunt; totamque invidiam, quam christianæ religioni de hujus vitæ cladibus terrenarumque contritione ac mutatione rerum imperiti facere conantur, non solum dissimulantibus, sed contra suam conscientiam faventibus etiam doctis, quos impietas vesana possedit, omnino esse inanem rectæ cogitationis atque rationis, plenamque le-

vissimæ temeritatis et perniciosissimæ animositatis, dubitare non poterunt.

CAPUT PRIMUM. — *De his qui dicunt deos a se non propter præsentem vitam coli, sed propter æternam.*

1. Nunc ergo quoniam deinceps, ut promissus ordo expetit, etiam hi refellendi et docendi sunt, qui non propter istam vitam, sed propter illam quæ post mortem futura est, deos Gentium, quos christiana religio destruit, colendos esse contendunt; placet a veridico oraculo sancti Psalmi sumere exordium disputationis meæ: *Beatus cujus est Dominus Deus spes ipsius, et non respexit in vanitates et insanias mendaces* (*Psal.* XXXIX, 5). Verumtamen in omnibus vanitatibus insaniisque mendacibus longe tolerabilius philosophi audiendi sunt, quibus displicuerunt istæ opiniones erroresque populorum: qui populi constituerunt simulacra numinibus, multaque de eis, quos deos immortales vocant, falsa atque indigna sive finxerunt, sive ficta crediderunt, et credita eorum cultui sacrorumque ritibus miscuerunt. Cum his hominibus, qui, etsi non libere prædicando, saltem utcumque in disputationibus mussitando, talia se improbare testati sunt, non usque adeo inconvenienter quæstio ista tractatur: utrum non unum Deum, qui fecit omnem spiritualem corporalemque creaturam, propter vitam quæ post mortem futura est, coli oporteat; sed multos deos, quos ab illo uno factos et sublimiter collocatos quidam eorumdem philosophorum cæteris excellentiores nobilioresque senserunt (*a*).

2. Cæterum quis ferat dici atque contendi, deos illos, quorum in quarto libro quosdam commemoravi (*Capp.* 11 *et* 21), quibus rerum exiguarum singulis singula distribuuntur officia, vitam æternam cuiquam præstare? An vero illi peritissimi et acutissimi viri, qui se pro magno beneficio conscripta docuisse gloriantur, ut sciretur quare cuique deo supplicandum esset, quid a quoque esset petendum, ne absurditate turpissima, qualis jpculariter in mimo fieri solet, peteretur a Libero aqua, a Lymphis (*b*) vinum (*c*); auctores erunt cuipiam hominum diis immortalibus supplicanti, ut cum a Lymphis petierit vinum, eique responderint, Nos aquam habemus, hoc a Libero pete, possit recte dicere, Si vinum non habetis, saltem date mihi vitam æternam? Quid hac absurditate monstrosius[1]? Nonne illæ cachinnantes (solent enim esse ad risum faciles (*d*)) si non affectent fallere ut dæmones, supplici respondebunt, O homo, putasne in potestate nos habere vitam, quas audis non habere vel vitem? Impudentissimæ igitur stultitiæ est, vitam æternam a talibus diis petere vel sperare, qui vitæ hujus ærumnosissimæ atque brevissimæ, et si qua ad eam pertinent adminiculandam atque fulciendam, ita singulas particulas tueri asseruntur, ut si id quod sub alterius tutela ac potestate est, petatur ab altero, tam sit inconveniens et absurdum, ut mimicæ scurrilitati videatur esse simillimum. Quod cum fit a scientibus mimis, digne ridentur in theatro; cum vero a nescientibus stultis, dignius irridentur in mundo. Cui ergo deo vel deæ, propter quid supplicaretur, quantum ad illos deos attinet, quos instituerunt civitates, a doctis solerter inventum memoriæque mandatum est; quid a Libero, verbi gratia, quid a Lymphis, quid a Vulcano, ac sic a cæteris, quos partim commemoravi in quarto libro, partim prætereundos putavi. Porro si a Cerere vinum, a Libero panem, a Vulcano aquam, a Lymphis ignem petere erroris est; quanto majoris deliramenti esse intelligi debet, si cuiquam istorum pro vita supplicetur æterna?

3. Quamobrem, si, cum de regno terreno quæreremus, quosnam illud deos vel deas hominibus credendum esset posse conferre, discussis omnibus longe alienum a veritate monstratum est, a quoquam istorum multorum numinum atque falsorum saltem regna terrena existimare constitui: nonne insanissimæ impietatis est, si æterna vita, quæ terrenis omnibus regnis sine ulla dubitatione vel comparatione præferenda est, ab istorum quoquam dari cuiquam posse credatur? Neque enim propterea dii tales vel terrenum regnum dare non posse visi sunt, quia illi magni et excelsi sunt, hoc quiddam parvum et abjectum, quod non dignarentur in tanta sublimitate curare. Sed quantumlibet[1] consideratione fragilitatis humanæ caducos apices terreni regni merito quisque contemnat; illi dii tales apparuerunt, ut indignissimi viderentur, quibus danda atque servanda deberent vel ista committi. Ac per hoc, si (ut superiora proximis duobus libris pertractata docuerunt) nullus deus ex illa turba, vel quasi plebeiorum, vel quasi procerum deorum, idoneus est regna mortalia mortalibus dare, quanto minus potest immortales ex mortalibus facere?

4. Huc accedit quia, si jam cum illis agimus, qui non propter istam, sed propter vitam quæ post mortem futura est, existimant colendos deos; jam nec propter illa saltem, quæ deorum talium potestati tanquam dispartita[2] et propria, non ratione veritatis, sed vanitatis opinione tribuuntur, omnino colendi sunt; sicut credunt hi qui cultum eorum vitæ hujus mortalis utilitatibus necessarium esse contendunt: contra quos jam quinque præcedentibus voluminibus satis, quantum potui, disputavi. Quæ cum ita sint, si eorum qui colerent deam Juventatem, ætas ipsa floreret insignius; contemptores autem ejus, vel intra annos occumberent juventutis, vel in ea tanquam senili torpore[3] frigescerent: si malas cultorum suorum speciosius et festivius Fortuna barbata vestiret; a quibus autem sperneretur, glabros aut male barbatos videremus: etiam sic rectissime diceremus, hucusque istas deas singulas posse, suis officiis quodam-

[1] Vind. Am. Er. et plerique Mss., *monstruosius*.

(*a*) Plato in Timæo.

(*b*) Editi, *Nymphis*; at Mss. constanter, *Lymphis*. [illegible]

(*c*) Vide supra, lib. 4, cap. 22.

(*d*) Allusio ad illud Virgilii, Eclog. 3, vers. 9: [illegible]

[1] [illegible]

[2] [illegible]

[3] [illegible]

modo limitatas [1], ac per hoc nec a Juventate oportere peti vitam æternam, quæ non daret barbam, nec a Fortuna barbata boni aliquid post hanc vitam esse sperandum, cujus in hac vita potestas nulla esset, ut eamdem saltem ætatem, quæ barba induitur, ipsa præstaret. Nunc vero, cum earum cultus nec propter ista ipsa, quæ putant eis subdita, sit necessarius; quia et multi colentes Juventatem deam minime in illa ætate viguerunt, et multi non eam colentes gaudent robore juventutis; itemque multi Fortunæ barbatæ supplices ad nullam vel deformem barbam pervenire potuerunt, et si qui eam pro barba impetranda venerantur, a barbatis ejus contemptoribus irridentur: itane desipit cor humanum, ut, quorum deorum cultum propter ista ipsa temporalia et cito prætereuntia munera, quibus singulis singuli præesse perhibentur, inanem ludibriosumque cognoscit, propter vitam æternam credat esse fructuosum? Hanc dare illos posse nec hi dicere ausi sunt, qui eis, ut ab insipientibus populis colerentur, ista opera temporalia, quoniam nimis multos putaverunt, ne quisquam eorum sederet otiosus, minutatim divisa tribuerunt.

CAPUT II. — *Quid Varronem de diis Gentium sensisse credendum sit, quorum talia et genera et sacra detexit, ut reverentius cum eis ageret, si de illis omnino reticeret.*

Quis Marco Varrone curiosius ista quæsivit? quis invenit doctius? quis consideravit attentius? quis distinxit acutius? quis diligentius pleniusque [2] conscripsit? Qui tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen atque sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione, quam nos sæcularem, illi autem liberalem vocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Cicero delectat. Denique et ipse Tullius huic tale testimonium perhibet, ut in libris Academicis (a) dicat eam, quæ ibi versatur, disputationem, se habuisse cum Marco Varrone, *homine* inquit, *omnium facile acutissimo, et sine ulla dubitatione doctissimo.* Non ait, Eloquentissimo, vel, facundissimo; quoniam revera in hac facultate multum impar est: sed, *omnium,* inquit, *facile acutissimo.* Et in eis libris, id est Academicis, ubi cuncta dubitanda esse contendit, addidit, *sine ulla dubitatione doctissimo.* Profecto de hac re sic erat certus, ut auferret dubitationem, quam solet in omnibus adhibere, tanquam de hoc uno etiam pro Academicorum dubitatione disputaturus, se Academicum fuisset oblitus. In primo autem libro cum ejusdem Varronis litteraria opera prædicaret, *Nos,* inquit, *in nostra urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam* [3] *disciplinam, tu sedem* [4] *regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti* (*Cicero lib.* 1, *c.* 3, *de Quæst. Acad.*). Iste igitur vir tam insignis excellentisque peritiæ, et quod de illo etiam Terentianus elegantissimo versiculo breviter ait,

Vir doctissimus undecunque Varro;
(*De metris, in sectione de versu phalæcio.*)

qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus: iste, inquam, vir tantus ingenio, tantusque doctrina, si rerum velut divinarum, de quibus scribit, oppugnator esset atque destructor, easque non ad religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere, nescio utrum tam multa in eis ridenda, contemnenda, detestanda conscriberet. Cum vero Deos eosdem ita coluerit, colendosque censuerit, ut in eo ipso opere litterarum suarum dicat se timere ne pereant, non incursu hostili, sed civium negligentia, de qua illos velut ruina liberari a se dicit, et in memoria bonorum per hujusmodi libros recondi atque servari utiliore cura, quam Metellus de incendio sacra Vestalia, et Æneas de Trojano excidio penates liberasse prædicantur; et tamen ea legenda sæculis prodit, quæ a sapientibus et insipientibus merito abjicienda, et veritati religionis inimicissima judicentur: quid existimare debemus, nisi hominem acerrimum ac peritissimum, non tamen sancto Spiritu liberum, oppressum fuisse suæ civitatis consuetudine ac legibus; et tamen ea, quibus movebatur, sub specie commendandæ religionis tacere noluisse?

CAPUT III. — *Quæ sit partitio Varronis librorum suorum, quos de Antiquitatibus rerum humanarum divinarumque composuit.*

Quadraginta et unum libros scripsit Antiquitatum: hos in res humanas divinasque divisit, rebus humanis viginti quinque, divinis sedecim tribuit: istam secutus in ea partitione rationem, ut rerum humanarum libros senos quatuor partibus daret. Intendit enim qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant. In sex itaque primis de hominibus scripsit, in secundis sex de locis, sex tertios de temporibus, sex quartos eosdemque postremos de rebus absolvit. Quater autem seni, viginti et quatuor fiunt. Sed unum singularem, qui communiter prius de omnibus loqueretur, in capite posuit. In divinis identidem rebus eadem ab illo divisionis forma servata est, quantum attinet ad ea quæ diis exhibenda sunt: exhibentur enim ab hominibus in locis et temporibus sacra. Hæc quatuor, quæ dixi, libris complexus est ternis: nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris; etiam hic qui exhibeant, ubi exhibeant, quando exhibeant, quid exhibeant, subtilissima distinctione commendans. Sed quia oportebat dicere, et maxime id exspectabatur, quibus exhibeant, de ipsis quoque diis tres conscripsit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. Sunt autem omnes, ut diximus, sedecim: quia et istorum exordio unum singularem, qui prius de omni-

[1] Editi, *posse suis officiis quodam modo limitari.* Legendum cum Mss., *limitatas* : et verbum, *posse*, accipiendum ibi, pro eo quod est vim habere.
[2] Mss. 2970, 2051 et 2052, *planiusque.* M.
[3] Apud Ciceronem, *bellicam.*
[4] Editi, *sedium.* At Mss. plerique et apud Ciceronem, *sedem.*
(a) Desideratur in libris qui supersunt de Quæst. Acad.

bus loqueretur, apposuit. Quo absoluto, consequenter ex illa quinquepartita distributione tres qui sequuntur, qui ad homines pertinent, ita subdivisit, ut primus sit de pontificibus, secundus de auguribus, tertius de quindecimviris sacrorum. Secundos tres ad loca pertinentes ita explicavit, ut in uno eorum de sacellis, altero de sacris ædibus diceret, tertio de locis religiosis. Tres porro qui istos sequuntur, et ad tempora pertinent, id est ad dies festos, ita exsecutus est, ut unum eorum faceret de feriis, alterum de ludis circensibus, de scenicis tertium. Quartorum trium ad sacra pertinentium uni dedit consecrationes, alteri sacra privata, ultimo publica. Hanc velut pompam obsequiorum in tribus, qui restant, dii ipsi sequuntur extremi, quibus iste universus cultus impensus est : in primo dii certi, in secundo incerti, in tertio cunctorum novissimo dii præcipui atque selecti.

CAPUT IV. — *Quod ex disputatione Varronis apud cultores deorum antiquiores res humanæ quam divinæ reperiantur.*

1. In hac tota serie pulcherrimæ ac subtilissimæ distributionis et distinctionis vitam æternam frustra quæri et sperari impudentissime vel optari, ex his quæ jam diximus, et quæ deinceps dicenda sunt, cuivis hominum, qui corde obstinato sibi non fuerit inimicus, facillime apparet. Vel hominum enim sunt ista instituta, vel dæmonum : non quales vocant illi dæmones bonos ; sed, ut loquar apertius, immundorum spirituum et sine controversia malignorum, qui noxias opiniones, quibus anima humana magis magisque vanescat, et incommutabili æternæque veritati coaptari atque inhærere non possit, invidentia mirabili et occulte inserunt cogitationibus impiorum, et aperte aliquando ingerunt sensibus, et qua possunt fallaci attestatione confirmant. Iste ipse Varro propterea se prius de rebus humanis, de divinis autem postea scripsisse testatur, quod prius exstiterint civitates, deinde ab eis hæc instituta sint. Vera autem religio non a terrena aliqua civitate instituta est ; sed plane cœlestem ipsa instituit civitatem : eam vero inspirat et docet verus Deus, dator vitæ æternæ, veris cultoribus suis.

2. [IV.] Varronis igitur, confitentis ideo se prius de rebus humanis scripsisse, postea de divinis, quia divinæ istæ ab hominibus institutæ sunt, hæc ratio est : *Sicut prior est*, inquit, *pictor quam tabula picta, prior faber quam ædificium, ita priores sunt civitates, quam ea quæ a civitatibus sunt instituta*. Dicit autem se prius scripturum fuisse de diis, postea de hominibus, si de omni natura deorum scriberet. Quasi hic de aliqua scribat, et non de omni ; aut vero etiam aliqua, licet non omnis, deorum natura non prior debeat esse, quam hominum ? Quid quod in illis tribus novissimis libris, deos certos et incertos et selectos diligenter explicans, nullam deorum naturam prætermittere videtur ? Quid est ergo quod ait, Si de omni natura deorum et hominum scriberemus, prius divina absolvissemus, quam humana attigissemus ? Aut enim de omni natura deorum scribit, aut de aliqua, aut omnino de nulla. Si de omni, præponenda est utique rebus humanis : si de aliqua, cur non etiam ipsa res præcedat humanas ? an indigna est præferri etiam universæ naturæ hominum pars aliqua deorum ? Quod si multum est ut aliqua pars divina præponatur universis rebus humanis, saltem digna est vel Romanis : rerum quippe humanarum libros, non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Romam pertinet, scripsit. Quos tamen rerum divinarum libris se dixit scribendi ordine merito prætulisse, sicut pictorem tabulæ pictæ, sicut fabrum ædificio ; apertissime confitens quod etiam istæ res divinæ, sicut pictura, sicut structura, ab hominibus institutæ sint. Restat ut de nulla deorum natura scripsisse intelligatur ; neque hoc aperte dicere voluisse, sed intelligentibus reliquisse. Ubi enim dicitur, Non omnis, usitate quidem intelligitur aliqua : sed potest intelligi et nulla ; quoniam quæ nulla est, nec omnis, nec aliqua est. Nam, ut ipse dicit, si omnis esset natura deorum de qua scriberet, scribendi ordine rebus humanis præponenda esset : ut autem et ipso tacente veritas clamat, præponenda esset certe rebus Romanis, etiam si non omnis, sed saltem aliqua esset : recte autem postponitur ; ergo nulla est. Non itaque rebus divinis anteferre voluit res humanas, sed rebus veris noluit anteferre res falsas. In his enim, quæ scripsit de rebus humanis, secutus est historiam rerum gestarum : quæ autem de his, quas divinas vocat, quid nisi opiniones rerum vanarum ? Hoc est nimirum, quod voluit subtili significatione monstrare ; non solum scribens de his posterius quam de illis, sed etiam rationem reddens cur id fecerit. Quam si tacuisset, aliter hoc factum ejus ab aliis fortasse defenderetur. In ea vero ipsa ratione, quam reddidit, nec aliis quidquam reliquit pro arbitrio suspicari, et satis probavit homines se præposuisse institutis hominum, non naturam hominum naturæ deorum. Ita se libros rerum divinarum, non de veritate quæ pertinet ad naturam, sed de falsitate quæ pertinet ad errorem, scripsisse confessus est. Quod apertius alibi posuit, sicut in quarto libro commemoravi (*Cap.* 31, *n.* 1), ex naturæ formula se scripturum fuisse, si novam ipse conderet civitatem ; quia vero jam veterem invenerat, non se potuisse nisi ejus consuetudinem sequi.

CAPUT V. — *De tribus generibus theologiæ secundum Varronem, quorum unum fabulosum, alterum naturale, tertium civile.*

1. Deinde illud quale est, quod tria genera theologiæ dicit esse, id est rationis quæ de diis explicatur, eorumque unum mythicon appellari [1], alterum physicon, tertium civile ? Latine si usus admitteret, genus quod primum posuit, fabulare appellaremus ; sed fabulosum dicamus : a fabulis enim mythicon dictum

(a) [illegible]

[1] Sic, [illegible] appellari. M.

est; quoniam μῦθος græce fabula dicitur. Secundum autem ut naturale dicatur, jam et consuetudo locutionis admittit. Tertium etiam ipse latine enuntiavit, quod civile appellatur. Deinde ait: *Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetæ; physicon, quo philosophi; civile, quo populi. Primum*, inquit, *quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus: in hoc, ut dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini: denique in hoc omnia diis[1] attribuuntur, quæ non modo in hominem, sed etiam quæ in contemptissimum hominem cadere possunt.* Hic certe ubi potuit, ubi ausus est, ubi impunitum putavit, quanta mendacissimis fabulis naturæ deorum fieret injuria, sine caligine ullius ambiguitatis expressit. Loquebatur enim, non de naturali theologia, non de civili, sed de fabulosa, quam libere a se putavit esse culpandam.

2. Videamus quid de altera dicat. *Secundum genus est*, inquit, *quod demonstravi, de quo multos libros philosophi reliquerunt: in quibus est, dii qui sint, ubi, quod genus, quale; a quodam tempore, an a sempiterno fuerint dii; ex igne sint*[2], *ut credit Heraclitus; an ex numeris, ut Pythagoras; an ex atomis, ut ait Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes in schola, quam extra in foro ferre possunt aures.* Nihil in hoc genere culpavit, quod physicon vocant, et ad philosophos pertinet: tantum quod eorum inter se controversias commemoravit, per quos facta est dissidentium multitudo sectarum. Removit tamen hoc genus a foro, id est a populis; scholis vero et parietibus clausit: illud autem primum mendacissimum atque turpissimum a civitatibus non removit. O religiosas aures populares, atque in his etiam Romanas! Quod de diis immortalibus philosophi disputant, ferre non possunt: quod vero poetæ canunt, et histriones agunt, quia contra dignitatem ac naturam immortalium ficta sunt, quia non modo in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possunt, non solum ferunt, sed etiam libenter audiunt. Neque id tantum, sed diis quoque ipsis hæc placere, et per hæc eos placandos esse decernunt.

3. Dixerit aliquis, Hæc duo genera, mythicon et physicon, id est fabulosum atque naturale, discernamus ab hoc civili, de quo nunc agitur; unde illa et ipse discrevit: jamque ipsum civile videamus qualiter explicet. Video quidem, cur debeat discerni fabulosum: quia falsum, quia turpe, quia indignum est. Naturale autem a civili velle discernere, quid est aliud, quam etiam ipsum civile fateri esse mendosum? Si enim illud naturale est, quid habet reprehensionis, ut excludatur? si autem hoc quod civile dicitur, naturale non est, quid habet meriti, ut admittatur? Hæc nempe illa causa est, quare prius scripserit de rebus humanis, posterius de divinis; quoniam in divinis rebus non naturam[3], sed hominum instituta secutus est.

[1] Ms. 766 omittit verba, *in hoc*, et, *diis*. M.

[2] Sic nostri manuscripti. In B., *a quonam tempore, an a sempiterno fuerint, an ex igne sint*. M.

[3] Er. et Lov., *non naturam deorum*. Abest, *deorum*, ab editis aliis et a manuscriptis.

Intueamur nunc et civilem theologiam. *Tertium genus est*, inquit, *quod in urbibus cives, maxime sacerdotes, nosse atque administrare debent. In quo est, quos deos publice colere, quæ sacra ac sacrificia facere quemque par sit*[1]. Adhuc quod sequitur attendamus. *Prima*, inquit, *theologia maxime accommodata est ad theatrum, secunda ad mundum, tertia ad urbem.* Quis non videat cui palmam dederit? Utique secundæ, quam supra dixit esse philosophorum. Hanc enim pertinere testatur ad mundum, quo isti nihil esse excellentius opinantur in rebus. Duas vero illas theologias, primam et tertiam, theatri scilicet atque urbis, distinxit, an junxit[2]? Videamus enim non continuo quod est urbis, pertinere posse et ad mundum, quamvis urbes esse videamus in mundo: fieri enim potest ut in urbe, secundum falsas opiniones, ea colantur et ea credantur, quorum in mundo vel extra mundum natura sit nusquam: theatrum vero ubi est, nisi in urbe? quis theatrum instituit, nisi civitas? propter quid instituit, nisi propter ludos scenicos? ubi sunt ludi scenici, nisi in rebus divinis, de quibus hi libri tanta solertia conscribuntur?

CAPUT VI. — *De theologia mythica, id est fabulosa, et de civili, contra Varronem.*

1. O Marce Varro, cum sis homo omnium acutissimus et sine ulla dubitatione doctissimus, sed tamen homo, non Deus, nec Spiritu Dei ad videnda et annuntianda divina in veritatem libertatemque subvectus, cernis quidem quam sint res divinæ ab humanis nugis atque mendaciis dirimendæ: sed vitiosissimas populorum opiniones et consuetudines in superstitionibus publicis vereris offendere, quas a deorum natura abhorrere, vel talium, quales in hujus mundi elementis humani animi suspicatur infirmitas, et sentis ipse, cum eas usquequaque consideras, et omnis vestra litteratura circumsonat. Quid hic agit humanum quamvis excellentissimum ingenium? quid tibi humana licet multiplex ingensque doctrina in his angustiis suffragatur? Naturales deos colere cupis, civiles cogeris: invenisti alios fabulosos, in quos liberius quod sentis evomas (*a*), unde et istos civiles velis nolisve perfundas. Dicis quippe fabulosos accommodatos esse ad theatrum, naturales ad mundum, civiles ad urbem: cum mundus opus sit divinum, urbes vero et theatra opera sint hominum; nec alii dii rideantur in theatris, quam qui adorantur in templis; nec aliis ludos exhibeatis, quam quibus victimas immolatis. Quanto liberius subtiliusque ista divideres, dicens alios esse deos naturales, alios ab hominibus institu-

[1] Omnes Gallicani Mss. cum aliquot Romanis, habent sic: *in quo est quos deos publice sacra ac sacrificia colere et facere quemque par sit.*

[2] Lov., *et conjunxit*. Verius Fr. et melioris notæ Mss., *an junxit?* Nempe quas distributione ipsa distinxit theologias, primam et tertiam, fabulosam et civilem, easdem junxisse Varro videtur, alteram ad urbem, alteram ad theatrum, quod ipsius urbis est, pertinere docens. — Cd. 2050, *distinxit et adjunxit*. M.

(*a*) Quare Tertullianus in Apologetico, cap. 14, Varronem vocat Cynicum Romanum. COQUÆUS.

tos; sed de institutis aliud habere litteras poetarum, aliud sacerdotum; utrasque tamen ita esse inter se amicas consortio falsitatis, ut gratæ sint utræque dæmonibus, quibus inimica est doctrina veritatis?

2. Sequestrata igitur paululum theologia, quam naturalem vocant, de qua postea disserendum est, placetne tandem vitam æternam peti aut sperari a diis poeticis, theatricis, ludicris, scenicis? Absit: imo avertat Deus verus tam immanem sacrilegamque dementiam. Quid, ab eis diis [1], quibus hæc placent, et quos hæc placant, cum eorum illic crimina frequententur, vita æterna poscenda est? Nemo, ut arbitror, usque ad tantum præcipitium furiosissimæ impietatis insanit. Nec fabulosa igitur, nec civili theologia sempiternam quisquam adipiscitur vitam. Illa enim de diis turpia fingendo seminat, hæc favendo metit: illa mendacia spargit, hæc colligit: illa res divinas falsis criminibus insectatur, hæc eorum criminum ludos in divinis rebus amplectitur: illa de diis nefanda figmenta hominum carminibus personat, hæc ea deorum ipsorum festivitatibus consecrat: facinora et flagitia numinum illa cantat, hæc amat: illa prodit, aut fingit; hæc autem aut attestatur veris, aut oblectatur et falsis. Ambæ turpes, ambæque damnabiles: sed illa, quæ theatrica est, publicam turpitudinem profitetur; ista, quæ urbana est, illius turpitudine ornatur. Hinccine vita æterna sperabitur, unde ista brevis temporalisque polluitur? an vero vitam polluit consortium nefariorum hominum, si se inserant affectionibus et assensionibus nostris, et vitam non polluit societas dæmonum, qui coluntur criminibus suis? Si veris, quam mali? si falsis, quam male?

3. Hæc cum dicimus, videri fortasse cuipiam nimis harum rerum ignaro potest ea sola de diis talibus majestati indigna divinæ, et ridicula, detestabilia celebrari, quæ poeticis cantantur carminibus, et ludis scenicis actitantur; sacra vero illa, quæ non histriones, sed sacerdotes agunt, ab omni esse dedecore purgata et aliena. Hoc si ita esset, nunquam theatricas turpitudines in eorum honorem quisquam celebrandas esse censeret, nunquam eas ipsi dii præciperent sibimet exhiberi. Sed ideo nihil pudet ad obsequium deorum talia gerere in theatris, quia similia geruntur in templis. Denique cum memoratus auctor civilem theologiam a fabulosa et naturali, tertiam quamdam sui generis, distinguere conaretur, eam magis ex utraque temperatam, quam ab utraque separatam intelligi voluit. Ait enim, ea quæ scribant poetæ, minus esse quam ut populi sequi debeant; quæ autem philosophi, plus quam ut ea vulgum scrutari expediat. *Quæ sic abhorrent*, inquit, *ut tamen ex utroque genere ad civiles rationes assumpta sint non pauca. Quare quæ sunt communia cum poetis [2], una cum civilibus scribemus: e quibus major societas debet esse nobis cum philosophis, quam cum poetis*. Non ergo nulla cum poetis. Et tamen alio loco dicit de generationibus deorum magis ad poetas quam ad physicos fuisse populos inclinatos. Hic enim dixit quid fieri debeat; ibi, quid fiat. Physicos dixit utilitatis causa scripsisse; poetas, delectationis. Ac per hoc ea quæ a poetis conscripta populi sequi non debent, crimina sunt deorum: quæ tamen delectant et populos et deos. Delectationis enim causa, sicut dicit, scribunt poetæ, non utilitatis: ea tamen scribunt, quæ dii expetant, populi exhibeant.

CAPUT VII. — *De fabulosæ et civilis theologiæ similitudine atque concordia.*

1. Revocatur igitur ad theologiam civilem theologia fabulosa, theatrica, scenica, indignitatis et turpitudinis plena: et hæc tota, quæ merito culpanda et respuenda judicatur, pars hujus est, quæ colenda et observanda censetur; non sane pars incongrua, sicut ostendere institui, et quæ ab universo corpore aliena importune illi connexa atque suspensa sit, sed omnino consona, et tanquam ejusdem corporis membrum convenientissime copulata. Quid enim aliud ostendunt illa simulacra, formæ, ætates, sexus, habitus deorum? numquid barbatum Jovem, imberbem Mercurium poetæ habent, pontifices non habent? numquid Priapo mimi, non etiam sacerdotes enormia pudenda fecerunt? an aliter stat adorandus in locis sacris, quam procedit ridendus in theatris? num Saturnus senex, Apollo ephebus, ita personæ sunt histrionum, ut non sint statuæ delubrorum? cur Forculus, qui foribus præest, et Limentinus, qui limini, dii sunt masculi, atque inter hos Cardea femina est, quæ cardinem servat? Nonne ista in rerum divinarum libris reperiuntur, quæ graves poetæ suis carminibus indigna duxerunt? numquid Diana theatrica portat arma, et urbana simpliciter virgo est? numquid scenicus Apollo citharista est, et ab hac arte Delphicus vacat? Sed hæc honestiora sunt in comparatione turpiorum. Quid de ipso Jove senserunt, qui ejus nutricem in Capitolio posuerunt? Nonne attestati sunt Euhemero, qui omnes tales deos non fabulosa garrulitate, sed historica diligentia homines fuisse mortalesque conscripsit? Epulones etiam deos, parasitos Jovis, ad ejus mensam qui constituerunt, quid aliud quam mimica sacra esse voluerunt? Nam parasitos Jovis ad ejus convivium adhibitos si mimus dixisset, risum utique quæsisse videretur. Varro dixit; non cum irrideret deos, sed cum commendaret, hoc dixit: divinarum, non humanarum rerum libri, hoc eum scripsisse testantur; nec ubi ludos scenicos exponebat, sed ubi Capitolina jura pandebat. Denique a talibus vincitur, et fatetur, sicut forma humana deos fecerunt, ita eos delectari humanis voluptatibus credidisse.

2. Non enim et maligni spiritus suo negotio defuerunt, ut has noxias opiniones humanarum mentium ludificatione firmarent. Unde etiam illud est, quod Herculis æditimus otiosus atque feriatus lusit tesseris secum, utraque manu alternante, in una constituens Herculem, in altera se ipsum; sub ea conditione, ut, si ipse vicisset, de stipe templi sibi cœnam pararet, amicamque conduceret: si autem victoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia sua voluptati Herculis exhiberet: deinde cum a se ipso tanquam ab Hercule

[1] Sic Mss. At editi, *Numquid ab eis diis*.
[2] Sic Lov. Am. Er. et Mss., *cum propriis*. — Sic etiam nostri [illegible]

victus esset, debitam cœnam et nobilissimam meretricem Larentinam [1] deo Herculi dedit. At illa cum dormivisset in templo, vidit in somnis Herculem sibi esse commixtum, sibique dixisse, quod inde discedens cui primum juveni obvia fieret, apud illum esset inventura mercedem, quam sibi credere deberet ab Hercule persolutam. Ac sic abeunti cum primus juvenis ditissimus Taruntius occurrisset, eamque dilectam secum diutius habuisset, illa hærede relicta [2] defunctus est. Quæ amplissimam adepta pecuniam, ne divinæ mercedi videretur ingrata, quod acceptissimum putavit esse numinibus, populum Romanum etiam ipsa scripsit hæredem; atque illa non comparente, inventum est testamentum: quibus meritis eam ferunt etiam honores meruisse divinos.

3. Hæc si poetæ fingerent, si mimi agerent, ad fabulosam theologiam dicerentur procul dubio pertinere, et a civilis theologiæ dignitate separanda judicarentur. Cum vero hæc dedecora, non poetarum, sed populorum; non mimorum, sed sacrorum; non theatrorum, sed templorum; id est non fabulosæ, sed civilis theologiæ, a tanto auctore [3] produntur; non frustra histriones ludicris artibus fingunt deorum, quæ tanta est, turpitudinem, sed plane frustra sacerdotes velut sacris ritibus conantur fingere deorum, quæ nulla est, honestatem. Sacra sunt Junonis, et hæc in ejus dilecta insula Samo celebrantur [4], ubi nuptum data est Jovi. Sacra sunt Cereris, ubi a Plutone rapta Proserpina quæritur. Sacra sunt Veneris, ubi amatus ejus Adonis aprino dente exstinctus juvenis formosissimus plangitur. Sacra sunt Matris deûm, ubi Atys pulcher adolescens ab ea dilectus et muliebri zelo abscisus, etiam hominum abscisorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur. Hæc cum deformiora sint omni scenica fœditate, quid est quod fabulosa de diis figmenta poetarum ad theatrum videlicet pertinentia velut secernere nituntur a civili theologia, quam pertinere ad urbem volunt, quasi ab honestis et dignis indigna et turpia? Itaque potius est unde gratiæ debeantur histrionibus, qui oculis hominum pepercerunt, nec omnia spectaculis nudaverunt, quæ sacrarum ædium parietibus occuluntur. Quid de sacris eorum boni sentiendum est, quæ tenebris operiuntur, cum tam sint detestabilia, quæ proferuntur in lucem? Et certe quid in occulto agant per abscisos et molles, ipsi viderint: eosdem tamen homines infeliciter ac turpiter enervatos atque corruptos minime occultare potuerunt. Persuadeant cui possunt, se aliquid sanctum per tales agere homines; quos inter sua sancta [5] numerari atque versari negare non possunt. Nescimus quid agant, sed scimus per quales agant. Novimus enim quæ agantur in scena, quo nunquam, vel in choro meretricum, abscisus aut mollis intravit: et tamen etiam ipsi turpes et infames agunt; neque enim ab honestis fieri debuerunt. Quæ sunt ergo illa sacra, quibus agendis tales elegit sanctitas, quales nec thymelica in se admittit obscœnitas?

[1] Editi, *Laurentinam*. At potiores manuscripti, *Larentinam*. Hæc Lactant., Instit. lib. 1, cap. 20, « Flora est, cujus festa Floralia. »

[2] Vox, *relicta*, abest a manuscriptis.

[3] Ms. 766, *doctore*. M.

[4] Mss. 766, 2050 et 2075, *celebrabantur*. M.

[5] Aliquot Mss., *sua sacra*. Paulo post editi, *quæ nunquam vel in choro meretricum, quo nemo abscisus*, etc. Emendantur ex manuscriptis.

CAPUT VIII. — *De interpretationibus naturalium rationum, quas doctores pagani pro diis suis conantur ostendere.*

1. At enim habent ista physiologicas quasdam, sicut aiunt, id est naturalium rationum, interpretationes. Quasi vero nos in hac disputatione physiologiam quæramus, et non theologiam; id est rationem, non naturæ, sed Dei. Quamvis enim qui verus Deus est, non opinione, sed natura sit Deus: non tamen omnis natura deus est; quia et hominis, et pecoris, et arboris, et lapidis utique natura est, quorum nihil est Deus. Si autem interpretationis hujus, quando agitur de sacris Matris deûm, caput est certe quod mater deûm terra est, quid ultra quærimus, quid cætera perscrutamur? Quid evidentius suffragatur eis, qui dicunt, omnes istos deos homines fuisse? Sicut enim sunt terrigenæ, sic [1] eis mater est terra. In vera autem theologia opus Dei est terra, non mater. Verumtamen quoquo modo sacra ejus interpretentur, et referant ad rerum naturam; viros muliebria pati, non est secundum naturam, sed contra naturam. Hic morbus, hoc crimen, hoc dedecus habet inter illa sacra professionem, quod in vitiosis hominum moribus vix habet inter tormenta confessionem. Deinde si ista sacra, quæ scenicis turpitudinibus convincuntur esse fœdiora, hinc excusantur atque purgantur, quod habent interpretationes suas, quibus ostendantur rerum significare naturam; cur non etiam poetica similiter excusentur atque purgentur? Multi enim et ipsa [2] ad eumdem modum interpretati sunt: usque adeo ut quod ab eis immanissimum et infandissimum dicitur, Saturnum suos filios devorasse, ita nonnulli interpretentur, quod longinquitas temporis, quæ Saturni nomine significatur, quidquid gignit ipsa consumat: vel, sicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quæ in terram, de qua oriuntur, iterum recidunt. Itemque alii alio modo, et similiter cætera.

2. Et tamen theologia fabulosa dicitur, et cum omnibus hujuscemodi interpretationibus suis reprehenditur, abjicitur, improbatur; nec solum a naturali, quæ philosophorum est, verum etiam ab ista civili, de qua agimus, quæ ad urbes populosque pertinere asseritur, eo quod de diis indigna confinxerit, merito repudianda discernitur: eo nimirum consilio, ut quoniam acutissimi homines atque doctissimi, a quibus ista conscripta sunt, ambas improbandas intelligebant, et illam scilicet fabulosam et istam civilem, illam vero audebant improbare, hanc non audebant; illam culpandam proposuerunt, hanc ejus similem comparandam exposuerunt; non ut hæc præ illa tenenda eligeretur, sed ut cum illa respuenda intelligeretur; atque ita sine periculo eorum qui civilem theo-

[1] Omnes Mss., *Sic enim sunt terrigenæ, sic eis mater est terra.*

[2] Sic Mss. Editi vero: *Multa enim et ipsi.*

logiam reprehendere metuebant, utraque contempta, ea quam naturalem vocant, apud meliores animos inveniret locum. Nam et civilis et fabulosa ambæ fabulosæ sunt ambæque civiles: ambas inveniet fabulosas qui vanitates et obscœnitates ambarum prudenter inspexerit; ambas civiles qui scenicos ludos pertinentes ad fabulosam in deorum civilium festivitatibus et in urbium divinis rebus adverterit. Quomodo igitur vitæ æternæ dandæ potestas cuiquam deorum istorum tribuitur, quos sua simulacra et sacra convincunt, diis fabulosis apertissime reprobatis esse simillimos formis, ætatibus, sexu, habitu, conjugiis, generationibus, ritibus, in quibus omnibus aut homines fuisse intelliguntur, et pro uniuscujusque vita vel morte sacra eis et solemnia constituta, hunc errorem insinuantibus firmantibusque dæmonibus, aut certe ex qualibet occasione immundissimi spiritus fallendis humanis mentibus irrepsisse?

CAPUT IX. — *De officiis singulorum deorum.*

1. Quid ipsa numinum officia tam viliter minutatimque concisa, propter quod eis dicunt pro uniuscujusque proprio munere supplicari oportere, unde non quidem omnia, sed multa jam diximus, nonne scurrilitati mimicæ, quam [1] divinæ consonant dignitati? Si duas quisquam nutrices adhiberet infanti, quarum una nihil nisi escam, altera nihil nisi potum daret, sicut isti ad hoc duas adhibuerunt deas, Educam et Potinam; nempe desipere, et aliquid mimo simile in sua domo agere videretur. Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per ejus beneficium emissis seminibus liberentur: hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsas [2] perhibeant semina emittere; et ob hoc Libero eamdem virilem corporis partem in templo poni, femineam Liberæ. Ad hæc addunt mulieres attributas Libero, et vinum propter libidinem concitandam. Sic Bacchanalia summa celebrabantur [3] insania. Ubi Varro ipse confitetur a Bacchantibus talia fieri non potuisse, nisi mente commota. Hæc tamen postea displicuerunt senatui saniori, et ea jussit auferri. Saltem hic tandem forsitan senserunt quid immundi spiritus, dum pro diis habentur, in hominum possint mentibus. Hæc certe non fierent in theatris. Ludunt quippe ibi, non furunt: quamvis deos habere, qui etiam ludis talibus delectentur, simile sit furoris.

2. Quale autem illud est, quod cum religiosum a superstitioso ea distinctione discernat, ut a superstitioso dicat timeri deos, a religioso autem tantum vereri ut parentes, non ut hostes timeri; atque omnes ita bonos dicat, ut facilius sit eos nocentibus parcere, quam lædere quemquam innocentem: tamen mulieri fetæ post partum tres deos custodes commemorat adhiberi, ne Silvanus deus per noctem ingrediatur et vexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus, et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis, ut his datis culturæ signis, deus Silvanus prohibeatur intrare; quod neque arbores cæduntur ac putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis; ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos, Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deverram a scopis, quibus diis custodibus contra vim dei Silvani feta conservaretur? Ita contra dei nocentis sævitiam non valeret custodia bonorum, nisi plures essent adversus unum, eique aspero, horrendo, inculto, utpote silvestri, signis culturæ tanquam contrariis repugnarent. Itane ista est innocentia deorum, ista concordia? hæccine sunt numina salubria urbium, magis ridenda quam ludibria theatrorum [1]?

3. Cum mas et femina conjunguntur, adhibetur deus Jugatinus: sit hoc ferendum. Sed domum est ducenda quæ nubit, adhibetur et deus Domiducus; ut in domo sit, adhibetur deus Domitius; ut maneat cum viro, additur dea Manturna. Quid ultra quæritur? Parcatur humanæ verecundiæ: peragat cætera concupiscentia carnis et sanguinis, procurato secreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum, quando et paranymphi inde discedunt? Et ad hoc impletur, non ut eorum præsentia cogitata major sit cura pudicitiæ, sed ut feminæ, sexu infirmæ, novitate pavidæ, illis cooperantibus sine ulla difficultate virginitas auferatur: adest enim dea Virginiensis, et deus pater Subigus, et dea mater Prema, et dea Pertunda [2], et Venus, et Priapus (*a*). Quid est hoc? Si omnino laborantem in illo opere virum ab diis adjuvari oportebat, non sufficeret aliquis unus, aut aliqua una? Numquid Venus sola parum esset, quæ ob hoc etiam dicitur nuncupata, quod sine ejus vi [3] femina virgo esse non desinat? Si ulla est frons in hominibus, quæ non est in numinibus, nonne cum credunt conjugati tot deos utriusque sexus esse præsentes, et huic operi instantes, ita pudore afficiuntur, ut et ille minus moveatur, et illa plus reluctetur? Et certe si adest Virginiensis dea, ut virgini zona solvatur; si adest deus Subigus, ut viro subigatur; si adest dea Prema, ut subacta, ne se commoveat, comprimatur; dea Pertunda ibi quid facit? Erubescat, eat foras: agat aliquid et maritus. Valde inhonestum est, ut quod vocatur illa, impleat quisquam nisi ille. Sed forte ideo toleratur, quia dea dicitur esse, non deus. Nam si masculus crederetur, et Pertundus vocaretur, magis [4] contra eum pro uxoris pudicitia posceret maritus auxilium, quam feta contra Silvanum. Sed quid hoc dicam, cum ibi sit et Priapus nimius masculus [5], super cujus immanissimum et turpissimum fascinum sedere nova nupta jubebatur, more honestis-

[1] Edit., minus decenti. At manuscripti carent particula, minus, quæ quidem aliis similibus locis omittitur sæpe ab Augustino.

[2] Sic Vind. Am. et Er. At Lov., ipsam.

[3] Sic potiores manuscripti. In E., celebrantur. M.

[1] Sola editio Lov., *quam ludibria potius et theatrorum.*

[2] Sic Am. et Mss. At Vind. Er. Lov., *Pertunda*: et infra, *Pertundus*; loco, *Pertundus*.

[3] Nostri manuscripti, *quod sine vi*, omisso voce, *ejus*. M.

[4] Lov. et aliquot Mss., *majus*. — Sic nostri. M.

[5] Sola editio Lov., *nimis masculus*.

(*a*) Vide Arnob. lib. 4 et Lactant. lib. 1, cap. 20.

simo et religiosissimo matronarum[1]?

4. Eant adhuc, et civilem theologiam a theologia fabulosa, urbes a theatris, templa a scenis, sacra pontificum a carminibus poetarum, velut res honestas a turpibus, veraces a fallacibus, graves a levibus, serias a ludicris, appetendas a respuendis, qua possunt quasi conentur subtilitate discernere. Intelligimus quid agant: illam theatricam et fabulosam theologiam ab ista civili pendere noverunt, et ei de carminibus poetarum tanquam de speculo resultare; et ideo ista exposita, quam damnare non audent, illam ejus imaginem liberius arguunt et reprehendunt, ut qui agnoscunt quid velint, et hanc ipsam faciem, cujus illa imago est, detestentur; quam tamen dii ipsi tanquam in eodem speculo se intuentes ita diligunt, ut qui qualesque sint in utraque melius videantur. Unde etiam cultores suos terribilibus imperiis compulerunt, ut immunditiam theologiæ fabulosæ sibi dicarent, in suis solemnitatibus ponerent, in rebus divinis haberent; atque ita et se ipsos immundissimos spiritus manifestius esse docuerunt, et hujus urbanæ theologiæ velut electæ et probatæ illam theatricam, abjectam atque reprobatam, membrum partemque fecerunt; ut cum sit universa turpis et fallax, atque in se contineat commentitios deos, una pars ejus sit in litteris sacerdotum, altera in carminibus poetarum. Utrum habeat et alias partes, alia quæstio est: nunc propter divisionem Varronis, et urbanam et theatricam theologiam ad unam civilem pertinere, satis, ut opinor, ostendi. Unde, quia sunt ambæ similis turpitudinis, absurditatis, indignitatis, falsitatis, absit a viris religiosis[2] ut sive ab hac, sive ab illa vita speretur æterna.

5. Denique et ipse Varro commemorare et enumerare deos cœpit a conceptione hominis, quorum numerum[3] exorsus est a Jano; eamque seriem perduxit usque ad decrepiti hominis mortem, et deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Næniam deam, quæ in funeribus senum cantatur: deinde cœpit deos alios ostendere, qui pertinerent, non ad ipsum hominem, sed ad ea quæ sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, et quæcumque alia huic vitæ sunt necessaria; ostendens in omnibus quod sit cujusque munus; et propter quid cuique debeat supplicari: in qua universa diligentia nullos demonstravit vel nominavit deos, a quibus vita æterna poscenda sit, propter quam unam proprie nos christiani sumus. Quis ergo usque adeo tardus sit, ut non intelligat istum hominem civilem theologiam tam diligenter exponendo et aperiendo, eamque illi fabulosæ, indignæ atque probrosæ similem demonstrando, atque ipsam fabulosam partem esse hujus satis evidenter docendo, nonnisi illi naturali, quam dicit ad philosophos pertinere, in animis hominum moliri locum, ea subtilitate, ut fabulosam reprehendat, civilem vero reprehendere quidem non audeat, sed prodendo reprehensibilem ostendat, atque ita utraque judicio recte intelligentium reprobata, sola naturalis remaneat eligenda? De qua suo loco in adjutorio Dei veri diligentius disserendum est.

CAPUT X. — *De libertate Senecæ, qui vehementius civilem theologiam reprehendit, quam Varro fabulosam.*

1. Libertas sane, quæ huic defuit, ne istam urbanam theologiam, theatricæ simillimam, aperte sicut illam reprehendere auderet, Annæo Senecæ, quem nonnullis indiciis invenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Adfuit enim scribenti, viventi defuit. Nam in eo libro quem contra superstitiones condidit (*a*), multo copiosius atque vehementius reprehendit ipse civilem istam et urbanam theologiam, quam Varro theatricam atque fabulosam. Cum enim de simulacris ageret, *Sacros*, inquit, *immortales, inviolabiles*[1] *in materia vilissima atque immobili dedicant, habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam vero mixto sexu diversis corporibus induunt*[2]: *numina vocant, quæ si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur.* Deinde aliquanto post, cum theologiam naturalem prædicans, quorumdam philosophorum sententias digessisset, opposuit sibi quæstionem, et ait: *Hoc loco dicit aliquis, Credam ego cœlum et terram deos esse, et supra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem* (*b*), *quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?* Et ad hoc respondens, *Quid ergo tandem*, inquit, *veriora tibi videntur T. Tatii, aut Romuli, aut Tulli Hostilii somnia? Cloacinam Tatius dedicavit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pavorem atque Pallorem teterrimos hominum affectus, quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis, nec morbus quidem, sed color. Hæc numina potius credes, et cœlo recipies?* De ipsis vero ritibus crudeliter turpibus quam libere scripsit? *Ille*, inquit, *viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat* (*c*). *Ubi iratos deos timent, qui sic propitios merentur? Dii autem nullo debent coli genere, si et hoc volunt. Tantus est perturbatæ mentis et sedibus suis pulsæ furor, ut sic dii placentur, quemadmodum ne homines quidem sæviunt teterrimi et in fabulas traditæ*[3] *crudelitatis. Tyranni laceraverunt aliquorum membra, neminem sua lacerare jusserunt. In regiæ libidinis voluptatem castrati sunt quidam: sed nemo sibi, ne vir esset, jubente domino, manus intulit. Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet, quæ faciunt,*

[1] Sic Mss. 766, 2050 et 2052: at in B., [illegible] *jubeatur, more honestissimo et religiosissimo matronarum.* Sic etiam Mss. 2051 et 2055. Vivès legit, *sedere non accepta jubebatur, ore honestissimo et religiosissimo* [illegible]. Vide Elem. Crit., pag. 155. M.

[2] Plures Mss., *a veris religiosis.*

[3] Vind. Am. et Lov., *numeros.* Er. et aliquot Mss., *numerum.*

[1] Sic Mss. Editi vero, *inviolabilesque deos.*

[2] Joannes Meursius legendum putat, *in materia vilissima atque ignobili dedicant, habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam vero mixtos sexus diversis corporibus induunt.*

[3] Editi, *traditi.* Sed melius manuscripti, *traditæ.*

(*a*) Sic ipse liber a Tertulliano citatur in Apologetico, cap. 12; sed jam non exstat.

(*b*) Vid. Diog. Laert., lib. 5, § 58 et seqq.

(*c*) Lactant., lib. 1 Instit., cap. 21.

quæque patiuntur, inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent: nunc sanitatis patrocinium insanientium turba est.

2. Jam illa quæ in ipso Capitolio fieri solere commemorat, et intrepide omnino coarguit, quis credat nisi ab irridentibus aut furentibus fieri? Nam cum in sacris Ægyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem inventum magno esse gaudio derisisset [1], cum perditio ejus inventioque fingatur, dolor tamen ille atque lætitia ab eis, qui nihil perdiderunt nihilque invenerunt, veraciter exprimatur, « Huic tamen, » inquit « furori certum tempus est. Tolerabile est, semel in anno insanire. In Capitolium perveni, pudebit publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit officii. Alius nomina [2] deo subjicit, alius horas Jovi nuntiat; alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant, longe a templo, non tantum a simulacro stantes, digitos movent ornantium modo. Sunt quæ speculum teneant: sunt quæ ad vadimonia sua deos advocent: sunt qui libellos offerant, et illos causam suam doceant. Doctus archimimus, senex jam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi dii libenter spectarent [3], quem illi homines desierant [4]. Omne illic artificum genus operatum [5] diis immortalibus desidet. » Et paulo post: « Hi tamen, » inquit, « etiamsi supervacuum usum, non turpem nec infamem deo promittunt. Sedent quædam in Capitolio, quæ se a Jove amari putant: ne Junonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimæ, respectu terrentur. »

3. Hanc libertatem Varro non habuit: tantummodo poeticam theologiam reprehendere ausus est; civilem non ausus est, quam iste concidit. Sed si verum attendamus, deteriora sunt templa ubi hæc aguntur, quam theatra ubi finguntur. Unde in his sacris civilis theologiæ has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim: « Quæ omnia sapiens servabit tanquam legibus jussa, non tanquam diis grata. » Et paulo post: « Quid quod et matrimonia, » inquit, « deorum jungimus, et ne pie quidem, fratrum et sororum? Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam. Quosdam tamen cælibes relinquimus, quasi conditio defecerit; præsertim cum quædam viduæ sint, ut Populonia vel Fulgora, et diva Rumina [6]: quibus non miror petitorem defuisse. Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic, » inquit, « adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere. » Nec leges ergo illæ, nec mos in civili theologia id instituerunt, quod diis gratum esset, vel ad rem pertineret. Sed iste, quem philosophia quasi liberum fecerat [1], tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat: quia videlicet magnum aliquid cum philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium moresque hominum, non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo: eo damnabilius, quo illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret; scenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo deciperet.

CAPUT XI. — *Quid de Judæis Seneca senserit.*

Hic inter alias civilis theologiæ superstitiones reprehendit etiam sacramenta Judæorum, et maxime sabbata; inutiliter eos facere affirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies, septimam fere partem ætatis suæ perdant vacando, et multa in tempore urgentia non agendo lædantur. Christianos tamen jam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem. De illis sane Judæis cum loqueretur, ait: « Cum interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt. » Mirabatur hæc dicens, et quid divinitus ageretur ignorans, subjecit plane sententiam, qua significaret quid de illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim: « Illi tamen causas ritus sui noverunt; major pars populi facit, quod cur faciat ignorat. » Sed de sacramentis Judæorum, vel cur, vel quatenus instituta sint auctoritate divina, ac postmodum a populo Dei, cui vitæ æternæ mysterium revelatum est, tempore quo oportuit eadem auctoritate sublata sint, et alias diximus, maxime cum adversus Manichæos ageremus (a), et in hoc opere loco opportuniore dicendum est.

CAPUT XII. — *Quod Gentilium deorum vanitate detecta, nequeat dubitari æternam eos vitam nemini posse præstare, qui nec ipsam adjuvent temporalem.*

Nunc propter tres theologias, quas Græci dicunt mythicen, physicen, politicen, latine autem dici possunt, fabulosa, naturalis, civilis: quod neque de fabulosa, quam et ipsi multorum falsorumque deorum cultores liberrime reprehenderunt, neque de civili, cujus illa pars esse convincitur, ejusque et ista simillima vel etiam deterior invenitur, speranda est æterna vita, si cui satis non sunt quæ in hoc volumine dicta sunt, adjungat etiam illa quæ in superioribus libris, et maxime quarto de felicitatis datore Deo plurima disputata sunt. Nam cui nisi uni felici-

[1] Editi, *mox autem* [illegible] *derisisset*. At Mss., [illegible] *derisisset*.

[2] In B., *nomina* [illegible] 706, 2[illegible] et 2045 secuti sumus. M.

[3] [illegible]

[4] [illegible] Mss. In B., *quem homines* [illegible]. [illegible] M.

[5] In B., [illegible] juxta Mss. 706 et 2045 [illegible]. M.

[6] [illegible]

[1] Sic aliquot Mss. At editi, *philosophia quasi liberum fecerant*.

(a) Vid. lib. [illegible] tres cont. Faust. Manich., tom. 8.

tati propter æternam vitam consecrandi homines essent, si dea felicitas esset? Quia vero non dea, sed munus est Dei, cui Deo nisi datori felicitatis consecrandi sumus, qui æternam vitam, ubi vera est et plena felicitas, pia charitate diligimus? Non autem datorem esse felicitatis quemquam istorum deorum, qui tanta turpitudine coluntur, et nisi ita colantur, multo turpius irascuntur, atque ob hoc se spiritus immundissimos confitentur, puto ex his quæ dicta sunt, neminem dubitare oportere. Porro qui non dat felicitatem, vitam quomodo possit dare æternam? eam quippe vitam æternam dicimus, ubi est sine fine felicitas. Nam si anima in pœnis vivit æternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors est illa potius æterna, quam vita. Nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animæ natura, per id quod immortalis creata est, sine qualicumque vita esse non potest, summa mors ejus est alienatio a vita Dei in æternitate supplicii. Vitam igitur æternam, id est sine ullo fine felicem, solus ille dat, qui dat veram felicitatem. Quam quoniam illi, quos colit theologia ista civilis, dare non posse convicti sunt; non solum propter ista temporalia atque terrena, quod superioribus quinque libris ostendimus, sed multo magis propter vitam æternam, quæ post mortem futura est, quod isto uno etiam illis cooperantibus egimus, colendi non sunt. Sed quoniam veternosæ consuetudinis vis nimis in alto radices habet, si cui de ista civili theologia respuenda atque vitanda parum videor disputasse, in aliud volumen, quod huic, opitulante Deo, conjungendum est, animum intendat.

LIBER SEPTIMUS.

De diis selectis civilis theologiæ, Jano, Jove, Saturno, et cæteris, quod nec eorum cultu perveniatur ad æternæ vitæ felicitatem.

PRÆFATIO.

Diligentius me pravas et veteres opiniones, veritati pietatis inimicas, quas tenebrosis animis altius et tenacius diuturnus humani generis error infixit, evellere atque exstirpare conantem, et illius gratiæ, qui hoc ut verus Deus potest, pro meo modulo in ejus adjutorio cooperantem, ingenia celeriora atque meliora, quibus ad hanc rem superiores libri satis superque sufficiunt, patienter et æquanimiter ferre debebunt; et propter alios non putare superfluum, quod jam sibi sentiunt non necessarium. Multum magna res agitur, cum vera et vere sancta divinitas, quamvis ab ea nobis etiam huic, quam nunc gerimus, fragilitati necessaria subsidia præbeantur, non tamen [1] propter mortalis vitæ transitorium vaporem, sed propter vitam beatam, quæ nonnisi æterna est, quærenda et colenda prædicatur.

CAPUT PRIMUM. — *An, cum in theologia civili deitatem non esse constiterit, in selectis diis eam inveniri posse credendum sit.*

Hanc divinitatem, vel, ut sic dixerim, deitatem; nam et hoc verbo uti jam nostros non piget, ut de græco expressius transferant id quod illi θεότητα appellant: hanc ergo divinitatem sive deitatem non esse in ea theologia, quam civilem vocant, quæ a Marco Varrone sedecim voluminibus explicata est, id est, non perveniri ad æternæ vitæ felicitatem talium deorum cultu, quales a civitatibus qualiterque colendi instituti sunt, cui nondum persuasit sextus liber, quem proxime absolvimus, cum istum forsitan legerit, quid de hac quæstione expedienda ulterius desideret, non habebit. Fieri enim potest ut saltem deos selectos atque præcipuos, quos Varro volumine complexus est ultimo, de quibus parum diximus, quisquam colendos propter vitam beatam, quæ nonnisi æterna est, opinetur. Qua in re non dico quod facetius ait Tertullianus fortasse quam verius: *Si dii seliguntur ut bulbi, utique cæteri reprobi judicantur* (a). Non hoc dico: video enim etiam ex selectis seligi aliquos ad aliquid majus atque præstantius; sicut in militia, cum tirones electi fuerint, ex his quoque eliguntur ad opus aliquod majus armorum. Et cum eliguntur in Ecclesia qui fiant præpositi, non utique cæteri reprobantur, cum omnes boni fideles electi merito nuncupentur. Eliguntur in ædificio lapides angulares, non reprobatis cæteris, qui structuræ partibus aliis deputantur. Eliguntur uvæ ad vescendum, nec reprobantur aliæ, quas relinquimus ad bibendum. Non opus est multa percurrere, cum res in aperto sit. Quamobrem non ex hoc, quod dii ex multis quidam selecti sunt, vel is qui scripsit, vel eorum cultores, vel dii ipsi vituperandi sunt: sed advertendum potius quinam isti sint, et ad quam rem selecti videantur.

CAPUT II. — *Qui sint dii selecti, et an ab officiis viliorum deorum habeantur excepti.*

Hos certe deos selectos Varro unius libri contextione commendat, Janum, Jovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem, Tellurem, Cererem, Junonem, Lunam, Dianam, Minervam, Venerem, Vestam: in quibus omnibus ferme viginti, duodecim mares, octo sunt feminæ. Hæc numina utrum propter majores in mundo administrationes selecta dicuntur, an quod populis magis innotuerunt, majorque est eis cultus exhibitus? Si propterea, quia opera majora ab his administrantur in mundo, non eos invenire debuimus inter illam quasi plebeiam numinum multitudinem minutis opusculis deputatam. Nam ipse primum Janus, cum puerperium concipitur, unde cuncta opera illa sumunt exordium, minutatim minutis distributa numinibus, aditum aperit recipiendo semini: ibi est et Saturnus propter ipsum

[1] Vind. et Er., *non tantum.*

(a) Simile quidpiam in Apologetico, cap. 13.

semen: ibi Liber (a), qui marem effuso semine liberat: ibi Libera, quam et Venerem volunt, quæ hoc idem beneficium conferat feminæ, ut etiam ipsa emisso semine liberetur. Omnes hi ex illis sunt, qui selecti appellantur. Sed ibi est et dea Mena, quæ menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam [1] fluorum menstruorum in libro selectorum deorum ipsi Junoni idem auctor assignat, quæ in diis selectis etiam regina est: et hic tanquam Juno Lucina cum eadem Mena, privigna sua, eidem cruori præsidet. Ibi sunt et duo, nescio qui obscurissimi, Vitumnus et Sentinus; quorum alter vitam, alter sensus puerperio largiuntur. Et nimirum multo plus præstant, cum sint ignobilissimi, quam tot illi proceres et selecti. Nam profecto sine vita et sensu, quid est illud totum, quod muliebri utero geritur, nisi nescio quid abjectissimum limo ac pulveri comparandum?

CAPUT III. — *Quam nulla sit ratio, quæ de selectione quorumdam deorum possit ostendi, cum multis inferioribus excellentior administratio deputetur.*

1. Quæ igitur causa tot selectos deos ad hæc opera minima compulit, ubi a Vitumno et Sentino, quos fama obscura recondit, in hujus munificentiæ partitione superentur? Confert enim selectus Janus aditum et quasi januam semini; confert selectus Saturnus semen ipsum; confert selectus Liber ejusdem seminis emissionem viris; confert hoc idem Libera, quæ Ceres seu Venus est, feminis; confert selecta Juno, et hæc non sola, sed cum Mena, filia Jovis, fluores menstruos ad ejus, quod conceptum est, incrementum: et confert Vitumnus obscurus et ignobilis vitam; confert Sentinus obscurus et ignobilis sensum: quæ duo tanto illis rebus præstantiora sunt, quanto et ipsa intellectu ac ratione vincuntur. Sicut enim quæ ratiocinantur et intelligunt, profecto potiora sunt his quæ sine intellectu atque ratione, ut pecora, vivunt et sentiunt: ita et illa quæ vita sensuque sunt prædita, his quæ nec vivunt nec sentiunt, merito præferuntur. Inter selectos igitur deos Vitumnus vivificator et Sentinus sensificator magis haberi debuerunt, quam Janus seminis admissor et Saturnus seminis dator vel sator, et Liber et Libera seminum commotores vel emissores; quæ semina indignum est cogitare, nisi ad vitam sensumque pervenerint. Quæ munera selecta non dantur a diis selectis, sed a quibusdam incognitis et præ istorum dignitate neglectis. Quod si respondetur, omnium initiorum potestatem habere Janum, et ideo illi etiam quod aperitur conceptui [2], non immerito attribui; et omnium seminum Saturnum, et ideo seminationem quoque hominis non posse ab ejus operatione sejungi; omnium seminum emittendorum Liberum et Liberam, et ideo his etiam præesse, quæ ad substituendos homines pertinent; omnium purgandorum et pariendorum Junonem, et ideo eam non deesse purgationibus feminarum et partubus hominum: quærant quid respondeant de Vitumno et Sentino, utrum et ipsos velint habere omnium quæ vivunt et sentiunt potestatem. Quod si concedunt, attendant quam eos sublimius locaturi sint. Nam seminibus nasci, in terra et ex terra est; vivere autem atque sentire etiam deos sidereos opinantur. Si autem dicunt Vitumno atque Sentino hæc sola attributa, quæ in carne vivescunt et sensibus adminiculantur; cur non deus ille, qui facit omnia vivere atque sentire, etiam carni vitam præbet et sensum, universali opere hoc munus etiam partubus tribuens? Et quid opus est Vitumno atque Sentino? Quod si ab illo qui vitæ et sensibus universaliter præsidet, his quasi famulis ista carnalia velut extrema et ima commissa sunt; itane sunt illi selecti destituti familia, ut non invenirent quibus etiam ipsi ista committerent, sed cum tota sua nobilitate, qua visi sunt seligendi, opus facere cum ignobilibus cogerentur? Juno selecta et regina Jovisque *soror et conjux*, hæc tamen Iterduca est pueris, et opus facit cum deabus ignobilissimis Abeona et Adeona. Ibi posuerunt et Mentem deam, quæ faciat pueris bonam mentem, et inter selectos ista non ponitur, quasi quidquam majus præstari homini possit: ponitur autem Juno, quia Iterduca est et Domiduca, quasi quidquam prosit iter carpere et domum duci, si mens non est bona: cujus muneris deam selectores isti inter selecta numina minime posuerunt. Quæ profecto et Minervæ fuerat præferenda, cui per ista minuta opera puerorum memoriam tribuerunt. Quis enim dubitet multo esse melius habere bonam mentem, quam memoriam quantumlibet ingentem? Nemo enim malus est, qui bonam habet mentem: quidam vero pessimi memoria sunt mirabili, tanto pejores quanto minus possunt, quod male cogitant, oblivisci. Et tamen Minerva est inter selectos deos; Mentem autem deam turba vilis operuit. Quid de Virtute dicam? quid de Felicitate? de quibus in quarto libro plura jam diximus (a): quas cum deas haberent, nullum eis locum inter selectos deos dare voluerunt, ubi dederunt Marti et Orco, uni effectori mortium, alteri receptori.

2. Cum igitur in his minutis operibus, quæ minutatim diis pluribus distributa sunt, etiam ipsos selectos videamus tanquam senatum cum plebe pariter operari; et inveniamus a quibusdam diis, qui nequaquam seligendi putati sunt, multo majora atque meliora administrari, quam ab illis qui selecti vocantur: restat arbitrari, non propter præstantiores in mundo administrationes, sed quia provenit eis ut populis magis innotescerent, selectos eos et præcipuos nuncupatos. Unde dicit etiam ipse Varro, quod diis quibusdam patribus et deabus matribus, sicut hominibus, ignobilitas accidisset. Si ergo Felicitas ideo fortasse inter selectos deos esse non debuit, quod ad istam nobilitatem non merito, sed fortuitu pervenerunt; saltem inter illos, vel potius præ illis Fortuna poneretur, quam dicunt deam non rationa-

[1] Editi, *providentiam*. Emendantur ex [illegible] mss.

[2] Vind. Am. et Er., *quod aperit conceptui*.

(a) Hanc Liberam Cicero, de Nat. Deor. lib. 2, docet aliam esse a Libero [illegible]

(a) Supra, cap. 21, 23.

bili [1] dispositione, sed, ut temere acciderit, sua cuique dona conferre. Hæc in diis selectis tenere apicem debuit, in quibus maxime quid posset ostendit: quando eos videmus non præcipua virtute, non rationabili felicitate, sed temeraria, sicut eorum cultores de illa sentiunt, Fortunæ potestate selectos. Nam et vir disertissimus Sallustius etiam ipsos deos fortassis attendit, cum diceret: « Sed profecto Fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex libidine magis quam ex vero celebrat obscuratque (*a*). » Non enim possunt invenire causam cur celebrata sit Venus, et obscurata sit Virtus; cum ambarum ab istis consecrata sint numina, nec comparanda sint merita. Aut si hoc nobilitari meruit, quod plures appetunt; plures enim Venerem quam Virtutem (*b*); cur celebrata est dea Minerva, et obscurata est dea Pecunia? cum in genere humano plures alliciat avaritia quam peritia; et in eis ipsis qui sunt artificiosi, raro invenias hominem, qui non habeat artem suam pecuniaria mercede venalem; plurisque pendatur semper propter quod aliquid fit, quam id quod propter aliud fit. Si ergo insipientis judicio multitudinis facta est deorum ista selectio, cur dea Pecunia Minervæ prælata non est, cum propter pecuniam sint artifices multi? Si autem paucorum sapientium est ista distinctio, cur non prælata est Veneri Virtus, cum eam longe ratio præferat? Saltem certe, ut dixi, ipsa Fortuna, quæ, sicut putant qui ei plurimum tribuunt, in omni re dominatur, et res cunctas ex libidine magis quam ex vero celebrat obscuratque; si tantum et in deos valuit, ut temerario judicio suo quos vellet celebraret, obscuraretque quos vellet, præcipuum locum haberet in selectis, quæ in ipsos quoque deos tam præcipuæ est potestatis. An ut illic esse non posset, nihil aliud etiam ipsa Fortuna, nisi adversam putanda est habuisse fortunam? Sibi ergo adversata est, quæ alios nobiles faciens nobilitata non est.

CAPUT IV. — *Melius actum cum diis inferioribus, qui nullis infamentur opprobriis, quam cum selectis, quorum tantæ turpitudines celebrentur.*

Gratularetur autem diis istis selectis quisquam nobilitatis et claritudinis appetitor, et eos diceret fortunatos, si non eos magis ad injurias quam ad honores selectos videret. Nam illam infimam turbam ipsa ignobilitas texit, ne obrueretur opprobriis. Ridemus quidem, cum eos videmus figmentis humanarum opinionum partitis inter se operibus distributos, tanquam minuscularios [2] vectigalium conductores, vel tanquam opifices in vico argentario (*c*), ubi unum vasculum ut perfectum exeat, per multos artifices transit, cum ab uno perfecto perfici posset. Sed aliter non putatum est operanti multitudini consulendum, nisi ut singulas artis partes cito ac facile discerent singuli, ne omnes in arte una tarde ac difficile cogerentur esse perfecti. Verumtamen vix quisquam reperitur deorum non selectorum, qui aliquo crimine famam traxit infamem; vix autem selectorum quispiam, qui non in se notam contumeliæ insignis acceperit. Illi ad istorum humilia opera descenderunt, isti in illorum sublimia crimina non venerunt. De Jano quidem non mihi facile quidquam occurrit, quod ad probrum pertineat: et fortasse talis fuerit, innocentius vixerit et a facinoribus flagitiisque remotius. Saturnum fugientem benignus excepit: cum hospite partitus est regnum, ut etiam civitates singulas conderent (*a*); iste Janiculum, ille Saturniam. Sed isti in cultu deorum omnis dedecoris appetitores, cujus vitam minus turpem invenerunt, eum simulacri monstrosa deformitate turparunt; nunc eum bifrontem, nunc etiam quadrifrontem, tanquam geminum, facientes. An forte voluerunt, ut, quoniam plurimi dii selecti erubescenda perpetrando amiserant frontem, quanto iste innocentior esset, tanto frontosior appareret?

CAPUT V. — *De Paganorum secretiore doctrina physicisque rationibus.*

Sed ipsorum potius interpretationes physicas audiamus, quibus turpitudinem miserrimi erroris, velut altioris doctrinæ specie, colorare conantur. Primum eas interpretationes sic Varro commendat, ut dicat antiquos simulacra deorum et insignia ornatusque finxisse; quæ cum oculis animadvertissent hi qui adissent doctrinæ mysteria, possent animam mundi ac partes ejus, id est deos veros, animo videre: quorum qui simulacra specie hominis fecerunt, hoc videri secutos quod mortalium animus qui est in corpore humano, simillimus est immortalis animi (*b*): tanquam si vasa ponerentur causa notandorum deorum, et in Liberi æde œnophorum sisteretur, quod significaret vinum, per id quod continet id quod continetur: ita per simulacrum quod formam haberet humanam, significari animam rationalem, quod eo velut vase natura ista soleat contineri, cujus naturæ deum volunt esse, vel deos. Hæc sunt mysteria doctrinæ, quæ iste vir doctissimus penetraverat, unde in lucem ista proferret. Sed, o homo acutissime, num in istis doctrinæ mysteriis illam prudentiam perdidisti, qua tibi sobrie visum est, quod hi qui primi populis simulacra constituerunt, et metum dempserunt civibus suis, et errorem addiderunt, castiusque deos sine simulacris veteres observasse Romanos? hi enim tibi fuerunt auctores, ut hæc contra posteriores Romanos dicere auderes. Nam si et illi antiquissimi simulacra coluissent, fortassis totum istum sensum de simulacris non constituendis, interim verum [1], timoris silentio premeres, et in hu-

[1] Lov., *non irrationabili*. Melius editi alii, *non rationabili*: suffragantibus manuscriptis, qui paulo post loco, *acciderit*; habent, *accederet*.

[2] Lov., *minutularios*. Vind. Am. Er. et aliquot Mss., *munuscularios*. Alii veteres libri, hic et infra, cap. 11, *minuscularios*.

(*a*) In Bello Catilinæ, cap. 8.

(*b*) Subaudi, *appetunt*.

(*c*) Designatur hic vicus urbis quem incolebant fabri argentarii. M.

[1] Editi, *veri*. Corriguntur ex manuscriptis.

(*a*) Virgil., lib. 8 Æneid., vers. 357, 358.

(*b*) Vid. Cicer., Tuscul. Quæst. lib. 5, cap. 13.

jusce modi perniciosis vanisque figmentis mysteria ista doctrinæ loquacius et elatius prædicares. Anima tamen tua tam docta et ingeniosa (ubi te multum dolemus) per hæc mysteria doctrinæ ad Deum suum [1], id est a quo facta est, non cum quo facta est; nec cujus portio, sed cujus conditio est; nec qui est omnium anima, sed qui fecit omnem animam, quo solo illustrante fit anima beata, si ejus gratiæ non sit ingrata, nullo modo potuit pervenire. Verum ista mysteria doctrinæ qualia sint, quantique pendenda, quæ sequuntur ostendent. Fatetur interim vir iste doctissimus, animam mundi ac partes ejus esse veros deos: unde intelligitur totam ejus theologiam, eam ipsam scilicet naturalem, cui plurimum tribuit, usque ad animæ rationalis naturam se extendere potuisse. De naturali enim paucissima præloquitur in hoc libro: in quo videbimus utrum per interpretationes physiologicas ad hanc naturalem possit referre civilem, quam de diis selectis ultimam scripsit. Quod si potuerit, tota naturalis erit: et quid opus erat ab ea civilem tanta cura distinctionis adjungere? Si autem recto discrimine separata est; quando nec ista vera est quæ illi naturalis placet; pervenit enim usque ad animam, non usque ad verum Deum qui fecit et animam: quanto est abjectior et falsior ista civilis, quæ maxime circa corporum est occupata naturam; sicut ipsæ interpretationes ejus, ex quibus quædam necessario [2] commemorare me oportet, tanta ab ipsis exquisitæ et enucleatæ diligentia demonstrabunt?

CAPUT VI. — *De opinione Varronis, qua arbitratus est Deum animam esse mundi, qui tamen in partibus suis habeat animas multas, quarum divina natura sit.*

Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali theologia præloquens, deum se arbitrari esse animam mundi, quem Græci vocant κόσμον, et hunc ipsum mundum esse deum: sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem; ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore. Hic videtur quoquo modo confiteri unum Deum; sed ut plures etiam introducat, adjungit mundum dividi in duas partes, cœlum et terram, et cœlum bifariam, in æthera et aera; terram vero in aquam et humum: e quibus summum esse æthera, secundum aera, tertiam aquam, infimam terram: quas omnes partes quatuor animarum esse plenas, in æthere et aere immortalium, in aqua et terra mortalium; ab summo autem circuitu cœli ad circulum lunæ æthereas animas esse astra ac stellas, eos [3] cœlestes deos non modo intelligi esse, sed etiam videri: inter lunæ vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aereas esse animas, sed eas animo, non oculis videri; et vocari heroas, et lares, et genios. Hæc est videlicet breviter in ista prælocutione proposita theologia naturalis, quæ non huic tantum, sed multis philosophis placuit: de qua tunc diligentius disserendum est, cum de civili, quantum ad deos selectos attinet, opitulante Deo vero, quod restat implevero.

CAPUT VII. — *An rationabile fuerit, Janum et Terminum in duo numina separari.*

Janus igitur, a quo sumpsit exordium, quæro quisnam sit? Respondetur, Mundus est. Brevis hæc plane est atque aperta responsio. Cur ergo ad eum dicuntur rerum initia pertinere, fines vero ad alterum, quem Terminum vocant? Nam propter initia et fines duobus istis diis duos menses perhibent dedicatos (a), præter illos decem quibus usque ad Decembrem caput est Martius; Januarium Jano, Februarium Termino. Ideo Terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cum fit sacrum purgatorium, quod vocant Februum [1]; unde mensis nomen accepit (b). Numquid ergo ad mundum, qui Janus est, initia rerum pertinent, et fines non pertinent, ut alter illis deus præficeretur? Nonne omnia quæ in hoc mundo fieri dicunt, in hoc etiam mundo terminari fatentur? Quæ est ista vanitas, in opere illi dare potestatem dimidiam, in simulacro faciem duplam? Nonne istum bifrontem multo elegantius interpretarentur, si eumdem et Janum et Terminum dicerent; atque initiis unam faciem, finibus alteram darent? quoniam qui operatur, utrumque debet intendere in omni enim motu actionis suæ qui non respicit initium, non prospicit finem. Unde necesse est a memoria respiciente prospiciens [2] connectatur intentio. Nam cui exciderit quod cœperit, quomodo finiat non inveniet. Quod si vitam beatam in hoc mundo inchoari putarent, extra mundum perfici, et ideo Jano, id est mundo, solam initiorum tribuerent potestatem; profecto ei præponerent Terminum, eumque a diis selectis non alienarent. Quanquam etiam nunc cum in istis duobus diis initia rerum temporalium finesque tractantur, Termino dari debuit plus honoris. Major enim lætitia est, cum res quæque perficitur: sollicitudinis autem plena sunt cœpta, donec perducantur ad finem, quem qui aliquid incipit, maxime appetit, intendit, exspectat, exoptat; nec de re inchoata, nisi terminetur, exsultat.

CAPUT VIII. — *Ob quam causam cultores Jani bifrontem ipsius imaginem finxerint, quam tamen etiam quadrifrontem videri volunt.*

Sed jam bifrontis simulacri interpretatio proferatur. Duas eum facies ante et retro habere dicunt, quod hiatus noster, cum os aperimus, mundo similis videatur: unde et palatum Græci οὐρανὸν appellant; et nonnulli, inquit, poetæ Latini cœlum vocaverunt palatum, a quo hiatu oris, et foras esse aditum ad den-

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., ad Deum [illegible]

[2] [illegible] Am. Er. et Mss., necessario;

[3] [illegible], et eos. At plerique Mss., eos.

[1] [illegible]

[2] [illegible]

(a) [illegible]

(b) [illegible]

tes versus, et introrsus ad fauces (a). Ecce quo perductus est mundus propter palati nostri vocabulum, vel græcum, vel poeticum. Quid autem hoc ad animam, quid ad vitam æternam? Propter solas salivas colatur hic deus, quibus partim glutiendis, partim exspuendis, sub cœlo palati utraque panditur janua. Quid est porro absurdius, quam in ipso mundo non invenire duas januas ex adverso sitas, per quas vel admittat ad se aliquid intro, vel emittat a se foras; et de nostro ore et gutture, quorum similitudinem mundus non habet, velle mundi simulacrum componere in Jano, propter solum palatum, cujus similitudinem Janus non habet? Cum vero eum faciunt quadrifrontem et Janum geminum appellant, ad quatuor mundi partes hoc interpretantur, quasi aliquid spectet mundus foras, sicut per omnes facies Janus. Deinde, si Janus est mundus, et mundus quatuor partibus constat, falsum est simulacrum Jani bifrontis [1]: aut si propterea verum est, quia etiam nomine Orientis et Occidentis totus solet mundus intelligi, numquid cum duas partes alias nominamus Septemtrionis et Austri, sicut illum quadrifrontem dicunt geminum Janum, ita quisquam geminum dicturus est mundum? Non habent omnino unde quatuor januas, quæ intrantibus et exeuntibus pateant, interpretentur ad mundi similitudinem; sicut de bifronte quod dicerent saltem in ore hominis invenerunt; nisi Neptunus forte subveniat et porrigat piscem, cui præter hiatum oris et gutturis etiam dextra et sinistra fauces patent. Et tamen hanc vanitatem per tot januas nulla effugit anima, nisi quæ audit Veritatem dicentem, *Ego sum janua* [1]. (*Joan.* x, 9).

CAPUT IX. — *De Jovis potestate, atque ejusdem cum Jano comparatione.*

1. Jovem autem, qui etiam Jupiter dicitur (*b*), quem velint intelligi, exponant. Deus est, inquiunt, habens potestatem causarum, quibus aliquid fit in mundo. Hoc quam magnum sit, nobilissimus Virgilii versus ille testatur :

> Felix qui potuit rerum cognoscere causas.
> (*Georg. lib.* 2, *vers.* 490.)

Sed cur ei præponitur Janus, hoc nobis vir ille acutissimus doctissimusque respondeat. *Quoniam penes Janum*, inquit, *sunt prima*, *penes Jovem summa. Merito ergo rex omnium Jupiter habetur. Prima enim vincuntur a summis : quia licet prima præcedant tempore, summa superant dignitate.* Sed recte hoc diceretur, si factorum prima discernerentur et summa: sicut initium facti est proficisci, summum pervenire; initium facti inceptio discendi, summum perceptio doctrinæ : ac sic in omnibus prima sunt initia, summique sunt [2] fines. Sed jam hoc negotium inter Janum Terminumque discussum est. Causæ autem quæ dantur Jovi, efficientia sunt, non effecta : neque ullo modo fieri potest, ut vel tempore præveniantur a factis initiisve factorum. Semper enim prior est res quæ facit, quam illa quæ fit. Quapropter si ad Janum pertinent initia factorum, non ideo priora sunt efficientibus causis, quas Jovi tribuunt. Sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur ut fiat, quod non faciendi causa præcesserit. Hunc sane deum, penes quem sunt omnes causæ factarum omnium naturarum naturaliumque rerum, si Jovem populi appellant, et tantis contumeliis tamque scelestis criminationibus colunt, teteriore sacrilegio sese obstringunt, quam si prorsus nullum putarent deum. Unde satius esset eis alium aliquem Jovis nomine nuncupare, dignum turpibus et flagitiosis honoribus, supposito vano figmento quod potius blasphemarent (sicut Saturno dicitur suppositus lapis, quem pro filio devoraret), quam istum deum dicere et tonantem et adulterantem, et totum mundum regentem et per tot stupra diffluentem, et naturarum omnium naturaliumque rerum causas summas habentem et suas causas bonas non habentem.

2. Deinde quæro, quem jam locum inter deos huic Jovi tribuant, si Janus est mundus. Deos enim veros animam mundi ac partes ejus iste definivit : ac per hoc quidquid hoc non est, non est utique secundum istos verus deus. Num igitur ita dicturi sunt Jovem animam mundi, ut Janus sit corpus ejus, id est iste visibilis mundus? Hoc si dicunt, non erit quemadmodum Janum deum dicant; quoniam mundi corpus non est deus vel secundum ipsos, sed anima mundi ac partes ejus. Unde apertissime idem dicit, deum se arbitrari esse animam mundi, et hunc ipsum mundum esse deum : sed sicut hominem sapientem, cum sit ex animo et corpore, tamen ex animo dici sapientem; ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore. Solum itaque mundi corpus non est deus : sed aut sola anima ejus, aut simul corpus et animus; ita tamen ut non sit a corpore, sed ab animo deus. Si ergo Janus est mundus, et deus est Janus, numquid Jovem ut deus esse possit, aliquam partem Jani esse dicturi sunt? Magis enim Jovi universum solent tribuere : unde est,

> Jovis omnia plena (*a*).

Ergo et Jovem, ut deus sit, et maxime rex deorum, non alium possunt existimare quam mundum; ut diis cæteris secundum istos suis partibus regnet. In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani (*b*) exponit idem Varro, in eo libro quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit; qui versus hi sunt :

> Juppiter omnipotens, regum rerumque deûmque [1]
> Progenitor, genitrixque deûm, deus unus, et omnes.

Exponuntur autem in eodem libro, ita ut cum marem existimarent, qui semen emitteret, feminam quæ acciperet; Jovemque esse mundum, et eum omnia semina ex se emittere, et in se recipere : *Qua causa*,

[1] Editi post, *Jani bifrontis*, addunt, *quia Janus etsi quadrifons legitur, nunquam tamen quadrijanus invenitur*; quod a manuscriptis abest.

[2] Sic Mss. Editi vero, *summaque sunt*.

(*a*) Vid. Ennium apud Ciceronem, lib. 2 de Nat. deor.

(*b*) *Jovis et Jupiter* perinde in recto dicebatur : sed usus demum obtinuit, ut in obliquo *Jovis*, in recto *Jupiter* diceretur.

[1] Vind. Am. et Er., *regum rex ipse deusque*.

(*a*) Hunc versum Virgilius in Ecloga 3, vers. 60, ex principio Phænomenorum Arati transtulit. Dixit vero Aratus *Jovis omnia plena* esse, ex Stoicorum mente, qui intelligebant animam mundi universum hoc permeare. LARCHER.

(*b*) Vid. Cicer., lib. 3 de Orat., cap. 11; Plin., lib. 3 Hist. nat., cap. 5, al. 9.

inquit, *scripsit Soranus, Jupiter progenitor genitrixque : nec minus cum eo esse unum et omnia idem esse ; mundus enim unus, et in eo uno omnia sunt.*

CAPUT X. — *An Jani et Jovis recta discretio sit.*

Cum ergo et Janus mundus sit, et Jupiter mundus sit, unusque sit mundus, quare duo dii sunt, Janus et Jupiter ? quare seorsus habent templa, seorsus aras, diversa sacra, dissimilia simulacra? Si propterea quod alia vis est primordiorum, alia causarum, et illa Jani, illa Jovis nomen accepit ; numquid si unus homo in diversis rebus duas habeat potestates aut duas artes, quia singularum diversa vis est, ideo duo judices aut duo dicuntur artifices ? Sic ergo et unus Deus, cum ipse habeat potestatem primordiorum, ipse causarum, num propterea illum duos deos esse necesse est putari, quia primordia causæque res duæ sunt ? Quod si hoc justum putant, etiam ipsum Jovem tot deos esse dicant, quotquot ei cognomina propter multas potestates dederunt : quoniam res omnes, ex quibus illa cognomina sunt adhibita, multæ atque diversæ sunt ; ex quibus pauca commemoro.

CAPUT XI. — *De cognominibus Jovis, quæ non ad multos deos, sed ad unum eumdemque referuntur.*

Dixerunt eum Victorem, Invictum, Opitulum, Impulsorem, Statorem, Centumpedam, Supinalem, Tigillum, Almum [1], Ruminum, et alia quæ persequi longum est (a). Hæc autem cognomina imposuerunt uni deo propter causas potestatesque diversas, non tamen propter tot res etiam tot deos eum esse coegerunt : quod omnia vinceret, quod a nemine vinceretur, quod opem indigentibus ferret, quod haberet impellendi, statuendi, stabiliendi, resupinandi potestatem, quod tanquam tigillus mundum contineret ac sustineret, quod aleret omnia, quod ruma, id est mamma, aleret animalia. In his, ut advertimus, quædam magna sunt, quædam exigua ; et tamen unus utraque facere perhibetur. Puto inter se propinquiora esse causas rerum atque primordia, propter quas res unum mundum duos deos esse voluerunt, Jovem atque Janum, quam continere mundum [2] et mammam dare animalibus : nec tamen propter hæc duo opera tam longe inter se vi et dignitate diversa, duo dii esse compulsi sunt ; sed unus Jupiter, propter illud Tigillus, propter illud Ruminus appellatus est. Nolo dicere, quod animalibus mammam præbere sugentibus magis Junonem potuit decere, quam Jovem : præsertim cum esset etiam diva Rumina, quæ in hoc opus adjutorium illi famulatumve præberet. Cogito enim posse responderi, et ipsam Junonem nihil aliud esse quam Jovem, secundum illos Valerii Sorani versus, ubi dictum est :

> Jupiter omnipotens, regum rerumque deumque
> Progenitor, genitrixque deum.

Quare ergo dictus est et Ruminus, cum diligentius fortasse quærentibus ipse inveniatur esse etiam illa diva Rumina. Si enim majestate deorum recte videbatur indignum, ut in una spica alter ad curam geniculi, altera [1] ad folliculi pertineret ; quanto est indignius unam rem infimam, id est ut mammis alantur animalia, duorum deorum potestate curari, quorum sit unus Jupiter, rex ipse cunctorum ; et hoc agat non saltem cum conjuge sua, sed cum ignobili nescio qua Rumina, nisi quia ipse est etiam ipsa Rumina [2] ; Ruminus fortasse pro sugentibus maribus, Rumina pro feminis ? Dicerem quippe noluisse illos Jovi femininum nomen imponere, nisi et in illis versibus *Progenitor genitrixque* diceretur ; et inter alia ejus cognomina legerem, quod etiam Pecunia vocaretur, quam deam inter illos minuscularios invenimus, et in quarto libro commemoravimus (*cap.* 21). Sed cum et mares et feminæ habeant pecuniam, cur non et Pecunia et Pecunius appellatus sit, sicut Rumina et Ruminus, ipsi viderint.

CAPUT XII. — *Quod Jupiter etiam Pecunia nuncupetur.*

Quam vero eleganter rationem hujus nominis reddiderunt ! Et Pecunia, inquiunt, vocatur, quod ejus sunt omnia (a). O magnam rationem divini nominis ! Imo vero ille, cujus sunt omnia, vilissime et contumeliosissime Pecunia nuncupatur. Ad omnia enim, quæ cœlo et terra continentur, quid est pecunia in omnibus omnino rebus, quæ ab hominibus nomine pecuniæ possidentur ? Sed nimirum hoc avaritia Jovi nomen imposuit, ut quisquis amat pecuniam, non quemlibet deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videatur. Longe autem aliud esset, si divitiæ vocaretur : aliud namque sunt divitiæ, aliud pecunia. Nam dicimus divites, sapientes, justos, bonos, quibus pecunia vel nulla, vel parva est ; magis enim sunt virtutibus divites, per quas eis etiam in ipsis corporalium rerum necessitatibus sat est quod adest : pauperes vero avaros, semper inhiantes et egentes ; quamlibet enim magnas pecunias habere possunt, sed in earum quantacumque abundantia non egere non possunt. Et Deum ipsum verum recte dicimus divitem, non tamen pecunia, sed omnipotentia. Dicuntur itaque et divites pecuniosi ; sed interius egeni, si cupidi. Item dicuntur pauperes pecunia carentes ; sed interius divites, si sapientes. Qualis ergo ista theologia debet esse sapienti, ubi rex deorum ejus rei nomen accepit, *quam nemo sapiens concupivit* (b) ? Quanto enim facilius, si aliquid hac doctrina quod ad vitam pertineret æternam salubriter disceretur, deus mundi rector non ab eis pecunia, sed sapientia vocaretur, cujus amor purgat a sordibus avaritiæ, hoc est ab amore pecuniæ.

[1] Am. et Er., *Almum*.
[2] Sola editio Lov., *quam continere dicunt mundum*.
(a) Vid. Aristot., de Mundo, cap. 7. Hæc et plurima alia enumerat Lud. Vives.

[1] Editi hoc etiam loco, *alter*. At Mss., *altera*, scilicet, *Volutina*. Vide supra, lib. 4, cap. 8.
[2] Hic in editis additur, *ipse Ruminus* ; quod a manuscriptis abest.
(a) De verbo, *pecunia*, vid. August., de Discipl. Christ., n. 6.
(b) [illegible] p. 11.

CAPUT XIII. — *Quod dum exponitur quid Saturnus, quidve sit Genius, uterque unus Jupiter esse docetur.*

Sed quid de hoc Jove plura, ad quem fortasse cæteri referendi sunt, ut inanis remaneat deorum opinio plurimorum, cum hic ipse sit omnes [1]; sive quando partes ejus vel potestates existimantur, sive cum vis animæ, quam putant per cuncta diffusam, ex partibus molis hujus, in quas visibilis mundus iste consurgit, et multiplici administratione naturæ, quasi plurium deorum nomina accepit? Quid est enim et Saturnus? *Unus*, inquit, *de principibus deus, penes quem sationum omnium dominatus est.* Nonne expositio versuum illorum Valerii Sorani sic se habet, Jovem esse mundum, et eum omnia semina ex se emittere, et in se recipere? Ipse est igitur penes quem sationum omnium dominatus est. Quid est Genius? *Deus*, inquit, *qui præpositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum.* Quem alium hanc vim habere credunt, quam mundum, cui dictum est, *Jupiter progenitor genitrixque?* Et cum alio loco Genium dicit esse uniuscujusque animum rationalem, et ideo esse singulos singulorum, talem autem mundi animum deum esse; ad hoc idem utique revocat, ut tanquam universalis genius ipse mundi animus esse credatur. Hic est igitur quem appellant Jovem. Nam si omnis genius deus, et omnis viri animus genius, sequitur ut sit omnis viri animus deus: quod si et ipsos abhorrere absurditas ipsa compellit, restat ut eum singulariter et excellenter dicant deum genium, quem dicunt mundi animum, ac per hoc Jovem.

CAPUT XIV. — *De Mercurii et Martis officiis.*

Mercurium vero et Martem quomodo referrent ad aliquas partes mundi et opera Dei, quæ sunt in elementis, non invenerunt; et ideo eos saltem operibus hominum præposuerunt, sermocinandi et belligerandi administros [2]. Quorum Mercurius si sermonis etiam deorum potestatem gerit, ipsi quoque regi deorum dominatur, si secundum ejus arbitrium Jupiter loquitur, aut loquendi ab illo accepit facultatem: quod utique absurdum est. Si autem illi humani tantum sermonis postestas tributa perhibetur, non est credibile ad lactandos mamma, non solum pueros, sed etiam pecora, unde Ruminus cognominatus est, Jovem descendere voluisse, et curam nostri sermonis, quo pecoribus antecellimus, ad se pertinere noluisse: ac per hoc idem ipse est Jovis atque Mercurius. Quod si sermo ipse dicitur esse Mercurius, sicut ea quæ de illo interpretantur, ostendunt: (nam ideo Mercurius, quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius (*a*); ideo Ἑρμῆς græce, quod sermo vel interpretatio, quæ utique ad sermonem pertinet, ἑρμηνεία dicitur; ideo et mercibus præesse, quia inter vendentes et ementes sermo fit medius; alas ejus in capite et pedibus significare [3] volucrem ferri per aera sermonem; nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enuntiantur): si ergo Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus, deus non est. Sed cum sibi deos faciunt eos, qui nec [1] dæmones sunt, immundis supplicando spiritibus, possidentur ab eis qui non dii, sed dæmones sunt. Item quia nec Marti aliquod elementum vel partem mundi invenire potuerunt, ubi ageret opera qualiacumque naturæ, deum belli esse dixerunt, quod opus est hominum, et optabile eis non est. Si ergo pacem perpetuam Felicitas daret, Mars quid ageret non haberet. Si autem ipsum bellum est Mars, sicut sermo Mercurius; utinam quam manifestum est quod non sit deus, tam non sit et bellum quod vel falso vocetur deus.

CAPUT XV. — *De stellis quibusdam, quas Pagani deorum suorum nominibus nuncuparunt.*

Nisi forte illæ stellæ sunt hi dii, quas eorum appellavere nominibus: nam stellam quamdam vocant Mercurium, quamdam itidem Martem. Sed ibi est et illa quam vocant Jovem; et tamen eis mundus est Jovis: ibi quam vocant Saturnum; et tamen ei præterea [2] dant non parvam substantiam, omnium videlicet seminum: ibi est et illa omnium clarissima, quæ ab eis appellatur Venus; et tamen eamdem Venerem esse etiam Lunam volunt: quamvis de illo fulgentissimo sidere apud eos tanquam de malo aureo Juno Venusque contendant. Luciferum enim quidam Veneris, quidam dicunt esse Junonis: sed, ut solet, Venus vincit. Nam multo plures eam stellam Veneri tribuunt, ita ut vix eorum quisquam reperiatur, qui aliud opinetur. Quis autem non rideat, cum regem omnium Jovem dicant, quod [3] stella ejus ab stella Veneris tanta vincitur claritate? tanto enim esse debuit cæteris illa fulgentior, quanto est ipse potentior. Respondent ideo sic videri, quia illa quæ putatur obscurior, superior est atque a terris longe remotior. Si ergo superiorem locum major dignitas meruit, quare Saturnus ibi est Jove superior? an vanitas fabulæ, quæ regem Jovem facit, non potuit usque ad sidera pervenire; et quod non valuit Saturnus in regno suo, neque in Capitolio (*a*), saltem est permissus obtinere in cœlo? Quare autem Janus non accepit aliquam stellam? Si propterea quia mundus est, et omnes in illo sunt; et Jovis mundus est, et habet tamen. An iste causam suam composuit ut potuit, et pro una stella quam non habet inter sidera, tot facies accepit in terra? Deinde si propter solas stellas Mercurium et Martem partes mundi putant, ut eos deos habere possint, quia utique sermo et bellum non sunt partes mundi, sed actus hominum; cur Arieti et Tauro et Cancro et Scorpioni cæterisque hujusmodi, quæ cœlestia signa numerant, et stellis non singulis, sed singula pluribus constant,

[1] Plures Mss., *ipsi sint omnes.*
[2] Sic Mss. At editi, *ministros.*
[3] Sic Mss. At editi: *Ideo alas ei in capite et pedibus ponunt, volentes significare.*
(*a*) Apud Arnob. contra Gent. lib. 3, *quasi medicurrius.*

[1] Particula, *nec*, ab Er. et Lov. omissa hic fuit: restituitur ex Vind. Am. et Mss.
[2] Sic Mss. Editi vero, *præter eum.*
[3] Sola editio Lov. pro, *quod*, habet, *cum.*
(*a*) *Non valuit Saturnus in regno suo*, qui videlicet e Creta pulsus a filio Jove dicitur: *neque in Capitolio*, quia cum incoluisset collem Capitolinum, ubi Saturnia condita erat, postea collis ille sacer fuit Jovi.

superiusque istis[1] in summo cœlo perhibent collocata, ubi constantior motus inerrabilem meatum sideribus præbet, nullas aras, nulla sacra, nulla templa fecerunt; nec deos, non dico inter hos selectos, sed ne inter illos quidem quasi plebeios habuerunt?

CAPUT XVI. — *De Apolline et Diana cæterisque selectis diis, quos partes mundi esse voluerunt.*

Apollinem quamvis divinatorem et medicum velint, tamen ut in aliqua parte mundi statuerent, ipsum etiam solem esse dixerunt; Dianamque germanam ejus similiter lunam et viarum præsidem. Unde et virginem volunt, quod via nihil pariat[2]: et ideo ambos sagittas habere, quod ipsa duo sidera de cœlo radios terras usque pertendant. Vulcanum volunt ignem mundi, Neptunum aquas mundi, Ditem patrem, hoc est Orcum, terrenam et infimam partem mundi. Liberum et Cererem præponunt seminibus, vel illum masculinis, illam femininis; vel illum liquori, illam vero ariditati seminum (*a*). Et hoc utique totum refertur ad mundum, id est ad Jovem, qui propterea dictus est *Progenitor genitrixque*, quod omnia semina ex se emitteret, et in se reciperet. Quandoquidem etiam Matrem magnam eamdem Cererem volunt, quam nihil aliud dicunt esse quam terram, eamque perhibent et Junonem. Et ideo ei secundas causas rerum tribuunt: cum tamen Jovi sit dictum, *Progenitor genitrixque deûm*: quia secundum eos totus ipse mundus est Jovis. Minervam etiam, quia eam humanis artibus[3] præposuerunt, nec invenerunt vel stellam ubi eam ponerent, eamdem vel summum æthera vel etiam lunam esse dixerunt (*b*). Vestam quoque ipsam propterea dearum maximam putaverunt, quod ipsa sit terra; quamvis ignem mundi leviorem qui pertinet ad usus hominum faciles, non violentiorem qualis Vulcani est, ei deputandum esse crediderunt (*c*). Ac per hoc omnes istos selectos deos hunc esse mundum volunt, in quibusdam universum, in quibusdam partes ejus: universum sicut Jovem; partes ejus, ut Genium, ut Matrem magnam, ut Solem et Lunam, vel potius[4] Apollinem et Dianam. Et aliquando unum deum res plures, aliquando unam rem deos plures faciunt. Nam unus deus res plures sunt, sicut ipse Jupiter: et mundus enim totus Jupiter, et solum cœlum Jupiter, et sola stella Jupiter habetur et dicitur. Itemque Juno secundarum causarum domina, et Juno aer, et Juno terra, et si Venerem vinceret[5], Juno stella. Similiter Minerva summus æther, et Minerva itidem luna, quam esse in ætheris infimo limite existimant. Unam vero rem deos plures ita faciunt. Et Janus est mundus, et Jupiter: sic et Juno est terra, et Mater magna, et Ceres.

CAPUT XVII. — *Quod etiam ipse Varro opiniones suas de diis pronuntiarit ambiguas.*

Et sicut hæc, quæ exempli gratia commemoravi, ita cætera non explicant, sed potius implicant; sicut impetus errabundæ opinionis impulerit, ita huc atque illuc, hinc atque illinc insiliunt et resiliunt: ut ipse Varro de omnibus dubitare, quam aliquid affirmare maluerit. Nam trium extremorum primum cum de diis certis absolvisset librum, in altero de diis incertis dicere ingressus, ait: *Cum in hoc libello dubias de diis opiniones posuero, reprehendi non debeo. Qui enim putabit judicari oportere et posse, cum audierit, faciet ipse: ego citius perduci possum, ut in primo libro quæ dixi in dubitationem revocem, quam in hoc quæ perscribam omnia ut ad aliquam dirigam summam*[1]. Ita non solum istum de diis incertis, sed etiam illum de certis fecit incertum. In tertio porro isto de diis selectis, posteaquam prælocutus est quod ex naturali theologia præloquendum putavit, ingressurus hujus civilis theologiæ vanitates et insanias mendaces (*a*), ubi eum non solum non ducebat rerum veritas, sed etiam majorum premebat auctoritas: *De diis*, inquit, *populi Romani publicis, quibus ædes dedicaverunt, eosque pluribus signis ornatos notaverunt, in hoc libro scribam; sed, ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis est enim hæc opinari, Dei scire.* Rerum igitur non comprehensarum, nec firmissime creditarum, sed opinatarum et dubitandarum sermonem trepidus pollicetur, dicturus ea quæ ab hominibus instituta sunt. Neque enim, sicut sciebat esse mundum, esse cœlum et terram, cœlum sideribus fulgidum, terram seminibus fertilem, atque hujusmodi cætera, sicut hanc totam molem atque naturam vi quadam invisibili ac præpotenti regi atque administrari certa animi stabilitate credebat; ita poterat affirmare de Jano, quod mundus ipse esset; aut de Saturno invenire, quomodo et Jovis pater esset et Jovi regnanti[2] subditus factus esset, et cætera talia.

CAPUT XVIII. — *Quæ credibilior causa sit, qua error Paganitatis inoleverit.*

De quibus credibilior redditur ratio, cum perhibentur homines fuisse, et unicuique eorum ab his qui eos adulando deos esse voluerunt, ex ejus[3] ingenio, moribus, actibus, casibus, sacra et solemnia constituta, atque hæc paulatim per animas hominum dæmonibus similes et ludicrarum rerum avidas irrependo, longe lateque vulgata[4], ornantibus ea mendaciis poetarum, et ad ea fallacibus spiritibus seducentibus. Facilius enim fieri potuit, ut juvenis im-

[1] Lov., *ubi*: dissentientibus editis aliis et manuscriptis.

[2] In sola editione Lov., *quia nihil pariat*: omisso verbo, *via*.

[3] Mss. [illegible], *mentibus*. M.

[4] Mss., *ut Solem vel Lunam; vel potius*, etc.

[5] *Vinceret*, puta in contentione de Lucifero sidere, quod, ubi [illegible] superiore observat, quidam dicunt esse Junonis.

(*a*) Vid. Varronem, de Ling. lat. lib. 5, §§ 66, 70.

(*b*) Confer Eusebium, Præpar. Evang. lib. 3, cap. 11, [illegible] Huetium, *Demonstrationis evangelicæ*, tom. 1. M.

(*c*) Vid. Lactant., lib. 1 Instit., cap. 12.

[1] Mss., *perscribam omnia, ut aliquam dirigam summam*, omisso *ad*.

[2] [illegible] codd. [illegible], *et regnanti*; omissa voce, *Jovi*. M.

[3] [illegible] et Lov., *ex eorum*. At Mss. *ex ejus*, quod refertur ad, *unicuique*.

[4] Editi, *vulgaverunt*. Emendantur a Mss.

(*a*) Allusio ad Psal. XXXIX, v. 5.

pius vel ab impio patre interfici metuens et avidus regni patrem pelleret regno, quam id, quod iste interpretatur, ideo Saturnum patrem a Jove filio superatum, quod ante est causa quæ pertinet ad Jovem, quam semen quod pertinet ad Saturnum. Si enim hoc ita esset, nunquam Saturnus prior fuisset, nec pater Jovis esset. Semper enim semen causa præcedit, nec unquam generatur ex semine. Sed cum conantur vanissimas fabulas sive hominum res gestas velut naturalibus interpretationibus honorare, etiam homines acutissimi tantas patiuntur angustias, ut eorum quoque vanitatem dolere cogamur.

CAPUT XIX. — *De interpretationibus, quibus colendi Saturni ratio concinnatur* [1].

Saturnum, inquit, dixerunt, quæ nata ex eo essent, solitum devorare; quod eo semina, unde nascerentur, redirent. Et quod illi pro Jove gleba objecta est devoranda, significat, inquit, manibus humanis obrui cœptas serendo fruges, antequam utilitas arandi esset inventa. Saturnus ergo dici debuit ipsa terra, non semina: ipsa enim quodammodo devorat quæ genuerit, cum ex ea nata semina in eam rursus recipienda redierint. Et quod pro Jove accepisse dicitur glebam, quid hoc ad id valet, quod manibus hominum semen gleba coopertum est? Numquid ideo non est, ut cætera, devoratum, quod gleba coopertum est? Ita enim hoc dictum est, quasi qui glebam opposuit, semen abstulerit, sicut Saturno perhibent oblata gleba ablatum Jovem; ac non potius gleba semen operiendo fecerit illud diligentius devorari. Deinde isto modo semen est Jupiter, non seminis causa, quod paulo ante dicebatur. Sed quid faciant homines, qui cum res stultas interpretantur, non inveniunt quid sapienter dicatur? Falcem habet, inquit, propter agriculturam. Certe illo regnante nondum erat agricultura, et ideo priora ejus tempora perhibentur, sicut idem ipse fabellas interpretatur, quia primi homines ex his vivebant seminibus, quæ terra sponte gignebat. An falcem sceptro perdito accepit, ut, qui primis temporibus rex fuerat otiosus, filio regnante fieret operarius laboriosus? Deinde ideo dicit a quibusdam pueros ei solitos immolari, sicut a Pœnis (*a*), et a quibusdam etiam majores, sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum. De hac crudelissima vanitate quid opus est plura dicere? Hoc potius advertamus atque teneamus, has interpretationes non referri ad verum Deum, vivam, incorpoream, incommutabilemque naturam, a quo vita in æternum beata poscenda est; sed earum esse fines in rebus corporalibus, temporalibus, mutabilibus atque mortalibus. Quod Cœlum, inquit, patrem Saturnus castrasse in fabulis dicitur, hoc significat penes Saturnum, non penes Cœlum, semen esse divinum. Hoc propterea, quantum intelligi datur, quia nihil in cœlo de seminibus nascitur. Sed ecce, Saturnus si Cœli est filius, Jovis est filius. Cœlum enim esse Jovem, innumerabiliter [1] et diligenter affirmant (*a*). Ita ista, quæ a veritate non veniunt, plerumque et nullo impellente se ipsa subvertunt. Κρόνον appellatum dicit, quod græco vocabulo significat temporis spatium, sine quo semen, inquit, non potest esse fecundum. Hæc et alia de Saturno multa dicuntur, et ad semen omnia referuntur. Sed saltem Saturnus seminibus cum tanta ista potestate sufficeret; quid ad hæc dii alii requiruntur, maxime Liber et Libera, id est Ceres? De quibus rursus, quod ad semen attinet, tanta dicit, quasi de Saturno nihil dixerit.

CAPUT XX. — *De sacris Cereris Eleusinæ.*

In Cereris autem sacris prædicantur illa Eleusinia [2], quæ apud Athenienses nobilissima fuerunt. De quibus iste nihil interpretatur, nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit, et ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit. Et hanc ipsam dicit significare fecunditatem seminum: quæ cum defuisset quodam tempore, eademque sterilitate terra mœreret, exortam esse opinionem, quod filiam Cereris, id est ipsam fecunditatem, quæ a proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus abstulerat, et apud inferos detinuerat: quæ res cum fuisset luctu publico celebrata, quia rursus eadem fecunditas rediit, Proserpina reddita exortam esse lætitiam, et ex hoc solemnia constituta. Dicit deinde multa in mysteriis ejus tradi, quæ nisi ad frugum inventionem non pertineant.

CAPUT XXI. — *De turpitudine sacrorum, quæ Libero celebrabantur.*

Jam vero Liberi sacra, quem liquidis seminibus, ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodammodo primatum vinum tenet, verum etiam seminibus animalium præfecerunt, ad quantam turpitudinem pervenerint, piget quidem dicere, propter sermonis longitudinem; sed propter superbam istorum hebetudinem non piget. Inter cætera quæ prætermittere, quoniam multa sunt, cogor; in Italiæ compitis quædam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur; non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exsultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum, prius rure in compitis, et usque in urbem postea vectabatur. In oppido autem Lavinio [3] uni Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transvectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro in-

[1] In editis: *Saturni causam ratiocinantur*: corrupte.
(*a*) Conf. Euseb. Præpar. evang. lib. 4, cap. 16, *Démonstrations évangéliques*, tom. 1. M.

[1] Lov., *immutabiliter*; dissentientibus editis aliis et manuscriptis.
[2] Sic Er. et Mss. At Vind. Am. et Lov., *Eleusina*.
[3] Aliquot Mss., *Lavino*. Sed longe plures probæ notæ, *Lanvino*. An forte pro, *Lanuvino*. Nam *agro Lanuvino* legere est in Horatii Carminum libro 3, ode 27, vers. 3. De Lanuvii et Lavinii oppidi differentia dicit Sigonius in Livium, lib. 8, cap. 14.
(*a*) Vid. Euseb., loc. cit., lib. 3, capp. 3, 10. M.

honestissimo matremfamilias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. Sic videlicet Liber deus placandus fuerat pro eventibus seminum[1]; sic ab agris fascinatio repellenda, ut matrona facere cogeretur in publico, quod nec meretrix, si matronæ spectarent, permitteretur in theatro. Propter hæc Saturnus solus creditus non est sufficere posse seminibus, ut occasiones multiplicandorum dæmonum immunda anima reperiret, et ab uno vero Deo merito immunditiæ destituta, ac per multos falsos aviditate majoris immunditiæ prostituta, ista sacrilegia sacra nominaret, seseque spurcorum dæmonum turbis conviolandam polluendamque præberet.

CAPUT XXII. — *De Neptuno, et Salacia, ac Venilia.*

Jam utique habebat Salaciam Neptunus uxorem, quam inferiorem aquam maris esse dixerunt: utquid illi adjuncta est et Venilia, nisi ut sine ulla causa necessariorum sacrorum, sola libidine animæ prostitutæ, multiplicaretur invitatio dæmoniorum? Sed proferatur interpretatio præclaræ theologiæ, quæ nos ab ista reprehensione reddita ratione compescat. Venilia, inquit, unda est, quæ ad littus venit; Salacia, quæ in salum redit (a). Cur ergo deæ fiunt duæ, cum sit una unda quæ venit et redit? Nempe ipsa est exæstuans in multa numina libido vesana. Quamvis enim aqua non geminetur quæ it et redit; hujus tamen occasione vanitatis, duobus dæmoniis invitatis, amplius anima commaculatur, quæ it, et non redit. Quæso te, Varro, vel vos, qui tam doctorum hominum talia scripta legistis, et aliquid magnum vos didicisse jactatis, interpretamini hoc, nolo dicere secundum illam æternam incommutabilemque naturam, qui solus est Deus; sed saltem secundum animam mundi, et partes ejus, quas deos veros esse existimatis. Partem animæ mundi, quæ mare permeat, deum vobis fecisse Neptunum, utcumque tolerabilioris est erroris. Itane unda ad littus veniens et in salum rediens, duæ sunt partes mundi, aut duæ partes animæ mundi? Quis vestrum ita desipiat, ut hoc sapiat? Cur ergo vobis duas deas fecerunt, nisi quia provisum est a sapientibus majoribus vestris, non ut dii plures vos regerent, sed ut ea quæ istis vanitatibus et falsitatibus gaudent, plura vos dæmonia possiderent? Cur autem illa Salacia per hanc interpretationem inferiorem maris partem, qua viro erat subdita, perdidit? namque illam modo, cum refluentem fluctum esse perhibetis, in superficie posuistis. An quia Veniliam pellicem accepit, irata suum maritum de superis maris exclusit?

CAPUT XXIII. — *De Terra, quam Varro deam esse confirmat, eo quod ille animus mundi, quem opinatur deum, etiam hanc corporis sui infimam partem permeet, eique vim divinam impertiat.*

1. Nempe una est terra, quam quidem plenam videmus animalibus suis; verumtamen ipsam magnum corpus in elementis mundique infimam partem, cur eam volunt deam? An quia fecunda est? Cur ergo non magis homines dii sunt, qui eam fecundiorem faciunt excolendo; sed cum arant, non cum adorant? Sed pars animæ mundi, inquiunt, quæ per illam permeat, deam facit. Quasi non evidentior sit in hominibus anima, quæ utrum sit, nulla fit quæstio; et tamen homines dii non habentur: et quod est graviter dolendum, his, qui dii non sunt, et quibus ipsi meliores sunt, colendis et adorandis mirabili et miserabili errore subduntur. Et certe idem Varro in eodem de diis selectis libro, tres esse affirmat animæ gradus in omni universaque natura: unum, qui omnes partes corporis quæ vivunt, transit, et non habet sensum, sed tantum ad vivendum valetudinem: hanc vim in nostro corpore permanare dicit in ossa, ungues, capillos: sicut in mundo arbores sine sensu aluntur et crescunt, et modo quodam suo vivunt. Secundum gradum animæ, in quo sensus est: hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ esse summum, quod vocatur animus[1], in quo intelligentia præeminet: hoc præter hominem omnes carere mortales[2]: hanc partem animæ mundi dicit deum, in nobis autem Genium vocari. Esse autem in mundo lapides ac terram, quam videmus, quo non permanat sensus, ut ossa, ut ungues dei: solem vero, lunam, stellas, quæ sentimus, quibusque ipse sentit, sensus esse ejus. Æthera porro animum ejus: ex cujus vi, quæ pervenit in astra, ipsam quoque facere deos: et per ea quod in terram permeat, deam Tellurem: quod autem inde permeat in mare atque oceanum, deum esse Neptunum[3].

2. Redeat ergo ab hac, quam theologiam naturalem putat, quo velut requiescendi causa ab his ambagibus atque anfractibus fatigatus egressus est. Redeat, inquam, redeat ad civilem: hic eum adhuc teneo, tantisper de hac ago. Nondum dico, si terra et lapides nostris sunt ossibus et unguibus similes, similiter eos intelligentiam non habere, sicut sensu carent: aut si idcirco habere dicuntur ossa et ungues nostri intelligentiam, quia in homine sunt qui habet intelligentiam, tam stultum esse qui hos deos in mundo dicit, quam stultus est qui in nobis ossa et ungues homines dicit. Sed hæc cum philosophis fortassis agenda sunt: nunc autem istum adhuc politicum[4] volo. Fieri enim potest, ut, licet in illam naturalis theologiæ veluti libertatem caput erigere paululum voluisse videatur, adhuc tamen hunc librum versans, et se in illo versari cogitans, eum etiam inde respexerit; et hoc propterea dixerit, ne majores ejus, sive aliæ civitates,

[1] Vind. Am. Er. et quidam Mss., *pro eventibus seminum*.
(a) Alludit ad Psal. LXXVII, 39.

[1] Ita nostri Mss. In B., *qui vocatur animus*. M.
[2] Hic editi addunt, *in qua quoniam homines Deo videntur esse similes*; quod abest a Mss.
[3] In ante editis post, *Genium vocari*, ita legebatur: *Sic ergo et in anima mundi tres gradus instituens, imam partem ejus lapides esse dicit ac ligna, et hanc terram quam videmus, quo non permanat sensus: aliam vero quam sensum vocat ejus, ut æthera: tertiam porro, quam et animum ejus nuncupat, quæ scilicet pervenit in astra; eam quoque asserit facere deos, et per eam, quando in terram permanat, deam Tellurem, quod autem inde permeat in mare atque oceanum, deum esse Neptunum.* Textum alium, quam nos prætulimus, exhibent aut melioris notæ manuscripti omnes.
[4] Hic editi addunt, *id est civilem*. Glossema quod abest a manuscriptis.

Tellurem atque Neptunum inaniter coluisse credantur. Sed hoc dico, pars animi mundani quæ per terram permeat, sicut anima est terra, cur non etiam unam fecit deam, quam dicit esse Tellurem? Quod si fecit, ubi erit Orcus, frater Jovis atque Neptuni, quem Ditem patrem vocant (a)? ubi ejus conjux Proserpina, quæ secundum aliam in eisdem libris positam opinionem, non terræ fecunditas, sed pars inferior perhibetur (b)? Quod si dicunt, animi mundani partem, cum permeat terræ partem superiorem, Ditem patrem facere deum; cum vero inferiorem, Proserpinam deam: Tellus illa quid erit? Ita enim totum, quod ipsa erat, in duas istas partes deosque divisum est, ut ipsa tertia quæ sit, aut ubi sit, reperiri non possit: nisi quis dicat simul istos deos Orcum atque Proserpinam, unam deam esse Tellurem; et non esse jam tres, sed aut unam, aut duos: et tamen tres dicuntur, tres habentur, tres coluntur aris suis, delubris suis, sacris, simulacris, sacerdotibus suis, et per hæc etiam fallacibus prostitutam animam constuprantibus dæmonibus suis. Adhuc respondeatur, quam partem terræ permeet pars mundani animi, ut deum faciat Tellumonem. Non, inquit, sed una eademque terra habet geminam vim, et masculinam, quod semina producat; et femininam, quod recipiat atque enutriat: inde a vi feminina dictam esse Tellurem, a masculina Tellumonem. Cur ergo pontifices, ut ipse indicat, additis quoque aliis duobus, quatuor diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori? De Tellure et Tellumone jam dictum est: Altori quare? Quod ex terra, inquit, aluntur omnia quæ nata sunt. Rusori quare? Quod rursus, inquit, cuncta eodem revolvuntur.

CAPUT XXIV. — *De Telluris cognominibus eorumque significationibus, quæ etiamsi erant multarum rerum indices, non debuerunt multorum deorum firmare opiniones.*

1. Debuit ergo una terra propter istam quadrigeminam vim[1] quatuor habere cognomina, non quatuor facere deos: sicut tot cognominibus unus Jupiter, et tot cognominibus una Juno; in quibus omnibus vis multiplex esse dicitur ad unum deum vel unam deam pertinens, non multitudo cognominum, deorum etiam multitudinem faciens. Sed profecto sicut aliquando etiam ipsas vilissimas feminas earum, quas libidine quæsierunt, tædet pœnitetque turbarum: sic animam vilem factam et immundis spiritibus prostitutam deos sibi multiplicare, quibus contaminanda prosterneretur, sicut plurimum libuit, sic aliquando et piguit. Nam et ipse Varro quasi de ipsa turba verecundatus, unam deam vult esse Tellurem. *Eamdem*, inquit, *dicunt Matrem magnam, quod tympanum habeat, significari esse orbem terræ: quod turres in capite, oppida: quod sedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipsam non moveri. Quod Gallos huic deæ ut servirent fecerunt, significat qui semine indigeant, terram sequi oportere; in ea quippe omnia reperiri. Quod se apud eam jactant, significari, inquit, qui terram colunt, ne sedeant; semper enim esse quod agant. Cymbalorum sonitus, ferramentorum jactandorum*[1] *ac manuum, et ejus rei crepitum in colendo agro qui fit, significare*[2]*: ideo ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum esset inventum. Leonem, inquit, adjungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant nullum genus esse terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non subigi colique conveniat.* Deinde adjungit et dicit Tellurem matrem et nominibus pluribus et cognominibus quod nominarunt, deos existimatos esse complures. *Tellurem*, inquit, *putant esse Opem, quod opere fiat melior; Matrem, quod plurima pariat; Magnam, quod cibum pariat; Proserpinam, quod de ea proserpant fruges; Vestam, quod vestiatur herbis. Sic alias deas*, inquit, *non absurde ad hanc revocant.* Si ergo una dea est, quæ quidem consulta veritate nec ipsa est, interim quid itur in multas? Unius sint ista multa nomina, non tam deæ multæ quam nomina. Sed errantium majorum auctoritas deprimit, et eumdem Varronem post hanc sententiam trepidare compellit. Adjungit enim et dicit: *Cum quibus opinio majorum de his deabus, quod plures eas putarunt esse, non pugnat.* Quomodo non pugnat, cum valde aliud sit, unam deam nomina habere multa, aliud, esse deas multas? Sed potest, inquit, fieri ut eadem res et una sit, et in ea quædam res sint plures. Concedo in uno homine esse res plures, numquid ideo et homines plures? sic in una dea esse res plures, numquid ideo et deas plures? Verum sicut volunt, dividant, conflent, multiplicent, replicent, implicent.

2. Hæc sunt Telluris et Matris magnæ præclara mysteria, unde omnia referuntur ad mortalia semina et ad exercendam agriculturam. Itane ad hæc relata et hunc finem habentia tympanum, turres, Galli, jactatio insana membrorum, crepitus cymbalorum, confictio leonum, vitam cuiquam pollicentur æternam? itane propterea Galli abscisi huic Magnæ deæ serviunt, ut significent qui semine indigeant, terram sequi oportere; quasi non eos ipsa potius servitus semine faciat indigere? Utrum enim sequendo hanc deam, cum indigeant, semen acquirunt; an potius sequendo hanc deam, cum habeant, semen amittunt? Hoc interpretari est, an detestari? Nec attenditur, quantum maligni dæmones prævaluerint, qui nec aliqua magna his sacris polliceri ausi sunt, et tam crudelia exigere potuerunt. Si dea terra non esset, manus ei homines operando inferrent, ut semina consequerentur per illam; non etiam sibi sæviendo, ut semina perderent propter illam. Si dea non esset, ita fecunda fieret manibus alienis, ut non cogeret hominem sterilem fieri manibus suis. Jam quod in Liberi sacris honesta matrona pudenda virilia coronabat, spectante multitudine, ubi rubens et sudans, si est

---

[1] Plerique et potiores Mss. Vind. et Am., *quatergeminam vim*.

(a) Supra, cap. 16.
(b) Ibid. Vid. Varronem, lib. 5 de Ling. lat., § 68.

[1] Vind., *ferramentorum ritus jactandorum*. Am. et Er., *ferramentorum ictus jactandorum*. Sex Mss., *ferramentorum jactorum*.

[2] Paulo post plerique Mss., *qui fit, significant*. Locus perplexus et vitiatus.

ulla frons in hominibus, astabat forsitan et maritus; et quod in celebratione nuptiarum, super Priapi scapum nova nupta sedere jubebatur: longe contemptibiliora atque leviora sunt[1] præ ista turpitudine crudelissima vel crudelitate turpissima, ubi dæmoniacis artibus[2] sic uterque sexus illuditur, ut neuter suo vulnere perimatur. Ibi fascinatio timetur agrorum, hic membrorum amputatio non timetur: ibi sic dehonestatur novæ nuptæ verecundia, ut non solum fecunditas, sed nec virginitas adimatur; hic ita amputatur virilitas, ut nec convertatur in feminam, nec vir relinquatur.

CAPUT XXV. — *Quam interpretationem de abscisione Atidis[3] Græcorum sapientium doctrina repererit.*

Et Atys[4] ille non est commemoratus, nec ejus ab isto interpretatio requisita est, in cujus dilectionis memoriam Gallus absciditur (*a*). Sed docti Græci atque sapientes nequaquam rationem tam sanctam præclaramque tacuerunt. Propter vernalem quippe faciem terræ, quæ cæteris temporibus est pulchrior, Porphyrius, philosophus nobilis, Atyn flores significare perhibuit; et ideo abscisum, quia flos decidit ante fructum (*In libro de Ratione naturali deorum*). Non ergo ipsum hominem, vel quasi hominem, qui vocatus est Atys, sed virilia ejus flori comparaverunt. Ipsa quippe illo vivente deciderunt: imo vero non deciderunt, neque decerpta, sed plane discerpta sunt; nec illo flore amisso quisquam postea fructus, sed potius sterilitas consecuta est. Quid ergo ipse reliquus? et quidquid remansit absciso, quid eo significari dicitur? quo refertur? quæ interpretatio inde profertur? an hæc frustra moliendo nihilque inveniendo persuadent illud potius esse credendum, quod de homine castrato fama jactavit, litterisque mandatum est? Merito hinc aversatus est[5] Varro noster, neque hoc dicere voluit: non enim hominem doctissimum latuit.

CAPUT XXVI. — *De turpitudine sacrorum Matris magnæ.*

Itemque de mollibus eidem Matri magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo per plateas vicosque Carthaginis, etiam a populis unde turpiter viverent exigebant (*b*), nihil Varro dicere voluit, nec uspiam me legisse commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit Matris magnæ omnes deos filios, non numinis magnitudo, sed criminis. Huic monstro nec Jani monstrositas comparatur. Ille in simulacris habebat solam deformitatem, ista in sacris deformem crudelitatem; ille membra in lapidibus addita, hæc in hominibus perdita. Hoc dedecus tot Jovis ipsius et tanta stupra non vincunt: ille inter femineas corruptelas uno Ganymede cœlum infamavit; ista tot mollibus professis et publicis et inquinavit terram, et cœlo fecit injuriam. Saturnum fortasse possemus huic in isto genere turpissimæ crudelitatis sive conferre, sive præferre, qui patrem castrasse perhibetur: sed in Saturni sacris homines alienis manibus potius occidi, quam suis abscidi potuerunt. Devoravit ille filios, ut poetæ ferunt, et physici ex hoc interpretantur quod volunt; ut autem historia prodit, necavit: sed quod ei Pœni suos filios sacrificaverunt, non recepere Romani. At vero ista magna deorum Mater etiam Romanis templis castratos intulit, atque istam sævitiam moremque servavit; credita vires adjuvare Romanorum, exsecando virilia virorum. Quid sunt ad hoc malum Mercurii furta, Veneris lascivia, stupra ac turpitudines cæterorum, quæ proferremus de libris, nisi quotidie cantarentur et saltarentur in theatris? sed hæc quid sunt ad tantum malum, cujus magnitudo magnæ Matri tantummodo competebat? præsertim quod illa dicuntur a poetis esse conficta: quasi poetæ id etiam finxerint, quod ea sint diis grata et accepta. Ut ergo canerentur vel scriberentur, audacia sit vel petulantia poetarum: ut vero divinis rebus et honoribus eisdem imperantibus et extorquentibus numinibus adderentur, quid est nisi crimen deorum; imo vero confessio dæmoniorum, et deceptio miserorum? Verum illud quod de abscisorum consecratione Mater deorum coli meruit, non poetæ confinxerunt, sed horrere magis quam canere maluerunt. Hisne diis selectis quisquam consecrandus est, ut post mortem vivat beate, quibus consecratus ante mortem honeste non potest vivere, tam fœdis superstitionibus subditus et immundis dæmonibus obligatus? Sed hæc omnia, inquit, referuntur ad mundum. Videat ne potius ad immundum. Quid autem non potest referri ad mundum, quod esse demonstratur in mundo[1]? Nos autem animum quærimus, qui vera religione confisus, non tanquam deum suum adoret mundum, sed tanquam opus Dei propter Deum laudet mundum; et mundanis sordibus expiatus, mundus perveniat ad Deum, qui condidit mundum.

[1] Vind. Am. et Fr., *atque confusibiliora sunt*. Minus apte.

[2] Plures Mss., *ritibus*. Et quidam, *retibus*.

[3] Sic legendum ex Mss. [illegible]

[4] In veteribus libris plerisque cum duplici *t* scribitur, *Attis*. De hujus historia sive fabula Servius in Æneid. lib. 9, Arnobius, lib. 5, etc.

[5] Edit., *hunc adversatus est*. Emendantur a manuscriptis.

(*a*) Vide supra, lib. 2, cap. 7; et infra, lib. 6, cap. 7, n. 3.

(*b*) Galli Matris deûm habebant stipem a populo petere [illegible] Ovid. Fast. lib. 4, [illegible] de Legibus, lib. 2, cap. 9: [illegible] Vide Tertullianum in Apologetico, cap. 13.

[1] Editi Vind. Am. et Fr. carent hac sententia: *Quid autem non potest referri ad mundum quod esse demonstratur in mundo*; ejusque loco habent, [illegible] Locum hunc, [illegible] Ludovico Vives [illegible]. Venit profecto ex glossemate non bono ad illud quod præcedit, *Videat ne potius ad immundum*, ubi nihil subaudire legere oportebat aliud nisi, *spiritum*, id est dæmonem.

CAPUT XXVII. — *De figmentis physiologorum, qui nec veram divinitatem colunt, nec eo cultu quo colenda est vera divinitas.*

1. Istos vero deos selectos videmus quidem clarius innotuisse quam cæteros; non tamen ut eorum illustrarentur merita, sed ne occultarentur opprobria: unde magis eos homines fuisse credibile est; sicut non solum poeticæ litteræ, verum etiam historicæ tradiderunt. Nam quod Virgilius ait,

> Primus ab æthereo venit Saturnus olympo,
> Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademptis:
> (*Æneid. lib.* 8, *vers* 319, 320).

et quæ ad hanc rem pertinentia consequuntur, totam de hoc Euhemerus [1] pandit historiam, quam Ennius in latinum vertit eloquium: unde quia plurima posuerunt, qui contra hujusmodi errores ante nos vel græco sermone vel latino scripserunt, non in eo mihi placuit immorari.

2. [XXVII.] Ipsas physiologias cum considero, quibus docti et acuti homines has res humanas conantur vertere in res divinas, nihil video nisi ad temporalia terrenaque opera naturamque corpoream, vel etiamsi invisibilem, tamen mutabilem potuisse revocari: quod nullo modo est verus Deus. Hoc autem si saltem religiositati congruis significationibus ageretur, esset quidem dolendum, non his verum Deum annuntiari atque prædicari; tamen aliquo modo ferendum tam fœda et turpia non fieri nec juberi: at nunc cum pro Deo vero, quo solo anima se inhabitante sit felix, nefas sit colere aut corpus aut animam; quanto magis nefarium est ista sic colere, ut nec salutem, nec decus humanum corpus aut anima colentis obtineat? Quamobrem si templo, sacerdote, sacrificio, quod vero Deo debetur, colatur aliquod elementum mundi, vel creatus aliquis spiritus, etiamsi non immundus et malus; non ideo malum est, quia illa mala sunt quibus colitur; sed quia illa sunt talia, quibus solus ille colendus sit, cui talis cultus servitusque debetur. Si autem stoliditate vel monstrositate simulacrorum, sacrificiis homicidiorum, coronatione virilium pudendorum, mercede stuprorum, sectione membrorum, abscisione genitalium, consecratione mollium, festis impurorum obscenorumque ludorum, unum verum Deum, id est omnis animæ corporisque creatorem, colere se quisque contendat; non ideo peccat, quia non est colendus quem colit; sed quia colendum, non ut colendus est, colit. Qui vero et rebus talibus, id est turpibus et scelestis, et non Deum verum, id est animæ corporisque factorem, sed creaturam quamvis non vitiosam colit, sive illa sit anima, sive corpus, sive anima simul et corpus, bis peccat in Deum, quod et pro ipso colit, quod non est ipse; et talibus rebus colit, qualibus nec ipse colendus est, nec non ipse. Sed hi quonam modo, id est quam turpiter nefarieque, coluerint, in promptu est. Quid autem vel quos coluerint, esset obscurum, nisi eorum testaretur historia, ea ipsa

quæ fœda et turpia confitentur numinibus terribiliter exigentibus reddita. Unde remotis constat ambagibus, nefarios dæmones atque immundissimos spiritus hac omni civili theologia in visendis stolidis imaginibus, et per eas possidendis etiam stultis cordibus, invitatos (*a*).

CAPUT XXVIII. — *Quod doctrina Varronis de theologia in nulla sibi parte concordet.*

Quid igitur valet, quod vir doctissimus et acutissimus Varro velut subtili disputatione hos omnes deos in cœlum et in terram redigere ac referre conatur? Non potest [1]: fluunt de manibus, resiliunt, labuntur et decidunt. Dicturus enim de feminis, hoc est deabus: « Quoniam, » inquit, « ut in primo libro dixi de locis, duo sunt principia deorum animadversa de cœlo et terra, a quo dii partim dicuntur cœlestes, partim terrestres: ut in superioribus initium fecimus cœlo, cum diximus de Jano, quem alii cœlum, alii dixerunt esse mundum; sic de feminis initium scribendi facimus a Tellure. » Sentio quantam molestiam tale ac tantum patiatur ingenium. Ducitur enim quadam ratione verisimili, cœlum esse quod faciat, terram quæ patiatur; et ideo illi masculinam vim tribuit, huic femininam: et non attendit eum potius esse qui hæc facit, qui utrumque fecit. Hinc etiam Samothracum nobilia mysteria in superiore libro sic interpretatur, eaque se quæ nec suis nota sunt scribendo expositurum eisque missurum quasi religiosissime pollicetur (*b*). Dicit enim se ibi multis indiciis collegisse in simulacris aliud significare cœlum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat ideas: cœlum Jovem, terram Junonem, ideas Minervam vult intelligi: cœlum a quo fiat aliquid, terram de qua fiat, exemplum secundum quod fiat. Qua in re omitto dicere, quod Plato illas ideas tantam vim habere dicit (*c*), ut secundum eas non cœlum aliquid fecerit, sed etiam cœlum factum sit. Hoc dico, istum in hoc libro selectorum deorum, rationem illam trium deorum, quibus quasi cuncta complexus est, perdidisse. Cœlo enim tribuit masculos deos, feminas terræ: inter quas posuit Minervam, quam supra ipsum cœlum ante posuerat. Deinde masculus deus Neptunus in mari est, quod ad terram potius quam ad cœlum pertinet. Dispater [2] postremo, qui græce Πλούτων dicitur, etiam ipse masculus frater amborum, terrenus deus esse perhibetur; superiorem terram tenens, in inferiore habens Proserpinam conjugem. Quomodo ergo deos ad cœlum, deas ad terram referre conantur [3]? Quid solidum, quid constans, quid sobrium,

[1] Vind. Am. et aliquot Mss., *Homerus*. Sed verius cæteri libri, *Euhemerus*. Hic enim scripsit sacram historiam. Vide supra, lib. 6, cap. 7, n. 1.

[1] Ita in Mss. At in editis prava hic fuit interpunctio, atque addita particula copulativa sic, *ac referre conatur et non potest? Fluunt*, etc.

[2] Plures manuscripti, *Ditis pater*. Alii, *Diispater*. — Ms. 766, *Diispater*. Mss. 2050, 2052 et 2055, *Dispater*. M.

[3] Editi Vind. et Am.: *Quomodo ergo deos in cœlo, deas in terra esse perhibent, qui rursus deos ad terram, deas ad cœlum referre conantur?*

(*a*) Conf. Epist. 102, n. 20.

(*b*) Vid. lib. 5 de Ling. lat., § 58.

(*c*) In Timæo et Parmenide.

quid definitum habet hæc disputatio? Illa autem est Tellus initium dearum, Mater scilicet magna, apud quam mollium et abscissorum seseque secantium atque jactantium insana perstrepit turpitudo: quid est ergo quod dicitur caput deorum Janus, caput dearum Tellus? Nec ibi facit unum caput error, nec hic sanum furor (a). Cur hæc frustra referre nituntur ad mundum? Quod etsi possent, pro Deo vero mundum nemo pius colit[1]: et tamen eos nec hoc posse, veritas aperta convincit. Referant hæc potius ad homines mortuos, et ad dæmones pessimos, et nulla quæstio remanebit.

CAPUT XXIX. — *Quod omnia quæ physiologi ad mundum partesque ipsius retulerunt, ad unum verum Deum referre debuerint.*

Namque omnia quæ ab eis ex istorum deorum theologia velut physicis rationibus referuntur ad mundum, quam sine ullo scrupulo sacrilegæ opinionis Deo potius vero, qui fecit mundum, omnis animæ et omnis corporis conditori tribuantur, advertamus hoc modo: Nos Deum colimus, non cœlum et terram, quibus duabus partibus mundus hic constat: nec animam vel animas per viventia quæcumque diffusas; sed Deum qui fecit cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt: qui fecit omnem animam, sive quocumque modo viventem et sensus ac rationis expertem, sive etiam sentientem, sive etiam intelligentem.

CAPUT XXX. — *Qua pietate discernatur a creaturis Creator, ne pro uno tot dii colantur, quot sunt opera unius auctoris.*

Et jam ut incipiam illa unius et veri Dei opera percurrere, propter quæ isti sibi dum quasi honeste conantur sacramenta turpissima et scelestissima interpretari, deos multos falsosque fecerunt: illum Deum colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi et movendi initia finesque constituit; qui rerum causas habet, novit atque disponit; qui vim seminum condidit; qui rationalem animam, quod dicitur animus[2], quibus voluit viventibus indidit; qui sermonis facultatem usumque donavit; qui munus futura dicendi, quibus placuit spiritibus impertivit, et per quos placet ipse futura prædicit, et per quos placet malas valetudines pellit; qui bellorum quoque ipsorum, cum sic emendandum et castigandum est genus humanum, exordiis, progressibus, finibusque moderatur; qui hujus mundi ignem vehementissimum et violentissimum pro immensæ naturæ temperamento et creavit et regit; qui universarum aquarum creator et gubernator est; qui solem fecit corporalium clarissimum luminum, eique vim congruam et motum dedit; qui ipsis etiam inferis dominationem suam potestatemque non subtrahit; qui semina et alimenta mortalium, sive arida sive liquida, naturis competentibus attributa substituit; qui terram fundat[1] atque fecundat; qui fructus ejus animalibus hominibusque largitur; qui causas non solum principales, sed etiam subsequentes novit atque ordinat; qui lunæ statuit motum suum[2]; qui vias cœlestes atque terrestres locorum mutationibus præbet; qui humanis ingeniis, quæ creavit, etiam scientias artium variarum ad adjuvandam vitam naturamque concessit; qui conjunctionem maris et feminæ ad adjutorium propagandæ prolis instituit; qui hominum cœtibus, quem focis et luminibus adhiberent, ad facillimos usus munus terreni ignis indulsit. Ista sunt certe, quæ diis selectis, per nescio quas physicas interpretationes vir acutissimus atque doctissimus Varro, sive quæ aliunde accepit, sive quæ ipse conjecit, distribuere laboravit. [XXX.] Hæc autem facit atque agit unus verus Deus; sed sicut Deus, id est ubique totus[3], nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum et terram præsente potentia, non indigente[4] natura. Sic itaque administrat omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere[5] et agere motus sinat (a). Quamvis enim nihil esse possint sine ipso, non sunt quod ipse[6]. Agit autem multa etiam per Angelos: sed non nisi ex se ipso beatificat Angelos. Ita quamvis propter aliquas causas hominibus Angelos mittat: non tamen ex Angelis homines, sed ex se ipso, sicut Angelos, beatificat. Ab hoc uno et vero Deo vitam speramus æternam.

CAPUT XXXI. — *Quibus proprie beneficiis Dei, excepta generali largitate, sectatores veritatis utantur.*

Habemus enim ab illo, præter hujuscemodi beneficia, quæ ex hac, de qua nonnulla diximus, administratione naturæ bonis malisque largitur, magnum et bonorum proprium magnæ dilectionis indicium. Quanquam enim, quod sumus, quod vivimus, quod cœlum terramque conspicimus, quod habemus mentem atque rationem, qua eum ipsum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni sufficere gratiarum: tamen quod nos oneratos obrutosque peccatis, et a contemplatione suæ lucis aversos, ac tenebrarum, id est iniquitatis, dilectione cæcatos, non omnino deseruit, misitque nobis Verbum suum, qui est ejus unicus Filius, quo pro nobis assumpta carne nato atque passo, quanti Deus hominem penderet nosceremus, atque illo sacrificio singulari a peccatis omnibus mundaremur, ejusque Spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa, omnibus difficultatibus superatis in æternam requiem et con-

1 Sic Mss. At editi, *quasi possit pro vero Deo mundus vel opus pro factore coli.*

2 Sic Vind. Er. et Mss. — Sic etiam nostri Mss. In B., *quæ dicitur anima.* M.

(a) Error scilicet in Jano bicipite, *furor* autem in sacerdotibus insanis Matris magnæ.

1 Am. Fr. et Lov., *fundavit.* Vind. et Mss., *fundat.*

2 Vind. Am. et probæ notæ manuscripti, [illegible] — sic etiam codices 766, 2052 et 2095. In Ms. 2094 [illegible] hæc phrasis est mendosum. M.

3 Editi: *sed sicut idem Deus, ubique totus.* Castigantur a manuscriptis.

4 Editi, *non absente.* At omnes manuscripti, *non indigente.*

5 Plerique Mss., *exercere.* — Sic etiam nostri Mss. M.

6 Sic Mss. At editi, *nihil esse possit sine ipso, non tamen sunt ulla quod ipse.*

(a) Conf. lib. 5 cont. Julian., n. 51

templationis ejus ineffabilem dulcedinem venerimus, quæ corda, quot linguæ ad agendas et gratias satis esse contenderint?

CAPUT XXXII. — *Quod sacramentum redemptionis Christi nullis retro temporibus defuerit, semperque sit diversis significationibus prædicatum.*

Hoc mysterium vitæ æternæ jam inde ab exordio generis humani per quædam signa et sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per Angelos prædicatum est (*a*). Deinde populus Hebræus in unam quamdam rempublicam, quæ hoc sacramentum ageret, congregatus est; ubi per quosdam scientes, per quosdam nescientes, id quod ex adventu Christi usque nunc et deinceps agitur, prænuntiaretur esse venturum: sparsa etiam postea eadem gente [1] per gentes propter testimonium Scripturarum, quibus æterna salus in Christo futura prædicta est. Omnes enim non solum prophetiæ, quæ in verbis sunt, nec tantum præcepta vitæ, quæ mores pietatemque conformant [2], atque illis litteris continentur; verum etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum, sive templum, altaria, sacrificia, cerimoniæ, dies festi, et quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur, et græce proprie λατρεία dicitur, ea significaverunt et prænuntiaverunt [3] quæ, propter æternam vitam fidelium in Christo et impleta credimus, et impleri cernimus, et implenda confidimus (*b*).

CAPUT XXXIII. — *Quod per solam christianam religionem manifestari potuerit fallacia spirituum malignorum, de hominum errore gaudentium.*

Per hanc ergo religionem unam et veram potuit aperiri, deos Gentium esse immundissimos dæmones, sub defunctarum occasionibus animarum vel creaturarum specie mundanarum deos se putari cupientes, et quasi divinis honoribus eisdemque scelestis ac turpibus rebus superba impuritate lætantes, atque ad verum Deum conversionem humanis animis invidentes. Ex quorum immanissimo et impiissimo dominatu homo liberatur, cum credit in eum qui præbuit ad exsurgendum tantæ humilitatis exemplum, quanta illi superbia ceciderunt. Hinc sunt non solum illi, de quibus multa jam diximus, et alii atque alii similes cæterarum gentium atque terrarum; sed etiam hi, de quibus nunc agimus, tanquam in senatum deorum selecti; sed plane selecti nobilitate criminum, non dignitate virtutum. Quorum sacra Varro dum quasi ad naturales rationes referre conatur, quærens honestare res turpes, quomodo his quadret et consonet, non potest invenire: quoniam non sunt ipsæ illorum sacrorum causæ quas putat, vel potius vult putari. Nam si non solum ipsæ, verum etiam quælibet aliæ hujus generis essent, quamvis nihil ad Deum verum vitamque æternam, quæ in religione quærenda est, pertinerent; tamen qualicumque de rerum natura reddita ratione, aliquantulum mitigarent offensionem, quam non intellecta in sacris aliqua velut turpitudo vel absurditas fecerat, sicut in quorumdam theatrorum fabulis vel delubrorum mysteriis facere conatus est: ubi non theatra delubrorum similitudine absolvit, sed theatrorum potius similitudine delubra damnavit; tamen utcumque conatus est, ut sensum horribilibus rebus offensum velut naturalium causarum ratione reddita deliniret [1].

CAPUT XXXIV. — *De libris Numæ Pompilii, quos senatus, ne sacrorum causæ, quales in eis habebantur, innotescerent, jussit incendi.*

Sed contra invenimus, sicut ipse vir doctissimus prodidit, de Numæ Pompilii libris redditas sacrorum causas nullo modo potuisse tolerari, nec dignas habitas, quæ non solum lectæ innotescerent religiosis, sed saltem scriptæ reconderentur in tenebris. Jam enim dicam, quod in tertio hujus operis libro suo loco dicturum esse promiseram (*Cap.* IX). Nam, sicut apud eumdem Varronem legitur in libro de Cultu deorum, « Terentius quidam cum haberet [2] ad Janiculum fundum, et bubulcus ejus juxta sepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruisset ex terra libros ejus, ubi sacrorum institutorum scriptæ erant causæ, in Urbem pertulit ad prætorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numæ mortuo senatus assensus est, eosque libros tanquam religiosi patres conscripti, prætor ut combureret, censuerunt » (*a*). Credat quisque quod putat: imo vero dicat quod dicendum suggesserit vesana contentio, quilibet tantæ impietatis defensor egregius. Me admonere sufficiat, sacrorum causas a rege Pompilio, Romanorum sacrorum institutore, conscriptas, nec populo, nec senatui, nec saltem ipsis sacerdotibus innotescere debuisse, ipsumque Numam Pompilium curiositate illicita ad ea dæmonum pervenisse secreta, quæ ipse quidem scriberet, ut haberet unde legendo commoneretur: sed ea tamen, cum rex esset, qui minime quemquam metueret, nec docere aliquem, nec delendo vel quoquo modo consumendo perdere auderet; ita quod scire neminem voluit, ne homines nefaria doceret, violare autem timuit, ne dæmones iratos haberet, obruit ubi tutum putavit, sepulcro suo propinquare aratrum posse non credens. Senatus autem cum religiones formidaret damnare majorum, et ideo Numæ assentiri cogeretur: illos tamen libros tam perniciosos esse judicavit, ut nec obrui rursus juberet, ne humana curiositas multo vehementius rem jam proditam quæreret, sed flammis aboleri ne-

[1] Sic nostri recte Mss. In B., *post eadem gente*. M.
[2] Aliquot Mss., *conformant*. — Sic etiam Ms. 766. M.
[3] In antiquioribus editionibus Vind. Am. Er. legitur, *ea significata et prænuntiata sunt*. Sic etiam in omnibus manuscriptis. Lovanienses tamen correxerunt requirente, ut aiunt, sensu, *et significaverunt et prænuntiaverunt*.
(*a*) Conf. lib. 9 de Gen. ad litt., n. 31-36.
(*b*) De his plura habet August. passim infra, a lib. 17. Confer etiam lib. 4 contra Faustum, cap. 2, et lib. 22, cap. 24.

[1] Mss., *ratio reddita deliniret*.
[2] Quidam Mss., *araret*. — Nostri codices, *haberet*. M.
(*a*) Vid. Liv. lib. 40, cap. 29; Valer. lib. 1, cap. 1; Plin. lib. 13, cap. 13, al. 27; Fest. et Plutarch. in *Numa*; Lact. lib. 1 Instit., cap. 22.

fanda monumenta : ut, quia jam necesse esse existimabant sacra illa facere, tolerabilius erraretur causis eorum ignoratis, quam cognitis civitas turbaretur.

CAPUT XXXV. — *De hydromantia, per quam Numa, visis quibusdam dæmonum imaginibus, ludificabatur.*

Nam et ipse Numa, ad quem nullus Dei propheta, nullus sanctus angelus mittebatur, hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines deorum, vel potius ludificationes dæmonum, a quibus audiret quid in sacris constituere atque observare deberet. Quod genus divinationis idem Varro a Persis dicit allatum, quo [1] et ipsum Numam, et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat : ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari [2]; et νεκυομαντείαν græce dicit vocari : quæ sive hydromantia, sive necromantia dicatur, idipsum est, ubi videntur mortui divinare. Quibus hæc artibus fiant, ipsi viderint. Nolo enim dicere has artes etiam ante nostri Salvatoris adventum in ipsis civitatibus Gentium legibus solere prohiberi, et pœna severissima vindicari. Nolo, inquam, hoc dicere : fortassis enim talia tunc licebant. His tamen artibus didicit sacra illa Pompilius, quorum sacrorum facta prodidit, causas obruit ; ita timuit et ipse quod didicit : quarum causarum proditos libros senatus incendit. Quid mihi ergo Varro illorum sacrorum alias nescio quas causas velut physicas interpretatur ; quales si libri illi habuissent, non utique arsissent ; aut et istos Varronis ad Cæsarem pontificem scriptos (*a*) atque editos patres conscripti similiter incendissent ? Quod ergo aquam egesserit, id est exportaverit, Numa Pompilius, unde hydromantiam faceret, ideo nympham Egeriam conjugem dicitur habuisse, quemadmodum in supradicto libro Varronis exponitur (*b*). Ita enim solent res gestæ aspersione mendaciorum in fabulas verti. In illa igitur hydromantia curiosissimus ille rex Romanus et sacra didicit, quæ in libris suis pontifices haberent ; et eorum causas, quas præter se neminem scire voluit. Itaque eas seorsum scriptas secum quodammodo mori fecit, quando ita subtrahendas hominum notitiæ sepeliendasque curavit. Aut ergo dæmonum illic tam sordidæ et noxiæ cupiditates erant conscriptæ, ut ex his tota illa theologia civilis etiam apud tales homines exsecrabilis appareret, qui tam multa in ipsis sacris erubescenda susceperant ; aut illi omnes nihil aliud quam homines mortui prodebantur, quos tam prolixi [1] temporis vetustate fere omnes populi Gentium deos immortales esse crediderant : cum et talibus sacris iidem illi dæmones oblectarentur, qui se colendos pro ipsis mortuis, quos deos putari fecerant quibusdam fallacium miraculorum attestationibus, supponebant. Sed occulta Dei veri providentia factum est, ut et Pompilio amico suo illis conciliati artibus, quibus hydromantia fieri potuit, cuncta illa confiteri permitterentur ; et tamen ut moriturus incenderet ea potius, quam obrueret, admonere non permitterentur : qui ne innotescerent, nec aratro, quo sunt eruta, obsistere potuerunt, nec stilo Varronis, quo ea quæ de hac re gesta sunt, in nostram memoriam pervenerunt. Non enim possunt quod non sinuntur efficere : sinuntur autem alto Dei summi justoque judicio pro meritis eorum, quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam subjici ac decipi justum est. Quam vero perniciosæ vel a cultu veræ divinitatis alienæ illæ litteræ judicatæ sint, hinc intelligi potest, quod eas maluit senatus incendere, quas Pompilius occultavit, quam timere quod timuit qui hoc [2] audere non potuit. Qui ergo vitam nec modo habere vult piam, talibus sacris quærat æternam [3]. Qui autem cum malignis dæmonibus non vult habere societatem, non superstitionem, qua coluntur, noxiam pertimescat : sed veram religionem, qua produntur et vincuntur, agnoscat.

[1] Ms. 766, *qua*. M.
[2] Am. Er. et aliquot Mss., *suscitari* : moxque nonnulli codices, *et necromantiam*.
[3] In nostris Mss., excepto 2050, absunt voces, *sive hydromantia*. Ms. 2051 fert, *nycromantia*. M.
(*a*) Vid. Lactant. lib. 1 Instit., cap. 6.
(*b*) Livius, lib. 1, cap. 19, Ovidius, lib. 3 Fast., vers. 275, 276.

[1] Am. et Mss., *tam prolixa*. — Sic etiam nostri Mss.
[2] Ms. 766, *hæc*. M.
[3] Sic omnes Mss. At editi : *qui ergo nec felicem in futuro vitam, nec modo habere vult piam, talibus sacris mortem quærat æternam*.

LIBER OCTAVUS.

Venit ad tertium genus theologiæ, quæ dicitur naturalis, atque de diis ejus quæstionem, an ad [illegible] æternam videlicet deorum cultus prosit ad consequendam [illegible], cum Platonicis [illegible] qui cæterorum philosophorum [illegible] principes [illegible]. Atque hic primum refellit Apuleium et quoscumque alios [illegible] interpretes inter deos et homines medios volunt ; ostendens [illegible] quæ homines avers[illegible] et damnant, id est, [illegible] et scelera [illegible], nequaquam [illegible] ad deos bonos homines conciliare.

CAPUT PRIMUM. — *De quæstione naturalis theologiæ cum philosophis excellentioris scientiæ discutienda.*

Nunc intentiore nobis opus est animo multo quam erat in superiorum solutione quæstionum et explicatione librorum. De theologia quippe, quam naturalem vocant, non cum quibuslibet hominibus (non enim fabulosa est vel civilis, hoc est vel theatrica vel urbana ; quarum altera jactitat deorum crimina, altera indicat deorum desideria criminosiora, ac per hoc malignorum potius dæmonum quam deorum) ; sed cum philosophis est habenda collatio : quorum ipsum nomen si latine interpretemur, amorem sapientiæ profitetur (*a*). Porro si sapientia Deus est, per quem

(*a*) Vid. Cicer. lib. 2 de offic., cap. 2.

facta sunt omnia, sicut divina auctoritas veritasque monstravit (*Sap.* VII, 24-27, et *Hebr.* I, 2, 3), verus philosophus est amator Dei. Sed quia res ipsa, cujus hoc nomen est, non est in omnibus qui hoc nomine gloriantur (neque enim continuo veræ sapientiæ sunt amatores, quicumque appellantur philosophi) (*a*): profecto ex omnibus, quorum sententias et litteras nosse potuimus, eligendi sunt cum quibus non indigne quæstio ista tractetur. Neque enim hoc opere omnes omnium philosophorum vanas opiniones refutare suscepi, sed eas tantum quæ ad theologiam pertinent, quo verbo græco significari intelligimus de divinitate rationem sive sermonem: nec eas omnium, sed eorum tantum, qui cum et esse divinitatem et humana curare consentiant, non tamen sufficere unius incommutabilis Dei cultum ad vitam adipiscendam, etiam post mortem, beatam, sed multos, ab illo sane uno conditos atque institutos, ob eam causam colendos putant. Hi jam etiam Varronis opinionem veritatis propinquitate transcendunt: siquidem ille totam theologiam naturalem usque ad mundum istum vel ejus animam extendere potuit: isti vero supra omnem animæ naturam confitentur Deum, qui non solum mundum istum visibilem, qui sæpe cœli et terræ nomine nuncupatur, sed etiam omnem omnino animam fecerit; et qui rationalem et intellectualem, cujus generis anima humana est, participatione sui luminis incommutabilis et incorporei beatam facit. Hos philosophos Platonicos appellatos, a Platone doctore vocabulo derivato, nullus qui hæc vel tenuiter audivit, ignorat. De hoc igitur Platone, quæ necessaria præsenti quæstioni existimo, breviter attingam, prius illos commemorans, qui eum in eodem genere litterarum tempore præcesserunt.

CAPUT II. — *De duobus philosophorum generibus, id est, Italico et Ionico, eorumque auctoribus.*

Quantum enim attinet ad litteras græcas, quæ lingua inter cæteras gentium clarior habetur (*b*), duo philosophorum genera traduntur; unum Italicum, ex ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata est; alterum Ionicum, in eis terris, ubi et nunc Græcia nominatur. Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium, a quo etiam ferunt ipsum philosophiæ nomen exortum. Nam cum antea Sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur; iste interrogatus, quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiæ: quoniam sapientem profiteri, arrogantissimum videbatur (*c*). Ionici vero generis princeps fuit Thales Milesius, unus illorum septem qui appellati sunt Sapientes (*d*). Sed illi sex vitæ genere distinguebantur, et quibusdam præceptis ad bene vivendum accommodatis: iste autem Thales, ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus suasque disputationes litteris mandans eminuit; maximeque admirabilis exstitit, quod astrologiæ numeris comprehensis, defectus solis et lunæ etiam prædicere potuit (*a*). Aquam tamen putavit rerum esse principium, et hinc omnia elementa mundi ipsumque mundum, et quæ in eo gignuntur, existere. Nihil autem huic operi, quod mundo considerato tam admirabile aspicimus, ex divina mente præposuit. Huic successit Anaximander, ejus auditor, mutavitque de rerum natura opinionem. Non enim ex una re, sicut Thales ex humore, sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putavit. Quæ rerum principia singularum esse credidit infinita, et innumerabiles mundos gignere, et quæcumque in eis oriuntur; eosque mundos modo dissolvi, modo iterum gigni existimavit, quanta quisque ætate sua manere potuerit; nec ipse aliquid divinæ menti in his rerum operibus tribuens. Iste Anaximenem [1] discipulum et successorem reliquit: qui omnes rerum causas infinito aeri dedit: nec deos negavit, aut tacuit; non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit. Anaxagoras vero, ejus auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum animum sensit; et dixit ex infinita materia, quæ constaret similibus [1] inter se particulis, rerum omnium genera pro modulis et speciebus propriis singula fieri [2], sed animo faciente divino. Diogenes quoque (*b*), Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent; sed eum esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. Anaxagoræ successit auditor ejus Archelaus: etiam ipse de particulis inter se similibus, quibus singula quæque fierent, ita putavit constare omnia, ut inesse etiam mentem diceret, quæ corpora æterna [3], id est illas particulas, conjungendo et dissipando ageret omnia. Socrates hujus discipulus fuisse perhibetur, magister Platonis, propter quem breviter cuncta ista recolui.

CAPUT III. — *De Socratica disciplina.*

Socrates ergo primus universam philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur; cum ante illum omnes magis physicis, id est, naturalibus, rebus perscrutandis operam maximam impenderent (*c*). Non mihi autem videtur posse ad liquidum colligi, utrum Socrates, ut hoc faceret, tædio rerum obscurarum et incertarum ad aliquid apertum et certum reperiendum animum intenderit, quod esset beatæ vitæ necessarium; propter quam unam omnium philosophorum invigilasse ac laborasse vide-

(*a*) Lactant. lib. 3.
(*b*) Vid. quæst. 37 in Judic., tom. 3.
(*c*) Cicero, lib. 5 Tuscul. Quæst., cap. 3.
(*d*) Hic Romulo regnante vixisse dicitur infra, lib. 18, cap. 24. Æquales ipsius sex alii Sapientes sunt Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius, et Solon Atheniensis.

[1] Vind. Am. Er., *dissimilibus.* Et rursus infra loco, *similibus.*
[2] Omnes prope Mss., *rerum omnium quibus suis et propriis singula fieri.* Cygirannensis Ms., *rerum omnium quibusque suis et propriis singula fieri.*—Mss. nostri legunt, *fierent*, pro, *fieri*, et cætera sicut plerique PP. Benedictinorum codices. M.
[3] Vind. Am. et Er., *dissimilia.*
(*a*) Vide Ciceronem, de Divinatione, lib. 1, cap. 49.
(*b*) Diogenes ille, non Cynicus, sed Apolloniates, de quo Cicero, lib. 1 de Natura deorum, cap. 12.
(*c*) Cicero, lib. 1 Academ. Quæst., cap. 4; Tuscul. Quæst. lib. 5, cap. 4.

tur industria: an vero, sicut de illo quidam benevolentius suspicantur [1], nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari [2]. Quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas nonnisi in unius ac summi Dei [3] voluntate esse credebat: unde non eas putabat nisi mundata mente posse comprehendi; et ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus naturali vigore in æterna se attolleret, naturamque incorporei et incommutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conspiceret (a). Constat eum tamen imperitorum stultitiam scire se aliquid opinantium, etiam in ipsis moralibus quæstionibus, quo totum animum intendisse videbatur, vel confessa ignorantia sua, vel dissimulata scientia, lepore mirabili disserendi et acutissima urbanitate agitasse atque versasse. Unde et concitatis inimicitiis calumniosa criminatione damnatus, morte mulctatus est. Sed eum postea illa ipsa, quæ publice damnaverat, Atheniensium civitas publice luxit, in duos accusatores ejus (b) usque adeo populi indignatione conversa, ut unus eorum oppressus vi multitudinis interiret, exsilio autem voluntario atque perpetuo pœnam similem alter evaderet. Tam præclara igitur vitæ mortisque fama Socrates reliquit plurimos suæ philosophiæ sectatores, quorum certatim studium fuit in quæstionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo bono, quo fieri homo beatus potest [4]. Quod in Socratis disputationibus, dum omnia movet, asserit, destruit, quoniam non evidenter apparuit; quod cuique placuit, inde sumpserunt, et ubi cuique visum est, constituerunt finem boni. Finis autem boni appellatur, quo quisque cum pervenerit, beatus est. Sic autem diversas inter se Socratici de isto fine sententias habuerunt, ut (quod vix credibile est, unius magistri potuisse facere sectatores) quidam summum bonum esse dicerent voluptatem, sicut Aristippus; quidam virtutem, sicut Antisthenes. Sic alii atque alii aliud atque aliud opinati sunt: quos commemorare longum est (c).

CAPUT IV. — *De præcipuo inter Socratis discipulos Platone, qui omnem philosophiam triplici partitione distinxit.*

Sed inter discipulos Socratis, non quidem immerito, excellentissima gloria claruit, qui [5] omnino cæteros obscuraret, Plato. Qui cum esset Atheniensis, honesto apud suos loco natus, et ingenio mirabili longe suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere se ipsum ac Socraticam disciplinam, quam longe lateque potuit peregrinatus est, quaquaversum eum alicujus nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque et in Ægypto didicit quæcumque illic magna habebantur atque docebantur, et inde in eas Italiæ partes veniens ubi Pythagoreorum fama celebrabatur, quidquid Italicæ philosophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus facillime comprehendit. Et quia magistrum Socratem singulariter diligebat, eum loquentem fere in omnibus sermonibus suis faciens, etiam illa quæ vel ab aliis didicerat, vel ipse quanta potuerat intelligentia viderat, cum illius lepore et moralibus disputationibus temperavit. Itaque cum studium sapientiæ in actione et contemplatione versetur, unde una pars ejus activa, altera contemplativa dici potest; quarum activa ad agendam vitam, id est, ad mores instituendos, pertinet, contemplativa autem ad conspiciendas naturæ causas et sincerissimam veritatem: Socrates in activa excelluisse memoratur; Pythagoras vero magis contemplativæ, quibus potuit intelligentiæ viribus, institisse (a). Proinde Plato utrumque jungendo philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: unam moralem, quæ maxime in actione versatur; alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est; tertiam rationalem, qua verum disterminatur a falso: quæ licet utrique, id est actioni et contemplationi, sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem sibi vindicat veritatis. Ideo hæc tripartitio non est contraria illi distinctioni, qua intelligitur omne studium sapientiæ in actione et contemplatione consistere. Quid autem in his vel de his singulis partibus Plato senserit, id est, ubi finem omnium actionum, ubi causam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum esse cognoverit vel crediderit, disserendo explicare et longum esse arbitror, et temere affirmandum esse non arbitror. Cum enim magistri sui Socratis, quem facit in suis voluminibus disputantem, notissimum morem dissimulandæ scientiæ vel opinionis suæ servare affectat, quia et illi ipse mos placuit, factum est ut etiam ipsius Platonis de rebus magnis sententiæ non facile perspici possint. Ex his tamen quæ apud eum leguntur, sive quæ dixit [1], sive quæ ab aliis dicta esse narravit atque conscripsit, quæ sibi placita viderentur, quædam commemorari et huic operi inseri oportet a nobis, vel ubi suffragatur religioni veræ, quam fides nostra suscipit ac defendit, vel ubi ei videtur esse contrarius, quantum ad istam de uno Deo et pluribus pertinet quæstionem, propter vitam, quæ post mortem futura est, veraciter beatam [2]. Fortassis enim qui Platonem cæteris philosophis gentium longe recteque prælatum acutius atque veracius intellexisse atque secuti esse fama celebriore laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo inveniatur et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vi-

[1] Ms. 700, [illegible]. M.
[2] [illegible] et [illegible] Mss., *et conari*.
[3] Editi, *unius veri ac summi Dei*. [illegible] a manuscriptis.
[4] [illegible], *sine quo fieri homo beatus non potest*. Editi [illegible] omittunt, *sine*, et *non*.
[5] [illegible], *qui*. Ex nostris Mss. 700 et 2055, *quæ*; [illegible], *qui*. M.
(a) [illegible] Platonem, in Phædone.
(b) [illegible] et [illegible] intelligit, quorum ille mulctatus morte, [illegible] exsulque [illegible] est. Plato in Apologia Socratis, et [illegible].
(c) Vide [illegible], lib. 2 de [illegible].

[1] In B. [illegible], *sive quæ* [illegible]. M.
[2] [illegible] veteres libri. At [illegible], [illegible] *de uno Deo et* [illegible] *quæ post mortem futura* [illegible] *esse* [illegible]. *Fortassis*, etc.
(a) Conf. lib. 1 de Cons. Evang., n. 12.

vendi : quorum trium, unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere. Si enim homo ita creatus est, ut per id quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id est, unum verum optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit : ipse quæratur, ubi nobis secura[1] sunt omnia ; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia ; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia.

CAPUT V. — *Quod de theologia cum Platonicis potissimum disceptandum sit, quorum opinioni omnium philosophorum postponenda sint dogmata.*

Si ergo Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus, quid opus est excutere cæteros? Nulli nobis, quam isti, propius accesserunt (*a*). Cedat eis igitur non solum theologia illa fabulosa deorum criminibus oblectans animos impiorum ; nec solum etiam illa civilis, ubi impuri dæmones terrestribus gaudiis deditos populos deorum nomine seducentes, humanos errores tanquam suos divinos honores habere voluerunt, ad spectandos suorum criminum ludos cultores suos tanquam ad suum cultum studiis immundissimis excitantes[2], et sibi delectabiliores ludos de ipsis spectatoribus exhibentes : ubi si qua velut honesta geruntur in templis, conjuncta sibi theatrorum obscenitate turpantur ; et quæcumque turpia geruntur in theatris, comparata sibi templorum fœditate laudantur. Et ea quæ Varro ex his sacris, quasi ad cœlum et terram rerumque mortalium semina et actus interpretatus est ; quia nec ipsa illis ritibus significantur, quæ ipse insinuare conatur ; et ideo veritas conantem non sequitur : et si ipsa essent, tamen animæ rationali ea, quæ infra illam naturali ordine constituta sunt, pro deo suo colenda non essent ; nec sibi præferre debuit, tanquam deos, eas res, quibus ipsam prætulit verus Deus. Et ea, quæ Numa Pompilius revera ad sacra ejusmodi pertinentia secum sepeliendo curavit abscondi, et aratro eruta senatus jussit incendi. In eo genere sunt etiam illa, ut aliquid de Numa mitius suspicemur, quæ Alexander Macedo scribit ad matrem, sibi a magno antistite sacrorum Ægyptiorum quodam Leone patefacta (*b*) : ubi non Picus et Faunus et Æneas et Romulus, vel etiam Hercules et Æsculapius et Liber Semela[1] natus, et Tyndaridæ fratres, et si quos alios ex mortalibus pro diis habent, sed ipsi etiam majorum[3] gentium dii, quos Cicero in Tusculanis tacitis nominibus videtur attingere (*Lib. 1, cap. 13*), Jupiter, Juno, Saturnus, Vulcanus, Vesta, et alii plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes sive elementa transferre, homines fuisse produntur. Timens enim et ille quasi revelata mysteria, petens admonet Alexandrum, ut cum ea matri conscripta insinuaverit, flammis jubeat concremari. Non solum ergo ista, quæ duæ theologiæ, fabulosa continet et civilis, Platonicis philosophis cedant, qui verum Deum, et rerum auctorem, et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem esse dixerunt : sed alii quoque philosophi, qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati sunt, cedant his tantis et tanti Dei cognitoribus viris[1], ut Thales in humore, Anaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, hoc est minutissimis corpusculis, quæ nec dividi nec sentiri queunt, et quicumque alii, quorum enumerationi immorari non est necesse, sive simplicia, sive conjuncta corpora, sive vita carentia, sive viventia, sed tamen corpora, causam principiumque rerum esse dixerunt. Nam quidam eorum a rebus non vivis res vivas fieri posse crediderunt, sicut Epicurei : quidam vero a vivente quidem et viventia et non viventia, sed tamen a corpore corpora. Nam Stoici ignem, id est corpus unum ex his quatuor elementis, quibus visibilis mundus hic constat, et viventem, et sapientem, et ipsius mundi fabricatorem atque omnium quæ in eo sunt, eumque omnino ignem deum esse putaverunt. Hi et cæteri similes eorum id solum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt. In se quippe habebant quod non videbant, et apud se imaginabantur quod foris viderant, etiam quando non videbant, sed tantummodo cogitabant. Hoc autem in conspectu talis cogitationis jam non est corpus, sed similitudo corporis. Illud autem unde videtur in animo hæc similitudo corporis, nec corpus est, nec similitudo corporis ; et unde videtur, atque utrum pulchra an deformis sit judicatur, profecto est melius quam ipsa quæ judicatur. Hæc mens hominis et[2] rationalis animæ natura est, quæ utique corpus non est ; si jam illa corporis similitudo, cum in animo cogitantis aspicitur atque judicatur, nec ipsa corpus est. Non est ergo nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis : quibus quatuor corporibus, quæ dicuntur quatuor elementa, mundum corporeum videmus esse compactum. Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? Cedant ergo et isti, ut dictum est Platonicis : cedant et illi, quos quidem puduit dicere Deum corpus esse, veruntamen ejusdem naturæ, cujus ille est, animos nostros esse putaverunt. Ita non eos movit tanta mutabilitas animæ, quam Dei naturæ tribuere nefas est. Sed dicunt, Corpore mutatur animæ natura ; nam per se ipsam incommutabilis est. Poterant isti dicere, Corpore aliquo vulneratur caro ; nam per se ipsam invulnerabilis est. Prorsus quod mutari non potest, nulla re potest : ac per hoc quod corpore

[1] Loco, *secura*, quidam Mss. habent, *diserta*. Gelbertinus, *inserta*. Alii plerique, *certa* : quod verbum altero nihilominus loco repetunt post, *ipse cernatur*. Nullibi vero invenimus lectionem, quam veterum manuscriptorum esse dicit Ludovicus Vives, scilicet : *ipse quæratur, ubi nobis certa sunt omnia ; ipse cernatur, ubi nobis vera sunt omnia*, etc.

[2] Editi, *habere voluerunt ; ubi ad spectandos suorum criminum ludos, cultores suos tanquam suæ vanitatis administratores habuerunt : ubi per eos ad suum cultum studiis immundissimis alios excitantes*, etc. Castigantur ex veteribus libris.

[3] Vind. Am. et Er., *majores*. Melius Lov. et Mss., *majorum*. Nam ita Cicero in citato loco, lib. 1 Acad. Quæst.

(*a*) De Vera Relig., n. 7.

(*b*) Vid. infra, in fine hujus libri, et lib. 12, cap. 10, n. 2; item Cypriani, de Idolorum Vanitate.

[1] Vind. Am. et Er., *veris*.

[2] Edd., *et ipsa*. Abest, *ipsa*, a Mss.

mutari potest, aliqua re potest, et ideo incommutabile recte dici non potest.

CAPUT VI. — *De Platonicorum sensu in ea parte philosophiæ, quæ physica nominatur.*

Viderunt ergo isti philosophi, quos cæteris non immerito fama atque gloria prælatos videmus, nullum corpus esse Deum : et ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. Viderunt quidquid mutabile est, non esse summum Deum : et ideo omnem animam mutabilesque omnes spiritus transcenderunt, quærentes summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est quidquid illud est, quoquo modo et qualiscumque natura est, non esse posse nisi ab illo qui vere est, quia incommutabiliter est. Ac per hoc sive universi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, et elementa disposita a cœlo usque ad terram, et quæcumque corpora in eis sunt; sive omnem vitam, vel quæ nutrit et continet, qualis est in arboribus; vel quæ et hoc habet et sentit, qualis est in pecoribus; vel quæ et hæc habet et intelligit, qualis est in hominibus; vel quæ nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in Angelis, nisi ab illo esse non posse qui simpliciter est : quia non aliud illi est esse, aliud vivere, quasi possit esse non vivens; nec aliud illi est vivere, aliud intelligere, quasi possit vivere non intelligens; nec aliud illi est intelligere, aliud beatum esse, quasi possit intelligere et non beatus esse ; sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et omnia ista fecisse, et ipsum a nullo fieri potuisse. Consideraverunt enim, quidquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse, quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitæ. Proinde intelligibilem speciem sensibili prætulerunt. Sensibilia dicimus, quæ visu tactuque corporis sentiri queunt : intelligibilia, quæ conspectu mentis intelligi possunt[1]. Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de qua non animus judicet. Quod profecto non posset, nisi melior in illo esset hæc species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie sensibili judicaret : melius ingeniosior quam tardior, melius peritior quam imperitior, melius exercitatior quam minus exercitatus, et idem ipse unus cum proficit, melius utique postea quam prius. Quod autem recipit magis[2] et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabilis esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, et si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid ubi prima esset et incommutabilis (a), et ideo nec comparabilis : atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta essent. Ita quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cum ab eis invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt intellecta conspecta sunt; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas (*Rom.* I, 19, 20) : a quo etiam visibilia et temporalia cuncta creata sunt[1]. Hæc de illa parte quam physicam, id est naturalem, nuncupant, dicta sint.

CAPUT VII. — *Quanto excellentiores cæteris in logica, id est rationali philosophia, Platonici sint habendi.*

Quod autem attinet ad doctrinam, ubi altera pars versatur, quæ ab eis logica, id est rationalis, vocatur; absit ut his comparandi videantur, qui posuerunt judicium veritatis in sensibus corporis, eorumque infidis et fallacibus regulis omnia quæ discuntur metienda esse censuerunt, ut Epicurei, et quicumque alii tales; ut etiam ipsi Stoici, qui cum vehementer amaverint solertiam disputandi, quam dialecticam nominant, a corporis sensibus eam ducendam putarunt : hinc asseverantes animum concipere notiones, quas appellant ἐννοίας, earum rerum scilicet quas definiendo explicant; hinc propagari atque connecti totam discendi docendique rationem. Ubi ego multum mirari soleo, cum pulchros dicant non esse nisi sapientes, quibus sensibus corporis istam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis formam sapientiæ decusque conspexerint. Hi vero, quos merito cæteris anteponimus, discreverunt ea quæ mente conspiciuntur, ab iis quæ sensibus attinguntur; nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt. Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eumdem ipsum Deum a quo facta sunt omnia.

CAPUT VIII. — *Quod etiam in morali philosophia Platonici obtineant principatum.*

Reliqua est pars moralis, quam græco vocabulo dicunt ἠθικήν, ubi quæritur de summo bono, quo referentes omnia quæ agimus, et quod non propter aliud, sed propter se ipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil quo beati simus, ulterius requiramus. Ideo quippe et finis est dictus, quia propter hunc cætera volumus, ipsum autem nonnisi propter ipsum. Hoc ergo beatificum bonum alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque in homine esse dixerunt[2]. Videbant quippe ipsum hominem constare ex animo et corpore, et ideo ab alterutro istorum duûm, aut ab utroque bene sibi esse posse credebant, finali quodam bono, quo beati essent, quo cuncta quæ agebant referrent, atque id[3] quo referendum esset non ultra quærerent. Unde illi qui dicuntur addidisse tertium genus bonorum, quod appellatur extrinsecus, sicuti est honor,

[1] Nostri Mss., excepto 2052, omittunt verbum, *possunt*. M.
[2] Sic Mss. At editi, *majus*.

[1] Manuscripti plures loco, *visibilia*, habent, *invisibilia*. Quidam vero utrumque sic : *a quo etiam invisibilia et visibilia cuncta creata sunt*. — Ms. 766, *invisibilia*. M.
[2] Codices 766, 2050, 2051 et 2055, *alii ab utroque homini esse dixerunt*. M.
[3] Hic in solis editis additum est, *cum forent adepti*.
(a) Supple, *species*.

gloria, pecunia, et si quid hujusmodi, non sic addiderunt, ut finale esset, id est propter se ipsum appetendum, sed propter aliud, bonumque esset hoc genus bonis[1], malum autem malis. Ita bonum hominis, qui vel ab animo, vel a corpore, vel ab utroque expetiverunt, nihil aliud quam ab homine expetendum esse putaverunt. Sed qui id appetiverunt a corpore, a parte hominis deteriore; qui vero ab animo, a parte meliore; qui autem ab utroque, a toto homine. Sive ergo a parte qualibet, sive a toto, non nisi ab homine. Nec istæ differentiæ, quoniam tres sunt, ideo tres, sed multas dissensiones philosophorum sectasque fecerunt: quia et de bono corporis, et de bono animi, et de bono utriusque diversi diversa opinati sunt (*a*). Cedant igitur hi omnes illis philosophis, qui non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo: non sicut corpore vel se ipso animus, aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus; si aliquid ab his ad illa similitudinis afferendum est[2], quod quale sit, si Deus ipse adjuverit, alio loco, quantum per nos fieri poterit, apparebit. [IX.] Nunc satis sit commemorare, Platonem determinasse finem boni esse, secundum virtutem vivere, et ei soli evenire posse, qui notitiam Dei habeat et imitationem; nec esse aliam ob causam beatum. Ideoque non dubitat hoc esse philosophari, amare Deum; cujus natura sit incorporalis. Unde utique colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiæ (id enim est philosophus), cum Deo frui cœperit. Quamvis enim non continuo beatus sit, qui eo fruitur quod amat; multi enim amando ea quæ amanda non sunt, miseri sunt, et miseriores cum fruuntur: nemo tamen beatus est, qui eo quod amat non fruitur. Nam et ipsi qui res non amandas amant, non se beatos amando putant, sed fruendo. Quisquis ergo fruitur eo quod amat, verumque et summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat? ipsum autem verum ac summum bonum Plato dicit Deum, unde vult esse philosophum amatorem Dei, ut, quoniam philosophia ad beatam vitam tendit fruens Deo sit beatus qui Deum amaverit.

CAPUT IX. — *De ea philosophia quæ ad veritatem fidei christianæ propius accessit.*

Quicumque igitur philosophi de Deo summo et vero ista senserunt, quod et rerum creatarum sit effector, et lumen cognoscendarum, et bonum agendarum; quod ab illo nobis sit et principium naturæ, et veritas doctrinæ, et felicitas vitæ; sive Platonici accommodatius nuncupentur, sive quodlibet aliud sectæ suæ nomen imponant; sive tantummodo Ionici generis, qui in eis præcipui fuerunt, ista senserint, sicut idem Plato, et qui eum bene intellexerunt; sive etiam Italici, propter Pythagoram et Pythagoræos, et si qui forte alii ejusdem sententiæ identidem fuerunt; sive aliarum quoque gentium, qui sapientes vel philosophi habiti sunt, Atlantici Libyci[1], Ægyptii, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani aliique reperiuntur, qui hoc viderunt ac docuerunt, eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur.

CAPUT X. — *Quæ sit inter philosophicas artes religiosi excellentia christiani.*

1. Quamvis enim homo christianus litteris tantum ecclesiasticis eruditus, Platonicorum forte nomen ignoret, nec utrum duo genera philosophorum exstiterint in græca lingua, Ionicorum et Italicorum, sciat; non tamen ita surdus est in rebus humanis, ut nesciat philosophos vel studium sapientiæ, vel ipsam sapientiam profiteri. Cavet eos tamen, qui secundum elementa hujus mundi philosophantur, non secundum Deum, a quo ipse factus est mundus. Admonetur enim præcepto apostolico, fideliterque audit quod dictum est: *Cavete ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem, secundum elementa mundi* (*Coloss.* II, 8). Deinde ne omnes tales esse arbitretur, audit ab eodem apostolo dici de quibusdam, *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (*Rom.* I, 19, 20). Et ubi Atheniensibus loquens, cum rem magnam de Deo dixisset, et quæ a paucis possit intelligi, quod *in illo vivimus, movemur et sumus*; adjecit et ait, *Sicut et vestri quidam dixerunt* (*Act.* XVII, 28). Novit sane etiam ipsos, in quibus errant, cavere. Ubi enim dictum est quod per ea quæ facta sunt, Deus illis manifestavit intellectu conspicienda invisibilia sua; ibi etiam dictum est, non illos ipsum Deum recte coluisse, quia et aliis rebus, quibus non oportebat, divinos honores illi uni tantum debitos detulerunt: *Quoniam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*Rom.* I, 21-23). Ubi et Romanos, et Græcos, et Ægyptios, qui de sapientiæ nomine gloriati sunt, fecit intelligi. Sed de hoc cum istis postmodum disputabimus. In quo autem nobis consentiunt de uno Deo hujus universitatis auctore, qui non solum super omnia corpora est incorporeus, verum etiam super omnes animas incorruptibilis, principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum, in hoc eos cæteris anteponimus.

2. [X.] Nec, si litteras eorum christianus ignorans, verbis quæ non didicit in disputatione non utitur, ut vel naturalem latine, vel physicam græce

[1] Sic Mss. At editi, *Sed propter aliud bonum, quo esset hoc genus bonum bonis*, etc.

[2] Editi, *ad illas similitudines afferendum est*. Emendantur ex manuscriptis.

(*a*) Vide infra, lib. 19, cap. 2.

[1] Plerique manuscripti, *Libyes*. Pauci cum editis, *Libyci*. Hos Leonardum Coquæum secuti minime distinguimus ab Atlanticis, quos ille observat dictos Lybicos, quod, ut Laertius tradit, Lybicus fuisse Atlas rex ille Mauritaniæ, qui cursum solis, lunæ ac siderum primus investigasse dicitur.

appellat eam partem in qua de inquisitione naturæ tractatur, et rationalem sive logicam, in qua quæritur quonam modo veritas percipi possit, et moralem vel ethicam, in qua de moribus agitur bonorumque finibus appetendis malorumque vitandis, ideo nescit ab uno vero Deo atque optimo, et naturam nobis esse, qua facti ad ejus imaginem sumus, et doctrinam, qua eum nosque noverimus, et gratiam, qua illi cohærendo beati simus. Hæc itaque causa est cur istos cæteris præferamus; quia cum alii philosophi ingenia sua studiaque contriverint in requirendis rerum causis, et quinam esset modus discendi atque vivendi, isti Deo cognito reperrerunt ubi esset causa constitutæ universitatis, et lux percipiendæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis. Sive ergo isti Platonici, sive quicumque alii quarumlibet gentium philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt. Sed ideo cum Platonicis magis placuit hanc causam agere, quia eorum sunt litteræ notiores. Nam et Græci, quorum lingua in gentibus præeminet, eas magna prædicatione celebrarunt; et Latini permoti earum vel excellentia, vel gloria¹, ipsas libentius didicerunt, atque in nostrum eloquium transferendo nobiliores clarioresque fecerunt.

CAPUT XI. — *Unde Plato eam intelligentiam potuerit acquirere, qua christianæ scientiæ propinquavit.*

Mirantur autem quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt vel legunt Platonem de Deo ista sensisse, quæ multum congruere veritati nostræ religionis agnoscunt. Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, Jeremiam audisse prophetam, vel Scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse: quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui (a). Sed diligenter supputata temporum ratio, quæ chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore quo prophetavit Jeremias, centum ferme annos postea natum fuisse (b): qui cum octoginta et unum vixisset, ab anno mortis ejus usque ad id tempus, quo Ptolemæus rex Ægypti Scripturas propheticas gentis Hebræorum de Judæa poposcit, et per septuaginta viros Hebræos, qui etiam græcam linguam noverant, interpretandas habendasque curavit, anni ferme reperiuntur sexaginta (c). Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Jeremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem Scripturas legere, quæ nondum fuerant in græcam linguam translatæ, qua ille pollebat: nisi forte, quia fuit acerrimi studii, sicut Ægyptias, ita et istas per interpretem didicit, non ut scribendo transferret, quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia potestate etiam timeri poterat, meruisse perhibetur, sed ut colloquendo, quid continerent, quantum capere posset, addisceret (a). Hoc ut existimetur, illa suadere videntur indicia, quod liber Geneseos sic incipit: *In principio fecit Deus cælum et terram. Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum, et Spiritus Dei superferebatur super aquam* (*Gen.* I, 1, 2). In Timæo autem Plato, quem librum de mundi constitutione conscripsit, Deum dicit in illo opere terram primo ignemque junxisse (*Cap. 5 translat. Cicer.*): manifestum est autem quod igni tribuat cæli locum¹: habet ergo hæc sententia quamdam illius similitudinem, qua dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram.* Deinde illa duo media, quibus interpositis sibimet hæc extrema copularentur, aquam dicit et aerem (*Ibidem*): unde putatur sic intellexisse quod scriptum est, *Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Parum quippe attendens quo more soleat illa Scriptura appellare Spiritum Dei, quoniam et aer spiritus dicitur, quatuor opinatus elementa, loco illo commemorata videri potest. Deinde quod Plato dicit amatorem Dei esse philosophum, nihil sic illis sacris Litteris flagrat: et maxime illud, quod et me plurimum adducit, ut pene assentiar Platonem illorum librorum expertem non fuisse, quod cum ad sanctum Moysen ita verba Dei per angelum perferantur, ut quærenti quod sit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, respondeatur, *Ego sum qui sum; et dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14): tanquam in ejus comparatione qui vere est quia incommutabilis est, ea quæ mutabilia facta sunt non sint: vehementer hoc Plato tenuit, et diligentissime commendavit (b). Et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum qui ante Platonem fuerunt, nisi ubi dictum est, *Ego sum qui sum; et dices eis, Qui est, misit me ad vos.*

CAPUT XII. — *Quod etiam Platonici, licet de uno vero Deo bene senserint, multis tamen diis sacra facienda censuerint.*

Sed undecumque ille ista didicerit, sive præcedentibus eum veterum libris, sive potius quomodo dicit Apostolus, *quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (*Rom.* I, 19, 20): nunc non immerito me Platonicos philosophos elegisse cum quibus agam, quod in ista quæstione, quam modo suscepimus, agitur de naturali theologia, utrum propter felicitatem, quæ post

¹ [illegible] *vel gloria.*

(a) [illegible]

(b) [illegible]

(c) [illegible]

¹ [illegible]

(a) [illegible]

(b) [illegible] in Timæo, et aliquot dialog.

mortem futura est, uni Deo, an pluribus sacra facere oporteat [1], satis, ut existimo, exposui. [XII.] Ideo quippe hos potissimum elegi, quoniam de uno Deo, qui fecit cœlum et terram, quanto melius senserunt, tanto cæteris gloriosiores et illustriores habentur; in tantum aliis prælati judicio posterorum, ut cum Aristoteles, Platonis discipulus, vir excellentis ingenii, et eloquio Platoni quidem impar, sed multos facile superans, sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueverat, plurimosque discipulos præclara fama excellens, vivo adhuc præceptore in suam hæresim congregasset, post mortem vero Platonis Speusippus [2], sororis ejus filius, et Xenocrates, dilectus ejus discipulus, in scholam ejus, quæ Academia vocabatur, eidem successissent, atque ob hoc et ipsi et eorum successores Academici appellarentur; recentiores tamen philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos (*a*). Ex quibus sunt valde nobilitati Græci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius: in utraque autem lingua, id est et græca et latina, Apuleius Afer exstitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes, et cæteri ejusmodi, et ipse Plato, diis plurimis esse sacra facienda putaverunt.

CAPUT XIII. — *De sententia Platonis, qua definivit deos non esse nisi bonos amicosque virtutum.*

Quanquam ergo a nobis et in aliis multis rebus magnisque dissentiant, in hoc tamen quod modo posui, quia neque parva res est, et inde nunc quæstio est, primum ab eis quæro, quibus diis istum cultum exhibendum arbitrentur, utrum bonis, an malis, an et bonis et malis. Sed habemus sententiam Platonis, dicentis omnes deos bonos esse, nec esse omnino ullum deorum malum (*Lib.* 10 *de Legibus*, *et de Republica*, *lib.* 2). Consequens est igitur, ut bonis hæc exhibenda intelligantur: tunc enim diis exhibentur; quoniam nec dii erunt, si boni non erunt. Hoc si ita est, (nam de diis quid aliud decet credere?) illa profecto vacuatur opinio, qua nonnulli putant deos malos sacris placandos esse, ne lædant; bonos autem, ut adjuvent, invocandos (*b*). Mali enim nulli sunt dii: bonis porro debitus, ut dicunt, honor sacrorum est deferendus. Qui sunt ergo illi qui ludos scenicos amant, eosque divinis rebus adjungi et suis honoribus flagitant exhiberi? quorum vis non eos indicat nullos, sed iste affectus nimirum indicat malos. Quid enim de ludis scenicis Plato senserit, notum est; cum poetas ipsos, quod tam indigna deorum majestate atque bonitate [3] carmina composuerint, censet civitate pellendos (*c*). Qui sunt igitur isti dii, qui de scenicis ludis cum ipso Platone contendunt? Ille quippe non patitur deos falsis criminibus infamari; isti eisdem criminibus suos honores celebrari jubent. Denique isti cum eosdem ludos instaurari præciperent, poscentes turpia, etiam maligna gesserunt, Tito Latinio auferentes filium, et immittentes morbum, quod eorum abnuisset imperium, eumque morbum retrahentes, cum jussa complesset (*a*). Iste autem illos nec tam malos timendos putat, sed suæ mentis robur constantissime retinens, omnes poetarum sacrilegas nugas, quibus illi immunditiæ societate [1] oblectantur, a populo bene instituto removere non dubitat. Hunc autem Platonem, quod jam in secundo libro commemoravi (*Cap.* 14), inter semideos Labeo ponit. Qui Labeo numina mala victimis cruentis atque hujusmodi supplicationibus placari existimat, bona vero ludis, et talibus quasi ad lætitiam pertinentibus rebus. Quid est ergo quod semideus Plato non semideis, sed deis, et hoc bonis, illa oblectamenta, quia judicat turpia, tam constanter audet auferre? Qui sane dii refellunt sententiam Labeonis: nam se in Latinio non lascivos tantum atque ludibundos, sed etiam sævos terribilesque monstrarunt. Exponant ergo nobis ista Platonici [2], qui omnes deos secundum auctoris sui sententiam bonos et honestos et virtutibus sapientium esse socios arbitrantur, aliterque de ullo deorum sentiri nefas habent. Exponimus, inquiunt. Attente igitur audiamus.

CAPUT XIV. — *De opinione eorum qui rationales animas trium generum esse dixerunt, id est, in diis cœlestibus, in dæmonibus aeriis, et in hominibus terrenis.*

1. Omnium inquiunt, animalium, in quibus est anima rationalis, tripartita divisio est, in deos, homines, dæmones. Dii excelsissimum locum tenent, homines infimum, dæmones medium. Nam deorum sedes in cœlo est, hominum in terra, in aere dæmonum. Sicut eis diversa dignitas est locorum, ita etiam naturarum. Proinde dii sunt hominibus dæmonibusque potiores; homines vero infra deos et dæmones constituti sunt, ut elementorum ordine, sic differentia meritorum. Dæmones igitur medii, quemadmodum diis, quibus inferius habitant, postponendi, ita hominibus, quibus superius, præferendi sunt. Habent enim cum diis communem immortalitatem corporum, animorum autem cum hominibus passiones (*b*). Quapropter non est mirum, inquiunt, si etiam ludorum obscenitatibus et poetarum figmentis delectantur; quandoquidem humanis capiuntur affectibus, a quibus dii longe absunt et modis omnibus alieni sunt. Ex quo colligitur, Platonem poetica detestando et prohibendo figmenta, non deos, qui omnes boni et excelsi sunt, privasse ludorum scenicorum voluptate, sed dæmones.

2. Hæc si ita sunt, quæ licet apud alios quoque reperiantur, Apuleius tamen Platonicus Madaurensis

[1] In editis post verbum, *oporteat*, inserta hæc fuerunt: *Nam utrum unus Deus, an plures propter hujus vitæ sint bona colendi*. Sed his verbis carent veteres libri.
[2] Plures et probæ notæ manuscripti, *Speusippus*.
[3] Aliquot Mss., *atque benignitate*.
(*a*) Conf. Euseb. lib. 14 Præpar. evang., capp. 4, 5.
(*b*) Porphyr. lib. 2 de Abstinentia animantium, capp. 39, 40.
(*c*) Supra, lib. 2, cap. 14.

[1] Sic Mss. At editi, *per immunditiæ societatem*.
[2] Sic nostri Mss. In B., *Exponant ista nobis Platonici*. M.
(*a*) Supra, lib. 4, cap. 26.
(*b*) Plato in Epinomide.

de hac re sola unum scripsit librum, cujus titulum esse voluit, De deo Socratis: ubi disserit et exponit, ex quo genere numinum Socrates [1] habebat adjunctum et amicitia quadam conciliatum, a quo perhibetur solitus admoneri, ut desisteret ab agendo, quando id quod agere volebat, non prospere fuerat eventurum. Dicit enim apertissime, et copiosissime asserit, non illum Deum fuisse, sed dæmonem, diligenti disputatione pertractans istam Platonis de deorum sublimitate et hominum humilitate et dæmonum medietate sententiam. Hæc ergo si ita sunt, quonam modo ausus est Plato, etiamsi non diis, quos ab omni humana contagione semovit, certe ipsis dæmonibus, poetas urbe pellendo, auferre theatricas voluptates, nisi quia hoc pacto admonuit animum humanum, quamvis adhuc in his moribundis membris positum, pro splendore honestatis impura dæmonum jussa contemnere, eorumque immunditiam detestari? nam si Plato hæc honestissime arguit et prohibuit, profecto dæmones turpissime poposcerunt atque jusserunt. Aut ergo fallitur Apuleius, et non ex isto genere numinum habuit amicum Socrates; aut contraria inter se sentit Plato, modo dæmones honorando, modo eorum delicias a civitate bene morata removendo; aut non est Socrati amicitia dæmonis gratulanda, de qua usque adeo et ipse Apuleius erubuit, ut De deo Socratis prænotaret librum, quem secundum suam disputationem, qua deos a dæmonibus tam diligenter copioseque discernit, non appellare De deo, sed De dæmone Socratis debuit. Maluit autem hoc in ipsa disputatione, quam in titulo libri ponere. Ita enim per sanam doctrinam, quæ humanis rebus illuxit, omnes vel pene omnes dæmonum nomen exhorrent, ut quisquis ante disputationem Apuleii, qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri, De dæmone Socratis legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret. Quid autem etiam ipse Apuleius, quod in dæmonibus laudaret, invenit, præter subtilitatem et firmitatem corporum, et habitationis altiorem locum? nam de moribus eorum, cum de omnibus generaliter loqueretur, non solum nihil boni dixit, sed etiam plurimum mali. Denique lecto illo libro prorsus nemo miratur eos etiam scenicam turpitudinem in rebus divinis habere voluisse, et, cum deos se putari velint, deorum criminibus oblectari potuisse, et quidquid in eorum sacris obscena solemnitate seu turpi crudelitate vel ridetur, vel horretur, eorum affectibus convenire.

CAPUT XV. — *Quod neque propter aeria corpora, neque propter superiora habitacula dæmones hominibus antecellant.*

1. Quamobrem absit ut ista considerans animus veraciter religiosus et vero Deo subditus, ideo arbitretur dæmones se ipso esse meliores, quod habeant corpora meliora (a). Alioquin multas sibi et bestias prælaturus est, quæ nos et acrimonia sensuum, et motu facillimo atque celerrimo, et valentia virium, et annosissima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo æquabitur aquilis et vulturibus? quis odorando canibus? quis velocitate leporibus, cervis, avibus omnibus? quis multum valendo leonibus et elephantis? quis diu vivendo serpentibus, qui etiam deposita tunica senectutem deponere, atque in juventam redire perhibentur? Sed sicut his omnibus ratiocinando et intelligendo meliores sumus, ita etiam dæmonibus bene atque honeste vivendo meliores esse debemus. Ob hoc enim et providentia divina eis, quibus nos constat esse potiores, data sunt quædam potiora corporum munera, ut illud quo eis præponimur, etiam isto modo nobis commendaretur multo majore cura excolendum esse, quam corpus; ipsamque excellentiam corporalem, quam dæmones habere nossemus, præ bonitate vitæ, qua illis anteponimur, contemnere disceremus, habituri et nos immortalitatem corporum, non quam suppliciorum æternitas torqueat, sed quam puritas præcedat animorum.

2. Jam vero de loci altitudine, quod dæmones in aere, nos autem habitamus in terra, ita permoveri, ut hinc eos nobis esse præponendos existimemus, omnino ridiculum est. Hoc enim pacto nobis et omnia volatilia præponimus. At enim volatilia, cum volando fatigantur, vel reficiendum alimentis corpus habent, terram repetunt, vel ad requiem, vel ad pastum; quod dæmones, inquiunt, non faciunt (a). Numquid ergo placet eis, ut volatilia nobis, dæmones autem etiam volatilibus antecellant? Quod si dementissimum est opinari, nihil est quod de habitatione superioris elementi dignos esse dæmones existimemus, quibus nos religionis affectu subdere debeamus. Sicut enim fieri potuit ut aeriæ volucres terrestribus nobis non solum non præferantur, verum etiam subjiciantur propter rationalis animæ, quæ in nobis est, dignitatem; ita fieri potuit ut dæmones, quamvis magis aerii sint, terrestribus nobis non ideo meliores sint, quia est aer quam terra superior; sed ideo eis homines præferendi sint, quoniam spei piorum hominum nequaquam illorum desperatio comparanda est. Nam et illa ratio Platonis, qua elementa quatuor proportione contexit atque ordinat, ita duobus extremis, igni mobilissimo et terræ immobili, media duo, aerem et aquam, interserens, ut quanto aer est aquis et aere ignis, tanto et aquæ superiores sint terris; satis nos admonet animalium merita non pro elementorum gradibus æstimare. Et ipse quippe Apuleius cum cæteris terrestre animal hominem dicit (*De deo Socratis*) qui tamen longe præponitur animalibus aquatilibus, cum ipsas aquas terris præponat Plato: ut intelligamus [1] non eumdem ordinem tenendum, cum agitur de meritis animarum, qui videtur esse ordo in gradibus corpo-

[1] [illegible] ex quo genere [illegible] Socrates. [illegible]

(a) [illegible] corpora [illegible] Origenes, lib. 2 Periarchon, [illegible] de Carne Christi, atque [illegible] Augustinus, qui eadem animalia aeria et ætheria vocat, lib. 1 contra Academicos, n. 20, epist. 9, n. 3, et lib. 3 de Genesi ad litt., cap. 10, nn. 14, 15, quorum, ubi postremo loco dicit, *corporum [illegible].*

[1] Nostri Mss., *ut intelligant.* M.

(a) Apuleii hoc est [illegible] in libro De deo Socratis.

rum; sed fieri posse ut inferius corpus anima melior inhabitet, deteriorque superius.

CAPUT XVI. — *Quid de moribus atque actionibus dæmonum Apuleius Platonicus senserit.*

De moribus ergo dæmonum cum idem Platonicus loqueretur, dixit eos eisdem quibus homines animi perturbationibus agitari, irritari injuriis, obsequiis donisque placari, gaudere honoribus, diversis sacrorum ritibus oblectari, et in eis si quid neglectum fuerit, commoveri (*De deo Socratis*). Inter cætera etiam dicit, ad eos pertinere divinationes augurum, aruspicum, vatum, atque somniorum: ab his quoque esse miracula magorum (*Ibid.*). Breviter autem eos definiens ait, dæmones esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aeria, tempore æterna: horum vero quinque tria priora illis esse (*a*) quæ nobis, quartum proprium, quintum eos cum diis habere commune (*Ibid.*). Sed video trium superiorum quæ nobiscum habent, duo etiam cum diis habere. Animalia quippe esse dicit et deos, qui [1] sua cuique elementa distribuens, in terrestribus animalibus nos posuit cum cæteris quæ in terra vivunt et sentiunt, in aquatilibus pisces et alia natatilia, in aeriis dæmones, in ætheriis deos (*Ibid.*). Ac per hoc, quod dæmones genere sunt animalia, non solum eis cum hominibus, verum etiam cum diis pecoribusque commune est: quod mente rationalia, cum diis et hominibus; quod tempore æterna, cum diis solis; quod animo passiva, cum hominibus solis; quod corpore aeria, ipsi sunt soli. Proinde quod genere sunt animalia, non est magnum; quia hoc sunt et pecora: quod mente rationalia, non est supra nos; quia sumus et nos: quod tempore æterna, quid boni est, si non beata? Melior est enim temporalis felicitas, quam misera æternitas. Quod animo passiva, quomodo supra nos est; quando et nos hoc sumus, nec ita esset, nisi miseri essemus? Quod corpore aeria, quanti æstimandum est, cum omni corpori præferatur animæ qualiscumque natura [2]; et ideo religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam debeatur ei rei, quæ inferior est animo? Porro si inter illa, quæ dæmonum esse dicit, annumeraret virtutem, sapientiam, felicitatem, et hæc eos diceret habere cum diis æterna atque communia, profecto aliquid diceret exoptandum magnique pendendum: nec sic eos tamen propter hæc tanquam Deum colere deberemus, sed potius ipsum, a quo hæc illos accepisse nossemus. Quanto minus nunc honore divino aeria digna sunt animalia, ad hoc rationalia, ut misera esse possint, ad hoc passiva, ut misera sint, ad hoc æterna, ut miseriam finire non possint?

CAPUT XVII. — *An dignum sit eos spiritus ab homine coli, a quorum vitiis eum oporteat liberari.*

1. Quapropter, ut omittam cætera, et hoc solum perturbationem, quod nobiscum dæmones dixit habere commune, id est animi passiones, si omnia quatuor elementa suis animalibus plena sunt, immortalibus ignis et aer, mortalibus aqua et terra, quæro cur animi dæmonum passionum turbellis et tempestatibus agitentur? Perturbatio est enim, quæ græce πάθος dicitur: unde illa voluit vocare animo passiva, quia verbum, de verbo πάθος, passio diceretur [1] motus animi contra rationem (*a*). Cur ergo sunt ista in animis dæmonum, quæ in pecoribus non sunt? Quoniam, si quid in pecore simile apparet, non est perturbatio; quia non est contra rationem, qua pecora carent. In hominibus autem ut sint istæ perturbationes, facit hoc stultitia, vel miseria. Nondum enim sumus in illa perfectione sapientiæ beati, quæ nobis ab hac mortalitate liberatis in fine promittitur. Deos vero ideo dicunt istas perturbationes non perpeti, quia non solum æterni, verum etiam beati sunt. Easdem quippe animas rationales etiam ipsos habere perhibent, sed ab omni labe ac peste purissimas. Quamobrem si propterea dii non perturbantur, quod animalia sunt beata, non misera; et propterea pecora non perturbantur, quod animalia sunt, quæ nec beata possunt esse, nec misera: restat ut dæmones sicut homines ideo perturbentur, quod animalia sunt non beata, sed misera.

2. [XVII.] Qua igitur insipientia, vel potius amentia per aliquam religionem dæmonibus subdimur, cum per veram religionem ab ea vitiositate, qua illis sumus similes, liberemur? Cum enim dæmones, quod et iste Apuleius, quamvis eis plurimum parcat, et divinis honoribus dignos censeat, tamen cogitur confiteri, ira instigentur; nobis vera religio præcipit, ne ira instigemur, sed ei potius resistamus. Cum dæmones donis invitentur, nobis vera religio præcipit, ne cuiquam donorum acceptione faveamus. Cum dæmones honoribus mulceantur, nobis vera religio præcipit, ut talibus nullo modo moveamur. Cum dæmones quorumdam hominum osores, quorumdam amatores sint, non prudenti tranquilloque judicio, sed animo, ut appellat ipse, passivo; nobis vera religio præcipit, ut inimicos nostros etiam diligamus (*Matth.* v, 44). Postremo omnem motum cordis et salum mentis, omnesque turbellas et tempestates animi, quibus dæmones æstuare atque fluctuare asserit, nos vera religio deponere jubet. Quæ igitur causa est, nisi stultitia errorque miserabilis [2], ut ei te facias venerando humilem, cui te cupias vivendo dissimilem; et religione colas, quem imitari nolis, cum religionis summa sit imitari quem colis?

CAPUT XVIII. — *Qualis religio sit, in qua docetur quod homines, ut commendentur diis bonis, dæmonibus uti debeant advocatis.*

Frustra igitur eis Apuleus, et quicumque ita sen-

[1] Sic Er. et aliquot Mss. Alii quidam cum Vind. et Am. omittunt, *qui*. Cujus loco nonnulli, *quæ*: et postea pro, *elementa*, habent, *elemento*: quam lectionem immerito prætulerunt Lovanienses.

[2] Sola editio Er., *omni corpori præferatur anima qualiscumque naturæ*. — Cod. 2050, *omni aeri præferatur animæ qualiscumque natura*. M.

(*a*) Supple, *eadem*.

[1] Codex 2050 sic legit hunc locum: *quia verbum de verbo pathos passio dicitur, sed melius perturbatio diceretur*, etc. M.

[2] Plures Mss., *mirabilis*.

(*a*) Cicero in lib. 4 Tuscul. Quæst., cap. 6: *Est.* ait, *Zenonis hæc definitio, ut perturbatio sit, quod* pathos *ille dicit, aversa a recta ratione contra naturam animi commotio*.

tiunt, hunc detulit honorem, ut eos in aere medios, inter æthereum cœlum terramque constitutos, ut, *quoniam nullus deus miscetur homini* (*Verba Apulei*), quod Platonem dixisse perhibent, isti ad deos perferant preces hominum, et inde ad homines impetrata quæ poscunt. Indignum enim putaverunt qui ista crediderunt, misceri homines diis et deos hominibus: dignum autem misceri dæmones et diis et hominibus, hinc petita qui allegent, inde concessa qui apportent: ut videlicet homo castus, et ab artium magicarum sceleribus alienus, eos patronos adhibeat, per quos illum dii exaudiant, qui hæc amant, quæ ille non amando fit dignior quem facilius et libentius exaudire debeant. Amant quippe illi scenicas turpitudines, quas non amat pudicitia: amant in maleficiis magorum mille nocendi artes (*Virgil.*, *Æneid. lib.* 7, *vers.* 338), quas non amat innocentia. Ergo et pudicitia et innocentia, si quid ab diis impetrare voluerit, non poterit suis meritis, nisi suis intervenientibus inimicis. Non est quod iste poetica figmenta, et theatrica ludibria justificare conetur. Habemus contra ista magistrum eorum et tantæ apud eos auctoritatis Platonem: si pudor humanus ita de se male meretur, ut non solum diligat turpia, verum etiam divinitati existimet grata.

CAPUT XIX. — *De impietate artis magicæ, quæ patrocinio nititur spirituum malignorum.*

Porro adversus magicas artes, de quibus quosdam nimis infelices et nimis impios etiam gloriari libet, nonne ipsam publicam lucem [1] testem citabo? Cur enim tam graviter ista plectuntur severitate legum, si opera sunt numinum colendorum? An forte istas leges Christiani instituerunt, quibus artes magicæ puniuntur? Secundum quem alium sensum, nisi quod hæc maleficia generi humano perniciosa esse non dubium est, ait poeta clarissimus,

> Testor, chara, deos, et te, germana, tuumque
> Dulce caput, magicas invitam accingier artes?
> (*Virgil.*, *Æneid. lib.* 4, *vers.* 492, 493.)

Illud etiam, quod alio loco de his artibus dicit,

> Atque satas alio vidi traducere messes;
> (*Eclog.* 8, *vers.* 99.)

eo quod hac pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur: nonne in duodecim Tabulis, id est Romanorum antiquissimis legibus, Cicero commemorat esse conscriptum, et qui hoc fecerit supplicium constitutum (*a*)? Postremo ipse Apuleius numquid apud judices christianos de magicis artibus accusatus est (*b*)? Quas utique sibi objectas, si divinas et pias esse noverat, et divinarum potestatum operibus congruas, non solum eas confiteri debuit, sed etiam profiteri, leges culpans potius, quibus hæc prohiberentur et damnanda putarentur, quæ haberi miranda et veneranda oporteret. Ita enim vel sententiam suam persuaderet judicibus, vel, si illi secundum iniquas leges saperent, cumque talia prædicantem atque laudantem morte mulctarent, digna animæ illius dæmones dona rependerent, pro quorum divinis operibus prædicandis humanam vitam sibi adimi non timeret. Sicut martyres nostri, cum eis pro crimine objiceretur christiana religio, qua noverant se fieri salvos et gloriosissimos in æternum, non eam negando temporales pœnas evadere delegerunt; sed potius confitendo, profitendo, prædicando, et pro hac omnia fideliter fortiterque tolerando, et cum pia securitate moriendo, leges quibus prohibebatur, erubescere compulerunt, mutarique fecerunt. Hujus autem philosophi Platonici copiosissima et disertissima exstat oratio, qua crimen artium magicarum a se alienum esse defendit, seque aliter non vult innocentem videri, nisi ea negando quæ non possunt ab innocente committi. At omnia miracula magorum, quos recte sentit esse damnandos, doctrinis fiunt et operibus dæmonum; quos viderit cur censeat honorandos, necessarios eos asserens perferendis ad deos nostris precibus, quorum debemus opera devitare, si ad Deum verum preces nostras volumus pervenire. Deinde quæro, quales preces hominum diis bonis per dæmones allegari putat, magicas, an licitas? Si magicas, nolunt tales: si licitas, nolunt per tales. Si autem peccator pœnitens preces fundit, maxime si aliquid magicum admisit; itane tandem illis intercedentibus accipit veniam, quibus impellentibus aut faventibus se cecidisse plangit in culpam? An et ipsi dæmones ut possint pœnitentibus mereri indulgentiam, priores agunt, quod eos deceperint, pœnitentiam [1]? Hoc nemo unquam de dæmonibus dixit: quia si ita esset, nequaquam sibi auderent divinos honores expetere, qui pœnitendo desiderarent ad gratiam veniæ pervenire [2]. Illa enim est detestanda superbia, hic humilitas miseranda.

CAPUT XX. — *An credendum sit quod dii boni libentius dæmonibus quam hominibus misceantur.*

At enim urgens causa et arctissima cogit dæmones medios inter deos et homines agere, ut ab hominibus offerant desiderata, et a diis referant impetrata. Quænam tandem causa est ista, et quanta necessitas? Quia nullus, inquiunt, Deus miscetur homini. Præclara igitur sanctitas Dei, qui non miscetur homini supplicanti, et miscetur dæmoni arroganti; non miscetur homini pœnitenti, et miscetur dæmoni decipienti; non miscetur homini confugienti ad divinitatem, et miscetur dæmoni fingenti divinitatem; non miscetur homini petenti indulgentiam, et miscetur dæmoni suadenti nequitiam; non miscetur homini per philosophicos libros poetas de bene instituta civitate pellenti, et miscetur dæmoni a principibus et

[1] Sic Mss. At editi, *gloriari libet in nomine dæmonum, ipsam publicam lucem*, etc.

(*a*) In duodecim Tabularum fragmentis est, *qui fruges excantassit, qui malum carmen incantassit* [illegible] Has leges memorat [illegible] lib. 28 Histor. natural., cap. 2; Seneca, lib. 4 Quæstionum natural., cap. 7; Apuleius in Apologia, etc.

(*b*) [illegible] Apuleius [illegible] Vid. Epist. Marcelli ad August. 136, n. 1, et 138, nn. 18, 19.

[1] Sic aliquot Mss. At editi, [illegible] *indulgentiam*, quod ab editis aliis et a [illegible] codicibus abest.

[2] [illegible] Mss., *pervenire*. M.

pontificibus civitati per scenicos ludos poetarum ludibria requirenti, non miscetur homini deorum crimina fingere prohibenti, et miscetur dæmoni de eorum criminibus oblectanti, non miscetur homini magorum scelera justis legibus punienti, et miscetur dæmoni magicas artes docenti et implenti, non miscetur homini imitationem dæmonis fugienti, et miscetur dæmoni deceptionem hominis aucupanti!

CAPUT XXI. — *An dæmonibus nuntiis et interpretibus dii utantur, fallique se ab eis aut ignorent, aut velint.*

1. Sed nimirum tantæ hujus absurditatis et indignitatis est magna necessitas, quod scilicet deos ætherios humana curantes quid terrestres homines agerent utique lateret, nisi dæmones aerii nuntiarent; quoniam æther longe a terra est alteque suspensus, aer vero ætheri terræque contiguus. O mirabilem sapientiam! Quid aliud de diis isti sentiunt, quos omnes optimos volunt, nisi eos et humana curare, ne cultu videantur indigni, et propter elementorum distantiam humana nescire, ut credantur dæmones necessarii, et ob hoc etiam ipsi putentur colendi, per quos dii possint et quid in rebus humanis agatur addiscere et ubi oportet hominibus subvenire? Hoc si ita est, diis istis bonis magis notus est dæmon per corpus vicinum, quam homo per animum bonum. O multum dolenda necessitas, an potius irridenda vel detestanda vanitas, ne sit vana divinitas! Si enim animo ab obstaculo corporis libero animum nostrum videre dii possunt, non ad hoc dæmonibus indigent nuntiis: si autem animorum indicia corporalia, qualia sunt vultus, locutio, motus, per corpus suum ætherii dii sentiunt, et inde colligunt quid etiam dæmones nuntient, possunt et mendaciis dæmonum decipi. Porro si deorum divinitas a dæmonibus non potest falli, ab [1] eadem divinitate, quod agimus, non potest ignorari [2].

2. Vellem autem mihi isti dicerent, utrum diis dæmones nuntiaverint de criminibus deorum poetica Platoni displicere figmenta, et sibi ea placere celaverint; an utrumque occultaverint, deosque esse maluerint totius rei hujus ignaros; an utrumque indicaverint, et religiosam erga deos Platonis prudentiam, et in deos injuriosam libidinem suam; an sententiam quidem Platonis, qua noluit deos per impiam licentiam poetarum falsis criminibus infamari, ignotam diis esse voluerint, suam vero nequitiam, qua ludos scenicos amant, quibus illa deorum dedecora celebrantur, prodere non erubuerint vel timuerint. Horum quatuor, quæ interrogando proposui, quodlibet eligant, et in quolibet eorum quantum mali de diis bonis opinentur, attendant. Si enim primum elegerint, confessuri sunt non licuisse diis bonis habitare cum bono Platone, quando eorum injurias prohibebat, et habitasse cum dæmonibus malis, quando eorum injuriis exsultabant; cum dii boni hominem bonum longe a se positum nonnisi per malos dæmones nossent, quos vicinos [1] nosse non possent. Si autem secundum elegerint, et utrumque occultatum a dæmonibus, ut dii omnino nescirent et Platonis religiosissimam legem et dæmonum sacrilegam delectationem; quid in rebus humanis per hos internuntios dæmones diis utile nosse possunt, quando illa nesciunt, quæ in honorem deorum bonorum a bonis hominibus contra libidinem malorum dæmonum decernuntur? Si vero tertium elegerint, et non solum sententiam Platonis deorum injurias prohibentem, sed etiam dæmonum nequitiam deorum injuriis exsultantem per eosdem dæmones nuntios diis innotuisse responderint; hoc nuntiare est, an insultare? Et dii utrumque sic audiunt, sic utrumque cognoscunt, ut non solum maligni dæmones deorum dignitati et Platonis religioni contraria cupientes atque facientes a suo accessu non arceant, verum etiam per illos malos propinquos Platoni bono longinquo dona transmittant. Sic enim eos elementorum quasi catenata series colligavit, ut illis a quibus criminantur, conjungi possint; huic a quo defenduntur, non possint: utrumque scientes, sed aeris et terræ pondera transmutare non valentes. Jam quod reliquum est, si quartum elegerint, pejus est cæteris. Quis enim ferat, si poetarum de diis immortalibus criminosa figmenta et theatrorum indigna ludibria, eamque in his omnibus ardentissimam cupiditatem et suavissimam voluptatem diis dæmones nuntiaverunt, et, quod Plato philosophica gravitate de optima republica hæc omnia censuit removenda, tacuerunt; ut jam dii boni per tales nuntios nosse cogantur mala pessimorum, nec aliena, sed eorumdem nuntiorum, atque his contraria non sinantur nosse bona philosophorum, cum illa sint in injuriam, ista in honorem ipsorum deorum?

CAPUT XXII. — *De abjiciendo cultu dæmonum, contra Apuleium.*

Quia igitur nihil istorum quatuor eligendum est, ne in quolibet eorum de diis tam male sentiatur; restat ut nullo modo credendum sit, quod Apuleius persuadere nititur, et quicumque alii sunt ejusdem sententiæ philosophi, ita esse medios dæmones inter deos et homines tanquam internuntios et interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias: sed esse spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos: qui in hoc quidem aere habitant, quia de cœli superioris sublimitate dejecti, merito irregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt; nec tamen quia supra terras et aquas aeri [2] locus est, ideo et ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilium Deo vero, pia mente facillime superant (a). Sed multis plane participatione

[1] Abest, *ab*, in omnibus nostris Mss. M.
[2] Hic incipit caput 21 in Mss.

[1] Editi, *sibi vicinos*. Abest, *sibi*, a Mss. Forte legendum, *quos, etsi vicinos, nosse non possent.*
[2] Sola editio Lov., *aereus*.
(*a*) De loco dæmonum plura passim in hisce libris habet Augustinus. Confer etiam lib. de Nat. Boni contra Manich. n. 33, et de Agone Christiano, n. 3.

veræ religionis indignis, tanquam captis subditisque dominantur: quorum maximæ parti mirabilibus et fallacibus signis sive factorum, sive prædictorum, deos se esse persuaserunt. Quibusdam vero vitia eorum aliquanto attentius et diligentius intuentibus, non potuerunt persuadere quod dii sint; atque inter deos et homines internuntios ac beneficiorum impetratores se esse finxerunt: si tamen non istum saltem honorem homines eis deferendum putarunt, qui illos nec deos esse credebant, quia malos videbant; deos autem omnes bonos volebant, nec audebant tamen omnino indignos dicere honore divino; maxime ne offenderent populos, a quibus eis cernebant inveterata superstitione per tot sacra et templa serviri.

CAPUT XXIII. — *Quid Hermes Trismegistus de idololatria senserit, et unde scire potuerit superstitiones Ægyptias auferendas.*

1. Nam diversa de illis Hermes Ægyptius, quem Trismegistum vocant, sensit et scripsit (*a*). Apuleius enim deos quidem illos negat: sed cum dicit ita inter homines deosque quadam medietate versari, ut hominibus apud ipsos deos necessarii videantur, cultum eorum a supernorum deorum religione non separat. Ille autem Ægyptius alios deos esse dicit a summo Deo factos, alios ab hominibus. Hoc qui audit, sicut a me positum est, putat dici de simulacris, quia [1] opera sunt manuum hominum: at ille visibilia et contrectabilia simulacra, velut corpora deorum esse asserit; inesse autem his quosdam spiritus invitatos, qui valeant aliquid, sive ad nocendum, sive ad desideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores et cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus invisibiles per artem quamdam visibilibus rebus corporalis materiæ copulare [2], ut sint quasi animata corpora, illis spiritibus dicata et subdita simulacra, hoc esse dicit deos facere, eamque magnam et mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem. Hujus Ægyptii verba, sicut in nostram linguam interpretata sunt, ponam (*b*). ***Et quoniam de cognatione*, inquit, *et consortio hominum deorumque nobis indicitur sermo, potestatem hominis, o Asclepi, vimque cognosce. Dominus*, inquit, *et Pater, vel quod est summum, Deus, ut effector est deorum cœlestium, ita homo fictor est deorum qui in templis sunt humana proximitate contenti* [3]. Et paulo post: *Ita humanitas*, inquit, *semper memor naturæ et originis suæ* [4] *in illa divinitatis imitatione perseverat, ut sicuti Pater ac Dominus, ut sui similes essent, deos fecit æternos, ita humanitas deos suos ex sui vultus similitudine figuraret.*** Hic cum Asclepius, ad quem maxime loquebatur, ei respondisset atque dixisset, Statuas dicis, o Trismegiste: tum ille, *Statuas*, inquit, *o Asclepi, videsne* [1] *quatenus tu ipse diffidas? statuas animatas sensu et spiritu plenas, tantaque facientes et talia; statuas futurorum præscias, eaque sorte, vate, somniis, multisque aliis rebus prædicentes* [2]; *imbecillitates hominibus facientes, easque curantes, tristitiam lætitiamque* [3] *pro meritis. An ignoras, o Asclepi, quod Ægyptus imago sit cœli; aut, quod est verius, translatio aut descensio omnium quæ gubernantur atque exercentur in cœlo; ac si dicendum est, verius terra nostra mundi totius est templum? Et tamen, quoniam præscire cuncta prudentem decet, istud vos ignorare fas non est: Futurum tempus est, quo appareat Ægyptios incassum pia mente divinitatem sedula religione servasse* [4] *et omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur* [5].

2. Deinde multis verbis Hermes hunc locum exsequitur, in quo videtur hoc tempus prædicere, quo christiana religio, quanto est veracior atque sanctior, tanto vehementius et liberius cuncta fallacia figmenta subvertit; ut gratia verissimi Salvatoris liberet hominem ab eis diis quos facit homo, et ei Deo subdat a quo factus est homo. Sed Hermes, cum ista prædicit, velut amicus eisdem ludificationibus dæmonum loquitur, nec christianum nomen evidenter exprimit; sed tanquam ea tollerentur atque delerentur, quorum observatione cœlestis similitudo custodiretur in Ægypto, ita hæc futura deplorans, luctuosa quodammodo prædicatione testatur. Erat enim de his, de quibus dicit Apostolus, quod *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et immutaverunt gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* (*Rom.* I, 21-23): et cætera, quæ commemorare longum est. Multa quippe talia dicit de uno vero Deo fabricatore mundi, qualia veritas habet: et nescio quomodo illa obscuratione cordis ad ista delabitur, ut diis quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi, et hæc futuro tempore plangat auferri. Quasi quidquam sit infelicius homine, cui sua figmenta dominantur: cum sit facilius, ut tanquam deos colendo, quos fecit, nec ipse sit homo [6]

[1] Lov., *quæ*: dissentientibus editis aliis et manuscriptis.

[2] Ms. 2050, *copulari*. M.

[3] In dialogo Mercurii Asclepio, *connexi*.

[4] In Asclepio, *semper memor naturæ et originis suæ*. Apud Lov., *semper memor humanæ naturæ et originis suæ*. Abest, *humanæ*, a cæteris editis et a manuscriptis.

(*a*) Vid. Lact. lib. 1 Instit., cap. 6, et Cyrill. cont. Julian. lib. 1.

(*b*) Quæ hic affert Augustinus, sunt ex dialogo Hermetis Asclepio, qui ab Apuleio Madaurensi in latinum conversus perhibetur. Sed Apuleii latinitas ibi desideratur [illegible] Græca [illegible] varia et exquisita [illegible] Lucilius [illegible] Apuleianæ [illegible]. [illegible] M.

[1] Mss., *vides*, absque particula, *ne*; quæ in excusis est et in Asclepio.

[2] Sic plures et melioris notæ Mss. At editi, *ea quæ forte vates omnis ignoret, in multis et variis rebus prædicentes*. Asclepius vero, *easque forte vates omnes somniis, multisque aliis rebus prædicentes*. Sed nostrorum manuscriptorum lectioni favet alius iste Asclepii locus, *quædam sortibus et divinationibus prædicentes*.

[3] Vox, *lætitiam*, in Asclepio desideratur. — Noster A, *lætitiamque afferentes*.

[4] Sic plerique manuscripti, quibus Asclepius consentit. At editi, *divinitati sedulam religionem servasse*. Forte legendum, *divinitati sedula religione servisse*. — Mss. 766 et 2053, *divinitate*. M.

[5] Verba, *et omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur*, Mercurii sunt in Asclepio, sed hæc non habentur in Mss.

[6] Editi, *cum sit facilius, fieri deos colendo quos fecit, ne ipse sit homo*. Emendantur ad veteres libros.

quam ut per ejus cultum dii possint esse, quos fecit homo. Citius enim fit ut homo in honore positus pecoribus non intelligens comparetur (*Psal.* XLVIII, 13), quam ut operi Dei ad ejus imaginem facto, id est ipsi homini, opus hominis præferatur. Quapropter merito homo deficit ab illo, qui eum fecit, cum sibi præficit ipse quod fecit.

3. Hæc vana, deceptoria, perniciosa, sacrilega [1] Hermes Ægyptius, quia tempus quo auferrentur venturum sciebat, dolebat : sed tam impudenter dolebat, quam imprudenter sciebat. Non enim hæc ei revelaverat Spiritus sanctus, sicut Prophetis sanctis, qui hæc prævidentes cum exsultatione dicebant : *Si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii* (*Jerem.* XVI, 20). Et alio loco : *Erit in illo die, dicit Dominus, exterminabo nomina simulacrorum a terra, et non jam erit eorum memoria* (*Zach.* XIII, 2). Proprie vero de Ægypto, quod ad hanc rem attinet, ita sanctus Isaias prophetat : *Et movebuntur manufacta Ægypti a facie ejus, et cor eorum vincetur* [2] *in eis* (*Isai.* XIX, 1) : et cætera hujusmodi. Ex quo genere et illi erant, qui venturum quod sciebant, venisse gaudebant : qualis Simeon, qualis Anna, qui mox natum Jesum ; qualis Elisabeth, quæ etiam conceptum in Spiritu agnovit (*Luc.* II, 25-38 ; I, 41-45) : qualis Petrus, revelante Patre dicens, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Huic autem Ægyptio illi spiritus indicaverant futura tempora perditionis suæ, qui etiam præsenti in carne Domino trementes dixerunt, *Quid venisti ante tempus perdere nos* (*Id.* VIII, 29) ? sive quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur ; sive quia perditionem suam hanc ipsam dicebant, qua fiebat ut cogniti spernerentur. Et hoc erat *ante tempus*, id est ante tempus judicii, quo æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur : sicut religio loquitur, quæ nec fallit, nec fallitur ; non sicut iste quasi [3] omni vento doctrinæ hinc atque inde perflatus (*Ephes.* IV, 14), et falsis vera permiscens, dolet quasi perituram religionem quam postea confitetur, errorem.

CAPUT XXIV. — *Quomodo Hermes patenter* [5] *parentum suorum sit confessus errorem, quem tamen doluerit destruendum.*

1. Post multa enim ad hoc ipsum redit, ut iterum dicat de diis quos homines fecerunt, ita loquens : *Sed jam de talibus sint satis dicta talia. Iterum*, inquit, *ad hominem rationemque redeamus, ex quo divino dono homo animal dictum est rationale. Minus enim miranda, etsi miranda sunt quæ de homine dicta sunt. Omnium enim mirabilium vicit admirationem, quod homo divinam potuit invenire naturam, eamque efficere. Quoniam ergo proavi nostri multum errabant circa deorum rationem increduli, et non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem qua efficerent deos. Cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes : quoniam* [1] *animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis divinisque mysteriis, per quas idola et bene faciendi, et male, vires habere potuissent* (*Pag.* 99). Nescio utrum sic confiterentur ipsi dæmones adjurati, quomodo iste confessus est. *Quoniam*, inquit, *proavi nostri multum errabant circa deorum rationem increduli, et non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem qua efficerent deos.* Numquidnam saltem mediocriter eos dixit errasse, ut hanc artem invenirent faciendi deos; aut contentus fuit dicere, Errabant, nisi adderet et diceret, Multum errabant ? Iste ergo multus error et incredulitas non animadvertentium ad cultum religionemque divinam, invenit artem qua efficeret deos. Et tamen quod multus error et incredulitas et a cultu ac religione divina aversio animi invenit, ut homo arte faceret deos, hoc dolet vir sapiens tanquam religionem divinam venturo certo tempore auferri. Vide si non et vi divina majorum suorum errorem præteritum prodere, et vi diabolica [2] pœnam dæmonum futuram dolere compellitur. Si enim proavi eorum multum errando circa deorum rationem incredulitate et aversione animi a cultu ac religione divina invenerunt artem qua deos efficerent ; quid mirum, si hæc ars detestanda quidquid fecit aversa a religione divina, aufertur religione divina, cum veritas emendat errorem, fides redarguit incredulitatem, conversio corrigit aversionem [3] ?

2. Si enim tacitis causis dixisset, proavos suos invenisse artem qua deos facerent ; nostrum fuit utique, si quid rectum piumque saperemus, attendere et videre nequaquam illos ad hanc artem perventuros fuisse, qua homo deos facit, si a veritate non aberrarent, si ea quæ Deo digna sunt crederent, si animum adverterent ad cultum religionemque divinam. Et tamen si causas artis hujus nos diceremus multum errorem hominum et incredulitatem et animi errantis atque infidelis a divina religione aversionem, utcumque ferenda esset impudentia resistentium veritati : cum vero idem ipse, qui potestatem hujus artis super omnia cætera miratur in homine, qua illi deos facere concessum est, et dolet venturum esse tempus, quo hæc omnia deorum figmenta ab hominibus instituta, etiam legibus jubeantur auferri ; confitetur tamen atque exprimit causas, quare ad ista perventum sit, dicens proavos suos multo errore et incredulitate, et animum non advertendo ad cultum religionemque divinam invenisse hanc artem qua facerent deos : nos quid oportet dicere vel potius quid agere, nisi quantas possumus gratias Domino Deo nostro, qui hæc con trariis causis, quam instituta sunt, abstulit? Nam quod instituit multitudo erroris, abstulit via veritatis ; quod instituit incredulitas, abstulit fides ; quod insti-

[1] Aliquot Mss., *sacrilegia*.
[2] Editi, *vincietur*. At Mss., *vincetur*. Isaias in Græco habet, *êttêthêsetai*.
[3] Lov., *qui*. Editi autem alii et manuscripti, *quasi*. — Ms. 2050, *qui quasi*. M.
[4] Sic Vind. Am. Er. et omnes Mss. — In B., *quam*. M.
[5] Manuscripti non habent, *patenter*.

[1] In Asclepio, *et quoniam*.
[2] Sic Er. et Mss. At Lov., *et invidia diabolica*.
[3] Editi, *cum veritas emendet errorem, fides redarguat incredulitatem, conversio corrigat aversionem*. At Mss., *emendat, redarguit, corrigit*.

tum a cultu divinæ religionis aversio, abstulit ad unum verum Deum sanctumque conversio: nec in sola Ægypto, quam solam in isto plangit dæmonum spiritus, sed in omni terra quæ cantat Domino canticum novum, sicut veræ sacræ et veræ propheticæ Litteræ prænuntiaverunt, ubi scriptum est, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra* (*Psal.* XCV, 1). Titulus quippe psalmi hujus est, *Quando domus ædificabatur post captivitatem*. Ædificatur enim domus Domino civitas Dei, quæ est sancta Ecclesia, in omni terra, post eam captivitatem, qua illos homines, de quibus credentibus in Deum tanquam lapidibus vivis domus ædificatur (I *Petr.* II, 5), captos dæmonia possidebant. Neque enim quia homo deos faciebat, ideo non ab eis possidebatur ipse qui fecerat, quando in eorum societatem colendo traducebatur: societatem dico, non idolorum stolidorum, sed versutorum dæmoniorum. Nam quid sunt idola, nisi quod eadem Scriptura dicit, *Oculos habent, et non videbunt*[1] (*Psal.* CXIII, 5): et quidquid tale de materiis licet affabre effigiatis, tamen vita sensuque carentibus, dicendum fuit(a)? Sed immundi spiritus eisdem simulacris arte illa nefaria colligati, cultorum suorum animas in suam societatem redigendo miserabiliter captivaverant. Unde dicit Apostolus: *Scimus quia nihil est idolum; sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo: nolo vos socios fieri dæmoniorum* (I *Cor.* X, 20). Post hanc ergo captivitatem, qua homines a malignis dæmonibus tenebantur, Dei domus ædificatur in omni terra: unde titulum ille psalmus accepit, ubi dicitur, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra. Cantate Domino, et benedicite nomen ejus; bene nuntiate diem ex die salutare ejus. Annuntiate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos. Quia omnes dii Gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit* (*Psal.* XCV, 1-5).

3. Qui ergo doluit venturum fuisse tempus, quo auferretur cultus idolorum, et in eos qui colerent dominatio dæmoniorum, malo spiritu instigatus semper volebat istam captivitatem manere, qua transacta Psalmus canit ædificari domum in omni terra. Prænuntiabat illa Hermes dolendo; prænuntiabat hæc Propheta gaudendo. Et quia Spiritus victor est, qui hæc per sanctos Prophetas canebat; etiam Hermes ipse ea quæ nolebat et dolebat auferri, non a prudentibus et fidelibus et religiosis, sed ab errantibus et incredulis et a cultu divinæ religionis aversis esse instituta, miris modis coactus est confiteri. Qui quamvis eos appellet deos, tamen cum dicit a talibus hominibus factos, quales esse utique non debemus, velit nolit, ostendit colendos non esse ab eis qui tales non sunt, quales fuerunt a quibus facti sunt; hoc est a prudentibus, fidelibus, religiosis: simul etiam demonstrans, ipsos homines, qui eos fecerunt, sibimet imposuisse, ut eos haberent deos qui dii non erant. Verum est quippe illud propheticum, *Si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii* (*Jerem.* XVI, 20). Deos ergo tales, talium deos, arte factos a talibus, cum appellasset Hermes; id est, idolis dæmones, per artem nescio quam, cupiditatum suarum vinculis illigatos, cum appellaret factos ab hominibus deos, non tamen eis dedit, quod Platonicus Apuleius (unde satis jam diximus, et quam sit inconveniens absurdumque monstravimus), ut ipsi essent interpretes et intercessores inter deos quos fecit Deus, et homines quos idem fecit Deus; hinc afferentes vota, inde munera referentes. Nimis enim stultum est credere, deos quos fecerunt homines, plus valere apud deos quos fecit Deus, quam valent ipsi homines, quos idem ipse fecit Deus. Dæmon quippe simulacro arte impia colligatus ab homine, factus est Deus; sed tali homini, non omni homini. Qualis est ergo iste deus, quem non faceret homo nisi errans et incredulus et aversus a vero Deo? Porro si dæmones qui coluntur in templis, per artem nescio quam imaginibus inditi, hoc est visibilibus simulacris, ab eis hominibus qui hac arte fecerunt deos, cum aberrarent aversique essent a cultu et religione divina, non sunt internuntii nec interpretes inter homines et deos, et propter suos pessimos ac turpissimos mores, et quod homines[1], quamvis errantes et increduli et aversi a cultu ac religione divina, tamen eis sine dubio meliores sunt, quos deos ipsi arte fecerunt: restat ut quod possunt, tanquam dæmones possint, vel quasi beneficia præstando magis nocentes, quia magis decipientes; vel aperte malefaciendo. Nec tamen quodlibet horum, nisi quando et quantum[2] permittuntur alta et secreta Dei providentia: non autem tanquam medii inter homines et deos per amicitiam deorum multum apud homines valeant. Hi enim diis bonis, quos sanctos Angelos nos vocamus rationalesque creaturas sanctæ cœlestis habitationis[3], sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, amici esse omnino non possunt; a quibus tam longe absunt animi affectione, quam longe absunt a virtutibus vitia, et a bonitate malitia.

CAPUT XXV. — *De his quæ sanctis Angelis et hominibus possunt esse communia.*

Nullo modo igitur per dæmonum quasi medietatem ambiendum est ad benevolentiam seu beneficentiam deorum, vel potius bonorum Angelorum; sed per bonæ voluntatis similitudinem, qua cum illis sumus, et cum illis vivimus, et cum illis Deum quem colunt colimus, etsi eos carnalibus oculis videre non possumus: in quantum autem dissimilitudine voluntatis et fragilitate infirmitatis miseri sumus, in tantum ab eis longe sumus vitæ merito, non corporis loco. Non enim quia in terra conditione carnis habitamus, sed si immunditia cordis[4] terrena sapimus,

[1] [illegible], *dicendo*.
[2] [illegible], *videbunt*. — Sic etiam Ms. [illegible] M.

(a) Vid. epist. 102, nn. 18, 19.

[1] Editi, *et propter suos pessimos ac turpissimos mores*, [illegible]. Castigantur a manuscriptis.
[2] [illegible], *et quando*.
[3] [illegible] Mss., [illegible], minus recte, [illegible].
[4] [illegible] Mss., *sed si immunditia cordis*.

non eis jungimur. Cum vero eos colimus, et quales ipsi sunt, sumus, fide interim illis propinquiores, et ab illo nos fieri beatos, a quo et ipsi facti sunt, etiam ipsis faventibus credimus.

CAPUT XXVI. — *Quod omnis religio Paganorum circa homines mortuos fuerit implicata.*

1. Sane advertendum est quomodo iste Ægyptius, cum doleret tempus esse venturum, quo illa auferrentur ex Ægypto, quæ fatetur a multum errantibus et incredulis, et a cultu divinæ religionis aversis esse instituta, ait inter cætera : *Tunc terra ista sanctissima sedes delubrorum atque templorum, sepulcrorum erit mortuorumque plenissima.* Quasi vero, si illa non auferrentur, non essent homines morituri, aut alibi essent mortui ponendi quam in terra : et utique quanto plus volveretur temporis et dierum, tanto major esset numerus sepulcrorum, propter majorem numerum mortuorum. Sed hoc videtur dolere, quod memoriæ martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent : ut videlicet qui hæc legunt animo a nobis averso atque perverso, putent a Paganis deos cultos fuisse in templis, a nobis autem coli mortuos in sepulcris. Tanta enim homines impii cæcitate in montes quodammodo offendunt, resque oculos suos ferientes nolunt videre, ut non attendant in omnibus litteris Paganorum aut non inveniri, aut vix inveniri deos, qui non homines fuerint, mortuisque divini honores delati sint [1]. Omitto quod Varro dicit, omnes ab eis mortuos existimari Manes deos, et probat per ea sacra, quæ omnibus fere mortuis exhibentur, ubi et ludos commemorat funebres, tanquam hoc sit maximum divinitatis indicium, quod non soleant ludi nisi numinibus celebrari.

2. Hermes ipse, de quo nunc agitur, in ipso eodem libro ubi quasi futura prænuntiando deplorans ait, *Tunc terra ista sanctissima sedes delubrorum atque templorum, sepulcrorum erit mortuorumque plenissima ;* deos Ægypti, homines mortuos esse testatur. Cum enim dixisset proavos suos multum errantes circa deorum rationem, incredulos et non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenisse artem qua efficerent deos ; *Cui inventæ*, inquit, *adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis divinisque mysteriis, per quas idola et bene faciendi, et male, vires habere potuissent :* deinde sequitur tanquam hoc exemplis probaturus, et dicit, *Avus enim tuus, o Asclepi, medicinæ primus inventor, cui templum consecratum est in monte Libyæ circa littus Crocodilorum, in quo ejus jacet mundanus homo, id est corpus : reliquus enim, vel potius totus, si est homo totus in sensu vitæ, melior remeavit in cœlum, omnia etiam nunc hominibus adjumenta præstans infirmis numine nunc suo, quæ ante solebat medicinæ arte præbere.* Ecce dixit colendum esse pro deo mortuum, ubi habebat sepulcrum : falsus ac fallens, quod remeavit in cœlum. Adjungens deinde aliud : *Hermes*, inquit, *cujus avitum mihi nomen est, nonne in sibi cognomine patria [1] consistens, omnes mortales undique venientes adjuvat atque conservat?* Hic enim Hermes major, id est Mercurius, quem dicit avum suum fuisse, in Hermopoli, hoc est in sui nominis civitate, esse perhibetur [2]. Ecce duos deos dicit homines fuisse, Æsculapium et Mercurium. Sed de Æsculapio et Græci et Latini hoc idem sentiunt. Mercurium autem multi non putant fuisse mortalem, quem tamen iste avum suum fuisse testatur. At enim alius est ille, alius iste, quamvis eodem nomine nuncupentur. Non multum pugno, alius ille sit, alius iste : verum et iste, sicut Æsculapius, ex homine deus secundum testimonium tanti apud suos viri, hujus Trismegisti, nepotis sui.

3. Adhuc addit, et dicit : *Isin vero uxorem [3] Osiris quam multa bona præstare propitiam, quantis obesse scimus iratam?* Deinde ut ostenderet ex hoc genere esse deos, quos illa arte homines faciunt : unde dat intelligi dæmones se opinari ex hominum mortuorum animis exstitisse, quos per artem, quam invenerunt homines multum errantes, increduli et irreligiosi, ait inditos simulacris, quia hi qui tales deos faciebant, animas facere non utique poterant : cum de Iside dixisset, quod commemoravi, quantis obesse scimus iratam, secutus adjunxit, *Terrenis etenim diis atque mundanis facile est irasci, utpote qui sint ab hominibus ex utraque natura [4] facti atque compositi.* Ex utraque natura dicit, ex anima et corpore : ut pro anima sit dæmon, pro corpore simulacrum. *Unde contigit,* inquit, *ab Ægyptiis hæc sancta animalia nuncupari, colique per singulas civitates eorum animas, quorum sunt consecratæ viventes [5], ita ut eorum legibus incolantur, et eorum nominibus nuncupentur.* Ubi est illa velut querela luctuosa, quod terra Ægyptii sanctissima sedes delubrorum atque templorum, sepulcrorum futura esset mortuorumque plenissima? Nempe spiritus fallax, cujus instinctu Hermes ista dicebat, per eum ipsum coactus est confiteri jam tunc illam terram sepulcrorum et mortuorum, quos pro diis colebant, fuisse plenissimam. Sed dolor dæmonum per eum loquebatur, qui suas futuras pœnas apud sancto-

[1] Ante editi sic habent, *qui non homines fuerint, omnibus tamen honores studeant exhibere divinos, quasi nihil unquam humanitatis habuerint.* Et paulo post, *existimari manes deos.* Emendatur ad veteres libros.

[1] Sic Mss. Apud Er. autem et Lov., *in cognominis sui patria.* Servatur illic sensus : sed minime in Asclepio, qui habet, *sibi cognomen patrium ;* omissa particula, *in.*

[2] In hoc vigesimo sexto capite verba nonnulla removimus, quæ addita fuerant in excusis, in quibus ita legebatur : *Falsus ac fallens* (*dicendo*) *quod remeavit in cœlum*, (*omnia etiam nunc hominibus adjumenta præstans infirmis*). *Adjungens deinde aliud.* Et paulo post : *in sui nominis civitate perhibetur esse* (*sepultus*). Verbum, *sepultus*, et alia parenthesi inclusa non ita habentur in manuscriptis.

[3] Vox, *uxorem*, abest a manuscriptis necnon ab Asclepio, in quo sic legitur : *Isin vero et Osirim quam multa bona præstare propitia, tantis obesse scimus irata.*

[4] Mss. tum Asclepius pro, *ex utraque natura*, habet, *extraque naturam :* corruptissime.

[5] Sic Am. et manuscripti cum Asclepio. At Lov., *qui ea consecravere viventes.* Sic etiam Er. mutato solum, *ea*, in, *eas.*

rum martyrum memorias imminere merebant. In multis enim talibus locis torquentur et confitentur, et de possessis hominum corporibus ejiciuntur.

CAPUT XXVII. — *De modo honoris, quem Christiani martyribus impendunt.*

1. Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis fictisque convictis: quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus, Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane; cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit; et sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit; ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex illorum memoriæ renovatione adhortemur? Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum (*a*). Quicumque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant, et auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari sibi[1] eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum (*b*). Non autem esse ista sacrificia martyrum novit qui novit unum, quod etiam[2] illic offertur, Sacrificium Christianorum.

2. Nos itaque martyres nostros nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi deos suos: nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra convertimus. Nam de Iside uxore Osiris, Ægyptia dea, et de parentibus eorum, qui omnes reges fuisse scribuntur, quibus parentibus suis illa cum sacrificaret, invenit hordei segetem, atque inde spicas marito regi et ejus consiliario Mercurio demonstravit, unde eamdem et Cererem volunt, quæ et quanta mala, non a poetis, sed mysticis eorum litteris memoriæ mandata sint, sicut, Leone sacerdote prodente, ad Olympiadem matrem scribit Alexander (*a*), legant qui volunt vel possunt, et recolant qui legerunt; et videant quibus hominibus mortuis, vel de quibus eorum factis tanquam diis sacra fuerint instituta. Absit ut eos, quamvis deos habeant, sanctis martyribus nostris, quos tamen deos non habemus, ulla ex parte audeant comparare. Sic enim non constituimus sacerdotes, nec offerimus sacrificia martyribus nostris; quia incongruum, indebitum, illicitum est, atque uni Deo tantummodo debitum: ut nec criminibus suis, nec ludis eos turpissimis oblectemus, ubi vel flagitia isti celebrant deorum suorum, si, cum homines essent, talia commiserunt; vel conficta delectamenta dæmonum noxiorum, si homines non fuerunt. Ex isto genere dæmonum Socrates non haberet deum, si haberet Deum[1]: sed fortasse homini ab illa arte faciendi deos alieno et innocenti, illi importaverint talem deum, qui eadem arte excellere voluerunt. Quid ergo plura? Non esse spiritus istos colendos propter vitam beatam (*a*) quæ post mortem futura est, nullus vel mediocriter prudens ambigit. Sed fortasse dicturi sunt, deos quidem esse omnes bonos, dæmones autem alios malos, alios bonos: et eos per quos ad vitam in æternum beatam perveniamus colendos esse censebunt, quos bonos opinantur. Quod quale sit, jam in volumine sequenti videndum est.

[1] Sic Mss. Editi vero, *ibi*.
[2] Editi, *Deo*. At Mss., loco, *Deo*, habent, *etiam*.
(*a*) Conf. lib. 20 contra Faustum, cap. 21.
(*b*) Vide lib. 6 Confess., cap. 2.

[1] Verba, *si haberet Deum*, absunt a Mss. 766, 2050 et 2055. M.
(*a*) Supra, cap. 3.

LIBER NONUS.

Postquam dixit in superiore libro de abjiciendo dæmonum cultu, quippe qui spiritus malos se ipsi prodant tam multis argumentis; in isto jam libro eis occurrit Augustinus, qui dæmonum differentiam afferunt aliorum malorum, aliorum bonorum: qua ipse explosa differentia probat nulli omnino dæmoni, sed uni Christo munus mediatoris hominum ad beatitudinem posse competere.

CAPUT PRIMUM. — *Ad quem articulum disputatio præmissa pervenerit, et quid discutiendum sit de residua quæstione.*

Et bonos et malos deos esse quidam opinati sunt: quidam vero de diis meliora sentientes, tantum eis honoris laudisque tribuerunt, ut nullum deorum malum credere auderent. Sed illi qui deos quosdam bonos, quosdam malos esse dixerunt, dæmones quoque appellaverunt nomine deorum: quanquam et deos, sed rarius, nomine dæmonum; ita ut ipsum Jovem, quem volunt esse regem ac principem cæterorum, ab Homero fateantur dæmonem nuncupatum (*a*). Hi autem, qui omnes deos nonnisi bonos esse asserunt, et longe præstantiores eis hominibus qui boni perhibentur merito, moventur dæmonum factis, quæ negare non possunt, eaque nullo modo a diis, quos omnes bonos volunt, committi posse existimantes, differentiam inter deos et dæmones adhibere coguntur; ut quid-

(*a*) Plutarch. in libello quod cessarunt oracula.

quid eis merito displicet in operibus vel affectibus pravis, quibus vim suam manifestant occulti spiritus, id credant esse dæmonum, non deorum. Sed quia eosdem dæmones inter homines et deos ita medios constitutos putant, tanquam nullus deus homini misceatur ut hinc perferant desiderata, inde referant impetrata; atque hoc Platonici præcipui philosophorum ac nobilissimi sentiunt, cum quibus velut cum excellentioribus placuit istam examinare quæstionem, utrum cultus plurimorum deorum prosit ad consequendam vitam beatam, quæ post mortem futura est : libro superiore quæsivimus, quo pacto dæmones, qui talibus gaudent, qualia boni et prudentes homines aversantur et damnant, id est sacrilega, flagitiosa, facinorosa, non de quolibet homine, sed de ipsis diis figmenta poetarum, et magicarum artium sceleratam puniendamque violentiam, possint quasi propinquiores et amiciores diis bonis conciliare homines bonos; et hoc nulla ratione posse, compertum est.

CAPUT II. — *An inter dæmones, quibus dii superiores sunt, sit aliqua pars bonorum, quorum præsidio ad veram beatitudinem possit humana anima pervenire.*

Proinde hic liber, sicut in illius fine promisimus, disputationem continere debebit de differentia (si quam volunt esse), non deorum inter se, quos omnes bonos dicunt; nec de differentia deorum et dæmonum, quorum illos ab hominibus longe lateque sejungunt, istos inter deos et homines collocant; sed de differentia ipsorum dæmonum, quod ad præsentem pertinet quæstionem. [II.] Apud plerosque enim usitatum est dici alios bonos, alios malos dæmones : quæ sive sit etiam Platonicorum, sive quorumlibet sententia, nequaquam ejus est negligenda discussio, ne quisquam velut dæmones bonos sequendos sibi esse arbitretur, per quos tanquam medios, diis quos omnes bonos credit, dum conciliari affectat et studet, ut quasi cum eis possit esse post mortem, irretitus malignorum spirituum deceptusque fallacia, longe aberret a vero Deo, cum quo solo, et in quo solo, et de quo solo, anima humana, id est rationalis et intellectualis, beata est.

CAPUT III. — *Quæ dæmonibus Apuleius adscribat; quibus cum rationem non subtrahat, nihil virtutis assignat.*

Quæ igitur est differentia dæmonum bonorum et malorum? quandoquidem Platonicus Apuleius, de his universaliter disserens, et tam multa loquens de aeriis eorum corporibus, de virtutibus tacuit animorum, quibus essent præditi, si boni essent. Tacuit ergo beatitudinis causam; indicium vero miseriæ tacere non potuit, confitens eorum mentem, qua rationales esse perhibuit, non saltem imbutam munitamque virtute, passionibus animi irrationabilibus nequaquam cedere, sed ipsam quoque, sicut stultarum mentium mos est, procellosis quodammodo perturbationibus agitari. Verba namque ejus de hac re ista sunt : *Ex hoc ferme dæmonum numero*, inquit, *poetæ solent, haudquaquam procul a veritate, osores et amatores quorumdam hominum deos fingere; hos prosperare et evehere, illos contra adversari et affligere. Igitur et misereri, et indignari, et angi, et lætari, omnemque humani animi faciem pati, simili motu cordis et salo mentis, per omnes cogitationum æstus fluctuare. Quæ omnes turbelæ tempestatesque procul a deorum cœlestium tranquillitate exsulant* (Apuleius in libro *De deo Socratis*). Num est in his verbis ulla dubitatio, quod non animorum aliquas inferiores partes, sed ipsas dæmonum mentes, quibus rationalia sunt animalia, velut procellosum salum dixit passionum tempestate turbari? ut ne hominibus quidem sapientibus comparandi sint, qui hujusmodi perturbationibus animorum, a quibus humana non est immunis infirmitas, etiam cum eas hujus vitæ conditione patiuntur, mente imperturbata resistunt, non eis cedentes ad aliquid approbandum vel perpetrandum, quod exorbitet ab itinere sapientiæ et lege justitiæ : sed stultis mortalibus et injustis, non corporibus, sed moribus similes (ut non dicam deteriores, eo quo vetustiores et debita pœna insanabiles), ipsius quoque mentis, ut iste appellavit, salo fluctuant; nec in veritate atque virtute, qua turbulentis et pravis affectionibus repugnatur, ex ulla animi parte consistunt.

CAPUT IV. — *De perturbationibus quæ animo accidunt, quæ sit Peripateticorum Stoicorumque sententia.*

1. Duæ sunt sententiæ philosophorum, de his animi motibus, quæ Græci πάθη [1], nostri autem quidam, sicut Cicero (*De Finibus*, *lib.* 3, *cap.* 20; *Tuscul. Quæst. lib.* 3, *cap.* 4; *lib.* 4, *capp.* 5, 6, *alibique*), perturbationes, quidam affectiones, vel affectus (*a*), quidam vero, sicut iste de græco expressius, passiones vocant. Has ergo perturbationes, sive affectiones, sive passiones quidam philosophi dicunt etiam in sapientem cadere, sed moderatas rationique subjectas, ut eis leges quodammodo, quibus ad necessarium redigantur modum, dominatio mentis imponat. Hoc qui sentiunt, Platonici sunt sive Aristotelici, cum Aristoteles discipulus Platonis fuerit, qui sectam Peripateticam condidit. Aliis autem, sicut Stoicis, cadere ullas omnino hujuscemodi passiones in sapientem non placet. Hos autem, id est Stoicos, Cicero in libris de Finibus bonorum et malorum, verbis magis quam rebus adversus Platonicos seu Peripateticos certare convincit : quandoquidem Stoici nolunt bona appellare, sed commoda corporis et externa; eo quod nullum bonum volunt esse hominis præter virtutem, tanquam artem bene vivendi, quæ nonnisi in animo est. Hæc autem isti simpliciter et ex communi loquendi consuetudine appellant bona; sed in comparatione virtutis, qua recte vivitur, parva et exigua. Ex quo fit, ut ab utrisque quodlibet vocentur, seu bona, seu commoda, pari tamen æstimatione pensentur, nec in hac quæstione Stoici delectentur, nisi novitate verborum. Videtur ergo mihi etiam in hoc, ubi quæritur utrum accidant sapienti passiones animi, an ab eis

[1] Scribendum, *quæ Græci pathê*, ex auctoritate manuscriptorum, jusserunt Patres Benedictini in Addendis [*quos Græci pathê*.] M.

(*a*) Quintil. lib. 6 Instit., cap. 2, § 20.

sit prorsus alienus, de verbis eos potius quam de rebus facere controversiam. Nam et ipsos in hac re nihil aliud quam Platonicos et Peripateticos sentire existimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum sonum.

2. Ut enim alia omittam quibus id ostendam, ne longum faciam, aliquid unum quod sit evidentissimum dicam. In libris quibus titulus est Noctium Atticarum, scribit A. Gellius [1], vir elegantissimi eloquii, et multæ ac facundæ scientiæ, se navigasse aliquando cum quodam philosopho nobili Stoico. Is philosophus, sicut latius et uberius, quod ego breviter attingam, narrat A. Gellius (*Lib.* 19, *cap.* 1), cum illud navigium horribili cœlo et mari periculosissime jactaretur, vi timoris expalluit. Id animadversum est ab eis qui aderant, quamvis in mortis vicinia, curiosissime attentis, utrumne philosophus animo turbaretur. Deinde tempestate transacta, mox ut securitas præbuit colloquendi vel etiam garriendi locum, quidam ex his, quos navis illa portabat, dives luxuriosus Asiaticus philosophum compellat, illudens quod extimuisset atque palluisset, cum ipse mansisset intrepidus in eo quod impendebat exitio. At ille Aristippi Socratici responsum retulit, qui cum in re simili eadem verba ab homine simili audisset, respondit illum pro anima nequissimi nebulonis merito non fuisse sollicitum, se autem pro Aristippi anima timere debuisse. Hac illo divite responsione depulso, postea quæsivit A. Gellius a philosopho, non exagitandi animo, sed discendi, quænam illa ratio esset pavoris sui. Qui ut doceret hominem sciendi studio naviter accensum, protulit statim de sarcinula sua Stoici Epicteti librum, in quo ea scripta essent, quæ congruerent decretis Zenonis et Chrysippi, quos fuisse Stoicorum principes novimus. In eo libro se legisse dicit A. Gellius, hoc Stoicis placuisse, quod animi visa, quas appellant phantasias, nec in potestate est utrum et quando incidant animo; cum veniunt [2] ex terribilibus et formidabilibus rebus, necesse est etiam sapientis animum moveant; ita ut paulisper vel pavescat metu, vel tristitia contrahatur, tanquam his passionibus prævenientibus mentis et rationis officium: nec ideo tamen in mente fieri opinionem mali, nec approbari ista, eisque consentiri. Hoc enim esse volunt in potestate, idque interesse censent inter animum sapientis et stulti, quod stulti animus eisdem passionibus cedit, atque accommodat mentis assensum; sapientis autem, quamvis eas necessitate patiatur, retinet tamen de his quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram et stabilem inconcussa mente sententiam. Hæc ut potui, non quidem commodius A. Gellio, sed certe brevius, et, ut puto, planius exposui, quæ ille se in Epicteti libro legisse commemorat, eum ex decretis Stoicorum dixisse atque sensisse.

3. Quæ si ita sunt, aut nihil, aut pene nihil distat inter Stoicorum aliorumque philosophorum opinionem de passionibus et perturbationibus animorum: utrique enim mentem rationemque sapientis ab earum dominatione defendunt. Et ideo fortasse dicunt eas in sapientem non cadere Stoici, quia nequaquam ejus sapientiam, qua utique sapiens est, ullo errore obnubilant, aut labe subvertunt. Accidunt autem animo sapientis, salva serenitate sapientiæ, propter illa, quæ commoda vel incommoda appellant, quamvis ea nolint dicere bona vel mala. Nam profecto si nihili penderet eas res ille philosophus, quas amissurum se naufragio sentiebat, sicuti est vita ista salusque corporis; non ita illud periculum perhorresceret, ut palloris etiam testimonio proderetur. Verumtamen et illam poterat permotionem pati, et fixam tenere mente sententiam, vitam illam salutemque corporis, quorum amissionem minabatur tempestatis immanitas, non esse bona quæ illos, quibus inessent, facerent bonos, sicut facit justitia. Quod autem aiunt ea nec bona appellanda esse, sed commoda; verborum certamini, non rerum examini deputandum est. Quid enim interest, utrum aptius bona vocentur, an commoda; dum tamen ne his privetur, non minus Stoicus, quam Peripateticus pavescat et palleat; ea non æqualiter appellando, sed æqualiter æstimando? Ambo sane, si bonorum istorum seu commodorum periculis ad flagitium vel facinus urgeantur, ut aliter ea retinere non possint, malle se dicunt hæc amittere quibus natura corporis salva et incolumis habetur, quam illa committere quibus justitia violatur. Ita mens, ubi fixa est ista sententia, nullas perturbationes, etiamsi accidant inferioribus animi partibus, in se contra rationem prævalere permittit: quin imo eis ipsa dominatur, eisque non consentiendo, sed potius resistendo regnum virtutis exercet. Talem describit etiam Virgilius Æneam, ubi ait:

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.
(*Æneid. lib.* 4, *vers.* 449.)

CAPUT V. — *Quod passiones, quæ Christianos animos afficiunt, non in vitium trahant, sed virtutem exerceant.*

Non est nunc necesse copiose et diligenter ostendere, quid de istis passionibus doceat Scriptura divina, qua Christiana eruditio continetur. Deo quippe ipsam mentem subdit regendam et juvandam, mentique passiones ita moderandas atque frenandas, ut in usum justitiæ convertantur. Denique in disciplina nostra non tam quæritur utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat; nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat. Nam et misericordiam Stoicorum est solere culpare: sed quanto honestius ille Stoicus misericordia perturbaretur hominis liberandi, quam timore naufragii! Longe melius et humanius, et piorum sensibus accommodatius Cicero in Cæsaris laude locutus est, ubi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior nec gratior misericordia est. [illegible]

[1] Vind. et Am., a Gellio; at Ven. Er. et Lov., Agellius.
[2] [illegible]

rabilior, nec gratior misericordia est (*Orat. pro Q. Ligario, cap.* 12). Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua utique, si possumus, subvenire compellimur? Servit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pœnitenti. Hanc Cicero, locutor egregius, non dubitavit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet: qui tamen, ut docuit liber Epicteti nobilissimi Stoici, ex decretis Zenonis et Chrysippi, qui hujus sectæ primas (*a*) habuerunt, hujusmodi passiones in animum sapientis admittunt, quem vitiis omnibus liberum volunt. Unde fit consequens, ut hæc ipsa non putent vitia, quando sapienti sic accidunt, ut contra virtutem mentis rationemque nihil possint, et una sit eademque sententia Peripateticorum, vel etiam Platonicorum, et ipsorum Stoicorum: sed, ut ait Tullius, verbi controversia jamdiu torqueat homines Græculos contentionis cupidiores, quam veritatis (*De oratore, lib.* 1, *c.* 11, § 47). Sed adhuc merito quæri potest, utrum ad vitæ[1] præsentis pertineat infirmitatem, etiam in quibusque bonis officiis hujuscemodi perpeti affectus: sancti vero Angeli et sine ira puniant quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, et miseris sine miseriæ compassione subveniant, et periclitantibus eis quos diligunt, sine timore opitulentur; et tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanæ etiam in eos usurpentur, propter quamdam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum Scripturas irascitur, nec tamen ulla passione turbatur (*b*). Hoc enim verbum vindictæ usurpavit effectus, non illius turbulentus affectus.

CAPUT VI. — *Quibus passionibus dæmones, confitente Apuleio, exagitentur, quorum ope homines apud deos asserit adjuvari.*

Qua interim de sanctis Angelis quæstione dilata, videamus quemadmodum dicant Platonici medios dæmones inter deos et homines constitutos istis passionum æstibus fluctuare. Si enim mente ab his libera eisque dominante motus hujuscemodi paterentur[2], non eos diceret Apuleius simili motu cordis et salo mentis per omnes cogitationum æstus fluctuare (*De deo Socratis*). Ipsa igitur mens eorum, id est pars animi superior, qua rationales sunt, in qua virtus et sapientia, si ulla eis esset, passionibus turbulentis inferiorum animi partium regendis moderandisque dominaretur; ipsa, inquam, mens eorum, sicut iste Platonicus confitetur, salo perturbationum fluctuat. Subjecta est ergo mens dæmonum passionibus libidinum, formidinum, irarum, atque hujuscemodi cæteris. Quæ igitur pars in eis libera est composque sapientiæ, qua placeant diis, et ad bonorum morum[1] similitudinem hominibus consulant, cum eorum mens passionum vitiis subjugata et oppressa, quidquid rationis naturaliter habet, ad fallendum et decipiendum tanto acrius intendat, quanto eam magis possidet nocendi cupiditas?

CAPUT VII. — *Quod Platonici figmentis poetarum infamatos asserant deos de contrariorum studiorum certamine, cum hæ partes dæmonum, non deorum sint.*

Quod si quisquam dicit, non ex omnium, sed ex malorum dæmonum numero esse, quos poetæ quorumdam hominum osores et amatores deos non procul a veritate confingunt: hos enim dixit Apuleius, salo mentis per omnes cogitationum æstus fluctuare: quomodo istud intelligere poterimus, quando, cum hoc diceret, non quorumdam, id est malorum, sed omnium dæmonum medietatem propter aeria corpora, inter deos et homines describebat? Hoc enim ait fingere poetas, quod ex istorum dæmonum numero deos faciunt, et eis deorum nomina imponunt, et quibus voluerint hominibus ex his amicos inimicosque distribuunt ficti carminis impunita licentia; cum deos ab his dæmonum moribus, et cœlesti loco et beatitudinis opulentia remotos esse perhibeant (*De deo Socratis*). Hæc est ergo fictio poetarum, deos dicere qui dii non sunt, eosque sub deorum nominibus inter se decertare propter homines, quos pro studio partium diligunt vel oderunt. Non procul autem a veritate dicit hanc esse fictionem; quoniam deorum appellati vocabulis qui dii non sunt, tales tamen describuntur dæmones, quales sunt. Denique hinc esse dicit Homericam illam Minervam, *quæ mediis cœtibus Graium cohibendo Achilli intervenit* (*Ibid.*). Quod ergo Minerva illa fuerit, poeticum vult esse figmentum; eo quod Minervam deam putat, eamque inter deos, quos omnes bonos beatosque credit, in alta ætheria sede collocat, procul a conversatione mortalium. Quod autem aliquis dæmon fuerit Græcis favens Trojanisque contrarius, sicut alius adversus Græcos Trojanorum opitulator, quem Veneris seu Martis nomine idem poeta commemorat, quos deos iste talia non agentes in cœlestibus habitationibus ponit; et hi dæmones pro eis quos amabant, contra eos quos oderant, inter se decertaverint, hoc non procul a veritate poetas dixisse confessus est. De his quippe ista dixerunt, quos hominibus simili motu cordis et salo mentis per omnes cogitationum æstus fluctuare testatur, ut possent amores et odia, non pro justitia, sed sicut populus similis eorum in venatoribus et aurigis, secundum suarum studia partium, pro aliis adversus alios exercere (*a*). Id enim videtur philosophus curasse Platonicus, ne, cum hæc a poetis canerentur, non a dæmonibus mediis, sed ab ipsis diis, quorum nomina poetæ fingendo ponunt, fieri crederentur.

[1] In Mss. nonnullis, *utrum cum ad vitæ*, etc. Paulo post in sola editione Lov.: *sancti vero Angeli cum et sine ira puniant.*

[2] Editi, *non paterentur*: male ac refragantibus manuscriptis.

(*a*) Supple, *partes.*

(*b*) Vid. lib. 1 contra Advers. Leg. et Prophet., n. 40, et alibi.

[1] Sic probæ notæ Mss. At editio Lov. omittit, *morum*: cujus vocis loco Vind. et Am. habent, *deorum*. Denique pro, *bonorum*, Er. habet, *horum*.

(*a*) Vid. Enarr. in Psal. xxxix, nn. 8 et 9, et in Psal. LIII, n. 10.

CAPUT VIII. — *De diis cœlestibus et dæmonibus aeriis hominibusque terrenis Apuleii Platonici definitio.*

Quid illa ipsa definitio dæmonum, parumne intuenda est (ubi certe omnes determinando complexus est), quod ait dæmones esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aeria, tempore æterna (*Ibid.*)? In quibus quinque commemoratis, nihil dixit omnino, quod[1] dæmones cum bonis saltem hominibus id viderentur habere commune, quod non esset in malis. Nam ipsos homines cum aliquanto latius describendo complecteretur, suo loco de illis dicens tanquam de infimis atque terrenis, cum prius dixisset de cœlestibus diis; ut commendatis duabus partibus ex summo et infimo ultimis[2], tertio loco de mediis dæmonibus loqueretur : *Igitur homines*, inquit, *ratione cluentes*[3], *oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, levibus et anxiis mentibus, brutis et obnoxiis corporibus, dissimilibus moribus, similibus erroribus, pervicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, singillatim mortales, cuncti tamen universo genere perpetui, vicissim sufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula vita terras incolunt* (*De deo Socratis*). Cum hic[4] tam multa diceret, quæ ad plurimos homines pertinent, numquid etiam illud tacuit, quod noverat esse paucorum, ubi ait *tarda sapientia?* quod si prætermisisset, nullo modo recte genus humanum descriptionis hujus tam intenta diligentia terminasset. Cum vero deorum excellentiam commendaret, ipsam beatitudinem, quo volunt homines per sapientiam pervenire, in eis affirmavit excellere. Proinde si aliquos dæmones bonos vellet intelligi, aliquid etiam in ipsorum descriptione poneret, unde vel cum diis aliquam beatitudinis partem, vel cum hominibus qualemcumque sapientiam putarentur habere communem. Nunc vero nullum bonum eorum commemoravit, quo boni discernuntur a malis. Quamvis et eorum malitiæ liberius exprimendæ pepercerit, non tam ne ipsos, quam ne cultores eorum, apud quos loquebatur, offenderet : significavit tamen prudentibus, quid de illis sentire deberent; quandoquidem deos, quos omnes bonos beatosque credi voluit, ab eorum passionibus, atque, ut ait ipse, turbellis omni modo separavit, sola illos corporum æternitate conjungens; animo autem non diis, sed hominibus similes dæmones apertissime inculcans : et hoc non sapientiæ bono, cujus et homines possunt esse participes; sed perturbatione passionum, quæ stultis malisque dominatur, a sapientibus vero et bonis ita regitur, ut malint eam non habere, quam vincere. Nam si non corporum, sed animorum æternitatem cum diis habere dæmones vellet intelligi, non utique homines ab hujus rei consortio separaret : quia et hominibus æternos esse animos, procul dubio, sicut Platonicus, sentit. Ideo cum hoc genus animantium describeret, immortalibus animis, moribundis membris dixit esse homines. Ac per hoc si propterea communem cum diis æternitatem non habent homines, quia corpore sunt mortales : propterea ergo dæmones habent, quia corpore sunt immortales.

CAPUT IX. — *An amicitia cœlestium deorum per intercessionem dæmonum possit homini provideri.*

Quales igitur mediatores sunt inter homines et deos, per quos ad deorum amicitias homines ambiant, qui hoc cum hominibus habent deterius, quod est in animante melius, id est animum; hoc autem habent cum diis melius, quod est in animante deterius, id est corpus? Cum enim animans, id est animal, ex anima constet et corpore, quorum duorum anima est utique corpore melior; etsi vitiosa et infirma, melior certe corpore etiam sanissimo atque firmissimo; quoniam ejus natura excellentior nec labe vitiorum postponitur corpori; sicut aurum etiam sordidum argento seu plumbo, licet purissimo, carius æstimatur : isti mediatores deorum et hominum, per quos interpositos divinis humana junguntur, cum diis habent corpus æternum, vitiosum autem cum hominibus animum; quasi religio, qua volunt diis homines per dæmones jungi, in corpore sit, non in animo, constituta. Quænam tandem istos mediatores falsos atque fallaces quasi capite deorsum nequitia vel pœna suspendit, ut inferiorem animalis partem, id est corpus, cum superioribus, superiorem vero, id est animum, cum inferioribus habeant, et cum diis cœlestibus in parte serviente conjuncti, cum hominibus autem terrestribus in parte dominante sint miseri? Corpus quippe servum est, sicut etiam Sallustius ait : *Animi imperio, corporis servitio magis utimur.* Adjunxit autem ille, *Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est* (*Sallust. in Catil., cap.* 1) : quoniam de hominibus loquebatur, quibus, sicut belluis, mortale corpus est. Isti autem, quos inter nos et deos mediatores nobis philosophi providerunt[1], possunt quidem dicere de animo et corpore, Alterum nobis cum diis, alterum cum hominibus commune est : sed, sicut dixi, tanquam in perversum ligati atque suspensi, servum corpus cum diis beatis, dominum animum cum hominibus miseris habentes[2], parte inferiore exaltati, superiore dejecti. Unde etiam si quisquam propter hoc eos putaverit æternitatem habere cum diis, quia nulla morte, sicut animalium terrestrium, animi eorum solvuntur a corpore : nec sic existimandum est eorum corpus tanquam honoratorum æternum vehiculum, sed æternum vinculum damnatorum[3].

[1] Forte, *quo*.
[2] Editi, *ad ultimum*. Castigantur ad veteres libros, quorum lectionem confirmat illud infra, n. 12, dictum, *de diversis naturæ partibus ultimis, id est summis atque infimis*.
[3] Mira hic codicum varietas. Vind. Am. et probæ notæ Mss. habent, *gaudentes*. Er. Lov., *plaudentes*. Aliquot Mss., *fruentes*. Nonnulli, *fruentes*. Sed verius Colbertinus codex, ut apud Apuleium *cluentes*, id est excellentes.
[4] Sic Vind. Am. et plures Mss. Lov. *hæc*.

[1] Plures probæ notæ manuscripti, *prodiderunt*.
[2] Vind. Am. Er., *habentes*, non habent Lv. Mss.
[3] Sic Vind. Am. et Er., *dæmonum*.

CAPUT X. — *Quod secundum Plotini sententiam, minus miseri sint homines in corpore mortali, quam dæmones in æterno.*

Plotinus certe nostræ memoriæ vicinis [1] temporibus, Platonem cæteris excellentius intellexisse laudatur (*a*). Is cum de humanis animis ageret, *Pater*, inquit, *misericors mortalia illis vincula faciebat* (*Enneadis* 1 *libro* 3, *cap.* 12). Ita hoc ipsum quod mortales sunt homines corpore, ad misericordiam Dei patris pertinere arbitratus est, ne semper hujus vitæ miseria tenerentur. Hac misericordia indigna judicata est iniquitas dæmonum, quæ in animi passivi miseria, non mortale, sicut homines, sed æternum corpus accepit. Essent quippe feliciores hominibus, si mortale cum eis haberent corpus, et cum diis beatum animum. Essent autem pares hominibus, si cum animo misero corpus saltem mortale cum eis habere meruissent; si tamen acquirerent aliquid pietatis, ut ab ærumnis vel in morte requiescerent. Nunc vero non solum feliciores hominibus non sunt animo misero, sed etiam miseriores sunt perpetuo corporis vinculo. Non enim aliqua pietatis et sapientiæ disciplina proficientes, intelligi voluit ex dæmonibus fieri deos, cum apertissime dixerit dæmones æternos.

CAPUT XI. — *De opinione Platonicorum, qua putant animas hominum dæmones esse post corpora.*

Dicit quidem (*b*) et animas hominum dæmones esse, et ex hominibus fieri Lares, si boni meriti sunt; Lemures, si mali, seu Larvas: Manes autem deos dici, si incertum est bonorum eos, seu malorum esse meritorum. In qua opinione, quantam voraginem aperiant sectandis perditis moribus, quis non videat, si vel paululum attendat? Quandoquidem quamlibet nequam fuerint homines, vel Larvas se fieri dum opinantur, vel dum Manes deos; tanto pejores fiunt, quanto sunt nocendi cupidiores: ut etiam quibusdam sacrificiis tanquam divinis honoribus post mortem se invitari opinentur, ut noceant: Larvas quippe dicit esse noxios dæmones ex hominibus factos. Sed hinc alia quæstio est. Inde autem perhibet appellari græce beatos εὐδαίμονας, quod boni sint animi, hoc est boni dæmones; animos quoque hominum dæmones esse confirmans.

CAPUT XII. — *De ternis contrariis, quibus secundum Platonicos dæmonum et hominum natura distinguitur.*

Sed nunc de his agimus, quos in natura propria descripsit inter deos et homines genere animalia, mente rationalia, animo passiva, corpore aeria, tempore æterna. Nempe cum prius deos in sublimi cœlo, homines autem in terra infima disjunctos locis, et naturæ dignitate secerneret, ita conclusit: *Habetis*, inquit, *interim bina animalia; deos ab hominibus plurimum differentes, loci sublimitate, vitæ perpetuitate, naturæ perfectione, nullo inter se propinquo communicatu, cum et habitacula summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat [1], et vivacitas illic æterna et indefecta sit, hic caduca et subcisiva; et ingenia illa ad beatitudinem sublimata, hæc ad miserias infimata* (*De deo Socratis*). Hic terna video commemorata contraria de duabus naturæ partibus ultimis, id est summis atque infimis. Nam tria quæ proposuit de diis laudabilia, eadem repetivit, aliis quidem verbis, ut eis alia tria adversa ex hominibus redderet. Tria deorum hæc sunt: loci sublimitas, vitæ perpetuitas, perfectio naturæ. Hæc aliis verbis ita repetivit, ut eis tria contraria humanæ conditionis opponeret. *Cum et habitacula*, inquit, *summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat*: quia dixerat loci sublimitatem. *Et vivacitas illic*, inquit, *æterna et indefecta sit, hic caduca et subcisiva*: quia dixerat vitæ perpetuitatem. *Et ingenia illa*, inquit, *ad beatitudinem sublimata, hæc ad miserias infimata*: quia dixerat naturæ perfectionem. Tria igitur ab eo posita sunt deorum, id est, locus sublimis, æternitas, beatitudo: et his contraria tria hominum, id est, locus infimus, mortalitas, miseria.

CAPUT XIII. — *Quomodo dæmones, si nec cum diis beati, nec cum hominibus sunt miseri, inter utramque partem sine utriusque communione sint medii.*

1. Inter hæc terna deorum et hominum, quoniam dæmones medios posuit, de loco nulla est controversia: inter sublimem quippe et infimum, medius locus aptissime habetur et dicitur. Cætera bina restant, quibus cura attentior adhibenda est, quemadmodum vel aliena esse a dæmonibus ostendantur, vel sic eis distribuantur, ut medietas videtur exposcere. Sed ab eis aliena esse non possunt. Non enim, sicut dicimus locum medium nec esse summum, nec infimum, ita dæmones cum sint animalia rationalia, nec beatos esse, nec miseros, sicuti sunt arbusta vel pecora, quæ sunt sensus vel rationis expertia, recte possumus dicere. Quorum ergo ratio mentibus inest, aut miseros esse, aut beatos necesse est. Item non possumus recte dicere, nec mortales esse dæmones, nec æternos. Omnia namque viventia aut in æternum vivunt, aut finiunt morte quod vivunt. Jam vero iste tempore æternos dæmones dixit. Quid igitur restat, nisi ut hi medii de duobus summis unum habeant, et de duobus infimis alterum? Nam si utraque de imis habebunt, aut utraque de summis, medii non erunt, sed in alterutram partem vel resilient, vel recumbent [2]. Quia ergo his binis, sicut demonstratum est, carere utrisque non possunt, acceptis ex utraque parte singulis mediabuntur. Ac per hoc quia de infimis habere non possunt æternitatem, quæ ibi non est, unum hoc de summis habent: et ideo non est alterum ad complendam medietatem suam, quod de infimis habeant, nisi miseriam.

2. [XIII.] Est itaque, secundum Platonicos, sublimium deorum vel beata æternitas, vel æterna bea-

[1] Sic Am. et Mss. At Vind. Er. et Lov., *vicinus*. Porro Plotinus philosophus sub initium imperii Aureliani, hoc est anno Christi circiter 270 mortuus est, ut ex Porphyrio in ejus vita intelligitur.

(*a*) Conf. lib. 3 contra Academicos, n. 41.

(*b*) Nempe Apuleius, lib. De deo Socratis.

[1] Apud Apuleium, *tanta intercapedine fastigii dispescant*.

[2] Sola fere editio Lov. vel, *resilient*; vel, *recumbent*.

titudo; hominum vero infimorum vel miseria mortalis, vel mortalitas misera : dæmonum autem mediorum vel misera æternitas, vel æterna miseria. Nam et quinque illis, quæ in definitione dæmonum posuit, non eos medios, sicut promittebat, ostendit; quoniam tria dixit eos habere nobiscum, quod genere animalia, quod mente rationalia, quod animo passiva sunt; cum diis autem unum, quod tempore æterna; et unum proprium, quod corpore aeria. Quomodo ergo medii, quando unum habent cum summis, tria cum infimis? Quis non videat, relicta medietate, quantum inclinentur et deprimantur ad infima? Sed plane ibi etiam medii possunt ita inveniri, ut unum habeant proprium, quod est corpus aerium, sicut et illi de summis atque infimis singula propria, dii corpus æthereum, hominesque terrenum; duo vero communia sint omnibus, quod genere sunt animalia, et mente rationalia. Nam et ipse cum de diis et hominibus loqueretur, « Habetis » inquit, « bina animalia. » Et non solent isti deos nisi rationales mente perhibere. Duo sunt residua, quod sunt animo passiva, et tempore æterna : quorum habent unum cum infimis, cum summis alterum, ut proportionali ratione librata medietas neque sustollatur in summa, neque in infima deprimatur. Ipsa est autem illa dæmonum misera æternitas, vel æterna miseria. Qui enim ait, animo passiva, etiam misera dixisset, nisi eorum cultoribus[1] erubuisset. Porro quia providentia summi Dei, sicut etiam ipsi fatentur, non fortuita temeritate regitur mundus, nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia.

3. Si igitur beati recte dicuntur eudæmones, non sunt eudæmones dæmones, quos inter homines et deos isti in medio locaverunt. Quis ergo est locus bonorum dæmonum, qui supra homines, infra deos, istis præbeant adjutorium, illis ministerium? Si enim boni æternique sunt, profecto et beati sunt. Æterna autem beatitudo medios eos esse non sinit, quia multum diis comparat, multumque ab hominibus separat. Unde frustra isti conabuntur ostendere, quomodo dæmones boni, si et immortales sunt et beati, recte medii constituantur inter deos immortales ac beatos et homines mortales ac miseros. Cum enim utrumque habeant cum diis, et beatitudinem scilicet et immortalitatem, nihil autem horum cum hominibus et miseris et mortalibus; quomodo non potius remoti sunt ab hominibus, diisque conjuncti, quam inter utrosque medii constituti? Tunc enim medii essent, si haberent et ipsi duo quædam sua, non cum binis alterutrorum, sed cum singulis utrorumque communia : sicut homo medium quiddam est, sed inter pecora et Angelos; ut, quia pecus est animal irrationale atque mortale, angelus autem rationale et immortale, medius homo esset, inferior Angelis, superior pecoribus, habens cum pecoribus mortalitatem, rationem cum Angelis, animal rationale mortale. Ita ergo cum quærimus medium inter beatos immortales miserosque mortales, hoc invenire debemus, quod aut mortale sit beatum, aut immortale sit miserum.

[1] Editi, *pro eorum cultoribus*. Abest, *pro*, a manuscriptis.

CAPUT XIV. — *An homines, cum sint mortales, possint vera beatitudine esse felices.*

Utrum autem et beatus et mortalis homo esse possit, magna est inter homines quæstio. Quidam enim conditionem suam humilius inspexerunt, negaveruntque hominem capacem esse posse beatitudinis, quamdiu mortaliter vivit : quidam vero extulerunt se, et ausi sunt dicere, sapientiæ compotes, beatos esse posse mortales. Quod si ita est, cur non ipsi potius medii constituuntur inter mortales miseros et immortales beatos, beatitudinem habentes cum immortalibus beatis, mortalitatem cum mortalibus miseris? Profecto enim si beati sunt, invident nemini : (nam quid miserius invidentia)? et ideo mortalibus miseris, quantum possunt, ad consequendam beatitudinem consulunt[1]; ut et etiam immortales valeant esse post mortem, et Angelis immortalibus beatisque conjungi.

CAPUT XV. — *De Mediatore Dei et hominum, homine Christo Jesu.*

1. Si autem, quod multo credibilius et probabilius disputatur, omnes homines, quamdiu mortales sunt, etiam miseri sint necesse est, quærendus est medius, qui non solum homo, verum etiam Deus sit; ut homines ex mortali miseria ad beatam immortalitatem hujus medii beata mortalitas interveniendo perducat. Quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere mortalem. Mortalis quippe factus est, non infirmata Verbi divinitate, sed carnis infirmitate suscepta : non autem permansit in ipsa carne mortalis, quam resuscitavit a mortuis : quoniam ipse fructus est mediationis ejus, ut nec ipsi, propter quos liberandos mediator effectus est, in perpetua vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos et Deum, et mortalitatem habere oportuit transeuntem, et beatitudinem permanentem : ut per id quod transit, congrueret morituris; et ad id quod permanet, transferret ex mortuis. Boni igitur Angeli inter miseros mortales et beatos immortales medii esse non possunt : quia ipsi quoque et beati et immortales sunt : possunt autem medii esse angeli mali quia immortales sunt cum illis, miseri cum istis. His contrarius est Mediator bonus, qui adversus eorum immortalitatem et miseriam, et mortalis esse ad tempus voluit, et beatus in æternitate persistere potuit : ac sic eos et immortales superbos, et miseros noxios, ne immortalitatis jactantia seducerent ad miseriam, et suæ mortis humilitate et suæ beatitudinis benignitate destruxit in eis, quorum corda per suam fidem mundans, ab illorum immundissima dominatione liberavit.

2. Homo itaque mortalis et miser longe sejunctus ab immortalibus et beatis, quid eligat medium, per quod immortalitati et beatitudini copuletur? Quod possit delectare in dæmonum immortalitate, mise-

[1] Sic Mss. Editi vero, *consulant*.

rum est : quod possit offendere in Christi mortalitate, jam non est. Ibi ergo cavenda est miseria sempiterna : hic mors timenda non est, quæ esse non potuit sempiterna, et beatitudo amanda est sempiterna. Ad hoc quippe se interponit medius immortalis et miser, ut ad immortalitatem beatam transire non sinat, quoniam persistit quod impedit, id est ipsa miseria : ad hoc autem se interposuit mortalis et beatus, ut mortalitate transacta, et ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstravit, et ex miseris beatos, unde nunquam ipse discessit. Alius est ergo medius malus, qui separat amicos ; alius bonus, qui reconciliat inimicos. Et ideo multi sunt medii separatores, quia multitudo quæ beata est, unius Dei participatione fit beata ; cujus participationis privatione misera multitudo malorum angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum, quam interponit ad beatitudinis adjutorium, etiam ipsa multitudine obstrepit quodammodo, ne possit ad illud unum beatificum bonum perveniri, ad quod ut perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat ; et hoc eo ipso, cujus participatione simus beati, hoc est Verbo Dei non facto, per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator est, quia Verbum : maxime quippe immortale et maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseris ; sed mediator per quod homo : eo ipso utique ostendens ad illud non solum beatum, verum etiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos ; quia beatus et beatificus Deus factus particeps humanitatis nostræ compendium præbuit participandæ divinitatis suæ. Neque enim nos a mortalitate et miseria liberans ad Angelos immortales beatosque ita perducit, ut eorum participatione etiam nos immortales et beati simus ; sed ad illam Trinitatem, cujus et Angeli participatione beati sunt. Ideo quando in forma servi (*Philipp.* II, 7), ut mediator esset, infra Angelos esse voluit, in forma Dei supra Angelos mansit : idem in inferioribus via vitæ, qui in superioribus vita.

CAPUT XVI. — *An rationabiliter Platonici definierint deos cœlestes, declinantes terrena contagia, hominibus non misceri, quibus ad amicitiam deorum dæmones suffragentur.*

Non enim verum est, quod idem Platonicus ait dixisse Platonem, *Nullus deus miscetur homini.* Et hoc præcipuum eorum sublimitatis ait esse specimen, quod nulla attrectatione hominum contaminantur (*Apuleius, de deo Socratis.*). Ergo dæmones contaminari fatetur : et ideo eos a quibus contaminantur, mundare non possunt, omnesque immundi pariter fiunt, et dæmones contrectatione hominum, et homines cultu dæmonum. Aut, si et contrectari miscerique hominibus, nec tamen contaminari, dæmones possunt, diis profecto meliores sunt : quia illi, si miscerentur, contaminarentur. Nam hoc deorum dicitur esse præcipuum, ut eos sublimiter separatos humana contrectatio contaminare non possit. Deum quidem summum omnium creatorem, quem nos verum Deum dicimus, sic a Platone prædicari asseverat, quod ipse sit solus qui non possit penuria sermonis humani quavis oratione vel modice comprehendi ; vix autem sapientibus viris, cum se vigore animi, quantum licuit, a corpore removerint, intellectum hujus Dei, et id quoque interdum velut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare (*De deo Socratis*). Si ergo supra omnia vere summus Deus intelligibili et ineffabili [1] quadam præsentia, etsi interdum, etsi tanquam rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicans, adest tamen sapientium mentibus, cum se, quantum licuit, a corpore removerint, nec ab eis contaminari potest ; quid est quod isti dii propterea constituuntur longe in sublimi loco, ne contrectatione contaminentur humana ? Quasi vero aliud corpora illa ætheria quam videre sufficiat, quorum luce terra, quantum sufficit, illustratur [2]. Porro si non contaminantur sidera, cum videntur, quos deos omnes visibiles dicit ; nec dæmones hominum contaminantur aspectu, quamvis de proximo videantur. An forte vocibus humanis contaminarentur, qui acie non contaminantur oculorum ; et ideo dæmones medios habent, per quos eis voces hominum nuntientur, a quibus longe absunt, ut incontaminatissimi perseverent ? Quid jam de cæteris sensibus dicam ? Non enim olfaciendo contaminari vel dii possent, si adessent, vel cum adsunt dæmones, possunt vivorum corporum vaporibus humanorum, si tantis sacrificiorum cadaverinis non contaminantur nidoribus (a). In gustandi autem sensum [3] nulla necessitate reficiendæ mortalitatis urgentur, ut fame adacti cibos ab hominibus quærant. Tactus vero in potestate est. Nam licet ab eo potissimum sensu contrectatio dicta videatur, hactenus tamen, si vellent, miscerentur hominibus, ut viderent et viderentur, audirent et audirentur : tangendi autem quæ necessitas ? nam neque homines id concupiscere auderent, cum deorum vel dæmonum bonorum conspectu vel colloquio fruerentur : et, si in tantum curiositas progrederetur, ut vellent ; quonam pacto quispiam posset invitum tangere deum, vel dæmonem, qui nisi captum non potest passerem ?

2. Videndo igitur visibusque se præbendo et loquendo et audiendo, dii corporaliter misceri hominibus possent. Hoc autem modo dæmones si miscentur, ut dixi, et non contaminantur, dii autem contaminarentur, si miscerentur ; incontaminabiles dicunt dæmones, et contaminabiles deos. Si autem contaminantur et dæmones, quid conferunt hominibus ad vitam post mortem beatam, quos contaminati mundare non possunt, ut eos mundos diis incontaminatis possint adjungere, inter quos et illos medii constituti sunt ? Aut si hoc eis beneficii non conferunt, quid prodest hominibus dæmonum amica me-

[1] Sic nostri omnes Mss. In B. deest, *et ineffabili.* M.
[2] Er. Ven., *quasi corpora illa ætherea tactu tantum queant humano, et non etiam visu contaminari.* M.
[3] Vind. Am. Er. et plerique manuscripti, *sensu.*
(a) Vid. infra, lib. 10, cap. 11, n. 2.

diatio? an ut post mortem non ad deos homines per dæmones transeant, sed simul vivant utrique contaminati, ac per hoc neutri beati? Nisi forte quis dicat more spongiarum vel hujuscemodi rerum mundare dæmones amicos suos, ut tanto ipsi sordidiores fiant, quanto fiunt homines eis velut tergentibus mundiores. Quod si ita est, contaminationibus dii miscentur dæmonibus, qui ne contaminarentur, hominum propinquitatem contrectationemque vitarunt. An forte dii possunt ab hominibus contaminatos mundare dæmones, nec ab eis contaminari, et eo modo non possent et homines? Quis talia sentiat, nisi quem fallacissimi dæmones deceperunt? Quid, quod si videri et videre contaminat, videntur ab hominibus dii, quos visibiles dicit (*De deo Socratis*), *clarissima mundi lumina* (*Virgil. Georg. lib.* 1, *vers.* 5, 6) et cætera sidera, tutioresque sunt dæmones ab ista hominum contaminatione, qui non possunt videri, nisi velint? Aut si non videri, sed videre contaminat, negent ab istis clarissimis mundi luminibus, quos deos opinantur, videri homines, cum radios suos terras usque pertendant. Qui tamen eorum radii per quæque immunda diffusi non contaminantur: et dii contaminarentur, si hominibus miscerentur, etiamsi esset necessarius in subveniendo contactus? Nam radiis solis et lunæ terra contingitur, nec istam contaminat lucem.

CAPUT XVII. — *Ad consequendam vitam beatam, quæ in participatione est summi boni, non tali mediatore indigere hominem qualis est dæmon, sed tali qualis unus est Christus.*

Miror autem plurimum tam doctos homines, qui cuncta corporea et sensibilia, præ[1] incorporalibus et intelligibilibus, postponenda judicaverunt, cum agitur de beata vita, corporalium contrectationum facere mentionem. Ubi est illud Plotini, ubi ait, *Fugiendum est igitur ad charissimam*[2] *patriam, et ibi pater, et ibi omnia? Quæ igitur*, inquit, *classis aut fuga? Similem deo fieri* (*Enneadis* 1 *lib.* 6, *cap.* 8; *lib.* 2, *cap.* 3). Si ergo deo quanto similior, tanto fit quisque propinquior; nulla est ab illo alia longinquitas quam ejus dissimilitudo. Incorporali vero illi æterno et incommutabili tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumque cupidior. [XVII.] Hoc ut sanetur, quoniam immortali puritati, quæ in summo est, ea quæ in imo sunt mortalia et immunda convenire non possunt, opus est quidem mediatore; non tamen tali qui corpus quidem habeat immortale propinquum summis, animum autem morbidum similem infimis; quo morbo nobis invideat potius ne sanemur, quam adjuvet ut sanemur: sed tali qui nobis infimis ex corporis mortalitate coaptatus, immortali spiritus justitia[3], per quam non locorum distantia, sed similitudinis excellentia mansit in summis, mundandis liberandisque nobis vere divinum præbeat adjutorium. Qui profecto incontaminabilis Deus absit ut contaminationem timeret ex homine quo indutus est, aut ex hominibus inter quos in homine conversatus est[1]. Non enim parva sunt hæc interim duo, quæ salubriter sua incarnatione monstravit, nec carne[2] posse contaminari veram divinitatem, nec ideo putandos dæmones nobis esse meliores, quia non habent carnem (*a*). Hic est, sicut eum prædicat sancta Scriptura, *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5), de cujus et divinitate, qua Patri est semper æqualis, et humanitate, qua nobis factus est similis, non hic locus est ut competenter pro nostra facultate dicamus.

CAPUT XVIII. *Quod fallacia dæmonum, dum sua intercessione viam spondet ad Deum, hoc annitatur, ut homines a via veritatis avertat.*

Falsi autem illi fallacesque mediatores dæmones, qui cum per spiritus immunditiam miseri ac maligni multis effectibus clareant, per corporalium tamen locorum intervalla et per aeriorum corporum levitatem a provectu animorum nos avocare atque avertere moliuntur, non viam[3] præbent ad Deum; sed, ne via teneatur, impediunt. Quandoquidem et in ipsa via corporali, quæ falsissima est et plenissima erroris, qua non iter agit justitia; quoniam non per corporalem altitudinem, sed per spiritualem, hoc est incorporalem, similitudinem ad Deum debemus ascendere; in ipsa tamen corporali via, quam dæmonum amici per elementorum gradus ordinant, inter ætherios deos et terrenos homines aeriis dæmonibus mediis constitutis, hoc deos opinantur habere præcipuum, ut propter hoc intervallum locorum contrectatione non contaminentur humana. Ita dæmones contaminari potius ab hominibus, quam homines mundari a dæmonibus credunt, et deos ipsos contaminari potuisse, nisi loci altitudine munirentur. Quis tam infelix est, ut ista via mundari se existimet, ubi homines contaminantes, dæmones contaminati, dii contaminabiles prædicantur; et non potius eligat viam, ubi contaminantes magis dæmones evitentur, et ab incontaminabili Deo[4] ad ineundam societatem incontaminatorum Angelorum homines a contaminatione mundentur?

CAPUT XIX. — *Quod appellatio dæmonum jam nec apud cultores eorum assumatur in significationem alicujus boni.*

Sed ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nonnulli istorum, ut ita dixerim, dæmonicolarum, in quibus et Labeo est, eosdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipsi dæmones nuncupant, jam mihi de bonis Angelis aliquid video disserendum, quos isti esse non negant, sed eos bonos dæmones vocare quam Angelos malunt. Nos autem, sicut Scriptura loquitur, secundum quam christiani sumus, An-

[1] Fr. et Lov. omittunt, *præ*.
[2] Edd., *charissimam*. At Mss., *clarissimam*: juxta græcum [illegible].
[3] [illegible] *immortalis spiritus justitia*.

[1] Nonnulli Mss. sed non meliores notæ, *inter quos homo conversatus est*.
[2] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *nec in carne*.
[3] Lov., *et non viam*. Particula, *et*, abest ab aliis libris.
[4] Sola editio Lov., *et ab incontaminabili Deo*.
(*a*) Conf. lib. 13 de Trinit., n. 22.

gelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam vero bonos dæmones legimus : sed ubicumque illarum Litterarum hoc nomen positum reperitur, sive dæmones, sive dæmonia dicantur, nonnisi maligni significantur spiritus. Et hanc loquendi consuetudinem in tantum populi usquequaque secuti sunt, ut eorum etiam qui Pagani appellantur, et deos multos ac dæmones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam litteratus et doctus, qui audeat in laude vel servo suo dicere, Dæmonem habes (*a*) : sed cuilibet hoc [1] dicere voluerit, non se aliter accipi, quam maledicere voluisse, dubitare non possit. Quæ igitur nos [2] causa compellit, ut post offensionem aurium tam multarum, ut jam pene sint omnium, quæ hoc verbum nonnisi in malam partem audire consueverunt, quod diximus cogamur exponere, cum possimus Angelorum nomine adhibito, eamdem offensionem, quæ nomine dæmonum fieri poterat, evitare?

CAPUT XX. — *De qualitate scientiæ, quæ dæmones superbos facit.*

Quanquam etiam ipsa origo hujus nominis, si divinos intueamur Libros, aliquid affert cognitione dignissimum. Δαίμονες enim dicuntur, quoniam vocabulum græcum est, ob scientiam nominati (*b*). Apostolus autem Spiritu sancto locutus ait, *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (I *Cor.* VIII, 1). Quod recte aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cum charitas inest; sine hac autem inflare, id est in superbiam inanissimæ quasi ventositatis extollere. Est ergo in dæmonibus scientia sine charitate, et ideo tam inflati, id est tam superbi, sunt, ut honores divinos et religionis servitutem, quam vero Deo deberi sciunt, sibi sategerint [3] exhiberi, et quantum possunt, et apud quos possunt, adhuc agunt. Contra superbiam porro dæmonum, qua pro meritis possidebatur genus humanum, Dei humilitas, quæ in forma servi apparuit [4], quantam virtutem habeat, animæ hominum nesciunt immunditia elationis inflatæ, dæmonibus similes superbia, non scientia.

CAPUT XXI. — *Ad quem modum Dominus voluerit dæmonibus innotescere.*

Ipsi autem dæmones etiam hoc ita sciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto dixerint : *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos* [5] (*Marc.* I, 24; *et Matth.* VIII, 29)? Clarum est in his verbis, quod in eis et tanta scientia erat, et charitas non erat. Pœnam quippe suam formidabant ab illo, non in illo justitiam diligebant. Tantum vero eis innotuit, quantum voluit : tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed innotuit, non sicut Angelis sanctis, qui ejus secundum id quod Dei Verbum est, participata æternitate perfruuntur (*a*); sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in suum regnum et gloriam semper veracem et veraciter sempiternam. Innotuit ergo dæmonibus, non per id quod est vita æterna, et lumen incommutabile quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quæ in illo est, corda mundantur, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta et occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda judicavit, et aliquanto altius latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, cumque tentavit, an Christus esset explorans, quantum se tentari ipse permisit, ut hominem quem gerebat, ad nostræ imitationis temperaret exemplum. Post illam vero tentationem, cum Angeli, sicut scriptum est, ministrarent ei (*Matth.* IV, 3-11), boni utique et sancti, ac per hoc spiritibus immundis metuendi et tremendi, magis magisque innotescebat dæmonibus quantus esset, ut ei jubenti, quamvis in illo contemptibilis videretur carnis infirmitas, resistere nullus auderet.

CAPUT XXII. — *Quid intersit inter scientiam sanctorum Angelorum, et scientiam dæmonum.*

His igitur Angelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum scientia, qua inflantur dæmones, vilis est : non quod earum ignari sint, sed quod illis Dei, qua sanctificantur, charitas chara est, præ cujus non tantum incorporali, verum etiam incommutabili et ineffabili pulchritudine, cujus sancto amore inardescunt, omnia quæ infra sunt, et quod illud est non sunt, seque ipsos inter illa contemnunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur. Et ideo certius etiam temporalia et mutabilia ista noverunt; quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus : quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum causas et quodammodo cardinales in Dei Sapientia contemplantur; sed quorumdam signorum nobis occultorum majore experientia multo plura quam homines futura prospiciunt. Dispositiones quoque suas aliquando prænuntiant. Denique sæpe isti, nunquam illi omnino falluntur. Aliud est enim temporalibus temporalia et mutabilibus mutabilia conjectare, eisque temporalem et mutabilem modum [1] suæ voluntatis et facultatis inserere, quod dæmonibus certa ratione permissum est : aliud autem in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in ejus Sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, Deique voluntatem, quæ tam certissima quam potentissima est omnium [2], Spiritus ejus participa-

[1] Ms. 766, *sed quilibet hæc.* M.
[2] Mss. 766 et 2050, *non.* M.
[3] Vind. et Mss., *satis egerint.* Sic aliis locis constanter, *satis ago;* pro, *satago.*
[4] Vind. Am. Er. et plures manuscripti, *quæ in Christo apparuit.* Nonnulli veteres libri, *qui in Christo apparuit.* — Sic Corbeiensis. Sed A, B, C ut editum est. M.
[5] Omnes Mss., *venisti perdere nos?* omisso, *ante tempus.*
(*a*) Coquæus hic notat consulendum Tertullianum, de Testim. animæ, cap. 3. M.
(*b*) Plato in Cratylo, *daimones* dictos tradit quasi *daêmones*, id est peritos ac rerum scios. Vide Lactant., lib. 2 Instit.

[1] Aliquot Mss., *motum.* — Sic Cd. 2051. M.
[2] Sic Fr. et Mss. At Vind. Am. et Lov., *quam potentissima est, divini spiritus,* etc.
(*a*) Conf. lib. 4 de Gen. ad Litt., nn. 49, 50; vide etiam cap. seq.

tione cognoscere : quod sanctis Angelis recta discretione donatum est. Itaque non solum æterni, verum etiam beati sunt. Bonum autem quo beati sunt, Deus illis est, a quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione et contemplatione perfruuntur.

CAPUT XXIII.—*Nomen deorum falso adscribi diis Gentium, quod tamen et Angelis sanctis et hominibus justis ex divinarum Scripturarum auctoritate commune est.*

1. Hos si Platonici malunt deos quam dæmones dicere, eisque annumerare, quos a summo Deo conditos deos scribit eorum auctor et magister Plato (*In Timæo*); dicant quod volunt : non enim cum eis de verborum controversia laborandum est. Si enim sic immortales, ut tamen a summo Deo factos, etsi non per se ipsos, sed ei, a quo facti sunt, adhærendo, beatos esse dicunt; hoc dicunt quod dicimus, quolibet eos nomine appellent. Hanc autem Platonicorum esse sententiam, sive omnium, sive meliorum, in eorum litteris inveniri potest. Nam et de ipso nomine, quo hujusmodi immortalem beatamque creaturam deos appellant; ideo inter nos et ipsos pene nulla dissensio est, quia et in nostris sacris Litteris legitur, *Deus deorum Dominus locutus est* (*Psal.* XLIX, 1) : et alibi, *Confitemini Deo deorum* (*Psal.* CXXXV, 2). Et alibi, *Rex magnus super omnes deos* (*Psal.* XCIV, 3). Illud autem ubi scriptum est, *Terribilis est super omnes deos*; cur dictum sit, deinceps ostenditur. Sequitur enim, *Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit* (*Psal.* XCV, 4, 5). *Super omnes* ergo *deos* dixit, sed *gentium*, id est, quos gentes pro diis habent, quæ sunt *dæmonia :* ideo *terribilis*, sub quo terrore Domino dicebant, *Venisti perdere nos* (*Marc.* I, 24)? Illud vero ubi dicitur, *Deus deorum*, non potest intelligi Deus dæmoniorum : et *Rex magnus super omnes deos*, absit ut dicatur Rex magnus super omnia dæmonia. Sed homines quoque in populo Dei, eadem Scriptura deos appellat. *Ego*, inquit, *dixi*, *Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Potest itaque intelligi horum deorum Deus, qui dictus est *Deus deorum :* et super hos deos Rex magnus, qui dictus est *Rex magnus super omnes deos*.

2. Veruntamen cum a nobis quæritur, si homines dicti sunt dii, quod in populo Dei sunt, quem per Angelos vel per homines alloquitur Deus; quanto magis immortales eo nomine digni sunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire? quid respondebimus, nisi non frustra in Scripturis sanctis expressius homines nuncupatos deos, quam illos immortales et beatos, quibus nos æquales futuros in resurrectione promittitur, ne scilicet propter illorum excellentiam aliquem eorum nobis constituere deum infidelis auderet infirmitas? Quod in homine facile est evitare. Et evidentius dici debuerunt homines dii in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent, eum esse Deum suum, qui dictus est *Deus deorum :* quia, etsi appellentur dii immortales illi et beati, qui in cœlis sunt (*a*); non tamen dicti sunt dii deorum, id est dii hominum in populo Dei constitutorum, quibus est dictum, *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes*. Hinc est quod ait Apostolus : *Etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra; sicuti sunt dii multi, et domini multi : nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 5, 6).

3. Non multum ergo de nomine disceptandum est, cum res ipsa ita clareat, ut a scrupulo dubitationis aliena sit. Illud vero, quod nos ex eorum immortalium beatorum numero missos Angelos esse dicimus, qui Dei voluntatem hominibus annuntiarent, illis autem [1] non placet, quia hoc ministerium non per illos quos deos appellant, id est immortales et beatos, sed per dæmones fieri credunt, quos immortales tantum, non etiam beatos audent dicere; aut certe ita immortales ac beatos, ut tamen dæmones bonos, non deos sublimiter collocatos et ab humana contrectatione semotos : quamvis nominis controversia videatur, tamen ita detestabile est nomen dæmonum, ut hoc modis omnibus a sanctis Angelis nos removere debeamus. Nunc ergo ita liber iste claudatur, ut sciamus immortales ac beatos, quodlibet [2] vocentur, qui tamen facti et creati sunt, medios non esse ad immortalem beatitudinem perducendis mortalibus miseris, a quibus utraque differentia separantur. Qui autem medii sunt communem habendo immortalitatem cum superioribus, miseriam cum inferioribus, quoniam merito malitiæ sunt miseri, beatitudinem quam non habent, invidere nobis possunt potius quam præbere. Unde nihil habent amici dæmonum quod nobis dignum afferant, cur eos tanquam adjutores colere debeamus, quos potius ut deceptores evitare debemus. Quos autem bonos, et ideo non solum immortales, verum etiam beatos deorum nomine sacris et sacrificiis propter vitam beatam post mortem adipiscendam colendos putant, qualescumque illi sint, et quolibet vocabulo digni sunt, non eos velle per tale religionis obsequium nisi unum Deum coli, a quo creati et cujus participatione beati sunt, adjuvante ipso, in sequenti libro diligentius disseremus.

[1] Particula, *autem*, desideratur in sola editione Lov.

[2] Editi, *quomodolibet*. Et infra, *ad immortalitatem beatitudinemque perducendis*, etc. At Mss., *quodlibet... ad immortalem beatitudinem perducendis*, etc.

(*a*) Illud Origenem, Homil. 8 in Exod., ex sacris Litteris docere animadvertit Coquæus. M.

LIBER DECIMUS.

In quo docet Augustinus divinum honorem, qui latriæ cultus dicitur et in sacrificiis agitur, nolle Angelos bonos exhiberi nisi uni Deo, cui et ipsi serviunt. De principio deinde ac via purgationis et liberationis animæ disputat contra Porphyrium.

CAPUT PRIMUM. — *Veram beatitudinem sive Angelis, sive hominibus, per unum Deum tribui, etiam Platonicos definisse : sed utrum hi, quos ob hoc ipsum colendos putant, uni tantum Deo, an etiam sibi sacrificari velint, esse quærendum.*

1. Omnium certa sententia est, qui ratione quoquo modo uti possunt, beatos esse omnes homines velle. Qui autem sint, vel unde fiant, dum mortalium quærit infirmitas, multæ magnæque controversiæ concitatæ sunt, in quibus philosophi sua studia et otia contriverunt; quas in medium adducere atque discutere, et longum est, et non necessarium. Si enim recolit qui hæc legit, quid in libro egerimus octavo in eligendis philosophis, cum quibus hæc de beata vita, quæ post mortem futura est, quæstio tractaretur, utrum ad eam uni Deo vero, qui etiam est deorum effector, an plurimis diis religione sacrisque serviendo, pervenire possimus; non etiam hic eadem repeti exspectat, præsertim cum possit relegendo, si forte oblitus est, adminiculari [1] memoriam. Elegimus enim Platonicos omnium philosophorum merito nobilissimos : propterea, quia sicut [2] sapere potuerunt, licet immortalem ac rationalem vel intellectualem hominis animam, nisi participato lumine illius Dei, a quo et ipsa et mundus factus est, beatam esse non posse; ita illud quod omnes homines appetunt, id est vitam beatam, quemquam isti assecuturum negant, qui non illi uni optimo, qui est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhæserit. Sed quia ipsi quoque sive cedentes vanitati errorique populorum, sive, ut ait Apostolus, evanescentes in cogitationibus suis (*Rom.* I, 21), multos deos colendos ita putaverunt, vel putari voluerunt, ut quidam eorum etiam dæmonibus divinos honores sacrorum et sacrificiorum deferendos esse censerent, quibus jam non parva ex parte respondimus : nunc videndum ac disserendum est, quantum Deus donat, immortales ac beati in cœlestibus sedibus, dominationibus, principatibus, potestatibus constituti, quos isti deos, et ex quibus quosdam vel bonos dæmones, vel nobiscum Angelos nominant, quomodo credendi sint velle a nobis religionem pietatemque servari; hoc est, ut apertius dicam, utrum etiam sibi, an tantum Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis ut sacra faciamus et sacrificemus, vel aliqua nostra seu nos ipsos religionis ritibus consecremus.

2. Hic est enim divinitati vel, si expressius dicendum est, deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit latinum, græco ubi necesse est insinuo quid velim dicere. Λατρείαν quippe nostri, ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt Servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere (*Ephes.* VI, 5), alio nomine græce nuncupari solet (a) : λατρεία vero secundum consuetudinem qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut pene semper, ea dicitur servitus quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo Cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus. Nec solum ea quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam quæ subjecta sunt nobis, coli perhibentur. Nam ex hoc verbo et agricolæ et coloni et incolæ vocantur : et ipsos deos non ob aliud appellant cœlicolas, nisi quod cœlum colant; non utique venerando, sed inhabitando; tanquam cœli quosdam colonos : non sicut appellantur coloni, qui conditionem debent genitali solo propter agriculturam sub dominio possessorum (b); sed, sicut ait quidam latini eloquii magnus auctor,

> Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.
> (*Virg. Æneid. l.* 1, *v.* 12.)

Ab incolendo enim colonos vocavit, non ab agricultura. Hinc et civitates a majoribus civitatibus velut populorum examinibus conditæ, coloniæ nuncupantur. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi hujus omnino verissimum est : sed quia et aliarum rerum dicitur cultus, ideo latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest.

3. Nam et ipsa Religio quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur; unde isto nomine interpretati sunt nostri eam quæ græce θρησκεία dicitur (c) : tamen quia latina loquendi consuetudine, non imperitorum [1], verum etiam doctissimorum, et

[1] Plures Mss., *adjuvare*. Nostri Mss., *adminiculare*. M.

[2] Particula, *sicut*, abest a manuscriptis, et ab editis Vind. Am. Er. — Abest etiam a nostris manuscriptis, cum magno elocutionis commodo; sequens, *ita*, sic accipiendum est ac si dixisset, *proinde*. M.

[1] Editi, *non solum imperitorum*. Abest, *solum*, a manuscriptis.

(a) Nempe *douleia*, ut in eo quem supra citat Apostoli loco, græce est, *oi douloi*, *servi*. Idipsum passim observat Augustinus : in Exodum quæst. 94 : « *Douleia*, inquit, debe« tur Deo tanquam Domino, *latreia* vero nonnisi Deo tan« quam Deo. » Item in Gen. quæst. 61, et in lib. 15 contra Faust., n. 9; lib. 20, n. 21; in epist. 102, n. 20, et alibi.

(b) Hæc vox non fuit in usu apud veteres Græcos. *Thrêskeian* describit Div. Jacobi Epistola, cap. 1, ℣. 27. LARCHER.

(c) Sophocles in Philocteta, vers. 1440-1444 :

> . . . . Τοῦτο δ' ἐννοεῖσθ' . . . .
> . . . . εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς.
> Ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ
> Ζεύς· οὐ γὰρ ηὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς,
> Κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

Id est : Hoc autem memineritis... ut pietatem erga deos colatis; huic enimalia omnia posteriora ducit pater Jupiter : quippe pietas haud una cum hominibus occidit; sed, seu vivant, seu mortui sint, ipsa nunquam perit. LARCHER.

cognationibus humanis atque affinitatibus et quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio; non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur quæstio, ut fidenter dicere valeamus, religionem non esse nisi Dei cultum; quoniam videtur hoc verbum a significanda observantia propinquitatis humanæ insolenter [1] auferri. Pietas quoque proprie Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen et erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipue Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius (II *Par.* xxx, 9; *Eccli.* xi, 13; *Judith.* vii, 20): quem sane Græci nullo suo sermonis usu εὐσεβεῖν vocant; quamvis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam vulgus usurpet. Unde in quibusdam Scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt (*a*). Utrumlibet autem horum nos uno verbo enuntiare non possumus. Quæ itaque λατρεία græce nuncupatur, et latine interpretatur Servitus, sed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία græce, latine autem Religio dicitur, sed ea quæ nobis est erga Deum: vel quam illi θεοσέβειαν, nos vero non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare; hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores deos (*Psal.* LXXXI, 6; *Joan.* x, 34, 35). Quicumque igitur sunt in cœlestibus habitationibus immortales et beati, si nos non amant nec beatos esse nos volunt, colendi utique non sunt. Si autem amant et beatos volunt, profecto inde volunt, unde et ipsi sunt: an aliunde ipsi beati, aliunde nos?

CAPUT II. — *De superna illuminatione quid Plotinus Platonicus senserit.*

Sed non est nobis ullus cum his excellentioribus philosophis in hac quæstione conflictus. Viderunt enim, suisque litteris multis modis copiosissime mandaverunt, hinc illos, unde et nos, fieri beatos, objecto quodam lumine intelligibili, quod Deus est illis, et aliud est quam illi, a quo illustrantur, ut clareant, atque ejus participatione perfecti beatique subsistant. Sæpe multumque Plotinus asserit sensum Platonis explanans, ne illam quidem, quam credunt esse universitatis animam, aliunde beatam esse quam nostram: idque esse lumen quod ipsa non est, sed a quo creata est, et quo intelligibiliter illuminante intelligibiliter lucet. Dat etiam similitudinem ad illa incorporea de his cœlestibus conspicuis [2] amplisque corporibus, tanquam ille sit sol, et ipsa sit luna. Lunam quippe solis objectu illuminari putant. Dicit ergo ille magnus Platonicus, animam rationalem (sive potius intellectualis dicenda sit, ex quo genere etiam immortalium beatorumque animas esse intelligit, quos [3] in cœlestibus sedibus habitare non dubitat) non habere supra se naturam nisi Dei, qui fabricatus est mundum, a quo et ipsa facta est: nec aliunde illis supernis præberi vitam beatam, et lumen intelligentiæ veritatis, quam unde præbetur et nobis; consonans Evangelio, ubi legitur, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per eum. Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In qua differentia satis ostenditur, animam rationalem vel intellectualem, qualis erat in Joanne, sibi lumen esse non posse, sed alterius veri luminis participatione lucere. Hoc et ipse Joannes fatetur, ubi ei perhibens testimonium dicit: *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* i, 6-9, 16).

CAPUT III. — *De vero Dei cultu, a quo Platonici, quamvis creatorem universitatis intellexerint, deviarunt colendo angelos sive bonos sive malos honore divino.*

1. Quæ cum ita sint, si Platonici, vel quicumque alii ista senserunt, cognoscentes Deum, sicut Deum glorificarent, et gratias agerent, nec evanescerent in cogitationibus suis, nec populorum erroribus partim auctores fierent, partim resistere non auderent; profecto confiterentur, et illis immortalibus ac beatis, et nobis mortalibus ac miseris, ut immortales ac beati esse possimus, unum Deum deorum colendum, qui et noster est et illorum.

2. [IV.] Huic nos servitutem, quæ λατρεία græce dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes, et singuli templa sumus (I *Cor.* iii, 16, 17); quia et omnium concordiam, et singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quam in singulis major; quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum: ejus Unigenito eum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum [1], cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus, et reddimus: ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidæ [2] charitatis. Ad hunc videndum, sicut videri potest, eique cohærendum, ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur, et ejus nomine [3] consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes: hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur (*a*), ad eum dilectione tendimus, ut perve-

[1] Nonnulli Mss., *insolenter*.
[2] [illegible], *conspicuis*, abest a plerisque Mss.
[3] Er. et Lov., *quæ*. Alii libri, *quos*. — Sic etiam nostri Codd. M.
(*a*) [illegible] in lib. I, n. 1, cap. 2, de loco Job xxvi, 28.

[1] Nostri omnes Mss., *cum suavissimo adolemus incenso*. M.
[2] Aliquot Mss., *fervidam*. Et nonnulli, *fervidæ*.
[3] Libri quidam, *nomini*.
(*a*) Cicero, lib. 2, de Nat. deor., cap. 28, religionem a relegendo dictam putat: « Qui omnia, inquit, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, et quasi relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo. » At Lactan-

riendo quiescamus : ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum, de cujus fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohærere : cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fecundaturque virtutibus. Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, et in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, et a quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ : *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* ; et, *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Matth.* XXII, 37-40). Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis quo referret omnia quæ ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quam beatus. Hic autem finis est adhærere Deo (*Psal.* LXXII, 28). Jam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantum potest, commendet diligendum Deum (*a*)? Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus. Quæcumque igitur immortalis potestas quantalibet virtute prædita, si nos diligit sicut se ipsam, ei vult esse subditos, ut beati simus, cui et ipsa subdita beata est (*b*). Si ergo non colit Deum, misera est, quia Deo privatur : si autem colit Deum, non vult se coli pro Deo. Illi enim potius divinæ sententiæ suffragatur, et dilectionis viribus favet, qua scriptum est : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 20).

CAPUT IV. — *Quod uni vero Deo sacrificium debeatur.*

Nam, ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus ; sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo [1]. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferrentur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera ; ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et venerandi ; si autem eis multum additur, et adorandi : quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? Quam porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain et Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit (*c*).

CAPUT V. — *De sacrificiis quæ Deus non requirit, sed ad significationem eorum observari voluit quæ requirit.*

Quis autem ita desipiat, ut existimet aliquibus usibus Dei esse necessaria quæ in sacrificiis offeruntur? Quod cum multis locis divina Scriptura testetur, ne longum faciamus, breve illud de Psalmo commemorare suffecerit : *Dixi Domino, Deus meus es tu ; quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2). Non solum igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, sed ne ipsa quidem justitia hominis Deus egere credendus est, totumque quod recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse [1], si biberit, aut luci, si viderit. Nec quod ab antiquis patribus talia [2] sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, non facit [3], aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc [4] ut inhæreamus Deo, et ad eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum, est. Unde ille pœnitens apud prophetam, vel ipse propheta quærens Deum peccatis suis habere propitium : *Si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique ; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum Deus non spernet* (*a*) (*Psal.* L, 18, 19). Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dicit, hoc significatur quod eum velle subjecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quomodo ab stultis ea velle creditur, velut suæ gratia voluptatis. Nam si ea sacrificia quæ vult, quorum hoc unum est, cor contritum et humiliatum dolore pœnitendi, nollet eis sacrificiis [5] significari, quæ velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utique de his offerendis in Lege vetere præcepisset. Et ideo mutanda erant opportuno certoque jam tempore, ne ipsi Deo desiderabilia, vel certe in nobis acceptabilia, ac non potius quæ his significata sunt, crederentur. Hinc et alio loco psalmi alterius : *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi ; meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo* (*Psal.* XLIX, 12 *et* 13)? tanquam diceret, Utique si mihi necessaria essent, non a te peterem, quæ habeo in potestate. Deinde subjungens quid illa significent : *Immola*, inquit, *Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, et eximam te, et glorificabis me* (*Ibid.*, 14, 15). Item apud alium prophetam : *In quo*, inquit, *apprehendam Dominum, assumam Deum meum excelsum? Si apprehendam illum in holocaustis, in vitulis anniculis ? si acceptaverit Dominus in millibus arietum, aut in denis millibus hircorum pinguium? si dedero primogenita mea pro impietate mea* [6], *fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? si annuntiatum est tibi, homo, bonum, aut quid Dominus exquirat a te, nisi facere judicium* [7], *et diligere misericordiam, et paratum esse ire cum Domino Deo tuo* (*Michææ* VI, 6-8)? Et in

tius, Institutionum lib. 4, cap. 28, a religando religionem mavult esse nominatam. Vid. lib. 1 Retract., cap. 13, n. 9.

[1] Editi, *nisi Deo* (vel, *Domino*) *soli*. Hic vox, *soli*, non est in manuscriptis.

(*a*) Vid. epist. 155, n. 11 imprimis et seqq.

(*b*) Conf. lib. 1 de Doctr. Christ., n. 30.

(*c*) Conf. epist. 102, n. 17, quæst. 3, et capp. seqq. 5 et 6.

[1] Omnes Mss., *consuluisse*.

[2] Manuscripti, *alia*.

[3] Vind. Am. Er., *populus legitime non facit*.

[4] Lov., *ad hoc tantum*. Abest, *tantum*, a cæteris libris.

[5] Plures Mss., *eis sibi sacrificiis*.

[6] Non pauci Mss., *primogenita impietatis* ; omisso, *pro*, et, *mea*.

[7] Apud Lov. additur, *et justitiam* ; quod hic a cæteris libris et a Scriptura sacra abest.

(*a*) Græce, *ouk exoudenôsei*.

hujus prophetæ verbis utrumque distinctum est, satisque declaratum, illa sacrificia per se ipsa non requirere Deum, quibus significantur hæc sacrificia quæ requirit Deus. In Epistola quæ inscribitur ad Hebræos (a), *Bene facere*, inquit, *et communicatores esse nolite oblivisci : talibus enim sacrificiis placetur Deo* [1] (*Hebr.* XIII, 16). Ac per hoc ubi scriptum est, *Misericordiam volo* [2] *quam sacrificium* (*Oseæ* VI, 6) ; nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi : quoniam illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porro autem misericordia verum sacrificium est : unde dictum est quod paulo ante commemoravi, *Talibus enim sacrificiis placetur Deo*. Quæcumque igitur in ministerio tabernaculi sive templi multis modis de sacrificiis leguntur divinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei et proximi significandam [3] referuntur. *In his enim duobus præceptis*, ut scriptum est, *tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40).

CAPUT VI. — *De vero perfectoque sacrificio.*

Proinde verum sacrificium est omne opus, quod agitur [4], ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde et ipsa misericordia qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit vel offertur, tamen sacrificium res divina est : ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint. Unde ipse homo Dei nomine [5] consecratus, et Deo votus [6], in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Nam et hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se ipsum facit. Propterea scriptum est : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Corpus etiam nostrum cum per temperantiam castigamus [7], si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo (*Rom.* VI, 13), sacrificium est. Ad quod exhortans Apostolus ait : *Obsecro itaque vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est ; quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium ? Quod idem apostolus consequenter adjungens : *Et nolite*, inquit, *conformari huic sæculo : sed reformamini in novitate mentis vestræ, ad probandum vos* [1] *quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum, et perfectum* (*Rom.* XII, 1, 2). Cum igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, sive in nos ipsos, sive in proximos, quæ referuntur ad Deum ; opera vero misericordiæ non ob aliud fiunt, nisi ut a miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus ; quod non fit, nisi bono illo de quo dictum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28) : profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est ; quia secundum hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cum itaque nos hortatus esset Apostolus, ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, et non conformemur huic sæculo, sed reformemur in novitate mentis nostræ ; ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum, quod totum sacrificium ipsi nos sumus : *Dico enim*, inquit, *per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam ; sicut unicuique Deus partitus est fidei mensuram. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent : ita multi unum corpus sumus in Christo ; singuli autem, alter alterius membra, habentes dona diversa secundum gratiam, quæ data est nobis* (*Rom.* XII, 3-6). Hoc est sacrificium Christianorum : *multi unum corpus in Christo*. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea re quam offert [2], ipsa offeratur.

CAPUT VII. — *Quod sanctorum Angelorum ea sit in nos dilectio, ut nos non suos, sed unius veri Dei velint esse cultores.*

Merito illi in cœlestibus sedibus constituti, immortales et beati, qui Creatoris sui participatione congaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere sancti sunt ; quoniam nos mortales et miseros, ut immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare [3] ; sed ei, cujus et ipsi nobiscum sacrificium se esse noverunt. Cum ipsis enim sumus una civitas Dei, cui dicitur in Psalmo, *Gloriosa* [4] *dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3) : cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe superna civitate, ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex est, de illa superna quodammodo curia (geritur nam-

[1] Editi, *placatur Deus*. At Mss., *placetur Deo* : nec minus apte respondet græco, *euarestaitai o theos*, quod est, *complacetur Deus*.

[2] Editi, *magis volo*. Abest, *magis*, a Mss.

[3] Vind. Am. Er. et Mss., *significando*.

[4] Plerique Mss., *quo agitur*.

[5] Editi, *nomini*. Castigantur ex manuscriptis et ex alio ejusdem loco supra, cap. 3.

[6] Sic Mss. At editi, *Deo devotus*.

[7] Nostri Mss., *cum temperantia castigamus*. M.

(a) Hic circumlocutione significari dicit Lud. Vives, incertum esse auctorem Epistolæ ad Hebræos : quam tamen inter canonicas quatuordecim numerat memoratus Augustinus in libro secundo de Doctrina Christiana, n. 13. Et vero hic omnino probæ notæ manuscripti, Corbeiensis, Colbertinus, etc., non habent, *inscribitur* : sed, *scribitur*.

[1] In editis deerat, *vos* ; quod huc revocamus ex manuscriptis.

[2] Sic manuscripti. At editi, *quod in ea oblatione quam offert*.

[3] Aliquot Mss. *sacrificari*.

[4] Hic et aliis locis probæ notæ manuscripti, *Gloriosissima*.

que ibi cura de nobis) ad nos ministrata per Angelos sancta illa Scriptura descendit (*a*), ubi legitur: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* xxii, 20). Huic Scripturæ, huic legi, talibus præceptis tanta sunt attestata miracula, ut satis appareat, cui nos sacrificare velint immortales ac beati, qui hoc nobis volunt esse quod sibi.

CAPUT VIII. — *De miraculis quæ Deus ad corroborandam fidem piorum, etiam per Angelorum ministerium, promissis suis adhibere dignatus est.*

Nam nimis vetera si commemorem, longius quam sat est revolvere videbor, quæ miracula facta sint attestantia promissis Dei, quibus ante annorum millia prædixit Abrahæ, quod in semine ejus omnes gentes benedictionem fuerant habituræ (*Gen.* xviii, 18). Quis enim non miretur eidem Abrahæ filium peperisse conjugem sterilem, eo tempore senectutis, quo parere nec fecunda jam posset [1] (*Id.* xxi, 2); atque in ejusdem Abrahæ sacrificio flammam cœlitus factam inter divisas victimas cucurrisse (*b*) (*Id.* xv, 17); eidemque Abrahæ prædictum ab Angelis cœleste incendium Sodomorum, quos Angelos hominibus similes hospitio susceperat, et per eos de prole ventura Dei promissa tenuerat (*Id.* xviii, 20, 14); ipsoque imminente jam incendio, miram de Sodomis per eosdem Angelos liberationem Lot filii fratris ejus; cujus uxor in via retro respiciens, atque in salem repente conversa (*Id.* xix, 17, 26), magno admonuit sacramento, neminem in via liberationis suæ præterita desiderare debere? Illa vero quæ et quanta sunt, quæ jam per Moysen pro populo Dei de jugo servitutis eruendo in Ægypto mirabiliter gesta sunt, ubi magi Pharaonis, hoc est regis Ægypti, qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc facere quædam mira permissi sunt, ut mirabilius vincerentur? Illi enim faciebant veneficiis et incantationibus magicis, quibus sunt mali angeli, hoc est dæmones, dediti: Moyses autem tanto potentius, quanto justius in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram, servientibus Angelis, eos facile superavit (*Exod.* vii-viii, 7). Denique in tertia plaga deficientibus magis, decem plagæ per Moysen magna mysteriorum dispositione completæ sunt; quibus ad Dei populum dimittendum, Pharaonis et Ægyptiorum dura corda cesserunt (*Id.* viii-xii). Moxque pœnituit, et cum abscedentes Hebræos consequi conarentur, illis diviso mari per siccum transeuntibus, unda hinc atque hinc in sese redeunte cooperti et oppressi sunt (*Id.* xiv). Quid de illis miraculis dicam, quæ cum in deserto idem populus ductaretur, stupenda divinitate crebruerunt; aquas quæ bibi non poterant, misso in eas, sicut Deus præceperat, ligno, amaritudine caruisse, sitientesque satiasse (*Id.* xv, 23-25): manna esurientibus venisse de cœlo; et cum esset colligentibus constituta mensura, quidquid amplius quisque collegerat, exortis vermibus putruisse; ante diem vero sabbati duplum collectum, quia sabbato colligere non licebat, nulla putredine violatum: desiderantibus carne vesci, quæ tanto populo nulla sufficere posse videbatur, volatilibus castra completa, et cupiditatis ardorem fastidio satietatis extinctum (*Exod.* xvi; *Num.* xi, 31-34): obvios hostes transitumque prohibentes atque præliantes, orante Moyse, manibusque ejus in figuram crucis extentis, nullo Hebræorum cadente prostratos (*Exod.* xvii, 8-16): seditiosos in populo Dei, ac sese ab ordinata divinitus societate dividentes, ad exemplum visibile invisibilis pœnæ, vivos terra dehiscente submersos (*Num.* xvi, 23-34): virga percussam petram tantæ multitudini abundantia fluenta fudisse (*Exod.* xvii, 6, 7; *Num.* xx, 8-11): serpentum morsus mortiferos, pœnam [1] justissimam peccatorum, in ligno exaltato atque prospecto æneo serpente sanatos, ut et populo subveniretur afflicto, et mors morte destructa, velut crucifixæ mortis similitudine signaretur (*Num.* xxi, 6-9)? Quem sane serpentem propter facti memoriam reservatum, cum postea populus errans tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude contrivit (IV *Reg.* xviii, 4).

CAPUT IX. — *De illicitis artibus erga dæmonum cultum, in quibus Porphyrius Platonicus, quædam probando, quædam quasi improbando, versatur.*

1. Hæc et alia multa hujuscemodi, quæ omnia commemorare nimis longum est, fiebant ad commendandum unius Dei veri cultum, et multorum falsorumque prohibendum. Fiebant autem simplici fide atque fiducia pietatis, non incantationibus et carminibus nefariæ curiositatis arte compositis, quam vel magiam, vel detestabiliore nomine goetiam, vel honorabiliore theurgiam vocant (*a*) qui quasi conantur ista discernere, et illicitis artibus deditos alios damnabiles, quos et maleficos vulgus appellat (hos enim ad goetiam pertinere dicunt); alios autem laudabiles videri volunt, quibus theurgiam deputant; cum sint utrique ritibus fallacibus dæmonum obstricti sub nominibus angelorum [2].

2. Nam et Porphyrius quamdam quasi purgationem animæ per theurgiam, cunctanter tamen et pudibunda quodammodo disputatione promittit; reversionem vero ad Deum hanc artem præstare cuiquam negat: ut videas eum inter vitium sacrilegæ curiositatis et philosophiæ professionem sententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tanquam fallacem et in ipsa actione periculosam et legibus prohibitam, cavendam monet (*b*): nunc autem velut ejus lauda-

[1] Sic melioris notæ Mss. At editi, *quo nec parere, nec esse fecunda jam posset*.

(*a*) Conf. Enarr. in Psal. 90, serm. 2, n. 1.

(*b*) In lib. 2 Retract., cap. 43, n. 2, Augustinus: « Non « debuit, » inquit, « pro miraculo poni in Abrahæ sacrifi- « cio, flammam cœlitus factam inter divisas victimas cucur- « risse, quoniam hoc illi in visione monstratum est. »

[1] Editi, *immissos ad pœnam*. Abest, *immissos ad*, a manuscriptis.

[2] Hic incipit caput nonum in Mss.

(*a*) *Goetia*, genus magiæ est quæ fit per excitationem mortuorum, sic dicta a planctu circa sepulcra. *Theurgia* vero, quasi divina operatio, appellatur ea qua dii seu dæmones certis sacrificiis et cæremoniis, paganorum opinione benis, invocantur.

(*b*) Vide infra, cap. 28.

toribus cedens, utilem dicit esse mundandæ parti animæ, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium similitudines corporum; sed spirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines (*a*). Hanc enim dicit per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas (*b*) vocant, idoneam fieri atque aptam susceptioni spirituum et Angelorum, et[1] ad videndos deos. Ex quibus tamen theurgicis teletis fatetur intellectuali animæ nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum suum, et perspicienda ea quæ vere sunt[2]. Ex quo intelligi potest, qualium deorum vel qualem visionem fieri dicat theurgicis consecrationibus, in qua non ea videntur quæ vere sunt. Denique animam rationalem, sive quod magis amat dicere, intellectualem, in superna[3] posse dicit evadere, etiamsi quod ejus spirituale est, nulla theurgica fuerit arte purgatum : porro autem a theurgo spiritualem purgari hactenus, ut non ex hoc ad immortalitatem æternitatemque perveniat. Quanquam itaque discernat a dæmonibus Angelos, aeria esse loca dæmonum, ætheria vel empyrea disserens Angelorum, et admoneat utendum alicujus dæmonis amicitia, quo subvectante vel paululum possit elevari a terra quisque post mortem, aliam vero viam esse perhibeat ad Angelorum superna consortia : cavendam tamen dæmonum societatem expressa quodammodo confessione testatur, ubi dicit animam post mortem luendo pœnas, cultum dæmonum a quibus circumveniebatur horrescere ; ipsamque theurgiam, quam velut conciliatricem Angelorum deorumque commendat, apud tales agere potestates negare non potuit, quæ vel ipsæ (*c*) invideant purgationi animæ, vel artibus serviant invidorum, querelam de hac re Chaldæi nescio cujus exprimens : *Conqueritur*, inquit, *vir in Chaldæa bonus, purgandæ animæ magno in*[4] *molimine frustratos sibi esse successus, cum vir ad eadem potens tactus invidia adjuratas sacris precibus potentias alligasset, ne postulata concederent. Ergo et ligavit ille*, inquit, *et iste non solvit.* Quo indicio dixit apparere theurgiam esse tam boni conficiendi quam mali et apud deos et apud homines disciplinam ; pati etiam deos, et ad illas perturbationes passionesque deduci, quas communiter dæmonibus et hominibus Apuleius attribuit, deos tamen ab eis ætheriæ sedis altitudine separans, et Platonis asserens in illa discretione sententiam.

[1] Hic editi omittunt, *et*; quod plerique habent manuscripti.
[2] Sic omnes prope Mss. At editi hoc tantum loco, *vera sunt*, præter Er. qui altero etiam infra loco habet, *vera*, pro, *vere*.
[3] Mss., *in sua*; paucis exceptis qui habent, *insuper*. — Nostri codices, *in sua*. M.
[4] Sic Mss. At editi, *magno molimine*, absque particula, *in*.
(*a*) Vide eumdem in lib. 12 de Genesi ad litt., nn. 30, 31, has tres distinctionem, scilicet visionis intellectualis, spiritualis, et corporalis.
(*b*) *Teletas*, vocabant expiationes et sacrificia quædam perfecta, quibus nihil deesset.
(*c*) Forte, *ipsi*.

CAPUT X. — *De theurgia, quæ falsam purgationem animis dæmonum invocatione promittit.*

Ecce nunc alius Platonicus, quem doctiorem ferunt, Porphyrius, per nescio quam theurgicam disciplinam etiam ipsos deos obstrictos passionibus et perturbationibus dicit : quoniam sacris precibus adjurari terrerique potuerunt, ne præstarent animæ purgationem, et ita terreri ab eo qui imperabat malum, ut ab illo qui poscebat bonum, per eamdem artem theurgicam solvi illo timore non possent, et ad dandum beneficium liberari (*a*). Quis non videat hæc omnia fallacium dæmonum esse commenta, nisi eorum miserrimus servus et a gratia veri liberatoris alienus? Nam si hæc apud deos agerentur bonos, plus ibi utique valeret beneficus purgator animæ, quam malevolus impeditor. Aut si diis justis homo, pro quo agebatur, purgatione videbatur indignus, non utique ab invido territi, nec, sicut ipse dicit, per metum valentioris numinis impediti, sed judicio libero id negare debuerunt. Mirum est autem, quod benignus ille Chaldæus, qui theurgicis sacris animam purgare cupiebat, non invenit aliquem superiorem deum, qui vel plus terreret atque ad benefaciendum cogeret territos deos, vel ab eis terrentem compesceret, ut libere benefacerent : si[1] tamen theurgo bono sacra defuerunt, quibus ipsos deos, quos invocabat animæ purgatores, prius ab illa timoris peste purgaret. Quid enim causæ est, cur deus potentior adhiberi possit a quo terreantur, nec possit a quo purgentur ? An invenitur deus qui exaudiat invidum, et timorem diis incutiat ne benefaciant; nec invenitur Deus qui exaudiat benevolum, et timorem diis auferat ut benefaciant ? O theurgia præclara ! o animæ prædicanda purgatio ! ubi plus imperat immunda invidentia, quam impetrat pura beneficentia : imo vero malignorum spirituum cavenda et detestanda fallacia, et[2] salutaris audienda doctrina. Quod enim qui has sordidas purgationes sacrilegis ritibus operantur, quasdam mirabiliter pulchras, sicut iste commemorat, vel Angelorum imagines vel deorum, tanquam purgato spiritu vident (si tamen vel tale aliquid vident), illud est quod Apostolus dicit, quoniam *satanas transfigurat se velut angelum lucis* (II *Cor.* XI, 14). Ejus enim sunt illa phantasmata, qui miseras animas multorum falsorumque deorum fallacibus sacris cupiens irretire, et a vero veri Dei cultu, quo solo mundantur et sanantur, avertere, sicut de Proteo dictum est,

> Formas se vertit in omnes,
> (*Virgil. Georg. lib.* 4, *vers.* 411.)

hostiliter insequens, fallaciter subveniens, utrobique nocens.

CAPUT XI. — *De epistola Porphyrii ad Anebontem Ægyptium, in qua petit de diversitate dæmonum se doceri.*

1. Melius sapuit iste Porphyrius, cum ad Anebontem scripsit Ægyptium, ubi consulenti similis et

[1] Editi, *sic*. At Mss., *si*.
[2] Sola editio Lov., *quam*.
(*a*) Vid. infra, cap. 11, n. 2.

quærenti, et prodit artes sacrilegas et evertit. Et ibi quidem omnes dæmones reprobat, quos dicit ob imprudentiam trahere humidum vaporem, et ideo non in æthere, sed in aere esse sub luna, atque in [1] ipso lunæ globo : veruntamen non audet omnes fallacias et malitias et ineptias, quibus merito movetur, omnibus dæmonibus dare. Quosdam namque benignos dæmones more appellat aliorum, cum omnes generaliter imprudentes esse fateatur. Miratur autem quod non solum dii alliciantur victimis, sed etiam compellantur atque cogantur facere quod homines volunt : et si corpore et incorporalitate dii a dæmonibus distinguuntur, quomodo deos esse existimandum sit solem et lunam, et visibilia cætera in cœlo, quæ corpora esse non dubitat ; et si dii sunt, quomodo alii benefici, alii malefici esse dicantur ; et quomodo incorporabilibus, cum sint corporei, conjungantur. Quærit etiam veluti dubitans, utrum in divinantibus et quædam mira facientibus animæ sint potentiores [2], an aliqui spiritus extrinsecus veniant, per quos hæc valeant. Et potius venire extrinsecus conjicit, eo quod lapidibus et herbis adhibitis, et alligent quosdam, et aperiant clausa ostia, vel aliquid ejusmodi mirabiliter operentur. Unde dicit alios opinari esse quoddam genus, cui exaudire sit proprium, natura fallax, omniforme, multimodum, simulans deos et dæmones et animas defunctorum ; et hoc esse quod efficiat hæc omnia quæ videntur bona esse vel prava ; cæterum circa ea quæ vere bona sunt nihil opitulari, imo vero ista nec nosse, sed et male conciliare, et insimulare atque impedire nonnunquam virtutis sedulos sectatores, et plenum esse temeritatis et fastus, gaudere nidoribus, adulationibus capi, et cætera quæ de hoc genere fallacium malignorumque spirituum, qui extrinsecus in animam veniunt, humanosque sensus sopitos vigilantesve deludunt, non tanquam sibi persuasa confirmat, sed tam tenuiter suspicatur aut dubitat, ut hæc alios asserat opinari. Difficile quippe fuit tanto philosopho cunctam diabolicam societatem vel nosse, vel fidenter arguere, quam quælibet anicula christiana nec nosse cunctatur [3], et liberrime detestatur. Nisi forte iste, et ipsum, ad quem scribit, Anebontem tanquam talium sacrorum præclarissimum antistitem, et alios talium operum tanquam divinorum et ad deos colendos pertinentium admiratores verecundatur offendere.

2. Sequitur tamen, et ea velut inquirendo commemorat, quæ sobrie considerata tribui non possunt nisi malignis et fallacibus potestatibus. Quærit enim cur tanquam melioribus invocatis, quasi pejoribus imperetur, ut injusta hominis præcepta exsequantur : cur attrectatum re venerea non exaudiant imprecantem, cum ipsi ad incestos quosque concubitus quoslibet ducere non morentur : cur animantibus suos antistites oportere abstinere denuntient, no vaporibus profecto corporeis polluantur, ipsi vero et aliis vaporibus illiciantur et nidoribus hostiarum, cumque a cadaveris contactu prohibeatur inspector, plerumque illa cadaveribus celebrentur : quid sit, quod non dæmoni vel alicui animæ defuncti, sed ipsi soli et lunæ aut cuicumque cœlestium, homo vitio cuilibet obnoxius intendit minas, eosque territat falso, ut eis extorqueat veritatem. Nam et cœlum se collidere comminatur, et cætera similia homini impossibilia, ut illi dii tanquam insipientissimi pueri falsis et ridiculis comminationibus territi, quod imperatur efficiant (a). Dicit etiam scripsisse Chæremonem quemdam, talium sacrorum vel potius sacrilegiorum peritum, ea quæ apud Ægyptios sunt celebrata rumoribus, vel de Iside, vel de Osiride marito ejus, maximam vim habere cogendi deos, ut faciant imperata, quando ille qui carminibus cogit, ea se prodere vel evertere comminatur, ubi se etiam Osiridis membra dissipaturum terribiliter dicit, si facere jussa neglexerint. Hæc atque hujusmodi vana et insana hominem diis minari, nec quibuslibet, sed ipsis cœlestibus et siderea luce fulgentibus, nec sine effectu, sed violenta potestate cogentem, atque his terroribus ad facienda quæ voluerit perducentem, merito Porphyrius admiratur : imo vero sub specie mirantis et causas rerum talium requirentis, dat intelligi illos hæc agere spiritus, quorum genus superius sub aliorum opinatione descripsit, non, ut ipse posuit, natura, sed vitio fallaces, qui simulant deos et animas defunctorum, dæmones autem non, ut ait ipse, simulant, sed plane sunt. Et quod ei videtur herbis et lapidibus et animantibus et sonis certis quibusdam ac vocibus, et figurationibus atque figmentis, quibusdam etiam observatis in cœli conversione motibus siderum, fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis effectibus exsequendis ; totum hoc ad eosdem ipsos dæmones pertinet ludificatores animarum sibimet subditarum, et voluptuaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes. Aut ergo revera dubitans et inquirens ista Porphyrius, ea tamen commemorat, quibus convincantur et redarguantur, nec ad eas potestates quæ nobis ad beatam vitam capessendam favent, sed ad deceptores dæmones pertinere monstrentur : aut, ut meliora de philosopho suspicemur, eo modo voluit hominem Ægyptium talibus erroribus deditum, et aliqua magna se scire opinantem, non superba quasi auctoritate doctoris offendere, nec aperte adversantis altercatione turbare, sed quasi quærentis et discere cupientis humilitate ad ea cogitanda convertere, et quam sint contemnenda vel etiam devitanda monstrare. Denique prope ad epistolæ finem petit se ab eo doceri, quæ sit ad beatitudinem via ex Ægyptia sapientia. Cæterum illos quibus conversatio cum diis ad hoc esset, ut ob inveniendum fugitivum vel prædium comparandum, vel propter nuptias vel mercaturam vel quid hujusmodi, mentem divinam inquietarent,

[1] Editio Lov. omittit, *in* ; necnon paulo post, *et malitias*. Utrumque habent cæteri libri.
[2] Mss., loco, *potentiores*, habent, *passiones*. — Melius. M.
[3] Mss., *nec cunctatur esse*. — Verius. M.

(a) Conf. Euseb. Præpar. evang. lib. 5, cap. 8-10, *Démonstrations évangéliques*, tom. 1. M.

frustra eos videri dicit coluisse sapientiam. Illa etiam ipsa numina cum quibus conversarentur, etsi de cæteris rebus vera prædicerent, quoniam tamen de beatitudine nihil cautum nec satis idoneum monerent, nec deos illos esse, nec benignos dæmones, sed aut illum qui dicitur fallax, aut humanum omne commentum.

CAPUT XIII. — *De miraculis quæ per sanctorum Angelorum ministerium Deus verus operatur.*

Verum quia tanta et talia geruntur his artibus, ut universum modum humanæ facultatis excedant : quid restat, nisi ut ea quæ mirifice tanquam divinitus prædici vel fieri videntur, nec tamen ad unius Dei cultum referuntur, cui simpliciter inhærere, fatentibus quoque Platonicis et permulta testantibus, solum beatificum bonum est, malignorum dæmonum ludibria et seductoria impedimenta, quæ vera pietate cavenda sunt, prudenter intelligantur? [XII.] Porro autem quæcumque miracula, sive per Angelos, sive quocumque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo solo beata vita est, cultum religionemque commendent, ea vere ab eis vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemque diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est. Neque enim audiendi sunt qui Deum invisibilem visibilia miracula operari negant; cum ipse etiam secundum ipsos fecerit mundum, quem certe visibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profecto minus est quam totus hic mundus, id est cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, quæ certe Deus fecit. Sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo fecit occultus est et incomprehensibilis homini. Quamvis itaque miracula visibilium naturarum videndi assiduitate viluerint; tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque majora sunt. Nam et omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo (*a*). Quapropter Deus qui fecit visibilia cœlum et terram, non dedignatur facere visibilia miracula in cœlo vel in terra, quibus ad se invisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam : ubi vero et quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est, in cujus dispositione jam tempora facta sunt quæcumque futura sunt. Nam temporalia movens, temporaliter non movetur; nec aliter novit facienda, quam facta; nec aliter invocantes exaudit, quam invocaturos videt. Nam et cum exaudiunt Angeli ejus, ipse in eis exaudit, tanquam in vero, nec manufacto templo suo, sicut in hominibus sanctis suis; ejusque temporaliter fiunt jussa [1], æterna ejus lege conspecta.

CAPUT XIII. — *De invisibili Deo, qui se visibilem sæpe præstiterit, non secundum quod est, sed secundum quod poterant ferre cernentes.*

Nec movere debet, quod cum sit invisibilis, sæpe visibiliter Patribus apparuisse memoratur. Sicut enim sonus, quo auditur sententia in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc quod ipsa; ita et species qua visus est Deus in natura invisibili constitutus, non erat quod ipse (*a*). Verumtamen ipse in eadem specie corporali videbatur, sicut illa sententia ipsa in sono vocis auditur : nec illi ignorabant, invisibilem Deum in specie corporali, quod ipse non erat, se videre. Nam et loquebatur cum loquente Moyses, et ei tamen dicebat, *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum, scienter ut videam te* (*b*) (*Exod.* XXXIII, 13). Cum igitur oporteret Dei legem in edictis Angelorum terribiliter dari, non uni homini paucisve sapientibus, sed universæ genti et populo ingenti, coram eodem populo magna facta sunt in monte, ubi lex per unum dabatur, conspiciente multitudine metuenda ac tremenda quæ fiebant. Non enim populus Israel sic Moysi credidit, quemadmodum suo Lycurgo Lacedæmonii, quod a Jove seu Apolline leges, quas condidit, accepisset. Cum enim lex dabatur populo, qua coli unus jubebatur Deus, in conspectu ipsius populi, quantum sufficere divina providentia judicabat, mirabilibus rerum signis ac motibus apparebat, ad eamdem legem dandam [1] Creatori servire creaturam.

CAPUT XIV. — *De uno Deo colendo, non solum propter æterna, sed etiam propter temporalia beneficia, quia universa in ipsius providentiæ potestate consistunt.*

Sicut autem unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quosdam articulos temporum tanquam ætatum profecit accessibus, ut a temporalibus ad æterna capienda et a visibilibus ad invisibilia surgeretur; ita sane ut etiam illo tempore quo visibilia promittebantur divinitus præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficiis cuiquam nisi vero animæ Creatori ac Domino subderetur. Omnia quippe quæ præstare hominibus vel Angeli vel homines possunt, in unius esse Omnipotentis potestate quisquis diffitetur, insanit. De providentia certe Plotinus Platonicus disputat, eamque a summo Deo, cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena et ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat : quæ omnia quasi abjecta et velocissime pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis et incommutabilis simul habens omnia perseverat (*Enneadis* 3 *lib.* 2, *cap.* 13). Hoc Dominus Jesus ibi ostendit, ubi ait, *Considerate lilia agri* [2], *non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in tanta gloria sua sic amictus est sicut unum ex eis. Quod si fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modicæ fidei* (*Matth.* VI, 28-30)? Optime igitur anima humana adhuc terrenis

[1] Sic Mss. At editio Lov., *sicut in omnibus sanctis ejus quæ temporaliter fiunt jussa.*

(*a*) Vide serm. 126, n. 4.

[1] Lov., *dandam docentem.* Abest, *docentem*, ab editis aliis et a nostris manuscriptis.

[2] Ita Mss. Editi vero hic addunt, *quomodo crescunt* : et infra pro, *in tanta*, habent, *in omni.*

(*a*) Confer quæst. 101 in Exod.

(*b*) De his quæst. 151 in Exod., et epist. 147, n. 20.

desideriis infirma, ea ipsa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena vitæ huic transitoriæ necessaria, et præ illius vitæ sempiternæ beneficiis contemnenda, non tamen nisi ab uno Deo exspectare consuescat, ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat, ad quem contemptu eorum et ab eis aversione perveniat.

CAPUT XV. — *De ministerio sanctorum Angelorum, quo providentiæ Dei serviunt.*

Sic itaque divinæ providentiæ placuit ordinare temporum cursum, ut quemadmodum dixi, et in Actibus Apostolorum legitur, lex in edictis Angelorum daretur de unius veri Dei cultu (*Act.* VII, 53), in quibus et persona ipsius Dei, non quidem per suam substantiam, quæ semper corruptibilibus oculis invisibilis permanet, sed certis indiciis per subjectam Creatori creaturam visibiliter appareret, et syllabatim per transitorias temporum morulas humanæ linguæ vocibus loqueretur, qui in sua natura non corporaliter, sed spiritualiter; non sensibiliter, sed intelligibiliter; non temporaliter, sed, ut ita dicam æternaliter, nec incipit loqui, nec desinit (*a*): quod apud illum sincerius audiunt, non corporis aure, sed mentis, ministri ejus et nuntii, qui ejus veritate incommutabili perfruuntur immortaliter beati; et quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, et usque in ista visibilia atque sensibilia perducendum, incunctanter atque indifficulter efficiunt. Hæc autem lex distributione temporum data est (*b*), quæ prius haberet, ut dictum est, promissa terrena, quibus tamen significarentur æterna, quæ visibilibus sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. Unius tamen Dei cultus apertissima illic et vocum et rerum omnium contestatione præcipitur, non unius de turba, sed qui fecit [1] cœlum et terram, et omnem animam, et omnem spiritum qui non est quod ipse. Ille enim fecit, hæc facta sunt: atque ut sint et bene se habeant, ejus indigent a quo facta sunt.

CAPUT XVI. — *An de promerenda beata vita his angelis sit credendum, qui se coli exigunt honore divino; an vero illis, qui non sibi, sed uni Deo sancta præcipiunt religione serviri.*

1. Quibus igitur Angelis de beata et sempiterna vita credendum esse censemus? utrum eis qui se religionis ritibus coli volunt, sibi sacra et sacrificia flagitantes a mortalibus exhiberi; an eis qui hunc omnem cultum uni Deo creatori omnium deberi dicunt, eique reddendum vera pietate præcipiunt, cujus et ipsi contemplatione beati sunt, et nos futuros esse promittunt? Illa namque visio Dei tantæ pulchritudinis visio est, et tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere (*Ennead.* I *lib.* 6, *cap.* 7). Cum ergo ad hunc unum quidam Angeli, quidam vero ad se ipsos latria colendos, signis mirabilibus excitent, et hoc ita ut illi istos coli prohibeant, isti autem illum prohibere non audeant, quibus potius sit credendum, respondeant Platonici, respondeant quicumque philosophi, respondeant theurgi, vel potius periurgi [1]: hoc enim sunt illæ omnes artes vocabulo digniores. Postremo respondeant homines, si ullus [2] naturæ suæ sensus, quo rationales creati sunt, ex aliqua parte vivit in eis: respondeant, inquam, eisne sacrificandum sit diis vel angelis qui sibi sacrificari jubent, an illi uni, cui jubent hi qui et sibi et istis prohibent? Si nec illi nec isti ulla miracula facerent, sed tantum præciperent, alii quidem ut sibi sacrificaretur, alii vero id vetarent, sed uni tantum juberent Deo; satis deberet pietas ipsa discernere quid horum de fastu superbiæ, quid de vera religione descenderet. Plus etiam dicam: si tantum hi mirabilibus factis humanas permoverent mentes, qui sacrificia sibi expetunt, illi autem qui hoc prohibent, et uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur; profecto non sensu corporis, sed ratione mentis præponenda eorum esset auctoritas: cum vero Deus id egerit ad commendanda eloquia veritatis suæ, ut per istos immortales nuntios, non sui fastum, sed majestatem illius prædicantes, faceret majora, certiora, clariora miracula, ne infirmis piis illi qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum quædam stupenda monstrarent; quem tandem ita desipere libeat, ut non vera eligat quæ sectetur, ubi et ampliora invenit quæ miretur?

2. Illa quippe miracula deorum gentilium, quæ commendat historia, non ea dico quæ intervallis temporum occultis ipsius mundi causis, verumtamen sub divina providentia constitutis et ordinatis monstrosa contingunt; quales sunt inusitati partus animalium, et cœlo terraque rerum insolita facies, sive tantum terrens, sive etiam nocens, quæ procurari atque mitigari dæmoniacis [3] ritibus fallacissima eorum astutia perhibentur: sed ea dico, quæ vi ac potestate eorum fieri satis evidenter apparet, ut est quod effigies deorum Penatium quas de Troja Æneas fugiens advexit, de loco in locum migrasse referuntur (*a*); quod cotem Tarquinius novacula secuit (*b*); quod Epidaurius serpens Æsculapio naviganti Romam comes adhæsit (*c*); quod navim qua simulacrum matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque cona-

[1] Am. Er. et Lov., *sed ejus qui fecit*. Abest, *ejus*, a manuscriptis et a Vind.

(*a*) Huc recurrunt pulchre dicta Enarr. in Psal. XLIV, n. 5.

(*b*) De hac lege concinnavit Augustinus librum quartum contra Faustum.

[1] Nonnulli codices, *perturgi*. Quidam, *perteurgi*. Alii, *periurgi*.

[2] Aliquot Mss., *illius*.

[3] Vind. Am. et Mss., *dæmonicis*.

(*a*) Supra, lib. 1, cap. 3.

(*b*) Tarquinii jussu secuit Actius Navius, uti testantur Cicero, lib. 1 de Divinat., cap. 17, et lib. 2 de Nat. deor., necnon Livius, lib. 1, cap. 36, aliique.

(*c*) Vid. Livium, epitome libri 11; Ovid., lib. 15 Metamorph., vers. 622 et seqq.; Valer. Maxim., lib. 1, cap. 8, § 2.

tibus immobilem redditam, una muliercula zona alligatam [1], ad suæ pudicitiæ testimonium movit et traxit (a); quod virgo Vestalis (b), de cujus corruptione quæstio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi, neque perfluente, abstulit controversiam. Hæc ergo atque alia hujusmodi nequaquam illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt: quanto minus ea quæ illorum quoque populorum, qui tales deos coluerunt, legibus judicata sunt prohibenda atque plectenda, magica scilicet vel theurgica? quorum pleraque specie tenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quale est lunam deponere, *donec suppositas*, ut ait Lucanus, *propior despumet in herbas* (*Phars. l.* 6, *vers.* 505) quædam vero etsi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tanto minus sacrificiis colendi sunt, quanto magis hæc expetunt: his vero unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, et Scripturarum suarum testificatione, et eorumdem postea sacrificiorum remotione demonstrat. Si ergo angeli sibi expetunt sacrificium, præponendi eis sunt illi qui non sibi, sed Deo creatori omnium, cui serviunt. Hinc enim ostendunt quam sincero amore nos diligunt, quando per sacrificium non sibi, sed ei nos subdere volunt, cujus et ipsi contemplatione beati sunt, et ad eum nos pervenire, a quo ipsi non recesserunt. Si autem angeli qui non uni, sed plurimis sacrificia fieri volunt, non sibi, sed eis diis volunt, quorum deorum angeli sunt; etiam sic eis præponendi sunt illi qui unius Dei deorum Angeli sunt, cui sacrificari sic jubent, ut alicui alteri vetent; cum eorum nullus huic vetet, cui uni isti sacrificari jubent. Porro si, quod magis indicat eorum superba fallacia, nec boni, nec bonorum deorum angeli sunt, sed dæmones mali, qui non unum solum ac summum Deum, sed se ipsos sacrificiis coli volunt; quod majus [2] quam unius Dei contra eos eligendum est præsidium, cui serviunt Angeli boni, qui non sibi, sed illi jubent ut sacrificio serviamus, cujus nos ipsi sacrificium esse debemus?

CAPUT XVII. — *De arca Testamenti miraculisque signorum, quæ ad commendandam Legis ac promissionis auctoritatem divinitus facta sunt.*

Proinde lex Dei, quæ in edictis data est Angelorum, in qua unus Deus deorum religione sacrorum jussus est coli, alii vero quilibet prohibiti, in Arca erat posita, quæ Arca testimonii nuncupata est. Quo nomine satis significatur, non Deum, qui per illa omnia colebatur, circumcludi solere vel contineri loco, cum responsa ejus et quædam humanis sensibus darentur signa ex illius Arcæ loco, sed voluntatis ejus hinc testimonia perhiberi. Quod etiam ipsa lex erat in tabulis conscripta lapideis, et in Arca, ut dixi, posita; quam tempore peregrinationis in eremo, cum Tabernaculo quod similiter appellatum est Tabernaculum testimonii, cum debita sacerdotes veneratione portabant: signumque erat, quod per diem nubes apparebat, quæ sicut ignis nocte fulgebat (*Exod.* XIII, 21) quæ nubes cum moveretur, castra movebantur; et ubi staret, castra ponebantur (*Id.* XL, 34, 35). Reddita sunt autem illi legi magni miraculi testimonia, præter ista quæ dixi, et præter voces quæ ex illius Arcæ loco edebantur. Nam cum terram promissionis intrantibus eadem Arca transiret Jordanem, fluvius ex parte superiore subsistens, et ex inferiore decurrens, et ipsi et populo siccum præbuit transeundi locum (*Josue* III, 16, 17). Deinde civitatis, quæ prima hostilis occurrit, more Gentium deos plurimos colens, septies eadem Arca circumacta, muri repente ceciderunt, nulla manu oppugnati, nullo ariete percussi (*Id.* VI, 20). Post hæc etiam cum jam in terra promissionis essent, et eadem Arca propter eorum peccata fuisset ab hostibus capta, hi qui eam ceperant, in templo Dei sui, quem præ cæteris colebant, honorifice collocarunt, abeuntesque clauserunt, apertoque postridie, simulacrum cui supplicabant, invenerunt collapsum deformiterque confractum. Deinde ipsi prodigiis acti, deformiusque puniti, Arcam divini testimonii populo, unde ceperant, reddiderunt. Ipsa autem redditio qualis fuit? Imposuerunt eam plaustro, eique juvencas, a quibus vitulos sugentes abstraxerant, subjunxerunt, et eas quo vellent ire siverunt, etiam hinc [1] vim divinam explorare cupientes. At illæ sine homine duce atque rectore, ad Hebræos viam pertinaciter gradientes, nec revocatæ mugitibus esurientium filiorum, magnum sacramentum suis cultoribus reportarunt (1 *Reg.* IV-VI). Hæc atque hujusmodi Deo parva sunt, sed magna terrendis salubriter erudiendisque mortalibus. Si enim philosophi, præcipueque Platonici, rectius cæteris sapuisse laudantur, sicut paulo ante commemoravi, quod divinam providentiam hæc quoque rerum infirma atque terrena administrare docuerunt, numerosarum testimonio pulchritudinum, quæ non solum in corporibus animalium, verum in herbis etiam fenoque gignuntur: quanto evidentius hæc attestantur divinitati, quæ ad horam prædicationis ejus fiunt, ubi ea religio commendatur quæ omnibus cœlestibus, terrestribus, infernis sacrificari vetat, uni Deo tantum jubens, qui solus diligens et dilectus beatos facit, eorumque sacrificiorum tempora imperata præfiniens, eaque per meliorem sacerdotem in melius mutanda prædicens, non ista se appetere, sed per hæc alia potiora significare testatur; non ut ipse his honoribus sublimetur, sed ut nos ad eum colendum, eique cohærendum igne amoris ejus accensi, quod nobis, non illi, bonum est, excitemur.

CAPUT XVIII. — *Contra eos qui de miraculis, quibus Dei populus eruditus est, negant ecclesiasticis Libris esse credendum.*

An dicet aliquis ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si

[1] Sic Vind. Am. Er. et codices Mss. At Lov., *alligata*.
[2] Aliquot Mss., *magis*.
(a) Fuit mulier illa Claudia Quintia, ex Cicer., de harusp. Responsis, Ovid., lib. 4 Fastorum, vers. 295 et seqq.; Liv. lib. 29, cap. 14.
(b) Hæc Tuccia vocatur a Valerio Maximo, lib. 8, cap. 1, § 5.

[1] Vind. et plerique Mss., *hic*.

de his rebus negat omnino ullis litteris esse credendum, potest etiam dicere nec deos ullos curare mortalia. Non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilium operum effectibus, quorum et historia gentium testis est, quarum dii se ostentare mirabiles potius quam utiles ostendere potuerunt. Unde hoc opere nostro, cujus hunc jam decimum librum habemus in manibus, non eos suscepimus refellendos, qui vel ullam esse vim divinam negant, vel humana non curare contendunt; sed eos qui nostro Deo conditori sanctæ et gloriosissimæ civitatis deos suos præferunt, nescientes eum ipsum esse etiam mundi hujus visibilis et mutabilis invisibilem et incommutabilem conditorem, et vitæ beatæ non de his quæ condidit, sed de se ipso verissimum largitorem. Ejus enim propheta veracissimus ait, *Mihi autem adhærere Deo, bonum est* (*Psal.* LXXII, 28). De fine namque boni inter philosophos quæritur, ad quod adipiscendum omnia officia referenda sunt. Nec dixit iste, Mihi autem divitiis abundare, bonum est; aut insigniri purpura et sceptro, vel diademate excellere; aut, quod nonnulli etiam philosophorum dicere non erubuerunt, Mihi voluptas corporis bonum est; aut, quod melius velut meliores dicere visi sunt, Mihi virtus animi mei bonum est: sed, *Mihi*, inquit, *adhærere Deo, bonum est.* Hoc eum docuerat, cui uni tantummodo sacrificandum sancti quoque Angeli ejus miraculorum etiam contestatione monuerunt[1]. Unde et ipse sacrificium ejus factus erat, cujus igne intelligibili correptus ardebat, et in ejus ineffabilem incorporeumque complexum sancto desiderio ferebatur. Porro autem si multorum deorum cultores (qualescumque deos suos esse arbitrentur) ab eis facta esse miracula, vel civilium rerum historiæ, vel libris magicis, sive, quod honestius putant, theurgicis credunt; quid causæ est, cur illis Litteris nolint credere, ista facta esse, quibus tanto major debetur fides, quanto super omnes est magnus, cui uni soli sacrificandum esse præcipiunt?

CAPUT XIX. — *Quæ ratio sit visibilis sacrificii, quod uni vero et invisibili Deo offerri docet vera religio.*

Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere, illi vero tanquam invisibili invisibilia, et majora majori, meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis et bonæ voluntatis officia; profecto nesciunt, hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca, sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam illi cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis favent, nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adjuvant Angeli quique Virtutesque superiores et ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, et cum ad homines ita mittuntur, ut eorum præsentia sentiatur, apertissime vetant. Sunt exempla in Litteris sanctis. Putaverunt quidam deferendum Angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo, et eorum sunt admonitione prohibiti, jussique hunc ei deferre, cui uni fas esse noverunt (*Judic.* XIII, 16, *Apoc.* XXII, 8, 9). Imitati sunt Angelos sanctos etiam sancti homines Dei. Nam Paulus et Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis putati sunt dii, eisque Lycaonii immolare victimas voluerunt; quod a se humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum (*Act.* XIV). Nec ob aliud fallaces illi superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim revera, ut ait Porphyrius et nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam vero nidorum magnam habent undique, et si amplius vellent, ipsi sibi poterant exhibere. Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus, non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum.

CAPUT XX. — *De summo veroque sacrificio, quod ipse Dei et hominum Mediator effectus est.*

Unde verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre[1]. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur (*a*). Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

CAPUT XXI. — *De modo potestatis dæmonibus datæ ad glorificandos sanctos per tolerantiam passionum*[2], *qui aerios spiritus non placando ipsos, sed in Deo permanendo vicerunt.*

Moderatis autem præfinitisque temporibus, etiam potestas permissa dæmonibus, ut hominibus quos possident excitatis, inimicitias adversus Dei civitatem tyrannice exerceant, sibique sacrificia non solum ab offerentibus sumant, et a volentibus expetant, verum etiam ab invitis persequendo violenter extorqueant, non solum perniciosa non est, sed etiam uti-

[1] Sic Mss. At editi, *Angeli legalium sacrificiorum contestatione monuerunt.*

[1] Vind. Am., *Cujus rei sacramentum quotidianum.* Er., *esse voluit Ecclesiæ sacrificium; cum ipsius corporis ipse sit caput, et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerri. Hujus veri sacrificii*, etc.

[2] Editi, *sanctos qui pertulerunt jam passionem.* Emendantur a manuscriptis.

(*a*) Conf. lib. 1 contra Advers. Leg. et Prophet., n. 38.

invenitur Ecclesiæ (a), ut martyrum numerus impleatur; quo tanto clariores et honoratiores cives habet, quanto fortius adversus impietatis peccatum [1] etiam usque ad sanguinem certant. Hos multo elegantius, si ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros Heroas vocaremus. Hoc enim nomen a Junone dicitur tractum, quod græce Juno Ἥρα appellatur; et ideo nescio quis filius ejus secundum Græcorum fabulas, Heros fuerit nuncupatus: hoc videlicet veluti mysticum significante fabula, quod aer Junoni deputetur, ubi volunt cum dæmonibus heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum. Sed a contrario martyres nostri heroes nuncuparentur, si, ut dixi, usus ecclesiastici sermonis admitteret; non quod eis esset cum dæmonibus in aere societas, sed quod eosdem dæmones, id est, aerias vincerent potestates; et in eis ipsam, quidquid putatur significare, Junonem, quæ non usquequaque inconvenienter a poetis inducitur inimica virtutibus, et cœlum petentibus viris fortibus invida. Sed rursus ei succumbit infeliciter ceditque Virgilius; ut cum apud eum illa dicat,

> Vincor ab Ænea!
> (*Æneid. lib.* 7, *vers.* 310.)

ipsum Ænean admoneat Helenus quasi consilio religioso, et dicat,

> Junoni cane vota libens, dominamque potentem
> supplicibus supera donis
> (*Æneid. lib.* 3, *vers.* 438, 439.)

Ex qua opinione Porphyrius, quamvis non ex sua sententia, sed ex aliorum, bonum dicit deum vel genium non venire in hominem, nisi malus fuerit ante placatus (b): tanquam fortiora sint apud eos numina mala quam bona; quandoquidem mala impediunt adjutoria bonorum, nisi eis placata dent locum, malisque nolentibus bona prodesse non possunt; nocere autem mala possunt, non sibi valentibus resistere bonis. Non est ista veræ veraciterque sanctæ religionis via: non sic Junonem, hoc est aerias potestates piorum virtutibus invidentes, nostri martyres vincunt. Non omnino, si dici usitate posset, heroes nostri supplicibus donis, sed virtutibus divinis Heram superant. Commodius quippe Scipio Africanus est cognominatus, quod virtute Africam vicerit, quam si hostes donis placasset, ut parcerent.

CAPUT XXII. — *Unde sit sanctis adversum dæmones potestas, et unde cordis vera purgatio.*

Vera pietate homines Dei aeriam potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, non placando; omnesque tentationes adversitatis ejus [2] vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum adversus ipsam. Non enim aliquem vincit, aut subjugat, nisi societate peccati. In ejus ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, egitque sine peccato, ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio; per indulgentiam illius, non per nostram potentiam. Quia et ipsa quantulacumque virtus, quæ dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, nisi usque ad ejus depositionem sub venia viveremus. Propterea ergo nobis per Mediatorem præstita est gratia, ut polluti carne peccati carnis peccati similitudine mundaremur. Hac Dei gratia, qua in nos ostendit magnam misericordiam suam, et in hac vita per fidem regimur, et post hanc vitam per ipsam speciem incommutabilis veritatis ad perfectionem plenissimam perducemur.

CAPUT XXIII. — *De principiis, in quibus Platonici purgationem animæ esse profitentur.*

Dicit etiam Porphyrius divinis oraculis fuisse responsum, non nos purgari lunæ teletis atque solis: ut hinc ostenderetur nullorum deorum teletis hominem posse purgari. Cujus enim teletæ purgant, si luna solisque non purgant, quos inter cœlestes deos præcipuos habent? Denique eodem dicit oraculo expressum, principia posse purgare; ne forte cum dictum esset non purgare teletas solis et lunæ, alicujus alterius dei de turba valere ad purgandum teletæ crederentur. Quæ autem dicat esse principia tanquam Platonicus, novimus. Dicit enim Deum Patrem et Deum Filium, quem græce appellat paternum intellectum, vel paternam mentem (a): de Spiritu autem sancto, aut nihil, aut non aperte aliquid dicit: quamvis quem alium dicat horum medium, non intelligo. Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat (*Enneadis* 5 *lib.* 1), animæ naturam etiam iste vellet intelligi, non utique diceret horum medium, id est Patris et Filii medium. Postponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui (*Ibid., cap.* 6, *et alibi*): iste autem cum dicit medium, non postponit, sed interponit. Et nimirum hoc dixit ut potuit, sive ut voluit, quod nos Spiritum sanctum, nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed utriusque Spiritum dicimus. Liberis enim verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignat opinionem.

CAPUT XXIV. — *De uno veroque principio, quod solum [1] naturam humanam purgat et renovat.*

Nos itaque ita non dicimus duo vel tria principia,

[1] Editi, *adversus impietatem potestatem*. Alia, [illegible] : nam per- [illegible] *usque ad sanguinem* [illegible] *adversus peccatum repugnantes*.

[2] [illegible] Editi, [illegible]

(a) [illegible] Apologetico, cap. [illegible]

(b) [illegible] Porphyr., lib. 2 [illegible] animalium, cap. [illegible]

[1] Editi, *solam*. Verius Mss., *solum*.

(a) Conf. infra, cap. 28.

cum de Deo loquimur, sicut nec duos deos vel tres nobis licitum est dicere : quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur ; nec dicamus tamen quod hæretici Sabelliani (*a*), eumdem esse Patrem, qui est et Filius, et eumdem Spiritum sanctum, qui est et Pater et Filius ; sed Patrem esse Filii Patrem, et Filium Patris Filium, et Patris et Filii Spiritum sanctum nec Patrem esse nec Filium. Verum itaque dictum est, non purgari hominem nisi principio, quamvis pluraliter sint apud eos dicta principia. [XXIV.] Sed subditus Porphyrius invidis potestatibus, de quibus et erubescebat, et eas libere redarguere formidabat, noluit intelligere Dominum Christum esse principium, cujus incarnatione purgamur. Eum quippe in ipsa carne contempsit, quam propter sacrificium nostræ purgationis assumpsit ; magnum scilicet sacramentum ea superbia non intelligens, quam sua ille humilitate dejecit verus benignusque Mediator, in ea se ostendens mortalitate mortalibus, quam maligni fallacesque mediatores non habendo se superbius extulerunt, miserisque hominibus adjutorium deceptorium velut immortales mortalibus promiserunt. Bonus itaque verusque Mediator ostendit peccatum esse malum, non carnis substantiam vel naturam ; quæ cum anima hominis et suscipi sine peccato potuit, et haberi, et morte deponi, et in melius resurrectione mutari : nec ipsam mortem, quamvis esset pœna peccati, quam tamen pro nobis sine peccato ipse persolvit, peccando esse vitandam ; sed potius, si facultas datur, pro justitia perferendam. Ideo enim solvere potuit moriendo peccata, quia et mortuus est, et non pro suo peccato [1]. Hunc ille Platonicus non cognovit esse principium ; nam cognosceret purgatorium. Neque enim caro principium est, aut anima humana ; sed Verbum per quod facta sunt omnia. Non ergo caro per se ipsam mundat, sed per Verbum a quo suscepta est, cum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Nam de carne sua manducanda mystice loquens, cum hi qui non intellexerunt offensi recederent, dicentes, *Durus est hic sermo, quis eum potest audire?* respondit manentibus cæteris, *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam* (*Id.* VI, 61, 64). Principium ergo suscepta anima et carne et animam credentium mundat et carnem. Ideo quærentibus Judæis quis esset, respondit se esse principium (*Id.* VIII, 25). Quod utique carnales, infirmi, peccatis obnoxii, et ignorantiæ tenebris obvoluti nequaquam percipere possemus, nisi ab eo mundaremur atque sanaremur, per hoc quod eramus et non eramus. Eramus enim homines, sed justi non eramus (*b*) : in illius autem incarnatione natura humana erat, sed justa, non peccatrix erat. Hæc est mediatio, qua manus lapsis jacentibusque porrecta est ; hoc est semen dispositum per Angelos, in quorum edictis et lex dabatur (*Galat.* III, 19), qua et unus Deus coli jubebatur, et hic Mediator venturus promittebatur.

CAPUT XXV. — *Omnes sanctos et sub Legis tempore, et sub prioribus sæculis, in sacramento et fide Christi justificatos fuisse.*

Hujus sacramenti fide etiam justi antiqui mundari pie vivendo potuerunt, non solum antequam lex populo Hebræo daretur (neque enim eis prædicator Deus vel Angeli defuerunt), sed ipsius quoque legis temporibus, quamvis in figuris rerum spiritualium habere videretur [1] promissa carnalia, propter quod vetus dicitur Testamentum. Nam et Prophetæ tunc erant, per quos, sicut per Angelos, eadem promissio prædicata est : et ex illorum numero erat, cujus tam magnam divinamque sententiam de boni humani fine paulo ante commemoravi, *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* In quo plane psalmo duorum Testamentorum, quæ dicuntur vetus et novum, satis est declarata distinctio. Propter carnales enim terrenasque promissiones, cum eas impiis abundare perspiceret, dicit pedes suos pene fuisse commotos, et effusos in lapsum propemodum gressus suos, tanquam frustra Deo ipse servisset, cum ea felicitate, quam de illo exspectabat, contemptores ejus florere perspiceret ; seque in rei hujus inquisitione laborasse, volentem cur ita esset apprehendere, donec intraret in sanctuarium Dei, et intelligeret in novissima eorum, qui felices videbantur erranti. Tunc eos intellexit in eo quod se extulerunt, sicut dicit, fuisse dejectos, et defecisse ac perisse propter iniquitates suas ; totumque illud culmen temporalis felicitatis ita eis factum tanquam somnium evigilantis, qui se repente invenit suis quæ somniabat fallacibus gaudiis destitutum. Et quoniam in hac terra vel civitate terrena magni sibi videbantur, *Domine*, inquit, *in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* Quod huic tamen utile fuerit, etiam ipsa terrena nonnisi ab uno vero Deo quærere, in cujus potestate sunt omnia, satis ostendit, ubi ait, *Velut pecus factus sum apud te, et ego semper tecum. Velut pecus* dixit, utique non intelligens. Ea quippe a te desiderare debui, quæ mihi cum impiis non possunt esse communia ; non ea quibus eos cum abundare cernerem, putavi me incassum tibi servisse, quando et illi hæc haberent, qui tibi servire noluissent. Tamen *ego semper tecum*, qui etiam in talium rerum desiderio deos alios non quæsivi. Ac per hoc sequitur : *Tenuisti manum dexteræ meæ* [2], *et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me :* tanquam ad sinistram cuncta illa pertineant, quæ abundare apud impios cum vidisset, pene collapsus est. *Quid enim mihi est*, inquit, *in cœlo? et a te quid volui super terram?*

[1] In Mss., *et non pro peccato;* ubi supplendum relinquebatur, *suo.*

(*a*) Coquæus, de hac hæresi disserens, hæc inter alia plurima habet : « Existimant omnes Sabellium primum auctorem fuisse hujus hæresis. Epiphanius tamen hæresi 57 refert, Noetium, Sabellii præceptorem, ante eum hanc, ut alias plerasque hæreses, excogitasse. » M.

(*b*) Conf. epist. 140, n. 10.

[1] Er. et Lov., *viderentur*. Alii libri, *videretur*, scilicet lex.

[2] Lov., *dexteram meam;* dissentientibus cæteris libris.

Reprehendit se ipsum, justeque sibi displicuit : quia cum tam magnum bonum haberet in cœlo (quod post intellexit), rem transitoriam, fragilem, et quodammodo luteam felicitatem a suo Deo quæsivit in terra. *Defecit*, inquit, *cor meum et caro mea, Deus cordis mei* : defectu utique bono ab inferioribus ad superna. Unde in alio psalmo dicitur : *Desiderat et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3). Item in alio : *Defecit in salutare tuum anima mea* (*Psal.* CXVIII, 81). Tamen cum de utroque dixisset, id est de corde et carne deficiente, non subjecit, Deus cordis et carnis meæ ; sed, *Deus cordis mei*. Per cor quippe caro mundatur. Unde dicit Dominus : *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*Matth.* XXIII, 26). Partem deinde suam dicit ipsum Deum, non aliquid ab eo, sed ipsum : *Deus*, inquit, *cordis mei, et pars mea Deus in sæcula* : quod inter multa quæ ab hominibus eliguntur, ipse illi placuerit eligendus. *Quia ecce*, inquit, *qui longe se faciunt a te, peribunt : perdidisti omnem qui fornicatur abs te* ; hoc est, qui multorum deorum vult esse prostibulum. Unde sequitur illud, propter quod et cætera de eodem psalmo dicenda visa sunt : *Mihi autem adhærere Deo, bonum est* : non longe ire, non per plurima fornicari. Adhærere autem Deo tunc perfectum erit, cum totum quod liberandum est, fuerit liberatum. Nunc vero fit illud quod sequitur : *Ponere in Deo spem meam. Spes enim quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat?* ait Apostolus. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). In hac autem spe nunc constituti agamus quod sequitur, et simus nos quoque pro modulo nostro angeli Dei, id est nuntii ejus, annuntiantes ejus voluntatem, et gloriam gratiamque laudantes. Unde cum dixisset, *Ponere in Deo spem meam : ut annuntiem*, inquit, *omnes laudes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* LXXII). Hæc est gloriosissima civitas Dei ; hæc unum Deum novit et colit : hanc Angeli sancti annuntiaverunt, qui nos ad ejus societatem invitaverunt, civesque suos in illa esse voluerunt : quibus non placet ut eos colamus tanquam nostros deos, sed cum eis et illorum et nostrum Deum ; nec eis sacrificemus, sed cum ipsis sacrificium Deo simus. Nullo itaque dubitante, qui hæc deposita maligna obstinatione considerat, omnes immortales beati, qui nobis non invident (neque enim, si inviderent, essent beati), sed potius nos diligunt, ut et nos cum ipsis beati simus ; plus nobis favent, plus adjuvant, quando unum Deum cum illis colimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quam si eos ipsos per sacrificia coleremus.

CAPUT XXVI.— *De inconstantia Porphyrii inter confessionem veri Dei et cultum dæmonum fluctuantis.*

Nescio quomodo (quantum mihi videtur) amicis [1] suis theurgis erubescebat Porphyrius. Nam ista utcumque sapiebat, sed contra multorum deorum cultum non libere defendebat [1] (*a*). Et angelos quippe alios esse dixit, qui deorsum descendentes hominibus theurgicis divina pronuntient ; alios autem qui in terris ea quæ Patris sunt, et altitudinem ejus profunditatemque declarent. Num igitur hos angelos, quorum ministerium est declarare voluntatem Patris, credendum est velle nos subdi, nisi ei cujus nobis annuntiant voluntatem ? Unde optime admonet etiam ipse Platonicus, imitandos eos potius quam invocandos. Non itaque debemus metuere, ne immortales et beatos uni Deo subditos non eis sacrificando offendamus. Quod enim nonnisi uni vero Deo deberi sciunt, cui et ipsi adhærendo beati sunt, procul dubio neque per ullam significantem figuram, neque per ipsam rem quæ sacramentis significatur, sibi exhiberi volunt. Dæmonum est hæc arrogantia superborum atque miserorum, a quibus longe diversa est pietas subditorum Deo, nec aliunde quam illi cohærendo beatorum. Ad quod bonum percipiendum etiam nobis sincera benignitate oportet ut faveant, neque sibi arrogent quo eis subjiciamur ; sed eum annuntient, sub quo eis in pace sociemur. Quid adhuc trepidas, o philosophe, adversus potestates et veris virtutibus et veri Dei muneribus invidas habere liberam vocem ? Jam distinxisti angelos qui Patris annuntiant voluntatem, ab eis angelis qui ad theurgos homines [2], nescio qua deducti arte, descendunt. Quid adhuc eos honoras, ut dicas pronuntiare divina ? Quæ tandem divina pronuntiant, qui non voluntatem Patris nuntiant ? Nempe illi sunt, quos sacris precibus invidus alligavit, ne præstarent animæ purgationem ; nec a bono, ut dicis, purgare cupiente [3] ab illis vinculis solvi et suæ potestati reddi potuerunt. Adhuc dubitas hæc maligna esse dæmonia ; vel te fingis fortasse nescire, dum non vis theurgos offendere, a quibus curiositate deceptus, ista perniciosa et insana pro magno beneficio didicisti (*b*) ? Audes istam invidam, non potentiam, sed pestilentiam, et non dicam dominam, sed quod tu fateris, ancillam potius invidorum, isto aere transcenso levare in cœlum, et inter deos vestros etiam sidereos collocare, vel ipsa quoque sidera his opprobriis infamare ?

CAPUT XXVII.— *De impietate Porphyrii, qua etiam Apuleii transcendit errorem.*

Quanto humanius et tolerabilius consectaneus tuus Platonicus Apuleius erravit, qui tantummodo dæmones a luna et infra ordinatos agitari morbis passionum mentisque turbellis, honorans quidem eos, sed volens nolensque confessus est ; deos tamen cœli

[1] Editi, *pro amicis*. Abest, *pro*, a Mss.

[1] Editi, *sed contra multorum deorum cultum Deum verum non libere defendebat*. Istud, *Deum verum*, glossema est, quod non habent manuscripti. Ergo, *defendebat*, referendum ad *ista quæ utcumque sapiebat* Porphyrius.

[2] Editi, *Jam dixisti angelos qui Patris annuntiant voluntatem, ab eis angelis esse diversos, qui ad theurgicos homines*. Hic nos lacuimus Mss.

[3] Editi, *cupientes*. Emendantur ex manuscriptis.

(*a*) Viliorem hanc Augustini de Porphyrio sententiam esse demonstrant plurima historiæ ecclesiasticæ scripta et monumenta, ex quibus colligitur Porphyrium ultro nec veræ religionis dogmatum ullo modo inscium Christianos lacessivisse. Cont. Socrat., lib. 3, cap. 23 ; Suidam, et alios. M.

(*b*) Cont. Euseb. lib. 4 Præpar. evang., capp. 9, 10.

superiores ad ætheria spatia pertinentes, sive visibiles, quos conspicuos lucere cernebat, solem ac lunam et cætera ibidem lumina, sive invisibiles quos putabat, ab omni labe istarum perturbationum [1] quanta potuit disputatione secrevit [2] (*De deo Socratis*). Tu autem hoc didicisti non a Platone, sed a Chaldæis magistris [3], ut in ætherias vel empyreas mundi sublimitates et firmamenta cœlestia extolleres vitia humana, ut possent dii vestri theurgis pronuntiare divina: quibus divinis te tamen per intellectualem vitam facis altiorem, ut tibi videlicet tanquam philosopho theurgicæ artis purgationes nequaquam necessariæ videantur; sed aliis eas tamen importas, ut hanc veluti mercedem reddas magistris tuis, quod eos qui philosophari non possunt, ad ista seducis, quæ tibi tanquam superiorum capaci esse inutilia confiteris; ut videlicet quicumque a philosophiæ virtute remoti sunt, quæ ardua nimis atque paucorum est, te auctore theurgos homines, a quibus non quidem in anima intellectuali, verum saltem in anima spirituali purgentur, inquirant; et quoniam istorum quos phil ophari piget, incomparabiliter major est multitudo, plures ad secretos et illicitos magistros tuos, quam ad scholas Platonicas venire cogantur. Hoc enim tibi immundissimi dæmones, deos ætherios se esse fingentes, quorum prædicator et angelus factus es (*a*), promiserunt; quod in anima spirituali theurgica arte purgati, ad Patrem quidem non redeunt, sed super aerias plagas inter deos ætherios habitabunt. Non audit ista hominum multitudo, propter quos a dæmonum dominatu liberandos Christus advenit. In illo enim habent misericordissimam purgationem et mentis et spiritus et corporis sui. Propterea quippe totum hominem sine peccato ille suscepit, ut totum quo constat homo, a peccatorum peste sanaret. Quem tu quoque utinam cognovisses, eique te potius, quam vel tuæ virtuti, quæ humana, fragilis et infirma est, vel perniciosissimæ curiositati sanandum tutius commisisses. Non enim te decepisset, quem vestra, ut tu ipse scribis, oracula sanctum immortalemque confessa sunt (*b*). De quo etiam poeta nobilissimus, poetice quidem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad ipsum referas, dixit:

> Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
> Irrita perpetua solvent formidine terras.
>
> (*Virgil. Eclog. 4, vers.* 13, 14.)

Ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute justitiæ possunt, propter hujus vitæ infirmitatem, etsi non scelera, scelerum tamen manere vestigia, quæ nonnisi ab illo Salvatore sanantur, de quo iste versus expressus est. Nam hoc utique non a se ipso se dixisse Virgilius in Eclogæ ipsius quarto ferme versu indicat, ubi ait:

> Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Unde hoc a Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet. Theurgi vero illi, vel potius dæmones, deorum species figurasque fingentes, inquinant potius quam purgant humanum spiritum falsitate phantasmatum et deceptoria vanarum ludificatione formarum. Quomodo enim purgent hominis spiritum, qui immundum habent proprium? Alioquin nullo modo carminibus invidi hominis ligarentur, ipsumque inane beneficium quod præstaturi [1] videbantur, aut metu premerent, aut simili invidentia denegarent. Sufficit quod purgatione theurgica, neque intellectualem animam, hoc est mentem nostram, dicis posse purgari, et ipsam spiritualem, id est nostræ animæ partem mente inferiorem, quam tali arte purgari posse asseris, immortalem tamen æternamque non posse hac arte fieri confiteris. Christus autem vitam promittit æternam: unde ad eum mundus, vobis quidem stomachantibus, mirantibus tamen stupentibusque concurrit. Quid prodest quia negare non potuisti errare homines theurgica disciplina, et quamplurimos fallere per cæcam insipientemque sententiam, atque esse certissimum errorem, agendo et supplicando ad principes angelosque decurrere; et rursum, quasi ne operam perdidisse videaris ista discendo [2], mittis homines ad theurgos, ut per eos anima spiritualis purgetur illorum, qui non secundum intellectualem animam vivunt?

CAPUT XXVIII. — *Quibus persuasionibus Porphyrius obcæcatus non potuerit veram sapientiam, quod est Christus, agnoscere.*

Mittis ergo homines in errorem certissimum. Neque hoc tantum malum te pudet, cum virtutis et sapientiæ profitearis amatorem [3]. Quam si vere ac fideliter amasses, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam cognovisses, nec ab ejus saluberrima humilitate tumore inflatus vanæ scientiæ resiluisses (*a*). Confiteris tamen etiam spiritualem animam sine theurgicis artibus et sine teletis, quibus frustra discendis elaborasti, posse continentiæ virtute purgari. Aliquando etiam dicis, quod teletæ non post mortem elevant animam; ut jam nec eidem ipsi, quam spiritualem vocas, aliquid post hujus vitæ finem prodesse videantur: et tamen versas hæc multis modis et repetis, ad nihil aliud, quantum existimo, nisi ut talium quoque rerum quasi peritus appareas, et placeas illicitarum artium curiosis, vel ad eas facias ipse curiosos. Sed bene, quod metuendam dicis hanc artem vel legum periculis, vel ipsius actionis (*b*) Atque utinam hoc saltem abs te miseri audiant, et

[1] Editi, *perturbationum alienos*. Abest, *alienos*, a manuscriptis.
[2] Ita nostri Mss. In B., *discrevit*. M.
[3] Editi addunt, *tuis*.
(*a*) Conf. Euseb. Præpar. evang., lib. 4, cap. 4.
(*b*) Vid. infra, lib. 19, cap. 23.

[1] Sola editio Lov., *præstituri*.
[2] Sic Mss. At Editi, *dicendo*.
[3] Editi, *et sapientiæ te profitearis amatorem*. Abest, *te*, a manuscriptis.
(*a*) Porphyrius enim prius fuit christianus, postea vero fidei desertor et adversarius. Conf. Socrat., Hist. eccles., lib. 3, cap. 23.
(*b*) *Vel legum periculis*, quia leges civiles pœnas magicæ arti constituerunt: *vel ipsius actionis*, nam periculosa res est, nisi rite exerceatur. Irritantur enim dæmones et magna inferunt mala imperite excantanti, quod multis exemplis ostendere t: quippe amant perfectam impietatem, a qua difficilis sit ad pietatem recursus. Ideo terroribus ad eam homines impellunt. LUD. VIVES.

inde, ne illuc absorbeantur, abscedant, aut eo penitus non accedant. Ignorantiam certe et propter eam multa vitia per nullas teletas purgari dicis, sed per solum πατρικὸν νοῦν, id est, paternam mentem sive intellectum, qui paternæ est voluntatis conscius (a). Hunc autem Christum esse non credis; contemnis enim eum propter corpus ex femina acceptum et propter crucis opprobrium, excelsam videlicet sapientiam spretis atque abjectis infimis idoneus de superioribus carpere. At ille implet, quod Prophetæ sancti de illo veraciter prædixerunt: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isai.* XXIX, 14). Non enim suam in eis perdit et reprobat, quam ipse donavit; sed quam sibi arrogant qui non habent ipsius. Unde commemorato isto prophetico testimonio, sequitur et dicit Apostolus: *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quoniam in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam quidem Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt: nos autem*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis vero vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam: quoniam stultum Dei sapientius est hominibus, et infirmum Dei fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 19-25). Hoc quasi stultum et infirmum tanquam sua virtute sapientes fortesque contemnunt. Sed hæc est gratia, quæ sanat infirmos, non superbe jactantes falsam beatitudinem suam, sed humiliter potius veram miseriam confitentes.

CAPUT XXIX. — *De incarnatione Domini nostri Jesu Christi, quam confiteri Platonicorum erubescit impietas.*

1. Prædicas Patrem et ejus Filium, quem vocas paternum intellectum seu mentem; et horum medium, quem putamus te dicere Spiritum sanctum, et more vestro appellas tres deos (b). Ubi, etsi verbis indisciplinatis utimini, videtis tamen qualitercumque et quasi per quædam tenuis imaginationis umbracula, quo nitendum sit: sed incarnationem incommutabilis Filii Dei, qua salvamur, ut ad illa quæ credimus, vel ex quantulacumque parte intelligimus, venire possimus, non vultis agnoscere. Itaque videtis utcumque, etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam in qua manendum est; sed viam qua eundum est, non tenetis. Confiteris tamen gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire, paucis dicis esse concessum. Non enim dicis, Paucis placuit, vel, Pauci voluerunt; sed cum dicis esse concessum, procul dubio Dei gratiam, non hominis sufficientiam confiteris. Uteris etiam hoc verbo apertius, ubi, Platonis sententiam (c) sequens, nec ipse dubitas, in hac vita hominem nullo modo ad perfectionem sapientiæ pervenire, secundum intellectum tamen viventibus omne quod deest, providentia Dei et gratia, post hanc vitam posse compleri. O si cognovisses Dei gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum, ipsamque ejus incarnationem, qua hominis animam corpusque suscepit, summum esse exemplum gratiæ videre potuisses. Sed quid faciam? Scio me frustra loqui mortuo: sed quantum ad te attinet; quantum autem ad eos, qui te magnipendunt, et te vel qualicumque amore sapientiæ, vel curiositate artium, quas non debuisti discere, diligunt, quos potius in tua compellatione alloquor, fortasse non frustra. Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens indueret hominem [1], et spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe erat immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab impiis, beatus a miseris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus, suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus.

2. Sed huic veritati ut possetis acquiescere, humilitate opus erat, quæ cervici vestræ difficillime persuaderi potest. Quid enim incredibile dicitur, præsertim vobis qui talia sapitis, quibus ad hoc credendum vos ipsos admonere debeatis; quid, inquam, vobis incredibile dicitur, cum Deus dicitur assumpsisse humanam animam et corpus? Vos certe tantum tribuitis animæ intellectuali, quæ anima utique humana est, ut eam consubstantialem paternæ illi menti, quam Dei Filium confitemini, fieri posse dicatis. Quid ergo incredibile est, si aliqua una intellectualis anima modo quodam ineffabili et singulari pro multorum salute suscepta est? Corpus vero animæ cohærere, ut homo totus et plenus sit, natura nostra ipsa teste cognoscimus. Quod nisi usitatissimum esset, hoc profecto esset incredibilius: facilius quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabilem incommutabili, tamen spiritum spiritui, aut, ut verbis utar quæ in usu habetis, incorporeum incorporeo, quam corpus incorporeo cohærere. An forte vos offendit inusitatus corporis partus ex virgine? Neque hoc debet offendere, imo potius ad pietatem suscipiendam debet adducere, quod mirabilis mirabiliter natus est. An vero quod ipsum corpus morte depositum, et in melius resurrectione mutatum, jam incorruptibile, neque mortale [2] in superna subvexit? Hoc fortasse credere recusatis, intuentes Porphyrium in his ipsis libris, ex quibus multa posui, quos de regressu animæ scripsit, tam crebro præcipere, omne corpus esse fugiendum, ut anima possit beata permanere cum Deo. Sed ipse potius ista sentiens corrigendus fuit, præsertim cum de anima mundi hujus visibilis et tam ingentis corporeæ molis, cum illo tam incredibilia

(a) Multa de mente paterna ex Plotino [illegible] Augustinus, libro I de [illegible], quæ illis etiam e [illegible] Porphyrii ipsius sententiam de mente divina seu paterna [illegible] capite 11. [illegible]

(b) Vide infra, lib. 19, cap. 23.

(c) In Phædone et Epinomide.

[1] Vind. Am. Er. et plures Mss., *induceretur hominem*. Et iidem libri post, *homine medio*, habent, *qua ad illum*. — Sic etiam nostri Mss. M.

[2] Sic Mss. Editi vero, *atque immortale*.

sapiatis. Platone quippe auctore (*In Timæo*), animal esse dicitis mundum, et animal beatissimum, quod vultis esse etiam sempiternum. Quomodo ergo nec unquam solvetur a corpore, nec unquam carebit beatitudine, si ut anima beata sit, corpus est omne fugiendum? Solem quoque istum et cætera sidera, non solum in libris vestris corpora esse fatemini, quod vobiscum omnes homines et conspicere non cunctantur, et dicere: verum etiam altiore, ut putatis, peritia, hæc esse animalia beatissima perhibetis, et cum his corporibus sempiterna. Quid ergo est, quod cum vobis fides christiana suadetur, tunc obliviscimini, aut ignorare vos fingitis, quid disputare aut docere soleatis? Quid causæ est cur, propter opiniones vestras, quas vos ipsi oppugnatis, christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, et vos superbi estis? Qualia sanctorum corpora in resurrectione futura sint, potest aliquando[1] scrupulosius inter christianarum Scripturarum doctissimos disputari: futura tamen sempiterna minime dubitamus; et talia futura, quale sua resurrectione Christus demonstravit exemplum[2]. Sed qualiacumque sint, cum incorruptibilia prorsus et immortalia, nihiloque animæ contemplationem, qua in Deo figitur, impedientia prædicentur; vosque etiam dicatis esse in cœlestibus immortalia corpora immortaliter beatorum: quid est quod ut beati simus, omne corpus fugiendum esse opinamini, ut fidem christianam quasi rationabiliter fugere videamini; nisi quia illud est, quod iterum dico, Christus est humilis, vos superbi? An forte corrigi pudet? Et hoc vitium nonnisi superborum est. Pudet videlicet doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo Spiritu docuit sapere ac dicere, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat; et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quod initium sancti Evangelii, cui nomen est, Secundum Joannem, quidam Platonicus, sicut a sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit episcopus (*a*), solebamus audire, aureis litteris conscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Sed ideo viluit superbis Deus ille magister, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1-5, 14): ut parum sit miseris quod ægrotant, nisi se in ipsa etiam ægritudine extollant, et de medicina qua sanari poterant, erubescant. Non enim hoc faciunt ut erigantur, sed ut cadendo gravius affligantur.

CAPUT XXX. — *Quanta Platonici dogmatis Porphyrius refutaverit, et dissentiendo correxerit.*

Si post Platonem aliquid emendare existimatur indignum, cur ipse Porphyrius nonnulla et non parva emendavit? Nam Platonem, animas hominum post mortem revolvi usque ad corpora bestiarum, scripsisse certissimum est (*a*). Hanc sententiam Porphyrii doctor tenuit[1] et Plotinus (*Ennead.* 3, *lib.* 4, *cap.* 2): Porphyrio tamen jure displicuit. In hominum sane, non sua quæ dimiserant, sed alia nova corpora redire humanas animas arbitratus est. Puduit scilicet illud credere, ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret: et non puduit hoc credere, ubi revoluta[2] mater in puellam filio forsitan nuberet. Quanto creditur honestius quod sancti et veraces Angeli docuerunt, quod Prophetæ Dei Spiritu acti locuti sunt, quod ipse quem venturum Salvatorem præmissi nuntii prædixerunt, quod missi Apostoli qui orbem terrarum Evangelio repleverunt? quanto, inquam, honestius creditur, reverti semel animas ad corpora propria, quam reverti toties ad diversa? Verumtamen, ut dixi, ex magna parte correctus est in hac opinione Porphyrius, ut saltem in solos homines humanas animas præcipitari posse sentiret; belluinos autem carceres evertere, minime dubitaret. Dicit etiam, Deum ad hoc animam mundo dedisse, ut materiæ cognoscens mala, ad Patrem recurreret, nec aliquando jam talium polluta contagione teneretur. Ubi etsi aliquid inconvenienter sapit (magis enim data est corpori, ut bona faceret; non enim mala disceret, si non faceret), in eo tamen aliorum Platonicorum opinionem, et non in re parva emendavit, quod mundatam ab omnibus malis animam et cum Patre constitutam, nunquam jam mala mundi hujus passuram esse confessus est. Qua sententia profecto abstulit, quod esse Platonicum maxime perhibetur, ut mortuos ex vivis, ita vivos ex mortuis semper fieri (*Plato in Phædone*): falsumque esse ostendit, quod Platonice videtur dixisse Virgilius, in campos Elysios purgatas animas missas (quo nomine tanquam per fabulam videntur significari gaudia beatorum), ad fluvium Lethæum evocari (*b*), hoc est ad oblivionem præteritorum:

> Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
> Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 750, 751.)

Merito displicuit hoc Porphyrio: quoniam revera credere stultum est, ex illa vita, quæ beatissima esse non poterit nisi de sua fuerit æternitate certissima, desiderare animas corporum corruptibilium labem, et inde ad ista[3] remeare, tanquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur. Si enim

[1] Sic nostri Codd. 2050, 2052. In B., *aliquanto*. M.

[2] Sola editio Lov., *quale resurrectionis suæ Christus demonstravit exemplo.*

(*a*) Vid. lib. de Prædest. sanct., n. 4, et lib. 8 Confess., cap. 2, n. 4.

[1] Ante editi, *Plato doctor tenuit.* Postea Vind. Am. Er. sic prosequuntur, *et Platonis discipulo Porphyrio tamen jure displicuit.* Lov. autem, *et Plotinus, discipulo Porphyrio tamen*, etc. Locum restituunt libri veteres hic maxime inter se consentientes. Plotinus certe Platonis opinionem de reditu animarum in quævis corpora secutus est in Ennead. 3, lib. 4, cap. 2. Ipse vero Porphyrius scribit se decimo Gallieni imperatoris anno Romam e Græcia venisse, cum Plotinus annum fere quinquagesimum nonum ageret, audisseque illum quinque annos.

[2] Sic Mss. At Editi, *ne revoluta.*

[3] Nonnulli Mss., *istam.*—Ita Ms. 2052. M.

(*a*) Conf. Euseb. de Præpar. evang. lib. 13, cap. 16, in versione gallica, *Démonstrations évangéliques*, tom. 1. M.

(*b*) Vid. Platonem in lib. 10 de Repub.

quod perfecte mundantur, hoc efficit, ut omnium obliviscantur malorum, malorum autem oblivio facit corporum desiderium, ubi rursus implicentur malis: profecto erit infelicitatis causa, summa felicitas; et stultitiæ causa, perfectio sapientiæ; et immunditiæ causa, summa mundatio [1]. Nec veritate ibi beata erit anima, quamdiucumque erit, ubi oportet fallatur, ut beata sit. Non enim beata erit, nisi secura. Ut autem secura sit, falso putabit semper se beatam fore: quoniam aliquando erit et misera. Cui ergo gaudendi causa falsitas erit, quomodo de veritate gaudebit? Vidit hoc Porphyrius, purgatamque animam ob hoc reverti dixit ad Patrem, ne aliquando jam malorum polluta contagione teneatur. [XXXI.] Falso igitur a quibusdam Platonicis est creditus quasi necessarius orbis ille, ab eisdem abeundi et ad eadem revertendi. Quod etiamsi verum esset, quid hoc scire prodesset, nisi forte inde se nobis auderent præferre Platonici, quia id nos in hac vita jam nesciremus, quod ipsi in alia meliore vita purgatissimi et sapientissimi fuerant nescituri, et falsum credendo beati futuri? Quod si absurdissimum et stultissimum est dicere, Porphyrii profecto est præferenda sententia, his qui animarum circulos alternante semper beatitate et miseria suspicati sunt. Quod si ita est, ecce Platonicus in melius a Platone dissentit: ecce vidit, quod ille non vidit, nec post talem ac tantum magistrum refugit correctionem, sed homini præposuit veritatem.

CAPUT XXXI. — *Contra argumentum Platonicorum, quo animam humanam Deo asserunt esse coæternam.*

Cur ergo non potius divinitati credimus de his rebus, quas humano ingenio pervestigare non possumus, quæ animam quoque ipsam non Deo coæternam, sed creatam dicit esse, quæ non erat? Ut enim hoc Platonici nollent credere, hanc utique causam idoneam sibi videbantur afferre, quia nisi quod semper antea fuisset, sempiternum deinceps esse non posset. Quanquam et de mundo et de his quos in mundo deos a Deo factos scribit Plato (*In Timæo*), apertissime dicat eos esse cœpisse, et habere initium, finem tamen non habituros, sed per Conditoris potentissimam voluntatem in æternum permansuros esse perhibeat. Verum id quomodo intelligant, invenerunt, non esse hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium. *Sicut enim*, inquiunt, *si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium; quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset: sic*, inquiunt, *et mundus atque in illo dii creati, et semper fuerunt semper existente qui fecit, et tamen facti sunt.* Numquid ergo si anima semper fuit, etiam miseria ejus semper fuisse dicenda est? Porro si aliquid in illa, quod ex æterno non fuit, esse cœpit ex tempore, cur non fieri potuerit, ut ipsa esset ex tempore, quæ antea non fuisset? Deinde beatitudo quoque ejus post experimentum malorum firmior et sine fine mansura, sicut iste confitetur, procul dubio cœpit ex tempore, et tamen semper erit, cum antea non fuerit. Illa igitur omnis argumentatio dissoluta est, qua putatur nihil esse posse sine fine temporis, nisi quod initium non habet temporis. Inventa est enim animæ beatitudo, quæ cum initium temporis habuerit, finem temporis non habebit. Quapropter divinæ auctoritati humana cedat infirmitas, eisque beatis et immortalibus de vera religione credamus, qui sibi honorem non expetunt, quem Deo suo, qui etiam noster est, deberi sciunt; nec jubent, ut sacrificium faciamus, nisi ei tantummodo, cujus et nos cum illis, ut sæpe dixi et sæpe dicendum est, sacrificium esse debemus, per eum sacerdotem offerendi, qui in homine quem suscepit, secundum quem [1] et sacerdos esse voluit, etiam usque ad mortem sacrificium pro nobis dignatus est fieri.

CAPUT XXXII. — *De universali via animæ liberandæ, quam Porphyrius male quærendo non reperit, et quam sola gratia christiana reseravit.*

1. Hæc est religio, quæ universalem continet viam animæ liberandæ; quoniam nulla nisi hac liberari potest. Hæc est enim quodam modo regalis via, quæ una ducit ad regnum, non temporali fastigio nutabundum, sed æternitatis firmitate securum. Cum autem dicit Porphyrius in primo juxta finem de Regressu animæ libro, nondum receptam unam quamdam sectam, quæ [2] universalem contineat viam animæ liberandæ, vel a philosophia verissima aliqua, vel ab Indorum moribus ac disciplina, aut inductione Chaldæorum, aut alia qualibet via, nondumque in suam notitiam eamdem viam historiali cognitione perlatam; procul dubio confitetur esse aliquam, sed nondum in suam venisse notitiam. Ita ei non sufficiebat quidquid de anima liberanda studiosissime didicerat, sibique, vel potius aliis nosse ac tenere videbatur. Sentiebat enim adhuc sibi deesse aliquam præstantissimam auctoritatem, quam de re tanta sequi oporteret. Cum autem dicit, vel a philosophia verissima aliqua nondum in suam notitiam pervenisse sectam quæ universalem contineat viam animæ liberandæ; satis, quantum arbitror, ostendit, vel eam philosophiam, in qua ipse philosophatus est, non esse verissimam, vel ea non contineri talem viam. Et quomodo jam potest esse verissima, qua non continetur hæc via? Nam quæ alia via est universalis animæ liberandæ, nisi qua universæ animæ liberantur, ac per hoc sine illa nulla anima liberatur? Cum autem addit et dicit, *Vel ab Indorum moribus et disciplina, vel ab inductione Chaldæorum, vel alia qualibet via*; manifestissima voce testatur, neque illis quæ ab Indis, neque illis quæ a Chaldæis didicerat, hanc universalem viam animæ liberandæ contineri; et

[1] Sic Mss. At editi, *munditia*.

[1] Quidam haud melioris notæ Mss., *in forma quam suscepit, secundum quam*, etc. — Ita Ms. 2050. M.

[2] Vind. Am. Er., *nondum receptam in unam quamdam sectam*: sic etiam plerique manuscripti, qui mox tamen ab editis illis in verbo, *quæ*, dissentiunt, et habent, *quod*. — Sic etiam nostri codices. M.

utique se a Chaldæis oracula divina sumpsisse, quorum assiduam commemorationem facit, tacere non potuit. Quam vult ergo intelligi animæ liberandæ universalem viam nondum receptam, vel ex aliqua verissima philosophia, vel ex earum gentium doctrinis, quæ magnæ velut in divinis rebus habebantur, quia plus apud eas curiositas valuit quorumque angelorum cognoscendorum et colendorum, nondumque in suam notitiam historiali cognitione perlatam? Quænam ista est universalis via, nisi quæ non suæ cuique genti propria, sed universis gentibus quæ communis esset, divinitus impertita est? Quam certe iste homo non mediocri ingenio præditus esse non dubitat. Providentiam quippe divinam sine ista universali via liberandæ animæ genus humanum relinquere potuisse non credit. Neque enim ait non esse, sed hoc tantum bonum tantumque adjutorium nondum receptum, nondum in suam notitiam esse perlatum: nec mirum. Tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis, quando ista liberandæ animæ universalis via, quæ non est alia quam religio christiana, oppugnari permittebatur ab idolorum dæmonumque cultoribus regibusque terrenis (*a*), propter asserendum et consecrandum martyrum numerum, hoc est testium veritatis, per quos ostenderetur, omnia corporalia mala pro fide pietatis et commendatione veritatis esse toleranda. Videbat ergo ista Porphyrius, et per hujusmodi persecutiones cito istam viam perituram, et propterea non esse ipsam liberandæ animæ universalem putabat, non intelligens hoc quod eum movebat, et quod in ejus electione perpeti metuebat, ad ejus confirmationem robustioremque commendationem potius pertinere.

2. Hæc est igitur animæ liberandæ universalis via, id est universis gentibus divina miseratione concessa; cujus profecto notitia ad quoscumque jam venit, et ad quoscumque ventura est, nec debuit, nec debebit ei dici, Quare modo? et quare sero? quoniam mittentis consilium non est humano ingenio penetrabile. Quod sensit etiam iste, cum dixit, nondum receptum hoc donum Dei, et nondum in suam notitiam fuisse perlatum. Nec enim propterea verum non esse judicavit, quia nondum in suam fidem receptum fuerat, vel in notitiam nondum pervenerat. Hæc est, inquam, liberandorum credentium universalis via, de qua fidelis Abraham divinum accepit oraculum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Qui fuit quidem gente Chaldæus, sed ut talia promissa perciperet, et ex illo propagaretur sesemen dispositum per Angelos in manu Mediatoris (*Galat.* III, 19), in quo esset ista liberandæ animæ universalis via, hoc est omnibus gentibus data, jussus est discedere de terra sua et de cognatione sua et de domo patris sui (*Gen.* XII, 1). Tunc ipse primitus a Chaldæorum superstitionibus liberatus (*b*), unum verum Deum sequendo coluit, cui hæc promittenti fideliter credidit. Hæc est universalis via, de qua in sancta prophetia dictum est: *Deus misereatur nostri, et benedicat nos; illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri: ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum* (*Psal.* LXVI, 2 *et* 3). Unde tanto post ex Abrahæ semine carne suscepta, de se ipso ait ipse Salvator: *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Hæc est universalis via, de qua tanto ante tempore prophetatum est: *Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini* [1], *paratus in cacumine montium, et extolletur super colles; et venient ad eum universæ gentes, et ingredientur nationes multæ, et dicent: Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob; et annuntiabit nobis viam suam, et ingrediemur in ea. Ex Sion enim prodiet lex, et Verbum Domini ab Jerusalem* (*Isai.* II, 2 *et* 3). Via ergo ista non est unius gentis, sed universarum gentium. Et lex verbumque Domini non in Sion et Jerusalem remansit; sed inde processit, ut se per universa diffunderet. Unde ipse Mediator post resurrectionem suam discipulis trepidantibus ait: ***Oportebat impleri quæ scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis,*** *Quia oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertio die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 44-47). Hæc est igitur universalis animæ liberandæ via, quam sancti Angeli sanctique Prophetæ prius in paucis hominibus ubi potuerunt Dei gratiam reperientibus, et maxime in Hebræa gente, cujus erat ipsa quodammodo sacrata respublica, in prophetationem et prænuntiationem civitatis Dei ex omnibus gentibus congregandæ, et tabernaculo et templo et sacerdotio et sacrificiis significaverunt, et eloquiis quibusdam manifestis, plerisque mysticis, prædixerunt; præsens autem in carne ipse Mediator, et beati ejus Apostoli jam Testamenti novi gratiam revelantes apertius indicarunt, quæ aliquanto occultius superioribus sunt significata temporibus, pro ætatum generis humani distributione; sicut eam Deo sapienti placuit ordinare, mirabilium operum divinorum, quorum superius pauca jam posui, contestantibus signis. Non enim apparuerunt tantummodo visiones angelicæ, et cœlestium ministrorum sola verba sonuerunt: verum etiam hominibus Dei verbo simplicis pietatis agentibus spiritus immundi de hominum corporibus ac sensibus pulsi sunt; vitia corporis languoresque sanati; fera animalia terrarum et aquarum, volatilia cœli, ligna, elementa, sidera, divina jussa fecerunt, inferna cesserunt, mortui revixerunt: exceptis ipsius Salvatoris propriis singularibusque miraculis, maxime nativitatis et resurrectionis; in quorum uno maternæ virginitatis tantummodo sacramentum, in altero autem etiam eorum qui in fine resurrecturi sunt, demonstravit exemplum. Hæc via totum hominem mundat, et immortalitati

(*a*) Vixit Porphyrius sub Diocletiano et Maximiano principibus, qui christianos iniquissimo insectati sunt odio.
(*b*) Conf. infra, lib. 16, cap. 12.

[1] In veteribus libris omittitur, *domus domini*.

mortalem ex omnibus quibus constat partibus præparat. Ut enim non alia purgatio ei parti quæreretur, quam vocat intellectualem Porphyrius, alia ei quam vocat spiritualem, aliaque ipsi corpori, propterea totum suscepit veracissimus potentissimusque mundator atque salvator. Præter hanc viam, quæ partim cum hæc futura prænuntiantur, partim cum facta nuntiantur, nunquam generi defuit humano, nemo liberatus est, nemo liberatur, nemo liberabitur.

3. Quod autem Porphyrius universalem viam animæ liberandæ nondum in suam notitiam historiali cognitione dicit esse perlatam : quid hac historia vel illustrius inveniri potest, quæ universum orbem tanto apice auctoritatis obtinuit, vel fidelius, in qua ita narrantur præterita, ut futura etiam prædicantur; quorum multa videmus impleta, ex quibus ea quæ restant sine dubio speremus implenda? Non enim potest Porphyrius, vel quicumque Platonici, etiam in hac via quasi terrenarum rerum et ad istam vitam mortalem pertinentium, divinationem prædictionemque contemnere : quod merito in aliis vaticinationibus[1] et quorumlibet modorum vel artium divinationibus faciunt. Negant enim hæc vel magnorum hominum, vel magni esse pendenda : et recte. Nam vel inferiorum fiunt præsensione causarum, sicut arte medicinæ quibusdam antecedentibus signis plurima eventura[2] valetudini prævidentur; vel immundi dæmones sua disposita facta prænuntiant, quorum jus et in mentibus atque cupiditatibus iniquorum ad quæque congruentia facta ducendis quodam modo sibi vindicant, et in materia infima fragilitatis humanæ[3] (a). Non talia sancti homines in ista universali animarum liberandarum via gradientes, tanquam magna prophetare curarunt : quamvis et ista eos non fugerint, et ab eis sæpe prædicta sint, ad eorum fidem faciendam, quæ mortalium sensibus non poterant intimari, nec ad experimentum celeri facilitate perduci. Sed alia erant vere magna atque divina, quæ quantum dabatur, cognita Dei voluntate, futura nuntiabant. Christus quippe in carne venturus, et quæ in illo tam clara perfecta sunt atque in ejus nomine impleta, pœnitentia hominum et ad Deum conversio voluntatum, remissio peccatorum, gratia justitiæ, fides piorum et per universum orbem in veram divinitatem multitudo credentium, culturæ simulacrorum dæmonumque subversio et a tentationibus exercitatio, proficientium purgatio et liberatio ab omni malo, judicii dies, resurrectio mortuorum, societatis impiorum æterna damnatio, regnumque æternum gloriosissimæ civitatis Dei conspectu ejus immortaliter perfruentis, in hujus viæ Scripturis prædicta atque promissa sunt : quorum tam multa impleta conspicimus, ut recta pietate futura esse cætera confidamus. Hujus viæ rectitudinem usque ad Deum videndum eique in æternum cohærendum, in sanctarum Scripturarum, qua[1] prædicatur atque asseritur, veritate, quicumque non credunt, et ob hoc nec intelligunt, oppugnare possunt, sed expugnare non possunt (a).

4. Quapropter in decem libris istis, etsi minus quam nonnullorum de nobis exspectabat intentio, tamen quorumdam studio, quantum verus Deus et Dominus adjuvare dignatus est, satisfecimus, refutando contradictiones impiorum, qui Conditori sanctæ civitatis, de qua disputare instituimus, deos suos præferunt. Quorum decem librorum quinque superiores adversus eos conscripti sunt, qui propter bona vitæ hujus deos colendos putant; quinque autem posteriores adversus eos qui cultum deorum propter vitam, quæ post mortem futura est, servandum existimant. Deinceps itaque, ut in primo libro pollicitì sumus, de duarum civitatum, quas in hoc sæculo perplexas diximus invicemque permixtas, exortu et procursu et debitis finibus, quod dicendum arbitror, quantum divinitus adjuvabor, expediam.

[1] Veteres libri, *vaticinantibus*.
[2] Sic Mss. At editi, *venturæ*.
[3] Editi, *et in quorumvis mentibus atque cupiditatibus iniquorum, competentia facta vel dicta vel dictis facta compensant, ut sibi jus quodam modo vindicent in materia infima fragilitatis humanæ*. Corriguntur auctoritate manuscriptorum, qui sic habent : *quorum* (vel, *dæmonum* scilicet) *jus et in mentibus atque cupiditatibus iniquorum ad quæque congruentia* (id est, cupiditatibus iisdem pravis consentanea) *facta ducendis quodam modo sibi vindicant, et in materia infima fragilitatis humanæ*.
(a) Vid. lib. de Divinat. dæmon., n. 3 et seqq.

[1] Sic Mss. Editi vero, *in sanctarum Scripturarum esse locatam, qua*, etc.
(a) Conf. epist. 137, ad Volusianum.

LIBER UNDECIMUS (a).

Incipit operis hujus pars altera (b), quæ est de duarum civitatum, terrenæ et cœlestis, exortu, et procursu, ac debitis finibus. Hoc primum libro civitatum earumdem exordia quomodo in Angelorum bonorum et malorum discretione præcesserint, demonstrat Augustinus, eaque occasione agit de constitutione mundi, quæ sacris Litteris in principio libri Geneseos describitur.

CAPUT PRIMUM. — *De ea parte operis, qua duarum civitatum, id est cœlestis ac terrenæ, initia et fines incipiunt demonstrari.*

Civitatem Dei dicimus, cujus ea Scriptura testis est, quæ non fortuitis motibus animorum, sed plane

(a) Scriptus anno Christi 416 aut 417.
(b) « Pars altera operis hujus, » ait Augustinus in lib. 2 Retract., cap. 43, n. 2, « duodecim libris continetur. Horum primi quatuor continent exortum duarum civitatum, « quarum est una Dei, altera hujus mundi : secundi quatuor excursum earum sive procursum : tertii vero, qui « et postremi, debitos fines. » Undecimo huic libro dabat operam Augustinus, quando ipsius rogatu Paulus Orosius suos Historiarum libros scribere aggressus est, anno videlicet Christi 416 aut 417. Eum enim Orosius in præfatione laudat « perficiendo adversus paganos undecimo libro insistentem : quorum, » ait, « jam decem orientes radii mox ut « de specula ecclesiasticæ claritatis elati sunt, toto orbe « fulserunt. »

summæ dispositione providentiæ super omnes omnium gentium litteras, omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subjecit (a). Ibi quippe scriptum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3). Et in alio psalmo legitur : *Magnus Dominus, et laudabilis valde in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, dilatans exsultationes universæ terræ.* Et paulo post in eodem psalmo : *Sicut audivimus, ita et vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum* (*Psal.* XLVII, 2, 3, 9). Item in alio : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus ; Deus in medio ejus, non commovebitur* (*Psal.* XLV, 5 *et* 6). His atque hujusmodi testimoniis, quæ omnia commemorare nimis longum est, didicimus esse quamdam civitatem Dei, cujus cives esse concupiscimus[1] illo amore, quem nobis illius Conditor inspiravit. Huic Conditori sanctæ civitatis, cives terrenæ civitatis deos suos præferunt, ignorantes eum esse Deum deorum, non deorum falsorum, hoc est impiorum et superborum, qui ejus incommutabili omnibusque communi luce privati, et ob hoc ad quamdam egenam potestatem redacti, suas quodammodo privatas potentias consectantur, honoresque divinos a deceptis subditis quærunt ; sed deorum piorum atque sanctorum, qui potius se ipsos uni subdere quam multos sibi, potiusque Deum colere quam pro Deo coli delectantur. Sed hujus sanctæ civitatis inimicis, decem superioribus libris, quantum potuimus, Domino et Rege nostro adjuvante, respondimus. Nunc vero quid a me jam exspectetur agnoscens, meique non immemor debiti, de duarum civitatum, terrenæ scilicet et cœlestis, quas in hoc interim sæculo perplexas quodammodo diximus invicemque permixtas, exortu et excursu et debitis finibus, quantum valuero, disputare, ejus ipsius Domini et Regis nostri ubique opitulatione fretus, aggrediar : primumque dicam quemadmodum exordia duarum istarum civitatum in Angelorum diversitate præcesserint.

CAPUT II. — *De cognoscendo Deo, ad cujus notitiam nemo hominum pervenit, nisi per Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum.*

Magnum est et admodum rarum universam creaturam corpoream et incorpoream consideratam compertamque mutabilem intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei substantiam pervenire, et illic discere ex ipso, quod cunctam naturam quæ non est quod ipse, non fecit nisi ipse. Sic enim Deus cum homine non per aliquam creaturam loquitur corporalem, corporalibus instrepens auribus, ut inter sonantem et audientem aeria spatia verberentur ; neque per ejusmodi spiritualem quæ corporum similitudinibus figuratur, sicut in somniis vel quo alio tali modo ; nam et sic velut corporis auribus loquitur, quia velut per corpus loquitur et velut interposito corporalium locorum intervallo ; multum enim similia sunt talia visa corporibus : sed loquitur ipsa veritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine cæteris quibus homo constat est melius, et quo ipse Deus solus est melior. Cum enim homo recte intelligatur, vel si hoc non potest, saltem credatur factus ad imaginem Dei, profecto ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores suas (a), quas etiam cum pecoribus communes habet. Sed quia ipsa mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est, non solum ad inhærendum fruendo, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen[1], donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantæ felicitatis capax, fide primum fuerat imbuenda atque purganda. In qua ut fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, eamdem constituit atque fundavit fidem, ut ad hominis[2] Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Per hoc enim mediator, per quod homo[3]; per hoc et via. Quoniam si inter eum qui tendit et illud quo tendit, via media est, spes est perveniendi : si autem desit, aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quo eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus et homo : quo itur, Deus ; qua itur, homo.

CAPUT III. — *De auctoritate canonicæ Scripturæ, divino Spiritu conditæ.*

Hic prius per Prophetas, deinde per se ipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus. Nam si ea sciri possunt testibus nobis, quæ remota non sunt a sensibus nostris, sive interioribus sive etiam exterioribus ; unde et præsentia nuncupantur, quod ita ea dicimus esse præ sensibus, sicut præ oculis quæ præsto sunt oculis : profecto ea quæ remota sunt a sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus, a quorum sensibus remota esse vel fuisse non credimus. Sicut ergo de visibilibus, quæ non vidimus, eis credimus qui viderunt, atque ita de cæteris quæ ad suum quemque sensum corporis pertinent : ita de his quæ animo ac mente sentiuntur (quia et ipse rectissime dicitur sensus, unde et sententia vocabulum accepit), hoc est de invisibilibus quæ a nostro sensu interiore[4] remota sunt, iis nos oportet credere, qui hæc in illo incorporeo lumine disposita didicerunt, vel manentia contuentur.

[1] Mss. plerique, *concupivimus*. Et quidam, *concupimus*.
(a) Conf. lib. 2 de Doctr. Christ., n. 65.

[1] Vind. Er. et unus e Mss., *ad perfruendum merendo incommutabile lumen*. Am., *ad perferendum merendo incommutabile lumen*. Tres Mss., *ad perfruendum incommutabili lumine*. — Sic etiam Ms. 2050. M.
[2] Vox, *hominis*, omissa est a Vind. et Lov.
[3] Editi, *per quod et homo*. Manuscripti carent particula, *et* ; cujus loco quidam codex habet, *est*.
[4] Lov., *exteriore*, dissentientibus editis aliis et manuscriptis.
(a) Supple, *partes*.

CAPUT IV. — *De conditione mundi, quod nec intemporalis sit, nec nova Dei ordinata consilio, quasi postea voluerit, quod antea noluerit.*

1. Visibilium omnium maximus est mundus; invisibilium omnium maximus est Deus. Sed mundum esse conspicimus, Deum esse credimus. Quod autem Deus mundum fecerit, nulli tutius credimus, quam ipsi Deo. Ubi eum audivimus? Nusquam interim nos melius quam in Scripturis sanctis, ubi dixit propheta ejus, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Numquidnam ibi fuit iste propheta, quando fecit Deus cœlum et terram? Non: sed ibi fuit Sapientia Dei (*a*), per quam facta sunt omnia, quæ in animas etiam sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit (*Sap.* VII, 27), eisque opera sua sine strepitu intus enarrat. Loquuntur eis quoque Angeli Dei, qui semper vident faciem Patris (*Matth.* XVIII, 10), voluntatemque ejus quibus oportet annuntiant. Ex his unus erat iste propheta, qui dixit et scripsit, *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Qui tam idoneus testis est per quem Deo credendum sit, ut eodem Spiritu Dei, quo hæc sibi revelata cognovit, etiam ipsam fidem nostram futuram tanto ante prædixerit.

2. Sed quid placuit Deo æterno tunc facere cœlum et terram, quæ antea non fecisset (*b*)? Qui hoc dicunt, si mundum æternum [1] sine ullo initio, et ideo nec a Deo factum videri volunt, nimis aversi sunt a veritate, et letali morbo impietatis insaniunt. Exceptis enim propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate et visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus et factum se esse, et nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat. Qui autem a Deo quidem factum fatentur, non tamen eum volunt temporis habere, sed suæ creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili semper sit factus, dicunt quidem aliquid, unde sibi Deum videntur velut a fortuita temeritate defendere, ne subito illi venisse credatur in mentem, quod nunquam ante venisset, facere mundum, et accidisse illi voluntatem novam, cum in nullo sit omnino mutabilis: sed non video quomodo eis possit in cæteris rebus ratio ista subsistere, maximeque in anima, quam si Deo coæternam esse contenderint, unde illi acciderit nova miseria, quæ nunquam antea per æternum, nullo modo poterunt explicare. Si enim alternasse semper ejus miseriam et beatitudinem dixerint, necesse est dicant etiam semper alternaturam [2]: unde illa eos sequetur absurditas, ut etiam cum beata dicitur, in hoc utique non sit beata, si futuram suam miseriam et turpitudinem prævidet; si autem non prævidet, nec se turpem ac miseram fore, sed beatam semper existimat, falsa opinione sit beata: quo dici stultius nihil potest. Si autem semper quidem per sæcula retro infinita cum beatitudine alternasse animæ miseriam putant, sed nunc jam de cætero cum fuerit liberata, ad miseriam non esse redituram, nihilominus convincuntur nunquam eam fuisse vere beatam, sed deinceps esse incipere nova quadam nec fallaci beatitudine; ac per hoc fatebuntur accidere illi aliquid novi, et hoc magnum atque præclarum, quod nunquam retro per æternitatem accidisset. Cujus novitatis causam si Deum negabunt in æterno habuisse consilio, simul eum negabunt beatitudinis ejus auctorem: quod nefandæ impietatis est: si autem dicent etiam ipsum novo consilio excogitasse, ut de cætero sit anima in æternum beata, quomodo eum alienum ab ea, quæ illis quoque displicet, mutabilitate monstrabunt? Porro, si ex tempore creatam, sed nullo ulterius tempore perituram, tanquam numerum [1], habere initium, sed non habere finem fatentur, et ideo semel expertam miserias, si ab eis fuerit liberata, nunquam miseram postea futuram, non utique dubitabunt hoc fieri manente incommutabilitate consilii Dei. Si ergo credant et mundum ex tempore fieri potuisse, nec tamen ideo Deum in eo faciendo æternum consilium voluntatemque mutasse.

CAPUT V. — *Tam non esse cogitandum de infinitis temporum spatiis ante mundum, quam nec de infinitis locorum.*

Deinde videndum est istis, qui Deum conditorem mundi esse consentiunt, et tamen quærunt de mundi tempore quid respondeamus, quid ipsi respondeant de mundi loco. Ita enim quæritur cur potius tunc et non antea factus sit, quemadmodum quæri potest cur hic potius ubi est et non alibi. Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse, similiter cogitent [2] extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur [3]; ea tantum differentia, quod eos ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit et resolvi, isti autem opere Dei factos dicturi sunt, si eum per interminabilem immensitatem locorum extra mundum circumquaque patentium vacare noluerint, nec eosdem mundos, quod etiam de isto sentiunt, ulla causa posse dissolvi? Cum his enim agimus qui et Deum incorporeum, et omnium naturarum quæ non sunt quod ipse, creatorem nobiscum sentiunt; alios autem nimis indignum est ad istam disputationem religionis admittere: maxime quod apud eos [4] qui multis diis sacrorum obsequium

[1] Hæc sola editio Lov. addit, *existimarent.*

[2] Lov., *semper alternare naturam.* Aliquot Mss., *semper alternasse naturam.* Et quidam, *semper alternatam naturam.*

(*a*) Proverb. VIII, 27: *Cum pararet cœlos, aderam*, etc.

(*b*) Vide lib. 1 de Gen. contra Manich., n. 3, et lib. 11 Confess., capp. 10, 12 et 30.

[1] Editi, *tanquam verum.* Verius Mss., *tanquam numerum.* Numerus enim habet quidem initium ab unitate, sed finem per se in quo sistat non habet: quippe quantocumque addito numero major semper adjici potest.

[2] Nonnulli Mss., *cogitant.*

[3] Sic Mss. At Editi, *coguntur.*

[4] In editione Lov. omissum est, *maxime quod apud eos*; et verba sequentia sic sunt collocata: *Alios autem nimis indignum est ad istam disputationem religionis admittere, qui multis diis sacrorum obsequium deferendum putant. Isti philosophi cæteros*, etc.; quasi ipsi cum quibus agere de

deferendum putant, isti philosophos cæteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem intervallo, verumtamen reliquis propinquiores sunt veritati. An forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia ubique totam, a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, et uno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Cum igitur unum mundum ingenti quidem mole corporea, finitum tamen et loco suo determinatum, et operante Deo factum esse dicant : quod respondent de infinitis extra mundum locis, cur in eis ab opere Deus cesset; hoc sibi respondeant de infinitis ante mundum temporibus, cur in eis ab opere Deus cessaverit. Et sicut non est consequens ut fortuito potius quam ratione divina Deus, non alio, sed isto in quo est loco, mundum constituerit, cum pariter infinitis ubique patentibus nullo excellentiore merito posset hic eligi, quamvis eamdem divinam rationem, qua id factum est, nulla possit humana comprehendere [1] : ita non est consequens ut Deo aliquid existimemus accidisse fortuitum, quod ille potius quam anteriore tempore condidit mundum, cum æqualiter anteriora tempora per infinitum retro spatium præteriissent, nec fuisset aliqua differentia unde tempus tempori eligendo præponeretur. Quod si dicunt inanes esse hominum cogitationes quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum; respondetur eis, isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum (*a*).

CAPUT VI. — *Creationis mundi et temporum unum esse principium, nec aliud alio præveniri.*

Si enim recte discernuntur æternitas et tempus, quod tempus sine aliqua mobili mutabilitate [2] non est, in æternitate autem nulla mutatio est; quis non videat quod tempora non fuissent, nisi creatura fieret, quæ aliquid aliqua motione mutaret; cujus motionis et mutationis cum aliud atque aliud, quæ simul esse non possunt, cedit atque succedit, in brevioribus vel productioribus morarum intervallis tempus sequeretur? Cum igitur Deus, in cujus æternitate nulla est omnino mutatio, creator sit temporum et ordinator, quomodo dicatur post temporum spatia mundum creasse, non video; nisi dicatur ante mundum jam aliquam fuisse creaturam, cujus motibus tempora currerent (*b*). Porro si Litteræ sacræ maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum cœlum et terram (*Gen.* I, 1), ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta quæ fecit; procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim fit in tempore, et post aliquod fit, et ante aliquod tempus; post id quod præteritum est, ante id quod futurum est : nullum autem posset esse præteritum; quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus est mundus, si in ejus conditione factus est mutabilis motus, sicut videtur se habere etiam ordo ille primorum sex vel septem dierum, in quibus et mane et vespera nominantur, donec omnia quæ his diebus Deus fecit, sexto perficiantur die, septimoque in magno mysterio Dei vacatio commendetur. Qui dies cujusmodi sint, aut perdifficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare; quanto magis dicere?

CAPUT VII. — *De qualitate primorum dierum, qui antequam sol fieret, vesperam et mane traduntur habuisse.*

Videmus quippe istos dies notos non habere vesperam nisi de solis occasu, nec mane nisi de solis exortu : illorum autem priores tres dies sine sole peracti sunt, qui quarto die factus refertur. Et primitus quidem lux verbo Dei facta, atque inter ipsam et tenebras Deus separasse narratur, et eamdem lucem vocasse diem, tenebras autem noctem (*Gen.* I, 4) : sed qualis illa sit lux, et quo alternante motu; qualemque vesperam et mane fecerit, remotum est a sensibus nostris; nec ita ut est, intelligi a nobis potest, quod tamen sine ulla hæsitatione credendum est. Aut enim aliqua lux corporea est, sive in superioribus mundi partibus longe a conspectibus nostris, sive unde sol postmodum accensus est : aut lucis nomine significata est sancta civitas, in sanctis Angelis et spiritibus beatis, de qua dicit Apostolus, *Quæ sursum est Jerusalem, mater nostra æterna in cœlis* (*Galat.* IV, 26). Ait quippe et alio loco, *Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum* (I *Thess.* V, 5). Si tamen et vesperam diei hujus et mane aliquatenus congruenter intelligere valeamus. Quoniam [1] scientia creaturæ in comparatione scientiæ Creatoris quodammodo vesperascit : itemque lucescit et mane fit, cum et ipsa refertur ad laudem dilectionemque Creatoris; nec in noctem vergitur, ubi non Creator creaturæ dilectione relinquitur. Denique Scriptura cum illos dies dinumeraret ex ordine, nusquam interposuit vocabulum noctis. Non enim ait alicubi, Facta est nox; sed, *Facta est vespera, et factum est mane dies unus* (*Gen.* I, 5). Ita dies secundus, et cæteri. Cognitio quippe creaturæ in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei Sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est. Ideo vespera congruentius quam nox dici potest : quæ tamen, ut dixi, cum ad laudandum et amandum refertur Creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum facit in cognitione sui ipsius, dies unus est : cum in cognitione firmamenti, quod

religione non indignum videtur (haud dubie Platonici) non cum aliis etiam putarint diis multis deferendum sacrorum obsequium.

[1] Vind. Am. Er. post, *comprehendere*, addunt, *natura* : Lov., *mens*. superfluo : nam in veteribus libris subaudiendum relinquitur, *ratio*.

[2] Sic Vind. Am. Er. et plures Mss. At Lov., *mobili mobilitate*

(*a*) Conf. lib. 11 Confess., capp. 13 et seqq.
(*b*) Conf. lib. 5 de Gen. ad Litt., n. 12.

[1] Sic Mss. At Editi : *Fit tamen et vespera diei hujus et mane aliquatenus : quoniam scientia creaturæ in comparatione*, etc.

inter aquas inferiores et superiores cœlum appellatum est, dies secundus: cum in cognitione terræ ac maris omniumque gignentium, quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius: cum in cognitione luminarium majoris et minoris omniumque siderum, dies quartus: cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium, dies quintus: cum in cognitione omnium animalium terrenorum atque ipsius hominis, dies sextus (*a*).

CAPUT VIII. — *Quæ qualisve intelligenda sit Dei requies, qua post opera sex dierum requievit in septimo.*

Cum vero in die septimo requiescit Deus ab omnibus operibus suis, et sanctificat eum; nequaquam est accipiendum pueriliter, tanquam Deus laboraverit operando, qui *dixit, et facta sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5), verbo intelligibili et sempiterno, non sonabili et temporali. Sed requies Dei requiem significat eorum qui requiescunt in Deo; sicut lætitia domus, lætitiam significat eorum qui lætantur in domo, etiamsi non eos domus ipsa, sed alia res aliqua lætos facit. Quanto magis, si eadem domus pulchritudine sua faciat lætos habitatores, ut non solum eo loquendi modo læta dicatur, quo significamus per id quod continet id quod continetur; sicut, Theatra plaudunt, prata mugiunt, cum in illis homines plaudant, in his boves mugiant: sed etiam illo quo significatur per efficientem id quod efficitur; sicut læta epistola dicitur, significans eorum lætitiam, quos legentes efficit lætos? Convenientissime itaque cum Deum requievisse prophetica narrat auctoritas, significatur requies eorum qui in illo requiescunt, et quos facit ipse requiescere (*b*). Hoc etiam hominibus quibus loquitur, et propter quos utique conscripta est, promittente prophetia, quod etiam ipsi post bona opera quæ in eis et per eos operatur Deus, si ad illum prius in ista vita per fidem quodammodo accesserint, in illo habebunt requiem sempiternam. Hoc enim et sabbati vacatione ex præcepto legis in vetere Dei populo figuratum est, unde suo loco diligentius arbitror disserendum.

CAPUT IX. — *De Angelorum conditione quid secundum divina testimonia sentiendum sit.*

Nunc, quoniam de sanctæ civitatis exortu dicere institui, et prius quod ad sanctos Angelos attinet dicendum putavi, quæ hujus civitatis et magna pars est, et eo beatior, quod nunquam peregrinata, quæ hinc divina testimonia suppetant, quantum satis videbitur, Deo largiente, explicare curabo. Ubi de mundi constitutione sacræ Litteræ loquuntur, non evidenter dicitur utrum vel quo ordine creati sint Angeli: sed si prætermissi non sunt, vel cœli nomine, ubi dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1); vel potius lucis hujus, de qua loquor, significati sunt. Non autem prætermissos esse hinc existimo, quod scriptum est requievisse Deum in septimo die ab omnibus operibus suis quæ fecit; cum liber ipse ita sit exorsus, *In principio fecit Deus cœlum et terram:* ut ante cœlum et terram nihil aliud fecisse videatur. Cum ergo a cœlo et terra cœperit, atque ipsa terra quam primitus fecit, sicut Scriptura consequenter eloquitur, invisibilis et incomposita, nondumque luce facta, utique tenebræ fuerint super abyssum, id est super quamdam terræ et aquæ indistinctam confusionem (ubi enim lux non est, tenebræ sint necesse est); deinde omnia creando disposita sint, quæ per sex dies consummata narrantur: quomodo Angeli prætermitterentur, tanquam non essent in operibus Dei, a quibus in die septimo requievit? Opus autem Dei esse Angelos, hic quidem etsi non prætermissum, non tamen evidenter expressum est; sed alibi hoc sancta Scriptura clarissima voce testatur. Nam et in hymno trium in camino virorum cum prædictum esset, *Benedicite, omnia opera Domini, Domino;* in exsecutione eorumdem operum, etiam Angeli nominati sunt (*Dan.* III, 57, 58). Et in Psalmo canitur: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum, omnes Angeli ejus; laudate eum, omnes Virtutes ejus. Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ et lumen. Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 1-5). Etiam hic apertissime a Deo factos esse Angelos divinitus dictum est, cum eis inter cætera cœlestia commemoratis, infertur ad omnia, *Ipse dixit, et facta sunt.* Quis porro audebit opinari, post omnia ista [1] quæ sex diebus enumerata sunt, Angelos factos? Sed et si quisquam ita desipit, redarguit istam vanitatem illa Scriptura paris auctoritatis, ubi Deus dicit, *Quando facta sunt sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei* (*Job* XXXVIII, 7, *sec.* LXX). Jam ergo erant Angeli, quando facta sunt sidera. Facta sunt autem quarto die. Numquidnam ergo die tertio factos esse dicemus? Absit. In promptu est enim, quid illo die factum sit. Ab aquis utique terra discreta est, et distinctas sui generis species duo ista elementa sumpserunt, et produxit terra quidquid ei radicitus inhæret. Numquidnam secundo? Ne hoc quidem: tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores et inferiores, cœlumque appellatum est; in quo firmamento facta sunt sidera quarto die. Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa quæ diei nomen accepit, cujus unitas ut commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies unus (*a*). Nec alius est dies secundus, aut tertius, aut cæteri: sed idem ipse unus ad implendum senarium vel septenarium

(*a*) Confer libros de Gen. ad litt., passim, sed imprimis lib. 4 et 5.

(*b*) « Aristobulus, » verba sunt Eusebii, Præpar. evang., lib. 13, cap. 12, « prodidit ideo dictum esse septimo die « Deum quievisse, quod conditis a se rebus quietem tribuit, « id est stabilitatem et immutationem, perpetuitatem, ordi- « nemque ratum, fixum et immutabilem, vel quod quæ- « cumque facere decreverat, ita prorsus, ut destinarat, per- « fecta fuerunt. » Coquæus.

[1] Sola editio Lov., *post communia omnia ista*. Et paulo post, *per eadem illa*; dissentientibus cæteris libris.

(*a*) Theologi græci res spirituales præcessisse corporeas volunt, eisque veluti ministris usum esse mundi Genitorem in reliquis procreandis: quam opinionem [illegible] secutus est. Divus Hieronymus, Gregorium magistrum suosque secutus græcos, spiritualia corporalibus priora fuisse censuit. Basilius vero et Dionysius, græci et latini prope omnes, Ambrosius, Beda, Cassiodorus, et hic Augustinus, cuncta simul a Deo progenita esse perhibent, quod cum illo congruere videtur Ecclesiastici XVIII, 1: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Lud. Vives.

numerum repetitus est, propter senariam vel septenariam cognitionem; senariam scilicet operum quæ fecit Deus, et septenariam quietis Dei (*a*). Cum enim dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux*; si recte in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profecto facti sunt participes lucis æternæ, quod est [1] ipsa incommutabilis Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei Filium; ut ea luce illuminati, qua creati, fierent lux, et vocarentur dies participatione incommutabilis lucis et diei, quod est Verbum Dei, per quod et ipsi et omnia facta sunt. *Lumen* quippe *verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [2] (*Joan.* I, 9), hoc illuminat et omnem angelum mundum, ut sit lux non in se ipso, sed in Deo: a quo si avertitur angelus, fit immundus; sicut sunt omnes qui vocantur immundi spiritus, nec jam lux in Domino, sed in se ipsis tenebræ, privati participatione lucis æternæ. Mali enim nulla natura est; sed amissio boni, mali nomen accepit.

CAPUT X. — *De simplici et incommutabili Trinitate, Patris et Filii et Spiritus sancti, unius Dei: cui non est aliud qualitas, aliud substantia.*

1. Est itaque bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. Creata sane, inquam, id est facta, non genita. Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est, et hoc est quod illud de quo genitum est; quæ duo Patrem et Filium dicimus; et utrumque hoc cum Spiritu sancto unus est Deus: qui Spiritus Patris et Filii, Spiritus sanctus propria quadam notione hujus nominis in sacris Litteris nuncupatur. Alius est autem quam Pater et Filius, quia nec Pater est, nec Filius: sed, Alius dixi; non, Aliud; quia et hoc pariter simplex pariterque bonum est incommutabile et coæternum. Et hæc Trinitas unus est Deus: nec ideo non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus; aut vero sola est ista nominis Trinitas sine subsistentia [3] personarum (*b*), sicut Sabelliani hæretici putaverunt; [4] sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relative quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad se ipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad se ipsum dicitur vivens [5], habendo utique vitam, et eadem vita ipse est.

2. Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliud sit habens, aliud quod habet; sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem sive fervorem, aut anima sapientiam. Nihil enim horum est id quod habet: nam neque vas liquor est, nec corpus color, nec aer lux sive fervor, neque anima sapientia est. Hinc est quod etiam privari possunt rebus quas habent, et in alios habitus vel qualitates verti atque mutari, ut et vas evacuetur humore quo plenum est, et corpus decoloretur, et aer tenebrescat sive frigescat, et anima desipiat. Sed etsi sit corpus incorruptibile, quale sanctis in resurrectione promittitur, habet quidem ipsius incorruptionis inamissibilem qualitatem, sed manente substantia corporali non hoc est, quod ipsa incorruptio. Nam illa etiam per singulas partes corporis tota est, nec alibi major, alibi minor; neque enim ulla pars est incorruptior quam altera: corpus vero ipsum majus est in toto quam in parte; et cum alia pars est in eo amplior, alia minor, non ea quæ amplior est incorruptior quam ea quæ minor. Aliud est itaque corpus, quod non ubique sui totum est: alia incorruptio, quæ ubique ejus tota est; quia omnis pars incorruptibilis corporis etiam cæteris inæqualis æqualiter incorrupta est. Neque enim, verbi gratia, quia digitus minor est quam tota manus, ideo incorruptibilior manus quam digitus. Ita cum sint inæquales manus et digitus, æqualis est tamen incorruptibilitas manus et digiti. Ac per hoc quamvis a corpore incorruptibili inseparabilis incorruptibilitas sit; aliud est tamen substantia, qua corpus dicitur, aliud qualitas ejus, qua incorruptibile nuncupatur. Et ideo etiam sic non hoc est quod habet. Anima quoque ipsa, etiamsi semper sit sapiens, sicut erit cum liberabitur in æternum; participatione tamen [1] incommutabilis sapientiæ sapiens erit, quæ non est quod ipsa. Neque enim si aer infusa luce nunquam deseratur, ideo non aliud est ipse, aliud lux qua illuminatur. Neque hoc ita dixerim, quasi aer sit anima: quod putaverunt quidam, qui non potuerunt incorpoream cogitare naturam (*a*). Sed habent hæc ad illa etiam in magna disparilitate quamdam similitudinem, ut non inconvenienter dicatur, sic illuminari animam incorpoream luce incorporea simplicis sapientiæ Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea; et sicut aer tenebrescit ista luce desertus (nam nihil sunt aliud quæ dicuntur locorum quorumcumque corporalium tenebræ, quam aer carens luce [*b*]), ita tenebrescere animam sapientiæ luce privatam.

3. Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia, nec aliorum participatione vel divina, vel sapientia, vel beata

[1] Editi, *quæ est*. At manuscripti in hoc et similibus locis, *quod est*.
[2] Sic manuscripti nostri omnes. In B., *quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem*. M.
[3] Am. Er. et nonnulli Mss., *sine substantia*.
[4] Hic Vind. Am. et Er. addunt, *Pater qui genuit, simplex est, et Filius qui genitus est pariter simplex est, et hoc est quod ille de quo genitus est*. Sed hæc absunt a Lov. et a manuscriptis.
[5] Mss., *Deus*.

(*a*) Vid. infra, capp. 30, 31.
(*b*) Conf. infra, cap. 24 hujus libri.

[1] Sic omnes Mss. At editi, *sicut erit cum a præsenti miseria liberabitur in æternum; quia licet tunc sapiens sit in æternum, participatione tamen incommutabilis sapientiæ*, etc.

(*a*) Diogenes ex Aristot., lib. 1 de Anima, cap. 2; Anerdemus et Anaximenes ex Tertull., lib. de Anima, cap. 9.
(*b*) Conf. lib. 1 de Gen. contra Manich., n. 7.

sunt. Cæterum dictus est in Scripturis sanctis Spiritus sapientiæ multiplex (*Sap.* VII, 22), eo quod multa in se habeat : sed quæ habet, hæc et est, et ea omnia unus est. Neque enim multæ, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri [1] rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest : porro, si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.

CAPUT XI. — *An ejus beatitudinis, quam sancti Angeli ab initio sui semper habuerunt, etiam illos spiritus qui in veritate non steterunt, participes fuisse credendum sit.*

Quæ cum ita sint, nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus; sed simul ut facti sunt, lux facti sunt (*a*) : non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo essent, et quoquo modo viverent; sed etiam illuminati, ut sapienter beateque viverent. Ab hac illuminatione aversi quidam angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis beatæque vitæ, quæ procul dubio nonnisi æterna est æternitatisque suæ certa atque secura : sed et rationalem vitam licet insipientem sic habent, ut eam non possint amittere, nec si velint. Quatenus autem antequam peccassent, illius sapientiæ fuerint participes, definire quis potest? In ejus tamen participatione æquales fuisse istos illis, qui propterea vere pleneque beati sunt, quoniam nequaquam de suæ beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi sumus? quandoquidem si æquales in ea fuissent, etiam isti in ejus æternitate mansissent pariter beati, quia pariter certi. Neque enim sicut vita quamdiucumque fuerit, ita æterna vita veraciter dici poterit, si finem habitura sit : siquidem vita tantummodo vivendo, æterna vero finem non habendo nominata est. Quapropter, quamvis non quidquid æternum, continuo beatum sit (dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus); tamen si vere perfecteque beata vita nonnisi æterna est, non erat talis istorum, quandoque desitura, et propterea non æterna, sive id scirent, sive nescientes aliud putarent : quia scientes timor, nescientes error beatos esse utique non sinebat. Si autem hoc ita nesciebant, ut falsis incertisve non fiderent, sed utrum sempiternum, an quandoque finem habiturum esset bonum suum, in neutram partem firma assensione ferrentur, ipsa de tanta felicitate cunctatio eam beatæ vitæ plenitudinem, quam in sanctis Angelis esse credimus, non habebat. Neque enim beatæ vitæ vocabulum ita contrahimus ad quasdam significationis angustias, ut solum Deum dicamus beatum (*a*); qui tamen ita vere beatus est, ut major beatitudo esse non possit : in cujus comparatione, quod Angeli beati sunt, sua quadam summa beatitudine, quanta esse in Angelis potest, quid aut quantum est?

CAPUT XII. — *De comparatione beatitudinis justorum, necdum tenentium promissionis divinæ præmium, et primorum in paradiso hominum ante peccatum.*

Nec ipsos tantum, quod attinet ad rationalem vel intellectualem creaturam, beatos nuncupandos putamus [1]. Quis enim primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum (*b*), quamvis de sua beatitudine [2] quam diuturna vel utrum æterna (*c*) esset incertos (esset autem æterna, nisi peccassent); cum hodie non impudenter beatos vocemus, quos videmus juste ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam, facile impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam misericordiam. Qui licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit? Quantum itaque pertinet ad delectationem præsentis boni, beatior erat primus homo in paradiso, quam quilibet justus in hac infirmitate mortali : quantum autem ad spem futuri, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus in magna illa felicitate paradisi (*d*).

CAPUT XIII. — *An ita unius felicitatis omnes Angeli sint creati, ut neque lapsuros se possent nosse qui lapsi sunt, et post ruinam labentium perseverantiæ suæ præscientiam acceperint qui steterunt.*

Quocirca cuivis jam non difficulter occurrit utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat; hoc est, ut et bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur, et in eo se in æternum esse mansuram, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus : hanc nec antequam caderent, habuisse angelos peccato-

[1] Plures Mss., *in qua sunt infiniti quidam eique finiti thesauri*. Alii vero, *in qua sunt infiniti quidam eique finiti thesauri*. — Ms. 2050, *eique infiniti*. M.

(*a*) Vid. lib. 12, cap. 9, infra.

[1] Editiones tres, Vind. Am. et Er. : *Nec ipsos enim hunc tantum beatitudini comparatos, quod attinet ad rationalem vel intellectualem creaturam, beatos nuncupandos putamus.* Emendandi sunt ad Lov. et Mss.

[2] Nostri omnes, *quamvis sua beatitudo*. M.

(*a*) Beatitudinem definiere veteres, statum perfectum et numeris omnibus bonorum absolutum, qui in solum Deum videtur cadere, cujus participatione et Angeli beati sunt et homines sancti. Lud. Vives.

(*b*) Vid. lib. de Correptione et Gratia, n. 26, tom. 10.

(*c*) Vid. lib. 11 de Gen. ad litt., nn. 24, 25.

(*d*) Conf. passim libros de Dono Persev. et de Corrept. et Grat.

res, qui sua pravitate illa luce privati sunt, consequenti ratione colligimus; habuisse tamen aliquam, etsi non præsciam beatitudinem, si vitam egerunt ante peccatum, profecto credendi sunt (*a*). Aut si durum videtur, quando facti sunt Angeli, alios credere ita factos ut non acciperent præscientiam vel perseverantiæ vel casus sui, alios autem ita ut veritate certissima æternitatem suæ beatitudinis nossent; sed æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt, et ita fuerunt, donec isti qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent: procul dubio multo est durius nunc putare Angelos sanctos æternæ suæ beatitatis incertos, et ipsos de semetipsis ignorare, quod nos de illis per Scripturas sanctas nosse potuimus. Quis enim catholicus christianus ignorat, nullum novum diabolum ex bonis Angelis ulterius futurum; sicut nec istum in societatem bonorum Angelorum ulterius rediturum? Veritas quippe in Evangelio sanctis fidelibusque [1] promittit quod erunt æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30): quibus etiam promittitur quod ibunt in vitam æternam (*Id.* XXV, 46). Porro autem si nos certi sumus, nunquam nos ex illa immortali felicitate casuros, illi vero si certi non sunt; jam potiores, non æquales eis erimus. Sed quia nequaquam Veritas fallit, et æquales eis erimus, profecto etiam ipsi certi sunt suæ felicitatis æternæ. Cujus illi alii quia certi non fuerunt; non enim erat eorum æterna felicitas cujus certi essent, quæ finem fuerat habitura: restat ut aut impares fuerint, aut si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accesserit. Nisi forte quis dicat, id quod Dominus ait de diabolo in Evangelio, *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44); sic esse accipiendum, ut non solum homicida fuerit ab initio, id est initio humani generis, ex quo utique homo factus est, quem decipiendo posset occidere: verum etiam ab initio suæ conditionis in veritate non steterit; et ideo nunquam beatus cum sanctis Angelis fuerit, suo recusans esse subditus Creatori, et sua per superbiam [2] velut privata potestate lætatus, ac per hoc falsus et fallax; quia nec unquam potestatem Omnipotentis evadit, et qui per piam subjectionem noluit tenere quod vere est, affectat per superbam elationem [3] simulare quod non est: ut sic intelligatur etiam quod beatus Joannes apostolus ait, *Ab initio diabolus peccat* (I *Joan.* III, 8); hoc est, ex quo creatus est, justitiam recusavit, quam nisi pia Deoque subdita voluntas habere non possit. Huic sententiæ quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit, id est Manichæis, et si quæ aliæ pestes ita sentiunt, quod suam quamdam propriam tanquam ex adverso quodam principio diabolus habeat naturam malam: qui tanta vanitate decipiunt, ut cum verba ista evangelica in auctoritate nobiscum habeant, non attendant non dixisse Dominum, A veritate alienus fuit, sed, *In veritate non stetit*: ubi a veritate lapsum intelligi voluit: in qua utique si stetisset, ejus particeps factus, beatus cum sanctis Angelis permaneret (*a*).

CAPUT XIV. — *Quo genere locutionis dictum sit de diabolo, quod in veritate non steterit, quia veritas non est in eo.*

Subjecit autem indicium, quasi quæsissemus unde ostendatur quod in veritate non steterit, atque ait, *Quia non est veritas in eo.* Esset autem in eo, si in illa stetisset. Locutione autem dictum est minus usitata. Sic enim videtur sonare, *In veritate non stetit, quia non est veritas in eo* (*Joan.* VIII, 44), tanquam ea sit causa, ut in veritate non steterit, quod in eo veritas non sit: cum potius ea sit causa, ut in eo veritas non sit, quod in veritate non steterit. Ista locutio est et in Psalmo: *Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus* (*Psal.* XVI, 6): cum dicendum fuisse videatur, Exaudisti me, Deus, quoniam clamavi. Sed cum dixisset, *Ego clamavi*; tanquam ab eo quæreretur, unde se clamasse monstraret, ab effectu exauditionis Dei clamoris sui ostendit affectum; tanquam diceret, Hinc ostendo clamasse me, quoniam exaudisti me.

CAPUT XV. — *Quid sentiendum sit de eo quod scriptum est,* Ab initio diabolus peccat.

Illud etiam quod ait de diabolo Joannes, *Ab initio diabolus peccat* (I *Joan.* III, 8); non intelligunt, si naturale est, nullo modo esse peccatum [1]. Sed quid respondetur propheticis testimoniis, sive quod Isaias ait, sub figurata persona principis Babyloniæ diabolum notans, *Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur* (*Isai.* XIV, 12)? sive quod Ezechiel, *In deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es?* ubi intelligitur fuisse aliquando sine peccato (*b*). Nam expressius ei paulo post dicitur: *Ambulasti in diebus tuis sine vitio* (*Ezech.* XXVIII, 13, 14). Quæ si aliter convenientius intelligi nequeunt, oportet etiam illud quod dictum est, *In veritate non stetit,* sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit. Et illud, quod *ab initio diabolus peccat*, non ab initio ex quo creatus est peccare putandus est; sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum. Nec illud quod scriptum est in libro Job, cum de diabolo sermo esset, *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis suis* (*Job.* XL, 14, *sec.* LXX); cui consonare videtur et Psalmus, ubi legitur, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26); sic intelligendum est, ut existimemus talem ab initio creatum, cui ab Angelis illuderetur, sed

[1] Sic Vind. Am et Mss. At Er. et Lov., *sanctis fidelibus*; omisso, *que*.

[2] Vind. Am. Er. et aliquot Mss., *et superbia sua*. Et infra editi, *elatus*; quo loco melioris notæ manuscripti habent, *lætatus*.

[3] Nonnulli codices, *affectat per superbiæ elationem*. — Ms. 2050, *affectat per superbiam et elationem*. M.

(*a*) Conf. lib. 11 de Gen. ad Litt., n. 21-34, et lib. de Corrept. et Grat., n. 10.

[1] Probæ notæ Mss., *non intelligunt, si natura talis est nullo modo esse peccatum*. Et nonnulli, *si naturalis est*. At Vind. Am. et Er. locum glossemate auctum sic referunt: *non intelligunt qui inde volunt esse ex peccati naturam cum naturale nullum sit omnino peccatum*.

(*a*) Conf. lib. 11 de Gen. ad Litt., n. 27 et seqq.

(*b*) Conf. lib. 11 de Gen. ad Litt., n. 32.

in hac pœna post peccatum ordinatum (*a*). Initium ergo ejus figmentum est Domini : non enim est ulla natura etiam in extremis infimisque bestiolis, quam non ille constituit, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibus nihil rerum inveniri vel cogitari potest : quanto magis angelica creatura, quæ omnia cætera quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit?

CAPUT XVI. — *De gradibus et differentiis creaturarum, quod aliter vendit* [1] *usus utilitatis, aliter ordo rationis.*

In his enim quæ quoquo modo sunt, et non sunt quod Deus est a quo facta sunt, præponuntur viventia non viventibus; sicut ea quæ habent vim gignendi vel etiam appetendi, his quæ isto motu carent. Et in his quæ vivunt, præponuntur sentientia non sentientibus, sicut arboribus animalia. Et in his quæ sentiunt, præponuntur intelligentia non intelligentibus, sicut homines pecoribus. Et in his quæ intelligunt, præponuntur immortalia mortalibus, sicut Angeli hominibus. Sed ista præponuntur naturæ ordine : est autem alius atque alius pro suo cujusque usu æstimationis modus, quo fit ut quædam sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus, in tantum ut si potestas esset, ea prorsus de natura rerum auferre vellemus, sive quem in ea locum habeant ignorantes, sive etiamsi sciamus, nostris ea commodis postponentes. Quis enim non domi suæ panem habere quam mures, nummos quam pulices malit? Sed quid mirum, cum ipsorum etiam hominum æstimatione, quorum certe natura tantæ est dignitatis, plerumque carius comparetur equus quam servus, gemma quam famula? Ita libertate judicandi plurimum distat ratio considerantis a necessitate indigentis, seu voluptate cupientis, cum ista quid per se ipsum in rerum gradibus pendat, necessitas autem quid propter quid expetat, cogitet [2]; et ista quid verum luci mentis appareat, voluptas vero quid jucundum corporis sensibus blandiatur, exquirat [3]. Sed tantum valet in naturis rationalibus quodammodo velut pondus voluntatis et amoris, ut cum ordine naturæ Angeli hominibus, tamen lege justitiæ boni homines malis angelis præferantur.

CAPUT XVII. — *Vitium malitiæ non naturam esse, sed contra naturam, cui ad peccandum non Conditor causa est, sed voluntas.*

Propter naturam igitur, non propter malitiam diaboli, dictum recte intelligimus, *Hoc est initium figmenti Domini* (*Job* XL, 14, *sec.* LXX) : quia sine dubio ubi esset vitium malitiæ, natura non vitiata præcessit. Vitium autem ita contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturæ. Non itaque esset vitium recedere a Deo, nisi naturæ, cujus id vitium est, potius competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala grande testimonium est naturæ bonæ. Sed Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator; ut cum male illæ utuntur naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis. Itaque fecit ut diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab Angelis ejus, id est, ut prosint tentationes ejus sanctis, quibus eas obesse desiderat. Et quoniam Deus cum eum conderet, futuræ malignitatis ejus non erat utique ignarus, et prævidebat quæ bona de malis ejus esset ipse facturus : propterea Psalmus ait, *Draco hic, quem finxisti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26), ut in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, jam per suam præscientiam præparasse intelligatur quomodo illo uteretur et malo.

CAPUT XVIII. — *De pulchritudine universitatis, quæ per ordinationem Dei etiam ex contrariorum fit oppositione luculentior.*

Neque enim Deus ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen (*a*) ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Antitheta enim quæ appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quæ latine appellantur opposita [1], vel quod expressius dicitur, contraposita. Non est apud nos hujus vocabuli consuetudo, cum tamen eisdem ornamentis locutionis etiam sermo latinus utatur, imo linguæ omnium gentium. His antithetis et Paulus apostolus in secunda ad Corinthios Epistola, illum locum suaviter explicat, ubi dicit : *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores, et veraces; ut qui ignoramur, et cognoscimur; quasi morientes, et ecce vivimus; ut coerciti* [2], *et non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes; sicut egeni, multos autem ditantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 7-10.) Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam, non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur. Apertissime hoc positum est in libro Ecclesiastico, hoc modo : *Contra malum bonum est, et contra mortem vita : sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina et bina, unum contra unum* (*Eccli.* XXXIII, 15.)

CAPUT XIX. — *Quid sentiendum videatur de eo quod scriptum est,* Divisit Deus inter lucem et tenebras.

Quamvis itaque divini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis parit et in lucem notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit; ita tamen ut quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel aliis locis minime dubiis asseratur; sive cum multa tractantur, ad id quoque perveniatur, quod sensit ille qui scripsit; sive id quidem lateat, sed ex occasione

[1] Editi, *pendet.* Mss. [illegible] restituunt, *pendit,* id est [illegible]

[2] [illegible]

[3] [illegible]

[illegible] in 29, 30, 31, 35.

[1] Plures non deterioris notæ Mss., *quæ latine ut appellentur opposita.*

[2] [illegible] epist. 138, n. 5, et 166, n. 15.

tractandæ profundæ obscuritatis alia quædam vera dicantur : non mihi videtur ab operibus Dei absurda[1] sententia, si cum lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur, et inter sanctos Angelos et immundos fuisse discretum, ubi dictum est, *Et divisit Deus inter lucem et tenebras; et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem*. Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent præscire casuros, et lumine privatos Veritatis in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem et noctem, id est inter hanc lucem et has tenebras, vulgatissima sensibus nostris luminaria cœli ut dividerent, imperavit : *Fiant*, inquit, *luminaria in firmamento cœli, ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem*. Et paulo post : *Et fecit*, inquit, *Deus duo luminaria magna; luminare majus in principia*[1] *diei, et luminare minus in principia noctis; et stellas : et posuit illa*[2] *Deus in firmamento cœli, lucere super terram, et præesse diei et nocti, et dividere inter lucem et tenebras* (*Gen.* I, 4, 5, 14, 16-18). Inter illam vero lucem, quæ sancta societas Angelorum est illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, et ei contrarias tenebras, id est malorum angelorum aversorum a luce justitiæ teterrimas mentes, ipse dividere potuit, cui etiam futurum, non naturæ, sed voluntatis malum, occultum aut incertum esse non potuit.

CAPUT XX. — *De eo quod post discretionem lucis atque tenebrarum dictum est,* Et vidit Deus lucem, quia bona est.

Denique nec illud est prætereundum silentio, quod ubi dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux;* continuo subjunctum est, *Et vidit Deus lucem quia bona est :* non posteaquam separavit inter lucem et tenebras; et vocavit lucem diem, et tenebras noctem, ne simul cum luce etiam talibus tenebris testimonium placiti sui perhibuisse videretur. Nam ubi tenebræ inculpabiles sunt, inter quas et lucem istam his oculis conspicuam luminaria cœli dividunt, non ante, sed post infertur, *Et vidit Deus quia bonum est. Et posuit illa*, inquit, *in firmamento cœli, lucere super terram, et præesse diei et nocti, et separare inter lucem et tenebras. Et vidit Deus quia bonum est.* Utrumque enim placuit, quia utrumque sine peccato est. Ubi autem dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quia bona est;* et postmodum infertur, *Et separavit Deus inter lucem et tenebras; vocavitque Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem* (*Gen.* I, 3-5, 17, 18) : non hoc loco additum est, *Et vidit Deus quia bonum est ;* ne utrumque appellaretur bonum, cum esset horum alterum malum, vitio proprio, non natura. Et ideo sola ibi lux placuit Conditori : tenebræ autem angelicæ, etsi fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ.

CAPUT XXI. — *De æterna et incommutabili scientia Dei ac voluntate, qua semper illi universa quæ fecit, sic placuerunt facienda, quemadmodum facta.*

Quid est enim aliud intelligendum in eo quod per omnia dicitur, *Vidit Deus quia bonum est*, nisi operis approbatio secundum artem facti, quæ Sapientia Dei est? Deus autem usque adeo non cum factum est, tunc didicit bonum esse, ut nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum. Dum ergo videt quia bonum est, quod nisi vidisset antequam fieret, non utique fieret, docet bonum esse, non discit. Et Plato quidem plus ausus est dicere, elatum esse scilicet Deum gaudio, mundi universitate perfecta (*In Timæo*). Ubi et ipse non usque adeo desipiebat, ut putaret Deum sui operis novitate factum beatiorem : sed sic ostendere voluit, artifici suo placuisse jam factum, quod placuerat in arte faciendum; non quod ullo modo Dei scientia varietur, ut aliud in ea faciant[1] quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit; sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe alteque[2] diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt; ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, et futura nondum sint, et præsentia jam sint, et præterita jam non sint, ipse vero hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat : nec aliter oculis, aliter mente; non enim ex animo constat et corpore : nec aliter nunc, aliter antea, et aliter postea; quoniam non sicut nostra, ita ejus quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet et præteriti vel futuri, varietate mutatur : apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio (*Jacobi* I, 17). Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo contuitu simul adsunt cuncta quæ novit : quoniam tempora ita novit nullis suis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia movet nullis suis temporalibus motibus. Ibi ergo vidit bonum esse quod fecit, ubi bonum esse vidit ut faceret. Nec quia factum vidit, scientiam duplicavit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris scientiæ fuerit priusquam faceret quod videret : qui tam perfecte non operaretur, nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex ejus operibus adderetur. Quapropter, si tantummodo nobis insinuandum esset quis fecerit lucem, sufficeret dicere, Deus fecit lucem. Si autem non solum quis fecerit, verum etiam per quid fecerit; satis esset ita enuntiari, *Et dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux;* ut non tantum Deum, sed etiam per Verbum lucem fecisse nossemus. Quia vero tria quædam maxime scienda de creatura nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit : *Deus dixit*, inquit, *Fiat lux, et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quia bona est.* Si ergo quærimus quis fecerit, *Deus* est. Si per quid fecerit, *Dixit, Fiat, et facta est.* Si quare fecerit, *Quia bona est.* Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior quam ut bonum crearetur a Deo bono. Hanc etiam Plato causam condendi mundi justissimam di-

[1] Plures manuscripti hoc et altero loco, *in principio*. Sed excusis suffragatur græca interpretatio LXX, *eis archas*.
[2] Sic Mss. At editi, *illas*. Apud LXX est, [illegible]

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *fiant*.
[2] Sic Lov., *longeque*. Cæteri libri, *altèque*.
[3] [illegible] nempe [illegible] Manichæi. Conf. lib. 1 de [illegible] contra Manich., n. 15

cit, ut a bono Deo bona opera fierent (*In Timæo*): sive ista legerit, sive ab his qui legerant forte cognoverit; sive acerrimo ingenio invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerit, sive ab his qui ista conspexerant et ipse didicerit.

CAPUT XXII. — *De his quibus in universitate rerum a bono Creatore bene conditarum quædam displicent, et putant nonnullam esse naturam malam.*

Hanc tamen causam, id est ad bona creanda bonitatem Dei; hanc, inquam, causam tam justam atque idoneam, quæ diligenter considerata et pie cogitata omnes controversias quærentium mundi originem terminat, quidam hæretici non viderunt: quia egenam carnis hujus fragilemque mortalitatem, jam de justo supplicio venientem, dum ei non conveniunt, plurima offendunt; sicut ignis, aut frigus, aut fera bestia, aut quid hujusmodi. Nec attendunt, quam vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur; quantumque universitati rerum pro suis portionibus[1] decoris tanquam in communem rempublicam conferant, vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter utamur, commoditatis attribuant; ita ut venena ipsa, quæ per inconvenientiam perniciosa sunt, convenienter adhibita in salubria medicamenta vertantur: quamque a contrario etiam hæc quibus delectantur, sicut cibus et potus et ista lux, immoderato et inopportuno[2] usu noxia sentiantur (*a*). Unde nos admonet divina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere; et ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut erant quædam quæ vix potuimus invenire: quia et ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio; cum omnino natura nulla sit malum, nomenque hoc non sit nisi privationis boni: sed a terrenis usque ad cœlestia, et a visibilibus usque ad invisibilia sunt aliis alia bona meliora; ad hoc inæqualia, ut essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus[3] in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non sua granditate (nam nulla est), sed artificis sapientia metienda sunt: sicut in specie visibilis[4] hominis, si unum radatur supercilium, quam propemodum nihil corpori, et quam multum detrahitur pulchritudini; quoniam non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum. Nec sane multum mirandum est, quod hi qui nonnullam malam putant esse naturam suo quodam contrario exortam propagatamque principio, nolunt accipere istam causam creationis rerum, ut bonus Deus conderet bona; credentes eum potius ad hæc mundana molimina rebellantis adversum se mali repellendi[a] extrema necessitate perductum, suamque naturam bonam malo coercendo superandoque miscuisse, quam turpissime pollutam et crudelissime captivatam et oppressam labore magno vix mundet ac liberet, non totam tamen; sed quod ejus non potuerit ab illa inquinatione purgari, tegmen ac vinculum futurum hostis victi et inclusi. Sic autem Manichæi non desiperent vel potius insanirent, si Dei naturam, sicuti est, incommutabilem atque omnino incorruptibilem crederent, cui nocere nulla res possit: animam vero quæ voluntate mutari in deterius et peccato corrumpi potuit, atque ita incommutabilis veritatis luce privari, non Dei partem, nec ejus naturæ quæ Dei est[1], sed ab illo conditam longe imparem Conditori christiana sanitate sentirent.

CAPUT XXIII. — *De errore, in quo Origenis doctrina inculpatur.*

1. Sed multo est mirandum amplius, quod etiam quidam, qui unum nobiscum credunt omnium rerum esse principium, ullamque naturam, quæ non est quod Deus est, nisi ab illo conditore esse non posse; noluerunt tamen istam causam fabricandi mundi tam bonam ac simplicem bene ac simpliciter credere, ut Deus bonus conderet bona, et essent post Deum quæ non essent quod est Deus, bona tamen quæ non faceret nisi bonus Deus. Sed animas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a Conditore recedendo; et diversis progressibus pro diversitate peccatorum, a cœlis usque ad terras, et diversa corpora quasi vincula meruisse: et hunc esse mundum, eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur. In libris enim quos appellat περὶ Ἀρχῶν, id est, de Principiis, hoc sensit, hoc scripsit. Ubi plus quam dici potest, miror hominem in ecclesiasticis litteris tam doctum et exercitatum, non attendisse, primum quam hoc esset contrarium Scripturæ hujus tantæ auctoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei subjungens, *Et vidit Deus, quia bonum est*; completisque omnibus inferens, *Et vidit Deus omnia, quæ fecit, et ecce bona valde* (*Gen.* I): nullam aliam causam faciendi mundi intelligi voluit, nisi ut bona fierent a bono Deo. Ubi si nemo peccasset, tantummodo naturis bonis esset mundus ornatus et plenus: et quia peccatum est, non ideo cuncta sunt impleta peccatis, cum bonorum longe major numerus in cœlestibus suæ naturæ ordinem servet. Nec mala voluntas, quia naturæ ordinem servare noluit, ideo justi Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Quoniam sicut pictura cum colore nigro, loco suo posita, ita universitas rerum, si quis possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quamvis per se ipsos consideratos sua deformitas turpet.

2. Deinde videre debuit Origenes, et quicumque ita sapiunt, si hæc opinio vera esset, mundum ideo factum, ut animæ pro meritis peccatorum suorum tanquam ergastula quibus pœnaliter includerentur, corpora acciperent, superiora et leviora quæ minus, inferiora vero et graviora quæ amplius peccaverunt;

[1] Nonnulli Mss., *post* [illegible].
[2] Sic potior pars manuscript. At editi, *importuno*.
[3] [illegible] Mss., [illegible].
[4] [illegible] Mss., [illegible].
(a) [illegible] In B., [illegible] M.
[illegible]

[1] Nonnulli Mss., *quæ Deus est.*

dæmones quibus deterius nihil est, terrena corpora quibus inferius et gravius nihil est, potius quam homines etiam malos [1] habere debuisse. Nunc vero ut intelligeremus animarum merita non qualitatibus corporum esse pensanda, aerium pessimus dæmon, homo autem et nunc licet malus, longe minoris mitiorisque malitiæ, et certe ante peccatum tamen luteum corpus accepit. Quid autem stultius dici potest, quam per [2] istum solem, ut in uno mundo unus esset, non decori pulchritudinis, vel etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum (*a*), sed hoc potius evenisse, quia una anima sic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc si contigisset, ut non una, sed duæ; imo non duæ, sed decem, vel centum, similiter æqualiterque peccassent, centum soles haberet hic mundus. Quod ut non fieret, non opificis provisione mirabili ad rerum corporalium salutem decoremque consultum est; sed contigit potius tanta unius animæ progressione peccantis, ut sola corpus tale mereretur. Non plane animarum, de quibus nesciunt quid loquantur, sed eorum ipsorum qui talia sapiunt, multum longe a veritate et merito est coercenda progressio. Hæc ergo tria quæ superius commendavi, cum in unaquaque creatura requiruntur, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit, ut respondeatur, Deus, per Verbum, Quia bona est [3], utrum altitudine mystica nobis ipsa Trinitas intimetur, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus; an aliquid occurrat, quod in hoc loco Scripturarum id accipiendum esse prohibeat, multi sermonis est quæstio, nec omnia uno volumine ut explicemus urgendum est.

CAPUT XXIV. — *De Trinitate divina, quæ per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia.*

Credimus, et tenemus, et fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est Sapientiam, per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, æternus coæternum, summe bonus æqualiter bonum; et quod Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis et coæternus ambobus: atque hoc totum et Trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen ut etiam cum de singulis quæritur, unusquisquê eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur; cum vero de omnibus simul, non tres dii vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens; tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari. Utrum autem boni Patris et boni Filii Spiritus sanctus, quia communis ambobus est, recte bonitas dici possit amborum, non audeo temerariam præcipitare sententiam: verumtamen amborum eum dicere sanctitatem facilius ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsam [1] quoque substantiam, et tertiam in Trinitate personam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quod cum sit et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. Sed si nihil aliud est bonitas divina quam sanctitas, profecto et illa diligentia rationis est, non præsumptionis audacia, ut in operibus Dei secreto quodam loquendi modo, quo nostra exerceatur intentio, eadem nobis insinuata intelligatur Trinitas, unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intelligitur Verbi, qui dixit, *Fiat.* Quod autem illo dicente factum est, procul dubio per Verbum factum est. In eo vero quod dicitur, *Vidit Deus quia bonum est;* satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suæ cujusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est: quod ideo, posteaquam factum est, dicitur, ut res quæ facta est, congruere bonitati propter quam facta est, indicetur. Quæ bonitas si Spiritus sanctus recte intelligitur, universa nobis Trinitas in suis operibus intimatur. Inde est civitatis sanctæ, quæ in sanctis Angelis sursum est, et origo, et informatio, et beatitudo. Nam si quæratur unde sit, Deus eam condidit: si unde sit sapiens, a Deo illuminatur: si unde sit felix, Deo fruitur: subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens jucundatur; est, videt, amat; in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.

CAPUT XXV. — *De tripartita totius philosophiæ disciplina.*

Quantum intelligi datur, hinc philosophi sapientiæ disciplinam tripartitam esse voluerunt; imo tripartitam esse animadvertere potuerunt (neque enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt): cujus una pars appellaretur physica, altera logica, tertia ethica. Quarum nomina latina jam multorum litteris frequentata sunt, ut naturalis, rationalis, moralisque vocarentur: quas etiam in octavo libro breviter perstrinximus (*Cap. 4 seqq.*). Non quod sit consequens [2], ut isti in his tribus aliquid secundum Deum de Trinitate cogitaverint. Quamvis Plato primus istam distributionem reperisse et commendasse dicatur, cui neque naturarum omnium auctor nisi Deus visus est, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo bene beateque vivitur, inspirator. Sed certe cum et de natura rerum, et de ratione indagandæ [3] veritatis, et de boni fine ad quem cuncta quæ agimus referre debemus, diversi diversa sentiant: in his tamen tribus magnis et generalibus quæstionibus omnis eorum versatur intentio. Ita cum in unaquaque earum quid quisque sectetur, multiplex sit discrepantia opinionum, esse tamen aliquam naturæ

[1] Mss., *etiam bonos.* Sic etiam Vind. et Am. Sed hi duo editi post, *etiam bonos;* addunt, *potius etiam quam malos.*

[2] Particula, *per*, abest a manuscriptis et ab editis Vind. Am. et Er.

[3] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *quia bonus est.*

(*a*) Conf. lib. ad Oros. contr. Priscillianist. et Origenist., n. 11.

[1] Sic Mss. Editi vero, *ipsam.*

[2] Vind. et plerique Mss.: *Non quo sit consequens.*

[3] Probæ notæ Mss., *inveniendæ.*

causam, scientiæ formam, vitæ summam, nemo cunctatur. Tria etiam sunt quæ in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat; natura, doctrina, usus: natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu dijudicandus est. Nec ignoro quod proprie fructus fruentis, usus utentis sit; atque hoc interesse videatur, quod ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per se ipsam[1] delectat; uti vero ea re, quam propter aliud quærimus (*a*). Unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Veruntamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit consuetudo, et fructibus utimur, et usibus fruimur. Nam et fructus jam proprie dicuntur agrorum, quibus utique omnes temporaliter utimur. Hoc itaque more[2] usum dixerim in his tribus quæ in homine spectanda commonui, quæ sunt natura, doctrina, usus. Ex his propter obtinendam beatam vitam, tripartita, ut dixi, a philosophis inventa est disciplina; naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum. Si ergo natura nostra esset a nobis, profecto et nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam doctrina, id est aliunde discendo, percipere curaremus; et noster amor a nobis profectus, et ad nos relatus, ad beate vivendum sufficeret, nec bono alio quo frueremur ullo indigeret: nunc vero quia natura nostra, ut esset, Deum habet auctorem; procul dubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem; ipsum etiam ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.

CAPUT XXVI. — *De imagine summæ Trinitatis, quæ secundum quemdam modum in natura etiam necdum beatificati hominis invenitur.*

Et nos quidem in nobis, tametsi non æqualem, imo valde longeque distantem, neque coæternam, et quo brevius totum dicitur[3], non ejusdem substantiæ, cujus est Deus, tamen qua Deo nihil sit in rebus ab eo factis natura propinquius, imaginem Dei, hoc est summæ illius Trinitatis, agnoscimus, adhuc reformatione perficiendam, ut sit etiam similitudine proxima[4]. Nam et sumus, et nos esse novimus, et id esse[5] ac nosse diligimus. In his autem tribus quæ dixi, nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea, sicut illa quæ foris sunt, ullo sensu corporis tangimus, velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura et mollia contrectando sentimus, quorum sensibilium etiam imagines eis simillimas, nec jam corporeas, cogitatione versamus, memoria tenemus, et per ipsas in istorum desideria concitamur: sed sine ulla phantasiarum vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me, idque nosse et amare certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido, dicentium, Quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest: ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum si fallor, quomodo esse me fallor, quando certum est me esse, si fallor? Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer; procul dubio in eo quod me novi esse, non fallor. Consequens est autem, ut etiam in eo quod me novi nosse, non fallar. Sicut enim novi me esse, ita novi etiam hoc ipsum, nosse me. Eaque duo cum amo, eumdem quoque amorem quiddam tertium, nec imparis æstimationis, eis quas novi rebus adjungo. Neque enim fallor amare me, cum in his quæ amo non fallar: quanquam etsi illa falsa essent, falsa me amare verum esset. Nam quo pacto recte reprehenderer et recte prohiberer ab amore falsorum, si me illa amare falsum esset? Cum vero et illa vera atque certa sint, quis dubitet quod eorum, cum amantur, et ipse amor verus et certus est? Tam porro nemo est qui esse se nolit, quam nemo est qui non beatus esse velit. Quomodo enim potest beatus esse, si nihil sit?

CAPUT XXVII. — *De essentia et scientia, et utriusque amore.*

1. Ita vero vi quadam naturali ipsum esse jucundum est, ut non ob aliud et hi qui miseri sunt nolint interire, et cum se miseros esse sentiant, non se ipsos de rebus, sed miseriam suam potius auferri velint. Illis etiam qui et sibi miserrimi apparent, et plane sunt, et non solum a sapientibus, quoniam stulti, verum et ab his qui se beatos putant, miseri judicantur, quia pauperes atque mendici sunt, si quis immortalitatem daret, qua nec ipsa miseria moreretur, proposito sibi quod si in eadem miseria semper esse nollent, nulli et nusquam essent futuri, sed omni modo perituri, profecto exsultarent lætitia, et sic semper eligerent esse, quam omnino non esse. Hujus rei testis est notissimus sensus illorum. Unde enim mori metuunt, et malunt in illa ærumna vivere, quam eam morte finire, nisi quia satis apparet quam refugiat natura non esse? Atque ideo cum se noverint esse morituros, pro magno beneficio sibi hanc impendi misericordiam desiderant, ut aliquanto productius in eadem miseria vivant, tardiusque moriantur. Procul dubio ergo indicant immortalitatem saltem talem quæ non habeat finem mendicitatis, quanta gratulatione susciperent. Quid? animalia omnia etiam irrationalia, quibus datum non est ista cogitare, ab immensis draconibus usque ad exiguos vermiculos, nonne se esse velle, atque ob hoc interitum fugere omnibus quibus possunt motibus indicant? Quid? arbusta omnesque frutices, quibus nullus est sensus ad vitandam manifesta motione perniciem, nonne ut in auras tutum culminis germen emittant, altius terræ radices affigunt[1], quo

[1] Plures Mss., [illegible]
[2] [illegible]
[3] [illegible]
[4] [illegible]
[5] [illegible]
(*a*) [illegible]

[1] Sic Vind. Am. et nonnulli Mss. Alii veteres libri habent, [illegible]. At Er. et Lov., *aliud terræ ra*- [illegible]

alimentum trahant, atque ita suum quodammodo esse conservent? Ipsa postremo corpora, quibus non solum sensus, sed nec ulla saltem seminalis est vita, ita tamen vel exsiliunt in superna, vel in ima descendunt, vel librantur in mediis, ut essentiam suam, ubi secundum naturam possunt esse, custodiant.

2. Jam vero nosse quantum ametur, quamque falli nolit humana natura, vel hinc intelligi potest, quod lamentari quisque sana mente mavult, quam lætari in amentia. Quæ vis magna atque mirabilis mortalibus, præter homini [1], animantibus nulla est; licet eorum quibusdam ad istam lucem contuendam multo quam nobis sit acrior sensus oculorum: sed lucem illam incorpoream contingere nequeunt, qua mens nostra quodammodo irradiatur, ut de his omnibus recte judicare possimus. Nam in quantum eam capimus, in tantum id possumus. Verumtamen inest sensibus irrationalium animantium, etsi scientia nullo modo, at certe quædam scientiæ similitudo. Cætera autem rerum corporalium, non quia sentiunt, sed quia sentiuntur, sensibilia nuncupata sunt. Quorum in arbustis hoc simile est sensibus, quod aluntur et gignunt [2]. Verumtamen et hæc et omnia corporalia latentes in natura causas habent; sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, ut pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nosse ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem, quo justa et injusta sentimus: justa, per intelligibilem speciem; injusta, per ejus privationem. Ad hujus sensus officium non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non spiramenta narium, non gustus faucium, non ullus corporeus tactus accedit. Ibi me et esse et hoc nosse certus sum, et hæc amo [3] atque amare me similiter certus sum.

CAPUT XXVIII. — *An etiam ipsum amorem, quo et esse et scire diligimus, diligere debeamus, quo magis divinæ Trinitatis imagini propinquamus.*

Sed de duobus illis, essentia scilicet et notitia, quantum amentur in nobis, et quemadmodum etiam cæteris rebus quæ infra sunt, eorum reperiatur, etsi differens, quædam tamen similitudo, quantum suscepti hujus operis ratio visa est postulare, satis diximus: de amore autem quo amantur, utrum et ipse amor ametur, non dictum est. Amatur autem: et hinc probamus, quod in hominibus qui rectius amantur [4], ipse magis amatur. Neque enim vir bonus merito dicitur qui scit quod bonum est, sed qui diligit. Cur ergo et in nobis ipsis non et ipsum amorem nos amare sentimus, quo amamus quid quid boni amamus? Est enim et amor, quo amatur et quod amandum non est, et istum amorem odit in se, qui illum diligit, quo id amatur quod amandum est. Possunt enim ambo esse in uno homine, et hoc bonum est homini, ut illo proficiente quo bene vivimus, iste deficiat quo male vivimus, donec ad perfectum sanetur, et in bonum commutetur omne quod vivimus. Si enim pecora essemus, carnalem vitam et quod secundum sensum ejus est amaremus; idque esset sufficiens bonum nostrum, et secundum hoc cum esset nobis bene, nihil aliud quæreremus. Item si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus, verumtamen id quasi appetere videremur, quo feracius essemus uberiusque fructuosæ. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum atque ordinis appetitus. Nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur (*a*). Quoniam igitur homines sumus, ad nostri Creatoris imaginem creati, cujus est vera æternitas, æterna veritas, æterna et vera charitas, estque ipsa [1] æterna et vera et chara Trinitas, neque confusa, neque separata; in iis quidem rebus quæ infra nos sunt, quoniam et ipsa nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo facta essent qui summe est, qui summe sapiens est, qui summe bonus est: tanquam per omnia quæ fecit mirabili stabilitate currentes, quasi quædam ejus alibi magis, alibi minus impressa vestigia colligamus; in nobis autem ipsis ejus imaginem contuentes, tanquam minor ille evangelicus filius ad nosmetipsos reversi surgamus (*Luc.* xv, 18), ut [2] ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem. Nunc autem ista tria nostra quamvis certa teneamus, nec aliis ea credamus testibus, sed nos ipsi præsentia sentiamus, atque interiore veracissimo cernamus aspectu, tamen quamdiu futura, vel utrum nunquam defutura, et quo si bene, quo autem si male agantur, perventura sint, quoniam per nos ipsos nosse non possumus, alios hinc testes vel quærimus, vel habemus; de quorum fide cur nulla debeat esse dubitatio, non est iste, sed posterior erit diligentius disserendi locus. In hoc autem libro de civitate Dei, quæ non peregrinatur in hujus vitæ mortalitate, sed immortalis semper in cœlis est, id est, de Angelis sanctis Deo cohærentibus, qui nec fuerunt unquam, nec futuri sunt desertores, inter quos et illos qui æternam lucem deserentes, tenebræ facti sunt, Deum primitus divisisse jam diximus, illo adjuvante quod cœpimus, ut possumus explicemus.

[1] Er. et Lov., *homines;* dissentientibus editis aliis et Mss. — Ms. 2050, *hominem.* M.
[2] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *gignuntur.*
[3] Ita Mss. Editi vero, *et hoc amo.*
[4] Sola editio Lov., *quod hominibus quæ rectius amantur.*

[1] Sic Mss. At editi, *estque ipse.*
[2] Editi, *et;* dissentientibus veteribus libris.
(*a*) Vid. lib. 13 Confess., cap. 9.

CAPUT XXIX. *De sanctorum Angelorum scientia, qua Trinitatem in ipsa ejus deitate noverunt, et qua operum causas prius in operantis arte, quam in ipsis operibus artificis intuentur.*

Illi quippe Angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt; sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis, hoc est, Verbum ejus unigenitum : et ipsum Verbum et Patrem et eorum Spiritum sanctum; eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse unam substantiam; et tamen omnes non tres deos esse, sed unum Deum, ita noverunt, ut eis magis ista, quam nos ipsi nobis cogniti sumus. Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tanquam in arte qua facta est, quam in ea ipsa sciunt : ac per hoc et se ipsos ibi melius quam in se ipsis, verumtamen et in se ipsis. Facti sunt enim, et aliud sunt quam ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in se ipsis autem tanquam in vespertina, sicut supra jam diximus (*Cap.* 7). Multum enim differt utrum in ea ratione cognoscatur aliquid secundum quam factum est, an in se ipso. Sicut aliter scitur rectitudo linearum seu veritas figurarum, cum intellecta conspicitur, aliter cum in pulvere scribitur (*a*); et aliter justitia in veritate incommutabili, aliter in anima justi. Sic deinde cætera, sicut firmamentum inter aquas superiores et inferiores, quod cœlum vocatum est; sicut deorsum aquarum congeries terræque nudatio, et herbarum institutio atque lignorum; sicut solis et lunæ stellarumque conditio; sicut ex aquis animalium, volucrum scilicet atque piscium belluarumque natantium; sicut quorumcumque[1] in terra gradientium atque repentium, et ipsius hominis, qui cunctis in terra rebus excelleret. Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in se ipsis; illic clariore, hic obscuriore[2] cognitione, velut artis atque operum : quæ tamen opera cum ad ipsius Creatoris laudem venerationemque referuntur, tanquam mane lucescit in mentibus contemplantium.

CAPUT XXX. *De senarii numeri perfectione, qui primus partium suarum quantitate completur.*

Hæc autem propter senarii numeri perfectionem, eodem die sexies repetito, sex diebus perfecta narrantur : non quia Deo necessaria fuerit mora temporum, quasi qui non potuerit creare omnia simul, quæ deinceps congruis motibus peragerent tempora; sed quia per senarium numerum est operum significata perfectio. Numerus quippe senarius primus completur suis partibus, id est, sexta sui parte, et tertia, et dimidia; quæ sunt unum, et duo, et tria : quæ in summam ducta, sex fiunt. Partes autem in hac consideratione numerorum illæ intelligendæ sunt, quæ quotæ sint dici potest : sicut dimidia, tertia, quarta, et deinceps ab aliquo numero denominatæ. Neque enim, exempli gratia, quia in novenario numero quatuor pars aliqua ejus est, ideo dici potest quota ejus sit : unum autem potest, nam nona ejus est; et tria potest, nam tertia ejus est. Conjunctæ vero istæ duæ partes ejus, nona scilicet atque tertia, id est, unum et tria, longe sunt a tota summa ejus, quod est novem. Itemque in denario quaternarius est aliqua pars ejus; sed quota sit dici non potest : unum autem potest; nam decima pars ejus est. Habet et quintam, quod sunt duo : habet et dimidiam, quod sunt quinque. Sed hæ tres partes ejus, decima et quinta et dimidia, id est unum et duo et quinque, simul ductæ non complent decem : sunt enim octo. Duodenarii vero partes numeri in summam ductæ, transeunt eum : habet enim duodecimam, quod est unum; habet sextam, quæ sunt duo; habet quartam, quæ sunt tria; habet tertiam quæ sunt quatuor; habet et dimidiam, quæ sunt sex : unum autem et duo et tria et quatuor et sex, non duodecim, sed amplius, id est, sexdecim fiunt. Hoc breviter commemorandum putavi ad commendandam senarii numeri perfectionem, qui primus, ut dixi, partibus suis in summam redactis ipse perficitur : in quo perfecit Deus opera sua (*a*). Unde ratio numeri contemnenda non est, quæ in multis sanctarum Scripturarum locis, quam magni æstimanda sit, elucet diligenter intuentibus. Nec frustra in laudibus Dei dictum est, *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti* (*Sap.* XI, 21).

CAPUT XXXI. — *De die septimo, in quo plenitudo et requies commendatur.*

In septimo autem die, id est eodem die septies repetito, qui numerus etiam ipse alia ratione perfectus est, Dei requies commendatur, in qua primum sanctificatio sonat (*Gen.* II, 2,3) (*b*). Ita Deus noluit istum diem in ullis suis operibus sanctificare, sed in requie sua, quæ non habet vesperam : neque enim ulla creatura est, ut etiam ipsa (*c*) aliter in Dei Verbo, aliter in se cognita, faciat aliam velut diurnam, aliam velut vespertinam notitiam. De septenarii porro numeri perfectione dici quidem plura possunt : sed et liber iste jam prolixus est; et vereor ne occasione comperta, scientiolam nostram leviter magis quam utiliter jactare velle videamur. Habenda est itaque ratio moderationis atque gravitatis, ne forte cum de numero multum loquimur, mensuram et pondus negligere judicemur. Hoc itaque satis sit admonere, quod totus impar primus numerus ternarius est, totus par quaternarius : ex quibus duobus septenarius constat.

[1] In Mss., *quorumque*.
[2] Mss., *illuc clariore, hac obscuriore*.
(*a*) Certius meliusque scitur tota ratio linearum superficierumque ex dogmatis mathematicis, quam ex pictura, quæ nunquam tam exacta est, ut ante oculos rem ipsam, ut se habet, exponat; meliusque mente intelligitur rectam esse lineam quæ a nota in notam est brevissima, ut ait Euclides, aut lineas omnes a centro ad circum esse pares, ex præceptis geometricis, quam ex descriptione non modo pulveris, sed ne Parrhasii quidem aut Apellis. Lud. Vives.

(*a*) Conf. lib. 4 de Gen. ad Litt., n. 2-7, et de Trinit. lib. 4, n. 7-9.
(*b*) Lib. 5 de Gen. ad Litt., n. 1-5, et lib. 4, n. 31-37.
(*c*) *Ipsa* scilicet requies Dei, quæ non est aliqua creatura.

Ideo pro universo sæpe ponitur, sicuti est, *Septies cadet justus, et resurget* (*Prov.* xxiv, 16) id est, quotiescumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit. Et, *Septies in die laudabo te* (*Psal.* cxviii, 164). Quod alibi alio modo dictum est : *Semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* xxxiii, 2). Et multa hujusmodi in divinis auctoritatibus reperiuntur, in quibus septenarius numerus, ut dixi, pro cujusque rei universitate poni solet. Propter hoc eodem sæpe numero significatur Spiritus sanctus (*a*), de quo Dominus ait, *Docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* xvi, 13). Ibi requies Dei, qua requiescitur in Deo. In toto quippe, id est in plena perfectione, requies; in parte autem labor. Ideo laboramus, quamdiu ex parte scimus; sed cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur (I *Cor.* xiii, 9, 10). Hinc est quod etiam Scripturas istas cum labore rimamur. Sancti vero Angeli, ad[1] quorum societatem et congregationem in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem, ita cognoscendi facilitatem et requiescendi felicitatem. Sine difficultate quippe nos adjuvant; quoniam spiritualibus motibus puris et liberis non laborant.

CAPUT XXXII. — *De opinione eorum qui Angelorum creationem anteriorem volunt esse, quam mundi.*

Ne quis autem contendat, et dicat non sanctos Angelos esse significatos, in eo quod scriptum est, *Fiat lux, et facta est lux*; sed quamlibet lucem tunc primum factam esse corpoream aut opinetur, aut doceat : Angelos autem prius esse factos, non tantum ante firmamentum, quod inter aquas et aquas factum, appellatum est cœlum, sed ante illud quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* : atque illud quod dictum est, *In principio*, non ita dictum tanquam primum hoc factum sit, cum ante fecerit Angelos; sed quia omnia in sapientia fecit, quod est Verbum ejus, et ipsum Scriptura principium nominavit; sicut ipse in Evangelio Judæis quærentibus quis esset, respondit se esse principium (*Joan.* viii, 25) : non e contrario referam contentionem, maxime quia hoc me delectat plurimum, quod etiam in summo exordio sancti libri Geneseos Trinitas commendatur. Cum enim ita dicitur, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, ut Pater fecisse intelligatur in Filio, sicut attestatur Psalmus, ubi legitur, *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* ciii, 24) : convenientissime paulo post commemoratur etiam Spiritus sanctus. Cum enim dictum esset, qualem terram Deus primitus fecerit, vel quam molem materiamve futuræ constructionis mundi cœli et terræ nomine nuncupaverit, subjiciendo et addendo, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum* : mox ut Trinitatis commemoratio compleretur, *Et spiritus*, inquit, *Dei superferebatur super aquam* (*Gen.* i, 1-3). Proinde ut volet quisque accipiat, quod ita profundum est, ut ad exercitationem legentium a fidei regula non aberrantes plures possit generare sententias : dum tamen Angelos sanctos in sublimibus sedibus[1], non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna et vera felicitate securos et certos esse, nemo ambigat. Ad quorum societatem pertinere parvulos suos Dominus docens, non solum illud ait, *Erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* xxii, 30) : verum ipsi quoque Angeli qua contemplatione fruantur, ostendit, ubi ait, *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis : dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Id.* xviii, 10).

CAPUT XXXIII. — *De duabus Angelorum societatibus diversis atque disparibus, quæ non incongrue intelliguntur lucis et tenebrarum nominibus nuncupatæ.*

Peccasse autem quosdam angelos, et in hujus mundi ima detrusos, qui eis velut carcer est, usque ad futuram in die judicii ultimam damnationem, apostolus Petrus apertissime ostendit, dicens, quod Deus angelis peccantibus non pepercerit, sed carceribus caliginis inferi[2] retrudens tradiderit in judicio puniendos reservari (II *Petr.* ii, 4). Inter hos ergo et illos, Deum vel præscientia vel opere divisisse quis dubitet? illosque lucem merito appellari, quis contradicat? quandoquidem nos adhuc in fide viventes, et eorum æqualitatem adhuc sperantes, utique nondum tenentes, jam lux dicti ab Apostolo sumus : *Fuistis enim*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Istos vero desertores, tenebras apertissime nuncupari, profecto advertunt, qui pejores esse hominibus infidelibus sive intelligunt, sive credunt. Quapropter, etsi alia lux in isto hujus libri loco intelligenda est, ubi legimus, *Dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux*; et aliæ tenebræ significatæ sunt in eo quod scriptum est, *Divisit Deus inter lucem et tenebras* (*Gen.* i, 3, 4) : nos tamen has duas angelicas societates, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho[3] (*a*) : unam cui dicitur, *Adorate eum, omnes Angeli ejus* (*Psal.* xcvi, 8); aliam cujus princeps dicit, *Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me* (*Matth.* iv, 9) : unam Dei sancto amore flagrantem, alteram propriæ celsitudinis immundo amore fumantem : et quoniam, sicut scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* iv, 6; I *Petr.* v, 5), illam in cœlis cœlorum habitantem, istam inde dejectam in hoc infimo aerio cœlo tumultuantem : illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam : illam Dei nutu clementer subvenientem, juste ulciscentem : istam suo fastu subdendi et nocendi libidine exæstuantem : illam, ut quantum vult consulat, Dei bonitati[4] mini-

[1] Mss. omittunt particulam, *ad* : et ex his nonnulli habent, *societati et congregationi*.
(*a*) Conf. serm. 8, n. 13.

[1] Editi, *cœli sedibus*. Abest, *cœli*, a Mss.
[2] Am. Er. Lov., *inferni*. At Vind. et Mss., *inferi*.
[3] Vind. Am. et plures Mss., *typo*.
[4] Sic Mss. At editi, *bonitatis*.
(*a*) Eodem verbo utitur Augustinus lib. 3 Confess., cap. 3, et lib. 7, cap. 9, ad exprimendam scilicet superbiam et arrogantiam.

stram ; istam, ne quantum vult noceat, Dei potestate frenatam : illam huic illudentem, ut nolens prosit persecutionibus suis, hanc illi invidentem, cum peregrinos colligit suos : nos ergo has duas societates angelicas inter se dispares atque contrarias, unam et natura bonam, et voluntate rectam ; aliam vero natura bonam, sed voluntate perversam, aliis manifestioribus divinarum Scripturarum testimoniis declaratas, quod etiam in hoc libro, cui nomen est Genesis, lucis tenebrarumque vocabulis significatas existimavimus, etiamsi aliud sensit hoc loco forte qui scripsit, non est inutiliter obscuritas hujus pertractata sententiæ : quia etsi voluntatem auctoris libri hujus indagare nequivimus, a regula tamen fidei, quæ per alias ejusdem auctoritatis sacras Litteras satis fidelibus nota est, non aberravimus [1]. Etsi enim corporalia hic commemorata sunt opera Dei, habent procul dubio nonnullam similitudinem spiritualium, secundum quam dicit Apostolus : *Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei ; non sumus noctis, neque tenebrarum* (I *Thess.* v, 5). Si autem hoc sensit etiam ille qui scripsit, ad perfectiorem disputationis finem nostra pervenit intentio : ut homo Dei tam eximiæ divinæque sapientiæ, imo per eum Spiritus Dei in commemorandis operibus Dei, quæ omnia sexto die dicit esse perfecta, nullo modo Angelos prætermisisse credatur : sive *In principio*, quia primo fecit ; sive quod convenientius intelligitur, *In principio*, quia in Verbo unigenito fecit, scriptum sit, *In principio fecit Deus cœlum et terram* : quibus nominibus universalis est significata creatura, vel spiritualis et corporalis, quod est credibilius ; vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia quæ creata sunt continentur, ut primitus eam totam proponeret, ac deinde partes ejus secundum mysticum dierum numerum exsequeretur.

CAPUT XXXIV. — *De eo quod quidam putant, in conditione firmamenti aquarum discretarum nomine Angelos significatos, et quod quidam aquas existimant non creatas.*

Quanquam nonnulli putaverint aquarum nomine significatos quodammodo populos Angelorum (a) ; et hoc esse quod dictum est, *Fiat firmamentum inter aquam et aquam* (*Gen.* I, 6) : ut supra firmamentum Angeli intelligantur, infra vero vel aquæ istæ visibiles, vel malorum angelorum multitudo, vel omnium hominum gentes. Quod si ita est, non illic apparet ubi facti sunt Angeli, sed ubi discreti. Quamvis et aquas, quod perversissimæ atque impiæ vanitatis est, negent quidam factas a Deo, quoniam nusquam scriptum est, Dixit Deus, Fiant aquæ (a). Quod possunt simili vanitate etiam de terra dicere : nusquam enim legitur, Dixit Deus, Fiat terra. Sed, inquiunt, scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*. Illic ergo et aqua intelligenda est : uno enim nomine utrumque comprehensum est. Nam *ipsius est mare*, sicut in Psalmo legitur, *et ipse fecit illud, et aridam terram*[1] *manus ejus finxerunt* (*Psal.* XCIV, 5). Sed hi qui in nomine aquarum quæ super cœlos sunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum moventur, et ideo non putant aquarum fluidam gravemque naturam in superioribus mundi locis potuisse constitui : qui secundum rationes suas si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod græce φλέγμα dicitur, et tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est phlegmatis, secundum Dei opus utique aptissime : secundum istorum autem conjecturam tam absurde, ut si hoc nesciremus, et in hoc libro similiter scriptum esset, quod Deus humorem fluidum et frigidum, ac per hoc gravem, in superiore omnibus cæteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent ; et si auctoritati ejusdem Scripturæ subditi essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse censerent. Sed quoniam, si diligenter singula scrutemur atque tractemus, quæ in illo divino libro de constitutione mundi scripta sunt, et multa dicenda, et a proposito instituti operis longe digrediendum est ; jamque de duabus istis diversis inter se atque contrariis societatibus Angelorum, in quibus sunt quædam exordia duarum etiam in rebus humanis civitatum, de quibus deinceps dicere institui, quantum satis esse visum est, disputavimus, hunc quoque librum aliquando claudamus.

[1] Nostri omnes, excepto Cod. 2050, *abhorruimus*. M.

(a) Hoc putasse ipse Augustinus videtur lib. 13 Confess., capp. 15 et 32. Sed hanc sententiam improbavit in lib. 2 Retract., cap. 6, n. 2. Eadem opinio fuit Origenis, reprehensa ab Epiphanio in Epistola ad Joannem Jerosolymitanum, et ab Hieronymo, ad Pammachium adversus errores Joannis Jerosolymitani.

[1] Vind. Er. et Lov. omittunt, *terram*. Habent potiores manuscripti juxta græcum LXX. Habet etiam editio Am. sed cum additamento sic : *et aridam, id est terram manus ejus finxerunt*.

(a) Hujus etiam hæreseos meminit libro de Hæresibus, hær. 76, nec tamen auctorem nominat. Eam Audianis tribuit Theodoretus libro 1 Hæreticarum fabularum. Epiphanius contra, Hæresi 54, quæ est Sampsæorum, inter cætera hos hæreticos notat, quod colerent aquam, et hanc veluti Deum putarent. Coqueus.

LIBER DUODECIMUS.

In quo prius quidem de Angelis inquirit Augustinus, unde nimirum aliis bona voluntas, aliis mala, et quæ causa beatitudinis bonorum, quæ causa miseriæ malorum angelorum fuerit. Postea vero de hominis institutione agit, docetque eum non ab æterno, sed in tempore esse conditum, nec alio auctore quam Deo.

CAPUT PRIMUM. — *De una bonorum malorumque angelorum natura.*

1. Antequam de institutione hominis dicam, ubi duarum civitatum, quantum ad rationalium mortalium [1] genus attinet, apparebit exortus, sicut supe-

[1] Editi, *mortaliumque*. Abest, *que*, a manuscriptis.

riore libro apparuisse in Angelis jam videtur; prius mihi quædam de ipsis Angelis video esse dicenda, quibus demonstretur, quantum a nobis potest, quam non inconveniens neque incongrua dicatur esse hominibus Angelisque societas: ut non quatuor, duæ scilicet Angelorum totidemque hominum, sed duæ potius civitates, hoc est societates, merito esse dicantur; una in bonis, altera in malis non solum Angelis, verum etiam hominibus constitutæ.

2. **Angelorum bonorum et malorum inter se contrarios appetitus non naturis principiisque diversis, cum Deus omnium substantiarum bonus auctor et conditor utrosque creaverit, sed voluntatibus et cupiditatibus exstitisse, dubitare fas non est; dum alii constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, atque in ejus æternitate, veritate, charitate persistunt; alii sua potestate potius delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt; et habentes elationis fastum pro excelsissima æternitate, vanitatis astutiam pro certissima veritate, studia partium pro individua charitate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt. Beatitudinis igitur illorum causa est, adhærere Deo. Quocirca istorum miseriæ causa ex contrario est intelligenda, quod est, non adhærere Deo. Quamobrem, si cum quæritur quare illi beati sint, recte respondetur, quia adhærent Deo; et cum quæritur cur isti sint miseri, recte respondetur, quia non adhærent Deo: non est creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Ita quamvis non omnis beata possit esse creatura (neque enim hoc munus adipiscuntur aut capiunt feræ, ligna, saxa, et si quid ejusmodi est), ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est; sed ex illo, a quo creata est. Hoc enim adepto beata, quo amisso misera est. Ille vero qui non alio, sed se ipso bono beatus est, ideo ipse miser non potest esse, quia non se potest amittere.

3. Dicimus itaque incommutabile bonum non esse, nisi unum verum beatum Deum: ea vero quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo; verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt. Quanquam ergo summa non sint; quibus est Deus majus bonum: magna sunt tamen ea mutabilia bona, quæ adhærere possunt ut beata sint, immutabili bono; quod usque adeo bonum eorum est, ut sine illo misera esse necesse sit. Nec ideo cætera in hac creaturæ universitate meliora sunt, quia misera esse non possunt. Neque enim cætera membra corporis nostri ideo dicendum est oculis esse meliora, quia cæca esse non possunt. Sicut autem melior est natura sentiens et cum dolet, quam lapis qui dolere nullo modo potest: ita rationalis natura præstantior est etiam misera, quam illa quæ rationis vel sensus est expers, et ideo in eam non cadit miseria. Quod cum ita sit, huic naturæ, quæ in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendæ non sufficiat nisi Deus, profecto non illi adhærere, vitium est. Omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est. Ab illa igitur quæ adhæret Deo, non natura differt ista, sed vitio: quo tamen etiam vitio valde magna multumque laudabilis ostenditur ipsa natura. Cujus enim recte vituperatur vitium, procul dubio natura laudatur. Nam recta vitii vituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis. Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur, quod ad naturam oculorum pertinet visus; et cum vitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere demonstratur auditus: ita cum vitium creaturæ angelicæ dicitur, quod non adhæret Deo, hinc apertissime declaratur, ejus naturæ, ut Deo adhæreat, convenire. Quam porro magna sit laus adhærere Deo, ut ei vivat, inde sapiat, illo gaudeat, tantoque bono sine morte, sine errore, sine molestia perfruatur, quis cogitare digne possit, aut eloqui? Quapropter etiam vitio malorum angelorum, quo non adhærent Deo, quoniam omne vitium naturæ nocet, satis manifestatur Deum tam bonam eorum creasse naturam, cui noxium sit non esse cum Deo.

CAPUT II.— *Nullam essentiam Deo esse contrariam, quia ab eo qui summe est et semper est, hoc totum* [1] *videtur diversum esse quod non est.*

Hæc dicta sint, ne quisquam, cum de angelis apostaticis loquimur, existimet eos aliam velut ex alio principio habere potuisse naturam, nec eorum naturæ auctorem Deum. Cujus erroris impietate tanto quisque carebit expeditius et facilius, quanto perspicacius intelligere potuerit, quod per angelum dixit Deus, quando Moysen mittebat ad filios Israel: *Ego sum, qui sum* (*Exod.* III, 14). Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit, et ideo immutabilis sit; rebus quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse, sicut ipse est; et aliis dedit esse amplius, aliis minus; atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit. Sicut enim ab eo quod est sapere, vocatur sapientia; sic ab eo quod est esse, vocatur essentia: novo quidem nomine, quo usi veteres non sunt latini sermonis auctores, sed jam nostris temporibus usitato, ne deesset etiam linguæ nostræ, quod Græci appellant οὐσίαν. Hoc enim verbum e verbo expressum est, ut diceretur essentia. Ac per hoc ei naturæ, quæ summe est, qua faciente sunt quæcumque sunt, contraria natura non est, nisi quæ non est. Ei quippe quod est, non esse contrarium est. Et propterea Deo, id est summæ essentiæ, et auctori omnium qualiumcumque essentiarum, essentia nulla contraria est.

CAPUT III. — *De inimicis Dei, non per naturam, sed per contrariam voluntatem, quæ cum ipsis nocet, bonæ utique naturæ nocet: quia vitium si non nocet, non est.*

Dicuntur autem in Scripturis inimici Dei, qui non natura, sed vitiis adversantur ejus imperio: nihil ei

[1] Quidam manuscripti, *hoc in toto*.

valentes nocere, sed sibi. Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi. Deus namque immutabilis est, et omnimodo incorruptibilis. Idcirco vitium quo resistunt Deo, qui ejus appellantur inimici, non est Deo, sed ipsis malum. Neque hoc ob aliud, nisi quia corrumpit in eis naturæ bonum. Natura igitur non est contraria Deo, sed vitium. Quia quod malum est, contrarium est bono [1]. Quis autem neget Deum summe bonum? Vitium ergo contrarium est Deo, tanquam malum bono. Porro autem bonum est et natura quam vitiat; unde et huic bono utique contrarium est: sed Deo tantummodo tanquam bono malum; naturæ vero quam vitiat, non tantum malum, sed etiam noxium. Nulla quippe mala Deo noxia, sed mutabilibus corruptibilibusque naturis, bonis tamen ipsorum quoque testimonio vitiorum. Si enim bonæ non essent, eis vitia nocere non possent. Nam quid eis nocendo faciunt, nisi adimunt integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, et quidquid boni naturæ per vitium detrahi sive minui consuevit? Quod si omnino desit, nihil boni adimendo non nocet, ac per hoc nec vitium est. Nam esse vitium, et non nocere, non potest. Unde colligitur, quamvis non possit vitium nocere incommutabili bono, non tamen posse nocere nisi bono: quia non inest, nisi ubi nocet. Hoc etiam isto modo dici potest, vitium esse nec in summo posse bono, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt, sola mala nusquam: quoniam naturæ etiam illæ quæ ex malæ voluntatis vitio [2] vitiatæ sunt, in quantum vitiosæ sunt, malæ sunt; in quantum autem naturæ sunt, bonæ sunt. Et cum in pœnis est natura vitiosa, excepto eo quod natura est, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est. Hoc enim est justum, et omne justum procul dubio bonum. Non enim quisquam de vitiis naturalibus, sed de voluntariis pœnas luit. Nam etiam quod vitium consuetudine nimiove progressu roboratum velut naturaliter inolevit, a voluntate sumpsit exordium. De vitiis quippe nunc loquimur ejus naturæ, cui mens inest capax intelligibilis lucis, qua discernitur justum ab injusto.

CAPUT IV. — *De natura irrationalium, aut vita carentium, quæ in suo genere atque ordine ab universitatis decore non discrepat.*

Cæterum vitia pecorum et arborum, aliarumque rerum mutabilium atque mortalium, vel intellectu, vel sensu, vel vita omnino carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare, ridiculum est: cum istæ creaturæ eum modum nutu Creatoris acceperint, ut cedendo ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum in genere suo istius mundi partibus congruentem. Neque enim cœlestibus fuerant terrena coæquanda, aut ideo universitati deesse ista debuerunt, quoniam sunt illa meliora. Cum ergo in his locis, ubi talia esse competebat, alia aliis deficientibus oriuntur, et succumbunt minora majoribus, atque in qualitates superantium superata vertuntur, rerum est ordo transeuntium. Cujus ordinis decus propterea nos non delectat, quoniam parti ejus pro conditione nostræ mortalitatis intexti, universum, cui particulæ quæ nos offendunt, satis apte decenterque conveniunt, sentire non possumus. Unde nobis, in quibus eam contemplari minus idonei sumus, rectissime credenda præcipitur providentia Conditoris, ne tanti artificis opus in aliquo reprehendere vanitate humanæ temeritatis audeamus. Quanquam et vitia rerum terrenarum non voluntaria, neque pœnalia, naturas ipsas, quarum nulla omnino est, cujus non sit auctor et conditor Deus, si prudenter attendamus, eadem ratione commendant: quia et in eis hoc nobis per vitium tolli displicet, quod in natura placet: nisi quia hominibus etiam ipsæ naturæ plerumque displicent, cum eis fiunt noxiæ, non eas considerantibus, sed utilitatem suam; sicut illa animalia, quorum abundantia Ægyptiorum superbia vapulavit. Sed isto modo possunt et solem vituperare; quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni a judicibus jubentur ad solem (*a*). Non itaque ex commodo vel incommodo nostro, sed per seipsam considerata natura dat artifici suo gloriam. Sic est et natura ignis æterni sine ulla dubitatione laudabilis, quamvis damnatis impiis futura pœnalis. Quid enim est igne flammante, vigente, lucente pulchrius? quid calefaciente, curante, coquente utilius? quamvis eo nihil sit urente molestius. Idem igitur ipse aliter [1] appositus perniciosus, qui convenienter adhibitus commodissimus invenitur. Nam ejus in universo mundo utilitates verbis explicare quis sufficit? Nec audiendi sunt, qui laudant in igne lucem, ardorem autem vituperant: videlicet non ex sui natura, sed ex suo commodo vel incommodo. Videre enim volunt, ardere nolunt. Sed parum attendunt eam ipsam lucem, quæ certe et illis placet, oculis infirmis per inconvenientiam nocere; et in illo ardore, qui eis displicet, nonnulla animalia per convenientiam salubriter vivere (*b*).

CAPUT V. — *Quod in omni naturæ specie ac modo laudabilis sit Creator.*

Naturæ igitur omnes, quoniam sunt, et ideo habent modum suum, speciem suam, et quamdam secum pacem suam, profecto bonæ sunt. Et cum ibi sunt, ubi esse per naturæ ordinem debent, quantum acceperunt, suum esse custodiunt. Et quæ semper esse non acceperunt, pro usu motuque rerum, quibus Creatoris lege subduntur, in melius deteriusve mutantur, in eum divina providentia tendentes exitum, quem ratio gubernandæ universitatis includit: ita ut nec tanta corruptio, quanta usque ad interitum naturas

[1] Nonnulli Mss., *sed vitium, quia malum est, contrarium est bono*.
[2] Plures et probæ notæ Mss., *initio*.

[1] Vind. Am. et Er., *pœnaliter*.
(*a*) Genus hoc est pœnæ quod ad infamiam spectat potius quam ad cruciatum supplicii: etsi nec deest suus cruciatus. Eo afficiuntur in Hispania lenæ muliercellis allixæ et perunctæ melle, quo muscæ et apes et vespæ advolant. LUD. VIVES.
(*b*) Vide infra, lib. 21, cap. 4.

mutabiles mortalesque perducit, sic faciat non esse quod erat, ut non inde fiat consequenter quod esse debeat. Quæ cum ita sint, Deus qui summe est, atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia, quæ non summe est (quia neque illi æqualis esse deberet, quæ de nihilo facta esset); neque ullo modo esse posset, si ab illo facta non esset: nec ullorum vitiorum offensione vituperandus, et omnium naturarum consideratione laudandus est.

CAPUT VI. — *Quæ causa sit beatitudinis Angelorum bonorum, et quæ causa sit miseriæ angelorum malorum.*

Proinde causa beatitudinis Angelorum bonorum ea verissima reperitur, quod ei adhærent qui summe est. Cum vero causa miseriæ malorum angelorum quæritur, ea merito occurrit, quod ab illo qui summe est aversi, ad se ipsos conversi sunt, qui non summe sunt: et hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupatur? *Initium* quippe *omnis peccati superbia* (*Eccli.* x, 15). Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam (*Psal.* LVIII, 10): et qui magis essent, si ei qui summe est adhærerent; se illi præferendo, id quod minus est prætulerunt. Hic primus defectus et prima inopia primumque vitium ejus naturæ, quæ ita creata est, ut nec summe esset, et tamen ad beatitudinem habendam, eo qui summe est frui posset, a quo aversa, non quidem nulla, sed tamen minus esset, atque ob hoc misera fieret. Hujus porro malæ voluntatis causa efficiens si quæratur, nihil invenitur. Quid est enim quod facit voluntatem malam, cum ipsa faciat opus malum? Ac per hoc mala voluntas efficiens est operis mali, malæ autem voluntatis efficiens est nihil. Quoniam si res aliqua est, aut habet, aut non habet aliquam voluntatem: si habet, aut bonam profecto habet, aut malam: si bonam, quis ita desipiat, ut dicat quod bona voluntas faciat voluntatem malam? Erit enim, si ita est, bona voluntas causa peccati: quo absurdius putari nihil potest. Si autem res ista quæ putatur facere voluntatem malam, ipsa quoque habet voluntatem malam; etiam eam quæ fecerit res, consequenter interrogo: atque ut sit aliquis inquirendi modus, causam primæ malæ voluntatis inquiro. Non est enim prima voluntas mala, quam fecit voluntas mala [1]: sed illa prima est, quam nulla fecit. Nam si præcessit a qua fieret, illa prior est, quæ alteram fecit. Si respondetur quod eam nulla res fecerit, et ideo semper fuerit; quæro utrum in aliqua natura fuerit. Si enim in nulla fuit, omnino non fuit: si autem in aliqua, vitiabat eam et corrumpebat, eratque illi noxia, ac per hoc bono privabat. Et ideo in mala natura voluntas mala esse non poterat; sed in bona, mutabili tamen, cui vitium hoc posset nocere. Si enim non nocuit, non utique vitium fuit: ac per hoc nec mala voluntas fuisse dicenda est. Porro si nocuit, bonum auferendo vel minuendo utique nocuit. Non igitur esse potuit sempiterna voluntas mala in ea re, in qua bonum naturale præcesserat, quod mala voluntas nocendo posset adimere. Si ergo non erat sempiterna, quis eam fecerit, quæro. Restat ut dicatur, quod ea res fecerit malam voluntatem, in qua nulla voluntas fuit. Hæc utrum superior sit, requiro; an inferior, an æqualis. Sed si superior, utique melior: quomodo ergo nullius, ac non potius bonæ voluntatis? Hoc idem profecto et æqualis [1]. Duo quippe quamdiu sunt pariter voluntatis bonæ, non facit alter in altero voluntatem malam. Relinquitur ut inferior res, cui nulla voluntas est, fecerit angelicæ naturæ, quæ prima peccavit, voluntatem malam. Sed etiam res ipsa quæcumque est inferior usque ad infimam terram, quoniam natura et essentia est, procul dubio bona est, habens modum et speciem suam in genere atque ordine suo. Quomodo ergo res bona efficiens est voluntatis malæ? quomodo, inquam, bonum est causa mali? Cum enim se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala: non quia malum est, quo se convertit; sed quia perversa est ipsa conversio. Idcirco non res inferior voluntatem malam fecit; sed rem inferiorem prave atque inordinate ipsa quæ [2] facta est, appetivit. Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret; quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala? Quæ illam res fecit, in quo facta est? Neque enim pulchritudo illa corporis; nam eam non fecit in ambobus: quandoquidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus. An caro intuentis in causa est? Cur non et illius? An vero animus? Cur non utriusque? Ambos enim et animo et corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus. An dicendum est, alterum eorum occulta maligni spiritus suggestione tentatum? quasi non eidem suggestioni et qualicumque suasioni propria voluntate consenserit. Hanc igitur consensionem, hanc malam quam male suadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur, si eadem tentatione ambo tententur, et unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat perseveret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis et animi affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio: propriam igitur in uno eorum voluntatem malam quæ res fecerit scire volentibus, si bene intueantur, nihil occurrit. Si enim dixerimus quod ipse eam fecerit, quid erat ipse ante voluntatem malam nisi natura bona, cujus auctor Deus, qui est incommutabile bonum? Qui ergo dicit eum qui consensit tentanti atque suadenti, cui non consensit alius, ad illicite utendum pulchro corpore, quod videndum ambobus pariter adfuit, cum ante illam visionem ac tentationem similes ambo animo et

[1] Vind. Am. et Lov., *quam nulla fecit* (vel, *facit*) *voluntas etiam mala*. Castigantur ex Mss.

[1] Sic Mss. At editi: *Hoc idem profecto, et æqualis si fuerit, dici potest.*

[2] Omnes manuscripti, *quia*.

corpore fuerint, ipsum sibi fecisse voluntatem malam, quia utique bonus ante voluntatem malam fuerit; quærat cur eam fecerit, utrum quia natura est, an quia ex nihilo facta est: et inveniet voluntatem malam non ex eo esse incipere quod natura est, sed ex eo quod de nihilo natura facta est. Nam si natura causa est voluntatis malæ, quid aliud cogimur dicere, nisi a bono fieri malum, et bonum esse causam mali? siquidem a natura bona fit voluntas mala. Quod unde fieri potest, ut natura bona, quamvis mutabilis, antequam habeat voluntatem malam, faciat aliquid mali, hoc est, ipsam voluntatem malam?

CAPUT VII. — *Causam efficientem malæ voluntatis non esse quærendam.*

Nemo igitur quærat efficientem causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium: quod tamen utrumque nobis notum est; neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures; non sane in specie, sed in speciei privatione. Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi forte ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea quippe quæ non in specie, sed in ejus privatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, ut sciendo nesciantur. Cum enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi cœperit non videre. Ita etiam non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet sentire silentium: quod tamen nullo modo nisi non audiendo sentitur. Sic species intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspicit; sed ubi deficiunt, nesciendo condiscit. *Delicta* enim *quis intelligit* (*Psal.* XVIII, 13)?

CAPUT VIII. — *De amore perverso, quo voluntas ab incommutabili bono ad commutabile bonum deficit.*

Hoc scio, naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere; et ea posse deficere, quæ ex nihilo facta sunt. Quæ tamen quanto magis sunt, et bona faciunt (tunc enim aliquid faciunt), causas habent efficientes [1]: in quantum autem deficiunt, et ex hoc mala faciunt, (quid enim tunc faciunt nisi vana?) causas habent deficientes. [VIII.] Itemque scio in quo fit mala voluntas, id in eo fieri, quod si nollet, non fieret: et ideo non necessarios, sed voluntarios defectus justa pœna consequitur. Deficitur enim non ad mala, sed male; id est, non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est ad id quod minus est. Neque enim auri vitium est avaritia, sed hominis perverse amantis aurum, justitia derelicta, quæ incomparabiliter auro debuit anteponi. Nec luxuria est vitium pulchrorum suaviumque corporum, sed animæ perverse amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia, qua rebus spiritualiter pulchrioribus, et incorruptibiliter suavioribus coaptamur. Nec jactantia vitium est laudis humanæ, sed animæ perverse amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ. Nec superbia vitium est dantis potestatem, vel ipsius etiam potestatis, sed animæ perverse amantis potestatem suam, potentioris justiore contempta. Ac per hoc qui perverse amat cujuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus, et miser meliore privatus.

CAPUT IX. — *An sancti Angeli quem habent creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis auctorem per Spiritum sanctum in eis charitate diffusa.*

1. Cum ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel, si dici potest, essentialis nulla sit causa; ab ipsa quippe incipit spirituum mutabilium malum, quo minuitur atque depravatur naturæ bonum, nec talem voluntatem facit nisi defectio, qua deseritur Deus, cujus defectionis etiam causa utique deficit: si dixerimus nullam esse efficientem causam etiam voluntatis bonæ, cavendum est, ne voluntas bona bonorum Angelorum, non facta, sed Deo coæterna esse credatur. Cum ergo [1] ipsi facti sint, quomodo illa non esse facta dicetur? Porro quia facta est, utrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis, non dubium quod ab illo facta sit, a quo et ipsi; simulque ut facti sunt, ei a quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhæserunt. Eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod a bona defecerunt: a qua non defecissent, si utique noluissent [2]. Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsi Deo non operante fecerunt; ergo meliores a se ipsis, quam ab illo facti sunt. Absit. Quid enim erant sine bona voluntate, nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat (neque enim ab ea, quam nondum cœperant habere, defecerant), certe nondum tales, nondum tam boni, quam esse cum voluntate bona cœperunt. Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit; profecto et bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent. Et cum id egit eorum voluntas bona, ut non ad se ipsos, qui minus erant, sed ad illum qui summe est, converterentur, eique adhærentes magis essent, ejusque participatione sapienter beateque viverent; quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem?

[1] Mich. Am. et Er., *tunc enim aliquid faciunt, cum causas habent efficientes*. Lov., *tunc enim cum aliquid faciunt, causas habent efficientes*. Expungenda particula, cum, quæ [illegible]

[1] Vind. Am. et Lov., *enim*. At Er. et Mss., *ergo*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *hoc ipso quod a bono defecerunt; a quo non defecissent, si utique noluissent*.

2. Nam et hoc discutiendum est, si boni Angeli ipsi in se fecerunt voluntatem bonam, utrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt. Si nulla, utique nec fecerunt. Si aliqua, utrum mala, an bona. Si mala, quomodo esse potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona, jam ergo habebant. Et istam quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul eis [1] et condens naturam, et largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse, credendum est. Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono, aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi qui in eadem persliterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt: sicut jam etiam in libro, quem sequitur iste, tractavimus (*cap.* 13). Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis (*Rom.* v, 5); nec tantum hominum, sed primitus præcipueque Angelorum bonum esse, quod scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo, bonum est* (*Psal.* LXXII, 28). Hoc bonum quibus commune est, habent et cum illo cui adhærent et inter se societatem sanctam, et sunt una civitas Dei, eademque vivum sacrificium ejus vivumque templum ejus. Cujus pars quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur (*a*), et nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis qui morte obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit, eodem Deo creante, quemadmodum exorta sit, sicut de Angelis dictum est, jam video esse dicendum. Ex uno quippe homine, quem primum Deus condidit, genus humanum sumpsit exordium, secundum sanctæ Scripturæ fidem, quæ mirabilem auctoritatem non immerito habet in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cætera vera [2] quæ dixit, vera divinitate prædixit.

CAPUT X. — *De falsitate ejus historiæ, quæ multa millia annorum præteritis temporibus adscribat.*

1. Omittamus igitur conjecturas hominum nescientium quid loquantur de natura vel institutione generis humani. Alii namque, sicut de ipso mundo crediderunt, semper fuisse homines opinantur (*b*). Unde ait et Apuleius, cum hoc animantium genus describeret: « *Singillatim mortales, cunctim* [3] *tamen universo genere*

[1] Editi, *in eis*. Abest, *in*, a Mss.
[2] Apud Er. et Lov. omissum est, *vera*.
[3] Libri quidam, *cuncti*: ut supra, lib. 9, cap. 8. At Apuleius, *cunctim*.
(*a*) Conf. Enchirid., n. 9.
(*b*) Basilius, Homilia prima in Hexaemeron: « Profanorum hominum alii naturam humanam æternam asseruerunt, alii primum in Attica natos fuisse homines, alii in « Arcadia, alii in Ægypto. » Quibus Scythas etiam addiderunt. Coquæus.

perpetui (*In libro de deo Socratis*). Et cum illis dictum fuerit, si semper humanum genus fuit, quonam modo verum eorum loquatur historia, narrans qui fuerint quarumque rerum inventores, qui primi liberalium disciplinarum aliarumque artium institutores, vel a quibus primum illa vel illa regio parsque terrarum, illa atque illa insula incoli cœperit: respondent, diluviis et conflagrationibus per certa intervalla temporum (*a*) non quidem omnia, sed plurima terrarum ita vastari, ut redigantur homines ad exiguam paucitatem, ex quorum progenie rursus multitudo pristina reparetur, ac sic identidem reparari et institui quasi prima, cum [1] restituantur potius quæ fuerant illis nimiis vastationibus interrupta et exstincta; cæterum hominem nisi ex homine existere omnino non posse. Dicunt autem quod putant, non quod sciunt.

2. Fallunt eos etiam quædam mendacissimæ litteræ, quas perhibent in historia temporum multa annorum millia continere (*b*): cum ex Litteris sacris ab institutione hominis nondum completa annorum sex millia computemus (*c*). Unde, ne multa disputem quemadmodum illarum litterarum, in quibus longe plura annorum millia referuntur, vanitas refellatur, et nulla in illis rei hujus idonea reperiatur auctoritas; illa epistola Alexandri Magni ad Olympiadem matrem suam (*d*), quam scripsit narrationem cujusdam Ægyptii sacerdotis insinuans, quam protulit ex litteris quæ sacræ apud illos haberentur, continentem regna [2] quæ Græca quoque novit historia: in quibus regnum Assyriorum in eadem epistola Alexandri quinque millia excedit annorum; in Græca vero historia mille ferme et trecentos habet ab ipsius Beli principatu, quem regem et ille Ægyptius in ejusdem regni ponit exordio. Persarum autem et Macedonum imperium usque ad ipsum Alexandrum, cui loquebatur, plus quam octo et annorum millium ille constituit: cum apud Græcos Macedonum usque ad mortem Alexandri quadringenti octoginta quinque reperiantur; Persarum vero, donec ipsius Alexandri victoria finiretur, ducenti et triginta tres computentur (*e*). Longe itaque hi numeri annorum illis Ægyptiis sunt minores, nec eis, etiamsi ter tantum computarentur, æquarentur [3]. Perhibentur enim Ægyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur (*f*). Unde annus plenior et verior, qualis nunc et nobis et illis est, tres

[1] Vind. Am. et Er., *quasi prima restituantur*; omissa particula, *cum*; cujus loco nonnulli Mss. habent, *ut*.
[2] Sic Mss. At editi, *continet etiam regna*.
[3] Nostri Mss., *æquarent*. M.

(*a*) Vid. Senec. lib. 3 natural. Quæst., capp. 27 et seqq.; et Cicer. lib. 2 de Nat. deor.
(*b*) Vid. Cicer. lib. 1 de Divinat., cap. 19, et Lact. lib. 7 Instit., cap. 14.
(*c*) Eusebius, quem in digestione temporum Augustinus sequitur, a condito mundo ad Romam a Gothis captam, quinquies mille sexcentos undecim annos computat, idque ex supputatione Septuaginta Interpretum. Nam ex Hebræo Beda usque ad principatum Honorii et Theodosii junioris, quo tempore Urbem ceperunt Gothi, quater mille trecentos septuaginta septem annos ponit. Lud. Vives.
(*d*) Vid. supra, lib. 8, cap. 5.
(*e*) Vid. supra notam ad lib. 4, cap. 7.
(*f*) Vid. Plin. lib. 7 Hist. nat., cap. 48, Lactant. lib. 2 Instit., cap. 12, et ipsum Augustinum infra, lib. 15, cap. 12.

eorum annos complectebatur antiquos. Sed ne sic quidem, ut dixi, Græca Ægyptiæ numero temporum concordat historia. Et ideo Græcæ potius fides habenda est : quia veritatem non excedit annorum, qui Litteris nostris, quæ vere sacræ sunt continentur. Porro si hæc epistola Alexandri, quæ maxime innotuit, multum abhorret in spatiis temporum a probabili fide rerum ; quanto minus credendum est illis litteris, quas plenas fabulosis velut antiquitatibus proferre voluerint[1] contra auctoritatem notissimorum divinorumque librorum, quæ totum orbem sibi crediturum esse prædixit, et cui totus orbis, sicut ab ea prædictum est, credidit ; quæ vera se narrasse præterita, ex his quæ futura prænuntiavit, cum tanta veritate implentur, ostendit?

CAPUT XI. — *De his qui hunc quidem mundum non sempiternum putant, sed aut innumerabiles, aut eumdem unum certa conclusione sæculorum semper nasci et resolvi opinantur.*

Alii vero qui mundum istum non existimant sempiternum, sive non eum solum, sed innumerabiles opinentur, sive solum quidem esse, sed certis sæculorum intervallis innumerabiliter oriri et occidere (*a*) ; necesse est fateantur hominum genus prius sine hominibus gignentibus extitisse. Neque enim ut alluvionibus incendiisque terrarum, quas illi non putant toto prorsus orbe contingere, et ideo paucos homines ex quibus multitudo pristina reparetur, semper remanere contendunt, ita et hi possunt putare, quod aliqui hominum pereunte mundo relinquantur in mundo[2] : sed sicut ipsum mundum ex materia sua renasci existimant, ita in illo ex elementis ejus genus humanum, ac deinde a parentibus progeniem pullulare mortalium, sicut aliorum animalium.

CAPUT XII. — *Quid respondendum sit his, qui primam conditionem hominis tardam esse causantur.*

Quod autem respondimus, cum de mundi origine quæstio verteretur, eis qui nolunt credere non eum semper fuisse, sed esse cœpisse, sicut etiam Plato apertissime confitetur (*In Timæo*), quamvis a nonnullis contra quam loquitur, sensisse credatur : hoc etiam de prima hominis conditione responderim, propter eos qui similiter moventur, cur homo per innumerabilia atque infinita retro tempora creatus non sit, tamque sero sit conditus, ut minus quam sex millia sint annorum, ex quo esse cœpisse in sacris Litteris invenitur (*b*). Si enim brevitas eos offendit temporis, quod tam pauci eis videntur anni ex quo institutus homo in nostris auctoritatibus legitur ; considerent nihil esse diuturnum, in quo est aliquid extremum, et omnia sæculorum spatia definita, si æternitati interminatæ[3] comparentur, non exigua existimanda esse, sed nulla. Ac per hoc, si non quinque vel sex, verum etiam sexaginta millia, sive sexcenta, aut sexagies, aut sexcenties, aut sexcenties millies dicerentur annorum ; aut itidem per totidem toties multiplicaretur hæc summa, ubi jam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit ; similiter quæri posset, cur ante non fecerit. Dei quippe ab hominis creatione cessatio retrorsus æterna sine initio tanta est, ut si ei conferatur quamlibet magna et ineffabilis numerositas temporum, quæ tamen fine conclusa certi spatii terminetur, nec saltem tanta videri debeat, quanta si humoris brevissimam guttam universo mari, etiam quantum Oceanus circumfluit, comparemus : quoniam istorum duorum unum quidem perexiguum est, alterum incomparabiliter magnum, sed utrumque finitum ; illud vero temporis spatium, quod ab initio aliquo progreditur et aliquo termino coercetur, magnitudine quantacumque tendatur, comparatum illi quod initium non habet, nescio utrum pro minimo, an potius pro nullo deputandum est. Hinc enim[1] si a fine vel brevissima singillatim momenta detrahantur, decrescente numero, licet tam ingenti, ut vocabulum non inveniat retrorsum redeundo ; tanquam si hominis dies ab illo in quo nunc vivit, usque ad illum in quo natus est, detrahas : quandoque ad initium illa detractio perducetur. Si autem detrahantur retrorsus in spatio, quod a nullo cœpit exordio, non dico singillatim minuta momenta, vel horarum aut dierum aut mensium aut annorum etiam quantitates ; sed tam magna spatia, quanta illa summa comprehendit annorum, quæ jam dici a quibuslibet computatoribus non potest, quæ tamen momentorum minutatim detractione consumitur ; et detrahantur hæc tanta spatia, non semel atque iterum sæpiusque, sed semper : quid fit, quid agitur, quando nunquam ad initium, quod omnino nullum est, pervenitur ? Quapropter, quod nos modo quærimus post quinque millia et quod excurrit[2] annorum, possent et posteri etiam post annorum sexcenties millies eadem curiositate requirere, si in tantum hæc mortalitas hominum exoriendo et occumbendo, et imperita perseveraret infirmitas. Potuerunt et qui fuerunt ante nos, ipsis recentibus hominis creati temporibus, istam movere quæstionem. Ipse denique primus homo, vel postridie, vel eodem die posteaquam factus est, potuit inquirere, cur non ante sit factus. Et quandocumque[3] antea factus esset, non vires tunc alias et alias nunc, vel etiam postea, ista de initio rerum temporalium controversia reperiret.

CAPUT XIII. — *De revolutione sæculorum, quibus certo fine conclusis, universa semper in eumdem ordinem eamdemque speciem reditura quidam philosophi crediderunt.*

1. Hanc autem se philosophi mundi hujus non

[1] Vind. Am. Fr. et plures manuscripti, *voluerunt*.

[2] Vind. Am. et Mss., *ita et hi possunt putare, quod aliquid hominum pereunte mundo relinquatur in mundo*.

[3] ... Ms., *si æternitatis interminatæ*.

(*a*) Vid. Lactant. lib. 2 Instit., cap. 9, et infra, lib. 18, cap. 41, n. 2.

(*b*) Supra, lib. 11, cap. 5.

[1] Sic Mss. At editi, *hinc enim*.

[2] Editi, *amplius excurrit*. Abest ... a ... ; plis.

[3] Lov., *quantocumque*. Editi alii et Mss., *quandocumque*.

aliter putaverunt posse vel debere dissolvere, nisi ut circuitus temporum inducerent, quibus eadem semper fuisse renovata atque repetita in rerum natura, atque ita deinceps fore sine cessatione asseverarent volumina venientium prætereuntiumque sæculorum : sive in mundo permanente isti circuitus fierent, sive certis intervallis oriens et occidens mundus eadem semper quasi nova, quæ transacta et quæ ventura sunt, exhiberet. A quo ludibrio prorsus immortalem animam, etiam cum sapientiam perceperit, liberare non possunt, euntem sine cessatione ad falsam beatitudinem, et ad veram miseriam sine cessatione redeuntem. Quomodo enim vera beatitudo est, de cujus nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miseriam aut imperitissime in veritate nescit, aut infelicissime in beatitudine pertimescit ? Aut si ad miserias nunquam ulterius reditura, ex his ad beatitudinem pergit ; fit ergo aliquid novi in tempore, quod finem non habet temporis. Cur non ergo et mundus ? cur non et homo factus in mundo ? ut illi nescio qui falsi circuitus a falsis sapientibus fallacibusque comperti, in doctrina sana tramite recti itineris evitentur.

2. Nam quidam et illud quod legitur in libro Salomonis, qui vocatur Ecclesiastes, *Quid est quod fuit ? Ipsum quod erit. Et quid est quod factum est ? Ipsum quod fiet : et non est omne recens sub sole. Quis loquatur, et dicat* [1], *Ecce hoc novum est ? Jam fuit in sæculis quæ fuerunt ante nos* (*Eccle.* I, 9, 10) ; propter hos circuitus in eadem redeuntes et in eadem cuncta revocantes, dictum intelligi volunt (*a*) : quod ille aut de his rebus dixit, de quibus superius loquebatur, hoc est de generationibus aliis euntibus, aliis venientibus, de solis anfractibus, de torrentium lapsibus ; aut certe de omnium rerum generibus, quæ oriuntur, atque occidunt. Fuerunt enim homines ante nos, sunt et nobiscum, et erunt post nos ; ita quæque animantia, vel arbusta. Monstra quoque ipsa, quæ inusitata nascuntur, quamvis inter se diversa sint, et quædam eorum semel facta narrentur, tamen secundum id quod generaliter miracula et monstra sunt, utique et fuerunt, et erunt ; nec recens et novum est, ut monstrum sub sole nascatur. Quamvis hæc verba quidam sic intellexerint, tanquam in prædestinatione Dei jam facta fuisse omnia, sapiens ille voluisset intelligi, et ideo nihil recens esse sub sole. Absit autem a recta fide, ut his Salomonis verbis illos circuitus significatos esse credamus, quibus illi putant sic eadem temporum temporaliumque rerum volumina repeti, ut, verbi gratia, sicut isto sæculo Plato philosophus in urbe Atheniensi, et in ea schola quæ Academia [2] dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro sæcula, multum prolixis quidem intervallis, sed tamen certis, et idem Plato et eadem civitas et eadem schola iidemque discipuli repetiti, et per innumerabilia deinde sæcula repetendi sint : absit, inquam, ut nos ista credamus. Semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris ; resurgens autem a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9) : et nos post resurrectionem semper cum Domino erimus (I *Thess.* IV, 16), cui modo dicimus, quod sacer admonet Psalmus, *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.* Satis autem istis existimo convenire quod sequitur, *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI, 8, 9) : non quia per circulos quos opinantur, eorum vita est recursura ; sed quia modo talis est erroris eorum via, id est, falsa doctrina.

[1] Editi, *nec quisquam loquitur et dicit.* Corriguntur ad manuscriptos.
[2] Vind. Am. et plerique Mss., *Academica.*
(*a*) Ut Origenes, lib. 3, *peri Archôn*, cap. 5, et ibid., lib. 2, cap. 3.

CAPUT XIV. — *De temporali conditione generis humani, quam Deus nec novo consilio constituerit, nec mutabili voluntate.*

Quid autem mirum est, si in his circuitibus errantes, nec aditum, nec exitum inveniunt? Quia genus humanum atque ista nostra mortalitas, nec quo initio cœpta sit sciunt, nec quo fine claudatur ; quandoquidem altitudinem Dei penetrare non possunt : quia cum ipse sit æternus et sine initio, ab aliquo tamen initio exorsus est tempora, et hominem quem nunquam ante fecerat, fecit in tempore, non tamen novo et repentino, sed immutabili æternoque consilio. Quis hanc valeat altitudinem investigabilem vestigare [1], et inscrutabilem perscrutari, secundum quam Deus hominem temporalem, ante quem nemo unquam hominum fuit, non mutabili voluntate in tempore condidit, et genus humanum ex uno multiplicavit? Quandoquidem Psalmus ipse cum præmisisset atque dixisset, *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum;* ac deinde repercussisset eos, in quorum stulta impiaque doctrina nulla liberationis et beatitudinis animæ servatur æternitas, continuo subjiciens, *In circuitu impii ambulant :* tanquam ei diceretur, Quid ergo tu credis, sentis, intelligis? numquidnam existimandum est subito Deo placuisse hominem facere, quem nunquam antea infinita retro æternitate fecisset, cui nihil novi accidere potest, in quo mutabile aliquid non est? continuo respondit [2] ad ipsum Deum loquens, *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum* (*Ibid.*). Sentiant, inquit, homines quod putant, et quod eis placet opinentur et disputent : *Secundum altitudinem tuam*, quam nullus potest nosse hominum, *multiplicasti filios hominum.* Valde quippe altum est [3], et semper Deum fuisse [4], et hominem quem nunquam fecerat, ex aliquo tempore primum facere voluisse, nec consilium voluntatemque mutasse.

[1] Editi, *investigare.* Concinnius Mss., *vestigare :* quo præcedens dictio, *investigabilem;* posita intelligatur pro, *non vestigabilem.*
[2] Locus veterum codicum ope liberatus a glossemate, quod in ante editis passus erat hunc in modum : *Et ne nos hæc audientes aliqua forte turbaret ambiguitas, continuo respondit*, etc.
[3] Lov. et pauciores Mss., *altum est scrutari.*
[4] Mss., *et semper fuisse ;* omisso, *Deum.*

CAPUT XV. — *An ut Deus semper, etiam dominus fuisse semper intelligatur, credendum sit creaturam quoque nunquam defuisse cui dominaretur : et quomodo dicatur semper creatum, quod dici non potest coæternum.*

1. Ego quidem sicut Dominum Deum aliquando dominum non fuisse dicere non audeo (*a*), ita hominem nunquam antea fuisse, et ex quodam tempore primum hominem creatum esse dubitare non debeo. Sed cum cogito cujus rei dominus semper fuerit, si semper creatura non fuit, affirmare aliquid pertimesco : quia et me ipsum intueor, et scriptum esse recolo, *Quis hominum potest scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Dominus? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ adinventiones nostræ. Corruptibile enim corpus aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 13-15). Ex his igitur quæ in hac terrena inhabitatione multa cogito [1] (ideo utique multa, quia unum quod ex illis vel præter illa, quod forte non cogito, verum est, invenire non possum), si dixero, semper fuisse creaturam, cujus dominus esset, qui semper est dominus, nec dominus unquam non fuit; sed nunc illam, nunc aliam, per alia atque alia temporum spatia, ne aliquam Creatori coæternam esse dicamus, quod fides ratioque sana condemnat : cavendum est, ne sit absurdum et a luce veritatis alienum, mortalem quidem per vices temporum semper fuisse creaturam decedentem aliam, aliam succedentem; immortalem vero non esse cœpisse, nisi cum ad nostrum sæculum ventum est, quando et Angeli creati sunt, si eos recte lux illa primum facta significat, aut illud potius cœlum de quo dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1) : cum tamen non fuerint, antequam fierent, ne, immortales si semper fuisse dicantur, Deo coæterni esse credantur. Si autem dixero, non in tempore creatos Angelos, sed ante omnia tempora et ipsos fuisse, quorum Deus dominus esset, qui nunquam nisi dominus fuit : quæretur a me etiam, si ante omnia tempora facti sunt, utrum semper potuerint esse qui facti sunt. Hic respondendum forte videatur, Quomodo non semper, cum id quod est omni tempore, non inconvenienter semper esse dicatur? Usque adeo autem isti omni tempore fuerunt, ut etiam ante omnia tempora facti sint; si tamen a cœlo cœpta sunt tempora, et illi jam erant ante cœlum. At si tempus non a cœlo [2], verum et ante cœlum fuit; non quidem in horis, et diebus, et mensibus, et annis (nam istæ dimensiones temporalium spatiorum, quæ usitate ac proprie dicuntur tempora, manifestum est quod a motu siderum cœperint : unde et Deus, cum hæc institueret, dixit, *Et sint in signa, et in tempora, et in dies, et in annos* (*Ibid.*, 14)); sed in aliquo mutabili motu, cujus aliud prius, aliud posterius præterierit [1], eo quod simul esse non possunt : si ergo ante cœlum in angelicis motibus tale aliquid fuit (*a*), et ideo tempus jam fuit, atque Angeli ex quo facti sunt, temporaliter movebantur; etiam sic omni tempore fuerunt, quandoquidem cum illis facta sunt tempora. Quis autem dicat, Non semper fuit, quod omni tempore fuit?

2. Sed si hoc respondero, dicetur mihi, Quomodo ergo non sunt coæterni Creatori, si semper ille, semper illi fuerunt? quomodo etiam creati dicendi sunt, si semper fuisse intelliguntur? Ad hoc quid respondebitur? An dicendum est, et semper eos fuisse, quoniam omni tempore fuerunt, qui cum tempore facti sunt, aut cum quibus tempora facta sunt, et tamen creatos? Neque enim et ipsa tempora creata esse negabimus, quamvis omni tempore tempus fuisse nemo ambigat. Nam si non omni tempore fuit tempus, erat ergo tempus, quando nullum erat tempus? Quis hoc stultissimus dixerit? Possumus enim recte dicere : Erat tempus, quando non erat Roma; erat tempus, quando non erat Jerusalem; erat tempus, quando non erat Abraham; erat tempus, quando non erat homo; et si quid hujusmodi : postremo si non cum initio temporis, sed post aliquod tempus factus est mundus; possumus dicere, Erat tempus, quando non erat mundus. At vero, Erat tempus, quando nullum erat tempus, tam inconvenienter dicimus, ac si quisquam dicat, Erat homo, quando nullus erat homo; aut, Erat iste mundus, quando iste non erat mundus. Si enim de alio atque alio intelligatur, potest dici aliquo modo, hoc est, Erat alius homo, quando non erat iste homo. Sic ergo, Erat aliud tempus, quando non erat hoc tempus, recte possumus dicere : at vero, Erat tempus, quando nullum erat tempus, quis vel insipientissimus dixerit? Sicut ergo dicimus creatum tempus, cum ideo semper fuisse dicatur, quia omni tempore tempus fuit : ita non est consequens, ut si semper fuerunt Angeli, ideo non sint creati, ut propterea semper fuisse dicantur, quia omni tempore fuerunt; et propterea omni tempore fuerunt, quia nullo modo sine his ipsa tempora esse potuerunt. Ubi enim nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt. Ac per hoc et si semper fuerunt, creati sunt; nec, si semper fuerunt, ideo Creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili : isti autem facti sunt; sed ideo semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora nullo modo esse potuerunt : tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt : et ideo Creatori, in cujus motu dicendum non est vel fuisse quod jam non sit,

[1] Hic Vind. Am. et Er. addunt, *deprimeret me*. Additamento caret editio Lov., sed prava nihilominus subsequentium verborum interpunctione sensum corrumpit.
[2] Aliquot Mss., *non cum cœlo*.
(*a*) Vid. lib. 5 de Trinit., n. 17.

[1] Sic Mss. At editi, *aliud anterius præterierit, aliud posterius successerit*.
(*a*) Conf. dicta ad lib. 8 de Gen. ad litt., n. 39.

vel futurum esse quod nondum sit, coæterni esse non possunt.

3. Quapropter, si Deus semper dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui servientem; verumtamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam; nec ei coæternam : erat quippe ante illam, quamvis nullo tempore sine illa; non eam spatio transcurrente [1], sed manente perpetuitate præcedens (a). Sed hoc si respondero eis qui requirunt quomodo semper creator, semper dominus fuit, si creatura serviens non semper fuit; aut quomodo creata est, et non potius creatori coæterna est, si semper fuit : vereor ne facilius judicer affirmare quod nescio, quam docere quod scio. Redeo igitur ad id quod Creator noster scire nos voluit : illa vero quæ vel sapientioribus in hac vita scire permisit, vel omnino perfectis in alia vita scienda servavit, ultra vires meas esse confiteor. Sed ideo putavi sine affirmatione tractanda, ut qui hæc legunt, videant a quibus quæstionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur; potiusque intelligant quam sit Apostolo obtemperandum præcipienti salubriter, ubi ait : *Dico autem per gratiam quæ* [2] *data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere quam oportet sapere; sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei* (*Rom.* XII, 3). Si enim pro viribus suis alatur infans, fiet ut crescendo plus capiat : si autem vires suæ capacitatis excedat, deficiet antequam crescat.

CAPUT XVI. — *Quomodo intelligenda sit promissa homini a Deo vita æterna ante tempora æterna.*

Quæ sæcula præterierint antequam genus institueretur humanum, me fateor ignorare : non tamen dubito nihil omnino creaturæ Creatori esse coæternum. Dicit etiam Apostolus tempora æterna, nec ea futura, sed, quod magis est mirandum, præterita. Sic enim ait : *In spem vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna* (b); *manifestavit autem temporibus suis Verbum suum* (*Tit.* I, 2 *et* 3). Ecce dixit retro quod fuerint tempora æterna, quæ tamen non fuerint Deo coæterna. Si quidem ille ante tempora æterna non solum erat, verum etiam promisit vitam æternam, quam manifestavit temporibus suis, id est congruis, quid aliud quam Verbum suum? Hoc est enim vita æterna. Quomodo autem promisit, cum hominibus utique promiserit, qui nondum erant ante tempora æterna; nisi quia in ipsius æternitate, atque in ipso ejus Verbo eidem coæterno, jam prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat?

CAPUT XVII. — *Quid de incommutabili consilio aut voluntate Dei fides sana defendat, contra ratiocinationes eorum qui opera Dei ex æternitate repetita per eosdem semper volunt sæculorum redire circuitus.*

1. Illud quoque non dubito, antequam primus homo creatus esset, nunquam quemquam hominem fuisse : nec eumdem ipsum, nescio quibus circuitibus, nescio quoties revolutum, nec alium aliquem natura similem. Neque ab hac fide me philosophorum argumenta deterrent, quorum acutissimum illud putatur, quod dicunt, nulla infinita ulla scientia posse comprehendi : ac per hoc Deus inquiunt, rerum quas facit [1], omnium finitarum omnes finitas apud se rationes habet. Bonitas autem ejus nunquam vacua fuisse credenda est, ne sit temporalis ejus operatio, cujus retro fuerit æterna cessatio, quasi pœnituerit eum prioris sine initio vacationis, ac propterea sit operis aggressus initium. Et ideo necesse est, inquiunt, eadem semper repeti, eademque semper repetenda transcurrere : vel manente mundo mutabiliter, qui licet nunquam non fuerit et sine initio temporis tamen factus est; vel ejus quoque ortu et occasu semper illis circuitibus repetito, semperque repetendo : ne videlicet, si aliquando primum Dei opera cœpta dicantur, priorem suam sine initio vacationem tanquam inertem ac desidiosam, et ideo sibi displicentem damnasse quodammodo, atque ob hoc mutasse credatur. Si autem semper quidem temporalia, sed alia atque alia perhibetur operatus, ac sic aliquando etiam ad hominem faciendum, quem nunquam antea fecerat, pervenisse : non scientia, qua putant non posse quæcumque infinita comprehendi, sed quasi ad horam, sicut veniebat in mentem, fortuita quadam inconstantia videatur fecisse quæ fecit. Porro si illi circuitus admittantur, inquiunt, quibus vel manente mundo, vel ipso quoque revolubiles ortus suos et occasus eisdem circuitibus inserente, eadem temporalia repetuntur, nec ignavum otium, præsertim tam longæ sine initio diuturnitatis, Deo tribuitur, nec improvida temeritas operum suorum. Quoniam si non eadem repetantur, non possunt infinita diversitate variata ulla ejus scientia vel præscientia comprehendi.

2. Has argumentationes quibus impii nostram simplicem pietatem, ut cum illis in circuitu ambulemus, de via recta conantur avertere, si ratio refutare non posset, fides irridere deberet. Huc accedit, quod in adjutorio Domini Dei nostri hos volubiles circulos, quos opinio confingit, ratio manifesta confringit. Hinc enim maxime isti errant, ut in circuitu falso ambulare, quam

[1] Sola editio Lov., *transcurrens*. Et paulo post, *quomodo creator semper fuit dominus*.

[2] Vind. Am. Er. et Mss., *per gratiam Dei quæ*.

(a) Vid. Confess. lib. 11, cap. 13, n. 16, et cap. 16, ad initium.

(b) Græce est, *pro tôn chronôn aiôniôn* : quod Vulgata editione vertitur, *ante tempora sæcularia* : ea vero quam interpretatur Hieronymus, *ante tempora æterna* : quia scilicet græcum, *aiôn*, *sæculum* et *æternum* latine reddi potest, uti observat Augustinus lib. contra Priscillianistas, n. 5. Unde Rom. XVI, 25, pro græco, *chronois aiôniois*, in ipsa Vulgata est, *temporibus æternis*. Hieronymus locum Epistolæ ad Titum enarrans, « Ante hæc igitur mundi tempora, » inquit, « æternitatem quamdam sæculorum fuisse credendum est... sex millia necdum nostri orbis implentur anni : quas prius æternitates? quanta tempora? quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est? Ante hæc itaque omnia tempora... promisit Deus Pater sapientiæ suæ Verbum suum, et ipsam sapientiam suam, et vitam eorum qui credituri erant mundo esse venturam. » Brevior et facilior est Augustini interpretatio in libro contra Priscillianistas, n. 6, Apostolum scilicet æterna dixisse tempora, *quæ ante se non habent ullum tempus*. Confer lib. 1 de Gen. contra Manich., n. 4, et lib. 83 Quæst., qu. 72.

[1] Editi, *fecit*. At Mss., *facit*.

vero et recto itinere malint, quod mentem divinam omnino immutabilem cujuslibet infinitatis capacem, et innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana, mutabili, angustaque metiuntur. Et fit illis quod ait Apostolus : *comparantes enim semetipsos sibimetipsis* (*a*), *non intelligunt* (II *Cor.* x, 12). Nam quia illis quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt (mutabiles quippe mentes gerunt); profecto non Deum, quem cogitare non possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes, non illum sed se ipsos, nec illi, sed sibi comparant. Nobis autem fas non est credere, aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur : quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe qui afficitur, et mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia ; sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium ; nec pœnitendo quia prius cessaverat, cœpit facere quod non fecerat. Sed et si prius cessavit, et posterius operatus est (quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi), hoc procul dubio quod dicitur, prius et posterius, in rebus prius non existentibus et posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res quas condidit, et ut prius non essent egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse cœperunt : hinc eis qui talia videre possunt mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex æternitate initio carente in non minore beatitate permansit.

CAPUT XVIII. — *Contra eos qui dicunt, ea quæ infinita sunt nec Dei posse scientia comprehendi.*

Illud autem aliud quod dicunt, nec Dei scientia quæ infinita sunt posse comprehendi ; restat eis ut dicere audeant, atque huic se voragini profundæ impietatis immergant, quod non omnes numeros Deus noverit. Eos quippe infinitos esse, certissimum est : quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed quamlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens in ipsa ratione atque scientia numerorum, non solum duplicari, verum etiam multiplicari potest. Ita vero suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cuicumque alteri possit. Ergo et dispares inter se atque diversi sunt, et singuli quique finiti sunt, et omnes infiniti sunt. Itane numeros propter infinitatem nescit omnes Deus [1]; et usque ad quamdam summam numerorum scientia Dei pervenit, cæteros ignorat? Quis hoc etiam dementissimus dixerit? Nec audebunt isti contemnere numeros, et eos dicere ad Dei scientiam non pertinere, apud quos Plato Deum magna auctoritate commendat mundum numeris fabricantem (*In Timæo*) : et apud nos Deo dictum legitur, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (*Sap.* XI, 21)? De quo dicit et propheta, *Qui profert numerose sæculum* [1] (*Isai* XL, 26, *sec.* LXX). Et Salvator in Evangelio, *Capilli*, inquit, *vestri omnes numerati sunt* (*Matth.* x, 30). Absit itaque ut dubitemus, quod ei notus sit omnis numerus, *cujus intelligentiæ*, sicut in Psalmo canitur, *non est numerus* (*Psal.* CXLVI, 5). Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei cujus intelligentiæ non est numerus. Quapropter si, quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est. Quare si infinitas numerorum scientiæ Dei, qua comprehenditur, esse non potest infinita; qui tandem nos sumus homunculi, qui ejus scientiæ limites figere præsumamus, dicentes quod, nisi eisdem circuitibus temporum eadem temporalia repetantur, non potest Deus cuncta quæ fecit vel præscire ut faciat, vel scire cum fecerit? cujus sapientia simpliciter multiplex et uniformiter multiformis, tam incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit, ut quæcumque nova et dissimilia consequentia [2] præcedentibus si semper facere vellet, inordinata et improvisa habere non posset; nec ea præviderel ex proximo tempore, sed æterna præscientia contineret.

CAPUT XIX. — *De sæculis sæculorum.*

Quod utrum ita faciat [3], et continuata sibi connexione copulentur quæ appellantur sæcula sæculorum, alia tamen atque alia, ordinata dissimilitudine procurrentia, eis duntaxat qui ex miseria liberantur in sua beata immortalitate sine fine manentibus ; an ita dicantur sæcula sæculorum, ut intelligantur sæcula in sapientia Dei inconcussa stabilitate manentia, istorum quæ cum tempore transeunt tanquam efficientia sæculorum, definire non audeo (*a*). Fortassis enim possit dici sæculum, quæ sunt sæcula ; ut nihil aliud perhibeatur sæculum sæculi, quam sæcula sæculorum : sicut nihil aliud dicitur cœlum cœli, quam cœli cœlorum. Nam cœlum Deus vocavit firmamentum super quod sunt aquæ (*Gen.* I, 8), et tamen Psalmus, *Et aquæ*, inquit, *quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 4). Quid ergo istorum duorum sit, an præter hæc duo aliquid aliud de sæculis sæculorum possit intelligi, profundissima

[1] Sic Er. et Mss. At Vind. Am. et Lov., *nescit omnipotens Deus.*

(*a*) Aliter Vulgata ; sed Augustinus hic et in Psal. 31, et contra Faustum, lib. 22, cap. 47, sequitur græcam lectionem, *ou sunkrinontes eautous eautois, ou suniousin.* Editi Am. Er. et Lov. habent, *semetipsos non intelligunt.* At Vind. et Mss. consentientes græco, voce, *semetipsos*, carent.

[1] Editi : *Qui profert numero sæculum.* At Mss., *Qui profert numerose sæculum.* Locus est Isaiæ XL, 26, secundum LXX, *o ecpheron cat'arithmon ton cosmon autou.*

[2] Sola editio Lov., *consequuntur.*

[3] Lov. *Quod ut ita faciat.* Editi vero alii et Mss.: *Quod utrum ita faciat*, scilicet quemadmodum in superioris capitis fine dictum est.

(*a*) Vide Hieron. in Epist. ad Galatas, cap. 1, ỳ. 5.

quæstio est : neque hoc quod nunc agimus impedit, si indiscussa interim differatur; sive aliquid in ea definire valeamus, sive nos faciat cautiores diligentior ipsa tractatio, ne in tanta obscuritate rerum affirmare aliquid temere audeamus. Nunc enim contra opinionem disputamus, qua illi circuitus asseruntur, quibus semper eadem per intervalla temporum necesse esse repeti existimantur. Quælibet autem illarum sententiarum de sæculis sæculorum vera sit, ad hos circuitus nihil pertinet : quoniam sive sæcula sæculorum sint, non eadem repetita, sed alterum ex altero connexione ordinatissima procurrentia, liberatorum beatitudine sine ullo recursu miseriarum certissima permanente, sive sæcula sæculorum æterna sint temporalium tanquam dominantia subditorum, circuitus illi eadem revolventes locum non habent, quos maxime refellit æterna vita sanctorum (*Matth.* xxv, 46).

CAPUT XX. — *De impietate eorum qui asserunt animas summæ veræque beatitudinis participes, iterum atque iterum per circuitus temporum ad easdem miserias laboresque redituras.*

1. Quorum enim aures piorum ferant, post emensam tot tantisque calamitatibus vitam (si tamen ista vita dicenda est, quæ potius mors est, ita gravis, ut mors quæ ab hac liberat, mortis hujus amore timeatur (*a*), post tam magna mala tamque multa et horrenda, tandem aliquando per veram religionem atque sapientiam expiata atque finita, ita pervenire ad conspectum Dei, atque ita fieri beatum contemplatione incorporeæ lucis per participationem immutabilis immortalitatis ejus, cujus adipiscendæ amore flagramus, ut eam quandoque necesse sit deseri, et eos qui deserunt, ab illa æternitate, veritate, felicitate dejectos, tartareæ mortalitati [1], turpi stultitiæ, miseriis exsecrabilibus implicari, ubi Deus amittatur, ubi odio veritas habeatur, ubi per immundas nequitias beatitudo quæratur; et hoc itidem atque itidem sine ullo fine priorum et posteriorum certis intervallis et dimensionibus sæculorum factum et futurum; et hoc propterea, ut possint Deo, circuitibus definitis euntibus semper atque redeuntibus per nostras falsas beatitudines et veras miserias, alternatim quidem, sed revolutione incessabili sempiternas, nota esse opera sua; quoniam neque a faciendo quiescere, neque sciendo possit ea quæ infinita sunt, indagare? quis hæc audiat? quis credat? quis ferat? Quæ si vera essent, non solum tacerentur prudentius, verum etiam (ut quomodo valeo dicam quod volo) doctius nescirentur. Nam si hæc illic in memoria non habebimus, et ideo beati erimus, cur hic per eorum scientiam gravatur amplius nostra miseria? Si autem ibi ea necessario sciturі sumus, hic saltem nesciamus, ut hic felicior sit exspectatio, quam illic adeptio summi boni : quando hic æterna vita consequenda exspectatur; ibi autem beata, sed non æterna, quandoque amittenda cognoscitur.

[1] In sola editione Lov., *immortalitati.*
(*a*) Conf. Ciceronis Somnium Scipionis, cap. 3.

2. Si autem dicunt, neminem posse ad illam beatitudinem pervenire, nisi hos circuitus, ubi beatitudo et miseria vicissim alternant, in hujus vitæ eruditione cognoverit; quomodo ergo fatentur, quanto plus quisque amaverit Deum, tanto eum facilius ad beatitudinem perventurum, qui ea docent quibus amor ipse torpescat? Nam quis non remissius et tepidius amet eum, quem se cogitat necessario deserturum, et contra ejus veritatem sapientiamque sensurum, et hoc cum ad ejus plenam pro sua capacitate notitiam beatitudinis perfectione pervenerit; quando nec hominem amicum possit quisque amare fideliter, cui se futurum noverit inimicum? Sed absit ut vera sint, quæ nobis minantur veram miseriam nunquam finiendam, sed interpositionibus falsæ beatitudinis sæpe ac sine fine rumpendam. Quid enim illa beatitudine falsius atque fallacius, ubi nos futuros miseros, aut in tanta veritatis luce nesciamus, aut in summa felicitatis arce timeamus? Si enim venturam calamitatem ignoraturi sumus, peritior est hic nostra miseria, ubi venturam beatitudinem novimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, beatius tempora transigit anima misera quibus transactis ad beatitudinem sublevetur, quam beata quibus transactis in miseriam revolvatur. Atque ita spes nostræ infelicitatis est felix et felicitatis infelix. Unde fit, ut quia hic mala præsentia patimur, ibi metuimus imminentia, verius semper miseri quam beati aliquando esse possimus.

3. Sed quoniam hæc falsa sunt clamante pietate, convincente veritate (illa enim nobis veraciter promittitur vera felicitas, cujus erit semper retinenda, et nulla infelicitate rumpenda certa securitas); viam rectam sequentes, quæ [1] nobis est Christus, eo duce ac salvatore a vano et inepto impiorum circuitu iter fidei mentemque avertamus. Si enim de istis circuitibus et sine cessatione alternantibus itionibus et redditionibus animarum Porphyrius Platonicus suorum opinionem sequi noluit, sive ipsius rei vanitate permotus, sive jam tempora christiana reveritus; et quod in libro decimo commemoravi, (*cap.* 30), dicere maluit, animam propter cognoscenda mala traditam mundo, ut ab eis liberata atque purgata, cum ad Patrem redierit, nihil ulterius tale patiatur : quanto magis nos istam inimicam christianæ fidei falsitatem detestari ac devitare debemus? His autem circuitibus evacuatis atque frustratis, nulla necessitas nos compellit, ideo putare non habere initium temporis ex quo esse cœperit genus humanum, quia per nescio quos circuitus nihil sit in rebus novi, quod non et antea certis intervallis temporum fuerit, et postea sit futurum. Si enim liberatur anima non reditura ad miserias, sicut nunquam antea liberata est, fit in illa aliquid quod antea nunquam factum est [2], et hoc quidem valde magnum, id est, quæ nunquam desinat æterna felicitas. Si autem in natura immortali fit tanta novitas [3], nullo repetita, nullo repetenda circuitu,

[1] Mss., *quod.*
[2] Nonnulli Mss., *fit in illa aliquid quod ei nunquam factum est.*
[3] Sic Vind. Am. et Mss. At Lov., *sit tanta novitas futura.*

cur in rebus mortalibus fieri non posse contenditur? Si dicunt non fieri in anima beatitudinis novitatem, quoniam ad eam revertitur in qua semper fuit, ipsa certe liberatio nova fit, cum de miseria liberatur in qua nunquam fuit, et ipsa miseriæ novitas in ea facta est quæ nunquam fuit. Hæc autem novitas si non in rerum, quæ divina providentia gubernantur, ordinem[1] venit, sed casu potius evenit, ubi sunt illi determinati dimensique circuitus, in quibus nulla nova fiunt, sed repetuntur eadem quæ fuerunt? Si autem et hæc novitas ab ordinatione providentiæ[2] non excluditur, sive data sit anima, sive lapsa sit[3], possunt fieri nova, quæ neque antea facta sint, nec tamen a rerum ordine aliena sint. Et si potuit anima facere per imprudentiam sibi novam miseriam, quæ non esset improvisa divinæ providentiæ, ut hanc quoque in rerum ordine includeret, et ab hac eam non improvide liberaret; qua tandem temeritate humanæ vanitatis audemus negare divinitatem facere posse res, non sibi, sed mundo novas, quas neque antea fecerit, nec unquam habuerit improvisas? Si autem dicunt liberatas quidem animas ad miseriam non reversuras, sed cum hoc fit, in rebus nihil novi fieri, quoniam semper aliæ atque aliæ liberatæ sunt, et liberantur, et liberabuntur: hoc certe concedant, si ita est, novas animas fieri, quibus sit et nova miseria et nova liberatio. Nam si antiquas eas dicunt esse, et retrorsum sempiternas, ex quibus quotidie novi fiant homines, de quorum corporibus, si sapienter vixerint, ita liberentur, ut nunquam ad miserias revolvantur, consequenter dicturi sunt infinitas. Quantuslibet namque finitus numerus fuisset animarum, infinitis retro sæculis sufficere non valeret, ut ex illo semper fierent homines, quorum essent animæ ab ista semper mortalitate liberandæ, nunquam ad eam deinceps redituræ. Nec ullo modo explicabunt, quomodo in rebus, quas, ut Deo notæ esse possint, finitas volunt[4], infinitus sit numerus animarum.

4. Quapropter quoniam circuitus illi jam explosi sunt, quibus ad easdem miserias necessario putabatur anima reditura; quid restat convenientius pietati, quam credere non esse impossibile Deo, et ea quæ nunquam fecerit nova facere, et ineffabili præscientia voluntatem mutabilem non habere? Porro autem utrum animarum liberatarum nec ulterius ad miserias rediturarum numerus possit semper augeri, ipsi viderint, qui de rerum infinitate cohibenda tam subtiliter disputant: nos vero ratiocinationem nostram ex utroque latere terminamus. Si enim potest, quid causæ est ut negetur creari potuisse quod nunquam antea creatum esset, si liberatarum animarum numerus, qui nunquam antea fuit, non solum factus est semel, sed nunquam fieri desinet? Si autem oportet ut certus sit liberatarum aliquis numerus animarum, quæ ad miseriam nunquam redeant, neque iste numerus ulterius augeatur; etiam ipse sine dubio quicumque erit, ante utique nunquam fuit: qui profecto crescere, et ad suæ quantitatis terminum pervenire sine aliquo non possit initio; quod initium eo modo antea nunquam fuit. Hoc ergo ut esset, creatus est homo, ante quem nullus fuit.

CAPUT XXI. — *De conditione unius primi hominis, atque in eo generis humani.*

Hac igitur quæstione difficillima propter æternitatem Dei nova creantis sine novitate aliqua voluntatis, quantum potuimus, explicata, non est arduum videre multo fuisse melius quod factum est, ut ex uno homine quem primum condidit, multiplicaret genus humanum, quam si id inchoasset a pluribus. Nam cum animantes alias solitarias, et quodammodo solivagas, id est, quæ solitudinem magis appetant, sicuti sunt aquilæ, milvi, leones, lupi, et quæcumque ita sunt; alias congreges instituerit, quæ congregatæ atque in gregibus malint vivere, ut sunt columbi, sturni, cervi, damulæ (*a*), et cætera hujusmodi: utrumque tamen genus non ex singulis propagavit, sed plura simul jussit existere. Hominem vero, cujus naturam quodammodo mediam inter Angelos bestiasque condebat, ut, si Creatori suo tanquam vero Domino subditus præceptum[1] ejus pia obedientia custodiret, in consortium transiret angelicum, sine morte media (*b*) beatam immortalitatem absque ullo termino consecutus; si autem Dominum Deum suum libera voluntate superbe atque inobedienter usus offenderet, morti addictus bestialiter viveret, libidinis servus æternoque post mortem supplicio destinatus; unum ac singulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas vinculumque concordiæ, si non tantum inter se naturæ similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur; quando nec ipsam quidem feminam copulandam viro, sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum.

CAPUT XXII. — *Quod præscierit Deus hominem, quem primum condidit, peccaturum; simulque præviderit quantum piorum populum ex ejus genere in angelicum consortium sua esset gratia translaturus.*

Nec ignorabat Deus hominem peccaturum, et morti jam obnoxium morituros propagaturum, eoque progressuros peccandi immanitate mortales, ut tutius atque pacatius inter se rationalis voluntatis expertes bestiæ sui generis viverent, quarum ex aquis et terris

[1] Sic Mss. Editi vero, *ordine*.

[2] Editi, *ab ordinatione divinæ providentiæ*. Abest, *divinæ*, a manuscriptis.

[3] [illegible]

[4] [illegible]

[1] Plures Mss., *præcepta*.

(*a*) [illegible] est [illegible] Vives.

(*b*) [illegible] hæresis, [illegible]

plurium[1] pullulavit exordium, quam homines, quorum genus ex uno est ad commendandam concordiam propagatum. Neque enim unquam inter se leones, aut inter se dracones, qualia homines, bella gesserunt. Sed prævidebat etiam gratia sua populum piorum in adoptionem vocandum, remissisque peccatis justificatum Spiritu sancto sanctis Angelis in æterna pace sociandum, novissima inimica morte destructa : cui populo esset hujus rei consideratio profutura, quod ex uno homine Deus ad commendandum hominibus, quam ei grata sit etiam in pluribus unitas, genus instituisset humanum.

CAPUT XXIII. — *De natura humanæ animæ creatæ ad imaginem Dei.*

Fecit ergo Deus hominem ad imaginem suam. Talem quippe illi animam creavit, qua per rationem atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus terrestribus et natatilibus et volatilibus, quæ mentem hujusmodi non haberent. Et cum virum terreno formasset ex pulvere, eique animam qualem dixi, sive quam jam fecerat sufflando indidisset, sive potius sufflando fecisset (*a*), cumque flatum quem sufflando fecit, (nam quid est aliud sufflare, quam flatum facere?) animam hominis esse voluisset, etiam conjugem illi in adjutorium generandi ex ejus latere osse detracto fecit, ut Deus. Neque enim hæc carnali consuetudine cogitanda sunt, ut videre solemus opifices ex materia quacumque terrena corporalibus membris, quod artis industria potuerint, fabricantes. Manus Dei potentia Dei est, qui etiam visibilia invisibiliter operatur. Sed hæc fabulosa potius quam vera esse arbitrantur, qui virtutem ac sapientiam Dei, qua novit et potest etiam sine seminibus ipsa certe facere[2] semina, ex his usitatis et quotidianis metiuntur operibus; ea vero quæ primitus instituta sunt, quoniam non noverunt, infideliter cogitant : quasi non hæc ipsa quæ noverunt de humanis conceptibus atque partubus, si inexpertis narrarentur, incredibiliora viderentur; quamvis et ea ipsa plerique magis naturæ corporalibus causis, quam operibus divinæ mentis assignent.

CAPUT XXIV. — *An ullius vel minimæ creaturæ possint dici Angeli creatores.*

Sed cum his nullum nobis est in his libris negotium, qui divinam mentem facere vel curare ista non credunt. Illi autem qui Platoni suo credunt, non ab illo summo Deo qui fabricatus est mundum, sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creaverit, permissu sive jussu ejus animalia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum diisque ipsis cognatum teneret locum (*In Timæo*); si superstitione careant, qua quærunt unde juste videantur sacra et sacrificia facere quasi conditoribus suis, facile carebunt etiam hujus opinionis errore. Neque enim fas est ullius naturæ quamlibet minimæ mortalisque creatorem nisi Deum credere ac dicere, et antequam possit intelligi. Angeli autem, quos illi deos libentius appellant, etiamsi adhibent vel jussi vel permissi operationem suam rebus quæ gignuntur in mundo, tamen[1] tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum atque arborum.

CAPUT XXV. — *Omnem naturam et omnem speciem[2] universæ creaturæ nonnisi opere Dei formari.*

Cum enim alia sit species quæ adhibetur extrinsecus cuicumque materiæ corporali, sicut operantur homines figuli et fabri atque id genus opifices, qui etiam pingunt et effingunt formas similes corporibus animalium; alia vero quæ intrinsecus efficientes causas habet de secreto et occulto naturæ viventis atque intelligentis arbitrio, quæ non solum naturales corporum species, verum etiam ipsas animantium animas, dum non fit, facit : supradicta illa species artificibus quibusque tribuatur; hæc autem altera nonnisi uni artifici creatori et conditori Deo, qui mundum ipsum et Angelos sine ullo mundo et sine ullis Angelis fecit. Qua enim vi divina, et, ut ita dicam, effectiva, quæ fieri nescit, sed facere, accepit speciem, cum mundus fieret, rotunditas cœli et rotunditas solis; eadem vi divina et effectiva, quæ fieri nescit, sed facere, accepit speciem rotunditas oculi et rotunditas pomi, et cæteræ figuræ naturales quas videmus in rebus quibusque nascentibus non extrinsecus adhiberi, sed intima Creatoris potentia, qui dixit, *Cælum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24) : et cujus sapientia est quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1). Proinde, facti primitus Angeli cujusmodi ministerium præbuerint Creatori cætera facienti, nescio; nec tribuere illis audeo quod forte non possunt, nec debeo derogare[3] quod possunt. Creationem tamen conditionemque omnium naturarum, qua fit ut omnino naturæ sint, eis quoque faventibus illi Deo tribuo, cui se etiam ipsi debere quod sunt cum gratiarum actione noverunt. Non solum igitur agricolas non dicimus fructuum quorumque creatores, cum legamus, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7) : sed ne ipsam quidem terram, quamvis mater omnium fecunda videatur, quæ germinibus erumpentia promovet, et fixa radicibus continet, cum itidem legamus, *Deus illi dat corpus quomodo voluerit, et unicuique seminum proprium corpus* (*Id.* XV, 38). Ita nec feminam sui puerperii creatricem appellare debemus, sed potius illum qui cuidam suo famulo dixit, *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem.* I, 5). Et quamvis anima sic vel sic affecta prægnantis valeat aliquibus velut induere qualitatibus fetum, sicut de virgis variatis fecit Jacob, ut pecora colore varia gignerentur (*Gen.* XXX, 37); naturam tamen illam quæ gignitur, tam ipsa non fecit, quam nec ipsa se fecit. Quælibet igitur corporales vel

[1] Am. et plerique Mss., *plurimum.*
[2] Am., *ipsa certa facere.* Plures Mss., *ipsa quoque facere.*
(*a*) Conf. lib. 7 de Gen. ad Litt. n. 35.

[1] Particula, *tamen*, abest a Vind. Am. Er. et Mss.
[2] Sic Mss. Editi autem ferebant : *Omnium naturam et omnium speciem.*
[3] Plerique Mss., [illegible]

seminales causæ gignendis rebus adhibeantur, sive operationibus Angelorum aut hominum, aut quorumque animalium, sive marium feminarumque mixtionibus; qualibet etiam desideria motusve animæ matris valeant aliquid lineamentorum aut colorum aspergere teneris mollibusque conceptibus, ipsas omnino naturas, quæ sic vel sic in suo genere afficiantur, non facit nisi summus Deus: cujus occulta potentia cuncta penetrans incontaminabili [1] præsentia facit esse quidquid aliquo modo est, in quantumcumque est; quia nisi faciente illo, non tale vel tale esset, sed prorsus esse non posset (*a*). Quapropter, si in illa specie quam forinsecus corporalibus opifices rebus imponunt, urbem Romam et urbem Alexandriam non fabros et architectos, sed reges, quorum voluntate, consilio, imperio fabricatæ sunt, illam Romulum, illam Alexandrum habuisse dicimus conditores: quanto potius nonnisi Deum debemus conditorem dicere naturarum, qui neque ex ea materia facit aliquid quam ipse non fecerit, nec operarios habet nisi quos ipse creaverit; et si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut ante quam fierent non fuerunt? Sed ante dico, æternitate, non tempore. Quis enim alius creator est temporum, nisi qui fecit ea, quorum motibus currerent tempora?

CAPUT XXVI. — *De Platonicorum opinione, qua putaverunt angelos quidem a Deo conditos, sed ipsos esse humanorum corporum conditores.*

Ita sane Plato minores et a summo Deo factos deos effectores esse voluit animalium cæterorum, ut immortalem partem ab ipso sumerent, ipsi vero mortalem attexerent (*In Timæo*). Proinde animarum nostrarum eos creatores esse noluit, sed corporum. Unde quoniam Porphyrius propter animæ purgationem dicit omne corpus fugiendum, simulque cum suo Platone aliisque Platonicis sentit eos, qui immoderate ac inhoneste vixerint, propter luendas pœnas ad corpora redire mortalia, Plato quidem etiam ad bestiarum, Porphyrius tantummodo ad hominum (*b*); sequitur eos, ut dicant deos istos, quos a nobis volunt quasi parentes et conditores nostros coli, nihil esse aliud quam fabros compedum carcerumve nostrorum; nec institutores, sed inclusores alligatoresque nostros ergastulis ærumnosis et gravissimis vinculis. Aut ergo desinant Platonici pœnas animarum ex istis corporibus comminari; aut eos nobis deos colendos non prædicent, quorum in nobis operationem ut, quantum possumus, fugiamus et evadamus, hortantur; cum tamen sit utrumque falsissimum. Nam neque ita luunt pœnas animæ, cum ad istam vitam denuo revolvuntur; et omnium viventium sive in cœlo, sive in terra, nullus est conditor, nisi a quo facta sunt cœlum et terra. Nam si nulla causa est vivendi in hoc corpore, nisi propter pudenda supplicia; quomodo dicit idem Plato aliter mundum fieri non potuisse pulcherrimum atque optimum, nisi omnium animalium, id est immortalium et mortalium, generibus impleretur (*In Timæo*)? Si autem nostra institutio, qua vel mortales conditi sumus, divinum munus est; quomodo pœna est ad ista corpora, id est ad divina beneficia, remeare? Et si Deus, quod assidue Plato commemorat, sicut universi mundi, ita omnium animalium species æterna intelligentia continebat, quomodo non ipse cuncta condebat? An aliquorum esse artifex nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis ejus et ineffabiliter laudabilis mens haberet?

CAPUT XXVII. — *In primo homine exortam fuisse omnem plenitudinem generis humani, in qua prævidit Deus quæ pars honoranda esset præmio, quæ damnanda supplicio.*

1. Merito igitur vera religio, quæ [1] mundi universi eum, animalium quoque universorum, hoc est et animarum et corporum, conditorem agnoscit et prædicat. In quibus terrenis præcipuus ab illo ad ejus imaginem homo propter eam causam, quam dixi, et si qua forte alia major latet, factus est unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est quam hoc genus tam discordiosum vitio, tam sociale natura. Neque commodius contra vitium discordiæ vel cavendum ne existeret, vel sanandum cum exstitisset, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. Quod vero femina illi ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est quam chara mariti et uxoris debeat esse conjunctio. Hæc opera Dei propterea sunt utique inusitata, quia prima. Qui autem ista non credunt, nulla facta prodigia debent credere: neque enim et ipsa, si usitato naturæ curriculo gignerentur, prodigia dicerentur. Quid autem sub tanta gubernatione divinæ providentiæ, quamvis ejus causa lateat, frustra gignitur? Ait quidam psalmus sacer: *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram* (*Psal.* XLV, 9). Cur ergo ex latere viri femina facta sit, et hoc primum quodammodo prodigium quid præfiguraverit, alio loco, quantum me Deus adjuverit, dicam.

2. [XXVII.] Nunc quoniam liber iste claudendus est, in hoc primo homine, qui primitus factus est, nondum quidem secundum evidentiam, jam tamen secundum Dei præscientiam exortas fuisse existimemus in genere humano societates tanquam civitates duas. Ex illo enim futuri erant homines, alii malis angelis in supplicio, alii bonis in præmio sociandi, quamvis occulto Dei judicio, sed tamen justo. Cum enim scriptum sit, *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10): nec injusta ejus gratia, nec crudelis potest esse justitia.

[1] Sic Mss. Editi autem ferunt, *incommutabili*.

(*a*) Conf. lib. 3 de Trinit., n. 15-16.

(*b*) Conf. supra, lib. 10, cap. 30.

[1] Sic nostri omnes manuscripti. In B. deest, *quæ*. M.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

In quo docetur, mortem in hominibus esse pœnalem, ortamque ex Adami peccato.

CAPUT PRIMUM. — *De lapsu primi hominis, per quem est contracta mortalitas.*

Expeditis de nostri sæculi exortu et de initio generis humani difficillimis quæstionibus, nunc jam de lapsu primi hominis, imo primorum hominum, et de origine ac propagine mortis humanæ disputationem a nobis institutam rerum ordo deposcit. Non enim eo modo quo Angelos, condiderat Deus homines; ut etiam si peccassent, mori omnino non possent : sed ita ut perfunctos obedientiæ munere sine interventu mortis angelica immortalitas [1] et beata æternitas sequeretur; inobedientes autem mors plecteret damnatione justissima : quod etiam in libro superiore jam diximus (*cap.* 21).

CAPUT II. — *De ea morte quæ animæ semper utcumque victuræ accidere potest, et ea cui corpus obnoxium est.*

Sed de ipso genere mortis video mihi paulo diligentius disserendum. Quamvis enim humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quamdam etiam ipsa mortem suam. Nam ideo dicitur immortalis, quia modo quodam quantulocumque non desinit vivere atque sentire : corpus autem ideo mortale, quoniam deseri omni vita potest, nec per se ipsum aliquatenus vivit. Mors igitur animæ fit, cum eam deserit Deus : sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est totius hominis, mors est cum anima a Deo deserta deserit corpus. Ita enim nec ex Deo vivit ipsa, nec corpus ex ipsa. Hujusmodi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secundam mortem divinorum eloquiorum appellat auctoritas (*Apoc.* II, 11; XXI, 8). Hanc Salvator significavit, ubi ait : *Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Quod cum ante non fiat, quam cum anima corpori sic fuerit copulata, ut nulla diremptione separentur; mirum videri potest quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deseritur, sed animatum sentiensque cruciatur. Nam in illa pœna ultima ac sempiterna, de qua diligentius suo loco disserendum est, recte mors animæ dicitur, quia non vivit ex Deo : mors autem corporis quonam modo, cum vivat ex anima? non enim aliter potest ipsa corporalia, quæ post resurrectionem futura sunt, sentire tormenta. An quia vita qualiscumque aliquod bonum est, dolor autem malum, ideo nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non vivendi causa est, sed dolendi? Vivit itaque anima ex Deo, cum vivit bene; non enim potest bene vivere, nisi Deo in se operante quod bonum est : vivit autem corpus ex anima, cum anima vivit in corpore; seu vivat ipsa, seu non vivat ex Deo. Impiorum namque in corporibus vita, non animarum, sed corporum vita est : quam possunt eis animæ etiam mortuæ, hoc est a Deo desertæ, quantulacumque propria vita, ex qua et immortales sunt, non desistente, conferre. Verum in damnatione novissima quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immerito mors est potius appellata quam vita. Ideo autem secunda, quia post illam primam est, qua fit cohærentium diremptio naturarum, sive Dei et animæ, sive animæ et corporis. De prima igitur corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala. Secunda vero sine dubio sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona (*a*).

CAPUT III. — *Utrum mors, quæ per peccatum primorum hominum in omnes homines pertransiit, etiam sanctis pœna peccati sit.*

Non autem dissimulanda nascitur quæstio, utrum revera mors, qua separantur anima et corpus, bonis sit bona (*b*). Quia si ita est, quomodo poterit obtineri quod etiam ipsa sit pœna peccati? Hanc enim primi homines, nisi peccavissent, perpessi utique non fuissent. Quo igitur pacto bona esse possit bonis, quæ accidere non posset nisi malis? Sed rursus si nonnisi malis posset accidere, non deberet bonis bona esse, sed nulla. Cur enim esset ulla pœna, in quibus non essent ulla punienda? Quapropter fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut, si non peccassent, nullum mortis experirentur genus : sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, ut etiam quidquid de eorum stirpe esset exortum, eidem pœnæ teneretur [1] obnoxium. Non enim aliud ex eis, quam quod ipsi fuerant, nasceretur. Pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio mutavit in pejus; ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Neque enim ita homo ex homine, sicut homo ex pulvere. Pulvis namque homini faciendo materies fuit : homo autem homini gignendo parens. Proinde quod est terra, non hoc est caro; quamvis ex terra facta sit caro. Quod est autem parens homo, hoc est et proles homo. In primo igitur homine per feminam in progeniem transiturum universum genus humanum fuit, quando illa conjugum copula divinam sententiam suæ damnationis excepit : et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret et puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati et mortis originem. Non enim ad infantilem hebetudinem et infirmitatem animi et corporis, quam videmus in parvulis, peccato vel pœna ille redactus est : quæ Deus voluit esse tanquam primordia catu-

[1] Mss. 2050 et 2051 ferunt, *immutabilitas*. M.

[1] Nonnulli Mss., *tenetur*.

(*a*) Conf. serm. 65.

(*b*) De hac quæstione confer S. Hieronymum, Epistola 24, de obitu Leæ, et Epistola 25, ad Paulam, super obitu Blesillæ filiæ. COQUÆUS.

lorum, quorum parentes in bestialem vitam mortemque dejecerat; sicut scriptum est, *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est pecoribus non intelligentibus, et similis factus est illis* (*Psal*, XLVIII, 13). Nisi quod infantes infirmiores etiam cernimus in usu motuque membrorum et sensu appetendi atque vitandi, quam sunt aliorum tenerrimi fetus animalium: tanquam se tanto attollat excellentius supra cætera animantia vis humana, quanto magis impetum suum, velut sagitta, cum arcus extenditur, retrorsum reducta distulerit. Non ergo ad ista infantilia rudimenta præsumptione illicita et damnatione justa prolapsus vel impulsus est primus homo (*a*): sed hactenus in eo natura humana vitiata atque mutata est, ut repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi, et obstringeretur necessitate moriendi; atque ita id quod vitio pœnaque factus est, id est, obnoxios peccato mortique generaret. A quo peccati vinculo, si per Mediatoris gratiam solvuntur infantes, hanc solam mortem perpeti possunt, quæ animam sejungit a corpore: in secundam vero illam sine fine pœnalem liberati a peccati obligatione non transeunt.

CAPUT IV. — *Cur ab his qui per gratiam regenerationis absoluti sunt a peccato, non auferatur mors, id est, pœna peccati.*

Si quem vero movet, cur vel ipsam patiantur, si et ipsa pœna peccati est, quorum per gratiam reatus aboletur; jam ista quæstio in alio nostro opere, quod scripsimus de Baptismo parvulorum (*b*), tractata ac soluta est: ubi dictum est, ad hoc relinqui animæ experimentum separationis a corpore, quamvis ablato jam criminis nexu; quoniam, si regenerationis Sacramentum continuo sequeretur immortalitas corporis, ipsa fides enervaretur, quæ tunc est fides, quando exspectatur in spe quod in re nondum videtur (*c*). Fidei autem robore atque certamine, in majoribus duntaxat ætatibus, etiam mortis fuerat superandus timor, quod in sanctis martyribus maxime eminuit: cujus profecto certaminis nulla esset victoria, nulla gloria; quia nec ipsum omnino posset esse certamen, si post lavacrum regenerationis jam sancti non possent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Christi gratiam propterea potius curreret, ne a corpore solveretur? Atque ita non invisibili præmio probaretur fides; sed jam nec fides esset, confestim sui operis quærendo et sumendo mercedem. Nunc vero majore et mirabiliore gratia Salvatoris in usus justitiæ peccati pœna conversa est. Tunc enim dictum est homini, Morieris, si peccaveris: nunc dicitur martyri, Morere, ne pecces. Tunc dictum est, Si mandatum transgressi fueritis, morte moriemini (*Gen.* II, 17): nunc dicitur, Si mortem recusaveritis, mandatum transgrediemini. Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur; nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei misericordiam, et ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, et fit justi meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est acquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo. Verum hoc in sanctis martyribus, quibus alterutrum a persecutore proponitur, ut aut deserant fidem, aut sufferant mortem. Justi enim malunt credendo perpeti, quod sunt primi [1] iniqui non credendo perpessi. Nisi enim peccassent illi, non morerentur: peccabunt autem isti, nisi moriantur. Mortui sunt ergo illi, quia peccaverunt: non peccant isti, quia moriuntur. Factum est per illorum culpam, ut veniretur in pœnam: fit per istorum pœnam, ne veniatur in culpam; non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit; sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret per quod transiretur ad vitam.

CAPUT V. — *Quod sicut iniqui male utuntur lege quæ bona est, ita et justi bene utuntur morte quæ mala est.*

Apostolus cum vellet ostendere, quantum peccatum, gratia non subveniente, ad nocendum valeret, etiam ipsam legem qua prohibetur peccatum, non dubitavit dicere virtutem esse peccati. *Aculeus*, inquit, *mortis est peccatum; virtus autem peccati, lex* (1 *Cor.* XV, 56). Verissime omnino. Auget enim prohibitio desiderium operis illiciti, quando justitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus delectatione vincatur. Ut autem diligatur et delectet vera justitia, nonnisi divina subvenit gratia. Sed ne propterea lex putaretur malum quoniam virtus est dicta peccati; ideo ipse alio loco versans hujusmodi quæstionem, inquit, *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. Quod ergo bonum est*, inquit, *mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum* [2] *per mandatum* (*Rom.* VII, 12, 13). *Supra modum*, dixit; quia etiam prævaricatio additur, cum peccandi aucta libidine etiam lex ipsa contemnitur. Cur hoc commemorandum putavimus? Quia scilicet sicut lex non est malum, quando auget peccantium concupiscentiam; ita nec mors bonum est, quando auget patientium gloriam: cum vel illa pro iniquitate deseritur, et efficit prævaricatores; vel ista pro veritate suscipitur, et efficit martyres. Ac per hoc lex quidem bona est, quia prohibitio est peccati; mors autem mala, quia stipendium est peccati: sed quemadmodum injusti male utuntur [3] non tantum malis, sed etiam bonis; ita justi bene non tantum bonis, sed etiam malis. Hinc fit ut et mali male lege utantur, quamvis sit lex bonum; et boni bene moriantur, quamvis sit mors malum.

(*a*) Conf. lib. 1 de Peccat. Merit. et Remis., nn. 67-68.

(*b*) Designantur hic libri tres de Peccat. Merit. et Remiss., [illegible] in lib. 2 Retract., cap. 33, *et de Baptismo parvulorum*.

(*c*) Conf. lib. 2 de Peccat. Merit. et Remiss., n. [illegible]

[1] Sola editio Lov., *primus*.

[2] Idem, *peccans peccatum*. At manuscripti, *peccator aut peccatum*. In græco est, *amartolos e amartia*.

[3] Lov., [illegible] est, *ita justitia* [illegible]

CAPUT VI. — *De generali mortis malo, quo animæ et corporis societas separatur.*

Quapropter, quod attinet ad corporis mortem, id est separationem animæ a corpore, cum eam patiuntur qui morientes appellantur, nulli bona est. Habet enim asperum sensum et contra naturam vis ipsa qua utrumque divellitur, quod fuerat in vivente conjunctum atque consertum, quamdiu moratur, donec omnis adimatur sensus, qui ex ipso inerat animæ carnisque complexu. Quam totam molestiam nonnunquam unus ictus corporis vel animæ raptus intercipit, nec eam sentiri præveniente celeritate permittit. Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors pœna nascentis; tamen si pro pietate justitiaque pendatur, fit gloria renascentis: et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat ut nihil retribuatur peccato.

CAPUT VII. — *De morte, quam non regenerati pro Christi confessione suscipiunt.*

Nam quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit, *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5): alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* X, 32); et alio loco, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (*Id.* XVI, 25). Hinc est quod scriptum est, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut et delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui, cum mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt, quanti sunt hi qui mortem, cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire vitam, quam eum negando ad ejus Baptismum pervenire. Quod utique si fecissent, etiam hoc eis in illo lavacro dimitteretur, quod timore mortis negaverant Christum; in quo lavacro et illis facinus tam immane dimissum est, qui occiderant Christum. Sed quando sine abundantia [1] gratiæ Spiritus illius, qui ubi vult spirat (*Joan.* III, 8), tantum Christum amare possent, ut eum in tanto vitæ discrimine tanta sub spe veniæ negare non possent? Mors igitur pretiosa sanctorum, quibus cum tanta gratia est præmissa et prærogata mors Christi, ut ad eum acquirendum suam non cunctarentur impendere, in eos usus redactum esse monstravit, quod ad pœnam peccantis antea fuerat constitutum, ut inde justitiæ fructus uberior nasceretur. Mors ergo non ideo bonum videri debet, quia in tantam utilitatem non vi sua, sed divina opitulatione conversa est; ut quæ tunc metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur, ut peccatum non committatur, commissumque deleatur, magnæque victoriæ debita justitiæ palma reddatur.

CAPUT VIII. — *Quod in sanctis primæ mortis pro veritate susceptio, secundæ sit mortis absolutio.*

Si enim diligentius consideremus, etiam cum quisque pro veritate fideliter et laudabiliter moritur, mors cavetur. Ideo quippe aliquid ejus suscipitur, ne tota contingat, et secunda insuper, quæ nunquam finiatur, accedat. Suscipitur enim animæ a corpore separatio, ne Deo ab anima separato etiam ipsa separetur a corpore, ac sic totius hominis prima morte completa, secunda excipiat sempiterna. Quocirca mors quidem, ut dixi, cum eam morientes patiuntur, cumque in eis ut moriantur facit, nemini bona est, sed laudabiliter toleratur pro tenendo vel adipiscendo bono. Cum vero in ea sunt, qui jam mortui nuncupantur, non absurde dicitur et malis mala, et bonis bona. In requie enim sunt animæ piorum a corpore separatæ; impiorum autem pœnas luunt: donec istarum ad æternam vitam, illarum vero ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reviviscant.

CAPUT IX. — *Tempus mortis, quo vitæ sensus aufertur, in morientibus, an in mortuis esse dicendum sit.*

Sed id tempus, quo animæ a corpore separatæ aut in bonis sunt, aut in malis, utrum post mortem potius, an in morte dicendum est? Si enim post mortem est, jam non ipsa mors, quæ transacta atque præterita est, sed post eam vita præsens animæ, bona seu mala est. Mors autem tunc eis mala erat, quando erat, hoc est, quando eam patiebantur, cum morerentur: quoniam gravis et molestus eis inerat sensus; quo malo bene utuntur boni. Peracta autem mors quonam modo vel bona, vel mala est, quæ jam non est? Porro, si adhuc diligentius attendamus, nec illa mors esse apparebit, cujus gravem ac molestum in morientibus diximus sensum. Quamdiu enim sentiunt, adhuc utique vivunt; et si adhuc vivunt, ante mortem quam in morte potius esse dicendi sunt: quia illa cum venerit, aufert omnem corporis sensum, qui ea propinquante molestus est. Ac per hoc, quomodo morientes dicamus eos qui nondum mortui sunt, sed imminente morte jam extrema et mortifera afflictione jactantur, explicare difficile est: etiamsi recte isti appellantur morientes; quia cum mors quæ jam impendet, advenerit, non morientes, sed mortui nuncupantur. Nullus est ergo moriens, nisi vivens; quoniam cum in tanta est extremitate vitæ, in quanta sunt quos agere animam dicimus, profecto qui nondum anima caruit, adhuc vivit. Idem ipse igitur simul et moriens est et vivens: sed morti accedens, vita decedens [1]; adhuc tamen in vita, quia

[1] Sic Er. et Mss. At Vind. et Am.: *Sed quando in abundantia.* Lov.: *sed quando nisi abundantia.*

[1] In Mss., *vita cedens.*

inest anima corpori; nondum autem in morte, quia nondum abscessit a corpore. Sed si cum abscesserit, nec tunc in morte, sed post mortem potius erit; quando sit in morte quis dixerit? Nam neque ullus moriens erit, si moriens et vivens simul esse nullus potest: quamdiu quippe anima in corpore est, non possumus negare viventem. Aut si moriens potius dicendus est, in cujus jam corpore agitur ut moriatur, nec simul quisquam potest esse vivens et moriens; quando sit vivens nescio.

CAPUT X. — *De vita mortalium, quæ mors potius quam vita dicenda est.*

Ex quo enim quisque in isto corpore morituro esse cœperit, nunquam in eo non agitur ut mors veniat (*a*). Hoc enim agit ejus mutabilitas toto tempore vitæ hujus (si tamen vita dicenda est), ut veniatur in mortem. Nemo quippe est qui non ei post annum sit, quam ante annum fuit, et cras quam hodie, et hodie quam heri, et paulo post quam nunc, et nunc quam paulo ante propinquior. Quoniam quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur; et quotidie fit minus minusque quod restat: ut omnino nihil sit aliud tempus vitæ hujus, quam cursus ad mortem, in quo nemo vel paululum stare, vel aliquanto tardius ire permittitur: sed omnes urgentur pari motu, nec diverso impelluntur accessu. Neque enim cui vita brevior fuit, celerius diem duxit, quam ille cui longior: sed cum æqualiter et æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud est autem amplius viæ peregisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo usque ad mortem productiora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit. Porro si ex illo quisque incipit mori, hoc est esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est vitæ detractio; quia, cum detrahendo finita fuerit, post mortem jam erit, non in morte: profecto ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est. Quid enim aliud diebus, horis, momentisque singulis agitur, donec ea consumpta [1] mors quæ agebatur, impleatur; et incipiat jam tempus esse post mortem, quod cum vita detraheretur, erat in morte? Nunquam igitur in vita homo est, ex quo est in corpore isto moriente potius quam vivente, si et in vita et in morte simul non potest esse. An potius et in vita et in morte simul est: in vita scilicet in qua vivit, donec tota detrahatur; in morte autem, qua jam [2] moritur, cum vita detrahitur? Si enim non est in vita, quid est quod detrahitur, donec ejus fiat perfecta consumptio? Si autem non est in morte, quid est vitæ ipsa detractio? Non enim frustra, cum vita fuerit corpori tota detracta, post mortem jam dicitur, nisi quia mors erat, cum detraheretur. Nam si ea detracta non est homo in morte, sed post mortem; quando, nisi cum detrahitur, erit in morte?

[1] Vind. Am. Er. et nonnulli Mss., *consummata*.
[2] Nostri Mss., *qua jam*. M.

(*a*) Magna pars eorum, quæ in hoc capite Augustinus dicit, sumpta sunt ex Seneca, variis locis. Lud. Vives.

CAPUT XI. — *An quisquam simul et vivens esse possit, et mortuus.*

1. Si autem absurdum est ut hominem, antequam ad mortem perveniat, jam esse dicamus in morte; (cui enim propinquat peragendo vitæ suæ tempora, si jam in illa est?) maxime quia nimis est insolens, ut simul et vivens esse dicatur et moriens, cum vigilans et dormiens simul esse non possit: quærendum est quando erit moriens. Etenim antequam mors veniat, non est moriens, sed vivens: cum vero mors venerit, mortuus erit, non moriens. Illud ergo est adhuc ante mortem, hoc jam post mortem. Quando ergo in morte? (tunc enim est moriens:) ut quemadmodum tria sunt cum dicimus, Ante mortem, in morte, post mortem; ita tria singulis singula, Vivens, moriens, mortuusque reddantur. Quando itaque sit moriens, id est in morte, ubi neque sit vivens, quod est ante mortem, neque mortuus, quod est post mortem, sed moriens, id est in morte, difficillime definitur. Quamdiu quippe est anima in corpore, maxime si etiam sensus adsit, procul dubio vivit homo, qui constat ex anima et corpore; ac per hoc adhuc ante mortem, non in morte esse dicendus est: cum vero anima abscesserit, omnemque abstulerit corporis sensum, jam post mortem mortuusque perhibetur. Perit igitur inter utrumque, quo [1] moriens, vel in morte sit: quoniam si adhuc vivit, ante mortem est; si vivere destitit, jam post mortem est. Nunquam ergo moriens, id est in morte esse comprehenditur. Ita etiam in transcursu temporum quæritur præsens, nec invenitur: quia sine ullo spatio est, per quod transitur ex futuro in præteritum. Nonne ergo videndum est, ne ista ratione mors corporis nulla esse dicatur? Si enim est, quando est quæ in nullo, et in qua ullus esse non potest? quandoquidem si vivitur, adhuc non est; quia hoc ante mortem, non in morte: si autem vivere jam cessatum est, jam non est; quia et hoc post mortem est, non in morte. Sed rursus si nulla mors est ante vel post, quid est quod dicitur ante mortem, sive post mortem? nam et hoc inaniter dicitur, si mors nulla est. Atque utinam in paradiso bene vivendo egissemus, ut revera nulla esset mors. Nunc autem non solum est, verum etiam tam molesta est, ut nec ulla explicari locutione possit, nec ulla ratione vitari.

2. Loquamur ergo secundum consuetudinem [2]; non enim aliter debemus: et dicamus, Ante mortem, prius quam mors accidat; sicut scriptum est, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (*Eccli.* xi, 30). Dicamus etiam cum acciderit, Post mortem illius vel illius factum est illud vel illud. Dicamus et de præsenti tempore ut possumus, velut cum ita loquimur, Moriens ille testatus est, et illis atque illis illud atque illud moriens dereliquit: quamvis hoc nisi vivens omnino facere non posset, et potius hoc ante mortem fecerit,

[1] Sic Vind. Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *quomodo*.
[2] Lov., *consuetudinem Scripturarum*. Abest, *Scripturarum*, ab aliis libris.

non in morte. Loquamur etiam sicut loquitur Scriptura divina, quæ mortuos quoque non post mortem, sed in morte esse non dubitat dicere. Hinc enim est illud : *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui* (*Psal.* VI, 6). Donec enim reviviscant, recte dicuntur esse in morte, sicut in somno esse quisque, donec evigilet, dicitur : quamvis in somno positos dicamus dormientes, nec[1] tamen eo modo possumus dicere eos qui jam sunt mortui, morientes. Non enim adhuc moriuntur qui, quantum attinet ad corporis mortem, de qua nunc disserimus, jam sunt a corporibus separati. Sed hoc est quod dixi explicari aliqua locutione non posse, quonam modo vel morientes dicantur vivere, vel jam mortui etiam post mortem adhuc esse dicantur in morte. Quomodo enim post mortem si adhuc in morte? Præsertim cum eos nec morientes dicamus, sicuti eos qui in somno sunt dicimus dormientes ; et qui in languore, languentes ; et qui in dolore, utique dolentes ; et qui in vita, viventes : at vero mortui priusquam resurgant, esse dicuntur in morte, nec tamen possunt appellari morientes. Unde non importune neque incongrue arbitror accidisse, etsi non humana industria, judicio fortasse divino, ut hoc verbum quod est, moritur, in latina lingua nec grammatici declinare potuerint, ea regula qua cætera talia declinantur. Namque ab eo quod est oritur, fit verbum præteriti temporis, ortus est : et si qua similia sunt, per temporis præteriti participia declinantur. Ab eo vero quod est moritur, si quæramus præteriti temporis verbum, responderi assolet, mortuus est, u littera geminata. Sic enim dicitur mortuus, quomodo fatuus, arduus, conspicuus, et si qua similia, quæ non sunt præteriti temporis, sed quoniam nomina sunt, sine tempore declinantur. Illud autem, quasi ut declinetur quod declinari non potest, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Convenienter itaque[2] factum est, ut, quemadmodum id quod significat, non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit (*a*). Agi tamen potest in adjutorio gratiæ Redemptoris nostri, ut saltem secundam mortem declinare possimus. Illa enim est gravior, et omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ et corporis, sed in æternam pœnam potius utriusque complexu. Ibi e contrario non erunt homines ante mortem atque post mortem, sed semper in morte : ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes. Nunquam enim erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.

CAPUT XII. — *Quam mortem primis hominibus Deus, si mandatum ejus transgrederentur, fuerit comminatus.*

Cum ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent ; utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ appellatur secunda : respondendum est, Omnes. Prima enim ex duabus constat ; secunda ex omnibus tota. Sicut enim universa terra ex multis terris, et universa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis ; sic universa mors ex omnibus. Quoniam prima constat ex duabus, una animæ, altera corporis : ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo et sine corpore ad tempus pœnas luit ; secunda vero, ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito, *Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini* (*Gen.* II, 17) : non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo ; nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima ; nec solum ipsam totam primam, ubi anima et a Deo et a corpore separata punitur : sed quidquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.

CAPUT XIII. — *Prævaricatio primorum hominum, quam primam senserit pœnam.*

Nam posteaquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Unde etiam foliis ficulneis, quæ forte a perturbatis prima comperta sunt, pudenda texerunt (*Gen.* III, 7) : quæ prius eadem membra erant, sed pudenda non erant. Senserunt ergo novum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Jam quippe anima libertate in perversum propria delectata, et Deo dedignata servire, pristino corporis servitio destituebatur : et quia superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat : nec omni modo habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subdita ipsa mansisset. Tunc ergo cœpit caro concupiscere adversus spiritum (*Galat.* V, 17) : cum qua controversia nati sumus, trahentes originem mortis, et in membris nostris vitiataque natura contentionem ejus sive victoriam de prima prævaricatione gestantes.

CAPUT XIV. — *Qualis homo sit factus a Deo, et in quam sortem*[1] *deciderit suæ voluntatis arbitrio.*

Deus enim creavit hominem rectum, naturarum auctor, non utique vitiorum : sed sponte depravatus justeque damnatus, depravatos damnatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quæ de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus ; sed jam natura erat seminalis, ex qua propagaremur : qua scilicet propter peccatum vitiata, et vinculo mortis obstricta, justeque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur. Ac per hoc a liberi arbitrii malo usu series hujus calamitatis exorta est, quæ humanum genus origine depravata, velut radice corrupta, usque ad secundæ mortis exitium, quæ non habet finem,

[1] Sic Mss. Editi vero, *non*.
[2] Plures Mss., *ponitur. Non inconvenienter itaque*, etc.
(*a*) Lusit ambiguitate verbi illius, *declinari* : agendo, inquit, non potest declinari, id est, vitari ; nec loquendo potest per modos inflecti. LUD. VIVES.

[1] Nonnulli Mss., *mortem*.

solis eis exceptis qui per gratiam Dei liberantur, miseriarum connexione perducit.

CAPUT XV. — *Quod Adam peccans prius reliquerit Deum, quam relinqueretur a Deo; et primam fuisse animæ mortem a Deo recessisse.*

Quamobrem etiamsi in eo quod dictum est, *Morte moriemini*, quoniam non est dictum, Mortibus, eam solam intelligamus, quæ fit cum anima deseritur sua vita, quod illi Deus est: (non enim deserta est ut desereret, sed ut desereretur, deseruit: ad malum quippe ejus prior est voluntas ejus; ad bonum vero ejus prior est voluntas Creatoris ejus, sive ut eam faceret quæ nulla erat, sive ut reficiat quæ lapsa perierat [1]): etiamsi ergo hanc intelligamus Deum denuntiasse mortem, in eo quod ait, *Qua die ederitis ex illo, morte moriemini;* tanquam diceret, Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam: profecto in ea morte etiam cæteræ denuntiatæ sunt, quæ procul dubio fuerant secuturæ. Nam in eo quod inobediens motus in carne animæ inobedientis exortus est, propter quem pudenda texerunt, sensa est mors una in qua deseruit animam Deus. Ea significata est verbis ejus, quando timore dementi sese abscondenti homini dixit, *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9)? non utique ignorando quærens, sed increpando admonens, ut attenderet ubi esset in quo non esset Deus. Cum vero corpus anima ipsa deseruit ætate corruptum et senectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat, *Terra es, et in terram ibis* (*Ibid.*, 19): ut ex his duabus mors illa prima, quæ totius est hominis, compleretur, quam secunda in ultimo sequitur, nisi homo per gratiam liberetur. Neque enim corpus quod de terra est, rediret in terram, nisi sua morte, quæ illi accidit cum deseritur sua vita, id est anima. Unde constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, qua nullam mortem homini [2] Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus, *Terra es, et in terram ibis*.

CAPUT XVI. — *De philosophis, qui animæ separationem a corpore non putant esse pœnalem, cum Plato inducat summum Deum diis minoribus promittentem, quod nunquam sint corporibus exuendi.*

1. Sed philosophi, contra quorum calumnias defendimus civitatem Dei, hoc est ejus Ecclesiam, sapienter sibi videntur irridere quod dicimus, animæ a corpore separationem inter pœnas ejus esse deputandam: quia videlicet ejus perfectam beatitudinem tunc illi fieri existimant, cum omni prorsus corpore exuta ad Deum simplex et sola et quodammodo nuda redierit. Ubi si nihil, quo ista refelleretur opinio, in eorum litteris invenirem, operosius mihi disputandum esset, quo demonstrarem non corpus esse animæ, sed corruptibile corpus onerosum. Unde illud est quod de Scripturis nostris in superiori libro commemoravimus (*cap.* 15), *Corpus enim corruptibile aggravat animam* (*Sap.* IX, 15). Addendo utique *corruptibile*, non qualecumque corpore, sed quale factum est ex peccato consequente vindicta, animam perhibuit aggravari. Quod etiamsi non addidisset, nihil aliud intelligere deberemus. Sed cum apertissime Plato deos a summo Deo factos habere immortalia corpora prædicet, eisque ipsum Deum, a quo facti sunt, inducat pro magno beneficio pollicentem, quod in æternum cum suis corporibus permanebunt, nec ab eis ulla morte solventur: quid est quod isti ad exagitandam christianam fidem fingunt se nescire quod sciunt; aut etiam sibi repugnantes adversum se ipsos malunt dicere, dum nobis non desinant contradicere? Nempe Platonis hæc verba sunt, sicut ea Cicero in latinum vertit (*a*), quibus inducit summum Deum deos quos fecit alloquentem ac dicentem: *Vos qui deorum satu orti estis, attendite quorum operum ego parens effectorque sum. Hæc sunt indissolubilia me invito [1]: quanquam omne colligatum solvi potest. Sed haudquaquam boni est [2], ratione vinctum velle dissolvere [3]. Sed quoniam estis orti, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis: nequaquam [4] tamen dissolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora quam consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis, tum cum gignebamini, colligati.* Ecce deos Plato dicit et corporis animæque colligatione mortales, et tamen immortales Dei a quo facti sunt voluntate atque consilio. Si ergo animæ pœna est in qualicumque corpore colligari, quid est quod eos alloquens Deus tanquam sollicitos, ne forte moriantur, id est dissolvantur a corpore, de sua facit immortalitate securos; non propter eorum naturam, quæ sit compacta, non simplex, sed propter suam invictissimam voluntatem, qua potens est facere, ut nec orta occidant, nec connexa solvantur, sed incorruptibiliter perseverent?

2. Et hoc quidem utrum Plato verum de sideribus dicat, alia quæstio est: neque enim ei continuo concedendum est, globos istos luminum sive orbiculos luce corporea super terras, seu die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere, eisque intellectualibus et beatis, quod etiam de ipso universo mundo, tanquam uno animali maximo, quo cuncta cætera continerentur animalia, instanter affirmat (*b*). Sed hæc, ut dixi, alia quæstio est, quam nunc discutiendam non suscepimus. Hoc tantum contra istos commemorandum putavi, qui se Platonicos vocari vel esse gloriantur, cujus superbia

[1] Mss., *quia lapsa perierat.*
[2] Probæ notæ Mss., *hominis.* — Sic Ms. 2051. M.

[1] Editi, *indissolubilia nutu meo.* At manuscripti, ut apud Ciceronem, *me invito.* Forte pro, *me non invito.* Nam in Platonis Timæo est, *emou ge me thelontos.*
[2] Editi, *bonum est.* Melius Mss., *boni est:* juxta Ciceronem et Platonis græcum, *kakou.*
[3] Sic nostri codices atque veteres libri tum Augustini, tum Ciceronis. In E., *dissolvere velle.* M.
[4] Sic manuscripti. Editi autem, *nec unquam.*
(*a*) Libello scilicet qui de Universo inscribitur, et pars est Timæi Platonis. Confer de eodem textu, lib. 22, cap. 26, et tom. 5, serm. 241, n. 8.
(*b*) Hæc Plato passim in Timæo et in Epinomide.

nominis erubescunt esse Christiani, ne commune illis cum vulgo vocabulum, vilem faciat palliatorum (*a*), tanto magis inflatam, quanto magis exiguam paucitatem : et quærentes quid in doctrina christiana reprehendant, exagitant æternitatem corporum, tanquam hæc sint inter se contraria, ut et beatitudinem quæramus animæ, et eam semper esse velimus in corpore, velut ærumnoso vinculo colligatam : cum eorum auctor et magister Plato, donum a Deo summo diis ab illo factis dicat esse concessum, ne aliquando moriantur, id est a corporibus, quibus eos connexuit, separentur.

CAPUT XVII. — *Contra eos qui asserunt, terrena corpora incorruptibilia fieri et æterna non posse.*

1. Contendunt etiam isti, terrestria corpora sempiterna esse non posse, cum ipsam universam terram dei sui, non quidem summi, sed tamen magni, id est totius hujus mundi, membrum in medio positum et sempiternum esse non dubitent. Cum ergo Deus ille summus fecerit eis alterum quem putant deum (*Plato in Timæo*), id est istum mundum, cæteris diis qui infra eum sunt præferendum, eumdemque esse existiment animantem, anima scilicet, sicut asserunt, rationali vel intellectuali in tam magna mole corporis ejus inclusa; ipsiusque corporis tanquam membra locis suis posita atque digesta, quatuor constituerit elementa, quorum juncturam, ne unquam deus eorum tam magnus moriatur, insolubilem ac sempiternam velint : quid causæ est, ut in corpore majoris animantis tanquam medium membrum æterna sit terra, et aliorum animantium terrestrium corpora, si, Deus sicut illud velit, æterna esse non possint? Sed terræ, inquiunt, terra reddenda est, unde animalium terrestria sumpta sunt corpora : ex quo fit, inquiunt, ut ea sit necesse dissolvi et emori; et eo modo terræ stabili ac sempiternæ, unde fuerant sumpta, restitui. Si quis hoc etiam de igne similiter affirmet, et dicat reddenda esse universo igni corpora, quæ inde sumpta sunt, ut cœlestia fierent animalia; nonne immortalitas, quam talibus diis, velut Deo summo loquente, promisit Plato, tanquam violentia disputationis hujus intercidet? An ibi propterea non fit, quia Deus non vult, cujus voluntatem, ut ait Plato, nulla vis vincit? Quid ergo prohibet, ut hoc etiam de terrestribus corporibus Deus possit efficere, quandoquidem ut nec ea quæ orta sunt, occidant, nec ea quæ sunt juncta [1] solvantur, nec ea quæ sunt ex elementis sumpta reddantur, atque ut animæ in corporibus constitutæ nec unquam ea deserant, et cum eis immortalitate ac sempiterna beatitudine perfruantur, posse Deum facere confitetur Plato? Cur ergo non possit, ut nec terrestria moriantur? An Deus non est potens quousque Christiani credunt, sed quousque Platonici volunt? Nimirum quippe consilium Dei et potestatem potuerunt philosophi, nec potuerunt nosse Prophetæ? cum potius e contrario Dei Prophetas ad enuntiandam ejus, quantum dignatus est, voluntatem, Spiritus ejus docuerit; philosophos autem in ea cognoscenda conjectura humana deceperit.

2. Verum non usque adeo decipi debuerunt, non solum ignorantia, sed magis etiam [1] pervicacia, ut et sibi apertissime refragentur, magnis disputationum viribus asserentes, animæ, ut beata esse possit, non terrenum tantum, sed omne corpus esse fugiendum; et deos rursus dicentes habere beatissimas animas, et tamen æternis corporibus illigatas, cœlestes quidem igneis, Jovis autem ipsius animam, quem mundum istum volunt, omnibus omnino corporeis elementis, quibus hæc tota moles a terra in cœlum surgit, inclusam. Hanc enim animam Plato ab intimo terræ medio, quod geometræ centrum vocant, per omnes partes ejus usque ad cœli summa et extrema diffundi et extendi per numeros musicos opinatur, ut sit iste mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cujus anima et perfectam sapientiæ felicitatem teneret, et corpus proprium non relinqueret; cujusque corpus et in æternum ex illa viveret, et eam quamvis non simplex, sed tot corporibus tantisque compactum, hebetare atque tardare non posset. Cum igitur suspicionibus suis ista permittant, cur nolunt credere, divina voluntate atque potentia immortalia corpora fieri posse terrena, in quibus animæ nulla ab eis morte separatæ, nullis eorum oneribus aggravatæ, sempiterne ac feliciter vivant (*a*); quod deos suos posse asserunt in corporibus igneis, Jovemque ipsum regem eorum in omnibus corporeis elementis? Nam si animæ, ut beata sit, corpus est omne fugiendum, fugiant dii eorum de globis siderum, fugiat Jupiter de cœlo et terra : aut si non possunt, miseri judicentur. Sed neutrum isti volunt, qui neque a corporibus separationem audent dare diis suis, ne illos mortales colere videantur; nec beatitudinis privationem, ne infelices eos esse fateantur. Non ergo ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora; sed corruptibilia, molesta, gravia, moribunda; non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei, sed qualia esse compulit pœna peccati (*b*).

CAPUT XVIII. — *De terrenis corporibus, quæ philosophi affirmant in cœlestibus esse non posse; quia quod terrenum est, naturali pondere vocetur ad terram.*

Sed necesse est, inquiunt, ut terrena corpora naturale pondus vel in terra teneat, vel cogat ad terram : et ideo in cœlo esse non possint (*c*). Primi quidem illi homines in terra erant nemorosa atque fructuosa, quæ paradisi nomen obtinuit : sed quia et ad hoc respondendum est, vel propter Christi corpus cum quo ascendit in cœlum, vel propter sanctorum qualia in resurrectione futura sunt, intueantur paulo

[1] Nonnulli Mss., *vincta*.

(*a*) *Palliatorum* nomine philosophos intelligit. Hinc apud A. Gellium, lib. 9, cap. 2, de quodam qui corporis cultu amictuque philosophum mentiebatur : *Video barbam et pallium, philosophum nondum video.*

[1] Sic Mss. Editi autem, *verum etiam*.

(*a*) Conf. lib. 6 de Gen. ad Litt., nn. 36, 37.

(*b*) Conf. serm. 241, nn. 67.

(*c*) Conf. lib. de Fide et Symbolo, n. 13.

attentius pondera ipsa terrena. Si enim ars humana efficit ut ex metallis, quæ in aquis posita continuo submerguntur, quibusdam modis vasa fabricata etiam natare possint; quanto credibilius et efficacius occultus aliquis modus operationis Dei, cujus omnipotentissima voluntate Plato dicit nec orta interire, nec colligata posse dissolvi, cum multo mirabilius incorporea corporeis, quam quæcumque corporea quibuscumque corporibus copulentur, potest molibus præstare terrenis, ut nullo in ima pondere deprimantur; ipsisque animis perfectissime beatis, ut quamvis terrena, tamen incorruptibilia jam corpora ubi volunt ponant, et quo volunt agant, situ motuque facillimo? An vero si hoc Angeli faciant, et quælibet animalia terrestria rapiant unde libet, constituantque ubi libet, aut eos sine labore [1] non posse, aut onera sentire credendum est? Cur ergo sanctorum perfectos et beatos divino munere spiritus sine ulla difficultate posse ferre quo voluerint, et sistere ubi voluerint sua corpora non credamus? Nam cum terrenorum corporum, sicut onera in gestando sentire consuevimus, quanto major est quantitas, tanto major sit et gravitas, ita ut plura pondo quam pauciora plus premant: membra tamen suæ carnis leviora [2] portat anima cum in sanitate robusta sunt, quam in languore cum macra sunt. Et cum aliis gestantibus onerosior sit sanus [3] et validus, quam exilis et morbidus; ipse tamen ad suum corpus movendum atque portandum agilior est, cum in bona valetudine plus habet molis, quam cum in peste vel fame minimum roboris. Tantum valet in habendis etiam terrenis corporibus, quamvis adhuc corruptibilibus atque mortalibus, non quantitatis pondus, sed temperationis modus. Et quis verbis explicet, quantum distet inter præsentem, quam dicimus sanitatem, et immortalitatem futuram? Non itaque nostram fidem redarguant philosophi de ponderibus corporum. Nolo enim quærere, cur non credant terrenum posse esse corpus in cœlo, cum terra universa libretur in nihilo. Fortassis enim de ipso medio mundi loco, eo quod in eum coeant quæque graviora, etiam argumentatio verisimilior habeatur. Illud dico: si dii minores, quibus inter animalia terrestria cætera etiam hominem faciendum commisit Plato (*in Timæo*), potuerunt, sicut dicit, ab igne removere urendi qualitatem, lucendi relinquere quæ per oculos emicaret (*Ibid.*); itane Deo summo concedere dubitabimus, cujus ille voluntati potestatique ne moriantur concessit quæ orta sunt, et tam diversa, tam dissimilia, id est corporea et incorporea, sibimet connexa, nulla possint dissolutione sejungi, ut de carne hominis, cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, congruentiam figuræ membrorumque detineat, detrahat ponderis tarditatem? Sed de fide resurrectionis mortuorum, et de corporibus eorum immortalibus diligentius, si Deus voluerit, in fine hujus operis disserendum est.

[1] Abest, *sine labore*, a Mss.
[2] Sola editio Lov., *levius*.
[3] Vind. et Mss., *salvus*.

CAPUT XIX. — *Contra eorum dogmata, qui primos homines, si non peccassent, immortales futuros fuisse non credunt.*

Nunc de corporibus primorum hominum quod instituimus explicemus: quoniam nec mors ista, quæ bona perhibetur bonis, nec tantum paucis intelligentibus sive credentibus, sed omnibus nota est, qua fit animæ a corpore separatio, qua certe corpus animantis, quod evidenter vivebat, evidenter emoritur, eis potuisset accidere, nisi peccati meritum sequeretur. Licet enim justorum ac piorum animæ defunctorum, quod in requie vivant, dubitare fas non sit, usque adeo tamen eis melius esset cum suis corporibus bene valentibus vivere (*a*), ut etiam illi qui omni modo esse sine corpore beatissimum existimant, hanc opinionem suam [1] sententia repugnante convincant. Neque enim quisquam audebit illorum sapientes homines, sive morituros, sive jam mortuos, id est, aut carentes corporibus, aut corpora relicturos, diis immortalibus anteponere, quibus Deus summus apud Platonem munus ingens, indissolubilem scilicet vitam, id est æternum cum suis corporibus consortium, pollicetur. Optime autem cum hominibus agi arbitratur idem Plato, si tamen hanc vitam pie justeque peregerint, ut a suis corporibus separati, in ipsorum deorum, qui sua corpora nunquam deserunt, recipiantur sinum (*in Phædone et Phædro*):

Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
(*Virgil. Æneid. lib.* 6, *vers.* 750, 751.)

Quod Virgilius ex Platonico dogmate dixisse laudatur. Ita quippe animas mortalium, nec in suis corporibus semper esse posse existimat, sed mortis necessitate dissolvi; nec sine corporibus durare perpetuo, sed alternantibus vicibus indesinenter vivos ex mortuis, et ex vivis mortuos fieri putat: ut a cæteris hominibus hoc videantur differre sapientes, quod post mortem ferantur ad sidera, ut aliquanto diutius in astro sibi congruo quisque requiescat, atque inde rursus miseriæ pristinæ oblitus et cupiditate habendi corporis victus, redeat ad labores ærumnasque mortalium; illi vero qui stultam duxerint vitam, ad corpora suis meritis debita, sive hominum, sive bestiarum, de proximo revolvantur (*in Phædro*). In hac itaque durissima conditione constituit etiam bonas atque sapientes animas, quibus non talia corpora distributa sunt, cum quibus semper atque immortaliter viverent, ut neque in corporibus permanere, neque sine his possint in æterna puritate durare. De quo Platonico dogmate jam in libris superioribus (*Præsertim in lib.* 10, *cap.* 30) diximus christiano tempore erubuisse Porphyrium, et non solum ab humanis animis removisse corpora bestiarum, verum etiam sapientium animas ita voluisse de corporeis nexibus liberari, ut corpus omne fugientes beatæ apud Patrem sine fine teneantur. Itaque ne a Christo vinci videretur vitam sanctis pollicente perpetuam, etiam ipse purgatas animas sine ullo ad miserias pristinas reditu

[1] Lov., *sua*; dissentientibus cæteris libris.
(*a*) Conf. lib. 12 de Gen. ad Litt., n. 68, et Retract. lib. 1, cap. 14, n. 2.

in æterna felicitate constituit : et ut Christo adversaretur, resurrectionem incorruptibilium corporum negans, non solum sine terrenis, sed sine ullis omnino corporibus eas asseruit in sempiternum esse victuras (*a*). Nec tamen ista qualicumque opinione præcepit saltem ne diis corporatis religionis obsequio subderentur. Quid ita, nisi quia eas quamvis nulli corpori sociatas, non credidit illis esse meliores? Quapropter, si non audebunt isti [1], sicut eos ausuros esse non arbitror, diis beatissimis, et tamen in æternis corporibus constitutis, humanas animas anteponere; cur eis videtur absurdum, quod fides christiana prædicat, et primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nulla morte a suis corporibus solverentur, sed pro meritis obedientiæ custoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum; et talia sanctos in resurrectione habituros ea ipsa, in quibus hic laboraverunt, corpora, ut nec eorum carni aliquid corruptionis vel difficultatis, nec eorum beatitudini aliquid doloris et infelicitatis possit accidere?

CAPUT XX. — *Quod caro sanctorum, quæ nunc requiescit in spe, in meliorem reparanda sit qualitatem, quam fuit primorum hominum ante peccatum.*

Proinde nunc sanctorum animæ defunctorum ideo non habent gravem mortem, qua separatæ sunt a corporibus suis, quia caro eorum requiescit in spe, quaslibet sine ullo jam sensu contumelias accepisse videatur. Non enim, sicut Platoni visum est, corpora oblivione [2] desiderant: sed potius, quia meminerunt quid sibi ab eo sit promissum, qui neminem fallit, qui eis etiam de capillorum suorum integritate securitatem dedit (*Luc.* XXI, 18), resurrectionem corporum, in quibus multa dura perpessi sunt, nihil in eis ulterius tale sensuri, desiderabiliter et patienter exspectant. Si enim carnem suam non oderant (*Ephes.* V, 29), quando eam suæ menti infirmitate resistentem [3], spirituali jure coercebant, quanto magis eam diligunt etiam ipsam spiritualem futuram? Sicut enim spiritus carni serviens non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellabitur spiritualis; non quia in spiritum convertetur, sicut nonnulli putant ex eo quod scriptum est, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (*b*) (I *Cor.* XV, 42): sed quia spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate [4] subdetur, usque ad immortalitatis [5] indissolubilis securissimam voluntatem omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta. Non solum enim non erit tale, quale nunc est in quavis optima valetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum. Qui licet morituri non essent, nisi peccassent; alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quæ licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem (qui status eis de ligno vitæ, quod in medio paradiso cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur); tamen et alios sumebant cibos præter unam arborem, quæ fuerat interdicta, non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum puræ et simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ sub Creatore Domino constitutæ. Nam ubi nullum malum tangebatur, profecto si prohibitum tangeretur, sola inobedientia peccabatur. Alebantur [1] ergo aliis quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent: de ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet, vel senectute confecta [2] decursis temporum spatiis interirent: tanquam cætera essent alimento, illud sacramento; ut sic fuisse accipiatur lignum vitæ in paradiso corporali, sicut in spirituali, hoc est intelligibili paradiso, Sapientia Dei, de qua scriptum est, *Lignum vitæ est* [3] *amplectentibus eam* (*Prov.* III, 18).

CAPUT XXI. — *De paradiso, in quo primi homines fuerant, quod recte possit significatione ejus spirituale aliquid intelligi, salva veritate narrationis historicæ de corporali loco.*

Unde nonnulli totum ipsum paradisum, ubi primi homines parentes generis humani sanctæ Scripturæ veritate fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt, arboresque illas et ligna fructifera in virtutes vitæ moresque convertunt (*a*): tanquam visibilia et corporalia illa non fuerint, sed intelligibilium significandorum causa eo modo dicta vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi: tanquam ideo non fuerint duæ mulieres, Agar et Sara, et ex illis duo filii Abrahæ, unus de ancilla, alius de libera, quia duo Testamenta in eis figurata dicit Apostolus (*Galat.* IV, 22-24): aut ideo de nulla petra Moyse percutiente aqua defluxerit (*Exod.* XVII, 6; *Num.* XX, 11), quia potest illic figurata significatione etiam Christus intelligi, eodem apostolo dicente, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4). Nemo itaque prohibet intelligere paradisum, vitam beatorum; quatuor ejus flumina, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam; et ligna ejus, omnes utiles disciplinas; et lignorum fructus, mores piorum; et lignum vitæ, ipsam bonorum omnium matrem sapientiam; et lignum scientiæ boni et mali, transgressi

[1] Sola editio Lov., *istis*.
[2] Sic Vind. Am. et meliores Mss. At Er., *corpora oblivionem*. Lov., *corporum oblivionem*.
[3] Aliquot Mss., *resistente*.
[4] In libris nonnullis, *facultate*.
[5] Ms. 2051, *usque ad plenam immortalitatis*; Ms. 2050, *usque ad implendam immortalitatis*. M.
(*a*) Infra, lib. 22, cap. 27.
(*b*) Origenes in libris, *peri Archôn*, ait fore ut omnis corporea creatura in spiritualia corpora mutetur, et cuncta substantia in unum corpus mundissimum et omni splendore purius convertatur, ac tale quale nunc humana mens cogitare non potest; et post, inquit, erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam, quæ omnibus melior est, in divinam scilicet, qua nulla est melior. LUD. VIVES.

[1] Mss. quidam, *Agebatur ergo*. — Codex 2051, *Agebatur ergo aliis quæ sumebant*. M.
[2] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *confecti*.
[3] Hic sola editio Lov. addit, *omnibus*.
(*a*) Philo Judæus, extremo libro de Opificio mundi, et libro primo Allegoriarum Legis, mystice duntaxat et allegorice interpretatur narrationem Moysis de paradiso, nec aliter esse intelligendum censet. Eodem modo Origenes in tomis super Genesi, et in libro quarto, *peri Archôn*, cap. 2. COQUÆUS.

mandati experimentum. Pœnam enim peccatoribus bene utique, quoniam juste, constituit Deus, sed non bono suo experitur homo. Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, ut ea melius accipiamus tanquam prophetica indicia præcedentia futurorum : paradisum scilicet ipsam Ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantico canticorum (*Cant.* IV, 13) : quatuor autem paradisi flumina, quatuor Evangelia ; ligna fructifera, sanctos ; fructus autem eorum, opera eorum ; lignum vitæ, Sanctum sanctorum, utique Christum ; lignum scientiæ boni et mali, proprium voluntatis arbitrium. Nec se ipso quippe homo divina voluntate contempta nisi perniciose uti potest : atque ita discit, quid intersit, utrum inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur. Se quippe amans donatur sibi, ut inde timoribus mœroribusque completus cantet in Psalmo, si tamen mala sua sentit, *Ad me ipsum turbata est anima mea* (*Psal.* XLI, 7) : correctusque jam dicat : *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII, 10). Hæc, et si qua alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur : dum tamen et illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.

CAPUT XXII. — *De corporibus sanctorum post resurrectionem, quæ sic spiritualia erunt, ut non in spiritum caro vertatur.*

Corpora ergo justorum quæ in resurrectione futura sunt, neque ullo ligno indigebunt, quo fiat ut nullo morbo vel senectute inveterata moriantur ; neque ullis aliis corporalibus alimentis, quibus esuriendi ac sitiendi qualiscumque molestia devitetur : quoniam certo et omnimodo inviolabili munere immortalitatis induentur, ut nonnisi velint, possibilitate, non necessitate vescantur. Quod Angeli quoque visibiliter et tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant et poterant, ut hominibus congruerent sui ministerii quadam humanitate, fecerunt (*a*). Neque enim in phantasmate Angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt (*Gen.* XVIII, *et Tob.* XI) : quamvis utrum Angeli essent ignorantibus, consimili nobis indigentia vesci viderentur. Unde est quod ait angelus in libro Tobiæ, *Videbatis me manducare, sed visu vestro, videbatis* (*Tob.* XII, 19) : id est, necessitate reficiendi corporis, sicut vos facitis, me cibum sumere putabatis. Sed si forte de Angelis aliud credibilius disputari potest, certe fides christiana de ipso Salvatore non dubitat, quod etiam post resurrectionem, jam quidem in spirituali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit (*Luc.* XXIV). Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur. Unde et spiritualia erunt ; non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent.

CAPUT XXIII. — *Quid intelligendum sit de corpore animali et de corpore spirituali : aut qui moriuntur in Adam, qui vero vivificantur in Christo.*

1. Nam sicut corpora ista, quæ habent animam viventem, nondum spiritum vivificantem, animalia dicuntur corpora ; nec tamen animæ sunt, sed corpora : ita illa spiritualia vocantur corpora ; absit tamen ut spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem corruptionemque carnalem spiritu vivificante passura. Tunc jam non terrenus, sed cœlestis homo erit : non quia corpus quod de terra factum est, non ipsum erit ; sed quia dono cœlesti jam tale erit, ut etiam cœlo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat. Primus autem homo de terra terrenus (*I Cor.* XV, 47), in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem, quod ei per obedientiæ meritum servabatur. Ideo corpus ejus, quod cibo ac potu egebat, ne fame afficeretur ac siti, et non immortalitate illa absoluta atque indissolubili, sed ligno vitæ a mortis necessitate prohibebatur, atque in juventutis flore tenebatur, non spirituale, sed animale fuisse, non dubium est : nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei prædicentis minantisque sententiam delinquendo corruisset. Et alimentis quidem etiam extra paradisum non negatis, a ligno tamen vitæ prohibitus, traditus esset tempori vetustatique finiendus[1], in ea duntaxat vita, quam in corpore licet animali, donec spirituale obedientiæ merito fieret, posset in paradiso, nisi peccasset, habere perpetuam. Quapropter, etiamsi mortem istam manifestam, qua fit animæ a corpore separatio, intelligamus simul significatam in eo quod Deus dixerat, *Qua die ederitis ex illo, morte moriemini* (*Gen.* II, 17) ; non ideo debet absurdum videri, quia non eo prorsus die a corpore sunt soluti, quo cibum interdictum mortiferumque sumpserunt. Eo quippe die mutata in deterius vitiataque natura, atque a ligno vitæ separatione justissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod Apostolus non ait, Corpus quidem moriturum est propter peccatum ; sed ait, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam*. Deinde subjungit : *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis, habitat in vobis ; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 10, 11). Tunc ergo erit corpus in spiritum vivificantem, quod nunc est in animam viventem ; et tamen mortuum dicit Apostolus, quia jam moriendi necessitate constrictum est. Tunc autem ita erat in animam viventem, quamvis non in spiritum vivificantem, ut tamen mortuum dici recte non posset ; quia nisi perpetratione peccati necessitatem moriendi habere non posset. Cum vero Deus et dicendo, *Adam, ubi es ?* mortem significaverit animæ, quæ facta est illo deserente ; et dicendo, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 9, 19), mortem significaverit corporis, quæ illi fit anima discedente[2] : propterea de morte secunda nihil dixisse credendus est, quia occultam esse voluit propter dispensationem Te-

(*a*) Vide Epist. 102, n. 6.

[1] Sic optimæ notæ Mss. Editi autem, *tardius esset tempori vetustatique perimendus.*

[2] Ita Mss. At editi, *decedente.*

stamenti novi, ubi secunda mors apertissime declaratur; ut prius ista mors prima, quæ communis est omnibus, proderetur ex illo venisse peccato, quod in uno commune factum est omnibus: mors vero secunda non utique communis est omnibus, propter eos *qui secundum propositum vocati sunt* [1], *quos ante præscivit, et prædestinavit*, sicut ait Apostolus, *conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII, 28 *et* 29), quos a secunda morte per Mediatorem Dei gratia liberavit [2].

2. In corpore ergo animali primum hominem factum, sic Apostolus loquitur. Volens enim ab spirituali quod in resurrectione futurum est, hoc quod nunc est animale discernere: *Seminatur*, inquit, *in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in contumelia, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*. Deinde ut hoc probaret, *Si est*, inquit, *corpus animale, est et spirituale*. Et ut quid esset corpus animale ostenderet, *Sic*, inquit, *scriptum est: Factus est primus homo in animam viventem*. Isto igitur modo voluit ostendere quid sit corpus animale, quamvis Scriptura non dixerit de primo homine, qui est appellatus Adam, quando illi [3] anima flatu Dei creata est, Et factus est homo in corpore animali; sed, *Factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7). In eo ergo quod scriptum est, ***Factus est primus homo in animam viventem***, voluit Apostolus intelligi corpus hominis animale. Spirituale autem quemadmodum intelligendum esset, ostendit addendo, ***Novissimus autem Adam in spiritum vivificantem:*** procul dubio Christum significans, qui jam ex mortuis ita resurrexit, ut mori omnino deinceps non possit. Denique sequitur et dicit: ***Sed non primum quod spirituale est, sed quod animale; postea, spirituale.*** Ubi multo apertius declaravit, se animale corpus insinuasse in eo quod scriptum est, factum esse primum hominem in animam viventem: spirituale autem in eo quod ait, ***Novissimus Adam in spiritum vivificantem.*** Prius est enim animale corpus, quale habuit primus Adam, quamvis non moriturum, nisi peccasset; quale nunc habemus et nos, hactenus ejus mutata vitiataque natura, quatenus in illo, posteaquam peccavit, effectum est, unde haberet jam moriendi necessitatem; quale pro nobis etiam Christus primitus habere dignatus est, non quidem necessitate, sed potestate: postea vero spirituale, quale jam præcessit in Christo tanquam in capite nostro, secuturum est autem in membris ejus ultima resurrectione mortuorum.

3. Adjungit deinde Apostolus duorum istorum hominum evidentissimam differentiam, dicens: ***Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni: qualis cœlestis, tales et cœlestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem ejus qui de cœlo est*** (I *Cor.* XV, 42-49). Hoc Apostolus ita posuit, ut nunc quidem in nobis secundum Sacramentum regenerationis fiat; sicut alibi dicit, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27): re autem ipsa tunc perficietur, cum et in nobis quod est animale nascendo, spirituale factum fuerit resurgendo. Ut enim ejus iisdem verbis utar, *Spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24). Induimus autem imaginem terreni hominis propagatione prævaricationis et mortis, quam nobis intulit generatio: sed induimus imaginem cœlestis hominis gratia indulgentiæ vitæque perpetuæ, quod nobis præstat regeneratio, nonnisi per Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum (I *Tim.* II, 5): quem cœlestem hominem vult intelligi, quia de cœlo venit, ut terrenæ mortalitatis corpore vestiretur, quod cœlesti immortalitate vestiret. Cœlestes vero ideo appellat et alios, quia fiunt per gratiam membra ejus, ut cum illis sit unus Christus, velut caput et corpus (*a*). Hoc in eadem Epistola evidentius ita ponit: *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 21 *et* 22). Jam utique in corpore spirituali, quod erit in spiritum vivificantem. Non quia omnes qui in Adam moriuntur, membra erunt Christi (ex illis enim multo plures secunda in æternum morte plectentur); sed ideo dictum est, *omnes* atque *omnes*, quia sicut nemo corpore animali nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spirituali nisi in Christo vivificatur. Proinde nequaquam putandum est, nos in resurrectione tale corpus habituros, quale habuit homo primus ante peccatum. Neque illud quod dictum est, ***Qualis terrenus, tales et terreni;*** secundum illud intelligendum est, quod factum est admissione peccati. Non enim existimandum est, eum prius quam peccasset, spirituale corpus habuisse, et peccati merito in animale mutatum. Ut enim hoc putetur, parum attenduntur tanti verba doctoris, qui ait, ***Si est corpus animale, est et spirituale; sicut scriptum est, Factus est primus homo*** Adam ***in animam viventem.*** Numquid hoc post peccatum factum est, cum sit ista hominis prima conditio, de qua beatissimus Apostolus ad corpus animale monstrandum, hoc testimonium Legis assumpsit?

CAPUT XXIV. — *Qualiter accipienda sit vel illa insufflatio, in qua* primus homo factus est in animam viventem; *vel illa quam Dominus fecit, dicens*, Accipite Spiritum sanctum.

1. Unde et illud parum considerate quibusdam visum est, in eo quod legitur, ***Inspiravit Deus in faciem ejus spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem*** (*Gen.* II, 7), non tunc animam primo homini da-

[1] Editi, *vocati sunt sancti*; et infra, *conformes fieri*. At Mss. non habent, *sancti*, neque, *fieri*; quæ verba etiam absunt a græco textu Apostoli.

[2] Hic incipit caput vigesimum tertium in nonnullis manuscriptis.

[3] In quadam editione, *quando illa*.

(*a*) Ita visum est Origeni, libro 1, *peri archôn*, cap. 3; Tertulliano, libro de Baptismo, cap. 5; Cypriano, Epistola ad Jubaianum; Cyrillo, libro nono in Joannem, cap. 47; Basilio, in Psalmum 48; Ambrosio, libro de Paradiso; Philastrio, et aliis. Conf. lib. 2 de Genesi contra Manich., num. 10, 11.

tam, sed eam quæ jam inerat, Spiritu sancto vivificatam. Movet enim eos, quod Dominus Jesus posteaquam resurrexit a mortuis, insufflavit, dicens discipulis suis, *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22). Unde tale aliquid existimant factum, quale tunc factum est: quasi et hic secutus Evangelista dixerit, Et facti sunt in animam viventem. Quod quidem si dictum esset, hoc intelligeremus, quod animarum quædam vita sit Spiritus Dei, sine quo animæ rationales mortuæ deputandæ sunt, quamvis earum præsentia vivere corpora videantur. Sed non ita factum, quando est conditus homo, satis ipsa libri verba testantur, quæ ita se habent: *Et formavit Deus hominem pulverem de terra*[1]. Quod quidam planius interpretandum putantes dixerunt, *Et finxit Deus hominem de limo terræ*. Quoniam superius dictum fuerat, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ* (*Gen.* II, 7, 6): ut ex hoc limus intelligendus videretur, humore scilicet terraque concretus. Ubi enim hoc dictum est, continuo sequitur, *Et formavit Deus hominem pulverem de terra*: sicut græci codices habent, unde in latinam linguam Scriptura ista conversa est (*a*). Sive autem *formavit*, sive *finxit*, quis dicere voluerit, quod græce dicitur ἔπλασεν, ad rem nihil interest: magis tamen proprie dicitur, *finxit*. Sed ambiguitas visa est devitanda eis, qui *formavit* dicere maluerunt, eo quod in latina lingua illud magis obtinuit consuetudo, ut hi dicantur fingere, qui aliquid mendacio simulante componunt[2]. Hunc igitur formatum hominem de terræ pulvere, sive limo (erat enim pulvis humectus); hunc, inquam, ut expressius dicam, sicut Scriptura locuta est, *pulverem de terra*, animale corpus factum esse docet Apostolus, cum animam accepit. *Et factus est* iste *homo in animam viventem*: id est, formatus iste pulvis factus est in animam viventem.

2. Jam, inquiunt, habebat animam, alioquin non appellaretur homo: quoniam homo non est corpus solum, vel anima sola, sed qui ex anima constat et corpore. Hoc quidem verum est, quod non totus homo, sed pars melior hominis anima est; nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est: sed cum est utrumque conjunctum simul, habet hominis nomen; quod tamen et singula non amittunt, etiam cum de singulis loquimur. Quis enim dicere prohibetur quotidiani quadam lege sermonis, Homo ille defunctus est, et nunc in requie est vel in pœnis; cum de anima sola possit hoc dici: et, Illo aut illo loco homo ille sepultus est; cum hoc nisi de solo corpore non possit intelligi? An dicturi sunt, sic loqui Scripturam non solere divinam? Imo vero illa ita nobis in hoc attestatur, ut etiam cum duo ista conjuncta sunt et vivit homo, tamen etiam singula hominis vocabulo appellet; animam scilicet interiorem hominem, corpus vero exteriorem hominem vocans (II *Cor.* IV, 16), tanquam duo sint homines, cum simul utrumque sit homo unus. Sed intelligendum est, secundum quid dicatur homo ad imaginem Dei, et homo terra atque iturus in terram. Illud enim secundum animam rationalem dicitur, qualem Deus insufflando, vel, si commodius dicitur, inspirando indidit homini, id est hominis corpori: hoc autem secundum corpus, qualem hominem Deus finxit ex pulvere, cui data est anima, ut fieret corpus animale, id est homo in animam viventem.

3. Quapropter in eo quod Dominus fecit, quando insufflavit dicens, *Accipite Spiritum sanctum*, nimirum hoc intelligi voluit, quod Spiritus sanctus non tantum sit Patris, verum etiam Unigeniti ipsius Spiritus. Idem ipse quippe Spiritus est et Patris et Filii, cum quo est Trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus, non creatura, sed Creator. Neque enim flatus ille corporeus de carnis ore procedens substantia erat Spiritus sancti atque natura, sed potius significatio, qua intelligeremus, ut dixi, Spiritum sanctum Patri esse Filioque communem: quia non sunt eis singulis singuli, sed unus amborum est. Semper autem iste Spiritus in Scripturis sanctis græco vocabulo πνεῦμα dicitur, sicut eum et hoc loco Dominus appellavit, quando eum corporalis sui oris flatu significans, discipulis suis dedit: et locis omnibus divinorum eloquiorum non mihi aliter unquam nuncupatus occurrit. Hic vero, ubi legitur, *Et finxit Deus hominem pulverem de terra, et insufflavit*, sive *inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ*; non ait græcus πνεῦμα, quod solet dici Spiritus sanctus, sed πνοήν: quod nomen in creatura quam in Creatore frequentius legitur: unde nonnulli etiam Latini, propter differentiam, hoc vocabulum non spiritum, sed flatum appellare maluerunt. Hoc enim est in græco etiam illo loco apud Isaiam, ubi Deus dicit, *Omnem flatum ego feci* (*Isai.* LVII, 16, *sec.* LXX), omnem animam sine dubitatione significans. Quod itaque græce πνοή dicitur, nostri aliquando flatum, aliquando spiritum, aliquando inspirationem, vel adspirationem, quando etiam Dei dicitur, interpretati sunt[1]: πνεῦμα, vero nunquam nisi spiritum, sive hominis, de quo ait Apostolus, *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* (I *Cor.* II, 11)? sive pecoris, sicut in Salomonis libro scriptum est, *Quis scit si spiritus hominis ascendat sursum in cœlum, et spiritus pecoris descendat deorsum in terram* (*Eccle.* III, 21)? sive istum corporeum, qui etiam ventus dicitur: nam ejus hoc nomen est, ubi in Psalmo canitur, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis* (*Psal.* CXLVIII, 8): sive jam non creatum, sed Creatorem, sicut est de quo dicit Dominus in Evangelio,

[1] Ludovicus Vives: septuaginta sic verterunt, *Kai eplasen o Theos ton anthropon, choun labon apo tês gês*: *Et finxit Deus hominem, pulvere de terra sumpto*. Suspicor hoc Augustini loco deesse unum verbum; ut sit, *Finxit Deus hominem, pulverem capiens de terra*; aut in ablativo, *Finxit Deus hominem, pulvere capto de terra*. Nam Latinus codex habet, *pulverem*. Etenim in Targo Chaldæo legitur, *Creavit Deus hominem pulverem de terra*.

[2] Aliquot Mss., *simul ut et componunt*.

(*a*) [illegible] Ecclesias interpretatione latina ex græca septuaginta, cui postea successit interpretatio Hieronymi ex hebræo.

[1] Sic Mss. At editi, *aliquando etiam animam interpretati sunt*.

Accipite Spiritum sanctum; eum corporei[1] sui oris significans flatu. Et ubi ait, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) : ubi ipsa Trinitas excellentissime et evidentissime commendata est. Et ubi legitur, *Deus spiritus est* (*Joan.* IV, 24). Et aliis plurimis sacrarum Litterarum locis. In his quippe omnibus testimoniis Scripturarum, quantum ad Græcos attinet, non πνοὴν videmus scriptum esse, sed πνεῦμα : quantum autem ad Latinos, non flatum, sed spiritum. Quapropter in eo quod scriptum est, *Inspiravit*, vel, si magis proprie dicendum est, *Insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ*; si græcus non πνοὴν, sicut ibi legitur, sed πνεῦμα posuisset, nec sic esset consequens, ut Creatorem Spiritum, qui proprie dicitur in Trinitate Spiritus sanctus, intelligere cogeremur : quandoquidem πνεῦμα, ut dictum est, non solum de Creatore, sed etiam de creatura dici solere manifestum est.

4. Sed cum dixisset, inquiunt, *spiritum*, non adderet *vitæ*, nisi illic[2] Spiritum sanctum vellet intelligi : et cum dixisset, *Factus est homo in animam*, non adderet, *viventem*, nisi animæ vitam significaret, quæ illi divinitus impertitur dono Spiritus Dei. Cum enim vivat anima, inquiunt, proprio suæ vitæ modo, quid opus erat addere *viventem*, nisi ut ea vita intelligeretur, quæ illi per Spiritum sanctum datur? Hoc quid est aliud, nisi diligenter pro humana suspicione contendere, et Scripturas sanctas negligenter attendere? Quid enim magnum erat non ire longius, sed in eodem libro ipso paulo superius legere, *Producat terra animam viventem* (*Gen.* I, 24); quando animalia terrestria cuncta creata sunt? Deinde aliquantis interpositis, in eodem tamen ipso libro, quid magnum erat advertere quod scriptum est, *Et omnia quæ habent spiritum vitæ, et omnis qui erat super aridam, mortuus est* (*Id.* VII, 22); cum insinuaret omnia quæ vivebant in terra periisse diluvio? Si ergo et animam viventem, et spiritum vitæ etiam in pecoribus invenimus, sicut loqui divina Scriptura consuevit; et cum hoc quoque loco, ubi legitur, *Omnia quæ habent spiritum vitæ*, non græcus πνεῦμα, sed πνοὴν dixerit : cur non dicimus, Quid opus erat ut adderet, *viventem*, cum anima nisi vivat esse non possit? aut, Quid opus erat ut adderet, *vitæ*, cum dixisset *spiritum?* Sed intelligimus *spiritum vitæ*, et *animam viventem* Scripturam suo more dixisse, cum animalia, id est corpora animata, vellet intelligi, quibus inesset per animam perspicuus iste etiam corporis sensus. In hominis autem conditione obliviscimur, quemadmodum loqui Scriptura consueverit, cum suo prorsus more locuta sit : quo insinuaret hominem etiam rationali anima accepta, quam non sicut aliarum carnium aquis et terra producentibus, sed Deo flante creatam voluit intelligi; sic tamen factum, ut in corpore animali, quod fit anima in eo vivente, sicut illa animalia viveret, de quibus dixit, *Producat terra animam viventem* : et quæ itidem dicit habuisse in se spiritum vitæ, ubi etiam in græco non dixit πνεῦμα, sed πνοήν : non utique Spiritum sanctum, sed eorum animam tali exprimens nomine.

5. Sed enim Dei flatus, inquiunt, Dei ore exisse intelligitur, quem si animam crediderimus, consequens erit ut ejusdem fateamur esse substantiæ, paremque illius Sapientiæ, quæ dicit, *Ego ex ore Altissimi prodivi* (*Eccli.* XXIV, 5). Non quidem dixit Sapientia ore Dei efflatam se fuisse, sed ex ejus ore prodisse. Sicut autem nos possumus, non de nostra natura qua homines sumus, sed de isto aere circumfuso, quem spirando ac respirando ducimus ac reducimus[1], flatum facere cum sufflamus : ita omnipotens Deus, non de sua natura, neque de subjacenti creatura, sed etiam de nihilo potuit facere flatum, quem corpori hominis inserendo inspirasse vel insufflasse convenientissime dictus est, incorporeus incorporeum, sed immutabilis mutabilem; quia non creatus creatum. Verumtamen ut sciant isti, qui de Scripturis loqui volunt, et Scripturarum locutiones non advertunt, non hoc solum dici exire ex ore Dei, quod est æqualis ejusdemque naturæ, audiant, vel legant quod Deo dicente scriptum est : *Quoniam tepidus es, et neque calidus neque frigidus, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 16).

6. Nulla itaque causa est, cur apertissime loquenti resistamus Apostolo, ubi ab spirituali corpore corpus animale discernens, id est, ab illo in quo futuri sumus, hoc in quo nunc sumus, ait : *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale : si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est, Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non primum quod spirituale est, sed quod animale; postea, quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni : qualis cœlestis, tales et cœlestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 44-49). De quibus omnibus apostolicis verbis superius locuti sumus. Corpus igitur animale, in quo primum hominem Adam factum esse dicit Apostolus, sic erat factum, non ut mori omnino non posset; sed ut non moreretur, nisi homo peccasset. Nam illud quod spiritu vivificante spirituale erit et immortale, mori omnino non poterit. Sicut anima creata est immortalis, quæ licet peccato mortua perhibeatur carens quadam vita sua, hoc est Dei Spiritu, quo etiam sapienter et beate vivere poterat : tamen propria quadam, licet misera, vita sua non desinit vivere; quia immortalis est creata. Sicut etiam desertores angeli, licet secundum quemdam modum mortui sint peccando; quia fontem vitæ deseruerunt, qui Deus est, quem potando, sapienter beateque poterant vivere : tamen non sic mori potuerunt, ut omnnio desisterent vivere atque sentire; quoniam immortales creati sunt : atque ita in secundam mortem post ultimum præcipitabuntur judicium, ut nec illic vita careant; quandoquidem etiam sensu,

[1] sic Mss. At editi alii, *corporeo*; alii, *incorporeo*.
[2] Vind. Am. Er. et Mss., *illum*.

[1] Nostri codices 2050 et 2051, *ac reddimus*. M.

cum in doloribus futuri sunt, non carebunt. Sed homines ad Dei gratiam pertinentes cives sanctorum Angelorum in beata vita manentium, ita spiritualibus corporibus induentur, ut neque peccent amplius, neque moriantur : ea tamen immortalitate vestiti, quæ, sicut Angelorum, nec peccato possit auferri; natura quidem manente carnis, sed nulla omnino carnali corruptibilitate vel tarditate remanente.

7. Sequitur autem quæstio necessario pertractanda, et Domino Deo veritatis adjuvante solvenda. Si libido membrorum inobedientium ex peccato inobedientiæ in illis primis hominibus, cum illos divina gratia deseruisset, exorta est; unde in suam nuditatem oculos aperuerunt, id est, eam curiosius adverterunt, et quia impudens motus voluntatis arbitrio resistebat, pudenda texerunt : quomodo essent filios propagaturi, si, ut creati fuerant, sine prævaricatione mansissent. Sed quia et liber iste claudendus est, nec tanta quæstio in sermonis angustias coarctanda, in eum qui sequitur, commodiore dispositione differatur.[1]

[1] Sic Er. et aliquot Mss. Alii, *dispositione differtur*.

LIBER QUARTUS DECIMUS [(a)].

Rursum de primi hominis peccato, ex quo vitæ carnalis et vitiosorum affectuum causam profluxisse docet Augustinus : sed præsertim libidinis erubescendæ malum pœnam inobedientiæ reciprocam esse ostendit, et quomodo, si non peccasset homo, filios fuisset absque libidine propagaturus, inquirit.

CAPUT PRIMUM. — *Per inobedientiam primi hominis in secundæ mortis perpetuitatem ruituros omnes fuisse, nisi multos Dei gratia liberaret.*

Diximus jam in superioribus libris ad humanum genus, non solum naturæ similitudine sociandum, verum etiam quadam cognationis necessitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligandum, ex homine uno Deum voluisse homines instituere : neque hoc genus fuisse in singulis quibusque moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est unus ex nullo, altera ex illo, id inobedientia meruissent : a quibus admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati et mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines usque adeo dominatum est, ut omnes in secundam quoque mortem, cujus nullus est finis, pœna debita præcipites ageret, nisi inde quosdam indebita Dei gratia liberaret. Ac per hoc factum est, ut cum tot tantæque gentes per terrarum orbem diversis ritibus moribusque viventes, multiplici linguarum, armorum, vestium sint varietate distinctæ; non tamen amplius quam duo quædam genera humanæ societatis existerent, quas civitates duas secundum Scripturas nostras merito appellare possimus. Una quippe est hominum secundum carnem, altera secundum spiritum vivere in sui cujusque generis pace volentium; et cum id quod expetunt assequuntur, in sui cujusque generis pace viventium.

CAPUT II. — *De vita carnali, quæ non ex corporis tantum, sed etiam ex animi sit intelligenda vitiis.*

1. Prius ergo videndum est, quid sit secundum carnem, quid secundum spiritum vivere. Quisquis enim hoc quod diximus prima fronte inspicit, vel non recolens, vel minus advertens quemadmodum Scripturæ sanctæ loquantur, potest putare philosophos quidem Epicureos secundum carnem vivere, quia summum bonum hominis in corporis voluptate posuerunt; et si qui alii sunt, qui quoquo modo corporis bonum, summum bonum esse hominis opinati sunt; et omne eorum vulgus, qui non aliquo dogmate, vel eo modo philosophantur, sed proclives ad libidinem, nisi ex voluptatibus, quas corporeis sensibus capiunt, gaudere nesciunt : Stoicos autem, qui summum bonum hominis in animo ponunt, secundum spiritum vivere; quia et hominis animus quid est, nisi spiritus? Sed sicut loquitur Scriptura divina, secundum carnem vivere utrique monstrantur. Carnem quippe appellat, non solum corpus terreni atque mortalis animantis : veluti cum dicit, *Non omnis caro eadem caro; sed alia quidem hominis, alia autem caro pecoris, alia volucrum, alia piscium* (I *Cor.* XV, 39) : sed aliis multis modis significatione hujus nominis utitur, inter quos varios locutionis modos sæpe etiam ipsum hominem, id est naturam hominis, carnem nuncupat, modo locutionis a parte totum [1], quale est, *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro* (*Rom.* III, 20). Quid enim voluit intelligi, nisi omnis homo? Quod apertius paulo post ait, *In lege nemo justificatur* [2] (*Galat.* III, 11) : et ad Galatas, *Scientes quia non justificabitur* [3] *homo ex operibus legis* (*Id.* II, 16), Secundum hoc intelligitur, *Et Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14) : id est, homo. Quod non recte accipientes quidam (a), putaverunt Christo humanam animam defuisse. Sicut enim a toto pars accipitur, ubi Mariæ Magdalenæ verba in Evangelio leguntur dicentis, *Abstulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* (*Id.* XX, 13); cum de sola Christi carne loqueretur, quam sepultam de monumento putabat ablatam : ita et a parte totum, carne nominata intelligitur homo; sicuti ea sunt quæ supra commemoravimus.

2. Cum igitur multis modis, quos perscrutari et colligere longum est, divina Scriptura nuncupet car-

(a) Citatum hic liber in libro 1 contra Advers. Legis et Prophet., n. 18, scripto circiter annum 420.

[1] Er. et Lov., *a parte totum significans.* Abest, *significans*, ab editis aliis et Mss. ut sensus sit, *modo locutionis quæ appellatur, a parte totum.*

[2] Lov., *In lege non justificabitur omnis homo.* Editi alii et Mss., *In lege nemo justificatur*, vel, *justificabitur.*

[3] Codex [illegible], *justificatur.* M

(a) Apollinaristæ.

nem : quid sit secundum carnem vivere (quod profecto malum est, cum ipsa carnis natura non sit malum) ut indagare possimus, inspiciamus diligenter illum locum Epistolæ Pauli apostoli, quam scripsit ad Galatas, ubi ait, *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditia, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia; quæ prædico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* v, 19-21). Iste totus Epistolæ apostolicæ locus, quantum ad rem præsentem satis esse videbitur, consideratus, poterit hanc dissolvere quæstionem, quid sit secundum carnem vivere. In operibus namque carnis, quæ manifesta esse dixit, eaque commemorata damnavit, non illa tantum invenimus, quæ ad voluptatem pertinent carnis, sicuti sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, ebrietates, comessationes; verum etiam illa quibus animi vitia demonstrantur a voluptate carnis aliena. Quis enim servitutem quæ idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidias, non potius intelligat animi vitia esse quam carnis? Quandoquidem fieri potest, ut propter idololatriam vel hæresis alicujus errorem a voluptatibus carnis temperetur : et tamen etiam tunc homo, quamvis carnis libidines continere atque cohibere videatur, secundum carnem vivere hac apostolica auctoritate convincitur; et in eo quod abstinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonstratur. Quis inimicitias non in animo habeat? aut quis ita loquatur, ut inimico suo, vel quem putat inimicum, dicat, Malam carnem, ac non potius, Malum animum habes adversum me? Postremo sicut carnalitates, ut ita dicam, si quis audisset, non dubitasset carni tribuere; ita nemo dubitat animositates ad animum pertinere : cur ergo hæc omnia et his similia Doctor Gentium in fide et veritate opera carnis appellat, nisi quia eo locutionis modo, quo totum significatur a parte, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi?

CAPUT III. — *Peccati causam ex anima, non ex carne prodiisse, et corruptionem ex peccato contractam, non peccatum esse, sed pœnam.*

1. Quod si quisquam dicit, carnem causam esse in malis moribus quorumcumque vitiorum, eo quod anima carne affecta sic vivit; profecto non universam hominis naturam diligenter advertit. Nam *corpus* quidem *corruptibile aggravat animam* (*Sap.* IX, 15). Unde etiam idem apostolus agens de hoc corruptibili corpore, de quo paulo ante dixerat, *Etsi exterior homo noster corrumpitur* (II *Cor.* IV, 16) : *Scimus*, inquit, *quia si terrena nostra domus habitationis*[1] *dissolvatur, ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum quod de cœlo est superindui cupientes : si tamen et induti*[2], *non nudi inveniamur. Etenim qui sumus*[1] *in hac habitatione, ingemiscimus gravati : in quo nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita* (II *Cor.* v, 1-4). Et aggravamur ergo corruptibili corpore, et ipsius aggravationis causam, non naturam substantiamque corporis, sed ejus corruptionem scientes, nolumus corpore exspoliari, sed ejus immortalitate vestiri. Et tunc enim erit (*a*), sed quia corruptibile non erit, non gravabit. *Aggravat ergo nunc animam corpus corruptibile, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Verumtamen qui omnia animæ mala ex corpore putant accidisse, in errore sunt.[2]

2. Quamvis enim Virgilius Platonicam videatur luculentis versibus explicare sententiam, dicens,

> Igneus est ollis[3] vigor et cœlestis origo
> Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
> Terrenique hebetant artus moribundaque membra;

omnesque illas notissimas quatuor animi perturbationes, cupiditatem, timorem, lætitiam, tristitiam, quasi origines omnium peccatorum atque vitiorum volens intelligi ex corpore accidere, subjungat et dicat,

> Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec auras
> Suspiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco :
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 730-734.)

tamen aliter se habet fides nostra. Nam corruptio corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi est causa, sed pœna; nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis licet existant quædam incitamenta vitiorum, et ipsa desideria vitiosa : non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. Etsi enim diabolus fornicator vel ebriosus, vel si quid hujusmodi mali est quod ad carnis pertinet voluptates, non potest dici, cum sit etiam talium peccatorum suasor et instigator occultus : est tamen maxime superbus atque invidus. Quæ illum vitiositas sic obtinuit, ut propter hanc esset in carceribus caliginosi hujus aeris æterno supplicio destinatus (*b*). Hæc autem vitia quæ tenent in diabolo principatum, carni tribuit Apostolus, quam certum est diabolum non habere. Dicit enim, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, invidias, opera esse carnis (*Galat.* v, 20-21) : quorum omnium malorum caput atque origo superbia est, quæ sine carne regnat in diabolo. Quis autem illo est inimicior sanctis? quis adversus eos contentiosior, animosior et magis æmulus atque invidus invenitur? Et hæc omnia cum habeat sine carne, quomodo sunt ista opera carnis, nisi quia opera sunt hominis, quem, sicut dixi, nomine carnis appellat? Non enim habendo carnem, quam non habet diabolus; sed vivendo secundum se ipsum, hoc est secundum hominem, factus est homo similis diabolo : quia et ille secundum se ipsum

[1] Editi, *hujus habitationis*. Abest, *hujus*, a manuscriptis et a græco textu Apostoli
[2] Sic Mss. juxta græc. At editi, *si tamen induti*; omisso, *et*.

[1] Editi, *quamdiu sumus*. Verius Mss., *qui sumus*.
[2] Hic incipit caput tertium in Mss.
[3] Nostri Mss., *illis*. M.

(*a*) Supple, *corpus*.
(*b*) Conf. lib. de Agone Christ., n. 3-5, et lib. de Nat. Boni contra Manich., cap. 33.

vivere voluit, quando in veritate non stetit; ut non de Dei, sed de suo, mendacium loqueretur, qui non solum mendax, verum etiam mendacii pater est (*Joan.* VIII, 44). Primus est quippe mentitus, et a quo peccatum, ab illo cœpit esse mendacium.

CAPUT IV. — *Quid sit secundum hominem, quidve secundum Deum vivere.*

1. Cum ergo vivit homo secundum hominem, non secundum Deum, similis est diabolo. Quia nec angelo secundum angelum, sed secundum Deum vivendum fuit, ut staret in veritate, et veritatem de illius, non de suo mendacium loqueretur. Nam et de homine alio loco idem apostolus ait, *Si autem veritas Dei in meo mendacio abundavit* (*Rom.* III, 7). Meum[1] dixit mendacium, veritatem Dei. Cum itaque vivit homo secundum veritatem, non vivit secundum se ipsum, sed secundum Deum. Deus est enim qui dixit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Cum vero vivit secundum se ipsum, hoc est secundum hominem, non secundum Deum, profecto secundum mendacium vivit: non quia homo ipse mendacium est, cum sit ejus auctor et creator Deus, qui non est utique auctor creatorque mendacii; sed quia homo ita factus est rectus, ut non secundum se ipsum, sed secundum eum a quo factus est, viveret; id est, illius potius, quam suam faceret voluntatem: non autem ita vivere, quemadmodum est factus ut viveret, hoc est mendacium. Beatus quippe vult esse, etiam non sic vivendo ut possit esse. Quid est ista voluntate mendacius? Unde non frustra dici potest, omne peccatum esse mendacium. Non enim fit peccatum, nisi ea voluntate, qua volumus ut bene sit nobis, vel nolumus ut male sit nobis. Ergo mendacium est, quod cum fiat ut bene sit nobis, hinc potius male est nobis; vel cum fiat ut melius sit nobis, hinc potius pejus est nobis. Unde hoc, nisi quia de Deo potest bene esse homini, quem delinquendo deserit; non de se ipso, secundum quem vivendo delinquit?

2. Quod itaque diximus, hinc exstitisse civitates duas diversas inter se atque contrarias, quod alii secundum carnem, alii secundum spiritum viverent; potest etiam isto modo dici quod alii secundum hominem, alii secundum Deum vivant. Apertissime quippe Paulus ad Corinthios dicit: *Cum enim inter vos sint æmulatio et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* III, 3)? Quod ergo est ambulare secundum hominem, hoc est esse carnalem; quod a carne, id est a parte hominis, intelligitur homo. Eosdem ipsos quippe dixit superius animales, quos postea carnales, ita loquens: *Quis enim scit*, inquit, *hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic et quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nos autem*, inquit, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis; quæ et loquimur, non in sapientiæ humanæ doctis verbis, sed doctis spiritu*[2], *spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei: stultitia est enim illi* (I *Cor.* II, 11-14). Talibus igitur, id est animalibus, paulo post dicit, *Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*Id.* III, 1). Et illud ex hoc eodem loquendi modo intelligitur, id est[1], a parte totum. Et ab anima namque, et a carne, quæ sunt partes homin, is potest totum significari, quod est homo; atque ita non est aliud animalis homo, aliud carnalis; sed idem ipsum est utrumque, id est, secundum hominem vivens homo. Sicut non aliud quam homines significantur, sive ubi legitur, *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro* (*Rom.* III, 20): sive quod scriptum est, *Septuaginta quinque animæ* (*a*) *descenderunt cum Jacob in Egyptum* (*Gen.* XLVI, 27). Et ibi enim per omnem carnem omnis homo, et ibi per septuaginta quinque animas septuaginta quinque homines intelliguntur. Et quod dictum est, *Non in sapientiæ humanæ doctis verbis*, potuit dici, Non in sapientiæ carnalis: sicut quod dictum est, *Secundum hominem ambulatis*; potuit dici, Secundum carnem. Magis autem hoc apparuit in his quæ subjunxit: *Cum enim quis dicat, Ego sum Pauli; alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis* (I *Cor.* III, 4)? Quod dicebat, *Animales estis*, et, *Carnales estis*; expressius dixit, *Homines estis*: quod est, Secundum hominem vivitis, non secundum Deum; secundum quem si viveretis, dii essetis.

CAPUT V. — *Quod de corporis animæque natura tolerabilior quidem Platonicorum quam Manichæorum sit opinio; sed et ipsi reprobantur, quoniam vitiorum causas naturæ carnis adscribunt.*

Non igitur opus est in peccatis vitiisque nostris ad Creatoris injuriam carnis accusare naturam, quæ in genere atque ordine suo bona est: sed deserto Creatore bono, vivere secundum creatum bonum, non est bonum; sive quisque secundum carnem, sive secundum animam, sive secundum totum hominem, qui constat ex anima et carne (unde et nomine solius animæ, et nomine solius carnis significari potest), eligat vivere. Nam qui velut summum bonum laudat animæ naturam, et tanquam malum naturam carnis accusat, profecto et animam carnaliter appetit, et carnem carnaliter fugit: quoniam id vanitate sentit humana, non veritate divina. Non quidem Platonici, sicut Manichæi desipiunt, ut tanquam mali naturam terrena corpora detestentur (*b*); cum omnia elementa, quibus iste mundus visibilis contrectabilisque compactus est, qualitatesque eorum Deo artifici tribuant. Verumtamen ex terrenis artubus moribundisque membris sic affici animas opinantur, ut hinc eis sint morbi cupiditatum et timorum et lætitiæ sive tristitiæ: quibus quatuor vel perturbationibus, ut Cicero appellat (*Tuscul. quæst. lib.* 4, *cap.*) vel passionibus, ut plerique, verbum e verbo græco exprimunt (*c*), omnis

[1] Mss., *Vestrum.*

[2] Editi et Mss., *sed doctis spiritus*, excepto Colbertino veteri codice, qui habet, *sed doctis spiritu*, juxta græcum, [illegible], prout Vulgata, *sed in doctrina.*

[1] Mss., *Ex hoc eodem loquendi modo, id est*; nec habent, *intelligitur.*

(*a*) Sequitur editionem LXX Interpretum. Nam Vulgata nostra non plures quam septuaginta animas recenset. Tametsi liber Actuum Apostolorum, VII, 14, habet animas septuaginta quinque. Vide infra, lib. 16, cap. 40.

(*b*) Conf. lib. de Hæres., hær. 46.

(*c*) Conf. supra, lib. 8, cap. 17, n. 1.

humanorum morum vitiositas continetur. Quod si ita est, quid est quod Æneas apud Virgilium, cum audisset a patre apud inferos, animas rursus ad corpora redituras, hanc opinionem miratur, exclamans :

> O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
> Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
> Corpora ? Quæ lucis miseris tam dira cupido ?
>
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 719-721.)

Numquidnam hæc tam dira cupido ex terrenis artubus moribundisque membris adhuc inest animarum illi prædicatissimæ puritati? Nonne ab hujusmodi corporeis, ut dicit, pestibus omnibus eas asserit esse purgatas, cum rursus incipiunt in corpora velle reverti? Unde colligitur, etiamsi ita se haberet, quod est omnino vanissimum, vicissim alternans incessabiliter euntium atque redeuntium animarum mundatio et inquinatio, non potuisse veraciter dici, omnes culpabiles atque vitiosos motus animarum eis ex terrenis corporibus inolescere : siquidem secundum ipsos illa, ut locutor nobilis ait, dira cupido usque adeo non est ex corpore, ut ab omni corporea peste [1] purgatam, et extra omne corpus animam constitutam, ipsam compellat esse in corpore. Unde etiam, illis fatentibus, non ex carne tantum afficitur anima, ut cupiat, metuat, lætetur, ægrescat [2]; verum etiam ex se ipsa his potest motibus agitari.

CAPUT VI. — *De qualitate voluntatis humanæ, sub cujus judicio affectiones animi aut pravæ habentur, aut rectæ.*

Interest autem qualis sit voluntas hominis: quia si perversa est, perversos habebit hos motus; si autem recta est, non solum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt. Voluntas est quippe in omnibus: imo omnes nihil aliud quam voluntates sunt. Nam quid est cupiditas et lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem [3] quæ volumus? et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his quæ nolumus? Sed cum consentimus appetendo ea quæ volumus, cupiditas; cum autem consentimus fruendo his quæ volumus, lætitia vocatur. Itemque cum dissentimus ab eo quod accidere nolumus, talis voluntas metus est; cum autem dissentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est. Et omnino pro varietate rerum quæ appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur et vertitur. Quapropter homo qui secundum Deum, non secundum hominem vivit, oportet ut sit amator boni: unde fit consequens ut malum oderit. Et quoniam nemo natura, sed quisquis malus est, vitio malus est : perfectum odium (*Psal.* CXXXVIII, 22) debet malis, qui secundum Deum vivit; ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem; sed oderit vitium, amet hominem. Sanato enim vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, remanebit.

[1] Nonnulli codices, *parte*.
[2] Sic Mss. At editi, *et tristetur*.
[3] Mss., *consensione* ; et infra, *in dissensione*.

CAPUT VII. — *Amorem et dilectionem indifferenter et in bono et in malo apud sacras Litteras inveniri.*

1. Nam cujus propositum est amare Deum, et non secundum hominem, sed secundum Deum amare proximum, sicut etiam se ipsum, procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bonæ, quæ usitatius in Scripturis sacris charitas appellatur; sed amor quoque secundum easdem sacras Litteras dicitur. Nam et amatorem boni dicit Apostolus esse debere, quem regendo populo præcipit eligendum (I *Tim.* III, 1-10). Et ipse Dominus Petrum apostolum interrogans, cum dixisset, *Diligis me plus his?* ille respondit, *Domine, tu scis quia amo te.* Et iterum Dominus quæsivit, non utrum amaret, sed utrum diligeret eum Petrus : at ille respondit iterum, *Domine, tu scis quia amo te.* Tertia vero interrogatione et ipse Dominus non ait, Diligis me, sed, *Amas me?* ubi secutus ait Evangelista, *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me?* cum Dominus non tertio, sed semel dixerit, *Amas me?* bis autem dixerit, *Diligis me?* Unde intelligimus, quod etiam cum dicebat Dominus, *Diligis me?* nihil aliud dicebat, quam, *Amas me?* Petrus autem non mutavit hujus unius rei verbum, sed etiam tertio, *Domine,* inquit, *tu omnia scis, tu scis quia amo te* (*Joan.* XXI, 15-17).

2. Hoc propterea commemorandum putavi, quia nonnulli arbitrantur aliud esse dilectionem sive charitatem, aliud amorem. Dicunt enim dilectionem accipiendam esse in bono, amorem in malo (*a*). Sic autem nec ipsos auctores sæcularium litterarum locutos esse, certissimum est. Sed viderint philosophi utrum vel qua ratione ista discernant. Amorem tamen eos in bonis rebus et erga ipsum Deum magni pendere, libri eorum satis loquuntur. Sed Scripturas religionis nostræ, quarum auctoritatem cæteris quibusque litteris anteponimus, non aliud dicere amorem, aliud dilectionem vel charitatem, insinuandum fuit. Nam et amorem in bono dici, jam ostendimus. Sed ne quis existimet amorem quidem et in bono et in malo, dilectionem autem nonnisi in bono esse dicendam, illud attendat quod in Psalmo scriptum est : *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6). Et illud apostoli Joannis : *Si quis dilexerit mundum, non est dilectio Patris in eo* (1 *Joan.* II, 15). Ecce uno loco dilectio et in bono et in malo. Amorem autem in malo (quia in bono jam ostendimus) ne quisquam flagitet, legat quod scriptum est : *Erunt enim homines se ipsos amantes, amatores pecuniæ* (II *Tim.* III, 2). Recta itaque voluntas est bonus amor, et voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens, lætitia est : fugiens quod ei adversatur, timor est : idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus. Quod dicimus, de Scripturis probemus. Concupiscit Apostolus dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* 1. 23): et, *Concupivit anima mea desiderare judicia tua;* vel si accommodatius dicitur, *Desideravit anima mea concupi-*

(*a*) Sic Origenes usum Scripturæ exponit in Homilia 1 in Cantica canticorum. LUD. VIVES.

piunt, timent, lætantur et boni et mali : sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est. Ipsa quoque tristitia, pro qua Stoici nihil in animo sapientis inveniri posse putaverunt, reperitur in bono, et maxime apud nostros. Nam laudat Apostolus Corinthios, quod contristati fuerint secundum Deum. Sed fortasse quis dixerit, illis Apostolum fuisse congratulatum, quod contristati fuerint pœnitendo : qualis tristitia, nisi eorum qui peccaverint, esse non potest. Ita enim dicit: *Video quod epistola illa, etsi ad horam contristavit vos, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem impœnitendam* [1] *operatur : mundi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim idipsum secundum Deum contristari, quantum perficit in vobis industriam* (II *Cor.* VII, 8-11). Ac per hoc possunt Stoici pro suis partibus respondere, ad hoc videri utilem esse tristitiam, ut peccasse pœniteat; in animo autem sapientis ideo esse non posse, quia nec peccatum in eum cadit, cujus pœnitentia contristetur, nec ullum aliud malum, quod perpetiendo et sentiendo sit tristis. Nam et Alcibiadem ferunt (si me de nomine hominis memoria non fallit), cum sibi beatus videretur, Socrate disputante, et ei quam miser esset, quoniam stultus esset, demonstrante, flevisse (*a*). Huic ergo stultitia fuit causa etiam hujus utilis optandæque tristitiæ, qua homo esse se dolet quod esse non debet. Stoici autem non stultum, sed sapientem aiunt tristem esse non posse.

CAPUT IX. — *De perturbationibus animi, quarum affectus rectos habet vita justorum.*

1. Verum his philosophis, quod ad istam quæstionem de animi perturbationibus attinet, jam respondimus in nono hujus operis libro, ostendentes eos non tam de rebus, quam de verbis cupidiores esse contentionis, quam veritatis (*Capp.* 4, 5). Apud nos autem juxta Scripturas sacras sanamque doctrinam, cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam : dolent in re [2], quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt, adoptionem exspectantes redemptionem corporis sui (*Rom.* VIII, 23); gaudent in spe, quia fiet *sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam* (I *Cor.* XV, 54). Item metuunt peccare, cupiunt perseverare : dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Ut enim metuant peccare, audiunt, *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Ut cupiant perseverare, audiunt quod scriptum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Id.* X, 22). Ut doleant in peccatis, audiunt, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Ut gaudeant in operibus bonis, audiunt, *Hilarem datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7). Item sicuti se infirmitas eorum firmitasque habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari : dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus. Ut enim metuant tentari, audiunt, *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis; intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). Ut autem cupiant tentari, audiunt quemdam virum fortem civitatis Dei dicentem, *Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV, 2). Ut doleant in tentationibus, vident Petrum flentem (*Matth.* XXVI, 75) : ut gaudeant in tentationibus, audiunt Jacobum dicentem, *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* (*Jacobi* I, 2).

2. Non solum autem propter se ipsos his moventur affectibus, verum etiam propter eos quos liberari cupiunt, et ne pereant metuunt, et dolent si pereunt, et gaudent si liberantur. Illum quippe optimum et fortissimum virum, qui in suis infirmitatibus gloriatur (II *Cor.* XII, 5), ut eum potissimum commemoremus, qui in Ecclesiam Christi ex Gentibus venimus, Doctorem Gentium in fide et veritate, qui et plus omnibus suis coapostolis laboravit (I *Cor.* XV, 10), et pluribus Epistolis populos Dei, non eos tantum qui præsentes ab illo videbantur, verum etiam illos qui futuri prævidebantur, instruxit; illum, inquam, virum, athletam Christi [1], doctum ab illo, unctum de illo (*Galat.* I, 12), crucifixum cum illo (*Id.* II, 19), gloriosum in illo, in theatro hujus mundi, cui spectaculum factus est et Angelis et hominibus (I *Cor.* IV, 9), legitime magnum agonem certantem, et palmam supernæ vocationis in anteriora sectantem (*Philipp.* III, 14), oculis fidei libentissime spectant [2], gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (*Rom.* XII, 15), foris habentem pugnas, intus timores (II *Cor.* VII, 5); cupientem dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23); desiderantem videre Romanos, ut aliquem fructum habeat et in illis, sicut et in cæteris gentibus (*Rom.* I, 11, 13); æmulantem Corinthios, et ipsa æmulatione metuentem, ne seducantur eorum mentes a castitate quæ in Christo est (II *Cor.* XI, 2, 3); magnam tristitiam et continuum dolorem cordis de Israelitis habentem (*Rom.* IX, 2), quod ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non essent subjecti (*Id.* X, 3); nec solum dolorem, verum etiam luctum suum denuntiantem quibusdam qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicationibus suis (II *Cor.* XII, 21).

3. Hi motus, hi affectus de amore boni et de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea quæ vere [3] vitia sunt, virtutes vocentur. Sed cum rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando

[1] Vind. Am. omittunt, *impœnitendam*. Sed habent cæteri libri, eamque vocem, quæ græco respondet *ametameleton*, præterire non solet Augustinus, ut videre est in sermone 21, n. 2.

[2] [illegible], *in re*. M.

(*a*) Cicer., Tuscul. quæst. lib. 3, cap. 32.

[1] Vind., Am. Er. et plerique Mss., *verum athletam Christi*.

[2] Plures manuscripti, *exspectantem*. Et quidam, *spectamus*.

[3] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *vera*.

rare *judicia tua* (*Psal.* CXVIII, 20); et, *Concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum* (*Sap.* VI, 21). Hoc tamen loquendi obtinuit consuetudo, ut si cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur cujus rei sit, non nisi in malo possit intelligi. Lætitia in bono est, *Lætamini in Domino, et exsultate justi* (*Psal.* XXXI, 11): et, *Dedisti lætitiam in cor meum* (*Psal.* IV, 7): et, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* XV, 11). Timor in bono est apud Apostolum, ubi ait, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Philipp.* II, 12): et, *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI, 20): et, *Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a castitate quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 3). De tristitia vero, quam Cicero magis ægritudinem appellat (*Tuscul. quæst. lib.* 3, *cap.* 10 *sqq. et alibi*) dolorem autem Virgilius, ubi ait, « Dolent gaudentque, » (sed ideo malui tristitiam dicere, quia ægritudo vel dolor usitatius in corporibus dicitur,) scrupulosior quæstio est, utrum inveniri possit in bono.

CAPUT VIII. — *De tribus perturbationibus, quas in animo sapientis Stoici esse voluerunt, excluso dolore sive tristitia, quam virtus animi sentire non debeat.*

1. Quas enim Græci appellant εὐπαθείας, latine autem Cicero constantias nominavit, Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem: pro ægritudine vero vel dolore, quam nos vitandæ ambiguitatis gratia, tristitiam maluimus dicere, negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum, quod facit sapiens; gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens; cautio devitat malum, quod debet sapiens devitare: tristitia porro quia de malo est, quod jam accidit, nullum autem malum existimant posse accidere sapienti; nihil in ejus animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, ut velle, gaudere, cavere negent nisi sapientem; stultum autem nonnisi cupere, lætari, metuere, contristari. Et illas tres esse constantias, has autem quatuor perturbationes secundum Ciceronem, secundum plurimos autem passiones. Græce autem illæ tres, sicut dixi, appellantur εὐπάθειαι; istæ autem quatuor πάθη. Hæc locutio utrum Scripturis sanctis congruat, cum quærerem quantum potui diligenter, illud inveni quod ait Propheta, *Non est gaudere impiis dicit, Dominus* (*Isai.* LVII, 21, *sec.* LXX): tanquam impii lætari possint potius quam gaudere de malis; quia gaudium proprie bonorum et piorum est. Item illud in Evangelio, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12), ita dictum videtur, tanquam nemo possit aliquid male vel turpiter velle, sed cupere. Denique propter consuetudinem locutionis nonnulli interpretes addiderunt, *bona*, et ita interpretati sunt: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona.* Cavendum enim putaverunt, ne quisquam inhonesta velit sibi fieri ab hominibus, ut de turpioribus taceam, certe luxuriosa convivia, in quibus se, si et ipse illis faciat similia, hoc præceptum existimet impletum. Sed in græco Evangelio, unde in latinum translatum est, non legitur, *bona*, sed, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis*: credo propterea, quia in eo quod dixit, *vultis*, jam voluit intelligi *bona*. Non enim ait, Cupitis.

2. Non tamen semper his proprietatibus locutio nostra frenanda est, sed interdum his utendum est; et cum legimus eos quorum auctoritati resultare fas non est, ibi sunt intelligendæ [1], ubi rectus sensus alium exitum non potest invenire, sicut ista sunt quæ exempli gratia partim ex Propheta, partim ex Evangelio commemoravimus. Quis enim nescit impios exsultare lætitia? et tamen *non est gaudere impiis, dicit Dominus*. Unde, nisi quia gaudere aliud est, quando proprie signateque hoc verbum ponitur? Item quis negaverit non recte præcipi hominibus, ut quæcumque sibi ab aliis fieri cupiunt, hæc eis et ipsi faciant; ne se invicem turpitudine illicitæ voluptatis oblectent? Et tamen saluberrimum verissimumque præceptum est, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis.* Et hoc unde, nisi quia hoc loco modo quodam proprio voluntas posita est, quæ in malo accipi non potest? Locutione vero usitatiore, quam frequentat maxime consuetudo sermonis, non utique diceretur, *Noli velle mentiri omne mendacium* (*Eccli.* VII, 14); nisi esset et voluntas mala, a cujus pravitate illa distinguitur, quam prædicaverunt Angeli dicentes, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Nam ex abundanti additum est, *bonæ*, si esse non potest nisi bona. Quid autem magnum in charitatis laudibus dixisset Apostolus, quod non gaudeat super iniquitate (I *Cor.* XIII, 6), nisi quia ita malignitas gaudet? Nam et apud auctores sæcularium litterarum, talis istorum verborum indifferentia reperitur. Ait enim Cicero orator amplissimus: « Cupio, Patres conscripti, me esse clementem » (*Orat.* 1 *in Catil.*, *cap.* 2). Quia id verbum in bono posuit, quis tam perverse doctus existat, qui non eum Cupio, sed Volo potius dicere debuisse contendat? Porro apud Terentium flagitiosus adolescens insana flagrans cupidine: « Nihil volo aliud, » inquit, « nisi Philumenam. » Quam voluntatem fuisse libidinem, responsio quæ ibi servi ejus senioris [2] inducitur, satis indicat. Ait namque domino suo:

> Quanto satius est, te id dare operam, quo istum
> ex animo amorem amoveas tuo,
> Quam id loqui quo magis libido frustra accendatur tua?
> (*In Andria, act.* 2, *scen.* 1, *vers.* 6-8.)

Gaudium vero eos et in malo posuisse, ille ipse Virgilianus testis est versus, ubi has quatuor perturbationes summa brevitate complexus est:

> Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque.
> (*Æneid. lib.* 6. *vers.* 733.)

Dixit etiam idem auctor, « Mala mentis gaudia » (*Ibid. vers.* 278, 279).

3. Proinde volunt, cavent [3], gaudent et boni et mali: atque ut eadem aliis verbis enuntiemus, cu-

[1] Er. et plerique Mss., *intelligendi.*

[2] Quidam libri, *sanioris.*

[3] Hic in editis post, *cavent;* additum erat, *timent.* Sed male, cum loquatur Augustinus Stoicorum verbis, qui tres tantum affectus sive *eupatheias*, et in eis, *pro metu cautionem*, ponebant, ut in hujus capitis initio dicit.

ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo ejus in Evangelio ista referuntur, quod super duritiam cordis Judæorum cum ira contristatus sit (*Marc.* III, 5); quod dixerit, *Gaudeo propter vos, ut credatis* (*Joan.* XI, 15); quod Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit (*Ibid.*, 35); quod concupiverit cum discipulis suis manducare pascha (*Luc.* XXII, 15); quod propinquante passione tristis fuerit anima ejus (*Matth.* XXVI, 38), non falso utique referuntur. Verum ille hos motus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo.

4. Proinde, quod fatendum est, etiam cum rectas et secundum Deum habemus has affectiones, hujus vitæ sunt, non illius quam futuram speramus, et sæpe illis etiam inviti cedimus. Itaque aliquando, quamvis non culpabili cupiditate, sed laudabili charitate moveamur, etiam dum nolumus, flemus. Habemus ergo eas ex humanæ conditionis infirmitate : non autem ita Dominus Jesus, cujus et [1] infirmitas fuit ex potestate. Sed dum vitæ hujus infirmitatem gerimus, si eas omnino nullas habeamus, tunc potius non recte vivimus. Vituperabat enim et detestabatur Apostolus quosdam, quos etiam esse dixit sine affectione (*Rom.* I, 31). Culpavit etiam illos sacer Psalmus, de quibus ait, *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit* (*Psal.* LXVIII, 21). Nam omnino non dolere, dum sumus in hoc loco miseriæ, profecto, sicut quidam etiam apud sæculi hujus litteratos sensit et dixit (*a*), non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. Quocirca illa quæ ἀπάθεια græce dicitur, quæ si latine posset, impassibilitas diceretur, si ita intelligenda est (in animo quippe, non in corpore accipitur), ut sine his affectionibus vivatur, quæ contra rationem accidunt mentemque perturbant, bona plane et maxime optanda est; sed nec ipsa hujus est vitæ. Non enim qualiumcumque hominum vox est, sed maxime piorum multumque justorum atque sanctorum, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Tunc itaque ἀπάθεια ista erit, quando peccatum in homine nullum erit. Nunc vero satis bene vivitur, si sine crimine : sine peccato autem qui se vivere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat. Porro si ἀπάθεια illa dicenda est, cum animum [2] contingere omnino non potest ullus affectus, quis hunc stuporem non omnibus vitiis judicet esse pejorem? Potest ergo non absurde dici perfectam beatitudinem sine stimulo timoris et sine ulla tristitia futuram : non ibi autem futurum amorem gaudiumque quis dixerit, nisi omni modo a veritate seclusus? Si autem ἀπάθεια illa est, ubi nec metus ullus exterret, nec angit dolor [1], aversanda est in hac vita, si recte, hoc est secundum Deum, vivere volumus : in illa vero beata, quæ sempiterna promittitur, plane speranda est [2].

5. Timor namque ille de quo dicit apostolus Joannes, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate* (I *Joan.* IV, 18), non est ejus generis timor, cujus ille quo timebat apostolus Paulus, ne Corinthii serpentina seducerentur astutia (II *Cor.* XI, 3); hunc enim timorem habet charitas, imo non habet nisi charitas : sed illius est generis timor, qui non est in charitate; de quo ipse apostolus Paulus ait, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem* [3] (*Rom.* VIII, 15). *Timor* vero ille *castus*, *permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10), si erit et in futuro sæculo, (nam quo alio modo potest intelligi permanere in sæculum sæculi?) non est timor exterrens a malo, quod accidere potest; sed tenens in bono, quod amitti non potest. Ubi enim boni adepti amor immutabilis est, profecto, si dici potest, mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare, et non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis cavere peccatum. Aut si nullius omnino generis timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorum feliciumque gaudiorum; sic dictum est, *Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi*, quemadmodum dictum est, *Patientia pauperum non peribit in æternum* (*Psal.* IX, 19). Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala : sed æternum erit, quo per patientiam pervenitur. Ita fortasse timor castus in sæculum sæculi dictus est permanere, quia id permanebit, quo timor ipse perducit.

6. Quæ cum ita sint, quoniam recta vita ducenda est, qua perveniendum sit ad beatam, omnes affectus istos vita recta rectos habet, perversa perversos. Beata vero eademque æterna amorem habebit et gaudium non solum rectum, verum etiam certum; timorem autem ac dolorem nullum. Unde jam apparet utcumque, quales esse debeant in hac peregrinatione cives civitatis Dei, viventes secundum spiritum, non secundum carnem, hoc est, secundum Deum, non secundum hominem : et quales in illa quo tendunt, immortalitate futuri sint. Civitas porro, id est societas, impiorum non secundum Deum, sed secundum hominem viventium, et in ipso cultu falsæ, contemptuque veræ divinitatis, doctrinas hominum dæmonumve sectantium, his affectibus pravis tanquam morbis et perturbationibus quatitur. Et si quos cives habet qui moderari talibus motibus et eos quasi temperare videantur, sic impietate superbi et elati sunt, ut hoc

[1] Particula, *et*, abest a Mss. plerisque.
[2] Plures Mss., *animo*.
(*a*) Crantor Academicus apud Ciceronem in Tuscul. Quæst. lib. 3, cap. 6.

[1] Mss. nonnulli, *nec tangit dolor*.
[2] Vind. Am. et Er., *timor plane superandus est*. Lov., *timor plane sperandus est*. At manuscripti carent verbo, *timor*; et habent, *speranda est*, scilicet *apathia*.
[3] Nostri Mss., *timore*. Sic etiam Vulgata. M.

ipso in eis sint majores tumores, quo minores dolores. Et si nonnulli tanto immaniore, quanto rariore vanitate hoc in se ipsis adamaverint, ut nullo prorsus erigantur et excitentur, nullo flectantur atque inclinentur affectu; humanitatem totam potius amittunt, quam veram assequantur tranquillitatem. Non enim quia durum aliquid, ideo rectum; aut quia stupidum est, ideo sanum (*a*).

CAPUT X. — *An primos homines in paradiso constitutos nullis perturbationibus, priusquam deliquerint, affectos fuisse credendum sit.*

Sed utrum primus homo vel primi homines (duorum erat quippe conjugium) habebant istos affectus in corpore animali ante peccatum, quales in corpore spirituali non habebimus, omni purgato finitoque peccato, non immerito quæritur. Si enim habebant, quomodo erant beati in illo memorabili beatitudinis loco, id est paradiso? Quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur, vel dolore? Quid autem timere aut dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo; nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se conjugum fida et sincera societate viventium, et ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat. An forte cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere, sed mori metuebant; ac per hoc et cupiditas, et metus jam tunc illos homines etiam in illo perturbabat loco? Absit ut hoc existimemus fuisse, ubi nullum erat omnino peccatum. Neque enim nullum peccatum est, ea quæ lex Dei prohibet concupiscere, atque ab his abstinere timore pœnæ, non amore justitiæ. Absit, inquam, ut ante omne peccatum jam ibi fuerit tale peccatum, ut hoc de ligno admitterent, quod de muliere Dominus ait, *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Quam igitur felices erant primi homines, et nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tam felix universa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trajecerunt, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet: atque ista [1] permanente felicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum est, *Crescite, et multiplicamini* (*Gen.* I, 28), prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia major daretur, quæ beatissimis Angelis data est: ubi jam esset certa securitas peccaturum neminem, neminemque moriturum: et talis esset vita sanctorum, post nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit post hæc omnia in incorruptione corporum reddita resurrectione mortuorum.

[1] Aliquot Mss., *ita*.

(*a*) Medici quibusdam membris affectis, cum sanitatem afferre nequeunt, stuporem inducunt, ut omni doloris sensu vacuefaciant, non quo sana sint, sed ne quid sentiant. LUD. VIVES.

CAPUT XI. — *De lapsu primi hominis, in quo bene condita natura est, nec potest nisi a suo Auctore reparari.*

1. Sed quia Deus cuncta præscivit, et ideo hominem quoque peccaturum ignorare non potuit; secundum id quod præscivit atque disposuit civitatem sanctam, eam [1] debemus asserere, non secundum illud quod in nostram cognitionem pervenire non potuit, quia in Dei dispositione non fuit. Nec enim homo peccato suo divinum potuit perturbare consilium, quasi Deum quod statuerat mutare compulerit: cum Deus præsciendo utrumque prævenerit, id est, et homo, quem bonum ipse creavit, quam malus esset futurus, et quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus. Deus enim etsi dicitur statuta mutare (unde tropica locutione in Scripturis sanctis etiam pœnituisse legitur Deum [*Gen.* VI, 6; I *Reg.* XV, 11]), juxta id dicitur, quod homo speraverat, vel naturalium causarum ordo gestabat; non juxta id quod se Omnipotens facturum esse præsciverat. Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum (*Eccle.* VII, 30): ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei: cum ea quippe ab illo factus est homo. Mala vero voluntas prima, quoniam omnia mala opera præcessit in homine, defectus potius fuit quidam ab opere Dei ad sua opera, quam opus ullum. Et ideo mala opera, quia secundum se, non secundum Deum: ut eorum operum tanquam fructuum malorum voluntas ipsa esset velut arbor mala, aut ipse homo in quantum malæ voluntatis. Porro mala voluntas, quamvis non sit secundum naturam, sed contra naturam, quia vitium est; tamen ejus naturæ est, cujus est vitium, quod nisi in natura non potest esse: sed in ea quam creavit ex nihilo, non quam genuit Creator de semetipso, sicut genuit Verbum, per quod facta sunt omnia. Quia etsi de terræ pulvere Deus finxit hominem; eadem terra omnisque terrena materies omnino de nihilo est, animamque de nihilo factam dedit corpori, cum factus est homo. Usque adeo autem mala vincuntur a bonis, ut quamvis sinantur esse ad demonstrandum quam possit et ipsis bene uti justitia providentissima Creatoris; bona tamen sine malis esse possint, sicut Deus ipse verus et summus, sicut omnis super istum caliginosum aerem cœlestis invisibilis visibilisque [2] creatura; mala vero sine bonis esse non possint, quoniam naturæ in quibus sunt, in quantum naturæ sunt, utique bonæ sunt. Detrahitur porro malum, non aliqua natura quæ accesserat vel ulla ejus parte sublata, sed ea quæ vitiata ac depravata fuerat, sanata atque correcta. Arbitrium igitur voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo: quod amissum proprio vitio, nisi a quo dari potuit,

[1] Apud Lov. omissum est, *eam*.

[2] Sola editio Lov., *invisibilisque*; omissa voce, *visibilis*.

reddi non potest. Unde Veritas dicit, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Idipsum est autem, ac si diceret, Si vos Filius salvos fecerit, tunc vere salvi eritis. Inde quippe liberator, unde salvator.

2. Vivebat itaque homo secundum Deum in paradiso, et corporali et spirituali. Neque enim erat paradisus corporalis propter corporis bona, et propter mentis non erat spiritualis; aut vero erat spiritualis quo per interiores, et non erat corporalis quo per exteriores sensus homo frueretur. Erat plane utrumque propter utrumque (*a*). Postea vero quam superbus ille angelus, ac per hoc invidus, per eamdem superbiam a Deo ad semetipsum conversus, quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens, de spirituali paradiso cecidit (de cujus lapsu sociorumque ejus, qui ex Angelis Dei angeli ejus effecti sunt, in libris undecimo et duodecimo hujus operis satis, quantum potui, disputavi), malesuada [1] versutia in hominis sensus serpere affectans, cui utique stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo et femina animalia etiam terrestria cætera subdita et innoxia versabantur, animal scilicet lubricum et tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit; eoque per angelicam præsentiam præstantioremque naturam spirituali nequitia sibi subjecto, et tanquam instrumento abutens, fallacia [2] sermocinatus est feminæ: a parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum; non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori. Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus (*Exod.* XXXII, 3-5); nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum (III *Reg.* XI, 4): ita credendum est, illum virum suæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus, *Sed et Adam non est seductus, mulier autem seducta est* (I *Tim.* II, 14): nisi quia illa quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit, ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minus reus, sed sciens [3] prudensque peccavit. Unde et Apostolus non ait, Non peccavit; sed, *Non est seductus*. Nam utique ipsum ostendit [4], ubi dicit, *Per unum hominem intravit peccatum in mundum*: et paulo post apertius, *In similitudine*, inquit, *prævaricationis Adæ* (*Rom.* V, 12, 14). Eos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, non putant esse peccatum: ille autem scivit. Alioquin quomodo verum erit, *Adam non est seductus?* Sed inexpertus divinæ severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum. Ac per hoc in eo quidem quo mulier seducta est, non est ille seductus, sed eum fefellit, quomodo fuerat judicandum quod erat dicturus, *Mulier quam dedisti mecum* [1], *ipsa mihi dedit, et manducavi* (*Gen.* III, 12). Quid ergo pluribus (*a*)? Etsi credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo sunt capti, et diaboli laqueis implicati.

CAPUT XII. — *De qualitate primi peccati per hominem admissi.*

Si quem vero movet, cur aliis peccatis sic natura non mutetur humana, quemadmodum illa duorum primorum hominum prævaricatione mutata est; ut tantæ corruptioni, quantam videmus atque sentimus, et per hanc subjaceret morti [2], ac tot et tantis tamque inter se contrariis perturbaretur et fluctuaret affectibus, qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animali, utique non fuit: si quis hoc movetur, ut dixi, non ideo debet existimare leve ac parvum illud fuisse commissum, quia in esca factum est, non quidem mala, nec noxia, nisi quia prohibita. Neque enim quidquam mali Deus in illo tantæ felicitatis loco crearet atque plantaret. Sed obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum: quandoquidem ita facta est, ut ei subditam esse sit utile; perniciosum autem suam, non ejus a quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliore posset observantia custodiri.

CAPUT XIII. — *Quod in prævaricatione Adæ ad opus malum voluntas præcessit mala.*

1. In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quod [3] potuit esse nisi superbia? *Initium enim omnis peccati superbia est* (*Eccli.* X, 15). Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit quam ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, et accendebatur ut amaret, stabilis permane-

[1] Vind. Am. Er. et nonnulli Mss., *malesuasa*. Cæteri fere Mss., *malesuadenda*. Melius Lov., *malesuada*, ut apud Virgil. Æneid. lib. 6, vers. 276, « malesuada fames. »

[2] Plures Mss., *fallaciam*.

[3] Er. et Mss., *et sciens*.

[4] Editi, *ipsum peccasse ostendit*. Abest, *peccasse*, a manuscriptis.

(*a*) Confer supra, lib. 13, cap. 21.

[1] Sic Mss. juxta græcum LXX. At editi, *quam dedisti mihi sociam*.

[2] Am. Er. et Lov., *et morti*. Abest, *et*, a manuscriptis.

[3] Codices 2050 et 2051, *quid*. M.

(*a*) Supple, *opus est*.

ret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret [1] et frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non malum ergo opus factum est, id est, illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui jam mali erant. Neque enim fieret ille fructus malus, nisi ab arbore mala (*Matth.* vii, 18). Ut autem esset arbor mala, contra naturam factum est: quia nisi vitio voluntatis, quod contra naturam est, non utique fieret. Sed vitio depravari, nisi ex nihilo facta, natura non posset. Ac per hoc ut natura sit, ex eo habet quod a Deo facta est; ut autem ab eo quod est [2] deficiat, ex hoc quod de nihilo facta est. Nec sic defecit homo, ut omnino nihil esset: sed ut inclinatus ad se ipsum minus esset, quam erat, cum ei qui summe est inhærebat. Relicto itaque Deo, esse in semetipso, hoc est sibi placere, non jam nihil esse est, sed nihilo propinquare. Unde superbi secundum Scripturas sanctas alio nomine appellantur, *sibi placentes* (II *Petr.* ii, 10). Bonum est enim sursum habere cor: non tamen ad se ipsum, quod est superbiæ; sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor, et est aliquid elationis quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, ut elatio sit deorsum, et humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditum superiori; nihil est autem superius Deo: et ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso quo [3] respuit subjectionem, et cadit ab illo, quo non est quidquam superius, et ex hoc erit inferius, et fit quod scriptum est: *Dejecisti eos, cum extollerentur* (*Psal.* lxxii, 18). Non enim ait, Cum elati fuissent, ut prius extollerentur, et postea dejicerentur: sed *cum extollerentur*, tunc dejecti sunt. Ipsum quippe extolli, jam dejici est. Quapropter quod nunc in civitate Dei, et civitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maxime commendatur humilitas, et in ejus Rege, qui est Christus, maxime prædicatur; contrariumque huic virtuti elationis vitium, in ejus adversario, qui est diabolus, maxime dominari, sacris Litteris edocetur: profecto ista est magna differentia, qua civitas, unde loquimur, utraque discernitur; una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hac amor Dei, hac amor sui.

2. Manifesto ergo apertoque peccato, ubi factum est quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi ipsi placere cœpisset. Hinc enim et delectavit quod dictum est, *Eritis sicut dii* (*Gen.* iii, 5). Quod melius esse possent summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dii enim creati, non sua veritate [1], sed Dei veri participatione sunt dii. Plus autem appetendo [2], minus est, qui dum sibi sufficere diligit [3], ab illo qui ei vere sufficit, deficit. Illud itaque malum, quo cum sibi homo placet, tanquam sit et ipse lumen, avertitur ab eo lumine, quod ei si placeat et ipse fit lumen: illud, inquam, malum præcessit in abdito, ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur* (*Prov.* xvi, 18). Illa prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dum illa ruina esse non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat; cum jam ibi sit defectus, quo est relictus Excelsus? Quis autem ruinam esse non videat, quando fit mandati evidens atque indubitata transgressio? Propter hoc Deus illud prohibuit, quod cum esset admissum, nulla defendi posset imaginatione justitiæ. Et audeo [4] dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant (*a*). Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit (*Matth.* xxvi, 75, 33). Hoc dicit et sacer Psalmus: *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine* (*Psal.* lxxxii, 17): id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum.

CAPUT XIV. — *De superbia transgressionis, quæ ipsa fuit transgressione deterior.*

Sed est pejor damnabiliorque superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur: sicut illi primi homines, quorum et illa dixit, *Serpens seduxit me, et manducavi*; et ille dixit, *Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit a ligno, et edi* (*Gen.* iii, 13, 12). Nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ. Nam licet isti non sicut Cain, quod commiserunt, negent (*Id.* iv, 9), adhuc tamen superbia in alium quærit referre, quod perperam fecit: superbia mulieris, in serpentem; superbia viri, in mulierem. Sed accusatio potius quam excusatio vera est, ubi mandati divini est aperta transgressio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier serpente suadente, vir muliere impertiente commisit; quasi quidquam Deo, cui vel crederetur, vel cederetur, anteponendum fuerit.

CAPUT XV. — *De justitia retributionis, quam primi homines pro sua inobedientia receperunt.*

1. Quia ergo contemptus est Deus jubens, qui creaverat, qui ad suam imaginem fecerat [5], qui cæteris animalibus præposuerat, qui in paradiso constituerat,

[1] Sola fere editio Lov., *intenebresceret*.
[2] Sic melioris notæ Mss. At Vind. Am. Er., *ab eo quod facta est*. Lov., *ab eo a quo facta est*.
[3] Plerique Mss. omittunt, *quo*: postque, *subjectionem*, Vind. prosequitur, *cadit ab illo*; omissa particula, *et*.

[1] Sic Vind. et Mss. At Am. Er. et Lov., *virtute*.
[2] Editi, *homo appetendo*. Abest, *homo*, a manuscriptis.
[3] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *delegit*.
[4] Editi, *Et ideo*. Abest, *ideo*, a Mss.
[5] Editi, *qui hominem creaverat, qui ad suam imaginem eum fecerat*. At manuscripti non habent, *hominem*; nec, *eum*.
(*a*) Conf. lib. de Nat. et Grat. cont. Pelag., nn. 26, 27, 32.

qui rerum omnium copiam salutisque præstiterat, qui præceptis nec pluribus nec grandibus nec difficilibus oneraverat, sed uno brevissimo atque levissimo ad obedientiæ salubritatem adminiculaverat, quo eam creaturam, cui libera servitus expediret, se esse Dominum commonebat : justa damnatio subsecuta est, talisque damnatio, ut homo qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritualis, fieret etiam mente carnalis ; et qui [1] sua superbia sibi placuerat, Dei justitia sibi donaretur ; nec sic ut in sua esset [2] omnimodis potestate, sed a se ipse quoque dissentiens, sub illo cui [3] peccando consensit, pro libertate quam concupivit, duram miseramque ageret servitutem ; mortuus spiritu volens, et corpore moriturus invitus : desertor æternæ vitæ, etiam æterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus. Quisquis hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata (*Gen.* XXII, 2) : ita in paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est,nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior, quo factus est obediens usque ad mortem (*Philipp.* II, 8) : ita inobedientia primi hominis eo detestabilior, quo factus est inobediens usque ad mortem. Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, et res a Creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, et tantæ potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio ?

2. Denique, ut breviter dicatur, in illius peccati pœna quid inobedientiæ nisi inobedientia retributa est ? Nam quæ hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus ipsius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non potest velit (*a*)? In paradiso enim etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat,non volebat ; et ideo poterat omnia quæ volebat. Nunc vero sicut in ejus stirpe cognoscimus,et divina Scriptura testatur,*homo vanitati similis factus est* (*Psal.* CXLIII, 4). Quis enim enumerat, quam multa quæ non potest velit, dum sibi ipse, id est voluntati ejus, ipse animus ejus, eoque inferior caro ejus non obtemperat ? Ipso namque invito, et animus plerumque turbatur, et caro dolet, et veterascit, et moritur ; et quidquid aliud patimur, quod non pateremur inviti, si voluntati nostræ nostra natura omni modo atque ex omnibus partibus obediret. At enim aliquid caro patitur, quo servire non sinitur. Quid interest unde, dum tamen per justitiam dominantis Dei [4], cui subditi servire noluimus, caro nostra nobis, quæ subdita fuerat, non serviendo molesta sit ; quamvis nos Deo non serviendo, molesti nobis potuerimus esse, non illi ? Neque enim sic ille nostro, ut nos servitio corporis indigemus : et ideo nostra est quod recipimus, non illius pœna quod fecimus. Dolores porro qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, et ex carne. Quid enim caro per se ipsam sine anima vel dolet, vel concupiscit ? Sed quod concupiscere caro dicitur vel dolere, aut ipse homo est, sicut disseruimus ; aut aliquid animæ, quod carnis afficit passio, vel aspera, ut faciat dolorem ; vel lenis, ut voluptatem. Sed dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio : sicut animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt. Sed tristitiam plerumque præcedit metus, qui et ipse in anima est, non in carne. Dolorem autem carnis non præcedit ullus quasi metus carnis, qui ante dolorem in carne sentiatur. Voluptatem vero præcedit appetitus quidam, qui sentitur in carne quasi cupiditas ejus, sicut fames et sitis, et ea quæ in genitalibus usitatius libido nominatur, cum hoc sit generale vocabulum omnis cupiditatis. Nam et ipsam iram nihil aliud esse, quam ulciscendi libidinem, veteres definierunt (*a*) : quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, etiam rebus inanimis irascatur, ut [1] male scribentem stilum collidat, vel calamum frangat iratus. Verum et ista licet irrationabilior, tamen quædam ulciscendi libido est, et nescio quæ, ut ita dixerim, quasi umbra retributionis, ut qui male faciunt, mala patiantur. Est igitur libido ulciscendi, quæ ira dicitur : est libido habendi pecuniam, quæ avaritia : est libido quomodocumque vincendi, quæ pervicacia : est libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur. Sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam vero non habent. Quis enim facile dixerit, quid vocetur libido dominandi, quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam civilia bella testantur ?

CAPUT XVI. — *De libidinis malo, cujus nomen cum multis vitiis congruat, proprie tamen motibus obscenis corporis adscribitur.*

Cum igitur sint multarum libidines rerum, tamen cum libido dicitur, neque cujus rei libido sit additur, non fere assolet animo occurrere nisi illa, qua obscenæ corporis partes excitantur. Hæc autem sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vindicat, totumque commovet hominem animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ea voluptas sequatur, qua major in corporis voluptatibus nulla est : ita ut momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis

[1] Sic Mss. At Editi, *et quia.*

[2] Vind. Am. Er., *ne sicut affectabat, in sua esset*, etc. Lov., *nec sicut affectabat*, etc. Abest, *affectabat*, a manuscriptis qui habent, *nec sic* (intellige, sibi donaretur) *ut in sua esset*, etc.

[3] Sic legit Ms. 2051, et sic legendum probat Morel, Elem. Crit., p. 89. In B., *qui*. M.

[4] Aliquot Mss., *dum tamen pro justitia dominantis Dei* — sic codex 2051. M.

(*a*) Terentii dictum [illegible], Andr. act. 2, scen. 1, vers. 5, 6 : *quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possit.*

(*a*) Conf. Cicer. lib. 3 Tuscul. Quæst., cap. 5, et lib. 4, cap. 9.

[1] Nonnulli Mss., *et.* — Sic nostri excepto 2050. M.

obruatur. Quis autem amicus sapientiæ sanctorumque gaudiorum, conjugalem agens vitam, sed, sicut Apostolus monuit, *sciens vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in morbo desiderii, sicut et Gentes quæ ignorant Deum* (I *Thess.* IV, 4, 5), non mallet, si posset, sine hac libidine filios procreare, ut etiam in hoc serendæ prolis officio, sic ejus menti ea quæ ad hoc opus creata sunt, quemadmodum cætera suis quæque operibus distributa membra servirent, nutu voluntatis acta, non æstu libidinis incitata? Sed neque ipsi amatores hujus voluptatis, sive ad concubitus conjugales, sive ad immunditias flagitiorum, cum voluerint commoventur : sed aliquando motus ille importunus est nullo poscente, aliquando autem destituit inhiantem, et cum in animo concupiscentia ferveat, friget in corpore : atque ita mirum in modum non solum generandi voluntati, verum etiam lasciviendi libidini libido non servit ; et cum tota plerumque menti cohibenti adversetur, nonnunquam et adversus se ipsam dividitur, commotoque animo in commovendo corpore se ipsa non sequitur.

CAPUT XVII. — *De nuditate primorum hominum, quam post peccatum turpem pudendamque viderunt.*

Merito hujus libidinis maxime pudet, merito et ipsa membra, quæ suo quodam, ut ita dixerim, jure, non omnimodo ad arbitrium nostrum movet, aut non movet[1], pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fuerunt. Nam sicut scriptum est, *Nudi erant, et non confundebantur* (*Gen.* II, 25) : non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat; quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus opinatur : quandoquidem et ille vidit animalia, quibus nomina imposuit (*Ib.* 20) ; et de illa legitur, *Vidit mulier quia bonum lignum in escam, et quia placet oculis ad videndum* (*Ib.* III, 6.) Patebant ergo oculi eorum, sed ad hoc non erant aperti, hoc est non attenti, ut cognoscerent quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut pœna reciproca inobedientia plecteretur, exstitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde esset indecens nuditas ; et fecit attentos, reddiditque confusos. Hinc est quod, posteaquam mandatum Dei aperta transgressione violarunt, scriptum est de illis, *Et aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt quia nudi erant, et consuerunt folia fici, et fecerunt sibi campestria.* (*Ibid.* 7). *Aperti sunt,* inquit, *oculi amborum,* non ad videndum (nam et antea videbant) ; sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, et malum quo ceciderant. Unde et ipsum lignum, eo quod istam faceret dignoscentiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum sciendi[2] boni et mali. Experta enim morbi molestia, evidentior fit etiam jucunditas sanitatis. *Cognoverunt* ergo *quia nudi erant* : nudati scilicet ea gratia, qua fiebat ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes et obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas et inobedientia quid nocerent. Proinde confusi inobedientia carnis suæ, tanquam teste pœna inobedientiæ suæ, *consuerunt folia fici, et fecerunt sibi campestria*, id est succinctoria genitalium. Nam quidam interpretes *succinctoria* posuerunt (*a*). Porro autem *campestria* latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quod juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant : unde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat. Quod itaque adversus damnatam culpa[1] inobedientiæ voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia pudenter tegebat. Ex hoc omnes gentes, quoniam ab illa stirpe procreatæ sunt, usque adeo tenent insitum pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis lavent (*b*). Per opacas quoque Indiæ solitudines, cum quidam nudi philosophentur, unde Gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cætera membrorum carent.

CAPUT XVIII. — *De pudore concubitus, non solum vulgari, sed etiam conjugali.*

Opus vero ipsum quod libidine tali peragitur, non solum in quibusque stupris, ubi latebræ ad subterfugienda humana judicia requiruntur; verum etiam in usu scortorum, quam terrena civitas licitam turpitudinem fecit (*c*), quamvis id agatur, quod ejus civitatis nulla lex vindicat, devitat tamen publicum etiam permissa atque impunita libido conspectum ; et verecundia naturali habent provisum lupanaria ipsa secretum, faciliusque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis, quam impudentia removere latibula illius fœditatis. Sed hanc etiam ipsi turpes turpitudinem vocant : cujus licet sint amatores, ostentatores esse non audent. Quid? concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium præscripta Tabularum procreandorum fit causa liberorum, nonne et ipse quanquam sit licitus et honestus, remotum ab arbitris cubile requirit? nonne omnes famulos, atque ipsos etiam paranymphos, et quoscumque ingredi quælibet necessitudo permiserat, ante mittit foras, quam vel blandiri conjux conjugi incipiat? Et quoniam, sicut ait quidam, *Romani maximus auctor eloquii* (*d*), omnia recte facta in luce se collocari volunt (*e*), id est appetunt sciri :

[1] Vind. Am. et plures Mss., *moventur, aut non moventur.* Er., *movent, aut non movent.*

[2] Editi, *scientiæ.* At Mss., *sciendi.*

[1] Sic probæ notæ Mss. At editi, *culpam.*

(*a*) Apud LXX, *perizômata.*

(*b*) Vide Herodotum, lib. 1, cap. 10 ; Platonem, de Republica, lib. 5, pag. 452. LARCHER.

(*c*) Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, ad Oceanum : « Aliæ sunt, » inquit, « leges Cæsarum, aliæ Christi ; aliud « Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris « impudicitiæ frena laxantur, et solo stupro atque adulterio « condemnato, passim per lupanaria et ancillulas libido per« mittitur : quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. »

(*d*) Ciceronem hoc titulo exornat Lucanus, libro 7, vers. 62, 63, eoque utitur itidem Augustinus in libro quarto de Doctrina Christiana, n. 34.

(*e*) Cicero, lib. 2 Tuscul. Quæst., cap. 26.

hoc recte factum sic appetit sciri, ut tamen erubescat videri. Quis enim nescit, ut filii procreentur, quid inter se conjuges agant? quandoquidem ut id agatur, tanta celebritate ducuntur uxores : et tamen cum agitur unde filii nascantur, nec ipsi filii, si qui inde jam nati sunt, testes fieri permittuntur. Sic enim hoc recte factum ad sui notitiam lucem appetit animorum, ut tamen refugiat oculorum. Unde hoc, nisi quia sic geritur quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat comitetur ex pœna?

CAPUT XIX. — *Quod partes iræ atque libidinis tam vitiose moventur, ut eas necesse sit frenis sapientiæ cohiberi, quæ in illa ante peccatum naturæ sanitate non fuerunt.*

Hinc est quod et illi philosophi, qui veritati propius accesserunt (a), iram atque libidinem vitiosas animi partes esse confessi sunt, eo quod turbide atque inordinate moverentur, ad ea etiam quæ sapientia perpetrari non vetat [1]; ac per hoc opus habere moderatrice mente atque ratione. Quam partem animi tertiam, velut in arce quadam ad istas regendas perhibent collocatam; ut illa imperante, istis servientibus, possit in homine justitia ex omni animi parte servari. Hæ igitur partes, quas et in homine sapiente ac temperante fatentur esse vitiosas, ut eas ab his rebus ad quas injuste moventur, mens compescendo et cohibendo refrenet ac revocet, atque ad ea permittat, quæ sapientiæ lege concessa sunt; sicut iram ad exercendam justam coercitionem, sicut libidinem ad propagandæ prolis officium : hæ, inquam, partes in paradiso ante peccatum vitiosæ non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur, unde necesse esset eas rationis [2] tanquam frenis regentibus abstinere. Nam quod nunc ita moventur, et ab eis qui temperanter et juste et pie vivunt, alias facilius, alias difficilius, tamen cohibendo et refrenando [3] modificantur, non est utique sanitas ex natura, sed languor ex culpa. Quod autem iræ opera aliarumque affectionum in quibusque dictis atque factis non sic abscondit verecundia, ut opera libidinis quæ fiunt genitalibus membris, quid causæ est, nisi quia in cæteris membra corporis non ipsæ affectiones, sed, cum eis consenserit, voluntas movet, quæ in usu eorum omnino dominatur? Nam quisquis verbum emittit iratus, vel etiam quemquam percutit, non posset hoc facere, nisi lingua et manus jubente quodammodo voluntate moverentur : quæ membra, etiam cum ira nulla est, moventur eadem voluntate. At vero genitales corporis partes ita libido suo juri quodammodo mancipavit, ut moveri non valeant, si ipsa defuerit, et nisi ipsa vel ultro vel excitata surrexerit. Hoc est quod pudet, hoc est quod intuentium oculos erubescendo devitat : magisque fert homo spectantium multitudinem, quando injuste irascitur homini, quam vel unius aspectum et quando juste miscetur uxori.

[1] Vind. Am. Er. et nostri Mss., perpetrari vetat; omissa negante particula.
[2] Lov., retinere.
[3] Mss., et repugnando.
(a) Platonici, ut passim supra disserit.

CAPUT XX. — *De vanissima turpitudine Cynicorum.*

Hoc illi canini philosophi, hoc est Cynici, non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud quam caninam, hoc est immundam impudentemque sententiam? ut scilicet quoniam justum est quod fit in uxore, palam non pudeat id agere; nec in vico aut platea qualibet conjugalem concubitum devitare. Vicit tamen pudor naturalis opinionem hujus erroris. Nam etsi perhibent hoc aliquando gloriabundum fecisse Diogenem, ita putantem sectam suam nobiliorem futuram, si in hominum memoria insignior ejus impudentia figeretur : postea tamen a Cynicis fieri cessatum est; plusque valuit pudor, ut erubescerent homines hominibus, quam error, ut homines canibus esse similes affectarent. Unde et illum vel illos, qui hoc fecisse referuntur, potius arbitror concumbentium motus dedisse oculis hominum nescientium quid sub pallio gereretur [1], quam humano premente conspectu potuisse illam peragi voluptatem. Ibi enim philosophi non erubescebant videri se velle concumbere, ubi libido ipsa erubesceret surgere. Et nunc videmus adhuc esse philosophos Cynicos; hi enim sunt, qui non solum amiciuntur pallio, verum etiam clavam ferunt : nemo tamen eorum audet hoc facere; quod si aliqui ausi essent, ut non dicam ictibus lapidantium, certe conspuentium salivis obruerentur. Pudet igitur hujus libidinis humanam sine ulla dubitatione naturam, et merito pudet. In ejus quippe inobedientia, quæ genitalia corporis membra solis suis motibus subdidit, et potestati voluntatis eripuit, satis ostenditur quid sit hominis illi [2] primæ inobedientiæ retributum : quod in ea maxime parte oportuit apparere, qua generatur ipsa natura, quæ illo primo et magno in deterius est mutata peccato : a cujus nexu nullus eruitur, nisi id quod, cum omnes in uno essent, in communem perniciem perpetratum est, et Dei justitia vindicatum, Dei gratia in singulis expietur.

CAPUT XXI. — *De benedictione multiplicandæ fecunditatis humanæ ante peccatum, quam prævaricatio non adimeret, et cui libidinis morbus accesserit.*

Absit itaque, ut credamus illos conjuges in paradiso constitutos per hanc libidinem, de qua erubescendo eadem membra texerunt, impleturos fuisse quod in sua benedictione Deus dixit, *Crescite, et multiplicamini, et implete terram* (*Gen.* I, 28). Post peccatum quippe orta est hæc libido; post peccatum eam natura non impudens, amissa potestate cui corpus ex omni parte serviebat, sensit, attendit, erubuit, operuit. Illa vero benedictio nuptiarum, ut conjugati crescerent, et multiplicarentur, et implerent terram, quamvis et in delinquentibus manserit; tamen antequam delinquerent, data est, ut cognosceretur procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad pœnam pertinere peccati. Sed nunc homines, profecto illius quæ in paradiso fuit felicitatis ignari, nisi per hoc quod experti sunt, id est per libidinem, de qua

[1] Sola editio Lov., *tegeretur*. Paulo post plerique Mss., *præsente conspectu*.
[2] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *illius*.

videmus ipsam etiam honestatem erubescere nuptiarum, non potuisse gigni filios opinantur: alii Scripturas divinas, ubi legitur post peccatum puduisse nuditatis, et pudenda esse contecta, prorsus non accipientes, sed infideliter irridentes (a); alii vero quamvis eas accipiant et honorent, illud tamen quod dictum est, *Crescite, et multiplicamini*, non secundum carnalem fecunditatem volunt intelligi (b); quia et secundum animam legitur tale aliquid dictum, *Multiplicabis me in anima mea virtute tua*[1] (*Psal.* CXXXVII, 4): ut id quod in Genesi sequitur, *Et implete terram, et dominamini ejus*, terram intelligant carnem, quam præsentia sua implet anima, ejusque maxime dominatur, cum in virtute multiplicatur. Carnales autem fetus sine libidine, quæ post peccatum exorta, inspecta, confusa, velata est, nec tunc nasci potuisse, sicut neque nunc possunt; nec in paradiso futuros fuisse, sed foris, sicut et factum est. Nam posteaquam inde dimissi sunt, ad gignendos filios coierunt, eosque genuerunt.

CAPUT XXII. — *De copula conjugali a Deo primitus instituta, atque benedicta.*

Nos autem nullo modo dubitamus secundum benedictionem Dei crescere et multiplicari et implere terram, donum esse nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum et feminam: qui sexus evidens utique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio ipsa subjuncta est. Nam cum Scriptura dixisset, *Masculum et feminam fecit eos;* continuo subdidit, *Et benedixit eos Deus, dicens: Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus* (*Gen.* I, 27, 28), et cætera. Quæ omnia quanquam non inconvenienter possint etiam ad intellectum spiritualem referri, masculum tamen et feminam, non sicut simile aliquid etiam in homine uno intelligi potest, quia videlicet in eo aliud est quod regit, aliud quod regitur: sed sicut evidentissime apparet in diversi sexus corporibus, masculum et feminam ita creatos, ut prolem generando crescerent, et multiplicarentur, et implerent terram[2], magnæ absurditatis est reluctari. Neque enim de spiritu qui imperat, et carne quæ obtemperat; aut de animo rationali qui regit, et irrationali cupiditate quæ regitur; aut de virtute contemplativa quæ excellit, et de activa quæ subditur; aut de intellectu mentis, et sensu corporis: sed aperte de vinculo conjugali, quo invicem sibi uterque sexus obstringitur, Dominus interrogatus utrum liceret quacumque ex causa dimittere uxorem, quoniam propter duritiam cordis Israelitarum Moyses dari libellum repudii permisit, respondit atque ait: *Non legistis quia qui fecit ab initio*[1], *masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 4-6). Certum est igitur, masculum et feminam ita primitus institutos, ut nunc homines duos diversi sexus videmus et novimus: unum autem dici, vel propter conjunctionem, vel propter originem feminæ, quæ de masculi latere creata est. Nam et Apostolus per hoc primum quod Deo instituente præcessit exemplum, singulos quosque admonet, ut viri uxores suas diligant (*Ephes.* V, 25 *et Coloss.* III, 19).

CAPUT XXIII. — *An etiam in paradiso generandum fuisset, si nemo peccasset; vel utrum contra actum libidinis pugnatura illic fuisset traditio castitatis.*

1. Quisquis autem dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum? Si enim non peccando soli remanerent, quia, sicut putant, nisi peccassent, generare non possent; profecto ut non soli duo justi homines possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit. Quod si credere absurdum est, illud potius est credendum, quod sanctorum numerus quantus complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quousque filii hujus sæculi generant et generantur (*Luc.* XX, 34).

2. Et ideo illæ nuptiæ dignæ felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, et diligendam prolem gignerent, et pudendam libidinem non haberent (a). Sed quomodo id fieri posset, nunc non est quo demonstretur exemplo. Nec ideo tamen incredibile debet videri, etiam illud unum sine ista libidine voluntati potuisse servire, cui tot membra nunc serviunt. An vero manus et pedes movemus, cum volumus, ad ea quæ his membris agenda sunt, sine ullo renisu, tanta facilitate, quanta et in nobis et in aliis videmus, maxime in artificibus quorumque[2] operum corporalium, ubi ad exercendam infirmiorem tardioremque naturam agilior accessit industria; et non credimus ad opus generationis filiorum, si libido non fuisset, quæ peccato inobedientiæ retributa est, obedienter hominibus ad voluntatis nutum similiter ut cætera potuisse illa membra servire? Nonne Cicero in libris de Republica, cum de imperiorum differentia disputaret, et hujus rei similitudinem ex natura hominis assumeret, ut filiis dixit imperari corporis membris propter obediendi facilitatem; vitiosas vero animi partes ut servos asperiore imperio coerceri? Et utique ordine

[1] Sic Mss. juxta græcum LXX. At editi, *Multiplicabis in anima mea virtutem.*

[2] Post, *et implerent terram*, in editis additum est, *Cui sententiæ tam evidenti;* quod abest a manuscriptis.

(a) Manichæi scilicet, qui Veteris Testamenti scirpturas rejiciebant. Conf. lib. de Utilitate credendi, ad Honoratum, n. 4.

(b) Redarguit eos qui spiritualiter hæc verba interpretabantur; cujus sensus etiam meminit in libro de Bono Conjugali, n. 2. Et ab eadem opinione non longe fuit alienus aliquando ipse, ut patet ex his quæ disserit tum in libro primo de Genesi contra Manichæos, n. 30, tum libro decimo tertio Confessionum, cap. 24: verum hoc loco, et recte quidem, interpretatur ad litteram. COQUÆUS.

[1] Vind. Am. et Fr., *qui fecit hominem ab initio*. Vox, *hominem*, abest a Lov. et a manuscriptis, necnon a græco Evangelii textu, imo et a Latino in Corbeiensibus Bibliis versionis Vulgatæ.

[2] Lov., *quorumcumque*. Editi alii et Mss., *quorumque*.

(a) Vid. lib. de Pecc. Orig., n. 40-45.

naturali animus anteponitur corpori, et tamen ipse animus imperat corpori facilius quam sibi. Verumtamen hæc libido, de qua nunc disserimus, eo magis erubescenda existit, quod animus in ea nec sibi efficaciter imperat, ut omnino non libeat; nec omnimodo corpori, ut pudenda membra voluntas potius quam libido commoveat: quod si ita esset, pudenda non essent[1]. Nunc vero pudet animum resisti sibi a corpore, quod ei natura inferiore subjectum est. In aliis quippe affectionibus cum sibi resistit, ideo minus pudet, quia cum a se ipso vincitur, ipse se vincit; etsi inordinate atque vitiose, quia ex his partibus, quæ rationi subjici debent; tamen a partibus suis, ac per hoc, ut dictum est, a se ipso vincitur. Nam cum ordinate se animus vincit, ut irrationales motus ejus menti rationique subdantur (si tamen et illa Deo subdita est), laudis atque virtutis est. Minus tamen pudet, cum sibi animus ex vitiosis suis partibus non obtemperat, quam cum ei corpus, quod alterum ab illo est, atque infra illum est, et cujus sine illo natura[2] non vivit, volenti jubentique non cedit.

3. Sed cum alia membra retinentur voluntatis imperio, sine quibus illa quæ contra voluntatem libidine concitantur, id quod appetunt, implere non possunt; pudicitia custoditur, non amissa, sed non permissa delectatione peccati. Hunc renisum, hanc repugnantiam, hanc voluntatis et libidinis rixam, vel certe ad voluntatis sufficientiam, libidinis indigentiam, procul dubio nisi culpabilis inobedientia pœnali inobedientia plecteretur, in paradiso nuptiæ non haberent, sed voluntati membra illa, ut cætera cuncta, servirent[3]. Ita genitale arvum (*Virgil. Georg. lib.* 3, *vers.* 136) vas in hoc opus creatum seminaret, ut nunc terram manus. Et quod modo de hac re nobis volentibus diligentius disputare, verecundia resistit, et compellit veniam honore præfato a pudicis auribus poscere, cur id fieret nulla causa esset: sed in omnia quæ de hujusmodi membris sensum cogitantis attingerent, sine ullo timore obscenitatis liber sermo ferretur: nec ipsa verba essent, quæ vocarentur obscena; sed quidquid inde diceretur, tam honestum esset, quam de aliis cum loquimur corporis partibus. Quisquis ergo ad has litteras impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam; facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis; in quibus mihi facillime pudicus et religiosus lector vel auditor ignoscit, donec infidelitatem refellam, non de fide rerum inexpertarum, sed de sensu expertorum argumentantem. Legit enim hæc sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda feminarum flagitia reprehendentem, quæ *immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam* (*Rom.* I, 26): præcipue quia nos non damnabilem obscenitatem nunc, sicut ille commemoramus atque reprehendimus, sed in explicandis, quantum possumus, humanæ generationis effectibus[1], verba tamen, sicut ille, obscena vitamus.

CAPUT XXIV. — *Quod insontes homines et merito obedientiæ in paradiso permanentes, ita genitalibus membris fuissent usuri ad generationem prolis, sicut cæteris ad arbitrium voluntatis.*

1. Seminaret igitur prolem vir, susciperet femina genitalibus membris quando id opus esset, et quantum opus esset, voluntate motis, non libidine concitatis. Neque enim ea sola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata sunt ossibus, sicut pedes et manus et digitos; verum etiam illa quæ mollibus remissa sunt nervis, cum volumus, movemus agitando, et porrigendo producimus, et torquendo flectimus, et constringendo duramus; sicut ea sunt quæ in ore ac facie, quantum potest, voluntas movet. Pulmones denique ipsi omnium, nisi medullarum, mollissimi viscerum, et ob hoc antro pectoris communiti, ad spiritum ducendum ac remittendum vocemque emittendam seu modificandam, sicut folles fabrorum vel organorum, flantis, respirantis, loquentis, clamantis, cantantis, serviunt voluntati. Omitto quod animalibus quibusdam naturaliter inditum est, ut tegmen quo corpus omne vestitur, si quid in quocumque loco ejus senserint abigendum, ibi tantum moveant, ubi sentiunt; nec solum insidentes muscas, verum etiam hærentes hastas[2] cutis tremore discutiant. Numquid quia id non potest homo, ideo Creator quibus voluit animantibus donare non potuit? Sic ergo et ipse homo potuit obedientiam etiam inferiorum habere membrorum, quam sua inobedientia perdidit. Neque enim Deo difficile fuit sic illum condere, ut in ejus carne etiam illud nonnisi ejus voluntate moveretur, quod nunc nisi libidine non movetur.

2. Nam et hominum quorumdam naturas novimus multum cæteris dispares, et ipsa raritate mirabiles, nonnulla ut volunt de corpore facientium, quæ alii nullo modo possunt, et audita vix credunt. Sunt enim qui et aures moveant vel singulas, vel ambas simul. Sunt qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, revocantque cum volunt. Sunt qui eorum quæ voraverint incredibiliter plurima et varia, paululum præcordiis contrectatis tanquam de sacculo quod placuerit integerrimum proferunt. Quidam voces avium pecorumque et aliorum quorumlibet hominum sic imitantur atque exprimunt, ut nisi videantur, discerni omnino non possint. Nonnulli ab imo sine pædore[3] ullo ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur. Ipse sum expertus, sudare hominem solere cum vellet. Notum est, quosdam flere cum volunt, atque ubertim lacrymas fundere. Jam illud multo est incredibilius quod plerique fratres memoria recentissima experti sunt. Presbyter fuit quidam no-

[1] Lov., *pudenda omnino non essent*. Abest, *omnino*, ab aliis libris.

[2] Editi, *ulla natura*. Abest, *ulla*, a Mss.

[3] Omnes Mss., *membra ut cætera, ita cuncta servirent*.

[1] In sola editione Lov., *affectibus*.

[2] Vind. Am. et Er., *aristas*.

[3] Sic Mss. Editi vero, *pudore*.

mine Restitutus in parœcia Calamensis (a) Ecclesiæ, qui quando ei placebat (rogabatur autem ut hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coram scire cupiebant), ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita se auferebat a sensibus, et jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere : non autem obnitendo, sed non sentiendo non movere corpus, eo probabatur, quod tanquam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus : hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audire postea referebat. Cum itaque corpus etiam nunc quibusdam, licet in carne coruptibili hanc ærumnosam ducentibus vitam, ita in plerisque motionibus et affectionibus extra usitatum naturæ modum mirabiliter serviat; quid causæ est, ut non credamus ante inobedientiæ peccatum corruptionisque supplicium, ad propagandam prolem sine ulla libidine servire voluntati humanæ humana membra potuisse? Donatus est itaque homo sibi, quia deseruit Deum placendo sibi : et non obediens Deo, non potuit obedire nec sibi. Hinc evidentior miseria, qua[1] homo non vivit ut vult, Nam si ut vellet viveret, beatum se putaret : sed nec sic tamen esset, si turpiter viveret.

CAPUT XXV. *De vera beatitudine, quam temporalis vita non obtinet.*

Quanquam si diligentius attendamus, nisi beatus, non vivit ut vult : et nullus beatus, nisi justus. Sed etiam ipse justus non vivit ut vult, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit; eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit : nec plene atque perfecte beata erit, nisi adepta quod expetit. Nunc vero quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit ut vult, qui non vivit quamdiu vult? Quod si mori voluerit, quomodo potest ut vult vivere, qui non vult vivere? Et si ideo mori velit, non quo nolit vivere, sed ut post mortem melius vivat : nondum ergo ut vult vivit, sed cum ad id quod vult, moriendo pervenerit. Verum ecce vivat ut vult, quoniam sibi extorsit sibique imperavit non velle quod non potest, atque hoc velle quod potest; sicut ait Terentius,

> Quoniam non potest id fieri quod vis,
> Id velis quod possit :
> (*And. act.* 2, *scen.* 1, *v.* 5, 6.)

num ideo beatus est, quia patienter miser est? Beata quippe vita si non amatur, non habetur. Porro si amatur et habetur, cæteris omnibus rebus excellentius necesse est ametur : quoniam propter hanc amandum est quidquid aliud amatur. Porro si tantum amatur, quantum amari digna est (non enim beatus est, a quo ipsa beata vita non amatur ut digna est), fieri non potest, ut eam qui sic amat, non æternam velit. Tunc igitur beata erit quando æterna erit.

[1] Nonnulli Mss., *quia*. Et quidam, *quo*.

(a) Calama, de qua hic loquitur, non Phœniciæ oppidum est, ut credidit Ludovicus Vives, sed Africæ, inter Hipponem et Cirtam situm, de quo frequentissime Augustinus.

CAPUT XXVI. — *Quod felicitas in paradiso viventium sine erubescendo appetitu generandi officium credenda sit implere potuisse.*

Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserat : vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus : vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima[1] tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat[2] bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum : gaudium verum[3] perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (I *Tim.* I, 5) : atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum (a). In tanta facilitate rerum et felicitate hominum, absit ut suspicemur non potuisse prolem seri sine libidinis morbo : sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo cætera, et sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi et corporis nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris (*Æneid. lib.* 8, *vers.* 406). Neque enim quia experientia probari non potest, ideo credendum non est; quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet; ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate feminei genitalis virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Eadem quippe via posset illud injici, qua hoc potest ejici. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret : sic ad fetandum et concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret. De rebus loquimur nunc pudendis : et ideo quamvis, antequam earum puderet, quales esse potuissent conjiciamus ut possumus; tamen necesse est ut nostra disputatio magis frenetur ea quæ nos revocat verecundia, quam eloquentia, quæ nobis parum suppetit, adjuvetur. Nam cum id quod dico, nec ipsi experti fuerint qui experiri potuerunt (quoniam præoccupante peccato exsilium de paradiso ante meruerunt, quam sibi in opere serendæ propaginis tranquillo arbitrio convenirent), quomodo nunc cum ista commemorantur, sensibus occurrit humanis, nisi experientia libidinis turbidæ, non conjectura placidæ voluntatis? Hinc est quod impedit loquentem pudor,

[1] Mss., *in animo.*
[2] Mss., *accidebat.*
[3] Nonnulli Mss., *vero.* — Nostri, *verum.* M.

(a) Similis est descriptio paradisi terrestris apud divum Basilium, Homilia de Paradiso, et apud divum Joannem Damascenum, lib. 2 de Fide orthod., cap. 11. Coquæus.

etsi non deficiat ratio cogitantem. Verumtamen omnipotenti Deo, summo ac summe bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori et remuneratori, malarum autem relictori et damnatori, utrarumque ordinatori, non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in sua sapientia prædestinatum etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret : non eos jam meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens ; et liberatis non solum de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur, ostendens. Non enim debita, sed gratuita bonitate tunc se quisque agnoscit erutum malis, cum ab eorum hominum consortio fit immunis, cum quibus illi justa esset pœna communis. Cur ergo non crearet Deus, quos peccaturos esse præscivit ; quandoquidem in eis et ex eis, et quid eorum culpa mereretur, et quid sua gratia donaretur, posset ostendere, nec sub illo creatore ac dispositore perversa inordinatio delinquentium rectum perverteret ordinem rerum ?

CAPUT XXVII. — *De peccatoribus et angelis et hominibus, quorum perversitas non perturbat providentiam Dei.*

Proinde peccatores, et angeli, et homines nihil agunt, quo impediantur *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* cx, 2). Quoniam qui providenter atque omnipotenter sua cuique distribuit, non solum bonis, verum etiam malis bene uti novit. Ac per hoc propter meritum primæ malæ voluntatis ita damnato atque obdurato angelo malo, ut jam bonam voluntatem ulterius non haberet, bene utens Deus, cur non permitteret ut ab illo primus homo, qui rectus, hoc est bonæ voluntatis, creatus fuerat, tentaretur ? Quandoquidem sic erat institutus, ut, si de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum angelum vinceret ; si autem creatorem atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur : meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate perversa. Quia et ipsum fidere de adjutorio Dei, non quidem posset sine adjutorio Dei : nec tamen ideo ab his divinæ gratiæ beneficiis sibi placendo recedere non habebat in potestate. Nam sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est, non autem in ea vivere in potestate est ; quod faciunt qui se ipsos necant : ita bene vivere sine adjutorio Dei, etiam in paradiso, non erat in potestate ; erat autem in potestate male vivere, sed beatitudine non permansura, et pœna justissima secutura. Cum igitur hujus futuri casus humani Deus non esset ignarus, cur eum non sineret invidi angeli malignitate tentari ? nullo modo quidem quod vinceretur incertus ; sed nihilominus præscius quod ab ejus semine adjuto sua gratia idem ipse diabolus fuerat sanctorum gloria majore vincendus. Ita factum est ut nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præsciendo quemquam peccare compelleret ; et quid interesset inter propriam cujusque præsumptionem et suam tuitionem, angelicæ et humanæ rationali creaturæ, consequenti experientia demonstraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse ? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre ; atque ita et quantum mali eorum superbia, et quantum boni sua gratia valeret, ostendere.

CAPUT XXVIII. — *De qualitate duarum civitatum, terrenæ atque cœlestis.*

Fecerunt itaque civitates duas amores duo ; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui (*a*). Denique illa in se ipsa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam : huic autem Deus conscientiæ testis, maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum : hæc dicit Deo suo, *Gloria mea, et exaltans caput meum* (*Psal.* III, 4). Illi [1] in principibus ejus, vel in eis quas subjugat nationibus dominandi libido dominatur : in hac serviunt invicem in charitate, et præpositi consulendo, et subditi obtemperando. Illa in suis potentibus diligit virtutem suam : hæc dicit Deo suo, *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psal.* XVII, 2). Ideoque in illa sapientes ejus secundum hominem viventes, aut corporis aut animi sui bona, aut utriusque sectati sunt ; aut qui potuerunt cognoscere Deum, *non ut Deum honoraverunt*, *vel gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes se esse sapientes*, id est, dominante sibi superbia in sua sapientia sese extollentes, *stulti facti sunt ; et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium :* ad hujuscemodi enim simulacra adoranda vel duces populorum, vel sectatores fuerunt : *et coluerunt atque servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* I, 21-25). In hac autem nulla est hominis sapientia, nisi pietas, qua recte colitur verus Deus, id exspectans præmium in societate sanctorum, non solum hominum, verum etiam Angelorum, *ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28).

[1] Sola editio Lov., *Illa*.

(*a*) In libro undecimo de Genesi ad litteram, n. 20, opus de civitate Dei his verbis pollicebatur : « Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus, alter socialis, alter privatus... distinxerunt conditas in genere humano civitates duas... De quibus duabus civitatibus latius fortasse alio loco, si Dominus voluerit, disseremus. »

LIBER QUINTUS DECIMUS.

Postquam egit quatuor proxime antecedentibus libris de civitatum duarum, terrenae ac coelestis, exortu, libros totidem de earumdem civitatum procursu aggreditur Augustinus, atque argumentum ea ratione aggreditur, ut praecipua capita sacrae historiae eodem spectantia pertractet, primum scilicet quinto decimo hoc libro quae in ea sunt leguntur a Cain et Abel usque ad diluvium.

CAPUT PRIMUM. — *De duobus ordinibus generationis humanæ in diversos fines ab initio procurrentis.*

1. De felicitate paradisi, vel de ipso paradiso, et de vita ibi primorum hominum, eorumque peccato atque supplicio, multi multa senserunt, multa dixerunt, multa litteris mandaverunt. Nos quoque secundum Scripturas sanctas, vel quod in eis legimus, vel quod ex eis intelligere potuimus, earum congruentes auctoritati, de his rebus in superioribus libris diximus. Enucleatius autem si ista quærantur, multiplices atque multimodas pariunt disputationes, quæ pluribus intexendæ sunt voluminibus, quam hoc opus tempusque deposcit. Quod non ita largum habemus, ut in omnibus quæ possunt requirere otiosi et scrupulosi [1], paratiores ad interrogandum, quam capaciores ad intelligendum, nos oporteat immorari. Arbitror tamen satis nos jam fecisse magnis et difficillimis quæstionibus de initio vel mundi [2], vel animæ, vel ipsius generis humani : quod in duo genera distribuimus; unum eorum qui secundum hominem, alterum eorum qui secundum Deum vivunt. Quas etiam mystice appellamus civitates duas, hoc est duas societates hominum : quarum est una quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo; altera, æternum supplicium subire cum diabolo. Sed iste finis est earum, de quo post loquendum est. Nunc autem quoniam de exortu earum, sive in Angelis, quorum numerus ignoratur a nobis, sive in duobus primis hominibus, satis dictum est, jam mihi videtur earum aggrediendus excursus, ex quo illi duo generare cœperunt, donec homines generare cessabunt. Hoc enim universum tempus, sive sæculum, in quo cedunt morientes, succeduntque nascentes, istarum duarum civitatum, de quibus disputamus, excursus est.

2. Natus est igitur prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum civitatem; posterior Abel, ad civitatem Dei. Sicut enim in uno homine, quod dixit Apostolus, experimur quia *non primum quod spirituale est, sed quod animale, postea spirituale* (I Cor. xv, 46) : unde unusquisque, quoniam ex damnata [3] propagine exoritur, primo sit necesse est ex Adam malus atque carnalis; quod si in Christum [4] renascendo profecerit, post erit bonus et spiritualis : sic in universo genere humano cum primum duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere civitates, prior est natus civis hujus sæculi; posterior autem isto peregrinus in sæculo, et pertinens ad civitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet, ex eadem massa oritur, quæ originaliter est tota damnata : sed tanquam figulus Deus (hanc enim similitudinem non imprudenter, sed prudenter introducit (*a*) Apostolus) ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam (*Rom.* ix, 21). Prius autem factum est vas in contumeliam, post vero alterum in honorem : quia et in ipso uno, sicut jam dixi, homine, prius est reprobum, unde necesse est incipiamus, et ubi non est necesse ut remaneamus; posterius vero probum, quo proficientes veniamus, et quo pervenientes maneamus. Proinde non quidem omnis homo malus erit bonus, nemo tamen erit bonus qui non erat malus : sed quanto quisque citius mutatur in melius, hoc in se facit nominari quod apprehendit celerius, et posteriore cooperit vocabulum prius. Scriptum est itaque de Cain, quod condiderit civitatem (*Gen.* iv, 17) : Abel autem tanquam peregrinus non condidit. Superna est enim sanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur, donec regni ejus tempus adveniat, cum congregatura est omnes in suis corporibus resurgentes, quando eis promissum dabitur regnum, ubi cum suo principe Rege sæculorum sine ullo temporis fine regnabunt.

CAPUT II. — *De filiis carnis, et filiis promissionis.*

Umbra sane quædam civitatis hujus et imago prophetica ei significandæ potius quam præsentandæ servivit in terris, quo eam tempore demonstrari oportebat, et dicta est etiam ipsa civitas sancta merito significantis imaginis, non expressæ, sicut futura est, veritatis. De hac imagine serviente, et de illa quam significat libera civitate, sic Apostolus ad Galatas loquitur : *Dicite mihi*, inquit, *sub lege volentes esse, legem non audistis* [1]? *Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed ille quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem : quæ sunt in allegoria* (*b*). *Hæc enim sunt duo*

[1] Codex 238, *scripulosi*. M.
[2] Lov., *de initio vel de fine mundi*. Abest, *de fine*, ab editis Vind. Am. Er. et melioribus manuscriptis, debetque abesse, cum de fine Augustinus post loquendum esse mox dicat.
[3] Nonnulli Mss., *ex Adam nata*.
[4] Sola editio Lov., *in Christo*.

[1] Aliquot manuscripti juxta Vulgatam, *legem non legistis?* Alii cum editis, *legem non audistis?* In græco est, *ton nomon ouc aconete*; hoc est, *legem non audistis?* — Ex nostris, Ms. 2050 solus cum Vulgata consentit. M.
(*a*) Sive potius mutuatus est ab Isaia, xlv, 9, et Jeremia, xviii, 3 seqq. [illegible]
(*b*) Conf. hic lib. 15 de Trinit., n. 15.

testamenta ; unum quidem a monte Sina[1] *in servitutem generans, quod est Agar*[2]. *Sina enim est mons in Arabia, qui conjunctus est*[3] *huic quæ nunc est Jerusalem : servit enim cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum*[4]. *Scriptum est enim, Lætare, sterilis, quæ non paris ; erumpe et clama, quæ non parturis : quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed sicut tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum ; ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Nos autem, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit* (*Galat.* IV, 21-31). Hæc forma intelligendi de apostolica auctoritate descendens locum nobis aperit, quemadmodum Scripturas duorum Testamentorum, Veteris et Novi accipere debeamus. Pars enim quædam terrenæ civitatis imago cœlestis civitatis effecta est, non se significando, sed alteram ; et ideo serviens. Non enim propter se ipsam, sed propter aliam significandam est instituta ; et præcedente alia significatione et ipsa præfigurans præfigurata est. Namque Agar ancilla Sarræ, ejusque filius, imago quædam hujus imaginis fuit. Et quoniam transituræ erant umbræ luce veniente, ideo dixit libera Sarra, quæ significabat liberam civitatem, cui rursus alio modo significandæ etiam illa umbra serviebat : *Ejice ancillam, et filium ejus ; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo* Isaac, quod ait Apostolus, *cum filio liberæ*. Invenimus ergo in terrena civitate duas formas ; unam suam præsentiam demonstrantem, alteram cœlesti civitati significandæ sua præsentia servientem. Parit autem cives terrenæ civitatis peccato vitiata natura ; cœlestis vero civitatis cives parit a peccato naturam liberans gratia : unde illa vocantur vasa iræ ; ista, vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 22, 23). Significatum est hoc etiam in duobus filiis Abrahæ, quod unus de ancilla, quæ dicebatur Agar, secundum carnem natus est Ismael, alter autem de Sarra libera secundum repromissionem natus Isaac. Uterque quidem de semine Abrahæ : sed illum genuit demonstrans consuetudo naturam, istum vero dedit promissio significans gratiam. Ibi humanus usus ostenditur, hic divinum beneficium commendatur.

CAPUT III. — *De sterilitate Sarræ, quam Dei gratia fecundavit.*

Sarra quippe sterilis erat, et desperatione prolis, saltem de ancilla sua concupiscens habere, quod de se ipsa non se posse cernebat, dedit eam fetandam viro, de quo parere voluerat, nec potuerat. Exegit itaque etiam sic debitum de marito, utens jure suo in utero alieno. Natus est ergo Ismael, sicut nascuntur homines, permixtione sexus utriusque, usitata lege naturæ. Ideo dictum est *secundum carnem* : non quod ista beneficia Dei non sint, aut non illa operetur Deus, cujus opifex sapientia *attingit*, sicut scriptum est, *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1) : sed ubi significandum fuerat Dei donum, quod indebitum hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit dari filium, quemadmodum naturæ non debebatur excursibus. Negat enim natura jam filios tali commixtioni maris et feminæ, qualis esse poterat Abrahæ et Sarræ in illa jam ætate, etiam mulieris accedente sterilitate, quæ nec tunc parere potuit, quando non ætas fecunditati, sed ætati fecunditas defuit. Quod ergo naturæ sic affectæ fructus posteritatis non debebatur, significat quod natura generis humani peccato vitiata, ac per hoc jure damnata, nihil veræ felicitatis in posterum merebatur. Recte igitur significat Isaac per repromissionem natus filios gratiæ, cives civitatis liberæ, socios pacis æternæ, ubi sit non amor propriæ ac privatæ quodammodo voluntatis, sed communi eodemque immutabili bono gaudens, atque ex multis unum cor faciens, id est perfecte concors[1], obedientia charitatis.

CAPUT IV. — *De terrenæ civitatis vel concertatione, vel pace.*

Terrena porro civitas, quæ sempiterna non erit (neque enim cum in extremo supplicio damnata fuerit, jam civitas erit), hic habet bonum suum, cujus societate lætatur, qualis esse de talibus rebus lætitia potest. Et quoniam non est tale bonum, ut nullas angustias faciat amatoribus suis, ideo civitas ista adversus se ipsam plerumque dividitur litigando, bellando, atque pugnando, et aut mortiferas, aut certe mortales victorias requirendo. Nam ex quacumque sui parte adversus alteram sui partem bellando surrexerit, quærit esse victrix gentium, cum sit captiva vitiorum. Et si quidem cum vicerit, superbius extollitur, etiam mortifera[2] ; si vero conditionem cogitans casusque communes, magisque accidere possunt adversis angitur, quam eis quæ provenerint[3] secundis rebus inflatur, tantummodo mortalis est ista victoria. Neque enim semper dominari poterit permanendo eis quos potuerit subjugare vincendo. Non autem recte dicuntur ea bona non esse, quæ concupiscit hæc civitas, quando est et ipsa in suo genere humano melior. Concupiscit enim terrenam quamdam pro rebus infimis pacem : ad eam namque desiderat pervenire bellando. Quoniam si vicerit, et qui resistat non fuerit, pax erit, quam non habebant partes invicem adversantes, et pro his rebus quas simul habere non poterant infelici egestate certantes. Hanc pacem requirunt laboriosa bella : hanc adipiscitur quæ putatur gloriosa victoria. Quando autem vincunt

[1] Ita omnes edit., juxta græc. [illegible] habent, *in monte Sina*.
[2] [illegible] *quæ est Agar*.
[3] Lov., *quæ conjuncta est*, [illegible] editis aliis et plerisque manuscriptis.
[4] [illegible] manuscripti, juxta græcum, [illegible] *est mater omnium nostrum*. [illegible] et Lov., *quæ est mater nostra*.

[1] [illegible] *perfecte concors*.
[2] [illegible] sic, a manuscriptis.
[3] [illegible] *provenerint* [illegible]

qui causa justiore pugnabant, quis dubitet gratulandam esse victoriam, et provenisse optabilem pacem? Hæc bona sunt, et sine dubio Dei dona sunt. Sed si, neglectis melioribus, quæ ad supernam pertinent civitatem, ubi erit victoria in æterna et summa pace secura, bona ista sic concupiscuntur, ut vel sola esse credantur, vel his quæ meliora creduntur, amplius diligantur; necesse est miseria consequatur, et quæ inerat augeatur.

CAPUT V. — *De primo terrenæ civitatis auctore fratricida, cujus impietati Romanæ urbis conditor germani cæde responderit.*

Primus itaque fuit terrenæ civitatis conditor fratricida: nam suum fratrem civem civitatis æternæ in hac terra peregrinantem invidentia victus occidit. Unde mirandum non est, quod tanto post in ea civitate condenda, quæ fuerat hujus terrenæ civitatis, de qua loquimur, caput futura, et tam multis gentibus regnatura, huic primo exemplo et, ut Græci appellant, ἀρχέτυπῳ quædam sui generis imago respondit. Nam et illic, sicut ipsum facinus quidam poeta commemoravit illorum,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
(*Lucan. lib.* 1 *Pharsal., v.* 95.)

Sic enim condita est Roma, quando occisum Remum a fratre Romulo Romana testatur historia: nisi quod isti terrenæ civitatis ambo cives erant. Ambo gloriam de Romanæ reipublicæ institutione quærebant: sed ambo eam tantam, quantam, si unus esset, habere non poterant. Qui enim volebat dominando gloriari, minus utique dominaretur, si ejus potestas vivo consorte minueretur. Ut ergo totam dominationem haberet unus, ablatus est socius: et scelere crevit in pejus, quod innocentia minus esset et melius. Hi autem fratres Cain et Abel non habebant ambo inter se similem rerum terrenarum cupiditatem; nec in hoc alter alteri invidit, quod ejus dominatus fieret angustior, qui alterum occidit, si ambo dominarentur (Abel quippe non quærebat dominationem in ea civitate, quæ condebatur a fratre): sed invidentia illa diabolica, qua invident bonis mali, nulla alia causa [1], nisi quia illi boni sunt, illi mali. Nullo enim modo fit minor accedente seu permanente consorte possessio bonitatis; imo possessio bonitas, quam tanto latius, quanto concordius individua sociorum possidet charitas [2]. Non habebit denique istam possessionem, qui eam noluerit habere communem; et tanto eam reperiet ampliorem, quanto amplius ibi potuerit amare consortem. Illud igitur quod inter Remum et Romulum exortum est, quemadmodum adversus se ipsam terrena civitas dividatur, ostendit: quod autem inter Cain et Abel, inter duas ipsas civitates, Dei et hominum, inimicitias demonstravit. Pugnant ergo inter se mali et mali: item pugnant inter se boni et mali. Boni vero et boni, si perfecti sunt, inter se pugnare non possunt: proficientes autem nondumque perfecti ita possunt, ut bonus quisque ex ea parte pugnet contra alterum, qua etiam contra semetipsum. Et in uno quippe homine *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* v, 17). Concupiscentia ergo spiritualis contra alterius potest pugnare carnalem, vel concupiscentia carnalis contra alterius spiritualem, sicut inter se pugnant boni et mali: vel certe ipsæ concupiscentiæ carnales inter se duorum bonorum, nondum utique perfectorum, sicut inter se pugnant mali et mali, donec eorum qui curantur ad ultimam victoriam sanitas perducatur.

CAPUT VI. — *De languoribus, quos ex pœna peccati etiam cives civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione patiuntur, et a quibus Deo medente sanantur.*

Languor est quippe iste, id est illa inobedientia, de qua in libro quartodecimo disseruimus (*Capp.* 1, 11 *et alibi*), primæ inobedientiæ supplicium; et ideo non natura, sed vitium: propter quod dicitur proficientibus bonis, et ex fide in hac peregrinatione viventibus, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* vi, 2) (a). Item alibi dicitur: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat* (I *Thess.* v, 14 *et* 15). Item alio loco: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* vi, 1). Et alibi: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* iv, 26). Et in Evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum* [1] (*Matth.* xviii, 15). Item de peccatis, in quibus multorum cavetur offensio, Apostolus dicit: *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant* (I *Tim.* v, 20). Propter hoc et de venia invicem danda, multa præcipiuntur, et magna cura, propter tenendam pacem, sine qua nemo poterit videre Deum (*Hebr.* xii, 14): ubi ille terror est, quando jubetur servus decem millium talentorum reddere debita, quæ illi fuerant relaxata, quoniam debitum denariorum centum conservo suo non relaxavit. Qua similitudine proposita, Dominus Jesus adjecit, atque ait, *Sic et vobis faciet Pater vester cœlestis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* xviii, 35). Hoc modo curantur cives civitatis Dei in hac terra [2] peregrinantes, et paci supernæ patriæ suspirantes. Spiritus autem sanctus operatur intrinsecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit

[1] Vind. Am. Er., *nulla alia causa est.* Verbum, *est*, perperam additum; nam auferendi casu posita sunt verba illa superiora, *invidentia illa diabolica*; supple, *invidit*.
[2] Sic omnes prope Mss. At Vind. Am. et Er., *imo possessio bonitatis tanto fit latior, quanto concordior eam individua sociorum possidet charitas*. Lov., *imo possessionem bonitatis tanto latius, quanto concordius individua*, etc.

[1] Abest, *solum*, a manuscriptis.
[2] Sola editio Lov., *in hac terrena*.
(a) Conf. lib. de Quæst. 83, qu. 71.

autem hoc Deus a vasis misericordiæ iræ vasa discernens, dispensatione qua ipse novit multum occulta, sed tamen justa. Ipso quippe adjuvante mirabilibus et latentibus modis, cum peccatum, quod habitat in membris nostris, quæ potius jam pœna peccati est, sicut Apostolus præcipit, non regnat in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec ei membra nostra velut iniquitatis arma exhibemus (*Rom.* VI, 12, 13), convertitur ad mentem non sibi ad mala, Deo regente, consentientem; et eam regentem tranquillius nunc habebit, postea sanitate perfecta [1] atque immortalitate percepta homo sine ullo peccato in æterna pace regnabit.

CAPUT VII. — *De causa et pertinacia sceleris Cain, quem a facinore concepto nec Dei sermo revocavit.*

1. Sed hoc ipsum, quod sicut potuimus exposuimus, cum Deus locutus esset ad Cain eo more [2], quo cum primis hominibus per creaturam subjectam velut eorum socius forma congrua loquebatur (*a*), quid ei profuit? nonne conceptum scelus in necando fratre etiam post verbum divinæ admonitionis implevit? Nam cum sacrificia discrevisset amborum, in illius respiciens, hujus despiciens, quod non dubitandum est potuisse cognosci signo aliquo attestante visibili; et hoc ideo fecisset Deus, quia mala erant opera hujus, fratris vero ejus bona: contristatus est Cain valde, et concidit facies ejus. Sic enim scriptum est: *Et dixit Dominus ad Cain, Quare tristis factus es, et quare concidit facies tua? Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? Quiesce: ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius* (*Gen.* IV, 6, 7, *sec.* LXX). In hac admonitione quam Deus protulit ad Cain, illud quidem quod dictum est, *Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti?* quia non elucet cur vel unde sit dictum, multos sensus peperit ejus obscuritas, cum divinarum Scripturarum quisque tractator secundum fidei regulam id conatur exponere. Recte quippe offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem recte dividitur, dum non discernuntur recte vel loca, vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, et cui offertur, vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatum est: ut divisionem hic discretionem intelligamus; sive cum offertur, ubi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet; sive cum offertur, quando non oportet, aut quod non tunc, sed alias oportet; sive cum id offertur, quod nusquam et nunquam penitus debuit; sive cum electiora sibi ejusdem generis rerum tenet homo, quam sunt ea quæ offert Deo; sive cum ejus rei quæ oblata est, fit particeps profanus, aut quilibet quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Cain, facile non potest inveniri. Sed quoniam Joannes apostolus, cum de his fratribus loqueretur, *Non sicut Cain*, inquit, *qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum: et cujus rei gratia occidit eum? Quia opera illius maligna fuerunt fratris autem illius justa* (I *Joan.* III, 12): datur intelligi propterea Deum non respexisse in munus ejus, quia hoc ipso male dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem se ipsum. Quod omnes faciunt qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed perverso corde viventes, offerunt tamen Deo munus, quo putant eum redimi, ut eorum non opituletur sanandis pravis cupiditatibus, sed explendis. Et hoc est proprium terrenæ civitatis, Deum vel deos colere, quibus adjuvantibus regnet in victoriis et pace terrena, non charitate consulendi, sed dominandi cupiditate. Boni quippe ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo: mali autem contra, ut fruantur mundo, uti volunt Deo; qui tamen eum vel esse, vel res humanas curare jam credunt. Sunt enim multo deteriores, qui nec hoc quidem credunt. Cognito itaque Cain quod super ejus germani sacrificium, nec super suum respexerat Deus, utique fratrem bonum mutatus imitari, non elatus debuit æmulari. Sed contristatus est, et concidit facies ejus. Hoc peccatum maxime arguit Deus, tristitiam de alterius bonitate, et hoc fratris. Hoc quippe arguendo interrogavit dicens, *Quare contristatus es, et quare concidit facies tua?* Quia enim fratri invidebat, Deus videbat, et hoc arguebat. Nam hominibus, quibus absconditum est cor alterius, esse posset ambiguum, et prorsus incertum, utrum illa tristitia malignitatem suam, in qua se Deo displicuisse didicerat, an fratris doluerit bonitatem, quæ Deo placuit, cum in sacrificium ejus aspexit. Sed rationem Deus reddens, cur ejus oblationem accipere noluerit, ut sibi ipse potius merito, quam ei frater immerito displiceret [1], cum esset injustus non recte dividendo, hoc est non recte vivendo, et indignus cujus approbaretur oblatio, quam esset injustior, quod fratrem justum gratis odisset, ostendit.

2. Non tamen eum dimittens sine mandato sancto, justo et bono, *Quiesce*, inquit; *ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius*. Numquid fratris? Absit. Cujus igitur, nisi peccati? Dixerat enim, *Peccasti*: tum deinde addidit, *Quiesce; ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius*. Potest quidem ita intelligi ad ipsum hominem conversionem esse debere peccati, ut nulli alii quam sibi sciat tribuere debere quod peccat. Hæc est enim salubris pœnitentiæ medicina, et veniæ petitio non incongrua, ut ubi ait, *Ad te enim conversio ejus*, non subaudiatur, Erit; sed, Sit; præcipientis videlicet, non prædicentis modo. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo præposuerit, sed pœnitendo subjecerit: alioquin et illi serviet dominanti, si patrocinium adhibuerit accidenti [2]. Sed ut peccatum intelligatur concupiscentia ipsa carnalis, de qua dicit Apostolus, *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* V, 17); in cujus carnis fru-

[1] Vind. et Am., *et eam regens tranquillius nunc habebit postea sanitatem perfectam.* Paulo post loco, *regnabit*; sola fere editio Lov. habet, *regnantem*.
[2] Vind. Am. Er. et aliquot Mss., *eo modo*.
(*a*) Conf. lib. 8 de Gen. ad litt., n. 37, et lib. 9, nn. 3 et 4.

[1] Sic nostri codices. In B., *quam ei immerito frater displiceret.* M.
[2] Lov., *accedenti*. Alii libri, *accidenti*.

ctibus et invidiam commemorat, qua utique Cain stimulabatur, et accendebatur in fratris exitium : bene subauditur, Erit, id est, *Ad te enim conversio ejus erit, et tu dominaberis illius*. Cum enim commota fuerit pars ipsa carnalis, quam peccatum appellat Apostolus, ubi dicit, *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 17) : quam partem animi etiam philosophi dicunt esse vitiosam, non quæ mentem debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eamque ab illicitis operibus ratione cohibere : cum ergo commota fuerit ad aliquid perperam committendum, si quiescatur [1] et obtemperetur dicenti Apostolo, *Nec exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Id.* VI, 13) ; ad mentem domita et victa convertitur, ut subditæ ratio dominetur. Hoc præcepit Deus huic, qui facibus invidiæ inflammabatur in fratrem, et quem debuerat imitari, cupiebat auferri. *Quiesce*, inquit : manus ab scelere contine ; non regnet peccatum in tuo mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibeas membra tua iniquitatis arma peccato. *Ad te enim conversio ejus :* dum non adjuvatur relaxando, sed quiescendo frenatur. *Et tu dominaberis illius :* ut cum forinsecus non permittitur operari, sub potestate mentis regentis et benevolentis assuescat etiam intrinsecus non moveri. Dictum est tale aliquid in eodem divino libro et de muliere, quando post peccatum Deo interrogante atque judicante damnationis sententias acceperunt, in serpente diabolus, et in se ipsis illa et maritus. Cum enim dixisset ei, *Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitum tuum, et in tristitiis paries filios :* deinde addidit, *Et ad virum tuum conversio tua, et ipse dominabitur tui* (*Gen.* III, 16). Quod dictum est ad Cain de peccato, vel de vitiosâ carnis concupiscentia, hoc isto loco de peccatrice femina : ubi intelligendum est virum ad regendam uxorem, animo carnem regenti similem esse oportere. Propter quod dicit Apostolus : *Qui diligit uxorem suam, se ipsum diligit : nemo enim unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* v, 28 *et* 29). Sananda sunt enim hæc, sicut nostra ; non sicut aliena, damnanda. Sed illud Dei præceptum Cain sicut prævaricator accepit. Invalescente quippe invidentiæ vitio, fratrem [2] insidiatus occidit. Talis erat terrenæ conditor civitatis. Quomodo autem significaverit etiam Judæos, a quibus Christus occisus est pastor ovium hominum, quem pastor ovium pecorum præfigurabat Abel, quia in allegoria prophetica res est, parco nunc dicere, et quædam hinc adversus Faustum Manichæum dixisse me recolo (*a*).

CAPUT VIII. — *Quæ ratio fuerit, ut Cain inter principia generis humani conderet civitatem.*

1. Nunc autem defendenda mihi videtur historia, ne sit Scriptura incredibilis, quæ dicit ædificatam ab uno homine civitatem eo tempore, quo non plus quam viri quatuor, vel potius tres, posteaquam fratrem frater occidit, fuisse videntur in terra ; id est, primus homo pater omnium, et ipse Cain, et ejus filius Enoch, ex cujus nomine ipsa civitas nuncupata est. Sed hoc quos movet, parum considerant, non omnes homines, qui tunc esse potuerunt, scriptorem sacræ hujus historiæ necesse habuisse nominare ; sed eos solos, quos operis suscepti ratio postulabat. Propositum quippe scriptoris illius fuit, per quem Spiritus sanctus id agebat, per successiones certarum generationum ex uno homine propagatarum pervenire ad Abraham, ac deinde ex ejus semine ad populum Dei : in quo distincto a cæteris gentibus præfigurarentur et prænuntiarentur omnia quæ de civitate, cujus æternum erit regnum, et de Rege ejus eodemque conditore Christo in Spiritu prævidebantur esse ventura ; ita ut nec de altera societate hominum taceretur, quam terrenam dicimus civitatem, quantum ei commemorandæ satis esset, ut civitas Dei etiam suæ adversariæ comparatione clarescat. Cum igitur Scriptura divina, ubi et numerum annorum, quos illi homines vixerunt, commemorat, ita concludat, ut dicat de illo de quo loquebatur, *Et genuit filios et filias, et fuerunt omnes dies* illius, vel illius, quos vixit, anni tot, *et mortuus est* (*Gen.* v, 4, 5, *et alibi*) : numquid quia eosdem filios et filias non nominat, ideo intelligere non debemus per tam multos annos, quibus tunc in sæculi hujus prima ætate vivebant, nasci potuisse plurimos homines, quorum cœtibus condi possent etiam plurimæ civitates ? sed pertinuit ad Deum, quo ista inspirante conscripta sunt, has duas societates suis diversis generationibus primitus digerere atque distinguere : ut seorsum hominum, hoc est secundum hominem viventium, seorsum autem filiorum Dei, id est hominum secundum Deum viventium, generationes contexerentur usque ad diluvium, ubi ambarum societatum discretio concretioque narratur : discretio quidem, quod ambarum separatim generationes commemorantur, unius fratricidæ Cain, alterius autem qui vocabatur Seth ; natus quippe fuerat et ipse de Adam, pro illo quem frater occidit : concretio autem, quia, bonis in deterius declinantibus, tales universi facti fuerant, ut diluvio delerentur, excepto uno justo, cui nomen erat Noe, et ejus conjuge, et tribus filiis, totidemque nuribus, qui homines octo ex illa omnium vastatione mortalium per arcam evadere meruerunt.

2. Quod igitur scriptum est, *Et cognovit Cain uxorem suam, et concipiens peperit Enoch ; et erat ædificans civitatem in nomine filii sui Enoch :* non est quidem consequens, ut istum primum filium genuisse credatur. Neque enim hoc ex eo putandum est, quia dictus est cognovisse uxorem suam, quasi tunc se illi primitus concumbendo miscuisset. Nam et de ipso patre omnium Adam non tunc solum hoc dictum est, quando conceptus est Cain, quem primogenitum videtur habuisse : verum etiam posterius eadem Scriptura, *Cognovit*, inquit, *Adam uxorem suam Evam, et concepit, et peperit filium, et nominavit nomen illius Seth* (*Id.* IV, 17, 25). Unde intelligitur ita solere illam Scripturam loqui, quamvis non semper cum in

[1] Sic Mss. Editi vero, *acquiescatur*.
[2] Aliquot Mss., *fratri*.
(*a*) Scilicet lib. 12, cap. 9 et seqq.

ea legitur factos hominum fuisse conceptus, non tamen solum cum primum sibi sexus uterque miscetur. Nec illud necessario est argumento, ut primogenitum patri existimemus Enoch, quod ejus nomine civitas illa nuncupata est. Non enim ab re est, ut propter aliquam causam, cum et alios haberet, diligeret eum pater cæteris amplius. Neque enim et Judas primogenitus fuit, a quo Judæa cognominata est, et Judæi. Sed etiamsi conditori civitatis illius iste filius primus est natus, non ideo putandum est tunc a patre conditæ civitati nomen ejus impositum, quando natus est; quia nec constitui tunc ab uno poterat civitas, quæ nihil aliud est quam hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata: sed cum illius hominis familia tanta numerositate cresceret, ut haberet jam populi quantitatem, tunc potuit utique fieri, ut et constitueret, et nomen primogeniti sui constitutæ imponeret civitati. Tam longa quippe vita illorum hominum fuit, ut illic memoratorum, quorum et anni taciti non sunt, qui minimum vixit ante diluvium, ad septingentos quinquaginta tres perveniret (*a*). Nam plures nongentos annos etiam transierunt, quamvis nemo ad mille pervenerit. Quis itaque dubitaverit per unius hominis ætatem tantum multiplicari potuisse genus humanum, ut esset unde constitueretur[1] non una, sed plurimæ civitates (*b*)? Quod ex hoc conjici facillime potest, quia ex uno Abraham non multo amplius quadringentis annis numerositas Hebrææ gentis tanta procreata est, ut in exitu ejusdem populi ex Ægypto sexcenta millia hominum[2] fuisse referantur bellicæ juventutis (*Exod.* XII, 37), ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Israel, quam genuit frater ejus Esau, nepos Abrahæ, et alias (*c*) natas ex semine ipsius Abrahæ, non per Sarram conjugem procreatas.

CAPUT IX. — *De longa vita hominum, quæ fuit ante diluvium, et de ampliore humanorum corporum forma.*

Quamobrem nullus prudens rerum existimator dubitaverit, Cain, non solum aliquam, verum etiam magnam potuisse condere civitatem, quando in tam longum tempus protendebatur vita mortalium (*d*): nisi forte infidelium quispiam ex ipsa numerositate annorum nobis ingerat quæstionem, qua vixisse tunc homines scriptum est in auctoribus nostris[3]; et hoc neget esse credendum. Ita quippe non credunt etiam magnitudines corporum longe ampliores tunc fuisse quam nunc sunt. Unde et nobilissimus eorum poeta Virgilius, de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum vir fortis[1] illorum temporum pugnans et rapuit, et cucurrit, et intorsit, et misit,

> Vix illum[2] (inquit) lecti bis sex cervice subirent,
> Qualia nunc hominum producit corpora tellus:
> (*Æneid. lib.* 12, *v.* 899-900.)

significans majora tunc corpora producere solere tellurem. Quanto magis igitur temporibus recentioribus mundi, ante illud nobile diffamatumque diluvium? Sed de corporum magnitudine plerumque incredulos nudata per vetustatem sive per vim fluminum variosque casus sepulcra convincunt, ubi apparuerunt, vel unde ceciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Uticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum gigantis alicujus fuisse crediderim. Nam præter quod erant omnium multo majora, quam nostra, tunc corpora, gigantes longe cæteris anteibant. Sicut aliis deinde nostrisque temporibus rara quidem, sed nunquam ferme defuerunt, quæ modum aliorum plurimum excederent. Plinius Secundus, doctissimus homo, quanto magis magisque præterit sæculi excursus, minora corpora naturam ferre testatur. Quod etiam Homerum commemorat sæpe carmine fuisse conquestum, non hæc velut poetica figmenta deridens, sed in historicam fidem tanquam miraculorum naturalium scriptor assumens (*Hist. natur. lib.* 7, *cap.* 16). Verum, ut dixi, antiquorum magnitudines corporum inventa plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multo posterioribus sæculis produnt. Annorum autem numerositas cujusque hominis qui[3] temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest. Nec tamen ideo fides sacræ huic historiæ deroganda est, cujus tanto impudentius narrata non credimus, quanto impleri certius prænuntiata conspicimus. Dicit tamen etiam idem Plinius (*a*), esse adhuc gentem, ubi ducentos annos vivitur. Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non sumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuisse credantur et tempora? An vero est credibile alicubi esse quod hic non est, et incredibile est aliquando fuisse quod nunc non est?

CAPUT X. — *De differentia qua inter hebræos et nostros codices videntur annorum numeri dissonare.*

Quocirca etsi inter hebræos et nostros codices (*b*) de ipso numero annorum nonnulla videtur esse distantia, quod ignoro qua ratione sit factum: non tamen tanta est, ut illos homines tam longævos fuisse

[1] Mss., *ut esset constituerentur*.

[2] Nostri, *sexcenta hominum millia*, excepto cod. 20, quo legit, *sexcenta IX hominum millia*. M.

[3] Vind. Am. Er. et plures Mss., *in auctoritatibus nostris*.

(*a*) Hic est Lamech, secundum septuaginta interpretes, Gen. v, 31.

(*b*) Unus nostrorum adeo patrum memoria vicus frequentissimus in Hispania, cujus omnes incolæ erant a sene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quo a minimis natu vocaretur: longe enim nostra supra abavum non ascendit.

Lud. Vives.

(*c*) Supple, *gentes*.

(*d*) Vid. Plin. lib. 7 Hist. nat., capp. 49, 50.

[1] Sola editio Lov., *fortissimus*.

[2] Er. et Lov., *Vix illud*. At editi alii et Mss., *Vix illum*. Potest referri aut ad saxum, aut ad limitem de quo proxime ante Virgilius.

[3] Er. et Mss., *quæ*. — Melius. M.

(*a*) Vid. Plin. lib. 7 Hist. nat., cap. 49.

(*b*) Nostros *codices* appellat, quibus Ecclesia tunc utebatur latinos, ex græca interpretatione septuaginta: codices vero *hebræos*, qui ex hebræa Scriptura erant versi. Conf. lib. 2 de Doct. christ., nn. 16, 22.

dissentiant. Nam ipse homo primus Adam, antequam gigneret filium qui appellatus est Seth, ducentos triginta annos vixisse reperitur in codicibus nostris, in hebræis autem centum triginta perhibetur (*Gen.* v, 3). Sed posteaquam eum genuit, septingentos vixisse legitur in nostris, octingentos vero in illis (*Ibid.*, 4). Atque ita in utrisque universalis summa concordat. Ac deinde per consequentes generationes antequam gignatur qui gigni commemoratur, minus vixisse apud hebræos pater ejus invenitur centum annos: sed posteaquam est genitus idem ipse, centum minus quam in hebræis inveniuntur in nostris. Atque ita hinc et inde numeri universitas consonat. In sexta autem generatione nusquam utrique codices discrepant. In septima vero, ubi ille qui natus est Enoch, non mortuus, sed quod Deo placuerit translatus esse narratur, eadem dissonantia est, quæ in superioribus quinque de centum annis antequam gigneret eum qui ibi commemoratus est filium: atque ita in summa similis consonantia. Vixit enim annos, antequam transferretur, secundum utrosque codices, trecentos sexaginta et quinque (*Ibid.*, 21-23). Octava generatio habet quidem nonnullam diversitatem, sed minorem, ac dissimilem cæteris. Mathusalem [1] quippe, quem genuit Enoch, antequam gigneret eum qui in ipso ordine sequitur, secundum hebræos non centum minus, sed viginti amplius vixit annos: qui rursus in nostris posteaquam eum genuit, reperiuntur additi, et in utrisque sibi summa universi numeri occurrit (*Ibid.* 25-27). In sola nona generatione, id est in annis Lamech filii Mathusalem, patris autem Noe, summa universitatis discrepat, sed non plurimum. Viginti enim et quatuor annos plus vixisse in hebræis, quam in nostris codicibus invenitur. Nam antequam gigneret filium, qui vocatus est Noe, sex minus habet in hebræis quam in nostris: postea vero quam eum genuit, triginta amplius in eisdem quam in nostris (*Ibid.* 28-31). Unde sex illis detractis, restant viginti et quatuor, ut dictum est.

CAPUT XI. — *De annis Mathusalem, cujus ætas quatuordecim annis diluvium videtur excedere.*

Per hanc autem discrepantiam hebræorum codicum atque nostrorum, exoritur illa famosissima quæstio, ubi Mathusalem quatuordecim annos vixisse post diluvium computatur (*a*), cum Scriptura ex omnibus qui in terra tunc fuerant, solos octo homines in arca exitium commemoret evasisse diluvii (I *Petr.* III, 20), in quibus Mathusalem non fuit. Secundum codices enim nostros Mathusalem, priusquam gigneret illum quem vocavit Lamech, vixit annos centum sexaginta septem: deinde ipse Lamech, antequam ex illo natus esset Noe, vixit annos centum octoginta octo, qui simul fiunt trecenti quinquaginta quinque. His adduntur sexcenti Noe, quoto ejus anno diluvium factum est (*Gen.* VII, 6): qui fiunt nongenti quinquaginta quinque, ex quo Mathusalem natus est usque ad annum diluvii. Omnes autem anni vitæ Mathusalem nongenti sexaginta novem computantur: quia cum vixisset annos centum sexaginta septem, et genuisset filium, qui est appellatus Lamech, post eum genitum vixit annos octingentos duos, qui omnes, ut diximus, nongenti sexaginta novem fiunt (*Gen.* v, 25-27). Unde detractis nongentis quinquaginta quinque ab ortu Mathusalem usque ad diluvium, remanent quatuordecim, quibus vixisse creditur post diluvium. Propter quod eum nonnulli, etsi non in terra, ubi omnem carnem, quam vivere in aquis natura non sinit, constat fuisse deletam, cum patre suo qui translatus fuerat aliquantum fuisse, atque ibi donec diluvium præteriret, vixisse arbitrantur; nolentes derogare fidem codicibus, quos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia, et credentes Judæorum potius quam istos non habere quod verum est. Non enim admittunt, quod magis hic esse potuerit error interpretum, quam in ea lingua esse falsum, unde in nostram per græcam Scriptura ipsa translata est. Sed inquiunt, non esse credibile Septuaginta interpretes, qui uno simul tempore unoque sensu interpretati sunt, errare potuisse, aut ubi nihil eorum intererat, voluisse mentiri; Judæos vero, dum nobis invident, quod Lex et Prophetæ ad nos interpretando transierint, mutasse quidam in codicibus suis, ut nostris minueretur auctoritas. Hanc opinionem vel suspicionem accipiat quisque ut putaverit: certum est tamen, non vixisse Mathusalem post diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est quod de numero annorum in hebræis codicibus invenitur. De illis autem Septuaginta interpretibus quid mihi videatur, suo loco diligentius inserendum est, cum ad ipsa tempora, quantum necessitas hujus operis postulat, commemoranda, adjuvante Domino, venerimus (*a*). Præsenti enim sufficit quæstioni secundum utrosque codices tam longas habuisse vitas illius ævi homines, ut posset [1] ætate unus, qui de duobus, quos solos terra tunc habuit parentibus primus est natus, ad constituendam etiam civitatem multiplicari genus humanum.

CAPUT XII. — *De opinione eorum, qui primorum temporum homines tam longævos, quam scribitur, fuisse non credunt.*

1. Neque enim ullo modo audiendi sunt, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, id est tantæ brevitatis, ut unus annus noster decem illos habuisse credatur. Quapropter, inquiunt, cum audierit quisque vel legerit nongentos annos quemquam vixisse, debet intelligere nonaginta: decem quippe illi anni unus est noster; et decem nostri, centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam, quando genuit Seth; et ipse Seth viginti (*b*) habebat et sex menses, quando ex illo natus est Enos, quos appellat Scriptura ducentos et quinque annos. Quoniam, sicut isti suspicantur quorum exponimus opinionem, unum annum qualem

[1] In Mss. *Mathusalam.* Postea in sola editione Lov., *quippe cum genuit Enoch.* verius in cæteris libris, *quippe quem.*

(*a*) Vide Hieronymum, de Quæstionibus hebraicis in Genesim.

[1] Sic nostri codices. In B., *ut possit.* M.

(*a*) Infra, lib. 18, capp. 42, 43 et 44

(*b*) Supple, *annos.*

nunc habemus, in decem partes illi dividebant, et easdem partes annos vocabant. Quarum partium habet una quadratum senarium, eo quod Deus sex diebus perfecerit opera sua, ut in septimo requiesceret. De qua re in libro undecimo (*Cap.* 8), sicut potui, disputavi. Sexies autem seni, qui numerus quadratum senarium facit, triginta sex dies fiunt: qui multiplicati decies, ad trecentos sexaginta perveniunt, id est duodecim menses lunares. Propter quinque dies enim reliquos, quibus solaris annus impletur, et diei quadrantem, propter quem quater ductum eo anno, quo bissextum vocant, unus dies adjicitur, addebantur a veteribus postea dies, ut occurreret numerus annorum, quos dies Romani intercalares vocabant. Proinde etiam Enos, quem genuit Seth, decem et novem agebat annos, quando ex illo natus est filius ejus Cainan, quos annos dicit Scriptura centum nonaginta (*Gen.* v, 9, *sec.* LXX). Et deinceps per omnes generationes, in quibus hominum anni commemorantur ante diluvium, nullus fere in nostris codicibus invenitur, qui cum esset centum annorum vel infra, vel etiam centum viginti, aut non multo amplius, genuerit filium; sed qui minima ætate genuerunt, centum sexaginta, et quod excurrit, fuisse referuntur: quia nemo, inquiunt, decem annorum homo potest gignere filios, qui numerus centum appellabantur anni ab illis hominibus; sed in annis sexdecim est matura pubertas, et proli jam idonea procreandæ, quos centum et sexaginta annos illa tempora nuncupabant. Ut autem aliter annum tunc fuisse computatum non sit incredibile, adjiciunt quod apud plerosque scriptores historiæ reperitur, Ægyptios habuisse annum quatuor mensium (*a*), Acarnanas sex mensium, Lavinios tredecim mensium. Plinius Secundus cum commemorasset, relatum fuisse in litteras, quemdam vixisse centum quinquaginta duos annos, alium [1] decem amplius, alios ducentorum annorum habuisse vitam, alios trecentorum, quosdam ad quingentos, alios ad sexcentos, nonnullos ad octingentos etiam pervenisse, hæc omnia propter inscientiam temporum accidisse arbitratus est. *Alii quippe*, inquit, *æstate unum determinabant annum, et alterum hieme; alii quadripertitis temporibus, sicut Arcades*, inquit, *quorum anni trimestres fuere.* Adjecit etiam, aliquando Ægyptios, quorum parvos annos quaternorum mensium fuisse supra diximus, lunæ fine limitasse annum. *Itaque apud eos*, inquit, *et singula millia annorum vixisse produntur* (*b*).

2. His velut probabilibus argumentis quidam non destruentes fidem sacræ hujus historiæ, sed astruere nitentes, ne sit incredibile quod tam multos annos vixisse referuntur antiqui, persuaserunt sibi, nec se suadere imprudenter existimant, tam exiguum spatium temporis tunc annum vocatum, ut illi decem sint unus noster, et decem nostri centum illorum. Hoc autem falsissimum esse documento evidentissimo ostenditur. Quod antequam faciam, non mihi tacendum videtur, quæ credibilior possit esse suspicio. Poteramus certe hanc asseverationem ex hebræis codicibus redarguere atque convincere, ubi Adam non ducentorum triginta, sed centum triginta annorum fuisse reperitur, quando tertium genuit filium (*Gen.* v, 3): qui anni si tredecim nostri sunt, procul dubio primum genuit, quando undecim vel non multo amplius annorum fuit. Quis potest hac ætate generare usitata ista nobisque notissima lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui fortasse etiam quando creatus est, potuit. Non enim eum tam parvum, quam infantes nostri sunt, factum fuisse, credibile est. Sed filius ejus non ducentorum quinque, sicut nos legimus, sed centum quinque fuit, quando genuit Enos (*Ibid.*, 6): ac per hoc, secundum istos, nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicam de Cainan ejus filio, qui cum apud nos centum septuaginta reperiatur, apud Hebræos septuaginta legitur fuisse, quando genuit Malalehel (*Ibid.*, 12)? Quis generat homo septennis, si tunc anni septuaginta nuncupabantur qui septem fuerunt?

CAPUT XIII. — *An in dinumeratione annorum, Hebræorum magis quam Septuaginta interpretum sit sequenda auctoritas.*

1. Sed cum hoc dixero, continuo referetur illud Judæorum esse mendacium; de quo superius satis actum est: nam Septuaginta interpretes laudabiliter celebratos viros non potuisse mentiri. Ubi si quæram, quid sit credibilius, Judæorum gentem, tam longe lateque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, et dum aliis invident auctoritatem, sibi abstulisse veritatem; an septuaginta homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam rex Ægypti Ptolemæus eos ad hoc opus asciverat, ipsam veritatem gentibus alienigenis invidisse, et communicato istud fecisse consilio: quis non videat quid proclivius faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat in codicibus tam multis et tam longe lateque dispersis; vel Septuaginta illos memorabiles viros hoc de invidenda gentibus veritate unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cum primum de bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice uno, scilicet [1] primitus inde descripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error. Sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalem non absurdum est suspicari; et in illo alio, ubi superantibus viginti et quatuor annis summa non convenit. In his autem in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante genitum filium, qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi desint; post genitum autem ubi deerant, supersint; ubi supererant, desint, ut summa conveniat; et hoc in prima, secunda, tertia, quarta, quinta, septima generatione invenitur: videtur habere quamdam, si dici potest

[1] Plures Mss., *alios.*
(*a*) Vid. Lactant. lib. 2 Instit., cap. 12.
(*b*) Plin. lib. 7, cap. 49.

[1] Mss., *sed.*

error ipse constantiam ; nec casum redolet, sed industriam.

2. Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in codicibus græcis et latinis, aliter in hebræis, ubi non est ista de centum annis prius additis et postea detractis per tot generationes continuata paritas, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ Septuaginta interpretum, sed scriptoris tribuatur errori, qui de bibliotheca supradicti regis codicem describendum primus accepit. Nam etiam nunc, ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid quod facile possit intelligi, vel quod appareat utiliter disci, et negligenter describuntur, et negligentius emendantur. Quis enim existimet sibi esse discendum, quot millia hominum tribus Israel sigillatim habere potuerunt? quoniam prodesse aliquid non putatur : et quotus quisque hominum est, cui profunditas utilitatis hujus appareat? Hic vero ubi per tot contextas generationes centum anni alibi adsunt, alibi desunt ; et post natum, qui commemorandus fuerat, filium, desunt ubi adfuerunt, adsunt ubi defuerunt, ut summa concordet : nimirum cum vellet persuadere, qui hoc fecit, ideo numerosissimos annos vixisse antiquos, quod eos brevissimos nuncupabant ; et hoc de maturitate pubertatis, qua idonea filii gignerentur, conaretur ostendere ; atque ideo in illis centum annis decem nostros insinuandos putaret incredulis, ne homines tam diu vixisse recipere in fidem nollent ; addidit centum, ubi gignendis filiis habilem non invenit ætatem ; eosdemque, post genitos filios, ut congrueret summa, detraxit. Sic quippe voluit credibiles facere idonearum generandæ proli convenientias ætatum, ut tamen numero non fraudaret universas ætates viventium singulorum. Quod autem in sexta generatione id non fecit, hoc ipsum est quod magis movet, illum ideo fecisse, cum res quam dicimus postulavit, quia non fecit ubi non postulavit. Invenit namque in eadem generatione apud hebræos vixisse Jareth, antequam genuisset Enoch, centum sexaginta duos annos (*Gen.* v, 18), qui secundum illam rationem brevium annorum fiunt anni sexdecim, et aliquid minus quam menses duo ; quæ jam ætas apta est ad gignendum : et ideo addere centum annos breves, ut nostri viginti sex fierint, necesse non fuit ; nec post natum Enoch eos detrahere, quos non addiderat ante natum. Sic factum est ut hic nulla esset inter codices utrosque varietas.

3. Sed rursus movet, cur in octava generatione, antequam de Mathusalem nasceretur Lamech, cum apud hebræos legantur centum octoginta duo [1] anni, viginti minus inveniuntur in codicibus nostris, ubi potius addi centum solent ; et post genitum Lamech complendam restituuntur ad summam, quæ in codicibus utrisque non discrepat. Si enim centum septuaginta annos propter pubertatis maturitatem, decem et septem volebat intelligi, sicut nihil addere, ita nihil detrahere jam debebat : quia invenerat ætatem idoneam generationi filiorum, propter quam in aliis centum illos annos, ubi eam non inveniebat, addebat. Hoc autem de viginti annis merito putaremus casu mendositatis accidere potuisse, nisi eos sicut prius detraxerat, restituere postea curaret, ut summæ conveniret integritas. An forte astutius factum existimandum est, ut illa, qua centum anni prius solent adjici et postea detrahi, occultaretur industria, cum et illic ubi necesse non fuerat, non quidem de centum annis, verumtamen de quantulocumque numero prius detracto, post reddito, tale aliquid fieret? Sed quomodolibet istud accipiatur, sive credatur ita esse factum, sive non credatur ; sive postremo ita, sive non ita sit : recte fieri nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio. Nam in quibusdam etiam codicibus græcis tribus, et uno latino, et uno etiam syro inter se consentientibus, inventus est Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctus (*a*).

CAPUT XIV. — *De paritate annorum, qui iisdem quibus nunc spatiis et in prioribus sæculis cucurrerunt.*

1. Nunc jam videamus quonam modo evidenter possit ostendi, non tam breves, ut illi decem unus esset noster, sed tantæ prolixitatis annos quantæ nunc habemus (quos utique circuitus conficit solis), in illorum hominum vita prolixissima computatos. Sexcentesimo nempe anno vitæ Noe scriptum est factum esse diluvium. Cur ergo ibi legitur, *Et aqua diluvii facta est super terram sexcentesimo anno in vita* [1] *Noe, secundi mensis, septima et vicesima mensis* (*Gen.* VII, 10, 11 *sec.* LXX) ; si annus ille minimus, quales decem faciunt unum nostrum, triginta sex dies habebat? Tantillus quippe annus, si antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menses, aut mensis ejus est triduum, ut habeat duodecim menses. Quomodo igitur hic dictum est, *Sexcentesimo anno, secundi mensis, septima et vicesima die mensis ;* nisi quia tales quales nunc sunt, etiam tunc erant menses? Nam quo pacto aliter vicesimo et septimo die secundi mensis diceretur cœptum esse diluvium? Deinde postea in fine diluvii ita legitur : *Et sedit arca in mense septimo, septima et vicesima die mensis, super montes Ararat. Aqua autem minuebatur usque ad undecimum mensem : in undecimo autem mense, prima die mensis, paruerunt capita montium* (*Id.* VIII, 4, 5). Si igitur tales menses erant, tales profecto et anni erant, quales nunc habemus. Menses quippe illi triduani, viginti et septem dies habere non poterant. Aut si pars tricesima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur ; ergo nec toto quatriduo nostro factum est illud tam grande diluvium, quod memoratur factum

[1] Nonnulli manuscripti omittunt, *duo ;* pro quo legendum videtur, *septem :* sic enim apud Hebræos, Gen. v, 25 ; quo loco apud Septuaginta interpretes habetur, *centum sexaginta septem anni.* — Codices nostri ferunt, *duo.* M.

[1] Editi, *vitæ.* At Mss., *in vita :* juxta græcum Septuaginta.

(*a*) Conf. Quæst. in Gen., q. 2.

quadraginta diebus et noctibus. Quis hanc absurditatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjectura falsa ita vult astruere Scripturarum nostrarum fidem, ut alibi destruat. Prorsus tantus etiam tunc dies fuit, quantus et nunc est, quem viginti et quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinant: tantus mensis, quantus et nunc est, quem luna cœpta et finita concludit: tantus annus, quantus et nunc est, quem duodecim menses lunares, additis propter cursum solarem quinque diebus et quadrante, consummant: quanti anni [1] sexcentesimi vitæ Noe secundus erat mensis ejusque mensis vicesimus et septimus dies, quando cœpit esse diluvium; in quo dies quadraginta continuatæ ingentes pluviæ memorantur (*Gen.* VII, 12), qui dies non binas ac paulo amplius horas habebant, sed vicenas et quaternas die noctuque transactas. Ac per hoc tam magnos annos vixerunt illi antiqui usque amplius quam nongentos, quantos postea vixit Abraham centum septuaginta quinque [2] (*Id.* XXV, 7), et post eum filius ejus Isaac centum octoginta (*Id.* XXXV, 28), et filius ejus Jacob prope centum quinquaginta (*Id.* XXVII, 28), et quantos interposita aliquanta ætate Moyses centum viginti (*Deut.* XXXIV, 7), et quantos etiam nunc vivunt homines septuaginta vel octoginta, vel non multo amplius, de quibus dictum est: *Et amplius eis labor et dolor* (*Psal.* LXXXIX, 10).

2. Illa vero numerorum varietas, quæ inter codices hebræos invenitur et nostros, neque de hac antiquorum longævitate dissentit, et si quid habet ita diversum, ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est quod habemus. Quæ facultas cum volentibus ubique gentium præsto sit; non tamen vacat (*a*), quod Septuaginta interpretes, in plurimis quæ diversa dicere videntur, ex hæbreis codicibus emendare ausus est nemo. Non enim est illa diversitas putata mendositas; nec ego ullo modo putandam existimo. Sed ubi non est scriptoris error, aliquid eos divino Spiritu, ubi sensus esset consentaneus veritati, et prædicans veritatem, non interpretantium more [3], sed prophetantium libertate aliter dicere voluisse credendum est. Unde merito, non solum hebræis, verum etiam ipsis, cum adhibet testimonia de Scripturis, uti apostolica invenitur auctoritas. Sed hinc me opportuniore loco, si Deus adjuverit, promisi diligentius locuturum: nunc quod instat expediam. Non enim ambigendum est ab homine, qui ex primo homine primus est natus, quando tam diu vivebant, potuisse constitui civitatem, sane terrenam, non illam quæ dicitur civitas Dei: de qua ut scriberemus, laborem tanti hujus operis in manus sumpsimus.

[1] Sic omnes Mss. At editi, *tantus annus*, mendose.
[2] Plerique Mss., *centum septuaginta*, omisso, *quinque*.
[3] Mss., [illegible]
(*a*) Hoc vult: non est inane, et sine mysterio et causa. Lud. Vives.

CAPUT XV. — *An credibile sit, primi sæculi viros usque ad eam ætatem, qua filios generasse referuntur, a concubitu continuisse.*

1. Dicet ergo aliquis: Itane credendum est, hominem filios generaturum, nec habentem propositum continentiæ, centum et amplius, vel secundum Hebræos non multo minus, id est octoginta, septuaginta, sexaginta annos a concumbendi opere vacavisse; aut si non vacaret, nihil prolis gignere potuisse? Hæc quæstio duobus modis solvitur. Aut enim tanto serior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annositas: aut, quod magis video esse credibile, non hic primogeniti filii commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perveniretur ad Noe, a quo rursus ad Abraham videmus esse perventum; ac deinde usque ad certum articulum temporis, quantum oportebat signari etiam generationibus commemoratis cursum gloriosissimæ civitatis in hoc mundo peregrinantis, et supernam patriam requirentis. Quod enim negari non potest, prior omnibus Cain ex conjunctione maris et feminæ natus est. Neque enim illo nato dixisset Adam, quod dixisse legitur, *Acquisivi hominem per Deum;* nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo additus primus. Hunc secutus Abel, quem major frater occidit, præfiguratione [1] quadam peregrinantis civitatis Dei, quod ab impiis, et quodammodo terrigenis, id est terrenam originem diligentibus, et terrenæ civitatis terrena felicitate gaudentibus, persecutiones iniquas passura fuerat, primus ostendit. Sed quot annorum erat Adam, cum eos genuit, non apparet. Exinde digeruntur generationes aliæ de Cain, aliæ de illo quem genuit Adam in ejus successionem, quem frater occidit, et appellavit nomen illius Seth, dicens ut scriptum est, *Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain* (*Gen.* IV, 1, 25). Cum itaque istæ duæ series generationum, una de Seth, altera de Cain, has duas de quibus agimus, distinctis ordinibus insinuent civitates, unam cœlestem in terris peregrinantem, alteram terrenam terrenis tanquam sola sint gaudiis inhiantem vel inhærentem; nullus de progenie Cain, cum dinumerata sit connumerato Adam usque ad octavam generationem, quot annorum fuisset expressus est, quando genuit eum qui commemoratur post eum. Noluit enim Spiritus Dei in terrenæ civitatis generationibus tempora notare ante diluvium, sed in cœlestis maluit, tanquam essent memoria digniores. Porro autem Seth quando natus est, non quidem taciti sunt anni patris ejus, sed jam genuerat alios: et utrum solos Cain et Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia soli nominati sunt propter ordines generationum, quas commemorari oportebat, ideo consequens videri debet solos fuisse tunc generatos ex Adam. Cum enim silentio coopertis omnium nominibus cæterorum, legatur eum genuisse filios et filias, quota fuerit ista proles ejus, quis præsumat asserere, si culpam temeritatis

[1] Lov., *præfigurationem*, dissentientibus editis aliis et manuscriptis.

evitat? Potuit quippe Adam divinitus admonitus dicere, posteaquam Seth natus est, *Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel*; quoniam talis erat futurus, qui impleret illius sanctitatem, non quod ipse prior post eum temporis ordine nasceretur. Deinde quod scriptum est, *Vixit autem Seth quinque et ducentos annos*, vel secundum Hebræos, *quinque et centum annos*, *et genuit Enos*: quis possit nisi inconsideratus asseverare, hunc ejus primogenitum fuisse? Ut admirantes merito requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit a connubio sine ullo proposito continentiæ, vel non genuerit conjugatus; quandoquidem etiam de ipso legitur, *Et genuit filios et filias*, *et fuerunt omnes dies Seth duodecim et nongenti anni*, *et mortuus est* (*Gen.* V, 4-8). Atque ita deinceps quorum anni commemorantur, nec filios filiasque genuisse reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrum qui nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus: imo vero, quoniam credibile non est, patres illos ætate tam longa aut impuberes fuisse, aut conjugibus caruisse vel fetibus; nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Sed cum sacræ scriptor historiæ ad ortum vitamque Noe, cujus tempore diluvium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire, eas utique commemoravit, non quæ primæ suis parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordinem venerint.

2. Exempli gratia, quo id fiat apertius, aliquid interponam, unde nullus ambigat fieri potuisse quod dico. Evangelista Matthæus generationem Dominicæ carnis per seriem parentum volens commendare memoriæ, ordiens a patre Abraham, atque ad David primitus ut perveniret intendens, *Abraham*, inquit, *genuit Isaac*: cur non dixit, Ismael, quem primitus genuit? *Isaac autem*, inquit, *genuit Jacob*: cur non dixit, Esau, qui ejus primogenitus fuit? Quia scilicet per illos ad David pervenire non posset. Deinde sequitur, *Jacob autem genuit Judam*, *et fratres ejus*: numquid Judas primogenitus fuit? *Judas*, inquit, *genuit Phares et Zaram* (*Matth.* I, 2, 3): nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, sed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum, per quos ad David, atque inde quo intenderat, perveniret. Ex quo intelligi potest, veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, sed eos fuisse commemoratos, per quos succedentium ordo generationum ad Noe patriarcham duceretur, ne seræ pubertatis illorum obscura et non necessaria quæstio nos fatiget.

CAPUT XVI. — *De jure conjugiorum, quod dissimile a subsequentibus matrimoniis habuerint prima connubia.*

1. Cum igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, et conjugis ejus ex viri latere, marium feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur; nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent; viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur; nec unus in uno[1] multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam[2] plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe et socer duarum sunt necessitudinum nomina. Ut ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit. Utrumque autem unus Adam esse cogebatur et filiis et filiabus suis, quando fratres sororesque connubio jungebantur. Sic et Eva, uxor ejus, utrique sexui filiorum fuit et socrus et mater: quæ si duæ feminæ fuissent, mater altera, et socrus altera, copiosius se socialis dilectio colligaret. Ipsa denique jam soror, quod[3] etiam uxor fiebat, duas tenebat una necessitudines: quibus per singulas distributis, ut altera esset soror, altera uxor, hominum numero socialis propinquitas augeretur. Sed hoc unde fieret tunc non erat, quando nisi fratres et sorores ex illis duobus primis nulli homines erant. Fieri ergo debuit quando potuit, ut existente copia inde ducerentur uxores, quæ non erant jam sorores; et non solum istud ut fieret, nulla necessitas esset, verum etiam si fieret, nefas esset. Nam si et nepotes primorum hominum, qui jam consobrinas poterant accipere conjuges, sororibus matrimonio jungerentur; non jam duæ, sed tres in homine uno necessitudines fierent, quæ propter charitatem numerosiore propinquitate nectendam, disseminari per singulos singulæ debuerunt. Esset enim unus homo filiis suis, fratri scilicet sororique conjugibus, et pater et socer et avunculus: ita et uxor ejus iisdem communibus filiis et mater et amita et socrus: iidemque inter se filii eorum, non solum essent fratres atque conjuges, verum etiam consobrini; quia et fratrum filii. Omnes autem istæ necessitudines, quæ uni homini tres homines connectebant, novem connecterent, si essent in singulis singulæ, ut unus homo haberet alteram sororem, alteram uxorem, alteram consobrinam, alterum patrem, alterum avunculum, alterum socerum, alteram matrem, alteram amitam, alteram socrum: atque ita se non in paucitate coarctatum, sed latius atque numerosius propinquitatibus crebris vinculum sociale diffunderet.

2. Quod humano genere crescente et multiplicato, etiam inter impios deorum multorum falsorumque cultores sic observari cernimus, ut etiamsi perversis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam; et cum sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic aversetur, quasi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim sensum vel alliciendum, vel offendendum mos valet plurimum. Qui cum in hac causa immoderationem concupiscen-

[1] Am. et Lov., *in una*. Emendantur ad Vind. Er. et ad manuscriptos.
[2] Sola editio Lov., *colligendam*.
[3] Plures Mss., *quæ*.

tiæ coerceat, cum dissignari[1] atque corrumpi merito esse nefarium judicatur. Si enim iniquum est, aviditate possidendi transgredi limitem agrorum, quanto est iniquius libidine concumbendi subvertere limitem morum? Experti autem sumus in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana (*a*). Verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; et quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur: quia et ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, et pene germani sunt. Fuit autem antiquis patribus religiosæ curæ, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret et propinquitas esse desisteret, eam nondum longe positam rursus matrimonii vinculo colligare, et quodammodo revocare fugientem. Unde jam pleno hominibus orbe terrarum, non quidem sorores ex patre vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere uxores. Verum quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinorum[2] prohibita esse conjugia? non solum secundum ea quæ disputavimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, cum duæ possint eas habere, et numerus propinquitatis augeri; sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis reverendum[3] honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus et ipsam pudicitiam conjugalem.

3. Copulatio igitur maris et feminæ, quantum attinet ad genus mortalium, quoddam seminarium est civitatis: sed terrena civitas generatione tantummodo, cœlestis autem etiam regeneratione opus habet, ut noxam generationis evadat. Utrum autem aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit corporale atque visibile regenerationis signum ante diluvium (*b*), sicut Abrahæ circumcisio postea est imperata (*Gen.* XVII, 10, 11), sacra historia tacet. Sacrificasse tamen Deo etiam illos antiquissimos homines non tacet: quod et in duobus primis fratribus claruit; et Noe post diluvium, cum de arca fuisset egressus, hostias Deo legitur immolasse (*Id.* VIII, 20). De qua re in præcedentibus libris jam diximus, non ob aliud dæmones arrogantes sibi divinitatem deosque se credi cupientes sibi expetere sacrificium, et gaudere hujusmodi honoribus, nisi quia verum sacrificium vero Deo deberi sciunt.

CAPUT XVII. — *De duobus ex uno genitore procreatis patribus atque principibus.*

Cum ergo esset Adam utriusque generis pater, id est, et cujus series ad terrenam, et cujus series ad cœlestem pertinet civitatem; occiso Abel, atque in ejus interfectione commendato mirabili sacramento, facti sunt duo patres singulorum generum, Cain et Seth: in quorum filiis, quos commemorari oportebat, duarum istarum civitatum in genere mortalium evidentius indicia clarere cœperunt. Cain quippe genuit Enoch, in cujus nomine condidit civitatem, terrenam scilicet, non peregrinantem in hoc mundo, sed in ejus temporali pace ac felicitate quiescentem. Cain autem interpretatur Possessio: unde dictum est quando natus est, sive a patre, sive a matre ejus, *Acquisivi hominem per Deum* (*Gen.* IV, 1). Enoch vero, Dedicatio: hic enim dedicatur terrena civitas, ubi conditur; quoniam hic habet eum, quem intendit et appetit finem. Porro ille Seth Resurrectio interpretatur, et Enos filius ejus interpretatur Homo: non sicut Adam (et ipsum enim nomen interpretatur Homo), sed commune perhibetur esse in illa lingua, id est hebræa, masculo et feminæ. Nam sic de illo scriptum est: *Masculum et feminam fecit illos, et benedixit illos, et cognominavit nomen eorum Adam* (*Id.* V, 2). Unde non ambigitur, sic appellatam fuisse feminam Evam proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur Homo, nomen esset amborum. Enos autem sic interpretatur Homo, ut hoc non posse feminam nuncupari periti linguæ illius asseverent, tanquam filius resurrectionis, ubi non nubent, neque uxores ducent (*Luc.* XX, 35). Non enim erit ibi generatio, cum illuc perduxerit regeneratio. Quare et hoc non incassum notandum arbitror, quod in eis generationibus quæ propagantur ex illo qui est appellatus Seth, cum genuisse filios filiasque dicantur[1], nulla ibi genita nominatim femina expressa est: in his autem quæ propagantur ex Cain, in ipso fine quousque protenduntur[2], novissima femina genita nominatur (*a*). Sic enim legitur: *Mathusael genuit Lamech: et sumpsit sibi Lamech duas uxores, nomen uni Ada, et nomen secundæ Sella; et peperit Ada Jobel: hic erat pater habitantium in tabernaculis pecuariorum. Et nomen fratris ejus Jubal: hic fuit qui ostendit psalterium et citharam. Sella autem peperit et ipsa Thobel, et erat ærarius et malleator æramenti et ferri. Soror autem Thobel Noema*[3] (*Gen.* IV, 18-22). Huc usque porrectæ sunt generationes ex Cain, quæ sunt omnes ab Adam octo, annumerato ipso Adam, septem scilicet usque ad Lamech, qui duarum maritus uxorum fuit: et

[1] Editi, *designari*. Melius plures manuscripti, *dissignari*; id est convelli et disrumpi. Sic in Terentio, Adelph. act. 1, scen. 2, pro, *Modo quid dissignavit*, Eugraphius legit, *dissignavit*, dicitque dissignare proprie esse aliquid legibus signatum rumpere.

[2] Sic Mss. At editi, *consobrinarum*.

[3] Editi, *verecundum*; dissentientibus Mss.

(*a*) Lex ea a Theodosio lata ne inter consobrinos et [illegible] [illegible] laudat Ambrosius [illegible] Theodosio, et [illegible], lib. 8, epist. [illegible], eamque [illegible] [illegible] postea Augustinus [illegible] [illegible] honestius hoc tempore [illegible] prohibita esse conjugia? [illegible] Theodosii [illegible] dicebantur; superest autem in eamdem rem lex alia, quæ [illegible] tenentur, [illegible] et [illegible] consulibus, in Cod. Theod., lib. 2 [illegible] Nupt. Dispensationem [illegible] ut legitima esset uxor consobrina, [illegible] lib. 7 Variar., cap. 46.

(*b*) [illegible] lib. 5 cont. Julian., n. 45.

[1] Sic Mss. At editi, *dicatur*.

[2] Editi et plures Mss., *pertendunt*.

[3] [illegible] Mss. *Noemma*.

(*a*) Hic et in sequentibus confer Theodoretum in Genesim, quæst. 47. [illegible]

octava est generatio in filiis ejus, in quibus commemoratur et femina. Ubi eleganter significatum est, terrenam civitatem usque in sui finem carnales habituram generationes, quæ marium feminarumque conjunctione proveniunt. Unde et ipsæ, quod præter Evam nusquam reperitur ante diluvium, nominibus propriis exprimuntur uxores illius hominis, qui nominatur hic novissimus pater. Sicut autem Cain, quod interpretatur Possessio, terrenæ conditor civitatis, et filius ejus, in cujus nomine condita est, Enoch, quod interpretatur Dedicatio, indicat istam civitatem et initium et finem habere terrenum; ubi nihil speratur amplius, quam[1] in hoc sæculo cerni potest : ita Seth, quod interpretatur Resurrectio, cum sit generationum seorsum commemoratarum pater, quid de filio ejus sacra hæc historia dicat, intuendum est.

CAPUT XVIII. — *Quid significatum sit in Abel, et Seth, et Enos, quod appareat ad Christum et corpus ejus, id est Ecclesiam, pertinere.*

Et Seth, inquit, *natus est filius, et nominavit nomen ejus Enos : hic speravit invocare nomen Domini Dei* (*Gen.* IV, 26). Nempe clamat attestatio veritatis. In spe igitur vivit homo filius resurrectionis; in spe vivit, quamdiu peregrinatur hic civitas Dei, quæ gignitur ex fide resurrectionis Christi. Ex duobus namque illis hominibus, Abel, quod interpretatur Luctus, et ejus fratre Seth, quod interpretatur Resurrectio, mors Christi et vita ejus ex mortuis figuratur. Ex qua fide gignitur hic civitas Dei, id est homo, qui speravit invocare nomen Domini Dei. *Spe enim salvi facti sumus*, ait Apostolus. *Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). Nam quis vacare hoc existimet ab altitudine sacramenti? Numquid enim Abel non speravit invocare nomen Domini Dei, cujus sacrificium Scriptura tam acceptum Deo fuisse commemorat? numquid ipse Seth non speravit invocare nomen Domini Dei, de quo dictum est, *Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel* (*Gen.* IV, 25)? Cur ergo huic proprie tribuitur quod piorum omnium intelligitur esse commune, nisi quia oportebat in eo qui de patre generationum in meliorem partem, hoc est supernæ civitatis separatarum, primus commemoratur exortus, præfigurari hominem, id est hominum societatem, quæ non secundum hominem in re felicitatis terrenæ, sed secundum Deum vivit in spe felicitatis æternæ? Nec dictum est, Hic speravit in Dominum Deum; aut, Hic invocavit nomen Domini Dei : sed, *Hic speravit*, inquit, *invocare nomen Domini Dei*. Quid sibi hoc vult, *Speravit invocare*, nisi quia prophetia est, exorturum populum, qui secundum electionem gratiæ invocaret nomen Domini Dei? Hoc est, quod per alium prophetam dictum, Apostolus de hoc populo intelligit ad Dei gratiam pertinente : *Et erit, omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Rom.* X, 13; *Joel* II, 32). Hoc enim ipsum quod dicitur, *Et nominavit nomen ejus Enos, quod interpretatur Homo*; ac deinde additur, *Hic speravit invocare nomen Domini Dei* : satis ostenditur, quod non in se ipso spem ponere debeat homo. *Maledictus* enim *omnis*, sicut alibi legitur, *qui spem suam ponit in homine* (*Jerem.* XVII, 5) : ac per hoc, nec in se, ut sit civis alterius civitatis, quæ non secundum filium Cain dedicatur hoc tempore, id est mortalis hujus sæculi labente transcursu, sed in illa immortalitate beatitudinis sempiternæ.

[1] Editi, *quam quod*. Abest, *quod*, a Mss.

CAPUT XIX. — *De significatione quæ in Enoch translatione monstratur.*

Nam et ista propago, cujus est pater Seth, in ea generatione habet dedicationis nomen, quæ septima est ab Adam, annumerato Adam. Septimus enim ab illo natus est Enoch, quod interpretatur Dedicatio. Sed ipse est ille translatus, quoniam placuit Deo, et insigni numero in ordine generationum, quo sabbatum consecratum est, septimo scilicet ab Adam. Ab ipso autem patre istarum generationum, quæ discernuntur a propagine Cain, id est a Seth, sextus est : quoto die factus est homo, et consummavit Deus omnia opera sua. Sed hujus Enoch translatio nostræ dedicationis est præfigurata dilatio. Quæ quidem jam facta est in Christo capite nostro, qui sic resurrexit, ut non moriatur ulterius, sed etiam ipse translatus est : restat autem altera dedicatio universæ domus, cujus ipse Christus est fundamentum, quæ differtur in finem, quando erit omnium resurrectio, non moriturorum amplius. Sive autem domus Dei dicatur, sive templum Dei, sive civitas Dei, idipsum est, nec abhorret a latini eloquii consuetudine. Nam et Virgilius imperiosissimam civitatem domum appellat Assaraci, Romanos volens intelligi, qui de Assaraco per Trojanos originem ducunt; et domum Æneæ eosdem ipsos (*Æneid. lib.* 1, *vers.* 284; *lib.* 3, *vers.* 97), quia eo duce Trojani cum Italiam venissent, ab eis condita est Roma. Imitatus namque est poeta ille sacras Litteras, in quibus dicitur domus Jacob tam ingens populus Hebræorum.

CAPUT XX. — *De eo quod Cain successio in octo ab Adam generationes clauditur, et in posteris ab eodem patre Adam Noe decimus invenitur.*

1. Dicet aliquis : Si hoc intendebat scriptor hujus historiæ in commemorandis generationibus ex Adam per filium ejus Seth, ut per illas perveniret ad Noe, sub quo factum est diluvium, a quo rursus contexeretur ordo nascentium, quo perveniret ad Abraham, a quo Matthæus evangelista incipit generationes, quibus ad Christum pervenit æternum Regem civitatis Dei; quid intendebat in generationibus ex Cain, et quo eas perducere volebat? Respondetur : Usque ad diluvium, quo totum illud genus terrenæ civitatis absumptum est, sed reparatum ex filiis Noe. Neque enim deesse poterit hæc terrena civitas societasque hominum secundum hominem viventium usque ad hujus sæculi finem, de quo Dominus ait, *Filii hujus sæculi generant, et generantur* (*Luc.* XX, 34). Civitatem vero Dei peregrinantem in hoc sæculo regeneratio perducit ad alterum sæculum, cujus filii nec generant, nec generantur. Hic ergo generari et generare civitati utri-

que commune est : quamvis Dei civitas habeat etiam hic multa civium millia, quæ ab opere generandi se abstinent : sed habet etiam illa ex imitatione quadam, licet errantium[1]. Ad eam namque pertinent etiam, qui deviantes ab hujus fide diversas hæreses condiderunt : secundum hominem quippe vivunt, non secundum Deum. Et Indorum Gymnosophistæ, qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiæ, cives ejus sunt, et a generando se cohibent (*a*). Non enim est hoc bonum, nisi cum fit secundum fidem summi boni, qui est Deus. Hoc tamen nemo fecisse ante diluvium reperitur : quandoquidem etiam ipse Enoch septimus ab Adam, qui translatus refertur esse, non mortuus, genuit filios et filias antequam transferretur; in quibus fuit Mathusalem, per quem generationum memorandarum ordo transcurrit.

2. Cur ergo tanta paucitas successionum commemoratur in generationibus ex Cain, si eas usque ad diluvium perduci oportebat, nec erat diuturna ætas præveniens pubertatem, quæ centum vel amplius annos vacaret a fetibus? Nam si non intendebat auctor libri hujus aliquem, ad quem necessario perduceret seriem generationum, sicut in illis quæ veniunt de semine Seth intendebat pervenire ad Noe, a quo rursus ordo necessarius sequeretur; quid opus erat prætermittere primogenitos filios, ut perveniretur ad Lamech, in cujus filiis finitur illa contextio, octava generatione scilicet ex Adam, septima ex Cain, quasi esset inde aliquid deinceps connectendum, unde perveniretur vel ad Israeliticum populum, in quo cœlesti civitati etiam terrena Jerusalem figuram propheticam præbuit, vel ad Christum secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5), supernæ Jerusalem fabricator atque regnator; cum tota progenies Cain diluvio sit deleta? Unde videri potest, in eodem ordine generationum primogenitos fuisse commemoratos. Cur ergo tam pauci sunt? Non enim usque ad diluvium tot esse potuerunt, non vacantibus usque ad centenariam pubertatem patribus ab officio generandi, si non erat tunc proportione longævitatis illius etiam sera pubertas. Ut enim peræque triginta annorum fuerint, cum filios generare cœperunt, octies triceni (quoniam octo sunt generationes cum Adam et cum eis quos genuit Lamech), ducenti et quadraginta sunt anni : num itaque toto deinde tempore usque ad diluvium non generaverunt? Qua tandem causa, qui hæc scripsit, generationes commemorare noluit quæ sequuntur? Nam ex Adam usque ad diluvium computantur anni, secundum codices nostros, duo millia ducenti sexaginta duo[2] : secundum hebræos autem, mille sexcenti quinquaginta sex. Ut ergo istum numerum minorem credamus esse veriorem, de mille sexcentis quinquaginta sex annis ducenti quadraginta detrahantur : numquid credibile est per mille quadringentos, et quod excurrit, annos, qui restant usque ad diluvium, progeniem Cain a generationibus vacare potuisse?

3. Sed qui ex hoc movetur, meminerit, cum quærerem quomodo credendum sit, antiquos illos homines per tam multos annos a gignendis filiis cessare potuisse, duobus modis istam solutam esse quæstionem ; aut de sera pubertate, proportione tam longæ vitæ ; aut de filiis qui commemorantur in generationibus, quod non fuerint primogeniti ; sed hi per quos ad eum, quem intendebat auctor libri, poterat pervenire, sicut ad Noe in generationibus Seth. Proinde in generationibus Cain, si non occurrit qui deberet intendi, ad quem prætermissis primogenitis, per eos qui commemorati sunt, perveniri oportebat, sera pubertas intelligenda restabit ; ut aliquanto post centum annos, puberes habilesque ad gignendum facti fuerint, ut ordo generationum per primogenitos curreret, et usque ad diluvium ad numerum annorum tantæ quantitatis occurreret. Quamvis fieri possit, ut propter aliquam secretiorem causam, quæ me latet, usque ad Lamech et ejus filios generationum perveniente contextu, commendaretur hæc civitas, quam dicimus esse terrenam ; ac deinde cessaret scriptor libri commemorare cæteras, quæ usque ad diluvium esse potuerunt (*a*). Potest et illa esse causa, cur non ordo generationum per primogenitos duceretur, ut necesse non sit in illis hominibus tam seram credere pubertatem, quod scilicet eadem civitas, quam Cain in nomine Enoch filii sui condidit, longe lateque regnare potuerit, et reges habere non simul plures, sed suis ætatibus singulos, quos genuissent sibi[1] successuros quicumque regnassent. Horum regum primus esse potuit ipse Cain, secundus filius ejus Enoch, in cujus nomine ubi regnaretur, condita est civitas; tertius Gaidad, quem genuit Enoch : quartus Manihel[2], quem genuit Gaidad : quintus Mathusael, quem genuit Manihel : sextus Lamech, quem genuit Mathusael, qui septimus est ab Adam per Cain. Non autem erat consequens, ut primogeniti regum[3] regnantibus succederent patribus, sed quos regnandi meritum propter virtutem terrenæ utilem civitati, vel sors aliqua reperiret, vel ille potissimum succederet patri hæreditario quodam jure regnandi, quem præ cæteris filiis dilexisset. Potuit autem vivente adhuc Lamech atque regnante fieri diluvium, ut ipsum cum aliis omnibus hominibus, exceptis qui in arca fuerunt, quem

[1] Ita Mss. Editi autem, *sed habet etiam illa cives nonnullos istis similes ex imitatione quadam licet errantes.*

[2] Aliquot Mss., *duo millia ducenti quinquaginta.* Eusebius, Hieronymus, Beda aliique secundum septuaginta interpretum codices computant duo millia ducentos quadraginta et duos annos. — Codex 20.0, *duo millia ducenti* [illegible] M.

(*a*) [illegible] supra, lib. 14, cap. 17, in fin.

[1] Sola editio Lov., *ibi* : et paulo post, *ubi regnaret*; pro, *ubi regnaretur.*

[2] Aliquot Mss. *Meria.* Et nonnulli, *Mariael.* Apud septuaginta vero, *Malaleel.*

[3] Sic codices nostri. In B., *ut primogeniti in regnum.* M.

(*a*) [illegible] esse causam [illegible] tantum generationes Cain, quæ [illegible] debebat [illegible] Josephus [illegible] lib. 1, cap. 2. § [illegible] « Cain sacrifi- « [illegible] suscepere, « [illegible] relaxavit [illegible] « esse constituit [illegible] usque ad septimam ge- « [illegible] esse [illegible]. » Tum [illegible] cujus [illegible] vitæ per generationem ejus nolebat narrator prætermittere. LUD. VIVES.

perderet, inveniret. Neque enim mirandum est, si varia quantitate numerositatis annorum interposita, per tam longam ætatem ab Adam usque ad diluvium non æqualis numeri generationes habuit utraque progenies, sed per Cain septem, per Seth autem decem : septimus est enim, ut jam dixi, ab Adam Lamech, decimus Noe : et ideo non unus filius Lamech, sicut in cæteris superius, sed plures commemorati sunt ; quia incertum erat quis ei fuisset mortuo successurus, si regnandi tempus inter ipsum et diluvium remansisset.

4. Sed quoquo modo se habeat, sive per primogenitos, sive per reges, ex Cain generationum ordo decurrens, illud mihi nullo pacto prætereundum silentio videtur, quod cum Lamech septimus ab Adam fuisset inventus, tot ejus annumerati sunt filii, donec undenarius numerus impleretur, quo significatur peccatum. Adduntur enim tres filii, et una filia. Uxores autem aliud possunt significare, non hoc quod nunc commendandum videtur. Nunc enim de generationibus loquimur : illæ vero unde sint genitæ, tacitum est. Quoniam ergo Lex denario numero prædicatur, unde est memorabilis ille Decalogus ; profecto numerus undenarius, quoniam transgreditur denarium, transgressionem legis, ac per hoc peccatum significat. Hinc est quod in tabernaculo testimonii, quod erat in itinere populi Dei velut templum ambulatorium [1], undecim vela cilicina fieri præcepta sunt (*Exod.* xxvi, 7). In cilicio quippe recordatio est peccatorum, propter hædos ad sinistram futuros : quod confitentes in cilicio prosternimur, tanquam dicentes quod in Psalmo scriptum est, *Et peccatum meum ante me est semper* (*Psal.* L, 5). Progenies ergo ex Adam per Cain sceleratum undenario numero finitur, quo peccatum significatur : et ipse numerus femina clauditur, a quo sexu initium factum est peccati, per quod omnes morimur. Commissum est autem, ut et voluptas carnis, quæ spiritui resisteret, sequeretur. Nam et ipsa filia Lamech Noema Voluptas interpretatur. Per Seth autem ab Adam usque ad Noe denarius insinuatur legitimus numerus. Cui Noe tres adjiciuntur filii : unde uno lapso duo benedicuntur a patre, ut remoto reprobo et probatis filiis ad numerum additis etiam duodenarius numerus intimetur, qui et in Patriarcharum et in Apostolorum numero insignis est, propter septenarii partes, alteram per alteram multiplicatas. Nam ter quaterni, vel quater terni ipsum faciunt. His ita se habentibus, video considerandum et commemorandum, ista utraque progenies, quæ distinctis generationibus duas insinuat civitates, unam terrigenarum, alteram regeneratorum, quomodo postea sic commixta fuerit atque confusa, ut universum genus humanum, exceptis octo hominibus, perire mereretur diluvio.

CAPUT XXI. — *Qua ratione commemorato Enoch, qui fuit filius Cain, totius generationis ejus usque ad diluvium sit continuata narratio ; commemorato autem Enos, qui fuit filius Seth, ad conditionis humanæ principium sit reditum.*

Primo autem intuendum est, quemadmodum cum ex Cain generationes enumerarentur, commemorato ante cæteros posteros ejus illo in cujus nomine condita est civitas, id est Enoch, contexti sunt cæteri usque ad illum finem, de quo locutus sum, donec illud genus atque universa propago diluvio deleretur : cum vero filius Seth unus commemoratus fuisset Enos, nondum usque ad diluvium additis cæteris, articulus quidam interponitur et dicitur, *Hic liber nativitatis hominum, qua die fecit Deus Adam, ad imaginem Dei fecit illum. Masculum et feminam fecit illos, et benedixit illos, et cognominavit nomen eorum Adam, qua die fecit illos* (*Gen.* v, 1, 2). Quod mihi videtur ad hoc interpositum, ut hinc rursus inciperet ab ipso Adam dinumeratio temporum, quam noluit facere qui hæc scripsit in civitate terrena : tanquam eam Deus sic commemoraret, ut non computaret. Sed quare hinc reditur ad istam recapitulationem, posteaquam commemoratus est filius Seth, homo qui speravit invocare nomen Domini Dei ; nisi quia sic oportebat istas duas proponere civitates, unam per homicidam usque ad homicidam ; nam et Lamech duabus uxoribus suis se perpetrasse homicidium confitetur (*Gen.* iv, 23) : alteram per eum qui speravit invocare nomen Domini Dei ? Hoc est quippe in hoc mundo peregrinantis civitatis Dei totum atque summum in hac mortalitate negotium, quod per unum hominem, quem sane occisi resurrectio genuit, commendandum fuit. Homo quippe ille unus totius supernæ civitatis est unitas ; nondum quidem completa, sed præmissa ista prophetica præfiguratione complenda. Filius ergo Cain, hoc est filius possessionis (cujus, nisi terrenæ ?) habeat nomen in civitate terrena, quæ in ejus nomine condita est. De his est enim de quibus cantatur in Psalmo, *Invocabunt nomina eorum in terris ipsorum* (*Psal.* XLVIII, 12). Propter quod sequitur eos quod in alio Psalmo scriptum est, *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges* (*Psal.* LXXII, 20). Filius autem Seth, hoc est filius resurrectionis, speret invocare nomen Domini Dei. Eam quippe societatem hominum præfigurat quæ dicit, *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei speravi, in misericordia Dei* (*Psal.* LI, 10). Vanas autem glorias famosi in terra nominis non requirat : *Beatus* enim *vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias mendaces* [1] (*Psal.* XXXIX, 5). Propositis itaque duabus civitatibus, una in re hujus sæculi, altera in spe Dei, tanquam ex communi, quæ aperta est in Adam, janua mortalitatis egressis, ut procurrant [2] et excurrant ad discretos proprios ac debitos fines, incipit dinumeratio temporum : in qua et aliæ generationes adjiciuntur, facta recapitulatione ex Adam, ex cujus origine damnata, veluti massa una meritæ damnationi tradita, fecit

[1] In sola editione Lov., *templum deambulatorium*.

[1] Editi, *falsas*. At Mss., *mendaces* : sic passim Augustinus.
[2] Ita Mss. Editi autem, *percurrant*.

Deus alia in contumeliam vasa iræ, alia in honorem vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 23); illis reddens quod debetur in pœna, istis donans quod non debetur in gratia : ut ex ipsa etiam comparatione vasorum iræ, superna civitas discat, quæ peregrinatur in terris, non fidere libertate arbitrii sui, sed speret invocare nomen Domini Dei. Quoniam voluntas, in natura quæ facta est bona a Deo bono, sed mutabilis ab immutabili, quia ex nihilo, et a bono potest declinare, ut faciat malum, quod fit libero arbitrio ; et a malo, ut faciat bonum, quod non fit sine divino adjutorio.

CAPUT XXII. — *De lapsu filiorum Dei alienigenarum mulierum amore captorum, unde et omnes, exceptis octo hominibus, diluvio perire meruerunt.*

Hoc itaque libero voluntatis arbitrio genere humano progrediente atque crescente, facta est permixtio, et iniquitate participata quædam utriusque confusio civitatis. Quod malum a sexu femineo causam rursus invenit : non quidem illo modo quo ab initio ; non enim cujusquam etiam tunc fallacia seductæ illæ feminæ persuaserunt peccatum viris : sed ab initio quæ pravis moribus fuerant in terrena civitate, id est in terrigenarum societate, amatæ sunt a filiis Dei, civibus scilicet peregrinantis in hoc sæculo alterius civitatis, propter pulchritudinem corporis (*Gen.* VI, 1 *sqq.*). Quod bonum Dei quidem donum est : sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Deserto itaque magno bono et bonorum proprio, lapsus est factus ad bonum minimum, non bonis proprium, sed bonis malisque commune : ac sic filii Dei filiarum hominum amore sunt capti, atque ut eis conjugibus fruerentur, in mores societatis terrigenæ defluxerunt, deserta pietate quam in sancta societate servabant. Sic enim corporis pulchritudo, a Deo quidem factum, sed temporale, carnale, infimum bonum, male amatur postposito Deo, æterno, interno, sempiterno bono : quemadmodum justitia deserta et aurum amatur ab avaris, nullo peccato auri, sed hominis. Ita se habet omnis creatura. Cum enim bona sit, et bene potest amari, et male : bene, scilicet ordine custodito; male, ordine perturbato. Quod in laude quadam Cerei breviter versibus dixi[1] :

> Hæc tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti.
> Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes,
> ordine neglecto, pro te, quod conditur abs te.

Creator autem si veraciter ametur, hoc est, si ipse, non aliud pro illo quod non est ipse, ametur, male amari non potest. Nam et amor ipse ordinate amandus est, quo bene amatur quod amandum est, ut sit in nobis virtus qua vivitur bene. Unde mihi videtur, quod definitio brevis et vera virtutis, Ordo est amoris : propter quod in sancto Cantico canticorum cantat sponsa Christi, civitas Dei, *Ordinate in me charitatem* (*Cantic.* II, 4). Hujus igitur charitatis, hoc est, dilectionis et amoris ordine (a) perturbato, Deum filii Dei neglexerunt, et filias hominum dilexerunt. Quibus duobus nominibus satis civitas utraque discernitur. Neque enim et illi non erant filii hominum per naturam : sed aliud nomen cœperant habere per gratiam. Nam in eadem Scriptura, ubi dicti sunt dilexisse filias hominum filii Dei, iidem dicti sunt etiam angeli Dei. Unde illos multi putant non homines fuisse, sed angelos.

CAPUT XXIII. — *An credendum sit angelos substantiæ spiritualis, amore speciosarum mulierum captos, earumdem iniisse conjugia, ex quibus gigantes sint creati.*

1. Quam quæstionem nos transeunter commemoratam in tertio hujus operis libro (*cap.* 5) reliquimus insolutam, Utrum possint angeli, cum spiritus sint, corporaliter coire cum feminis. Scriptum est enim, *Qui facit angelos suos spiritus* : id est, eos qui natura spiritus sunt, facit esse angelos suos, injungendo eis officium nuntiandi. Qui enim græce dicitur ἄγγελος, quod nomen latina declinatione angelus perhibetur, latina lingua nuntius interpretatur. Sed utrum eorum corpora consequenter adjunxerit, dicendo, *Et ministros suos ignem ardentem* (*Psal.* CIII, 4) : an quod charitate tanquam igne spirituali fervere debeant ministri ejus, ambiguum est. Apparuisse tamen hominibus angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur. Et quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est[1], audisse confirmant, Silvanos[2], et Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos sæpe exstitisse mulieribus, et earum appetisse ac peregisse concubitum (a); et quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiam et tentare et efficere, plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur : non hinc aliquid audeo definire, utrum aliqui spiritus elemento aerio corporati (nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, sensu corporis tactuque sentitur), possint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo possunt, sentientibus feminis misceantur. Dei tamen Angelos sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim : nec de his dixisse apostolum Petrum, *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos reservari* (II *Petr.* II, 4) ; sed potius de illis qui primum apostatantes a Deo cum diabolo principe suo ceciderunt, qui primum hominem per invidiam serpentina fraude dejecit[3]. Angelos autem fuisse etiam Dei homines nuncupatos, eadem Scriptura sancta locupletissima testis est (b). Nam et de Joanne scriptum est, *Ecce mitto angelum meum ante*

[1] Sic omnes ad unum libri Mss. At editi, *in laude quadam Creatoris breviter versibus dixit.*
(a) Vide lib. 1 de Doct. Christ., n. 28.

[1] Nostri codices, *non esset*. M.
[2] Hic apud Lov. additur, *Panes* : quod ab editis aliis et Mss. abest.
[3] Sic Mss. Editi vero, *decepit*.
(a) Supra, lib. 6, cap. 9, n. 2.
(b) Idem observarunt Tertullianus, contra Judæos, lib. 2, cap. 9, Joannes Chrysostomus, Homilia 21 in Genesim. Coquæus.

faciem tuam, qui præparabit viam tuam (*Marc.* I, 2). Et Malachias propheta propria quadam, id est sibi proprie impertita, gratia dictus est angelus (*Malach.* II, 7).

2. Verum hoc movet quosdam, quod ex illis qui dicti sunt angeli Dei, et ex mulieribus quas amaverunt, non quasi homines generis nostri, sed gigantes legimus esse natos. Quasi vero corpora hominum modum nostrum longe excedentia, quod etiam supra commemoravi (*cap.* 9), non etiam nostris temporibus nata sunt. Nonne ante paucos annos, cum Romanæ urbis, quod a Gothis factum est, appropinquaret excidium, Romæ fuit femina cum suo patre et sua matre, quæ corpore quodammodo giganteo longe cæteris præemineret? Ad quam visendam mirabilis fiebat usquequaque concursus. Et hoc erat maxime admirationi, quod ambo parentes ejus nec saltem tam longi homines erant, quam longissimos videre consuevimus. Potuerunt ergo gigantes nasci et prius quam filii Dei, qui et angeli Dei dicti sunt, filiabus hominum, hoc est secundum hominem viventium, miscerentur; filii scilicet Seth filiabus Cain. Nam et canonica Scriptura sic loquitur, in quo libro hæc legimus, cujus verba ista sunt : *Et factum est, postquam cœperunt homines multi fieri super terram, et filiæ natæ sunt illis : videntes autem*[1] *angeli Dei filias hominum, quia bonæ sunt, sumpserunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Et dixit Dominus Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus his in æternum, propter quod caro sunt. Erunt autem dies eorum centum viginti anni. Gigantes autem erant super terram in diebus illis : et post illud cum intrarent filii Dei ad filias hominum, et generabant sibi, illi erant gigantes, a sæculo homines nominati* (*a*) (*Gen.* VI, 1-4). Hæc libri verba divini satis indicant, jam illis diebus fuisse gigantes super terram, quando filii Dei acceperunt uxores filias hominum, cum eas amarent bonas, id est pulchras. Consuetudo quippe Scripturæ hujus est, etiam speciosos corpore, bonos vocare. Sed et postquam hoc factum est, nati sunt gigantes. Sic enim ait : *Gigantes autem erant super terram in diebus illis : et post illud, cum intrarent filii Dei ad filias hominum.* Ergo et ante in illis diebus, et post illud. Quod autem ait, *Et generabant sibi,* satis ostendit quod prius, antequam sic caderent filii Dei, Deo generabant, non sibi, id est, non dominante libidine coeundi, sed serviente officio propagandi; non familiam fastus sui, sed cives civitatis Dei : quibus annuntiarent tanquam angeli Dei, ut ponerent in Deo spem suam (*Psal.* LXXVII, 7), similes illius qui natus est de Seth, filius resurrectionis, et speravit invocare nomen Domini Dei : in qua spe essent cum suis posteris cohæredes æternorum bonorum, et sub Deo patre fratres filiorum.

3. Non autem illos ita fuisse angelos Dei, ut homines non essent, sicut quidam putant, sed homines procul dubio fuisse, Scriptura ipsa sine ulla ambiguitate declarat. Cum enim præmissum esset, quod *videntes angeli Dei filias hominum, quia bonæ sunt, sumpserunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*; mox adjunctum est, *Et dixit Dominus Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus his in æternum, propter quod caro sunt.* Spiritu quippe Dei fuerant facti angeli Dei et filii Dei : sed declinando ad inferiora, homines dicuntur nomine naturæ, non gratiæ; dicuntur et caro, desertores spiritus et deserendo deserti. Et Septuaginta quidem interpretes et angelos Dei dixerunt istos, et filios Dei : quod quidem non omnes codices habent; nam quidam nisi filios Dei non habent. Aquila autem, quem interpretem Judæi cæteris anteponunt, non angelos Dei, nec filios Dei, sed filios deorum interpretatus est (*a*). Utrumque autem verum est. Nam et filii Dei erant, sub quo patre suorum patrum etiam fratres erant; et filii deorum, quoniam a diis geniti erant, cum quibus et ipsi dii erant, juxta illud Psalmi : *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Merito enim creduntur Septuaginta interpretes accepisse propheticum spiritum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quam erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus esse dictum dubitaretur. Quamvis hoc in hebræo esse perhibeatur ambiguum, ut et filii Dei, et filii deorum, posset interpretari.

4. Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima successione pervenit. In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola canonica Judas apostolus dicat (*Judæ* 14). Sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent quæ ille scripsisset[1], poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite servasse. Unde illa quæ sub ejus nomine proferuntur, et continent istas de gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, recte a prudentibus judicantur non ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus et aliorum Prophetarum, et recentiora sub nominibus

[1] Particula, *autem*, quæ omissa in editis fuerat, habetur in Mss. et apud LXX.

(*a*) Hic locus Geneseos male a Lactantio, Institutionum libro 2, cap. 15, Sulpicio Severo, Historiæ sacræ libro 1, cap. 2, et nonnullis aliis intellectus, ansam dedit fabulis quibus dicuntur Angeli se cum mulieribus miscuisse; quem errorem plures ex antiquis secuti sunt. LARCHER.

[1] Hic editi addunt, *Cur autem hoc*; quod ab omnibus manuscriptis abest.

(*a*) Vixit (Aquila) sub Adriano imperatore; et cum prius Christo nomen dedisset, et abduceretur a mathematicis astrologicisque studiis, quibus nimium erat deditus, ab Apostolis et discipulis Domini, nihilominus tamen in vanis illis studiis persisteret, Ecclesia pulsus est. Quo factum ut relicto Christianismo transiret ad Judaismum, et magna postea animi contentione hebræam didicit linguam, eo animo, teste Epiphanio, ut oppugnaret translationem Septuaginta, et vaticinia de Christo interverteret, et ita interpretaretur, ut nihil minus in eis quam de Christo agi videretur. COQUÆUS.

Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt. Igitur secundum Scripturas canonicas hebræas atque christianas, multos gigantes ante diluvium fuisse, non dubium est, et hos fuisse cives terrigenæ societatis hominum; Dei autem filios, qui secundum carnem de Seth propagati sunt, in hanc societatem deserta justitia declinasse. Nec mirandum est, quod etiam de ipsis gigantes nasci potuerunt. Neque enim omnes gigantes, sed magis multi utique tunc fuerunt, quam post diluvium temporibus cæteris. Quos propterea creare placuit Creatori, ut etiam hinc ostenderetur non solum pulchritudines, verum etiam et magnitudines et fortitudines corporum non magnipendendas esse sapienti, qui spiritualibus atque immortalibus longe melioribus atque firmioribus et bonorum propriis, non bonorum malorumque communibus beatificatur bonis. Quam rem alius propheta commendans ait : *Ibi fuerunt gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, scientes prælium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit illis : et interierunt, quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter inconsiderantiam* (*Baruch* III, 26-28).

CAPUT XXIV. — *Quomodo intelligendum sit, quod de eis qui diluvio perdendi erant, Dominus dixit*, Erunt dies eorum centum viginti anni.

Quod autem dixit Deus, *Erunt dies eorum centum viginti anni* (*Gen.* VI, 3), non sic accipiendum est, quasi prænuntiatum sit, post hæc homines centum viginti annos vivendo non transgredi, cum et post diluvium etiam quingentos excessisse inveniamus. Sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noe, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans : sexcentesimo quippe anno vitæ Noe, secundo mense factum est diluvium (*Id.* VII, 11); ac sic centum viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluvio delerentur. Nec frustra creditur sic factum esse diluvium, jam non inventis in terra qui non erant digni tali morte defungi, qua in impios vindicatum est : non quo hic quidquam bonis quandoque morituris tale genus mortis faciat aliquid quod eis possit obesse post mortem. Verumtamen nullus eorum diluvio mortuus est, quos de semine Seth propagatos sancta Scriptura commemorat. Sic autem divinitus diluvii causa narratur : *Videns*, inquit, *Dominus Deus, quia multiplicatæ sunt malitiæ hominum super terram, et omnis quisque*[1] *cogitat in corde suo diligenter super maligna omnes dies : et cogitavit Deus quia fecit hominem super terram, et recogitavit, et dixit Deus, Delebo*[2] *hominem quem feci a facie terræ, ab homine usque ad pecus, et a reptilibus usque ad volatilia cœli, quia iratus sum, quoniam feci eos* (*Id.* VI, 5-7).

[1] Editi, *et quod unusquisque*. At Mss., *et omnis quisque* : juxta LXX, *καὶ πᾶς τις*.
[2] Mss., *Delebam*.

CAPUT XXV. — *De ira Dei, quæ incommutabilem tranquillitatem nulla inflammatione perturbat.*

Ira Dei non perturbatio animi ejus est, sed judicium quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio vero ejus et recogitatio, mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Sed si non utatur Scriptura talibus verbis, non se quodammodo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut et perterreat superbientes, et excitet negligentes, et exerceat quærentes, et alat intelligentes : quod non faceret, si non se prius inclinaret, et quodammodo descenderet ad jacentes. Quod autem etiam interitum omnium animalium terrenorum volatiliumque denuntiat, magnitudinem futuræ cladis effatur; non animantibus rationis expertibus, tanquam et ipsa peccaverint, minatur exitium.

CAPUT XXVI. — *Quod arca quam Noe jussus est facere, in omnibus Christum Ecclesiamque significet*

1. Jam vero quod Noe homini justo, et sicut de illo Scriptura veridica loquitur, in sua generatione perfecto (*Gen.* VI, 9) (non utique sicut perficiendi sunt cives civitatis Dei in illa immortalitate, qua æquabuntur Angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti), imperat Deus, ut arcam faciat, in qua cum suis, id est, uxore, filiis, et nuribus, et cum animalibus, quæ ad illum ex Dei præcepto in arcam ingressa sunt, liberaretur a diluvii vastitate; procul dubio figura est peregrinantis in hoc sæculo civitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, quæ fit salva per lignum, in quo pependit Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Nam et mensuræ ipsæ[1] longitudinis, altitudinis, latitudinisque ejus, significant corpus humanum, in cujus veritate ad homines prænuntiatus est venturus, et venit. Humani quippe corporis longitudo a vertice usque ad vestigia sexies tantum habet, quam latitudo, quæ est ab uno latere ad alterum latus; et decies tantum, quam altitudo, cujus altitudinis mensura est in latere a dorso ad ventrem : velut si jacentem hominem metiaris supinum, seu pronum, sexies tantum longus est a capite ad pedes, quam latus a dextra ad sinistram, vel a sinistra in dexteram; et decies, quam altus a terra. Unde facta est arca trecentorum in longitudine cubitorum, et quinquaginta in latitudine, et triginta in altitudine. Et quod ostium in latere accepit, profecto illud est vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum est (*Joan.* XIX, 34) : hac quippe ad illum venientes ingrediuntur; quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Et quod de lignis quadratis fieri jubetur, undique stabilem vitam sanctorum significat : quacumque enim verteris quadratum, stabit. Et cætera quæ in ejusdem arcæ constructione dicuntur, ecclesiasticarum signa sunt rerum.

[1] Plures Mss., *ipsius*. sic etiam 2051. M.

2. Sed ea nunc persequi longum est : et hoc jam fecimus in opere quod adversus Faustum Manichæum scripsimus (*lib.* 12, *cap.* 14), negantem in libris Hebræorum aliquid de Christo esse prophetatum. Et fieri quidem potest, ut et nobis quispiam, et alius alio exponat hæc aptius : dum tamen ea quæ dicuntur, ad hanc de qua loquimur Dei civitatem, in hoc sæculo maligno tanquam in diluvio peregrinantem, omnia referantur; si ab ejus sensu qui ista conscripsit, non vult longe aberrare qui exponit. Exempli gratia, velut si quispiam quod hic scriptum est, *Inferiora bicamerata et tricamerata facies eam* [1] (*Gen.* VI, 16); non quod ego in illo opere dixi (*lib.* 4, *cap.* 16), velit intelligi; quia ex omnibus gentibus Ecclesia congregatur, bicameratam dictam, propter duo genera hominum, circumcisionem scilicet et præputium, quos Apostolus et alio modo dicit Judæos et Græcos (*Rom.* III, 9); tricameratam vero, eo quod omnes gentes de tribus filiis Noe post diluvium reparatæ sunt : sed aliud dicat aliquid, quod a fidei regula non sit alienum. Nam quoniam non solas in inferioribus mansiones habere arcam voluit, verum etiam in superioribus, et hæc dixit bicamerata; et in superioribus superiorum, et hæc appellavit tricamerata : ut ab imo sursum versus tertia consurgeret habitatio. Possunt hic intelligi et illa tria quæ commendat Apostolus, fides, spes, charitas (I *Cor.* XIII, 13). Possunt etiam multo convenientius tres illæ ubertates evangelicæ, tricena, sexagena, centena (*Matth.* XIII, 8); ut in infimo habitet pudicitia conjugalis, supra vidualis, atque hac superior virginalis : et si quid melius secundum fidem civitatis hujus intelligi et dici potest. Hoc etiam de cæteris quæ hic exponenda sunt, dixerim, quia etsi non uno disseruntur modo, ad unam tamen catholicæ fidei concordiam revocanda sunt.

CAPUT XXVII. — ***De arca atque diluvio, nec illis esse consentiendum, qui solam historiam recipiunt sine allegorica significatione; nec illis qui solas figuras defendunt repudiata historica veritate.***

1. Non tamen quisquam putare debet, aut frustra hæc esse conscripta, aut tantummodo rerum gestarum veritatem sine ullis allegoricis significationibus hic esse quærendam; aut e contrario hæc omnino gesta non esse, sed solas esse verborum figuras; aut quidquid illud est, nequaquam ad prophetiam Ecclesiæ pertinere. Quis enim nisi mente perversus, inaniter scriptos esse contendat libros per annorum millia tanta religione et tam ordinatæ successionis observantia custoditos; aut solas res gestas illic intuendas, ubi certe, ut alia omittam, si numerositas animalium cogebat arcæ tantam fieri magnitudinem, immunda bina et munda septena intromitti animalia (*Gen.* VII, 2) quid cogebat, cum æqualis numeri possent utraque servari (*a*)? Aut vero Deus, qui propter reparandum genus servanda præcepit, eo modo illa quo instituerat, restituere non valebat?

2. Qui vero non esse gesta, sed solas rerum significandarum figuras esse contendunt, primum opinantur tam magnum fieri non potuisse diluvium, ut altissimos montes quindecim cubitis aqua crescendo transcenderet, propter Olympi verticem montis, supra quem perhibentur nubes non posse concrescere [1], quod tam sublime jam cœlum sit, ut non ibi sit aer iste crassior, ubi venti, nebulæ imbresque gignuntur (*a*) : nec attendunt omnium elementorum crassissimam terram ibi esse potuisse. An forte negant esse terram verticem montis? Cur igitur usque ad illa cœli spatia terris exaltari licuisse, et aquis exaltari non licuisse contendunt, cum isti mensores et pensores elementorum, aquas terris perhibeant superiores atque leviores? Quid itaque rationis afferunt, quare terra gravior et inferior locum cœli tranquillioris invaserit per volumina tot annorum, et aqua levior ac superior permissa non sit hoc facere saltem ad tempus exiguum?

3. Dicunt etiam non potuisse capere arcæ illius quantitatem animalium genera tam multa in utroque sexu, bina de immundis, septena de mundis. Qui mihi videntur non computare nisi trecenta cubita longitudinis, et latitudinis quinquaginta [2], nec cogitare aliud tantum esse in superioribus, itemque aliud tantum in superioribus superiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta centum quinquaginta. Si autem cogitemus quod Origenes non ineleganter astruxit (*Homilia* 2 *in Genesim*), Moysen scilicet hominem Dei [3] eruditum, sicut scriptum est, omni sapientia Ægyptiorum (*Act.* VII, 22), qui geometricam dilexerunt, geometrica cubita significare potuisse, ubi unum quantum sex nostra valere asseverant; quis non videat quantum rerum capere potuit illa magnitudo? Nam illud quod disputant tantæ magnitudinis arcam non potuisse compingi, ineptissime calumniantur, cum sciant immensas urbes fuisse constructas, nec attendunt centum annos quibus arca illa est fabricata : nisi forte lapis lapidi adhærere potest sola calce conjunctus, ut murus per tot millia circumagatur, et lignum ligno per subscudines, epiros [4],

[1] Editi, *facies ea*. At manuscripti, juxta Septuaginta, *facies eam*; et ex his quidam habent, *bicameratam et tricameratam*.

(*a*) Conf. lib. 12 cont. Faust. Manich., capp. 38 et 15.

[1] Sic Mss. At editi, *conscendere*. Postea Mss. sic habent, *quod tam sublimis jam cœlum sit*. — Nostri codices, excepto 2050, ferunt, *sublime*, pro, *sublimis*; et ed. 255, *quem*, pro, *jam*. M.

[2] In editis additur, *triginta altitudinis*. Et paulo post, ut superioribus quadrent inferiora, sic habetur, *cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum*. Corriguntur ad codices manuscriptos, in quibus illa cubita altitudinis merito nulla memorantur : nam hæc ad propositam difficultatem solvendam non eo modo licet, quo longitudinis et latitudinis cubita, salva scripturæ fide multiplicare.

[3] Vox, *Dei*, abest a pluribus manuscriptis, non tamen ab omnibus.

[4] Joanni Meursio aliquando visum erat scribendum, *epi-*

(*a*) Loquitur de Olympo in Thessalia, decem stadiorum altitudine, ut inquit Plutarchus in Æmilio Paulo (cap. 15). Cacumen ejus locum in quo nubes et venti fiunt, superare creditur : argumento est, cinerem sacrificiorum toto anno nec difflari nec dilui, ut Solinus (Polyhistor, cap. 9) scribit. Quod fabulosum esse dicit Franciscus Philelphus, qui se montem ascendisse affirmat, ut rem tantam exploraret. LUD. VIVES.

clavos, gluten bituminis non potest adhærere, ut fabricetur[1] arca, non curvis, sed rectis lineis longe lateque porrecta, quam nullus in mare mittat conatus hominum, sed levet unda, cum venerit, naturali ordine ponderum, magisque divina providentia, quam humana prudentia natantem gubernet, ne incurrat ubicumque naufragium.

4. Quod autem scrupulosissime quæri solet de minutissimis bestiolis, non solum quales sunt mures et stelliones, verum etiam quales locustæ, scarabæi, muscæ denique et pulices, utrum non amplioris numeri in arca illa fuerint, quam qui est definitus, cum hoc imperaret Deus : prius admonendi sunt quos hæc movent, sic accipiendum esse quod dictum est, *Quæ repunt super terram ;* ut necesse non fuerit conservari in arca, quæ possunt in aquis vivere, non solum mersa, sicut pisces ; verum etiam supernatantia, sicut multæ alites. Deinde cum dicitur, *Masculus et femina erunt :* profecto intelligitur ad reparandum genus dici : ac per hoc nec illa necesse fuerat ibi esse, quæ possunt sine concubitu de quibusque rebus vel rerum corruptionibus nasci : vel si fuerunt, sicut in domibus esse consueverunt, sine ullo numero definito esse potuisse : aut si mysterium sacratissimum quod agebatur, et tantæ rei figura etiam in veritate[2] facti aliter non posset impleri, nisi ut omnia ibi certo illo numero essent, quæ vivere in aquis natura prohibente non possent, non fuit ista cura illius hominis, vel illorum hominum, sed divina. Non enim ea Noe capta intromittebat, sed venientia et intrantia permittebat. Ad hoc enim valet quod dictum est, *Intrabunt ad te* (*Gen.* VI, 19, 20) : non scilicet hominis actu, sed Dei nutu : ita sane, ut non illic fuisse credenda sint, quæ sexu carent. Præscriptum est enim, atque definitum, *Masculus et femina erunt.* Alia sunt quippe quæ de quibusque rebus sine concubitu ita nascuntur, ut postea concumbant et generent, sicut muscæ : alia vero in quibus nihil sit maris, et feminæ, sicut apes. Ea porro quæ sic habent sexum, ut non habeant fetum, sicut muli et mulæ, mirum si ibi fuerunt, ac non potius parentes eorum ibi fuisse sufficerit, equinum videlicet atque asininum genus : et si qua alia sunt, quæ commixtione diversi generis genus aliquod gignunt. Sed si et hoc ad mysterium pertinebat, ibi erant. Habet enim et hoc genus masculum et feminam.

5. Solet etiam movere nonnullos, genera escarum quæ illic habere poterant animalia, quæ nonnisi carne vesci putantur, utrum præter numerum ibi fuerint sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas illic coegisset includi : an vero, quod potius est credendum, præter carnes, aliqua alimenta esse potuerint, quæ omnibus convenirent (*a*). Novimus enim quam multa animalia, quibus caro cibus est, frugibus pomisque vescantur, et maxime fico atque castaneis. Quid ergo mirum, si vir ille sapiens et justus, etiam divinitus admonitus, quid cuique congrueret, sine carnibus aptam cuique generi alimoniam præparavit et recondidit? Quid est autem, quo vesci non cogeret fames? aut quid non suave ac salubre facere posset Deus, qui etiam, ut sine cibo viverent, divina facilitate[1] donaret, nisi ut pascerentur etiam hoc implendæ figuræ tanti mysterii conveniret? Non autem ad præfigurandam Ecclesiam pertinere tam multiplicia rerum signa gestarum, nisi fuerit contentiosus, nemo permittitur opinari. Jam enim gentes ita Ecclesiam repleverunt, mundique et immundi, donec certum veniatur ad finem, ita ejus unitatis quadam compagine continentur, ut ex hoc uno manifestissimo, etiam de cæteris, quæ obscurius aliquando dicta sunt, et difficilius agnosci queunt, dubitari fas non sit. Quæ cum ita sint, si nec[2] inaniter ista conscripta esse putare quisquam vel durus audebit, nec nihil significare cum gesta sint, nec sola dicta esse significativa, non facta, nec aliena esse ab Ecclesia[3] significanda probabiliter dici potest : sed magis credendum est, et sapienter esse memoriæ litterisque mandata, et gesta esse, et significare aliquid, et ipsum aliquid ad præfigurandam Ecclesiam pertinere. Jam usque ad hunc articulum perductus liber iste claudendus est, ut ambarum civitatum cursus, terrenæ scilicet secundum hominem viventis, et cœlestis secundum Deum, post diluvium et deinceps in rebus consequentibus requiratur.

gres, juxta Isidorum, in cujus libro 19 Orig. cap. 19 legitur : « Epigri et clavi sunt quibus lignea ligantur. » Postea vero in Glossario [illegible] ex voce græca, [illegible], quæ est, [illegible]. — [illegible] : « Fortasse legendum, [illegible] ; a voce græca, [illegible], quæ clavum ligneum significat. » V.

[1] Sic omnes, in B., *et fabricaretur*. M.

[2] Mss., *etiam veritate* ; omisso, *in*.

[1] Sola editio Lov., *facultate*.

[2] In Corbeiensi Ms., *sic nec*.

[3] Codex 2?8, *Ecclesia* [illegible]. M.

(*a*) Confer. Quæst. in Gen., qu. 6.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

In cujus priore parte (*a*), a capite videlicet primo ad duodecimum, civitatis utriusque, cœlestis ac terrenæ, progressus exhibetur secundum sacram historiam a Noe usque ad Abraham ; posteriore autem parte de cœlestis tantummodo civitatis procursu ab Abraham usque ad Israelitarum reges disputatur.

CAPUT PRIMUM. — *An post diluvium, a Noe usque ad Abraham, aliquæ familiæ secundum Deum viventium reperiantur.*

Post diluvium procurrentis sanctæ vestigia civitatis, utrum continuata sint, an intercurrentibus impietatis interrupta temporibus, ita ut nullus hominum veri unius Dei cultor existeret, ad liquidum Scripturis loquentibus invenire difficile est : propterea quod in canonicis Libris post Noe, qui cum conjuge ac tribus

(*a*) Vid. lib. 18, cap. 1.

filiis totidemque nuribus suis meruit per arcam a vastatione diluvii liberari, non invenimus usque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam, nisi quod Noe duos filios suos Sem et Japhet prophetica benedictione commendat, intuens et prævidens quod longe fuerat post futurum. Unde factum est etiam illud, ut filium suum medium, hoc est primogenito minorem [1] ultimoque majorem, qui peccaverat in patrem, non in ipso, sed in filio ejus suo nepote malediceret his verbis : *Maledictus Chanaan puer, famulus erit fratribus suis.* Chanaan porro natus fuerat ex Cham, qui patris dormientis nec texerat, sed potius prodiderat nuditatem. Unde etiam quod secutus adjungit benedictionem duorum maximi et minimi filiorum, dicens : *Benedictus Dominus Deus Sem, et erit Chanaan puer illius; latificet Deus Japhet, et habitet in domibus Sem* (*Gen.* IX, 25-27) : sicut ipsa ejusdem Noe et vineæ plantatio, et ex ejus fructu inebriatio, et dormientis nudatio, et quæ ibi cætera facta atque conscripta sunt, propheticis sunt gravidata sensibus et velata tegminibus (*a*).

CAPUT II.— *Quid in filiis Noe prophetice fuerit præfiguratum.*

1. Sed nunc rerum effectu jam in posteris consecuto, quæ operta fuerant, satis aperta sunt. Quis enim hæc diligenter et intelligenter advertens, non agnoscat in Christo? Sem quippe, de cujus semine in carne natus est Christus, interpretatur Nominatus. Quid autem nominatius Christo, cujus nomen ubique jam fragrat, ita ut in Cantico canticorum, etiam ipsa præcinente [2] prophetia, unguento comparetur effuso (*Cantic.* I, 2) : in cujus domibus, id est ecclesiis, habitat gentium latitudo? Nam Japheth Latitudo interpretatur. Cham porro, quod interpretatur Calidus [3], medius Noe filius, tanquam se ab utroque discernens et inter utrumque remanens, nec in primitiis Israelitarum, nec in plenitudine Gentium, quid significat nisi hæreticorum genus calidum, non spiritu sapientiæ, sed impatientiæ, quo solent [4] hæreticorum fervere præcordia [5], et pacem perturbare sanctorum? Sed hæc in usum cedunt proficientium, juxta illud Apostoli : *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19). Unde etiam scriptum est, *Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur* (*Prov.* X, 4, *apud* LXX). Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum calida [6] inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur : et ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio. Quamvis non solum qui sunt apertissime separati, verum etiam omnes qui christiano vocabulo gloriantur et perdite vivunt, non absurde possunt videri medio Noe filio figurati : passionem quippe Christi, quæ illius hominis nuditate significata est, et annuntiando profitentur, et male agendo exhonorant. De talibus ergo dictum est, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 20). Ideo Cham in filio suo maledictus est, tanquam in fructu suo, id est in opere suo. Unde convenienter et ipse filius ejus Chanaan interpretatur Motus eorum : quod aliud quid est, quam opus eorum? Sem vero et Japhet tanquam circumcisio et præputium, vel sicut alio modo eos appellat Apostolus, Judæi et Græci, sed vocati et justificati, cognita quoquo modo nuditate patris, qua significabatur passio Salvatoris, sumentes vestimentum, posuerunt supra dorsa sua [1], et intraverunt aversi, et operuerunt nuditatem patris sui, nec viderunt quod reverendo texerunt (*Gen.* IX, 23). Quodam enim modo in passione Christi, et quod pro nobis factum est honoramus, et Judæorum facinus aversamur. Vestimentum significat sacramentum; dorsa, memoriam præteritorum : quia passionem Christi eo scilicet jam tempore quo habitat Japhet in domibus Sem et malus frater in medio eorum, transactam celebrat Ecclesia, non adhuc prospectat futuram.

2. Sed malus frater in filio suo, hoc est in opere suo, puer, id est servus, est fratrum bonorum, cum vel ad exercitationem patientiæ, vel ad profectum sapientiæ scienter utuntur malis boni. Sunt enim, teste Apostolo, qui Christum annuntiant non caste : *Sed sive occasione*, inquit, *sive veritate Christus annuntietur, in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Philipp.* I, 18). Ipse quippe plantavit vineam, de qua dicit Propheta, *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est* (*Isai.* V, 7) : et bibit de vino ejus : sive ille calix hic intelligatur, de quo dicit, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22)? et, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Id.* XXVI, 39); quo suam sine dubio significat passionem : sive quia vinum fructus est vineæ, hoc potius illo sit significatum, quod ex ipsa vinea, hoc est ex genere Israelitarum, carnem pro nobis et sanguinem, ut pati posset, assumpsit : *Et inebriatus est*, id est, passus est : *Et nudatus est* (*Gen.* IX, 21); ibi namque nudata est, id est apparuit ejus infirmitas, de qua dicit Apostolus, *Etsi crucifixus est ex infirmitate* (II *Cor.* XIII, 4). Unde idem dicit, *Infirmum Dei fortius est hominibus, et stultum Dei sapientius est hominibus* (I *Cor.* I, 25). Quod vero cum dictum esset, *Et nudatus est;* addidit Scriptura, *in domo sua :* eleganter ostendit, quod a suæ carnis gente et domesticis sanguinis sui, utique Judæis, fuerat crucem mortemque passurus. Hanc passionem Christi foris in sono tantum vocis reprobi annuntiant : non enim quod annuntiant, intelligunt. Probi autem in interiore homine habent tam grande mysterium, atque honorant intus in corde infirmum et stultum Dei, quod fortius et sapientius est hominibus. Hujus rei figura est, quod Cham exiens hoc nuntiavit foris;

[1] Mss., *juniorem.*
[2] Mss., *præcedente.*
[3] Vind. Am. Er. et plerique Mss. *Callidus :* pauloque post habent, *genus callidum.*
[4] Vind. Am. et Er., *sed spiritu versipellis astutiæ, quæ solent*, etc.
[5] Mss., *primordia*,
[6] Sic Er. Editi vero alii cum plerisque manuscriptis, *callida.* — Ms. 233, *calida.* M.
(*a*) Sensus illos vide lib. 12 cont. Faust. Manich., capp. 22 et seqq.

[1] Plures Mss., *duo dorsa sua.*

Sem vero et Japheth, ut hoc velarent, id est honorarent, ingressi sunt, hoc est, interius id egerunt.

3. Hæc Scripturæ secreta divinæ indagamus, ut possumus, alius alio magis minusve congruenter, verumtamen fideliter certum tenentes, non ea sine aliqua præfiguratione futurorum gesta atque conscripta, neque nisi ad Christum et ejus Ecclesiam, quæ civitas Dei est, esse referenda: cujus ab initio generis humani non defuit prædicatio, quam per omnia videmus impleri. Benedictis igitur duobus filiis Noe, atque uno in medio eorum maledicto, deinceps usque ad Abraham de justorum aliquorum, qui pie Deum colerent, commemoratione silitum est[1] per annos amplius quam mille. Nec eos defuisse crediderim: sed si omnes commemorarentur, nimis longum fieret; et hæc esset magis historica diligentia, quam prophetica providentia. Illa itaque exsequitur Litterarum sacrarum scriptor istarum, vel potius per eum Dei Spiritus, quibus non solum narrentur præterita, verum etiam prænuntientur futura, quæ tamen pertinent ad civitatem Dei: quia et de hominibus qui non sunt cives ejus, quidquid hic dicitur, ad hoc dicitur, ut illa ex comparatione contraria vel proficiat, vel emineat. Non sane omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt: sed propter illa quæ aliquid significant, etiam ea quæ nihil significant attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria: et soli nervi in citharis atque hujusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed ut aptari possint, insunt et cætera in compagibus[2] organorum, quæ non percutiuntur a canentibus, sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur et aliqua quæ nihil significant, sed quibus adhæreant quæ significant, et quodammodo religentur.

CAPUT III. — *De generationibus trium filiorum Noe.*

1. Generationes ergo filiorum Noe deinceps intuendæ, et quod de his dicendum videtur, attexendum est huic operi, quo civitatis utriusque, terrenæ scilicet et cœlestis, per tempora procursus ostenditur. Cœptæ sunt autem[3] commemorari a minimo filio, qui vocatus est Japheth; cujus filii octo nominati sunt (*a*); nepotes autem septem de duobus filiis ejus, tres ex uno, quatuor ex altero: fiunt itaque omnes quindecim. Filii autem Cham, hoc est medii filii Noe, quatuor, et nepotes quinque ex uno ejus filio, pronepotes duo ex nepote uno: fit eorum summa undecim. Quibus enumeratis, reditur tanquam ad caput, et dicitur: *Chus autem genuit Nebroth[4]: hic cœpit esse gigas super terram. Hic erat gigas venator contra Dominum Deum. Propter hoc dicunt: Sicut Nebroth gigas venator contra Dominum. Et factum est initium regni ejus Babylon, Orech, Archad, et Chalanne in terra Sennaar. De terra illa exiit Assur, et ædificavit Niniven et Robooth civitatem, et Chalach, et Dasem inter medium Ninives et Chalach: hæc civitas magna.* Iste porro Chus pater gigantis Nebroth primus nominatus est in filiis Cham, cujus quinque filii jam fuerant computati, et nepotes duo. Sed istum gigantem aut post nepotes suos natos genuit; aut, quod est credibilius, seorsum de illo propter ejus eminentiam Scriptura locuta est; quandoquidem et regnum ejus commemoratum est, cujus initium erat illa nobilissima Babylon civitas, et quæ juxta commemoratæ sunt, sive civitates, sive regiones. Quod vero dictum est, de terra illa, id est de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nebroth, exisse Assur, et ædificasse Niniven, et alias quas contexuit civitates, longe postea factum est, quod ex hac occasione perstrinxit, propter nobilitatem regni Assyriorum, quod mirabiliter dilatavit Ninus, Beli filius, conditor Ninivæ civitatis magnæ: cujus civitatis nomen ex illius nomine derivatum est, ut a Nino Ninive vocaretur. Assur autem, unde Assyrii, non fuit in filiis Cham medii filii Noe, sed in filiis Sem reperitur, qui fuit Noe maximus filius. Unde apparet de progenie Sem exortos fuisse qui postea regnum gigantis illius obtinerent, et inde procederent, atque alias conderent civitates, quarum prima est a Nino appellata Ninive. Hinc reditur ad alium filium Cham, qui vocabatur Mesraim, et commemorantur quos genuit; non tanquam singuli homines, sed nationes septem. Et de sexta, velut de sexto filio, gens commemoratur exiisse, quæ appellatur Philistiim; unde fiunt octo. Inde iterum ad Chanaan reditur, in quo filio maledictus est Cham; et quos genuit undecim nominantur. Deinde usque ad quos fines pervenerint, commemoratis quibusdam civitatibus, dicitur. Ac per hoc, filiis nepotibusque computatis, de progenie Cham triginta unus geniti referuntur.

2. Restat commemorare filios Sem, maximi filii Noe: ad eum quippe gradatim generationum istarum pervenit a minimo exorta narratio. Sed unde incipiunt commemorari filii Sem, habet quiddam obscuritatis, quod expositione illustrandum est: quia et multum ad rem pertinet, quam requirimus. Sic enim legitur: *Et Sem natus est etiam ipsi patri omnium filiorum Heber, fratri Japheth majori.* Ordo verborum est: Et Sem natus est Heber, etiam ipsi, id est ipsi Sem, natus est Heber, qui Sem pater est omnium filiorum suorum[1]. Sem ergo patriarcham intelligi voluit omnium qui de stirpe ejus exorti sunt, quos commemoraturus est, sive sint filii, sive nepotes sive pronepotes, et deinceps indidem exorti. Non sane istum Heber genuit Sem: sed ab illo quintus in progenitorum serie reperitur. Sem quippe inter alios filios genuit Arphaxat, Arphaxat genuit Cainan, Cainan

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *silentium est.*
[2] Ita Mss. Editi vero, *compaginibus.*
[3] Mss., *Cœptæ sunt enim.*
[4] Sic in veteribus libris constanter scribitur, ut apud LXX *Nebroth.* At in excusis, *Nemroth.*

(*a*) Augustinus secutus est codices græcos, qui addunt octavum filium Japheth, nomine Elisa, quo fit ut posteros Japheth numerent quindecim: verum illum Elisa nec scriptura hebræa, nec paraphrastis chaldæa, nec græca translatio Complutensis habet, nec denique ii codices græci, quibus usus est Hieronymus, habent, ut constat ex ejus quæstionibus hebraicis in Genesim. Coquæus.

[1] Abest, *suorum*, in edd. 25 et 28. M.

genuit Sala, Sala genuit Heber. Non utique[1] frustra ipse primus est nominatus in progenie veniente de Sem, et prælatus etiam filiis, cum sit quintus nepos; nisi quia verum est quod traditur, ex illo Hebræos esse cognominatos, tanquam Heberæos: cum et alia possit esse opinio, ut ex Abraham tanquam Abrahæi dicti esse videantur (*a*). Sed nimirum hoc verum est, quod ex Heber Heberæi appellati sunt; ac deinde, una detracta littera, Hebræi: quam linguam hebraicam[2] solus Israel populus potuit obtinere, in quo Dei civitas et in sanctis peregrinata est, et in omnibus sacramento adumbrata. Igitur filii Sem prius sex nominantur, deinde ex uno eorum nati sunt quatuor nepotes ejus: itemque alter filiorum Sem genuit ejus nepotem, atque ex illo itidem pronepos natus est, atque inde abnepos, qui est Heber. Genuit autem Heber duos filios, quorum unum appellavit Phalech, quod interpretatur Dividens. Deinde Scriptura subjungens, rationemque hujus nominis reddens, *Quia in diebus*, inquit, *ejus divisa est terra.* Hoc autem quid sit, postea apparebit. Alius vero qui natus est ex Heber, genuit duodecim filios: ac per hoc fiunt omnes progeniti de Sem viginti septem. In summa igitur omnes progeniti de tribus filiis Noe, id est, quindecim de Japheth, et triginta unus de Cham, viginti septem de Sem, fiunt septuaginta tres. Deinde sequitur Scriptura dicens: *Hi filii Sem in tribubus suis secundum linguas suas, in regionibus suis et in gentibus suis.* Itemque de omnibus: *Hæ*, inquit, *tribus filiorum Noe secundum generationes eorum, et secundum gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluvium.* Unde colligitur septuaginta tres, vel potius (quod postea demonstrabitur) septuaginta duas gentes tunc fuisse, non homines. Nam et prius cum fuissent commemorati filii Japheth, ita conclusum est: *Ex his segregatæ sunt insulæ gentium in terra sua, unusquisque secundum linguam suam in tribubus suis et in gentibus suis.*

3. Jam vero in filiis Cham quodam loco apertius gentes commemoratæ sunt, sicut superius ostendi. *Mesraim genuit eos qui dicuntur Ludiim:* et eodem modo cæteræ usque ad septem gentes. Et enumeratis omnibus, postea concludens: *Hi filii Cham*, inquit, *in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis, et in gentibus suis* (*Gen.* X). Propterea ergo multorum filii non sunt commemorati, quia gentibus aliis nascendo accesserunt, ipsi autem gentes facere nequiverunt. Nam qua alia causa, cum filii Japheth octo enumerentur, ex duobus eorum tantum filii nati commemorantur; et cum filii Cham quatuor nominentur, ex tribus tantum qui nati sunt adjiciuntur; et cum filii Sem nominentur sex, duorum tantum posteritas attexitur? numquid cæteri sine filiis remanserunt? Absit hoc credere: sed gentes propter quas commemorari digni essent, non utique fecerunt; quia sicut nascebantur, aliis gentibus addebantur.

[1] Nostri omnes, *Non itaque.* M.
[2] Deest, *hebraicam*, in codd. nostris. M.
(*a*) Conf. lib. 2 Retract., cap. 16.

CAPUT IV. — *De diversitate linguarum, principioque Babylonis.*

Cum ergo in suis linguis istæ gentes fuisse referantur, redit tamen narrator ad illud tempus, quando una lingua omnium fuit, et inde jam exponit quid acciderit, ut linguarum diversitas nasceretur. *Et erat*, inquit, *omnis terra*[1] *labium unum, et vox una omnibus. Et factum est, cum moverent ipsi ab Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt ibi. Et dixit homo proximo suo: Venite, faciamus lateres, et coquamus illos igni. Et facti sunt illis lateres in lapidem*[2], *et bitumen erat illis lutum: et dixerunt, Venite, et ædificemus nobismetipsis civitatem, et turrem cujus caput erit*[3] *usque ad cœlum, et faciamus nobis nomen*[4], *antequam dispergamur in faciem omnis terræ. Et descendit Dominus videre civitatem et turrem, quam ædificaverunt filii hominum. Et dixit Dominus Deus*[5]: *Ecce genus unum, et labium unum omnium; et hoc inchoaverunt facere, et nunc non deficient ex illis omnia quæ conati fuerint facere: venite, et descendentes confundamus ibi linguam eorum, ut non audiant unusquisque vocem proximi sui. Et dispersit eos Dominus inde super faciem omnis terræ, et cessaverunt ædificantes civitatem et turrem. Propter hoc appellatum est nomen illius Confusio; quia ibi confudit Dominus labia omnis terræ: et inde dispersit illos Dominus Deus super faciem omnis terræ* (*Gen.* XI, 1-9). Ista civitas quæ appellata est Confusio, ipsa est Babylon, cujus mirabilem constructionem Gentium etiam commendat historia. Babylon quippe interpretatur Confusio. Unde colligitur gigantem illum Nebroth fuisse illius conditorem, quod superius breviter fuerat intimatum, ubi cum de illo Scriptura loqueretur, ait initium regni ejus fuisse Babylonem, id est, quæ civitatum cæterarum gereret principatum, ubi esset tanquam in metropoli habitaculum regni: quamvis perfecta non fuerit usque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas. Nam nimia disponebatur altitudo, quæ dicta est usque in cœlum, sive unius turris ejus, quam præcipuam moliebantur inter alias; sive omnium turrium, quæ per numerum singularem ita significatæ sunt, ut dicitur miles, et intelliguntur millia militum: ut rana, ut locusta; sic enim appellata est multitudo ranarum ac locustarum in plagis, quibus Ægyptii percussi sunt per Moysen (*Exod.* X, 4, *et alibi; Psal.* LXXVII, 45). Quid autem factura fuerat humana et vana præsumptio? Cujuslibet et quantumlibet in cœlum adversus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes transcenderet universos? quando spatium nebulosi aeris hujus evaderet? Quid denique noceret Deo quantacumque vel spiritualis, vel corporalis elatio? Tutam veramque in cœlum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Domi-

[1] Lov., *terræ*. Editi vero alii et manuscripti juxta græcum, *terra*.
[2] Lov., *in lapides*; dissentientibus cæteris libris et LXX.
[3] Editi, *erat*. At Mss., *erit*; juxta LXX, *estai*.
[4] Mss., *et faciamus nostrum nomen*.
[5] Hic vox, *Deus*, in sola editione Lov. omittitur.

num, non contra Dominum: sicut dictus est gigas iste *venator contra Dominum* (*Gen.* X, 9). Quod non intelligentes nonnulli, ambiguo græco decepti sunt, ut non interpretarentur *contra Dominum*, sed *ante Dominum*: ἐναντίον quippe et *ante* et *contra* significat. Hoc enim verbum est in Psalmo: *Et ploremus ante Dominum, qui fecit nos* (*Psal.* XCIV, 6). Et hoc verbum est etiam in libro Job, ubi scriptum est, *In furorem erupisti contra Dominum* (*Job.* XV, 13, *sec.* LXX). Sic ergo intelligendus est gigas iste *venator contra Dominum.* Quid autem hic significatur hoc nomine, quod est *venator*, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, exstinctor? Erigebat ergo cum suis populis turrem contra Dominum, qua est impia significata superbia. Merito autem malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus vero ipsum pœnæ quale fuit? Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret Deo jubenti. Sic illa conspiratio dissoluta est, cum quisque ab eo quem non intelligebat, abscederet, nec se nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret: et per linguas divisæ sunt gentes, dispersæque per terras, sicut Deo placuit, qui hoc modis occultis nobisque incomprehensibilibus fecit.

CAPUT V. — *De descensione Domini ad confundendam linguam ædificantium turrem*

Quod enim[1] scriptum est, *Et descendit Dominus videre civitatem et turrem, quam ædificaverunt filii hominum*; hoc est, non filii Dei, sed illa societas secundum hominem vivens, quam terrenam dicimus civitatem: non loco movetur Deus, qui semper ubique est totus; sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodammodo ejus ostendat: nec videndo discit ad tempus, qui nunquam potest aliquid ignorare; sed ad tempus videre et cognoscere dicitur, quod videri et cognosci facit. Non sic ergo videbatur illa civitas, quomodo eam Deus videri fecit, quando sibi quantum displiceret ostendit. Quamvis possit intelligi Deus ad illam civitatem descendisse, quia descenderunt Angeli ejus in quibus habitat; ut quod adjunctum est, *Et dixit Dominus Deus, Ecce genus unum, et labium unum omnium*, et cætera; ac deinde additum, *Venite, et descendentes confundamus ibi linguam eorum* (*Gen.* XI, 5-7); recapitulatio sit, demonstrans quemadmodum factum sit, quod dictum fuerat, *Descendit Dominus*. Si enim jam descenderat, quid sibi vult, *Venite, et descendentes confundamus* (quod intelligitur Angelis dictum), nisi quia per Angelos descendebat, qui in Angelis descendentibus erat? Et bene non ait, Venite, et descendentes confundite: sed, *Confundamus ibi linguam eorum*; ostendens ita se operari per ministros suos, ut sint etiam ipsi cooperatores Dei: sicut Apostolus dicit, *Dei enim sumus cooperarii* (I *Cor.* III, 9).

[1] Sola editio Lov., *autem*.

CAPUT VI. — *Qualis intelligenda sit esse locutio, qua Deus Angelis loquitur.*

1. Poterat et illud, quando factus est homo, de Angelis intelligi quod dictum est, *Faciamus hominem*, quia non dixit, Faciam: sed quia sequitur, *ad imaginem nostram*; nec fas est credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eamdem esse imaginem Angelorum et Dei; ideo recte illic intelligitur pluralitas Trinitatis. Quæ tamen Trinitas, quia unus est Deus, etiam cum dixisset, *Faciamus: Et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei* (*Gen.* I, 26, 27): non dixit, Fecerunt dii, aut, ad imaginem deorum. Poterat et hic eadem intelligi Trinitas, tanquam Pater dixerit ad Filium et Spiritum sanctum, *Venite, et descendentes confundamus ibi linguam eorum*; si aliquid esset, quod Angelos prohiberet intelligi: quibus potius convenit venire ad Deum motibus sanctis, hoc est cogitationibus piis, quibus ab eis consulitur incommutabilis Veritas, tanquam lex æterna in illa eorum curia superna. Neque enim sibi ipsi sunt veritas; sed creatricis participes Veritatis, ad illam moventur, tanquam ad fontem vitæ, ut quod non habent ex se ipsis, capiant ex ipsa. Et eorum stabilis est iste motus[1], quo veniunt, qui non recedunt[2]. Nec sic loquitur Angelis Deus, quomodo nos invicem nobis, vel Deo, vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, sive per illos Deus nobis; sed ineffabili suo modo, nobis autem hoc indicatur nostro modo. Dei quippe sublimior ante suum factum locutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiterne manentem, et temporaliter operantem. Hac loquitur Angelis sanctis, nobis autem aliter longe positis. Quando autem etiam nos aliquid talis locutionis interioribus auribus capimus, Angelis propinquamus. Non itaque mihi assidue reddenda est ratio in hoc opere de locutionibus Dei. Aut enim Veritas incommutabilis per se ipsam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, sive spiritualibus imaginibus nostro spiritui, sive corporalibus vocibus corporis sensui.

2. Illud sane quod dictum est, *Et nunc non deficient ex illis omnia, quæ conati fuerint facere* (*Id.* XI, 6), non dictum est confirmando, sed tanquam interrogando, sicut solet a comminantibus dici, quemadmodum ait quidam,

> non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?
> (*Virgil., Æneid. lib.* 4, *v.* 592.)

Sic ergo accipiendum est, tanquam dixerit, Nonne omnia deficient ex illis, quæ conati fuerint facere? Sed si ita dicatur, non exprimit comminantem. Verum propter tardiusculos addidimus particulam, id est, Ne, ut diceremus, Nonne: quoniam vocem pronuntiantis scribere non possumus. Ex illis igitur tribus hominibus, Noe filiis, septuaginta tres, vel potius, ut ratio declaratura est, septuaginta duæ gentes toti-

[1] Ita Mss. At editi, *Et ideo eorum stabilis est iste motus*.
[2] Mss., *quia non recedunt*.

denique linguæ (*a*) per terras esse cœperunt, quæ crescendo et insulas impleverunt. Auctus est autem numerus gentium multo amplius quam linguarum. Nam et in Africa barbaras gentes in una lingua plurimas novimus; et homines quidem, multiplicato genere humano, ad insulas inhabitandas navigio transire potuisse, quis ambigat?

CAPUT VII. — *An omne bestiarum genus etiam remotissimæ a terris insulæ ex eo numero acceperint, qui in arca a diluvii inundatione servatus est.*

Sed quæstio de omni genere bestiarum est, quæ sub cura hominum non sunt, nec sicuti ranæ nascuntur ex terra, sed sola commixtione maris et feminæ propagantur, sicut lupi atque hujusmodi cætera, quomodo post diluvium, quo ea quæ in arca non erant, cuncta deleta sunt, etiam in insulis esse potuerint, si reparata non sunt nisi ex his, quorum genera in utroque sexu arca servavit. Possunt quidem credi ad insulas natando transisse, sed proximas. Sunt autem quædam tam longe positæ a continentibus terris, ut ad eas nulla videatur natare potuisse bestiarum. Quod si homines eas captas secum advexerunt, et eo modo ubi habitabant earum genera instituerunt, venandi studio fieri potuisse incredibile non est: quamvis jussu Dei sive permissu etiam opere Angelorum negandum non sit potuisse transferri. Si vero e terra exortæ sunt secundum originem primam, quando dixit Deus, *Producat terra animam vivam* (*Gen.* I, 24): multo clarius apparet, non tam reparandorum animalium causa, quam figurandarum variarum gentium propter Ecclesiæ sacramentum in arca fuisse omnia genera, si in insulis, quo transire non possent, multa animalia terra produxit.

CAPUT VIII. — *An ex propagine Adam vel filiorum Noe quædam genera hominum monstrosa prodierint.*

1. Quæritur etiam, utrum ex filiis Noe, vel potius ex illo uno homine, unde etiam ipsi exstiterunt, propagata esse credendum sit quædam monstrosa hominum genera, quæ gentium narrat historia: sicut perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media: quibusdam plantas versas esse post crura: quibusdam utriusque sexus esse naturam, et dextram mammam virilem, sinistram muliebrem, vicibusque alternis coeundo [1] et gignere et parere: aliis ora non esse, eosque per nares tantummodo halitu [2] vivere: alios statura esse cubitales, quos Pygmæos (*b*) a cubito Græci vocant: alibi quinquennes concipere feminas, et octavum vitæ annum non excedere. Item ferunt esse gentem, ubi singula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, et sunt mirabilis celeritatis; quos Sciopodas (*c*) vocant, quod per æstum in terra jacentes resupini umbra se pedum protegant: quosdam sine cervice oculos habentes in humeris: et cætera hominum, vel quasi hominum genera, quæ in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt, ex libris deprompta velut curiosioris historiæ. Quid dicam de Cynocephalis (*a*), quorum canina capita atque ipse latratus magis bestias quam homines confitetur? Sed omnia genera hominum quæ dicuntur esse, credere non est necesse. Verum quisquis uspiam nascitur homo, id est animal rationale mortale, quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, sive motum, sive sonum, sive qualibet vi, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo uno protoplasto originem ducere, nullus fidelium dubitaverit. Apparet tamen quid in pluribus natura obtinuerit, et quid sit ipsa raritate mirabile.

2. Qualis autem ratio redditur de monstrosis apud nos hominum partubus, talis de monstrosis quibusdam gentibus reddi potest. Deus enim creator est omnium, qui ubi et quando creari quid oporteat vel oportuerit, ipse novit, sciens universitatis pulchritudinem quarum partium vel similitudine vel diversitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur; quoniam cui congruat, et quo referatur, ignorat. Pluribus quam quinis digitis in manibus et pedibus nasci homines, novimus; et hæc levior est quam illa distantia [1]: sed tamen absit ut quis ita desipiat, ut existimet in numero humanorum digitorum errasse Creatorem, quamvis nesciens cur hoc fecerit. Ita etsi major diversitas oriatur, scit ille quid egerit, cujus opera juste nemo reprehendit. Apud Hipponem-Diarrhytum (*b*) est homo quasi lunatas habens plantas, et in eis binos tantummodo digitos, similes et manus. Si aliqua gens talis esset, illi curiosæ atque mirabili adderetur historiæ. Num igitur istum propter hoc negabimus ex uno illo, qui primus creatus est, esse propagatum? Androgyni, quos etiam Hermaphroditos nuncupant, quamvis admodum rari sint, difficile est tamen ut temporibus desint, in quibus sic uterque sexus appareat, ut ex quo potius debeant accipere nomen, incertum sit: a meliore tamen, hoc est a masculino, ut appellarentur, loquendi consuetudo prævaluit. Nam nemo unquam Androgynæcas [2] aut Hermaphroditas nuncupavit. Ante annos aliquot, nostra certe memoria, in Oriente duplex homo natus est superioribus membris, inferioribus simplex: nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus; venter autem unus, et pedes duo, sicut uni homini; et tam diu vixit, ut multos ad eum videndum fama contraheret. Quis autem omnes commemorare possit humanos fetus longe dissimiles his ex quibus eos natos esse certissimum est? Sicut ergo hæc ex illo uno negari non possunt originem ducere; ita quæcumque gentes in diversitatibus corporum ab usitato naturæ cursu, quem plures et prope omnes tenent, velut exorbitasse traduntur,

[1] Mss., *vicibusque inter se coeundo.*
[2] Editi, *suscepto et emisso halitu.* Verba, *suscepto et emisso*, absunt a Mss.
(*a*) Sic etiam Ambrosius in Psalmum CIV, et Eucherius libro secundo in Genesim, cap. 7. COQUÆUS.
(*b*) Pygmæi dicti, quasi cubitales.
(*c*) Sciopodæ, quasi umbripedes.

[1] Plerique Mss., *quam ulla distantia.*
[2] Vind. Am. *Androgenas.* Er. et aliquot Mss. *Androgynas.*
(*a*) Cynocephali dicti, quasi canicipites.
(*b*) Duo fuerunt Hippones in Africa, Hippo-Regius cognomine *Bona*, et Hippo-Diarrhytos, quæ a nonnullis *Biserta* nunc dici creditur. Non hujus, ut Ludovicus Vives putavit, sed alterius Hipponis, Regii scilicet, episcopus fuit Augustinus.

si definitione illa includuntur, ut rationalia animalia sint atque mortalia, ab eodem ipso uno primo patre omnium stirpem trahere confitendum est : si tamen vera sunt quæ de illarum nationum varietate et tanta inter se atque nobiscum diversitate traduntur. Nam et simias, et cercopithecos, et sphingas, si nesciremus non homines esse, sed bestias, possent illi historici de sua curiositate gloriantes, velut gentes aliquas hominum nobis impunita vanitate mentiri. Sed si homines sunt, de quibus illa mira conscripta sunt ; quid, si propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monstris, quæ apud nos patet[1] ex hominibus nasci, ejus sapientiam, qua naturam fingit humanam, velut artem cujuspiam minus perfecti opificis, putaremus errasse? Non itaque nobis videri absurdum debet, ut quemadmodum in singulis quibusque gentibus quædam monstra sunt hominum, ita in universo genere humano quædam monstra sint gentium. Quapropter, ut istam quæstionem pedetentim cauteque concludam : aut illa, quæ talia de quibusdam gentibus scripta sunt, omnino nulla sunt ; aut si sunt, homines non sunt ; aut ex Adam sunt, si homines sunt.

CAPUT IX. — *An inferiorem partem terræ, quæ nostræ habitationi contraria est, Antipodas habere credendum sit.*

Quod vero et Antipodas esse fabulantur, id est, homines a contraria parte terræ, ubi sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est (*a*). Neque hoc ulla historica cognitione didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinando conjectant, eo quod intra convexa cœli terra suspensa sit, eumdemque locum mundus habeat, et infimum, et medium : et ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse. Nec attendunt, etiamsi figura conglobata et rotunda mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur ; non tamen esse consequens, ut etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda sit terra : deinde etiamsi nuda sit, neque hoc statim necesse esse, ut homines habeat. Quoniam nullo modo Scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur : nimisque absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum. Quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per septuaginta duas gentes et totidem linguas colliguntur fuisse divisi, quæramus, si possumus invenire illam in terris peregrinantem civitatem Dei, quæ usque ad diluvium arcamque perducta est, atque in filiis Noe per eorum benedictiones perseverasse monstratur, maxime in maximo, qui est appellatus Sem : quandoquidem Japheth ita benedictus est, ut in ejusdem fratris sui domibus habitaret.

[1] Mss., *oportet.*

(*a*) De Antipodum existentia pugnam inter litteratos et vulgus ingentem fuisse scribit Plinius, Hist. nat. lib. 2, cap. 65. Nec alia haud dubie vulgo erat causa, cur Antipodas negaret, quam quæ Lactantio fuit, Instit. lib. 3, cap. 24, ubi « ineptum » dicit « credere esse homines quorum vestigia « sint superiora quam capita, aut ibi quæ apud nos jacent, « inversa pendere ; fruges et arbores deorsum versus cre- « scere, etc., atque « hujus erroris originem philosophis « fuisse, quod existimarent rotundum esse mundum. » Antipodas etiam Augustinus negandos putabat, non tamen propter allatas a Lactantio rationes ; sed ne admittere cogeretur homines non ortos ex Adamo, quod Scripturæ repugnat. Hinc Zacharias papa in Epist. 10 ad Bonifacium, data anno 748, *perversam et iniquam* appellat *doctrinam* Virgilii cujusdam asserentis *quod alius mundus et alii homines sub terra sint.*

CAPUT X. — *De generatione Sem, in cujus progenie tendens ad Abraham civitatis Dei ordo dirigitur.*

1. Tenenda est igitur series generationum ab ipso Sem, ut ipsa ostendat post diluvium civitatem Dei ; sicut eam series generationum ab illo qui est appellatus Seth, ostendebat ante diluvium. Propter hoc ergo Scriptura divina cum terrenam civitatem in Babylone, hoc est in confusione, monstrasset, ad patriarcham Sem recapitulando revertitur, et orditur inde generationes usque ad Abraham, commemorato etiam numero annorum quanto quisque ad hanc seriem pertinentem filium genuisset, quantoque vixisset. Ubi certe agnoscendum est quod ante promiseram, ut appareat quare sit dictum de filiis Heber, *Nomen unius Phalech, quia in diebus ejus divisa est terra.* (*Gen.* x, 25). Quid enim aliud intelligendum est, terram esse divisam, nisi diversitate[1] linguarum ? Omissis igitur cæteris filiis Sem ad hanc rem non pertinentibus, illi connectuntur in ordine generationum per quos possit ad Abraham perveniri : sicut illi connectebantur ante diluvium, per quos perveniretur ad Noe, generationibus[2] quæ propagatæ sunt ex illo Adam filio, qui appellatus est Seth. Sic ergo incipit generationum ista contextio : *Et hæ generationes Sem. Sem filius centum annorum*[3], *cum genuit Arphaxat, secundo anno post diluvium. Et vixit Sem, postquam genuit Arphaxat, quingentos annos, et genuit filios et filias, et mortuus est* (*Id.* xi, 10, 11). Sic exsequitur cæteros, dicens quoto quisque anno vitæ suæ filium genuerit, ad istum generationum ordinem pertinentem, qui pertendit ad Abraham ; et quot annos postmodum vixerit, intimans eum filios filiasque genuisse : ut intelligamus unde potuerint populi accrescere, ne in paucis qui commemorantur hominibus occupati pueriliter hæsitemus, unde tanta spatia terrarum atque regnorum repleri potuerint de genere Sem ; maxime propter Assyriorum regnum, unde Ninus ille Orientalium domitor[4] usquequaque populorum ingenti prosperitate regnavit, et latissimum ac fundatissimum regnum, quod diuturno tempore duceretur, suis posteris propagavit.

2. Sed nos, ne diutius quam opus est immoremur, non quot annos quisque in ista generationum serie vixerit, sed quoto anno vitæ suæ genuerit filium, hoc ordine memorandum tantummodo ponimus, ut et numerum annorum a transacto diluvio usque ad

[1] Vind. Am. Er., *diversitatem.* Aliquot Mss., *diversitates.*

[2] Ms. 258, *per generationes.* M.

[3] Editi : *Sem filius Noe centum erat annorum.* At veteres libri, juxta græcum LXX, omittunt, *Noe*, et, *erat.* Confer librum Locutionum in Genesim ad hunc versum.

[4] Vind. Am. et quidam e manuscriptis, *dominator.*

Abraham colligamus, et propter illa [1], in quibus nos cogit necessitas immorari, breviter alia cursimque tangamus. Secundo igitur anno post diluvium Sem, cum esset centum annorum, genuit Arphaxat; Arphaxat autem, cum esset centum triginta quinque annorum, genuit Cainan; qui cum esset centum triginta, genuit Sala. Porro etiam ipse Sala totidem annorum erat, quando genuit Heber. Centum vero et triginta et quatuor agebat annos Heber, cum genuit Phalech, in cujus diebus divisa est terra. Ipse autem Phalech vixit centum triginta, et genuit Ragau: et Ragau centum triginta duos, et genuit Seruch: et Seruch centum triginta, et genuit Nachor: et Nachor septuaginta novem, et genuit Thara: Thara autem septuaginta, et genuit Abram (*Gen.* 10-26): quem postea Deus mutato vocabulo nominavit Abraham (*Id.* XVII, 5). Fiunt itaque anni a diluvio usque ad Abraham mille septuaginta et duo, secundum Vulgatam editionem, hoc est interpretum Septuaginta. In hebræis autem codicibus longe pauciores annos perhibent inveniri: de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt.

3. Cum ergo quærimus in illis septuaginta duabus gentibus civitatem Dei, non possumus affirmare illo tempore, quo erat illis labium unum (*Id.* XI, 1), id est loquela una, tunc jam genus humanum alienatum fuisse a cultu veri Dei, ita ut in solis istis generationibus pietas vera remaneret, quæ descendunt de semine Sem per Arphaxat, et tendunt ad Abraham: sed ab illa superbia ædificandæ turris usque in cœlum, qua impia significatur elatio, apparuit civitas [2], hoc est societas, impiorum. Utrum itaque ante non fuerit, an latuerit, an potius utraque permanserit, pia scilicet in duobus filiis Noe, qui benedicti sunt, eorumque posteris; impia vero in eo qui maledictus est, atque ejus progenie, ubi etiam exortus est gigas venator contra Dominum, non est dijudicatio facilis. Fortassis enim, quod profecto est credibilius, et in filiis duorum illorum jam tunc antequam Babylonia cœpisset institui, fuerunt contemptores Dei, et in filiis Cham cultores Dei: utrumque tamen hominum genus terris nunquam defuisse credendum est. Siquidem et quando dictum est, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum;* in utroque Psalmo, ubi hæc verba sunt, et hoc legitur, *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum in cibo panis?* Erat ergo etiam tunc populus Dei. Unde illud quod dictum est, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum;* de filiis hominum dictum est, non de filiis Dei. Nam præmissum est, *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, aut requirens Deum* (*Psal.* XIII, 3, 4, 2; *Psal.* LII, 4, 5, 3): ac deinde illa subjuncta, quæ omnes filios hominum, id est, ad civitatem pertinentes quæ vivit secundum hominem, non secundum Deum, reprobos esse demonstrant.

[1] Vind. Am. Er. et plures Mss., *et præter illa.*
[2] Editi, *terrena apparuit civitas.* Abest, *terrena*, a manuscriptis.

CAPUT XI. — *Quod ea primitus lingua in usu hominum fuerit, quæ postea Hebræa ab Heber nomine nuncupata est, et in cujus familia remansit, cum diversitas esset facta linguarum.*

1. Quamobrem sicut lingua una cum esset omnium, non ideo filii pestilentiæ defuerunt; nam et ante diluvium una erat lingua, et tamen omnes præter unam Noe justi domum deleri diluvio meruerunt: ita quando merito elationis impietatis gentes linguarum diversitate punitæ atque divisæ sunt, et civitas impiorum confusionis nomen accepit, hoc est, appellata est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret. Unde, sicut supra memoravi, cum cœpissent enumerari filii Sem, qui singuli gentes singulas procrearunt, primus est commemoratus Heber, cum sit abnepos ipsius, hoc est, ab illo quintus inveniatur exortus. Quia ergo in ejus familia remansit hæc lingua (*a*), divisis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab aliis linguis nomine proprio, sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quam humana lingua, vel humana locutio vocabatur, qua sola universum genus humanum loquebatur.

2. Dixerit aliquis: Si in diebus Phalech filii Heber divisa est terra per linguas, id est, homines qui tunc erant in terra; ex ejus nomine potius debuit appellari lingua illa, quæ fuit omnibus ante communis. Sed intelligendum est ipsum Heber propterea tale nomen imposuisse filio suo, ut vocaretur Phalech, quod interpretatur Divisio, quia tunc ei natus est, quando per linguas terra divisa est, id est ipso tempore, ut hoc sit quod dictum est: *In diebus ejus divisa est terra* (*Gen.* x, 25). Nam nisi adhuc Heber viveret, quando linguarum facta est multitudo, non ex ejus nomine nomen acciperet lingua, quæ apud illum potuit permanere (*b*). Et ideo credenda est ipsa fuisse prima illa communis: quoniam de pœna venit illa multiplicatio mutatioque linguarum; et utique præter hanc pœnam esse debuit populus Dei. Nec frustra lingua hæc est, quam tenuit Abraham [1], nec in omnes filios suos transmittere potuit, sed in

[1] Sic Mss. Editi vero, *Nec frustra linguam istam, hoc est quam tenuit Abraham.*

(*a*) Vide infra, lib. 18, cap. 39.

(*b*) De hac re non una omnium est sententia. Hebræi enim in suo Chronico, quod appellant Seder-Holam, id est Ordo sæculi, tradunt divisionem linguarum factam esse extremo tempore vitæ Phaleg, scilicet anno trecentesimo quadragesimo post diluvium, decem annis ante mortem Noe. Phaleg enim natus est anno centesimo primo post diluvium, et vixit ducentis novem annis. Volunt itaque Hebræi prophetam fuisse Heber, ut qui spiritu prophetico longe ante prævideril futuram divisionem linguarum, ideoque nascenti filio hoc nomen imposuerit. Videtur S. Hieronymus in Traditionibus hebraicis accedere ad hanc sententiam, affirmans Heber vaticinio quodam, scilicet ex futuro eventu divisionis linguarum, nomen imposuisse filio. Videtur et eadem opinio S. Chrysostomo esse, Homilia 30 in Genesim. COQUÆUS.

eos tantum qui propagati per Jacob, et insignius atque eminentius in Dei populum coalescentes, Dei Testamenta et stirpem Christi habere potuerunt. Nec Heber ipse eamdem linguam in universam progeniem suam refudit; sed in eam tantum, cujus generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter, etiamsi non evidenter expressum est fuisse aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur; non ad hoc valuit hæc obscuritas, ut quærentis fraudaretur, sed potius ut exerceretur intentio. Cum enim legitur unam fuisse linguam primitus omnium, et ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quintus oriatur; et Hebræa vocatur lingua, quam Patriarcharum et Prophetarum, non solum in sermonibus suis, verum etiam in Litteris sacris custodivit auctoritas: profecto cum quæritur in divisione linguarum, ubi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis; quæ, sine ulla dubitatione, ubi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum; quid aliud occurrit, nisi quod in hujus gente remanserit, a cujus nomine nomen accepit; et hoc justitiæ gentis hujus non parvum apparuisse vestigium, quod, cum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non pervenit tale supplicium?

3. Sed adhuc illud movet: quomodo potuerunt singulas gentes facere Heber et filius ejus Phalech, si una lingua permansit ambobus? Et certe una est Hebræa gens ex Heber propagata usque ad Abraham, et per eum deinceps, donec magnus fieret populus Israel. Quomodo igitur omnes filii qui commemorati sunt trium filiorum Noe, fecerunt singulas gentes, si Heber et Phalech singulas non fecerunt? Nimirum illud est probabilius, quod gigas ille Nebroth fecerit etiam ipse gentem suam, sed propter excellentiam dominationis et corporis seorsum eminentius nominatus est, ut maneat numerus septuaginta duarum gentium atque linguarum. Phalech autem propterea commemoratus est, non quod gentem fecerit (nam eadem ipsa est ejus gens Hebræa, eademque lingua); sed propter tempus insigne, quod in diebus ejus terra divisa est. Nec movere nos debet, quomodo potuerit gigas Nebroth ad illud ætatis occurrere, quo Babylon condita est, et confusio facta linguarum, atque ex hac [1] divisio gentium. Non enim quia Heber sextus est a Noe, ille autem quartus, ideo non potuerunt ad id tempus convenire vivendo. Hoc enim contigit, cum plus viverent, ubi pauciores sunt generationes, minus ubi plures; aut serius nati essent ubi pauciores, maturius ubi plures. Sane intelligendum est, quando terra divisa est, non solum jam natos cæteros filios filiorum Noe, qui commemorantur patres gentium; sed etiam ejus ætatis fuisse, ut numerosas familias haberent, quæ dignæ fuissent nominibus gentium. Unde nequaquam putandum, quod eo fuerint ordine geniti, quo commemorati leguntur. Alioquin duodecim filii Jectan, qui erat filius alius Heber, frater Phalech, quomodo potuerunt jam gentes facere, si post Phalech fratrem suum Jectan natus est, sicut post eum commemoratus est: quandoquidem tempore quo natus est Phalech, divisa est terra. Proinde intelligendum est, priorem quidem nominatum, sed longe post fratrem suum Jectan fuisse natum, cujus Jectan duodecim filii tam grandes jam familias haberent, ut in linguas proprias dividi possent. Sic enim potuit prior commemorari, qui erat ætate posterior; quemadmodum prius commemorati sunt ex tribus filiis Noe procreati filii Japheth, qui erat minimus eorum; deinde filii Cham, qui erat medius; postremo filii Sem, qui erat primus et maximus. Illarum autem gentium vocabula partim manserunt, ita ut hodieque appareat unde fuerint derivata; sicut ex Assur Assyrii, et ex Heber Hebræi: partim temporis vetustate mutata sunt, ita ut vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes, nec omnium, sed aliquarum ex istis origines gentium potuerint reperire. Nam quod ex filio Cham, qui vocabatur Mesraim, Ægyptii perhibentur exorti, nulla hic resonat origo vocabuli: sicut nec Æthiopum, qui dicuntur ad eum filium Cham pertinere, qui Chus appellatus est. Et si omnia considerentur, plura mutata, quam manentia nomina apparent.

CAPUT XII. — *De articulo temporis in Abraham, a quo sanctæ successionis novus ordo contexitur.*

Nunc jam videamus procursum civitatis Dei, etiam ab illo articulo temporis, qui factus est in Patre Abraham, unde incipit esse notitia ejus evidentior, et ubi clariora leguntur promissa divina, quæ nunc in Christo videmus impleri. Sicut ergo Scriptura sancta indicante didicimus, in regione Chaldæorum natus est Abraham (*Gen.* XI, 28): quæ terra ad regnum pertinebat Assyriorum [1]. Apud Chaldæos autem jam etiam tunc superstitiones impiæ prævalebant, quemadmodum per cæteras gentes. Una igitur Tharæ domus erat, de qua [2] natus est Abraham, in qua unius veri Dei cultus, et quantum credibile est, in qua jam sola etiam Hebræa lingua remanserat; quamvis et ipsa [3], sicut jam manifestior Dei populus in Ægypto, ita in Mesopotamia servisse diis alienis, Jesu Nave narrante referatur (*Josue* XXIV, 2); cæteris ex progenie illius Heber in linguas paulatim alias et in nationes alias defluentibus. Proinde sicut per aquarum diluvium una domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum una remanserat domus Tharæ, in qua custodita est plantatio civitatis Dei. Denique sicut illic enumeratis supra generationibus usque ad Noe simul cum annorum numeris, et exposita diluvii causa, priusquam Deus inciperet de arca fabricanda loqui ad Noe, dicitur, *Hæ autem generationes Noe* (*Gen.* VI, 9): ita et hic, enumeratis generationibus ab illo, qui est appellatus Sem, filio Noe, usque ad Abraham, deinde insignis articulus similiter ponitur, ut dicatur, *Hæ sunt gene-*

[1] [illegible]

[1] Nostri codices, *ad regnum Assyriorum pertinebat.* M.

[2] [illegible], *de qua.*

[3] Sic Mss. At editi, *et ipsa.*

rationes Tharæ. Thara genuit Abram et Nachor et Aran : et Aran genuit Lot. Et mortuus est Aran coram Thara patre suo in terra in qua natus est, in regione Chaldæorum. Et sumpserunt Abram et Nachor sibi uxores, nomen mulieris Abram Sara, et nomen mulieris Nachor Melcha, filia Aran (*Gen.* XI, 27-29). Iste Aran pater Melchæ fuit et pater Jescæ, quæ Jesca creditur ipsa esse etiam Sara [1] uxor Abrahæ (*a*).

CAPUT XIII. — *Quæ ratio fecisse videatur, ut in transmigratione Tharæ, qua Chaldæos deserens in Mesopotamiam transiit, nulla filii ejus Nachor facta sit mentio.*

Deinde narratur quemadmodum Thara cum suis regionem reliquerit Chaldæorum, et venerit in Mesopotamiam, et habitaverit in Charra : tacetur autem de uno ejus filio, qui vocabatur Nachor, tanquam eum non duxerit secum. Nam ita narratur : *Et sumpsit Thara Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Saram nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit illos de regione Chaldæorum ire in terram Chanaan : et venit in Charram, et habitavit ibi* (*Ibid.*, 31). Nusquam hic nominatus est Nachor, et uxor ejus Melcha. Sed invenimus postea, cum servum suum mitteret Abraham ad accipiendam uxorem filio suo Isaac, ita scriptum : *Et accepit puer decem camelos de camelis domini sui, et de omnibus bonis domini sui secum, et exsurgens profectus est in Mesopotamiam in civitatem Nachor* (*Id.* XXIV, 10). Isto et aliis sacræ hujus historiæ testimoniis ostenditur etiam Nachor fratrem Abrahæ exisse de regione Chaldæorum, sedesque constituisse in Mesopotamia, ubi cum patre suo habitaverat Abraham. Cur ergo Scriptura eum non commemoravit, quando ex gente Chaldæa cum suis profectus est Thara, et habitavit in Mesopotamia, ubi non solum Abraham filius ejus, verum etiam Sarra nurus et Lot nepos ejus commemorantur, quod eos duxerit secum? Cur, putamus, nisi forte quod a paterna et fraterna pietate desciverat, et superstitioni adhæserat Chaldæorum, et postea inde, sive pœnitendo, sive persecutionem passus, quod suspectus haberetur, et ipse emigravit? In libro enim qui inscribitur Judith, cum quæreret Holofernes hostis Israelitarum, quænam gens illa esset, utrum adversus eam bellandum fuisset, sic ei respondit Achior dux Ammonitarum [2] : *Audiat dominus noster verbum de ore pueri sui, et referam tibi veritatem de populo qui habitat juxta te montanam hanc* [3], *et non exibit mendacium de ore servi tui. Hæc enim progenies populi est Chaldæorum, et antea habitaverunt Mesopotamiam, quia noluerunt sequi deos patrum suorum, qui fuerunt in terra Chaldæorum gloriosi, sed declinaverunt de via parentum suorum et adoraverunt Deum cœli, quem cognoverunt, et projecerunt eos a facie deorum suorum, et fugerunt in Mesopotamiam, et habitaverunt ibi dies multos. Dixitque illis Deus eorum, ut exirent de habitatione sua, et irent in terram Chanaan; et illic habitaverunt* (*Judith* V, 5-9) : et cætera quæ narrat Achior Ammonites. Unde manifestum est, domum Tharæ persecutionem passam fuisse a Chaldæis pro vera pietate, qua unus et verus ab eis colebatur Deus.

CAPUT XIV. — *De annis Tharæ, qui in Charra vitæ suæ tempus implevit.*

Defuncto autem Thara in Mesopotamia, ubi vixisse perhibetur ducentos et quinque annos, jam incipiunt indicari factæ ad Abraham promissiones Dei, quod ita scriptum est : *Et fuerunt dies* [1] *Tharæ in Charra quinque et ducenti anni, et mortuus est in Charra* (*Gen.* XI, 32). Non sic autem accipiendum est, quasi omnes hos dies ibi egerit; sed quia omnes dies vitæ suæ, qui fuerunt anni ducenti quinque, ibi compleverit : alioquin nesciretur quot annos vixerit Thara, quoniam non legitur quoto anno vitæ suæ in Charram venerit; et absurdum est existimare in ista serie generationum, ubi diligenter commemoratur quot annos quisque vixerit, hujus solius numerum annorum vitæ non commendatum esse memoriæ. Quod enim quorumdam, quos eadem Scriptura commemorat, tacentur anni, non sunt in hoc ordine, in quo temporum dinumeratio decessione gignentium et genitorum successione contexitur. Iste autem ordo, qui dirigitur ab Adam usque ad Noe, et inde usque ad Abraham, sine numero annorum vitæ suæ neminem continet.

CAPUT XV. — *De tempore profectionis Abrahæ, qua secundum præceptum Dei exiit de Charra.*

1. Quod vero, commemorata morte Tharæ patris Abraham, deinde legitur, *Et dixit Dominus ad Abram, Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui*, et cætera; non quia hoc sequitur in sermone libri, hoc etiam in rerum gestarum tempore sequi existimandum est. Erit quippe, si ita est, insolubilis quæstio. Post hæc enim verba Dei, quæ ad Abraham facta sunt, Scriptura sic loquitur : *Et exiit Abram, quemadmodum locutus est illi Dominus, et abiit cum eo Lot. Abram autem erat quinque et septuaginta annorum, cum exiit ex Charra* (*Id.* XII, 1, 4). Quomodo potest hoc verum esse, si post mortem patris sui exiit de Charra? Cum enim esset Thara septuaginta annorum, sicut supra intimatum est, genuit Abraham : cui numero additis septuaginta quinque annis, quos agebat Abraham, quando egressus est de Charra, fiunt anni centum quadraginta quinque. Tot igitur annorum erat Thara, quando exiit Abraham de illa Mesopotamiæ civitate : agebat enim annum ætatis suæ septuagesimum quintum; ac per hoc pater ejus, qui eum septuagesimo anno suo genuerat, agebat, ut dictum est, centesimum quadragesimum et quintum. Non ergo inde post mortem patris, id est post ducentos quinque annos, quibus pater ejus vixit, egressus est : sed annus

[1] Abest, *Sara*, a Ms. 258. M.

[2] Mss. *Ammanitarum* : et infra, *Ammanites*; loco, *Ammonites*.

[3] Lov., *montana hæc*. At Mss., *montanam hanc* : juxta græcum, *tên oreinên tautên*.

(*a*) Hoc tradit Josephus, Antiquitatum Judaicarum libro 1, cap. 7, et Hebræi in libro Seder-Holam, cap. 2; denique Hieronymus in Traditionibus hebraicis. COQUÆUS.

[1] Lov., *Et fuerunt omnes dies*. Abest, *omnes*, a cæteris libris et a græco LXX.

de illo loco profectionis ejus, quoniam ipsius septuagesimus quintus erat, procul dubio patris ejus, qui eum septuagesimo suo anno genuerat, centesimus quadragesimus quintus fuisse colligitur. Ac per hoc intelligendum est more suo Scripturam redisse ad tempus, quod jam narratio illa transierat : sicut superius, cum filios filiorum Noe commemorasset, dixit illos fuisse in gentibus et linguis suis (*Gen.* x, 31), et tamen postea quasi hoc etiam in ordine temporum sequeretur, *Et erat*, inquit, *omnis terra labium unum, et vox una omnibus* (*Id.* xi, 1). Quomodo ergo secundum suas gentes et secundum suas linguas erant, si una erat omnibus ; nisi quia ad illud quod jam transierat recapitulando est reversa narratio ? Sic ergo et hic cum dictum esset, *Et fuerunt dies Tharæ in Charra quinque et ducenti anni, et mortuus est Thara in Charra* (*Ibid.*, 31) : deinde Scriptura redeundo ad id quod ideo prætermiserat, ut prius de Thara id quod inchoatum fuerat compleretur, *Et dixit*, inquit, *Dominus ad Abram, Exi de terra tua*, et cætera. Post quæ Dei verba subjungitur, *Et exiit Abram, quemadmodum locutus est illi Dominus, et abiit cum eo Lot : Abram autem erat quinque et septuaginta annorum, cum exiit ex Charra.* Tunc itaque factum est, quando pater ejus centesimum quadragesimum et quintum annum agebat ætatis : tunc enim fuit hujus septuagesimus quintus (*a*). Soluta est autem quæstio ista et aliter, ut septuaginta quinque anni Abrahæ, quando egressus est de Charra, ex illo computarentur, ex quo de igne Chaldæorum liberatus, non ex quo natus est, tanquam tunc potius natus habendus sit (*b*).

2. Sed beatus Stephanus in Actibus Apostolorum cum ista narraret, *Deus*, inquit, *gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro, cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra, et ait ad illum, Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam tibi demonstrabo.* Secundum hæc verba Stephani non post mortem patris ejus locutus est Deus Abrahæ, qui utique in Charra mortuus est, ubi cum illo et ipse filius habitavit ; sed priusquam habitaret in eadem civitate, jam tamen cum esset in Mesopotamia. Jam ergo exierat a Chaldæis. Quod itaque adjungit Stephanus, *Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorum, et habitavit in Charra*, non demonstrat[1] quid sit factum, posteaquam locutus est illi Deus (neque enim post illa Dei verba egressus est de terra Chaldæorum, cum dicat ei locutum Deum cum esset in Mesopotamia), sed ad totum illud tempus pertinet quod ait, *Tunc*, id est, ex quo egressus est a Chaldæis, et habitavit in Charra. Item quod sequitur, *Et inde postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac, in qua vos nunc habitatis, et patres vestri* (*Act.* vii, 2-4) : non ait, Postquam mortuus est pater ejus, exiit de Charra ; sed inde hic eum collocavit, postquam mortuus est pater ejus. Intelligendum est igitur locutum Deum fuisse ad Abraham, cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra ; sed eum in Charram pervenisse cum patre, retento apud se præcepto Dei, et inde exisse septuagesimo et quinto suo, patris autem sui centesimo quadragesimo quinto anno. Collocationem vero ejus in terra Chanaan, non profectionem de Charra, post mortem patris ejus factam esse dicit ; quia jam mortuus erat pater ejus, quando emit terram, cujus ibi jam suæ rei cœpit esse possessor. Quod autem jam in Mesopotamia constituto, hoc est jam egresso de terra Chaldæorum, dicit Deus, *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui ;* non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, sed ut animum avelleret, dicitur. Non enim exierat inde animo, si spe redeundi et desiderio tenebatur, quæ spes et desiderium, Deo jubente ac juvante, et illo obediente, fuerat amputandum. Non sane incredibiliter existimatur, cum postea secutus esset Nachor patrem suum, tunc Abraham præceptum Domini implesse, ut cum Sarra conjuge sua et Lot filio fratris sui exiret de Charra.

CAPUT XVI. — *De ordine et qualitate promissionum Dei, quæ ad Abraham factæ sunt.*

Jam considerandæ sunt promissiones Dei factæ ad Abraham. In his enim apertiora Dei nostri[1], hoc est Dei veri, oracula apparere cœperunt de populo piorum[2], quem prophetica prænuntiavit auctoritas. Harum prima ita legitur : *Et dixit Dominus ad Abram : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram, quam tibi demonstravero ; et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus, et benedicam benedicentes te, et maledicam maledicentes te, et benedicentur in te omnes tribus terræ.* Advertendum est igitur, duas res promissas Abrahæ : unam scilicet, quod terram Chanaan possessurum fuerat semen ejus, quod significatur, ubi dictum est, *Vade in terram, quam tibi demonstravero, et faciam te in gentem magnam :* aliam vero longe præstantiorem, non de carnali, sed de spirituali semine, per quod pater est, non unius gentis Israeliticæ, sed omnium gentium quæ fidei ejus vestigia consequuntur, quod promitti cœpit his verbis, *Et benedicentur in te omnes tribus terræ.* Hanc promissionem factam arbitratur Eusebius septuagesimo quinto anno ætatis Abrahæ, tanquam mox ut facta est, de Charra exierit Abraham : quoniam Scripturæ contradici non potest, ubi legitur, *Abram erat quinque et septuaginta annorum, cum exiit ex Charra* (*Gen.* xii, 1-4). Sed si eo anno facta est ista promissio, jam utique in Charra cum patre suo demorabatur Abraham. Neque enim inde exire posset, nisi prius ibi habitasset. Numquidnam ergo contradicitur Stephano dicenti : *Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro cum esset in Mesopotamia, prius-*

[1] Verbum, *demonstrat*, abest a Mss.

(*a*) Conf. Quæst. in Gen., q. 26.

(*b*) Solutio hæc ab Hieronymo profertur, ducta ex traditione Hebræorum, qui Abraham in ignem, quem adorare nolebat, conjectum a Chaldæis, indeque divinitus liberatum narrant.

[1] Sic Mss. At Lov. *Domini nostri Jesu Christi.*

[2] Nonnulli codices, *impiorum.*

quam habitaret in Charra (*Act.* vii, 2)? Sed intelligendum est, quod eodem anno facta sint omnia, et Dei promissio antequam in Charra habitaret Abraham, et in Charra habitatio ejus, et inde profectio : non solum quia Eusebius in Chronicis ab anno hujus promissionis computat et ostendit post quadringentos et triginta annos exitum esse de Ægypto, quando lex data est ; verum etiam quia id commemorat apostolus Paulus (*Galat.* iii, 17).

CAPUT XVII. — *De tribus excellentioribus gentium regnis, quorum unum, id est Assyriorum, jam Abraham*[1] *genito sublimius eminebat.*

Per idem tempus eminentia regna erant gentium, in quibus terrigenarum civitas, hoc est societas hominum secundum hominem viventium, sub dominatu angelorum desertorum insignius excellebat ; regna videlicet tria, Sicyoniorum, Ægyptiorum, Assyriorum. Sed Assyriorum multo erat potentius atque sublimius. Nam rex ille Ninus Beli filius, excepta India, universæ Asiæ populos subjugaverat. Asiam nunc dico, non illam partem quæ hujus majoris Asiæ una provincia est, sed eam quæ universa Asia nuncupatur, quam quidam in altera duarum, plerique autem in tertia totius orbis parte posuerunt, ut sint omnes, Asia, Europa, et Africa : quod non æquali divisione fecerunt. Namque ista quæ Asia nuncupatur, a meridie per orientem usque ad septentrionem pervenit : Europa vero a septentrione usque ad occidentem ; atque inde Africa ab occidente usque ad meridiem. Unde videntur orbem dimidium duæ tenere, Europa et Africa, alium vero dimidium sola Asia. Sed ideo illæ duæ partes factæ sunt, quia inter utramque ab Oceano ingreditur quidquid aquarum terras interluit, et hoc mare magnum nobis facit. Quapropter si in duas partes orbem dividas, Orientis et Occidentis, Asia erit in una, in altera vero Europa et Africa. Quamobrem trium regnorum[2], quæ tunc præcellebant, scilicet Sicyoniorum non erat sub Assyriis, quia in Europa sunt : Ægyptiorum autem quomodo eis non subjacebat, a quibus tota Asia tenebatur, solis Indis, ut perhibetur, exceptis? In Assyria igitur prævaluerat dominatus impiæ civitatis : hujus caput erat illa Babylon, cujus terrigenæ civitatis nomen aptissimum est, id est Confusio. Ibi jam Ninus regnabat post mortem patris sui Beli, qui primus illic regnaverat sexaginta quinque annos. Filius vero ejus Ninus, qui defuncto patri successit in regnum, quinquaginta duos regnavit annos, et habebat in regno quadraginta tres, quando natus est Abraham, qui erat annus circiter millesimus ducentesimus ante conditam Romam, veluti alteram in Occidente Babyloniam.

CAPUT XVIII. — *De iterato alloquio Dei ad Abraham, quo ei et semini ejus Chanaan terra promittitur.*

Egressus ergo Abraham de Charra septuagesimo quinto anno ætatis suæ, centesimo autem quadragesimo et quinto patris sui, cum Lot filio fratris et Sarra conjuge perrexit in terram Chanaan, et pervenit usque ad Sichem, ubi rursus accepit divinum oraculum, de quo ita scriptum est : *Et apparuit Dominus Abrahæ, et dixit illi, Semini tuo dabo terram hanc* (*Gen.* xii, 7). Nihil hic de illo semine promissum est, in quo pater factus est omnium gentium : sed de illo solo, de quo pater est unius Israeliticæ gentis ; ab hoc enim semine terra illa possessa est.

CAPUT XIX. — *De Sarræ pudicitia in Ægypto per Deum custodita, quam Abraham non uxorem suam esse dixerat, sed sororem.*

Deinde ædificato ibi altari, et invocato Deo, Abraham profectus est inde, et habitavit in eremo, atque inde ire in Ægyptum famis necessitate compulsus est. Ubi uxorem suam dixit sororem (*Gen.* xii, 7-19), nihil mentitus. Erat enim et hoc, quia propinqua erat sanguine : sicut etiam Lot eadem propinquitate, cum fratris ejus esset filius, frater ejus est dictus. Itaque uxorem tacuit, non negavit, conjugis tuendam pudicitiam committens Deo, et humanas insidias cavens ut homo : quoniam si periculum quantum caveri poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quam speraret in Deum. De qua re contra calumniantem Faustum Manichæum satis diximus (*Lib.* 22, *cap.* 36). Denique factum est quod de Domino præsumpsit Abraham. Nam Pharao rex Ægypti, qui eam sibi uxorem acceperat, graviter afflictus marito reddidit (*Gen.* xii, 20). Ubi absit ut credamus, alieno concubitu fuisse pollutam : quia multo est credibilius, hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permissum.

CAPUT XX. — *De secessione Lot et Abrahæ, quæ illis salva charitate complacuit.*

Reverso igitur Abraham ex Ægypto in locum unde venerat, tunc Lot fratris filius ab illo in terram Sodomorum, salva charitate, discessit. Divites quippe facti erant, pastoresque multos pecorum habere cœperant, quibus inter se rixantibus, eo modo familiarum suarum pugnacem discordiam vitaverunt. Poterat quippe hinc, ut sunt humana, etiam inter ipsos aliqua rixa consurgere. Proinde hoc malum præcaventis Abrahæ verba ista sunt ad Lot : *Non sit rixa inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos, quia homines fratres nos sumus : nonne ecce tota terra ante te est? Discede a me : si tu in sinistram, ego in dextram ; vel si tu in dextram, ego in sinistram* (*Id.* xiii, 8 *et* 9). Hinc fortassis effecta est inter homines pacifica consuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, minor eligat (*a*).

CAPUT XXI. — *De tertia promissione Dei, qua terram Chanaan Abrahæ et semini ejus in perpetuum pollicetur.*

Cum ergo digressi essent, separatimque habitarent Abraham et Lot necessitate sustentandæ familiæ, non fœditate discordiæ, et Abraham in terra Chanaan, Lot autem esset in Sodomis, oraculo tertio Dominus

[1] Lov., *jam tempore Abraham.*
[2] Editi, *quamobrem unum regnorum* : pauloque post, *regnum scilicet Sicyoniorum.* Verba, *unum*, et, *regnum*, non habent Mss.

(*a*) Vide Senec., Excerpt. Controv. lib. 6, cap. 3

dixit ad Abraham : *Respiciens oculis tuis vide a loco in quo nunc tu es, ad Aquilonem, et Africum, et Orientem, et Mare ; quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo, et semini tuo usque in sæculum, et faciam semen tuum tanquam arenam terræ. Si potest aliquis dinumerare arenam terræ, et semen tuum dinumerabitur. Surgens perambula terram in longitudinem ejus, et in latitudinem, quia tibi dabo eam* (*Gen.* XIII, 14-17). In hac promissione utrum sit etiam illa, qua pater factus est omnium gentium, non evidenter apparet. Potest enim videri ad hoc pertinere, *Et faciam semen tuum tanquam arenam terræ* : quod ea locutione dictum est, quam Græci vocant hyperbolen ; quæ utique tropica est, non propria. Quo tamen modo, ut cæteris tropis uti solere Scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit. Iste autem tropus, id est modus locutionis, fit quando id quod dicitur, longe est amplius, quam quod eo dicto significatur. Quis enim non videat, quam sit incomparabiliter amplior arenæ numerus, quam potest esse omnium hominum ab ipso Adam usque ad terminum sæculi? quanto ergo magis quam semen Abrahæ ; non solum quod pertinet ad Israeliticam gentem, verum etiam quod est, et futurum est, secundum imitationem fidei, toto orbe terrarum in omnibus gentibus? Quod semen, in comparatione multitudinis impiorum, profecto in paucis est ; quamvis et ipsi pauci faciant innumerabilem multitudinem suam, quæ significata est secundum hyperbolen per arenam terræ. Sane ista multitudo quæ promittitur Abrahæ, non Deo est innumerabilis, sed hominibus : Deo autem nec arena terræ. Proinde quia non tantum gens Israelitica, sed universum semen Abrahæ, ubi est et promissio [1], non secundum carnem, sed secundum spiritum plurium filiorum, congruentius arenæ multitudini comparatur; potest hic intelligi utriusque rei facta promissio (*a*). Sed ideo diximus, quod non evidenter appareat, quia et illius gentis unius multitudo, quæ secundum carnem nata est ex Abraham per ejus nepotem Jacob, in tantum crevit, ut pene omnes partes orbis impleverit. Et ideo potuit et ipsa secundum hyperbolen arenæ multitudini comparari ; quia et hæc sola innumera est homini. Terram certe illam solam significatam, quæ appellata est Chanaan, nemo ambigit. Sed quod dictum est, *Tibi dabo eam, et semini tuo usque in sæculum* ; potest movere nonnullos, si *usque in sæculum* intelligant in æternum. Si autem *in sæculum* hoc loco sic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri sæculi a fine præsentis ordiri, nihil eos movebit : quia etsi expulsi sunt Israelitæ de Jerosolymis, manent tamen in aliis civitatibus terræ Chanaan, et usque in finem manebunt ; et universa terra illa cum a christianis inhabitatur, etiam ipsum semen est Abrahæ.

CAPUT XXII. — *De superatis ab Abraham hostibus* **Sodomorum, quando et Lot de captivitate eripuit, et** *a Melchisedech sacerdote benedictus est.*

Hoc responso promissionis accepto migravit Abraham, et mansit in alio ejusdem terræ loco, id est juxta quercum Mambre, quæ erat Chebron (*Gen.* XIII, 18). Deinde ab hostibus qui Sodomis irruerant, cum quinque reges adversus quatuor bellum gererent, et victis Sodomitis etiam Lot captus esset, liberavit eum Abraham, adductis secum in prælium trecentis decem et octo vernaculis suis : et victoriam fecit regibus [1] Sodomorum, nihilque spoliorum auferre voluit, cum rex cui vicerat obtulisset. Sed plane tunc benedictus est a Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi (*Id.* XIV, 1-20) : de quo in Epistola quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures apostoli Pauli esse dicunt, quidam vero negant, multa et magna conscripta sunt (*Hebr.* VII). Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Non scilicet secundum ordinem Aaron : qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.

CAPUT XXIII. — *De verbo Domini ad Abraham, quo ei promittitur secundum multitudinem stellarum multiplicanda posteritas; quod credens justificatus est adhuc in præputio constitutus.*

Etiam tunc factum est verbum Domini ad Abraham in visu. Qui cum ei protectionem mercedemque promitteret valde multam ; ille de posteritate sollicitus, quemdam Eliezer vernaculum suum futurum sibi hæredem dixit : continuoque illi promissus est hæres, non ille vernaculus, sed qui de ipso Abraham fuerat exiturus : rursusque semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stellæ cœli (*Gen.* XV, 1-5) : ubi mihi magis videtur promissa posteritas cœlesti felicitate sublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid sunt stellæ cœli ad arenam terræ, nisi quis et istam comparationem in tantum esse similem dicat, in quantum etiam stellæ dinumerari non valent? quia nec omnes eas videri posse credendum est. Nam quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videt : unde et acerrime cernentibus aliquas occultas esse merito existimatur, exceptis eis sideribus quæ in alia parte orbis a nobis remotissima oriri et occidere perhibentur. Postremo quicumque universum stellarum numerum comprehendisse et conscripsisse jactantur, sicut Aratus vel Eudoxus, vel si qui alii sunt, eos libri hujus contemnit auctoritas. Hic sane illa sententia ponitur, cujus Apostolus meminit propter Dei gratiam commendandam, *Credidit Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XV, 6; *Rom.* IV, 3, et *Galat.* III, 6) : ne circumcisio gloriaretur, gentesque incircumcisas ad fidem Christi nollet admitti. Hoc enim quando factum est, ut credenti Abrahæ deputaretur fides ad justitiam, nondum fuerat circumcisus.

[1] Sic Mss. At editi, *ubi est expressa promissio.*

(*a*) Cont. lib. 22 cont. Faust. Manich., cap. 89.

[1] Editi, *de regibus.* Abest, *de*, a manuscriptis et abesse debet ; nam victoria in gratiam regum Sodomorum de hostibus eorum facta est.

CAPUT XXIV. — *De significatione sacrificii, quod Abraham offerre præceptus est, cum poposcisset ut de his quæ crediderat* [1], *doceretur.*

1. In eodem visu cum loqueretur ei Deus, etiam hoc ait ad illum : *Ego Deus qui te eduxi de regione Chaldæorum, ut dem tibi terram hanc, ut hæres sis ejus.* Ubi cum interrogasset Abraham secundum quid sciret, quod hæres ejus erit, dixit illi Deus : *Accipe mihi juvencam trimam, et capram trimam, et arietem trimum, et turturem, et columbam. Accepit autem illi* [2] *hæc omnia, et divisit illa media, et posuit ea contra faciem alterum alteri : aves autem non divisit. Et descenderunt,* sicut scriptum est, *aves supra corpora quæ divisa erant, et consedit illis Abram. Circa solis autem occasum pavor irruit super Abram, et ecce timor tenebrosus magnus incidit ei : et dictum est ad Abram, Sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, et in servitutem redigent eos, et affligent eos quadringentis annis ; gentem autem cui servierint, judicabo ego. Post hæc vero exibunt huc cum suppellectili multa. Tu autem ibis ad patres tuos cum pace nutritus* (a) *in senecta bona. Quarta vero generatione convertent se huc. Nondum enim impleta sunt peccata Amorrhæorum usque adhuc. Cum autem jam sol erat ad occasum, facta est flamma, et ecce fornax fumabunda, et lampades ignis, quæ pertransierunt per media divisa illa. In die illa disposuit Dominus Deus testamentum ad Abram, dicens : Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem, Cenæos, et Cenezæos, et Cedmonæos, et Chetæos, et Pheresæos, et Raphaim, et Amorrhæos, et Chananæos, et Eræos, et Gergesæos, et Jebusæos.*

2. Hæc omnia in visu facta divinitus atque dicta sunt, de quibus singulis enucleate disserere longum est, et intentionem operis hujus excedit. Quod ergo satis est, nosse debemus : posteaquam dictum est, credidisse Abraham Deo, et deputatum esse illi ad justitiam, non eum in fide defecisse, ut diceret, *Dominator Domine, secundum quid sciam quia hæres ejus ero* (*Gen.* XV, 7-21) ? terræ quippe illius promissa erat hæreditas. Non enim ait, Unde sciam, quasi adhuc non crederet : sed ait, *Secundum quid sciam,* ut ei rei quam crediderat, aliqua similitudo adhiberetur, qua ejus modus agnosceretur. Sicut non est virginis Mariæ diffidentia, quod ait, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret inquirebat (b). Et hoc cum quæsisset, audivit, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* [3] (*Luc.* I, 34, 35). Denique et hic similitudo data est de animalibus, juvenca, capra et ariete, et duabus volucribus, turture et columba : ut secundum hæc futurum esset, quod futurum esse jam non ambigeret. Sive ergo per juvencam significata sit plebs posita sub jugo legis, per capram eadem plebs peccatrix futura, per arietem eadem plebs etiam regnatura (quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum sint insignes articuli temporum ab Adam usque ad Noe, et inde usque ad Abraham, et inde usque ad David, qui reprobato Saule primus in regno gentis Israeliticæ est Domini voluntate fundatus ; in hoc ordine tertio, qui tenditur ex Abraham usque ad David, tanquam tertiam ætatem gerens ille populus adolevit) ; sive aliquid aliud convenientius ista significent, nullo tamen modo dubitaverim, spirituales in ea prædenuntiatos additamento turturis et columbæ. Et ideo dictum est, *Aves autem non divisit* : quoniam carnales inter se dividuntur, spirituales autem nullo modo ; sive a negotiosis conversationibus hominum se removeant, sicut turtur ; sive inter illas degant, sicut columba : utraque tamen avis est simplex et innoxia ; significans et in ipso Israelitico populo, cui terra illa danda erat, futuros individuos filios promissionis et hæredes regni in æterna felicitate mansuri [1]. Aves autem descendentes super corpora quæ divisa erant, non boni aliquid, sed spiritus indicant aeris hujus, pastum quemdam suum de carnalium divisione quærentes. Quod autem illis consedit Abraham, significat etiam inter illas carnalium divisiones [2] veros usque in finem perseveraturos fideles. Et circa solis occasum quod pavor irruit in Abraham, et timor tenebrosus magnus, significat circa hujus sæculi finem magnam perturbationem ac tribulationem futuram fidelium : de qua Dominus dixit in Evangelio, *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio* (*Matth.* XXIV, 21).

3. Quod vero dictum est ad Abraham, *Sciendo scies quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, et in servitutem redigent eos, et affligent eos quadringentis annis ;* de populo Israel, qui fuerat in Ægypto serviturus, apertissime prophetatum est. Non quod in eadem servitute sub Ægyptiis affligentibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus ; sed in ipsis quadringentis annis prænuntiatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thara patre Abrahæ, *Et fuerunt dies Tharæ in Charra quinque et ducenti anni* (*Gen.* XI, 32) ; non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt : ita et hic propterea interpositum est, *Et in servitutem redigent eos, et affligent eos quadringentis annis ;* quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi universus peractus est. Quadringenti sane dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto amplius sint ; sive ex hoc tempore computentur, quo ista promittebantur Abrahæ, sive ex quo natus est Isaac, propter semen Abrahæ, de quo ista prædicuntur. Computantur enim, sicut superius jam diximus, ab anno septuagesimo et quinto Abrahæ, quando ad eum

[1] Sic Mss. At editi, *crederet.*
[2] Editi, *ille.* At Mss., *illi* : juxta græcum LXX, *autô.*
[3] Nostri omnes codices omittunt verba, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* M.
(a) Septuaginta Interpretes in antiquis codicibus habent, *trapheis, nutritus* : attamen in Complutensi *tapheis, sepultus.*
(b) Hoc S. Virginis exemplo in eadem re utitur Ambrosius, libro 2 de Abraham patriarcha, cap. 8. Ubi plura cum hoc capite conferri possunt. COQUÆUS.

[1] Sic Mss. Editi vero, *mansuros.*
[2] Vind. Am. et Er. post, *carnalium divisiones,* addunt, *spirituales esse nonnullos.* Id non habent Mss., sed plerique pro, *veros,* ferunt, *viros.*

facta est prima promissio, usque ad exitum Israel ex Ægypto, quadringenti et triginta anni : quorum Apostolus ita meminit : *Hoc autem dico*, inquit, *testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non infirmat ad evacuandam promissionem* (*Galat.* III, 17). Jam ergo isti quadringenti et triginta anni, quadringenti poterant nuncupari, quia non sunt multo amplius : quanto magis cum aliquot jam ex isto numero præteriissent, quando illa in visu demonstrata et dicta sunt Abrahæ; vel quando Isaac natus est centenario patri suo, a prima promissione post viginti et quinque annos, cum jam ex istis quadringentis triginta quadringenti et quinque remanerent, quos Deus quadringentos voluit nominare, et cætera quæ sequuntur in verbis prænuntiantis Dei, nullus dubitaverit ad Israeliticum populum pertinere (*a*).

4. Quod vero adjungitur, *Cum autem jam sol erat ad occasum, flamma facta est, et ecce fornax fumabunda, et lampades ignis, quæ pertransierunt per media divisa illa;* significat jam in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales. Sicut enim afflictio civitatis Dei, qualis antea nunquam fuit, quæ sub Antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ circa solis occasum, id est, propinquante jam fine sæculi : sic ad solis occasum, id est, ad ipsum jam finem [1], significatur isto igne dies judicii dirimens carnales per ignem salvandos, et in igne damnandos. Deinde testamentum factum ad Abraham, terram Chanaan proprie manifestat, et nominat in ea undecim gentes a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem. Non ergo a flumine magno Ægypti, hoc est Nilo; sed a parvo, quod dividit inter Ægyptum et Palæstinam, ubi est civitas Rhinocorura (*b*).

CAPUT XXV. — *De Agar ancilla Sarræ, quam eadem Sarra Abrahæ voluit esse concubinam.*

Jam hinc tempora consequuntur filiorum Abrahæ, unius de Agar ancilla, alterius de Sarra libera, de quibus in libro superiore jam diximus (*cap.* 3). Quod autem attinet ad rem gestam, nullo modo est inurendum de hac concubina crimen Abrahæ (*c*). Usus est ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem; nec insultans, sed potius obediens conjugi, quæ suæ sterilitatis credidit esse solatium, si fecundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret suum, et eo jure quo dicit Apostolus, *Similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (I *Cor.* VII, 4), uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex se ipsa. Nulla est hic cupido lasciviæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab uxore causa prolis ancilla marito traditur, a marito causa prolis accipitur : ab utroque non culpæ luxus, sed naturæ fructus exquiritur. Denique cum ancilla gravida, domina [2] sterili, superbiret, et hoc Sarra suspicione muliebri viro potius imputaret, etiam ibi demonstravit Abraham non se amatorem servum, sed liberum fuisse genitorem, et in Agar Sarræ conjugi pudicitiam custodisse; nec voluptatem suam, sed voluntatem illius implevisse : accepisse, nec petiisse; accessisse, nec hæsisse; seminasse, nec amasse. Ait enim : *Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere ea quomodo tibi placuerit* (*Gen.* XVI, 6). O virum viriliter utentem feminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter!

CAPUT XXVI. — *De testificatione Dei ad Abraham, qua eidem seni de sterili Sarra filium spondet, patremque eum gentium statuit, et promissi fidem sacramento circumcisionis obsignat.*

1. Post hæc est natus Ismael ex Agar, in quo putare posset impletum, quod ei promissum fuerat, cum sibi vernaculum suum adoptare voluisset, dicente Deo, *Non erit hæres tuus hic; sed qui exiet de te, ille erit hæres tuus* (*Gen.* XV, 4). Hoc ergo promissum ne in ancillæ filio putaret impletum, jam *cum esset annorum nonaginta et novem, apparuit ei Dominus, et dixit illi : Ego sum Deus, place in conspectu meo, et esto sine querela, et ponam testamentum meum inter me et inter te, et implebo te valde. Et procidit Abram in faciem suam. Et locutus est illi Deus, dicens : Et ego, ecce testamentum* [1] *meum tecum; et eris pater multitudinis gentium : et non appellabitur adhuc nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham; quia patrem multarum gentium posui te : et augebo* [2] *te valde, et ponam te in gentes, et reges ex te exibunt : statuam testamentum meum inter me et inter te, et inter semen tuum post te in generationes eorum in testamentum æternum, ut sim tibi Deus, et semini tuo post te. Et dabo tibi et semini tuo post te terram, in qua incola es, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, et ero illis Deus. Et dixit Deus ad Abraham : Tu autem testamentum meum conservabis, tu et semen tuum post te in progenies suas* [3]. *Et hoc est testamentum* [4] *quod conservabis inter me et vos, et inter semen tuum post te in generationes suas. Circumcidetur vestrum omne masculinum, et circumcidemini carnem* [5] *præputii vestri : et erit in signum testamenti inter me et vos. Et puer octo dierum circumcidetur, vestrum omne masculinum in progenies vestras. Vernaculus et emptitius ab omni filio alienigena* [6], *qui non est de semine tuo, circumcisione circumcidetur : vernaculus domus tuæ et emptitius. Et erit testamentum meum in carne vestra in testamentum ætenum. Et qui non fuerit circumcisus, masculus qui non circumcidetur carnem præputii* [7] *sui octavo die, interibit*

[1] Vind. Am. et Fr., *finem sæculi*.

[2] Sic probæ notæ codex Corb. Alii manuscripti cum editis, *dominæ*.

(*a*) Conf. quæst. in Exod., q. 47.

(*b*) Conf. quæst. in Josue, q. 21.

(*c*) Quod quidem faciebat Faustus Manichæus. Vid. lib. 22 contra Faustum, cap. 30.

[1] Sic manuscripti juxta Septuaginta. At Vind. Am. Fr., *Ecce ego, et ecce testamentum*. Lov., *Et ecce ego, testamentum*.

[2] Mss. constanter habent, *augeam*.

[3] Sic nostri omnes manuscripti. In B. deest, *tu*, et pro, *in progenies*, legitur, *in generationes*. M.

[4] Editi, *testamentum meum*. Abest, *meum*, a Mss. et a LXX.

[5] Ita manuscripti juxta græcum Septuaginta. At editi, *in carne*.

[6] In manuscriptis, *alieno*. Apud Septuaginta, *allotriou*.

[7] Editio Lov., *Et masculus qui non fuerit circumcisus carne præputii*, etc. Castigatur auctoritate manuscriptorum qui nihil hic dissentiunt a Septuaginta. At Vind. et Am. in

anima illa de genere ejus; quia testamentum meum dissipavit. Et dixit Deus ad Abraham: Sara uxor tua, non appellabitur nomen ejus Sara, sed Sarra erit nomen ejus[1]. *Benedicam autem illam, et dabo tibi ex ea filium: et benedicam illum; et erit in nationes, et reges gentium ex eo erunt. Et procidit Abraham super faciem suam; et risit, et dixit in animo suo, dicens: Si mihi centum annos habenti nascetur filius, et si Sarra annorum nonaginta pariet? Dixit autem Abraham ad Deum: Ismael hic vivat in conspectu tuo. Dixit autem Deus ad Abraham: Ita, ecce Sarra uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac: et statuam testamentum meum ad illum in testamentum æternum, esse illi Deus*[2], *et semini ejus post illum. De Ismael autem ecce exaudivi te*[3]: *ecce benedixi eum, et ampliabo*[4] *illum, et multiplicabo illum valde*[5]. *Duodecim gentes generabit: et dabo illum in gentem magnam. Testamentum autem meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sarra in tempore hoc ad annum sequentem* (*Gen.* XVII, 1-21).

2. Hic apertiora promissa sunt de vocatione Gentium in Isaac, id est, in filio promissionis, quo significatur gratia, non natura: quia de sene et anu sterili promittitur filius. Quamvis enim et naturalem procreationis excursum Deus operetur: ubi tamen evidens opus Dei est, vitiata et cessante natura, ibi evidentius intelligitur gratia. Et quia hoc non per generationem, sed per regenerationem futurum erat, ideo nunc imperata est circumcisio, quando de Sarra promissus est filius. Et quod omnes, non solum filios, verum etiam servos vernaculos et emptitios circumcidi jubet, ad omnes istam gratiam pertinere testatur. Quid enim aliud circumcisio significat, quam vetustate exuta naturam renovatam (*a*)? et quid aliud quam Christum octavus dies, qui hebdomada completa, hoc est post sabbatum, resurrexit (*b*)? Parentum mutantur et nomina, omnia resonant novitatem, et in Testamento vetere obumbratur novum. Quid est enim quod dicitur Testamentum vetus, nisi occultatio novi? et quid est aliud quod dicitur novum, nisi veteris revelatio? Risus Abrahæ, exsultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. Verba quoque ejus illa in animo suo, *Si mihi centum annos habenti nascetur filius, et si Sarra annorum nonaginta pariet?* non sunt dubitantis, sed admirantis. Si quem vero movet quod dictum est, *Et dabo tibi et semini tuo post te terram, in qua tu incola es, omnem terram Chanaan in possessionem æternam;* quomodo accipiatur impletum, sive adhuc exspectetur implendum, cum possessio quæcumque terrena æterna cuilibet genti esse non possit: sciat æternum a nostris interpretari, quod Græci appellant αἰώνιον, quod a sæculo derivatum est: αἰὼν quippe græce sæculum nuncupatur. Sed non sunt ausi Latini hoc dicere sæculare, ne longe in aliud mitterent sensum. Sæcularia quippe dicuntur multa, quæ in hoc sæculo sic aguntur, ut brevi etiam tempore transeant: αἰώνιον autem quod dicitur, aut non habet finem, aut usque in hujus sæculi tenditur finem.

CAPUT XXVII. — *De masculo, qui si octavo die non fuerit circumcisus, perit anima ejus, quia testamentum Dei dissipavit.*

Item potest movere, quomodo intelligi oporteat quod hic dictum est, *Masculus qui non circumcidetur carnem præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere ejus, quia testamentum meum dissipavit*: cum hæc nulla culpa sit parvuli, cujus dixit animam perituram; nec ipse dissipaverit testamentum Dei, sed majores qui eum circumcidere non curarunt: nisi quia etiam parvuli, non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt (*Rom.* V, 12). Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis, vetere et novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est: *Qua die ederitis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17). Unde scriptum est in libro, qui Ecclesiasticus appellatur, *Omnis caro sicut vestis veterascit. Testamentum enim a sæculo, Morte morieris*[1] (*Eccli.* XIV, 18, *sec.* LXX). Cum enim lex evidentior postea data sit, et dicat Apostolus, *Ubi autem non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15): quo pacto quod legitur in Psalmo verum est, *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ* (*Psal.* CXVIII, 119); nisi quia omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur; profecto eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur; ut verum sit utrumque, quod scriptum est, et, *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ*; et, *Ubi lex non est; nec prævaricatio*. Ac per hoc, quia circumcisio signum regenerationis fuit, et[2] non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet: sic intelligenda sunt hæc divina verba, tanquam dictum sit, Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de populo

eo non consentiunt, quod loco, *qui non circumcidetur*, habent, *qui non circumcidet*. Er., *si non circumcidetur carne præputii*.

[1] Ita manuscripti secundum Septuaginta. Editi autem, *Sarai uxor tua, non appellabitur nomen ejus Sarai* (vel, *ultra Sarai*), *sed Sarra erit nomen ejus*.

[2] Lov., *et ero illi Deus*. Er., *et sim illi Deus*. Melius Vind. et Am., *ut sim illi Deus*. Attamen manuscripti habent, *esse illi Deus*. Græcum Septuaginta, *einai autô Theos*.

[3] Editi, *audivi te*. At Mss., *exaudivi te*: quod respondet græco, *epêcousa sou*.

[4] Sic Mss. At editi, *amplificabo*.

[5] Nostri Mss., *et multiplicabo eum valde*. Et paulo post, *et dabo illum in magnam gentem*. M.

(*a*) Conf. lib. cont. Faust. Manich., cap. 29.

(*b*) Conf. lib. de Peccat. Orig., n. 50.

[1] Editi, *Testamentum est a sæculo, morte morieris, qui transgrediuntur præcepta Dei*. Locus veterum librorum ope liberatur a glossemate, et redintegratur. Sumptus est ex Ecclesiastico, XIV. 18, apud Septuaginta. In Vulgata vero jungitur versiculo duodecimo, et exhibetur sic: *Testamentum hujus mundi, morte morietur*.

[2] Particula, *et*, desideratur in excusis.

ejus, quia testamentum Dei dissipavit[1], quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccavit. Si enim dixisset, Quia hoc testamentum meum dissipavit; nonnisi de ista circumcisione intelligi cogeret : nunc vero, quoniam non expressit cujusmodi testamentum parvulus dissipaverit, liberum est intelligere de illo testamento dictum, cujus dissipatio pertinere possit ad parvulum. Si autem quisquam hoc nonnisi de ista circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, quoniam non est circumcisus, dissipaverit parvulus; quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoque animadvertendum est, nulla in se negligentia sua injuste[2] interire incircumcisi animam parvuli, nisi originalis obligatione peccati.

CAPUT XXVIII. — *De commutatione nominum Abrahæ et Sarræ, qui cum ob unius sterilitatem, ob utriusque autem senectutem generare non possent, munus fecunditatis indepti sunt.*

Facta igitur promissione tam magna tamque dilucida ad Abraham, cui evidentissime dictum est, *Patrem multarum gentium posui te; et augebo te valde, et ponam te in gentes, et reges exibunt ex te : et dabo tibi ex Sarra filium; et benedicam illum, et erit in nationes, et reges gentium ex eo erunt* : quam promissionem nunc in Christo cernimus reddi : ex illo deinceps illi conjuges non vocantur in Scripturis, sicut antea vocabantur, Abram et Sara; sed sicut nos eos ab initio vocavimus, quoniam sic jam vocantur ab omnibus, Abraham et Sarra. Cur autem mutatum sit nomen Abrahæ, reddita est ratio : *Quia patrem, inquit, multarum gentium posui te.* Hoc ergo significare intelligendum est Abraham : Abram vero, quod ante vocabatur, interpretatur Pater excelsus. De nomine autem mutato Sarræ non est reddita ratio : sed, sicut aiunt, qui scripserunt interpretationes nominum hebræorum, quæ his sacris Litteris continentur, Sara interpretatur Princeps mea; Sarra autem Virtus. Unde scriptum est in Epistola ad Hebræos : *Fide et ipsa Sarra virtutem accepit ad emissionem*[3] *seminis* (*Hebr.* XI, 11). Ambo autem seniores[4] erant, sicut Scriptura testatur : sed illa etiam sterilis, et cruore menstruo jam destituta; propter quod jam parere non posset, etiamsi sterilis non fuisset. Porro si femina ita sit provectioris ætatis, ut ei solita mulierum adhuc fluant, de juvene parere potest, de seniore non potest : quamvis adhuc possit ille senior, sed de adolescentula gignere : sicut Abraham post mortem Sarræ de Cethura potuit, quia vividam ejus invenit ætatem. Hoc ergo est quod mirum commendat Apostolus, et ad hoc dicit Abrahæ jam fuisse corpus emortuum (*Rom.* IV, 19) : quoniam non ex omni femina, cui esset adhuc aliquod pariendi tempus extremum, generare ipse in illa ætate adhuc posset. Ad aliquid enim emortuum corpus intelligere debemus, non ad omnia. Nam si ad omnia, non jam senectus vivi, sed cadaver est mortui. Quamvis etiam sic solvi soleat ista quæstio, quod de Cethura postea genuit Abraham, quia gignendi donum, quod a Domino accepit, etiam post obitum mansit uxoris. Sed propterea mihi videtur illa, quam secuti sumus, hujus quæstionis solutio præferenda, quia centenarius quidem senex, sed temporis nostri, de nulla potest femina gignere; non tunc, quando adhuc tam diu vivebant, ut centum anni nondum facerent hominem decrepitæ senectutis.

CAPUT XXIX. — *De tribus viris vel angelis, in quibus ad quercum Mambre apparuisse Abrahæ Dominus indicatur.*

Item Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambre in tribus viris, quos dubitandum non est Angelos fuisse; quamvis quidam existiment unum in eis fuisse Dominum Christum, asserentes eum etiam ante indumentum carnis fuisse visibilem (*a*). Est quidem divinæ potestatis, et invisibilis, incorporalis incommutabilisque naturæ, sine ulla sui mutatione etiam mortalibus aspectibus apparere, non per id quod est, sed per aliquid quod sibi subditum est. Quid autem illi subditum non est? Veruntamen si propterea confirmant horum trium aliquem fuisse Christum, quia cum tres vidisset, ad Dominum singulariter est locutus : sic enim scriptum est, *Et ecce tres viri stabant super eum, et videns procucurrit obviam illis ab ostio tabernaculi sui, et adoravit super terram, et dixit : Domine, si inveni gratiam ante te* (*Gen.* XVIII, 1-3), et cætera : cur non etiam illud advertunt, duos ex eis venisse, ut Sodomitæ delerentur, cum adhuc Abraham ad unum loqueretur, Dominum appellans, et intercedens ne simul justum cum impio in Sodomis perderet? Illos autem duos sic suscepit Lot, ut etiam ipse in colloquio cum illis suo singulariter Dominum appellaret[1]. Nam cum eis pluraliter dixisset, *Ecce, domini, declinate in domum pueri vestri*, et cætera quæ ibi dicuntur : postea tamen ita legitur, *Et tenuerunt Angeli manum ejus, et manum uxoris ejus, et manus duarum filiarum ejus, in*[2] *eo quod parceret Dominus ipsi. Et factum est, mox ut eduxerunt illum foras, et dixerunt : Salvam fac animam tuam, ne respexeris retro, nec steteris in tota regione : in monte salvum te fac, ne quando comprehendaris. Dixit autem Lot ad illos : Oro,*

[1] Am. Er. et Lov., *quia testamentum meum dissipavit.* At Vind. et Mss., *quia testamentum Dei dissipavit.*

[2] Vind. Am. Er. et nonnulli Mss., *juste.*

[3] Navarricus Ms., *in conceptionem*; dissentientibus cæteris libris. Græce est, *eis catabolen.*

[4] Sic Mss. Editi autem, *senes.*

[1] Sola editio Lov., *in colloquio suo cum illis duos singulariter Dominum appellaret.*

[2] Particula, *in*, deest in editis : sed habetur in omnibus manuscriptis juxta septuaginta.

(*a*) Ita docuerunt Tertullianus, libro de Carne Christi capite 6, Contra Judæos, cap. 9, contra Marcionem, lib. 2, cap. 27, et lib. 3, cap. 9, alibique; Irenæus, libro 3, cap. 6, et libro 4, cap. 26; Clemens Romanus, Constitutionum Apostolicarum capite 21; Justinus Martyr, in Dialogo contra Tryphonem; Eusebius, Historiæ Ecclesiasticæ libro 1, cap. 2. Probabilior tamen est sententia Augustini, quam etiam profert in libro 2 de Trinitate, n. 21, et in libro 2 contra Maximinum, cap. 26, nn. 5 et 6, cui denique consentit Ambrosius, libro 1 de Abraham, cap. 5. COQUÆUS.

Domine, quia invenit puer tuus misericordiam ante te, et quæ sequuntur. Deinde post hæc verba singulariter illi respondit et Dominus, cum in duobus Angelis esset, dicens, *Ecce miratus sum*[1] *faciem tuam* (*Gen.* XIX, 2-21), et cætera. Unde multo est credibilius, quod et Abraham in tribus et Lot in duobus viris Dominum agnoscebant, cui per singularem numerum loquebantur, etiam cum eos homines esse arbitrarentur : neque enim aliam ob causam sic eos susceperunt, ut tanquam mortalibus et humana refectione indigentibus ministrarent : sed erat profecto aliquid, quo ita excellebant, licet tanquam homines, ut in eis esse Dominum, sicut esse assolet in Prophetis, hi qui hospitalitatem illis exhibebant, dubitare non possent ; atque ideo et ipsos aliquando pluraliter, et in eis Dominum aliquando singulariter appellabant[2]. Angelos autem fuisse Scriptura testatur, non solum in hoc Genesis libro, ubi hæc gesta narrantur ; verum etiam in Epistola ad Hebræos, ubi, cum hospitalitas laudaretur, *Per hanc*, inquit, *etiam quidam nescientes hospitio receperunt Angelos* (*Hebr.* XIII, 2). Per illos igitur tres viros, cum rursus filius Isaac de Sarra promitteretur Abrahæ, divinum datum est etiam tale responsum, ut diceretur, *Abraham erit in gentem*[3] *magnam et multam, et benedicentur in eo omnes gentes terræ* (*Gen.* XVIII, 18). Et hic duo illa brevissime plenissimeque promissa sunt, gens Israel secundum carnem, et omnes gentes secundum fidem.

CAPUT XXX. — *De Lot a Sodomis liberato, atque eisdem cœlesti igne consumptis ; et de Abimelech ; cujus concupiscentia castitati Sarræ nocere non potuit.*

Post hanc promissionem liberato de Sodomis Lot, et veniente igneo imbre de cœlo, tota illa regio impiæ civitatis in cinerem versa est, ubi stupra in masculos in tantam consuetudinem convaluerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam (*a*). Verum et hoc eorum supplicium specimen futuri judicii divini fuit. Nam quo pertinet quod prohibiti sunt qui liberabantur ab Angelis retro respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regeneratus exuitur, si ultimum evadere judicium cogitamus? Denique uxor Lot, ubi respexit, remansit; et in salem conversa (*Gen.* XIX) hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum. Inde rursus Abraham fecit in Geraris apud regem civitatis illius Abimelech, quod in Ægypto de conjuge fecerat, eique intacta similiter reddita est. Ubi sane Abraham objurganti regi cur tacuisset uxorem, sororemque dixisset, aperiens quid timuerit, etiam hoc addidit : *Etenim vere soror mea est de patre, sed non de matre* (*Gen.* XX, 12) ; quia de patre suo soror erat Abrahæ, de quo propinqua ejus erat. Tantæ autem pulchritudinis fuit, ut etiam in illa ætate posset adamari.

CAPUT XXXI. — *De Isaac secundum promissionem nato, cui nomen ex risu utriusque parentis est inditum.*

Post hæc natus est Abrahæ, secundum promissionem Dei, de Sarra filius, eumque nominavit Isaac, quod interpretatur Risus. Riserat enim et pater, quando ei promissus est, admirans in gaudio : riserat et mater, quando per illos tres viros iterum promissus est, dubitans in gaudio ; quamvis exprobrante angelo quod risus ille, etiamsi gaudii fuit, tamen plenæ fidei non fuit (*Gen.* XVIII, 12-15). Post ab eodem angelo in fide etiam confirmata est. Ex hoc ergo puer nomen accepit. Nam quod risus ille non ad irridendum opprobrium, sed ad celebrandum gaudium pertinebat, nato Isaac, et eo nomine vocato, Sarra monstravit ; ait quippe, *Risum mihi fecit Dominus ; quicumque enim audierit, congaudebit mihi* (*Id.* XXI, 6). Sed post aliquantulum tempus ancilla de domo ejicitur cum filio suo, et duo illa secundum Apostolum Testamenta significantur, vetus et novum : ubi Sarra illa[1] supernæ Jerusalem, hoc est civitatis Dei, figuram gerit (*Galat.* IV, 26).

CAPUT XXXII. — *De obedientia et fide Abrahæ, qua per oblationem immolandi filii probatus est, et de morte Sarræ.*

1. Inter hæc, quæ omnia commemorare nimis longum est, tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio ipso Isaac, ut pia ejus obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda, non Deo. Neque enim omnis est culpanda tentatio : quia et gratulanda est, qua fit probatio (*a*). Et plerumque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi, non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante, respondeat : ubi si Dei munus agnoverit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ. Nunquam sane crederet Abraham, quod victimis Deus delectaretur humanis : quamvis, divino intonante præcepto, obediendum sit, non disputandum. Verumtamen Abraham confestim filium, cum fuisset immolatus, resurrecturum credidisse laudandus est. Dixerat namque illi Deus, cum de ancilla et filio ejus foras ejiciendis voluntatem conjugis nollet implere : *In Isaac vocabitur tibi semen.* Et certe ibi sequitur ac dicitur, *Filium autem ancillæ hujus in magnam gentem faciam illum*[2] ; *quia semen tuum est* (*Gen.* XXI, 12, 13). Quomodo ergo dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen*, cum et Ismaelem Deus semen ejus vocaverit? Exponens autem Apostolus, quid sit, *In Isaac voca-*

[1] Editi, *miseratus sum*. Verius Mss., *miratus sum* : nam græce est apud LXX, *ethaumasa*, quod hic forte sonat, *respexi, reveritus sum.*

[2] Sic Mss. Editi vero, *et ipsos aliquando pluraliter ut dominos, aliquando singulariter ut in eis dominum appellabant.*

[3] Lov., *ut diceretur ad Abraham, Erit in gentem magnam et multam.* Editi alii et manuscripti consentiunt cum Septuaginta.

(*a*) Conf. supra, lib. 14, cap. 18, initio.

[1] Sic Mss. Editi autem, *illius.*

[2] In editis omittitur, *illum*. Habetur tamen in manuscriptis et apud Septuaginta.

(*a*) Quod explicat in Quæstionibus in Genesim, quæst. 57, et in Exodum, quæst. 58. Ambrosius, de Abraham patriarcha, lib. 1, cap. 8 : « Aliter Deus tentat, aliter diabolus : diabolus tentat, ut subruat ; Deus tentat, ut coronet. » COQUÆUS.

bitur tibi semen : Id est, inquit, *non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed filii promissionis deputantur in semine* [1]. (*Rom.* IX, 8). Ac per hoc filii promissionis, ut sint semen Abrahæ, in Isaac vocantur, hoc est, in Christum [2] vocante gratia congregantur. Hanc ergo promissionem pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri, quem Deus jubebat occidi, non hæsitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus. Sic intellectum est et in Epistola ad Hebræos, et sic expositum. *Fide*, inquit, *præcessit Abraham, in Isaac* [3] *tentatus ; et unicum obtulit, qui promissiones suscepit, ad quem dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen : cogitans quia et ex mortuis excitare potest Deus.* Proinde addidit, *Pro hoc etiam eum et in similitudinem adduxit* (*Hebr.* XI, 17-19). Cujus similitudinem, nisi illius de quo dicit idem Apostolus, *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32)? Propterea et Isaac, sicut Dominus, crucem suam, ita sibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipse portavit. Postremo quia Isaac occidi non oportebat, posteaquam est pater ferire prohibitus, quis erat ille aries, quo immolato impletum est significativo sanguine sacrificium? Nempe quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, nisi Jesus, antequam immolaretur, spinis Judaicis coronatus?

2. Sed divina per Angelum verba potius audiamus. Ait quippe Scriptura : *Et extendit Abraham manum suam sumere machæram, ut occideret filium suum. Et vocavit illum Angelus Domini de cœlo, et dixit : Abraham ! Ille autem dixit : Ecce ego. Et dixit : Non injicias manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc enim scivi quia times Deum tu* [4], *et non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Nunc scivi*, dictum est, nunc sciri feci : neque enim hoc nondum sciebat Deus. Deinde ariete illo immolato pro Isaac filio suo, *vocavit*, ut legitur, *Abraham nomen loci illius, Dominus vidit : ut dicant hodie, In monte Dominus apparuit.* Sicut dictum est, *Nunc scivi*, pro eo quod est, Nunc sciri feci : ita hic, *Dominus vidit ;* pro eo quod est, Dominus apparuit; hoc est, Videri se fecit. *Et vocavit Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus, propter quod fecisti verbum hoc, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me, nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, et tanquam arenam quæ est juxta labium maris. Et hæreditate possidebit semen tuum civitates adversariorum* [5] ; *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ ; quia obaudisti vocem meam* (*Gen.* XXII, 10-18). Hoc modo est illa de vocatione gentium in semine Abrahæ, post holocaustum, quo significatus est Christus, etiam juratione Dei firmata promissio. Sæpe enim promiserat, sed nunquam juraverat. Quid autem est Dei veri veracisque juratio, nisi promissi confirmatio, et infidelium quædam increpatio?

3. Post hæc Sarra mortua est, centesimo et vicesimo septimo anno vitæ suæ (*Gen.* XXIII, 1), centesimo autem et tricesimo septimo viri sui. Decem quippe annis eam præcedebat ætate ; sicut ipse, quando sibi ex illa promissus est filius, ait, *Si mihi annorum centum nascetur filius, et si Sarra annorum nonaginta pariet* (*Id.* XVII, 17)? Tunc emit agrum Abraham, in quo sepelivit uxorem. Tunc ergo, secundum narrationem Stephani, in terra illa est collocatus, quoniam cœpit ibi esse possessor (*Act.* VII, 4) ; post mortem scilicet patris sui, qui colligitur ante biennium fuisse defunctus.

CAPUT XXXIII. — *De Rebecca nepte Nachor, quam Isaac accepit uxorem.*

Deinde Rebeccam, neptem Nachor patrui sui, cum annorum quadraginta esset Isaac, duxit uxorem, centesimo scilicet et quadragesimo anno vitæ patris sui, triennio post mortem matris suæ. Ut autem illam duceret, quando ab ejus patre in Mesopotamiam servus missus est, quid aliud demonstratum est, cum eidem servo dixit Abraham, *Pone manum tuam sub femore meo, et adjurabo te per Dominum Deum cœli et Dominum terræ, ut non sumas filio meo Isaac uxorem de filiabus Chananæorum* (*Gen.* XXIV, 2, 3), nisi Dominum Deum cœli et Dominum terræ in carne, quæ ex illo femore trahebatur, fuisse venturum? Numquid hæc parva sunt prænuntiatæ indicia veritatis, quam compleri videmus in Christo [1] ?

CAPUT XXXIV. — *Quid intelligendum sit in eo quod Abraham post mortem Sarræ accepit uxorem Cethuram.*

Quid autem sibi vult, quod Abraham post mortem Sarræ Cethuram duxit uxorem (a)? Ubi absit ut incontinentiam suspicemur, præsertim in illa jam ætate, et in illa fidei sanctitate. An adhuc procreandi filii quærebantur, cum jam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac per stellas cœli et arenam terræ fide probatissima teneretur? Sed profecto si Agar et Ismael, doctore Apostolo, significaverunt carnales veteris Testamenti (*Galat.* IV, 24) ; cur non etiam Cethura et filii ejus significent carnales, qui se ad Testamentum novum existimant pertinere? Ambæ quippe et uxores Abrahæ, et concubinæ sunt appellatæ : Sarra vero nunquam dicta est concubina [2]. Nam et quando data est Agar Abrahæ, ita scriptum est : *Et apprehendit Sarra uxor Abram Agar Ægyptiam ancillam suam, post decem annos quam habitaverat Abram*

[1] Fr. Lov., *filii repromissionis deputantur in semen* ; dissentientibus editis aliis et manuscriptis.
[2] Sola editio Lov., *in Christo.*
[3] Nonnulli Mss., *Fide, inquit, obtulit Abraham Isaac.* — Mss. 2050, 2051 et 2053 legunt, *Fide autem non pepercit Abraham Isaac.* M.
[4] Editi, *Deum tuum.* Melius Mss. juxta Septuaginta, *Deum tu.*
[5] Editi addunt, *suorum* : quod a manuscriptis et a Septuaginta abest.

[1] Sic Mss. At editi, *indicia veritatis, quæ compleri videmus in Christo.*
[2] In editis additur, *sed uxor tantum.*

(a) Hieronymus in Traditionibus hebraicis refert opinionem Hebræorum, existimantium Cethuram ipsam fuisse Agar. [illegible]

in terra Chanaan, et dedit eam Abram viro suo, ipsi[1] *uxorem*[1] (*Gen.* XVI, 3). De Cethura autem quam post obitum Sarræ accepit, sic legitur : *Adjiciens autem Abraham sumpsit uxorem, cui nomen Cethura.* Ecce ambæ dicuntur uxores : ambæ porro concubinæ fuisse reperiuntur, postea dicente Scriptura, *Dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, et filiis concubinarum suarum dedit Abraham dationes, et dimisit eos ab Isaac filio suo adhuc se vivo, ad Orientem, in terram Orientis* (*Id.* XXV, 1, 5, 6). Habent ergo nonnulla munera filii concubinarum, sed non perveniunt ad regnum promissum, nec hæretici, nec Judæi carnales : quia præter Isaac nullus est hæres ; et *non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed filii promissionis deputantur in semine* (*Rom.* IX, 8), de quo dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI, 12). Neque enim video, cur etiam Cethura post uxoris mortem ducta, nisi propter hoc mysterium, dicta sit concubina. Sed quisquis hæc non vult in istis significationibus accipere, non calumnietur Abrahæ. Quid si enim et hoc provisum est contra hæreticos futuros secundarum adversarios nuptiarum (*a*), ut in ipso patre multarum gentium post obitum conjugis iterum conjugari demonstraretur non esse peccatum? Et mortuus est Abraham, cum esset annorum centum septuaginta quinque[2] (*Id.* XXV, 7). Annorum ergo septuaginta quinque Isaac filium dereliquit, quem centenarius genuit.

CAPUT XXXV. — *De geminis adhuc in utero Rebeccæ matris inclusis quid indicaverit divina responsio.*

Jam ex hoc, quemadmodum per posteros Abrahæ civitatis Dei procurrant tempora, videamus. A primo igitur anno vitæ Isaac, usque ad sexagesimum quo ei nati sunt filii, illud memorabile est, quod cum illi Deum roganti ut pareret uxor ejus, quæ sterilis erat, concessisset Dominus quod petebat, atque haberet illa conceptum, gestiebant gemini adhuc in utero ejus inclusi. Qua molestia cum angeretur, Dominum interrogavit, accepitque responsum : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo separabuntur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Ibid.*, 23). Quod Paulus apostolus magnum vult intelligi gratiæ documentum : quia nondum illis natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, sine ullis bonis meritis eligitur minor, majore reprobato (*Rom.* IX, 11-13) : quando procul dubio, quantum attinet ad originale peccatum, ambo pares erant ; quantum autem ad proprium, ullius eorum nullum erat. Sed nunc de hac re dicere aliquid latius, instituti operis ratio non sinit, unde et in aliis jam multa diximus. Quod autem dictum est, *Major serviet minori*, nemo fere nostrum aliter intellexit, quam majorem populum Judæorum minori populo Christiano serviturum. Et revera quamvis in gente Idumæorum, quæ nata est de majore, cui duo nomina erant (nam et Esau vocabatur, et Edom, unde Idumæi), hoc videri possit impletum ; quia postea superanda fuerat a populo, qui ortus est ex minore, id est Israelitico, eique fuerat futura subjecta : tamen in aliquid majus intentam fuisse istam prophetiam, qua dictum est, *Populus populum superabit, et major serviet minori*, convenientius creditur. Et quid est hoc, nisi quod in Judæis et Christianis evidenter impletur?

CAPUT XXXVI. — *De oraculo et benedictione, quam Isaac non aliter quam pater ipsius, merito ejusdem dilectus*[1], *accepit.*

Accepit etiam Isaac oraculum tale, quale aliquoties pater ejus acceperat. De quo oraculo sic scriptum est : *Facta est autem fames super terram, præter famem quæ prius facta est in tempore Abrahæ. Abiit autem Isaac ad Abimelech regem Philistinorum in Gerara. Apparuit autem illi Dominus, et dixit : Noli descendere in Ægyptum : habita autem in terra quam tibi dixero, et incole in terra hac ; et ero tecum, et benedicam te. Tibi enim et semini tuo dabo omnem terram hanc : et statuam juramentum meum quod juravi Abrahæ patri tuo ; et multiplicabo semen tuum tanquam stellas cœli, et dabo semini tuo omnemne, et benedicentur terram ha in semine tuo omnes gentes terræ, pro eo quod obaudivit Abraham pater tuus vocem meam, et custodivit præcepta mea, et mandata mea, et justificationes meas, et legitima mea* (*Gen.* XXVI, 1-5). Iste patriarcha nec uxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam, sed posteritate duorum geminorum ex uno concubitu procreatorum contentus fuit. Timuit sane etiam ipse periculum de pulchritudine conjugis, cum habitaret inter alienos, fecitque quod pater, ut eam sororem diceret, taceret uxorem : erat enim ei propinqua paterno et materno sanguine : sed etiam ipsa ab alienigenis[2], cognito quod uxor ejus esset, mansit intacta. Nec ideo tamen istum patri ejus præferre debemus, quia iste nullam feminam præter unam conjugem noverat. Erant enim procul dubio paternæ fidei et obedientiæ merita potiora, in tantum ut propter illum dicat Deus, huic se facere bona quæ facit : *Benedicentur*, inquit, *in semine tuo omnes gentes terræ, pro eo quod obaudivit Abraham pater tuus vocem meam, et custodivit præcepta mea, et mandata mea, et justificationes meas, et legitima mea.* Et alio rursus oraculo : *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham patris tui : noli timere; tecum enim sum, et benedixi te, et multiplicabo semen tuum propter Abraham patrem tuum* (*Ibid.* 24). Ut intelligamus quam caste Abraham fecerit, quod hominibus impudicis et nequitiæ suæ de Scripturis sanctis patrocinia requirentibus videtur fecisse libidine : deinde ut etiam hoc noverimus, non ex bonis singulis inter se homines comparare, sed in unoquoque consideremus universa. Fieri enim potest, ut habeat aliquid in vita et moribus quispiam quo superat alium,

[1] Vox, *ipsi*, deest in editis; sed habetur in manuscriptis et apud Septuaginta.
[2] Hoc et proximo loco abest, *quinque*, a manuscriptis.
(*a*) Secundas nuptias Cataphryges nihil a fornicatione differre censebant, ut scribit Augustinus in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, hær. 26.

[1] Sic Mss. At editi, *merito ejusdem ac dilectione.*
[2] Mss., *ab alienis.*

idque sit longe præstabilius, quam est illud unde ab alio superatur. Ac per hoc sano veroque judicio, cum continentia conjugio præferatur, melior est tamen homo fidelis conjugatus, quam continens infidelis. Sed infidelis homo non solum minus laudandus, verum etiam maxime detestandus est. Constituamus ambos bonos [1]; etiam sic profecto melior est conjugatus fidelissimus et obedientissimus Deo, quam continens minoris fidei minorisque obedientiæ: si vero paria sint cætera, continentem conjugato præferre [2] quis ambigat?

CAPUT XXXVII. — *De his quæ in Esau et Jacob mystice præfigurabantur.*

Duo igitur Isaac filii, Esau et Jacob, pariter crescunt. Primatus majoris transfunditur in minorem ex pacto et placito inter illos, eo quod lenticulam, quem cibum minor paraverat [3], major immoderatius concupivit, eoque pretio primogenita sua fratri juratione interposita vendidit. Ubi discimus in vescendo non cibi genere, sed aviditate immoderata quemque culpandum. Senescit Isaac, ejusque oculis per senectam visus aufertur. Vult benedicere filium majorem, et pro illo nesciens benedicit minorem, pro fratre majore, qui erat pilosus, se paternis manibus supponentem, hædinis sibi pelliculis coaptatis velut aliena peccata portantem. Iste dolus Jacob, ne putaretur fraudulentus dolus, et non in eo magnæ rei mysterium quæreretur, superius prædixit Scriptura: *Erat Esau homo sciens venari, agrestis: Jacob autem homo simplex, habitans domum* (*Gen.* XXV, 29-34, 27). Hoc nostri quidam interpretati sunt, *sine dolo*. Sive autem *sine dolo*, sive *simplex*, sive potius *sine fictione* dicatur, quod est græce ἄπλαστος, quis est in ista percipienda benedictione dolus hominis sine dolo? quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? Ipsa autem benedictio qualis est? *Ecce*, inquit, *odor filii mei tanquam odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus de rore cœli, et de ubertate terræ, et multitudinem frumenti et vini: et serviant tibi gentes, et adorent te principes, et fias* [4] *dominus fratris tui, et adorabunt te filii patris tui. Qui maledixerit te, maledictus; et qui benedixerit te, benedictus.* Benedictio igitur Jacob, prædicatio Christi est in omnibus gentibus. Hoc fit, hoc agitur. Lex et Prophetia est Isaac [5]: etiam per os Judæorum Christus ab illa benedicitur velut a nesciente, quia ipsa nescitur. Odore nominis Christi, sicut ager, mundus impletur: ejus est benedictio de rore cœli, hoc est, de verborum pluvia divinorum; et de ubertate terræ, hoc est, de congregatione populorum: ejus est multitudo frumenti et vini, hoc est, multitudo quam colligit frumentum et vinum in Sacramento corporis et sanguinis ejus. Ei serviunt gentes, ipsum adorant principes. Ipse est dominus fratris sui, quia populus ejus dominatur Judæis. Ipsum adorant filii patris ejus, hoc est, filii Abrahæ secundum fidem: quia et ipse filius est Abrahæ secundum carnem. Ipsum qui maledixerit, maledictus; et qui benedixerit, benedictus est. Christus, inquam, noster etiam ex ore Judæorum, quamvis errantium, sed tamen Legem Prophetasque cantantium benedicitur, id est veraciter dicitur; et alius benedici putatur, qui ab eis errantibus exspectatur. Ecce benedictionem promissam repetente majore, expavescit Isaac, et alium pro alio se benedixisse cognoscens miratur, et quisnam ille sit, percunctatur: nec tamen se deceptum esse conqueritur; imo confestim revelato sibi intus in corde magno sacramento devitat indignationem, confirmat benedictionem. *Quis ergo*, inquit, *venatus est mihi venationem, et intulit mihi, et manducavi ab omnibus, antequam tu venires, et benedixi eum, et sit benedictus* (*Gen.* XXVII, 27-29, 33)? Quis non hic maledictionem potius exspectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur? O res, gestas sed prophetice gestas; in terra, sed cœlitus; per homines, sed divinitus! Si excutiantur singula tantis fecunda mysteriis, multa sunt implenda volumina: sed huic operi modus moderate imponendus nos in alia festinare compellit.

CAPUT XXXVIII. — *De misso Jacob in Mesopotamiam ad accipiendam uxorem, et de visione quam in itinere somniavit, et de quatuor ipsius feminis, cum unam petiisset uxorem.*

1. Mittitur Jacob a parentibus in Mesopotamiam, ut ibi ducat uxorem. Patris mittentis hæc verba sunt: *Non accipies uxorem ex filiabus Chananæorum: surgens fuge in Mesopotamiam in domum Bathuel, patris matris tuæ, et sume tibi inde uxorem de filiabus Laban, fratris matris tuæ. Deus autem meus benedicat te, et augeat te, et multiplicet te; et eris in congregationes gentium: et det tibi benedictionem Abrahæ patris tui, tibi et semini tuo post te, ut hæres fias terræ incolatus tui, quam dedit Deus Abrahæ* (*Gen.* XXVIII, 1-4). Hic [1] jam intelligimus segregatum semen Jacob ab alio semine Isaac, quod factum est per Esau. Quando enim dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Id.* XXI, 12), pertinens utique semen ad civitatem Dei; separatum est inde aliud semen Abrahæ, quod erat in ancillæ filio, et quod futurum erat in filiis Cethuræ. Sed adhuc erat ambiguum de duobus geminis filiis Isaac, an ad utrumque, an ad unum eorum illa benedictio pertineret; et si ad unum, quisnam esset illorum. Quod nunc declaratum est, cum prophetice a patre benedicitur Jacob, et dicitur ei: *Et eris in congregationes gentium, et det tibi benedictionem Abrahæ patris tui.*

[1] Sic [illegible] editi, *Sed continens infidelis homo non solum minus laudandus est, quia continet, dum non credat; verum etiam* [illegible] *Constituamus ergo ambos bonos.*

[2] Mss. [illegible], *præferri*. M.

[3] [illegible], *eo quod lenticulam, quam minor paraverat.* M.

[4] [illegible] *et fias*.

[5] [illegible], *est in Isaac*. Abest in [illegible] Vind. Am. et Mss.

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *Hinc*.

[illegible] *patris mei*.

2. Pergens itaque in Mesopotamiam Jacob, in somnis accepit oraculum, de quo sic scriptum est : *Et exiit Jacob a Puteo jurationis, et profectus est in Charran, et devenit in locum, et dormivit ibi : occiderat enim sol : et sumpsit ex lapidibus loci, et posuit ad caput suum, et dormivit in loco illo, et somniavit. Et ecce scala stabilita super terram, cujus caput pertingebat ad cœlum : et Angeli Dei ascendebant et descendebant per illam; et Dominus incumbebat super illam; et dixit : Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac, noli timere : terram in qua tu dormis super eam* [1], *tibi dabo illam, et semini tuo : et erit semen tuum sicut arena terræ; et dilatabitur super Mare, et in Africum, et in Aquilonem, et ad Orientem : et benedicentur in te omnes tribus terræ, et in semine tuo. Et ecce ego sum tecum, custodiens te in omni via quacumque ibis; et reducam te in terram hanc : quia non te derelinquam, donec faciam omnia, quæ tecum locutus sum. Et surrexit Jacob de somno suo, et dixit : Quia Dominus est in loco hoc, ego autem nesciebam. Et timuit, et dixit : Quam terribilis locus hic! non est hoc* [2] *nisi domus Dei, et hæc porta est cœli. Et surrexit Jacob, et sumpsit lapidem quem supposuit ibi* [3] *ad caput, et statuit illum in titulum, et superfudit oleum in cacumen ejus : et vocavit Jacob nomen loci illius, Domus Dei* (*Gen.* XXVIII, 10-19). Hoc ad prophetiam pertinet : nec more idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum deum; neque enim adoravit eumdem lapidem, vel ei sacrificavit : sed quoniam Christi nomen a chrismate est, id est ab unctione; profecto figuratum est hic aliquid, quod ad magnum pertineat sacramentum. Scalam vero istam intelligitur ipse Salvator nobis in memoriam revocare in Evangelio, ubi cum dixisset de Nathanaele, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est;* quia Israel viderat istam visionem, ipse est enim Jacob : eodem loco ait, *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (*Joan.* I, 47, 51).

3. Perrexit ergo Jacob in Mesopotamiam, ut inde acciperet uxorem. Unde autem illi acciderit quatuor habere feminas, de quibus duodecim filios et unam filiam procreavit, cum earum nullam concupisceret illicite, divina Scriptura indicat. Ad unam quippe accipiendam venerat (*Gen.* XXIX); sed cum illi altera pro altera supposita fuisset, nec ipsam dimisit, qua nesciens usus fuerat in nocte, ne ludibrio eam videretur habuisse; et eo tempore, quando multiplicandæ posteritatis causa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam, cui uni jam futuri conjugii fidem fecerat. Quæ cum esset sterilis, ancillam suam, de qua filios ipsa susciperet, marito dedit : quod etiam major soror ejus, quamvis peperisset, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Jacob legitur petiisse præter unam, nec usus plurimis nisi gignendæ prolis officio, conjugali jure servato, ut neque hoc faceret, nisi uxores ejus id fieri flagitassent, quæ corporis viri auferebant legitimam potestatem. Genuit ergo duodecim filios et unam filiam ex quatuor mulieribus. Deinde ingressus est in Ægyptum per filium suum Joseph, qui venditus ab invidentibus fratribus eo perductus fuit, atque ibidem sublimatus.

[1] Er. et Lov., *per eam.* Castigantur ex editis aliis et Mss.
[2] Editi, *non est hic.* At Mss., *non est hoc*; juxta græcum, *toûto.*
[3] Apud Lov., *supposuit sibi.* In Mss. autem est, *supposuit ibi.* Apud LXX *ekei.*

CAPUT XXXIX. — *Qua ratione fuerit ut Jacob etiam Israel cognominaretur.*

Jacob autem etiam Israel, sicut paulo ante dixi, vocabatur : quod nomen magis populus ex illo procreatus obtinuit. Hoc autem nomen illi ab Angelo impositum est, qui cum illo fuerat in itinere de Mesopotamia redeunte luctatus, typum Christi evidentissime gerens. Nam quod ei prævaluit Jacob, utique volenti, ut mysterium figuraret, significat passionem Christi, ubi visi sunt ei prævalere Judæi. Et tamen benedictionem ab eodem angelo, quem superaverat, impetravit : ac sic hujus nominis impositio benedictio fuit. Interpretatur autem Israel, Videns Deum : quod erit in fine præmium omnium sanctorum. Tetigit porro illi idem angelus velut prævalenti latitudinem femoris, eumque isto modo claudum reddidit (*Gen.* XXXII, 24-29). Erat itaque unus atque idem Jacob et benedictus et claudus; benedictus in eis qui in Christum ex eodem populo crediderunt, atque in infidelibus claudus (*a*). Nam femoris latitudo, generis est multitudo. Plures quippe sunt in ea stirpe, de quibus prophetice prædictum est : *Et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII, 46).

CAPUT XL. — *Quomodo Jacob cum septuaginta quinque animabus Ægyptum narretur ingressus; cum plerique ex his qui commemorantur, tempore posteriore sint geniti.*

Ingressi itaque referuntur in Ægyptum simul cum ipso Jacob septuaginta quinque homines (*Gen.* XLVI, 27, *sec.* LXX, *et Act.* VII, 14), annumerato ipso cum [1] filiis suis. In quo numero duæ tantum feminæ commemorantur, una filia, neptis altera. Sed res diligenter considerata non indicat, quod tantus numerus fuerit in progenie Jacob die vel anno quo ingressus est Ægyptum. Commemorati sunt quippe in eis etiam pronepotes Joseph, qui nullo modo jam tunc esse potuerunt : quoniam tunc centum triginta annorum erat Jacob, filius vero ejus Joseph triginta novem; quem cum accepisse tricesimo anno suo, vel amplius, constet uxorem, quomodo potuit per novem annos habere pronepotes de filiis, quos ex eadem uxore suscepit? Cum igitur nec filios haberent Ephræm et Manasses filii Joseph, sed eos pueros infra quam novennes Jacob Ægyptum ingressus invenerit, quo pacto eorum non solum filii, sed etiam nepotes, in illis septuaginta quinque numerantur, qui tunc Ægyptum ingressi sunt cum Jacob? Nam commemoratur ibi Machir filius Manasse, nepos Joseph, et ejusdem Machir filius, id est Galaad, nepos Manasse, pronepos Joseph : ibi est et quem genuit Ephræm, alter filius

[1] Particula, *cum*, abest a Mss.
(*a*) Conf. Enarr. in Psal. XLIV, n. 20.

Joseph, id est Utalaam [1], nepos Joseph; et filius ipsius Utalææ Edem, nepos Ephræm, pronepos Joseph (*Gen.* L, 22; *Num.* XXVI, 29 *sqq.*): qui nullo modo esse potuerunt, quando Jacob in Ægyptum venit, et filios Joseph nepotes suos, avos istorum, minores quam novem annorum pueros invenit. Sed nimirum introitus Jacob in Ægyptum, quando eum in septuaginta quinque animabus Scriptura commemorat, non unus dies, vel unus annus, sed totum illud est tempus, quamdiu vixit Joseph, per quem factum est ut intrarent. Nam de ipso Joseph eadem Scriptura sic loquitur: *Et habitavit Joseph in Ægypto, ipse et fratres ejus, et omnis cohabitatio patris ejus: et vixit annos centum et decem, et vidit Joseph filios Ephræm usque in tertiam generationem.* Ipse est ille pronepos ejus ab Ephræm tertius. Generationem quippe tertiam dicit, filium, nepotem, pronepotem. Deinde sequitur: *Et filii Machir, filii Manasse, nati sunt supra femora Joseph* (*Gen.* L, 22). Et hic ille ipse est nepos Manasse, pronepos Joseph. Sed pluraliter appellati sunt, sicut Scriptura consuevit; quæ unam quoque filiam Jacob filias nuncupavit: sicut in latinæ linguæ consuetudine liberi dicuntur pluraliter filii, etiamsi non sint uno amplius (*a*). Cum ergo ipsius Joseph prædiceretur felicitas, quia videre potuit pronepotes, nullo modo putandi sunt jam fuisse tricesimo nono anno proavi sui Joseph, quando ad eum in Ægyptum Jacob pater ejus advenit. Illud autem est, quod fallit minus ista diligenter intuentes, quoniam scriptum est, *Hæc autem nomina filiorum Israel, qui intraverunt in Ægyptum simul cum Jacob patre suo* (*Id.* XLVI, 8). Hoc enim dictum est, quia simul cum illo computantur septuaginta quinque, non quia simul jam erant omnes, quando Ægyptum ingressus est ipse: sed, ut dixi, totum tempus habetur ejus ingressus, quo vixit Joseph, per quem videtur ingressus.

CAPUT XLI.— *De benedictione, quam Jacob in Judam filium suum promisit.*

Igitur propter populum christianum, in quo Dei civitas peregrinatur in terris, si carnem Christi in Abrahæ semine requiramus, remotis concubinarum filiis, occurrit Isaac: si in semine Isaac, remoto Esau, qui est etiam Edom, occurrit Jacob, qui est et Israel: si in semine Israel ipsius, remotis cæteris, occurrit Judas, quia de tribu Juda exortus est Christus. Ac per hoc cum in Ægypto moriturus Israel filios suos benediceret, quemadmodum Judam prophetice benedixerit, audiamus: *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui. Manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ex germinatione, fili mi, ascendisti: recumbens dormisti ut leo, et ut catulus leonis; quis suscitabit eum? Non deficiet princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei: et ipse exspectatio gentium* [1]; *alligans ad vitem pullum suum, et cilicio* (*a*) *pullum asinæ suæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum. Fulvi oculi ejus a vino, et dentes candidiores lacte* (*Gen.* XLIX, 8-12). Exposui hæc adversus Manichæum Faustum disputans (*Contra Faustum Manichæum, lib.* 12, *cap.* 42): et satis esse arbitror, quantum veritas prophetiæ hujus elucet; ubi et mors Christi prædicta est verbo dormitionis, et non necessitas, sed potestas in morte, nomine leonis. Quam potestatem in Evangelio ipse prædicat, dicens: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo eam tollit a me: sed ego eam pono a me, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18, 17). Sic leo fremuit, sic quod dixit implevit. Ad eam namque pertinet potestatem, quod de resurrectione ejus adjunctum est, *Quis suscitabit eum?* hoc est, quia nullus hominum, nisi se ipse, qui etiam de corpore suo dixit, *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Id.* II, 19). Ipsum autem genus mortis, hoc est sublimitas crucis, in uno verbo intelligitur, quod ait, *Ascendisti*. Quod vero addidit, *Recumbens dormisti*, evangelista exponit, ubi dicit, *et inclinato capite tradidit spiritum* (*Id.* XIX, 30). Aut certe sepultura ejus agnoscitur, in qua recubuit dormiens; et unde illum nullus hominum, sicut Prophetæ aliquos, vel sicut ipse alios suscitavit, sed sicut a somno ipse surrexit. Stola porro ejus quam lavat in vino, id est, mundat a peccatis in sanguine suo, cujus sanguinis sacramentum baptizati sciunt, unde et adjungit, *Et in sanguine uvæ amictum suum*, quid est nisi Ecclesia? *Et fulvi oculi ejus a vino*: spirituales ejus inebriati poculo ejus, de quo canit Psalmus, *Et calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5)! *Et dentes ejus candidiores lacte*: quod potant apud Apostolum parvuli, verba scilicet nutrientia, nondum idonei solido cibo (I *Cor.* III, 2). Ipse igitur est in quo reposita erant promissa Judæ, quæ donec venirent, nunquam principes, hoc est reges, Israel ab illa stirpe defuerunt. *Et ipse exspectatio gentium*: quod clarius est videndo, quam sit exponendo.

CAPUT XLII.— *De filiis Joseph, quos Jacob prophetica manuum suarum transmutatione benedixit.*

Sicut autem duo Isaac filii, Esau et Jacob, figuram præbuerunt duorum populorum in Judæis et Christianis (quamvis quod ad carnis propaginem pertinet, nec Judæi venerint ex semine Esau, sed Idumæi; nec Christianæ gentes de Jacob, sed potius Judæi (*b*), ad hoc enim tantum figura valuit, quod dictum est, *Major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23)); ita factum est etiam in duobus filiis Joseph: nam major gessit typum Judæorum, Christianorum autem minor. Quos

[1] Nonnulli probæ notæ Mss., *Intalaam*, vel *Utalaam*. Apud septuaginta vero, *Sutalaam*. Mox post, *nepos Joseph*; in editis sic legebatur, *ibi est et Bareth filius ipsius Utalaæ, id est nepos Ephræm*. Emendantur auctoritate veterum librorum, quibus suffragatur editio septuaginta, nisi quod hæc pro, *Edem*, habet, *Edom*, et, *Sutalaæ*; pro, *Utalaæ*.

(*a*) Ita latine unus filius *liberi* dicitur, sicut Gellius scribit, Noct. Attic. lib. 2, cap. 13, affertque dictum Sempronii Asellionis historici, qui de unico Tiberii Gracchi filio *liberos* dixit. Item Caius, jurisconsultus, libro Digestorum 50 [illegible] Lud. Vives.

[1] Editi, *et ipse erit exspectatio gentium*. Abest, *erit*, a manuscriptis et a græco septuaginta.

(*a*) Græce est, *tē helikē*: quod Cyprianus, lib. 1 adversus Judæos, vertit, *ad helicem*, id est ad palmitem.

(*b*) Conf. Epist. 196, ad Asellicum.

cum benediceret Jacob, manum dexteram ponens super minorem, quem habebat ad sinistram; sinistram super majorem, quem habebat ad dextram: grave visum est patri eorum, et admonuit patrem velut corrigens ejus errorem, et quisnam eorum esset major ostendens. At ille mutare manus noluit, sed dixit: *Scio, fili, scio. Et hic erit in populum, et et hic exaltabitur: sed frater ejus junior major illo erit, semen ejus erit in multitudinem gentium* (*Gen.* XLVIII, 19). Etiam hic duo illa promissa demonstrat [1]. Nam ille *in populum*, iste *in multitudinem gentium*: quid evidentius quam his duabus promissionibus contineri populum Israelitarum orbemque terrarum in semine Abrahæ, illum secundum carnem, istum secundum fidem?

CAPUT XLIII. — *De temporibus Moysi, et Jesu Nave, ac Judicum, atque exinde Regum, quorum quidem Saül primus est, sed David præcipuus et sacramento habetur et merito.*

1. Defuncto Jacob, defuncto etiam Joseph, per reliquos centum quadraginta quatuor annos, donec exiretur de terra Ægypti, in modum incredibilem illa gens crevit, etiam tantis attrita persecutionibus, ut quodam tempore nati masculi necarentur, cum mirantes Ægyptios nimia populi illius incrementa terrerent. Tunc Moyses subtractus furto trucidatoribus parvulorum, ad domum regiam, ingentia per eum Deo præparante, pervenit, nutritusque et adoptatus a filia Pharaonis (quod nomen in Ægypto omnium regum fuit), in tantum pervenit virum, ut ipse illam gentem mirabiliter multiplicatam, ex durissimo et gravissimo, quod ibi ferebat, jugo servitutis extraheret, imo per eum Deus, qui hoc promiserat Abrahæ. Prius quippe exinde fugiens, quod, cum Israelitam defenderet, Ægyptium occiderat, et territus fuerat [2]; postea divinitus missus in potestate Spiritus Dei superavit resistentes Pharaonis magos. Tunc per eum Ægyptiis illatæ sunt decem memorabiles plagæ, cum dimittere populum Dei nollent; aqua in sanguinem versa, ranæ et sciniphes, cynomyia, mors pecorum, ulcera, grando, locusta, tenebræ, mors primogenitorum. Ad extremum Israelitas, quos plagis tot tantisque perfracti tandem aliquando dimiserant, Ægyptii in mari Rubro dum persequuntur, exstincti sunt. Illis quippe abeuntibus divisum mare viam fecit: hos autem insequentes in se rediens unda submersit. Deinde per annos quadraginta, duce Moyse, Dei populus per desertum [3] actus est, quando Tabernaculum testimonii nuncupatum est, ubi Deus sacrificiis futura prænuntiantibus colebatur: cum scilicet jam data lex fuisset in monte multum terribiliter; attestabatur enim evidentissima mirabilibus signis vocibusque divinitas. Quod factum est mox ut exitum est de Ægypto, et in deserto populus esse cœpit, quinquagesimo die post celebratum Pascha per ovis immolationem: qui [1] usque adeo typus Christi est, prænuntians eum per victimam passionis de hoc mundo transiturum ad Patrem (Pascha quippe hebræa lingua Transitus interpretatur [*Exod.* XII, 11]), ut jam cum revelaretur Testamentum novum, posteaquam Pascha nostrum immolatus est Christus, quinquagesimo die veniret de cœlo Spiritus sanctus, qui dictus est in Evangelio digitus Dei (*Luc.* XI, 20), ut recordationem nostram in primi præfigurati facti memoriam revocaret; quia et legis illæ tabulæ digito Dei scriptæ referuntur (*Exod.* XXXI, 18).

2. Defuncto Moyse, populum rexit Jesus Nave, et in terram promissionis introduxit, eamque populo divisit. Ab his duobus mirabilibus ducibus bella etiam prosperrime ac mirabiliter gesta sunt, Deo contestante non tam propter merita Hebræi populi, quam propter peccata earum quæ debellabantur gentium, illas eis provenisse victorias. Post istos duces, Judices fuerunt, jam in terra promissionis populo collocato: ut inciperet interim reddi Abrahæ prima promissio de gente una, id est Hebræa, et terra Chanaan; nondum de omnibus gentibus et toto orbe terrarum: quod Christi adventus in carne, et non veteris Legis observationes, sed Evangelii fides fuerat impletura. Cujus rei præfiguratio facta est, quod non Moyses, qui legem populo acceperat in monte Sina, sed Jesus, cui etiam nomen Deo præcipiente mutatum fuerat ut Jesus vocaretur, populum in terram promissionis induxit. Temporibus autem Judicum, sicut se habebant et peccata populi et misericordia Dei, alternaverunt prospera et adversa bellorum.

3. Inde ventum est ad Regum tempora: quorum primus regnavit Saül: quo reprobato et bellica clade prostrato, ejusque stirpe rejecta, ne inde reges orirentur, David successit in regnum, cujus maxime Christus dictus est filius. In quo articulus quidam factus est et exordium quodammodo juventutis populi Dei: cujus generis quædam velut adolescentia ducebatur ab ipso Abraham usque ad hunc David. Neque enim frustra Matthæus evangelista sic generationes commemoravit, ut hoc primum intervallum quatuordecim generationibus commendaret, ab Abraham scilicet usque ad David (*Matth.* I, 17). Ab adolescentia quippe incipit homo posse generare: propterea generationum [2] ex Abraham sumpsit exordium; qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit. Ante hunc ergo velut pueritia fuit hujus generis populi Dei, a Noe usque ad ipsum Abraham: et ideo prima lingua [3] inventa est, id est hebræa. A pueritia namque homo incipit loqui post infantiam, quæ hinc appellata est, quia fari non potest. Quam profecto ætatem primam demergit obli-

[1] Editi, *demonstrant*. Emendantur ex manuscriptis.
[2] Sic Mss. At editi, *Prius quippe exinde ad terram Madiam fugisse refertur, quod, cum Israelitam defenderet, Ægyptium occiderat, et territus fugerat*, vel, *fugeret*.
[3] Mss., *in deserto*.

[1] Sic Mss. Editi autem, *quæ*.
[2] Editi, *generationum series*; et paulo post, *qui etiam pater multarum gentium*. Abest, *series*, a manuscriptis necnon quæ infra addita fuerat vox, *multarum*.
[3] Plures Mss., *et ideo lingua*; omisso, *prima*. Alii veteres libri, *et ideo in lingua*; vel, *et ideo hinc lingua*.

vio, sicut ætas prima generis humani est deleta diluvio. Quota enim quæque est, qui suam recordetur infantiam? Quamobrem in isto procursu civitatis Dei, sicut superior unam eamdemque primam, ita duas ætates secundam et tertiam liber iste contineat, in qua tertia propter vaccam trimam, capram trimam, et arietem trimum (*Gen.* xv, 9), impositum est Legis jugum, et apparuit abundantia peccatorum, et regni terreni surrexit exordium, ubi non defuerunt spiritales, quorum in turture et columba (*Ibid.*) figuratum est sacramentum.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

In quo agitur de civitatis Dei procursu temporibus Regum et Prophetarum a Samuele et David usque ad Christum, et quæ sacris Litteris mandatæ sunt vaticinationes eorumdem temporum in Regum, Psalmorum et Salomonis libris de Christo et Ecclesia exponuntur.

CAPUT PRIMUM. — *De temporibus Prophetarum.*

Promissiones Dei, quæ factæ sunt ad Abraham, cujus semini et gentem Israeliticam secundum carnem et omnes gentes deberi secundum fidem, Deo pollicente, didicimus, quemadmodum compleantur, per ordinem temporum procurrens Dei civitas indicabit[1]. Quoniam ergo superioris libri usque ad regnum David factus est finis, nunc ab eodem regno, quantum suscepto operi sufficere videtur, cætera quæ sequuntur attingimus. Hoc itaque tempus, ex quo sanctus Samuel prophetare cœpit, et deinceps donec populus Israel captivus in Babyloniam duceretur, atque inde secundum sancti Jeremiæ prophetiam post septuaginta annos reversis Israelitis (*Jerem.* xxv, 11) Dei domus instauraretur totum tempus est Prophetarum. Quamvis enim et ipsum Noe patriarcham, in cujus diebus universa terra diluvio deleta est, et alios supra et infra usque ad hoc tempus, quo reges in Dei populo esse cœperunt, propter quædam per eos futura[2] sive quoquo modo significata, sive prædicta, quæ pertinerent ad civitatem Dei regnumque cœlorum, non immerito possimus appellare prophetas; præsertim quia nonnullos eorum id expressius legimus nuncupatos, sicut Abraham (*Gen.* xx, 7), sicut Moysen (*Deut.* xxxiv, 10): tamen dies Prophetarum præcipue maximeque hi dicti sunt, ex quo cœpit prophetare Samuel, qui et Saülem prius, et eo reprobato ipsum David, Deo præcipiente, unxit in regem, de cujus cæteri stirpe succederent, quousque illos succedere sic oporteret. Quæ igitur a Prophetis sunt prædicta de Christo, cum moriendo decedentibus et nascendo succedentibus suis membris civitas Dei per ista curreret tempora, si omnia velim commemorare, in immensum pergitur. Primum quia ipsa Scriptura, quæ per ordinem Reges eorumque facta et eventa digerens, videtur tanquam historica diligentia rebus gestis occupata esse narrandis, si adjuvante Dei Spiritu considerata tractetur, vel magis, vel certe non minus prænuntiandis futuris, quam præteritis enuntiandis, invenietur intenta. Et hoc perscrutando indagare ac disserendo monstrare, quam sit operosum atque prolixum, et quam multis indiguum[1] voluminibus, quis ignorat, qui hæc vel mediocriter cogitat? Deinde quia ea ipsa quæ ad prophetiam non ambigitur pertinere, ita sunt multa de Christo regnoque cœlorum, quæ civitas Dei est, ut ad hoc aperiendum major sit disputatio necessaria, quam hujus operis modus flagitat. Proinde ita, si potuero, stilo moderabor meo, ut huic operi in Dei voluntate peragendo, nec ea quæ supersint dicam, nec ea quæ satis sint prætermittam.

CAPUT II. — *Quo tempore sit impleta promissio Dei de terra Chanaan, quam in possessionem etiam Israel carnalis accepit.*

In præcedente libro diximus, ab initio ad Abraham promissionum Dei duas res fuisse promissas: unam scilicet, quod terram Chanaan possessurum fuerat semen ejus; quod significatur, ubi dictum est, *Vade in terram, quam tibi demonstravero, et faciam te in gentem magnam*: aliam vero longe præstantiorem, non de carnali, sed de spirituali semine, per quod pater est, non unius gentis Israeliticæ, sed omnium gentium, quæ fidei ejus vestigia consequuntur; quod promitti cœpit his verbis: *Et benedicentur in te omnes tribus terræ* (*Gen.* xii, 1-3). Et deinceps aliis multis attestantibus testimoniis hæc duo promissa esse monstravimus. Erat igitur jam in terra promissionis semen Abrahæ, id est populus Israel, secundum carnem: atque ibi non solum tenendo ac possidendo civitates adversariorum, verum etiam reges habendo, regnare jam cœperat, impletis de ipso populo promissionibus Dei jam magna ex parte; non solum quæ illis tribus patribus, Abraham, Isaac, et Jacob, et quæcumque aliæ temporibus eorum, verum etiam quæ per ipsum Moysen, per quem populus idem de servitute Ægyptia liberatus est, et per quem cuncta præterita revelata sunt temporibus ejus, cum populum per eremum duceret, factæ fuerant. Neque autem per insignem ducem Jesum Nave, per quem populus ille in promissionis inductus est terram, expugnatisque gentibus, eam duodecim tribubus, quibus Deus jusserat, divisit, et mortuus est; neque post illum toto tempore Judicum impleta fuerat promissio Dei de terra Chanaan,

[1] Editi, concordantibus manuscriptis plerisque, *indicavit*: et infra Lov., *attingimus*, habent, *attingamus*.
[2] In editis omnibus Lov., *facta*, male.

[1] Vind. Am. Er., *indigeat*. Lov., *dignum*. At melioris notæ Mss., *indiguum*.

a quodam flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem [1] (*Gen.* xv, 18): nec tamen adhuc prophetabatur futurum, sed exspectabatur implendum. Impletum est autem per David, et ejus filium Salomonem; cujus regnum tanto, quanto promissum fuerat, spatio dilatatum est: universos quippe illos subdiderunt, tributariosque fecerunt. Sic igitur in terra promissionis secundum carnem, hoc est in terra Chanaan, sub his regibus semen Abrahæ fuerat constitutum, ut nihil deinde superesset, quo terrena illa Dei promissio compleretur, nisi ut in eadem terra, quantum ad prosperitatem attinet temporalem, per posteritatis successionem inconcusso statu usque ad mortalis sæculi hujus terminum gens permaneret Hebræa, si Domini Dei sui legibus obediret. Sed quoniam Deus noverat, hoc eam non esse facturam, usus est ejus etiam temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles suos, et admonendos qui postea futuri erant in omnibus gentibus, quod eos [2] admoneri oportebat, in quibus alteram promissionem, revelato novo Testamento, per incarnationem Christi fuerat impleturus.

CAPUT III. — *De tripartitis significationibus Prophetarum, quæ nunc ad terrenam, nunc ad cœlestem Jerusalem, nunc autem ad utramque referuntur.*

1. Quocirca, sicut oracula illa divina ad Abraham, Isaac, et Jacob, et quæcumque alia signa, vel dicta prophetica, in sacris Litteris præcedentibus facta sunt: ita etiam cæteræ ab isto Regum tempore prophetiæ partim pertinent ad gentem carnis Abrahæ, partim vero ad illud semen ejus, in quo benedicuntur omnes gentes cohæredes Christi per Testamentum novum, ad possidendam vitam æternam regnumque cœlorum. Partim ergo ad ancillam, quæ in servitutem generat, id est terrenam Jerusalem, quæ servit cum filiis suis; partim vero ad liberam civitatem Dei, id est veram Jerusalem æternam in cœlis, cujus filii homines secundum Deum viventes peregrinantur in terris: sed sunt in eis quædam, quæ ad utramque pertinere intelliguntur, ad ancillam proprie, ad liberam figurate.

2. Tripartita itaque reperiuntur eloquia Prophetarum: siquidem aliqua sunt ad terrenam Jerusalem spectantia, aliqua ad cœlestem, nonnulla ad utramque. Exemplis video probandum esse quod dico. Missus est Nathan propheta, qui regem David argueret de peccato gravi, et ei, quæ consecuta sunt mala, futura prædiceret (II *Reg.* xii). Hæc atque hujusmodi sive publice, id est pro salute vel utilitate populi, sive privatim, cum pro suis quisque rebus divina promereretur eloquia, quibus pro usu temporalis vitæ futuri aliquid nosceretur, ad terrenam civitatem pertinuisse, quis ambigat? Ubi autem legitur, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domui Israel et domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod constituam domui Israel: post dies illos, dicit Dominus, dabo* [1] *leges meas in mentem eorum, et super corda eorum scribam eas, et videbo eos* (*a*), *et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in plebem* (*Jerem.* xxxi, 31-33; *Hebr.* viii, 8-10), Jerusalem sine dubio superna prophetatur, cujus Deus ipse præmium est, eumque habere atque ipsius esse summum illic est [2] atque totum bonum. Ad utramque vero pertinet hoc ipsum, quod Jerusalem dicitur Dei civitas, et in ea prophetatur futura domus Dei, eaque prophetia videtur impleri, cum Salomon rex ædificat illud nobilissimum templum. Hæc enim et in terrena Jerusalem secundum historiam contigerunt, et cœlestis Jerusalem figuræ fuerunt. Quod genus prophetiæ ex utroque veluti compactum atque commixtum in Libris veteribus canonicis, quibus rerum gestarum narrationes continentur, valet plurimum, multumque exercuit et exercet ingenia scrutantium Litteras sacras, ut quod historice prædictum completumque legitur in semine Abrahæ secundum carnem, etiam in semine Abrahæ secundum fidem quid implendum allegorice significet inquiratur: in tantum ut quibusdam visum sit, nihil esse in eisdem libris vel prænuntiatum et effectum, vel effectum, quamvis non prænuntiatum, quod non insinuet aliquid ad supernam civitatem Dei ejusque filios in hac vita peregrinos figurata significatione referendum. Sed si hoc ita est, jam bipartita, non tripartita erunt eloquia Prophetarum, vel potius illarum Scripturarum omnium, quæ veteris Instrumenti appellatione censentur. Nihil enim erit illic, quod ad Jerusalem terrenam tantum pertineat, si quidquid ibi de illa, vel propter illam, dicitur atque completur, significat aliquid, quod etiam Jerusalem cœlestem allegorica præfiguratione referatur: sed erunt sola duo genera, unum quod ad Jerusalem liberam, alterum quod ad utramque pertineat. Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud præter id quod eo modo gestæ sunt significare arbitrantur; ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt (*b*). Ideo tripartita, non bipartita esse dixi. Hoc enim existimo, non tamen culpans eos, qui potuerint illic de quacumque re gesta sensum intelligentiæ spiritualis exsculpere, servata primitus duntaxat historiæ veritate. Cæterum quæ ita dicuntur, ut rebus humanitus seu divinitus gestis sive gerendis convenire non possint, quis fidelis dubitet non esse inaniter dicta? quis ea non ad intelligentiam spiritualem revocet, si possit, aut ab eo qui potest revocanda esse fateatur?

CAPUT IV. — *De præfigurata commutatione Israelitici regni et sacerdotii, et de his quæ Anna mater Samuelis, personam gerens Ecclesiæ, prophetavit.*

1. Procursus igitur civitatis Dei, ubi pervenit ad

[1] Sic Mss. Editi vero, *quod a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem populus ille dominaretur.*

[2] Editi, *in omnibus gentibus, quas per eos.* Castigantur ex manuscriptis.

[1] In manuscriptis habetur, *dando.* Apud LXX est *didous dôsô, dans dabo.*

[2] Sic nostri omnes codices. In B., *summum illi est.* M.

(*a*) Verba, *et videbo eos*, in Bibliis desunt latinis et græcis.

(*b*) Conf. passim libros cont. Faust. Manich.

Regum tempora, quando David Saüle reprobato ita regnum primus obtinuit, ut ejus deinde posteri in terrena Jerusalem diuturna successione regnarent, dedit figuram, re gesta [1] significans atque prænuntians, quod non est prætereundum silentio, de rerum mutatione futurarum, quod attinet ad duo Testamenta, vetus et novum: ubi sacerdotium regnumque mutatum est per sacerdotem eumdemque regem novum ac sempiternum, qui est Christus Jesus. Nam et Heli sacerdote reprobato substitutus [2] in Dei ministerium Samuel, simul officio functus sacerdotis et judicis, et Saüle abjecto rex David fundatus in regno, hoc quod dico figuraverunt. Mater quoque ipsa Samuelis Anna, quæ prius fuit sterilis, et posteriore fecunditate læta est, prophetare aliud non videtur, cum gratulationem suam Domino fundit exsultans: quando eumdem puerum natum et ablactatum Deo reddit eadem pietate, qua voverat. Dicit enim: *Confirmatum est cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatatum est super inimicos meos os meum; lætata sum in salutari tuo. Quoniam non est sanctus, sicut Dominus; et non est justus, sicut Deus noster; non est sanctus præter te. Nolite gloriari superbe* [3], *et nolite loqui excelsa, neque procedat magniloquium de ore vestro. Quoniam Deus scientiarum Dominus, et Deus præparans adinventiones suas. Arcum potentium fecit infirmum, et infirmi præcincti sunt virtute. Pleni panibus minorati sunt, et esurientes transierunt terram. Quia sterilis peperit septem, et multa in filiis infirmata est. Dominus mortificat et vivificat; deducit ad inferos, et reducit. Dominus pauperes facit* [4], *et ditat; humiliat, et exaltat. Suscitat a terra pauperem, et de stercore erigit inopem: ut collocet eum cum potentibus populi* [5], *et sedem gloriæ hæreditatem dans eis: dans votum voventi, et benedixit annos justi: quoniam non in virtute potens est vir. Dominus infirmum faciet adversarium suum, Dominus sanctus. Non glorietur prudens in prudentia sua, et non glorietur potens in potentia sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere et scire Dominum, et facere judicium et justitiam in medio terræ. Dominus ascendit in cœlos, et tonuit: ipse judicabit extrema terræ quia justus est* (*a*); *et dat virtutem regibus nostris, et exaltabit cornu Christi sui.* (I *Reg.* II, 1-10, *sec.* LXX).

2. Itane vero verba hæc unius putabuntur esse mulierculæ, de nato sibi filio gratulantis? tantumne mens hominum a luce veritatis aversa est, ut non sentiat supergredi modum feminæ hujus dicta quæ fudit? Porro qui rebus ipsis, quæ jam cœperunt etiam in hac terrena peregrinatione compleri, convenienter movetur, nonne intendit, et aspicit, et agnoscit per hanc mulierem, cujus etiam nomen, id est Anna, Gratia ejus interpretatur, ipsam religionem christianam, ipsam civitatem Dei, cujus rex est et conditor Christus, ipsam postremo Dei gratiam prophetico spiritu sic locutam, a qua superbi alienantur, ut cadant, qua humiles implentur, ut surgant, quod maxime hymnus iste personuit? Nisi quisquam forte dicturus est, nihil istam prophetasse mulierem, sed Deum tantummodo propter filium, quem precata impetravit, exsultanti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult quod ait: *Arcum potentium fecit infirmum, et infirmi præcincti sunt virtute: pleni panibus minorati sunt, et esurientes transierunt terram: quia sterilis peperit septem, et multa in filiis infirmata est?* Numquid septem ipsa pepererat, quamvis sterilis fuerit? Unicum habebat, quando ista dicebat: sed nec postea septem peperit, sive sex, quibus septimus esset ipse Samuel; sed tres mares, et duas feminas (I *Reg.* II, 20). Deinde in illo populo cum adhuc nemo regnaret, quod in extremo posuit, *Dat virtutem regibus nostris, et exaltabit cornu Christi sui;* unde dicebat, si non prophetabat?

3. Dicat ergo Ecclesia Christi, civitas Regis magni, gratia plena, prole fecunda; dicat quod tanto ante de se prophetatum per os hujus piæ matris agnoscit: *Confirmatum est cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Vere confirmatum cor, et cornu vere exaltatum; quia non in se, sed in Domino Deo suo. *Dilatatum est super inimicos meos os meum:* quia et in angustiis pressurarum sermo Dei non est alligatus, nec in præconibus alligatis. *Lætata sum*, inquit, *in salutari tuo.* Christus est iste Jesus, quem Simeon, sicut in Evangelio legitur, senex amplectens parvum [1], agnoscens magnum, *Nunc dimittis*, inquit, *Domine, servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29 et 30). Dicat itaque Ecclesia, *Lætata sum in salutari tuo. Quoniam non est sanctus, sicut Dominus; et non est justus, sicut Deus noster;* tanquam sanctus et sanctificans, justus et justificans. *Non est sanctus præter te:* quia nemo fit nisi abs te. Denique sequitur, *Nolite gloriari superbe* [2], *et nolite loqui excelsa, neque exeat magniloquium de ore vestro. Quoniam Deus scientiarum Dominus.* Ipse vos scit, et ubi nemo scit [3]: quoniam *qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, se ipsum seducit* (*Galat.* VI, 3). Hæc dicuntur adversariis civitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumentibus, in se, non in Domino glorianttibus; ex quibus sunt etiam carnales Israelitæ, terrenæ Jerusalem cives terrigenæ, qui, ut dicit Apostolus, *ignorantes Dei justitiam*, id est quam dat homini Deus, qui solus est justus et justificans; *et suam volentes constituere*, id est, velut a se sibi partam, non ab illo impertitam; *justitiæ Dei non sunt*

[1] Sic Mss. At editi, *rei gestæ*. Et infra ex his duo, Fr. et Lov., post, [illegible], habent, [illegible].
[2] Er. et Lov., *substitutus est*. Expungi debuit, *est*, juxta Vind. Am. et Mss.
[3] Editi, *nolite gloriari*, omisso, *superbe*, quod manuscripti [illegible] consequuntur. — Abest vox illa a Mss. 20 et 258 et 265 M.
[4] Sic Mss. At editi, *Dominus pauperem facit*. In græco est, *pauperat*.
[5] Ita Vind. Am. et manuscripti juxta Septuaginta. At Er. et Lov., *populi sui*: et paulo post, *dans ei*.
(*a*) Editi [illegible] omittunt, *quia justus est*. Habent græca quædam exemplaria et Theodoretus, [illegible] in

[1] Sic Mss. Editi, *parvulum*.
[2] Nostri omnes codices omittunt verbum, *superbe*. M.
[3] Sic veteres libri, exceptis nonnullis, qui habent, *Ipse vos scit, et ubi nemo scit*. At editi, *Ipse, et nemo scit quod ipse scit*.

subjecti (*Rom.* x, 3), utique quia superbi, de suo putantes, non de Dei, posse placere se Deo, qui est Deus scientiarum, atque ideo et arbiter conscientiarum, ibi videns cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt (*Psal.* xciii, 11), si hominum sunt, et ab illo non sunt. *Et præparans*, inquit, *adinventiones suas*. Quas adinventiones putamus, nisi ut superbi cadant, et humiles surgant? Has quippe adinventiones exsequitur, dicens, *Arcus potentium infirmatus est, et infirmi præcincti sunt virtute*. Infirmatus est arcus, id est, intentio eorum qui tam potentes sibi videntur, ut sine Dei dono atque adjutorio humana sufficientia divina possint implere mandata; et præcinguntur virtute, quorum interna vox est, *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (*Psal.* vi, 3).

4. *Pleni panibus*, inquit, *minorati sunt, et esurientes transierunt terram*. Qui sunt intelligendi pleni panibus, nisi iidem ipsi quasi potentes, id est Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei (*Rom.* iii, 2)? Sed in eo populo ancillæ filii minorati sunt: quo verbo minus quidem latino, bene tamen expressum est, quod ex majoribus minores facti sunt: quia et in ipsis panibus, id est divinis eloquiis, quæ Israelitæ soli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, terrena sapiunt. Gentes autem quibus lex illa non erat data, posteaquam per novum Testamentum ad eloquia illa venerunt, multum esuriendo terram transierunt; quia in eis non terrena, sed cœlestia sapuerunt. Et hoc, velut quæreretur causa cur factum sit, *Quia sterilis*, inquit, *peperit septem, et multa in filiis infirmata est*. Hic totum quod prophetabatur eluxit agnoscentibus numerum septenarium, quo est universæ Ecclesiæ significata perfectio. Propter quod et Joannes apostolus ad septem scribit Ecclesias (*Apoc.* i, 4), eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere: et in Proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans Sapientia, *ædificavit sibi domum, et suffulsit columnas septem* (*Prov.* ix, 1). Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei civitas, antequam iste fetus, quem cernimus [1], oriretur. Cernimus etiam, quæ multa in filiis erat, nunc infirmatam Jerusalem terrenam. Quoniam quicumque filii liberæ in ea erant, virtus ejus erant: nunc vero ibi quoniam littera est, et spiritus non est, amissa virtute infirmata est.

5. *Dominus mortificat, et vivificat*: mortificavit illam, quæ multa erat in filiis; et vivificavit hanc sterilem, quæ peperit septem. Quamvis commodius possit intelligi eosdem vivificare, quos mortificaverit. Id enim velut repetivit addendo, *Deducit ad inferos, et reducit*. Quibus enim dicit Apostolus, *Si mortui estis* (a) *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*: salubriter utique mortificantur a Domino: quibus adjungit, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*; ut ipsi sint illi, qui esurientes transierunt terram. *Mortui enim estis*, inquit: ecce quomodo salubriter mortificat Deus. Deinde sequitur, *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* iii, 1-3): ecce quomodo eosdem ipsos vivificat Deus. Sed numquid eosdem deduxit ad inferos et reduxit? Hoc utrumque sine controversia fidelium in illo potius videmus impletum, Capite scilicet nostro, cum quo vitam nostram in Deo Apostolus dixit absconditam. Nam cum proprio *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* viii, 32), isto modo utique mortificavit eum. Et quia resuscitavit a mortuis, eumdem rursus vivificavit. Et quia in prophetia [1] vox ejus agnoscitur, *Non derelinques animam meam in inferno* (*Psalm.* xv, 10), eumdem deduxit ad inferos et reduxit. Hac ejus paupertate ditati sumus. *Dominus* enim *pauperes facit, et ditat*. Nam quid hoc sit ut sciamus, quod sequitur audiamus: *Humiliat, et exaltat*; utique superbos humiliat, et humiles exaltat. Quod enim alibi legitur, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* iv, 6); hoc totus habet sermo hujus, cujus nomen interpretatur Gratia ejus.

6. Jam vero quod adjungitur, *Suscitat a terra pauperem*: de nullo melius quam de illo intelligo, qui *propter nos factus est pauper, cum dives esset, et ejus paupertate*, sicut paulo ante dictum est, *ditaremur*. (II *Cor.* viii, 9). Ipsum enim de terra suscitavit tam cito, ut caro ejus non videret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo, quod additum est, *Et de stercore erigit inopem*. Inops quippe idem qui pauper [2]. Stercus vero unde erectus est, rectissime intelliguntur persecutores Judæi, in quorum numero cum se dixisset Apostolus Ecclesiam persecutum, *Quæ mihi*, inquit, *fuerunt lucra, hæc propter Christum damna esse duxi: nec solum detrimenta, verum etiam stercora existimavi esse, ut Christum lucrifacerem* (*Philipp.* iii, 7 et 8). De terra ergo suscitatus est ille supra omnes divites pauper, et de illo stercore erectus est supra omnes opulentos ille inops: *ut sedeat cum potentibus populi*, quibus ait, *Sedebitis super duodecim sedes. Et sedem gloriæ hæreditatem dans eis*. Dixerant enim potentes illi, *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* xix, 28, 27), hoc votum potentissime [3] voverant.

7. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est, *Dans votum voventi?* Alioquin ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus. *Dans*, inquit, *votum voventi*. Non enim Domino quisquam quidquam rectum voveret, nisi qui ab illo acciperet quod voveret. Sequitur, *Et benedixit annos justi*: ut cum illo scilicet sine fine vivat, cui dictum est, *Et anni tui non deficient* (*Psal.* ci, 28). Ibi enim stant anni, hic autem transeunt, imo pereunt: antequam enim veniant, non sunt; cum autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt. Horum autem duorum, id est, *Dans votum voventi, et benedixit annos justi*; unum est quod facimus, alterum quod sumimus. Sed hoc alterum Deo largitore non sumitur, nisi cum ipso adjutore primum illud efficitur: *quia non in virtute potens est vir. Dominus infirmum faciet adversa-*

[1] Editi, dissentientibus libris, *per quem eam factam fecundam cernimus*.
(a) In sacris Bibliis, *Si consurrexistis*.

[1] Sola edit. Lov., *in propheta*.
[2] Sic Mss. At editi, *idem est quod pauper*.
[3] Editi, *potentissimi*; dissentientibus manuscriptis.

vum ejus: illum scilicet qui homini voventi invidet, et resistit, ne valeat implere quod vovit. Potest ex ambiguo græco intelligi et *adversarium suum* suo. Cum enim Dominus possidere nos cœperit, profecto adversarius qui noster fuerat ipsius fit, et vincitur a nobis [1]; sed non viribus nostris: *quia non in virtute potens est vir. Dominus ergo infirmum facit adversarium suum, Dominus sanctus*: ut vincatur a sanctis, quos Dominus sanctus sanctorum effecit sanctos.

8. Ac per hoc, *Non glorietur prudens in prudentia sua, et non glorietur potens in potentia sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere et scire Dominum, et facere judicium et justitiam in medio terræ* (b). Non parva ex parte intelligit et scit Dominum, qui intelligit et scit etiam hoc a Domino sibi dari, ut intelligat et sciat Dominum. *Quid enim habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (I Cor. IV, 7)? Id est, quasi a te ipso tibi sit, unde gloriaris. Facit autem judicium et justitiam, qui recte vivit. Recte autem vivit, qui obtemperat præcipienti Deo: et *finis præcepti*, id est, ad quod refertur præceptum, *charitas est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. I, 5, 15). Porro ista *charitas*, sicut Joannes apostolus testatur, *ex Deo est* (I Joan. IV, 7). Facere igitur judicium et justitiam, ex Deo est. Sed quid est, *in medio terræ?* Neque enim non debent facere judicium et justitiam qui habitant in extremis terræ? quis hoc dixerit? Cur ergo additum est, *in medio terræ?* Quod si non adderetur, et tantummodo diceretur, *facere judicium et justitiam*, magis hoc præceptum ad utrosque homines pertineret, et mediterraneos et maritimos. Sed ne quisquam putaret post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus faciendi judicium justitiamque faciendi, quod dum esset in carne non fecit, et sic divinum evadi posse judicium; *in medio terræ*, mihi videtur dictum, cum quisque vivit in corpore. In hac quippe vita suam terram quisque circumfert, quam moriente homine recipit terra communis, resurgenti utique reddituram. Proinde *in medio terræ*, id est, cum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendum est judicium et justitia, quod nobis prosit in posterum, quando *recipiet quisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (II Cor. V, 10). *Per corpus* quippe ibi dixit Apostolus, per tempus quo vixit in corpore. Neque enim si quis maligna mente atque impia cogitatione blasphemet, neque id ullis membris corporis operetur, ideo non erit reus, quia id non motu corporis gessit, cum hoc per illud tempus gesserit, quo gessit et corpus. Isto modo congruenter intelligi potest etiam illud quod in Psalmo legitur, *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ* (Psal. LXXIII, 12): ut Dominus Jesus accipiatur Deus noster qui est ante sæcula, quia per ipsum facta sunt sæcula, operatus [2] salutem nostram in medio terræ, cum Verbum caro factum est, et terreno habitavit in corpore (Joan. I, 14).

9. Deinde postea quam prophetatum est in his verbis Annæ, quomodo gloriari debeat qui gloriatur, non in se utique, sed in Domino: propter retributionem quæ in die judicii ventura est, *Dominus*, inquit, *ascendit in cœlos, et tonuit: ipse judicabit extrema terræ, quia justus est.* Prorsus ordinem tenuit confessionis fidelium. Ascendit enim in cœlum Dominus Christus, et inde venturus est ad vivos et mortuos judicandos. Nam *quis ascendit*, sicut dicit Apostolus, *nisi qui et descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (Ephes. IV, 9 et 10). Per nubes ergo suas tonuit, quas Spiritu sancto, cum ascendisset, implevit. De quibus ancillæ Jerusalem, hoc est ingratæ vineæ, comminatus est apud Isaiam prophetam, ne pluant super eam imbrem (Isai. V, 6). Sic autem dictum est, *Ipse judicabit extrema terræ*: ac si diceretur, Etiam extrema terræ. Non enim alias partes non judicabit, qui omnes homines procul dubio judicabit. Sed melius intelliguntur extrema terræ, extrema hominis: quoniam non judicabuntur, quæ in melius vel in deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerit qui judicabitur. Propter quod dictum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. X, 22). Qui ergo perseveranter facit judicium et justitiam in medio terræ, non damnabitur, cum judicabuntur extrema terræ. *Et dat*, inquit, *virtutem regibus nostris*: ut non eos judicando condemnet. Dat eis virtutem, qua carnem sicut reges regant, et in illo mundum, qui propter eos fudit sanguinem, vincant. *Et exaltabit cornu christi sui.* Quomodo christus exaltabit cornu Christi sui? De quo enim supra dictum est, *Dominus ascendit in cœlos*, et intelligitur Dominus Christus; ipse, sicut hic dicitur, *exaltabit cornu christi sui.* Quis ergo est Christus Christi sui? An quod unusquisque fidelis ejus, sicut ista ipsa in principio hujus hymni ait: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo?* Omnes quippe unctos ejus chrismate, recte christos possumus dicere: quod tamen totum cum suo capite corpus unus est Christus. Hæc Anna prophetavit, Samuelis mater, sancti viri, multumque laudati. In quo quidem tunc figurata est mutatio veteris sacerdotii, et nunc impleta, quando infirmata est quæ multa erat in filiis, ut novum haberet in Christo sacerdotium sterilis, quæ peperit septem.

CAPUT V. — *De his quæ ad Heli sacerdotem homo Dei prophetico locutus est spiritu, significans sacerdotium, quod secundum Aaron institutum fuerat, auferendum.*

1. Sed hoc evidentius ad ipsum Heli sacerdotem missus loquitur homo Dei, cujus quidem nomen tacetur, sed intelligitur officio ministerioque suo sine dubitatione propheta (a). Sic enim scriptum est: *Et*

[1] Nonnulli codices, *ipsius fit, et vincitur a nobis.* [illegible] 20 et 25. M.

[2] [illegible]

(b) Hæc in Vulgata habentur Jerem. IX, 23, 24.

(a) Hunc virum Dei Hebræi Phineem esse dicunt, quem [illegible] in traditionibus hebraicis [illegible]. Lud. Vives.

venit homo Dei ad Heli, et dixit: Hæc dicit Dominus: Revelans[1] *revelatus sum ad domum patris tui, cum essent in terra Ægypti servi in domo Pharaonis; et elegi domum patris tui ex omnibus sceptris Israel mihi sacerdotio fungi, ut ascenderent ad altare meum, et incenderent incensum, et portarent Ephod; et dedi domui patris tui omnia quæ sunt ignis filiorum Israel in escam. Et utquid respexisti in incensum meum, et in sacrificium meum impudenti oculo, et glorificasti filios tuos super me, benedicere primitias omnis sacrificii*[2] *in Israel in conspectu meo? Propter hoc hæc dicit Dominus Deus Israel: Dixi, Domus tua et domus patris tui transibunt coram me usque in æternum. Et nunc dicit Dominus: Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo; et qui spernit me, spernetur. Ecce dies veniunt, et exterminabo semen tuum et semen domus patris tui, et non erit tibi senior in domo mea omnibus diebus, et virum exterminabo tibi ab altari meo, ut deficiant oculi ejus, et defluat anima ejus; et omnis qui superaverit*[3] *domus tuæ, decidet in gladio virorum. Et hoc tibi signum, quod veniet super duos filios tuos hos, Ophni et Phinees; una die morientur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia quæ in corde meo et quæ in anima mea, faciat; et ædificabo ei domum fidelem, et transibit coram Christo meo omnibus diebus. Et erit, qui superaverit in domo tua, veniet adorare ei obolo argenti, dicens: Jacta me in unam partem sacerdotii tui manducare panem* (I *Reg.* II, 27-36).

2. Non est ut dicatur ista prophetia, ubi sacerdotii veteris tanta manifestatione prænuntiata mutatio est, in Samuele fuisse completa. Quanquam enim non esset de alia tribu Samuel, quam quæ constituta fuerat a Domino, ut serviret altari; tamen non erat de filiis Aaron (*a*), cujus progenies fuerat deputata, unde fierent sacerdotes: ac per hoc in ea quoque re gesta, eadem mutatio, quæ per Christum Jesum futura fuerat, adumbrata est: et ad vetus Testamentum proprie, figurate vero pertinebat ad novum, prophetia facti etiam ipsa, non verbi; id scilicet facto significans, quod verbo ad Heli sacerdotem dictum est per Prophetam. Nam fuerunt postea sacerdotes ex genere Aaron, sicut Saaoch et Abiathar regnante David (II *Reg.* xv), et alii deinceps, antequam tempus veniret, quo ista quæ de sacerdotio mutando tanto ante prædicta sunt, effici per Christum oportebat. Quis autem nunc fideli oculo hæc intuens non videat esse completa? quandoquidem nullum tabernaculum, nullum templum, nullum altare, nullum sacrificium, et ideo nec ullus sacerdos remansit Judæis, quibus, ut de semine Aaron ordinaretur, in Dei fuerat lege mandatum. Quod et hic commemoratum est, illo dicente propheta, *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dixi, Domus tua et domus patris tui transibunt coram me usque in æternum. Et nunc dicit Dominus: Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo, et qui me spernit, spernetur.* Quod cum nominat domum patris ejus, non eum de proximo patre dicere, sed de illo Aaron, qui primus sacerdos est institutus, de cujus progenie cæteri sequerentur, superiora demonstrant, ubi ait, *Revelatus sum ad domum patris tui, cum essent in terra Ægypti servi in domo Pharaonis, et elegi domum patris tui ex omnibus sceptris Israel, mihi sacerdotio fungi.* Quis patrum fuit[1] hujus in illa Ægyptia servitute, unde, cum liberati essent, electus est ad sacerdotium, nisi Aaron? De hujus ergo stirpe isto loco dixit futurum fuisse, ut non essent ulterius sacerdotes: quod jam videmus impletum. Vigilet fides, præsto sunt res, cernuntur, tenentur, et videre nolentium oculis ingeruntur. *Ecce*, inquit, *dies veniunt, et exterminabo semen tuum, et semen domus patris tui, et non erit tibi senior in domo mea omnibus diebus, et virum exterminabo tibi ab altari meo, ut deficiant oculi ejus, et defluat anima ejus.* Ecce dies qui prænuntiati sunt, jam venerunt. Nullus sacerdos est secundum ordinem Aaron: et quicumque ex ejus genere est homo, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficiunt oculi ejus, et defluit anima ejus tabe mœroris.

3. Proprie autem ad hujus domum Heli, cui hæc dicebantur, quod sequitur pertinet: *Et omnis qui superaverit domus tuæ, decidet in gladio virorum. Et hoc tibi signum, quod veniet super duos filios tuos hos, Ophni et Phinees; die uno morientur ambo.* Hoc ergo signum factum est mutandi sacerdotii de domo hujus, quo signo significatum est mutandum sacerdotium domus Aaron. Mors quippe filiorum hujus significavit mortem, non hominum, sed ipsius sacerdotii de filiis Aaron. Quod autem sequitur, ad illum jam pertinet sacerdotem, cujus figuram gessit huic (*a*) succedendo Samuel. Proinde quæ sequuntur, de Christo Jesu, novi Testamenti vero sacerdote, dicuntur: *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia quæ in corde meo et quæ in anima mea, faciat; et ædificabo ei domum fidelem.* Ipsa est æterna et superna Jerusalem. *Et transibit*, inquit, *coram Christo meo omnibus diebus. Transibit*, dixit, conversabitur: sicut superius dixerat de domo Aaron, *Dixi, Domus tua et domus patris tui transibunt coram me in æternum.* Quod autem ait, *coram Christo meo transibit*; de ipsa domo utique intelligendum est, non de illo sacerdote, qui est Christus ipse Mediator atque Salvator. Domus ergo ejus coram illo transibit. Potest et *transibit* intelligi de morte ad vitam, omnibus diebus, quibus peragitur usque in finem sæculi hujus ista mortalitas. Quod autem ait Deus, *Qui omnia quæ in corde meo, et quæ in anima mea, faciat*; non arbitremur habere animam Deum, cum sit conditor animæ: sed ita hoc de Deo tropice, non proprie, dicitur, sicut manus et pedes et alia corporis membra. Et, ne secundum hoc credatur homo in carnis hujus effigie factus ad imaginem Dei, adduntur et alæ, quas utique

[1] Apud Lov. omissum est *Revelans*; quod quidem reperitur in cæteris editis a plerisque manuscriptis et in græco Septuaginta.
[2] Mss.: *Benedicere primitias nominis sacrificii.*
[3] Sic Mss. In editis, *supererit.*
(*a*) Vid. Retract. lib 2, cap. 43, n. 2.

[1] Sic omnes Mss. At editi, *quis pater fuit.*
(*a*) *Huic*, scilicet Heli.

non habet homo, et dicitur Deo. *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* xvi, 8): ut intelligant homines de illa ineffabili natura, non propriis, sed translatis rerum vocabulis ista dici.

4. Quod vero adjungitur, *Et erit, qui superaverit in domo tua, veniet adorare ei*: non proprie de domo dicitur hujus Heli, sed illius Aaron, de qua usque ad adventum Jesu Christi homines remanserunt, de quo genere etiam nunc usque non desunt. Nam de illa domo hujus Heli jam supra dictum erat, *Et omnis qui superaverit domus tuæ, decidet in gladio virorum.* Quomodo ergo hic vere dici potuit, *Et erit, qui superaverit in domo tua, veniet adorare ei*; si illud est verum, quod ultore gladio nemo inde supererit: nisi quia illos intelligi voluit, qui pertinent ad stirpem, sed illius totius sacerdotii secundum ordinem Aaron? Ergo si de illis est prædestinatis reliquiis, de quibus alius propheta dixit, *Reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* x, 22); unde et Apostolus, *Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* xi, 5); quia de talibus reliquiis bene intelligitur esse de quo dictum est, *Qui superaverit in domo tua*: profecto credit [1] in Christum; sicut temporibus Apostolorum ex ipsa gente plurimi crediderunt; neque nunc desunt, qui, licet rarissime, tamen credant, et impletur in eis [2] quod hic iste homo Dei continuo secutus adjunxit, *Veniet adorare ei obolo argenti*: cui adorare, nisi illi summo sacerdoti, qui et Deus est? Neque enim in illo sacerdotio secundum ordinem Aaron, ad hoc veniebant homines ad templum vel altare Dei, ut sacerdotem adorarent. Quid est autem quod ait, *obolo argenti*, nisi brevitate verbi fidei, de quo commemorat Apostolus dictum, *Verbum consummans et brevians faciet Dominus super terram* (*Rom.* ix, 28; *Isai.* x, 23); Argentum autem pro eloquio poni, Psalmus testis est, ubi canitur: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* xi, 7).

5. Quid ergo dicit iste, qui venit adorare sacerdoti Dei et sacerdoti Deo? *Jacta me in unam partem sacerdotii tui, manducare panem.* Nolo in patrum meorum collocari honore, qui [3] nullus est: jacta me in partem sacerdotii tui. *Elegi enim abjectus esse in domo Dei* (*Psal.* lxxxiii, 11): qualecumque et quantulumcumque membrum esse cupio sacerdotii tui. Sacerdotium quippe hic ipsam plebem dicit, cujus plebis ille sacerdos est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Cui plebi dicit apostolus Petrus, *Plebs sancta, regale sacerdotium* [4] (I *Petr.* ii, 9). Quamvis nonnulli, *sacrificii tui* sint interpretati; non, *sacerdotii tui*: quod nihilominus eumdem significat populum christianum. Unde dicit apostolus Paulus, *Unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* x, 17). Quod ergo addidit, *manducare panem*, etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit sacerdos ipse, *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita* (*Joan.* vi, 52). Ipsum est sacrificium, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech: qui legit, intelligat. Brevis itaque ista confessio et salubriter humilis, qua dicitur, *Jacta me in partem sacerdotii tui, manducare panem*, ipse est obolus argenti: quia et breve est [1], et eloquium Domini est habitantis in corde credentis. Quia enim dixerat superius dedisse se domui Aaron cibos de victimis veteris Testamenti, ubi ait, *Dedi domui patris tui omnia quæ sunt ignis filiorum Israel in escam*; hæc quippe fuerant sacrificia Judæorum: ideo hic dixit, *manducare panem*; quod est in novo Testamento sacrificium Christianorum.

CAPUT VI. — *De Judaico sacerdotio et regno, quæ cum in æternum dicantur statuta* [2], *non permanent; ut alia intelligantur, quorum spondetur æternitas* [3].

1. Cum igitur hæc tanta tunc altitudine prænuntiata sint, tanta nunc manifestatione clarescant [4]; non frustra tamen moveri quispiam potest, ac dicere: Quomodo confidimus venire omnia [5], quæ in libris illis ventura prædicta sunt, si hoc ipsum quod ibi divinitus dictum est, *Domus tua et domus patris tui transibunt coram me in æternum*, effectum habere non potuit? Quoniam videmus illud sacerdotium fuisse mutatum; et quod illi domui promissum est, nec sperari aliquando complendum: quia illud quod ei reprobato mutatoque succedit, hoc potius prædicatur æternum. Hoc qui dicit, nondum intelligit, aut non recolit, etiam ipsum secundum ordinem Aaron sacerdotium, tanquam umbram futuri æterni sacerdotii constitutum: ac per hoc quando ei æternitas promissa est, non ipsi umbræ ac figuræ, sed ei quod per ipsam adumbrabatur figurabaturque, promissum est. Sed ne putaretur ipsa umbra esse mansura, ideo etiam mutatio ejus debuit prophetari.

2. Regnum quoque isto modo etiam Saülis ipsius, qui certe reprobatus atque rejectus est, futuri regni erat umbra in æternitate mansuri. Oleum quippe illud quo unctus est, et ab eo chrismate christus est dictus, mystice accipiendum, et magnum sacramentum intelligendum est: quod in eo tantum veneratus est ipse David, ut percusso corde pavitaverit, quando in tenebroso occultatus antro, quo etiam Saül urgente intraverat necessitate naturæ, exiguam particulam vestis ejus retrorsum latenter abscidit, ut haberet unde monstraret, quomodo ei pepercerit, cum posset occidere; atque ita suspicionem de animo ejus, qua sanctum David putans inimicum suum vehementer persequebatur, auferret. Ne itaque reus esset tanti sacramenti in Saüle violati, quia vel indumentum ejus sic attrectavit, extimuit. Ita enim scriptum est: *Et*

[1] Sola editio Lov., *credet.*
[2] Vind. Am. Er. et plerique Mss., *in eo.*
[3] Apud Lov., *qua.*
[4] Apud Lov. additur, *in Christo. Et iterum, Exhibeatis, inquit, corpora vestra hostiam vivam.* Cæteri libri omittunt, *in Christo.* Non alii tamen manuscripti cum Vind. Am. et Er. alium subjiciunt locum ex Epist. ad Roman. xii, 1: *Et iterum, Exhibeatis, inquit, corpora,* etc.

[1] Sola editio Lov., *quia et brevis est.*
[2] Apud Lov., *statuta.*
[3] Sic Mss. At editi, *ut alia intelligantur, quæ spondentur æterna.*
[4] Sic Mss. At editi, *quanta nunc manifestatione clarescunt.*
[5] Vind. et Am., *quomodo confidimus convenire omnia.* Er. et Lov., *quomodo confidimus evenire omnia.* Mss. *venire.*

percussit cor David super eum, quia abstulit pinnulam chlamydis ejus. Viris autem, qui cum illo erant, et ut Saulem in manus suas traditum interimeret suadebant, *Non mihi*, inquit, *contingat a Domino, si fecero hoc verbum domino meo christo Domini, inferre manum meam super eum; quia christus Domini est hic* (I *Reg.* XXIV, 6, 7). Huic ergo umbræ futuri non propter ipsam, sed propter illud quod præfigurabat, tanta veneratio exhibebatur. Unde et illud quod ait Sauli Samuel, *Quoniam non servasti mandatum meum, quod mandavit tibi Dominus; quemadmodum nunc paraverat Dominus regnum tuum usque in æternum super Israel, et nunc regnum tuum non stabit tibi; et quæret Dominus sibi hominem secundum cor suum, et mandabit ei Dominus esse in principem super populum suum; quia non custodisti quæ mandavit tibi Dominus* (*Id.* XIII, 13, 14): non sic accipiendum est, ac si ipsum Saulem Deus in æternum præparaverit regnaturum, et hoc postea noluerit servare peccanti; neque enim eum peccaturum esse nesciebat: sed præparaverat regnum ejus, in quo figura esset regni æterni. Ideo addidit, *Et nunc regnum tuum non stabit tibi.* Stetit ergo, et stabit, quod in illo significatum est: sed non huic stabit, quia non in æternum ipse fuerat regnaturus, nec progenies ejus, ut saltem per posteros alterum alteri succedentes videretur impleri quod dictum est, *in æternum. Et quæret*, inquit, *Dominus sibi hominem*: sive David, sive ipsum Mediatorem significans Testamenti novi, qui figurabatur in chrismate etiam quo unctus est ipse David et progenies ejus. Non autem quasi nesciat ubi sit, ita Deus sibi hominem quærit: sed per hominem more hominum loquitur; quia et sic loquendo nos quærit. Non solum enim Deo Patri, verum etiam ipsi quoque Unigenito ejus, qui venit quærere quod perierat (*Luc.* XIX, 10), usque adeo jam eramus noti, ut in ipso essemus electi ante constitutionem mundi (*Ephes.* I, 4). *Quæret sibi* ergo dixit, suum habebit[1]. Unde in latina lingua hoc verbum accipit præpositionem, et, Acquirit, dicitur: quod satis apertum est quid significet. Quanquam et sine additamento præpositionis Quærere intelligatur Acquirere: ex quo lucra vocantur et quæstus.

CAPUT VII. — *De disruptione regni Israelitici, qua præfiguratur perpetua divisio Israelis spiritualis ab Israele carnali.*

1. Rursus peccavit Saül per inobedientiam, et rursus Samuel ait illi in verbo Domini: *Quia sprevisti verbum Domini, sprevit te Dominus, ut non sis rex super Israel.* Et rursus pro eodem peccato, cum id confiteretur Saül, et veniam precaretur, rogaretque Samuelem, ut reverteretur cum illo ad placandum Deum: *Non revertar*, inquit, *tecum; quia sprevisti verbum Domini, et spernet te Dominus, ne sis rex super Israel. Et convertit Samuel faciem suam, ut abiret: et tenuit Saül pinnulam diploidis ejus, et disrupit eam. Et dixit ad eum Samuel, Disrupit Dominus regnum ab Israel de manu tua hodie, et dabit proximo tuo bono super te, et dividetur Israel in duo: et non convertetur, neque pœnitebit eum; quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum: ipse minatur, et non permanet* (I *Reg.* XV, 23-29). Iste cui dicitur, *Spernet Dominus, ne sis rex super Israel*; et, *Disrupit Dominus regnum ab Israel de manu tua hodie*; quadraginta annos regnavit super Israel (*a*), tanto scilicet spatio temporis, quanto et ipse David, et audivit hoc primo tempore regni sui: ut intelligamus ideo dictum, quia nullus de stirpe ejus fuerat regnaturus; et respiciamus ad stirpem David, unde exortus est secundum carnem Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.

2. Non autem habet Scriptura, quod in plerisque latinis codicibus legitur, *Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua*; sed sicut a nobis positum est inventum in græcis, *Disrupit Dominus regnum ab Israel de manu tua*: ut hoc intelligatur, *de manu tua*; quod est, *ab Israel*. Populi ergo Israel personam figurate gerebat homo iste, qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Jesu Domino nostro per novum Testamentum, non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo. De quo cum dicitur, *Et dabit illud proximo tuo*, ad carnis cognationem id refertur: ex Israel enim Christus secundum carnem, unde et Saül. Quod vero additum est, *bono super te*, potest quidem intelligi, *meliori te*; nam et quidam sic sunt interpretati: sed melius sic accipitur, *bono super te*, ut quia ille bonus est, ideo sit super te[1], juxta illud aliud propheticum, *Donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis* (*Psal.* CIX, 1). In quibus est et Israel, cui suo persecutori regnum abstulit Christus. Quamvis fuerit illic et Israel, in quo dolus non erat (*Joan.* I, 47), quoddam quasi frumentum illarum palearum. Nam utique inde erant Apostoli, inde tot martyres, quorum prior Stephanus; inde tot Ecclesiæ, quas apostolus Paulus commemorat, in conversione ejus magnificantes Deum (*Galat.* I, 24).

3. De qua re non dubito intelligendum esse quod sequitur, *Et dividetur Israel in duo*: in Israel scilicet inimicum Christo, et Israel adhærentem Christo; in Israel ad ancillam, et Israel ad liberam pertinentem. Nam ista duo genera primum simul erant, velut Abraham adhuc adhæreret ancillæ, donec sterilis per Christi gratiam fecundata clamaret, *Ejice ancillam et filium ejus* (*Gen.* XXI, 10). Propter peccatum quidem Salomonis regnante filio ejus Roboam, scimus Israel in

[1] Ita magno consensu veteres libri. At editi: *Quæret sibi ergo dixit, pro eo ac si diceret, quem suum esse jam norit, sibi esse familiarem aliis ostendet.* *Unde*, etc.

[1] Apud Lov. omissum est, *super te.*

(*a*) Ita docet etiam infra, lib. 18, cap. 20, et sic legimus Actuum XIII, 21. Nam in libris Regum non recensentur anni regni Saülis, sicut postea aliorum regum. Josephus in libri 6 Antiquitatum verbis extremis: *Ebasileuse de (Saoul) Samonêlou zôntos etè octò pros tois deca, teleutêsantos de duo cai eicosi*: *Regnavit Saül vivente Samuele annis duodeviginti, mortuo eo viginti duo*, unde efficiuntur quadraginta. Communis tamen opinio est, quam sequuntur Eusebius et Sulpicius Severus, Samuelis annos comprehendi sub illis quadraginta annis, quibus Saül regnasse dicitur, quia ex sacra chronologia colliguntur tantum quadraginta anni a morte Heli summi sacerdotis, qui judicavit Israel usque ad initium regni David, quanquam præcise quot annos Saül post mortem Samuelis, vel etiam ab initio regni vixerit non inter omnes conveniat. COQUÆUS.

duo fuisse divisum, atque ita perseverasse, habentibus singulis partibus reges suos, donec illa gens tota a Chaldæis esset ingenti vastatione subversa atque translata. Sed hoc quid ad Saulem, cum si tale aliquid comminandum esset, ipsi David fuerit potius comminandum, cujus erat filius Salomon? Postremo nunc inter se gens Hebræa divisa non est, sed indifferenter in ejusdem erroris societate dispersa per terras. Divisio vero illa, quam Deus sub persona Saulis, illius regni et populi figuram gerentis, eidem regno populoque minatus est, æterna atque immutabilis significata est, per hoc quod adjunctum est, *Et non convertetur, neque pœnitebit eum; quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum: ipse minatur, et non permanet*: id est, homo minatur, et non permanet; non autem Deus, quem non pœnitet, sicut hominem. Ubi enim legitur quod pœniteat eum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente divina. Ubi ergo non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur [1].

4. Prorsus insolubilem videmus per hæc verba prolatam divinitus fuisse sententiam de ista divisione populi Israel, et omnino perpetuam. Quicumque enim ad Christum transierunt, vel transeunt, vel transibunt inde, non erant inde secundum Dei præscientiam, non secundum generis humani unam eamdemque naturam. Prorsus quicumque ex Israelitis adhærentes Christo perseverant in illo, nunquam erunt cum eis Israelitis, qui ejus inimici usque in finem vitæ hujus esse persistunt: sed in divisione, quæ hic prænuntiata est, perpetuo permanebunt. Nihil enim prodest Testamentum vetus de monte Sina in servitutem generans (*Galat.* IV, 24), nisi quia testimonium perhibet Testamento novo. Alioquin quamdiu legitur Moyses, velamen super corda eorum positum est: cum autem quisque inde transierit ad Christum, auferetur velamen (II *Cor.* III, 15 et 16). Transeuntium quippe intentio ipsa mutatur de vetere ad novum; ut non jam quisque intendat accipere carnalem, sed spiritualem felicitatem. Propter quod ipse magnus propheta Samuel, antequam unxisset regem Saul, quando exclamavit ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum; et cum offerret holocaustosim [2], accedentibus alienigenis ad pugnam contra populum Dei, tonuit Dominus super eos, et confusi sunt, et offenderunt coram Israel, atque superati sunt: assumpsit lapidem unum, et statuit illum inter Massephat [3] novam et veterem, et vocavit nomen ejus Abenezer, quod est latine Lapis adjutoris [4]: et dixit, *Usque huc adjuvit nos Dominus* (I *Reg.* VII, 5-12). Massephat interpretatur Intentio. Lapis ille adjutoris mediatio est Salvatoris, per quem transeundum est a Massephat vetere ad novam, id est, ab intentione qua exspectabatur in carnali regno beatitudo falsa carnalis, ad intentionem qua per novum Testamentum exspectatur in regno cœlorum beatitudo verissima spiritualis: qua quoniam nihil est melius, huc usque adjuvat Deus.

CAPUT VIII. — *De promissionibus ad David in filio ejus, quæ nullatenus in Salomone, sed plenissime inveniuntur in Christo.*

1. Jam nunc video esse monstrandum quid ipsi David, qui Saüli successit in regnum, cujus mutatione finalis illa mutatio figurata est, propter quam divinitus cuncta dicta, cuncta conscripta sunt, Deus promiserit, quod ad rem qua de agimus pertinet. Cum regi David multa prospera provenissent, cogitavit facere Deo domum, templum illud scilicet excellentissimæ diffamatum, quod a rege Salomone filio ejus postea fabricatum est. Hoc eo cogitante, factum est verbum Domini ad Nathan prophetam, quod perferret ad regem. Ubi cum dixisset Deus quod non ab ipso David sibi ædificaretur domus, neque per tantum tempus se mandasse cuiquam in populo suo, ut sibi fieret domus cedrina: *Et nunc*, inquit, *hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus omnipotens: Accepi te de ovili ovium, ut esses in ducem super populum meum in* [1] *Israel, et eram tecum in omnibus quibus ingrediebaris, et exterminavi omnes inimicos tuos a facie tua, et feci te nominatum secundum nomen magnorum qui sunt super terram: et ponam locum populo meo Israel, et plantabo illum, et inhabitabit seorsum, et non sollicitus erit ultra; et non apponet filius iniquitatis humiliare eum, sicut ab initio a diebus quibus constitui judices super populum meum Israel. Et requiem tibi dabo ab omnibus inimicis tuis: et nuntiabit* [2] *tibi Dominus, quoniam domum ædificabis ipsi. Et erit cum repleti fuerint dies tui, et* [3] *dormies cum patribus tuis, et suscitabo semen tuum post te, qui erit de ventre tuo, et præparabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum nomini meo, et dirigam thronum illius usque in æternum. Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium. Et si venerit* [4] *iniquitas ejus, redarguam illum in virga virorum, et in tactibus filiorum hominum: misericordiam autem meam non amovebo ab eo, sicut amovi a quibus amovi a facie mea* [5]*: et fidelis erit domus ejus, et regnum ejus usque in æternum coram me, et thronus ejus erit erectus usque in æternum* (II *Reg.* VII, 8-16).

2. Hanc tam grandem promissionem qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat. Attendit enim quod dictum est, *Hic ædificabit mihi domum*; quoniam Salomon templum illud nobile exstruxit: et non attendit, *Fidelis erit domus ejus, et regnum ejus usque in æternum coram me*. Attendat ergo et aspiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis

[1] [illegible] *non pœnitere dicitur*.
[2] [illegible] juxta Septuaginta. [illegible], *holocaustum*: cui [illegible]
[3] [illegible] ut quod Septuaginta [illegible]
[4] [illegible] juxta Septuaginta [illegible]

[1] Hic restituitur ex Mss. particula, in, [illegible] juxta LXX.
[2] [illegible]
[3] [illegible] juxta LXX [illegible], dormies, [illegible]
[4] [illegible]
[5] [illegible] concordant cum græco Septuaginta [illegible] prosopou mou.

colentibus deos falsos, et ipsum ab eis regem aliquando sapientem in eamdem idololatriam seductum atque dejectum: et non audeat existimare Deum vel hoc promisisse mendaciter, vel talem Salomonem domumque ejus futuram non potuisse præscire. Non hinc autem deberemus ambigere, nec si non in Christo Domino nostro, qui factus est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3), jam videremus ista compleri; ne vane atque inaniter hic alium aliquem requiramus, sicut carnales Judæi. Nam et ipsi usque adeo filium, quem loco isto regi David promissum legunt, intelligunt non fuisse Salomonem, ut eo qui promissus est tanta jam manifestatione declarato adhuc mirabili cæcitate alium sperare se dicant. Facta est quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone, in eo quod templum ædificavit, et pacem habuit secundum nomen suum (Salomon quippe Pacificus est latine), et in exordio regni sui mirabiliter laudabilis fuit: sed eadem sua persona per umbram futuri prænuntiabat etiam ipse Christum Dominum nostrum, non exhibebat. Unde quædam de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista prædicta sint, dum Scriptura sancta etiam rebus gestis prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros divinæ historiæ, ubi regnasse narratur, Psalmus etiam septuagesimus primus titulo nominis ejus inscriptus est: in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei convenire non possunt, Domino autem Christo aptissima[1] perspicuitate conveniunt, ut evidenter appareat, quod in illo figura qualiscumque adumbrata sit, in isto autem ipsa veritas præsentata. Notum est enim quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis: et tamen in eo psalmo legitur, ut alia taceam, *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ* (*Psal.* LXXI, 8): quod in Christo videmus impleri. A flumine quippe dominandi sumpsit exordium, ubi baptizatus a Joanne, eodem monstrante cœpit agnosci a discipulis, qui eum non solum magistrum, verum etiam Dominum appellaverunt (*a*).

3. Nec ob aliud, vivente adhuc patre suo David, regnare Salomon cœpit, quod nulli illorum regum contigit, nisi ut hinc quoque satis eluceat non esse ipsum, quem prophetia ista præsignat (*b*), quæ ad ejus patrem loquitur, dicens: *Et erit, cum repleti fuerint dies tui, et dormies cum patribus tuis, et suscitabo semen tuum post te, qui erit de ventre tuo, et præparabo regnum illius.* Quomodo ergo propter id quod sequitur, *Hic ædificabit mihi domum*, iste Salomon putabitur prophetatus: et non potius propter id quod præcedit, *Cum repleti fuerint dies tui, et dormies cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te*, alius pacificus intelligitur esse promissus, qui non ante, sicut iste, sed post mortem David prænuntiatus est suscitandus? Quamlibet enim longo interposito tempore Jesus Christus veniret, procul dubio post mortem regis David, cui sic est promissus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de lignis et lapidibus, sed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apostolus, hoc est, fidelibus Christi: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17).

CAPUT IX. — *Quam similis in Psalmo octogesimo octavo sit prophetia de Christo, his quæ in Regnorum libris Nathan prophetante promittuntur.*

Propter quod et in Psalmo octogesimo et octavo, cujus est titulus, *Intellectus ipsi Ethan Israelitæ*, commemorantur promissiones Dei factæ regi David, et istis, quæ in libro Regnorum sunt posita, quædam ibi similia dicuntur; sicut est: *Juravi David servo meo: Usque in æternum præparabo semen tuum.* Et iterum: *Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti: Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de populo meo. Inveni David servum meum, in oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. Non proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam inimicos ejus a facie ejus, et eos qui oderunt eum, fugabo. Et veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum apud reges terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus*[1], *et thronum ejus sicut dies cœli* (*Psal.* LXXXVIII, 4, 5, 20-30). Quæ omnia de Domino Jesu intelliguntur, quando recte intelliguntur, sub nomine David, propter formam servi, quam de semine David idem Mediator assumpsit ex virgine. Continuo etiam dicitur de peccatis filiorum ejus tale aliquid, quale in Regnorum libro positum est, et quasi de Salomone proclivius accipitur. Ibi namque, hoc est in Regnorum libro, *Et si venerit*, inquit, *iniquitas ejus, redarguam illum in virga virorum, et in tactibus filiorum hominum: misericordiam autem meam non amoveam ab eo* (II *Reg.* VII, 14 et 15): tactibus significans plagas correptionis. Unde illud est, *Ne tetigeritis christos meos* (*Psal.* CIV, 15). Quod quid est aliud, quam, Ne læseritis? In Psalmo vero cum ageret tanquam de David, ut quiddam ejusmodi etiam ibi diceret, *Si dereliquerint*, inquit, *filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justificationes meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo* (*Psal.* LXXXVIII, 31-34). Non dixit, Ab eis, cum loqueretur de filiis ejus, non de ipso: sed dixit, *ab eo*; quod bene intellectum tantumdem valet. Non enim Christi ipsius, quod est caput Ecclesiæ, possent inveniri ulla peccata, quæ opus esset humanis correptionibus servata misericordia divinitus coerceri; sed in ejus

[1] Vind. Am. Er. et aliquot manuscripti, *apertissima*.
(*a*) Conf. Epist. cont. Donatist., de Unit. Eccles., n. 22.
(*b*) Conf. Lactant. Instit. lib. 4, cap. 13, § 24 et seqq.

[1] Mss. 2050 et 2051, *sedem ejus*. M.

corpore ac membris, quod populus ejus est. Ideo in libro Regnorum, *iniquitas ejus* dicitur; in Psalmo autem, *filiorum ejus:* ut intelligamus de ipso dici quodammodo, quod de ejus corpore dicitur. Propter quod etiam ipse de cœlo, cum corpus ejus, quod sunt fideles ejus, Saulus persequeretur, *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Deinde in consequentibus Psalmi, *Neque nocebo*, inquit, *in veritate mea, neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non reprobabo. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar* : id est, nequaquam David mentiar. Solet enim sic loqui Scriptura. Quid autem non mentiatur, adjungit, et dicit, *Semen ejus in æternum manebit; et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis* (*Psal.* LXXXVIII, 34-38).

CAPUT X. — *Quam diversa acta sint in regno terrenæ Jerusalem, ab his quæ promiserat Deus, ut intelligeretur promissionis veritas ad alterius Regis et regni gloriam pertinere.*

Post hæc tantæ promissionis validissima firmamenta, ne putarentur in Salomone completa, tanquam id speraretur, nec inveniretur : *Tu vero*, inquit, *repulisti, et ad nihilum deduxisti, Domine.* Hoc quippe factum est de regno Salomonis in posteris ejus, usque ad eversionem ipsius terrenæ Jerusalem, quæ regni ejusdem sedes fuit; et maxime ipsius templi labem, quod fuerat a Salomone constructum (a). Sed ne ob hoc putaretur Deus contra sua promissa fecisse, continuo subjecit, *Distulisti Christum tuum* (*Psal.* LXXXVIII, 39). Non est ergo ille Salomon, sed nec ipse David, si dilatus est Christus Domini. Cum enim christi ejus dicerentur omnes reges mystico illo chrismate consecrati, non solum a rege David et deinceps, sed ab illo etiam Saüle, qui populo eidem rex primus est unctus (I *Reg.* XXIV, 7); ipse quippe David eum christum Domini appellat : erat tamen unus verus Christus, cujus illi figuram prophetica unctione gestabant; qui secundum opinionem hominum, qui eum putabant in David vel in Salomone intelligendum, differebatur in longum; secundum autem dispositionem Dei venturus suo tempore parabatur. Interea dum ille differtur, quid factum sit de regno terrenæ Jerusalem, ubi sperabatur utique regnaturus, secutus iste psalmus adjunxit, atque ait : *Evertisti*[1] *testamentum servi tui, profanasti in terra sanctitatem ejus. Destruxisti omnes macerias ejus, posuisti munitiones ejus in formidinem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram inimicorum ejus, jucundasti omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es opitulatus ei in bello. Dissolvisti eum ab emundatione, sedem ejus in terram collisisti. Minuisti dies sedis ejus, perfudisti eum confusione* (*Psal.* LXXXVIII, 40-46). Hæc omnia venerunt super ancillam Jerusalem, in qua regnaverunt nonnulli etiam filii liberæ, regnum illud tenentes in dispensatione temporaria : regnum autem cœlestis Jerusalem, cujus erant filii, in vera fide habentes, et in vero Christo sperantes. Quomodo autem ista venerint super illud regnum, index est rerum gestarum, si legatur, historia.

[1] Aliquot manuscripti, *evertisti*. Græce est, *katestrepsas*.

(a) De eversione regni hæc Josephus, Antiquitatum Judaicarum libro 10, cap. 11 : « Atque hic fuit Davidici generis regum exitus, qui unus et viginti regnaverunt deinceps, idque temporis spatium quingentos et quindecim annos continet, et menses insuper sex cum diebus [illegible] [illegible]

CAPUT XI. — *De substantia populi Dei, quæ per susceptionem*[1] *carnis in Christo est : qui solus eruendi ab inferis animam suam habuit potestatem.*

Post hæc autem prophetata ad precandum Deum Propheta convertitur : sed et ipsa precatio prophetatio est. *Usquequo, Domine, avertis in finem* (*Psal.* LXXXVIII, 47)? subauditur, *faciem tuam* : sicut alibi dicitur, *Usquequo avertis faciem tuam a me* (*Psal.* XII, 1)? Nam ideo quidam codices hic non habent, *avertis*; sed, *averteris* : quanquam possit intelligi, Avertis misericordiam tuam, quam promisisti David. Quod autem dixit, *in finem*; quid est, nisi, Usque in finem? Qui finis intelligendus est ultimum tempus, quando in Christum Jesum etiam illa gens est creditura, ante quem finem illa fieri oportebat, quæ superius ærumnosa deflevit. Propter quæ et hic sequitur, *Exardescet sicut ignis ira tua. Memento quæ est mea substantia.* Nihil hic melius, quam ipse Jesus intelligitur, substantia populi ejus, ex quo natura est carnis ejus. *Non enim vane*, inquit, *constituisti omnes filios hominum.* (*Psal.* LXXXVIII, 48). Nisi enim esset unus Filius hominis substantia Israel, per quem Filium hominis liberarentur multi filii hominum, vane utique constituti essent omnes filii hominum. Nunc vero omnis quidem humana natura per peccatum primi hominis in vanitatem de veritate collapsa est, propter quod dicit alius psalmus, *Homo vanitati similis factus est, dies ejus velut umbra prætereunt* (*Psal.* CXLIII, 4) : sed non vane Deus constituit omnes filios hominum; quia et multos a vanitate liberat per mediatorem Jesum, et quos liberandos non esse præscivit, ad utilitatem liberandorum et comparationem duarum inter se a contrario civitatum, non utique vane in totius rationalis creaturæ pulcherrima atque justissima ordinatione constituit. Deinde sequitur, *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi* (*Psal.* LXXXVIII, 49)? Quis est iste, nisi substantia illa Israel ex semine David, Christus Jesus? De quo dicit Apostolus, quod *surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Sic enim vivet et non videbit mortem, ut tamen mortuus fuerit; sed animam suam eruerit de manu inferi, quo propter quorumdam solvenda inferni vincula descenderat[2] : eruerit autem potestate illa, de qua in Evangelio dicit, *Potestatem*

[1] Editi, [illegible] ex manuscriptis.

[2] Sic omnes MSS. At editi, *quo propter quorumdam solvenda peccatorum vincula ad inferna descenderat.*

habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (*Joan.* x, 18).

CAPUT XII. — *Ad quorum personam pertinere intelligenda sit flagitatio promissorum, de quibus in Psalmo dicitur,* Ubi sunt misericordiæ tuæ, Domine, antiquæ, *etc.*

Sed cætera psalmi hujus, quæ ita se habent, *Ubi sunt miserationes tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti David in veritate tua? Memento, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium: quod exprobraverunt inimici tui, Domine; quod exprobraverunt, commutationem Christi tui*: utrum ex persona dicta sint illorum Israelitarum, qui desiderabant reddi sibi promissionem, quæ facta est ad David; an potius Christianorum, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum sunt Israelitæ, merito quæri potest. Dicta sunt quippe ista vel scripta tempore quo fuit Æthan, de cujus nomine titulum iste psalmus accepit; et idem tempus regni David fuit: ac per hoc non diceretur, *Ubi sunt miserationes tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti David in veritate tua?* nisi eorum personam in se Propheta [1] transfiguraret, qui longe postea futuri erant, quibus hoc tempus esset antiquum, quando regi David ista promissa sunt. Potest autem intelligi multas gentes, quando persequebantur Christianos, exprobrasse illis passionem Christi, quam Scriptura commutationem vocat; quoniam moriendo immortalis est factus. Potest et commutatio Christi secundum hoc accipi exprobrata Israelitis, quia cum eorum speraretur futurus, factus est gentium: et hoc eis nunc exprobrant multæ gentes, quæ crediderunt in eum per novum Testamentum, illis in vetustate remanentibus: ut ideo dicatur, *Memento, Domine, opprobrii servorum tuorum*; quia non eos obliviscente, sed potius miserante Domino, et ipsi post hoc opprobrium credituri sunt. Sed ille quem prius posui, convenientior sensus mihi videtur. Inimicis enim Christi, quibus exprobratur, quod eos ad gentes transiens reliquerit Christus, incongrue vox ista coaptatur, *Memento, Domine, opprobrii servorum tuorum*; non enim servi Dei nuncupandi sunt tales Judæi: sed eis verba ista competunt, qui cum graves humilitates persecutionum pro Christi nomine paterentur, recordari potuerunt excelsum regnum semini David fuisse promissum; et ejus desiderio dicere, non desperando, sed petendo, quærendo, pulsando, *Ubi sunt miserationes tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti David in veritate tua? Memento, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium*; hoc est, In interioribus meis patienter pertuli. *Quod exprobraverunt inimici tui, Domine; quod exprobraverunt, commutationem Christi tui*: non eam putantes commutationem, sed consumptionem [2]. Quid est autem, *Memento, Domine*, nisi, ut miserearis, et pro tolerata patienter humilitate mea, reddas celsitudinem, quam jurasti David in veritate tua? Si autem Judæis assignemus hæc verba, illi servi Dei talia dicere potuerunt, qui expugnata terrena Jerusalem, antequam Jesus Christus humanitus nasceretur, in captivitatem ducti sunt, intelligentes commutationem Christi, quia scilicet non per eum terrena carnalisque felicitas, qualis paucis annis regis Salomonis apparuit, sed cœlestis ac spiritualis esset fideliter exspectanda: quam tunc ignorans infidelitas gentium, cum Dei populum exsultabat atque insultabat esse captivum, quid aliud quam Christi commutationem, sed scientibus nesciens, exprobrabat? Et ideo quod sequitur, ubi psalmus iste concluditur, *Benedictio Domini in æternum: fiat, fiat* (*Psal.* LXXXVIII, 50-53); universo populo Dei ad cœlestem Jerusalem pertinenti, sive in illis qui latebant in Testamento vetere, antequam revelaretur novum, sive in his qui jam Testamento novo revelato manifeste pertinere cernuntur ad Christum, satis congruit. Benedictio quippe Domini in semine David, non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit, sed in æternum speranda est, in qua certissima spe dicitur, *Fiat, fiat*. Illius enim spei est confirmatio verbi hujus iteratio. Hoc ergo intelligens David ait in secundo Regnorum libro, unde ad istum psalmum digressi sumus: *Et locutus es pro domo servi tui in longinquum*. Ideo autem post paululum ait: *Nunc incipe, et benedic domum servi tui usque in æternum* (II *Reg.* vii, 19, 29), et cætera; quia tunc geniturus erat filium, ex quo progenies ejus duceretur ad Christum, per quem futura erat domus ejus æterna, eademque domus Dei. Domus enim David, propter genus David; domus autem Dei eadem ipsa, propter templum Dei, de hominibus factum, non de lapidibus, ubi habitet in æternum populus cum Deo et in Deo suo, et Deus cum populo atque in populo suo: ita ut Deus sit implens populum suum, et populus plenus Deo suo, cum Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28), ipse in pace præmium, qui virtus in bello. Ideo cum in verbis Nathan dictum sit, *Et nuntiabit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipsi*: postea dictum est in verbis David, *Quoniam tu Dominus omnipotens Deus Israel, revelasti aurem servi tui, dicens, Domum ædificabo tibi* (II *Reg.* vii, 11, 27). Hanc enim domum et nos ædificamus bene vivendo, et Deus ut bene vivamus opitulando: quia *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborabunt ædificantes eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Cujus domus cum venerit ultima dedicatio, tunc fiet illud, quod hic per Nathan locutus est Deus, dicens: *Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo illum, et inhabitabit seorsum, et non sollicitus erit ultra: et non apponet filius iniquitatis humiliare eum, sicut ab initio a diebus quibus constitui judices super populum meum Israel* (II *Reg.* vii, 10 *et* 11).

CAPUT XIII. — *An promissæ pacis veritas illis temporibus possit adscribi, quæ sub Salomone fluxerunt.*

Hoc tam magnum bonum quisquis in hoc sæculo et in hac terra sperat, insipienter sapit. An quispiam putabit in pace regni Salomonis id esse completum? Pacem quippe illam Scriptura in umbra futuri excellenti prædicatione commendat. Sed huic suspicioni

[1] Mss., *prophetia*.
[2] Ita manuscripti. Editi autem, *sed consummationem*.

vigilanter occursum est, cum, posteaquam dictum est, *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum;* continuo subjunctum est, *Sicut ab initio a diebus quibus constitui judices super populum meum Israel.* Judices namque, priusquam Reges ibi esse cœpissent, super illum populum fuerant constituti, ex quo terram promissionis accepit. Et utique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc est hostis alienigena, per intervalla temporum, quibus leguntur paces alternasse cum bellis : et inveniuntur illic pacis tempora prolixiora quam Salomon habuit, qui quadraginta regnavit annos. Nam sub eo Judice qui appellatus est Aod, octoginta anni pacis fuerunt (*Judicum* III, 30). Absit ergo, ut Salomonis tempora in hac promissione prædicta esse credantur : multo minus utique cujuslibet regis alterius. Non enim quisquam eorum in tanta, quanta ille, pace regnavit : nec unquam omnino gens illa ita regnum tenuit, ut sollicita non fuerit ne hostibus subderetur; quia in tanta mutabilitate rerum humanarum nulli aliquando populo concessa est tanta securitas, ut huic vitæ hostiles non formidaret incursus. Locus ergo iste qui promittitur tam pacatæ ac securæ habitationis, æternus est, æternisque debetur in matre Jerusalem libera, ubi erit veraciter populus Israel : hoc enim nomen (*a*) interpretatur Videns Deum : cujus præmii desiderio pia per fidem vita in hac ærumnosa peregrinatione ducenda est.

CAPUT XIV. — *De studio David in dispositione mysterioque Psalmorum.*

Procurrente igitur per tempora civitate Dei, primo in umbra futuri, in terrena scilicet Jerusalem regnavit David. Erat autem David vir in canticis eruditus, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit; eaque Deo suo, qui verus est Deus, mystica rei magnæ figuratione servierit. Diversorum enim sonorum rationabilis moderatusque concentus concordi varietate compactam bene ordinatæ civitatis insinuat unitatem. Denique omnis fere prophetia ejus in Psalmis est, quos centum quinquaginta liber continet, quem Psalmorum vocamus. In quibus nonnulli volunt, eos solos factos esse a David, qui ejus nomine inscripti sunt. Sunt item qui putant non ab eo factos, nisi qui prænotantur, *Ipsius David :* qui vero habent in titulis, *Ipsi David*, ab aliis factos, personæ ipsius fuisse coaptatos. Quæ opinio voce evangelica Salvatoris ipsius refutatur, ubi ait, quod ipse David in Spiritu Christum dixerit esse Dominum suum (*Matth.* XXII, 43) : quoniam Psalmus centesimus nonus sic incipit : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Et certe idem psalmus non habet in titulo, *Ipsius David ;* sed, *Ipsi David*, sicut plurimi. Mihi autem credibilius videntur existimare qui omnes illos centum et quinquaginta Psalmos ejus operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus, cæteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluisse : sicut ei varietatis hujus dispositionem, quamvis latebrosam, non tamen inanem Dominus inspiravit. Nec movere debet ad hoc non credendum, quod nonnullorum nomina Prophetarum, qui longe post David regis tempora fuerunt, quibusdam psalmis in eo libro leguntur inscripta; et quæ ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. Neque enim non potuit propheticus Spiritus prophetanti regi David hæc etiam futurorum Prophetarum nomina revelare, ut aliquid, quod eorum personæ conveniret, prophetice cantaretur : sicut rex Josias exorturus et regnaturus post annos amplius quam trecentos, cuidam prophetæ, qui etiam facta ejus futura prædixit, cum suo nomine revelatus est (III *Reg.* XIII).

CAPUT XV. — *An omnia quæ in Psalmis de Christo et Ecclesia prophetantur, ad contextum hujus operis coaptanda sint.*

Nunc jam exspectari a me video, ut hoc loco libri hujus aperiam quid in Psalmis David de Domino Jesu Christo vel ejus Ecclesia prophetaverit. Ego autem ut hoc non ita faciam, sicut videtur ipsa exspectatio postulare (quamvis jam in uno feceram), copia quam inopia magis impedior. Omnia enim ponere vitandæ prolixitatis causa prohibeor : vereor autem ne, cum aliqua elegero, multis qui ea noverunt, videar magis necessaria præterisse; deinde, quia testimonium quod profertur, de contextione totius Psalmi debet habere suffragium ut certe nihil sit[1] quod ei refragetur, si non omnia suffragantur), ne more centonum ad rem quam volumus, tanquam versiculos decerpere videamur, velut de grandi carmine[2], quod non de re illa, sed de alia longeque diversa reperiatur esse conscriptum. Hoc autem ut in quocumque psalmo possit ostendi, exponendus est totus : quod quanti operis sit, et aliorum, et nostra volumina, in quibus hoc fecimus, satis indicant. Legat ergo illa, qui voluerit, et potuerit : inveniet quot et quanta rex David idemque propheta de Christo et ejus Ecclesia prophetaverit, de Rege scilicet et civitate quam condidit.

CAPUT XVI. — *De his quæ in quadragesimo quarto Psalmo ad Christum et Ecclesiam pertinentia, aut aperte dicuntur, aut tropice.*

1. Quamlibet enim de quacumque re propriæ sint atque manifestæ propheticæ locutiones, necesse est ut eis etiam tropicæ misceantur : quæ maxime propter tardiores ingerunt doctoribus laboriosum disputandi exponendique negotium. Quædam tamen Christum et Ecclesiam ipsa prima facie, mox ut dicuntur, ostendunt; etsi ex otio restant exponenda, quæ in eis minus intelliguntur : quale illud est in eodem Psalmorum libro : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladium tuum circa femur*[3], *potentissime. Specie tua et pulchritudine*

(*a*) Subaudi, Israel.

[1] Mss., *aut certe nihil sit.*

[2] Sic Mss. At editi, *velut de toto ea sola carmine.*

[3] Editi addunt, *tuum* ; quod a manuscriptis et a Septuaginta abest.

tua, intende, prospere procede, et regna. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ potentissimæ [1]. *Populi sub te cadent, in corde inimicorum regis. Sedes tua, Deus, in sæcula sæculorum, virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odio habuisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis. Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo* (*Psal.* XLIV, 2-10). Quis non hic Christum, quem prædicamus, et in quem credimus, quamlibet sit tardus, agnoscat: cum audiat Deum, cujus sedes est in sæcula sæculorum; et unctum a Deo, utique sicut ungit Deus, non visibili, sed spirituali atque intelligibili chrismate? Quis enim tam rudis est in hac religione, vel tam surdus adversus ejus famam longe lateque diffusam, ut Christum a chrismate, hoc est ab unctione, appellatum esse non noverit? Agnito autem rege Christo, jam cætera quæ hic tropice dicta sunt, quomodo sit speciosus forma præ filiis hominum, quadam tanto magis amanda atque miranda, quanto minus corporea pulchritudine; quis gladius ejus, quæ sagittæ, et cætera isto modo non proprie, sed tropice posita, jam subditus ei qui regnat propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, inquirat ex otio.

2. Deinde aspiciat ejus Ecclesiam, tanto viro suo spirituali connubio et divino amore conjunctam: de qua dicitur in his quæ sequuntur: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Quoniam concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus. Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate. Afferentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exsultatione: adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi* (*Psal.* XLIV, 10-18). Non opinor quemquam ita desipere, ut hic aliquam muliérculam prædicari credat atque describi: conjugem videlicet illius, cui dictum est, *Sedes tua, Deus, in sæcula sæculorum: virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odio habuisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis*: Christum utique præ Christianis. Hi sunt enim participes ejus, ex quorum in omnibus gentibus unitate atque concordia fit ista regina: sicut in alio psalmo de illa dicitur, *Civitas Regis magni* (*Psal.* XLVII, 3). Ipsa est Sion spiritualiter: quod nomen latine interpretatum Speculatio est. Speculatur enim futuri sæculi magnum bonum: quoniam illuc dirigitur ejus intentio. Ipsa est et Jerusalem eodem modo spiritualiter, unde multa jam diximus. Ejus inimica est civitas diaboli Babylon, quæ Confusio interpretatur. Ex qua tamen Babylone regina ista in omnibus gentibus regeneratione liberatur, et a pessimo rege ad optimum Regem, id est, a diabolo transit ad Christum. Propter quod ei dicitur, *Obliviscere populum tuum et domum patris tui*. Cujus civitatis impiæ portio sunt et Israelitæ sola carne, non fide: inimici etiam ipsi magni hujus Regis, ejusque reginæ. Ad ipsos enim veniens, et ab eis Christus occisus, magis aliorum factus est, quos non vidit in carne. Unde per cujusdam psalmi prophetiam dicit Rex ipse noster, *Erues me de contradictionibus populi, constitues me in caput* [1] *gentium. Populus quem non cognovi, servivit mihi; in obauditu auris obaudivit mihi* (*Psal.* XVII, 44 *et* 45). Populus ergo iste gentium, quem non cognovit Christus præsentia corporali, in quem tamen Christum sibi annuntiatum credidit, ut merito de illo diceretur, *In obauditu auris obaudivit mihi*; quia fides ex auditu est (*Rom.* X, 17); iste, inquam, populus additus veris et carne et fide Israelitis civitas est Dei, quæ ipsum quoque secundum carnem peperit Christum, quando in solis illis Israelitis fuit. Inde quippe erat virgo Maria, in qua carnem Christus, ut homo esset, assumpsit. De qua civitate psalmus alius ait, *Mater Sion, dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Quis est iste Altissimus, nisi Deus? Et per hoc Christus Deus, antequam in illa civitate per Mariam fieret homo, ipse in Patriarchis et Prophetis fundavit eam. Cum igitur huic reginæ civitati Dei tanto ante dictum sit per prophetiam, quod jam videmus impletum, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*: ex filiis quippe ejus per omnem terram sunt præpositi et patres ejus, cum confiteantur [2] ei populi concurrentes ad eam cum confessione laudis æternæ in sæculum sæculi (*a*): procul dubio quidquid hic tropicis locutionibus subobscure dictum est, quoquo modo intelligatur, debet his rebus manifestissimis convenire.

CAPUT XVII. — *De his quæ ad sacerdotium Christi in Psalmo centesimo nono, et de his quæ in Psalmo vigesimo primo ad passionem ipsius spectant.*

Sicut etiam in illo psalmo, ubi sacerdos Christus, quemadmodum hic rex, apertissime prædicatur: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Sedere Christus ad dexteram Dei Patris creditur, non videtur: ejus etiam inimicos poni sub pedibus ejus nondum apparet; id agitur [3], apparebit in fine; etiam hoc nunc creditur, post videbitur. Verum quod sequitur, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*,

[1] Editi, *potentissime*; pauloque post, *in corda*. At manuscripti hic et aliis inferius locis conveniunt cum ea versione, quam Augustinus sequitur Enarr. in Psal. XLIV.

[1] Mss., *in capite gentium*.

[2] Sic Mss. At editi Vind. Am. Er., *sunt præpositi principes, cum confiteantur*. Lov., *sunt præpositi et patres ejus principes, cum confiteantur*. Paulo post loco, *cum confessione*, nonnulli manuscripti habent, *confessionem*: alii cum Vind. Am. Er., *confessione*, omisso, *cum*.

[3] Editi, *id igitur*. Verius manuscripti, *id agitur*.

(*a*) Conf. Enarr. psal. XLIV, n. 32.

et[1] *dominare in medio inimicorum tuorum*, ita clarum est, ut non solum infideliter et infeliciter, sed etiam impudenter negetur. Et ipsi quippe fatentur inimici, ex Sion missam fuisse legem Christi, quod Evangelium nos vocamus, et eam virgam virtutis ejus agnoscimus. Dominari vero eum in medio inimicorum suorum, iidem ipsi inter quos dominatur, dentibus frendendo et tabescendo, et nihil adversus eum valendo, testantur. Deinde quod paulo post dicit, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum*: quibus verbis immutabile futurum esse significat, quod adjungit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 1, 2, 4), ex eo quod jam nusquam est sacerdotium et sacrificium secundum ordinem Aaron, et ubique offertur sub sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraham (*Gen.* XIV, 18 *sqq.*), quis ambigere permittitur, de quo ista dicantur? Ad hæc itaque manifesta referuntur, quæ paulo obscurius in eodem psalmo posita sunt, quando recte intelliguntur: quod in nostris jam popularibus Sermonibus fecimus[2]. Sic et in illo ubi humilitatem passionis suæ per prophetiam Christus eloquitur, dicens, *Foderunt manus meas et pedes*[3], *dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me.* Quibus utique verbis in cruce corpus significavit extentum, manibus pedibusque confixis et clavorum transverberatione confossis, eoque modo se spectaculum considerantibus et conspicientibus præbuisse. Addens etiam, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI, 17-19). Quæ prophetia quemadmodum impleta sit, evangelica narratur historia (*Matth.* XXVII, 35). Tunc profecto et alia recte intelliguntur, quæ ibi minus aperte dicta sunt, cum congruunt his quæ tanta manifestatione claruerunt: præsertim quia et illa quæ non transacta credimus, sed præsentia contuemur, sicut in eodem psalmo leguntur tanto ante prædicta, ita nunc exhibita jam toto orbe cernuntur. Ibi enim paulo post dicitur: *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI, 28, 29).

CAPUT XVIII. — *De Psalmo tertio, et de quadragesimo, et de quinto decimo, et de sexagesimo septimo, in quibus mors et resurrectio Domini prophetantur.*

1. De resurrectione quoque ejus nequaquam Psalmorum oracula tacuerunt. Nam quid est aliud quod in Psalmo tertio ex persona ejus canitur, *Ego dormivi, et somnum cepi; exsurrexi quoniam Dominus suscipiet me*[4] (*Psal.* III, 6)? An forte quisquam ita desipit, ut credat velut aliquid magnum nobis indicare voluisse Prophetam, quod dormierit, et exsurrexerit, nisi somnus iste mors esset, et evigilatio resurrectio, quam de Christo sic oportuit prophetari? Nam et in quadragesimo multo manifestius id ostenditur, ubi ex persona ejusdem Mediatoris, more solito, tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur; quoniam quæ ventura erant jam in prædestinatione et præscientia Dei velut facta erant, quia certa erant[1]. *Inimici*, inquit, *mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus? Et si ingrediebatur ut videret, vana locutum est cor ejus, congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, et loquebatur*[2] *simul in unum. Adversus me susurrabant omnes inimici mei, adversus me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum disposuerunt adversus me: Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Hic certe ita posita sunt verba hæc, ut nihil aliud dixisse intelligatur, quam si diceret, Numquid qui moritur, non adjiciet ut reviviscat? Superiora quippe demonstrant mortem ipsius cogitasse et disposuisse inimicos ejus, et hoc actum esse per eum qui ingrediebatur ut videret, et egrediebatur ut proderet. Cui autem hic non occurrat ex discipulo ejus factus traditor Judas? Quia ergo facturi erant quod moliebantur, id est, occisuri erant eum, ostendens illos vana malitia frustra occisuros resurrecturum, sic adjecit hunc versum, velut si diceret, Quid agitis vani? quod vestrum scelus erit, meus somnus erit. *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Et tamen eos tam magnum nefas non impune facturos, consequentibus indicat versibus, dicens: *Etenim homo pacis meæ in quem speravi, qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum*; hoc est, conculcavit me. *Tu autem*, inquit, *Domine, miserere mei, et resuscita me, et reddam illis* (*Psal.* XL, 6-11). Quis hoc jam neget, qui Judæos post passionem resurrectionemque Christi de sedibus suis bellica strage et excidio funditus eradicatos videt (a)? Occisus enim ab eis resurrexit, et reddidit eis interim temporariam disciplinam, excepto quod non correctis servat, quando vivos et mortuos judicabit. Nam Dominus ipse Jesus istum ipsum traditorem suum per panem porrectum ostendens Apostolis (*Joan.* XIII, 26), hunc etiam versum psalmi hujus commemoravit, et in se dixit impletum: *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum.* Quod autem ait, *In quem speravi*, non congruit capiti, sed corpori. Neque enim nesciebat eum ipse Salvator, de quo ante jam dixerat, *Unus ex vobis diabolus est*[3] (*Id.* VI, 71). Sed solet in se membrorum suorum transferre personam, et sibi tribuere quod esset illorum, quia caput et corpus unus est Christus: unde illud est in Evangelio, *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Quod expo-

[1] Editi omittunt, *et*. Habent manuscripti hic et Enarr. in Psal. CIX.
[2] Sic Mss. Editi autem, *quæ quomodo recte intelliguntur, in nostris jam popularibus Sermonibus notum fecimus.*
[3] Editi, *pedes meos*. Abest, *meos*, a Mss.
[4] Sic manuscripti juxta Septuaginta. At editi, *et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.*

[1] Monet Ludovicus Vives vetus exemplar non habere, *quia certa erant*; videturque additum ab aliquo ceu scholium. Id vero habent libri omnes quos inspeximus.
[2] Vetus liber Corbeiensis, *et loquebantur*.
[3] In quibusdam manuscriptis loci duo citantur sic: *Unus ex vobis me tradet*; et, *Unus ex vobis diabolus est*. Prior est ex Joan. XIII, 21.
(a) Pœnam hoc esse sceleris in Christum commissi, præter Patres, ostendit Rabbi Samuel Marochianus, libro de Adventu Messiæ. Cap. 11.

nens ait : *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 35, 40). Se itaque dixit sperasse, quod tunc speraverant de Juda discipuli ejus, quando est connumeratus Apostolis.

2. Judæi autem Christum, quem sperant, moriturum esse non sperant. Ideo quem Lex et Prophetæ annuntiaverunt, nostrum esse non putant ; sed nescio quem suum, quem sibi alienum a mortis passione confingunt. Ideo mirabili vanitate atque cæcitate verba quæ posuimus, non mortem et resurrectionem, sed somnum et evigilationem significasse contendunt. Sed clamat eis etiam Psalmus quintus decimus : *Propter hoc jucundatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe : quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 9 *et* 10). Quis in ea spe diceret requievisse carnem suam, ut non derelicta anima sua in inferno, sed cito ad eam redeunte revivisceret, ne corrumperetur, sicut cadavera corrumpi solent, nisi qui die tertio resurrexit ? Quod utique dicere non possunt de propheta et rege David. Clamat et sexagesimus septimus Psalmus : *Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini* [1] *exitus* (*a*) *mortis* (*Psal.* LXVII, 21). Quid apertius diceretur ? Deus enim salvos faciendi Dominus est Jesus, quod interpretatur Salvator, sive Salutaris. Nam ratio nominis hujus hæc reddita est, quando priusquam ex virgine nasceretur dictum est : *Pariet filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I, 21). In quorum peccatorum remissionem quoniam sanguis ejus effusus est, non utique oportuit eum de hac vita exitus alios habere quam mortis. Ideo cum dictum esset, *Deus noster, Deus salvos faciendi* ; continuo subjunctum est, *Et Domini exitus mortis* ; ut ostenderetur moriendo salvos esse facturus. Sed mirando dictum est, *Et Domini* ; tanquam diceretur, Talis est ista vita mortalium, ut nec ipse Dominus aliter ab illa exiret, nisi per mortem.

CAPUT XIX. — *De Psalmo sexagesimo octavo, in quo Judæorum pertinax infidelitas declaratur.*

Sed ut Judæi tam manifestis hujus prophetiæ testimoniis, etiam rebus ad effectum tam clarum certumque perductis, omnino non cedant [2], profecto in eis illud impletur, quod in eo psalmo qui hunc sequitur, scriptum est. Cum enim et illic ex persona Christi, quæ ad ejus passionem pertinent, prophetice dicerentur, commemoratum est quod in Evangelio patuit : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potum mihi dederunt acetum* (*Psal.* LXVIII, 22 ; *Matth.* XXVII, 34, 48). Et velut post tale convivium epulasque sibi hujuscemodi exhibitas mox intulit, *Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et in retributionem, et in scandalum : obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 23, 24) ; et cætera, quæ non optando sunt dicta, sed optandi specie prophetando prædicta. Quid ergo mirum, si hæc manifesta non vident, quorum oculi sunt obscurati, ne videant ? quid mirum, si cœlestia non accipiunt [1], quibus ut in terrenis sint proni, dorsum eorum semper incurvum est ? His enim verbis translatis a corpore, vitia significantur animorum. Ista de Psalmis, hoc est de prophetia regis David, satis dicta sint, ut aliquis modus sit. Ignoscant autem qui hæc legunt, et cuncta illa noverunt, et de his quæ fortasse firmiora me prætermisisse vel intelligunt, vel existimant, non querantur.

CAPUT XX. — *De regno ac merito David, et de filio ipsius Salomone, eaque prophetia quæ ad Christum pertinens invenitur, vel in eis libris qui scriptis ipsius copulantur, vel in eis quos ipsius esse non dubium est.*

1. Regnavit ergo David in terrena Jerusalem, filius cœlestis Jerusalem, divino multum testimonio prædicatus : quia et delicta ejus tanta pietate superata sunt, per saluberrimam pœnitendi humilitatem, ut prorsus inter eos sit, de quibus ipse ait, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Post hunc regnavit eidem populo universo Salomon ejus filius, qui, ut supra dictum est, patre suo vivente cœpit regnare. Hic bonis initiis, malos exitus habuit. Quippe secundæ res, quæ sapientium animos fatigant (*a*), magis huic obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, etiam nunc et deinceps memorabilis, et tunc longe lateque laudata. Prophetasse etiam ipse reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritatem canonicam, Proverbia, Ecclesiastes, et Canticum canticorum. Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo : non autem esse ipsius, non dubitant doctiores ; eos tamen in auctoritatem, maxime occidentalis, antiquitus recepit Ecclesia (*b*) : quorum in uno, qui appellatur Sapientia Salomonis, passio Christi apertissime prophetatur. Impii quippe interfectores ejus commemorantur dicentes : *Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et infamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit scientiam Dei se habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris quasi ab immunditiis : præfert* [2] *novissima justorum, et gloriatur patrem Deum se habere. Videamus ergo si sermones illius veri sunt,*

[1] In editis, *et Domini, Domini exitus mortis.* Non repetitur, *Domini*, in manuscriptis nec apud Septuaginta.

[2] Sic Mss. Editi vero, *non credant.*

(*a*) Ne quis fallatur, *exitus* est nominativus pluralis, *ai diexodoi tou thanatou*, non genitivus singularis. LUD. VIVES.

[1] Vind. Am. et aliquot manuscripti, *suscipiunt.*

[2] Vulgata, *et præfert.* Sic etiam Ms. 258. M.

(*a*) Imitatur Sallustium in bello Catilinario, cap. 11 cujus etiam hæc ibidem verba sunt, *Quippe secundæ res sapientium animos fatigant.*

(*b*) Vide librum 2 de Doctrina Christiana, n. 15, et Speculum.

et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima ejus. Si enim justus est filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manu contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus illum, ut sciamus reverentiam illius, et probemus patientiam ipsius. Morte turpissima condemnemus illum : erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia ipsorum (*Sap.* II, 12-21). In Ecclesiastico autem fides gentium futura prædicitur isto modo : *Miserere nostri, dominator Deus omnium, et immitte timorem tuum super omnes gentes : extolle manum tuam super gentes alienas, et videant potentiam tuam. Sicut coram illis sanctificatus es in nobis, ita coram nobis magnificeris in illis, ut agnoscant te secundum quod et nos agnovimus te, quia non est Deus præter te, Domine* (*Eccli.* XXXVI, 1-5). Hanc optandi et precandi specie prophetiam per Jesum Christum videmus impletam. Sed adversus contradictores non tanta firmitate proferuntur, quæ scripta non sunt in canone Judæorum.

2. In tribus vero illis, quos Salomonis esse constat, et Judæi canonicos habent, ut ostendatur ad Christum et Ecclesiam pertinere quod in eis ejusmodi reperitur, operosa disputatio necessaria est, quæ nos ultra quam oportet, si nunc adhibetur, extendit. Tamen quod in Proverbiis legitur, viros impios dicere, *Abscondamus in terra virum justum injuste, absorbeamus vero eum tanquam infernus viventem, et auferamus ejus memoriam de terra, possessionem ejus pretiosam apprehendamus* (*Prov.* I, 11-13); non ita obscurum est, ut de Christo et possessione ejus Ecclesia sine laboriosa expositione non possit intelligi. Tale quippe aliquid etiam Dominus ipse Jesus per evangelicam parabolam ostendit dixisse malos colonos : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI, 38). Itemque illud in eodem libro, quod jam ante perstrinximus, cum loqueremur de sterili quæ peperit septem (*Supra, cap.* 4, *n.* 4), nonnisi de Christo et Ecclesia mox ut fuerit pronuntiatum consuevit intelligi ab eis, qui Christum Sapientiam Dei esse noverunt. *Sapientia ædificavit sibi domum, et suffulsit columnas septem; immolavit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum, et paravit mensam suam. Misit servos suos convocans cum excellenti prædicatione ad craterem, dicens : Quis est insipiens? divertat ad me. Et inopibus sensu dixit : Venite, manducate de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 1-5). Hic certe agnoscimus Dei Sapientiam, hoc est, Verbum Patri coæternum, in utero virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, et huic, tanquam capiti membra, Ecclesiam subjunxisse, martyrum victimas immolasse, mensam in vino et panibus præparasse, ubi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, insipientes et inopes sensu vocasse; quia, sicut dicit Apostolus, infirma hujus mundi elegit, ut confunderet fortia (I *Cor.* I, 27). Quibus tamen infirmis quod sequitur dicit : *Derelinquite insipientiam, ut vivatis, et quærite prudentiam, ut habeatis vitam* (*Prov.* IX, 6). Participem autem fieri mensæ illius, ipsum est incipere habere vitam. Nam et in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait, *Non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet* (*Eccle.* VIII, 15); quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam sacerdos ipse Mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri : propter quod etiam vocem illam in Psalmo tricesimo et nono ejusdem Mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus : *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi* (*Psal.* XXXIX, 7). Quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur. Nam istum Ecclesiastem in hac sententia manducandi et bibendi, quam sæpe repetit, plurimumque commendat, non sapere carnalis epulas voluptatis, satis illud ostendit, ubi ait, *Melius est ire in domum luctus, quam ire in domum potus :* et paulo post, *Cor*, inquit, *sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo epularum* (*Eccle.* VII, 3, 5). Sed illud magis commemorandum existimo de hoc libro, quod pertinet ad civitates duas, unam diaboli, alteram Christi, et earum reges diabolum et Christum : *Væ tibi, terra*, inquit, *cujus rex adolescens, et principes tui mane comedunt. Beata tu, terra, cujus rex tuus filius ingenuorum, et principes tui in tempore comedunt, in fortitudine, et non in confusione* (*Id.* X, 16 *et* 17). Adolescentem dixit diabolum, propter stultitiam, et superbiam, et temeritatem, et petulantiam, cæteraque vitia, quæ huic ætati assolent abundare : Christum autem filium ingenuorum, sanctorum scilicet Patriarcharum, pertinentium ad liberam civitatem, ex quibus est in carne progenitus. Principes illius civitatis mane manducantes, id est ante horam congruam; quia non exspectant opportunam, quæ vera est, in futuro sæculo felicitatem, festinanter beari hujus sæculi celebritate cupientes [1]. Principes autem civitatis Christi tempus non fallacis beatitudinis patienter exspectant. Hoc ait, *in fortitudine, et non in confusione :* quia non eos fallit spes; de qua dicit Apostolus, *Spes autem non confundit* (*Rom.* V, 5). Dicit et Psalmus, *Etenim qui* [2] *te exspectant, non confundentur* (*Psal.* XXIV, 3). Jam vero Canticum canticorum spiritualis quædam sanctarum est voluptas mentium, in conjugio illius Regis et reginæ civitatis, quod est Christus et Ecclesia. Sed hæc voluptas allegoricis tegminibus involuta est, ut desideretur ardentius, nudeturque jucundius, et appareat sponsus, cui dicitur in eodem Cantico, *Æquitas dilexit te* (*Cantic.* I, 3); et sponsa quæ ibi audit, *Charitas in deliciis tuis* (*Id.* VII, 6). Tacita [3] multa transimus, cura hujus operis terminandi.

[1] Plures Mss., *celeritate cupientes.*
[2] Lov., *Etenim universi qui.* Abest *universi* a cæteris libris.
[3] Ita Mss. At editi, *Tacite.*

CAPUT XXI. — *De regibus post Salomonem, sive in Juda, sive in Israel.*

Cæteri post Salomonem reges Hebræorum vix inveniuntur per aliqua ænigmata dictorum suorum rerumve gestarum, quod ad Christum et Ecclesiam pertineat, prophetasse, sive in Juda, sive in Israel. Sic enim appellatæ sunt illius populi partes, ex quo propter Salomonis offensam tempore filii ejus Roboam, qui patri successit in regnum, Deo vindicante divisus est. Proinde tribus decem, quas accepit Jeroboam servus Salomonis, rex eis in Samaria constitutus, proprie vocabantur Israel, quamvis hoc universi populi illius nomen esset. Duabus vero tribubus, Judæ scilicet et Benjamin, quæ propter David, ne penitus regnum stirpis ejus fuisset eradicatum, remanserant subjacentes civitati Jerusalem, Judæ nomen fuit: quia ipsa erat tribus unde David. Benjamin vero tribus altera ad idem regnum, sicut dixi, pertinens, erat unde fuit Saul rex ante David. Sed simul istæ duæ tribus, ut dictum est, Juda vocabantur; et hoc nomine discernebantur ab Israel, quod [1] appellabantur proprie decem tribus habentes suum regem. Nam tribus Levi, quoniam sacerdotalis fuit, Dei, non regum servitio mancipata, tertia decima numerabatur. Joseph quippe unus ex duodecim filiis Israel, non unam, sicut cæteri singulas, sed duas tribus fecit, Ephræm et Manassen. Veruntamen etiam tribus Levi ad regnum Jerosolymitanum pertinebat magis, ubi erat Dei templum, cui serviebat. Diviso igitur populo, primus regnavit in Jerusalem Roboam, rex Juda, filius Salomonis: et in Samaria Jeroboam, rex Israel, servus Salomonis. Et cum voluisset Roboam tanquam tyrannidem divisæ illius partis bello persequi, prohibitus est populus pugnare cum fratribus suis, dicente Deo per prophetam, se hoc fecisse (III *Reg.* XII, 24). Unde apparuit nullum in ea re, vel regis Israel, vel populi fuisse peccatum, sed voluntatem Dei vindicantis impletam. Qua cognita, pars utraque inter se pacata conquievit: non enim religionis, sed regni fuerat facta divisio.

CAPUT XXII. — *De Jeroboam, qui impietate idololatriæ subditum sibi populum profanavit, in quo tamen non destitit Deus et Prophetas inspirare* [3], *et multos ab idololatriæ crimine custodire.*

Verum rex Israel Jeroboam mente perversa non credens Deo, quem veracem promisso sibi regno datoque probaverat, timuit ne veniendo ad templum Dei, quod erat in Jerusalem, quo secundum divinam legem sacrificandi causa universæ illi genti veniendum fuit, seduceretur ab eo populus, et stirpi David tanquam regio semini redderetur; et instituit idololatriam in regno suo, et populum Dei secum simulacrorum cultu obstrictum nefanda impietate decepit. Nec tamen omnimodo cessavit Deus non solum illum regem, verum etiam successores ejus et impietatis imitatores, populumque ipsum, arguere per Prophetas. Nam ibi exstiterunt et magni illi insignesque Prophetæ, qui etiam mirabilia multa fecerunt, Elias et Eliseus discipulus ejus. Etiam ibi dicenti Eliæ, *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam* (III *Reg.* XIX, 10); responsum est illic esse septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.

CAPUT XXIII. — *De vario utriusque regni Hebræorum statu, donec ambo populi in captivitatem diverso tempore ducerentur, revocato postea Juda in regnum suum, quod novissime in Romanorum transiit potestatem.*

Itemque in regno Juda pertinente ad Jerusalem, etiam succedentium regum temporibus non defuerunt Prophetæ: sicut Deo placebat eos mittere, vel ad prænuntiandum quod opus erat, vel ad corripienda peccata, præcipiendamque justitiam. Nam et illic, etsi longe minus quam in Israel, tamen exstiterunt reges qui suis impietatibus Deum graviter offenderent, et moderatis flagellis cum populo simili [2] plecterentur. Piorum sane regum merita ibi non parva laudantur. In Israel autem reges alios magis, alios minus, omnes tamen reprobos legimus. Utraque igitur pars, sicut jubebat divina providentia, vel sinebat, variis et erigebatur prosperitatibus, et adversitatibus premebatur: et sic affligebatur, non solum externis, verum etiam inter se civilibus bellis, ut certis existentibus causis, misericordia Dei vel ira patesceret; donec ejus indignatione crescente, universa gens illa a Chaldæis debellantibus, non solum subverteretur in sedibus suis, sed etiam ex maxima sui parte transferretur in terras Assyriorum, prius illa pars, quæ vocabatur Israel in tribubus decem; postea vero etiam Judas, eversa Jerusalem et templo illo nobilissimo: in quibus terris per annos septuaginta captivum egit otium. Post quos inde dimissa, templum quod eversum fuerat, instauravit: et quamvis plurimi ejus in alienigenarum degerent terris, non habuit tamen deinceps duas regni partes, et duos diversos in singulis partibus reges: sed in Jerusalem princeps eorum unus erat; atque ad Dei templum, quod ibi erat, omnes undique, ubicumque essent, et undecumque possent, per certa tempora veniebant. Sed nec tunc eis hostes ex aliis gentibus expugnatoresque defuerunt: nam etiam Romanorum jam tributarios eos Christus invenit.

CAPUT XXIV. — *De Prophetis qui vel apud Judæos postremi fuerunt, vel quos circa tempus nativitatis Christi evangelica prodit historia.*

Toto autem illo tempore, ex quo redierunt de Babylonia, post Malachiam, Aggæum et Zachariam, qui tunc prophetaverunt, et Esdram, non habuerunt Prophetas usque ad Salvatoris adventum, nisi alium Zachariam patrem Joannis, et Elisabeth ejus uxorem, Christi nativitate jam proxima; et eo jam nato, Simeonem senem, et Annam viduam jamque grandæ-

[1] Er. et Lov., *quæ*. Melius alii codices, *quod*, nomen scilicet Israel.

[3] In ante excusis, *prophetias inspirare*.

[2] Er. et Lov., *simul*. Melius autem Vind. Am. et Mss., *simili*.

vam, et ipsum Joannem novissimum : qui juvenis, jam juvenem Christum, non quidem futurum prædixit, sed tamen incognitum prophetica cognitione monstravit : propter quod ipse Dominus ait, *Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* XI, 13). Sed istorum quinque prophetatio ex Evangelio nobis nota est: ubi et ipsa Virgo mater Domini ante Joannem prophetasse invenitur (*Luc.* I, 46-55). Sed hanc istorum prophetiam Judæi reprobi non accipiunt : acceperunt autem, qui ex eis innumerabiles Evangelio crediderunt. Tunc enim vere Israel divisus est in duo, divisione illa, quæ per Samuelem prophetam Sauli regi est immutabilis prænuntiata. Malachiam vero, Aggæum, Zachariam, et Esdram, etiam Judæi reprobi in auctoritatem canonicam receptos novissimos habent. Sunt enim et scripta eorum, sicut aliorum, qui in magna multitudine Prophetarum [1] perpauci ea scripserunt, quæ auctoritatem canonis obtinerent. De quorum prædictis, quæ ad Christum Ecclesiamque ejus pertinent, nonnulla mihi in hoc opere video esse ponenda : quod commodius fiet, adjuvante Domino, sequenti libro ; ne hunc tam prolixum ulterius oneremus.

[1] Sic Mss. Editi vero, *prophetarunt.*

LIBER DECIMUS OCTAVUS (a).

Dicit de terrenæ civitatis a tempore Abraham ad mundi finem procursu cum ipsa civitate cœlesti : et attingit oracula de Christo, cum sibyllarum, tum maxime sacrorum Vatum, qui ab regni Romanorum exordio scripserunt, Osee, Amos, Isaiæ, Michææ, et subsequentium.

CAPUT PRIMUM. — *De his quæ usque ad tempora Salvatoris decem et septem voluminibus disputata sunt.*

De civitatum duarum, quarum Dei una, sæculi hujus est altera, in qua nunc est, quantum ad humanum genus pertinet, etiam ista peregrina, exortu et procursu [1] et debitis finibus me scripturum esse promisi : cum prius inimicos civitatis Dei, qui conditori ejus Christo deos suos præferunt, et livore sibi perniciosissimo atrociter invident Christianis, quantum me adjuvaret ejus gratia, refellissem ; quod voluminibus decem prioribus feci. De hac vero mea, quam modo commemoravi, tripartita promissione, decimum [2] sequentibus quatuor libris ambarum est digestus exortus ; deinde procursus ab homine primo usque ad diluvium libro uno, qui est hujus operis quintus decimus ; atque inde usque ad Abraham rursus ambæ, sicut in temporibus, ita et in nostris litteris cucurrerunt. Sed a patre Abraham usque ad Regum tempus Israelitarum, ubi sextum decimum volumen absolvimus, et inde usque ad ipsius in carne Salvatoris adventum, quousque decimus septimus liber tenditur, sola videtur in meo [3] stilo cucurrisse Dei civitas : cum in hoc sæculo non sola cucurrerit, sed ambæ utique in genere humano, sicut ab initio simul, suo procursu tempora variaverint. Verum hoc ideo feci, ut prius, ex quo apertiores Dei promissiones esse cœperunt, usque ad ejus ex Virgine nativitatem, in quo [4] fuerant quæ primo promittebantur implenda, sine interpellatione a contrario alterius civitatis, ista quæ Dei est procurrens, distinctius appareret ; quamvis usque ad revelationem Testamenti novi, non in lumine, sed in umbra cucurrerit. Nunc ergo, quod intermiseram, video esse faciendum, ut ex Abrahæ temporibus quomodo etiam illa cucurrerit, quantum satis videtur, attingam, ut ambæ inter se possint consideratione legentium comparari.

[1] [illegible] 2010, 2011 et 258, [illegible] M.
[2] [illegible], *in decimum* [illegible]
[3] [illegible], *in medio.* [illegible] et manuscripti, *in* [illegible]
[4] [illegible], *in quo.*
(a) [illegible] 426. Vide retract., cap. 54.

CAPUT II. — *De terrenæ civitatis regibus atque temporibus, quibus ab exortu Abrahæ sanctorum tempora supputata conveniunt.*

1. Societas igitur usquequaque mortalium diffusa per terras et in locorum quantislibet diversitatibus, unius tamen ejusdemque naturæ quadam communione devincta, utilitates et cupiditates suas quibusque sectantibus, dum id quod appetitur, aut nemini, aut non omnibus sufficit, quia non est idipsum, adversum se ipsam plerumque dividitur, et pars partem, quæ prævalet, opprimit. Victrici enim victa succumbit, dominationi scilicet, vel etiam libertati qualemcumque pacem præferens ac salutem : ita ut magnæ fuerint admirationi qui perire quam servire maluerunt. Nam in omnibus fere gentibus quodammodo vox naturæ ista personuit, ut subjugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quam bellica omnifariam [1] vastatione deleri. Hinc factum est ut non sine Dei providentia, in cujus potestate est ut quisque bello aut subjugetur aut subjuget, quidam essent regnis præditi, quidam regnantibus subditi : sed inter plurima regna terrarum, in quæ terrenæ utilitatis vel cupiditatis est divisa societas (quam civitatem mundi hujus universali vocabulo nuncupamus), duo regna cernimus longe cæteris provenisse clariora, Assyriorum primum, deinde Romanorum, ut temporibus, ita locis inter se ordinata atque distincta. Nam quo modo illud prius, hoc posterius ; eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit : denique in illius fine hujus initium confestim fuit (a). Regna cætera, cæterosque reges velut appendices istorum dixerim.

2. Ninus ergo jam secundus rex erat Assyriorum, qui patri suo Belo successerat, regni illius primo regi, quando in terra Chaldæorum natus est Abra-

[1] Sic plures manuscripti. Alii vero cum editis, *omnifaria.*
(a) Vide infra, cap. 27.

ham (*a*). Erat etiam tempore illo regnum Sicyoniorum admodum parvum, a quo ille undecumque doctissimus Marcus Varro scribens de Gente populi Romani, velut antiquo tempore, exorsus est. Ab his enim Sicyoniorum regibus ad Athenienses pervenit, a quibus ad Latinos, inde ad Romanos; sed ante conditam Romam in comparatione regni Assyriorum perexigua ista memorantur. Quamvis Athenienses in Græcia plurimum claruisse fateatur etiam Sallustius Romanus historicus, plus tamen fama, quam re ipsa. Nam loquens de illis : *Atheniensium*, inquit, *res gestæ, sicuti ego existimo, satis amplæ magnificæque fuere : verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum qui fecere, virtus tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere præclara ingenia* (*Belli Catil.*, *cap.* 8). Accedit huic civitati non parva etiam ex litteris et philosophis gloria, quod ibi potissimum talia studia viguerunt. Nam quantum attinet ad imperium, nullum majus primis temporibus, quam Assyriorum fuit, nec tam longe lateque diffusum. Quippe ubi Ninus rex, Beli filius, universam Asiam, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur, ad magnitudinem vero dimidia reperitur, usque ad Libyæ fines subegisse traditur (*b*). Solis quippe Indis in partibus Orientis non dominabatur : quos tamen eo defuncto Semiramis uxor ejus est agressa bellando. Ita factum est, ut quicumque in illis terris populi, sive reges erant, Assyriorum regno ditionique parerent, et quidquid imperaretur efficerent. Abraham igitur in eo regno apud Chaldæos Nini temporibus natus est. Sed quoniam res Græcæ multo sunt nobis quam Assyriæ notiores, et per Græcos ad Latinos, ac deinde ad Romanos, qui etiam ipsi Latini sunt, temporum seriem deduxerunt qui gentem populi Romani in originis ejus antiquitate rimati sunt; ob hoc debemus, ubi opus est, Assyrios memorare reges : ut appareat quemadmodum Babylonia, quasi prima Roma, cum peregrina in hoc mundo Dei civitate procurrat. Res autem quas propter comparationem civitatis utriusque, terrenæ scilicet et cœlestis, huic operi oportet inserere, magis ex Græcis et Latinis, ubi et ipsa Roma quasi secunda Babylonia est, debemus assumere.

3. Quando ergo natus est Abraham, secundi reges erant, apud Assyrios Ninus, apud Sicyonios Europs (*c*) : primi autem, illic Belus, hic Ægialeus fuerunt. Cum vero egresso Abraham de Babylonia, promisit ei Deus ex illo magnam gentem futuram, et in ejus semine omnium gentium benedictionem, Assyrii quartum regem habebant, Sicyonii quintum : apud illos enim regnabat filius Nini post matrem Semiramidem, quæ ab illo interfecta perhibetur, ausa filium mater incestare concubitu. Hanc putant nonnulli condidisse Babylonem, quam quidem potuit instaurare (*a*). Quando autem, vel quomodo condita fuerit, in sexto decimo libro diximus (*Cap.* 4). Filium porro Nini et Semiramidis, qui matri successit in regnum, quidam etiam ipsum Ninum, quidam vero derivato a patre vocabulo Ninyam [1] vocant. Sicyoniorum autem regnum tunc tenebat Telxion [2]. Quo regnante usque adeo ibi mitia et læta tempora fuerunt, ut eum defunctum velut deum colerent sacrificando, et ludos celebrando, quos ei primitus institutos ferunt.

CAPUT III. — *Quibus regnantibus apud Assyrios atque Sicyonios Abrahæ centenario Isaac de promissione sit natus, vel ipsi Isaac sexagenario Esau et Jacob gemini de Rebecca sint editi.*

Hujus temporibus etiam Isaac ex promissione Dei natus est centenario patri filius Abrahæ de Sarra conjuge, quæ sterilis et anus jam spem prolis amiserat. Tunc et Assyriis quintus erat rex Arrius (*b*). Ipsi vero Isaac sexagenario nati sunt gemini, Esau et Jacob, quos ei Rebecca uxor peperit, avo eorum Abraham adhuc vivente, et centum sexaginta ætatis annos agente : qui expletis centum septuaginta quinque defunctus est; regnantibus apud Assyrios Xerxe illo antiquiore, qui etiam Baleus (*a*) vocabatur, et apud Sicyonios Thuriaco, quem quidam Thurimachum [3] scribunt, septimis regibus. Regnum autem Argivorum simul cum Abrahæ nepotibus ortum est, ubi primus regnavit Inachus. Sane quod prætereundum non fuit, etiam apud sepulcrum septimi sui regis Thuriaci sacrificare Sicyonios solere, Varro refert. Regnantibus porro octavis regibus, Armamitre Assyriorum, Sicyoniorum Leucippo, et primo Argivorum Inacho, Deus locutus est ad Isaac, atque ipsi quoque eadem quæ patri ejus duo illa promisit, semini scilicet ejus terram Chanaan, et in ejus semine benedictionem cunctarum gentium. Hæc ipsa promissa sunt etiam filio ejus; nepoti Abrahæ, qui est appellatus primo Jacob, post Israel, cum jam Belocus rex nonus Assyriis, et Phoroneus Inachi filius secundus regnaret Argivis, Leucippo adhuc apud Sicyonios permanente. His temporibus Græcia sub Phoroneo Argolico rege legum et judiciorum quibusdam clarior facta est institutis : Phegous tamen frater hujus Phoronei junior, cum esset mortuus, ad ejus sepulcrum templum est constitutum, in quo coleretur ut deus, et ei boves immolarentur. Credo honore tanto ideo dignum putarunt, quia in regni sui parte (pater quippe loca ambobus distribuerat, in quibus eo vivente regnarent) iste sacella constituerat ad colendos deos, et docuerat observari tempora per menses atque annos, quid eorum

(*a*) Jam dixit supra lib. 16, cap. 17, natum Abrahamum anno regnantis Nini quadragesimo tertio, secutus Chronicon Eusebii; quo alii improbato ortum Abrahami ad Semiramidis annum vigesimum tertium referunt.

(*b*) Vide infra, cap. 22; et supra, lib. 16, cap. 17, et lib. 4, cap. 6.

(*c*) Eusebius in Chron.

[1] Editi, *Ninyum*. At Mss. cum Eusebio, *Ninyam*.

[2] Editi, *Telexion*. Manuscripti vero, *Telxion*; vel *Telsion*.

[3] Aliquot Mss., *Thirimacum*. Eusebius vero, *Thiramachum*.

(*a*) Babylonem a Semiramide exstructam asserunt Diodorus, Justinus et alii. Josephus vero, Eusebius, Marcellinus, aliique, instauratam solummodo ab ea dicunt, et amplissimo mœnium ambitu cinctam, qui inter miracula mundi numeratur, stadiaque quadringenta et octoginta fertur collegisse.

(*b*) Eusebii Chron., *Analius*. — Ex nostris et ex pluribus PP. Benedictinorum Mss. reponimus, *Arrius*. [*Aralius.*] M.

(*c*) Apud Eusebium, *Balaneus*.

quatenus metirentur atque numerarent. Hæc in eo nova mirantes rudes adhuc homines, morte obita deum esse factum sive opinati sunt, sive voluerunt. Nam et Io filia Inachi fuisse perhibetur, quæ postea Isis appellata, ut magna dea culta est in Ægypto : quamvis alii scribant eam ex Æthiopia in Ægyptum venisse reginam ; et quod late justeque imperaverit, eisque multa commoda et litteras instituerit, hunc honorem illi habitum esse divinum posteaquam ibi mortua est, et tantum honorem, ut capitali crimine reus fieret, si quis eam fuisse hominem diceret.

CAPUT IV. — *De temporibus Jacob et filii ejus Joseph.*

Regnantibus Assyriorum decimo rege Baleo, et Sicyoniorum nono Messapo, qui etiam Cephisos [1] a quibusdam traditur (si tamen duorum nominum homo unus fuit, ac non potius alterum pro altero putaverunt fuisse hominem, qui in suis posuerunt scriptis alterum nomen), cum rex Argivorum tertius Apis esset, mortuus est Isaac annorum centum octoginta, et reliquit geminos suos annorum centum et viginti : quorum minor Jacob pertinens ad civitatem Dei, de qua scribimus, majore utique reprobato, habebat duodecim filios ; quorum illum, qui vocabatur Joseph, mercatoribus in Ægyptum transeuntibus fratres, adhuc Isaac avo eorum vivente (*a*), vendiderant. Stetit autem ante Pharaonem Joseph, quando ex humilitate, quam pertulit, sublimatus est, cum triginta esset annorum : quoniam somnia regis divine interpretatus, prænuntiavit septem ubertatis annos futuros, quorum abundantiam præpollentem consequentes alii septem steriles fuerant consumpturi ; et ob hoc eum rex præfecerat Ægypto, de carcere liberatum, quo eum conjecerat integritas castitatis ; quam fortiter servans male amanti dominæ, et male credulo domino mentituræ, veste etiam derelicta de manibus attrahentis aufugiens, non consensit ad stuprum. Secundo autem anno septem annorum sterilium, Jacob in Ægyptum cum suis omnibus venit ad filium, agens annos centum et triginta, sicut interroganti regi ipse respondit (*Gen.* XLVII, 9) ; cum Joseph ageret triginta et novem, ad triginta scilicet quos agebat, quando a rege honoratus est, additis septem ubertatis, et duobus famis.

CAPUT V. — *De Api rege Argivorum, quem Ægyptii Serapim nominatum divino honore coluerunt.*

His temporibus rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum deus. Nominis autem hujus, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit. Quia enim arca in qua mortuus ponitur, quod omnes jam sarcophagum vocant, σορός dicitur græce ; et ibi eum venerari sepultum cœperant, priusquam templum ejus esset exstructum : velut Soros et Apis, Sorapis primo [1], deinde una littera, ut fieri assolet, commutata, Serapis dictus est (*a*). Et constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebantur Isis et Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret ; hoc significare idem Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur. Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Ægyptus in ejus honorem deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago vivum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur. Quo bove mortuo, quoniam quærebatur et reperiebatur vitulus coloris ejusdem, hoc est, albis quibusdam maculis similiter insignitus ; mirum quiddam et divinitus sibi procuratum esse credebant. Non enim magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos phantasiam talis tauri, quam sola cerneret, ostentare vaccæ concipienti atque prægnanti, unde libido matris attraheret quod in ejus fetu jam corporaliter appareret : sicut Jacob de virgis variatis, ut oves et capræ variæ nascerentur, effecit (*Gen.* XXX, 37-42). Quod enim homines coloribus et corporibus veris, hoc dæmones figuris fictis facillime possunt animalibus concipientibus exhibere.

CAPUT VI. — *Quo regnante apud Argivos, quove apud Assyrios, Jacob in Ægypto sit mortuus.*

Apis ergo rex, non Ægyptiorum, sed Argivorum, mortuus est in Ægypto. Huic filius Argus successit in regnum, ex cujus nomine et Argi, et ex hoc Argivi, appellati sunt : superioribus autem regibus nondum vel locus vel gens habebat hoc nomen. Hoc ergo regnante apud Argivos, et apud Sicyonios Erato, apud Assyrios vero adhuc manente Baleo, mortuus est Jacob in Ægypto annorum centum quadraginta septem, cum moriturus filios suos et nepotes ex Joseph benedixisset, Christumque apertissime prophetasset, dicens in benedictione Judæ, *Non deficiet princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei : et ipse exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Regnante Argo suis cœpit uti frugibus Græcia, et habere segetes in agricultura, delatis aliunde seminibus. Argus quoque post obitum deus haberi cœpit, templo et sacrificiis honoratus. Qui honor eo regnante ante illum delatus est homini privato et fulminato cuidam Homogyro, eo quod primus ad aratrum boves junxerit.

CAPUT VII. — *Quorum regum tempore Joseph in Ægypto defunctus sit.*

Regnantibus Assyriorum duodecimo Mamito [2], et undecimo Sicyoniorum Plemnæo [3], et Argis adhuc

[1] Sic [illegible] Mss., *Cephisus*.

(*a*) [illegible]

(*b*) [illegible]

[1] Sic omnes Mss. At editi, *velut sorosapis vel sorapis primo*.

[2] Vind. Am. et Er., *Pemmeo*. Nonnulli Mss., *amytho*. Alii [illegible] [illegible], juxta Eusebium, qui tamen hunc non [illegible], sed [illegible] Assyriorum regem ponit ; [illegible] decimum Iphereum, [illegible] Saphrum [illegible].

[3] [illegible] Mss., *Plemmeo*. Eusebius, *Plemneum*, vocat.

(*a*) [illegible] sit, vide apud [illegible] ad Pantheum Ægyptiorum, lib. 2, cap. 5, § 8, [illegible] docebit. LARCHER.

manente Argo, mortuus est Joseph in Ægypto annorum centum et decem (*Gen.* L. 25). Post cujus mortem populus Dei mirabiliter crescens mansit in Ægypto centum quadraginta quinque annos, tranquille prius, donec morerentur quibus Joseph notus fuit; deinde quia invidebatur incrementis ejus, erantque suspecta, quousque inde liberaretur, persecutionibus[1] (inter quas tamen divinitus fecundata multiplicatione crescebat) et laboribus premebatur intolerabilis servitutis. In Assyria vero et Græcia per idem tempus regna eadem permanebant.

CAPUT VIII. — *Quorum regum ætate Moyses natus sit, et quorum deorum iisdem temporibus sit orta religio.*

Cum ergo regnaret Assyriis quartus decimus Saphrus, et Sicyoniis duodecimus Orthopolis, et Criasus quintus Argivis, natus est in Ægypto Moyses, per quem populus Dei de servitute Ægyptia liberatus est, in qua eum ad desiderandum sui Creatoris auxilium sic exerceri oportebat. Regnantibus memoratis regibus fuisse a quibusdam creditur Prometheus (*a*); quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia sapientiæ optimus doctor fuisse perhibetur : nec tamen ostenditur qui ejus temporibus fuerint sapientes. Frater ejus Atlas[2] magnus fuisse astrologus dicitur : unde occasionem fabula invenit, ut eum cœlum portare confingeret : quamvis mons ejus nomine nuncupetur, cujus altitudine potius cœli portatio in opinionem vulgi venisse videatur. Multa quoque alia ex illis in Græcia temporibus confingi fabulosa cœperunt : sed usque ad Cecropem regem Atheniensium, quo regnante eadem civitas etiam tale nomen accepit, et quo regnante Deus per Moysen eduxit ex Ægypto populum suum, relati sunt in deorum numerum aliquot mortui cæca et vana consuetudine ac superstitione Græcorum. In quibus Criasi regis conjux Melantomice[3], et Phorbas filius eorum, qui post patrem rex Argivorum sextus fuit, et septimi regis Triopæ filius Iasus, et rex nonus Sthenelas, sive Stheneleus, sive Sthenelus, varie quippe in diversis auctoribus invenitur. His temporibus etiam Mercurius fuisse perhibetur, nepos Atlantis, ex Maia filia : quod vulgatiores etiam litteræ personant. Multarum autem artium peritus claruit, quas et hominibus tradidit : quo merito eum post mortem deum esse voluerunt, sive etiam crediderunt. Posterior fuisse Hercules dicitur, ad ea tamen tempora pertinens Argivorum : quamvis nonnulli eum Mercurio præferant tempore; quos falli existimo. Sed quolibet tempore nati sint, constat inter historicos graves, qui hæc antiqua litteris mandaverunt, ambos homines fuisse, et quod mortalibus ad istam vitam commodius ducendam beneficia multa contulerunt, honores ab eis meruisse divinos. Minerva vero longe his antiquior. Nam temporibus Ogygi[1] ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali apparuisse fertur ætate; unde et Tritonia nuncupata est : multorum sane operum inventrix; et tanto proclivius dea credita, quanto minus origo ejus innotuit. Quod enim de capite Jovis nata canitur, poetis et fabulis, non historiæ rebusque gestis est applicandum. Quanquam Ogygus ipse quando fuerit, cujus temporibus etiam diluvium magnum factum est, non illud maximum quo nulli homines evaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, quod gentium nec Græca nec Latina novit historia (*a*), sed tamen majus quam postea tempore Deucalionis fuit, inter scriptores historiæ non convenit. Nam Varro inde exorsus est librum, cujus mentionem superius feci, et nihil sibi, ex quo perveniat ad res Romanas, proponit antiquius quam Ogygii diluvium, hoc est, Ogygii factum temporibus. Nostri autem qui Chronica scripserunt, prius Eusebius, post Hieronymus, qui utique præcedentes aliquos historicos in hac opinione secuti sunt, post annos amplius quam trecentos jam secundo Argivorum Phoroneo rege regnante Ogygii diluvium fuisse commemorant. Sed quolibet tempore fuerit, jam tamen Minerva tanquam dea colebatur, regnante Atheniensibus Cecrope, sub quo rege etiam ipsam vel instauratam ferunt, vel conditam civitatem.

CAPUT IX. — *Quando Atheniensium civitas sit condita, et quam causam nominis ejus Varro perhibeat.*

Nam ut Athenæ vocarentur, quod certe nomen a Minerva est, quæ græce Ἀθηνᾶ dicitur, hanc causam Varro indicat. Cum apparuisset illic repente olivæ arbor, et alio loco aqua erupisset, regem prodigia ista moverunt, et misit ad Apollinem Delphicum sciscitatum quid intelligendum esset, quid faciendum. Ille respondit quod olea Minervam significaret, unda Neptunum, et quod esset in civium potestate, ex cujus nomine potius duorum deorum, quorum signa illa essent, civitas vocaretur. Isto Cecrops oraculo accepto, cives omnes utriusque sexus (mos enim tunc in eisdem locis erat, ut etiam feminæ publicis consultationibus interessent) ad ferendum suffragium convocavit. Consulta igitur multitudine mares pro Neptuno, feminæ pro Minerva tulere sententias : et quia una plus est inventa feminarum, Minerva vicit. Tunc Neptunus iratus marinis fluctibus exæstuantibus terras Atheniensium populatus est : quoniam spargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non est. Cujus ut iracundia placa-

[1] Editi post, *persecutionibus* addunt, *affligebatur innumeris* : quod a Mss. abest.

[2] In veteribus libris constanter scriptum est, *Atlans*.

[3] Ita Mss. At Vind. Am. Er., *Melancomice*. Lov., *Melantonice*.

(*a*) Sic Eusebius in Chronico, ex aliorum et ipse opinione loquens : « Secundum quorumdam, » ait, « opinionem his « temporibus fuit Prometheus, a quo homines factos esse « commemorant : et re vera; cum enim sapiens esset, fe« ritatem eorum et nimiam imperitiam ad humanitatem et « scientiam transfigurabat. »

[1] Mss., *Ogygi* : et infra pro, *Ogygius*, habent, *Ogygus* : quidam tamen isto secundo loco, *Ogygis*. Vide infra, lib. 21, cap. 8, n. 2.

(*a*) Non defuisse tamen inter gentiles historicos, qui maximi istius et universalis diluvii atque arcæ Noe meminerint, Berosum Babylonium scilicet, Mnaseam, Nicolaum Damascenum, et Hieronymum Ægyptium, scribit Josephus, libro 1 Antiquitatum Judaicarum, cap. 4, et ex ipso Eusebius, Præparationis evangelicæ libro 9, capp. 11 et 12 : sed gentilium illorum scripta ad barbaricas historias pertinent, non ad Græcas aut Latinas, de quibus Augustinus loquitur. LUD. VIVES.

retur, triplici supplicio dicit idem auctor ab Atheniensibus affectas esse mulieres : ut nulla ulterius ferrent suffragia, ut nullus nascentium maternum nomen acciperet, ut ne quis eas Athenæas vocaret. Ita illa civitas mater ac nutrix [1] liberalium doctrinarum, et tot tantorumque philosophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite deorum suorum, maris et feminæ, et de victoria per feminas feminæ [2] Athenas nomen accepit : et a victo læsa ipsam victricis victoriam punire compulsa est, plus aquas Neptuni quam Minervæ arma formidans. Nam in mulieribus quæ sic punitæ sunt, et Minerva quæ vicerat, victa est ; nec adfuit suffragatricibus suis, ut suffragiorum deinceps perdita potestate, et alienatis filiis a nominibus matrum, Athenæas saltem vocari liceret, et ejus deæ mereri vocabulum, quam viri dei victricem fecerant ferendo suffragium. Quæ et quanta hinc dici possent [3], nisi sermo ad alia properaret ?

CAPUT X. — *Quid Varro tradat de nuncupatione Areopagi, et de diluvio Deucalionis.*

Attamen [4] Marcus Varro non vult fabulosis adversus deos fidem adhibere figmentis, ne de majestatis eorum dignitate indignum aliquid sentiat. Et ideo nec Areopagon [5], ubi cum Atheniensibus Paulus apostolus disputavit (*Act.* XVII, 19 *seqq.*), ex quo loco Areopagitæ appellati sunt curiales urbis ejusdem, vult inde accepisse nomen, quod Mars, qui græce Ἄρης dicitur, cum homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim diis in eo pago, sex sententiis absolutus est : quia ubi paris numeri sententiæ fuissent, præponi absolutio damnationi solebat. Sed contra istam, quæ multo est amplius celebrata, opinionem, aliam quamdam de obscurarum notitia litterarum causam nominis hujus conatur astruere, ne Areopagon Athenienses de nomine Martis et pagi, quasi Martis pagum nominasse credantur; in injuriam videlicet numinum, a quibus litigia vel judicia existimat aliena : non minus hoc, quod de Marte dicitur, falsum esse asseverans, quam illud quod de tribus deabus, Junone scilicet, et Minerva, et Venere, quæ pro malo aureo adipiscendo, apud judicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur; et ad placandos ludis deos, qui delectantur seu veris, seu falsis istis criminibus suis, inter theatricos plausus cantantur atque saltantur. Hæc Varro non credit, ne deorum naturæ seu moribus credat incongrua : et tamen, non fabulosam, sed historicam rationem de Athenarum vocabulo reddens, tantam Neptuni et Minervæ litem suis litteris inserit, de cujus nomine potius illa civitas vocaretur, ut, cum prodigiorum ostentatione contenderent, inter eos judicare nec Apollo consultus auderet, sed deorum jurgium finiendum, sicut memoratarum trium dearum ad Paridem Jupiter, ita et iste ad homines mitteret, ubi vinceret Minerva suffragiis, et in pœna suarum suffragatricium vinceretur, quæ in adversariis suis viris obtinere Athenas potuit, et amicas suas feminas Athenæas habere non potuit. His temporibus, ut Varro scribit, regnante Atheniensibus Cranao, successore Cecropis, ut autem nostri Eusebius et Hieronymus, adhuc eodem Cecrope permanente, diluvium fuit, quod appellatum est Deucalionis (*a*), eo quod ipse regnabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum est. Hoc autem diluvium nequaquam ad Ægyptum atque ad ejus vicina pervenit (*b*).

CAPUT XI. — *Quo tempore Moyses populum de Ægypto eduxerit; et de Jesu Nave, qui eidem successit, quorum regum ætate sit mortuus.*

Eduxit ergo Moyses ex Ægypto populum Dei, novissimo tempore Cecropis Atheniensium regis, cum apud Assyrios regnaret Ascatades, apud Sicyonios Marathus [1], apud Argivos Triopas. Educto autem populo in monte Sina divinitus acceptam tradidit legem : quod vetus dicitur Testamentum, quia promissiones terrenas habet; et per Jesum Christum futurum fuerat Testamentum novum, quo regnum cœlorum promitteretur. Hunc enim ordinem servari oportebat, sicut in unoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apostolus, ut non sit prius quod spirituale est; sed quod animale, postea spirituale : quoniam sicut dicit, et verum est, *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis* [2] (I *Cor.* XV, 46 *et* 47). Rexit autem populum Moyses per annos quadraginta in deserto : et mortuus est annorum centum et viginti (*c*), cum Christum etiam ipse prophetasset per figuras observationum carnalium in tabernaculo, et sacerdotio, et sacrificiis, aliisque mysticis plurimisque mandatis. Moysi successit Jesus Nave : et in terram promissionis introductum populum collocavit, ex auctoritate divina debellatis gentibus, a quibus eadem loca tenebantur. Qui cum populum rexisset post mortem Moysi viginti et septem annos (*d*), etiam ipse defunctus est : regnante apud Assyrios octavo decimo

[1] Mss., *mater aut nutrix*.
[2] [illegible]
[3] [illegible]
[4] [illegible]
[5] [illegible]

[1] In multis Mss., *Marathes*. Apud Eusebium, *Marachius*.
[2] Deest, *cœlestis*, in Ms. [illegible]

(*a*) [illegible] lib. 1, cap. 9, scribit Deucalionis diluvium [illegible] ante [illegible], regnante Athenis Amphictyone, qui tertius a Cecrope imperavit.
(*b*) [illegible]
(*c*) [illegible] ac potissimum lib. 19 cont. Faust. Manich.
(*d*) De numero annorum, quibus Jesue præfuit populo Dei, ex scriptura [illegible] libro 5, cap. 1, [illegible] Eusebius viginti septem vel octo, [illegible] libro 1, cap. 25, et Augustinus [illegible] Judicum XI, 11, 12, [illegible] ab egressione filiorum Israel ex terra Ægypti usque ad templi ædificationem, quæ ponitur [illegible] VI, 1. [illegible] vel octodecim. [illegible]

Amynta, apud Sicyonios sexto decimo Corace, apud Argivos decimo Danao, apud Athenienses quarto Erichthonio.

CAPUT XII. — *De sacris falsorum deorum, quæ reges Græciæ illis temporibus instituerunt, quæ ab exitu Israel ex Ægypto usque ad obitum Jesu Nave dinumerantur.*

Per hæc tempora, id est, ab exitu Israel ex Ægypto usque ad mortem Jesu Nave, per quem populus idem terram repromissionis accepit, sacra sunt instituta diis falsis a regibus Græciæ, quæ memoriam diluvii, et ab eo liberationis hominum, vitæque tunc ærumnosæ modo ad alta, modo ad plana migrantium, solemni celebritate revocarunt. Nam et Lupercorum per sacram viam ascensum atque descensum (*a*) sic interpretantur, ut ab eis significari dicant homines, qui propter aquæ inundationem summa montium petiverunt, et rursus eadem residente ad ima redierunt. His temporibus Dionysium, qui etiam Liber pater dictus est, et post mortem deus habitus, vitem ferunt ostendisse in Attica terra hospiti suo. Tunc Apollini Delphico instituti sunt ludi musici, ut placaretur ira ejus, qua putabant afflictas esse sterilitate Græciæ regiones, quia non defenderint templum ejus, quod rex Danaus, cum easdem terras bello invasisset, incendit. Hos autem ludos ut instituerent oraculo sunt ejus admoniti[1]. In Attica vero rex Erichthonius ei ludos primus instituit: nec ei tantum, sed etiam Minervæ, ubi præmium victoribus oleum ponebatur, quod ejus fructus inventricem Minervam, sicut vini Liberum tradunt. Per eos annos a rege Xantho Cretensium, cujus apud alios aliud nomen invenimus (*b*), rapta perhibetur Europa, et inde geniti Rhadamanthus, Sarpedon, et Minos, quos magis ex eadem muliere filios Jovis esse vulgatum est. Sed talium deorum cultores illud quod de rege Cretensium diximus, historicæ veritati[2]; hoc autem quod de Jove poetæ cantant, theatra concrepant, populi celebrant, vanitati deputant fabularum, ut esset unde ludi fierent placandis numinibus etiam falsis eorum criminibus. His temporibus Hercules in Tyria (*c*) clarus habebatur; sed nimirum alius, non ille de quo supra locuti sumus. Secretiore quippe historia plures fuisse dicuntur et Liberi patres et Hercules. Hunc sane Herculem, cujus ingentia duodecim facta numerant, inter quæ Antæi Afri necem non commemorant, quod ea res ad alterum Herculem pertinet, in Œta monte a se ipso, incensum produnt suis litteris, cum ea virtute, qua monstra subegerat, morbum tamen, quo languebat, sustinere non posset. Illo tempore vel rex, vel potius tyrannus Busiris suis diis suos hospites immolabat[1], quem filium perhibent fuisse Neptuni, ex matre Libya, filia Epaphi. Verum non credatur hoc stuprum perpetrasse Neptunus, ne dii accusentur; sed poetis et theatris ista tribuantur, ut sit unde placentur. Erichthonii regis Atheniensium, cujus novissimis annis Jesus Nave mortuus reperitur, Vulcanus et Minerva parentes fuisse dicuntur. Sed quoniam Minervam virginem volunt, in amborum contentione Vulcanum commotum effudisse aiunt semen in terram, atque inde homini nato ob eam causam tale inditum nomen. Græca enim lingua ἔρις contentio, et χθὼν terra est; ex quibus duobus compositum vocabulum est Erichthonius. Verum, quod fatendum est, refellunt et a suis diis repellunt ista doctiores, qui hanc opinionem fabulosam hinc exortam ferunt, quia in templo Vulcani et Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis, expositus inventus est puer dracone involutus, qui eum significavit magnum futurum, et propter commune templum, cum essent parentes ejus ignoti, Vulcani et Minervæ dictum esse filium: nominis tamen ejus originem fabula illa potius quam ista designat historia. Sed quid ad nos? Hoc in veracibus libris homines instruat religiosos[2], illud in fallacibus ludis dæmones delectet impuros: quos tamen illi religiosi tanquam deos colunt; et cum de illis hæc negant, ab omni eos crimine purgare non possunt, quoniam ludos eis poscentibus exhibent, ubi turpiter aguntur quæ velut sapienter negantur, et his falsis ac turpibus dii placantur, ubi etsi fabula cantat crimen numinum falsum, delectari tamen falso crimine, crimen est verum.

CAPUT XIII. — *Qualium fabularum figmenta exorta sint eo tempore, quo Hebræis Judices præesse cœperunt.*

Post mortem Jesu Nave, populus Dei Judices habuit, quibus temporibus alternaverunt apud eos et humilitates laborum pro eorum peccatis, et prosperitates consolationum propter miserationem Dei. His temporibus fabulæ fictæ sunt de Triptolemo, quod jubente Cerere, anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit: de Minotauro, quod bestia fuerit inclusa Labyrintho; quo cum intrassent homines, inextricabili errore, inde exire non poterant: de Centauris, quod equorum hominumque fuerit natura conjuncta: de Cerbero, quod sit triceps inferorum canis: de Phryxo et Helle ejus sorore, quod vecti ariete volaverint: de Gorgone, quod fuerit crinita serpentibus, et aspicientes convertebat in lapides: de Bellerophonte, quod equo pennis volante sit vectus, qui equus Pegasus dictus est: de Amphione, quod citharæ suavitate lapides mulserit et attraxerit: de fabro Dædalo, et ejus

[1] Lov., *oraculo sunt admoniti*; omisso, *ejus*, quod habent editi alii et manuscripti.

[2] Lov., *dant veritati*. Abest, *dant*, ab editis aliis et a manuscriptis.

(*a*) Sacra via, quæ a Varrone, de Lingua latina, utcumque describitur, sic dicta est, quod ibi fœdus inter Romulum et Tatium regem Sabinorum ictum fuerit. Acclivis erat hæc via, ideo Lupercorum sacerdotum, sive eorum qui deo Pani sacra faciebant, ascensus per eam et descensus dicitur.

(*b*) Asterius nominatur in Eusebii Chronico, qui ex Europa Rhadamantum, Sarpedonem et Minoem genuisse dicitur.

(*c*) Plerique Mss., *in Syria*. Sed si hic est Hercules qui in Œta combustus est, Hercules Argivus erit, et legendum erit, *in Tyrinthia*, quæ est urbs in Peloponneso prope Argos, in qua educatus est Hercules. LUD. VIVES.

[1] Plures Mss., *Busirius suis diis suos potius hospites immolabat*.

[2] Sic manuscripti. At editi: *Sed quid ad nos hoc, cum isti in veracibus libris homines instruant religiosos?*

Icaro filio, quod sibi coaptatis pennis volaverint : de Œdipo, quod monstrum quoddam, quæ Sphinga dicebatur, humana facie quadrupedem [1], soluta quæ ab illa proponi solebat velut insolubili quæstione, suo præcipitio perire compulerit : de Antæo, quem necavit Hercules, quod filius Terræ fuerit, propter quod cadens in terram fortior solebat assurgere : et si qua forte alia prætermisi. Hæ fabulæ bellum ad usque Trojanum, ubi secundum librum Marcus Varro de populi Romani gente finivit, ex occasione historiarum, quæ res veraciter gestas continent, ita sunt ingeniis hominum fictæ, ut non sint opprobriis numinum affixæ. Porro autem quicumque finxerunt a Jove ad stuprum raptum pulcherrimum puerum Ganymedem, quod nefas rex Tantalus fecit, et Jovi fabula tribuit; vel Danaes per imbrem aureum appetisse concubitum, ubi intelligitur pudicitia mulieris auro fuisse corrupta; quæ illis temporibus vel facta vel ficta sunt, aut facta ab aliis et ficta de Jove, dici non potest quantum mali de hominum præsumpserint cordibus, quod possent ista patienter ferre mendacia, quæ tamen etiam libenter amplexi sunt : qui utique quanto devotius Jovem colunt, tanto eos qui hæc de illo dicere ausi sunt, severius punire debuerunt. Nunc vero, non solum eis qui ista finxerunt, irati non sunt; sed ut [2] talia figmenta etiam in theatris agerent, ipsos deos potius iratos habere timuerunt. His temporibus Latona Apollinem peperit, non illum cujus oracula solere consuli superius loquebamur, sed illum qui cum Hercule servivit Admeto (*a*) : qui tamen sic est deus creditus, ut plurimi ac pene omnes unum eumdemque Apollinem fuisse opinentur (*b*). Tunc et Liber pater bellavit in India, qui multas habuit in exercitu feminas, quæ Bacchæ appellatæ sunt, non tam virtute nobiles, quam furore. Aliqui sane et victum scribunt istum Liberum et vinctum; nonnulli et occisum in pugna a Perseo, nec ubi fuerit sepultus tacent (*c*) : et tamen ejus velut dei nomine per immundos dæmones Bacchanalia sacra, vel potius sacrilegia sunt instituta : de quorum rabiosa turpitudine post tam multos annos sic senatus erubuit, ut in urbe Roma esse prohiberet (*a*). Per ea tempora Perseus et uxor ejus Andromeda posteaquam sunt mortui, sic eos in cœlum receptos esse crediderunt, ut imagines eorum stellis designare, eorumque appellare nominibus non erubescerent, non timerent [1].

CAPUT XIV. — *De theologicis poetis.*

Per idem temporis intervallum exstiterunt poetæ, qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant : sed talibus diis, qui licet magni homines, tamen homines fuerunt; aut mundi hujus, quem verus Deus fecit, elementa sunt; aut in principatibus et potestatibus pro voluntate Creatoris et suis meritis [2] ordinati : et si quid de uno vero Deo inter multa vana et falsa cecinerunt, colendo cum illo alios qui dii non sunt, eisque exhibendo famulatum qui uni tantum debetur Deo, non ei utique rite servierunt, nec a fabuloso deorum suorum dedecore etiam ipsi se abstinere potuerunt [3] Orpheus, Musæus, Linus. Verum isti theologi deos coluerunt, non pro diis culti sunt : quamvis Orpheum nescio quomodo infernis sacris, vel potius sacrilegiis, præficere soleat civitas impiorum. Uxor autem regis Athamantis [4] quæ vocabatur Ino, et ejus filius Melicertes præcipitio spontaneo in mari perierunt, et opinione hominum in deos relati sunt : sicut alii homines eorum temporum [5], Castor et Pollux. Illam sane Melicertis matrem Leucotheam Græci, Matutam Latini vocaverunt : utrique tamen putantes deam.

CAPUT XV. — *De occasu regni Argivorum, quo tempore apud Laurentes Picus Saturni filius regnum patris primus accepit.*

Per ea tempora regnum finitum est Argivorum, translatum ad Mycenas, unde fuit Agamemnon : et exortum est regnum Laurentum, ubi Saturni filius Picus regnum primus accepit, judicante apud Hebræos femina Debbora : sed per illam Dei Spiritus id agebat : nam etiam prophetissa erat, cujus prophetia (*Judicum* v) minus aperta est, quam ut possimus eam sine diuturna expositione de Christo demonstrare prolatam. Jam ergo regnabant Laurentes utique in Italia, ex quibus evidentior ducitur origo Romana post Græcos : et tamen adhuc regnum Assyriorum permanebat, ubi erat rex vicesimus tertius Lampares, cum primus Laurentum Picus esse cœpisset. De hujus Pici patre Saturno viderint quid sentiant talium deorum cultores, qui negant hominem fuisse : de quo et alii scripserunt, quod ante Picum filium suum in

[1] Editi, *quadrupes*. At Mss., *quadrupedem*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *sed nisi*.

(*a*) Sic reponimus ex quinque nostris Mss., et ex omnibus quos consuluerant PP. Benedictini, qui tamen in textu veterem contrariam lectionem servaverant, nempe, *sed illum quem cum Hercule ferunt Admeti regis armenta pavisse*; erronee certe, siquidem Herculem Apollini in pastoris officio comitem nusquam adjungunt mythologi. Itaque verba, *cum Hercule*, in Augustini mente, non servitutis consortium, sed tempus quo vixit Apollo, designant. M.

(*b*) Plures enim Apollines, secundum Ciceronem, de Nat. deor., lib. 3, cap. 23, a quibusdam habebantur.

(*c*) Hac de re sic scribit Eusebius in Chron. : « Bacchus cum Perseo pugna congressus occiditur, ut scribit Dinarchus poeta, non rhetor. Qui autem voluerit, licet et adhuc spectare Bacchi sepulcrum Delphis, juxta aureum Apollinem. » Dinarchum ex Cyrillo, lib. 10 cont. Julian., Dinarchum librum [illegible], de quo hic Eusebius, res a Baccho gestas continentem conscripsisse. Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromat., cap. 21, tradit, Bacchum in pugna a Perseo [illegible] in [illegible] Perseo [illegible] Bacchi et [illegible] idem Clemens, [illegible] 2 [illegible], [illegible] a Titanibus [illegible], [illegible], [illegible] a [illegible] cœpisse [illegible] vero, [illegible] Bacchi [illegible] Apollini mandatum est ut illa [illegible] Delphis proxime sepeliret.

[1] Codex 258, *timerent*, omissa vocula, *non*. M.
[2] In editis, *et non suis meritis*. Abest, *non*, a manuscriptis.
[3] Post verbum, *potuerunt*, editi addunt, *Ex quorum numero fuisse perhibentur*. Hoc non habent veteres libri.
[4] Aliquot Mss., *Adamantis*.
[5] Hic in editis additur, *inter quos fuerunt*, quod abest a Mss.

(*a*) Has turpitudines non in Roma tantum, sed totam pene Italiam prohibitas tradit Livius, lib. 39, cap. 18; unde Tertullianus in Apologetico, cap. 6 : « Liberum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt. » Vide supra, lib. 6, cap. 9, n. 1.

Italia ipse regnaverit; et Virgilius notioribus litteris dicit:

> Is genus indocile ac dispersum montibus altis
> Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
> Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.
> Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuere
> Sæcula.
>
> (*Æneid. lib.* 8, *vers.* 321-325.)

Sed hæc poetica opinentur esse figmenta, et Pici patrem Stercen potius fuisse asseverent, a quo peritissimo agricola inventum ferunt, ut fimo animalium agri fecundarentur, quod ab ejus nomine stercus est dictum: hunc quidam Sterculium vocatum ferunt. Qualibet autem ex causa eum Saturnum appellare voluerint, certe tamen hunc Stercen sive Sterculium merito agriculturæ fecerunt deum. Picum quoque similiter ejus filium in talium deorum numerum receperunt, quem præclarum augurem et belligeratorem fuisse asserunt. Picus Faunum genuit, Laurentum regem secundum: etiam iste deus illis vel est, vel fuit. Hos ante Trojanum bellum divinos honores mortuis hominibus detulerunt.

CAPUT XVI. — *De Diomede post Trojæ excidium in deos relato, cujus socii traditi sunt in volucres esse conversi.*

Troja vero eversa, excidio illo usquequaque cantato puerisque notissimo, quod et magnitudine sui et scriptorum excellentibus linguis insigniter diffamatum atque vulgatum est, gestumque regnante jam Latino Fauni filio, ex quo Latinorum regnum dici cœpit, Laurentumque cessavit: Græci victores, deletam Trojam derelinquentes, et ad propria remeantes, diversis et horrendis cladibus dilacerati atque contriti sunt: et tamen etiam ex eis deorum suorum numerum auxerunt. Nam et Diomeden fecerunt deum, quem pœna divinitus irrogata perhibent ad suos non revertisse; ejusque socios in volucres fuisse conversos, non fabuloso poeticoque mendacio, sed historica attestatione confirmant: quibus nec deus, ut putant, factus, humanam revocare naturam, vel ipse potuit, vel certe a Jove suo rege tanquam cœlicola novitius impetravit. Quin etiam templum ejus esse aiunt in insula Diomedea, non longe a monte Gargano, qui est in Apulia, et hoc templum circumvolare, atque incolere has alites tam mirabili obsequio, ut rostrum [1] aqua impleant et aspergant: et eo si Græci venerint, vel Græcorum stirpe progeniti, non solum quietas esse, verum et insuper adulare; si autem alienigenas viderint, subvolare ad capita, tamque gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare. Nam duris et grandibus rostris satis ad hæc prælia perhibentur armatæ.

CAPUT XVII. — *De incredibilibus commutationibus hominum quid Varro tradiderit.*

Hoc Varro ut astruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa famosissima Circe, quæ socios quoque Ulyssis mutavit in bestias, et de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi convertebantur in lupos, et cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant. Si autem carne non vescerentur humana, rursus post novem annos eodem renato stagno reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expressit quemdam Demænetum, cum gustasset de sacrificio, quod Arcades immolato puero, deo suo Lycæo facere solerent, in lupum fuisse mutatum, et anno decimo in figuram propriam restitutum, pugilatu sese exercuisse [1], et Olympiaco vicisse certamine. Nec idem propter aliud arbitratur historicus in Arcadia tale nomen affictum Pani Lycæo et Jovi Lycæo, nisi propter hanc in lupos hominum mutationem, quod eam nisi vi divina fieri non putarent. Lupus enim græce λύκος dicitur, unde Lycæi nomen apparet inflexum. Romanos etiam Lupercos ex illorum mysteriorum velut semine dicit exortos.

CAPUT XVIII. — *Quid credendum sit de transformationibus, quæ arte dæmonum hominibus videntur accidere.*

1. Sed de ista tanta ludificatione dæmonum, nos quid dicamus, qui hæc legent, fortassis exspectent [2]. Et quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum? Quod præceptum propheticum (*Isai.* XLVIII, 20) ita spiritualiter intelligitur, ut de hujus sæculi civitate, quæ profecto et angelorum et hominum societas impiorum est, fidei passibus, quæ per dilectionem operatur, in Deum vivum proficiendo fugiamus. Quanto quippe in hæc ima potestatem dæmonum majorem videmus, tanto tenacius Mediatori est inhærendum, per quem de imis ad summa conscendimus. Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui ejusmodi quædam, vel certissima audisse, vel etiam expertos se esse asseverent. Nam et nos cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta illico verterentur, et necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque servari, sicut Apuleius in libris quos Asini aurei titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente asinus fieret, aut indicavit, aut finxit.

2. Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut merito non credantur. Firmissime tamen credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando, nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam (quia et ipsa angelica creatura est, licet proprio sit vitio maligna), nisi quod ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla. Nec sane dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio; sed specie tenus, quæ a vero Deo sunt creata, commutant, ut videantur esse quod non sunt. Non itaque solum animum, sed

[1] Vox, *rostrum*, non est in Mss.

[1] Editi, *ad pugilatum sese exercuisse.*

[2] Post, *fortassis exspectent*, editi addunt, *quid Christiani agere debeant, quando inter idola gentium miracula fieri asseruntur.* Additio est e margine translata in textum; nam ea textus caret in veteribus libris.

nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra et lineamenta bestialia veraciter posse converti : sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando sive somniando per rerum innumerabilia genera variatur, et cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci : ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multo gravius atque vehementius quam somno suis sensibus obseratis ; phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis, et portare onera : quæ onera, si vera sunt corpora, portantur a dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus. Nam quidam nomine Præstantius patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud per caseum in domo sua sumeret, et jaceret in lecto suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies eum velut evigilasse dicebat, et quasi somnia narrasse quæ passus est, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur Retica, quoniam ad Retias [1] deportatur. Quod ita, ut narravit, factum fuisse compertum est : quæ tamen ei sua somnia videbantur. Indicavit et alius se domi suæ per noctem, antequam requiesceret, vidisse venientem ad se quemdam philosophum sibi notissimum, sibique exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluisset. Et cum ab eodem philosopho quæsitum fuisset, cur in domo ejus fecerit quod in domo sua petenti negaverat : *Non feci*, inquit, *sed me fecisse somniavi*. Ac per hoc alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis.

3. Hæc ad nos non quibuscumque, qualibus credere putaremus indignum, sed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non existimaremus fuisse mentitos. Proinde quod homines dicuntur, mandatumque est litteris, ab diis vel potius dæmonibus Arcadibus [2], in lupos solere converti, et quod

> Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei,
> (*Virgil. Eclog.* 8, *v.* 70.)

secundum istum modum mihi videtur fieri potuisse, quem dixi ; si tamen factum est. Diomedeas autem volucres, quandoquidem genus earum per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas ; sicut cerva pro Iphigenia, regis Agamemnonis filia. Neque enim dæmonibus judicio Dei permissis hujusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt : sed quia illa virgo postea viva reperta est, suppositam pro illa cervam, esse facile cognitum est (*a*). Socii vero Diomedis quia nusquam subito comparuerunt, et postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus angelis malis, in eas aves quæ pro illis sunt occulte ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perductæ ac repente suppositæ, creduntur esse conversi. Quod autem Diomedis in templum [1] aquam rostris afferunt et aspergunt, quod blandiuntur Græcigenis, alienigenas persequuntur, mirandum non est fieri dæmonum instinctu ; quorum interest, persuadere deum factum esse Diomedem, ad decipiendos homines, ut falsos deos cum veri Dei injuria multos colant, et hominibus mortuis, qui nec cum viverent, vere vixerunt, templis, altaribus, sacrificiis, sacerdotibus (quæ omnia cum recta sunt, nonnisi uni Deo vivo et vero debentur) inserviant.

CAPUT XIX. — *Quod eo tempore Æneas in Italiam venerit, quo Labdon Judex præsidebat Hebræis.*

Eo tempore post captam Trojam atque deletam, Æneas cum viginti navibus, quibus portabantur reliquiæ Trojanorum, in Italiam venit, regnante ibi Latino, et apud Athenienses Menestheo [2], apud Sicyonios Polyphide, apud Assyrios Tautane [3] ; apud Hebræos autem Judex Labdon fuit. Mortuo autem Latino regnavit Æneas tribus annis, eisdem in supradictis locis manentibus regibus, nisi quod Sicyoniorum jam Pelasgus [4] erat, et Hebræorum Judex Samson : qui cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules. Sed Æneam, quoniam quando mortuus est, non comparuit, deum sibi fecerunt Latini. Sabini etiam regem suum primum Sancum, sive ut aliqui appellant Sanctum [5], retulerunt in deos. Per idem tempus Codrus, rex Atheniensium, Peloponnensibus ejusdem hostibus civitatis se interficiendum ignotus objecit : et factum est. Hoc modo eum prædicant patriam liberasse. Responsum enim acceperant Peloponnenses tum demum se superaturos, si eorum regem non occidissent. Fefellit ergo eos habitu pauperis apparendo, et in suam necem per jurgium provocando. Unde ait Virgilius : Et [6] jurgia Codri (*Ecl.* v, *v.* 11). Et hunc Athenienses tanquam deum sacrificiorum honore coluerunt. Quarto Latinorum rege Sylvio Æneæ filio, non de Creusa, de qua fuit Ascanius, qui tertius ibi regnavit, sed de Lavinia Latini filia, quem posthumum Æneas dicitur habuisse ; Assyrio-

[1] Lov., *ad retia*. Melius editi alii et Mss., *ad Retias*, id est ad Rætorum, seu ut alii scribunt, Rhætorum provincias.
[2] Sic omnes Mss. Editi, *Arcades*.

(*a*) In confirmationem hujus doctrinæ similis historia exstat apud Eusebium, Historiæ ecclesiasticæ libro 7, cap. 4: « Dum apud Cæsaream a Gentilibus solemnis hostia immolaretur, factum est ut opera dæmonis tanta esset sublata « celeritate, ut videretur in cœlum elata fuisse : sed cum « quidam nomine Astyrius Deum rogaret, ne ita sineret « hominibus illudi, aperti sunt eorum oculi, ut viderent « hostiam illam ad vicinas paludes fuisse delatam atque ibi « hærere. » Cogit. ms.

[1] Nostri codices, *Quod autem Diomedis templo*. M.
[2] Sic Vind. Am. et manuscripti cum Eusebio. At Er. et Lov., *Mnestheo*.
[3] Vind. Am. et aliquot Mss., *Antane*, vel, *Autane*.
[4] Am., *Pelagus*. Regius Ms., *Pelasgis*.
[5] Vind. Am. Er., *Santhum*; *sive ut aliqui appellant Santhum*. Lov. præter hæc, *Sanguum*, ubi plerique Mss., *Sanctum*; et nonnulli, *Sancum*. *Sanctum* vocat Ovidius, Fast. lib. 6, vers. 217, 218. In Lactantio lib. 1 Instit., cap. 15, § 8, legitur *Sancum*. In quadam ejusdem Lactantii editione Vives *Sanctum* legebat.
[6] Sic nostri codices. In E., *aut*.. M.

rum autem vicesimo et nono Oneo et Melantho Atheniensium sexto decimo, Judice autem Hebræorum Heli sacerdote, regnum Sicyoniorum consumptum est, quod per annos nongentos quinquaginta et novem traditur fuisse porrectum.

CAPUT XX. — *De successione ordinis regni apud Israelitas post Judicum tempora.*

Mox eisdem per loca memorata regnantibus, Israelitarum regnum, finito tempore Judicum, a Saule rege sumpsit exordium : quo tempore fuit Samuel propheta. Ab illo igitur tempore hi reges Latinorum esse cœperunt, quos cognominabant Silvios : ab eo quippe qui filius Æneæ primus dictus est Silvius, cæteris subsecutis et propria nomina imponebantur, et hoc non defuit cognomentum; sicut longe postea Cæsares cognominati sunt, qui successerunt Cæsari Augusto. Reprobato autem Saule, ne quisquam ex ejus stirpe regnaret, eoque defuncto, David successit in regnum post annos a Saülis imperio quadraginta (*a*). Tunc Athenienses habere deinde reges post Codri interitum destiterunt, et magistratus habere cœperunt administrandæ reipublicæ (*b*). Post David, qui etiam ipse quadraginta regnavit annos, filius ejus Salomon rex Israelitarum fuit, qui templum illud nobilissimum Dei Jerosolymitanum condidit. Cujus tempore apud Latinos condita est Alba, ex qua deinceps non Latinorum, sed Albanorum reges appellari, in eodem tamen Latio, cœperunt. Salomoni successit filius ejus Roboam, sub quo in duo regna populus ille divisus est, et singulæ partes suos singulos reges habere cœperunt.

CAPUT XXI. — *De regibus Latii, quorum primus Æneas, et duodecimus Aventinus dii facti sunt.*

Latium post Æneam, quem deum fecerant, undecim reges habuit, quorum nullus deus factus est. Aventinus autem qui duodecimo loco Æneam sequitur, cum esset prostratus in bello, et sepultus in eo monte, qui etiam nunc ejus nomine nuncupatur, deorum talium, quales sibi faciebant, numero est additus. Alii sane noluerunt eum in prælio scribere occisum, sed non comparuisse dixerunt : sed nec ex ejus vocabulo appellatum montem, sed ex adventu avium dictum Aventinum (*c*). Post hunc non est deus factus in Latio, nisi Romulus conditor Romæ. Inter istum autem et illum reges reperiuntur duo : quorum primus est, ut Virgiliano eum versu eloquar [1],

> Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis.
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 767.)

Cujus tempore quia jam quodammodo Roma parturiebatur, illud omnium regnorum maximum Assyriorum finem tantæ diuturnitatis accepit. Ad Medos quippe translatum est post annos ferme mille trecentos quinque, ut etiam Beli, qui Ninum genuit, et illic parvo contentus imperio primus rex fuit, tempora computentur. Procas autem regnavit ante Amulium. Porro Amulius fratris sui Numitoris filiam Rheam nomine, quæ etiam Ilia vocabatur, Romuli matrem, Vestalem virginem fecerat, quam volunt de Marte geminos concepisse, isto modo stuprum ejus honorantes, vel excusantes, et adhibentes argumentum, quod infantes expositos lupa nutrierit. Hoc enim genus bestiæ ad Martem existimant pertinere, ut videlicet ideo lupa credatur admovisse ubera parvulis, quia filios domini sui Martis agnovit : quamvis non desint qui dicant, cum expositi vagientes jacerent, a nescio qua primum meretrice fuisse collectos, et primas ejus suxisse mamillas (meretrices autem lupas vocabant, unde etiam nunc turpia loca earum lupanaria nuncupantur), et eos postea ad Faustulum pervenisse pastorem, atque ab ejus Acca uxore nutritos. Quanquam si ad arguendum hominem regem, qui eos in aquam projici crudeliter jusserat, eis infantibus per quos tanta civitas condenda fuerat, de aqua divinitus liberatis, per lactantem feram Deus voluit subvenire, quid mirum est? Amulio successit in regnum Latiale frater ejus Numitor, avus Romuli, cujus Numitoris primo anno condita est Roma; ac per hoc cum suo deinceps, id est Romulo, nepote regnavit.

CAPUT XXII. — *Quod eo tempore Roma sit condita, quo regnum Assyriorum intercidit, et quo Ezechias regnabat in Juda* [1].

Ne multis morer, condita est civitas Roma, velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum, et in unam societatem reipublicæ legumque perductum longe lateque pacare. Erant enim jam populi validi et fortes, et armis gentes exercitatæ, quæ non facile cederent, et quas opus esset ingentibus periculis et vastatione utrimque non parva atque horrendo labore superari. Nam quando regnum Assyriorum totam pene Asiam subjugavit, licet bellando sit factum, non tamen multum asperis et difficilibus bellis fieri potuit, quia rudes adhuc ad resistendum gentes erant, nec tam multæ, vel tam magnæ : siquidem post illud maximum atque universale diluvium, cum in arca Noe octo soli homines evaserunt, anni non multo [2] amplius quam mille transierant, quando Ninus Asiam totam, excepta India, subjugavit. Roma vero tot gentes et Orientis et Occidentis, quas imperio Romano subditas cernimus, non ea celeritate ac facilitate perdomuit; quoniam paulatim crescendo robustas eas et bellicosas, quaquaversum dilatabatur, invenit. Tempore igitur quo Roma condita est, populus Israel habebat in terra promissionis annos septingentos decem et octo. Ex quibus viginti septem pertinent ad Jesum Nave, deinde ad tempus Judicum trecenti viginti novem. Ex quo autem ibi reges esse cœperant, anni erant trecenti sexaginta duo. Et rex tunc erat in Juda, cujus nomen erat Achaz, vel, sicut alii computant, qui ei successit Ezechias, quem quidem constat optimum et piissimum regem Romuli regnasse temporibus. In ea vero Hebraici populi

[1] Sic nostri omnes Mss. In B., *loquar*, minus recte. M.

(*a*) Tot enim annis regnavit Saül ex sacris Litteris, II Reg. II, 10, et ex Josepho. Eupolemus vero, qui Hebræorum conscripsit historiam, tantum viginti et unum ponit. Lud. Vives.

(*b*) Nempe Archontes. M.

(*c*) Vid. Varronem, de Lingua latina, lib. 5, § 43.

[1] Editi hic, *in Judæa*. At Mss., *in Juda* ; et sic ipsi editi in subjecto capite 22.

[2] Sola editio Lov. omittit, *multo*.

parte quæ appellabatur Israel, regnare cœperat Osee (a).

CAPUT XXIII. — *De Sibylla Erythræa, quæ inter alias Sibyllas cognoscitur de Christo evidentia multa cecinisse.*

1. Eodem tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non unam (b). Hæc sane Erythræa Sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit: quod etiam nos prius in latina lingua versibus male latinis et non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus. Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, cum de Christo colloqueremur, græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum ordinem litterarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur, Ἰησοῦς Χρειστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ: quod est latine, *Jesus Christus Dei Filius Salvator*. Hi autem versus quorum primæ litteræ istum sensum, quem diximus, reddunt, sicut eos quidam latinis et stantibus [1] versibus est interpretatus, hoc continent:

Ι Judicii signum [2] tellus sudore madescet.
Η E cœlo Rex adveniet per sæcla futurus:
Σ Scilicet in carne præsens ut judicet orbem.
Ο Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
5 Υ Celsum cum sanctis, ævi jam termino in ipso.
Σ Sic animæ cum carne aderunt, quas judicat [3] ipse:
Χ Cum jacet incultus densis in vepribus orbis.
Ρ Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam:
Ε Exuret terras ignis, pontumque polumque
10 Ι Inquirens, tetri portas effringet Averni.
Σ Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Τ Tradetur, sontes æterna [4] flamma cremabit.
Ο Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur
Σ Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
15 Θ Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Ε Eripitur solis jubar, et chorus interit astris.
Ο Volvetur [5] cœlum, lunaris splendor obibit.
Υ Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Υ Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
20 Ι Jam æquantur campis montes, et cærula ponti
Ο Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Σ Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Σ Sed tuba tum sonitum tristem demittet ab alto
Ω Orbe, gemens facinus miserum variosque labores:
25 Τ Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Η Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Ρ Recidet [6] e cœlis ignisque et sulphuris amnis.

In his latinis versibus de græco utcumque translatis, ibi non potuit ille sensus occurrere, qui fit cum litteræ, quæ sunt in eorum capitibus, connectuntur, ubi Υ littera in græco posita est: quia non potuerunt verba latina inveniri, quæ ab eadem littera inciperent, et sententiæ convenirent. Hi autem sunt versus tres, quintus et octavus decimus et nonus decimus. Denique si litteras quæ sunt in capitibus omnium versuum connectentes, horum trium [1] quæ scriptæ sunt non legamus, sed pro eis Υ litteram, tanquam in eisdem locis ipsa sit posita, recordemur, exprimitur in quinque verbis, *Jesus Christus Dei Filius Salvator*; sed cum græce hoc dicitur, non latine. Et sunt versus viginti et septem, qui numerus quadratum ternarium solidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt novem: et ipsa novem si ter ducantur, ut ex lato in altum figura consurgat, ad viginti septem perveniunt. Horum autem græcorum quinque verborum, quæ sunt, Ἰησοῦς Χρειστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, quod est latine, *Jesus Christus Dei Filius Salvator*, si primas litteras jungas, erit ἰχθύς, id est Piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est sine peccato, esse potuerit.

2. Hæc autem Sybilla sive Erythræa, sive, ut quidam magis credunt, Cumæa, ita nihil habet in toto carmine suo, cujus exigua ista particula est, quod ad deorum falsorum sive fictorum cultum pertineat; quin imo ita etiam contra eos et contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad civitatem Dei. Inserit etiam Lactantius operi suo quædam de Christo vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus. Sed quæ ipse singillatim posuit, ego arbitratus sum conjuncta esse ponenda, tanquam unum sit prolixum, quæ ille plura commemoravit et brevia. *In manus iniquas*, inquit, *infidelium postea veniet: dabunt autem Deo alapas manibus incestis, et impurato ore exspuent venenatos sputus: dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum* (a). *Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum, vel unde venit ut inferis loquatur, et corona spinea coronetur* (b). *Ad cibum autem fel, et ad sitim acetum dederunt: inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam* (c). *Ipsa enim insipiens tuum Deum non intellexisti, ludentem mortalium mentibus; sed spinis coronasti, et horridum fel miscuisti* (d). *Templi vero*

[1] Editi, *latinis exstantibus*. Castigantur ex manuscriptis.
[2] Sola editio Lov., *signo*.
[3] Sic juxta manuscriptorum fidem reponimus hic, *judicat*, quod quidem verbum usurpat auctor orationis contra Judæos, Append. tom. 8. In B., *judicet*. M.
[4] Sequuntur hic nostri omnes Mss. In B., *æternum*. Apud auctorem orationis supra memoratæ, Append. tom. 8, editum est, *æternaque*. M.
[5] Editi, *solvetur*. At Mss., *volvetur*: quo prima littera Υ respondeat græcæ vocali Υ, sicut superius in quinto versu.
[6] Er. et Lov., *Decidet*. Melius Vind. Am. et Mss., *recidet*: nam hujus versus primam litteram oportet eamdem esse atque ultimam nominis græci *σωτήρ*.

(a) Cum collectores chronologiæ hic pugnant. [illegible] annos 11. [illegible] annos 340. Saul autem electus rex anno 1098 ante Christum. Urbs Roma hæc condita anno 753 ante Christum. Achaz non erat rex in Israel, nedum Ezechias, cui tunc temporis [illegible] filius Ozæ. [illegible]
(b) Sibyllas a Varrone decem numeratas tradit Lactantius, lib. 1 Instit., cap. 6.

[1] Apud Er. et Lov., *horum trium*. In editis aliis et manuscriptis verius, *horum duum*: versuum videlicet paulo ante dictorum, quinti et octavi decimi et noni decimi.

(a) Lactantius, lib. 4 Instit., cap. 18, hæc ita græce commemorat.

Εἰς ἀνόμους χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει.
Δώσουσιν δὲ Θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ στόμασι μιαροῖς ἐμπτύσματα φαρμακόεντα.
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

(b) Hæc itidem Lactantius paucis interjectis:

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ
Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον.

(c) Eadem paulo post Lactantius:

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολήν, καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν,
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

(d) Hos versus dicit Lactantius alterius sibyllæ esse dicta:

Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων σὸν Θεὸν οὐκ ἐνόησας,
Παίζοντα θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλ' ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν δὲ χολὴν ἐκέρασας.

velum scindetur : et medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis (*a*). *Et morte morietur tribus diebus somno suscepto : et tunc ab inferis regressus ad lucem*[1] *veniet primus, resurrectionis principio revocatis ostenso* (*b*). Ista Lactantius carptim per intervalla disputationis suæ, sicut ea poscere videbantur, quæ probare intenderat, adhibuit testimonia Sibyllina, quæ nos nihil interponentes, sed in unam seriem connexa ponentes, solis capitibus, si tamen scriptores deinceps ea servare non negligant, distinguenda curavimus. Nonnulli sane Erythræam Sibyllam, non Romuli, sed belli Trojani tempore fuisse scripserunt.

CAPUT XXIV. — *Quod regnante Romulo septem Sapientes claruerint, quo tempore decem tribus quæ Israel dicebantur, in captivitatem a Chaldæis ductæ sunt, idemque Romulus mortuus divino honore donatus est.*

Eodem Romulo regnante Thales Milesius fuisse perhibetur (*c*), unus e septem Sapientibus, qui post theologos poetas, in quibus Orpheus maxime omnium nobilitatus est, Σοφοὶ appellati sunt, quod est latine Sapientes. Per idem tempus decem tribus, quæ in divisione populi vocatæ sunt Israel, debellatæ a Chaldæis, et in eas terras captivæ ductæ sunt (*d*), remanentibus in Judæa terra duabus illis tribubus, quæ nomine Judæ vocabantur, sedemque regni habebant Jerusalem. Mortuum Romulum, cum et ipse non comparuisset, in deos, quod et vulgo notissimum est, retulere Romani; quod usque adeo, fieri jam desierat, nec postea nisi adulando, non errando, factum est temporibus Cæsarum, ut Cicero magnis Romuli laudibus tribuat (*e*), quod non rudibus et indoctis temporibus, quando facile homines fallebantur, sed jam expolitis et eruditis meruerit hos honores; quamvis nondum efferbuerat[2] ac pullulaverat philosophorum subtilis et acuta loquacitas. Sed etiamsi posteriora tempora deos homines mortuos non instituerunt, tamen ab antiquis institutos colere ut deos et habere non destiterunt : quin etiam simulacris, quæ veteres non habebant (*f*), auxerunt vanæ atque impiæ superstitionis illecebram, id efficientibus immundis in eorum corde dæmonibus, per fallacia quoque oracula decipientibus, ut fabulosa etiam crimina deorum, quæ jam urbaniore sæculo non fingebantur, per ludos tamen in eorumdem falsorum numinum obsequium turpiter agerentur. Regnavit deinde Numa post Romulum, qui cum illam civitatem putaverit deorum profecto falsorum numerositate muniendam, in eamdem turbam referri mortuus ipse non meruit, tanquam ita putatus sit cœlum multitudine numinum constipasse, ut locum ibi reperire non posset. Hoc regnante Romæ, et apud Hebræos initio regni Manasse, a quo impio rege propheta Isaias perhibetur occisus (*a*), Samiam fuisse Sibyllam ferunt.

CAPUT XXV. — *Qui philosophi enituerint regnante apud Romanos Tarquinio Prisco, apud Hebræos Sedechia, cum Jerusalem capta est, templumque subversum.*

Regnante vero apud Hebræos Sedechia, et apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Martio, ductus est captivus in Babyloniam populus Judæorum, eversa Jerusalem et templo illo a Salomone constructo. Increpantes enim eos Prophetæ de iniquitatibus et impietatibus suis, hæc eis ventura prædixerant, maxime Jeremias, qui etiam numerum definivit annorum (*Jerem.* XXV, 11). Eo tempore Pittacus Mitylenæus, alius e septem Sapientibus, fuisse perhibetur (*b*). Et quinque cæteros, qui ut septem numerentur, Thaleti, quem supra commemoravimus, et huic Pittaco adduntur, eo tempore fuisse scribit Eusebius, quo captivus Dei populus in Babylonia tenebatur. Hi sunt autem, Solon Atheniensis, Chilo[1] Lacedæmonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lindius, Bias Prienæus. Omnes hi septem appellati Sapientes post poetas theologos claruerunt, quia genere vitæ quodam laudabili præstabant hominibus cæteris, et morum nonnulla præcepta sententiarum brevitate complexi sunt. Nihil autem monumentorum, quod ad litteras attinet, posteris reliquerunt, nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus dedisse perhibetur ; Thales vero physicus fuit, et suorum dogmatum libros reliquit (*c*). Eo captivitatis Judaicæ (*d*) tempore, et Anaximander, et Anaximenes, et Xenophanes physici claruerunt. Tunc et Pythagoras, ex quo cœperunt appellari philosophi (*e*).

CAPUT XXVI. — *Quod eo tempore, quo impletis septuaginta annis Judæorum est resoluta captivitas Romani, quoque a dominatu sunt regio liberati.*

Per idem tempus Cyrus rex Persarum, qui etiam

[1] Vind. Am. et Er. post, *ad lucem*, addunt, *lætam*. Lov. *lævam*. Neutrum est in veteribus libris.

[2] Mss., *efferruerat*. Sic infra, cap. 52. n. 2, loco, *ferbuit persecutio*; plures habent, *fervuit persecutio*.

(*a*) Lactantius, ejusdem libri 4, cap. 19 :

Ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

(*b*) Ibidem, aliquanto post :

Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας·
Καὶ τότ᾽ ἀπὸ φθιμένων ἀνακύψας εἰς φάος ἥξει,
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

(*c*) Rationes chronologicæ, mirum in modum turbatæ. Thales natus est Damasio archonte, ut videre est apud Diogenem Laertium, lib. 1, § 22, anno primo olympiadis 35, ut S. Cyrillus Alexandrinus, adversus Julianum, lib. 1, pag. 12; id est, conditæ Urbis anno 115. Tunc regnabat Ancus Martius. LARCHER.

(*d*) Israelitæ in servitutem abducti sunt anno quarto olympiadis 14 : anno 721 ante Christum natum, Urbis conditæ anno 33, regnante adhuc Romulo. LARCHER.

(*e*) Vide infra, lib. 22, cap. 6.

(*f*) Vide supra, lib. 4, cap. 31, n. 2, necnon notam (*b*), col. 138.

[1] Mss., *Chilon*; et infra, *Periandrus*, loco, *Periander*.

(*a*) Manasses, rex Judæ, cœpit regnare anno 698 ante Christum natum, anno 17 regni Numæ Pompilii. LARCHER.— Isaiam secatum fuisse a Manasse serra lignea ex certissima traditione Hebræorum scribit S. Hieronymus in ca. ut LVII Isaiæ, additque : « Unde et nostrorum plerique illud quod « de passione sanctorum in Epistola ad Hebræos ponitur, « *serrati sunt*, ad Isaiæ referunt passionem. » COQUÆUS.

(*b*) Pittacus natus anno 652 ante Christum, quod efficias ex Suida ; denatus anno 550 : vide Lucianum, de Macrobiis, § 18. LARCHER.

(*c*) Imo nihil scriptis mandavit Thales : vide Themistium, Oratione 26, pag. 317, B, C. LARCHER.

(*d*) Anno 607 ante Christum natum Nabuchodonosor Hierosolymis captis Joachimo regi indicit tributum : hinc septuaginta annorum captivitatis initium. LARCHER.

(*e*) Conf. supra, lib. 8, cap. 2, et infra, cap. 37, et alibi.

Chaldæis et Assyriis imperabat, relaxata aliquanta captivitate Judæorum, quinquaginta millia hominum ex eis ad instaurandum templum regredi fecit (*a*). A quibus tantum prima cœpta fundamina, et altare constructum est. Incursantibus autem hostibus, nequaquam progredi ædificando valuerunt, dilatumque opus est usque ad Darium. Per idem tempus etiam illa sunt gesta, quæ conscripta sunt in libro Judith (*b*) : quem sane in canone Scripturarum Judæi non recepisse dicuntur. Sub Dario ergo rege Persarum impletis septuaginta annis, quos Jeremias propheta prædixerat, reddita est Judæis soluta captivitate libertas, regnante Romanorum septimo rege Tarquinio. Quo expulso etiam ipsi a regum suorum dominatione liberi esse cœperunt. Usque ad hoc tempus Prophetas habuit populus Israel : qui cum multi fuerint, paucorum et apud Judæos et apud nos canonica scripta [1] retinentur. De quibus me aliqua positurum esse promisi in hoc libro, cum clauderem superiorem, quod jam video esse faciendum.

CAPUT XXVII. — *De temporibus Prophetarum, quorum oracula habentur in libris; quique tunc de vocatione Gentium multa cecinerunt, quando Romanum regnum cœpit, Assyriumque defecit.*

Tempora igitur eorum ut possimus advertere, in anteriora paululum recurramus. In capite libri Osee prophetæ, qui primus in duodecim ponitur, ita scriptum est : *Verbum Domini quod factum est ad Osee in diebus Oziæ, et Joathan, et Achaz, et Ezechiæ regum Juda* (*Osee* I, 1). Amos quoque diebus regis Oziæ prophetasse se scribit : addit etiam Jeroboam regem Israel, qui per eosdem dies fuit (*Amos* I, 1). Necnon Isaias filius Amos, sive supradicti prophetæ, sive, quod magis perhibetur, alterius qui non propheta eodem nomine vocabatur, eosdem reges quatuor quos posuit Osee, in capite libri sui ponit, quorum diebus se prophetasse præloquitur. Michæas etiam eadem suæ prophetiæ commemorat tempora post dies Oziæ. Nam tres qui sequuntur reges nominat, quos et Osee nominavit, Joathan, et Achaz, et Ezechiam (*Michææ* I, 1). Hi sunt quos eodem tempore simul prophetasse ex eorum litteris invenitur. His adjungitur Jonas eodem Ozia rege regnante, et Joel cum jam regnaret Joathan, qui successit Oziæ. Sed istorum prophetarum duorum tempora in Chronicis, non in eorum libris potuimus invenire, quoniam de suis diebus tacent. Tenduntur autem hi dies a rege Latinorum Proca, sive superiore Aventino, usque ad regem Romulum jam Romanorum [2], vel etiam usque ad regni primordia successoris ejus Numæ Pompilii : Ezechias quippe rex Juda eo usque regnavit; ac per hoc per ea tempora isti velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyrium, cœpitque Romanum : ut scilicet quemadmodum regni Assyriorum primo tempore exstitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in ejus semine benedictionis omnium gentium ; ita occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum, non solum loquentium, verum etiam scribentium in tantæ rei futuræ testimonium solverentur. Cum enim prophetæ nunquam fere defuissent populo Israel, ex quo ibi reges esse cœperunt, in usum tantummodo eorum fuere, non gentium : quando autem ea scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat inciperet [1], quando condebatur hæc civitas, quæ gentibus imperaret.

CAPUT XXVIII. — *De his quæ ad Evangelium Christi pertinent, quid Osee et Amos prophetaverint.*

Osee igitur propheta, quanto profundius quidem loquitur, tanto operosius penetratur. Sed aliquid inde sumendum est, et hic ex nostra promissione ponendum. *Et erit*, inquit, *in loco quo dictum est eis, Non populus meus vos, vocabuntur et ipsi filii Dei vivi* (*Osee* I, 10). Hoc testimonium propheticum de vocatione populi Gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apostoli intellexerunt (*Rom.* IX, 26). Et quia ipse quoque populus Gentium spiritualiter est in filiis Abrahæ, ac per hoc recte dicitur Israel, propterea sequitur, et dicit : *Et congregabuntur filii Juda et filii Israel in idipsum, et ponent sibimet principatum unum, et ascendent a terra* (*Osee* I, 11). Hoc si adhuc velimus exponere, eloquii prophetici obtundetur sapor. Recolatur tamen lapis ille angularis, et duo illi parietes, unus ex Judæis, alter ex Gentibus (*Ephes.* II, 14, 15, 20-22) ; ille nomine filiorum Juda, iste nomine filiorum Israel, eidem uni principatui suo in idipsum innitentes, et ascendentes agnoscantur a terra. Istos autem carnales [2] Israelitas, qui nunc nolunt credere in Christum, postea credituros, id est, filios eorum (nam utique isti in suum locum moriendo transibunt), idem propheta testatur, dicens : *Quoniam diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus.* Quis non videat, nunc sic esse Judæos? Sed quid adjungat, audiamus : *Et postea*, inquit, *revertentur filii Israel, et inquirent Dominum Deum suum, et David regem suum : et stupescent in Domino, et in bonis ipsius, in novissimis diebus* (*Osee* III, 4, 5, sec. LXX). Nihil est ista prophetia manifestius, cum David regis nomine significatus intelligatur Christus [3], *qui factus est*, sicut dicit Apostolus, *ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Prænuntiavit iste propheta etiam tertio die Christi resurrectionem futuram, sicut eam prophetica altitudine prænuntiari oportebat, ubi ait : *Sanabit nos post biduum, in die tertio resurgemus* (*Osee* VI, 3). Secundum hoc enim

[1] Aliquot Mss., *Scriptura*.
[2] Editi, *Romanum*. At in Mss., *Romanorum*.
(*a*) Anno 538 ante Christum natum Cyrus edicto Judæis in patriam reditum concessit. LARCHER.
(*b*) Gesta Judith ad annum 656 ante Christum referenda sunt, ut probavit Montfauconius in libro cui titulus, *Histoire de Judith*. LARCHER.

[1] Editi, *incipere*. Melius Mss., *inciperet*.
[2] Vind. Am. et plures Mss., *carnaliter*. — Sic nostri omnes. M.
[3] Sic manuscripti. Editi vero, *qui David.... intelligitur Christus*.

nobis dicit Apostolus, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite* (*Coloss.* III, 1). Amos quoque de rebus talibus sic prophetat : *Præpara*, inquit, *te, ut invoces Deum tuum Israel ; quia ecce ego firmans tonitruum, et creans spiritum, et annuntians in hominibus Christum suum* (Amos IV, 12 *et* 13, sec. LXX). Et alio loco : *In illa die*, inquit, *resuscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo quæ ceciderunt ejus, et destructa ejus resuscitabo, et reædificabo ea, sicut dies sæculi ; ita ut exquirant me residui hominum, et omnes gentes in quibus invocatum est nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc* (*Id.* IX, 11 *et* 12, sec. LXX).

CAPUT XXIX. — *Quæ ab Isaia de Christo et Ecclesia sint prædicta.*

1. Isaias propheta non est in libro duodecim Prophetarum, qui propterea dicuntur minores, quia sermones eorum sunt breves, in eorum comparatione qui majores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt : ex quibus est hic Isaias, quem propter eadem prophetiæ tempora subjungo supradictis duobus. Isaias ergo inter illa quæ arguit iniqua, et justa præcepit, et peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Christo et Ecclesia, hoc est de Rege et ea quam condidit civitate, multo plura quam cæteri prophetavit : ita ut a quibusdam evangelista, quam propheta potius diceretur (*a*). Sed propter rationem operis terminandi, unum de multis hoc loco ponam. Ex persona quippe Dei Patris loquens : *Ecce*, inquit, *intelliget puer meus, et exaltabitur, et glorificabitur valde. Quemadmodum stupescent super te multi, ita gloria privabitur ab hominibus species tua et gloria tua ab hominibus : ita mirabuntur gentes multæ super eum, et continebunt reges os suum : quoniam quibus non est annuntiatum de illo, videbunt ; et qui non audierunt, intelligent. Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est ? Annuntiavimus*[1] *coram illo, ut infans, ut radix in terra sitienti : non est species illi, neque gloria. Et vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem : sed species ejus sine honore, deficiens præ omnibus hominibus* (*b*). *Homo in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem : quoniam aversa est facies ejus : inhonoratus est, nec magni æstimatus est. Hic peccata nostra*[2] *portat, et pro nobis dolet : et nos existimavimus*[3] *illum esse in dolore, et in plaga, et in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eo : livore ejus nos sanati sumus. Omnes ut oves erravimus, homo a via sua erravit : et Dominus tradidit illum pro peccatis nostris : et ipse propter quod afflictus est, non aperuit os suum*[1]. *Et ovis ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum qui se tondet, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit ? Quoniam tolletur de terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Et dabo malignos pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus. Quoniam iniquitatem non fecit, nec dolum in ore suo : et Dominus vult purgare eum de plaga. Si dederitis pro peccato animam vestram, videbitis semen longævum* (*a*) : *et Dominus vult auferre a dolore animam ejus, ostendere illi lucem, et formare intellectum, justificare justum bene servientem pluribus : et peccata eorum ipse portabit*[2]. *Propterea ipse hæreditabit plures, et fortium dividet spolia : propter quod tradita est ad mortem anima ejus ; et inter iniquos æstimatus est, et ipse peccata multorum portavit, et propter peccata eorum traditus est* (*Isai.* LII, 13-15 ; LIII, 1-12, sec. LXX). Hæc de Christo.

2. Jam vero de Ecclesia, quod sequitur, audiamus : *Lætare*, inquit, *sterilis, quæ non paris ; erumpe et clama, quæ non parturis : quoniam multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum. Dilata locum tabernaculi tui, et aulæarum tuarum : fige*[3], *noli parcere, prolonga funiculos tuos, et palos tuos conforta ; adhuc in dexteram et sinistram partem extende. Et semen tuum hæreditabit gentes ; et civitates desertas inhabitabis. Ne timeas, quoniam confusa es ; neque verearis, quia exprobrata es : quoniam confusionem æternam oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non eris memor. Quoniam Dominus faciens te, Dominus Sabaoth nomen ejus : et qui eruit te, ipse Deus Israel universæ terræ vocabitur* (*Id.* LIV, 1-5), et cætera. Verum ista sint satis : et in eis sunt exponenda nonnulla ; sed sufficere arbitror quæ ita sunt aperta, ut etiam inimici intelligere cogantur inviti.

CAPUT XXX. — *Quæ Michæas, et Jonas et Joel novo Testamento congruentia prophetaverint.*

1. Michæas propheta Christum in figura ponens magni cujusdam montis, hæc loquitur : *Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini paratus super vertices montium ; et exaltabitur super colles. Et festinabunt ad eum plebes, et ibunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et ostendet nobis viam suam, et ibimus in semitis ejus : quia ex Sion procedet lex, et verbum Domini ex Jerusalem. Et judicabit inter plebes multas, et redarguet gentes potentes usque in longinquum* (*Michææ* IV, 1-3). Prædicens iste propheta et locum in quo natus est Christus : *Et tu*, inquit, *Bethlehem domus Ephrata, minima es, ut sis in millibus Juda : ex te mihi prodiet, ut sit in principem Israel : et egres-*

[1] Editi, *Annuntiabimus*. At Mss., *Annuntiavimus*. Græce in LXX est, *Anengeilamen*.
[2] In editione Lov. omissum est, *nostra*.
[3] Codex 258, *æstimavimus*. M.
(*a*) Ut ab Hieronymo, Epistolis 103, ad Paulinum, et 117, ad Paulam et Eustochium, in Prœmio Commentarii in hunc prophetam, et a Cyrillo, in Oratione 1 in Isaiam. COQUÆUS.
(*b*) Apud LXX, *præ filiis hominum*. Item apud eosdem paulo supra, pro, *privabitur ab hominibus*, habetur, *privabitur a filiis hominum*.

[1] Hic Vind. Am. Er. et manuscripti omittunt, *suum*. Et infra loco, *tondet*; habent, *tonderet*.
[2] Editi, *portavit*. At manuscripti, *portabit*. Græce est, *anoisei*.
[3] Editi, *et palos caularum tuarum fige*. Emendantur ex manuscriptis qui habent, *et aulæarum tuarum ;* omisso, *palos*, juxta LXX, ubi græce legitur, *kai tôn aulaiôn sou*. Quod quidem latine vertitur, *et aulæorum tuorum*. Sed *aulæam* feminino etiam genere dici, notum est ex Quinto Curtio, lib. 8, si locus tamen mendo vacet.
(*a*) Apud LXX sic est : *Si detis pro peccato, anima vestra videbit semen longævum*.

sus ejus ab initio, et ex diebus æternitatis. Propterea dabit eos usque ad tempus parturientis pariet[1], *et residui fratres ejus convertentur ad filios Israel. Et stabit, et videbit, et pascet gregem suum in virtute Domini, et in honore nominis Domini Dei sui erunt : quoniam nunc magnificabitur usque ad summum terræ* (*Mich.* v, 2-4, *sec.* LXX).

2. Jonas autem propheta non tam sermone Christum, quam sua quadam passione prophetavit, profecto apertius, quam si ejus mortem et resurrectionem voce clamaret. Ut quid enim exceptus est ventre belluino, et die tertio redditus, nisi ut significaret Christum de profundo inferni die tertio rediturum?

3. Joel omnia quæ prophetat, multis verbis compellit exponi, ut quæ pertinent ad Christum et Ecclesiam dilucescant. Unum tamen, quod etiam Apostoli commemoraverunt, quando in congregatos credentes Spiritus sanctus, sicut a Christo promissus fuerat, desuper venit (*Act.* II, 17, 18), non prætermittam. *Et erit*, inquit, *post hæc, et effundam de Spiritu meo super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; et seniores vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visa videbunt : et quidem in servos meos et ancillas meas in illis diebus effundam de Spiritu meo* (*Joel* II, 28 *et* 29).

CAPUT XXXI. — *Quæ in Abdia, in Naum, et Ambacu de salute mundi in Christo prænuntiata reperiantur.*

1. Tres prophetæ de minoribus, Abdias, Naum, Ambacum[2], nec sua tempora dicunt ipsi, nec in Chronicis Eusebii et Hieronymi, quando prophetaverint, invenitur (*a*). Abdias enim positus est quidem ab eis cum Michæa, sed non eo loco, ubi notantur tempora, quando Michæam prophetasse ex ejus litteris constat : quod errore negligenter describentium labores alienos existimo contigisse. Duos vero alios commemoratos in codicibus Chronicorum quos habuimus, non potuimus invenire : tamen quia canone continentur, nec ipsi oportet prætereantur a nobis. Abdias, quantum ad scripturam ejus attinet, omnium brevissimus Prophetarum, adversus Idumæam loquitur, gentem scilicet Esau, ex duobus[3] geminis filiis Isaac, nepotibus Abrahæ, majoris illius reprobati. Porro si Idumæam modo locutionis, quo intelligitur a parte totum, accipiamus positam esse pro gentibus : de Christo agnoscere possumus quod ait inter cætera, *In monte*[4] *autem Sion erit salus, et erit sanctum.* Et paulo post in fine ipsius prophetiæ : *Et ascendent*, inquit, *resalvati ex monte Sion, ut defendant montem Esau, et erit Domino regnum* (*Abdiæ* 17, 21, *sec.* LXX). Apparet quippe id esse completum, cum resalvati ex monte Sion, id est ex Judæa, credentes in Christum, qui præcipue agnoscuntur Apostoli, ascenderunt, ut defenderent montem Esau. Quomodo defenderent, nisi per Evangelii prædicationem salvos faciendo eos qui crediderunt, ut eruerentur de potestate tenebrarum, et transferrentur in regnum Dei? Quod consequenter expressit addendo, *Et erit Domino regnum.* Mons enim Sion Judæam significat, ubi futura prædicta est salus, et sanctum, quod est Christus Jesus : mons vero Esau Idumæa est, per quam significata est Ecclesia gentium, quam defenderunt, sicut exposui, resalvati ex monte Sion, ut esset Domino regnum. Hoc obscurum erat, antequam fieret; sed factum quis non fidelis agnoscat?

2. Naum vero propheta, imo per illum Deus : *Exterminabo*, inquit, *sculptilia et conflatilia : ponam sepulturam tuam : quia veloces esse super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, dies festos tuos, redde vota tua : quia jam non adjicient ultra, ut transeant in vetustatem. Consummatum est, consumptum est, ablatum est*[1]. *Ascendit, qui insufflat in faciem tuam, eripiens te ex tribulatione* (*Naum* I, 14 *et* 15; II, 1, *sec.* LXX). Quis ascenderit ab inferis, et insufflaverit in faciem Judæ, hoc est Judæorum discipulorum, Spiritum sanctum, recolat[2] qui meminit Evangelium. Ad novum enim Testamentum pertinent, quorum dies festi ita spiritualiter innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Porro per Evangelium exterminata sculptilia et conflatilia, id est idola deorum falsorum, et oblivioni tanquam sepulturæ tradita jam videmus; et hanc etiam in hac re prophetiam completam esse cognoscimus.

3. Ambacum de quo alio, quam de Christi adventu, qui futurus fuerat, intelligitur dicere, *Et respondit Dominus ad me, et dixit, Scribe visum aperte in buxo; ut assequatur qui legit ea : quia adhuc visio ad tempus, et orietur in fine, et non in vacuum : si tardaverit, sustine eum; quia veniens veniet, et non morabitur* (*Habacuc*, II, 2 *et* 3)?

CAPUT XXXII. — *De prophetia quæ in Oratione Ambacu et Cantico continetur.*

In Oratione autem sua cum Cantico, cui nisi Domino Christo dicit, ***Domine, audivi auditionem tuam, et timui; Domine, consideravi opera tua, et expavi?*** quid enim hoc est, nisi præcognitæ, novæ, ac repentinæ salutis hominum ineffabilis admiratio? *In medio duorum animalium cognosceris*, quid est, nisi aut in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi et Eliæ cum eo in monte sermocinantium? *Dum appropinquant anni, co-*

[1] Sic manuscripti secundum LXX. At editi, *usque ad tempus quo parturiens pariet.*

[2] In editis, [illegible]. At Mss., *Ambacum.*

[3] Editi, [illegible] *scilicet Esau*, [illegible] ex duobus, etc. Castigantur ad veteres codices.

[4] Sic manuscripti juxta LXX. At editi, *de monte* [illegible].

(*a*) Hieronymus, Commentario in Abdiam. [illegible]

[1] Vind. Lov. omittunt, *ablatum est*; quod in editis aliis et manuscriptis habetur.

[2] [illegible] *sanctum*, prava vocum [illegible] et ex [illegible] emendata.

gnosceris; in adventu temporis ostenderis [1], nec exponendum est. *In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira misericordiæ memor eris*, quid est, nisi quod Judæos in se transfiguravit, quorum gentis fuit, qui cum magna ira turbati crucifigerent Christum, ille misericordiæ memor dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34)? *Deus de Theman veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso.* Quod hic dictum est, *de Theman veniet*; alii interpretati sunt *ab Austro*, vel *ab Africo* (a) : per quod significatur meridies, id est fervor charitatis et splendor veritatis. Montem vero umbrosum atque condensum, quamvis multis modis possit intelligi, libentius acceperim Scripturarum altitudinem divinarum, quibus prophetatus est Christus. Multa quippe ibi umbrosa atque condensa sunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit, cum ibi eum, qui intelligit, invenit. *Operuit cœlos virtus ejus, et laudis ejus plena est terra*, quid est, nisi quod etiam in Psalmo dicitur, *Exaltare super cœlos* [2], *Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* lvi, 6)? *Splendor ejus ut lumen erit*, quid est, nisi, Fama ejus credentes illuminabit? *Cornua in manibus ejus sunt*, quid est, nisi tropæum crucis? *Et posuit charitatem firmam fortitudinis suæ*, nec exponendum est. *Ante faciem ejus ibit verbum, et prodiet in campum post pedes ejus*, quid est, nisi quod et antequam huc veniret, prænuntiatus est; et posteaquam hinc reversus est, annuntiatus est? *Stetit, et terra commota est*, quid est, nisi *stetit* ad subveniendum; *et terra commota est* ad credendum? *Respexit et tabuerunt gentes :* hoc est, misertus est, et fecit populos pœnitentes. *Contriti sunt montes violentia* : hoc est, vim facientibus miraculis, elatorum contrita est superbia. *Defluxerunt colles æternales :* hoc est, humiliati sunt ad tempus, ut erigerentur in æternum. *Ingressus æternos ejus pro laboribus vidi :* hoc est, non sine mercede æternitatis laborem charitatis aspexi. *Tabernacula Æthiopum expavescent, et tabernacula terræ Madian :* hoc est, gentes repente [3] perterritæ nuntio mirabilium tuorum, etiam quæ non sunt in jure Romano, erunt in populo christiano. *Numquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus?* Hoc ideo dictum est, quia non venit nunc ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (*Joan.* iii, 17). *Quia ascendes super equos tuos; et equitatio tua salus :* hoc est, Evangelistæ tui portabunt te, qui [4] reguntur a te; et Evangelium tuum salus est eis, qui credunt in te. *Intendens intendes arcum tuum super sceptra, dicit Dominus :* hoc est, comminaberis judicium tuum etiam regibus terræ. *Fluminibus scindetur terra :* hoc est, influentibus sermonibus prædicantium te, aperientur ad confitendum hominum corda, quibus dictum est, *Scindite corda vestra, et non vestimenta* (*Joel* ii, 13). Quid est, *Videbunt te, et dolebunt populi*, nisi ut lugendo sint beati? Quid est, *Dispergens aquas incessu* [1], nisi ambulando in eis qui te usquequaque annuntiant, hac atque hac dispergis fluenta doctrinæ? Quid est, *Abyssus dedit vocem suam?* an profunditas cordis humani quid ei videretur expressit? *Altitudo phantasiæ suæ*, tanquam versus superioris est expositio; altitudo enim est abyssus. Quod autem ait, *phantasiæ suæ*, subaudiendum est, *vocem dedit :* hoc est, quod diximus, quid ei videretur expressit. Phantasia quippe visio est, quam non tenuit, non operuit, sed confitendo eructavit. *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo :* hoc est, ascendit Christus in cœlum, et ordinata est Ecclesia sub rege suo. *In lucem jacula tua ibunt :* hoc est, non in occultum, sed in manifestum verba tua mittentur. *In splendorem coruscationis armorum tuorum :* subaudiendum est, *jacula tua ibunt.* Dixerat enim suis, *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine* (*Matth.* x, 27). *In comminatione minorabis terram :* id est, comminando humiliabis homines. *Et in furore dejicies gentes :* quia eos qui se exaltant, vindicando collides. *Existi in salutem populi tui, ut salvos faceres* [2] *christos tuos (a); misisti in capita iniquorum mortem :* nihil horum est exponendum. *Excitasti vincula usque ad collum.* Et bona hic possunt intelligi vincula sapientiæ, ut injiciantur [3] pedes in compedes ejus, et collum in torquem ejus. *Præcidisti in stupore mentis :* subaudiamus, *vincula :* excitavit enim bona, præcidit mala, de quibus ei dicitur, *Disrupisti vincula mea* (*Psal.* cxv, 16) : et hoc *in stupore mentis*, id est, mirabiliter. *Capita potentium movebuntur in ea :* in ea [4] scilicet admiratione. *Adaperient morsus suos, sicut edens pauper absconse.* Potentes enim quidam Judæorum veniebant ad Dominum facta ejus et verba mirati, et esurientes panem doctrinæ manducabant absconse propter metum Judæorum, sicut eos prodidit Evangelium (*Joan.* xix, 38). *Et immisisti in mare equos tuos turbantes aquas multas :* quæ nihil sunt aliud, quam populi multi. Non enim alii timore converterentur, alii furore persequerentur, nisi omnes turbarentur. *Observavi, et expavit venter meus a voce orationis labiorum meorum : et introivit tremor in ossa mea, et subtus me turbata est habitudo mea.* Intendit in ea quæ dicebat, et ipsa sua est oratione perterritus, quam prophetice fundebat, et in qua futura cernebat.

[1] Ita in Mss. At in excusis post, *ostenderis*, hæc leguntur : *Hoc quia per se patet, non exponendum; quod vero sequitur, exponendum, In eo dum conturbata*, etc., nisi quod apud Lov. post verbum, *sequitur*, deest, *exponendum.*

[2] Lov., *super omnes cœlos.* Abest, *omnes*, a cæteris libris.

[3] Sola editio Lov., *repentino.*

[4] Sic Mss. At editi, *quia.*

(a) Præter septuaginta, « et Aquila, » inquit Hieronymus, « et Symmachus et quinta editio ipsum hebraicum posuerunt. Solus Theodotio quid significaret Theman interpretatus est dicens, *Ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan.* » Idem Hieronymus in Locis hebraicis : « Theman regio principum Edom in terra Gebalitica, a Theman filio Elyphaz, filii Esau, sortita vocabulum; sed et usque hodie est villa nomine Theman, distans ab urbe Petra quinque millibus... Sciendum autem quod omnis australis regio Hebræis Theman dicitur. » Lud. Vives.

[1] Editio Lov., *Disperges aquas in incessu.* Emendatur ex editis aliis et manuscriptis, quibus suffragantur Septuaginta.

[2] Mss., *facias.*

[3] Editi, *ut vinciantur.* Aptius autem Mss., *ut injiciantur.*

[4] Repetimus hic, *in ea*, juxta manuscriptos, quod ab Am. Er. et Lov. omissum est.

(a) Sic secundum LXX legit etiam Tertullianus in libro 4 contra Marcionem, cap. 39. De reliquis interpretationibus videndus Hieronymus ad hunc locum. Coquæus.

Turbatis enim populis multis, vidit imminentes Ecclesiæ tribulationes, continuoque se membrum ejus agnovit, atque ait, *Requiescam in die tribulationis*: tanquam ad eos pertinens, qui sunt spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom.* XII, 12). *Ut ascendam*, inquit, *in populum peregrinationis meæ*: recedens utique a populo maligno carnalis cognationis suæ, non peregrinante in hac terra, neque supernam patriam requirente. *Quoniam ficus*, inquit, *non afferet fructus, et non erunt nativitates in vineis: mentietur opus olivæ, et campi non facient escam. Defecerunt ab esca oves, et non supersunt in præsepibus boves.* Vidit eam gentem, quæ Christum fuerat occisura, ubertatem copiarum spiritualium perdituram, quas per terrenam fecunditatem more prophetico figuravit. Et quia iram Dei talem propterea passa est illa gens, quia Dei ignorans justitiam, suam voluit constituere (*Id.* X, 3), iste continuo, *Ego autem*, inquit, *in Domino exsultabo, gaudebo in Deo salutari meo. Dominus Deus meus virtus mea, statuet pedes meos in consummationem; super excelsa imponet me, ut vincam in cantico ejus* (*Habacuc* III), scilicet illo cantico, de quo similia quædam dicuntur in Psalmo: *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos; et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro* (*Psal.* XXXIX, 3 *et* 4). Ipse ergo vincit in cantico Domini, qui placet in ejus laude, non sua, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31). Melius autem mihi videntur quidam codices habere, *Gaudebo in Deo Jesu meo*, quam hi qui volentes id latine ponere, nomen ipsum non posuerunt, quod est nobis amicius et dulcius nominare.

CAPUT XXXIII. — *De Christo et vocatione Gentium quæ Jeremias et Sophonias prophetico Spiritu sint præfati.*

1. Jeremias propheta de majoribus est, sicut Isaias; non de minoribus, sicut cæteri, de quorum scriptis nonnulla jam posui. Prophetavit autem regnante Josia in Jerusalem, et apud Romanos Anco Martio, jam propinquante captivitate Judæorum (*a*). Tetendit autem prophetiam, usque ad quintum mensem captivitatis: sicut in ejus litteris invenimus. Sophonias autem unus de minoribus adjungitur ei. Nam et ipse in diebus Josiæ prophetasse se dicit (*Sophon.* I, 1): sed quousque, non dicit. Prophetavit ergo Jeremias, non solum Anci Martii, verum etiam Tarquinii Prisci temporibus, quem Romani habuerunt quintum regem. Ipse enim, quando est illa captivitas facta, regnare jam cœperat. Prophetans ergo de Christo Jeremias, *Spiritus*, inquit, *oris nostri Dominus Christus captus est in peccatis nostris* (*Thren.* IV, 20); sic breviter ostendens, et Dominum nostrum Christum, et passum esse pro nobis. Item alio loco: *Hic Deus meus*, inquit, *et non æstimabitur alter ad eum: qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo: post hæc in terra*[1] *visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III, 36-38). Hoc testimonium quidam non Jeremiæ, sed scribæ ejus attribuunt, qui vocabatur Baruch: sed Jeremiæ celebratius habetur. Rursus idem propheta de ipso: *Ecce*, inquit, *dies veniunt, ait Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster* (*Jerem.* XXIII, 5, 6). De vocatione etiam gentium, quæ fuerat futura (et eam nunc impletam cernimus) sic locutus est: *Domine, Deus meus et refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas* (*Id.* XVI, 19). Quia vero non erant eum agnituri Judæi, a quibus eum et occidi oportebat, sic idem propheta significat: *Grave cor per omnia, et homo est, et quis cognoscet eum* (*Id.* XVII, 9, *sec.* LXX)? Hujus est etiam illud quod in libro decimo septimo posui de Testamento novo (*Cap.* 3), cujus est mediator Christus. Ipse quippe Jeremias ait, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Jacob Testamentum novum* (*Jerem.* XXXI, 31), et cætera quæ ibi leguntur.

2. Sophoniæ autem prophetæ, qui cum Jeremia prophetabat, hæc prædicta de Christo interim ponam: *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ, in futurum: quia judicium meum, ut congregem gentes, et colligam regna* (*Sophon.* III, 8). Et iterum: *Horribilis*, inquit, *Dominus super eos, et exterminabit omnes deos terræ; et adorabit eum vir de loco suo, omnes insulæ gentium* (*Id.* II, 11). Et paulo post: *Tunc*, inquit, *transvertam in populos linguam, et in progenie ejus*[2], *ut omnes invocent nomen Domini, et serviant ei sub uno jugo; a finibus fluminum Æthiopiæ afferent mihi hostias. In illo die non confunderis*[3] *ex omnibus adinventionibus tuis, quas impie egisti in me: quia tunc auferam abs te pravitates injuriæ tuæ; et jam non adjicies ut magnificeris super montem sanctum meum: et subrelinquam in te populum mansuetum et humilem; et verebuntur a nomine Domini, qui reliqui fuerint Israel*[4] (*Id.* III, 9-13, *sec.* LXX). Hæ sunt reliquiæ, de quibus alibi prophetatur, quod Apostolus etiam commemorat: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X, 22; *Rom.* IX, 27). Hæ quippe in Christum illius gentis reliquiæ crediderunt.

CAPUT XXXIV. — *De prophetia Danielis et Ezechielis, quæ in Christum Ecclesiamque concordat.*

1. In ipsa porro Babyloniæ captivitate prius pro-

(*a*) Jeremias primum innotuit Epistola quam scripsit eis qui Babylone in captivitate degebant. Hæc Epistola scripta fuit anno 599 ante Christum natum, sed jam quindecimus annus erat ex quo Josias occubuerat in pugna contra Nechao regem Ægypti, nempe anno 614: et tunc Tarquinius Priscus erat Romanorum rex. LARCHER.

[1] Lov. manuscripti juxta græcum LXX. At editi, *in terris*.
[2] Vind. Am. Er. et plerique Mss., *et progenies ejus*; omisso, *in*.
[3] Mss.: *In illo die confunderis*; absque negante particula.
[4] Nonnulli manuscripti, *in Israel*. Græce est, *toù Israel*.

phetaverunt Daniel et Ezechiel [1], alii scilicet duo ex Prophetis majoribus. Quorum Daniel etiam tempus quo venturus fuerat Christus atque passurus, numero definivit annorum : quod longum est computando monstrare, et ab aliis factitatum est ante nos. De potestate vero ejus et gloria [2] sic locutus est : *Videbam*, inquit, *in visu noctis, et ecce cum nubibus cœli ut filius* [3] *hominis veniens erat, et usque ad vetustum dierum pervenit ; et in conspectu ejus prælatus est ; et ipsi datus est principatus, et honor, et regnum : et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas perpetua, quæ non transibit ; et regnum ejus non corrumpetur* (*Dan.* VII, 13 *et* 14).

2. Ezechiel quoque more prophetico per David Christum significans, quia carnem de David semine assumpsit ; propter quam formam servi, qua [4] factus est homo, etiam servus Dei dicitur idem Dei Filius ; sic eum prophetando prænuntiat ex persona Dei Patris : *Et suscitabo*, inquit, *super pecora mea pastorem unum qui pascat ea, servum meum David : et ipse pascet ea, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum : ego Dominus locutus sum* (*Ezech.* XXXIV, 23 *et* 24). Et alio loco : *Et rex*, inquit, *unus erit omnibus imperans : et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna ; neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et in cunctis iniquitatibus suis. Et salvos eos faciam de universis sedibus suis, in quibus peccaverunt, et mundabo eos : et erunt mihi populus, et ego ero illis Deus : et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum* (*Id.* XXXVII, 22-24),

CAPUT XXXV. — *De trium prophetarum vaticinio, id est, Aggæi, Zachariæ et Malachiæ.*

1. Restant tres minores Prophetæ, qui prophetaverunt in fine captivitatis, Aggæus, Zacharias, Malachias. Quorum Aggæus Christum et Ecclesiam hac apertius brevitate prophetat : *Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes ; et veniet Desideratus cunctis gentibus* (*Aggæi* II, 7 *et* 8). Hæc prophetia partim jam completa cernitur, partim speratur in fine complenda. Movit enim cœlum Angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram ingenti miraculo, de ipso virginis partu. Movit mare et aridam, cum et in insulis et in orbe toto Christus annuntiatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem. Jam vero quod sequitur, *Et veniet Desideratus cunctis gentibus*, de novissimo ejus exspectatur adventu (*a*). Ut enim desideratus esset exspectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus.

2. Zacharias de Christo et Ecclesia : *Exsulta*, inquit, *valde, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus venit tibi, justus, et salvator, ipse pauper, et ascendens super asinam* [1], *et super pullum filium asinæ : et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ* [2] (*Zach.* IX, 9 *et* 10). Hoc quando factum sit, ut Dominus Christus in itinere jumento hujus generis uteretur, in Evangelio legitur : ubi et hæc prophetia commemoratur ex parte, quantum illi loco sufficere visum est (*Matth.* XXI). Alio loco ad ipsum Christum in Spiritu prophetiæ loquens de remissione peccatorum per ejus sanguinem : *Tu quoque*, inquit, *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* (*Zach.* IX, 11). Quid per hunc lacum velit intelligi, possunt diversa sentiri, etiam secundum rectam fidem (*a*). Mihi tamen videtur non eo significari melius, nisi humanæ miseriæ siccam profunditatem quodammodo et sterilem, ubi non sunt fluenta justitiæ, sed iniquitatis lutum. De hoc quippe etiam in Psalmo dicitur : *Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto limi* (*Psal.* XXXIX, 3).

3. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum cernimus propagatam, Judæis apertissime dicit ex persona Dei : *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificabitur et offeretur nomini meo oblatio munda : quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus* (*Malach.* I, 10). Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri, sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est, *Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus*, cessasse negare non possunt ; quid adhuc exspectant alium Christum, cum hoc quod prophetatum legunt et impletum vident, impleri non potuerit, nisi per ipsum ? Dicit enim paulo post de ipso ex persona Dei : *Testamentum meum erat cum eo vitæ et pacis : et dedi ei ut timore timeret me, et a facie nominis mei revereretur. Lex veritatis erat in ore ipsius, in pace dirigens ambulavit mecum, et multos convertit* [3] *ab iniquitate : quoniam labia sacerdotis custodient scientiam, et legem inquirent ex ore ejus ; quoniam angelus Domini omnipotentis est* (*Id.* II, 5-7). Nec mirandum est, quia omnipotentis Dei angelus dictus est Christus Jesus. Sicut enim servus propter formam servi, in qua venit ad homines ; sic et angelus propter Evangelium, quod nuntiavit hominibus. Nam si græca ista interpretemur, et Evangelium bona nuntiatio est, et angelus nuntius. De ipso quippe iterum dicit : *Ecce*

[1] In veteribus libris constanter scriptum, *Hiezechiel*.
[2] Mss. aliquot, *et Ecclesia*. Cæteri fere omnes, *et Ecclesiæ*.
[3] Lov., *et filius*. Verius Mss., *ut filius*.
[4] Plures Mss., *quia*.
(*a*) De secundo adventu Christi hunc locum interpretatus est etiam Justinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone. Confer infra, cap. 48. COQUÆUS.

[1] Vind. Am. et Mss., *asinum*.
[2] Lov., *usque ad fines orbis terræ*. Abest, *orbis*, a cæteris libris.
[3] Sic plures manuscripti juxta LXX. At editi, *ambulabit mecum, et multos convertet*.

(*a*) De limbo patrum, quorum animæ ibi detinebantur usque ad passionem Christi, ipsas tandem inde liberantis, exponunt Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, quos omnes recentiores sequuntur. COQUÆUS.

mitto[1] *angelum meum, et prospiciet viam ante faciem meam: et subito veniet in templum suum Dominus quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus omnipotens*[2]*: et quis sustinebit diem introitus ejus? aut quis resistet in aspectu ejus?* (*Malach.* III, 1, 2) Hoc loco et primum et secundum Christi prænuntiavit adventum: primum scilicet, de quo ait, *Et subito veniet in templum suum*; id est, in carnem suam, de qua dixit in Evangelio, *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19): secundum vero, ubi ait, *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens, et quis sustinebit diem introitus ejus, aut quis resistet in aspectu ejus?* Quod autem dicit, *Dominus quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis*, significavit utique etiam Judæos secundum Scripturas quas legunt, Christum quærere, et velle. Sed multi eorum, quem quæsierunt et voluerunt, venisse non agnoverunt, excæcati in cordibus suis præcedentibus meritis suis. Quod sane hic nominat testamentum, vel supra, ubi ait, *Testamentum meum erat cum eo*; vel hic, ubi eum dixit angelum testamenti: novum procul dubio Testamentum debemus accipere, ubi sempiterna; non vetus, ubi temporalia sunt promissa: quæ pro magno habentes plurimi infirmi, et Deo vero talium rerum mercede servientes, quando vident eis impios abundare, turbantur. Propter quod idem propheta, ut novi Testamenti beatitudinem æternam, quæ non dabitur nisi bonis, distingueret a veteris terrena felicitate, quæ plerumque datur et malis: *Ingravastis*, inquit, *super me verba vestra, dicit Dominus, et dixistis, In quo detraximus de te? Dixistis, Vanus est omnis qui servit Deo; et quid plus, quia custodivimus observationes ejus, et quia ambulavimus supplicantes ante faciem Domini omnipotentis? Et nunc nos beatificamus alienos, et reædificantur omnes qui faciunt iniqua: et adversati sunt Deo, et salvi facti sunt. Hæc oblocuti sunt, qui timebant Dominum, unusquisque ad proximum suum: et animadvertit Dominus, et audivit: et scripsit librum memoriæ in conspectu suo, eis qui timent Dominum, et reverentur nomen ejus.* Isto libro significatum est Testamentum Novum. Denique quod sequitur, audiamus: *Et erunt mihi, dicit Dominus omnipotens, in diem*[3]*, qua ego facio, in acquisitionem; et eligam eos, sicut homo eligit*[4] *filium suum servientem sibi: et convertemini, et videbitis inter justum et injustum, et inter servientem Deo, et non servientem. Quoniam ecce dies venit ardens sicut clibanus, et concremabit eos: et erunt omnes alienigenæ, et omnes facientes iniquitatem stipula, et incendet illos dies qui adveniet, dicit Dominus omnipotens: et non derelinquetur eorum radix, neque sarmentum. Et orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ: et sanitas in pennis ejus: et exibitis, et exsultabitis sicut vituli ex vinculis resoluti; et conculcabitis iniquos, et erunt cinis sub pedibus vestris in die, in quo ego facio, dicit Dominus omnipotens* (*Malach.* III, 13-18; IV, 1-3). Hic est qui dicitur dies judicii: de quo suo loco, si Deus voluerit, loquemur uberius.

CAPUT XXXVI. — *De Esdra et libris Machabæorum.*

Post hos tres prophetas, Aggæum, Zachariam, Malachiam, per idem tempus liberationis populi ex Babylonica servitute scripsit etiam Esdras, qui magis rerum gestarum scriptor est habitus, quam propheta: sicuti est et liber, qui appellatur Esther: cujus res gesta in laudem Dei non longe ab his temporibus invenitur: nisi forte Esdras in eo Christum prophetasse intelligendus est, quod inter juvenes quosdam orta quæstione, quid amplius valeret in rebus; cum reges unus dixisset, alter vinum, tertius mulieres, quæ plerumque regibus imperarent: idem tamen tertius veritatem super omnia demonstravit esse victricem (III *Esdræ*, III, 9 *seqq.*) (*a*). Consulto autem Evangelio, Christum cognoscimus esse veritatem. Ab hoc tempore apud Judæos restituto templo, non reges, sed principes fuerunt usque ad Aristobulum (*b*): quorum supputatio temporum non in Scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt et Machabæorum libri (*c*), quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorumdam Martyrum passiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Christus venisset in carnem[1], usque ad mortem pro Dei lege certaverunt, et mala gravissima atque horribilia pertulerunt.

CAPUT XXXVII. — *Quod prophetica auctoritas omni origine gentilis philosophiæ inveniatur antiquior.*

Tempore igitur Prophetarum nostrorum, quorum jam scripta ad notitiam fere omnium gentium pervenerunt, philosophi gentium nondum erant, qui[2] hoc etiam nomine vocarentur, quod cœpit a Samio Pythagora, qui eo tempore, quo Judæorum est soluta captivitas, cœpit excellere atque cognosci (*d*). Multo ergo magis cæteri philosophi post

[1] Codex 258, *mittam*. M.

[2] Editi, *dicit Dominus Deus omnipotens*. Vox, *Deus*, abest a manuscriptis.

[3] Editi, *in die*. Codices Mss., *in diem*: juxta græcum septuaginta.

[4] Nostri codices, *elegit homo*. M.

[1] Mss., *in carne*.

[2] Omnes Mss. post, *pervenerunt*, sic prosequuntur, *et multo magis post eos fuerunt philosophi gentium, qui*.

(*a*) Tertius liber Esdræ, in quo hæc historia habetur, continet gesta ante Esdræ et Nehemiæ libros præcedentes; ideoque apud Græcos et canonicus est et Esdræ primus. Ab Origene citatur ut canonicus, Homilia 9 in Josue; ab Athanasio, libro 3 contra Arianos; a Cypriano, Epistola 74, ad Pompeium, et libro de singularitate clericorum, cap. 21; et Augustinus videtur hic non obscure eum habere pro canonico, ut qui sententiam ejus propheticam de Christo dici posse judicet. Coqueus.

(*b*) Hyrcano Pontifice mortuo successit Aristobulus ejus filius, qui primus diadema sumpsit, anno 104 ante Christum natum. Auctor Josephus, Antiquitatum Judaicarum libro 13, cap. 19. Lavenir.

(*c*) Vide lib. 2 de Doctrina Christiana, n. 13, et lib. 1 contra Epistolam Gaudentii, n. 38.

(*d*) Pythagoras floruit olympiade, juxta Diogenem Laertium, sexagesima: Eusebius in Chronico ad olympiadem sexagesimam tertiam refert, et lib. 10 de Præparatione evangelica, cap. 4, scribit claruisse olympiade sexage-

Prophetas reperiuntur fuisse. Nam ipse Socrates Atheniensis, magister omnium qui tunc maxime claruerunt, tenens in ea parte, quæ moralis vel activa dicitur, principatum, post Esdram in Chronicis invenitur (*a*). Non multo post etiam Plato natus est, qui longe cæteros Socratis discipulos anteiret (*b*). Quibus si addamus etiam superiores, qui nondum philosophi vocabantur, septem scilicet Sapientes, ac deinde physicos qui Thaleti successerunt, in perscrutanda natura rerum studium ejus imitati, Anaximandrum scilicet et Anaximenem et Anaxagoram, aliosque nonnullos, antequam Pythagoras philosophum primus profiteretur, nec illi Prophetas nostros universos temporis antiquitate præcedunt: quandoquidem Thales, post quem cæteri fuerunt, regnante Romulo eminuisse [1] fertur, quando de fontibus Israel in eis litteris, quæ toto orbe manarent, prophetiæ flumen erupit. Soli igitur illi theologi poetæ, Orpheus, Linus, Musæus, et si quis alius apud Græcos fuit, his Prophetis Hebræis, quorum scripta in auctoritate habemus, annis reperiuntur priores. Sed nec ipsi verum theologum nostrum Moysen, qui unum verum Deum veraciter prædicavit, cujus nunc scripta in auctoritatis canone prima sunt, tempore prævenerunt: ac per hoc quantum ad Græcos attinet, in qua lingua litteræ hujus sæculi maxime ferbuerunt, nihil habent unde sapientiam suam jactent, quo religione nostra, ubi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. Verum, quod fatendum est, non quidem in Græcia, sed in barbaris gentibus, sicut in Ægypto, jam fuerat ante Moysen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur: alioquin non scriptum esset in Libris sanctis, Moysen eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum (*Act.* VII, 22), tunc utique quando ibi natus est, et a filia Pharaonis adoptatus atque nutritus, etiam liberaliter educatus est. Sed nec sapientia Ægyptiorum sapientiam Prophetarum nostrorum tempore antecedere potuit, quandoquidem et Abraham propheta fuit (*Gen.* XX, 7). Quid autem sapientiæ esse potuit in Ægypto, antequam eis Isis, quam mortuam tanquam deam magnam colendam putaverunt, litteras traderet? Isis porro Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti.

sima secunda, pontifice apud Hebræos Jesu Filio Josedech, et principe Zorobabel, quo tempore prophetabant Aggæus, Zacharias et Malachias, regnabat autem apud Romanos Servius Tullius. Jamblichus circa olympiadem sexagesimam secundam venisse in Italiam scribit: id Cicero, quæst. Tuscul. lib. 1, imperante Tarquinio Superbo contigisse, ibidemque, lib. 4, prodit fuisse eum in Italia iisdem temporibus quibus Junius Brutus patriam liberavit. Pythagoras autem obiit anno olympiadis septuagesimæ quarto vel quinto, juxta Eusebii Chronicon, id est, ante Christum circiter 498, cum vixisset annos 80 vel 90, ut auctor est Diogenes Laertius.

[1] Sola editio Lov., *emicuisse*.

(*a*) Socratem Diogenes Laertius natum scribit anno quarto olympiadis septuagesimæ septimæ, qui in annum 468 ante Christum incurrit; mortuum vero esse anno primo olympiadis nonagesimæ quintæ, ætatis anno 70.

(*b*) Plato, ut Diog. Laertius ex Apollodoro scribit, natus est olympiade octogesima octava, ejusque anno primo mortuus est anno primo olympiadis centesimæ octavæ, qui est annus ante Christum 348, suæ ipse ætatis annum agens 81.

CAPUT XXXVIII. — *Quod quædam sanctorum scripta ecclesiasticus canon propter nimiam non receperit vetustatem, ne per occasionem eorum falsa veris insererentur.*

Jam vero si longe antiquiora repetam, et ante illud grande diluvium noster erat utique Noe patriarcha, quem prophetam quoque non immerito dixerim: siquidem ipsa arca quam fecit, et in qua cum suis evasit, prophetia nostrorum temporum fuit. Quid Enoch septimus ab Adam, nonne etiam in canonica epistola apostoli Judæ prophetasse prædicatur (*Judæ* 14)? Quorum scripta ut apud Judæos et apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris (*a*). Nam et proferuntur quædam quæ ipsorum esse dicantur ab eis qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt. Sed ea castitas canonis non recepit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum. Nec mirum debet videri, quod suspecta habentur, quæ sub tantæ antiquitatis nomine proferuntur; quandoquidem in ipsa historia regum Juda [1] et regum Israel, quæ res gestas continet, de quibus eidem Scripturæ canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, et in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, et alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur (I *Par.* XXIX, 29; II *Par.* IX, 29); nec tamen inveniuntur in canone, quem recepit populus Dei. Cujus rei, fateor, causa me latet; nisi quod existimo, etiam ipsos, quibus ea quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda; ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate custoditur canon, præter quem si qua jam etiam sub nomine veterum Prophetarum [2] scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent, quoniam utrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est; et ob hoc eis non habetur fides, maxime his in quibus etiam contra fidem librorum canonicorum quædam leguntur, propter quod ea prorsus non esse apparet illorum.

CAPUT XXXIX. — *De hebraicis litteris, quæ nunquam in suæ linguæ proprietate non fuerint.*

Non itaque credendum est, quod nonnulli arbitrantur, hebræam tantum linguam per illum qui vocabatur Heber, unde Hebræorum vocabulum est, fuisse servatam, atque inde pervenisse ad Abraham, hebræas autem litteras a lege cœpisse, quæ data est per Moysen; sed potius per illam successionem patrum, memoratam linguam cum suis litteris custoditam (*b*). Denique Moyses in populo Dei constituit,

[1] Sic Mss. Editi vero, *Judæ*.

[2] Nostri codices, *verorum prophetarum*. M.

(*a*) Conf. supra, lib. 15, cap. 23, n. 4.

(*b*) Multi enim, velut Cyrillus, contra Julianum, libro 7,

qui docendis litteris præessent, prius quam divinæ legis ullas litteras nossent. Hos appellat Scriptura γραμματοεισαγωγεῖς, qui latine dici possunt litterarum inductores vel introductores, eo quod eas inducant, id est introducant quodammodo in corda discentium, vel in eas potius ipsos quos docent. Nulla igitur gens de antiquitate sapientiæ suæ super Patriarchas et Prophetas nostros, quibus inerat divina sapientia, ulla se vanitate jactaverit ; quando nec Ægyptus invenitur, quæ solet falso et inaniter de suarum doctrinarum antiquitate gloriari, qualicumque sapientia sua Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse sapientiam. Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequam litteras nossent, id est, antequam Isis eo venisset, easque ibi docuisset. Ipsa porro eorum memorabilis doctrina, quæ appellata est sapientia, quid erat nisi maxime astronomia, et si quid aliud talium disciplinarum magis ad exercenda ingenia, quam ad illuminandas vera sapientia mentes valere solet? Nam quod attinet ad philosophiam, quæ se docere profitetur aliquid, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt : longe quidem ante sapientes vel philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, et Isaac, et Jacob, et Joseph ; nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore, quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus astrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus iste Mercurius (a).

CAPUT XL. — *De Ægyptiorum mendacissima vanitate, quæ antiquitati scientiæ suæ centum millia adscribit annorum.*

Frustra itaque vanissima præsumptione garriunt quidam, dicentes, ex quo rationem siderum comprehendit Ægyptus, amplius quam centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia litteras magistra Iside didicerunt? Non enim parvus auctor est in historia Varro, qui hoc prodidit, quod a litterarum etiam divinarum veritate non dissonat. Cum enim ab ipso primo homine, qui est appellatus Adam, nondum sex millia annorum compleantur, quomodo non isti ridendi potius, quam refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diversa, et huic exploratæ veritati tam contraria persuadere conantur? Cui enim melius narranti præterita credimus, quam qui etiam futura prædixit, quæ præsentia jam videmus? Nam et ipsa historicorum inter se dissonantia copiam nobis præbet, ut ei potius credere debeamus, qui divinæ, quam tenemus, non repugnat historiæ. Porro autem cives impiæ civitatis, diffusi usquequaque per terras, cum legunt doctissimos homines, quorum nullius contemnenda videatur auctoritas, inter se de rebus gestis ab ætatis nostræ memoria remotissimis discrepantes, cui potius credere debeant, non inveniunt. Nos vero in nostræ religionis historia, fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in sæcularibus litteris ; quæ seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt, quo recte beateque vivamus.

CAPUT XLI. — *De philosophicarum opinionum dissensionibus, et canonicarum apud Ecclesiam concordia Scripturarum.*

1. Ut autem jam cognitionem omittamus historiæ, ipsi philosophi, a quibus ad ista progressi sumus, qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi ut invenirent quomodo vivendum esset accommodate ad beatitudinem capessendam, cur dissenserunt et a magistris discipuli, et inter se condiscipuli, nisi quia ut homines humanis sensibus et humanis ratiocinationibus ista quæsierunt? Ubi quamvis esse potuerit et studium gloriandi, quo quisque alio sapientior et acutior videri cupit, nec sententiæ quodammodo addictus alienæ, sed sui dogmatis et opinionis inventor : tamen ut nonnullos vel etiam plurimos eorum fuisse concedam, quos a suis doctoribus vel discendi sociis amor veritatis abruperit, ut pro ea certarent, quam veritatem putarent, sive illa esset, sive non esset ; quid agit, aut quo vel qua, ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit auctoritas? Denique auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant (a). Unde non immerito, cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret quod religione carum esse oporteret : nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio. Neque enim in multitudine philosophorum, qui labore etiam litterario monumenta suorum dogmatum reliquerunt,

pag. 231, D, et Clemens Alexandrinus, Stromatum libro 1, cap. 23, § 155, scribunt Mosen primum fuisse sapientem, ac litteras et grammaticam primum tradidisse Judæis, Phœnices accepisse a Judæis, a Phœnicibus Græcos. Verum Augustinus, hoc non probans, vult, quemadmodum ante diluvium fuit lingua hebraica, ita etiam inventos fuisse characteres hebraicos. Hanc sententiam confirmare videtur quod scribit Josephus, Antiquitatum Judaicarum libro 1, cap. 3, de filiis Seth loquens : « Sideralem scientiam, » inquit, « et cœlestium rerum cognitionem excogitaverunt. « Ne autem inventa sua ex hominum notitia delaberentur, « et prius perirent quam pernoscerentur, scientes prædixisse Adamum duplicem fore universalem rerum interitum, unum incendio, alterum diluvio, excitatis duabus « columnis, utrique sua inventa inscripserunt : ut, si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, et quæ inscripta contineret, spectanda exhiberet ; lapidea porro columna ab ipsis « dicata, nostris etiam temporibus exstat in terra Syria. » Coquæus.

(a) Atlas vixit anno ante Christum 1658, secundum Eusebium ; Moses vero nascitur anno 1600 ante Christum, auctore Eusebio, de Præparatione evangelica, lib. 10, cap. 9, pag. 483, 484. Hinc ab Atlante ad Mosen sunt anni viginti novem. LARCHER.

(a) Sic ratiocinatur : Omnes philosophi certant invicem, sæpe sibi contrarii sunt ; sacri scriptores non dissentiunt inter se : philosophi dissentiunt inter se, quia homines proclives sunt ad errorem ; sacri Auctores nunquam dissentiunt inter se, quia sanctus Spiritus ore eorum loquitur. LARCHER.

facile quis invenerit, inter quos cuncta quæ senserc convenjant : quod ostendere hoc opere longum est.

2. Quis autem sectæ cujuslibet auctor sic est in hac dæmonicola civitate approbatus, ut cæteri improbarentur, qui diversa et adversa senserunt? Nonne apud Athenas et Epicurei clarebant, asserentes res humanas ad deorum curam non pertinere, et Stoici, qui contraria sentientes, eas regi atque muniri diis adjutoribus atque tutoribus disputabant? Unde miror cur Anaxagoras reus factus sit, quia solem esse dixit lapidem ardentem, negans utique Deum, cum in eadem civitate gloria floruerit Epicurus, vixeritque securus, non solum solem vel ullum siderum Deum esse non credens, sed nec Jovem, nec ullum deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum supplicationesque perveniant. Nonne ibi Aristippus in voluptate corporis summum bonum ponens, ibi Antisthenes virtute animi potius hominem fieri beatum asseverans, duo philosophi nobiles et ambo Socratici, in tam diversis atque inter se contrariis finibus vitæ summam locantes, quorum etiam ille fugiendam, iste administrandam sapienti dicebat esse rempublicam, ad suam quisque sectam sectandam discipulos congregabat? Nempe palam in conspicua et notissima porticu, in gymnasiis, in hortulis, in locis publicis ac privatis, catervatim pro sua quisque opinione certabant : alii asserentes unum, alii innumerabiles mundos; ipsum autem unum alii ortum esse, alii vero initium non habere; alii interiturum, alii semper futurum; alii mente divina, alii fortuitu et casibus agi : alii immortales esse animas, alii mortales; et qui immortales, alii revolvi in bestias, alii nequaquam; qui vero mortales, alii mox interire post corpus, alii vivere etiam postea vel paululum, vel diutius, non tamen semper : alii in corpore constituentes finem boni, alii in animo, alii in utroque, alii extrinsecus posita etiam bona ad animum et corpus addentes : alii sensibus corporis semper, alii non semper, alii nunquam, putantes esse credendum. Has et alias pene innumerabiles dissensiones philosophorum, quis unquam populus, quis senatus, quæ potestas vel dignitas publica impiæ civitatis dijudicandas, et alias probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiandasque curavit, ac non passim sine ullo judicio confuseque habuit in gremio suo tot controversias hominum dissidentium, non de agris et domibus, vel quacumque pecuniaria ratione, sed de his rebus, quibus aut misere vivitur aut beate? Ubi etsi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur et falsa; prorsus ut non frustra talis civitas mysticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur Confusio, quod nos jam dixisse meminimus (*Libro* 16, *cap.* 4, *et alibi*). Nec interest diaboli regis ejus, quam contrariis inter se rixentur erroribus, quos merito multæ variæque impietatis pariter possidet.

3. At vero gens illa, ille populus, illa civitas, illa respublica, illi Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo pseudoprophetas cum veris Prophetis pari licentia[1] confuderunt : sed concordes inter se atque in nullo dissentientes, sacrarum Litterarum veraces ab eis agnoscebantur et tenebantur auctores. Ipsi eis erant philosophi, hoc est, amatores sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi theologi, ipsi prophetæ, ipsi doctores probitatis atque pietatis. Quicumque secundum illos sapuit et vixit, non secundum homines, sed secundum Deum, qui per eos locutus est, sapuit et vixit. Ibi si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum est, *Honora patrem tuum et matrem tuam*, Deus jussit. Si dictum est, *Non mœchaberis*, *Non homicidium facies*, *Non furaberis* (*Exod.* XX, 12-15), et cætera hujusmodi, non hæc ora humana, sed oracula divina fuderunt. Quidquid philosophi quidam inter falsa, quæ opinati sunt, verum videre potuerunt, et laboriosis disputationibus persuadere moliti sunt, quod mundum istum fecerit Deus, eumque ipse providentissimus administret, de honestate virtutum, de amore patriæ, de fide amicitiæ, de bonis operibus atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamvis nescientes ad quem finem et quonam modo essent ista omnia referenda, propheticis, hoc est divinis vocibus, quamvis per homines, in illa civitate populo commendata sunt, non argumentationum concertationibus inculcata; ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognosceret.

CAPUT XLII. — *Qua dispensatione providentiæ Dei Scripturæ sacræ Veteris Testamenti ex hebræo in græcum eloquium translatæ sint, ut Gentibus innotescerent.*

Has sacras Litteras etiam unus Ptolemæorum[2] regum Ægypti nosse studuit et habere. Nam post Alexandri Macedonis, qui etiam Magnus cognominatus est, mirificentissimam minimeque diuturnam potentiam, qua universam Asiam, imo pene totum orbem, partim vi et armis, partim terrore subegerat, quando inter cætera Orientis[3] etiam Judæam ingressus obtinuit; eo mortuo comites ejus, cum regnum illud amplissimum non pacifice inter se possessuri divisissent, sed potius dissipassent, bellis omnia vastaturi, Ptolemæos reges habere cœpit Ægyptus : quorum primus Lagi filius, multos ex Judæa captivos in Ægyptum transtulit. Huic autem succedens alius Ptolemæus, qui est appellatus Philadelphus, omnes quos ille adduxerat subjugatos, liberos redire permisit : insuper et dona regia in templum Dei misit, petivitque ab Eleazaro tunc pontifice, dari sibi Scripturas, quas profecto audierat fama prædicante divinas; et ideo concupiverat habere in bibliotheca, quam nobilissimam fecerat. Has ei cum idem pontifex misisset hebræas, post etiam ille interpretes postulavit; et dati sunt septuaginta duo, de singulis duodecim tribubus seni homines, linguæ utriusque doctissimi,

[1] In manuscriptis, *parilitate licentiæ*.
[2] Omnes prope Mss., *Ptolomæorum* : et constanter, *Ptolomeus*, loco, *Ptolemæus*.
[3] Editi, *Orientis regna*. Abest, *regna*, a manuscriptis.

hebrææ scilicet atque græcæ. Quorum interpretatio ut Septuaginta vocetur, jam obtinuit consuetudo. Traditur sane tam mirabilem ac stupendum planeque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut cum ad hoc opus separatim singuli sederint (ita enim eorum fidem Ptolemæo placuit explorare), in nullo verbo, quod idem significaret et tantumdem valeret, vel in verborum ordine, alter ab altero discreparet: sed tanquam unus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt, unum erat: quoniam re vera Spiritus erat unus in omnibus (*a*). Et ideo tam mirabile Dei munus acceperant, ut illarum Scripturarum, non tanquam humanarum, sed sicut erant, tanquam divinarum, etiam isto modo commendaretur auctoritas, credituris quandoque gentibus profutura, quod jam videmus effectum.

CAPUT XLIII. — *De auctoritate Septuaginta interpretum, quæ, salvo honore hebræi stili, omnibus sit interpretibus præferenda.*

Nam cum fuerint et alii interpretes, qui ex hebræa lingua in græcam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion; sicut etiam illa est interpretatio, cujus auctor non apparet, et ob hoc sine nomine interpretis, Quinta editio nuncupatur (*b*): hanc tamen quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac Septuaginta interpretatione etiam in latinam linguam interpretatum est quod Ecclesiæ Latinæ tenent (*c*). Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, et omnium trium linguarum peritus, qui non ex græco, sed ex hebræo in latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam litteratum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem, Septuaginta vero interpretes in multis errasse contendant; tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati, ab Eleazaro tunc pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum: quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus, sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi; cum vero tantum in eis signum divinitatis apparuit, profecto quisquis alius illarum Scripturarum ex hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis Septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in Septuaginta viris, quando illa interpretati sunt: qui profecto auctoritate divina et aliud dicere potuit, tanquam propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret; et hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret; et aliquid prætermittere, et aliquid addere, ut etiam hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat interpres, sed divinam potius potestatem, quæ mentem replebat et regebat interpretis. Nonnulli autem codices græcos interpretationis Septuaginta ex hebræis codicibus emendandos putarunt: nec tamen ausi sunt detrahere, quod hebræi non habebant, et Septuaginta posuerunt; sed tantummodo addiderunt quæ in hebræis inventa, apud Septuaginta non erant; eaque signis quibusdam in stellarum modum factis, ad capita eorumdem versuum notaverunt, quæ signa asteriscos vocant. Illa vero quæ non habent hebræi, habent autem Septuaginta, similiter ad capita versuum jacentibus virgulis, sicut scribuntur unciæ, signaverunt. Et multi codices has notas habentes usquequaque diffusi sunt et latini [1]. Quæ autem non prætermissa vel addita, sed aliter dicta sunt, sive alium sensum faciant etiam ipsum non abhorrentem, sive alio modo eumdem sensum explicare monstrentur, nisi utrisque codicibus inspectis nequeunt reperiri. Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quidquid est in hebræis codicibus, et non est apud interpretes Septuaginta noluit ea per istos, sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere. Quidquid vero est apud Septuaginta, in hebræis autem codicibus non est, per istos ea maluit, quam per illos, idem Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse prophetas. Isto enim modo alia per Isaiam, alia per Jeremiam, alia per alium atque alium prophetam, vel aliter eadem per hunc ac per illum dixit, ut voluit. Quidquid porro apud utrosque invenitur, per utrosque dicere voluit unus atque idem Spiritus; sed ita, ut illi præcederent prophetando, isti sequerentur prophetice illos interpretando: quia sicut in illis vera, et concordantia dicentibus unus pacis Spiritus fuit; sic et in istis non secum conferentibus, et tamen tanquam uno ore cuncta interpretantibus, idem Spiritus unus apparuit.

(*a*) Aliorum Patrum et Philonis Judæi locos de hac re collegit Coquæus; aliquos habes in nota *b* ad librum de Doctrina Christiana secundum, caput 15, vel n. 22, ubi Augustinus eadem refert. Hieronymus illa comparatus hæc pro commentis habet, quæ tamen in medium exornantur in libro de Historia translationis septuaginta, qui sub Aristeæ nomine circumfertur et Josepho tribuebatur olim. De quo jam Ludovicus Vives: « Confictus, ut puto, ab aliquo recentiore. » — Fabula hæc de LXXII interpretibus jamdudum est ab eruditis explosa. « Græcæ versionis, » inquiunt Sangenovefani in suis thesibus, die 25 julii, 1704, « non eos auctores dicimus quos vendidit emeritus Aristeas. » Harpersius: « Aristeæ fabulæ, nullo idoneo auctore firmatæ, a Judæis et Christianis excogitatæ. » LAMBERT.

(*b*) Aquila, homo semi-Judæus et semi-Christianus, interpretationem suam edidit sub Adriano, circa annum Christi 130, post Septuaginta editionem elapsis annis plus quadringentis. Symmachus proselytus suam sub Aurelio vel sub Severo sequitur, circa annum Christi 200. Theodotion, primo Marcionita et postea Judæus, suam ante Symmachum confecit, non longe a tempore Commodi, circiter annum Christi 180. Hunc Augustinus, Epiphanium aliosque secutus, post Symmachum memorat, ob id forsitan quod in Hexaplis ab Origene posita esset juxta Aquilæ editionem prior Symmachi, et posterior Theodotionis editio. Porro præter quintam editionem inventam Hierichunte, cujus hic meminit Augustinus, celebratur et sexta editio inventa Nicopoli, utraque Hexaplis ab eodem Origene insertis, ut ferunt; quinta et sexta ... sed sexta illa Augustino ignota fuisse videtur.

(*c*) Conf. lib. 2 de Doct. Christ., n. 21 et seqq.

[1] Lov., *græci et latini*. Editi alii et manuscripti non habent, *græci*.

CAPUT XLIV. — *Quid intelligendum sit de Ninivitarum excidio, cujus denuntiatio in hebræo quadraginta dierum spatio tenditur, in Septuaginta autem tridui brevitate concluditur.*

Sed ait aliquis, Quomodo sciam quid Jonas propheta dixerit Ninivitis, utrum *Triduum, et Ninive evertetur*; an, *Quadraginta dies* (*Jonæ* III, 4)? Quis enim non videat non potuisse utrumque tunc dici a Propheta, qui missus fuerat terrere comminatione imminentis exitii civitatem? Cui si tertio die fuerat futurus interitus, non utique quadragesimo die: si autem quadragesimo, non utique tertio. Si ergo a me quæritur, quid horum Jonas dixerit, hoc puto potius quod legitur in hebræo, *Quadraginta dies, et Ninive evertetur*. Septuaginta quippe longe posterius interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret, et in unum eumdemque sensum, quamvis sub altera significatione, concurreret; admoneretque lectorem, utraque auctoritate non spreta, ab historia sese attollere ad ea requirenda, propter quæ significanda historia ipsa conscripta est. Gesta sunt quippe illa in Ninive civitate, sed aliquid etiam significaverunt, quod modum illius civitatis excedat: sicut gestum est, quod ipse Propheta in ventre ceti triduo fuit, et tamen alium significavit in profundo inferni triduo futurum, qui Dominus est omnium Prophetarum. Quapropter si per illam civitatem recte accipitur Ecclesia gentium prophetice figurata, eversa scilicet per pœnitentiam, ut qualis fuerat jam non esset; hoc quoniam per Christum factum est in Ecclesia gentium, cujus illa Ninive figuram gerebat, sive per quadraginta dies, sive per triduum, idem ipse significatus est Christus; per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem, et ascendit in cœlum; per triduum vero, quia die tertio resurrexit: tanquam lectorem nihil aliud quam historiæ rerum gestarum inhærere cupientem, de somno excitaverint Septuaginta interpretes, iidemque Prophetæ, ad perscrutandam altitudinem prophetiæ, et quodammodo dixerint: In quadraginta diebus ipsum quære, in quo et triduum potueris[1] invenire; illud in ascensione, hoc in ejus resurrectione reperies. Propter quod utroque numero significari convenientissime potuit, quorum unum per Jonam prophetam, alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, tamen unus atque idem Spiritus dixit. Longitudinem fugio, ut non hæc per multa demonstrem, in quibus ab hebraica veritate putantur Septuaginta interpretes discrepare, et bene intellecti inveniuntur esse concordes. Unde etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia et ipsi ex utrisque, id est, ex hebræis et ex Septuaginta, testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est. Sed jam quæ restant, ut possumus, exsequamur.

[1] Sic Mss. Editi vero, *poteris*.

CAPUT XLV. — *Quod post instaurationem templi prophetas Judæi habere desierint, et exinde usque ad nativitatem Christi continuis adversitatibus sint afflicti, ut probaretur alterius templi ædificationem propheticis vocibus fuisse promissam.*

1. Posteaquam gens Judæa cœpit non habere Prophetas, procul dubio deterior facta est, eo scilicet tempore, quo se sperabat instaurato templo post captivitatem, quæ fuit in Babylonia, futuram esse meliorem. Sic quippe intelligebat populus ille carnalis, quod prænuntiatum est per Aggæum prophetam dicentem, *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ*. Quod de novo Testamento dictum esse, paulo superius demonstravi, ubi ait aperte Christum promittens, *Et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus* (*Aggæi* II, 10, 8). Quo loco Septuaginta interpretes alium sensum magis corpori quam capiti, hoc est, magis Ecclesiæ quam Christo convenientem prophetica auctoritate dixerunt: *Venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus*, id est homines, de quibus ipse Jesus in Evangelio, *Multi*, inquit, *vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXII, 14). Talibus enim electis gentium, domus Dei ædificatur per Testamentum novum lapidibus vivis, longe gloriosior, quam templum illud fuit, quod a rege Salomone constructum est, et post captivitatem instauratum. Propter hoc ergo nec Prophetas ex illo tempore habuit illa gens, et multis cladibus afflicta est ab alienigenis regibus, ipsisque Romanis, ne hanc Aggæi prophetiam in illa instauratione templi opinaretur impletam.

2. Non multo enim post adveniente Alexandro subjugata est (*a*); quando etsi nulla facta est vastatio, quoniam non sunt ausi ei resistere, et ideo placatum facillime subditi receperunt, non erat tamen gloria tanta domus illius, quanta fuit in suorum regum libera potestate. Hostias sane Alexander immolavit in Dei templo, non ad ejus cultum vera pietate conversus, sed impia vanitate cum diis eum falsis colendum putans. Deinde Ptolemæus Lagi filius, quod supra memoravi, post Alexandri mortem captivos inde in Ægyptum transtulit, quos ejus successor Ptolemæus Philadelphus benevolentissime inde dimisit: per quem factum est, quod paulo ante narravi, ut Septuaginta interpretum Scripturas haberemus. Deinde contriti sunt bellis, quæ in Machabæorum libris explicantur. Post hæc capti a rege Alexandriæ Ptolemæo, qui est appellatus Epiphanes (*b*); inde ab Antiocho rege Syriæ multis et gravissimis malis ad idola colenda compulsi, templumque ipsum repletum sacrilegis superstitionibus gentium, quod tamen dux eorum strenuissimus Judas, qui etiam Machabæus dictus est, Antiochi ducibus pulsis, ab omni illa idololatriæ contaminatione mundavit (*c*).

3. Non autem multo post Alcimus quidam per ambitionem, cum a genere sacerdotali esset alienus, quod nefas erat, pontifex factus est (*d*). Hinc jam post

(*a*) Josephus, lib. 11 Antiq. Jud., cap. 8.
(*b*) Cod. eumd., lib. 12, cap. 3.
(*c*) Ibid., lib. cit. cap. 7, 8 et 1 Machab. VI.
(*d*) 1 Machab. VII, et Josephus, lib. 12 Antiq. Jud., cap. 15.

annos ferme quinquaginta, in quibus eis tamen pax non fuit, quamvis aliqua et prospere gesserint, primus apud eos Aristobulus assumpto diademate, et rex et pontifex factus est (*a*). Antea quippe, ex quo de Babyloniæ captivitate reversi sunt, templumque instauratum est, non reges, sed duces vel principes habuerunt : quamvis et qui rex est, possit dici princeps a principatu imperandi, et dux eo quod sit ductor exercitus ; sed non continuo quicumque principes vel duces sunt, etiam reges dici possunt, quod iste Aristobulus fuit. Cui successit Alexander, etiam ipse rex et pontifex, qui crudeliter in suos regnasse traditur (*b*). Post hunc uxor ejus Alexandra regina Judæorum fuit (*c*), ex cujus tempore et deinceps mala sunt eos secuta graviora. Filii quippe hujus Alexandræ Aristobulus et Hyrcanus inter se de imperio dimicantes, vires adversus Israeliticam gentem provocavere Romanas. Hyrcanus namque ab eis contra fratrem poposcit auxilium (*d*) Tunc jam Roma subjugaverat Africam, subjugaverat Græciam, lateque etiam aliis orbis partibus imperans tanquam se ipsam ferre non valens, sua se quodammodo magnitudine fregerat. Pervenerat quippe ad seditiones domesticas graves, atque inde ad bella socialia, moxque civilia, tantumque se comminuerat atque attriverat, ut ei mutandus reipublicæ status, quo regeretur regibus, immineret. Pompeius ergo populi Romani præclarissimus princeps, Judæam cum exercitu ingressus civitatem capit, templum reserat, non devotione supplicis, sed jure victoris, et ad sancta sanctorum, quo nisi summum sacerdotem non licebat intrare, non ut venerator, sed ut profanator accedit : confirmatoque Hyrcani pontificatu, et subjugatæ genti imposito custode Antipatro, quos tunc procuratores vocabant, vinctum secum Aristobulum ducit (*e*). Ex illo Judæi etiam tributarii Romanorum esse cœperunt. Postea Cassius (*f*) etiam templum exspoliavit. Deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus (*g*). Jam enim venerat plenitudo temporis significata prophetico Spiritu per os patriarchæ Jacob, ubi ait : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Non ergo defuit Judæorum princeps ex Judæis, usque ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam regem. Tempus ergo jam erat, ut veniret ille cui repositum erat, quod novo promissum est Testamento, ut ipse esset exspectatio gentium. Fieri autem non posset, ut exspectarent gentes eum venturum, sicut eum cernimus exspectari, ut veniat ad faciendum judicium in claritate potentiæ, nisi prius in eum crederent, cum venit ad patiendum judicium in humilitate patientiæ.

CAPUT XLVI. — *De ortu Salvatoris nostri, secundum quod Verbum caro factum est ; et de dispersione Judæorum per omnes gentes, sicut fuerat prophetatum.*

Regnante ergo Herode in Judæa, apud Romanos autem jam mutato reipublicæ statu, imperante Cæsare Augusto, et per eum orbe pacato, natus est Christus secundum præcedentem prophetiam (*Michææ* V, 2) in Bethlehem Judæ, homo manifestus ex homine virgine, Deus occultus ex Deo Patre. Sic enim propheta prædixerat : *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14 ; *Matth.* I, 23 ; *Luc.* I, 31). Qui ut in se commendaret Deum, miracula multa fecit ; ex quibus quædam, quantum ad eum prædicandum satis esse visum est, Scriptura evangelica continet. Quorum primum est, quod tam mirabiliter natus est : ultimum autem, quod cum suo resuscitato a mortuis corpore ascendit in cœlum. Judæi autem, qui eum occiderunt, et in eum credere noluerunt, quia oportebat eum mori et resurgere, vastati infelicius a Romanis, funditusque a suo regno, ubi jam eis alienigenæ dominabantur, eradicati dispersique per terras (quandoquidem ubique non desunt[1]), per Scripturas suas testimonio nobis sunt prophetias nos non finxisse de Christo ; quas plurimi eorum considerantes, et ante passionem, et maxime post ejus resurrectionem crediderunt in eum, de quibus prædictum est, *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X, 22). Cæteri vero excæcati sunt, de quibus prædictum est, *Fiat mensa eorum coram ipsis*[2] *in laqueum, et in retributionem, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant ; et dorsum illorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 23 *et* 24). Proinde cum Scripturis nostris non credunt, complentur in eis suæ, quas cæci legunt : nisi forte quis dixerit illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sibyllæ nomine, vel aliorum proferuntur, si quæ sunt, quæ non pertinent ad populum Judæorum (*a*). Nobis quidem illæ sufficiunt, quæ

(*a*) Conf. supra cap. 36.

(*b*) Conf. Josephum, lib. 13 Antiq., cap. 12.

(*c*) Josephus, ibid., cap. 16.

(*d*) Josephus, lib 14, cap. 3 et seqq.

(*e*) Factum hoc anno secundo olympiadis 179, consulibus Marco Tullio Cicerone et Caio Antonio Nepote, ut tradit Josephus, Antiquitatum libro 14, cap. 4, § 3 ; ante Christum natum anno 63. LARCHER.

(*f*) Forte legendum, *Crassus* : nam is cum in Parthos tenderet, spoliavit templum 8000 talentis, id est 43, 200, 000 libris nostræ monetæ. Refert Josephus, Antiquitatum libro 14, cap. 7. Hæc acta sunt anno 53 ante Christum natum. Cassius vero, Cæsare occiso, venit in Syriam et Judææ tributum imperavit 700 talentorum, id est 3,780,000 librarum nostræ monetæ ; anno ante Christum 43. Narrat Josephus, ibidem cap. 11, § 2. LARCHER.

(*g*) Herodes obtinet regnum Judææ ex senatusconsulto, anno ante Christum 40. Christus natus esse creditur anno quarto olympiadis 194, Urbis conditæ 753. Hinc æra Christiana incipit anno sequenti 754. Sed revera natus est anno secundo olympiadis 193, paulo antequam consulatum inirent Decimus Lælius Balbus et Caius Antistius Vetus, anno Urbis conditæ 748, id est quinque annis, novem mensibus et septem diebus ante æram vulgarem. Hinc reformandus auctor libri cui titulus est, *L'art de vérifier les dates*, cui non cautum fuit de ratione olympiadum. Annus secundus olympiadis 193 incepit mense junio, circa solstitium æstivum : ergo sex menses istius secundi anni nondum elapsi erant. Roma autem condita fuit mense octobri, anno tertio olympiadis sextæ, secundum Tarrutium, quem sequitur Varro : vide Petavium, de Doctrina temporum, libro 9, cap. 54. LARCHER.

[1] Editi, *eradicati sunt, dispersique per terras. Quandoquidem ubique non desunt, et per Scripturas suas*, etc. Emendantur ex manuscriptis.

[2] Omittunt, Mss., *coram ipsis*.

(*a*) Male feriati homines inter primos Christianos finxerunt oracula Sibyllarum de Christo. LARCHER.

do nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inviti perhibent eosdem codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur. Nam prophetia in Psalmis, quos etiam legunt, de hac re præmissa est, ubi scriptum est: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*[1], *ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam: disperge eos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 11, 12). Demonstravit ergo Deus Ecclesiæ in ejus inimicis Judæis gratiam misericordiæ suæ, quoniam, sicut dicit Apostolus, delictum illorum, salus gentibus[2] (*Rom.* XI, 11). Et ideo non eos occidit, id est, non in eis perdidit quod sunt Judæi, quamvis a Romanis fuerint devicti et oppressi; ne obliti legem Dei, ad hoc, de quo agimus, testimonium nihil valerent. Ideo parum fuit, ut diceret, *Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam:* nisi etiam adderet, *Disperge eos:* quoniam si cum isto testimonio Scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent, profecto Ecclesia quæ ubique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.

CAPUT XLVII. — *An ante tempora christiana aliqui fuerint extra Israeliticum genus, qui ad cœlestis civitatis consortium pertinerent.*

Quapropter quisquis alienigena, id est, non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in canonem sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum a nobis commemorari potest: non quo necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non incongrue creditur fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, et qui hoc etiam prædicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes, sed per malos angelos docti sunt, quos etiam præsentem Christum, quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos. Nec ipsos Judæos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum, præter Israelitas, ex quo propago Israel esse cœpit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui proprie Dei populus diceretur, nullus alius fuit: homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israelitas supernæ cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de sancto et mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est advena populi Israel fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur (*Job* I; *Ezech.* XIV, 20). Quæ tempora ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israelitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse quam Israel (*a*). Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse qui secundum Deum vixerunt eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem[1]. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum prædestinatos perducat ad Deum. Sed quæcumque aliorum prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratia proferuntur, possunt putari a Christianis esse confictæ. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque faciendos[2], si recte sapuerint, quam ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt codicibus: quibus avulsis de sedibus propriis, et propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi usquequaque crevit Ecclesia.

CAPUT XLVIII. — *Prophetiam Aggæi, qua dixit majorem futuram gloriam domus Dei, quam primum fuisset, non in reædificatione templi, sed in Ecclesia Christi esse completam.*

Hæc domus Dei majoris est gloriæ, quam fuerat illa prima lignis et lapidibus, cæterisque pretiosis rebus metallisque constructa. Non itaque Aggæi prophetia in templi illius instauratione completa est. Ex quo enim instauratum est, nunquam ostenditur habuisse tantam gloriam, quantam habuit tempore Salomonis: imo potius ostenditur primum cessatione prophetiæ fuisse domus illius gloriam diminutam, deinde ipsius gentis cladibus tantis usque ad ultimum excidium, quod factum est a Romanis, sicut ea quæ supra sunt commemorata testantur (*b*). Hæc autem domus ad novum pertinens Testamentum, tanto utique majoris est gloriæ, quanto meliores sunt lapides vivi, quibus credentibus renovatisque construitur. Sed ideo per instaurationem templi illius significata est, quia ipsa renovatio illius ædificii significat eloquio prophetico alterum Testamentum, quod appellatur novum. Quod ergo Deus dixit per memoratum prophetam, *Et dabo pacem in loco isto* (*Aggæi* II, 10); per significantem locum, ille qui eo significatur, intelligendus est: ut quia illo loco instaurato significata est Ecclesia, quæ fuerat ædificanda per Christum, nihil aliud accipiatur, quod dictum est, *Dabo pacem in loco isto;* nisi, Dabo pacem in loco, quem signifi-

[1] Editi, *de inimicis meis.* At Mss., *in inimicis meis;* juxta græcum septuaginta.

[2] Vind. Am. Er., *salus est in gentibus.* Manuscripti non habent, *est in.*

[1] Nonnulli Mss., *Israel.*

[2] Editi, *nostrosque fulciendos.* Aptius, nisi fallimur, quod omnes habent manuscripti, *nostrosque faciendos.*

(*a*) Vide Euseb. lib. 1 Demonstr. evang., capp. 5 et 6.

(*b*) Nihilominus hæc prophetia potest intelligi secundum sensum proprium. Nam dicit Aggæus, *Implebo domum istam gloria*, ob Christi Redemptoris præsentiam, qui in illo templo frequenter versatus est. LARCHER.

cat locus iste. Quoniam omnia significantia videntur quodammodo earum rerum, quas significant, sustinere personas : sicut dictum est ab Apostolo, *Petra erat Christus* (I *Cor.* x, 4); quoniam petra illa, de qua hoc dictum est, significabat utique Christum. Major est itaque gloria domus hujus novi Testamenti, quam domus prioris veteris Testamenti : et tunc apparebit major, cum dedicabitur. Tunc enim *veniet Desideratus cunctis gentibus* (*Aggæi* II, 8), sicut legitur in Hebræo. Nam prius ejus adventus nondum erat desideratus omnibus gentibus. Non enim quem deberent desiderare, sciebant, in quem non crediderant. Tunc etiam secundum Septuaginta interpretes (quia et ipse propheticus sensus est), *venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus.* Tunc enim vere non venient nisi electa, de quibus dicit Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4). Ipse quippe architectus, qui dixit, *Multi vocati, pauci autem electi* (*Matth.* XXII, 14), non de his [1] qui vocati sic venerunt, ut de convivio projicerentur, sed de electis demonstraturus est ædificatam domum, quæ nullam deinceps formidabit ruinam. Nunc autem, quando et hi replent ecclesias, quos tanquam in area ventilatio separabit, non apparet tanta gloria domus hujus, quanta tunc apparebit, quando quisquis ibi erit, semper erit.

CAPUT XLIX. — *De indiscreta* [2] *multiplicatione Ecclesiæ, qua in hoc sæculo multi reprobi miscentur electis.*

In hoc ergo maligno sæculo, in his diebus malis, ubi per humilitatem præsentem futuram comparat Ecclesia celsitudinem, et timorum stimulis, dolorum tormentis, laborum molestiis, tentationum periculis eruditur, sola spe gaudens, quando sanum gaudet, multi reprobi miscentur bonis; et utrique tanquam in sagenam evangelicam colliguntur (*Id.* XIII, 47); et in hoc mundo, tanquam in mari, utrique inclusi retibus indiscrete natant, donec perveniatur ad littus, ubi mali segregentur a bonis, et in bonis tanquam in templo suo, sit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28). Proinde vocem nunc agnoscimus ejus impleri, qui loquebatur in Psalmo, atque dicebat, *Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6). Hoc fit nunc, ex quo primum per os præcursoris sui Joannis, deinde per os proprium annuntiavit, et locutus est, dicens, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2; IV, 17). Elegit discipulos, quos et Apostolos nominavit (*Luc.* VI, 13), humiliter natos, inhonoratos, illitteratos; ut quidquid magnum essent et facerent, ipse in eis esset et faceret. Habuit inter eos unum, quo malo utens bene, et suæ passionis dispositum impleret, et Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. Seminato, quantum per ejus oportebat præsentiam corporalem, sancto Evangelio, passus est, mortuus est, resurrexit : passione ostendens quid sustinere pro veritate, resurrectione quid sperare in æternitate debeamus; excepta altitudine sacramenti, qua sanguis ejus in remissionem peccatorum fusus est. Conversatus est in terra quadraginta dies cum discipulis suis, atque ipsis videntibus ascendit in cœlum, et post dies decem misit promissum Spiritum sanctum [1] : cujus venientis in eos qui crediderant, tunc signum erat maximum et maxime necessarium, ut unusquisque eorum linguis omnium gentium loqueretur : ita significans unitatem catholicæ Ecclesiæ per omnes gentes futuram, ac sic linguis omnibus locuturam.

CAPUT L. — *De prædicatione Evangelii, quæ per passiones prædicantium clarior et potentior facta est.*

Deinde secundum illam prophetiam, *Ex Sion lex prodiet, et verbum Domini ex Jerusalem* (*Isai.* II, 3): et secundum ipsius Domini Christi prædicta, ubi post resurrectionem stupentibus cum discipulis suis *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis, Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertio die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46, 47); et ubi rursus eis de adventu ejus novissimo requirentibus respondit, atque ait, *Non est vestrum scire tempora vel momenta* [2], *quæ Pater posuit in sua potestate : sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judæa et Samaria, et usque in fines terræ* (*Act.* I, 7, 8) : primum se ab Jerusalem diffudit Ecclesia, et cum in Judæa atque Samaria plurimi credidissent, et in alias gentes itum est, eis annuntiantibus Evangelium, quos ipse, sicut luminaria, et aptaverat verbo, et accenderat Spiritu sancto. Dixerat enim eis, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28). Qui ut frigidi timore non essent, igne charitatis ardebant. Denique per ipsos, non solum qui eum et ante passionem et post resurrectionem viderant et audierant, verum etiam post obitum eorum per posteros eorum, inter horrendas persecutiones et varios cruciatus ac funera martyrum prædicatum est toto orbe Evangelium, contestante Deo signis, et ostentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti muneribus : ut populi gentium credentes in eum, qui pro eorum redemptione crucifixus est, christiano amore venerarentur sanguinem martyrum, quem diabolico furore fuderunt; ipsique reges, quorum legibus vastabatur Ecclesia, ei nomini salubriter subderentur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt, et falsos deos inciperent persequi, quorum causa cultores Dei veri fuerant antea persecuti.

CAPUT LI. — *Quod etiam per hæreticorum dissensiones fides catholica roboretur.*

1. Videns autem diabolus templa dæmonum deseri, et in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub vocabulo chri-

[1] [illegible] non de his autem. Abest, dixit, a manuscriptis.
[2] In Mss. nihil autem, [illegible]

[1] Editi addunt, *Petrus est*; non autem veteres libri.
[2] In Mss. non est, *vel momenta*.

stiano doctrinæ resisterent christianæ, quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in civitate Dei, sicut civitas confusionis indifferenter habuit philosophos inter se diversa et adversa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt; hæretici fiunt, et foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Etiam sic quippe veris illis catholicis membris Christi malo suo prosunt, dum Deus utitur et malis bene, et diligentibus eum omnia cooperantur [1] in bonum (*Rom.* VIII, 28). Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur vel malitia depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam; si tantummodo male sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam; ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficentiam, sive suadibili [2] doctrina cum eis agatur, sive terribili disciplina. Ac per hoc diabolus princeps impiæ civitatis, adversus peregrinantem in hoc mundo civitatem Dei vasa propria commovendo, nihil ei nocere permittitur. Cui procul dubio et rebus prosperis consolatio, ut non frangatur adversis; et rebus adversus exercitatio, ut non corrumpatur prosperis, per divinam providentiam procuratur: atque ita temperatur utrumque ab alterutro, ut in Psalmo illam vocem non aliunde agnoscamus exortam, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ jucundaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII, 19). Hinc est et illud Apostoli, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12).

2. Nam et id, quod ait idem doctor, *Quicumque volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur* [3] (II *Tim.* III, 12), nullis putandum est deesse posse temporibus. Quia et cum ab eis qui foris sunt non sævientibus, videtur esse tranquillitas, et revera est [4], plurimumque consolationis affert, maxime infirmis; non tamen desunt, imo multi sunt intus, qui corda pie viventium suis perditis moribus cruciant: quoniam per eos blasphematur christianum et catholicum nomen: quod quanto est charius eis, qui volunt pie vivere in Christo, tanto magis dolent, quod per malos intus positos fit, ut minus quam piorum mentes desiderant, diligatur. Ipsi quoque hæretici, cum cogitantur habere nomen [5] et sacramenta christiana, et Scripturas, et professionem, magnum dolorem faciunt in cordibus piorum: quia et multi volentes esse Christiani, propter eorum dissensiones hæsitare coguntur, et multi maledici etiam in his inveniunt materiam blasphemandi Christianum nomen, quia et ipsi quoquo modo Christiani appellantur. His atque hujusmodi pravis moribus et erroribus hominum persecutionem patiuntur qui volunt in Christo pie vivere, etiam nullo infestante neque vexante corpus illorum. Patiuntur quippe hanc persecutionem non in corporibus, sed in cordibus. Unde illa vox est, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo.* Non enim ait, In corpore meo. Sed rursus quoniam cogitantur immutabilia divina promissa, et quod ait Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19): *Quos enim præscivit, et prædestinavit conformes* [1] *imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII, 29); ex eis perire nullus potest; ideo sequitur in illo psalmo, *Consolationes tuæ jucundaverunt animam meam.* Dolor autem ipse, qui fit in cordibus piorum, quos persequuntur mores Christianorum malorum sive falsorum, prodest dolentibus; quoniam de charitate descendit, qua eos perire nolunt, nec impedire aliorum salutem. Denique magnæ consolationes fiunt etiam de correctionibus eorum, quæ piorum animas tanta jucunditate perfundunt, quantis doloribus de sua perditione cruciaverunt. Sic in hoc sæculo, in his diebus malis, non solum a tempore corporalis præsentiæ Christi et Apostolorum ejus, sed ab ipso Abel, quem primum justum impius frater occidit, et deinceps usque in hujus sæculi finem, inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit Ecclesia.

CAPUT LII. — *An credendum sit, quod quidam putant, impletis decem persecutionibus quæ fuerunt, nullam jam superesse præter undecimam, quæ in ipso Antechristi tempore sit futura.*

1. Proinde ne illud quidem temere puto esse dicendum, sive credendum, quod nonnullis visum est, vel videtur, non amplius Ecclesiam passuram persecutiones usque ad tempus Antichristi, quam quot jam passa est, id est decem, ut undecima eademque novissima sit ab Antichristo. Primam quippe computant a Nerone quæ facta est [2], secundam a Domitiano, a Trajano tertiam, quartam ab Antonino, a Severo quintam, sextam a Maximino, a Decio septimam, octavam a Valeriano, ab Aureliano nonam, decimam a Diocletiano et Maximiano (*a*). Plagas enim Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei; putant ad hunc intellectum esse referendas, ut novissima Antichristi persecutio, similis videatur undecimæ plagæ, qua Ægyptii, dum hostiliter sequerentur Hebræos, in mari Rubro, populo Dei per siccum transeunte,

[1] Plures et probæ notæ Mss., *cooperatur*. Alludit ad locum Apostoli, Rom. VIII, 28, ubi græce est, *sunergeî*: quod utrolibet modo verti potest, referendo ad *Theon*, vel ad *panta*.

[2] Sic Mss. Editi autem, *suasibili*.

[3] *Patiuntur*, juxta codd. nostros, excepto 2030. M.

[4] Fr. et aliquot Mss., *et revera utile est*.

[5] Editi., *cum christianum cogitantur habere nomen*. Abest *christianum* a Mss.

[1] Editi, *conformes fieri*. Verbum, *fieri*, non est in manuscriptis nec in græco textu Apostoli.

[2] Vind. Am. et aliquot manuscripti omittunt, *quæ facta est*.

(*a*) Prima persecutio sub Nerone, anno Christi 64; secunda sub Domitiano, anno 95; tertia sub Trajano, anno 107; quarta sub Adriano, anno 118, vel potius sub Antonino, anno 162; quinta sub Severo, anno 202; sexta sub Maximino, anno 235; septima sub Decio, anno 250; octava sub Valeriano, anno 257; nona sub Aureliano, anno 272; decima sub Diocletiano et Maximiano, anno 302, LARCHER.

perierunt (a). Sed ego illa re gesta in Ægypto, istas persecutiones prophetice significatas esse non arbitror: quamvis ab eis, qui hoc putant, exquisite et ingeniose illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico Spiritu, sed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.

2. Quid enim, qui hoc sentiunt, dicturi sunt de persecutione, qua ipse Dominus crucifixus est? in quo eam numero posituri? Si autem hac excepta existimant computandum, tanquam illæ numerandæ sint, quæ ad corpus pertinent, non qua ipsum caput est appetitum et occisum; quid agent de illa, quæ, posteaquam Christus ascendit ad cœlum, Jerosolymis facta est, ubi beatus Stephanus lapidatus est, ubi Jacobus frater Joannis gladio trucidatus est, ubi apostolus Petrus ut occideretur inclusus et per Angelum liberatus, ubi fugati atque dispersi de Jerosolymis fratres, ubi Saulus, qui postea Paulus apostolus factus est, vastabat Ecclesiam; ubi ipse quoque jam fidem, quam persequebatur, evangelizans, qualia faciebat, est passus, sive per Judæam, sive per alias gentes, quacumque Christum ferventissimus prædicabat? Cur ergo eis a Nerone videtur ordiendum, cum ad Neronis tempora inter atrocissimas persecutiones, de quibus nimis longum est cuncta dicere, Ecclesia crescendo pervenerit? Quod si a regibus factas persecutiones in numero existimant esse debere; rex fuit Herodes, qui etiam post ascensum Domini gravissimam fecit. Deinde quid respondent etiam de Juliano, quem non numerant in decem? An ipse non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales litteras docere ac discere vetuit? Sub quo Valentinianus major, qui post eum tertius imperator fuit, fidei christianæ confessor exstitit, militiaque privatus est (b). Ut omittam quæ apud Antiochiam facere cœperat, nisi unius fidelissimi et constantissimi juvenis, qui multis, ut torquerentur, apprehensis, per totum diem primus est tortus, inter ungulas cruciatusque psallentis libertatem atque hilaritatem miratus horruisset et in cæteris deformius erubescere timuisset (c). Postremo nostra memoria Valens supradicti Valentiniani frater Arianus, nonne magna persecutione per Orientis partes catholicam vastavit Ecclesiam (a)? Quale est autem, non considerare, Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem posse in aliquibus gentibus persecutionem pati a regibus, et quando in aliis non patitur? Nisi forte non est persecutio computanda, quando rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt: sicut a quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, et se ista vidisse incunctanter recordabantur, audivimus (b)? Quid modo in Perside (c)? nonne ita in Christianos ferbuit persecutio (si tamen jam quievit), ut fugientes inde nonnulli usque ad Romana oppida pervenerint? Hæc atque hujusmodi mihi cogitanti, non videtur esse definiendus numerus persecutionum, quibus exerceri oportet Ecclesiam. Sed rursus affirmare aliquas futuras a regibus, præter illam novissimam, de qua nullus ambigit Christianus, non minoris est temeritatis. Itaque hoc in medio relinquimus, neutram partem quæstionis hujus astruentes, sive destruentes, sed tantummodo ab affirmandi quodlibet horum audaci præsumptione revocantes.

CAPUT LIII. *De tempore novissimæ persecutionis occulto.*

1. Illam sane novissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsentia sua ipse exstinguet Jesus. Sic enim scriptum est, quod *eum interficiet spiritu oris sui, et evacuabit illuminatione præsentiæ suæ* (II *Thess.* II, 8). Hic quæri solet, Quando istud erit? Importune omnino. Si enim hoc nobis nosse prodesset, a quo melius quam ab ipso Deo magistro interrogantibus discipulis diceretur? Non enim siluerunt inde apud eum; sed a præsente quæsierunt, dicentes: *Domine, si hoc tempore præsentaberis, et quando regnum Israel* [1]? At ille: *Non est*, inquit, *vestrum scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate* (*Act.* I, 6, 7). Non utique illi de hora, vel die, vel annos, sed de tempore interrogaverunt, quando istud accepere responsum. Frustra igitur annos, qui huic sæculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non

(a) Sic putant Orosius, lib. 7 Hist., cap. 27, necnon Sulpicius Severus Hist. sacr. lib. 2, cap. 33.

(b) Julianus Apostata arcebat ritus christianos docere magistros rhetoricos et grammaticos, teste Ammiano, libro 22, cap. 10, sub finem. De Valentiniano privato militia vide Socratem, Historiæ Ecclesiasticæ libro 3, cap. 13. [illegible]. — Conf. Ammianum, lib. 26, cap. 10, sub fin.; Eutropium et alios.

(c) Cum jussi a Juliano Christiani sepulcrum Babylæ martyris alio transferre, psalmum audiente Principe canerent, cujus est initium, *In exitu Israel de Ægypto* (Psal. CXIII, 1), accensus Julianus duci eos frequentes postridie et torqueri jussit. Sallustius erat præfectus, cui negotium mandaverat, primumque Theodorum quemdam juvenem arripuit: cui variis tormentorum generibus admotis, juvenis fronte alacri atque hilari ab initio lucis ad horam undecimam perstitit, hymnum psalmumque suavissime cantillans quem pridie cecinerat Ecclesia. Quod ubi Sallustius vidit, reddi custodiæ imperavit, et ipse ad Principem admirabundus pervenit, dehortans ne torquere Christianos pergeret, illis gloriam, ipsi principi ignominiam deferens, plenum futurum, et ex hoc re audita, Julianus ab incepto destitit. Tum Theodorum Ruffinus testificatur se Antiochiæ convenisse, quæsivisse an in cruciatibus doluisset? Minime vero, respondit ... juvenis in alba veste,
« qui subinde frigidam mihi suffundebat, et sudorem sudario candidissimo detergebat; ita ut grave potius fuerit « cum illinc detraheret. » Macte esto, tam admiranda virtute juvenis, memoria sæculorum omnium dignissime, nobisque propitius et benignus effice, ut æmulari te et juvenes et et senes exoptemus. Lud. Vives.

[1] Editi, *si hoc in tempore repræsentabis regnum Israel?* Sed Augustinus, ut alibi jam est observatum legere solet, *si hoc tempore præsentaberis, et quando regnum Israel?* Et sic habet hoc loco liber optimæ notæ Colbertinus.

(a) Conf. Socratem, Hist. eccl. lib. 4, cap. 2, et Oros. lib. 7, cap. 33. Vide etiam Augustinum lib. 2 contra Litt. Petil. n. 205.

(b) Athanarici regis Gothorum notat persecutionem anno Domini 370 in Christianos motam, de qua Hieronymus in Chronico, et Orosius lib. 7, cap. 32. De eadem loquitur Epiphanius, Hæresi 70. Coquæus.

(c) Hæc persecutio commota est circa annum Christi 420, sub Isdigerde rege Persarum, ut scribit Theodoretus, lib. 5, Hist. eccles. cap. 38, vel potius sub Vararane ejus filio, ut Socrates, lib. 7, cap. 18, et Nicephorus, lib. 14, cap. 19. De eadem persecutione Cassiodorus, lib. 10 Hist. tripart. cap. 30.

esse nostrum ex ore Veritatis audiamus. Quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab ascensione Domini usque ad ejus ultimum adventum compleri posse dixerunt. Quemadmodum autem quisque eorum astruat opinionem suam, longum est demonstrare, et non necessarium. Conjecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum aliquid de Scripturæ canonicæ auctoritate profertur. Omnium vero de hac re calculantium digitos resolvit (*a*) et quiescere jubet ille qui dicit: *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate.*

2. Sed hæc quia evangelica sententia est, mirum non est non ea repressos fuisse deorum multorum falsorumque cultores, quominus fingerent dæmonum responsis, quos tanquam deos colunt, definitum esse quanto tempore mansura esset religio christiana. Cum enim viderent, nec tot tantisque persecutionibus eam potuisse consumi, sed his potius mira incrementa sumpsisse, excogitaverunt nescio quos versus græcos, tanquam consulenti cuidam, divino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab hujus tanquam sacrilegii crimine faciunt innocentem; Petrum autem maleficiis fecisse [1] subjungunt, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem (*b*). O hominum corda doctorum! o ingenia litterata [2] digna credere ista de Christo, quæ credere non vultis in Christum, quod ejus discipulus Petrus ab eo magicas artes non didicerit, sed ipso innocente tamen ejus maleficus fuerit [3] nomenque illius, quam suum, coli maluerit magicis artibus suis, magnis laboribus et periculis suis, postremo etiam effusione sanguinis sui! Si Petrus maleficus fecit, ut Christum sic diligeret mundus; quid fecit innocens Christus, ut eum sic diligeret Petrus? Respondeant igitur ipsi sibi, et si possunt, intelligant illa superna gratia factum esse, ut propter æternam vitam Christum diligeret mundus, qua gratia factum est, ut et propter æternam vitam ab illo accipiendam et usque ad temporariam mortem pro illo patiendam [4] Christum diligeret Petrus. Deinde isti dii qui sunt, qui possunt ista prædicere, nec possunt avertere, ita succumbentes uni malefico, et uni sceleri magico, quo puer, ut dicunt, anniculus occisus, et dilaniatus, et ritu nefario sepultus est (*c*), ut sectam sibi adversariam tam prolixo tempore convalescere, tot tantarumque persecutionum horrendas crudelitates, non resistendo sed patiendo superare, et ad idolorum simulacrorum, templorum, sacrorum, oraculorum eversionem pervenire permitterent? Quis postremo est deus, non noster utique, sed ipsorum, qui vel illectus tanto scelere vel impulsus est ista præstare? Non enim alicui dæmoni, sed deo dicunt illi versus hoc Petrum arte magica definisse. Talem deum habent, qui Christum non habent.

CAPUT LIV. — *De stultissimo mendacio Paganorum, quo christianam religionem non ultra trecentos sexaginta quinque annos mansuram esse finxerunt.*

1. Hæc atque hujusmodi multa colligerem, si nondum annus ipse transisset, quem divinatio ficta promisit, et decepta vanitas credidit. Cum vero ex quo nominis Christi cultus per ejus in carne præsentiam et per Apostolos institutus est, ante aliquot annos anni trecenti sexaginta quinque completi sint, quid aliud quærimus, unde ista falsitas refellatur? Ut enim in Christi nativitate hujus rei non ponamus initium, quia infans et puer discipulos non habebat, tamen quando habere cœpit, procul dubio tunc innotuit per ejus corporalem præsentiam doctrina et religio christiana, id est, posteaquam in fluvio Jordane ministerio Joannis est baptizatus. Propter hoc enim de illo prophetia illa præcesserat, *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ* (*Psal.* LXXI, 8). Sed quoniam priusquam passus esset et resurrexisset a mortuis, nondum fides omnibus fuerat definita; in resurrectione quippe Christi definita est (nam sic apostolus Paulus Atheniensibus loquitur dicens, *Jam nunc annuntiat hominibus, omnes ubique agere pœnitentiam, eo quod statuit diem, judicare orbem in æquitate, in viro, in quo definivit fidem omnibus, resuscitans illum a mortuis* [*Act.* XVII, 30 *et* 31]): melius in hac quæstione solvenda inde initium sumimus; præsertim quia tunc datus est etiam Spiritus sanctus, sicut eum dari post resurrectionem Christi oportebat in ea civitate, ex qua debuit incipere lex secunda, hoc est Testamentum novum. Prima enim fuit ex monte Sina per Moysen, quod Testamentum vocatur vetus. De hac autem quæ per Christum danda erat, prædictum est, *Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini ex Jerusalem* (*Isai.* II, 3). Unde et ipse per omnes gentes dixit prædicari oportere in nomine suo pœnitentiam, sed tamen incipientibus ab Jerusalem (*Luc.* XXIV, 47). Ibi ergo exorsus est hujus nominis cultus, ut in Christum Jesum, qui crucifixus fuerat et resurrexerat, crederetur: ibi hæc fides tam insignibus initiis incanduit [1], ut aliquot hominum millia in Christi nomen mirabili alacritate conversa, venditis suis rebus ut egenis distribuerentur, proposito sancto et ardentissima charitate ad paupertatem voluntariam pervenirent, atque inter frementes et sanguinem sitientes Judæos, se usque ad mortem pro veritate certare, non armata potentia, sed potentiore patientia præpararent. Hoc si nullis magicis artibus factum

[1] Sic aliquot manuscripti. At editi, *maleficia fecisse.*
[2] In sola editione Lov., *litteratorum*, pro, *litterata.*
[3] Editi, *ejus discipulus maleficus fuerit.* Abest, *discipulus*, a manuscriptis.
[4] Codex 258, *capiendam.* M.

(*a*) De ratione digitis computandi vide Herodotum, lib. 6, cap. 63; Plinium, Historiæ naturalis libro 34, cap. 7; Juvenalem, Satira 10, vers. 248; Alexandrum ab Alexandro, lib. 1, cap. 14, pag. 114. LARCHER.

(*b*) Baronius hoc refert ad annum Domini 313. Simile habes oraculum a quodam pagano confictum apud Prosperum, parte 3 de Prædictionibus, cap. 38, COQUÆUS.

(*c*) Infanticidia solita objici Christianis ostendit Tertullianus in Apologetico, paulo post initium, ubi id crimen falsissimum atque impudentissimum purgat. Quanquam Cataphryges et Pepuziani, duo hominum genera hæresis cumprimis perditæ ac desperatæ, infantis tenellum corpus soliti erant per omnia membra compungere, ut sic expresso sanguine farina maceraretur, qua conficerent panem in Eucharistiæ usum, ut Augustinus narrat in libro de Hæresibus, hær. 26 et 27. LUD. VIVES.

[1] Lov., *incaluit* : dissentientibus editis aliis et manuscriptis.

est, cur credere dubitant, eadem virtute divina per totum mundum id fieri potuisse qua hoc factum est? Si autem ut Jerosolymis sic ad cultum nominis Christi accenderetur tanta hominum multitudo, quæ illum in cruce, vel fixerat prensum, vel riserat fixum, jam maleficium illud fecerat Petrus, ex ipso anno quærendum est, quando trecenti sexaginta quinque completi sunt. Mortuus est ergo Christus duobus Geminis consulibus, octavo kalendas aprilis (*a*). Resurrexit tertia die, sicut Apostoli suis [1] etiam sensibus probaverunt. Deinde post quadraginta dies ascendit in cœlum: post decem dies, id est quinquagesimo post suam resurrectionem die, misit Spiritum sanctum. Tunc tria millia hominum Apostolis eum prædicantibus crediderunt. Tunc itaque nominis illius cultus exortus est, sicut nos credimus, et veritas habet, efficacia Spiritus sancti; sicut autem finxit vanitas impia vel putavit, magicis artibus Petri. Paulo post etiam signo mirabili facto, quando ad verbum ipsius Petri quidam mendicus ab utero matris ita claudus, ut ab aliis portaretur, et ad portam templi, ubi stipem peteret, poneretur, in nomine Jesu Christi salvus exsilivit, quinque millia hominum crediderunt: ac deinde aliis atque aliis accessibus credentium crevit Ecclesia. Ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipse sumpsit initium, scilicet quando missus est Spiritus sanctus, id est, per idus maias. Numeratis proinde consulibus, trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti per easdem idus, consulatu Honorii et Eutychiani. Porro sequenti anno, consule Mallio Theodoro, quando jam secundum illud oraculum dæmonum aut figmentum hominum nulla esse debuit religio christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere. Interim quod scimus in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africæ Gaudentius et Jovius comites imperatoris Honorii, quarto decimo kalendas aprilis falsorum deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt. Ex quo usque ad hoc tempus per triginta ferme annos (*a*) quis non videat quantum creverit cultus nominis Christi, præsertim postea quam multi eorum Christiani facti sunt, qui tanquam vera illa divinatione revocabantur a fide, eamque completo eodem annorum numero inanem ridendamque viderunt? Nos ergo qui sumus vocamurque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus; Petri de Christo ædificati sermonibus, non carminibus venenati; nec decepti maleficiis, sed beneficiis ejus adjuti. Ille Petri magister Christus in doctrina, quæ ad vitam ducit æternam, ipse est et magister noster.

2. Sed aliquando jam concludamus hunc librum, hucusque disserentes, et quantum satis visum est demonstrantes, quisnam sit duarum civitatum, cœlestis atque terrenæ, ab initio usque in finem permixtarum mortalis excursus. Quarum illa quæ terrena est, fecit sibi quos voluit, vel undecumque, vel etiam ex hominibus falsos deos, quibus sacrificando serviret: illa autem quæ cœlestis peregrinatur in terra, falsos deos non facit, sed a vero Deo ipsa fit, cujus verum sacrificium ipsa sit. Ambæ tamen temporalibus vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter affliguntur, diversa fide, diversa spe, diverso amore, donec ultimo judicio separentur, et percipiat unaquæque suum finem, cujus nullus est finis: de quibus ambarum finibus deinceps disserendum est.

[1] Vind. Am. et plures Mss., *Apostoli sui*.

(*a*) Tertullianus, libro contra Judæos, cap. 8: «Tiberius,» inquit, «Cæsar imperium habuit annis viginti duobus, mensibus septem, diebus viginti: hujus quinto decimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta cum pateretur [illegible] Lib. 4 Instit., cap. 10 [illegible] vere majus [illegible] assenit [illegible] Lib. 4 de Trinitate [illegible] in sermone de [illegible] lib. 22, cap. 12 [illegible]

(*a*) Leonardus Coqueus in hunc locum, «Ad annum,» ait, «usque Christi 425 [illegible] Theodosii 22 [illegible] qualtuor, quemadmodum intelligitur infra, lib. 22, cap. 8.

LIBER DECIMUS NONUS.

In quo de finibus utriusque civitatis, terrenæ ac cœlestis, disputatur. Recensentur de bonorum et malorum finibus opiniones philosophorum, qui beatitudinem in hac vita facere sibi ipsi frustra conati sunt; eaque dum operosius refelluntur, ipsius civitatis cœlestis, seu populi christiani beatitudo et pax quænam sit, qualis vel hic haberi, vel in futurum sperari possit, demonstratur.

CAPUT PRIMUM. — *Quod in quæstione, quam de finibus bonorum et malorum philosophica disputatio ventilavit, ducentas octoginta et octo sectas esse posse Varro perspexerit.*

1. Quoniam de civitatis utriusque, terrenæ scilicet et cœlestis, debitis finibus deinceps mihi video disputandum; prius exponenda sunt, quantum operis hujus terminandi ratio patitur, argumenta mortalium, quibus sibi ipsi beatitudinem facere in hujus vitæ infelicitate moliti sunt, ut ab eorum rebus vanis spes nostra quid differat, quam Deus nobis dedit, et res ipsa, hoc est vera beatitudo quam dabit, non tantum auctoritate divina, sed adhibita etiam ratione, qualem propter infideles possumus adhibere, clarescat. De finibus enim bonorum et malorum multa et multipliciter inter se philosophi disputarunt: quam quæstionem maxima intentione versantes, invenire conati sunt quid efficiat hominem beatum. Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum: et illud finis mali, propter quod vitanda sunt cætera, ipsum autem propter se ipsum. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo consumatur, ut non sit, sed quo perficiatur, ut plenum sit; et finem mali, non quo esse desinat, sed quo usque nocendo perducat. Fines itaque isti sunt, summum bonum, et summum malum. De quibus inveniendis, atque in hac vita summo bono adipiscendo, vitando autem summo malo, multum, sicut dixi, laboraverunt, qui studium sapientiæ in hujus sæculi vanitate professi sunt: nec tamen eos, quamvis diversis errantes modis naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent et malorum. Ex qua tripartita velut generalium distributione sectarum, Marcus Varro in libro de Philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter et subtiliter scrutatus advertit, ut ad ducentas octoginta octo sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime perveniret.

2. Quod ut breviter ostendam, inde oportet incipiam, quod ipse advertit, et posuit in libro memorato: quatuor esse quædam, quæ homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quæ virtus dicitur, et procul dubio discitur, velut naturaliter appetunt; aut voluptatem, qua delectabiliter movetur corporis sensus; aut quietem, qua fit ut nullam molestiam quisque corporis patiatur; aut utramque, quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat; aut universaliter prima naturæ, in quibus et hæc sunt, et alia, vel in corpore, ut membrorum integritas, et salus atque incolumitas ejus; vel in animo, ut sunt ea quæ vel parva, vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Hæc igitur quatuor, id est, voluptas, quies, utrumque, prima naturæ, ita sunt in nobis, ut vel virtus, quam postea doctrina inserit, propter hæc appetenda sit, aut ista propter virtutem, aut utraque propter se ipsa: ac per hoc fiunt hinc duodecim sectæ: per hanc enim rationem singulæ triplicantur; quod cum in una demonstravero, difficile non erit id in cæteris invenire. Cum ergo voluptas corporis animi virtuti aut subditur, aut præfertur, aut jungitur, tripartita variatur diversitate sectarum. Subditur autem virtuti, quando in usum virtutis assumitur. Pertinet quippe ad virtutis officium, et vivere patriæ, et propter patriam filios procreare: quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate. Nam sine illa nec cibus potusque sumitur, ut vivatur; nec concumbitur, ut generatio propagetur. Cum vero præfertur virtuti, ipsa appetitur propter se ipsam, virtus autem assumenda creditur propter illam, id est, ut nihil virtus agat, nisi ad consequendam vel conservandam corporis voluptatem: quæ vita deformis est quidem, quippe ubi virtus servit dominæ voluptati; quamvis nullo modo hæc dicenda sit virtus: sed tamen etiam ista horribilis turpitudo quosdam philosophos patronos et defensores suos habuit. Virtuti porro voluptas jungitur, quando neutra earum propter alteram, sed propter se ipsas ambæ appetuntur. Quapropter sicut voluptas vel subdita, vel prælata, vel juncta virtuti, tres sectas facit: ita quies, ita utrumque, ita prima naturæ alias ternas inveniuntur efficere. Pro varietate quippe humanarum opinionum virtuti aliquando subduntur, aliquando præferuntur, aliquando junguntur, ac sic ad duodenariam sectarum numerum pervenitur. Sed iste quoque numerus duplicatur adhibita una differentia, socialis videlicet vitæ: quoniam quisquis sectatur aliquam istarum duodecim sectarum, profecto aut propter se tantum id agit, aut etiam propter socium, cui debet hoc velle quod sibi. Quocirca duodecim sunt eorum, qui propter se tantum unamquamque tenendam putant; et aliæ duodecim eorum, qui non solum propter se sic vel sic philosophandum esse decernunt, sed etiam propter alios, quorum bonum appetunt sicut suum. Hæ autem sectæ viginti quatuor iterum geminantur, addita differentia ex Academicis novis (*a*), et fiunt quadraginta octo. Harum quippe viginti quatuor unamquamque sectarum potest quisque sic tenere ac defendere ut

(*a*) Vid. paulo infra, n. 3.

certam, quemadmodum defenderunt Stoici, quod hominis bonum, quo beatus esset, in animi tantummodo virtute consisteret : potest alius ut incertam, sicut defenderunt Academici novi, quod eis etsi non certum, tamen verisimile videbatur. Viginti quatuor ergo fiunt per eos, qui eas velut certas propter veritatem, et aliæ viginti quatuor per eos, qui easdem quamvis incertas propter verisimilitudinem sequendas putant. Rursus, quia unamquamque istarum quadraginta octo sectarum potest quisque sequi habitu cæterorum philosophorum, itemque potest alius habitu Cynicorum, ex hac etiam differentia duplicantur, et nonaginta sex fiunt. Deinde quia earum singulas quasque ita tueri homines possunt atque sectari, ut aut otiosam diligant vitam, sicut hi qui tantummodo studiis doctrinæ vacare voluerunt atque valuerunt; aut negotiosam, sicut hi qui cum philosopharentur, tamen administratione reipublicæ regendisque rebus humanis occupatissimi fuerunt; aut ex utroque genere temperatam, sicut hi qui partim erudito otio, partim necessario negotio, alternantia vitæ suæ tempora tribuerunt : propter has differentias potest etiam triplicari numerus iste sectarum, et ad ducentas octoginta octo perduci.

3. Hæc de Varronis libro, quantum potui, breviter ac dilucide posui, sententias ejus meis explicans verbis. Quomodo autem refutatis cæteris unam eligat, quam vult esse Academicorum veterum, quos a Platone institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus ejus scholam tenuit, quæ Academia[1] dicta est, habuisse certa dogmata vult videri; et ob hoc distinguit ab Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, quod philosophiæ genus ab Arcesila cœpit successore Polemonis (a); eamque sectam, id est veterum Academicorum, sicut dubitatione ita omni errore carere arbitretur, longum est per omnia demonstrare : nec tamen omni ex parte res omittenda est. Removet ergo prius illas omnes differentias, quæ numerum multiplicavere sectarum : quas ideo removendas putat, quia non in eis est finis boni. Neque enim existimat ullam philosophiæ sectam esse dicendam, quæ non eo distet a cæteris, quod diversos habeat fines bonorum et malorum. Quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit : quod autem beatum facit, ipse est finis boni : nulla est igitur causa philosophandi, nisi finis boni : quamobrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla philosophiæ secta dicenda est. Cum ergo quæritur de sociali vita, utrum sit tenenda sapienti, ut summum bonum, quo fit homo beatus, ita velit et curet amici sui, quemadmodum suum, an suæ tantummodo beatitudinis causa faciat quidquid facit; non de ipso summo bono quæstio est, sed de assumendo vel non assumendo socio ad hujus participationem boni, non propter se ipsum, sed propter eumdem socium, ut ejus bono ita gaudeat, sicut gaudet suo. Item cum quæritur de Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, utrum ita sint res habendæ, in quibus philosophandum est, an, sicut aliis philosophis placuit certas eas habere debeamus; non quæritur quid in boni fine sectandum sit, sed de ipsius boni veritate, quod sectandum videtur, utrum sit, necne, dubitandum : hoc est, ut id planius eloquar, utrum ita sectandum sit, ut qui sectatur, dicat esse verum; an ita, ut qui sectatur, dicat verum sibi videri, etiamsi forte sit falsum; tamen uterque sectetur unum atque idem bonum. In illa etiam differentia quæ adhibetur ex habitu et consuetudine Cynicorum, non quæritur quisnam sit finis boni, sed utrum in illo habitu et consuetudine sit vivendum ei, qui verum sectatur bonum, quodlibet ei verum videatur esse atque sectandum. Denique fuerunt, qui cum diversa sequerentur bona finalia, alii virtutem, alii voluptatem, eumdem tamen habitum et consuetudinem tenebant, ex qua[1] Cynici appellabantur. Ita illud quidquid est, unde philosophi Cynici discernuntur a cæteris, ad eligendum ac tenendum bonum, quo beati fierent, utique nil valebat. Nam si aliquid ad hoc interesset, profecto idem habitus eumdem finem sequi cogeret, et diversus habitus eumdem sequi finem non sineret.

CAPUT II. — *Quomodo, remotis omnibus differentiis, quæ non sectæ, sed quæstiones sunt, ad tripartitam summi boni definitionem Varro perveniat, quarum tamen una sit eligenda.*

In tribus quoque illis vitæ generibus, uno scilicet non segniter, sed in contemplatione vel inquisitione veritatis otioso, altero in gerendis rebus humanis negotioso, tertio ex utroque genere temperato, cum quæritur quid horum sit potius eligendum, non finis boni habet controversiam; sed quid horum trium difficultatem vel facilitatem afferat ad consequendum vel retinendum finem boni, id in ista quæstione versatur. Finis enim boni, cum ad eum quisque pervenerit, protinus beatum facit. In otio autem litterato, vel in negotio publico, vel quando utrumque vicibus agitur, non continuo quisque beatus est. Multi quippe in quolibet horum trium possunt vivere, et in appetendo boni fine quo fit homo beatus, errare. Alia est igitur quæstio de finibus bonorum et malorum, quæ unamquamque philosophorum sectam facit : et aliæ sunt quæstiones de sociali vita, de cunctatione Academicorum, de vestitu et victu Cynicorum, de tribus vitæ generibus, otioso, actuoso, et ex utroque modificato; quarum nulla est, in qua de bonorum et malorum finibus disputatur. Proinde quoniam Marcus Varro has quatuor adhibens differentias, id est, ex vita sociali, ex Academicis novis, ex Cynicis, ex isto vitæ genere tripartito ad sectas ducentas octoginta octo pervenit, et si quæ aliæ possunt similiter adjici; remotis eis omnibus, quoniam de sectando summo bono nullam inferunt quæstionem, et ideo sectæ nec sunt, nec vocandæ sunt, ad illas duodecim, in quibus quæritur quid sit bonum hominis, quo assecuto fit beatus, ut ex eis unam veram, cæteras falsas osten-

[1] [illegible]

(a) [illegible]

[1] [illegible]

dat esse, revertitur. Nam remoto illo tripartito genere vitæ, duæ partes hujus numeri detrahuntur, et sectæ nonaginta sex remanent. Remota vero differentia ex Cynicis addita, ad dimidium rediguntur, et quadraginta octo fiunt. Auferamus etiam quod ex Academicis novis adhibitum est, rursus dimidia pars remanet, id est viginti quatuor. De sociali quoque vita quod accesserat, similiter auferatur, duodecim sunt reliquæ, quas ista differentia, ut viginti quatuor fierent, duplicaverat. De his ergo duodecim nihil dici potest, cur sectæ non sint habendæ. Nihil quippe aliud in eis quæritur, quam fines bonorum et malorum. Inventis autem bonorum finibus, profecto e contrario sunt malorum. Hæ autem ut fiant duodecim sectæ, illa quatuor triplicantur, voluptas, quies, utrumque, et prima naturæ, quæ primigenia Varro vocat (a). Hæc quippe quatuor dum singillatim virtuti aliquando subduntur, ut non propter se ipsa, sed propter officium virtutis appetenda videantur, aliquando præferuntur, ut non propter se ipsa, sed propter hæc adipiscenda vel conservanda necessaria virtus putetur, aliquando junguntur, ut propter se ipsa et virtus, et ista appetenda credantur; quaternarium numerum triplum reddunt, et ad duodecim sectas perveniunt. Ex illis autem quatuor rebus Varro tres tollit, voluptatem scilicet, et quietem, et utrumque: non quod eas improbet, sed quod primigenia illa naturæ et voluptatem in se habeant, et quietem. Quid ergo opus est ex his duabus tria quædam facere, duo scilicet, dum singillatim appetuntur voluptas aut quies, et tertium, cum ambæ simul; quandoquidem prima naturæ et ipsas, et præter ipsas alia multa contineant? De tribus ergo sectis ei placet diligenter esse tractandum, quænam sit potius eligenda. Non enim veram plus quam unam vera ratio esse permittit, sive in his tribus sit, sive alicubi alibi, quod post videbimus. Interim de his tribus quomodo unam Varro eligat, quantum breviter aperteque possumus, disseramus. Istæ nempe tres sectæ ita fiunt, cum vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ, vel utraque, id est, et virtus et prima naturæ, propter se ipsa sunt expetenda.

CAPUT III. — *De tribus sectis summum hominis bonum quærentibus, quam eligendam Varro definiat, sequens veteris Academiæ, Antiocho auctore, sententiam.*

1. Quid ergo istorum trium sit verum atque sectandum, isto modo persuadere conatur. Primum, quia summum bonum in philosophia non arboris, non pecoris, non dei, sed hominis quæritur, quid sit ipse homo, quærendum putat. Sentit quippe in ejus natura duo esse quædam, corpus et animam: et horum quidem duorum melius esse animam longeque præstabilius omnino non dubitat; sed utrum anima sola sit homo, ut ita sit ei corpus tanquam equus equiti [1]. Eques enim non homo et equus, sed solus homo est: ideo tamen eques dicitur, quod aliquo modo se habeat ad equum. An corpus solum sit homo, aliquo modo se habens ad animam, sicut poculum ad potionem; non enim calix et potio, quam continet calix, simul dicitur poculum, sed calix solus, ideo tamen quod potioni continendæ sit accommodatus. An vero nec anima sola, nec solum corpus, sed simul utrumque sit homo, cujus pars sit una sive anima sive corpus, ille autem totus ex utroque constet, ut homo sit: sicut duos equos junctos bigas vocamus, quorum sive dexter, sive sinister, pars est bigarum, unum vero eorum quoquo modo se habeat ad alterum, bigas non dicimus, sed ambos simul. Horum autem trium hoc eligit tertium, hominemque nec animam solam, nec solum corpus, sed animam simul et corpus esse arbitratur. Proinde summum bonum hominis, quo fit beatus, ex utriusque rei bonis constare dicit, et animæ scilicet et corporis. Ac per hoc prima illa naturæ propter se ipsa existimat expetenda, ipsamque virtutem quam doctrina inserit velut artem vivendi, quæ in animæ bonis est excellentissimum bonum. Quapropter eadem virtus, id est ars agendæ vitæ, cum acceperit prima naturæ, quæ sine illa erant, sed tamen erant etiam quando eis doctrina adhuc deerat, omnia propter se ipsam appetit, simulque etiam se ipsam: omnibus que simul et se ipsa utitur, eo fine ut omnibus delectetur atque perfruatur, magis minusque, ut quæque inter se majora atque minora sunt, tamen omnibus gaudens, et quædam minora, si necessitas postulat, propter majora vel adipiscenda vel tenenda, contemnens. Omnium autem bonorum vel animi vel corporis, nihil sibi virtus omnino præponit. Hæc enim bene utitur et se ipsa, et cæteris, quæ hominem faciunt beatum, bonis. Ubi vero ipsa non est, quamlibet multa sint bona, non bono ejus sunt [1], cujus sunt; ac per hoc jam nec ejus bona dicenda sunt, cui malo utenti utilia esse non possunt. Hæc ergo vita hominis, quæ virtute et aliis animi et corporis bonis, sine quibus virtus esse non potest, fruitur, beata esse dicitur: si vero et aliis, sine quibus esse virtus potest, vel ullis, vel pluribus, beatior: si autem prorsus omnibus, ut nullum omnino bonum desit, vel animi vel corporis, beatissima. Non enim hoc est vita, quod virtus; quoniam non omnis vita, sed sapiens vita virtus est: et tamen qualiscumque vita sine ulla virtute potest esse; virtus vero sine ulla vita non potest esse. Hoc et de memoria dixerim atque ratione, et si quid aliud tale est in homine. Sunt enim hæc et ante doctrinam, sine his autem non potest esse ulla doctrina: ac per hoc nec virtus, quæ utique discitur. Bene autem currere, pulchrum esse corpore, viribus ingentibus prævalere, et cætera hujusmodi talia sunt, ut et virtus sine his esse possit, et ipsa sine virtute: bona sunt tamen; et secundum istos [2] etiam ipsa propter se ipsam diligit virtus, utiturque illis et fruitur, sicut virtutem decet.

[1] Hic in editis additur, *quærendum putat*: pro quo in Mss. relinquitur subaudiendum, *dubitat*.

(a) Vid. Cicer. lib. 2 de Finibus, cap. 11, et lib. 5, cap. 7.

[1] Editi, *non bona ejus sunt*. Melius Mss., *non bono ejus sunt*.

[2] Editi, *et ipsa sine virtute bona sint: tamen et secundum istos*, etc. Emendantur ex Mss.

2. Hanc vitam beatam etiam socialem perhibent esse, quæ amicorum bona propter se ipsa diligat sicut sua, eisque propter ipsos hoc velit quod sibi; sive in domo sint, sicut conjux et liberi et quicumque domestici; sive in loco, ubi domus ejus est, sicuti est urbs, ut sunt hi qui cives vocantur; sive in toto orbe, ut sunt gentes, quas ei societas humana conjungit; sive in ipso mundo, qui censetur nomine cœli et terræ, sicut esse dicunt deos, quos volunt amicos esse homini sapienti, quos nos familiarius Angelos dicimus. De bonorum autem et e contrario malorum finibus negant ullo modo esse dubitandum, et hanc inter se et novos Academicos affirmant esse distantiam, nec eorum interest quidquam, sive cynico, sive alio quolibet habitu et victu in his finibus, quos veros putant, quisque philosophetur. Ex tribus porro illis vitæ generibus, otioso, actuoso, et quod ex utroque compositum est, hoc tertium sibi placere asseverant. Hæc sensisse atque docuisse Academicos veteres, Varro asserit, auctore Antiocho, magistro Ciceronis et suo, quem sane Cicero in pluribus fuisse Stoicum, quam veterem Academicum vult videri (a). Sed quid ad nos, qui potius de rebus ipsis judicare debemus, quam pro magno de hominibus quid quisque senserit scire?

CAPUT IV. — *De summo bono et summo malo quid Christiani sentiant contra philosophos, qui summum bonum in se sibi esse dixerunt.*

1. Si ergo quæratur a nobis, quid civitas Dei de his singulis interrogata respondeat, ac primum de finibus bonorum malorumque quid sentiat, respondebit æternam vitam esse summum bonum, æternam vero mortem summum malum: propter illam proinde adipiscendam, istamque vitandam, recte nobis esse vivendum. Propter quod scriptum est, *Justus ex fide vivit* (*Habacuc* II, 4; *Galat.* III, 11): quoniam neque bonum nostrum jam videmus, unde oportet ut credendo quæramus; neque ipsum recte vivere nobis ex nobis est, nisi credentes adjuvet et orantes, qui et ipsam fidem dedit, qua nos ab illo adjuvandos esse credamus. Hi autem qui in ista vita fines bonorum et malorum esse putaverunt, sive in corpore, sive in animo, sive in utroque ponentes summum bonum; atque, ut id explicatius eloquar, sive in voluptate, sive in virtute, sive in utraque; sive in quiete, sive in virtute, sive in utraque; sive in voluptate simul et quiete, sive in virtute, sive in utrisque; sive in primis naturæ, sive in virtute, sive in utrisque: hic beati esse, et a se ipsis beati fieri mira vanitate voluerunt. Irrisit hos Veritas per prophetam dicentem, *Novit Dominus cogitationes hominum*; vel, sicut hoc testimonium posuit apostolus Paulus, *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII, 11; *I Cor.* III, 20).

2. Quis enim sufficit, quantovis eloquentiæ flumine, vitæ hujus miserias explicare? Quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filiæ, sicut potuit: sed quantum est quod potuit? Ea quippe quæ dicuntur prima naturæ, quando, ubi, quomodo tam bene se habere in hac vita possunt, ut non sub incertis casibus fluctuent? Quis enim dolor contrarius voluptati, quæ inquietudo contraria quieti, in corpus cadere sapientis non potest? Membrorum certe amputatio vel debilitas hominis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas sanitatem, vires lassitudo, mobilitatem torpor, aut tarditas: et quid horum est, quod nequeat in carnem sapientis irruere? Status quoque corporis atque motus, cum decentes atque congruentes sunt, inter naturæ prima numerantur: sed quid si aliqua mala valetudo membra tremore concutiat? quid si usque ad ponendas in terram manus dorsi spina curvetur, et hominem quodammodo quadrupedem faciat? nonne omnem statuendi corporis et movendi speciem decusque pervertet? Quid ipsius animi primigenia quæ appellantur bona, ubi duo prima ponunt propter comprehensionem perceptionemque veritatis, sensum et intellectum? Sed qualis quantusque remanet sensus, si, ut alia taceam, fiat homo surdus et cæcus? Ratio vero et intelligentia quo recedet, ubi sopietur, si aliquo morbo efficiatur insanus? Phrenetici multa absurda cum dicunt, vel faciunt, plerumque a bono suo proposito et moribus aliena, imo suo bono proposito moribusque contraria, sive illa cogitemus, sive videamus, si digne consideremus, lacrymas tenere vix possumus, aut forte nec possumus [1]. Quid dicam de his, qui dæmonum patiuntur incursus? ubi habent absconditam vel obrutam intelligentiam suam, quando secundum suam voluntatem et anima eorum et corpore malignus utitur spiritus? Et quis confidit hoc malum in hac vita evenire non posse sapienti? Deinde perceptio veritatis in hac carne qualis aut quanta est, quando, sicut legimus in veraci libro Sapientiæ, *Corpus corruptibile aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15)? Impetus porro vel actionis appetitus, si hoc modo recte latine appellatur ea quam Græci vocant ὁρμή, quia et ipsam primis naturæ deputant bonis (a), nonne ipse est, quo geruntur etiam insanorum illi miserabiles motus, et facta quæ horremus, quando pervertitur sensus ratioque sopitur?

3. Porro ipsa virtus, quæ non est inter prima naturæ, quoniam eis postea doctrina introducente supervenit, cum sibi bonorum culmen vindicet humanorum, quid hic agit nisi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, sed interioribus; nec alienis, sed plane nostris et propriis; maxime illa, quæ græce σωφροσύνη, latine temperantia nominatur, qua carnales frenantur libidines, ne in quæque flagitia mentem

(a) Hic Antiochus Ascalonita fuit, [illegible] Ciceronem, Varronem, Lucullum et alios [illegible] Romanos [illegible]

[1] Sola editio Lovaniensium omittit, *aut forte nec possumus*.

(a) Confer Cicer. lib. 5 de Finibus, cap. 6, et lib. 2 de Nat. deor., cap. 22.

consentientem trahant (*a*)? Neque enim nullum est vitium, cum, sicut dicit Apostolus, *Caro concupiscit adversus spiritum*: cui vitio contraria virtus est, cum, sicut idem dicit, *Spiritus concupiscit adversus carnem. Haec enim*, inquit, *invicem adversantur; ut non ea quae vultis faciatis* (*Galat.* V, 17). Quid autem facere volumus, cum perfici volumus finem summi boni, nisi ut caro adversus spiritum non concupiscat, nec sit in nobis hoc vitium, contra quod spiritus concupiscat? Quod in hac vita quamvis velimus, quoniam facere non valemus, id saltem in adjutorio Dei faciamus, ne carni concupiscenti adversus spiritum, spiritu succumbente cedamus, et ad perpetrandum peccatum nostra consensione pertrahamur. Absit ergo ut, quamdiu in hoc bello intestino sumus, jam nos beatitudinem, ad quam vincendo volumus pervenire, adeptos esse credamus. Et quis est usque adeo sapiens, ut contra libidines nullum habeat omnino conflictum?

4. Quid illa virtus, quae prudentia dicitur? nonne tota vigilantia sua bona discernit a malis, ut in illis appetendis istisque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc et ipsa nos in malis, vel mala in nobis esse testatur. Ipsa enim docet nos, malum esse ad peccandum consentire, bonumque esse ad peccandum non consentire libidini. Illud tamen malum, cui nos non consentire docet prudentia, facit temperantia, nec prudentia, nec temperantia tollit huic vitae. Quid justitia, cujus munus est sua cuique tribuere (*b*) (unde fit in ipso homine quidam justus ordo naturae, ut anima subdatur Deo et animae caro, ac per hoc Deo et anima et caro), nonne demonstrat in eo se adhuc opere laborare potius, quam in hujus operis jam fine requiescere? Tanto quippe minus anima subditur Deo, quanto minus Deum in ipsis suis cogitationibus concipit; et tanto minus animae subditur caro, quanto magis adversus spiritum concupiscit. Quamdiu ergo nobis inest haec infirmitas, haec pestis, hic languor, quomodo nos jam salvos; et si nondum salvos, quomodo jam beatos illa finali beatitudine dicere audebimus? Jam vero illa virtus, cujus nomen est fortitudo, in quantacumque sapientia evidentissima testis est humanorum malorum, quae compellitur patientia tolerare. Quae mala Stoici philosophi miror qua fronte mala non esse contendant, quibus fatentur, si tanta fuerint, ut ea sapiens vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibimet inferre, atque ex hac vita emigrare (*c*). Tantus autem superbiae stupor est in his hominibus, hic se habere finem boni et a se ipsis fieri beatos putantibus; ut sapiens eorum, hoc est, qualem mirabili vanitate describunt, etiamsi excaecetur, obsurdescat, obmutescat, membris debilitetur, doloribus crucietur, et si quid aliud talium malorum dici aut cogitari potest, incidat in eum, quo sibi mortem cogatur inferre, hanc in his malis vitam constitutam, eos non pudeat[1] beatam vocare. O vitam beatam, quae ut finiatur, mortis quaerit auxilium! Si beata est, maneatur in ea: si vero propter ista mala fugitur ab ea, quomodo est beata? Aut[2] quomodo ista non sunt mala, quae vincunt fortitudinis bonum, eamdemque fortitudinem non solum sibi cedere, verum etiam delirare compellunt, ut eamdem vitam et dicat beatam, et persuadeat esse fugiendam? Quis usque adeo caecus est, ut non videat quod, si beata esset, fugienda non esset? Sed si propter infirmitatis pondus, qua premitur, hanc fugiendam fatentur, quid igitur causae est[3], cur non etiam miseram fracta superbiae cervice fateantur? Utrum, obsecro, Cato ille (*a*) patientia, an potius impatientia se peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Caesaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? Nempe cessit, nempe succubuit, nempe usque adeo superata est, ut vitam beatam derelinqueret, desereret, fugeret. An non erat jam beata? Misera ergo erat. Quomodo igitur mala non erant quae vitam miseram fugiendamque faciebant?

5. Quapropter etiam ipsi, qui mala ista esse confessi sunt, sicut Peripatetici, sicut veteres Academici, quorum sectam Varro defendit, tolerabilius quidem loquuntur: sed eorum quoque mirus est error, quod in his malis, etsi tam gravia sint, ut morte fugienda sint, ab ipso sibimet illata, qui haec patitur, vitam beatam tamen esse contendunt. *Mala sunt*, inquit, *tormenta atque cruciatus corporis; et tanto sunt pejora, quanto potuerint esse majora; quibus ut careas, ex hac vita fugiendum est.* Qua vita, obsecro? Hac, inquit, quae tantis aggravatur malis. Certe ergo beata est in eisdem ipsis malis, propter quae dicis esse fugiendam? An ideo beatam dicis, quia licet tibi ab his malis morte discedere? Quid si ergo in eis aliquo judicio divino tenereris, nec permittereris mori, nec unquam sine illis esse sinereris[4]? Nempe tunc saltem miseram talem diceres vitam. Non igitur propterea misera non est, quia cito relinquitur: quandoquidem si sempiterna sit, etiam abs te ipso misera judicatur. Non itaque propterea, quoniam brevis est, nulla miseria debet videri; aut, quod est absurdius, quia brevis miseria est, ideo etiam beatitudo appellari. Magna vis est in eis malis, quae cogunt hominem, secundum ipsos etiam sapientem, sibimet auferre quod homo est: cum dicant, et verum dicant, hanc esse naturae primam quodammodo et maximam vocem, ut homo concilietur sibi, et propterea mortem naturaliter fugiat; ita sibi amicus, ut esse se animal, et in hac conjunctione corporis atque animae vivere velit, vehementerque appetat[5] (*b*). Magna vis est in eis malis, quibus iste

(*a*) Vid. Cicer., Quaest. Tuscul. lib. 5, cap. 8.

(*b*) Justitia ita definitur in Institutionibus, tit. de Justitia et jure: « Perpetua et constans voluntas suum cuique tribuendi. » COQUAEUS.

(*c*) Apud Ciceronem, lib. 3 de Finibus, et lib. 1 Quaest. Tuscul.

[1] Mss., *cum non pudeat.*

[2] Omnes Mss. haec omittunt, *si vero propter ista mala fugitur ab ea, quomodo est beata? Aut*: postque, *maneatur in ea*, proxime jungunt, *Quomodo ista non sunt mala*, etc.

[3] Plures et probae notae Mss.: *sed aperta infirmitatis voce fugiendam fatentur: quid igitur causae est.*

[4] Sola editio Lov., *morte sinereris.*

[5] In Mss., *velit vehementer atque appetat.*

(*a*) Cato Uticensis.

(*b*) Cicero, lib. 1 de Officiis, cap. 4, et de Finibus lib. 3, cap. 5; lib. 5, cap. 9.

naturæ vincitur sensus, quo mors omni modo omnibus viribus conatibusque vitatur; et ita vincitur, ut quæ vitabatur, optetur, appetatur, et, si non potuerit aliunde contingere, ab ipso homine sibimet inferatur. Magna vis est in eis malis, quæ fortitudinem faciunt homicidam: si tamen adhuc dicenda est fortitudo, quæ ita his malis vincitur, ut hominem, quem, sicut virtus, regendum tuendumque suscepit, non modo non possit per patientiam custodire, sed ipsa insuper cogatur occidere. Debet quidem etiam mortem sapiens ferre patienter, sed quæ accidit aliunde: secundum istos autem si eam sibi ipse inferre compellitur, profecto fatendum est eis, non solum mala, sed intolerabilia etiam mala esse, quæ hoc eum perpetrare compellunt. Vita igitur, quæ istorum tam magnorum tamque gravium malorum aut premitur oneribus, aut subjacet casibus, nullo modo beata diceretur, si homines qui hoc dicunt, sicut victi malis ingravescentibus, cum sibi ingerunt mortem, cedunt infelicitati, ita victi certis rationibus, cum quærunt beatam vitam, dignarentur cedere veritati, et non sibi putarent in ista mortalitate fine summi boni esse gaudendum; ubi virtutes ipsæ, quibus hic certe nihil melius atque utilius in homine reperitur, quanto majora sunt adjutoria contra vim periculorum, laborum, dolorum, tanto fideliora testimonia miseriarum. Si enim veræ virtutes sunt, quæ nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non possunt; non se profitentur hoc posse ut nullas miserias patiantur homines, in quibus sunt: neque enim mendaces sunt veræ virtutes, ut hoc profiteantur; sed ut vita humana, quæ tot et tantis hujus sæculi malis esse cogitur misera, spe futuri sæculi sit beata, sicut et salva. Quomodo enim beata est, quæ nondum salva est? Unde et apostolus Paulus non de hominibus imprudentibus, impatientibus, intemperantibus et iniquis, sed de his qui secundum veram pietatem viverent, et ideo virtutes quas haberent, veras haberent, ait, *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim quis videt, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24 *et* 25). Sicut ergo spe salvi, ita spe beati facti sumus: et sicut salutem, ita beatitudinem, non jam tenemus præsentem, sed exspectamus futuram: et hoc *per patientiam*; quia in malis sumus, quæ patienter tolerare debemus, donec ad illa veniamus bona ubi omnia erunt, quibus ineffabiliter delectemur; nihil erit autem, quod jam tolerare debeamus. Talis salus, quæ in futuro erit sæculo, ipsa erit etiam finalis beatitudo. Quam beatitudinem isti philosophi, quoniam non videntes nolunt credere, hic sibi conantur falsissimam fabricare, quanto superbiore, tanto mendaciore virtute.

CAPUT V. — *De sociali vita, quæ cum maxime expetenda sit, multis offensionibus sæpe subvertitur.*

Quod autem socialem vitam volunt esse sapientis, nos multo amplius approbamus. Nam unde ista Dei civitas, de qua hujus operis ecce jam undevicesimum librum versamus in manibus, vel inchoaretur exortu, vel progrederetur excursu, vel apprehenderet debitos fines, si non esset socialis vita sanctorum? Sed in hujus mortalitatis ærumna quot et quantis abundet malis societas humana, quis enumerare valeat? quis æstimare sufficiat? Audiant apud comicos suos hominem cum sensu atque consensu omnium hominum dicere:

> Duxi uxorem, quam ibi miseriam vidi! Nati filii,
> Alia cura.

(*Terent. Adelphorum actu* 5, *scen.* 4, *vers.* 13, 14.)

Quid itidem illa, quæ in amore vitia commemorat idem Terentius, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ [1], bellum, pax rursum (*Eunuch. act.* 1, *scen* 1, *v.* 14-16): nonne res humanas ubique impleverunt? nonne et in amicorum honestis amoribus plerumque contingunt? nonne his usquequaque plenæ sunt res humanæ, ubi injurias, suspiciones, inimicitias, bellum, mala certa sentimus; pacem vero incertum bonum, quoniam corda eorum, cum quibus eam tenere volumus, ignoramus; et si nosse hodie possemus, qualia cras futura essent utique nesciremus? Qui porro inter se amiciores solent esse, vel debent, quam qui una etiam continentur domo? Et tamen quis inde securus est, cum tanta sæpe mala ex eorum occultis insidiis exstiterint; tanto amariora, quanto pax dulcior fuit; quæ vera putata est, cum astutissime fingeretur? Propter quod omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitum, quod ait Tullius: *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis: hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum non solum exstitit* [2], *verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris* (*Cicer. in Verrem act.* 2, *lib.* 1, *cap.* 15). Propter quod etiam divina vox illa, *Et inimici hominis, domestici ejus* (*Matth.* x, 36), cum magno dolore cordis auditur: quia etsi quisque tam fortis sit, ut æquo animo perferat; vel tam vigilans, ut provido consilio caveat, quæ adversus eum molitur amicitia simulata: eorum tamen hominum perfidorum malo, cum eos esse pessimos experitur, si ipse bonus est, graviter excrucietur necesse est; sive semper mali fuerint, et se bonos finxerint, sive in istam malitiam ex bonitate mutati sint. Si ergo domus commune perfugium in his malis humani generis tuta non est, quid civitas, quæ quanto major est, tanto forum ejus litibus et civilibus et criminalibus plenius, etiamsi quiescant, non solum turbulentæ, verum sæpius et cruentæ seditiones, ac bella civilia, a quorum eventis sunt aliquando liberæ civitates, a periculis nunquam?

CAPUT VI. — *De errore humanorum judiciorum, cum veritas latet.*

Quid ipsa judicia hominum de hominibus, quæ civitatibus in quantalibet pace manentibus deesse non possunt, qualia putamus esse, quam misera, quam dolenda? quandoquidem hi judicant, qui conscientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt. Unde sæpe coguntur tormentis innocentium testium ad alienam causam pertinentem quærere veritatem. Quid

[1] Ibi apud Terentium additur, *induciæ*.
[2] Apud Ciceronem, *non modo non exstitit*.

cum in sua causa quisque torquetur, et cum quæritur utrum sit nocens, cruciatur, et innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur? Ac per hoc ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque, si fieri possit [1], fontibus lacrymarum; cum propterea judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, ut et tortum et innocentem occidat, quem ne innocentem occideret torserat. Si enim secundum istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta; quod non commisit, commisisse se dicit. Quo damnato et occiso, utrum nocentem an innocentem judex occiderit, adhuc nescit, quem ne innocentem nesciens occideret torsit: ac per hoc innocentem et ut sciret torsit, et dum nesciret occidit. In his tenebris vitæ socialis, sedebit judex ille sapiens, an non sedebit [2]? Sedebit plane. Constringit enim eum, et ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas ducit. Hoc enim nefas esse non ducit, quod testes innocentes in causis torquentur alienis: quod hi qui arguuntur, vi doloris plerumque superati, et de se falsa confessi, etiam puniuntur innocentes, cum jam torti fuerint innocentes: quod etsi non morte puniantur, in ipsis vel ex ipsis tormentis plerumque moriuntur: quod [3] aliquando et ipsi qui arguunt, humanæ societati fortasse, ne crimina impunita sint, prodesse cupientes, et mentientibus testibus, reoque ipso contra tormenta durante immaniter, nec fatente, probare quod objiciunt non valentes, quamvis vera objecerint, a judice nesciente damnantur. Hæc tot et tanta mala non deputat esse peccata: non enim hæc facit sapiens judex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi; et tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam judicandi. Hæc est ergo quam dicimus, miseria certe hominis, etsi non malitia sapientis. An vero necessitate nesciendi atque judicandi torquet insontes, punit insontes, et parum est illi quod non est reus, si non sit insuper et beatus? Quanto consideratius et homine dignius agnoscit in ista necessitate miseriam, eamque in se odit [4]; et, si pie sapit, clamat ad Deum, *De necessitatibus meis erue me* (*Psal.* XXIV, 17)?

CAPUT VII. — *De diversitate linguarum, qua societas hominum dirimitur; et de miseria bellorum, etiam quæ justa dicuntur.*

Post civitatem vel urbem sequitur orbis terræ, in quo tertium gradum ponunt societatis humanæ, incipientes a domo, atque inde ad urbem, deinde ad orbem progrediendo venientes: qui utique, sicut aquarum congeries, quanto major est, tanto periculis plenior. In quo primum linguarum diversitas hominem alienat ab homine. Nam si duo sibimet invicem fiant obviam, neque præterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum neuter norit linguam alterius; facilius sibi animalia muta, etiam diversi generis, quam illi, cum sint homines ambo, sociantur. Quando enim quæ sentiunt, inter se communicare non possunt, propter solam linguæ diversitatem, nihil prodest ad consociandos homines tanta similitudo naturæ: ita ut libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret; per quam non deesset, imo et abundaret etiam interpretum copia. Verum est: sed hoc quam multis et quam grandibus bellis, quanta strage hominum, quanta effusione humani sanguinis comparatum est? Quibus transactis, non est tamen eorumdem malorum finita miseria. Quamvis enim non defuerint, neque desint hostes [1] exteræ nationes, contra quas semper bella gesta sunt, et geruntur: tamen etiam ipsa imperii latitudo peperit pejoris generis bella, socialia scilicet et civilia; quibus miserabilius quatitur genus humanum, sive cum belligeratur, ut aliquando conquiescant; sive cum timetur, ne rursus exsurgant. Quorum malorum multas et multiplices clades, duras et diras necessitates, si ut dignum est eloqui velim, quanquam nequaquam sicut res postulat possim; quis erit prolixæ disputationis modus? Sed sapiens, inquiunt, justa bella gesturus est. Quasi non, si se hominem meminit, multo magis dolebit justorum necessitatem sibi exstitisse bellorum; quia nisi justa essent, ei gerenda non essent, ac per hoc sapienti nulla bella essent. Iniquitas enim partis adversæ justa bella ingerit gerenda sapienti (*a*): quæ iniquitas utique homini est dolenda, quia hominum est, etsi nulla ex ea bellandi necessitas nasceretur. Hæc itaque mala tam magna, tam horrenda, tam sæva, quisquis cum dolore considerat, miseriam fateatur. Quisquis autem vel patitur ea sine animi dolore, vel cogitat, multo utique miserius ideo se putat beatum, quia et humanum perdidit sensum.

CAPUT VIII. — *Quod amicitia bonorum secura esse non possit, dum a periculis quæ in hac vita sunt, trepidari necesse sit.*

Si autem non contingat quædam ignorantia similis dementiæ, quæ tamen in hujus vitæ misera conditione sæpe contingit, ut credatur vel amicus esse qui inimicus est, vel inimicus qui amicus est; quid nos consolatur in hac humana societate erroribus ærumnisque plenissima, nisi fides non ficta, et mutua dilectio verorum et bonorum amicorum? Quos quanto plures et in locis pluribus habemus, tanto longius latiusque metuimus, ne quid eis contingat mali de tantis malorum aggeribus hujus sæculi. Non enim tantummodo solliciti sumus, ne fame, ne bellis, ne morbis, ne captivitatibus affligantur, ne in eadem servitute talia

[1] Sic nostri omnes Mss. In B., *posset.* M.
[2] Nostri codices, *an non sedebit?* M.
[3] Sola editio Lov., *Quid quod*, etc.
[4] Vind. Am. et Er., *Quanto consideratius et homine dignius, et hominem agnoscit in ista necessitate, eamque miseriam in se odit.*

[1] Sic nostri codices. In B., *neque hostes desint.* M.
(*a*) Conf. Quæst. in Jesum Nave, q. 10.

patiantur, qualia nec cogitare sufficimus: verum etiam, ubi timor est multo amarior, ne in perfidiam, malitiam nequitiamque mutentur. Et quando ista contingunt (tanto utique plura, quanto illi sunt plures, et in pluribus locis [1]) et in nostram notitiam perferuntur, quibus cor nostrum flagris uratur, quis potest, nisi qui talia sentit, advertere? Mortuos quippe audire mallemus: quamvis et hoc sine dolore non possimus audire. Quorum enim nos vita propter amicitiæ solatia [2] delectabat, unde fieri potest ut eorum mors nullam nobis ingerat mœstitudinem? Quam qui prohibet, prohibeat, si potest, amica colloquia, interdicat amicalem vel intercidat affectum [3], omnium humanarum necessitudinum vincula mentis immiti stupore disrumpat; aut sic eis utendum censeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod si fieri nullo modo potest, etiam hoc quo pacto futurum est, ut ejus nobis amara mors non sit, cujus dulcis est vita? Hinc est enim et luctus, quoddam non inhumani cordis [4] quasi vulnus, aut ulcus, cui sanando adhibentur officiosæ consolationes. Non enim propterea non est quod sanetur, quoniam quanto est animus melior, tanto in eo citius faciliusque sanatur. Cum igitur etiam de charissimorum mortibus, maxime quorum sunt humanæ societati officia necessaria, nunc mitius, nunc asperius affligatur vita mortalium; mortuos tamen eos, quos diligimus, quam vel a fide, vel a bonis moribus lapsos, hoc est, in ipsa anima mortuos audire seu videre mallemus: qua ingenti materia malorum plena est terra; propter quod scriptum est, *Numquid non tentatio* (a) *est vita humana super terram* (*Job* VII, 1)? Et propter quod ipse Dominus ait, *Væ mundo ab scandalis* (*Matth.* XVIII, 7): et iterum, *Quoniam abundavit*, inquit, *iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Id.* XXIV, 12). Ex quo fit, ut bonis amicis mortuis gratulemur, et cum mors eorum nos contristet, ipsa nos certius consoletur: quoniam malis caruerunt, quibus in hac vita etiam boni homines vel conteruntur, vel depravantur, vel in utroque periclitantur.

CAPUT IX. — *De amicitia sanctorum Angelorum, quæ homini in hoc mundo non potest esse manifesta, propter fallaciam dæmonum, in quos inciderunt qui multos sibi deos colendos putarunt.*

In societate vero sanctorum Angelorum, quam philosophi illi, qui nobis deos amicos esse voluerunt, quarto constituerunt loco, velut ad mundum venientes ab orbe terrarum, ut sic quodammodo complecterentur et cœlum; nullo modo quidem metuimus, ne tales amici vel morte nos sua, vel depravatione contristent. Sed quia nobis non ea qua homines familiaritate miscentur (quod etiam ipsum ad ærumnas hujus pertinet vitæ) et aliquando satanas, sicut legimus transfigurat se velut angelum [1] lucis (II *Cor.* XI, 14), ad tentandos eos quos ita vel erudiri opus est, vel decipi justum est; magna Dei misericordia necessaria est, ne quisquam, cum bonos Angelos amicos se habere putat, habeat malos dæmones amicos fictos, eosque tanto nocentiores, quanto astutiores ac fallaciores patiatur [2] inimicos. Et cui magna ista Dei misericordia necessaria est, nisi magnæ humanæ miseriæ, quæ ignorantia tanta premitur, ut facile istorum simulatione fallatur? Et illos quidem philosophos in impia civitate, qui deos sibi amicos esse dixerunt, in dæmones malignos incidisse certissimum est, quibus tota ipsa civitas subditur, æternum cum eis habitura supplicium. Ex eorum quippe sacris, vel potius sacrilegiis, quibus eos colendos, et ex ludis, immundissimis, ubi eorum crimina celebrantur, quibus eos placandos putaverunt, eisdem ipsis auctoribus et exactoribus talium tantorumque dedecorum, satis ab eis qui colantur apertum est.

CAPUT X. — *Quis fructus sanctis de superata hujus vitæ tentatione paratus sit* [3].

Sed neque sancti et fideles unius veri Dei summique cultores, ab eorum fallaciis et multiformi tentatione securi sunt. In hoc enim loco infirmitatis et diebus malignis etiam ista sollicitudo non est inutilis, ut illa securitas, ubi pax plenissima atque certissima est, desiderio ferventiore quæratur. Ibi enim erunt naturæ munera, hoc est, quæ naturæ nostræ ab omnium naturarum Creatore donantur, non solum bona, verum etiam sempiterna; non solum in animo, qui sanatur [3] per sapientiam, verum etiam in corpore, quod resurrectione renovabitur. Ibi virtutes, non contra ulla vitia vel mala quæcumque certantes, sed habentes victoriæ præmium æternam pacem, quam nullus adversarius inquietet (a). Ipsa est enim beatitudo finalis, ipse perfectionis finis, qui consumentem non habet finem. Hic autem dicimur quidem beati, quando pacem habemus, quantulacumque hic haberi potest in vita bona: sed hæc beatitudo illi, quam finalem dicimus, beatitudini comparata, prorsus miseria reperitur. Hanc ergo pacem, qualis hic potest esse, mortales homines in rebus mortalibus quando habemus, si recte vivimus, bonis ejus recte utitur virtus: quando vero eam non habemus, etiam malis, quæ homo patitur, bene utitur virtus. Sed tunc est vera virtus, quando et omnia bona quibus bene utitur, et quidquid in bono usu bonorum et malorum facit, et se ipsam ad eum finem refert, ubi nobis talis et tanta pax erit, qua melior et major esse non possit.

[1] Hic plerique manuscripti omittunt, *et in pluribus locis*.
[2] Vind. Am. Er., *amicitiæ socialis solatia*. Lov., *amicitiæ socialis solatia*. At manuscripti nec habent, *spiritalis*, nec, *socialis*.
[3] In editis, *interdicat amicalem societatem, vel intercidat affectum*. Abest, *societatem*, a manuscriptis, et verbum, *intercidat*, refertur ad *affectum*, tanquam adjectivum ad substantivum.
[4] Ita plerique et melioris notæ manuscripti. Editi vero, *luctus quidam in humano corde*.
(a) In Vulgata, *militia*.

[1] Editi, *in angelum*. At Mss., *velut angelum*: et sic passim Augustinus.
[2] Mss., *patiatur*.
[3] In editis, *sanabitur*. At in manuscriptis, *sanatur*.
(a) Conf. lib. 14 de Trinit., n. 12.

CAPUT IX. — *De beatitudine pacis æternæ, in qua sanctis finis est, id est vera perfectio.*

Quapropter possumus dicere, fines [1] bonorum nostrorum esse pacem, sicut æternam esse diximus vitam : præsertim quia ipsi civitati Dei, de qua nobis est ista operosissima disputatio, in sancto dicitur Psalmo, *Lauda, Jerusalem, Dominum; collauda Deum tuum, Sion. Quoniam confirmavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te, qui posuit fines tuos pacem* (*Psal.* CXLVII, 12-14). Quando enim confirmatæ fuerint seræ portarum ejus, jam in illam nullus intrabit, nec ab illa ullus exibit. Ac per hoc fines ejus eam debemus hic intelligere pacem, quam volumus demonstrare finalem. Nam et ipsius civitatis mysticum nomen, id est Jerusalem, quod et ante jam diximus, Visio pacis interpretatur. Sed quoniam pacis nomen etiam in his rebus mortalibus frequentatur, ubi utique non est vita æterna; propterea finem civitatis hujus, ubi erit summum bonum ejus, æternam vitam maluimus commemorare quam pacem. De quo fine Apostolus ait, *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI, 22). Sed rursus quia vita æterna ab his qui familiaritatem non habent cum Scripturis sanctis, potest accipi etiam malorum vita; vel secundum quosdam etiam philosophos, propter animæ immortalitatem; vel etiam secundum fidem nostram, propter pœnas interminabiles impiorum, qui utique in æternum cruciari non poterunt, nisi etiam vixerint in æternum: profecto finis civitatis hujus, in quo summum habebit bonum, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus est, ut facilius ab omnibus possit intelligi. Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri. De quo si aliquanto diutius loqui voluerimus, non erimus, quantum arbitror, onerosi legentibus, et propter finem civitatis hujus, de qua nobis sermo est, et propter ipsam dulcedinem pacis quæ omnibus chara est.

CAPUT XII. — *Quod etiam bellantium sævitia omnesque hominum inquietudines ad pacis finem cupiant pervenire, sine cujus appetitu nulla natura sit.*

1. Quod enim mecum quisquis res humanas naturamque communem utcumque intuetur agnoscit, sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit [2]. Quandoquidem et ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt : ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subjectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur et bella, ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando atque pugnando. Unde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit : nemo autem bellum pacificando. Nam et illi qui pacem, in qua sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo ut sit pax nolunt, sed ut ea sit quam volunt. Denique etsi per seditionem se ab aliis separaverint, cum eis ipsis conspiratis vel conjuratis suis nisi qualemcumque pacis speciem teneant, non efficiunt quod intendunt. Proinde latrones ipsi, ut vehementius et tutius infesti sint paci cæterorum, pacem volunt habere sociorum. Sed et si unus sit tam præpollens viribus, et conscios [1] ita cavens, ut nulli socio se committat, solusque insidians et prævalens, quibus potuerit oppressis et exstinctis prædas agat, cum eis certe quos occidere non potest, et quos vult latere quod facit, qualemcumque umbram pacis tenet. In domo autem sua cum uxore et cum filiis, et si quos alios illic habet, studet profecto esse pacatus : eis quippe ad nutum obtemperantibus sine dubio delectatur. Nam si non fiat, indignatur, corripit, vindicat : et domus suæ pacem, si ita necesse sit, etiam sæviendo componit; quam sentit esse non posse, nisi cuidam principio, quod ipse in domo sua est, cætera in eadem domestica societate subjecta sint. Ideoque si offerretur ei servitus plurium, vel civitatis vel gentis, ita ut sic ei servirent, quemadmodum sibi domui suæ serviri volebat, non se jam latronem latebris conderet, sed regem conspicuum sublimaret, cum eadem in illo cupiditas et malitia permaneret. Pacem itaque cum suis omnes habere cupiunt, quos ad suum arbitrium volunt vivere. Nam et cum quibus bellum gerunt, suos facere, si possint, volunt, eisque subjectis leges suæ pacis imponere.

2. Sed faciamus aliquem, qualem canit poetica et fabulosa narratio; quem fortasse, propter ipsam insociabilem feritatem, semihominem quam hominem dicere maluerunt (*a*). Quamvis ergo hujus regnum diræ speluncæ fuerit solitudo, tamque [2] malitia singularis, ut ex hac ei nomen inventum sit; nam malus græce κακὸς dicitur, quod ille vocabatur : nulla conjux ei blandum ferret referretque sermonem, nullis filiis vel alluderet parvulis, vel grandiusculis imperaret, nullo amici colloquio frueretur, nec Vulcani patris, quo vel hinc tantum non parum felicior fuit, quia tale monstrum ipse non genuit : nihil cuiquam daret, sed a quo posset quidquid vellet, et quando posset, et quantum vellet [3] auferret : tamen in ipsa sua spelunca solitaria, cujus, ut describitur, semper recenti cæde tepebat humus (*Virgil. Æneid. lib.* 8, *vers* 195, 196), nihil aliud quam pacem volebat, in qua nemo illi molestus esset, nec ejus quietem vis ullius terrorve turbaret. Cum corpore suo denique pacem habere cupiebat : et quantum habe-

[1] Er. et Lov., *finem*. Cæteri libri, *fines*.

[2] Er. Lugd. Ven. sic legunt hunc locum : *Quod mecum quisquis res humanas naturamque communem utcumque intuetur, agnoscit. Sicut enim nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit.* M.

[1] Sola editio Lov., *consocios*. — Sic codd. 258 et 2050. M.

[2] Plures MSS., *tam impium*.

[3] Nonnulli MSS., *quem vellet* ; omisso, *et*. Alii, *quem* ; vel, *quem*, vel *cum vellet* ; paucis exceptis, qui cum editis habent, *et quantum vellet*.

(*a*) Significatur hic Cacus, de quo Virgil. Æneid. lib. 8, v. 185-275.

bat, tantum illi bene erat. Quandoquidem membris obtemperantibus imperabat; et ut suam mortalitatem adversum se ex indigentia rebellantem, ac seditionem famis ad dissociandam atque excludendam de corpore animam concitantem, quanta posset festinatione pacaret, rapiebat, necabat, vorabat; et quamvis immanis ac ferus, paci tamen suæ vitæ ac salutis immaniter et ferociter consulebat: ac per hoc si pacem, quam in sua spelunca atque in se ipso habere satis agebat [1], cum aliis etiam habere vellet, nec malus, nec monstrum, nec semihomo vocaretur. Aut si ejus corporis forma, et atrorum ignium vomitus ab eo deterrebat hominum societatem; forte non nocendi cupiditate, sed vivendi necessitate sæviebat. Verum iste non fuerit, vel, quod magis credendum est, talis non fuerit, qualis vanitate poetica describitur: nisi enim nimis accusaretur Cacus, parum Hercules laudaretur. Talis ergo homo, sive semihomo, melius, ut dixi, creditur non fuisse, sicut multa figmenta poetarum. Ipsæ enim sævissimæ feræ, unde ille partem habuit feritatis (nam et semiferus dictus est) (*Virgil.*, *Æneid. lib.* 8, *v.* 267), genus proprium quadam pace custodiunt, coeundo, gignendo, pariendo, fetus fovendo atque nutriendo, cum sint pleræque insociabiles et solivagæ: non scilicet ut oves, cervi, columbæ, sturni, apes; sed ut leones, vulpes, aquilæ, noctuæ. Quæ enim tigris non filiis suis mitis immurmurat, et pacata feritate blanditur? quis milvus, quantumlibet solitarius rapinis circumvolet, non conjugium copulat, nidum congerit, ova confovet, pullos alit, et quasi cum sua matrefamilias societatem domesticam quanta potest pace conservat? Quanto magis homo fertur quodammodo naturæ suæ legibus ad ineundam societatem pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam: cum etiam mali pro pace suorum belligerent, omnesque, si possint, suos facere velint, ut uni cuncti et cuncta deserviant; quo pacto, nisi in ejus pacem [2], vel amando, vel timendo consentiant? Sic enim superbia perverse imitatur Deum. Odit namque cum sociis æqualitatem sub illo: sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Odit ergo justam pacem Dei et amat iniquam pacem suam: non amare tamen qualemcumque pacem nullo modo potest. Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia.

3. Itaque pacem iniquorum in pacis comparatione justorum ille videt, nec pacem esse dicendam, qui novit præponere recta pravis et ordinata perversis. Quod autem perversum est, hoc etiam necesse est ut in aliqua et ex aliqua et cum aliqua rerum parte pacatum sit, in quibus est, vel ex quibus constat; alioquin nihil esset omnino. Velut si quisquam capite deorsum pendeat, perversus est utique situs corporis et ordo membrorum; quia id quod desuper esse natura postulat, subter est, et quod illa subter vult esse, desuper factum est; conturbavit [3] carnis pacem ista perversitas, et ideo est molesta: verumtamen anima corpori suo pacata est, et pro ejus salute satagit, et ideo est qui doleat; quæ si molestiis ejus exclusa discesserit, quamdiu membrorum manet compago, non est sine quadam partium pace quod remanet, et ideo adhuc est qui pendeat. Et quod terrenum corpus in terram nititur, et vinculo quo suspensum est renititur, in suæ pacis ordinem tendit, et locum quo requiescat quodammodo ponderis voce poscit, jamque exanime ac sine ullo sensu, a pace tamen naturali sui ordinis non recedit, vel cum tenet eam, vel cum fertur ad eam. Si enim adhibeantur medicamenta, atque curatio, quæ formam cadaveris dissolvi dilabique non sinat [1], adhuc pax quædam partes partibus jungit, totamque molem applicat terreno et convenienti, ac per hoc loco pacato. Si autem nulla adhibeatur cura condiendi [2], sed naturali cursui relinquatur, tamdiu quasi tumultuatur dissidentibus exaltationibus et nostro inconvenientibus sensui: id enim est quod in putore sentitur, donec mundi conveniat elementis, et in eorum pacem particulatim paulatimque discedat. Nullo modo tamen inde aliquid legibus summi illius Creatoris Ordinatorisque subtrahitur, a quo pax universitatis administratur: quia etsi de cadavere majoris animantis animalia minuta nascantur, eadem lege Creatoris quæque corpuscula in salutis pace suis animulis [3] serviunt: etsi mortuorum carnes ab aliis animalibus devorentur, easdem leges per cuncta diffusas ad salutem generis cujusque mortalium, congrua congruis pacificantes, quaquaversum trahantur, et rebus quibuscumque jungantur, et in res quaslibet convertantur et commutentur, inveniunt.

CAPUT XIII. — *De pace universali, quæ inter quaslibet perturbationes privari non potest lege naturæ, dum sub justo judice ad id quisque pervenit ordinatione, quod meruit voluntate.*

1. Pax itaque corporis, est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis et animæ, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei [4], ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Proinde miseri, quia, in quantum miseri sunt, utique in pace non sunt, tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla est: verumtamen quia merito justeque miseri sunt, in ea quoque ipsa sua miseria præter ordinem

[1] Sic manuscripti. Editi vero, *satiabat*.
[2] Editi, *nisi et in ejus pacem*. Abest, *et*, a manuscriptis.
[3] Sic Mss. Editi vero, *conturbabat*.

[1] Sola editio Lov., *sinunt*.
[2] Nostri codices, *condiendi*. M.
[3] Vind. et Am., *suis animalibus*. Nonnulli Mss., *sui animalis*.
[4] Editi, *et Dei immortalis*. Abest, *immortalis*, a manuscriptis.

esse non possunt; non quidem conjuncti beatis, sed ab eis tamen ordinis lege sejuncti. Qui cum sine perturbatione sunt [1], rebus in quibus sunt, quantacumque congruentia coaptantur: ac per hoc est in eis ordinis nonnulla tranquillitas: inest ergo nonnulla pax. Verum ideo miseri sunt, quia, etsi in aliqua securitate non dolent, non tamen ibi sunt, ubi securi esse ac dolere non debeant: miseriores autem, si pax eis cum ipsa lege non est, qua naturalis ordo administratur. Cum autem dolent, ex qua parte dolent, pacis perturbatio facta est: in illa vero adhuc pax est, in qua nec dolor urit, nec compago ipsa dissolvitur. Sicut ergo est quædam vita sine dolore, dolor autem sine aliqua vita esse non potest: sic est pax quædam sine ullo bello, bellum vero esse sine aliqua pace non potest; non secundum id quod bellum est, sed secundum id quod ab eis vel in eis geritur, quæ aliquæ naturæ sunt: quod nullo modo essent, si non qualicumque pace subsisterent.

2. Quapropter natura est, in qua nullum malum est, vel etiam in qua nullum potest esse malum: esse autem natura, in qua nullum bonum sit, non potest. Proinde nec ipsius diaboli natura, in quantum natura est, malum est: sed perversitas eam malam facit. Itaque in veritate non stetit (*Joan.* VIII, 44), sed veritatis judicium non evasit: in [2] ordinis tranquillitate non mansit, nec ideo tamen a potestate Ordinatoris effugit. Bonum Dei, quod illi est in natura, non eum subtrahit justitiæ Dei, qua ordinatur in pœna: nec ibi Deus bonum insequitur quod creavit, sed malum quod ille commisit. Neque enim totum aufert quod naturæ dedit; sed aliquid adimit, aliquid relinquit, ut sit qui doleat quod adimit [3]. Et ipse dolor testimonium est boni adempti et boni relicti. Nisi enim bonum relictum esset, bonum amissum dolere non posset. Nam qui peccat, pejor est, si lætatur in damno æquitatis. Qui vero cruciatur, si nihil inde acquirat boni, dolet damnum salutis. Et quoniam æquitas ac salus utrumque bonum est, bonique amissione dolendum est potius quam lætandum (si tamen non sit compensatio melioris, melior est autem animi æquitas, quam corporis sanitas), profecto convenientius injustus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto. Sicut ergo lætitia deserti boni in peccato testis est voluntatis malæ; ita dolor amissi boni in supplicio testis est naturæ bonæ. Qui enim dolet amissam naturæ suæ pacem, ex aliquibus reliquiis pacis id dolet, quibus fit, ut sibi amica natura sit. Hoc autem in extremo supplicio recte fit, ut iniqui et impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorem justissimum Deum, quem contempserunt benignissimum largitorem. Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id est, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipsa salute et incolumitate ac societate sui generis, et quæque huic paci vel tuendæ vel recuperandæ necessaria sunt, sicut ea quæ apte ac convenienter adjacent sensibus, lux, nox [1], auræ spirabiles, aquæ potabiles, et quidquid ad alendum, tegendum, curandum ornandumque corpus congruit: eo pacto æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam et honorem in vita æterna ad fruendum Deo, et proximo in Deo: qui autem perperam, nec illa accipiat, et hæc amittat.

CAPUT XIV. — *De ordine ac lege, sive cœlesti, sive terrena, per quam societati humanæ etiam dominando consulitur, cui et consulendo servitur.*

Omnis igitur usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena: in cœlesti autem civitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quapropter si irrationalia essemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis et requiem appetitionum: nihil ergo præter quietem carnis et copiam voluptatum, ut [2] pax corporis prodesset paci animæ. Si enim desit pax corporis, impeditur etiam irrationalis pax animæ; quia requiem appetitionum consequi non potest. Utrumque autem simul ei paci prodest, quam inter se habent anima et corpus, id est, ordinatæ vitæ ac salutis. Sicut enim pacem corporis amare se ostendunt animantia, cum fugiunt dolorem; et pacem animæ, cum propter explendas indigentias appetitionum voluptatem sequuntur: ita mortem fugiendo satis indicant quantum diligant pacem, qua sibi conciliantur anima et corpus. Sed quia homini rationalis anima inest, totum hoc quod habet commune cum bestiis, subdit paci animæ rationalis, ut mente aliquid contempletur, et secundum hoc aliquid agat, ut sit ei ordinata cognitionis actionisque consensio, quam pacem rationalis animæ dixeramus. Ad hoc enim velle debet nec dolore molestari, nec desiderio perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid utile cognoscat, et secundum eam cognitionem vitam moresque componat. Sed ne ipso studio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in pestem alicujus erroris incurrat, opus habet magisterio divino, cui certus obtemperet, et adjutorio, ut liber obtemperet. Et quoniam, quamdiu est in isto mortali corpore, peregrinatur a Domino; ambulat per fidem, non per speciem (II *Cor.* V, 6 *et* 7): ac per hoc omnem pacem vel corporis, vel animæ, vel simul corporis et animæ, refert ad illam pacem, quæ homini mortali est cum immortali Deo; ut ei sit ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Jam vero quia duo præcipua præcepta, hoc est, dilectionem Dei et dilectionem proximi, docet magister Deus; in quibus tria invenit homo quæ diligat, Deum, se ipsum, et proximum;

[1] Sic Mss. Editi vero, *non sint*.
[2] Editi, *quia in*. At mss. non habent, *quia*.
[3] Er. et Mss., *ademit*.

[1] Sic ex auctoritate Mss. legendum judicat Morel, Element. Critic., pag. 153. In B., *lux ista visibilis, auræ*, etc. M.
[2] Sola editio Lov. *et*.

atque ille in se diligendo non errat qui diligit Deum: consequens est, ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur sicut se ipsum diligere. Sic uxori, sic filiis, sic domesticis, sic cæteris quibus potuerit hominibus; et ad hoc sibi a proximo, si forte indiget, consuli velit: ac per hoc erit pacatus, quantum in ipso est, omni homini, pace hominum, id est ordinata concordia: cujus hic ordo est, primum ut nulli noceat, deinde ut etiam prosit cui potuerit. Primitus ergo inest ei suorum cura: ad eos quippe habet opportuniorem facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Unde Apostolus dicit: *Quisquis autem suis, et maxime domesticis non providet, fidem denegat, et est infideli deterior* (I *Tim.* v, 8). Hinc itaque etiam pax domestica oritur, id est, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim qui consulunt: sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur: sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in domo justi viventis ex fide, et adhuc ab illa cœlesti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia.

CAPUT XV. — *De libertate naturali, et de servitute, cujus prima causa peccatum est, quo homo malæ voluntatis etiamsi non est mancipium alterius hominis, servus est propriæ libidinis.*

Hoc naturalis ordo præscribit; ita Deus hominem condidit. Nam, *Dominetur*, inquit, *piscium maris, et volatilium cœli, et omnium repentium quæ repunt super terram* (*Gen.* i, 26). Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi justi, pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt: ut etiam sic insinuaret Deus, quid postulet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret (*Id.* ix, 25). Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Origo autem vocabuli servorum in latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui jure belli possent occidi, a victoribus cum servabantur servi fiebant, a servando appellati: quod etiam ipsum sine peccati merito non est. Nam et cum justum geritur bellum, pro peccato e contrario dimicatur[1]: et omnis victoria, cum etiam malis provenit, divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. Testis est homo Dei Daniel, cum in captivitate positus, peccata sua et peccata populi sui confitetur Deo, et hanc esse causam illius captivitatis pio dolore testatur (*Dan.* ix, 5-19). Prima ergo servitutis causa peccatum est, ut homo homini conditionis vinculo subderetur: quod non fit nisi Deo judicante, apud quem non est iniquitas, et novit diversas pœnas meritis distribuere delinquentium. Sicut autem supernus Dominus dicit, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* viii, 34): ac per hoc multi quidem religiosi dominis iniquis, non tamen liberis serviunt: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (II *Petr.* ii, 19). Et utique felicius servitur homini, quam libidini; cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium, ut alias omittam, libido ipsa dominandi. Hominibus autem illo pacis ordine, quo aliis alii subjecti sunt, sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. Nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, servus est hominis, aut peccati. Verum et pœnalis servitus ea lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conservari jubet, perturbari vetat: quia si contra eam legem non esset factum, nihil esset pœnali servitute coercendum. Ideoque Apostolus etiam servos monet subditos esse dominis suis, et ex animo eis cum bona voluntate servire (*Ephes.* vi, 5): ut scilicet, si non possunt a dominis liberi fieri, suam servitutem ipsi quodammodo liberam faciant; non timore subdolo, sed fideli dilectione serviendo, donec transeat iniquitas, et evacuetur omnis principatus, et potestas humana, et sit Deus omnia in omnibus.

CAPUT XVI. — *De æquo jure dominandi.*

Quocirca etiamsi habuerunt servos justi patres nostri, sic quidem administrabant[1] domesticam pacem, ut secundum hæc temporalia bona, filiorum sortem a servorum conditione distinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit, ut nomen patrumfamilias hinc exortum sit, et tam late vulgatum, ut inique etiam dominantes hoc se gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua tanquam filiis ad colendum et promerendum Deum consulunt; desiderantes atque optantes venire ad cœlestem domum, ubi necessarium non sit officium imperandi mortalibus, quia necessarium non erit officium consulendi jam in illa immortalitate felicibus: quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quam servi tolerare quod serviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam domesticæ paci adversatur, corripitur, seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio genere pœnæ justo atque licito, quantum societas humana concedit, pro ejus qui corripitur utilitate, ut paci unde dissiluerat coaptetur. Sicut enim non est beneficentiæ, adjuvando efficere ut bonum quod majus est amittatur; ita non est innocentiæ, parcendo sinere ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum; ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Quia igitur hominis domus initium sive particula debet esse

[1] [illegible]

[1] [illegible], *sic administrabant*; [illegible], *quidem*.

civitatis, omne autem initium ad aliquem sui generis finem, et omnis pars ad universi, cujus pars est, integritatem refertur: satis apparet esse consequens, ut ad pacem civicam pax domestica referatur, id est, ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium. Ita fit, ut ex lege civitatis præcepta sumere patremfamilias oporteat, quibus domum suam sic regat, ut sit paci accommodata[1] civitatis.

CAPUT XVII. — *Unde cœlestis societas cum terrena civitate pacem habeat, et unde discordiam.*

Sed domus hominum qui non vivunt ex fide, pacem terrenam ex hujus temporalis vitæ rebus commodisque sectatur. Domus autem hominum ex fide viventium, exspectat ea quæ in futurum æterna promissa sunt, terrenisque rebus ac temporalibus tanquam peregrina utitur, non quibus capiatur et avertatur quo tendit in Deum, sed quibus sustentetur ad facilius toleranda minimeque augenda onera corporis corruptibilis, quod aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Idcirco rerum vitæ huic mortali necessariarum utrisque hominibus[2] et utrique domui communis est usus; sed finis utendi cuique suus proprius, multumque diversus. Ita etiam terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit; in eoque defigit imperandi obediendique concordiam civium, ut sit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compositio voluntatum. Civitas autem cœlestis, vel potius pars ejus, quæ in hac mortalitate peregrinatur, et vivit ex fide, etiam ista pace necesse est utatur, donec ipsa cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat. Ac per hoc dum apud terrenam civitatem, velut captivam vitam suæ peregrinationis agit, jam promissione redemptionis et dono spirituali tanquam pignore accepto, legibus terrenæ civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat: ut, quoniam communis est ipsa mortalitas, servetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia. Verum quia terrena civitas habuit quosdam suos sapientes, quos divina improbat disciplina, qui vel suspicati vel decepti a dæmonibus crederent multos deos conciliandos esse rebus humanis, ad quorum diversa quodammodo officia diversa subdita pertinerent, ad alium corpus, ad alium animus[3], inque ipso corpore ad alium caput, ad alium cervix, et cætera singula ad singulos; similiter in animo ad alium ingenium, ad alium doctrina, ad alium ira, ad alium concupiscentia; inque ipsis rebus vitæ adjacentibus, ad alium pecus, ad alium triticum, ad alium vinum, ad alium oleum, ad alium silvæ, ad alium nummi, ad alium navigatio, ad alium bella atque victoriæ, ad alium conjugia, ad alium partus ac fecunditas, et ad alios alia cetera; cœlestis autem civitas unum Deum solum colendum nosset, eique fideliter serviendum servitute illa, quæ græce λατρεία dicitur, et non nisi Deo debetur, fideli pietate censeret (a): factum est, ut religionis leges cum terrena civitate non posset habere communes, proque his ab ea dissentire haberet necesse, atque oneri esse diversa sentientibus, eorumque iras et odia et persecutionum impetus sustinere, nisi cum animos adversantium aliquando terrore suæ multitudinis, et semper divino adjutorio propulsaret. Hæc ergo cœlestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur; nihil eorum rescindens, nec destruens, imo etiam servans ac sequens: quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit. Utitur ergo etiam cœlestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrena, et de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compositionem, quantum salva pietate ac religione conceditur, tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad cœlestem pacem: quæ vere ita pax est, ut rationalis duntaxat creaturæ sola pax habenda atque dicenda sit, ordinatissima scilicet et concordissima societas fruendi Deo, et invicem in Deo; quo cum ventum fuerit, non erit vita mortalis, sed plane[1] certeque vitalis; nec corpus animale, quod dum corrumpitur, aggravat animam, sed spirituale sine ulla indigentia, ex omni parte subditum voluntati. Hanc pacem, dum peregrinatur in fide, habet; atque ex hac fide juste vivit, cum ad illam pacem adipiscendam refert quidquid bonarum actionum gerit erga Deum et proximum, quoniam vita civitatis utique socialis est.

CAPUT XVIII. — *Quam diversa sit Academiæ novæ ambiguitas a constantia fidei christianæ.*

Quod autem attinet ad illam differentiam, quam de Academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omnino civitas Dei talem dubitationem tanquam dementiam detestatur, habens de rebus, quas mente atque ratione comprehendit, etiamsi parvam propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, quoniam sicut dicit Apostolus, *Ex parte scimus* (I *Cor.* XIII, 9), tamen certissimam scientiam: creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur: quoniam miserabilius fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum. Credit etiam Scripturis sanctis et veteribus et novis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit (*Habacuc* II, 4); per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur a Domino (II *Cor.* V,

[1] Plerique MSS., *accommoda*.

[2] Editi addunt, *fidelibus et infidelibus*. Sed his prætermissis nemo non facile intelligit, *utrisque hominibus*, dictum esse pro et iis qui ex fide, et iis qui non ex fide vivunt.

[3] Editi, *ad alium animum*: et infra constanter accusandi casu, *cervicem*, *doctrinam*, *iram*, *concupiscentiam*, *silvas*, *nummos*, *navigationem*, etc. Castigantur ad Regium manuscriptum.

[1] Lov., *sed plane*.

(a) Supra, lib. 5, cap. 15, et lib. 6, cap. 1.

6) : qua salva atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percepimus [1], neque nobis per Scripturam canonicam claruerunt, nec per testes quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine justa reprehensione dubitamus (*a*).

CAPUT XIX. — *De habitu et moribus populi christiani.*

Nihil sane ad istam pertinet civitatem quo habitu vel more vivendi, si non est contra divina præcepta, istam fidem, qua pervenitur ad Deum, quisque sectetur : unde ipsos quoque philosophos, quando Christiani fiunt, non habitum vel consuetudinem victus, quæ nihil impedit religionem, sed falsa dogmata mutare compellit. Unde illam quam Varro adhibuit ex Cynicis differentiam, si nihil turpiter atque intemperanter agat [2], omnino non curat. Ex tribus vero illis vitæ generibus, otioso, actuoso, et ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, et ad sempiterna præmia pervenire; interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi; nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet; sed aut inquisitio, aut inventio veritatis : ut in ea quisque proficiat, et quod invenerit teneat, et alteri non invideat [3]. In actione vero non amandus est honor in hac vita, sive potentia; quoniam omnia vana sub sole : sed opus ipsum, quod per eumdem honorem vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundum Deum est; unde jam superius disputavimus (*Cap.* 6). Propter quod ait Apostolus, *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (I *Tim.* III, 1). Exponere voluit quid sit episcopatus; quia nomen est operis, non honoris (*b*). Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens : ἐπὶ quippe, Super; σκοπὸς vero, Intentio est : ergo ἐπισκοπεῖν, si velimus, latine Superintendere possumus dicere (*c*); ut intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium : locus vero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur (*d*). Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis : negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem (*a*) : sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas.

CAPUT XX. — *Quod cives sanctorum in vitæ hujus tempore spe beati sint.*

Quamobrem summum bonum civitatis Dei cum sit æterna pax atque perfecta, non per quam mortales transeant nascendo atque moriendo, sed in qua immortales maneant nihil adversi omnino patiendo; quis est qui illam vitam vel beatissimam neget, vel in ejus comparatione istam, quæ hic agitur, quantislibet animi et corporis externarumque rerum bonis plena sit, non miserrimam judicet? Quam tamen quicumque sic habet, ut ejus usum referat ad illius finem, quam diligit ardentissime, ac fidelissime sperat, non absurde dici etiam nunc beatus potest, spe illa potius, quam re ista. Res vero ista sine spe illa, beatitudo falsa et magna miseria est : non enim veris animi bonis utitur. Quoniam non est vera sapientia, quæ intentionem suam in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justeque distribuit, non in illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28), æternitate certa et pace perfecta.

CAPUT XXI. — *An secundum definitiones Scipionis, quæ in dialogo Ciceronis sunt, unquam fuerit Romana respublica.*

1. Quapropter nunc est locus, ut quam potero breviter ac dilucide expediam, quod in secundo hujus operis libro me demonstraturum esse promisi (*Cap.* 21, *n.* 4), secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Republica, nunquam rempublicam fuisse Romanam. Breviter enim rempublicam definit esse rem populi. Quæ definitio, si vera est, nunquam fuit Romana respublica : quia nunquam fuit res populi; quam definitionem voluit esse reipublicæ. Populum enim esse definivit cœtum multitudinis, juris consensu et utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat juris consensum, disputando explicat; per hoc ostendens geri sine justitia non posse rempublicam : ubi ergo justitia vera non est, nec jus potest esse. Quod enim jure fit, profecto juste fit : quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. Non enim jura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta : cum illud etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manaverit; falsumque esse, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse jus, quod ei qui plus potest, utile est (*b*). Quocirca ubi non est vera justitia, juris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse : et ideo nec populus, juxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem : et si non populus, nec res populi; sed

[1] Quidam Mss. *percipimus*. M.
[2] Sola editio Lov., *agant*.
[3] Plures Mss., *et quod invenerit, ne alteri invideat*.
(*a*) Conf. cum hoc capite Tertullianum, in lib. de Anima, cap. 17. Coqueus.
(*b*) Citatur in Aquisgranensi concilio anni 816, lib. 1, cap. 9.
(*c*) Hieronymus quoque, in Epistola 8, ad Evagrium, ita vertit, [illegible] superintendentes. Coqueus.
(*d*) Lex 3 Codicis, de Episcopis et Clericis : « Tantum ab [illegible] debet esse sepositus Antistes, ut quæratur [illegible] [illegible] » Et post : « [illegible] indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. » Coqueus.

(*a*) Conf. epist. 48, n. 2.
(*b*) Sic justitiam definivit Thrasymachus apud Platonem, in primo libro de Republica, quam definitionem Socrates refutat.

qualiscumque multitudinis, quæ populi nomine digna non est. Ac per hoc, si respublica res populi est, et populus non est qui consensu non sociatus est juris, non est autem jus, ubi nulla justitia est : procul dubio colligitur, ubi justitia non est, non esse rempublicam. Justitia porro ea virtus est, quæ sua cuique distribuit. Quæ igitur justitia est hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit, et immundis dæmonibus subdit? Hoccine est sua cuique distribuere? An qui fundum aufert ei a quo emptus est, et tradit ei qui nihil in eo habet juris, injustus est; et qui se ipsum aufert dominanti Deo, a quo factus est, et malignis servit spiritibus, justus est?

2. Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem ipsis de Republica libris adversus injustitiam pro justitia. Et quoniam, cum prius ageretur pro injustitiæ partibus contra justitiam, et diceretur nisi per injustitiam rempublicam stare augerique non posse; hoc veluti validissimum positum erat, injustum esse, ut homines hominibus dominantibus serviant; quam tamen injustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cujus est magna respublica, non eam posse provinciis imperare : responsum est a parte justitiæ, ideo justum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri cum recte fit, id est, cum improbis aufertur injuriarum licentia; et domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt : subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti a natura sumptum nobile exemplum, atque dictum est, *Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini cæterisque vitiosis animi partibus?* Plane hoc exemplo satis edoctum est, quibusdam esse utilem servitutem; et Deo quidem ut serviatur, utile esse omnibus. Serviens autem Deo animus, recte imperat corpori, inque ipso animo ratio Domino Deo subdita, recte imperat libidini vitiisque cæteris. Quapropter ubi homo Deo non servit, quid in eo putandum est esse justitiæ; quandoquidem Deo non serviens, nullo modo potest juste animus corpori, aut humana ratio vitiis[1] imperare? Et si in homine tali non est ulla justitia, procul dubio nec in hominum cœtu, qui ex hominibus talibus constat. Non est hic ergo juris ille consensus, qui hominum multitudinem populum facit, cujus res dicitur esse respublica. Nam de utilitate quid dicam, cujus etiam communione sociatus cœtus hominum, sicut se habet ista definitio, populus nuncupatur? Quamvis enim, si diligenter attendas, nec utilitas sit ulla viventium, qui vivunt impie; sicut vivit omnis qui non servit Deo, servitque dæmonibus, tanto magis impiis, quanto magis sibi, cum sint immundissimi spiritus, tanquam diis sacrificari volunt : tamen quod de juris consensu diximus, satis esse arbitror, unde appareat per hanc definitionem non esse populum, cujus respublica esse dicatur, in quo justitia non est. Si enim dicunt non spiritibus immundis, sed diis bonis atque sanctis in sua republica servisse Romanos; numquid eadem toties repetenda sunt, quæ jam satis, imo ultra quam satis est, diximus? Quis enim ad hunc locum per superiores hujus operis libros pervenit, qui dubitare adhuc possit, malis et impuris dæmonibus servisse Romanos, nisi vel nimium stolidus, vel impudentissime contentiosus? Sed ut taceam quales sint, quos sacrificiis colebant; in lege veri Dei scriptum est, *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino tantum* (*Exod.* XXII, 20). Nec bonis igitur, nec malis diis sacrificari voluit, qui hoc cum tanta comminatione præcepit.

[1] Sola editio Lov., *vitiis cæteris.*

CAPUT XXII. — *An verus sit Deus, cui Christiani serviunt, cui soli debeat sacrificari.*

Sed responderi potest : Quis iste Deus est, aut unde dignus probatur, cui deberent obtemperare Romani, ut nullum deorum præter ipsum colerent sacrificiis? Magnæ cæcitatis est, adhuc quærere quis iste sit Deus. Ipse est Deus, cujus Prophetæ prædixerunt ista quæ cernimus. Ipse est Deus, a quo responsum accepit Abraham, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Quod in Christo fieri, qui secundum carnem de illo semine exortus est, iidem ipsi qui remanserunt hujus nominis inimici, velint nolintve, cognoscunt. Ipse est Deus, cujus divinus Spiritus per eos locutus est, quorum prædicta atque completa per Ecclesiam, quam videmus toto orbe diffusam, in libris superioribus posui. Ipse est Deus, quem Varro doctissimus Romanorum Jovem putat, quamvis nesciens quid loquatur (*a*) : quod tamen ideo commemorandum putavi, quoniam vir tantæ scientiæ nec nullum istum deum potuit existimare, nec vilem. Hunc enim eum esse credidit, quem summum putavit Deum. Postremo ipse est Deus, quem doctissimus philosophorum, quamvis Christianorum acerrimus inimicus, etiam per eorum oracula, quos deos putat, Deum magnum Porphyrius confitetur.

CAPUT XXIII. — *Quæ Porphyrius dicat oraculis deorum responsa esse de Christo.*

1. Nam in libris quos ἐκ λογίων φιλοσοφίας [1] appellat, in quibus exsequitur atque conscribit rerum ad philosophiam pertinentium velut divina responsa (*b*), ut ipsa verba ejus, quemadmodum ex lingua græca in latinam interpretata sunt, ponam : *Interroganti*, inquit, *quem deum placando revocare possit uxorem suam a Christianismo*, *hæc ait versibus Apollo.* Deinde verba velut Apollinis ista sunt : *Forte magis poteris in aqua impressis litteris scribere, aut adinflans* [2] *pen-*

[1] In Mss. plerisque est, *eglogion philosophias ;* pro quo perperam fuerat in excusis emendatum *theologiôn philosophias.*
[2] Sic Mss. Editi, *inflans.*
(*a*) Conf. lib. 1 de Cons. Evang., n. 30.
(*b*) Citant hos libros passim Theodoretus ac Eusebius hocce titulo, *de Philosophia ex oraculis*, uti recte in Eusebii libro 4 Præparationis evangelicæ, cap. 6, non autem sicuti in ejusdem libro 3 de Demonstratione evangelica, cap. 6, et aliquoties apud Theodoretum male redditur, *de Philosophia selectorum.* Inscriptionis causam et operis argumentum aperit cum Augustinus hic perspicue, tum luculentissime Eusebius, loco libri Præparationis evangelicæ nunc laudato.

nas leves per aera ut avis volare, quam pollutæ[1] *revoces impiæ uxoris sensum. Pergat*[2] *quomodo vult inanibus fallaciis perseverans, et lamentationibus fallacissimis mortuum Deum cantans*[3], *quem a judicibus recta* ***sentientibus perditum, pessima in speciosis ferro vincta*** *mors interfecit.* Deinde post hos versus Apollinis, qui non stante metro latine interpretati sunt, subjunxit atque ait: *In his quidem tergiversationem*[4] *irremediabilis sententiæ eorum manifestavit, dicens quoniam Judæi suscipiunt Deum magis quam isti.* Ecce ubi decolorans Christum, Judæos præposuit Christianis, confitens quod Judæi suscipiant Deum. Sic enim exposuit versus Apollinis, ubi a judicibus recta sentientibus Christum dicit occisum, tanquam illis juste judicantibus, merito sit ille punitus. Viderit quid de Christo vates mendax Apollinis (*a*) dixerit, atque iste crediderit, aut fortasse vatem, quod non dixit, dixisse iste ipse confinxerit: quam vero sibi constet, vel ipsa oracula inter se faciat convenire, postea videbimus. Hic tamen Judæos, tanquam Dei susceptores, recte dicit judicasse de Christo, quod eum morte pessima excruciandum esse censuerint. Deus itaque Judæorum, cui perhibet testimonium, audiendus fuit, dicens: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino tantum* (*Exod.* XXII, 20). Sed ad manifestiora veniamus, et audiamus quam magnum Deum dicat esse Judæorum. Item ad ea quæ interrogavit Apollinem, quid melius, verbum sive ratio, an lex; *respondit*, inquit, *versibus hæc dicens.* Ac deinde subjicit Apollinis versus, in quibus et isti sunt, ut quantum satis est inde decerpam: *In Deum vero*, inquit, *generatorem, et in regem ante omnia*[5] (*b*), ***quem tremit et cœlum, et terra, atque mare, et infernorum abdita, et ipsa numina perhorrescunt: quorum lex est Pater, quem valde sancti honorant Hebræi*** (*c*). Tali oraculo dei sui Apollinis, Porphyrius tam magnum Deum dixit Hebræorum, ut eum et ipsa numina perhorrescant. Cum ergo Deus iste dixerit, *Sacrificans diis eradicabitur*, miror quod ipse Porphyrius non perhorruerit, et sacrificans diis eradicari non formidaverit.

2. Dicit etiam bona philosophus iste de Christo, quasi oblitus illius, de qua paulo ante locuti sumus, contumeliæ suæ; aut quasi in somnis dii ejus maledixerint Christo, et evigilantes eum bonum esse cognoverint, digneque laudaverint. Denique tanquam mirabile aliquid atque incredibile prolaturus, ***Præter opinionem***, inquit, ***profecto quibusdam videatur esse quod dicturi sumus. Christum enim dii piissimum pronuntiaverunt et immortalem factum, et cum bona prædicatione ejus meminerunt: Christianos vero pollutos***, inquit, ***et contaminatos, et errore implicatos esse dicunt; et multis talibus adversus eos blasphemiis utuntur.*** Deinde subjicit velut deorum oracula blasphemantium Christianos. Et post hæc, ***De Christo autem***, inquit, *interrogantibus si est Deus*, *ait Hecate*: ***Quoniam quidem immortalis anima post corpus ut incedit, nosti, a sapientia autem abscissa semper errat, viri pietate præstantissimi est illa anima, hanc colunt aliena a se veritate.*** Deinde post verba hujus quasi oraculi sua ipse contexens, ***Piissimum igitur virum***, inquit, ***eum dixit, et ejus animam, sicut et aliorum piorum, post obitum immortalitate donatam***[1], ***et hanc colere Christianos ignorantes***[2]. ***Interrogantibus autem***, inquit, ***Cur ergo damnatus est? oraculo respondit dea, Corpus quidem debilitantibus tormentis semper oppositum est: anima autem piorum cœlesti sedi insidet. Illa vero anima aliis animabus fataliter dedit, quibus fata non annuerunt deorum obtinere dona, neque habere Jovis immortalis agnitionem, errore implicari. Propterea ergo diis exosi: quia quibus fato non fuit nosse Deum, nec dona a diis accipere, his fataliter dedit iste errore implicari. Ipse vero pius, et in cœlum, sicut pii, concessit. Itaque hunc quidem non blasphemabis, misereberis autem hominum dementiam: ex eo in eis facile præcepsque periculum*** (*a*).

3. Quis ita stultus est, ut non intelligat aut ab homine callido, eoque Christianis inimicissimo hæc oracula fuisse conficta, aut consilio simili ab impuris dæmonibus ista fuisse responsa; ut scilicet, quoniam laudant Christum, propterea credantur veraciter vituperare Christianos; atque ita, si possint, intercludant viam salutis æternæ, in qua fit quisque christianus? Suæ quippe nocendi astutiæ milleformi sentiunt non esse contrarium[3], si credatur eis laudantibus Christum, dum tamen credatur etiam vituperantibus Christianos; ut eum qui utrumque crediderit, talem Christi faciant laudatorem, ne velit esse christianus: ac sic quamvis ab illo laudatus, ab istorum tamen dæmonum dominatu eum non liberet Christus. Præsertim quia ita laudant Christum, ut quisquis in eum talem crediderit, qualis ab eis prædicatur, Christianus verus non sit, sed Photinianus hæreticus, qui tantummodo hominem, non etiam Deum noverit Christum (*b*): et ideo per eum salvus esse non possit, nec istorum mendaciloquorum dæmonum laqueos vitare vel solvere. Nos autem neque

[1] Sic habent manuscripti. Editi vero, *quam semel pollutæ.*

[2] Corbeiensis, *Peragat.*

[3] Regius vetus codex, *perseverans lamentari mortuum Deum et cantans.* Cæteri fere Mss., *perseverans et lamentari fallaciis mortuum Deum cantans*: excepto altero e Corbeiensibus, qui habet sic, *Pergat quomodo vult inanibus fallaciis mortuum Deum. Cantans quem a judicibus*, etc.

[4] Veteres libri carent verbo *tergiversationem*; et plures habent, *irremediabilem sententiam*; alii, *irremediabili sententiæ*, vel, *irremediabile sententiæ.*

[5] Sola editio Lov., *In Deum vero, inquit, regem generatorem et regem ante omnia.*

(*a*) Scilicet Pythia.

(*b*) Versus ille apud Lactantium, lib. de Ira Dei, cap. 23, sic habet græce:

[illegible]

(*c*) His affine est aliud oraculum, cujus meminit Justinus in sermone exhortatorio ad Gentes. Sciscitante enim quodam, qui unquam viri religiosi fuissent, ita responsum ab oraculo:

[illegible]

[illegible]

id est, Soli Chaldæi sapientiam sortiti sunt atque Hebræi, ex se ipso ortum regem sancte colentes, Deum [illegible]

[1] Veteres libri, *immortalitate dignatam.* Apud Eusebium, lib. 3, de Demonst. Evang., cap. 6, græce est, *apothanatisthenai.*

[2] Sic Mss. Editi autem, *errantes.*

[3] Sola editio Lov., *Suæ quippe nocendi astutiæ milleformi non sentiunt esse contrarium.*

(*a*) Hoc eadem Græce apud Eusebium, lib. 3 de Demonst. Evang., cap. 6.

(*b*) Cont. lib. de Hæres., hær. 44, 45.

Apollinem vituperantem Christum, neque Hecaten possumus approbare laudantem. Ille quippe tanquam iniquum Christum vult credi, quem a judicibus recta sentientibus dicit occisum; ista, hominem piissimum, sed hominem tantum. Una est tamen et illius et hujus intentio, ut nolint homines esse Christianos, quia nisi Christiani erunt, ab eorum erui potestate non poterunt. Iste vero philosophus, vel potius qui talibus adversus Christianos quasi oraculis credunt, prius faciant, si possunt, ut inter se de ipso Christo Hecate atque Apollo concordent, eumque aut ambo condemnent, aut ambo collaudent. Quod si facere potuissent, nihilominus nos et vituperatores et laudatores Christi fallaces dæmones vitaremus. Cum vero eorum deus et dea inter se de Christo, ille vituperando, ista laudando dissentiant; profecto eis blasphemantibus Christianos non credunt homines, si recte ipsi sentiant.

4. Sane Christum laudans, vel Porphyrius, vel Hecate, cum dicat eum ipsum dedisse fataliter Christianis, ut implicarentur errore, causas tamen ejusdem, sicut putat, pandit erroris. Quas antequam ex verbis ejus exponam, prius quæro, Si fataliter dedit Christus Christianis erroris implicationem, utrum volens, an nolens dederit. Si volens, quomodo justus? si nolens, quomodo beatus? Sed jam causas ipsius audiamus erroris. *Sunt*, inquit, *spiritus terreni minimi loco quodam*[1] *malorum dæmonum potestati subjecti. Ab his sapientes Hebræorum, quorum unus iste etiam Jesus fuit, sicut audisti divina Apollinis*[2], *quæ superius dicta sunt; ab his ergo Hebræi dæmonibus pessimis et minoribus spiritibus vetabant religiosos, et ipsis vacare prohibebant: venerari autem magis cœlestes deos, amplius autem venerari Deum Patrem. Hoc autem*, inquit, *et dii præcipiunt, et in superioribus ostendimus, quemadmodum animum advertere ad Deum monent, et illum colere ubique imperant. Verum indocti et impiæ naturæ, quibus vere fatum non concessit a diis dona obtinere, neque habere Jovis immortalis notionem, non audientes et deos et divinos viros, deos quidem omnes recusaverunt, prohibitos autem dæmones et hos non odisse, sed revereri. Deum autem simulantes colere*[3], *ea sola per quæ Deus adoratur, non agunt. Nam Deus quidem, utpote omnium Pater, nullius indiget: sed nobis est bene, cum eum per justitiam et castitatem aliasque virtutes adoramus, ipsam vitam precem ad ipsum facientes, per imitationem et inquisitionem de ipso. Inquisitio enim purgat*, inquit: *imitatio deificat affectionem ad ipsum operando.* Bene quidem prædicavit Deum Patrem, et quibus sit colendus moribus dixit. Quibus præceptis prophetici Libri pleni sunt Hebræorum, quando sanctorum vita sive vituperatur[4], sive laudatur. Sed in Christianis tantum errat, aut tantum calumniatur, quantum volunt dæmones, quos opinatur deos, quasi cuiquam difficile sit recolere, quæ turpia, quæ dedecora ergo deorum obsequium in theatris agebantur et templis, et attendere quæ legantur, dicantur, audiantur in ecclesiis, vel Deo vero quid offeratur; et hinc intelligere ubi ædificium, et ubi ruina sit morum. Quis autem huic dixit vel inspiravit, nisi diabolicus spiritus, tam vanum apertumque mendacium, quod dæmones ab Hebræis coli prohibitos revereantur potius, quam oderint Christiani? Sed Deus ille quem coluerunt sapientes Hebræorum, etiam cœlestibus sanctis Angelis et Virtutibus Dei, quos beatissimos tanquam cives in hac nostra peregrinatione mortali veneramur et amamus, sacrificari vetat, intonans in lege sua, quam dedit populo suo Hebræo, et valde minaciter dicens, *Sacrificans diis eradicabitur.* Et ne quisquam putaret dæmonibus pessimis terrenisque spiritibus, quos iste dicit minimos vel minores, ne sacrificetur esse præceptum; quia et ipsi in Scripturis sanctis dicti sunt dii, non Hebræorum, sed gentium; quod evidenter in Psalmo Septuaginta interpretes posuerunt, dicentes, *Quoniam omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5): ne quis ergo putaret istis quidem dæmoniis prohibitum, cœlestibus autem vel omnibus, vel aliquibus sacrificari esse permissum, mox addidit, *nisi Domino soli*, id est, nisi Domino tantum: ne forte in eo quod ait, *nisi Domino soli*, Dominum solem credat esse quispiam, cui sacrificandum putat[1]: quod non ita esse intelligendum, in Scripturis græcis facillime reperitur.

5. Deus igitur Hebræorum, cui tam magnum tantus etiam iste philosophus perhibet testimonium, legem dedit Hebræo populo suo, hebræo sermone conscriptam, non obscuram et incognitam, sed omnibus jam gentibus diffamatam, in qua lege scriptum est, *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino tantum.* Quid opus est in hac ejus lege, ejusque Prophetis de hac re multa perquirere? Imo non perquirere, non enim abstrusa vel rara sunt; sed aperta et crebra colligere, et in hac disputatione mea ponere: quibus luce clarius apparet[2], nulli omnino nisi tantum sibi Deum verum et summum voluisse sacrificari. Ecce hoc unum breviter, imo granditer, minaciter, sed veraciter dictum ab illo Deo, quem tam excellenter[3] eorum doctissimi prædicant, audiatur, timeatur, impleatur, ne inobedientes eradicatio consequatur. *Sacrificans*, inquit, *diis eradicabitur, nisi Domino tantum:* non quo rei egeat alicujus, sed quia nobis expedit ut res ejus simus. Hinc[4] enim canitur in sa-

[1] Editi, *loco terreno quodam.* Abest, *terreno*, a manuscriptis.

[2] Hic in editis additur, *oracula;* quod abest a manuscriptis.

[3] Sic omnes MSS. Editi vero, *prohibitos autem dæmones non solum nullis odiis insequi, sed etiam revereri delegerunt. Deum autem simulantes se colere.*

[4] Plures Mss., *sive imperatur.* Hanc lectionem probat Ludovicus Vives, alteram improbat; nam « Prophetæ, » inquit, « sanctorum vitam non vituperant. » Loquitur Augustinus de sanctorum vita in terris, quæ non omnino vacavit culpa: et indicare videtur præceptorum duo genera, de vitando malo, quod in eorum etiam qui verum Deum colebant, moribus vituperatur; et de faciendo bono, quod in eisdem laudatur.

[1] Lov., *putet.* Editi autem alii et manuscripti, *putat.* Addit Augustinus facillime reperiri in scripturis græcis quomodo locus ille sit intelligendus, quia in eis non ambigue dictum est, Exod. XXII, 20, *Kuriô monô.*

[2] Er. et Lov., *appareat.* Editi vero alii et Mss., *apparet.*

[3] Plures Mss., *excellentem.*

[4] Vind. Am. et Mss., *Huic.*

cris Litteris Hebræorum : *Dixi Domino , Deus meus es tu , quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv, 2). Hujus autem præclarissimum atque optimum sacrificium nos ipsi sumus , hoc est [1] civitas ejus , cujus rei mysterium celebramus oblationibus nostris , quæ fidelibus notæ sunt , sicut in libris præcedentibus disputavimus (*Lib.* 10 , *cap.* 6 , *et alibi*). Cessaturas enim victimas , quas in umbra futuri offerebant Judæi , et unum sacrificium gentes a solis ortu usque ad occasum , sicut jam fieri cernimus oblaturas , per Prophetas Hebræos oracula increpuere divina : ex quibus quantum satis visum est , nonnulla protulimus , et huic jam operi aspersimus. Quapropter ubi non est ista justitia , ut secundum suam gratiam civitati obedienti Deus imperet unus et summus , ne cuiquam sacrificet , nisi tantum sibi ; et per hoc in omnibus hominibus ad eamdem civitatem pertinentibus atque obedientibus Deo , animus etiam corpori , atque ratio vitiis, ordine legitimo fideliter imperet; ut quemadmodum justus unus , ita cœtus populusque justorum vivat ex fide , quæ operatur per dilectionem , qua homo diligit Deum , sicut diligendus est Deus , et proximum sicut semetipsum : ubi ergo non est ista justitia , profecto non est cœtus hominum juris consensu et utilitatis communione sociatus. Quod si non est , utique populus non est , si vera est hæc populi definitio. Ergo nec respublica est : quia res populi non est , ubi ipse populus non est.

CAPUT XXIV. — *Qua definitione constet populi et reipublicæ nuncupationem recte sibi non solum Romanos, sed etiam regna alia vindicare.*

Si autem populus non isto, sed alio definiatur modo, velut si dicatur , Populus est cœtus multitudinis rationalis , rerum quas diligit concordi communione sociatus : profecto ut videatur qualis quisque populus sit, illa sunt intuenda quæ diligit. Quæcumque tamen diligat, si cœtus est multitudinis , non pecorum , sed rationalium creaturarum , et eorum quæ diligit concordi communione sociatus est, non absurde populus nuncupatur ; tanto utique melior , quanto in melioribus; tantoque deterior, quanto est in deterioribus concors. Secundum istam definitionem nostram Romanus populus , populus est ; et res ejus sine dubitatione respublica. Quid autem primis temporibus suis, quidve sequentibus populus ille dilexerit, et quibus moribus ad cruentissimas seditiones , atque inde ad socialia atque civilia bella perveniens, ipsam concordiam, quæ salus quodammodo est populi , ruperit atque corruperit, testatur historia : de qua in præcedentibus libris multa posuimus. Nec ideo tamen vel ipsum non esse populum , vel ejus rem dixerim non esse rempublicam, quamdiu manet qualiscumque rationalis multitudinis cœtus , rerum quas diligit concordi communione sociatus. Quod autem de isto populo et de ista republica dixi , hoc de Atheniensium vel quorumcumque Græcorum, hoc de Ægyptiorum , hoc de illa priore Babylone Assyriorum , quando in rebus suis publicis imperia vel parva vel magna tenuerunt , et de alia quacumque aliarum gentium intelligar dixisse atque sensisse. Generaliter quippe civitas impiorum , cui non imperat Deus obedienti sibi , ut sacrificium non offerat , nisi tantummodo sibi , et per hoc in illa et animus corpori , ratioque vitiis recte ac fideliter imperet , caret justitiæ veritate.

[1] Vind. Am. et Er., *hæc est*

CAPUT XXV. — *Quod non possint ibi veræ esse virtutes, ubi non est vera religio.*

Quamlibet enim videatur animus corpori , et ratio vitiis laudabiliter imperare ; si Deo animus et ratio ipsa non servit, sicut sibi serviendum esse ipse Deus præcepit, nullo modo corpori vitiisque recte imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum potest esse mens domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata , sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostituta ? Proinde virtutes, quas sibi habere videtur , per quas imperat corpori et vitiis ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur , nec propter aliud expetuntur ; etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt : et ideo non virtutes , sed vitia [1] judicanda sunt (*a*). Sicut enim non est a carne, sed super carnem , quod carnem facit vivere : sic non est ab homine , sed super hominem, quod hominem facit beate vivere ; nec solum hominem , sed etiam quamlibet Potestatem Virtutemque cœlestem.

CAPUT XXVI. — *De pace populi alienati a Deo, qua utitur ad pietatem populus Dei , dum in hoc peregrinus est mundo.*

Quocirca ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est , de quo dicunt sacræ Litteræ Hebræorum, *Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII , 15). Miser igitur populus ab isto alienatus Deo. Diligit tamen ipse etiam quamdam pacem suam non improbandam, quam quidem non habebit in fine, quia non ea bene utitur ante finem. Hanc autem ut interim habeat in hac vita, nostra [2] etiam interest : quoniam quamdiu permixtæ sunt ambæ civitates , utimur et nos pace Babylonis : ex qua ita per fidem populus Dei liberatur , ut apud hanc interim peregrinetur. Propter quod et Apostolus admonuit Ecclesiam, ut oraret pro regibus ejus atque sublimibus , addens et dicens , *ut quietam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et charitate* [3] (I *Tim.* II, 2). Et propheta Jeremias cum populo Dei veteri venturam [4] prænuntiaret captivitatem , et divinitus imperaret ut obedienter in Babyloniam irent, Deo suo etiam ista patientia servientes, monuit et ipse ut orare-

[1] Sola editio Lov. *et ideo non virtutes, virtutes, sed vitia*, etc.
[2] Mss., *nostri.*
[3] Regius Ms., *et castitate* : juxta Vulgatam et juxta græcum, *kai semnotêti*
[4] Id est, *venturam*, in codicibus nostris. M.
(*a*) Vide de Trinit. lib. 13, nn. 25, 26, et lib. 14, n. 3.

tur pro illa, dicens, *quia in ejus est pace pax vestra* (*Jerem.* XXIX, 7), utique interim temporalis, quæ bonis malisque communis est.

CAPUT XXVII. — *De pace servientium Deo, cujus perfecta tranquillitas in hac temporali vita non potest apprehendi.*

Pax autem nostra propria, et hic est cum Deo per fidem, et in æternum erit cum illo per speciem. Sed hic sive illa communis, sive nostra propria, talis est pax, ut solatium miseriæ sit potius quam beatitudinis gaudium. Ipsa quoque nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem [1], ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum (*a*). Testis est oratio totius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Nec pro eis est efficax hæc oratio, quorum fides sine operibus mortua est (*Jacobi* II, 17, 26): sed pro eis quorum fides per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6). Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen conditione mortali, et corpore corruptibili quod aggravat animam (*Sap.* IX, 15), non perfecte vitiis imperat ratio, ideo necessaria est justis talis oratio. Nam profecto quanquam imperetur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur. Et utique subrepit aliquid in hoc loco infirmitatis etiam bene confligenti, sive hostibus talibus victis subditisque dominanti, unde, si non facili operatione, certe labili locutione aut volatili cogitatione peccetur. Et ideo quamdiu vitiis imperatur, plena pax non est: quia et illa quæ resistunt, periculoso debellantur prælio; et illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. In his ergo tentationibus, de quibus omnibus in divinis eloquiis breviter dictum est, *Numquid non tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1, *sec.* LXX)? quis ita vivere se præsumat, ut dicere Deo, *Dimitte nobis debita nostra*, non necesse habeat, nisi homo elatus? Nec vero magnus, sed inflatus ac tumidus, cui per justitiam resistit qui gratiam largitur humilibus. Propter quod scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6; I *Petr.* V, 5). Hic itaque in unoquoque justitia est, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo, vel resistendo; atque ut ab ipso Deo petatur et meritorum gratia, et venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio persolvatur. In illa vero pace finali, quo referenda, et cujus adipiscendæ causa habenda est ista justitia, quoniam sanata immortalitate atque incorruptione natura vitia non habebit, nec unicuique nostrum vel ab alio vel a se ipso quidquam repugnabit, non opus erit ut ratio vitiis, quæ nulla erunt, imperet: sed imperabit Deus homini, animus corpori; tantaque obediendi ibi erit suavitas et facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas. Et hoc illic in omnibus [1] atque in singulis æternum erit, æternumque esse certum erit: et ideo pax beatitudinis hujus, vel beatitudo pacis hujus, summum bonum erit.

CAPUT XXVIII. — *In quem finem venturus sit exitus impiorum.*

Eorum autem qui non pertinent ad istam civitatem Dei, erit e contrario miseria sempiterna, quæ etiam secunda mors dicitur (*Apoc.* II, 11; XX, 6; XXI, 8): quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ a vita Dei alienata erit; nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit. Ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit. Sed quoniam sicut miseria beatitudini, et mors vitæ, ita bellum paci videtur esse contrarium; merito quæritur, sicut pax in bonorum finibus prædicata est atque laudata, quod vel quale bellum in finibus malorum e contrario possit intelligi. Verum qui hoc quærit, attendat quid in bello noxium perniciosumque sit, et videbit nihil aliud esse, quam inter se rerum adversitatem atque conflictum. Quod igitur bellum gravius et amarius cogitari potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni, et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiæ finiantur; et ubi sic confligit cum ipsa natura corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat? Hic enim quando contingit iste conflictus, aut dolor vincit, et sensum mors adimit; aut natura vincit [2], et dolorem sanitas tollit. Ibi autem et dolor permanet, ut affligat; et natura perdurat, ut sentiat: quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat. Ad hos autem fines bonorum et malorum, illos expetendos, istos cavendos, quoniam per judicium transibunt ad illos boni, ad istos mali; de hoc judicio, quantum Deus donaverit, in consequenti volumine disputabo.

[1] Veteres libri, *propter verum boni finem.*

(*a*) Non intelligendus est ille locus, quasi justitia nostra constet sola remissione peccatorum. Hic potius, quemadmodum animadvertit et ipse Bellarminus, lib. 2 de Justific., cap. 13, non excludit perfectionem virtutum, sed præponit remissionem peccati; adeo ut sensus sit, justitiam nostram, quæ partim in remissione peccati, partim in perfectione virtutum sita est, magis constare remissione peccati, quam perfectione virtutis: illam enim plenius quam hanc præstare valemus. Et hoc etiam sensu Hieronymus, lib. 2 contra Pelag., contendit in nobis esse veram justitiam licet non omnino perfectam; perfecta autem est remissio peccatorum. Ex Coquæo.

[1] Editi, *omnibus hominibus.* Abest, *hominibus*, a manuscriptis.

[2] Lov., *aut natura perdurans vincit.* Editi alii et manuscripti carent verbo, *perdurans.*

LIBER VIGESIMUS.

De judicio novissimo, deque testimoniis cum Novi, tum Veteris Instrumenti, quibus denuntiatur futurum.

CAPUT PRIMUM. — *Quod quamvis omni tempore Deus judicet, in hoc tamen libro de novissimo ejus judicio sit proprie disputandum.*

1. De die ultimi judicii Dei, quod ipse donaverit, locuturi, eumque asserturi adversus impios et incredulos, tanquam in ædificii fundamento prius ponere testimonia divina debemus. Quibus qui nolunt credere, humanis ratiunculis falsis atque fallacibus con-

travenire conantur, ad hoc ut aut aliud significare contendant quod adhibetur testimonium de Litteris sacris, aut omnino divinitus esse dictum negent. Nam nullum existimo esse mortalium, qui cum ea, sicut dicta sunt, intellexerit, et a summo ac vero Deo per animas sanctas dicta esse crediderit, non eis cedat atque consentiat : sive id etiam ore fateatur, sive aliquo vitio fateri erubescat, aut metuat; vel etiam pervicacia simillima insaniæ, id quod falsum esse novit aut credit, contra id quod verum esse novit aut credit, etiam contentiosissime defendere moliatur.

2. Quod ergo in confessione ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri, Christum de cœlo esse venturum ad vivos ac mortuos judicandos, hunc divini judicii ultimum diem dicimus, id est, novissimum tempus. Nam per quot dies hoc judicium tendatur, incertum est : sed Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tempore, nemo qui illas litteras quamlibet negligenter legerit, nescit. Ideo autem cum diem judicii Dei dicimus, addimus ultimum vel novissimum; quia et nunc judicat, et ab humani generis initio judicavit, dimittens de paradiso, et a ligno vitæ separans primos homines peccati magni perpetratores : imo etiam quando angelis peccantibus non pepercit (II *Petr.* II, 4), quorum princeps homines a se ipso subversus[1] invidendo subvertit, procul dubio judicavit. Nec sine illius alto justoque judicio, et in hoc aerio cœlo, et in terris, et dæmonum et hominum miserrima est vita, erroribus ærumnisque plenissima. Verum etsi nemo peccasset, non sine bono rectoque judicio universam rationalem creaturam perseverantissime sibi Domino suo cohærentem in æterna beatitudine retineret. Judicat etiam, non solum universaliter de genere dæmonum atque hominum, ut miseri sint propter primorum meritum peccatorum; sed etiam de singulorum operibus propriis, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam et dæmones ne torqueantur, precantur (*Matth.* VIII, 29) : nec utique injuste vel parcitur eis, vel pro sua quique improbitate torquentur. Et homines plerumque aperte, semper occulte, luunt pro suis factis divinitus pœnas, sive in hac vita, sive post mortem : quamvis nullus hominum agat recte, nisi divino adjuvetur auxilio; nullus dæmonum aut hominum agat inique, nisi divino eodemque justissimo judicio permittatur. Sicut enim ait Apostolus, *Non est iniquitas apud Deum* (*Rom.* IX, 14); et, sicut ipse alibi dicit, *Inscrutabilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ ejus* (*Id.* XI, 33). Non igitur in hoc libro de illis primis, nec de istis mediis Dei judiciis, sed de ipso novissimo judicio, quantum ipse tribuerit, disputabo, quando Christus de cœlo venturus est vivos judicaturus et mortuos. Iste quippe dies judicii proprie jam vocatur, eo quod nullus ibi erit imperitæ querelæ locus, cur injustus ille sit felix, et cur ille justus infelix. Omnium namque tunc nonnisi bonorum vera et plena felicitas, et omnium nonnisi malorum digna et summa infelicitas apparebit.

[1] Vind. Am. et plerique Mss., *subversos*, minus bene.

CAPUT II. — *De varietate rerum humanarum, cui non potest dici deesse judicium Dei, quamvis nequeat vestigari.*

Nunc autem et mala æquo animo ferre discimus, quæ patiuntur et boni; et bona non magnipendere, quæ adipiscuntur et mali. Ac per hoc etiam in his rebus, in quibus non apparet divina justitia, salutaris est divina doctrina. Nescimus enim quo judicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives : iste gaudeat, quem pro suis perditis moribus cruciari debuisse mœroribus arbitramur; contristetur ille, quem vita laudabilis gaudere debuisse persuadet : exeat de judicio non solum inultus, verum etiam damnatus innocens, aut iniquitate judicis pressus, aut falsis obrutus testimoniis; e contrario scelestus adversarius ejus non solum impunitus, verum etiam vindicatus insultet : impius optime valeat, pius languore tabescat : latrocinentur sanissimi juvenes; et qui nec verbo quemquam lædere potuerunt, diversa morborum atrocitate affligantur infantes : utilis rebus humanis immatura morte rapiatur; et qui videntur nec nasci debuisse, diutissime insuper vivant : plenus criminibus sublimetur honoribus, et hominem sine querela tenebræ ignobilitatis abscondant : et cætera hujusmodi, quæ quis colligit, quis enumerat? Quæ si haberent in ipsa velut absurditate constantiam, ut in hac vita, in qua *homo*, sicut sacer Psalmus eloquitur, *vanitati similis factus est, et dies ejus velut umbra prætereunt* (*Psal.* CXLIII, 4), nonnisi mali adipiscerentur transitoria bona ista atque terrena, nec nisi boni talia paterentur mala, posset hoc referri ad judicium justum Dei, vel etiam benignum; ut qui non erant assecuturi bona æterna, quæ faciunt beatos, temporalibus vel deciperentur pro malitia sua, vel pro Dei misericordia consolarentur bonis; et qui non erant passuri æterna tormenta, temporalibus vel pro suis quibuscumque et quantuliscumque peccatis affligerentur, vel propter implendas virtutes exercerentur malis. Nunc vero quando non solum in malo sunt boni, et in bono mali, quod videtur injustum; verum etiam plerumque et malis mala eveniunt, et bonis bona proveniunt : magis inscrutabilia fiunt judicia Dei (*Rom.* XI, 33), et investigabiles viæ illius. Quamvis ergo nesciamus quo judicio Deus ista vel faciat, vel fieri sinat, apud quem summa virtus est et summa sapientia, summa[1] justitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas : salubriter tamen discimus non magnipendere seu bona, seu mala, quæ videmus esse bonis malisque communia; et illa bona quærere, quæ bonorum, atque illa mala maxime fugere, quæ propria sunt malorum. Cum vero ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam proprie dies judicii, et aliquando dies Domini nuncupatur; non solum quæcumque tunc judicabuntur, verum etiam quæcumque ab initio judicata, et quæcumque usque ad illud tempus adhuc judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa ac pene omnia justa judicia Dei sensus mentesque mor-

[1] Sic nostri Mss. In B., *summaque*. M.

talium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, justum esse quod latet.

CAPUT III. — *Quid in libro Ecclesiastæ Salomon de his quæ in hac vita et bonis et malis sunt communia, disputarit.*

Nempe Salomon, sapientissimus rex Israel, qui regnavit in Jerusalem, librum qui vocatur Ecclesiastes, et a Judæis quoque habetur in sacrarum canone Litterarum, sic exorsus est: *Vanitas vanitantium*[1], *dixit Ecclesiastes; vanitas vanitantium, et omnia vanitas. Quæ homini abundantia in omni labore suo, quo laborat sub sole* (*Eccle.* I, 2 *et* 3)? Et cum ex hac sententia connecteret cætera, commemorans ærumnas erroresque vitæ hujus, et vanescentes interea temporum lapsus, ubi nihil solidum, nihil stabile retinetur; in ea rerum vanitate sub sole, illud etiam deplorat quodammodo, quod cum sit abundantia sapientiæ super insipientiam, sicut abundantia lucis super tenebras, sapientisque oculi sint in capite ipsius, et stultus in tenebris ambulet; unus tamen incursus incurrat omnibus (*Id.* II, 13, 14), utique in hac vita quæ sub sole agitur: significans videlicet ea mala, quæ bonis et malis videmus esse communia. Dicit etiam illud, quod et boni patiantur mala, tanquam mali sint, et mali tanquam boni sint, adipiscantur bona, ita loquens: *Est*, inquit, *vanitas, quæ facta est super terram; quia sunt justi, super quos venit sicut factum impiorum; et sunt impii, super quos venit sicut factum justorum. Dixi quoniam hoc quoque vanitas* (*Id.* VIII, 14). In hac vanitate, cui, quantum satis visum est, intimandæ totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem: in hac ergo vanitate, numquid nisi justo Dei rectoque judicio similis eidem vanitati factus vanesceret homo? In diebus tamen vanitatis suæ interest plurimum, utrum resistat, an obtemperet veritati, et utrum sit expers veræ pietatis, an particeps: non propter vitæ hujus vel bona acquirenda, vel mala vitanda vanescendo transeuntia; sed propter futurum judicium, per quod erunt et bonis bona, et malis mala, sine fine mansura. Denique iste sapiens hunc librum sic conclusit, ut diceret, *Deum time, et mandata ejus custodi; quia hoc est omnis homo: quia omne hoc opus Deus adducet in judicium in omni despecto, sive bonum, sive malum* (*Id.* XII, 13, 14). Quid brevius, verius, salubrius dici potuit? *Deum*, inquit, *time, et mandata ejus custodi; quia hoc est omnis homo.* Quicumque enim est, hoc est, custos utique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis. *Quia omne hoc opus*, id est, quod ab homine fit in hac vita, *sive bonum, sive malum, Deus adducet in judicium, in omni despecto*, id est, in omni etiam qui contemptibilis hic videtur, et ideo nec videtur: quoniam Deus et ipsum videt, nec eum despicit, nec cum judicat præterit.

CAPUT IV. — *Quod ad disserendum de novissimo judicio Dei, Novi primum Testamenti, ac deinde Veteris testimonia prolaturus sit.*

Hujus itaque ultimi judicii Dei testimonia de Scripturis sanctis quæ ponere institui, prius eligenda sunt de libris Instrumenti Novi, postea de Veteris. Quamvis enim vetera priora sint tempore, nova tamen anteponenda sunt dignitate; quoniam illa vetera præconia sunt novorum. Nova igitur ponentur prius, quæ ut firmius probemus, assumentur et vetera. In veteribus habentur Lex et Prophetæ[1], in novis Evangelium et apostolicæ Litteræ. Ait autem Apostolus, *Per Legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per Legem et Prophetas: justitia autem Dei, per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt*[2] (*Rom.* III, 20-22). Hæc justitia Dei ad novum pertinet Testamentum, et testimonium habet a veteribus Libris, hoc est, a Lege et Prophetis. Prius ergo ipsa causa ponenda est, et postea testes introducendi. Hunc et ipse Jesus Christus ordinem servandum esse demonstrans, *Scriba*, inquit, *eruditus in regno Dei, similis est viro patrifamilias, proferenti de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Non dixit, Vetera et nova: quod utique dixisset, nisi maluisset meritorum ordinem servare quam temporum.

CAPUT V. — *Quibus sententiis Domini Salvatoris divinum judicium futurum in fine sæculi declaretur.*

1. Ergo ipse Salvator cum objurgaret civitates, in quibus virtutes magnas fecerat, neque crediderant, et eis alienigenas anteponeret, *Verumtamen*, inquit, *dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quam vobis.* Et paulo post alteri civitati, *Amen*, inquit, *dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi* (*Matth.* XI, 22, 24). Hic evidentissime prædicat diem judicii esse venturum. Et alio loco, *Viri Ninivitæ*, inquit, *surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, et ecce plus quam Jona hic. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam; quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic* (*Id.* XII, 41, 42). Duas hoc loco res discimus, et venturum esse judicium, et cum mortuorum resurrectione venturum. De Ninivitis enim et regina Austri quando ista dicebat, de mortuis sine dubio loquebatur; quos tamen in die judicii resurrecturos esse prædixit. Nec ideo dixit, *condemnabunt*, quia ipsi judicabunt: sed quia ex ipsorum comparatione isti merito damnabuntur.

2. Rursus alio loco, cum de hominum bonorum et malorum nunc permixtione, postea separatione, quæ utique die judicii futura est, loqueretur, adhibuit similitudinem de tritico seminato et superseminatis zizaniis, eamque suis exponens discipulis: *Qui seminat*,

[1] Editi hic et statim vers. cod., *vanitatum*. At Mss. constanter habent, *vanitantium*. Conf. lib. 1 Retract., cap. 7, n. 3.

[1] Sola editio Lov., *prophetiæ*.
[2] In ante editis, *qui credunt in eum*. Abest, *in eum*, a Mss., et a græco textu Apostoli.

inquit, *bonum semen, est Filius hominis: ager autem est mundus* [1]: *bonum vero semen hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam: inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus: messis autem consummatio sæculi est, messores vero Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII, 37-43). Hic quidem judicium vel diem judicii non nominavit, sed multo eum clarius ipsis rebus expressit, et in fine sæculi futurum esse prædixit.

3. Item discipulis suis: *Amen*, inquit, *dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Id.* XIX, 28). Hic discimus cum suis discipulis judicaturum Jesum. Unde et alibi Judæis dixit: *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt* (*Id.* XII, 27). Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum illo judicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero, universa quædam significata est judicantium multitudo, propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas: quæ duæ partes, id est tria et quatuor, altera per alteram multiplicatæ duodecim faciunt. Nam et quatuor ter, et tria quater duodecim sunt: et si qua alia hujus duodenarii numeri, quæ ad hoc valeat, ratio reperitur (*a*). Alioquin quoniam in locum Judæ traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum (*Act.* I, 26); apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit (I *Cor.* XV, 10), ubi ad judicandum sedeat non habebit: qui profecto cum aliis sanctis ad numerum judicum se pertinere demonstrat, cum dicit, *Nescitis quia angelos judicabimus* (*Id.* VI, 3)? De ipsis quoque judicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, *judicantes duodecim tribus Israel*, tribus Levi, quæ tertia decima est, ab eis judicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam cæteras gentes judicabunt. Quod autem ait, *in regeneratione*, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem.

4. Multa præterea, quæ de ultimo judicio ita dici videntur, ut diligenter considerata reperiantur ambigua, vel magis ad aliud pertinentia; sive scilicet ad eum Salvatoris adventum, quo per totum hoc tempus in Ecclesia sua venit, hoc est, in membris suis, particulatim atque paulatim, quoniam tota corpus est ejus; sive ad excidium terrenæ Jerusalem: quia et de illo cum loquitur, plerumque sic loquitur, tanquam de fine sæculi atque de illo die judicii novissimo et magno loquatur; ita ut dignosci non possit omnino, nisi ea quæ apud tres evangelistas, Matthæum, Marcum, et Lucam de hac re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur. Quædam quippe alter obscurius, alter explicat planius; ut ea quæ ad unam rem pertinentia dicuntur, appareat unde dicantur. Quod facere utcumque curavi in quadam epistola, quam rescripsi ad beatæ memoriæ virum Hesychium, Salonitanæ urbis episcopum, cujus epistolæ titulus est, de Fine sæculi (*Epist.* 199).

5. Proinde jam illud hic dicam, quod in Evangelio secundum Matthæum de separatione bonorum et malorum legitur per judicium præsentissimum atque novissimum Christi. *Cum autem venerit*, inquit, *Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt, Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem, et pavimus; sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis, Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet*, inquit, *et his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Deinde similiter etiam his enumerat, quod illa non fecerint, quæ dextros fecisse memoravit. Similiterque interrogantibus, quando eum viderint in horum indigentia constitutum: quod minimis suis factum non est, sibi factum non fuisse respondet; sermonemque concludens, *Et hi*, inquit, *in supplicium æternum ibunt, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 31-46). Joannes vero evangelista apertissime narrat eum in resurrectione mortuorum futurum prædixisse judicium. Cum enim dixisset, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum*: protinus addidit, *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam; et in judicium non veniet, sed transiit* [1] *a morte in vitam* (*Joan.* V, 22-24). Ecce hic dixit fideles suos in judicium non venire. Quomodo ergo per judicium separabuntur a malis, et ad ejus dexteram stabunt, nisi quia hoc loco judicium pro damnatione posuit? In tale quippe judicium non venient, qui

[1] Editi, *est hic mundus*; et infra, *hi filii sunt nequam*. At manuscripti non habent, *hic*, neque *hi*.

(*a*) Vide Enarr. in Psal. XLIX, n. 9.

[1] Hic plures Mss., *non venit, sed transiit*. At editi, *non veniet, sed transiet*. In aliis postea locis non sibi constant. Confer Tract. 22 in Joannem.

audiunt verbum ejus, et credunt ei qui misit illum.

CAPUT VI. — *Quæ sit prima resurrectio, quæ secunda.*

1. Deinde adjungit, et dicit : *Amen, amen dico vobis quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei ; et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 25 *et* 26). Nondum de secunda resurrectione, id est corporum, loquitur, quæ in fine futura est ; sed de prima, quæ nunc est. Hanc quippe ut distingueret, ait, *Venit hora, et nunc est.* Non autem ista corporum, sed animarum est. Habent enim et animæ mortem suam in impietate atque peccatis : secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait, *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* viii, 22) ; ut scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. Propter istos ergo impietate et iniquitate in anima mortuos, *Venit*, inquit, *hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei ; et qui audierint, vivent. Qui audierint* dixit, qui obedierint, qui crediderint, et usque in finem perseveraverint. Nec fecit hic ullam differentiam bonorum et malorum. Omnibus enim bonum est audire vocem ejus, et vivere, ad vitam pietatis ex impietatis morte transeundo [1]. De qua morte ait apostolus Paulus, *Ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est* [2], *ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit* (II *Cor.* v, 14, 15). Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo nec faciendo quod justum est : et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, id est, nullum habens omnino peccatum : ut qui per remissionem peccatorum vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus [3] mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram ; ut credentes in eum qui justificat impium, ex impietate justificati, tanquam ex morte vivificati, ad primam resurrectionem, quæ nunc est [4], pertinere possimus. Ad hanc enim primam non pertinent, nisi qui beati erunt in æternum : ad secundam vero, de qua mox locuturus est, et beatos pertinere docebit, et miseros. Ista est misericordiæ, illa judicii. Propter quod in Psalmo scriptum est : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c, 1).

2. De quo judicio consequenter adjunxit, atque ait : *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Hic ostendit, quod in ea carne veniet judicaturus, in qua venerat judicandus. Ad hoc enim ait, *quoniam Filius hominis est.* Ac deinde subjungens unde agimus : *Nolite*, inquit, *mirari hoc, quia veniet* [1] *hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus* [2] ; *et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 27-29). Hoc est illud judicium, quod paulo ante, sicut nunc, pro damnatione posuerat, dicens, *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiit a morte in vitam* (*Ibid.*, 24) : id est, pertinendo ad primam resurrectionem, qua nunc transitur a morte ad vitam, in damnationem non veniet, quam significavit appellatione judicii, sicut etiam hoc loco, ubi ait, *Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, id est, damnationis. Resurgat ergo in prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari. *Venit* enim *hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei ; et qui audierint, vivent* (*Ibid.*, 25), id est, in damnationem non venient, quæ secunda mors dicitur : in quam mortem, post secundam, quæ corporum futura est, resurrectionem, præcipitabuntur, qui in prima, quæ animarum est, non resurgunt. *Veniet* enim *hora* (ubi non ait, *et nunc est ;* quia in fine sæculi erit, hoc est in ultimo et maximo judicio Dei), *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent* (*Ibid.*, 28). Non dixit quemadmodum in prima, *et qui audierint, vivent.* Non enim omnes vivent, ea scilicet vita, quæ quoniam beata est, sola vita dicenda est. Nam utique non sine qualicumque vita possent audire, et de monumentis resurgente carne procedere. Quare autem non omnes vivent, in eo quod sequitur, docet : *Qui bona*, inquit, *fecerunt, in resurrectionem vitæ*, hi sunt qui vivent : *qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, hi sunt qui non vivent ; quia secunda morte morientur. Mala quippe egerunt, quoniam male vixerunt : male autem vixerunt, quia in prima, quæ nunc est, animarum resurrectione non revixerunt, aut in eo quod revixerant, non in finem usque manserunt. Sicut ergo duæ sunt regenerationes, de quibus jam supra locutus sum, una secundum fidem, quæ nunc fit per Baptismum ; alia secundum carnem, quæ fiet in ejus incorruptione atque immortalitate per judicium magnum atque novissimum : ita sunt et resurrectiones duæ, una prima, quæ et nunc est, et animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam ; alia secunda, quæ nunc non est, sed in sæculi fine futura est, nec animarum, sed corporum est, quæ per ultimum judicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem.

CAPUT VII. — *De duabus resurrectionibus et de mille annis quid in Apocalypsi Joannis scriptum sit, et quid de eis rationabiliter sentiatur.*

1. De his duabus resurrectionibus idem Joannes evangelista in libro qui dicitur Apocalypsis, eo modo locutus est, ut earum prima a quibusdam nostris non intellecta, insuper etiam in quasdam ridiculas

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Lov., *et ad vitam pietatis ex impietatis morte transire.*

[2] Editi, *mortuus est unus.* Abest, *unus*, a manuscriptis.

[3] In pluribus manuscriptis non habetur, *pro omnibus.*

[4] Am. et Er., *quæ nunc est animarum.* Cæteri libri carent voce, *animarum*, quæ exponendi hujus loci causa addita est. Sic paulo post, n. 2, eædem editiones, et Vind., *qua nunc transitur a morte animarum ad vitam virtutum :* ubi Lov. et Mss. habent tantum, *qua nunc transitur a morte ad vitam.*

[1] Sic nostri codices. In B., *quia venit.* M.

[2] Sic mss. Editi vero, *vocem filii Dei.*

fidelis verteretur. Ait quippe in libro memorato Joannes apostolus : *Et vidi angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam in manu sua, et tenuit draconem illum serpentem antiquum, qui cognominatus est diabolus et satanas, et alligavit illum mille annis, et misit illum in abyssum ; et clausit, et signavit super eum, ut non seduceret jam gentes, donec finiantur mille anni : post hæc oportet eum solvi brevi tempore. Et vidi sedes, et sedentes super eas, et judicium datum est. Et animæ occisorum propter*[1] *testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et si qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, neque acceperunt inscriptionem in fronte aut in manu sua, et regnaverunt cum Jesu mille annis : reliqui eorum non vixerunt, donec finiantur mille anni. Hæc resurrectio prima est. Beatus et sanctus est, qui habet in hac prima resurrectione partem. In istis secunda mors non habet potestatem ; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis* (*Apoc.* XX, 1-6). Qui propter hæc hujus libri verba primam resurrectionem futuram suspicati sunt corporalem, inter cætera maxime numero annorum mille permoti sunt, tanquam oporteret in sanctis eo modo veluti tanti temporis fieri sabbatismum, vacatione scilicet sancta post labores annorum sex millium, ex quo creatus est homo, et magni illius peccati merito in hujus mortalitatis ærumnas de paradisi felicitate dimissus est, ut quoniam scriptum est, *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus* (II *Petr.* III, 8), sex annorum millibus tanquam sex diebus impletis, sequatur velut sabbati septimus in annis mille postremis, ad hoc scilicet sabbatum celebrandum resurgentibus sanctis. Quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbato adfuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando (*a*). Sed cum eos qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant : nullo modo ista possunt nisi a carnalibus credi. Hi autem qui spirituales sunt, istos ista credentes Χιλιαστὰς appellant græco vocabulo ; quos, verbum e verbo exprimentes, nos possumus Milliarios nuncupare. Eos autem longum est refellere ad singula ; sed potius, quemadmodum Scriptura hæc accipienda sit, jam debemus ostendere.

2. Ait ipse Dominus Jesus Christus, *Nemo potest introire in domum fortis, et vasa ejus eripere, nisi prius alligaverit fortem* (*Marc.* III, 27) : diabolum volens intelligi fortem, quia ipse genus humanum potuit tenere captivum ; vasa vero ejus, quæ fuerat erepturus, fideles suos futuros, quos ille in diversis peccatis atque impietatibus possidebat. Ut ergo alligaretur hic fortis, propterea vidit iste apostolus in Apocalypsi *angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam in manu sua. Et tenuit*, inquit, *draconem illum serpentem antiquum, qui cognominatus est diabolus et satanas, et alligavit eum mille annis*, hoc est, ejus potestatem ab eis seducendis ac possidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit atque frenavit. Mille autem anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi : aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, sexto annorum milliario tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur ; secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem : ut hujus milliarii tanquam diei novissimam partem, quæ remanebat[1] usque ad terminum sæculi, mille annos appellaverit ; eo loquendi modo, quo pars significatur a toto : aut certe mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit ; ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarii numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe decies ducta, fiunt centum ; quæ jam figura quadrata, sed plana est[2]. Ut autem in altitudinem surgat, et solida fiat, rursus centum decies multiplicantur, et mille sunt. Porro si centum ipsa pro universitate aliquando ponuntur, quale illud est, quod Dominus omnia sua dimittenti et eum sequenti promisit, dicens, *Accipiet in hoc sæculo centuplum* (*Matth.* XIX, 29 ; *Marc.* X, 30) : quod exponens quodammodo Apostolus, ait, *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10) ; quia et ante (*a*) jam dictum erat, *Fidelis hominis totus mundus divitiarum est* : quanto magis mille pro universitate ponuntur, ubi est soliditas ipsius denariæ quadraturæ? Unde nec illud melius intelligitur, quod in Psalmo legitur : *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV, 8), id est, in omnes.

3. *Et misit illum*, inquit, *in abyssum* : utique diabolum misit in abyssum. Quo nomine significata est multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitate adversus Ecclesiam Dei multum profunda sunt corda : non quia ibi diabolus ante non erat ; sed ideo dicitur illuc missus, quia exclusus a credentibus plus cœpit impios possidere. Plus namque possidetur a diabolo, qui non solum alienatus est a Deo, verum etiam gratis odit servientes Deo. *Et clausit*, inquit, *et signavit super eum, ut jam non seduceret gentes, donec finiantur mille anni. Clausit super eum*, dictum est, interdixit ei ne possit exire, id est, vetitum transgredi. *Signavit* autem, quod addidit, significasse mihi videtur, quia occultum esse voluit, qui pertineant ad partem diaboli, et qui non pertineant. Hoc quippe in sæculo isto prorsus latet : quia et qui vide-

[1] Editi, *datum est illis, et animas occisorum propter.* Sic plane Vulgata et græca lectio Apoc. XX. [illegible] omnes hic constituunt, *illis*, habentque, *Et animas* [illegible] ; atque hanc ipsam lectionem exponet postea Augustinus, cap. 9.

(*a*) Sicuti videre est in serm. 259, qui alias ex sirmondianis 19.

[1] Ita Mss. At editi, *remanebat*.

[2] Lov., *non plana quadrata*. Abest, *non*, a cæteris libris.

(*a*) Hæc particula, *ante*, non superiora verba Pauli indicat, sicuti visum est [illegible], sed superiora tempora. Id enim quod allegatur, *Fidelis hominis totus mundus divitiarum est*, deinceps habetur in Proverbiis, ibique cap. 17, post versum 6 legitur apud Septuaginta, non apud Vulgatam ; citatur a Clemente Alexandrino, lib. 2 stromatum, et ab aliis veteribus. Laudat S. tom. 2, ad Epistolam 153, n. 26.

tur stare, utrum sit casurus; et qui videtur jacere, utrum sit surrecturus, incertum est. Ab eis autem gentibus seducendis hujus interdicti vinculo et claustro diabolus prohibetur atque cohibetur, quas pertinentes ad Christum seducebat antea, vel tenebat. Has enim Deus elegit ante mundi constitutionem eruere de potestate tenebrarum (*Ephes.* I, 4), et transferre in regnum Filii charitatis suæ [1] (*Coloss.* I, 13), sicut Apostolus ait. Nam seducere illum gentes etiam nunc, et secum trahere in æternam pœnam, sed non prædestinatas in æternam vitam, quis fidelis ignorat? Nec moveat, quod sæpe diabolus seducit etiam illos, qui jam regenerati in Christo, vias ingrediuntur Dei. *Novit* enim *Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19): ex his in æternam damnationem neminem ille seducit. Sic enim novit eos Dominus, ut Deus, quem nihil latet etiam futurorum; non ut homo, qui hominem ad præsens videt (si tamen videt, cujus cor non videt), qualis autem postea sit futurus, nec se ipsum videt. Ad hoc ergo ligatus est diabolus, et inclusus in abysso, ut jam non seducat gentes, ex quibus constat Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia. Nec enim dictum est, ut non seduceret aliquem; sed, *ut non seduceret*, inquit, *jam gentes*; in quibus Ecclesiam procul dubio voluit intelligi: *donec finiantur*, inquit, *mille anni*, id est, aut quod remanet de sexto die, qui constat ex mille annis; aut omnes anni, quibus deinceps hoc sæculum peragendum est.

4. Nec sic accipiendum est quod ait, *ut non seduceret jam gentes, donec finiantur mille anni*; quasi postea seducturus sit eas duntaxat gentes, ex quibus prædestinata constat Ecclesia, a quibus seducendis illo est vinculo claustroque prohibitus. Sed aut illa locutione dictum est, quæ in Scripturis aliquoties invenitur, qualis est in Psalmo, *Sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* (*Psal.* CXXII, 2); neque enim cum misertus fuerit, non erunt oculi servorum ejus ad Dominum Deum suum: aut certe iste est ordo verborum, *Et clausit, et signavit super eum, donec finiantur mille anni*; quod vero interposuit, *ut non seduceret jam gentes*, ita se habet, ut ab hujus ordinis connexione sit liberum, et seorsus intelligendum, velut si post adderetur, ut sic se haberet tota sententia, *Et clausit, et signavit super eum, donec finiantur mille anni, ut non seduceret jam gentes*; id est, ideo clausit, donec finiantur mille anni, ut jam non seduceret gentes.

CAPUT VIII. — *De alligatione et solutione diaboli.*

1. *Post hæc*, inquit, *oportet eum solvi brevi tempore* (*Apoc.* XX, 3). Si hoc est diabolo ligari et includi, Ecclesiam non posse seducere; hæc ergo erit solutio ejus, ut possit? Absit: nunquam enim ab illo Ecclesia seducetur prædestinata et electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19): et tamen hic erit [2] etiam illo tempore, quo solvendus est diabolus, sicut ex quo est instituta, hic fuit et erit omni tempore, in suis utique qui succedunt nascendo morientibus. Nam paulo post dicit, quod solutus diabolus seductas gentes toto orbe terrarum attrahet in bellum adversus eam, quorum hostium numerus erit ut arena maris. *Et ascenderunt*, inquit, *super terræ latitudinem, et cinxerunt castra sanctorum, et dilectam civitatem; et descendit ignis de cœlo a Deo, et comedit eos; et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta [1], et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XX, 8-10). Sed hoc jam ad judicium novissimum pertinet, quod nunc propterea commemorandum putavi, ne quis existimet eo ipso parvo tempore, quo solvetur diabolus, in hac terra Ecclesiam non futuram, sive illam hic non inveniente, cum fuerit solutus, vel absumente, cum fuerit modis omnibus persecutus. Non itaque per totum hoc tempus, quod liber iste complectitur, a primo scilicet adventu Christi usque in sæculi finem, quo erit secundus ejus adventus, ita diabolus alligatur, ut ejus hæc ipsa sit alligatio per hoc intervallum, quod mille annorum numero appellat, non seducere Ecclesiam; quandoquidem illam nec solutus utique seducturus est. Nam profecto si ei alligari est, non posse seducere, sive non permitti; quid erit solvi, nisi posse seducere, sive permitti? Quod absit ut fiat: sed alligatio diaboli, est non permitti exercere [2] totam tentationem, quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore et tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, et fideles dejiceret, et ne crederent impediret: quod ne faceret, alligatus est.

2. Tunc autem solvetur, quando et breve tempus erit. Nam tribus annis et sex mensibus legitur totis suis suorumque viribus sæviturus (a): et tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu insidiisque non possint. Si autem nunquam solveretur, minus appareret ejus maligna potentia, minus sanctæ civitatis fidelissima patientia probaretur; minus denique perspiceretur, quam magno ejus malo tam bene fuerit usus Omnipotens [3]: qui cum nec omnino abstulit a tentatione sanctorum, quamvis ab eorum interioribus hominibus [4], ubi in Deum creditur, foras missum, ut forinsecus ejus oppugnatione proficerent; et in eis qui sunt ex parte ipsius, alligavit, ne quantam posset effundendo et exercendo malitiam, innumerabiles infirmos ex quibus Ecclesiam multiplicari et impleri oportebat, alios cre-

[1] Ita plures probæ notæ manuscripti. At editi, *claritatis suæ*.
[2] Editi, *et tamen hic erit Ecclesia*. Vox, *Ecclesia*, hoc loco non est in manuscriptis.

[1] Editi, *et pseudoprophetæ*. Castigantur ex manuscriptis.
[2] Plerique Mss., *exerere*.
[3] Editi, *omnipotens Deus*. Abest, *Deus*, a manuscriptis.
[4] Lov., *interioribus omnibus*. Verius editi alii et manuscripti, *interioribus hominibus*. Alludit Augustinus ad illud Ephes. III, 16, 17, *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris*.
(a) Conf. Joannis Apocalypsim, cap. XI, ỳ. 2.

dituros, alios jam credentes, a fide pietatis hos deterreret, hos frangeret; et solvet [1] in fine, ut quam fortem adversarium Dei civitas superaverit, cum ingenti gloria sui redemptoris, adjutoris, liberatoris, aspiciat. In eorum sane, qui tunc futuri sunt, sanctorum atque fidelium comparatione quid sumus? quandoquidem ad illos probandos tantus solvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus. Quamvis et hoc temporis intervallo quosdam milites Christi tam prudentes et fortes fuisse atque esse, non dubium est, ut etiam si tunc in ista mortalitate viverent, quando ille solvetur, omnes insidias ejus atque impetus et caverent sapientissime, et patientissime sustinerent.

3. Hæc autem alligatio diaboli non solum facta est, ex quo cœpit Ecclesia præter Judæam terram in nationes alias aliasque dilatari; sed etiam nunc fit, et fiet usque ad terminum sæculi, quo solvendus est. Quia et nunc homines ab infidelitate, in qua ipse eos possidebat, convertuntur ad fidem, et usque in illum finem sine dubio convertentur: et utique unicuique [2] iste fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas ejus eripitur: et abyssus ubi inclusus est, non in eis consumpta est, quando sunt mortui, qui tunc erant quando esse cœpit inclusus; sed successerunt eis alii nascendo, atque succedunt, donec finiatur hoc sæculum, qui oderint Christianos, in quorum quotidie, velut in abysso, cæcis et profundis cordibus includatur. Utrum autem etiam illis ultimis tribus annis et mensibus sex, quando solutus totis viribus sæviturus est, aliquis in qua non fuerat, sit accessurus ad fidem, nonnulla quæstio est. Quomodo enim stabit quod dictum est, *Quis intrat in domum fortis, ut vasa ejus eripiat, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29)? si etiam soluto eripiuntur? Ac per hoc ad hoc cogere videtur ista sententia, ut credamus illo, licet exiguo, tempore neminem accessurum esse populo christiano, sed cum eis qui jam Christiani reperti fuerint, diabolum pugnaturum: ex quibus etiamsi aliqui victi secuti cum fuerint, non eos ad prædestinatum filiorum Dei numerum pertinere. Neque enim frustra idem Joannes apostolus, qui et hanc Apocalypsim scripsit, in epistola sua de quibusdam dicit, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* II, 19). Sed quid fiet [3] de parvulis? Nimium quippe incredibile est, nullos jam natos et nondum baptizatos præoccupari Christianorum filios illo tempore infantes, nullos etiam ipsis nasci jam diebus; aut si erunt, non eos a parentibus suis ad lavacrum regenerationis modo quocumque perduci. Quod si fiet, quo pacto soluto jam diabolo vasa ista eripientur, in cujus domum nemo intrat, ut vasa ejus eripiat, nisi prius alligaverit eum? Imo vero id potius est credendum, nec qui cadant de Ecclesia, nec qui accedant Ecclesiæ illo tempore defuturos: sed profecto tam fortes erunt et parentes pro baptizandis parvulis suis, et hi qui tunc primitus credituri sunt, ut illum fortem vincant etiam non ligatum, id est, omnibus, qualibus antea nunquam, vel artibus insidiantem, vel urgentem viribus, et vigilanter intelligant, et toleranter ferant; ac sic illi etiam non ligato eripiantur. Nec ideo falsa erit evangelica illa sententia, *Quis intrat in domum fortis, ut vasa ejus eripiat, nisi prius alligaverit fortem?* Secundum enim sententiæ ejus veritatem, ordo iste servatus est, ut prius alligaretur fortis, ereptisque vasis ejus, longe lateque in omnibus gentibus ex firmis et infirmis ita multiplicaretur Ecclesia, ut ex ipsa rerum divinitus prædictarum et impletarum robustissima fide, etiam soluto vasa possit auferre. Sicut enim fatendum est, multorum refrigescere charitatem, cum abundat iniquitas (*Matth.* XXIV, 12), et inusitatis maximisque persecutionibus atque fallaciis diaboli jam soluti, eos qui in libro vitæ scripti non sunt, multos esse cessuros: ita cogitandum est, non solum quos bonos fideles illud tempus inveniet, sed nonnullos etiam qui foris adhuc erunt, adjuvante Dei gratia per considerationem Scripturarum, in quibus et alia et finis ipse prænuntiatus est, quem venire jam sentiunt, ad credendum quod non credebant, futuros esse firmiores, et ad vincendum etiam non ligatum diabolum fortiores. Quod si ita erit, propterea præcessisse dicenda est ejus alligatio, ut et ligati et soluti exspoliatio sequeretur: quoniam de hac re dictum est, *Quis intrabit in domum fortis, ut vasa ejus eripiat, nisi prius alligaverit fortem?*

CAPUT IX. — *Quod sit regnum sanctorum cum Christo per mille annos, et in quo discernatur a regno æterno.*

1. Interea dum mille annis ligatus est diabolus, sancti [1] regnant cum Christo etiam ipsis mille annis eisdem sine dubio, et eodem modo intelligendis, id est, isto jam tempore prioris ejus adventus. Excepto quippe illo regno, de quo in fine dicturus est, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Matth.* XXV, 34), nisi alio aliquo modo, longe quidem impari, jam nunc regnarent cum illo sancti ejus, quibus ait, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Id.* XXVIII, 20); profecto non etiam nunc diceretur Ecclesia regnum ejus, regnumve cœlorum. Nam utique isto tempore in regno Dei eruditur scriba ille, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII, 52), de quo supra locuti sumus. Et de Ecclesia collecturi sunt zizania messores illi, quæ permisit cum tritico simul crescere usque ad messem: quod exponens ait, *Messis est finis sæculi; messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi: mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala* (*Ibid.*, 39-41). Numquid de regno illo, ubi nulla sunt scandala? De isto ergo regno ejus, quod est hic Ecclesia, colligentur. Item dicit, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui au-*

[1] Vind. et Am., *et solveretur*. Fr. et Lov., *et solvetur*. At Mss., *et solvet*, scilicet omnipotens qui eum alligavit.

[2] In editis, *unicuique fidelium*. Abest, *fidelium*, a plerisque manuscriptis.

[3] Mss., *fit*.

[1] Editi, *sancti Dei*. At manuscripti omittunt, *Dei*.

tem fecerit, et sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* v, 19). Utrumque dicit in regno cœlorum, et qui non facit mandata quæ docet, hoc est enim solvere, non servare, non facere; et illum qui facit, et sic docet: sed istum minimum, illum magnum. Et continuo secutus adjungit, *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum et Pharisæorum*, id est, super justitiam eorum qui solvunt quod docent [1]. De Scribis enim et Pharisæis dicit alio loco, *Quoniam dicunt, et non faciunt* (*Matth.* xxiii, 3). Nisi ergo super eos abundaverit justitia vestra, id est, ut vos non solvatis, sed faciatis potius quod docetis, *non intrabitis*, inquit, *in regnum cœlorum* (*Id.* v, 20). Alio modo igitur intelligendum est regnum cœlorum, ubi ambo sunt, et ille scilicet qui solvit quod docet, et ille qui facit; sed ille minimus, iste magnus [2]: alio modo autem regnum cœlorum dicitur, quo non intrat nisi ille qui facit. Ac per hoc ubi utrumque genus est, Ecclesia est qualis nunc est: ubi autem illud solum erit, Ecclesia est qualis tunc erit, quando malus in ea non erit. Ergo Ecclesia et nunc est regnum Christi, regnumque cœlorum. Regnant itaque cum illo etiam nunc sancti ejus, aliter quidem, quam tunc regnabunt: nec tamen cum illo regnant zizania, quamvis in Ecclesia cum tritico crescant. Regnant enim cum illo qui faciunt quod Apostolus ait, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum quærite, non quæ super terram* (*Coloss.* iii, 1 *et* 2). De qualibus item dicit, quod eorum conversatio sit in cœlis (*Philipp.* iii 20). Postremo regnant cum illo, qui eo modo sunt in regno ejus, ut sint etiam ipsi regnum ejus. Quomodo autem sunt regnum Christi, qui, ut alia taceam, quamvis ibi sint donec colligantur in fine sæculi de regno ejus omnia scandala, tamen illic sua quærunt, non quæ Jesu Christi (*Id.* ii, 21)?

2. De hoc ergo regno militiæ, in quo adhuc cum hoste confligitur, et aliquando repugnatur repugnantibus vitiis [3], aliquando cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur, et de hac prima resurrectione quæ nunc est, liber iste sic loquitur. Cum enim dixisset, alligari diabolum mille annis, et postea solvi brevi tempore; mox recapitulando quid in istis mille annis agat Ecclesia vel agatur in ea, *Et vidi*, inquit, *sedes et sedentes super eas, et judicium datum est*. Non hoc putandum est de ultimo judicio dici: sed sedes præpositorum, et ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est, *Quæ ligaveritis in terrâ, ligata erunt et in cœlo; et quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo* (*Matth.* xviii, 18). Unde Apostolus, *Quid enim mihi est*, inquit, *de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis* (I *Cor.* v, 12)? *Et animæ*, inquit, *occisorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei*: subauditur quod postea dicturus est, *regnaverunt cum Jesu mille annis* (*Apoc.* xx, 4), animæ scilicet martyrum nondum sibi corporibus suis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi, nec aliquid prodesset ad ejus in periculo Baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita; nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles, etiam defuncti, membra ejus sunt? Quamvis ergo cum suis corporibus nondum, jam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt. Unde in hoc eodem libro et alibi legitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo et jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; nam opera eorum sequuntur illos* (*Id.* xiv, 13). Regnat itaque cum Christo nunc primum Ecclesia in vivis et mortuis. *Præterea* enim, sicut dicit Apostolus, *mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur* (*Rom.* xiv, 9). Sed ideo tantummodo martyrum animas commemoravit, quia ipsi præcipue regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed a parte totum (*a*) etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi.

3. Quod vero sequitur, *Et si qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem in fronte, aut in manu sua*: simul de vivis ac mortuis debemus accipere. Quæ sit porro ista bestia, quamvis sit diligentius inquirendum non tamen abhorret a fide recta, ut ipsa impia civitas intelligatur, et populus infidelium contrarius populo fideli et civitati Dei. Imago vero ejus simulatio ejus mihi videtur, in eis videlicet hominibus, qui velut fidem profitentur, et infideliter vivunt. Fingunt enim se esse quod non sunt, vocanturque non veraci effigie, sed fallaci imagine Christiani. Ad eamdem namque bestiam pertinent non solum aperte inimici [1] nominis Christi et ejus gloriosissimæ civitatis, sed etiam zizania, quæ de regno ejus, quod est Ecclesia, in fine sæculi colligenda sunt. Et qui sunt qui non adorant bestiam nec imaginem ejus, nisi qui faciunt quod ait Apostolus, *Ne sitis jugum ducentes cum infidelibus* (II *Cor.* vi, 14)? Non adorant enim, id est, non consentiunt, non subjiciuntur: neque accipiunt inscriptionem, notam scilicet criminis, in fronte, propter professionem; in manu, propter operationem. Ab his igitur malis alieni, sive adhuc in ista mortali carne viventes, sive defuncti, regnant cum Christo jam nunc, quodam modo huic tempori congruo, per totum hoc intervallum, quod numero mille significatur annorum.

4. *Reliqui eorum*, inquit, *non vixerunt*. Hora enim nunc est, cum mortui audient [2] vocem Filii Dei; et

[1] Omnes Mss., *id est super eos qui solvunt quod docent.*
[2] Mss., *ille magnus.*
[3] Plures manuscripti, *pugnantibus vitiis.* Et mox iidem aliique omnes, *aliquando cadentibus.*

[1] Editi, *non solum aperti inimici.* Codices Mss., *non solum aperte inimici.*
[2] Vind. Am. et Mss., *audiunt.*
(*a*) Id est, sed figura qua a parte totum accipitur.

qui audierint, vivent; reliqui vero eorum non vivent (*Joan.* v, 25). Quod vero subdidit, *donec finiantur mille anni*, intelligendum est, quod eo tempore non vixerint, quo vivere debuerunt, ad vitam scilicet de morte transeundo. Et ideo cum dies venerit, quo fiat et corporum resurrectio, non ad vitam de monumentis procedent, sed ad judicium; ad damnationem scilicet, quæ secunda mors dicitur. Donec enim finiantur mille anni, quicumque non vixerit, id est, isto toto tempore quo agitur prima resurrectio, non audierit vocem Filii Dei, et ad vitam de morte transierit; profecto in secunda resurrectione, quæ carnis est, in mortem secundam cum ipsa carne transibit. Sequitur enim, et dicit, *Hæc resurrectio prima est. Beatus et sanctus qui habet in hac prima resurrectione partem* (*Apoc.* xx, 5, 6), id est, particeps ejus est. Ipse est autem particeps ejus, qui non solum a morte, quæ in peccatis est, reviviscit, verum etiam in eo quod revixerit, permanebit. *In istis*, inquit, *secunda mors non habet potestatem.* Habet ergo in reliquis, de quibus superius ait, *Reliqui eorum non vixerunt, donec finiantur mille anni*: quoniam isto toto temporis intervallo, quod mille annos vocat, quantumcumque in eo quisque eorum vixit in corpore, non revixit a morte, in qua eum tenebat impietas, ut sic reviviscendo primæ resurrectionis particeps fieret, atque in eo potestatem secunda mors non haberet.

CAPUT X. — *Quid respondendum sit eis, qui putant resurrectionem ad sola corpora, non etiam ad animas pertinere.*

Sunt qui putant resurrectionem dici non posse nisi corporum: ideoque istam quoque in corporibus primam futuram esse contendunt. Quorum enim est, inquiunt, cadere, eorum est resurgere: cadunt autem corpora moriendo: nam et a cadendo cadavera nuncupantur (*a*). Non ergo animarum, inquiunt, resurrectio potest esse, sed corporum. Sed quid contra Apostolum dicunt, qui eam resurrectionem appellat? Nam secundum interiorem, non secundum exteriorem hominem utique resurrexerant, quibus ait, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite* (*Coloss.* iii, 1). Quem sensum verbis aliis alibi posuit, dicens, *Ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, sic et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* vi, 4). Hinc est et illud, *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Quod autem dicunt, non posse resurgere, nisi qui cadunt; et ideo putant resurrectionem ad sola corpora, non ad animas pertinere, quia corporum est cadere: cur non audiunt, *Non recedatis ab illo, ne cadatis* (*Eccli.* ii, 7); et, *Suo domino stat aut cadit* (*Rom.* xiv, 4); et, *Qui putat se stare, videat*[1] *ne cadat* (I *Cor.* x, 12)? Puto enim quod in anima, non in corpore casus iste cavendus est. Si igitur cadentium est resurrectio, cadunt autem et animæ; profecto et animas resurgere confitendum est. Quod autem cum dixisset, *In istis secunda mors non habet potestatem*, adjunxit atque ait,

[1] [illegible], qui putat se stare, caveat ne cadat.

(*a*) Vide serm. 241, n. 2.

Sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis: non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes: sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus, *Plebs*, inquit, *sancta*, *regale sacerdotium* (I *Petr.* ii, 9). Sane, licet breviter atque transeunter, insinuavit Deum esse Christum (*a*), dicendo, *Sacerdotes Dei et Christi*, hoc est, Patris et Filii; quamvis propter formam servi, sicut filius hominis, ita etiam sacerdos Christus effectus sit in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* cix, 4). De qua re in hoc opere non semel diximus.

CAPUT XI. — *De Gog et Magog, quos ad persequendam Ecclesiam Dei, solutus prope finem sæculi diabolus incitabit.*

Et cum finiti fuerint, inquit, *mille anni, solvetur satanas de custodia sua, et exibit ad seducendas nationes, quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gog et Magog, et trahet eos in bellum, quorum numerus est ut arena maris.* Ad hoc ergo tunc seducet, ut in hoc bellum trahat. Nam et antea modis quibus poterat, per mala multa et varia seducebat. *Exibit* autem dictum est, in apertam persecutionem de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit novissima persecutio, novissimo imminente judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur, universa scilicet civitas Christi ab universa diaboli civitate, quantacumque erit utraque super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog et Magog, non sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sive quos quidam suspicantur Getas et Massagetas, propter litteras horum nominum primas, sive aliquos alios alienigenas, et a Romano jure sejunctos. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, cum dictum est, *Nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ*: easque subjecit esse *Gog et Magog*. Quorum interpretationem nominum esse comperimus Gog tectum, Magog de tecto (*b*): tanquam domus, et ipse qui procedit de domo. Gentes igitur sunt, in quibus diabolum velut in abysso superius intelligebamus inclusum; et ipse de illis quodammodo sese efferens et

(*a*) Christum utique Deum esse profitebantur aperte martyres, qui cum idolis sacrificare jussi, respondebant se uni Deo et Christo sacrificare. Sic beata Crispina, quæ passa est Diocletiano [illegible] et Maximiano Augusto consulibus, die nonarum decembrium, apud coloniam Thebestinam, sub Anulino proconsule, sicut exstant passionis illius Acta in Veterum Analectorum tomo tertio vulgata: « Nunquam ego, » inquit, « sacrificavi, nec sacrifico nisi uni Deo et Domino nostro Jesu Christo Filio ejus, qui natus est et passus. » Et [illegible] martyr, quem sub eodem Anulino proconsule in civitate Vagensi passum imperante Maximiano et Galerio testantur Acta in Veterum Analectorum tomo quarto publicata: « Nunquam sacrifico dæmoniis, sed uni Deo, » etc. Atque aliquanto post, « Domino, » ait, « Jesu Christo sacrificamus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; huic Deo credimus et servimus. » Hanc de Christi fide cultumque ipsis ab Apostolis receperant ipsimet pagani, ut videre est supra, lib. 18, cap. 53, et lib. 1 de Consensu Evangelistarum, nn. 11, 12. Cyprianus etiam (quod hic non prætereundum silentio) « Christi et Dei pontifex » appellatur a Pontio in ipsius Vita.

(*b*) Hanc interpretationem comperit apud Hieronymum in Ezechielis cap. XXXVIII.

procedens : ut illæ sint tectum, ipse de tecto. Si autem utrumque referamus ad gentes, non unum horum ad illas, alterum ad diabolum ; et tectum ipsæ sunt, quia in eis nunc includitur et quodammodo tegitur inimicus antiquus ; et de tecto ipsæ erunt, quando in apertum odium de operto erupturæ sunt. Quod vero ait, *Et ascenderunt super terræ latitudinem, et cinxerunt castra sanctorum et dilectam civitatem* (*Apoc.* xx, 7, 8) : non utique ad unum locum venisse, vel venturi esse significati sunt, quasi aliquo uno loco futura sint castra sanctorum et dilecta civitas ; cum hæc non sit nisi Christi Ecclesia toto terrarum orbe diffusa : ac per hoc ubicumque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit, quod significatum est nomine latitudinis terræ, ibi erunt castra sanctorum, ibi erit dilecta Deo civitas ejus ; ibi ab omnibus inimicis suis, quia et ipsi in omnibus gentibus cum illa erunt, persecutionis illius immanitate cingetur, hoc est, in angustias tribulationis arctabitur, urgebitur, concludetur ; nec militiam [1] suam deseret, quæ vocabulo est appellata castrorum.

CAPUT XII. — *An ad ultimum supplicium pertineat impiorum, quod descendisse ignis de cœlo, et eosdem comedisse memoratur.*

Quod vero ait, *Et descendit ignis* (*a*) *de cœlo, et comedit eos* (*Apoc.* xx, 9) : non extremum putandum est id esse supplicium, quod erit, cum dicetur, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41). Tunc quippe in ignem mittentur ipsi, non ignis de cœlo veniet super ipsos. Hic autem bene intelligitur *ignis de cœlo*, de ipsa firmitate sanctorum, qua non cessuri sunt sævientibus, ut eorum faciant voluntatem. Firmamentum est enim cœlum, cujus firmitate illi cruciabuntur ardentissimo zelo ; quoniam non poterunt attrahere in partes Antichristi sanctos Christi. Et ipse erit ignis qui comedet eos, et hoc *a Deo :* quia Dei munere insuperabiles fiunt sancti, unde excruciantur inimici. Sicut enim in bono positum est, *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* LXVIII, 10) ; ita e contrario, *Zelus occupavit plebem ineruditam, et nunc ignis contrarios comedet* (*Isai.* xxvi, 11, *sec.* LXX). *Et nunc* utique, excepto scilicet ultimi illius igne judicii. Aut si eam plagam, qua percutiendi sunt Ecclesiæ persecutores, veniente jam Christo, quos viventes inveniet super terram, quando interficiet Antichristum spiritu oris sui (II *Thess.* II, 8), ignem appellavit descendentem de cœlo, eosque comedentem, neque hoc ultimum supplicium erit impiorum, sed illud quod facta corporum resurrectione passuri sunt.

CAPUT XIII. — *An tempus persecutionis Antichristi mille annis annumerandum sit* [2].

Hæc persecutio novissima, quæ futura est ab Antichristo (sicut jam diximus, quia et in hoc libro superius [*Apoc.* x, *et* xi], et apud Danielem prophetam [*Dan.* xii] positum est), tribus annis et sex mensibus erit. Quod tempus, quamvis exiguum, utrum ad mille annos pertineat, quibus et diabolum ligatum dicit, et sanctos regnare cum Christo, an eisdem annis hoc parvum spatium superadditur, atque sit extra, merito ambigitur. Quia si dixerimus ad eosdem annos hoc pertinere, non tanto tempore, sed prolixiore cum Christo regnum sanctorum reperietur extendi, quam diabolus alligari. Profecto enim sancti cum suo Rege etiam in ipsa præcipue persecutione regnabunt mala tanta vincentes, quando jam diabolus non erit alligatus, ut eos persequi omnibus viribus possit. Quomodo ergo ista Scriptura eisdem mille annis utrumque determinat, diaboli scilicet alligationem, regnumque sanctorum ; cum trium annorum et sex mensium intervallo prius desinat alligatio diaboli, quam regnum sanctorum in his mille annis cum Christo ? Si autem dixerimus parvum persecutionis hujus hoc spatium non computandum in mille annis, sed eis impletis potius adjiciendum ; ut proprie possit intelligi, quod cum dixisset, *Sacerdotes Dei et Christi regnabunt cum eo mille annis*, adjecit, *Et cum finiti fuerint mille anni, solvetur satanas de custodia sua ;* isto enim modo et regnum sanctorum et vinculum diaboli simul cessatura esse significat, ut deinde persecutionis illius tempus nec ad sanctorum regnum, nec ad custodiam satanæ, quorum utrumque in mille annis est, pertinere, sed superadditum et extra computandum esse credatur : cogemur fateri sanctos in illa persecutione regnaturos non esse cum Christo. Sed quis audeat dicere, tunc cum illo non regnatura sua membra, quando ei maxime atque fortissime cohærebunt, et quo tempore quanto erit acrior impetus belli, tanto major gloria non cedendi [1], tanto densior corona martyrii ? Aut si propter tribulationes, quas passuri sunt, non dicendi sunt regnaturi ; consequens erit, ut etiam superioribus diebus in eisdem mille annis quicumque tribulabantur sanctorum, eo ipso tempore tribulationis suæ cum Christo non regnasse dicantur : ac per hoc et illi, quorum animas auctor libri hujus vidisse se scribit occisorum propter testimonium Jesu et propter verbum Dei, non regnabant cum Christo quando patiebantur persecutionem ; et ipsi regnum Christi non erant, quos Christus excellentius possidebat. Absurdissimum id quidem et omni modo aversandum. Sed certe animæ victrices gloriosissimorum martyrum, omnibus doloribus ac laboribus superatis atque finitis, posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt et regnant, donec finiantur mille anni, ut postea receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent. Proinde tribus illis annis atque dimidio, animæ occisorum pro ejus martyrio, et quæ antea de corporibus exierunt, et quæ ipsa novissima persecutione sunt exituræ, regnabunt cum illo, donec finiatur mortale sæculum, et ad illud

[1] Editio Lov., *malitiam.* Emendatur ex editis aliis et manuscriptis.

[2] Ita Mss. At editi, *An ante tempus persecutionis Antichristi mille anni annumerandi sint.*

(*a*) Hic omissum est, *a Deo ;* quod tamen eo loco Apocalypsis legebat Augustinus : nam id mox, quomodo illic intelligendum sit, exponit.

[1] Vind. Am. Er. et plures manuscripti, *non cedenti.*

regnum, ubi mors non erit, transeatur. Quocirca cum Christo regnantium sanctorum plures anni erunt, quam vinculi diaboli et custodiæ : quia illi cum suo rege Dei Filio, jam diabolo non ligato etiam per tres illos annos ac semissem, regnabunt. Remanet igitur, ut cum audimus, *Sacerdotes Dei et Christi regnabunt cum illo mille annis, et cum finiti fuerint mille anni, solvetur satanas de custodia sua*; aut non regni hujus sanctorum intelligamus annos mille finiri, sed vinculi diaboli atque custodiæ; ut annos mille, id est, annos omnes suos, quæque pars habeat diversis ac propriis prolixitatibus finiendos, ampliore sanctorum regno, breviore diaboli vinculo : *aut* certe, quoniam trium annorum et sex mensium brevissimum spatium est, computari noluisse credatur, sive quod minus satanæ vinculum, sive quod amplius videtur regnum habere sanctorum : sicut de quadringentis annis in sexto decimo hujus operis volumine disputavi (*cap.* 24); quoniam plus aliquid erant [1], et tamen quadringenti sunt nuncupati : et talia sæpe reperiuntur in Litteris sacris, si quis advertat.

CAPUT XIV. — *De damnatione diaboli cum suis, et per recapitulationem de resurrectione corporea omnium mortuorum, et de judicio ultimæ retributionis.*

Post hanc autem commemorationem novissimæ persecutionis, breviter complectitur totum, quod ultimo jam judicio diabolus, et cum suo principe civitas inimica passura est. Dicit enim : *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, quo bestia et pseudopropheta; et cruciabuntur* [2] *die ac nocte in sæcula sæculorum* (*Apoc.* xx, 9 *et* 10). Bestiam bene intelligi ipsam impiam civitatem, supra jam diximus. Pseudo vero propheta ejus aut Antichristus est, aut imago illa, id est figmentum, de quo ibi locuti sumus. Post hæc ipsum novissimum judicium, quod erit in secunda resurrectione mortuorum, quæ corporum est, recapitulando narrans, quomodo fuerit sibi revelatum, *Et vidi*, inquit, *thronum magnum et candidum, et sedentem super eum, cujus a facie fugit cœlum et terra, et locus eorum inventus non est* (*Ibid.*, 11). Non ait, Vidi thronum magnum et candidum et sedentem super eum, et ab ejus facie fugit cœlum et terra; quoniam non tunc factum est, id est, antequam esset de vivis et mortuis judicatum : sed eum se vidisse dixit in throno sedentem, a cujus facie fugit cœlum et terra; sed postea. Peracto quippe judicio tunc esse desinet hoc cœlum et hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum et terra nova. Mutatione namque rerum, non omni modo interitu transibit hic mundus. Unde et Apostolus ait, *Præterit enim figura hujus mundi, volo vos sine sollicitudine esse* (I *Cor.* VII, 31 *et* 32). Figura ergo præterit, non natura. Cum ergo se Joannes vidisse dixisset sedentem super thronum, a cujus facie, quod postea futurum est, fugit cœlum et terra : *Et vidi*, inquit, *mortuos magnos et pusillos; et aperti sunt libri; et alius liber apertus est, qui est vitæ uniuscujusque* (*a*); *et judicati sunt mortui ex ipsis scripturis librorum secundum facta sua* (*Apoc.* xx, 12). Libros dixit esse apertos, et librum : sed librum cujusmodi non tacuit; *qui est*, inquit, *vitæ uniuscujusque*. Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendi sunt sancti et veteres et novi, ut in illis ostenderetur quæ Deus fieri sua mandata jussisset : in illo autem qui est vitæ uniuscujusque, quid horum quisque non fecisset, sive fecisset. Qui liber si carnaliter cogitetur, quis ejus magnitudinem, aut longitudinem, valeat æstimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptæ sunt universæ vitæ universorum? An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, et vitam suam quisque ab Angelo sibi adhibito audiet recitari? Non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi, *Et alius*, inquit, *liber apertus est*. Quædam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul et omnes et singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina, libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur, quidquid ea faciente recolitur [1]. Ut autem ostendat, qui mortui judicandi sint, pusilli et magni, recapitulando dicit tanquam ad id rediens, quod prætermiserat, potiusve distulerat : *Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus reddiderunt mortuos quos in se habebant* (*Ibid.*, 13). Hoc procul dubio prius factum est, quam essent mortui judicati : et tamen illud prius dictum est. Hoc est ergo quod dixi, recapitulando eum ad id rediisse quod intermiserat. Nunc autem ordinem tenuit, atque ut explicaretur ipse ordo, commodius etiam de judicatis mortuis, quod jam dixerat, suo repetivit loco. Cum enim dixisset, *Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus reddiderunt mortuos quos in se habebant*; mox addidit quod paulo ante posuerat, *Et judicati sunt singuli secundum facta sua*. Hoc est enim quod supra dixerat, *Et judicati sunt mortui secundum facta sua*.

CAPUT XV. — *Qui sint mortui, quos ad judicium exhibuit mare, vel quos mors et inferi reddiderunt.*

Sed qui sunt mortui, quos exhibuit mare, qui in eo erant? Neque enim qui in mari moriuntur, non sunt in inferno, aut corpora eorum servantur in mari; aut, quod est absurdius, mare habebat bonos mortuos, et infernus malos. Quis hoc putaverit? Sed profecto convenienter quidam hoc loco mare pro isto sæculo positum accipiunt. Cum ergo et quos hic inveniet Christus in corpore constitutos, simul significaret cum iis qui resurrecturi sunt judicandos, etiam ipsos mortuos appellavit, et bonos quibus dicitur, *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3); et malos de quibus

[1] In quibusdam Mss., *plus aliqui erant*.

[2] Sic manuscripti juxta græcum. Editi vero, *et pseudoprophetæ cruciabuntur*. Porro particula, *et*, proxime ante verbum, *cruciabuntur*, deest quidem in impressis editionis Vulgatæ, sed in antiquis tamen Corbeiensibus Bibliis latinis reperitur.

[1] Ita Mss. At editi, *quidquid a faciente recolitur*.

(*a*) Abest vox, *uniuscujusque*, a Vulgata et a græco textu Apocalypseos.

dicitur, *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22). Possunt mortui etiam propter hoc dici, quod mortalia gerunt corpora : unde Apostolus, *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum ; spiritus autem vita est propter justitiam* (*Rom.* VIII, 10) : utrumque in homine vivente, atque in hoc corpore constituto esse demonstrans, et corpus mortuum, et spiritum vitam. Nec tamen dixit corpus mortale, sed mortuum : quamvis eadem paulo post etiam mortalia corpora (*Ibid.* 11), sicut usitatius vocantur, appellet. Hos ergo mortuos exhibuit mare, qui in eo erant, id est, exhibuit homines hoc sæculum, quicumque in eo erant, quia nondum obierant. *Et mors et infernus*, inquit, *reddiderunt mortuos, quos in se habebant.* Mare exhibuit, quia sicut inventi sunt, adfuerunt : mors vero et infernus reddiderunt, quoniam vitæ, de qua jam exierant, revocarunt. Nec frustra fortasse non satis fuit ut diceret *mors*, aut *infernus* ; sed utrumque dictum est : mors, propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non et infernum ; infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendunt. Si enim non absurde credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi et ad ea loca descensus erueret, profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti, prorsus inferos nesciunt, donec etiam receptis corporibus, bona recipiant quæ merentur. Cum autem dixisset, *Et judicati sunt singuli secundum facta sua* ; breviter subjecit, quemadmodum fuerint judicati : *Et mors et infernus*, inquit, *missi sunt in stagnum ignis :* his nominibus significans diabolum, quoniam mortis est auctor et infernarum pœnarum, universamque simul dæmonum societatem. Hoc est enim quod supra evidentius præoccupando jam dixerat, *et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris.* Quod ibi vero obscurius adjunxerat, dicens, *Quo et bestia, et pseudopropheta ;* hic apertius, *Et qui non sunt*, inquit, *inventi in libro vitæ scripti, missi sunt in stagnum ignis* (*Apoc.* XX, 14, 15). Non Deum liber iste commemorat, ne oblivione fallatur : sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita. Neque enim nescit eos Deus, et in hoc libro legit, ut sciat : sed potius ipsa ejus præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est, ante præcogniti.

CAPUT XVI. — *De cœlo novo, et terra nova.*

Finito autem judicio, quo prænuntiavit judicandos malos, restat ut etiam de bonis dicat. Jam enim explicavit quod breviter a Domino dictum est, *Ibunt isti in supplicium æternum ;* sequitur, ut explicet quod etiam ibi connectitur, *Justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46). *Et vidi*, inquit, *cœlum novum, et terram novam. Nam primum cœlum et terra prima* [1] *recesserunt, et mare jam non est* (*Apoc.* XXI, 1). Isto fiet ordine, quod superius præoccupando jam dixit, vidisse se super thronum sedentem, a cujus facie fugit cœlum et terra. Judicatis quippe his, qui scripti non sunt in libro vitæ, et in æternum ignem missis (qui ignis cujusmodi, et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit), tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt ; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis. Quod autem ait, *Et mare jam non est :* utrum maximo illo ardore siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerim. Cœlum quippe novum et terram novam futuram legimus : de mari autem novo aliquid me uspiam legisse, non recolo ; nisi quod in hoc eodem libro reperitur, *tanquam mare vitreum simile crystallo* (*Apoc.* IV, 6 ; XV, 2). Sed tunc non de isto fine sæculi loquebatur : nec proprie dixisse videtur mare, sed *tanquam mare.* Quamvis et nunc, sicut amat prophetica locutio propriis verbis translata miscere, ac sic quodammodo velare quod dicitur, potuit de illo mari dicere, *Et mare jam non est ;* de quo supra dixerat, *Et exhibuit mare mortuos, qui in eo erant.* Jam enim tunc non erit hoc sæculum vita mortalium turbulentum et procellosum, quod maris nomine figuravit.

CAPUT XVII. — *De Ecclesiæ glorificatione sine fine post finem* [1].

Et civitatem, inquit, *magnam Jerusalem novam vidi descendentem de cœlo a Deo, aptatam, quasi novam nuptam ornatam marito suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi erunt populus ejus, et ipse Deus erit cum eis. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum ; et mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec dolor ullus, quia priora abierunt. Et dixit sedens in throno, Ecce nova facio omnia* (*Id.* XXI, 2-5). De cœlo descendere ista civitas dicitur, quoniam cœlestis est gratia, qua Deus eam fecit. Propter quod ei dicit etiam per Isaiam, *Ego sum Dominus faciens te* (a) (*Isai.* XLV, 8). Et de cœlo quidem ab initio sui descendit, ex quo per hujus sæculi tempus, gratia Dei desuper veniente per lavacrum regenerationis in [2] Spiritu sancto misso de cœlo subinde cives ejus accrescunt. Sed per judicium Dei, quod erit novissimum per ejus Filium Jesum Christum, tanta ejus et tam nova de Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant vetustatis vestigia : quandoquidem et corpora ad incorruptionem atque immortalitatem novam ex vetere corruptione atque mor-

[1] In omnibus Mss. deest, *prima.*

[1] Ita Mss. Editi vero, *post mortem.*

[2] Plures manuscripti omittunt, *in.*

(a) Sequitur editionem septuaginta Interpretum, quæ græce habet, *o ktisas se ;* ubi Vulgata latine, *creavi eum.*

talitate transibunt. Nam hoc de isto tempore accipere, quo regnat [1] cum Rege suo mille annis, impudentiæ nimiæ mihi videtur : cum apertissime dicat, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec dolor ullus.* Quis vero tam sit absurdus, et obstinatissima contentione vesanus, qui audeat affirmare in hujus mortalitatis ærumnis, non dico populum sanctum, sed unumquemque sanctorum, qui hanc vel ducat, vel ducturus sit, vel duxerit vitam, nullas habentem lacrymas et dolores; cum potius quanto quisque est sanctior et desiderii sancti plenior, tanto sit ejus in orando fletus uberior? Annon est vox civis [2] supernæ Jerusalem, *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4)? et, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, in lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7)? et, *Gemitus meus non est absconditus a te* (*Psal.* XXXVII, 10)? et, *Dolor meus renovatus est* (*Psal.* XXXVIII, 3)? Aut vero non ejus filii sunt, qui ingemiscunt gravati, in quo nolunt exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale [3] a vita (II *Cor.* v, 4)? Nonne ipsi sunt, qui primitias habentes Spiritus, in semetipsis ingemiscunt, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis sui (*Rom.* VIII, 23)? An ipse apostolus Paulus non erat supernus Jerosolymitanus, vel non multo magis hoc erat, quando pro Israelitis fratribus carnalibus suis tristitia illi erat magna, et continuus dolor cordi ejus (*Rom.* IX, 2)? Quando autem mors non erit in ista civitate, nisi quando dicetur, *Ubi est, mors, contentio tua* (a)? *ubi est, mors, aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum* (I *Cor.* XV, 55 *et* 56)? Quod tunc utique non erit, quando dicetur, *Ubi est?* Nunc vero non quilibet infimus [4] civis illius civitatis, sed idem ipse Joannes in Epistola sua clamat, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Et in hoc quidem libro, cujus nomen est Apocalypsis, obscure multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant, et pauca in eo sunt, ex quorum manifestatione indagentur cætera cum labore : maxime quia sic eadem multis modis repetit, ut alia atque alia dicere videatur; cum aliter atque aliter hæc ipsa dicere vestigetur. Verum in his verbis, ubi ait, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec dolor ullus* : tanta luce dicta sunt de sæculo futuro et immortalitate atque æternitate sanctorum (tunc enim solum, atque ibi solum ista non erunt), ut nulla debeamus in Litteris sacris quærere vel legere manifesta, si hæc putaverimus obscura.

CAPUT XVIII. — *Quid apostolus Petrus de novissimo Dei judicio prædicavit.*

Nunc jam videamus, quid etiam apostolus Petrus de hoc judicio scripserit : *Venient*, inquit, *in novissimo dierum illusione illudentes, secundum proprias concupiscentias suas euntes, et dicentes, Ubi est promissum præsentiæ ipsius? Ex quo enim patres dormierunt, sic omnia perseverant ab initio creaturæ. Latet enim illos hoc volentes, quia cœli erant olim et terra de aqua, et per aquam constituta Dei verbo; per quæ, qui tunc erat mundus, aqua inundatus deperiit. Qui autem nunc sunt cœli et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservandi in diem judicii et perditionis hominum impiorum. Hoc unum vero non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni; et mille anni, sicut dies unus. Non tardat Dominus promissum, sicut quidam tarditatem existimant : sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam converti. Veniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transcurrent : elementa autem ardentia resolventur; et terra, et quæ in ipsa sunt opera exurentur. His ergo omnibus pereuntibus, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus exspectantes, et properantes ad præsentiam diei Domini, per quam cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore decoquentur? Novos vero cœlos, et terram novam, secundum promissa ipsius, exspectamus, in quibus justitia inhabitat* (II *Petr.* III, 3-13). Nihil hic dixit de resurrectione mortuorum : sed sane de perditione mundi hujus satis. Ubi etiam commemorans factum ante diluvium, videtur admonuisse quodammodo, quatenus in fine hujus sæculi mundum istum periturum esse credamus. Nam et illo tempore perisse dixit, qui tunc erat, mundum : nec solum orbem terræ, verum etiam cœlos, quos utique istos aerios intelligimus, quorum locum ac spatium tunc aqua crescendo superaverat. Ergo totus, aut pene totus aer iste ventosus (quod cœlum vel potius cœlos vocat, sed istos utique imos, non illos supremos, ubi sol, et luna, et sidera constituta sunt), conversus fuerat in humidam qualitatem (a); atque hoc modo cum terra perierat, cujus terræ utique prior facies fuerat deleta diluvio. *Qui autem nunc sunt*, inquit, *cœli et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservandi in diem judicii et perditionis hominum impiorum*. Proinde qui cœli, et quæ terra, id est, qui mundus, pro eo mundo qui diluvio periit, ex eadem aqua repositus est, ipse igni novissimo reservatur in diem judicii et perditionis hominum impiorum. Nam et hominum, propter magnam quamdam commutationem, non dubitat dicere perditionem futuram; cum tamen eorum, quamvis in æternis pœnis, sit mansura natura. Quærat forsitan aliquis, si post factum judicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum novum, et terra nova reponatur, eo ipso tempore conflagrationis ejus ubi erunt sancti, quum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit. Possumus respondere, futuros eos esse in superioribus partibus, quo ita non ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint. Sed

[1] Editi, *regnant*. At Mss., *regnat* : refertur ad civitatem cœlestem.

[2] Sic manuscripti. At editi, loco, *civis*, habent, *civitatis* : minus bene.

[3] Editi, *mortale hoc*. Abest, *hoc*, a manuscriptis.

[4] Plerique Mss., *infirmus*.

(a) Videtur igitur non, νῖκος, legisse apud Paulum, ut Vulgata, quæ *victoria* vertit, sed, νεῖκος. Et sic Ambrosius et Hieronymus alterum legunt. Lud. Vives.

(a) Vid. lib. 3 de Gen. ad Litt., nn. 2, 3.

nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales atque incorruptibiles facti : sicut [1] virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia, in camino ardenti vivere illæsa potuerunt (*Dan.* III, 24).

CAPUT XIX. — *Quid apostolus Paulus Thessalonicensibus scripserit de manifestatione Antichristi, cujus tempus dies Domini subsequetur.*

1. Multas evangelicas apostolicasque sententias de divino isto judicio novissimo video mihi esse prætereundas, ne hoc volumen in nimiam longitudinem provolvatur [2] : sed nullo modo est prætereundus apostolus Paulus, qui scribens ad Thessalonicenses, *Rogamus*, inquit, *vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini mente, neque terreamini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini : ne quis vos seducat ullo modo. Quoniam nisi venerit refuga* (a) *primum, ut revelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui adversatur et superextollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat, ostentans* [3] *se tanquam sit Deus. Non retinetis in memoria, quod adhuc cum essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Jam enim mysterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat : et tunc revelabitur iniquus* [4], *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit illuminatione præsentiæ suæ cum, cujus est præsentia secundum operationem satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacii, et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt; pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (II *Thess.* II, 1-11).

2. Nulli dubium est, eum de Antichristo ista dixisse; diemque judicii (hunc enim [5] appellat diem Domini) non esse venturum, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, utique a Domino Deo. Quod si de omnibus impiis merito dici potest, quanto magis de isto? Sed in quo templo Dei sit sessurus [6], incertum est : utrum in illa ruina templi, quod a Salomone rege constructum est, an vero in Ecclesia. Non enim templum alicujus idoli aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Unde nonnulli, non ipsum principem, sed universum quadammodo corpus ejus, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo principe hoc loco intelligi Antichristum volunt : rectiusque putant etiam latine dici, sicut in græco est, non, *in templo Dei*; sed, *in templum Dei sedeat* (a), tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia : sicut dicimus, Sedet in amicum, id est, velut amicus, vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet. Quod autem ait, *Et nunc quid detineat scitis*, id est, quid sit in mora, quæ causa sit dilationis ejus, *ut reveletur in suo tempore*, scitis : quoniam scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus : præsertim quia et illa quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, *Jam enim mysterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat; et tunc revelabitur iniquus?* Ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere potui, non tacebo.

3. Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano; et propterea Paulum apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum : ut hoc quod dixit, *Jam enim mysterium iniquitatis operatur*, Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum, et futurum Antichristum suspicantur (b). Alii vero nec occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus; et vivum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, cum crederetur exstinctus, donec suo tempore reveletur, et restituatur in regnum (c). Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio. Illud tamen quod ait Apostolus, *Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat :* non absurde de ipso Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit, Tantum qui modo imperat imperet, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur. *Et tunc revelabitur iniquus :* quem significari Antichristum, nullus ambigit. Alii vero et quod ait, *Quid detineat scitis*; et, *mysterium operari iniquitatis*, non putant dictum, nisi de malis et fictis, qui sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat; et hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autem Apostolum fideles, ut in fide quam tenent tenaciter perseverent, dicendo, *Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat :* hoc est, donec exeat de medio Ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est. Ad ipsum enim mysterium pertinere arbitrantur, quod ait in Epistola sua Joannes evangelista, *Pueri, novissima hora est : et sicut audistis, quod Antichristus sit venturus; nunc autem antichristi multi facti sunt : unde cognoscimus quod novissima sit hora. Ex nobis exierunt : sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (I *Joan.* II, 18 *et* 19). Sicut ergo ante finem in hac hora, inquiunt, quam Joannes novissimam dicit, exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos

[1] Nostri codices, *si.* M.
[2] Aliquot Mss., *protendatur.*
[3] Plures e veteribus libris, *ostendens*
[4] In excusis, *iniquus ille.* Abest, *ille*, a manuscriptis et a græco textu Apostoli.
[5] Editi, *ista dixisse dieque judicii. Hunc enim*, etc. Emendantur ex manuscriptis.
[6] Editi, *ut Deus sit sessurus.* Abest, *ut Deus*, a manuscriptis.
(a) In Vulgata, *discessio.*

(a) Ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι.
(b) Conf. Hieron. in Dan. XI, et Sulpitium Sever. lib. 2 Hist., cap. 29.
(c) Vid. Suet. in Nerone, cap. 57, et Tacit. Hist. lib. 2, cap. 8.

dicit antichristos : ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Christum, sed ad illum novissimum Antichristum pertinebunt, et tunc revelabitur.

4. Alius ergo sic, alius autem sic Apostoli obscura verba conjectant : quod tamen eum dixisse non dubium est, Non veniet ad vivos et mortuos judicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos adversarius ejus Antichristus; quamvis ad occultum jam judicium Dei pertineat, quod ab illo seducentur. *Præsentia* quippe *ejus erit*, sicut dictum est, *secundum operationem satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacii, et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt.* Tunc enim solvetur satanas, et per illum Antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Quæ [1] solet ambigi utrum propterea dicta sint signa et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est; ut quod non facit, facere videatur : an quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuisse nisi divinitus fieri, virtutem diaboli nescientes; maxime quando tantam, quantam nunquam habuit, acceperit potestatem [2]. Non enim quando de cœlo ignis cecidit, et tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Job uno impetu absumpsit, et turbo irruens et domum dejiciens filios ejus occidit (*Job* I), phantasmata fuerunt : quæ tamen fuerunt opera satanæ, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia et signa mendacii, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictum sit, seducentur eis signis [3] atque prodigiis, qui seduci merebuntur : *pro eo quod dilectionem veritatis*, inquit, *non receperunt, ut salvi fierent.* Nec dubitavit Apostolus addere, et dicere : *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* (*a*). Deus enim mittet, quia Deus diabolum facere ista permittet, justo ipse judicio, quamvis faciat ille iniquo malignoque consilio. *Ut judicentur*, inquit, *omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Proinde judicati seducentur, et seducti judicabuntur. Sed judicati seducentur illis judiciis Dei occulte justis, juste occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ nunquam judicare cessavit : seducti autem judicabuntur novissimo manifestoque judicio per Jesum Christum, justissime judicaturum, injustissime judicatum.

CAPUT XX. — *Quid idem apostolus in prima ad eosdem Epistola de resurrectione mortuorum docuerit.*

1. Sed hic Apostolus tacuit de resurrectione mortuorum : ad eosdem autem scribens in Epistola prima, *Nolumus*, inquit, *ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. Nam si credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit : ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos viventes, qui reliqui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui ante dormierunt : quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui in Christo resurgent primo* [1]; *deinde nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in aera; et ita semper cum Domino erimus* (I *Thess.* IV, 12-16). Hæc verba apostolica resurrectionem mortuorum futuram, quando veniet Dominus Christus, utique ad vivos et mortuos judicandos, præclarissime ostendunt.

2. Sed quæri solet, utrum illi quos hic viventes inventurus est Christus, quorum personam in se atque illos qui tunc secum vivebant, transfigurabat Apostolus, nunquam omnino morituri sunt; an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus in obviam Christo in aera, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt (*a*). Neque enim dicendum est, fieri non posse, ut dum per aera in sublime portantur, in illo spatio et moriantur, et reviviscant. Quod enim ait, *Et ita semper cum Domino erimus :* non sic accipiendum est, tanquam in aere nos dixerit semper cum Domino esse mansuros; quia nec ipse utique ibi manebit, quia veniens transiturus est. Venienti quippe ibitur obviam, non manenti : sed *ita cum Domino erimus*, id est, sic erimus habentes [2] corpora sempiterna, ubicumque cum illo fuerimus. Ad hunc autem sensum, quo existimemus etiam illos, quos hic vivos inventurus est Dominus, in ipso parvo spatio et passuros mortem et accepturos immortalitatem, ipse Apostolus nos videtur urgere, ubi dicit, *In Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22) : cum alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur* (*Ibid.*, 36). Quomodo igitur, quos viventes hic Christus inveniet, per immortalitatem in illo vivificabuntur, etsi non moriantur; cum videamus propter hoc esse dictum, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur?* [3] Aut si recte non dicimus seminari, nisi ea corpora hominum, quæ moriendo quoquo modo revertuntur in terram; sicut sese habet etiam illa in transgressorem patrem generis humani divinitus prolata sententia, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19) : fatendum est istos, quos nondum de corporibus egressos, cum veniet Christus, inveniet, et istis verbis Apostoli, et illis de Genesi non teneri : quoniam sursum in nubibus rapti, non utique seminantur; quia nec eunt in terram, nec redeunt; sive nullam prorsus experiantur mortem, sive paululum in aere moriantur.

3. Sed aliud rursus occurrit, quod idem dixit Apostolus, cum de resurrectione corporum ad Corinthios

[1] Ita Mss. At editi, *quod*.

[2] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov., *acceperit potestatem*.

[3] Sola editio Lovaniensium, *seducentur ejus signis*.

(*a*) De [illegible] loco [illegible] Ambrosius, Joannes Chrysostomus, Theodoretus, alii, et ipse Hieronymus, quæstione 11 in Epistola 151, ad Algasiam [illegible].

[1] Nostri codd., *primi*. M.

[2] In editis, *semper habentes*. Abest, *semper*, a manuscriptis.

[3] Editi, *nisi prius moriatur*. Particula, *prius*, non est in manuscriptis, neque in græco textu Apostoli.

(*a*) Vid. Epist. 193, ad Mercatorem, lib. de octo Dulcitii quæst., q. 3, et alibi.

loqueretur : *Omnes resurgemus* ; vel, sicut alii codices habent, *Omnes dormiemus* (*a*) (I *Cor.* xv, 51). Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors præcesserit ; nec dormitionem possimus illo loco intelligere, nisi mortem ; quomodo omnes vel dormient, vel resurgent, si tam multi, quos in corpore inventurus est Christus, nec dormient, nec resurgent? Si ergo sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur* ; sive ubi dicit, *Omnes resurgemus* ; aut, *Omnes dormiemus* : quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi, quamlibet paululum, tamen ante moriantur ; ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit [1], quamvis brevissima, non tamen nulla. Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aere quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter atque incorruptibiliter reviviscere, cum credamus, quod idem ipse Apostolus apertissime dicit [2], in ictu oculi futuram resurrectionem (I *Cor.* xv, 52), et in membra sine fine victura tanta facilitate tamque inæstimabili velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum pulverem? Nec ab illa sententia, qua homini dictum est, *Terra es, et in terram ibis*, futuros illos sanctos arbitramur immunes, si eorum morientium in terram non recident corpora, sed sicut in ipso raptu morientur, ita et resurgent, dum ferentur in aera. *In terram* quippe *ibis*, est, in hoc ibis amissa vita, quod eras antequam sumeres vitam : id est, Hoc eris exanimatus [3], quod eras antequam esses animatus. Terræ quippe insufflavit Deus in faciem flatum vitæ, cum factus est [4] homo in animam vivam : tanquam diceretur, Terra es animata, quod non eras ; terra eris exanimis, sicut eras. Quod sunt et antequam putrescant omnia corpora mortuorum : quod erunt et illa, si morientur, ubicumque moriantur, cum vita carebunt, quam continuo receptura sunt. Sic ergo ibunt in terram, quia ex vivis hominibus terra erunt : quemadmodum it in cinerem, quod fit cinis ; it in vetustatem, quod fit vetus ; it in testam, quod ex luto fit testa : et alia sexcenta sic loquimur. Quomodo autem sit futurum quod nunc pro nostræ ratiunculæ viribus utcumque conjicimus, tunc erit potius, ut nosse possimus. Resurrectionem quippe mortuorum futuram esse in carne [5], quando Christus venturus est vivos judicaturus et mortuos, oportet, si christiani esse volumus, ut credamus. Sed non ideo de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfecte comprehendere non valemus. Verum jam, sicut supra promisimus, de hoc judicio Dei novissimo etiam prophetici veteres libri quid prænuntiaverint, quantum satis esse videbitur, debemus ostendere : quæ, sicut arbitror, non tanta mora necesse erit tractari et exponi, si istis, quæ præmisimus, lector curaverit adjuvari.

CAPUT XXI. — *Quid Isaias propheta de mortuorum resurrectione et de retributione judicii sit locutus.*

1. Propheta Isaias, *Resurgent*, inquit, *mortui, et resurgent qui in sepulcris erant ; et lætabuntur omnes qui sunt in terra ; ros enim qui abs te est, sanitas illis est : terra vero impiorum cadet* (*Isai.* xxvi, 19, sec. LXX). Totum illud superius ad resurrectionem pertinet beatorum. Quod autem ait, *Terra vero impiorum cadet*, bene intelligitur dictum, Corpora vero impiorum ruina damnationis excipiet. Jam porro si de bonorum resurrectione quod dictum est, diligentius et distinctius velimus intueri, ad primam referendum est quod dictum est, *Resurgent mortui* ; ad secundam vero quod sequitur, *et resurgent qui in sepulcris erant*. Jam si et illos inquiramus sanctos, quos hic vivos inventurus est Dominus, eis congrue deputabitur quod adjunxit, *Et lætabuntur omnes qui sunt in terra ; ros enim qui abs te est, sanitas illis est*. Sanitat in loco isto, immortalitatem rectissime accipimus. Ea namque est plenissima sanitas, quæ non reficitur alimentis tanquam quotidianis medicamentis. Item de judicii die spem prius dans bonis, deinde terrens malos, idem propheta sic loquitur : *Hæc dicit Dominus, Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriam gentium. Filii eorum super humeros portabuntur, et super genua consolabuntur. Quemadmodum si quem mater consoletur, ita ego vos consolabor ; et in Jerusalem consolabimini : et videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra ut herba* [1] *exorientur. Et cognoscetur manus Domini colentibus eum : et comminabitur contumacibus. Ecce enim Dominus ut ignis veniet, et ut tempestas currus ejus, reddere in indignatione vindictam, et vastationem in flamma ignis. In igne enim Domini judicabitur omnis terra, et in gladio ejus omnis caro : multi vulnerati erunt a Domino* (*Id.* LXVI, 12-16, *sec.* LXX). In bonorum promissione flumen pacis profecto [2] abundantiam pacis illius debemus accipere, qua major esse non possit. Hac utique in fine rigabimur : de qua in præcedenti libro abundanter locuti sumus. Hoc flumen se in eos declinare dicit, quibus tantam beatitudinem pollicetur, ut intelligamus in illius felicitatis regione, quæ in cœlis est, hoc flumine omnia satiari. Sed quia et terrenis corporibus pax incorruptionis atque immortalitatis inde influet [3], ideo declinare se dicit hoc flumen, ut de supernis quodammodo etiam inferiora perfundat, et homines æquales Angelis reddat. Jerusalem quoque, non illam quæ servit cum filiis suis, sed liberam matrem no-

[1] Mss., *quam dormitione præcedunt.*
[2] Editi, *Apostolus alibi apertissime dicit.* Abest, *alibi*, a Mss.
[3] Sic Mss. Editi, *exanimis.*
[4] In editis, *cum factus esset.* At Mss., *cum factus est.*
[5] Mss., *futuram et in carne.* — Recte. M.
(*a*) Vid. Epist. 205, ad Consentium, n. 14, et lib. de octo Dulcitii Quæst., q. 3, n. 4.

[1] Sic nostri codices, ut infra constanter Patres Benedictini, qui hoc loco, *sicut herba.* M.
[2] Ita Mss. Editi vero, *In bonorum promissione se declinare dicit, ut flumen pacis, quod profecto.*
[3] Editi, [illegible] *influet.* Melius Mss., *inde influet.*

strum intelligamus, secundum Apostolum, æternam in cœlis (*Galat.* IV, 26). Ibi post labores ærumnarum curarumque mortalium consolabimur, tanquam parvuli ejus in humeris genibusque portati. Rudes enim nos et novos blandissimis adjutoriis insolita nobis illa beatitudo suscipiet. Ibi videbimus, et gaudebit cor nostrum. Nec expressit quid videbimus : sed quid, nisi Deum? ut impleatur in nobis promissum evangelicum, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8); et omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem, pro modulo capacitatis humanæ, longe minus quam sunt atque incomparabiliter cogitamus. *Et videbitis*, inquit, *et gaudebit cor vestrum.* Hic credititis, ibi videbitis.

2. Sed quoniam dixit, *Et gaudebit cor vestrum :* ne putaremus illa bona Jerusalem ad nostrum tantummodo spiritum pertinere; *Et ossa*, inquit, *vestra ut herba exorientur :* ubi resurrectionem corporum strinxit, velut quod non dixerat reddens : neque enim cum viderimus, fiet; sed cum fuerit facta [1], videbimus. Nam et de cœlo novo ac terra nova jam supra dixerat, dum ea quæ sanctis promittuntur in fine, sæpe ac multiformiter diceret [2] : *Erit*, inquit, *cœlum novum et terra nova, et non erunt memores priorum, nec ascendent* [3] *in cor ipsorum : sed lætitiam et exsultationem invenient in ea. Ecce ego faciam Jerusalem exsultationem, et populum meum lætitiam; et exsultabo in Jerusalem, et lætabor in populo meo; et ultra non audietur in illa vox fletus* (*Isai.* LXV, 17-19, *sec.* LXX) : et cætera, quæ quidam ad carnales illos [4] mille annos referre conantur. Locutiones enim tropicæ propriis prophetico more miscentur : ut ad intellectum spiritualem intentio sobria cum quodam utili ac salubri labore perveniat : pigritia vero carnalis, vel ineruditæ atque inexercitatæ tarditas mentis contenta litteræ superficie, nihil putat interius requirendum. Hæc de propheticis verbis, quæ ante istum locum scripta sunt, satis dixerim. In hoc autem loco, unde ad illa digressi sumus, cum dixisset, *Et ossa vestra ut herba exorientur*, ut resurrectionem quidem carnis, sed tamen bonorum [5], se nunc commemorare monstraret, adjunxit, *Et cognoscetur manus Domini colentibus eum.* Quid est hoc, nisi manus distinguentis cultores suos a contemptoribus suis? De quibus sequentia contexens, *Et comminabitur*, inquit, *contumacibus*, sive, ut ait alius interpres, *incredulis.* Nec tunc comminabitur : sed quæ nunc dicuntur minaciter, tunc efficaciter implebuntur. *Ecce enim Dominus*, inquit, *ut ignis veniet, et ut tempestas currus ejus, reddere in indignatione vindictam, et vastationem in flamma ignis. In igne enim Domini judicabitur omnis terra, et in gladio ejus omnis caro : multi vulnerati erunt a Domino.* Sive igne, sive tempestate, sive gladio, pœnam judicii significat : quandoquidem ipsum Dominum quasi ignem dicit esse venturum, eis profecto quibus pœnalis ejus erit adventus. Currus vero ejus (nam pluraliter dicti sunt) angelica ministeria non inconvenienier accipimus. Quod autem ait, omnem terram et omnem carnem in ejus igne et in gladio judicari, non etiam hic spirituales intelligamus et sanctos, sed terrenos atque carnales, de qualibus dictum est, *Qui terrena sapiunt* (*Philipp.* III, 19); et, *Sapere secundum carnem, mors est* (*Rom.* VIII, 6) : et quales omnino caro appellantur a Domino, ubi dicit, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt* (*Gen.* VI, 3). Quod vero hic positum est, *Multi vulnerati erunt a Domino :* isto vulnere fiet mors secunda. Potest quidem et ignis, et gladius, et vulnus accipi in bono. Nam et ignem Dominus velle se dixit mittere in mundum (*Luc.* XII, 49). Et visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, quando venit Spiritus sanctus (*Act.* II, 3). Et, *Non veni*, inquit idem Dominus, *pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* X, 34). Et sermonem Dei dicit Scriptura gladium bis acutum (*Hebr.* IV, 12); propter aciem geminam Testamentorum duorum. Et in Cantico canticorum, charitate se dicit sancta Ecclesia vulneratam, velut amoris impetu sagittatam (*Cantic.* II, 5, *sec.* LXX). Sed hic cum legimus vel audimus ultorem Dominum esse venturum, quemadmodum hæc intelligenda sint, clarum est.

3. Deinde breviter commemoratis eis, qui per hoc judicium consumentur; sub figura ciborum in Lege vetere vetitorum, a quibus se non abstinuerunt, peccatores impiosque significans, recapitulat ab initio gratiam novi Testamenti a primo Salvatoris adventu usque ad ultimum judicium, de quo nunc agimus, perducens finiensque sermonem. Narrat namque Dominum dicere se venire, ut congreget omnes gentes, easque venturas et visuras gloriam ejus (*Isai.* LXVI, 17, 18). *Omnes enim*, sicut dicit Apostolus, *peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Et relicturum se dicit super eos signa, quæ utique mirantes credant in eum : et emissurum ex illis salvatos in gentes diversas, et in longinquas insulas, quæ non audierunt nomen ejus, neque viderunt gloriam ejus; et annuntiaturos gloriam ejus in gentibus; et adducturos fratres istorum, quibus loquebatur, id est, in fide sub Deo Patre fratres Israelitarum electorum : adducturos autem ex omnibus gentibus munus Domino in jumentis et vehiculis (quæ jumenta et vehicula bene intelliguntur adjutoria esse divina, per

[1] Editi, *fient, sed cum fuerint facta.* At Mss., *fiet, sed cum fuerit facta*; subaudi, *resurrectio.*

[2] Aliquot Mss., *multipliciter diceret.*

[3] In Mss. hic et infra lib. 22, cap. 3, *nec ascendet.* Apud Septuaginta est, *oud' epelthē.*

[4] Sola editio Lov., mutato verborum ordine habet, *quæ quidam carnales ad illos mille annos*, etc., quasi ipsos auctores interpretationis hujus dicat Augustinus carnales. Sectabantur eam olim Papias Hierapolitanus (teste Eusebio, lib. 3 Hist. eccles., cap. 33, et Hieronymo in Catalogo script. eccles.); Justinum Dial. cum Tryphone; Irenæum, lib. 5 adversus Hæreses, cap. 32; Tertullianum, lib. de spe fidelium, et lib. 3 contra Marcionem, cap. 24; Lactantium, lib. 7 Instit., cap. 24 et 26, etc., a quibus nominatim modeste ac prudenter hic in re dissentiendum docet Hieronymus in Jeremiam cap. 19 : « Quamquam, » ait, « sibi Judæi auream atque « gemmatam Jerusalem restituendam putent, rursumque « victimas et sacrificia, et conjugia sanctorum, et regnum « in terris Domini Salvatoris : quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum « virorum et martyres ista dixerunt : ut unusquisque in suo « sensu abundet, et Domini cuncta judicio reserventur. »

[5] Ita Mss. Editi vero, *sed tantum bonorum.*

cujusque generis ministeria Dei, vel angelica, vel humana), in civitatem sanctam Jerusalem, quæ nunc in sanctis fidelibus est diffusa per terras. Ubi enim divinitus adjuvantur, ibi credunt, et ubi credunt, ibi veniunt. Comparavit autem illos Dominus, tanquam per similitudinem, filiis Israel offerentibus ei suas hostias cum psalmis in domo ejus, quod ubique jam facit Ecclesia; et promisit ab ipsis se accepturum sibi Sacerdotes et Levitas, quod nihilominus fieri nunc videmus. Non enim ex genere carnis et sanguinis, sicut erat primum secundum ordinem Aaron; sed sicut oportebat in Testamento novo, ubi secundum ordinem Melchisedech summus sacerdos est Christus (*Psal.* CIX, 4), pro cujusque merito quod in eum gratia divina contulerit, Sacerdotes et Levitas eligi nunc videmus: qui non isto nomine, quod sæpe assequuntur indigni, sed ea quæ non est bonis malisque communis, sanctitate pensandi sunt.

4. Hæc cum de ista, quæ nunc impertitur Ecclesiæ, perspicua nobisque notissima Dei miseratione dixisset; promisit et fines ad quos per ultimum judicium facta bonorum malorumque discretione venietur, dicens per Prophetam, vel de Domino dicens ipse Propheta: *Quomodo enim cœlum novum et terra nova manebit coram me, dixit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum; et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato. Veniet*[1] *omnis caro in conspectu meo adorare in Jerusalem, dixit Dominus: et egredientur, et videbunt membra hominum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt visui omni carni* (*Isai.* LXVI, 22-24, *sec.* LXX). Ad hoc iste propheta terminavit librum, ad quod terminabitur sæculum. Quidam sane non interpretati sunt, *membra hominum*, sed *cadavera virorum* (*a*), per cadavera significantes evidentem corporum pœnam: quamvis cadaver nisi caro exanimis, non soleat nuncupari; illa vero animata erunt corpora, alioquin nulla poterunt sentire tormenta: nisi forte quia mortuorum erunt corpora, id est, eorum qui in secundam mortem cadent, ideo non absurde etiam cadavera dici possunt. Unde est et illud, quod ab eodem propheta dictum jam supra posui: *Terra vero impiorum cadet.* Quis autem non videat a cadendo esse appellata cadavera (*b*)? *Virorum* autem pro eo posuisse illos interpretes, quod est *hominum*, manifestum est. Neque enim quisquam dicturus est, prævaricatrices feminas in illo supplicio non futuras: sed ex potiore, præsertim de quo femina facta est, uterque sexus accipitur. Verum quod ad rem maxime pertinet, cum et in bonis dicitur, *Veniet omnis caro*: quia ex omni genere hominum populus iste constabit; non enim omnes homines ibi erunt, quando in pœnis plures erunt: sed, ut dicere cœperam, cum et in bonis caro, et in malis membra vel cadavera nominantur; profecto post resurrectionem carnis, cujus fides his rerum vocabulis omnino firmatur, illud quo[1] boni et mali suis finibus dirimentur, futurum esse judicium declaratur.

[1] In editis, *Et veniet.* Abest, *Et*, a Mss.
(*a*) Sic in Vulgata.
(*b*) Supra, cap. 10 hujus libri, sub initium.

CAPUT XXII. — *Qualis futura sit egressio sanctorum ad videndas pœnas malorum.*

Sed quomodo egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Numquid corporis motu beatas illas relicturi sunt sedes, et ad loca pœnalia perrecturi, ut malorum tormenta conspiciant præsentia corporali? Absit; sed egredientur per scientiam. Hoc enim verbo significatum est, eos qui cruciabuntur extra futuros. Propter quod et Dominus ea loca tenebras exteriores vocat (*Matth.* XXV, 30), quibus contrarius est ille ingressus de quo dicitur servo bono, *Intra in gaudium Domini tui* (*Ibid.* 21): ne illuc mali putentur ingredi, ut sciantur; sed ad illos potius velut egredi scientia, qua eos cognituri sunt, boni; quia id quod extra est cognituri sunt. Qui enim erunt in pœnis quid agatur intus in gaudio Domini nescient: qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient. Ideo dictum est, *egredientur*: quia eos etiam qui[2] foris ab eis erunt, utique non latebunt. Si enim hæc Prophetæ nondum facta nosse potuerunt, per hoc quod erat Deus, quantulumcumque erat, in eorum mortalium mentibus; quomodo immortales sancti jam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28)? Stabit ergo in illa beatitudine sanctorum semen et nomen; semen, scilicet de quo Joannes ait, *Et semen ejus in ipso manet* (I *Joan.* III, 9): nomen vero, de quo per hunc Isaiam dictum est, *Nomen æternum dabo eis* (*Isai.* LVI, 5). *Et erit eis mensis ex mense et sabbatum ex sabbato*, tanquam luna ex luna et requies ex requie: quorum utrumque ipsi erunt, cum ex his umbris veteribus et temporalibus in illa lumina nova ac sempiterna transibunt. In pœnis autem malorum et inexstinguibilis ignis et vivacissimus vermis, ab aliis atque aliis aliter atque aliter est expositus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animum retulerunt: alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animum vermem, quod credibilius esse videtur. Sed nunc de hac differentia non est temporis[3] disputare. De judicio namque ultimo, quo fiet diremptio bonorum et malorum, hoc volumen implere suscepimus: de ipsis vero præmiis et pœnis alias diligentius disserendum est.

CAPUT XXIII. — *Quid prophetaverit Daniel de persecutione Antichristi, et de judicio Dei, regnoque sanctorum.*

1. Daniel de hoc ultimo judicio sic prophetat, ut Antichristum prius quoque venturum esse prænuntiet, atque ad æternum regnum sanctorum perducat narrationem suam. Cum enim visione prophetica quatuor bestias significantes quatuor regna vidisset; ipsumque quartum a quodam rege superatum, qui Antichristus agnoscitur; et post hæc æternum regnum Filii hominis, qui intelligitur Christus: *Horruit,*

[1] Sic Er. et plures Mss. At Vind. Am. et Lov., *quod.*
[2] Aliquot Mss., *quæ.*
[3] Editi, *non est hujus temporis.* Abest, *hujus*, a Mss.

inquit, *spiritus meus*, *ego Daniel in habitudine* [1] *mea*, *et visus capitis mei conturbabant me. Et accessi*, inquit, *ad unum de stantibus, et veritatem quærebam ab eo de his omnibus : et dixit mihi veritatem.* Deinde, quid audierit ab illo, a quo de omnibus his quæsivit, tanquam eo sibi exponente, sic loquitur : *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor regna surgent in terra, quæ auferentur, et accipient regnum sancti Altissimi : et obtinebunt illud usque in sæculum et in usque sæculum sæculorum. Et quærebam*, inquit, *diligenter de bestia quarta, quæ erat differens præ omni bestia, terribilis amplius : dentes ejus ferrei, et ungues ejus ærei, manducans et comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans : et de cornibus ejus decem, quæ erant in capite ejus, et de altero quod ascendit, et excussit de prioribus tria : cornu illud in quo erant oculi, et os loquens magna ; et visus ejus major cæteris. Videbam, et cornu illud faciebat bellum cum sanctis : et prævalebat ad ipsos, donec venit vetustus dierum, et regnum dedit sanctis Altissimi : et tempus pervenit, et regnum obtinuerunt sancti.* Hæc Daniel quæsisse se dixit. Deinde quid audierit, continuo subjungens, *Et dixit*, inquit, id est, ille a quo quæsierat, respondit, et dixit, *Bestia quarta, quartum regnum erit in terra, quod prævalebit omnibus regnis ; et manducabit omnem terram, et conculcabit eam, et concidet. Et decem cornua ejus, decem reges surgent : et post eos surget alius, qui superabit malis* [2] *omnes, qui ante eum fuerunt ; et tres reges humiliabit, et verba adversus Altissimum loquetur : et sanctos Altissimi conteret. Et suspicabitur mutare tempora et legem : et dabitur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. Et judicium sedebit, et principatum removebunt* [3] *ad exterminandum et perdendum usque in finem ; et regnum, et potestas, et magnitudo regum, qui sub omni cœlo sunt, data est sanctis Altissimi. Et regnum ejus regnum sempiternum : et omnes principatus ipsi servient, et obaudient. Huc usque*, inquit, *finis sermonis. Ego Daniel, multum cogitationes meæ conturbabant me, et forma mea immutata est super me, et verbum in corde meo conservavi.* (*Dan.* VII, 15-28). Quatuor illa regna exposuerunt quidam Assyriorum, Persarum, Macedonum, et Romanorum. Quam vero convenienter id fecerint, qui nosse desiderant, legant presbyteri Hieronymi librum in Danielem, satis diligenter eruditeque conscriptum. Antichristi tamen adversus Ecclesiam sævissimum regnum, licet exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur. Tempus quippe et tempora et dimidium temporis, annum unum esse et duos et dimidium, ac per hoc tres annos et semissem, etiam numero dierum posterius posito dilucescit, aliquando in Scripturis et mensium numero declaratur. Videntur enim tempora indefinite hic dicta lingua latina : sed per dualem numerum dicta sunt, quem latini non habent. Sicut autem Græci, ita hunc dicuntur habere et Hebræi. Sic ergo dicta sunt tempora, tanquam dicerentur duo tempora. Vereri me sane fateor, ne in decem regibus, quos tanquam decem homines videtur inventurus Antichristus, forte fallamur, atque ita ille inopinatus adveniat, non existentibus tot regibus in orbe Romano. Quid enim si numero isto denario universitas regum significata est, post quos ille venturus est : sicut millenario, centenario, septenario significatur plerumque universitas, et aliis atque aliis numeris, quos nunc commemorare non est necesse ?

2. Alio loco idem Daniel, *Et erit*, inquit, *tempus tribulationis, qualis non fuit ex quo nata est gens super terram usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi dormientium in terræ aggere exsurgent : hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et in confusionem æternam. Et intelligentes fulgebunt sicut claritas firmamenti, et ex justis multi sicut stellæ in sæcula* (*Dan.* XII, 1-3). Et adhuc sententiæ illi evangelicæ est locus iste simillimus, de resurrectione duntaxat mortuorum corporum. Nam qui illic dicti sunt esse *in monumentis*, ipsi hic *dormientes in terræ aggere* ; vel, sicut alii interpretati sunt, *in terræ pulvere*. Et sicut ibi, *procedent*, dictum est ; ita hic, *exsurgent*. Sicut ibi, *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii* ; ita et isto loco, *Hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et in confusionem æternam* (*Joan.* V, 28, 29). Non autem diversum putetur, quod cum ibi positum sit, *Omnes qui sunt in monumentis*, hic non ait Propheta, Omnes ; sed, *Multi dormientium in terræ aggere*. Ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos. Propterea et Abrahæ dictum est, *Patrem multarum gentium posui te* ; cui tamen alio loco, *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XVII, 5 ; XXII, 18). De tali autem resurrectione huic quoque ipsi prophetæ Danieli paulo post dicitur : *Et tu veni, et requiesce : adhuc enim dies in completionem consummationis ; et requiesces, et resurges in sorte tua in fine dierum* (*Dan.* XII, 13).

CAPUT XIV. — *In Psalmis Davidicis quæ de fine sæculi hujus et novissimo Dei judicio prophetentur.*

1. Multa de judicio novissimo dicuntur in Psalmis, sed eorum plura transeunter et strictim. Hoc tamen quod de fine hujus sæculi apertissime dictum est ibi, nequaquam silentio præteribo. *Principio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 26-28). Quid est quod Porphyrius, cum pietatem laudet Hebræorum, qua magnus et verus et ipsis numinibus terribilis ab eis colitur Deus, Christianos ob hoc arguit maximæ stultitiæ, etiam ex oraculis deorum suorum, quod istum mundum dicunt esse periturum (*a*) ? Ecce in litteris pietatis

[1] Editi, *hebetudine*. Verius manuscripti, *habitudine* : nam apud Septuaginta græce est, *ἕξει*.

[2] Editi, *sensu malis*. Abest, *sensu*, a manuscriptis et a Septuaginta.

[3] Editi, *removebit*. At manuscripti, *removebunt*, ut est [illegible] [illegible]

(*a*) Vide supra, lib. 19, cap. 23.

Hebræorum dicitur Deo, *quem confitente tanto philosopho, etiam ipsa numina perhorrescunt*, *Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt*. Numquid, quando cœli peribunt, mundus, cujus iidem cœli superior pars est tutior, non peribit? Si hæc sententia Jovi displicet, cujus, ut scribit iste philosophus, velut gravioris auctoritatis oraculo in christianorum credulitate culpatur; cur non similiter sapientiam, tanquam stultitiam, culpat Hebræorum, in quorum libris piissimis invenitur? Porro si in illa sapientia [1], quæ Porphyrio tam multum placet, ut eam deorum quoque suorum vocibus prædicet, legitur cœlos esse perituros; cur usque adeo vana est ista fallacia, ut in fide Christianorum, vel inter cætera, vel præ cæteris hoc detestentur, quod in ea periturus creditur mundus, quo utique nisi pereunte cœli non possunt perire? Et in Litteris quidem sacris, quæ proprie nostræ sunt, non Hebræis nobisque communes, id est, in evangelicis et apostolicis libris legitur, *Præterit figura hujus mundi* (I *Cor.* vii, 31): legitur, *Mundus transit* (I *Joan.* ii, 17): legitur, *Cœlum et terra transibunt*, (*Matth.* xxiv, 35). Sed puto quod *præterit*, *transit*, *transibunt*, aliquando mitius dicta sunt, quam *peribunt*. In Epistola quoque Petri apostoli, ubi aqua inundatus, qui tunc erat, perisse dictus est mundus (II *Petr.* iii, 6), satis clarum est, et quæ pars mundi a toto significata, et quatenus perisse dicta sit, et qui cœli repositi igni reservandi in diem judicii et perditionis hominum impiorum. Et in eo quod paulo post ait, *Veniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transcurrent, elementa autem ardentia resolventur, et terra, et quæ in ipsa sunt opera exurentur*; ac deinde subjecit, *His omnibus pereuntibus quales oportet vos esse* (*Ibid.* 10, 11)? possunt illi cœli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reservandos; et ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa et turbulenta, in qua eosdem cœlos dixit esse repositos, salvis illis superioribus, et in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta. Nam et illud quod scriptum est, stellas de cœlo esse casuras (*Matth.* xxiv, 29), præter quod potest multo probabilius et aliter intelligi, magis ostendit mansuros esse illos cœlos: si tamen stellæ inde casuræ sunt; cum vel tropica sit locutio, quod est credibilius, vel in isto imo cœlo futurum sit [2], utique mirabilius quam nunc fit. Unde et illa Virgiliana

> Stella facem ducens multa cum luce cucurrit,
>
> et Idæa se condidit silva (*Æneid. lib.* ii, *v.* 694, 696.)

Hoc autem quod de Psalmo commemoravi, nullum cœlorum videtur relinquere, quod periturum esse non dixerit. Ubi enim dicitur, *Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt;* quam nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum a perditione secernitur. Non enim dignabuntur de Petri apostoli locutione, quem [3] vehementer oderunt, Hebræorum defendere pietatem, deorum suorum oraculis approbatam, ut saltem ne totus mundus periturus esse credatur, sic a toto pars accipiatur, in eo quod dictum est, *Ipsi peribunt*, cum soli cœli infimi sint perituri; quemadmodum in apostolica illa Epistola a toto pars accepta est, quod diluvio periisse dictus est mundus, quamvis sola ejus cum suis cœlis pars ima perierit. Sed quia hæc, ut dixi, non dignabuntur, ne vel apostoli Petri approbent sensum, vel tantum concedant conflagrationi novissimæ, quantum dicimus valuisse diluvium, qui nullis aquis, nullis flammis totum genus humanum posse perire contendunt: restat ut dicant, quod propterea dii eorum Hebræam sapientiam laudaverunt, quia istum Psalmum non legerant.

2. In Psalmo etiam quadragesimo nono de judicio Dei novissimo intelligitur dictum, *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum sursum, et terram discernere populum suum. Congregate illi justos ejus, qui disponunt testamentum ejus super sacrificia* (*Psal.* xlix, 3-5). Hoc nos de Domino nostro Jesu Christo intelligimus, quem de cœlo speramus esse venturum ad vivos et mortuos judicandos. Manifestus enim veniet inter justos et injustos judicaturus juste, qui prius venit occultus ab injustis judicandus injuste. Ipse, inquam, *manifestus veniet, et non silebit*, id est, in voce judicis evidens apparebit, qui prius cum venisset occultus, ante judicem siluit, quando sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente fuit sine voce, quemadmodum de illo per Isaiam legimus prophetatum (*Isai.* liii, 7), et in Evangelio videmus impletum (*Matth.* xxvi, 63). De igne vero et tempestate, cum in Isaiæ prophetia tale aliquid tractaremus, quomodo essent hæc intelligenda, jam diximus (*cap.* 21). Quod vero dictum est, *Advocabit cœlum sursum:* quoniam sancti et justi recte cœlum appellantur; nimirum hoc est, quod ait Apostolus, *Simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in aera* (I *Thess.* iv, 16). Nam secundum litteræ superficiem, quomodo sursum advocatur cœlum, quasi possit esse nisi sursum? Quod autem adjunctum est, *Et terram discernere populum suum*, si tantummodo subaudiatur *advocabit*, id est, advocabit et terram, nec subaudiatur *sursum*, hunc videtur habere sensum secundum rectam fidem, ut cœlum intelligatur in eis qui cum illo sunt judicaturi, et terra in eis qui judicandi sunt: ut *Advocabit cœlum sursum*, non hic intelligamus, Rapiet in aera; sed, In judiciarias sedes eriget. Potest et illud intelligi: *Advocabit cœlum sursum*, Advocabit Angelos in supernis et excelsis locis, cum quibus descendat ad faciendum judicium: Advocabit *et terram*, id est, homines in terra utique judicandos. Si autem utrumque subaudiendum est, cum dicitur, *et terram*, id est et *advocabit*, et *sursum*; ut iste sit sensus, Advocabit cœlum sursum, et terram advocabit sursum: nihil melius intelligi existimo, quam homines [1] qui rapientur in obviam Christo in aera, sed cœlum dictum propter

[1] Editi, *sapientia Judæorum*. Abest, *Judæorum*, a Mss.
[2] Sola editio Lov., *futurum sit aliquid*.
[3] Plerique Mss., *quam*.

[1] In omnibus Mss., *quam omnes*.

animas, terram propter corpora. *Discernere* porro *populum suum*, quid est, nisi per judicium separare bonos a malis, tanquam oves ab hædis? Deinde conversio sermonis ad Angelos facta est : *Congregate illi justos ejus.* Profecto enim per angelicum ministerium tanta res peragenda est. Si autem quærimus, quos justos ei congregaturi sunt Angeli : *Qui disponunt*, inquit, *testamentum ejus super sacrificia.* Hæc est omnis vita justorum, disponere testamentum Dei super sacrificia. Aut enim opera misericordiæ sunt *super sacrificia*, id est sacrificiis præponenda, juxta sententiam Dei dicentis, *Misericordiam volo*[1] *quam sacrificium* (*Oseæ* VI, 6): aut si *super sacrificia*, in sacrificiis intelligitur dictum, quomodo super terram fieri dicitur quod fit utique in terra : profecto ipsa opera misericordiæ sunt sacrificia quibus placetur Deo[2] sicut in libro hujus operis decimo me disseruisse reminiscor (*cap.* 6, *et alibi*) : in quibus operibus disponunt justi testamentum Dei, quia propter promissiones quæ Novo ejus Testamento continentur, hæc faciunt. Unde congregatis sibi justis suis, et ad suam dexteram constitutis, novissimo utique judicio, dicturus est Christus, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 34); et cætera quæ ibi proferuntur de bonorum operibus bonis, et de eorum præmiis sempiternis per ultimam sententiam judicantis[3].

CAPUT XXV. — *De prophetia Malachiæ*[4] *qua Dei judicium ultimum declaratur, et quorumdam dicitur per purificatorias pœnas facienda mundatio.*

Propheta Malachias, sive Malachi, qui et Angelus dictus est, qui etiam Esdras sacerdos, cujus alia in canonem[5] scripta recepta sunt, ab aliquibus creditur (nam de illo hanc esse Hebræorum opinionem dicit Hieronymus [*Proœm. in Malach.*]), judicium novissimum prophetat, dicens : *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens : et quis sustinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit ut aspiciat eum? Quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorii, et quasi herba lavantium : et sedebit conflans, et emundans, sicut aurum et sicut argentum, et emundabit filios Levi, et fundet eos sicut aurum et argentum ; et erunt, Domino offerentes hostias in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut diebus pristinis, et sicut annis prioribus. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox super maleficos, et super adulteros, et super eos qui jurant in nomine meo mendaciter, et qui fraudant mercedem mercenario*[6], *et opprimunt per potentiam viduas, et percutiunt pupillos, et pervertunt judicium advenæ et qui non timent me, dicit Dominus omnipotens. Quoniam ego Dominus Deus vester, et non mutor* (*Malach.* III, 1-6). Ex his quæ dicta sunt, videtur evidentius apparere in illo judicio quasdam quorumdam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur, *Quis sustinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit ut aspiciat eum? Quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorii, et quasi herba lavantium : et sedebit conflans, et emundans, sicut aurum et sicut argentum, et emundabit filios Levi, et fundet eos sicut aurum et argentum*; quid aliud intelligendum est? Dicit tale aliquid et Isaias : *Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii et spiritu combustionis* (*Isai.* IV, 4). Nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus, et eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cætero permixtione victuri sunt. Sed cum dicit, *Et emundabit filios Levi, et fundet eos sicut aurum et argentum, et erunt Domino offerentes hostias in justitia, et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem*, utique ostendit eos ipsos, qui emundabuntur, deinceps in sacrificiis justitiæ Domino esse placituros, ac per hoc ipsi a sua injustitia mundabuntur, in qua Domino displicebant. Hostiæ porro in plena perfectaque justitia, cum mundati fuerint, ipsi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerunt, quam se ipsos? Verum ista quæstio de purgatoriis pœnis, ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda est. Filios autem Levi et Juda et Jerusalem, ipsam Dei Ecclesiam debemus accipere, non ex Hebræis tantum, sed ex aliis etiam gentibus congregatam : nec talem, qualis nunc est, ubi *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.*, I, 8) : sed qualis tunc erit, velut area per ventilationem, ita per judicium purgata novissimum; eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria est; ita ut nullus omnino sit qui offerat sacrificium pro peccatis suis. Omnes enim qui sic offerunt, profecto in peccatis sunt, pro quibus dimittendis offerunt, ut cum obtulerint, acceptumque Deo fuerit, tunc dimittantur.

CAPUT XXVI. — *De sacrificiis quæ sancti offerent Deo sic placitura, quomodo in diebus pristinis et annis prioribus placuerunt.*

1. Volens autem Deus ostendere civitatem suam tunc in ista consuetudine non futuram, dixit filios Levi oblaturos hostias in justitia : non ergo in peccato, ac per hoc non pro peccato. Unde intelligi potest in eo quod secutus adjunxit, atque ait, *Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut diebus pristinis, et sicut annis prioribus*, frustra sibi Judæos secundum legem veteris Testamenti sacrificiorum suorum præterita tempora polliceri. Non enim tunc in justitia, sed in peccatis hostias offerebant, quando pro peccatis præcipue ac primitus offerebant, usque adeo ut sacerdos ipse, quem debemus utique credere cæteris fuisse justiorem, secundum Dei mandatum soleret primum pro suis offerre peccatis, deinde pro populi (*Levit.* XVI, 6 ; *Hebr.* VII, 27). Quapropter exponere nos oportet quomodo sit accipiendum quod

[1] Editi, *magis volo*. At Mss. carent particula, *magis*, quæ nec est in Septuaginta.

[2] Nonnulli Mss., *placetur Deus*.

[3] Sola editio Lov., *judicantes*.

[4] Mss., *Malachielis*. Et eodem initio capitis, *Propheta Malachiel, sive Malachi* : et quidam, *sive Malachim*. Editiones Vind. Am. et Er., *Malachiel, sive Malachias*.

[5] Vind. Am. Er. et Mss., *in canone*.

[6] Er. et Lov., *mercede mercenarios*. At Vind. Am. et Mss., *mercedem mercenario*. Græce Septuaginta, *misthon misthotou*.

dictum est, *Sicut diebus pristinis, et sicut annis prioribus.* Fortassis enim tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiso fuerunt. Tunc enim puri atque integri ab omni sorde ac labe peccati se ipsos Deo mundissimas hostias offerebant. Cæterum ex quo commissæ prævaricationis causa inde dimissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno Mediatore, et post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, *Nemo mundus a sorde*, sicut scriptum est, *nec infans, cujus est vita unius diei super terram* (*Job* XIV, 4, *sec.* LXX). Quod si respondetur, etiam eos merito dici posse offerre hostias in justitia, qui offerunt in fide; *Justus* enim *ex fide vivit* (*Rom.* I, 17); quamvis se ipsum seducat, si dixerit se peccatum non habere (I *Joan.* I, 8); et ideo non dicat, quia ex fide vivit: numquid dicturus est quispiam hoc fidei tempus illi fini esse coæquandum, quando igne judicii novissimi mundabuntur, qui offerant[1] hostias in justitia? Ac per hoc quoniam post talem mundationem nullum peccatum justos habituros esse credendum est, profecto illud tempus, quantum attinet ad non habere peccatum, nulli tempori comparandum est, nisi quando primi homines in paradiso ante prævaricationem innocentissima felicitate vixerunt. Recte itaque intelligitur hoc significatum esse, cum dictum est, *Sicut diebus pristinis, et sicut annis prioribus.* Nam et per Isaiam posteaquam cœlum novum et terra nova promissa est, inter cætera, quæ ibi de sanctorum beatitudine per allegorias et ænigmata exsequitur, quibus expositionem congruam reddere nos prohibuit vitandæ longitudinis cura, *Secundum dies*, inquit, *ligni vitæ erunt dies populi mei* (*Isai.* LXV, 22). Quis autem sacras Litteras attigit, et ignorat ubi Deus plantaverit lignum vitæ, a cujus cibo separatis illis hominibus, quando eos sua de paradiso ejecit iniquitas, eidem ligno circumposita est ignea terribilisque custodia?

2. Quod si quisquam illos dies ligni vitæ, quos commemoravit propheta Isaias, istos qui nunc aguntur Ecclesiæ Christi dies esse contendit, ipsumque Christum lignum vitæ prophetice dictum, quia ipse est Sapientia Dei, de qua Salomon ait, *Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam* (*Prov.* III, 18); nec annos egisse aliquos in paradiso illos primos homines, unde tam cito ejecti sunt, ut nullum ibi gignerent filium; et ideo non posse illud tempus intelligi in eo quod dictum est, *Sicut diebus pristinis, et sicut annis prioribus*: istam prætereo quæstionem, ne cogar (quod prolixum est) cuncta discutere, ut aliquid horum veritas manifestata[2] confirmet. Video quippe alterum sensum, ne dies pristinos et annos priores carnalium sacrificiorum nobis pro magno munere per Prophetam promissos fuisse credamus. Hostiæ namque illæ veteris Legis in quibusque pecoribus immaculatæ ac sine ullo[3] prorsus vitio jubebantur offerri, et significabant homines sanctos, qualis solus inventus est Christus, sine ullo omnino peccato. Proinde quia post judicium, cum fuerint etiam igne mundati qui ejusmodi mundatione sunt digni, in omnibus sanctis nullum invenietur omnino peccatum, atque ita se ipsos offerent in justitia, ut tales hostiæ omni modo immaculatæ ac sine ullo vitio sint futuræ, erunt profecto sicut pristinis diebus et sicut annis prioribus, quando in umbra hujus rei futuræ mundissimæ offerebantur hostiæ. Hæc erit namque munditia tunc in immortali carne ac mente sanctorum, quæ figurabatur in illarum corporibus hostiarum.

3. Deinde propter eos qui non mundatione, sed damnatione sunt digni, *Et accedam*, inquit, *ad vos in judicium, et ero testis velox super maleficos et super adulteros*, et cætera, quibus damnabilibus enumeratis criminibus addidit, *Quoniam ego Dominus Deus vester, et non mutor*: tanquam diceret, Cum vos mutaverit et in deterius culpa vestra, et in melius gratia mea, ego non mutor. Testem vero se dicit futurum, quia in judicio suo non indiget testibus: eumque velocem, sive quia repente venturus est, eritque judicium ipso inopinato ejus adventu celerrimum, quod tardissimum videbatur; sive quia ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias. *In cogitationibus enim*, sicut scriptum est, *impii interrogatio erit* (*Sap.* I, 9). Et Apostolus, *Cogitationibus*, inquit, *accusantibus, vel etiam excusantibus in die qua judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum* (*Rom.* II, 15, 16). Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelligendus est velox, cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat puniatque conscientiam.

CAPUT XXVII. — *De separatione bonorum et malorum, per quam novissimi judicii discretio declaratur.*

Illud etiam, quod aliud agens in octavo decimo libro ex isto propheta posui (*capite* 35, *fine*), ad judicium novissimum pertinet, ubi ait: ***Erunt mihi, dicit Dominus omnipotens, in die qua ego facio in acquisitionem, et eligam eos sicut eligit homo filium suum qui servit ei: et convertemini***[1]***, et videbitis quid sit inter justum et iniquum, et inter servientem Deo et eum qui non servit ei. Quia ecce dies venit ardens sicut clibanus, et comburet eos, et erunt omnes alienigenæ, et universi qui faciunt iniquitatem, stipula: et succendet eos dies veniens, dicit Dominus omnipotens: et non relinquetur in eis radix, neque ramus. Et orietur vobis, qui timetis nomen meum, sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus; et egrediemini, et salietis sicut vituli de vinculis relaxati: et conculcabitis iniquos, et erunt cinis sub pedibus vestris, dicit Dominus omnipotens*** (*Malach.* III, 17, 18; IV, 1-3). Hæc distantia præmiorum atque pœnarum justos dirimens ab injustis, quæ sub isto sole in hujus vitæ vanitate non cernitur, quando sub illo sole justitiæ in illius vitæ manifestatione clarebit, tunc

[1] Sic Mss. Editi autem, *offerunt*.
[2] Vind. Am. Er. et plures Mss., *manifesta*.
[3] Sic Mss. At editi, *immaculatis absque ullo*, etc.

[1] Editi ac plerique Mss., *et convertar*. Emendantur ad veterem librum Corbeiensem: nam et apud Septuaginta legitur, *kai épistraphésesthé*: et in Vulgata, *et convertemini*.

profecto erit judicium quale nunquam fuit.

CAPUT XXVIII. — *De lege Moysi spiritualiter intelligenda, ne in damnabilia murmura carnalis sensus incurrat.*

Quod vero subjungit idem propheta, *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Choreb ad omnem Israel* (*Malach.* IV, 4); præcepta et judicia opportune commemorat, post declaratum tam magnum futurum inter observatores legis contemptoresque discrimen; simul etiam ut discant legem spiritualiter intelligere, et inveniant in ea Christum, per quem judicem facienda est inter bonos et malos ipsa discretio. Non enim frustra idem Dominus ait Judæis, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Carnaliter quippe accipiendo legem, et ejus promissa terrena rerum cœlestium figuras esse nescientes, in illa murmura corruerunt, ut dicere auderent, *Vanus est qui servit Deo: et quid amplius, quia custodivimus mandata ejus, et quia ambulavimus supplices*[1] *ante faciem Domini omnipotentis? Et nunc nos beatos dicimus alienos, et ædificantur omnes qui faciunt iniquitatem* (*Malach.* III, 14 *et* 15). Quibus eorum verbis quodammodo propheta compulsus est novissimum prænuntiare[2] judicium, ubi mali nec saltem falso sint beati, sed apertissime appareant miserrimi; et boni nulla temporali saltem miseria laborent, sed clara ac sempiterna beatitudine perfruantur. Dixerat quippe istorum talia quædam verba etiam superius dicentium, *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent* (*Id.* II, 17). Ad hæc, inquam, contra Deum murmura pervenerunt, legem Moysi accipiendo carnaliter. Unde et ille in Psalmo septuagesimo secundo, pene commotos dicit fuisse pedes suos, et effusos gressus suos, utique in lapsum, quia zelavit in peccatoribus, pacem peccatorum intuens; ita ut inter cætera diceret, *Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo?* diceret etiam, *Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus*[3] *manus meas?* Ut autem solveret hanc difficillimam quæstionem, quæ fit, cum videntur boni esse miseri, et felices mali: *Hoc*, inquit, *labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 11, 13, 16, 17). Judicio quippe novissimo non sic erit: sed in aperta iniquorum miseria, et aperta felicitate justorum, longe quam nunc est aliud apparebit.

CAPUT XXIX. — *De adventu Eliæ ante judicium, cujus prædicatione Scripturarum secreta reserante, Judæi convertentur ad Christum.*

Cum autem admonuisset, ut meminissent legis Moysi: quoniam prævidebat eos multo adhuc tempore non eam spiritualiter, sicut oportuerat, accepturos, continuo subjecit: *Et ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magnus et illustris, qui convertet cor patris ad filium, et cor hominis ad proximum suum, ne forte veniens percutiam terram penitus* (*Malach.* IV, 5, 6, *sec.* LXX). Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam exposita sibi lege, ultimo tempore ante judicium, Judæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium. Ipse quippe ante adventum judicis Salvatoris non immerito speratur esse venturus: quia[1] etiam nunc vivere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissime sancta Scriptura testatur (IV *Reg.* II, 11). Cum venerit ergo, exponendo legem spiritualiter, quam nunc Judæi carnaliter sapiunt, *convertet cor patris ad filium*, id est, cor patrum ad filios: singularem quippe pro numero plurali interpretes Septuaginta posuerunt. Et est sensus, ut etiam filii sic intelligant legem, id est Judæi, quemadmodum patres eam intellexerunt, id est Prophetæ, in quibus erat et ipse Moyses. Sic enim cor patrum convertetur ad filios, cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum; *et cor filiorum ad patres eorum* (*a*), dum in id quod senserunt illi, consentient et isti: ubi Septuaginta dixerunt, *et cor hominis ad proximum suum*. Sunt enim inter se valde proximi patres et filii. Quanquam in verbis Septuaginta interpretum, qui prophetice interpretati sunt, potest sensus alius idemque electior inveniri; ut intelligatur Elias cor Dei Patris conversurus ad Filium: non utique agendo ut Pater diligat Filium, sed docendo quod Pater diligat Filium; ut et Judæi, quem prius oderant, diligant eumdem, qui noster est Christum[2]. Judæis enim nunc aversum cor habet Deus a Christo nostro, quia hoc putant. Eis ergo tunc cor ejus convertetur ad Filium, cum ipsi converso corde didicerint dilectionem Patris in Filium. Quod vero sequitur, *et cor hominis ad proximum suum*, id est, convertet Elias et cor hominis ad proximum suum; quid melius intelligitur, quam cor hominis ad hominem Christum? Cum enim sit in forma Dei Deus noster, formam servi accipiens esse dignatus est etiam proximus noster. Hoc ergo faciet Elias. *Ne forte*, inquit, *veniam, et percutiam terram penitus*. Terra sunt enim, qui terrena sapiunt; sicut Judæi carnales usque nunc: ex quo vitio contra Deum murmura illa venerunt, *Quia mali ei placent*; et, *Vanus est qui servit Deo* (*Malach.* II, 17; III, 14).

CAPUT XXX. — *Quod in libris Veteris Testamenti cum Deus legitur judicaturus, non evidenter Christi persona monstretur: sed ex quibusdam testimoniis, ubi Dominus Deus loquitur, appareat non dubie quod ipse sit Christus.*

1. Multa alia sunt Scripturarum testimonia divinarum de novissimo judicio Dei; quæ si omnia colligam, nimis longum erit. Satis ergo sit, quod et novis et

[1] Lov., *simplices*. Cæteri libri editi et manuscripti, *supplices*: juxta LXX, *iketai*.

[2] Sic Am. Er. et plures Mss. At Vind. et Lov., *pronuntiare*.

[3] Lov., *inter innocentes*: et paulo post, *intelligam in novissimo*. Sed Augustinus legere solet, *in novissima*; et, *in innocentibus*: habentque ita Mss.

[1] Editi, *qui*. Plures Mss., *quia*.

[2] Lov. scriptis dissentientes, habent, *Christus*: et infra post, *Christo nostro*, sic prosequuntur, *quia non putant eum Deum esse, neque Dei Filium. Eis ergo*, etc.

(*a*) Juxta Vulgatam

veteribus Litteris sacris hoc prænuntiatum esse probavimus. Sed veteribus per Christum futurum esse judicium, id est, judicem Christum de cœlo esse venturum, non tam, quam novis, evidenter expressum est : propterea quia cum ibi dicit Dominus Deus se esse venturum, vel Dominum Deum dicitur esse venturum, non consequenter intelligitur Christus. Dominus enim Deus et Pater est, et Filius, et Spiritus sanctus : neque hoc tamen intestatum relinquere nos oportet. Primo itaque demonstrandum est, quemadmodum Jesus Christus tanquam Dominus Deus loquatur in propheticis libris, et tamen Jesus Christus evidenter appareat : ut et quando sic non apparet, et tamen ad illud ultimum judicium Dominus Deus dicitur esse venturus, possit Jesus Christus intelligi. Est locus apud Isaiam prophetam, qui hoc quod dico evidenter ostendit. Deus enim per prophetam, *Audi me*, inquit, *Jacob et Israel quem ego voco. Ego sum primus, et ego in sempiternum : et manus mea fundavit terram, et dextera mea firmavit cœlum. Vocabo eos, et stabunt simul, et congregabuntur omnes, et audient. Quis eis nuntiavit hæc*[1]? *Diligens te, feci voluntatem tuam super Babylonem, ut auferrem semen Chaldæorum Et locutus sum, et ego vocavi : adduxi eum, et prosperam feci viam ejus. Accedite ad me, et audite hæc. Non a principio in abscondito locutus sum : quando fiebant, ibi eram. Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus* (*Isai.* XLVIII, 12-16). Nempe ipse est, qui loquebatur sicut Dominus Deus : nec tamen intelligeretur Jesus Christus, nisi addidisset, *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus.* Hoc enim dixit secundum formam servi, de re futura utens præteriti temporis verbo : quemadmodum apud eumdem prophetam legitur, *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Id.* LIII, 7, *sec.* LXX). Non enim ait, Ducetur : sed pro eo quod futurum erat, præteriti temporis verbum posuit. Et assidue prophetia[2] sic loquitur.

2. Est et alius locus apud *Zachariam*, qui hoc evidenter ostendit, quod omnipotentem misit omnipotens : quis quem, nisi Deus Pater Deum Filium? Nam ita scriptum est : *Hæc dicit Dominus omnipotens, Post gloriam misit me super gentes, quæ spoliaverunt vos; quia qui tetigerit vos, quasi qui tangit pupillam oculi ejus. Ecce ego inferam manum meam super eos, et erunt spolia his qui servierant eis; et cognoscetis quia Dominus omnipotens misit me* (*Zach.* II, 8 *et* 9) Ecce dicit Dominus omnipotens, a Domino omnipotente se missum. Quis hic audeat intelligere nisi Christum loquentem, scilicet ovibus quæ perierant domus Israel? Ait namque in Evangelio, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24) : quas hic comparavit pupillæ oculi Dei, propter excellentissimum dilectionis affectum; ex quo genere ovium etiam ipsi Apostoli fuerunt. Sed post gloriam resurrectionis utique suæ, quæ antequam

[1] Sic Vind. Am. Er. juxta græcum Septuaginta. At Lov., *Quis annuntiavit hæc*; omisso, *eis* : cujus loco manuscripti plures habent *ei.*

[2] Er. et Lov., *propheta.* Editi vero alii et manuscripti, *prophetia.*

fieret, ait evangelista, *Jesus nondum erat glorificatus*[1] (*Joan.* VII, 39), etiam super gentes missus est in Apostolis suis : ac sic impletum est quod in Psalmo legitur, *Erues me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium* (*Psal.* XVII, 44) : ut qui spoliaverant Israelitas, quibusque Israelitæ servierant, quando sunt gentibus subditi, non vicissim eodem modo spoliarentur, sed ipsi spolia fierent Israelitarum. Hoc enim Apostolis promiserat, dicens, *Faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Et uni eorum, *Ex hoc jam*, inquit, *homines eris capiens* (*Luc.* V, 10). Spolia ergo fierent[2] sed in bonum, tanquam erepta vasa illi forti, sed fortius alligato (*Matth.* XII, 29).

3. Item per eumdem prophetam Dominus loquens, *Et erit*, inquit, *in die illa, quæram auferre omnes gentes quæ veniunt contra Jerusalem, et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ et misericordiæ; et aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt; et plangent super eum planctum quasi super charissimum, et dolebunt dolore quasi super unigenitum* (*Zach.* XII, 9, 10). Numquid nisi Dei est auferre omnes gentes inimicas sanctæ civitatis Jerusalem, quæ *veniunt contra* eam, id est, contrariæ sunt ei, vel, sicut alii sunt interpretati, *veniunt super* eam, id est, ut eam sibi subjiciant : aut super domum David effundere, et super habitatores ejusdem civitatis Spiritum gratiæ et misericordiæ? Hoc utique Dei est, et ex persona Dei dicitur per Prophetam : et tamen hunc Deum hæc tam magna et tam divina facientem sese Christus ostendit, adjungendo atque dicendo, *Et aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt; et plangent super eum planctum quasi super charissimum* (sive, *dilectum*), *et dolebunt dolore quasi super unigenitum.* Pœnitebit quippe in die illa Judæos, etiam eos qui accepturi sunt Spiritum gratiæ et misericordiæ, quod in ejus passione insultaverint Christo, cum ad eum adspexerint in sua majestate venientem, eumque esse cognoverint, quem prius humilem in suis parentibus illuserunt : quamvis et ipsi parentes eorum tantæ illius impietatis auctores resurgentes videbunt eum, sed puniendi jam, non adhuc corrigendi. Non itaque hoc loco ipsi intelligendi sunt, ubi dictum est, *Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ et misericordiæ; et aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt :* sed tamen de illorum stirpe venientes[3], qui per Eliam illo tempore sunt credituri. Sed sicut dicimus Judæis, Vos occidistis Christum, quamvis hoc parentes eorum fecerint : sic et isti se dolebunt fecisse quodammodo, quod fecerunt illi, ex quorum stirpe descendunt. Quamvis ergo accepto Spiritu gratiæ et misericordiæ jam fideles non damnabuntur cum impiis parentibus suis; dolebunt tamen tanquam ipsi fecerint, quod ab illis factum est. Non igitur dolebunt reatu criminis, sed pietatis affectu. Sane ubi dixerunt Septuaginta interpretes, *Et aspicient ad me,*

[1] Ita Mss. Editi vero, *ait Evangelista Joannes*, *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

[2] Sic Vind. et Mss. At Am. Er. et Lov., *fient.*

[3] Sola editio Lov., *venient.*

pro eo quod insultaverunt; sic interpretatum est ex Hebræo, *Et aspicient ad me, quem confixerunt* (a). Quo quidem verbo evidentius Christus apparet crucifixus. Sed illa insultatio, quam Septuaginta ponere maluerunt, ejus universæ non defuit passioni. Nam et detento, et alligato, et adjudicato, et opprobrio ignominiosæ vestis induto, et spinis coronato, et calamo in capite percusso, et irridenter fixis genibus adorato [1], et crucem suam portanti, et in ligno jam pendenti utique insultaverunt. Proinde interpretationem non sequentes unam, sed utramque jungentes, cum et *insultaverunt*, et *confixerunt* legimus, plenius veritatem Dominicæ passionis agnoscimus.

4. Cum ergo in propheticis litteris ad novissimum judicium faciendum Deus legitur esse venturus, etsi ejus alia distinctio non ponatur; tantummodo propter ipsum judicium Christus debet intelligi : quia etsi Pater, judicabit, per adventum Filii hominis judicabit. Nam ipse per suæ præsentiæ manifestationem *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22) : qui manifestabitur homo judicaturus, sicut homo est judicatus. Quis est enim alius, de quo item Deus loquitur per Isaiam sub nomine Jacob et Israel, de cujus semine corpus accepit ? quod ita scriptum est : *Jacob puer meus, suscipiam illum : Israel electus meus, assumpsit eum anima mea. Dedi Spiritum meum in illum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque cessabit, neque audietur foris vox ejus. Calamum quassatum non conteret, et linum fumans non exstinguet; sed in veritate proferet judicium. Refulgebit, et non confringetur, donec ponat in terra judicium; et in nomine ejus gentes sperabunt* (*Isai.* XLII, 1-4, *sec.* LXX). In hebræo non legitur *Jacob* et *Israel :* sed quod ibi legitur *servus meus*, nimirum Septuaginta interpretes volentes admonere quatenus id accipiendum sit, quia scilicet propter formam servi dictum est, in qua se Altissimus humillimum præbuit, ipsius hominis nomen ad eum significandum posuerunt, de cujus genere eadem servi forma suscepta est. Datus est in eum Spiritus sanctus, quod et columbæ specie, Evangelio teste, monstratum est (*Matth.* III, 16). Judicium gentibus protulit, quia prænuntiavit futurum, quod gentibus erat occultum. Mansuetudine non clamavit, nec tamen in prædicanda veritate cessavit. Sed non est audita foris vox ejus, nec auditur; quandoquidem ab eis qui foris ab ejus corpore præcisi sunt, non illi obeditur : ipsosque suos persecutores Judæos, qui calamo quassato perdita integritate, et lino fumanti amisso lumine comparati sunt, non contrivit, nec exstinxit; quia pepercit eis, qui nondum venerat eos judicare, sed ab eis judicari (b). In veritate sane judicium protulit, prædicens eis quando puniendi essent, si in sua malignitate persisterent. Refulsit in monte facies ejus (*Matth.* XVII, 1, 2), in orbe fama ejus : nec confractus, sive contritus est, quia neque in se, neque in Ecclesia sua, ut esse desisteret, persecutoribus cessit. Et ideo non est factum, nec fiet, quod inimici ejus dixerunt, vel dicunt, *Quando morietur et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL, 6)? *Donec ponat in terra judicium.* Ecce manifestatum est quod absconditum quærebamus. Hoc enim est novissimum judicium, quod ponet in terra, cum venerit ipse de cœlo. De quo jam videmus impletum, quod hic ultimum positum est : *Et in nomine ejus gentes sperabunt.* Per hoc certe quod negari non potest, etiam illud credatur quod impudenter negatur. Quis enim speraret, quod etiam hi qui nolunt adhuc credere in Christum, jam nobiscum vident, et quoniam negare non possunt, dentibus suis frendent, et tabescunt? Quis, inquam, speraret gentes in Christi nomine speraturas, quando tenebatur, ligabatur, cædebatur, illudebatur, crucifigebatur; quando et ipsi discipuli spem perdiderant, quam in illo habere jam cœperant? Quod tunc vix unus latro speravit in cruce, nunc sperant gentes longe lateque diffusæ; et ne in æternum moriantur, ipsa in qua ille mortuus est, cruce signantur.

5. Nullus igitur vel negat vel dubitat, per Jesum Christum tale quale istis sacris Litteris prænuntiatur, futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem Litteris, nescio qua incredibili [1] animositate seu cæcitate, non credit, quæ jam veritatem suam orbi demonstravere terrarum. In illo itaque judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est : sed quibus modis, et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo quo a me commemorata sunt ordine esse ventura.

6. Duo nobis ad hoc opus pertinentes reliqui sunt libri, ut adjuvante Domino promissa compleamus : quorum unus erit de malorum supplicio, alius de felicitate justorum : in quibus maxime, sicut Deus donaverit, argumenta refellentur humana, quæ contra prædicta ac promissa divina sapienter sibi miseri rodere [2] videntur, et salubris fidei nutrimenta velut falsa et ridenda contemnunt. Qui vero secundum Deum sapiunt, omnium quæ incredibilia videntur hominibus, et tamen Scripturis sanctis, quarum jam veritas multis modis asserta est, continentur, maximum argumentum tenent veracem Dei omnipotentiam, quem certum habent nullo modo in eis potuisse mentiri, et posse facere quod impossibile est infideli.

[1] Fr. et Lov., *et irridenter flexis genibus adorato.* At Vind. Am. et Mss., *et irridenter fixis genibus adorato.*

(a) Sic Vulgata.

(b) De his omnibus egregie agit, eumdem Isaiæ locum interpretans, Hieronymus in Epistola 151, ad Algasiam, quæstione 2. Coquæus.

[1] Ita Mss. Editi vero *incredula.*

[2] Editi, veteribus libris dissentientes, *reddere.*

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

De fine debito civitatis diaboli, supplicio scilicet damnatorum sempiterno, deque humanis contra illud incredulorum argumentis.

CAPUT PRIMUM. — *De ordine disputationis, qua prius disserendum est de perpetuo supplicio damnatorum cum diabolo, quam de æterna felicitate sanctorum.*

Cum per Jesum Christum Dominum nostrum, judicem vivorum atque mortuorum, ad debitos fines ambæ pervenerint civitates, quarum una est Dei, altera diaboli, cujusmodi supplicium sit futurum diaboli et omnium ad eum pertinentium, in hoc libro nobis, quantum ope divina valebimus, diligentius disputandum est. Ideo autem hunc tenere ordinem malui, ut postea disseram de felicitate sanctorum, quoniam utrumque cum corporibus erit; et incredibilius videtur esse in æternis corpora durare cruciatibus, quam sine dolore ullo in æterna beatitudine permanere. Ac per hoc cum illam pœnam non debere esse incredibilem demonstravero, adjuvabit me plurimum, ut multo facilius omni carens molestia immortalitas corporum in sanctis futura credatur. Nec a divinis ordo iste abhorret eloquiis, ubi aliquando quidem bonorum beatitudo prius ponitur, ut est illud, *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 29): sed aliquando et posterius, ut est, *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et mittent in caminum ignis ardentis* [1], *illic erit fletus et stridor dentium; tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 41-43); et illud, *Sic ibunt isti* [2] *in supplicium æternum; justi autem, in vitam æternam* (*Id.* XXV, 46). Et in Prophetis, quod commemorare longum est, nunc ille, nunc iste ordo, si quis inspiciat, invenitur. Sed ego istum qua causa elegerim, dixi.

CAPUT II. — *An possint corpora in ustione ignis esse perpetua.*

Quid igitur ostendam, unde convincantur increduli, posse humana corpora animata atque viventia, non solum nunquam morte dissolvi, sed in æternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad Omnipotentis nos referre potentiam, sed aliquo exemplo persuaderi sibi flagitant. Quibus si respondebimus, esse animalia profecto corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivant: nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impune contrectat; illos autem non solum sine ulla sui læsione ibi esse, sed extra esse non posse: aut nolunt credere, si ostendere non valemus; aut si valuerimus sive oculis demonstrare res ipsas, sive per testes idoneos edocere, non satis hoc esse ad exemplum rei, de qua quæstio est, eadem infidelitate contendent: quia hæc animalia nec semper vivunt, et in illis fervoribus sine doloribus vivunt, suæ quippe naturæ convenientibus vegetantur illis, non cruciantur elementis, quasi non incredibilius sit vegetari, quam cruciari talibus rebus. Mirabile est enim, dolere in ignibus, et tamen vivere: sed mirabilius, vivere in ignibus, nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non et illud?

[1] Mss., *ardentem.*
[2] Ita Mss. At editi, *Sic ibunt injusti.*

CAPUT III. — *An consequens sit ut corporum dolorem sequatur carnis interitus.*

1. Sed nullum est, inquiunt, corpus quod dolere possit, nec possit mori. Et hoc unde scimus? Nam de corporibus quis certus est dæmonum, utrum in eis doleant, quando se affligi magnis cruciatibus confitentur (*a*)? Quod si respondetur, terrenum corpus solidum scilicet atque conspicuum nullum esse, atque ut uno potius nomine id explicem, nullam esse carnem quæ dolere possit, morique non possit: quid aliud dicitur, nisi quod sensu corporis homines et experientia collegerunt? Nullam namque carnem nisi mortalem sciunt: et hæc est eorum tota ratio, ut quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur. Nam cujus rationis est dolorem facere mortis argumentum, cum vitæ potius sit indicium? Etsi enim quærimus, utrum semper possit vivere: certum tamen est vivere omne quod dolet, doloremque omnem nisi in re vivente esse non posse. Necesse est ergo ut vivat dolens, non est necesse ut occidat dolor: quia nec corpora ista mortalia, et utique moritura, omnis dolor occidit; et ut dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atque discedat: quoniam et ipsa compago membrorum atque vitalium sic infirma est, ut eam vim quæ magnum vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima et eo connectitur modo, ut illud vinculum sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiamsi caro nunc talis nulla est, quæ sensum doloris perpeti possit, mortemque non possit: erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est; sicut talis erit et mors, qualis nunc non est. Non enim nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit e corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore: ab utra-

(*a*) Hoc constat ex Hieronymo, contra Vigilantium, et in Epitaphio Paulæ; ex Joanne Chrysostomo, Homilia 66, ad populum Antiochenum; Cypriano, Epistola 2, ad Donatum; Epistola 76, ad Magnum; libris ad Demetrianum, et de Idolorum venitate. Lactantius, Institutionem libro 2, cap. 16: « Maximis sæpeululatibus editis verberari se et « ardere, et jam jamque exire proclamant (dæmones). »
COQUÆUS.

que [1] morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur.

2. Attendunt autem isti contradictores nullam esse nunc carnem, quæ dolorem pati possit, mortemque non possit; et non attendunt esse tamen aliquid tale quod corpore majus sit. Ipse quippe animus, cujus præsentia corpus vivit et regitur, et dolorem pati potest, et mori non potest. Ecce inventa res est, quæ cum sensum doloris habeat, immortalis est. Hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium. Si autem consideremus diligentius, dolor qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. Animæ enim est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa existit a corpore, cum in eo loco dolet, ubi læditur corpus. Sicut ergo dicimus corpora sentientia, et corpora viventia, cum ab anima sit corpori [2] sensus et vita; ita et corpora dicimus dolentia, cum dolor corpori nisi ab anima esse non possit. Dolet itaque anima cum corpore in eo loco ejus, ubi aliquid contingit ut doleat. Dolet et sola, quamvis sit in corpore, cum aliqua causa etiam invisibili tristis est ipsa corpore incolumi. Dolet etiam non in corpore constituta: nam utique dolebat dives ille apud inferos, quando dicebat, *Crucior in hac flamma* (*Luc*. XVI, 24). Corpus autem nec exanime dolet, nec animatum sine anima dolet. Si ergo a dolore argumentum recte sumeretur ad mortem, ut ideo mors possit accidere, quia potuit accidere et dolor, magis ad animam pertineret mori, ad quam magis pertinet et dolere. Cum vero illa quæ magis dolere potest, non possit mori, quid momenti affert cur illa corpora, quoniam futura sunt in doloribus, ideo etiam moritura esse credamus? Dixerunt quidem [3] Platonici, ex terrenis corporibus moribundisque membris esse animæ et metuere, et cupere, et dolere, atque gaudere (*a*). Unde Virgilius, *Hinc*, inquit, (id est, ex moribundis terreni corporis membris) *metuunt cupiuntque, dolent gaudentque* (*Æneid. lib*. 6, *vers*. 733). Sed convicimus eos in quarto decimo (*b*) hujus operis libro, habere animas secundum ipsos ab omni etiam corporis labe purgatas, diram cupiditatem, qua rursus incipiunt in corpora velle reverti (*Ibid. vers*. 720, 721). Ubi autem potest esse cupiditas, profecto etiam dolor potest. Frustrata quippe cupiditas sive non perveniendo quo tendebat, sive amittendo quo pervenerat, vertitur in dolorem. Quapropter si animus, quæ vel sola vel maxime dolet, habet tamen quamdam pro suo modo immortalitatem suam (*a*), non ideo mori poterunt illa corpora, quia dolebunt. Postremo si corpora faciunt, ut animæ doleant, cur eis dolorem possunt, mortem vero inferre non possunt, nisi quia consequens non est, ut mortem faciat, quod dolorem facit? Cur ergo incredibile est, ita ignes illis corporibus dolorem posse inferre, non mortem, sicut ipsa corpora dolere animas faciunt, quas tamen non ideo mori cogunt? Non est ergo necessarium futuræ mortis argumentum dolor.

CAPUT IV. — *De naturalibus exemplis, quorum consideratio doceat posse inter cruciatus viventia corpora permanere.*

1. Quapropter si, ut [1] scripserunt qui naturas animalium curiosius indagarunt, salamandra in ignibus vivit; et quidam notissimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis atque vetustate usque nunc ac deinceps flammis æstuant, atque integri perseverant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi; et anima indicat, non omne quod dolere potest, posse etiam mori: quid adhuc a nobis rerum poscuntur exempla, quibus doceamus, non esse incredibile, ut hominum corpora sempiterno supplicio punitorum, et in igne animam non amittant, et sine detrimento ardeant, et sine interitu doleant? Habebit enim tunc istam [2] carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras et varias tot rebus indidit, quas videmus, ut eas, quia multæ sunt, non miremur. Quis enim nisi Deus creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putresceret? Quod cum auditum incredibile videretur, evenit ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis: de cujus pectore pulparum, quantum visum est, decerptum servari jussimus: quod post dierum tantum spatium, quanto alia caro quæcumque cocta putresceret, prolatum atque oblatum, nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositum post dies amplius quam triginta, idem quod erat inventum est: idemque post annum, nisi quod aliquantum corpulentiæ siccioris et contractioris fuit. Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim, ut obrutas nives servet; vel tam fervidam, ut poma immatura maturet?

2. De ipso igne mira quis explicet, quo quæque adusta nigrescunt, cum ipse sit lucidus; et pene omnia quæ ambit et lambit, colore pulcherrimus [3] decolorat, atque ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit? Neque id quasi regulariter definitum est: nam e contrario lapides igne candente percocti, et ipsi fiunt candidi, et quamvis ille magis rubeat, illi albicent [4], congruit tamen luci quod album est, sicut nigrum tenebris. Cum itaque ignis in lignis ardeat, ut lapi-

[1] Hic apud Lov. addendum est, *tamen*.
[2] Sic [illegible] et proximo loco, pro corpori, habent, *corporis*.
[3] [illegible] dissentientes, habent, *quidem*.
(*a*) Sic Aristoteles in libro de Anima primo negat animam irasci, gaudere, timere, non secus quam texere vel ædificare: quoniam, ut hæc agit per corpus, ita et illa. Quod si hoc de ira et gaudio admittimus, profecto et dolor ab anima eadem ratione excludetur, quem et excludunt Aristotelis interpretes, Alexander Aphrodisiensis et Themistius, ab anima sine corpore. Lud. Vives.
(*b*) Vind. Am. et omnes Mss., *in duodecimo* [illegible] vel mendum vel [illegible] nam id in Platonicis [illegible] Augustinus, lib. 14, cap. 5.

[1] Vind. Am. Er. et Mss., *sicut*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *tale*.
[3] Sola editio Lov., *pulcherrimo*.
[4] [illegible] Mss. At editi, *illi albido colore nitescant*.
(*a*) Non enim ita immortalis est, ut et omnino antea vixerit, nec ut extingui nulla vi queat; sed quod condita semel a Deo nunquam ita perdat, ut in nihilum abeat, tamen [illegible] quam secundam dicimus supplicio [illegible] perpetuo [illegible] Vives.

des coquat, contrarios habet non in contrariis rebus effectus. Etsi enim lapides et ligna diversa sunt, contraria tamen non sunt, sicut album et nigrum, quorum in lapidibus unum facit, alterum in lignis, clarus illos clarificans, hæc obfuscans, cum in illis deficeret, nisi in istis viveret. Quid in carbonibus, nonne miranda est [1] et tanta infirmitas, ut ictu levissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, et tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, usque adeo ut eos substernere soleant, qui limites figunt, ad convincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora exstiterit, fixumque lapidem limitem non esse contenderit? Quis eos in terra humida infossos, ubi ligna putrescerent, tam diu durare incorruptibiliter posse, nisi rerum ille corruptor ignis effecit (*a*)?

3. Intueamur etiam miraculum calcis, excepto eo, de quo jam satis diximus, quod igne candicat [2], quo alia tetra redduntur, etiam occultissime ab igne ignem concipit, eumque jam gleba tangentibus frigida tam latenter servat, ut nulli nostro sensui prorsus appareat, sed compertus experimento, etiam dum non apparet, sciatur inesse sopitus. Propter quod eam vivam calcem loquimur, velut ipse ignis latens anima sit invisibilis visibilis corporis. Jam vero quam mirum est quod cum exstinguitur, tunc accenditur? Ut enim occulto igne careat, aqua [3] infunditur, aquave perfunditur; et cum ante sit frigida, inde fervescit, unde ferventia cuncta frigescunt. Velut exspirante ergo illa gleba discedens ignis, qui latebat, apparet, ac deinde tanquam morte [4] sic frigida est, ut adjecta unda non sit arsura, et quam calcem vocabamus vivam, vocemus exstinctam. Quid est quod huic miraculo addi posse videatur? et tamen additur. Nam si non adhibeas aquam, sed oleum, quod magis fomes est ignis, nulla ejus perfusione vel infusione fervescit (*b*). Hoc miraculum si de aliquo Indico lapide legeremus, sive audiremus, et in nostrum experimentum venire non posset, profecto aut mendacium putaremus, aut certe granditer miraremur. Quarum vero rerum ante oculos nostros quotidiana documenta versantur, non genere minus mirabili, sed ipsa assiduitate vilescunt, ita ut ex ipsa India, quæ remota est pars orbis a nobis, desierimus nonnulla mirari, quæ ad nos potuerunt miranda perduci.

4. Adamantem lapidem multi apud nos habent, et maxime aurifices insignitoresque gemmarum, qui lapis nec ferro, nec igni (*c*), nec alia vi ulla, perhibetur præter [5] hircino sanguine vinci (*d*). Sed qui eum habent atque noverunt, numquid ita mirantur, ut hi quibus primum potentia ejus ostenditur? Quibus autem non ostenditur, fortasse nec credunt; aut si credunt, inexperta mirantur, et si contigerit experiri, adhuc quidem mirantur insolita, sed assiduitas experiendi paulatim subtrahit admirationis incitamentum. Magnetem lapidem novimus mirabilem ferri esse raptorem: quod cum primum vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam a lapide ferreum annulum raptum atque suspensum, deinde tanquam ferro quod rapuerat, vim dedisset suam, communemque fecisset, idem annulus admotus est alteri, eumque suspendit, atque ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat: accessit eodem modo tertius, accessit et quartus, jamque sibi per mutua circulis nexis, non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum. Quis istam vim lapidis non stuperet, quæ illi non solum inerat, verum etiam per tot suspensa transibat, et invisibilibus ea vinculis subligabat? Sed multo est mirabilius, quod a fratre et coepiscopo meo Severo Milevitano de isto lapide comperi. Se ipsum namque vidisse narravit, quemadmodum Bathanarius quondam Comes Africæ, cum apud eum convivaretur Episcopus, eumdem protulerit lapidem, et tenuerit sub argento, ferrumque super argentum posuerit; deinde sicut subter movebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum desuper movebatur, atque argento medio nihilque patiente, concitatissimo cursu ac recursu infra lapis ab homine, supra ferrum rapiebatur a lapide. Dixi quod ipse conspexi, dixi quod ab illo audivi, cui tanquam ipse viderim credidi. Quid etiam de isto magnete legerim dicam. Quando juxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum; et si jam rapuerat, ut ei appropinquaverit, mox remittit (*a*). India mittit hos lapides: sed si eos nos cognitos jam desistimus admirari, quanto magis illi a quibus veniunt, si eos facillimos habent, sic forsitan habent ut nos calcem, quam miro modo aqua fervescentem, qua solet ignis exstingui, et oleo non fervescentem, quo solet ignis accendi, quia in promptu nobis est, non miramur?

CAPUT V. — *Quanta sint quorum ratio nequeat agnosci* [1], *et tamen eadem vera esse non sit ambiguum.*

1. Verumtamen homines infideles, qui [2] cum divina vel præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem a nobis earum flagitant rerum; quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humanæ), existimant falsa esse quæ dicimus; ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus, vel videmus, debent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse perviderint, fatendum est eis, non ideo aliquid non fuisse, vel futurum non esse, quia ratio

[1] Editi, *nonne miranda res est*. Abest, *res*, a manuscriptis.
[2] Sic Mss. At Editi, *candescat*.
[3] Apud Lov., *aquæ*.
[4] Er. Lugd. et Ven., *tanquam mortua*. M.
[5] Sic Mss. Editi vero, *præterquam*.

(*a*) Samius, Rhœci filius, primus consuluit carbones fundamentis templi Ephesiæ Dianæ subjici. Vide Diogenem Laertium, lib. 2, § 103. Larcher.
(*b*) Conf. Plinium, lib. 33, cap. 30.
(*c*) Adamas positus in vasculo liquandis metallis idoneo, in fumum evanescit. Larcher.
(*d*) Conf. Plin., lib. 37, cap. 15.

[1] Titulus capitis quinti vitiatus in ante editis sic habebat, *Quanta sint quæ non recte queant agnosci*. Castigatur ex manuscriptis.
[2] Ita Mss. At editi, *quibus*.
(*a*) Plinius, lib. 37, cap. 15.

inde non potest reddi; quandoquidem sunt ista de quibus similiter non potest. Non itaque pergo per plurima quæ mandata sunt litteris, non gesta atque transacta, sed in locis quibusque manentia; quo si quisquam ire voluerit et potuerit, utrum vera sint, explorabit, sed pauca commemoro. Agrigentinum Siciliæ salem perhibent: cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere; cum vero ipsi aquæ, velut in igne crepitare (*a*). Apud Garamantas quemdam fontem tam frigidum diebus, ut non bibatur; tam fervidum noctibus, ut non tangatur (*b*). In Epiro alium fontem, in quo faces, ut in cæteris, exstinguuntur accensæ; sed, non ut in cæteris, accenduntur exstinctæ (*c*). Asbeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel jam non possit exstingui (*d*). Lignum cujusdam ficus Ægyptiæ, non ut ligna cætera in aquis natare, sed mergi; et quod est mirabilius, cum in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægravari (*e*). Poma in terra Sodomorum gigni quidem, et ad maturitatis faciem pervenire; sed morsu pressuve tentata, in fumum ac favillam corio fatiscente vanescere (*f*). Pyritem lapidem Persicum tenentis manum, si vehementius prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit (*g*). In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cujus interiorem candorem cum luna crescere atque deficere (*h*). In Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque fetus non amplius triennio vivere (*i*). Tylon [1] Indiæ insulam eo præferri cæteris terris, quod omnis arbor quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum (*k*).

2. De his atque aliis innumerabilibus mirabilibus, quæ historia non factorum et transactorum, sed manentium locorum tenet, mihi autem aliud agenti ea persequi nimis longum est, reddant rationem, si possunt, infideles isti, qui nolunt divinis Litteris credere; quid aliud quam non putantes eas esse divinas, eo quod res habeant incredibiles, sicuti hoc est unde nunc agimus. Non enim admittit, inquiunt, ulla ratio, ut caro ardeat, nec absumatur; doleat, neque moriatur: ratiocinatores videlicet magni, qui de omnibus rebus quas esse mirabiles constat, possint reddere rationem. Reddant ergo de his (*l*), quæ pauca posuimus, quæ procul dubio si esse nescirent, et ea futura esse diceremus, multo minus crederent, quam quod nunc dicentibus nobis nolunt credere aliquando venturum. Quis enim eorum nobis crederet, si, quemadmodum dicimus futura hominum viva corpora, quæ semper arsura atque dolitura, nec tamen aliquando moritura sint, ita diceremus in futuro sæculo futurum salem, quem faceret ignis velut in aqua fluescere, eumdemque faceret aqua velut in igne crepitare; aut futurum fontem, cujus aqua in refrigerio noctis sic ardeat, ut non possit tangi; in æstibus vero diei sic algeat, ut bibi non possit; aut futurum lapidem, vel eum qui suo calore manum constringentis adureret, vel eum qui undecumque accensus exstingui omnino non posset, et cætera quæ prætermissis aliis innumeris commemoranda interim duxi? Hæc ergo in illo sæculo, quod futurum est, si diceremus futura, nobisque increduli responderent, Si vultis ut ea credamus, de singulis reddite rationem: nos non posse confiteremur, eo quod istis et similibus Dei miris operibus infirma mortalium ratiocinatio vinceretur; fixam tamen apud nos esse rationem, non sine ratione Omnipotentem facere, unde animus humanus infirmus rationem non potest reddere: et in multis quidem rebus incertum nobis esse quid velit; illud tamen esse certissimum, nihil eorum illi esse impossibile, quæcumque voluerit: eique nos credere prædicenti, quem neque impotentem, neque mentientem possumus credere. Hi tamen fidei reprehensores, exactoresque rationis, quid ab ista respondent, de quibus ratio reddi ab homine non potest, et tamen sunt, et ipsi rationi naturæ videntur esse contraria? Quæ si futura esse diceremus, similiter a nobis, sicut eorum quæ futura esse dicimus, ab infidelibus ratio posceretur. Ac per hoc, cum in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis et sermonis humani, sicut ista non ideo non sunt, sic non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de utrisque ab homine non potest reddi.

CAPUT VI. — *Quod non omnia miracula naturalia sint, sed pleraque humano ingenio modificata, pleraque autem dæmonum arte composita.*

1. Hic forte respondeant, Prorsus nec ista sunt, nec ista credimus, falsa de his dicta, falsa conscripta sunt; et adjiciant ratiocinantes, atque dicentes, Si talia credenda sunt, credite et vos quod in easdem litteras est relatum, fuisse vel esse quoddam Veneris fanum, atque ibi candelabrum, et in eo lucernam sub divo sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber exstingueret, unde sicut ille lapis, ita ista λύχνος ἄσβεστος, id est, lucerna inexstinguibilis, nominata est. Quod propterea poterunt dicere, ut respondendi nobis angustias ingerant: quia si dixerimus non esse credendum, scripta illa miraculorum infirmabimus; si autem credendum esse concesserimus, confirmabimus numina paganorum. Sed nos, sicut jam in libro duodevigesimo hujus operis dixi (*cap.* 18), non habemus necesse omnia credere quæ continet historia gentium, cum et ipsi inter se historici, sicut ait Varro, quasi data opera et quasi ex industria per multa dissentiant: sed ea, si volumus, credimus quæ non adversantur libris, quibus non dubitamus oportere nos credere. De his autem miraculorum locis, nobis ad ea quæ futura persuadere incredulis volumus, satis

[1] In aliquot Mss., *Thylen*.

(*a*) Plinius, lib. 31, cap. 7.

(*b*) Id. lib. 5, cap. 5.

(*c*) Id. lib. 2, cap. 103, ex Pomponio Mela, lib. 2, cap. 3.

(*d*) Id. lib. 37, cap. 10.

(*e*) Id. lib. 13, cap. 7.

(*f*) Josephus, lib. 4, de Bello Jud., cap. 8; Solinus, cap. 35; Tacitus, lib. 5 Hist., cap. 7.

(*g*) Plinius, lib. 36, cap. 19, et lib. 37, cap. 11.

(*h*) Id. lib. 37, cap. 10.

(*i*) Solinus, cap. 45. Vide etiam Plinium, lib. 8, cap. 42.

(*k*) Plinius, lib. 12, cap. 11. Tylos insula est sinus Persici.

(*l*) Subaudi, *rationem*.

illa sufficiunt, quæ nos quosque possumus experiri, et eorum testes idoneos non difficile est invenire. De isto autem fano Veneris et lucerna inexstinguibili, non solum in nullas coarctamur angustias, verum etiam latitudinis nobis campus aperitur. Addimus enim ad istam lucernam inexstinguibilem, et humanarum et magicarum, id est per homines dæmoniacarum [1] artium, et ipsorum per se ipsos dæmonum multa miracula: quæ si negare voluerimus, eidem ipsi cui credimus sacrarum Litterarum adversabimur veritati. Aut ergo in lucerna illa mechanicum aliquid de lapide asbesto ars humana molita est, aut arte magica factum est, quod homines illo mirarentur in templo, aut dæmon quispiam sub nomine Veneris tanta se efficacia præsentavit, ut hoc ibi prodigium et appareret hominibus, et diutius permaneret (*a*). Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cujusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum (*b*). Ut autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos discipulos suos faciunt, plurimorumque doctores. Neque enim potuit, nisi primum ipsis docentibus, disci quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur: unde magicæ artes earumque artifices exstiterunt. Maxime autem possident corda mortalium, qua potissimum possessione gloriantur, cum se transfigurant in Angelos lucis (II *Cor.* XI, 14). Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vitare debemus. Sed ad hoc unde nunc agimus, nobis etiam ipsa proficiunt. Si enim hæc immundi dæmones possunt, quanto potentiores sunt sancti Angeli, quanto potentior est his omnibus Deus, qui tantorum miraculorum effectores etiam ipsos Angelos fecit?

2. Quamobrem si tot et tanta mirifica [2], quæ μηχανήματα appellant, Dei creatura utentibus humanis artibus fiunt, ut ea qui nesciunt opinentur esse divina; unde factum est, ut in quodam templo lapidibus magnetibus in solo et camera proportione magnitudinis positis, simulacrum ferreum aeris illius medio inter utrumque lapidem, ignorantibus quid sursum esset ac deorsum, quasi numinis potestate penderet (*c*); quale aliquid etiam in illa lucerna Veneris de lapide asbesto ab artifice fieri potuisse jam diximus: si magorum opera, quos nostra Scriptura veneficos et incantatores vocat, in tantum dæmones extollere potuerunt, ut congruere hominum sensibus sibi nobilis poeta videretur, de quadam femina, quæ tali arte polleret, dicens:

> Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
> Quas velit, ast aliis duras immittere curas;
> Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
> Nocturnosque ciet manes: mugire videbis
> Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos:
> (*Virgil. Æneid.* lib. 4, vers. 487-491.)

quanto magis Deus potens est facere quæ infidelibus sunt incredibilia, sed illius facilia potestati; quandoquidem ipse lapidum aliarumque vim rerum et hominum ingenia, qui ea miris utuntur modis, angelicasque naturas omnibus terrenis potentiores animantibus condidit, universa mirabilia mirabili vincente virtute, et operandi, jubendi, sinendique sapientia, utens omnibus tam mirabiliter, quam creavit?

CAPUT VII. — *Quod in rebus miris summa credendi ratio sit omnipotentia Creatoris.*

1. Cur itaque facere non possit Deus, ut et resurgant corpora mortuorum, et igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aere, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum; cum sit omnibus quibus plenus est procul dubio majus et excellentius etiam ipse mundus miraculum? Sed isti cum quibus vel contra quos agimus, qui et Deum esse credunt a quo factus est mundus, et deos ab illo factos per quos ab illo administratur mundus, et miraculorum effectrices, sive spontaneorum, sive cultu et ritu quolibet imperatorum [1], sive etiam magicorum mundanas vel non negant, vel insuper et prædicant potestates, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, quæ nec animalia sunt rationalia, nec ulla ratione præditi spiritus, sicut sunt ea, quorum pauca commemoravimus, respondere assolent: Vis est ista naturæ, natura eorum sic se habet, propriarum istæ sunt efficaciæ naturarum. Tota itaque ratio est, cur Agrigentinum salem flamma fluere faciat, aqua crepitare, quia hæc est natura ejus. At hoc esse potius contra naturam videtur, quæ non igni, sed aquæ dedit salem solvere; torrere autem igni, non aquæ. Sed ista, inquiunt, salis hujus naturalis est vis, ut his contraria patiatur. Hæc igitur ratio redditur et de illo fonte Garamantico, ubi una vena friget diebus, noctibus fervet, vi utraque molesta tangentibus. Hæc et de illo alio, qui cum sit contrectantibus frigidus, et facem sicut alii fontes exstinguat accensam, dissimiliter tamen atque mirabiliter idem ipse accendit exstinctam. Hæc et de lapide

[1] Sic Vind. Am. et Mss. At Er. et Lov. *dæmoniacarum*.

[2] Editi, *tamque mirifica*. Abest, *tamque*, a manuscriptis.

(*a*) Erutum est sepulcrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna, condita ibi, ut ex inscriptione apparebat, supra millesimum et quingentesimum annum: eaque tota extemplo, ut contrectari cœpta est, inter admotas manus friata in tenuissimum abiit pulverem. LUD. VIVES.

(*b*) Psellus, de Dæmonibus, cap. ult., hoc ipsum ait se didicisse a quodam Ephesio qui dæmonibus familiariter utebatur, nullum nempe esse genus rerum, quo certi aliqui dæmones allici non possint. COQUÆUS.

(*c*) Id refert Ruffinus, lib. 2 Hist. eccles., cap. 23, inter fraudes quæ repertæ sunt in templo Serapidis apud Alexandriam: « Erat, » inquit, « aliud fraudis genus hujusmodi: natura lapidis magnetis hujus virtutis esse perhibetur, ut ad se rapiat et attrahat ferrum: signum solis ad hoc ipsum ex ferro subtilissima manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad se trahere diximus, desuper in laquearibus fixus, cum temperate sub ipso radio ad libram fuisset positum simulacrum et vi naturali ad se raperet ferrum, adsurrexisse populo simulacrum, et in aere pendere videretur. » Idem refert et Prosper, parte 3 de Prædictionibus, cap. 38. COQUÆUS.

[1] Sic Er. et Mss. At Vind. Am. et Lov., *impetratorum*.

asbesto, qui cum ignem nullum habeat proprium, accepto tamen sic ardet alieno, ut non possit exstingui. Hæc de cæteris quæ piget retexere, quibus licet vis insolita contra naturam inesse videatur, alia tamen de illis non redditur ratio, nisi ut dicatur, hanc eorum esse naturam. Brevis sane ista est ratio, fateor, sufficiensque responsio. Sed cum Deus auctor sit naturarum omnium, cur nolunt [1] fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impossibile nolunt credere, eisque redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem omnipotentis Dei; qui certe non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest; qui potuit creare tam multa, quæ nisi ostenderentur, aut a credendis hodieque testibus dicerentur, profecto impossibilia putarentur, non solum quæ ignotissima apud nos, verum etiam quæ notissima posui. Illa enim quæ apud nos præter eos, quorum de his libros legimus, non habent testem, et ab eis conscripta sunt qui non sunt divinitus docti atque humanitus falli forte potuerunt, licet cuique sine recta reprehensione non credere.

2. Nam nec ego volo temere credi cuncta quæ posui, quia nec a me ipso ita creduntur tanquam nulla de illis sit in mea cogitatione dubitatio, exceptis his quæ vel ipse sum expertus, et cuivis facile est experiri; sicut de calce, quod fervet in aqua, in oleo frigida est; de magnete lapide, quod nescio qua sorbitione insensibili stipulam non moveat, et ferrum rapiat; de carne non putrescente pavonis, cum putruerit et Platonis; de palea sic frigente ut fluescere nivem non sinat, sic calente ut maturescere poma compellat; de igne fulgido, quod secundum suum fulgorem lapides coquendo candificet, et contra eumdem suum fulgorem urendo plurima obfuscet. Tale est quod et nigræ maculæ offunduntur ex oleo splendido, similiter nigræ lineæ de candido imprimuntur argento. De carbonibus etiam, quod accendente [2] igne sic vertantur in contrarium, ut de lignis pulcherrimis tetri, fragiles de duris, imputribiles de putribilibus fiant. Hæc ipse quædam cum multis, quædam cum omnibus novi, et alia plurima, quæ huic libro inserere longum fuit. De his autem quæ posui non experta, sed lecta præter de fonte illo, ubi faces exstinguuntur ardentes et accenduntur exstinctæ, et de pomis terræ Sodomorum forinsecus quasi maturis, intrinsecus fumeis, nec testes aliquos idoneos a quibus utrum vera essent audirem, potui reperire. Et illum quidem fontem non inveni, qui in Epiro vidisse se dicerent, sed qui in Gallia similem nossent non longe a Gratianopoli civitate (a). De fructibus autem Sodomitarum arborum, non tantum litteræ fide dignæ indicant, verum etiam tam multi se loquuntur expertos, ut hinc dubitare non possim. Cætera vero sic habeo, ut neque affirmanda, neque neganda decreverim: sed ideo etiam ipsa posui, quoniam apud eorum, contra quos agimus, historicos legi: ut ostenderem qualia multa, multique illorum, nulla reddita ratione, in suorum litteratorum scripta litteris credant, qui nobis credere, quando id quod eorum experientiam sensumque transgreditur, omnipotentem Deum dicimus esse facturum, nec reddita ratione dignantur. Nam quæ melior et validior ratio de rebus talibus redditur, quam cum Omnipotens ea posse facere perhibetur, et facturus dicitur, quæ prænuntiasse ibi legitur, ubi alia multa prænuntiavit, quæ fecisse monstratur? Ipse quippe faciet, quia se facturum esse prædixit, quæ impossibilia putantur, qui promisit et fecit ut ab incredulis gentibus incredibilia crederentur.

CAPUT VIII. — *Non esse contra naturam, cum in aliqua re, cujus natura innotuit, aliquid ab eo quod erat notum, incipit esse diversum.*

1. Si autem propterea respondent, se non credere quæ de humanis semper arsuris nec unquam morituris corporibus dicimus, quia humanorum corporum naturam novimus longe aliter institutam; unde nec illa ratio hinc reddi potest, quæ de illis naturis mirabilibus reddebatur, ut dici possit, Vis ista naturalis est, rei hujus ista natura est; quoniam scimus humanæ carnis istam non esse naturam: habemus quidem quod respondeamus de Litteris sacris, hanc ipsam scilicet humanam carnem aliter institutam fuisse ante peccatum, id est, ut posset nunquam perpeti mortem; aliter autem post peccatum, qualis in ærumna hujus mortalitatis innotuit, ut perpetem vitam tenere non possit. Sic ergo aliter quam nobis nota est, instituetur in resurrectione mortuorum. Sed quoniam istis non credunt litteris, ubi legitur qualis in paradiso vixerit homo, quantumque fuerit a necessitate mortis alienus, quibus utique si crederent, non cum illis pœna damnatorum, quæ futura est, operosius ageremus; de litteris eorum, qui doctissimi apud illos fuerunt, aliquid proferendum est, quo appareat posse fieri, ut aliter se habeat quæque res, quam prius in rebus innotuerat suæ determinatione naturæ.

2. Est in Marci Varronis libris, quorum inscriptio est, De gente populi Romani, quod eisdem verbis, quibus ibi legitur, et hic ponam: « In cœlo, inquit, mirabile exstitit portentum: nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem (*Amphitr. actu* 1, *scena* 1, *vers.* 119), Homerus Hesperon appellat, pulcherrimam dicens (*Iliadis* x, *vers.* 318), Castor scribit tantum portentum exstitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod factum ita neque antea, nec postea sit. Hoc factum Ogyge [1] rege dicebant Adrastus Cyzicenus [2] et Dion Neapolites, mathematici nobiles » (a). Hoc certe

[1] Editi, *volunt*. Plures vero manuscripti, *nolunt*: melius sane; nam de incredulis queritur Augustinus, quod eam, quam fortiorem appellat, nolunt sibi reddi rationem, hanc videlicet esse voluntatem omnipotentis Dei.

[2] Sic Mss. At editi, *accedente*.

(a) Nunc *Grenoble*.

[1] Mss., *Ogugo*. Vind. Am. et Er., *Ogugio*. Vide supra, lib. 18, cap. 8, et ibi adnotata.

[2] In plerisque Mss., *Adrastos Cuzicenos*, vel, *Cuzichenos*.

(a) Confer quæ de hoc portento scripsit eruditissimus Freret, in *Mémoires de l'Académie des Belles-Lettres*, tomo decimo, pag. 357-376. LARCHER.

Varro tantus auctor portentum non appellaret, nisi esse contra naturam videretur. Omnia quippe portenta contra naturam dicimus esse : sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique Conditoris conditæ rei cujusque natura sit? Portentum ergo fit, non contra naturam, sed contra quam est nota natura. Quis autem portentorum numerat multitudinem, quæ historia gentium continetur? Sed nunc in hoc uno attendamus, quod ad rem de qua agimus pertinet. Quid ita dispositum est ab auctore naturæ cœli et terræ, quemadmodum cursus ordinatissimus siderum? quid tam ratis legibus fixisque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate quod condidit, stella præ cæteris magnitudine atque splendore notissima, colorem magnitudinem, figuram, et (quod est mirabilius) sui cursus ordinem legemque mutavit. Turbavit profecto tunc, si ulli jam fuerunt canones astrologorum, quos velut inerrabili[1] computatione de præteritis ac futuris astrorum motibus conscriptos habent, quos canones sequendo ausi sunt dicere hoc quod de Lucifero contigit, nec antea, nec postea contigisse. Nos autem in divinis libris legimus, etiam solem ipsum et stetisse; cum hoc a Domino Deo petivisset vir sanctus Jesus Nave, donec cœptum prælium victoria terminaret (*Josue* x, 13); et retrorsum redisse, ut regi Ezechiæ quindecim anni ad vivendum additi, hoc etiam prodigio promissioni Dei significarentur adjuncto (*Isai.* xxxviii, 8). Sed ista quoque miracula, quæ meritis sunt concessa sanctorum, quando credunt isti facta, magicis artibus tribuunt. Unde illud est quod superius commemoravi dixisse Virgilium,

> Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro.
> (*Æneid. lib.* 4, *v.* 489.)

Nam et fluvium stetisse superius, inferiusque fluxisse, cum populus Dei, ductore supra memorato Jesu Nave, viam carperet (*Josue* iv, 18), et Elia propheta transeunte, ac postea discipulo ejus Elisæo id esse factum in sacris Litteris legimus (IV *Reg.* ii, 8, 14); et retro versum fuisse maximum sidus regnante Ezechia, modo commemoravimus. Quod vero de Lucifero Varro scripsit, non est illic dictum alicui homini petenti id fuisse concessum.

3. Non ergo de notitia naturarum caliginem sibi faciant infideles, quasi non possit in aliqua re divinitus fieri aliud, quam in ejus natura per humanam suam experientiam cognoverunt : quamvis et ipsa quæ in rerum natura omnibus nota sunt, non minus mira sint; essentque stupenda considerantibus cunctis, si solerent homines mirari mira nisi rara. Quis enim, consulta ratione, non videat in hominum innumerabili numerositate, et tanta naturæ similitudine, valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies, ut nisi inter se similes essent, non discerneretur species eorum ab animalibus cæteris; et rursus nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli ab hominibus cæteris? Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles invenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis; quoniam similitudinem justius videtur exposcere natura communis. Et tamen quoniam quæ sunt rara, ipsa sunt mira, multo amplius admiramur quando duos ita similes reperimus, ut in eis discernendis aut semper, aut frequenter erremus.

4. Sed quod dixi scriptum a Varrone, licet eorum sit historicus idemque doctissimus, fortasse vere factum esse non credunt; aut quia non diu mansit talis[1] ejusdem sideris cursus, sed reditum est ad solitum, minus isto moventur exemplo. Habent ergo aliud, quod etiam nunc possit ostendi, eisque puto debere sufficere, quo commoneantur[2], cum aliquid adverterint in aliqua institutione naturæ, eamque sibi notissimam fecerint, non se inde Deo debere præscribere, quasi eam non possit in longe aliud, quam eis cognita est, vertere atque mutare. Terra Sodomorum non fuit utique ut nunc est : sed jacebat simili cæteris facie, eademque vel etiam uberiore fecunditate pollebat; nam Dei paradiso in divinis eloquiis comparata est (*Gen.* xiii, 10). Hæc posteaquam tacta de cœlo est, sicut illorum quoque attestatur historia, et nunc ab eis qui veniunt ad loca illa conspicitur, prodigiosa fuligine horrori est, et poma ejus interiorem favillam mendaci superficie maturitatis includunt. Ecce non erat talis, et talis est. Ecce a Conditore naturarum natura ejus in hanc fœdissimam diversitatem mirabili mutatione conversa est : et quod post tam longum accidit tempus, tam longo tempore perseverat.

5. Sicut ergo non fuit impossibile Deo, quas voluit, instituere; sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas. Unde illorum quoque miraculorum multitudo silvescit, quæ monstra, ostenta, portenta, prodigia nuncupantur : quæ recolere et commemorare si velim, hujus operis quis erit finis? Monstra sane dicta perhibent a monstrando, quod aliquid significando demonstrent; et ostenta ab ostendendo; et portenta a portendendo, id est, præostendendo; et prodigia, quod porro dicant, id est, futura prædicant. Sed viderint eorum conjectores, quomodo ex eis sive fallantur, sive instinctu spirituum, quibus cura est tali pœna dignos animos hominum noxiæ curiositatis retibus implicare, etiam vera prædicant, sive multa dicendo aliquando in aliquid veritatis incurrant. Nobis tamen ista quæ velut contra naturam fiunt, et contra naturam fieri dicuntur (quo more hominum locutus est et Apostolus, dicendo, contra naturam in olea insitum oleastrum factum esse participem pinguedinis oleæ [*Rom.* xi, 17, 24]), et monstra, ostenta, portenta, prodigia nuncupantur, hoc monstrare debent, hoc ostendere, vel præostendere, hoc prædicere, quod facturus sit Deus, quæ de corporibus hominum se prænuntiavit

[1] Fr. et plerique Mss., *inenarrabili*. Vetus liber Corbeiensis, *itinerabili*.

[1] Vind. Am. Er. et Mss., *alius*.
[2] Sic Mss. Editi autem, *commoveantur*.

esse facturum, nulla impediente difficultate, nulla præscribente lege naturæ. Quomodo autem prænuntiaverit, satis in libro superiore docuisse me existimo, decerpendo de Scripturis sanctis et novis et veteribus, non quidem omnia ad hoc pertinentia, sed quæ sufficere huic operi judicavi.

CAPUT IX. — *De gehenna, et æternarum qualitate pœnarum.*

1. Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetam Deus dixit fiet, omnino fiet: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* LXVI, 24). Ad hoc enim vehementius commendandum, etiam Dominus Jesus, cum membra quæ hominem scandalizant pro his hominibus [1] poneret, quos ut sua membra dextra quis diligit, eaque præciperet amputari: *Bonum est*, inquit, *tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non exstinguitur.* Similiter de pede: *Bonum est tibi*, inquit, *claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.* Non aliter ait et de oculo: *Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur* (*Marc.* IX, 42-47). Non eum [2] piguit uno loco eadem verba ter dicere: quem non terreat ista repetitio, et illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino?

2. Utrumque autem horum, ignem scilicet atque vermem, qui volunt ad animi pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore animi sero atque infructuose pœnitentis eos qui fuerint a regno Dei separati: et ideo ignem pro isto dolore urente non incongrue poni potuisse contendunt. Unde illud Apostoli est, *Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29)? Eumdem (*a*) etiam vermem putant intelligendum esse. Nam scriptum est, inquiunt, *Sicut tinea vestimentum et vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri* (*Prov.* XXV, 20). Qui vero pœnas et animi et corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animum autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod etsi credibilius dicitur; quia utique absurdum est, ibi dolorem aut corporis, aut animi defuturum: ego tamen facilius est [3] ut ad corpus dicam utrumque pertinere, quam neutrum; et ideo tacitum in illis divinæ Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, ut corpore sic dolente animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe et in veteribus Scripturis, *Vindicta carnis impii, ignis et vermis* (*Eccli.* VII, 19). Potuit brevius dici, Vindicta impii. Cur ergo dictum est, *carnis impii*, nisi quia utrumque, id est, et ignis et vermis, pœna erit carnis? Aut si vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod secundum carnem vixerit (propter hoc enim veniet in mortem [1] secundam, quam significavit Apostolus dicens, *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini* [*Rom.* VIII, 13]); eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem: hoc proprie, illud tropice; aut utrumque proprie corpori. Jam enim satis superius disputavi, posse animalia etiam in ignibus vivere, in ustione sine consumptione, in dolore sine morte, per miraculum omnipotentissimi Creatoris: cui hoc possibile esse qui negat, a quo sit quidquid in naturis omnibus miratur ignorat. Ipse enim est Deus, qui omnia in hoc mundo magna et parva miracula quæ commemoravimus, et incomparabiliter plura quæ non commemoravimus, fecit, eademque ipso mundo uno atque omnium maximo miraculo inclusit. Eligat ergo unum de duobus quisque quod placet, utrum et vermem ad corpus proprie, an ad animum translato a corporalibus ad incorporalia vocabulo existimet pertinere. Quid autem horum verum sit, res ipsa expeditius indicabit, quando erit scientia tanta sanctorum, ut eis cognoscendarum illarum pœnarum necessaria non sit experientia, sed ea quæ tunc erit plena atque perfecta, ad hoc quoque sciendum sapientia sola sufficiat. Nunc enim ex parte scimus, donec veniat quod perfectum est (I *Cor.* XIII, 9). Dum tamen nullo modo illa corpora talia futura esse credamus, ut nullis ab igne afficiantur doloribus.

CAPUT X. — *An ignis gehennæ, si corporalis est, possit malignos spiritus, id est dæmones incorporeos, tactu suo adurere.*

1. Hic occurrit quærere, si non erit ignis incorporalis [2], sicut est animi dolor, sed corporalis, tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari; quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? Idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributus et dæmonum, dicente Christo, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsus vento flante sentitur (*a*). Quod genus elementi si nihil igne perpeti posset, non ureret fervefactus in balneis. Ut enim urat, prior uritur, facitque quod patitur. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus homi-

[1] [illegible] Am. et [illegible] Lov., pro his [illegible].
[2] [illegible]
[3] [illegible]
(*a*) [illegible]

[1] Lov., *et in mortem*. Abest a cæteris libris.
[2] Er. et Lov., *incorporalis noxius*. [illegible], *noxius*, nec est in [illegible].
(*a*) Ita [illegible], lib. 2 *[illegible]*, ubi solum Deum ait [illegible]; et Tertullianus, [illegible] de carne Christi, [illegible] esse corporeos, licet non carne præditos. [illegible], cap. 16, Angelos non tantum vult [illegible] corporibus [illegible]. In septima synodo [illegible] in eamdem sententiam afferuntur va- [illegible].

num, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, quæ constent spiritu et corpore; sed, ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia et iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est.

2. Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat, *Crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24); nisi convenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, et Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem exiguum desideravit infundi, qualis digitus Lazari de quo id sibi fieri postulavit: ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis et illa flamma qua exarsit, et illa guttula quam poposcit; qualia etiam sunt visa dormientium sive in ecstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. Nam et ipse homo cum spiritu, non corpore, sit in talibus visis, ita se tamen tunc similem suo corpori videt, ut discernere omnino non possit. At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est (*Apoc.* XX, 9), corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum et dæmonum, solida hominum, aeria dæmonum; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus, hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut Veritas dixit (*Matth.* XXV, 41).

CAPUT XI. — *An hoc ratio justitiæ habeat, ut non sint extensiora pœnarum tempora, quam fuerint peccatorum.*

Sic autem quidam eorum, contra quos defendimus civitatem Dei, injustum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna; quasi ullius id unquam justitia legis attendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit. Octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem, servitutem. Quid horum est quod in breve tempus pro cujusque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi forte talio (a)? id enim agit, ut hoc patiatur quisque quod fecit. Unde illud est Legis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI, 24). Fieri enim potest, ut tam brevi tempore quisque amittat oculum severitate vindictæ, quam tulit ipse alteri improbitate peccati. Porro autem si alienæ feminæ osculum infixum, rationis sit verbere vindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spatio verberatur, et suavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Quid, in vinculis numquid[1] tam diu quisque judicandus est esse debere, quam diu fecit unde meruit alligari; cum justissime annosas pœnas servus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrime transeunte vel lacessivit dominum, vel plagavit? Jam vero damnum, ignominia, exsilium, servitus, cum plerumque sic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum: et tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur; nec quisquam exstitit qui censeret tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora qua occiditur, quæ perbrevis est, ejus supplicium leges æstimant, et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio secundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus; sic nec illius, ut in vitam revocetur æternam, secunda morte damnatus. Quomodo ergo verum est, inquiunt, quod ait Christus vester, *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Luc.* VI, 38), si temporale peccatum supplicio punitur æterno (a)? Nec attendunt, non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, id est, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eamdem dictam fuisse mensuram. Quamvis hoc in ea re proprie possit accipi, de qua Dominus cum hoc diceret, loquebatur, id est, de judiciis et condemnationibus. Proinde qui judicat et condemnat injuste, si judicatur et condemnatur juste, in eadem mensura recipit, quamvis non hoc quod dedit. Judicio enim fecit, judicio patitur: quamvis fecerit damnatione quod iniquum est, patiatur damnatione quod justum est.

CAPUT XII. — *De magnitudine prævaricationis primæ, ob quam æterna pœna omnibus debeatur, qui extra gratiam fuerint Salvatoris.*

Sed pœna æterna ideo dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ purissimæque

(a) In legibus Duodecim Tabularum sic habebatur: « Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. » Talionem autem vocabant, quando quis quale fecerat, tale etiam patiebatur: ut si eruisset oculum alienum, amitteret suum; si amputasset alterius nares, perderet suas: de cujus æquitate legis disputatur apud Aulum Gellium, Noctium Atticarum libro 20, cap. 1. LUD. VIVES.

[1] Editi, *Quid in vinculis? Numquid ibi.* Abest, *ibi*, a manuscriptis.

(a) Vide Epist. 102, ad Deogratias, quæst. 4, n. 22 et seq.

sapientiæ, quo sentiri possit quantum nefas in illa prima prævaricatione commissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum, et factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Hinc est universa generis humani massa damnata : quoniam qui hoc primitus [1] admisit, cum ea quæ in illo fuerat radicata sua stirpe punitus est, ut nullus ab hoc justo debitoque supplicio, nisi misericordia et indebita gratia liberetur ; atque ita dispertiatur genus humanum, ut in quibusdam demonstretur quid valeat misericors gratia, in cæteris quid justa vindicta. Neque enim utrumque demonstraretur in omnibus : quia, si omnes remanerent in pœnis justæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis [2] : rursum, si omnes a tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret severitas [3] ultionis. In qua propterea multo plures quam in illa sunt, ut sic ostendatur quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, justitiam vindicantis juste nemo reprehenderet : quia vero tam multi exinde liberantur, est unde agantur maximæ gratiæ gratuito muneri liberantis.

CAPUT XIII. — *Contra opinionem eorum qui putant criminosis supplicia post mortem causa purgationis adhiberi.*

Platonici quidem, quamvis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel divinis, sive in hac vita, sive post mortem, si aut parcatur hic cuique, aut ita plectatur ut hic non corrigatur. Hinc est Maronis illa sententia, ubi cum dixisset de terrenis corporibus moribundisque membris, quod animæ

> Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec auras
> Suspiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco;

secutus adjunxit, atque ait :

> Quin et supremo cum lumine vita reliquit;

id est, cum die novissimo reliquit eas ista vita.

> Non tamen (inquit) omne malum miseris, nec funditus omnes
> Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
> Multa diu concreta modis inolescere miris.
> Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
> Supplicia expendunt : aliæ panduntur inanes
> Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
> Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
> (*Æneid. lib.* 6, *v.* 733-742.)

Qui hoc opinantur, nullas pœnas nisi purgatorias volunt esse post mortem, ut quoniam terris superiora sunt elementa, aqua, aer, ignis, ex aliquo istorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractum est. Aer quippe accipitur in eo quod ait, *Suspensæ ad ventos* : aqua in eo quod ait, *Sub gurgite vasto* : ignis autem suo nomine expressus est, cum dixit, *Aut exuritur igni*. Nos vero etiam in hac quidem mortali vita esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus affliguntur quorum vita vel non inde fit melior, vel potius inde fit pejor; sed illis sunt purgatoriæ, qui eis coerciti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ, sive temporariæ, sive sempiternæ, sicut unusquisque divina providentia tractandus est, inferuntur, vel pro peccatis sive præteritis, sive in quibus adhuc vivit ille qui plectitur, vel pro exercendis declarandisque virtutibus, per homines et angelos, seu bonos seu malos. Nam etsi quisquam [1] mali aliquid alterius improbitate vel errore patiatur, peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel injustitia cuiquam mali aliquid facit : sed non peccat Deus, qui justo, quamvis occulto, judicio fieri sinit. Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante judicium illud severissimum novissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud judicium sunt futuræ [2], qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo (*Matth.* XII, 32), id est, ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur, jam supra diximus.

CAPUT XIV. — *De pœnis temporalibus istius vitæ, quibus subjecta est humana conditio.*

Rarissimi sunt autem qui nullas in hac vita, sed tantum post eam pœnas luunt. Fuisse tamen aliquos, qui usque ad decrepitam senectutem ne levissimam quidem febriculam senserint, quietamque duxerint vitam, ipsi et novimus et audivimus : quanquam vita ipsa mortalium tota pœna sit, quia tota tentatio est, sicut sacræ Litteræ personant, ubi scriptum est, *Numquid non tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1, *sec.* LXX)? Non enim parva pœna est ipsa insipientia, vel imperitia, quæ usque adeo fugienda merito judicatur, ut per pœnas doloribus plenas pueri cogantur quæque artificia vel litteras discere : ipsumque discere, ad quod pœnis adiguntur, tam pœnale est eis, ut nonnunquam ipsas pœnas per quas compelluntur discere, malint ferre, quam discere. Quis autem non exhorreat, et mori eligat, si ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rursus infantia? Quæ quidem quod non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo. Solum, quando natus est, ferunt risisse Zoroastrem (*a*), nec ei boni aliquid monstrosus risus ille portendit. Nam magicarum artium fuisse perhibetur inventor : quæ quidem illi nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe rege Assyriorum, cum esset ipse Bactrianorum, bello superatus est. Prorsus quod scriptum est, *Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccli.* XL, 1), usque adeo impleri necesse est, ut ipsi parvuli per lavacrum regenerationis ab originalis peccati, quo solo tenebantur, vinculo jam soluti, mala multa patientes, nonnulli et in-

[1] Plerique Mss., *primus*.
[2] Vox illa, *redimentis*, abest a Mss.
[3] In Mss. plerisque, [illegible].

[1] Vind. Am. et Mss., *quisque*.
[2] Edit., *his ad* [illegible]. Abest. *his*, ab omnibus manuscriptis.
(*a*) Plinius, lib. 7 Hist. nat., cap. 16, in fin.

cursus spirituum malignorum aliquando patiantur. Quæ quidem passio absit ut eis obsit, si hanc vitam in illa ætate, etiam ipsa passione ingravescente et animam de corpore excludente, finierint (*a*).

CAPUT XV. — *Quod omne opus gratiæ Dei eruentis nos de profunditate veteris mali, ad futuri sæculi pertineat novitatem.*

Veruntamen in gravi jugo quod positum est super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, etiam hoc malum mirabile[1] reperitur, ut sobrii simus, atque intelligamus hanc vitam de peccato illo nimis nefario, quod in paradiso perpetratum est, factam nobis esse pœnalem, totumque quod nobiscum agitur per Testamentum novum, non pertinere nisi ad novi sæculi hæreditatem novam, ut hic pignore accepto, illud cujus hoc pignus est suo tempore consequamur: nunc autem ambulemus in spe, et proficientes de die in diem, spiritu facta carnis mortificemus (*Rom.* VIII, 13). *Novit* enim *Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19); et, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14), Sed gratia, non natura. Unicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordia factus est filius hominis, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus[2]. Manens quippe ille immutabilis, naturam nostram, in qua nos susciperet, suscepit a nobis; et tenax divinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factus est; ut nos in melius commutati, quod peccatores mortalesque sumus, ejus immortalis et justi[3] participatione amittamus, et quod in natura nostra bonum fecit, impletum summo bono in ejus naturæ bonitate servemus. Sicut enim per unum hominem peccantem (*Id.* V, 12) in hoc tam grave malum devenimus: ita per unum hominem eumdemque Deum justificantem ad illud bonum tam sublime veniemus. Nec quisquam se debet ab isto ad illum transisse confidere, nisi cum ibi fuerit, ubi tentatio nulla erit; nisi pacem tenuerit, quam belli hujus, in quo caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem (*Galat.* V, 17), multis et variis certaminibus quærit. Hoc autem bellum nunquam ullum esset, si natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta est, perstitisset. Nunc vero quæ pacem felix cum Deo habere noluit, secum pugnat infelix, et cum sit hoc malum miserabile[4], melius est tamen quam priora vitæ hujus. Melius confligitur quippe cum vitiis, quam cum[5] sine ulla conflictione dominantur. Melius est, inquam, bellum cum spe æternæ pacis, quam sine ulla liberationis cogitatione captivitas. Cupimus quidem etiam hoc bello carere, et ad capessendam ordinatissimam pacem, ubi firmissima stabilitate potioribus inferiora[1] subdantur, igne divini amoris accendimur. Sed si, quod absit, illius tanti boni spes nulla esset, malle debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quam vitiis in nos dominationem non eis resistendo permittere (*a*).

CAPUT XVI. — *Sub quibus gratiæ legibus omnes regeneratorum habeantur ætates.*

Verum tanta est Dei misericordia in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam, ut etiam prima hominis ætas, id est, infantia quæ sine ullo renisu subjacet carni, et secunda quæ pueritia nuncupatur, ubi nondum ratio suscepit hanc pugnam, et fere sub omnibus vitiosis delectationibus jacet, quia licet jam fari valeat, et ideo infantiam transisse videatur, nondum in ea est præcepti capax infirmitas mentis; si sacramenta Mediatoris acceperit, etiamsi hanc in eis annis vitam finiat, translata scilicet a potestate tenebrarum in regnum Christi, non solum pœnis non præparetur æternis, sed ne ulla quidem post mortem purgatoria tormenta patiatur. Sufficit enim sola spiritualis regeneratio, ne post mortem obsit quod carnalis generatio cum morte contraxit (*b*). Cum autem ventum fuerit ad ætatem, quæ præceptum jam capit, et subdi potest legis imperio, suscipiendum est bellum contra vitia, et gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducat. Et si quidem nondum victoriarum consuetudine roborata sunt, facilius vincuntur et cedunt: si autem vincere atque imperare consueverunt[2], laboriosa difficultate superantur. Neque id fit veraciter atque sinceriter, nisi veræ[3] delectatione justitiæ: hæc est autem in fide Christi. Nam si lex jubens adsit, et spiritus juvans desit per ipsam prohibitionem desiderio crescente atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedit. Nonnunquam sane apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia et quædam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos participes faceret divinitatis suæ. Paucissimi autem sunt tantæ felicitatis, ut ab ipsa ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitiis, vel in facino-

[1] Editi, *hoc medium miserabile*. Plerique Mss., *hoc malum mirabile*: scilicet in parvulis ipsis regeneratis, de quibus superiore capite.

[2] Sola editio Lov., *filii Dei per illius gratiam fieremus*.

[3] Ita omnes Mss. At editi, *ejus immortalitatis et justitiæ*. pauloque post loco, *impletum*, iidem habebant, *impleti*.

[4] Sic Mss. Editi vero, *et hoc quoque cum malum sit miserabile*.

[5] Abest, *cum*, a pluribus Mss.

(*a*) Conf. Enchirid. n. 17.

[1] Lov., *infirmiora*. Editi alii et plerique manuscripti, *inferiora*.

[2] Mss., *consuerunt*: et sic alibi passim.

[3] Vind. Am. Er. et aliquot. Mss., *vera*.

(*a*) Hoc etiam dixerunt philosophi, qui animas mortales aut diuturnas tantum posuerunt. Nam, vel omni pretio seposito, bene vivere plus juvat, quam male; et ipsa virtus est sibi amplissimum præmium; felicioresque sunt boni etiam dum hic vivunt, quam mali quantumlibet fortunati: atque hoc est quod Christus sectatoribus suis amplam mercedem non modo in futura promittit vita, sed etiam in præsenti. LUD VIVES.

(*b*) Infantibus et pueris prodesse Baptismum docet: quomodo autem iisdem prosit in ea ætate decedentibus, non hic aperit. Sed vide Epistolam 98, ad Bonifacium. HARDUINUS.

ribus, vel in nefariæ cujusquam impietatis errore, sed magna spiritus largitate opprimant, quidquid eis posset carnali delectatione dominari[1]. Plurimi vero præcepto legis accepto, cum prius victi fuerint prævalentibus vitiis et prævaricatores ejus effecti, tunc ad gratiam confugiunt adjuvantem, qua fiant et amarius pœnitendo, et vehementius pugnando, prius Deo subdita, atque ita carni præposita mente victores. Quisquis igitur cupit pœnas evadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam justificetur in Christo, ac sic vere transeat a diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium. Nequaquam tamen negandum est, etiam ipsum æternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro pœna digna cujusque varietur, sive ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur.

CAPUT XVII. — *De his qui putant nullorum hominum pœnas in æternum esse mansuras.*

Nunc jam cum misericordibus nostris agendum esse video, et pacifice disputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos justissimus Judex dignos gehennæ supplicio judicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere pœnam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas pro cujusque peccati quantitate longioris sive brevioris[2] eos inde existimant liberandos. Qua in re misericordior profecto fuit Origenes, qui et ipsum diabolum atque angelos ejus post graviora pro meritis et diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis Angelis credidit (*a*). Sed illum et propter hoc, et propter alia nonnulla, et maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines et miserias, et statutis sæculorum intervallis ab istis ad illas, atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles, non immerito reprobavit Ecclesia (*b*): quia[3] et hoc quod misericors videbatur amisit, faciendo sanctis veras miserias quibus pœnas luerent, et falsas beatitudines in quibus verum ac securum, hoc est, sine timore certum sempiterni boni gaudium non haberent. Longe autem aliter istorum misericordia humano errat affectu, qui hominum illo judicio damnatorum miserias temporales, omnium vero qui vel citius vel tardius liberantur, æternam felicitatem putant. Quæ sententia si propterea bona et vera quia misericors est, tanto erit melior et verior quanto misericordior fuerit. Extendatur ergo ac profundatur fons hujus misericordiæ usque ad damnatos angelos, saltem post multa atque prolixa quantumlibet sæcula liberandos (*a*). Cur usque ad universam naturam manat humanam, et cum ad angelicam ventum fuerit, mox arescit? Non audent tamen se ulterius miserando porrigere, et ad liberationem ipsius quoque diaboli pervenire. Verum si aliquis audet, vincit nempe istos, et tamen tanto invenitur errare deformius, et contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur sentire clementius.

CAPUT XVIII. — *De his qui novissimo judicio, propter intercessiones sanctorum, neminem hominum putant esse damnandum.*

1. Sunt etiam, quales in collocutionibus nostris ipse sum expertus, qui cum venerari videantur Scripturas sanctas, moribus improbandi sunt; et agendo causam suam, multo majorem quam isti misericordiam Deo tribuunt erga humanum genus. Dicunt enim de malis et infidelibus hominibus divinitus quidem verum prædictum esse, quod digni sunt pœna[1]: sed cum ad judicium ventum fuerit, misericordiam esse superaturam. Donabit enim eos, inquiunt, misericors Deus precibus et intercessionibus sanctorum suorum. Si enim orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quanto magis quando videbunt humiles supplicesque prostratos? Neque enim credendum est, aiunt, tunc amissuros sanctos viscera misericordiæ, cum fuerint plenissimæ ac perfectissimæ sanctitatis, ut qui tunc orabant pro inimicis suis, quando et ipsi sine peccato non erant, tunc non orent pro supplicibus suis, quando nullum cœperint habere peccatum. Aut vero Deus tunc eos non exaudiet tot et tales filios suos, quando in tanta eorum sanctitate nullum inveniet orationis impedimentum? Testimonium vero Psalmi, et illi quidem qui permittunt infideles atque impios homines saltem longo tempore cruciari, et postea de malis omnibus erui, sed magis isti pro se dicunt esse, ubi legitur: *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas* (*Psal.* LXXVI, 10)? Ira ejus est, inquiunt, ut omnes indigni beatitudine sempiterna, ipso judicante puniantur supplicio sempiterno. Sed si vel longum, vel prorsus ullum esse permiserit, profecto ut possit hoc fieri, continebit in ira sua miserationes suas, quod eum Psalmus dicit non esse facturum. Non enim ait, Numquid diu continebit in ira sua miserationes suas? sed quod prorsus non continebit, ostendit (*b*).

[1] Fr. et nonnulli Mss., *quidquid in eis posset carnali delectatione damnari.*

[2] Lov., *longiores sive breviores.* Editi vero alii et Mss., *longioris sive brevioris*; ut referatur ad, *temporis.*

[3] Sic juxta Morel, Element. Critic., pag. 154. In B., *qui in.* M.

(*a*) Ita impie docuisse Origenem, testes sunt etiam Epiphanius, in Epistola de illius erroribus ad Joannem Hierosolymitanum; Hieronymus, Epistola 61, ad Pammachium, et in Apologia adversus Ruffinum, et Epistola 75, ad Avitum; et ipse Augustinus, in libro de Hæresibus, hær. 43. Genebrardus, in collectaneis de vita et scriptis Origenis, cap. 6, illum ab eo errore vindicare conatur. Nam in libro de Principiis, unde hæc sumpta, id se magis dixisse disputando et pertractando, quam statuendo et definiendo affirmat. [illegible]

(*b*) Origenis errores ab Anastasio papa fuisse damnatos testatur Hieronymus, Apologia adversus Ruffinum, et Epistola 78, ad Pammachium; item a Theophilo in synodo Alexandrina [illegible] etiam Vigilio papa et Justiniano [illegible] lib. 17, cap. 27, [illegible]

[1] Vox, *pœna*, abest ab editis Vind. Am. Fr. et omnibus Mss.

(*a*) Et istos quoque suppliciis liberabat Origenes, sicut ex sanctis Angelis præcedente tempore diabolos faciebat, quæ illius erant vicissitudines. Lud. Vives.

(*b*) Vide infra, cap. 24, et Enchirid. n. 29, cap. 112.

2. Sic ergo isti volunt judicii Dei comminationem non esse mendacem, quamvis sit neminem damnaturus, quemadmodum ejus comminationem, qua dixit eversurum se esse Niniven civitatem (*Jonæ* III, 4), mendacem non possumus dicere; et tamen non factum est, inquiunt, quod sine ulla conditione prædixit. Non enim ait, Ninive evertetur, si non egerint pœnitentiam, seque correxerint: sed hoc non addito prænuntiavit futuram eversionem illius civitatis. Quam comminationem propterea veracem putant, quia hoc prædixit Deus quod vere digni erant pati, quamvis hoc non esset ipse facturus. Nam etsi pœnitentibus pepercit, inquiunt, utique illos pœnitentiam non ignorabat acturos, et tamen absolute ac definite eorum eversionem futuram esse prædixit. Hoc ergo erat, inquiunt, in veritate severitatis, quia id erant digni; sed in ratione miserationis non erat, quam non continuit in ira sua, ut ab ea pœna supplicibus parceret, quam fuerat contumacibus comminatus. Si ergo tunc pepercit, aiunt, quando sanctum suum Prophetam fuerat parcendo contristaturus, quanto magis tunc miserabilius supplicantibus parcet, quando ut parcat omnes sancti ejus orabunt? Sed hoc quod ipsi suis cordibus suspicantur, ideo putant Scripturas tacuisse divinas, ut multi se corrigant, vel prolixarum vel æternarum timore pœnarum, et sint qui possint orare pro eis, qui se non correxerint: nec tamen opinantur omni modo id eloquia divina tacuisse. Nam quo pertinet, inquiunt, quod scriptum est, *Quam multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti metuentibus te* (*Psal.* XXX, 20)! nisi ut intelligamus propter timorem fuisse absconditam misericordiæ divinæ tam multam secretamque dulcedinem? Addunt etiam propterea dixisse Apostolum, *Conclusit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 32), quo significaret, quod ab illo nemo damnabitur. Nec isti tamen qui hoc sentiunt, hanc opinionem suam usque ad liberationem vel nullam damnationem diaboli atque angelorum ejus extendunt. Humana quippe circa solos homines moventur misericordia, et causam maxime agunt suam, per generalem in genus humanum quasi Dei miserationem impunitatem falsam suis perditis moribus pollicentes: ac per hoc superabunt eos in prædicanda Dei misericordia, qui hanc impunitatem etiam principi dæmonum et ejus satellitibus pollicentur.

CAPUT XIX. — *De his qui impunitatem omnium peccatorum promittunt etiam hæreticis, propter participationem corporis Christi.*

Item sunt alii, ab æterno supplicio liberationem, nec ipsis saltem omnibus hominibus promittentes, sed tantummodo Christi Baptismate ablutis, qui participes fiunt corporis ejus, quomodolibet vixerint, in quacumque hæresi vel impietate fuerint, propter illud quod ait Jesus: *Hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* VI, 50-52). Ab æterna ergo morte, inquiunt, necesse est istos eruи, et ad vitam æternam quandocumque perduci.

CAPUT XX. — *De his qui non omnibus, sed iis tantum qui apud Catholicos sunt renati, etiamsi postea in multa crimina erroresque proruperint, indulgentiam pollicentur.*

Item sunt qui hoc nec omnibus habentibus Baptismatis Christi et ejus corporis sacramentum, sed solis Catholicis, quamvis male viventibus pollicentur; quia non solo sacramento, sed re ipsa manducaverunt corpus Christi, in ipso ejus corpore constituti, de quo dicit Apostolus, *Unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* X, 17): ut etiamsi postea in aliquam hæresim vel etiam in gentilium idololatriam lapsi fuerint, tantum quia in corpore Christi, id est in Ecclesia catholica, sumpserunt Baptismum Christi et manducaverunt corpus Christi, non moriantur in æternum, sed vitam quandoque consequantur æternam; atque illa omnis impietas quanto major fuerit, non eis valeat ad æternitatem, sed ad diuturnitatem magnitudinemque pœnarum.

CAPUT XXI. — *De his qui eos qui permanent in catholica fide, etiamsi pessime vixerint, et ob hoc uri meruerint, tamen propter fidei fundamentum salvandos esse definiunt.*

Sunt autem qui propter id quod scriptum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13): non nisi in Ecclesia catholica perseverantibus, quamvis in ea male viventibus, hoc promittunt, per ignem videlicet salvandis merito fundamenti, de quo ait Apostolus, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestabitur. Dies enim declarabit; quoniam in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus autem arserit, damnum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 11-15). Dicunt ergo cujuslibet vitæ catholicum Christianum Christum habere in fundamento, quod fundamentum nulla hæresis habet a corporis ejus unitate præcisa. Et ideo propter hoc fundamentum, etiamsi malæ vitæ fuerit catholicus Christianus, velut qui superædificaverit ligna, fenum, stipulam, putant eum salvum fieri per ignem, id est, post pœnas ignis illius liberari, quo igne in ultimo judicio punientur mali (*a*).

CAPUT XXII. — *De his qui putant ea crimina, quæ inter eleemosynarum opera committuntur, ad damnationis judicium non vocari.*

Comperi etiam quosdam putare eos tantummodo

(*a*) Conf. Enchirid. n. 18, initio.

arsuros illius æternitate supplicii, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt, juxta illud apostoli Jacobi : *Judicium autem sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* II, 13). Qui ergo fecerit, inquiunt, quamvis mores in melius non mutaverit, sed inter ipsas suas eleemosynas nefarie ac nequiter vixerit, judicium illi cum misericordia futurum est, ut aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus sive parvum, sive prolixum, ab illa damnatione liberetur. Ideo Judicem ipsum vivorum atque mortuorum noluisse existimant aliud commemorare se esse dicturum, sive dextris quibus est vitam daturus æternam, sive sinistris quos æterno supplicio damnaturus (*Matth.* XXV, 33 *sqq.*), nisi eleemosynas sive factas, sive non factas. Ad hoc pertinere aiunt et in oratione Dominica quotidianam postulationem : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Id.* VI, 12). Quisquis enim illi qui in eum peccavit, dimittit ignoscendo peccatum, procul dubio eleémosynam facit. Quam rem Dominus sic ipse commendavit, ut diceret : *Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater vester peccata vestra : si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis* (*Ibid.*, 14, 15). Ergo et ad hoc genus eleemosynarum pertinet quod ait apostolus Jacobus, judicium futurum sine misericordia ei qui non fecit misericordiam. Nec dixit Dominus, inquiunt, magna vel parva ; sed, *Dimittet vobis Pater vester peccata vestra, si et vos dimiseritis hominibus.* Ac per hoc putant etiam eis qui perdite vixerint, donec claudant diem vitæ hujus extremum, per hanc orationem, qualiacumque et quantacumque fuerint, omnia quotidie peccata dimitti, sicut ipsa quotidie frequentatur oratio, si hoc tantummodo custodire meminerint, ut quando ab eis veniam petunt, qui eos peccato qualicumque læserunt, ex corde dimittant. Cum ad hæc omnia, Deo donante, respondero, liber iste claudendus est (*a*).

CAPUT XXIII. — *Contra opinionem eorum qui dicunt, nec diaboli, nec hominum malorum perpetua futura supplicia.*

Ac primum quæri oportet atque cognosci, cur Ecclesia ferre nequiverit hominum disputationem, diabolo etiam post maximas et diuturnissimas pœnas, purgationem vel indulgentiam pollicentem. Neque enim tot sancti et sacris veteribus ac novis Litteris eruditi, mundationem et regni cœlorum beatitudinem post qualiacumque et quantacumque supplicia, qualibuscumque et quantiscumque angelis inviderunt : sed potius viderunt divinam vacuari vel infirmari non posse sententiam, quam se Dominus prænuntiavit in judicio prolaturum atque dicturum, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Sic quippe ostendit æterno igne diabolum et angelos ejus arsuros. Et quod scriptum est in Apocalypsi, *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, quo et bestia et pseudopropheta; et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XX, 9, 10). Quod ibi dictum est, *æternum ;* hic dictum est, *in sæcula sæculorum* : quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis. Quamobrem prorsus nec alia causa, nec justior atque manifestior inveniri potest, cur verissima pietate teneatur fixum et immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque sanctorum diabolum et angelos ejus habituros, nisi quia Scriptura, quæ neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse (II *Petr.* II, 4), et sic ab illo esse interim prædamnatos, ut carceribus caliginis inferi [1] retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum. Quod si ita est, quomodo ab hujus æternitate pœnæ, vel universi, vel quidam homines post quantumlibet temporis subtrahentur, ac non statim enervabitur fides, qua creditur sempiternum dæmonum futurum esse supplicium? Si enim quibus dicetur, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41), vel universi vel aliqui eorum non semper ibi erunt ; quid causæ est cur diabolus et angeli ejus semper ibi futuri esse credantur? an forte Dei sententia, quæ in malos et angelos et homines proferetur, in angelos vera erit, in homines falsa? Ita plane hoc erit, si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines plus valebit. Quod fieri quia non potest, non argumentari adversus Deum, sed divino potius, dum tempus est, debent parere præcepto, qui sempiterno cupiunt carere supplicio. Deinde quale est æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare [2], et vitam æternam credere sine fine, cum Christus eodem ipso loco, in una eademque sententia dixerit utrumque complexus, *Sic ibunt isti in supplicium æternum ; justi autem, in vitam æternam* (*Ibid.* 46)? Si utrumque æternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, Vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est. Unde, quia vita æterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non habebit.

CAPUT XXIV. — *Contra eorum sensum, qui in judicio Dei omnibus reis propter sanctorum preces putant esse parcendum.*

1. Hoc autem et adversus eos valet, qui suas agentes causas contra Dei venire verba, velut misericordia majore conantur ; ut ideo videlicet vera sint, quia ea quæ dixit homines esse passuros, pati digni sunt, non quia passuri sunt. Donabit enim eos, inquiunt, precibus sanctorum suorum, etiam tunc tanto magis orantium pro inimicis suis, quanto sunt utique sanctiores, eorumque efficacior est oratio, et exauditione

(*a*) [illegible] Enchirid. cap. 19, 20.

[1] Sic Mss. Editi vero, *inferni.*

[2] Er. et Lov., *non existimare.* Abest, *non*, ab editis aliis et manuscriptis.

Dei dignior, jam nullum habentium omnino peccatum. Cur ergo eadem perfectissima sanctitate, et cuncta impetrare valentibus mundissimis et misericordissimis precibus, etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus est ignis æternus, ut Deus sententiam suam mitiget, et reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos? An erit forsitan quisquam, qui et hoc futurum esse præsumat, affirmans etiam sanctos Angelos simul cum sanctis hominibus, qui tunc æquales erunt Angelis Dei, pro damnandis et angelis et hominibus oraturos, ut misericordia non patiantur, quod veritate merentur pati? Quod nemo sanæ fidei dixit, nemo dicturus est. Alioqui nulla causa est, cur non etiam nunc pro diabolo et angelis ejus oret Ecclesia, quam Magister Deus pro inimicis suis jussit orare. Hæc igitur causa, qua fit ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet ut in illo tunc judicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat, nisi *ut det illis Deus*, sicut dicit Apostolus, *pœnitentiam, et resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem* (II *Tim.* II, 25, 26)? Denique si de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis: nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui, etsi adversantur Ecclesiæ, ita sunt tamen prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, et filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus, orat Ecclesia? Quid ita, nisi quia jam in parte diaboli computatur qui, dum esset in corpore, non est translatus in Christum?

2. Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est, ut neque nunc, neque tunc oretur pro angelis malis: quæ itidem causa est, ut quamvis pro hominibus [1], tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis [2]. Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII, 32), nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. Sed cum dictum fuerit a Judice vivorum atque mortuorum, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*: et aliis e contrario, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus*; et, *Ibunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Id.* XXV, 34, 41, 46): nimiæ præsumptionis est dicere, cuiquam eorum æternum supplicium non futurum, quos Deus ituros in supplicium dixit æternum, ut per hujus præsumptionis persuasionem facere, ut de ipsa quoque vita vel desperetur vel dubitetur æterna.

3. Nemo itaque sic intelligat Psalmum canentem, *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas* (*Psal.* LXXVI, 10)? ut opinetur de hominibus bonis veram, de malis falsam, aut de bonis hominibus et malis angelis veram, de malis autem hominibus falsam Dei esse sententiam. Hoc enim quod ait Psalmus, ad vasa misericordiæ pertinet, et ad filios promissionis, quorum erat unus etiam ipse Propheta; qui cum dixisset, *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas?* continuo subjecit, *Et dixi, Nunc cœpi, hæc est immutatio dexteræ Excelsi* (*Ibid.* 11). Exposuit profecto quid dixerit, *Numquid continebit in ira sua miserationes suas?* Ira enim Dei est etiam ista vita mortalis, ubi homo vanitati similis factus est, et dies ejus velut umbra prætereunt (*Psal.* CXLIII, 4). In qua tamen ira non obliviscitur misereri Deus, faciendo solem suum oriri super bonos et malos, et pluendo super justos et injustos; ac sic non continet in ira sua miserationes suas (*Matth.* V, 45): maximeque in eo quod expressit hic Psalmus, dicendo, *Nunc cœpi, hæc est immutatio dexteræ Excelsi*; quoniam in hac ipsa ærumnosissima vita, quæ ira Dei est, vasa misericordiæ mutat in melius, quamvis adhuc in hujus corruptionis miseria maneat ira ejus, quia nec in ipsa ira sua continet miserationes suas. Cum ergo isto modo compleatur divini illius cantici veritas, non est eam necesse etiam illic intelligi, ubi non pertinentes ad civitatem Dei sempiterno supplicio punientur. Sed

[1] Editi post, *pro hominibus*, addunt, *nunc viris oretur etiam malis*: glossema, quod a veteribus libris abest.

[2] Hoc loco inserta sunt in Erasmi editione quædam, quæ minime reperiuntur in aliis libris neque cum antecedentibus et subsequentibus verbis satis cohærent: scilicet post, *impiisque defunctis*, sic habet illa editio: « Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio ejus, licet qui in Christo renati non adeo ita male vixerint in corpore, ut tali misericordia habeantur indigni, nec iidem sic bene, ut inveniantur tali misericordia non egere. Tales etiam constat ante judicii diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos receptis corporibus, æterni ignis suppliciis non tradendos. Quod si ita est, quid dicendum est de his, qui in simili vita inveniuntur in die judicii, id est, quos hujusmodi dies ille viventes invenerit, cum quodam modo uno momento moriantur et resurgant, et non sit spatium, ut pro eis aut oratio sanctorum possit audiri, aut eorum ante judicium temporali pœna purgari? Numquid dicendi sunt æterno igni numquam absolvendi tradi posse tempore judicii, quibus vitam talem egisse concedimus, ut si ante judicium mortui essent, temporali supplicio ac sanctorum orationibus mundarentur? Ipsius quippe Ecclesiæ vel quorumdam piorum exauditur oratio, sed pro his quorum in Christo regeneratorum, » etc.

quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut, manente in eis ira Dei, quæ in æterno est pronuntiata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, et faciat eos non tanta quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari; non ut eas pœnas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant, sed ut eas mitiores quam merita sunt eorum levioresque patiantur. Sic enim et ira Dei manebit, et in ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto.

4. Cæterum eos qui putant minaciter potius quam veraciter dictum, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* et, *Ibunt isti in supplicium æternum* (*Matth.* xxv, 41, 46); et, *Cruciabuntur in sæcula sæculorum* (*Apoc.* xx, 10), et, *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isai.* LXVI, 24), et cætera hujusmodi, non tam ego, quam ipsa Scriptura divina planissime atque plenissime redarguit ac refellit. Ninivitæ quippe in hac vita egerunt pœnitentiam (*Jonæ* III, 7); et ideo fructuosam, velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis seminari, quod postea cum lætitia meteretur (*Psal.* CXXV, 6): et tamen quis negabit, quod Dominus prædixit, in eis fuisse completum, nisi parum advertat, quemadmodum peccatores Deus non solum iratus, verum etiam miseratus evertat? Evertuntur enim peccatores duobus modis, aut sicut Sodomitæ, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur, aut sicut Ninivitæ, ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Factum est ergo quod prædixit Deus: eversa est Ninive quæ mala erat, et bona ædificata est quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus (*a*). Ac sic quamvis Propheta fuerit contristatus, quia non est factum quod illi homines timuerunt illo prophetante venturum (*Jonæ* IV, 1-3): factum est tamen quod fuerat Deo præsciente prædictum; quoniam noverat qui prædixit, quomodo in melius esset implendum.

5. Ut autem noverint isti in perversum misericordes quo pertineat quod scriptum est, *Quam multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* legant quod sequitur, *perfecisti autem sperantibus in te* (*Psal.* XXX, 20). Quid est, *Abscondisti timentibus, perfecisti sperantibus*, nisi quia illis qui timore pœnarum suam volunt justitiam constituere quæ in lege est, non est justitia Dei dulcis (*Rom.* X, 3), quia nesciunt eam? Non enim gustaverunt eam. In se namque sperant, non in ipso: et ideo eis absconditur multitudo dulcedinis Dei; quoniam timent quidem Deum, sed illo timore servili, qui non est in charitate, quia perfecta charitas foras mittit timorem (I *Joan.* IV, 18). Ideo sperantibus in eum perficit dulcedinem suam, inspirando eis charitatem suam, ut timore casto, non quem charitas foras mittit, sed permanente in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), cum gloriantur, in Domino glorientur. Justitia quippe Dei Christus est, *qui factus est nobis*, sicut dicit Apostolus, *sapientia a Deo, et justitia; et sanctificatio, et redemptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 30 et 31). Hanc Dei justitiam, quam donat gratia sine meritis, nesciunt illi qui suam justitiam volunt constituere, et ideo justitiæ Dei, quod Christus est, non sunt subjecti (*Rom.* X, 3). In qua justitia est multa multitudo dulcedinis Dei, propter quam dicitur in Psalmo, *Gustate, et videte quam dulcis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Et hanc quidem in hac peregrinatione gustantes, non ad satietatem sumentes, esurimus eam potius ac sitimus, ut ea postea saturemur, cum videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2), et implebitur quod scriptum est, *Saturabor, cum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Ita perficit Christus multam multitudinem dulcedinis suæ sperantibus in eum. Porro autem si eam, quam illi putant, dulcedinem suam Deus abscondit timentibus eum qua[1] non est impios damnaturus, ut hoc nescientes et damnari timentes recte vivant, ac sic possint esse qui orent pro non recte viventibus; quomodo eam perficit sperantibus in eum, quandoquidem, sicut somniant, per hanc dulcedinem non damnaturus est eos, qui non sperant in eum? Illa igitur ejus dulcedo quæratur quam perficit sperantibus in eum, non quam perficere putatur contemnentibus et blasphemantibus eum. Frustra itaque homo post hoc corpus inquirit, quod in hoc corpore sibi comparare neglexit[2].

6. Illud quoque apostolicum, *Conclusit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur:* non ideo dictum est; quod neminem sit damnaturus: sed superius apparet unde sit dictum. Nam cum de Judæis postea credituris Apostolus loqueretur ad Gentes, ad quas utique jam credentes conscribebat epistolas: *Sicut enim vos*, inquit, *aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis illorum*[3] *incredulitate; sic et hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur* (*Rom.* XI, 31, 32). Deinde subjecit, unde isti sibi errando blandiuntur, atque ait, *Conclusit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur.* Quos omnes, nisi de quibus loquebatur, tanquam dicens, et vos et illos? Deus ergo et Gentiles et Judæos, quos præscivit et prædestinavit conformes[4] imaginis Filii sui (*Id.* VIII, 29), omnes in infidelitate conclusit: ut de amaritudine infidelitatis suæ pœnitendo confusi, et ad dulcedinem misericordiæ Dei credendo conversi, clamarent illud in Psalmo, *Quam multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem sperantibus*, non in se, sed *in te!* Omnium itaque miseretur vasorum misericordiæ. Quid est, omnium? Et eorum scilicet quos ex Gentibus, et eorum quos ex Judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit;

(*a*) Conf. Enarr. Psal. L, n. 11.

[1] Sola editio Lov., *quia*: minus bene.
[2] Vind. Am. et Er., *Frustra itaque homo positus in hoc corpore, occultorum judiciorum Dei sibi notitiam arrogare præsumit.*
[3] Editi, *in illorum*. Abest, *in*, a manuscriptis.
[4] Hic editi soli addunt, *fieri*: quod verbum in Epistola ad Romanos, VIII, 29, præterire solet Augustinus.

non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus.

CAPUT XXV. — *An hi qui inter hæreticos baptizati sunt, et deteriores postea male vivendo facti sunt, vel hi qui apud Catholicos renati ad hæreses aut schismata transierunt, vel hi qui a Catholicis apud quos renati sunt, non recedentes, criminose vivere perstiterunt, possint privilegio Sacramentorum remissionem æterni sperare supplicii.*

1. Sed jam respondeamus etiam illis, qui non solum diabolo et angelis ejus, sicut nec isti, sed ne ipsis quidem omnibus hominibus liberationem ab æterno igne promittunt; verum eis tantum qui Christi Baptismate abluti et corporis ejus et sanguinis participes facti sunt, quomodolibet vixerint, in quacumque hæresi vel impietate fuerint (*a*). Sed contradicit eis Apostolus, dicens: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* v, 19-21). Hæc profecto apostolica falsa est sententia, si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei possidebunt. Sed quoniam falsa non est, profecto regnum Dei non possidebunt. Et si in regni Dei possessione nunquam erunt, æterno supplicio tenebuntur: quoniam non est locus medius, ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno.

2. Quamobrem quod ait Dominus Jesus, *Hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* vi, 50-52), quomodo sit accipiendum, merito quæritur. Et ab istis quidem quibus nunc respondemus, hunc intellectum auferunt illi quibus deinde respondendum est: hi sunt autem qui hanc liberationem, nec omnibus habentibus sacramentum Baptismatis et corporis Christi, sed solis Catholicis, quamvis male viventibus, pollicentur: quia non solo, inquiunt, sacramento, sed re ipsa manducaverunt corpus Christi, in ipso scilicet ejus corpore constituti: de quo corpore ait Apostolus, *Unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* x, 17). Qui ergo est in ejus corporis unitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cujus corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse vere dicendus est manducare corpus Christi, et bibere sanguinem Christi. Ac per hoc hæretici et schismatici ab hujus unitate corporis separati possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, imo vero etiam noxium, quo judicentur gravius, quam vel tardius liberentur. Non sunt quippe in eo vinculo pacis, quod illo exprimitur sacramento.

3. Sed rursus etiam isti qui recte intelligunt, non dicendum esse eum manducare[1] corpus Christi, qui in corpore non est Christi, non recte promittunt eis qui vel in hæresim, vel etiam in gentilium superstitionem, ex illius corporis unitate labuntur, liberationem quandoque ab æterni ignis supplicio. Primum, quia debent attendere, quam sit intolerabile atque a sana doctrina nimis devium, ut multi ac pene omnes, qui hæreses impias condiderunt exeuntes de catholica Ecclesia, et facti sunt hæresiarchæ, meliores habeant causas, quam hi qui nunquam fuerunt catholici, cum in eorum laqueos incidissent; si illos hæresiarchas hoc facit liberari a supplicio sempiterno, quod in catholica Ecclesia baptizati sunt, et sacramentum corporis Christi in vero Christi corpore primitus acceperunt: cum pejor utique sit desertor fidei et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deseruit quam nunquam tenuit. Deinde quia et his occurrit Apostolus eadem verba proferens, et enumeratis illis carnis operibus eadem veritate prædicens, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* v, 21).

4. Unde nec illi in perditis et damnabilibus moribus debent esse securi, qui usque in finem quidem velut in communione Ecclesiæ catholicæ perseverant, intuentes quod dictum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22); et per vitæ iniquitatem, ipsam vitæ justitiam, quod eis Christus est, deserunt, sive fornicando, sive alias immunditias flagitiorum, quas nec Apostolus exprimere voluit, in suo corpore perpetrando, sive turpitudine luxuriæ diffluendo, sive aliquid aliud eorum agendo de quibus ait, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ac per hoc quicumque agunt talia, nisi in sempiterno supplicio non erunt, quia in Dei regno esse non poterunt. In his enim perseverando usque in hujus vitæ finem, non utique dicendi sunt in Christo perseverasse usque in finem: quia in Christo perseverare, est in ejus fide perseverare. Quæ *fides*, ut eam definit idem apostolus, *per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6). *Dilectio* autem, sicut ipse alibi dicit, *malum non operatur* (I *Cor.* xiii, 4; *Rom.* xiii, 10). Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi; quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Ut enim alia taceam, non possunt simul esse et membra Christi, et membra meretricis (I *Cor.* vi, 15). Denique ipse dicens, *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* vi, 57); ostendit quid sit non sacramento tenus, sed re vera corpus Christi manducare, et ejus sanguinem bibere: hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat et Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret, Qui non in me manet, et in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Non itaque manent in Christo, qui non sunt membra ejus. Non sunt autem membra Christi, qui se faciunt membra meretricis, nisi malum il-

(*a*) Vide lib. de Fid. et Oper.

[1] Vind. Am. Er., *non dicendum eum manducare*; omisso, *esse*. Mss. vero, *non dicendum esse manducare*; omisso *eum*.

lud pœnitendo esse destiterint, et ad hoc bonum reconciliatione redierint.

CAPUT XXVI. — *Quid sit in fundamento habere Christum, et quibus spondeatur salus quasi per ignis usturam.*

1. Sed habent, inquiunt, Christiani catholici in fundamento Christum, a cujus unitate non recesserunt, tametsi huic fundamento superædificaverunt quamlibet pessimam vitam, velut ligna, fenum, stipulam (I *Cor.* III, 11, 12) : recta itaque fides [1], per quam Christus est fundamentum, quamvis cum damno, quoniam illa quæ superædificata sunt exurentur, tamen poterit eos quandoque ab illius ignis perpetuitate salvare. Respondeat eis breviter apostolus Jacobus : *Si quis dicat se fidem habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum* (*Jacobi* II, 14)? Et quis est, inquiunt, de quo dicit apostolus Paulus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 15)? Simul quis iste sit, inquiramus : hunc tamen non esse, certissimum est, ne duorum Apostolorum sententias mittamus in rixam, si unus dicit, Etiamsi mala opera quis habuerit, salvabit eum fides per ignem ; alius autem, Si opera non habeat, numquid poterit fides salvare eum ?

2. Inveniemus ergo quis possit salvari per ignem, si prius invenerimus quid sit habere in fundamento Christum. Quod ut de ipsa similitudine quantocius advertamus : Nihil in ædificio præponitur fundamento; quisquis itaque sic habet in corde Christum, ut ei terrena et temporalia nec ea quæ licita sunt atque concessa præponat, fundamentum habet Christum. Si autem præponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur : quanto magis, si salutaria præcepta contemnens committat illicita, non præposuisse Christum, sed postposuisse convincitur, quem posthabuit imperantem sive concedentem, dum contra ejus imperata sive concessa suam per flagitia delegit explere libidinem ? Si quis itaque christianus diligit meretricem, eique adhærens unum corpus efficitur (*Id.* VI, 16), jam in fundamento non habet Christum. Si quis autem diligit uxorem suam, si secundum Christum (*Ephes.* V, 25), quis ei dubitet in fundamento esse Christum ? Si vero secundum hoc sæculum, si carnaliter, si in morbo concupiscentiarum, sicut et gentes quæ ignorant Deum (I *Thess.* IV, 5), etiam hoc secundum veniam concedit Apostolus, imo per Apostolum Christus. Potest ergo et iste habere in fundamento Christum. Si enim ei nihil talis affectionis voluptatisque præponat, quamvis superædificet ligna, fenum, stipulam, Christus est fundamentum, propter hoc salvus erit per ignem. Delicias quippe hujusmodi [2] amoresque terrenos, propter conjugalem quidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exuret : ad quem ignem pertinent et orbitates, et quæcumque calamitates quæ auferunt hæc. Ac per hoc ei qui ædificavit, erit ædificatio ista damnosa ; quia non habebit quod superædificavit, et eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur. Sed per hunc ignem salvus erit merito fundamenti, quia etsi utrum id, an Christum habere mallet, a persecutore proponeretur, illud Christo non præponeretur. Vide in Apostoli verbis hominem ædificantem super fundamentum [1] aurum, argentum, lapides pretiosos : *Qui sine uxore est*, inquit, *cogitat quæ sunt Dei*, *quomodo placeat Deo.* Vide alium ædificantem ligna, fenum, stipulam : *Qui autem matrimonio junctus est*, inquit, *cogitat quæ sunt mundi*, *quomodo placeat uxori* (I *Cor.* VII, 32, 33). *Uniuscujusque opus* [2] *manifestabitur : dies enim declarabit*; dies utique tribulationis [3] : *quoniam in igne*, inquit, *revelabitur* (*Id.* III, 13). Eamdem tribulationem ignem vocat, sicut alibi legitur, *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 6). Et, *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit* (permanet enim quod quisque cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo), *quod superædificavit, mercedem accipiet* : id est, unde cogitavit, hoc sumet. *Si cujus* autem *opus arserit, damnum patietur* : quoniam quod dilexerat, non habebit. *Ipse autem salvus erit* ; quia nulla eum tribulatio ab illius fundamenti stabilitate movit : *sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 13-15). Quod enim sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdit. Ecce, quantum mihi videtur, inventus est ignis, qui nullum eorum damnet, sed unum ditet, alterum damnificet, ambos probet.

3. Si autem ignem illum isto loco voluerimus accipere, de quo Dominus dicet sinistris, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41) ; ut in eis etiam isti esse credantur, qui ædificant super fundamentum ligna, fenum, stipulam, eosque ex illo igne post tempus pro malis meritis impertitum liberet boni meritum fundamenti : quid arbitrabimur dextros quibus dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Ibid.*, 34), nisi eos qui ædificaverunt super fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos ? Sed in illum ignem, de quo dictum est, *sic tamen quasi per ignem*, si hoc modo est intelligendus, utrique mittendi sunt, et dextri scilicet, et sinistri. Illo quippe igne utrique probandi sunt, de quo dictum est, *Dies enim declarabit, quoniam in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (I *Cor.* III, 13). Si ergo utrumque probabit ignis, ut si cujus opus permanserit, id est, non fuerit igne consumptum, quod superædificavit, mercedem accipiat ; si cujus autem opus arserit, damnum patiatur : profecto non est ipse æternus ille ignis. In illum enim soli sinistri novissima et perpetua damnatione

[1] Er. et Lov., *fides est.* Redundat, *est*, nec habetur in manuscriptis.
[2] Editi, *hujus mundi.*

[1] Editi, *super fundamentum hoc.* Abest, *hoc*, a manuscriptis.
[2] Hic editi, veteribus libris dissentientes, addunt, *quale sit.* Necnon continuo post, *manifestabitur*, habent, *dies enim Domini declarabit* : quo loco vox, *Domini*, non est in manuscriptis nec in græco textu Apostoli.
[3] Vind. Am. et Er., [illegible], *dies tribulationis.*

mittentur, iste autem dextros probat. Sed alios eorum sic probat, ut ædificium quod super Christum fundamentum ab eis invenerit esse constructum, non exurat atque consumat : alios autem aliter, id est, ut quod superædificaverunt, ardeat, damnumque inde patiantur; salvi fiant autem, quoniam Christum in fundamento stabiliter positum præcellenti charitate tenuerunt. Si autem salvi fient, profecto et ad dexteram stabunt, et cum cæteris audient, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* : non ad sinistram, ubi illi erunt, qui salvi non erunt, et ideo audient, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Nemo quippe [1] ab illo igne salvabitur, quia in supplicium æternum ibunt illi omnes (*Matth.* XXV, 46), ubi vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur (*Isai.* LXVI, 24), quo cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum (*Apoc.* XX, 10).

4. Post istius sane corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores et amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fenum, stipula consumatur; alii vero sentiant qui ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantum, sive et hic et ibi, sive ideo hic ut non ibi, sæcularia [2], quamvis a damnatione venialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est. Potest quippe ad istam tribulationem pertinere etiam ipsa mors carnis, quæ de peccati primi perpetratione concepta est, ut secundum cujusque ædificium tempus quod eam sequitur ab unoquoque sentiatur. Persecutiones quoque quibus martyres [3] coronati sunt, et quas patiuntur quicumque Christiani, probant utraque ædificia velut ignis, et alia consumunt cum ipsis ædificatoribus, si Christum in eis non inveniunt fundamentum; alia sine ipsis, si inveniunt, quia, licet cum damno, salvi erunt ipsi : alia vero non consumunt, quia talia reperiunt quæ maneant in æternum [4]. Erit etiam in fine sæculi tribulatio tempore Antichristi, qualis nunquam antea fuit. Quam multa erunt tunc ædificia, sive aurea, sive fenea super optimum fundamentum, quod est Christus Jesus, ut ignis ille probet utraque, et de aliis gaudium, de aliis inferat damnum; neutros tamen perdat in quibus hæc inveniet, propter stabile fundamentum. Quicumque autem, non dico uxorem, cujus etiam commixtione carnis ad carnalem utitur voluptatem, sed ipsa quæ ab hujusmodi delectationibus aliena sunt nomina pietatis, humano more carnaliter diligendo Christo anteponit, non eum habet in fundamento, et ideo non per ignem salvus erit, vel salvus non erit, quia esse cum Salvatore non poterit, qui de hac re apertissime loquens ait, *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Verum qui has necessitudines sic amat carnaliter, ut tamen eas Christo Domino non præponat, malitque ipsis carere quam Christo, si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem salvus erit : quia ex earum amissione tantum necesse est urat dolor, quantum hæserat amor. Porro qui patrem, matrem, filios, filias secundum Christum dilexerit, ut ad ejus regnum obtinendum eique cohærendum illis consulat, vel hoc in eis diligat, quod membra sunt Christi, absit ut ista dilectio reperiatur in lignis, feno et stipula consumenda, sed prorsus ædificio aureo, argenteo, gemmeo deputabitur. Quomodo autem potest eos plus amare quam Christum quos amat utique propter Christum (*a*).

CAPUT XXVII. — *Contra eorum persuasionem qui putant sibi non obfutura peccata, in quibus, cum eleemosynas facerent, perstiterunt.*

1. Restat eis respondere, qui dicunt æterno igne illos tantummodo arsuros, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt, propter illud quod ait apostolus Jacobus : *Judicium autem sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* II, 13). Qui ergo fecit, inquiunt, quamvis non correxerit perditos mores, sed nefarie ac nequiter inter ipsas suas eleemosynas vixerit, cum misericordia illi futurum est judicium, ut aut non damnetur omnino, aut post aliquod tempus a damnatione novissima liberetur. Nec ob aliud existimant Christum de solo dilectu atque neglectu eleemosynarum discretionem inter dexteros et sinistros esse facturum, quorum alios in regnum, alios in supplicium mittat æternum. Ut autem quotidiana sibi opinentur, quæ facere omnino non cessant, qualiacumque et quantacumque sint, per eleemosynas dimitti posse peccata, orationem quam docuit ipse Dominus, et suffragatricem sibi adhibere conantur, et testem. Sicut enim nullus est, inquiunt, dies, quo a Christianis hæc oratio non dicatur : ita nullum est quotidianum qualecumque peccatum, quod per illam non dimittatur, cum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra;* si quod sequitur facere curemus, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Non enim ait Dominus, inquiunt, Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vester quotidiana parva peccata vestra [1]; sed, *dimittet vobis*, inquit, *peccata vestra* (*Ibid.*, 14). Qualiacumque ergo vel quantacumque sint, etiamsi quotidie perpetrentur, nec ab eis vita discedant [2] in melius commutata, per eleemosynam veniæ non negatæ remittit sibi posse præsumunt.

[1] Lov., *Nemo quippe eorum.* Abest, *eorum*, ab editis aliis et manuscriptis.

[2] Beraldus in suo codice emendat, *seclusa.*

[3] Sic veteres libri. At editi, *et secundum cujusque ædificium tempore suo ab unoquoque suscepta. Possunt et persecutiones Ecclesiæ, quibus martyres.*

[4] Vind. Am. et Er., *quia licet cum damno salvi erunt : ipsi non consumentur, propter Christi videlicet meritum in fundamentum reperti, qui manet in æternum.*

[1] Abest, *vestra*, in codicibus nostris. M.

[2] Sic melioris notæ Mss. At editi, *discedat :* et infra, *per eleemosynam venia non negata*, etc.

(*a*) Conf. lib. de Mor. Eccles. Cathol., n. 63, et lib. de Ver. Relig., n. 86 et seqq.

2. Sed bene, quod isti dignas pro peccatis commonent eleemosynas esse faciendas : quoniam si dicerent qualescumque eleemosynas pro peccatis et quotidianis et magnis et quantacumque scelerum consuetudine misericordiam posse impetrare divinam, ut ea quotidiana remissio sequeretur, viderent rem se dicere absurdam atque ridiculam. Sic enim cogerentur fateri fieri posse, ut opulentissimus homo decem nummulis diurnis in eleemosynas impensis, homicidia, et adulteria, et nefaria quæque facta redimeret. Quod si absurdissimum et insanissimum est dicere : profecto si quæratur, quæ dignæ sint pro peccatis eleemosynæ, de quibus etiam Christi præcursor ille dicebat, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III, 8) ; procul dubio non invenientur eas facere, qui vitam suam usque ad mortem quotidianorum criminum perpetratione confodiunt (a). Primum, quia in auferendis rebus alienis longe plura diripiunt, ex quibus perexigua pauperibus largiendo, Christum se ad hoc pascere existimant, ut licentiam malefactorum ab illo se emisse, vel quotidie potius emere credentes, securi damnabilia tanta committant. Qui si pro uno scelere omnia sua distribuerent indigentibus membris Christi, nisi desisterent a talibus factis, habendo charitatem, quæ non agit perperam (I *Cor.* XIII, 4), aliquid eis prodesse non posset. Qui ergo dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipiat[1] a se ipso. Indignum est enim, ut in se non faciat qui facit in proximum, cum audiat dicentem Dominum, *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Matth.* XXII, 39). Itemque audiat, *Miserere tuæ animæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Hanc eleemosynam, id est, ut Deo placeat, non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicendus est ? Ad hoc enim et illud scriptum est : *Qui sibi malignus est, cui bonus erit* (*Id.* XIV, 5)? Orationes quippe adjuvant eleemosynæ. Et utique intuendum est quod legimus : *Fili, peccasti, ne adjicias iterum, et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur* (*Id.* XXI, 1). Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, ut cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus.

3. Ideo autem Dominus et dextris eleemosynas ab eis factas, et sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, ut hinc ostenderet quantum valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata. Tales autem eleemosynas non dicendi sunt facere qui vitam nolunt a consuetudine scelerum in melius commutare. Quia et in hoc quod ait, *Quando uni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis* (*Matth.* XXV, 45) ; ostendit eos non facere etiam quando se facere existimant. Si enim Christiano esurienti panem tanquam Christiano[2] darent, profecto sibi panem justitiæ, quod ipse Christus est, non negarent : quoniam Deus, non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Qui ergo Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam quo accedit ad Christum, non quo vult recedere impunitus a Christo. Tanto enim magis quisque deserit Christum, quanto magis diligit quod improbat Christus. Nam quid cuiquam prodest, quod baptizatur, si non justificatur? Nonne qui dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei* (*Joan.* III, 5) ; ipse etiam dixit, *Nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* V, 20)? Cur illud timendo multi currunt baptizari, et hoc non timendo non multi curant justificari? Sicut ergo non dicit fratri suo, *Fatue*, qui cum hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato ejus infensus est ; alioquin reus erit gehennæ ignis (*Ibid.*, 22) : ita e contrario, qui porrigit eleemosynam Christiano, non Christiano porrigit, qui non in eo diligit Christum; non autem diligit Christum, qui justificari recusat in Christo. Et quemadmodum si quis præoccupatus fuerit hoc delicto, ut fratri suo dicat, *Fatue*, id est, non ejus peccatum volens auferre convicietur injuste ; parum est illi ad hoc redimendum eleemosynas facere, nisi etiam quod ibi sequitur remedium reconciliationis adjungat. Ibi enim sequitur : *Si ergo offers*[1] *munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade, prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Ibid.*, 23, 24). Ita parum est eleemosynas quaslibet facere pro quocumque scelere, et in consuetudine scelerum permanere.

4. Oratio vero quotidiana, quam docuit ipse Dominus[2], unde et Dominica nominatur, delet quidem quotidiana peccata, cum quotidie dicitur, *Dimitte nobis debita nostra* ; atque id quod sequitur non solum dicitur, sed etiam fit, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Id.* VI, 12) : sed quia fiunt peccata, ideo dicitur ; non ut ideo fiant, quia dicitur (a). Per hanc enim nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet juste in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata pro quibus dimittendis debeamus orare, et eis qui in nos peccant, ut et nobis ignoscatur, ignoscere. Non itaque propterea Dominus ait, *Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater vester peccata vestra* (*Ibid.*, 14), ut de hac oratione confisi, securi quotidiana scelera faceremus, vel potentia qua non timeremus hominum leges, vel astutia qua ipsos homines falleremus : sed ut per illam disceremus, non putare nos esse sine peccatis, etiamsi a criminibus essemus immunes : sicut etiam Legis veteris sacerdotes hoc ipsum Deus de sacrificiis admonuit, quæ jussit eos primum pro suis, deinde pro populi offerre peccatis (*Levit.* XVI, 6; *Hebr.* VII, 27). Nam et ipsa verba tanti Magistri et Domini nostri vigilanter intuenda sunt. Non enim ait,

[1] Plures Mss., *incipit*.
[2] Sic omnes Mss. Editi vero, *tanquam Christo*.
(a) Conf. lib. 22 cont. Faust. Manich., cap. 29.

[1] [illegible] Mss., *offeres*.
[2] [illegible] Mss., *Jesus*.
(a) [illegible] Enchirid. cap. 19, 20.

Si dimiseritis peccata hominibus, et Pater vester dimittet vobis qualiacumque peccata; sed ait, *peccata vestra*. Quotidianam quippe orationem docebat, et justificatis utique discipulis loquebatur. Quid est ergo, *peccata vestra*, nisi peccata sine quibus nec vos eritis, qui justificati et sanctificati estis? Ubi ergo illi, qui per hanc orationem occasionem perpetrandorum quotidie scelerum quærunt, dicunt Dominum significasse etiam magna peccata, quoniam non dixit, Dimittet vobis parva, sed *peccata vestra*; ibi nos considerantes qualibus loquebatur, et audientes dictum, *peccata vestra*, nihil aliud debemus existimare quam parva, quoniam talium jam non erant magna. Verumtamen nec ipsa magna, a quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur: quanto magis multis et magnis criminibus involuti, etiamsi ea perpetrare jam desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum aliis quod in eos quisque peccaverit, inexorabiles fuerint, cum dicat Dominus, *Si autem non dimiseritis hominibus*[1], *neque Pater vester dimittet vobis* (*Matth.* VI, 15)? Ad hoc enim valet quod etiam Jacobus apostolus ait, judicium futurum sine misericordia illi qui non fecit misericordiam (*Jacobi* II, 13). Venire quippe debet in mentem etiam servus ille, cui debitori dominus ejus[2] relaxavit decem millia talentorum; quæ postea jussit ut redderet, quia ipse non misertus est conservi sui, qui ei debebat centum denarios (*Matth.* XVIII, 23 *sqq*.). In his ergo qui filii sunt promissionis et vasa misericordiæ, valet quod ait idem apostolus, consequenter adjungens, *Superexsultat autem misericordia judicio*[3] (*Jacobi* II, 13). Quoniam et illi justi qui tanta sanctitate vixerunt, ut alios quoque recipiant in tabernacula æterna, quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI, 9), ut tales essent, misericordia liberati sunt ab eo qui justificat impium, imputans mercedem secundum gratiam, non secundum debitum. In eorum quippe numero est Apostolus, qui dicit: *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (I *Cor.* VII, 25).

5. Illi autem qui recipiuntur a talibus in tabernacula æterna, fatendum est quod non sint his moribus præditi, ut eis liberandis sine suffragio sanctorum sua possit vita sufficere, ac per hoc multo amplius in eis superexsultat misericordia judicio. Nec tamen ideo putandus est quisquam sceleratissimus nequaquam vita vel bona vel tolerabiliore mutatus, recipi in tabernacula æterna, quoniam obsecutus est sanctis de mammona iniquitatis, id est, de pecunia, vel divitiis, quæ male fuerant acquisitæ; aut etiamsi bene, non tamen veris, sed quas iniquitas putat esse divitias, quoniam nescit quæ sint veræ divitiæ, quibus illi abundant, qui et alios recipiunt in æterna tabernacula. Est itaque quidam vitæ modus, nec tam malæ, ut his qui eam vivunt[1], nihil prosit ad capessendum regnum cœlorum largitas eleemosynarum, quibus etiam justorum sustentatur inopia, et fiunt amici qui in tabernacula æterna suscipiant; nec tam bonæ, ut ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos fecerint, misericordiam consequantur. (Mirari autem soleo etiam apud Virgilium istam Domini reperiri sententiam, ubi ait, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut et ipsi recipiant vos in tabernacula æterna* (*Luc.* XVI, 9). Cui est et illa simillima, *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* X, 41). Nam cum Elysios campos poeta ille describeret, ubi putant habitare animas beatorum, non solum ibi posuit eos, qui propriis meritis ad illas sedes pervenire potuerunt, sed adjecit, atque ait,

> Quique sui memores alios fecere merendo;
> (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 664.)

id est, qui promeruerunt alios, eosque sui memores promerendo fecerunt. Prorsus tanquam eis dicerent[2], quod frequentatur ore Christiano, cum se cuique sanctorum humilis quisque commendat, et dicit, Memor mei esto: atque ut id esse possit, promerendo efficit.) Sed quis iste sit modus, et quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediant perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si scirentur quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris absumptis intercessio sit inquirenda et speranda justorum, eis secura se obvolveret humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleemosynarum largitione[3] fecisset. Nunc vero dum venialis iniquitatis, etiamsi perseveret, ignoratur modus, profecto et studium in meliora proficiendi orationi instando[4] vigilantius adhibetur, et faciendi de mammona iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur.

6. Verum ista liberatio quæ fit sive suis quibusque orationibus, sive intercedentibus sanctis, id agit ut in ignem quisque non mittatur æternum: non ut cum fuerit missus, post quantumcumque tempus inde eruatur. Nam et illi qui putant sic intelligendum esse, quod scriptum est, afferre terram bonam uberem fructum, aliam tricenum, aliam sexagenum, aliam

[1] Hic in editis additur, *peccata*; quod abest a manuscriptis.
[2] Sic Mss. At editi, *dominus suus*.
[3] Editi, *Superexaltat misericordia judicium*. Altera veterum quorumdam librorum lectio consentanea est græco, *kai katakauchâtai éleos kriseôs*.

[1] Lov. *qui ea vivunt*. Editi alii cum manuscriptis, *qui eam vivunt*.
[2] Ita omnes Mss. At editi, *diceret*.
[3] In Mss., *largitate*.
[4] Vind. Am. et plures manuscripti, *orando et instando*.

centenum (*Matth.* XIII, 8) : ut sancti pro suorum diversitate meritorum, alii tricenos homines liberent, alii sexagenos, alii centenos : hoc in die judicii futurum suspicari solent, non post judicium. Qua opinione quidam cum videret homines impunitatem sibi perversissime pollicentes, eo quod omnes isto modo ad liberationem pertinere posse videantur, elegantissime respondisse perhibetur, bene potius esse vivendum, ut inter eos quisque reperiatur, qui pro aliis intercessuri sunt liberandis ; ne tam pauci sint, ut cito ad numerum suum vel tricenum, vel sexagenum, vel centenum unoquoque eorum perveniente, multi remaneant qui erui jam de pœnis illorum intercessione non possint, et in eis inveniatur quisquis sibi spem fructus alieni temeritate vanissima pollicetur. Hæc me respondisse illis suffecerit, qui sacrarum Litterarum, quas communes habemus, auctoritatem non spernunt, sed eas male intelligendo, non quod illæ loquuntur, sed hoc potius putant futurum esse quod ipsi volunt (*a*). Hac itaque responsione reddita, librum, sicut promisimus, terminamus.

(*a*) Conf. Epist. 120, n. 13.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS [a].

De fine debito civitatis Dei, hoc est de æterna felicitate sanctorum. Adstruitur fides resurrectionis corporum, et explicatur qualis futura sit. Tum dicto quid acturi sint in corporibus immortalibus atque spiritualibus sanctis, opus terminatur.

CAPUT PRIMUM. — *De conditione Angelorum et hominum.*

1. Sicut in proximo libro superiore promisimus, iste hujus totius operis ultimus disputationem de civitatis Dei æterna beatitudine continebit. Quæ non propter ætatis per multa sæcula longitudinem, tamen quandocumque finiendam, æternitatis nomen accepit; sed quemadmodum scriptum est in Evangelio, *Regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33). Nec ita ut aliis moriendo decedentibus, aliis succedentibus oriendo; species in ea perpetuitatis appareat, sicut in arbore quæ perenni fronde vestitur, eadem videtur viriditas permanere, dum labentibus et cadentibus foliis, subinde alia quæ nascuntur, faciem conservant opacitatis : sed omnes in ea cives immortales erunt, adipiscentibus et hominibus, quod nunquam sancti Angeli perdiderunt. Faciet hoc Deus omnipotentissimus ejus conditor. Promisit enim, nec mentiri potest; et quibus fidem hinc quoque faceret, multa sua, et non promissa, et promissa jam fecit.

2. Ipse est enim, qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus visibilibus atque intelligibilibus rebus, in quo nihil melius instituit quam spiritus, quibus intelligentiam dedit, et suæ contemplationis habiles capacesque sui præstitit, atque una societate devinxit, quam sanctam et supernam dicimus civitatem, in qua res qua sustententur beatique sint, Deus ipse illis est, tanquam vita victusque communis. Qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, ut si vellet, desereret Deum, beatitudinem scilicet suam, continuo miseria secutura [1]. Qui cum præsciret angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem, potentius et melius esse judicans etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere (*b*). Quæ omnino nulla essent, nisi natura mutabilis, quamvis bona, et a summo Deo atque incommutabili bono, qui bona omnia condidit, instituta, peccando ea sibi ipsi fecisset. Quo etiam peccato suo teste convincitur, bonam conditam se esse naturam. Nisi enim magnum et ipsa, licet non æquale Conditori, bonum esset, profecto desertio Dei tanquam luminis sui malum ejus esse non posset (*a*). Nam sicut cæcitas oculi vitium est, et idem ipsum indicat ad lumen videndum oculum esse creatum, ac per hoc etiam ipso vitio suo excellentius ostenditur cæteris membris membrum capax luminis (non enim alia causa esset vitium ejus carere lumine) : ita natura quæ fruebatur Deo, optimam se institutam docet etiam ipso vitio, quo ideo misera est, quia non fruitur Deo; qui casum angelorum voluntarium justissima pœna sempiternæ infelicitatis obstrinxit, atque in eo summo bono permanentibus cæteris, ut de sua sine fine permansione certi essent, tanquam ipsius præmium permansionis dedit. Qui fecit hominem ipsum etiam rectum cum eodem libero arbitrio, terrenum quidem animal, sed cœlo dignum, si suo cohæreret auctori : miseria similiter, si eum desereret, secutura, qualis naturæ hujusmodi conveniret. Quem similiter cum prævaricatione legis Dei per Dei desertionem peccaturum esse præsciret, nec illi ademit liberi arbitrii potestatem, simul prævidens, quid boni de malo ejus esset ipse facturus, qui de mortali progenie merito justeque damnata tantum populum gratia sua colligit, ut inde suppleat, et instauret partem quæ lapsa est angelorum ; ac sic illa dilecta et superna civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis et uberiore lætetur (*b*).

CAPUT II. — *De æterna Dei et incommutabili voluntate.*

1. Multa enim fiunt quidem a malis contra voluntatem Dei : sed tantæ est ille sapientiæ tantæque virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos et

[1] Ita plures e veteribus libris. Editi vero, *ut si vellet desereret Deum, beatitudinem scilicet suam, continuo miseria esset secutura.*

(*a*) Scriptus circiter annum 427.

(*b*) Conf. lib. 11 de Gen. ad litt., n. 12 et seqq.

(*a*) Vid. Enchirid., n. 4.

(*b*) Ibid., n. 9.

justos ipse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa. Ac per hoc cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur iratus, illi potius quam ipse mutantur, et eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur inveniunt: sicut mutatur sol oculis sauciatis, et asper quodammodo ex miti, et ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud se ipsum maneat idem qui fuit. Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus, de qua dicit Apostolus, *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle* (*Philipp.* II, 13). Sicut justitia [1] Dei, non solum qua ipse justus est dicitur, sed illa etiam quam in homine, qui ab illo justificatur, facit: sic et lex ejus vocatur, quæ potius est hominum, sed ab ipso data [2]. Nam utique homines erant, quibus ait Jesus, *In lege vestra scriptum est* (*Joan.* VIII, 17): cum alio loco legamus, *Lex Dei ejus in corde ipsius.* (*Psal.* XXXVI, 31). Secundum hanc voluntatem, quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur, quod ipse non vult, sed suos id volentes facit: sicut dicitur cognovisse, quod ut cognosceretur fecit, a quibus ignorabatur. Neque enim dicente Apostolo, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9), fas est ut credamus, quod eos tunc cognoverit Deus præcognitos ante constitutionem mundi (I *Petr.* I, 20): sed tunc cognovisse dictus est, quod tunc ut cognosceretur effecit. De his locutionum modis jam et in superioribus libris memini disputatum. Secundum hanc ergo voluntatem, qua Deum velle dicimus quod alios efficit velle, a quibus futura nesciuntur, multa vult, nec facit.

2. [II.] Multa enim volunt fieri sancti ejus ab illo inspirata sancta voluntate, nec fiunt; sicut orant pro quibusdam pie sancteque, et quod orant non facit, cum ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto Spiritu suo fecerit. Ac per hoc, quando secundum Deum volunt et orant sancti, ut quisque sit salvus, possumus illo modo locutionis dicere, Vult Deus et non facit; ut ipsum dicamus velle, qui ut velint isti facit. Secundum illam vero voluntatem suam, quæ cum ejus præscientia sempiterna est, profecto in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, non solum præterita vel præsentia, sed etiam futura jam fecit (*Psal.* CXIII, 3 *bis*). Verum antequam veniat tempus, quo voluit ut fieret, quod ante tempora universa præscivit atque disposuit, dicimus, Fiet quando Deus voluerit. Si autem non solum tempus quo futurum est, verum etiam utrum futurum sit ignoramus, dicimus, Fiet, si Deus voluerit: non quia Deus novam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit; sed quia id quod ex æternitate in ejus immutabili præparatum est voluntate, tunc erit.

CAPUT III. — *De promissione æternæ beatitudinis sanctorum et perpetuis suppliciis impiorum.*

Quapropter, ut cætera tam multa prætercam, sicut nunc in Christo videmus impleri quod promisit Abrahæ, dicens, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18): ita quod eidem semini ejus promisit, implebitur, ubi ait per prophetam, *Resurgent qui erant in monumentis; et quod ait, Erit cœlum novum et terra nova, et non erunt memores priorum, nec ascendent in cor ipsorum; sed lætitiam et exsultationem invenient in ea. Ecce* [1] *ego faciam Jerusalem exsultationem et populum meum lætitiam; et exsultabo in Jerusalem, et lætabor in populo meo; et ultra non audietur in ea vox fletus* (*Isai.* XXVI, 19, *sec.* LXX; LXV, 17-19, *sec.* LXX). Et per alium prophetam, quod prænuntiavit dicens eidem prophetæ, *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro: et multi dormientium in terræ pulvere* (sive, ut quidam interpretati sunt, *aggere*) *exsurgent; hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et confusionem æternam* (*Dan.* XII, 1 *et* 2). Et alio loco per eumdem prophetam: *Accipient regnum sancti Altissimi, et obtinebunt illud usque in sæculum, et usque in sæculum sæculorum* (*Id.* VII, 18). Et paulo post, *Regnum*, inquit, *ejus regnum sempiternum* (*Ibid.*, 27). Et alia quæ ad hoc pertinentia in libro vicesimo posui (*cap.* 21 *sqq.*), sive quæ non posui, et tamen in eisdem Litteris scripta sunt: venient et hæc, sicut et ista venerunt, quæ increduli non putabant esse ventura. Idem quippe Deus utraque promisit, utraque ventura esse prædixit, quem perhorrescunt numina Paganorum, teste etiam Porphyrio, nobilissimo philosopho Paganorum.

CAPUT IV. — *Contra sapientes mundi, qui putant terrena hominum corpora ad cœleste habitaculum non posse transferri.*

Sed videlicet homines docti atque sapientes contra vim tantæ auctoritatis, quæ omnia genera hominum, sicut tanto ante prædixit, in hoc credendum sperandumque convertit, acute sibi argumentari videntur adversus corporum resurrectionem, et dicere quod in tertio de Republica libro a Cicerone commemoratum est. Nam cum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos asseveraret: *Quorum non corpora*, inquit, *sunt in cœlum elata; neque enim natura pateretur, ut id quod esset e terra, nisi in terra maneret.* Hæc est magna ratio sapientium (*a*), quorum Dominus novit cogitationes, quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII, 11). Si enim animæ tantummodo essemus, id est, sine ullo corpore spiritus, et in cœlo habitantes terrena animalia nesciremus, nobisque futurum esse diceretur, ut terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteremur; nonne multo fortius argumentaremur id credere recusantes, et diceremus naturam non pati, ut res incorporea ligamento corporeo vinciretur? Et tamen plena est terra vegetantibus animis hæc membra terrena, miro sibi modo connexa [2] et

[1] Sic Mss. At editi, *in nobis et velle. Sicut enim justitia*, etc.

[2] Am. Er. et Lov., *data hominibus*. Abest, *hominibus*, a Vind. et Mss.

[1] Editi, *Et ecce*. Particula, *Et*, abest a Mss. et a LXX. Vide supra, lib. 20, cap. 21, n. 2.

[2] Editi, *Et tamen plena est terra vegetantibus animis, quibus hæc membra terrena miro modo sunt connexa*, etc. Castigantur auctoritate veterum librorum, qui non habent, *quibus*, nec, *sunt*; sed omnes ferunt, *miro sibi modo connexa*.

(*a*) Conf. lib. de Fide et Symbolo, n. 13.

implicita. Cur ergo eodem volente Deo, qui fecit hoc animal, non poterit terrenum corpus in cœleste corpus attolli, si animus omni, ac per hoc etiam cœlesti corpore præstabilior [1], terreno corpori potuit illigari? An terrena particula tam exigua potuit aliquid cœlesti corpore melius apud se tenere, ut sensum haberet et vitam, et eam sentientem atque viventem dedignabitur cœlum suscipere, aut susceptam non poterit sustinere, cum de re sentiat et vivat ista meliore, quam est corpus omne cœleste? Sed ideo nunc non fit, quia nondum est tempus quo id fieri voluit, qui hoc quod videndo jam viluit, multo mirabilius quam illud quod ab istis non creditur, fecit. Cur enim non vehementius admiramur incorporeos animos cœlesti corpore potiores, terrenis illigari corporibus, quam corpora, licet terrena, sedibus quamvis cœlestibus tamen, corporeis sublimari, nisi quia hoc videre consuevimus, et hoc sumus, illud vero nondum sumus, nec aliquando adhuc vidimus? Nam profecto sobria ratione consulta mirabilioris esse divini operis reperitur, incorporalibus corporalia quodammodo attexere, quam licet diversa, quia illa cœlestia, ista terrestria, tamen corpora et corpora copulare (*a*).

CAPUT V. — *De resurrectione carnis, quam quidam mundo credente non credunt.*

Sed hoc incredibile fuerit aliquando: ecce jam credidit mundus sublatum terrenum Christi corpus in cœlum; resurrectionem carnis et ascensionem in supernas sedes, paucissimis remanentibus atque stupentibus, vel doctis, vel indoctis, jam crediderunt et docti et indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant quam sint stolidi, qui non credunt: si autem res incredibilis credita est, etiam hoc utique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est. Hæc igitur duo incredibilia, resurrectionem scilicet nostri corporis in æternum, et rem tam incredibilem mundum esse crediturum, idem Deus, antequam vel unum horum fieret, ambo futura esse prædixit (*Matth.* XXVI, 13). Unum duorum incredibilium jam factum videmus, ut quod erat incredibile, crederet mundus: cur id quod reliquum est desperatur, ut etiam hoc veniat, quod incredibile credidit mundus, sicut jam venit, quod similiter incredibile fuit, ut rem tam incredibilem crederet mundus, quandoquidem hoc utrumque incredibile, quorum videmus unum, alterum credimus, in eisdem Litteris prædictum sit, per quas credidit mundus? Et ipse modus quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores etiam ipsos philosophos cepit. Duobus illis incredibilibus, si placet, imo quia placere debet, addamus hoc tertium. Jam ergo tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est Christum resurrexisse in carne, et in cœlum ascendisse cum carne: incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est homines ignobiles, infimos [1], paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere; secundum coguntur et cernere; quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi, et in cœlum cum carne in qua resurrexit ascensio, toto jam mundo prædicatur et creditur: si credibilis non est, unde toto terrarum orbe jam credita est? Si multi nobiles, sublimes, docti eam se vidisse dixerunt, et quod viderunt, diffamare curarunt, eis mundum credidisse non mirum est; sed istos adhuc credere nolle perdurum est: si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scribentibus credidit mundus: cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo jam credenti adhuc usque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius divinitas se ipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse, et cum illa in cœlum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, sed etiam mirifica facientibus signa credebant. Homines quippe, quos unius, vel ut multum, duarum linguarum fuisse noverant, repente linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant (*Act.* II). Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Christi nomine post quadraginta annos incolumem constitisse; sudaria de corporibus eorum ablata sanandis profuisse languentibus; in via qua fuerant transituri positos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes, ut ambulantium super eos umbra transiret, continuo salutem solere recipere; et alia multa stupenda in Christi nomine per eos facta [2], postremo etiam mortuos resurrexisse cernebant (*ibid.* III, IV). Quæ si, ut leguntur, gesta esse concedunt, ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus; et ut credatur unum incredibile, quod de carnis resurrectione atque in cœlum ascensione dicitur, multorum incredibilium testimonia tanta congerimus, et nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non

[1] Vind. Am. et Er., [illegible]

(*a*) [illegible] 137, n. 11, [illegible]

[1] Nonnulli Mss. cum Vind. Am. Er., *infirmos*: et infra Lov. [illegible], *[illegible]*

[2] Sic Mss. At Vind. Am. et Er., *facta sunt signa*. Lov., *facta signa*, omisso, *sunt*.

credunt; hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.

CAPUT VI. — *Quod Roma conditorem suum Romulum diligendo deum fecerit; Ecclesia autem Christum Deum*[1] *credendo dilexerit.*

1. Recolamus etiam hoc loco illud quod de Romuli credita divinitate Tullius admiratur. Verba ejus ut scripta sunt, inseram: *Magis est*, inquit, *in Romulo admirandum, quod cæteri qui dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum sæculis fuerunt, ut fingendi proclivior*[2] *esset ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minus his sexcentis annis* (a) *jam inveteratis litteris atque doctrinis, omnique*[3] *illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato fuisse cernimus.* Et paulo post de eodem Romulo ita loquitur, quod ad hunc pertinet sensum: *Ex quo intelligi potest*, inquit, *permultis annis ante Homerum fuisse, quam Romulum, ut jam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quidquam esset loci. Antiquitas enim recepit*[4] *fabulas, fictas etiam nonnunquam incondite: hæc ætas autem jam exculta præsertim eludens omne quod fieri non potest respuit* (*De Republica, libro* 2, *cap.* 10 *hinc suppleto*). Unus e numero doctissimorum hominum, idemque eloquentissimus omnium M. Tullius Cicero, propterea dicit divinitatem Romuli mirabiliter creditam, quod erudita jam tempora fuerunt, quæ falsitatem non reciperent fabularum. Quis autem Romulum deum nisi Roma credidit, atque id parva et incipiens? Tum deinde posteris servare fuerat necesse quod acceperant a majoribus, ut cum ista superstitione in lacte quodammodo matris ebibita cresceret civitas, atque ad tam magnum perveniret imperium, ut ex ejus fastigio velut ex altiore quodam loco alias quoque gentes, quibus dominaretur, hac sua opinione perfunderet; ut non quidem crederent, sed tamen dicerent deum Romulum, ne civitatem, cui serviebant, de conditore ejus offenderent, aliter eum nominando quam Roma; quæ id non amore quidem hujus erroris, sed tamen amoris errore crediderat. Christus autem quanquam sit cœlestis et sempiternæ conditor civitatis, non tamen eum, quoniam ab illo condita est, Deum credidit: sed ideo potius est condenda, quia credidit. Roma conditorem suum jam constructa et dedicata tanquam deum coluit in templo: hæc autem Jerusalem conditorem suum Deum Christum, ut construi posset et dedicari, posuit in fidei fundamento. Illa illum amando esse deum credidit, ista istum Deum esse credendo amavit. Sicut ergo præcessit unde amaret illa, et de amato jam libenter etiam falsum bonum crederet, ita præcessit unde ista crederet, ut recta fide, non temere quod falsum, sed quod verum erat amaret. Exceptis enim tot et tantis miraculis, quæ persuaserunt Deum esse Christum, prophetiæ quoque divinæ fide dignissimæ præcesserunt, quæ in illo, non sicut a patribus adhuc creduntur implendæ, sed jam demonstrantur impletæ. De Romulo autem quia condidit Romam, in eaque regnavit, auditur, legiturve quod factum est, non quod ante fuerat[1] prophetatum; sed quod sit receptus in deos, creditum tenent litteræ, non factum docent. Nullis quippe rerum mirabilium signis id ei vere provenisse monstratur. Lupa quippe illa nutrix[2], quod videtur quasi magnum exstitisse portentum, quale aut quantum est ad demonstrandum deum? Certe enim etsi non meretrix lupa fuit illa, sed bestia (a), cum commune fuerit ambobus, frater tamen ejus non habetur deus. Quis autem prohibitus est, aut Romulum, aut Herculem, aut alios tales homines deos dicere, et mori maluit, quam non dicere? Aut vero aliqua gentium coleret inter deos suos Romulum, nisi Romani nominis metus cogeret? Quis porro numeret, quam multi quantalibet sævitia crudelitatis occidi, quam Christum Deum negare maluerunt? Proinde metus quamlibet levis indignationis, quæ ab animis Romanorum, si non fieret, posse putabatur existere, compellebat aliquas civitates positas sub jure Romano tanquam deum colere Romulum: a Christo autem Deo non solum colendo, verum etiam confitendo, tantam per orbem terræ martyrum multitudinem metus revocare non potuit, non levis offensionis animorum, sed immensarum variarumque pœnarum[3], et ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur. Neque tunc civitas Christi, quamvis adhuc peregrinaretur in terris, et haberet tamen magnorum agmina populorum, adversus impios persecutores suos pro temporali salute pugnavit; sed potius ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, et multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro Salvatore contemnere.

2. Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de Republica, disputari, nullum bellum suscipi a civitate optima, nisi aut pro fide, aut pro salute. Quid autem dicat pro salute, vel intelligi quam salutem velit, alio loco demonstrans, *Sed his pœnis*, inquit, *quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exsilio, vinculis, verberi-*

[1] In argumento hujus capitis sexti meliores manuscripti habent, *Ecclesia autem Christum Deum credendo dilexerit*; quod Patres Benedictini in textum recipi jusserunt. [*Ecclesia autem Christum Dominum credendo dilexerit.*]

[2] In Mss., *proclivis*.

[3] In Mss., *omniumque*.

[4] Nostri codices 255 et 258, *recipit*. M.

(a) Hoc non de se suisve temporibus Cicero, qui anno ab Urbe condita circiter septingentesimo scribebat; sed de Scipione Africano minore et Lælio dixit, quos disserentes in illis de Republica libris inducebat ex dictis supra, lib. 2, cap. 21. Porro Scipio floruisse fertur a sexcentesimo ad sexcentesimum vigesimum annum Urbis conditæ, Lælius autem anno sexcentesimo septimo consulatum gessisse trahitur.

[1] Ex veteribus libris alii habent, *antequam fieret*; alii, *ante fieret*.

[2] Hic editi addunt, *fratrum duorum*. Et post tres versus, ad verba, *cum commune fuerit ambobus*, habent, *cum fratribus portentum commune fuerit ambobus*.

[3] Editi Vind. Am. et Er. nulla veterum codicum auctoritate, *metus ullus aut error revocare non potuit, blanditiæ nullæ, promissio nulla demovit, sed nec facultatum violenta subtractio, nec acerbitas universarum variarumque pœnarum*.

(a) Vide supra, lib. 18, cap. 21.

bus, elabuntur sæpe privati, oblata mortis celeritate. Civitatibus autem mors ipsa pœna est, quæ videtur a pœna singulos vindicare. Debet enim constituta sic esse civitas, ut æterna sit. Itaque nullus interitus est reipublicæ naturalis, ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persæpe. Civitas autem cum tollitur, deletur, exstinguitur: simile est quodammodo (ut parva magnis conferamus) ac si omnis hic mundus intereat et concidat. Hoc ideo dixit Cicero, quia mundum non interiturum cum Platonicis sentit. Constat ergo eum pro ea salute bellum voluisse suscipi a civitate, qua fit ut maneat hic civitas, sicut dicit, æterna, quamvis morientibus et nascentibus singulis; sicut perennis est opacitas oleæ vel lauri, atque hujusmodi cæterarum arborum, singulorum lapsu ortuque foliorum. Mors, quippe, ut dicit, non hominum singulorum sed universæ pœna est civitatis, quæ a pœna plerumque singulos vindicat. Unde merito quæritur, utrum recte fecerint Saguntini, quando universam suam civitatem interire maluerunt, quam fidem frangere, qua cum ipsa Romana republica tenebantur: in quo suo facta laudantur ab hominibus [1] terrenæ reipublicæ civibus (*a*). Sed quomodo huic disputationi possent obedire, non video, ubi dicitur nullum suscipiendum esse bellum, nisi aut pro fide, aut pro salute: nec dicitur, si in unum simul periculum ita duo ista concurrerint, ut teneri alterum sine alterius amissione non possit, quid sit potius eligendum. Profecto enim Saguntini si salutem eligerent, fides eis fuerat deserenda: si fides tenenda, amittenda utique salus, sicut et factum est. Salus autem civitatis Dei talis est, ut cum fide ac per fidem teneri, vel potius acquiri possit; fide autem perdita, ad eam quisque venire non possit. Quæ cogitatio firmissimi ac patientissimi cordis, tot ac tantos martyres fecit, qualem ne unum quidem habuit, vel habere potuit, quando est deus creditus Romulus.

CAPUT VII. — *Quod ut mundus in Christum crederet, virtutis fuerit divinæ, non persuasionis humanæ.*

Sed valde ridiculum est, de Romuli falsa divinitate, cum de Christo loquimur, facere mentionem. Verumtamen cum sexcentis ferme annis ante Ciceronem (*b*) Romulus fuerit, atque illa ætas jam fuisse doctrinis dicatur exculta, ut quod fieri non potest, omne [2] respueret: quanto magis post sexcentos annos ipsius tempore Ciceronis, maximeque postea sub Augusto atque Tiberio, eruditioribus utique temporibus, resurrectionem carnis Christi atque in cœlum ascensionem, tanquam id quod fieri non potest, mens humana ferre non posset, eludensque ab auribus cordibusque respueret, nisi eam fieri potuisse, atque factam esse divinitas ipsius veritatis, vel divinitatis veritas, et contestantia miraculorum signa monstrarent; ut terrentibus et contradicentibus tam multis tamque magnis persecutionibus, præcedens in Christo, deinde ad novum sæculum in cæteris secutura resurrectio atque immortalitas carnis et fidelissime crederetur, et prædicaretur intrepide, et per orbem terræ pullulatura fecundius cum martyrum sanguine sereretur. Legebantur enim præconia præcedentia [1] Prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, et persuadebatur veritas nova consuetudini, non contraria rationi, donec orbis terræ qui persequebatur furore, sequeretur fide [2].

CAPUT VIII. — *De miraculis quæ ut mundus in Christum crederet facta sunt, et fieri mundo credente non desinunt.*

1. Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Verum hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuisse credantur. Unde ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in cœlum cum carne sublatus? unde temporibus eruditis, et omne quod fieri non potest respuentibus, sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An forte credibilia fuisse, et ideo credita esse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Brevis est igitur nostra complexio: Aut incredibilis rei [3], quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant et videbantur, fecerunt fidem; aut certe res ita credibilis, ut nullis quibus persuaderetur miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi uni grandi salubrique miraculo, quo Christus in cœlum cum carne in qua resurrexit, ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis Libris cuncta conscripta sunt, et quæ facta sunt, et propter quod credendum facta sunt. Hæc, ut fidem facerent, innotuerunt; hæc per fidem, quam fecerunt, multo clarius innotescunt. Leguntur quippe in populis, ut credantur; nec in populis tamen nisi credita legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, sive per sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias sanctorum ejus; sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum Litterarum, quem definitum [4] esse oportebat, illa facit ubique recitari, et memoriæ cunctorum inhærere populorum: hæc autem ubicumque fiunt, ibi sciuntur vix a tota ipsa civitate vel quocumque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit civitas; et quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur,

[1] Vind. Am. Er. et prope omnes manuscripti, *ab omnibus*.
[2] Editi, *omne eludens*. Abest, *eludens*, a manuscriptis.
(*a*) Vide supra, lib. 3, cap. 20.
(*b*) Ludovicus Vives legendum putat, *ante Scipionem*, nempe Æmilianum, qui inducitur disserens in libris de Republica. Lovanienses ejus conjecturam secuti locum emendare tentant, sed repugnantibus editis aliis et omnibus manuscriptis.

[1] Vind. Am. Er. et plures Mss., *præcedentium*.
[2] Ita veteres libri. Editi autem, *prosequeretur fide*.
[3] Sic Mss. At editi, *incredibili rei*.
[4] Editi, veteribus libris dissentientes, *diffamatum*.

quamvis Christianis fidelibus a fidelibus indicentur.

2. Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia et grandis est civitas, et ibi erat tunc Imperator, et immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii et Gervasii : quæ cum laterent, et penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt ; ubi cæcus ille depulsis veteribus tenebris diem vidit (*a*).

3. Apud Carthaginem autem quis novit, præter admodum paucissimos, salutem, quæ facta est Innocentio ex advocato vicariæ præfecturæ, ubi nos interfuimus, et oculis aspeximus nostris? Venientes enim de transmarinis, me et fratrem meum Alypium (*b*), nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes, ut erat cum tota domo sua religiosissimus, ipse susceperat, et apud eum tunc habitabamus. Curabatur a medicis : fistulas [1], quas numerosas atque perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte, jam secuerant ei, et artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa et diuturnos et acerbos dolores. Sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique sanatis omnibus quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multumque formidans ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi, ut saltem videret, cum primum sectus est, quomodo id facerent, iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat, erupit, atque ait : Iterum me secturi estis? Ad illius, quem noluistis esse præsentem, verba venturus sum? Irridere illi medicum imperitum, metumque hominis bonis verbis promissionibusque lenire. Præterierunt et alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat. Medici tamen in sua pollicitatione persistebant, non se illum sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros. Adhibuerunt et alium grandævum jam medicum, satisque in illa arte laudatum (adhuc enim vivebat) Ammonium [2], qui loco inspecto, idem quod illi ex eorum diligentia peritiaque promisit. Cujus ille factus auctoritate securus, domestico suo medico, qui futuram prædixerat aliam sectionem faceta hilaritate, velut jam salvus, illusit. Quid plura? Tot dies postea inaniter consumpti transierunt, ut fessi atque confusi faterentur eum nisi ferro nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus : atque ubi se collegit, farique potuit, abire illos jussit, et ad se amplius non accedere, nec aliud occurrit fatigato lacrymis et illa jam necessitate constricto, nisi ut adhiberet Alexandrinum quemdam, qui tunc chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse faceret quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed posteaquam venit ille, laboremque illorum in cicatricibus sicut artifex vidit, boni viri functus officio, persuasit homini ut illi potius qui in eo tantum laboraverant, quantum ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur, adjiciens quod revera nisi sectus esset, salvus esse non posset ; sed valde abhorrere a suis moribus, ut hominibus quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remansit, palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo ejus, et placuit ut eodem Alexandrino assistente ipsi sinum illum ferro, qui jam consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in consequentem diem. Sed cum abiissent illi, ex mœrore nimio domini tantus est in domo illa exortus dolor, ut tanquam funeris planctus vix comprimeretur a nobis. Visitabant eum quotidie sancti viri, episcopus tunc Uzalensis (*a*), beatæ memoriæ Saturninus, et presbyter Gelosus [1], ac diaconi Carthaginensis Ecclesiæ : in quibus erat, et ex quibus solus est nunc in rebus humanis, jam episcopus cum honore a nobis debito nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei [2], de hac re sæpe collocuti sumus, cumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus. Qui cum eum, sicut solebant, vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus lacrymis, ut mane dignarentur esse præsentes suo funeri potius quam dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaserat pœnis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi, et hortati ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus : ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille se ita projecit, tanquam fuisset aliquo graviter impellente prostratus, et cœpit orare : quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra ejus et pene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsus orare non poteram : hoc tantummodo breviter in corde meo dixi, Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut exspiraret orando. Surreximus, et accepta ab Episcopo benedictione discessimus ; rogante illo ut mane adessent, illis ut æquo animo esset hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant servi Dei, sicut se adfuturos esse promiserant : ingressi sunt medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisque omnibus. Eis autem quorum erat major auctoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus

[1] Editi, *Curabatur a medicis propter fistulas :* et infra, *jam secuerant eum.* At manuscripti omnes omittunt, *propter* ; et ex iis quidam habent, *jam secuerant ei ;* alii longe plures, *eum.*

[2] Editi, *Ammonium dico, qui*, etc. At Mss. non habent, *dico.*

(*a*) Conf. lib. 9, Confess., cap. 7, n. 16 ; Serm. 318, n. 1 ; lib. 1 Retract., cap. 13, n. 7, et alibi.

(*b*) Alypius, S. Augustini amicus, Tagaste oriundus, de quo in Confessionibus, lib. 6, capp. 10 et 12 ; lib. 8, cap. 12, et passim in Epistolis. LARCHER.

[1] Plerique Mss., *Gulosus.*

[2] Plerique Mss., *mirabilia operum Dei.*

(*a*) Infra, n. 21.

secturi membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, et secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisque contrectat; tentat denique modis omnibus: invenit firmissimam cicatricem. Jam illa lætitia et laus atque gratiarum actio misericordi et omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium lacrymantibus gaudiis, non est committenda meis verbis: cogitetur potius, quam dicatur.

3. In eadem Carthagine Innocentia, religiosissima femina, de primariis ipsius civitatis, in mamilla cancrum habebat: rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem (a). Aut ergo præcidi solet, et a corpore separari membrum ubi nascitur: aut, ut aliquanto homo diutius vivat, tamen inde morte quamlibet tardius affutura, secundum Hippocratis, ut ferunt, sententiam [1] (*Aphorism. sect.* 6, *aph.* 38) omnis est omittenda curatio. Hoc illa a perito medico et suæ domui familiarissimo acceperat, et ad solum Deum se orando converterat. Admonetur in somnis appropinquante Pascha, ut in parte feminarum observanti ad baptisterium (b), quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo Christi [2]: fecit, et confestim sanitas consecuta est. Medicus sane qui ei dixerat, ut nihil curationis adhiberet, si paulo diutius vellet vivere, cum inspexisset eam postea, et sanissimam comperisset, quam prius habere illud malum tali inspectione cognoverat, quæsivit ab ea vehementer quid adhibuisset [3]; cupiens, quantum intelligi datur, nosse medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cumque ab ea quid factum esset audisset, voce velut contemnentis et vultu, ita ut illa metueret ne aliquod contumeliosum verbum proferret in Christum, religiosa urbanitate respondisse fertur: Putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuisse dicturam. Atque illa jam exhorrescente, mox addidit: Quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitavit (*Joan.* XI)? Hoc ego cum audissem, et vehementer stomacharer, in illa civitate atque in illa persona, non utique obscura, factum tam ingens miraculum sic latere, hinc eam et admonendam et pene objurgandam putavi. Quæ cum mihi respondisset non se inde tacuisse, quæsivi ab eis, quas forte tunc matronas amicissimas secum habebat, utrum hoc antea scissent. Responderunt se omnino nescisse. Ecce, inquam, quomodo non taces, ut nec istæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate junguntur. Et quia breviter ab ea quæsiveram, feci ut illis audientibus multumque mirantibus et glorificantibus Deum, totum ex ordine, quemadmodum gestum fuerit, indicaret.

4. Medicum [1] quemdam podagrum in eadem urbe, qui cum dedisset nomen ad Baptismum, et pridie quam baptizaretur, in somnis a pueris nigris cirratis [2], quos intelligebat dæmones, baptizari eodem anno prohibitus fuisset, eisque non obtemperans, etiam conculcantibus pedes ejus in dolorem acerrimum, qualem nunquam expertus est, isset [3], magisque eos vincens lavacro regenerationis, ut voverat, ablui non distulisset, in Baptismate ipso non solum dolore, quo ultra solitum cruciabatur, verum etiam podagra caruisse, nec amplius, cum diu postea vixisset, pedes doluisse quis novit? Nos tamen novimus, et paucissimi fratres ad quos id potuit pervenire.

5. Ex mimo [4] quidam Curubitanus, non solum a paralysi, verum etiam ab informi pondere genitalium, cum baptizaretur, salvus effectus est; et liberatus utraque molestia, tanquam mali nihil habuisset in corpore, de fonte regenerationis ascendit. Quis hoc præter Curubim novit, et præter rarissimos aliquos qui hoc ubicumque audire potuerunt? Nos autem cum hoc comperissemus, jubente sancto episcopo Aurelio, etiam ut veniret Carthaginem fecimus: quamvis a talibus prius audierimus, de quorum fide dubitare non possemus.

6. Vir tribunitius Hesperius apud [5] nos est; habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi [6] appellatum: ubi cum afflictione animalium et servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Jerosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus ejus ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat; quam diutius in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Forte accidit, ut ego et collega tunc meus episcopus Sinitensis [7] ecclesiæ

[1] Ita manuscripti. At editi Vind. Am. Er., est, ut diligentia homo quis vivat, [illegible]

[2] Vind. Am. et Er., *signo crucis Christi*.

[3] Editi, *quid adhibuisset curationis*. Abest, *curationis*, a [illegible] Mss.

(a) [illegible] lib. 2, cap. 10 [illegible].

(b) [illegible]

[1] Vind. Am. Er. et quinque Mss. præbent, *Mendicum*.

[2] Vind. Am. Er., *candidis*. At Lov. et manuscripti, *cirratis*, id est, [illegible] crines interpretatur Nonius. [illegible] lib. 6, cap. 30.

[illegible] *magistri*.

[3] Vind. Am. et plerique Mss., *æstuasset*.

[4] [illegible] superiori- [illegible]

[5] Editi, [illegible] Mss. [illegible]

[6] Lov., [illegible] quatuor Mss. [illegible]; cæteri, *Zubedi appellatum*.

[7] Apud Am. Er. et Lov., [illegible] Vind., *Synistensis*. At Mss., [illegible]. Vide Epist. [illegible] 25, cum nota quæ de hoc verbo [illegible]

Maximinus, in proximo essemus, ut veniremus rogavit, et venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur aliquid, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt congregari. Non restitimus: factum est. Erat ibi juvenis paralyticus rusticanus: hoc audito petivit a parentibus suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus, oravit, atque inde continuo pedibus suis salvus abscessit.

7. Victoriana dicitur villa, ab Hippone-Regio minus triginta millibus abest. Memoria martyrum ibi est Mediolanensium Protasii et Gervasii. Portatus est eo quidam adolescens, qui cum die medio tempore æstatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cum jaceret vel morti proximus, vel simillimus mortuo, ad vespertinos illuc hymnos et orationes cum ancillis suis et quibusdam sanctimonialibus ex more domina possessionis intravit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quasi percussus, excussus est: et cum terribili fremitu altare apprehensum movere non audens sive non valens, tanquam eo fuerit alligatus, aut affixus, tenebat: et cum grandi ejulatu parci sibi rogans, confitebatur ubi adolescentem, et quando, et quomodo invaserit. Postremo se exiturum esse denuntians, membra ejus singula nominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc verba discessit ab homine. Sed oculus ejus in maxillam fusus, tenui venula ab interiore quasi radice pendebat, totumque ejus medium, quod nigellum fuerat, albicaverat. Quo viso qui aderant (concurrerant autem etiam alii vocibus ejus acciti, et se omnes in orationem pro illo straverant), quamvis eum sana mente stare gauderent, rursus tamen propter oculum ejus contristati, medicum quærendum esse dicebant. Ibi maritus sororis ejus, qui eum illo detulerat, Potens est, inquit Deus, sanctorum orationibus, qui fugavit dæmonem, lumen reddere. Tunc, sicut potuit, oculum lapsum atque pendentem, loco suo revocatum ligavit orario (*a*): nec nisi post septem dies putavit esse solvendum. Quod cum fecisset, sanissimum invenit (*b*). Sanati sunt illic et alii, de quibus dicere longum est.

8. Hipponensem quamdam virginem scio, cum se oleo perunxisset, cui pro illa orans presbyter instillaverat lacrymas suas, mox a dæmonio fuisse sanatam. Scio etiam episcopum semel pro adolescente, quem non vidit, orasse, illumque illico dæmone caruisse.

9. Erat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus et pauper; sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, et unde sibi emeret non habebat: ad Viginti Martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima (*c*), clara voce, ut vestiretur, oravit. Audierunt eum adolescentes, qui forte aderant, irrisores, eumque discedentem exagitantes prosequebantur, quasi [1] a Martyribus quinquagenos folles (*a*), unde vestimentum emeret, petivisset. At ille tacitus ambulans, ejectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, eumque illis faventibus atque adjuvantibus apprehendit, et cuidam coquo Catoso [2] nomine, bene christiano, ad coquinam condititiam, indicans quid gestum sit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde disponens, ut uxor ejus quomodo posset, ei quo indueretur, efficeret. Sed coquus concidens piscem, annulum aureum in ventriculo ejus invenit, moxque miseratione flexus, et religione perterritus, homini eum reddidit, dicens, Ecce quomodo Viginti Martyres te vestierunt.

10. Ad Aquas Tibilitanas (*b*) episcopo afferente Præjecto [3] reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus et occursus. Ibi cæca mulier, ut ad episcopum portantem duceretur [4], oravit: flores quos ferebat dedit; recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exsultans, viam carpens, et viæ ducem ulterius non requirens.

11. Memorati memoriam martyris, quæ posita est in castello Sinitensi, quod Hipponensi coloniæ vicinum est, ejusdem loci Lucillus episcopus, populo præcedente atque sequente portabat. Fistula, cujus molestia jam diu laboraverat, et familiarissimi sui medici, qui eam secaret [5], opperiebatur manus, illius piæ sarcinæ vectatione repente sanata est: nam deinceps eam in suo corpore non invenit.

12. Eucharius est [6] presbyter ex Hispania, Calamæ [7] habitat (*c*), veteri morbo calculi laborabat; per memoriam supradicti martyris, quam Possidius illo advexit episcopus (*d*), salvus factus est. Idem ipse postea morbo alio prævalescente, mortuus sic jacebat, ut ei jam pollices ligarentur: opitulatione memorati martyris, cum de memoria ejus reportata fuisset et super jacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica, suscitatus est.

13. Fuit ibi vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, ævo jam gravis, et multum a religione abhorrens christiana. Habebat sane fidelem filiam, et

(*a*) Orarium hoc loco sudarium est, sive linteum tergendo ori paratum. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum: « Plenum dedecoris est referto marsupio, quod sudarium « orariumque non habeas gloriari. »

(*b*) Simillimam historiam de [illegible] habes apud Evagrium, Historiæ ecclesiasticæ libro 4, cap. 7, Coqueus.

(*c*) Confer sermonem 325, in eorum natali habitum.

[1] Vind. Am. Er. et aliquot manuscripti, *quasi qui.*

[2] Sic Mss. At Editi Vind. Am., *Catoso.* Er. et Lov., *Carchoso.*

[3] Editi Vind. Er. et Lov., *Projecto.* Veteres libri, *Præjecto.*

[4] Editi, *portantem pignora sacra duceretur.* Absunt, *pignora sacra*, a Mss.

[5] Mss., *qui eum secaret.* Paulo post, ante, *repente sanata est*, addunt Vind. [illegible] quod non est in Lov. nec in manuscriptis.

[6] Sic veteres libri. At [illegible] et hic, *habitat*, [illegible].

[7] Vind. Am. Er. et Mss., [illegible].

(*a*) [illegible] sirmondianos [illegible] folles in lib. [illegible] lib. 1 [illegible] cap. 11, in hujus tomi Appendice.

(*b*) [illegible] meminit Epist. 112.

(*c*) De Calama vid. not. supra ad lib. 14, cap. 24, n. 2.

(*d*) Infra, n. 20.

generum eodem anno baptizatum. Qui cum eum ægrotantem multis et magnis lacrymis [1] rogarent, ut christianus fieret, prorsus abnuit, eosque a se turbida indignatione submovit. Visum est genero ejus, ut iret ad memoriam sancti Stephani, et illic pro eo quantum posset oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu et fletu, et sinceriter ardente pietatis affectu: deinde abscedens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit; eique, cum jam nox esset, ad caput posuit: tum dormitum est. Et ecce ante diluculum clamat, ut ad episcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cum ergo audisset eum absentem, venire presbyteros postulavit. Venerunt, credere se dixit, admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hoc [2], quamdiu vixit, in ore habebat: Christe, accipe spiritum meum: cum hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est a Judæis, ultima fuisse (*Act.* VII, 58) nesciret; quæ huic quoque ultima fuerunt: nam non multo post etiam ipse defunctus est.

14. Sanati sunt illic per eumdem martyrem etiam podagri duo, unus civis, peregrinus unus; sed civis [3] omni modo: peregrinus autem per revelationem quid adhiberet quando doleret, audivit; et cum hoc fecerit, dolor continuo conquiescit.

15. Audurus nomen est fundi, ubi ecclesia est, et in ea memoria Stephani martyris. Puerum quemdam parvulum, cum in area luderet, exorbitantes boves qui vehiculum trahebant, rota obtriverunt, et confestim palpitavit exspirans. Hunc mater arreptum ad eamdem memoriam posuit; et non solum revixit, verum etiam illæsus apparuit.

16. Sanctimonialis quædam in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eamdem memoriam tunica ejus allata est: quæ antequam revocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadaver ejus parentes, et recepto spiritu salva facta est.

17. Apud Hipponem Bassus quidam Syrus ad memoriam ejusdem martyris orabat pro ægrotante et periclitante filia, eoque secum vestem ejus attulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent. Sed cum, orante illo, ab amicis ejus exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum redisset jam suorum ejulatibus personantem, et vestem filiæ quam ferebat, super eam projecisset, reddita est vitæ.

18. Rursus ibidem apud nos Irenæi, cujusdam collectarii filius, ægritudine exstinctus est. Cumque corpus jaceret exanime, atque a lugentibus et lamentantibus exsequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, ut ejusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, et revixit.

[1] Editi, *et magnis precibus et lacrymis.* At manuscripti carent, *precibus et.*

[2] Sola editio Lov., *Hic.*

[3] Vind. Am. Fr., *tres podagrici, duo cives, peregrinus unus. sed cives*, etc.

19. Itemque apud nos vir tribunitius Eleusinus [1] super memoriam Martyris [2], quæ in suburbano ejus est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium: et post orationem, quam cum multis lacrymis ibi fudit, viventem levavit.

20. Quid faciam? Urget hujus operis implendi [3] promissio, ut non hic possim omnia commemorare quæ scio: et procul dubio plerique nostrorum, cum hæc legent, dolebunt me tam multa prætermisisse, quæ utique mecum sciunt. Quos jam nunc, ut ignoscant, rogo; et cogitent quam prolixi laboris sit facere, quod me hic non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi, et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari; et ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum est autem biennium, ex quo apud Hipponem Regium cœpit esse ista memoria (*a*), et multis, quod nobis certissimum est, non datis libellis, de iis quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt ad septuaginta ferme numerum pervenerant, quando ista conscripsi. Calamæ vero, ubi et ipsa memoria prius esse cœpit, et crebrius dantur, incomparabili [4] multitudine superant.

21. Uzali etiam, quæ colonia Uticæ vicina est, multa præclara per eumdem Martyrem facta cognovimus: cujus ibi memoria longe prius quam apud nos, ab episcopo Evodio constituta est. Sed libellorum dandorum ibi consuetudo non est, vel potius non fuit: nam fortasse nunc esse jam cœpit. Cum enim nuper illic essemus, Petroniam, clarissimam feminam, quæ ibi mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adjutoria cuncta defecerant, languore sanata est, hortati sumus volente supradicto

[1] Nonnulli Mss., *Eleusinius.*

[2] Vind. Am. Fr. et plures manuscripti, *martyrum.*

[3] Vind. Am. Fr. et Mss., *implenda.*

[4] Sola editio Lov., *incredibili.*

(*a*) Hinc vero intelligimus scriptum huncce librum sub finem anni 426, aut non multo serius. Nam exstabat jam Hippone ista Stephani martyris memoria, cum illud ibi contigit, quod mox referendum est, in Pauli et Palladiæ curatione miraculum. Ea autem curatio pertinet ad annum 425, quod quidem hac ratione deprehenditur. In libello suo, qui Sermone Augustini 322 continetur, testatur Paulus se ac sororem Palladiam « visione kalendarum januariarum die « admonitos » divinitus fuisse, ut Hipponem irent, ibique fore ut sanitatem « intra tertium mensem » reciperent, id est, intra mensem martium. Paulus porro sanitatem ipso die dominico Paschæ, soror vero ipsius ex dominico Paschæ die tertio recuperasse hic narratur. Atqui Pascha ab anno 415, quo reliquiæ Stephani martyris in Palestina detectæ sunt, usque ad 427, quo Vandali Africam occuparunt, non incidit in mensem martium nisi forte anno 425, quo festum Paschæ dicit Bucherius a Latinis nonnullis die 22 martii celebratum: tametsi ex litteræ Dominicalis observatione occurrere debuisset die 19 aprilis, sicuti ad prædictum sermonem 322 notavimus. De Stephani martyris revelatione et de ipsius miraculis scripta Aviti, Luciani Severi et Evodii nomine vulgata exhibentur in septimi hujus tomi Appendice.

loci episcopo, ut libellum daret, qui recitaretur in populo; et obedientissime paruit (*a*). In quo posuit etiam, quod hic reticere non possum, quamvis ad ea quæ hoc opus urgent, festinare compellar. A quodam Judæo dixit sibi fuisse persuasum, ut annulum capillatio cingulo [1] insereret, quod sub omni veste ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inventum bovis. Hoc alligata quasi remedio ad sancti Martyris limina veniebat. Sed profecta a Carthagine, cum in confinio fluminis Bagradæ in sua possessione mansisset, surgens ut iter perageret, ante pedes suos illum jacentem annulum vidit, et capillatiam zonam qua fuerat alligatus, mirata tentavit. Quam cum omnino suis nodis firmissimis, sicut fuerat, comperisset adstrictam, crepuisse atque exsiluisse annulum suspicata est: qui etiam ipse cum integerrimus fuisset inventus, futuræ salutis quodammodo pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum (*b*) solvens, simul cum eodem annulo, projecit in flumen. Non credunt [2] hoc, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt: sed hoc certe quærant, et, si verum invenerint, illa credant. Clarissima femina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagini habitat: ampla civitas, ampla persona rem quærentes latere non sinit. Martyr certe ipse, quo impetrante illa sanata est, in Filium permanentis virginis credidit, in eum qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est, credidit: postremo, propter quod omnia ista dicuntur a nobis, in eum qui ascendit in cœlum cum carne, in qua resurrexerat, credidit; et ideo per eum tanta fiunt, quia pro ista fide animam posuit. Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente per quos vult, et quemadmodum vult, qui et illa quæ legimus fecit: sed ista nec similiter innotescunt, neque, ut non excidant [3] animo, quasi glarea memoriæ, crebra lectione tunduntur. Nam et ubi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cœpit, ut libelli eorum qui beneficia percipiunt, recitentur in populo, semel hoc audiunt qui adsunt, pluresque non adsunt, ut nec illi qui adfuerunt, post aliquot dies, quod audierunt, mente retineant, et vix quisquam [4] reperiatur illorum, qui ei quem non adfuisse cognoverit, indicet quod audivit.

22. Unum est apud nos factum, non majus quam illa quæ dixi, sed tam clarum atque illustre miraculum, ut nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui oblivisci ulla ratione potuerit. Decem quidam fratres (quorum septem sunt mares, tres feminæ) de Cæsarea Cappadociæ suorum civium non ignobiles, maledicto matris recenti, patris eorum obitu destitutæ, quæ injuriam sibi ab eis factam acerbissime tulit, tali pœna sunt divinitus coerciti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie oculos suorum civium non ferentes, quaquaversum cuique ire visum est, toto pene vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater et soror, Paulus et Palladia, multis aliis locis miseria diffamante jam cogniti. Venerunt autem ante Pascha ferme dies quindecim, ecclesiam quotidie, et in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant, orantes ut jam sibi placaretur Deus, et salutem pristinam redderet. Et illic, et quacumque [1] ibant, convertebant in se civitatis aspectum. Nonnulli qui eos alibi viderant, causamque tremoris eorum noverant, aliis, ut cuique poterant, indicabant. Venit et Pascha, atque ipso die dominico mane, cum jam frequens populus præsens esset, et loci sancti cancellos, ubi martyrium erat [2], idem juvenis orans teneret, repente prostratus est, et dormienti simillimus jacuit: non tamen tremens, sicut etiam per somnum [3] solebat. Stupentibus qui aderant, atque aliis paventibus, aliis dolentibus, cum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, et potius exitum exspectandum esse dixerunt. Et ecce surrexit, et non tremebat, quoniam sanatus erat, et stabat incolumis, intuens intuentes. Quis ergo se tenuit a laudibus Dei? Clamantium gratulantiumque vocibus ecclesia usquequaque completa est. Inde ad me curritur, ubi sedebam jam processurus: irruit alter quisque post alterum, omnis posterior quasi novum, quod alius prior dixerat, nuntiantes: meque gaudente et apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum, plena erat ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, Deo gratias! Deo laudes! nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Salutavi populum, et rursus eadem ferventiore voce clamabant. Facto tandem silentio, Scripturarum divinarum sunt lecta solemnia. Ubi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca pro tempore et pro illius jucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere divino quamdam Dei eloquentiam, non audire, sed considerare permisi. Nobiscum homo prandit, et diligenter nobis omnem suæ ac maternæ fraternæque calamitatis indicavit historiam. Sequenti itaque die, post sermonem redditum, narrationis ejus libellum in crastinum populo recitandum promisi (*Serm.* 321). Quod cum ex dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus (*Serm.* 322). Intuebatur populus universus sexus utriusque, unum stantem sine deformi motu, alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipsum non viderant, quid in eo divinæ misericordiæ [4] factum esset, in ejus sorore cernebant. Videbant enim quid in eo

[1] Vind. Am. Er. et Mss., *vinculo.*
[2] Aliquot Mss., *Non credant.* Et quidam, *Non credent.*
[3] Plures Mss., *excedant.*
[4] In Mss., *quisque.*
(*a*) Vid. Sermones 318-324, tom. 5, necnon librum de Miraculis S. Stephani, in hujus tomi 7 Appendice.
(*b*) Forte, *cingulum.*

[1] Vind. Am. Er. cum nonnullis manuscriptis, *quocumque.*
[2] Nonnulli Mss., *ubi Martyris Memoria erat.* Interpretatio est et glossema.
[3] Er. et Lov., *per somnium.* Emendantur ex aliis libris.
[4] Aliquot Mss., *quid in eo divina misericordia.*

gratulandum, quod pro illa esset orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi abire eos præcepi, et de tota ipsorum causa aliquanto diligentius cœpi disputare: cum ecce, me disputante, voces aliæ de memoria Martyris novæ gratulationis audiuntur. Conversi sunt qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim ubi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad sancta Martyris oratura perrexerat. Quæ mox ut cancellos attigit, collapsa similiter velut in somnum, sana surrexit. Dum ergo requireremus quid factum fuerit, unde iste strepitus lætus exstiterit, ingressi sunt cum illa in basilicam, ubi eramus, adducentes eam sanam de Martyris (a) loco. Tum vero tantus ab utroque sexu admirationis clamor exortus est, ut vox continuata cum lacrymis non videretur posse finiri (V. Z. Serm. [illegible]). Perducta est ad eum locum, ubi paulo ante steterat tremens. Exsultabant ergo similem fratri[1], cui doluerant remansisse dolentem; et nondum fusis precibus suis pro illa, jam tamen præviam voluntatem tam cito exauditam esse cernebant. Exsultabant in Dei laudem voce[2] sine verbis, tanto sonitu, quantum aures nostræ ferre vix possent. Quid erat in cordibus exsultantium, nisi fides Christi, pro qua[3] Stephani sanguis effusus est?

CAPUT IX. — *Quod omnia miracula, quæ per martyres in Christi nomine fiunt, ei fidei testimonium ferant, qua in Christum martyres crediderant.*

Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, et in cœlum ascendisse cum carne? Quia et ipsi martyres hujus fidei martyres, id est, hujus fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum et crudelissimum pertulerunt; eumque, non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur. Nam si carnis in æternum resurrectio vel non præcessit in Christo, vel non ventura est, sicut prænuntiatur a Christo, vel sicut prænuntiata est a Prophetis, a quibus prænuntiatus est Christus; cur et mortui[4] tanta possunt, qui pro ea fide, qua hæc resurrectio prædicatur, occisi sunt? Sive enim Deus ipse per se ipsum miro modo, quo res temporales operatur æternus, sive per suos ministros ista faciat; et eadem ipsa quæ per ministros facit, sive quædam faciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos; sive omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, et incorporaliter imperat, operetur, ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum et impetrantibus, non etiam operantibus fiant: sive alia isto, alia illo modo, qui nullo modo comprehendi a mortalibus possunt: ei tamen attestantur hæc fidei, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur.

CAPUT X. — *Quanto dignius honorentur martyres, qui ideo multa mira obtinent, ut Deus verus colatur, quam dæmones, qui ob hoc quædam faciunt, ut ipsi dii esse credantur.*

Hic forte dicturi sunt, etiam deos suos aliqua mira fecisse. Bene, si jam incipiunt deos suos nostris mortuis hominibus comparare. An dicent etiam se habere deos ex hominibus mortuis, sicut Herculem, sicut Romulum, sicut alios multos, quos in deorum numerum receptos opinantur? Sed nobis martyres non sunt dii: quia unum eumdemque Deum et nostrum scimus et martyrum. Nec tamen miraculis, quæ per Memorias nostrorum martyrum fiunt, ullo modo comparanda sunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum. Verum si qua similia videntur, sicut a Moyse magi Pharaonis (*Exod.* VII), sic eorum dii victi sunt a martyribus nostris. Fecerunt autem illa dæmones eo fastu impuræ superbiæ, quo eorum dii esse voluerunt: faciunt autem ista martyres, vel potius Deus aut orantibus aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credimus. Denique illi talibus diis suis et templa ædificaverunt, et statuerunt aras, et sacerdotes instituerunt, et sacrificia fecerunt: nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro[1]: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur; non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in Memoria sacrificet eorum: quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. Quibus igitur potius credendum est miracula facientibus? eisne qui se ipsos volunt haberi deos ab his quibus ea faciunt: an eis qui, ut in Deum credatur, quod et Christus est, faciunt quidquid mirabile faciunt? eisne qui sacra sua etiam crimina sua esse voluerunt; an eis qui nec laudes suas volunt esse sacra sua, sed totum quod veraciter laudantur, ad ejus gloriam proficere quo laudantur? In Domino quippe laudantur animæ eorum (*Psal.* XXXIII, 3). Credamus ergo eis et vera dicentibus, et mira facientibus. Dicendo enim vera, passi sunt, et possunt facere mira. In eis veris est præcipuum, quod Christus resurrexit a mortuis, et immortalitatem resurrectionis in sua carne primus ostendit, quam nobis adfuturam, vel in principio novi sæculi, vel in hujus fine promisit.

[1] Editi, [illegible]: quæ vox abest a manuscriptis.
[2] [illegible]
[3] [illegible]
[4] [illegible]
(a) Vide, [illegible]

[1] Hic editi addunt, *sacrificium immolamus*: quod abest a manuscriptis.

CAPUT XI. — *Contra Platonicos, qui de naturalibus elementorum ponderibus argumentantur terrenum corpus in cœlo esse non posse.*

1. Contra quod magnum Dei donum ratiocinatores isti, quorum cogitationes novit Dominus quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII, 11), de ponderibus elementorum argumentantur: quoniam scilicet magistro Platone didicerunt, mundi duo corpora maxima atque postrema duobus mediis, aere scilicet et aqua, esse copulata atque conjuncta. Ac per hoc, inquiunt, quoniam terra abhinc sursum versus est prima, secunda aqua super terram, tertius aer super aquam, quartum super aera cœlum; non potest esse terrenum corpus in cœlo. Momentis enim propriis, ut ordinem suum teneant, singula elementa librantur. Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas. Quid ergo faciunt in aere terrena tot corpora, cum a terra sit aer tertius? Nisi forte, qui per plumarum et pennarum levitatem donavit avium terrenis corporibus ut portentur in aere, immortalibus factis corporibus hominum non poterit donare virtutem, qua etiam in summo cœlo valeant habitare. Animalia quoque ipsa terrena, quæ volare non possunt, in quibus et homines sunt, sicut sub aqua pisces, quæ sunt aquarum animalia, ita sub terra vivere debuerunt. Cur ergo non saltem de secundo, id est, de aquis, sed de elemento tertio terrenum animal carpit hanc vitam? quare cum pertineat ad terram, in secundo, quod super terram est, elemento vivere si cogatur, continuo suffocatur, et ut vivat, vivit in tertio? an errat hic ordo elementorum, vel potius non in natura rerum, sed in istorum argumentationibus deficit? Omitto dicere, quod jam in tertio decimo libro dixi (*cap.* 18), quam multa gravia terrena sint corpora, sicut plumbum, et formam tamen ab artifice accipiant, qua natare valeant super aquam (*a*): et ut accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in cœlum, et esse possit in cœlo, omnipotenti Artifici contradicitur?

2. Jam vero contra illud quod dixi superius, etiam istum considerantes atque tractantes elementorum ordinem, quo confidunt, non inveniunt omnino quod dicant. Sic est enim hinc sursum versus terra prima, aqua secunda, tertius aer, quartum cœlum, ut super omnia sit animæ natura. Nam et Aristoteles quintum corpus eam dixit esse (*b*), et Plato nullum. Si quintum esset, certe superius esset cæteris: cum vero nullum est, multo magis superat omnia. In terreno ergo quid facit corpore? in hac mole quid agit subtilior omnibus? in hoc pondere quid agit levior omnibus? in hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itane per hujus tam excellentis naturæ meritum non poterit effici, ut corpus ejus levetur in cœlum, et cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquando et animæ levare sursum terrena corpora non valebunt?

3. Jam si ad eorum miracula veniamus, quæ facta a diis suis opponunt Martyribus nostris, nonne etiam ipsa pro nobis facere, et nobis reperientur omnino proficere? Nam inter magna miracula deorum suorum, profecto magnum illud est, quod Varro commemorat, Vestalem virginem, cum periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tiberi, et ad suos judices nulla ejus parte stillante portasse. Quis aquæ pondus supra cribrum tenuit? quis tot cavernis patentibus nihil inde in terram cadere permisit? Responsuri sunt, Aliquis deus, aut aliquis dæmon. Si deus, numquid major est Deo qui fecit hunc mundum? Si dæmon, numquid potentior est Angelo, qui Deo servit, a quo factus est mundus? Si ergo deus minor, vel angelus, vel dæmon potuit pondus humidi elementi sic suspendere, ut aquarum videretur mutata esse natura: itane Deus omnipotens, qui omnia ipse creavit elementa, terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans spiritus?

4. Deinde cum aera medium ponant inter ignem desuper et aquam subter, quid est quod cum inter aquam et aquam, et inter aquam et terram sæpe invenimus? Quid enim volunt esse aquosas nubes, inter quas et maria aer medius reperitur? Quonam, quæso, elementorum pondere atque ordine efficitur, ut torrentes violentissimi atque undosissimi, antequam sub aere in terris currant, super aera in nubibus pendeant? Cur denique aer est medius inter summa cœli, et nuda terrarum [1], quaquaversum orbis extenditur, si locus ejus inter cœlum et aquas, sicut aquarum inter ipsum et terras est constitutus?

5. Postremo si ita est elementorum ordo dispositus, ut secundum Platonem duobus mediis, id est aere et aqua, duo extrema, id est ignis et terra, jungantur, cœlique obtineat ille summi [2] locum, hæc autem imi, velut fundaminis mundi, et ideo in cœlo esse non potest terra; cur est ipse ignis in terra? Secundum hanc quippe rationem ita ista duo elementa in locis propriis, imo ac summo, terra et ignis esse debuerunt, ut quemadmodum nolunt in summo esse posse quod imi est, ita nec in imo posset esse quod summi est. Sicut ergo nullam putant vel esse vel futuram esse terræ particulam in cœlo, ita nullam particulam videre debuimus ignis in terra. Nunc vero non solum in terris, verum etiam sub terris ita est, ut eum eructent vertices montium; præter quod in usibus hominum et esse ignem in terra, et eum nasci videmus ex terra: quandoquidem et de lignis et de lapidibus nascitur, quæ sunt corpora sine dubitatione terrena. Sed ille, inquiunt, ignis est tranquillus, purus, innoxius, sempiternus: iste autem turbidus, fumeus, corruptibilis atque corruptor. Nec tamen corrumpit montes, in quibus jugiter æstuat, cavernasque terrarum. Verum esto, sit illi iste dissimilis, ut terrenis habitationibus congruat: cur ergo nolunt ut credamus naturam corporum ter-

(*a*) Confer Aristotelem, lib. 4 de Cœlo, cap. 6. COQUÆUS.

(*b*) Confer supra, lib. 10, cap. 16, n. 2.

[1] Ita Mss. At Editi, *et ima terrarum.*

[2] Editi, *summum*; dissentientibus Mss.

renorum aliquando incorruptibilem factam cœlo convenientem futuram, sicut nunc ignis corruptibilis his convenit terris? Nihil igitur afferunt ex ponderibus atque ordine elementorum, unde omnipotenti Deo, quominus faciat corpora nostra talia, ut etiam in cœlo possint habitare, præscribant.

CAPUT XII. — *Contra calumnias infidelium, quibus Christianos de credita carnis resurrectione irrident.*

1. Sed scrupulosissime quærere, et fidem qua credimus resurrecturam carnem, ita quærendo, assolent irridere, Utrum fetus abortivi resurgant? Et quoniam Dominus ait, *Amen dico vobis, capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* XXI, 18) : utrum statura et robur æqualia futura sint omnibus, an diversæ corporum quantitates? Si enim æqualitas corporum erit, unde habebunt quod hic non habuerunt in mole corporis illi abortivi, si resurgent et ipsi? Aut si non resurgent, quia nec nati sunt, sed effusi, eamdem quæstionem de parvulis versant, unde illis mensura corporis, quam nunc defuisse videmus, accedat, cum in hac ætate moriuntur. Neque enim dicturi sumus, eos non resurrecturos, qui non solum generationis, verum etiam regenerationis capaces sunt. Deinde interrogant, quem modum ipsa æqualitas habitura sit. Si enim tam magni et tam longi erunt omnes, quam fuerunt quicumque hic fuerunt maximi atque longissimi, non solum de parvulis, sed de plurimis quærunt[1], unde illis accessurum sit, quod hic defuit, si hoc quisque recipiet, quod hic habuit. Si autem, quod ait Apostolus, occursuros nos omnes *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13); et illud alterum, *Quos prædestinavit conformes*[2] *imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII, 29), sic intelligendum est, ut statura et modus Christi corporis omnium qui in regno ejus erunt, humanorum corporum sit futurus : Multis erit, inquiunt, de magnitudine et longitudine corporis detrahendum : et ubi jam erit, *Capillus capitis vestri non peribit*, si de ipsa corporis quantitate tam multum peribit? Quamvis et de ipsis capillis possit inquiri, utrum redeat quidquid tondentibus decidit. Quod si rediturum est, quis non exhorreat illam deformitatem? Nam hoc et de unguibus videtur necessario secuturum, ut redeat tam multum quod corporis curatura[3] desecuit. Et ubi erit decus? quod certe majus, quam in ista esse corruptione potuit, in illa jam immortalitate esse debebit. Si autem non redibit, ergo peribit : quomodo ergo, inquiunt, capillus capitis non peribit? De macie quoque vel pinguedine similiter disputant. Nam si æquales omnes erunt; non utique alii macri, alii pingues erunt. Accedet ergo aliis aliquid, aliis minuetur. Ac per hoc, non quod erat recipiendum, sed alicubi addendum est, quod non fuit; et alicubi perdendum, quod fuit.

2. De ipsis etiam corruptionibus et dilapsionibus corporum mortuorum, cum aliud vertatur in pulverem, in auras aliud exhaletur; sint quos bestiæ, sint quos ignis absumat; naufragio vel quibuscumque aquis ita quidam pereant, ut eorum carnes in humorem putredo dissolvat; non mediocriter permoventur, atque omnia ista recolligi in carnem et redintegrari posse non credunt. Consectantur etiam quasque fœditates et vitia, sive accedant[1], sive nascantur : ubi et monstrosos partus cum horrore atque irrisione commemorant, et requirunt quænam cujusque deformitatis resurrectio sit futura. Si enim nihil tale redire in corpus hominis dixerimus, responsionem nostram de locis vulnerum, cum quibus Dominum Christum resurrexisse prædicamus, se confutaturos esse præsumunt. Sed inter hæc omnia quæstio difficillima illa proponitur, in cujus carnem reditura sit caro, qua corpus alterius, vescentis humana viscera fame compellente, nutritur. In carnem quippe conversa est ejus, qui talibus vixit alimentis; et ea quæ macies ostenderat detrimenta, supplevit. Utrum ergo illi redeat homini cujus caro prius fuit, an illi potius cujus postea facta est, ad hoc percontantur, ut fidem resurrectionis illudant : ac sic animæ humanæ, aut alternantes, sicut Plato, veras infelicitates falsasque promittant beatitudines; aut post multas itidem per diversa corpora revolutiones, aliquando tamen eam, sicut Porphyrius, finire miserias, et ad eas nunquam redire fateantur; non tamen corpus habendo immortale, sed corpus omne fugiendo.

CAPUT XIII. — *An abortivi non pertineant ad resurrectionem, si pertinent ad numerum mortuorum.*

Ad hæc ergo quæ ab eorum parte contraria, me dirigente, mihi videntur opposita, misericordia Dei meis nisibus opem ferente, respondeam. Abortivos fetus, qui, cum jam vixissent in utero, ibi sunt mortui, resurrecturos ut affirmare, ita negare non audeo : quamvis non videam quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui resurgent, et erunt aliquæ humanæ animæ sine corporibus in æternum, quæ corpora humana, quamvis intra viscera materna, gestarunt : aut si omnes animæ humanæ recipient resurgentia sua corpora, quæ habuerunt ubicumque viventia, et morientia reliquerunt, non invenio quemadmodum dicam ad resurrectionem non pertinere mortuorum, quoscumque mortuos etiam in uteris matrum. Sed utrumlibet de his quisque sentiat, quod de jam natis infantibus dixerimus, hoc etiam de illis intelligendum est, si resurgent (*a*).

CAPUT XIV. — *An infantes in ea sint resurrecturi habitudine corporis, quam habituri erant ætatis accessu.*

Quid ergo de infantibus dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui; sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo

[1] Sic Mss. Editi vero, *sed et de plurimis magnis quærunt.*
[2] Editi addunt, *fieri* : quod verbum hoc Apostoli loco non reperiri in manuscriptis jam aliquoties est observatum.
[3] Editi, *cura*. Melius Mss., *curatura.*

[1] Vind. Am. Er. et Mss., *sive accidant.*
(*a*) Conf. Enchirid. n. 23, initio.

recepturi? In sententia quippe Domini, ubi ait, *Capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* xxi, 18), dictum est non defuturum esse quod fuit, non autem negatum est adfuturum esse quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis : perfecto quippe infanti deest utique perfectio magnitudinis corporalis; quæ cum accesserit, jam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque nascantur, sed habent in ratione, non in mole : sicut ipsa jam membra omnia sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes, ac si quid ejusmodi. In qua ratione uniuscujusque materiæ indita corporali, jam quodammodo, ut ita dicam, liciatum[1] esse videtur (*a*), quod nondum est, imo quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit. In hac ergo infans jam brevis aut longus est, qui brevis longusve futurus est. Secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta corporis non timemus : quia, etsi æqualitas futura esset omnium, ita ut omnes usque ad giganteas magnitudines pervenirent, ne illi qui[2] maximi fuerunt, minus haberent aliquid in statura, quod eis contra sententiam Christi periret, qui dixit, nec capillum capitis esse periturum; Creatori utique qui creavit cuncta de nihilo, quomodo deesse posset, unde adderet quod addendum esse mirus artifex nosset?

CAPUT XV. — *An ad Dominici corporis modum omnium mortuorum resurrectura sint corpora.*

Sed utique Christus in ea mensura corporis, in qua est mortuus, resurrexit, nec fas[3] est dicere, cum resurrectionis omnium tempus venerit, accessuram corpori ejus eam magnitudinem, quam non habuit, quando in ea discipulis, in qua illis erat notus, apparuit, ut longissimis fieri possit æqualis. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modum etiam quorumque majora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cum ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo, ut suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus; vel fuerat habiturus, si est ante defunctus. Atque illud quod commemoravit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* iv, 13), aut propter aliud intelligamus dictum esse, id est, ut illi capiti in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum ætatis ejus mensura compleatur; aut, si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem[4] formam resurgant corpora mortuorum; sed in ejus ætate[5] et robore, usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam sæculi hujus doctissimi homines juventutem, quæ cum fuerit spatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac senilis ætatis. Et ideo non esse dictum, In mensuram corporis, vel, In mensuram staturæ; sed, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*.

CAPUT XVI. — *Qualis intelligenda sit sanctorum conformatio ad imaginem Filii Dei.*

Illud etiam quod ait, *prædestinatos conformes imaginis Filii Dei* (*Rom.* viii, 29), potest et secundum interiorem hominem intelligi. Unde nobis alio loco dicit, *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ* (*Ibid.* xii, 2). Ubi ergo reformamur, ne conformemur huic sæculo, ibi conformamur Dei Filio. Potest et sic accipi, ut, quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes : quod quidem et ad ipsam resurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis, qua forma resurrectura sint corpora sumus admoniti; sicut illa mensura, ita et ista conformatio, non quantitatis intelligenda est, sed ætatis. Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate, quamvis nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.

CAPUT XVII. — *An in suo sexu resuscitanda atque mansura sint corpora feminarum.*

Nonnulli propter hoc quod dictum est, *Donec occurramus omnes*[1] *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* iv, 13); et, *conformes imaginis Filii Dei*; nec in sexu femineo resurrecturas feminas credunt, sed in virili omnes aiunt (*a*), quoniam Deus solum virum fecit ex limo, feminam ex viro. Sed mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent, nudi erant, et non confundebantur vir et femina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus femineus : sed natura : quæ tunc quidem et a concubitu et a partu immunis erit : erunt tamen membra feminea, non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui et quod non erat fecit, et liberavit a corruptione quod fecit. Ut enim in exordio generis humani de latere viri dormientis costa detracta femina fieret, Christum et Ecclesiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri (*Gen.* ii, 21), mors erat Christi (*b*), cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum

[1] Vind. Am. et Er., *innatum*.
[2] Lov., *ne illi quidem qui*. Abest, *quidem*, ab editis aliis et manuscriptis.
[3] Vind. Am. et Er., *nefas*. Castigantur ex editis aliis et manuscriptis.
[4] Veteres libri, *juvenalem*; et infra, cap. 16, *juvenali* : atque ita constanter.
[5] Sic Mss. At editi, *sed in ea ætate*.
(*a*) Dictum translatione texentium; quasi jam illa ceu tela texta est in puero, sed non explicata. Lud. Vives.

[1] Hic in sola editione Lov. additur, *in unitatem fidei*.
(*a*) Auctor est Hieronymus, Epistola ad Pammachium, in eo errore fuisse Origenem. Armenus eumdem errorem tribuit Guidio Carmelita, et vicesimo loco inter eorum errores recenset. Coquæus.
(*b*) Conf. lib. 2 de Gen. cont. Manich. n. 37.

est, atque inde sanguis et aqua profluxit (*Joan.* XIX, 34) : quæ sacramenta esse novimus, quibus ædificatur Ecclesia. Nam hoc etiam verbo Scriptura usa est, ubi non legitur, Formavit, aut Finxit; sed, *Ædificavit eam in mulierem* (*Gen.* II, 22) : unde et Apostolus ædificationem dicit corporis Christi (*Ephes.* IV, 12), quod est Ecclesia. Creatura est ergo Dei femina, sicut vir : sed ut de viro fieret, unitas commendata ; ut autem illo modo fieret, Christus, ut dictum est, et Ecclesia figurata est. Qui ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituet. Denique et ipse Jesus interrogatus a Sadducæis, qui negabant resurrectionem, cujus septem fratrum erit uxor, quam singuli habuerunt, dum quisque eorum vellet defuncti semen, sicut Lex præceperat, excitare : *Erratis*, inquit, *nescientes Scripturas, neque virtutem Dei* (*Matth.* XXII, 29). Et cum locus esset [1], ut diceret, De qua enim me interrogatis, vir erit etiam ipsa, non mulier; non hoc dixit : sed dixit, *In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo* (*Ibid.* 30). Æquales utique Angelis immortalitate ac felicitate, non carne : sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt Angeli; quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras negavit esse in resurrectione, non feminas : et ibi negavit, ubi talis quæstio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri celeriore facilitate dissolveret, si eum ibi prænosceret non futurum : imo etiam futurum esse firmavit dicendo, *Non nubent*, quod ad feminas pertinet ; *neque uxores ducent*, quod ad viros, Erunt ergo, quæ vel nubere hic solent, vel ducere uxores : sed ibi hoc non facient.

CAPUT XVIII. — *De viro perfecto, id est Christo, et corpore ejus, id est Ecclesia, quæ est ipsius plenitudo.*

Proinde quod ait Apostolus, occursuros nos omnes in virum perfectum, totius ipsius circumstantiam lectionis considerare debemus, quæ ita se habet : *Qui descendit*, inquit, *ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam vero Evangelistas, quosdam autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : ut ultra non simus parvuli, jactati et circumlati omni vento doctrinæ, in illusione hominum, in astutia [2] ad machinationem erroris : veritatem autem facientes in charitate augeamur in illo per omnia, qui est caput Christus ; ex quo totum corpus connexum, et compactum per omnem tactum subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque partis, incrementum corporis facit in ædificationem sui, in charitate* (*Ephes.* IV, 10-16). Ecce qui est vir perfectus, caput et corpus, quod constat omnibus membris, quæ suo tempore complebuntur. Quotidie tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Ecclesia, cui dicitur, *Vos autem estis corpus Christi, et membra* (I *Cor.* XII, 27). Et alibi, *Pro corpore*, inquit, *ejus, quod est Ecclesia* (*Coloss.* I, 24). Itemque alibi, *Unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* X, 17). De cujus corporis ædificatione et hic dictum est, *Ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi :* ac deinde subjectum unde nunc agimus, *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, et cætera ; donec eadem mensura in corpore intelligenda esset, ostenderet, dicens : *Augeamur in illo per omnia, qui est caput Christus ; ex quo totum corpus connexum, et compactum per omnem tactum subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque partis.* Sicut est ergo mensura uniuscujusque partis ; ita totius corporis, quod omnibus suis partibus constat, est utique mensura plenitudinis, de qua dictum est : *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quam plenitudinem etiam illo commemoravit loco, ubi ait de Christo : *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ* [1], *quæ est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus impletur* [2] (*Ephes.* I, 22 *et* 23). Verum si hoc ad resurrectionis formam, in qua erit unusquisque, referendum esset ; quid nos impediret nominato viro intelligere et feminam, ut virum pro homine positum acciperemus ? Sicut in eo quod dictum est, *Beatus vir qui timet Dominum* (*Psal.* CXI, 1) : utique ibi sunt et feminæ, quæ timent Dominum.

CAPUT XIX. — *Quod omnia corporis vitia, quæ in hac vita humano contraria sunt decori, in resurrectione non sint futura, ubi manente naturali substantia, in unam pulchritudinem et qualitas concurret et quantitas.*

1. Quid jam respondeam de capillis atque unguibus? Semel quippe intellecto ita nihil periturum esse de corpore, ut deforme nihil sit in corpore, simul intelligitur ea quæ deformem factura fuerant enormitatem, massæ ipsi accessura esse, non locis in quibus membrorum forma turpetur. Velut si de limo vas fieret, quod rursus in eumdum limum redactum totum de toto iterum fieret, non esset necesse ut illa pars limi, quæ in ansa fuerat, ad ansam rediret, aut quæ fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum ; dum tamen totum reverteretur in totum, id est, totus ille limus in totum vas nulla sui perdita parte remearet. Quapropter si capilli toties tonsi unguesve desecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt : nec tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eamdem carnem, ut quemcumque ibi locum corporis teneant, servata partium congruentia, materiæ mutabilitate vertentur. Quamvis quod ait Dominus, *Capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* XXI, 18), non de

[1] Vind. Am. et Er., *Et cum aptus locus esset.* Aliquot Mss., *Et cum ei aptus esset.*

[2] Sic Mss. Editi vero, *in astutiam.*

[1] Editi, *super omnem Ecclesiam.* At melioris notæ Mss., *super omnia Ecclesiæ.* Sic etiam in veteribus Bibliis Corbeiensibus, juxta græcum : ut, *Ecclesiæ*, sit dativi casus, non genitivi. Hæc ipsa lectio est Hieronymi in Commentariis Apostoli.

[2] Sic Mss. At editi, *adimpletur.*

longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptius possit intelligi. Unde et alibi dicit, *Capilli capitis vestri numerati sunt omnes* [1] (*Luc.* XII, 7). Neque hoc ideo dixerim, quod aliquid existimem corpori cuiquam [2] periturum, quod naturaliter inerat; sed quod deforme natum fuerat (non utique ob aliud, nisi ut hinc quoque ostenderetur, quam sit pœnalis conditio ista mortalium), sic esse rediturum, ut servata integritate substantiæ, deformitas pereat. Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare, et pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figura priore indecenter exstabat, nec parilitate [3] partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere universo [4] atque miscere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem; quid de omnipotente Artifice sentiendum est? Ergone non poterit quasque deformitates humanorum corporum, non modo usitatas, verum etiam raras atque monstrosas, quæ huic miseræ vitæ congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate sanctorum, sic auferre ac perdere, ut quascumque earum faciunt, etsi naturalia, tamen indecora excrementa substantiæ corporalis, nulla ejus diminutione tollantur?

2. Ac per hoc non est macris pinguibusve metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales, si possent, nec hic esse voluissent. Omnis enim corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia pravum est [5], aut ideo quia parum, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi et quæ prava sunt corrigentur; et quod minus est quam decet, unde Creator novit, inde supplebitur; et quod plus est quam decet, materiæ servata integritate, detrahetur. Coloris porro suavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui (*Matth.* XIII, 43)? Quæ claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci. Quo pertinuit etiam, ut contrectantibus ostenderet suorum vulnerum cicatrices; ut etiam cibum potumque sumeret, non alimentorum indigentia, sed ea qua et hoc poterat potestate. Cum autem aliquid non videtur, quamvis adsit, a quibus alia, quæ pariter adsunt, videntur, sicut illam claritatem dicimus adfuisse non visam, a quibus alia videbantur, ἀορασία græce dicitur: quod nostri interpretes latine dicere non valentes, in libro Geneseos cæcitatem interpretati sunt. Hanc enim passi sunt Sodomitæ, quando quærebant ostium justi viri, nec poterant invenire (*Gen.* XIX, 11). Quæ si cæcitas fuisset, qua fit ut nihil possit videri, non ostium quo ingrederentur, sed duces itineris a quibus inde abducerentur, inquirerent (*a*).

3. [XX.] Nescio quo autem modo sic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: et fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est, *Capillus capitis vestri non peribit.* Sed si hoc decebit in illo novo sæculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut præciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamvis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt; non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia.

CAPUT XX. — *Quod in resurrectione mortuorum natura corporum quibuslibet modis dissipatorum in integrum undecumque revocanda sit.*

1. Absit autem ut ad resuscitanda corpora vitæque reddenda non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quæ vel bestiæ, vel ignis absumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Deum certe volens, sicut poterat, definire Cicero tantus auctor ipsorum, *Mens quædam*, inquit, *est soluta et libera, secreta ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno* (*Tuscul. lib.* 1, *cap.* 27). Hoc autem reperit in doctrinis magnorum philosophorum. Ut igitur secundum ipsos loquar, quomodo aliquid vel latet omnia sentientem, vel irrevocabiliter fugit omnia moventem?

2. Unde jam etiam quæstio illa solvenda est, quæ difficilior videtur cæteris: ubi quæritur, cum caro mortui hominis etiam alterius fit viventis caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur. Si enim quispiam confectus fame atque compulsus vescatur cadaveribus hominum, quod malum aliquoties accidisse, et vetus testatur historia, et nostrorum temporum infelicia experimenta docuerunt (*b*); num quisquam veridica ratione contendet, totum digestum

[1] Vox, *omnes*, abest a manuscriptis et ab editis Vind. Am.
[2] Omnes Mss., *cuique*.
[3] Sic Mss. At editi, *parilitati*.
[4] Sola editio Lov., *universa*.
[5] Sic aliquot Mss. At editi, loco, *pravum*, habent, *parvum*: præterquam quod ex illis duo, Er. et Lov. omittunt, *aut ideo quia parum*.

(*a*) Conf. Quæst. in Gen. quæst. 43.
(*b*) Indicat fortasse diram illam famem, quæ Romanos oppressit, dum obsiderentur ab Alarico (anno Christi 409), de qua Sozomenus in Historia ecclesiastica, lib. 9, cap. 8; et Hieronymus, Epistola 16, ad Principiam virginem: « Ad « nefandos cibos erupit esurientium rabies, et sua invicem « membra laniarunt, dum mater non parcit lactanti infanti, et suo recipit utero, quem paulo ante effuderat. » COQUÆUS.

fuisse per imos meatus, nihil inde in ejus carnem fuisse mutatum atque conversum, cum ipsa macies quæ fuit et non est, satis indicet quæ illis escis detrimenta suppleta sint? Jam itaque aliqua paulo ante præmisi, quæ ad istum quoque nodum solvendum valere debebunt. Quidquid enim carnium exhausit fames, utique in auras est exhalatum : unde diximus omnipotentem Deum posse revocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuo sumpta deputanda est : quæ sicut æs alienum, ei redhibenda est, unde sumpta est. Sua vero illi, quem fames exinanierat, ab eo qui potest etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis etsi omnibus perisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remansisset, unde vellet, eam repararet Omnipotens. Sed propter sententiam Veritatis, qua dictum est, *Capillus capitis vestri non peribit;* absurdum est ut putemus, cum capillus hominis perire non possit, tantas carnes fame depastas atque consumptas perire potuisse.

3. Quibus omnibus pro nostro modulo consideratis atque tractatis, hæc summa conficitur, ut in resurrectione carnis in æternum eas mensuras habeat corporum magnitudo, quas habebat perficiendæ sive perfectæ cujusque indita corpori ratio juventutis, in membrorum quoque omnium modulis congruo decore servato. Quod decus ut servetur, si aliquid demptum fuerit indecenti alicui granditati in parte aliqua constitutæ, quod per totum spargatur, ut neque id pereat, et congruentia partium ubique teneatur, non est absurdum, ut aliquid inde etiam staturæ corporis addi posse credamus; cum omnibus partibus, ut decorem custodiant, id distribuitur, quod si enormiter in una esset, utique non deceret. Aut si contenditur in ea quemque statura corporis resurrecturum esse, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est; tantum absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio, et si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis et promissionis filii æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certe felicitate.

CAPUT XXI. — *De novitate corporis spiritualis, in quam sanctorum caro mutabitur.*

Restituetur ergo et quidquid de corporibus vivis, vel post mortem de cadaveribus periit, et simul cum eo quod in sepulcris remansit, in spiritualis corporis novitatem ex animalis corporis vetustate mutatum resurget, incorruptione atque immortalitate vestitum. Sed etsi vel casu aliquo gravi vel inimicorum immanitate totum penitus conteratur in pulverem, atque in auras vel in aquas dispersum quantum fieri potest, nusquam esse sinatur omnino, nullo modo subtrahi poterit omnipotentiæ Creatoris, sed capillus in eo capitis non peribit. Erit ergo spiritui subdita caro spiritualis, sed tamen caro, non spiritus : sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus, non caro. Cujus rei habemus experimentum in nostræ pœnæ deformitate. Non enim secundum carnem, sed utique secundum spiritum carnales erant, quibus ait Apostolus : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (I *Cor.* III, 1). Et homo spiritualis sic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis sit, et videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ (*Rom.* VII, 23) : erit autem etiam corpore spiritualis, cum eadem caro sic resurrexerit, ut fiat quod scriptum est, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 42). Quæ sit autem, et quam magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne quod de illa profertur eloquium. Verumtamen quia spei nostræ gaudium propter Dei laudem non est tacendum, et de intimis ardentis sancti amoris medullis dictum est, *Domine, dilexi decorem domus tuæ* (*Psal.* XXV, 8) : de donis ejus quæ in hac ærumnosissima vita bonis malisque largitur, ipso adjuvante, conjiciamus, ut possumus, quantum sit illud, quod nondum experti, utique digne eloqui non valemus. Omitto enim quando fecit hominem rectum; omitto vitam illam duorum conjugum in paradisi fecunditate felicem, quoniam [1] tam brevis fuit, ut ad nascentium sensum nec ipsa pervenerit : in hac quam novimus, in qua adhuc sumus, cujus tentationes, imo quam totam tentationem, quamdiu in ea sumus, quantumlibet proficiamus, perpeti non desinimus, quæ sint indicia circa genus humanum bonitatis Dei, quis poterit explicare?

CAPUT XXII. — *De miseriis ac malis, quibus humanum genus merito primæ prævaricationis obnoxium est, et a quibus nemo nisi per Christi gratiam liberatur.*

1. Nam quod ad primam originem pertinet, omnem mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utriusque sexus tot stupra atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, et tamen de vita ista hominum non recedit? Verum hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris et perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis,

[1] Sic Mss. At editi, *quando*.

quæ jam in infantibus manifesta est; et cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita ut si dimittatur vivere ut velit, et facere quidquid velit, in hæc facinora et flagitia quæ commemoravi, et quæ commemorare non potui, vel cuncta vel multa perveniat?

2. Sed divina gubernatione non omni modo deserente damnatos, et Deo non continente in ira sua miserationes suas (*Psal.* LXXVI, 10), in ipsis sensibus generis humani prohibitio et eruditio contra istas, cum quibus nascimur, tenebras vigilant, et contra hos impetus opponuntur[1], plenæ tamen etiam ipsæ laborum et dolorum. Quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa qua Scriptura sancta dicit dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus aut vix possit, aut fortasse nec possit (*Eccli.* XXX, 12)? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, et prava cupiditas infrenetur[2], cum quibus malis in hoc sæculum venimus? Quid est enim, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur; cum labore discimus, sine labore nescimus; cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proclivis et prona sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt utique quibus labor fugitur, cum labor ipse, etiam qui est utilis, pœna sit.

3. Sed præter pueriles pœnas, sine quibus disci non potest quod majores volunt, qui vix aliquid utiliter volunt, quot et quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent miseriamque communem, quis ullo sermone digerit, quis ulla cogitatione comprehendit? Quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus atque luctu, a damnis et damnationibus, a deceptionibus et mendaciis hominum, a suspicionibus falsis, ab omnibus violentis facinoribus et sceleribus alienis? quandoquidem ab eis et deprædatio, et captivitas, et vincula, et carceres, et exsilia, et cruciatus, et amputatio membrorum, et privatio sensuum, et oppressio corporis ad obscenam libidinem opprimentis explendam, et alia multa horrenda sæpe contingunt. Quid ab innumeris casibus qui[3] forinsecus corpori formidantur, æstibus et frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluvionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab offensione[4] et pavore vel etiam malitia jumentorum, a tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum, a ferarum vel tantummodo molestis vel etiam mortiferis morsibus, a rabie quæ contingit ex rabido cane, ut etiam blanda et amica suo domino bestia nonnunquam vehementius et amarius quam leones draconesque metuatur, facitque hominem, quem forte attaminaverit, contagione pestifera ita rabiosum, ut a parentibus, conjuge, filiis, pejus omni bestia formidetur? Quæ mala patiuntur navigantes? quæ, terrenis itinera gradientes? Quis ambulat ubicumque non inopinatis subjacens casibus? De foro quidam rediens domum sanis pedibus suis, cecidit, pedem fregit, et ex illo vulnere finivit hanc vitam. Quid videtur sedente securius? De sella in qua sedebat cecidit Heli sacerdos, et mortuus est (I *Reg.* IV, 18). Agricolæ, imo vero omnes homines quot et quantos a cœlo et terra, vel a perniciosis animalibus casus metuunt agrorum fructibus? Solent tamen de frumentis tandem collectis et reconditis esse securi. Sed quibusdam, quod novimus, proventum optimum frumentorum fluvius improvisus, fugientibus hominibus, de horreis ejecit atque abstulit. Contra milleformes dæmonum incursus, quis innocentia sua fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maxime Deo sinente, ista monstretur hujus vitæ flenda calamitas, et alterius desideranda felicitas. Jam vero de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris medicorum cuncta comprehensa sint. In quorum pluribus ac pene omnibus etiam ipsa adjumenta et medicamenta tormenta sunt, ut homines a pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio. Nonne ad hoc perduxit sitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam vel etiam suam biberent? nonne ad hoc fames, ut a carnibus hominum abstinere se non possent, nec inventos homines mortuos, sed propter hoc a se occisos, nec quoslibet alienos, verum etiam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent? Ipse postremo somnus, qui proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet sæpe somniorum visis quam sit inquietus; et quam magnis, licet falsarum rerum, terroribus, quas ita exhibet, et quodammodo exprimit, ut a veris eas discernere nequeamus, animam miseram sensusque perturbet? Qua falsitate visorum etiam vigilantes in quibusdam morbis et venenis miserabilius agitantur[1]: quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam sanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus visis, ut, etiamsi eos per hæc ad sua traducere non potuerint, sensus tamen eorum solo appetitu qualitercumque persuadendæ falsitatis illudant.

4. Ab hujus tam miseræ quasi quibusdam inferis vitæ, non liberat nisi gratia Salvatoris Christi, Dei ac Domini nostri. Hoc enim nomen est ipse Jesus; interpretatur quippe Salvator: maxime ne post hanc miserior ac sempiterna suscipiat, non vita, sed mors. Nam in ista quamvis sint per sancta ac sanctos curationum magna solatia; tamen ideo non semper etiam ipsa beneficia tribuuntur petentibus, ne propter hoc religio quæratur, quæ propter aliam magis vitam, ubi mala non erunt omnino ulla, quærenda est: et ad hoc meliores quosque in his malis adjuvat gratia, ut quanto fideliore, tanto fortiore corde tolerentur. Ad

[1] Nonnulli Mss., *apponuntur*.
[2] Sic Mss. At editi, *refrenetur*.
[3] Probæ notæ Mss., *quæ*.
[4] Mss., *ab offensionibus*.

[1] Sola editio Lov., *morbis et venenis mirabilius agitentur*.

quam rem etiam philosophiam prodesse dicunt docti hujus sæculi, quam dii quibusdam paucis, ait Tullius, verum dederunt (a). Nec hominibus, inquit, ab his aut datum est donum majus, aut potuit ullum dari : usque adeo et ipsi, contra quos agimus, quoquo modo compulsi sunt in habenda, non quacumque, sed vera philosophia divinam gratiam confiteri. Porro si paucis divinitus datum est veræ philosophiæ contra miserias hujus vitæ unicum auxilium, satis et hinc apparet humanum genus ad luendas miseriarum pœnas esse damnatum. Sicut autem hoc, ut fatentur, nullum divinum majus est donum, sic a nullo deo dari credendum est, nisi ab illo, quo et ipsi qui multos deos colunt, nullum dicunt esse majorem.

CAPUT XXIII. — *De his quæ, præter illa mala quæ bonis malisque communia sunt, ad justorum laborem specialiter pertinent.*

Præter hæc autem mala hujus vitæ bonis malisque communia, habent in ea justi etiam proprios quosdam labores suos, quibus adversus vitia militant, et in talium præliorum tentationibus periculisque versantur. Aliquando enim concitatius, aliquando remissius, non tamen desinit caro concupiscere adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ volumus faciamus (*Galat.* v, 17), omnem malam concupiscentiam consumendo; sed eam nobis, quantum divinitus adjuti possumus, non ei consentiendo subdamus, vigiliis continuis excubantes, ne opinio veri similis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur, ne ab his quæ agenda sunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non sunt cupido præcipitet, ne super iracundiam sol occidat (*Ephes.* IV, 26), ne inimicitiæ provocent ad retributionem mali pro malo, ne absorbeat in honesta vel immoderata tristitia, ne impertiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem, ne maledicis rumoribus bona conscientia fatigetur, ne temeraria de alio suspicio nos nostra decipiat, ne aliena de nobis falsa nos frangat, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, ne membra nostra exibeantur iniquitatis arma peccato (*Rom.* VI, 12, 13), ne oculus sequatur concupiscentiam, ne vindicandi cupiditas vincat, ne in eo quod male delectat, vel visio vel cogitatio remoretur, ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur, ne fiat quod non licet, etiamsi libet, ne in hoc bello laborum periculorumque plenissimo vel de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed ejus gratiæ, de quo ait Apostolus : *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (I *Cor.* XV, 57). Qui et alio loco, *In his*, inquit, *omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII, 37). Sciamus tamen quantalibet virtute præliandi vitiis re-

pugnemus, vel etiam vitia superemus et subjugemus, quamdiu sumus in hoc corpore, nobis deesse non posse unde dicamus Deo, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). In illo autem regno ubi semper cum corporibus immortalibus erimus, nec prælia nobis erunt ulla, nec debita; quæ nusquam et nunquam essent, si natura nostra, sicut recta creata est, permaneret. Ac per hoc etiam noster iste conflictus, in quo periclitamur, et de quo nos victoria novissima cupimus liberari, ad vitæ hujus mala pertinet, quam tot tantorumque testimonio malorum probamus [1] esse damnatam.

CAPUT XXIV. — *De bonis quibus etiam hanc vitam damnationi obnoxiam Creator implevit.*

1. Jam nunc considerandum est, hanc ipsam miseriam generis humani, in qua laudatur justitia punientis, qualibus et quam multis impleverit bonis ejusdem bonitas, cuncta quæ creavit administrantis. Primum benedictionem illam quam protulerat ante peccatum, dicens, *Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I, 28), nec post peccatum voluit inhibere, mansitque in stirpe damnata donata fecunditas; nec illam vim mirabilem seminum, imo etiam mirabiliorem qua efficiuntur et semina, inditam corporibus humanis et quodammodo intextam, peccati vitium potuit auferre, quo nobis impacta est etiam necessitas mortis : sed utrumque simul currit isto quasi fluvio atque torrente generis humani; malum quod a parente trahitur, et bonum quod a creante tribuitur. In originali malo duo sunt, peccatum atque supplicium : in originali bono alia duo, propagatio et conformatio. Sed quantum ad præsentem pertinet intentionem nostram, de malis, quorum unum de nostra venit audacia, id est peccatum, alterum de judicio Dei, id est supplicium, jam satis diximus. Nunc de bonis Dei, quæ ipsi quoque vitiatæ damnatæque naturæ contulit, sive usque nunc confert, dicere institui. Neque enim damnando aut totum abstulit quod dederat, alioquin nec esset omnino; aut eam removit a sua potestate, etiam cum diabolo pœnaliter subdidit, cum nec ipsum diabolum a suo alienaverit imperio; quandoquidem ut ipsius quoque diaboli natura subsistat, ille facit qui summe est, et facit esse quidquid aliquo modo est.

2. Duorum igitur illorum, quæ diximus bona etiam in naturam peccato vitiatam supplicioque damnatam de bonitatis ejus quodam veluti fonte manare, propagationem in primis mundi operibus benedictione largitus est, a quibus operibus die septimo requievit. Conformatio vero in illo ejus est opere, quo usque nunc operatur (*Joan.* V, 17). Efficacem quippe potentiam suam si [2] rebus subtrahat, nec progredi poterunt et suis dimensis motibus peragere tempora, nec prorsus in eo quod creatæ sunt aliquatenus permanebunt. Sic ergo creavit hominem Deus, ut illi adderet fertilitatem quamdam, qua homines alios propagaret, congenerans eis ipsam etiam propagandi possibilitatem, non necessitatem, quibus tamen voluit hominibus

(a) Ita hoc ad verbum dicit Cicero, non [illegible] [illegible]

[1] Sic Mss. Editi autem, probavimus.
[2] [illegible] ab editis aliis et Mss.

abstulit eam Deus, et steriles fuerunt: non tamen generi humano abstulit semel datam primis duobus conjugibus benedictionem generandi[1]. Hæc ergo propagatio quamvis peccato ablata non fuerit, non tamen etiam ipsa talis est, qualis fuisset, si nemo peccasset. Ex quo enim homo in honore positus, posteaquam deliquit, comparatus est pecoribus (*Psal.* XLVIII, 13), similiter generat: non in eo tamen penitus exstincta est quædam velut scintilla rationis, in qua factus est ad imaginem Dei. Huic autem propagationi si conformatio non adhiberetur, nec ipsa in sui generis formas modosque procederet. Si enim non concubuissent homines, et nihilo minus Deus vellet implere terras hominibus; quomodo creavit unum sine commixtione maris et feminæ, sic posset omnes: concumbentes vero nisi illo creante generantes esse non possunt. Sicut ergo ait Apostolus de institutione spirituali, qua homo ad pietatem justitiamque formatur, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7), ita etiam hic dici potest, Nec qui concumbit, nec qui seminat, est aliquid; sed qui format[2] Deus. Nec mater quæ conceptum portat, et partum nutrit, est aliquid; sed qui incrementum dat Deus. Ipse[3] namque operatione, qua nunc usque operatur, facit ut numeros suos explicent semina, et a quibusdam latentibus atque invisibilibus involucris in formas visibiles hujus quod aspicimus decoris evolvant. Ipse incorpoream corporeamque naturam, illam præpositam, istam subjectam, miris modis copulans et connectens, animantem facit. Quod opus ejus tam magnum et mirabile est, ut non solum in homine, quod est animal rationale, et ex hoc cunctis terrenis animantibus excellentius atque præstantius, sed in qualibet minutissima muscula bene consideranti stuporem mentis ingerat, laudemque pariat Creatoris.

3. Ipse itaque animæ humanæ mentem dedit, ubi ratio et intelligentia in infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, excitanda scilicet atque exserenda[4] ætatis accessu, qua sit scientiæ capax atque doctrinæ, et habilis perceptioni veritatis et amoris boni: qua capacitate hauriat sapientiam virtutibusque sit prædita, quibus prudenter, fortiter, temperanter, et juste, adversus errores et cætera ingenerata vitia dimicet, eaque nullius rei desiderio nisi boni illius summi atque immutabilis vincat. Quod etsi non faciat, ipsa talium bonorum capacitas in natura rationali divinitus instituta quantum sit boni, quam mirabile opus Omnipotentis, quis competenter effatur, aut cogitat? Præter enim artes bene vivendi et ad immortalem perveniendi felicitatem, quæ virtutes vocantur, et sola Dei gratia, quæ in Christo est, filiis promissionis regnique donantur, nonne humano ingenio tot tantæque artes sunt inventæ et exercitæ, partim necessariæ, partim voluptariæ[5], ut tam excellens vis mentis atque rationis in his etiam rebus quas superflua, imo et periculosa perniciosaque appetit, quantum bonum[1] habeat in natura, unde ista potuit vel invenire, vel discere, vel exercere, testetur? Vestimentorum et ædificiorum ad opera quam mirabilia, quam stupenda, industria humana pervenerit, quo in agricultura, quo in navigatione profecerit, quæ in fabricatione quorumque vasorum, vel etiam statuarum et picturarum varietate excogitaverit et impleverit, quæ in theatris mirabilia spectantibus[2], audientibus incredibilia facienda et exhibenda molita sit, in capiendis, occidendis, domandis irrationalibus animantibus quæ et quanta repererit: adversus ipsos homines tot genera venenorum, tot armorum, tot machinamentorum, et pro salute mortali tuenda atque reparanda quot medicamenta atque adjumenta comprehenderit: pro voluptate faucium quot condimenta et gulæ irritamenta[3] repererit: ad indicandas et suadendas cogitationes, quam multitudinem varietatemque signorum, ubi præcipuum locum verba et litteræ tenent; ad delectandos animos, quos elocutionis ornatus, quam diversorum carminum copiam; ad mulcendas aures, quot organa musica, quos cantilenæ modos excogitaverit: quantam peritiam dimensionum atque numerorum, meatusque et ordines siderum quanta sagacitate comprehenderit: quam multa rerum mundanarum cognitione se impleverit, quis possit eloqui, maxime si velimus non acervatim cuncta congerere, sed in singulis immorari? In ipsis postremo erroribus et falsitatibus defendendis, quam magna claruerint ingenia philosophorum atque hæreticorum, quis æstimare sufficiat? Loquimur enim nunc de natura mentis humanæ, qua ista vita mortalis ornatur, non de fide atque itinere veritatis, qua illa immortalis acquiritur. Hujus tantæ naturæ conditor cum sit utique Deus verus et summus, ipso cuncta quæ fecit administrante et summam potestatem summamque habente justitiam, nunquam profecto in has miserias decidisset, atque ex his, præter eos solos qui liberabuntur, in æternas esset itura[4], nisi nimis grande peccatum in homine primo, de quo cæteri exorti sunt, præcessisset.

4. Jam vero in ipso corpore, quamvis nobis sit cum belluis mortalitate commune, multisque earum reperiatur infirmius, quanta Dei bonitas, quanta providentia tanti Creatoris apparet? Nonne ita sunt in eo loca sensuum et cætera membra disposita, speciesque ipsa ac figura et statura totius corporis ita modificata, ut ad ministerium animæ rationalis se indicet factum? Non enim ut animalia rationis expertia prona esse videmus in terram, ita creatus est homo: sed erecta in cœlum corporis forma admonet eum quæ sursum sunt sapere (*a*). Porro mira mobili-

[1] Nonnulli probæ notæ Mss., *benedictione generali.*
[2] Sola editio Lov., *informat.*
[3] Aliquot Mss., *Ipsa.*
[4] Sic plures Mss. Editi vero, *exercenda.*
[5] Nonnulli Mss., *voluntariæ.* — Sic etiam codd. 2051 et 255. M.

[1] In sola editione Lov., *quantum bonorum habeat in natura.*
[2] Aliquot Mss., *exspectantibus.*
[3] Sic Mss. Editi vero, *incitamenta.*
[4] Er. et Lov. hic addunt, *pœnas;* pro quo subaudiendum, *miserias.*

(*a*) Conf. lib. 1 de Gen. cont. Manich., n. 28.

tes, quæ linguæ ac manibus attributa est, ad loquendum et scribendum apta atque conveniens, et ad opera artium plurimarum officiorumque complenda, nonne satis ostendit, quali animæ ut serviret tale sit corpus adjunctum? Quanquam et detractis necessitatibus operandi, ita omnium partium congruentia numerosa sit, et pulchra sibi parilitate respondeat, ut nescias utrum in eo condendo major sit utilitatis habita ratio, quam decoris. Certe enim nihil creatum videmus in corpore utilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id appareret, si numeros mensurarum, quibus inter se cuncta connexa sunt et coaptata, nossemus: quos forsitan data opera in his quæ foris eminent, humana posset vestigare[1] solertia; quæ vero tecta sunt, atque a nostris remota conspectibus, sicuti est tanta perplexitas venarum atque nervorum et viscerum, secreta vitalium, invenire nullus potest. Quia etsi medicorum diligentia nonnulla crudelis, quos anatomicos appellant, laniata corpora mortuorum, sive etiam inter manus secantis perscrutantisque morientium, atque in carnibus humanis satis inhumane abdita cuncta rimata est, ut quid, et quomodo, quibus locis curandum esset addisceret; numeros tamen de quibus loquor, quibus coaptatio, quæ ἁρμονία græce dicitur, tanquam cujusdam organi, extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat, quid dicam, nemo valuit invenire, quos nemo ausus est quærere? Qui si noti esse potuissent, in interioribus quoque visceribus, quæ nullum ostendant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, ut omni formæ apparenti quæ oculis placet, ipsius mentis, quæ oculis utitur, præferretur arbitrio. Sunt vero quædam ita posita in corpore, ut tantummodo decorem habeant, non et usum: sicut habet pectus virile mamillas, sicut facies barbam, quam non esse munimento, sed virili ornamento, indicant puræ facies feminarum, quas utique infirmiores muniri tutius conveniret. Si ergo nullum membrum est, in his quidem conspicuis (unde ambigit nemo), quod ita sit alicui operi accommodatum, ut non etiam sit decorum; sunt autem nonnulla, quorum solum decus, et nullus est usus: puto facile intelligi in conditione corporis dignitatem necessitati fuisse prælatam. Transitura est quippe necessitas, tempusque venturum quando sola invicem pulchritudine sine ulla libidine perfruamur: quod maxime ad laudem referendum est Conditoris, cui dicitur in Psalmo, *Confessionem et decorem induisti* (*Psal.* CIII, 1).

5. Jam cætera pulchritudo et utilitas creaturæ, quæ homini, licet in istos labores miseriasque projecto atque damnato, spectanda atque sumenda divina largitate concessa est, quo sermone terminari potest? in cœli et terræ et maris multimoda et varia pulchritudine, in ipsius lucis tanta copia tamque mirabili specie, in sole ac luna et sideribus, in opacitatibus nemorum, in coloribus et odoribus florum, in diversitate ac multitudine volucrum garrularum atque pictarum, in multiformi specie tot tantorumque animantium, quorum illa plus habent admirationis, quæ molis minimum (plus enim formicularum et apicularum opera stupemus, quam immensa corpora balænarum[1]); in ipsius quoque maris tam grandi spectaculo, cum sese diversis coloribus induit velut vestibus, et aliquando viride, atque hoc multis modis, aliquando purpureum, aliquando cæruleum est. Quam porro delectabiliter spectatur etiam quandocumque turbatur, et fit inde major suavitas, quia sic demulcet intuentem, ut non jactet et quatiat navigantem? Quid ciborum usquequaque copia contra famem? quid saporum diversitas contra fastidium, naturæ diffusa divitiis[2], non coquorum arte ac labore quæsita? Quanta in tam multis rebus tuendæ ac recuperandæ[3] salutis auxilia? Quam grata vicissitudo diei alternantis et noctis? Aurarum quam blanda temperies? In fruticibus et pecoribus indumentorum conficiendorum quanta materies? Omnia commemorare quis possit? Hæc autem sola, quæ a me velut in quemdam aggerem sunt coarctata, si vellem velut colligata involucra solvere atque discutere, quanta mihi mora esset in singulis, quibus plurima continentur? Et hæc omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot ac talia et tanta sunt ista? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem? quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac misera[4] unigenitum Filium suum voluit usque ad mortem mala tanta perferre? Unde apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens, *Qui proprio*, inquit, *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donabit*[5] (*Rom.* VIII, 32). Cum hæc promissio complebitur, quid erimus? quales erimus? Quæ bona in illo regno accepturi sumus, quandoquidem Christo moriente pro nobis tale jam pignus accepimus? Qualis erit spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec sub quo jaceat, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissima virtute perfectus? Rerum ibi omnium quanta, quam speciosa, quam certa scientia, sine errore aliquo vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur, cum summa felicitate, sine ulla difficultate? Quale erit corpus, quod omni modo spiritui subditum, et eo sufficienter vivificatum, nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, sed spirituale erit, habens quidem carnis, sed sine ulla carnali corruptione substantiam.

CAPUT XXV. — *De pervicacia quorumdam, qui resurrectionem carnis, quam, sicut prædictum est, totus mundus credit, impugnant.*

Verum de animi bonis, quibus post hanc vitam

[1] [illegible]

[1] Editi, *balenarum*. At manuscripti, duplicata littera *l*, *ballenarum*. Dicitur a græco, *ballein*, juxta Isid., l. 12, c. 6.
[2] Sic Mss. At editi, *contra fastidium naturæ, diffusa divitiis*.
[3] Mss., *et recuperandæ*.
[4] Editi, *in hac miseria*. At Mss., *in hac misera*: supple, *vita*.
[5] In editis, *donavit*. At in Mss., *donabit*, futuri temporis, juxta græcum *donabit*.

beatissimus perfruetur, non a nobis dissentiunt philosophi nobiles : [1] de carnis resurrectione contendunt ; hanc quantum possunt negant. Sed credentes multi, negantes paucissimos reliquerunt, et ad Christum, qui hoc quod istis videtur absurdum, in sua resurrectione monstravit, fideli corde conversi sunt, docti et indocti, sapientes mundi et insipientes. Hoc enim credidit mundus, quod prædixit Deus ; qui etiam hoc prædixit, quod hanc rem mundus fuerat crediturus. Neque enim Petri maleficiis eam [2] cum laude credentium tanto ante prænuntiare compulsus est (*a*). Ille est enim Deus, quem (sicut jam dixi aliquoties, nec commemorare [3] me piget), confitente Porphyrio, atque id oraculis deorum suorum probare cupiente, ipsa numina perhorrescunt : quem sic laudavit, ut eum et Deum patrem et regem vocaret. Absit enim, ut sic intelligenda sint quæ prædixit, quomodo volunt hi qui hoc cum mundo non crediderunt, quod mundum crediturum esse prædixit. Cur enim non potius ita, sicut crediturus tanto ante prædictus est mundus, non sicut paucissimi garriunt, qui hoc cum mundo, quod crediturus prædictus est, credere noluerunt ? Si enim propterea dicunt alio modo esse credenda, ne, si dixerint vana esse conscripta, injuriam faciant illi Deo, cui tam magnum perhibent testimonium ; tantam prorsus ei vel etiam graviorem faciunt injuriam, si aliter dicunt esse intelligenda, non sicut mundus ea credidit, quem crediturum ipse laudavit, ipse promisit, ipse complevit. Utrum [4] enim non potest facere ut resurgat caro, et vivat in æternum ; an propterea credendum non est id eum esse facturum, quia malum est atque indignum Deo (*b*) ? Sed de omnipotentia ejus, qua tot et tanta facit incredibilia, jam multa diximus. Si volunt invenire quod omnipotens non potest, habent prorsus : ego dicam, Mentiri non potest. Credamus ergo quod potest, non credendo quod non potest. Non itaque credentes quod mentiri possit, credant esse facturum quod se facturum esse promisit : et sic credant, sicut credidit mundus, quem crediturum esse prædixit, quem crediturum esse laudavit, quem crediturum esse promisit, quem credidisse jam ostendit. Hoc autem malum esse, unde demonstrant ? Non erit illic ulla corruptio, quod est corporis malum. De ordine elementorum jam disputavimus, de aliis hominum conjecturis satis diximus : quanta sit futura in corpore incorruptibili facilitas motus, de præsentis bonæ valetudinis temperamento, quæ utique nullo modo illi comparanda est immortalitati, in libro tertio decimo satis, ut opinor, ostendimus. Legant superiora operis hujus, qui vel non legerunt, vel volunt [5] recolere quod legerunt.

[1] Hic Vind. Am. et Er. addunt, *qui ;* Lov., *sed.* Neutrum habent Mss.
[2] Sola editio Lov., *ea.*
[3] In Mss., *commonere.*
[4] Sic Mss. At editi, *Cur.*
[5] Editi, veteribus libris dissentientes, *vel nolunt.*
(*a*) Supra, lib. 18, cap. 53.
(*b*) In hanc sententiam disputant Gentiles apud Tertullianum, in libro de Resurrectione carnis, cap. 4 sqq. COQUÆUS.

CAPUT XXVI. — *Quomodo Porphyrii definitio, qua beatis animis putat corpus omne fugiendum, ipsius Platonis sententia destruatur, qui dicit summum Deum diis promisisse, ut nunquam corporibus exuerentur.*

Sed Porphyrius ait, inquiunt, ut beata sit anima, corpus omne esse fugiendum. Nihil ergo prodest quia incorruptibile diximus futurum corpus, si anima beata non erit, nisi corpus omne effugerit. Sed jam et hinc in libro memorato quantum oportuit disputavi (*capp.* 16, 17) : verum hic unum inde tantum commemorabo. Emendet libros suos istorum omnium magister Plato, et dicat eorum deos, ut beati sint, sua corpora fugituros, id est, esse morituros, quos in cœlestibus corporibus dixit inclusos ; quibus tamen Deus, a quo facti sunt, quo possent esse securi, immortalitatem, id est, in eisdem corporibus æternam permansionem, non eorum natura id habente, sed suo consilio prævalente, promisit. Ubi etiam evertit illud quod dicunt, quoniam est impossibilis, ideo resurrectionem carnis non esse credendam. Apertissime quippe juxta eumdem philosophum, ubi diis a se factis promisit Deus non factus immortalitatem, quod impossibile est, se dixit esse facturum. Sic enim eum locutum narrat Plato : *Quoniam estis orti*, inquit, *immortales esse et indissolubiles non potestis : non tamen dissolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora, quam consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis colligati* (*a*). Si, non solum absurdi, sed surdi non sunt qui hæc audiunt, non utique dubitant diis factis, ab illo deo qui eos fecit, secundum Platonem, quod est impossibile fuisse promissum. Qui enim dicit, *Vos quidem immortales esse non potestis, sed mea voluntate immortales eritis :* quid aliud dicit, quam id quod fieri non potest, me faciente tamen eritis ? Ille igitur carnem incorruptibilem, immortalem, spiritualem resuscitabit, qui juxta Platonem, id quod impossibile est, se facturum esse promisit. Quid adhuc, quod promisit Deus, quod Deo promittenti credidit mundus, qui etiam ipse promissus est crediturus, esse impossibile clamant ? Quandoquidem nos Deum, qui etiam secundum Platonem facit impossibilia, id facturum esse clamamus. Non ergo, ut beatæ sint animæ, corpus est omne fugiendum, sed corpus incorruptibile recipiendum. Et in quo convenientius incorruptibili corpore lætabuntur, quam in quo corruptibili gemuerunt ? Sic enim non in eis erit illa dira cupiditas, quam posuit ex Platone Virgilius, ubi ait :

Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

(*Æneid. lib.* 6, *vers.* 751.)

Sic, inquam, cupiditatem revertendi ad corpora non habebunt, cum corpora, in quæ reverti cupiunt, secum habebunt ; et sic habebunt, ut nunquam non habeant, nunquam ea prorsus vel ad exiguum quamlibet tempus ulla morte deponant.

(*a*) Conf. supra, lib. 13, cap. 16.

CAPUT XXVII. — *De contrariis definitionibus Platonis atque Porphyrii, in quibus si uterque alteri cederet, a veritate neuter deviaret.*

Singula quædam dixerunt Plato atque Porphyrius, quæ si inter se communicare potuissent, facti essent fortasse Christiani. Plato dixit, sine corporibus animas in æternum esse non posse. Ideo enim dixit, etiam sapientium animas post quamlibet longum tempus, tamen ad corpora redituras. Porphyrius autem dixit, animam purgatissimam, cum redierit ad Patrem, ad hæc mala mundi nunquam esse redituram. Ac per hoc, quod verum vidit Plato, si dedisset Porphyrio, etiam justorum atque sapientium purgatissimas animas ad humana corpora redituras; rursus quod verum vidit Porphyrius, si dedisset Platoni, nunquam redituras ad miserias corruptibilis corporis animas sanctas: ut non singuli hæc singula, sed ambo et singuli utrumque dicerent, puto quod viderent esse jam consequens, ut et redirent animæ ad corpora, et talia reciperent corpora, in quibus beate atque immortaliter viverent. Quoniam secundum Platonem, etiam sanctæ animæ ad humana corpora redibunt; secundum Porphyrium, ad mala mundi hujus sanctæ animæ non redibunt. Dicat itaque cum Platone Porphyrius, Redibunt ad corpora: dicat Plato cum Porphyrio, Non redibunt ad mala: et ad ea corpora redire consentient, in quibus nulla patiantur mala. Hæc itaque non erunt nisi illa quæ promittit Deus, beatas animas in æternum cum sua æterna carne facturus [1]. Hoc enim, quantum existimo, jam facile nobis concederent ambo, ut qui faterentur ad immortalia corpora redituras animas esse sanctorum, ad sua illas redire permitterent, in quibus mala hujus sæculi pertulerunt, in quibus Deum, ut his malis carerent, pie fideliterque coluerunt.

CAPUT XXVIII. — *Quid ad veram resurrectionis fidem vel Plato, vel Labeo, vel etiam Varro conferre sibi potuerint, si opiniones eorum in unam sententiam convenissent.*

Nonnulli nostri, propter quoddam præclarissimum loquendi genus (a), et propter nonnulla quæ veraciter sensit, amantes Platonem, dicunt eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse (b). Quod quidem sic tangit in libris de Republica Tullius, ut eum lusisse potius, quam quod id verum esset, affirmet dicere voluisse. Inducit enim hominem revixisse, et narrasse quædam quæ Platonicis disputationibus congruebant (c). Labeo etiam duos dicit uno die fuisse defunctos, et occurrisse invicem in quodam compito, deinde ad corpora sua jussos fuisse remeare, et constituisse inter se amicos se esse victuros, atque ita esse factum, donec postea morerentur (a). Sed isti auctores talem resurrectionem corporis factam fuisse narrarunt, quales fuerunt eorum quos resurrexisse novimus, et huic quidem redditos vitæ, sed non eo modo ut non morerentur ulterius. Mirabilius autem quiddam Marcus Varro ponit in libris, quod conscripsit de Gente populi Romani: cujus putavi verba ipsa esse ponenda. *Genethliaci quidam scripserunt*, inquit, *esse in renascendis hominibus quam appellant παλιγγενεσίαν Græci: hac scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus et eadem anima, quæ fuerint conjuncta in homine aliquando, eadem rursus redeant in conjunctionem.* Iste Varro quidem, sive illi Genethliaci nescio qui (non enim nomina eorum prodidit, quorum commemoravit sententiam), aliquid dixerunt, quod licet falsum sit (cum enim semel ad eadem corpora quæ gesserunt, animæ redierint, nunquam ea postea sunt relicturæ); tamen multa illius impossibilitatis, qua contra nos isti garriunt, argumenta convellit, et destruit. Qui enim hoc sentiunt, sive senserunt, non eis visum est fieri non posse, ut dilapsa cadavera in auras, in pulverem, in cinerem, in humores, in corpora vescentium bestiarum, vel ipsorum quoque hominum, ad id rursus redeant, quod fuerunt. Quapropter Plato et Porphyrius, vel potius quicumque illos diligunt et adhuc vivunt, si nobis consentiunt etiam sanctas animas ad corpora rediturus, sicut ait Plato, nec tamen ad mala ulla redituras, sicut ait Porphyrius; ut ex his fiat consequens quod fides prædicat christiana, talia corpora recepturas in quibus sine ullo malo in æternum feliciter vivant; assumant etiam hoc de Varrone, ut ad eadem corpora redeant, in quibus antea fuerunt; et apud eos tota quæstio de carnis in æternum resurrectione solvetur.

CAPUT XXIX. — *De qualitate visionis, qua in futuro sæculo sancti Deum videbunt.*

1. Nunc jam quid acturi sint in corporibus immortalibus atque spiritualibus sancti, non adhuc eorum carne carnaliter, sed spiritualiter jam vivente, quantum Dominus dignatur adjuvare, videamus. Et illa quidem actio, vel potius quies atque otium quale futurum sit, si verum velim dicere, nescio. Non enim hoc unquam per sensus corporis vidi. Si autem mente, id est intelligentia, vidisse me dicam, quantum est, aut quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam? Ibi est enim *pax Dei, quæ*, sicut ait Apostolus, *superat omnem intellectum* (*Philipp.* IV, 7): quem nisi nostrum, aut fortasse etiam [1] sanctorum Angelorum? non enim et Dei. Si ergo sancti in Dei pace victuri sunt, profecto in ea pace victuri sunt, quæ superat omnem intellectum. Quoniam nostrum quidem supe-

[1] Ita Vind. Am. Er. et Mss. At Lov., *victuras*.
(a) « Cygnus de suis sacratis demulcens homines, disertissimus Plato est, » Tertullianus, de Anima, cap. 26. Coquæus.
(b) Vid. Euseb. lib. 11 de Præpar. Evang., cap. 33, [illegible], tom. 1 [illegible].
(c) [illegible]

[1] Am. Er. et Lov. addunt hic, *omnium*: quod abest a manuscriptis et a Vind.
(a) Vide Plinium lib. 7, cap. 55.

rat, non est dubium : si autem superat et Angelorum, ut nec ipsos excepisse videatur, qui ait, *omnem intellectum*; secundum hoc dictum esse debemus accipere, quia pacem Dei, qua ipse Deus pacatus est, sicut novit Deus, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli Angeli. *Superat* itaque *omnem intellectum*, non dubium quod præter suum. Sed quia et nos pro modo[1] nostro pacis ejus participes facti summam in nobis atque inter nos et cum ipso pacem, quantum nostrum summum est, obtinebimus : isto modo pro suo modo sciunt eam sancti Angeli, homines autem nunc longe infra, quantumlibet provectu mentis excellant. Considerandum est enim quantus vir dicebat, *Ex parte scimus, et ex parte prophetamus, donec veniat quod perfectum est* (I *Cor.* XIII, 9, 10); et, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*Ibid.* 12). Sic jam vident sancti Angeli, qui etiam nostri Angeli dicti sunt, quia eruti de potestate tenebrarum, et accepto Spiritus pignore translati ad regnum Christi, ad eos Angelos jam cœpimus pertinere, cum quibus nobis erit sancta atque dulcissima, de qua jam tot libros scripsimus, Dei civitas ipsa communis. Sic sunt ergo Angeli nostri, qui sunt Angeli Dei, quemadmodum Christus Dei, Christus est noster. Dei sunt, quia Deum non reliquerunt : nostri sunt, quia suos cives nos habere cœperunt. Dixit autem Dominus Jesus, *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Sicut ergo illi vident, ita et nos visuri sumus : sed nondum ita videmus. Propter quod ait Apostolus, quod paulo ante dixi, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Præmium itaque fidei nobis visio ista servatur, de qua et Joannes apostolus loquens, *Cum apparuerit*, inquit, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus (*a*).

2. Quapropter cum ex me quæritur, quid acturi sint sancti in illo corpore spirituali, non dico quod jam video, sed dico quod credo : secundum illud quod in Psalmo lego, *Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 10). Dico itaque, Visuri sunt Deum in ipso corpore : sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare, ac terram, et quæ sunt in ea, non parva quæstio est. Durum est enim dicere quod sancti talia corpora tunc habebunt, ut non possint oculos claudere atque aperire cum volent. Durius autem, quod ibi Deum, quisquis oculos clauserit, non videbit. Si enim propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem propheta memoratus a lepræ deformitate mundaverat, quod servus nequam domino suo non vidente, latenter se fecisse putaverat (IV *Reg.* v, 8-27); quanto magis in illo corpore spirituali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam unde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus, *Ex parte*, inquit, *scimus*, *et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur.* Deinde ut, quomodo posset, aliqua similitudine ostenderet, quantum ab illa quæ futura est distet hæc vita, non qualiumcumque hominum, verum etiam qui præcipua hic sanctitate sunt præditi : *Cum essem*, inquit, *parvulus, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus cogitabam; cum autem factus sum vir, evacuavi ea quæ parvuli erant. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII, 11, 12). Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ quasi parvuli ad juvenem, vidit tamen Elisæus accipientem munera servum suum, ubi ipse non erat; itane cum venerit quod perfectum est, nec jam corpus corruptibile aggravabit animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi sancti ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad servum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundum interpretes Septuaginta, ista sunt ad Giezi verba Prophetæ : *Nonne cor meum ut tecum, quando conversus est*[1] *vir de curru suo in obviam tibi, et accepisti pecuniam* (IV *Reg.* v, 26)? et cætera. Sicut autem ex Hebræo interpretatus est presbyter Hieronymus, *Nonne cor meum*, inquit, *in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* Corde suo se dixit hoc vidisse Propheta, adjuto quidem mirabiliter, nullo dubitante, divinitus. Sed quanto amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28)? Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium suum, et in loco suo erunt, utetur que illis spiritus per spirituale corpus. Neque enim et ille Propheta, quia non eis indiguit ut videret absentem, non eis usus est ad videnda præsentia; quæ tamen spiritu videre posset, etiamsi illos clauderet, sicut vidit absentia, ubi cum eis ipse non erat. Absit ergo, ut dicamus illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt.

3. Sed utrum videbunt et per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spirituali eo modo utique etiam ipsi oculi spirituales, quantum possunt isti quales nunc habemus; procul dubio per eos Deus videri non poterit. Longe itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est. Non enim quia dicimus Deum et in cœlo esse, et in terra (ipse quippe ait per Prophetam, *Cœlum et terram ego impleo* [*Jerem.* XXIII, 24]), aliam partem dicturi sumus eum in cœlo habere, et in terra aliam : sed totus in cœlo est,

[1] Sola editio Lov., *modulo*.
(*a*) Conf. Epist. 147.

[1] Sic Mss. At Vind. Am. Er., *Nonne cor meum tecum erat, quando conversus est*, etc. Lov., *Nonne cor meum tecum erat, et novi quod conversus est*, etc.

totus in terra: non alternis temporibus, sed utrumque simul, quod nulla natura corporalis potest. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acrius videant, quam quidam perhibentur videre serpentes vel aquilæ (quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre quam corpora): sed ut videant et incorporalia. Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis sancti viri Job, quando ait ad Deum, *In obauditu auris audiebam* [1] *te prius, nunc autem oculus meus videt te; propterea despexi memetipsum, et distabui, et existimavi me terram et cinerem* (*Job* XLII, 5 *et* 6, *sec.* LXX). Quamvis hic nihil prohibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apostolus: *Illuminatos oculos habere cordis vestri* (*Ephes.* I, 18). Ipsis autem videri Deum, cum videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille magister: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Sed utrum etiam corporalibus oculis ibi videatur, hoc in ista quæstione versamus.

4. Illud enim quod scriptum est, *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III, 6), sine ullius nodo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit, Et videbit omnis homo Christum Dei: qui utique in corpore visus est, et in corpore videbitur, quando vivos et mortuos judicabit. Quod autem ipse sit salutare Dei, multa sunt et alia testimonia Scripturarum: sed evidentius venerandi illius senis Simeonis verba declarant, qui cum infantem Christum accepisset in manus suas, *Nunc*, inquit, *dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. (*Id.* II, 29, 30). Illud etiam quod ait supra memoratus Job, sicut in exemplaribus quæ ex Hebræo sunt invenitur, *Et in carne mea videbo Deum* (*Job* XIX, 26, *sec. Vulgatam*): resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit (*a*); non tamen dixit, Per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur: nunc vero potest et sic accipi, *In carne mea videbo Deum* [2]; ac si dixisset, In carne mea ero, cum videbo Deum. Et illud quod ait Apostolus, *Facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12), non cogit ut Deum per hanc faciem corporalem, ubi sunt oculi corporales, nos visuros esse credamus, quem spiritu sine intermissione videbimus. Nisi enim esset etiam interioris hominis facies, non diceret idem apostolus, *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu* [3] (II *Cor.* III, 18). Nec aliter intelligimus quod in Psalmo canitur, *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non erubescent* (*Psal.* XXXIII, 6). Fide quippe acceditur ad Deum, quam cordis constat esse, non corporis. Sed quia spirituale corpus nescimus quantos habebit accessus (de re quippe inexperta loquimur); ubi aliqua, quæ aliter intelligi nequeat [1], divinarum Scripturarum non occurrit et succurrit auctoritas, necesse est ut contingat in nobis quod legitur in libro Sapientiæ: *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ* (*Sap.* IX, 14).

5. Ratiocinatio quippe illa philosophorum, qua disputant ita mentis aspectu intelligibilia videri, et sensu corporis sensibilia, id est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per se ipsam [2] mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profecto certum esset per oculos corporis etiam spiritualis nullo modo posse videri Deum. Sed istam ratiocinationem et vera ratio et prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat Deum corporalia ista nescire? Numquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addiscere? Deinde quod de propheta Elisæo paulo ante diximus, nonne satis indicat etiam spiritu, non per corpus, corporalia posse cerni? Quando enim servus ille munera accepit, utique corporaliter gestum est; quod tamen Propheta non per corpus, sed per spiritum vidit. Sicut ergo constat videri corpora spiritu; quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur et spiritus? Spiritus enim est Deus. Deinde vitam quidem suam, qua nunc vivit in corpore, et hæc terrena membra vegetat facitque viventia, interiore sensu quisque, non per corporeos oculos, novit: aliorum vero vitas, cum sint invisibiles, per corpus videt. Nam unde viventia discernimus a non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Vitas autem sine corporibus corporeis oculis non videmus.

6. Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cœli novi et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, et quæ conspiciemus quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus: non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20) per speculum in ænigmate, et ex parte (I *Cor.* XIII, 12), ubi plus in nobis valet fides qua credimus, quam rerum corporalium species quam per oculos cernimus corporales. Sed sicut homines, inter quos viventes motusque vitales exserentes [3] vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus; cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspicimus: ita quacumque spiritualia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur. Aut ergo

[1] Ita in Mss. At in editis, *audiebam*.
[2] Apud Vind. Am. et Er. additur hoc tantum loco, *Salvatorem meum*.
[3] Editi, *tanquam ad Domini spiritum*. Castigantur ex manuscriptis.
(*a*) Ita Hieronymus, Epistola 61, ad Pammachium, citato hoc Jobi loco: « Quid hac, » inquit, « prophetia manifestius? « Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur. » Coquæus.

[1] Sic Mss. Editi autem Am. Er. Lov., *nequeant*: et infra habebant cum Vind., *non occurrit, sed succurrit auctoritas*.
[2] Ita Vind. Am. et plures Mss. At Er. et Lov., *per se ipsa*.
[3] Am. et Er., *exercentes*.

per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive Scripturarum testimoniis divinarum vel difficile vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in se ipso, videatur in cœlo novo et in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura; videatur et per corpora in omni corpore quocumque fuerint spiritualis corporis oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam cogitationes nostræ invicem nobis. Tunc enim implebitur quod Apostolus cum dixisset, *Nolite ante tempus judicare quidquam;* mox addidit, *donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit*[1] *cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5).

CAPUT XXX. — *De æterna felicitate civitatis Dei, sabbatoque perpetuo.*

1. Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus! Nam quid aliud agatur, ubi neque ulla desidia cessabitur, neque ulla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto Cantico, ubi lego, vel audio, *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Omnia membra et viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per usus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus jam sum locutus, qui nunc latent, harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinsecus et extrinsecus per corporis cuncta dispositi; et cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis[2] pulchritudinis delectatione succendent. Qui motus illic talium corporum sint futuri temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen et motus et status, sicut ipsa species, decens erit, quicumque erit, ubi quod non decebit, non erit. Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax [3], ubi nihil adversi, nec a se ipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, eique se ipsum, quo melius et majus nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per Prophetam dixit, *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs* (*Levit.* XXVI, 12); nisi, Ego ero unde satientur, ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligatur, quod ait Apostolus, *ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28). Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut ipsa vita æterna, communis.

2. Cæterum qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri: tamque nolet[1] esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius

3. Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum, a delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem[2] liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit et peccare: hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim, esse Deum; aliud, participem Dei. Deus natura peccare non potest; particeps vero Dei ab illo accipit, ut peccare non possit. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit ista natura cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit (*a*). Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori: ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis et æquitatis, quomodo est felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem vero felicitatis nec perdita felicitate perdidimus. Certe Deus ipse numquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Erit ergo illius civitatis et una in omnibus, et inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, et impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum; nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit grata [3].

[1] Sic Mss. Editi vero, *manifestet*.
[2] In sola editione Lov., *rationalis*.
[3] Editi addunt, *ibi est*; quod hic non habent Mss.

[1] Er., *tam nolit*. Lov., *tanquam nollet*. Emendantur auxilio manuscriptorum.
[2] Cod. 258, *indeclinabile*. M.
[3] Lov., *non sit ingrata*. Expungendum, *non*; quod merito
(*a*) Conf. Enchirid. n. 28.

4. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem, memor præteritorum etiam malorum suorum : quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. Nam et peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes fere morbos corporis novit : sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus est. Ut ergo scientiæ malorum duæ sunt ; una, qua potentiam mentis non latent ; altera, qua experientis sensibus inhærent (aliter quippe sciuntur omnia vitia per sapientiæ doctrinam, aliter per insipientis pessimam vitam) : ita et obliviones malorum duæ sunt. Aliter ea namque obliviscitur eruditus et doctus, aliter expertus et passus : ille, si peritiam negligat ; iste, si miseria careat. Secundum hanc oblivionem quam posteriore loco posui, non erunt memores sancti præteritorum malorum : carebunt enim omnibus, ita ut penitus deleantur de sensibus eorum. Ea tamen potentia scientiæ, quæ magna in eis erit, non solum sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit. Alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo, sicut ait Psalmus, misericordias Domini in æternum cantabunt (*Psal.* LXXXVIII, 2) ? Quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cujus sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi jucundius civitati. Ibi perficietur, *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11). Quod erit [1] vere maximum sabbatum non habens vesperam, quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur : *Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit : et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus suis, quæ inchoavit Deus facere* (*Gen.* II, 2, 3). Dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando ejus fuerimus benedictione et sanctificatione pleni atque refecti [2]. Ibi vacantes videbimus quoniam ipse est Deus : quod nobis ipsi esse voluimus, quando ab illo cecidimus, audientes a seductore, *Eritis sicut dii* (*Id.* III, 5) ; et recedentes a vero Deo, quo faciente dii essemus ejus participatione, non desertione. Quid enim sine illo fecimus, nisi quod in ira ejus defecimus (*Psal.* LXXXIX, 9) ? A quo refecti, et gratia majore perfecti, vacabimus in æternum, videntes quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. Nam et ipsa bona opera nostra, quando ipsius potius intelliguntur esse quam nostra, tunc nobis ad hoc sabbatum adipiscendum imputantur. Quia si nobis ea tribuerimus, servilia erunt ; cum de sabbato dicatur, *Omne opus servile in eo* [1] *non facietis* (*Deut.* V, 14). Propter quod et per Ezechielem prophetam dicitur, *Et sabbata mea dedi eis in signum inter me et inter eos, ut scirent quia ego Dominus qui sanctifico eos* (*Ezech.* XX, 12). Hoc perfecte tunc sciemus, quando perfecte vacabimus, et perfecte videbimus quia ipse est Deus.

5. Ipse etiam numerus ætatum, veluti dierum, si secundum eos articulos temporis computetur, qui in Scripturis videntur expressi, iste sabbatismus evidentius apparebit, quoniam septimus invenitur : ut prima ætas tanquam dies primus sit ab Adam usque ad diluvium, secunda inde usque ad Abraham, non æqualitate temporum, sed numero generationum : denas quippe habere reperiuntur. Hinc jam, sicut Matthæus evangelista determinat, tres ætates usque ad Christi subsequuntur adventum, quæ singulæ denis et quaternis generationibus explicantur : ab Abraham usque ad David una, altera inde usque ad transmigrationem in Babyloniam, tertia inde usque ad Christi carnalem nativitatem. Fiunt itaque omnes quinque. Sexta nunc agitur, nullo generationum numero metienda, propter id quod dictum est, *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7). Post hanc tanquam in die septimo requiescet Deus, cum eumdem septimum diem, quod nos erimus, in se ipso Deo [2] faciet requiescere. De istis porro ætatibus singulis nunc diligenter longum est disputare. Hæc tamen septima erit sabbatum nostrum, cujus finis non erit vespera, sed dominicus dies velut octavus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solum spiritus, verum etiam corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus, et videbimus ; videbimus, et amabimus ; amabimus, et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis ?

6. Videor mihi debitum ingentis hujus operis, adjuvante Domino, reddidisse. Quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant : quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant. Amen.

omissum est in editis Vind. Am. et Er. vel pro, *ingrata*, legendum ut in melioris notæ manuscriptis, *grata*.

[1] Er. et Lov., *quod erit ibi*. Abest, *ibi*, ab aliis libris.

[2] In plerisque Mss., *perfecti*.

[1] Abest, *in eo*, a veteribus libris.

[2] Er. et Lov., *in se ipso Deus*. Melius editi alii et manuscripti, *in se ipso Deo*.

APPENDIX

TOMI SEPTIMI

OPERUM SANCTI AUGUSTINI.

Exhibentur scriptiones aliquot

DE STEPHANI MARTYRIS DETECTIONE, TRANSLATIONE ET MIRACULIS,

SCILICET :

EPISTOLA

AVITI AD PALCHONIUM,

DE RELIQUIIS SANCTI STEPHANI, ET DE LUCIANI EPISTOLA A SE E GRÆCO IN LATINUM VERSA (a).

Beatissimo dilectissimoque semper in Domino papæ Palchonio, atque universo clero et plebi Ecclesiæ Bracharensis, Avitus presbyter, salutem in Domino æternam.

Memores esse mei vos cupio et deprecor; sicut et ego, in quantum valeo, memoriam vestri habere non cesso, tribulationibus vestris meo dolore compatiens, et pro discidio patriæ vestræ [1] in locis sanctis inexsabiles lacrymas fundens : ut aut vobis Dominus restituat libertatem,quos admonere voluit ; aut illis tribuat mansuetudinem, quos prævalere permisit. Et ego quidem, beatissimi fratres (teste Domino nostro Jesu Christo loquor), frequenter volui venire ad vos, ut vobiscum vel mala tolerarem, vel bonis fruerer : sed impeditum est desiderium meum, per totas jam Hispanias hoste diffuso. Veritus enim sum, ne et sancta loca relinquens, et ad vos forte non perveniens, ubicumque interceptus, irrationabilis audaciæ pœnas luerem. Sed quoniam misericors Deus, meo voto vestroque merito provocante [2], dignatus est indulgentiæ suæ gratiam, primum ut dilectissimus filius et compresbyter meus Orosius usque ad has partes ab Africanis episcopis mitteretur, cujus mihi charitas et consolatio vestram omnium præsentiam reddidit (a) ; deinde ut in diebus ipsis, quibus jam ipse reditum [1] incredibili desiderio parabat, beatus et vere sanctus, corona gloriæ nostræ in Christo Jesu, primus martyr Stephanus se revelare et manifestare signis et virtutibus evidentissime sequentibus dignaretur, quem ego tantarum rerum ordinatoris Dei occasione perceptum [2], dignius duxi Charitati vestræ præmittere, ut ipse præsens advocatus et patronus obsequentium sibi petitionibus dignetur assistere, qui, cum pateretur, etiam pro inimicis orare dignatus est : itaque, beatissimi dilectissimique fratres, memoriam vestri incessabiliter agens, et tam congruentem ordinantis Dei dispositionem videns, promptus fui de presbytero, cui revelatum fuerat, partem aliquam inventi corporis promereri, quam festinato expetitam secretoque perceptam ad vos dirigere non distuli. Quamobrem misi vobis per sanctum filium et com-

[1] In veteribus aliquot manuscriptis deest, *vestræ*; cujus loco in Cimmerii codice et apud Baronium ad annum 415 habetur, *nostræ*.

[2] Sic apud Baronium. At apud Lov., *provocare*. In veteri codice abbatiæ S. Galli, *procurare*.

(a) In præsentem Epistolam hæc habet Gennadius in lib. de Viris illustribus : « Avitus presbyter, homo Hispanus « genere, ante relatam Luciani presbyteri scripturam tran« stulit in latinum sermonem ; et adjecta Epistola sua, per « Orosium presbyterum Occidentalibus dedit. »

[1] Hic in Mss. additur, *ad vos*.

[2] Vetus codex Gallensis, *ordinantis Dei occasione percepta*.

(a) Gennadius in lib. de Vir. illustr. in Orosio : « Hic est « Orosius qui ab Augustino pro discenda animæ ratione ad « Hieronymum missus, rediens reliquias beati Stephani « primi martyris, tunc nuper inventas, primus intulit Oc« cidenti. » Vide Augustini Epistolam 166, n. 2.

presbyterum meum Orosium reliquias de corpore beati Stephani primi martyris, hoc est, pulverem carnis atque nervorum, et quod fidelius certiusque credendum est, ossa solida atque manifesta sui sanctitate novis pigmentis vel odoribus pinguiora. Ut autem nulla possit esse dubitatio, ipsam ad vos subditam scriptis meis, sancti presbyteri, cui hæc revelata sunt, epistolam conscriptionemque transmisi, quam me pro fide veritatis plenius cognoscendæ rogante et expetente dictavit græco primum ipse sermone, sed per me postea in latinum versa est. Quæ et vos, sancti et beati fratres, quam veraciter gesta sunt, tam fideliter suscepta habeatis imploro. Certus sum enim quia, sicut ipse beatus Martyr dignatus est nuntiare et pro salute mundi periclitantis se manifestare, auxilio et præsentia tanti patroni, si vos tale pignus digno studio diligatis, tuti ex hoc quietique vivatis. Gratia Domini nostri Jesu Christi et sancti Spiritus vobiscum, dilectissimi in Domino. Amen.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM EPISTOLAM.

Luciani ad omnem Ecclesiam totiusque orbis Christianos Epistolam indicare videtur Augustinus Tractatu 120 in Joannem, cum dicit n. 4: *Intelligendum est ad Jesum, non tunc solum, sed tunc primum venisse Nicodemum; ventitasse autem postea, ut fieret audiendo discipulus; quod certe modo in revelatione corporis beatissimi Stephani fere omnibus gentibus declaratur.* Et revelationis historiam hic relatam a Luciano confirmat magna ex parte in Sermone 318, n. 1, de Stephano sic loquens: *Hujus corpus ex illo usque ad ista tempora latuit; nuper autem apparuit, sicut solent apparere sanctorum corpora martyrum, revelatione Dei, quando placuit Creatori. Verum autem revelatum fuit ei, qui res ipsas inventas monstravit. Præcedentibus enim signis locus demonstratus est; et quomodo fuerat revelatum, sic et inventum est. Multi inde reliquias acceperunt, quia Deus voluit, et huc venerunt.* Item in Sermone 319, n. 6: *Latuit anto tempore corpus ejus, processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus.* Sed eamdem Epistolam vicinus eorum temporum Gennadius propriis verbis memorat in libro de Viris illustribus: *Lucianus*, ait, *presbyter, vir sanctus, cui revelavit Deus, temporibus Honorii et Theodosii Augustorum, locum sepulcri et reliquiarum corporis sancti Stephani martyris primi, scripsit ipsam revelationem ad omnium Ecclesiarum personas, græco sermone.* Superfluum est testes eos adjungere, qui Gennadii verba ipsa exscripserunt, ut Marcellinus in Chronico, Beda in libro de sex Ætatibus mundi, et posteriores alii. Nonnihil autem quod ad tempus spectat, dissentiunt invicem Marcellinus et Beda, dum hic revelationem ad septimum Honorii imperantis annum, ille vero ad Honorii consulis decimum refert. Marcellino adstipulatur Lucianus qualis a Joanne Ulimmerio primum, ac deinde a Lovaniensibus aliisque fuerat vulgatus, notans nimirum eosdem atque Marcellinus consules: quos mirum est non observatos fuisse a Beda, qui Lucianum hunc ipsum Ulimmerianum legit, et plura ex eodem in librum Retractationum in Acta cap. 8 transcripsit. Certe quidem hæc consulum nota ab alio abest Luciani exemplari, quod in veteribus nonnullis codicibus reperitur. Caret etiam idem istud aliud exemplar in Floriacensi codice illis in fine verbis, n. 9, *Ex his ergo reliquiis transmisi Beatitudini vestræ*, quæ hominis non sunt scribentis ad omnium Ecclesiarum personas. Quanquam hæc forsitan dicebat Lucianus converso ad eos stilo, quorum causa scriptionem hanc edebat rogatus ab Avito, cui etiam reliquiarum partem ipsis transmittendam, sicuti liquet ex Aviti Epistola, donaverat. Porro utrumque hic damus exemplum scriptionis Luciani, Ulimmerianum (sic appellare liceat quod Ulimmerii cura pridem prodierat) ad plures manuscriptos recognitum, et aliud modo descriptum ex Floriacensi libro annos circiter quingentos habente, quod in aliis etiam manuscriptis nonnullis reperitur. Certe hoc posterius non incognitum antiquis fuit; nam Chrysippus presbyter Jerosolymitanus in Photii Bibliotheca, cod. 171, et Ado in Martyrologio id omnino sequuntur, atque ex ipso exscribunt multa, quæ in Ulimmeriano exemplo desiderantur. Additur apud Photium, *Gamalielem præcepisse Luciano, ne posthac reliquias illas sole et pluvia corrumpi per negligentiam sineret*; quod nullo jam in exemplari legitur.

EPISTOLA

LUCIANI AD OMNEM ECCLESIAM,

DE REVELATIONE CORPORIS STEPHANI MARTYRIS PRIMI ET ALIORUM.

EX EDITIS ULIM. ET LOV. ET RECOGNITA AD PLURES MSS.

LUCIANUS misericordia Dei indigens et omnium hominum minimus, presbyter Ecclesiæ Dei quæ est in villa Caphargamala in territorio Jerosolymorum, sanctæ Ecclesiæ et omnibus sanctis qui sunt in Christo Jesu in universo mundo, in Domino salutem.

1. Visio [1] quæ apparuit meæ pusillitati a Deo ter, de revelatione reliquiarum beati et gloriosi protomartyris Stephani et primi diaconi Christi, et Nicodemi qui in Evangelio scriptus est, et Gamalielis qui

[1] In Mss. deest vox, *Visio*.

EX FLORIACENSI CODICE ET ALIIS MSS.

LUCIANUS *misericordia indigens et omnium hominum minimus, presbyter Ecclesiæ Dei quæ est in villa Ca***phargamala in territorio Jerosolymitano, sanctæ** *Ecclesiæ et omnibus sanctis qui sunt in Christo Jesu in universo mundo, in Domino salutem* [1].

1. *Revelationem sancti Stephani, quæ mihi per gratiam Domini et Salvatoris nostri ostensa est, dignum*

[1] In codice Germanensi annorum fere 400 sic inscribitur: *Domino sancto et venerabili [illegible] episcopo, humillimus et omnium infimus Lucianus presbyter de villa Capharga-*

in Actibus Apostolorum nominatur, necessarium duxi pandere vestræ in Christo Dilectioni, imploratus ac magis jussus a sancto et Dei cultore patre Avito presbytero, ut secundum fidem consummatam interroganti quasi filius patri obaudiens, sicut cognovi, cum omni simplicitate impiger integre indicarem omnem veritatem.

2. Die igitur Parasceve, hoc est sexta feria, quæ est tertio nonas decembris, consulatu Honorii decies et Theodosii sexies Augustorum (a), adveniente nocte dormiens in cubili meo, in loco sancto baptisterii, in quo consuetudo erat mihi dormire, et custodire ecclesiastica quæ erant in ministerio, hora tertia noctis quæ est prima custodia vigiliarum, quasi in ecstasi effectus semivigilans, vidi virum senem, longum, hieroprepen, hoc est dignum sacerdote, canum, barbam prolixam habentem, palliatum alba stola, cui inerant gemmulæ aureæ habentes intrinsecus sanctæ crucis signum, et virgam auream in manu habentem. Et veniens stetit ad dexteram meam, et aurea virga pulsavit me, ter vocans nomine meo, dicens : Luciane, Luciane, Luciane. Et dixit mihi græco sermone, Vade in civitatem quæ dicitur Helia, quæ est Jerusalem, et dic sancto Joanni qui est in ea episcopus : Quandiu clausi sumus, et non aperis nobis? Et maxime, quia in temporibus tui sacerdotii oportet nos revelari. Aperi nobis festinanter monumentum, ubi in negligentia positæ sunt nostræ reliquiæ, ut per nos aperiat Deus et Christus ejus et Spiritus sanctus ostium clementiæ suæ in hoc mundo. Periclitatur enim sæculum hoc ex multis casibus (b), qui fiunt in eo quotidie. Et non tantum sollicitus sum pro me, quantum pro his qui sunt positi mecum, sancti et multi honoris digni.

3. Et respondi ei dicens : Quis enim es tu, domine, et hi qui tecum sunt? Respondit mihi : Ego sum Gamaliel, qui Paulum apostolum Christi nutrivi, et Legem docui in Jerusalem. Et qui mecum est in orientali parte monumenti jacens, ipse est domnus [1] meus Stephanus, qui lapidatus est a Judæis et principibus sacerdotum in Jerusalem pro Christi fide foris portam quæ est ad aquilonem, quæ ducit ad Cedar ; ubi die ac nocte jacuit projectus, ut sepulturæ non daretur, secundum mandatum impiorum principum, ut a feris consumeretur corpus ejus. Ex Dei autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, et festinans habere mercedem et partem cum sancto viro in fide, misi per noctem quantos noveram religiosos, et in Christo Jesu credentes, habitantes in Jerusalem in medio Judæorum, et hortatus sum eos, et necessaria substantiæ ministravi, ac persuasi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc est in Caphargamala (quod interpretatur Villa Gamalielis), viginti millia a civitate habens, et ibi feci illi planctum fieri diebus quadraginta [2] et præcepi eum in meo monumento poni in orientali theca, et præcepi eis quæcumque necessaria erant pro ejus planctu de meo dari (c). Ipse etiam domnus Nicodemus in alia theca positus est, qui venit ad Salvatorem Jesum nocte, et evangelizatus est [3] ab eo, audiens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5). Et exiens baptizatus est a Christi discipulis. Et cognoscentes Judæi amoverunt eum a principatu suo, et anathematizaverunt eum, et de civitate exsiliaverunt. Et hunc ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, et alui et ve-

[1] Editi hic et aliis quibusdam locis, *dominus* ; pro quo Mss., *domnus*.

[2] Sic omnes Mss. At editi, *septuaginta*. Beda, *quadraginta quinque*.

[3] Ita in manuscriptis. At in editis, *catechizatus est*.

(*a*) Die tertio decembris anni 415.

(*b*) Id est, *lapsibus*, sive *peccatis*.

(*c*) Beda, lib. Retract. in Acta, cap. 8.

duxi ut vestræ panderem Sanctitati, non jactantia quadam, sed ad confirmationem audientium.

2. Tertia enim vice mihi ostensum est, dum quiescerem in basilica baptisterii in strato meo, die sexta feria illucescente, circa horam noctis tertiam, dum adhuc prope vigilarem, tanquam in ecstasi mentis effectus, vidi virum ætate senem, statura procerum, vultu decorum, prolixa barba, in vestitu candido, amictum pallio, in cujus summitate erant tanquam aureæ cruces intextæ (et manu tenebat virgam auream), calceatum caligis in superficie deauratis, deambulantem coram me, et tacentem. Et cum hoc viderem, hæsitans intra memetipsum dicebam : Quis putas est? de Deo est, an de adversa parte? Nec enim oblitus fueram verba Apostoli dicentis, Nam et ipse satanas transfigurat se in angelum lucis (II Cor. XI, 14). Cum ergo viderem eum deambulantem, cogitare cœpi in corde meo, et dicere : Si hic homo de Deo est, tertia vice me nomine meo clamabit : quod si me semel vocitaverit, non illi dabo responsum. Qui nihil dubitans, dissimulata deambulatione venit ad me : et de virga, quam manu tenebat, pulsans me, tertio me nomine meo clamavit, dicens : Luciane, Luciane, Luciane. Cui ego respondi : Quis es, domine? Dixit mihi : Surge, et vade, et dic Joanni episcopo Jerosolymitano : Usquequo clausi sumus? usquequo non aperis nobis? maxime cum temporibus tuis revelandi simus. Aperi nobis celerius, ut per vestram orationem aperiat Deus januam clementiæ misericordiæ suæ. Instat enim tempus, ut hic mundus intereat, præ multitudine iniquitatum suarum, quas quotidie faciunt. Et post hæc ait : Non solummodo mei causa sollicitus sum, sed et pro illis qui mecum sunt : digni enim sunt maximis honoribus cumulari in terris ; quia locus in quo jacemus, valde despectus est.

3. Cum hæc igitur audissem, aio ad eum : Dicito mihi, domine, tu quis es, et qui sunt tecum? Et dicit mihi : Ego sum Gamaliel, qui nutrivi Paulum qui postea apostolus factus est. Qui autem jacet mecum, domnus Stephanus est, qui a Judæis Jerosolymis lapidatus est, et die noctuque in exapeleo jacuit civitatis, in via euntibus Cedar, jussu impiorum sacerdotum projectus, ut a bestiis et avibus devoraretur [1]. *Et tamen nec bestiæ eum, nec aves tangere præsumpserunt. Ego vero Gamaliel cum scirem sanctitatem viri et fidem et devotionem ejus, credens me partem cum eo in resurrectione habere, misi ad religiosos viros et fideles, mandans et dicens : Nullum formidantes acquiescite consiliis meis, et colligite corpus sancti Stephani, et deferte ad possessionem meam, quam nomine meo appellavi Caphargamala : et deponite eum in monumento meo novo ; et facite consueta solemnia per dies quadraginta, in ipsa possessione, quæ est in vigesimo secundo lapide. Et quæcumque in expensis solemnibus erogata fuerint, de meo præberi faciam. Ille vero alius, qui cum illo jacet, Nicodemus nepos meus est, qui noctu ad Salvatorem veniebat, ut veritatis verba agnosceret, et renasceretur per aquam et Spiritum sanctum. Qui cum a Domino audisset, baptizatus est a sanctis apostolis Petro et Joanne. Pro quo baptismate indignati sunt principes sacerdotum adversus Nicodemum, et cogitabant occidere eum : sed propter honorem meum et rem* [2] *consanguinitatis non fecerunt. Attamen plagis eum multis afficientes, semimortuum reliquerunt, et anathematizaverunt, et foras civitatem miserunt, diripientes omnem substantiam ejus. Ego vero et hunc feci collegi, et in possessionem meam deduci, præcipiens dispensatori meo, ut quidquid illi necessa-*

mala territorio Jerosolymitano, perpetuam in Christo Jesu salutem. Et incipit : *Revelationem quæ mihi ostensa est, dignum duxi ut vestræ panderem Sanctitati.* Alius vero Germanensis ante annos, ut videtur, sexcentos scriptus consentit Floriacensi libro, quem hic sequimur. Mutavit forte inscriptionem Epistolæ ipse Lucianus, cum Stephani reliquias Hymesio transmitteret.

[1] Germanensis codex, *in exapoli jacuit civitate. Inde abstractus est in via euntibus Cedar, jussu impiorum sacerdotum, ut a bestiis et avibus devoraretur.*

[2] In Germanensi Ms., *et fera.*

stivi eum usque ad finem vitæ ejus, et defunctum honorifice sepelivi juxta dominum Stephanum. Similiter et Abibas[1] filius meus dilectissimus, qui mecum Baptismum Christi accepit ab ejus discipulis, viginti annorum existens, ante me mortuus est, et sepultus in tertia theca excelsiori, in qua et ego ipse postea defunctus, applicitus sum. Mea vero uxor Ethna habens nomen, et Selemias primogenitus meus, quia noluerunt esse inter Christi cultores, in alia villa matris suæ sepulti sunt, hoc est in Capharsemelia. Interrogavi autem ego humilis Lucianus presbyter dicens: Et ubi vos inveniemus? Qui dixit mihi: In medio[2] proastio quod potest intelligi proximo de villa agro, qui dicitur Delgabri, id est, Virorum Dei.

4. Et evigilavi, et deprecatus sum Dominum, dicens: Domine Jesu Christe, si est hæc visio ex te, et non est illusio, fac ut iterum et tertio appareat mihi quando vis, et quomodo vis. Cœpi ergo jejunare, et abstinere me a diliciis[3] usque ad aliam Parasceven. Et iterum dominus Gamaliel eadem similitudine, eodemque schemate apparuit mihi, sicut in prima visione, dicens: Quare neglexisti ire, et dicere sancto episcopo Joanni? Et ego respondi: Timui, domine, mox ad primam visionem hæc renuntiare, ne viderer seductor esse. Deprecatus sum autem, ut si a Domino missus fuisses ad me, denuo ac tertio appareres mihi. Dixit autem ad me Gamaliel: Acquiesce, acquiesce, acquiesce mihi. Et iterum ait mihi: Quoniam requisisti de reliquiis singulorum quomodo et ubi sint positæ; attende sensum, et vide diligenter quæ ostenduntur tibi. Et dixi: Etiam, domine. Et statim attulit quatuor calathos, tres aureos, et unum argenteum. Tres eorum pleni erant rosis: duo habebant albas rosas, et tertius rubicundas coloris sanguinei: quartus vero calathus argenteus plenus erat croco bene olente. Et posuit eos ante me. Et ego dixi ei: Quid sunt isti, domine? Et dixit mihi: Lipsana nostra sunt. Qui rubeas habet rosas, ipse est dominus Stephanus, qui a dextris positus est ad orientem ab introitu monumenti. Secundus calathus, dominus Nicodemus est, positus contra ostium. Unus vero calathus argenteus, Abibas est filius meus, de utero testimonii, id est devotus in lege, immaculatus ex utero matris suæ excessit e mundo, propterea in similitudinem argenti mundissimi apparuit. Numquid non vides crocum qui in ipso est, suavissimi esse odoris? Et ipse conjunctus est meo calatho in excelso loco, ubi ambo positi sumus quasi gemini. Et cum hæc dixisset, denuo ex oculis meis evanuit.

5. Cumque expergefactus fuissem, gratias egi Deo omnipotenti, et consuetis jejuniis operam dedi usque ad tertiam revelationem. In tertia igitur septimana, eadem die et hora, venit supradictus vir comminans et tremebundus, et dixit mihi: Quare usque nunc dissimulasti, et noluisti pergere, et dicere episcopo Joanni quæ tibi dicta sunt et ostensa? Quam excusationem habebis apud Deum, aut quam veniam pro hoc contemptu sperabis in die judicii? Numquid non vides quanta siccitas est et tribulatio in toto mundo? Et tu negligenter agis! Numquid non consideras quia multi meliores te sunt per eremum sancti viri, quos prætermittentes, per te volumus innotescere? Ideo itaque te ex aliis in hac villa voluimus esse sacerdotem, ut per te manifestaremur. Exsurge igitur, et vade, et dic illi, ut aperiat nobis, et faciat locum orationis, ut intercessione nostra misereatur Dominus populo suo. Et cum de verbo ejus intremuissem, dixi: Non negligens fui, domine mi, sed præstolabar tertium adventum tuum. Nunc vero sine crastina die pergam, [illegible]

¹ [illegible], vel Abibos.
² [illegible]
³ [illegible]

rium fuisset, præstaret. Qui cum paululum supervixisset, dormivit in Domino. Quem feci sepeliri ad pedes beati Stephani, tanquam pro nomine confessoris. Ille vero tertius, qui mecum jacet, ipse est Abibas filius meus, qui mecum pariter credidit Christi præceptis, et mecum pariter Baptismum consecutus est a sanctis Apostolis, vigesimum circiter agens annum, Legis multam habens scientiam, castus corpore, et nullam mulieris sciens maculam: sed semper templo Dei vacans cum Paulo discipulo meo. Præcesserat enim ad Deum immaculatus (a). Juxta quem[1] positi sunt de quibus supra locutus sum, cum quibus et ego jaceo. Nam conjux mea Ethna[2] et primogenitus meus filius Selemias, qui noluerunt in Christum credere, recesserunt a nobis, et in possessione sua materna sepulti sunt, quæ Capharselemia dicitur: quia indigni habiti sunt societate nostra. Ut autem credas, cum cœperis fodere, invenies locum uxoris meæ et filii vacuum. Et ita ut dixit invenimus. Et cum ego miserrimus interrogassem, dicens: Ubi vos inveniemus, domine? dicit mihi: In possessione mea invenies nos, quæ nunc lingua Syriaca dicitur Delangabria[3], sive Debatalia, quod interpretatur Possessio virorum Dei, sive bellatorum[4]. Et cum hæc omnia prædixisset, evanuit ex oculis meis.

4. Ego vero post hanc visionem surrexi, et prostratus orationi, rogavi Domini misericordiam, et dixi: Domine Jesu, si hæc revelatio sive visio ex voluntate tua est, præsta ut iterum et tertio manifestetur mihi, ut confisus fiducialiter annuntiem revelationem Sanctorum tuorum. Et cœpi ex illa die jejunare, et ab omnibus me abstinere, et præter panem et salem in escam nil sumere, et aquam bibere, sicut solemus in diebus sanctæ Quadragesimæ facere. Insequenti vero sexta feria denuo venit sanctus Gamaliel in ipso habitu, sicut prius venerat, et in ipsa noctis hora, me necdum valde soporato; et dicit mihi: Quare dissimulasti, charissime pater, et non perrexisti et retulisti Joanni episcopo? Numquid non vides quanta siccitas est super terram et tribulatio in toto mundo? Et tu negligenter agis! Surge igitur, et vade, et dic illi ut aperiat nobis, et faciat locum orationis, ut per intercessionem nostram misereatur Dominus populo suo. Ego vero aio ad eum: Non egi dissimulanter, domine mi; sed rogavi Dominum, et dixi, Domine Jesu, si ex te est hæc revelatio, secundo et tertio appareat mihi. Et nunc, domine, ecce secunda vice venisti, et lætificasti me: si autem tertio veneris, plenius me exhilarabis. Cumque hæc audisset, de manu significavit, dicens: Ignosco, ignosco, ignosco. Et cum hæc dixisset, dicit mihi: Audi, presbyter. Cui ego respondi, et dixi: Loquere, domine, quia audio. Et dicit mihi: Quia hæsitasti in animo tuo, dicens, Si fuerit ut inveniam locum, putas in uno loco positos omnes inveniam? Quod si ita evenerit, quemadmodum potero discernere reliquias singulorum? Hæc ergo intra temetipsum cogitabas. Cui ego negare non potui; et dixi: Verum est, domine, ita volvebam in animo meo. Omnia nosti, et nihil te latet. Et dicit mihi: Non sumus, ut putas, in uno loco positi; sed unusquisque nostrum suum locum habet. Animadverte itaque quæ dico tibi, et intende animo. Et respiciens vidi extendentem manus suas ad cœlum, et orantem. Et statim deposuit ante me quatuor calathos, tres aureos, et unum argenteum, plenos rosis: et unus ex ipsis plenus erat croco. Unus vero de tribus calathis rubicundis valde rosis habebat tanquam sanguineis, quem et ad dexteram meam posuit. Alii vero duo pleni erant rosis albis, in modum lilii, sed rosæ erant.

¹ Sic [illegible] codex. At Germanensis, et mecum pariter [illegible] est a [illegible] Nam [illegible] Legis [illegible] habens [illegible] corpore, et nullam mulieris [illegible] tempo [illegible] ad [illegible], etc.
² [illegible] codex, Athea. Alius Germanensis vetustior, [illegible].
³ Idem Germanensis codex, Delgabria.
⁴ Ado in Martyrologio, [illegible]
(a) [illegible] Bibliotheca, cod. 171, sectione altera, et Ado in martyrologio, quæ illa et sequentia refert.

adstarem episcopo Joanni, narrans ei omnem visionem. A quo videbar audire: Si hæc ita se habent ut dicis, charissime, et Dominus tibi revelavit hæc temporibus nostris, oportet me colligere de possessione illa bovem illum maximum aratorem, qui et carro et aratro aptus est, dimittere tibi possessionem cum omnibus cæteris. Ad quem aio: Utquid mihi possessio, domine mi, si non habeo bovem illum per quem regatur et aretur possessio? Et dixit mihi episcopus: Ita placuit, charissime, quoniam civitas nostra vehiculis ministratur, et unum bovem ad illum maximum carrum minus habemus [1], quem tu diceris in possessione tua celare. Oportet namque ut in civitate celeberrima sit magis quam in parvula possessione. Numquid non tibi sufficiunt duo residui boves minores ad excolendam terram vehiculi tui?

6. Cumque hoc in exstasi, hoc est in excessu mentis, audissem, statim expergefactus benedixi Dominum, et perrexi ad civitatem ad sanctum episcopum Joannem. Et cum illi omnia quæ videram narrassem, retícui de visione bovis, exspectans quid audirem ab eo. Intellexeram enim quia sanctus Stephanus ipse esset bos maximus, et quia carri illi de quibus dicebat sanctæ essent Ecclesiæ, et Sion prima Ecclesia, ipsa esset carrus major. Et quia habebat sanctus episcopus a me petere benedicti Stephani reliquias, ideo de visione bovis episcopo dicere nolui. Cumque hæc audisset Joannes episcopus, lacrymatus est præ gaudio, et dixit: Benedictus Dominus Deus Filius Dei vivi. Si hæc ut dicis, charissime, et audisti [2], et Deus tibi revelavit, oportet me inde transferre beatum Stephanum primum martyrem et archidiaconum Christi, qui primum adversum Judæos dominica bella bellavit, et Deum in sua majestate in terris positus in cœlo vidit stantem, et tanquam angelus in conspectu hominum apparuit. Hæc autem omnia ut vidi, ita evenerunt et consona sibi apparuerunt universa. Dixit autem mihi sanctus episcopus: Vade, fode in acervo, qui est in ipso agro: et si inveneris, nuntia mihi. Et ego dixi ei: Deambulavi agrum, et vidi acervum minutorum lapidum in medio, ubi arbitratus sum eos esse. Et dixit mihi papa: Jam dixi tibi, Vade, fode; et si inveneris, sedens custodi locum, et manda mihi per diaconum ut veniam ad locum. Et ita me dimisit. Et cum venissem in villam, misi præcones, ut omnes habitatores villæ diluculo consurgerent, et foderent in acervo.

7. Eadem vero nocte, apparuit ipse domnus Gamaliel cuidam monacho nomine Migetio [3], innocenti et simplici viro, eadem similitudine qua mihi apparuit, et dixit ad eum: Vade, dic Luciano presbytero, Vane laboras in acervo illo; modo non ibi sumus, sed tunc ibi positi fuimus, cum lamentarentur nos secundum consuetudinem antiquorum, propter quod ibi acervus in testimonium planctus factus est. Sed quære nos in alia parte, quæ est ad boream [4], et loco qui dicitur syra lingua Debatalia, quod interpretatur in græco ἀνδρῶν ἀγαθῶν, quod nos possumus dicere, Virorum fortium. Diluculo vero consurgens ad hymnos, inveni monachum illum prædicantem omnibus fratribus. Hymnis deinde dictis, cœpi dicere: Eamus ad acervum illum, et fodiamus in illo. Tunc quidam dixerunt mihi: Audi primum quid dicat monachus Migetius. Et advocato monacho Migetio, exquisivi ab eo quid esset quod vidisset. Ille autem universa signa quæ videram domni Gamalielis dixit mihi, et quemadmodum vidisset contra austrum agrum situm, et monumentum in eo quasi neglectum et ruinosum, ubi vidisset tres lectos aureos stratos, et unum ex eis altiorem cæteris in quo erant duo jacentes, unus senex et unus juvenis, et in aliis duobus lectis erant singuli. Et respondit qui erat in excelsiori lecto, et

[1] Editi, *et unum bovem illum maximum ad carrum minus habemus*. Castigantur ex Mss.
[2] Forte, *ita audisti*. M.
[3] Sic Mss. Editi autem, *Nigetio*.
[4] Editi, *quæ est Borani*. Emendantur ad veteres codices.

Et quartus calathus crocum habebat, cujus odor fragrabat suavissimus. Et posuit illos in conspectu meo, et dicit mihi: Vides hos calathos? Et aio ad eum: Etiam, domine. Et dixit mihi: Isti sunt loculi nostri in quibus jacemus, et hæ rosæ reliquiæ nostræ sunt; et sicut vides hunc calathum rosas pulcherrimas habentem ad dexteram tuam positum, ita cum aperueris ipsum locum, invenies ostium sepulcri, et introgressus reperies in dextera parte loculum, ipse est sancti Stephani. Et ne dubitare velis: quia ipse solus et nobilissimus quia meruit coronari, Et ideo in orientali parte positus est. Ille vero loculus qui ad partes boreæ, id est aquilonis, positus est, ipse est sancti Nicodemi neophyti. Alius vero loculus, qui paululum eminentior est, ipse est meus et filii mei, quia et nos neophyti fuimus. Et ego aio ad eum: Rogo, domine mi, quare unus calathus argenteus est? Et dixit mihi: Quoniam filius meus castus et immaculatus [2] excessit e mundo, propterea in similitudinem argenti mundissimi apparuit. Numquid non vides crocum, qui in ipso est, suavissimi esse odoris? Et dum hæc dixisset, denuo ex oculis meis evanuit.

5. Cumque expergefactus fuissem, gratias egi Deo omnipotenti, et constitutis jejuniis operam dedi usque tertiam revelationem. In tertia igitur septimana, eadem die et hora venit supradictus vir, comminans et fremebundus, et dicit mihi: Quare usque nunc dissimulasti, et noluisti pergere, et dicere episcopo Joanni quæ tibi dicta sunt et ostensa? Quam excusationem habebis apud Deum, aut quam veniam pro hoc contemptu sperabis in die judicii? Et non consideras quia multi meliores te sunt per eremum sancti viri, quos prætereuntes per te voluimus innotescere. Ideo namque te ex alia basilica hic voluimus esse sacerdotem [3], ut per te manifestaremur. Et cum ad verba ejus intremuissem, dixi: Non fui negligens, domine mi, sed exspectabar tertio adventum tuum. Nunc vero sine crastina die pergam [4], omnia quæ mihi mandasti dicturus. Et cum indignans adversum me staret, videbar mihi quasi in alterum mentis excessum devenissem Jerosolymis [5], et quia in conspectu starem episcopi Joannis, narrans ei omnem visionem. A quo videbar audire: Si hæc ita se habent, ut dicis, charissime, et Dominus tibi revelavit hoc temporibus nostris; oportet me tollere de possessione illa bovem illum maximum aratorem, qui carro et aratro aptus est, et dimittere tibi possessionem cum cæteris omnibus. Ad quem aio: Utquid mihi possessio est, domine mi, si non habeo bovem per quem regatur et aletur possessio? Et dicit mihi episcopus: Ita placuit, charissime, quia civitas nostra vehiculis ministratur, et unum bovem ad illum maximum carrum minus habemus, quem tu diceris in possessione tua celare. Oportet namque ut in civitate celeberrima sit quam in parva possessione. Numquid tibi non sufficiunt duo residui boves, et unus vitulus, et utensilia bovis maximi, ad excolendam terram vehiculi tui?

6. Et cum hoc in ecstasi, hoc est in excessu mentis, audissem, statim expergefactus benedixi Deum: et perrexi in civitatem ad sanctum episcopum Joannem. Et cum illi omnia quæ videram enarrassem, reticui de visione bovis, exspectans quid audirem ab eo. Intellexeram enim quia sanctus Stephanus ipse est bos maximus; et quia carri illi, de quibus dicebat, sanctæ essent Ecclesiæ; et Sion prima Ecclesia, ipsa esset carrus major; et quia habebat sanctus episcopus a me petere sancti Stephani reliquias, ideo de visione bovis episcopo dicere nolui. Cumque audisset episcopus Joannes, præ gaudio lacrymatus est, et dixit: Benedictus Dominus Deus Filius Dei vivi. Si hæc, ut dicis, charissime, ita audisti, et Deus tibi revelavit; oportet me transferre inde beatum Stephanum primum martyrem, archidiaconum Christi, qui primus apud Judæos dominica bella bellavit, et Do-

[1] Germanensis Ms., *nepotis mei*.
[2] Germanensis codex, *virgo et immaculatus*.
[3] Idem Germanensis codex, Cimmeriano exemplari magis hoc loco consentiens, *Ideo namque te ex alia in hac villa voluimus esse presbyterum ut per te manifestaremur*.
[4] Idem codex, *sine retardatione pergam*.
[5] In eodem Germanensi codice, *devenisse Jerosolymam*.

dixit : Vade, dic presbytero Luciano, quoniam nos domini loci istius fuimus : si vis magnum et justum invenire, ipse ab orientali plaga positus est. Et hæc audiens a monacho, glorificavi Dominum, quoniam inventus est alius testis in revelatione.

8. Nos igitur ivimus ad acervum, et fodientes nihil invenimus. Convertimus autem nos ad monumentum illud, ubi monacho ipsa nocte apparuerat, et fodientes invenimus tres thecas, secundum quod apparuerat mihi in typo calatherum. Invenimus igitur altissimis litteris scriptum lapidem obrutum, habentem, Keayea Celiel, quod interpretatur Servus Dei; et Apaan Dardan, quod interpretatur Nicodemus [1] et Gamaliel. Hoc interpretatus est papa Joannes, sicut et ipse audivi ab ipso sancto episcopo. Statim ergo renuntiavi episcopo, cum esset in Lidda, quæ est Diospolis, synodum [2] agens. Qui assumpsit secum duos alios episcopos, Eleutherium [3] de Sebaste, et Eleutherium de Jericho, et venerunt ad locum. Qui cum aparuissent domini Stephani thecam, statim terræ motus factus est, et tanta suavitas et fragrantia odoris inde ingressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audisse vel sensisse : ita ut putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Multitudo namque populi aderat nobiscum, inter quos erant plurimi infirmi variis languoribus. Et ipsa hora mox de odore suavitatis ejus septuaginta et tres animæ curatæ sunt. Ab aliis fugati dæmones, aliorum fons restrictus est sanguinis, alii a strumis et furunculis liberati; alii a syringio sanati, alii a tertianis et quartanis; alios febris reliquit, alios morbus regius; alii a cephalalgia curati et hemicrania nonnulli a viscerum occulto dolore liberati. Et multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum est. Et osculantes sanctas reliquias iterum clauserunt. Et tunc cum psalmis et hymnis portaverunt reliquias beatissimi Stephani in sanctam ecclesiam Sion, ubi et archidiaconus fuerat ordinatus : derelinquentes nobis de membris Sancti parvos articulos, imo maximas reliquias, terram cum pulvere, ubi omnis ejus caro absumpta est, cætera asportaverunt [4].

9. Ex his ergo reliquiis transmisi Beatitudini vestræ: quas cum susceperitis, orate pro exiguitate mea, ut dignus inveniar in conspectu Domini, fultus beatissimi martyris Stephani meritis, et vestris orationibus. Translatæ sunt autem reliquiæ ipsius Martyris septimo kalendas januarias. Et tunc in tempore jugis et infinita siccitas erat : sed eadem hora pluvia magna descendit, et abundanter inebriata est terra : et omnes glorificabant ibi Dominum, propter sanctum ejus Stephanum, et propter cœlestem ejus thesaurum misericordiæ et pietatis, quem periclitanti sæculo aperire dignatus est Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

minum in sua majestate in terris positus in cœlum vidit stantem, et tanquam angelus in concione hominum apparuit. Et cum hæc dixisset sanctus Joannes, dimisit me. Cumque venissem ad villam, misi præconem ad omnes habitatores villæ, diluculo ut consurgerent, et foderent in acervo.

7. Eadem vero nocte apparuit ipse domnus Gamaliel cuidam monacho Migetio nomine, innocenti et simplici viro, ea similitudine qua mihi apparuit; et dixit ad eum : Vade, et dic Luciano presbytero, In vanum laboras in acervo illo; modo non sumus ibi, sed tunc ibi positi fuimus, cum lamentarentur nos secundum consuetudinem antiquorum : propter quod acervus in testimonium planctus factus est. Sed quære nos in alia parte, in loco qui dicitur lingua syriaca, Debathalia; quod interpretatur in græco, Andragathon; quod nos possumus dicere, Virorum bonorum. Diluculo vero surgens, inveni monachum illum prædicantem omnibus fratribus. Hymnis dictis, deinde cœpi dicere : Eamus ad acervum illum, et fodiamus in illo. Tunc quidam dixerunt mihi : Audi primum quid dicat monachus Migetius. Advocato monacho Migetio, exquisivi ab eo quid esset. Ille autem universa signa quæ viderat [1] Gamalielis, dixit mihi, et quemadmodum vidisset contra austrum agrum situm, et monumentum in eo quasi neglectum et ruinosum, ubi tres lectos aureos stratos vidit, unum ex iis altiorem ab aliis, in quo erant duo jacentes, unus senex et unus juvenis, et in aliis lectis duobus erant singuli. Et respondit qui erat in excelsiori lecto, et dixit : Vade, et dic presbytero Luciano, quoniam nos domini loci hujus sumus. Si vis magnum et justum invenire, ipse ab orientali plaga nobis positus est. Et hæc audiens a monacho, glorificavi Dominum, quoniam inventus est et alius testis in revelatione. Hæc autem ut vidi [2], ita et evenerunt; et consona sibi apparuerunt universa.

8. Statim igitur nuntiavi beato episcopo. At ille misit ad fratres suos episcopos. Qui cum occurrissent, venerunt ad locum : quem cum jussissent fodere, et pars terræ maxima fuisset egesta, invenimus lapidem, in quo sculptum erat, Celehel, Nasoon, Gamaliel, Abbibabel [3]; hebraica quidem verba, litteris autem græcis. Interpretatio vero nominum hæc est : Celehel Stephanus quidem dicitur, Nasoon vero Nicodemus, Abibabel filium Gamalielis significat. Cum autem pervenissemus deorsum, invenimus locum sancti Stephani in parte orientis, sicut audieram. Et statim terræ motus factus est, et tanta suavitas et fragrantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum sensisse se meminit : ut putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Multitudo namque populi aderat nobiscum, inter quos plurimi erant infirmi variis languoribus : in ipsa hora mox de odore suavitatis ejus septuaginta et tres animæ curatæ sunt. Ab aliis fugati dæmones, aliorum fons restinctus est sanguinis : alii a strumis et furunculis liberati; alii a secretiore infirmitate sanati, alii a tertianis et quartanis : alios febris reliquit, alios morbus regius : alii a cephalargia curati et hemicranio : et multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum est. Aderant enim tunc in illo tempore episcopi, Joannes Jerosolymitanus, et Eustonius episcopus de Sebasti civitate, et Eleutherius Jerichontinus, cum omni clero. Itaque cum psalmis [4] et hymnis asportaverunt reliquias beatissimi Stephani in sanctam ecclesiam Sion, ubi archidiaconus fuerat ordinatus : derelinquentes nobis de membris Sancti parvos articulos, imo maximas reliquias cum pulvere, ubi ejus omnis caro absumpta est [5].

[1] In Mss. sic legitur, *habentem ita : Celiel, quod interpretatio Stephanus Dei; et Nasdam, quod interpretatur Nicodemus.*

[2] Mss., *in synodo.*

[3] Melius in altero exemplari ex Floriacensi codice, *Eustonium, sive, Eutlonium*, qui et inter Diospolitanæ synodi episcopos nominatur ab Augustino in libro primo contra Julianum, n. 19.

[4] In Mss. post, *imo maximas reliquias*, habetur sic, *cætera cum pulvere, ubi omnis ejus caro absumpta est, asportaverunt.*

[1] Germanensis Ms., *videram.*

[2] Idem Germanensis Ms., *vidi.*

[3] In eodem Germanensi Ms., *in quo sculptum erat Cheliel, Nasuam, Gamaliel, Abiba.*

[4] Germanensis codex, *Joannes Jerosolymitanus, et Eustonius Sebastenæ civitatis, et Eleutherius Jerichontinus : hi omnes cum clero suo venerunt, et ita cum psalmis*, etc.

[5] Idem Germanensis codex, ut in inscriptione Epistolæ, quam Hymnesio episcopo prænotatam observavimus, ita in conclusione recedit a codice Floriacensi, et habet sic : *ubi ejus omnis caro defluxerat. Ex his ergo sanctis reliquiis Beatitudini vestræ transmisi. Quod cum susceperitis, orate pro exiguitate mea, ut dignus inveniar in conspectu Domini Jesu Christi, adjutus meritis beati primi martyris Stephani. Et vos mementote nostræ humilitatis, et tanquam præsentem me diligite, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Nec addit inventas esse Stephani reliquias tertio nonas augusti.

9. *Et ideo orate, precor, pro exiguitate mea, ut dignus inveniar in conspectu Domini, adjutus beatissimi martyris Stephani meritis, et vestris orationibus: regnante Christo Jesu Domino nostro, cui est cum Patre et Spiritu sancto gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. Inventæ sunt autem reliquiæ beatissimi Stephani tertio nonas augustas.*

ADMONITIO IN EPISTOLAM ANASTASII
ET IN SUBSEQUENTEM SCRIPTURAM.

Ex vetere libro Floriacensi prodit Epistola hæc Anastasii, qua ille significat e græco sermone in latinum translatam suo labore subsequentem scripturam. Quonam auctore condita græce et confecta fuerit scriptura, compertum non est: ei tamen fidem addunt multi e Græcis, qui plerumque illam Stephani martyris, quam narrat, detectionem aliam et in urbem Constantinopolim translationem statuunt post aliquot annos a revelatione facta Luciano. Enimvero contigisse translatio hæc dicitur, « cum esset reconditum sancti Stephani corpus Jerosolymis in sancta Sion: » quo nimirum a Joanne Jerosolymitano translatum post Luciani revelationem fuit, secundum ipsius Epistolam Luciani. Attamen Nicephorus, lib. 14, cap. 9, refert primum Stephani reliquias Constantinopolim deportatas sub Constantino, tum addit partem quamdam ejus reliquiarum, quæ occultata forsitan et relicta erat in Palæstina, a Luciano postea detectam divina revelatione. Cæterum subsequentis scripturæ falsitatem produnt plurima, quæ cum temporum historia pugnant. Dicitur Stephani loculus in oratorio per Alexandrum exstructo « positus consulatu Constantini Augusti decies: » et Constantinus imperator octies tantum consul in Fastis consignatur. Cyrillus, qui hic nominatur episcopus Jerosolymitanus, non sub Constantino suscepit episcopatum, sed sub Constantio, annis certe multis post mortem Eusebii episcopi, qui Eusebius nihilominus Constantinopoli sedere et Stephani corpus excipere fingitur.

EPISTOLA
ANASTASII AD LANDULEUM,
DE SCRIPTURA TRANSLATIONIS PROTOMARTYRIS STEPHANI, QUAM E GRÆCO IN LATINUM VERTIT.

LANDULEO *egregio et Deo digno episcopo Capuano*, ANASTASIUS *exiguus Apostolicæ* [1] *bibliothecarius, in Domino salutem.*

1. Quia sancta Ecclesia, cui Venerabilitas tua præesse decenter agnoscitur, beati Stephani reliquiis et memoria celebris et insignis habetur, ac per hoc magno erga ejus reverentiam Sanctitas tua flagrat affectu; ratum duxi, penes Mantuanam urbem Sedis apostolicæ legationis apud Augustos explenda [2] causa degens, Translationem ipsius sacri corporis græce conscriptam, ac ex improviso delatam, latineque nusquam a me ante prorsus inventam, romano dare sermoni, tuæque piæ destinare devotioni: quatenus per hoc et otiositatis a me rancor excluderetur, et latinitas tantorum miraculorum cognitione minime fraudaretur. Accidit autem, ut etiam super hoc a præfatæ urbis incolis obnixe rogarer, eo quod illic hujus martyris habeatur templum, honesta qualitate constructum.

2. Suscipe itaque hoc opusculum, et mira quæ primus Christi Domini Martyr atque Diaconus post transitum gessit, quæque forte hactenus ignorasti, comperiens, laudes auctori dignas repende: diemque anniversarium, mei quoque non immemor, in hujus mirabilis translationis celebrationem solemniter age. Sed quoniam tunc temporis ibidem positus sermonem nihilominus quem de virginitate super Anna et Simeone, imo quem de tribus professionibus Amphilochius Iconii præsul habuerat, interpretatus sum, et hunc quoque cum memorato simul opusculo Sanctimoniæ tuæ mittere procuravi. Spirituali quippe nil fere commodius duxi, quam spiritualia offerenda. Beatitudo tua in æternum valeat mei memor, impetrantibus Dei sedes orationibus suis.

[1] Supple, *sedis.*
[2] Forte, *explendæ.*

SCRIPTURA
DE TRANSLATIONE SANCTI STEPHANI
DE JERUSALEM IN URBEM BYZANTIUM.

1. Factum est, cum esset reconditum corpus sancti Stephani primi martyris Jerosolymis in sancta Sion, in diebus Joannis episcopi Jerosolymitani, ut Alexander quidam senatorum posuisset in animo suo construere oratoriam domum sancti Stephani. Quo peracto, deprecatus est multum Joannem episcopum, ut

conderet corpus sancti martyris Stephani in eodem oratorio. Tunc ergo episcopus posuit loculum, et titulum clavis confixit forinsecus, mense decembri, die quarta decima, indictione quinta [1], consulatu domini nostri imperatoris Constantini Augusti decies. Itaque post annos quinque in infirmitatem incidens Alexander senator, testamentum fecit sanctæ Ecclesiæ et pauperibus atque conjugi suæ Julianæ, adjurans Joannem episcopum per Dominum nostrum Jesum Christum, Ut post obitum, inquit, meum fiat loculus persicus, et locate me juxta sancti protomartyris Stephani tumulum : nam et domum ejus ædificavi ex mea substantia. Quo dicto dormivit in pace. Postera vero die veniens episcopus una cum multitudine populi, sustulit eum, et posuit juxta sanctum Stephanum protomartyrem.

2. Post octo autem annos Juliana uxor ejus cogitans et esse bonum existimans, voluit corpus viri tollere, ac deferre Byzantium in propriam possessionem. Et hoc consiliata, profecta est ad Cyrillum Jerosolymitanum episcopum, et dixit ei : Quia viri mei corpus volo portare Byzantium in meam possessionem. Qui dixit ei : Non possum hoc facere, et populum conturbare. Tunc Juliana plorans, abiit in domum suam, et faciens litteras misit ad patrem suum [2] Byzantii positum, scribens ita : « Propria filia tua Juliana, patri meo in Domino salutem. Decentes [3] honores offero, et rogo præstes mihi quod a te suscipiar. Nam non dicta verbis blandis repleta, sed cœlesti mysterio nuntiata, neque compositam verbis rhetoricis suadelam circumferentia, sed preces dirigo ad patrem meum et dominum, quoniam vim patior a principibus ut vidua, causa nuptiarum. Accelera ergo ut fiat Sacra, et mittatur a magno imperatore Constantino [4], Cyrillo episcopo Jerosolymitano, ut veniam et ipsa, maritique mei corpus afferam ad possessionem meam. » At ille accipiens Sacram a magno imperatore Constantino, misit eam Cyrillo episcopo Jerosolymis.

3. Itaque Sacram episcopus legens, et contradicere non valens, adduxit mulierem, et dixit ei : Quomodo possumus hoc facere, cum nesciam qui sit loculus sancti primi martyris Stephani, et qui mariti tui ? Sed vadens præpara quæ itineri necessaria sunt, et indica mihi. Quæ, præparatis his quæ itineri congruunt, perrexit ad episcopum in ecclesia. Advesperascente autem profundius descenderunt in oratorium, ubi jacebat lipsanum Sancti : et aperientes positionem, invenerunt loculos duos. Et dixit episcopus mulieri : Non novi qui sit loculus sancti protomartyris Stephani, et qui mariti tui. Cui mulier : Ego, inquit, novi qui sit loculus viri mei, quoniam ego feci eum. Tunc episcopus audiens hæc, jussit ei tollere quem nosset. Et impetu abiens amplexata est lipsanum sancti Stephani, existimans esse mariti sui corpus. Et accipiens posuit illud in lecticam. Et valedicens episcopo, ibat itinere suo gaudens. Et per totam noctem hymnus factus est in via, et odor unguenti suavitate referti spirabat. Porro spiritus immundi clamabant dicentes : Væ nobis, quia protomartyr Stephanus transit, diro nos verberans igne. Mulier autem in vehiculo suo sedebat, et pueri ambulabant coram lectica, et formidabant dicentes : Quid est quod accidit nobis, quia spiritus clamant de sancto Stephano ? Putasne ipsius est hoc corpus, et nos nescimus ? Multitudo enim Angelorum ante lecticam canunt hymnum. Sed quid faciemus, domina nostra ? Fortisan non est viri tui corpus, sed sancti protomartyris Stephani. Tunc illa his auditis, flens tacebat. Præcepitque pueris nemini dicere quæ sibi apparuerant in itinere. Sed si quis interrogaverit, inquit, in civitate aut in regione cujus sit hæc lectica, dicite : Quia mariti dominæ nostræ est, et vadit Byzantium. In eadem vero nocte transivimus mansiones tres. Porro interdiu quiescentibus, et sero incedentibus nobis, spiritus profunda nocte clamabant dicentes : Transit is qui flagellat nos ; non possumus ferre virtutem sancti corporis, quia ignis est, et acriter nos consumit : non sustinentes vim sancti protomartyris Stephani. Sanitates autem et virtutes fiebant multæ in via.

4. Porro pervenimus Ascalonem maritimam, et invenimus navim euntem Byzantium, convocatoque nauclero, mulier dedit ei quinquaginta aureos, dicens : Quia secretum habeo tibi enarrare, et ne contradicas mihi. Loculum habeo deportandum Byzantium, quem salvum ferre procura, et habebis mercedem ab omnipotenti Deo. Qui dixit ei : Nolo contradicere dominæ meæ, quia magnus tecum est protomartyr Stephanus, et in ipso est vita mea et spes mea, quia viderunt oculi mei gloriosissima hodie. Veni ergo, domina mea, et adscende navim. Navigaturi enim sumus cum virtute Dei et sancti corporis. Tunc introeuntibus omnibus in navim, soluta est a terra vento prospero. Et venientes in medium pelagi, subito tempestas facta est, ita ut fluctus exaltarentur super armamenta navis. Et mari fortiter fluctuante, metu detenti surgentesque omnes adoraverunt sanctum corpus. Cum autem plorarent et flerent, repente serenitas magna exorta est in mari, et apparuit eis sanctus protomartyr Stephanus dicens : Ego sum, nolite timere. Quod eo dicente, cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 26). Mane autem facto venimus ad angusta Chalantis propter principem Augustum [1]. Subito autem terræ motus factus est in loco illo, ita ut commoverentur fundamenta terræ, donec pertransiit navis sancti protomartyris Stephani ; et tunc quievit terra quæ movebatur. Dæmones autem clamabant adversus principem dicentes : Impiissime princeps, quare non incendisti navim quæ transivit illuc, sed dimisisti illam transire contra nos ? Ipsa enim navis fecit terræ motum. Princeps vero hoc audito, misit dromones quinque ad comprehendendam et incendendam navim. Dromonibus autem pervenientibus ad navim, angelus exiens de navi percussit dromones, et submersit eos. Et factum est gaudium magnum in navi, quia Deus erat cum illis. Navigantes itaque tribus diebus, totidemque noctibus, venimus Chalcedonem, et dimissa est navis in portu. Facientibus autem nobis illic dies quinque, quotquot habebant dæmonia, veniebant circa mare vexati clamantes : Servus Dei venit, qui lapidatus est ab iniquis Judæis. Et gratia sancti Stephani spiritus clamabant : Væ nobis, quia comburit nos acriter : quo fugiemus minas ejus terribiles ? Porro exiebant atrociter ab hominibus repulsi, tanquam ab igne : et quotquot habebant infirmos, ferebant eos extra mare, et omnes salvi fiebant virtute sancti Protomartyris. Præterea inde moti venimus Sosas. Audiens autem pene tota civitas currebat transiens, Christianis quidem gaudentibus, Paganis autem tristantibus. Et inde profecti rursus propter turbam quæ in circuitu erat, venimus civitatem Stadium [2].

5. Cognito autem hoc Eusebius episcopus Constantinopoleos de corpore protomartyris Stephani, et quia tota Christianorum multitudo mota erat, ad videndam virtutem sancti corporis, cursim perrexit ad imperatorem Constantinum [3], et nuntiavit ei de corpore sancti Stephani. Imperator autem sciscitabatur qualiter venerit ab Jerosolymis corpus, et quis esset qui hoc detulerat. Qui adduxerunt ei mulierem, dicentes : Domine Imperator, hæc est quæ attulit corpus sancti

[1] Ita Florentinus manuscriptus. At codex [illegible] qui hunc [illegible] primus vulgavit, [illegible] postea editi habent [illegible].

[2] [illegible]

[3] [illegible] MS., *[illegible]*.

[4] [illegible] MS. hoc loco, *Constantio*, sed mox infra habet, *Constantino*.

[1] Sic vetus codex. At editi, *Mane autem facto venimus ad [illegible], propter principem [illegible]*.

[2] [illegible] At Mss., *[illegible]*.

[3] Vetus codex hoc iterum loco, *Constantium*. Verum Eusebius, de quo supra, non Constantio, sed Constantino imperante fuit episcopus Constantinopolitanus.

Protomartyris. Imperator vero dixit ad eam : Quomodo attulisti corpus sancti Stephani ? dic mihi veritatem. Quæ dixit : Domine Imperator, vir meus ipse ædificavit Jerosolymis oratorium sancti Stephani, et ipse una cum episcopo Joanne recondivit sanctum Stephanum. Post annos autem aliquot mortuus est vir meus, deposito testamento apud episcopum Joannem dicens : Post finem meum ponite me prope primum martyrem Stephanum. Et ita factum est. Imperator autem dixit : Quomodo ergo illud huc detulisti ? Quæ ait : Domine Imperator, vim patiens a principibus, sicuti vidua, et nolens alteri viro copulari, nuntiavi patri meo, quia huc volo venire et afferre viri mei corpus ad possessionem meam. Tunc audiens hoc pater meus [1], accepit Sacram ab imperio vestro, et misit hanc mihi et episcopo, ut tollerem corpus viri mei. Descendens itaque noctu cum Cyrillo episcopo, existimavi tollere viri mei corpus, et tuli sancti Stephani. Dedit autem Imperatori etiam Sacram. Imperator autem cum legeret, recognovit suam ipsius Sacram. Tunc mulier respondens dixit Imperatori : Domine Imperator, potestatem habes corporis mei, nunc vero Deus, qui facit mirabilia in cœlo et in terra. Quod si non credis, domine, mitte ad navim Hebræum, ubi jacet loculus Sancti, in quo etiam titulus est affixus, scriptus hebraicis litteris, et legens eas cognosces certitudinem. Imperator vero, vocato Hebræo, adjuravit eum per legem ipsius dicens : Vade, et vide quid scriptum sit. Abiens itaque Hebræus cum duobus protectoribus, et legens dixit : Magnum spectaculum hoc est. Protectores vero dixerunt : Quod spectaculum est ? dic nobis. Hebræus autem dixit : Quia protomartyr Stephanus est, et in ipso vita mea et spes mea [2], quia viderunt oculi mei [illegible] Tunc [illegible] Stephanum [illegible] Vade [illegible] mihi loculum in palatium.

6. [illegible] Imperator [illegible] Et venientes [illegible] Peruntiebant [illegible] Hic oportet [illegible] Episcopus vero [illegible] Audiens autem hoc Imperator, tristatus est, et [illegible] [illegible] Tunc episcopus [1] exclamavit dicens : [illegible] (*Psal.* LXXI, 18) [illegible] Stephanum, qui martyrium passus est pro nomine tuo. [illegible] Protomartyris. [illegible] Sanctitas autem et virtutes [illegible] in gloriam Patris et Filii et Spiritus sancti, cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Idem codex, *tunc audiens meus dominus*, etc.

[2] In veteri codice non habetur, *et in ipso vita mea et spes mea*.

[1] In Herivacensi codice, *populus*.

EPISTOLA
SEVERI AD OMNEM ECCLESIAM,
DE VIRTUTIBUS AD JUDÆORUM CONVERSIONEM IN MINORICENSI INSULA FACTIS IN PRÆSENTIA RELIQUIARUM SANCTI STEPHANI (a).

Sanctissimis ac beatissimis dominis, Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, et universæ fraternitati totius orbis terrarum*, SEVERUS *episcopus misericordia Dei indigens et omnium ultimus, in Christo Redemptore nostro æternam salutem.

1. Cum Dei opera revelare et confiteri honorificum esse Raphael archangelus moneat (*Tob.* XII, 20); profecto silere vel celare opera Christi periculosum est. In quibus tamen adnumerandis major est gratia, si communi et simplici sermone referantur. Celatur enim quodammodo speciosissima pulchritudo virtutis, si abundantiori eloquio circumdata fuerit atque fucata. Quapropter ego quoque magnalia, quæ apud nos Christus operatus est, non composito, sed veridico sermone referre aggredior.

2. Insula Minorica, una ex Balearibus insulis est, quarum nomen cunctis populis, sæcularium quoque auctorum litteris pervulgatum est. Hæc inter Mauritaniam Cæsareensem et Hispaniam medio propemodum æquoris spatio sita, angustis admodum terminis clauditur, longitudinem triginta, latitudinem vero tria millia passuum habens. Quæ nunc idcirco commemoravi, ut agnosci possit, contemptibilia mundi a Domino non solum in hominibus, sed etiam in locis eligi (I Cor. I, 27). In hac itaque insula, quæ omnium terrarum, parvitate, ariditate, asperitate postrema est, duo parva oppida, quibus a Pœnis indita nomina, e regione fundata sunt : Jammona ad occasum, Magona ad orientem spectat. In his mihi omnium mortalium ultimo nuper sacerdotalis officii pondus impositum est. Sed Jammona antiquum a Deo munus etiam nunc retinet, ut Judæi habitare in ea nequaquam possint. Multos siquidem id temere audentes, aut ægritudine præventos, aut repulsos, aut morte subitanea exstinctos, aut etiam fulmine trucidatos tradit vetustas : adeo ut celebris hujus rei fama ipsis quoque Judæis, ne id ultra temere audeant, metum fecerit. Nec hoc fide indignum ducimus, cum etiam lupos, vulpesque, et omnia noxia animalia deesse videamus : cum eorum quæ ad vescendum bona sunt, ferarum copia magna sit. Illud etiam magis mirum est, quod colubri et scorpiones sunt quamplurimi, sed amiserunt omnino nocendi violentiam. Cum igitur Jammonam nullus Judæorum, qui lupis ac vulpibus feritate atque nequitia merito comparantur, ne hospitii quidem jure accedere audeat ; Magona tantum velut colubris et scorpionibus, ut tradebatur, fervebat, ut quotidie ab his Christi Ecclesia morderetur. Sed antiquum illud beneficium carnale, nuper nobis spirituale renovatum est ; ut illa, sicut scriptum est, generatio viperarum (*Luc.* III, 7), quæ venenatis astibus sæviebat, subito divina virtute

(a) Citatur infra, in libro primo de Miraculis S. Stephani, cap. 1.

compulsa mortiferum illud vires incredulitatis abjecerit.

3. Namque diebus pene istis, quibus ego tanti sacerdotii nomen, licet indignus, adeptus sum, presbyter quidam (*a*) sanctitate præcipuus a Jerosolyma veniens, Magonæ non longo tempore moratus est : qui postquam transvehi ad Hispanias, sicut desiderabat, nequivit (*b*), remeare ad Africam denuo statuit : tunc beati Stephani reliquias, quæ nuper revelatæ sunt, cum ad Hispanias portare constituisset, ipsas, sine dubio Martyre inspirante, in memorati oppidi ecclesia collocavit. Quo facto, protinus ille ignis, quem Dominus venit mittere in terram et quem valde ardere cupit (*Luc.* XII, 49), charitate ejus accensus est. Statim siquidem tepor noster incaluit, et factum est cor nostrum, sicut scriptum est, ardens in via (*Id.* XXIV, 32). Tunc enim ille in fide jam ardebat zelus, tunc spe salvandæ multitudinis erigebat. Denique statim interrupta sunt etiam salutationis officia, et non solum familiaritatis consuetudo divulsa, sed etiam noxia inveteratæ species charitatis ad odium temporale, sed pro æternæ salutis amore translata est. In omnibus plateis adversus Judæos pugnæ Legis, in omnibus domibus fidei prælia gerebantur.

4. Judæorum populus maxime cujusdam Theodori auctoritate et potentia nitebatur, qui non solum inter Judæos, verum etiam inter Christianos ejusdem oppidi et censu et honore sæculi præcipuus erat, siquidem apud illos Legis doctor, et (ut ipsorum utar verbo) pater patrum fuit : in civitate autem cunctis curiæ muniis exsolutus, et defensor jam exstiterat, et jam nunc patronus municipium habebat. Christiani autem ut corde, ita etiam et viribus humiles, sed veritatis vel ore superiores, patroni Stephani patrocinium deprecabantur : donec utrique exercitus, cum jam diem certaminis condixissent, datis tunc induciis discesserunt, Judæis id magnopere exspectantibus, ut scilicet Theodorus, in cujus se omnis synagoga viribus acclinabat, ex Majoricensi insula reverteretur, ad quam forte visendæ possessiònis gratia perrexerat. Qui quidem statim ut ad eum missa legatio est, remeans, auctoritate sua multos terruit : sed non exstinxit, sed consopivit contentionis incendium : majore siquidem illico exardescens violentia, etiam vicinum oppidum fidei flamma corripuit. Et ut illud Salomonis impleretur, *Frater fratrem adjuvans exaltabitur sicut civitas firma et alta* (*Prov.* XVIII, 19), statuerunt multi famuli Christi, laborem itineris minime recusantes, cunctas animi vires huic bello tradere.

5. Pendente igitur prælio, nos quidem qualia præparaverimus arma, subditum huic epistolæ Commonitorium probat : quod quidem non pro quorumdam instructione edi volumus (quippe qui ea penitus egemus, et quam a Beatitudine vestra magis speramus), sed ut animadverti possit, non minimam nos sollicitudinem secundum modulum possibilitatis nostræ suscepti habuisse certaminis : Christum vero, cujus regnum non in sermone, sed in virtute est, nobis ne verbum quidem proferentibus, suis omnia viribus consummasse, et absque ullo sudore certaminis exercitui suo hanc, quam nemo aut optare audebat, aut sperare poterat, victoriam concessisse. Judæi igitur exemplis se Machabæi temporis exhortantes, mortem quoque pro defendendis legitimis suis desiderabant. Itaque non solum libros revolvere, sed etiam saxa, sudes, jacula, omniaque telorum genera ad synagogam conferre cœpere, ut Christianorum agmen (virtute sancti Spiritus munitum est ita res posceret), etiam corporis viribus propulsarent.

6. Interea dum hi apparatus geruntur, magnoque altrinsecus studio futurum instituitur bellum, utrinque exercitus inenarrabilibus et absolutissimis somniis commoventur, quorum si nullam penitus facerem mentionem, non minimam videbor partem divinæ gloriæ operuisse. Sic enim sancti apostoli Pauli somnium Lucas sacræ historiæ inseruit, dicens, virum Macedonem astitisse in visione noctis, orantem ut adjuvaretur ab eo ; et hac Apostolum visione præmonitum, itineris alio destinati cursum ad Macedoniam convertisse (*Act.* XVI, 9, 10). Quanto itaque Domini nostri Jesu Christi major est gloria, quod id minimis atque indignis famulis revelare dignatus est, quod etiam beato Apostolo demonstratum Scriptura celare noluit? Igitur brevitatis causa, ne Beatitudini vestræ fastidium fortasse gignatur, duo tantum somnia inseram.

7. Apud nos devota quædam religiosissima, nomine Theodora, quæ et virginitate corporis, et religione propositi, et nominis interpretatione typum portare Ecclesiæ mereretur, vidit in visione noctis viduam quamdam nobilissimam, ad me, qui non pro merito, sed pro divini muneris largitate sacerdotio fungor, insertas [1] litteras per se misisse [2], quibus mihi cunctos agros suos ad seminandum suppliciter offerret. Simili etiam somnio me quoque ultimum peccatorum ad seminandum præcingere et commonere dignatus est. Vidua enim quædam altera nobilissima, quam synagogæ speciem habuisse non dubium est, me ut agros suos incultos susciperem, eosque, quando tempus sementis urgeret, diligenter excolerem, deprecabatur. Quæ est autem altera nobilissima vidua, nisi illa quæ Christum impie perimendo, semetipsam crudelissime viduavit? Hoc somnium utriusque unum est. Ante triginta ferme, quam impleretur, dies, et vidisse nos, et licet absolutionem ejus ignoraremus, tamen fratribus indicasse manifestum est.

8. Apud Judæos quoque miro divinæ dispensationis ordine, ut et nominis Theodori et officii mei in uno homine societas conveniret. Theodorus qui summus sacerdos perfidi populi erat, somnium quod viderat, non solum Judæis, sed etiam propinquæ cuidam matrifamilias primariæ ipsius civitatis, multisque etiam aliis Christianis, ante non parvum quam adimpleretur tempus, his sermonibus propalavit. Eunti mihi, inquit, in synagogam, duodecim viri manus obvias obtulerunt, dicentes : Quo vadis? Leo illic est. Cum ergo audito leonis nomine trepidare cœpissem, locum tamen, dum fugam paro, unde introspicerem, reperi, et vidi monachos illic mira suavitate psallentes. Major mihi pavor illico adjectus est, et nisi in cujusdam nomine Ruben ingressus fuissem domum, et inde ad matrem propinquam cursu præcipiti convolassem, nequaquam curam mortiferi terroris evasissem. Illa me exanimem sinu suo confovens, a discrimine pariter et a metu eripuit. Hoc ejus somnium valde clarum est, et interpretatione non indiget. Quis enim leo, nisi ille *de tribu Juda radix David* (*Apoc.* V, 5)? quæ propinqua illa, nisi de qua scriptum est, *Una est propinqua mea* (*Cantic.* VI, 8)? Illud ergo solum videbatur obscurum, quod in domum Ruben Judæi, a leone cum terreretur, ingressus est : quod quidem nobis postmodum ab ipso leone qui terruit, ut salvaret, evidentissime expositum est : quod dehinc suo explicabimus loco. Nunc autem cœptæ rei ordinem prosequar.

9. Ex Jammonensi civitate ad profectionem famulorum Christi multitudo convenit, quæ in ipso oppido putabatur consistere ; tantaque difficillimi itineris laborem alacritate confecit, ut triginta millia passuum jucundius transvolaret, quam si ad suburbanum aliquod amœnissimum ad convivia epulaturi vocarentur. Igitur Magonam pervenimus. Statim missis clericis, adventum meum Judæis nuntiavi, et ut ad ecclesiam sanctam accedere dignarentur, poposci. Illi autem inopinatum nobis nuntium remittentes, mandaverunt ecclesiam sibi (ne, credo, pollueréntur) ingredi die eadem non oportere : esse enim diem sabbati, cujus festivitatem suis illi actibus corrupissent. Rursum ego

(*a*) Orosius.

(*b*) Erat enim Hispania obsessa hoc tempore a Gothis. Baronius ad annum 418.

[1] Forte, *inscriptas*.

[2] Alias, *prætendisse*.

expetivi, ut me ad synagogam, si mallent, opperirentur; quandoquidem ingressus ecclesiæ pollutio videretur : non utique eos a nobis in die Sabbati ad opus servile compelli; futurum autem honestissimum de lege conflictum, nec excitandas lites et fabulas esse miscendas; aut si non astute certamen fugerent, et simplicem afferrent excusationem, ostenderent præceptum, quo in eo die sermonem conferre prohibitum sit. Ad hæc cum illi in omnibus contradictionem obstinatissimam retulissent, tandem illius leonis terrore compulsi, ad domum in quam hospitio accesseram, confluxerunt. Ibi ego : Quæso, inquam, fratres, quare quasi adversus latrones, præsertim in civitate Romanis legibus subdita, acervos saxorum omniumque armorum genera congregastis? Nos acquirere cupimus, vos perdere desideratis. Non est, quantum arbitror, æquum ut tam varia lite alterutrum laboremus. Vos vero, ut video, sititis nostrum sanguinem, nos vero vestram salutem. Ad hæc illi paululum territi, negavere factum; nostris affirmantibus ita se habere etiam cum jurejurando renitebantur. Tunc ego, ut ardorem coeptæ contentionis abscinderem : Cum res, inquam, oculis probari potest, juratione quid opus est? Eamus igitur ad synagogam, et utrum pro vanitate an veritate vestra nitatur assertio, vobismetipsis testantibus comprobabitur.

10. Pergere igitur ad synagogam cœpimus, et hymnum Christo per plateam ex multitudine lætitiæ canebamus. Psalmus autem, quem mira jucunditate etiam a Judæorum populis decantabatur, hic fuit : *Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet* (*Psal.* IX, 7, 8). Sed antequam ad synagogam perveniremus, quædam Judææ mulieres (ordinatione credo Dei), audaciam præsumentes, ut scilicet nostrorum lenitas incitaretur, lapides in nos ex superiore loco immanissimos jactare cœperunt : qui, mirum dictu, cum super confertissimam multitudinem grandinis instar descenderent, neminem nostrorum, non solum ictu, sed nec tactu quidem vexavere. Hic agnis suis leo ille terribilis mansuetudinem paululum abstulit : omnes siquidem, reclamantibus nobis, saxa corripiunt, et pastoris commonitione posthabita, cum unum potius consilium cunctis zelus potius Christi, quam ira suggereret, lupos cornibus impetendos censuerunt : quamvis hoc illius qui solus bonus pastor est, nutu factum esse nulli dubium sit. Denique ne cruentam gregi suo videretur præstitisse victoriam, nemo Judæorum se contactum saltem fuisse, ne pro invidia quidem, ut mos est, simulavit. Sane quoniam omnimodis debemus vitare mendacium, unus ex omni Christianorum numero inventus est, qui cum Acham illi similis esse vellet, qui sub Jesu Nave de anathemate spolia concupivit (*Josue* VII). Nam servus cujusdam Christiani solus, dum aliquid a synagoga diripere concupiscit, in lapidem offensionis incurrit. Quidam vero nostrorum, quasi adversus Judæum, lapidem injecit; qui capiti ejus illisus, ut capitis sui, id est Christi, meminisset, admonuit : quod vulnus licet periculosum fuerit, tamen et illum rapinæ suæ confiteri concupiscentiam compulit, et cunctos ne similiter laberentur, præsenti terruit ultione. Igitur postquam Judæis cedentibus synagoga potiti sumus, nullus ex ea quidquam, non dico abstulit, sed nec cogitavit diripere. Omnia ejus ornamenta, exceptis libris atque argento cum ipso pariete, ignis absumpsit. Libros sanctos, ne apud Judæos injuriam paterentur, sustulimus; argentum vero, ne vel de præda nostra, vel de suo dispendio quererentur, ipsis reddidimus. Eversa itaque cunctis Judæis stupentibus synagoga, ad ecclesiam cum hymnis perreximus, et auctori victoriæ nostræ gratias referentes, effusis precibus poscebamus, ut vera perfidiæ antra Dominus expugnaret, et tenebrosorum pectorum infidelitas coargueretur a lumine.

11. Ruben quidam Judæus a Domino, ut primogenitus omnium constitueretur, est electus. Nam clamore sanctissimo lætificans corda multorum, absolvi se a vinculis Judaicæ societatis deprecabatur, statimque primitivus Jacob factus, signum salutare suscepit, et [illegible] cum inciperet. Triduum, ut fateor, emensum est, ex quo nostri in oratione, et Judæi in perfidia persistere. Post hæc venit Theodorus, multis Judæis ac Christianis circumseptus, ad locum in quo sub synagogæ parietes, qui post hæc credentibus Judæis sunt subversi, superesse videbantur; ad quem locum Christianorum pariter multitudo convenit. Ibi Theodorus cum audacter de lege dissereret, cuncta quæ objiciebantur irrideret atque perverteret, populus christianus videns quod verbis superari non posset homo, auxilium de cœlo imploravit. Omnes itaque pariter clamantes, cum summo ardore vocis hoc ore dixerunt : Theodore, crede in Christum. Mira indulgentia enim Domini misericordia adhuc parva petebantur, et majora concesserat. Et ideo non minimum est de Omnipotente miraculum. Ipse etenim virtutem clamoris hujus in auribus Judæorum commutavit, qui olim effecit, ut quatuor leprosi regis Syriæ, qui Samariam obsederat, castris potirentur; et qui per Gedeon Madianitarum agmina conturbavit, deditque trecentis ejus viris ingentem sine labore victoriam, efficiens per terrorem, ut mutuis hostium multitudo vulneribus prosterneretur. Ita et nunc ista vox longe aliter a circumstantibus Judæis suscepta est, quam a nostris immittebatur. Omnes enim putaverunt dictum, Theodorus credidit. Itaque existimantes principem perfidiæ suæ ad Christi fidem fuisse conversum, cuncti pariter trepidi, ubi timor non erat, terrebantur : mulieres eorum sparsis crinibus occurrentes cum ferali ululatu nomen Theodori repetitis vocibus accusabant, dicentes : O Theodore, quid fecisti? Viri autem, alii ad devios saltus et fixuras[1] montium confugere, alii per ipsius oppidi angiportus discurrebant, locum in quo delitescerent, invenire cupientes.

12. Ipse Theodorus stupore perculsus divinam sententiam in plebe sua cernebat impleri, *Fugit impius nemine persequente* (*Prov.* XXVIII, 1) : sed tamen non nemine; persequebatur enim eos ille leo terribilis, qui de synagogæ loco, sicut Theodoro fuerat revelatum, per monachos rugitum emiserat, quo resistentes tremefecit inimicos. Stabat igitur Theodorus in loco prorsus eodem, quo ei pridem per somnium terror fuerat leonis injectus : et cum causam tantæ trepidationis inquireret, et nomen solummodo nostri leonis audiret, nullam illic, sicut ferebatur, feritatem videns, tantum psallentes monachos intuebatur, et ab omni suorum multitudine destitutus, atque elabi parans, etiam ipse pedum viam prospiciebat : quem cum horribili formidine apprehensum, non solum colore vultus, verum etiam vocis officio destitutum Ruben ille sanctissimus aspexisset, propere accedit, et trementem blando sermone compellans, ad Christi fidem cohortabatur; atque ingerens ei, pro suffragio metus, suæ credulitatis exemplum, domus figuræ, ad quam pavore leonis confugeret, quodammodo satisfacere videbatur. Verum, ut et nos fideliter universa narremus, et vos qui non eloquii ornatum, sed veritatem quæritis, libentius audiatis, ipsius Ruben verba inserens, nihil ex simplicitate dictorum ejus subtraham. Aiebat enim : Quid times, domine Theodore? Si vis certe securus et honoratus et dives esse, in Christum crede, sicut et ego credidi. Modo tu stas, et ego cum episcopis sedeo : si tu credideris, et tu sedebis, et ego ante te stabo. Hos sermones Theodorus alta mente suscipiens, ad nos ait : Faciam quod vultis; tenete, inquit, promissionem hanc; sed permittite mihi, ut prius alloquar plebem meam, ut majorem conversionis meæ etiam ex reliquis possim habere mercedem. Hæc ejus spon-

[1] Fortasse, *alii ad devios saltus et fissuras montium confugere*. Infra, n. 12, *ad silvas sive ad antra confugerant*; et n. 15, *ad unam speluncam, vel potius rupem convenerunt*. M.

sio cum inexistimabili cunctorem existimatione suscepta est : alii in eum amabiliter irruentes, os ipsius et colla mulcebant, alii eum ulnis mollibus amplectebantur, alii autem dexteram dexteræ adjungere, et sermonem conserere gestiebant. Perrexit igitur Theodorus ad atrium suum quolibet officio nostrorum lætus, tamen anxietate non penitus carens. Nam licet in domum Ruben per promissionem suam jam veniretur, ingressus tamen et tunc trepidus erat; quia nondum ad propinquam venerat, quæ eum post triduum materno suscepit sinu, et ab omni perturbatione trepidationis absolvit. Nos autem ad ecclesiam cum hymnis ex more perreximus. Benedictus est Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui dedit capiti nostro aquam et oculis nostris fontem lacrymarum, ut ploraremus vulneratos populi nostri. Peractis siquidem mysteriis ecclesiam egressi, non minimam in occursum nostrum Judæorum multitudinem convenisse inspeximus. Omnes unanimiter deprecabantur, ut Christi characterem a me, licet indigno pastore, susciperent. Reversi itaque ad ecclesiam, et toto corde Domino gratias referentes, illico in frontibus eorum signum salutis impressimus. Quæ autem cum his qui ad silvas, sive ad antra confugerant, Christi virtute gesta sint, quæ lingua effabitur? præsertim cum unusquisque eorum propriam conversionis suæ habeat historiam. Sicut itaque impossibile nobis est omnia dicere; sic ingratum cuncta præterire. Quapropter unum Christi miraculum, quod tum a fidelibus probatissimisque viris comperimus, precibus vestris adjutus evolvam.

13. Duo quidam primarii Judæorum, Meletius, Theodori frater, et Innocentius, qui Hispaniarum cladem nuper effugiens, cum famulis suis ad hanc insulam venerat : sicut nunc ipsi etiam cum sacramentorum terribili interpositione confirmant, ad unam speluncam, vel potius rupem convenerunt, associando se duobus quibusdam Judæis humili loco ortis, qui istos communis fugæ principes legerant. Igitur cum in loco eorum trepidi anhelantesque paululum resedissent; duos illos, qui ætate alacres et audaces erant, explorandi gratia ad oppidum remittentes, soli derelicti sunt ibi. Tunc prior Meletius : Quid est, inquit, frater, quod verbum, sicut docet religio nostra, blasphemum avellere a corde meo nequeo? Ex quo enim fratrem meum conversum fuisse Christianorum populus inclamavit, nihil aliud mihi in corde suggeritur, nisi hoc verbum mihi usque ad hunc diem penitus ignoratum : Christe, in nomine tuo. Quanto magis pulsare hoc ab animo meo nitor, tanto violentius tenaciusque inhærescit. Ad hæc Innocentius : Non, inquit, frustra hic sermo, quem cor tuum, ut apud cunctos probatissimum est, antea nec cogitavit, nec unquam protulit, hic præsertim menti tuæ, ut asseris, tam violenter insertus est : hoc ex Deo esse arbitror. Verumtamen elabora, obsecro, et fabulis his declinatis, interpellationem molestæ cogitationis expelle. Tunc Meletius ita obstrepere et confusis clamoribus personare cœpit, ut eum cum sua mente luctari, non solum nutibus vultus, sed etiam totius corporis indicio Innocentius cerneret. Quod posteaquam ne parum quidem proficere intellexit, et adjecit etiam illud, ut verba quædam profana et turpia loqueretur, et nunc naribus corrugatis aerem sorbens inhonestos strepitus promeret, nunc fetidis risibus cachinnaretur; sed hæc ab animo ejus nomen Christi exstinguere nequivit insania, quia jam cunctas ejus medullas sanctitatis ignis pervaserat : Quid ergo, inquit, Innocenti frater, in contrarium verba ista vertuntur? Abolitionem mihi nominis Christi nec scurrilitate verborum, nec ipsis possum obsceni sonitus extorquere blasphemiis : aliud siquidem mihi reddi sentio, quod cordis mei auribus, quas frustra obstruere nitor, Christi nomen ingerere incessabili clamore non desinit. His Meletii verbis talia Innocentius retulit : Fratrem meum Theodorum doctrina, honore et ætate majorem, ad Christi fidem conversum his auribus audientibus plebs christiana testata est; poteritne fieri, ut etiam tu, germani constrictus exemplo, religionem judaicam deseras? Quid ergo in hac terribili solitudine diutius tempus terimus? Quamdiu etiam inopia victus laborare poterimus? Quid causæ est, ut fame tabescamus, arescamus siti, obrigescamus algore? ad postremum, quod jam patimur, nostræ hujus solitudinis horribili teneamur silentio? Numquid latronum vincula, numquid barbarorum gladios fugimus; numquid sanguinem nostrum plebs tanta misericors, quam pro nobis flere conspeximus, concupiscit? Recordemur, obsecro, quem unquam læserit vi nostrorum, vel saltem irrogaverit injuriam. Revertamur ad innoxios, quos in nullo læsimus inimicos; et quod Deo placuerit, fiat. Ad hæc Meletius : Ego te, inquit, Innocenti frater, quem non solum latinis, sed etiam græcis litteris eruditum scio, et legem jugiter meditari, oblitum reor, quod per Ezechielem prophetam Dominus ait : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 20). Si enim legisti hoc, cur me fratris mei Theodori exemplo attrahi posse ad fidem Christi existimas? Habet ille animam suam, ita et peccatum suum : quod quidem peccatum mihi, si Dominum Deum non relinquo, non nocebit. Testor autem illum qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, me, si hiemis violentia non obesset, abrepto quocumque navigio ad quaslibet terras solum velle migrare : nec me possessionum amor, nec affectuum charitas detineret, quorum facilis mihi jactura est; tantum ne Deum patrum meorum negare compellar. Quod autem consilio inutili ad civitatem remeandum decernis; miror te, prudentissimum virum, non animo prævidere quid de nobis futurum censeas, si Theodorus, columna synagogæ nostræ, in quo omnem fiduciam reponebamus, apostatare compulsus est. Hoc ergo sanius est, ut eamus ad agrum meum, nec nos ultra Christianorum oculis ingeramus. Possumus enim illic interim delitescere, donec opportuno tempore ad peregrina emigremus. Quandoquidem in hac insula ita apud cunctos odium nostræ religionis increvit, ut qui patriam non reliquerit, fidem patrum tenere non possit. Cur itaque non voluntarium suscipiamus exsilium, ad quod, sicut res indicat, odiis civium, etiamsi nolumus, destinandi sumus? Hoc igitur consilio utriusque sententia confirmata, laborem destinati itineris arripiunt. Sed dum per angustissimum ingrediuntur callem, cogitationum tenebris lucem occæcantibus oculorum, ipsum quem inscii sequebantur, tramitem perdiderunt, et in locis desertis atque inviis remansere. Cum autem scinderentur sentibus ac vepribus lacerarentur, postquam corpus suum longis fœdavere vulneribus, ad tantam primo quidem anxietatem, deinde etiam ad desperationem atque formidinem venere, ut compellerentur fateri, se ea judicio Dei justo ob incredulitatem perpeti. Igitur nomen Christi, quod ante se ultro ingerens repellebant, laceratis jam cruribus, invocantes, semitam quæ eos contra voluntatem ac propositum suum ad oppidum retraxit, corripuerunt. Sed cum ad civitatem inviti ac trepidi pervenissent, curiosius omnia percunctantes, audierunt Theodorum etiam nunc Judæum esse, nec ullam, sicut existimaverant, populi Christiani pertulisse violentiam. Stupentes autem, et quod ipsis acciderat non credentes, ad domum Theodori iter dirigunt : ubi cum eos jam pene exacto prandio ille excepisset, illico inquirit causam, cur a se et a civitate abscessissent; universumque ordinem gestæ rei, magis cum risu, quam cum admiratione cognoscit.

14. Post triduum Theodorus, cum concionari ad plebem suam, eosque ad fidem Christi provocare disponeret, ultro se offerentium ad confessionem Judæorum etiam seditionem pertulit. Nemo enim eorum ferme erat, qui non se palam sensisse Christi potentiam contestaretur. Nam primo in concilio eorum adolescens quidam, ipsius Theodori consobrinus, nomine Galilæus (ut cognomen, sicut dictum est, nominibus mysterium gestæ rei usque ad finem de-

duceretur), cum ingenti invidia proclamare ita cœpit : Contestor, inquit, vos omnes me Judæorum esse non posse in possessione ; siquidem in ea Christianos consortes habeo, quorum odiis, si in Judaismo perseverare voluero, forsitan perimendus sum. Ergo jam vitæ meæ periculo consulens, ad ecclesiam jam pergam, ut necem quæ mihi paratur effugiam. Hæc Galilæus, cum ad tempus forte se pararet, quasi ut causas conversionis suæ reddidisse videretur, dum futuri sæculi morte tunc nihil cogitans, veritatem nesciens loquebatur. Hunc sermonem pene præteriens vir honestus, et non solum inter Judæos, verum etiam in civitate usque adeo præcipuus, ut etiam nunc defensor civitatis electus sit, Cæcilianus, vera Galilæum dicere, seque similem habere causam, simili formidine attestabatur. Quibus verbis tantam supra memorato juveni adjecit confidentiam, ut in conspectu omnium cursu rapidissimo ad percipiendum fidei bravium ad Galilæi nostri convolaret auxilium, et ab humilitate nostra, ut ejus deinde nomine censeretur, expeteret. Cæcilianus autem cum esset Judæorum pater, habito cum Florino, fratre suo, atque Judæorum patre seniore, consilio, hujusmodi, sicut agnovimus, verbis synagogam adorsus est : Ego, inquit, cum sim in honore synagogæ post Theodorum primus, non sicut juvenis Galilæus, cunctos quasi trepidus consulo, contestorque ; sed potius adhortor atque commoneo, denuntians ut errore pravi itineris derelicto, si fieri potest, omnes pariter ad fidem ecclesiasticam concurramus. Quod si vos ad Christum tanta virtus non attrahit ; ego certe et Florinus frater meus, sicut recusantibus vobis tantam salutem vim inferre non possumus, ita nos cum universa domo nostra religionis hujus, quam astruere non valemus, ludibria deserentes, Christianorum numero fideque sociabimur : qui nunquam utique innumerabilibus Scripturarum testimoniis, non solum te, frater Theodore, qui peritior reliquis videris, sed etiam cunctos convincerent, nisi veritatem, quæ vinci non potest, sectarentur. Tali Cæcilianum sensu plebem suam affatum comperimus, multosque Judæorum eadem die ad fidem Christi cum ipso concurrentes cum ineffabili exsultatione suscepimus.

15. Prodigia sane quæ de cœlo tunc facta sunt, sicut eloqui digne non valeam, silere non audeo. Hora circiter septima Missam dominicam solemniter cœpimus celebrare. Nam dum nos advenientes ad Christi fidem Judæos vel exhortamur, vel adnotamus (siquidem nomina eorum scripsimus), populus autem tanti gaudii epulis saginatus carnalium non meminisset escarum, pars diei major excurrerat. Cum igitur in ecclesia, quæ paululum a civitate sequestri in loco sita est, in qua sancti martyris Stephani nuper reconditæ reliquiæ conquiescunt, nobiscum pariter plebs universa Missam opperiebatur ; duo quidem monachi, quos Dominus testes suorum miraculorum præelegit, in campo qui ante fores ecclesiæ protenditur, in herbis accubabant. Vir autem honoratus, Julius nomine, cum alio quodam de civitate ecclesiam petens, cum per ipsos præterire cœpisset, respondente uno ex monachis, viso mirabili signo conturbatus, confusum emisit clamorem ; conversusque ad se, protensa manu, quæ verbo explicare non poterat, quid videret ostendit. Erat globus quidam candidissimi luminis, proceritate sui staturam quasi hominis adæquans, instar vasculorum quæ vulgo orcæ appellantur ; tantæ vero claritatis et fulgoris, ut visum fuit, quod fratri qui id prior notavit, sicut ipso referente cognovimus, sol decidere videretur. Hoc sicut istis visum est, quasi trans basilicam, in qua universus nobiscum populus consederat, lento lapsu demittebatur : verum ita propinquum putavere, ut se idem frater stupore percitus cursu præriperet, existimans id post basilicam decidisse. Sed ab illo retractus fratre gressum inhibuit : ille enim ita quidem etiam sibi visum, tamen longius fuisse, non quasi certus, sed ut æstimans astruebat. Mulieres autem quædam tunc Judæ, inter quas nutrix Meletii illius, cujus superius mentio habita est, de cœnaculo prospiciens, ita eum rapuerunt visum affirmabat, quasi supra basilicam descenderet. Verum hoc utrum angelus, an ipse Stephanus, quod dignum est, fuerit, incertum est. Eadem diei hora circiter quarta, id est, paulo ante quam hoc signum demonstraretur, grando minutissima, quam nostri tantum e gentili sermone [illegible] vocat, non [illegible] copiosa defluxit. Hæc, cum odor ex ea mellis [illegible] conjungeret, [illegible] quisquis per viam verberaverat [illegible] dulcior melle comperta est. Multi itaque sapientes, cum eadem die filios Israel ab Ægypto perfidiæ suæ [1] atque a servitute egressos viderent, hæc quæ facta sunt, signis illis quæ in Exodo legimus comparabant, ut hæc populis, qui Deum credidissent corde integro, veraciter etiam Israelis nomen meruit, manna crederent innovari (*Exod.* XVI). Columnam quoque ignis, quæ patres in eremo præcedebat (*Ex.* XIII, 22), ut etiam illis a vero Ægypto atque fornace, sicut scriptum est, ferrea ereptis (*Deut.* IV, 20), ducatum præberet ad vitam, ostensum fuisse existimarunt. Et re vera, sicut lectione Exodi attestatur, similitudo signorum minime discrepat. Nam et illud quod nivem fuisse credidimus, semen coriandri minuti adæquabat, mellis saporem ferebat ; et hoc quod apparuit, columnæ igneæ speciem habuisse manifestum est. Utrumque autem signum etiam Jamnonæ consistentibus fratribus revelatum fuisse cognoscimus. Nam et pluviam mellis multi, quibus intellectus requirendi et pergustus agnoscendi datus est, probavere : et columna candidissimi illius luminis multorum, quos dignos Dominus judicavit, se ingessit aspectibus. Unde intelligi datur, Judæos per universum orbem fidei lumine visitandos : quoniam quidem nobis, qui in hac insula atque in hoc parvulo, ut ita dixerim, orbe consistimus, tantus cœlestis gratiæ splendor illuxit, ut usque ad extremos terræ vestræ terminos signorum visio perveniret.

16. Sequenti igitur die summa omnium exspectatio, ut Theodorus sponsioni suæ satisfaceret, admonebat : qui cum justis, quantum videbatur, allegationibus cunctorum vota crederet differenda, dicens matronam prius suam, quam in Majoricensi reliquisset insula, huc se velle deducere ; ne forte, si absque consensu suo virum suum conversum fuisse agnovisset, sicut solet, pertinax perfidia esset ; persuasione matris præcipue suæ, quæ adhuc supererat, et consiliis dementata, et a conjugio viri religione discederet. Cum hæc Theodorus Christianis jam acquiescentibus propalasset ; Judæis, qui conversi fuerant, acerrima commotione resistentibus, amputata dilationis mora, ad matris propinquæ sinum festinus ipse, ut in somnis viderat, convolavit. Post quem omnis, tanquam remoto obice, ad ecclesiam synagoga confluxit. Mirum dictu, inveterati illius legis doctores, sine ulla altercatione verborum, sine ullo Scripturarum certamine crediderunt : tantum percunctati, an vellent fidem Christi suscipere, credere se in Christo et Christianos fieri cupere profitebantur. Centum quidam et duos, ut asserunt, ætatis atque perfidiæ suæ habens annos, sine trium commutatione verborum, spe futuræ vitæ alacer decrepitus, optare se ut in fine temporum suorum per fidem Christi ad spiritualem reverteretur infantiam, nobisque putrefacta jam senio membra, ut quantocius per Baptismum regeneraretur, ingessit.

17. Fuerunt quidam Judæi, qui prætereuntes illuc appulsi, opportunitatem temporis atque ventorum aucupabantur : qui navigandi concessa opportunitate credere maluerunt. Tres igitur tantum feminas, sed nobilissimas Judæorum, ad virtutis suæ gloriam dilatandam in duritie perfidiæ suæ Christus permanere aliquantulum passus est. Artemisia siquidem, Lectorii, qui nuper hanc provinciam rexit, et nunc Comes esse dicitur, filia, conjugis Meletii conversione com-

[1] Forte, *perfidiosa.*

mota, cum una ferme amica et nutrice et paucis ancillis domum viri sui deserens, ad quamdam speluncam, licet in vicca, tamen remotiore paululum loco sita, oblita femineæ infirmitatis evasit. Erat in ea parvum novumque torcular, lacusque novus factus figuram quodammodo gerere credentis populi videbatur. Non enim istos sicut utres veteres, sed sicut novos lacus mustum novi Testamenti recepisse, et credimus et videmus. In eo igitur loco cum per biduum matrona a viro suo offensa inexorabilis permansisset; ut primum tertia dies illuxit, famulæ aquam haurire imperavit: quam cum odore et sapore mellis dulcedinem referre sensisset, primo quidem ministræ succensere cœpit, et cur in eodem urceo mel injecisset, indignans inquirebat. Postquam autem, ut quasi negantem convinceret, ad lacum pergit; de quo paululum concavis manibus hauriens, reperit aquam, qua per biduum usa fuerat, in mellis suavissimi versam dulcedinem. Advocans itaque cunctas quæ aderant, ut gustarent rogat, ne forte fallax sapor in faucibus tantum ipsius suavitatem mentiretur. Omnes gustantes mira oblectatione affectæ sunt, ut non aquam mellis sapore delibutam, sed mel sincerissimum, solum aquæ similitudinem censerent. Stupore igitur percitæ, dum ad civitatem reverti parant, curiosius agentes, etiam rorem qui in herbis plurimis erat, degustatum similem repererunt. Pergens itaque ad civitatem matrona memorata, hæc marito detulit, et per eum omnibus indicavit, statimque ad Christi fidem sine reluctatione consensit. Verum eadem die qua Meletii uxor amaritudinem incredulitatis abjicere ex melle compulsa est, eadem, inquam, die qua memorata filia Israel quasi in deserto posita illum antiquum Mara lacum injecto crucis ligno obdulcescere persensit (*Exod.* XV), ita mirifico vereque cœlesti omnis ecclesia odore fragravit, ut præsentiam Spiritus sancti, quam et ante jam aliquoties, sed paucissimi senseramus, fraternitas pene universa sentiret: et mirum cunctis illud fuit, quod per eosdem dies, serena propemodum jugiter permanente, creberrimi imbres demittebantur, et paulatim venientes ad fidem Christi Judæos pluvia præcedebat: ita ut hoc animadvertentes, vulgo inter nos et quasi joculariter diceremus: Ecce jam pluit, scitote quoscumque Judæos ad Christi fidem accessuros. Mirum dictu, frequenter dum adhuc talia loqueremur, a quibusdam Judæis fidei janua pulsabatur: nec immerito, sicut scriptum est, *Pluviam voluntariam segregabit hæreditati suæ Dominus* (*Psal.* LXVII, 10). Desuper erant feminæ, quæ in odorem unguentorum Christi currere recusabant.

18. Innocentii illius, cujus supra fecimus mentionem, matrona cum prole sua, venerabilis, sicut fama est, vidua, illico ut Innocentium, sororis conjugem, conversum esse conspexit, navim conscendit, non solum permittentibus, sed etiam suadentibus nobis; quia ad fidem Christi nec verbis, nec miraculis flecterentur. Uxor autem Innocentii per quatuor fere dies verbum salutis, quod ingerebamus, obduratis auribus recipiebat. Hæc cum omnem respuens medicinam, insanabili incredulitatis valetudine opprimeretur, nullisque Innocentii conjugis vel minis, vel precibus, vel lacrymis moveri posset; universa, Innocentio rogante, ad domum in qua habitabat, fraternitatis multitudo convenit, habens magnum dolorem animi, quod tantæ lætitiæ plenitudini una mulier obsisteret, quia jam soror ejus manifeste putabatur. Cum igitur diu cassa verba surdis auribus ingerentes nihil profecissemus, ad cognitum orationis præsidium convolavimus, precesque quas humana repellebat impietas, ad cœlestem misericordiam vertimus: itaque usque in horam tertiam ferme hymnorum et orationum præliis adversus Amalec, hostem Jesu, ducis nostri, sudavit exercitus (*Exod.* XVII). Inde cum jam pene, quod fatendum est, desperantes abscessionem moliremur, resumptis rursum viribus orationem cunctis indiximus, soloque strati diu flevimus; et cum in consummatione orationis Amen populus acclamasset, et illa credere se et Christianam fieri velle subjunxit. Nos itaque, hac etiam a diaboli laqueis eruta, læti ad habitacula nostra perreximus.

19. Sequenti, id est octava demum die, qua veneramus Jammona, remeare statuimus, optima præclaræ victoriæ gaudia reportantes. Sed cum jam in procinctu itineris constituti, civitate digrederemur, Dominus populo suo, quasi pro viatico, gaudium quod solum deesse videbatur, adjecit. Affinis siquidem Innocentii illa vidua de pelago reducta est, quæ subito se meis genibus advolvens, fidei nostræ auxilium cum lacrymis deprecabatur. Cui ego: Cur, inquam, mulier tanta animi levitate fratres tuos deserere voluisti? Ad hæc illa: Et Jona, inquit, propheta a facie Domini fugere voluit, et tamen voluntatem Dei, licet invitus, implevit (*Jonæ* I). Suscipe ergo tu non solum me, sed et istas orphanas, et Christo eas nutri. Et hoc miserabiliter acclamans, duas filias suas parvulas mihi cum fletibus ingerebat. Quis non præ gaudio flevit? cui non extorsit lacrymas lætitiæ magnitudo? Suscepi plane ovem, quam ex omni numero solam errasse putabamus; eamque cum gemino fetu ad Christi ovilia revocavi.

20. Sane per hos octo, quibus hæc gesta sunt, dies, ante initium Quadragesimæ, Paschæ a nobis celebrata est festivitas: quingentas siquidem et quadraginta animas ad Ecclesiam constat adjectas. Inane autem et supervacaneum non reor, ut, cum multa propter infinitam copiam prætermisero, in fine commemorem, neminem ex tanta Jammonensis populi multitudine, qui per triginta millia passuum ante tot dies venerat, aut curam domus suæ, aut provisionem substantiæ, aut desiderii affectum huic operi prætulisse. Illud magis mirum magisque gaudendum est, quod ipsam Judaicæ plebis terram diu inertem, nunc autem recisis incredulitatis vepribus et recepto Verbi semine multiplicem fructum justitiæ germinare conspicimus; ita ut nobis in spe tantorum novalium gaudeamus, unde insignem perfidiæ eruimus silvam, illic fertilissima fidei opera pullulare. Primum enim ipsa synagogæ fundamenta evertere, deinde ad novam basilicam construendam non solum impendia conferunt, sed etiam humeris saxa comportant.

21. Hæc Beatitudo vestra die quarto nonarum februarium virtute Domini nostri Jesu Christi arrepta, octo diebus ab eodem consummata esse cognoscat, post consulatum domini Honorii undecimum, et Constantio iterum victore. Quamobrem si indigni et peccatoris verbum dignanter admittitis, zelum Christi adversum Judæos, sed propter Deum eorumdemque perpetuam salutem, suscipite. Forsitan enim jam illud prædictum ab Apostolo venit tempus, ut plenitudine gentium ingressa omnis Israel salvus fiat (*Rom.* XI, 25). Et fortasse hanc ab extremo terræ scintillam voluit Dominus excitari, ut universus orbis terrarum charitatis flagret incendio.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTES LIBROS.

Incerti auctoris sunt de Miraculis sancti Stephani martyris libri duo, neque Evodii episcopi Uzalensis nomen, cui inscripti a Lovaniensibus fuerunt, præferebant in ante edito Joannis Clummerii codice, neque in vetere libro Floriacensi. Evodii jussu compositos testatur auctor in prologo, seque etiam ipse ab eodem Evodio

episcopo diversum indicat in sexto ac decimo tertio capite libri primi et in fine libri secundi. Præterea ex argumento quod libro primo a scriptore præfigitur, quando miracula hæc dicuntur *mandata quoque notitiæ fidelium ab Evodio in Ecclesia Uzali*; his verbis non auctor scriptorque operis, sed auctor et approbator qui scribi atque jusserit, Evodius significatur. Nescimus autem an opus istud habuerit præ oculis Augustinus, quando descriptum hic in libri primi fine miraculum narraturus in Sermone 323, n. 3, dicebat: *Apud Uzalim, ubi est episcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quærite, et invenietis. Prætermissis aliis, nominabo vobis unum quod ibi factum est, ut videatis quanta sit ibi præsentia majestatis.*

DE MIRACULIS
SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS
Libri duo.

LIBER PRIMUS.

Textus divinorum operum, quæ ostensa sunt per beati protomartyris Stephani venerabile meritum, mandata quoque notitiæ fidelium ab Evodio in Ecclesia Uzali, cujus urbis pontificatum administrabat sacerdos dignissimus; Aurelio tunc temporis Augustino apud Hipponem dominicæ sationis dispensatore constituto.

Prologus.

Quoniam sanctus Raphael angelus nos adhortari dignatur, ut opera Dei non tam in abscondito collocemus, quam potius pro Dei gloria in aperto pandamus, monens et dicens, *Sacramentum regis bonum est abscondere, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est* (*Tob.* XII, 7); quia sicut cognitis fidem non adhibere infidelitatis est, ita invidentiæ est in ædificationem aliorum nolle cognita prædicare: propterea, beatissime papa Evodi, jussis Paternitatis tuæ studiose obtemperare curavi, non tam fisus viribus meis, quam adjutus gratia Dei et sanctis orationibus tuis; ut ea quæ per patronum nostrum Stephanum primum martyrem suum operatus est apud nos Christus, et adhuc operari dignatur, non malivola taciturnitate supprimere, quo cæteri fraudarentur; sed magis pia devotione narrare, quo Amici Dei gloria fraternis auribus intimetur: nec ingenio et lingua aliqua quasi exaggerare prævalentes; sed ipsarum rerum veritatem, prout Deus donaverit, fideliter explicare cupientes, ut ipsa nostra narratio non tam verborum pompam audeat quærere, sed potius mendaciorum fucum studeat declinare; ita ut ubicumque res postulaverit, ipsorum quoque hominum verba, sicut ab eis dicta sunt, simpliciter ponere non debeamus erubescere. Magis enim placent bonis ac religiosis quæcumque dicuntur vera, etiam vitiosis verbis, quam falsa politis et ornatis verbis. Sane non ob hoc nos quispiam arbitretur voluisse ista narrare, quasi aliquid nos gloriæ beato Martyri videamur præstare: quandoquidem illi nec tacendo demere, nec loquendo quidquam possumus conferre. Ipsa quippe virtutum miracula nullo humanæ linguæ præconio indigent; jam ubique personantem exserunt tubam: sed tantum nostram devotionem ad fratrum ædificationem pro recipienda obedientiæ mercede cum humilitate volumus demonstrare, metuentes quoque quod ab ipso Domino legimus terribiliter dictum esse, *Si vos tacebitis, lapides clamabunt* (*Luc.* XIX, 40). Quæso autem vos omnes, quotquot hæc audire vel legere pie ac religiose volueritis, ut hujus peccatoris ultimi, qui hoc in nomine Domini scripsi, semper in sanctis orationibus vestris meminisse dignemini: et si quid a nobis rusticiter profertur, non indignemini; sed tantum, quia veraciter dicitur, delectemini.

CAPUT PRIMUM. — *De ampulla sanguinis famulæ Dei per somnium ostensa.*

Cum igitur adhuc nullus saltem rumor esse potuisset, quo ad nos indignos Domini sancti Stephani, in martyrio primi confessoris Christi, reliquiæ venturæ essent (non enim hoc fieri posse aut in cogitatione habebamus, aut suspicari poteramus): ecce ex anteriori tempore cœpit idem gloriosus quibusdam apud nos sanctis animis se ipsum revelare. Nam cum quodam loco vel die sermo supradictarum reliquiarum ab his servis Dei fieret, qui easdem sibimet de Orientis partibus missas nobis nescientibus habebant, adfuit in sermone quædam etiam mulier, sacra famula Dei; quæ ubi hoc audivit, ut evenire assolet, non facile credidit, et apud semetipsam tacite dicere cœpit: Et quis scit si vere martyrum sunt reliquiæ? Statim autem sequenti nocte per somnium ampulla quædam eidem demonstratur intra se habens sanguinis quamdam aspersionem et aristarum quasi ossium significationem: quam presbyter quidam manu tenens germano ejus monacho illa præsente locutus est dicens: Vis scire quomodo martyrum probentur reliquiæ? Quo dicto ampullam ejus ori injecit, et mox flamma ignis [1] per aures ejus atque oculos evomi cœpit. Hoc quomodo res ipsa manifestata sit dignanter accipite. Ampullam sicut oculis suis vidit ancilla Dei in somnii revelatione, sic inter manus suas accepit postea sacerdos Dei in ipsius rei manifestatione; et quod illa quamdam dubitationem prius in se habuit, eamdem nunc in quibusdam res ipsa declaravit. Quod deinde ignis per ampullam aures atque oculos comprehendit, quid aliud tunc præsignavit, nisi quod prædicatio sanctarum reliquiarum perveniens ad os monachorum, unum corpus Ecclesiæ per auditum atque visum claritatis Dei igne succendit, ut omnes merito dicerent, *Sicut audivimus, ita et vidimus* (*Psal.* XLVII, 9)? Nec quod ille presbyter apparuit, qui ad os monachi ampullam applicuit, quæ ignem emisit, inane fuit. Is enim erat qui nuper ex Oriente rediens, et de sanctis reliquiis quas illic viderat, in ore servorum Dei verbum ponens, quasi ampullam admovit, et sancto igne succendit. Sed jam vellem ad evidentiora et manifestiora patroni Stephani transire miracula, nisi ad rem pertinere existimarem, alteram adhuc Sanctitati vestræ proferre visionem. Quam peto ut patienter, et sicut arbitror, non infructuose, audire dignemini.

CAPUT II. — *Ubi virgini sanctus Stephanus apparuit.*

Alia autem virgo sacra ad locum antiquorum mar-

[1] Sic Floriacensis Ms. At editi, *et mox flamma sanguinis.*

dum quemdam et angustum cujo[illegible] sum, unde nulla sibi esset fa[illegible] exitus evadendi. Ex quo quid [illegible]strabatur, quam ut sciret atque intellig[illegible] rarum suarum non humanum, [illegible] quærere auxilium? Namque a[illegible] dam reverendi visus feminae, qu[illegible]ffleto et dolorum anxitudine repleto, [illegible] per cujus dulcedinis significat[illegible] perciperet suavitatem. Unde [illegible] trandi accipiens precibus [illegible] ab ea petebat. At illa, quæ typum [illegible] Ecclesiæ, Modo, inquit, accede [illegible] num, et faciet te sanum. Qu[illegible] subsecuta. Nam cum illa discederet [illegible] relinqui se dolens diceret, Dimit[illegible] ducis te? ecce videt illam, sicut illi pro[illegible] Stephanum accedentem et pro [illegible] tem his verbis: Rogo te per [illegible] illum; miserere illi [1], miserere [illegible] hominem innocentem de tribulat[illegible] illum qui rogabatur vidit ad se atque a[illegible] bat, ingredientem amictum vest[illegible] cora. Quem mox ut agnovit, [illegible] medicum, egenus copiosum, supplex pa[illegible]erbis cum lacrymis rogabat dicens: Cha[illegible] me, libera me de tribulatione. [illegible] rere filiis meis. Vix precator [illegible] precum exauditor precibus [illegible] dicens: Surge, salvus factus es. At ille [illegible] bentis, tanquam qui obdormie[illegible] sed vigilans spiritu audisset, contin[illegible] ante lectum suum firmis gres[illegible] sic verbum illud prophetiæ impl[illegible] *[illegible]udus saliet sicut cervus* (*Isai.* XXXV, 6). D[illegible] taque sua Martyribus, ubi ea[illegible] sunt, reddere properavit. Qu[illegible] tudinem baculo adhuc innitendum e[illegible] Ubi postquam diu oravit, cereos accendit, [illegible] liquit, atque exinde filium [illegible] sustinens repedavit: in ecclesiam venit, e[illegible] Dei atque Amici Dei sanitatis attestation[illegible] Post [illegible] reliquiis in ecclesia cum ingenti [illegible] collocatis, tanquam proposita statione med[illegible] cantavimus, *Susceptimus, Deus, miseri[illegible] templi tui* [*Psal.* XLVII, 10]), quan[illegible] die multitudinis undique concursus fieri [illegible]nta beneficia fuerint collata, et quotidie [illegible] miracula demonstrata, quot c[illegible] tici sanati, quanti variis morbis p[illegible] sed et mortui suscitati, lo[illegible] possibile universa vel me[illegible] digerere, vel stilo mandare; [illegible] dque [illegible] raculum sui generis quamdam [illegible] scatur. De quibus tamen omn[illegible] expli- care possumus, neque pen[illegible] debemus, pauciora quæque et notiora e[illegible] que fastidientium aures inundemus, neq[illegible] studia defraudemus.

CAPUT V. — *De muliere quæ pro marito sanctum Stephanum invocavit, et ea[illegible]*

Igitur Memplonitani loci [2] [illegible]dam diu peregrinantis mariti nec de mo[illegible] de vita secura, cum triennii ferme temp[illegible], quo illa diversis opinionibus de c[illegible]gitata in ancipiti et dubio vitæ suæ stat[illegible] locata, fluctuabat ex incerto pendens mul[illegible], et in quod se latus ægra projiceret i[illegible] hinc nuptiæ suaderentur, paupertas propone[illegible]r, sollicitudo ingereretur, fragilitas carnis insidi[illegible]tur; rursum ex alia parte castitas, mari[illegible], religio ante oculos ponerentur: tandem inter [illegible]uscemodi sibimet repugnantium cogitationum æstu potentis-

[1] Editio Lov. omittit, *miserere illi.* M[illegible]

[2] Ita Floriacensis manuscriptus. Al. [illegible] *ur in emblonitana loci*, etc. Vide infra, lib. 2, [illegible] 2.

simi advocati Stephani implorare debere patrocinia non sine divina providentia est a quibusdam in[illegible] atque cohortata. Nam ad ejus Memoriam supplex ad volavit, ibique se cum lacrymis stravit. Et diem orat audire meruit, Maritus tuus venit. Propere illa do mum rediit, et maritum incolumem invenit. Ita e conjugi castitas custodita, et Amico Dei quant fuerit animæ periclitantis cura, cognitum factum es in Dei mirabili gratia.

CAPUT VI. — *De homine quem collapsa domus oppres serat, cujus conjuge orante sanctum Stephanum, rivu inventus est.*

Per idem tempus, in nostra civitate quædam domu ruina collapsa hominem oppresserat, cui nomen Da tivus est. Cujus exinde erutum corpus et ad vicinam domum translatum, funeris obsequio plangebatur Proinde jugalis ejusdem, mariti sui tanto luctu perculsa, ad Memoriam gloriosi Stephani pro vita mariti cum lacrymis se prostratura perrexit. Ibiden dum illa aliquandiu ad aures Amici Dei fide pulsaret precibus insisteret, ecce repente in conspectu plangentium funeri circumstantium et nomen venerand Martyris invocantium, vir ejus in quo jacebat loco aperire oculos, et corpus movere, videntibus et mirantibus omnibus qui aderant, cœpit: ac deinde post aliquantum ejusdem diei spatium emensum ad vivos rediens, et in se residens, ad illum cujus domus erat, dixit: Beatus es, frater, quoniam hodie angelus Dei domum tuam intravit. Et narrare cœpit quæ animæ suæ revelata fuissent. Dixit enim multitudine mortuorum se fuisse circumdatum, quorum alios agnovisset, alios ignorasset. Deinde quodam ingresso juvene, candida veste nitente, habitum diaconi præferente, et [illegible] imperio [illegible] ac dicente illis mortuis, Recedite: statim illos mortuorum turbas non comparuisse. Tum illum ad se accessisse, ac sibi dixisse, Redde quod accepisti. Et se non intelligente, iterum illum repetisse, Redde quod accepisti. Sed et tertio ut redderet similiter imperatum sibi ab eo fuisse, seque respondisse, Nam Symbolum jubes ut reddam? Et illo dicente, Redde; se ex ordine Symbolum reddidisse, et adjecisse, Si jubes, et Orationem dominicam reddo: atque illo annuente reddidit. Tunc ille signo salutari cor jacentis signavit, eique dixit: Surge jam salvus. Et surgens, sicut dictum est, salvus effectus est.

CAPUT VII. — *Ubi prohibuit sanctus episcopum, ne reliquias suas transferre præsumeret.*

Eodem tempore venerabilis episcopus noster de ejusdem sancti reliquiis aliquam partem disposuerat in Promontoriensi ecclesia collocare: dies etiam quo id fieret statutus erat. Ecce ante diem fere tertium quidam Ecclesiæ nostræ presbyteri duo, quorum unus maturioris ætatis, Zumurus [1] nomine, admonetur, quod ipse postmodum retulit, ut ad episcopum mane pergeret, eique diceret, ne perficeret quod de parte reliquiarum facere disposuisset. Quod cum memoratus presbyter negligenter habuisset, nec ad episcopum pertulisset, secunda vice et graviter arguitur, et alapa illisa in faciem verberatur. Alium autem presbyterum, Donatum nomine, retulisse quod in ipso loco Memoriæ eumdem episcopum nostrum viderit sibimet e diverso astantem, et sacramenta nivei candoris in palla manibus et collo gestantem. Quem protinus appellans, constanter dixit: Pone hic quod portas. Cumque ab alio in sinistra episcopi stante presbytero sibimet diceretur, Et quis alius portabit? ipse respondit, Quid ad te, modo hic quod ab episcopo portatur, loco suo reponatur? Quod sicut revelatum est, ita post diem tertium impletum est. Namque cum jam præcedente die vehiculum pararetur, ut cum parte reliquiarum episcopus proficisceretur, repente hujusce rei fama per civitatem divulgata, immensa ad ecclesiam multitudo confluxit. Tumultus et clamor magnus fieri cœ-

[1] Codex Floriacensis, *Zurius.*

pit, zelus fidei et amor Amici Dei omnes accendit. Circumdatur episcopus stipantibus turbis, rogatur, et tenetur, nec ante dimittitur, quam sacramento etiam interposito nihil se reliquiarum de civitate ablaturum esse polliceretur: quo ita demum illa populi pro zelo fidei tempestas placaretur, simulque reliquiæ in unum congregarentur, in eodem Memoriæ loco, ubi jam pars fuerat reliquiarum primitus collocata, ita et alia pars similiter reponeretur. Donatus presbyter per somnium sacramenta portantem episcopum, hoc est sacratarum reliquiarum portionem gestantem, compellere, sicut dictum est, videbatur, ut in loco suo reponeretur quod ab eodem reportabatur. Ideo factum credo, ne ullus divisionis locus daretur, maxime quia in Ecclesia hoc agebatur, quæ primitus a Donatistarum divisione usurpata, postea usque in hodiernum unitati Catholicæ est restituta. Unde etiam vocabulum sumpsit, ut ecclesia Restituta appellari meruerit.

CAPUT VIII. — *De cæco qui capsellam reliquiarum tetigit, et visum recepit.*

Sane eodem quo hæc agebantur die, cum pars ipsa reliquiarum de monasterii habitaculo prolata cum ingenti celebritatis exsultatione et hymnorum choris resonantibus dulci modulatione manibus sacerdotis ad ecclesiam portaretur; ecce quidam cæcus apprehendens capsellam argenteam, in qua erat reliquiarum portio memorata, cœpit fortissima fide regno cœlorum vim facere. Et quia qui vim faciunt, diripiunt illud (*Matth.* xi, 12), continuo lumen recepit. Unde universæ Ecclesiæ suæ Christus non modicum gaudium cumulavit.

CAPUT IX. — *De duobus catenatis per gloriosum Stephanum liberatis.*

Item cum quidam in custodia publica catenarum nexibus vincti districtius haberentur, eorum unus cruciatu pœnæ ac dolore compunctus, sanctum Stephanum Christi charum in auxilium invocabat. Ecce vero inter lacrymas vocesque ejulantis, subito de manibus ejus corruere catenæ. Quo facto, cum præposito custodiæ solutus ultro se ipsum ingessisset, et rem tanti miraculi confessus fuisset, non est ausus custos rursum ei vincula injicere, sed plane ex hoc quasi cautior et sollicitior effectus aliam pariter vinctum arctius fortiusque constrinxit: quasi divinæ potentiæ possit esse quidquam insolubile, ignorans quia *sermo Dei non est alligatus* (II *Tim.* ii, 9). Verum cum ille simili vinculorum asperitate compulsus ad eumdem tanti miraculi auctorem talibus, sicut socius ejus, vocibus et fletibus suppliciter exclamaret, ipse quoque exaudiri meruit, et similiter catenis resolutis opera Dei confitendo narravit.

CAPUT. X. — *De reo soluto, et per meritum sancti Stephani sanato.*

Alio item vincto cum in thermis publicis vapore caloris catenarum vulnera intumescerent, et gravissimum dolorem eidem concitarent, adfuit fides, ut Amici Dei opem imploraret. Qui cum ad piscinalem egressus esset, subito etiam ipsi catenæ ceciderunt, et omnes quotquot viderunt, Christum atque ejus primum confessorem Stephanum magnificare cœperunt.

CAPUT XI. — *Ubi paralyticus meruit sanitatem.*

Paralyticus territorii Hipponensis Zaritorum [1], vocabulo Restitutus, faber ferrarius, per plurimum tempus lecto decumbens, nec pedibus poterat incedere, nec linguam in verba resolvere: tandem beati Stephani ad se fama perlata, parentes proprios nutu quo poterat hortabatur, ut ad Memoriam gloriosi Martyris portaretur. Quo facto, dum ibidem hiemis multo tempore in tanta frigoris asperitate super pavimentum tessellæ jaceret in oratione (quod ubique contrarium hujusmodi infirmitatibus esse solet), fere vigesima die per somnium noctu apparuisse sibimet indicavit quemdam juvenili forma præditum, speciosa etiam veste et habitu decorum, seque tunc ab illo accersitum, sibique esse jussum ut ad locum Memoriæ suis pedibus accederet: et ex illo cœpisse paulatim gressum et linguam ad propria officia aliquantulum revocare. Cumque quartus mensis fuisset emensus, eo quod [1] nondum adhuc plenam receperat sanitatem, cogitare cœpit ad propria remeare; seque tunc admonitum fuisse ait sibique dictum esse, ne festinare vellet, sed adhuc quatuor menses exspectare deberet, quo tunc domum suam propriis pedibus repedaret. Quod omnino sicut promissum est, ita die et tempore denuntiato adimpletum est. Nam sicut et nostra conscientia testis est, et ipse in gloriam Dei confessus est, et pedibus suis ad propria remeavit, et ore proprio verba distinctius pronuntiare cœpit.

CAPUT XII. — *Ubi quidam paralysi linguæ et pedum liberatus est.*

Quidam de civitate Uticensi paralysi pedibus et lingua implicatus lecto detinebatur. Cujus mater ad sancti Stephani Memoriam fide firmissima convolavit, secumque, postquam filii sui causam optimo advocato commisit, exinde aliquid pulveris pro sanctificatione abstulit, et revertens domum filio jacenti adhibuit. Ex quo mox ille sanitatis beneficium sentiens, de lecto surrexit, et non solum pedibus suis ambulare cœpit, sed etiam per duodecim millia passuum proprio gressu ad beati Martyris Memoriam pervenit, gratias in corde suo agens de pedum sanitate percepta, sed adhuc preces fundens de propria lingua solvenda. Proinde exuens sibi manicam tunicæ suæ, eo quod orarium non haberet, per fenestellam [2] Memoriæ ad interiora loca sanctarum reliquiarum manu injecta mittebat, atque inde rursum dexteram reducens ori suo admovebat, et linguam contingendo paulatim nodos loquendi gratia fidei resolvebat. Hoc enim sæpius faciendo, tanquam salutares cibos de cœlesti assumens cellario, ægrotanti suo adhibuit membro: unde arentem linguam refecit, et loquendi officium adjutus Dei gratia idoneum recepit: ac sic in utrisque illa suppleta est prophetia, per quam et [illegible] dictum est, *Et plana* [3] *erit lingua mutorum* (*Isai.* xxxv, 6).

CAPUT XIII. — *Ubi cæcus Pisitanus lumen recepit oculorum.*

Cæcus etiam quidam Pisitanæ civitatis, cui vocabulum est Donatianus, ad stationem potentissimi medici Stephani advenit. Ibi denique pulsans fidei pietate, die octavo, tanquam dominicæ resurrectionis sacramento, quæ facta est a die quidem passionis tertio, sed in dierum numero post sabbatum octavo, eo die, ut dixi, per fidem lumen oculorum recepit, quando lucem mentium [4] universus mundus per Dominicam Resurrectionem excepit. Qui cum vota sua cupiens sancto Martyri reddere, argenteam offerret pro sua devotione candelam (nec immerito candelam offerebat, qui lumen receperat); is accersitus a venerabili episcopo, atque interrogatus ut ei diceret quid sibi præstitum esset, quare illud donum offerret, astante universa Ecclesia, etiam ore confessus est, quod et corde et corpore, spirituali archiatro curante, illuminatus redditus est.

[1] In aliis editis deest, *Zaritorum*, pro quo forte melius, [illegible] habetur, [illegible]

[1] Floriacensis Ms., *fuisset exemptus, ex quo*, etc.

[2] Idem Ms., *per fenestram*.

[3] Sic Floriacensis Ms. At editi, *plena*.

[4] Sic Floriacensis Ms. Editi vero, *quando lucem gentium*.

CAPUT XIV. — *Ubi cuidam sanctus Stephanus apparuit, qui audierat filium suum a latronibus interfectum.*

Ubi lanius [1] nostræ civitatis nomine Rusticianus [2], filium suum cum alio homine suo porcos mercatum, connumeratis solidis, miserat fere ad ducenta millia passuum : cumque complures transacti essent dies, neque illi adhuc reversi fuissent, a quodam amico suo argui et increpari cœpit, eo quod filium suum et hominem suum in tam longinquam regionem mittere voluisset, quos jam a latronibus occisos se dixit audisse. Quo audito, ille quasi miserabili luctu perculsus domum flens lugensque regressus est. Lacrymis pro cibo tota pastus est die. Interea cum sic nox eum oppressum mœroris tenebris invenisset, ecce per somnium videt sibi apparere quemdam decorum juvenem, cujusdam honorati [3] et primarii civitatis viri nomine Uzalensis vultum habitumque præferentem, eumque hilari facie sibi dixisse : Quid ploras? Respondisse autem se, ut ipsius utar simplicibus verbis [4] : Domine meus, per bonitatem tuam ideo ploro, quia audivi quod homo meus et filius meus occisi sunt. At ille consolans eum ait illi : Non sunt occisi. Tamen qui sum ego, ait? Ille respondit : Dominus meus Uzalensis. Bene : ait ipse [5], dixisti, quia Uzalensis sum, sed non sum ipse quem putas : ego enim sum Stephanus. Sane unde tristis es de filio tuo et homine tuo, scias quod jam huc habent redeuntes faciem. Nam dedisti illis solidos viginti quinque, insuper autem acceperunt creditam pecuniam prope viginti millia folles, et adducunt secum porcos numero quadraginta quatuor, omnes electos. Venient autem die Romanorum civitatis, hora prima. Hæc itaque omnia sicut per somnium revelata sunt, ita postea re ipsa completa sunt. Namque et homines incolumes reversi sunt, et porci tot numero adducti, et summa pecuniæ creditæ eadem inventa, et dies horaque adventus illorum prædicta sine ullo prorsus errore est consecuta.

[1] Sic juxta Lovaniensium editionem. In B., *Tibilaneus*. Melior procul dubio lectio Lov., quæ si non omnino liquidum, qualemcumque tamen sensum profert, dum lectio Benedictina nullo modo potest intelligi. M.

[2] Floriacensis Ms., *Rusticianus*.

[3] Ita Floriacensis manuscriptus. Editi vero, *Honorii*.

[4] Floriacensis Ms., *Respondisse autem se supplicibus verbis*.

[5] Editio Lov., *ille*.

CAPUT XV. — *De parvulo qui catechumenus mortuus est, et meritis sancti Stephani matri vivus redditus est.*

1. Cujusdam mulieris filius parvulus mortuus catechumenus erat. Qui matris portatus manibus, cum ingenti ejulatu et miserabili vociferatione ante ipsam Memoriam gloriosi Stephani fuit projectus, tradente illa mortuum, ut ab eo reciperet vivum. Cumque ad aures Amici Dei pulsaret fide pietatis, percussa duplici luctu orbitatis, quod et in præsenti vita filium perdidisset, et in futura, utpote sine gratia Baptismi, salvum habere non posset, ecce inter diu lamentantis et vociferantis dolorem et clamorem miseræ matris, repente parvulo spiritus redditur, vita tribuitur, vox viventi conceditur. Continuo presbyter accersitur, Baptismus parvulo traditur, sacramenta complentur, atque ita a peccatorum lethali catena anima liberata, statim etiam mortalis carnis vinculo exuitur, et ad Dei spirituales amplexus summa celeritate liberata dimittitur. Ita et matri non modica consolatione concessa gaudere de reddito filio datur [1], et parvulo salus vera conceditur. Qui profecto ob hoc ad modicum vitam recepit, ne in æternum moreretur; ob hoc ad tempus mori meruit, ut vita perpetua frueretur (a).

2. Hæc interim de multis et pene infinitis miraculis pauciora decerpsimus, ne in præsenti auditoribus propter festivitatem Martyris de longinquo advenientibus forsitan oneri esse possemus. Cæterum quod nobis difficillimum est, si omnia recordari ac recensere, ut superius dictum est, vellemus, librum prolixum faceremus. Ipsas enim notissimas clarissimasque virtutes ad prædicationem sui sibimet sufficere existimamus, quæ non indigent humanæ linguæ facultate, quoniam prævalent divinæ potentiæ perspicua veritate. Verumtamen devotionem nostram ad ædificationem fratrum in nomine Christi ex aliqua parte exhibere volumus, ut paternæ obedientiæ mercedem orationibus vestris recipere et gloriosi Stephani, primi testis Christi, benedictionem favente divina misericordia possimus impetrare : per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Sic Floriacensis Ms. At editi, *de redempto filio datur*.

(a) Miraculum istud refert Augustinus in Sermone 323, n. 5, et in sermone 324.

LIBER SECUNDUS (a).

CAPUT PRIMUM. — *Allocutio de libro altero ad præcedentem adjungendo.*

Bene mecum recolit Sanctitas vestra, sanctissimi patres et fratres, quod cum in conventu nostræ hujus Uzalensis Ecclesiæ (b) cum [1] domini Stephani primi martyris Christi miracula fideliter descripta, et publica attestatione comprobata, ante hoc tempus vobis qui adfuistis de publico recitarentur, hoc quoque plenissimæ gratulationis munus, ipso Amico Dei, ut credimus, procurante, Dilectioni vestræ exhibitum, ut post recitationem divinorum operum atque gestorum, ipsarum etiam personarum in quibus illa mirabilia facta, quæcumque in præsenti reperiri potuerunt, demonstratio perspicua et professio propria, non solum scriptis nostris testimonium perhiberent, verum etiam oculis aspectibusque vestris fidem veritatis ingererent. Unde factum est ut, dum ipsæ virtutes Dei vestris auribus primitus per lectionem intimarentur, etiam visibus vestris oculata [2] fide præsentarentur, ut illud in vobis quod in Psalmo scriptum est, compleretur, *Sicut audivimus, ita et vidimus* (*Psal.* XLVII, 9). Erat namque in tanta re cœlestis gloriæ spectaculum grande. Ubi enim pronuntiaverat lector quamlibet historiam, verbi gratia primitus de quadam cæca, postea illuminata (a), statim terminato sermone hæc eadem persona requisita in populo, et inventa, et in medium omnis Ecclesiæ producta, admirantibus et congratulantibus, videbatur sola jam sine ullo comite ac duce, sicut prius solebat, incedere, ipsaque etiam per se gradus absidæ conscendens, universis eminus conspicienda astabat, et testimonium in se divinæ gratiæ, ipsorum suorum illuminatione oculorum veluti fidelium testium tacita quadam prædicatione proclamabat. Item cum de paralytico sanato multis antea cognito præcessit lectio (b), continuo idem qui ab ejusmodi infirmitate fuerat curatus, similiter productus e populo propriis gradiens passibus, cum totius Ecclesiæ magno gaudio cernebatur, præconia divinæ laudis quibusdam contestans palpabilibus documentis, ipsis sanatis sui corporis integris membris. Dum hæc itaque gererentur, dumque uno eodemque tempo-

[1] Redundat, *cum*.

[2] Ulimmerii codex, *osculata*.

(a) Abest a Floriacensi Ms.

(b) Conf. supra, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 8, n. 21.

(a) Supra lib. 1, cap. 3.

(b) Supra lib. 1, cap. 2.

re singulis quoque conscriptis etiam ipsæ res mirabiliter concordi unitate convenit; profecto putares non tam præterita narrari, quam potius præsentia demonstrari. Ita enim, quod sermone proferebatur, statim etiam ipso præsenti opere cernebatur, ut alio quodam majori miraculo mirabiliora ipsa miracula redderentur. Quis tam durus ac ferreus non in lacrymas erupit? non ad pietatem humilitatemque defluxit? Quis unquam digno præconio loqui possit? Fiebat clamor gratulationis in auditu lectionis: rursum quoque major exultatio excitabatur in aspectu visionis; ac sic per auditum et visum penetrabat flamma divini amoris omnis tunc cor hominis. Hæc autem quia sine silentio præterire non potui, propter eorum qui illo tempore adfuerant memoriam renovandam, sive eorum quos ista latebant nequaquam scientiam defraudandam; et quia illa ipsa eo tempore quæ recitata sunt, statim etiam a religiosis plurimis cum clausula sua capta [1] sunt atque descripta: ideireo ad alia quæ consecuta sunt narranda, hinc adjuvante Domino, quasi libelli secundi exordium sumpsimus. Referam igitur vobis, charissimi, adjutorio Domini nostri Jesu Christi, adhuc Stephani patroni communis mirabilia gestæ rei multisque bene notissimam in laudem et gloriam Dei memorabilem historiam.

CAPUT II. — *De Megetia quæ paralysi fuerat percussa, quæ inter medicorum manus defecerat, et cursus ad sanctum Stephanum a duplici infirmitate curata est.*

1. Carthaginensis civitatis quædam fuit, nobilis genere, nobilior Christi fide, Megetia nomine, dives in sæculo, ditior in Deo: cui christiana mater erat nomine Vitula: pagani autem erant maritus, et socer, et pater. Hæc cum in utero haberet, quarto mense conceptus sui, nescio unde nauseando prius ac rejiciendo, dum frequentius pateretur stomachi concussionem orisque distensionem et vomitus provocationem, in pravitatem pestemque paralysis causa perducta est, ita ut exclusis a locis suis ipsis cardinibus dentium et arteriarum, nequaquam posset dilapsa ora constringere, neque nervos atque integros palati motus ac linguæ ad aliquid vel ore emittendum, vel in os recipiendum habere. Remanserat in femina pia et pudorata deformis quidam et aversandus aspectus, et ibi vita macula corpori erat infixa, ubi utique nequaquam posset esse celata: facies quippe erat, de qua quidam dixerat, Frons hominem præfert, quæ tegi sine dedecore non potest. Cæterorum namque membrorum cum aliquo vitio officia præpediuntur, nonnulla industria ruberi subtrahuntur. At vero cum ipse vultus aliqua fuerit fœditate turpatus, quidquid propter verecundiam tegminis adhibetur, ipsa verecundia magis augetur. Quid ergo faceret nobilis matrona, velamento abscondens ora vitiata, dum venientibus salutatum ad se æque aliis nobilibus feminis, aut osculum dare, aut sermonem conferre, ipsius vitæ societas atque humanitas compulisset, ut taceam de cibo et potu, quod vix ægre poterat manducare vel haurire? Namque ingenium industriaque medicorum diu multumque circa eam laborantium frustra, non solum nihil salutis ei conferre poterat, verum etiam in deteriora cuncta pergebat. Nec immerito: ab illo enim conditore et redemptore omnis naturæ Deo nondum in filia reformabatur, quod nonnisi ejus virtute formatur, cujus censura omne hominis corpus et disciplina constringitur, et medicina laxatur. Tali igitur confecta mœrore ac dolore, nec quorumcumque remediorum aut medicamentorum ullo adjuta levamine, fere jam sexto mense, tabefactum fuerat delicate corpus animusque puellæ. Os quam etiam illud quod gestabat a vitali spiritu jam destitutum, intra septa viscerum retinebat exanimatum. Ita cum prius sub uno paralysis vitio jam ipsa vita horreret, accessit aliud gravius et periculosius, unde nec ipsa quidem vivendi possibilitas remaneret. Nam si puella sic defecerat sub vitiosi oris labore, quomodo posset vivere cum mortuorum viscerum collapsione? Septimus mensis incesserat, non vultus pestifer a pravitate exuebatur, non alvus onere mortuo exuebatur. Pontius vero, Megetiæ pater, socer autem Avitianus, et maritus Adventius, utpote adhuc gentilitatis erroribus adstricti, quidquid non solum per industriam medicorum, verum etiam per artes dæmoniorum ac superstitiosarum figmenta vanitatum, quasi pro vita intermorientis Megetiæ poterant attentare, frustra omnino atque inaniter desudabant. Sed error infelix, quid saluti humanæ te crederes posse conferre, quam studuisti semper auferre? Refellit te vox veritatis in sacratissimis Psalmis, contestans generaliter et breviter, a quo vere sit omnis salus animæ corporisque, dicens: *Domini est salus* (*Psal.* III, 9). Soli enim Deo recte cantatur, *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* XXXV, 7). Qui dignatus est creare, ipse prorsus dignatus est et sanare.

2. Proinde illis memoratis personis diu in talibus frustra laborantibus, et non corpore, sed corde dormitantibus, ecce Deus ille magister qui non dormit neque dormitat, qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4); ipse Deus, inquam, cui cura est pro omnibus (*Sap.* VI, 8), religiosam Vitulam, Megetiæ matrem, fideli calore succendit, atque ut ad domini Amici sui Stephani suffragium accurreret, inspiravit. Quam, ubi benedicta femina in sacratarum reliquiarum loco de Carthaginensi urbe ad Uzalensem profecta est, misericordissimus Dominus et miserator excepit, exaudivit, adjuvit, atque de filia compotem fecit, ac de diabolo adversario superato victricem triumphare permisit. Dici non potest quibus illa pia femina Amicum Dei flebilibus vocibus fuerit aggressa, et quanta cum miseratione ante limina gloriosi Martyris prostrata effusos sui cordis dolores expresserit, in hæc verba prorumpens: Domine Stephane, Christi amice, subveni matri miseræ, ad te confugienti pro salute periclitantis filiæ. Hic te ergo plangentibus oro, illic te ancilla tua præsentem medicum sentiat imploro. Scis ipse qualibus causis laboret Megetia, et in quo vitæ discrimine sit constituta. Ecce enim ex quanto tempore jacet, misera toto corpore, et paralysi dissoluta, et visceribus tabefacta. Proximum est autem, ut septimo mense completo, comprehendatur ab octavo. Omnes desperant de salute Megetiæ: ego quæ ad Christum et te, Amicum ejus, confugi, credo quia talis luctus de filia non imponetur capiti meo. Peto autem et rogo, ut, cum hinc a corona tua revertens festinanter ad ancillam tuam proficisci cœpero, recreetur anima mea de filia aliquo nuntio bono. His et horum similibus multis allatibus ubi satis visa est sibi idoneum instruxisse advocatum sanctum Stephanum apud judicem Christum, propere ad revisendam filiam, unam et solam suam maximam curam, mater parturibunda revertitur. Oleum tamen sanctificatum, et orarium vel sudarium orationum [1] suarum sudorumque pro salute filiæ laborantis testimonium, a beati Martyris Memoria secum pariter reportabat. Ecce igitur in via, cum declinandorum æstuum gratia (nam æstivum tempus erat, quo igneus sol terras urebat) secessisset, subito advenienle nuntio accepit litteras a viro suo de Carthagine directas, sicut precibus suis postulaverat, in quibus proxime futura liberatio filiæ significata erat. Nam mensem octavum altera die ingressura filia dicebatur, aliquantulum tamen vegetior esse, et sui jam partus signa præcedere, et bono animo illam de filia esse debere. Quod totum religiosæ Vitulæ matri, non ore humano, sed divino oraculo nuntiabatur. His igitur primis voto-

[1] Forte legendum, *concepta*. M.

[1] Alium., *gratiarum*.

rum suorum relevata mater auspiciis, perniciter advolavit. Quae ubi pervenit Carthaginem, eamque natam in ipso vitae suae articulo positam invenit, statim sacrato oleo filiae membra perunxit, sudarium quoque amplexandum pectori tradidit. Quo facto, rediviva Megetia uteri sui partu exonerata, octavi mensis urgente a praegnantibus mulieribus tremenda lumina[1], ab ipsa mortis regia, rursus auris est vitalibus restituta. Sic itaque una lethali causa dispuncta, archiatro coelesti protinus altera curanda restabat. Quod ut jamjamque fieret, fida mater Vitula filiam liberatam ad vitalis fontis venam, unde aegrae suae haustum coeleste poculum attulerat, salubriterque infuderat, secum reducere cupiebat. Sed nondum recuperatae vires Megetiae, post laborem periculosae enixionis suae, alterum itineris subire laborem minime permittebant.

3. Interea vir, socer et pater puellae nihilo adhuc permoti in laudem Dei verique ejus Martyris primi de tam miserabili causa uteri, rursum coepere ob ejusdem curandam reliquam valetudinem, id est, vitiosi oris pravitatem, illa hominum remedia erroresque consulere, et longas moras temporum frustra conterere. Namque annus integer et aliquot fere menses evoluti sic erant. Tandem fidelis mater Vitula, archiatrum quemdam, Felicem nomine, Carthaginensis civitatis, fidelissimum prae caeteris atque amicum domus suae, corrogavit ad se ipsam, ac super salutem ipsius unicae obtestando constrinxit, dicens: Sic unica filia tua vivat; potestne curari Megetia de paralysi ista, an non? Tum ille: Fideliter dico, filiam tuam de hac causa penitus curari non posse, quia sic me voluisti constringere. Ipsa, inquit, junctura quasi carri, ubi oris et maxillarum retinacula quaedam continentur, exclusa est a locis suis. Cui respondens mater Vitula, fidei suae stabilitate fundata, continuo retulit dicens: Ego non sic credo in Christo meo, quia sic relinquetur filia mea in hoc tanto paralysis malo. At ille fidei firmitatem valde admirans in femina: Hoc, inquit, omnipotenti Deo licet facere, cui credis; nam nihil speres ex nobis. Quibus religiosa Vitula auditis, dimisso a se archiatro, assumens secum Megetiam suam, adiit virum suum et virum filiae suae, ac pio inflammata dolore, sic fari exorsa est: Acquievimus, inquit, vobis misere usque nunc, nec resistere viris mulieres valuimus: diu vestras pertulimus voluntates, ex quibus nullus fructus salutis filiae, nullus cessit effectus, ita ut ecce per annum et quot excurrunt amplius menses inter manus medicorum corpus filiae meae tantummodo fatigetur, nec omnino, sicut videtis, aliquid perficiendo sanetur. Rogo, aliquando permittite et nobis, ut faciamus et nos quae expediunt nobis: eamus et nos ad medicum nostrum. Credo in illum, quia qui noluit Megetiam cum suo partu mortuo mori, ipse etiam eam faciet sano vultu suo inter homines conversari. His atque hujuscemodi querimoniis deploratis justis ac veris, nequaquam illi viri tali feminae virili animo indutae valuerunt resistere. Maluerunt sponte cedere, quam quolibet alio judicante victi discedere.

4. Flexis itaque illis in hanc sententiam matris Vitulae, marito scilicet simulque patre Megetiae, sed marito quidem adhuc pagano, patre vero christiano catechumeno effecto nomine Pontio, senatoriae dignitatis viro (dignum est ut cujus fidem in Christo coepimus pronuntiare, ejus quoque vocabulum jam incipiamus cum debito honore pariter nominare: qui sane quemadmodum initiatus christiano nomine fuerit, quoniam locus videtur exigere, minime nos pigebit aperire. Quando enim religiosa Vitula, nondum de partus periculo liberata Megetia, ad Amicum Dei fuerat profecta, ibi in suis precibus etiam de hujus viri sui venerabilis credulitate instruxerat, ut ille imbueretur fide ac nomine christiano. Quod sane eidem illa ipsa nocte est visione revelatum. Visum est quippe sibimet videre juxta ipsam beati Martyris Memoriam duo cerolaria luminosa, pariter igne flammantia, ibidemque assistente secum atque apparente memorato Pontio viro suo, sibimet dictum fuisse: Vitula, melius lucet cerolarium nostrum; unde volo scias me posuisse jam jugulos. Quo viso auditoque, religiosa Vitula somno experrecta, et mane facta[1] oratione suppleta, hoc ipsum quod in somnis viderat quibusdam ancillis Dei enarrare coepit. Et prior ipsa somnium suum interpretata respondit, dicens ad memoratas circumstantes virgines: Noverit Sanctitas vestra, quia cito Pontius credet in Christo, sicut confido de Christo meo. Nam hoc est quod per somnium mihi significavit dicens: Volo scias, Vitula, quia posui jam jugulos, non utique nisi sub jugo Christi. Sic ergo honorabilis Pontius effectus, ut dixi, primum catechumenus christianus sequenti anno, iisdem diebus quibus a religiosa Vitula beatus Stephanus pro salute mariti aeterna fuerat exoratus).

5. Sed, ut dicere coeperam, consentientibus sibimet viris suis, mater Vitula cum Megetia sua pariter de Carthagine profectae, pariter ad Memoriam beati Martyris pervenerunt, ac deinde ante ejusdem ipsius limina prostratae, die noctuque flentes et ejulantes, cinere et cilicio squallentes, inde nobiles feminae homines non erubescentes, ut Deo essent placentes, susceperunt illud quod dictum in Psalmis audierant: *Fuerunt mihi lacrymae meae panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4.)? Etenim neque ista de ipsa nostra religione christiana piis et nobilibus feminis deerant ab incredulis improperia, unde ante Dominum flebilibus vocibus, et amaris, ut scriptum est, verbis memorabant, et effundebant super se animam suam. Dicebatur namque ab inimicis fidei nostrae: Ubi est Deus vester? Inclamabat ergo Vitula mater auribus Amici Dei: Domine Stephane, ecce adduxi Megetiam tuam ad te, quam tu ipse liberasti de morte. Nec nos in gaudium inimici fecisti venire, non tradens nos in animas tribulantium nos, qui detrahunt et desperant de Christo Domino nostro, et de te, ejus tanto Amico. Fac, rogo, fac iterum erubescere eos de tota et de plena Megetiae tuae salute, sicut jam fecisti erubescere eos de ejus uteri periculosissimo labore. Non omnino deficies ad minora, qui praestitisti majora. Quod promisi ejus viro pagano de te, imple propter te. Non confundatur mater in filia, quae praesumpsit in te, quae confugit ad te. Certe ut oculus cordis nondum credentium nobisque insultantium sanetur, os filiae curetur: et ut acquiratur sanitas animae illorum, praestetur puellae sanitas membrorum suorum.

6. Talibus in ejusmodi sensum dictis lacrymabilibus deploratis, septima transierat dies, cum ecce nocte intempesta visitatur per somnum Megetia: videt apparentem sibi insignem virum visu, diaconi praeferentem habitum. Illa eum rogare coepit, velut quemdam medicum spiritualem, ut os suum inspiceret, et, si dignaretur, curaret. Verum ille mox ut os ejus inspexit, vultu eam hilari serenoque intuitu ait[2]: Equidem adhuc os tuum non rectum; sed sursum aspice, et vide quid volitet super caput tuum. Continuo illa super se erigens oculos, vidit serpentem quemdam teterrimum supra se pennarum remigio volitantem, atque huc et illuc tortuosis anfractibus oberrantem. At pavefacta Megetia horribili monstruosoque visu, insignis illius viri exhortatione firmatur, ad ipsam dicentis: Nisi prius istum serpentem occideris, sanari non poteris. Sed noli metuere, forti animo illi congredere, et omnino superabis. Quo audito, Megetia fidei suae robore et de tanti adjutoris sui armata protectione,

[1] Forte, *limina*.

[1] Forte, *facto*.
[2] Forte, *intuitus*.

arrepta in tempore sibimet velut virga oblata, contra illum draconem teterrimum et tortuosissimum decertavit. Quem, etsi diu exercata diuque ab reluctante adversario delassata, ad extremum tamen, ubi illum in capite percussit, continuo prostravit. Quo trepido gaudio expergefacta, strato exsiliens evigilavit. Cumque somnii sui quid ratio portenderet cogitaret, nec liquido intelligere valuisset, exinde oravit visitari, confirmarique poposcit [1], ac deinde se quieti permisit. Ecce denuo videt illum decorum habitu juvenem, nivea veste fulgentem, ac statim jacenti sibimet velut manu porrecta, audivit jubentem pariterque dicentem : Surge, sic curaris. At vero Megetia, ut ante medico homini facere consueverat, capite opposito, quasi fovenda ora sua ei offerebat. Sed ille, utpote ignorantis corrigens factum, respondit eidem : Utquid hoc facis? Prius sunt tibi oculi curandi. Illa retulit dicens : Domine meus, oculos sanos habeo, sed ut os meum cures rogo. Et ille : Jam, inquit, tibi dixi, prius sunt in te oculi curandi. Tunc velut cœlestis archiatrus, spiritu cordis secreta introspiciens, quasi cutem medicinalem collyrium imposuit, oculos superlinivit, atque discessit (*a*). Verum cum mane facto hoc ipsum religiosa Megetia somnium suum charissimis suis et sanctissimis feminis indicaret, in ipso sermone narrationis suæ ultro corde compuncta et cujusdam peccati sui recordatione subito stimulata, peccatum suum confiteri non distulit, sed, sicut scriptum est, delictum suum agnovit, et injustitiam suam non operuit (*Psal.* XXXI, 5). Ecce ergo qui illi erant oculi prius curandi, non utique corporis, sed cordis, quod, ut spiritualis medicus, gloriosus Stephanus pronuntiavit illi dicens : Prius sunt tibi oculi curandi. Sanandum quippe erat quod vitiosum latebat in mente, ut sic demum sanaretur quod depravatum cernebatur in corpore. Hinc ille quoque teterrimus serpens, qui super caput volitabat, quia principalem rationalis animæ mentem obtinebat, conterendus fuerat et vincendus. Dum enim reatus cujusque delicti humiliter agnoscitur, caput colubri pœnitendo quassatur, cordis oculus confitendo purgatur. Duodecimo igitur die, ex quo cum sua ad Amicum Dei venerat matre, dum orat ad locum sacratæ Memoriæ pulsans fidei pietate, non solum affectu cordis, verum etiam motu corporis, ipsa ostiola Memoriæ impulsa patefecit, ac vim faciens regno Dei, caput suum intromisit interius, et super cubile sanctarum reliquiarum confixit, lacrymisque suis omnia illic lavit, atque rigavit. Verum ecce illo desuper miserante qui appropinquat contritis corde (*Psal.* CXLVI). Megetia famula Dei quadam sibi visibili et attrectabili manu os suum corrigi et compalpari persensit. Quæ posteaquam ab oratione surrexit, circumstantibus choris virginum sanctarum, ibidemque pro illa et cum illa Deo laudes dicentium, tremens et gaudens hoc ipsum indicavit. Quale tunc quantumque in omnibus mentibus fuerit gaudium, et flendi ante ipsum Deum excitaverit affectum, vix poterit explicari.

7. Sed antequam gestæ rei ad finem optatissimum veniamus, ubi plenam perfectamque salutem religiosæ Megetiæ, Amico Dei curante atque auxiliante in nomine Christi, demonstraturi sumus, quod in medio hujus aliud mirabiliter contigerit, nequaquam prætereire debemus. Cum ferme quadraginta diebus circa sancti Martyris locum orando mater filiaque persisterent, ecce repente venientibus litteris, sibimet Carthagine directis, quo pater puellæ honorabilis Pontius diceretur corpore ægrotare, ad eumdem visendum de Uzalensi civitate profectæ sunt. Verum cum in medio itineris, æstuum causa, fovendi corporis gratia lavacris uti voluissent; adfuit in præsenti quædam domestica ab infideli cognita Megetia et in obviam missa [2], non tam ad salutandum, quam potius ad exploraudum. Quæ cum curiosius cuperet benedictæ Megetiæ nuda ora vultusque conspicere, intravit cum ea in obsequium [1], et ubi quantum voluit in faciem famulæ Dei intendit, prorsus integrum sibimet apparens os Megetiæ sanumque conspexit. Quo viso, obstupefacta atque mirata illa domestica, quæ aliud quam sperabat invenit, continuo ad quamdam juxta stantem sacram virginem convertit sese, et nominatim eam compellans ait : Infans Helpidiana, sana est prorsus domina Megetia. Sic enim Dei gratia vigebat in Megetia, ut, licet ejus plenior cura in corpore ex parte aliqua differretur, perfecta tamen sanitatis species reverberandis incredulorum oculis objiceretur. Quod illa ancilla Dei intelligens magnum mysterium Dei, illi muliereulæ respondit dicens : Increduli, vel modo credite.

8. Rursus apud Carthaginem cum benedicta Megetia quadam die cum viro suo pagano sermonem conferret, et inter fabulas dum viro suo ore integro vultuque appareret, commotus tali visione vir ejus gratulari cœpit ac dicere : Domina Megetia, sanam te prorsus aspicio. Verum illa dissimulando interim tegens quod divina virtus in se demonstrabat, sermonis sui cursum tenebat. Itidemque ille quod videbat tacere non poterat, et sicut prius eidem respondebat : Sana es prorsus, Deo gratias. At illa impleta gaudio, tandem subridens, ait marito : Vel modo jam credes Christo? Et ille : Quid vis, inquit, faciam patri meo? nam et ego christianus fieri volo.

9. Sed ut jam ad terminum quem promisimus veniamus, dies Paschæ sanctissimus propinquabat, ecce benedicta Megetia a quadam amica atque nobili femina Rustica rogabatur, ut voto suo solvendo beato martyri Cypriano in Mappalia secum pergeret, et solemnitati pariter interesset. Quod Megetia facere se non posse causabatur, sciens quid in se Dei potentia infidelium oculis ostenderet, quid plene salutis [2] cœlestis gratia reservaret. Tamen amicam contristare nolens, non penitus negavit, sed plane ad illum diem quod Deus voluisset facturam se esse promisit. At ubi illa amica discessit, non destitit die noctuque orationi instare Megetia. Buccellam sane omni die in oleo sanctificato tinctam prius accipiebat; et sic cæteros cibos sumebat. Quadam vero nocte visitavit in somnis, ita ut se juxta Memoriam beati Stephani stantem putaret, ibique juvenem illum speciosum cerneret, candida luce perfusum et insigni equo subvectum, lampadesque quamplures lucentes, ac præcedens ei splendidissimum apparatum, sibique ab eodem clara voce dictum : Ad te pertinet ista lux, Megetia, suscipe illam. Post quam visionem expergefacta gaudioque repleta, statim ubi se sanam sensit, manus suas ad os suum faciemque inspiciendam applicavit, et quasi præ nimio gaudio soli sibi non credens, ancillas suas quæ circa lectum suum quiescebant, clara voce excitavit, et ut ad se inspiciendam atque contemplandam accurrerent, advocavit. Tum illæ, ut viderunt in domina sua donum Dei fuisse impletum, votumque omnium esse perfectum, omnes pariter in lætitiam exclamaverunt, et in laudem Dei eruperunt. Advenit etiam ille ab amica præstitutus sibimet dies, venitur a diversis ad religiosam Megetiam, ut, sicut promiserat, ad destinatum locum charas suas non deserendo pergere dignaretur. Sed Megetia Dei famula velamento adhuc, sicut solebat, ore contecto, ab intimo cubiculo ad amicas suas foras egressa est. Quas ubi de se aliquandiu tristes esse permisit, subito illo a facie velamento ablato, et vultu demonstrato, ait : Ecce vos videte quid in me Deus dignatus est perficere, et una mecum gaudete, et ipsi Domino pro me gratias agite. Quam ubi omnes conspexere, gaudentes et Dominum benedicentes, osculis lambere, et eam complexari cœperunt. Tunc omnes una ad ecclesiam perrexerunt cum ea, et vota sua Domino persolverunt. Peracto autem sancto Pascha Domini, etiam ad Uzalensem ci-

[1] Juxta Morel, Elem. Crit. pag. 389, 390, legendum est : [illegible] M.

[2] Forte, cognita [illegible] in obviam missa.

(a) [illegible]

[1] Legendum forte, *in hospitium*.

[2] Forte, *plenæ saluti*.

vitatem religiosa Vitula una cum Meretia sua aliisque religiosis feminis venit, votaque sua de salute filiæ plena et perfecta Christo Domino Christique Amico in conspectu omnis nostræ Ecclesiæ congaudentis atque congratulantis hilariter reddidit, ferventer exhibuit, fructuoseque persolvit.

CAPUT III. — *Donatus quidam apothecam habens, fere ducenta vasa vini corrupta reperit: cujus jussu minister lagenam ex omnibus vasis impletam attulerat, et ad sanctum Stephanum currens, ibique ponens oravit, et reversus cum lagena, in omnibus vasis ex eadem infudit, et reparatum est vinum.*

Donatus quidam dictus homo, sane bene tissimi quoque filii, nomine Rustici, prælectorum numerarii cunctis bene notissimi, pater. Hic in fundo suo suburbano cum loco et nomine vocitato probi generis vina quotannis condere et conservare consueverat. Interea, ut possessoribus mos est, commodorum quæstuum causa, quoslibet terræ repositos fructus tunc malle venales emptoribus publicare, cum votis exoptatorum lucrorum avariora concurrunt pretia temporum, visum est memorato domino prædii, cum quodam homine suo, vini scilicet gustatore peritissimo, apothecam suam primitus intrare, ac per singula vasa examinando vina approbare. Quo facto, mox ut degustator haustum vasis merum appulit judicio labiorum, continuo stupefacta in homine ora vultusque palluere. Nam præter quod vini teterrimus color aversandum oculis ex se offerebat aspectum, etiam tristissimus sapor labiis mœrendum ingerebat gustum. Verum cum hoc malum in uno tantum vase consistere putaretur, non tam molestante damnum [1] jactura patrisfamilias habebatur. At ubi per singula vasa cœptum est circuiri, omniumque vasorum, id est ferme ducentorum, numerus examinatus similiter degenerasse ac deperisse repertus est; quis tunc ibidem fuerit possessoris animus, quis ipsius apothecarii luctus, puto quod ignorare non possit omnis compatiens animus humanus. Non enim revera minimum et contemnendum detrimentum damnumve contigerat, sed ducenta, ut dixi, fere quæ putabantur vasa vino suavissimo plenissima, eadem e contrario reperiebantur nec aceti, sed cujusdam corruptissimi et fæculentissimi liquoris squalore adimpleta. Quid ageret ita rei labefactæ suæ dominus, vindemiæ suæ interitum non adhuc in vitibus, sed, quod est gravius, in ipsa perpessus apotheca? quid, inquam, ageret? quid tam corrupto nec jam dicendo vino facere potuisset? An forsitan qualicumque abjectissimo pretio vendidisset? Sed quis tam fatuus emptor ad rem fatuam accessisset? An saltem effunderet atque projiceret? Sed quis ita oblitus laborum suorum esset, ut qualescumque anni fructus proculcandos hominibus belluisque facile exponeret? Tandem fluctuabunda in talibus mœroribus anima divinæ aspirationis aura perflata in portum fidissimum stationemque tutissimam velificante deducta est gratia. Nam multa secum agitanti hæc potior sententia animo insedit possessoris, confugiendum esse ad Amicum Dei Stephanum sanctum, primum martyrem Christi. Proinde jubet illi prægustatori vini sui, ut unam lagunculam ex quolibet vasorum suorum adimpleret, eamque ad Beati Memoriam, benedicendam diluculo deportaret, atque exinde sanctificatam continuo referret, tuncque ex illa per omnia vasa parum quid superfunderet atque discederet. O Domine, Domine, cui cura est pro homine, omnia benigne faciens propter hominem, qui per sanctos tuos olim aquas amaras et infecundas, ligno immisso et vase salis injecto sanasti (*Exod.* XV, 25; IV *Reg.* II, 21), ac per te ipsum, Domine, aquam in vinum convertisti (*Joan.* II, 1-11), ipse nunc et per amicum tuum Stephanum sanctum, reparasti in statum pristinum vina perdita, versa amaritudine in suavitatem, nigredine in candorem, mœrore in exsultationem! Propere igitur domini sui jussa minister ille fidelis exsequitur: lagenam, ut fuerat præceptum, haurit, pergit, apponit, reportavit, vasisque singulis permodicum quid contribuit, et abiit. Altera die, memor fidei mandatique sui, surgit paterfamilias matutinus, ministrum cum eum minutrumque convenit, una secum ad apothecam comitem ducit: inspiciuntur denuo cuncta per ordinem vasa, vinum hauritur, nitor in colore conspicitur, sapor in gustu approbatur, tristitia in gaudium commutatur, et quid quantumque fides in Christo ejusque gloriosissimo Amico valeat reperitur, cunctisque audientibus mirantibusque succeditur: deinde illa probatissima vina condigno pretio emptoribus distribuuntur. Ecce qualiter divina providentia utilitatibus hominum deservit: et quid tandem Deo pro tantis ejus beneficiis exhibetur aut redditur?

CAPUT IV. — *Ubi draco de cœlo magnificus apparuit, a cujus conspectu universa plebs ad Stephani limina confugit, et ipsis orantibus paulatim inter vellera nubium subtractus non comparuit.*

1. Quadam die agebantur nundinæ in nostra civitate, et hora jam meridiana cœli facies serena in teterram et caliginosam aeris turbidinem subito est commota. Ecce autem desuper aspicitur igneus quidam et immensæ magnitudinis propendens in caput e nubibus draco. Quod non ita insolitum et novum debet videri, non solum propter notitiam popularem, verum etiam Scripturæ sanctæ auctoritatem, quæ de draconibus sic memorat dicens: *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus* (*Psal.* CXLVIII, 7, 8). Abyssus namque dicitur, non tantum hic deorsum aquarum inæstimabilis profunditas, sed etiam sursum istius caliginosi aeris, quem suspicimus, immensitas, qui maris ac terræ humore videtur pinguescere: cujus impulsu flabiles auræ excitantur, velut lanæ vellera nubes agitantur, fulgura ignita emittuntur. Quæ omnia ne, sicut insipienter sapientes putant, casu et fortuitu fieri crederentur, sancta Scriptura vigilanter providit: et postea quam dixit, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis*; continuo subjunxit de ipso universitatis Creatore atque Rectore, et ait, *quæ faciunt verbum ejus*. Proinde pendentem ex hac, ut dixi, providentia dispensationis Dei, et nubibus flammantem draconem tanquam de superiore abysso procedentem atque emicantem, cum aliquandiu huc atque illuc motus aer ferret atque deferret, ac jamjamque præcipitandum super mediam civitatem tremor omnium qui aderant exspectantium et stupentium cerneret, fugere conventu publico popularis turba cœpit, et passim quacumque timor egerat, sicut quisque poterat, discurrebat. Totus denique ipse dissolutus perturbatusque mercatus. Relicta namque omni negotiatione terrena, pro sola tantum homines metuebant vita. Quis enim tunc quæreret lucra pecuniæ, in tanto discrimine damna deplorans animæ? aut quis cogitaret vel corporis victum, formidans vitæ suæ ultimum occasum? quis porro cuperet vestem, metu mortis amittens mentem? Magnus etiam concursus multitudinis ad gremium Ecclesiæ matris, ad misericordiam protinus convolavit Dei Patris. Ad ipsam Amici Dei sacratam Memoriam in facie prostrata jacebat diversa ætas, dispar quoque sexus. Tandem pro cunctorum fletibus opportune ad Christum domini Stephani fusa prece, clementia Dei annuente, horrendus ille draco paulatim cœpit a conspectu hominum inter nubium septa subtrahi atque abscondi, et qua venti incubuerant, redeunte cœli serena facie, discuti atque propelli, ac sic revocatis animis, atque a tanta tristitia in lætitiam reductis, reddebantur Deo et Amico ejus uberes gratiæ cum ingentibus lacrymis de inopinata gratulatione profusis.

2. Ad hæc accedit etiam aliud quiddam ex hoc ipso miraculo mirabilius: ne ignara in omnibus fragilitas humana, nihil de divinis judiciis et beneficiis evidentius apertiusque edocta, ita ut dignum fuerat, exsti

[1] Forte, *damno*. In B. ad marginem, « locus corruptus. » M.

tisset grata. Ecce namque altero die, procurante divina dispensatione, quidam negotiator nunquam nostræ cognitus regioni, subdiaconum nostrum nomine Sennodum in loco Memblotutano [1] ultro convenit, et ad se vocavit, et quisnam vel unde esset ab eodem flagitavit. Qui ubi se subdiaconum Uzalensis Ecclesiæ memoratus est, respondit continuo idem ille ignotus homo (si tamen solum homo : credendum est enim quia angelus et homo : neque enim hoc vel inauditum atque inexpertum est, sive religioni christianæ sive notitiæ humanæ, sanctos Angelos terreno habitu et visibili specie plerumque hominibus apparuisse). Dedit ergo subdiacono memorato velum variis pictum coloribus, in quo inerat pictura hæc : in dextera veli parte ipse sanctus Stephanus videbatur astare, et gloriosam crucem propriis repositam humeris bajulare, qua crucis cuspide portam civitatis videbatur pulsare, ex qua profugiens draco teterrimus cernebatur exire, Amico Dei videlicet adventante. Verum ille serpens noxius nec in ipsa fuga tutissimus, sub triumphali pede Martyris Christi contritus aspiciebatur et pressus. Talis itaque pictura veli non omnino absque mysterio Dei ubi a memorato subdiacono allata pariter atque suspensa est ante ipsam Memoriam tanti patroni, omnis ætas omnisque sexus intueri et mirari cœpit, tanquam spectaculum grande, quo scilicet auctore quove liberatore draco ille exstinctus est hostisque devictus. Gestæ quippe rei fidem præcedentis diei commendabat in animis omnium attestatio sequentis diei. Namque illud quod studiosius cernebatur in velo, hoc jam credibilius tenebatur in vero. Concurrebat enim pictura cum gratia, et tam divinitus pridie gestum salutis beneficium recolebatur, quam postea in veli imagine advertebatur. Denique ex ipsa congruentia diei præcedentis atque sequentis veritatis, et imagine rerum et quorumdam exemplariorum, tantus in multis stupor pariterque amor, admiratio et gratulatio accendebatur, ut a cunctis nihil aliud omnino vel diceretur vel affirmaretur nisi hoc unum, Vere quia per Amicum suum Deus istam liberaverit civitatem, et grandem a nobis depulit pestem. Et revera Dei fuit ad homines quædam allocutio in velo tacite significantis quodammodo et dicentis : O miseri mortales, quale hesterna die draconis evaseritis incendium, vel cujus pro vobis advocati fuerit acceptum suffragium, isto sequenti die istius veli figuratione intelligite, atque gaudete. Hinc vestram et præcedentem tentationem et subsequentem liberationem apud vosmetipsos conferte, exinde non dubii, sed certi, Deo vestro per Amicum meum gratias agite. Ecce draconem de vestra civitate cernitis fugatum et expulsum, ecce conterentem caput ejus primum Martyrem meum : ecce Crucis tropæum, per quod vicistis inimicum. Hoc ergo modo civitate nostra a tanto periculo primitus liberata, ac postea tali per congruentem picturam veli admonitione instructa et illuminata, gemino miraculo est omnis pia anima in Dei gloria exhilarata.

CAPUT V. — *De dispensatore pecuniæ publicæ Carthaginis liberato.*

1. In supra dictis miraculis domini Stephani patroni communis, virtutes sanitatum et visiones somniorum effectasque eorum mediocritate nostra nos digessisse meminimus : nunc vero evidenter et oculata fide humani habitus corporales apparitiones et demonstrationes in foro, in judiciis, in luce diei, et conventu populorum, ordinum dignitates hominibus vigilantibus et videntibus exhibitas per ipsum Amicum Dei, adjuvante Domino, cupimus enarrare. Igitur dispensator pecuniæ publicæ Carthaginensis civitatis, Florentius nomine, sicut in talibus fluctuationibus hujusmodi actionum evenire assolet actoribus earum, et motus sæpe potestatum sub quibus degunt, et quorum ditioni inserviunt, incurrant; idem usque ad periculum capitis offensam judiciariæ indignationis incurrerat. Qua de re ex præcepto nescio unde proconsulis, præcipitanter jussus est rapi, et ejus mox obtutibus sisti. Quod cum absque ulla mora officium quod patebat [1] implesset, memoratumque dispensatorem raptum per publicum sedenti proconsuli in secretario obtulisset; continuo pallor ingens cœpit discurrere per corda eorum qui aderant, et videbant, atque humana miseratione hominem dolebant, ejusque periculum metuebant. Interea viso protinus quem furialiter quærebat, exsurgit in voce terribili potestas irata, minaci eumdem dispensatorem interrogatione perturbans. At pavefacti hominis fugata mens metu, nec quid diceret inveniebat. Sed ecce Deus ille magister e cœlo prospiciens super filios hominum, miscens severitati lenitatem, minas transferens in benignitatem, castigando amans, amando consolans, judex in flagellis, pater in blandimentis, ubique fidelis, nusquam crudelis; ipse ergo Deus Dominus ad liberandum eum hominem angelum suum misit, de quo dictum est : *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eruet eos* (*Psal.* XXXIII, 8). Nam cum dispensator ille vitæ suæ incertus ac dubius sub tanto metu terribilis potestatis inter quæstionarios astaret, repente pulsatum se a tergo persensit. Statimque paululum cervice defixa, oculisque furtim retrorsum reductis, videt velut unum de carnificibus circa se astantem, sibique suggerentem quid ageret, quem rogare deberet, docentem et admonentem : Invoca sanctum Stephanum. Quo viso auditoque Florentius, suæ menti ac sensui redditus, et fuga dudum recreato animo confortatus, gloriosum Stephanum intra semetipsum orare atque invocare minime desistebat. Deinde elevata parumper facie ad interrogantem judicem, oculos intendit in judiciis assessorem. Quem cum nova facie, novoque vultu micantem, fulgentemque conspiceret, neque illum sibi notissimum, sed alium incognitum atque mirificum judicis consiliarium cerneret, ita ut cum esset assessoris nota antea in omnibus, et marcida ævo in vultu deformitas et senilis ætas; in illo vero qui ei apparebat, juvenili decore vultus et candor effulgebat. Hoc viso memoratus Florentius, diu multumque permotus, non jam dubius, sed firmus et certus, gloriosum Stephanum ibi præsentem credebat adesse, ipsumque occultata sede intendere se, et in sua causa judicem sedere, vel judici assistere. Nam quo plenius perfectiusque de tali visione ac præsentatione Amici Dei fiduciam caperet, videt Florentius eumdem suum suffragatorem, suique judiciis misericordissimum consiliatorem, etiam manu sua sibimet annuentem, et ne quidquam prorsus timeret, per manum dexteram significantem, vultuque hilari sibi arridentem, et spem salutis plenissimam pollicentem. Quid multa? Sensim cœpere illi furiales impetus judicis tumentesque animi ad omnem tranquillitatem lenitatemque deduci : ita ut non formidaret judicem, sed agnosceret patrem; nec cujus securim capiti suo pertimesceret, sed cujus favorem propriæ salutis speraret. O Domine, Domine, qui veras tuas laudes in sacris tibi psalmis decantari non arroganter, sed misericorditer jubes; non pro tua jactantia, sed pro nostra tutela, cum dicitur, *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas* (*Psal.* LXXXVIII, 10)! Sicut consonat etiam evangelica auctoritas, ubi imperio Christi tui, dum levigarentur turbulenti fluctus ac venti, mirantes dixere discipuli : *Qualis est hic, qui imperat ventis et mari, et obediunt ei* (*Luc.* VIII, 25)? Verissimumque quod etiam alibi in sermone Scripturæ sacræ dicitur de te : *Cor regis in manu Domini, sicut aqua decurrens; quocumque voluerit, illuc detorquet eum* (*Prov.* XXI, 1). Tu enim, Domine, de consulari irata primitus et post tranquillata potestate erga dispensatorem, illud nostris temporibus exhibuisti, quod in antiqua Scripturæ auctoritate prius terrente et rursum blandiente re-

[1] Forte, *Memblonitano*, ut supra, lib. 1, cap. 5.

[1] PP. Benedictini notant hic in margine : « legendum forte, *parebat*, vel, *petebat*. » M.

gia potestate, circa Esther feminam sanctam ostendisti, et in memoriam posteris legendum sempiternumque dedisti (*Esther* XV). Proinde dispensatorem Florentium proconsul, non jam ut officialem suum, sed tanquam filium remotis carnificibus, non solum ad se atque ad gremium suum absque ullo timore venire jussit accedere, sed et eum cœpit paterna affectione familiarius commonere, ac deinde indulta venia vitaque concessa liberum facit de secretario abscedere. Quo facto, qui astabant et pro hominis periculo pia sollicitudine trepidabant, abeunte absoluto et illæso dispensatore, mixto cum stupore gaudio, modo hæsitabant, modo exsultabant, modo inter se mirantes et disquirentes dicebant : Unde ista tam repentina rerum commutatio atque conversio, quæ proconsularem potestatem omni severitate exuta ad tantam humanitatem lenitatemque perduxit, ut hominem ad vitam ab ipso mortis limine reduxerit?

2. Porro autem Florentius, licet transacto periculo adhuc tamen ex priore metu aliquantulum animo saucius domum reversus est. Nulli sane suorum est in tempore confessus quid acciderit, quid viderit, quid evaserit (1). Verum nocte eadem per somnium videt sibi apparentem illum qui in secretario a se visus fuerat, juvenili specie vestitum, lumine, atque ultro nominatum compellatus audivit : Quid est, Florenti? Agnoscis me? Ego sum qui in secretario apparui tibi, teque de morte liberavi. Quem cum Florentius agnovisset, ipsumque esse Stephanum intellexisset, ubi cum adorare vellet, manu mento supposito ab illo elevatus est. Expergefactus autem Florentius surgit [illegible] Deo persolveret, [illegible] ad Uzalensem urbem [illegible] incognitus esset, [illegible] et ejusdem gloriosi Martyris Christi [illegible] desiderium. Verumtamen [illegible] in silentio [illegible] presbyter [illegible] nomine, Florentio [illegible] adjungitur. Quem conspiciens Florentius percunctatus est quo iter ageret. Respondit [illegible] presbyter, ad Uzalensem se pergere civitatem, [illegible] etiam se presbyterum esse [illegible] est. Tunc Florentius [illegible] exhilaratus gratulari plurimum cœpit: nam [illegible] gaudium celare non potuit, sed ab ipso [illegible] supradicto presbytero [illegible] adjuncto, quæ secum divina misericordia per gloriosum Martyrem gesserit, ordine indicavit. Deinde [illegible] itinere Florentius una cum presbytero ad civitatem venit, beati Martyris limina humili pietate ingressus, et pavimento prostratus omnipotenti Domino Jesu Christo, ejusque beatissimo Martyri gratias egit. Monasterium quoque ingressus venerabili episcopo, simulque servorum Dei ad se concurrenti choro, omnia hæc enarravit. Et nos quoque secum per [illegible] gratiarum actionem in laudes Dei et gloriosi martyris Stephani alacriter excitavit ac ferventissime accendit. Hæc dicta sunt a nobis pauciora de multis quæ valuit stilus indagare, et legenda magis cum desiderio, quam cum fastidio religiosis pectoribus commendare.

(1) Alias, *qui evaserit*.

INDEX RERUM QUÆ IN HOC TOMO SEPTIMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI SEPTIMI.